Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XX
F
21
NAPOLI

XX F 21

Digitized by Google

Franciſcus Hotmannus
Johannis Villerij fil:
Franciſci huius nepos
hunc librum optimo iure sibi vendicat.
Anno Χριστογονίας 1615
5 Idus Apriles.

Digitized by Google

FRANC.

HOTMANI

IVRISCONSVLTI

OPERVM

Tomus Tertius.

Quorum pleraque noua, quædam renouata & aucta.

Adiecti ſunt ſingulis tractatibus Indices ſinguli, rerum verborumq́; memorabilium.

Catalogum librorum & tractatuum qui hoc tertio Tomo continentur pagina I V. indicabit.

EXCVDEBANT

Hæredes Euſtathij Vignon, & Iacobus Stœr.

M. DC.

Typographus Lectori.

BENEVOLE LECTOR, *Prodierunt dudum ac nuper Franciſci Hotmani Clariſſimæ memoriæ I.C. opera plurima, quibus & Iuriſprudentiæ & humaniorum literarum ſtudia mirum in modum iuuit: Et quia (vt erat vir indefeſſi ingenij) reperta ſunt nonnulla quæ annis aliquot ante obitum ſuum ille conſcripſerat, hæc ipſa Ioannes filius V.Cl. in bonum publicum collecta, & ordine conuenienti digeſta, lucem etiam aſpicere voluit. Cum igitur eam prouinciam ſuſcepiſſemus; omnia tandem opera in tres tomos diſtribuere placuit. Priores quidem duo ad Ius Ciuile pertinent, Tertius præter libros de Iure Regni Galliæ & Antiquitat. Roman. alterius argumenti nonnullos alios complectitur, vt titulus vnicuique præfixus indicat. Porro quia hæc quæ iam primum eduntur ex ipſius auctoris autographo pleraque omnia eruta ſunt, nec fieri potuit quin frequentes ob notas & lituras, in multis aberratum ſit, veniam præfari viſum eſt, ad quam impetrandam hoc etiam (ni fallor) valebit quod per id tempus abſuit à nobis Ioannes filius, cuius induſtria vt in conquirendis ita in expurgandis paternis ſchedis plane neceſſaria erat, Si Deus volet prodibit cum tempore altera editio & auctior & emendatior. Salue & interea hoc noſtrum inſtitutum æqui bonique conſule.*

Catalogus librorum & tractatuum qui hoc tertio tomo continentur.

1 De iure regni Galliæ libri tres: quorum prior eſt, De auctoritate comitiorum. II. continet Leges de ſucceſſione regia. III. Diſputationem de controuerſia inter patruum & fratris filium.
2 Antiquitatum Ro. libri V. quorum I. leges R. Senatuſconſulta, magiſtratuum munia &c. continet. II. Eſt de ſtatu reip. R. in genere. III. Commentatio in leges XII. tabul. IIII. De re numaria populi Rom. V. Obſeruationes duæ, De lite ordinanda: & De pœnis ac ſuppliciis apud Rom.
3 Commentarij in XXV. Ciceronis orationes.
4 Aſconius Pedianus in orationes Ciceronis, cum notis Hotmani.
5 Commentarius in epiſt. Ciceronis ad Q. fratrem de prouincia rectè adminiſtranda.
6 Notæ renouatæ in C. Iulij Cæſaris commentarios.
7 Conſolatio è ſacris litteris.
8 Præfationes, quas ſuis quondam libris præpoſuit.

INDEX PRÆFATIONVM QVAS FRANC. HOT. I.C. LIBRIS A SE EDITIS PRÆMISIT.

Dictæ præfationes ſub finem huius Tomi ſunt collocatæ, ſub hac nota (A)

AD Gabrielem Marillacum Reg. Aduocatum in libellum de Gradib. cognatio. Præf. 1. fol. 2
Ad Claudium Baronem à Maura. in titulũ de Actionib. præf. 2. f. 3
Ad Magnif. Conſulem Senatúmque Bernenſem in libros de vſuris. præf. 3. fol. 3
Ad T. B. V. C. in commentarios ad Verrin. Cic. Orationes. præf. 4. fol. 5
Ad V. C. Ioan. Lucanium in aliquas Cic. Orationes præf. 5. fol. 5
Ludouico Grempio Reipub. Argentinenſis Conſiliario in aliquot obſeruationes præf. 6. fol. 7
Wolfgango Werrero in Connani Commentarios. præf. 7. fol. 9
Ad Ioan. Philipp. Wildt Rhenigrauium in legum Romanarum indicem præf. 8. fol. 11

Ad C.V.T.B. in libellum de familiis Rom. præf. 9. fol. 12
T. B. Franc. Hormano in comment. de verb. iuris. præf. 10. fol. 12
Ad Sereniſſimum Maximilianum Regem Bohemiæ. in comment. de verb. iuris. præf. 11. fol. 13
Thomæ Wrotho, Anglo in titulum de actionibus. præf. 12. fol. 15
Franc. Ruſſelio Bedfordiæ Comiti in Iuriſconſultorum præf. 13. fol. 15
Auguſto Princ. & Electori Saxoniæ. in Comment. Inſtit. præf. 14. fol. 21
Wilhelmo Landtgrauio Haſſiæ. in Partitiones Iuris. præf. 15. fol. 23
Vlrico Mordiſen I. C. Electoris Auguſti conſiliario. in primum librum obſeruationum. præf. 16. fol. 23
Antonio Hotmano Fratri. in Elementa Antiquitatum Rom. præf. 17. fol. 24.
Tipographi ad Adoleſcentes iuris ſtudioſos. in eadem elementa. præf. 18. fol. 25.
Ad Sereniſſimum Rom Regem Maximilianum in commentarium de verbis Iuris. præf. 19. fol. 22
Michaeli Hoſpitalio Franc. Cancellario in Comment. XII. tab. præf. 20. fol. 25
Ioanni Monlucio Epiſc. Valentino, in comment. legum obſcuriſſ. præf. 21. fol. 26
Enimundus Bonefidius I. C. adoleſcentibus iuris ſtudioſis. in comment. tit. Dig. de teſtamentis, pr. 22. fol. 27
Auguſto Principi & Electori Saxoniæ præf. altera in alteram Inſtit. editionem 23. fol. 24
Margaritæ Illuſt. Principi Sabaudiæ ac Bituri. duci in Diſputationum volumen præf. 24. fol. 29
Caſpari à Seydlitz V. C. in comment. de feudis. præf. 25. fol. 30
Ad Iuſtum Reuberum Palatinatus Cancellarium in eundem de feudis commentarium. præf. 26. fol. 3
Ad Ill. Pr. Wilhelmum Landtgrauium Haſſiæ. in librum quæſtionum illuſtrium. præf. 27. fol. 34
Philippo Ludouico Comiti in Hanavv in Dialecticæ Inſtitutionis libros. præf. 28. fol. 35
Ill. Pr. Friderico Comiti Palatino. in libellum de francogallia. præf. 29. f. 36
Ad Michaelem Varronem. V. C. in III. lib. Obſeruat. præf. 30. fol. 38
Ad generoſiſſimum Comitem Guidonem à Laual. in Cæſaris commentarios præf. 31. fol. 39
Ad Ioan. Hotmanum filium in eoſdem Cæſaris comment. præf. 32. fol. 42
Illuſtr. Pr. Othoni Henrico Duci Brunſuuicenſi in tit. Cod. de vſuf. præ 33. fol. 43
Nicolao Rhedingero Præfecto ordin. Senat. in vrbe Vratiſla. in tit. Cod. de Pactis. præf. 34. fol. 44
Wolfio Baroni à Schoenbourg. in lib. IV. Obſeruat. præf. 35. fol. 46
Nicolao Fierley. Regni Poloniæ Senatori in Comment. de Pignoribus præf. 36. fol. 47
Andreæ Fierley de Dambrouicza Palatinidi Cracouienſi in Scholas Cod.

de Pignoribus.præf.37. fol.49
Richardo Streinnio Baroni à Schuuartzenau in Partem Epitomat. præf. 38: fol.50
Illuſtr.Pr. Ludouico Landgrauio Haſſiæ. in titul. Cod. de vſuris & fœn. præf.39. fol.52
Caſparo à Dannuitz in Ionſdorff Sereniſſimorum Archiducum Auſtriæ Camerario in tit.Cod.de Iudic.præf.40. fol.53
Michaeli Slauatæ,Baroni in Chlum.in lib.v.Obſeruat.præf.41. fol.54
Illuſtr.Pr.Georgio Landgrauio Haſſiæ,in eam partem Epitomas. quæ eſt de rebus creditis.præf.42.. fol.55
Hermanno de Haaſs,Domino in Turnich.in Conſilia præf.43.56
Illuſtr.Pr.Chriſtiano Saxoniæ duci,& Elect.in comment. ad Inſtit.Iuſtin. præf.44. fol.59
Illuſtr.Pr.Mauricio Landgrauio Haſſiæ,in Partitiones iuris.præf.45.fol.61
Illuſtr.Prin.Chriſtiano Saxoniæ Duci, & Elect. in obſeruationum volumen.præf.46 fol.62
Illuſt.Principibus Ioanni Caſimiro Et Friderico. 4. in libros de Re numaria.præf.47. fol.43

Sequuntur Io.Hotmani F. Epiſtolæ quas paternis aliquot libris poſtumis præſcripſit.

Franciſco Franc.Hotmani Mortefontæi Primarij Franciæ Theſaurarij filio pro Conſolatione præf.48. fol.65
Nicolao Brularto Sillerio V. A. Pro Comment. de Teſtament. præf. 49. fol.68
Hippolyto à Collibus I.C.pro comment.de Donation.præf.50. fol.72
Ladiſlao Weleno Baroni à Zerotin.pro diſput.de Nuptiis.præf.51. fol.73
Alberto Comiti in Hanavv.pro Comment.de pact.Digeſt.præf.52.fol.76
Huberto Giſanio V.C.pro x.& xi.lib.Obſeruationum.præf.54. fol.79
Ioan.Hotmano Franc.filio Zacharias Setzerus I. C. S.D. præf.55. fol.80

IOAN.

IOAN. HOT. VILLERIVS, Lectori S.

LIbellum hunc, probarunt omnes cordati homines patriæ amantes, & benè de mente conſtituti. Vnus aut alter hiſtrio, adſentator aulicus, mercede conductus viſi ſunt adſpernari, niſi ſunt oppugnare. ſed fruſtrà: tanta vis eſt veritatis, tam perſpectus etiam animi candor, & probata probitas & eruditio eius viri, qui patriæ ac poſteritati libellum iſtum, imò ſe ipſum dicauit, &, vt ita dicam, totum penè deuouit. Præcipua horum criminatio hæc fuit, quòd ex hereditario, vt vocant, regno electiuum facere conatus ſit. Verùm, qui non libri principium, ſed finem etiam legere volet, facilè animaduertet; non fuiſſe hoc auctori propoſitum, neminem verò hoc ſeculo acriorem patriarum legum vindicem extitiſſe: quippe, quem tanta animi contentione ac tam felici animi ſucceſſu, ex ipſis Franciarum legum fontibus & maiorum noſtrorum inſtitutis ius regiæ ſucceſſionis nuper à regni perduellibus impugnatum adſeruiſſe conſtet, quod ex duabus iſti libello ſubiectis Diſputationibus cuiuis perſpicuum eſt: quarum altera Leges omnes de regia ſucceſſione à nemine antea expoſitas continet: altera verò controuerſiam illam nobilem de ſucceſſione inter patruum & fratris filium. Quàm abſurdum autem eſt hoc modo ratiocinari, dicam, an calumniari: quia Hotmanus narrat ex hiſtorijs antiquos Galliæ reges carpento bobus tracto ad comitia regni quotannis deduci ſolitos: barbam & comam aluiſſe: clypeo in inauguratione eleuari conſueuiſſe: præfectis palatij negocia regni plerumque per miſiſſe; ocioſos interea domi manſiſſe: inter filios verò regum ita fuiſſe regnum diuiſum, vt tot eſſent quandoque regna quot filij: hæc, inquam, & alia id genus innumera ab auctore propterea commemorari, vt in vſum reuocentur? Similiter profectò faciunt, cùm ea quæ ex veteri hiſtoria de ſucceſſione vel Merouingica vel

Carlouingica narrantur, ad Capeuingiam gentem ſexcentis his annis feliciter in Gallia regnantem, atque optimis firmatam legibus, pertinere falsò criminantur. qua de re Æquius melius pronunciabunt boni viri: & fructum ex hoc ſcripto (quod ſingularis in patriam caritatis ſpecimen omni æuo futurum eſt) maximum, vti ſpero, poſteritas conſequetur. Tu vale & fruere. Kal. Ian. M. D. XCIX.

INDEX CAPITVM QVÆ IN HOC PRIMO Libro de Iure Regni Galliæ continentur.

De ſtatu Galliæ priuſquam à Romanis in prouinciam redigeretur. Cap. I. pag. 1

Qua priſcis temporibus Gallorum lingua fuiſſe videatur. Cap. II. pag. 4

De ſtatu Galliæ à Romanis in prouinciæ formam redacta. Cap. III. pag. 8

De ortu Francorum, qui Gallia occupata, eius nomen in Franciã vel Francogalliam mutarũt. C. IIII. 11

De Francorum nomine, varijſque excurſionibus, & quo tempore regnum ſibi in Gallia conſtituerint. Cap. V. 15

Regnum Francogalliæ vtrum hæreditate, aut ſuffragijs deferretur, & de regum creandorum more. Cap. VI. 20

De ſumma antiqui populi Gallici ſeueritate in condemnandis & abdicandis Regibus. Cap. VII. 24

Pluribus extantibus regis demortui liberis, quid iuris in hæreditate obſeruaretur. Cap. VIII. 27

De regis domanio & fratrum ipſius appannagio. Cap. IX. 29

De lege Salica, & iure mulierum in Regum parentum hæreditatibus. Cap. X. 31

De iure regalis capillitij. Cap. XI. 35

Qualis regni Francogallici conſtituendi forma fuerit. Cap. XII. 38

De regia maieſtate & annuo gentis francogalliæ conuentu placito, curia, Parlamento Cap. XIII. 48

De ſacroſancta publici concilij auctoritate, & quibus de rebus in eo ageretur Cap. XIIII. 51

De Præfectis Regis, qui maiores domus appellantur. Cap. XV. 56

Vtrum Pipinus Papæ, an Concilij Francogallici auctoritate Rex factus fuerit. Cap. XVI. 58

De Comeſtabulo, & Paribus Franciæ. Cap. XVII. 61

De continuata ſacroſancti Concilij auctoritate ſub Carolouingiorum Regno. Cap. XVIII. 66

De ſumma inter Regem & Regnum differentia. Cap. XIX. 68

De Capeuingiorum familia, & Regno Francogalliæ in illam tranſlatio. Cap. XX. 71

De continuata Concilij publici auctoritate in Capeuingiorum familia. Cap. XXI. 72

De memorabili auctoritate Concilij in Regem Ludouicum XI Cap. XXII. 76

Regem Francogalliæ in ſuo regno dominationem habere certo iure certiſque Legibus circumſcriptam. Cap. XXIII. 79

An mulieres, non vt ab hereditate Regni, ſic ab eius procuratione, Frãcogallico iure, arceantur. XXIV. 85

De Parlamentis iuridicialibus. Cap. XXV. 90

FRANC.

FRANC. HOTMANI IVRISC. DE ANTIQVO IVRE REGNI GALLIÆ, PRÆCIPVE QVO AD AVCTORITATEM COMITIORVM,

LIBER I.

De ſtatu Galliæ priuſquam à Romanis in Prouinciam redigeretur.

CAPVT I.

COGITANTI mihi de Galliæ noſtræ inſtitutis, quantum ad vſu Reipub. noſtrę, & horum temporum opportunitatem ſatis eſſe videbitur, conſcribere: principio exponẽdum videtur, qui Galliç ſtatus fuerit, antequam à Romanis in Prouinciæ formam redigeretur. Nam quæ de gentis origine & antiquitate, de bellicis laudibus, eloquẽtiæ ſtudio, regionis ſitu & natura, priuatorumque moribus apud Cæſarem, Polybium, Straboнẽ, Ammianum & reliquos ſcripta extant, nota ſunt omnibus, mediocriter quidem eruditis. Pleraque Gallia (inquibat M. ille Cato Cenſorius in Originibus) duas res induſtrioſiſſimè perſequitur: rem militarem, & arguriſſimè loqui. Intelligẽdum eſt igitur, eo tum ſtatu Galliam fuiſſe, vt neque vniuerſa vnius imperio regeretur: neque ſingulæ ciuitates vel in populi, vel in Optimatũ poteſtate eſſent: ſed ita diuiſam in Ciuitates Galliam vniuerſam fuiſſe, vt pleræque optimatum conſilio regerentur, quæ Liberæ dicebantur: cęteræ Reges haberent: omnes quidem hoc inſtitutum tenerẽt, vt certo anni tempore publicum gentis concilium agerent: quo in concilio quæ ad ſummam Reipub. pertinere videbantur, conſtituerent. Ciuitates autem quatuor & ſexaginta Corn. Tacitus numerat lib. 3. hoc eſt, vt ex Cæſare intelligitur, Regiones, quæ nõ modò lingua, moribus, & inſtitutis, verũ etiã ijſdem magiſtratibus vtebãtur: quales ipſe multis locis Æduorum, Aruernorum, & Rhemorum ciuitates pręcipuè commemorat. Itaque cùm Æduum Dumnorigem Cæſar interficiẽdum curaret, reſiſtere, inquit, ac ſe manu defendere, ſuorũque fidem implorare cœpit: ſæpe clamitans, liberum ſe, liberæque ciuitatis eſſe, libro quinto, cap. 3. Quapropter in eandem ſententiam Strabo lib. 4. ita ſcribit: ἀριστοκρατικαὶ δ' ἦσαν αἱ πλείους τῶν πολιτειῶν· ἕνα δ' ἡγεμόνα ᾑροῦντο κατ' ἐνιαυτὸν τὸ παλαιόν· ὡς δ' αὕτως εἰς πόλεμον εἷς ὑπὸ τοῦ πλήθους ἀπεδείκνυτο στρατηγός. Pleræque, inquit,

A ciuitates Optimatũ conſilijs regebantur vnũ: autem magiſtratũ olim quotãnis deligebant: ſicut & ad bellum gerẽdum vnus à populo imperator creabatur. Eodem pertinet quod Cæſar lib. 6. cap. 4. his ſcribit verbis: Quæ ciuitates commodius ſuam Remp. adminiſtrare exiſtimantur, habent legibus ſancitum, ſi quis quid de Reipub. à finitimis rumore aut fama acceperit, vt ad Magiſtratum deferat, néve cum quo alio communicet: Magiſtratus quæ viſa ſunt, occultant: quæque eſſe ex vſu iudi-
B cauerint, multitudini produnt. De Rep. niſi per concilium loqui non conceditur. De communi verò totius Gentis concilio pauca hæc ex Cæſare teſtimonia proferemus. Petierunt, (inquit, lib. 1. c. 12.) vti ſibi concilium totius Galliæ in diem certam indicere, idq; Cæſaris voluntate facere liceret. Item lib. 7. c. 12. Totius Galliæ concilium Bibracte indicitur. eodem conueniunt vndique frequentes multitudines. Et lib. 6. cap. 1. Cæſar concilio Galliæ primo vere (vt inſtituerat) indicto cũ reliqui præter
C Senones, Carnutes, Treuiróſq; veniſſent, cõcilium Lutetiam Pariſiorum transfert. Et lib. 7. cap. 6. Quæ ab reliquis Gallis ciuitates diſſentiebant, has ſua diligentia (de Vercingentorige loquitur) adiuncturum, atque vnum concilium totius Galliæ effecturum, cui concilio ne orbis quidem terrarum poſſit obſiſtere. Iam verò de regibus, qui ciuitatib. quibuſdam præerant, loca ſunt apud eundem auctorem propè innumera: ex quib. illud memoria dignum intelligitur, moris fuiſſe Romanis, vt quod
D Regulos ad ſuas rationes accommodatos, id eſt, ad res nouas, conturbãdaſque ciuitates & inimicitias cum alijs exercẽdas idoneos iudicabant, eos ſibi amicitia & ſocietate adiungerent: ſummíque honoris ac beneficij loco, ſocios atq; amicos ſuos honorificentiſſimis decretis appellarẽt: eumque verborum honorem reges exteri complures magnis largitionib. à ciuitatis Romanæ principibus cõparabant. Reges autem vel Regulos potius, Galli eos nominabant, qui non ad tempus, vt ciuitatum ma-
E giſtratus: ſed in perpetuum, regium imperium quantumuis exiguis finibus obtinebant: quos im-

mutata temporum conſuetudo, Duces, Comites,
Marchiones appellauit. Earum porrò ciuitatum a-
liç alijs potentiores erant: quarum ſe in fidem &
clientelam, quæ minus per ſe poterant, ſtudioſè
conferebant. Has Cæſar ſuperiorum ſtipendiarias,
vectigales,& earũ imperio ſubiectas appellat. Ple-
runque tamen in fide aliarum eſſe ſcribit. Regnan-
te Romæ Priſco Tarquinio (inquit Liuius lib. 5.)
Celtarum penes Bituriges ſumma imperij fuit: ij
Regem Celtis dabant. Aduento Cæſaris in Gal-
liam,(qui fuit annus ab vrbe condita DCXCV.) Gal-
liæ totius factiones erãt duæ. Harum alterius prin-
cipatum tenebãt Ædui: alterius, Aruerni: multoſq́;
annos de potentatu inter ſe contenderant. Sed illa
contentio ea re magnoperè augebatur, quòd Bitu-
riges Aruernorũ finitimi, in fide & imperio Æduo-
rum erant. Sequani contrà, Æduorũ finitimi, in Ar-
uernorum fide. lib. 1. cap. 12. lib. 6. cap. 4. Cùm has
Gallorum contentiones Romani ad ſuas rationes,
id eſt, ad ſuam potentiam amplificãdam aptiſſimas
iudicarent, ſtudioſè illas alebant. Itaque Æduos in
ſocietatem aſciuerunt, eoſq́ue exquiſito verborum
honore Fratres conſanguineoſq́ue ſuos appellarũt.
In Æduorum fide & clientela reperio fuiſſe primũ
Senones, quibus cum Pariſij paulò antè ſuam ciui-
tatem fœdere & ſocietate coniunxerant. lib. 6. cap.
1. tum Bellouacos, quorum tamen erat ciuitas ma-
gna, & plurimum inter Belgas & virtute, & aucto-
ritate, & hominum multitudine valebat, lib. 2. cap.
4. & lib. 7. cap. 7. Sub imperio Neruiorum Cæſar
numerat Cẽtrones, Grudios, Læuacos, Pleumoſios,
Gorduoos. lib. 5. cap. 11. Treuirorum clientes idem
numerat eburones, & Condruſos. lib. 4. cap. 1. Ve-
netorum autem ciuitatis (hi ſunt in Armorica) lon-
gè ampliſſimam auctoritatem idem fuiſſe ſcribit
omnium oræ maritimæ regionum earum, omneſ-
q́ue ferè qui eo mari vti conſueuerant, illius fuiſſe
vectigales. lib. 3. cap. 2. Aruernorum autem tanta
erat amplitudo, vt non modò ſe Æduis adæquarẽt,
verumetiam paulò ante Cæſaris aduentum ma-
gnam clientum partem ab illis ad ſe traduxiſſent.
lib. 6. cap. 4. lib. 7. cap. 10. Itaque Strabo lib. 4. ſcri-
bit, eos quadringentis hominum millibus duce
Vercingentorige bellum aduerſus Cæſarem geſſiſ-
ſe. Hi ab regio imperio abhorrebãt. Itaq; cùm Cel-
tillus Vercingentorigis pater ſummæ potentiæ at-
que auctoritatis eſſet, eoq́ue totius Galliç principa-
tum obtineret, ob eam cauſam quòd Regnum ap-
petebat, ab ciuitate interfectus fuerat. lib. 7. c. 1. Se-
quani cõtrà Catamentaledẽ Regem habebant, quẽ
Romani amicũ ac ſociũ appellarant. lib. 1. c. 2. Sueſ-
ſiones quoque qui latiſſimos feraciſſimoſq; agros
poſſidebant, oppidaq́ue habebãt numero XII. & ar-
matorum L. millia conficere poterant, Diuitiacum
totius Galliæ potẽtiſſimum Regem paulo antè ha-
buerant: qui non tantum magnæ partis Belgarum,
verũetiã Britãniæ imperiũ obtinuerat. Cæſaris ad-
uentu Regem Galbã habebant. lib. 2. ca. 1. In Aqui-
tania Piſonis cuiuſdam Aquitani auus regnũ obti-
nuerat, & à Romanis amicus appellatus fuerat. lib.
4. cap. 3 Senones quoque, quæ fuit, ciuitas in pri-
mis firma, & magnæ inter Gallos auctoritatis, quo-
dam tempore Moritaſgum regem habuerant, cuius
etiam maiores regnum in eadem ciuitate obtinue-
rant. lib. 5. cap. 13. Item Ditiobriges Ollouiconem
Regem habuerant, Amicum à Senatu Roman. ap-
pellatum. lib. 7. cap. 6. In illis porrò regnis illud ob-
A ſeruatione dignum, neque leuiter prætereundum
videtur: primùm quòd hæreditaria non erant, ſed
à populo propter iuſtitiç opinionem deferebantur.
deinde quòd Reges non infinitum, ſolutum &
effrenatum imperium habebant: ſed certis legibus
ita circonſcriptum, vt non minus ipſi in populi,
quàm populus in ipſorum ditione ac poteſtate eſſet
vt ferè illa regna nihil aliud, niſi magiſtratus per-
petui viderentur. Nam multos Cæſar nominat pri-
uatos, quorum tamen parentes ac maiores regnum
B obtinuerant: in his Caſticum Catamantaledis fi-
lium, cuius pater in Sequanis multos annos re-
gnum obtinuerat lib. 1. cap. 2. Item Piſunem Aqui-
tanum libro 4. capite 3. Item Taſgetium, cuius ma-
iores in Carnutum ciuitate cum Regio imperio
fuerant. lib. 5. ca. 8. De imperij verò & poteſtatis
modo, Ambiorix rex Eburonum apud eundem au-
ctorem ita loquitur, (lib. 5. cap. 8.) Sua eſſe eiuſmo-
di imperia, vt non minus haberet in ſe iuris multi-
tudo, quam ipſe in multitudinem. Quam optimam
C ac præſtantiſſimam Reipub. formã eſſe, propterea
Plato & Ariſtoteles, & Polybius, & Cicero iudi-
carunt, quòd regalis dominatus, ſi ſine freno, vt
ait Plato, relinquatur, vbi in tantam omnium re-
rum poteſtatem, tanquam in lubricum locum, ve-
nerit, facillimè in tyrannidem delabitur. qua de
de cauſſa, inquit, Optimatum & delectorum au-
ctoritate, quibus eam poteſtatem populus permi-
ſit, tanquam freno coërcendus eſt.

D *Quæ priſcis temporibus Gallorum lingua*
fuiſſe videatur.

CAP. II.

HOc loco non prætermittenda quæſtio vi-
detur, multorum eruditorum hominum
tractata diſputationibus: quinam, priſcis
illis temporibus Gallorum ſermo fuerit.
Nam quç ad religiones, & priuatorum mores, ce-
teraq́ue inſtituta pertinent, Cæſar (vt antè dixi-
mus) copioſè expoſuit. Primùm autẽ meminiſſe o-
E portet, quod idem auctor initio Commentariorũ
ſcribit, cùm Gallorum alij Belgæ alij Aquitani, a-
lij Celtæ eſſent, omnes non modo inſtitutis, verũ
etiã lingua inter ſe diſcrepaſſe. Quod apertè Stra-
bo lib. 4. teſtatur, vbi ait eos ὁμογλώττους non fuiſſe,
ἀλλ' ἐνίους μικρὸν παραλλάττοντας ταῖς γλώτταις. Idq́;
Ammian⁹ Marcell. li. 15. cõfirmat. Quòd verò doctiſ-
ſimi complures, ac prçſertim noſtri populares, di-
ſputant, Gallos Græca lingua vſos fuiſſe, vel ex eo
ſolo refelli poteſt, quod Cæſar lib. 5. cap. 12. cõme-
F morat, cùm Q. Cicero à Gallis obſeſſus ſuis in ca-
ſtris teneretur epiſtolam ei ſe Græcis literis ſcriptã
miſiſſe, ne, ſi intereiperetur, ſua cõſilia à Gallis co-
gnoſcerẽtur. item lib. 1. cap. 4. Vbi ſcribit, ſe cum
Diuitiaco Dũnorigis fratre, per C. Valeriũ Troa-
cillum, principem Galliæ prouinciæ, familiarem
ſuum, remotis quotidianis interpretibus, locutum
eſſe. Nam Troacillus ciuis R. factus & Latinæ &
Gallicæ linguæ vſum habebat. Quod ſi Diuitiacus
Græcæ linguæ notitiam habuiſſet, quid Cæſari ad
G colloquium cum eo inſtituendum interprete opus
fuiſſet; Eodem etiam illud Ciceronis pertinet in
Orat. pro Fonteio. Vbi de Gallis loquẽs: Hi vagan-
tur, inquit, læti atque erecti, paſſim toto foro, cũ
quibuſdam minis, & barbaro atque immani ter-
rore verborum. Nam Græcam linguam Cice-
ronis barbaram atque immanem fuiſſe, nemo
opinor

opinor, exiſtimarit. Vlpianus in l. Fideicommiſſa, A 11. D. de legat. 3. Eodem quoque pertinet quod ait, Fideicommiſſa quocunque ſermone relinqui poſſunt: non ſolum Latina vel Græca, ſed etiam Punica vel Gallicana, vel alterius cuiuſcunque generis lingua. Sed occurritur ab nonnullis proferentibus Strabonis locum ex eodem lib. 4. vbi ſcribit, omnium optimarum artium, ac præſertim Græcarum literarum, ſtudia Maſſiliæ viguiſſe: vſque eò vt Galli eorum exemplo Græcæ linguæ ſtudio caperentur: & iam pacta conuentáque Græcè ſcribe- B rent. ἐ φιλέλληνας (inquit) κατεσκεύασε τοὺς Γαλάτας, ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια ἑλληνιστὶ γράφειν. Verùm huic obiectioni facilis & expedita reſponſio eſt. Primum enim ſi Galli Maſſilienſium exemplo Græcam linguam diſcebant, an non perſpicuum eſt, vernaculam illam eorum linguam nõ fuiſſe? Deinde Strabo eodem loco non obſcurè oſtendit, morem illum pacta & contractus Græcè ſcribendi, ſuo demum tempore initium cepiſſe, cùm iam vniuerſa Gallia Romanis parere didiciſſet. Præterea C de iis tantum præciſè loquitur, qui Maſſilienſibus erant finitimi: quibus in locis non modò priuati complures, verumetiam ciuitates, inquit, doctos viros Maſſilia publico conſilio propoſitis honorariis ad iuuentutem ſuam inſtituendam euocabant. Cùm tamen aliis pleriſque in Galliæ locis Academiæ florerent, in quibus ſermone Gallico artes ac diſciplinæ iuuentuti tradebantur, quod Hierony. ad Ruſticum ſcribens his oſtendit verbis: Mater poſt ſtudia Galliarum quæ florentiſſima ſunt, miſit D te Romam, vt vbertatem, nitoremq́; Gallici ſermonis grauitas Romana cõdiret. Supereſt locus ille apud Cæſarẽ, vbi ait, Gallos in publicis priuatiſq́; rationibus Græcis literis vſos fuiſſe. Sed videamus ne vox GRÆCIS eo loco non modò vt ſuperuacanea, verumetiã vt importuna & adulterina tollẽda ſit: quippe, cùm ad Cæſaris ſententiam exprimendã ſatis fuiſſet dixiſſe, Gallos in ſola Druydum diſciplina literis & ſcriptione vſos non eſſe: in cæteris omnibus, & priuatis & publicis rationibus, literis E vſos eſſe. Nam *Vti literis*, pro Scribere, locutio eſt Latinis auctoribus crebrò vſitata. Fabius lib. 11. cap. 12. Quanquam inuenio apud Platonem, obſtare memoriæ vſum literarũ. Præterea repugnant, Gallos linguæ Græcæ imperitos fuiſſe: (quod Cæſar illo ſuperiore loco dixerat) & vulgo tabulas rationeſq́; ſuas publicas ac priuatas Græcis literis conſcripſiſſe. Quod autem plerique exiſtimant, Græcas literas eo loco non pro ſcriptione, ſed pro formis literarũ vſurpari: nobis ꝓpterea minus proba- F tur, ꝙ locis innumeris (vt modò dicebamus) veteres ſcriptores Vti literis dixerunt, pro Scribere: at pro formas literarũ ducere, quantum adhuc obſeruare licuit, nuſquã. Neq; n. illos adiuuat, quod idem Cõmentario primo ſcripſerat, repertas in Heluetiorum caſtris tabulas, literis Græcis conſcriptas: quaſi verò qui Græcis literarũ notis ſcribere didicerant, non idẽ eadem opera Græco ſermone ſcribere didiciſſent: aut non eſſe potuerint in Heluetia vel ſacerdotes, vel adoleſcentes nobiles, qui, vt hodie G etã multi ſunt qui Latinè didicerunt, ita literas Græcas, quæ tum in honore & pretio erant, perdiſcere potuerint. Quam opinionẽ vel vnica Maſſilienſis ſcholæ vicinitas refellit. Itaq; idem Cæſar lib. 5. vbi de illa ſua ad Ciceronẽ epiſtola loquitur: Hanc, inquit, Græcis conſcriptam literis mittit: ne interce-

A pta epiſtola, noſtra ab hoſtibus conſilia cognoſcantur. Cic. Ver. 6. Itaq; in his (loquitur de dentib. à Maſiniſſa, ex Africa in inſulam Melitam remiſſis) inſcriptam literis Punicis fuit, regem Maſiniſſam imprudentem accepiſſe: recognita, reponendos reſtituendoſq́; curaſſe. Iuſtin. l. 20. Facto S. C. nequis poſtea Carthaginenſis aut literas Græcas, aut ſermonẽ ſtuderet, ne aut loqui cum hoſte, aut ſcribere ſine interprete poſſet. Tacitus de moribus Germ. Monumẽta & tumulos quoſdã Græcis literis inſcri- B ptos in cõfinio Germaniæ Rhetiæq́; adhuc extare. Liuius l. 9. Vulgò tum Romanos pueros, ſicut nunc Græcis, ita Hetruſcis literis erudiri ſolitos. Idem lib. 28. Ibiq; aram Annibal condidit, dedicauitque cum ingenti rerum ab ſe geſtarum titulo, Punicis Græciſq́; literis inſculpto. Itẽ l. 40. Literis Latinis Græciſq́; vtraque ara inſcripta erat. Vlpianus Iur. tit. de inſtitor. act. Proſcribere ſic accipimus, claris literis, vtrum Græcis, an Latinis? Puto ſecundum loci conditionem: ne quis cauſari poſſit ignorantiã C literarũ. Trebell. Pollio in Æmiliano: Fertur. n. apud Memphim in aurea columna Ægyptiis literis ſcriptum, tunc demum, &c. Denique non arbitror iſto ſenſu dictum Cæſarem fuiſſe, Græcis literis ſcribere: ſed potius Græcarum literarũ forma, vel figura, vel notis. Velut apud Tacitum lib. 11. Nouas literarum formas addidit: comperto Græcam literaturã non ſimul cœptam abſolutamq́;. Et mox: Et formæ literis Latinis quæ veterrimus Græcorum. Item apud Paulũ Iuriſc. ſub tit. De oblig. & actionibus. D Non figura literarum, ſed oratione quã exprimunt literæ, obligamur. Item apud Cicer. Tuſc. 1. Aut qui ſonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis literarũ notis terminauit. Ac ne quis nimiopere admiretur vocem GRÆCIS apud Cæſarem irrepſiſſe, proferã ſimilem caſum apud Pliniũ lib. 8. cap. 57. vbi ſic ſcriptum eſt: Gentium conſenſus tacitus primũ omniũ conſpirauit, vt IONVM literis vterentur. Et mox, Sequens gentium conſenſus in tonſoribus fuit. Et mox: tertius conſenſus eſt in horarum obſerua- E tione. Nam vocem IONVM tollendam eſſe, quis nõ videt? non tam quia planè ſuperuacanea eſt: (nam ad Plinii inſtitutum ſatis fuit dicere, primum Gentium conſenſum fuiſſe in ſcriptione & literatura) quàm quia falſum eſt, IONVM primas fuiſſe literas: vt ipſe Plin. ſuperiore primo capite docuit, & Tacitus lib. 11. Animaduerti tamen apud Gregorium Turon. lib. 5. & Aimoinum lib. 3. cap. 41. locos duos, quibus ſignificari videtur, Gallos Græcarũ literarũ notis vſus fuiſſe. nam vbi de Chilperico Rege lo- F quũtur: Addidit (inquiũt) & literas literis noſtris: id eſt ω, ψ, ζ, φ. & miſit epiſtolas in vniuerſas ciuitates regni ſui, vt ſic pueri docerentur. Apud Aimoinum autem tres tantum ponuntur χ, θ, φ. Verùm intelligendum eſt Francos iſtos fuiſſe, non Gallos: vel potius Francogallos: qui Germanica lingua, id eſt, patria & natiua, non illa veterum Gallorum, quę Romanorũ dominatu obſoleuerat, vtebantur. deinde ſi Francogalli Græcis literis vſi fuiſſent, quid ita reliquas omnes, his ſolis exceptis, vſurpaſſet? Verùm G hæc quidẽ plus ſatis. Supereſt eorũ opinio, qui putant Gallos Germanica lingua vſos fuiſſe: quod vel vnus ille Cæſaris l. 1. refellit locus, in quo ſcribit, Arioviſtum Germanum propter longinquã in Gallia conſuetudinẽ lingua Gallica vſum eſſe. Eò accedat Taciti locus ille ex l. De mori. Germ. E quib. Marſigni & Burii ſermone cultuq́; Sueuos referunt, Go-

Digitized by Google

thinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit A
nō eſſe Germanos. Planius autē hoc cōfirmat Sue-
tonius in Caligula: conuerſus hinc, inquit, ad curā
triumphi, præter captiuos & transfugas Barbaros,
Galliarum quoq; proceriſſimū quemq;, & (vt ipſe
dicebat) ἀξιοθριαμβευτον, ac nōnullos ex principibus
legit, ac ſepoſuit ad pompā, coëgitque non tantum
rutilare, & ſubmittere comam, ſed & ſermonem
Germanicum addiſcere, & nomina Barbarica ferre.
Vbi planius contrariæ ſententiæ teſtimonium Gla-
reanus, & alij Glareanum ſecuti protulerint, fidem B
illis habendam exiſtimabo. Interea duabus de cau-
ſis mihi eorū probabilis opinio videbitur qui ſcri-
bunt, veterum Gallorum linguam propriam, atque
ab aliarum gentium, præter quam à Britannorum,
ſermone diſſimilē fuiſſe: primùm, quia Cæſar ſcribit
moris fuiſſe, vt qui Druydum diſciplinam diligen-
tius cognoſcere volebant, plerūque in Britanniam
proficiſcerentur. Cùm autem libris nullis vterētur,
conſentaneum eſt, illos eodem quo in Gallia ſer-
mone vſos in docendo fuiſſe. Deinde quia Corn. C
Tacitus in Agricolæ vita ſcribit Britannorum &
Gallorum ſermonē haud multum diuerſum fuiſſe.
Neque mihi Beati Rhenani coniectura diſplicet,
qui ſermonem eorum qui hodie Britones Britonā-
tes appellātur, veteris noſtræ linguæ reliquias fuiſ-
ſe arbitratur: cum aliis de cauſſis, tum præcipuè
quia cōſtat Britannos ab Anglis & Saxonibus patria
pulſos in eam regionē profugiſſe. Vnde illa Eduar-
di I. Anglorum Regis lex vetus: Britones Armorici,
cùm venerint in Regno iſto, ſuſcipi debent & pro- D
tegi, ſicut probi ciues de corpore regni huius. Exie-
runt enim quondam de ſanguine Britonum regni
huius. Atque hæc quidem de priſca Gallorum lin-
gua dicta ſint. Noſtram autem qua iam vtimur, nō
difficile intellectu eſt, ex variis variarum gentium
ſermonibus conflatam eſſe. Ac, ſi breuiter dilucidè-
que dicēdum eſt, is quo iam vtimur ſermo, quadri-
partitò diſtribuendus eſt: ac dimidia eius pars Ro-
manis accepto ferenda: quemadmodum Otto Fri-
ſingenſis teſtatur lib. Chronic. 4. cap pen. & quiuis E
Latinis literis tinctus poteſt animaduertere. Nam
præterquam quòd ita natura ferebat, vt Galli Ro-
manis ſubiecti ad eorum ſe mores & linguam lu-
benter accommodarent: ſatis conſtat, Romanos fe-
rendi ſermonis Latini ſtudioſiſſimos fuiſſe: vt per
omnes gentes venerabilior diffunderetur: quem-
admodum Valerius Maximus teſtatur: eaq; de cauſ-
ſa ludos literarios paſſim inſtituiſſe: veluti Augu-
ſtoduni, Vezontione, Lugduni: quod vel ex Tacito
& Auſonio cognoſci licet. Auguſtin. de ciuit. Dei
lib. 19. c. 17. Data eſt opera, inquit, vt ciuitas impe- F
rioſa nō ſolum iugum, verum etiam linguam ſuam
per pacem ſocietatis imponeret. Itaque tantum in
Gallia Latinæ linguæ conſuetudo valuit, vt nō mo-
do leges ad ſummam Regni & Reipublicæ perti-
nentes Latinis literis conſcriberentur: (cuius rei
cum vetuſtiſſima quæque monimenta teſtimonio
ſunt, tum etiam Regum antiquorum cōſtitutiones,
quarum quædam extant in libro inſcripto Stilus
curiæ parlamenti: verùm etiam Latinè & litigare-
tur, & ſententiæ pronuntiarentur: ac præſertim li- G
tigandi cōſuetudine atque arte ex Romana curia in
Galliam introducta: potiſſimum autem vbi de ſa-
cerdotiis & eorū opimis vectigalibus litigari cœ-
ptum eſt. quod inſtitutum ad noſtrā vſque ætatem
ſeruari ſolitum, edictum Francisci primi documen-
to eſt, qui anno 1539. floreſcentib. bonis in Gallia
literis edixit, vt Gallico ſermone iudicia exerce-
rentur. Altera verò eius, qua nunc vtimur linguæ
dimidia pars ita diſtribuenda eſt, vt partem vnam
priſcis Gallis attribuamus, alteram Francis, po-
ſtremam Græcorum literis. Nam Francorum, id eſt
(vt paullo poſt docebimus) Germanorum, innume-
ras in quotidiano ſermone noſtro voces occurrere,
iampridē à multis demonſtratum eſt. Ex Grecorum
verò lingua complura vocabula ad vſum traducta
noſtrū fuiſſe, multi quoque iam dudum eruditi viri
oſtenderunt. cuius rei cauſa non Druydibus (quos
Græcè non loquutos docuimus) ſed Maſſilienſium
inſtitutis ac diſciplinæ, de qua ſuperius diximus, tri
buenda eſt. Vnde ſenſim ea conſuetudo in reliquas
Galliæ regiones manauit.

De ſtatu Galliæ à Romanis in prouinciæ formam redactæ.

CAP. III.

GALLIAM à Romanis diu magnis ſæpe
cladibus tentatam, tandemque à C. Cæ-
ſare decenni propè bello, prœliiſque com-
pluribus domitam ac ſubactam fuiſſe, at-
que ad extremum in prouinciæ formam redactam
eruditis omnibus notum eſt. Hoc fortiſſimæ & bel-
licoſiſſimæ gentis fatum fuit, vt Magnæ Belluæ
(quemadmodum in ſanctis literis appellatur) tan-
dem aliquando pareret. cum qua tamen ita per an-
nos octingentos (vt Ioſephus teſtatur) de imperio
certarat, vt illa nullius alterius nationis armis æque
terreretur. Itaq; Plutarchus in Marcello & Camil-
lo, Appianus in lib. de ciuilibus bell. 2. Liuius libro
8 & 10 memoriæ prodiderunt, Gallos Romanis vſ-
que eò formidabiles fuiſſe, vt lege ſancitum babe-
rent, ne vacationes à militia, quæ ſacerdotibus &
ſenibus permittebantur, tumultu Gallico valerent.
quod idem & Cicero Philippi. 2. commemorat. ita-
que Saluſt. in Iugurth. ſcribit Romanos omnibus
temporibus ita ſtatuiſſe, alia omnia virtuti ſuæ
prona eſſe: cum Gallis pro ſalute, non pro gloria
certaſſe. Quin etiam Cæſar lib. 6. teſtatur, atque
ex eiuſdem auctoritate Tacitus in lib. de mo-
rib. German. commemorat, fuiſſe tempus cùm
Germanos Galli virtute ſuperarent, & vltrò bel-
la inferrent: ac propter hominum multitudinem
trans Rhenum colonias mitterent. Tantæ autem
virtutis amiſſæ iacturam, idem Tacitus amiſſæ li-
bertati tribuit: in libro de vita Agricolæ: Nam Gal-
los, inquit, in bellis floruiſſe accepimus: mox ſegni-
tia cum otio intrauit, amiſſa virtute pariter ac li-
bertate. Et quoniam amori patriæ nonnihil in-
dulgendum eſt, age, præclarum inſuper illud de
Gallorum virtute, Iuſtini teſtimonium proſera-
mus, ex libro 24. Námque Galli, inquit, abundanti
multitudine cùm eos non caperent terræ, quæ
genuerant, trecenta millia hominum ad ſedes no-
uas quærendas velut peregrinatum miſerunt. Ex
his portio in Italia conſedit, quæ & vrbem Ro-
mam captam incendit, & portio Illyricos ſinus
per ſtrages barbarorum penetrauit, & in Panno-
nia conſedit: gens aſpera, audax, bellicoſa, quæ
prima poſt Herculem, cui ea res virtutis admi-
rationem & immortalitatis fidem dedit, Alpi-
um inuicta iuga, & frigore intractabilia loca tranſ-
cendit. ibi domitis Pannoniis per multos annos
cum finitimis varia bella geſſerunt. Hortante
deinde

deinde ſucceſſu, diuiſis agminibus alij Græciam
alij Macedoniam, omnis ferro proterentes, petiue-
re: tantuſque terror Gallici nominis erat, vt etiam
Regea non laceſſiti, vltrò pacem ingenti pecunia
mercarentur. Item lib. ſequeo. Quanquã Gallorũ
ea tempeſtate tantæ fœcunditatis iuuentus fuit, vt
Aſiam omnẽ velut examine aliquo implerent. de-
nique neqoe Reges Orientis, ſine merceuario Gal-
lorum exercitu, vlla bella geſſerint: neque pulſi
Regno ad alios quàm ad Gallos confugeriut. Tan-
tus terror Gallici nominis, ſiue armorũ inuicta fe-
licitas erat, vt aliter neque maieſtatem ſuam tu-
tam, neque amiſſam recuperare ſe poſſe, ſiue Gal-
lica virtute, arbitrarentur. Atque hæc quidem
de Gallorum bellicis laudibus & virtute dicta ſint:
quæ tameu (quemadmodum ex Tacito modò di-
cebamus) amiſſa libertate interijt. Nonnullas ta-
men ciuitates poſt formam prouinciæ à Romanis
conſtitutam libertati ſuæ relictas, teſtis eſt Plinius
libro 4. cap. 17. veluti Neruios, Sueſſiones. Vl-
bauectes, Leucos: nonullos etiam fœderatos: in ijs,
Lingones, Rhemos, Carnutos, Æduos quod etiã
Tranquillus in Iulio his confirmat verbis: Omnem
Galliam quæ ſaltu Pyrenæo, Alpibusque, & monte
Gebẽoa, fluminibúſque Rheno & Rhodano cõti-
netur: patetque circuitu ad bis & tricies cẽtens
millia paſſuum: præter ſocias ac benemeritas ciui-
tates, in prouinciæ formam redegit: eiq; in ſingu-
los annos ſeſtertiũm quadringenties ſtipendij no-
mine impoſuit. Quæ vero earum ciuitatum, quæ
in prouinciæ formã redactæ fuerant, forma & ratio
extiterit, facilè ex Critognati Aruerni verbis in-
telligi poteſt, apud Cęſarẽ lib. 7. Quod ſi ea, inquit,
quę in longinquis nationibus geruntur, ignoratis:
reſpicite finitimã Galliã, quæ in prouinciã redacta,
iure & legib. cõmutatis, ſecuribus ſubiecta, perpe-
tua premitur ſeruitute. Itaque Cic pro Fõteio, Re-
ferta, inquit, Gallia negotiatorum eſt: plena ciuiũ
R. nemo Gallorum ſine ciue R. quicquã negotij ge-
rit. numus in Gallia nullus ſine ciuiũ R tabulis cõ-
mouetur. Triplex autem erat ſeruitus: primum vt
impoſito præſidio firmarentur. quanquam quæ
pacatæ ſatis & ſedatæ prouinciæ videbantur, in e-
as non magnæ copiæ mittebaotur. Galliam certè
Ioſephus libro belli Iud. a ſcribit, Imp Titi tempo-
re mille tantũ & ducentorum militum præſidio fir-
matam fuiſſe: quanquam, inquit, annos fere octin-
gẽtos de libertate cum Romanis pugnarint: & pe-
nè plures ciuitates, quam Romanos milites præſi-
diarios habeant. Alterum ſeruitutis genus fuit, vt
Prouinciæ Romanis ſtipẽdiariæ ac vectigales eſſẽt,
eoq́ue nomine publicanos apud ſe habere cogeren-
tur: id eſt harpiyas & hirudines, quę prouincialium
ſanguinem exugebant. Suetonius autem eo quem
modo protulimus loco, itemque Eutropius lib 6.
memoriæ prodiderunt, Cæſarem ſubactæ Galliæ
tributi oomine imperaſſe in annos ſingulos H S.
quadringenties: hoc eſt, ſcutatorum, vt nunc loqui-
mur, decies centena millia. Tertia prouincialium
ſeruitus erat, vt ne legibus ſuis patrijs vterentur:
ſed magiſtratus à pópulo R. cum imperio & ſecuri-
bus mitterentur, qui apud eos ius dicereot. Hanc
triplicem ſeruitutẽ cùm omnes ferè prouinciales,
eum verò Galli noſtri ægerrimè moleſtiſſiméque
tulerunt. Itaque nõ longo poſt Cæſaris victorias
interuallo, imperãta Tiberio, Cornel Tacit. auctor
eſt, Gallię ciuitates ob cõtinuationẽ tributorũ ſæui-

A tiam fœnoris, & ſuperbiam præſidentium (hæc e-
nim lib. 3. illius verba ſunt) rebellionem feciſſe.
pòſt etiam Nerone imperante, Suetonius ſcribit,
Gallos illius imperium pertæſos, ab ipſo defeciſſe.
Talem Principem (inquit cap. 40.) paulò minus per
XIII. annos perpeſſus terrarum orbis tandem de-
ſtituit: initium facientibus Gallis. Quam maiorum
noſtrorum laudem eximiam ſatis pro dignitate pręç-
dicare non poſſumus, quòd primi omnium in orbe
terrarum tam potentis Tyranni dominatum à ſuis
B ceruicibus amoliri, ſeſéque ex immanis Tyranni
ſeruitute in libertatem vindicare cœperint. Diuiſę
autem ſunt à Romanis Galliæ omnes in ſexdecim
prouincias: Viennenſem, Narbonenſem primam,
Narbonenſem ſecundam: Aquitaniam primam,
Aquitaniam ſecundam, Nouempopulaoam, Alpes
maritimas, Belgicam primam, Belgicam ſecundam,
Germaniam primã, Germaniã ſecuodã, Lugdunen-
ſem 1, Lugdunenſem 2, Lugdunenſẽ 3, Maximã Se-
quanorũ, & Alpes Gręcas, quemadmodũ Antonin*
C in Itinerario, & Sextus Ruffus tradunt. Subtilius
autẽ ſingulas enumerat Ammianus Marcellinus
lib. 15. Nunc, vt ad inſtitutũ reuertamur, incredibi-
le dictu eſt quàm indignè atque acerbè Galli Ro-
manorum latrocinia tulerint: quamq́ue crebræ ab
ijs defectiones rebellionesq́ue numerentur. quam-
quam cùm per ſe ſatis virium ad depellendam Ro-
manorum tyrannidem non haberent. vetus inſti-
tutum tenebant, vt Germanos mercede conductos
ad ſuum auxilium euocarent. Vnde Francicarum
D coloniarum ſemina primum exorta ſunt. Nam Ger-
mani ſiue à Romanis victi, ſiue (quod probabilius
videtur) pretio empti, cœpere ſenſim in Galliæ
finibus ſedes collocare. Hinc illud Suetonij in Au-
guſto: Germanos vltra Albim fluuium ſubmouit:
ex quibus Sueuos & Sicambros dedentes ſe tradu-
xit in Galliam, atque in proximis Rheno agris
collocauit. Idem in Tiberio: Germanico bello qua-
draginta millia deditiorũ traiecit in Galliam, iux-
taq́ue ripam Rheni ſedibus aſſignatis collocauit.
E Neque verò prætereundum eſt, quod Flauius Vo-
piſcus de Probi Cęſaris imperio memorię prodidit:
quo tempore vniuerſa propè Gallia, hoc eſt, ſexa-
ginta ciuitates, ab imperio Romano deſciue-
runt, armaque communi conſilio libertatis recu-
perandæ cauſſa ceperunt: His geſtis, inquit, cum
ingenti exercitu Gallias petit, quæ omnes occiſo
Poſtumo turbatæ fuerunt, interfecto Aureliano à
Germanis poſſeſſæ. Tanta autem illic prælia felici-
ter geſſit, vt à Barbaris ſexaginta per Gallias nobi-
F liſſimas reciperet ciuitates. Et cùm iam per omnes
Gallias ſecuri vagarentur, cæſis propè quadringen-
tis millibus qui Romanum occupauerant ſolum,
reliquias vltra Nicrum fluuium & Albim remouit.
Quã crudelis autẽ & immanis Romanorũ domina-
tus fuerit, quàm acerba latrocinia, quàm tetra,
& obſcœna vitæ conſuetudo, quantoque illa odio
atque acerbitati Gallis hominibus, ſed præſertim
Chriſtianis fuerit, nullius opinor ex ſcriptis, melius
quã ex Saluiani Maſſilienſis Epiſcopi libris de pro-
G uidentia, cognoſci poteſt. Itaque incredibile dictu
eſt, quantæ Germanarum gentium copiæ Gallis
non modò fauentibus, verum etiam adiuuantibus,
ſeſe in Gallias effuderint. Vnde illud Latini Pacati
ad Theodoſiũ: Vnde igitur exordiat, niſi à tuis Gal-
liæ malis, quę ex omnib. terris, quas illa peſtis inſede
rat, haud iniuria tibi vindicas priuilegiũ miſeriarũ?

Earum autem Germanicarum gentium partem Frā-cos noſtros fuiſſe, cùm ex Sidonio Apollinari, tum verò præſertim ex illius Saluiani locis complurib. planiſſimè intelligitur.

De ortu Francorum, qui Gallia occupata, eius nomen in Franciam vel Francogalliam mutarunt.

CAP. IIII.

QVARE inſtituti noſtri ratio poſtulat, vt hoc loco de Frācorum ortu, primiſque ſedib. & tanquam incunabulis inquiramus. Quâ in diſquiſitione illud ſummè admirādum videtur, quòd cùm Francorum nomen per tot annos magnam totius Europæ partem occupa-rit, eamque Germaniæ gentem fuiſſe conſtet, tamē eorum mētio neque apud Ptolomęum, neque apud Strabonem aut Plinium, ac ne apud Corneliū quidem Tacitum vlla reperiatur: qui tamen Germanicarum omnium gentium ſitus & nomina mira diligentia perſequutus eſt. Nam de Francici quidem nominis amplitudine pauca hæc ex multis teſtimonia proferemus. Primùm ex Hieronym. in vita Hilarionis Heremitæ: Namque, inquit, candidatus Conſtātij Imperatoris, rutila coma, & candore corporis, indicans prouinciā: inter Saxones quippe & Alemannos gens eſt non tam læta, quàm valida, apud hiſtoricos Germania, nunc verò Francia vocatur. Et paulò pòſt: Et qui Francam tantum & Latinam linguam nouerat. Item ex Iohan. Nauclero, Generat. 27 vbi ſic loquitur: Carolus Magnus Rex Francorum dicebatur: quod idem erat ac ſi nominatus fuiſſet Rex Germaniæ & Galliæ. Nam clarū eſt, quòd eo tempore omnis Gallia Tranſalpina, & etiam Germania, à montibus Pyrenæis vſque in Pannonias, Francia dicebatur: illa, id eſt, Germanica, Francia Orientalis: alia, id eſt, Gallica, Francia Occidentalis, in quo veræ hiſtoriæ conſentiunt omnes. Hæc ille. Itaque Abbas Vrſpergenſis in Carolo Caluo Franciam Orientalem Oſtrofranciam appellat: Occidentalem autem Neuſtriam appellatam fuiſſe, quaſi weſtriam, annotauit Rhenanus. Vnde Sigebert. in Chron. Ebroinum, inquit, maiorem domus Neuſtriæ. Et mox: Pipinus ſibi Neuſtriam ſubiugat. Sic etiam Aimoinus lib. 4. ca. 27. & alibi perſæpe. Chronicum verò Maioris Monaſterij ſic habet: Neuſtria eſt quicquid à Pariſijs & Aurelianis interiacet inter Ligerim & Sequanam inferius vſque ad Oceanum. Sic enim Abbas Vrſperg. Et hac de cauſſa Otto Friſing. duo Francorum regna numerat. Nam lib. 4. cap. 3. de donatione Conſtantini ſic ſcribit: Ex hinc Romana Eccleſia Occidentalia regna tanquam ſui iuris à Conſtantino ſibi tradita affirmat: in argumentúmq; tributum, exceptis duobus Francorum regnis vſque hodie exigere non dubitat. Eguinarthus in vita Caroli Magni, Carolus, inquit, regnum Francorum quod poſt patrem Pipinum magnum quidem & forte ſuſceperat, ita nobiliter ampliauit, vt pene duplum illi adiecerit. Nam cum prius non amplius quam ea pars Galliæ, quæ intra Rhenum & Ligerim, Oceanúmque & mare Balearicum iacet, & pars Germaniæ, quę intra Saxoniam & Danubium, Rhenúmque ac Salam fluuium, poſtea à Francis qui Orientales dicuntur, incolitur, & præter hæc Ale-

A manni atque Baioarij ad regni Francorum poteſtatem pertinerent, ipſe per bella memorata primò Aquitaniam, &c. Otto Friſingen. Chronic. 5. cap. 9. Erat autem Francorum iam terminus (loquitur de Dagoberti Regno) ab Hiſpania vſque in Pannoniam, duos nobiliſſimos ducatus, Aquitaniam & Baioariam. Sed multo copioſius poſtea libro 6. cap. 17. cumque imitatus Godefridus Viterb. Chronic. parte 17. ſub anno 881. Porrò, inquit, Arnulphus totam Orientalem Franciam, quę hodie Teutonicum

B regnum vocatur, id eſt Bauariam, Sueuiam, Saxoniam, Turingiam, Phrigiam, & Lotharingiam rexit. Occidentalem verò Franciam Odo tenuit. Idem ſub anno 913. Mihi ex multis ſcriptorum auctoritatibus patuit, regnum Teutonicorum, quod Imperator Fridericus noſtro tempore poſſidet, partem eſſe regni Francorum. ibi enim primi Franci fuerunt, cis citraque Rhenum: quæ hodie Francia Orientalis vſque ad terminos Bauariæ appellatur.

C Francia verò Occidentalis, eſt regnum illud, quod eſt cis citraq; Sequanā & Ligerim fluuios. Et mox: Tempore Caroli Magni regis Francorū, tota Gallia, id eſt Celtica, Belgica, Lugdunenſis, omniſque Germania, quæ eſt à Rheno vſque ad Illyricum, vna Francia fuit. quæ omnia ex Ottone, vt dixi, ferè deſcripta ſunt. Vitichindus Saxo lib. 1. Vltimus Carolorū apud Orientales Francos Imperantium Lothouicus. &c. Notandum etiam eſt, quod Regino in Chr. anni DCCCLXXVI. ita ſcribit: Mortuo Pipino

D Rege, Ludouicus eius filius, qui ad patris obitum fuerat, & funeris eius obſequia celebrauerat, apud Francofurt, Orientalis regni principalem ſedem, reſidebat. Abbas Vrſperg. Carolus Magnus duas habuit filias, de Fœſtrada vxore, quæ de Orientalium Francorum, ſcilicet Germanorum gente erat. Idem de orig. Sax. Theodoricus, cùm Auſtraſiam accepiſſet, cuius regni ſedes apud Metenſem fuit ciuitatem. Liutprandus Ticin. lib. 1. cap. 6. Simul vt Wido, quam Romanam dicunt Franciam, Berengarius Italiam obtineret. Et paulò pòſt: Cumque Bur-

E gundionum regna tranſiens, Franciam, quam Romanam dicunt, ingredi vellet, &c. Romanam autem Franciam idcirco appellabant, primùm quia Galliam quæ Romanis paruerat, Franci occuparant. deinde quoniam Romana lingua in ea regione vſitata erat: quemadmodum ſuperiùs diximus: vnde vetus nata locutio, Loqui Romanum, de ijs qui Germanicè ſiue Franciсe non loquebantur. Indidemque factum eſt, vt eadem Gallia Romana diceretur. Regino lib. 2. ſub anno 939. Interim Lu-

F douicus Rex Galliæ Romanæ, filius Caroli, conſilio inimicorum Regis Alſatiam inuadit. Hinc illud Ottonis Friſing Chron 4. cap. pen. Videtur mihi inde Francos, qui in Galliis morantur, à Romanis linguam eorum, qua vſque hodie vtuntur, accommodaſſe. Nā alij qui circa Rhenū, ac in Germania remanſerunt, Theutonica lingua vtuntur. Et hūc nimiū familiariter imitatus multis locis Godefridus Viterb. parte 17. cap. 1. Vidētur, inquit, mihi Frāci in illis temporibus linguam Romanā, qua vſ-

G que hodie vtūtur, ab illis Romanis, qui ibi habitauerāt, didiciſſe. His ex locis perſpicuum eſt, miram Francorū nominis amplitudinē atque auctoritatē fuiſſe: quippe, cùm magnam Europæ partē occuparet. Quinetiā videmus Germanos in Neapolitanum & Siculū regnū ab Imp. Frideric. II. traductos, ibiq; tāquā colonos pręſidiu collocatos, Frācorū nomine appel-

appellatos fuiſſe. Petrus de Vineis h.Epiſt.6.ca.35. Viuens iure Francorum,in eo videlicet, quòd maior natu, excluſis minorib. fratribus in caſtro ipſo ſuccedat. Imp. Fridericus II. Neapol. conſt. lib.2.tit. 32. Ingerentes ſe caſus præſentis materiæ circa Francos,qui perſonarum ſuarum, plurimarumque rerum ſuarum omnium fortunam in monomachiã, quę Duellum vulgariter dicitur, reponebant. Et mox: Prædictum igitur probationis modum, quo iure Francorum viuentes vtebantur. Item libro 2. tit.33. Quod ius inter omnes tam Francos, quàm Longobardos in cauſſis omnibus volumus eſſe cõmune. Hæc cum ita ſint,tamen Gregorius Turon. Epiſcopus, qui de Francorum ortu octingentis ab hinc annis ſcripſit, initio hiſtoriæ ſuæ teſtatur, ſe, cũm accuratè de Francorum ortu quæſiuiſſet: nihil tamen certi comperiſſe: quamuis veterem quendã illorum hiſtoricum habuerit Sulpitium Alexandrũ: qui neque de primis illorum ſedibus,neque de Regni primordijs quicquam affirmarit. At nos ex ea regione Francos primùm ortos animaduertimus, quæ inter Albim & Rhenum interiecta, Oceano alluitur:vbi ferè Chauci maiores & minores collocantur:populus (vt ait Tacitus) inter Germanos nobiliſſimus:quíque magnitudinem ſuam iuſtitia tuetur,& Batauorum regioni finitimus erat. Nam primùm omnium ſatis conſtat, Francos in ora maritima ſedes habuiſſe,locis admodum paluſtribus: eiſque nauticæ peritiſſimos, & in bellis maritimis exercitatiſſimos fuiſſe. Quarum rerum documenta hæc extant,primum apud Claudianum,qui Stiliconi victorias gratulans ita,ſcribit:

Vt iam trans fluuium non indignante Chayco,
Paſcat Belga pecus mediumque ingreſſa per Albim
Gallica Francorum montes armenta peretrent.

Quo loco Chaycos poeticè appellauit, quos Geographi Chaucos nominarũt. De maritima verò illorum regione Panegyricus Conſtantino Magno dictus,teſtimonio eſt,vbi Rhetor ita loquitur: Quid loquar rurſus intimas Franciæ nationes, non iam ab his locis quæ olim Romani inuaſerunt, ſed à proprijs ex origine ſuis ſedibus,atque ab vltimis Barbariæ litoribus auulſas: vt in deſertis Galliæ regionibus collocatæ, pacem Romani imperij cultu iuuarent,& arma delectu. Rurſus in altero Eumenij rhetoris Panegyrico, vbi ſic loquitur: Aut hæc ipſa,quæ modo deſinit eſſe barbaria,non magis feritate Francorum,velut hauſta deſederat, quàm ſi eam circũfuſa flumina & mare alluens operuiſſet. Eodemq́, pertinet Procopij teſtimonium belli Gothici lib.1.nam vbi eum locum deſcribit,quo Rhenus in Oceanum influit: His,inquit,locis non mediocres ſunt paludes, vbi antiquitus Germani habitabant:natio barbara, nec magnæ tum exiſtimationis homines,qui nunc Franci nominantur. Quẽ Procopij locum Zonaras in ſuum Annal. to.3.retulit. Zoſimus autem in Gothici belli librum primum. Eodem etiã pertinet ille Flau. Vopiſci locus,in vita Probi Imp. vbi ſcribit. Frãcos à Probo inuijs paludibus profligatos. Teſtes ſunt, inquit,Franci,inuijs ſtrati paludibus. Item illud Sidonij Apollinaris.

Francorum & penitiſſimas paludes
Intrares venerantibus Sicambris.

Iam verò quod de Chaucorum vicinitate diximus, ea planiſſimè ex collatione locorum,& vtrorumque ſedium deſcriptione perſpicitur. Chaucorum quidem apud Plin. libro 16. cap. 1. Francorum verò, apud illum Rhetorem Panegyriſtem. Nam Plin. quidem ita loquitur: Sunt in Septentrione viſæ nobis Chaucorum gentes, qui maiores minoreſque appellantur, vaſto ibi meatu: bis dierum noctiumque ſingularum interuallis effuſus in immanſum agitur Oceanus, æternam operiens rerum naturæ controuerſiam: dubiumque terræ ſit, an parte in maris. At Panegyriſtes: Quamquam, inquit, illa regio diuinis expeditionibus tuis Cæſar vindicata atque purgata, quam obliquis meatibus callidis (ſic legendum, vt in libris vulgatis, non SCALDIS, vt quidam repoſuit) interfluit: quamq́ue diuortio ſui Rhenus amplectitur, penè, vt verbi periculo loquar, terra non eſt. ita penitus aquis permaduit, vt non ſolùm quæ manifeſtè paluſtris eſt, cedat admixum, & hauriat preſſa veſtigium: verumetiam vbi paulò videtur firmior, pedum pulſu tentata quatiatur: & ſentire ſe procul mora pondus teſtetur. Patefactum igitur arbitramur eſſe locum, vnde Francorum in Galliam natio propagata eſt: paluſtris videlicet ea regio, quæ inter Albim & Rhenum Oceanum attingit. Quod eo etiam argumento confirmari poteſt, quod Franci maritimarum rerum vſum maximum habebant, lateq́ue per eam oram vagabantur. Nam Eutrop. libro 9. vbi Gallieni Imperatoris hiſtoriam percurrit: Poſt hæc tempora, inquit, Carauſius cum per tractum Belgicæ Armoricæ pacandum mare accepiſſet, quod Franci & Saxones infeſtabant. Qua eadem de re Paulus quoque Oroſius libro 7. commemorat. Eodem pertinet alter in illo, quem aliquoties iam protulimus Panegyrico, locus, vbi Rhetor ita loquitur: Franci, inquit, præter cæteros truces quorum vis cùm ad bellum efferueſceret, vltra ipſum Oceanum æſtu furoris euecta, Hiſpanorum etiam oras armis infeſtas habebat. Itaque Iuſtinianus Imper. libro Codic. 2. vbi Præfecti prætorio Africæ officium exponit, mentionem facit Francorum, qui in parte quadam Galliæ finitima Hiſpaniæ conſederant. Memorabile eſt autem, & ad bellicæ laudis gloriam inſigne, quod alio Panegyrici loco narratur, exiguas Francorũ copias, quos Imperator Probus bello ſuperatos in Pontum captiuos abduxerat, nauibus aliquot interceptis, vſq; in Græciam & Aſiam vagatos eſſe: Siciliam inuaſiſſe: Syracuſas cepiſſe: pòſt onuſtos præda & ſpolijs per fretum Herculeum in Oceanum reuertiſſe. Recurſabat, inquit, in animos, ſub diuo Probo, & paucorum ex Francis captiuorum incredibilis audacia, & indigna felicitas: qui à Ponto vſque correptis nauibus, Græciam, Aſiamq́ue populati, nec impunè pleriſque Lybiæ littoribus appulſi, ipſas poſtremò naualibus quondam victorijs nobiles ceperant Syracuſas: & immenſo itinere permenſi Oceanum, qua terras rupit, intrauerant: atque ita euentu temeritatis oſtenderant, nihil eſſe clauſum piraticæ deſperationi, quò nauigijs pateret acceſſus. Quam eandem hiſtoriam Zoſimus ſub finem Hiſt. 1. his verbis commemorat: Cùm Franci ad imperatorem acceſſiſſent, & ab eo ſedes obtinuiſſent, pars eorum quædam defectionem molita, magnamq́ue nauium copiam nacta, totam Græciam conturbauit. In Siciliam quoque delata, & vrbem Syracuſas adorta, magnã in ea cædem edidit. Tandem cum & in Africã appuliſſet, ac reiecta fuiſſet, adductis Carthagine copijs, nihilominus domum redire, nullum paſſa detrimentum potuit. Hoc quoque Probo

imperante contigit. Et ad hanc diſputationem ea quoque auctorum loca referenda ſunt, ex quibus intelligitur, Frãcorum ſedes Batauorum finib. propinquas fuiſſe. Nam Rhetor ille Maximianum & Cõſtãtinum alloquens: Multa, inquit, ille Francorum millia, qui Bataujam aliaſq; cis Rhenum terras inuaſerant, interfecit, depulit, abduxit. Præterea inſignis extat locus apud Corn. Tacit. in lib. 20. vbi de Bataniæ & Friſiæ vicinitate commemorans, Caninefatea quoq; admiſcet: quorũ eam ſcribit conſuetudinem in Rege creando fuiſſe, quã poſterius verè Francicã fuiſſe oſtẽdemus. Miſſi, inquit, ad Caninefates, qui conſilia ſociarent. Ea gens partẽ inſulæ colit, origine, lingua, virtute par Batauis: numero ſuperantur. Et mox: Brinnio impoſitus ſcuto, more gentis, & ſuſtinentium humeris vibratus, dux deligitur. Quæ verba haud exigui eſſe ad noſtrã diſputationem momenti, poſterius, cùm ad eum locum ventũ erit, intelligetur. Quæ cum ita ſe habeãt, ſatis equidẽ admirari Adr. Turnebi doctiſſimi viri iudicium non poſſum, qui tam multis veterũ auctorum locis pro nihilo habitis, ſcripſit videri ſibi Francos ex Scandinauia oriundos: propterea quod apud Ptolemæũ in illa inſula Phiraſſi collocantur. Quam vocem corruptã, & FRANCI reponendum cenſet. Neque tamen præter meram diuinationem vllam huius opinionis ſuæ rationem affert. quæ tamen opinio à veterum ſcriptorum omnium auctoritatibus apertiſſimè diſſidet. De cæteris verò propè omnibus, qui fabulis delectati, Francorum originem ad Troianos, & Francionem neſcio quem Priami filium retulerunt, tantum dicimus, Poëtis illos, non hiſtoricis ſcribendi argumentũ præbuiſſe: eoque in numero primum meritò locum Guillielmo Bellayo tribuimus: qui cùm omnium optimarum artium doctrina, ſummaq; ingenii laude præſtaret, tamen in libello de Galliæ & Franciæ antiquitatibus, non Frãcogallicę hiſtoriæ, ſed Amadiſicarum fabularum inſtituiſſe tractationem videtur.

De Francorum nomine, variiſque excurſionibus, & quo tempore regnum ſibi in Gallia conſtituerint.

CAP. V.

SEd ratio poſtulat, vt de hoc Francorum nomine paulò attentius conſideremus: quod nuſquam in Germaniæ deſcriptione reperiri ſuperius diximus. Ne diutius teneam, neceſſe eſt vel Francorum gentem tenuem obſcuramque fuiſſe, à qua tamen tantarum rerum gerendarum initia nata ſunt: quemadmodum in Suitcis tenuiſſimo Heluetiorum pago vſuuenit, à quo cùm recuperãdæ libertatis auctores orti primũ fuiſſent, Suitzerorũ nomen in Heluetios omnes propagatũ eſt: vel, quod mihi veriſimilius videtur, fictam ex re & occaſione appellationẽ fuiſſe: cũ ij, qui ſe libertatis recuperandæ principes atq; auctores profiterẽtur, FRANCOS ſe nominaſſẽt: qua voce liberos, & ſeruitutis expertes, apud Germanos intelligi, ſatis inter eruditos & literatos Germanos conſtare video. indeque Francum populari lingua, pro libero & immuni: & Franciſiam, pro aſylo vſurpamus: & Franciſare, vel Affrãcire pro in libertatẽ aſſerere. Itaque

A rectiſſimè Iohan. Auentinus lib. 4. Francorum nomen, inquit, crebrum eſt in faſtis noſtris antiquis: deductum à libertate, quæ Teutonum lingua *Freyghait*, & *Freyghan* dicitur. quod cognomen adhuc Franconibus noſtris tribui ſolet. Vocitantur enim vulgo, *die freyen Francken*, hoc eſt liberi Franci. Item Hieronymus Surita de regib. Aragon. ſub anno DCCCXLIV: Carolus Caluus Francorum Rex Barcinonẽſibus ſiue Hiſpani, ſiue Gothi eſſent, immunitatem libertatemque elargitur, qua Franci v-
B ti aſſueuerant: permittitque, vt Gothicis legibus iura inter ſe foraque conſtituant. Immunitas ea à Francis in Hiſpania FRANKITAS dicta. Francorum enim nationẽ Germanicam Carolus Magnus Germanis reliquis & Friſijs commodiore immunitatis cõditione antetulerat. Itẽ ſub anno MCX. Iulio mẽſe, vt oppidũ frequentiſſimè coleretur, habitareturque, ciuibus Exeanis Frankitatis (id eſt, ingenuitatis) ornamẽta ab imperatore præſtantur. Itẽ Albert. Krantz. lib. 4. metrop. cap. 13. Nam ex Theutonico
C vocabulo ortum eſt. *Franck* enim Germanica lingua liber dicitur, nulli obnoxius ſeruituti. Ant. Sabellicus Ennead. x. lib. III. Francos, inquit, Itali liberos appellãt: quippe cùm Itali ex Germanorum eluuionibus promanarint. Eius autem rei primũ argumentum eſt, quòd Procopius libro Goth. bell. 1. memoriæ prodidit, Francos antiquitus generali nomine Germanos appellatos fuiſſe. pòſt verò quàm è finibus ſuis exceſſerunt, Francorum nomen obtinuiſſe. Alterum eſt, quod Corn. Tacitus lib. 20. vbi de
D Caninefatibus loquitur (quos Francorum finitimos, vel potius populares, atque adeò Francos ipſos natiuos fuiſſe oſtendimus) eorumque primam aduerſus Romanos victoriam deſcribit, his vtitur verbis: Clara ea victoria in præſens, in poſterum vſui: armaque & naues quibus indigebant adepti, magna per Germanias Galliasq; fama, LIBERTATIS AVCTORES celebrabantur. Germaniæ ſtatim miſere legatos, auxilia offerẽtes. Valeat igitur omen, vt FRANCI verè proprieque dicantur, qui honeſtam,
E etiam ſub regum auctoritate, libertatem ſibi retinendã putarunt. Non enim regi parere ſeruitus eſt: neque qui regi parent, continuò ſerui habẽdi ſunt: ſed qui tyranni libidini, tanquam pecudes lanioni ſeſe ſubijciunt, ij demum viliſſimo ſeruorũ nomine appellandi ſunt. Itaque reges ſemper Frãci habuerunt, etiam tum, cùm aſſertores ſe ac vindices libertatis profitebantur: & cùm ſibi reges conſtituerunt, libertatis ſuę cuſtodes, præfectos, tutores ſibi conſtituerunt. quemadmodum ea Francogallicæ
F Reipublicæ forma poſteriùs intelligetur. Sic Claudianus lib. 3. cecinit, *Nuſquam libertas gratior vlla eſt, Quam ſub Rege pio.* Sic Saluſtius, Regem primis temporibus à Romanis habitum ſcribit, conſeruandæ libertatis atque augendæ Reipubl. cauſſa. Quæ verò Iohannes Turpinus neſcio quis, monachus certè ſtolidus atque imperitus, qui Caroli Magni, non vitam, ſed fabulam conſcripſit, de Francorum vocabulo nugatur, vt qui pecuniam ad Dyoniſianum templum ædificandum contuliſ-
G ſet, *Frãcus*, id eſt, liber diceretur: quaſi nomen illud Regis illius Caroli tempore demum natum ſit: ne memoratu quidem dignum eſt: non magis quàm reliqua illius omnia fabulis anilibus ac delirijs referta. Noſtram porrò de Francorum nomine coniecturam adiuuat, quòd Gregorius Turon. Ado Vienneſis, Sigebertus, Abbas Vrſperg.

Godfri-

Godfridus Viterbienſis ſcribunt, Francos à libertate, & (vt illi ad vocis notionē alludentes loquuntur) à ferocitate nomen inueniſſe: propterea quod Valentiniani Imperatoris ſtipendarij eſſe, tributaque aliarum nationum more pendere recuſarent. non quòd Francorum nominis mentio non multo antiquior ſit Valentiniani Imp. ætate: nam (vt ſuperius demonſtratum eſt) amplius centum antè annis ſub Gallienis Impp. vſurpata eſt. ſed quia finitimi populi cum Francorum exemplum virtutemque imitarentur, ſeſeque ex Romanorum tyrannide in libertatem vindicarent, eorundem etiam nomen vſurpādum putarunt. Nam quod Hunibaldus ait nominatos à Franco Antharij Sicambrorū Regis filio; idque factum addit Octauiano Auguſto imperante: primum ab omnium Romanorum & Græcorum hiſtorijs alienum eſt, apud quos nulla tā antiquis temporibus Francorum mentio reperitur: vt ſuperius demonſtratum eſt. Deinde cùm illi populi Regem ſibi crearent, (ſicuti & iam prius dictū eſt, & poſtea dicetur) perabſurdum eſt, exiſtimare populum à Rege potius, quàm Regem à populo denominatum. Multo verò abſurdius eſt, eoſdem dicere Francos & Sicambros fuiſſe: propter hemiſtichium à diuo Remigio in Clodoueo baptiſando vſurpatum: Mitis depone colla Sicamber. Nam alios Francos, alios Sicambros fuiſſe, verſus illi Sido. Apollinaris declarant:

Francorum & penitiſſimas paludes
Intrares, venerantibus Sicambris. Item illi Claudiani ad Honorium:

Ante ducem noſtrum flauam ſparſere Sicambri
Cæſariem, pauidoque orantes murmure Franci
Procubuere ſolo.

Quare vt illud à Remigio vſurpatum hemiſtichium concedamus, tamen alludendi potius quàm veri nominis deſignandi cauſſa, id factum eſſe probabile eſt. Verū, vt ad inſtitutū redeamus, illud veriſſimè dici ac prædicari poteſt, omen Francorū nominis, hoc eſt (vt Cornelius Tacitus interpretatur) auctorum libertatis ita fauſtum, felix, fortunatumque fuiſſe, vt ex eo victoriæ propè innumerabiles conſecutæ ſint. Nam poſtea quàm illo cōſilio Franci è ſuis finibus exceſſerunt, non modò Germaniam, patriam communem, verumetiam Galliam, ad extremum etiam Alpes tranſgreſſi, partem Italiæ non mediocrem à Romanorum tyrannide liberarunt. Prima autem & antiquiſſima huius illuſtriſſimi nominis mentio reperitur non ſub Imperatore Decio, vt quoſdam nimium confidenter affirmare video: ſed ſub Imp. Gallieno, hoc eſt circiter annum Chriſtianæ ſalutis CCLX. Nam Trebellius Pollio in eius vita: Cum ludibrijs, inquit, & belluationi vocaret, neque aliter Rempublicam regeret, quàm cùm pueri fingunt per ludibria poteſtates: Galli, quibus inſitum eſt luxurioſos principes ferre non poſſe, Poſtumum ad imperium vocarunt: qui tum Gallieni legatus Galliæ cum imperio præerat. Et paulò poſt: Contra Poſtumum igitur Gallienus bellum incepit, & cum multis auxilijs Poſthumus iuuaretur, Celticis ac Francicis, in bellum cum Victorino proceſſit. Quibus ex verbis intelligitur, Gallos ad depellendam Gallieni Tyranni ſeruitutem, Francorum, id eſt, auctorum libertatis, auxilijs vſos fuiſſe. Quod idem breuiter Zonaras ſignificans in Gallieni vita, ἐπολέμησε inquit, Φράγγοις, &c. Altera eorundem men-

A tio rurſus occurrit apud Flau. Vopiſcum, in Aureliani vita, his verbis: Apud Moguntiacum Tribunus legionis ſextæ Gallicanæ, Francos irruentes, cum vagarentur per totam Galliam, ſic afflixit, vt trecentos ex his captos, ſeptingentis interemptis, ſub corona vendiderit. Non enim Franci noſtri in illo bello, non magis quàm alij in alijs, quantumuis iuſtis, ſemper ſecundos præliorum euentus habuerunt. Quinetiam à Conſtantino, qui poſtea Magnus dictus eſt, duo ipſorum reges capti, & beſtijs
B in ſpectaculo quodam obiecti memorantur. quam hiſtoriam Eutrop. lib. 9. & Rhetor in Panegyrico, quem ſuperius aliquoties protulimus, attingunt. Et quoniam alio loco de bellis in Batauorum finibus geſtis idem Rhetor commemorat, quos à noſtris nō longè abfuiſſe oſtēdimus, verba eius ſubſcribemus. Multa, inquit Rhetor, Francorum millia qui Batauiam, aliáſque cis Rhenum terras inuaſerant, interfecit, depulit, abduxit. Et alio loco: Terram Batauorum ſub ipſo quondam alumno ſuo à diuerſis
C Francorum Regum gentibus occupatam omni hoſte purgauit, nec contentus viciſſe, ipſos in Romanas tranſtulit nationes: vt non ſolum arma, ſed & feritatem ponere cogerentur. Quo ex loco non obſcure intelligitur Conſtantinum Francorum vi atque armis coactum, ſedes illis in Romani imperij finibus conceſſiſſe. Quinetiam Ammianus lib. 15. ſcribit, Francos exorto inter Conſtantinum & Licinium ciuili bello, pro Cōſtantini partibus ſæpenumero fortiter decertaſſe. Sed & alio eiuſdē libri lo-
D co, imperante Conſtantino, Conſtantini filio, Francos in Regia quam plurimos fuiſſe memorat: magnaque apud Cæſarem in gratia atque auctoritate fuiſſe. Poſt hęc, inquit, Malarichus ſubitò nactus, adhibitis Frācis, quorum ea tempeſtate in palatio multitudo florebat. Iam verò imperante Iuliano, qui Apoſtata dictus eſt, ijdem Franci coloniam Agrippinā Romanorum ſeruitute oppreſſam in libertatem vindicare conati ſunt: eamque longa obſidione preſſam, deditionem facere coegerunt:
E quemadmodum idem Ammianus lib. 12. commemorat. Cumq; ad flumen Salam aliquot è Francis conſediſſent, ea re, Salij dicti ſunt. de quibus idem Ammianus eodem libro: Quibus paratis, inquit, petit primos omnium Francus, eos videlicet quos cōſuetudo Salios appellauit: auſos olim in Romano ſolo, apud Toxiandriam locū, habitacula ſibi figere prælicenter. Item Zoſimus lib. 3. Saliorum nationē, profectam à Francis, & vi Saxonum in hanc inſulam (de Batauia loquitur) ſuis ſedibus expulſam,
F eiecerunt. Hæc inſula, prius Romanis in vniuerſum ſubiecta, à Salijs hoc tempore poſſidebatur. Rurſus Ammianus libro 20. Regionem à Frācis vltra Rhenum occupatam, & Franciam dictam, commemorat, Rheno, inquit, tranſmiſſo, regionem ſubitò peruaſit Francorum, quos Attuarios vocāt, inquietorum hominum, licentius etiam tum percurſantiū extima Galliarum. Et libro 30. vbi de Rege Macriano loquitur, quo cum Valentinianus Imperator ad ripam Rheni, prope Moguntiacum pacem fecerat:
G Petijt autem, inquit in Francia, poſtquam dum internecinè vaſtando perrumpit audius, oppetijt Mellobaudis bellicoſi Regis inſidijs circumuentus. Hunc autem Francorum Regem Mellobaudem idem auctor libr. ſeq. furtem & bellicoſum fuiſſe ſcribit, & ob virtutem militarem ab Imperat. Gratiano Comitem domeſticorum, & Legatum

cum Nannieno ſactum fuiſſe, vt exercitum aduerſus Lentiates Germanos educeret. Pòſt verò imperaote Honorio, propter pactam cum illo Imperatore ſocietatem, Galliæ Romanæ fines aduerſus Stiliconem tutati ſunt. Nam Oroſius libro vlt. Excitatæ, inquit, per Stiliconem gentes Alanorum, Sueuorum, Vandalorum, multæque com his aliæ Francos proterunt, Rhenumque tranſeunt, Gallias inuadunt. Poſt Honorij Imperarotis ætatem perexigua de Francorum rebus geſtis extat memoria. nam ad illa tempora referendum eſt, quod D Ambroſius epiſtola 29 ad Imper. Theodoſiū ſcribit, Francos & in Sicilia & alijs locis compluribus Maximū Romanarū copiarum ducem ſuperaſſe. Ille igitur, (inquit, de Maximo cómemorãs) ſtatim à Frãcis, & à Saxonum gẽte, in Sicilia, Siciæ, Petauione, vbique denique terrarum victus eſt. Verùm Imperante Valẽtiniano III. hoc eſt, circiter annum ſalutis Chriſtiaoæ CCCCL. illod auctorum omnium conſenſu conſtat, Childericum Merouei Fraocorum Regis filium, poſt anuorum amplius ducentorum contentionem, Galliam è Romanorum ſeruitute in libertatem vindicaſſe: primumque in ea Regoi ſui ſedem certam ſtabilemque conſtituiſſe. Nam etſi nonnulli primos Francorum Reges Faramundum & Clodiocrinitum numerant: tamen nemini dubium eſt, alios antea complures Francorum reges fuiſſe, qui etiam tranſmiſſo Rheno in Galliam irruperunt: quorum nemo pacatum in Galliæ finibus imperium obtinuerit. Meroueus autem, quem vulgò tertium numerant, Francorum quidem Rex fuit: ſed aduena & peregrinus, non in Gallia factus, non denique Francogallorum, hoc eſt, gemellæ & conſociatæ gentis iudicio & voluntate creatus. Francorum denique Reges illi omnes fuerunt: non Francogallorum. Primus Childericus, Merouei (vt diximus) filios, à Francis & Gallis, publico gemellæ gentis conſilio, rex Frãcogalliæ creatus eſt: poſteaquam Meroueus pater, Attilino prælio interfectus eſt, imperante Valentiniano III. perdito ac libidinoſo principe. Quo tempore Angli & Scoti, Britanniam: Burgundi Sequanorum, Æduorum & Allobrogum fines: Gothi Aquitaniã: Waudali Africã atque Italiam, vrbemq; ipſam Romam occupabant. Hunni verò Attila duce, Galliam cædibus, atque incendijs vaſtabant. Quam rei gerendæ facultatem Meroueus Francorum rex non aſpernatus, magnis coniunctis copijs, Rhenum tranſmiſit, ciuitatibúſq; compluribus ad eum recuperãdæ libertatis cauſſa confugientibus, tandem interiores Celtarum vrbes occupauit. Attila autem cum exercitum haberet hominum circiter quingentorum millium, latè per Galliam, Tholoſam vſque vagatus eſt. Erat tum Galliæ Præſes Ætius, qui Attilę potentiam veritus, Gothos ſibi fœdere ac ſocietate adiunxerat. Horum auxilijs inſtructus, prælium cum Attila commiſit, cecidiſſeque dicuntur eo prælio non minus centum & octoginta hominum millibus. At victor Ætius, cum apud Imperatorem Valentioianum in regni appetẽdi ſuſpitionem adductus eſſet, ipſius iuſſu necatus eſt. Aliquantò pòſt Imperator ipſe quoq; opera Maximi, de quo ſuperiùs mentionem fecimus, eſt interfectus. Meroueo mortuo, cùm duæ iam Gallorum & Francorum gentes, diſpari genere, diſſimili lingua, alio atque alio more viuentes in vnam ciuitatem coaluiſſent, coniunctis animis, Chil-

A dericum Merouei filium regem ſibi deligunt: ſcutóque de more impoſitum, atque in humeros ſoblatum, ter circum comitia deportant: & plauſu vndique excitato, ſummiſque omnium gratulationibus, regem Francogalliæ conſalutant. Quarum rerum omnium auctores habemus Sidonium Apollinarem, Paulum Diaconum, Gregorium Turonenſem, Ottonem Friſingenſem, Aimoinum, & cęteros: quorum teſtimonia, nec ita multò pòſt, vbi de regis inaugurandi more dicendum erit, proferemus. B De vrbium quidem occupatione, Ottonis lib. 4 cap. pen. verba hæc ſunt: Franci Rheno tranſmiſſo, Romanos qui ibi habitabant, primò fugant. pòſt captis Tornaco & Cameraco, Galliæ vrbibus, ac inde paolatim progredientes, Rhemos, Sueſſionem, Aurelianum, Agrippinam, Treuerim ſubiugant. Neque verò prætermittendus eſt inſignis Hunibaldi locus, apud quem ſcriptum ita eſt: Merouei tempore Franci penè totam Galliam ſuo regno adiecerunt: Romanorum iam viribus imminu- C tis, ac deficientibus: præſertim poſt Ætij mortem, quem Valentinianus ex inuidia occiderat. Franci ergo Gallis commixti de ipſorum filiabus ſibi acceperunt vxores: genuerunt filios & filias: qui omnes didiceruot linguam eorum, ſimul & mores: cum quibus ſunt deinceps conuerſati vſque in pręſentem diem. Hæc ille. quib. conſentanei ſunt ij auctorum loci, in quibus per illa tempora Galli & Franci promiſcuo oomine appellantur. velut apud Paul. Diaconum. lib. de geſt. Langob. 3. cap. 13. Galli D autem vehementer afflicti: etſi multi capti, plurimi tamen per fugam elapſi vix ad patriam reuertũtur. tantáque ſtrages facta eſt de Francorum exercito, quaota nunquam alibi commemoratur. indeque nata vulgaris Francigenarum appellatio eſt, ijs propriè attributa, qui ex illis Frãcis ſuſcepti in Gallia fuerant: velut in Syn. Tributicenſi. & c. 2. ext. De ſponſal. De Francia quidam nobilem mulierem de Saxonia duxit, verum qoia non ijſdem vtuntur legibus Saxoues & Frãcigenæ, &c. Atq; hæc quidem E de primo Francogalliæ rege, ſummatim. quibus illud ſubiungendum eſt: Cùm hoc Francogallię Regnum annos ferè mille ducentos durarit, tres tantùm per id omne tempus Regum familias numerari: Merouingiorum, qui orti a Meroueo ſtirpem ad annos ducentos octoginta tres propagarunt: Carlooingiorum, qui orti a Carolo Magno, ſobolem in annos trecentos triginta ſeptem produxerunt: & Capeuingiorom, qui ab Hugone Capeto progna- F ti, per quingeotos iam & octoginta annos Regnũ obtinent.

Regnum Francogalliæ vtrum hæreditate, an ſuffragijs deferretur, & de Regum creandorum more.

CAP. VI.

SEd hoc loco præclara quęſtio exoritur, & ad maiorū ſapientiam cognoſcendã aptiſſima, vtrum Francogalliæ regnũ hæredita- G rio iure an verò populi iodicio & ſuffragijs deferretur. Germaniæ quidem Reges (quo ex genere Francos noſtros fuiſſe, ſuperius demonſtratom eſt) ſuffragijs creari ſolitos, Cornelius Tacitus in libello de motibus Germanorum teſtatur. Reges, inquit, ex nobilitate, Duces ex virtute ſumunt. Quod inſtitutum etiam nunc

Digitized by Google

nunc Germani, & Dani, & Sueui, & Poloni retinent: vt Reges quidem in Concilio gentis eligant: filij tamẽ demortuorum regum prærogatiuam habeant: & (vt Tacitus memoriæ prodidit) ceteris præferantur. Quo inſtituto, haud ſcio, an quicquã ſapientius, aut Reipublicæ ſalutarius excogitari potuerit. Nam (vt Plutarchus in Sylla luculenter monet) quemadmodum venatores non quod ex generoſo cane natum eſt, ſed canem ipſum generoſum quærunt: equites non quod ex equo generoſiſſimo natum, ſed equum ipſum expetunt: eodẽ modo qui Rempublicã conſtituunt, magno errore ducuntur, ſi, quis Princeps ſibi naſciturus ſit, potius, quàm qualẽ habituri ſint, exquirant. Eò accedebat, quòd parẽtes ſucceſſionis illius ſpe ad ſuos filios præclarè inſtituendos adducebantur, ne tanquam paterna ſucceſſione indigni à populo repudiarentur. Atque hanc maiorum noſtrorum in Frãcogalliæ regno conſtituendo ſapientiam fuiſſe, documento eſt, primùm Caroli Magni teſtamentum, apud Ioann. Nauclerum, & Hen. Mutium editum, in quo clauſula hæc extat: Quòd ſi filius cuilibet horum trium filiorum meorum natus fuerit, quem populus eligere velit, vt patri ſuo in regni hereditate ſuccedat, volumus vt conſentiãt patrui ipſius: & regnare permittant filium fratris ſui in portione Regni paterni. Quinetiam memorabile eſt, quod Regino libro Chron. 2. ſcribit, ſub anno DCCCVI. cum Carolus Magnus tres filios haberet, quibus maturè in vita ſua conſulere volebat: Cum primoribus (inquit) & optimatibus Francorum de partitione ſui regni inter filios ſuos placitũ habuit. & diuiſione facta in tres partes, teſtamentum de illa fecit, quod per ſacramentum interpoſitum à Francis confirmatum eſt. Sic Egninarthus in eiuſdem Caroli vita: Euocatũ ad ſe Ludouicum Aquitaniæ regem, qui ſolus filiorum Hildegardis ſupererat, congregatis ſolenniter de toto Francorum regno primoribus, cunctorum conſilio conſortem ſibi totius regni fecit. quem locum totidem verbis ſcriptor Chronici Beſnenſis de quo ſupra commemorauimus, in ſuum librum tranſcripſit. Sed ſuperiores videamus. Nam Aimoinus quidem libro 1. cap. 4. de Faramundo, quem vulgo (vt dixi) primum Francorum Regem numerant, ita loquitur: Regẽ verò ceterarũ more nationũ Franci ſibi eligẽtes, Faramundũ ſolio ſublimant regio. Sed multo copioſius Hunibaldus, ſciptor vetuſtiſſimus: Anno, inquit, CCCCV. omnes Duces proceres & nobiles Francorum in menſe Martio conuenerunt apud Neopagum, pro noui Regis electione facienda. Et mox: Hi omnes cum ceteris vno conſenſu Faramundum de regio genere ortũ vnanimiter in Regem elegerunt Rurſus Aimoinus libro 4. capite 51. Franci autem Danielem quendam clericum cæſarie capitis creſcente, in regnum ſtabiliunt atque Chilpericum nuncupant. Item lib 4. cap. 67. Mortuo rege Pipino filij eius Carolus & Carolomannus conſenſu omniũ Francorum Reges creati ſunt. Et alio loco; Mortuo Pipino, Franci facto ſolenniter conuentu, ambos ſibi eius filios reges conſtituunt, ea conditione præmiſſa, vt totum regni corpus ex æquo partirẽtur. Et rurſus poſt alterius è vita exceſſum. Carolus autem frater defuncto conſenſu omnium Frãcorũ Rex conſtituitur. Atque hæc quidem ex Aimoino. Similia autẽ apud Gregoriũ Turonenſem

A teſtimonia complura extant, è quibus pauca hæc proferemus. Nam lib. 2. cap. 12. Franci, inquit, eiecto Childerico Eudonem ſibi vnanimiter Regem aſciſcunt. Item libro 4. cap. 51. Tunc Franci, qui quondam ad Childebertũ aſpexerunt ſeniorem, ad Sigebertum legationem mittunt: vt ad eos veniens, de relicto Chilperico, ipſum per ſe Regem ſtabilirent. Et aliquanto poſt: Collectus eſt ad eũ omnis exercitus: impoſitúmque ſuper clypeo ſibi Regem ſtatuunt. Item alio loco: Sigebertus Franci
B conſentientis, more gentis impoſitus clypeo Rex conſtitutus eſt, ac Regnum fratris ſui Chilperici adeptus. Et non ita multo pòſt Burgundiones & Auſtraſij cum reliquis Francis pace facta, Clothatium in tribus totis Regnis ſuper ſe Regem leuauerunt. Quod idem Abbas Vrſpergenſis confirmat: Burgundiones, inquit, & Auſtraſij facta pace cum Francis, Clotarium in monarchia totius Regni Regem ſublimauerunt. Et paulò pòſt: Frãci alterum eius fratrem Hildericum, qui Auſtraſijs
C iam imperabat, ſuper ſe Regem conſtituunt. Nuper etiam incidi in Chronica manuſcripta monaſterij Beſuenſis in Burgundia, vbi ſub an. DCLVIII. hæc reperio: Clotarius Rex immatura præuentus morte, regnum ſine herede reliquit. (id eſt, ſine filio, more Feudiſtico) cuius obitum dolẽtes Francorum principes, germanum eius Childericum Regem Auſtrſiorum. in omni ſublimant Francorum regno. Et mox, Childericus ergo Rex paucis annis quibus regnum Francorum obtinuit, de-
D functus eſt, & germanus eius Theodoricus in regno fratris loco ſublimatus. Itẽ alio loco & multò antè: Dagobertus Metis vrbem veniens cum conſilio Pontificum & Procerũ, ſed & omnibus primatibus regni ſui conſentientibus Sigebertum filium ſuum in regnum ſublimauit: ſedemque Metis ciuitate habere permiſit. Itẽ ſub anno DCCLXVIII Franci facto ſolemniter generali cõuentu, ambos ſibi conſtituunt Reges, ea conditione præmiſſa, vt totũ regni corpus ex æquo partirentur. Eodem
E pertinet, quod Liutprãdus Leuita Ticinenſis libro primo capite 6. ita ſcribit: Cumque Burgundionum regna tranſiens, Franciam, quam Romanam dicunt, ingredi vellet, Francorum nuntij ei occurrunt, ſe redire nuntiantes: eo quòd longa expectatione fatigati, cum ſine rege diutius eſſe non poſſent, Odonem cunctis petentibus elegerunt. Fertur autem hac occaſione Francos widonem ſibi regem non aſſumpſiſſe, &c. Sed de hoc Odone memorabilis & Reginonis & Sigeberti
F narratio eſt, ex qua planius etiã de Regis filio repudiato, & alieno aſcito cognoſcitur. Nam Regino quidem libro ſecundo, ſic loquitur, ſub anno 888. Interea Galliarum populi in vnum congregati, Ottonem Ducem filium Rudperti, cui præ cæteris formæ pulchritudo & proceritas corporis & virium ſapientiæque magnitudo inerat, Regem ſuper ſe pari conſilio & voluntate creant. Sed & Annalium Rhemenſium ſcriptor: Cùm quotidie
G inquit, copijs Roberti creſcentibus decreſcerent Caroli, clam tandẽ ſecedens cum Haganone trans Moſam proficiſcitur, Franci Robertum ſeniorem eligũt, ipſique ſeſe cõmittũt. Itaque Rex Rhemis apud S. Remigium, ab Epiſcopis & primatibus regni rex conſtituitur. Rhegino vero ſub anno DCCL. Pipinus. inquit, ſecundum morem Francorum electus in Regem, & vnctus per manum Bonifacij

A Et Sigebertus: Hildericum, inquit, inſolenter & luxurioſè ſe agentem Franci de regno deturbant: & Ægidium regem ſibi præficiunt. Atque hoc quidem præclarum ac ſingulare maiorum noſtrorum facinus eo diligentius notandum eſt, quod in primordiis ac propè incunabulis regni geſtum, quaſi quædam teſtificatio fuiſſe videtur, ac denuntiatio, reges in Francogallia certis legibus creari: non tyrannos, cum imperio ſoluto, libero, & infinito conſtitui. Itaque cùm hoc idem inſtitutum poſteri retinerent, anno C DCLXXIX. Childericum regem vndecimum inſolentiùs ſe in imperio gerentem abdicarunt: cumque nobilem quendam, nomine Bodilonem ad palum alligari, atque indicta cauſſa virgis cædi iuſſiſſet, ab eodē Bodilone paucis pòſt diebus interfectus eſt: auctoribus Aimoino lib. 4. cap. 44. Adone, Ætate 6. Tritenhemio anno 687. itemque Sigeberto anno 667. Eiuſdemmodi maiorum noſtrorum ſeueritas aliquanto pòſt extitit aduerſus Theodoricum Regem XII. B qui cùm iniquo & auaro imperio Regnum adminiſtraret, (Franci inquit Aimoinus) ſuper eum inſurgunt, ac eum de regno eiiciunt, crineſque capitis eius vi abſtrahentes incidunt. lib. 4. cap. 44. Ado Ætat. 6. anno 696. Sigebertus autem ſub anno 667. magnam illius culpæ partem in præfectum regium Ebroinum confert. Theodoricus, inquit, rex propter inſolentiam Ebroini à Francis repudiatur: & frater eius Hildericus à cunctis ad regnum euocatur. Et Ado: Franci, inquit, Theodoricum de regno abiiciunt: E- D broinum Lexouio monaſterio tondent: Childericum ſuper ſe regem leuant. Item Appendix Greg. Turon. lib. 11. cap. 64 Franci contra Theodoricum inſurgunt: eumque à regno deiiciunt; crines capitis eius abſcindentes rotonderunt: Ebroinumque ipſum tondent. Sed optimè omnium Hunibaldi Appendix: Theodoricus, inquit, otio & inertiæ deditus omnia negotia regni per Comitem Palatij, quem Maiorem domus nuncupabant, diſponere cœpit. Huius E maior domus fuit Ebruinus, homo ſceleratus & impius, qui multa fecit mala: quibus commoti proceres Francorum, Theodoricum à regno deiiciunt, & tam ipſum quàm Ebruinum ſeparatos ab inuicem ad duo monaſteria intrudunt. Et mox: Hildericus duorum præcedentium frater medius, & Clodouei filius, delecto à regno Francorum Theodorico fratre iuniore, procerum electione ad regnum de Auſtraſia vocatus, regnauit annis paucis. qui cum eſ- F ſet moribus aſper, & multis nobilibus Francorum odioſus, in venatione occiſus eſt. Eodem accedat Chronologia Idalij nondum in lucem edita ſub anno Chriſti DCCIII. Poſt Lotharium, inquit, Theodoricus ſubrogatur in regnum. ſed hoc poſt paucum tempus, cum Ebroino maiore domus expulſo, Childericum regem Auſtraſiorum fratrem eius minorem Franci in toto ſublimauerunt regno. Simile eorundem facinus extitit in Chilperico rege XVIII. G quem cùm propter inertiam tanto imperio indignum cenſuiſſent, regno ſe abdicare coegerunt: atque ad monachatum relegarunt: auctoribus Aimoino libro 4. capite 61. Sigeberto è Tritemio anno 750. & Godfrid. Chron. part. A 17. ca. 4. Sextum rurſus eiuſdem ſeueritatis exemplum extitit in Carolo Craſſo rege XXV. qui propter ſimilem ignauiam, & quod Normannis Galliæ partem conceſſiſſet, regnumque imminui paſſus eſſet, ab optimatibus regni (vt Sigebertus loquitur) repudiatus eſt anno, vt idem ſcribit, 890. quod idem Godfridus part. 17. teſtatur. ſed vberius Otto Friſing. Chron. 6. cap. 9. vbi memorabile illud adſcribit: hūc cùm poſt Carolum Magnum inter omnes reges Franco- C rum maximæ fuiſſet auctoritatis, tā breui ad tantam tenuitatem veniſſe, vt panis quoque egens ab Arnolpho iam rege facto ſtipendia miſerabiliter exigeret: atque ab ipſo paucos fiſcos grataniter ſuſciperet. vnde humanarum rerum ſtatus miſerrimus cognoſcitur: quod is qui tam Orientalia, quàm Occidentalia regna cum Romano ſuſceperat Imperio, ad tantam poſtremò deiectionem venit, vt panis quoque egeret. Hæc ille. Septimi etiam exempli memoria extat in Odone rege XXVI. quem cùm Fran- B ci, repudiato Ludouici Balbi filio Carolo, regem ſibi delegiſſent, quarto pòſt anno in Aquitaniam amandarunt, ibique conſidere iuſſerunt: eiuſque in locum Carolum eiuſdem Balbi filium ſuffecerunt. auctoribus Sigeberto ſub anno 894, Aimoino lib. 5. c. 42. Godfrid. part. 17. Sed & Regino lib. 2. Ottone, inquit, rege in Aquitania commorante, Francorum Principes ex maxima parte ab eo deficiunt: & in Rhenorum ciuitate Carolus filius Ludouici in regnum ele- D uatur. In eundem quoque numerum aſcribitur Carolus rex XXVII. propter ſtuporem ingenij, Simplex cognomento dictus: qui cùm ſtultitia ſua regnum peſſundaret, Lotharingiamque quam prius recuperauerat, amiſiſſet, captus, atque in carcerem coniectus eſt, eiuſque in locum Rodolphus ſuffectus. auctoribus Aimoino libro 5. cap. 42. Sigebert. anno 926. Et de eodem Annal. Rhemenſ. auctor, anno 920. Penè omnes, inquit, Franciæ Comites regem E ſuum Carolum Simplicem apud vrbem Sueſſionicam, quia Haganonem conſiliarium ſuum, quem de mediocribus potentem fecerat, dimittere nolebat, reliquerunt. Item Rhegino lib. 2. Chr. an. 838. Ludouicus, inquit, à ſuis imperio priuatur, regnique monarchia Lotario filio eius per electionem Francorum datur. Item ſub anno 922. Et cum quotidie copiis Roberti creſcentibus, decreſcerent Caroli. clam tandem ſecedens cum Haganone trans Moſam proficiſci- F tur. Franci Robertum SENIOREM ELEGARVNT: ipſique ſeſe committunt. Robertus itaque rex Rhemis apud Remigium ab Epiſcopis & primatibus regni conſtituitur. Idem ſub anno 923. Auditoque Franci, quòd Carolus Nortmannos ad ſe venire mandaſſet, ne illi coniungerentur inter Carolum atque Nortmannos, ſuper Iſaram flumen. tumque Carolo trans Moſam refugiente, Rodolphum cuncti REGEM ELIGVNT. Rodolphus ergo frater Richardi G rea apud vrbem Sueſſionicam conſtituitur. Atque hæc quidem poſt Franco galliæ regnū conſtitutum maiorum noſtrorum virtus fuit: cuius exemplum ipſi à ſuis quoque maioribus acceperant. Nam Hunibadus antiquiſſimus Francorum hiſtoricus, apud Iohannem Tritenhe-

mium de Francis & Heleno ipſorum rege ita ſcribit: Ann. eius regni XIIII. congregati apud Neopagum Sicambri Heleuum regem inertem & inutilem communi omnium ſententia depoſuerunt à regno: & ad priuatam redire vitam compulerunt: in cuius locum elegerunt fratrem eius minorem. Quæ cum ita ſe habeant, perſpicuum eſt. Agathium, qui lib. 1. ſcribit regum Francorũ illo ſeculo filios a parentibus regni ſucceſſione excipere ſolitos, vel eorum inſtituti minus peritum fuiſſe vtpote Græcum hominem & alienigenam: vel ita intelligendum eſſe, vt ſuperius diximus: moris fuiſſe, vt regum filij regaliter educati atque inſtituti, prærogatiuam in comitijs haberent. præſertim cum ea ſpe parentes adducti ſummum in filijs bene honeſtéque inſtituendis ſtudium collocarent. Sed multo imperitius & abſurdius eſt, quod Theod. Nehemius in Nemore vnionis tract. 6. ſcribit, Carolum Magnum conſtituiſſe, vt deinceps Franci ex parentum ſucceſſione reges haberent: cum ſuperius demonſtratum ſit, eundem Carolum in ſuo teſtamento ius regum conſtituendorum populo Francico integrum illibatúmque reliquiſſe. Verba Nehemij hæc ſunt: Porrò quia ipſe Carolus rex Francorum extitit, illud regnum fuit ad eum ex ſucceſſione deuolutum. (Hoc verò quid abſurdius dici potuit?) & videns quod i. ſe factus Imperator, ſuos heredes dignitate propria, ſcilicet regno Francorum penitus denudaſſet (Et hoc quoque perabſurde ſcriptum apparet) ſtatuit, vt Francigenæ cũ quadam regni Francorum portione regem haberent de regali ſemine, iure hereditario ſucceſſorem: qui in temporalibus ſuperiorem non recognoſceret: videlicet vt Imp. poteſtati ad homagium, vel aliquod obſequium teneretur. Hæc ille: quæ, vt vera eſſent, tamen illud confirmarent, vſque ad Carolum Magnum Francogalliæ regnum non hereditate, ſed populi arbitrio delatum fuiſſe. Sed hæc à Nehemio ſcripta eſſe apparet, ad tollendam quorundam veterum Iuris Doctorum diſputationem, his verbis conceptam, *An Rex Galliæ Imperatorem aut alium ſuperiorem recognoſceret.* de qua tractatur à Decretaliſtis in c. per venerabilem, Qui fil. ſint legit. Bald. in conſil. 49. vol. 1. Specul. tit. de feud. §. ſuper homagijs, Guid. Pap. quæſt. 239.

Pluribus exſtantibus regis demortui liberis, quid iuris in hereditate obſeruaretur.

CAP. VIII.

HÆc autem omnia eò pertinent, vt doceamus, regnum Francogalliæ antiquitus nõ hereditatis iure, vt priuata patrimonia: ſed ordinum ac populi iudicio & ſuffragijs deferri ſolitum fuiſſe. quo minus illi relictũ quæſtioni videtur loci, *Si plures regis demortui liberi exſtarent, quænam in cuiuſque iure conſtituendo ratio teneretur.* Nam cùm penes populi Comitia, & publicum Gentis concilium deferendi, regni ſumma poteſtas eſſet, illud neceſſario conſequitur, in eiuſdem arbitrio fuiſſe, vtrum omnibus æqualiter, an vni tantum regni ſucceſſionem deferret. Quanquam hoc loco quæſtio exoritur, ſi populus filio repudiato alium eligeret, ecquid

A tamen illi ad ſuam dignitatem tuendam relinqueretur. Quare intelligendum eſt, iure quidem Romano earum rerum, quæ in Principis imperio ac ditione ſunt, quatuor tantum eſſe ſpecies. aliæ námq; ipſius Principis patrimoniales ſunt: aliæ Fiſcales: aliæ publicæ: aliæ priuatæ. Patrimoniales poſteriorum Imperat. Romanorum ætate appellatæ ſunt, quæ propriæ ipſius Principis erant, non Principatus, ſed patrimonij iure: quæ idcirco de propria Principis ſubſtantia eſſe dicuntur:
B L. 3. §. 1. C. de quad. præſcriptione. veluti, ſi cui è proceribus Imperium à populo delatum eſſet, certum eſt, ea bona quæ ante delatum illum honorem propria ipſius erant, in ipſius dominio manſiſſe: non qua Imperator erat, ſed qua Valens, aut Honorius, aut Theodoſius. idque in libris noſtris Sacrum patrimonium paſſim appellatur: L. vltim. C. de vectigal. L. 1. C. de indiction. pari ergo ratione, ſi Dagoberto, puta, vel Lothario Francogalliæ regnum ab or-
C dinibus regni delatum erat, quod ante adeptam illam dignitatem in bonis habuerat, pleno iure ipſius manebat. Fiſcus autem, ſiue Fiſcalia bona dicuntur, quæ Principi ad tuendam dignitatem ſuam populi voluntate attributa ſunt: ſiue ea in pecunia numerata, ſiue in prædijs, ſiue in iure conſiſtant. quamuis enim Fiſci nomen ſtrictè propriéque ad theſauros pertineat: d. L. 3. C. de quadr. præſcript. (quod etiam origo appellationis oſtendit) tamen etiam ad fun-
D dos & prædia productum eſt, quæ in fiſci patrimonio eſſe dicuntur. L. 2. §. 2. D. ne quid in loc. public. L. 49. D. locat. L. 38. §. 1. D. ad municip. quin etiam iura vectigalia, multæ pecuniariæ, priuilegiaque omnia Principi conceſſa, eo nomine continentur, vti patet ex tot. titul. D. & C. de iur. fiſc. Magna igitur inter Patrimonium Principis & Fiſcum differentia eſt: multiſque locis inter ſe diſtinguuntur. veluti d. L. 3. §. 1. C. de quadr. præſcript.
E L. 6. & L. vltim. C. de vectigal. d. L. 49. D. locat. L. 6. D. de iur. fiſc. l. vltim. D. qui pot. in pignor. hab. Nam rerum patrimonialium commercium non eſt, niſi voluntate Principis. L. cùm ſeruus, 39. §. vltim. D. de legat. 1. Fiſcalium autem vſitatum ac legitimum commercium eſt. L. ſi procurator, 5. D. de iur. Fiſc. L. pacta, 72. §. vltim. D. de cont. empt. illæ ad Principis heredes tranſmittebantur: quamuis imperij ſucceſſores non eſſent. L. quod princi-
F pi, 56. D. de legat. 2. hæc verò quia magis Principatus ſunt, quàm Principis, ad eum ſolum, cui principatus defertur, vna cum principatu transferuntur. qua de cauſſa Vlpian. dixit, res Fiſcales, quaſi proprias & priuatas ipſius Cæſaris eſſe. d. l. 2. §. 2. Ne quid in loc. public. id eſt, non verè, propriè ac pleno iure, quamuis interdum illud *quaſi*, omittatur, vt in L. 3. D. de his quæ pro non ſcript. hab. Publicas autem res appellamus, quæ ciuitatis cuiúſque & proprietate & v-
G ſu communes ſunt: quales ſunt, curiæ, fora, arcæ communes, agri publici, veluti compaſcua & ſyluæ communes. L. 1. §. 1. Quod cuiúſque vniuerſitatem, (vt ex ætatis noſtræ ſtatu exemplum ſumamus) tormenta muralia, vnde illa controuerſia, quam And. Tiraquellus quodam loco cõmemorat, cùm ciuitas quædam Galliæ Regi ſua tormẽta mu-

mu-

mutalia certum ad vſum commodaſſet, ille autem inter homines eſſe deſiiſſet, ciuitas ab ipſius ſucceſſore ſua tormenta repetebat. Cui aſſentatores aulici ſtolidiſſimè reſpondebant, nouum Regem ex ſui deceſſoris contractibus & obligationibus non teneri. quod abſurdiſſimum eſſe conſtat, neque in Francogallia vſurpatum vt Paponius teſtatur libro 20. tit. de teſtam. art. 54. vbi Oldradi conſilium 94. in ſuam ſententiam commemorat. Verum eſt igitur, ciuitates quamplurimas res proprias habere, a Fiſcalib. reb. planè alienas. l. 2. §. publicæ. Ne quid in loc. publ. L. 2. vbi omnes Doctores late hoc tractant. C. de diuerſ. præd. vrb. L. ciuitatibus, 122. D. de legat. 1. L. 1. C. de vend. reb. ciuit. L. 14. §. vlt. D. de ſeruitut. L. 72. §. vltim. D. de cont. empt. Priuatæ autem res dicuntur, quæ in cuiuſque patriſfa. fortunis ac facultatibus cenſentur: L. 1. D. De rer. diuiſ. cum ſimilib. quæ latiore interpretatione, æquè vt res publicæ, Principis eſſe dicuntur, ſed, (vt ex Seneca in Quæſt. Illuſtrib. docuimus) imperio, non dominio: ditione, non proprietate: vniuerſe, non ſingulatim: ſola iuris fictione, non poſſeſſione & vſu. Itaque vendi, donari, legari a priuatis res ſuas videmus Principi, aut Imperatori aut Regi: quæ ſi antea ipſius propriæ fuiſſent, iterum ipſius fieri non poſſent.

De regis domanio & fratrum ipſius appannagio.

CAP. IX.

NVNC vt ad inſtitutum, & quæſtionem propoſitam reuertamur, ſciendum eſt antiquitus inſtitutum fuiſſe, vt Francorum Regib. non modo Fiſcalia illa iura, qualia Romanis Imperatoribus conceſſa erāt verùm etiā certa quædam fruenda prædia ad regiam ſuā dignitatem tuendam aſſignarētur, quæ barbaro vocabulo DEMANIVM Regium appellantur: plerunque autē DOMANIVM. Eſt enim Domanium regium quaſi *dos regni*: quomodo veteres dicebant Dotem prædij; ſiue (vt planius loquamur) quaſi quidam vſusfructus certarum poſſeſſionum, Regi ad tuendū dignitatis ſuæ ſplendorem attributus. Dixi QVASI vſusfructus: propterea quod earum poſſeſſionū proprietas penes populum manet: neq; vlla eius pars alienari à Rege poteſt, ſine populo auctore: hoc eſt ſine Ordinum & publici Conſilij conſenſu, quemadmodū poſterius commodiore loco docebimus. ius tantum vtendi fruendi ei conceditur. Addidi autem particulam, QVASI: quia permultis in rebus ius illud ab vſufructu diſcrepat. veluti vt cautio de reſtituendo, cautio de fruendo boni viri arbitrio præſtetur: vt ne forma & ſpecies prędiorum mutetur, & quę ſunt in eodem genere. Vtcunque ſit, magnam ex illa definitione patet eſſe differentiam inter Patrimonium & Domanium Regale. Nam Patrimonium, ipſius Regis proprium eſt: Domanium vero, Regni, atq; (vt vulgus loquitur) ipſius Coronæ. Illud pleno iure, Regis eſt: atq; ideo plenā & ſummā ipſius pro ſua voluntate alienandi poteſtatē habet. Huius nuda proprietas eſt penes vniuerſitatē populi, ſiue Rēp. vſusfructus aūt penes Regē. qua de cauſa nullā, vt iā diximꝰ, illius a-

A lienandi poteſtatem habet. ac plane veriſſima eſt Doctorū hac de re ſententia: Par ideq; eſſe ius Regis in ſuū domaniū: qđ eſt viri, in dotē ſuę vxoris. quemadmodum præter cæteros tradūt Lucas de Penn in L. quæcunque C. de ann. agr. deſert. Paris de put. de ſyndicat. ſub Rub. de exceſſib. Imper. And. Iſern. in tit. Feud. quæ ſunt regal. Inter Domanium aūt & Fiſcū hoc intereſt, qđ illud ad vſū ipſius Regis, h. e. ad annonā, & victu cultūq; Maieſt. regiæ cōſentaneum inſtitutū eſt: hic, ad ſtatū

B Regni & Reipublic. tuendum atque conſeruandum: qui ſi forte propter bellorum & aliarum eiuſmodi neceſſitatum rationem ſufficere non videatur, tum demum in ſubſidium tributa de communi ordinum ſententia in publico Concilio vniuerſæ genti indicuntur. Præterea domanij commercium nullum eſt. Rerum Fiſcalium vſitatum ac legitimum: vt paulò ante demonſtrauimus. Illud certum ac definitum eſt: harum modus incertus, atque infinitus. quia Fiſci nomi-

C ne non modò ea omnia quæ vulgò præciſe Regalia: plenè autem Iura regalia vocantur: verum etiam alia innumera quæ Regiæ Maieſtati ad Rempublicam tuendam conceſſa ſunt, complectitur. Ac de Domanio quidem illud accipiendum eſt, quod Eguinarthus in eo libello, quem ad Caroli Magni & Carlouingorum gratiam, & ad imminuendam Merouingorum exiſtimationem conſcripſit, his verbis tradidit: Cùm præter inutile Regis nomen & precarium vitæ

D ſtipendium, quod ei Præfectus aulæ exhibebat, nihil aliud proprij poſſideret, quàm vnam perparui redditus villam, in qua domum in qua famulos ſibi neceſſaria miniſtrantes, atque obſequium exhibentes paucæ numeroſitatis habebat. Hæc ille. Itaque poſtquam, recepta ſenſim conſuetudine, Francogalliæ corona hereditaria eſſe cœpit, & vel filio, vel proximo agnato deferri, quamuis plures eiuſdem gradus vel filij vel agnati eſſent: tamen vni tantum, ſeniori

E ſcilicet, ac natu maximo domanium illud attributum fuit: reliquis omnibus eiuſdem gradus vel filijs, vel agnatis ab illo excluſis, quorum tamen habita ratio eſt diligenter. Nam ad vitæ cultum & decus familiæ pro dignitate tuendum, inſtitutum fuit, vt ijs poſſeſſiones quædam aſſignarentur, quæ vulgo *Appannagia* dictæ ſunt: ab antiquo & Francico (vt mihi perſuaſi) vocabulo *Abbannem*, quod Latinè valet, excludere: itē vt *Ausbannen & Farbannen*: quaſi ea portione

F accepta excluſos ſe à Regni ſucceſſione intelligerent: quemadmodum Otto Friſing. Chron. 5. ca 9. & Godfridus Viterbienſis ſcribunt, Dagobertum Lotharij filium, regem conſtitutum, fratri Heriberto vrbes & pagos aliquot propè Ligerim fruendos dediſſe. quod idem Aimoinus lib. 4. cap. 17. commemorans, ita ſubiungit: Pactum cum ipſo pepigit, vt priuato contentus habitu, nil amplius de paterno ſperare deberet regno. Et Regino lib. 1. Dagobertus, inquit, mo-

G narchiam totius imperij obtinuit, excepto quòd fratri ſuo Heriberto contra Ligerim & limitem, quò tenditur partibus Vaſconiæ, pagum ſcilicet Tholoſanum, Caturcinum, Agaenenſem, Petragoricum, & Sanctonicum, vel quod ab his verſus Pyrenæos montes excluditur, conceſſit. Ex quibus intelligitur, quod Aimoinus illo loco

ſcribit, Heribertum conſortem regni factum, non de regni iure intelligendum eſſe, ſed de regni ditionibus. Itaque paulo pòſt ſcribit eundem Heribertum illa ditione non contentum, vi & armis regis nomen ſibi ſumpſiſſe: belliùque fratri contra pactionem intuliſſe. Similiter autem idem Aimoinus eo libro quarto cap. 61. de Pipino ſcribens, Grifonem fratrem, inquit, more Ducũ XII. comitatibus donauit. Atque huc illud pertinet quod Greg. Turonen. lib. 7. cap. 32. ita ſcribit: Miſit Gondobaldus duos legatos ad regem, cum virgis conſecratis iuxta ritum Francorũ, vt ſcilicet non cõtingerentur ab vllo. Et hoc, Gondobaldus dicit ſe filium eſſe patris noſtri regis Clotarii, & miſit nos vt debitã portionẽ regni ſui recipiat. Nunc vt ad propoſitam quæſtionẽ redeamus, quantum ad regni ſucceſſionem attinet, certũ hac de re ius Francogalliæ nullum reperio. quippe, cum hereditaris, vt dixi, non eſſet: cæteris autẽ in patrimoniis nobilibus, quæ Feuda nominantur, Otto Friſing. lib. Frid. 2. c. 29. Mos eſt, ſic ſcribit: in Burgũdia, qui penè in omnib. Galliæ prouinciis ſeruatur quod ſemper ſeniori fratri, eiuſq; liberis, ſeu maribus, ſeu fœminis, paternæ hæreditatis cedat auctoritas: cæteris ad illum tanquam ad dominum reſpiciẽtibus. Quibus omnibus ea locis intelligendum eſt, res eas, quæ Apannagii titulo filiis natu minoribus attribuuntur, neq; regni, neque regiæ hereditatis partes eſſe, nõ magis, quàm res certæ legati aut hereditatis titulo relictæ, hereditatis partes eſſe intelliguntur, L. pen. C. de hered. inſtit. L. quoties, 9. §. hæredes. D. eod. L. qui fundum, 87. §. 3. D. ad leg. Falcid. L. quædam 9. §. 1. D. de edend. non enim hereditatis pars propriè in vna re intelligitur. L. quamuis. 14. D. ſi quis omiſſ. cauſſ. teſt. Atque hoc idem iuris in gente Francorum vniuerſa fuiſſe, multis verbis traditur à Petro de Vineis, lib. Epiſtol. 6. epiſt. 25. & aliis nonnullis locis. Sed in regni ſucceſſione aliud iuris fuit. Nam primùm vetus lex fuit, vt quamvis deferendi regni iudicium arbitriúmque ſummum penes Ordinum comitia, publicúmque gentis totius Concilium eſſet, tamen ſi Regis defuncti filii annis XXIIII. minores eſſent, eos creari ius non eſſet: atque adeò alium ætatis legitimæ creari neceſſe eſſet. Qua ea re de Maiorum noſtrorum ſapientia exiſtimare licet: qui Reipublicæ ſuæ gubernacula ei ætati committenda non exiſtimarunt, quæ alieni conſilii, etiam in priuatis rebus ſuis adminiſtrandis, indigeret. Verba autem Hunibaldi apud Iohan. Tritenhemium hæc ſunt: Anno Chriſti CCCIX. cùm Rex Francorum Clogio incautius dimicaret, à Romanis interfectus & occiſus eſt: duos relinquens filios: quorum natu maior Helenus annum tunc agebat XX. minor verò natu Richemer XVIII. Lege autem Francorum erat interdictum, ne quis promoueretur in Regem, niſi XXIIII. ætatis annum compleſſet. Hinc factum eſt, quod neuter filiorum Clogionis ad regnum potuit peruenire. ſed patruus eorum Clodomer, electione principum, fuit in Regem coronatus. Hæc ille: ex quibus perſpicuum eſt, quod ſuperius dicebamus, quod Agathius ſcribit. Regum filios regnum à parentibus excepiſſe: nequa-

A quam ſimpliciter & abſolutè intelligendum eſſe: ſed ita, ſi cauſa eorum, Ordinum comitijs, publicóque gentis Concilio probata eſſet: in cuius cauſſæ cognitione caput hoc fuit, An XXIIII. annorum maiores eſſent. Quam ætatem ſi compleuerant, tum memoriæ proditum eſt, antiquis temporibus perſæpe Francogalliæ Regnum Rege mortuo non vni filio ab Ordinum comitijs adtributum, ſed in viriles partes diuiſum, atque adſignatum fuiſſe. Itaque

B defuncto Clodoueo Rege ſecundo, anno DXV. qui liberos IIII. reliquerat, Theodoricum, Clodoueum, Childebertum, Chlotarium Regnum inter eos ita diuiſum fuit, vt Theodoricus Metarum, Clodoueus Aureliæ, Chlotarius Sueſſionum, Childebertus Lutetiæ regnum obtineret, auctoribus Agathio libro hiſtor. 1. Greg. Turon. libro tertio capite 1. Aimoin. lib. 2. cap. 1. Reginone ſub anno 421. Rurſus poſt Clotarij Regis IIII. ex-

C ceſſum, Regnum inter quatuor ipſius filios ita partitum fuit, vt Cherebertus Lutetiæ, Guntrannus Aureliæ, Chilpericus Sueſſionibus, Sigebertus Rhemis regni ſui ſedem arcémque collocaret: auctoribus Gregor. libro 4. cap. 22. Aimoin. libro tertio, cap. 1. Reginone ſub anno. 498. Contrà verò anno circiter DCXXX. mortuo Lothario Rege VII. Otto Friſing. Chr. 5. c. 9. & Godfrid. Viterb. ita ſcribunt: Dagobertus Clotarij filius ſolus in Frãcis regnabat,

D ſed fratri ſuo Heriberto circa Ligerim fluuium paucas vrbes & pagos dimiſerat. à Clodoueo enim vſque ad id tempus regnum Francorum inter filios, filiorúmque filios, multiſariè diuiſo confusè regnatum eſt. Terminus autem Regni Francorum erat iam ab Hiſpania vſq; Pannoniam. Dagobertus itaque vnicus rex Francorum leges Bauaris dedit. Hæc Godefridus. neque, vt multi ſapientes ſæpè iudicarunt, iniuria. Nam (vt eſt apud Iuſtinum libro 21.) firmius

E eſt futurum regnum, ſi penes vnum remanſerit, quam ſi portionibus inter plures fratres diuidatur. Aliquot tamen interiectis annis, cùm Francorum Regnum longè latéque propagatum eſſet, Pipino rege mortuo, alia publico Gallorum conſilio ſententia placuit. quod valet ad confirmandum id quod ſuperius diximus, penes Ordinum & Concilij arbitrium, totum illud ius fuiſſe. Nam Eguinarthus in vita Caroli Magni, ſic loquitur: Mortuo Pipino, Frãci facto ſo-

F lenniter generali conuentu, ambos ſibi eius filios reges conſtituunt: ea conditione, vt totum Regni corpus ex æquo partirentur: & Carolus eam partem, quam pater eorum Pipinus tenuit: Carolomannus eam, cui patruus eorum præerat, regendam ſuſciperet. Item Abbas Vrſperg. Mortuo Pipino, Carolus & Carolomannus filij eius, omnium Francorum conſenſu ambo reges creati ſunt, ea conditione, vt totum regni corpus ex æquo partirentur. Simillima poſt

G Caroli Magni exceſſum in partiendo regno ratio fuit: quemadmodum ex ipſius teſtamento apud Iohan. Nauclerum & Eguinarthi libello de ipſius vita cognoſci licet: vbi tota propè Europa inter tres ipſius filios ita diuiditur, vt tamen filiabus nihil dotis, aut legitimæ portionis cauſſa tribuatur. ſed earum collocandarum,

dotiſque

dotiſque conſtituendæ poteſtas fratrum fidei, charitati & prudentiæ permittatur. Neque inuitia cùm principes, & proceres quibus illæ nuptum collocantur, non tam dotis ſpe, & magnitudine, quàm generis & familiæ dignitate ad earum matrimonium adducantur. Eandem in Orientali Francia partitionem poſt Ludouici mortem anno DCCCLXXIII. fuiſſe teſtatur Otto Friſingenſis Chron. 6. cap. 6. & Regino in Chron. anno 877. Rurſus annis aliquot interiectis, poſt Ludouici Balbi Regis XXIII. B exceſſum, anno DCCCLXXX. eadem quoque partiendi ratio ſeruata eſt, quam tamen non iu Regum ipſorum, ſed in Ordinum ac publici Concilio arbitrio fuiſſe, facilè, ex his Aimoini verbis cognoſci licet, libro quinto, capite 40. Filij, inquit, Ludouici quondam Francorum Regis profecti ſunt Ambianos, & ſicut fideles eorum inuenerunt, Regnum paternum inter ſe diuiſerunt. Ex quibus ita diſputatis, perſpicuum eſt, nullum antiquitus cerrom hac de re C ius in Francogallia fuiſſe: ſed totam eius rei poteſtatem in Ordinum & publico gentis concilio poſitam fuiſſe. poſtea verò Philippo tertio, Rege XLI. auctore conſtitutum eſt, vt ditio aliqua minoribus fratribus attribueretur. Sed eius quoque iuris variæ interpretationes fuerunt, multæque ortæ contentiones, propter filiarum rationem: vt planè nihil certi hac de re tradi à nobis poſſit: niſi, ſi ex more veteri pro liberorum numero certæ illis ditiones ad victum D & cultum & dignitatem generis tuendam fruendæ attribuantur.

De lege Salica, & iure mulierum in Regum parentum hereditatibus.

Cap. X.

QVONIAM de Regalis hereditatis iure dicere inſtituimus, non prætermittenda E legis Salicæ commemoratio videtur: quæ cum aſſiduè noſtris hominibus in ore eſt, tū verò Maiorum noſtrorum memoria maximam & periculoſam de regni ſucceſſione contentionem ſedauit. Nam cùm anno 1328. rex Carolus Pulcher, Philippi Pulchri filius moriens vxorem prægnantem reliquiſſet, paucis intermiſſis menſibus agnata filia, Eduardus Angliæ Rex, ex Iſabella Philippi Pulchri filia Caroli Regis ſorore natus, hereditatem auiti regni ad ſe pertinere contendit. At ex aduerſo Philippus Valeſius exortus eſt, F Regis Caroli Pulchri frater patruelis, qui diceret, antiquam eſſe legem Regiam, Salicam nominatam, qua lege mulieres à Regni hereditate arcerentur. Hanc porro legem Gaguinus & eiuſdem generis ſcriptores à Faramundo ſcriptam tradunt: ad noſtram, inquit, vſque ætatem nominatiſſimam. Et in vita Philippi Valeſij, Eduardo, inquit, obſtabat lex Salica, quæ à Pharamundo Francis data in illos vſque dies obſeruan- G tiſſima habebatur. Ea lege ſoli virilis ſexus Reges à maioribus Regibus orti regnum adminiſtrant: nec ad eam dignitatem fœminæ admittuntur. cuius legis hæc ſententia eſt. Nulla hereditatis portio de terra Salica ad mulierem venito. Terram autem Salicam, Francorum Iu-

A reconſulti eam dicunt, quæ ſolius Regis eſt: & à lege Alodij diſtat, quæ ſubditos comprehendit: quibus datur per hanc legem rei alicuius liberum dominium, non excluſa Principis maieſtate. Hæc Gaguinus. In eandem autem ſententiam Francogalli omnes non modò Hiſtorici, verumetiam Iuriſconſulti & Pragmatici vſque ad hoc tempus ſcripſerunt: teſte Paponio Areſt. lib. 4. cap. 1. vt iam communis error propemodum ius feciſſe videatur. Verùm illud memi- B niſſe oportet, quod ſuperiùs attigimus, Francorum duas ſedes, duoque regna fuiſſe. Vnum in Gallia, quod ad hunc vſque diem permanſit: alterum vltra Rhenum, ad flumen Salam, vnde Salij & Salici Franci cognominati, plerunque autem Salici præciſe appellati, quorum & regnum & iam prope nomen obſoletum eſt. De Saliis ſuperiùs ex Marc. Ammia. hiſtoria dictum eſt demonſtratúmque illos Orientales, hos Occidentales appellatos fuiſſe. Quemadmodum C autem duo Francorum regna fuerunt, ita duæ Francorum leges: Salica, quæ ad Salios: Francica, quæ ad Francogallos pertinebat. Eguinarth. in Carolo Magno: Poſt ſuſceptum imperiale nomen, cùm animaduerteret multa legib. populi ſui deeſſe (Nam Franci duas habent leges plurimis in locis valde diuerſas) cogitauit quæ deerant addere. Auctor præfationis in Legem Salicam: Gens Francorum inclita, antequam ad fidem catholicam conuerteretur, dictauit Sa- D licam legem per Proceres ipſius gentis, qui tunc temporis apud eandem erant rectores. Sunt autem electi de pluribus viri quatuor, Vviſogaſt, Arbogaſt, Salogaſt, & Vvindogaſt: qui per tres mallos (id eſt comitia) conuenientes, omnes cauſarum origines ſollicitè diſcurrendo, tractantes de ſingulis, iudicium decreuerunt hoc modo, &c. Ac ferè iiſdem verbis vtitur Sighertus in Chron. anni 422. Otto Friſing. lib. 4. c. pen. Leges quoque Vviſigaſtaldo & Salagaſto auctori- E bus ex hinc habere cœpere. Ab hoc Salagaſto legem, quæ ex nomine eius Salica vſque hodie vocatur, inuentam dicunt. Hac nobiliſſimi Francorum, qui Salici dicuntur, adhuc vtuntur. Atque hæc quidē veteres Chronographi: ex quib. eorum errorem coargui licet, qui Salicam legem vel à ſale, id eſt, prudentia dictam, vel corruptam vocem tradiderunt, pro Gallicam: quo dici abſurdius nihil potuit. Sed longe maiores ex eodem fonte nati ſunt errores. Primùm quod creditum eſt, Salicam legem ad ius publicum Impe- F rij, & hereditariæ Regni ſucceſſionis pertinuiſſe. Nam illius legis Salicæ tabulæ non multis ab hinc annis repertæ, atque in lucē editæ ſunt: ex quarum inſcriptione cognoſcitur, eas primum circiter ætatem Faramundi Regia ſcriptas editaſq; fuiſſe: deinde omnia & Salicæ legis & Francicæ capita non de publico Regni & Imperij iure, ſed de priuato tantùm conſtituta fuiſſe. In ijs autem vnū hoc caput extat tit. 62. qui inſcriptus G eſt DE ALODIS, h. e. de ijs rebus, quæ non feudi, ſed patrimonij iure à priuatis poſſidentur: quod ſummè notandum eſt. DE TERRA SALICA IN MVLIEREM, NVLLA PORTIO HEREDITATIS TRANSIT: SED HOC VIRILIS SEXVS ACQVIRIT: hoc eſt, filij in hereditate ſuccedunt. SED VBI INTER NEPOTES AVT PRONEPO-

quidem (vnde Comata Gallia dicta eſt) nemo
mediocriter eruditus teſtimonium quærit: me-
mor præſertim illius Claudiani ex lib. in Ruf-
finum 1.

Inde truces flauo comitantur vertice Galli,
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit,
Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.

De Francis autem, quos ex Chaucis, ſiue Chay-
cis ortos demonſtrauimus, vel vnus ille ex Lu-
cani primo locus, teſtimonio eſſe poteſt:

Et vos crinigeros bellis arcere Chaycos
Oppoſiti petitis Romam, &c.

Quod cùm ita eſſet, animaduertimus, exte-
ros qui animo in noſtros inimico eſſent, re-
ges capillatos, non modò contumelioſo no-
mine Setatos appellaſſe: verùm cùm ſetæ leo-
num, equorum, & ſuum communes eſſent, (qui
omnes propterea Setoſi & Setigeri appellan-
tur) etiam ad ſuillas ſetas nominis contumeliam
produxiſſe. Vnde & obſcœna conficta fabula,
& ſpurcum nomen τριχορραχάτων: de quo Georg.
Cedrenus in hiſtor. ita ſcribit: ἐλέγοντο δὲ οἱ ἐκ τοῦ
γένους ἐκείνου κατάγόμενοι κριστᾶτοι. ὃ ἑρμηνεύεται
τριχορράχᾶτοι. εἶχον γὰρ κατὰ τῆς ῥάχεως αὐτῶν τρίχας
ἐκπεφυκυίας, ὡς χοῖροι: id eſt, qui regio erant pro-
gnati genere, dicebãtur Criſtati: quod interpre-
tatur, Tergiſetoſi. Habebant enim in ſpina dorſi
pilos enaſcentes, quaſi porci. Quem tamen lo-
cum mendoſum, ac deprauatum eſſe arbitror: ac
pro ΚΡΙΣΤΑΤΟΙ vel reponendum ΣΕΤΑΤΟΙ, vel
vtrunque certè coniungendum: vt à nonnullis
feſtiuè Criſtati, propter erectum in galeã crinium
floſculũ: à maleuolis etiam cõtumelioſè Setati,
vel Setigeri appellarentur. Quod ſi clauſulã illã
tã apertè Cedrenus nõ appoſuiſſet, & Criſtatorũ
nomen retinendum fuiſſet, dicendi potius τρι-
χοχαίρᾶται fuiſſent: vt cuius perſpicuum eſſe ar-
bitror: pro, Crinibus inſignes. quanquã tamen
illum Cedreni locum animaduerti iam ab au-
ctore Hiſtoriæ Miſcellæ ad verbum ita conuer-
ſum, lib. XXII. Dicebantur ſanè ex genere illo
deſcendere Criſtati: quod interpretatur Tricho-
rachati. pilos. n. habebant natos in ſpina, veluti
porci. Vtcunque ſit, ne illud quidem prætermit-
tendum videtur, circiter Caroli Magni ætatem,
conſuetudinem quandam increbuiſſe, vt regis
filios ad exterum aliquem principem amicum
ac fœderatum mitteretur, qui honoris cauſſa ca-
pillos ei præcideret: eóque facto Pater ipſius
honorarius diceretur. Nam Paul. Diaconus li-
bro ſexto, capite decimoquinto, de Carolo Ma-
gno ſcribens: Carolus, inquit, Francorum prin-
ceps filium ſuum ad Liutprandum Longobar-
dorum regem miſit, vt eius, iuxta morem, capil-
lum ſuſciperet. qui eius cæſariem incidens, ei pa-
ter effectus eſt: multiſque regiis muneribus do-
natum genitori remiſit. quam hiſtoriam Regino
libro primo, ſub anno DCLV. commemorat: a-
pud quem pro SVSCIPERET commodius le-
gi videretur, INCIDERET. Verùm hęc quidẽ de re
galis capillitij iura, hacten⁹. præſertim cùm An-
tonij fratris mei extet libell⁹ de Coma eruditus
ſimul & elegãs. Quod verò nõnulli fabulantur,
regnãte Ludouico VII. Petri Lõbardi Pariſiẽſis
Epiſcopi cõſilio atq; hortatu inſtitutũ fuiſſe, vt
diſcrimẽ inter Gallos & Frãcos tolleretur, cum
illi comã tantum, hi & comam & barbam cole-

A rent: indignum hominibus doctis videtur. quaſi
verò per annos amplius octingentos (totidem
enim à Frãcogallici regni origine ad Ludouicũ
VII. numerantur) diſcrimen vllum inter Gallos
& Francos durarit: ac non ſuperius demonſtra-
tum ſit, poſt Francogalliæ regnum conſtitutum,
vnam è duabus quaſi gemellam gentem, & vnius
linguæ & eorundem inſtitutorum ac morum
conflatam fuiſſe.

B *Qualis regni Francogallici conſtituendi*
forma fuerit.

CAP. XII.

His ita breuiter expoſitis, deinceps qua-
lis regni Francogallici conſtituẽdi for-
ma fuerit, exponendum videtur. Ac ſu-
perius quidem populum in comitiis
creandi regis poteſtatem ſibi omnem retinuiſſe,
docuimus. Quam eandem regnandi formam
C conſtat Gallos noſtros, priuſquam in Romano-
rum poteſtatem redigerentur, habuiſſe: vt po-
pulus non minus (inquit Cæſar) in regem, quàm
rex in populum imperij ac poteſtatis retineret.
Quanquam non à Gallis, ſed à popularibus ſuis
Germanis eam Reip. cõſtituendæ formam Frã-
cos noſtros ſumpſiſſe, conſentaneum eſt: de qui-
bus Tacitus in lib. de moribus Germ. ita ſcribit:
Regibus non eſt infinita aut libera poteſtas.
Hac autem forma nullam à tyrannico dominatu
D remotiorem eſſe conſtat. Nam vt ait Ariſtote-
les lib. Polit. V. cap. XI. quantò pauciorum re-
rum penes Regem poteſtas eſt, tantò diutius
regnum maneat neceſſe eſt. Quinetiam è dua-
bus tyrannidis notis, quas philoſophi veteres
indicarunt, nullam in regni noſtri forma con-
ſtituenda licet animaduertere. Primùm enim
quantum ad peregrinam corporis cuſtodiam,
quam ſecundam tyrannidis notam numerant,
tantum abeſt, vt Francogalliæ reges peregrinis
E & alienigenis mercenarijs ad præſidiariam co-
hortem vterentur, vt plerumque ne ciues qui-
dem & indigenas ad corporis cuſtodiam adhi-
berent. quippe, cum omnem in elientum ſuo-
rum fide & beneuolentia præſidij ſui fiduciam
collocarent. Cuius rei argumento eſt, quod
Gregor. Turon. lib. 7. capite 18. & Aimoinus li-
bro tertio, cap. 63. ſcribunt, regem Gontranum
ab homine quodam tenui Luteſiæ admonitum,
vt inſidias ſibi à Faraolpho paratas vitaret: con-
F tinuò ſe armis & cuſtodijs muniuiſſe: vt nuſ-
quam, inquit Gregorius, ac ne ad loca quidem
ſacra, niſi vallatus armatis atque cuſtodibus pro-
cederet. Quinetiam extat Ludouici cogno-
mento Diui præclara hiſtoria, & ab illuſtri vi-
ro Ioanne Ionuillæo ſcripta, qui cum illo rege
perfamiliariter multos annos verſatus eſt: qua
in hiſtoria nullam planè ſatellitum, aut ſtipa-
torum, aut præſidiariæ cohortis mentionem
licet animaduertere: ſed tantum Ianitorum,
G quos populari lingua Huſſerios, id eſt, Ho-
ſtiarios, appellat. Verùm, quid hæc tenuia
& minuta dilucidæ rei argumenta conquirimus?
cùm perſpicuum eius documentum extet, apud
Wilhelmum Neubrigenſem, libro Rerum
Anglicarum 4. capite 2. quod idcirco ſubſcri-
bemus, ne tam inſignis Maiorum noſtrorum

ſapiētię memoria intercidat. Scribit autē Neubrigenſis de rege Philippo, Ludouici filio, qui cum Richardo Anglorum rege ad recuperandas Hieroſolymas profectus eſt: circiter annum MCXC. Sanè, inquit, poſtquàm percrebuit apud regem Francorum quod Marchioni acciderat, de amici quidem indigno exitu doluit: ſed mox hunc dolorem ſuſcepta cum ingenti gaudio ſuggillandi regem Anglorum occaſio compenſauit. Cumque in propriis eſſet tam longè finibus à Syria conſtitutus, illius in Oriente conſiſtentis vel fruſtra timebat, vel potius ſe ad augendam inuidiam, timere fingebat inſidias: & tanquā ab eo ſubornati imminerent ſicarij, præter morem Maiorum ſuorum non niſi firmata vallatus cuſtodia procedebat: adeo vt quidam familiari auſu propius accedentes, non ſine periculo hoc auſi dicantur. Mirātib. hanc nouitatem regiam plurimis, vt pro ea ſatisfaceret, gentemq. ſuam in regem Anglorum accenderet, Præſulum Procerumque ſuorum Concilium Pariſios conuocauit. Vbi allegans contra eundem regem plurima, tanquam certa, atque inter cetera, quòd virum illum nobiliſſimum nequiter per ditos ſatellites peremiſſet, literas quaque protulit à quibuſdam potentibus ſibi (vt dicebat) tranſmiſſas, quibus monebatur propenſiorem ſuimet habere cautelam: ſerens quòd rex Anglorum inſidiaturus animæ ſuæ ab Oriente iam direxiſſet ſicarios. Quamobrem, inquit, nemo debet mirari, quòd præter ſolitum diligentiorem mei ipſius curam habeam: quam tamen ſi reputatis vel indecentem, vel ſuperfluam, decernite amouendam. Adiecit etiam cordi ſibi eſſe de manifeſto proditore proprias maturè vlciſci iniurias. Adhæc plurimi adulatoriè reſponderunt, bonum honeſtúmque eſſe, quod pro cautela faciebat: & quod pro vltione diſponebat. Prudentes vero dixerunt, Cautelam quidem tuam, Rex, qua tibi cōtra incertos caſus fortè abundantiùs proſpicis, non culpamus: præmaturæ verò vltionis propoſitum minimè approbamus. Nam etſi vera ſint quæ de rege Anglorum dicuntur, non tamen eſt petulanter & præmature agendum: ſed reſpectum honeſti ſuſtinendum quouſque ad propria reuertatur, qui propter Chriſtum peregrinari noſcitur. Hæc Neubrigenſis. Deinceps alteram Maiorum noſtrorum in regno conſtituendo ſapientiam conſideremus. Nam quæ altera tyrannidis nota numeratur, vt non ad ciuitatis & ſubiectorum, ſed ad ipſius dominantis commodum atque arbitrium omnia referantur, eius nullam in noſtra Repub. maculam, multas per ætates hæſiſſe, ex eo intelligetur quòd quod paulo poſterius docebimus, ſummam regni Francogallici adminiſtrationem penes publicum & ſolenne gentis Concilium fuiſſe: quod poſterior ætas Conuentum trium Statuum appellauit. Cuius appellationis rationem Claudius Seyſſellus in libello quem Franciæ monarchiam inſcripſit, ad tres ciuium ordines referendam putat: quorum ſummum nobilitati, medium iuridicis & mercatoribus, tertium opificibus & agricolis attribuit. Verba illius capit. 13. hæc ferè ſunt: Eſt in hoc regno forma quædam Reip. magnopere & laudanda & retinenda:

A quoniam plurimum in ea momenti eſt ad ordinum omnium concordiam conſtabiliendam: neque dubium eſt, quin quandiu ſuum cuique ordini ius ſuáque dignitas ſeruabitur, difficile ſit regnum labefactari. Nam cuiuſque ordinis certa eſt prærogatiua: neque, ea ſeruata, poteſt alter alterum euertere: ac ne tres quidem ſimul in Principem & Monarcham conſpirare poſſunt. Horum porrò in ordinum trium numerum nequaquam repono Eccleſiaſticos: qui per B illos permixti ſunt: ſed tres ſtatus ſiue ordines numero, primùm Nobilitatem: tum medium populum, qui dici Opimus poteſt: poſtremò plebem infimam. Hæc Seyſſellus. Sed videamus, ne cùm hæc tripartita diſtributio non ad vitæ communis rationem, ſed ad publicum gentis Concilium referatur (qua de cauſſa Concilium illud vulgo Trium ſtatuum appellatur) ecquid commodius, ad illa tria genera referri poſſit, quibus id Concilium C conſtat: hoc eſt ad Regalem, optimatum & popularem: quippe, cum huius regni ſtatus is fuerit, quem Philoſophi veteres, (in his Plato & Ariſtoteles, quos Polybius & Tullius imitati ſunt) optimum ac præſtantiſſimum iudicarunt: nimirum qui è tribus generibus Regali, Optimatum, & Populari mixtus ac temperatus eſſet quam Reipub. formam idem Tullius in ſuis de Repub. libris vnam ex omnibus potiſſimam & D certiſſimam eſſe duxit. Nam cum regius & popularis dominatus natura inter ſe diſſideant, adhiberi tertium aliquem oportet intermedium, & vtriuſque communem, qui eſt Principum, ſiue Optimatum: qui propter ſplendorem & antiquitatem generis, ad regiam dignitatem accedit: propter clientelam, & (vt vulgò loquimur) ſubiectionem à plebeio genere minus abhorret. Vnum enim eundémque cum plebe populi vniuerſi Magiſtrum agnoſcunt. Huius autem præclari Reipub. ſtatus inſignis extat Ciceronia E laudatio, ex Platonis de Repub. libris expreſſa, quam propter ſingularem elegantiam ſubſcribemus: Vt in fidibus, inquit, ac tibiis, atque cantu ipſo, ac vocibus concentus eſt quidam tenendus ex diſtinctis ſonis, quem immutatum ad diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt: iſque concentus ex diſſimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur, & congruens: ſic ex ſummis, & mediis, & infimis & interiectis ordinibus, vt ſonis, moderata ra- F tione ciuitas, conſenſu diſſimillimorum concinit: & quæ harmonia à muſicis dicitur in cantu, ea eſt in ciuitate concordia: arctiſſimum atque optimum in Republica vinculum incolumitatis, quæ ſine iuſtitia nullo pacto eſſe poteſt. Hæc Cicero, de Optimo Reip. ſtatu: quem ex tribus permixtis generibus temperatum, Maiores noſtri in Francogalliæ regno conſtituendo tenuerunt. quod cum aliis argumentis demonſtrari poteſt, tum verò vel maximè ex Oratio- G ne Regis Ludouici cognomento Pij, ad omnes Francogalliæ ordines habita: & ab Auſegiſo in lib. Franc. leg. ſecundum relata, cuius cap. 3. verba hęc extant: Sed quamquā ſumma huius miniſterij Regij in noſtra perſona cōſiſtere videatur: tamen & diuina auctoritate, & humana ordinatione ita per partes diuiſum eſſe cognoſcitur, vt vnuſ-

vnuſquiſque veſtrum in ſuo loco & ordine partē noſtri Miniſterij habere cognoſcatur. vnde apparet quod nimirum veſtrum admonitor eſſe debeo: & omnes vos noſtri adiutores eſſe debetis. nec enim ignoramus, quid vnicuiſque veſtrum in ſibi commiſſa portione conueniat. Item cap. 12. Et ſicut diximus, vnuſquiſque veſtrum partem Miniſterij noſtri per partes habere dignoſcitur. Item cap. 16. Monemus veſtram fidelitatem, vt memores ſitis fidei nobis promiſſæ, & in parte miniſterij veſtri vobis commiſſi. Hāc igitur mixtam è tribus generibus Reipub. temperationem Maiores noſtri ſecuti, ſapientiſſime conſtituerunt, vt quotannis publicum totius regni Concilium Kalendis Maij haberetur: quo in Concilio de ſummis quibuſque Reip. negotijs communi ordinum omnium conſilio ageretur: ſic, vt vetus illa aurea lex valeret: SALVS POPVLI SVPREMA LEX ESTO. Cuius inſtituti ſapientia & vtilitas tribus maximè reb. cernitur. primùm quòd in magno prudentium numero magnitudo conſilij ac propterea ſalus populi verſatur: vt Salomoni & alijs ſapientibus placuit. deinde quia libertatis pars eſt, quorum periculo res geritur, vt illa eorum conſilio atque auctoritate adminiſtretur: &, quemadmodum Imperat. Iuſtinianus dixit, quod omnes tangit, ab omnibus approbetur. poſtremò vt qui apud regem in magna potentia ſunt, & magnis imperijs præſunt, eius Concilij metu, in quo Ciuitatum poſtulata liberè audiuntur, in officio contineantur. Nam quòd regna quædam vnius regis arbitrio ac nutu gubernantur, quale hodie Turcicum eſſe conſtat, rectiſſimè Ariſtoteles libro Polit. 3. animaduertit, non hominum liberorum & lumine mentis ac rationis vtentium, ſed pecudum potius & brutorum conſilij expertium eam gubernationem eſſe. Sic enim ſe res habet: vt pecudes, non ab vno è ſuo genere: vt pueri aut adoleſcentes, non ab vno è ſuis æqualibus, ſed à præſtantiore aliquo reguntur: ſic hominum multitudo non ab vno è ſuo numero, qui minus fortaſſe, quàm alij complures, videret: ſed à mente ex multis conflata, hoc eſt, coniunctis probatorum virorum conſilijs, regenda & gubernanda eſt. Nam quòd Senatum aſſiduum & ordinarium pleriquе habent reges, cuius conſilio in adminiſtranda Repub. ſeſe vti dicunt: primùm aliud eſt regni, aliud regis conſiliarium eſſe. Ille Reip. vniuerſæ, & in commune conſulit: hic vnius hominis commodis atque vtilitatibus ſeruit. Deinde cum illi Senatores aſſidui vel vno in loco, vel certè in aula Principis perpetuò maneant, longinquarum ciuitatum noſſe ac videre ſtatum commodè non poſſunt. Præterea regalis & aulicæ vitæ illecebris inducti, facilè ad libidinem dominandi, ad ambitionem, & opes amplificandas deprauantur; vt ad extremum non regni, & Reipubl. conſiliarij, ſed regis vnius aſſentatores, & miniſtri cupiditatum & regiarum, & ſuarum quoque appareant. Qua de re extat inſigne Imper. Aureliani elogium apud Fl. Vopiſcum, quod ſubſcribemus: Ego, inquit, à patre meo audiui, Diocletianum principem, iam priuatum dixiſſe, nihil eſſe difficilius, quàm bene imperare. Colligunt ſe quatuor vel quinque; atque vnum conſilium ad decipiendum Impe-

A ratorem capiunt: dicunt quid probandum ſit: Imperator qui domi clauſus eſt, vera non nouit. cogitur hoc tantùm ſcire, quod illi loquuntur: Facit iudices, quos fieri non oportet. Amouet à Repub. quos debebat retinere. quid multa? vt Diocletianus ipſe dicebat, Bonus, cautus, optimus venditur Imperator. Hactenus Vopiſcus: apud quem tamen haud ſcio, an non rectius INCAVTVS legeretur. Vtcunque ſit, hæc incommoda veteres Romani metuentes, Regi quidem
B Senatum ordinarium attribuerunt: ſed, vt ſalus populi ſuprema lex eſſet, ſummam Reipub. non regi, aut eius ſenatui, ſed ipſi populo & comitijs reſeruarunt. Quare ſub omnibus regibus hæc lex fuit: VT populus in comitijs magiſtratus crearet, leges ſciſceret, bella decerneret: quemadmodum Dionyſius Halic. libro 2. teſtatur. Pomponius quidem Iuriſconſultus memoriæ prodidit, populum R. primis temporibus in triginta partes diuiſum, quæ Curiæ dictæ ſunt:
C propterea quod rex Reipublicæ curam (vt ipſe ait) per ſententias partium earum expediebat, vnde leges Curiatæ dictæ, & antiquiſſima omnium comitia, Curiata. quinetiam Seneca libro Epiſtol. decimonono ſcribit, ſe ex Ciceronis de Republica libris didiciſſe, PROVOCATIONEM AD POPVLVM ETIAM A REGIBVS FVISSE. quod etiam Tullius initio libri Tuſculanarum diſputationum IV. his demonſtrat verbis: Nam cùm à primo vrbis ortu regiis inſtitutis, par-
D tim etiam legibus, auſpicia, cerimoniæ, comitia, prouocationes, & cetera tota res militaria diuinitus eſſet conſtituta, &c. Sed & in Oratione quam pro domo ſua habuit: Nego, inquit, potuiſſe iure publico, legibus iis quibus hæc ciuitas vtitur, quenquam ciuem vlla eiuſmodi calamitate affici ſine iudicio. hoc iuris in hac ciuitate etiam tum cum Reges eſſent, dico fuiſſe, vt nihil de capite ciuis, aut de bonis ſine iudicio ſenatus, aut populi, aut eorum
E qui de quaque re conſtituti iudices ſunt, detrahi poſſit. Quibus ex locis perſpicuum eſt, Romanos, etiam tum cùm regibus parebant, hanc tamen ſacroſanctam legem habuiſſe, quam ſuperius commemorauimus: SALVS POPVLI SVPREMA LEX ESTO. neque vnquam regnum vllum fuiſſe arbitror, præter Turcicum, aut Turcici ſimile, in quo ciues non aliquam libertatis imaginem retinerent, quæ in vnico comitiorum habendorum iure poſita eſt.
F Itaque legem illam Maiores noſtri ſumma ſapientia ſecuti decreuerunt, Rempublicam communi omnium ordinum conſilio gerendam eſſe: cuius conſilij habendi cauſſa certo anni tempore Rex, & principes & delecti ex ſingulis prouincijs conuentum agerent. Quod idem inſtitutum, videmus etiam multis in alijs gentibus obſeruatum fuiſſe. Primùm in Gallia noſtra antiqua, & libera, quam ſuperius ex Cæſaris commentarijs oſtēdimus communi De-
G lectorum Concilio adminiſtratam fuiſſe. Sed quoniam de Regno inſtituta commemoratio eſt, ſatis conſtat, antiquitus in Græcia Amphyctionum Concilium fuiſſe ab rege Amphyctione (vt Suidas & alij teſtantur) Deucalionis filio inſtitutum, vt è duodecim Græciæ ciuitatibus certo anni tempore delecti ad Thermopy-

las conuenirent, ibique de regni & Reip. ſummis rebus communi conſilio deliberarent. qua de cauſſa Cicero Commune, Plinius Publicum illud Græciæ Concilium appellat: ſic Ariſtoteles lib. Ethicorum III. ſcribit, Homericis temporibus, quæ Reges ſuſcipiebant, de iis prius ad populi concilium referre ſolitos fuiſſe. Sic Herodotus memoriæ prodidit, duodecim Ioniæ ciuitates commune plerunque concilium habuiſſe; quod idcirco πανιώνιον appellabant: ſicuti Ætoliæ quoque ciuitates ſuum παναιτώλιον habuere: quorum nominum exemplo Budæus noſter Francogalliæ noſtræ Concilium πανελλήνιον appellat. Sic Populus Lacedæmonius, etſi regem habebat, tamen de ſumma Repub. quidnam eſſet vtile & honeſtum deliberabat: vt ea Æſchine ſcribit Agellius lib. 18. cap. 3. quinetiã Regibus ſuis Ephoros, tanquam cuſtodes atque obſeruatores, imponebat, qui (quemadmodum Plato ſcribit) Regibus freni inſtar eſſent, quorumque conſilio atque auctoritate Reges Rempub. adminiſtrarent. Quam eandem in inſula Taprobane regni rationem Plinius commemorat libro 6. cap. 22. vt Regi XXX Rectores attribuerentur à populo, quorum conſilio in gubernanda Rep. vteretur. ne ſi immenſa interminataque Regibus in ciues poteſtas permitteretur, eodem loco ac numero non modò ſuos ciues, ſed etiã propinquos & conſanguineos, quos vel mancipia vel pecudes, haberent. quod in Turcico imperio accidiſſe cõſtat, vbi non modò priuatos quoſque ciues quaſi pecudes mactare tyranno ius eſt; verùm etiam cognatos, propinquos, affines, fratres denique conſanguineos. Simillimam Germanorum in imperio Germanico conſtituendo ſapientiam fuiſſe apparet, vbi Imperator, Monarchæ: Principes, Ariſtocratiæ: ciuitatum vero legati, Democratiæ ſpeciem obtinent. neque quicquam quod ad ſummam Rempubl. Germanicam pertineat, niſi in Ordinum conuentu conſtitutum, atque complacitum ſit, ratum & firmum habetur. Quinetiam eandem apud Anglos Regni adminiſtrãdi formã eſſe, teſtis eſt Polyd. Verg. lib. Ang. Hiſt. 11. vbi ſic ſcribit: Ante hæc tempora, (Regis autem Henrici I. vitam exponit) Reges non conſueuerant populi conuentum conſultandi cauſſa, niſi perrarò, facere: adeo vt ab Henrico id inſtitutum manaſſe iure dici poſſit, quod tam altis defixum, vt etiam nunc, radicibus ſemper ſteterit, vt deinceps quicquid ad Rempublicam bene gerendam, eiuſque conſeruationem deliberandum foret, illud ad Concilium deferretur, & ſiquid aut Regis aut populi iuſſu decretũ factumque eſſet, id totum pro nihilo haberetur, niſi eiuſmodi concilij auctoritate foret comprobatum. Ac ne imperitæ vulgi multitudinis, cuius proprium eſt nihil ſapere, iudicio concilium impediretur, certa lege exceptum fuit ab initio, qui ex Sacerdotum cœtu, quive quotve, ex reliquo populo vocari deberent ad Concilium. More Gallico vulgò Parlamentum appellant. quod vnuſquiſque Rex initio ſui regni habere ſolet: qui & deinde, quoties res poſtulat, ſuo arbitratu illud ipſum conuocat. Hæc Vergilius. Et in eandem ſententiam vetus quidam ſcriptor Angliæ Cancellarius in libello cui titulus eſt Alearned commen-

A datiun: cap. 36. Neque Rex, inquit ibidem per ſe aut miniſtros ſuos tallagia, ſubſidia, aut quæuis alia onera imponit legijs ſuis: aut leges eorum mutat, vel nouas condit, ſine conceſſione vel aſſenſu totius Regni ſui, in Parlamento ſuo expreſſo. Sed ex his gentium ferè omnium inſtitutis nullum æque inſigne memoratur vt illud Hiſpanorum, qui cùm in communi Arragoniæ Concilio Regem creant, rei memoriæque conſignandæ cauſſa fabulam peragunt: hominemque inducunt, B cui Iuris Arragonici nomen imponunt: quem Rege maiorem ac potentiorem eſſe communi populi decreto ſanciunt, tandemque Regem certis legibus & conditionibus creatum his affantur verbis, quæ propter eximiam ac planè ſingularem gentis illius in frenando Rege fortitudinem proferemus: NOS QVE VALEMOS TANTO COME VOS, Y PODEMOS MAS QVE VOS, ELEGIMOS REY, CON ESTAS Y ESTAS CONDITIONES: INTRA VOS C Y NOS, VN QVE MANDA MAS QVE VOS. Id eſt, Nos qui tanti ſumus, quanti vos, & pluſquam vos poſſumus, Regem vos eligimus, his atque his conditionibus. inter vos & nos vnus maiore cum imperio eſt, quam vos. Eoque illud pertinet Iohannis Vaſſei in Chronicis Hiſpan. ſub anno 839. Ermicus populari ſuffragio electus Rex, vnctus, & coronatus, ſed certis conditionibus, nimirum, vt in eos æquis legibus vteretur, atque vt vnus iudex eſſet medius inter Regem & popu- D lum. ſi quid controuerſiæ oriretur, ISQVE ARAGONIÆ IVSTITIA appellaretur. Item Lucius Marinæus lib. 8. Princeps, inquit, eligitur, propoſitis tamen nonnullis conditionibus, vt in eos æquis legibus vteretur, à quibus etiam iudex qui medius inter eos eſſet, petebatur, & ARAGONIÆ IVSTITIA vocabatur. Item Hieronymus Surita, ſub anno DCCCXLII. Ioannes Simenius Cerdanus, qui præfecturam, quam vocant Iuſtitiæ Aragonum, plures annos auorum ætate geſſit, cuius E præſtantiſſimi viri magna eſt apud omnes, & in primis grauis auctoritas, prodit eundem Magiſtratum, cui noſtri ſummam rerum deferunt, initio regni conſtitutum: vt quemadmodum apud Lacedæmonios Ephori Regibus oppoſiti fuerant, ſic apud Aragonios is magiſtratus vim maiorem, atque impotentiam Regiæ poteſtatis coerceret: & quodammodo præſes atque cuſtos libertatis haberetur. Inde enim magiſtratum introductum fuerunt, præſidia communi liber- F tati ſuppeditantem: cuius vis in libertate retinenda emineat: vt nemo ius ſuum amittere poſſet, niſi qui eum gerat auctor ſit factus: & in poſterum certum manſiſſe perfugium aut intermiſſæ aut retentæ libertatis: adeoque integrum purumque eſſe voluerunt, vt ipſius IVSTITIÆ nomine inſignitum produxerint: Aragonenſium certè legum atque inſtitutorum ſerie liquido conſtat, magnis interdictorum præſidijs eam præfecturam ſeptam fuiſſe, atque communitam: G cum, regno latius patente de libertate retinenda maiores paulatim cautum ſibi decreuere: ne in poſterum extraordinarijs poteſtatib. libertas adimeretur: néve quid de eius dignitate minueretur. Item ſub anno MCXIV. Petrus Simenius præfectus Iuſtitiæ Aragonum. Is magiſtratus primo Maior Iuſtitia appellatus fuit: quod ſupremum

mo Maior Iuſtitia appellatus fuit: quod ſupremum ius ac poteſtatem à Regibus obtineret. poſtea verò legibus ita ſeptus fuit, atque munitus, vt libertatis, à ſupremo dominatu vendicandæ atque tuendæ commune perfugium atque præſidiū eſſet. Item ſub anno MCCCXLIV. Rex prouentus omnes & vectigalia Athonis Foccij, militariaq; beneficia notari deſcribíque decernit: & Foccius Garciæ Ferdinandiç Caſtreoſia Iuſtitiæ Aragonum præfecti interceſſione atque interdicto notationem eam abrogandam contendit: ſummaque de iuriſdictione controuerſia ſuboritur. Regij enim aduocati eò actionem intendebant, vt præfectum Iuſtitiæ Aragonum reiectione interpoſita, iudicem aſpernentur, atque repudient: id ius eſſe aſſeuerantes, vt in generali conuentu, de ijs controuerſijs diiudicet, atque definiat, quæ cum Rege haberentur: neque illi ius faſque eſſe, extra conuentum regem in iudicium deducere: neque aduerſus regiam dignitatem, pro aliquo iudicium accipere: niſi, in ingenuitatis actionibus: aut in eis litibus, quib. Rex tanquam auctor obſtrictus eſſet: & in his quæſtionibus quæ aduerſus Regios magiſtratus, & iudices cōſtituerentur. Item ſub anno MCCCXLVIII. Ex eo magiſtratus & Præfectura Iuſtitiæ Aragonum ſtabiliendæ communis libertatis cauſſa, antiquitus legibus ſepta, atque munita, in eo vires ſuas exercere cœpit, ne quis contra regiorum miniſtrorum extraordinariam poteſtatem iuſſa, atque imperia, auxilij egeret: aut potentiorum iniuria premeretur: ac fere de omnibus controuerſijs publicis, priuatiſque ne vis inferatur, conſtituit. Si quis aut priuatus aut publicus eius decreto non ſteterit, grauiſſima pœna afficitur: neque petenti ius redditur, aut vllus honos cōmunicatur: eiúſque auctoritas è ciuitate exterminatur: idque legibus habent ſancitum. Inſtitutum verò eius præfecturæ interdictis tale temperamentum fuit, vt tenuiores & qui locum infimum ciuitatis tenent, cum principibus viris æquari ſe arbitrentur: & eam ſciſcendarum legum rationem noſtri ſecuti videntur, in eo magiſtratu muniendo, vt regijs iudicibus opponeretur; quemadmodum Lacedæmone Ephori à Theopompo Spartanis Regibus oppoſiti fuerant: & apud Romanos Conſulibus Tribuni plebis. Sed ne exiſtimatio atque auctoritas eius magiſtratus vnquam imminui poſſet, aut popularis fieret, atque omnes iuſſis ſupremæ legis obtemperarent, & cum omnib. ea lex ſemper vna atque eadem voce perſonaret, vt verè populi ſalus ſuprema lex eſſet, ac vinculum & firmamentum libertatis, atque omnes, quod dici ſolet, quaſi ſacræ legis catenis conſtringerentur ea cautio adhibita eſt, ne ex intimo ordine, aut populari ſuffragio, quiſpiam eum magiſtratū adipiſceretur: ſed militari decore cohoneſtatus & à Rege adſcitus, atq; ſuffectus. Moderatione quoque ea præfectura, non ad popularem auram prouecta, ſed temperatior à maiorib. inſtituta eſt, quā Ephororū magiſtratus à Lacedæmonijs fertur introductus: qui ſe adeo inſolenter efferre conſueuerant, vt in more inſtitutoq; poſitum eſſet, vt in tribunali ſedentes Regib. ne aſſurgerēt: néve eos venerarentur: & ſingulis menſibus iuriſiurādi religione obſtringerentur: Reges ſe patrijs

A legib. obtemperaturos. Ephori verò ſe Regum imperio obedientes fore: dum leges, ac ſcita inſtitutaque maiorum ab illis obſeruarentur. Inde euenit vt non diſſenſione ac diſſidio, ſed more inſtitutoque in vnius Præfecturæ magiſtratu Reſpub. regijs magiſtratib. oppoſita, non imbecilla eſſet: ſed magnum applauſum aſſentiente populo conſequeretur: & turbidi concitatique motus in poſterum comprimerentur: atque inteſtinæ diſſenſiones ſine vllo tumultu, aut motu ſedarentur. Item anno MCCCLXXXVI. (B) Rex Iohannem filium procuratione Regni priuat: imperátque atque edicit, ne quis primogenio pareat. Iohā. anxius exploratus in ſe patris nouercæq; odijs, vt aduerſus regiā poteſtatem iuris imploraret auxilium, Dominicum Cerdanum ſummo Iuſtitiæ Aragonum magiſtratui Præfectum appellat: atque ad eum prouocat: eóq; perfugio & legum præſidio aduerſus maiorem vim regiæ poteſtatis munitur. Præfectus, vt eſt conſue- (C) tudo, de vi interdicit. Tantum communi libertati tribuitur, vt Princeps de ſuo iure, & de legibus diſceptaturus ad eum potius magiſtratum venire, neceſſe habuerit: cùm is magiſtratum gerat qui à Rege creatus ſit. Eius námque magiſtratus interdictis appoſitis, nihil Regij imperij aut ſummæ poteſtatis ſit reliqui: quoad magiſtratus ſuum de interdicti iure iudicium pronunciet, & ſententiam ferat: ne dignitatis Regiæ præſtantia æquabilitatem communis iuris (D) tranſeat: aut vi oppreſſos extraordinario imperio coerceat. Cerdanus in cauſſa populari, maximeque plauſibili perpetua conſtantia in propoſito ſuſceptoque conſilio permanſit. Eam enim vim interceſſionum, inhibitionemque Præfecturæ Iuſtitiæ Aragonum maiorem eſſe voluerunt, vt nihil inuiolabilius, ſanctiúſve ducant: & ad eam ſummam omnia referri velint, vt ij reſtituantur, qui vi compreſſi, conſtricti aut depulſi deiectíve fuerint: eaque reli- (E) gione obſeruant, & in ea poſitum fuit ſemper ratione atque ſententia, vt eius magiſtratus ea vis ſit, vt præſcribat Regijs iudicibus, ne quid aduerſus interdicta interceſſionémque attentent, moliantúrve. Inde id perfugium, quaſi præſidium communis ſalutis, legum, inſtitutorum venerantur, obſeruant, arctè tenent, accurateque tuentur: ac primigenium regni heredem ad ea legis præſidia decurriſſe, ciuitates omnes gloriantur. Hactenus Hiſpanienſium hiſto- (F) ricorum teſtimonia copioſè protulimus, vt omnes intelligant nihil à nobis fingi, nihilúe noui & inuſitati in medium adferri. Quæ cùm ita ſe habeant, cùm, inquam, gentium ac nationum omnium commune hoc inſtitutum ſemper fuerit, quæ quidem regio ac non tyrannico imperio vterentur, vt SALVS POPVLI SVPREMA LEX ESSET: perſpicuum eſt, non modò præclaram illam communis concilij habendi libertatē partem eſſe iuris gentiū, verumetiā Reges qui malis artibus illam (G) ſacroſanctam libertatem opprimūt, quaſi iuris gētium violatores, & humanæ ſocietatis expertes, habēdos eſſe. cùm Fl. Conſtantinus tyrannus, qui iuniore Honorio imperāte tyrannidē in Gallia occupauit, vetus iſtud Galliæ noſtræ inſtitutum violare auſus non ſit, ſed tanquā ſacroſanctū cōſeruauerit. Nam cum Arelate regni ſui ſedem fixiſſet,

lum vulgò nominamus, vbi Rex non equo militari inſidens, aut triumphali more quadrigis inuehens: ſed togatus & coronatus, ſedens in ſolio, dextrâque ſceptrum regale, ſiniſtra ſceptrum Iuſtitiæ tenens, ſollemníque concilio præſidens conſpicitur. Et profectò ita eſt, vt ita demum Regalis maieſtas verè propriéque dicatur, vbi de ſumma Reipub. conſilium agitur: non, vt imperitum vulgus hodie vſurpare ſolet, ſiue rex pila ludat, ſiue ſaltet ac tripudiet, ſiue cum mulierculis garriat, ac nugas agat denique, vt ſemper Maieſtatem Regiam nominet. Harum autem rerum omnium teſtimonia è multis pauca proferemus. Primùm ex hiſtoria Eguinarthi, qui Caroli Magni Cancellarius fuit, eiúſque vitam conſcripſit, & Hunibaldi Appendice apud Iohan. Tritenhemium: Quocumque, inquit, eundum erat, carpento ibat, quod bubus iunctis & bubulco ruſtico more agente trahebatur. Sic ad palatium, ſic ad publicum populi ſui conuentum, qui ad Kalendas Maij annuatim ob Regni vtilitatem celebrabatur, ire, ſic domum redire ſolebat. Quod idem totidem propè verbis Iohannes Nauclerus in Chronologia Generat. 26. commemorat. Itémque auctor magni Chronici ſub initium vitæ Caroli Magni, fol. 177. Neque verò nimiopere admirandum id videtur, nam hunc temporum illorum morem fuiſſe, vt & Reges & Reginæ, & Regij liberi bubus veherentur, argumento eſt etiam ille Gregorij Turon. locus lib. 3. cap. 26. Deuteria verò (hæc Childeberti regis vxor erat) cernens filiam ſuam ex ſuperiore marito ſuſceptam, adultam valde eſſe, timens ne eam concupiſcens Rex ſibi adſumeret, in baſterna poſitam indomitis bobus coniunctis eam de ponte præcipitauit. Iam verò de Tribunali aureo Aimoinus libro 4. cap. 30. ita ſcribit. vbi de Rege Dagoberto commemorat: Generale indixit PLACITVM in loco nuncupato Bigargio: ad quod propere conuenientibus cunctis Franciæ Primoribus. Kal. Maijs Rex ſolio reſidens aureo, hoc apud eos habuit orationis exordium. Item cap. 41. vbi de Clodoueo Rege loquitur: Medius inter eos ſolio reſidens aureo hoc habuit orationis exordium. Item Sigebertus. in Chron. anni 662. Francorum, inquit, Regibus moris erat, Kal. Maij præſidere coram tota gente, & ſalutare, & ſalutari, obſequia & dona accipere. Quod Georg. Cedrenus totidem propè verbis ſic exponit: Καλὰ δὲ τὸν Μάϊον μῆνα προκαθίσασθαι ἐπὶ παντὸς τοῦ ἔθνους καὶ προσκυνεῖν αὐτοὺς, καὶ ἀντιπροσκυνεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν, δωροφορεῖσθαί τε κατὰ συνήθειαν, καὶ ἀντιδιδόναι αὐτοῖς, Iam verò de popularium, qui ad Concilium conuenerant auctoritate, teſtimonium hoc exſtat apud Aimoinum. lib. 4 cap. 41. vbi de Clodoueo ſecundo loquitur: Quamquam, inquit rex, Francigenæ ciues, terreni nos cura principatus admoneat, publicis vos conſultores rebus aduocare. Idem eodem libr. cap. 74. Æſtatis initio in Saxoniam eundem, & ibi (vt in Francia quotannis ſolebat) generalem conuentum quotannis habuit. Item lib 4 capite 13. vbi de Carolo Magno loquitur: Peracta venatione Aquiſgrani, rediens generalem populi ſui conuentum more ſollemni habuit. Cap. 116. Imperator autem duobus conuentibus habitis, vno

A apud Nouiomagum, altero apud Compendium; in quo & annua dona ſuſcepit. Item capite 17. Menſe Auguſto Vvormaciam venit, atque habito generali conuentu, & oblata ſibi annua dona more ſollemni ſuſcepit, & legationes plurimas audiuit. Item lib. 5. cap. 31. Generale PLACITVM Idibus Iunijs in villa Duziaco tenuit: vbi & annua dona ſua ſuſcepit. Atque hæc quidem de ſollemni Concilio, quod Hiſtorici & Galli & Germani deprauata Latini ſermonis conſuetudine modò Curiam modò Conuen-
B tum generalē, plerumque autem PLACITVM appellarunt. Gregor. lib. 7. cap. 14. Igitur adueniente PLACITO directi ſunt à Childeberto rege, &c. & lib. 8. cap. 21. Sed cùm ad PLACITVM Childebertus cum proceribus ſuis conueniſſet, &c. Aimoinus libro 4. capite centeſimo nono. Medio menſe Conuentus generalis apud Theodonis villam magna populi Francorum frequentia celebrauit. Et mox: Emicuit in hoc PLACITO piiſſimi Imperatoris miſeri-
C cordia ſingularis. Nam moris fuit vt in illo Concilio munera vndiq; Regi mitterentur, quod & alijs multis locis traditur: quibus Concilium illud, Conuentus generalis appellatur. Aimon. lib. 4. cap. 64. vbi de Pipino Rege loquitur: Coëgit vt promitterent ſe omnem voluntatem illius eſſe facturos: & annis ſingulis honoris cauſſa ad generalem conuentum equos trecentos pro munere daturos. Item cap. 85 Saxonum
D perfidiæ non immemor, conuentum generalem trans Rhenum in villa Cuſſenſteo more ſollemni habuit. Iam verò Concilium illud alio quoque vocabulo Curia dicebatur, vnde nata popularis locutio, cùm ad aulam & Regiam itur, vt, iri ad Curiam dicatur: propterea quòd tarò ad regem, niſi indicto publico gentis concilio & parlamento, magniſque de rebus adibatur. Iuo Carnotenſ. epiſt. 206. Rex conceſſit, vt eum ad Curiam ſuam, quæ Aurelianis in Natali domini congreganda erat, ſecurè adduceremus:
E & ibi cum eo, & cum Principibus regni de hoc negotio, quantum fieri poſſet ſalua regni integritate tractaremus. Factum eſt, vt condictum erat & conuenientes in Curiam petitionem noſtram replicauimus. Sed reclamante Curia plenariam pacem impetrare nequiuimus, niſi prædictus Metropolitanus per manum & ſacramentum eam fidelitatem Regi faceret, quam prædeceſſoribus ſuis Regibus Francorum antea fecerant omnes Rhemenſes Archiepiſcopi, & ceteri regni
F Francorum epiſcopi. Quod perſuadentibus omnibus Curiæ optimatibus factum eſt. Aimoin. lib. 5. cap. 50. Carolus, inquit, Danorum Regis filius Flandriæ Proceres quoſdam iudicio Curiæ conuenienter petebat. Item c. ſequenti Defuncto Henrico Romanorum Rege, in ea quæ maxima & generalis eſt habita Maguntiæ Curia. Item Otto Friſing libro Frider. 1. cap. 40. Poſt hæc Princeps Bauariam ingreditur, ibique
G menſe Februario generalem Curiam celebrauit. Item cap. 43. Conradus Romanorum Rex, Principes conuocans in oppido Orientalis Franciæ Franconofurt generalem curiam celebrat. Poſterioribus autem ſeculis dicta eſt Franciæ Curia: interdum Curia Parlamenti trium ſtatuum: interdum curia Regis Franciæ: interdum

cchimus. Hinc illud Speculatoris Iuriſconſ. ſubtirulo De feriis, ad finem: Poteſt excuſari conſuetudo CVRIÆ REGIS FRANCIÆ, quæ tempore Parlamentorum omni die ius reddit: vt venientes de longinquis partibus citius expediantur. Item illud Ioannis Fabri in Auth. hoc niſi. C. de ſolut. Curia Franciæ conſueuit ſtatuere, quod quando rex monetam debilitat, recipitur pro forti: quando fortificat, habetur reſpectus ad tempus contractus. Thomas VValſingham Hiſtoriæ Angl. ſub anno 1275. Sub iiſdem diebus Gaſto de Bierna à Rege Anglorum obſeſſus, ſupar eo negotio quod inter Regem Eduardum & ipſum vertebatur, appellationem interponit ad curiam Regis Francorum. cui deferens Rex Eduardus, nolens Regem Francorum (quem nuper dominum ſuum pro terris in Francia recognouerat) contra ſe partem facere, miniſtris ſuis commiſit, vt in curia Regis Franciæ cauſſam proſequerentur contra Gaſconem.

De ſacroſancta publici Concilij auctoritate: & quibus de rebus in eo ageretur.

CAP. XIIII.

DEINCEPS locus poſtulat, vt quibus de rebus in illo ſolenni Concilio agerentur, conſideremus: Maiorúmque noſtrorum in conſtituenda Rep. ſapientiam admiremur. Summatim autem has ferè obſeruauimus. Primùm de creando Rege: tum de pace & bello: de legibus publicis: de ſummis honoribus, præfecturis, & procurationibus Reip. de aſſignāda patrimonii parte liberis defuncti Regis, vel dote filiab. conſtituenda: de re numaria, & monetæ rationibus: denique de iis rebus omnibus, quæ vulgus etiam nunc Negotia Statuum populari verbo appellat, quoniam ſummo multarum ætatum conſenſu de nulla (vt dixi) Reipubl. parte, niſi in Statuum ſiue Ordinum Concilio agi ius eſſet. Ac de creandis quidem aut abdicandis Regibus ſuperius, tum ex Caroli Magni teſtamēto tum etiam ex aliis auctoribus ſatis multa teſtimonia protulimus. Neque tamen illud prætermittemus, ex Reginonis li. 2. ſub anno DCCCVI. vbi de Carolo Magno ſcribens: Cum primorib. inquit, & optimatib. Francorum de pace conſtituēda & conſeruanda inter filios ſuos, & de partitione regni placitum habuit. Quo eodem modo Aimoinus li. 5. c. 17. vbi de rege Carolo Caluo commemorat: Generali, inquit, conuentu in Cariſiaco habito filium ſuum Carolū armis virilibus, id eſt enſe, cinxit: corona Regali caput inſigniuit, & Neuſtriam ei attribuit: Pipino, Aquitaniam. Nam (vt ſuperius dictum eſt) prærogatiuam quidem regis filij magnam in illis comitiis habebant: ſed tamē etiam ſi à parentibus in ſuo teſtamento deſignati heredes erant, à populo tamen eos confirmari oportebat: ex quo intelligitur, nullam Regibus de ſuo Regno teſtamenti factionem fuiſſe: neque ipſo iure illam patris inſtitutionem valuiſſe: ſed à populo in communi Ordinum conuentu confirmari ſolitam. quemadmodum in iu-

A re Romano dicere ſolemus, quia curator teſtamento patris inutiliter datur. idcirco datum à Prætore confirmandam eſſe. Hunc autem morem non modo Occidentales noſtri, ſed etiam Orientales Franci retinuerunt. cuius rei cùm alia pleraque apud alios teſtimonia extant, tum illud ſingulare apud Vitichindum Sax. lib. 2. vbi cùm paulò antè ſcripſiſſet Henricum Imp. filium ſuum Oddonem regni ſui ſucceſſorem deſignaſſe, ita infert: Defuncto Henrico, omnis

B populus Francorum atque Saxonum iam olim deſignatum regem à patre, filium eius Oddonem, elegit ſibi in principem: vniuerſaliſque electionis notantes locum, iuſſerunt ad Aquiſgrani palatium. Et mox, Vbi Magontini Epiſcopi, qui cum infulis occurſum illius in pompa & proceſſione expectabat, orationem ad populum exponit: En, inquit, adduco vobis à domino Henrico olim deſignatum, nunc verò à cunctis Principibus regem factum Od-

C donem. Si vobis iſta electio placeat, dextris in cœlum leuatis ſignificate. Adhæc omnis populus dextras in excelſum leuans, cum clamore valido imprecati ſunt proſpera nouo Regi.

Quibus & ſimilibus alijs ex locis facile intellectu eſt, idem Francorum Orientalium & Occidentalium inſtitutum in ſuis regibus deligendis fuiſſe: quippe, qui & vnis ex ſedibus patriáque olim profecti, & perquamdiu ſub iiſdem regibus ac principibus iiſdem legibus ac

D moribus viverentur. Iam de regni procuratione, inſigne illud teſtimonium apud eundem auctorem extat, lib. 5. cap. 35. vbi de eodem Carolo Caluo loquitur: Carolus, inquit, Romam proficiſcens, Compendij Placitum generale Kalend. Iunij habuit: vbi per capitula, qualiter regnum Franciæ filius ſuus Ludouicus cum fidelibus eius & regni primoribus regeret, vſque dum ipſe Roma rediret, ordinat. Idem eodem lib. cap. 42. Cuius ætatem (de Carolo ſimplice

E loquitur) Franciæ primores incongruam, vt erat, exercendæ dominationi arbitrati, concilium de ſummis ineunt rebus: Franci, Burgundiones, Aquitanienſeſque proceres congregati in vnum, Odonem tutorem Caroli, regnique eligere gubernatorem. Iam verò de legibus & cōſtitutionibus, vel vnus ille Gaguini locus in vita Ludouici cognomento Sancti, teſtimonio eſſe poteſt: Cùm Pariſium, inquit, Ludouicus veniſſet, conuentu generali habito, Remp. refor-

F mauit, ſtatutis optimis legibus de iure à iudicibus dicendo, & de officijs non emendis, &c. Porrò de ſummis honoribus, & præfecturis ad probatos viros deferendis, teſtimonium apud Aimoinum extat, libro 5. cap. 36. vbi de Carolo Caluo loquitur: qui cùm ante inaugurationem regni præfecturas arbitratu ſuo diſtribuiſſet, Proceres ſolenne Concilium indicere cœperunt, legatóſque ad regem mittere: neque prius regem coronari paſſi ſunt, quàm illorum Con-

G cilio atque auctoritate in illis mandandis magiſtratibus vſus eſſet. Regni primores, inquit, indignati, quia quibuſdam honores dederat ſine illorum conſenſu, & ob id aduerſum ipſum conſpirarunt, & conuentum ſuum in villam Witmarium conduxerunt: indéque legatos ſuos ad Ludouicū direxerunt. ſed & Ludouicus legatos

ros ſuos ad illos direxit, &c. Item Regino lib. 2. Carolus placitum habuit in Compendio, ibique cum optimatum conſilio Rodiberto Comiti ducatum inter Ligerim & Sequanam commendauit. Item Appendix Gregor. Turon. libro 11. cap. 54. Eo anno, inquit, Clotharius cum proceribus & leudibus Burgundiæ Trecaſſinis coniungitur: cùm eos ſolicitaſſet, ſi vellent, mortuo iam warnhario alium in eius honoris gradum ſublimare: ſed omnes vnanimiter denegantes, ſe nequaquam velle Maiorem domus eligere, Regis gratiam obnixè petentes, cum rege tranſegere. Et cap. 101. Mortuo Theodorico rege, Franci Clodoueum filium eius paruulum elegerunt in regem, quo non multos poſt annos mortuo, Childebertus frater eius in regnum reſadit: Grimoaldus autem cum Childeberto rege Maior domus palatij ſuper Francos electus eſt. Ad eundem numerum referendæ ſunt Principum contentiones, quæ Reipub. pernicioſæ futuræ videbantur, de quibus in eodem illo Concilio diſceptabatur. Nam Aimoinus libro 4. cap. 1. vbi de Clotario Chilperici filio commemorat, à quo Brunechildis Auſtraſiæ regnum poſtulabat, ita loquitur: Clotarius reſpondit, conuentum nobilium debere eam aggregare Francorum, & communi tractatu de communibus conſulere rebus. ſe verò iudicio illorum in omnibus pariturum, nec præceptis promiſit obſtaturum. Quod idem Appendix Gregor. libro 11. commemorans: Clotarius, inquit, reſpondebat, iudicio Francorum electorum quidquid procedente domino à Francis inter eoſdem iudicabitur, pollicitum eſſe implere. Eodemque modo apud eundem Gregorium libro 8. cap. 21. Boſo Gunthrannus ſepulchri violati in publico Francorum Concilio accuſatus damnatúſque dicitur. Cùm ad placitum, inquit, Childebertus cum proceribus ſuis conueniſſet & Gunthrãnus de his interpellatus clam aufugiſſet, ablatæ ſunt ei omnes res, quas in Aruerno de fiſci munere promeruerat. Item Aimoi. lib. 5. cap. 12. vbi de rege Ludouico Pio loquitur, quẽ filij odijs & contentionib. exagitabant: Cùm inſtaret, inquit, Autumnalis temperies, ij qui Imperatori contraria ſentiebant, alicubi in Francia conuẽtum fieri generalem volebant. Item cap. 13. In Theudonis villam conuenire generaliter ſuum populum præcepit. Et paulò poſt: Sed poſt paucum tempus idem ad feſtum Sancti Martini populum conuncauit: filiúmque Pipinum fugientem ad ſe quoquomodo reuocare voluit, ſed ille idem fugiebat. Eadémque ipſa de re Gaguinus commemorans: At coniurati, inquit, cùm intelligerent abſque procerum cõuentu regem ſe deijcere non poſſe, magnis viribus enituntur Concilium in Francia habere. Repugnabant tamen Ludouicus, quòd ſciret Francos ab inimicis aduerſum ſe perſuaſos eſſe, Maguntiæ, propterea conuentum indixit, mandátque neminem in Concilio cum armis admitti. At ne publico auctoramento coniurati aduerſus patrem filij deſtituerentur, coacto apud Compendium ex toto regni Epiſcoporum Procerúmque Concilio, Lotharius eductum de cuſtodia patrem Compendium perduxit. Rurſus Aimoinus libro 5 capite 38. vbi de rege Ludouico Balbo ſcribit qui Concilium Martiæ agebat,

A & de pace cum ſuo conſobrino conferebat: In ipſo quidem placito, inquit, hæc quæ ſequuntur inter eos conſenſu fideliũ ſuorum ſeruanda conuenerunt. Nunc cetera videamus. Nam illud præterea reperio moris fuiſſe, vt ſiquis Princeps atque illuſtriore locus natus criminis alicuius inſimularetur, in iudicium ad illud Concilium vocaretur, ibique cauſam dicere cogeretur. Itaque regis Clotarij tempore cùm Brunechildis multorum capitalium criminum accuſata &
B damnata eſt, ex Concilio Francogalliæ indicto, ita cum ordinibus loquitur, apud Aimoinum libro 4. capite 1. Vos dilectiſſimi commilitones, & præeminentes Franciæ primores, decernite cui ſubiaceat ſupplicio tanti obnoxia ſceleris. Et Ado Ætati vi ſub anno 583. In præſentia, inquit, regis, iudicantibus Francis, indomitis equis religata diſcinditur. De regalis verò patrimonij partitionibus & appannagijs, teſtimonium extat apud Aimoinum lib. 5. cap. 94.
C vbi de Carolo Magno commemorans ita loquitur: Illis abſolutis conuentum habuit Imperator cum primoribus & optimatibus Francorum de pace conſtituenda, & conſeruanda inter filios ſuos, & diuiſione regni facienda in partes tres, vt vnuſquiſque illorum ſuam partem tueri & regere debuiſſet, ſi ſuperſtes illi eueniret. Item eo loco vbi de partitione inter Ludouici liberos facta loquitur, libro 5. cap. 40. Profecti Ambianos, & ſicut fideles illorum inuenerunt,
D regnum paternum inter ſe diuiſerunt. Item capit. 41. vbi de Carolomanno ſcribit, qui wormaciæ Concilium agebat. Ad quod placitum, inquit, Hugo profectus pro petitione partis regni, quam frater ſuus Ludouicus in locarium acceperat. Quinetiam ex alijs locis licet animaduertere, ſi quando rex maiores ſumptus facere inſtituiſſet, velut in templis ædificandis & monaſterijs fundandis, his de rebus ordinum conſilium exquirebat. Nam Aimoinus libro 4. cap.
E 41. vbi de Clodoueo ſecundo loquitur, qui in tribunali pro ſollemni Concilio ſedebat: Hoc habuit, inquit, ſermonis exordium: Quamquam Francigenæ ciues terreni nos cura principatus admonet, publicis vos conſultores rebus aduocare. Porrò Concilium hoc, vt antediximus, Placitum appellabant, velut apud ſcriptorem Chronici Beinenſis: Anno DCCLXXIII. Pipinus Rex placitum magnum habuit cum Francis apud villam Cariſiacum. Huius autem vocabuli origo inde
F. fluxit, quod Latina conſuetudine Placitum id propriè dicitur, quod re in maiorum conſilio quæſita & deliberata, tandem inter ipſos conuenit: vnde Placita philoſophorum apud Ciceronem, & alios auctores dicta ſunt. Agellius libro 18. cap. 3. Populus, inquit, Lacedæmonius de ſumma Repub. quidnam eſſet vtile & honeſtum deliberabat. Et mox: Conſilium quod dabat acceptum ab vniuerſis & complacitum eſt. Sic Romæ quæ Senatus de maioris Senatorum partis
G ſententia decreuerat, his perſcribebantur verbis: PLACERE SENATVI: vt cum ex alijs veteribus S. C. cuius notum eſt, tum etiam ex ijs quæ in libris noſtris extant: velut in l. item veniunt, 20. §. præter hæc D. hereditate petit. & libro 2. D. ad Vellaian. neque quicquam in ijſdem libris frequentius eſt, quàm Placitum appellari, quod

tinter aliquos conoenit. velut in l. vlt. C. de pi- A
gnorib. Pro tenore communis militantium pla-
citi. Vnde Placitum, pro conuentione in l. 33. C.
de tranſact. l. 1. C. de pact. l. 4. D. de ſeruitut. &
alijs ſeacentis locis. Quæ cum ita ſe habeant,
non abſurda, opinor, coniectura noſtra vide-
bitur, quam alijs iam quibuſdam libris noſtris
expoſuimus, vulgatam formulā, qua etiam nunc
regij ſcribæ in legum & conſtitutionum clauſu-
lis vtuntur, ex illo PLACITI vocabulo, natam
eſſe: QVIA TALE EST NOSTRVM PLA- B
TVM. Nam cùm illæ Latinis literis ſcriberen-
tur (quod ex Aimoino & Capitulari Caroli Ma-
gni, & omnibus archijs, monumentiſque Galli-
cis ſatis conſtat) poſtea ſcribæ regij, vbi popula-
ri ſermone vti cœperunt, ita vel ignorantia,
vel malitia potius conuerterunt: *Car tel eſt
noſtre plaiſir.* Quoniam ita nobis placet. Nam
de populi quoque poteſtate argumentum
in Caroli Capitulari hoc extat: Vt populus
interrogetur de capitulis, quæ in lege nouiter C
addita ſunt: & poſtquam omnes conſenſerint,
ſubſcriptiones & manufirmationes ſuas in ipſis
capitulis faciant. Quibus ex verbis patet, popu-
los Franciæ, iis demum olim legibus aſtringi
ſolitos, quas in comitiis ſuffragiis ſuis ſanxe-
rant, quod inſtitutum ei legis definitioni conſen-
taneum eſt, quam Iuriſconſultus Marcianus ex
Demoſthene protulit in l. 2. D. de Legib. *νόμος
ἐστὶ πόλεως συνθήκη κοινή*: Lex eſt pactio & conuen-
tio ciuium, Reipubl. bonoq; publico conſulen- D
tium. Eodemq; illud pertinet in fine Legis Ale-
manicæ: Hoc decretum eſt apud Regem, &
Principes eius, & apud cunctum populum Chri-
ſtianum, qui infra regnum Merouingorum con-
ſiſtunt. Item apud Aimon. lib. 5. cap. 38. In ipſo
Placito hæc quæ ſequuntur, inter eos conſenſu
fidelium ſuorum ſeruanda conuenerunt. Con-
uentio quæ inter glorioſos reges &c. & ipſis &
communibus fidelium ipſorum fauentibus &
conſentientibus facta eſt. Sed nullum certius E
eius rei documentum eſt, quam quod ſuperiùs
ex libro Legis Franciçæ II. protulimus: vbi Ludo-
uicus Pius vniuerſos Regni ſui Ordines ſic affa-
tur: Quanquam ſumma miniſterij Regij in no-
ſtra perſona conſiſtere videatur, tamen & diui-
na auctoritate, & humana ordinatione ita
per partes diuiſum eſſe dignoſcitur, vt vnuſquiſ-
que veſtrum in ſuo loco & ordine partem
miniſterij noſtri habere cognoſcatur. Item ca-
pite duodecimo, Vnuſquiſque veſtrum par- F
tem miniſterij noſtri per partes habere di-
gnoſcitur. Item capite vigeſimo ſecundo,
In noſtro Capitulari de hac re communi conſul-
tu fidelium noſtrorum ordinauimus. & cap. 24.
Volumus etiam, vt capitula quæ nunc & alio
tempore conſultu fidelium noſtrorum à nobis
conſtituta ſunt, à Cancellario noſtro Archiepiſ-
copi & comites accipiant. Poſtremò ne illud
quidem prætermittendum eſt, tantam huius
Concilij apud exteras gentes auctoritatem fuiſ-
ſe, vt etiam Principes exteri ſi quid controuerſiæ
haberent, id interdum illius Concilij iudicio
permitterent. Appendix Gregor. Turon. lib. 11. G
cap. 37. Anno 11. regni Theodorici cum Alſa-
cionea, vbi fuerat enutritus præcepto patris ſui
Childeberti tenebat, ad Theudebertum barba-
rico ritu peruaditur: vnde placitum inter hos
duos reges, vt Francorum iudicio finiretur, Sa-
loiſſo caſtro inſtituunt.

*De Præfectis Regiis, qui Maiores do-
mus dicebantur.*

CAP. XV.

PRIVSQVAM de continuata Publici
Concilij auctoritate plura exponamus,
non prætermittenda cōmemoratio eſt
de Regiis Præfectis, qui Merouingicis tempori-
bus Maiores domus, hoc eſt, Magiſtri Palatij
dicebantur: qui cùm regiam poteſtatem aliquan-
diu obſediſſent, aliquando tandē facultatem na-
cti, eam pro ſua occuparunt. Eorū video eandem
propè apud reges noſtros dignitatem fuiſſe,
qualis quondam apud Imperatores Romanos
erat Præfectorum Prætorio: qui etiam Aulæ præ-
fecti dicebantur. Creati autem eodem in Con-
cilio & conuentu, quo reges ipſi ſolebant: pu-
blicique poteſtas concilij auctores ac principes e-
rant. Itaque paſſim apud Hiſtoricos noſtros il-
la occurrunt: In principatum Maioris domus
elegerunt. Item: Herchinoldo Maiore domus
defuncto, Franci Ebroinum in hac dignitate, vt
Maior eſſet in Aula regia, conſtituunt. Item:
Hildericum ſuper ſe regem leuant, Maiorem
domus, wulfoldum. Quod ad ſuperiorem pro-
ximam tractationem pertinet, vbi docuimus
maiores quoſque magiſtratus non à rege pro ſuo
arbitrio mandari, ſed in ſolēni Concilio fideliſſi-
mis & probatiſſimis viris deferri ſolitos fuiſſe.
Verùm in hoc magiſtratu idem planè vſuuenit,
quod Plutarchus in Lyſandri vita tum accidiſſe
ſcribit, cùm Ageſilaus à Lacedæmoniis ad exer-
citum Imperator miſſus eſt: Lyſander autem le-
gatus: Vt in tragœdijs, inquit, plerumque vſuue-
nit hiſtrionibus, vt qui nuncij vel famuli perſo-
nam ſuſtinent, pluris fiant, primaſque partes a-
gant: illius verò qui ſceptrum & diadema ge-
ſtat, ne vox quidem exaudiatur: ſic penes lega-
tum Lyſandrum maieſtas imperij verſabatur:
penes Regem verò, nudum atque inane nomen
manebat. Quod eodem modo in Francogallia
noſtra tum accidit: oblata videlicet occaſione, &
creſcendi facultate ex regum aliquot inertia, de-
ſidiaque: in quibus Dagobertus, Clodoueus,
Clotarius, Childericus & Theodoricus nome-
rari poſſunt. Nam Paulus Diaconus libro de
geſtis Longobardorum ſexto, capite quinto.
Hoc tempore, inquit, apud Gallias Franco-
rum regibus à ſolita fortitudine & ſcientia
degenerantibus, ij qui Maiores domus re-
galis eſſe videbantur, adminiſtrare regis po-
tentiam, & quicquid regib. agere mos eſt, cœ-
perunt. Et in eandem ſententiam auctor hi-
ſtoriæ Francorum, quem Venericus Vercel-
lenſis aliquoties, ſine nomine tamen, pro-
fert, ita ſcribit: Tempore Clotarij patris Dago-
berti regnum Francorum regi cœptum eſt, &
adminiſtrari ab his, qui Proviſores aulæ regiæ,
vel Maiores domus eſſe videbantur. Quod idem
Godfridus Viterbien. parte Chronic. 16. teſta-
tur. Itémque ſcriptor Chronici Beſuenſis mo-
naſterij: In illo tempore, inquit, deficientibus
iam à priſtino vigore regibus, cura totius regni
admi-

adminiſtrabatur per duces & Principes domus. Itaque dum illi Magiſtri Palatij omnia Reipub. munera obirent, & ſi quod gerendum eſſet bellum, exercitibus præeſſent, hi domi nudo atque inani Regum nomine contenti, propter deſidiam in otio viuebant. Tandémque eò progreſſa res eſt, vt Childerico rege a VIII. regnum obtinente, Pipinus Magiſter Palatij, qui regis nomine magna diuturnáque bella geſſerat, Saxones deuicerat, ſuámque in poteſtatem redegerat, oblatam regij nominis occupandi facultatem non repudiarit: exercitu præſertim eóque victore & glorioſo inſtructus. Quarum rerum apud Auctores teſtimonia hæc extant. Primum apud Ottonem Friſingenſem Chronic. 5. capite 12. & imitatorem ipſius Godfridum Viterbienſem, part. 16. vbi ſic ſcribunt: Reges Franciæ ante tempora Pipini Magni, qui Maior domus erat, experies omnis adminiſtrationis & regiminis, ſolo nomine regnabant: ſed Maiores domus vniuerſam regni adminiſtrationem habebant. In eandem ſententiam Sigebertus ſub anno 662. & Lothario Clodouei filio ita loquitur: Ab hinc Francorum regibus à ſolita fortitudine & ſcientia degenerantibus, regni potentia diſponebatur per Maiorem domus, regibus ſolo nomine regnantibus: quibus moris erat principari quidem ſecundum genus, & nil agere, vel diſponere. Quanquam in hac commemoratione cautio adhibenda eſt, nam cùm & Pipinus & eius filij ob ereptum regi Childerico regnum inuidia (vt credi par eſt) laborarent, reperti ſunt homines ingenioſi, qui & Childerici, & ſuperiorum regum deſidiam verbis maiorem facerent: inertiámque grauius accuſarent. In his Eguinarthus Caroli Magni Cancellarius, qui ſuo Imperatori ſtrenuã in ea re operam nauauit. Nam initio ſui libri ita ſcribit: Gens Merouingorum, de qua Franci reges ſibi creare ſoliti erant, vſque in Hildericum regem, qui iuſſu Stephani Rom. Pontificis depoſitus ac detonſus, atque in monaſterium truſus eſt, duraſſe putatur: quæ licet in illo finita poſſit videri, tamen iamdudum nullius vigoris erat, nec quicquam in ſe clarum, præter inane regis vocabulum, præferebat. Nam & opes & potentia Regni penes Palatij Præfectos, qui Maiores domus dicebantur, & ad quos ſumma imperij pertinebat, tenebantur: neque aliud Regi relinquebatur, quàm vt Regio tantùm nomine contentos, crine profuſo, barba ſubmiſſa, ſolio reſideret, ac ſpeciem dominantis effingeret, legatos vndecumque venientes audiret, eiſque abeuntibus reſponſa, quæ erat doctus, vel etiam iuſſus, ea ſua velut poteſtate redderet: cùm præter inutile Regis nomen & precarium vitæ ſtipendium quod ei præfectus Aulæ, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprij poſſideret, quàm vnam præparui reditus villam: in qua & domum, ea qua famulos ſibi neceſſaria miniſtrantes, atque obſequium exhibentes paucæ numeroſitatis babebat. His Eguinarthi verbis, quæ in Appendice quoque Hunibaldi apud Tritenhemium reperio, inductus Sigebertus ſub anno 662. eadem propè verborum continelia ſuperiores Reges inſectatur: Quibus, inquit, moris erat principati quidem ſecundum genus, & nihil agere vel diſponere, quàm irrationabiliter edere & bibere, domíque morari. Quaſi verò hæc eadem Regum ſuperiorum ratio, atque inertia fuerit: ac non potiùs virtus ac fortitudo animi ſingularis, qualem ſcriptores omnes in Clodoueo commemorant, qui non modò innumerabiles Germanorum copias, in Galliam irrumpentes, prælio propè Tolbiacum commiſſo, profligauit: verùm etiam Romanorum reliquias è Galliæ finibus propulſauit. Iam verò quid de Childeberto, & Clothario dicemus, qui Viſigothos & Oſtrogothos è Prouincia & Aquitania, vbi ſedes fixerant, exterminarunt? Quorum omnium in hiſtorijs nulla Magiſtri Palatij, ne minima quidem mentio fit: niſi fortè curſim atque obiter, & tanquam vnius è Regij Imperij adminiſtris. velut apud Gregor. lib. 5 cap. 18. vbi de Gucilio loquitur: & libro ſexto capite 9. & capite 45. & libro 7. cap. 29. itaque bonos ille non tantùm in Regis, verùm etiam in Reginæ aula & comitatu verſabatur. Nam idem Gregor. lib. 7. cap. 27. Wadonem quendam nominat Maiorem domus in aula Reginæ Riguntbæ: aliiſque locis compluribus idem Gregor. & Aimoinus Magiſtros aulæ domúſque Regiæ commemorant. Tantæ autem illorum Regiorum præfectorum potentiæ initium (vt modò diximus) cœpit tempore Clotharij 13. circiter annum Chriſti DLXXXVIII. id eſt circiter CXXX. annis poſt Regnum Francogalliæ conſtitutum. Quod ex eo, quem Venericus aliquoties profert, hiſtorico licet cognoſcere. Sunt tamen alij duo hiſtorici, ſed nequaquam tantæ auctoritatis, Sigebertus & Tritenhemius, qui tantæ potentiæ initium ad Clotharij III. Regnum referunt: cuius Magiſter Palatij Ebroinus nominatur, homo nequitia & crudelitate inſignis. Vtcumque ſit, Hiſtorici alijs quoque nominibus præfectos illos appellabant: nimirum Magiſtros Regii palatii, Comites domus Regiæ, Præfectos aulæ, Comites Palatii, Duces & Principes domus: quinetiam aliquot poſt ſeculis Seneſchalli Franciæ appellati ſunt. Sigebertus ſub anno MCLXX. In purificatione beatæ Mariæ fuit filius Regis Anglorum Pariſijs, & ſeruiuit Regi Francorum ad menſam, vt Seneſchallus Franciæ. Hanc Seneſchalliam, vel (vt antiquitus dicebatur) Maioratum domus Regiæ Robertus Rex Francorum dedit Gaufrido, &c.

Vtrum Pipinus Papæ, an Concilij Francogallici auctoritate Rex factus fuerit.

CAP. XVI.

QVONIAM ſuperiùs dictum eſt, Pipinum ex magiſtro Palatij Regem eſſe factum, exacto Childerico Rege ſtupido, in eoq; Childerico Merouingiorum ſtirpem defeciſſe: non alienum eſt, hoc loco exquirere, cuiuſnam auctoritate Regnum illi delatum fuerit. Nam Gelaſius Papa in can. alius 15. quæſt. 6 Alius, inquit, Romanus Pontifex, Zacharias ſcilicet, Regem Francorum non tam pro ſuis iniquitatibus, quàm pro eo quòd tantæ poteſtati erat inutilis, à regno depoſuit: & Pipinum Caroli Imperatoris patrem in eius locum ſubſtitu-

ruit: omneſque Francigenas à iuramento fidelitatis abſoluit. Neque fere quiſquam eſt, qui non illud Papæ de ſemetipſo teſtimonium approbarit: Ado, Lambertus, Regino, Sigebertus, Aimoinus, Landulphus. Quinetiam Venericus Vercellenſis, in eo quem ſuperiùs protulimus libro verba hæc ex epiſtol. Gregorij Papæ VII. ad Hermanum Metenſem Epiſcopum profert. Quidam Romanus Pontifex Regem Francorum non tam pro ſuis iniquitatibus, quàm pro eo quòd tantæ poteſtati non erat vtilis, à regno depoſuit, & Pipinum in eius loco ſubſtituit, omneſque Francigenas à iuramento fidelitatis, quam illi fecerant, abſoluit. Hæc ille. Quod idem Otto Friſing. commemorans libro Chronic. 5. capite 23. itemque Godfrid. Chronic. parte 17. ita exclamant: Ex hoc facto Romani Pontifices Regna mutandi auctoritatem trahunt. Sed videamus, ne huius hiſtoriæ veritas non ſatis conſtet. nam primùm omnium ex tanto Regum Francorum numero, neminem eſſe conſtat, Papæ auctoritate vel creatum, vel abdicatum. Quid verbis opus eſt? Venericus ille Vercellenſis teſtimonium profert hiſtorici veteris, qui de geſtis Francorum conſcripſerat: quo tota illa narratio refellitur; dilucidèque affirmatur, & Childericum & Pipinum viſitato Frācorum more, veterique inſtituto, illum abdicatum: hunc autem in illius locum ſuffectum fuiſſe: hoc eſt ſolemni gentis conſilio: cuius ſolius tantùm fuiſſe poteſtatem ſuperiùs demonſtrauimus. Illius autem hiſtorici verba hæc ſunt: Quòd vnà cum cōſilio & conſenſu omnium Francorum miſſa relatione ad ſedem Apoſtolicam, & auctoritate percepta, præcelſus Pipinus electione totius gentis ſublimatus ſit in ſedem Regni, cum conſecratione Epiſcoporum, & ſubiectione Principū. Quibus ex verbis ſatis patet, Pipinum non à Papa ſed à populo ipſo & Ordinibus ac Statibus Regni delectum, inauguratúmque fuiſſe. Quod etiam paulò ante dilucidiùs idem Venericus ex eodem Hiſtorico ſic exponit: Pipinum Maiorem palatij cùm ad illum ſpectaret ſumma Regiæ poteſtatis & officij electum fuiſſe primùm ex præfectis palatii in Regem, atque ordinatum fuiſſe: prius ſuper hoc experto Zachariæ Papæ iudicio: quia conſenſus & auctoritas Romani Pontificis neceſſaria huic videbatur negotio. Et mox: Quorum legatorum poſtulationem cùm æquam atque vtilem Zacharias Papa iudicaſſet, ad ea quæ poſtulabant conſenſit, & Pipinus factus eſt Rex communi ſuffragio Principum. In eandem ſententiam Ado Viennenſis Æt. VI. ſub anno 727. ita ſcribit: Miſſi legati ad Zachariam, vt interrogarent eum, ſi ita manere deberent Reges Francorum, cùm penè nullius poteſtatis eſſent, iam ſolo Regio nomine contenti. Quibus Zacharias Pontifex reſponſum dedit, Regem potiùs illum debere vocari, qui Rempubl. regeret. Reuerſis legatis, abiectoque Childerico, qui tunc Regium nomen habebat, Franci per conſilium legatorum & Zachariæ Pontificis electum Pipinum Regem ſibi conſtituunt. Præter illos ſuperiores extat Aimoini teſtimonium in eandem ſententiam lib. 4. cap. 61. vbi ad extremū ita concludit: Hoc anno Pipinus Rex Francorum appellatus eſt, & more Francorum eleuatus in

A ſolium Regni, in Sueſſionum ciuitate. Sed & Godfrid. Viterbien. Chronic. parte 17. cap. 4. Pipinus, inquit, per Papam Zachariam ex electione Francorum rex factus eſt Francorum, Hildrico ignauo Rege per Francos in monaſterium miſſo. Horum ſimilia dilucidè ſcripſerunt Sigibertus ſub anno 752. auctores hiſtoriæ Miſcell. libro 22. Item Otto Friſing. libro 5. cap. 21. 22. 23. & auctor libri cui titulus eſt, Faſciculus temporum: Ex quibus omnibus facilè intellectu eſt, Non ſi Frāci Pipinum exquiſita Papæ ſententia Regem creC arunt, idcirco illum Papæ imperio atque auctoritate creatum fuiſſe. Aliud eſt enim Regem creare, aliud creandi conſilium dare; aliud ius creandi habere, aliud ius conſilij dandi, quamquam conſilij in huiuſmodi rebus dandi ius nemo habet, niſi is à quo petitur. Proferam etiam teſtimonium inſigne, quod mihi ex veteri quodam manuſcripto incerti auctoris libro miſſum eſt, in quo hæc Archiepiſcopi Maguntinenſis ad Pipinum oratio profertur: Galli omnium B ordinum conſenſum hoc diadema regium cùm oneris, tum honoris inſigne capiti tuo mea manu inferunt: teque ſpolijs Childerici exornant, cuius non familiam aut maiorum memoriam, ſed perditiſſimos mores oderunt, tuæ virtutis lucem ſuſpiciunt & amant. Quod ſi tantum lumen in te extingui ſuperbia, aut obſcurari ignauia ſenſerint, quid de te illos facturos putas, quorum beneficio ſtabis, qui in eum qui ſuo iure, non alieno beneficio regnum obtinebat, tam D ſeuerum exercuerunt iudicium? Diſce, igitur Pipine, alieno exemplo, atque periculo, Regem agere, hoc eſt omnem curam & cogitationem in ſalute populi tui collocare. Denique nemo dilucidiùs totam hanc rem explicat Marſilio Patauino, qui imperante Ludouico Bauaro librum de tranſlatione imperij conſcripſit: in quo, capit. 6. ita loquitur: Pipinus filius Caroli Martelli, vir in rebus bellicis ſtrenuus, legitur à Zacharia Papa in Regni Francorum excellenE tiam ſublimatus. Sed Aimoinus in Geſtis Francorum ſcribit, & verius, Pipinum per Francos legitime in Regem electum, & per Regni Proceres leuatum. Childericus verò, qui tum ſub nomine Regio in delicijs marceſcebat, fuit in Monachum tonſuratus. Vnde non illum Zacharias depoſuit, ſed deponentibus (vt quidam aiunt) conſenſit. Nam talis depoſitio Regis, & alterius inſtitutio, propter rationabilem cauſſam, non ad Epiſcopum tantumI modo, neque ad clericum aliquem, aut clericorum collegium pertinet, ſed ad vniuerſitatem ciuium inhabitantium regionem, vel nobilium, vel ipſorum valentiorem multitudinem. Hæc Marſilius. quibus conſentaneum poſtea reperi locum in Appendice Huoibaldi apud Iohannem Tritenhemium: vbi ſcriptum ita eſt: Eodem anno proceres totius Regni conuenientes in vnum ſuper abrogatione Regis Hilderici inutilis, cœperunt habere conſilium. placuit autem in commune omnibus, vt Regem HildeG ricum nullam regnandi vel peritiam, vel poteſtatem habentem deponerent: & Pipinum penes quem totius regni ſumma manebat auctoritas, in Regem ſublimarent. Sed Pipinus in hanc rem conſentire noluit, niſi prius conſilium

Roma-

Romani Pontificis Zachariæ inquiratur, cauſſas allegans ſe mouentes. Hæc illē. quia ex re perſpicuum ſatis eſt, Regum vel creandorum vel abdicandorum ius penes Pontifices R. nec eſſe nec vnquam antea fuiſſe.

De Comeſtabulo, & Paribus Franciæ.

CAP. XVII.

PRÆTER illam Magiſtri Palatij dignitatē, de qua ſuperius diximus, fuit & altera, de qua idcirco dicēdum hoc loco eſt, quia nō multis ab hinc ſeculis, ſed prope Maiorum noſtrorum memoria, videtur in illius locum ſucceſſiſſe. Erant enim Comites ſtabuli Regij, vnde Comeſtabuli, ad extremum Cōneſtabilij poſtea, corrupto nomine, dicti ſunt. Comites autem poſteriorum Imperatorum Romanorum ætate vulgò dicebātur omnes, qui ampliſſimos quoſque honores in Regia obtinebant: & Rempublicam pro parte adminiſtrabant: à qua conſuetudine veteres non abhorruiſſe, alijs quibuſdam libris noſtris docuimus. Sic enim Cicero Calliſthenem Alexandri Magni Comitem non vno loco appellat. Erat autem Comes ſtabuli, ferè is, qui apud Romanos Magiſter equitum dicebatur: hoc eſt, qui equitatui præerat: cui cuſtodes regiorum equorum ſuberāt, quos vulgò Scutieros appellamus. Gregor. Turon. lib. 5. cap. 39. Theſaurarius Clodouei à Cuppane Stabuli comite de Biturigo retractus, vinctus Reginæ tranſmiſſus eſt. Et rurſus capite 48. vbi de Leudaſte loquitur: Quæ libenter eum colligens prouocat, equorúmque meliorum deputat eſſe cuſtodem. Hinc iam obſeſſus vanitate, & ſuperbiæ deditus, Comitatum ambit ſtabulorum: quo accepto, cunctos deſpicit ac poſtponit. Quibus ex locis apparet, cuſtodiam equorum præfecturam fuiſſe honeſtiſſimam, ſed multò ampliorem Comitatum Stabulorum. Cuius rei Aimoinus quoque auctor eſt libro 3. capite 43. vbi de eodem Leudaſte loquitur: Reginæ familiariſſimus factus, cuſtos equorum efficitur. Inde Comitatum ſuper ceteros nactus cuſtodes, poſt mortem Reginæ Comitatum Thuronicum à Chariberto percepit. Et rurſus capite 70. Leudegiſilus Regalium præfectus equorum, quem vulgò Coneſtabilem vocant, quemq́ue Rex ei præfecerat expeditioni, machinamenta deduci imperat. Item libro quarto capite 95. vbi de Carolo Magno loquitur: Eodemq́ue anno Burchardum Comitem Stabuli ſui cum claſſe miſit in Corſicam. Quod Regino libro 2. commemorans: Eodem anno, inquit, Borchardum Comitem Stabuli ſui, quem corruptè Conſtabulum appellamus, cum claſſe miſit in Corſicam. Hunc autem appendix Gregorij Comeſtabulum appellat, libro vndecimo: Brunechildis, inquit, ab Erporre Comeſtabulo de pago producitur. Quòd cùm ita eſſet, Albert. Krantzius libr. Suet. 5. capite 41. auſus eſt Conneſtablium affirmare, eundem eſſe, quem Germani Marſchallum appellant. Gubernatorem, inquit, appellauere ex Optimis militem, qui conuocandis Regni cœtibus & omnia vice Principis gerendi habeat poteſtatem. Marcſchalcum noſtri vo-

A cant: Galli Conneſtabulum. Hæc ille. quæ fortaſſis eo probabiliora videri poſſunt, quod Mareſchallorum nullam in Francogallia noſtra mentionem antiquitus animaduerto: vt veriſimile ſit, Regum poſteriorum inſtitutum illud fuiſſe, ad Germanorum conſuetudinem accommodatum. Vtcunque ſit, vetus hoc verbum eſſe patet etiam ex Annalib. Anglicis Thomæ walſinghamij: vbi ſub anno 1293. ita ſcribit: Moxq́ue Rex Francorum præcepit conſtabulario
B Franciæ, vt in manu armata ducatum Aquitaniæ regis Francorum nomine occuparet. Hunc autem ſtabulorum Comitatum non dubito à Romanorum Imperat. inſtituto natum fuiſſe: etſi ex paruis initijs tandem moribus noſtris ad præfecturæ prætoriæ dignitatem excreuit. Erat autem per illa tempora dignitas hæc tanquam militaris Tribunatus. Ammia. li. 26. vbi de Imp. Valentiniano loquitur: Nicomediam itineribus certis ingreſſus, Kalen. Martijs Valentem
C fratrem ſtabulo ſuo cum Tribunatus dignitate præfecit. Eius dignitatis in Cod. Iuſtiniani mentio fit l. 1. C. de comitibus & tribunis ſchol. vbi magni honoris loco illis tribuitur, vt Imperatoris epulis præeſſe, & purpuram eius adorare poſſint. Itemq́ue in l. 3. C. Theodoſ. de annon. & tribut. & l. perpenſa, 29. Cod. Theodoſ. de equor. collat. & l. 1. C. Theo. qui à præbit. tyron. vbi ius illis conceditur ſportulas exigendi à prouincialibus, qui militares equos ad vſum
D Imperatoris conferebant. Supereſt, vt de ijs magiſtratibus diſſeramus, qui volgò PARES FRANCIÆ nominantur: quamquam nobis quidem non ſtudium, ſed monimentorum facultas deeſt. Nam ex tanto librorum numero, qui Francogalliæ Annales & Chronica dicuntur, ne vnus quidem adhuc editus eſt, in quo probabilis aliqua illius inſtituti ratio proferatur. Quod enim Guaguinus & Italus quidam Paulus Æmilius non tam Regum Galliæ hiſtoricus, quàm
E Paparum aſſentator mercenarius, & alij neſcio qui vulgo ſcribunt, magiſtratus illos vel à Pipino, vel à Carolo Magno inſtitutos fuiſſe: id planè abſurdū eſſe, vel hinc licet intelligatur, quòd ex tam multis Germanis Hiſtoricis, qui regum illorum ætate, aut paulò infra eorum ætatem hiſtorias ſcripſerunt, nullus planè Magiſtratuum illorum mentionem vel tenuiſſimam interpoſuit. Quinetiam Aimoini de Francorum inſtitutis & rebusgeſtis hiſtoria, vſque ad Ludo-
F uici Pij, eiúſque Appendix ad Ludouici Iunioris Regis XXXVII. ætatem perducta, nuſquam horum Parium mentionem facit. Quare tantiſper dum certius aliquid afferatur, inſtitutum ad illud Hugonis Capeti regnum referendum arbitrabor: qui cùm remoto herede legitimo regnum occupaſſet, proceres aliquot nouo quodam honore ac beneficio ſibi deuinciendos putauit, nam eiuſmodi aliquid ab illo factum omnes conſentiunt. Eius autem inſtituti exem-
G plum facilè intelligitur ex Feudali iure ſumptum fuiſſe: quo iure Vaſſalli qui ab eodem Seniore ac patrono feuda receperunt, Pares inter ſe, hoc eſt, quaſi ὁμότιμοι, appellantur. quorum triplex hæc poteſtas eſt: primum, vt qui in vaſſallorum ordinem cooptantur, pro eorum collegio cooptentur: lib. Feud. 2. titul. 2. tum vt ro-

gari teſtimonium de inueſtitura dicant: libro 2. titulo decimonouo. poſtremò, vt ſi qua vel inter ipſos, vel inter Seniorem & inter ipſos controuerſia exoriatur, ipſi iudicium & ciuile & criminale exerceant. libro ſecundo, titulo 46. & titul. 52. & titulo 55. Et profectò, ita eſt, vt Pares Franciæ hoc iure ſint: primùm vt neque inaugurari, niſi pro collegio, neque abdicari, niſi cauſſa in conſilio cognita, neque ad aliud vllum niſi ad collegarum iudicium, vocari poſſint. quanquam Pariſienſis Senatus hanc ſibi auctoritatem adſciuit, vt Pares cauſſam apud ſedicere iubeat. Ac Budæus quidem vir longè doctiſſimus, Pares illos Patriciorum nomine appellat: ſcribitque videri ſibi ab vno aliquo Rege inſtitutos, ex eorum numero, qui Germanicum Imperium obtinuerunt: propter ea quod Iuſtinianus Patres eos ab imperatore delectos eſſe ait, quaſi Reipubl. patronos, tutoreſque. Ego verò doctiſſimi viri ſententiam non aſpernor: præſertim à Parium dignitate non alienam. Fuit enim Romanorum Imperat. poſteriorum ætate Patriciatus, dignitas ab illa Parium non admodum diſſimilis: partim quòd Reipublicæ quodammodo patres erant, vt Suidas teſtatur: & de ſummis quibuſque rebus ab Imperatore conſulebantur: inſignibúſque iiſdem, quibus Conſules, vtebantur, ac maiorem quidem Præfecto Prætorio, minorem autem Conſule, honorem atque auctoritatem habebant. Quod ex Iuſtiniani Nouellis, & Sidonio Apollinari, & Claudiano, & Caſſiodoro præſertim cognoſci poteſt. Sed tranſlato in Germanos Imperij nomine, vſurpatum hunc honorem non arbitror. neque veriſimile eſt, vllos huiuſmodi Patritios ab aliquo Germanico Imperatore, qui idem Francogalliæ Rex eſſet, inſtitutos fuiſſe, vt non aliquis ex Germanis hiſtoricis eius mentionem feciſſet. Denique idem Budæus, eodem loco hæſitans, commemorat eiuſmodi Parium dignitatem apud ceteras quoque vicinas gentes fuiſſe: atque in Regijs Commentarijs ſcriptum eſſe: anno MCCXXIIII. Ioannem quendam Nigellanum Flandrum, cui controuerſia in Flandria illata eſſet à Comitiſſa Flandriæ, ad Pares Franciæ appellaſſe: quòd æquo iudicio apud Pares Flandriæ certare ſe non poſſe iuraſſet. cúmque à Comitiſſa ad Parium Flandriæ iudicium reuocaretur, tandem certis de cauſſis decretum fuiſſe, vt ea controuerſia ad Pares Franciæ introduceretur. Cauſſa autem tranſlati iudicij cuiuſmodi fuerit, neque Budæus exponit: & qui in iure feudali verſatus fuiſſet, nunquam prætermiſiſſet. Verū vt iā huius magiſtratus inſtitutum paulò planius ac certius exponamus: primùm omnium, vt iam antè dixi, conſtare inter omnes arbitror, nullam Parium nominis, neque apud Germanos, neque apud Gallos hiſtoricos ante Capeuingiorum regum mentionem inueniri. Sed quoniam eruta quædam nuper vetuſtatis monimenta video, atque in lucem edita, in quibus illorum Parium iura non minima ex parte deſignantur, operæpretium eſſe arbitror quæ ex illis commentarijs obſeruauimus, breuiter exponere: idque eò lubentius, quod ab eo ipſo, à quo illi commentarij nuper

A euulgati ſunt, in aliam partem ac veritas & ratio poſtulat, contorquentur. Ergo eorum quidem inſtituendorum cauſſam duplicem video fuiſſe: primùm, vt regis inaugurationi atque (vt tum loquebantur) inueſtituræ præeſſent. hoc eſt, vt regem imperij ſui inſignibus, atque infulis ſollenniter in Principum atque Optimatum conuentu exornarent. deinde vt ſi quis è Potentium & Principum Franciæ numero fraudis capitalis reus fieret, iudicium illud exercerent. nā
B cùm antiquitus ea iudicia in publico Gentis Cōcilio exercerentur (vt ſuperius copioſè demonſtratum eſt) atque is mos Maiorum paulatim à Capeuingiorum inſtituto ad iuridiciale parlamentum (de quo poſterius dicemus) traduci cœpiſſet: neque Principes regni facilè illi parlamento ſuas fortunas committendas putarent, Regibus illis ad ſuas rationes commodiſſimum fore viſum eſt, præter illius parlamenti curiam, ſuum hunc Parium conſeſſum inſtituere, quæ Parium
C curia vocitata eſt: quorum tamen ordo ac numerus aliquandiu varius fuit. neque enim Duodecim viri ſemper fuerunt, vt eos ipſos à quibus hæc monimenta prolata ſunt, ariolari video: ſed interdum plures, interdum pauciores erant: prout Regi, à quo in ſummi honoris ac beneficij loco magiſtratus ille deferebatur, commodum videbatur. Id quod ex infraſcriptis monimentis cognoſcere licebit: quorum antiquiſſimum eſt ſub anno MCCXVI. hoc eſt ſub
D Rege Lodouico Craſſo: Iudicatum eſt à Paribus Regni noſtri, videlicet à Rhemenſi Archiepiſcopo, Willel. Lingonen. Guillelmo Cathalaunenſi, Ph. Beluacenſi, Stephano Nouiomenſi epiſcopis, & Odone Duce Burgundiæ, & à multis alijs Epiſcopis & Baronibus noſtris, videlicet Altiſiod. R. Carnut. G. Siluanect. & I. Lexouienſi Epiſcopis, & Comite Pontiui, R. Comite Drocarum, B. Comite Britanniæ, C. Comite S. Pauli, wil. de rupibus. Seneſc. Andeg. Wil.
E Comite Iuuigniaci, I. Comite Bellimontis, & R. Comite Alencon. nobis audientibus. & iudicium adprobantibus, &c. Quibus ex verbis cognoſci poteſt, non eoſdem fuiſſe per id tempus Pares Franciæ, qui poſterioribus temporibus fuerunt: magnámque illorum partem, pro illorum temporum ſuperſtitione, Archiepiſc. & Epiſcopos fuiſſe. Nam cùm Epiſcopales ſedes ijs in locis conſtituerentur, quibus opima & fructuoſa prędia & tanquam ſatrapiæ attributæ Regum libe-
F ralitate fuerant, facilè cum illis opibus ſuperbia Sacerdotum creuit: ac tum præſertim cùm ſacerdotia & Epiſcopatus non propter muneria Eccleſiaſtici functionem, ſed propter opum & potentiæ magnitudinem ad homines illuſtri familia natos deferri cœpti ſunt. Hinc illud Sigeberti ſub anno n. Collatis à Clodoueo rege multis prædijs Eccleſiæ Rhemenſi, Remigius multa eorum parte data Eccleſiæ Laudunenſi ſedem Epiſcopatus ibi eſſe conſtituit. Sed ad Parium
G inſtitutum redeamus. nam ex alijs commentarijs aliud Parium iudicium aduerſus Petrum Mauelerum, (id eſt, maledoctum) Armoricæ Britanniæ Principem, his profertur verbis: Ex anno MCCXXX. Galterus Dei gratia Senonenſis Archiepiſcopus, Galterus eadem gratia Carnotenſis & Guillelmus Pariſienſis Epiſcopi,

Comes

Comes Flandriæ, Th. Comes Campaniæ, Comes Niuernenſis, Comes Bleſenſis, Comes Carnotenſis, Comes Montisfortis, Comes Vindocinenſis, Comes Rociacæ, Matthæus de Montmorencio Franciæ Conſtabularius, Iohannes Sueſſionenſis, Stephanus de Sacrocæſare, Vicecomes Bellimontis, &c. notum facimus, quòd nus coram chariſſimo domino noſtro Ludouico Rege Franciæ iudicauimus vnanimiter, quod Petrus quondam Britanniæ Comes, propter ea quæ eidem domino Regi fors fecerat, Baillium Britanniæ per iuſtitiam amiſit, & quod Barones Britanniæ & alij qui ei fecerunt fidelitatem vel homagium ratione illius Baillij, ſunt penitus abſoluti, & quieti ab illa fidelitate & homagio, &c. Sed aliud inſignius profertur, ea anno MCCCXV. ſub Rege Ludouico Hutino, ex quo intelligitur primùm quam ſæpe Parium dignitas varijs Principibus attributa fuerit: deinde ad illorum iudicia nonnullos inſuper alios è Franciæ proceribus & ſatrapis Epiſcopis adhiberi ſolitos: poſtremo in illorum numero interdum etiam Reges ac principes exteros fuiſſe, ſiquidem ſatrapiam aliquam ex ijs, quibus Pariatus dignitas attributa fuerat, poſſidebant. Verba autem illius Commentarij hæc ſunt: Nos Pares ſupradicti ad requeſtam & mandatum Regis venimus in ſuam curiam Pariſius, & fecimus & tenuimus curiam cum duodecim alijs perſonis, prælatis, & alijs altis hominibus, Archiepiſcopo Rothomagi, Epiſcopis Briocenſi & Maclouienſi, Philippo filio Regis Franciæ, Comite Pictauienſi, Lodouico Ebroicarum Comite, Carolo Comite Marchiæ, Guidone Comite S. Pauli, Gaocherio dom. Caſtellionis & Portiani, Comeſtabili Franciæ, primogenito Comitiis Claromontis, Io. dom. Claromontis & Caroleſij, dom. de Marcueil, & Milone dom. de Noyers, à nobis electis ad iudicandum nobiſcum, tanquam curia paribus munita regis auctoritate: qui dixit ſe non poſſe plures Pares habere: quia Dux Aquitaniæ, nempe rex Angliæ, qui vocatus fuerat, ſe excuſauit ob bellum Scotorum: Dux Burg. quoque excuſauit ſe propter certam exoniam: Epiſc. Nouiodunensis mortuus erat: & Carbalaunen. Epiſco. pro certis cauſſis in carceribus detinebatur, &c. His inſignibus vetuſtatis teſtimonijs accedat etiam illud quod ea commentariis anno MCCCLA. prolatum eſt: vnde intelligi poteſt, primum quod iam aliquoties diximus, certum quidem ac definitum Parium numerum fuiſſe, ſed eius arbitrium ſummum penes regiam poteſtatem fuiſſe: deinde honorem illum non *Patriciatus*, vt Budæus & Budæum ſecuti crediderunt: ſed *Pariatus* nomine appellatum fuiſſe: quanquam poſterioribus ſeculis Paritatis quoque & ea Gallicæ linguæ conſuetudine *Perria* nomen illi tributum eſt. Verba autem illius commentarij hæc ſunt: Et cum huiuſmodi Ducatus dignitatis nomine, honorem ſuperaddentes honori, Parem Franciæ ipſum fecimus, ſtatuentes auctoritate prædicta vt ipſe, quamdiu vixerit in humanis, & dicti eius heredes maſculi de matrimonio legitimo procreati, poſt eius obitum Duces Bituricenſes & Aruerniæ ac Pares Franciæ nominentur, omníque Ducatus & Pariatus honore cum nomine,

A iure, & quacunque alia prærogatiua lætentur, &c. Eiuſdemmodi ferè illud diploma eſt regia Iohann. ſub anno 1363. vbi honos ille non *Patriciatus* ſed *Pariatus* appellatur: Ducatum Burg. in Pariatu, & quicquid iuris & proprietaris habemus in eodem, nec non in Comitatu B Burg. ex ſucceſſione Philippi vltimi, ducis conſanguinei noſtri, chariſſimo Philip. filio noſtro conceſſimus tenenda & poſſidenda per eum, & heredes ſuos in legitimo matrimonio, ex proprio corpore procreandos, perpetuò, hereditariè, pacificè & quietè. Sed poſterioribus temporibus *Paritatis* & *Perria* verbum (vt ſuperius diximus) ex popularia linguæ conſuetudine vſurpari cœpit: vt ea cõmentariis anni MCCCCXIIII. cognoſci poteſt, in quibus ita ſcriptum eſt: Eundem Iohannem conſanguineum noſtrum ampliori volentes fulgere dignitate, & Comitis titulum ſupradictum in maiorem excelſiotémque mutantes, C dictum Iohannem conſanguineum noſtrum, in Ducem tenore præſentium ſublimamus: dictumque Comitatum Alencomj erigimus in Ducatum, volentes vt prædictus Ducatus in Perria ſeu Paritate nobis teneatur: ſub forma tamen & modis quibus antea idem Iohannes ſæpedictum tenebat Comitatum. Atque hæc quidem ea Cõmentarijs Gallicis, vt dixi, prolata ſunt: in quibus illud quoque notatione dignum eſt, quod dici & commemorari video: ſed tamen ſine teſte: cùm D Dux Armoricus læſæ maieſtatis reus factus eſſet, magnopere quæſitum, à quibus iudicium illud exerceretur: ac tandem cùm Philippus Audax Burgundus idem ex Rege quæſiſſet, Regem de conſilij ſententia pronunciaſſe, Parem nonniſi in Parium iudicium adduci poſſe. VI. Non. Mart. ann. MCCCXXXVI. ac rurſus Regi Carolo ſeptimo quærenti à Senatu Pariſienſi, apud quos Pares rei capitalis rei fieri poſſent, idem reſponſum fuiſſe: XII. Kal. Maij, ann. E MCCCCLVIII. quod (vt ſuperius diximus) iuri feudali plane conſentaneum eſt. Sed iam tempus eſt ad inſtitutum noſtrum redire.

De continuata ſacroſancti Concilij auctoritate ſub Carlouingiorum Regno.

CAP. XVIII.

CVIVSMODI regnantibus Merouingijs F Reip. noſtræ forma fuerit, quantáque Concilij publici auctoritas, ſatis iam explicatum arbitramur. nunc conſequens eſt, vt qualis ſub Carlouingiis fuerit, exponamus. Quantum enim ex omnibus & noſtris, & Germanicis hiſtoriis exiſtimare licet, eadem prorſus Ordinũ, ſiue Statuum auctoritas conſeruata eſt: vt non penes Pipinum aut Carolum, aut Ludouicum, ſed penes regiam maieſtatem ſummum rerum omnium iudicium arbitriúmque eſſet: cuius Maieſtatis veram propriámque ſedem ſummo mul- G torum ætatum conſenſu in ſolenni Concilio fuiſſe, ſuperiùs demõſtrauimus. Huius autem rei documento eſt, primùm, Regino lib. Chron. 2. ſub anno DCCCVI. vbi de Carolo Magno loquens: Imperator, inquit, cum primoribus & optimatibus Francorum, de pace conſtituenda & con-

ſeruanda inter filios ſuos & de partitione regni placitum habuit. Et mox: De hac diuiſione teſtamentum interpoſitum fecit, quod per ſacramentum à Francis confirmatum eſt. Eiuſdemmodi eſt Eguinarthi teſtimonium, in eo quem aliquoties iam laudauimus libello: vbi cùm ea quæ poſt Pipini mortem acciderunt exponit, ita loquitur: Franci ſiquidem facto ſollemniter generali conuentu ambos ſibi reges conſtituunt: ea conditione præmiſſa, vt totum regni corpus ex æquo partirentur: & Carolus eam partem quam pater eorum Pipinus tenuerat, Carlomannus verò eam cui patruus eorum Carolomannus præerat, regendi gratia ſuſciperet, &c. Quibus ex verbis perſpicuum eſt, quam poteſtatem antea trecentis paulò minus annis ſub Merouingiis regni ordines habuerant, eandem poſt illius interitum ſibi retinuiſſe: vt quamuis defuncti regis filij exſtarent, tamen non tam hereditario iure, quam ordinum iudicio & voluntate ad regnum peruenirent. Itaque ſi regis filius impubes relictus erat, Tutor ei in populi comitiis ecabatur. Aimoinus lib. 5. c. 42. Ludouico, inquit diem ſuum obeunte, Carolus filius eius, qui Simplex poſtea dictus eſt, in cunis æuum agens patre orbatus remanſit. Cuius ætatem Franciæ primores incongruam (vt erat) exercendæ dominationi arbitrati, conſilium de ſummis ineunt rebus. Ibi Odonem Franci, Burgundi Aquitanienſéſque proceres congregati in vnum, tutorem Caroli pueri, regniq́; elegere gubernatorem. Iam verò cetera quoque maiora regni negotia ad illud idem Concilium referri ſolita, teſtimonio eſt Regino l. Chr. 2. Anno, inquit, DCCLXIII. rex Pipinus habuit placitum ſuum in Niuernis. Et mox: Anno 864. rex Pipinus habuit placitũ ſuum in wormacia. Item ann. 866. rex Pipinus habuit placitum ſuum apud Attiniacum. Et mox: Habuit placitũ ſuum in Aurelianis ciuitate. Sed & Aimoinus lib. 4. cap. 71. vbi de Saxonum bello loquitur: Rex, inquit, prima veris aſpirante tẽperie, Nouiomagnum profectus eſt, & ad locum qui Padabruno vocatur, generalẽ populi ſui conuentum habiturus cum ingenti exercitu in Saxoniam profectus eſt. Et rurſus cap. 77. Tranſacta tandem hyeme, publicum populi ſui conuentum in loco qui Padabruno vocatur, more ſollẽni habuit. Item, cap. 79. Et cùm vxorem ſuam Wormaciæ inuenisſet, generalem populi ſui conuentum ibi habere ſtatuit. Quo loco & aliis ſuperioribus perpetuo de Carolo rege loquitur, qui cùm Europæ ferè totius regnum magnis ſuis rebus geſtis adeptus eſſet, Magnique cognomentum gentium omnium conſenſu conſecutus, Francis tamen priſtinum illud ſuum ius ac libertatem eripere non potuit: ac ne conatus quidem vnquam eſt, maiorem vllam rem ſine populi iudicio & Optimatum auctoritate ſuſcipere. Iam verò poſt Caroli Magni è vita exceſſum, non dubium eſt, quin Ludouicus eius filius eadem conditione regnum adminiſtrarit. Nam appendix Aimoini lib. 5. c. 10. Mortuo, inquit, Carolo, Ludouicus Imperator concilium populi generale, quaſi quodam indixerat præſagio, in loco Theotuadi. Rurſus cap. 38. vbi pactionem pacis commemorat factæ inter Ludouicum regem, & Ludouicum ipſius conſobri-

A num: Condixerunt, inquit, placitum, & in ipſo placito hæc quæ ſequuntur inter eos conſenſu fidelium ſuorum ſeruanda conuenerunt: in quo placito communi conſenſu inuentum eſt, vt ipſi reges redirent cum ſcara. &c. Item ca. 41. vbi de Carolomanno Ludouici Balbi filio loquitur: Et ſic, inquit, reuerſus wormaciam placitum ſuum Kal. Nouemb. habiturus a Nortmannis receſſit. Item auctor Annalium Rhemenſium, ſub anno DCCCCXXXV. Hoc rege Rudolpho Laudani degente tumultus ipſo die ſancti Paſchæ

B inter Regios & Epiſcopi milites exoritur: vbi nonnulli non modò laici, verùm etiam clerici vulnerati, & interempti. Vnde Rex placitum Sueſſionis cum Regni primatibus habuit. Sed multò planius ſub anno DCCCCXLVI. cùm de Rege in Regnum reſtituendo ageretur: Edmundus, inquit, Anglorum Rex legatos ad Hugonem principem pro reſtitutione Ludouici Regis dirigit: & idem princeps proinde conuentus publicos cum nepotibus ſuis aliiſque regni pri-

C matibus agit. Et paulò poſt: Hugo Dux Francorum adſcito ſecum Hugone filio Richardi, ceteriſque regni primatibus, Ludouicum Regem, qui ferè per annum ſub cuſtodia detinebatur, in regnum reſtituit. Quin ne illud quidem prætermittendum eſt, quod eorundem Annalium auctor PLACITVM REGALE hoc publicum Gentis Concilium appellat: veluti ſub anno 961. Otto filius Hugonis quondam Principis ad

D Regem Lotharium in ipſis feſti paſchalis diebus Laudunum venit. ſed & à nonnullis tam Franciæ quàm Burgundiæ PLACITVM REGALE, diuerſorúmque conuentus principum Sueſſionis habetur. ad quod impediendum (ſi fieri poteſt) Richardus filius wilhelmi Nortmanni accedens, à fidelibus Regis quibuſdam peruaſus, & interemptis ſuorum nonnullis in fugam conuerſus eſt. Sed ſingula teſtimonia perſequi laboris eſſet infiniti, &, vt opinor, ſuperuacanei. Nam ex iis quæ vſque adhuc protulimos pa-

E tere cunctis arbitramur, iudicium arbitriúmque ſummæ Reip. vſque ad Carolũ Simplicem, hoc eſt, per annos amplius quingentos & quinquaginta penes populi comitia, & (vt nunc loquimur) ſtatuum ſiue Ordinum conuentum fuiſſe: idque Maiorum noſtrorum inſtitutum pro ſacroſancto habitum tot ſeculis fuiſſe; vt iam Scriptorum quorundam recentium ſatis admirari iudicium non poſſim, quos non eſt pudi-

F tum, ſuis in libellis tradere, Concilij publici inſtitutum Pipino Regi accepto ferendum eſſe: cùm Eguinarthus Caroli Magni Cancellarius tam dilucidè teſtetur, Merouingiorum omnium inſtitutum fuiſſe, vt quotannis Kalend. Maij publicum populi ſui agerent, ad eumque conuentũ carpento bobus tracto veherentur.

De ſumma inter Regem & Regnum differentia.

G

CAP. XIX.

VERVM vt maiore in armento operam ponamus, atque in illo inſtituto maiorũ noſtrorum ſapientiam, tanquam in ſpeculo contemplemur, an non ex iis quæ hactenus dicta ſunt perſpicuum eſt, quantam illa

inter Regem & regnum differentiam conſtituerint? Etenim ſic ſe res habet: Rex, princeps eſt vnicus ac ſingularis ac tanquam caput Reipublicæ: Regnum verò ipſa ciuium ac ſubiectorum vniuerſitas, & quaſi corpus Reipublicæ. quam diſtinctionem Iuriſconſulti quoque obſeruant. Nā perduellem Vlpianus definit, qui hoſtili animo aduerſus Rempublicam vel Principem animatus eſt. Item in Inſtit. tit. vlti. lex Iulia maieſtatis in eos qui contra Imperatorem vel Rempublicam aliquid moliti ſunt, vigorem ſuum oſtendit. Paulus lib. Sent. v. Qui de ſalute Principis, vel de ſumma Reipub. vaticinatores conſulit, cum eo qui reſponderit, capite punitur. Sic in legibus Saxonicis titulo tertio. Qui in Regnum, vel in Regem Francorum conſiliatus fuerit, capiſe punitur. præterea Rex eandem cum Regno rationem habet, quam Pater cum familia: Tutor, cum pupillo: Curator, cum adoleſcente: Gubernator, cum nauigante & vectoribus onuſta naue: paſtor cum grege: Imperator, cum exercitu. Vt igitur non pupilli tutoris, non nauis gubernatoris, non grex paſtoris, non exercitus imperatoris: ſed contrà hi cauſſa illorum inſtituti ſunt: ita non populus Regis, ſed Rex populi cauſſa, quæſitus ac repertus eſt. Poteſt enim populus ſine Rege eſſe, veluti qui optimatum aut ſuo ipſius conſilio paret, itémque in interregno. At ſine populo ne fingi quidem cogitando Rex poteſt: non magis quàm paſtor ſine grege. Quamobrem (inquit apud Xenophontem Socrates ἀπομν. γ.) exiſtimas Homerum appellaſſe Agamemnonem ποιμένα λαῶν? id eſt paſtorem populorum. an nō ideo, quia ſicuti paſtor curare debet, vt oues ſuę ſint incolumes, neq; iis quicquam deſit: ita Regis officium eſt, curare vt ſui ciues beati ac fortunati ſint. Agè, ceteras differentias videamus. Rex, æquè vt quiuis priuatus, mortalis eſt: Regnum perpetuum, & certè (vel omnis cauſſa) immortale: vt Iſocrates in Orat. de pace, de Ciuitatibus locutus eſt: Iuriſconſulti autem de collegiis & vniuerſitatibus: Eo accedit quòd Rex mentis errore, inſaniaque affici poteſt, vt noſter Carolus VI. qui temerè Regnum ſuum Anglis donauit: At regnum ſuam habet in ſuis Senioribus & Optimatibus, & vſu rerum peritis propriam certamq;, tanquam in capite ciuitatis, ſapientiam. Item, Rex vno prælio, vno inquam die, vinci, capi etiam, atque in hoſtium poteſtatem cadere, & vinctus in eorum fines abduci poteſt: quod in Ludouico Sancto, & Iohanne & Franciſco primo, vſuueniſſe nemo ignorat. Regnum autem amiſſo Rege incolume tamen manet: tantòque accepto incōmodo repente publicum Concilium indicitur, primores conueniunt: & communi conſilio præſentibus incommodis remedium ac ſubſidium quærunt. quod etiam illis caſibus factum conſtat. Rex vel ob ætatis infirmitatem, vel ob ingenii leuitatem, non modò ab vno & altero conſiliario auaro, rapaci, libidinoſo: non modò ab adoleſcentibus æqualibus induci ac deprauari poteſt: verumetiam à muliercula infatuari, ſic vt omnem prope adminiſtrandi regni poteſtatem ei committat. cuius mali exempla quàm ſæpe acciderint, pauci, vt opinor, in noſtris verſati Annalibus ignorant.

A At regnum, Seniorum ſuorum conſilio & ſapientia, perpetuò fretum eſt. Salomon ſapientiſſimus, tamen à mulierculis, etiam in ſumma ſenectute corruptus eſt. Roboamus ab adoleſcentibus: Ninus à matre Semiramide: Ptolomæus, Auletes cognomento dictus, à tibicinib. & citharœdis. Maiores noſtri Regibus ſuis priuatos ſuos conſiliarios, qui priuata ipſorum negotia curarent, reliquerunt. Seniores, qui Rempubl. adminiſtrarent, & in commune conſulerent, Regique adminiſtrandi Regni rationem

B oſtenderent, ad conuentum publicum reſeruarunt. Anno MCCCLVI. cum Rege Iohanne capto ab Anglis, & in Angliam adducto, publicum Regni Concilium Lutetiæ haberetur: eóque nonnulli ex Regis conſiliariis conueniſſent: iuſſi ſunt è conuentu excedere: denuntiatúmque illis fuit, publici Concilii delectos non amplius conuenturos, niſi illi ad auguſtum illud Regni ſacrarium adire deſinerent. cuius rei te-

C ſtimonium extat in Magno Chron. Gallicè ſcripto vol. 2. ſub rege Ioanne, fol. 169. Neque verò vlla vnquam ætas fuit, quæ non certam illam atque animaduertendam inter Regem & Regnum differentiam notaret. Rex Lacedæmoniorum (vt Xenophon teſtatur) & Ephori qui tanquam cuſtodes & obſeruatores ipſius erant, ſingulis menſibus iureiurando fidem inter ſe dabant: Rex, ſe ex legum præſcripto regnaturum: Ephori, ſe Regium dominatum conſeruaturos,

D ſi modò ipſe iuſiurandum ſeruaſſet. Cicero in Epiſt. ad Brutum, Scis mihi ſemper placuiſſe, nō Rege ſolùm, ſed regno liberari Rempu. Idem libr. De legib. 3. Sed quoniam Regale Ciuitatis genus probatum quondam, poſtea non tam Regni quam Regis vitiis repudiatum eſt, nomen videbitur tantum Regis repudiatum, &c. Idem Philipp. II. Si enim adfuiſſem, non ſolùm Regem, ſed etiam regnum de Rep. ſuſtuliſſem. Sed eius differentiæ nullum nobis planius Maiores no-

E ſtri documentum reliquerunt, quàm in Magiſtratuum iure & appellatione. nam qui à Rege dignitatem aliquam in Regia obtinent, & Regis miniſtri appellantur, & eo vel mortuo vel abdicato, repente dignitatem amittunt, Regis denique arbitrio ſua illis dignitas, quaſi precariò rantum conceſſa, adimitur. Cuiuſmodi ſunt qui vulgò Magiſtri Hoſpitii Regis appellantur, & Camerarii Regis, & Magnus venator Regis & alii aulæ regiæ officiales. At qui regni & Rei-

F publ. vniuerſæ magiſtratus erant, eos Maiores noſtri adiecto ampliſſimo FRANCIÆ nomine deſignarunt: quem morem etiam nunc retinemus: vt cùm dicimus Comeſtabulum FRANCIÆ: Amiralium FRANCIÆ: Cancellarium FRANCIÆ. & cum antiquitus non à Rege, ſed à populo eas dignitates acciperent, neque ipſius morte aut mutatione deſinebant: neque ipſius arbitrio abdicabantur. itaque ne nunc quidem magiſtratus illi ſummi quos vulgus CORONÆ

G OFFICIALES appellat, Rege mortuo magiſtratus eſſe deſinunt: neq; iis adimi dignitas, niſi cū vita, hoc eſt niſi rei capitalis damnatis poteſt. quin ne illud quidem ſummæ populi poteſtatis argumentum prætermittendum eſt, quòd quibus tribus in rebus Reip. ſumma conſiſtit, te militari, iuriſdictione, & ærario; iis rebus qui cum

ſummo imperio præfecti ſunt, non à rege, ſed à Regno & Francia denominantur. nam vt modò diximus is ad quem rei militaris ſumma pertinet, Comeſtabulus, aut Mareſcallus, aut (vt Sigebertus teſtatur) Seneſchallus FRANCIÆ dicitur: qui verò claſſi & maritimis copijs præeſt, Amiralius FRANCIÆ: qui iuriſdictioni, Cancellarius FRANCIÆ: qui tributis & ærario, Queſtor generalis FRANCIÆ.

De Capeuingorum familia, & Regno Francogalliæ in illum translato.

CAP. XX.

Demonſtratum eſt ſuperiùs, Regnum Francogalliæ his mille docentis annis in tribus tantùm familiarum nominibus verſatum eſſe: quarum prima Merouingia, altera Carolouingia, ex auctorum & capitum nominibus appellata eſt. Nam etſi non hereditate (vt iam ſæpe docuimus) ſed Concilij iudicio Regni ſucceſſio deferretur, libenter tamen Franci Germanorum ſuorum inſtitutum retinebant, vt Reges ex nobilitate (quemadmodũ Tacitus loquitur) Duces ex virtute ſumerent: ac plerumque Reges eos ſibi deligerent, qui Regali ſanguine prognati, regaliter inſtituti, educatique fuerant: ſiue illi ex liberorum, ſiue ex propinquorum numero & gradu eſſent. At anno 987. mortuo Ludouico v. Rege Frãcogalliæ xxxi. & ex Carolouingiorum ſtirpe, xii. migratio ſceptri, regnique mutatio contigit. Nam cùm ex illa familia Carolus Lotharingiæ Dux ſupereſſet, regis demortui patruus, ad quem inſtituto Gentis regni ſucceſſio deferenda videbatur: exortus eſt Hugo Capetus. Imper. Ottonis I. ſororis Hauuidis nepos, Hugonis Comitis Pariſienſis filius: vir militari laude inſignis, qui ſe præſentem abſenti: bene de regno meritum, alieno, vt ipſe loquebatur, præferri voluit. nam cùm inter Germaniæ imperium & regnum Galliæ controuerſiæ aliquot extitiſſent, Carolus partium ſe imperij ſtudioſum, & à Galliæ regno alieniorem oſtenderat. Qua de cauſſa Gallorum complurium animos ac voluntates ab ſe abalienauerat. Itaque Carolus comparato exercitu, in Galliam irrupit, ciuitateſque aliquot deditione accepit. Capetus Francorum Principum fauore atque amicitia fretus, ad Laudunum oppidum, quod eſt in Campaniæ finibus, coactis, quibus potuit copijs, progreſſus eſt. neque ita multò poſt prælium atrox committitur: quo Capetus ſuperatus, in interiorem Galliam profugit, bellúmque nouis coactis copijs, redintegrare inſtituit. Carolus interea in oppido Lauduno cum vxore, dimiſſo exercitu, quieſcebat. Anno inſequenti circumuentus à Capeto, magniſque copijs ibidem circumſeſſus eſt. Erat in oppido Anſelmus quidam, eius ciuitatis Epiſcopus. Hunc Capetus præmijs & pollicitationibus ad regis & oppidi proditionem induxit. Ita oppido & victoria potitus, Carolum cum vxore comprehenſum Aureliam mittit: cuſtodéſque vtrique attribuit. Cùm in ea cuſtodia Rex biennium retentus eſſet, duo ei filij, Ludouicus, & Carolus, nati ſunt, neque longo interiecto tempore omnes interierunt. Ita Capetus liberè ac ſine A controuerſia totius Galliæ regno potitus, Robertum filium regni conſortem adſciuit: eúmq; ſibi ſucceſſorem deſignandum curauit. Atque hoc facto Carlouingiorum familiæ dignitas memoriáque interijt: anno ab ipſorum regni primordio ducenteſimo trigeſimo ſeptimo. quam hiſtoriam Sigebertus in Chronic. anno. 987. commemorat. Itémque appendix Aimoi. lib. 5. capit. 42. & capit. 45. ex quibus cognoſci poteſt, Hugonem Capetum, Hugonis magni Franco- B rum Ducis filium, ex Roberto natum, Odonis illius filio, cui ſuperius diximus Francos Carolo Craſſo mortuo, regnum extra ordinem detuliſſe, pronepotem Roberti Andium Ducis fuiſſe, clari & magni principis. Ex quibus etiam & ex Virichindo Saxone intelligitur, Hugonem Capetum non ſordida & obſcura (vt Italici quidam ſcriptores tradunt) ſed illuſtriſſima familia natum fuiſſe. nam Roberti Andegauorum comitis abnepos fuit, quem Aimoinus Saxonici generis C fuiſſe ſcribit. Ex eo natus Odo, ſiue Otto, tantæ virtutis fuit, vt cum à Rege Carolo Craſſo Dux Francorum exercitus aduerſus Danos creatus, hoſtium centum millia vno prælio deleuiſſet, Franci ei, repudiato Craſſi filio, Carolo Simplice puero, regnum detulerint: quemadmodum alio loco ſuperiùs demonſtratum eſt. Huius Odonis filius fuit Robertus: ex quo Hugo magnus Dux quoque Francorum natus eſt: cuius filius Hugo Capetus dictus, regnum eo quem ſu- D periùs diximus modo adeptus eſt. Memorabile eſt autem quod idem Vitichindus ſcribit, cùm Odo Carolo Simplici regnum reſtituiſſet, Arnulphum Imperatorem armis Galliæ regnum occupaſſe: cique Odoni (ſic legẽdum, non Oda) diadema & ſceptrum & cetera regalia ornamenta obtuliſſe, & Odonem imperium domini ſui, gratia Arnulphi Imperatoris obtinuiſſe. Vnde (inquit Vitichin.) vſque hodie certamen eſt de Regno Carolorum ſtirpe & poſteris Odonis. E Nam Hugo cuius pater Robertus filius Odonis ab exercitu Caroli occiſus eſt, dolo eum cepit, poſuitque in cuſtodia publica, donec vitam finiret. Neque verò ſilentio prætereundum videtur aſtutum Capeti in nouo regno conſtabiliendo conſilium. Nam cùm Magiſtratus & dignitates regni, quos Ducatus & comitatus appellant, ita mandari antiquitus in populi comitijs, certis ac delectis viris ſolerent, vt in beneficij tantùm, & loco (vt Iuriſconſulti loquuntur) F precariò tenerentur: quemadmodum in exponenda concilij publici auctoritate demonſtratum eſt: primus Hugo Capetus ad conciliandos retinendóſque ſibi Procerum animos, has, quæ temporariæ erant, dignitates, fecit perpetuas: conſtituitque, vt qui eas obtinebant, patrimonij iure retinerent: atque ad ſuos liberos poſteróſq; cum reliqua hereditate, transferrent: teſte Franciſco Connano Iuriſconſ. Dom. 2. cap. 9 quo facinore non minimam publici cõcilij auctoritatem G ab ipſo imminutam conſtat: quam tamen imminui ab ipſo ſine concilij ipſius conſenſu potuiſſe temporum illorum rationem conſideranti conſentaneum non videtur.

De continuata Concilij publici auctoritate in Capeuingiorum familia.

CAP

CAP. XXI.

NAm quemadmodum ex Froſſardo, Mõſtrelletto, Guaguino, Cominio, Gilli, & aliis hiſtoricis omnibus cognoſci licet, nihilo propè minor in Capeuingiorum familia, quàm in ſuperioribus duabus, publici concilij auctoritas fuit. Satis enim eorum hominum imperitiam admirari poſſum, qui cùm primoribus labris ius ciuile deguſtaſſent, & in libris noſtris legiſſent, lata lege Regia populum Imperatori omne ſuum imperium & poteſtatem conceſſiſſe: continuò liberam quandam & infinitam Regum omnium poteſtatem commenti ſunt, quam Abſolutam barbaro & inepto nomine appellant. quaſi verò non etiam Romani Reges Reipublicæ curam (vt Pomponius Iuriſc. loquitur) per Curiata comitia expedirent: aut, ſi liberam Imperatores Romani poteſtatem habuerunt, continuò verum ſit Regibus omnibus eandem à populo poteſtatem tributam eſſe. neque enim ex vno particulari rectè de vniuerſis concluditur: & hac ætate longè diſſimillimam eſſe regum Poloniæ, Daniæ, Sueciæ, Hiſpaniæ rationem, nemo niſi rerum omnium imperitus ignorat. Regibus Germanorum (inquit Tacitus) nõ eſt infinita, aut libera poteſtas. Rex Angliæ (inquit libro quarto Cominæus) tributa exigendi nullam habet ſine Ordinum & Statuum conſenſu poteſtatem. quod idem de cæteris omnibus affirmat libro quinto, capite decimo octauo. denique, ſatis conſtat, nullam eſſe Galliæ regionem, ſiue (vt vulgus loquitur) prouinciam, quæ Regi ſerua aut dedititia ſit, omnemq; in ſe (vt quondam populus Romanus Imperatoribus) poteſtatem ei permiſerit. quinimo nulla eſt, quæ non iura quædam ſua propria habeat, iis pactionibus & condicionibus retenta, quibus ſe in Regis fidem ac ditionem commiſit. cuius rei inſigne illud argumentum eſt, quod vnaquæq; regio, cùm vſus & publicæ vtilitatis ratio poſtulat, ſua comitia indicit, quæ ad vniuerſę prouincię commodum pertinent vt ei publico conſilio prouideat. Itaque cum generale vniuerſi Regni ac patriæ totius Concilium indictum eſt, tum ex illo conuentu vnus aut alter deligitur, qui cum Prouinciæ ſuæ mandatis eò ad dicendam ſententiam proficiſcatur. Exemplo erimus contenti vno, quod ex celeberrimi Doctoris Tholoſani verbis proferemus. VVillelmi nimirum Benedicti, qui in c. raynutius, ad verbum, & vxorem, num. 499. ita ſcribit: & laudatur à Nicol. Boerio nobili Iuriſcon. & Prætore Burdegal. Deciſ. 126. De vnione, inquit, comitatus Tholoſani, & patriæ Occitanæ cum Regno Franciæ habetur plenè in documentis inter chartas ſtatuum dictæ patriæ repoſitis: in qua vnione tria fuerunt, inter Regẽ & patriam in forma contractus paſſata. primo quod omnia priuilegia patriæ & ius commune illibata ſeruarentur: ſecundo, quod nunquam Rex gubernatorem inſtituet, niſi qui ſit de ſanguine regio: tertio quod Rex tallias vel alia ſubſidia indicere patriæ non poterit SINA CONSANSV STATVVM EIVADAM: prout nunquam fecit, neque facit. quinimo annis ſingulis commiſſarium ad partes mittit, neceſſitatem Regni toti patriæ ex-
A plicaturum, vt pro modo negociorum Regni
pro tempore emergentium ſubſidium præbeatur: quod obediens patria donare conſueuit
in ſeruando per Regem priuilegia patriæ, & cetera in dicta vnione contenta, & pro illa vice
dumtaxat: ita quod non trahatur in conſequentia. Hæc illi. Sed quoniam perſequi teſtimonia
ſingula nimis laborioſum, ac planè infinitum
eſſet, pauca quędam illuſtriora è magno numero, quaſi exẽpli loco, ſubſcribemus. Primùm e-
B xemplum ſuppeditat annus MCCCXXVIII. quo
tẽpore, mortuo (vt ſuperiùs diximus) Rege Carolo Pulchro, qui ſine liberis virilis ſexus, atque
poſtuma filia relicta deceſſerat, Angliæ Rex Eduardus tertius natus ex Iſabella Caroli ſorore,
Galliæ Regnũ ad ſe hereditate rediſſe contendebat. Qua controuerſia nulla neque maior, neque
illuſtrior ad publicum Cõcilium deferri potuit.
Quinetiã quòd ad publicum conciliũ introducta eſt, perſpicuo argumẽto eſſe poteſt, maiorem
C Concilij, quàm Regis auctoritatẽ eſſe: cùm eius
ſe iudicio atque arbitrio ambo illi Reges ſubiecissent. quod non modo hiſtorici noſtri omnes
teſtãtur, verumetiam Polid. Vergilius Angl. Hiſtor. lib. 19. & Thomas VValſingamius in hiſtoria Anglic. ſub Eduard. tertio. Eduardo & Philippo de ſucceſſione contendentibus (inquit
Guaguinus) Conuentus Francorum habitus eſt,
quẽ TRIVM STATVVM COMITI vulgo vocãt. Ibi
de contendentium iure diu multùmq; diſceptatum eſt. ad extremum ij qui communi auctori-
D tate concilium habebant, multis rationibus edocti Philippo regnum adiudicauerunt: cui iudicio
nec Eduardus rex detraxit: fide poſt paucos annos Philippo de Aquitanię feudo pręſtita. Quintiã Claudius Seyſſellus Maſſiliẽſis Archiepiſcus
in libello quem Franciæ Monarchiam inſcripſit, affirmat vtrumque Regem in eo Concilio
præſentem affuiſſe. Cùm res in contentionem propè adducta eſſet, Optimatum conſilio, popu-
E li atque Ordinum comitia indicta ſunt. De maioris partis ſententia placuit. præferri agnatum:
prægnantiſque reginæ cuſtodiam Valeſio attribui. Et, filiam pareret, eidem Valeſio regnum adiudicatum eſt. quam hiſtoriam Froſſardus expoſuit vol. 1. c. 22. Paponius A reſt. lib. 4. ca. 1. artic. 1.
Guagninus in Philippo Valeſio. ſed copioſiſſimè omnium Seyſſellius, in eo quem modo nominaui libello. Alterum exemplum ſuppeditat annus MCCCLVI. quo tempore Rex Iohannes
F commiſſo cum Anglis prope Pictauium prælio
captus, atque in Angliam abductus fuit. Tanta calamitate accepta, vnica in Concilij auctoritate ſpes erat reliqua. Itaque comitia continuò
Lutetiam indicta ſunt: & quamquam tres regis filij extarent, Carolus, Ludouicus & Iohannes, quorum natu maximus iuſtam adminiſtrandi ætatem haberet: tamen delecti alij ſunt, ex vnoquoque ordine duodeni probati viri, quibus
regni procuratio mandata eſt: decretáque in An-
G gliam legatio de pace cum Anglis reconcilianda. auctoribus Froſſardo vol. 1. cap. 170. Iohanne
Bucheto lib. 4. fol. 118. Nicol. Gillio in Chronicis regis Iohannis. Tertium ſuppeditat annus
MCCCLXXV. cum Caroli V. cognomento Sapientis teſtamentum prolatum eſt: quo teſtamẽto filiorum ſuorum tutorem inſtituerat Phi-

lippum Ducem Borbonium, vxoris ſuę fratrem: Regni autem procuratorem, Ludouicum Ducem Andicum, fratrem ſuum: tantiſper dum Carolus ipſius filius in ſuam tutelam veniret. Concilium enim Lutetiæ nihilominus actum eſt, irritoque habito teſtamento, decretum eſt, vt regni adminiſtratio Ludouico pueri patruo committeretur: ea lege, vt eam adminiſtrationem de certorum virorum in eo Concilio probatorum ſententia gereret: pueri autem tutela & educatio Borbonio permitteretur. ſimulque lata regia lex eſt, vt qui regni heres annum ætatis XIIII. impleſſet, ei corona imponeretur, hominiáque & fidelitatum iuramenta præſtarentur: auctore Froiſſ. volum. 2. capit. 60. Buchet. libro 4. fol. 124. Chron. Brit. Itaque Ioannes Terrubrius Iuriſconſultus, vt illa tempora tulerunt, celeberrimus ſub finem tractatus primi ſcribit his verbis: Si alicui regi ſuperiorem non recognoſcenti dandus eſſet coadiutor, illius adſumtio & inſtitutio pertinet ad tres ſtatus regni quod ſuperiorem non habet: vt eſt regnum Franciæ. Quartum ſuppeditat annus MCCCXCII. cùm idem ille rex Carolus VI. repentino mentis errore affectus, primùm Cenomanum, tum deinde Lutetiam delatus eſt: ibique Concilium habitum: Ordinúmque auctoritate decretum, vt Biturigæ & Burgundiæ Ducibus regni adminiſtratio deferretur: auctore Froſſardo volum. 4. c. 44. Neque vero prætermittendum eſt, quod Paponius Areſt. lib. 5. tit. 10. artic. 4. noſtra memoria in parlaméto Pariſienſi commemoratum teſtatur, cum rex Franciſcus primus dominij ſui partem alienare vellet, omnes eiuſmodi alienationes à ſuperioribus regibus factas eo ſolo nomine irritas fuiſſe, quòd ſine Concilij & (vt ipſe loquitur) trium Statuum auctoritate factæ fuiſſent. Sextum exemplum extitit anno MCCCCXXVI. cùm Philippus Dux Burgundiæ, & Hanfredus, Dux Gloceſtræ capitales inimicitias magno Reipub. detrimento perquandiu exercuiſſent: tandémque inter eos conueniſſet, vt controuerſiis omnibus finem duello commiſſo imponerent. Nam in ea contentione Concilium ſe interpoſuit: decriuítque, vt arma vterque deponeret, déque ſuis controuerſiis iure apud ſe potius, quàm ferro diſceptarent. quam hiſtoriam copioſè exponit Paradinus in Chron. Burgund. libro tertio, anno MCCCCXXVIII. Septimum exemplũ ſuppeditat annus MCCCCLXVIII. cum diſſidio inter regem Ludouicum XI. & Carolum ipſius fratrem exorto, Concilium publicum indictum eſt Turones, ad Kal. Decemb. quo in Concilio decretum eſt, vt rex fratri ſuo Apannagij nomine Ducatum aliquem cederet: cuius annui fructus non minoris eſſent, quam XII. millium libellarum: inſupérque rex è ſuo fiſco LX. libellarum millia quotannis ei adnumeranda curaret. quam hiſtoriam copioſè auctor Chron. Britan. Armor. commemorat, libr. 4. fol. 200. Octauum exemplum editum eſt anno MCCCCLXXXIII. cùm Ludouico XI. mortuo ſuperſtite Carolo filio annorum XIII. Concilium Turonib. habitum eſt, decretúmque vt pueri educatio Annæ ſorori regis committeretur:

A Regni verò procuratio certis viris in eo Concilio probatis & delectis mandaretur: quamuis Ludouicus Dux Aurelianus proximus agnatus eam poſtularet. Cuius rei teſtimonium extat in actis ei Concilij Lutetiæ impreſſis, & apud Philipp. Cominæum lib. 5. cap. 18. itémque in Chron. Britan. lib. 4. & apud Iohan. Bucchetum lib. 4. fol. 167. Auffrenium in gloſſ. pragm. ſanct. & Bened. in verb. Adiectæ impuberi nu. 53.

B

De memorabili auctoritate Concilij in Regem Ludouicum XI.

CAP. XXII.

MAGNA igitur ac planè ſacroſancta Concilij & Ordinum coactorum vis & poteſtas ex ſuperioribus teſtimoniis apparuit. ſed quoniam hoc in argumẽto & quaſi campo verſamur, non prætermittenda videtur C eiuſdem Concilij auctoritas, patrum noſtrorum memoria interpoſita contra Regem Ludouicum XI. qui ſuperiorum regum omnium vaferrimus & calidiſſimus eſt habitus. Anno igitur MCCCCLX. cùm ita regnum ab illo Ludouico gereretur, vt multis in rebus boni Principis & patriam amantis officium deſideraretur, cœpta eſt Concilij auctoritas requiri, vt in eo Boni publici ratio haberetur. Et quoniam ei rex minimè ſeſe ſubiecturus putabatur, Proceres regni, D aſſiduis plebis querimoniis & expoſtulationibus incitati, manus cogere, exercitúſque comparare inſtituerunt: vt Bonum publicum procurarent, & regi perditam Reipub. adminiſtrationem (verba ſunt Philippi Cominæi lib. 1. cap. 2.) vi demonſtrare poſſent. Inſtructi enim & parati cúm exercitu eſſe volebant (quod tamen exemplum periculoſum eſt, eiúſque auctor aut ſuaſor eſſe nolim) vt 42. vt ſi rex conſulere Bono publico, & bonis conſiliis parere detractaret, vi E cogere inuitum poſſent, qua de cauſſa bellum illud Bono publico ſuſceptum dicebatur, vulgóque Bellum boni publici appellatum eſt. Procerum nomina idem Cominæus, Gillius, Lamarcius hæc prodiderunt: Dux Borbonius, Dux Biturigum regis frater, Comites Dunenſis, Niuernenſis, Armeniacus, Albretius, & is ad quem ſumma imperij reſpiciebat, Dux Carolenſis. Quacunque autem iter faciebant, pronuntiari iubebant, ſe bellum illud Bono publico F inſtituere, tributorúmque & vectigalium immunitatem indicebant (quæ omnia Gillij verba ſunt lib. 4. fol. 152.) legatóſque & literas Lutetiam ad Parlamentum, Eccleſiaſticos & Academiæ rectorem miſerunt (verba hæc eiuſdem Gillij ſunt fol. eodem) ne putarent exercitum illum in regis perniciem comparatum fuiſſe: verùm vt illum ad boni regis officium reuocarent, ſicuti boni publici ratio poſtulabat. Verba autem Annalium, qui Chronica Ludouici XI. inſcripti ſunt, Lutetiæ a Gallioto im- G preſſa, hæc ferè ſunt, fol. 27. Primum & ſummum Poſtulatorum caput hoc fuit, vt Trium ordinum conuentus haberetur: quippe, quòd vnicum omnibus ſeculis, malorũ omnium remedium fuiſſet, vimque ſemper eiuſmodi in-

commo-

die xx IIII. in Curia quæ Domus ciuitatis dicitur, in quo aſſuerunt delecti ex Academia, ex parlamento, & ex Magiſtratibus Reſpõſum eſt, eorum poſtulatum æquiſſimum videri, conciliúmque Trium ordinum indictum eſt. Hæc, inquam, Hiſtorici verba ſunt, fol. 28. Itaque Guaguinus in vita eiuſdem Ludouici, vbi reſponſum Caroli Burgundiæ Ducis ad regis legatos exponit: his vtitur verbis pag. 265. Audiuit, inquit, Carolus legatos. verùm ad pacem nihil commodius eſſe reſpondit, quàm trium Ordinum conuentum: vbi tantas animorum & belli diſcordias componi oporteret. quod poſtquam per nuntios Legati Ludouico retulerũt, ipſe in dilatione ſpem reponens, concilium apud Turones ad Kal. April. anni MCCCCLXVII. indixit. Conuentionis definito tempore, affuere ex toto regno, &c. Quod idem totidem verbis traditur in ſis quæ diximus Annalibus, fol. 64. & in Magno Chron. vol. 4. fol. 242. vbi etiam illud additum eſt, quod memoria dignum & ſummoperè obſeruandum videtur, placuiſſe in eo concilio, vt certi probatique viri ex ſingulis ordinibus deligerentur, qui Rempub. conſtituerent, & (vt ad verbum interpretemur) iuri ac iuſtitiæ prouiderent. At N. Gilius, eo quem oſtendimus loco: Poſt prælium, inquit, Montlerinum, delecti ſunt complures egregiè cordati & prudentes viri, qui boni publici curatores eſſent: quemadmodum inter regem & ſupradictos Proceres conuenerat: primúſque in eo numero fuit Comes Dunenſis. qui primus diſceſſionis illius auctor fuerat. Hæc illi. Erat autem (vt ſuperius dictum eſt) antiquæ conſuetudinis, poſtquam Eccleſiaſticorum opes in tantam potentiam excreuerant, vt populus in tres ordines deſcriberetur, quorum vnum Eccleſiaſtici obtinerent: cúmque Reip. curatores conſtituerentur, duodeni ex vnoquoque ordine deligerentur. Itaque in eo concilio conſtitutum fuit, vt XXXVI. Reipublicæ curatores crearentur, qui communi conſilio publicis incommodis mederentur. Qua de re Monſtrelletus vol. 4. fol. 150. ita ſcribit: Principio decretum eſt, vt ad Rempub. conſtituendam, plebémque tributis & detrimentis ſubleuãdam XXXVI. viri auctoritate regia deligerentur: duodeni ex clero, totidem ex equitibus, & totidem iuris & iuſtitiæ periti: quibus poteſtas permitteretur videndi, quibus vitiis atque incommodis regnum laboraret, iiſque vitiis remedium adhibendi: fidémque rex regali dicto promiſſóque dedit (ad verbum, Et promiſit rex in verbo regis) ratum ſe habiturum, quicquid illi XXXVI. viri conſtituerent. Hæc Monſtrelletus: Cui Oliuerius Lamarcius Belga, in hiſtoriæ ſuæ cap. 35. totidem propè verbis ſubſcribit, eundémque XXXVI. Curatorum Reipubl. numerum prodit: ſimúlque aſcribit, cùm rex ei dicto promiſſóque non ſtetiſſet, fidémque publicam & publicè iuratam violaſſet, miſerrimum in Gallia bellum exarſiſſe, quod annos propè XIII. durauit, & ita regis periurium cùm ipſius infamia, tum etiam populi pernicie expiatum eſſe. Vtcunque ſit perſpicuum eſt, nondum centeſimum annum abiiſſe, ex quo Francogalliæ libertas, ſolenniſque Concilij auctoritas vigebat: & vigebat aduerſus regem, neque ætate, neque animo imbecillum:

A ſed & iam annorum XL. maiorem, & tanta ingenij magnitudine præditum, quantam nunquam in vllo rege noſtro fuiſſe conſtat. Vt facilè intelligatur, Remp. noſtram libertate fundatam & ſtabilitam annos amplius centum & mille ſtatum illum ſuum liberum & ſacroſanctum, retinuiſſe. Neque verò præclarum hac de re Philippi Cominæi clariſſimi viri & ornatiſſimi hiſtorici elogium prætermittendum videtur: qui lib. Hiſt. 5. cap. 18. in hanc ſcribit ſententiam, quam
B ad verbum conuertemus. Quare vt inſtituto ſermone pergamus, ecquis eſt in orbe terrarũ Rex, aut Princeps, cui ius ſit tributum vnius teruncij ſubiectis ſuis ſine ipſorum conſenſu & voluntate imponere? niſi violẽtia & tyrannide vti velit. At enim (dixerit aliquis) poteſt tempus incidere, cùm publicum populi cõcilium expectandum non eſt: neque tantam moram res patitur. Sanè in bello ſuſcipiendo nihil tanta celeritate eſt opus. ſatis ad eam rem temporis ſuppeditat.
C Addo etiam illud, cùm Reges & Principes bellum ciuium ſuorum conſenſu ſuſcipiunt, multo & potentiores ſunt, & hoſtibus ſuis formidabiliores. Et rurſus aliquantò poſt: Regem Galliæ minimè omnium decet vti verbis: Habeo poteſtatem exigendi à meis ciuibus, quantum mihi libet. Nã neque ipſe, neque quiſquam alius eam poteſtatem habet. Qui verò his vtuntur verbis, nullum ei honorem tribuunt: neque illius auctoritatem & exiſtimationem apud exteras na-
D tiones augent. verùm ex contrario, terrorem finitimis iniiciunt: qui nulla cõditione dominatum illius ſubire vellent. At ſi rex noſter, aut ij qui potentiam eius prædicant, ita loquerentur: Habeo ſubiectos ita manſuetos & obſequentes, vt nihil eorum quæ imperio facere detrectent, neque quiſquam Princeps ſubiectos habet æquè obſequentes, quíque calamitatum & incommodorum ſuorum faciliùs obliuiſcantur: hæc oratio magnæ illi laudi, atque ornamento eſſet. Ve-
E rùm illa regem non decet: Exigo, quantum volo: eiúſque rei poteſtatem habeo, quam mihi conſeruatam volo. Rex Carolus quintus hac oratione non vtebatur. Neque ſanè regem vllum noſtrum illis vtentem verbis audiui: ſed quoſdam ipſorum comites & miniſtros: qui ſibi bonam regibus nauare operam videbantur. Verùm meo iudicio aduerſus illos peccabant: & tantum aſſentandi cauſſa ita loquebantur: neque ſatis quid dicerent, conſiderabant. Atque vt certius
F manſueti Gallorum ingenij argumentum proferamus, conſideremus concilium trium Ordinum Turonibus, poſt regis noſtri Ludouici XI. exceſſum, habitum: anno nimirum 1484. Exiſtimari per id tempus poterat, bonũ illum Ordinum conuentum periculoſum eſſe. dicebántque neſcio qui, non magni pretij homines, ſæpiúſque poſt id tempus dixerunt, crimen eſſe læſæ maieſtatis, ſiquis de trium Ordinum concilio conuocando verbo faciat. Id enim ad minuen-
G dam regis auctoritatem pertinere. Verùm illi ipſi ſunt, qui crimen illud aduerſus Deum, & regem & Remp. committunt. Neque verba eiuſmodi aliis proſunt, quàm iis, qui nullo ſuo merito gradus honorum & dignitatum obtinent: neque ad illos obtinendos ſunt idonei: ſed aſſentari & ſeruire auribus didicerunt, & nugato-

riis de rebus verba facere: magnóſque conuentus hominum reformidant, ne quales ſunt, tales agnoſcantur: eorúmque opera vituperētur. Hæc ad verbum Cominæus. Budæus verò libro de Aſſe IIII. ſic ſcribit: Quare, ſi moribus iam noſtris, qui rerum ſummam tenent, tenebúntque in poſterum, IN DISQVISITIONEM CONVENTVVM aliquando vocentur, nonnulli ſæpe qui ſeſe naſutos videri volūt, haud dubie (quod aiunt) apprime ſimi, atque ea parte deformes ab omnibus cernerentur. Hæc Budæus: circiter illud tempus, quo Rex Franciſcus primus ex Hiſpania (quo captiuus abductus fuerat) reuerſus, vt redēptionis ſuæ nomine pecuniam conficeret, tributum Ordinibus ſui Regni non pro ſuo iure imperauit, ſed (vt auctores omnes affirmant) ab iis bona ſiue gratia, ſiue venia impetrauit. qua de re Nic. Boerius Deciſ. CXXVI. ita ſcribit: Anno Domini CIƆIƆXXVII. Princeps noſter in menſe Decemb. conuocauit prelatos, nec non nobiles de eius ſanguine, & alios regni ſui, & ex quolibet Parlamento vnum præſidentem, & duos conſiliarios. qui omnes ita REGI ANNVERVNT TALLIAM, VSQVE AD SVMMAM DVORVM MILLIONVM, pro redemptione ſua, imponere & leuare poſſe.

Regem Francogalliæ in ſuo regno dominationem habere certis iure certiſque legibus circumſcriptam.

CAP. XXIII.

SATIS igitur demonſtratum eſſe arbitramur, Regibus Frācogalliæ non immenſam atque infinitam poteſtatem à ſuis ciuibus permiſſam fuiſſe: vt legibus omnibus ſoluti dici poſſint: ſed eos certis legibus & pactionibus obligatos eſſe; quarum primam ac ſummam hanc fuiſſe oſtendimus: Vt publici Concilij auctoritatem ſanctam inuiolatámque ſeruarent: eúmque conuentum, quoties vtilitas Reip. poſtularet, ſua præſentia concelebrarent. Ac leges quidem quibus Reges aſtrictos eſſe conſtat, permultæ ſunt. Verùm nos eas ſolas de quibus nemo niſi amentiſſimus, nemo niſi patriæ, parentum ac liberorum ſuorum hoſtis ambigit, vt quæque memoratu dignæ videbuntur, exponemus. Prima igitur hæc eſto: Vt ne quid quod ad ſtatum Reip. in vniuerſum pertineat, Regi ſine publici Concilij auctoritate ſtatuere liceat: cuius rei cum antea certiſſima teſtimonia protulimus, tum etiam expreſſiſſimum & euidentiſſimum vſque ad hāc ætatem noſtram veſtigium illud manet, quòd ſenatus Pariſienſis, qui veteris illius Parlamenti auctoritatem ſibi magna ex parte aſciuit, nullas Regis conſtitutiones, nulla edicta rata eſſe patitur, niſi quæ apud ſe pro conſilio cognita, & conſiliariorum ſuorum ſententiis comprobata fuerint: vt non incommodè dici poſſit, ſimilem hoc quidem in genere videri Senatus illius auctoritatem veterum Tribunorum plebis poteſtati, quos Val. Maximus ſcribit, in veſtibulo Senatus expectare ſolitos, dum ad ſe decreta eius ordinis afferrentur, qui ipſi pro concilio cognoſcerent: vt ſi plebi vtilia viderentur, literam T quaſi aſſen-

A ſus ſui notam atque indicem ſubſcriberent: ſin minus, vetarent, atque intercederent. quāquam Budæus, vir doctiſſimus, aliunde ſimilitudinem ſumit: ſicuti populo R. (inquit) ſciſcēte aliquid, Senatum auctorem fieri oportebat, quod nunc verbo Græco *Homologare* dicimus, ita Principum noſtrorum conſtitutionibus, vt vim ſanctionum habeant, huiuſmodi actis ad Remp. pertinētibus auctorem Curiam fieri hodie neceſſe eſt, eáſque in curia promulgari. Et paulo
B poſt: In hac curia præfecti prouinciarum ac iuridici, quos Balliuos, Seneſchallos, & huiuſmodi nominibus vocamus, in leges iurare ſoleat. In huius acta referri diplomata, regiáq; beneficia ſolent, vt perpetua eſſe poſſint, ac nunquam antiquabilia. Huius auctoritate rata irritáve Principum acta, ne ipſis quidem recuſantibus, fiunt. vna hæc curia eſt, à qua ſibi ius dari Principes (legibus ſoluti) ciuili animo ferunt: quam auctorem fieri ſacrandis promulgandíſque ſanctioni-
C bus ſuis volunt. Cuius concilij cenſuræ conſtitutiones ſuas eximi, edictáque ſua nolint, imò cuius decretis acta ſua conſecrari æternari velint. Hęc Budæus. Aut igitur hāc ſibi poteſtatem Senatus ille tyrannicè vſurpauit, vt Regiis edictis atque imperiis intercederet: quod certe credibile non eſt: aut illud fateamur neceſſe eſt, Regibus non liberam & infinitam rerum omnium poteſtatem permiſſam antiquitus fuiſſe, quod etiam Auffrerius, Boerius, Montanius,
D Chaſſanæus aliíque ſummæ apud Gallos auctoritatis pragmatici, vna voce, ſine vlla varietate atteſtantur.

Age, reliquas leges regias videamus: atque hanc in primis, Vt Regi ius nō ſit neque filium adoptare, neque de ſuo regno, vel inter viuos, vel per teſtamentū diſponere: ſed in regni ſucceſſione maiorum inſtituta & antiqua cōſuetudo ſeruetur. Nam Ioannes de terra rubea tracta. t. conclu. 9. ita ſcribit: Reges Franciæ non po-
E tuerūt vnquā, neque poſſet Rex modernus facere teſtamentum de regno, nec primogenitum aut alterum heredem facere in illo. Item, adeo ex vi cōſuetudinis in regno Franciæ ſucceditur, quòd ſicut nec ex voluntate diſpoſitiua, & teſtamentaria regis ſucceſſio defertur eius ſucceſſori, nec deferri poteſt: ſic nec ex tacita voluntate eius ab inteſtato diſpoſitiua ei ſuccedi poteſt: ſed ſolum Conſuetudo ſuccedenti defert regnum. Hæc Terrirubrius. Cuius ſenētiam cum
F omnis comprobat antiquitas, tū vero vel maxime hiſtoria hæc memorabilis, quam ſubiūgam. Anno CIƆCCCCXX. cùm Rex Carolus VI. Hērico Angliæ Regi ſuum regnū mortis cauſſa donaſſet, eúmque ſibi ſucceſſorem deſignaſſet, repētè populus ad publicum gentis conciliū prouocauit: in quo ſumma omniū conſenſione pronuntiatū eſt, donationē illam ipſo iure nullam, inutilem atque irritā fuiſſe: neque Regi Galliæ fas eſſe, vllam ſui regni partem ſine publico gentis
G ſuæ conſenſu alienare. cuius rei auctores ſunt Enguer. Monſtrel. cap. hiſt. 225. & aliis inſeqq. itémque Guill. Benedict. in cap. Raynut. in verb. nume. 188. Cum Carolus ſextus, inquit, ex matrimonio iuſto filium haberet, cui regnum debebatur, non potuit Regem Angliæ adoptare in filium, in præiudicium filij ſui legitimi, & naturalis

naturalis: nec adoptio valuit, nec tenuit: quinimo regnum dicto Carolo ſeptimo delatum fuit. Item in verb. In eodem teſtamento: num. 151. Ex quibus, inquit, confutatur, & penitus confunditur, vt ipſo iure nihil valuerit ille tractatus pacis, quem Angli prætendunt paſſatum fuiſſe inter Carolum ſextum, Francorum regem, & Henricum quintum, Regem Angliæ, per quem dictus Carolus dominã Catharinam filiam ſuam nuptui dedit præfato Henrico, cúmque ſibi adoptauit in filium: nec non ſine proceribus ſolus exiſtens declarauit coronam Franciæ eidem pertinere, & poſt ſui deceſſum totum Franciæ regnum ad ipſum peruenturum. Sed dictus tractatus à proceribus regni reprobatus fuit, qui Carolum eius filiũ vngere & coronari fecerunt. Hæc Bened. Secunda igitur Regni Francogalliæ illa lex eſto. Deinceps tertiam videamus, quam eſſe conſtat huiuſmodi: Vt rege mortuo regni hereditas filio ipſius natu maximo deferatur, neque regi vel natu minorem maiori anteferre, vel alium ſibi ſucceſſorem inſtituere liceat. Cuius hæc ratio eſt certiſſima: quoniam parentes ea demum adimere ſuis liberis poſſunt, quæ ab ipſis proficiſcuntur: quæ vero vel natura, vel lege atque inſtitutis maiorum iis addicta ſunt, in ita parentes ius nullum habent. l. ſi arrogator. 22. D. de arrogat. l. 3. D. de interd. & releg. Filius autem natu maximus ſuitatem & ſpem hereditatis, non parentis ſed legis communis beneficio adeptus eſt: neque illam ſuo patri acceptam ferre debet, ſed legibus atque inſtitutis maiorum. itaque rectiſſime Doctores omnes vno conſenſu affirmant, Regem Francorum non poſſe auferre primogenito ius primogenituræ, ſiue ſpem regni, & dare ſecundo genito, vel alteri. Ioan. Andr. in capit. licet, de voto. Bald. de prohib. feud. alien. per Frid. §. illud. Panorm. conſil. 3. nitar. in præſenti, lib. 2. Iaſon in l. nemo poteſt, De legat. 1. Bald. in cap. 1. De feud. March. ducat. ſed præcipuè Ioan. Terrirubius tract. 1. concl. 9. vbi ſic ſcribit: Reges Franciæ nunquam conſueuerunt de regno teſtari, ſed ſolum ex vi conſuetudinis defertur ſucceſſio primogenitis maribus ex linea recta eorum, quibus ſuccedituc: & illis deficientibus ſuccedunt mares tranſuerſales iuxta gradus prærogatiuam. Item, concl. 9. 10. 11. & 12. vbi ſic loquitur: In regno Franciæ non habetur ſucceſſio hereditaria ſiue patrimonialis: ſed ſimplex ſucceſſio, ſiue ſubrogatio primogeniti, vel proximioris agnati; cui regnum debetur ex ſola lege vel conſuetudine regni, à qua ſola ius accipit & non à patre vel alio prædeceſſore & ſic ius primogenituræ, quantum ad tale regnum non habetur à patre, ſed à lege regni: vnde nec eſt hereditarium, nec patrimoniale, ſed mero iure filiationis, vel ſanguinis competit. Ita quod non poſſet Rex de regno teſtari, etiam primogenitum, vel proximiorem, cui regnum debetur, conſtituendo: quia nullo modo poſſet inſtitutus capere regnum vi teſtamenti, vel alterius diſpoſitionis paternæ; quæ non valuit: ſed ſolum virtute legis immutabilis regni, à qua vocatur. Et in eandem ſententiam Guill. Benedict. in capit. Raynutius, in verb. In eodem teſtamento: numer. 248. ita ſcribit: Natura regni Franciæ, inquit, requirit, & exigit, ne de eo fiant

A teſtamenta, legata, vel aliæ diſpoſitiones. Vnde Ioan. de terra rub. in quodam libro, quem intitulauit Vinea Eccleſiæ, tract. 1. quæſt. 9. concludit, dicens, quia regnum Franciæ debetur primogenito ex ſola regni conſuetudine, nõquam conſueuerũt Reges de ipſo regno teſtari: quod vi & medio conſuetudinis defertur primogenito. Nam Reges Franciæ nunquam potuerunt, neque poſſet Carolus octauus Rex noſter modernus teſtamentũ facere de regno, etiam heredem inſtituendo dominum Delphinum eius B primogenitum, quia regnum Franciæ non debetur primogenito, ex ſucceſſione teſtamentaria, vel ab inteſtato, ſed ſolum ex lege & conſuetudine regni. Igitur Rex ipſum dare non poteſt primogenito, neque auferre per alienationes inter viuos, aut teſtamenta, aut debita voluntaria, aut legata aut exheredationem, ex cauſſa: quia primogenitus Franciæ non habet regnum à patre, ſed ab ipſa regni lege & conſuetudine. Et ſic pater poteſtatem non habet ipſum grauaC re: & de tali dignitate teſtamento diſponi non poteſt, vel alius in præiudicium primogeniti, qui cùm ius illud habeat, non patris iudicio, ſed legis beneficio, per eum grauari non poteſt, à quo beneficium non habet, nec commodum ſentit. Hæc ad verbum Bened. Sequitur quarta lex regni, de qua tamen ſuperius cap. 10. diſſeruimus. Ne virgo, néve mulier ad regni hereditatem admittatur, ſed agnatus defuncto Regi proximus, quamuis gradus fœmina poſterior, D ei tamen præferatur. qua de lege nobilis Pragmaticus Iacob. Petr. in ſua Pract. capit. 63. ita ſcribit: Carolo qui rex Franciæ & Nauarre fuerat mortuo, filia Ludonici, ſui quondam fratris ſucceſſit in regno Nauarræ. quia illud regnum venerat per fœminam: ſed in regno Franciæ non ſucceſſit: quia non admittitur fœmina, quamdiu maſculus de genere inuenitur. Succeſſit ergo Philippus filius Caroli, qui erat ei in quarto gradu: quamuis dicta fratris filia tantum eſſet in E tertio. Idem Guill. Bened. in verb. duas habens, numer. 78. Vnde conſtat, inquit, neque filias, neque maſculos ex ipſis deſcendentes in regno Franciæ ſecundum ipſius leges & conſuetudinem ſuccedere, quinimo liberis maſculis non exiſtentibus reliqui parentes & conſanguinei in regno ſuccederent, ſeruata gradus prærogatiua. Hæc Bened. quæ multo copioſius confirmat numer. 119. & 120. Item Coſm. Guim. in proœmio pragmat. ſanct. vbi ſic ſcribit: RegF num Franciæ eſt ita nobile, & clarum, quod in eo nunquam ſuccedit fœmina, licet bene in regno Nauarræ. & huiuſmodi quæſtio orta fuit poſt mortem Philippi Pulchri, Regis Francorum, qui habuit vnam filiam, nomine Iſabellam, & tres filios: dictam Iſabellam duxit in vxorem Eduardus Rex Angliæ, ex qua habuit vnum filium, qui ſimiliter dictus eſt Eduardus, qui ſucceſſit in regno Angliæ, defuncto dicto Philippo. Tres eius filij fuerunt reges Franciæ ſigillaG tim: qui tandem deceſſerunt ſine liberis: quibus ſucceſſit in regno Franciæ Philippus, filius Caroli de Valeſio, fratris dicti Philippi, de conſenſu & approbatione XII. Parium Franciæ, qui noluerunt dare regnum dictæ Iſabellæ, Reginæ Angliæ, nec filio eius Eduardo: vnde ortæ ſunt

magnæ guerræ, inter Reges Angliæ & Franciæ, & iniuſtè, quia ſicut filia Regis non ſuccedit in regno Francorum, ita nec natus ex ea. §. hoc autem. qui feud. dar. poſſ. De gradib. ſucceſſ. in feud, cap. 1. §. ad filias. Excluſo enim aſcendente, excluduntur deſcendentes ex perſona aſcendentis. l. fin. C. de natur. lib. l. ſi viuâ, C. de bon. matern. Ideo non potuit d. Eduardus filius d. Iſabellæ prætendere aliquod ius in regno Franciæ: dicit Bald. in repet. l. 1. C. de ſumma trinit. Sed nemo vberius hãc hiſtoriam exponit, quam Claudius Seyſſellus, archiepiſc. Taurin. in lib. de lege Salica: vbi vtriuſque Regis Angliæ & Franciæ iuſta copioſe exponit: & ad extremum publici concilij, ſiue trium ſtatuum iudicium ſubiungit. Sed nos hac de re paullo copioſius in libello De iure ſucceſſ. regiæ diſſeruimus.

Quinta lex ad Regis domanium pertinet de qua ſuperius ſuo loco commemorauimus. Ne videlicet Regi ius ſit, vllam domanij ſui partem ſine publici Concilij auctoritate alienare; quippe, quod ei ad tuendam tantum regiam dignitatem fruendum datum eſt vt parem in eo poteſtatem habeat, atque marito in vxoris dote conceditur. Itaque anno CIↃCCCCXCIX. cum Rex Carolus VI. Comiti Sampaulino particulam quandam ſui domanij ſiue donaſſet, ſiue alia ex cauſſa ceſſiſſet, Senatus Pariſienſis pro vetere veteris Parlamenti iure interceſſit: ac pronuntiauit alienationem regij dominij nullius eſſe momẽti, niſi cuius auctor Senatus ille Pariſienſis fuiſſet, quod decretum Paponius inter Areſta ſua retulit, lib. 5. tit. 10. vbi alia complura generis eiuſdem Senatuſconſulta commemorat: quibus omnibus definitum hoc ius eſt, Alienationem dominij à Rege, ſine cauſſa in illo Senatu cognita & probata, factam, ipſo iure nullam eſſe, qua in cognitione hæc potiſſimum exquiruntur: An non aliunde confici pecunia poſſit? ecqua neceſſitas vrgeat? an pretium ſit idoneũ? & auctione cõſtituta ſummum illud ac poſtremum oblatum. Sed operæpretium eſt Claudij Seyſſellij teſtimonium in hanc rem exponere: cuius verba ex lib. de monarch. Franc. 1. cap. 10. ſic conuertimus. Tertium frenum, quo Reges Franciæ coercentur eſt politia, hoc eſt inſtituta & mores regni multas per ætates comprobati, & longinqua conſuetudine retenti: quorum abrogationem non ſuſcipiunt: & ſi forte ſuſciperent, fruſtra id tentarent: quoniam eorum imperio non pareretur; quod vel ex dominio & patrimonio regali cognoſci licet, cuius alienandi ius, ſine cauſſis magnis & neceſſariis, non habent, quas cauſſas cognoſci & probari oportet in cõſilio & curia parlamenti & Rationalium: qua in cognitione ita caute & diligenter, tantaq; cum diſquiſitione proceditur, vt pauci admodum reperiantur, qui eiuſmodi alienationes expetant. Etſi autem Reges ius habent diſponendi de fructibus & reditibus regni pro ſuo arbitrio, quandiu regni adminiſtrationem obtinent: tamen ratio ſumptuum tum ordinariorum tum extraordinariorum ad Rationalium curiam & notionem reuocatur. Hi rationales ſumptus illos regios, ſi inconſultè facti videntur, coercent. Quæ ſanè lex Reipub. perquam vtilis eſt, ad Regij

A dominij conſeruationem. quia tum demum ad tributa & indictiones extraordinarias, quibus plebs oneratur, decurri tanquam ad ſubſidium ſolet, cùm illud dominium regium exhauſtum eſt: vt omittam, quod hac præclara Regni lege nimia Principis liberalitas quæ ad prodigalitatem accedit, coercetur. Hæc Seyſſellus. ſed lib. 11. cap. 11. inſuper hæc addit: Iterum dico: Regem non poſſe gratius obſequium Deo præſtare, aut ſuorum ciuium vtilitati, aut ſuæ dignitati
B atque exiſtimationi melius conſulere, quam illas Regni leges obſeruando. Tum enim boni & chriſtianiſſimi Regis & Patris patriæ cognomẽtem acquirit: ceteráque omnia nomina, quæ ſibi magnus aliquis & glorioſus Princeps poteſt acquirere. Ex contrario verò ſimulátq; limites & fines illos ſibi præſcriptos egreditur, & voluntate pro ratione vti inſtituit, habetur ac numeratur improbus, tyrannus, crudelis, & intolerandus, quibus de cauſſis in Dei & ciuium ſuorũ
C odium incurrit. Hactenus Seyſſellus Taurinenſis Archiepiſcopus, & Regis Ludouici XII. intimus conſiliarius. In eandémque ſententiam, de Rege Frãciæ, cui nõ licet vrbes Regni ſui alienare, ſcribſit Hoſti. & Io. Andr. in c. dilecti. De melor. & obed. Martin. Laud. in trac. de cõfœd. q. 15. Sexta Regni lex numerari hæc poteſt, Vt Regi abolendi criminis & capitalis pœnæ, ſine parlamenti auctoritate, remittendæ ius non ſit. In hoc regno, inquit Boerius, criminoſus deferens lite-
D ras remiſſionis aut abolitionis, ſiue pardonij, debet incarcerari, & ſuas literas offerre Parlamento, &c. Hæc ille Deciſ. Burdegal. 65. Septima eſt, Vt Regi non liceat magiſtratũ aliquẽ Regni, ſiue Reip. Franciæ, niſi cauſſa in Parium cõſilio cognita & probata, exauctorare. Quæ lex ita paſſim tota Gallia nota & decantata eſt, vt teſtimonij non egeat. Octaua Regni lex numerari hæc poteſt. De Regi ſine publici concilij auctoritate monetæ mutãdæ ius ſit. Nam Guill. Budæus lib.
E de Aſſe 3. & 5. teſtatur ex antiquis omnibus quæ viderat monimẽtis conſtare rei nummariæ ius, hoc eſt poteſtatis nummorum vel augendæ vel imminuendæ ſemper penes populum fuiſſe. Quinetiã Carol. Molin. diligẽtiſſimus monetalium ratiociniorum inueſtigator, extremo commentario de contract. & vſur. ſcribit ſe in archiuis parlamenti & monetaliũ præfectorũ quãplurimas leges Frãcicas reperiſſe, quibus ſancitum erat, ne qua rei nummariæ mutatio ſine populi
F conſenſu fieret: ſempérq; in eiuſmodi mutationibus populi conſenſum (quippe cuius plurimũ intererat) interueniſſe. quemadmodum à Iuriſconſultis dici ſolet. Quorum quid fieri intereſt, eorum in eo negotio gerendo requiritur aſſenſus: vel hoc modo, quod aliquos tangit, debet ab iis approbari. Quinetiã Hoſtienſis Canoniſta celebris & magnæ inter ſuos auctoritatis, in ſomma de cenſibus, ita ſcribit. Quæritur, nũquid Rex Franciæ habeat priuilegium concedendi peda-
G gia, vel mutandi nouam monetam. Reſpondeo, ſicut Papa in ſimili quæſtione, ſic videretur aliquibus, c. per venerabilem, qui fil. ſint legit. Mihi verò non videtur niſi populus ei poteſtatem illam dederit: quæ & Imperatori data eſt. argu. l. 2. §. deinde, D. de orig. iur.

An

An mulieres, non vt ab hereditate Regni, ſic ab eius procuratione, Francogallico iure, arceantur.

CAP. XXIIII.

SEd quoniam de regni procuratione & ſumma Reip. adminiſtrandæ inſtituta diſputatio eſt, non prętereunda quęſtio videtur, An mulieres non vt ab hereditate Regni, ſic etiam ab eius procuratione arceãtur. Primùm autem illud apertè teſtatum volumus nos neque de Romanorum, neque de aliarum gentium iure, ſed tantùm de huius noſtræ Francogalliæ inſtitutis diſſerere. Nam, vt notum omnibus eſt, Romanorũ inſtitutis mulieres propter infirmitatem conſilij in perpetua tutorum poteſtate fuiſſe, atque ab omnibus non modò publicis, verùm etiã ciuilibus negotiis excluſas eſſe: & in nonnullis aliis in gentibus mulieres ſummam imperij vetuſtis moribus obtinent. *Britãni ſexum in imperiis non diſcernũt*: inquit Tacitus in Agric. vita. Hoc igitur conſtituto, & teſtificatione noſtra planè ac dilucidè propoſitis, deinceps ad quæſtionem accedamus. Nam ei cauſſam præbuiſſe ſuperiorum aliquot temporum exempla videntur: quibus conſtat, Regnum Francogalliæ à Reginis, præſertim viduis, & regum vel puerorum vel abſentium matribus adminiſtratum fuiſſe. In quibus haud ſcio an vllum ad muliebrem audaciam inſignius commemorari poſſit, quàm illud regię Blãcę, Ludouici Transmarini matris, de qua poſterius dicemus: quæ Rege filio in Africã ad bellũ gerẽdum profecto ſummam ſibi poteſtatem non modò in Reip. ſed etiam in Eccleſiarum & Epiſcopatuum adminiſtratione aſciuit: quemadmodum ex veteribus quibuſdam monimentis nuper in lucem editis cognoſci poteſt: *Nos chariſſimæ Dominæ noſtræ & matri Reginæ cõceſſimus, & volumus, quòd ipſa in hac noſtra peregrinationis abſentia plenariam habeat poteſtatem recipiendi & attrahendi ad regni noſtri negotia, quos ſibi placuerit, & amouendi quos viderit amouendos: Balliuos etiam inſtituere valeat, caſtellanos, foreſtarios, & alios in ſeruitium noſtrum & regni noſtri miniſtros ponere & amouere: dignitates etiam & beneficia eccleſiaſtica vacantia conferre, fidelitates Epiſcoporum & Abbatum recipere, & eis regalia reſtituere, & eligendi licentiam dare capitulis & conuentibus vice noſtra.* Ex contrario tamen pugnat primùm ratio diſputandi vſitata, vt cui per ſe Reginam eſſe ius non eſt, eidem regendi ius ac poteſtas non ſit. Perſuaſum autem Reginam eſſe mulierem non poſſe, neque Regni hereditatem ei ex ea ve prognatis deferri: ſed ſi Reginæ appellantur, per accidens, & propter Reges maritos id fieri: ſuperiùs ex antiquis M CC. annorum monimentis demonſtratum eſt. Eo accedit, quod ſuperius docuimus, quemadmodum omnis creandorum regum poteſtas penes publicum concilium erat: ita curatoris Reip. ſiue moderatoris diligendi ius ſummum penes idem Concilium fuiſſe. Quinetiam creatis regibus, tamen ſummam imperij adminiſtrandi poteſtatem ab eodem Concilio retentam fuiſſe: ne-

A que centeſimum adhuc exiiſſe annum cùm regnante Ludouico XI. quamtamuis vafro & callido, XXXVI. Reipub. curatores, vt ſup. diximus, tanquam Ephori, ab eodem Concilio conſtituti ſunt. Quòd ſi maiorum noſtrorum auctoritatem quærimus, extat inſignis apud Aimoin. lib. 4. ca. 1. vbi de Brunechilde, Regina matre Childeberti regis commemorans ita loquitur: Simul, inquit, quia Brunechildis ſummam regni ſolli- B citudinem ſibi reſeruare velle intelligebatur, & primates Franciæ tanto tempore fœmineo dominatui dedignabantur ſubiici, &c. itaque Franc. Connanus Senator Pariſienſis lib. 1. cap. 1. cap. 8. Quod Panormitanus putat (inquit) Reginis more noſtro ius eſſe in Gallos multũ fallitur. nulla enim gẽs minus paſſa eſt fœminas uti imperium, cum lex Saliorum, id eſt Gallorum, eas regni ſucceſſione excludat. Itaque videmus Reginas viro mortuo redigi fere in ordi- C nem: ſic vt ne vmbram quidem Regiæ dignitatis retineant. Hæc Connanus. Et profecto ita eſt, vt ſi quando regni procurationem apud maiores noſtros mulieres adeptæ ſunt, ſemper eas res mitas in Rep. noſtra tragœdias, ſumma denique miſeriarum incendia excitarit. Cuius rei non alienum videtur exempla quædam proponere. Dominata eſt quondam Chrotildis, Regina, mater Childeberti & Clotarij regum quæ cùm alterius filij nomine Clodomeris D demortui filios inſano quodam amore proſequeretur, ſummam contentionem adhibuit, vt nepotes remotis filiis in regiam dignitatem producerentur. Itaque capillitium eorum, pro eo inſtituto de quo ſuperiùs diximus, ſumma cum cura & diligentia nutriebat. Cuius rei Reges fratres certiores facti, confeſtim Arcadium quendam ad eam miſerũt, qui nudum gladium ſimúlque forcipem ei oſtentans, optionem illi faceret, vtrum illorum nepotum ſuorum ca- E piti admoueri mallet. At illa, inquit Gregorius Turon. nimium felle commota, præcipuè cum gladium cerneret euaginatum ac forcipem, amaritudine præuenta, reſpondit: Satius mihi eſt, ſi ad regnum non eriguntur, mortuos eos videre, quàm tonſos. Ita nepos vterque in ipſius conſpectu interfectus eſt. Auctores eodem Gregor. lib. 3. cap. 18. vbi tamen ſubiungit, Reginam hanc liberalitatibus & donationibus in monaſteria collatis plebis & vulgi beneuolẽ- F tiam conciliaſſe. Date frenos (inquiebat Cato) impotenti naturæ, & indomito animali, & ſpectate ipſas modum licentiæ facturas. Quid? quàm effrenatum illud fuit animal, illa, inquam Theodorici Regis filia, natione Itala, quæ ſerui ſui amore inſana, vbi matris iuſſu illum interfectum cognouit, per ſpeciem reconciliatæ cum matre gratiæ ſacramentum ſed dominicæ cœnæ cum illa communicare velle oſtendit, venenóque in calicem infuſo G impietate ſimul & crudelitate nefaria matrem ſuſtulit. Verba Gregorij Turonenſis lib. 3. c. 33. hæc ſunt: Erant ſub Ariana ſecta viuentes: & quia conſuetudo eorum eſt, vt ad altarium venientes de alio calice Reges communicent, & de alio populus minor (notanda conſuetudo calicis cum plebe communicati (ve-

nenum in calice illo poſuit, de quo mater communicatura erat: quo illa hauſto protinus mortua eſt. Age, reliquas videamus. Dominata eſt quondam Fredegunda, Regina mater, Chilperici prima vidua. Hęc marito ſuperſtite cũ Landerio quondam adulterij cõſuetudinem habuerat. Vbi Chilpericum id ſenſiſſe animaduertit, interficiendum eum curauit: confeſtimque Regni procuratione filij ſui Regis Clotharij nomine, tanquam Regina mater ſuſcepit: eámque annos XIII. ſubſtinuit. Primùm Childebertum filij ſui patruum, eiúſque vxorem veneno ſuſtulit: tum Hunnos aduerſus ipſius filios concitauit: bellúmque ciuile in Remp. immiſit fax denique illorum incendiorum fuit, quibus Francogallia multos annos exarſit. auctore Aimoino lib. 3. c. 36. & lib. 8. cap. 29. & ſcriptore Chronici Beſnenſis. Guaguin. lib. 2. c. 2. Dominata eſt Regina mater Childeberti, Brunechildis, Sigeberti Regis vidua. Hæc Italum quendam nomine Protadium in delitiis habebat, eúmque omnibus honoribus amplificabat. eadémque filios ſuos Theodebertum & Theodoricum adoleſcentes in eam vitæ flagitioſæ conſuetudinẽ adduxit, vt tandẽ capitales inter ſe inimicitias gererent, bellóque diuturno cõflictati prælium atrociſſimum cõmitterent. Meroneum nepotẽ ſuum Teodeberti filiũ ſua manu interfecit. Theodoricum veneno ſuſtulit. Quid amplius? Decem principibus Regiis necis cauſſam attulit. Cúmque ab epiſcopo quodam obiurgata eſſet, rogatáque vt ſe ad frugem conuerteret, illum in profluentem præcipitari iuſſit. Ad extremum concilio Francorum indicto, in iudicium vocata, damnata, & ab equo currente diſtracta, membratimque delaniata eſt. Auctoribus Greg. Turon. lib. 5. cap. 39. & lib. 8. ca. 29. & Adone Ætat. VI. Otone Friſingenſ. Chron. parte 16. & Aimoino lib. 4. cap. 1. itémque Appendice Gregor. Turon. lib. cuius hæc verba ſunt: Reputantes ei quòd V. Reges Francorum per eam interfecti fuiſſent: id eſt, Sigebertus, Merouęus, & genitor ſuus Chilpericus, Theodebertus & filius ſuus Clotharius, item Merouęus filius Clotharij, Theodoricus, einſdẽmque tres qui ad pręſens extincti fuerãt: per triduum eam diuerſis tormentis afflictam iubet prius camelo per omnem exercitum ſedentem perducere: poſthæc comam capitis vno pede & brachio ad ferociſſimi equi caudam ligare: à quo calcibus & velocitate curſus membratim diſrumpitur. quam eandem hiſtoriam reperio in Chronico Monaſterij Beſnenſis manuſcripto his verbis: Nam camelo ſuperpoſitam girari fecit per exercitum: quam cùm omnes inclamando noſtruiſſent, velut ſub carnis vel animæ zabulum iterum iuſſit reduci: & inter equos quatuor indomitos ligari, ad quorum primam erumpentium fugam partibus rupta, poſtea igne conbuſta cum ſatellitio peccatorum ab ipſis inferioribus eſt immerſa. Item alio loco, Tanta mala & effuſiones ſanguinum Brunechildis conſilio in Francia factæ ſunt: vt prophethia Sibyllæ impleretur, dicentis, *Veniens Bruna de partibus Hiſpaniæ, ante cuius conſpectum gentes peribunt: hæc verò equitum calcibus diſrumpetur.* Age, de ceteris videamus. Dominata eſt Plactrudis non Regis, ſed Regij profecti Pipini vidua, qui tum regium imperium obtinebat, dum inane regium nomen Dagobertus ſecundus ſuſtineret. Hæc Plectrudis propter adulterij & flagitioſæ vitæ turpitudinem à Pipino repudiata, marito mortuo multarum in Gallia ſeditionum auctor fuit, Carolum Martellum Palatij magiſtrum, fortiſſimum virum abire Magiſtratu coegit, aliúmque Theobaldum impurum & nefarium hominem in ipſius locum ſuffecit. tandem funeſtum ciuile bellum inter Francos ipſos excitauit. qui variis præliis, & vt (ait Aimoinus) duriſſimis cædibus ſeſe mutuo proſtrauerunt. lib. 4. cap. 50. & cap. ſeq. Quinetiam auctor libelli cui titulus eſt, Status regni Franciæ, ſub Dagoberto II. his vtitur verbis: Cùm Franci Plectrudis furores atque inſanias ferre non poſſent, neque in Dagoberto rege ſpem vllam reliquam viderent, Danielem quendam ſibi regem delegerunt, qui antea monachus fuerat, eumque Chilpericum nominarunt, quam hiſtoriam ſuperiùs quodam loco perſtrinximus. Sed reliquas videamus. Dominata eſt Regina mater Caroli Calui nomine Iuditha, Ludouici cognomento Pij coniux: qui non modò Francogalliæ Rex verumetiam Italiæ & Germaniæ Imperator fuit. Hæc miſerum fataléque bellum inter Ludouicum & ipſius filios priuignos ſuos excitauit: vnde nata horum aduerſus parentem tanta coniuratio, vt illum imperio ſe abdicare, ſuámque illis dignitatem cedere magno totius propè Europæ incommodo cogerent. Quorum incommodorum culpam Hiſtorici omnes magna ex parte in illam Reginam matrem Iuditham conferunt: Abbas Vrſperg. Michael Ritius & Otto Friſing. Chron. 5. capite 34. Ludouicus, inquit, propter mala opera vxoris ſuæ Iudith regno pulſus eſt. Itémque Regino in Chro. anni DCCCXXXVIII. vbi ſic ſcribit: Ludouicus à ſuis imperio priuatur, & priuatus cuſtodiæ traditur, Regníque monarchia Lothario filio eius per electionem Francorum datur. Fuit autem hæc deiectio pro maxima parte facta propter multimodam fornicationem Iudithæ vxoris eius. Aliquot poſt ſeculis dominata eſt Blanca Regina, mater Ludouici cognomento Diui, natione Hiſpana. Vt primùm gubernaculum arripuit, concurrere ad arma Galliæ proceres cœperunt, Duce Philippo, Comite Boloniæ, Regis patruo: qui (vt ſummus auctor ſcribit Ioan. Ionuillæus capite hiſtor. 4.) ferendum non eſſe clamitabant, tantum Regnum à muliere, eáque peregrina, adminiſtrari. Itaque Comitem Philippum proceres illi, repudiata Blanca, Regni procuratorem delegerunt. At Blanca nihilominus in inſtituto perſeuerare, & auxilia vndique accerſere: Ferdinandum denique Hiſpaniæ Regem fœdere ſibi atque amicitia adiungere inſtituit. Cum Duci Philippo Dux Britanniæ & Comes Eboracenſis ipſius frater ſeſe coniunxiſſent, de improuiſo oppida aliquot interceperunt, eáque præſidiis firmarunt. quod Ionuillæus capite quinto commemorat: atque ita grauiſſimum in Gallia bellum, propter occupatã à Regina matre Regni procurationem, exarſit. Forte tum accidit, vt Rex Stampas à matre amorum cauſſa miſſus, proficiſceretur. Eò confe-

A confeſtim multis ex partibus Proceres aduola-
runt, Regémque obſidere cœperunt: non læden-
di (inquit Ionuillæus) aut violandi illius conſi-
lio: ſed (vt idem teſtatur) vt eum à matris pote-
ſtate abducerent. Qua re ad illam perlata, quæ
tum Lutetiæ permanſerat, celeriter armati Pa-
riſienſes, & Stampas proficiſci iubet. Vix eæ
copiæ Montlerium peruenerant, cùm Rex obſi-
dione liberatus, ad eos accedit: Lutetiámque v-
B nà cum ipſis reuertitur. Vbi ſe Philippus dome-
ſticis copiis minus inſtructum animaduertit,
Reginam Cypri, quæ in regno controuerſiam
quandam habebat, ſubſidio acceſſit. Hæc magnis
copiis in Campaniam ingreſſa, latè regionem
illam populatur. Blanca nihilominus in ſenten-
tia permanet. Itaque Anglorum auxilium Pro-
ceres ad extremum in Regni fines introducunt.
Hi magnis incommodis Aquitaniam, ceteráſ-
que maritimas regiones afficiunt: quæ incom-
C moda omnia ex Reginæ illius matris impoten-
tia atque ambitione nata fuiſſe, Ionuillæus mul-
tis verbis commemorat c.6.7.8 9.& 10. Et quo-
niam longè alia de Blancæ ingenio & moribus
noſtrorum hominum opinio eſt, propter eorum
(vt credi par eſt) qui per ea tempora ſcripſerũt,
aſſentationes non prætermittendum videtur,
quod idem Ionuillæus ca.76. commemorat, il-
lam vſque eò filium in poteſtate ſua habuiſ-
ſe, vſque adcò illum timidum abiectúmque re-
D degiſſe, vt cùm ipſius vxorem, nurũ ſuam, Mar-
garetam odio haberet, rarò admodum Regem
cum illa verſari pateretur. Itaque cùm rex iter
faceret, Blanca metatorib. imperabat, vt hoſ-
pitium Reginæ ſeparatim à rege aſſignarent,
quinetiam ſi quando rex noctu furtim ad con-
iugem accedebat, tum hoſtiarios in ſpeculis
collocabat: & ſi fortè Blancam aduentare intel-
ligerent, tum fuſte canes ab illis cædi impera-
bat: quorum clamore de ſeſe occultando com-
E moneretur. Quid amplius? Die quodam (inquit
Ionuillæus) cùm Regina Margareta è puerpe-
rio ægrotaret, Réxque pro amicitia ad illam
veniſſet, repente Blanca interuenit. Rex clamo-
re canum admonitus, ſeſe in lectuli angulum
abdidit, cortiniſque inuoluit. Illa nihilo-
minus inuentum Regem manu, inſpectanti-
bus omnibus, prehendit, ac ſimul è cubiculo
eduxit: Tu hîc, inquiens, nihil agis. Egredere.
At puerpera cùm tantam contumeliam acer-
F bius tuliſſet, dolore exanimata eſt: coacti-
que ſunt cubicularij Regem reuocare, cuius
aduentu puerpera recreata eſt, animúmque
recepit. Atque hæc quidem Ionuillæus, capi-
te hiſt. 76. totidem propè verbis commemorat.
Rurſus aliquot intermiſſis annis dominata eſt
Iſabella Caroli VI. dementis vidua. Prius e-
nim quàm Concilij auctoritate Regni procu-
ratio certis ac delectis viris mandari poſſet,
multæ ab hominibus ambitioſis contentiones
G exortæ ſunt. Sexies denique controuerſiæ re-
nouatæ, ſexies interpoſitis pactionibus ſeda-
tæ ſunt. Tandem Iſabella Pariſiis exacta, Car-
nutum ſe recepit. Ibi Philippum Morvillerium
veteratorem nacta, Senatum ſibi, & Prætο-
rem, & Cancellarium Moruillerium illum in-
ſtituit eiuſdémque conſilio Typum regium

A (quod Cancellariæ Sigillum vulgò appellant)
inſculpi iuſſit, ſuámque in eo imaginem de-
miſſis brachiis imprimi: cùm in diplomatibus
hanc præfatione vteretur: Iſabella Dei gratia
Regina Franciæ: quæ propter incommodam
Regis valetudinem Regni procurationem ob-
tinet. Verum vbi Reſpub. multis affecta in-
commodis, ac prope iam ad interitum addu-
cta videretur, publico conſilio Turones a-
B mandata eſt: quatuorque illi tutores attributi:
qui belluam illam indomitam domi contine-
rent: viderentque ne quam rem agere, ac ne li-
teram quidem vllam ſine ipſorum permiſſu
ſcribere poſſet. Cuius rei extat apud Mon-
ſtrelletum copioſa hiſtoria cap. 161. & cap.
168. Multóque vetuſtius eiuſdem ſaueritatis e-
xemplum extat in Placidina Childeberti Re-
gia matre, quam propter impietatem, & ni-
miam in epiſcopo Quintiano vexando & ec-
C cleſiæ pace conturbanda inſaniam, in oppido
Cadureo comprehenſam, & rebus omnibus
ſpoliatam ac nudatam Franci exilio damna-
runt. vt teſtatur Gregor. Turon. libro tertio
capite duodecimo.

De parlamentis iuridicialibus.

CAP. XXV.
& vltimum

D NOMEN Parlamenti (antiqua noſtro-
rum hominum lingua) collocutio-
nem ſignificat, multorum variis ex
locis certum aliquem in locum conuenientium,
vt de communibus rebus inter ſe conferant,
ac ſermocinentur. Itaque in Chronicis veteri-
bus, ſi quando principes legatiue principum
de pace, aut bellicis pactionibus conuenerunt,
ſemper condictum illud colloquium, Parla-
E menti nomine appellatur. Eadémque ratione
publicum ordinum Concilium vetuſta lingua
noſtra Parlamentum dicebatur. quod nomen
adhuc in Anglia retinetur. Thom. VValſinga-
mius in hiſt. Angl. ſub anno 1287. Hoc anno
Rex Angliæ in Gallias tranſiens, Ambianos
peruenit: & fecit homagium Regi Franciæ,
pro terris quas de eo in regno Franciæ tenebat
Pariſius: & interfuit parliamento, quod Rex
Francorum tenuit. Itaque Philipp. Cominæus
F lib.4.c.1. Rex Angliæ, inquit, tributa ſuæ genti
imperandi ius non habet, ſine conſenſu atque
auctoritate ſui Parlamenti, quod apud nos
Trium ſtatuum Concilium appellatur. Eo-
démque nomine conuentus ordinum Bri-
tanniæ Armoricæ, quandiu gens illa regem
proprium habuit, ſemper appellatus eſt: quem-
admodum ex illius Annalib. cognoſci licet:
multis quidem locis, ſed præſertim lib. 3. vbi
Ducis Malicleriei, hoc eſt indocti indocta cum
G Frãciæ rege pactio profertur: ex anno MCCXXX.
Item Dux in ſignum ſubmiſſionis prædictæ, vo-
luit quòd à ſuo parlamento de cetero appella-
retur ad parlamentum Franciæ in duobus tan-
tum caſibus. Et mox: A falſo & prauo iudicio
ſui parlamenti Britanniæ appellabitur de ce-
tero ad Franciæ parlamentum. Dicebatur e-

tiam Curia parlamẽti trium ſtatuum: vt Stephanus Auſtetius Burdegalenſis Prætor, nobilis pragmaticus, teſtatur in Commentario ſtyli curiæ Parlamenti, videóque iam ita vſurpatum à Ioan. Feraldo Regis Ludouici conſiliario in tract. de iur.reg. Franc.priuileg.vlt.Iudicia ſub ſecura,inquit, quæ ex regiſtris curiæ parlamenti trium Statuum extrahi. Quinetiam video Bartolum alióſque Doctores Italos hac eadem voce paſſim pro publico regionis alicuius concilio, ſiue comitiis vſurpare. Nam Bartolus in l. 2. C. de legation.lib.10.Præſes prouinciæ,inquit,conuocat parlamentũ in prouincia,& in eo proponit quod reſpicit vtilitatem publicam. Et mox: Nota,quòd præſides prouinciarum coadunãt vniuerſale parlamentum prouinciæ:quod intellige,non quòd omnes de prouincia debeant ad illud ire,ſed de omnibus ciuitatibus deputantur ambaſiatores,qui ciuitatem repræſentant. Et in eandem l.Ioan. de Platea: Vbi ſuper aliquo, inquit, prouidendum eſt pro vtilitate totius prouinciæ, debet congregari generale cõcilium ſeu parlamentum:nõ quod omnes de prouincia vadant: ſed de qualibet ciuitate aliqui ambaſiatores vel ſyndici, qui totam ciuitatem repræſentent.in quo concilio ſeu parlamẽto petitur proponi ſanum & vtile conſilium. Item Lucas de Penna: Modus proponendi in cõſilio generali, ſeu parlamento eſt,vt petatur pròponi ſanum & vtile conſilium. Budæus autem in Pandect. Nihilo ſecius (inquit) curiæ Pariſienſis originem à conuentibus iuridicis manaſſe, haud dubia coniectura crediderim:quibus olim Principes intereſſe,præeſſéque ſolebant: quoniam indictiui erant,nec loco, nec tempore ſtati. Vagam enim Parlamenti rationem fuiſſe conſtat, quaſiq; prætorianum Principis concilium. Cùm autem in Gallia noſtra ſummam illam Publici cõcilij auctoritatem imminuere Capeuingij molirentur, & certorum Senatorũ numerum in eius concilij locum ſubſtituere, auguſtum illud parlamenti nomen in illum iudicum conceſſum transtulerunt: eíque hanc auctoritatem tribuerunt:primùm vt nulla regia lex,nulla conſtitutio rata eſſet,niſi cuius illi conſiliarij auctores comprobatoréſque fuiſſent: deinde vt nullus tota Gallia magiſtratus, non modò vrbanus, verumetiam militaris eſſet, quem non ab illo conſeſſu inaugurari, & apud eundem in leges iurare oporteret:tum vt ab eorum iudiciis appellandi ius non eſſet:ſed vt eorum decreta rata & fixa eſſent. Is qui Princeps eſt ſenatus (inquit Connanus libro 1.) cùm ius dicit,nemini; prætetquam Regi ipſi, honore ſedendi cedit. quo tamen loco Connanus Cancellarij oblitus eſt, cui Princeps ille ſenatus loco cedit, quaſi (vt Budæus ſcribit) magiſtratuum omnium antiſtiti. Poſtremò quicquid poteſtatis, imperij, auctoritatis penes publicum Concilium & Statuum parlamentum per tot annos fuiſſe docuimus, id totum ferè Senatus illa ſubdititio tributum eſt: in quem reges cooptãdos curabant, quod ad ſuas rationes accommodatos fore iudicabant, eáque tum Curia Parlamenti vocata eſt: vt in Anglico libello, cui titulus eſt *Alearned*.cap. 52. Sunt quippe in regno Franciæ, in curia ibidem ſuprema, quæ Curia

A Parlamenti vocitatur, proceſſus quidam, qui in ea plus quam triginta annis pependerunt.Et noui ego appellationis cauſſam vnã quę in curia illa agitata fuit iam per decẽ annos, & adhuc veriſimile nõ eſt,cã infra annos, decẽ alios poſſe decidi.Item cap.48.Omnes aduocati in Francia etiam in curia parlamenti ſolent placitare cauſſas ſuas in lingua Gallica. Quare quibus initiis ac radicibus in tãtam amplitudinem excreuerit, pauliſper conſiderandum eſt. Primũ igitur Ba-

B. ſilica regia Lutetiæ opere magnifico extructa eſt,imperio, vt plerique affirmant, regis Ludouici Hutini, quo nomine priſca lingua noſtra Turbulẽtus ſignificatur: vel,vt nõnulli diſputãt, regis Philippi Pulcri, circiter annũ MCCCXCIII. ſtudio certè atque opera Enguerrãtij Matignij, comitis Longueuillij,qui aliquot interiectis annis in patibulo Pariſienſi propter peculatus crimẽ falſum an verum recte ſuſpenſus eſt. Gaguini autẽ Hiſtorici in Hutini regis vita, verba hæc

C ſunt: Hic Ludouicus inſtituit Parlamenti Curiam Pariſiis ſtabilem eſſe, & loco non moueri, ne litigatores crebris circuitionibus vexarentur. Hæc ille. Nam quòd nonnulli ad Pipinum vel Carolum Magnum inſtitutum illud referunt, quàm abſurdum id ſit, facilè ex iis quæ mox docebimus, conſtabit. Quinetiam eiuſdem Caroli Magni leges & conſtitutiones complures extant,quarũ in nulla neque parlamenti, neque maioris illius Senatus mentio interponitur:ſed tantum ſancitur, vt certis locis forum à

D Iuridicis agatur,& conuentus habeantur,quæ ille vſitata conſuetudine Placitum, & Mallam appellat.veluti legis Francicæ lib.4.ca.35. Vt in anno tria ſolummodo generalia placita obſeruare compellat: niſi fortè quilibet aut accuſatus fuerit,aut alium occupauerit, aut ad teſtimonium perhibendum vocatus fuerit. Multæque aliæ in eandem ſententiam eiuſdem regis leges extant, ex quibus de litium paucitate exiſtimare licet.

E Ac planè veriſſimũ arbitror,quod vidųo à nonnullis hominibus noſtris traditum,tantam litiũ, calumniarum, & ſycophantiarum de quibus Philippus Comin.lib.6.cap.6. grauiter conqueſtus ſementẽ factam primùm à Papa Clemẽte v. qui Philippi illius Pulchri tempore Papatus ſedem Auenionem tranſtulit, cumque magna ipſius aulici & pragmatici conſuetudine cum hominibus noſtris implicarentur, ſemina Romanæ artis rabulariæ in mores noſtros ſparſiſſe. Nam Eguinarthus in vita Caroli ſic ſcri-

F bit: Cum calciaretur,aut amiciretur,non tantùm amicos admittebat: verumetiam ſi comes palatij litem eſſe aliquam diceret, quæ ſine eius iuſſu definiri non poſſet, ſtatim litigantes introduci iuſſit, & velut pro tribunali ſederet, lite cognita ſententiam dixit. Itaque eiuſdem Caroli Magni in Capitulari hæc lex extat: Hoc miſſi noſtri notum faciant comitibus & populo, quòd nos in omni ſeptimana vnum diem ad cauſſas audiendas ſedere volumus. Age,

G ceteros videamus. Regnauit circiter annum MCCXXX. Ludouicus cognomento Diuus: cuius vitam Ioan. Ionuillæus de quo ſuperiùs aliquoties meminimus, conſcripſit. At ex huius commentario quanta per id tempus litium

ex buius commentario quanta pet id tempus li-
tium & calumniarum eſſet raritas, vel hinc licet
intelligatur; quòd Rex ipſe Ludouicus vel con-
trouerſias diſceptabat, vel diſceptandi nego-
tium nonnullis è ſuo Comitatu mandabat. Itá-
que capit. 94. ita ſcribit: Solebat, inquit impera-
re Domino Nellio, Domino Sueſſionenſi, &
mihi, vt Iudiciis quæ ad portam appellantur, o-
peram daremus. Tum mittebat qui nos ad ſe
accerſeret: quærebátque ex nobis, quo ſtatu res
eſſet, ecquod eſſet iudicium, quod ſine ipſo exer-
ceri non poſſet. ac ſæpe accidit, vt re per nos ad
ipſum delata, litigatores ipſos accerſiri ad ſe im-
peraret, cauſſamque ex bono & æquo diſceptar-
ret. Sæpenumerò in ſaltum Vicennam animi
cauſſa exibat, viridíque in ceſpite ad quercus a-
licuius radicem conſidens, ſibi nos aſſidere, &, ſi
quis negotij quid habebat, eum ad ſe vocari iu-
bebat. Quinetiam ipſe clarè pronuntiabat, ſiquis
litem & aduerſarium haberet, vt accederet, &
iuſta ſua exponeret. Tum ſi quis accedebat, Rex
attentè ipſum audiebat, ac re cognita, ſenten-
tiam ex bono & æquo pronuntiabat. Interdum
negotium dabat Petro Fontanio, & Godefrido
Vilettio, vt litigatoribus operam darent, &
cauſſas diſceptarent. Vidi etiam aliquoties, cum
bonus ille Rex Lutetiæ in ortum ſuburbanum
esiret, tunica mediocri indutus: ibíque menſam
tapeto insterni imperabat. Tum ſilentio facto
introduci ad ſe litigatores iubebat, cauſſáſque
ſuas agere: ittique ex tempore reddebat. Hæc
Ionuillæus. Ex quibus exiſtimari poteſt, quanta
litium & litigatorum illis temporibus eſſet pau-
citas: quantáque Regum illorum in auertendis
litium moleſtiis ſolicitudo. Quin ne illud qui-
dem prætermittendum eſt. quod ſcribit Specu-
lator ſub tit. de Feriis, cùm ſuo tempore, huc eſt
circiter annum MCCLXX. grauiores cauſſæ ac li-
tes in Concilio publico, (quod vt iam antè di-
ctum eſt, Parlamentum appellabatur) agi ſole-
rent, atque illuc omnibus ex regni partibus in
ius adiretur, moris fuiſſe, propter eos qui lon-
ginquis ex regionibus venerant, vt etiam feſtis
diebus iudicia exercerentur: Poteſt, inquit, ex-
cuſari conſuetudo Curiæ Regis Franciæ, quæ
tempore Parlamentorum omni die ius reddit:
vt venientes de longinquis partibus citius expe-
diantur. At ſucceſſu temporis, arte rabularia
ſenſim, gangrænæ modo, ſerpente, inſtitutum,
eſt, vt & ſæpius & pluribus locis iuriſdictio e-
xerceretur. Itaque Philippi IIII. cognomento
Pulchri conſtitutio hęc extat, ex anno MCCCII.
Præterea propter ſubiectorum noſtrorum com-
modum, & cauſſarum expeditionem proponi-
mus ordinare, quòd duo Parlamenta Pariſiis. &
duo Scacaria Rhotomagi, Diéſque Threcenſes
bis tenebuntur in anno: & quòd Parlamentum
apud Tholuſam tenebitur, ſicut teneri ſolebat
temporibus retroactis, ſi gentes terræ conſen-
tiant. Item, quia multæ cauſſæ magnæ in noſtro
Parlamento inter magnas & notabiles perſonas
aguntur, ordinamus & volumus, quòd duo Præ-
lati & duæ aliæ perſonæ ſufficientes, Laicæ, de
noſtro conſilio, vel ſaltem vnus prælatus, & vna
perſona Laica, cauſſas prædictas audiendi, deli-
berandíque gratia continuè in noſtris Parla-
mentis exiſtant. Quibus ex verbis intelligi po-
teſt, primùm quàm raro per ea tempora iudicia

A exercerentur. deinde quàm pauci iudices in illo
Parlamento ſederent. Nam quantum ad cetera,
præfecturas Regníque prouincias, exſtat eiuſ-
dem Philippi Pulchri conſtitutio, in eodem li-
bello his verbis edita, anno MCCCII. Præcipi-
mus inſuper, quòd Seneſchalli & Balliui noſtri
teneant ſuas aſſiſias in circuitu Seneſchalliarum
& Balliuiarum ſummariè, de duobus menſibus
in duobus ad minus. Quinetiam Budæus eodem
quem ſuperiùs notauimus loco ſcribit, anno
B MCCXCIIII. ab eodem Rege Philippo conſtitu-
tum fuiſſe, vt in Parlamento triſarij generis ſe-
derent Prælati, Barones, & mixti Clerici cum
Laicis. Cùm laici, inquit, partim ex equitibus,
partim ex promiſcuo genere hominum delige-
rentur. Item, vt Prælati & Barones ex illo tertio
genere ſtatuerent, qui ad quanque iuriſdictio-
nem exercendam idonei viderentur. ſimul vt
tres viros deligerent, qui in eas regiones mitte-
rentur, quæ iure ſcripto vtebantur: vt in iis Ius
C dicerent, & ſi qua capitalis quæſtio habenda eſ-
ſet, literatiſſimos quoſque adhiberēt. Quo loco
Budęus horum temporū corruptelam deplorās,
ex Iuuenalis verſu ſic exclamat: Quondam hoc
indigenæ viuebāt more: ſimúlque ita ſubſcribit:
Ita enim nobis exclamare in mentem venit: An-
tiquioribus illis ſeculis, florente tamen hoc Re-
gno (quod ex numiſmatis apparet, auro obryzo
percuſſis) ſimplicē & facilē ius reddendi ratio-
nem, raráſque lites, nec diuturnas, vt nunc, aut
D etiam ſeculares fuiſſe: cùm nondū iſta turba in-
terpretum Iuris Remp. inuaſiſſet: nec dum ſcien-
tia iuris latiſſime, atque etiam in infinitum pate-
re crederetur. ſed æquum bonúmque & iudex
prudens integritate atque innocentia præditus,
inſtar ſexcentorum voluminum eſſent. Nūc ve-
rò quò res reciderit, nemo quidem nō videt. ſed
omnes dicere muſſant. Hactenus Budęus grauiſ-
ſimus vbique & acerrimus artis rabulariæ aduer-
ſarius. Nunc vt ad noſtram hiſtoriam redeamus,
E ex mediocri iudicium numero tres decurię factę
ſunt Magnæ Cameræ, Inquiſitionū, & Poſtula-
torum. quam partionem Budæus eodem illo lo-
co: ſed copioſius Gaguinus in Regis Hutini vita
commemorat. Video tamen, qui ad Stillum cu-
riæ parlamenti, vbi Stephanus Aufrerius eun-
dem numerum ſeruat, hanc notam aſcripſerit:
Imo initio duæ tantùm cameræ fuerunt. quia
Camera Requeſtarum eſt tribunal inferius. po-
ſtea addita eſt tertia: quę parua Camera Inqueſta-
F rū appellatur. Sed anno MDXXII. rex Franciſcus,
vt corraderet ſexaginta millia aureorum quartā
Cameram è viginti nonis conſiliariis creauit: à
ſingulis capiens ter mille aureos. vnde curia val-
de deturpata fuit. poſtea præſidētium quoq; nu-
merus pretio auctus eſt. Rurſus idem Rex ann.
MDXLIII. alios XX. quæſtus cauſſa creauit. Quin
ne illud quidē prætermittendum videtur, quod
& Gaguinus & Budæus eodem loco memoriæ
prodiderunt, atque inſigne eſt ad omnem me-
G moriam documentum, illum iudicum conuentū
non perpetuum & perennem (vt hoc tempore)
ſed indictiuū fuiſſe, nec niſi certo Principis mā-
dato exerceri ſolitum: quot quotannis ineunte
mēſe Nouembri edictum Regis proponi opor-
tet, vt eum renouari liceat. Atque vt huius, in-
quit eodem loco Gaguinus: coitionis Regē au-
ctorem eſſe certum ſit, regia ſingulis quibúſque

Digitized by Google

annis reſcripta eduntur, quibus ad D. Martini A
diem feſtum, id eſt, 11. Id. Nouem. Parlamentum inchoandi iudicibus à Rege auctoritas datur. De mirabili autem & celeri huius regni incremento etiam illud argumento eſſe poteſt, quòd circiter centum pòſt annis, hoc eſt, anno MCCCCLIII. regnante Carolo VII. hæc ab illo conſtitutio promulgata eſt: A feſto Paſchæ, vſque ad finem Parlamenti, Præſidentes & Conſiliarij hora ſexta de mane debent in
ſuis cameris eſſe congregati, à feſto S. Martini, B
poſt horam prædictam, Et aliquantò poſt: Perneceſſarium eſt, vt Præſidentes & Conſiliarij Curiæ poſt prandium veniant ad Parlamentum iudicandi & expediendi cauſſa. Hæc Carolus VII. At Caroli Magni tempore, qui regnum triplo maius obtinebat, quam diſſimilis iudiciorum ratio fuerit, vel ex hac ipſius lege facile intellectu eſt: Legis Franciæ lib. 4. c. 74. Vt comes placitum non habeat, niſi ieiunus. Iam de voce Parlamenti ac nominis etiam auctoritate illud argumentum exſtat, quod cùm in ea parte Allobrogum quæ Delphinatus dicitur antiquitus Senatus inſtitutus fuiſſet, cum ſumma auctoritate, quod concilium Delphinale dicebatur: tum Ludouicus VI. qui bene de ſe meritis Delphinatibus benignè facere ſtudebat, nomen concilij in Parlamentum mutauit: quamuis nihil ad ius atque auctoritatem adderet: cuius rei Guidopapius teſtis eſt, quaſi Gratianop. 43. & rurſus q. 554. Addita ſunt deinceps alia parlamenta, præter illud quod Magnum conſilium vocatur & eiuſdem auctoritatis eſt atque dignitatis. qua de re, quia ab aliis dictum eſt, plura hoc loco non adiiciemus.

FINIS.

FRANC. HOTMANI IVRISC. DE IVRE REGNI GALLIÆ, LEGES DE SVCCESSIONE REGIA CONTINENS.

LIBER II.

PRAEFATIO.

SECVLA *iam abiere permulta, ex quo certa Regni Fräcici inſtituta ſummo ac plane ſingulari ordinũ omnium conſenſu ſeruata ſunt,* de iure ſucceſſionis Regiæ. *Neque verò tãdiu in vna ſtirpe permanere Regnũ illud potuiſſet, niſi certo iure certiſque legibus cõtineretur: veriſſiméque à ſummis auctoribus quondam dictum eſt, vt mundus ſine ſole, ita rempublicam ſine lege & certo iure ſtare non poſſe. Itaque Claudius Seyſſellus Regis quondam Ludouici xij. Conſiliarius & Thaurinenſis archiepiſcopus, in eo libro, quem de Monarchia Franciæ inſcripſit, ita ſcriptum reliquit: Tertium frenum, quo Reges Franciæ coërcentur, Politia: hoc eſt mores & inſtituta Regni multas per ætates comprobata, & longinqua conſuetudine retenta atque vſurpata: quorum abrogationem tentare Reges non audent: & ſi fortè auderent, fruſtra id facerent: quoniam eorum imperio non pareretur. Item alio loco: Iterum dico: Regem non poſſe gratius obſequium Deo præſtare, aut ſuorum ciuium vtilitati, aut ſuæ dignitati & exiſtimationi melius conſulere, quàm illas Regni leges obſeruando. Tum enim boni & Chriſtianiſſimi Regis & Patris Patriæ cognomentum acquirit: ceteráque omnia nomina, quæ ſibi magnus aliquis & glorioſus Princeps poteſt adquirere. Ex cõtrario verò ſimulatque limites & fines illos ſibi præſcriptos egreditur, & ſua voluntate pro ratione vti inſtituit, habetur ac numeratur improbus, Tyrannus, crudelis & intolerandus: quibus de cauſſis in Dei & populorum ſuorum odium incurrit. Hæc ille, Etſi autem optandum fuiſſet, illas regiæ ſucceſſionis leges literis mandari, ne cui eas vocare in dubium liceret: tamen tot ſeculorum mores tanto ac tam diuturno conſenſu atque vſu probatos, pro ſcriptis legibus valere, conſtat. ſiquidem, vt Iuriſconſulti noſtri teſtantur, diuturna conſuetudo, præſertim contradicto iudicio confirmata, ſcriptæ legis auctoritatem obtinet. Porro cum huius calamitoſiſſimi temporis ratio poſtulare videretur, vt illa Regni inſtituta Fräcis noſtris legenda & recognoſcenda proponerentur, paucorum hunc dierum laborem defugiendum non putaui: ne afflictæ patriæ, hoc à me ſene propè iam decrepito poſtremũ fortaſſe munus requirenti defuiſſe viderer. Cùm autẽ plurimi interſit, non ignorare, quibus & quàm probatis auctoribus has Regni leges aſſerere audeamus, maturè teſtificari volumus, nos multo maximã eorum partẽ ex Regiorũ quondam Conſiliariorũ numero produxiſſe, quorũ hæc ferè nomina ſunt: Claudius Seiſſellus, is quẽ ante nominaui, Regis Ludouic. xij. conſiliarius: Coſmus Cuimerius prætor parlamẽti Pariſieſis Ioan. Terrirubeus Regis Caroli* VI. *aduocatus: Ioannes Feraldus Ludou. xij. cõſiliarius: Guido Papius Parlamenti Gratianopolitani Prætor: Gulielmus Benedictus, Parlamẽti Tholoſani conſiliarius. Bartholom. Chaſſanæus, Prætor Parlamenti Prouinciæ: Nicolaus Boerius, Prætor Parlamenti Burdegalenſis: Gulielmus Budæus Regis Franciſci* I. *Conſiliarius, & ſupplicium libellorum magiſter: Andreas Tiraquellus, Parlamenti Pariſienſis Conſiliarius: Egidius Magiſter, primus Pariſienſis Parlamenti Prætor: Ioannes Tilletius eiuſdem Parlamenti ſcriba primarius.*

A

LEX PRIMA.

Vt filius Regis, natu maximus, vel, hoc præmortuo, nepos ex eo ſuſceptus, viuo Rege pro Deſignato Rege habeatur: ſoliſque in regno & domanio regio ſuccedat.

B

HOc & ius & nomen Deſignati Regis rectiſſimè ex iuris Romani inſtitutis Suitatem regiam appellare licuiſſet. Sed cùm has leges etiam iis notas eſſe cuperemus, quibus iuris ac nominis illius ratio minùs eſt cognita, propterea vſitato & populari verbo vtendum putauimus. vt quemadmodum Romæ Deſignatus Conſul aut Prætor dicebatur, qui in annum proximum, altero magiſtratu abeūte, deſtinatus, atque à præcone ex maiore ſuffragiorum numero renunciatus, ac declaratus fuerat: C ita cui lex Franciæ, viuo etiamnum rege, ſpem ſucceſſionis addixit, Deſignatus, Declaratus, Speratus, Deſtinatus Rex appelletur. Imperatorum quidem aliquot Romanorum temporib. moris fuit, vt is, qui in caſum mortis Imperatoria deſtinatus Imperator fuerat, modò Cæſar, modò Princeps iuuentutis appellaretur. Itaque Spartianus in Ælio Vero Deſignatum Auguſtæ maieſtatis heredem eum nominat. Apud Scotos ſimpliciter ac præciſè Princeps dicitur, quemadmodum ex Buchanani lib. Rer. Scot. VI. didicimus. D Micolumbus (inquit) Regis filius immatura adhuc ad rerum adminiſtrationem ætate Princeps Scotorum eſt appellatus: quod nomen perinde eſt Scotis, atque apud Gallos Delphinus: apud priores Romanorum Imperatorum Cæſar: apud poſteriores, Rex Romanorum: quibus omnibus ſucceſſor ſuperiori magiſtratui dari intelligitur. Hæc ille, ſed Delphini nomen eius vnius pro- E prium eſt, qui Regis filius eſt natu maximus: quod anno demum CIƆ.CCCXLIIX. inſtitutum fuit cùm Vmbertus eius regionis Princeps, quæ vulgo Delphinatus appellatur, Regi Carolo VI. ea lege ditionem illam ſuam donauit, vt deinceps Regis filius natu maximus eo nomine appellaretur: quemadmodum Theod. Nihemius lib. hiſt. cap. 25. teſtatur. Illud à Scotorum inſtituto non alienum videtur, quod Franci non modò primogenitum Regis filium, verùm etiam F proximum eius agnatum præciſè ac ſimpliciter populari lingua *Monſeigneur* appellant. Nomen Regis (inquit Ioh. Tilletius) ſummum & ſupremum nomen eſt. Filius Regis Delphinus appellatur. Verum vbi nulli Regis liberi exſtant, is qui Coronæ proximus eſt, ſemper fuit, eſtque hodie ſimpliciter appellatus *Monſeigneur*: ea figura, quæ Antonomaſia dicitur. filius autem regis *Monſeigneur le Dauphin*: vt intelligatur eum eſſe filium regis natu maximum, & ma- G iorem dignitatem obtinere. Hæc Tilletius. Nunc ad legis vim & interpretationem accedamus: quam triplicem eſſe animaduerto: primùm vt filius ille REX IVNIOR honoris bonique ominis cauſſa nominetur: deinde vt hac ratione ius Regi non ſit vel ſucceſſorem ſibi deligen-

Primogenitus regni vocatur rex deſignatus.

Primogenitus regis dicitur. Monſeigneur.

A di, vel filium adoptandi, vel de ſuo regno aut inter viuos aut per teſtamentum diſponendi. poſtremò, vt ille Rex iunior etiam patre viuo regni dominium quodammodo adeptus intelligatur: quale ſcilicet Suus heres patref. viuo in ipſius patrimonio, iure ciuili Romano, habebat. l. in ſuis, 11. D. de lib. & poſt. Horum igitur ſingulorum iurium teſtimonia deinceps proferamus. Nam quãtum ad REGIS IVNIORIS ſiue Deſignati aut Sperati nomen attinet, Iob. de terra rub. Regius B quondam aduocatus & Iuriſconſultus magnus cum primis ætate ſua numeratus, vbi de iure primogeniti Regis filij commemorat ita ſcribit, Sedere à dextris patris iure primogenituræ competit primogenito Regis filio. Sedere autem à dextris patris nihil aliud eſt, ſecundùm Auguſtinum, quàm conregnare patri: ſicut ille qui conſidet Regi ad dextram, aſſidet ei in regnando & iudicando, ſecundùm Auguſtinum, & ſecundùm Thomam, & Primogenitus regis ex hoc dicitur C in SOLIO Regis conſidere. Exod. 11. & 12. Ideo dominus Delphinus habet dominium & coadminiſtrationem cum patre: quod probatur ex eo, quod conregnat patri, & ſimul regnat & adminiſtrat cum patre. Et ideo primogenitus Rege viuente, poteſt & debet REX IVVENIS appellari. Et ita eum nuncupat Gregorius in lib. Moralium: & habetur in Decret. 24. q. 1. & nedum Rex, ſed etiam Dominus patre viuo poteſt nuncupari, ſicut & puer Abraham Iſaac genitore viuo D Meum appellabat dominum, Geneſ. 24. Item vt oſtendatur aliqua præeminentia in Rege patre, Rex pater debet ſimpliciter Rex appellari: filius autem primogenitus debet cum aliqua leui differentia, ſcilicet hac, REX IVVENIS appellari. vt ſic dictio IVVENIS differentiæ notam aſſignet. Vterque tamen Rex appellatur. Hæc ille, cuius ſententiam cùm Andr. Tiraquellus Regius in Pariſienſi Parlamento Senator pluribus verbis atque auctoritatibus comprobaſſet E in lib. de iur. primogen. q. 3. tandem ad extremum, num. 14. his verbis concludit: Ex filijs Regis ſolus primogenitus, non etiam ceteri fratres ipſius viuentis, viuo rege patre, poſſunt appellari Reges: vt patet ex iuribus prius allegatis, vtpote quæ loquuntur de filijs ſucceſſoris, & quibus nihil reſtat præter adminiſtrationem: quod quidem non poteſt conuenire ceteris filiis: & tamen illi primogeniti non propriè ſunt, poſſúntve dici Reges viuente patre: ſed fictè & im- F propriè: &, vt apertius dicam, magis ſpe & deſtinatione, quam re ipſa. Hæc Tiraquellus: cuius ſententiam etiam Tertulliani auctoritate confirmare poſſumus: ex ipſius lib. aduerſus Praxeam: vbi ſic ſcribit: Nullam dico dominationem ita vnius ſui eſſe, ita ſingularem, ita monarchiam, vt non etiam per alias proximas perſonas adminiſtretur, quas ipſas proſpexerit officiales ſibi. Si verò & filius fuerit ei cuius monarchia ſit, non ſtatim diuidi eam, & monarchiam eſſe G deſinere, ſi particeps eius aſſumatur & filius. ſed proinde illius eſſe principaliter, à quo communicatur in filium: & dum illius eſt, proinde monarchiã eſſe, quæ à duobus tam vnicis continetur.

Primogenitus dicitur Rex iunior.

Proximum eſt, vt de iure dominij per legis deſtinationem anticipati videamus. Nam idem ille Terrerubeus art. ſecundo, concluſ. 3.

& 5. ita

Primogenitus regni habet communionem dominij regalis.

& 5. ita ſcribit: Filius, viuente patre, eſt quodammodo dominus rerum patris cum eo: ita quod poſt mortem patris nouam hereditatem adquirere non cenſetur: ſed magis dominium quod habet continuare, & plenam adminiſtrationem conſequi: vt dicit text. in l. in ſuis. D. de liber. & poſt. & alibi dicit text. quod filius ſuccedendo patri non acquirere, ſed retinere bona patris cenſetur. l. ſi patronus, §. vult. de bon. libert. ex quo ſequitur, quod in caſu noſtro filius primogenitus Regis Franciæ eſt patre rege viuente ſimul cum eo dominus: ita quod obeunte patre filius non nouum dominium, ſed plenam ſolùm regni adminiſtrationem naneiſcitur, per d. l. in ſuis, & 35. q. 5. c. hac auctoritate. Nam conſuetudo efficaciore & pleniore iure defert regnũ primogenito Regis, quàm bona patrimonialia liberis. Licet enim text. in d. l. in ſuis, dicat, quod filius, viuente patre, eſt quodammodo Dominus, tamen ille terminus, ſiue dictio QVODAMMODO, etſi impropriet dominium filij in patrimonialibus, non ſic tamen in Regno Franciæ, & ſimilib. Ratio differẽtiæ eſt. nam dominium filij in patrimonialibus, patre viuente, ſubiacet multis variationibus & deperditionibus. nam poteſt tolli per alienationes, teſtamenta, legata, debita voluntaria, crimina patris, & ſimilia. quod ſecus eſt in hoc dominio primogenito Regis Franciæ, in regno, patre viuo, competente: vt ſupra dictum eſt. Et ideo illa dictio QVODAMMODO, non ſic impropriat dominium competens primogenito in regno Franciæ, & ſimilibus. Et pro confirmatione huius facit quod B. Gregorius ſine aliqua nota improprietatis vocat filium Regis Regem, patre viuente. Et illud dominium quod competit filio primogenito in regno, & liberis in patrimonialibus viuente patre, eſt ius verum & reale: ſicut & aliud dominium. nam patre obeunte, filius non adquirit aliud dominium numero, nec ſpecie, ſed quod prius viuo patre habebat, illud continuat poſt patris obitum. Hæc ille, cuius veſtigia atque auctoritatem ſecutus Guill. Bened. Regius in Tholoſano Parlamento conſiliarius, ita ſcribit in capite raynut in verb. mortuo itaque, num. 49. Nobiles Galliæ etiam in vita patris vocantur domini domus & territorij, ac ſi de præſenti eſſent domini. quorum loquendi vſus alia non eſt ratio, niſi ſpes ſucceſſionis paternæ, propter quam dicuntur domini, ſed quodammodo. l. in ſuis, de lib. & poſtu. vbi ponitur illa dictio QVODAMMODO: quæ quandam denotat improprietatem: quæ quidem improprietas locum non habet in ijs regnis quæ primogenito ex conſuetudine patriæ deferuntur: prout eſt regnum Franciæ. quoniam illo etiam viuente adhuc patre filius primogenitus propriè & verè dicitur Dominus: cùm de illo regno pater diſponere non poſſit in præiudicium, imò nec in fauorem filij aliter quàm conſuetudo diſponat. Hactenus Benedict. Quinetiam Terrirubeus tract. 2. concluſ. 9. his verbis ſcribit: Reges Franciæ non potuerunt vnquam, neque poſſet Rex modernus hodie facere teſtamentum de regno, nec primogenitum aut alterum heredem facere in illo. Item, Adeò ex vi conſuetudinis in regno Franciæ ſucceditur, quòd ſicut nec ex voluntate diſpoſitiua & teſtamentaria Regis ſucceſſio defertur eius ſuc-

A ceſſori, nec deferri poteſt: ſic nec ex tacita voluntate eius ab inteſtato diſpoſitiua ei ſuccedi poteſt: ſed ſolum conſuetudo ſuccedenti defert regnum. Item concluſ. 9. 10. 11. 12. In regno Franciæ, inquit, non habetur ſucceſſio hereditaria ſiue patrimonialis: ſed ſimplex ſucceſſio, ſiue ſubrogatio primogeniti, vel proximioris agnati: cui regnum debetur ex ſola lege vel conſuetudine regni, à qua ſola ius accipit: & non à patre, vel alio prædeceſſore. & ſic ius primogenituræ,

Regno ſuccedit primogenitus non iudicio Regis, ſed legis beneficio.

B quantum ad tale regnum, non habetur à patre, ſed à lege regni: vnde nec eſt hereditarium, nec patrimoniale, ſed mero iure filiationis vel ſanguinis competit. ita quod non poſſet Rex de regno teſtari, etiam primogenitum vel proximiorem, cui regnum debetur, inſtituendo: quia nullo modo poſſet inſtitutus capere regnum vi teſtamenti, vel alterius diſpoſitionis paternæ, quæ non valuit: ſed ſolùm virtute legis immutabilis regni, à qua vocatur. Et in eandem

C ſententiam Benedictus in verbo. Et eodem teſtam. num. 148. Natura regni Franciæ, inquit, requirit & exigit, ne de eo fiant teſtamenta, legata, vel aliæ diſpoſitiones. Vnde Ioh. de Terrarubea concludit dicens, quia regnum Franciæ debetur primogenito ex ſola regni conſuetudine, nunquam conſueuerunt Reges de ipſo teſtari, quod vi & medio conſuetudinis defertur primogenito. Igitur rex ipſum dare non poteſt primogenito, neque auferre per alienationes inter

Rex neque regni neque domanij diminuendi ius habet.

D viuos, aut teſtamenta, aut debita voluntaria, aut legata, aut exheredationem ex cauſa: quia primogenitus Franciæ non habet regnum à patre, ſed ab ipſa regni lege & conſuetudine. Et ſic pater poteſtatem non habet ipſum grauare: & de tali dignitate teſtamento diſponere non poteſt, vel alius in præiudicium primogeniti: qui cùm ius illud habeat, non patris iudicio, ſed legis beneficio, per eum grauari non poteſt, à quo beneficium non habet, nec commodum ſentit.

E Hæc ad verbum Benedictus: ſecutus auctoritatem Guidonis Papij, Regij in Delphinali Parlamento prætoris, qui in quæſt. ccxxxix. demonſtrat, Regi Franciæ ius non eſſe vllam Regni partem alienare: & quamuis in alienando iurarit ſe nunquam alienationem illam reprobaturum tamen ſi improbet & reuocet, periurij non teneri. Et idem multò ante cum Hoſtienſis, tum etiam Bald. tradiderant. Nam Bald. in titul. ſi de feud. fuer. contr. int. dom. §. in generali, num. 2.

F Quæro, inquit, vtrum Rex Franciæ poſſet alienare vnam de ciuitatibus regni inuitis ciuib. Reſpondeo, non, ſecundùm Hoſtienſ. qui ita not. extr. de maior. & obed. c. dilecti filij. quæ verba Hoſtienſis & Baldi Alexander recitat in conſil. 25. num. 20. vol. 5. Atque his omnibus etiam ſuffragatur Carolus Molin. aduocatorum Pariſienſium doctiſſimus in Conſuetud. Pariſ. tit. de nat. feud gloſſ. 1. num. 8. In Regno Franciæ,

G inquit, non poteſt auferri primogenito ius primogenituræ, ſiue ſpes regni, & dari ſecundo genito vel alteri: vt expreſſe decidit Ioh. Andr. in c. licet. de voto. Panor. in conſ. 5 nitat in præſenti, lib. 2. Iaſ. in l. nemo poteſt. D. de leg. 1. quia lege diuina, conſuetudinaria, & canonica, & lege particulari huius regni eſt inductum, vt primogenitus ſuccedat in regno, & hoc ſemper fuit & ſemper erit: ſecundùm Bald. in lege ex hoc

conceſſum negatur ad eos qui ex fœminis nati A
ſunt, pertinere. a'ioqui priuilegium ipſum euaneſceret. l. 1. D. de iur. immunit. Itaq; Petr. Iacob. cap. pract. 63. Carolo, inquit, qui Rex Franciæ & Nauarræ fuerat, mortuo, filia Ludouici, ſui quõdam fratris, ſucceſſit in regno Nauarræ: ſed in Regno Franciæ non ſucceſſit: quia non admittitur fœmina, quamdiu maſculus de genere inuenitur. Succeſſit ergo Philippus filius Caroli, qui erat ei in quarto gradu: quamuis dicta fratris filia tãtùm eſſet in tertio. Item Guill. Benedict. in verb. B
duos habens, nume. 78. Vnde conſtat, inquit, neque filias, neque maſculos ex ipſis deſcendentes, in Regno Franciæ, ſecundùm ipſius leges & conſuetudinem, ſuccedere. quinimò liberis maſculis non exiſtentibus, reliqui parentes & conſanguinei in regno ſuccedunt, ſeruata gradus prærogatiua. Hæc ille, quæ pluribus verbis confirmat nu. 119. & 120. Et eodem pertinet, quòd ea quæ nominatim de filio conſtituta ſunt, neque ad filias, neque ad filiarum liberos perti- C
nent. l. penult. §. quæ in filio. C. de adopt. Itaque Chaſſanæus in Conſuetudin. Burgund. titulo de feud. In regno Francorum, inquit, non ſuccedunt fœminæ, ex ſpeciali conſuetudine ipſius regni: & non exſtantibus maſculis, alij conſanguinei in regno, ſecundum prioritatem gradus, in linea maſculina excluſis fœminis ſuccedunt.

Agnati regis quantumuis remoti excludunt natos ex filia regis.

Et ſi contingeret quòd tota domus Franciæ moreretur, & ſtaret vnus de ſanguine antiquo, etiamſi eſſet in centeſimo grado, talis iure D
ſanguinis & antiquę conſuetudinis ſuccederet iure hereditario, & non per electionem: licet in aliis ſucceſſionibus poſt decimum gradum non admittantur conſanguinei, ſed ipſe fiſcus. Ad hunc numerum accedat Ioh. Feraldus, cuius hæc verba ſunt ſub finem lib. de iurib. regni Francorum. Et vt facilior ſit cognitio illius obſeruationis antiquæ, & iudiciorum ſubſecutorum, ex quibus poteſt iudici conſuetudo, quæ ex regiſtris CVRIÆ PARLAMANTI E
TRIVM STATVVM regni, & chronicis extraxi, declarare hoc in loco deſtinaui. Philippus Diui Ludouici filius, duos filios habuit Philippum Pulchrum, & Carolum Comitem Valeſij. Philippus Pulcher Francorum & Nauarræ Rex genuit Ludouicum, dictum Hutin, primogenitum qui vno anno, Philippum Longum, qui per luſtrum, & Carolum Pulchrum, qui per ſeptennium regnauere: Genuit & Iſabellam nuptam Eduardo Anglorum Regi, ea quo natus F
eſt Eduardus quintus, qui regnum querelauit. Ludouicus Hutin filiam habuit, quam matrimonio dedit Carolo Comiti Ebroicenſi. Vnde Carolus Rex Nauarræ natus eſt. Ludouico Hutin ſucceſſit & Francorum regnum adeptus eſt dictus Philippus Longus: non autem ille Carolus Rex Nauarræ ex muliere deſcendens: licet in regno Nauarræ ſucceſſerit. atque ita iudicatum exſtitit. Item Philippus Longus G
filiam vnicam habuit, in matrimonio datam Comiti Atrebatenſi, cui Philippo dictus Carolus Pulcer ſucceſſit, non autem prædicta filia, etſi proximiore gradu eſſet. Dictus Carolus Pulcer ſine liberis vxore prægnante deceſſit. Vnde diſceptatio inſurrexit, quis interim, dum reginę partus exſpectabatur, pro regente accipere-

tur. Duo erant, qui ſibi iura prætendebant, & ſibi deberi aſſerebant. Philippus Valeſius & dictus Eduardus ex Iſabella Philippi Pulcri filia natus. Philippo maximè ſuffragabatur, quòd ipſe maſculino gradu Carolo Pulchro proximus habebatur. Eduardo autem, quòd fœmina eſſet, proximo gradu. Et quia nullo tempore viſum eſt, per fœminam Francorum imperium moderari. his rationibus Philippus Valeſius regno præficitur, & poſtea Rex coronatus eſt. Idem iudicatum eſt contra Henricum Regem Anglorum. Et ſic tria iudicia reddita ſunt inconcuſſe ſeruata contra Carolum Regem Nauarræ, Eduardum & Henricum: quę iudicia reddunt conſuetudinem veram adprobatam & indubitatam: ſicque obſeruatum fuit ea eo tempore. Nam Rex Ludouicus duodecimus ſucceſſit Carolo octauo, & non Anna, Caroli ſoror, Borbonij Ducis relicta, ex quibus gloriari debent Franci: ſicut ille Thales Milæſius, qui maximas gratias ſe agere dicebat, quod vir eſſet, non fœmina. Hæc Feraldus.

Francorum imperium fœmina nõ moderatur.

Res iudicata legis vim obtinet. l. 38. de legibus.

Etſi autem aliquot abhinc ſeculis error quidam hominum imperitorum in hoc diſputationis genere verſatus eſt, exiſtimantium legem quandam apud maiores fuiſſe, nomine Salicam, quæ hac de re nominatim cauiſſet: tamen quoniam inueteratum illum errorem, ac potius commentum abſurdum & fabuloſum in Francogallia noſtra confutauimus, nihil neceſſe arbitramur, cum iterum hoc loco refellere. Tantùm admonuiſſe ſatis erit, verba hæc, De terra Salica in mulierem nulla portio hereditatis tranſit: ſed hoc virilis ſexus adquirit: tantùm abeſſe, vt ad regias hereditates pertineat, vt ne ad feudales quidem ſucceſſiones referri poſſit. quandoquidem caput hoc ſub Rubricam de alodis relatum eſt: neque ad Francos, ſed ad Salios populos pertinet: ſimillimúmque ius videmus in Ripuariorum & Anglorum, atque aliarum gentium legibus conſtitutum fuiſſe: quod eò tantum pertinuit, vt mulieres ab hereditatibus remoueret: non diſſimili fortaſſe conſilio, atque Romani veteres lata lege Voconia mulieres ab eorum ſucceſſionibus, qui cenſi & locupletes erant, prohibuerunt. Neque ſatis mirari poſſum Ioh. Aluarotum & Ioh. Feraldum errorem illum non animaduertiſſe in capite 1. §. mulier. ſi de feud. fuer. contr. & lib. de iurib. reg. Franc. priuileg. 20. vbi terram Salicam interpretantur terram regiam, hoc eſt, regnum Galliæ: quem etſi meritò Chaſſaneus reprehendit eo loco, quem paulò ante protulimus, tamen nihilo leuius hallucinatur, cum Salicæ legis nomen ſcriptorum & typographorum vitio corruptum eſſe contendit, pro Gallicæ: quem errorem ſupradictum illud Barbaricarum legum volumen ſatis apertè (apud eruditos quidem & idoneos iudices) coarguit.

Legis Salicæ commentum.

Salica lex, non Francica, & de alode, non de feudis, vel regno.

LEX TERTIA.

Ne quis nothus, ne legitimatus quidem, ad regni ſucceſſionem admittatur.

HÆc lex iuri feudali conſentanea eſt, vt naturales filij, licet poſtea fiant legitimi, ad ſucceſſionem feudi, nec

ſoli,

ſoli ꝗ nec cum aliis admittantur. libr. 2. titul. 26. Si de feud. defunct. cont. §. naturales. Eius porro legis teſtimonium exſtat apud Guil. Bened. his verbis: Non tamen poſſes aliquis, præſertim Rex noſter Chriſtianiſſimus, legitimari facere filium naturalem, ſi quem haberet, in præiudicium alterius ſui conſanguinei legitimi: licet in gradu parentelæ remotiſſimi: cui ex conſuetudine regni liberis legitimis non exiſtentib. ſucceſſio deberetur: à qua non poteſt per Regem excludi, cùm diſpoſitio Regni ab eius non pendeat diſpoſitione, nec libera poteſtate: ſecundùm Imolam & Dominicum in c. grandi. de ſupp. neglig. præ. lib. 6. Sed vnum eſt laude dignum in præſenti regno Franciæ, quod nonquam fuit viſum nec auditum, quòd aliquis gereretur pro baſtardo Regis: quia propter eius excellentiam, dignitatem, & maieſtatem, nullam patitur, etiam in naturalibus, ſordem. Nec obſtat de Carolo Martello Pipini, ac Ludouico & Carolo Ludouici Balbi ex pellicibus filiis: de quibus & eorum illegitimatione meminit Guaguin. lib. III. & lib. V. quia non fuerunt Reges Franciæ; niſi ad tempus, & per vſurpationem: propter veri Regis minorem ætatem, aut debilitatem: quos fortè permiſit Deus regnare ad tempus, propter hoſtium repulſionem: maximè Carolum Martellum, quo fuit opus illo tempore, inſurgentibus vndique bellis, anno ſalutis ꝯ cc xxxv. Hæc Bened. Sed eiuſdem rei multò antiquior exſtat auctoritas apud Witichindum Saxonem, vbi hæc narrat: Cùm Hugo Francorum Rex defunctus eſſet, ſuperſtitibus tantùm Amalberga ex iuſtis nuptiis nata, & Theodorico, quem ex concubina ſuſceperat, iſque regnum inuadere vellet, reſponſum fuiſſe ab Herminfrido ſororis marito, priùs ſibi de libertate; quàm de regno quærendum. Cùm enim ex concubina natus eſſet, ſeruili conditione maculatum fuiſſe. Hæc ille. Ex quibus & aliis probabile eſt, primum harum legum caput, quo conſtitutum eſt, vt Regis filio natu maximo poſt patris mortem regnum deferretur, interea autem filius ille Rex deſignatus haberetur, de iuſto filio, vel conceptum vel intellectum fuiſſe: hoc eſt, de eo, qui ex Rege & vxore ipſius natus eſſet. l. 6. De his qui ſunt ſui vel. Ac proinde cùm iuſti liberi ſpuriis opponantur; ſpurios, nothos, vulgo quæſitos ab illa ſucceſſione excluſos fuiſſe, l. 4. D. de in ius voc. l. vlt. C. quod. mul. tut. off. l. vlt. C. qui pet. tut. Quod enim nominatim de filiis conſtituitur, ad ſpurios non pertinet. l. t. D vnd. cogn. hoc eſt, ſiue ex concubina nati ſunt; ſiue ex meretrice, ſiue ex virgine, vel vidua honeſtæ exiſtimationis, ſiue ex adultera, ſiue ex cognata. Tot enim ſpuriorum genera in iure numerantur: vt in lib. de ſpuriis demonſtrauimus. Hoc autem ius eò magis obſeruandum eſt, quòd maſculis in primogeniti ſtirpe deficientibus regni ſucceſſio ad Regis agnatorum ſtirpem transfertur: quemadmodum poſterius ſuo loco docebimus. Spurij autem omnes adgnationum & gentilitatum expertes ſunt: quippe, cùm agnatio à patre ſit, patrem autem ſpurij non habeant. l. 2. l. 4. D. vnd. cog. liberi enim extra matrimoniū quæſiti matrem ſequantur; non patrem. l. cum legitimæ. 19. & l. 23. & l. 24. D. de ſtat. hom. Itaque ſpuriorum origo ex eo tantùm die quo nati ſunt,

A numeratur. l. eius qui. 9. D. ad monic. Neque verò quidquam naturales Regis filios legitimatio adiuuaret: quia legitimatio ſoli patri filium adquirit: ab aliis autem omnibus trium generum agnatis eum alienum relinquit. Nouell. 89 §. 4. denique legitimatio eſt, cum ex concubina ſuſceptus ita patri ſuo heres ab inteſtato deſignatur, vt etiam inſtitui ab eo heres poſſit: dum tamen ne maiorem quam quiuis ex iuſtis liberis hereditatis partem capiat. Nouel. 74. & B Nouel. 117. §. 2. At neque concubinatus eſt, niſi in non marito, neque regnum aut vlla eius pars teſtamento Regis deferri poteſt: vt ſuperius diximus: neque ſi legitimi liberi exſtarent, veriſimile eſt eos adæquari ſibi ſpurios paſſuros: quemadmodum ex Salluſtij, Liuij & aliorum hiſtoriis notum omnibus eſſe arbitramur.

C
LEX QVARTA.

Vt, ſi in ſtirpe filij primogeniti maſculus eſſe deſierit, tum ad eum qui in altera gentis eiuſdem ſtirpe. proximus deprehendetur, regni hereditas tranſmittatur.

HOc loco non incommodè, vt opinor, dici poteſt: etiam ad hoc Francicum regnum accommodari poſſe caput illud quartum Concilij Toledani, habiti in D Hiſpania circiter annū ꝯ.c xxII. vt qui viuo Rege de futuro ipſius ſucceſſore diſputare auderet, ab Eccleſia & cœtu Chriſtianorum arceretur. Nā vbi ius certum de ſucceſſore (vt in hoc Francorū regno) conſtitutum eſt, ibi proterui atq; impudētis eſt de ſucceſſore futuro diſputare. Huius autem quartæ legis virtus duplex eſt, prior eſt huiuſmodi: vt quamdiu ſupereſt vnus aliquis è liberis poſteriſue primogeniti filij, tamdiu ſecundò tertióue geniti ſtirps à regni ſucceſſione excludatur. E quod idē in Feudalibus ſucceſſionibus conſtitutum videmus: in quibus quamdiu maſculus ex Primi inueſtiti ſtirpe ſupereſt, tamdiū Feudum ad alteram ſtirpem non transfertur. Altera legis virtus hæc eſt, vt ſi maſculus ex primogeniti ſtirpe nullus ſuperſit, tum ad alteram eiuſdem generis ſtirpem hereditas tranſmittatur: vt qui gradu antecedet, quamuis longiſſimè à Rege defuncto diſiunctus ſit, poſterioribus præferatur. Quod etiam eidē Feudali iuri conſentaneū eſt, vti patet ex lib. 2. tit. 26. Si de F Feud. contr. §. Titius. nempe, vt feudū vni quæſitum, & ſenſim per eiuſdem ſtirpis gradus deuolutum, ſimulatque maſculus in ea linea defecerit, ac proinde Feudum ad alteram lineam transferetur, tum ei deferatur, qui primum & ſummum in illa noua linea gradum obtinet, lib. Feud. 2. ti. 11. de ſucceſſ. fratr. ti. 50. de natur. ſucceſſ. feud. Itaq; Petrus Iacobus, nobilis Pragmaticus, in arbore de ſucceſſione Regni Franciæ his ſcribit verbis: In Regno Franciæ ſuccedit filius iure hereditario. Sed filijs ſeu liberis non exſtātibus, ſuccedit vnus de collateralibus: ita quod G proximior in gradu eſt proprior in obtinendo Regno, iure hereditario. Item paulo ante: Succeſſit ergo illi Carolo in Regno Franciæ Philippus filius alterius Caroli, qui erat ei in quarto gradu

Diſputare de Rege viuente ſucceſſore non licet.

Maſculo in linea primi filij deficiente, regnum ad ſecundi lineam transfertur.

nec ſucceſſit Robertus filius principis Roberti, Comitis Atrebatenſis quondam: quia ille erat in octauo gradu, nec ſucceſſit Robertus, nepos Caroli, Regis Siciliæ & Hieruſalem: quia ille erat in ſeptimo gradu: nec ſucceſſit Ludouicus, nepos B Ludouici: quia ille erat d. Carolo decedenti in quarto gradu. In eandem ſententiam ſcribit etiam Nicolaus Boerius in conſilio decimo. Viſo themate, numero decimo ſeptimo, cuius hæc verba ſunt: Succeſſio Regni Franciæ, decedente Rege, non exiſtentibus liberis, ſpectat & pertinet proximiori in gradu ad ipſum Regnum in iure hereditario obtinendum: ſecundùm gloſſ. in pragm. ſanct. in procem. Iohannes autem Terrirubeus tractatu primo, concloſione octaua, eadem de re ita ſcribit: In Regno Franciæ ſucceſſio defertur primogenitis maribus ex linea recta eorum, quibus ſuccedítur: &, illa deficiente, ſuccedunt mares tranſuerſales, iuxta gradus prærogatiuam. Hactenus legis noſtræ tertiæ ſatis multos & idoneos teſtes produximus ex quibus intelligitur, quod hoc loco ſummè notandum eſt, cùm agnatorum & cognatorum hereditates iure ciuili Romanorum non vltra decimum agnationis, & ſextum ſeptimúmve cognationis gradum tranſmittantur. paragrapho vltimo inſtitut. de ſucceſſione cognat. leg. penultima D. vnde cognat. leg. quarta. D. de grad. tamen iſtas Regales & Feudales hereditates etiam in infinitum tranſmitti, libro Feudorum primo, titulo primo, paragrapho penultimo, & libro 2. titulo trigeſimo primo, & titolo quinquageſimo. Itaque præter Baldum & alios, quos alio in libello, & huius ipſius iuris tractatione protuli, Iacobus Aluarot. Matthæus Laudenſis & Bellouiſius ita ſcribunt: Si in Francia moreretur tota domus Regia, & exſtaret vnus de ſanguine antiquo, puta de domo Borboniæ, & non eſſet alius proximior, quamuis eſſet milleſimo gradu, tamen iure ſanguinis & perpetuę conſuetudinis ſuccederet in regno Francorum. Sequitur & probat Philipp. Decius in conſilio 85. diligenter pro tenniſ. numero 3. ſed præſertim Iaſon in lege certum. Cod. vnd. legitim. vbi adſcribit, Aluarotum & Laudenſem illud dictum Baldi vſque ad cœlum exclamare, & quod non poſſet dici quidquam magis ſingulare.

Succeſſiones feudales in infinitum tranſferuntur.

Sed quoniam de proximo Regis agnato lex ſcripta eſt, quem vulgo Primum Regij ſanguinis Principem appellamus, commodiſſimum videtur de his duobus vocabulis, & proximorum Regis agnatorum iure paullo vberius diſſerere. Ergo illud ſcire oportet. Primum Principem ſanguinis Regij eſſe, vel filium Regis vel nepotem ex eo, vel pronepotem ex vtrouis illorum demortuo ſuſceptum. quod ſi nulli liberi virilis ſexus exſtent, tum Primum Principem eſſe fratrem, aut fratre deficiente, quemnis alium proximum demortui Regis agnatum. Itaque, ne longius eius rei memoriam & exemplum repetamus, mortuo XXV. ab hinc annis Franciſco ſecundo, qui tres fratres reliquerat, Carolus fratrum natu maxi-

Primus regij ſanguinis Princeps & proximus Regis agnatus, promiſcua nomina.

A mus, ſucceſſit in regnum, tanquam Primus ſiue Proximus Regij ſanguinis Princeps: & Carolo mortuo, Henricus III. qui, ſi hodie ſine liberis virilis ſexus decederet, hereditatem regni Henrico Nauarro moriens reſtitueret: vtpote primo, ſiue proximo Regij ſanguinis Principi. Nam, vt breui totam hanc diſputationem præcidamus, Primus & Proximus in hac cauſſa promiſcuè vſurpantur, & proſimum appellamus, qui primus eſt: ait Vlpianus in leg. 2. paragrapho penultimo D. de

B ſuis & legit. adeò vt filius, qui primum in genealogiæ figura gradum obtinet latiore ſignificatione patri agnatus proximus dicatur. L. 2. D. de ſuis & legit: Neque obſtat, quod Iohannes Tilletius in cap. de Regentiis, fol. 204. his ſcribit verbis: Mortuo Rege Franciſco II. Antonius Rex Nauarrus, primus Princeps ſanguinis Regij maior, declaratus eſt Protex: vicem & perſonam Regis Caroli in vniuerſo regno

Filius dicitur primus, nõ etiam proximus.

C ſuſtinens, quaſi Tilletius propriè ac ſpecialiter nomen primi Principis Regij ſanguinis huic tribueret, Regis autem fratribus eandem appellationem denegaret, aut aliam auguſtiorem ſeruaret. Non enim ſimpliciter Tilletius dixit, Antonium fuiſſe primum Principem, ſed coniunctim Primum Principem maiorum: id eſt, maiorem annis, & ætatis ad regnum adminiſtrandum iuſtæ, legitimæ, idoneæ. Secundò illud magnoperè animaduer-

D tendum eſt, in hac feudalium & regalium ſucceſſionũ diſputatione non graduum cognationis tabulam, ſed ſolam genealogiæ figuram adhibendam eſſe: quoniam in feudis nulla eſt agnatitia ſucceſſio: nulla inquam, eſt collateralis, aut tranſuerſaria hereditas: ſed quæcunque eſt ſiue hereditas, ſiue ſucceſſio, ea per directam lineam capitur, & ſemper à parentibus aut maioribus in liberos poſteróſve

Succeſſio agnatica in feudis & regnis nulla.


E defertur. adeò vt ne fratre quidem fratri ſine liberis defuncto ſuccedat tanquam frater, aut proximus agnatus, ſed tanquam proximi Regis, & communis parentis filius. quod idem eodémque modo de patruelibus & aliis deinceps intelligendum eſt: vt avo ſcilicet aut proauo primo de feudo illo inueſtito ſuccedere intelligantur, non autem patrueli, aut propiori ſobrino, vel ſobrino. libro Feudorum 2. titulo 21. Si vaſſallus feudo priuetur, libro 1. ti-

F tulo 1. paragrapho penultimo, & titulo 14. de Feudo marchionis, paragrapho, ſi verò, & paragrapho ſequenti, & libro 2. titulo 11. & titulo ſequenti, & titulo 50. de natura ſucceſſionis feudorum. Poſtremò ſciendum eſt, iura & priuilegia eius, qui primus Regij ſanguinis Princeps eſt, tria noſtris moribus inducta eſſe. Nam primum eſt, vt preciſè Princeps appelletur, ſiue (vt lingua noſtra vtamur) *Monſeigneur*: alterum, vt plenis regiorum armorum inſignibus vtatur: hoc eſt, ſi-

Iura proximi Regij agnati.

G ne trabe tranſuerſaria: poſtremùm, vt apanagium obtineat, hoc eſt, regionum quarundam poſſeſſionem, quibus ad ſe ſuámque familiam pro dignitate atque amplitudine ſua tuendam fruatur. Quarum rerum teſtimonia Iohannes Tilletius in ſuis Obſer-

Obſeruationibus variis locis ſatis molta comme-
morat. Si nolli, inquit, liberi Regis exſtent, is qui
Coronæ proximus eſt ſemper fuit, éſtque etiam
nūc appellatus *Monſeigneur*, ea figura quæ Anto-
nomatia dicitur. Nunc vt ad inſtitutum redea-
mus, illud arctè tenendum eſt, Reges Francorum
non agoationis iure defunctis Regibus ſuc-
cedere, ſed ſolius ſtirpis & prognationis,
quæ ad antiquiſſimum progenitorem & Genar-
chum refertur: quaſi ex ipſo non tantùm progna-
ti, verùm etiam nati procreatíque eſſent: vt paul-
lò poſt apertios docebimus. Vnde illa hoc loco
quæſtio exoritur, vtrum illa regni hereditas, quæ
deficientibus in priore linea maſculis ad nouam
lineam transfertur, ex ætatis & gradus prærroga-
tiua, an repræſentationis iure deferatur: hoc eſt,
ſi duo mares in illa noua linea reperiantur, quo-
rum vnus gradu & ætate antecedat, alter remo-
tior ſit, vter ad hereditatem vocetur. Pona-
mus hanc exempli cauſa genealogiæ figuram.




Tum in litera A Regem conſtituamos, in lite-
ra B filium ipſius primogenitum, cognomento
Valeſium: in litera C filium ſecundogenitum,
cognomento Borbonium: fingamúſque regnum
per Valeſiorum lineam tamdiu peragraſſe, dum
maſculus in ea defuerit. Nunc idem regnum in C
Borboniorum ſtirpem migrare, in qua primoge-
nito H præmortuo, ſuperſunt ipſis filius, K & e-
iuſdem frater I: & quæramus, vtrum ex his duo-
bus, K & I ad regni ſucceſſionem admitti opor-
teat. Reſpondemos, K ſolum, patruo ipſius I ex-
cluſo, admittendum eſſe: & rationem hanc ſub-
iungimus, quoniam in vnaquaq; ſtirpe locus eſt
ſucceſſioni: ſiue (vt populari verbo, non tamen a-
ptiſſimo, abutamur) repræſentationi: ſicut in iure
ciuili dicere ſolemus, in Suis eſſe ſucceſſionem,
vt priore ſoblato (veluti filio) ſequens perſona
(puta nepos) in eius locum ſubintrans Suus effi-
ciatur: & pari ratione in nepotis locum prone-
pos, in pronepotis abnepos: quaſi ſuperioribus
omnibus nunquam natis ipſe reuera eſſet filios.
Is enim certè eſſe fingitur. l. 3. penul. C. de ſuis &
legit. Eiúſque rei clariſſimum documentum eſt:
quoniam in prima ſtirpe, quæ Valeſiorum fuit,
nemo dubitat, quin eadem hæc ſucceſſio locum
habuerit. Nam, vt paullo antè demōſtratum eſt,
filio præmortuo & Rege adhuc ſuperſtite nepos
in filij locum gradúmque ſuccedens, Rege auo
ſuo decedente, patruū ſuum excludit. Neque vn-
quam ad hoc vſque tempus eruditus aliquis re-
pertus eſt, qui ea de re dubitandum exiſtimarit:

Nepos ex fratre in feudis Regalibus patruum excludit.

Regis mortui nepos ex primo[illegible] filio demortuo excluso [illegible] filio superstite [illegible] quest. 4. 3.

A quia quamdiu ſpes eſt ſuum heredem exſtiturum
tamdiu nunquā locus eſt conſanguineo: vt ait l.
penult. D. vnd. l. 2. C. eod. & quemadmodū filius
primogenitus reliquos omnes fratres ſuos ſub-
mouet, ita linea ex eo deſcendēs alios omnes ex-
cludit: ne qui ex linea tranſuerſa veniūt, potiores
iis habeantur, qui recto limite deſcendunt: vt ait
Imp. § . item vetuſtas, Inſtit. de heredit. ab inteſt.
Non igitur gradus aut ætas vllam in hac cauſa
prærogatiuam tribuit: ſed ſtirps & linea. Nam
B proximitatis verbum dupliciter intelligitur:
reſpectu lineæ, & reſpectu gradus. Interdum
enim accidit, vt aliquis lineæ reſpectu proximior
ſit, qui tamen gradu ſit remotior. Idque in
Valeſiorum ſtirpe licet adnimaduertere. Nam
etſi filio, nepote & pronepote Valeſij mortuis,
abnepos quatto gradu à Rege Genarcho di-
ſcrepet, Borbonius autem eiuſdem Valeſij fra-
ter, ſecundo tantùm gradu diſtet, abnepotémque
illum ætate longè multúmque ſuperet, Valeſius
C tamen abnepos & patruum & patruum magnū
& maiorem & maximū excludet. Quinetiā hoc
amplius fidenter addimus, fictionem ſucceſſio-
nis, & (vt ita dicam) repræſentationis naturalē
graduū numerandorum rationem in hoc cauſſa-
rom genere obſcurare: quia cùm filio præmortuo
nepos in eius gradum ſuccedens ad filij con-
ditionem redigatur, (vt Iuriſconſultus loqui-
tur) id eſt, quaſi agnaſcendo filius eſſe fin-
gatur. leg. poſtumorum. 7. D. de iniuſt. rupt.
D fictio hæc illum facit auo iam morienti proxi-
mum: quandoquidem eum iam nemo antecedit.
Is enim propriè Proximus eſſe intelligitur. l. 5.
§ proximus. D. vnd. cogn. l. proximus. 42. D.
de verb. ſignific. Alia autem eiuſdem rei argu-
menta quamplurima, quoniam in libello De
controuerſia patrui & nepotis copioſè produxi-
mus: ſuperuacaneum eſſet hoc loco repete-
re. Vnum tantùm quod in illo libro præter-
miſimus adſcribendum videtur: cùm hac de re
E quondam in Gallia controuerſia exorta eſſet, quę
ad Nauarræ Principem pertinebat, Nicolaum
Vbaldum, celeberrimum & doctiſſimum il-
lius ætatis Iuriſconſultum à Rege Galliæ con-
ſultum in eandem ſententiam reſpondiſſe. Nam
in ſuo doctiſſimo libro De ſucceſſ. ab inteſt.
qui editus eſt anno 1472. numer. 69. ſic loquitur:
Oldradus in conſ. 262. tenuit nepotem ex pri-
mogenito præferendum filio ſecundogenito,
per plures & bonas rationes: non diſtinguens,
F vtrum ſit natus ante patruum ſuum, vel poſt.
Et ita reſpondi ego, cùm eſſem Turonis, inter-
rogatus ex parte Regis Franciæ, in ſucceſſione
Principis Nauarræ. Atque hæc quidem de ter-
tiæ legis interpretatione ac poteſtate hactenus
dicta ſint. Nunc quæſtionem exponemus, cùm
ad agnitionem animi præclaram, tum ad vſum
Franciæ, hoc præſertim tempore, accommoda-
tiſſimam: . VTRVM ius agnati proximi Regis
viuentis, quantum ad regni ſucceſſionem, par ſit
G iuri filij primogeniti, aut nepotis, aut pronepo-
tis, aut verò fratris eiuſdem Regis: an aliqua in
re diſpar eſſe videatur? Exemplo res erit illu-
ſtrior. Proponamus genealogiam Regis Fran-
ciſci primi, hoc modo,

Ius agnati proximi regis idem eſt, quod [illegible] eſſe ius fil. primogeniti.



Nemo neſcit Franciſcum primum Regi Ludouico XII. ſucceſſiſſe quæramus iam, vtrum Francifcus viuente Ludouico XII. idem ius habuerit, quod habiturus fuiſſet filius Ludouici XII. ſi quem filium habuiſſet: aut verò (quod idem valet) idem quod habuit Carolus VI. viuo patre ſuo Carolo V. an verò deteriore conditione fuerit? quod etiam pari ratione quæri hodie licebit in Henrico Borbonio, Rege Nauarro: vtrum pari, an deteriore in cauſſa eum haberi oporteat, quàm qua nuper habitus fuit Franciſcus Dux Andegauenſis, Henrici hodie regnantis frater, tribus ab hinc annis mortuus, &, dum in vita manebat. Regis filius & frater, honoris cauſa, nominatus. Dubitandi cauſa eſt, vt impari iure & conditione cenſendus videatur: primùm quoniam, vt paulò ante dicebamus, iniquum eſt eos, qui ex linea tranſuerſa veniunt, pari cum iis iure cenſeri, qui recto limite deſcendunt. §. item vetuſtas. Inſtit. de hered. ab inteſt. deinde quia ius certum & iam quæſitum multò firmius eſt quàm incertum, & quod in ſpe vrbitaris dubia, & prope dicam abominabili poſitum eſt. Cauſſa autem liberorum iam clara & certa eſt, & ſua ſponte ac naturali quadam ratione fauorabilis: quia non tantùm lex patriæ filio regnum, etiam viuo patre, addicit, vt ſuperiùs diximus: verùm etiam ius quodammodo naturæ. Cauſa verò agnatorum Regis non modò dubia & incerta eſt, quia ſi filius Regi agnaſcatur, illico ſpes eorum extinguetur: verùm etiam malum (vt dixi) & infauſtum omen in ſe continet: nempe orbitatem Regis: Regem, inquam, ſine liberis deceſſurum. Et hac ratione in cauſſa hereditatum, videmus eos, qui poſt eum gradum ſunt agnationis, qui eſt id quod in vtero eſt: non admitti, dum incertum eſt, an naſci poſſit, quoniam in tempus naſcendi iura omnia integra ventri ſeruantur, l.3. D ſi pars heredit. per. poſtremò, ſi ſecundus dignitatis Regiæ locus agnato proximo tribuatur, & propter eandem cauſam etiam alia, illi dignitati adiuncta & quaſi cohærentia, nempe nomen illud Principa-

A tus honorificum, *Monſeigneur*: plenus armorum Regiorum vſus, poſtremò apannagium Regale: ac tum deinde Regi filius agnaſcatur, quomodo adimi hæc illi omnia poterunt, vt non ſe tantis ornamentis ſpoliari moleſtè ferat? cùm regulariter nemo de honoris gradu ſine aliqua nota deiiciatur. Verùm his non obſtantibus contrariam ſententiam non modò & veriorem & æquiorem eſſe, ſed etiam moribus & inſtitutis noſtris præualuiſſe atque vſu receptam

B fuiſſe, oſtendemus. Nam, vt ne longius huius memoriam repetamus, vidimus nuper tres illas dignitates duobus fratribus (ac proinde agnatis proximis) Regis Caroli IX. non modò adoleſcētis, verùm etiam pueri, conceſſas fuiſſe. quin etiam Henrico, Caroli morte ad regnum euecto, Franciſcus in Henrici locum ſuccedens continuò appellatus eſt Filius ac frater Regis, plenúmque gentilitiorum armorum vſum (vt vulgò dicitur,) & apannagium regium, conſequutus eſt, vna cū

C illo illuſtri & honorifico nomine *Monſeigneur*. Ac pari ferè modo Ioh. Tilletius memoriæ prodidit, Ludouicum XII. Regis Caroli VIII. agnatum, itémque Franciſcum I. eiuſdem Ludouici agnatum, idem & nomen & ius armorū obtinuiſſe: apannagium tamen, quod pro ſuo iure poſtulabāt ſibique deberi contendebant, recuſatum illis ab Regibus fuiſſe. Nam, vt paullò antè docuimus, agnati Regum, neqoaquā agnationis ſuę iure ſuccedunt, ſed iure ſtirpis & prognationis: neque

D tanquam agnati ad ſucceſſionem vocantur, ſed tanquam prognati: non denique cauſſam & titulū & ius ſucceſſionis ab Rege nouiſſimè defuncto accipiūt, ſed à communi gentis auctore ac principe: quem Græci γενάρχην Latini progenitorem appellant. Vlp. autem Principem familiæ in l. pronunciatio, in fi. D. de verb. ſign. Et ſimul rationem expoſuimus: quia feuda iure tantùm ſtirpis & progeniei deferuntur, hoc eſt, ei maſculo, qui ex communi gentis auctore & primo inueſti-

Agnati non vocantur ut ſuccedentes, ſed progna-ti.

E to prognatus, nunc ſublatis omnibus intermediis proximum ab eo gradum obtinet. Adeò vt ne frater quidem fratri ſine liberis defuncto ſuccedat tanquam frater, ſed tanquam filius primi inueſtiti: patris ſcilicet communis. nec patruelis aut ſobrinus ſuccedere intelligatur patrueli, aut ſobrino, ſed auo aut proauo, primo & antiquiſſimo de feudo illo inueſtito. libr. Feu. 2. titul. 31. Si vaſall. feud priu. libr. 1. titul. 1. §. penultim. & aliis locis ſuperius prolatis. Cùm autem in

F hoc genere ſemper graduū cuiuſque ſtirpis propinquitas ſpectetur, naturalis ratio & communis ſenſus demonſtrat, quemadmodum is qui Tertius à primo inueſtito numerabatur, ſi Secundus, qui huic proximus erat, è medio tollatur, protinus incipit eſſe Secundus, ac proinde etiā proximus: qui verò Quartus erat, iam Tertius numeratur: atque ita deinceps: eodem modo eum qui centeſimo erat gradu, ſi priores omnes de medio remoti ſint, iam proximum progenitori exiſtere l. pero.

Secundo ſubducto, Tertius efficitur ſecundus, & ſic deinceps.

G 69. §. vltim. in illis verbis, Vt proximus quiſque primo loco videatur inuitatus. D. de legat. 2. & l. 1. §. ſi quis igitur. D. vnd. cogn. l. 1. §. ſi iorra. D. de ſucceſſ. ed. vbi ſubducto primo ſequens dicitur primus & proximus: quia nemo eum antecedit. Itaque vbi lex perſonarum ordinem induxit, ſemper qui proximi ſunt, vlteriores morantur. l. filius

42. §

42.§.cum filius. ibi, Et ſine dubio qui ſequentis
gradus ſunt, non admittuntur interim, l. 3. D. de
acquir. hered.l. pen. D. de iur. delib. neque ſe-
quens admittitur, quamdiu ſpes eſt proximiorem
admiſſum iri. l. 1. §. ſi intra. de ſucceſſ.ed. Tanta
enim vis eſt illius repentinæ ſucceſſionis, vt filij
gradus ne momento quidem vllo vacuus fuiſſe
intelligatur. l. 1. §. liberos. D. de coniun. cum e-
manc.p.l.filium. 20. §.videamus, in fin. D de bon.
poſſ.contr. tab. quaſi priores ex eo numero nun-
quam fuiſſent, vt ait Pompon. in l.2.D.de bon.li-
bert. Pari ergo ratione dicimus, In ſucceſſione re-
gni hereditarij, eum qui (ſi agnationem ſpecta-
remus) gradibus aliquot vel paucis vel multis à
Rege moriente diſiunctus eſt, non ab ipſo Rege
agnato ſuo iam moriente ius & cauſſam accipe-
re: veluti Ludouicum XII. à Carolo VIII. vel Fran-
ciſcum I. à Ludouico XII. vel Henricum III. hodie
regnantem à fratre ſuo Carolo IX. duodecim ab
hinc annis defuncto. ſed inde vſque ab Rege,
gentis & familiæ illius auctore: nimirum Caro-
lo V. cauſſam illam repetere, quaſi eius primoge-
niti filij fuiſſent. Nam lex Franciæ, atque adeò
Patria ipſa, communis illorum parens, in filiorum
Regis locum & ius & nomen illos quaſi ado-
ptionis genere quodam adſciuiſſe fingitur: vt e-
tiam viuo Rege appellentur Primogeniti Regis
aut regni: itémque Proximi ipſius agnati: quoniam
ſublatis omnibus, qui medium locum tenebant,
primi iam ac proximi reperiuntur: ſiquidem Pro-
ximus paſſim in libris noſtris appellatur, quem
nemo antecedit l. 2.§.1.& §.3.D. de ſuis & legit.l.
1.§.proximus. D. vnd. cognat. quantumuis mul-
tis cognationis gradibus & magno interuallo
remotus ſit, dummodo nullus intermedius re-
periatur: quod etiam Seruius in illum Virgilij lo-
cum adnotauit: Proximus huic, longo ſed proxi-
mus interuallo, Inſequitur Salius. Itémque No-
nius Marcell. Proximum, inquit, dicebant vete-
res non ſolum adhærens & adiunctum, verum e-
tiam longè remotum: ſi tamen inter duo diſcreta
nihil medium extitiſſet: vt in illo Virgil. Proxi-
mus huic, longo &c. Et quantum ad fictionem
adoptionis, qua dicimus proximum Regis agna-
tum qui lege patriæ ad regni hereditatem inuita-
tur, vocari quaſi ex viuo Rege natum, non mirum
videri debet. nam argumentum habet ex illo a-
doptionis genere quo quis in nepotis locum ado-
ptabat etiam qui filium non habebat. quo caſu
his verbis veteres vtebantur QVASI EX FILIO
NATVS; vel perinde atq; ſi ex filio natus eſſet. l. ſi
adrogatur, §.vlt. l. cum nepos l. ſi quis nepotem,
l. ſi is qui filium, D. de adopt. l. ſi paterfam. l. ado-
ptiones, l. adoptare, eod. Quare ſicuti non repu-
diatur fictio vt nepos eſſe cenſeatur is quem quis
in nepotis locum adoptauit, quaſi ex ſuo filio &
eius matreſa.natū, cùm tamen neq; filiū neq; nu-
rum haberet, eodē modo nihil abſurdū eſt dice-
re, proximū Regis agnatum quē lex patria nihilo
minus ad Regis ſucceſſionē vocat q̃ ſi ex rege &
regina ipſius vxore natus eſſet, fingi cēſeri in filij
locū adoptatū. Hoc autē etiā iuris Feudalis regulę
conſentaneū eſt, qua dicere ſolemus: Succeſſorē
ſucceſſoris primi inueſtiti, eſſe ſucceſſorem primi
inueſtiti. lib. Feud. 1. tit. 1.& tit. 14. de feud march.
§.3. in illis verbis: Per inueſtiturā patris & filij, &
tit. 19. §. ſi quis.& lib. 2. ti. 11. de ſucceſ. frat.& ti. 50.
de nat. ſucceſ. feud. Nec abſimiliter in iure ciuili

Filius fictione & adoptione à lege regni inſtitutus.

A dici ſolet. Heredē heredis teſtatoris eſſe heredē te-
ſtatoris. l. vlt. C. de her. inſtit. l. antiquitus. 15. C.
de vſufr. l. ſciendum, 70. l. heredis. 65. D. de ver.
ſignific. & eum qui per ſucceſſionem quamuis
longiſſimam defuncto heres eſt, non minus eius
heredum intelligi, quàm qui principaliter he-
res extitit. l. qui per, 194. l. omnis. 138. D. de reg.
iur. Vt iam dubitari non debeat, quin ſupradi-
ctus Franciſcus Valeſius optimo iure Regale
apannagium à Rege Ludouico XII. poſtularit:
B tanquam ipſius per legis fictionem primoge-
nitus: quoniam in huius regni ſucceſſione pro-
ximus quiſque primum locum obtinet, ac
primo loco inuitatur. d. l. pero. §. vult. D. de
legat. 2. ac nihilo magis ambigi debeat, quin
Henricus Borbonius Rex Nauarrus tantun-
dem hodie iuris in regni Francici dominio ha-
beat, quantum vel ille Franciſcus primus, viuo
Rege Ludouico XII. vel triennio ante Fran-
ciſcus Dux Andegauenſis, Henrici nunc re-
C gnantis frater, habuit: nempe, vt cùm in
gradum locumque Genarcho proximum adſ-
cendiſſe, filiúſque vel illius Genarchi vel (quod
idem eſt,) Regis hodie viuentis eſſe fingatur,
neque vllus inter eum & Regem hodie viuen-
tem interiectus reperiatur, meritiſſimo at-
que optimo iure Rex deſignatus, Rex ſpera-
tus, Rex iunior appellari debeat, regaléque a-
pannagium ei debeatur: quippe, cùm illud Re-
gni dominium ex mente legis (ei regnum viuo
D Rege addicentis) adeptus eſſe, & quodammodo
(beneficio eiuſdem legis) viuo Rege, antici-
paſſe intelligatur: ſecundum ea quæ Territru-
bens, Petrus Iacob. Benedictus, Tiraquellus &
alij Regum veterum Conſiliatij ſubtiliter &
accuratè demonſtrarunt ex l. in ſuis, 11. D. de lib.
& poſtu. cui inſuper adiungo text. apertiſſimos
ex l. vltim. D. bon. damnat. l. 2. §. 1. D. pro hered.
§ 2. Inſtit. de hered. qualit. l. 6. §. penul. D. de ac-
quirend. hered. l. in ſuis, 14. D. de ſuis & legitim.
E §. 3. Inſtitut. de heredib. ab inteſt. ſuperior.
Reſtat vt ei obiectioni, quæ nobis in men-
tem venit, & a nullo adhuc (quod ſciam) propo-
ſita eſt, reſpondeamus. Id autem erit hac ratione
facillimum. quia non eſt nouum, vt iura &
priuilegia quædam in caſum & tempus incer-
tum conferantur. quod vel in poſtumorum
agnatione licet animaduertere. Quid enim ſi
Rex nullis liberis ſuperſtitibus decedens, fra-
trem relinquat, & ſimul vxorem, de cuius vtero
F dubitatur? nunquid tantiſper dum aut decem
aut vndecim menſes abierint, frater Regis de-
mortui ſummū illum dignitatis locum obtine-
bit? quem tamen nato poſt decem menſes poſtu-
mo ſine vlla ſuę dignitatis offenſione relinquet.
Quod Plutarchus in Lycurgi vita memorię pro-
dit in Polydectis Lacedæmoniorum Regis v-
xore, quę ignorabatur prægnans eſſe, & Lycurgo
ipſius fratre accidiſſe. Cùm enim aliquandiu Ly-
curgus regnaſſet, ac pro Rege habitus fuiſſet, ta-
G men vbi de vtero conſtitit, & poſtumus agna-
tus eſt, puerum in procerum conuentum
attulit: eiſque gratulans exclamauit: Spar-
tiatæ, Rex vobis natus eſt: ſtatímque ſe Re-
gio imperio & dignitate, quam Prorege ob-
tinuerat, abdicauit. Pependit igitur ius & digni-
tas Lycurgi menſes aliquot: vt facilè intelliga-
tur, non omnes honores certo ac perpetuo iure

Nauarro Regi Henrico qualia iura in Francia regno competant.

Iura & dignitates quædam in tempus & caſum incertum conferuntur.

annis reſcripta eduntur, quibus ad D. Martini A diem feſtum, id eſt, 11. Id. Nouem. Parlamentum inchoandi iudicibus à Rege auctoritas datur. De mirabili autem & celeri huius regni iocremento etiam illud argumento eſſe poteſt, quòd circiter centum pòſt annis, hoc eſt, anno MCCCCLIII. regnante Carolo VII. hæc ab illo conſtitutio promulgata eſt: A feſto Paſchæ, vſque ad finem Parlamenti, Præſidentea & Cooſiliarij hora ſexta de mane debent in B ſuis cameris eſſe congregati, à feſto S. Martioi, poſt horam prædictam, Et aliquantò poſt: Pernecеſſarium eſt, vt Præſidentes & Conſiliarij Curiæ poſt prandium veniant ad Parlamentum iudicandi & expediendi cauſſa. Hæc Carolns VII. At Caroli Magni tempore, qui regoum triplo maina obtinebat, quam diſſimilis iudiciorum ratio fuerit, vel ex hac ipſius lege facile intellectu eſt: Legis Franciæ lib. 4. c. 74. Vt comes placitum non habeat, niſi ieiunus. Iam de voce Parlameoti ac nominis etiam auctoritate illud argumentum exſtat, quod cùm in ea parte Allobrogum quæ Delphinatus dicitur antiquitus Senatus inſtitutns fuiſſet, eum ſumma auctoritate, quod concilium Delphinale dicebatur: tum Ludouicus VI. qui bene de ſe meritis Delphinatibus benignè facere ſtudebat, nomen concilij in Parlamentum mutauit: quamuis oihil ad ius atque auctoritatem adderet: cuius rei Guidopapius teſtis eſt, quaſi Gratianop. 43. & rurſus q. 554. Addita ſunt deinceps alia parlameota, præter illud quod Magnum cooſilium vocatur & eiuſdem auctoritatis eſt atque dignitatis. qna de re, quia ab aliis dictum eſt, plura hoc loco non adiiciemus.

FINIS.

FRANC. HOTMANI IVRISC. DE IVRE REGNI GALLIÆ, LEGES DE SVCCESSIONE REGIA CONTINENS.

LIBER II.

PRAEFATIO.

SECVLA iam abiere permulta, ex quo certa Regni Fräcici inſtituta ſummo ac plane ſingulari ordinũ omnium conſenſu ſeruata ſunt, de iure ſucceſſionis Regiæ. Neque verò tãdiu in vna ſtirpe permanere Regnũ illud potuiſſet, niſi certo iure certiſque legibus cõtineretur: veriſſiméque à ſummis auctoribus quondam dictum eſt, vt mundus ſine ſole, ita rempublicam ſine lege & certo iure ſtare non poſſe. Itaque Claudius Seyſſellus Regis quondam Ludouici xij. Conſiliarius & Thaurinenſis archiepiſcopus, in eo libro, quem de Monarchia Francia inſcripſit, ita ſcriptum reliquit: Tertium frenum, quo Reges Franciæ coërcentur, Politia: hoc eſt mores & inſtituta Regni multas per ætates comprobata, & longinqua conſuetudine retenta atque vſurpata: quorum abrogationem tentare Reges non audent: & ſi fortè auderent, fruſtra id facerent: quoniam eorum imperio non pareretur. Item alio loco: Iterum dico: Regem non poſſe gratius obſequium Deo præſtare, aut ſuorum ciuium vtilitati, aut ſuæ dignitati & exiſtimationi melius conſulere, quàm illas Regni leges obſeruando. Tum enim boni & Chriſtianiſſimi Regis & Patris Patriæ cognomentum acquirit: ceteráque omnia nomina, quæ ſibi magnus aliquis & glorioſus Princeps poteſt adquirere. Ex cõtrario verò ſimulatque limites & fines illos ſibi præſcriptos egreditur, & ſua voluntate pro ratione vti inſtituit, habetur ac numeratur improbus, Tyrannus, crudelis & intolerandus: quibus de cauſsis in Dei & populorum ſuorum odium incurrit. Hæc ille. Etſi autem optandum fuiſſet, illas regiæ ſucceſſionis leges literis mandari, ne cui eas vocare in dubium liceret: tamen tot ſeculorum mores tanto ac tam diuturno conſenſu atque vſu probatos, pro ſcriptis legibus valere, conſtat. ſiquidem, vt Iuriſconſulti noſtri teſtantur, diuturna conſuetudo, præſertim contradicto iudicio confirmata, ſcriptæ legis auctoritatem obtinet. Porro cum huius calamitoſiſſimi temporis ratio poſtulare videretur, vt illa Regni inſtituta Fräcis noſtris legenda & recognoſcenda proponerentur, paucorum hunc dierum laborem defugiendum non putaui: ne afflictæ patriæ, hoc à me ſene propè iam decrepito poſtremũ fortaſſe munus requirenti defuiſſe viderer. Cùm autẽ plurimi interſit, non ignorare, quibus & quàm probatis auctoribus has Regni leges aſſerere audeamus, maturè teſtificari volumus, nos multo maximã eorum partẽ ex Regiorũ quondam Conſiliariorũ numero produxiſſe, quorũ hæc ferè nomina ſunt: Claudius Seiſſellus, is quẽ ante nominaui, Regis Ludouic. xij. conſiliarius: Coſmus Guimerius prætor parlamẽti Pariſiẽſis Ioan. Terrirubeus Regis Caroli vi. aduocatus: Ioannes Feraldus Ludou. xij. cõſiliarius: Guido Papius Parlamenti Gratianopolitani Prætor: Gulielmus Benedictus, Parlamẽti Tholoſani conſiliarius: Bartholom. Chaſſanæus, Prætor Parlamenti Prouinciæ: Nicolaus Boerius, Prætor Parlamenti Burdegalenſis: Gulielmus Budæus Regis Franciſci I. Conſiliarius, & ſupplicium libellorum magiſter: Andreas Tiraquellus, Parlamenti Pariſienſis Conſiliarius: Egidius Magiſter, primus Pariſienſis Parlamenti Prætor: Ioannes Tilletius eiuſdem Parlamenti ſcriba primarius.

LEX PRIMA.

Vt filius Regis, natu maximus, vel, hoc præmortuo, nepos ex eo ſuſceptus, viuo Rege pro Deſignato Rege habeatur: ſoliſque in regno & domanio regio ſuccedat.

HOc & ius & nomen Deſignati Regis rectiſſimè ex iutis Romani inſtitutis Suitatem regiam appellare licuiſſet. Sed cùm has leges etiam iis notas eſſe cuperemus, quibus iuris ac nominis illius ratio minùs eſt cognita, propteres vſitato & populari verbo vtendum putauimus. vt quemadmodum Romæ Deſignatus Conſul aut Prætor dicebatur, qui in annum proximum, altero magiſtratu abeúte, deſtinatus, atque à præcone ex maiore ſuffragiorum numero renunciatus, ac declaratus fuerat: ita cui lex Franciæ, viuo etiamnum rege, ſpem ſucceſſionis addixit, Deſignatus, Declaratus, Speratus, Deſtinatus Rex appelletur. Imperatorum quidem aliquot Romanorum temporib. moris fuit, vt is, qui in caſum mortis Imperatoris deſtinatus Imperator fuerat, modò Cæſar, modò Princeps iuuentutis appellaretur. Itaque Spartianus in Ælio Vero Deſignatum Auguſtæ maieſtatis heredem cum nominat. Apud Scotos ſimpliciter ac præcisè Princeps dicitur, quemadmodum ex Buchanani lib. Rer. Scot. VI. didicimus. Micolumbus (inquit) Regis filius immatura adhuc ad rerum adminiſtrationem ætate Princeps Scotorum eſt appellatus: quod nomen perinde eſt Scotis, atque apud Gallos Delphinus: apud priores Romanorum Imperatorum Cæſar: apud poſteriores, Rex Romanorum: quibus omnibus ſucceſſor ſuperiori magiſtratui dari intelligitur. Hæc ille, ſed Delphini nomen eius vnius proprium eſt, qui Regis filius eſt natu maximus: quod anno demum CIC.CCCXLIIX. inſtitutum fuit cùm Vmbertus eius regionis Princeps, quæ vulgo Delphinatus appellatur, Regi Carolo VI. ea lege ditionem illam ſuam donauit, vt deinceps Regis filius natu maximus eo nomine appellaretur: quemadmodum Theod. Nihemius lib. hiſt. cap. 25. teſtatur. Illud à Scotorum inſtituto non alienum videtur, quod Franci non modò primogenitum Regis filium, verùm etiam proximum eius agnatum præcisè ac ſimpliciter populari lingua *Monſeigneur* appellant. Nomen Regis (inquit Ioh. Tilletius) ſummum & ſupremum nomen eſt. Filius Regis Delphinus appellatur. Verum vbi nulli Regis liberi extant, is qui Coronæ proximus eſt, ſemper fuit, eſtque hodie ſimpliciter appellatus *Monſeigneur*: ea figura, quæ Antonomaſia dicitur. filius autem regis *Monſeigneur le Dauphin*: vt intelligatur eum eſſe filium regis natu maximum, & maiorem dignitatem obtinere. Hæc Tilletius. Nunc ad legis vim & interpretationem accedamus: quam triplicem eſſe animaduerto: primùm vt filius ille REX IVNIOR honoris boniq́ue ominis cauſſa nominetur: deinde vt hac ratione ius Regi non ſit vel ſucceſſorem ſibi deligen-

Primogenitus regni dicitur rex deſignatus.

Primogenitus regis dicitur Monſeigneur.

A di, vel filium adoptandi, vel de ſuo regno aut inter viuos aut per teſtamentum diſponendi. poſtremò, vt ille Rex iunior etiam patre viuo regni dominium quodammodo adeptus intelligatur: quale ſcilicet Suus heres patref. viuo in ipſius patrimonio, iure ciuili Romano, habebat. l. in ſuis, 11. D. de lib. & poſt. Horum igitur ſingulorum iuxium teſtimonia deinceps proferamus. Nam quãtum ad REGIS IVNIORIS ſiue Deſignati aut Sperati nomen attinet, Ioh. de terra rub. Regius
B quondam aduocatus & Iuriſconſultus magnus cum primis ætate ſua numeratus, vbi de iure primogeniti Regis filij commemorat ita ſcribit, Sedere à dextris patris iure primogenituræ competit primogenito Regis filio. Sedere autem à dextris patris nihil aliud eſt, ſecundùm Auguſtinum, quàm conregnare patri: ſicut ille qui conſidet Regi ad dextram, aſſidet ei in regnando & iudicando, ſecundùm Auguſtinum, & ſecundùm Thomam, & Primogenitus regis ex hoc dicitur
C in SOLIO Regis conſidere. Exod. 11. & 12. Ideo dominus Delphinus habet dominium & coadminiſtrationem cum patre: quod probatur ex eo, quod conregnat patri, & ſimul regnat & adminiſtrat cum patre. Et ideo primogenitus Rege viuente, poteſt & debet REX IVVENIS appellari. Et ita eum nuncupat Gregorius in lib. Moralium: & habetur in Decret. 24. q. 1. & nedum Rex, ſed etiam Dominus patre viuo poteſt nuncupari, ſicut & puer Abraham Iſaac genitore viuo
D Meum appellabat dominum, Geneſ. 24. Item vt noretur aliqua præeminentia in Rege patre, Rex pater debet ſimpliciter Rex appellari: filius autem primogenitus debet cum aliqua leui differentia, ſcilicet hac, REX IVVENIS appellari. vt ſic dictio IVVENIS differentiæ notam aſſignet. Vterque tamen Rex appellatur. Hæc ille, cuius ſententiam cum Andr. Tiraquellus Regius in Pariſienſi Parlamento Senator pluribus verbis atque auctoritatibus comprobaſſet
E in lib. de iur. primogen. q. 3. tandem ad extremum, num. 14. his verbis concludit: Ex filijs Regis ſolus primogenitus, non etiam ceteri fratres ipſius viuentis, viuo rege patre, poſſunt appellari Reges: vt patet ex iuribus prius allegatis, vtpote quæ loquuntur de filijs ſucceſſoris, & quibus nihil reſtat præter adminiſtrationem: quod quidem non poteſt conuenire ceteris filiis: & tamen illi primogeniti non propriè ſunt, poſſúntve dici Reges viuente patre: ſed fictè & impropriè: &, vt apertius dicam, magis ſpe & deſti-
F natione, quam re ipſa. Hæc Tiraquellus: cuius ſententiam etiam Tertulliani auctoritate confirmare poſſumus: ex ipſius lib. aduerſus Praxeam: vbi ſic ſcribit: Nullam dico dominationem ita vnius ſui eſſe, ita ſingularem, ita monarchiam, vt non etiam per alias proximas perſonas adminiſtretur, quas ipſas proſpexerit officiales ſibi. Si verò & filius fuerit ei cuius monarchia ſit, non ſtatim diuidi eam, & monarchiam eſſe
G detinere, ſi particeps eius aſſumatur & filius. ſed proinde illius eſſe principaliter, à quo communicatur in filium: & dum illius eſt, proinde monarchiã eſſe, quæ à duobus tam vnicis continetur.

Primogenitus dicitur Rex iunior.

Proximum eſt, vt de iure dominij per legis deſtinationem anticipati videamus. Nam idem ille Terrirubeus art. ſecundo, concluſ. 3. & 5. ita

Primogenitus regni habet communionem dominij regalis.

& 5. ita ſcribit: Filius, viuente patre, eſt quodammodo dominus rerum patris cum eo: ita quod poſt mortem patris nouam hereditatem adquirere non cenſetur: ſed magis dominium quod habet continuare, & plenam adminiſtrationem conſequi: vt dicit text. in l. in ſuis. D. de liber. & poſt. & alibi dicit text. quod filius ſuccedendo patri non acquirere, ſed retinere bona patris cenſetur. l. ſi patronus, §. vult. de bon. libert. ex quo ſequitur, quod in caſu noſtro filius primogenitus Regis Franciæ eſt patre rege viuente ſimul cum eo dominus: ita quod obeunte patre filius non nouum dominium, ſed plenam ſolum regni adminiſtrationem nanciſcitur, per d. l. in ſuis, & 35. q. 5. c. hac auctoritate. Nam conſuetudo efficaciore & pleniore iure defert regnū primogenito Regis, quàm bona patrimonialia liberis. Licet enim text. in d. l. in ſuis, dicat, quod filius, viuente patre, eſt quodammodo Dominus, tamen ille terminus, ſiue dictio QVODAMMODO, etſi improprie dominium filij in patrimonialibus, non ſic tamen in Regno Franciæ, & ſimilib. Ratio differētiæ eſt. nam dominium filij in patrimonialibus, patre viuente, ſubiacet multis variationibus & deperditionibus. nam poteſt tolli per alienationes, teſtamenta, legata, debita voluntaria, crimina patris, & ſimilia. quod ſecus eſt in hoc dominio primogenito Regis Franciæ, in regno, patre viuo, competente: vt ſupra dictum eſt. Et ideo illa dictio QVODAMMODO, non ſic impropriat dominium competens primogenito in regno Franciæ, & ſimilibus. Et pro confirmatione huius facit quod B. Gregorius ſine aliqua nota improprietatis vocat filium Regis Regem, patre viuente. Et illud dominium quod competit filio primogenito in regno, & liberis in patrimonialibus viuente patre, eſt ius verum & reale: ſicut & aliud dominium. nam patre obeunte, filius non adquirit aliud dominium numero, nec ſpecie, ſed quod prius viuo patre habebat, illud continuat poſt patris obitum. Hæc ille, cuius veſtigia atque auctoritatem ſecutus Guill. Bened. Regius in Tholoſano Parlamento conſiliarius, ita ſcribit in capite raynout in verb. mortuo itaque, num. 49. Nobiles Galliæ etiam in vita patris vocantur domini domus & territorij, ac ſi de præſenti eſſent domini. quorum loquendi vſus alia non eſt ratio, niſi ſpes ſucceſſionis paternæ, propter quam dicuntur domini, ſed quodammodo. l. in ſuis, de lib. & poſtu. vbi ponitur illa dictio QVODAMMODO: quæ quandam denotat improprietatem: quæ quidem improprietas locum non habet in ijs regnis quæ primogenito ex conſuetudine patriæ deferuntur: prout eſt regnum Franciæ. quoniam illic etiam viuente adhuc patre filius primogenitus propriè & verè dicitur Dominus: cùm de illo regno pater diſponere non poſſit in præiudicium, imò nec in fauorem filij aliter quàm conſuetudo diſponat. Hactenus Benedict. Quinetiam Terrirubeus tract. 2. concluſ. 9. his verbis ſcribit: Reges Franciæ non potuerunt vnquam, neque poſſet Rex modernus hodie facere teſtamentum de regno, nec primogenitum aut alterum heredem facere in illo. Item, Adeò ex vi conſuetudinis in regno Franciæ ſuccedit, quòd ſicut nec ex voluntate diſpoſitiua & teſtamentaria Regis ſucceſſio defertur eius ſuc-

A ceſſori, nec deferri poteſt: ſic nec ex tacita voluntate eius ab inteſtato diſpoſitiua ei ſuccedi poteſt: ſed ſolum conſuetudo ſuccedenti deferre regnum. Item concluſ. 9. 10. 11. 12. In regno Franciæ, inquit, non habetur ſucceſſio hereditaria ſiue patrimonialis: ſed ſimplex ſucceſſio, ſiue ſubrogatio primogeniti, vel proximioris agnati: cui regnum debetur ea ſola lege vel conſuetudine regni, à qua ſola ius accipit: & non à patre, vel alio prædeceſſore. & ſic ius primogenitu-

Regno ſuccedit primogenitus non tanquam Regis, ſed legis beneficio.

B ræ, quantum ad tale regnum, non habetur à patre, ſed à lege regni: vnde nec eſt hereditarium, nec patrimoniale, ſed mero iure filiationis vel ſanguinis competit. ita quod non poſſet Rex de regno teſtari, etiam primogenitum vel proximiorem, cui regnum debetur, inſtituendo: quia nullo modo poſſet inſtitutus capere regnum vi teſtamenti, vel alterius diſpoſitionis paternæ, quæ non valuit: ſed ſolùm virtute legis immutabilis regni, à qua vocatur. Et in eandem

C ſententiam Benedictus in verbo. Et eodem teſtam. num. 148. Natura regni Franciæ, inquit, requirit & exigit, ne de eo fiant teſtamenta, legata, vel aliæ diſpoſitiones. Vnde Ioh. de Terrarubea concludit dicens, quia regnum Franciæ debetur primogenito ex ſola regni conſuetudine, nunquam conſueuerunt Reges de ipſo teſtari, quod vi & medio conſuetudinis defertur primogenito. Igitur rex ipſum dare non poteſt primogenito, neque auferre per alienationes inter

Rex neque regni neque dominij diminuendi ius habet.

D viuos, aut teſtamenta, aut debita voluntaria, aut legata, aut exheredationem ea cauſſa: quia primogenitus Franciæ non habet regnum à patre, ſed ab ipſa regni lege & conſuetudine. Et ſic pater poteſtatem non habet ipſum grauare: & de tali dignitate teſtamento diſponere non poteſt, vel alius in præiudicium primogeniti: qui cùm ius illud habeat, non patris iudicio, ſed legis beneficio, per eum grauari non poteſt, à quo beneficium non habet, nec commodum ſentit.

E Hæc ad verbum Benedictus: ſecutus auctoritatem Guidonis Papij, Regij in Delphinali Parlamento prætoris, qui in quæſt. ccxxxia. demonſtrat, Regi Franciæ ius non eſſe vllam Regni partem alienare: & quamuis in alienando iurarit ſe nunquam alienationem illam reprobaturum tamen ſi improbet & reuocet, periurij non teneri. Et idem multò ante eum Hoſtienſis, tum etiam Bald. tradiderant. Nam Bald. in titul. ſi de feud. fuer. contr. int. dom. §. in generali, num. 2.

F Quæro, inquit, vtrum Rex Franciæ poſſet alienare vnam de ciuitatibus regni inuitis ciuib. Reſpondeo, non, ſecundùm Hoſtienſ. qui ita not. extr. de maior. & obed. c. dilecti filij. quæ verba Hoſtienſis & Baldi Alexander recitat in conſil. 25. num. 20. vol. 5. Atque his omnibus etiam ſuffragatur Carolus Molin. aduocatorum Pariſienſium doctiſſimus in Conſuetud. Pariſ. tit. de nat. feud gloſſ. 1. num. 8. In Regno Franciæ,

G inquit, non poteſt auferri primogenito ius primogenituræ, ſiue ſpes regni, & dari ſecundo genito vel alteri: vt expreſſe decidit Ioh. Andr. in c. licet. de voto. Panor. in conſ. 3 incipit in præſenti, lib. 2. Iaſ. in l. nemo poteſt. D. de leg. 1. quia lege diuina, conſuetudinaria, & canonica, & lege particulari huius regni eſt inductum, vt primogenitus ſuccedat in regno, & hoc ſemper fuit & ſemper erit: ſecundùm Bald. in lege ex hoc

Digitized by Google

iure. D. de iuſtit.& iur. ita vt videatur tranſiiſſe in quodam ius gentium. Et hoc maxime & indiſtinctè procedit in hoc potentiſſimo regno Franciæ, quod non iure hereditario. ſed ſolummodo iure ſanguinis & legis ſiue conſuetudinis regni defertur, vt ſentit Bald. in c. vn. de Feud. march.duc.& comit. dum dicit: quod in hoc regno ſuccedit agnatus de ſanguine Regis, etiamſi diſtet gradu milleſimo. Hæc ille. Neque verò mouere quemquam debet, quod cùm tot homines eruditi ſcribant, Regnum accepto ferendum eſſe non patri, non auo, non alteri progenitori, ac genarcho: ſed tantùm legi Regiæ, ac vetuſtæ conſuetudini: nos tamen interdum dicamus, Reges cauſsâ eius adeptos eſſe à genarchis & progenitoribus. Nam cùm & ius Feudorum, & lex regia ius Feudorum imitata, regni hereditatem proximo agnato deferat: hæc autem proximitas ad genarchum & progenitorem referatur: nihil intereſt, verum dicamus, regnum legi an progenitori accepto ferendum eſſe: non magis quàm ſi pro eo, quòd vulgo dicimus, fideicommiſſariam hereditatem, per innumeros ſubſtitutorum gradus deuolutam teſtatori accepto ferendam eſſe, diceret aliquis Auguſto Cæſari, aut Claudio, aut SC. Trebelliano (à quibus ius illud inductum & conſtitutum eſt) gratiam illam deberi. §.1. Inſtit. de fid. hered. §.1. Inſtit. de codicil.

Ad hunc locum illuſtres duæ quæſtiones pertinent, de quibus in lib. Quæſt. Illuſtr. diſſeruimus. prior eſt hæc: Ex duobus Regis filiis, quorum alter ante adeptum à patre regnum, alter poſtea natus eſt, vter præferatur. Altera verò hæc eſt: Ex tribus fratribus, cùm ſecundus relicto filio deceſſit, vter in primi, qui Rex mortuus eſt, ſucceſſione præferatur: fratris huius filius, an frater tertius ſuperſtes. Sed quoniam vtramque quæſtionem in illo libro diligēter & copioſè tractauimus, inde aſſumi poterit, ſi quid hoc loco deeſſe videbitur. Ad hunc locum illa pertinet illuſtris quæſtio quam tractat Chaſſan. in conſuet. Burg. tit. des iuſtices, rub. 1. q. 17. Princeps qui poteſt dare gratiam habet plures filios. verum omnes hoc iure vtētur ſiue eo viuente, ſiue poſt eius mortem. quam diſputationem lector illo loco videre poterit.

Sequitur ea pars legis, in qua dictum eſt, Nepotem præmortuo filio ita in eius locū gradúmque ſuccedere, vt iam pro primogenito haberi incipiat: quæ lex & ciuili & Feudali iuri conſentanea eſt. Nam iure quidem ciuili dicere ſolemus, Subducto de familia ſuo herede, vlteriorem ſuccedere in proximum locum. l. filius. 28. §. 1. D. de lib. & poſt. Item, Nepotem in filij locum ſuccedentem ad filij condicionem redigi. l. ſed etſi, 6. §. 1. D. de hered. inſtit. l. coheredi, 41. §. 1. D. de vulg. ſubſti. idque etiam Philo in lib. de legatione ad Caium, vbi de iure ciuili Romanorum loquitur, bis confirmat verbis: υἱωνοὶ γὰρ πατέρων ἀποθανόντων, ἐν υἱῶν τάξει παρὰ πᾶσι τοῖς κλήροις ἐξετάζονται. idq; legis Velleiæ ſecundo capite nominatim cōprehēſum fuiſſe, teſtatur. l. Gallus. 29. § & bene. & §. videndū. D. de liber. & poſtum. l. ſiquis filius. 34. C. de inoff. teſtam. l. a. C. de lib. præt. Itaque illo caſu, quo nepos in filij præmortui locū ſuccedit, debet auus nepotem, vel heredem inſtituere, vel exheredare: ne præteritus quaſi agnaſcēdo teſtamentum rumpat. l. poſtumorum. 8. D. de iniuſt. A rupt. teſt. l. a. C. de lib. præter. De iure autem Feudali patet ex locis compluribus, ſed præſertim ex lib. Feud. 1. §. 1. tit. 1. de ſucceſſ. Feud. & tit. 4. §. 3. & tit. 11. de ſucceſſ. frat. §. his verò. Itaque Benedict. in verb. Eodem teſtamento. num. 187. de iure nepotis ex filio Regis Franciæ primogenito ſuſcepti commemorans, ita ſcripſit: In tantū ius iſtud primogenituræ filio competit primogenito, quod eo moriēte trāſmittitur ad poſteros, etiamſi mortuus fuerit viuente patre: vt plenè diſputat Ol- B drad. conſ. 223. ubi finaliter concludit, ius primogenituræ fore ad poſteros trāſmiſſibile. Et rurſus idem Benedict. in verb. Et vxorem, num. 58. pari modo non dubitauit ita ſcribere: In regnis & ducatibus nepos ex præmortuo primogenito patrē ſuum repræſentat iure primogenituræ: non accumulatiuè & cōiunctiuè hoc caſu cum patruo, ſed excluſiuè, vt ſolus excluſo patruo, ſuccedat in illis regnis & ducatibus, qui de iure vni ſoli deferuntur: ſecundùm Ioh. Fab. in d. §. cùm filius, de C hered. ab inteſt. Et idem cōfirmat Panorm. in prima part. conſil. 85. in præſenti quæſtione: vbi inter cetera dicit, quod conſtitutio vel cōceſſio loquens de primogenito operatur, quod omnes deſcendentes ex eo gaudent iure primogenituræ, quoad patruum excludendum: vt ſcilicet nepos ex primogenito ſuccedat auo. Hæc ille: ex quibus arripienda occaſio eſt, quæ ſeſe nobis commodùm obtulit, eum errorem refellendi, qui in Gallia noſtra inueterauit: vt filius, agnatus Regis proxi- D mus, heres regni Præſumptus appelletur: hac nimirum de cauſſa: quia ciuili & naturali iure, filius præſumptione iuris, heres eſt patris. l. vlt. D. de bon. damn. l. in ſuis. 11. D. de lib. & poſt. Vnde illud Paulli peruulgatū, Si filius, ergo heres. Gal. 4. adeò vt filius patre mortuo non adire hereditatem, ſed retinere, atque ei ſe immiſcere dicatur. l. 6. §. 2. l. ſi patronus. 12. in fi. l. pen. §. pen. D. de bō. lib. l. 1. §. 3. D. ſi quis omiſ. l. 3. §. vlt. D. de here. inſt. l. 8. l. 13. C. de iur. deliber. Sed intelligendum eſt, E longè multúmque inter ciuium Ro. & Regum Francorum filios intereſſe. nam ciuis Romani filius idcircò Præſumptus patris heres dicitur, quia benignè de patris erga ſuum filiū voluntate præſumitur. l. vlt. C. com. vtriuſque. l. filiæ. 18. C. famil. erciſc. cùm tamen illū exheredare, & alieniſſimum inſtituere heredem poſſit. l. in ſuis 11. D. de lib. & poſtum. l. verbis, D. de verb. ſignif. At Regibus Frācorū nulla (vt paullò ante dicebamus) teſtamenti factio eſt, neque quantum ad regnum, I neque quantum ad regium dominium attinet: quod vulgò Domanium Coronæ Frāciæ appellatur: vt poſterius demonſtrabimus. Præterea ciuis Romani filius idcirco tantū neceſſarius heres appellatur, quia, velit nolit, tamē ipſo iure heres eſt. l. 57. D. de hered. inſtit. At Regis filius cōuerſa ratione idcirco Neceſſarius heres appellatur, quia, velit pater aut nolit, cogitur illū heredē relinquere: quippe, cū filius nō ab ipſo hereditatē accipiat, ſed à lege Regni, quæ filio proximóve agnato ita G eam hereditatē addixit, ac deſpōdit, vt in ea pater illi facere præiudiciū nō poſſit. l. 3. D. de inter. & releg. nō magis quàm in feudo antiquo. c. 1. §. hoc quoq;. de ſucceſ. feud. Quæ cùm ita ſint, veriſſimè cōcludere poſſe videmur, non modò Regis filiū, verum etiā quēuis aliū q Regis filij locū obtinet, non Præſumptū, ſed Legitimū, neceſſarium & deſignatum heredem appellandum eſſe. Atque hæc quidem

Spes regni filio præmortuo, transmittitur ad nepotem.

Primogenitus regis non rectè vulgò præſumptus heres appellatur.

Primogenitus quidem obtinens heres eſt neceſſarius patris reſpectu.

Rex N. nō debuit Heres præſumptus vocari, ſed neceſſarius.

quidem de primo legis capite hactenus.

Qoanquam anteqoam ad ſecundã accedamus, non alienum videtur quæſtionem cognitione digniſſimam hoc loco proponere: Si Regina mortuo, Rege vel pręgnans ſit, vel de ipſius vtero dubitetur, quid ſtatui oporteat? vtrúmne proximus agnatus confeſtim ad regni ſucceſſionem admittendus ſit, an partus tempus exſpectandum. Qua de re addubitare ſe vir doctus & aliquoties in hoc libello cùm laude nominatus, non diſſimulauit. nam vt primo quoque tempore Rex certus aliquis populo appareat, permagni ad ſummam Reipub. intereſſe videtur. præſertim ſi vel imminenti, vel iam exorto bello proſpiciendum ſit. quod eo probabilius videtur. quia fortaſſe aut vacuus venter deprehendetur, aut prægnans abortum faciet, aut fœminam pariet, aut mortuum: l.129. de verb. ſignific. l.8. D. de ſuis & legit. l.vlt. D. ad Tertyl. Denique vt maſculus agnaſcatur, tamen quamdiu in vtero eſt, in rerum natura, in rebus humanis eſſe negatur: negatur homo eſſe: quinimò negatur eſſe animal, ſed tantum ſpes animãtis, pars matris ac viſcerum. l.2. D. de mort. infer. l.a4. §. de [illegible]d. libert. l.9. D. ad leg. Fal. l.2. D. de coll. bon. l.1. §.1. de ventr. inſpic. Ea contrario verò diſputari poteſt, quamdiu ſpes eſt poſtumum naſciturum, tamdiu agnato proximo locum non eſſe, l.1. §. ſi quis. & §. vlt. D. vnde cogn. l.pe. §. quãdiu. D. vnd. legit. tamdiu inſequentib. moram afferri. l.cum quidam. 30. §.1. D. de acquiren. hered. quoniam etſi reuera nondum in rerum natura eſt, tamen eſſe fingitur, & quodammodo eſſe exiſtimatur, vt ait l.7. D. de ſuis & legi. Itaq; non dicemus Regem ſine liberis deceſſiſſe (quod huius legis verbis nominatim comprehenſum eſt) qui prægnantem vxorem reliquit. l. 187. D. de reg. iur. Imò dicemus filium mortis Regis tempore fuiſſe, qui in vtero relictus eſt. l. 173. D. de verb. ſignific. & hac eadem de cauſa ex prætoris edicto venter in quamlibet honorum poſſeſſionẽ mittitur, ſiue ex cauſa inteſtati, ſiue ſecundùm tabulas, ſiue contra tabulas. l.1. §. vlt. l. vbicumque. 7. l.vlt. D. de vent. in poſſeſſ. mitt. Itemque in poſſeſſionem legatorum. l. communi. 7. §. ſi duo. D. commun. diuid. quin etiam illi & fideicommiſſum relinqui, & fideicommitti poteſt. l.1. §. ſciendum. D. de lega. 3. ſed & legatum alienum in tẽpus liberorum, ad poſtumum tranſmittitur. l. ſi vir. D. de cond. & demonſt. l. ia cui. D. quand. dies legat. & quamuis ei tutor non detur, aut ſi detur non antè ſit tutor, quam naſcatur. l. ſi nemo. 19. §. vlt. D. de teſt. tut. quippe cum pupillus nõ extet. l. non eſt. D. de verb. ſignific. curator tamen dari ſolet: quia tutor perſonæ datur, quæ nondum in rerum natura eſt: curator ad ventrem & ad matrem alendam & cuſtodiendam. l. ventri. 20. D. de tut. & curat. dat. l. penult. D. de tut. & rat. diſt. l.1. §. quoties. D. de vent. in poſſ. mitt. l. pen. §. ſi à prętore. D. de excuſ. l.2. §. ſi adhuc pręgnãs. D. ad Tertyll. Et certè præualere mihi hæc ſententia videtur, vt in regnis hereditariis ventri ſuum ſucceſſionis ius ſeruetur: interea autem regni curator conſtituatur, is qui agnatus eſt proximus, & ætatis ad tantum munus adminiſtrandum idoneæ: vt accidit Lacedæmone, cùm Lycurgus (vt Plutarchus in eius vita commemorat), prægnante fratris ſui Polydectis primogeniti vidua regnum

Rege mortuo, prægnante vxore, quid agendum.

A administrauit: qua de re aliquanto poſt plenius dicetur. Idque etiam iuri ciuili cõſentaneum eſt: quoniam aliud eſſe conſtat ius alicui competens, aliud eius vſum & adminiſtrationem. nam & pupilli dominium obtinent, quamuis ſub tutorum poteſtate ſint: & ante Iuſtiniani conſtitutionem minoris annis xxv. legitimę tutelæ ius habebant. l.vlt. C. de legit. tut. §.4. Inſt. de excuſat. & patronum habere dicuntur, quorum patroni vidua pręgnans relicta eſt. deniq; qui furore correptus eſt. B non modò dominium, verumetiã ſtatum, dignitatem, magiſtratum, poteſtatem retinere dicitur. l. qui furere 2. D. de ſtat. hom. cum ſimilib. & hãc eſſe communem ac receptam Doctorum conſenſu ſententiam, teſtantur omnes in l. vlt. C. de teſt. mil. & l.1. C. de ſecun. nup. Deinceps ad ſecundam legem accedamus.

C

LEX SECVNDA.

Ne virgo, néve mulier ad Regni ſucceſſionem admittatur.

REGNVM Franciæ eſt ita nobile, & clarũ (ait Coſmus Guimerius Regis quõdam Cõſiliarius) quod in eo nunquam ſuccedit fœmina: & huiuſmodi quæſtio orta fuit poſt mortẽ Philippi Pulchri Regis Francorum, qui habuit vnam filiam nomine Iſabellam D & tres filios: dictam Iſabellam duxit in vxorem Eduardus Rex Angliæ, ex qua habuit vnum filium, qui ſimiliter dictus eſt Eduardus. Tres enim filij fuerunt Regis Francię, qui ſigillatim tandem deceſſerunt ſine liberis: quibus ſucceſſit in Regno Franciæ Philippus filius Caroli de Valeſio, fratris dicti Philippi, de conſenſu & approbatione XII. Parium Franciæ: qui noluerunt dare regnum dictæ Iſabellæ, Reginæ Angliæ, nec filio eius Eduardo: quia ſicut filia Regis non ſuccedit E in Regno Francorum, ita nec natus ex ea: excluſo enim aſcendente, excluduntur deſcendentes ex perſona aſcendentis. Hæc Coſmus in præfat. pragm. ſan. ex hiſtorici Gaguini lib. 7. fol 131. quẽ locum in eandem ſententiã profert Barth. Chaſſanæus Prætor Parlamenti Prouinciæ, in conſuet. Bur. tit. de feud. n.37. vbi ſubiungit Baldum de hac cõſuetudine meminiſſe in l.1. D. de ſenatorib. Et quod ſicuti filia Regis Francorũ non ſuccedit in regno, ex rationabili conſuetudine Francorum, F ita natus ex ea ſuccedere non poteſt. Rectè & Baldus & Guimerius. Nam vt mulier iure feudorum (quorum naturam & ius regna hereditaria imitantur) ad paterni feudi ſucceſſionem non admittitur. libro primo tit.1. § 3. ita proles fœminei ſexus, vel ex fœmineo ſexu deſcendens ad huiuſmodi ſucceſſionem aſpirare non poteſt: vt loquitur text. lib.2. tit.11. §.1. Et ratio perſpicua eſt quia qui naſcuntur patris nõ matris familiam ſe- G quuntur. l. familiæ. §. vlt. D. de ver. ſignificatione. qua de cauſſa ſi natus ex filia Regis ad regni ſucceſſionem admitteretur, nulla certa eſſet regia familia, ius regiæ familiæ tributum euaneſceret, quia regnum deſultoriè ab vna familia in alteram transferretur, & ob eandem cauſſam priuilegium generi poſteriſque alicuius

Fœminã nõ admittuntur ad regnũ Franciæ.

masculis scz Ludovicus cognomento Hutinus filiam heredem Regni Navarrae reliquit. Philippus Longus et Carolus Pulcher filias quoque reliquerunt quae omnes filio praeferri debent ipsi Isabellae earum amitae.

Nati ex filia regis excluduntur à regno Francorum

conceſſum negatur ad eos qui ex fœminis nati ſunt, pertinere. alioqui priuilegium ipſum euaneſceret. l. 1. D. de iur. immunit. Itaq; Pet. Iacob. cap. pract. 63. Carolo, inquit, qui Rex Franciæ & Nauarræ fuerat, mortuo, filia Ludouici, ſui quondam fratris, ſucceſſit in regno Nauarræ: ſed in Regno Franciæ non ſucceſſit: quia non admittitur fœmina, quamdiu maſculus de genere inuenitur. Succeſſit ergo Philippus filius Caroli, qui erat ei in quarto gradu: quamuis dicta fratris filia tantùm eſſet in tertio. Item Guill. Benedict. in verb. duos habens, nume. 78. Vnde conſtat, inquit, neque filias, neque maſculos ex ipſis deſcendentes, in Regno Franciæ, ſecundùm ipſius leges & conſuetudinem, ſuccedere. quinimò liberis maſculis non exiſtentibus, reliqui parentes & conſanguinei in regno ſuccedunt, ſeruata gradus prærogatiua. Hæc ille, quæ pluribus verbis confirmat nu. 119. & 120. Et eodem pertinet, quòd ea quæ nominatim de filiis conſtituta ſunt, neque ad filias, neque ad filiarum liberos pertinent. l. penult. §. quæ in filio. C. de adopt. Itaque Chaſſanæus in Conſuetudin. Burgund. titulo de feud. In regno Francorum, inquit, non ſuccedunt fœminæ, ex ſpeciali conſuetudine ipſius regni: & non exſtantibus maſculis, alij conſanguinei in regno, ſecundum prioritatem gradus, in linea maſculina excluſis fœminis ſuccedunt.

Agnati in regni quantumuis remoti excludunt natos ex filia regis.

Et ſi contingeret quòd tota domus Franciæ moreretur, & ſtaret vnus de ſanguine antiquo, etiamſi eſſet in centeſimo gradu, talis iure ſanguinis & antiquæ conſuetudinis ſuccederet iure hereditario, & non per electionem: licet in aliis ſucceſſionibus poſt decimum gradum non admittantur conſanguinei, ſed ipſe fiſcus. Ad hunc numerum accedat Ioh. Feraldus, cuius hæc verba ſunt ſub finem lib. de iurib. regni Francorum. Et vt facilior ſit cognitio illius obſeruationis antiquæ, & iudiciorum ſubſecutorum, ex quibus poteſt iudici conſuetudo, quæ ex regiſtris CVRIÆ PARLAMENTI TRIVM STATVVM regni, & chronicis extraxi, declarare hoc in loco deſtinaui. Philippus Diui Ludouici filius, duos filios habuit Philippum Pulchrum, & Carolum Comitem Valeſij. Philippus Pulcher Francorum & Nauarræ Rex genuit Ludouicum, dictum Hutin, primogenitum qui vno anno, Philippum Longum, qui per luſtrum, & Carolum Pulchrum, qui per ſeptennium regnauere: Genuit & Iſabellam nuptam Eduardo Anglorum Regi, ex quo natus eſt Eduardus quintus, qui regnum querelauit. Ludouicus Hutin filiam habuit, quam matrimonio dedit Carolo Comiti Ebroicenſi. Vnde Carolus Rex Nauarræ natus eſt. Ludouico Hutin ſucceſſit & Francorum regnum adeptus eſt dictus Philippus Longus: non autem ille Carolus Rex Nauarræ ex muliere deſcendens: licet in regno Nauarræ ſucceſſerit. atque ita iudicatum exſtitit. Item Philippus Longus filiam vnicam habuit, in matrimonio datam Comiti Attrebatenſi, cui Philippo dictus Carolus Pulcer ſucceſſit, non autem prædicta filia, etſi proximiore gradu eſſet. Dictus Carolus Pulcer ſine liberis vxore prægnante deceſſit. Vnde diſceptatio inſurrexit, quis interim, dum reginæ partus exſpectabatur, pro regente accipere-tur. Duo erant, qui ſibi iura prætendebant, & ſibi deberi aſſerebant. Philippus Valeſius & dictus Eduardus ex Iſabella Philippi Pulcri filia natus. Philippo maximè ſuffragabatur, quòd ipſe maſculino gradu Carolo Pulchro proximus habebatur. Eduardo autem, quòd fœmina eſſet, proximo gradu. Et quia nullo tempore viſum eſt, per fœminam Francorum imperium moderari, his rationibus Philippus Valeſius regno præficitur, & poſtea Rex coronatus eſt. Idem iudicatum eſt contra Henricum Regem Anglorum. Et ſic tria iudicia reddita ſunt inconcuſſe ſeruata contra Carolum Regem Nauarræ, Eduardum & Henricum: quæ iudicia reddunt conſuetudinem veram adprobatam & indubitatam: ſicque obſeruatum fuit ex eo tempore. Nam Rex Ludouicus duodecimus ſucceſſit Carolo octauo, & non Anna, Caroli ſoror, Borbonij Ducis relicta, ex quibus gloriari debent Franci: ſicut ille Thales Milæſius, qui maximas gratias ſe agere dicebat, quod vir eſſet, non fœmina. Hæc Feraldus.

Francorū imperium fœmina nō moderatur.

Res iudicata legis vim obtinet. l. 38. de legibus.

Etſi autem aliquot abhinc ſeculis error quidam hominum imperitorum in hoc diſputationis genere verſatus eſt, exiſtimantium legem quandam apud maiores fuiſſe, nomine Salicam, quæ hac de re nominatim cauiſſet: tamen quoniam inueteratum illum errorem, ac potius commentum abſurdum & fabuloſum in Francogallia noſtra confutauimus, nihil neceſſe arbitramur, eum iterum hoc loco refellere. Tantùm admonuiſſe ſatis erit, verba hæc, De terra Salica in mulierem nulla portio hereditatis tranſit: ſed hoc virilis ſexus adquirit: tantùm abeſſe, vt ad regias hereditates pertineat, vt ne ad feudales quidem ſucceſſiones referri poſſit. quandoquidem caput hoc ſub Rubricam de alodis relatum eſt: neque ad Francos, ſed ad Salios populos pertinet: ſimillimumque ius videmus in Ripuariorum & Angliorum, atque aliarum gentium legibus conſtitutum fuiſſe: quod eò tantum pertinuit, vt mulieres ab hereditatibus remoueret: non diſſimili fortaſſe conſilio, atque Romani veteres lata lege Voconia mulieres ab eorum ſucceſſionibus, qui cenſi & locupletes erant, prohibuerunt. Neque ſatis mirari poſſum Ioh. Aluarotum & Ioh. Feraldum errorem illum non animaduertiſſe in capite 1. §. mulier. ſi de feud. fuer. contr. & lib. de iurib. reg. Franc. priuileg. 20. vbi terram Salicam interpretantur terram regiam, hoc eſt, regnum Galliæ: quem etſi meritò Chaſſaneus reprehendit eo loco, quem paulò ante protulimus, tamen nihilo leuius hallucinatur, cùm Salicæ legis nomen ſcriptorum & typographorum vitio corruptum eſſe contendit, pro Gallicæ: quem errorem ſupradictum illud Barbaricarum legum volumen ſatis apertè (apud eruditos quidem & idoneos iudices) coarguit.

Legis Salicæ commentum.

Salij loca, non Francia: & de alode, non de feudo, vel regno.

LEX TERTIA.

Ne quis nothus, ne legitimatus quidem, ad regni ſucceſſionem admittatur.

HÆc lex iuri feudali conſentanea eſt, vt naturales filij, licet poſtea fiant legitimi, ad ſucceſſionem feudi, nec ſoli,

ſoli, nec cum aliis admittantur. libr. 2. titul. 26. Si de feud. defunct. cont. §. naturales. Eius porro legis teſtimoium exſtat apud Guil.Bened. his verbis: Non tamen poſſet aliquis, præſertim Rex noſter Chriſtianiſſimus, legitimari facere filium naturalem, ſi quem haberet, in præiudicium alterius ſui conſanguinei legitimi: licet in gradu parentelæ remotiſſimi: cui ex conſuetudine regni liberis legitimis non exiſtentib. ſucceſſio deberetur: à qua non poteſt per Regem excludi, cùm diſpoſitio Regni ab eius non pendeat diſpoſitione, nec libera poteſtate: ſecundùm Imolam & Dominicum in c. grandi. de ſupp.neglig. præ. lib. 6. Sed vnum eſt laude dignum in præſenti regno Franciæ, quod nonquam fuit viſum nec auditum, quòd aliquis gereretur pro baſtardo Regis: quia propter eius excellentiam, dignitatem, & maieſtatem, nullam patitur, etiam in naturalibus, ſordem. Nec obſtat de Carolo Martello Pipini, ac Ludouico & Carolo Ludouici Balbi ex pellicibus filiis: de quibus & eorum illegitimatione meminit Guaguin.lib.iii.& lib.v. quia non fuerunt Reges Franciæ, niſi ad tempus, & per vſurpationem: propter veri Regis minorem ætatem, aut debilitatem: quos forte permiſit Deus regnare ad tempus, propter hoſtium repulſionem: maximè Carolum Martellum, quo fuit opuſillo tempore, inſurgentibus vndique bellis, anno ſalutis ıɔ cc xxxv. Hæc Bened. Sed eiuſdem rei multò antiquior exſtat auctoritas apud Witichindum Saxonem, vbi hæc narrat: Cùm Hugo Francorum Rex defunctus eſſet, ſuperſtitibus tantùm Amalherga ex iuſtis nuptiis nata, & Theodorico, quem ex concubina ſuſceperat, iſque regnum inuadere vellet, reſponſum fuiſſe ab Herminfrido ſororis marito, priùs ſibi de libertate, quam de regno quærendum. Cùm enim ex concubina natus eſſet, ſeruili conditione maculatum fuiſſe. Hæc ille. Ex quibus & aliis probabile eſt, primum harum legum caput, quo conſtitutum eſt, vt Regis filio natu maximo poſt patris mortem regnum deferretur, interea autem filius ille Rex deſignatus haberetur, de iuſto filio, vel conceptum vel intellectum fuiſſe: hoc eſt, de eo, qui ex Rege & vxore ipſius natus eſſet. l 6. De his qui ſunt ſui vel. Ac proinde cùm iuſti liberi ſpuriis opponantur, ſpurios, nothos, vulgo quæſitos ab illa ſucceſſione excluſos fuiſſe, l. 4. D. de in ius voc. l. vlt. C. quand. mul. tut. off. l. vlt. C. qui pet. tut. Quod enim nominatim de filiis conſtituitur, ad ſpurios non pertinet. l. 1. D vnd. cogn, hoc eſt, ſiue ex concubina nati ſunt, ſiue ex meretrice, ſiue ex virgine, vel vidua honeſtæ exiſtimationis, ſiue ex adultera, ſiue ex cognata. Tot enim ſpuriorum genera in iure numerantur: vt in lib. de ſpuriis demonſtrauimus. Hoc autem ius eò magis obſeruandum eſt, quòd maſculis in primogeniti ſtirpe deficientibus regni ſucceſſio ad Regis agnatorum ſtirpem transfertur: quemadmodum poſterius ſuo loco docebimus. Spurij autem omnes adgnationum & gentilitatum expertes ſunt: quippe, cùm agnatio à patre ſit, patrem autem ſpurij non habeant. l. 2. l. 4. D. vnd. cog. liberi enim extra matrimoniũ quæſiti matrem ſequantur, non patrem. l. cum legitimæ. 19. & l. 23. & l. 24. D. de ſtat. hom. Itaque ſpuriorum origo ex eo tantùm die quo nati ſunt,

A numeratur. l. eius qui. 9. D. ad munic. Neque verò quidquam naturales Regis filios legitimatio adiuuaret: quia legitimatio ſoli patri filium adquirit: ab aliis autem omnibus trium generum agnatis eum alienum relinquit. Nouell. 89. §. 4. denique legitimatio eſt, cum ex concubina ſuſceptus ita patri ſuo heres ab inteſtato deſignatur, vt etiam inſtitui ab eo heres poſſit: dum tamen ne maiorem quam quiuis ex iuſtis liberis hereditatis partem capiat. Nouel. 74. & B Nouel. 117. §. 2. At neque concubinatus eſt, niſi in non marito, neque regnum aut vlla eius pars teſtamento Regis deferri poteſt: vt ſuperiùs diximus: neque ſi legitimi liberi exſtarent, veriſimile eſt eos adæquari ſibi ſpurium paſſuros: quemadmodum ex Salluſtij, Liuij & aliorum hiſtoriis notum omnibus eſſe arbitramur.

C

LEX QVARTA.

Vt, ſi in ſtirpe filij primogeniti maſculus eſſe deſierit, tum ad eum qui in altera gentis eiuſdem ſtirpe, proximus deprehendetur, regni hereditas transmittatur.

HOc loco non incommodè, vt opinor, dici poteſt: etiam ad hoc Francicum regnum accommodari poſſe caput illud quartum Concilij Toledani, habiti in D Hiſpania circiter annũ ıɔ.cxxii. vt qui viuo Rege de futuro ipſius ſucceſſore diſputare auderet, ab Eccleſia & cœtu Chriſtianorum arceretur. Nã vbi ius certum de ſucceſſore (vt in hoc Francorũ regno) conſtitutum eſt, ibi proterui atq; impudẽtis eſt de ſucceſſore futuro diſputare. Huius autem quartæ legis virtus duplex eſt, prior eſt huiuſmodi: vt quamdiu ſupereſt vnus aliquis è liberis poſteriſue primogeniti filij, tamdiu ſecundo tertioue geniti ſtirps à regni ſucceſſione ex- E cludatur. quod idẽ in Feudalibus ſucceſſionibus conſtitutum videmus: in quibus quamdiu maſculus ex Primi inueſtiti ſtirpe ſupereſt, tamdiu Feudum ad alteram ſtirpem non transfertur. Altera legis virtus hæc eſt, vt ſi maſculus ex primogeniti ſtirpe nullus ſuperſit, tum ad alteram eiuſdem generis ſtirpem hereditas transmittatur: vt qui gradu anteceder, quamuis longiſſimè à Rege defuncto diſiunctus ſit, poſterioribus præferatur. Quod etiam eidẽ Feudali iuri conſentaneũ eſt, vti patet ex lib. 2. tit 26. Si de F Feod. contr. §. Titius. nempe, ut feudú vni quæſitum, & ſenſim per eiuſdem ſtirpis gradus deuolutum, ſimulatque maſculus in ea linea defecerit, ac proinde Feudum ad alteram lineam transferetur, tum ei deferatur, qui primum & ſummum in illa noua linea gradum obtinet, lib. Feud. 2. ti. 11 de ſucceſſ. fratr. ti. 50. de natur. ſucceſſ. feud. Itaq; Petrus Iacobus, nobilis Pragmaticus, in arbore de ſucceſſione Regni Franciæ his ſcribit verbis: In Regno Franciæ ſuccedit filius iure hereditario. Sed filijs ſeu liberis non exſtãtibus, ſuccedit vnus de collateralibus: ita quod G proximior in gradu eſt propior in obtinendo Regno, iure hereditario. Item paulo ante: Succeſſit ergo illi Carolo in Regno Franciæ Philippus filius alterius Caroli, qui erat ei in quarto gradu

Diſputare de Rege viuente ſucceſſore non licet.

Maſculo in linea primi filij deficiente, regnum ad ſecundam lineam transfertur.

nec ſucceſſit Robertus filius principis Roberti, Comitis Atrebatenſis quondam: quia ille erat in octauo gradu, nec ſucceſſit Robertus, nepos Caroli, Regis Siciliæ & Hieruſalem: quia ille erat in ſeptimo gradu: nec ſucceſſit Ludouicus, nepos B. Ludouici: quia ille erat d. Carolo decedenti in quarto gradu. In eandem ſententiam ſcribit etiam Nicolaus Boerius in conſilio decimo. Viſo themate, numero decimo ſeptimo, cuius hæc verba ſunt: Succeſſio Regni Franciæ, decedente Rege, non exiſtentibus liberis, ſpectat & pertinet proximiori in gradu ad ipſum Regnum in iure hereditario obtinendum: ſecundùm gloſſ. in pragm. ſanct. in proœm. Iohannes autem Terrirubeus tractatu primo, concluſione octaua, eadem de re ita ſcribit: In Regno Franciæ ſucceſſio defertur primogenitis maribus ex linea recta eorum, quibus ſuccedirur: & , illa deficiente, ſuccedunt mares tranſuerſales, iuxta gradus prærogatiuam. Hactenus legis noſtræ tertiæ ſatis multos & idoneos teſtes produximus ex quibus intelligitur, quod hoc loco ſummè notandum eſt, cùm agnatorum & cognatorum hereditates iure ciuili Romanorum non vltra decimum agnationis, & ſextum ſeptimúmve cognationis gradum tranſmittantur. paragrapho vltimo inſtitut. de ſucceſſione cognat. leg. penultima D. vnde cognat. leg. quarta. D. de grad. tamen

Succeſſiones feudales in infinitum tranſmittuntur.

iſtas Regales & Feudales hereditates etiam in infinitum tranſmitti, libro Feudorum primo, titulo primo, paragrapho penultimo, & libro 2. titulo trigeſimo primo, & titulo quinquageſimo. Itaque præter Baldum & alios, quos alio in libello, & huius ipſius iuris tractatione protuli, Iacobus Aluarot. Martinus Laudenſis & Bellouiſius ita ſcribunt: Si in Francia moreretur tota domus Regia, & extaret vnus de ſanguine antiquo, puta de domo Borboniæ, & non eſſet alius proximior, quamuis eſſet milleſimo gradu, tamen iure ſanguinis & perpetuæ conſuetudinis ſuccederet in regno Francorum. Sequitur & probat Philipp. Decius in conſilio 85. diligenter pro tenuiſ. numero 3. ſed præſertim Iaſon in lege certum. Cod. vnd. legitim. vbi adſcribit, Aluarotum & Laudenſem illud dictum Baldi vſque ad cœlum exclamare, & quod non poſſet dici quidquam magis ſingulare.

Sed quoniam de proximo Regis agnato lex ſcripta eſt, quem vulgo Primum Regij ſanguinis Principem appellamus, commodiſſimum videtur de his duobus vocabulis, & proximorum Regis agnatorum iure paullo vberius diſſerere. Ergo illud ſcire oportet. Primum Principem ſanguinis Regij eſſe, vel filium Regis vel nepotem ex eo, vel pronepotem ex vtrouis illorum demortuo ſuſceptum. quod ſi nulli liberi virilis ſexus exſtent, tum Primum

Primus ergo ſanguinis Princeps & proximus Regis agnatus, promiſcua nomina.

Principem eſſe fratrem, aut fratre deficiente, quemuis alium proximum demortui Regis agnatum. Itaque, ne longius eius rei memoriam & exemplum repetamus, mortuo XXV. ab hinc annis Franciſco ſecundo, qui tres fratres reliquerat, Carolus fratrum natu maxi-

A mus, ſucceſſit in regnum, tanquam Primus ſiue Proximus Regij ſanguinis Princeps: & Carolo mortuo, Henricus III. qui, ſi hodie ſine liberis virilis ſexus decederet, hereditatem regni Henrico Nauarro moriens reſtitueret: vtpote primo, ſiue proximo Regij ſanguinis Principi. Nam, vt breui totam hanc diſputationem præcidamus, Primus & Proximus in hac cauſſa promiſcuè vſurpantur, & proximum appellamus, qui primus eſt: ait Vl-

B pianus in leg. 2. paragrapho penultimo D. de ſuis & legit. adeò vt filius, qui primum in genealogiæ figura gradum obtinet latiore ſignificatione patri agnatus proximus dicatur. l. 12. D. de ſuis & legit. Neque obſtat, quod Iohannes Tilletius in cap. de Regentiis, fol. 204. his ſcribit verbis: Mortuo Rege Franciſco II. Antonius Rex Nauarrus, primus Princeps ſanguinis Regij maior, declaratus eſt Prorex: vicem & perſonam Regis Caroli in vniuerſo regno

Filius dicitur primus, idemque proximus.

C ſuſtinens, quaſi Tilletius propriè ac ſpecialiter nomen primi Principis Regij ſanguinis huic tribueret, Regis autem fratribus eandem appellationem denegaret, aut aliam auguſtiorem ſeruaret. Non enim ſimpliciter Tilletius dixit, Antonium fuiſſe primum Principem, ſed coniunctim Primum Principem maiorum: id eſt, maiorem annis, & ætatis ad regnum adminiſtrandum iuſtæ, legitimæ, idoneæ. Secundò illud magnoperè animaduer-

D tendum eſt, in hac feudalium & regalium ſucceſſionũ diſputatione non graduum cognationis tabulam, ſed ſolam genealogiæ figuram adhibendam eſſe: quoniam in feudis nulla eſt agnatitia ſucceſſio: nulla inquam, eſt collateralis, aut tranſuerſaria hereditas: ſed quæcunque eſt ſiue hereditas, ſiue ſucceſſio, ea per directam lineam capitur, & ſemper à parentibus aut maioribus in liberos poſterósve defertur, adeò vt ne frater quidem fratri ſine

Succeſſio agnatitia in feudis & regnis nulla.

E liberis defuncto ſuccedat tanquam frater, aut proximus agnatus, ſed tanquam proximi Regis, & communis parentis filius, quod idem eodémque modo de patruelibus & aliis deinceps intelligendum eſt: vt auo ſcilicet aut proauo, primo de feudo illo inueſtito ſuccedere intelligantur, non autem patrueli, aut propiori ſobrino, vel ſobrino. libro Feudorum 2. titulo 21. Si vaſſallus feudo priuetur, libro 1. titulo 1. paragrapho penultimo, & titulo 14. de


F Feudo marchionis, paragrapho, ſi verò, & paragrapho ſequenti, & libro 2. titulo 11. & titulo ſequenti, & titulo 50. de natura ſucceſſionis feudorum. Poſtremò ſciendum eſt, iura & priuilegia eius, qui primus Regij ſanguinis Princeps eſt, tria noſtris moribus inducta eſſe. Nam primum eſt, vt preciſè Princeps appelletur, ſiue (vt lingua noſtra vtamur) *Monſeigneur*: alterum, vt plenis regiorum armorum inſignibus vtatur: hoc eſt, ſi-

Iura proximi Regis agnationis.

G ne trabe tranſuerſaria: poſtremùm, vt apannagium obtineat, hoc eſt, regionum quarundam poſſeſſionem, quibus ad ſe ſuámque familiam pro dignitate atque amplitudine ſua tuendam fruatur. Quarum rerum teſtimonia Iohannes Tilletius in ſuis

Obſer-

Obſeruationibus varijs locis ſatis multa commemorat. Si nulli, inquit, liberi Regis eſſent, is qui Coronæ proximus eſt ſemper fuit, eſtque etiam nũc appellatus *Monſeigneur*, ea figura quæ Antonomaſia dicitur. Nunc vt ad inſtitutum redeamus, illud arctè tenendum eſt, Reges Francorum non agnationis iure defunctis Regibus ſuccedere, ſed ſolius ſtirpis & prognationis, quæ ad antiquiſſimum progenitorem & Genarchum refertur: quaſi ex ipſo non tantùm prognati, verùm etiam nati procreatíque eſſent: vt paullò poſt apertius docebimus. Vnde illa hoc loco quæſtio exoritur, vtrum illa regni hereditas, quæ deficientibus in priore linea maſculis ad nouam lineam transfertur, ex ætatis & gradus prærogatiua, an repræſentationis iure deferatur: hoc eſt, ſi duo mares in illa noua linea reperiantur, quorum vnus gradu & ætate antecedat, alter remotior ſit, vter ad hereditatem vocetur. Ponamus hanc exempli cauſa genealogiæ figuram.




Tum in litera A Regem conſtituamus, in litera B filium ipſius primogenitum, cognoioento Valeſium: in litera C filium ſecundogenitum, cognomeoto Borbonium: fingamúſque regnum per Valeſiorum lineam tamdiu peragraſſe, dum maſculus in ea defuerit. Nunc idem regnum in C Borboniorum ſtirpem migrare, in qua primogenito H præmortuo, ſuperſunt ipſis filius, K & eiuſdem frater I: & quæramus, vtrum ex his duobus, K & I ad regni ſucceſſionem admitti oporteat. Reſpondemus, K ſolum, patruo ipſius I excluſo, admittendum eſſe: & rationem hanc ſubiungimus, quoniam in vnaquaq; ſtirpe locus eſt ſucceſſioni: ſiue (vt populari verbo, non tamen aptiſſimo, abutamur) repræſentationi: ſicut in iure ciuili dicere ſolemus, in Suis eſſe ſucceſſionem, vt priore ſublato (veluti filio) ſequens perſona (puta nepos) in eius locum ſubintrans Suus efficiatur: & pari ratione in nepotis locum pronepos, in pronepotis abnepos: quaſi ſuperioribus omnibus nunquam natis ipſe rerera eſſet filius. Is enim certè eſſe fingitur. l. 3. penul. C. de ſuis & legit. Eiúſque rei clariſſimum documentum eſt: quoniam in prima ſtirpe, quæ Valeſiorum fuit, nemo dubitat, quin eadem hæc ſucceſſio locum habuerit. Nam, vt paullo antè demõſtratum eſt, filio præmortuo & Rege adhuc ſuperſtite nepos in filij locum gradúmque ſuccedens, Rege auo ſuo decedente, patruũ ſuum excludit. Neque vnquam ad hoc vſque tempus eruditus aliquis repertus eſt, qui ea de re dubitandum exiſtimarit:

Nepos ex fratre in feudis Regalibus patruum excludit.

Regi mortuo nepos ex primogenito filio demortuo exclusis aliis regis filiis succedit. Alex. in conſ. quæſt. 4.

A quia quamdiu ſpes eſt ſuum heredem extiturum tamdiu nunquã locus eſt conſanguineo: vt ait l. penult. D. vnd. l. 2. C. eod. & quemadmodũ filius primogenitus reliquos omnes fratres ſuos ſubmouet, ita linea ex eo deſcendẽs alios omnes excludit: ne qui ex linea tranſuerſa veniũt, potiores iis habeantur, qui recto limite deſcendunt: vt ait Imp. §. item vetuſtas, Inſtit. de heredit. ab inteſt. Non igitur gradus aut ætas vllam in hac cauſa prærogatiuam tribuit: ſed ſtirps & linea. Nam
B proximitatis verbum dupliciter intelligitur: reſpectu lineæ, & reſpectu gradus. Interdum enim accidit, vt aliquis lineæ reſpectu proximior ſit, qui tamen gradu ſit remotior. Idque in Valeſiorum ſtirpe licet animaduertere. Nam etſi filio, nepote & pronepote Valeſij mortuis, abnepos quarto gradu à Rege Genarcho diſcrepet, Borbonius autem eiuſdem Valeſij frater, ſecundo tantùm gradu diſtet, abnepotémque illum ætate longè multúmque ſuperet, Valeſius
C tamen abnepos & patruum & patruum magnũ & maiorem & maximũ excludet. Quinetiã hoc amplius fidenter addimus, fictionem ſucceſſionis, & (vt ita dicam) repræſentationis naturalẽ graduũ numerandorum rationem in hoc cauſſarum genere obſcurare: quia cùm filio præmortuo nepos in eius gradum ſuccedens ad filij conditionem redigatur, (vt Iuriſconſultus loquitur) id eſt, quaſi agnaſcendo filius eſſe fingatur. leg. poſtumorum. 7. D. de iniuſt. rupt.
D fictio hæc illum facit auo iam morienti proximum: quandoquidem eum iam nemo antecedit. Is enim propriè Proximus eſſe intelligitur. l. 5. § proximus. D. vnd. cogn. l. proximus. 42. D. de verb. ſignific. Alia autem eiuſdem rei argumenta quamplurima, quoniam in libello De controuerſia patrui & nepotis copiosè produximus: ſuperuacaneum eſſet hoc loco repetere. Vnum tantùm quod in illo libro prætermiſimus adſcribendum videtur: cùm hac de re
E quondam in Gallia controuerſia exorta eſſet, quę ad Nauarræ Principem pertinebat, Nicolaum Vbaldum, celeberrimum & doctiſſimum illius ætatis Iuriſconſultum à Rege Galliæ conſultum in eandem ſententiam reſpondiſſe. Nam in ſuo doctiſſimo libro De ſucceſſ. ab inteſt. qui editus eſt anno 1472. numer. 69. ſic loquitur: Oldradus in conſ. 262. tenuit nepotem ex primogenito præferendum filio ſecundogenito, per plures & bonas rationes: non diſtinguens,
F vtrum ſit natus ante patruum ſuum, vel poſt. Et ita reſpondi ego, cùm eſſem Turonis, interrogatus ex parte Regis Franciæ, in ſucceſſione Principis Nauarræ. Atque hæc quidem de tertiæ legis interpretatione ac poteſtate hactenus dicta ſint. Nunc quæſtionem exponemus, cùm ad agnitionem animi præclaram, tum ad vſum Franciæ, hoc præſertim tempore, accommodatiſſimam: VTRVM ius agnati proximi Regis viuentis, quantum ad regni ſucceſſionem, par ſit
G iuri filij primogeniti, aut nepotis, aut pronepotis, aut verò fratris eiuſdem Regis: an aliquã in re diſpar eſſe videatur? Exemplo res erit illuſtrior. Proponamus genealogiam Regis Franciſci primi, hoc modo,

Ius agnati proximi regis idem eſt, quod ſolet eſſe iure filij primogeniti.



Nemo neſcit Franciſcum primum Regi Ludouico XII. ſucceſsiſſe. quæramus iam, vtrum Franciſcus viuente Ludouico XII. idem ius habuerit, quod habiturus fuiſſet filius Ludouici XII. ſi quem filium habuiſſet: aut verò (quod idem valet) idem quod habuit Carolus VI. viuo patre ſuo Carolo V. an verò deteriore conditione fuerit? quod etiam pari ratione quæri hodie licebit in Henrico Borbonio, Rege Nauarro: vtrum pari, an deteriore in cauſſa eum haberi oporteat, quàm qua nuper habitus fuit Franciſcus Dux Andegauenſis, Henrici hodie regnantis frater, tribus ab hinc annis mortuus, &, dum in vita manebat, Regis filius & frater, honoris cauſa, nominatus. Dubitandi cauſa eſt, vt impari iure & conditione cenſendus videatur: primùm quoniam, vt paulò ante dicebamus, iniquum eſt eos, qui ex linea tranſuerſa veniunt, pari cum iis iure cenſeri, qui recto limite deſcendunt. §. item vetuſtas. Inſtit. de hered. ab inteſt. deinde quia ius certum & iam quæſitum multò firmius eſt quàm incertum, & quod in ſpe orbitatis dubia, & prope dicam abominabili poſitum eſt. Cauſſa autem liberorum iam clara & certa eſt, & ſua ſponte ac naturali quadam ratione fauorabilis: quia non tantùm lex patriæ filio regnum, etiam viuo patre, addicit, vt ſuperiùs diximus: verùm etiam ius quodammodo naturæ. Cauſa verò agnatorum Regis non modò dubia & incerta eſt, quia ſi filius Regi agnaſcatur, illico ſpes eorum extinguetur: verùm etiam malum (vt dixi) & infauſtum omen in ſe continet: nempe orbitatem Regis: Regem, inquam, ſine liberis deceſſurum. Et hac ratione in cauſſa hereditatum, videmus eos, qui poſt eum gradum ſunt agnationis, quo eſt id quod in vtero eſt: non admitti, dum incertum eſt, an naſci poſſit, quoniam in tempus naſcendi iura omnia integra ventri ſeruantur, l. 3. D. ſi pars heredit. pet. poſtremò, ſi ſecundus dignitatis Regiæ locus agnato proximo tribuatur, & propter eandem cauſam etiam alia, illi dignitati adiuncta & quaſi cohærentia, nempe nomen illud Principa-

A tus honorificum, *Monſeigneur*: plenus armorum Regiorum vſus, poſtremò apannagium Regale: ac tum deinde Regi filius agnaſcatur, quomodo adimi hæc illi omnia poterunt, vt non ſe tantis ornamentis ſpoliari moleſtè ferat? cùm regulariter nemo de honoris gradu ſine aliqua nota deiiciatur. Verùm his non obſtantibus contrariam ſententiam non modò & veriorem & æquiorem eſſe, ſed etiam moribus & inſtitutis noſtris præualuiſſe atque vſu receptam

B fuiſſe, oſtendemus. Nam, vt ne longius huius memoriam repetamus, vidimus nuper tres illas dignitates duobus fratribus (ac proinde agnatis proximis) Regis Caroli IX. non modò adoleſcẽtis, verùm etiam pueri, conceſſas fuiſſe. quin etiam Henrico, Caroli morte ad regnum euecto, Franciſcus in Henrici locum ſuccedens continuò appellatus eſt Filius ac frater Regis, plenúmque gentilitiorum armorum vſum (vt vulgò dicitur,) & apannagium regium, conſequutus eſt, vna cũ

C illo illuſtri & honorifico nomine *Monſeigneur*. Ac pari ferè modo Ioh. Tilletius memoriæ prodidit, Ludouicum XII. Regis Caroli VIII. agnatum, itémque Franciſcum I. eiuſdem Ludouici agnatum, idem & nomen & ius armorũ obtinuiſſe: apannagium tamen, quod pro ſuo iure poſtulabãt ſibique deberi contendebant, recuſatum illis ab Regibus fuiſſe. Nam, vt paullò antè docuimus, agnati Regum, nequaquã agnationis ſuę iure ſuccedunt, ſed iure ſtirpis & prognationis: neque

D tanquam agnati ad ſucceſſionem vocantur, ſed tanquam prognati: non denique cauſſam & titulũ & ius ſucceſſionis ab Rege nouiſſimè defuncto accipiũt, ſed à communi gentis auctore ac principe: quem Græci γενάρχην Latini progenitorem appellant. Vlp. autem Principem familiæ in l. pronunciatio, in fi. D. de verb. ſign. Et ſimul rationem expoſuimus: quia feuda iure tantùm ſtirpis & progeniei deferuntur, hoc eſt, ei maſculo, qui ex communi gentis auctore & primo inueſti-

Agnatio non tribuit ius ſuccedendi, ſed prognatio.

E to prognatus, nunc ſublatis omnibus intermediis proximum ab eo gradum obtinet. Adeò vt ne frater quidem fratri ſine liberis defuncto ſuccedat tanquam frater, ſed tanquam filius primi inueſtiti: patris ſcilicet communis. nec patruelis aut ſobrinus ſuccedere intelligatur patrueli, aut ſobrino, ſed auo aut proauo, primo & antiquiſſimo de feudo illo inueſtito. libr. Feu. 2. titul. 31. Si vaſall. feud. priu. libr. 1. titul. 1. §. penultim. & aliis locis ſuperius prolatis. Cùm autem in

F hoc genere ſemper graduũ cuiuſque ſtirpis propinquitas ſpectetur, naturalis ratio & communis ſenſus demonſtrat, quemadmodum is qui Tertius à primo inueſtito numerabatur, ſi Secundus, qui huic proximus erat, è medio collatur, protinus incipit eſſe Secundus, ac proinde etiã proximus: qui verò Quartus erat, iam Tertius numeratur: atque ita deinceps: eodem modo eum qui centeſimo erat gradu, ſi priores omnes de medio remoti ſint, iam proximum progenitori exiſtere l. pero.

Secundo ſubducto, tertius efficitur ſecundus & ſic deinceps.

G 69. §. vltim. in illis verbis, Vt proximus quiſque primo loco videatur inuitatus. D. de legat. 2. & l. 1. §. ſi quis igitur. D. vnd. cogn. l. 1. §. ſi iotra. D. de ſucceſſ. ed. vbi ſubducto primo ſequens dicitur primus & proximus: quia nemo eum antecedit. Itaque vbi lex perſonarum ordinem induxit, ſemper qui proximi ſunt, vlteriores morantur. l. filius

42. §

42.§.cum filius. ibi, Et ſine dubio qui ſequentis gradus ſunt, non admittuntur interim, l. 3. D. de acquir. hered. l. pen. D. de iur. delib. neque ſequens admittitur, quamdiu ſpes eſt proximiorem admiſſum iri. l. 1. §. ſi intra. de ſucceſſ. ed. Tanta enim vis eſt illius repentinæ ſucceſſionis, vt filij gradus ne momento quidem vllo vacuus fuiſſe intelligatur. l. 1. §. liberos. D. de coniun. cum emanc. p. l. filium. 20. §. videamus, in fin. D. de bon. poſſ. contr. tab. quaſi priores ex eo numero nunquam fuiſſent, vt ait Pompon. in l. a. D. de bon. libert. Pari ergo ratione dicimus, In ſucceſſione regni hereditarij, eum qui (ſi agnationem ſpectaremus) gradibus aliquot vel paucis vel multis à Rege moriente diſiunctus eſt, non ab ipſo Rege agnato ſuo iam mortuo ius & cauſſam accipere: veluti Ludouicum XII. à Carolo VIII. vel Franciſcum I. à Ludouico XII. vel Henricum III. hodie regnantem à fratre ſuo Carolo IX. duodecim ab hinc annis defuncto. ſed inde vſque ab Rege, gentis & familiæ illius auctore: nimirum Carolo V. cauſſam illam repetere, quaſi eius primogeniti filij fuiſſent. Nam lex Franciæ, atque adeò Patria ipſa, communis illorum parens, in filiorum Regis locum & ius & nomen illos quaſi adoptionis genere quodam adſciuiſſe fingitur: vt etiam viuo Rege appellentur Primogeniti Regis aut regni: itémque Proximi ipſius agnati: quoniam ſublatis omnibus, qui medium locum tenebant, primi iam ac proximi reperiuntur: ſiquidem Proximus paſſim in libris noſtris appellatur, quem nemo antecedit l. 2. §. 1. & §. 3. D. de ſuis & legit. l. 1. §. proximus. D. vnd. cognat. quantumuis multis cognationis gradibus & magno interuallo remotus ſit, dummodo nullus intermedius reperiatur: quod etiam Seruius in illum Virgilij locum adnotauit: Proximus huic, longo ſed proximus interuallo, Inſequitur Salius. Itémque Nonius Marcell. Proximum, inquit, dicebant veteres non ſolum adhærens & adiunctum, verum etiam longè remotum: ſi tamen inter duo diſcreta nihil medium extitiſſet: vt in illo Virgil. Proximus huic, longo &c. Et quantum ad fictionem adoptionis, qua dicimus proximum Regis agnatum qui lege patriæ ad regni hereditatem inuitatur, vocari quaſi ex viuo Rege natum, non mirum videri debet. nam argumentum habet ex illo adoptionis genere quo quis in nepotis locum adoptabat etiam qui filium non habebat. quo caſu his verbis veteres vtebantur QVASI EX FILIO NATVS; vel perinde atq; ſi ex filio natus eſſet. l. ſi adrogatur, §. vlt. l. cum nepos l. ſi quis nepotem, l. ſi is qui filium, D. de adopt. l. ſi paterfam. l. adoptiones, l. adoptare, eod. Quare ſicuti non repudiatur fictio vt nepos eſſe cenſeatur is quem quis in nepotis locum adoptauit, quaſi ex ſuo filio & eius matreſa. natū, cùm tamen neq; filiū neq; nurum haberet, eodē modo nihil abſurdū eſt dicere, proximū Regis agnatum quē lex patria nihilo minus ad Regis ſucceſſionē vocat q̃ ſi ex rege & regina ipſius vxore natus eſſet, fingi cēſeri in filij locū adoptatū. Hoc autē etiā iuris Feudalis regulę conſentaneū eſt, qua dicere ſolemus: Succeſſorē ſucceſſoris primi inueſtiti, eſſe ſucceſſorem primi inueſtiti. lib. Feud. 1. tit. 1. & tit. 14. de feud marcb. §. 3. in illis verbis: Per inueſtiturā patris & filij, & tit. 19. §. ſi quis. & lib. 2. ti. 11. de ſucceſ. frat. & ti. 50. de nat. ſucceſ. feud. Nec abſimiliter in iure ciuili

Filii fictione, & adoptione à lege regni inſtituta.

A dici ſolet. Heredē heredis teſtatoris eſſe heredē teſtatoris. l. vlt. C. de her. inſtit. l. antiquitus. 15. C. de vſufr. l. ſciendum, 70. l. heredis. 65. D. de verb. ſignific. & eum qui per ſucceſſionem quamuis longiſſimam defuncto heres eſt, non minus eius heredum intelligi, quàm qui principaliter heres extitit. l. qui per, 194. l. omnis. 138. D. de reg. iur. Vt iam dubitari non debeat, quin ſupradictus Franciſcus Valeſius optimo iure Regale apannagium à Rege Ludouico XII. poſtularit:
B tanquam ipſius per legis fictionem primogenitus: quoniam in huius regni ſucceſſione proximus quiſque primum locum obtinet, ac primo loco inuitatur. d. l. pe to. §. vult. D. de legit. 2. ac nihilo magis ambigi debeat, quin Henricus Borbonius Rex Nauarrus tantundem hodie iuris in regni Francici dominio habeat, quantum vel ille Franciſcus primus, viuo Rege Ludouico XII. vel triennio ante Franciſcus Dux Andegauenſis, Henrici nunc re-
C gnantis frater, habuit: nempe, vt cùm in gradum locumque Genarchǒ proximum adſcendiſſe, filiúſque vel illius Genarchi vel (quod idem eſt,) Regis hodie viuentis eſſe fingatur, neque vllus inter eum & Regem hodie viuentem interiectus reperiatur, meritiſſimo atque optimo iure Rex deſignatus, Rex ſperatus, Rex iunior appellari debeat, regaléque apannagium ei debeatur: quippe, cùm illud Regni dominium ex mente legis (ei regnum viuo
D Rege addicentis) adeptus eſſe, & quodammodo (beneficio eiuſdem legis) viuo Rege, anticipaſſe intelligatur: ſecundum ea quæ Terrirubeus, Petrus Iacob. Benedictus, Tiraquellus & alij Regum veterum Conſiliarij ſubtiliter & accuratè demonſtrarunt ex l. in ſuis, 11. D. de lib. & poſtu. cui inſuper adiungo text. apertiſſimos ex l. vltim. D. bon. damnat. l. 2. §. 1. D. pro hered. § 2. Inſtit. de hered. qualit. l. 6. §. penul. D. de acquirend. hered. l. in ſuis, 14. D. de ſuis & legitim.
E §. 3. Inſtitut. de heredib. ab inteſt. ſuperior. Reſtat vt ei obiectioni, quæ nobis in mentem venit, & à nullo adhuc (quod ſciam) propoſita eſt, reſpondeamus. Id autem erit hac ratione facillimum. quia non eſt nouum, vt iura & priuilegia quædam in caſum & tempus incertum conferantur. quod vel in poſtumorum agnatione licet animaduertere. Quid enim ſi Rex nullis liberis ſuperſtitibus decedens, fratrem relinquat, & ſimul vxorem, de cuius vtero
F dubitatur? nunquid tantiſper dum aut decem aut vndecim menſes abierint, frater Regis demortui ſummū illum dignitatis locum obtinebit? quem tamen nato poſt decem menſes poſtumo ſine vlla ſuę dignitatis offenſione relinquet. Quod Plutarchus in Lycurgi vita memorię prodit in Polydectis Lacedæmoniorum Regis vxore, quę ignorabatur prægnans eſſe, & Lycurgo ipſius fratre accidiſſe. Cùm enim aliquandiu Lycurgus regnaſſet, ac pro Rege habitus fuiſſet, ta-
G men vbi de vtero conſtitit, & poſtumus agnatus eſt, puerum in procerum conuentum attulit: eiſque gratulans exclamauit: Spartiatæ, Rex vobis natus eſt: ſtatímque ſe Regio imperio & dignitate, quam Prorege obtinuerat, abdicauit. Pependit igitur ius & dignitas Lycurgi menſes aliquot: vt facilè intelligatur, non omnes honores certo ac perpetuo iure

Nauarro Regi Henrico qualia iura in Francia regno competant.

Iura & dignitates quædam in tempus & caſum incertum conferuntur.

obtineri: ſed quoſdam incertos eſſe, atque in ſuſpenſo poſitos, &c. (verè ac propriè vt loquamur) fiduciarios: cùm interea iura omnia integra ſucceſſori ſperato & exſpectato reſeruentur: vt ſuperius de hereditatibus diximus ex l. 3. D. ſi pars hered. pet. Neque dubito, quin huiuſmodi ſit honos ille, qui fratri, aut etiam longinquiori agnato Regis, cui Regi nulli adhuc liberi nati ſunt, moribus Francorum conceditur: & vero ac Latino nomine Fiduciarius appellari poteſt. Exſtant autem etiam alia vel ſuſpenſi, vel temporalis iuris exempla in libris noſtris. Veluti cùm in locum tutoris qui ab hoſtib. captus eſt alter ſufficitur, nam ſi captus apud hoſtes decedat, ſuffectus pleno iure tutor eſt. ſin ille reuertatur, poſtliminij iure tutelam recipit, item cùm teſtamento tutor ſub conditione datus eſt, nam interea tutor à magiſtratu datur qui deficiẽte cõditione perpetuus tutor manet: exſiſtente verò, tutor eſſe deſinit. l. 1. §. 2. apud, & l. ſi quis D. de teſtam. tut. Item cùm paterfam. dum filius eius impubes eſt, apud hoſtes moritur. Tum enim ius fratris ſenioris ac proximi agnati, (qui interea ignoratur verum patrisfa. heres, an pupilli tutor ſit) incertum eſſe conſtat. quia ſi filius apud hoſtes decedat, patrisfam. legitimus heres erit: ſin poſtliminio redeat, tutor pupilli legitimus. l. 9. l. 10. l. 12. C. de poſtl. reuerſ. l. 5. l. 22. D. eo. Quod ſi pater ipſe captus eſt, quamdiu poſtliminij ſpes eſt, tamdiu ſtatus patriæ poteſtatis incertus eſt, pendet, in ſuſpenſo retinetur: vt loquuntur Iuriſconſulti in l. illa. 37. §. 1. D. de hered. inſtit. l. 12 §. 1. l. 22. §. 1. D. de capitu. l. penul. D. de ſuis & legitim. Ac pari ratione ius filij agnatiue proximi, eius qui apud hoſtes eſt, propter incertum euentum pendere dicitur: & tamen propter ſpem poſtliminij obſtat remotioribus. l. 6. §. 2 D. de iniuſt. irrit. teſtam. l. 4. §. 2. D. de bon. libert. Ex eodem genere caſus ille eſt, quem Vlpianus commemorat in l. 1. §. filio, D. ad Tertyl. vbi filius, qui, mortis tempore matris, ciuis Roman. erat, ante aditam hereditatem illam in ſeruitutem inciderat, qua de cauſſa proximus agnatus hereditatem illam arripuerat. ſed cùm filius poſtea principis beneficio reſtitutus eſſet, eam illi reliquit, quam tamen ad tempus legitimo iure obtinuerat. Eodémque pertinet l. 1. § vlt. & l. 2. D. de bo. poſſ. contr. tab. & l. Gallus. § & quid ſi tantum. D. de lib. & poſtum. vnde intelligitur, interdum eum qui primum locum altero deficiente obtinuerat, cogi poſtea eundem alteri quaſi rediuiuo & renaſcenti & poſtliminio reuerſo cedere. Sed nihil opus fuit, tam altè, aut tam longè huius iuris vel exempla repetere, vel argumenta conquirere: cùm apud nos, in noſtris, inquam, annalibus inſigne illud exemplum exſtet, de Eudone, qui cùm puero Carolo Simplici tutor datus, regio tamen honore ac nomine inſignitus, ac pro Rege inauguratus, multos annos regno Franciæ præfuiſſet, tandem regnum & nomen & imperium vero ac legitimo Regi reſtituit. qua de re Guaguinus li 5. ſic ſcribit: Scriptum reperio, hunc Carolum Simplicem ſub Eudonis tutela educatum fuiſſe, & poſtea regnaſſe: qui cùm per ætatem regendo regno nequaquam idoneus eſſet, cognito, quod Normanni nouos belli motus parA rent, ad Eudonem Roberti Andegauenſis filium hominem bonum & rebus gerendis aptum, mittunt. Cui & Caroli Simplicis tutelam & regni adminiſtrationem cum Regia appellatione committunt. Hic à Galterio Senonum Archipræſule conſecratus Carolum Simplicem probè educauit, Franciſque modeſtiſſimè præfuit. Moriens autem proceres iureiurando adactos admonet, ſine controuerſia Carolo Simplici adminiſtrandum permittant, eúmque eſſe legitimum heredem. Hæc Guaguinus. Verùm hæc quidem haC ctenus. Nam incidit hoc loco non prætereunda quæſtio: quid ſi duo reperiantur agnati Regis, non eodem, ſed pari ab ipſo gradu diſtantes? puta patruus Regis, & eiuſdem fratris filius: quorum vterque tertio à Rege gradu diſtat? Nam in priuatorum quidem hereditatibus ius exploratum eſt, vt ambo æquis ex partibus ſuccedant. Nouell. 127. & Authentic. ceſſante, C. de legit. B hered. Quod idem de feudo antiquo traditur in cap. 1. de ſucceſſ. fratr. c. 1. de benefic. frat. c. 1. de nou. feud. inueſt. Sed in regno, vbi vnus ſolus ad ſucceſſionem admittitur, dici hoc non poteſt. Fratris igitur filius duabus de cauſſis præferendus videtur, quarum hæc prior eſt, quia regni ſucceſſio, quæ ſemel per vnam ſtirpem cœpit decurrere, non ante ad alteram transfertur, quàm in illa maſculus defecerit. At fratris filius in hac ſpecie ſupereſt, ex patris, qui Rex fuit, D ſtirpe & recta linea prognatus. Semper enim ab eo Genarcho, qui proximus in communi genealogia reperitur, graduum ratio ducitur. lib. Feud. 2. tit. 31. Si vaſall. feud. priuat. Itaque in Bulla aurea Imp. Caroli IV. hæc de Electoratus Germanici ſucceſſione lex ſtatuitur: Primogenitus filius ſuccedat in eo: niſi fortè mente captus, ſeu alterius famoſi & notabilis defectus fuerit: quo caſu ſecundogenitum, ſi fuerit in ea progenie, ſeu alium ſeniorem (fratrem ſeu conſanguineum) qui paterno ſtipiti in deſcendente recta E linea proximior fuerit, volumus ſucceſſurum. Altera eſt, quod ille fratris filius in patris ſui gradum locúmque ſuccedit: qui ſi ſuperſtes eſſet ſine controuerſia regnum obtineret, quod de patruo dici non poteſt, quia fruſtra diceremus eum in patris ſui locũ ſuccedere, cùm eius ſucceſſionis nulla vis, aut effectus eſſet. Solemus autem dicere, cuius effectus nullus eſt, eius rationem non haberi. l. aliquando, 13. §. vlt. D. ad Vellejan. l. cùm heres 52. §. vlt. D. de acquirend. heredit. F l. 1. D. de curat. bon. dand.

Fiduciarij honores & temporales.

Nepos ex fratre Regis mortuo cum eiuſdē Regis patruum excludit.

LEX QVINTA.

Vt Rege impubere proceres aliquot de ordinum ſententia conſtituantur, qui vſque ad ipſius pubertatem regnum adminiſtrent.

FVIT quidem hæc lex in Pariſienſi Parlamento lata, anno CIↃCCC. LXXVII. à Rege Carolo V. pragmaG ticæ ſanctionis modo: id eſt, ſummis quibuſque regni proceribus in conſilium adhibitis: vt Reges annorum XXV. minores, anno tamen decimoquarto completo Maiores haberentur, & regimen ac liberam regni adminiſtrationem ſuſ-

ſuſcipetent: quemadmodum Guaguinius, Benedictus, & alij complutes memoriæ prodiderunt. Sed videtur id potius temporibus conceſſum, (quæ propter quorundam amhitioſorum Principum cupiditatem turhulẽtam tum erant,) quàm natutali ratione conſtitutum. Nam cùm ætas illa vſque ad annum xxv. tota ſit, vt Vlpianus loquitur, in feruore, vt vix ſe ipſa tueti ac tegere poſſit, quomodo tot populis regendis & tam variis atque arduis negotiis adminiſtrandis ſufficeret? tametſi Romæ perquamdiu curatores puberibus non niſi propter laſciuiam aut dementiã darentur, ex lege Lætoria: vt Iulius Capitolinus ſcrihit io vita Antonioi Philoſophi: vbi ſubiungit Imperatorem illum conſtituiſſe, vt omnes adulti curatores acciperent, non redditis cauſſis. Verum apud maiores noſtros aliud fuiſſe iuris, patet ex his Hunibaldi veteris Francorum hiſtorici verbis, apud Ioh. Tritenhemium: Anno, inquit, cccix. cum Rex Francorum Clogio incautius dimicaret, à Romanis occiſus eſt, duos relinquens filios: quorum natu maior Helenus, annum tunc agebat xx. minor verò natu Richimer xviii. Lege autem Francorum erat interdictum, ne quis promoueretur in Regem, niſi xxiiii. ætatis annum compleſſet. Hinc factum eſt, quod neuter filiorum Clogionis ad regnum potuit peruenire: ſed patruus eorum Clodomer electione Principum fuit in Regem coronatus. Sapienter hoc à maiorihus inſtitutum videtur. Nam ex Regis adoleſcentis ætas aſſentatoribus obnoxia eſſe ſolet: ſicut omnium ſeculorum exempla teſtantor: & verò cum huiuſmodi ætatis conſilium (vt noſter Vlpianus ſcribit) fragile ſit atque infirmum, & multis captionibus ſuppoſitum, multiſque inſidiis expoſitum, naturalis ratio poſtulat, vt ſeniorum conſilio & prudentia regatur. Itaque ne adulti quidem ætatis veniam ante xx. annum impetrare poſſunt. l. 2. C. de his qui ven. &c. Quin ne municipali quidem iure quiſquam ad vllam Reipublicæ partem adminiſtrandam ante annum xxv. admittebatur. l. ad Rempublicam. D. de mun. honor. quoniam (vt Imper. loquitur) naturali iuri conueniens eſt, vt qui perfectæ ætatis non eſt, alterius tutela regatur paragrapho vlt. Inſtitut. de attil tutore, denique nemo neſcit regna quãtumuis firma ſæpe ſub dominatu puerili interire: & hoc eſſe certiſſimum iræ diuinæ teſtimonium, cum pueri Regiam poteſtatum adſequuntur, Iſaiæ 4. & Eccleſ. cap. 10. Væ terræ, (inquit ſapiens concionator) cuius Rex puer eſt: ſeu Cuius Rex amens eſt: vt nonnulli locum illum interpretantur. Verum intelligendum eſt, dummodo ea lex Regia ſeruetur, quam olim regni Franciæ baſim & fundamentum eſſe docuimus, non ita magnum poſſe ex hac ætatis venia periculum accidere: quoniam vbi maior atque illuſtrior incidit res, quęque ad Reip. ſummam pertinere videatur, confeſtim ad publicum ordinum conuẽtum, tanquam ad Auguſtum Franciæ ſacrarium decurritur, vt de ordinum ſententia grauiter ac liberè decernatur. quod etiam oſtet Iohannes Territubeus his confirmat verbis ſub finem Tractatus 1. Si alicui Regi, inquit, ſuperiorem non recognoſcenti dandus eſſet coadiutor, illius adſumptio & inſtitutio pertinet ad tres ſtatus regni, quod ſuperiorem non habet: vt eſt regnum Franciæ. Hæc ille. Harum autem rerum præclarum nobis teſtimonium ſuppeditat annus CIↃ CCCLXXV. cum Caroli v. cognomento Sapientis teſtamentum prolatum eſt: quo teſtamento filiorum ſuorum tutorem inſtituerat Philippum Ducem Borbonium, vxoris ſuæ fratrem: Regni autem procuratorem Ludouicum Ducem Andeuagenſem, fratrem ſuum: tantiſper dũ Carolus filius ipſius ad pubertatem perueniſſet. Concilium enim Luretię nihilominus habitum eſt, irritóque habito teſtamento, decretum eſt, vt regni adminiſtratio Ludouico pueri patruo committeretur: ea lege vt eam adminiſtrationem de certorum virorum in eo Concilio probatorum ſententia gereret: Pueri autem tutela & educatio Borbonio permitteretur. Simúlque lata illa Regia lex eſt, quam paulò antè commemorauimus, vt qui regni heres annum ætatis xiv. impleſſet, ei corona imponeretur, hominiáque & fidelitatem iuramenta præſtarentur. auctora Froſſardo. vol. 2. cap. 60. Bucheto libro 4. fol. 124. Rurſus cum anno CIↃ CCCLXXXIV. Rex Carolus viii. Ludouico xi. annum agens ætatis xiii. ſucceſſit tum publicus regni conuentus in vrbe Turonum habitus eſt: delectíque certi Principes quibus tantiſper regni procuratio mandaretur. Cuius rei teſtimoniũ exſtat in actis eius concilij Lutetiæ impreſſis, & apud Philippum Comineum lib. hiſt. 5. cap. 18. itémque in Chronic. Britan. libro 4. & Iohan. Buchetum lib. 4. fol. 162. Sed & Benedict. in verbo Adiectæ impuberi, numero 53. ita ſcribit: Reges qui iure ſanguinis ſuccedunt in ſuorum prædeceſſorum regnis (qualis eſt Rex noſter Franciæ Chriſtianiſſimus) omnia poſſunt ante xxv. annum, quæ poſſunt alij quilibet in ſuis priuatis patrimoniis per l. ſi curatorẽ. C. de in integr. reſtit. min. Nam Reges Franciæ poſſunt etiam ante coronationem adminiſtrare, priuilegia & reſcripta dare. Nam quoad poteſtatem & auctoritatem gubernandi regnum, coronatio nihil addit, nec ſacra vnctio: vt decidit Præpoſitus in c. per venerabilem §. quod autem. qui fil. ſint legitim. quia poſt pubertatem finitur tutela Regis: adeo quod habere non debet curatorem, quantum ad ea quæ ſunt iuriſdictionis, quæ poteſt ipſe exercere per ſe. Alia verò quæ non ſunt iuriſdictionis, ſed concernunt regni adminiſtrationem, debet exercere cum auctoritata ſui curatoris: aliàs ſine curatore non permittitur adminiſtratio: niſi aliter pro bono ipſius regni per proceres & regnicolas ordinaretur: prout factum exſtitit de Chriſtianiſſimo Carolo VIII. Rege noſtro Franciæ moderno, in Concilio trium ſtatuum Regni, Turoni congregato, anno Domini CIↃ CCCCLXXXIIII. Hæc ille. Ex quibus. Vniuerſis intelligitur, hoc ius eſſe regni Franciæ, vt Regium nomen penes puerum Regem maneat, regimen verò penes Principes & procuratores regni in comitiis ex conſilio publico conſtitutos.

Reges Frãcorū olim nulli ante annum ætatis XXIV.

Concilij publici auctoritas.

LEX SEXTA.

Vt ſi plures Regis demortui filij extent, tum natu

minoribus ad ſe ſuáſque familias pro dignitate tuendas idoneum apannagium tribuatur.

PRIVSQVAM ad ius apannagij accedamus, operæpretium eſt paulò altiùs totius huiuſce iuris regij explicationem repetere: vt quid ſit Regis dominium, & quid ab apannagio differat, commodiùs intelligatur. Nam iure Romano earum rerum quæ in Principis ditione ſunt, quattuor tantùm ſpecies fuerunt: aliæ namque Principis ipſius patrimoniales erant, aliæ fiſcales, quædam publicæ, quædam priuatæ. Patrimoniales dicebantur, quæ propriæ ipſius Principis erant: non Principatus, ſed patrimonij iure: veluti ſi quid ei propinquorum hereditatibus aut liberalitate obueniſſet. Hæ modo de propria Principis ſubſtantia dicuntur. l. 3. §. 1. C. de quadr. præſcript. modò ſacrum patrimonium. l. vlt. C. de verb. ſigni. l. 1. C. de indic. Fiſcales erant, quæ principi ad ſuam dignitatem tuendam attribuebantur: ſiue in pecunia numerata, ſiue in prædiis, ſiue etiam in iure conſiſtebant. Nam etſi Fiſci nomen propriè ad theſauros & ærarium pertinet. d. l. 3 C. de quadr. præſcrip. (idque etiam origo appellationis oſtendit) tamen etiam ad res ſoli productum eſt, quæ ad Fiſci rationes pertinent. l. 2. §. 2. D ne quid in loc. publ. l. 49. D. loc. l. 58. §. 1. D. ad municip. Meritò igitur res patrimoniales à Fiſcalibus paſſim in libris noſtris ſeparati videmus. Nam illæ ad Principis heredes tráſmittebantur, quamuis Imperij ſucceſſores non eſſent. l. quod principi. 56. D. de legat. 2. Hæ verò magis Principatus ſunt, quàm Principis. qua de cauſſa ad eum ſolùm, cui imperium deferebatur, vnà cum Principatu transferebantur, & propriæ ac priuatæ ipſius Cæſaris appellabantur. d. l. 2. §. 2. Publicæ dicebantur, quæ ciuitatis cuiuſque & proprietate & vſu communes erant, veluti curiæ, fora, theatra. l. 1. §. 1. D. quod cuiuſque vniuerſ. quas enim res ciuitates poſſidebant, eæ à Fiſcalibus paſſim diſtinguuntur. Reſtant res priuatæ, quæ in cuiuſque patrisfam. fortunis & patrimonio cenſentur. l. 1. D de rer. diuiſ. cum ſimilib. quæ latiore ſignificatione Principis quidem ſunt: ſed (vt ex Seneca quodam loco demonſtrauimus) imperio non dominio: ditione, non proprietate: vniuersè non ſingulatim: ſola iuris fictione, non poſſeſſione & vſu. Atque hæc quidem de iure Romanorum Imperatorum dicta ſint. quo loco animaduertendum eſt, quatuor illas ſpecies rerum, quæ in Regis ditione ac poteſtate ſunt, longiſſimè à regno differre. Nam regni nomine non modò regimen, verùm etiam regalis iuris vniuerſitatem intelligimus: cum illæ res ſingulares ſint: ac proinde vniuerſalis iuris partes eſſe non poſſint: ſicuti dicimus res hereditarias non eſſe partem hereditatis, ne legatum quidem: l. 14. D. ſi quis omiſ. cauſ. l. 87. §. 3. D. ad leg. Falcid. non magis quàm res peculiares partem eſſe peculij. l. 4. §. ſi ære. D. de pecul. aut res dotales, partem eſſe dotis. l. quod dicitur. 5. D. de imp. in res dot. ſed de Regni nomine & eius interpretatione poſterius magis idoneo loco diſſeremus. Nunc vnum illud adiiciemus, ſecundum hanc ſententiam Dionyſium Halicar. lib. 1 v. facere Tullium Regem in Senatu demonſtrantem

Rerum ad Cæſarem pertinentiũ quatuor ſpecies.

Regni, Patrimonij & Dominij Regij differentia.

A longè aliud eſſe ſuccedere in bonis & patrimonio regis, aliud ſuccedere in regno. Nam patrimonium & bona Regis, inquit, penes dominos & heredes manent. Regnum verò eorum fit, qui populo probati ſunt. Illa, vbi quid humanitus dominis accidit, ad eos qui vel propinquitatis vel teſtaméti iure heredes ſunt, tranſeunt: hoc verò, poſt exceſſum Regis ad eos qui probati ſunt transfertur. τὰ μὲν χρήματα, inquit, τῶν κληρονόμων ἐστὶ (quos paulò ante διαδόχους appellarat) B τὴν βασιλείαν δὲ, τῶν δοκοῦντων, καὶ τὰ μὲν, ὅταν τι πάθωσιν οἱ κύριοι, τοὺς κατὰ γένος, ἢ κατὰ διαθήκην διαδόχους προσήκει λαμβάνειν, τὴν δ' ὅταν ἐκλείπωσιν οἱ λαβόντες, τοὺς δοκιμασθέντας ἔχειν. Iuſtin. lib. 2. vbi Arthemenis & Xerxis contentionem commemorat, quorum illa Dario ante regnum adeptum natus erat, hic poſt adeptú: Xerxes, inquit, non de ordine, ſed de naſcendi felicitate controuerſiam adſerebat, namque Arthemenem primũ quidem Dario, ſed priuato prouenisse: ſe Regi C primum natum. Fratres itaque ſuos qui ante geniti eſſent priuato, priuatum patrimonium, quod eo tempore Darius habuiſſet, non regnum ſibi vindicare poſſe: ſe eſſe primum quem in Regnũ Rex ſuſtulerit. Regni ergo appellatione iura ſũmi imperij ac poteſtatis regiæ ſignificantur: cuiuſmodi eſt hominiũ, hoc eſt veneratio, quam Principes & proceres Franciæ nouo inaugurato Regi præſtant, clientelę & obſequentiæ nomine: itémq; iura ea quæ à Feudiſtis Regalia, vulgò au-D tem à noſtris Regaliæ appellantur: de quibus exſtat hoc inſigne Regis Philippi Valeſij edictum in libro Egidij Magiſtri, primi Prætoris Pariſienſis Parlamenti, quod ſubiiciemus: Philippus Dei gratia Francorũ Rex. Quoniam diſputatum eſt à nonnullis, an penes nos ius poteſtáſq; eſſet mandádi ſacerdotia, beneficia, & honores eccleſiaſticos, denũtiamus ac profitemus, re diligẽter quæſita & deliberata, cõpertum nobis eſſe, ſuperiores Reges Fráciæ anteceſſores noſtros ius illud per-E petuò tenuiſſe, ſoléq; pro noſtro iure ſemper antehac ſacerdotia mandaſſe, atque in poſterũ mãdaturos eſſe. Datæ Vincẽnis menſe Octob. 1314. Verùm hæc quidem, vt dixi, de Romanorũ iure dicta ſint. Nam apud Francos eſt domanium, patrimonium & fiſcus. Domanium appellant res, quæ vetuſtiſſimis maiorum inſtitutis Regi propter ipſius Regni cauſam, & cum ad ius ſuis populis reddendum, tum etiam ad cultum regium tuendũ attributa ſunt: quæ vulgo Domaniũ Co-F ronæ Franciæ appellantur: Latinè non incõmodè Patrimonium regni dici poſſet: quia magis regni & Coronæ propria ſunt quã Regis. Hoc Domaniũ videtur eſſe quaſi dos, Regi a ſuis populis cõſtituta, ad onera regni ſuſtinẽda: ſicuti vulgò dicimus dotẽ dari marito ad onera matrimonij ſuſtinenda. l. dotẽ. 16. D. de caſtr. pecul. l. actione. 65. §. vlt. D. pro ſoc qua de cauſſa Doctores noſtri ius Regis in illas res par idémq; eſſe arbitrantur, quod eſt viri in res dotales. Luc. de Penn. in l. quẽ-G cũq; C. de an. agr. de ſert. Paris de Put. de Syn. ſub Rub. de excell Imp. And Iſer. in ti. Feud. quæ ſint regal. itaq; ſicuti dos cõſtãte matrimonio eẽſetur eſſe in bonis mariti, cùm tamẽ reipſa, hoc eſt naturali iure ſit vxoris. l. quãuis. 75. D. de iur. dot. l. in reb. 30. C. eod. l. Lucius. 21. §. idẽ reſpõdit. D. ad munic. eodẽ modo quandiu Rex viuit, Domaniũ

Francorũ Regũ domanium, patrimonium, fiſcum.

Coro-

Coronæ videtur eſſe in ipſius dominio: cùm tamen reuera proprietas eius, populi eſſe intelligatur. qui (vt Doctores noſtri paſſim oſtendunt) ius Domanij reditum Regibus ſuis concedit tanquam honorarium, & (vt illorum vtar verbo) ſtipendium ad iuſtitiam adminiſtrandam: ſecundum Thomam, 2. 2. q. 63. Andr. in cap. 1. de pac. ten. & in c. 1. in verb. Vectigalia, quæ ſint regal. Matth. de Affl. Deciſ. Neapol. 265. num 81. Sed non alienũ videtur, hac de re Ioh. Tilletij teſtimonium ſubiicere. Domanium Coronæ Franciæ, inquit, cenſetur opinione multorum dominium publicum, ſiue populi reſpectu proprietas: cuius vſuſfructus ſolus cenſetur eſſe proprius & peculiaris Regis regnantis: quamdiu in vita manet, adeo vt quamuis per propinquitatem ſanguinis & ius primogenituræ aut per repræſentationem (cuius eadem cauſa eſt) ad Coronam veniat, tamen vſumfructum illum non obtinet niſi tanquam Rex: ſine alio vllo iure vel titulo. Iſque vſuſfructus vnà cùm ipſius vita exſtinguitur: neque ampliùs cuiuſquam hominis proprius eſt, hereditatis aut ſucceſſionis iure, vt primùm Rex è vita exceſſit. Corona enim tacitè illud ſibi conſolidat, & futuro Regi ſuccedenti conſeruat: non alia de cauſſa, niſi quod Princeps ad Regni ſucceſſionem vocatur: & Rex efficitur: ſed verius eſt, illud dominium atque adeo poſſeſſionem ipſius continuari à defuncto in perſona ſucceſſoris, partim propter iuris Gallici regulam, qua mortuus ſaiſit viuum: id eſt, moriens tradit hereditatem ſuperſtiti: partim quia Reges numeramus non ex die inaugurationis, ſed ex momento mortis defuncti. Hæc Tilletius, iuris noſtri ciuilis (vt ex vniuerſo ipſius libro apparet, & mihi atque aliis innumeris notum fuit) non admodum peritus. Itaque nonnulli eiuſdẽ generis ſcriptores, Pragmatici numerandi ſunt, non Iuriſconſulti: atque vbi de arreſtis & Parlamentis ſuis loquuntur, audiendi: in iure de regno Galliæ explicando, non admodum probandi. Ius enim domanij regalis eſt feudali iuri ſimillimum. Nam vt feudum mortuo feudatario ipſo quidem iure ad ipſius filium tranſmittitur, ſed tamen à Seniore in perſona filij fidem & hominium iurantis confirmatur: ita domanium mortuo Rege, ipſo quidem iure proximo agnato cedit, ſed à populo huius agnati proximi inauguratione confirmatur. Sicuti vaſallus feudum antiquum neque alienare neque diminuere poteſt, ita domanij alienatio, vel deminutio Regi permiſſa non eſt. Licebit etiam ius Domanij comparare cum earum rerum iure, quæ fideicommiſſariæ reſtitutioni in perpetuum obnoxiæ ſunt: veluti cùm teſtator filium iubet nepoti, & nepotem pronepoti, ac deinceps liberis poſteriſque ſuis in perpetuum reſtituere l. Lucius. 88. §. instituto D. de leg. 2. nam vt heres fiduciarius cui reſtituendi onus iniunctum eſt, quandiu viuit rebus illis fruendi ius habet, moriens autem eas res integras & illibatas (nam Trebellianam in præſentia excludimus) ſine vlla deminutione ſubſtituto tradere cogitur. l. vlt. §. vlt. D. de legat. 2. l. Titius. 54. D. ad Trebell. l. Sticho. 36. D. de vſufr. leg. ita Rex domanium ſibi à populis ſuis fruendum datum reſtituere ſucceſſori ſolidum & nulla ex parte deminutum debet. Verùm

Domanij regalis ius ad feudalis iuris ſimilitudinem accedit.

A hæc quidem de domanio hactenus dicta ſint. Patrimonium Regis eſt, quod ipſius Principis proprium eſt, non regni: qualia ſunt quæ vel hereditatibus vel donationibus ei obuenerunt: ſicuti ſuperius de Imperatorum Romanorum patrimonio dictum eſt. Fiſci autem Francici nomine cõtinentur ea, quæ in ipſius ærarium redacta ſunt, vel quòd caduca & vacantia erant, vel quòd multatitia, hoc eſt pœnæ nomine, criminis alicuius dãnatis ablata, vel iure peregrinitatis, aut B albinatus, aut ſpurietatis (vt ita dicamus) eidem ærario commiſſa. Itaque qui harum rerum in primis periti exiſtimantur, fiſcum à theſauro Regis magnopere diſtinguunt: ac verbis Gallicis in hanc ſententiam ſcribunt, quam haud ſcio an admodum probari oporteat: Domanium & theſaurus Regis verè ac propriè nulla in re differũt. Atque idcirco Curia theſauri Lutetiæ inſtituta C eſt, vt in ea cauſæ ad Regis domanium pertinentes diſceptarentur. Nam antiquitus theſaurus Regis (ſiue finantiæ Regis Franciæ) non alia in re conſiſtebant quàm in prouentu & reditu domanij Coronæ Franciæ, non autem in tributis, indictionibus, & vectigalibus. Huiúſque rei teſtis locuples profertur Egidius Magiſter, ſuperioribus annis primus Parlamenti Pariſienſis Prætor in lib. Deciſ. 1. cap. 5. vbi ad verbum ita ſcribit: Vectigalia Regi penduntur à ſubditis, D iure ſubuentionis, quam populus ſubſidij gratia in eum confert. In eámque rem conſulendi ſunt libri Curiæ rationum: quibus erectio Curiæ continetur. ex quibus conſtat, idcirco vectigalia inſtituta eſſe, vt bellicis impenſis conſuleretur, nec ampliùs quàm tempore bellorum præſtita. Sed ea eſt populi Gallici bonitas & erga Principem obſequentia, vt ea continuarit, in hunc vſque diem perſoluere. Hæc ille. Cuius ſententiam ex eo confirmari licet, quòd Regi- E bus antiquis ius non fuit ſine publici Concilij auctoritate tributa vectigaliáve imponere, ac nec monetam quidem immutare: hoc eſt, pretiũ nummorum vel augere vel imminuere. Nam Guillelmus Budæus lib. de Aſſe tertio & quinto teſtatur, ex antiquis omnibus quę viderat monumentis conſtare, rei numariæ ius, (hoc eſt poteſtatis numorum vel augendæ vel imminuẽdæ), ſemper penes populum fuiſſe. Quinetiam Carolus Molinæus, diligentiſſimus monetaliũ ratioci- F nationum inueſtigator, extremo commentario de contract. commer. & vſur. ſcribit, ſe in Arebiuis Parlamenti & monetalium præfectorum quã plurimas leges Francicas reperiſſe, quibus ſancitum erat, ne qua rei nummariæ mutatio ſine populi conſenſu fieret: ſempérque in eiuſmodi mutationibus po[illegible]i conſenſum (quippe, cuius plurimum intererat) interueniſſe. quemadmodum à Iuriſconſultis dici ſolet: quorum quid fieri intereſt, eorum in eo negotio gerendo re- G quiri aſſenſum: vel hoc modo: quod aliquos tangit, debet ab iiſdem approbari. Quinetiam Hoſtienſis Canoniſta celebris & magnæ inter ſuos auctoritatis in Summa de cenſibus ita ſcribit: Quæritur, nunquid Rex Franciæ habeat priuilegium concedendi pedagia, vel mutandi nouam monetam. Reſpondeo, ſicut Papa in ſimili quæſtione, Sic videretur aliquibus. e. per venerabilem, qui fil. ſint legiti. Mihi verò non videtur,

Domaniũ Regis eſt eiuſdem theſauro.

niſi populus ei poteſtatem illam dederit. Sequi-
tur & probat Chaſſaneus in Conſ. Burg. ti. *des iuſtices.* § adde an Rea. Franciæ. Et in eandẽ ſenten-
tiam Guil. Benedict. in verb. & vxorem, numer.
499. ita ſcribit, & laudatur à Nicolao Boerin in
Deciſ. 126. De vnione comitatus Tholoſani, & pa-
triæ Occitaniæ cum regno Franciæ habetur ple-
ne inter chartas ſtatuum dictæ patriæ repoſitas:
in qua vnione tria fuerunt inter Regem & pa-
triam in forma contractus paſſata. Primo quod
omnia priuilegia patriæ & ius commune illabata
conſeruarentur: Secundo quod numquam Rea
Gubernatorem inſtituet, niſi qui ſit de ſanguine
regio: Tertiò, quod Rex tallias vel alia ſubſidia
indicere patriæ non poterit SINE CONSENSV
STATVVM EIVSDEM. prout nunquam fecit, ne-
que facit, quinimo annis ſingulis ad partes mit-
tit, neceſſitatem regni toti patriæ explicaturum,
vt pro modo negotiorum regno pro tempore e-
mergentium ſubſidium præbeatur: quod obediẽs
patria annuere conſueuit, in ſeruando per Regem
priuilegia patriæ & cætera in dicta vnione coo-
tenta, & pro illa vice dumtaxat: ita quod non tra-
hatur in conſequentiam. Hæc Benedictus. ſecu-
tus (vt opinor) bonum auctorem & Gallici iuris
peritum Ioh. Fabr. in Rubr. C. de falſ. monet. vbi
ſic ſcribit: Nota, inquit, quod de iure communi
nullus poteſt pnteſt cudere monetam, niſi ſolus
Princeps. l. 2. intra eod. item quòd nec Princeps.
poteſt eam mutare, nec facere maioris valoris
ſine conſenſu populi, in notabili quantitate: vt
plenè not. Doct. extr. de iureiur. c. quanto. Hæc
Faber. & hoc ius in curia Franciæ, hoc eſt, in
Parlamentis trium ſtatuum obſeruari ſolitum, i-
dem Faber non obſcurè oſtendit in Auth. hoc ni-
ſi. C. de euict. Sed iã tempus eſt ad apannagia no-
ſtra his præmiſſis accedere. Nam vbi plures Re-
gis demortui filij erant, tum regno & dominio
ei conceſſo, qui natu maximus eſt, cæteris ad ſe
ſuáſque familias pro dignitate atque amplitudine
tuendas certæ regiones attribuuntur quæ anti-
quo & Francico (vt mihi perſuaſi) vocabulo A-
pannagia nominantur: quaſi Exclusoria. ſicuti
vrbannem & Forbannen Germani pro Exclude-
re vſurpant. quoniam Regis fratres ea portione
accepta tacitè ab ipſius regni hereditate exclu-
duntur. quemadmodum Otto Friſing. Aimoinus,
Regino & Gotefridus ſcribunt, Dagobertum
Lotharij filium Regem conſtitutum, fratri Heri-
berto vrbes & pagos aliquot prope flumen Li-
gerim fruendos dediſſe. Eiúſque vocabuli men-
tionem facit Franciſ. Rip. in repet. l. in quartam,
nume. 133. D. ad legem Falcid. neque cunctandum
eſt huius generis vti vocabulis: (vt feciſſe Pari-
ſienſes quoſdam aduocatos video) Feudum, Vaſ-
ſallus, Inueſtitura, Domanium, Apannagium, Ba-
ſtardus. popularibus enim verbis in popularibus
rebus tractandis vtendum eſt. Ergo Franciſ. de
Ripa eo loco ſcribit, Apannagium apud Galloa
dici ſolitum, quod filiis Regum natu minoribus,
qui in regno non ſuccedunt, adſignatur pro vſu
& alimentis. Sed quod plerique Doctores Apan-
nagium iſtud Legitimæ nomine appellant, quæ li-
beris naturę iure quodam ex parentum heredita-
te deberi dicitur, impropriè & abuſiuè dici hoc ab
illis exiſtimandum eſt: cum ſatis conſtet, Legiti-
mam liberis pleno dominij iure tribui: Apanna-

Apannagium quid, & quod ius ſit apannagii, & quibus debeantur.

A gium autẽ Gallici ſcriptores noſtri vſusfructus no-
mine cõcedi ſtatuũt. Sic enim Tilletius: Apana-
giũ, inquit, inſtitui cœpit ſub familia Capetiorũ,
vti patet ex Arreſto anni 1285. fuitq; ſimplex pro-
uiſio ad cultum & victum Principum, agnatorum
Regis, proauorum. Sed illius prouiſionis pro-
prietas manſit penes dominium Coronæ. nam
ij quibus fruendum illud apannagium concedi-
tur, ſolum eius vſumfructum obtinent: qua de
cauſſa neque alienare illud, neque oppignerare
B poſſunt. Etſi autẽ ad liberos virilis ſexus tranſ-
mittitur, tamen vt primum in ea ſtirpe maſculus
deficit, confeſtim ad dominium Regis redit, &
cum eo conſolidatur. Hæc ille. Sed videamus, ne
contra iuris ciuilis regulas dicatur, Apannagium
eſſe vſumfructum à domanio Regis, (quod iſtius
generis auctores etiam vſumfructum eſſe volunt
hauſtum ac delibatum. Non enim ſeruitus ſerui-
tutis conſtitui poteſt. l. 1. D. de vſufru. legat. quip-
pe, cum ſeruitus ſit accidens. Accidentis autem
C (vti docet Ariſtoteles) nullum eſt accidens. at-
que idcirco vſusfructus ea vſufructus non con-
ſtituitur. l. ſi vſusf. 66. D. de iur. dot. l. 22. § 1 D. de
vſut. Potius igitur dicendum eſſet, Apannagium
eſſe facultatem percipiendi fructus, à Rege, Do-
manij fructuario, conceſſam. nam illa facultas,
cùm iuris non ſit, ſed facti, cedi extraneo ab v-
ſusfructuario poteſt. vt fructuarius quidã ius v-
ſusfructua ſibi retineat, commodũ autem & per-
ceptionem fructuum alteri permittat. l. ſi vſusfr.
D 66. D. de iur. dot. l. vſusfructus. 57. D. ſol. matr. l. 8.
§. vlt. D. de peric. & comm. l. non virtut. 38. & l. cũ
vſusfru. 67. D. de vſufruct. Sed commodius vide-
tur, quantum inter vſum fructum & apanna-
gium interſit, planius ac dilucidius expone-
re. Nam vſusfructus neceſſariò & perſonalis
& temporalis eſt: ne ſcilicet perpetuò à pro-
prietate abcedens eam in vniuerſum tempus inu-
tilem relinquat. l. 3. §. 2. D. de vſufr. Apannagium
verò feudis hac in parte finitimum eſt: quæ non
E modò vaſſallo, verum etiam ipſius liberis po-
ſteriſque maribus in infinitum tempus attri-
buuntur. lib. Feud. 1. tit. 1. §. 3. l. 4. D. de iur. immu-
nit. & & quamuis apannagium non minus apan-
nagiati morte extinguatur, quam vſusfructus
morte fructuarij: & repetitum nouum appanna-
eſſe videatur inſtar noui vſusfructus. l. 3. l. 5. D.
quib. mod. vſusf. amitt. tamen natura vſusfru-
ctua non patitur, vt plus quam in vno aliquo re-
petatur: propter eam inutilitatis cauſſam quam
F modò diximus. Quinetiam idem de feudi natura
diſputari videtur poſſe: quòd ſcilicet vaſſallo mor-
tuo feodum extingui: & nouum in filij perſona
conſtituitur. quippe, cùm & ea parte Vaſſalli no-
uum hominium, & ea parte Senioris noua inue-
ſtitura præſtetur. lib. 2. tit. 3. per quos fiat inueſt.
& tit. 32. qui teſt. ſunt neceſſ. §. de veteri. nam il-
la clientelæ renouatio feudi quoque renouatio
quædam eſſe intelligitur. argumen. l. 7. §. adeo.
& l. ſi vnus. 27. §. idem dicemus. & l. ab emptione.
G 58. D. de pact. vbi contractus partium conſenſu
reſolutus & poſtea redintegratus, dicitur vetus
contractus renouatus, & quaſi rediuiuus ve-
rumtamen idcirco à Feudi noui appellatione
abſtinemus, quia vetus conſuetudo tulit, vt nouũ
Feudum ſpecialiter dicatur, quod recens alicu-
ius familiæ principi cõceſſum eſt: antiquũ autem
quod

Apannagium non eſt propriè vſusfructus.

Apannagium & vſusfructus differentia.

Feudum vaſſalli morte extinctum in ſucceſſoris perſonam renouari.

Feudum propriè quod nouum aut vetus dicatur.

quod ipſius patri aut auo vel maioribus cõſtitutũ fuerat lib.1. tit.14. de feud. march. duc. Accedit & illa differentia, quòd vſusfruct. nullũ planè dominij genus, quantùm ad rei ſubſtantiam attinet, in fructuarium transfert. l.1. D. ad Senat. Silan. l. vſufructu. 9. C. de vſufruct. Apannagium verò vtile prædiorum dominium in appannagiatum transfert ad feudorum inſtar: de quibus teſtimonium extat in lib. 2. tit. 8. de inueſt. de re alien. & titulo 43 de contron. int. vaſſal. Denique cùm antea docuerimus, domanium eſſe Feudi aliqua ex parte conſimile, conſentaneum videretur, hoc Apannagium ſubfeudi (vt vulgò loquimur) nomine appellari: niſi fortè commodius diceremus negotium hoc ſimile eſſe legato, quo vni proprietas fundi, alteri vel eiuſdem fundi reditus ac fructus, vindemia, inquam, aut meſſis relinquitur: aut ſumma quædam ex eiuſdem redttu: velut in l. idem eſt 6. D. vſufr. quemad. cau. l. firmio. 26. D. quand. dies leg. ced. l. codicillis. 18. & duab. ll. ſeqq. D. de ann. legat. quinetiam animaduerti Philonem in libro de vita Moſis. II. ſcribere, Par prope ius fuiſſe illius portionis, quã lex Moſis deficiẽtibus filiis concedi filiabus iubebat, quod eſſe horum apannagiorum diximus: vt ſcilicat eam portionem non iure proprietatis ac pleni dominij obtinerent, ſed tanquam honorarium, eis ad cultum & ornatus cauſſa conſtitutum. ἅς φησὶ δεῖν περιτεθῆναι τὸν κλῆρον, ὡσανεὶ κόσμον ἔξωθεν, ἀλλ' οὐχ ὡς ἴδιον, καὶ συγγενικὸν κλῆμα. τὸ γὰρ περίθλιμμα οὐδεμίαν οἰκείωσιν ἔχει πρὸς τὸ διακοσμούμενον. ἁρμονίας καὶ ἑνώσεως ἀλλοτριούμενον. Ac planè difficile eſt, hæc regni Francici inſtituta commode ad iuris Romani normam exigere: cùm eius regni lex Apannagiis à Domanio delibatis certam formam à iure ciuili alieniſſimam impoſuerit: neque vſusfructus conſtitui in feudo poſſit in præiudicium domini: vt inter Feudiſtas conſtat. Eò accedit, quod legato fundi ad alimenta relicto, non vſufr. ſed plenum dominium continetur l. 4. l. pen. D. de alim. legat. l. 8. § ſi vni, 8. D. de tranſact. ex quo ſequitur, vt legatarij morte plenum fundi dominiũ ad ipſius heredem tranſeat. Eſt & aliud legati genus vt fundus alicui in alimenta obligetur. D. §. ſi vnus, cuius legati hæc vis eſt, vt heres cogatur fundũ illi fruendum tradere, l. Lucius, 12. D. de alim. legat. ſed ſimplici. legato alimentorum ex certo & nominato fundo traditiunis onus heredi non imponitur. l. vſufructu, 7. §. 1 in illis verbis: Alimenta ab ea relicta. D. de vſufru. Sed non eſt nouum, vt varietas pactorum, quæ contractibus dare formam dicuntur, cogat nos appellationes contractuum nouas confingere. l. 1. paſſ. tot. tit. de perſcr. verb. Quis autem modus in Apannagio aſſignando ſeruandus, & quæ cuique filio quantitas adtribuenda ſit, difficile dictu eſt: videtúrque in hoc genere illa ſeruanda Dionyſ. Halicarn. regula, vt res temporibus, non tempora rebus ſeruiant. οὐ τοῖς πράγμασιν οἱ καιροὶ δουλεύουσιν, ἀλλὰ τοῖς καιροῖς τὰ πράγματα. (lib. 1.) Itaque Ioh. Tilletius tradit eorum modum in arbitrio Regum poſitum fuiſſe: & in eam rem aliquot exempla & teſtimonia commemorat. niſi fortè æquius fuiſſet, eius rei arbitrium, æquè vt aliarum grauiorum rerum publico trium Ordinum Concilio ex maiorum inſtitutis committi.

A Cuius rei exemplum etiam extat apud Chaſſaneum in Conſuetu. Burg. tit. de Feudis: vbi ſcribit Iohannem Regem vniuiſſe (verba illius hæc ſunt) Ducatum Burgundiæ cum Corona regni Franciæ: deliberatione & conſilio trium ſtatuũ Franciæ, & illam vnionem factam fuiſſe in hunc modum, quod nunquam ſepararetur à Corona, niſi per modum Empanagij. Hæc ille. Illud & maioris & vtilioris quæſtionis eſt, vtrum Apannagia ſolis Regis filiis debeantur, an etiam aliis
B inferioribus liberis, aut verò etiam proximus eorum agnatis. Nam video non defuiſſe qui patrum memoria diſputarint, (timidè tamen ac titubanter) non fuiſſe debitum Franciſco I. antequam regnum adeptus eſſet, apannagium, quod ille ab Rege Ludouico XII. petebat tanquam proximus Regis agnatus, & per legem regiam ad regni ſucceſſionẽ primo loco inuitatus. Quoniam (vt illi diſputabant) Franciſcus non erat filius, aut frater Regis, ſed tantùm agnatus &
C collateralis. Apannagium autem quod inſtar haberi creditur Legitimæ liberis debitæ, tranſuerſalibus non debetur. l. 1. D. de inoff. teſtamen. Sed iam ſuperius demonſtrauimus, agnatos Regum non iure agnationis, ſed iure ſtirpis & prognationis ſuccedere: neque tanquam collaterales, ſed tanquam in directa linea ex Rege, communi familiæ & gentis auctore deſcendentes. Itaque Tilletius ea de re ſic ſcribit: Regum obuenit Philippo Valeſio, & Ludouico XII. per ſucceſſionẽ
D collateralem. Valeſius ille fratrem habebat, Ludouicus autem agnatum quẽdam Comitem Engoliſmenſem, ex ſua ſtirpe natu minorem. quæſitum eſt vtrum Apannagium, quod illi Reges ante regnum adeptum obtinuerant, rediret ad Coronam, an verò cederet proximis illorum agnatis, cum capite & plenis armorum regiorum inſignibus: propterea quod Apannagium non reuertitur ad Coronam, niſi maſculis deficientib. Tum autem illi maſculi extabant. Sed tunc tem-
E poris viuuenit, vt apannagia reconciliarentur Coronæ, quaſi reges adeptione Coronę, illa non perdidiſſent: ſed Apannagia eò rediiſſent, vnde prius profecta fuerant: & vſusfructus cum proprietate conſolidatus fuiſſet. nomen tamen principale & plena regiorum armorum inſignia proximis illis agnatis conceſſa ſunt: quoniã ipſe iure illis competunt, quamuis regni heredes non ſint. Hæc Tilletius. vbi primùm illud obſeruãdum eſt, Tilletiũ nõ de iure ſtatuere: ſed rem, vti tum ac-
F cidit, ſimpliciter narrare. deinde non obſcurè ſignificare, abſurdum fuiſſe tantam & nominis & gentilitiorum armorum dignitatẽ agnato Regis proximo relinquere, facultatem autẽ eius tuẽdæ dignitatis eidẽ denegare. Nam Appãnagia cũ ab initio omnes ideò co inſtituta fuiſſe, vt Regij ſanguinis principes haberent, vnde ſe ſuaſque familias pro dignitate atq; amplitudine tueri poſſent. Itaque probabilius eſſe arbitror, etiamſi apannagium alicui principi conceſſum ipſo ad re-
G gnũ euecto extingueretur, & ſtatim cum domanio regio reconciliaretur, tamen nouũ illi proximo principi apannagiũ conſtitui oportere. Idq; hac inductione probari facillimè poterit. Demonſtratũ eſt ſub primo harũ legũ capita nepotẽ filio regis demortuo in patris ſui locum ſuccedẽtẽ auo poſtea morienti in regno ſuccedere. Po-

Apannagium debetur etiã agnato proximo, quamuis in multis gradibus remoto.

namus duos extare nepotes ex duobus filiis de-
mortuis. nemo, vt opinor, negauerit, vtrumque
illorum pari modo in ius locumque ſuorum pa-
trum ſuccedere. Quæro igitur, an non ſicu-
ti vbi duo Regis filij extant, Rex frater fratri
non Regi (hoc eſt natu minori) appannagium
debet: ſimiliter hoc caſu, vbi ex duobus filiis
demortuis duo nepotes extant, frater patrue-
lis, qui auo defuncto regnum obtinet, fratri
ſuo patrueli appannagium debeat? Nam quæ
ratio valuit in fratribus conſanguineis, eadem
etiam valet in fratribus patruelibus: vt ſcilicet
Regis nuper defuncti liberi habeant, vnde ſe
ſuáſque familias tueri honeſte poſſint. Neque
obſtat, quod ea lex, quam de appannagio protu-
limus, nominatim de filiis ſcripta eſt: quaſi eo
nomine nepotes non contineantur. arg. l. 6. D.
de teſtamen. titulo. Nihil, inquam, hoc aduerſa-
tur. Primum, quia nepotis ſucceſſio in ſui patris
locum, perſpicuè oſtendit, Filij appellatione in
hac lege nepotem comprehendi: ſicuti Sui he-
redis nomine in iure Romano continetur l. 2. l. 3.
C. de ſuis & legitim. paragrapho 1. de hereditate
ab inteſt. paragrapho 2. de heredit. qualit. quip-
pe; qui ad eius conditionem redigatur, vt ait l. 6.
paragrapho 1. de heredit. inſtitut. l. 6. D de his
qui ſunt ſui vel. deinde quia tum demum reſtri-
cta hæc interpretatio admittitur, cùm lex no-
minatim ſuum beneficium in primum liberorum
gradum reſtrinxit, filiíque gradui præcisè aliquid
conceſſit, quod inferiori non conceſſit. Alio-
qui Filij nomine & nepotes & pronepotes com-
prehendi, ſatis conſtat ex l. liberorum. 120. D. de
verb. ſignificat. Pergamus iam eadem vti indu-
ctione, ac longiuſcule illam producamus. Nam
ſi eam in patruelibus admittamus, quidni etiam
in ſobrinis admittemus? cum par (vt dixi) ratio
paria iura deſideret: ſubductóque de familia ſuo
herede ſiue is filius, ſiue nepos, ſiue pronepos ſit,
vlterior in proximum & ſummum locum ſucce-
dat. l. filius. 28. paragrapho 1. D. de lib. & poſtum.
Quæ cum ita ſint, perſpicuum eſſe arbitramur,
Franciſcum primum patrum memoria ìure opti-
mo apannagium à Rege Ludouico XII. poſtulaſ-
ſe: cùm ille huic propior ſobrino, hic illi ſobri-
nus eſſet. Ac pari eodémque modo dici hodie
ac defendi poteſt, Henrico Borbonio, Nauarræ
Regi, & Regis Franciæ nunc regnantis agnato
proximo, apannagium deberi: quia ſiue naturam
ſpectemus, Nauarrus ille in numero liberorum
eſt à Ludouico cognomine Sancto deſcenden-
tium: & primus eorum qui hodie ſuperſunt o-
mnium, eiuſdem Ludouici poſterorum. Sin ad
fictionem & iuris intellectum reſpiciamus, quia
propter propinquitatem agnationis intelligitur
eſſe genere quodam adoptionis Regis hodie re-
gnantis filius, ac primogenitus. Nam cùm lex
Patriæ illum Regis viuentis heredem ac ſucceſ-
ſorem deſignet, cùm ei regnum poſt Regis vi-
uentis mortem deſpondeat, cùm ei denique ius
filij primogeniti Regis attribuat, ſatis perſpicuè
oſtendit, ſe illum in filij Regis locum adoptare:
quandoquidem nihil aliud eſt. In filij aut nepotis
locum aliquem adoptare, quàm ei filij aut nepo-
tis ius tribuere. l. ſi is qui. 44. l. adoptare. 37. l. ado-
ptiones. 43. D. de adopt. l. 5. D. de his qui ſunt ſui
vel alien. vt non immeritò eadem Patriæ lex ple-

Proximus Regis agnatus fictione iuris eiuſdē eſt filius.

A ba regiorum armorum inſignia illi tribuat: &
exempta trabe tranſuerſaria, quaſi ſublato repa-
gulo, eum potiſſimum ad certam regni ſucceſ-
ſionem inuitet: cùm reliquis principibus trabs
illa tranſuerſaria idcirco relinquatur, vt intelli-
gatur inter ipſos & Regem intermedium eſſe
aliquem, qui eis aditum ad primam regni ſucceſ-
ſionem præcludit. Atque hanc de trabe ſtem-
matum, ſiue armorum gentis Borbonicæ opi-
nionem, credo equidem probabiliorem eſſe,
B quàm illam Chaſſanei, qui in Conſuetud. Bur-
gund. ſub rubr. de baſtardis non trabem eſ-
ſe putat, ſed faſciam: nullo plane, quod ſciam
aut, quod ipſe proferat, argumento, vt omit-
tam, quod non eſt veriſimile, vel faciam, vel
lemniſcum, vel quoduis aliud ornamentum ad-
hibitum fuiſſe, quo inſigniora Principum, quam
ipſorum Regum ſtemmata viderentur. Sed non
alienum erit integrum Chaſſanei locum ad ius
Borbonicæ familiæ cognoſcendum proponere.
C Aduerte, inquit, quod quando barra in armis &
inſignibus incipit à dextris, & tendit ad ſiniſtrā
non ſemper deſignat genus illud infectum ba-
ſtardorum: prout eſt videre in armis illorum de
Borbonio: qui ſunt de ſanguine Regio, ſeu de
proſapia regali, & ex proſapia Sancti Ludouici
Regis: cum ex dicto Ludouico deſcendit Rober-
tus eius filius, Comes Claromontanus & domi-
minus de Borbonio, qui habuit in vxorem do-
minam Beatricem de Borbonio, ex quibus deſ-
D cendit Ludouicus de Borbonio, eorum filius,
qui fuit primus Dux de Borbonio, & ex dicto
Ludouico & Maria, filia Comitis de Henault,
eius vxore deſcendit Petrus de Borbonio, eius
filius; ex quo Petro & Iſabella ſorore Philippi
de Valoys Regis Francorum deſcendit Dux
Ludouicus, qui dictus fuit *le bon Duc*: ex quo
& Anna Delphina Comitiſſa de Foreſt eius vxo-
re, deſcendit Carolus de Borbonio Dux, & ex
eo & Agnete de Burgundia eius vxore deſcen-
E derunt Iohannes de Borbonio, Dux, qui habuit
in vxorem Iohannam filiam Caroli Regis Fran-
corum ſeptimi, & ſororem Ludouici Regis Frā-
corum vndecimi, qui fuit Dux de Borbonio, &
Petrus eius frater, qui poſt mortem dicti Iohan-
nis fuit Dux, & habuit in vxorem dominam An-
nam de Francia, filiam Ludouici Regis Franco-
rum vndecimi, & ſororem Regis Caroli octaui.
Ex quibus, ſcilicet Petro & Anna, deſcendit Su-
ſanna de Bourbon, filia, quæ nunc viuit, & etiam
F dicta Anna, & copulata eſt matrimonio cum Ca-
rolo de Montpenſier. Et omnes iſti de Borbo-
nio habent iſtam barram ſuper tribus liliis Fran-
ciæ, quæ incipit à dexteris, & tendit ad ſiniſtram,
& tamen non ſunt de ſanguine reprobato, imò
ſunt de vera proſapia Regali: vt dixi alio loco.
Sed propriè non debet dici Barra, ſed Banda: quæ
in armoria debet eſſe ſine pendente, nec tactura
in parte ſuperiori, & etiam inferiori: hoc eſt, non
debet tangere partem ſuperiorem, nec inferio-
G rē. Hactenus Chaſſaneus: ſecutus ſententiam Ni-
colai Vbaldini in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. num.
53. vbi ſic ſcribit: Quando Barra incipit à dex-
tris & tendit ad ſiniſtram, non deſignat genus
illud infectum, quod licet videre in illis de Bor-
bonio, qui ſunt de ſanguine Regio. ac pari mo-
do Nico. Boerius in verb. Raynutius, num. 31. Si
barra,

Borbonia familia ſtemma & inſtru.

barra, inquit, inciperet à dextris, tendens ad ſiniſtram, non deſignaret genus illud infectum, (ſpuriorum ſcilicet) ſed eſſe de matrice domo legitima ſorte collateralitat proceſſum: vt videbis in ſcuto illuſtriſſimæ domus de Borbonio. Quin etiam extat eiuſdem Chaſſanei Parlamenti Burgundiæ Prætoris auctoritas in libro de glor. mund. quòd ei qui Regis proximus agnatus eſt, (qualis eſt hodie Rex Nauarrus) ius eſt vtendi iiſdem armis & inſignibus, quibus ipſe Rex vtitur. Nam in parte 1. concluſ. 39. ita ſcribit: Ex communi obſeruantia in Gallia, is qui eſt proximus Regi IN QVOCVNQVE GRADV SIT, ſemper habet iſtam præeminentiam in armis, quod ea portet integra, poſteriores verò cum aliqua diſtinctione. Item concluſ. 76. Ex conſuetudine Regni (inquit) quilibet primogenitus portat arma plana & integra ipſius domus, ſine aliqua diminutione. Alij verò habent aliquā diſtinctionem, ſed arma domus nobilis remanent apud primogenitum tanquam caput & imaginem domus, ſecundum Bald. in l. fi. C. pro ſoc. Primogenito tamen ſine liberis decedente, ſecundogenitus poterit portare arma domus & familiæ integra, ET SIC CONSEQVENTER. nam vt in iure primogenituræ attenditur ordo primogeniti, ita in ſucceſſionibus ab inteſtato inducitur ordo proximiorum eodem modo & in portu armorum. Quæ cùm ita ſint, perſpicuum eſt quid iuris in illa controuerſia fuerit, quam paullò ante dicebamus patrum memoria extitiſſe inter Regem Ludouicum XII. & Franciſcum I. Nam cùm hic Ludouici proximus agnatus eſſet, pro ſuo iure apanagium primogenito ex lege regni debitum poſtulabat. Quo tempore exortus eſt Guilielmus neſcio quis Monſerratus, natione Hiſpanus ſiue Catallanus, qui Regis partes, mercede (vt credi par eſt) conductus, ſuſcepit: & Franciſci cauſſam oppugnauit. Extátque ipſius libellus perridicule eo titulo inſignitus, propter quem (vt dici ſolet) deſeri vadimonium poſſet. Nam cùm vnicam illam quæſtionem tractet, librum tamen ſuū inſcripſit, DE SVCCESSIONE REGVM. Cuius hoc primum caput eſt, Lineam à Ludouico quondam Aurelianenſi Duce deſcendentem, (eius autē figuram paullò antè deſcriptam oculis Lectorum ſubiecimus) per vltimi Ludouici adſcēſum ad regiam dignitatem nō eſſe extinctam: ac proinda illam in ſolo Franciſco non remanere, nec illum eam repræſentare, quo ad hoc, vt idem Franciſcus quondam Ducis Aurelianenſis dicatur primogenitus. Quib. ex ſolis verbis de Monſerratij ſapientia facere coniecturam licet. Nam primum omnium cui dubium eſt, quin linea Ludouici Aurelianenſis dici extincta non poſſet, quamdiu quis ex ipſios ſtirpe ſupererat? quemadmodum in illa ſpecie vſuuenit, in qua Franciſcus, eiuſdem Ducis Aurelianenſis pronepos, ex Iohanne, ſecundo eiuſdem Ducis filio, numerabatur. Deinde quoniam argumento dici potuit, illam lineam in illo ſolo Franciſco remanere, quamdiu Rex Ludouicus ſuperſtes erat? poſtremò quis vnquam antehac audierat, repræſentari lineam ab eo, qui in ea ipſa linea deprehenditur, & ex eadem linea prognatus eſt? Cùm autem illa Monſerratij ſiue ſententia, ſiue (vt ipſe loquitur) cōcluſio abſurdè concepta eſt, tum verò eius confirmatio ita ridiculè eſt expoſita, vt eam deridendā potius, quàm refellendam putem. cuius rei vnū aut alterum teſtimonium proferemus. Nam in §. ex quibus, num. 14. ita ſcribit: Vt quis dicatur proximus agnatus alicuius, requiritur, quod nemo eum antecedat. talis autem qualitas nō reperitur in eodem Franciſco, ſed in vltimo Ludouico, nunc Rege. Quàm hoc dictu abſurdum eſt, Regem Ludouicum ſibimetipſi eſſe proximum agnatum? Dixiſſe quidem per iocum Rex Ludouicus Terentianum illud potuit: Proximus ſum egomet mihi: quandoquidem ea domanij parte frui malebat, quàm Franciſcus ſibi apanagij iure poſtulabat. ſed, Proximus ſum agnatus egomet mihi, nunquam ſanus quiſquam pronuntiauit. Itaque amore inſanus ſcripſit apud Ouidium Acontius in epiſt. ad Cydippen.

Hæc mihi ſe pepigit: pater hanc tibi primus ab illa:
Sed propior certè, quàm pater, ipſa ſibi eſt.

Pari prudentia Monſerratus contendit, non Franciſcum, ſed Regem Ludouicum, fuiſſe primogenitum in linea Ducis Aurelianenſis. Nam cùm de primogenito diſputatur, non de Rege ipſo diſputatur, ſed de filio ipſius natu maximo: qui vt primum patre mortuo regnum adeptus eſt, non amplius Primogenitus, aut Primus, aut Proximus agnatus appellatur, ſed hoc nomen alteri tradit, qui ſecundum ipſum eſt proximus. Quare ſicuti regnanti Ludouico XI. Carolus VIII. ipſius filius, dicebatur eius Primogenitus: Regnante autem Carolo VIII. Ludouicus XII. fictione & adoptione legis eodem nomine vocabatur: eodem modo regnante Ludouico XII. Franciſcus eadem fictione & adoptione legis Primogeniti filij nomen obtinebat. Quod cùm luce ipſa clarius ſit, tamen Monſerratus in tanta luce caligans ita ſcribit: nume. 36. Viuente Carolo Rege VIII. idem Carolus erat primus: & Ludouicus XII. nunc Rex, erat ſecundus: & ſæpe dictus Franciſcus erat tertius in ſucceſſione regalis dignitatis. Mortuo autem & ſic excluſo Carolo VIII. ſine liberis maſculis, Ludouicus vltimus, qui viuente prædicto Carolo quondam Rege, erat ſecundus, per obitum eiuſdem Caroli effectus eſt primus: & ſæpe dictus Franciſcus, qui viuente Carolo erat tertius, effectus eſt ſecundus in ſucceſſione regni Franciæ. Hæc ille. adeò (vt quiuis animaduertit) inſcienter & imperitè, vt me certè tantæ ſtultitiæ pigeat. Nam primum omnium, quid hoc verbi eſt, Viuente Carolo Rege, ipſe Carolus Rex erat primus? aut quis ignorat verba hæc Primus, & Proximus eſſe verba relata: & cùm ea vſurpamus, referri cogitationem noſtram ad alteram aliquam perſonam: Hypothetici, puta, in tabula cognationis: aut Genarchi in figura genealogiæ: aut patrisfa. in cauſſa ſucceſſionis legitimæ, aut in hoc noſtro cauſſarum genere, Regis ſuperſtitis: vt hoc ſignificent, Primus à Rege, Proximus Regi, aut Proximus ſecundum Regem, aut Proximus poſt Regem. Tot enim modis vocabulum hoc vſurpatur: & opponitur modò vlterioribus, velut in interdicto de cloacis. l. 1. §. quod ait. D. de cloac. modo ſuperioribus

Agnatus proximus Regis portat plena arma Regalia.

Monſerratus refutatur diſputans contra Regem Franciſcum.

vt in noui operis nunciatione l. 8. D. ill. tit. modò inferioribus, vt in bon. poſſeſſ. petenda. l. 1. §. vlt. D. de leg. 3. Sic in figura graduum cognationis Pater dicitur Primus ab hypothetico: filius item Primus ab hypothetico: velut in illa quam diximus, Acontij ad Cydippen epiſtola,

Hac mihi ſe pepigit: pater hanc tibi primus ab illa:
Sed propior certè quàm pater ipſa ſibi eſt.

Denique vt maximè illud concedamus, eum qui regnum obtinet primum aut primogenitum, aut proximum agnatum appellari (quod tamen etiam antea ipſæ reſpuunt) tamen Monſerratus in eundem errorem deuoluetur. Quid enim intereſt, vtrum regnante Ludouico XI. dicamus eum ipſum eſſe primum, filium autem eius Carolum VIII. eſſe ſecundum: an illum Ludouicum eſſe Regem, Carolum autem eſſe ab eo primum: dummodo illud conueniat, ei qui Regi proximus eſt, apannagium & plenum ſtemmatum, ac principalis numinis vſum deberi? ac proinde cum regnante Ludouico XII. Franciſcus eſſet ſecundus, ei iura illa omnia competere. Ex eodem Iuriſprudentiæ genere illud alterum eſt, quod idem Monſerratus aliquantò pòſt multis tractat verbis: An apannagium per Carolum Regem eius fratri Ludouico aſſignatum, accreſcat in totum vna cum armis eidem Franciſco, ſiue eidem quoquo iure debeatur? hoc eſt, (vt planè & Latinè loquamur) an apannagium, quod Rex Carolus VI. fratri ſuo Ludouico Duci Aurelianenſi cõceſſit, viuente Rege Ludouico XII. debeatur Franciſco agnato eius proximo, vnà cum armis & plenis inſignibus? quod Monſerratus idcirco negat, quia cùm apannagium illud fuerit beneficio & indulgentia, & (vt ipſe loquitur) de gratia ſpeciali contra ius commune conceſſum, non eſt producendum ad conſequentias, id eſt ad Franciſcum. l. quod contra. D. de legibus. At nos ex aduerſo dicimus, iure communi & vetuſta conſuetudine regni, quæ legis vim obtinet, inſtitutum fuiſſe, vt apannagium ſemper agnato Regis proximo ad ſuam ſuæque familiæ dignitatem tuendam concederetur: atque ob eam cauſam apannagium ſupradicto Franciſco, viuente Ludouico Rege, debitum fuiſſe. ſed vtrum debitum fuerit, illud ipſum, & in eadem regione, qua Ludouico Aurelianenſi aſſignatum fuerat, an verò & aliud & in alia regni parte, nihil interfuit: dum tamen congruum, condignum, idoneum, & conſentaneum ipſius dignitati attribueretur. Atque his paucis verbis reſponſum volumus ad illam Monſerrati diſputationem, quæ duodecimum Tractatuum iuris volumen collata eſt. Verùm hæc quidem ita ſe habent. tametſi conſiderandum eſt, an non potius illa fuerit inter Ludouicum XII. & Franciſcum I. controuerſia: An appannagium Ludouico Duci Aurelianenſi ab ipſius fratre Carolo VI. datum, ſublatis de medio perſonis omnibus, ad Franciſcum agnatum proximum, quaſi vnum de Ludouici poſteris, transferretur. cùm ſcilicet in illa appannagij aſſignatione ex vetere conſuetudine cautum ita fuiſſet, Vt apannagium Ludouico conceſſum penes ipſius liberos & poſteros maſculos in perpetuum tempus maneret. nam etſi Franciſcus non verè ex Ludouici progenie deſcenderat, tamen cùm ex communi Genarcho prognatus, ac Regi proximus agnatus eſſet, ex legis fictione diſputari poſſe videbatur, eum in Ludouici liberorum ordine ac ſerie numerandum eſſe: ac proinde appannagium illud ei pro pronepotis aut abnepotis iure deberi. Quod ſi hæc fuit controuerſia, videamus, ne neuter illorum ſat bonis conſiliariis ſit vſus. nam cùm apannagij natura hæc ſit, vt maſculo in apanagiati linea deficiente extinguatur, atque illicò cum Domanio regio conſolidetur: certum eſt, ea iura, quæ ſemel extincta & confuſione perempta ſunt, nunquam reuiuiſcere. veluti, cùm vſusfructus ad proprietarium reuerſus confuſione peremptus eſt: nec vnquam reuiuiſcit. l. 4. D. vſufr. quemadmodum cau. l. ſi tibi. 17. D. quib. mod vſusfr. amitt. l. is cuius. 26. D. de legat. 2. quod idem de quauis alia ſeruitute traditur in l. ſi communi. 27. D. de ſeruit. ruſtic. quòd ſi denuò conſtituantur, non eadem, quaſi rediuiua, cenſendum, ſed alia noua, & nunc primum creata intelliguntur. ſic enim videmus, vſumfructum alicui & ipſius heredi conſtitutum, illo priore mortuo, ſimul interire, quia perſonalis eſt: in heredis autem perſona alterum nouum conſtituit. l. ſtipulatio iſta. 18. §. ſi quis ita. D. de verb. oblig. l. 4. D. de verb. oblig. l. 4. D. de nouat. l. repeti. 5. D. quib. mod. vſusfruc. quinetiam vſusfructus qui iam vni conſtitutus eſt, ſi à proprietario, illo priore viuo, alteri legetur, & prior vſufructuarius teſtatore viuo decedat, non idem in ſuperſtitis perſona manere intelligitur, ſed alter nouus conſtitui. l. ſi dominus. 72. D. de vſufruct. quoniam, vt modò dicebamus, res ſemel extincta non renaſcitur. l. qui res. 98. §. penult. D. de ſolut. l. ſeruus. 27. D. de alim. legat. vbi ſeruus manumiſſus, etiamſi poſtea in ſeruitutem reciderit, non idem eſſe dicitur, ſed planè nouus homo repentè extitiſſe videtur. Ad hunc igitur eundem modum dicendum eſt, cùm apannagium Ludouici Ducis ſtirpe maſcula deficiente extinctum eſſet, cum Regis domanio confuſum & conſolidatum, non iure illud ipſum à Franciſco, quaſi vno ex Ludouici progenie, poſtulatum fuiſſe. ſed non idcirco Rex illi appannagium iure recuſabat. quid ergo eſt? Nouum ſcilicet apannagium Franciſco eo nomine conſtituere debebat, quia Franciſcus agnatus proximus ipſius erat: cui hominum generi lex Franciæ conſtitui apannagium voluit, vt haberent vnde ſplendorem Auguſtæ familiæ tueri ac ſuſtineri poſſent. quemadmodum iam ante ſæpenumero demonſtratum eſt. Ac pari eadémque ratione dicere hodie poſſumus, Apannagium quidem illud quod ſuperioribus proximis annis habuit Dux Andegauenſis Franciſcus, morte ipſius extinctum, & cum Domanij regij proprietate confuſum eſſe: neque reuiuiſcere aut reſuſcitari poſſe. ſed aliud nouum Henrico Regi Nauarræ, qui hodie Regis Franciæ proximus agnatus eſt, eius proximitatis nomine deberi. Etſi autem non eſt inſtituti noſtri, omnia quæ ad apannagij ius pertinent, in hunc libellum conferre, ſed ea tantùm leuiter attingere, quæ ad præſentem Galliæ ſtatum pertinent, tamen non abs re facturus videor, ſi hanc inſuper quæſtionem exponamus, quam à pragmaticis quibuſdam inductam eſſe video: An apannagium eo ſin-

Apannagium æquè fere vt vſusfructus cum perſona extinguitur.

An apannagium ad agnatos transmittatur.

eo ſine liberis mortuo cui conceſſum fuerat, ad A
ipſius agnatos transferatur: de qua ita reſpon-
dendum putant, ita demum transferri, ſi modo
illi agnati ab eo cui primo apannagium adtribu-
tum eſt, deſcenderint. quaſi verò aliorum agna-
torum (in hoc genere cauſſarum) ratio babea-
tur. Sed exēplo res erit dilucidior. Rex Iohan-
nes circiter annum 1360. bis verbis, apannagium
conſtituiſſe dicitur: Ludouico ſecundo genito
noſtro ad bereditatem perpetuam pro ſe & ſuis B
heredibus & liberis maſculis ex carne ſua legi-
timo matrimonio procreatis & procreandis co-
mitatum N. tenendum perpetuò per eum & eius
liberos maſculos tantùm. Ponamus mortuo
Iohanne Ludouicum duos babuiſſe filios. quan-
quam neque numerum, neque nomina libero-
rum ſatis ex eius mirifica Latinitate cognoſce-
re potui, qui bac de re ſcripti neſcio quid nobis
edidit. Sed fingamus eum duobus relictis filijs
deceſſiſſe: inter quos apannagium illud pater- C
num ita diuiſum fuerit, vt ſua quiſque parte ſe-
paratim frueretur. Tum aliquanto poſt alterum
iſtorum ſine liberis deceſſiſſe: & quæſitum fuiſ-
ſe, vtrum pars eius ad fratrem ſuperſtitem
pertineret, an ad regium Domanium rediret.
quod idcirco probabilius videri poterat, quia
quod ius ſeruatur in toto, quoad totum, idem
ſeruatur in parte, quoad partem. vulg. l. quæ de
tota. D de rei vind. Quare ſicuti vtroque filio
ſine liberis defuncto totum apannagium ad Co- D
ronæ domanium redibat, ita altero decenden-
te pars eius reuerti debere videbatur. Idque
ex ſimilitudine vſusfructus confirmari licet:
quem ex parte & amitti & retineri poſſe, con-
ſtat ex l. excepta. 14. l. placet. 25. D. quibus mod.
vſusfr. l. qui vſusfru. 30. D. de vſusfr. lega. l. & per
iuſiurandum. 13. §. 1. D. acceptilat. Quin etiam
pars eius apud fructuarium manere poteſt, cum
altera pars ad proprietatem redierit. l. 3. §. penult.
D. quibus mod. vſusfr. amit. Itaque Iuſtinianus E
teſtatur Iuriſconſultos quoſdam exiſtimaſſe,
vſumfructum per ſeruum quæſitum alienata
ſerui parte pro ea parte extingui. l. inter anti-
quam. 15. C. de vſufru. Abſurdiſſimè autem in il-
la controuerſia diſputatum eſſe dicitur, cùm
Iohannes in illo apannagio aſſignando illis ver-
bis vſus eſſet, Pro ſe & ſuis beredibus: idcirco aſ-
ſignationem illam ad primum tantùm heredem
pertinuiſſe: ſicuti de vſufructu, Mæuio & heredi
eius legato dici ſolet ex l. antiquitas 14. C. de F
vſufr. Nam verum quidem eſt, heredis nomine
plerũque primum dumtaxat intelligi. l. Sempro-
nius. 26. l. filius 37. de vſufruc. legat. l. Mæuius. 66.
§. vlt. de legat. 2. Sed verba illius aſſignationis
inſequentia, quæ nominatim de liberis & de per-
petuitate fruendi concepta ſunt, ſatis apertè
oſtendunt, apannagium illud in perpetuum tem-
pus liberis poſteriſq; maſculis adtributum fuiſſe:
ad ſimilitudinem feudorum quæ pari modo li-
beris poſteriſq; virilis ſexus in perpetuum tem- G
pus conſtituuntur, lib. 2. tit. 1. §. pen. & lib. 2. tit.
31. Vtcumque ſit, verior mihi contraria ſenten-
tia videtur: quia cùm apannagium illud à Re-
ge liberis poſteriſque maſculis filij ſui Ludo-
uici aſſignatum fuiſſet, & vnus ex illis liberis ſu-
pereſſet, non erat dubitandum, quin illa apan-
nagij conſtitutio ab hoc filio ſuperſtite ſuſtine-

retur: quandoquidem liberorum nomen æquè
de ſingulari, vt de plurali numero vſurpatur. l.
non eſt 148. & l. ſeq. D. de verb. ſigo. & apud
Agell. lib. 2. cap 13. Itaque conſtitutio apannagij
propter auctum aut deminutum liberorum nu-
merum nihilo magis immutatur, quam ea quæ
extrinſecus accidunt negotium ante geſtum im-
mutant quoniam aduentitij caſus non compu-
tantur: vt ait l. 6. D. qui & à quib. manumiſ. quam
ſententiam Græci ſic exprimunt: ὁ χρὴ τοῖς ἔξωθεν
συμβαίνουσιν θέματι προσέχειν ὑμᾶς uam, vt dici
ſolet, caſus ſuperueniens, ad id quod prius ge-
ſtum eſt, nihil pertinet. l. 3. D. de teſt. tut l. qui
furere. 20. D. de ſtat. homin. l. ſi quis. 7. l. iudex.
46. D. de iudic. l. patre. 8. D. de bis qui ſunt ſui vel
alien. Idque exemplo feudi confirmari poteſt,
quod & vaſallo & maſculis vaſalli liberis con-
ceditur. Nam vt vnus ex illis liberis nullo
relicto filio decedat, non tamen idcirco eius
portio ad dominum reuertitur, ſed fratri eius
accreſcit. lib. 2. tit. 18 de duob. fratrib. à capitan.
& tit. 11. de ſucceſſ. fratr. §. 2. lib. 1. tit. 1. §. 3. & tit.
8. confirmari etiam poteſt exemplo agri vectiga-
lis, aut emphyteuticarij, qui nihilo magis vno
ex duobus ſucceſſoribus decedente ad ciuita-
tem aut dominum reuertitur, ſi modo alter ve-
ctigal aut penſionem integram perſoluat. l. 1. D. ſi
ager vectigal. l. 1. l. vlt. C. de iur. emphyteut.

Liberis conceſſum, vnico ſuperſtiti conceſſum intelligitur.

LEX SEPTIMA.

*Ne regi ius ſit vllam regni ſui partem ſine publi-
ci Concilij notione & auctoritate, & iudicio alie-
nandi.*

REGNI nomine tres video res vulgari cō-
ſuetudine ſignificari: nempe regionem
ipſam, in qua regium imperium con-
ſtitutum eſt: tum regium dominatum, ſiue re-
gimen: poſtremò rempublicam, quæ à Regio
dominatu longè diſcrepat. Ac primæ quidem &
ſecundæ ſignificationis, quæ & tritæ ſunt & in
vulgus notæ, nemo, (vt opinor) vllum à nobis
exemplum poſtularit. Reipublicæ autem nomi-
ne, ciuitas ac populos ſignificari, qui Regi ſe tā-
quàm tutori tuendos & certis legibus gubernan-
dos commiſerunt, vel hinc licet intelligatur,
quòd iidem populi ius ſibi retinuerunt, & ſalu-
tis & patriæ ſuæ etiam contra Regis volunta-
tem conſeruandæ. Cuius rei teſtimonium
vnum aut alterum proferre ſatis fuerit. nam
iam antè ſub primi capitis interpretatione de-
monſtratum eſt, Regibus Franciæ non licere do-
manium Coronæ, ſine populorum ſuorum, hoc
eſt, ſiue publici trium ordinum Concilium aucto-
ritate deminuere: quippe, quod Regibus non
pleno dominij iure adtributum eſt, ſed ea tan-
tum lege illis fruendum datum, vt ex ipſius redi-
tu ac vectigali dignitatem ac ſplendorem re-
gium tuerentur: & (vt doctores noſtri ſummo
conſenſu ſtatuunt) ea quaſi mercede fruerentur,
tur, vt iuſtitiam adminiſtrarent. Cuius ſen-
tentiæ auctorem proferunt Thomam 2. q. 63. Re-
ges enim fruendæ iuſtitiæ cauſſa olim à populis
conſtituti ſunt, vt ait M. Tullius. eàque de re
Thom. Grammat. in Deciſ. Neapol. 41. num. 1. ſic
ſcribit. Cōſtat quod Rex, ſiue dominus regni, qui

eiuſdem introitus & reditus habet, tenetur de iure reddere itinera tuta, & cuſtodiri facere teſſitoria: & ideo culpa eſt in eo, qui habet reditus regni, vt faciat iuſtitiam: quia reditus regni ſunt ſtipendia ad hoc inſtituta, vt iuſtitiam ſeruet, prout in ſpecie tenet Thom. de Aquin. quem refert & ſequitur. Deinde vt morientes ſolidam atque illibatam ei‥ ‥prietatem ſucceſſoribus ſuis reſtituere ‥on diſſimiliter atque fiduciarij heredes (q‥ ‥us Trebellianæ detractio interdicta eſt) integram hereditatem fideicommiſſarijs reſtituere iubentur: aut Vaſſalli feudum ſibi conceſſum ſuis liberis atque ſucceſſoribus. Itaque anno cIↃ ccc xcix. cùm Rex Carolus Comiti Sampaulino particulam quandam ſui domanij donaſſet, ſenatus Pariſienſis pro vetere veteris trium ſtatuum Parlamenti iure interceſſit: ac pronuntiauit, Regij dominij deminutionem nullius eſſe momenti, niſi cuius auctor Senatus ille Pariſienſis fuiſſet: quod decretum Paponius inter arreſta ſua retulit, lib. 5. tit. 10. vbi alia complura generis eiuſdem Senatuſconſulta commemorat: quibus omnibus definitum hoc ius eſt, Deminutionem Domanij à Rege ſine illius Senatus notione, iudicio, auctoritate factam ipſo iure nullam eſſe. Qua in notione hæc potiſſimum exquiruntur: Ecqua neceſſitas vrgeat, an non aliunde confici pecunia poſſit, an iuſtum ſit pretium & auctione conſtituta ſumma & poſtremum à licitatoribus oblatum. Itaque Chaſſan. in Conſil. Burgund. titu. de Feud. rub. 3. Sicuti vaſſallus, inquit, non poteſt alienare rem feudalem ſine licentia domini, ita etiam dominus non poteſt alienare vaſſallum ſine conſenſu eius. gloſſa eſt in l. inuitus, D. de fid. libert. Bald. in c. 1. §. ſi quis miles, Quo temp. mil. Iaſo in l. debitorem pactionibus, C. de pact. dicit ibi allegando Hoſtienſem, quod Rex Franciæ non poteſt alienare vnam de ſuis ciuitatib. regni ſui inuitis ſuis ciuibus. Sed operæpretium eſt Claudij Seyſſellij teſtimonium in hanc rem exponere: cuius verba ex libro de monarch. Franciæ 1. cap. 10. ſic conuertimus: Reges Franciæ coercentur eo freno, quod excutere ſua vi non poſſunt. ac ne conantur quidem: &, vt maximè conarentur, tamen id fruſtra tentarent: eorum enim imperio non pateretur. Quod vel ex domanio regali cognoſci licet: cuius ab alienandi ius ſine cauſis & magnis & neceſſariis non habēt: quas cauſas cognoſci & probari oportet in conſilio & Curia Parlamenti & Rationalium: qua in cognitione ita cautè & diligentes tantáque cum diſquiſitione proceditur, vt pauci admodum reperiãtur, qui eiuſmodi alienationes expetãt. Etſi autem Reges ius habent diſponendi de fructibus & reditibus regni pro ſuo arbitrio, quamdiu regni adminiſtrationem obtinent: tamen ratio ſumptuum, tum ordinariorum, tum extraordinariorum ad Rationalium Curiam & notionem reuocatur. Hi Rationales ſumtus illos regios, ſi inconſultò facti videntur, coërcent. Quæ ſanè lex Reipublicæ perquam vtilis eſt ad regij dominij conſeruationem. quia tum demum ad tributa & indictiones extraordinarias, quibus plebs oneratur, decurri tãquam ad ſubſidium ſolet, cum illud dominium regium exhauſtum eſt: vt omittam, quod hac præclara regni lege nimia Principis liberalitas, quæ ad prodigalitatem accedit, coercetur. Hæc ille. Sequitur alterum eiuſdem popularis poteſtatis exemplum, quod cùm ab aliis Pragmaticis cõpluribus commemoratur, tum præcipuè à Chaſſaneo, in conſuet. Burgund. vbi ſic loquitur: Ex quo feuda ſunt obnoxia & affectata Reipublicæ, Rex nõ poteſt retinere feudum ſibi confiſcatum, nec ſuo patrimonio applicare: ſed tenetur illud alteri concedere: vt tenet Bald. in c. 1. qual. olim feud pot. alien. quod video fundatum optimo ratione: tum quia in hoc debilitaretur vis Reipublicę, quæ habetur pro defenſione fienda, cùm data fuerint olim pro ſtipendiis nobilium. & ſic videmus, cùm quæſtio eſt de inuaſione ſubitanea patriæ aut Principis, conuocantur nobiles feudatarij: & fit proclama, quæ dicitur Ban & Arrieban: & tenentur concurrere in armis, & defendere Rempublicam: cui Princeps non poteſt præiudicare, quia eſt pro vtilitate publica, contra quam Princeps non poteſt reſcribere. tot. tit. in rub. & in nigr. maximè in l. fin. C. ſi cont. ius vel vtil. public. & etiam omne reſcriptũ ſeu priuilegiũ intelligi debet ſine præiudicio tertij. l. 2. §. ſi quis nemini. & in §. meritò. D. ne quid in loc. publ. & in hoc fieret præiudiciũ aliis vaſſallis qui in hoc eſſent debiliores, ſi Rex ſupprimeret aliquos, ponẽdo feuda aliquorũ vaſſallorũ, qui in hoc eſſent debiliores, ſi Rex ſupprimeret aliquos, ponẽdo feuda aliquorũ vaſſallorũ ad manũ ſuã, qui tenebãtur cũ aliis deſeruire, & Rempublicam defendere. Hęc Chaſſan ex quibus intelligitur, ius Regum Francorum ita conſtitutum fuiſſe, vt non infinitam & immenſam regno atque imperio ſuo abutendi poteſtatem haberent, non regni patrimonium inſanis largitionibus. & donationibus immodicis prodigorum inſtar diſſiparent, ſed vt patriæ ac populorum ſuorum ſalutem fidei ſuæ creditam incolumen ſeruarent, neque vlla ex parte Rempublicam ſibi commiſſam violarent: denique vt ſanctiſſimum illud M. Tullij præceptum ſeruarent, Vt tutelam ſic procurationem Reip. ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa eſt, gerendam eſſe. Ex quibus non difficile dictu eſt, quid de nobili & vexata inter Doctores quæſtione ſtatui debeat: An Rex ſucceſſor deceſſoris ſui pactionibus teneatur. Nam cùm ſuperius docuerimus tria tantùm eſſe quæ in Regis Franciæ bonis numerantur, domanium, patrimonium, & fiſcum conſiderandum eſt cuius horum trium nomine ſe Rex deceſſor obligarit. nam de Domanio quidẽ nullus huic quæſtioni relictus eſt locus: quia cùm Rex non ſit dominus proprietatis ipſius, ſed quaſi poſſeſſor fiduciarius, & ad ipſum ſucceſſori ſuo reſtituendum teneatur, non dubium eſt, quin illud obligare non poſſit: non magis quam vaſſallus ſuum feudum. libr. Feud. 2. titul. 8. de inueſtit. de re al. fact. §. 3. & titul. 55. aut vſufructuarius fundi vſufructuarij proprietatem. l. intereſt. 6. Cod. de vſufruct. Ex quo intelligi debet, ſucceſſorem Regis, qui ſuum domanium ſine publici conſilij auctoritate obligauit, aut de ipſo pactus eſt, illa pactione non teneri,

Reges Franciæ certis legibus tenentur.

Feuda Franciæ confiſcatione non extinguitur.

Succeſſor Regis an deceſſoris pactionibus teneatur.

Par

Par eadémque cauſſa eſt non modò ciuitatum regni, verùm etiam rerum ad eaſdem ciuitates pertinentium. nam ſuperius ex ſummorum Doctorum auctoritate docuimus, Regibus nihil in Reipublicæ præiudicium aut detrimentum licere: imò nec feuda quidem ſuo fiſco cõmiſſa extinguendi ac perimendi poteſtatem habere. ac proinde nullam regni ſui ciuitatem aut alienare aut obligare ſine publici trium ordinum conciliij auctoritate poſſe. vt vehementer mihi probanda Tiraquelli ſententia videatur, qui in lib. de iur. primigen. q.35.nu.26. boni & viri & ciuis officio fungens, ita ſcribit: Videant igitur num rectè agant, qui & animis & auribus Regũ noſtrorum ingerunt, non eos teneri luendis ſuperiorum Regum nominibus. Dum Ludouicus XII. regnum noſtrum moderaretur, vrbs quædam repetebat ab eo munimenta quædam bellica (vulgo Bombardas vocant) quæ Carolus Rex ex ea mutuo acceperat. Reſponſum eſt, non eſſe Ludouicum Regem heredem Caroli: proinde non teneri eorum reſtitutioni. Hæc ille. Quantùm autem ad patrimonium & fiſcum Regis attinet, diſſimilis ratio eſt. nam cùm Rex plenum vtriuſque dominium habeat, conſequens eſt, vt ei vtroque ad ſuum arbitrium vti atque abuti liceat. l.2. D. ſi à parent. quis. l.7. C. de religioſ. eóque nomine Regem ſibi in his rebus ſuccedentem, quaſi defunctus quemlibet priuatum heredem aut ſucceſſorem, obligare poſſit. l.6. §. vlt. D. de aq. plu. l. cum à matre. 14. C. de rei vin.

FRANC. HOTMANVS LECTORI, S.

CVM huius editio libelli parata eſſet, allatus eſt ad me libellus Gallicè ſcriptus, de iure ſucceſſionis Regiæ, cuius argumentum, niſi me fallit memoria (neque enim eum legi, ſed recitari tantùm inambulãs audiui) videtur hoc fuiſſe: Multo æquius & commodius videri, ſi Rex moriens nepotem ſuum, quamuis ex filia ſuſceptum, & ſecundũ tantum gradũ à ſe diſiunctum, ſibi ſucceſſurum cogitet, quàm eum, qui centeſimo (vt Doctores noſtri diſputant) vel milleſimo gradu ab ſe remotus ſit. quippe, cùm arctior multo communio ſit ſanguinis, ac proinde maior affectio, inter auum & nepotem, quàm inter eos, qui tanto interuallo inter ſe diſſiti ac diſiuncti ſunt: præſertim cùm inter eos ne ſanguinis quidem communio intercedere videatur. eiúſque rei argumento eſſe, quòd lege diuina nuptiæ inter perſonas tanto interuallo diſiunctas nuſquam prohibentur. nam ſi vſque ad tam longinquos communio ſanguinis produceretur, ne hodie quidem cuiquam reperire vxorem non ſibi cognatam liceret. Sed huic diſputationi multiplex parata reſponſio eſt, quarum hæc prima eſt: quod neque diuina neque humana lex negat, communionem ſanguinis inter patrueles & conſobrinos aut ſobrino propiores, aut etiam ſobrinos intercedere: quippe, cum etiam ad ſeptimum, itémque ad decimum cognationis gradum co-

A gnatorum ſucceſſiones producantur, vt ſuperius oſtendimus. ſed cùm inter omnes illos ſanguinis communio ſit, tamen lex diuina itémque humana modum aliquem prohibitioni nuptiarum propter ſanguinis propinquitatem inductæ imponendum putauit. Secunda reſponſio hæc eſt, non eſſe habendam in his cauſſa rationem vllam animi & affectionis Regum: quoniam (vt ſæpe antehac demonſtratum eſt) regnum, quod agnato Regis defertur, non eſt Regis morien-

B tis patrimonium, neque ipſius voluntate aut iudicio ſucceſſori defertur, ſed legis patriæ inſtitutis & moribus, inter annos ſexcentos per manus à maioribus traditis: eiúſque rei documento eſſe, ius Feudalium ſucceſſionum: quo iure conſtitutum eſt, vt maſculis in prima inueſtiti ſtirpe deficientibus feudi ſucceſſio ad alterius ſtirpis maſculos, quantumuis multis gradibus diſiunctos, atque adeo (vt Textus loquitur) in infinitum transferatur. Quod legis

C verbum prudentiſſimè Baldus, & cæteri Feudorum interpretes, vno conſenſu omnes, docuerunt, ad regnum Franciæ, & alia eiuſdem generis hereditaria regna, quæ ad inſtar feudorum comparata ſunt, pertinere. Tertia ſolutio eſt, quod non modò in regno Franciæ, verum etiam in omnibus eiuſdem generis hereditariis regnis conſtat, ſummam ſemper habitam fuiſſe regiarum familiarum atque agnationum rationem: ne ſi earum ordo per fœminei ſexus in-

D teruentum abrumperetur, illico factioſo & audaci alieni facultas præberetur regias ſucceſſiones conturbandi. Vnde rerum omnium confuſio, & bella ciuilia naſcerentur, quibus nihil horribilius, nihil exitialius, nihil funeſtius accidere poſſe diuturna Franciæ noſtræ calamitas oſtendit. Itaque hanc eandem cautionem videmus in vetuſtiſſimis quibuſque regnis ſumma cum cura obſeruatam fuiſſe. Cuius rei ſatis multa Suetonius, Dio & alij veteres hiſto-

E rici teſtimonia nobis ſuppeditant. ſed præter cęteros Herodotus, qui lib. 7. Regij apud Lacedæmonios ſanguinis Principes, hoc eſt, Heraclidarum progeniem recenſens, vſque ad viceſimum gradum enumerationem perducit. Λεωνίδης, inquit, ὁ Ἀναξανδρίδεω, τοῦ Λέοντος, τοῦ Εὐρυκρατίδεω, τοῦ Ἀναξάνδρου τοῦ Εὐρυκράτεος, τοῦ Πολυδώρου, τοῦ Ἀλκαμένεος, τοῦ Τηλέκλου, τοῦ Ἀρχέλεω, τοῦ Ἡγησίλεω, τοῦ Δορυσσάγου, τοῦ Λεωβώτεω, τοῦ Ἐχεστράτου, τοῦ Ἡγήσιος, τοῦ Εὐρυσθένεος, τοῦ Ἀριστοδήμου. τοῦ Ἀριστομάχου,

F τοῦ Κλεοδαίου, τοῦ Ὕλλου, τοῦ Ἡρακλέος. Idque adeo regnorum omnium commune eſt, vt non dubitarim illud hodie Ius gentium appellare. eodémque illud Virgilij pertinet ex lib. XII.

Hic atauos & auorum antiqua ſonantem
Nomina, per, Regéſque actum genus omne Latinos.

& lib. 7.

Turnus auis proauiſque potens.

& lib. 1. vbi de Didonis antiqua ſtirpe Regia lo-

G quitur:

Series longiſſima rerum
Per tot ducta viros, antiqua ab origine gentis.

Et apud Horatium.

Mæcenas atauis edite Regibus.

Et quoniam de milleſimo Francorum Princi-

pũ gradu à Doctoribus noſtris inducta mẽtio eſt.
Iubet etiam illud iuuenalis adſcribere ex Sat. 3.

Stemmate quod Thuſco ramum milleſime ducis.

vbi Ramum poſuit, quoniam in propinquitatis
gradibus deſcribendis pingere ramos ſolebant :
vt Donatus in Adelphos Terentij ſcriptum reli-
quit. Quin ne illud quidem omittendum vide-
tur, tanto ſtudio ac diligentia regiarum familia-
rium rationem in regnorum ſucceſſionibus habe-
ri, vt etiam in ijs regnis quæ ſuffragiis & electio-
ne populi deferuntur, ij qui in proximorum Re-
gum progenie optime cum à natura, tum à diſci-
plina regali inſtructi ſunt, prærogatiuam auferant
quemadmodum ex Danorum, Sueuorum & Po-
lonorum inſtitutis ac moribus cognoſci licet. Ita-
que Cromerus lib. Polon. 2. Per annos, inquit,
amplius quadringentos non ex alia familia Rex
delectos eſt, quam ex ea, quæ à Piaſto duxit ori-
ginem. A centum & amplius octoginta annis
regnauit perpetua ſucceſſione Iagellonia magno-
rum Ducum Lithuaniæ progenies. non heredita-
rio tamen, ſed electiones iure. Hæc ille. Denique
ſi huic diſputatiooi in regnis hereditariis date-
tur locus, vt ex fœminis nati, veloti ex filiabos, vel
ſororibus Regis nepotes, excluſis proximis viri-
lis ſexus agnatis admitterentur, non modò regna
illa illico hereditaria eſſe definerent, populíqoe
& comitiorum arbitrio ac poteſtati permitte-
rentur : præſertim vbi plures eiuſmodi perſo-
næ per fœminas cognatæ exſtarent : verùm e-
tiam regna ipſa io exterorum vel Regum vel
Principum familias transferrentor. Vnde & re-
rum & iurium & nationum ac geotium omnium
confuſio exiſteret : neque populi certam vllam
patriam, aut ſedem poſteritatis ſuæ propriam ha-
berent. Ac planè ſimillimum huius noſtri Fran-
cici videmus Lacedæmoniorũ ioſtitutũ fuiſſe : de
quo Æmilius Probus in Ageſilao ſic ſcribit : Mos
eſt à maioribus traditus, vt duos haberẽt Reges ex
doabus familiis, Proclis & Euryſthenis : harũ ex
altera in alterius familiæ locum Regem fieri non

A licebat. Itaque vtraque (ſic cenſeo legendũ, non
VTERQVE) ſuum retinebat ordinem. Primus in eo
habebatur, qui maximus natu eſſet ex liberis eius
qui regnans deceſſiſſet. Sio is virilem ſexum noo
reliqoiſſet, tum deligebator, qui proximus eſſet
propinquitate. Hæc ille. ex quibus intelligitur, nõ
modo filias Regis aut neptes ab illis regnis ſucceſ-
ſiooib. excluſas fuiſſe, verùm etiam mares ex ipſis
prognatos: quoniam alioqui regnum, quod Hera-
clidarum familiæ deſponſum ac deſtinatum anti-
B qua lege fuerat, in ea familia conſeruari non po-
tuiſſet. Quemadmodum autem valde abſurdum
fuiſſet, quærere ex Lacedemoniis, vbi legem illam
ſcriptam reperiſſent, ſic vehementer ſum admi-
ratus quæri à nobis, vbi noſtra hæc lex ſcripta ex-
ſtet, perinde quaſi ius per annos ſexcentos, præ-
ſertim contradictis (vt Iuriſc. loquuntur) aliqoot
iudiciis obſeruatum, ſcriptæ legis auctoritatem
non obtineat: quemadmodom in exordio libelli
teſtati ſumus ex l. 34. & l. 38. de legib. Itaque per-
C abſurdum fuit addere, non tantam Baldi aucto-
ritatem fuiſſe, vt Franciæ regno leges aut inſtitu-
ta præſcriberet. Qua de re vir doctiſſimus, qui an-
nos iam amplius XL. (vt in eodem libro teſtatur)
publice iura docuerat, nunquam cogitauit. Sed
cum illum Feudalis iuris locum interpretaretur,
ſapienter admonuit, parídémque eſſe Franciſcum
qood Feudale inſtitutom, vt regiarum agnatio-
num ordo obſeruaretur, & regni ſucceſſio ſemper
agnatis, non autem cognatis, deferretor : qoippe,
D cùm per agnatos familiarum nomen conſeruetur
quod per mulieris interueotum euaneſcit. l. 4. §.
cognationis. D. de gradib. l. 2. D. de ſoii & legiti.
qoapropter Vlp. tit. Regul. 11. Agnatos definit à
patre cognatos virilis ſexus & per virilem ſexum
deſcendentes. nam (vt idem ait.) mulier familiæ
ſoæ & caput & finis eſt. Itaque fœminarum libe-
ros (ait Caius) in familia earum noo numeramus:
quiaqui naſcuntur patris, non matris familiam
ſequontur. l. pronuntiatio. 195. in fin. & l. ſeq. D. de
E verb. ſign.

FINIS.

FRANC.

FRANC. HOTMANI. IC. DE IVRE REGNI GALLIAE

LIBER III. CONTINENS DISPVTATIONEM DE CONTROVERSIA SVCCESSIONIS REGIÆ, INTER PATRVVM ET FRATRIS præmortui filium, quem vulgò nepotem appellant.

In gratiam HENRICI tum Nauarræ, nunc etiam Franciæ Regis Chriſtianiſſimi.

Regni hereditas vtrum ex ætatis & gradus prærogatiua, an repræſentationis iure deferatur.

MAGNA de re quæſtio eſt: neque non magna & difficilis eius explicatio: Vtrum hereditas regia, ætatis & gradus prærogatiua, an repræſentationis iure deferatur? cauſſæ conſtitutio temporis cauſſa fingi ex Lacedæmoniorum inſtitutis hæc poteſt. Ariſtodemus ex antiquo regali Heraclidarum genere prognatus duos habuit filios: quorum natu maior Euryſthenis nomen habuit, alter Procles dictus eſt. Ex Euryſthene ſtirps vna, ex Procle item altera, quaſi duo riuuli ex eodem fonte & capite deducti profluxerunt. Ponamus in ſtirpe Euryſthenis maſculum deficere. Non dubium eſt, C quin ſpes hereditatis Regiæ ad Proclidarum ſtirpem transferatur: propter regulam iuris Feudalis, qua dicimus, Feudum alicui ſtirpis vnius perſonæ quæſitum, deficiente in ea linea maſculo, confeſtim ad alteram ſtirpem transferri. lib. 2. Feud. 2 tit. 50. de nat. ſucceſſ. feud. in fin. Itaque Baldus annis abhinc propè ducentis non dubitauit his verbis ſcribere: Si in Francia moreretur tota domus Regia, & exſtaret vnus de ſanguine antiquo, puta de domo Borboniæ, & non eſſet alius proximior, eſto quod eſſet milleſi- D mo gradu, tamen iure ſanguinis & perpetuæ conſuetudinis ſuccederet in regno Francorum. Hæc Baldus in c. 1. de feud. march. nu. 5. quem refert & ſequitur Iacob Aluarott. in D. c. 1. & Iacob de Sanct. Georg. in procem. de feud. q. 4. num. 6. Guillelm. Benedict. in repet. c. Raynutius, in verb. duas habens, numer. 78. item Coſ. Goim. in procemio pragmat. ſanct. in verb. conſanguineis. Nicol. Boër. in conſil. 10. viſo themate, numer. 17. Anton. Corſett. de poteſt. E

A reg. tract. 4. quæſt. 103. Vbi allegat Barth. Cepolam. in caut. 132. num. 93. eſt dubium. item Guliel. Monſerrat. de ſucceſſ. reg. Franc. num. 39. Fingamus in illa Proclidarum ſtirpe fuiſſe Sextium, eúmque tres filios ſuperſtites reliquiſſe, Caium, Sempronium, & Mæuium. Ex Caio natus eſt Titus, ex Mænio aliquammulti filij. Si Euryſthenis ſtirps ſine liberis viralis ſexus defecerit, permagna quæſtio eſt, ecquid iuris de regia hereditate ſtatuendum videatur? Nam pro B Sempronio diſputari multa poſſunt, quæ, quantum animo complector, duodecim hiſce argumentis comprehendi poterunt, quæ deinceps exponam.

Argumentum pro patruo primum ex gradus prærogatiua.

PRIMVM ex iuris feudalis regula, Vt in feudali ſucceſſione agnatus propinquior C remotiori præferatur. libro 2. tit. 26. Si de feud. controu. §. Titius. hoc eſt, Vt feudum vni quæſitum, & ſenſim per eiuſdem ſtirpis gradus deuolutum, ſimulátque maſculus in ea linea defecerit, ac proinde feudum ad alteram lineam transferetur, tum ei deferatur, qui primum & ſummum in illa noua linea gradum obtinet. lib. feud. 2. titul. 11. de ſucceſſ. fratr. & titul. 50. de natur. ſucceſſ. feod. Itaque vetus & famoſus Pragmaticus Doctor Iacob. Pett. in ſua Pract. titul. de ſucceſſ. feud. numer. 63 vbi tabulam ſuc- D ceſſionis regni Franciæ deſcribit, his vtitur verbis: Succeſſit ergo illi Carolo in regno Franciæ Philippus, filius alterius Caroli, qui erat ei in quarto gradu: nec ſucceſſit Robertus, pronepos Roberti, Comitis Attrebatenſis quondam: quia ille erat in octauo gradu: nec ſucceſſit Robertus, nepos Caroli Regis Siciliæ, & Hieroſalem, quia ille erat in ſeptimo gradu: nec ſucceſſit Ludouicus, nepos Beati Ludouici, quia ille erat dicto Carolo decedenti in E quarto gradu. Hæc ille. Dictum autem eſt

antea, Sempronium antecedere ſupradictum Titium vno gradu, atque ad illius antiqui Regis progenitoris & genarchi perſonam propius accedere. vnde Euryſthenidarum genus propagatum eſt. Ex quo concludi videbatur poſſe, ſupradictum Titium, tanquam vno gradu remotiorem, ab illius hereditatis ſpe, viuo & ſuperſtite Sempronio, excluſum eſſe: quandoquidem in huiuſmodi cauſſis propinquiores obſtant remotioribus. l.5. Cod. de legitim. hered. l. peto, 69. §. fratre, de legat. l. 2. l. heredes, 57. §. vlt. D. ad Trebell. Denique, vt omittam quod agnatorum ſucceſſio non vltra decimum gradum defertur: l. pen. D. vnde cogn. §. vlt. de ſucceſſ. cogn. Titius autē ab vltimo Euryſthenide longè pluribus gradibus remotus eſt: vtercumq; contendentiū Euryſthenidis ſucceſſor futurus eſt, ſiue Titius ſiue Sempronius, certè non ab Euryſtene, ſed ab illo antiquo rege Ariſtodemo. Euryſthenidis ſimul & Proclidis gentis principe, regale feudum adepturus eſt. quandoquidem in Feudorum hereditatibus nulla iuris agnatitij ratio habetur, ſed ſtirpis & generis dumtaxat: hoc eſt, deſcendentium ab illo genarcho, & progenitore, qui primus feudum illud acquiſiuit: etiam vſque in infinitum: dum tamen hoc conſtet ab eo per maſculos deſcendiſſe: vt loquitur textus lib. Feud. 2. titul. 31. Si Vaſſal. Feud. priu lib. 1. titul. 1. §. penult. & tit. 14. de Feud march. §. ſi verò. & §. ſeq. & lib. 2. tit. 11. & tit. ſeq. & titul. 50. de nat. ſucceſſ. feud. Itaque feudi hereditas non agnato, cui agnatus ſuccedit, ſed primo inueſtito, vel potius primæ inueſtituræ, & legi in conſerendo beneficio dictæ accepta fertur. d. §. Titius, & lib. 2. tit. 50. quo eodem modo rectiſſimè dicere poſſumus, regni quo de agitur hereditatem, quæ interdum ad agnatum peruenit, non tamen agnationis iure, ſed legis beneficio, & maiorum inſtitutis à communi progenitore obuenire: & ea de cauſſa propriè iuſtam appellandum eſſe. l. 3. §. 2. D. pro ſoc. ſicuti dicimus, hereditates ab inteſtato venientes non tam à defuncto, quàm à lege & iure obuenire. l. 1. D. de petit. hered. l. 2. D. fam. erciſc. l. lege, 130. D. de verb. ſignif.

Repræſentationis ius in hereditatibus agnatorum quale.

SECVNDVM pro Sempronio argumentum ex eo duci poteſt, quòd ſi ius ciuile Romanorum ſpectemus, Titius ne repræſentationis quidem iure ad Euryſthenidis nouiſſimi hereditatem admittendus videtur: propterea quòd repræſentatio neque antiquo iure in agnatorum hereditatibus vlla permittebatur, & nouo Iuſtiniani inſtituto non vltra conſobrinorum gradum conceditur: ſed propinquior ſolus admittitur, atque vlteriorem excludit. l. 2. De ſuis & legit. Vlpian. tit. Reg 26. & §. placebat, 6. Inſtit. de legit. agn. ſucceſſ. l. 2. C. de ſucceſſ. edict. Nouella 22. 84. 118. Authent. poſt fratres, C de legit. hered. & §. ſi verò, Auth. de hered. ab inteſt. Cum igitur Sempronius nouiſſimo Euryſthenidi propinquior ſit vno gradu, quàm Titius, concludendum videtur, ad eum ſolum regni quo de agitur hereditatem pertinere. ſicuti videmus vbi ex tribus

A fratribus vnus filio, alter nepote tantum ſuperſtite deceſſit, ſolum filium nepotis illius patruū & ad hereditatē, & ad tutelā legitimā, & ad libertorum ſucceſſionem admitti, nepote excluſo. l. 3. §. proinde de legit. tut. l. libertinus, 5. l. ſi libertus 23. §. penultim. de bon. libert. l. vltim. de oper. lib. l. penultim. de aſſign. lib. Si ſit patronus (inquit Vlpianus) & alterius patroni filius, ad ſolum patronum hereditas pertinet. Itē patroni filius patroni nepotibus obſtat. Hæc ille titul. Regul. 27.
B Sed & Paullus, Prior eſt filius patroni, inquit, quā nepos alterius patroni. lib. Sentent. 3. tit. 2. §. 7.

Repræſentatio quo iure, & qua de cauſſa introducta.

SEQVITVR tertium argumentum. Repræſentatio ſicuti vulgo à Doctoribus vſurpatur, in eorum demum gratiam introducta videtur, qui cùm ſuo nomine ac ſuæ perſonæ iure
C capere hereditatem non poſſent, eam alterius perſonæ iure capeſſunt. Nam Repræſentatio dicitur, abſentis alicuius quaſi præſens ſit, imago, & Repræſentare, abſentis ſpeciem ac ſimilitudinem gerere. veluti ſi dicamus heredem repræſentare defunctum, quia in ius & locum eius ſuccedit. l. qui in ius, 177. D. de reg. iur. l. ait Prætor, 7. D. de iureiur. Nam qui ea ſua perſona capere hereditatem poteſt, fruſtra perſonam alterius ad eam capiendam mutuatur. l. 6. §. ſed ſi
D patet, De iniuſt. rupt. teſt. viciſſimque qui ex ſua perſona ſuccedendi ius non habet, alterum facere ſucceſſorem non poteſt. l. ſi quis filium, 34. C. de inoff. teſt. Atqui hereditas regni de quo agitur principi natu maximo aſſignata, propter ætatis prærogatiuam defertur: quæ prærogatiua non alieno iure niti poteſt, ſed ſuo tantùm, ac proprio iure conſtat ſicuti gradus propinquitas, quæ in natura poſita eſt, ſuóque iure nititur. Quare in illo Regno, vbi ius ſucceſſionis
E in ætatis prærogatiua conſiſtit, locus eſſe repræſentationi non poteſt.

Repræſentationis effectus qualis.

SEQVITVR quartum. Repræſentatio initio inſtituta eſt, vt qui propter gradus imparitatem parem non faceret, ſuccedendo in gradum ſuperiorem, admitteretur ad partem &
F cum ſuperiore concurreret. Nam pari cum patruo gradu, pari deoique (vt ita dicam) libramento eſſe fingitur, vt æquam eum patruo hereditatis partem ferat. l. 1. §. ſi filius, de ſuis & legit. & Nouell. 127. vt fratr. fil. in illis verbis τὴν πατρῴαν ὑπεισιόντες τάξιν. Paternum adingredientes gradum: inquit vetus interpres: ſiue (vt Iulianus conuertit) ordinem. Itaque in auth. poſt fratres C. de legit. hered. Cum pares ſint defuncti fratribus, inquit. Vbi Iulianus multo
G planius, Quaſi, inquit, ſecūdum gradum obtinentes. & Nou. 118. §. reliquum: vbi Iuſtin. ita ſcripſit: ἵνα τὸν τῶν γονέων ὑπεισιόντες τόπον, μόνοι τρίτου ὄντες βαθμοῦ πρὸς τὴν κληρονομίαν καλῶνται. Atque hinc nata eſt illa quæ dicitur diuiſio in ſtirpes. §. cum filius, Inſtit. de hered. ab inteſt. Atqui in hereditate illius regni nullus eſt concurſus,

nulla

in hereditate illius regni nullus eſt cōcurſus, nulla communio, neque partium diuiſio: quia ſolida hereditas vni defertur, qui nullum coheredem aut participem admittit. Quare in illa hereditate repræſentationi locus eſſe non poteſt. l. quod contra, 141. de reg. iur.

Alter & tertius Repræſentationis effectus.

QVINTVM argumentum eſt huiuſmodi. Repræſentatio inſtituta eſt in cōmodum Repræſentantis tantùm: non etiam in damnum alterius: nempe, vt Repræſentans concurrat cum altero, non etiam vt eum excludat. Nam Iuriſcōſulti, qui legem XII. tab. ſic interpretati ſunt, vt nepotes ex filio præmortuo eum repræſentarent non eo animo repræſentationem illis conceſſerunt, vt etiam patruum ſuum ab hereditate excluderent, ſed tantùm vt vna cum eo ſuccederent. d. l. 1. §. ſi filius. D. de ſuis & legit. ſatis enim abundéque illis conſuluerunt, vt cùm in pari gradu eſſent, tamen vna cum ſuperiore admitterentur. Quare contra mentem illorum Iuriſconſultorum, contra finem & inſtitutum Repræſentationis fieret, ſi ei qui ad repræſentationem admittitur, etiam ius alterius excludendi concederetur. quod enim ſingulari iure alicui conceſſum eſt, id ſtrictè accipi, neque vltra modum produci oportet. l. tutori, 20. C. de negot. geſt. l. tutores, 39. §. 2. D. de admin. tut. qua eadem ratione cùm Iuſtinianus repræſentationem in limite tranſuerſo induxit, vt fratrum præmortuorum filij ad patrui nouiſſimè mortui ſucceſſionem admittantur, non illis ius excludendi patruum ſuperſtitem permiſit: ſed tantùm ius cum illo concurrendi. Nouell. 118. auth. ceſſante, auth. poſt fratres, C. de legit. heredit. §. reliquorum, §. ſi igitur defunctus, auth. de heredit. quæ ab inteſt.

Comparatio primogeniture & propinquitatis, quarum neutra cum repræſentatione concurrit.

SEQVITVR ſextum argumentum. Nam vbi propinquitatis ratio valet, ibi repræſentationi locus eſſe non poteſt. Naturaliter enim hæc inter ſe pugnant. viciſſimque vbi valet ratio repræſentationis (vt in linea liberorum) nō poteſt præualere ratio propinquitatis. Atqui par cauſſa eſt primogenituræ & propinquitatis. nam vtraque naturalis eſt. vtraque, inquam, in natura poſita eſt. Quare cùm primogenito defertur hereditas locu eſſe repræſentationi nō poteſt. ſed ſicut vbi proximitas ſpectatur, eum vocamus, qui proximior fuerit mortis tempore, vel quo bonorum poſſeſſio petitur: l. 1. D. vnd. legit. l. 3. D. vnd. cognat. ita vbi primogenitura obſeruatur, eum vocamus qui moriente eo de cuius bonis agitur, primogeniti gradum locúmque tenet, non proximioris iam ante mortui filium.

Repræſentationis in hereditate regia periculum & incommodum.

SEPTIMVM argumētū eſt, quòd ſi repræſentatio in huius generis ſucceſſionibus admitteretur tum illud incōmodū ſequeretur, quod annis

A abhinc amplius quingentis ſtudioſe deuitatum eſt, vt regni hereditas in partes diuideretur: neque ſoli Titio locus eſſet in hac cauſſa. ſed tertia regni pars Mæuij filiis, ipſius patruelibus cederet. Nam vbi repræſentationi locus eſt, ea nepotibus pertæque omnibus conceditur, vt in vacuum demortuorum ſuorum parentum gradum locúmque ſuccedant. Itaque quemadmodum is qui gradu proprior eſt, vlteriorem non excludit (veluti patruus fratris filium) eodem modo qui B ſunt vlteriores, æquo iure omnes admittuntur ita tamen, vt hereditas non in capita, ſed in ſtirpes diuidatur: quoniam (vt modò diximus) ſucceſſio ſiue repræſentatio peperit diuiſionem in ſtirpes.

Aliud repræſentationis incommodum ex fictione vniuerſi iuris.

OCTAVVM argumentum ex eo duci poteſt, quod ne repræſentationi quidem vllus in hac cauſſa videtur eſſe locus. Nam repræſentatio C nihil aliud videtur eſſe, quam ciuilis fictio, per quam is, qui vere nepos eſt, fingitur eſſe filius. d. l. 2. l. 3. l. 4. C. de ſuis & legit. l. 2. § filius, D. eo. At ſi nepos fingeretur eſſe filius, qualitas filio impoſita, etiam nepoti, in filij locum ſuccedenti, impoſita videretur. Veluti (vt facilè exemplū proferamos) nepos in poteſtate retentus, filio poſtea emancipato ſuccedens, pro emancipato haberetur: quod abſurdiſſimum eſſe conſtat. l. 1. & paſſ. De coniung. cum emanc. Pari ratione D inſtitutio vel exheredatio filij nepoti, qui aui teſtamento eſſet præteritus, vel prodeſſet vel obeſſet: nēpe vt nepos præteritus in filij inſtituti vel exheredati locum ſuccedens, etiam inſtitutus vel exheredatus cēſeretur. quod iuri ciuili perſpicuè aduerſatur: quo iure videmus nepotem aui teſtamento præteritum, quamuis filius vel inſtitutus vel exheredatus fuerit, tamen aui teſtamentum propter præteritionis ſuæ vitium rumpere. l. 2. C. de liber. præte. l. poſtumorum, 13. De iniu. rupt. E teſt. Ac nimirum hoc illud eſt, quod Bartholus & Baldus doctiſſimè veriſſiméque ſcripſerant, ſed librarij turpiſſimè corruperunt in d. l. 2. C de lib. præt. his verbis: *Licet nepos ſuccedat in locum patris ſui, tamen ex perſona ſua auo ſuccedit, non ex perſona patris. quod apparet, quia inſtitutio patris ei* PRODEST VEL OBEST: *ſi inſpicitur inſtitutio, vel exheredatio facta de eo. Quod ergo lex dicit, Nepos ſuccedit in locum patris, ſic intellige, hoc eſt, in gradum: vt ſicut filius tenebat primum gradū, ita hodie tenent nepos, filio ſubducto. ex* F *perſona tamen ſua ſuccedit.* Hæc totidem verbis Barthol. & Bald. in d. l. 2. C. de liber. præter. Verùm, vt antè dixi, mendoſi ſunt eorū libri, & magna doctiſſimis viris à librariis facta eſt iniuria. Neque mirari ſatis poſſum, Franc. Aretinum, hominē alioqui & acutum & doctum & diligentem, mendū iſtud non animaduertiſſe in ſuo conſilio 162 diligenter & maturè, numero primo, in fine. vbi ſum- G mos illos viros coarguit, quaſi ſic ſcripſiſſent. Et iure certè optimo, ac meritiſſimò coarguit: ſiquidem adeo inconſultè ſcripſiſſent: cùm lippis, propè dicam, ac tonſoribus notum ſit, inſtitutionem aut exheredationem filij nepoti præterito neque prodeſſe, neque obeſſe: ſed nepotem in caſum ſucceſſionis nominatim vel inſtitui, vel exhere-

dari oportere, ne poſtea ſuccedens quaſi agnatio-
ne teſtamentum rumpat. d. l. poſtumorum, & l. 6.
De iniuſt. rupt. teſt. & leg. Gallus §. & bene, & §.
videndum. De liber. & poſt. Quid ergo eſt, ſcri-
pſerunt ſcilicet Baldus & Bartholus PRODES-
SET VEL NOCERET. hauddubiè ſignifican-
tes, abſurdum hoc fore, & iure ciuili planè aduer-
ſarium, ſi eiuſmodi commodum aut incommo-
dum admitteretur.

Naturæ veritatem fictione perimi non poſſe.

NONVM argumétum eſt, quòd cùm Repræ-
ſentatio nihil aliud eſſe videatur, quàm
fictio per quam is qui reuera inferiore gradu eſt,
tamen in ſuperiore eſſe fingitur, per abſurdum
eſſe videtur, exiſtimare naturæ veritatem fictio-
ne perimi. l. adſumptio, 6. D. ad municip. l. 2. de
vſufr. ear. rer. l. 2. C. de iur. annul. l. eas obliga-
tiones, 8. De cap. min. Certum eſt autem Sem-
pronium duplici iure naturali munitum eſſe, gra-
dus nimirum & ętatis, in quam cadere fictio non
poteſt. l. cum de ætate, 13. De probat. l. vlt. & paſſ.
C. de his qui ven. æta. impet. l. ſi pater, 15. §. vlt.
& l. ſeq. D. de adopt. l. ſemper, 5. D. de iur. imm.
vt ridiculam fuiſſe appareat Iohannis Andreæ,
& ſequacium opinionem, quod ius primogeni-
turæ in nepotem tranſmittitur in Rubr. de feud.
§. penult. Titius autem ſola repræſentationis
fictione fretus, videtur in hoc tantum certamen
deſcendiſſe.

*Perſonæ certæ condicio non admittit repræ-
ſentationem.*

DECIMVM argumentũ ſumi poteſt ex re-
gula iuris, qua dicimus, Vbi perſonæ con-
dicio locum facit beneficio, ea deficiente bene-
ficium quoque deficit. l. in omnib. 68. de reg.
iur. Et generaliter in omnibus cauſſis hoc cer-
tum eſt, priuilegia certis perſonis conceſſa, cum
ipſis perſonis exſtingui, neq; ad earũ ſucceſſores
tranſire. l. priuilegia, 16. D eod. l. 2. §. perſonis, De
iur. imm. veluti, vacatio munerũ certis conceſſa
perſonis, ad ſucceſſores tranſire non poteſt quia
nõ poteſt eſſe perpetuum, quod nõ reb. ſed perſo-
nis contemplatione dignitatis, indultũ eſt: vt ait
l. ſordidorum, 13. C. de excuſat. Sic priuilegium
pupilli in tutelæ actione vt ceteris creditori-
bus præferatur, ipſius heredi non conceditur:
quia non cauſſæ, ſed ætati tribuitur l. ex plu-
ribus, 42. D. admin. tut. denique vbi condicio in
filio requiſita non reperitur in nepote filij ap-
pellatione nepos non comprehenditur. l. vlt.
C. de nat lib. l. pen. § ſi puellæ, D. de rit. nupt.
l. vlt. C. de legit. tutor. Atqui perſonæ condi-
cio (nimirum ætas & primogenitura) cauſſam
dedit priuilegio, & prærogatiuæ filio natu ma-
ximo attributæ. Nam propter illam ætatem
ius ſui heredis ei maiorum inſtitutis ac legibus
attributum eſt, qua de cauſſa non videtur ad ne-
potem ei ſuccedentem tranſire; præſertim quum
vbi lex certos liberos, certóſque ipſorum gra-
dus enumerat, vltra illorum gradus non pro-
ducatur. l. liberorum, 220. D. de verb. ſigni-
fic. Itaque quod de filio eiúſue gradu nomina-
tim cautum eſt, ad nepotem non producitur.

A l. iubemus, §. vlt. iuncto princ. C. ad Trebell. l. 1.
§. 2. D. de vent. in poſſ. mit. l. patri, 20. cum l.
ſeq. D. ad leg. Iul. de adulter. ac pari ratione filio
nominatim datus tutor, non intelligitur datus
nepoti. l. quid ſi nepotes, 6. de teſtam. tut. Atque
hoc ex fonte ductum eſt argumentum, quo Iuſti-
nus lib. 34. ſcribit vſum Romæ Demetrium, qui
cùm de fratris Antiochi Syriæ regis morte &
eius pupillo pro Rege à Syris habito nuncium
accepiſſet, petere à Senatu cœpit, vt ſibi, quem
B frater obſidem dederat, miſſio daretur: quia ſicu-
ti iure gentium (inquit Iuſtinus) maiori fratri
ceſſerat, ita nunc ſibi, qui pupillum ætate ante-
cedebat, regnum illud deberi videbatur. quo
eodem argumento Syluius Latinorum regnum
Aſcanio fratre mortuo ſibi deberi contendebat,
excluſo Iulio eiuſdem Aſcanij filio natu minore:
vt Diony ſ. Halic. lib. 1. memoriæ prodidit.

Spes hereditatis non aditæ non transfertur.

C

VNDECIMVM argumentum eſt, quòd
ſpes hereditatis inſtituto vel ſubſtituto
facta, ipſis ante aditam & acquiſitam here-
ditatem mortuis, ad ipſorum heredes non
tranſmittitur. l. quoniam, 7. C. de iur. delib. l. 1.
§. 1. in nouiſſimo, C. de cad. toll. l. toties, 81.
De acquir. hered. l. ſi ex pluribus, 9. De ſuis &
legit. Quare ſpes hereditatis Regiæ, filio Regis
natu maximo, etiam viuo patre facta, filio ante
D patrem mortuo, in nepotem, ipſius ſucceſſorem,
tranſmitti poſſe non videtur. quod etiam hoc ar-
gumento confirmari poteſt, quia quod dici ſo-
let, hereditatem patris etiam à filio non aditam,
in nepotem filio demortuo transferri: l. 3. C. de
iur. delib. cum cæteris, quas poſterius proferemus,
locum habet duntaxat in iure ſuitatis: ſiue
propter ſui heredis nomen. l. de hereditate, 19.
§. 1. D. de caſtr. pecul. l. 8. C. de ſuis & legit. nam
hoc nomen Suus heres, totum ciuile eſt. l. vlt. D.
E de bon. damnat, ſicuti nomen Conſanguinei &
Agnati. l. vlt. §. 1. D. de gradib. §. minus ergo, 10.
Inſt. de hered. inſtit. item nomen Filij filiæve fa-
milias. l. 4. D. de his qui ſunt ſui vel al. At Regia
hereditas non defertur ſucceſſori, tanquam no-
mine ciuili, putà Suo heredi: ſed potius tanquam
nomine naturali: hoc eſt filio, vel fratri, vel co-
gnato: quæ ſunt omnia naturæ nomina: quia per-
ſonę illæ naturaliter deſignantur: vt ait Paullus in
l. 7. D. de cap. min. & l. adoptiuus, 14. §. 1. D. de
F rit. nupt. Regia denique hereditas iure ſanguinis
defertur: quod ſanguinis vocabulum totum na-
turale eſt, & naturaliter exauditur. l. 2. D. vnd.
cogn. l. iura ſanguinis, 8. D. de reg. iur. l. vel ſi, 12.
D. de manum. vind. Quare concludi videtur poſ-
ſe, locum in hac cauſſa non eſſe illi priuilegio,
quo dicimus, hereditatem patris non aditam à
filio tamen in nepotem iure ſuitatis tranſmitti:
ſed potius locum eſſe generali & ciuili regulæ,
Hereditatem non aditam non tranſmitti. d. l.
G quoniam, 7. C. de iur. delib. & conſequenter ſpẽ
hereditatis regiæ filio regis natu maximo rege
viuo factam in nepotem non tranſmitti. nam pa-
ri ratione videmus hereditatem matris, quæ non
ſuitatis, ſed ſanguinis ratione defertur, non niſi
aditam tranſmitti. l. 2. C. ad orphit. l. 2. §. ſi quis ex
liberis, D. ad Tertull.

Variarum

Variarum gentium inſtitutis patrui cauſſam potiorem videri.

DVODECIMVM argumentum ſumi poteſt ex aliorum populorum ac gentium exemplis, & rerum ſimiliter iudicatarum auctoritatibus, quæ in omnibus cauſſis & debent & ſolent valere plurimum. Nam Æmilius Probus in Ageſilai vita memoriæ prodidit, legem apud Lacedæmonios hanc fuiſſe, vt is Rex eſſet: qui maximus eſſet natu (verba hæc Æmilij ſunt omnia) ex liberis eius, qui regnans deceſſiſſet, ſi is virilem ſexum non reliquerit (credo Æmilium ſcripſiſſe Virilem prolem, aut Virilis ſexus liberos) tum is deligeretur qui proximus eſſet propinquitate. Procopius autem lib. wandal. 3. hanc legem prodidit: vt ſi Rex moreretur, tum qui ei genere proximus & natu maximus eſſet, Regni heres foret. Atque hac de cauſſa ſubiungit, cum Gizericus Rex deceſſiſſet, Gondabundo nepote ex Genzone natu maiore filio præmortuo, & Honorio natu minore filio ſuperſtitibus, Honorium patruum nepoti antelatum fuiſſe. Conradus autem Vecerius vir doctiſſimus qui Henrici VII. vitam literis mandauit, in eandem ſententiam ita ſcribit: Intereà Carolus Siciliæ Rex ſecundus, rebus humanis exceſſit. plures huic filij, nempe maior natu Carolus, Martellus cognomine, & Robertus. Martellus viuo etiamdum patre mortem, ſed filio relicto, obiit. Qua in ſpecie éxque facto ipſo longa diſputandi materia iuriſconſultis eſt nata, Nepóſne antecedere iure poſſit patruum in ſucceſſione auita? Sed ex reſponſis prudentum & Pontificia pronunciatione quadam Robertus annixus, compendium hereditatis obtinuit: paternáque nece comperta, mox Auenionem properat. Ibi nullis non modis Papæ Clementis amicitia comparata, aden promouit, vt Rex vtriuſque Siciliæ appellaretur. Hæc ille. Quibus etiam addi à nonnullis ſolebat locus Aimonij ex lib. Franc. 3. cap. 62. vbi Clotarij Francorum Regis liberos commemorat. Sed cùm ex Gregorio Turonenſi, tum ex aliis ſcriptoribus ad vnum omnibus perſpicuum eſt, nihil eam rem ad hanc nepotis & patrui diſceptatiónem pertinere. Quare hæc quidem hactenus pro cauſſa patrui Sempronij contra nepotem Titium producta ſint. Ex quibus concludendum videtur, ſpem hereditatis Regiæ, de qua quæritur, ad ſolum Sempronium pertinere, & ab ea Titium excludendum eſſe, tamdiu ſcilicet, quamdiu vel Sempronio vel ipſius filiis maſculis vita ſuppetet.

Exordium diſputationis pro fratris filio, vbi regni leges proferuntur.

VERVM his omnibus productis pro Sempronij parte argumentis, nihil aut parum obſtantibus, contrariam ſententiam & veriorem & certiorem eſſe non dubito, fretus iis argumentis, quæ deinceps pro Titij parte ſubiungam. Quanquam commodius fore arbitror, verba earum legum quæ de illius regni hereditate, quingentis iam amplius annis obſeruantur, initio proponere. Nam etſi ſcripto (vt opinor) non conſtant, tamen ex perpetuis tot

A annorum moribus, qui ſcriptæ legis vim obtinẽt, hanc habent omnium confeſſione ſententiã: Vt rege mortuo filius ipſius natu maximus, vel hoc præmortuo, nepos ex eo ſuſceptus, regi ſuus heres exiſtat. Si plures filij extabunt, tum natu maximus, vel ipſo præmortuo nepos ex eo ſuſceptus, ſolus ſit ſuus heres. Si in illius ſtirpe maſculus eſſe deſierit, tum ad alteram gentis eiuſdem ſtirpem, prout quiſque gradu antecibit, ſuitas trãſmittatur: idémque in ea ſucceſſionis ordo ſeruetur. B Ac primi quidem capitis ſentẽtia non modò iure Romanorum, verum etiã naturali (vt Vlpianus loquitur) æquitati conſentanea eſt: vt filio de familia ſubducto nepos ex eo ſuſceptus, repẽtè in ipſius gradum locúmque conſcendens, auo ſuus heres efficiatur l. 1. § ſi filius, De ſuis & leg. nimirum eo iure quod à Iuriſconſultis Succeſſio, populariter autem & (verè vt dicam) abſurdè atque ineptè Repreſentatio dicitur. l. filius, 28. §. 1. D. de lib. & poſtu. l. ſi qua. 7. de his qui ſunt ſui vel C l. 2. l. 3. l. 4. C. de ſuis & leg. l. ſcripto. 7. D. ſi tab. null. §. cùm filius, 6. inſt. de hered. ab inteſt. Succeſſionis hæc vis eſt, vt ſuccedens eo ipſo momento quo ſuperiorem locum occupat, ius ei loco à lege attributum nanciſcatur: ac proinde pari eodémque iure ſit, quo filius futurus erat quaſi locus ille nunquã vacuus fuiſſet, ſiue (vt Pomponius loquitur) quaſi priores ex eo numero non fuiſſent. l. 2. de bon lib. idémque legis Velleiæ ſecundo capite comprehenſium fuiſſe, Scæ- D uola teſtatur in l. Gallus, 29. §. & bene, & §. videndum, de liber. & poſt l. ſi. quis filius, 34. C. de inoff. teſtam. l. 2. C. de lib. præter. quod etiam vſitatæ iuris regulæ conſentaneum eſt, vt is qui in ius alterius ſuccedit, iure ipſius vti debeat. l. qui in ius 177. de reg. iur. qua de cauſſa Iuriſconſulti dicunt, nepotem hoc modo in filij locum ſuccedentem ad filij condicionem redigi. l. ſed etſi. 6. §. 1. De hered. inſt. nepotem filij locum tenere l. coheredi, 41. §. 1. D. de vulg. ſubſt. ſubducto de fa- E milia ſuo herede, vlteriorem ſuccedere in proximum locum. d. l. filium, §. 1. D. de lib. & poſt. quod etiam iure feudali obſeruatur, vti patet ex lib. feud. 1. §. 1. & tit. 1. de ſuc. feud. & tit. 4 §. 3. & lib. 2. titul. 11. de ſucceſ. fra. §. his verò. Filius igitur natura ſuus heres eſt: nepos ſucceſſione & ſuperioris loci adeptione ſuus efficitur: vel potius ſui ius nanciſcitur. §. 3. De her. ab inteſt. l. 1. §. libetis, De coniung. cum emanc. §. 2. De her. qual. & diff. 10. De exher liber.

F

De iure filij natu maximi in regia ſucceſſione.

QVOD autem de filij natu maximi prærogatiua lex ſanxit, non modò Romano, verùm etiam feudali iuri aduerſatur: quo patris inteſtato defuncti hereditas ſiue feudum æquabiliter fratres diuiditur. leg. inter filio, 11. C. famil. erc. l. 1, C. vnde liber l. penult. C. com. diu. & lib. G feud. 1. titul. 1. §. 2. & titul. 8. §. 1. & libro 2. titul. 11. §. 2. & titul. 50. Sed hoc maiorum inſtitutum fuiſſe conſtat, vt ſolidũ regnum filio natu maximo tradatur: nimirum ob eam cauſſam quã Iuſtinus Hiſtoricus lib. 21. teſtatur, alias quoque gentes ſecutas eſſe, quia firmius videtur eſſe regnum, ſi penes vnum remanſerit, quàm ſi

portionibus inter filios diuidatur: alioqui ſi tot A numero partes fierent, quot filij exſtarent, eæque rurſus pro numero nepotum, itemque rurſus pro numero pronepotum & abnepotum in viriles partes diuiderentur, infinita fieret partitio, neque regni nomen tueri tam exiguæ partes poſſent. Ac de veterum quidem Francorum inſtituto, cùm ex aliis multis auctoribus cognoſci licet, tum etiam ex illa Imperatoris Friderici 2. epiſtola, quæ apud Petrum de Vineis his exſtat verbis, lib. 6. epiſt. 25. Caſtrum ipſum à nobis & B heredibus noſtris in Capitaneam teneat, & immediatè à noſtra Curia recognoſcat: viuens iure Francorum: in eo videlicet, quòd maior natu, excluſis minoribus fratribus & coheredibus, in caſtro ipſo ſuccedat, inter illos nullo tempore diuidendo. Et in eandem ſententiam Doctores & Pragmatici omnes teſtantur, vbi de liberorum ſucceſſione agitur, hac locutione, Viuere iure Francorum, ſignificari ſolum primogenitum in feudo ſuccedere. Andr. Iſern. in c. 1. §. hoc quo-C que, de ſucceſſ. feu. & in cap. 1. §. omnes filij, Si de feud. fu. cont. int. dom. & in l. imperialem, §. prætetea ducatus, de prohib. feud. alien. per Frid. Salicet. in l. vbi adhuc, C. de iur. dot. Philipp. Dec. conſ. 445. in caſu, num. 8. Matth. Afflict. conſtit. Neapol. lib. 3. rubric. de adiut. pro mil. quamuis alia quoque complura Francorum inſtituta fuerint ad alias iuris ſpecies pertinentia, de quibus etiam illa locutio vſurpari ſolebat: vt intelligitur ex innumeris locis Conſtitutionum D regni Neapolitani vel potius ſicuti à Friderico II. Promulgatarum. Sed omnium planiſſimè, ad cauſſam hanc noſtram aptiſſimè loquitur Iohan. de terra rubea vetus Galliæ Pragmaticus in tract. cont rebell. 1. concluſ. 8. his verbis: In regni Franciæ ſucceſſione ſucceſſio defertur primogenitis maribus ex linea recta eorum, quibus ſuccedit: & illa deficiente ſuccedunt mares tranſuerſales iuxta gradus prærogatiuam. Valeat igitur illa iuris feudalis regula, vt in E cauſſa regiarum & feudalium ſucceſſionum vetus cuiuſque gentis inſtitutum Romanas leges vincat. lib. 2. tit. 1. de feud. cognit. lib. r. tit. 13. de alien. feud. Nam etſi ius iſtud ſcripto non conſtat, certum tamen eſt legis & conſuetudinis parem eſſe auctoritatem. l. de quibus, 32. D. de legib. Quæ cùm ita ſint, ſequitur quod in hac cauſſa magnopere notandum atque animaduertendum eſt, quemadmodum vnicus in illo regno Rex admittitur, eodem modo vni-F cum in eodem regno ſemper ſuum heredum admitti: atque vni ſoli ſpem hereditatis Regiæ deferri. Quem enim Deſignatum heredem populariter dicere poſſumus, quem aliquot Romanorum Imperatorum temporibus, modò Cæſarem, modò Principem iuuentutis appellatum videmus, eum ergo ex Iuriſconſultorum conſuetudine SVVM appello: & ſpem hereditatis Regiæ SVITATEM REGIAM. Spem hereditatis Iuriſconſulti appellant in l. 2. G De inoff. teſt. l. 1. §. ſi impuberi, De collat. bonorum. l. oec ei. 17. §. prætetea, De adopt. Etſi autem ſuus heres in iure Romano, non niſi qui in ordine liberorum eſt, appellatur, leg. v't De bon damnat. l. 1. De ſuis & leg. l. 1. §. liberos, De coniug. cum emancip. tamen iure noſtro vocabulum hoc etiam in quemuis alium, quantumuis à filiorum gradu & primi filij ſtirpe remotum, aptiſſimè conuenit: dummodo ex eodem genere ho & eodem fonte familiæ rectâ linea prognatus ſit: quaſi Regni legibus propter regiorum liberorum penuriam quodam adoptionis genere in ſpem hereditatis aſcitum, ac Regi viuo heredem aſſignatum, & Cæſarem ac Principem Franciæ iuuentutis regio ſanguine prognatæ. Regis denique verum filium primogenitum, & deſignatum Auguſtæ maieſtatis heredem: vt Spartianus in Ælio Vero loquitur.

Suum heredem in regno haberi non modò filium, ſed etiam proximum agnatum.

ITAQVE non modò frater natu minor fratri natu maiori & ſine liberis morienti, ſuus heres eſt, verumetiam quiuis alius, quantumuis pluribus gradibus à rege ſine liberis decedente, remotior. Cuius rei argumentum hoc erit. Qui inteſtatò ſuccedit, is aut vt ſuus, aut vt agnatus ſuccedit, nihil eſt tertium. ſic enim lex XII. tab. ſcripta eſt, Si paterfam. inteſtatò moritur, cui ſuus nec exſtabit heres, proximus agnatus familiam habeto. Qui regi nouiſſimè mortuo ſuccedit, non ſuccedit vt agnatus: quoniam (vt ſuperius demonſtratum eſt) nulla neque feudalis neque regalis agnatorum ſucceſſio eſt. ſemper enim ab antiquo progenitore, & communi generis auctore ſucceſſio illa in poſteros deuoluitur. ſemper is qui ſuccedit, hereditatem auito progenitori & genarcho acceptam refert: eámque ab illo primo inueſtito, ſiue inaugurato rege recognoſcit, potius quàm à nouiſſimè mortuo. lib. 1. tit. 1. & titu. 14. de feud. march. § 3. & tit. 19. §. ſi quis. Itaque Senior denegare vaſſallo inueſtituram ſine iuſta & legitima cauſſa cum conſilio cognita non poteſt: non magis, quàm pater filio debitam natura & lege hereditatem adimere. l. vlt. D. de bon. damna. Quare cum vt agnatus non ſuccedat, relinquitur vt tanquam ſuus ſuccedat. Quod fuit Papiniani argumentum in l. 7. D. ſi tab. teſta. null. vbi ratiocinatur, nepotem ex filio demortuo ſuccedentem auo inteſtato, quia non poteſt ſuccedere vt agnatus (cùm auo nepos agnatus dici non poſſi) idcircò tàquam ſuum ſuccedere. Neque verò ſum neſcius, Paullū ſcripſiſſe, proximiores ex agnatis ſuos dici. l. vlt. §. 1. D. de grad. Pomponij autem ſententiam quibuſdam in libris ſic legi, Filius patri agnatus proximus eſt l. 12. D. de ſuis & legit. Verùm id latiore ſignificatu dicitur, quo & filius patri, & nepos auo, viciſſímque & pater filio, & auus nepoti, agnatus appellatur. l. vlt. C. de codicill. imò etiam cognatus & ſanguine coniunctus, ſiue conſanguineus. l. 1. §. pen. D. de ſuis & legit. quoniam quicunque agnatus eſt, vtique cognatus etiam eſt l. vlt. § 1. de grad. l. 6. §. 1. D. de carbon. edict. quæ nihilo magis probat liberos dici agnatos quàm cognatos. Verum vbi nominū proprietatem ſequimur, nō modo ſuos ab agnatis ſeparamus, verū etiam

etiã agnatos à cõſanguineis: quos tamen agnatos eſſe conſtat: atque ita lex. xii. tab. illos appellat. velut in l. 2. D. de ſuis & legit. l. 1. C. de legit. tut. l. 2. §. 1. vnde legit. Sequitur ſecundum argumentum. Nam ſicut Paullus ſcribit, quia lex xii. tab. liberis paternam hereditatem addixit, idcirco eos Suos heredes appellari: l. vlt. D. de bon. damnat. quaſi qui non ad aliena bona, ſed ad ea quæ lex eis attribuit, veniant, neque patris iudicio, ſed legis beneficio ea conſequantur: pari modo dicere poſſumus, quia lex Regni Franciæ proximiori cuique ex ordine poſterorum primi inueſtiri regni hereditatem addixit, eum verè propriéque Suum heredem appellandum: quia non à nouiſſimo rege mortuo, ſed ab ipſa lege regni ſucceſſionem adeptus eſt: cùm Suus heres ipſo iure (velut in hac cauſſa, ex lege regni) heres exiſtat. l. in ſuis 14. D. de ſuis & legit. l. pen. §. pen. D. de bon. libert. §. ſui autem, 4. in fi. Inſt. de hered. ab inteſt. adeo vt etiam ſi ſe abſtineat, tamen ſui heredis nomen retineat: neque dicatur ſine herede decedere, qui ſuum heredem reliquit, quamuis abſtinentem ſel. cum quaſi, 30. §. ſed & ſi quis, D. de fideicom. libert. l. 6. §. 2. D. de bon damna. l. 7. D. de inoff. teſtam. Valde autem abſurdum eſſet, ſi quis idcirco ea de re dubitaret, quòd ſui heredis nomen in eum propriè competit, qui in poteſtate morientis fuit: atque ab emancipato ſeparatur. d. l. 7. & §. 1. Inſt. de hered. ab inteſta. §. 2. de hered. qualit. Regis autem nouiſſimè demortui ſucceſſor, ſi non filius eius, ſed tantùm agnatus & fortaſſe remotiſſimo gradus agnatus ſit, in morientis poteſtate non fuit. Valde, inquam, abſurdum hoc eſſet. Nam, vt omittam, quod nulla vnquam iſtiuſmodi patria poteſtas in regno Francorum vſurpata eſt, ſed illa tota fuit Quiritium, ac ciuium R. propria, ſicuti traditur in l. 1. D. de rei vind. §. 1. Inſt. de patr. poteſt. l. 2. D. de his qui ſunt ſui vel alieo. duplex inſuper parata reſponſio eſt. Primùm quòd ſui heredis nomen etiam in eum competit, qui in morientis poteſtate non fuit: puta, quòd vel moriente patre in vtero erat. l. ſi prægnantem, 12. D. de collar. bon. vel poſt patris mortem ab hoſtibus reuerſus eſt. §. interdum, Inſt. de hered. ab inteſt. vel ex contrario pater eius apud hoſtes mortuus eſt l. 1. §. penult. D. de ſuis & legit. l. lege Cornelia, 12. in fi. D. qui teſta. fac. non poſſ. vnde igitur, aut qua ratione, Suus dicetur? nimirum ea ratione & reſpectu, quòd non extraneus, ſed domeſticus heres eſt: non alieni, ſed proprij patrimonij heres, ac pleno iure dominus efficitur. l. vlt. D. de bon. damn. §. ſed ſui, Inſt. de her. qualit. l. in ſuis, 11. D. de lib. & poſtum. l. 2. §. filium, D. pro hered. Altera reſponſio eſt, quòd Sui nomen (non dico ſui heredis, ne quis hîc offendat) non tantùm ciuile eſt, verum etiam prætorium: quo iure magis, ſanguinis & naturæ, quàm patriæ poteſtatis ratio habetur. nam Prætor ita liberos diſtinguit, vt alios faciat ſuos, nempe filios: alios ſuos legitimos, nimirum hos ipſos

A de quibus agimus, nepotes, aut pronepotes, in primum locum ſublato filio ſuccedentes. l. 3. C. de ſuis & legit. l. 6. §. 1. D. de Carbon. edict. alios nec ſuos, nec legitimos: veluti nepotes ex filia, vel nepotes emancipatos. l. vlt. C. de legit. hered. Minus etiam dubitationis ex eo naſci poteſt, quòd iure ciuili Romanorum plures poſſunt ſui heredes patrifam. exiſtere: nempe quotquot primum liberorum locum vel natura, vel ſucceſſione adepti ſunt: cùm in regno Fran-

B ciæ vnicus ſit heres, ſine vllo conſorte, ſocio, coherede, participe. Non enim ex plurali vel ſingulari numero Sui heredis appellatio cenſetur: ſed ex ſui & proprij patrimonij adeptione, quæ in hanc noſtram cauſſam aptiſſimè conuenit. §. 2. verſ. ſed ſui quidem, Inſtitut. de here. qualit. deinde ſicuti iure Romanorum nomen Suorum heredum certo gradui, nempe filiorum, aut eorum qui in illorum locum ſucceſſerant, tribuebatur: eodem modo iure ciuili Francorum


C nomen illud tribuitur eidem gradui, quem legitimus regni heres, quantumuis à Rege nouiſſimè mortuo remotus, per ſucceſſionem adeptus eſt. Certum eſt autem, cuique rei ſuum nomen, non ex accidentibus extrinſecus, ſed ex ipſius rei natura & proprietate contingere l. legatis ſeruis, 67. D. de lega. 3. ſicuti videmus etiam adoptatum in filij locum, effici filiumfam. & ſuum heredem, itáque appellari, atque idem ius habere, quod habet na-

D turalis. l. 1. D. de his qui ſunt. ſui. vel. alie. l. vetum eſt, 8. D. de iniuſt. rup. paragrapho 1. in fin. Inſtitut. de heredit. ab inteſt. leg. 1. paragrapho 2. D. de ſuis & legit. Quare cùm Sui heredes ideò dicantur quod ſuis non alienis bonis heredes ſint: d. paragrapho 2. de hered. qualit. dubitari non poteſt, quin ſucceſſor regis, qui regni hereditatem ſibi à lege regni deſponſam & attributam adipiſcitur, veriſſimè illo nomine appellari debeat. Nihil igitur ad rem pertine-

E ret, ſi quis obiiceret, iure ciuili plures ſuos heredes eſſe poſſe: iure Francorum non poſſe. Nam Romanorum iure plures ſunt ſui heredes: ſi quidem ſunt plures heredes. At vbi vnicus eſt heres, puta vnicus filius, tum verò vnicus eſt ſuus heres. Pari etiam ratione, cum in Francia ſemper vnicus ſit heres; quia regnum illud neque communionem recipit neque diuiſionem, iure Franciæ non poſſunt plures eſſe ſui heredes: ſed vnicus tan-

F tùm: qui neque coheredem, neque participem admittit. Cuius rei operæ precium eſt recens exemplum, quod memoria patrum extitit, proferre. Nam Carolus quintus duos quondam filios ſuſceperat: nempe Carolum, qui regnum adeptus Sextus dictus eſt, & Ludouicum ducem Aurelianenſem. Ex Carolo Sexto natus eſt Carolus Septimus. Ex Carolo Septimo Ludouicus vndecimus: ex Ludouico, Carolus octauus, qui ſine liberis è vita exceſſit. ex duce

G Ludouico tres filij nati ſunt, Carolus Ioannes, & Philippus ſine liberis defunctus ex Carolo Ludouicus duodecimus. ex Ioanne Carolus, ex Carolo Franciſcus 1. Cuius genealogiæ hæc figura eſt.



In ea licet duas ex Carolo Quinto prognatas ſtirpes animaduertere:priorem, ex filio natu maiore,alteram ex minore,ad quã etiam tertia ſuccreuit. qui in prima fuerunt,cæteris omnib.antelati ſunt:quamuis & ætate & gradu fortè antecedentibus. qui ex ſecunda,tertiæ. Atque vt primùm mares in linea prima defecerũt, confeſtim ad eos qui in ſecunda extitêre,translata corona eſt. Quibus ſimiliter ſine virilis ſexus liberis decedentibus,ventum eſt ad eum, qui ſolus in tertia repertus eſt : nempe Franciſcum primum:cuius in ſtirpe vſque adhuc regni corona verſatur. Quo iure? an quòd agnatus Ludouico duodecimo proximior extaret? At iam ante demõſtratum eſt,coronæ Francicæ,item vt feudorum,ſucceſſionem non agnationis,ſed ſtirpis ac generis iure deferri. Delata igitur Franciſco eſt, quoniã in Caroli Quinti genarchi ac progenitoris communis ſtirpe non proximior agnatus, ſed proximior prognatus,id eſt,ſuus heres,& in abnepotis gradu, repertus eſt.His ita conſtitutis, nunc proximum eſt vt quæ pro nepote aduerſus patruum proferri argumenta poſſint,conſideremus.

Argumentum pro fratris filio primùm, ex iure Suitatis.

PRIMVM igitur eſt huiuſmodi. Qui patrif. morienti ſuus heres eſt, idem illo mortuo pleno iure heres eſt.l. in ſuis, 11. De lib.& poſt. l.2. § filium,D. pro hered. Nepos qui in demortui filij natu maximi locum ſucceſſit, auo morienti non modò ſuus, ſed etiam ſolus ſuus heres effectus eſt. l.1.§. liberos, De coniung.emancip. Quare nepos eiuſmodi auo rege mortuo pleno iure ipſi ſolus heres exiſtit: quandoquidem (vt paulò ante dictum eſt) non poſſunt plures in regno, quo de agitur, ſui heredes exiſtere.l. 2.C. de lib.præter.l.poſtumorum,13.D. de iniuſt.rupt.

Suitatis Regalis quantum ius, quantáque dignitas.

A SEquitur ſecundum. Hereditas feudalis ſemel vni ſtirpi quæſita, quamdiu in ea ſtirpe maſculus ſupereſt, nunquam ad alteram transfertur. lib. feud. 2.tit.31.Si vaſalli feud.pri.& tit. 50.de nat.ſucceſſ feud.in fin.quia ius ſemel conſtitutum ad heredem tranſmittitur. l. videamus, 17.D.quod met. cauſ. Atqui Suitas regalis nihil aliud eſt quàm ſpecies hereditatis, lege Regni, viuo etiamnum Rege, filio ipſius natu maximo aſſignata, pacta, deſponſa, deſtinata. Nam ſuus B heres,columen familiæ, viuo etiam patre non modò Rex deſignatus dici poteſt, verumetiam quodammodo Rex, ſiue Dominus, atque adeò heres Regni: ſicuti dilucidè diſertéque traditur in d.l.in ſuis, 11. De lib.& poſtum. l. vltim. De bon. damnat. l.2. §. 1. D. pro herede, §. 2. Inſtitut.de hered.qual.& diff. l.6.§. penultim. De acqu.hered l.in ſuis,14.De ſuis & legit. §. 3. De hered.ab inteſt. Quare ſuitas filio natu maximo ſemel quæſita,quamdiu maſculi ex eo procreati C ſuperſunt, nunquam ad alteram ſtirpem, in qua patruus vnus plorέſue locum obtineat,transferri poteſt. Quod etiam hoc exemplo dilucidius fiet.Ponamus Regem duobus filiis ſuperſtitibus deceſſiſſe,quorum natu maior Rex factus nepotem ex filio præmortuo, & ſimul fratrem ſuum, ſuperſtites reliquit.Cui dubium eſt,quin ille pronepos propatruum ſuum, quamuis ætate grandiorem, excludat, propterea quòd eum & ſtirpis prærogatiua, & ſucceſſionis iure ſuperat, & D (quod primum ac ſummum eſt) Sui heredis locum occupat? Nam pari ratione videmus in bonorum poſſeſſionibus hoc ſeruari, vt cùm duplex prærogatiua ſit, vna ordinis, altera gradus, ſemper ordinis prærogatiua gradus prærogatiuæ præferatur: hoc modo:Prætor tres ex cauſſa inteſtati præcipuos ordines conſtituit: primum liberorum, ſecundum legitimorum, tertium cognatorum.atque in horum vnoquoque gradus prærogatiuã ſeruari iuſſit:l.1.& l.2.D.de ſuis & legit. E l.5. C.de legit.hered. qua ratione duplicem (vt dixi) prærogatiuam fecit:vnam ordinis,alteram gradus.Ponamus in vnoquoq; ordine plures eſſe gradus:puta in limite liberorũ eſſe filium,nepotẽ & pronepotem. Filius nepoti, hic autem pronepoti præfertur. quid ſi ſolus pronepos in linea liberorum extet, in ordine verò legitimorum, frater? vter alteri præferetur? nam frater ſecundo tãtùm gradu eſt:pronepos tertio. ſed quoniã ordinis prærogatiua potior eſt, quàm illa gradus F pronepos,atq; adeò abnepos fratri præferetur. l. 1.D.de ſucc.edict.l.1 D. quis ord. in poſſeſſ. l. ſi matre,11.C.de ſuis & legit. §.repetitis,Inſtitu.de grad. cognat.

Vnicum eſſe in regno Suum heredem, qui mortis Regis momento Rex continuò exiſtit.

SEQVITVR tertium. In Regno de quo quæritur non poſſunt ſimul eodémque tempore G plures eſſe Sui heredes, non magis quàm plures Reges, aut plures Regis primogeniti: ſed & vnus tantùm & ſingularis eſt Suus heres: Regiæ (vt diximus) familiæ columen: nempe ex filiis natu maximus. Reliqui, quamdiu ille ſuperſtes eſt, Sui heredes eſſe non poſſunt: quia vni duo pro ſolido heredes eſſe nequeunt:

vt ait

vt ait l. quod contra, 141. §.1. De reg. iur. Erunt igitur tanquam fratres capite deminuti, vel agnati eius vnici filij, qui in familia retentus eſt. l. ſed cum patrono, 6. §. 1. D. de bon poſſ §. emancipato, l. init. de hered. ab inteſt. Et cũ ex illius regni iure Suitas vni tantùm loco deſtinata ſit, non magis eadem apud duos eſſe poteſt, quàm vt tu ſtare videatis in eo loco, in quo ego ſto, vel in quo ego ſedeo, tu ſedere videaris, ſicuti Paulus loquitur, in l. 3. §. ex contrario, De acquir. poſſ. Certum eſt autem, eo filio de familia ſubducto, nepotem ex eo natum adeò confeſtim ipſóque momento ſuum heredem effici, vt locus filij ne punctum quidem temporis vacaſſe intelligatur. Nam hæc animaduertenda momentaneæ ſucceſſionis vis eſt. d. l. in ſuis, & l. filius. 28. §. 1. D. de lib. & poſtum. l. ſi poſt mortem, 68. De legat. 1. ac pari ratione videmus celeritate coniungendarum actionum (ſiue actuum) vnam actionem effici, l. 3. §. vlt. De donat. inter vir. & bona filio fami. quæſita ipſo acquiſitionis momento ita patrifam. quæſita intelligi, vt nunquam in filij perſona conſtitiſſe videantur. l. placet. 79. De aquir. hered. Cùm igitur nepos ita repente & celeriter in filij demortui locum ſuccedens, continuò efficiatur Suus heres, non dubium eſt, quin reliquos omnes à ſuitate excludat, ne plures in illo regno ſimul Sui heredes numerentur. Quinetiam patem dominij continuitatem in quauis alia hereditate licet animaduertere: quia dominium à perſona morientis in perſonam heredis ita continuari fingitur, quaſi heredis & defuncti vna tãtùm perſona ſit, neque vlla perſonæ mutatio interuenerit. d. l. ſi poſt mortem, & l. quæſitum, 91. §. neceſſario, De leg. 1. l. 1. §. a. D. ſi quis omis. cau teſt. §. 4. Inſti. de hered. ab inteſt. l. omnia, 193. & l. ſequ. De reg. iur. l. 7. D. de inoff. teſt. Quod etiam planius ex priſco ritu emptionis familiæ cognoſci poteſt, quo tradi à teſtatore manciparíque res imaginario emptori ſolebant: cuius rei veſtigium extat in l. 1. §. Diuus, De quæſtionibus.

Regem eſſe non poſſe, niſi qui regi Suus heres fuit.

SEQVITVR quartum: Nullus illius Regni heres eſſe poteſt, niſi qui Regi mortis ipſius tempore Suus heres fuit: hoc eſt, Regiæ familiæ columen, & heres regni lege deſignatus. Nam hereditas regni, moriente Rege ſtatim vnà cum Suitate coniungitur, ſiue (vt commodius loquamur) conſolidatur. dicta. l. in ſuis, & §. ſecundo, Inſtitut. de heredit. qualit. & different. & l 2. §. filium. D. pro hered. Atqui patruus nunquam in hac cauſſa ſuus heres fuit, non ſuperſtite quidem filio: quia iam antè dictum eſt, plures ſimul Suos heredes eſſe non poſſe, nihilomagis ipſo mortuo: quia nepos adeo repente locum ipſius occupauit, vt ne momento quidem vllo vacaſſe locus intelligatur. arg. d. l. 3. §. vltim, De don. int. vir. Quare non poteſt hic patruus, nepote vel pronepote ſuperſtite, ad regni hereditatem admitti: ne contra iuris regulam & naturalem rationem duo vni in ſolidum heredes ſint, plures eiuſdem rei pro ſolido domini. d. leg. quod contra, & leg. de

A hereditate, 19. §. 2. De caſtr. pecul. l. 5. §. vlt. D. commod.

Par idémque ius eſſe ſucceſſoris, quod fuit defuncti.

SEQVITVR quintum. Qui in ius locúmque alterius ſuccedit, eodem vti iure, ac neque deteriore neque meliore conditione eſſe debet. l. qui in ius 177. l. nemo, 54. l. nemo, 120. De reg. iur. adeò vt in cauſſa pignoris
B tertius creditor in primi locum ſuccedens, ſecundo præferatur. l. creditor, 12. §. à Titio. 8. & §. ſeq. D. qui pot. in pign. Atqui ſi filius natu maximus viueret, ſolus ſuus heres exiſteret, fratrémque natu minorem haud dubiè excluderet. Quapropter nepos in ipſius locum ſuccedens, ſolus ſuus heres agnoſci debet, vt patruum ab illo ſuitatis gradu & iure excludat. & quo iure nato maior minori præfertur, eo iure
C ſtirps natu maioris alterius ſtirpi præferenda eſt. Alioqui perabſurdè aduerſus vtramque illam ſuperiorem iuris regulam eueniret, vt ſi ex filio natu minore prius, quàm ex altero nepos naſceretur, vtroque filio demortuo, nepos ex nato minore ſolus ad aui hereditatem, excluſo patruele, admitteretur: quo admiſſo, duo (vt dixi) viria concurrerent. Nam & nepos ex maiore filio deteriore condicione eſſet, quàm
D ſuus pater fuiſſet: & nepos ex minore meliore, quàm ſuus: quorum tamen in locum, ius & cauſſam ambo ſucceſſerunt. Eſt autem regula iuris, vt quod defuncto, ſi viueret, obſtaret, etiam ſucceſſori eius obſtet. l. quod ipſis, 143. de reg. iur. Qua de cauſſa is qui trans mare domicilium habet, ſi ei heres ſit, qui Romæ litem conteſtatus fuerat, Romæ tamen defendendus dicitur: quoniam (inquit Iauolenus) ſucce-
E dit in eius locũ, à quo heres relictus eſt: hoc eſt, non meliore condicione eſſe debet. l. ſi is qui, 34. De iudic. vt illud omittam, quòd qui ex ſua perſona ſuccedendi ius non habet, alterum facere ſucceſſorem non poteſt. l. ſi quis filium, 34. C. de inoff. teſt.

Loco quæſita dignitas locum obtinenti cedit.

F SEQVITVR ſextum. Dignitas alicui loco & ordini attributa ei qui iure locum & ordinem illum occupat, debetur. l. 1. §. 2. l. 4. & l. penult. §. quibuſdam, De iur. immu. l. 1. in prin. & l. 3. §. 1. l. 4. §. quanquam, De cenſib. vbi priuilegia certo loco & ciuitati conceſſa, dicuntur non modò eius loci ciuibus deberi, verùm etiam ad eorum liberos ac poſteros tranſmitti, neque cum eorum perſonis extingui. Atqui Suitas Regalis ordini & loco filij natu maximi communi lege attributa eſt. Quare Suitas Regalis ei nepoti, qui pro ſuo iure & per ſucceſſio-
G nem illum locum atque ordinem adeptus eſt, debetur. arg. l. filius. 28 §. 1. D. de lib. & poſtum. vbi Triphoninus ait, priore ſubducto de familia ſuo herede vlteriorem ſuccedere in proximum locum. & leg. primo §. proximus, D. vnd. cognat. vbi proximus definitur is qui proximum locum obtinet. ſiue quem nemo antecedit.

Succeſſiones feudales primo inueſtito acceptas ferri.

SEQVITVR ſeptimum. Quorum certus ordo perpetua ſerie conſtitutus eſt, ij qui loco inferiore locati ſunt, antecedere ſuperiores non debent, ſed eos ordine ſubſequi, ne ſeriem inſtitutam abrumpant. l. 1 D quis ord in poſſ.ſer.l.1. De ſucceſſ.edict. veluti ſi ſint filius & ex eo nepos, itémque pronepos: quoniam in regni hereditate graduum ſucceſſio conſtituta eſt, neque nepos ante filium, neque pronepos ante nepotem admitti poteſt: quia ſemper propinquiores obſtant poſterioribus. l.1. §. ſi quis proximus, D. vnde cognat.l. creditor,12. §. vlt l. Lucius, 18 D. qui pot. in pign. Atqui feudales ſucceſſiones, & ſi quæ ſunt ſimiles, (quales fere ſunt fideicommiſſariæ reſtitutiones in liberorum & poſterorum gradib. inſtitutæ) vnicam ordine perpetuo ſeriem habere intelliguntur: quaſi omnes ex primo inueſtito deſcendentes ordine in vnica linea & ſtirpe ad perpendiculum collocati eſſent, ac non duæ diuerſæ eſſent ſtirpes ac lineæ. Veluti (vt in ſuperiore Baldi themate exempli cauſſa conſiſtamus) Valeſia & Borbonica. Nam Borbonica ſub Valeſiæ lineæ ordine ſubiecta eſſe fingitur: vt quemadmodum dicimus heredem heredis teſtatoris, eſſe heredem teſtatoris: eodem modo dicere poſſimus, ſucceſſorem ſucceſſoris primi inueſtiti, eſſe ſucceſſorem primi inueſtiti. l. vlt. C. de her. inſtit l. ſciendum, 70.l. heredis, 65.D. de verb ſign. Nam qui per ſucceſſionem, quamuis longiſſimam, alicui heredes ſunt, nihilominus ei heredes eſſe intelliguntur, quàm ſi confeſtim ac primo loco ei ſucceſſiſſent. l.qui per ſucceſſionem.194.l.omnis, 138. De reg. iur.l.hereditas.54. De acquit.her. Quare abſurdum eſſet patruum, qui non modò poſt nepotem, verùm etiam poſt proponepotem, abnepotem & trinepotem natu maioris collocatus eſſe intelligitur, ordinem à lege inſtitutum abrumpere, & in filij natu maximi ſtirpem irrumpere. Quod etiam hoc argumento confirmari poteſt, quia in feudis nulla trăſuerſaria ſucceſſio eſt. Non enim, vt in lege XII. tabularum caput vnũ eſt de ſuis heredib alterũ de agnatis, ita in his cauſſis agnati agnatis ſuccedũt, ſed ſoli liberi poſteríque ſuo progenitori & genarcho proximè inueſtito.lib.1.ti.1.& ti.14. de feud March. §.3.in illis verbis: Per inueſtituram patris & filij. & tit.19.§.ſiquis.& lib.2.tit.11.de ſucceſſ.frat.§.2. & tit.50.de nat.ſuc.feud.vbi Feudiſtæ omnes ſummo conſenſu notant poſteros ſiue deſcendentes ad quos feudi ſucceſſio deuoluitur, capere cauſſam, ius & titulum non à proximo agnato defuncto, ſed à primo & antiquiſſimo inueſtito: ſiue potius ex titulo & lege inueſtituræ per quam vocati & inuitati ſunt ad feudi ſucceſſionem. Nam vbi in paterno feudo frater ad fratris ſine liberis defuncti ſucceſſionem admittitur, non quaſi frater, ſed quaſi filius admittitur.lib.3.tit.4.§.3.& lib.1.tit.19. conſt. fid. § 2. vbi ſcriptum ita eſt: Si miles ſine liberis fratrem reliquerit, in beneficium patris ipſe frater ſuccedet. Et, Si filius fratris, id eſt nepos aui inueſtiti mortuus fuerit, frater patris in benefi-

A cium aui defuncti ſuccedet. Ex quo efficitur, vt ſi plures Regi filij ſint, & ſecundus primo præmoriente, mox ſecundo tertius, & item tertio quarto ſuccedat, ſicuti hac noſtra ætate vſu venit, cùm Rex Henricus II. quatuor filios reliquit: non tamen fratri frater in hereditate regni ſuccedere, & ab eo cauſſam habere intelligitur: quia non à fratre venit hereditas: ſed ſuccedit tanquam filius natu maximus, & tanquam patri Regi quinimò non tanquam Regi

B proximo patri ſuo, (puta Henrico) ſed Regi progenitori & familiæ totius principi atque auctori.d.l.qui per ſucceſſionem. D. reg. iur.l. ſi arrogator,22.in fin.de adoptionib.l.ſi ſeruo,84. l. teſtamento, 90. De hered. inſtit. l. cum duobus. 52.§ idem reſpondit, D. pro ſocio. ſicuti dicimus fideicommiſſariam hereditatem, quamuis per centeſimam manum ambulare, & per centum ſubſtitutorum gradus perducta ſit, ſemper tamen teſtatoris hereditatem eſſe, & ſoli

C teſtatori acceptam ferri: à quo ſolo ſubſtitutus ius, cauſſam, & titulum nanciſcitur: non ab vllo fiduciario, & de reſtitutione rogato.l.debitor,59. §.ea quæ dotem, D. ad Trebell.l. planè, 94. in fine, & l. cum filiusfamil. 11. de legatis 1. l. ab eo, 9. C. de fideic. l. pater filiam, 14. D. ad leg. Falcid.

D

Suitatem ei ſtirpi, cui ſemel quæſita eſt, perpetuò cohærere.

SEQVITVR octauum. Nam ſi patruus nepoti præferretur, Suitas Regalis (quam vnius ſtirpis propriam eſſe oportet) deſultoria fieret: quia poſtquam in vna ſtirpe aliquandiu conſtitiſſet, mox ad alteram tranſiliret, atque inde rurſus ad alteram reſiliret. Quod eſſet abſurdiſſimum: quoniam (vt ſuperius diximus) poſtquam ſemel vni ſtirpi quæſita eſt, quamdiu in ea maſculus ſupereſt, tamdiu ad alteram non

E tranſfertur. Nam ponamus ſine veri (vt dici ſolet) præiudicio, patruum nepoti anteferri, eique ſuitatem adiudicari: tunc deinde patruum hunc poſt regnum aliquamdiu poſſeſſum, filium reliquiſſe natu minorem illo nepote, ſuo patruele. Si pari ratione prærogatiuam ætatis ſpectemus, qua patruus nepoti anteferri voluit, Suitas rurſus ad alteram lineam reuocabitur. Producatur hæc ſiue viſſitudo, ſiue reciprocatio longius Comperiemus Suitatem, quæ, vt dixi, ſtabilis &

F ſtirpis vnius propria eſſe debuit, erraticam fieri: & modò per hanc modò per illam lineam reciprocari: contra regulam iuris feudalis, ſæpè iam inculcatam, ex lib.2.tit.11.& tit.50.

Exemplum ex ſubſtitutionibus fideicommiſſariis.

SEQVITVR nonum ex l. omnia, 32. §. vltim. de legat. 2. & ex ſimilitudine ſubſtitu-

G tionis fideicommiſſariæ. Fingamus teſtatorem inſtituiſſe Titium heredem, ſimúlque ſtatuiſſe, vt ſua bona ſemper ad eum vnum & ſolum, qui ex liberis ipſius poſteriſque natu maximus eſſet, peruenirent: quam conſtat fuiſſe Nobilium multorum conſuetudinem vſitatam, vt familiarum ſtatus, & ſuæ ſtirpis dignitas conſeruaretur. Ti-

Digitized by Google

tiua duos habuit filios. Sed moriens ſolum ea maiore nepotem, & filium natu minorem, ſuperſtites reliquit. Vtri horum fideicommiſſum debebitur? Ex iure quidem Romano, vtrique. Quam ob cauſſam Modeſt. in d. §. vltim. ſcribit, eos qui primo (id eſt proximo) gradu procreati ſunt, remotioribus anteferri. Quod Papinianus confirmat in l. peto, 69. §. fratre. D. eo quamuis enim ſingulari numero teſtator ſit vſus, tamen vbi plures pari gradu ſunt, omnes admittuntur. quippe, cùm ſingularis numerus interdum pro plurali vſurpetur. l. in vſu, 158. D. de verb. ſig. l. qui filiabus, 17. §. 1. de leg. 1. §. 4. Inſtit. de leg. agn. ſucceſſ. Nepotẽ porrò propter ſucceſſionẽ pari eſſe gradu cum patruo, iampridem demonſtratum eſt. Atque hoc quidem, vt dixi, Romanorum ius fuit. At iure de quo agitur, quo non plures eſſe ſimul heredes poſſunt, quo is qui heres eſt, pro ſolido heres eſt, quo præter gradum etiam loci atque ordinis ratio habetur, nepos patruo præferetur. quippe, qui non modò in filij natu maioris gradum ſucceſſit, ſed etiam locum eius in gradu filiorum occupauit. Et quod apud Modeſtinum eſt, Primo gradu (in Florentinis quidem libris) perinde eſt ac ſi dixiſſet, Proximo: quemadmodum in peruulgatis Codicibus ſcriptum videmus: quia primus & Proximus promiſcuè dicitur, quem nullus antecedit. l. 2. §. pen. De ſuis & legit. l. proximus, 92. De verb. ſign.

Gentium multarum inſtitutis nepotis cauſſam praferri.

SEQVITVR decimum, ex rerum pariter iudicatarum auctoritate, quas aliis ſuperius pro contraria parte adductis, opponemus. Nam apud Lacædemonios cùm Eunomus Rex duos filios procreaſſet, Polydecten & Lycurgum, Polidectes autem patre viuo, prægnante vxore deceſſiſſet, eumque breui poſt tempore Rex Eunomus ſecutus eſſet, quamuis Lycurgus regnum aliquandiu pro Rege adminiſtraſſet, tamen vt primum Polydectis vidua Charilaum enixa eſt, regnum ei conceſſit ac tradidit: quam hiſtoriam Plutarchus in Lycurgi vita, & Iuſtinus in lib. 3 memoriæ prodiderunt. Pari mod. cùm Cleomenes, alter Lacedæmoniorum Rex, Acrotato filio maiore mortuo, ſed Areo nepote ex eo ſuperſtite, vita functus eſſet, ac lis de regni ſucceſſione inter Areum & patruum ſuum Cleonimum exorta eſſet, Senatus Areo regnum adiudicauit: quemadmodum apud Pauſaniam libro tertio ſcriptum eſt. Apud Anglos autem, Polidorus Virgilius auctor eſt circiter annum 1350. Eduardo Rege mortuo, Ioannem ex priore filio præmortuo nepotem, poſthabitis ipſius patruis, Hemone & Thoma, Regem in populi comitiis inauguratum fuiſſe. Quin ne illud quidem ſilentio prætereundum videtur, quod non pauci ex noſtris Doctoribus quibuſdam locis tradunt, Widechindus autem Saxo lib. hiſtor. 2. dilucidè commemorat, circiter annum 1452. conſimilem in Germania litem exortam fuiſſe, quam Otho Imperator duello diiudicari voluit: duelli autem euentu fratris fi-

A lium ſuperiorem exſtitiſſe. De Hiſpaniæ autem Regno complura teſtimonia exſtant, quæ ſub finem huius diſputationis commemorabimus. De Francis verò Paullus Æmilius lib. hiſtor. 3. in vita Caroli Craſſi ſic ſcribit: Hanno dominatum ſolus inuaſerat: expulſo Erccmbaldo adoleſcentulo, fratris maioris filio, antea defuncto: vt in magnis imperiis iure controuerſo, vtrum nepos ex maiore filio, antea defuncto, ad auitã hereditatem, an minor filius legibus vocetur. B Hanno coactus eſt, poſitis armis, iudicio procerum ſtare: adoleſcenti idem ius datum, quod patri ſi viueret, adiudicaretur.

In regni ſucceſſione Suitatis cauſſam eſſe omnium potiſſimam.

ADHVC quæ pro Titij nepotis parte diſputari poſſe viſa ſunt, quantum ſatis opus fuit, expoſuimus: vt iam non difficile C ſit exiſtimare, quemadmodum quæſtioni ab initio propoſitæ, reſponderi poſſit: Regni ſcilicet hereditatem ſimpliciter & abſolutè, neque ex gradus: neque ex ætatis, neque ex repræſentationis prærogatiua, ſed tamen aliquatenus; propriè autem, verè & ſimpliciter, ex iure Suitatis deferri. De gradus prærogatiua, duplex argumentum eſt. primum ex pluribus filiis, quorum vnus reliquis antefertur, non ex gradus dignitate, cùm omnes vno eodémque gra- D du ſint, ſed ætatis prærogatiua. Deinde quod vbi nepos ex vno filio cum altero filio cõtendit, etſi nepos verè propriéque ſecundo gradu eſt, filius primo, tamen propter ius ſui, quod per ſucceſſionem adeptus eſt, filio & gradu & ætate ſuperiori antefertur. nam cum in patris ſui locum aſcenderit, pari cum patruo gradu eſſe intelligitur: vt ſuperius dictum eſt ex illis Nou. verbis 127. τὴν πατρῴαν ὑπεισιόντες τάξιν. & l. poſtumorum, 13. de iniuſt. rup. teſt. & Nouell. 118. §. reli- E quum adeò vt ſi Rex duos filios ſuſcepiſſet quorum ex natu maiore non modò nepos, verumetiam trinepos, vnà cum filio natu minore ſuperſtes eſſet, tamen trinepos, qui ſexto gradu eſt, filio, qui primum occupat, propter ius ſui per ſucceſſionem quæſitum, anteferretur argumẽto edicti ſucceſſorij, de quo ſuperius diximus ex §. repetitis, Inſtit. de grad. cogn. l. ſi matre, 11. C. de ſuis & legit. l. 1. D. de ſucceſſ. edict. Iam de prærogatiua ætatis hoc argumento eſt, quod i- F dem nepos iunior, patruum tamen natu maiorem vincit, iure (vt modò diximus) Suitatis; quam cùm ſucceſſione ſit adeptus, & in regno vnicus Suus heredes admittatur, neminem Suitatis ſuæ conſortem eſſe patitur. Suitas enim regalis hoc iure neque communionem, neque diuiſionem admittit: cum plures vni heredes in ſolidum eſſe non poſſint: vt iam ſæpe dictum eſt. Quadantenus tamen ætatis prærogatiuam valere, vt fateri hæc cogit ratio, G quod ſtirpium prærogatiua ex prærogatiua ætatis procedit. Quemadmodum enim filius natu maior minori anteferrur, ita ſtirps nato maioris ſtirpe natu minoris potior habetur. Quod intelligi hoc exemplo licebit: Nam ſi Rex duos habeat fratres, quorum ſecundus ſuperſtite filio decedat, tum deinde Rex ita decedat, ſecundi

filius, qui tertio gradu eſt, idcirco patruo ſuo, qui à Rege duobus tantùm gradibus diſtat, præferetur, non quia patrem ſuum repreſentat (id enim Iuſtinianus nouo iure contra omnem iuris ciuilis rationem induxit) ſed quia locum obtinet in ſtirpe fratris natu maioris, cui lex hereditatem addixerat.

Suitatem non propriè tranſmitti, ſed potius adipiſci: & quæ ſit inter tranſmiſſionem & Repræſentationem differentia.

HOc loco & opportunè & ad noſtram hanc diſputationem aptiſſimè quæri poteſt, ſatiſne dicatur rectè, Suitatē a filij perſona in nepotis perſonam tranſmitti? quo verbo Doctores pleróſque omnes paſſim vti ..berè animaduerto. Verum vt hac de re commodius diſputari poſſit, operæpretiū eſt, quid inter Tranſmiſſionē & Repræſentationē vulgò intereſſe exſtimetur, paucis exponere. quod nemo quiſquā, mea ſentētia, breuius ſimul & dilucidius expoſuit, quàm Carol. Molin. in Conſuet. Pariſ. tit. 1. §. 22. num. 103. his verbis: In tranſmiſſione, qui ſuccedit, mediatè & ex perſona tranſmittente ſuccedit: in Repræſentatione, qui ſuccedit, immediatè ex capite proprio & ex perſona propria venit, & nihil iuris accipit ab eo quem repræſentat: & cuius locum & gradum iuris diſpoſitione occupat: vt per Barthol. Bald. Paul. Coro. in l. 2. C. de lib. præter. not. omnes ſcrib. in l. pactū dotale, C. de collat. & in l. 2. qui ſuperſtites, D. de acq. hered. Hactenus molin. Quæ cùm ita ſint, Tranſmitti ea dicemus, quę à priore defuncto profecta primū in perſona ſuperſtitis aliquandiu conſtiterunt: deinde, ipſo mortuo, ad alterum ſucceſſorem trāſlata ſunt. nam id demum propriè tranſmitti dicitur, quod aliquamdiu in defuncti perſona conſtitit, l. ſi quis filium, 34. C. de inoff. teſta. l. videamus, 17. D. quod met. cauſſ. quo caſu propter duas perſonas ordine ſuccedentes binæ ſucceſſiones numerantur. Sed res exemplis illuſtranda eſt. Ergo hereditas ad heredis extranei heredem, niſi ab illo adita & acquiſita fuerit, & (vt modò dicebamus) aliquandiu in ipſius perſona cōſtiterit, non transfertur: ad Sui heredis heredem, licet extraneum, etiam ſine immixtione tranſmittitur, iure Suitatis ſingulari. l. 3. & l. cum in prioribus, 19. C. de iur. delib. l. apud hoſtes, 8. C. de ſuis & legit. l. de hereditate, 19. §. 1. D. de caſtr. pecul. l. ventre, 84. D. de adquir. hered. l. ex militari, 11. §. vlt. D. de teſtam. mil. quia filiusfam. patre mortuo illico ipſo iure heres eſt, etiam ſine vlla immixtione. l. 1. §. qui ſunt, D. ſi quis omiſſ. cauſſ. teſt. l. ſi filius, 12. D. de vulg. ſubſt. §. ſuus, Inſt. de hered. qualit. l. 6. § 1. D. de bon. damnat. l. cum quaſi, 30. §. ſed etſi, D. de fideic. libert. Pari ratione in ſubſtitutione fideicommiſſaria locus eſt Tranſmiſſioni: in directa, non eſt locus. nam in illa hereditas non directò à teſtatore in fideicommiſſarium tranſit, ſed per intermediam heredis fiduciarij perſonam: in qua primo loco verſata eſt. Itaque præmoriente fiduciario herede fideicommiſſum, quāuis non agnitum, tamen ad fideicommiſſarij heredem tranſmittitur. l. 3. l. ſi in perſona, 21. C. de fideic. l. apud Iulianum, 11. §. antiſtis, l. cogi. 16. §. idem Marcianus, D. ad Trebell. Neque diſſimile illud eſt, quod vulgo dicimus, fideicommiſſum condicionale non tranſmitti ad heredem fideicommiſſarij ante condicionis euentum mortui. l. in cauſſæ, 16. §. Pomponius, D. de minorib. l. heredes mei, 57. §. 1. D. ad Trebell. at in directa ſubſtitutione teſtatoris hereditas repudiante inſtituto, directò in ſubſtitutum tranſit, quaſi primo loco inſtitutum: quia ſubſtitutio nihil aliud eſt quàm inſtitutio: itaque appellatur in l. Iulianus, 26. D. ſi quis omiſſ. cauſſ. teſt. id eſt ſecundi heredis inſtitutio, l. ex facto, 43. §. Lucius, D. de vulg. ſubſtit. Pari etiam modo dicimus ſpem, ſiue ius ſubſtitutionis vtriusuis, vel directæ ſcilicet, vel fideicommiſſariæ, ſubſtituto ante inſtitutum decendēte, in ſubſtituti heredē nō tranſmitti: quoniam in ſubſtituti perſona verſata non eſt. l. toties, 81. D. de acq hered. l. qui plures, 23. l. Lucius, 45 §. vlt. D. de vulg. ſubſtit. l. ſi ex pluribus, 9. D. de ſuis & legit. l. 1. §. ſin autem ſub conditione, C. de caduc. toll. l. vnum ex familia, 67. §. rogo, & l. miles, 75. §. 1. D. de legar. 2. quid ergo fiet? iure quidem antiquo in cauſſam caduci partes hoc modo deficientes incidebant, id eſt, confiſcabantur: ſed noua Iuſtiniani conſtitutione ſi plures inſtituti ſint, coniuncto ſuperſtiti accreſcunt. ſin vnus ſolus, pars defuncti penes illum manet cum onere illi impoſito. l. 1. §. pro ſecundo, C. de cad. toll. Quidnam igitur, vt iam ad inſtitutū reuertamur, de Suitate dicemus? Nam cùm Suitas aliquamdiu in filij perſona verſata ſit, videtur ab eo præmoriente in nepotis ſuperſtitis perſonam tranſmitti. Et certè hæc (vt dixi) recepta Doctorum opinio eſt: atque ita vulgo loquuntur. Sed videamus, ne Suitas, cum ſit ius perſonale, ſimul cum perſona exſtinguatur: neque ad heredem tranſeat. nam pari ratione dici videmus, iure antiquo legatum optionis mortuo ante optionem legatario ad ipſius heredem non tranſmitti: l. illud aut illud, 19. D. de option. legat. vbi iampridem oſtendimus, vocem NON, à Triboniano ſublatam fuiſſe, vt eum locum ad Imp. ſui conſtitutionem accommodaret. l. vltim. C. commun. de legat. §. optionis, Inſt. de legar. Pari etiam de cauſſa modo dicebamus ſubſtitutionem idcirco ad ſubſtituti heredem non tranſmitti, quia perſonalis eſt. d. l. 9. de ſuis & legit. l. cum patronus, 28. D. de legat. 2. hoc eſt iudicio defuncti perſona ſubſtituti delecta eſt. l. qui liberis, 8. §. vlt. D. de vulg. ſubſtit. l. ſciendum, 70. D. de verb. ſignif. quinetiam verius & certius dicere poſſumus, Suitatem non tam perſonæ filij, quam ipſius loci & gradus & ordinis eſſe propriam, quia nepos, quem ſuperius docuimus filio præmortuo ſucceſſione ſuum effici, non à filio ius illud adeptus eſt, ſed à loco, in quem ſuccedendo conſcendit. §. 3. Inſtit. de exhered. lib. l. coheredi, 41. §. 1. D. de vulg. ſubſtitut. l. filius, 28. §. 1. D. de lib. & poſtum. Itaque videmus & extraneum, ſi adoptetur, & ſpurium, ſi qua ratione legitimus efficiatur, Suitatem adipiſci: neque tamen id ius ab vllo filio, cui ſucceſſerit, ſed ab ipſius primi loci dignitate adipiſci. l. cum quis, 10. & ſequent. C. de natur. lib. denique nuſquam hoc loquendi genus vſurpari à Iuriſconſultis


vide-

tis videmus, vt dicant ius ſui in nepotem tranſmitti: ſed potius nepotem ius ſui nanciſci. §. 2. Inſti. de hered. ab. inteſt. l. poſtumorum. 13. de iniuſt. rup. teſt. vt veriſſimè dicere poſſimus, aliud eſſe Suitatem, aliud ius Suitatis. illam eſſe perſonalem, & ſimul cum perſona interire. hoc non eſſe perſonale, ſed perſona extincta, nihilominus in loco & gradu ſuo permanere, & ſuccedenti nepoti patere: quaſi denique localis potius ſit Suitas, quàm perſonalis. Supereſt vt de Repræſentatione videamus, per quam Doctores exiſtimant, ius à prioris defuncti perſona in poſterioris ſuperſtitis perſonam directò transferri, quaſi nullius alterius perſona interceſſiſſet. veluti, cum auo poſt filium defuncto nepos in aui hereditate ſuccedit. tum enim ſuccedit (inquiunt Doctor.) non ex perſona patris, in qua nunquam hereditas illa verſata eſt, ſed ex ſua: neque per patrem, ſed Suitatis ſuæ iure, & legis ſolius beneficio ſuccedit. l. 6 §. ſed ſi pater, D. de iniuſt. rupt. teſt. l. 3. & l. 4. C. de ſuis & legit. non enim filius Suitatem in nepotem tranſmiſit: ſed lex nepoti ius illud tribuit: cùm illum in primum gradum, ſubducto filio, euexit: quaſi filius nunquam in rerum natura fuiſſet. l. 5. D. de bon. libert. l. gallus, §. videndum, D. de lib. & poſtu. Itaque ſi pater ciuitatem amitteret, ſaluum tamen illud ius nepoti remaneret: quia non à patre, ſed à lege illud accepit. l. 3. D. de interd. & releg. Sed animaduertendum eſt, diſſimilem eſſe Suitatis & Hereditatis rationem. nam quantum ad Suitatem attinet, nullo modo dici poteſt nepotes iure Repræſentationis illam adipiſci. quod tribus argumentis conuincitur. primum eſt, quia Repræſentare eſt abſentis imaginem ita gerere, vt repræſentans non ſuo, ſed illius abſentis iure vtatur, veluti. ſi quis diceret procuratorem aut inſtitorem, domini perſonam repræſentare. quippe, qui non ſuo ſed domini nomine vel agit, vel defendit, vel negotium gerit. l. vlt. D. de inſtit. alioqui ſi ſuo nomine, id eſt in rem ſuam ageret, non iam procurator, ſed dominus cēſeretur. l. ſed ſi tantum, 13. D. de pact. l. qui ſuſpectũ, 20. D. de appel. at nepos qui ſubducto de familia filio, ſucceſſit, non filij, ſed vel perſonæ ſuæ, vel potius loci & gradus iure ſuus factus eſt. itaque neque pro filij, neque pro nepotis iure teſtamentum præteritus rumpit, ſed pro ſuo iure, nimirum pro iure Suitatis, & eius loci quem adeptus eſt. l. 1. C. de liber. præter. l. 1. l. ſi hereditas, 10. §. 2. De teſtam. tut. l. poſtumorum, 13. D. de iniuſt. rupt. teſt. l. gallus, 29. §. 2. D. de lib. & poſtum. quod idem de extraneo vel adoptato, vel arrogato traditur in l. vel eſt 8. D. eod. §. 3. Inſtit. de hered. qualit. & diff. Secundum argumentum eſt, quoniam Repræſentatio eſt fictio, per quam vnius perſona cuipiam alteri accommodatur. fictiones autem omnes iuris ciuilis eſſe conſtat. at Suitas nepotis per ſucceſſionem adepta non vllo iuris ciuilis commento, ſed (vt diſertè Vlpian. loquitur) æquitate naturali introducta eſt. l. 1. §. ſi filius, D. de ſuis & legit. atque (vt vno verbo abſoluam) tota naturalis eſt. itaque agnationi poſtumi comparatur. d. l. poſtumorum, D. de iniuſt. rupt. teſt. Tertium argumentum eſt, quoniam fictio & veritas nunquam in vnam eandémque rem concurrunt. nam vbi veritas obtinet, ibi locus eſſe fictioni non poteſt. leg. lex Cornelia, 28. D. de vulg. ſubſtit. l. contractus, 54. D. de oblig. & act. Quare nepos, qui in vacuum filij gradum ſubintrans, verè propriéque Suus effectus eſt, dici non poteſt Suum heredem repræſentare: ſiue Sui heredis imaginem ac perſonam gerere. Atque hæc quidem de Suitate dicta ſint. Nunc de hereditate videamus: in qua ius eſſe Repræſentationi, magno argumento videtur eſſe, quòd & veteri & nouo iure aui hereditas inter nepotes ex filio præmortuo & patruum ſuperſtitem non in capita diuiditur, ſed in ſtirpes. quaſi quia tres quatuórue nepotes vnius filij perſonam ſuſtinent, idcirco ex ipſius perſonæ repræſentatione ſuccederent: neque maiorem partem eos habere oporteret, quam quantam filius, ſi ſuperſtes manſiſſet, habiturus fuerat. Ac pari modo iure nouo introducta dicitur à Iuſtiniano Repræſentatio in limite tranſuerſo per Nouell. 118 vbi fratrum præmortuorum filios vna cum patruo ad patrui nouiſſimè mortui ſucceſſionem admitti iubet, abrogato iure veteri. lege 3. Cod. de legitim. hered. quod ius etiam in feudorum ſucceſſionibus obſeruatur. libr. feud. 2. titul. 11. De ſucceſſion. fratr. Sed ex contrario non inſubtiliter diſputari poteſt, ne in hereditate quidem Repræſentationis verbum verè propriéque vſurpari. Nam ſi plures nepotes filium repræſentarent, vnuſquiſque illorum eum repræſentaret: quandoquidem vnuſquiſque illorum heres efficitur: tantúmque ſinguli auferrent, quantum illi vni lex attribuerat. Non enim vt ſinguli, quantum ad patriam poteſtatem attinet, Sui effecti ſunt: ita, quantum ad hereditatem attinet, ſinguli ſolidum hereditatis ius obtinent: ſed ex parte tantùm. & (quantum ad ipſos attinet,) in capita. Quid ergo eſt? nempè, id ipſum, quòd ſuperius diximus, ſolius loci & gradus ratione tam hereditatem, quàm Suitatem illis obuenire: & quoniam illi loco certa pars lege attributa fuerat, idcirco non maiorem vniuerſos partem habituros, quàm quantam lex ei loco aſſignarat. Quod idem de limite tranſuerſo ex Iuſtiniani Nouella dicendum eſt: vt omnes fratris præmortui filij ſolam illam partem conſequantur, quam lex ei loco in quem ſucceſſerunt, aſſignarat. Nam ſi patrem ſuum repræſentarent, ſinguli in ſolidum repræſentarent: vt omittam, quod iſta ratione abſurdiſſime conſequeretur, vt qui filij fratres ſunt, quia fratrem repræſentarent, fratres ſuo patruo dicerentur: quæ fictionis abſurditas in ſolo Iuſtiniani nouo iure perſpicitur. nam in feudali, de quo paulò ante diximus, locum non habet, quandoquidem feudi ſucceſſio non tanquam fratris filio, aut agnato defertur, ſed tanquam vni ex primi inueſtiti liberis, quemadmodum ſuperius multis locis demonſtratum eſt.

Nepos non repræſentationis, ſed ſuæ perſonæ iure nititur.

CONCLVSA nobis igitur hæc ſit ratio: Nepotem non poteſtate repræſentationis, & ex aliena perſona, ſed ex ſua & propria, ius ſuum obtinere: quia non à patre, cuius in locum ſucceſſit, Suitatem nactus eſt, ſed ex ipſo loco, quem patre mortuo per ſucceſſionem occupauit. Nam conſtat inter omnes, nunquam dici parentum hereditates iure propinquitatis, ſiue (vt Prætorio verbo vtamur) iure proximitatis ad liberos pertinere, ſed tantum iure Suitatis. §. cum filius, 6. Inſt. de hered. ab inteſt. Neque in legib. XII. tabul. caput vllũ reperietur, quo propinquior in ordine liberorũ vlteriorẽ excludat. Sic enim ſcriptum caput exſtat. SI PATERFAM. INTESTATO MORITVR, CVI SVVS NEC EXSTABIT HERES, PROXIMVS AGNATVS FAMILIAM HABETO. Quibus verbis Suus heres, hoc eſt ſui heredes omnes quocunque gradu ſint, non modò indiſtinctè verùm etiam coniunctim vocantur: d. § cum filius: adeo vt etiam ſi trinepos ex vno filio, moriente, tritauo cùm altero eiuſdem tritaui filio ſuperſtes eſſet, tamen vna cum illo filio admitteretur: nec ab eo, qui primum gradum obtineret, ipſe qui ſexto gradu remotus eſſet, excluderetur. Nam hęc vis ac poteſtas eſt eius iuris, quod (vt dixi) Iuriſconſulti Succeſſionem appellant: & Imper. reſtatur à lege XII. tabul. expreſſè introductũ fuiſſe. l. 3. C. de ſuis & legit. Vlpianus autem æquitate naturali conſtitutum. l. 1. §. ſi filius, D. eod. multo magis vbi ſola ſanguinis ratio ſpectatur, vt hoc caſu, quo ſemper ſucceſſor regni vnus eſt è numero liberorum proximi Genarchi ac progenitoris. qua ratione nepos nõ ex patris, ſed ex ſua perſona ſuum ius obtinet: vt eſt caſus notabilis in l. ſi quis filium, 34. C. de inoff. teſt. vbi Iuſtinianus ſolam ſanguinis rationem ſecutus ſtatuit, vt querela etiam non præparata tranſmittatur ad nepotem: quoniam inquit, ſubiectos omnes noſtros exiſtimamus pari eſſe affectione erga ſuos nepotes, qua patres ſunt erga ſuos filios. Perſpicuum eſt igitur, in ſuis heredibus nullos eſſe gradus, nullam graduum mẽtionem, aut controuerſiam fieri: quia lex XII. tabul. parentum hereditatem liberis addicens, indiſtinctè illis eam addixit, ſine adiectione vocis PROXIMVS. Quod ius poſtea tum prætorio, tum Iuſtinianico iure ad emancipatos tranſlatum eſt. l. 1. De ſucceſſor. edict. l. 1. §. qui habebat, & §. ſeq. De poſſeſſ. contr. tabul. l. 2. l. 7. & paſſ. De collat. bonor. l. 1. § liberos, De coniung. cum emancipat. & Nouell. 18. itemque Nouella. 118. Alterum argumentum eſt, quod iam paulò ante commemorauimus. Nam ſi duo nepotes ex duobus filiis præmortuis, de Regis aui communis hereditate inter ſe contenderẽt, quamuis nepos ex filio natu minore alterum ætate præcurreret, tamen dubitari non poſſet, quin patrueli ſuo poſtponendus eſſet: nempe propter dignitatem & prærogatiuam ſtirpis, in qua Suitas aliquamdiu verſata ita radices egit, vt quamdiu ex ea maſculus ſupereſſet, nunquam ad alteram transferatur, ſed ſemper in ea permaneat ac perſeueret: ne ſcilicet in vtrunque illud incommodum incurramus quod ſuprà demonſtrauimus, vt & nepos ex maiore filio deteriore conditione eſſet, quàm ſuus pater fuiſſet, & nepos ex minore filio meliore quàm ſuus. l. nemo, 54. l. nemo. 120. De reg. iur. Tertiũ

A argumentum eſt, quod ſi inter Regis patruum eiuſdémque fratris filium de regni ſucceſſione ambigatur, quamuis vterque pari gradu ſit, addamus inſuper pari eſſe vtrumque ætate, tamen propter ſtirpis propinquitatem, nemo dubitabit fratris filium anteponendum eſſe. quod hoc modo planius intelligetur. Titius duos reliquit filios, quorum natu maior Rex, patris morte, exiſtens duos item filios, in his maiorem natu regem reliquit, nomine Mæuium. Mi- B nor, nempe Mæuij frater, relicto filio deceſſit. Rex Mæuius eum poſtea ſine liberis ſecutus eſt. Quærebatur, quid hereditate regni futurum eſſet, quam & Titij filius, Mæuij patruus & eiuſdem Mæuij fratris filius, ſibi vindicabant? Nam ſi ius Romanorum ſequeremur, hereditas ad vtrumque illorum, paribus ex partibus, pertineret: quippe, qui pari à Mæuio gradu diſiuncti ſunt, nimirum tertio. Nam vbi plures gradu pari ſunt, omnes ex æquis partibus in C viriles ſuccedunt: excepta tamen repræſentationis prærogatiua. l. 2. §. 1. De ſuis & legit §. ſi plures, De legit. agn. ſucceſſ. in illis verbis: Si plures ſunt eiuſdem gradus, omnes admittuntur: vbi eundem gradum dixerunt, pro eundem aut parem. Auth. ceſſante, C. de legit. hered. ſiue Nou. de hered. ab inteſt. §. reliquum. Sed iam ante dictum eſt, in ſucceſſione illius regni vnicum eſſe ſuum heredem, qui nullos coheredes admittit. Vnde altera quæſtio D ſubſequitur, Vter igitur alteri anteferetur? Cui non difficile eſt, ex iis quæ ſuperius dicta ſunt, reſpondere, ſolum fratris filium admitti, atque ab eo patruum excludi. Qua ratione? Nempe ratione ſtirpis: cuius hanc paulò antè prærogatiuam eſſe diximus, vt regnum ſemel vni ſtirpi partum, quamdiu in ea maſculus ſupererit, ſemper in ea perſeueret, lib. Feud. 2. tit. 11. & tit. 50. Quartũ argumentum eſt, quoniam in ſucceſſionibus feudalibus graduum propinquitas, non E vt in cognationis tabula, ſed vt in genealogia, ſpectatur: vt ſcilicet graduum numerus ſemper à progenito ad progenitorem, ineatur. lib. 2. tit. 33. ſi vaſſall. feud. pri. Quod hoc exemplo dilucidius fiet. Ponatur Titius. A primus inueſtitus ſubter duo ipſius filij: primus B, qui vel ex patrimonij diuiſione, vel iure primogenituræ feudum habuit: & ſecundus C. Tum ſub Titio, primo inueſtito, rurſus duo filij. Tertius D. & quartus E. cui quarto ex diuiſione feudum ob- F uenit. Tum deinde ſub Tertio, filius F. & ex eo nepos G. ſubſcribantur hoc modo.



Quam-


Quamuis ſecundus C. einſdem gentis ſit, reſpectu Titij, cuius eſt nepos Tertij G. & vno gradu propinquior ſit Quarto E. quàm ille nepos Tertij G. tamen quia nepos Tertij ſtirpis prærogatiua potior eſt, Secundo præfertur. lib. feud. 1. tit. 26. § Titius filios, 14. Nam hæc illa eſt προτίμησις, tantopere inter Feudiſtas celebrata, quam ita definire poſſumus: Ius, quo agnatus qui eiuſdem ſtirpis & gentis eſt, cuius fuit is, cuius de feudi ſucceſſione agitur, ei qui eiuſdem tantùm gentis eſt præfertur. B vel ſic: Ius inter agnatos conſtitutum, vt qui eiuſdem gentis & ſtirpis eſt, cuius fuit is de cuius feudi ſucceſſione agitur, ei qui eiuſdem tantùm gentis eſt, præferatur. Quintum argumentum eſt, quia ſi nepos natu maior eſſet, quàm patruus, dubitaturum neminem arbitror, quin ei præferendus eſſet, quamuis duobus à defuncto Rege gradibus diſtaret, patruus autem vno dumtaxat. At in hac cauſſa gradus quidem prærogatiua nepos vincitur à patruo: ætatis autem antiquitate patruum ſuperat: C vtriam gradus prærogatiua cũ illa ætatis certare videatur. Vtra igitur erit potẽtior: Neutra omnino. neque huiuſmodi cõtentioni in hoc cauſarũ genere locus eſt vllus. Quid ergo conſtituemus? Potiorem ſcilicet eius ſtirpis eſſe cauſſam, cui ſemel Suitas quæſita eſt. ac proinde nepotem patruo præponi: propterea quòd ſicut filius natu maior minorem, ita ſtirps natu maioris, minoris ſtirpem excludit. Quæ cùm ita ſe habeant, ſatis patere iam arbitror, non amplius eſſe in propoſita quæſtione dubitandum, quin cauſſa nepotis D ſuperior ſit cauſſa patrui, non modò ciuili & feudali iure, verùm etiam æquitate naturali: ſolúſque nepos ad huius regni ſucceſſionem, excluſo patruo, ſit admittendus.

Reſponſio ad argumenta pro patrui parte adducta.

RESTAT vt argumentis pro Sempronio patruo adductis, reſpondeamus: quod nos & ſine magno labore, & paucis verbis facturos E confidimus. Nam quantum ad primum attinet, verum quidem eſt, feudum ſiue regnum quod ab vna ſtirpe ad aliam transfertur, ſecundum graduum prærogatiuam, qui in noua ſtirpe reperiuntur, deferri: & eum potiſſimum admitti, qui in illa noua linea progenitori gradu eſt proximus. Sed ſimul meminiſſe oportet, vbi in hac noua ſtirpe plures fibræ ſiue lineæ reperiuntur, non modò natu maiorem natu minori, verùm etiam lineam natu maioris lineæ natu minoris præferri: pro- F pterea quod inferior in ſuperioris, veluti nepos in filij locum aſcendens, eius perſonam induit ac ſuſtinet: ſiue (vt commodius loquamur) ſuus efficitur l. 3. l. penult. C. de ſuis & legit. Tanta autem vis eſt illius repentinæ ſuccesſionis, vt filij gradus, hoc eſt ſui heredis locus, ne momento quidem vllo vacuus fuiſſe intelligatur. l. 1. §. liberos, De coniung cum emancip. l. filium, 20. §. videamus, in fin. De bon. poſſ. cont. tab. Quamdiu autem ſpes eſt ſuum heredem defuncto aliquem extitere, tamdiu conſanguineo locus non eſt: vt ait l. pen. D. vnde lib. & l. 2. C. eod. Cùm igitur in hac noua ſtirpe plures ſint, ſiue fibræ ſiue lineæ, vna filij natu maximi, alia fratrum ipſius natu minorum: & quot filij ſunt, tot etiam ſint lineæ: non

A dubitandum eſt, quin quemadmodum filius natu maximus reliquos omnes fratres ſuos ſummouet, ita linea ex ipſo deſcendens, alias omnes excludat: ſicuti deinceps linea ſecundi, tertij lineam, & tertij linea, quarti lineam, ac ſic deinceps ab hereditate remouet: ne qui ex linea tranſuerſa veniunt, potiores iis habeantur qui recto iure deſcendunt: vt loquitur Imp. in §. item vetuſtas, verſ. noſtra, De hered. ab inteſt.

B Quantum ad ſecundum argumentum, quo dictum eſt, repræſentationem iure Romanorum in agnatitiis hereditatibus non admitti, Iuſtinian



autem conſtitutione non vltra conſobrinorum gradum admitti: primùm reſpondemus, feudales ſucceſſiones non eſſe agnatitias: neque tanquã agnatitias hereditates ab agnatis proximis ad agnatos proximos transferri: ſed eas deuolui ſemper à primo inueſtito & progenitore familiæ E in directam liberorum ac poſterorum lineam, ſiue progeniem ab illo deſcẽdentem: qua de cauſſa ſuperius admonuimus, ſemper in iſtis regni hereditatibus locum eſſe ſucceſſioni: at in agnatitiis hereditatibus nullus ei locus eſt. §. placebat, De legit. agnat. ſucceſſ. l. 3. §. proinde, De legit. tutor. Præterea reſpondemus, nullum eſſe in iſtis feudalibus ſucceſſionibus numerum graduum definitum: ſicuti iure prætorio ſextus aut ſeptimus gradus: iure ciuili, octauus aut decimus F conſtituti ſunt. l. pen. D. vnd. cogn. §. vlt. de ſucceſſ. cognat. l. 4. de gradib. Feudales enim ſucceſſiones in maſculos a primo inueſtito deſcendentes, in infinitũ deferontur. lib. feud. 1. tit. 1. § pen. illis verbis: In maſculis deſcendentibus, hodie nouo iure in infinitum extenditur. Item lib. 2. tit. 31. illis verbis, Et etiam vſque in infinitum, dum tamen conſtet hos ab eo per maſculos deſcendiſſe. Item tit. 50. illis verbis: Succedit nepos ex filio ſolus, & ſic vſque in infinitum: ex latere omnes per maſculos deſcendẽtes vſque in infinitum. Itaque Iacobinus de S. Georg. in prooemio feudor. §. verſ. quid ſi Rex, Baldi ſententiam ſuperius à nobis prolatam ſecutus, ita ſcribit: Si in Francia tota domus regia moreretur, & reperiretur aliquis qui eſſet in centeſimo gradu;

putà de domo Borboniæ, certè ille talis ſuccederet in regno ratione conſuetudinis, & perpetui ſanguinis: licet in aliis ſucceſſionibus ſit ſecus, quia non progrediuntur vltra decimum gradum. §. fin. de ſucceſſ. cognat. Hæc ille. Minus etiam obſtat quod ſubiunximus, in ſucceſſionibus ab inteſtatu fratris filium præferri nepoti alterius fratris. nam (vt iam ante dictum eſt) in lineis agnatorum non eſt ſucceſſio: ſed proprior vlteriorem excludit. Hæc autem quæſtio non eſt de hereditatibus agnatorum, ſed de ſucceſſione liberorum & poſterorum, qui à primo inueſtito deſcendunt, vt iam ſæpè demonſtratum eſt: qua eadem ratione reſponſum volumus ad obiectionem de ſucceſſionibus patronorum, in quibus nihilo magis ſucceſſio conceditur. l. libertus, 23. §. 1. D. de bon. libert. §. pen. Inſt. de ſucceſſ. libert.

Repræſentationes vocabulum in hac cauſſa minus commodum videri.

QVANTVM ad tertium, quo dictum eſt, Repræſentationem eorum tantùm cauſſa eſſe inſtitutam, qui non ſuæ ſed alienæ perſonæ iure ac nomine ad hereditatem admittuntur: in hac autem regni hereditate, neminem niſi ſuo nomine, & perſonæ ſuæ, ſiue potius ætatis iure admitti: ac proinde repræſentationi locum non eſſe: Reſpondemus, nobis quoque placere, vt nouum illud & barbarum Repræſentationis vocabulum è medio tollatur: ſed nihilominus nepotem, in filij præmortui locum ſuccedentem, non ex filij perſona, ſed (vt Bartholus & plerique omnes rectiſſimè animaduerterunt) ex ſua: non alieno, inquam, ſed ſuo nomine ad aui hereditatem, vel ſolùm, vel vnà cum patruo vocati: quippe, cùm hereditas ſuis heredibus deferatur: nepotes autem ſucceſſione ſui heredes facti, & ad filiorum condicionem redacti, ſuo iam ac proprio, non autem alieno iure nitantur, vt iam ſæpe demonſtratum eſt. ex l. 7. De his qui ſunt ſui vel alien. l. 1. §. ſi quis, De ſuis & legit. eiúſque rei præclarum teſtimonium eſt in l. 3. §. ſi emancipatus, D. de bon. poſſ. contr. tab. vbi nepos cuius pater propter turpem mulierem vxorem ductam exheredatus ab auo fuerat, dicitur ex ſua perſona & ſuo iure ad bonorum poſſeſſionem eius admittendus. Quantum ad quartum, quo dictum eſt, repræſentationi, quæ ad participandam cum altiore tranſuerſu gradu hereditatem introducta eſt, locum eſſe in regiis hereditatibus indiuiduis non poſſe: perfacile eſt eadem ratione reſpondere, qua modò in tertia obiectione diluenda vſi ſumus: placere nobis barbarum illud Repræſentationis vocabulum repudiari, & ſolum Succeſſionis nomen, quo veteres vtebantur, vſurpari. Non enim nepos iure Repræſentationis, vel ſolus, vel vnà cum patruo admittitur: ſed iure Suitatis, quam filio præmoriente adeptus eſt: atque ita celeriter adeptus eſt, vt Sui locus nunquam vacuus fuiſſe intelligatur.

De vi & effectu ſucceſſionis: eiúſque cum proximitate concurſu.

QVANTVM ad quintum, ſolutio eſt duplex. prior eſt, perſpicua illius obiectionis falſitas:

A nam interdum tanta ſucceſſionis vis eſt, vt non modò valeat ad ſuccedentem admittendum, verum etiam ad alterum excludendum, etiamſi pari cum illo gradu ſit. velut in auth. poſt fratres, §. hi autem, C. de legit. hered. vbi ſcriptum ita eſt: Hi autem fratrum filij (germani ſcilicet, quibus ſolis Iuſtin. ſucceſsionem permiſit) cum pares ſint defuncti fratribus, præferuntur eiuſdem defuncti patruis, & aliis ſimilibus. Sed planius interpres Iulianus in Nouell. 118 §. reliquum: Fratris B vel ſororis filij, inquit, quaſi ſecundum gradum obtinentes, auunculis & patruis defuncti præponuntur: quia illi tertium gradum cognationis obtinent. Quibus verbis non obſcurè ſignificant, filium fratris, beneficio ſucceſsionis, non hoc obtinere vt cum patruo defuncti concurrat, qui pari gradu conſtitutus eſt: ſed vt planè eum excludat. Altera ſolutio eſt, quòd (quemadmodum iam aliquoties dictum eſt) diſpar eſt cauſſa hereditatum priuatarum, & regiarum. quoniam C in illis concurſus coheredum admittitur, in his non admittitur. cùm hereditas vni ſoli & in ſolidum addicatur. Nam ſi duo ſuperſtites ſint, filius, puta, & ex altero præmortuo filio nepos, non ambo ad hereditatem regni vocabuntur, ſed alteruter dumtaxat. nimirum is quem æquitatis (vt ait Vlpianus) naturalis ratio in vacuum primogeniti locum gradúmque recepit. Quantum ad ſextum, parata ſolutio eſt ſimiliter ex vtriuſque ſententiæ falſitate. nam priorem ſen- D tentiam Iuſtinianus abrogauit per Nouell. 118. vbi fratris præmortui filiis ſucceſſionem ſiue repræſentationem conceſſit, vt ſimul cum fratre ſuperſtite, patruo ſuo, qui propinquior eſt, admittantur, vnde apparet illo caſu repræſentationem cum propinquitate concurrere. Poſterior autem ſententia vera nunquam fuit, nam in linea liberorum vbi nepos in filij præmortui locum vnà cum filio ſuperſtite vocatur, euidenter apparet repræſentationis & propinquitatis concurſus. E pari denique iure admittetur repræſentans, quo propinquior, quoniam vterque pari gradu eſt, vt ſuperius diximus ex Nou. 127. Tam enim nepos Suus eſt, quàm filius: & vterque naturæ iure: vt diximus ex l. 13. D. de iniuſt. rup. teſt. Sed præter hanc ſolutionem meminiſſe oportet id, quod iá ſepænumero dictum eſt, nepotem non repræſentationis & ex alienæ perſonæ iure admitti, ſed ex ſuo: id eſt ex iure & dignitate loci, gradus & ordinis, quem per ſucceſsionem parem cum patruo adeptus eſt. Nam cum illum nemo antece- F dat, cum proximum locum obtineat, meritò proximus dicendus eſt: l. proximus, 42. D. de verb. ſignif. l. 5. §. proximus, D. de vnd. cognat. denique fruſtra eſt, quod dicitur, vbi propinquitatis ratio valet, ibi repræſentationem non valere: vel ex contrario. nam propter ſucceſsionem nepotis in locum filij, neuter altero vel propinquior, vel remotior habetur: Sed vterque pari gradu, mortis Regis tempore, cenſetur: quaſi ambo fratres eſ- G ſent: vt ex Nouell. 118. §. reliquum, & Nouell. 127. ſuperius demoſtratum eſt. Sed quemadmodum ſi fratres eſſent, maior natu minorem excluderet, ita nepos maioris filij gradum adeptus, minorem excludit: quippe, qui ad filij condicionem redactus eſt. l. coheredi, 41. §. 1. D. de vulg. ſubſt.

auth.poſt fratres, C. de legit. hered.ac proinde proximus cenſendus eſt,quoniam in primogeniti ſtirpe proximum gradum obtinet. d. §. proximus. Quantum ad ſeptimum, quo dictum eſt,ſi repreſentationi locus daretur, fore, vt pluribus perſonis concedenda eſſet:ac proinde Regnum, quod ſua natura indiuiduum eſt, in varias partes diſtraheretur facilis ex ſuperioribus patet reſponſio: verum eſſe hoc quidem iure Romano,atque adeò Feudali, quo nepos vnà cum patruo ſuccedit. d. l.1.§.ſi filius, De ſuis & legit. & lib.feud.2.tit.11.§.his verò deficientibus.ſed Gallico iure noſtro, quo vnicus eſt in regno. Suus heres,neque vllus coheres admittitur, non poteſt niſi vni ac ſoli repreſentatio concedi: non magis quam Suitas Regalis, aut ipſa Regni hereditas.quandoquidem (vt ſuperius dictum eſt) duo vni pro ſolido heredes eſſe non poſſunt. l. qood contra,141.De reg.iur.

Succeſſionem non vtique ad omnia produci, ſed interdum ad quadam reſtringi.

QVANTVM ad octauum, quo dictum eſt,ne repreſentationi quidem videri in hac cauſſa locum eſſe poſſe: propterea quòd ſi nepos filij perſonam repreſentaret, ſimul ad quamuis ipſius condicionem redigeretur: Reſpondeo, non ſi quis alterum repreſentare dicatur, id vtique de quauis condicione & qualitate intelligi: ſed de ea dumtaxat, de qua vt repreſentationi locus eſſet,agebatur. Veluti, Dici populariter ſolet,heredem repræſentare perſonam defuncti: propterea quod Iuriſconſultus air,heredem ſuccedere in eius locum,à quo heres relictus eſt.l. ſi is qui,34. De iud. ſed hoc de iure dumtaxat hereditario, id eſt, de commodis & honoribur defuncti intelligitur.l.heres.37. De adquir.hered.l. nihil,24.De verb.ſig. ad cæteras verò defuncti condiciones non pertinet. veluti ſi defunctus Conſul. aut Senator fuerat, ſi tutor, ſi ſocius. Nam hæ condiciones hereditario iure non continentur. l. tutela. 16. De tutelis. l. 6. §. peo. De his qui not.inſa. Pari ergo ratione, cùm dicitur, Nepotem in filij locum ſuccedentem eius perſonam repreſentare, non de quauis cõdicione hoc dicimur, ſed de ea dumtaxat de qua agebatur, nempe de Suitate. d.l.1. §.ſi filiur, De ſuis & legit. ſed ſi filiûs vel emancipatus, vel deportatus fuerit,in eo perſonam eius non repreſentat. l. ſi qua 7. D. de his coi ſunt ſui vel al. l. 1. §. qui habebat,& §. ſeq. De poſſ. contr. tab. vbi filij vel emancipatio, vel deportatio, dicitur nepoti in illa petenda bonorum poſſeſſione non obſtare. ac pari argumento nunquam inſtitutio filij nepoti prodeſt. neque exheredatio eidem nocet, vt aui teſtamentum agnatione ſua non rumpat. ſicuti veriſſimè Bartholus & Baldus ſcripſerunt, apertéque traditur in d. l. poſtumorum. 13. De iniuſtit. rupt. teſta. & l. Gallus, §. & benè, De libet. & poſtum. Similique modo nepos in filij locum ſuccedens, quamuis ſuus efficiatur, non tamen eius tutoris poteſtati ſubiicitur, quem teſtamento ſuo pater filio attribuerat. l. 6. De teſta. tutel. Quantum ad nonum argumentum, quo dictum eſt, naturam rerum & veritatem fictionibus & commentis Repræ-
A ſentationis vinci non poſſe: poſſe autem in huius generis quæſtionibus accidere, vt patruus natura & veritate ſit Regis filius, nepos autem fictione & imaginatione dumtaxar. Reſpondemus, etſi hoc argumentum mouere aliquem minur peritum poſſet, tamen eius vitium eius vitium ex eo deprehendi, quia falſum eſt ſucceſſionem nepotis in locum filij, nihil eſſe niſi ciuilem fictionem. Nam, vt iam ante diximur,illa ſucceſſio & naturalis eſt, & naturali æ-
B quitate nititur Vlpianus in d.l.1. §.ſi filius,de ſuis & legit.ac proinde ratione ſanguinis, nõ ratione fictionis inducta eſt, vt iam ante dictum eſt ex l. 13. D. de iniuſt. rupt. teſt. præclare namque Calliſtratus, Natura nos docet, inquit, parentes pios, qui liberorum procreandorum animo & voto vxores ducunt, filiorum appellatione, omnes qui ex nobis deſcendunt, continere: nec enim dulciore nomine poſſumus nepotes noſtros, quàm filij, appellare. l liberorum,
C 220. l. filij, 84. l. iuſta, 201. de verb.ſignif. Neque obſtat quod Vlpianus ſcribit, eum qui cùm & filium & nepotes haberet, filio nominatim tutores dedit, non videri nepoti dediſſe, quoniam aliter filius, aliter nepos appellatur: vt modò dicimus ex l. 6. de teſt. tutel. Nam ille Vlpiani locus intelligi non poteſt de nepote ex eo filio, cui pater tutorem attribuerat: cùm tutores ijs qui iam patres ſunt, non dentur: ſed de nepote ex altero filio vel mortuo,
D vel aliter de familia & poteſtate ſublato. l. 1. D. ill. tit. Itaque ſicut filius præteritus patris teſtamentum vitiat, ita nepos præteritur in demortui filij locum ſuccedens, quaſi agnatione teſtamentum rumpit. Similiter bonorum poſſeſſio contra tabulas teſtamenti datur nepoti, qui inteſtatò ſuus herer eſt, ſi in patris locum, qui ſuus herer erat, ſucceſſit: ſuúſque heres ob patris defectum factur eſt. l. vltim. de lega. præit. ac pari eodémque modo in edicto, Si
E tab. teſt. null. ext. quod filius habiturus eſſet, petita bonorum poſſeſſione, hoc nepotibus ex eo natis permittitur. l. ſi quis, 5. §. vltim. D. ſi tab. teſt. null. Et huiur repræſentationis ratione celebratur pium illud Papiniani reſponſum, quo cenſuit, nepotem vnà cum patruo heredem inſtitutum, rogatúmque vt ſi intra certam ætatem decederet, patruo hereditatem reſtitueret: ſi is nepos filium ſuſceperit, nihil patruo deberi: propterea quòd pronepos in nepotis patris ſui
F locum ſuccedens, perſonam eius induit, atque (vt vulgò loquimur) repræſentat: vt verè dicere poſſimus, vbi pronepos exſtat, neque nepotem, neque filium deſiderari: ac multò magir vbi nepos exſtat, filium deeſſe non videri: ſed quodammodo viuum ac ſuperſtitem exiſtimari. l. cùm auur, 102. de conditio. & demonſtr. l. cùm acutiſſimi, 30. C. de fideicommiſ. l. generaliter, C. de inſtitut. & ſubſtitut. Quod cùm ita ſit, ſequitur, vt quemadmo-
G dum regni hereditas ſemel vni ſtirpi quæſita, quamdiu in ea ſtirpe maſculus exſtiterit, nunquam ab ea diuellitur: ſed ſemper in primogenitum, eiúſque ſtirpem tranſit: eodem modo Suitas & ſpes hereditatis regiæ ſemel vni ſtirpi quæſita, eidem ſtirpi perpetuò adhæreſcat Pari ergo ratione nuda Suitas, id eſt dignitas,

quæ primo alicuius ſtirpis gradui quæſita eſt, perpetua ſerie ad inſequentes gradus tranſmittitur. ſicuti Suitas filio quæſita, etiam ſi exheredatus à patre fuerit, tamen in nepotem ex eo tranſmittitur l. ſcripto, 7. D. ſi tab. teſt. null. Nam ſimiliter diximus dignitatem filio ſenatoris quæſitã, ad nepotem ex eo ſuſceptum trãsferri. l. 1. §. 1. de ſenator. l. dmo, 11. C. de quæſt. filium decedentem ante nuptias patris, ad ſecundas nuptias trãſeuntis, tranſmittere ad nepotem lucrum, quod ei lex addixerat, ſi vſque ad illas contractas vixiſſet, patruúmque in illo lucro excludere. l. in quibus, 7. & ſeq. C. de ſecund. nupt. ac proinde cùm lex regni Suitatem liberis maribus, Regis natu maximis, perpetua ſerie addixerit, eam legem in omnibus liberis ac poſteris in infinitum obſeruandam eſſe. l. 1. §. 1. de legat. 1. d. l. liberorum, de verb. ſignif. l. 3. §. pen. de aſſign. libert. Quantum ad decimum, quo dictum eſt, priuilegium propter perſonæ condicionem conceſſum, ad eius ſucceſſores non pertinere: duobus modis reſpõdemus. Primùm enim vbi par eadémque ſucceſſoris condicio eſt, quæ fuit defuncti, ius defuncto conceſſum, cum ipſius perſona non extinguitur, ſed in ſucceſſoris perſona perſeuerat: quia cùm perſonæ condicio non mutetur, nec rei quidem ſtatum conuenit immutari, vt loquitur Imper. in l. 1. §. cæteri, C. de impon. lucrat. deſcripr. Quare cùm in filij locum ſuccedens nepos æquè Suus efficiatur, vt filius: & ad filij condicionem redactus ſit, æquum eſt in eius perſona priuilegium filij permanere. vt, quemadmodum ſuperius diximus, aliud eſſe Suitatem, aliud ius ſui: eodem modo iam dicamus, aliud eſſe primogenituram, aliud ius Primogenituræ, illam cum perſona interire, hoc à nepote adipiſci. Reſpondemus præterea, dignitatem gradui primogeniti tributam, non tam ipſius perſonæ aut condicioni tributam, quàm ipſius gradui & loco: ſicuti cùm immunitas aut vocatio, certo generi ac familiæ conceditur, in perpetuum ſuccedẽtibus durat: vt ait l. 1. l. 4. de iur. immu. l. vocatio, 13. de mun. & hon. l. 3. § 1. l. 4. §. 1. l. 4. §. quãquã, de cenſib. Quare cùm in filij gradum locúmque nepos ſucceſſerit, iniquum eſſet eum illo priuilegio, quod filij gradui locóque attributum fuerat, priuari. Nam pari modo videmus ſeruitutem loco alicui debitam, vnà cum loco ad omnes loci emptores tranſire. l. ſi aquæ, 47. de contr. empt. l. 1. §. permittitur, de aqua quot.

Differre plurimum inter Regum & priuatorum hereditates.

QVANTVM ad vndecimum, quo dictum eſt, ſpem hereditatis non aditæ in ſucceſſorem non transferri, ac proinde Suitatem primogeniti, quæ ſpes eſt hereditatis regiæ, in ipſius nepotem ei ſuccedentem non tranſire: Reſpondeo, longè diſparem eſſe cauſſam hereditatis priuatorum, & hereditatis Regum. Nam illa certæ perſonæ intuitu, ac propter amorem & ſtudium teſtatoris in perſonam instituti, Titij, puta, aut Petri, aut Ioannis, relinquitur. l. 4. De confirm. tut. l. filium, 5. §. ſed etſi, De legat. præſt. In quibus autem certæ perſonæ ratio habetur, ea perſonalia ſunt, nec ad heredes tranſmittuntur. l. 3. l. 4. §. quamquam,

A De cenſib. Quapropter nec hereditas caræ alicui & dilectæ perſonæ deſtinata, ſi ea perſona ante teſtatorem moriatur, in ipſius heredes tranſmittitur. l. 1. §. in nouiſſimo, C. de cadu. toll. l. quoniam, 7. C. de iur. delib. l. ſi ex pluribus, 9. D. de ſuis & legit. l. 3. §. adquirere, D. de bonor. poſſeſſ. quippe, cùm hereditas non adita non numeretur in bonis. l. pretia, 63. D. ad leg. Falcid. ac proinde non plus ad heredem tranſmittatur, quàm penes defunctum fuit. l. nemo, D. de reg. iur. l. 3. C. de

B ſecuit. & aqu. ac pari modo ſeruitus, quæ certæ perſonæ, veluti fratris aut generis contemplatione impoſita eſt, in heredem ipſius non tranſit l. 4. l. penultim. De ſeru. ruſt. Regia autem hereditas, quæ neque à Rege, neque ex ipſius iudicio, amore, aut ſtudio erga ſucceſſorem proficiſcitur, ſed ab antiqua populi lege, filio natu maximo deſtinata eſt, non perſonæ, ſed gradui, loco & ætati deſtinata in-

C telligitur. quemadmodum videmus ea quæ generi, aut familiæ alicuius attribuuntur, poſteris omnibus, qualeſcunque, ſint, attributa intelligi. l. 1. l. 4. De iur. immunit. quod idem traditur de priuilegio quorundam officialium, filiis ac nepotibus conceſſo l. 1. l. 2. C. de priuileg. eorum qui in ſacr. Et in hanc ſententiam doctiſſime quondam ſcripſit Ioannes de terra rubea, Gallus Iuriſconſultus & Regis Caroli VI. aduocatus in tractat. contr. rebel. 1.

D concl. 11. Adeò, inquit, ex ſola vi conſuetudinis & legis in regno Franciæ ſuccedìtur, quod ſicut nec ex voluntate diſpoſitiua, & teſtamentaria regis ſucceſſio defertur, ſic nec ex tacita voluntate: ſed ſola conſuetudo defert regnum ſuccedenti. Item, Primogenitus, aut alius in regno Franciæ ſuccedens, non eſt, nec propriè dici poteſt heres eius cui ſuccedit, nec patrimonialiter ſucceſſor: ſed ſolùm ſucceſſor: quadam ſimplici & non hereditaria ſuc-

E ceſſione in vim conſuetudinis, ſiue legis, quæ illi confert ſucceſſionem. Item, Vbi lex vel conſuetudo in patrimonialibus defert primogenito ſucceſſionem, nihilominus ſucceſſor alien cui ſuccedit dicitur ſucceſſionem obtinere, & illius heres eſſe: quamuis hoc caſu, quo conſuetudo regnum defert primogenito, aut aliis, ſucceſſor à Rege cui ſuccedit, regnum aut eius ſucceſſionem obtinere non dicatur, nec eius heres exiſtere. Ratio differentiæ eſt, quia

F in patrimonialibus de iure locus eſt ſucceſſioni hereditariæ: ſed in regnis nõ eſt. Cæterùm ſucceſſor in patrimonialibus dominiis habet multò plenius ius, quàm Rex in regno. Nam ille poteſt vendere, alienare, diminuere, & etiam per alienationes patrimonia in alios transferre: ſic quod conſequenter liberi eius nihil ex iis vendicabũt: quæ tamen Rex agere non poteſt: nec per aliquas alienationes ad alios regimen transferre: Item Conc. 18. Rex Franciæ non poteſt tollere ſuc-

G ceſſionem ei qui ſucceſſurus eſt in regno: quia nõ ex eius diſpoſitione & voluntate ſuccedit ei: ſed ex ſola vi conſuetudinis, etiam illo inuito. Hæc ille. quæ referunt & ſequuntur Gulliel. Bened. in c. Raynutius, in verb. in eod. teſtamento, nu. 147. 148. Tiraquel. de iur. primogen. Carol. Molin. conſ. Pariſ. de mater. feud. §. 8. gloſſ. 3. nu. 8.

Prius

Prius autẽ Oldrad. idem ſcripſerat in conſ. 224. Iſtæ ſunt allegationes: & Baldus in conſil. 111. à capite inchoantes. vol. 3. Simul etiam intelligitur, quemadmodum reſponderi oporteat illi diſputationi, qua diximus, Regiam hereditatem iis perſonis deferri, quæ naturaliter deſignantur, puta filio, vel cognato, & ſanguine coniuncto: non autem iis quæ ciuiliter: putà filioſa. & Suo heredi. quia quamuis Iuſtinianus in ſucceſſionibus liberorum naturæ & ſanguinis iura, non autem ciuile Romanorum ius ſi ſecutus, totúmque Suorum & emancipatorum diſcrimen, quãtum ad hanc cauſſam, ſuſtulerit, Nouell. 110. tamen Suorum heredum nomen non abrogauit: ſed paſſim in ſuis libris & conſtitutionibus retinuit & vſurpauit. quia Sui heredis nomen non tam ex patria poteſtate deſcendit, quàm ex eo, quod ſui potius quàm alieni patrimonij hereditatem ac plenum dominium adipiſcitur. d. l. in ſuis, & §. 2. De hered. qualit. & diff. Suus heres denique non patris beneficio, ſed beneficio legis XII. tab. & ipſo iure heres exiſtit. l. vltim. D. de bon. damnat. l. in ſuis, 14. D. de ſuis & legit. l. penult. §. pen. D. de bon libert. quare cùm in regni ſucceſſorem illa duo competant, quę nominis illius propria fuerunt, nimirum vt ſemper ſit ex numero liberorum (certè quidem poſterorum à primo inueſtito deſcendentium) & hereditatem ſibi à lege Regni deſtinatam accipiat, dubitari non poteſt, quin ei Sui heredis nomen aptiſſimè a nobis accommodetur: adeò vt iam non incommodè dici poſſit, Sui heredis nomen non tam ciuiliter, nempe ex patria poteſtate, quàm naturaliter, hoc eſt, ex qualitate filij, vel certè poſteri, & deſcendentis ex primo inueſtito & legitima plenaq; ſui patrimonij adoptione vſurpari. ſicuti videmus Filij nomen etiam nepotibus, pronepotibus, & aliis inferioribus attribui. l. liberorum, 220. & infrà, 201. D. de verb. ſignif.

Reſponſio ad obiectionem de aliarum gentium inſtitutis.

QVANTVM ad duodecimum, quo dictum eſt, multas iſtiuſmodi magnatum rerum cõtrouerſias inter patruum & nepotem ita diiudicatas fuiſſe, vt patruo hereditas adiudicaretur: quadruplex nobis in promptu reſponſio eſt: quarum hæc prima eſſe debet, Controuerſias non nudis exemplis, ſed legibus diiudicandas eſſe. l. nemo, 13. C. de ſent. & interloc. l. ſed licet, 12. De off. præſid. l. vlt. C. ſi contra ius vel vtilit. quibus locis ſtatuitur, vt iudices non tam rerum ab aliis iudicatarum auctoritatem, quàm iuſtitiam & æquitatem in iudicando ſequantur. Et profectò ita eſt, vt innumera propè rerum de hac ipſa controuerſia variè ac diſſimiliter iudicatarum exempla paſſim apud auctores extent: quæ putidum eſſet hoc loco commemorare: præſertim cùm eorum copiam affatim videre liceat maximam apud Andr. Tiraquellum in libro de iure primigeniorum. vt omittam quod multò maxima controuerſiarum illarum pars non argumentis & rationibus in iudicio ponderatis, ſed ferro & armis diſceptata eſt. Altera reſponſio huiuſmodi eſt. Inſtituta & mores populorum non pro

A rebus contradicto iudicio diſceptatis, & rationibus vtraque ex parte diſquiſitis, atque agitatis, de quibus nunc agitur, proferendos eſſe. aliud enim eſt res iudicata, aliud lex gentis alicuius exteræ plerumque barbara, qualis illa eſt Numidarum, de qua Liuius lib. 29. ita ſcribit: Militãte eo (de Maſiniſſa loquitur) pro Carthaginenſibus in Hiſpania, pater eius moritur. (Galæ nomen erat) regnum ad fratrem Regis Deſalcem prægrandẽ natu (mos ita apud Numidas eſt) peruenit. B Deinde animaduertendum eſt, leges illas Lacedæmoniorum & Vandalorum, de quibus ſuperius dictum eſt, nominatim ætatis grandioris mentionem feciſſe, eiúſque in his cauſſis rationem haberi voluiſſe: vt ea quæ grandior eſſet, minori præferretur: nimirum propter regni adminiſtrationem, in qua ſine dubio prudentiæ, vſus rerum, & ætatis ratio habenda eſt. Verùm vbi non adminiſtratio, ſed ius quæritur, nulla æ- C tatis ratio habetur. Itaque antiquis Romanorum legibus tutela legitima, ad eundem agnatum proximum, quamuis impuberem, pertinebat, ad quem ſpes hereditatis & bonorum conſeruãdorum periculum redibat: non quidem adminiſtratione (nam interea curator & adminiſtrator ipſius loco ſufficiebatur) ſed iure duntaxat, & nudo nomine, tantiſper ſcilicet, dum iuſtam ætatẽ adeptus eſſet. l. vlt. C. de legit tut. § item maior, Inſt. de excuſ. tut. vnde intelligi- D tur, multum inter ius & adminiſtrationem intereſſe. ob eamque cauſſam ſuperius oſtẽdimus, Lycurgum Regis Eunomi filium minorem, vt primùm Charilaus ipſius ex fratre defuncto nepos poſtumus in lucem editus eſt, Regis nomen depoſuiſſe, ſolúmque adminiſtratoris nomen retinuiſſe, cùm infanti ius ac nomen Regis, ad ipſum propriè pertinens, relinqueret. quod eodem modo in regno Francorum obſeruatur, vt E ius ac nomen Regis ad nepotem, etiam infantem pertineat: Regni autem adminiſtratio, & pueri tutela patruo tantiſper committatur. Itaque Ludouicus cognomento Diuus anno ætatis decimo rex inauguratus eſt. Ioannes Ludouici Hutini poſtumus dies quindecim natus dum inaugurandi cauſſa Rhemos deferebatur, in itinere vita exceſſit. Olim Carolus Octauus, infans: nuper Carolus nonus, puer communi, omnium conſenſu inauguratus eſt. Tertia reſponſio eſt, F quòd illa cauſſa, quam Æmilius Probus commemorat, nihil omnino cum hac noſtra vel commune habet, vel ſimile. Nam illius hæc verba ſunt: Mortuus erat Agis, Rex, frater Ageſila. filium reliquerat Leotychidem. Is de honore regni cum Ageſilao ſuo patruo contendit: neque id quod petiit conſecutus eſt. Nam Lyſandro ſuffragante, homine factioſo, & his temporibus potente, Ageſilaus antelatus eſt. Quibus ex verbis apparet, non Regis nepotem eum Regis filio. vt in hac cauſſa, ſed Regis filium eum Regis fratre (quæ diſſimillima & iniquiſſima cõ- G tentio eſt) diſceptaſſe. quod etiam Xenophon in Ageſilai vita dilucidè commemorat, his verbis: ἐπεὶ γὰρ Ἆγις βασιλεὺς ὢν ἐτελεύτησεν, ἐρισάντων ἀμφὶ τῆς ἀρχῆς Λεωτυχίδα μὲν ὡς Ἄγιδος ὄντος υἱοῦ: Ἀγησιλάου δὲ, ὡς Ἀρχιδάμου, κρίνασα ἡ πόλις ἀνεγκλητότερον εἶναι, Ἀγησίλαον, καὶ τῷ γένει, καὶ τῇ ἀρετῇ, τοῦτον εἵλετο βασιλέα: hoc eſt, Poſtquam

Agis rex vita exceſſit, ac de tegno cœpere inter ſe contendere Leotychides, vı Agidis filius, Ageſilaus autem vt Archidamı, ciuitas iudicans Ageſilaū minus & à genere & à virture inuidiæ & criminationi ſore obnoxium (nam Leotychidem multi quaſi non legitimum criminabantor, vt Pauſaoias, & idem ptobus teſtantur) eum ſibi Regem aſciuit. Nihilomagis moueri quenquam oportet, illo Papæ Clementis iudicio: quia ſatis conſtat, Papam infeſto in Fridericum Imperatorem auimo id feciſſe: cùm Impetator de Principum Germanorum conſilio nepoti Vngariæ Regi paulò ante tegnum adiudicaſſet, Robertúmque illum, quia Papam vnicum eios feudi dominum agnoſcebat, tepudiaſſet: quemadmodum Michael Ricius lib. Reg. Sicil. 3. commemorat. Itaque Baldus nibil veritus eſt ſcribere, Papam in illa cauſſa potius fuiſſe partialem, quàm Apoſtolicum. in l. liberti libertæque, C. de bon. libert. & alio loco Papam non potuiſſe mutare dominium Regis Vngatiæ tūc indefenſi, ſed habuiſſe rationem poſſeſſionis illius Roberti, qui tum illud regnum obtinebat. neque ſine magnis motibus & multis cædibus expelli deregni poſſeſſione potuiſſe: eámque opinionem pro oepore inualuiſſe in Regno Franciæ & Angliæ. Hæc Baldus in l. ſi viua matte, C. de bon. matern. & in l. cùm in antiquioribus, 19. C. de iur. delib. & in conſil. 38 9. conſuetudo, numero 8. vol. 2. Quod verò pletique doctores vulgò ad illud Papæ iudicium pertinere putant. c. paſtoralis, De re iudic. in Clement. planè abſurdum eſt, cùm in illa tota diatribe ne vox quidem vlla ad illam controuerſiam pertinens teperiatur. & turſus in l. ex hoc iure, De iuſt. & iut. & in leg. 3. C. de ſuis & legitim vbi teſtatur idem fuiſſe iudicatum per Regem Angliæ, de conſilio ſuorum procerum, pro nepote filij primogeniti, quòd præferatur patruo maioris ætatis, & quòd moriens diſpoſuit regnum pertinere ad nepotem ſuum, excelſi Principis de Gales filium. His enim ipſis verbis vtitur. Pandolphus autem Collenutius libto hiſtor. Neapolit. 5. in hanc ſenteotiam ſcribit: Robertus tertius Caroli ſecundi filius, Auenione tum erat, cùm pater ipſius vita exceſſit. ibique regni ſucceſſor declaratus, priuſquam ex prouincia decederet, Rex à Papa Clemente qointo inauguratus eſt: cuius tei controuerſiam ei ſubito mouit Carolus, fratris ipſius Caroli Martelli Vngariæ Regis & Clementiæ Rodolphi Imperatoris gnatæ filius: cùm diceret, eam ſibi ſucceſſionem ex patris perſona deberi, cuius in ius ac locum ſucceſſerat: qui tamen antè Carolum Regem, auum ſuum, obirtat. Hac de cauſſa illius ætatis Iuriſconſulti certatim nobilem hanc quæſtionem tractarunt. In ſucceſſione ſeudorum ac regnorum vter alteri præferatur, natu minor filius, an ex maiore natu præmortuo nepos. Hæc ille. Quarta reſponſio eſt, quòd etiamſi nonnunquam certis de cauſſis pro patruo iudicatum eſſet, tamen vetus Galliæ conſuetudo quæ pro lege valet, ſeruanda eſt: de qua bonus auctor in primis teſtatur, Otio Friſing. lib. Frid. 2. cap. 29. iis verbis quæ ſubſcribemus: Mos eſt in omnibus pene Galliæ prouinciis, quod ſemper ſenioti

A fratri EIVSQVE LIBERIS paternæ hereditatis cedat auctoritas: cæteris ad illom, tanquam ad dominum, reſpicieotibus.

De Germanici Imperij legibus, & Electoratuum ſucceſſione atque adminiſtratione.

VERVM in Imperio Germaoico, & regno Hiſpaniarum omnis hac de re litigandi faculras ſublata eſt. B Nam in imperij legibus, & Bulla aurea Caroli quarti caput hoc totidem verbis ſcriptum eſt: Decernimus, vt poſtquam iidem Principes electores ſeculares, & eorum quilibet eſſe deſierint, ius, vox & poteſtas electionis huiuſmodi, ad filium ſuum primogenitum, legitimum laicum: illo verò non exiſtente, ad eiuſdem primogeniti primogenitum, ſimiliter laicum, liberè & ſine contradictione cuiuſpiam deuoluatur. Si ve- C rò primogeoitus huiuſmodi abſque heredibus maſculis legitimis laicis ab hac luce migraret, virtute præſentis Imperialis edicti, ius, vox & poteſtas electionis prædictæ, ad ſeniorem fratrem laicum per veram paternam lineam deſcendentem, & deinceps ad illius primogenitum laicum deuoluatur: & talis ſucceſſio in primogenitis & heredibus Principum eorundem iure, voce & poteſtate præmiſſis, perpetuis temporibus obſeruetur: ea tamen con- D dicione & modo, vt ſi Principem electorem, ſeu eius primogenitum, aut filium ſeniorem laicum mori, & heredes maſculos & legitimos laicos defectum ætatis patientes, relinquere contigerit, tunc frater ſenior eiuſdem primogeniti, tutor eorum & adminiſtrator exiſtat, donec ſenior ex eis legitimum ætatem attigerit, quam in Principe electore XVIII. annos completos cenſeri volumus, & ſtatuimus perpetuò haberi: quam dum attigerit, ius, vo- E cem & poteſtatem, & omnia ab ipſis dependentia, tutor ipſe ſibi totaliter cum officio teneatur protinus aſſignare. Hactenus aureæ Bullæ caput: ex quo doæ inſignes (vt illud obiter obſeruetur) Imperij Germanici leges notandæ ſunt. quarum hæc prima eſt, Nullam eſſe de Electoratus hereditare teſtamenti factionem, non magis quàm de feudi ſucceſſione. c. 1. De ſucceſſ. feud. quoniam vbi lex certa de re F ſtatuit, nullam homini ad diſponendum facultatem reliquit. leg. nemo, 55. D. de legat. 1. leg. 1. C. de vſufruct. Electoratus igitur hereditas ad primogeoitum defuncti vel ad primogeniti primogenitum in infinitum pertinet. Vnde intelligitur, Electoratus hereditatem non pro ætatis, ſed pro ſtirpis & lineæ prærogatiua deferri: ac proinde (id quod quæſtionis noſtræ proprium eſt) ſi Electoris defuncti frater ſimul & filius exſtent, non vtique ad fratrem, quamuis G natu maiorem, ſed potius ad filium, quamuis natu minorem, Electoratus hereditatem pertinere. Cuios rei exemplum hodie in Electoris Palatioi nouiſſimi filio Illuſtriſſ. Frederico, & eiuſdem patruo Illuſtriſſ. Caſimiro licet aoimaduertere. Poſtrema eſt, vbi io Electoris ſucceſſore idonea ætas ad electoratus adminiſtrationem deficit, eam tutelam atque adminiſtrationē interea

interea proximo ipſius agnato committi: ſumma A prouidentia (vt Vlpianus loquitur) vt ad quem ſucceſſionis ſpes pertinet, ad eum quoque adminiſtrationis onus pertineat.l.1.D. de legit.tut. Vnde ſequitur, nihilo magis Electoribus licere de ſuis principatus adminiſtratione, quã de ipſius hereditate & ſucceſſione teſtari: quoniam, vt modò dicebamus, qua de re lex certam iuris formam præſcripſit, de ea diſponendi facultatem hominibus omnibus ademit.l.reſcriptum,10. D. de pact.l. cerdonem,42. D. de op. libert. l.quod bonis,15.§.1.D.ad l. Falcid. l. Neratius, 20.D.de religio.neque ad rem pertinet,quod antiquo iure B Romanorum conſtitutum fuerat,vt tutela teſtamento data legitimam excluderet.l.ſi quis, 11.D. de teſtam. tut. Nam eodem Romanorum iure, hoc eſt in lege XII. tabul. certum eiuſmodi caput fuit,quo nominatim illud cautum & expreſſum fuerat: vt tam tutela, quàm hereditas teſtamentaria legitimam excluderet, leg. 3. §. ſi duo, D.de legitim. tut. adeò vt teſtamentaria tutela illo reſpectu verè proprieque Legitima diceretur: ac proinde legitima prior poſteriorem legitimam excluderet. l. lege obuenire, C 130. D. de verb. ſign. At in aurea Caroli quarti bulla, nullum eiuſmodi, vel de hereditate, vel de tutela Electoratus legitima caput exſtat. imò teſtamenti factio æquè de vtraque nominatim ſublata eſt: cautùmque diſertè, ſicut in iure Romano, vt tutela Electoralis hereditatis,electoralis conſequentia ſit. l. 3. D. de legit. tut. §.1.De legit. patron.tut.l.quo tutela, 73. D.de reg.iur. D

De iure regni Hiſpanici.

SEd iam ad inſtitutum redeundum eſt,& de Hiſpanorum iure demonſtrandum.Nam lege Taurina, quam Hiſpanico ſermone Didacus Couarruuius Epiſcopus Hiſpanus edidit,cautum his verbis reperio: MAIORA feuda, quorum ſucceſſio ad primogenitos pertinet, ſi primogenitus moriatur,viuo feudi poſſeſſore,relicto filio vel nepote, aut alio legitimo recta linea deſcen- E dentes iſti legitimi præferentur pro gradus prærogatiua,ſecundo genito poſſeſſoris feudi.Quod obtinebit non tantùm in iis qui recta linea deſcendunt,verùm etiam in iis,qui ex latere & tranſuerſa linea propendunt, vt ſemper filij primogeniti filius,& qui ex eo deſcendent, patris perſonam repreſentent:quamuis pater feudum non poſſederit.Et huius legis Hiſpanicæ mentionem facit Paul.Caſtrenſ.in conſil.15.in præſenti cauſ- F ſa,vbi etiã teſtatur Baldum in l. 3. C.de iur delib. ſcribere hanc conſuetudinem receptam eſſe in magnis regnis Francorum & Anglorum,ſubiungens ſtandum eſſe relationi tanti viri. Quapropter ex his & innumeris aliis exemplis, argumẽtis, atque auctoritatibus iterum ſine vlla cun- G ctione concludendum arbitror, Regni ſucceſſionem non modò iuris & feudalis & ciuilis, verùm etiam æquitatis naturalis ratione, ad ſolùm nepotem, ex filio natu maiore præmortuo, excluſis reliquis omnibus,tam patruis,quàm patruelibus,pertinere.

Appendix ad ſuperiorem diſputationem: qua docti cuiuſdam viri libello reſpondetur.

CVM multis huius doctiſſimi libelli locis ita de eo diſſeritur vt aliquis fortaſſe dicturus ſit, ſe vel ænigmata Sphingis vel ægri ſomnia, legere,tum verò vbi de ſucceſſionibus bonorum & earum diuiſione ea traduntur, quorum ſententiam nemo (vt opinor) mortalis aſſequi coniectura poſſit. *Neceſſe eſt*,inquit, *hereditatum tot eſſe ſpecies,quot ſunt ſucceſſionum in vniuerſum ius defuncti.* At vel ex Inſtitutionibus dicere poſſumus,bonorum poſſeſſionem eſſe ſucceſſionem in ius vniuerſum defuncti:cauendum tamen Imperator monet,ne illam hereditatis nomine appellemus:quia prætor,inquit,heredes non facit.pro neque ad rem pertinet quod Hereditatis poſſeſſionem Cicero Verrina III. dixit pro bonorum poſſeſſionem: nam hoc abuſiuè & impropriè dici conſtat,item vt in l.3 §.1.D.de bon poſſeſſ. & pari abuſione Vlpianus in l. 5. dixit dominiũ rerum per bonorum poſſeſſionem tribui cum tamen prætor dominium nõ tribuat.l.3.D l.ſi vſuſfru.pet.Similiter aquiſitio per arrogationem eſt ſucceſſio per vniuerſitatem: inquit idem Imperator. Itaque ſi arrogatus decedat, ſuccedit quidem arrogator in ius defuncti vniuerſum:neque tamen hereditas illa dici poterit. Item Addictio bonorum, libertatum conſeruandarum cauſſa, inter vniuerſales ſucceſſiones ab eodem Imperatore numeratur: neque tamen hereditatis nomine appellari poterit. Omnis igitur hereditas, ſucceſſio eſt,at nõ omnis ſucceſſio eſt hereditas.Cedenti bonis ſuccedit creditor,quaſi mortuo inquit Vlpianus:non tamen hæc hereditas eſt. Deportato cum bonorum publicatione ſuccedit fiſcus. nihilo tamen magis hæc hereditas appellabitur. Deinceps ſequentia videamus, quæ negabit (vt opinor) aliquis antehac vel per ſomnium audita fuiſſe. *Succeſſionum*, inquit, in *vniuerſum ius defuncti aliæ ſunt patrimoniales, & ex iudicio defuncti deferuntur: aliæ ex remotione alterius.* Primum omnium diuiſionis ratio flagitabat,vt ſi ſucceſſio vna diceretur patrimonialis,ex aduerſo conſtitueretur altera non patrimonialis.Cuius ſpeciei mentionem non puto vnquam poſt ius ciuile conditum auditam fuiſſe. Nam patrimonij nomen apud Iuriſconſultos bona iuraque omnia patrisfamiliâs ſignificat.Cũ autem de ſucceſſione in vniuerſum ius defuncti diſſeratur,neque vlla in hoc diſputationis genere ſucceſſio intelligatur, niſi in bona & iura patrisfamilias, ſequitur vt nulla in eodem genere niſi patrimonialis & bonorum ſucceſſio ſit. Videamus cętera.nam ſicuti rectiſſimè dictum erat, vnam ſpeciem ſucceſſionis deferri ex iudicio defuncti, ita neceſſe fuerat, ſubiicere alteram deferri non iudicio defuncti ſed lege: nempe quæ vel ſuis,vel agnatis ex inteſtati cauſa defertur.At in locum iſtarum ſpecierum,hanc nouam & certè inauditam ſubſtituit, vt *alia fiat ex remotione alterius*. Nam ponamus exheredari filium. an idcirco,quia filius remotus eſt, ſequetur, ſcripti heredis ſucceſſionem non eſſe patrimonialem? Age,reliqua audiamus. *Rurſus*, inquit,*ſucceſſio-*

A *num ex remotione alterius alias eſſe electiuas, alias*
iure ſanguinis per legem ſeu conſuetudinem deferri, ne dependij quidem ignorant. Anni ſunt propè
quinquaginta ex quo depondius eſſe deſij: complures ſunt in hac vrbe longè ab infimo illo diſcipulorum gradu diſiuncti, & iampridem Iuriſconſulti graues, eruditi, celebris. Nego illorum
quenquam eſſe, qui nouum hoc diuiſionis genus
fando vnquam audierit. Nam ſi vel exheredatis
liberis, vel contemptis agnatis, cognatiſque
B omnibus, extraneus aliquis heres inſtituitur, certè nec iure ſanguinis, nec lege aut conſuetudine
heres efficitur: ſed ſolo teſtatoris iudicio: & (vt
hic nouo modo dicitur) electione. Conſimile eſt
illud: *Aliud igitur eſt ius hereditarium patrimoniale, aliud ius hereditarium electiuum, aliud ius hereditarium regale.* Nam quæcunque eſt hereditas (vt hìc appellatur) electiua, eadem certè
patrimonialis eſt. Commiſcere autem ſucceſſionum regalium iura (quæ feudalia eſſe conſtat)
C cum earum hereditatum iuribus, quæ priuati relinquunt, & ad ius Romanum pertinent, idem
ferè eſt quod variorum ciborum varia decocta
iura confundere: vt omittam quod ſucceſſio
feudalis, ſiue regia, non appellatur hereditas:
quia non à poſtremo defuncto, ſed à Genarcho,
ſiue primo & antiquiſſimo Inueſtito, quaſi per
manus eorum tradita, qui in eadẽ ſtirpe ſunt, accipitur. Ex eodem Iuriſprudentiæ genere video
iam aliud non minus inauditum. *Finge*, inquit,
D *Sempronium in primis tabulis conſobrinum heredem inſtituiſſe, in ſecundis nepotem ex fratre defuncto, in tertiis fratrem ſuperſtitem. Quæro abs te, quis horum erit proximus iure hereditario in ſucceſſione iſtius Sempronij. Vtrum frater gradu proximus, an conſanguineus remotiſſimus? An negabis proximitatem ſucceſſionis ex defuncti iudicio eſſe æſtimandam? Ergo priuati cuiuſque voluntas poteſt efficere vt qui eſt remotiſſimus, imo extraneus, pro proximo in ſucceſſione habeatur.* Primum
E omnium dicere poterit aliquis, & iure poterit,
proximi gradus nomen nunquam in cauſſa teſtamentaria vſurpari: quoniam in illa cauſſa nulla
graduũ cognationis ratio habetur: quippe, cũ etiã
extraneus (vt modò dictũ eſt) neglectis cognatis
omnibus rectè inſtituatur. In ſola igitur inteſtatorum & legitimarũ hereditatum cauſſæ graduũ & proximorũ mẽtio inducitur. Et tamẽ cõplures ſunt huius libelli paginę, in quibus magno labore, atq; adeo ſudore, (vt pag. 32. loquitur) & de
F Proximo & de Proximitate in cauſſa teſtamentaria diſſeritur. Quærere prętereà poterit aliquis,
ecquando vnquam illæ locutiones auditæ ſint,
aut verò quemadmodum intelligi poſſint: *Sempronius in primis tabulis illum, in ſecundis illum, in tertijs illum inſtituit.* Nã ſi omnes inſtituit, certè
non in pluribus, ſed in vnis tabulis omnes ſimul
inſtituit, & coheredes eſſe voluit. Si de vulgari
aut fideicommiſſaria ſubſtitutione nos loqui reſpondebimus, idem referre poterit: In pupillari
G verò ſubſtitutione mentio quidem fit primarum
& ſecundarum tabularum: ſed hoc nihil ad noſtrum inſtitutum pertinet, quia primæ tabulæ ex
Proculianorum ſententia dicebantur, in quibus
pater ſibi pupillum heredem ſcripſerat, ſecundæ
in quibus pupillo aliquem heredem inſtituerat.
Eædem etiam ſuperiores & inferiores dici ſole-

A bant: alio loco, duplices: alio item loco principales & ſecundæ. Sed Sabiniani vnas tabulas vnũ eſſe teſtamentũ contenderunt l. 28. de rebus
auth. iudicis. Rurſus quamuis interdũ teſtamẽtũ
in pluribus, ſiue codicibus ſiue tabulis ſcribatur,
tamen vnæ tabulæ cenſentur quia nemo pluribus teſtamentis, ſiue pluribus tabulis, decedit.
Itaque in illo Semproniano trium cognatorum
exemplo ſi conſobrinus in primis tabulis, fratris
filius in ſecundis, frater in tertiis, (id eſt poſtre-
B mo codice) heres ſcriptus ſit, non conſobrinus
(vt hìc nouo & inaudito iure traditur) ſed frater
ſolus heres futurus eſt: quia plures illæ tabulæ ad
vnas, nempe poſtremas, rediguntur. l. 1. l. 3. de
tab. exh. Quod eodem modo dicendum eſt, ſi ex
illis tribus ordine duos primo inſtituto ſubſtitutos fuiſſe diximus: hoc modo: Conſobrinus heres
eſto: ſi non erit, fratris filius eſto: ſi non erit, frater eſto. Nam ſi conſobrinus hereditatem adierit,
non proximitatis iure, quod lex induxit, ſed te-
C ſtamenti iure, quod defunctus induxit, ſolus
heres futurus eſt. Nihilominus mirum illud videbitur, quod conniuenter ſubiectum eſt, *conſobrinum ideo heredem fore, quia proximitas ſucceſſionis ex defuncti iudicio æſtimatur: & priuati voluntas facit vt qui eſt remotiſſimus atque adeo extraneus pro proximo habeatur.* Mirandum, inquam, illud videbitur, Proximitatem ex defuncti
iudicio æſtimari, quoniam (vt iam ante diximus)
proximitatis & proximi heredis nomẽ in cauſſa
D teſtamẽtaria ignotum eſt: neque vnquã proximus
ex iudicio teſtatoris, ſed ex lege & graduum cognationis numero appellatus eſt. Quod enim
poeta Perſius pupillariter ſubſtitutum proximũ
heredem nominauit, id non ad cognationis gradum, ſed ad ſcripturæ ordinem referri oportet.
Hactenus de iure ciuili dictum videtur ſatis. Sequitur altera pars eius reprehenſionis, quam non
leuiter pertimeſco, noua nempe & inuſitata iuris
tractandi ratio, ex intimo Ariſtotelicæ diſciplinæ
E næ artificio deprompta. Nam pag. 4. & 5. Zampinum accuſat, quod leges τρόπῳ παιδείας nunquã
vel primis labris attigerit, quod ſi vitium eſt, certè Iuriſconſultos omnes, non modò qui hac ętate Iuriſprudentiæ laudem aſſequuti ſunt, verùm
etiam veteres illos Romanos pari ratione vituperari oportet; quorum in libris nego ſubtilis
illius & ingenioſæ artis veſtigium vllum exſtare.
Addo etiam illud, ius ciuile noſtrum iſta exacta
& ſubtili methodo tractari non poſſe: quæſtio-
F nes & cõtrouerſias iuris ab illa ratione abhorrere.
Et rationem hanc affero, quoniam Ariſtotelica
illa diſciplina propriè ad inſitorum locorum tractationem pertinet: quæ in acumine ingenij, &
ratione poſitæ, certam & firmam in exitu demõſtrationẽ exhibet. At ius ciuile noſtrum poſitum
eſt partim in locis aſſumptis, hoc eſt legum aut
Iuriſconſultorũ authoritatibus, partim in tẽporũ
varietate, & mutabili principũ voluntate, partim
etiã in variis diſſẽtiẽtiũ Iuriſcõſultorũ opinionib.
G nã (vt Quintilianus ait) Iuriſcõſultis conceſſum
erat, cõtrarias inter ſe opiniones tueri ſtãte Reipublicæ, quanta legũ aliarum (vt Liuius loquitur)
ſuper alias aceruatarum mutabilitas fuerit, nemo
ignorat. Nõ vides leges veteres (ait Cicero) aut
ipſas ſua vetuſtate conſenuiſſe, aut nouis legib.
eſſe ſublatas? Imperatorũ autẽ cõſtitutiões pro cuiuſque

iuſq; voluntate figi ac refigi ſolitas, quis ignorat? Iuſtinianus ipſe ſuas tam ſæpe refixit, immutauit, interpolauit, vt nos plerumque pigeat. De Iuriſconſultis verò, vt contrarias Sabinianorum & Proculianorum ſectas omittam, vnum aut alterum exemplum ex libris noſtris proferemus. Nam in l. penult. de teſtam. tut. verba hæc ſunt. *Trebatius ad negat illum pertinere tutelam, Labeo contra. Proculus quod Labeo. Ego Trebatij ſententiam probo.* Quid hic diuinus Ariſtoteles cum ſuo παραδείξεως τρόπῳ & Analytica ſolertia faceret? Eiuſdem generis illud eſt in l. 100. §. 1. D. de leg. 3. *Caſellius putat deberi. Ofilius & Trebatius contra. Labeo Caſcellij ſententiam probat. Ego hanc veram puto.* Et mox: *Deberi Trebatius reſpondit. Labeo id non probat. Proculus rectè ait non*

A *deberi.* Item in l. 7. de tritico vin. *Trebatius non amplius deberi putat. Ofilius, Caſcellius, Tubero omne deberi. Labeo id probat: idque verum eſt.* Quibus ex locis apparet, controuerſiarum deciſiones plerumque non tam ex ratiocinatione, quàm ex maiore authorum & Iuriſconſultorum numero pendere. Nihil igitur Ariſtotelica illa differendi ratio ad nos pertinet: neque ſecundum illam iuris noſtri quæſtiones tractari poſſunt quia pleræque, vt dixi, in authoritate veterum
B Iuriſconſultorum, non paucæ etiam hodie in Doctorum deciſionibus poſitæ ſunt: & iis quæ Communes opiniones, appellantur: à quibus (vt in forenſi prouerbio eſt) recedere in iudicando non licet.

FINIS.

FRANC. HOTMANI IVRISC.

ANTIQVITATVM ROMANARVM

LIBRI V. MAGNA EX PARTE NOVI ET POSTVMI.

Digitized by Google

FRANC. HOTMANI I.C ANTIQVITATVM ROMANARVM.

LIBER I.

LEGES, SENATVSCONSVLTA, MAGISTRATVVM MVNIA, IVRISCONSVLTORVM NOMINA, ET FORMVLAS VETERES CONTINENS.

Pars prior, continet.

LEGVM ROMANARVM ADCOMMODATAM ad Literarum ordinem enumerationem.

LEGES autem dumtaxat, quæ de iure publico ſunt, non etiam quæ de priuato, hoc eſt, ſingulis hominibus fuerunt quæ Priuilegia dicebantur, in hunc ordinem relatæ ſunt.

ACILIA Minutia de pece Carthaginienſium. Tulere M. Acilius, & Q. Minutius Tribuni plebis, Cornelio, Ælio coss. Anno ab vrbe condita DLII. Velléntne iubeŕctne ſenetum decernere, vt cum Carthaginičſibus pax fieret? & quem eem pacem dare, quémque ex Africe exercitus deportare iubereot? De pece, vti rogas, omnes tribus iuſſerunt: pacem dare P. Scipionem, eundem exercitus deportare. Liuius lib. XXX. A B

ACILIA de coloniis deducendis. Tulit C. Acilius Tribun. pleb. Cornelio, Minutio coss. Anno ab V.C. DLVI. Vt quinq; coloniæ in orem maritimam deducerentur: duæ ad oſtie fluminum Vulturni, Literniq; vna Puteolos, vna ad Ceſtrum Salerni. his Buxentum adiectum: tricenæ familiæ in ſingulas familias iubebãtur mitti. Liuius li 32. C

ACILIA REPETVNDARVM. Tulit M. Acilius Glabrio. Vt repetundarum cauſſe vna actione abſolneretur: id eſt, vt neque retum comperendinati, neque cauſſam ampliati liceret. Item vt qui accuſatores conſtituti eſſent, poteſtetem haberent literes & publiees & priuatas conquirendi, obſignandi, deportandi. Cicer. Verrin. 2. & 3. & in ſecundam Aſconius. D

ÆBVTIA DE LEGIBVS. Tulit Æbutius Tribunus pleb. Vt duodecim Tab. capita quæ Reip. propter antiquitatem obſoletéſque res inutilie eſſent, abrogarentur: ſolæ Legis actiones Centumuiralium cauſſarum manerent. Gellius lib. 16. cep. 10.

ÆBVTIA LICINIA. Vide Licinie Æbutie.

ÆLIA DE COLONIIS DEDVCENDIS. Tulit Q. Ælius Tubero Tribunus plebis, Cornelio, Sempronio, coss. Anno DLVIII. Vt Latinæ duæ coloniæ, vne in Brutios, eltere in Thutinum agrum deducerentur. Liuius libro XXXIIII.

ÆLIA DE col. ded. Tulit idem. Vt in agrum Latinum Thutinum coloniæ deducerentur. Liuius lib. XXXV.

ÆLIA DE comitiis. Tulit Q. Ælius coss. cum M. Iunio, Anno DXXCVI. Vt quoties cũ populo ageretur, augures de cœlo ſeruarent, magiſtratus & obnunciendi, id eſt denunciandi agi per Iouem non licere, & legiſlationi intercedendi poteſtatem haberent. Nam quum lex ferretur, Augures de cœlo ſeruabant: magiſtratus, ſi quid obſeruatum erat, quo impediri comitia poſſent, nunciabant. Cic. in Piſoniana, vbi centum ante Piſonis & Gabinij conſulatum annis letem hanc fuiſſe legem ſcribit, oratorie & ſuo more. Mentio eſt apud omnes frequentiſſima.

ÆLIA Sentia quæ nominetur in Topicis Ciceronis, inducenda eſt auctoribus antiquis libris,

ſententiáque ipſa & hiſtoriæ veritate poſtulante, idque iampridem interpretum nonnulli docuerunt.

ÆLIA SENTIA de manumiſſionibus. Tulere Sex. Ælius, C. Sentius COSS. Ann. DCCLVI. Vt qui ſerui pœnæ cauſſa vincti à domino, quibúſue inuſtæ notæ fuerant, quíve propter noxam torti, nocentéſve inuenti, quíve traditi vt ferro aut cum beſtiis depugnarent, quíve in cuſtodia fuiſſent, ij ſi manumitterentur non ciues Ro. ſed dedititiorum numero eſſent: id eſt, vt ne connubium, neque commercium, neque teſtamenti factionem haberent. Vt minorem triginta annorum ſeruum vindicta aut teſtamento, niſi cauſſa apud conſilium probata, manumittere non liceret. Ne dominus annis viginti minor, ſeruum niſi cauſſa apud Conſilium probata manumitteret. Vt ſeruus ab eo domino qui ſoluendo non eſt, teſtamento liber eſſe iuſſus, & heres inſtitutus, & ſi minor ſit triginta annis, vel in ea cauſſa vt dedititius fieri debeat, ciuis Rom. & heres ſit, ſi tamen alius ex eo teſtamento nemo heres ſit. Quòd ſi duo pluréſve liberi herédéſve eſſe iuſſi ſunt, primo loco ſcriptus liber & heres ſit. Vt ſi patronus libertum inopem non aluerit, primum libertatis cauſſa impoſitis tam ipſe, quàm is ad quem ea res pertinebit, multetur: dein ipſius hereditate, tum ipſe tum ipſius liberi priuentur, niſi heres inſtitutus ſit. poſtremò à bonorum poſſeſſione remoueatur, præterquam ſecundum tabulas.

NE dominus in manumittendo ſeruo ſeruáve legem ei de contrahendo matrimonio, quæ ciuis Rom. libertatem imminuat, imponat: ſi ſecus faxit, ad eius legitimam hereditatem ne admittatur. Vlpianus & Iuſtinianus in Inſtitu. item Iulianus l. qui ſoluendo, 42. Paullus l. ſi is qui, 55. l. ſi is qui, 57. l. qui ſoluendo, 60. l. ſi non lex, 83. D. de heredibus inſtit. l. ſciendum, 70. D. de verborum ſignifi. l. 1. C. qui manum. non poſſ. l. 3. §. 2. D. de ſuis & legit. l. ſi patronus, 33. D. de bon. libert.

ÆLIA de Statilio. Tulit C. Ælius Tribun. ple. qua damnatus eſt Stennius Statilius Lucanus, quòd Thurinos infeſtaſſet. Plinius lib. 34. cap. 6.

ÆMILIA CIBARIA. Tulit M. Aemilius Lepidus coss. cum Q. Lutatio Catulo, An. DCLXXV. Hac non ſumptus cœnarum, ſed ciborum, genus & modus præfinitus eſt. Gellius libro 2. cap. 24. Macrobius Saturn. lib. 3. cap. 17.

ÆMILIA DE CENSVRA. Tulit Mam. Aemilius Dictator, Anno CCCXX. Ne cenſura quæ vſque eò quinquennalis fuerat, plus quàm annua ac ſemeſtris eſſet. Liuius lib. 4. & 9.

ALLIENA DE TERMINIS. Tulit. Eius hoc caput legitur in libro De agrorum condicionibus valde corruptum: ſed ex Roſcia, quam ſuo loco deſcribemus, ſic caſtigauimus: Quæ colonia hac lege deducta, quódve municipiū conſtitutū erit, qui limites decumani, quæcunque foſſæ in eo agro erunt: qui ager hac lege datus aſſignatus erit, ne quis eos limites decumanos obſepito, néve quod in eis immolitum, nevé quid ibi poſitum habeto, nevé eos arato, nevé eas foſſas obturato, nevé quis ſepito, quo minus ſuo itinere à qua ire fluere poſſit. Si quis aduerſus ea quid fecerit, in res ſingulas quotieſcunque fecerit, †† in colonis, municipibúſve iis in quorum agro id factum erit, dare damnas eſto: pecuniæ qui volet petitio hac lege eſto.

AMPLIA LABIENA de Cn. Pompeio. Tulere T. Ampius, T. Labienus Tribuni pleb. Metello, Afranio coss. Anno DCXCIII. Vt Cn. Pompeius victor ex Aſia ludis Circenſibus corona aurea & omni cultu triumphantium vteretur, ſcenicis autem prætexta coronáque aurea. Velleius lib. 2.

ANNARIA LEX dicebatur ab antiquis ea, qua finiuntur anni magiſtratus capiendi. Feſtus vide VILLIA.

ANTIA SVMPTVARIA. Tulit Antius Reſtio. De ſumptu in conuiuia. &, Vt qui magiſtratus eſſe, magiſtratúmve capturus eſſet, ne quò ad cœnam niſi ad certas perſonas iret. Gell. lib. 2. c. 24. Macrobius l. 3. c. 17.

ANTISTIA DE Satricanis. Tulit M. Antiſtius Trib. ple. Foſlin (vt opinor) & plautio coss. Ann. DCXXXV. Vti Senatui de Satricanis ciuibus Ro. ſententiæ ferendæ ius eſſet. Liuius lib. 26.

ANTONIA IVDICIARIA. Tulit M. Antonius COS. cum C. Iulio, Anno DCCIX Vt tertia iudicum decuria, è centurionibus, anteſignanis, alaudis, manipularibus fieret. Cic. Philipp. 1. & 5.

ANTONIA DE Dictatura. Tulit idem Triumuir. R. P. C. Ne quis vllam ob cauſſam de Dictatore creando referret, néve Dictaturam oblatam acciperet. qui ſecus faxit, eum vt necare ius fáſque eſſet. Appia. Emphyl. 3.

ANTONIA DE nomine menſis Iulij. Tulit idem. Vt qui menſis antea Quintilis vocabatur, quòd à Martio qui priſcis temporibus primus fuerat, quintus eſſet: is à C. Iulij Cæſaris nomine Iulius deinceps diceretur: quòd hoc menſe ad quartum Idus Quintil. Iulius natus eſſet. Macrob. lib. Sat. 2. cap. 12.

ANTONIA DE ſuffragiis pop. Tulit L. Antonius. Cicero Philipp. 7.

ANTONIA DE ſacerdotiis. Tulit idem. Vt ius cooptandorum ſacerdotum à populo ad illorum collegium iterum transferretur. Dio lib. 37.

APVLEIA DE coloniis. Tulit. L. Appuleius Saturninus Trib. pleb. C. Mario VI. L. Valerio coss. Anno DCIIII. Vt in ſingulas colonias ternos ciues Rom. C. Marius facere poſſet. Cicero pro Balbo.

APPVLEIA AGRARIA. Tulit idem, eodem anno. Vt quem agrum C. Marius coss. in Gallia pulſis Cimbris, in ditionem populi. R. redegiſſet, is populo Rom. diuideretur, & ſi ita lex sciuiſſet, intra diem quintum à ſingulis ſenatoribus in eam iuraretur: qui non iuraſſet, ei multa pœna eſſet. Appianus libro De bellis ciuil. 1.

APPVLEIA MAIESTATIS. Tulit idem. Meminit Cic. lib. De oratore ſecundo, vbi de cauſſa Norbani loquitur, quem maieſtatis Appuleia lege poſtulatum defendit Antonius.

APPVLEIA DE METELLO. Tulit idem. Vti Q. Metello Numidico Conſuli quòd legi ipſius Agrariæ, quæ intra quintum diem iurari in eam iubebat, non paruiſſet, aqua & igni interdi-

terdiceretur. Appian.lib. De bello ciuil. 1. Cicero pro Sextio, & pro domo.

AQVILIA DE DAMNO iniuria dato. Tulit C. Aquilius Gallus, Trib. plebis: vti ſcribit Vlpianus l. 1. D ad leg. Aquil. ex quo plebiſcitum verius appellatur. Eius tria capita fuere, quorum primum & tertium his extat verbis. Qui ſeruum ſeruámve, alienum alienámve, quadrupedémve pecudem iniuria occiderit: quanti id in eo anno plurimi fuit, tantùm æs dare domino, damnas eſto. Cæterarum rerum præter hominem & pecudem occiſos, ſi quis alteri damnum faxit, quod vſſerit, fregerit, ruperit iniuria: quanti ea res erit in diebus triginta proximis, tantum æs domino dare damnas eſto. Aduerſus inficiantem in duplum actio eſto.

Non dubitaui autem QVADRVPEDÉMVE PECVDEM pro vel reſtituere: quod mendum mirum eſt, tam multorum eruditorum oculos aſpectúmque fugiſſe. Hanc autem puto eſſe legem de qua Cicero in Bruto ſic loquitur. Atque eodem tempore accuſator de plebe L. Cæſidænus fuit, quem ego audiui iam ſenem, quum ab L. Sabelio multam lege Aquilia de iuſtitia petiuiſſet. Opinor enim legendum DAMNI INIVRIA: qua de formula diximus in Orat. pro Comœdio. & multam intelligi, quanti plurimi æſtimationem. Animaduertendum etiam aliud præterea huiuſce legis caput fuiſſe, vt ſi ſeruus ſciente domino noxam nocuiſſet, dominus ſuo nomine eius rei cauſſa teneretur. l. 2. D. de noxal. act.

ATERIA TARPEIA DE MVLTA. Tulere Sp. Tarpeius, A. Aterius COSS. Anno CCXCVIII. Vt omnibus magiſtratibus multæ dicendæ ius eſſet, quum antea ſolis Conſulibus id liceret: ita tamen ne vel duos boues, vel triginta oues excederent. Vt quum multa pecoris armentique à magiſtratibus diceretur, bos centuſſis, ouis deceſſis æſtimaretur. Dionyſius libr. decimo, Gellius libro ſecundo, capite primo, & Feſtus libro 14 in voce Peculatus.

ALIA DE SACERDOTIIS. Tulit T. Atius Labienus Tribunus plebis, L. Iulio, C. Marcio COSS. Anno DCXCIX. Vt populus ſacerdotia (quemadmodum olim lege Domitia) mandaret, quum antea ſacerdotes lege Cornelia à Pontificum collegio crearentur. Dio libro 37.

ATILIA DE DEDITITIIS. Tulit L. Atilius Tribunus plebis, Claudio, Valerio coss. An. DXLIII. Omnes Campani, Atellani, Calatini, Sabatini, qui ſe dediderunt in arbitrium ditiónemque populi Romani, Fuluio Proconſuli, quæque vnà ſecum dediderunt, agrum vrbémque, diuina humanáque, vtenſiliáque, ſiue quid aliud dediderunt: de his rebus quid fieri velitis, vos rogo Quirites. Plebs ſic iuſſit, Quod Senatus maxima pars cenſeat, qui aſſidetis, id volumus iubemúſque. Hæc Liuius lib. 26.

ATILIA MARTIA DE Trib. militum. Tulere L. Ælius. C. Matius Tribuni plebis, Iunio Æmilio cos. Anno CDXLII. Vt tribuni militum ſeni deni in quattuor legiones à populo crearentur. Quæ antea, perquàm paucis ſuffragio populi relictis locis, Dictatorum & Conſulum fermè fuerant beneficia. Liuius lib. 9.

ATILIA DE TVTELIS. Tulit. Vt mulieribus pupilliſve tutores non habentibus, à Prætore & maiore Tribunorum plebis parte darentur. Vlpianus capite Inſtit. 12. Imperator, De Atiliano tutore. Liuius lib. XXXIX.

ATINIA DE VSVCAPIONIBVS. Tulit. Vt quod ſurreptum eſſet, eius rei æterna auctoritas eſſet, niſi ſi in eius cui ſurreptum eſſet, poteſtatem reuertiſſet. Gellius libro 17. cap. 7. Paullus l. 4. §. 4. D. De vſurpat. Iulianus l. 33. eiuſdem tit. Cicero Verrin. 3.

ATINIA DE TRIB. PLEB. Tulit. Vt qui Trib. pleb. eſſet, idem ſenator eſſet: dicendæque in ſenatu ſententiæ ius haberet. Gell. lib. 14. cap. vlt.

AVRELIA DE TRIBVN. PLEB. Tulit C. Aurelius Cotta COS. cum L. Octauio, Anno DCLXXVIII. Vt Tribunis pleb. liceret poſtea alios magiſtratus capere: quod lege Sullæ iis erat ademptum. Pedianus Cornel. a L. Vert. 1. Liuius lib. 97. Velleius lib. 2.

AVRELIA IVDICIARIA. Tulit C. Aurelius Cotta Prætor, M. Craſſo. Cn. Pompeio primùm coss. Anno DCLXXXIII. Vt iudicia quæ penes ſolos ſenatores erant, inter ſenatores, & equeſtrem ordinem, & Tribunos ærarios communicarentur. Cicero in Verrinis ſæpe, Aſconius in eaſdem, in Orat. pro cornelio, & in Piſonem. Florus verò Epitome 97. Velleius lib. 2. vbi tamen Tribunos ærarios non nominat.

B

BÆBIA DE PRAETORIBVS. Tulit. Vt alternis annis quaterni Prætores crearentur. Liuius libro 40. Feſtus nominat libro decimoſexto, in voce Rogat.

C

CÆCILIA DE FVLLONIBVS. Tulit Cæcilius Metellus. C. Flaminius, L. Æmilius CENS. dedere ad populum ferendam. Plinius libro XXXV. cap. XVII.

CÆCILIA DIDIA DE LEGIBVS. Tulerunt Qu. Cecilius Metellus, T. Didius COSS. Anno DCLV. Ne multis de rebus coniunctim vna rogatione ad populum ferretur, ne populo neceſſe eſſet in coniunctis rebus compluribus, aut id quod nollet accipere, aut id quod vellet repudiare. Item, vt in legibus promulgandis trinundinum ſeruaretur. Cicero Philipp. 5. pro Domo ſua, & ad Attic. epiſt. 1.

CÆCILIA de cenſoribus. Tulit Qu. Cæcilius, Qu. F. Metellus Pius, Scipio COSS. cum Pompeio. Anno DCCI. Vt cenſoria poteſtas, quam P. Clodius Tribun. plebis imminuerat, reſtitueretur. Dio libr.

CÆCILIA repetundarum. Tulit. Nominatur à Valerio Max. libro ſexto, cap. 11.

CÆCILIA de iure Italiæ. Tulit Qu. Cæcilius Metellus Nepos, Prætor, L. Afranio, Qu. Metello Celere Coſs anno DCXCIII. Vt Italia à vectigalibus immunis eſſet. Dio lib. 37.

CÆLIA, de ſuffragiis. Tulit Cælius Tribun. plebis, Qu. Cæcilio, T. Flaminio COSS. Anno DCXX. Vt etiam in perduellionis iudicio quod

Caſſia lege Tabellaria exceprum erat, populus A
non voce ſed rabella ſententiam ferret. Cic. lib.
De leg. 3.

Cadvcaria. Vide Iulia Caducaria.

Callidia de Metello reuocando. Tulit
Qu. Callidius Tribunus plebis, vt Q. Metellus
qui quòd in Saturnini legem iurare noluerat,
exilio damnatus erat, in ciuitatem reuocaretur.
Valer. Max. lib. 5. cap. 2. Cicero pro Plancio.

Calpvrnia repetundarum. Tulit L. Cal-
putnius Piſo Tribun. pleb. L. Marcio, M. Mani- B
lio coss. Anno dciiii. nulla antea quum fuiſſet.
Vt quibus in prouincus magiſtrarus populi R.
eorúmve comites pecunias contra leges cepiſ-
ſent, earum prouinciarum homines iudicio Ro-
mæ conſtituto ſuas pecunias repeterent. Cic.
De offic. 2. in Bruto, & Verrina v.

Calpvrnia, de ambitu. Tulit. C. Calpurnius
Piſo coss. cum M. Glabrione. Anno dclxxxvi.
Vt ambitus damnati omni honoris petitione
probiberentur, certáque pecunia multarentur. C
Dio libro 26. Cic. pro Murena, pro Cornel. & in
eam Aſcon.

Calpvrnia de civitate. Siſenna
hiſtoria. libro quarto, Milites vt lex Calpurnia
conceſſerat, v.rtutis ergò ciuitate donati. Hæc
Nonios in voce Ergô.

Canvleia, de patrum connubiis. Tulit
C. Canuleius Tribunus plebis, M. Genutio &
C. Curtio coss. Anno cccix. Vt plebi cum pa-
tribus connubiorum ius eſſet. Vt Tribuni mili- D
tum conſulari poteſtate promiſcuè ex patribus
ac plebe crearentur. Auguſtinus libro De ciui-
tate Dei 3. cap. 17 Liuius libro quarto.

Cassia agraria. Tulit Sp. Caſſius
Conſul cum Virginio, Anno cclxvii. Vti ex a-
gro Hernicis, quibus cum fœdus ictum erat, a-
dempto, dimidium Latinia, dimidium plebi di-
uideretur. Lex tamen non tenuit. Liuius libr. 2.
Valerius libr. 5. cap. 8.

Cassia de senatv. Hanc tulit L. Caſ- E
ſius, L. F. Longinus, Tribunus ple. C. Mario, L.
Flacco coss. Anno dcliii. Vt quem populus
damnaſſet, cuíve imperium abrogaſſet, in ſenatu
ne eſſet. Aſcon. in Cornel.

Cassia de svffragiis. Tulit L. Caſ-
ſius Tribunus plebis, Lepido & Mancino coss.
Anno dcxvi. Vt Iudices ſententias, quas voce
dicebant, tabellis ferrent: in his etiam populus
ipſe, dūtaxat quum de mulctis iudicaret, non de
capite: nimirum in perduellionis iudicio. Cicero F
in Lælio, vbi hanc legem biennio poſt Gabi-
niam latam ſcribit. item in Bruto, & libro De le-
gibus 3. item Aſconius in Cornelianam, & Ver-
rinam II.

Cassia de Pauli triumpho. Tulit Qu.
Caſſius Prætor, Ælio Iunio coss. Anno dlxxxvi.
Vt Paullo, Anicio, & Octauio ex bello Mace-
donico cum victoria redeuntibus, quo die vrbem
triumphantes inueherentur, imperium eſſet. Li-
uius lib. 45. G

Cassia de ſenatu ſupplendo. Tulit C. Caſ-
ſius Prætor, Dictatore Iulio Cæſare. Vt in nu-
merum Patriciorum qui Senatui deeſſent, alij
ſublegerentur. Tacitus lib. 11. Suetonius autem
in Iulio Cæſare ſcribit, eum Senatum ſuppleuiſ-
ſe, patricios allegiſſe, Prætorum, Ædilium,

Quæſtorum, minorum etiam magiſtratuum nu-
merum ampliaſſe. Vtrum autem illa Caſſia lege,
an alia, incertum eſt.

Cincia de donis & muneribus. Tulit
M. Cincius Tribunus plebis, Cornelio, Sem-
pronio coss. Anno dxlix. Vt ne plus du-
centis aureis donare liceret: extra quam ſi con-
iunctis perſonis donaretur. quod eo amplius
donatum eſſet, ratum non eſſet. arg. l. ſancimus,
C. de donat. Vlp. cap. Inſt. 1. l. 4. & l. 5. C. Th. de
donationib. Vt in donatione quibuſcunque per-
ſonis facta mancipatio traditione adhiberetur.
d. l. 4. & l. 5. Ne quis ob cauſſam orandam do-
num munúſve caperet. Liuius lib. 34. Tacitus
lib. 13. Cic. in Catone, ad Atticum 1. & de Orat.
ſecundo. Feſtus hanc muneralem à Plauto vo-
cari ſcribit.

Neque muneralem legem, neque lenaniam.
Rogata fuerit nécne, flocci æſtimo,

Clodia de liberali cauſſa. Tulit Ap. Clau-
dius Decemuir, cum collegis, Anno ccciı. Vt
quum quis in ſeruitutem aſſereretur, vindiciæ ſe-
cundum libertatem darentur. Liuius lib. 13. Dio-
nyſ. lib. 10.

Clavdia de ſenatorum quæſtu. Tulit Qu.
Claudius Trib. pleb. P. Cornelio, T. Sempronio
coss. Anno dxxxv. Ne quis Senator, quíve Se-
natoris pater fuiſſet maritimam nauem, quæ
plus quàm trecentarum amphorarum eſſet, ha-
beret. Id ſatis habitum ad fructus ex agris ve-
ctandos: quæſtus omnis patribus indecorus vi-
ſus eſt. Liuius lib. 21. & Cicero Verr. vii. Cogi-
tandum etiam ecquid ad hanc Claudiam per-
tineat, quod Pedianus ſcribit in Cornelianam,
his verbis: Antonius redemptas habebat ab æ-
rario vectigales quadrigas, quam redemptionem
Senatori habere licet per legem.

Clavdia de ſcribarum negociatione.
Videtur proximæ Claudiæ pars fuiſſe. Suetonius
in Domitiano, Scribas quæſtorios, negociantes
ex conſuetudine, ſed contra Claudiam legem ve-
nia in præteritum donauit. Aliud ea de lege ni-
hil reperio.

Clodia de annona. Tulit P. Claudius Trib.
pleb. Piſone, Gabinio coss. Anno dcxcv. Vt
frumentum populo, quod antea ſenis æris ac
trientibus in ſingulos modios dabatur, gratis da-
retur, & Sex. Claudio frumentaria procuratio
mandaretur. Aſcon. in Piſonianam, Cicer. pro
Seſtio, & in Piſonem, & pro Domo.

Clodia de comitiis. Tulit idem. Ne quis
per eos dies quibus cum populo agi liceret, de
cœlo ſeruaret. Vt omnibus faſtis legem ferri li-
ceret: qua de cauſſa legem Æliam & Fuſiam à
Clodio ſublatam toties Cicero queritur: in Sex-
tina, Piſoniana: & in hanc Aſconius, & Dio
lib. 38.

Clodia de iniuriis publicis: Tulit idem, ſed de
ea nihil me legiſſe puto, præter hæc Ciceronis in
ea pro domo: At tu etiam legem de iniuriis
publicis tuliſti, Anagnino neſcio cui Menulæ per
gratiam, qui tibi ob eam legem ſtatuam in meis
ædibus poſuit, vt locus ipſe in tua tanta iniuria
legem & inſcriptionem ſtatuæ refelleret.

Clodia de vi. Tulit idem. Vt de iis qui ciues
Rom. ſine iudicio populi indictáque cauſſa ne-
caſſent, quæſtio haberetur. Tulit autem ob Ci-
cero-

ceronem & alios, à quibus necari erant Catilinarij, quamuis nominatim de Cicerone nullam faceret mentionem. Velleius libr. 2. Dio. XXXVIII. Cicero ad Attic. III.

CLODIA de M. Tullio. Tulit idem. Vt M. Tullio Ciceroni quòd falſum s. c. retuliſſet, quòd ciues Rom. indemnatos necaſſet, aqua & igni interdictum eſſet, néve ei intra quingenta paſſuum millia liceret eſſe, ne quis de ipſius reditu ad ſenatum referret, ne quis ſententiam diceret, ne diſputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret in ſententiam, ne ſcribendo adeſſet. Pro domo ſua, Poſt reditum in ſen. & lib. ad Att. III. & Dio lib. 38.

CLODIA de prouinciis Tulit idem. Vt Gabinio Syria, Babylon, Perſæ, Piſoni, Macedonia, Achaia Theſſalia, Græcia, omniſque Bœotia proconſulari imperio mandaretur: iiſque cum exercitu in eas prouincias iuris pecunia ex ærario attribueretur. Cicero pro domo, & in Sextiana.

CLODIA de interceſſione. Tulit idem Clodius. Vt libera & ſoluta in ferendis legibus Tribunorum plebis poteſtas eſſet, neque interceſſione impediretur. Cicero in Sextiana, Nouem enim Tribunis vnus obſiſtere poterat. Dio lib 38.

CLODIA de collegiis, Tulit idem. Vt collegia, id eſt, conuentus artificum à Numa inſtituti, & magna ex parte partim legibus, partim Senatuſconſultis ſublati reſtituerentur, multique alij conſtituerentur. Cic. in Sextiana, Piſoniana, Pro domo ſua, Pedianus in Cornel. & Dio lib. 38.

CLODIA de regno Cypri. Tulit idem. Vt Cyprus inſula in prouinciæ formam redigeretur, vt Ptolomæus rex Cypri ſedens cum purpura & ſceptro, & illis inſignibus regiis præconi publico ſubiiceretur, & cum bonis omnibus publicaretur. Vt M. Cato Quæſtor cum iure prætorio, adiecto etiam Quæſtore mitteretur in inſulam Cyprum, & regiæ gazæ vendendæ & pecuniæ deportandæ præficeretur. Vt qui Byzantij rerum capitalium damnati exularent, populi Rom. nomine in eam ciuitatem reducerentur. Cicero pro Domo ſua, pro Sext. De prou. conſ. Velleius lib. 2. Plutarch. in Vitis.

CLODIA de Peſſinuntio ſacerdotio. Tulit idem, Vt Peſſinuntius Matris magnæ ſacerdos, ſuo ſacerdotio ſpoliaretur, fanúmque illud Brogitaro Gallogræco attribueretur. Pro Sextio, De aruſpic. reſp.

CLODIA de cenſoribus. Tulit idem. Ne quem Cenſores in legendo præterirent, néve qua ignominia afficerent, niſi qui apud eos accuſatus, & vtriuſque Cenſoris ſententia damnatus eſſet. Aſconius in Piſonianam, Cicero in eadem, in Miloniana, & Sextiana.

CLODIA de ſociis ac nominis Latini. Tulit C. Claudius cos. cum T. Sempronio, Anno DLXXVI. Qui ſocij ac nominis Latini cenſi eſſent, vt omnes in ſuam quiſque ciuitatem ante Kalen. Nouembres redirent. Vt Dictator, Conſul, Interrex, Cenſor, Prætor, qui nunc eſſet apud forum, darent operam, vt qui manumitteretur, in libertatem vindicaretur: insiurandum daret, qui eum manumitteret, ciuitatis mutandæ cauſſa manu non mitteret: qui id non iuraret, eum manumittendum non cenſuerunt. Liu. libr. 41. qui

A tamen locus corruptus eſt: legendum fortaſſe, Ab eo manumittendum.

CLAVDIA de comitiis. Tulit M. Clodius Marcellus coss. cum Ser. Sulpitio, Anno DCCII. Ne in magiſtratuum comitiis abſentium ratio haberetur. Suetonius in Cæſare.

CLAVDIA de Colonia Nouicomi. Tulit idem M. Marcellus. Vt colonis quos rogatione Vatinia Nouumcomum Cæſar deduxiſſet, ciuitas adimeretur: quòd per ambitionem, &

B vltra præſcriptum data eſſet. Suetonius in Cæſare.

CLAVDIA de fœnore. Tulit Claudius Cæſar ne creditores in mortem parentum pecunias filiisfamiliarum fœnori darent. Tacitus libr. II. vbi apertè legem latam affirmat.

CLAVDIA de re numaria. Tulit. Vt victoriatus numus, qui ex Illyrico aduectus mercis loco habebatur, Romæ percuteretur: & eadem victoriæ nota obſignaretur. Plinius lib. 33.

C cap. 3.

CLAVDIA de tutelis. Tulit. Vt ne agnati mulierum tutelam legitimam recipere cogerentur. Vlpian. titu. XI. & Imp. leg. III. C. De legit. tut.

CORNELIA de patriciis. Tulit cum collegis Sext. Cornelius tribu. milit. Anno CCCLXX. Ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret. Liuius libr. 6. Dionyſius lib. 4.

CORNELIA de bello Antiochi. Tulit P.

D Cornelius coss. cum M. Acilio, Anno DLXII. Vellent iuberéntne cum Antiocho rege, quíque ſectam eius ſecuti eſſent, bellum iniri. Liuius libr. 36.

CORNELIA, Bæbia de ambitu. Tulere P. Cornelius, M. Bæbius coss. Anno DLXXII. Liuius libr. 40. Florus præterea epit. XLVII. legem de ambitu latam teſtatur.

CORNELIA de C. Mario. Tulit L. Cornelius Cinna coss. cum Cn. Octauio, Anno DCLXVI.

E Vt C. Marius qui à L. Sylla oppreſſus profugerat, in vrbem reciperetur. Velleius lib. 2. App.

CORNELIA iudiciaria. Tulit L. Cornelius Sulla Dictator & coss. cum Qu. Merello, Anno DCLXXIII. Vt iudicia equeſtri ordini adempta, in ſolum ordinem Senatorium transferrentur, Ita quadrat annorum ratio ab Aſconio tradita, quum ait, Equites à lege Sempronia ad hanc legem annos quadraginta iudicaſſe. quum Cicer.

F oratorio more dicat propè quinquaginta. Flor. epit. LXXXIX. Aſco. in Diuin. & Cicero in eadem. Huius ejuſdem fuiſſe pars videtur, caput illud quod Cice. Verr. IIII. commemorat, ne cui extra ordinem Senatorium reiiciundi amplius quàm trium iudicum poteſtas eſſet.

CORNELIA repetundarum. Tulit idem. Vt in repetundarum iudicio reus omnino competendinaretur. nec vna actione ea cauſſa abſolueretur, Vt certi dies prouincialib. magiſtratibus

G quibus ſucceſſum eſſet decedendi cauſſa præſtituti eſſent. Vt Legatis ſumptus præſcriberetur. Vt accuſatori liceret omnibus teſtimonium denunciare, præterquàm defenſori: item omnia clauſa rei obſignare, & literas omnes tum publicas tum priuatas quib. inſtrui poſſet accuſatio, præter literas publicanorum Romam deportare

Digitized by Google

liceret. Cic. Vert. III.& IIII. pro Poſthu.li.epiſt. 1.IX. & lib. 3. epiſt. VI. & X. Item Vertin. IIII. & in eam Aſconius.

Cornelia agraria. Tulit idem. Vt pro ſcriptorum agri publici eſſent. Cicero contra Rullum Salluſtius in Catilin.

Cornelia ſumptuaria. Tulit idem. Vt Calendis, Idibus, Nonis, diebus ludorum & feriis quibuſdam ſolemnibus II-S. tricenos in cœnam inſumere ius poteſtáſq; eſſet. cæteris autem aliis diebus omnibus, non amplius ternos. ſunt & minora precia rebus impoſita. Agell.lib. 2. cap.24. Macrob.lib.Sator.III.cap. 17.& Plut.in Sylla.

Cornelia de municipiis. Tulit idem. Vt municipiis omnib. ius ciuitatis agrique adimeretur. Cic Pro domo ſua, pro Cæcinna, Appianus belli ciuilis lib. 2.

Cornelia de magiſtratibus. Tulit, opinor, idem. Vt qui cum imperio in prouinciam profectus eſſet, tamdiu illud imperium retineret, quoad in vrbem reuerſus eſſet: quum antea certo ac præfinito tempore imperium illud terminaretur: & ſi ſucceſſor non mitteretur, noua rogatione ad imperium prorogandum opus eſſet. Item vt triginta tantum dies poſtquàm ſucceſſor miſſus eſſet, magiſtratui ad decedendum concederentur. Cic. epiſt 9. ad Lentulum, & lib. 3. ad App.epiſt.6.

Cornelia de ſumptibus funerum. Tulit idem. Plut. in eius vita.

Cornelia de Trib. ple. Tulit idem. Ne Tribun. ple ferendarum legum concionandive ius eſſet, néve ad eos prouocatio eſſet, vt ne iis intercedere liceret: néve iis qui Tribuni pleb. fuiſſent, alios poſtea magiſtratus capere liceret: Cicer. De legib. 3. Cæſar comment. Gal. lib. 1. Plutarchus in vita. Florus in Epit. Appia. De bello ciuili 1. Aſcon. in III. Verrin.

Cornelia de prouinciis: Tulit idē. Ne quis plus anno prouinciæ præeſſet. Cic. ad Appium lib. Fam. v. Item vt Senatus quaſdam prouincias decerneret.

Cornelia de magiſtratibus. Tulit idem. Vt iis qui ſuas partes in ciuili bello ſecuti eſſent, honores ante tempus capere ius eſſet. Vt ſi quis magiſtratum peteret, quem antè iuſſiſſet, niſi decennium interiectum eſſet, eius ratio non haberetur. Appian. de bell.ciuil. Vt proſcriptorum liberi honorum petendorum poteſtate priuarentur. Plin. lib. 7. Quintil.lib. XI. cap.1. Cicero in Piſonian. Dio lib. 41.

Cornelia de ſacerdotiis. Tulit idem. Vt ius creandorum ſacerdotum à populo (cuius hæc lege Domitia poteſtas erat) ad collegia ſacerdotum transferretur. iique ex veteri more tributis comitiis cooptarentur. Dio lib. 37. Et Aſconius in Diuinat.

Cornelia de Quæſtoribus. Tulit idem. Vt viginti Quæſtores ſupplendo ſenatui crearentur, cui iudicia tradiderat. Tacitus libr. II.

Cornelia de proſcriptis: vide Valeria.

Cornelia maieſtatis. Tulit idem. Ne qui cum imperio prouincias obtinerent, populi ſenatúſve iniuſſu exercitum de prouincia deportarent, bellúmve ſua ſponte gererent. Cicer. in Piſon. Alia capita fuerunt, quæ Pedianus in Corneliana ſignificat. Fuit & illud, vt à quæ-

A ſtionibus vel cruentis nullius dignitas exciperetur. Amm. Marcel. lib. 19.

Cornelia de ſicariis & veneficiis. Tulit idem. Vti qui hominem occiderit, cuiúſque dolo malo incendium factum erit, quíve hominis occidendi, furtive faciendi cauſſa cum telo ambulauerit, iudicio publico damnetur. Marcia. lib. 1. D. ad l. Corn. de ſicar. quo ſub titulo multa huius legis capita enumerantur. Ea lege excepti erant, qui proſcriptione Syllana ob relata

B ciuium Rom. capita pecunias ex ærario acceperant. Sueto. Cæſare. Eiuſdem etiam hoc caput fuit, vt cùm in conſilium iri oporteret, Quæſitor à reo quæreret, clàm an palam de ſe ſententiam ferri vellet. Cicer. in Cluentiana. Item, Vt ſi quis domi ſuæ necatus erit, ei qui ſeruos qui ante quæſtionem fugerint, perueſtigarit, & indicarit, in ſingulos ſeruos quos eius cædis conuicerit, quinos aureos ex bonis occiſi, aut ſi inde redigi ea quantitas non poſſit, ex

C publico accipiat. Vt de his qui ante quæſtionem habitam fugerint, ſi aperto teſtamento liberi ſcripti inueniantur, iudicium inter ſicarios fiat: ita, vt ex vinculis cauſſam dicant, & conuicti perinde ac ſerui puniantur: & ei qui conuicerit, deni aurei præmij nomine dentur ex bonis damnati. Caius leg. 25. D. ad s.c. Syllanian.

Cornelia de iniuriis. Tulit idem. Vt Venuleius teſtatur in l. hos accuſare, 12. in fin. D. de accuſat. Vt in eos qui quempiam pulſaſſent,

D verberaſſent, domúmve alienam vi introiſſent, iudicium daretur. Vt in eo iudicio non eſſet, qui ei qui ageret, gener, ſocer, vitricus, priuignus, ſobrinúſve eſſet, propiuſve eorum quenquam ea cognatione, affinitatéve attingeret, quíve eorum cuius, parentéſve cuius eorum patronus eſſet. Vt filiusfam. ex omni cauſſa iniuriarum agat, vt actori iuſiurandum deferre liceat reo, an iniuriam fecerit. Si quis librum ad infamiam alicuius ſcripſerit. compoſuerit, ediderit, do-

E lóve malo fecerit, quo quid eorum fieret: etiamſi alterius nomine ediderit, vel ſine nomine: vti de ea re agere liceret, & ſi condemnatus ſit, qui id fecit, inteſtabilis ex lege eſſe iubetur. Vlp. l. 5. D. de iniu.

Cornelia de falſo. Tulit idem. De omni falſitatum genere, quæ in numis, teſtamentis, partubus, iudiciis, tabulis publicis aliiſque rebus commiſſæ, publici iudicij pœnam merentur: de quibus Iuriſconſulti copioſè ſub tit. Ad

F leg. Cor. De falſ. Crimina enim ferè ſunt innumera, quibus quòd pœna eſſet conſtituta nulla, huius legis pœna, partim ſenatuſconſultis, partim Principum reſcriptis, partim etiam Iuriſconſultorum reſponſis attributa eſt. Meminit Cic. Verrin. 3. De nat. deor. 2. & Sueton. in Auguſto. Pompon. l. 2. De origin. iur. Paullus Sent. 4. cap. 7. & lib. 5. cap. 24. Neque veriſimile eſſe, quod quidam putant, id ſolùm falſum hac lege coerceri, quod in teſtamentis commiſſum eſſet:

G patet ex l. 9. D. de falſis.

Cornelia de teſtamentis. Tulit idem. Vt eorum teſtamenta qui in hoſtium poteſtate eſſent, perinde rata eſſent, ac ſi hi qui ea feciſſent in hoſtium poteſtatem non perueniſſent: & hereditas ex his eodem modo ad vnumquémq; pertineret. Iulianus l. 12. D. Qui teſt. fac. poſſ. Vlpia.

cap. Inſtitu. 23. Iauolenus in l.15. De inluſt. rupt. A Atque ex hac lege inducta fictio eſt, Vt qui captus apud hoſtes decederet, mortuus eodem momento qoo captus eſſet, putaretur. Eiuſdem legis caput opinor illud fuiſſe, quod in edicto Verris ſignificatur, apud Ciceronem, lib. Accuſat. primo: Non minus multis ſignis quàm è lege oporteat, cautumque de numero teſtium quos in teſtamentis adhiberi oporteret, fuiſſe.

Cornelia de luſu. Tulit. Ne quis in pecuniā luderet, ſponſionémve in ludo, niſi qui corporis B exercendi cauſſa ſuſceptus eſſet, faceret. veluti haſta pilóve iaciendo, currendo, ſaliendo, luctando, pugnando. Marcian. lege 3. D. De aleator.

Cornelia de iis qui legibus ſoluuntur. Tulit G. Cornelius Trib. pl. C. Piſone, M. Glabrione coss. Anno dclxxxvi. Ne quis in ſenatu legibus ſolueretur. niſi cc. adfuiſſent, néve quis intercederet quum de ea re ad populum ferretur. Aſconius in Cornelianam. quod eò pertine- C bat, vt eſſet quidem in ſenatus poteſtate dare extra ordinem imperia, legibúſque ſoluere, ſed ita vt pòſt ad populum veteri more de ea referretur. Dio lib. 36.

Cornelia de iuriſdictione prætorum. Hanc idem, etſi nemo repugnare auſus eſt, multis tamen inuitis tulit, vt eodem loco ſcribit Aſconius: Vt Prætores ex edictis ſuis perpetuis ius dicerent: quæ res tum gratiam ambitioſis Prætoribus, qui varie ius dicere aſſueuerant, ſuſtulit. D Dio lib. 26.

Cornelia de natali Vrbis. Tulit P. Cornelius Dolabella coss. ſtatim poſt Cæſaris necem, Vt deinceps is dies natalis Vrbis haberetur. Appianus lib. De bello ciuil. 2.

Cornelia de M. Tullio Cicerone. Tulit Centuriatis comitiis P. Cornelius Lentulus, Conſul cum Qu. Metello Anno dcxcvii. & cum omnib. magiſtratib. præter vnū prætorē App. Claudiū, P. Clodij fratrem: & duos Trib. pleb. Sex. Attilium E Serranum, & Nomerium Quintium, pridie Non. Sextiles. Vt M. Tullio Ciceroni redire in ciuitatem, veniréque in Senatum liceret. Pro domo, pro Sextio, in Piſonem, in Epiſt. fam. & alibi.

Cornelia de limitib. Tulit. Vt peractuarios limites populo ſicut per viam publicam itineris faciundi ius eſſet. Hyginus in libello De limitibus conſtit.

Cvria de patrum auctoritate. Tulit M. Cu- F rius Trib. ple. M. Fuluio, T. Manlio coss. Anno cdlv. Vt ante comitia magiſtratuum, patres auctores fierent. Liuius lib. 10. Cic. De claris orat. Probus De viris illuſt. idem lege Publica cautum de comitiis legum fuit.

Cvriata lex dicebatur olim, quæ in curiatis comitiis de eorum imperio ferebatur, qui in prouincias mittebantur: videlicet quid cuique imperij, atque ornamenti attribui placeret. Poſtea verò non ab vniuerſo populo, ſed à xxx. lictoribus G ad ſpeciem atque vſurpationem vetuſtatis, hoc eſt, ad triginta veteres curias repræſentandas conſtitutis, iubebatur. Liuius lib. 9. Cic. 2. Agraria in Rullum.

A D

Decemvirales de xii. tab. Tulit App. Claudius decemuir, cum collegis, Anno ccciii. Vt leges x. tabularum ratæ eſſent, eiſque populus pareret. His etiam duas eodem anno tabulas addiderunt. Dionyſ. lib. 10. & Liuius lib. 3.

Decia de duumuiris naualibus. Tulit M. Decius Trib. pleb. Iunio, Æmilio coss. Anno cdxliii. Vt duumuiros nauales claſſis ornan- B dæ reficiendæque cauſſa, populus iuberet. Liuius libr. 9.

Didia ſumptuaria. Tulit. App. Claudio, Qu. Metello coss. Anno dcx. Vt vniuerſa Italia, non ſola vrbs, lege Fannia ſumptuaria teneretur. Vt non ſoli qui prandia cœnáſve maiore ſumptu feciſſent, ſed etiam qui ad eas vocati eſſent, atque omnino interfuiſſent, pœnis legis tenerētur. Macrob. lib. 3. cap. 17.

Domitia de ſacerdotiis. Tulit Cn. Domitius C Ahenobarbus Trib. pleb. C. Mario iii. L. Aurelio coss. Anno dcl. Vt non ſacerdotum collegia, vt antea, quem vellent cooptarent: ſed populi id beneficiū eſſet. cùm autem populus per religionem ſacerdotia mandare non poterat, rogauit vt minor pars populi, id eſt, tribus ſeptemdecim vocarentur: ab ea parte qui eſſet factus, is à collegio cooptaretur. Sueton. Nerone. Velleius lib. 2. Cic. in Agraria 2. epiſt. 5. ad Brutum, & pro Cornelio, & Aſcon. in eandem. Dio D libr. 37.

Dvilia de magiſtratibus. Tulit M. Duilius Tribunus pleb. Valerio, Horatio coss. Anno ccciii. Vt qui plebem ſine Trib. pleb. reliquiſſet, quique magiſtratum ſine prouocatione creaſſet, tergo & capite puniretur. Liuius lib. 3. Dionyſ. libr. 10.

Dvilia Mænia de coitionibus. Tulere de collegij ſent. M. Duilius, L. Mænius Trib. pleb. Martio, Manlio coss. Ann. cccxcvi. Ne quis poſtea E populum ſeuocaret: qui hoc faxit, capitale eſſet. Liuius lib. 7.

Dvilia Mænia de fœnore. Tulere iidem. Vt fœnus ne maius vnciario exerceretur. Liuius libr. 7.

F

Fabia de ambitu. Tulit. Vt certus numerus ſectatorum eſſet, id eſt eorum qui F candidatos in campum deducerent. Cic. in Muræniana.

Fabia de plagiariis. Tulit. Vt qui hominem ingenuum vel libertinum inuitum celauerit, vinctum habuerit, emerit ſciens dolo malo, quíve in earum qua re ſocius erit, quique ſeruo alieno, ſeruæve perſuaſerit, vt à domino dominâve fugiat, vel eum eámve inuito vel inſciente domino dominâve celauerit, vinctum habuerit, emerit ſciens dolo malo, quíve in ea re ſocius erit, iudi- G cio pœnáque pecuniaria damnetur. l. penultimo & vltimo, D. ad leg. Fab. Item ne ſeruus qui plagium admiſit pro quo dominus pœnā intulit, intra decem annos manumittatur. l. 12. D. de manumiſſ. Cicer. pro C. Rabirio. An de ſeruis alienis contra legem Fabiam retentis, plura dicenda

Digitized by Google

ſunt? Et Iuriſconſulti in Pandect. item Paullus Sent.5.cap.7.

Fabia lex, pro formula dicitur apud Paulum lib.Sen.3 cap.3. impropriè, quum ex lex non fuerit: ſed actionia formula. Similiter autem Cicero Manilianas venalium vendendorum leges dixit, in lib. De orat.1. pro Cautiones.

Fabia de terminis. Ea legitur in libro De agrorum conditionibus his ferè verbis, quæ paucis quibuſdam locis correximus. Qui hac lege coloniam deduxerit, municipium, præfecturam, forum, conciliabulum conſtituerit, in eo agro, qui ager intra fines eius coloniæ, municipij, fori, conciliabuli, præfecturæ erit, limites decumani vt fiant, terminique ſtatuantur, curato: quique fines ita ſtatuerit, hi fines eorum ſunt, dum ne extra agrum colonicum, territorium fines ducat: quique termini hac lege ſtatuti erũt, ne quis quem eorum eiicito, néve commoueto, ſciens dolo malo: ſi quis aduerſus ea fecerit, in terminos ſingulos quos eiecerit, locóve mouerit ſciens dolo malo, †† xxv. in publicum eorum, quorum intra fines is ager erit, dare damnas eſto, deque ea re curatoris, qui hac lege erit, iuriſdictio, reciperatorúmque datio addictio eſto. Si curator hac lege non erit, tunc quicunque magiſtratus in ea colonia, municipio, præfectura, foro, conciliabulo iuri dicundo præerit, magiſtratus de ea re iuriſdictio iudicíſque datio addictio eſto: inque eam rem is qui hac lege iudicium dederit, teſtibus publicè dumtaxat in res ſingulas x. denunciandi poteſtatem facito, ita vt è Republica fidéque ſua videbitur. Et ſi is vnde ea pecunia petita erit, condemnatus erit, eam pecuniam ab eo déve bonis eius, primo quoque die exigito, eiuſque quod receptum erit partem dimidiam eius cuius vnius opera maximè is cõdemnatus erit, partem dimidiam in publicum redigito. Quo ex loco terminus aberit, ſi quis in eum locum terminum reſtituere volet, ſine ſua fraude licet facere: néve quid cui ia ob eam rem hac lege damnas eſto.

Falcidia de teſtamentis. Tulit P. Falcidius Trib.pleb. Domitio, Aſinio coss. An. DCCXIIII. Eius hæc quatuor capita memorantur. Qui ciues R. ſunt, qui eorum poſt hanc legem rogatam teſtamẽtum facere volet, ei quem pecuniam quáſque res, quibuſq; dare legare volet, ius poteſtáſq; eſto vt hac lege licebit. Quicũque ciuis Ro. poſt hanc legem rogatam teſtamentum faciet, is quãtam cuique ciui Ro. pecuniam iure publico dare legare volet, ius poteſtáſque eſto, dũ ita detur legetur, vt ne minus quã quartam partem hereditatis ex eo teſtamento heredes capiant. Eis quib. ita datum legatum erit, eam pecuniam ſine fraude ſua capere liceto: iſque heres, qui eam pecuniam dare iuſſus damnatúſve erit, eam pecuniam debeto dare, quam damnatus eſt. Si quis aliter quàm hac lege liceat, pecuniam dederit, legauerit, heredi quartam partẽ eius pecuniæ quæ data legata erit, ex eo teſtamento retinere liceto. Paullus l.1. D. ad leg. Falcid. Euſebius in Chronicis. Dio verò lib.48. hoc modo, Vt heres quartam partem bonorum ſibi relictorum, ſi grauiter oneratus ſit legatis, accipiat: cetera legatariis relinquat.

Fannia ſumptuaria. Tulit C. Fannius coss.

A eum M. Meſſala, Anno DXCII. vt ludis Romanis, plebeiis Saturnalibus, & aliis quibuſdam diebus *centenos æris in ſingulos dies impendere liceret*: decémque aliis diebus in ſingulis menſibus, *tricenos*: ceteris autem omnib. diebus, *denos*. Ne quid volucrum poneretur, præter vnam gallinam quæ nõ eſſet altilis. Plin. lib.10. cap.50. Agellius lib.2. cap.24. Macrob. lib.3. ca.17. Athenæus aut lib. VI. extremo eiuſdem, legem ſic exponit: ἐκέλευε δ' ὁ νόμος, τριῶν μὲν πλείονας τῶν ἔξω τῆς οἰκίας μὴ ὑπο-
B δέχεσθαι, κατ' ἀγορὰν δὲ τῶν πέντε. τοῦτο δὲ τρὶς τοῦ μηνὸς ἐγίνετο. ὀψωνεῖν δὲ πλείονος τῶν δυοῖν δραχμῶν καὶ ἡμίσεως, εἰς ἐπισφύρια δὲ καπνιστοῦ δέκα πέντε τάλαντα δαπανᾶν εἰς τὸν ἐνιαυτὸν ἐπεχώρει. καὶ ὅσα δ' ἡ γῆ φέρει λάχανα καὶ ὀσπρίων ἑψήματα.

Favia de terminis. Vide Fabia.

Flaminia agraria. Tulit C. Flaminius Trib. pleb. Æmilio, Poblicio coss. Anno DXXI. Vt ea regio Galliæ, quæ Picenum vocatur, vnde Senones expulſi fuerant, militibus Romanis diuide-
C retur. Polyb. lib.2.

Flavia de Tuſculanis. Tulit M. Flauius Trib. pleb. Sulpitio, Æmilio coss. Anno CDXXX. Vt in Tuſculanos animaduerteretur, quorum ope ac conſilio Veliterni, Priuernatéſque populo Rom. bellum feciſſent. Liuius lib. 8. Antiquata ibid.

Furia de Ædilibus ex patrib. creandis. Tulit M. Furius Camillus Dict. Ann. CCCXXCV. Vt duo Ædiles ex patribus crearentur. Liuius lib.6. in fin.

D Furia de iure Campanorum. Dedit Campania L. Furiua Prætor, Foſlio & Plautio coss. Anno CDXXXV. quum primum Capua in deditionem recepta Præfecti eò miſſi ſunt. Liuius lib.9.

Furia Atilia de Mancino. Tulere L. Furius & Sex. Attiliua Trib. pleb. Ann. Vt C. Mancinus quòd ſine ſenatus auctoritate pacem cum Numantinis feciſſet, ia dederetur. Cic. lib. 3. Offic. Epitomæ LVI.

E Furia de teſtamentis. Tulit C. Furius Trib. ple. Ne cui, niſi manumiſſoris cognato, certiſque aliis perſonis ſupra mille aſſea legare, mortíſve cauſſa donare liceret: quòd ſi quis maiorẽ ſummã ſibi legatam accepiſſet, quadruplũ eius quo plus quàm licebat accepiſſet, redderet. Lata eſt autem (vt ait Iuſtin.) Legis XII. tab. coercendæ cauſſa: qua vti quiſque legaſſet ſuæ rei, ita ius erat. Cic. pro Balbo, & Verr.3. Iuſtinia. De leg. Falcid. Vlp. cap. Inſtit.1. & 18.

F Furia Caninia de manumiſſione. Tulere opinor, P. Furius Camillus, C. Caninius Gallus coss. Ann. DCCLII. Vt in teſtamento ex tribus ſeruis non plures quam duos manumittere liceat, vſque ad decem, dimidiã partẽ: à decimo vſque ad triginta tertiam partem, vt tamen adhuc quinque manumittere liceat, æquè vt ex priori numero: à triginta vſque ad centum, quartam partem, æquè vt decem ex priore numero liberari poſſint: à centum vſque ad quingentos, par-
G tem quintam ſimiliter, vt ex antecedenti numero viginti quinque poſſint fieri liberi. eadémque præcipit ne plures numero quàm centum ex cuiuſquam teſtamento liberi fiant. Eadem lex cauet, vt libertates ſeruis teſtamento nominatim dentur. Hæc ex Inſtitut. Vlpian

tit.

tit.1.Paulo Senten.4.Caij.Inſtit.

Fusia de comitiis, Tulit P. Furius, ſiue Fuſius Conſul cum Sexto Atilio, Anno DCXVII. Vt certis diebus, qui tamen faſti eſſent, agi cum populo nō liceret. Cic. in Sextiana, In orat. poſt reditum, De prouinc. conſul. & alibi frequentiſſimè. Latam illo tempore Ciceron. in Piſoniana teſtatur: qui centum annis dixit, pro circiter centum annos.

Fuſia de comitiis. Tulit Q. Fuſius Calend. Prætor, C.Cæſare, M.Bibulo coss. An. DCXCIIII. Quū in tributis comitiis omnium ſimul ſuffragia cōfunderentur, itaq; fieret, vt ſingula genera de ſuffragiorum euentu ſic inter ſe contenderent, vt quod rectè ſtatutum eſſet, id ſuo ſuffragio factū dicerent: quod ſecus, in alios reiicerent: Tulit, Vt ſingula genera ſuffragium ſeorſim ferrent, quo ſententiæ internoſci poſſent. Hoc modo ſingulorum generum ſuffragia ſeorſim renunciabantur. Dio. lib.38.

G

Gabinia de nocturnis cœtib. Tulit, Vt qui conciones vllas clandeſtinas in vrbe cōflauiſſet, more maiorum capitali ſupplicio multaretur. Ex orat. Porc. Latronis in Catil.

Gabinia de ſuffragiis. Tulit A. Gabinius Trib. pleb. Piſone, Popilio coss. Anno DCXIIII. Vt comitiis quibus magiſtratus crearentur, populus non voce, ſed tabella ſuffragium ferret. Et quo id liberius eſſet, cautum eſt, Ne quis inſpiceret tabellā, ne rogaret, ne appellaret, ita ab omni parte liberum iudicium ſuum in magiſtratibus creādis populus haberet. Cice. De legib. lib.3. Et in lib. De Amicit.

Gabinia de piratis perſequēdis. Tulit A. Gabinius Trib. pleb. Metello, Marcio coss. Anno DCLXXXV. Vt bellum aduerſus piratas Cn. Pompeio in triennium ita mandaretur, Vt toto mari quod eſt intra columnas Herculis, & in maritimis prouinciis vſque ad quadringenteſimum à mari ſtadium poteſtatem haberet imperandi regibus, præſidibus, ciuitatibus, vt ſe rebus omnibus ad eius belli adminiſtrationem neceſſariis iuuarent. Pædian. in Cornel. Velleius libr.2. Dio lib.38. Plutarchus in Pompeio. & Cicero De lege Manilia. & in Orat. poſt redit. in Senat. Appian. in Mithridat.

Gabinia de ſenatu habendo. Tulit, Vt ex Calend. Feb. ad Cal. Martias quotidie Senatus cogeretur, & legatis caterarum nationum daretur. Cicero in Epiſt. ad Qu. Frat. lib.1. epiſt.11.

Gabinia de vſuris. Tulit autem Gab. 7. (opinor) Trib. u. Ne ius diceretur de iis pecuniis quæ verſura facta, eſſent ſumptæ, ne ſcilicet prouinciales homines à Romanis exhaurirentur, ne grauior vſura quàm cēteſima exigeretur: ſed & præter amiſſam ſortem certam pœnam ſanciebat. Cic. lib. Epiſt. ad Attic.

Gellia & Cornelia de Ciuitate. Tulere L. Gellius Publicola, Cn. Cornelius Lentulus coss. Anno DCLXXXI. Vti ciues Rom. ſint ij, quos Cn. Pompeius de conſilij ſententia ſingulatim ciuitate donauerit. Ciceron. pro Balbo.

Genutia Æmilia de clauo pangendo. Tulere ea s.c. Cn. Genutius, L. Æmilius coss. Anno CCCXC. Vt, qui Prætor maximus
A mus ſit, Idibus Septemb. clauum pangat. Liuius lib.7. vbi addit, Legem ætate ſua fuiſſe priſcis literis verbiſque ſcriptam, clauúmque quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum fuiſſe, eoque Mineruæ templo dicatam legem, quia numerus à Minerua inuentus ſit.

Genutia de fœnore. Tulit L. Genutius Trib. pleb. C. Martio IIII. Qu. Seruilio coss. Anno CDXI. Ne fœnerare liceret.
B Liuius lib.7.

Genutia de magiſtratibus. Tulit idem, Martio, Seruilio coss. Anno CDXI. Ne quis eundem magiſtratum intra decem annos caperet; neu duos magiſtratus vno anno gereret, vtique liceret, Conſules ambos Plebeios creari. Liuius lib.7.

Glitia de teſtamentis. Citatur Caius ad legem Glitiam in l. 4. D. de inoffi. teſta. Mendosè meo iudicio: quum Glitia non nomen, ſed co-
C gnomen ſit, vt ea Faſtis intelligitur. Videndum igitur an Titia rectius legeretur, quæ de pupillorum rationibus lata eſt, quò Caij ſententia pertinet.

H

Hircia de Pompeianis. Tulit A. Hirtius, Vt Pompeiani ad dignitates non admitterentur. Ex epiſt. Anton. Philip.13.

Horatia Valeria de plebiſcitis. Tulere L. Valerius, M. Horatius coss. An. CCCIIII.
D Vt quod tributim plebs iuſſiſſet, populus teneret. Liuius lib.3. Dionyſ.11. Quod poſtea lege Hortenſia, & Publica confirmatum eſt.

Horatia de magiſtratibus ſacroſanctis. Tulit idem. Vt qui Trib. ple. Ædilibus, iudicib. nocuiſſet, eius caput Ioui ſacrum eſſet: familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque venum iret. Liuius lib.3. Dionyſ. lib.5.

Horatia de Caia Tarratia, virgine Veſtali. Tulit. Vt certi honores ei tribuan-
E tur. in his vt teſtabilis eſſet, Vt ſi quadraginta annos nata ſacerdotio abire, ac nubere voluiſſet, ius ei poteſtáſq; exaugurandi atque nubendi eſſet: munificentiæ & beneficij gratia, quòd campum Tiberinum, ſiue Martium populo Romano condonaſſet. Gellius libr. 6. capite 7. Plutarchus in Publicola, vbi eam Tarquiniam appellat.

Hortentia de nundinis. Tulit, Vt nundinæ quæ prius erant feriæ, faſtæ eſſent:
F vti ruſtici, qui nundinandi cauſſa in vrbem veniebant, lites componerent. Macrob. lib. Satur. 1. cap.16.

Hortensia de plebiſcitis. Tulit Q. Hortenſius, Dictator ſeditionis ſedandæ cauſſa creatus, Anno CDLXVII. Vt eo iure quod plebs ſtatuiſſet omnes Quirites tenerentur: quum antea Patricij non tenerentur: Gell. lib.15. ca.27. Florus epit. 11. Plin. lib 16. cap.10. Auguſt. lib.3. De ciuitate Dei, capite 17. quod poſtea lege Publica confirma-
G tum eſt.

Hostilia de furtis. Tulit A. Hoſtilius Conſul cùm A. Atilio, An. DLXXXIII. Vt furti agere liceret eorum nomine, qui apud hoſtes eſſent, aut Reipubl. cauſſa abeſſent, quive in eorum cuius tutela eſſent. Iuſtinianus De iis per quos ag. poſſeſſ. Hinc illæ Hoſtilianæ actiones; id

eſt, formulæ apud Ciceronem lib. De orat. 1. vbi de militis teſtamento agitur.

I

ICILIA de Aventino. Tulit L. Icilius Tribun. pleb. M. Valerio, Sp. Virginio coss. Anno CCXCVII. Vt Aventinus mons plebi ad ædificia concederetur. ὅσα μὲν ἰδιῶταί τινες εἶχον ἐκ δικαίου κληρωσάμενοι, ταῦτα τοὺς κυρίους κατέχειν. ὅσα δὲ βιασάμενοί τινες ἢ κλοπῇ λαβόντες οἰκοδομήσαντο, κομισαμένους τὰς δαπάνας ἃς ἂν οἱ διαιτηταὶ γνῶσι, τῷ δήμῳ παραδιδόναι. τὰ δὲ ἄλλα ὅσα ἂν ᾖ δημόσια, χωρὶς ὠνῆς τὸν δῆμον παραλαβόντα διελέσθαι. id eſt; Quæ priuati quidam iure quæſita poſſidebant, ea pro domino poſſiderent: quæ verò vel vi, vel clàm accepta ædificiis occuparant, ea recuperatis impẽſis quas arbitri ſtatuiſſent populo redderent. cetera verò quæ publica eſſent, ea populum ſine precio recipere, & inter ſe diuidere. Dionyſ. lib. 10. & Liu. lib. 3.

ICILIA de Tribunis pleb. Tulit. Sp. Icilius Tribu. pleb. T. Geganio, P. Minucio coss. Anno CCLXI. δημάρχου γνώμην ἀγορεύοντος ἐν δήμῳ, μηδεὶς λεγέτω μηδὲν ἐναντίον, μηδὲ μεταλαμβανέτω τὸν λόγον. ἐὰν δέ τις παρὰ ταῦτα ποιήσῃ, διδότω τοῖς δημάρχοις ἐγγυητάς, αἰτηθεὶς εἰς ἔκτισιν ἧς ἂν αὐτοῦ ἐπιβῶσι ζημίας. ὁ δὲ μὴ διδοὺς ἐγγυητὴν, θανάτῳ ζημιούσθω, καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ ἱερὰ ἔστω. τῶν ἀμφισβητούντων πρὸς ταύτας τὰς ζημίας, αἱ κρίσεις ἔστωσαν ἐπὶ τοῦ δήμου. id eſt, Tribuno ad populum concionanti, ne quis contradicito, néve eum interpellato. Qui cõtra faxit, prædes Tribuni dato ſe multam quam ipſi irrogabunt ſoluturum. qui prædes non dederit, capital eſto: familiáque eius ſacra eſto. Si quid ei in multis controuerſiæ, populi iudicium eſto. Dionyſ. libro 7.

IVLIA de ciuitate. Tulit Sext. Iulius Cæſar cos. cum L. Martio, Ann. DCLXII. Vt ciuitas ſociis & Latinis omnibus qui arma deponerent, daretur. nam Italici belli reſtinguendi cauſſa lata eſt. Additur in Orat pro Balbo: QVI feudi facti eſſent. Gell. lib. 4. c. 4. Appianus libr. de bell. ciuil. 1. Eutropius.

IVLIA de prouinciis. Tulit C. Iulius Cæſar Conſul cum Bibulo, DCXCIIII. Vt Achaia, Theſſalia, cuncta Græcia liberæ eſſent, neque in is magiſtratibus populo Rom. ius dicere liceret. Cic. Pro domo ſua, in Piſon. & de proo. Conſul. Item vt magiſtratibus tranſeuntibus, eorúmque comitibus fœnum aliáque ab oppidis & vicis ſubminiſtrarentur. Ad Att. lib 5. & in Piſon. Item duabus in ciuitatibus prouinciæ ſuæ Magiſtratus decedentes rationes ſuas relinquerent: eaſdémque totidem verbis ad ærarium referrẽt. Cic. Epiſt. fam. lib. 5. epi. 20. in Piſon. Item, Ne coronarium aurum iis qui prouincias obtinerẽt, vel decerni, vel ab iis accipi liceret, niſi decreto triũpho. Cic. in Piſon. Ne quis aut de prouincia exercitus deduceret aut bellum ſua ſponte iniuſſu popu. aut Senatus gereret. in Piſonem.

IVLIA agraria. Tulit idem eodem tempore. Vt ager Stellas. maiorib. conſecratus, item Campanus ad ſubſidia Reip. vectigalis relictus plebi diuiderentur. Diuiſit extra ſortem XX. millibus ciuium quibus terni pluréſque liberi eſſent. Velleius lib. 2. Plutarch. in Pomp. & in Cæſar. & in Cat. Vtic. Dio 38. Aliam præterea Calliſtratus commemorat in l. 3. D. de term. mot. Vt qui terminus ſtatutos extra ſuum gradum finéſve dolo malo mouerint, in ſingulos terminos quos eiecerint, locóve mouerint, quinquaginta aureos dare in publicum damnentur: eiúſque rei actio petitio ei qui volet detur.

IVLIA de vi. Tulit idem Vt ei qui de vi damnatus eſſet, aqua & igni interdiceretur. Cicero Philip. 1.

IVLIA maieſtatis. Tulit idem. Vt ei qui maieſtatis damnatus eſſet, aqua & igni interdiceretur. Cic. Philip. 1.

IVLIA iudiciaria. Tulit idem. Vt iudicia ad duo genera iudicum redigerentur, equeſtris ordinis & ſenatorij. Tribuni verò ærarij, quod erat tertium, tollerentur. Suetonius in Cæſare. Meminit Gellius lib. 14. cap. 2. Dio. lib. 43.

IVLIA de ſacerdotiis. Tulit idem. Vt in cooptãdis ſacerdotibus etiam abſentium ratio haberetur. Patet ex lib. 1. epiſt. ad Brutum.

IVLIA repetundarum. Tulit idem, vt ex Vatiniana & Sextiana intelligitur. Ne cui, qui in prouincia cum poteſtate, imperióve eſſet, pecuniam capere, conciliare liceret: extrà quàm ii ad templum monimentúmque capiat. Cic. epiſt. 1. ad Q. fra. & epi. 1. libri VI. ad Attic. Vt ab iis exigeretur pecunia, ad quos ea quam is ceperit qui damnatus ſit, peruenerit. vt tranſeuntibus magiſtratibus eorúmque comitib. fœnum aliáque ab oppidis & vicis ſubminiſtrarẽtur. Vt iidem quũ de prouincia decederẽt, rationes in prouinciæ duabus ciuitatib. quæ ipſis maximè viderentur, relinquerent, & totidem verbis ad ærarium referrent. Ne qui cum imperio eſſent, iniuſſu populi aut ſenatus de prouincia exirent exercitum educerent, bellum ſua ſponte gererent, in regnum alienum accederent, Cic. pro Poſtumo. In epiſt. lib. 5. epiſt. 20. & in Piſoniana. Item ne quis in magiſtratu, poteſtate, curatione, legatiõe, vel quo alio officio, munere, miniſterióve publico, quíve ex cohorte cuius eorum eſt, pecuniam ob iudicandum, decernẽdúmve accipiat, vel quo magis aut minus quid ex officio ſuo faciat: ne quis ob militem legendum, mittendúmve, æs accipiat: néve quis ob ſententiam in ſenatu conſilióve publico dicendam, pecuniam accipiat vel ob accuſandum, vel non accuſandum, vtque vrbani magiſtratus ab omni ſorde ſe abſtineant: néve plus doni muneris in anno accipiant, quàm quod ſit aureorum centum: ne quis ob iudicem, arbitrúmve dandum, mutãdum, iubendúmve vt iudicet néve ob non dandum, non mutandum, non iubendum vt iudicet, néve ob hominem in vincula publica coniiciendum, vinciendum, vincirive iubendum, éxve vinculis dimittendum: néve quis ob hominem condemnandum, abſoluendúmve: néve ob litẽ æſtimandam, iudiciúmve capitis pecuniæve faciendum, vel non faciendum aliquid accipiet, néve in acceptum feratur opus publicum, frumentum publicè dandum, præbendum, approbandum, ſartè tecta tuenda, antequam perfecta probata, præſtita lege erunt. vt venditiones locationes eius rei cauſa pluris minoriſve factæ, irritæ ſint: néve vſu capi ea res poſſit, priuſquam in poteſtatem eius à quo profecta ſit,

heredíſve eius veniat. Hæc ex Pandectis.

Ivlia de ſacerdotiis. Tulit idem. Vt abſentis haberi rationem liceret. Cic. Ep. 5. ad Brutum.

Ivlia de prouinciis. Tulit idem Dictator. Ne prouinciæ prætoriæ plus quàm annum, nec plus quam biennium Conſulares obtinerentur. Cic. Philipp. 1. & 5. & 8. item Dio lib. 43.

Ivlia de legibus Cæſaris. Tulit idem. Vt ei qui in ſuas leges non iuraſſet, capitale eſſet. Appianus De bell. ciuil. 2.

Ivlia de fœnore. Tulit idem. Vt diſiecta nouarum tabularum expectatione, quæ crebrò mouebatur, debitores creditoribus ſatisfacerent per æſtimationem poſſeſſionum, quanti quaſque ante ciuile bellum comparaſſent, deducto ſummæ æris alieni, ſi quid vſuræ nomine numeratum aut perſcriptum fuiſſet: qua conditione quarta ferè crediti deperibat. Sueton. in C. Cæſare. Cęſar lib. 3. de bello ciuili. Eadem de modo credendi poſſidendique intra Italiam cauebatur. Tacitus li. 5.

Ivlia de coloniis. Tulit idem. Vt ager Campanus viginti milib. ciuium extra ſortem deuideretur, eoque colonia deduceretur. Sueton. Iulio, & Auguſto.

Ivlia de vi publica & priuata. Tulit C. Iul. Octauius Auguſtus, In eos qui vim armis aut ſine armis feciſſent. Hoc enim eſt vim publicam, aut priuatam, admittere. Florus Epit. c x x. Suet. in eius vita. Hanc legem Iuliam publicorum & Iuliam priuatorum appellat Vlp. in l. ſi præſes, xxxii. D. De pœ. & l. 1. D. vnde vi. Eadem pręterea lege cauebatur, ne rem vi poſſeſſam vſu capere liceret. l. 33 §. 2. D. de vſurpat.

Ivlia maieſtatis Tulit idem. Qua tenetur is cuius opera dolo malo cōſilium initum erit, quo obſides iniuſſu principis interciderēt, quo armati homines cum telis lapidibúſve in vrbe ſint conueniántve aduerſus rempublicam. locáve occupentur vel templa. quáve cœtus conuentúſve fiat, hominéſve ad ſeditionem conuocentur. cuiúſve opera, conſilio, dolo malo cōſilium initum erit, quo quis magiſtratus populi Romani, quive imperium poteſtatémve habet, occidatur. quáve quis cōtra Rem publicam arma ferat. quive hoſtibus populi Romani nuncium, literáſve miſerit, ſignúmve dederit, fecerítve dolo malo, quo hoſtes populi Romani conſilio iuuentur aduerſus rempublicam. quive milites ſollicitauerit, concitaueritve, quo ſeditio, tumultúſve aduerſus rempublicam fiat. Quive de prouincia cum ei ſucceſſum eſſet non diſceſſit. aut qui exercitum deſeruit, vel priuatus ad hoſtes perfugit. quive ſciens falſum conſcripſit, vel recitauerit in tabulis publicis. nam & hoc capite primo lege maieſtatis enumeratur. Quive in bellis ceſſerit, aut arcem tenuerit, aut caſtra conceſſerit. quive iniuſſu principis bellum geſſerit, delectúmve habuerit, exercitū comparauerit. quive cum ei in prouincia ſucceſſum eſſet, exercitum ſucceſſoris non tradidit quive imperium exercitúmve populi Romani deſeruit. quive priuatus pro poteſtate magiſtratúve quid ſciens dolo malo geſſerit. quive quid eorum, quæ ſuprà ſcripta ſunt, facere curauerit. Cuiúſque dolo malo iureiurando quis adactus eſt, quo aduerſus rempublicam faciat cuiúſve dolo malo exercitus populi Romani in inſidias deductus, hoſtibúſve

A proditus erit: factúmve dolo malo cuius dicitur, quo minus hoſtes in poteſtate popul. Romani veniāt. cuiúſve opera dolo malo hoſtes popul. Romani cōmeatu, armis, telis, equis, pecunia, aliâve qua re adiuti erunt. vtve ex amicis hoſtes popul. Rom. fiant. cuiúſve dolo malo factū erit, quo rex exteræ nationis popul. Rom. minus obtemperet. cuiúſve opera dolo malo factum erit, quo magis obſides, pecunia, iumenta hoſtibus populi Romani dentur aduerſus rempublicam. Item qui
B confeſſum in iudicio reum & propter hoc in vincula coniectum emiſerit.

Ivlia de ambitu. Tulit idem. Vt qui petiturus magiſtratum, vel prouinciam, vel ſacerdotium turbam ſuffragiorum cauſſa conduxerit, ſeruos aduocauerit, aliámve quam multitudinem conduxerit, conuictus vt vis publicæ reos in inſulam deportetur. Suet. in Aug. Paullus Sent. 5. capite 32. & Iuriſconſul. in Pand. Diuerſum tamen Dio tradit libr. 56. Vt qui magiſtratum
C ambiiſſent, quinquennium à magiſtratibus arcerentur. quod ipſum Zonaras lib. 11. ſecutus eſt.

Ivlia de maritandis ordinibus. Tulit idem. Ne cœlibes, niſi qui genere eſſent proximi, quicquam ex teſtamento ciuis R. caperent: néve orbi pluſquam dimidium eorum quæ relicta eſſent. Hoc ex Euſebio. Nicephoro, & Sozomene. & l. 1. C. de inf pœn. cœlib. Ne coniux. coniugis teſtamento niſi decimam relictorum par-
D tem caperet: fiſcus reliquas nouem. Vlpian. cap. Inſt. xv. l. 1. C. de his qui ſe def. lib. x. l. 2 C. de infirm. pœn cœlib Fœminis, inquit Vlp. lex Iulia à morte viri anni tribuit vacationem: à diuortio, ſex menſium. Lex autem Papia, à morte viri, triēnii: à repudio, anni & ſex menſium. Vlpia. cap. xiiii. Sueton. in Auguſto. Vt priori ex conſulibus faſces ſumendi poteſtas ſit, qui plures liberos quam collega, aut in ſua poteſtate habet, aut bello amiſit: ſed ſi par vtrique numerus liberorum
E eſſet, maritus, aut qui in numero maritorum eſt, præferatur: ſi verò ambo & mariti & pares totidem liberorum ſunt, tum ille priſtinus honos inſtauretur, & qui maior natu eſt, prior faſces ſumat. Gell. libr. 2. cap. 15. Vt ſi liberta ab inuito patrono diuerteret, alii nubere inuito patrono non poſſet. Vt iuſiurandum quod liberto impoſitum eſt ne vxorem ducat, ei remittatur. l. 6. §. 3. De iure pat. l. 1. D. vnd. vir. & vxor. Ne ſenatores eorúmve liberi, libertinas & quæ ipſe,
F quarúmve pater matérve artem ludicram fecerit, item ex numero corpore quæſtum facientium vxorem ducant. Ceteri autem ingenui prohibētur ducere lenam, à lenone lenáve manumiſſam, & in adulterio deprehenſam, & iudicio publico damnatam, & quæ artem ludicram fecerit. Paulus l. 44. D. de ritu nupt. Martianus autem in l. 19. eo. ſcribit, caput trigeſimumquintum fuiſſe. Vt qui liberos quos habent in poteſtate, iniuria prohibuerint vxores duce-
G re, vel nubere, à magiſtratibus cogantur in matrimonium collocare, & dotare. Vt patritiis liceret libertinas vxores ducere: præterquam ſi ſenatores, ſenatorúmve liberi eſſent. ne qua ſponſalia rata eſſent, niſi ſtatim exacto biennio nuptiæ fierint: hoc eſt, ne puellæ decem annis minores, quarum an-

nus ætatis duodecimus maturus coniugio habebatur. Zonaras lib. 11. Hæc autem lex in libris noſtris interdum Iulia tantum, Interdum Papia interdum Iulia Papia, Interdum Pappia Poppæa dicitur.

IVLIA de viceſima. Tulit idem. Vt quæ hereditates, legata & donationes mortis cauſſa ad alienos, aut locupletes peruenirent, earum pars viceſima ad fiſcum pertineret. Vt teſtamenta in municipiis, coloniis, oppidis, præfectura, vico, caſtello, conciliabulo facta, in facta in foro vel baſilica, præſentibus teſtibus vel honeſtis viris, inter horam ſecundam & decimam diei recitentur, exemploque ſublato ab iiſdem rurſus magiſtratibus obſignato, quorum præſentia conſtat apertum. Vt teſtamentum ſtatim poſt mortem teſtatoris aperiatur, hoc eſt, à præſentibus intra triduum vel quinque dies: ab abſentibus quoque intra eos dies, cùm ſuperuenerint. Vt teſtes, vel maxima pars eorum adhibeantur, qui ſignauerint teſtamentum, ita vt agnitis ſignis, rupto lino aperiatur & recitetur. atque ita deſcribendi exempli fiat poteſtas, ac deinde ſigno publico obſignatum in Archiuum redigatur, vt ſi quando exemplum eius interciderit, ſit vnde peti poſſit. Dio lib. 38. & Paulus Sent. quarto, titulo ſexto.

IVLIA de iudiciis. Tulit idem, qua formam iudiciorum tum publicorum tum priuatorum præſcripſit Gellius lib. 14. cap. 2. Vt qui nomen alicuius deferrent, locum, annum, & menſem, quo crimen admiſſum erit, deſignent. l. 3. De accuſat. Ne eodem tempore, de duobus reis quis quæreretur, niſi ſuorum iniuriarum cauſſa. l. 12. eod. Ne inuito denuncietur, vt teſtimonium dicat aduerſus ſocerum, generum, vitricum, priuignum, ſobrinum, ſobrinam, ſobrino natum, eóſve qui priore gradu ſint. item ne liberto ipſius, liberorum eius, parentum, viri, vxoris. item patroni, patronæ. & vt ne patroni patronæ aduerſus libertos, neq; liberti aduerſus patronú cogātur teſtimonium dicere. l. IIII. D. de teſtib. Vt inter priuatos qui in iudicē cōſenſiſſent, iuris dicēdi ei iudici poteſtas eſſet. l. 3 §. 1. D. De iudic. Ne qui iudex ſit, arbitrium recipere eius rei de qua iudex eſt, ſive ſe promitti iubeat. l. 9. De arbit. Ne minor annis viginti iudicare cogatur. l. cum lege, XLI. D. De arbit. Vt Saturnalibus triduo feriæ ſeruarentur. Macrob. lib. 1. cap. x. Eadem etiam latum opinor, vt certus patronorum numerus eſſet. Meminit Aſconius in argumento pro Scauro. Et ſi quis reus vel accuſator, domum iudicis ingrediatur, per legem Iuliam iudiciariam in legem ambitus cōmittit. l. 1. D. de ambit. Item ne iudices ſuo anno in alienas ædes ingrediantur. Dio. lib. LIIII.

IVLIA Caducaria. Tulit, opinor, idem: & eiuſdem legis hæc duo fuere capita, Vt ſi nemo ſit ad quem bonorum poſſeſſio pertinere poſſit: aut ſi quidem, ſed ius ſuum omiſerit, bona publicentur. Vlpi cap. Inſti. 28. Idem l. 4. §. eodem, D. De fideic. lib. Quare & ſi caducariis legibus. bona delata ſint, idem erit probādum. Eandem legem Iuliam ſignificat Iulianus leg. XCVI. §. 1. De legat. & fid. lib. 1.

IVLIA de adulteriis. Tulit idē. Si quis ſtuprū adulteriúmq; faceret, ſciens, dolo malo. Suet. in

A Auguſt. & Iuriſcōſult. ti. Ad leg. Iul. de adult. Cornelius Tacitus lib. 2. Huius caput etiam hoc fuit, Ne maritus dotale prędium inuita vxore alienet néve id etiam eius voluntate oppigneret. Paulus lib. Sent. c. 22. & Iuſtin. ſub tit. Quibus alien. licet. llicet.

IVLIA Theatralis. Tulit idem. Vt equitib. Ro. quibus ipſis parentibúſve equeſter cenſus vnquā fuiſſet, in 14. ordinib. l. Roſcia Theatrali cōſtitutis conſidere liceret. Sueton. Auguſt. Plin. libr. 33. B cap 2.

IVLIA ſumptuaria. Tulit idē. Vt profeſtis diebus ducentos numos in conuiuiis conſumere liceret: Calendis, Idibus, Nonis, & aliis quibuſdam feſtiuis trecentos, nuptiis autem & repotiis H. S. millies. Agellius lib. 2. cap. 24.

IVLIA de manumiſſionibus. Tulit idē Vt Imperator, cū ſeruū manumittit, nō vindictā imponat: ſed ſimpliciter liberū eſſe iubeat. Paulus l. apud eū, 14. D. de manumiſſ. Qua lege tam mano- C miſſoris quàm manumiſſi ætatem definiuit, iuráque quibus patroni aduerſus libertos vterentur conſtituit. Dio lib. 55.

IVLIA de veneno. Nominatur à Sueton. in Nerone.

IVLIA peculatus. Tulit idē. Ne qui ex pecunia ſacra, religioſa, publicáve auferat, néve intercipiat, néve in rem ſuā vertat: néve faciat, quo quis auferat, intercipiat, vel in rē ſuam vertat: niſi cui vtique lege licebit. néve quis in aurum, argentū, D æs publicum quid indat, néve immiſceat: néve quo quid indatur, immiſceatur, faciat ſciens dolo malo, quo id peius fiat. Vlp. l. 1. D. eo.

IVLIA de reſiduis. Tulit idem. Ne quis eā pecuniam quæ in vſum publicum erogati, vel in ærarium inferri debuit, priuatim retineat. l. 2. D. ad leg. Iul pecul.

IVLIA Titia de tutoribus Tulere. Vt prouinciarum præſides mulieribus pupilliſve tutores non habentibus, tutores darent. Iuſtin. De Atil. E tut. & Vlpi. cap. Inſt. 11.

IVLIA de ceſſione bonorum, Tulit. Vt qui ſine dolo ſuo malo æri alieno ſatisfacere non poſſet, bonis ſuis cedendo liberaretur. l. 4. C. Qui bon. ced. poſſeſ. & in Cod. Theodoſiano lib. 4. tit. Qui bonis ex lege Iulia ceder. poſſint.

IVLIA & Semptonia de limitib. Tulere Vt per auctuarios limites populo eūdi ius eſſet ſicut per viā publicā. Hyginus in libello. De limitib. cōſti. Apud Frontinum autem Tiberij Cæſ. conſtitutio F legitur, ex qua hæc ſumpſimus. Eſt & aliud monumentū quod non longè ab ædibus vel itinere publico conſtitutū: id eſt, iuxta legem Sēproniam & Iuliam, quod cardinib. & Decumanis conſtitutum eſſe monſtratur. quod rationē finium recipere videtur: id eſt concurrētium linearum atque ſecantium ſe inuicem, & ordinem in vtroque cuſtodit, limitum rationem diſcernens.

IVLIA Miſcella de teſtamentis. Tulere. Vt coniugi ſuperſtiti legatum ſibi à demortuo ea lege ne iterum nuberet, ita capere ius eſſet, ſi intra an- G num iuraret ſe liberorum quærendorum cauſſa velle nubere. Iuſtin. in tractatu de indicta viduitate, & lege Iulia Miſcella tollenda. lib. C. 6. t. XL. & Nouell. conſt. 22. vbi Iuſtinia. Iulium Miſcellam huius legis auctorem contra omnia antiquitatis exempla, & falsò (mea qudem opi-

opinione) nomioat, quin etiam quòd eodem loco L. Murium Scæuolam ſcribit legi cautiooem appoſuiſſe, vt anno præterito coniunx alırer legatum capere non poſſet, quàm ſi cautionem dediſſet, ſe ad ſecundas nuptias non peruentutam: falſum opinor: ſed ita cautionem interptetor, vt ad hoc quoque negotium, Muııanæ cautionis vſus adhiberetur.

Ivlia Plauıia de vſucapiooibus. Vide, Iulia de vi, & Plauıia de vi. Ne tes vi poſſeſſas vſucapere vllo tempore liceret. Iuſtin. De vſucap. lib. Inſt. 1.

Ivnia de Regio, & Cooſulati imperio. Tulit L. Iunius Brutus Conſul: Anno ccxliii. Vt imperium Tarquinio abrogaretur, vt ipſe idem cum coniunge ac liberis, itémque omnes Tarquiniæ gentis exulatent: Vt capitale eſſet ſi quis de iis reuocandis mentionem faceret: vt Regio imperio abrogato, Conſules duo regia poreſtate quotannis comitiis centuriatis à populo crearentur. Dionyſius lib 4. Liuius lib. 2.

Ivnia de Trib. ple. Vide Sacrata.

Ivnia Licinia, de legibus. Tulere D. Iunius, & L. Licinius coss. An. ab Vrbe condita, dcxci Vt leges trinundino antè promulgarentur, quàm ad populum ferrentur. Cicer. Philipp. 5. Epiſtol. ad Att. 1. & 4. & Vatiniana iorerrogatione, & pro Domo ſua.

Ivnia Norbana de Libertinis. Tulere M. Iunius Silanus, L. Norbanus Balbus coss. Anno dcclxxi. Vt ij'ſctui qui neque cenſu, neque vindicta, neque teſtamento, ſed aut per epiſtolam, ant inter amicos, aut coouiuij adhibitione liberi fierent, noo ciues Romani, ſed eodem iure, quo Latini coloni eſſent. Vt *ſi Latinus* ciuem Romanam, vel Latinam vxorem duxerit, teſtatione interpoſita, quòd liberorum quærendorum cauſſa vxorem duxerit, poſtea filio filiáve nato natave, & anoiculo facto poſſit apud Prætorem vel Præſidem prouinciæ cauſſam probare, & fieri ciuis Romanus, tā ipſe quam filius filiave eius & vxor, ſcilicet ſi & ipſa Latina ſit. Vt Latinorum legitimæ ſucceſſiones nullæ prorſus eſſent: ſed eorum bona manumiſſores, tanquam ſeruorum peculia ſibi haberent. Vt liberti ius ciuitatis Rom. non antè haberent, quàm ios aureorum aonulorum, aut natalium reſtiturıooem à principe impetraſſent. Vlpian. in Inſtit. tit. 3. Iuſtio. §. v. De ſucceſſ. libt. Idem Nou. lxxviii.

Ivnia Vellea de heredum inſtitutione. Tulere. Vt qui teſtamentum faceret, is omnem virilis ſexus qui ei ſuus heres futurus erit cùm naſcetur, inſtituendi, exheredandive poteſtatem haberet, etiamſi viuo teſtatore naſcerentur. item, Vt ſi quis ex ſuis heredibus ſuus heres eſſe deſineret, liberi eius & ceteri in locum ſuorum ſui heredes ſuccederent. Scæuola l. gallus, 39. De lib. & poſtum.

Ivnia Petronia de libertate. Tulere C. Iunius Cæſonios, Petronius Turpillianus coss. Ann. dccxiii. Vt ſi diſſonantes pares iudicum exiſtant ſententiæ, pro libertate pronuncietur. Hermogen. l. 24. D. De manum. Ab eodem quoque Petronio lex Petronia de ſeruis infra ſuu loco numeratur.

L

Labiena de ſacerdotiis. Tulit T. Labienus Trib. pl. Cice. Antonio coss. Anno A ocxc. Vt ius ereaodorum ſacerdotum, penes collegia eſſet ex veteri lege Domitia, quā lex Cornelia abrogarat. Dio libro 37.

Laetoria de minoribus. Tulit. Vt iis qui furioſi vel prodigi eſſent curatores darentur qui eos circumſcripſiſſent, iudicio publico tenerentur. Cicer. De offic. 3. De nat. deorum. 3. & Capitol. in Antoo. Philoſ. Ne à minoribus vigintiquinque annis ſtipulari liceret: hoc eſt de ſtipulatione obligari poſſent. Sueton. in quarto B Prætorum, apud Priſcianum libr. 8. Et hoc illius caput meo iudicio Plautus ſignificat in Pſeudolo, vbi Callidorum adoleſcentem ſic loquentem facit: *Nimis ſum miſer: nummum nuſquam reperire. argenti queo. Ita miſer & amore pereo, & inopia argentaria. Peri, an non? tum lex me perdit quina vicenaria, Metuunt credere omnes.* Profertur in eandem ſententiam à Conſtantino in l. 2. C. Th. de donationibus.

Licinia de fœnore. Tulit C. Licinius Stolo C Tribunus pl. Furio, Clœlio, &c. Trib. mil. Anno ccclxxvi. Vt deducto eo de capite, quod vſuris pernumeratum eſſet, id quod ſupereſſet, triēnio æquis portionibus perſoluēretur. Liuius lib. 6.

Licinia de magiſtratibus è plebe creandis. Tulit idem. Ne tribunorum militum comitia fierent, Sed Conſulom, & vtique alter ex plebe crearetur. Liuius lib. 6.

Licinia agraria, Tulit idem, Æmilio, Valerio, &c. Tribu. mil. Anno ccclxxvii. Ne quis D plus quingenta iugera agri, centum pecoris maioris capita, quiogenta minoris poſſideret, Varro lib. de re Ruſt. 1. Columel. lib. 1. capi. 3. Liuius lib. 6. Appia. De bellis ciuilibus 1. Gellius lib. 20. ca. 1. Valerius libro 8. capite 6. Plinius libro 18. Capite 3. Velleius libto 2. Plutarchus in Camillo & in Gracchis. Videtur de ſeptem iugeris viritim diuidendis cauiſſe. Nam Columella libro 1. Poſt exactos, inquit, Reges Liciniana illa ſeptē iogera, quæ plebis Tribunus viritim diuiſerat, E maiores quæſtus antiquis retolete, quam nunc nobis ampliſſima vetuacta

Vicinia ſumptuaria. Tulit P. Licinius Craſſus Diues coss. cū Cn. Ceorulo, Anno dclvi. Vt Calendis, Nonis, nundiuis Romanis, cuique in dies ſingulos triginta duntaxat aſſes edundi cauſſa conſumere liceret. nuptiis ducenos. cæteris verò diebus qui excepti oon eſſent, tricenos: quum & carnis atidæ pondo tria & ſalſamentorum pondo libram concederet. quod autem è F terra, vite, arboréve natum eſſet, impunè conſumere liceret. Macrob. lib. 3 cap. 17. Gell. lib 2. c. 2. 24. Cice. lib. 7. epiſt. ad Gallum, epi. 27. Et Feſtos, Centenariæ cœnæ dicebantur, in duas lege Vicinia non plus centuſſibus præter terræ oata impendebatur, id eſt, centum aſſibus, qui etiane breues numi ex ære.

Licina de ludis Apollinaribus. Tulit P. Licin. Varus Prætor Vrb. Claudio. Quinctio coss. Anno dxlv. Vt ludi Apollinares qui die incerta fiebant, in perpetuum io ſtaram diem vouerentur. G itaque ipſe primus ita vouit, fecitque ante diem tertium nonas Quintiles. is dies deinde ſoliennis ſeruatus Liuius lib. 27.

Licinia Caſſia de bello Perſei. Tulere Licin. Caſſius, coss. Ann. dxcciı. Vt quod Perſeus Philippi filius Macedonum rex

Florus epit.c.Dio lib.26.

MANILIA a leges venalinm vendendorum. Ab Antonio dicuntur in lib. De orat.1. pro Cautiones. vt apud Catonem, Lex vini vendendi, oleæ faciendæ.

MANLIA de viceſima. Tulit Cn.Manlius coſ. cum C. Martio, Anno CCCXCVI. Vt ij qui mannmitterentur, fortunarum ſuarum viceſimam ærario darent. Liuius libro 7.

MANLIA de ſacerdotiis. Tulit.P.Manlins Tri. pl.L.Furio, M.Marcello coſs. Anno DLVII. Vt propter ſacrificiorum multitudinem Treſuiri Epulones crearentur: quum eſſent ipſi à Numa, vt etiam ludorum illud epulare ſacrificium facerét, inſtituti. Ius præterea togæ prætextæ habendæ, item vt Pontifici eiſdem eſſet. Cicern de orat. 3. Linins 33. Vbi tamen T.Romuleius legitur: quod Car. Sigonius, vir eruditiſſimus, & de literis optime meritus ex coniectura emendauit.

MANLIA de C.Mario. Tulit.L. Manlius Trib. ple.C.Mario, L. Caſsio coſs. Anno DCXLVI. Vt eidem C. Mario prouincia Numidia mandaretur.

MARTIA Atinia de pace Macedonica. Tulere Q. Martius, C. Attinius Tribuni pl. Furio, Claudio coſs.An.OLVII. Vellét iuberéntne cum Rege Philippo pacem eſſe? omnes quinque & & triginta tribus, vti rogas, iuſſerunt. Linius lib.33.

MARTIA de magiſtratibus. Tulit Martius Cenſorinns, Ne cui bis cenſuram gerere liceret. Plut.in Coriolano.

MARTIA de Statellis. Tulere M. Martius Sermo, & Q. Martius Sylla Tribuni pleb. Popillio, Ælio coſs. Anno DCXXI. Vt qui ex Statellis (Liguriæ populis) deditis in libertatem reſtitutus ante Kalendas Sextiles primas non eſſet, cuius dolo malo is in ſernitutem veniſſet, vt iuratus Senatus decerneret, qui eam rem quæreret, animaduerteretque. Liuins libro 42.

MARIA de ſuffragiis. Tulit. C. Marius Trib. ple.L.Cæcilio, L. Cotta coſs. Anno DCXXIIII. Vt pontes per qnos ſuffragia in comitiis ferebantur anguſtiores fierent, ne quis illic qui ſuffragium ferret conſiſtere poſſet ad appellandum rogandúmque.Cice.De legib.3.Plutarchus in Mario.

MARIA de re nnmaria. Tulit M. Marius Gratidianus Prætor.L.Sylla Dictatore. Vt numi certa rũ excogitata ratione probarentur. Iactabatur enim tēporibus illis nnmus, ſic, vt nemo ſcire poſſet, quid haberet. Cicero de offi.3 Plinius lib.33.ca.9.qui legem hanc nominatim appellat, cum Cicero Prætoris edictum de Roſtris promulgatum fuiſſe ſcribat.

MARIA Porcia de triumpho, Tulere L. Marius, M. Cato Tribuni pl Vt pœna afficerentur ij, qui aut hoſtium occiſorum in prælio, aut amiſſorum ciuium falſum numerum literis ſenatui retuliſſent. Vt cùm primum vrbem intraſſent, apud quæſtores vrbanos iurarent, de vtroque numero verè ab iis Senatui ſcriptum eſſe. Valerius lib 2.cap.De iure triumph.

MEMMIA de Iugurtha Romam ducendo. Tulit C Memmius Tribunus ple. P. Scipione Naſica, L. Beſtia Calpurnio coſs. Anno DCXLII. Vti L. Caſſius Prætor ad Iugurtham mitteretur, A eúmque interpoſita fide publica Romam duceret, quo facilius iudicio regis, Scauri & reliquorum, quos pecuniæ captæ arceſſebant, delicta patefierent. Salluſt.de bello Iugurth.

MEMMIA de reis poſtulandis. Tulit. Vt eorum qui Reipublicæ cauſſa abeſſent nomina ne in reos reciperentur. Vt calumniatoribus, pœna conſtituto iudicio imponeretur. Val. Max.libr.3. cap.7. Cicero pro Sex. Roſcio. Papinian. l.13.D. de teſtib. l.1. §. 1. Ad s.c. Turpill. Legitur tamen B Remmia.

MENENIA Sextia de mulcta. Tulere T.Menenius, P. Sextins coſs. Anno CCCI. Autor Feſtus libr.14 cuius verba ſic opinor, legenda ſunt, Peculatus furtum publicum dici cœpinm eſt à Pecore: quia ab eo initium eius fraudis eſſe cœpit. ſiquidem ante æs aut argentum ſignatum ob delicta pœna grauiſſima erat duarum ouium, & triginta boum: quæ pecudes poſtquam ære ſignato vti cœpit populus Rom. Tarpeia lege cau- C tum eſt, Vt bos centuſsis, ouis decuſsis æſtimaretur. Eam legem ſanxere. T.Menenius Lanatus, & P. Sextius Capitolinus coſs.

MENIA de auctoritate Patrum. Nominatur à Cicerone in lib. De claris orat. Eáque videtur eſſe quæ apud Feſtum libro 14. Minia nominatur, in dictione Prorſus: & apud Nonium fortaſſe, in voce Sugillare: vbi ait, Sugillare, occludere Varro Geminis, Contrà lex Mania eſt in pietate, ne filij patribus luci clara ſugillent oculos. Allude- D re videtur ad patrum nomen, quo lex Menia Patritios intelligebat.

MENSIA de ciuitate. Tulit. Vt ex alterutro peregrino natus, deterioris parentis cõdicionem ſequatur. Vlpian.capi. Inſtit.5. Et hanc idem in l. lex naturæ, 24. De ſtat. hom. ſpecialem legem intelligit.

MINVTIA. Meminit Feſtus libro 13. in voce, Oſi ſunt.

MINVTIA de Triumuiris menſariis. Tulit Mi- E nutius Trib. pl. Æmilio, Terentio coſs. Anno CXXXVII. vt propter penuriam argenti Triumuiri menſarii crearentur. Liuius. lib. XXIII.

MVNERALIS LEX vocata eſt, qua Cincius cauit, ne cui liceret munus accipere. Feſtus, qui Plauti verſus citat, quos in Cincia retulibus.

O

F OGVLNIA de ſacerdotiis. Tulere Q. & Cn. Ogulnij Tribu. pleb. M. Valerio, Q. Apuleio coſs. Ann. CCLIIII. Vt cùm quattuor Augures, quattuor Pontifices ea tempeſtate eſſent, placerétque augeri ſacerdotum numerum, quattuor Pontifices, quinque augures, de plebe omnes allegerentur. Ita deinceps octo Pontifices nouem augures fuerunt. Liuius lib.10.

OPPIA de matronarum cultu. Tulit C. Oppius Tribu. pleb.Q.Fabio, T. Sempronio. coſs. Anno OXL. Ne qua mulier plus ſemuncia auri ha- G beret: neu veſtimento verſicolori vteretur: neu iuncto vehiculo in vrbe oppidóve, aut propius inde mille paſſus, niſi ſacrorum publicorum cauſſa veheretur. Liuius libro trigeſimoquarto Tacitus lib. 3.

OPTIMA LEX, quum nominabatur in magiſtro populi faciendo, qui vulgò Dictator ap-

pellabatur, quàm pleniſſimum poſſet ius eſſe ſi- A
gnificabatur. Vt fuit M. Valerij Marci filij Volu-
ſij nepotis, qui primus magiſter populi creatus
eſt. Poſtquã verò prouocatio ab eo magiſtratu ad
populũ data eſt, quæ antea non erat, deſitum eſt
dici, Vt optima lege: vtpote imminuto iure prio-
rum magiſtrorum. Hæc Feſtus. Idem alibi, In
magiſtro populi faciendo, qui vulgò dictator ap-
pellatur, quàm pleniſſimum poſſet ius eſſe ſi-
gnificabatur. Poſtquam verò prouocatio ab eo
magiſtratu ad populum data eſt, quæ antea non B
erat: deſitum eſt dici, Vt optima lege: vtpote im-
minuto iure priorum magiſtrorum. Hactenus
Feſtus.

Orchia de numero conuiuarum. Tulit
C. Orchius Tribun. pleb. Q. Fabio, M. Claudio,
coss. Anno DLXX. Macrob. lib. 3. c. 17. Feſtus li.
13. Obſonitauere.

Ovinia lex nominatur à Feſto, vbi de
Præteritis agit ſenatoribus: Vt Cenſores ex C
omni ordine optimum quemque curiatim in
ſenatu legerent. quo factum eſt, vt qui præ-
teriti eſſent, & loco moti, haberentur igno-
minioſi.

P

Pacvvia ex menſis Auguſti nomine.
Tulit Sex. Pacuuius Tribun. pleb. Augu-
ſto Imperatore, Vt qui menſis antea Sextilis D
vocabatur, quòd à Martio qui primus olim
fuerat, ſextus eſſet: is deinceps Auguſtus ab
Auguſto Imperatore diceretur. Macrobius libr.
Sat. 2. cap. 12.

Pagana lex in pleriſque Italiæ præ-
diis cauetur, ne mulieres per itinera ambulan-
tes, torqueant fuſos, aut omnino detectos fe-
rant: quoniam aduerſetur id omnium ſpei, præ-
cipuéque frugum. Plin. li. 28. c. 2. E

Papia, vide Pappia.

Papiria Iulia de multarum æſtimatione.
Tulere L. Papirius, L. Iulius coss. Anno
CCCXXIIII. Liuius libro 4. vide Ateria.

Papiria de ciuitate. Tulit L. Papirius
Pr. Vt Acceranis ciuitas ſine ſuffragio daretur.
Cornelio, Domitio coss. Anno CCXXI. Li-
uius lib. IIX.

Papiria de ſuffragiis. Tulit C. Papirius Car-
bo Tribun. pleb. Popilio, Rupilio coss. An- F
no DCXXI. Vt in iubendis legibus aut vetan-
dis populus tabella ſuffragium ferret. Cicer. De
legib. 3.

Papiria de Triumuiris capitalibus, aut
potius Monetalibus. Tulit L. Papirius Tribun.
pleb. Vt qui prætor fieret, qui inter ciues ius di-
ceret, Treſuiros capitales (Monetales legendum
videtur) populum rogaret: qui ſacramenta liti-
gatorum exigerent, iudicaréntque: eodémque
iure eſſent. vti quos ex legibus, plebiſve ſcitis
exigere iudicaréve oporter. Hæc ex loco Feſti
corruptiſſimo in lib. XVII. voce Seſtertius. G

Papiria de conſecratione. Tulit idem. Ne
iniuſſu plebis ædes, terram, aliámve rem vllam
conſecrare liceret. Cic. Pro domo ſua.

Papiria de re nomaria. Tulit, opinor, idem
L. Papirius Tribu. pleb. Vt aſſes eſſent ſemuncia-
les. Plinius lib. 33. cap. 3.

Pappia de ciuitate. Tulit C. Papius Tr. ple.
Cotta, Manlio coss, Anno DCXXCIIX. Vt pere-
grini vrbe Roma expellerentur. Cicero De of-
fic. 3. Pro Balbo, pro Archia, Dio lib. 37.

Pappia de Veſtalis capiundi ritu. Tulit. Vt
Ponti. Max. arbitratu virgines è populo viginti
legantur, ſortitióque in concione ex eo numero
fiat. Agellius lib. 1. c. 12.

Pappia de ſociis. Tulit. Vt ſocij Latini in ſuas
ciuitates redigerẽtur. Vt iudicium ſociis & ciui-
tatibus exteris cõſtitueretur, reperendi eius cauſ-
ſa, qui in ciuitatis Rom. cenſum irrepſiſſet. Va-
lerius. lib. 3. ca. 4. Cicer. in Corneliana.

Pappia Poppæa de maritandis ordinib. Tu-
lere M. Pappius Mutilus, Q. Poppæus Secundus,
coss. ſuff. Auguſto Imperatore: vt conſtat ex Dio-
ne, apud quem Popilius legitur, pro Poppæus.
Vt qui Senator eſſet, quive filius, nepos, prone-
póſve ex filio vel ex filia natus, cuius eorum eſſet,
ne quis eorum ſponſam vxorémve ſciens dolo
malo haberet libertinã. aut eam quæ ipſa, cuiúſ-
ve pater, matérve artem ludicram facit, fecitve:
néve Senatoris filia, neptíſve ex filio, proneptiſ-
ve ex nepote, filio nato, nata, libertino, eive
qui ipſe, cuiúſve pater matérve, artem ludicram
facit, fecitve, ſponſa nuptáve ſciens dolo ma-
lo eſſet. Vt ne quinquaginta annis minor ſexa-
genario nuberet: aut vir hac ætate iunior quin-
quagenariam fœminam duceret in vxorem.
Vt patronis qui ius trium liberorum habeant,
contra tabulas teſtamenti liberti, aut ab inteſta-
to contra ſuos heredes non naturales bonorum
poſſeſſio detur. Vt patronæ ingenuæ duobus li-
beris honoratæ, libertinæ tribus idem iuris de-
tur, quod patronis ex edicto. Vt liberis inge-
nuæ trium liberorum iure honoratæ idem iuris,
quod ipſi patronæ tribuatur. Vt omnibus inge-
nuis, præter Senatores eorúmque liberos, vxo-
res libertinas habere liceret. Tacitus libro ter-
tio. Iuriſconſulti ſub titulo, De ritu nupt. De
vulg. ſubſtitut. De iur. patron. & aliis locis in-
numeris. Vlpianus capite Inſtitutionum 14. &
29. Dio libro 56. Vide l. Iulia de marit. ordini-
bus vbi plura diximus.

Pappia de iure patronatus. Tulit idem.
Vt ex bonis eius qui HS. centum millium
patrimonium reliquerat, & pauciores quàm tres
liberos habebat, ſiue is teſtamento facto, ſiue
inteſtatus mortuus erat: virilis pars patrono de-
beretur. Itaque quum vnum quidem filium he-
redem reliquerat libertus, perinde pars dimidia
debebatur patrono, ac ſi is ſine vllo filio filiáve
inteſtatus deceſſiſſet: quum verò duos duáſve
heredes reliquerat, tertia pars debebatur pa-
trono: ſi tres reliquerat, repellebatur patronus.
Item, Vt libertus qui duos liberos in poteſtate
haberet, operarum obligatione liberaretur. Iu-
ſtin. §. primo. De ſucceſ. libert. Et in Pand. ſub
titul. De bonis libert. aliiſque locis compluri-
bus.

Pedia de vi. Tulit Q. Pedius coss.
cum Auguſto Cæſare, Anno DCCXI. Vt qui
C. Cæſaris cædis auctores eſſent, iudicio con-
ſtituto rei fierent, & damnatis aqua & igni inter-
diceretur. Appian. lib. De bello ciuili 3. Sueton.
Nerone, & Galba, Velleius lib. 2.

Prov-

PEDVCEA DE INCESTV. Nominatur à Cicetone De oat.deor. 3. A

PEOVCAA DE tetminis. Tulit. In libello Variorum autorum, De agrorum eondicionibus, hia edita eſt verbis, quæ tamen aliqua ex parte correximus. Quæ colonia hac lege deducta, quódve municipium, præfectnra, forum, conciliabulom conſtiutum erit, qui ager intra fiues eorum erit, ſi tetmini in eo agro ſtatuti noo erunt, quo in loco tetminus non exſtabit, in eo loco is cuius is ager erit, terminum deſtituendum eorato: viq́ue B rectè factum eſſe velit, magiſtratus qui in ea colonia, municipio, præfectura, foro, coociliabulo iure dicuodo præerit, facito vt fiat.

PESVLANIA DE damno à canibus illato. Tulit. Vt ſi canis pauperiem feecerit, damnúmve dederit, in dominum actio detur, vt aut damni æſtimationem ſubeat, aut eanem noxæ dedat. Paol. Sent. lib. 1. cap. 15.

PETILLIA DE PECVLATV. Tulit Q. Petillius Tribunus plebis. Æmilio, Flaminio COSS. C Anno DLXVI. Vellent, iuberent, quæratur, quæ pecunia eapta, ablata, coacta ab rege Antiocho eſt, quique ſub eius imperio fuerunt: quod eius in publicum relatum non eſt, vti de ea re Ser. Sulpitius Prætor vrb. ad ſenatom referat. Omnes tribus vti rogas iuſſetuot. Liuius libro 38.

PETRONIA DE SERVIS. Tulit, opinor, Petronius Turpillianus COS. cum Cæſonio Peto, Anno DCCCXIII. Ne dominis poteſtas eſſet ad D beſtias depugnandas ſuo arbitratu ſeruos ſuos tradere. Vt ei qui iure viri delatum adulteriom non peregiſſet, nunquam poſtea referre hoc crimen liceret. Modeſtinus l. 11. D. ad legem Cornel. De ſicar. Impp. l. 15. C. ad l. Iul. de adulter. Ab eodem Petronio & collega Iunio ſuprà Iunia Petronia onmerata eſt.

PETRONIA DE peregrinis. Tulit. peregrini vrbe Roma expellerentor. Cicero lib. De offic. 3. Hanc, opinor, Feſtos libro 16. in voce Reſpublicas eo loco ſignificat, vbi oune P. Ennij E de peregrinis corruptè, meo iudicio, legitur.

PINARIA DE AMBITV. Tulit L. Pinarios Trib. milit. cum collegis. Anno CCCXXII. Ne cui album vaſtimantum addere petitionis cauſſa liceret. Liuius libro quarto. Lex tamen non tenuit, vt ex omnium temporum conſuetudine intelligitor.

PINARIA Furia. Tulere L. Pinarius, L. Furius Coſſ. Eam antiquiſſimam, eui mentio Intercala- F ris adſcribitur, in columna ætea inciſam fuiſſe, Varro ſcribit: teſte Macrobio lib. 1. cap. 13.

PLAVTIA Iudiciaria. Tulit M. Plaotius Siluanus Tribun. pleb. Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone Coſſ. Anno DCLXIIII. ſecundo anno belli Italici, quum equeſter ordo in iudicijs dominaretur. Vt tribus ſingulæ ex eo numero quinos denos ſuffragio crearent, qui eo anno iudicarent. ex eo factum eſt, vt ſenato- G res quoque in eo numero eſſent, & quidam etiam ex ipſa plebe. Cicero in Orat. pro Cornelio, Epiſt. ad Att. lib. IV. & Aſcon. Ex quo Intelligitur, quum equites ſoli iudicarent, XXX. tribus dediſſe ſingulas iudices XV. itaque iudices CCCCL. fuerunt: & iudicia inter tres ordines, ſenatorium, equeſtrem, & plebium communicata ſunt.

PLAVTIA De vi publica. Tulit idem. Vt de iis, qui vim publicam armatis hominibus feciſſent, quæſtio conſtitueretur. Meminit Cicero De reſponſ. aruſ. pro Milone, lib. Epiſt. ad Q. Fratrē 11. & ad Att. 4. Salluſt. in Catil. Aſcon. in Milon. & Cælius ad Ciceronem lib. Epiſto. 8 Item, Ne rem vi poſſeſſam vſucapere liceret. Iulianus l. 33. §. 2. D. de vſuc. Lex Plautia & Iulia ea demum vetuit longa poſſeſſione capi, quæ vi poſſeſſa fuiſſent: non etiam ex quibus vi quis deiectus fuiſſet.

PLAVTIA Papiria de ciuitate Tulere M. Plautius Siluanus, C. Papirius Carbo Tribuni pl. Cn. Pompeio, L. Catone Coſſ. Anno DCLXIIII. Vt ciuitas iis daretur, qui fœderatis ciuitatibus adſcripti fuiſſent, ſi & cùm lex ferebatur, in Italia domicilium habuiſſent, & ſexaginta diebus apud Prætorem eſſent profeſſi. Cicero pro Archia poeta.

PLÆTORIA. vide Lætoria.

PLÆTORIA De iure dicundo. Tulit M. Plætorius Tribunus pleb. Prætor vrbanus qui nunc eſt, quique poſthac fuerit, duos lictores apud ſe habeto: iſque ſupremom ad ſolis occaſum ius inter eiues dicito. Cenſorin. libro de die nat. cap. 19. Varro lib. De ling. 5. Sed poſtea lex Plætoria id quoque tempus iubet eſſe ſupremum, quo Prætor in comitio ſupremam pronunciauit populo.

PLOTIA de exulibus. Tulit Plotius Tribun. pleb. Vt qui Lepidum ciuili bello ſecuti, poſt necem Coſ. ad Sertorium confugerant, impunè in ciuitatem redirent. Sueton. Cæſare, Agell. lib. 13. cap. 3.

PLOTIA. Flauia. Tulere. Vt vel agri quos à Senatu locupletes emiſſēt, reddita poſſeſſoribus pecunia plebi diuiderentur: vel, ſi, neminē vetere poſſeſſione moueri Senatus vellet, alij agri ea pecunia quæ ex nouis vectigalibus per quinquēnium reciperetur, emerentur, & plebi quæ agros non haberet, partirentur. Cicero lib. ad Att. 1.

PLOTIA Agraria. Nominatur à Cicerone libro Epiſtol. ad Att. 1. epiſtola, Nihil mihi.

POETELIA de ambitu prima. Tulit C. Pœtelius Tribun. pleb. C. Fabio, & C. Plautio Coſſ. Anno CCCXCV. Vt ne ambiendi magiſtratus cauſſa nundinas & conciliabula obire liceret. Liuius lib. 7.

POETELIA, Papiria de nexu. Tulere C. Pœtelius, L. Papirius Coſſ. Anno CDXXVII. Ne quis niſi qui noxam meruiſſet, donec pœnam lueret, in compedibus, aut in neruo teneretur: pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet. & ne quis in poſterum necteretur. Liuius libr. 8. Vbi tamen videndum ne pro Meruiſſet, Nocuiſſet ſit legendum. Et de eadem lege, C. Manlius in epiſtola ad Q. Marcium conſulem apud Salluſt. Catil.

POMPEIA de Tribun pleb. Tulit Cn. Pompeius 1. Conſul cum M. Craſſo, Anno DCLXXXIII. Vt ad Tribunos pleb. prouocandi ius eſſet: (quod lege Cornelia prohibitum fuerat) omniáque omnino quæ Tribunis pl. ademerat Sylla, illis reſtituerentur. Plutarch. in Pompeio, Aſconius in Verrin. 1. & 2. & Cæſar. libro De bell. ciuil. 1.

Pompeia de prouinciis. Tulit Cn. Pompeius Coſſ. cum Q. Cæcilio, Anno dcci. Vt ſibi Hiſpania prouincia in alterum quinquennium prorogaretur. Dio libro 38. & Plutarch. in Vit. qui tamen, Quadriennium ſcribit. A

Pompeia Iudiciaria. Tulit idem Coſſ. cum M. Craſſo iterum, Anno dcxcix. Vt ampliſſimo ex cenſu, ex centuriis, aliter quàm antea, lecti iudices, ex tribus tamen ordinibus quibus Aurelia lege communicata erant iudicia, Senatorio ſcilicet, Equeſtri, & Tribunis ærarij, res iudicarent. Item vt quinque & ſeptuaginta iudices cauſſas cognoſcerent. Cicero in Piſonem, & Aſcon. in eandem. B

Pompeia de parricidiis. Tulit idem, Vt qui cognatos vel affines, qui parentum liberorúmve nomine continentur, fratrémve aut ſororem necaſſet, is ſanguineis virgis verberatus, in culeum inſueretur cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia. deinde in mare vel profluentem proiiceretur. Modeſtinus l. 9. D. Ad l. Pomp. de parricid. Vbi tamen ait more maiorum eam fuiſſe conſtitutam pœnam: quod mihi ſanè obſcurum eſt, ſi maiores ab eo tempore repetamus, quo Cicer. Sex. Roſcium defendit. neque enim id opinor Ciceronem prætermiſſurum fuiſſe, quum de ſolo culeo loquatur. ac vereor ne quid à Triboniano eo in loco ſit commiſſum. Seneca tamen lib. de Clementia 1. de Cæſare Auguſto loquens, Non culeum, inquit, non ſerpentes, non carcerem decreuit. Iuuenalis autem de ſerpente & ſimia etiam loquitur. Conſtantinus verò in l. prima, C. de parricid. canem & gallum gallinaceum adiecisse videtur: quæ tamen omnia Iuſtinianus legi Pompeiæ in Inſtitutionibus attribuit. Vtut ſit, hoc vt opinor Pompeiū inſtituiſſe, vt quum antea Prætor certus ac proprius non eſſet, qui de parricidis ius diceret, ſed lege Cornelia qui inter ſicarios quæreret, de iis quoque quæreret (quemadmodum ex Roſciana intelligitur) deinceps certus huius criminis quæſitor eſſet, nam quod ait Vlpianus in l. D. de parricid. lege Pompeia eandem pœnam parricidis eſſe cōſtitutam, quæ lege Cornelia De ſicariis, ſic accipiendum eſt, quā lex Cornelia ad parricidas pertinebat. Alioqui perobſcurus videri locus poſſet. Sanguineas autem virgas rectè in Florentinis libris legi, qui genus illud virgarum notum habēt, quas Plinius ita nominat, facilè perſpiciunt. ſunt autem ſalignearum non admodum diſſimiles, niſi quòd & grauiores ſunt & ad ſanguinis colorem propius accedunt. Videndum præterea cū ætas Senecæ Ciceroni tam propinqua fuerit, an Pompeius lege ſua de ſimia & vipera, vel etiam dereliquis omnibus legem tulerit. C D E F

Pompeia de vi et ambitu. Tulit idem Conſul ſolus creatus, Anno dcci. Vt priuſquam cauſſa de vi ageretur, teſtes per triduum audirentur, dicta eorum iudices conſignarent, quarta die adeſſe omnes in diem poſterum iuberentur, & coram accuſatore ac reo pilæ, in quibus nomina iudicum inſcripta eſſent, æquarentur: dein rurſus poſtera die ſortitio fieret vnius & lxxx. qui numerus cùm ſorte obtigiſſet, ipſi protinus ſeſſum irent: tum ad dicendū accuſator duas horas, reus tres haberet, reúſque illo eodem die G iudicaretur, prius autem quàm ſententiæ ferrentur, quinos ex ſingulis ordinibus accuſator, totidem reus reiiceret: ita vt numerus iudicum relinqueretur qui ſententias ferrent, quinquaginta & vnus. Aſconius in Milonianę argumento, Dio libr. 40. Cicero lib. 4. De finibus, & ad Attic. libro 10. Cæſar De bello ciuil. libro tertio.

Pompeia de pecuniis ob rem iudicandam captis. Tulit idem, eodem anno. Vt de iis qui à ſecundo ſuo Conſulatu ad hunc vſque diem ob rem iudicandam pecunias cepiſſent, quæſtio conſtitueretur. Appian. De bell. ciuil. libro 2.

Pompeia iudiciaria. Tulit idem eodem anno. Ne reum in iudicio laudare liceret Plutarchus in Pomp. & Caton. Vtic. Valerius lib. 6. cap. 2.

Pompeia de Magiſtratibus. Tulit Cn. Pompeius tertium Coſſ. cum Q. Cæcilio, Anno dcci. ne cuius abſentis in Magiſtratuum comitiis ratio haberetur vno Cæſare excepto. Dio lib. 40. & Plutar. in Vitis.

Pompeia de Magiſtratibus Bithyniorum. Tulit idem. Ne quis annis xxx. minor magiſtratum caperet, in ſenatúve eſſet vt qui magiſtratum cepiſſent, eis in ſenatu eſſe liceret. Ne Decuriones in curiam à Cenſoribus lecti, pecuniam pro introitu darent. Vt Senatores certis de cauſſis à Cenſoribus ordine mouerentur. Vt Bithynicis ciuitatibus adſcribere ſibi quos vellent, ciues liceret, dum ne ciuitatis eſſent alienæ ſed earum quiſque ciuitatum, quæ eſſent in Bithynia. Plinius Cæcil. libr. Epiſtolar. 10. Epiſtol. 84. & 117.

Popilia de Veſtalis capiendæ ritu. Tulit. Vt ſi quis honeſto loco natus adeat Pontificem Maxim. atque offerat ad ſacerdotium filiam ſuam, cuius duntaxat, ſaluis religionum obſeruationibus, ratio haberi poſſit: id per ſe ratum ſit. Agellius libri primi, capit. 12.

Porcia de ivre civitatis. Tulit M. Porcius Cato Tribunus pleb. Valeſio, Apuleio coss. Anno cdliii. Ne quis magiſtratus ciuem R. virgis cæderet, necaretve: ſed damnato exilium permitteret: quum antea nudorum ceruix inſereretur furcæ, corpus virgis ad necem cæderetur. Liuius libr. 10. Cicer. pro Rabirio perduel. Salluſt. in Catil. Sueton. in Nerone.

Publicia de cereis. Tulit Publicius Tribunus plebis. Vt Saturnalibus cerei non niſi ditioribus mitterentur. Macrob. lib. 1. cap. 7.

Publicia de lvsv. Tulit. Ne quis in pecuniam luderet, ſponſionémve in ludo niſi qui virtutis cauſſa ſuſceptus eſſet, faceret. Marcianus l. 3. D. De aleator.

Publilia de plebeis magiſtratibus. Tulit Volero Publilius Philo Tribunus pleb. Claudio, & Quinctio Coſſ. Anno cclxxxi. Vt plebeij magiſtratus qui antea curiatis comitiis fiebant, deinceps remotis patribus tributis comitiis crearentur. Liuius libro ſecundo, Dionyſ. libro nono apud quem tamen πόπλιος βολήρων legitur, pro πουπλίλιος. nam Volero prænomen Publilius nomen fuit. vt non Voleronia, ſed Publi-

Publica lex dicenda ſit. in quo plerique decepti ſunt.

Pvblilia de legibus & cenſoribus. Tulit Q. Publicus Philo Dictator, Anno cccc-xiiii. Vt plebeſcita omnes Quirites tenerent: Vt legum quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum ſuffragium patres auctores fierent: vt alter vtique ex plebe, cùm eò ventum ſit vt vtrunque plebeium Conſulem fieri liceret, Cenſor crearetur. Liuius lib. 8.

Pvpia de Senatu habendo. Tulit. Ne Senatus à xviii. Calendas Februarias vſque Calendas Februarias haberetur. Ne niſi perfectis, aut eiectis legationibus, aliis de rebus Senatus haberetur. Cicero Epiſto. ad Lentulum. 4. ad Q. Fratrem, libro ſecundo, Epiſto. 11. & Cælius 8. Epiſt. ad Ciceronem. Vbi hac lege ſolutos magiſtratus ſcribit.

Q.

Qvina vicenaria. Vide Lætoria.

R.

Regia de vnivs imperio. Lata eſt ineunte regnum Romulo, qua populus omnem ei poteſtatem in ſe conceſſit. Liuius libro 34. Ex vtro tandem genere ea lex eſſe videtur, quam abrogamus? an vetus Regia lex, ſimul cum ipſa vrbe nata? Cùm autem annis amplius D. florente populi Roma. libertate, ſopita fuiſſet, poſtea D. Auguſti & Tiberij dominatu, qui legibus ſoluti ſunt, excitata, ſubtilius & copioſius quàm antea perſcripta eſt. & quo quiſque die ſucceſſores demortuorum imperium accipiebãt, recitari ſolebat. quemadmodum ex his eius, vt opinor, reliquiis intelligitur, quæ à me in libro Epigrammatum Romanorum inuentæ digniſſimæ viſæ ſunt, quæ huuc in locum referrentur. Ea verò ad Veſpaſiani imperium pertinet: quæ, vt arbitror, à Cornel. Tacito libro 20. his ſignificatur verbis, Tum Senatus omnia Principibus ſolita Veſpaſiano decreuit, &c. Vidi etiam qui teſtarentur, Romæ hanc ſcriptutam exſtare in baſilica Lateranenſi, in ære inciſam. Eſt autem huiuſmodi, Fœdúſve cum quibus volet facere liceat, ita vti licuit Diuo Aug. Tib. Iulio Cæſari Auguſto, Tiberióque Claudio Cæſari Auguſt. Germanico, &c.

Vtique ei Senatum habere, relationem facere remittere, Senatuſconſulta per relationem diſceſſionémque facere liceat, ita vti licuit Diuo Aug. Ti. Iulio Cæſari Auguſt. Ti. Claudio Cæſari Auguſto Germanico.

Vtique cùm ea voluntate auctoritatéve, iuſſu mandatúve eius, præſentéve eo Senatus habebitur, omnium rerum ius perinde habeatur, ſeruetur, perinde ac ſi è lege Senatus edictus eſſet, haberetúrve.

Vtique quos magiſtratum, poteſtatem, imperium, curationémve cuius rei petentes Senatui populoque Romano commendauerit, quibúſve ſuffragationem ſuam dederit, promiſerit, eorum comitiis quibuſque extra ordinem ratio habeatur.

Vtique ei fines pomœrij proferre, promouere,

A cùm ea Republica cenſebit eſſe, liceat, ita vti licuit Ti. Claudio Cęſari Auguſt. Germanico.

Vtique quæcunque ex vſu Reipublicæ, maieſtate diuinarum, humanarum, publicarum, priuatarúmque rerum eſſe cenſebit, ei agere, facere, ius poteſtáſque ſit, ita vti Diuo Aug. Tiberióque Iulio Cæſ. Aug. Tiberióque Claudio Cæſ. Aug. Germanico fuit. Vtique quibus legibus plebiſve ſcitis ſcriptum fuit, ne Diuus Aug. Tiberiúſve Iulius Cæſar Aug. Tiberiúſve Claud. Cæſar

B Aug. Germanicus tenerentur: iis legibus, plebiſque ſcitis, Imp. Cæſar Veſpaſianus ſolutus ſit: quæque & quaque lege, rogatione Diuum Aug. Tiberiúmve, Iulium Cæſarem Aug. Tiberiúmve Claudium Cæſarem Auguſt. Germanicũ facere oportuit, ea omnia Imp. Cæſari Veſpaſiano Auguſto facere liceat.

Vtique quæ ante hanc legem rogatam acta, geſta, decreta, imperata, ab Imperatore Cæſare Veſpaſiano Auguſto iuſſu mãdatúve eius à quo-

C que ſunt, ea perinde iuſta ratáque ſint, ac ſi populi plebiſve iuſſu acta eſſent.

Sanctio.

Si quis huiuſce legis ergò aduerſus leges, rogationes, plebiſve ſcita, ſenatúſve conſulta fecit, fecerit, ſiue quod eum ea lege, rogatione, plebiſve ſcito, s. vе c. facere oportebit, non fecerit, huius legis ergò, id ei ne fraudi eſto; néve

D quid ob eam rem populo dare debeto, néve cui de ea re actio, néve iudicatio eſto, néve quis de ea re apud ſe agi ſinito. Hæc ex Epigrammatũ antiquorum lib. Vlpian. autem in l. 1. D. de conſtit. princ. hanc legẽ ſignificat, cùm ita ſcribit, Quod principi placuit, legis habet vigorẽ: vtpote cùm lege Regia, quæ de imperio eius lata eſt, populus ei & in eum omne ſuum imperiũ & poteſtatẽ conferat. Quod Iuſtin. totidẽ verbis in tit. De iure natur. & gent. tranſcripſit. Hanc autem Ale-

E xander Imperator legem Imperij appellare videtur in l. 3. C. de teſtamentis. & à Strabone in finẽ poſtremi libri ſignificatur his verbis, vbi de Cæſare Auguſto loquens, ἐπεὶ γὰρ, inquit, ἡ πατρὶς ἐπέτρεψεν αὐτῷ τὴν προστασίαν τῆς ἡγεμονίας, καὶ πολέμου καὶ εἰρήνης κατέστη κύριος διὰ βίου, &c.

Regia de mortuo inferendo. Tulit. Ne mulier quæ prægnans mortua ſit, humetur antequã partus ei excidatur. qui contrà fecerit, ſpem animantis cum grauida peremiſſe videatur. Marcia-

F nus l. 2. C. de mort. infer. Hanc autem legem ſuperioris partem fuiſſe, ridiculũ eſt dicere. tametſi eius auctorem nominare difficile eſt, cùm ſatis conſtet Regis verbum cognomen fuiſſe, non nomen: leges autem ex nominibus appellationem ſumpſiſſe. Ea exiſtimarem igitur Romuli aut Numæ Pompilij legis alicuius, de qua Marcianus antea diſputarat, partem hanc fuiſſe: cùm præſertim ad ſacra hæc lex pertineat, de quibus quæ leges à Numa conſtitutæ fuerant, ſemper obſeruatæ

G ſunt. vt Iulius quoque Capitol. in Antonio Piò teſtatur. Similẽ Diodorus apud Ægyptios Græcóſque propè omnes legem de mulieribus grauidis rei capitalis damnatis, lib. 2. commemorat. itémque Clemens Alex. lib. 11. Strom. & Plutarchus de Ægyptiis, libro De ſera num. vind. Ælianus de Athenienſibus lib. Var. hiſto. v:

REMMIA. Vide Memmie.

RHODIA de iectu. Latam opinor, è Rhodiis, & à Cæſaribus receptam. vt ſi leuãdæ neuis gratie iactus mercium factus eſt, omnium contributione ſarciatur, quod pro omnibus datum eſt. Paullus.l.1.D.de lege Rhodia. Niſi fortè de Rhodiis lata eſt: & Rhodia ſic dicatur, vt Cypria lex (quę de Cypri tege lata eſt à Claudio) nominatur in Sextiana & Tribunitia, de Tribunorum poteſtate. in ſecunda Verrina.

ROMVLETA DS ſacerdotiis. Vide MANLIA.

ROSCIA Theatralis. Tulit L. Roſcius Otho Trib. pleb. L.M[illegible]ello. Qu. Martio Coſs. Ann. OCLXXXII. Vt in Theetro Equitibus Romenis, qui H-S. quedringinta poſſiderẽt, 14. gradus ſpectandi gratia aſſiguarentur: exceptis iis, qui ſuo fortunæ've vitio decoxiſſent. Cic. Philipp.2. Aſconius in Cornelienem. Flor. epit. 99. Dio lib.16. Plin. lib.7. cap.20. Iuuenal. Sat. 14. Et Tacitus lib.15. qoi legem interpretatur hanc hebuiſſe vim, vt Equites non ente plebem, ec ſeparatim, ſed confuſe tantùm quatuordecim ordines habetent.

ROSCIA de terminis. Eius caput in libro Variorum autorum, De agrorũ condicionibus emiſſum puto: vt in Mamilia lege expoſui.

RVPILIA de iure Siculorum. Dedit P. Rupilius Conſul. cum P. Popillio, Anno DCXXI. Dedit eutem Siculis, de Decem, vt moris erat, legatorũ ſententie: bello prædonum ac fugitiuorum è ſe confecto. Cic. Verrina. 4. Aſcon. in eandem. & Veler. Max. lib.6. cap.10. apud quem tamen Rutilius perperem legitur.

RVTILIAS de trib. militum. Tulit C. Rutilius Rufus. Feſtus. Rufuli appellabantur Tribuni militum à Conſule facti, non à populo, de quorum iure, quòd Rutilius Rufus legem tulerit, Rufuli, ac pòſt Rutuli ſunt appellati.

S.

SACRATA militaris. Tulit, opinor, M. Valerius Coruus Dictator, An. CCCCI. ob militum Capuanorum ſucceſſionẽ. Ne cuius militis ſcripti nomen, niſi ipſo volente. deleretur: ne quis vbi Tribunus militum fuiſſet, poſtee ordinum ductor eſſet. Liuius lib.7.

SACRATIS legibus Veſtalibus pœna inceſti cõſtita eſt, vt viuæ defoderentur. Dionyſ. lib.1.

SACRATA Iunia de Tribunis ple. Tulit. L. Iunius Brutus, Tribu. pleb. primus creatus, Caſſio, Cominio Coſs. Anno CCLX. Vt plebi ſui magiſtratus eſſent ſacroſancti, quibus auxilij latio aduerſus Conſules eſſet: néve cui patrum capere eum magiſtretum liceret. Vt neque priuilegium irrogari, neque de capite ciuis, niſi comitiis centuriatis rogari liceret. Liuius lib.2. & Cicero pro Sextio, & pro Domo. Dionyſ. lib 6. legis verba hæc refert. Δήμαρχον ἄκοντα, ὥσπερ ἕνα πολλῶν, μηδεὶς μηδὲν ἀναγκαζέτω δρᾶν, μηδὲ μαστιγούτω, μηδ᾽ ἐπιταττέτω μαστιγοῦν ἑτέρῳ, μηδ᾽ ἀποκτεινέτω, μηδ᾽ ἀποκτείνειν κελευέτω. ἐὰν δέ τις τῶν ἀπηγορευμένων τι ποιήσῃ, ἐξάγιστος ἔστω, καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ Δήμητρος ἱερά. καὶ ὁ κτείνας τινὰ τῶν ταῦτα εἰργασμένων, φόνου καθαρὸς ἔστω. id eſt, Ne quis Tri-A bunum vi quaſi priuatum quidquam facere cogito, néve virgis cædito, néve occidito, néve cædi occidive iubeto. qui aduerſus ea fecerit, ſacer eſto: bonáque eius Cereri ſacra ſunto: eúmque occidere ius fáſque eſto. Liuius autem lib.3. hoc è rogatione carmen edit. Si Tribunos plebis decem rogabo, ſi quos minus hodie decem Tribunos plebis fecerit: hi tum quos ſibi collegas cooptaſſint, ita illi legitimi eedem lege Tribuni plebeij ſint, vt illi quos hodie Tribuni plebeij fe-B ceritis. Sacratæ autem leges dicebantur, inquit, Feſtus, quibus ſancitum erat, Vt ſi quis aduerſus eas feciſſet, ſacer alicui deorum eſſet. Sunt qui eſſe dicent Secretas, quas plebes iurata in monte ſacro ſciuerit. Hæc ille. Cicero pro Cornelio maieſtatis reo, Tenta igitur in illis virtus fuit, vt anno XVI. poſt reges exactos, poſt nimiam dominationem potentium leges ſacrates ipſi ſibi conſtituerent, duos Tribunos crearent, montem illum trans Anienen, qui hodie mons C ſacer appellatur, in quo armatæ conſederant, æternæ memoriæ cauſſe conſecrarent. Hæc Cicero. Mirari eutem ſatis non poſſum, vehementérq; dubitare me fateor verúmne illud ſit quod ſcribit Diodorus libro 12. in Auentino fœdere comprehenſum hoc fuiſſe, vti Trib. Plebis exacto ſui magiſtratus anno, mox totidem alios in annum ſequentem deſignerent: quod ſi prætermiſiſſent, illico viui comburerẽtur. ſin aliquanto diutius eos in deſignando diſſenſio tardaret, in-D terea poteſtas eis prorogaretur, dum alios crearent. Liuius libr.7. Lex quoque ſecrate militaris lata eſt, ne cuius militis ſcripti nomen, niſi ipſo volente deleretur, &c.

SATYRA lex. Feſtus, Setura eſt cibi genus conditi, & eſt lex multis eliis conferta legibus. Itaque in ſanctione legum adſcribitur, Neve per ſaturam abrogato, aut derogato. Annius Luſcus in ea quam dixit aduerſus Tiberium Gracchum, Imperium quod plebs per ſaturam E dederet, id abrogetum eſt. & C Lætius in ea, quam pro ſe dixit, Dein poſtera die quaſi per ſaturam ſententiis exquiſitis in deditionem accipitur. Quidam dicunt eſſe genus carminis, vbi de multis rebus diſputatur. Hæc Feſtus. Salluſtius in Iugurth. iiſdem verbis, Dein poſtero die queſi per Satyram legem ſententiis exquiſitis in deditionem accipitur. Ego legem Satyram fuiſſe puto, in qua coniunctim multis de rebus vna rogatione populus conſulebatur. F Quod lege Cæcilie & Didie vetitum fuiſſe, Cicero in Oret. Pro domo ſue, teſtetur. Et ſententias ferri per ſatyram, cùm ex multis capitibus & ſi quædam comprobantur, quædam improbentur, inicitur tamen tabella VTI ROGAS. Iuſtinianus in præfat. ad Anteceſſores, §.2. Et primi anni hoc opus legentibus tradebetur non ſecundum edicti perpetui ordinationem, ſed paſſim, & queſi per ſatyram collectum & vtile cum inutilibus mixtum, maxima parte G inutilibus deputata. id eſt, Nullo ordine, ſed confuſe ac perturbatè, dum modò hinc, modo illinc aliquid decerpitur. quam ſtudiorum ſuorum rationem noſtri hoc tempore adoleſcentes in iuris ciuilis libris ſequuntur.

SCA-

Scatinia de pueris impodicis.lata eſt propter Scatinium, vt SC.Maced. propter Macedonium. Iuuenal. Sat.2. Suetoo. Domitiano. Auſonius, Cicer. Philipp.3. Stupratores autem decem millium pœna coercebantur. Fabius lib. 4.cap.2. & lib.7.cap. 4.Cęlius lib.Epiſt.fam.8.epi.12.Damnatum autem quendam C. Scatinium Tribu. ple. Valerius lib.6 cap.1.teſtatur. Tertullianus lib.De Monogam. Prudentius in Romam.

Scribonia viaria. Tulit C.Curio Trib.pl. Cælius Epiſt.fam.lib.8.

Scribonia de ſeruitutibus vrbanorum prædiorum. Tulit furraſſe idem ille. Ne vrbanqrum prædiorum ſeruitutes vſucapi liceret, vtique earum ſeruitutum libertatem vſucapere ius eſſet. l.4.in fin.D.de vſurpatio. Ad ciuitatum dignitatē ea lex pertinuit: vſque eò vt etiam ſine bona fide & titulo eius libertatis vſucapionem ferret. l.ſi ædes,32.D.de ſeruit. vrb.

Sempronia de ære alieno. Tulit M.Sempronius Trib.pleb.L.Cornelio,Qu.Minutio coss. Anno DLX. Vt cum ſociis ac nomine Latino pecuniæ creditæ ius idem quod cum ciuibus Ro.eſſet. Liuius libr. 35.Cic.de Off.2.

Sempronia agraria. Tulit Tit. Sempronius Gracchus Trib. ple. P. Mutio Scæuola, L. Calpurnio coss. Aono DCXX. Ne quis ex publico agro plus quingenta iugera poſſideret: quorum tamen dimidium filiis habere liceret. Vt ſi quis latius agrum patefaceret. Triumuiri quotannis data opera creati iudicarent quà publicus ager, quà priuatus eſſet Appian.lib.Emphyl.1. Plut.in Gracchis, Velleius lib.2. Auctor libri De vir. illuſt.Cic.in Sextian.& De aruſpic.reſpõ.Florus epit.58.& Siculus Flaccus in libr. De condit. agror. apud quem tamen Ducenta legimus:quum alij omnes apertè Quingenta prodant.

Sempronia de Regis Attali hereditate. Tulit idem. ὅπως τὰ βασιλικὰ χρήματα κομισθέντα, τοῖς τὴν χώραν διαλαγχάνουσι τῶν πολιτῶν, ὑπάρχοι πρὸς κατασκευὴν καὶ γεωργίας ἀφορμήν. Vt pecunia Regis Attali qui populū Ro.heredē fecerat, iis ciuibus qui ſua lege Sēpronia agrū ſortiti erāt, daretur iis cibus qui ad cōparatiunē inſtrumentorum & agriculturæ apparatum. Vt agri Regij à Cenſoribus locarentur: vnde vectigal populo penderetur.Plutarch.in Gracchis.Cic.Verr.v.& Florus epit.58.

Sempronia iudiciaria. Tulit C.Sempronius Gracchus Trib.ple.1. Q.Cæcilio, T.Quinctio coss. Anno DCXXX. Vt iudicia quæ ſemper antea penes ordinem ſenatorium fuiſſent, ad ſolos Equites transferrentur. App.lib. De bello ciuili 1. Aſconius in diuinat. Velleius lib.2. Tacitus lib.12. Varro De vita P.Romani, apud Marcellum in voce Biceps. Plutarch. autem in Gracchorum vita Equites trecentos cum Senatoribus trecentis mixtos tradit, atque inter vtroſque communicata iudicia: quod falſum eſt. Hæc enim Liuia lex fuit, vt ſuo loco docebimus.

Sempronia de magiſtratibus. Tulit idem. Vt ex confuſis quinque claſſibus ſorte centuriæ vocarentur. Salluſt.in Orat. Cæſ. de Rep. Vt cui magiſtratus abrogatus fuiſſet, ei magiſtratum iterum capere ius non eſſet, qua lege M. Gelanius, cui Ti. Gracchi lege Tribunatus ab rogatus fuerat, notabatur. Eam tamen Caius

A Corneliæ matris precibus, poſt abrogauit. Plutarchus ibidem. & alij.

Sempronia de iure ciuit. Tulit idem. Ne de capite ciuis R. iniuſſu populi iudicaretur. qui indicta cauſſa in ciuem Ro. animaduertiſſet, de eo populi quæſtio conſtitueretur: quod propter P. Popillium latum eſt, Cicero pro C. Rabirio, pro Domo, pro Cluentio, & De legibus 3. item Plutarch. in Gracchis. Idem poſtea lege Porcia repetitum eſt. Cic. Verrin. 7. O nomen dulce B libertatis: ô ius eximium noſtræ ciuitatis: ô lex Porcia, legéſque Semproniæ. Videtur autem exceptum parricidium his legibus fuiſſe: cùm in Orat.pro Sext.Roſcio vetus ſupplicium commemoretur.

Sempronia de ſuffragiis. Tulit idem. Vt ſociis Latinis ius ſuffragij ferendi perinde vt ciuibus Romanis eſſet. Iidem.

Sempronia de viis Italiæ. Tulit idem Vt viæ in Italia munirentur, ſternerentur, lapidi- C bus milliaria diſcernentibus notarentur, pontibus inſtruerentur. Iidem.

Sempronia de colonis deducendis. Tulit idem. Vt coloniæ extra Italiam deducerentur: Paterculus lib 2. Plutarc.in Gracchis, Appia. in Liby. Florus epit.60.

Sempronia de re militari. Tulit idem. Ne minores annis 17. ad militiam cogerentur. Vt veſtes militibus gratuitò & præter ſtipendium darentur. Plut.in Gracchis.

D Sempronia de prouinciis decernendis. Tulit idem. Vt Senatus quotānis ante comitia conſularia deſignandis Conſulibus prouincias arbitratu ſuo decerneret, quas deinde ipſi deſignati inter ſe ſortirentur: quod ante vel poſt deſignatos vel poſt initum Conſulatum facere ſolebat. præterea quum antea Senatus decreto per Tribunos intercedi poſſet, ne deinceps liceret. Cice pro Domo ſua in vatinium, De prouin. conſ. Salluſt. in Iugurthino. Sueton.

E Semprunia frumentaria. Tulit idem iterum Tribun. pleb.M.Fuluio, M. Plautio coss.Ann. DCXXVIII. Vt ſemiſſe, & triente frumentum menſtruū plebi ex publico viritim daretur. Appian.lib.de bello ciuili 1.Florus epit. LX. Cic.pro Sextio, Tuſcul 3.in Bruto: Velleius libro 2. Plutarch.in vitis.

Sampronia & Iulia de limitibus. Tulit. Vt per auctuarios limites populo ius eundi eſſet, ſicut per viam publicam. Hyginus in libello De F limitibus conſtit. Vide Iulia de limitibus.

Sentia de ſenatu ſupplendo. Tulit, opinor, C.Sentius cos.cum. Qu. Lucretio, Auguſto imperante, Anno. DCCXXXIIII. Vt in numerum patritiorum qui ſenatui deeſſent, alij ſublegerentur. Tacitus lib.11. vbi tamen corruptè, meo iudicio, Senia legitur pro Sentia.

Servilia agraria. Tulit P. Seruilius Rullus Tr.ple. Cicerone, Antonio coss.Anno DCXC. Vt quæ poſt C. Marium, C. Carbonem coss. G publicè data, aſſignata, vendita, conceſſa eſſent, ea omnia eo iure forent, vti quæ optimo iure priuata ſunt. Vt Decemuiri cum ſummo imperio crearentur, qui totius Italiæ, Syriæ, Aſiæ, Libyæ, & prouinciarum quas nuper Pompeius ſubegerat, venderēt, ex eáque pecunia agros colonis quos arbitratu ſuo quò vellent de-

ducerent, mercarentur. Lex Cicerone diſſuadente perlata non eſt. Hoc tamen viſum eſt ex illius contra legem orationibus deſcribendum eſſe.

SERVILIA de ciuitate. Tulit C. Seruilius Glaucia Trib. pleb. coſs. Vt Latinis ius eſſet ciuitatis aſſequendæ in locum eius, quem accuſando repetundarum damnaſſent. Aſcon. pro Scauro, & Cic. pro Balbo.

SERVILIA repetundarum. Tulit idem. Vt reus comperendinaretur: quum antea vel iudicari primò poſſet: vel amplius pronunciari. Item vt centum & viginti hominibus denunciare teſtimonium liceret. Cice. Verr. 3. pro Poſtumo, pro Scauro, & in hanc Aſco. Valer. lib. 8. cap. 1.

SERVILIA iudiciaria. Tulit Qu. Seruilius Cœpio COS. cum C. Atilio, Anno DCXLVII. Vt iudicia quæ lege Sempronia ad ſolos equites tranſlata erant, ordini Senatorio communicarentur. Tacitus lib. 12. Cic. 1. De arte rhet. 2. De orat. in Bruto, in Or. pro Scauro, & ibidem Aſcon. Imparem autem & minorem fuiſſe Senatorum numerum ex eo conſtat, quòd lege Liuia quæ proximè inſecuta eſt ex æqua parte communicata ſunt. & opinor hoc eſſe quod Florus in Epit. de trecentis Senatoribus cum ſexcentis equitibus commixtis ad legem Semproniam referebat. lib. 60.

SEXTIA Licinia de ſacerdotiis. Tulere L. Sextius, C. Licinius Trib. pleb. P. Manlio Dictatore Anno CCCLXXXV. Vt pro Duumuiris ſacris faciundis, Decemuiri ita crearentur, vt pars ex plebe, pars, ex patribus fiat. Liuius lib. 6.

SAXTIA de magiſtratibus. Tulit idem L. Sextius, M. Furio Dictatore V. Anno CCCLXXXVI. Vt conſul vnus è plebe crearetur, qua de cauſſa viciſſim conceſſum à plebe, nobilitati, vt Prætor vnus qui ius in vrbe diceret, ex patribus crearetur. Liuius lib. 6.

SVLPITIA de iure ciuitatis. Tulit P. Sulpitius Trib. ple. Qu. Pompeio, L. Sylla coſs. Anno DCLXV. Vt exules reuocarentur. Noui ciues libertinique diſtribuerentur in tribus. Florus epitom. 77. Plutar. in Sylla.

SVLPITIA de C. Pontinio. Tulit Ser. Sulpitius Galba Pr. Ann. DCXCIX. Vt C. Pontinio pro conſuli quo die vrbem triumphans ingrederetur imperium eſſet. Cic. lib. ad Attic. Dio lib. 40.

SVLPITIA de ære alieno. Tulit idē. *μηδένα συγκλητικὸν ὑπὲρ δισχιλίας δραχμὰς ὀφείλειν.* Ne quis Senator ſupra duo millia drachmarum deberet. Plutarchus in Sylla.

SVLPITIA de bello mithridatico. Tulit idem. Vt Syllæ, cui Aſia prouincia obuenerat, vt bellum Mithridaticū adminiſtraret, imperium abrogaretur, & C. Mario mandaretur. Velleius lib. 2. Florus epitome 77. Plutarchus in Sylla & Mario, & Appianus De bell. ciuil. 1.

SVLPITIA de bello Macedonico. Tulit P. Sulpitius Conſul cū C. Aurelio, Anno DLIII. Vellent iuberent Philippo regi Macedonibúſque, qui ſub regno eius eſſent, ob iniurias, armáq; illata ſociis populi R. bellum indici Liuius. lib. 31.

SVLPITIA Sempronia de templis & aris. Tulere ex S. C. P. Sulpit. P. Sempron. Coſs. Ann. CDXLIX. Ne quis templum arámve iniuſſu Senatus aut Tribunorum pleb. maioris partis dedicaret. Liuius lib. 9.

T

TALARIA, de talorum luſu. Nominatur à Plauto in Milit. glor.

Atque adeò vt ne legi fraudem faciam talariæ
Accuratote, vt ſine talis domi agitent conuiuiū.

Facetè ad legem aliquā de alea veterem alludit, qua talorum luſus conuiuiis interdicebatur: Publiciam fortè, aut Titiam. Nam ſumptuariæ leges, quibus hanc nonnulli attribuunt, de ſumptibus, vt opinor, tantummodo cauebant.

TARPEIA de multa. Vide Ateria Tarpeia.

TERENTIA Caſſia frumentaria. Tulere M. Terentius Lucullus, C. Caſſius Coſs. Anno DCCXXC. Vti frumenti alteræ decumæ à prouinciis coëmerentur precio in modios H-S. trium conſtituto: item vt ciuitatibus æqualiter imperaretur precio in modios ſingulos H-S. quattuor conſtituto Cicero Verrina 5 & 7.

TERENTIA de legibus conſularis imperij. Tulit C. Terent. Arſa Trib. pleb Lucretio, Veturio Coſs. An. CCXC. Vt quinque viri crearentur legibus de imperio Conſularis ſcribendis, ne ipſi libidinem ac licentiam ſuam pro lege haberent. Dionyſius libr. 10. Liuius lib. 3. qui tamen perlatam non fuiſſe affirmat. Corruptè autem antea Terentilla vocabatur.

THORIA agraria. Tulit Sp. Thorius Trib. pleb. Ne agri amplius diuiderentur, ſed poſſeſſoribus in iis relictis, vectigalia pro iis penderentur, eáque pecunia populo diuideretur. *τὴν μὲν γῆν μηκέτι διανέμειν, ἀλλ' εἶναι τῶν ἐχόντων, καὶ φόρους ὑπὲρ αὐτῆς τῷ δήμῳ κατατίθεσθαι, καὶ τάδε τὰ χρήματα χωρεῖν ἐς διανομάς.* Hæc Appian. lib. De bello ciuil. 1. qui ſubiungit non multo poſt latam fuiſſe legem qua vectigal illud abrogatum eſt. At Cicer. in Bruto lege Thoria id factum tradit. Sp. Thorius, ait, ſatis valuit in populari genere dicendi, is qui agrum publicum vitioſa & inutili lege, vectigali leuauit. Idem præterea in libr. De orat. 2. ſcribit Lucilium lege Thoria poſtulatum fuiſſe, quòd ab eius pecore agri publici depaſti eſſent. Corruptè autem apud Appianum Borius legitur, pro Thorius: vt alia in hoc genere quàm multa.

TITIA de luſu. Tulit. Ne quis in pecuniam luderet, ſponſionémve in ludo, niſi qui virtutis cauſſa ſuſceptus eſſet, faceret. Marcianus l. 3. D. de aleator.

TITIA de triumuiratu quinquennali. Tulit P. Titius Trib. pleb. Vt Treſuiri Conſulari poteſtate conſtituendæ Reipubl. in quinquennium crearentur, Cæſar, Lepidus, & Antonius. Appian. De bell. ciuil. 4. & Florus Epit. CXX.

TITIA de donis & muneribus. Tulit L. Titius. Ne ob orandam cauſſam pecuniam donúmve patroni acciperent. Tacit. lib. 11. & Auſonius:

Iuriſconſulto cui nubit adultera coniunx,
Papia lex placuit, Iulia diſplicuit.
Quæritis vnde ſit hæc diſtantia? ſemiuir ipſe
Scantiniam metuens, non metuit Titiam.

Eum notat, qui à clientelis inops, nec donum nec munus ab vllo capiebat.

TITIA agraria. Tulit, opinor, Sext. Titius Tribun. pleb. M. Antonio, A. Poſtumo Coſs. Ann. DCLIIII. Vt vectigal agris publicè aſſignatis impoſitum Quæſtor colligeret. Cic. libr.

A libr.2. De orat. pro Mutæna Valer.lib.8.cap.1.

Treboni a de Tribunis pleb. Tulit L. Trebonius Trib. pleb. Herminio, Virginiq Coſs. Anno cccv. Vt qui plebem Romanam Tribunos pleb. rogaret, is vſque eo rogaret dum x. Tribunos pleb. faceret, Qua lege Tribunorum cooptatio collegio adempta in populum R. translata eſt Liuius lib.3.& 5.

Trebonia de Cæſare. Tulit A. Trebonius Tr. ple. Pompeio & Craſſo iterum Coſs. Anno
B dcxcviii. Vt Cæſari imperium in Gallia in aliud quinquennium quàm quod ei Vatinia lege conceſſum erat prorogaretur. Ita Trebonius Senatui ſucceſſoris mittēdi poteſtatem adimebat. Cicero lib. ad Att.7.8.9.10. Item Flor. Epit. 105. Plutarch. in Pomp. & Cath. Vticenſ. Dio lib.39.

Trebonia de Pompeio. Tulit idem. Vt iis Conſulib. Syria. & Hiſpania prouinciæ in quinquennium darentur. Plutarc. in Pompon.

Tribvnitia lex dicitur quæ de Tribunorum
C poteſtate lata eſt. Feſtus libr.17. Homo ſacer is eſt, quem populus iudicauit ob maleficium, neq; fas eſt eum immolari: ſed qui occidit, parricidij non damnatur. Nam lege Tribunitia prima cauetur, Si quis eum qui eo plebiſcito ſacer ſit, occiderit, parricida ne ſit. Quibus verbis Feſtus Sacratam Iuniam quam ſuo loco expoſuimus, ſignificat. Alia ſententia dixit Cicero in Verrina II. Vident adhuc poſt legem Tribunitiam vnum Senatorem vel tenuiſſimū eſſe damnatū. Quibus
D verbis Pompeiam legem intelligit, de Tribunitia in poteſtate reſtituenda, nondū tamen latam, ſed concionibus oſtentatam.

Tribvnitia lex nominatur à Pomponio dicam, an Triboniano? in l.2. De orig. iuris, ferè initio. Exactis deinde Regibus lege Tribunitia omnes leges hæ exoleuerunt. At lata ea lex eſt à Iunio Bruto Conſule: non tribuno, vti Liuius teſtatur. Rurſus quod nonnullis placet, à C. Terentio Arſa Tribuno pleb. latam eſſe, Lucretio, Veturio Coſs. Anno ccxc. quo anno ſcribit Li-
E uius latam fuiſſe legem ab illo, Vt Quinque viri crearentur legib. de Imperio Conſulari ſcribendis: non ſatisfacit. diſertè namque Liuius perlatam eam legem non fuiſſe affirmat. Ceſſit, inquit Liuius, ad vltimum maieſtati Tribun. ple. & deſtitit. Videndum ergo vtrum apud Pompo. mendum ſit, & legendum lege brvti ivnia: an potius Pomponius à Liuio diſſentiat, & à Bruto Celerum Tribuno legem latam exiſtimet, nec dum Conſulatum adepto. nam eum Celerum
F Tribunum fuiſſe, in ead. lege, §. 8. confirmat.

Tvllia de legationibus liberis. Tulit M Tullius Cic. Conſul cum M. Antonio, Ann. dcxc. Ne ſicut antea infinitum, ſed annuum tempus earum eſſet. Idem lib. de Legib.2.

Tvllia de ambitu. Tulit idem. Ne quis munus gladiatorium biennio quo magiſtratum petierat, petiturúſve erat, ederet, niſi ex teſtamento præſtituta die. Vt ſenatoribus ambitus
G damnatis aqua & igni ad annos decem interdiceretur. Vt in plebem pœna grauior eſſet quàm lege Calphurnia fuiſſet. Vt reis morbū excuſantibus, pœna certa eſſet. Cic. pro Muræna. pro Sextio in Vatin. Dio.lib.37.

V

Valeria de prouocatione & libertate populi. Tulit P. Valerius Poblicola Coſ ſolus, Bruto collega mortuo, anno ccliiii. Vt aduerſus omnes magiſtratus, ad populum prouocatio eſſet. Ne quis magiſtratus ciuem Rom. aduerſus prouocationem verberare, aut necare, aut pecunia multare vellet. Ne quis Romæ imperium haberet, niſi cui à populo datum eſſet, ſacrumque eſſet cum bonis caput eius qui regni occupandi conſilia iniſſet. Vt capitale eſſet, ſi quis iniuſſu populi magiſtratum adiiſſet. Vt quinque boum & duarum ouiū multa eſſet. Vt pecuniæ publicæ in æde Saturni reconderentur, duóque ærarij Quæſtores crearentur. Vt plebs à portorijs & tributis præſtandis liberaretur. Liuius libr. 2. Dionyſ. lib. 5. Plut. in eius vita. Val. Max. lib. 4. cap. I. Pomp. De orig. iur.

Valeria de prouocatione. Tulit L. Valerius Cōſul cum M. Horatio, Anno ccciiii. Ne quis vllum magiſtratum ſine prouocatione crearet: qui creaſſet, eum iúſque fáſque eſſe occidi, néve ea cedes capitalis noxæ haberetur. Liuius lib. 3. Dionyſius 10. Eodem anno lata fuerat Duilia, qua de Conſulibus tantùm cauebatur. Vide Horatia.

Valeria de prouocatione. Tulit M. Valerius Coſ. cum Qu. Appuleio, Anno cdliii. Ne quis qui prouocaſſet, virgis cederetur, ſecuríue necaretur: ſi quis aduerſus ea feciſſet, improbè factum. Liuius lib. 10. Diligentius, inquit, quàm aliæ ſancta eſt: tertiò tum poſt Reges exactos lata, ſemper à familia eadem.

Valeria de ære alieno. Tulit L. Valerius Flaccus Coſ. cum C. Cinna in Marij demortui locum ſuffectus, An. dclxvii. vt creditoribus quadrans ſolueretur. Paterculus lib. 2.

Valeria de Sylle dictatura. Tulit L. Valerius Flaccus Interrex à Senatu proditus, deſtituta Conſulibus ciuitate, Carbone & Mario interfectis. Vt L. Sylla perpetuus Dictator Reip. cōſtituendæ cauſſa crearetur, & quæcunque is aut tanquam proconſul geſſiſſet, rata eſſent. Cicero Verrin.4. in Rullum, Appian. De bell. ciuili.

Valeria de proſcriptis. Tulit idem. Vt eorum bona veneant qui proſcripti ſunt, aut eorum qui in aduerſariorum præſidiis occiſi ſunt. Vt proſcriptiones venditionéſque ad diem Cal. Iuniarum fiant. Cicero pro Sex. Roſcio, vbi contumelioſè in Syllam, vtrum Valeria an Cornelia dicenda ſit, neſcire ſe ſcribit. In Verrina 3. caput Corneliæ memoratur, Ne quis teſtamento proſcriptū iuuaret. Sed ego neque à Valeria, quæ nomine ſic dicebatur, cùm re ac veritate eſſet Cornelia, id abiudico: neque ad verba, ſed ſententiam legis id refero. nam ſi aqua & igni eis interdictum erat, nihilo magis teſtamento, quàm inter viuos eis largiri licebat.

Valeria de iure ciuitatis. Tulit Qu. Valerius Tribunus pleb. Martio, Sex, Iulio Coſſ. Anno dclxii. Vt de iis qui ſocios ius ciuitatis appetentes clàm palámve iuuiſſent, quæſtio haberetur. Appianus lib. De bello ciuil. 1.

Valeria de defectione militum. Tulit M. Valerius Coruus Dictator, An cdxii. Ne cui militum ſucceſſio quam metu ſupplicij fe-

cetant, quum de Capna quæ ipſorum præſidio A
commiſſa erat occupanda conſpiraſſent, eorúmque conſilium detectum eſſet, fraudi eſſet. Liuius lib. 7.

VALERIA de iure ſuffragij. Tulit. C. Valerius Tappu Trib. pleb. Valerio, Liuio Coſs. Anno DLXV. Vt Formianis, Fundanis, Arpioatibus ſuffragij latio (nam antè ſine ſuffragio habuerunt ciuitatem) eſſet. Liuius lib. 38.

VARIA maieſtatis. Tulit Qu. Varius propter obſcurum ius ciuitatis Hybrida cognominatus, B
Trib. pleb. aduerſus intercesſionem collegarum. Vt quæreretur de iis quorum opera conſilióve ſocij cõtra populum Rom. arma ſumpſiſſent. Aſconius in Orat. pro Scauro, & pro Cornelio: & in iiſdẽ Tullius. Val. Max. lib. 8. cap. 6. Cic. Tuſcul. 2. & in Bruto.

VATINEA de Cæſaris prouinciis. Tulit P. Vatinius Trib pleb. C. Cæſare, M. Bibulo Coſs. Anno DCXCIIII. Vt C. Cæſari Gallia Ciſalpino cum Illyrico in quinquennium ſine ſenatus decreto, C
& extra ſortem mandaretur. Vt ij quos in lege nominabat, Legati ſine Senatus decreto cum Cæſare proficiſcerentur. Vt eidem pecunia ex ærario ad exercitum attribueretur. Vt idem coloniam Nouumcomum deduceret. Tranquillus Cæſare, Cic. Pro Balbo, & epiſt. ad Lentulum. Saluſtius in Iugurth. Plutarchus in Vitis, & præſertim Cicero in Vatiniana hoc loco. Eripueráſne Senatui prouinciæ, &c. quo ex loco coniecturam capio locum illum in media Oratione D
corruptum eſſe, vbi ſic legitur. Eripueráſne partes illo tempore chariſſimas, partim à Cæſare, partim à publicanis: legendúmque Partim à Senatu. vt partes intelligantur ſubminiſtrandæ pecuniæ, cùm Senatus ærarij diſpenſationem haberet, publicani ſæpe Rempub. pecunia iuuarent. Mendum ex nota Se. ortum videtur, pro qua imperitus ſcriptor Cæſare repoſuit.

VATINEA de repetundis. Tulit idem. Vt qui repetundarum reus eſſet, ei alterna conſilia reiicere liceret. E
Cicero in Vatin. vbi Commodiorem conditionem reiectionis, pro Contentionem legendum arbitror.

VELLEIA de heredem institutione. Vide Iunia Velleia.

VILLIA annalis. Tulit L. Villius Trib. pleb. L. Manlio, Qu. Fuluio Coſs. Anno DLXXIIII. Quot annos nati, quenque magiſtratum peterent, caperéntque. Liuius lib. 40. Villius autem Carolus Sigonius vir doctius. repoſuit pro Iulius. Hanc F
legem ſignificat Ouid. in Faſtis, quum ait:

Iura dabat populo ſenior, finitáque certis
Legibus eſt ætas, vnde petatur honos.

Annus autem fuit Quæſturæ quidem non ante XXVII. Tribunatus XXX. Aedilitatis XXXVII. Præturæ XL. Conſulatus XLIII. Et quod de Quæſtura diximus, aptè congruit cum eo quod Polyb lib. 6. ſcribit, legem fuiſſe, ne quis vrbanum magiſtratum gereret, niſi decem ſtipendia confeciſſet. Annus autem ad militandum legitimus fuit G
decimusſeptimus.

VISELLIA de libertinis. Tulit (opinor) L. Viſellius Varro Coſs. cum C. Fonteio, Anno DCCLXVIII. Ne libertinis hominibus qui ius anulorum aureorum adepti non erant, eos honores qui ingenuorum proprij ſunt capere liceret. Impp. l. vnica, C. ad leg. Viſell. l. 1. C. quando prin. act. crim. præiud. Vlpianus cap. Inſtit. 3. Viſcellia tamen vbique legitur, mendosè: quum Viſelliorum familia nota ſit. cuius erat C. Viſellius Varro, Ciceronis conſobrinus, vt conſtat ex Bruto.

VNCIARIA lex. * Dici cœpta eſt, quam L. Sulla, & Qu. Pompeius tulerunt, qua ſancitum eſt, vt debitores decimam partem * * *. Hæc apud Feſtum: nec plura leguntur.

VOCONIA de mulierum hereditatibus. Tulit Qu. Voconius Saxa Trib. pleb. Cœpione & Philippo Coſs. Anno DXXCIIII. Ne quis cenſus eſſet, virginem néve mulierem, ſupra quadrantẽ ſuorum bonorum, heredem inſtitueret: plúſve cuiquam legaret, quàm ad heredem heredéſve perueniret. Ne fœminæ vltra conſanguineos ab inteſtato ſuccederent. Cicero Verrina tertia, De ſenect. De finibus 2. Dio lib. 56. Agellius lib. 7. cap. 13. & lib. 17. cap 6. Auguſtinus lib. De ciuitate Dei 3. Florus in Epit. libr. 41. vbi Volumnius legitur pro Voconius. Paullus lib. Sent. 4. Extat autem declamatio quædam Quinctiliani maioris, cui lex præponitur: Ne liceat mulieri niſi dimidiam partem bonorum relinquere. Verum vt eam legem ad ſcholaſticas exercitationes fictam & adcommodatam fuiſſe exiſtimem, Dionis auctoritas facit.

LEGVM, QVARVM INCERTA SVNT NOMINA, recenſio.

LEGES publicorum iudiciorum, vt antè ſi reo commodum ſit. iudicium de accuſatore fiat, vtrum illi liceat accuſare, nécne. Cornific. ad Herenn. lib. 1.

LEX, Ne quis vrbanum magiſtratum caperet, niſi qui decem ſtipendia confeciſſet. Polyb. lib. 6.

LEX ſemunciarij fœnoris. Tulit. T. Manlio Torquato, C. Plautio Coſs. Ann. CDVI. Liuius lib. 7.

LEGES de ambitu. Ne quis candidatus nomenclatore in magiſtratus petitione vteretur. Plut. in Cat. Vtic. Vt qui competitorẽ ſuum ambitus dãnaſſet, pro eo ſubſtitueretur. Cicero pro Sylla. Vt qui quempiam ambitus damnaſſet, eius tribum aſſequeretur. Cicero pro Baldo. Vt qui de ambitu damnatus alium eodem crimine damnaſſet, in integrum reſtitueretur. Cicero pro Cluentio. vt accuſatori cuſtos apponeretur, qui videret, quæcunque ad accuſationem pararet atque ageret. Plutarc. in Cat. Vtic.

LEX de Cn. Publicio Menandro, homine libertino, quem legati in Græciam proficiſcentes interpretem ſecum habuerunt, ve ſi domum reuertiſſet, & inde Romam rediſſet, ne minus ciuis eſſet. Cicero in ea pro Balbo. Pomponius autem in l. 5. D. de cap. & poſtlim. Et ideo, inquit, in quodam Menandro, qui poſteaquam apud nos manumiſſus erat, miſſus eſt ad ſuos: non eſt viſa neceſſaria lex de illo, vt maneret ciuis Romanus. Nam ſiue animus ei fuiſſet remanendi apud ſuos, deſinebat eſſe ciuis: ſiue animus erat reuertendi, manebat ciuis: & ideo lex fuit ſuperuacua. De eodem Menandro Ciceronis locum in libro De Orat. primo, intelligendum arbi-

arbitrer, Similique in genere, inferiore ordine, ſi quis apud nos ſeruiſſet ex populo fœderato, ſeſéque liberaſſet, ac poſtea domum reueniſſet, quæſitum eſt apud maiores noſtros, num is ad ſuos poſtliminio rediiſſet, & admiſiſſet hanc ciuitatem.

Lex de militia. Vt qui ciuem ab hoſte ſeruaſſet, is ab Imperatore quercea corona donaretur. Plutar. in Coriol. Item, Ne cuius militis ſcripti nomen, niſi ipſo volente, deleretur. Liuius libr. 7. Item, Ne quis loco ab Imper. deſignato cederet, atque ordinem deſereret. Diod. lib. 12.

Lex de carminibus infamibus. Donatus in Terentium, Sed quum poëtæ abuti licentius ſtilo, & paſſim lædere ex libidine cœpiſſent plures bonos: ne quiſquam in alterum carmen infame proponeret, lege lata, ſiluere.

—Lex eſt accepta, chorúſque
Turpiter obticuit, ſublato iure nocendi.

Hæc Donatus, ex Horatij libro De arte. Idem etiam in libro Epiſtol. 2. Ad Auguſtum legem eandem, his verſibus ſignificat,

—Quin etiam lex
Pœnáq; lata malo quæ nollet carmine quenquã
Deſcribi. vertêre modum formidine fuſtis,
Ad benedicendum, delectandúmque redacti.

Sed hãc XII. tab. legem eſſe arbitror, de qua Cic. lib. 4. de Rep. ſcribit apud Auguſt. lib. de Ciuit. 2. Eas autem leges peculiarem in librum retuli, quem, ſi Dei voluntas ferat, abſolutis Inſtitut. Commentariis, perpoliam.

Lex de ciuitate Romana. Mutini Libyphœníque danda, qui quum ab Annone Carthaginienſium Imperatore cuius præfectus fuerat, dignitate ſua ſpoliatus eſſet, Agrigentum Romanis prodidit. Liuius libro 27.

Lex de dictatore. Ne Dictatori equum conſcendere liceret. Plutarchus in Fabio Maximo.

Lex de C. Seruilio. Tulit. Cn. Seruilio C. Seruilio Coſs. ANNO DL. Ne illi fraudi eſſet, quòd patre qui ſella curuli ſediſſet, viuo, cùm id ignoraret: Tribunus pleb atque Aedilis pleb. fuiſſet contrà quàm ſancitum legibus erat. Fuerat autẽ C. Seruilij pater annos X. apud hoſtes Boios captiuus. Liuius lib. 27. & 30.

Lex de comitiis. Ne in comitiis magiſtratuũ abſentum ratio haberetur. Sueto. & Plutarch. in Cæſare.

Lex de pecuniis repetundis. Ne cui qui in prouincia cum imperio aut poteſtate eſſet, capere aut conciliare pecunias liceret, extrà quàm ſi ad templum & monimentum exigeret. Cicero 1. Epiſt. 5 ad Q. Frat. & Verrin. 5. & 1. Epiſt. lib. 6. ad Att.

Lex ne quis præſidum munus donum caperet, niſi eſculentum, poculentum, quod intra dies proximos prodigatur. l. plebiſcito, 18. D. de offi. præſid.

Lex Auguſti tempore lata vt præfecto Ægypti imperium par proconſuli daretur: commemoratur ab Vlpia. l. 1. D. de offic. præt. Auguſt.

Lex agraria paulo poſt C. Gracchi necem lata, τὴν γῆν ὑπὲρ ἧς διεφέροντο, ἐξεῖναι πιπράσκειν τοῖς ἔχουσιν. ἀπείρητο γὰρ ἐκ Γράκχου τοῦ προτέρου καὶ τόδε. id eſt, Vt liceret iis qui agrum lege Sempronia poſſidebant vendere. Hoc enim lex Tib. Gracchi vetabat. Appianu. lib. De bello ciuil. 1.

Lex lata Papirio, Caruilio Coſs. Anno CDXL. Vt qui iuniorum non conueniſſet ad Imperatorium edictum, quique iniuſſu abiſſet. caput Ioui ſacratum eſſet. Liuius libro 10.

Leges de comitiis. Ne is qui comitiis præeſſet, ſui rationem in magiſtratu petendo haberet. Liuius lib. 10. Ne quis inſpiciat tabellam, ne roget, ne appellet. Cic. De legib. lib. 3.

Lex vt rei frumentariæ procuratio Sext. Clodio adempta Cn. Pompeio mandaretur. Cic. Pro domo ſua. Plutar. in viris. Dio lib. 39.

Lex de repetundis. Vt euntibus in prouincias inquirendi in eos cauſſa, quos repetundarum reos fecerant, certus comitum numerus eſſet. Vt literæ ex prouincia deportatę triduo ad Prætorem deferrentur, iudicúmque ſignis obſignarentur. Vt accuſatori ſex tantùm horæ darentur. Cicero pro Flacco, vbi recentem hãc legem appellat. vnde apparet inter Corneliam & Iuliam aliquam fuiſſe: cùm id de neutra intelligi poſſit.

Lex de vini potu. Vt neque libera neque ſerua biberet vinum, neque verò clarorum virorum quiſpiam à pube vſque ad XXXV. annum. Ælianus Romanorum veterum hanc fuiſſe legem teſtatur. lib. 2.

Lex de magiſtratibus. Vt numerus liberorum in candidatis præpolleret. Cornelius Tacit. lib. 2. Videtur legis Papiæ Poppeæ pars fuiſſe.

Lex, Ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret. quod propter M. Manlium Capitolinum factum eſt. Liu. lib. 6.

Lex ex auctoritate patrum ad populum lata, vt Priuernatibus ciuitas daretur. Liuius lib. 8.

Lex de ſacerdotiis. Ne duo ex eadem gente idẽ ſacerdotium haberent. Dio lib. 39.

Lex pecuniaria. Ne quis in argento vel auro plus LX. II S. poſſideret. quam legem Iulius Cæſar II. Coſ. confirmauit. Dio 41.

Lex de Quæſtoribus. Vt Quæſtoribus anno confecto redire ex prouincia liceret. Plutarch. in Gracchis.

Lex de militia. Vt ciues Rom. annos X. cùm vſus Reipubl. poſtularet, militarent. Plutarch. in Gracchis.

Lex, qua Flaminica Dialis ſacrorum cauſſa in poteſtate viri, cetera promiſcuo iure ageret. Tacit. lib. 4.

Lex quæ ſumtum ſepulcrorum definiebat, & qui eum modum ſuperaſſet, tanta pecunia quantam præter modum impendiſſet, multabat. Cic. ad Attic. lib. 12. Epiſt. 33.

Lex, P. Scipione, C. Liuio Coſs. lata per vnum è Tribun. pleb. Anno DCVI. Vt Belli Punici ſecundi adminiſtratio P. Scipioni Conſuli mandaretur, vt ex delectibus ſupplementum conſcriberet, voluntarios quotquot poſſet à ſociis acciperet, & ad reges ac ciuitates literas daret inſcriptas populi Rom. nomine. App. De bell. Punicis.

Lex Caſtrenſis apud Romanos. Quę pro deſertore habet, ſi quis vterius ſecedat, quàm vnde ſigna audiri poſſint. Appia. in Libyco.

Lex de Tribonis pleb. Εἰ δήμαρχος ἐνδέοι ταῖς παραγγελίαις, τὸν δῆμον ἐκ πάντων ἐπιλέγεσθαι. Vt ſi Tribunus nondum promiſſa præſtiterit, eius

in primis ratio à populo Comitiis Tribunitiis habeatur. Appian. De bell. ciuil. 1.

Lex de triumpho. Ne quis triumpharet, niſi qui hoſtium quinque millia vna acie cæcidiſſet. Valer. Max. libro ſecundo, cap. tertio, & Dio. lib. 37. Vt ſolis Conſulibus & Ducibus triumphare liceret. Plutarchus in Pomp. & Caton. Vtic. Ne qui triumphatus erat, ante triumphum vrbem introiret. Plutarch. in Pomp.

Lex de trigeminis. ἐκέλευσε, οἷς γένοιντο τρίδυμοι παῖδες, ἐκ τοῦ δημοσίου τὰς τροφὰς τῶν παίδων χορηγεῖσθαι μέχρι ἥβης. Vt quibus trigemini liberi nati erant, iis ad alendos pueros ſumtus de publico ſuppeditur. Dionyſius lib. 3. qui propter Horatiorum laudem eam lata, ſuóq; adhuc tempore obſeruatam ſcribit.

Lex de vacatione. Appia. De bello ciuil. lib. 2. ſic ſcribit: οὕτω δή τι Ῥωμαίοις ἐπίφοβοι, ὡς νόμῳ τῶν περὶ ἀστρατείας ἱερέων καὶ γερόντων ἐγγραφῆναι, πλὴν εἰ μὴ κελτικὸς πόλεμος ἐπίοι, τότε δὲ καὶ γέροντας καὶ ἱερέας στρατεύεσθαι. Vſque eò, inquit, Galli Romanis terribiles & formidoloſi ſunt, vt in lege de vacatione militiæ, quæ ſacerdotibus & ſenibus permittitur, illud adſcriptū ſit, niſi ſi bellū Gallicū exoriatur, tū enim & ſenes & ſacerdotes in militiā proficiſci. Liu. quoq; lib. 8. tradit, exorto tumultu Gallico, Mamercum Coſ. iuſſum ſcribere exercitum ſine vlla vacationis venia, quin opificum quoque vulgus, & ſellularij, minimè militiæ idoneum genus, exciti dicuntur. Idem præterea A lib. 10. vbi de eodem nuncio commemorat: Senatus, inquit, Iuſtitia indici, delectum omnis generis hominum habere iuſſit, nec ingenui modò, aut iuniores ſacramento adacti ſunt: ſed ſeniorum etiam cohortes factæ, Libertinique centuriati. Plutarch. præterea in vita M. Marcelli, de Gallis loquens: οὓς μάλιστα, inquit, Ῥωμαῖοι δεῖσαι δοκοῦσιν, ἅτε δὴ καὶ τὴν πόλιν ὑπ' αὐτῶν ἀποβαλόντες, ἐξ ἐκείνου δὲ καὶ θέμενοι νόμον, ἀτελεῖς εἶναι στρατείας τοὺς ἱερέας, πλὴν εἰ μὴ γαλατικὸς πάλιν ἐπέλθοι B πόλεμος. id eſt, Quos maximè Romani metuiſſe videntur, quippe à quibus vrbe pulſi aliquando fuerant, ac iam tum legem tulerant, vt vacatio militiæ ſacerdotibus eſſet, præterquam ſi rurſus bellum Gallicum exoriretur. Item in Camillo: οὕτω δὲ ἦν ὁ φόβος ἦν ἰσχυρός, ὥστε θέσθαι νόμον ἀφεῖσθαι τοὺς ἱερεῖς στρατείας, χωρὶς ἂν μὴ γαλατικὸς ᾖ πόλεμος. id eſt, Tantus erat Gallorum metus, vt legem Romani tulerint, vt ſacerdotes militiæ vacationem haberent, præterquam ſi bel- C lum Gallicum exoriretur. Tumultu tamen, non bello Gallico, hanc fuiſſe conſuetudinem, Cicero Philippica octaua docet his verbis: Grauius autem eſſe tumultum, quàm bellum, hinc intelligi poteſt, quòd bello Gallico vacationes valent, tumultu non valent. Huius legis etiam in ea pro Fonteio meminit.

PRIVILEGIA AD-ſcripta non ſunt.

PARS ALTERA, EST DE MAGISTRATIBVS ROMANORVM EORVMQVE INSTITVTIONE.

Aediles plebis duo A primùm creati ſunt Ann. CCLXI. auctore Dionyſ. Halic. lib. 6. Curules verò Anno CCCLXXXVIII. vt Liuius in fine lib. 6. teſtatur. Vtrique magiſtratum Calēd. Ianuar. inibant, vt Cicer. Verr. 7. eſt auctor. Curulium autem triplex fuit procuratio. primùm vt ludos facerent: deinde vt B ædes ſacras, publicáſque, item vias publicas tuerentur: poſtremò vt ne in mancipiorum venditione & menſuris fraus admitteretur. quod ex Verrina 7. & edicto Curulium intelligitur, quod exſtat lib. Pand. 21. His ergo de rebus quemadmodum anno ſuo ius dicturi eſſent, Prætorum exēplo edicebant. deinde in ſella curuli conſidentes, ex edicto ſuo ius reddebant. nam ſellam curulem eos habuiſſe, idem Ciceronis locus oſtendit. Plebeiorum autem quadripartitam Diony- C ſius Halyc. procurationem facit in libr. 6. Vt eſ- A ſent Tribunorū pleb. adminiſtri, cùm res poſtularet, de rebus ad ſe ab illis delatis iudicarent. loco ſacra & publica tuerentur. annonæ curam ſuſciperent. Cùm autem Curulibus Cicero ſacrarū & publicarum ædium procurationem attribuat, arbitror diſtinctam poſtea eorum curā ita fuiſſe, vt Curules ludos omnes præter plebeios, hi plebeios ſolos curarent: illi ædes ſacras & publicas, itémque vias, hi priuatas & cloacas tuerentur: illi mancipiorum venditionibus, hi annonæ præ- B eſſent. Tullius autem in lib. De legi. 3. hæc omnia permiſcet, nec ſingula ſingulis attribuit. Suntóq; Ædiles, ait, curatores vrbis, annonæ, ludorúmque ſolennium. Cùm autem Ædiles plebis Tribunorum adminiſtri tantùm eſſent, nec propriam Iuriſdictionem haberent, ſed de rebus tantùm ad ſe Tribunorum arbitrio delatis cognoſcerent, edictum eos nullum propoſuiſſe veriſimile eſt. Nunc veterum ſcriptorum auctoritates, ex quibus adoleſcentes de huiuſce magi- C ſtratus vi ac poteſtate æſtimare poſſint, ſubiiciemus. Varro libro. De lingua Lat. 4. Ædilis,

qui

qui ædes ſacras & priuatas procuraret. Cicero A Verrina 7. Nunc ſum deſignatus Edilis: habeo rationem quid à populo Rom. acceperim: mihi ludos ſanctiſſimos maxima cum ceremonia Ceteri, Libero, Liberæque faciendos: mihi Floram matrem populi Rom. plebique Rom. ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquiſſimos, qui primi Romani ſunt nominati, maxima cum dignitate ac religione Ioui, Iunoni, Mineruæque eſſe faciundos: mihi ſacrarum ædiũ procurationem: mihi totam vrbem tuendam eſſe B commiſſam. Liuius in fin. lib. 6. de Curulibus. Recuſantibus ferias Latinas curare Ædilibus plebeiis conclamatum à patriciis eſt iuuenibus, ſe id honoris Deûm immortaliũ cauſſa libenter acturos, vt Ædiles fierent. quibus cùm ab vniuerſis gratiæ actæ eſſent, factum S.C. vt duos viros Ædiles ex patribus dictator populum rogaret, patres auctores omnibus eius anni comitiis fierent. Ædiles idem ſcribit lib. 30. & viatores & ſcribas habuiſſe. Pomp. l. 2. De orig. iur. Itémque C vt eſſent qui ædib. præeſſent, in quibus omnia ſcita ſua plebs deferebat: duos ex plebe conſtituerunt, qui etiam Ediles appellati ſunt. Idem, Tunc vt aliquo pluris Patres haberentur, placuit duos ex numero patrum conſtitui. ita facti ſunt Ædiles Curules. Zonaras libro ſecundo, οὕτω μὲν οὖν ἡ τῶν δημάρχων δυναστεία συνέστη. οἷς καὶ ἀγορανόμους δύο προσείλοντο, οἷον ὑπηρέτας σφίσιν ἐσομένους πρὸς γράμματα, πάντα γὰρ τά τε παρὰ τῷ πλήθει καὶ τὰ παρὰ τῷ δήμῳ καὶ τῇ βουλῇ γραφόμενα λαμβάνοντες, D ὥστε μηδὲν σφᾶς τῶν πραττομένων λανθάνειν ἐφύλαττον. τὸ μὲν οὖν ἀρχαῖον ἐπὶ τούτῳ ᾑροῦντο, καὶ ἐπὶ τῷ δικάζειν, ὕστερον δὲ ἠλλάττετο, ἢ τὴν τῶν ὠνίων ἀγορὰν ἐπετράπησαν, ὅθεν καὶ ἀγορανόμοι τοῖς ἑλληνίζουσιν ὠνομάσθησαν. id eſt, Atque hoc quidẽm modo Tribunorum poteſtas cõſtituta eſt. quibus duo etiã ędiles adiuncti ſunt: quorũ miniſterio atque opera in literis ac tabulis publicis vterentur. Omnia enim plebiſcita, & leges & Senatuſconſulta in literas relata, Ædiles accipie- E bant, ac ne quid illos eorum quæ in Republ. gerebantur, latere poſſet, aſſeruabant. His igitur de cauſſis Ædiles à principio creati ſunt, itémq; vt ius dicerent. Poſtea verò cùm alia nonnulla, tum etiam rerum venalium forum eis commiſerunt: qua de cauſſa ἀγορανόμοι à Græcis nominati ſunt. Reperio præterea Ædiles de ſtuprorum licentia, quam mulieres profitebantur, decreuiſſe. Tacitus libro ſecundo. Eodem anno grauibus Senatus decretis libido fœminarũ coercita, cautúmque ne quæſtum corpore faceret, cui auus, aut pater, aut maritus eques R. fuiſſet. nam Veſtilia Prætoria familia genita licentiam ſtupri apud Ædiles vulgauerat, more inter veteres recepto; quo ſatis pœnarum aduerſus impudicas in ipſa profeſſione flagitij credebant. Suetonius in Tiberio, Fœminæ famoſæ vt ad euitãdas legum pœnas iure ac dignitate matronali exoluerentur, lenocinium profiteri cœperunt: & ex iuuentute vtriuſque ordinis profligatiſſimus quiſque famo- G ſam iudicij notam ſponte ſubibant.

Iidem præterea quæ iter in publica via impediebant, frangere atque conſcindere poterant: vt intelligitur ex l. 12. D. de peric. & comm. menſuras item iniquas confringere. l. 13. §. 8. D. locat. qua de re Iuuenalis ſic:

Et de menſura vis dicere, vaſa minora.
Frangere pannoſus vacuis Aedilis Vlubris.

item in venalitios animaduertere. l. 12. D. de decurionib. Scribit etiam Tacitus lib. 13. Ædiles pignora cepiſſe. & multam irrogaſſe. Cohibita, inquit, arctius & Ædilitia poteſtas. ſtatutúmque quantum Curules, & quantum plebeij pignoris caperent. Dio lib. 53. in fin. Ann. DCCXXXI. Ædili cuidam plebis mortuo C. Calpurnius, qui tamen antè Ædilis Curulis fuerat, ſucceſſit, quod aliàs factum fuiſſe, memorię proditum nuſquam eſt. Feſtus Pomp. Aedilis initio dictus eſt magiſtratus, qui ædium non tantùm ſacrarum, ſed etiam priuatarum curam gerebat. Poſtea hoc nomẽ & ad magiſtratus tranſlatum eſt. Dictus eſt autẽ Ædilis, quòd facilis ad eum plebi aditus eſſet. Sed & Aedilatus dicebatur eadem dignitas, ſicut Pontificatus.

Gellius lib. 13. cap 14. Qui poteſtatem neq; vocationis populi viritim habent, neque prehenſionis, eos magiſtratus à priuato in ius quoque vocari eſt poteſtas. M. Lepidus Ædilis Curulis, à priuato ad Prætorem in ius eſt eductus: nunc ſtipati ſeruis publicis non modò prehendi non poſſunt, ſed etiã vltrò ſummouẽt populum. Plutarchus in Mario, Poſt tribunatum maiorem Ædilitatem petiuit. Duo enim erant ordines Ædilium: alter in quo ipſi Ædiles in iure dicendo ſellis incuruos pedes habentibus vtebantur: & hic nomen magiſtratus retinebat. alterum plebeiũ magiſtratum appellabãt. Quibus ex verbis intelligitur quod etiam ſuperius ex Verrina 7. docuimus: Aediles Curules, ſellam curulem habuiſſe. quod etiam Liuius lib. 7. confirmat, vbi & de prætexta toga loquitur: Non patentibus, inquit, Tribunis, quòd pro Conſule vno plebeio tres patricios magiſtratus curulibus ſellis prætextatos tanquàm Conſules ſedentes nobilitas ſumſiſſet. Eodem die de vtroque comitia fiebãt. Liuius lib. 3. Inſtitutum eſt etiam ab iiſdem Conſulibus, vt Senatuſconſulta in ædem Cereris ad Aediles pleb. defferentur, quæ antè arbitrio Conſulum ſupprimebantur, nunciabantúrque.

ÆDILES CEREALES. Pompon. l. 2. De orig. iur. Deinde C. Iulius Cæſar duos Aediles creauit, qui frumento præeſſent, & à Cerere Cereales conſtitui. Dio. lib. 43 in fin. Anno ab v. c. DCCX. primùm ſex Aediles ſunt conſtituti, duo patricij qui Cereris Aediles dicerentur, quatuor plebeij: iſque mos ad noſtram vſque ætatem perductus eſt. F

CENSORES.

CENSORES duo primùm creati ſunt, Papirius & Sempronius, Anno CCCX. auctor Liuius lib. 55. & lib. 10. Varro lib. De ling. 4. Cenſor, ad cuius cenſionem, id eſt arbitrium, cenſeretur populus. Feſtus lib. 3. Cenſores dicti, quòd rem ſuam quiſque tanti æſtimari ſolitus ſit, quantum illi cenſuerint. Liuius libro 4. Cenſores dicti, quòd cenſui agendo præeſſent. Cicero De legib. 3. Cenſores populi æuitates, ſoboles familias, pecuniáſque cenſento. Vrbis templa, vias, aquas, ærariũ, vectigalia tuentor: populíq; partes in tribus diſtribuunto, ex in pecunias, ęuitates ordines partiuntor. Equitum peditúmq; prolẽ de-

ſcribunto. Cœlibes eſſe prohibento. mores populi regunto. bini ſunto. magiſtratum quinquennem habento, eáque poteſtas ſemper eſto. Pedianus in Diuinat. Cic. Regendis moribus Ciuitatis Cenſores quinto quoque anno creari ſolebant. hi prorſus ciues ſic notabant, vt qui ſenator eſſet, eiiceretur ſenatu: q eques Romanus, equũ publicum perderet: qui plebeius, in Ceritum tabulas referretur, & ærarius fieret: ac per hoc non eſſet in albo centuriæ ſuæ, ſed ad hoc eſſet ciuis tantùm, vt pro capite ſuo tributi nomine æra penderet. iidem completo quinquennio vrbem luſtrabant. & Suouetaurilia ſacrificia, de ſue, oue, tauro, faciebant. eorum notam ſucceſſores plerúmque ſoluebant. Zonaras. lib. 2. Κεχειροτόνηνται δὲ, ὅτι οἱ ὕπατοι ἀδύνατοι ἐπιμελεῖσθαι διὰ τὸ πλῆθος ἐξαρκεῖν ἦσαν. τὰ γὰρ τοῖς τιμηταῖς ἀπονεμηθέντα προνόμια ἐκεῖνοι μέχρι τότε ἐποίουν. δύο τε ἦσαν οἱ τιμηταὶ ἐξ ἀρχῆς, καὶ ἐκ τῶν εὐπατριδῶν. ἦρχον δὲ τὰ μὲν πρῶτα καὶ τὰ τελευταῖα ἐπὶ πενταετίαν. ἐν δὲ τῷ μέσῳ χρόνῳ ἐπὶ πρὸς ἐξαμηνιαίους, καὶ ἐγένοντο τῶν ὑπάτων μείζους, καίτοι μέρος τῆς ἐκείνων λαβόντες ἀρχῆς. ἐξῆν δὲ αὐτοῖς τάς τε προσόδους τὰς κοινὰς ἐκμισθοῦν, καὶ τῶν ὁδῶν, καὶ τῶν δημοσίων οἰκοδομημάτων ἐπιμελεῖσθαι, καὶ τὰς ἀπογραφὰς τῆς ἑκάστου ὑποστάσεως ἐξαιτεῖν, καὶ τὸν βίον τῶν πολιτῶν ἐπισκοπεῖν τε καὶ ἐξετάζειν, καὶ τοὺς μὲν ἀξίους ἐπαίνου ἐς τὰς φυλὰς καὶ ἐς τὴν ἱππάδα καὶ τὴν γερουσίαν ἐγγράφειν, καθὼς ἑκάστους προσήκειν ἐνομίζετο. τοὺς δὲ κακῶς βιοῦντας ἁπανταχόθεν ὁμοίως ἐξαλείφειν, ὃ μεῖζον πάντων ἦν τῶν τοῖς ὑπάτοις καταλειφθέντων. πίστεις δ' ὅρκους ἐφ' ἑκάστῳ πεποίηνται, ὡς οὔτε πρὸς χάριν, οὔτε πρὸς ἔχθραν τι ποιοῦσιν, ἀλλ' ἐξ ὀρθῆς γνώμης τὰ συμφέροντα τῷ κοινῷ σκοποῦντες καὶ πράττουσι. καὶ τὸν δῆμον ἐπί τε νόμων εἰσφορᾶς καὶ τοὺς ἄλλους συνήθροιζον καὶ τῷ τῶν μειζόνων ἀρχῶν κόσμῳ πλὴν ῥαβδούχων ἐχρῶντο. id eſt, Creati autem propterea Cenſores fuerunt, quia Conſules rebus omnibus propter earum multitudinẽ ſufficere non poterant. nam Conſules omnem illam quæ tum Cenſoribus adtributa eſt præfecturam, ad illud vſq; tẽpus geſſerant. Sunt autem à principio duo, iique ex patriciis, creati: qui & primis & poſtremis temporibus magiſtratum illum quinquenniũ obtinuerunt. interiecto verò tempore, ſeſquiannũ, quin etiam poteſtatẽ Conſulibus maiorem obtinuerunt, tametſi partem duntaxat eorum magiſtratus adepti eſſent. Munus autem illorum, erat vectigalia publica locare, viarum publicarúmque ædium curationem ſuſcipere, ciuis cuiuſq; facultates cenſere, mores notare atque animaduertere: laude dignos ciues in trib. in equeſtrem ordinem, in Senatum, pro cuiuſque dignitate adſcribere: qui minus honeſtè viuerent, omni ordine ac tribu mouere. quæ poteſtas maior erat omni ea quæ Conſulibus erat relicta. Iuſiurandũ autẽ ſuper vnoquoq; dabant, ſe neque gratia, neque odio quicquã geſturos, ſed ex animi ſui ſententia quæ Reipub. vtilia eſſent, re quæſita & deliberata facturos. Præterea populum ad legum & aliarum rerum comitia euocabant. maiorúmque magiſtratuum inſignia præter lictores habebant. Cic. de Offic. 3. Nulla de re diligentius quàm de iureiurando Cenſores iudicabant. Liu. lib. 40. Comitiis perfectis Cenſores in campo ad aram Martis in ſellis curulib. conſederunt. Eorũ autem officium erat legere Senatum, recenſere

A equites, agere cenſum luſtrum, condere. In omnibus precationib. hæc verba nuncupabant, vt ea res mihi collegæque meo benè & feliciter eueniat. Cenſori autem defuncto nunquam aliquis ſufficitur. auctor idem Liuius lib. 4. 5. 6. 9. & Plutarc. in Vitis. Liu. item lib. 4. & 9. Cenſuram primò quinquennem fuiſſe ſcribit. deinde Mam. Æmilium Dictatorem legem tuliſſe, vt Cenſura, quæ antea quinquennalis fuerat, annua & ſemeſtris eſſet. Plutarc. in Põpeio, Mos erat Romanis,
B vt equites qui per legitimum tẽpus militaſſent, equum per medium forum coram Cenſoribus ducerent: & apud illos Imperatores ſub quib. ſtipendia meruiſſent, nominarent. Vide præterea Gellium lib. 13. cap. 14. Plutarchum in Flaminio, & in Catone Maiore. Liuium lib. 29. qui curam publicarum tabularum Cenſorum propriam fuiſſe ſcribit, & ius ſartorum tectorum exigendorũ ad eoſdem pertinuiſſe. quod idem Pedianus in
C Verr. 3. confirmat Et de nota Cenſoria Val. Max. item Cic. in Cluentiana. Liu. lib. 29. Cenſores Marcus Porcius & Lucius Valerius metu mixta expectatione Senatum legerunt: ſeptem mouerunt Senatu, ex quibus vnum inſignem & nobilitate & honoribus L. Quintium Flaminium Conſularem. Patrum memoria, inquit, inſtitutũ fertur, vt Cenſores motis è Senatu adſcriberent notas. Catonis & aliæ quidem acerbæ orationes exſtãt in eos quos aut Senatorio loco mouit, aut
D quibus equos ademit. Longè grauiſſima in L. Quintium oratio eſt, quâ ſi accuſator antè notã non Cenſor poſt notã vſus eſſet, retinere Quintium in Senatu, ne frater quidem Titus Quintius, ſi tum cenſor eſſet, potuiſſet.

CENTVMVIRI.

CENTVMVIRI magiſtratus quidem non erãt, ſed cùm à Cic. lib De legibus 3. ij qui lites con-
E tractas iudicabant, hoc eſt vel Centumuiri, vel certè Decemuiri in minorum magiſtratuum ordinem referantur, de iis quoque hoc loco dici poſſe, non incommode iudicauimus. Feſtus lib. 3. Centumuiralia iudicia à Centumuiris ſunt dicta. nam cùm eſſent Romæ XXXV. tribus quæ & Curiæ ſunt dictæ. terni ex ſingulis tribubus ſunt electi ad iudicandum, qui Centumuiri appellati ſunt. & licet quinque amplius quàm centum fuerint, tamen quo facilius nominarentur,
F Centumuiri ſunt dicti. Cicer. lib de Orat. 1. Nam volitare in foro, hærere in iure, ac Prætorum tribunalibus iudicia priuata magnarum rerum obire, in quibus ſæpe non de facto, ſed de æquitate & iure certetur: iactare ſe in cauſſis Centumuiralibus, in quibus vſucapionum, tutelarum, gentilitatum agnationum, alluuionum, circumluuionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminũ, ſtillicidiorum, teſtamentorum ruptorum aut ratorum, ceterarúmque rerum innumerabilium, iure verſentur, &c. Eoſdem de inoffi. teſt. cognouiſſe, patet ex l. 13. & 17. D. de inoffi. teſt. Ouid.
G lib. De ponto 3.

Vtque fui ſolitus, ſediſſem forſitan vnus.
De centum iudex in tua verba viris.

Poſterioribus autem temporibus eorum iuriſdictio multum creuit quemadmodum ex iis quæ ſubiiciam quiuis ſua ſponte intelliget. Fab. lib. 4. cap. 1. Quibuſdam in iudiciis, maximéque capitalibus,

libus, vt apud Centumuiros, ipſi iudices exigunt A ſolicitas & accuratas actiones: contêniq; ſe, niſi in dicendo etiam diligentia appareat, credunt: nec doceri ſolum, ſed etiam delectari volunt. Quo in loco Capitalia dici putarem, non publica, ſed ea in quibus de capite ciuis R. agitur: vt in cauſſis liberalibus. Idem lib. 5. cap. 2. Præiudicia etiam verſantur in iudiciis, cùm de cauſſa pronontiatum eſt, vt in aſſertione ſecunda, & partibus Centumuiralium, quæ in duas haſtas diuiſæ ſont. Idem lib. XI. capitu. 1. Etiam ſi apud B alios iudices ageret, vt in ſecunda aſſertione, aut in Centumuiralibus iudiciis duplicibus parte victa. Corn. Tacitus in lib. de Oratore. Lege Pompeia omnia apud Prætores gerebantur, apud quos quòd maiora olim negocia exerceri ſolita ſunt, quod maius argumentum eſt, quàm quòd cauſſæ Centumuirales, quæ nunc primum obtinent locum, adeò ſplendore aliorum iudiciorum obruebantur, vt neque Ciceronis, neque Cæſaris, neque Bruti, neque Cælij, neque Caluii, C non denique vllius magni oratoris liber apud Centumuiros dictus legitur, exceptis orationibus Aſiuij. Plinius lib. Epiſt. II. Diſtringor Centumuiralibus cauſſis, quæ me exercent magis quàm delectant. Sunt enim pleræque paruæ, & exiles. rarò incidit vel perſonarum claritate, vel negotij magnitudine inſignis, ad hoc perpauci cum quibus iuuet dicere. Ceteri audaces, atque etiam magna ex parte adoleſcentuli obſcuri declamatum huc tranſeunt, tam irreuerenter & D temerè, vt mihi Attilius noſter expreſſe dixiſſe videatur, ſic in foro pueros à Centumuiralibus cauſſis auſpicari, vt ab Homerò in ſcholis. Auctus eſt autem poſtea Centumuirorũ numerus, manẽte tamẽ ſemper nomine, diuiſúſque in quattuor Conſilia. Plin. lib. 6. Epiſt. Fœmina ſplendide nata, nupta Prætorio viro, exheredata ab octogenario patre intra vndecim dies, quam ille nouercam ei amore captus induxerat, quadruplici iudicio bona paterna repetebat. Sedebant E iudices centum & octoginta (tot enim quattuor Conſiliis conſcribuntur.) His autem præerat Prætor, quemadmodum idem libro quinto ſignificat his verbis: Hoc facto Nepotis commotus Prætor, qui Centumuiralibus præſidet, deliberatus an ſequeretur exemplum, inopinatum nobis otium dedit. Erant autem Centumuirorum conſilia quattuor, in quadam baſilica inter ſe vſque adeò proxima, vt actiones vnius Tribunalis ab alio exaudiri poſſent, vt ex eodem Plinio F libro ſecundo intelligimus. Quintilianus libro duodecimo, de Trachallo loquens: Certè, inquit, cùm in Iulia baſilica diceret primo Tribunali, quattuor autem iudicia (vt moris eſt) cogerẽtur, atque omnia clamoribus fremerent, & auditum eum & intellectum & quod agentibus ceteris contumelioſum fuit, laudatum quoque ex quattuor tribunalibus memini.

Conſules.

Consvles exactis Regibus duo creari cœpere Anno CCXLV. vt Liuius in fine libri I. tradit: & lib. II. Omnia iura, inquit, omnia inſignia primi Conſules tenuere. id modò cautum eſt, ne ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror videretur. Varro libro IIII. Conſul nominatus, quòd conſulere populum, & ſenatum debet: niſi illinc potius, vnde Actius in Bruto, Qui rectè conſulat, Conſul fiat. Cicero de Legibus III. Regio imperio duo ſunto: iiq; præeundo, iudicando, conſulendo, Prætores, Iudices, Conſules appellantor. militiæ ſummum ius habento, nemini parento. Ollis ſalus populi ſuprema lex eſto. Ius autem Conſules dixiſſe, vel ex II. Liuij intelligi poteſt: vbi ſcribit Appium Conſulẽ quàm aſperrime ius de creditis pecuniis dixiſſe. Pomponius l. 2. §. 8. de orig. iur. Conſules ab eo dicti ſunt, quòd plurimum Reipub. conſulerent. Lege lata ſummum ius eis delatum eſt, prouocatio ab iis populo conceſſa, prohibitum eiſdem ne poſſent in caput ciuis Rom. animaduertere iniuſſu populi. ſolùm relictum eſt illis, vt coërcere poſſent, & in vincula publica duci iuberent. Nonius Marcellus Conſulum & Prætorum proprietas: quod conſulant, & præeant populis, auctoritate Varronis oſtenditur De vita populi Rom. lib. II. Quòd idem dicebantur Conſules & Prætores: quòd præirent populo, Prætores: quòd conſulerent Senatui, Conſules. Polybius lib. VI. Conſules antequam ex vrbe legiones educant, vrbanarum rerum omnium ius atque imperium habent. His etenim ceteri omnes magiſtratus, Prætor, Tribunus pleb. parent ac ſubiecti ſunt. Hi legationes in curiam introducunt: quæ celeriter ſtatuenda ſunt, decernunt: quæ & deliberanda ſunt, ad Senatum referunt. quæ verò à Senatu decreta ſunt, ea vt perficiantur, ipſorum officium eſt. quinimò & quæ de Rep. per populum tranſigenda & perficienda ſunt, eorum officium eſt perpendere, ac diligenter examinare, concionem quoties opus eſt, aduocare, Senatuſconſulta ad populum referre, quidquid maior pars iuſſerit, exequi. Quinetiam in his quæ ad belli apparatum, & caſtrenſem diſciplinam pertinent, hi ſummum imperium habent. His ius eſt ſoeua quidquid viſum fuerit, imperare. Tribunos militum creare, delectum habere. ad hæc de iis qui ſub imperium eorum ſunt, in caſtris arbitratu ſuo ſupplicium ſumere. His præterea licet eos comitante Quæſtore, ac ſedulò imperata faciente, publici æris quantum res ipſa tulerit, impendere. Hæc Polyb. Conſtat autem ex Cicerone Philipp. quinta, Legitimum conſulatus annum fuiſſe XLIII. ex Muræniana, & libro Epiſt. ſeptimo: & Liuij libro I. centuriatis comitiis eos creari conſueuiſſe. ex Pediano in Verrin. 2. diem comitiorum Conſularium fuiſſe VI. Calend. Sextil. ex Philip. 2. & Plutarcho in Cicero. Conſules capitis pignoribus Senatores qui nec aderant, & quibus cauſſa non erat, coercuiſſe. ex Liuij libr. 42. cùm ad bellum proficiſcerentur, votis in Capitolio nuncupatis paludatos ex vrbe exiſſe, omnibus ordinibus eos comitantibus. ex Verrina 3. deſignatos in comitiis Conſules domum à multitudine deduci ſolitos. ex locis innumeris, eoſdem G Calend. Ianuariis magiſtratum iniſſe. pompámque inſignem adhibitam fuiſſe. qua de re verſus Ouidij pulcherrimos ex libro quarto De Ponto ſubſcribemus.

Ergo vbi Iane biceps longum reſeraueris annũ,
Pulſus & à ſacro menſe December erit,
Purpura Pompeium ſummi velabit honoris,

Ne titulis quicquam debeat ille ſuis.
Cernere iam videor rumpi penè atria turba,
Et populum lædi deficiente loco.
Templáque Tarpeia primùm tibi ſedis adiri,
Et fieri faciles in tua vota Deos.
Colla boues niueos certa præbere ſecuri,
Quos aluit campis herba Phaliſca ſuis.
Curia te excipiet, patréſque ex more vocati,
Intendent aures ad tua verba ſuas.
Inde domum repetes toto comitante Senatu,
Officium populi vix capiente domo.

Item Elegia IX.

Dúmque latus cinget ſancti tibi turba ſenatus,
Conſulis ante pedes ire iuberet eques:
Et quamquã cuperẽ ſemper tibi proximus eſſe,
Gauderem lateris non habuiſſe locum:
Nec querulus turba quamuis eliderer, eſſem,
Sed foret à populo tum mihi dulce premi:
Proſpicerẽ gaudens, quantus foret agminis ordo,
Denſaque quàm longum turba teneret iter.
Quóque magis noris, quàm me vulgaria tangant
Spectarem qualis purpura te tegeret.
Signa quoque in ſella noſſem formata curuli,
Et totum Numidæ ſculptile dentis opus.
At cum Tarpeias eſſes deductus in arces,
Dum caderet iuſſu victima ſacra tuo:
Me quoque ſecretò grates ſibi magnus agentem,
Audiſſet, media qui ſedet æde Deus.

Idem etiam Elegia ſequenti de extraordinaria Conſulis poteſtate, nonnulla ſcribit: quæ quia nuſquam alibi me legiſſe memini, ſubiiciam.

Aut reget ille ſuos dicendo iura Quirites,
Conſpicuum ſignis cùm premet altus ebur:
Aut populi reditus poſitam cõponet ad haſtam,
Et minui magnæ non ſinet vrbis opes.
Aut vbi erunt patres in Iulia templa vocati,
De tanto dignus Conſule rebus aget:
Aut feret Auguſto ſolitam, natóque ſalutem,
Déque parum notis conſulet officiis.

Item Elegia IX.

Hac modò te populo reddentem iura videbit,
Et ſe ſecretis finget adeſſe tuis.
Nunc longi reditus haſta ſupponere luſtri
Credet, & exacta cuncta locare fide.
Nunc facere in medio facundum verba ſenatu,
Publica quærentum quid petat vtilitas.
Nunc pro Cæſaribus, ſuperis decernere grates,
Albáve opimorum colla ferire boum.

DECEMVIRI.

DECEMVIRI Reipub. adminiſtrandæ primùm creati ſunt, mortuo Romulo. Patres enim centum à Romulo creati, decem decuriis factis, ſinguliſq; in ſingulas decurias creatis, qui ſummę rerum præeſſent, conſociarunt. Decem imperitabant: vnus cum inſignibus imperij, & lictoribus erat. quinque dierum ſpatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat. Hæc Liuius libro primo. Dionyſius autem lib. 2. ſcribit, ducentos patres fuiſſe, & imperium decuriis factis vni eodem modo commiſiſſe.

DECEMVIRI Reipubl. adminiſtrandæ ſecundo creati ſunt Anno CCCII. Hac de cauſſa, inquilini, plebs de nimio Conſulum imperio querebatur, qui ius non è certis legibus, ſed arbitrio ſuo dicerent. Petitis igitur è Græcia legibus, ſe-
A natuſconſulto, & plebiſcito confirmatum eſt, vt omnibus abrogatis magiſtratibus, Decemuiri cũ ſummo imperio crearentur: qui decimo die ius populo ſinguli redderent, & eo die penes Præfectum iuris faſces XII. eſſent: collegis nouem ſinguli accenſi apparerent. & Liuius lib. 3. Hæc Dionyſ. lib. 10. Pomponius in l. 2. §. 13. De orig. iur. Et cùm placuiſſet leges quoque ferri, latum eſt ad populum, vti omnes magiſtratu ſe abdicarent. quo Decemuiri conſtituti anno vno cùm ma-
B giſtratum prorogarent ſibi, & cùm iniurioſè tractarent, neque vellent deinceps ſufficere magiſtratibus, vt ipſi, & factio ſua perpetuò Rem. occupatam retinerent: nimia atque aſpera dominatione eò rem perduxerunt, vt exercitus à Repub. ſecederet.

DECEMVIRI litibus ſiue ſtlitibus (vt olim loquebantur) iudicandis quo tempore creati fuerint non reperio. Lites autem eos cauſſáſque
C priuatas iudicaſſe, in quibus de iure controuerſia erat, multis ex locis conſtat. Ouidius ad Piſonem:

Seu trepides ad iura decem citat haſta virorum,
Et firmare iubet centeno iudice cauſſas.

Pomponius l. Secunda, §. 16. De orig. iur. Deinde cùm eſſet neceſſarius magiſtratus, qui haſtæ præeſſent decemuiri ſtlitibus iudicandis ſunt conſtituti. Suetonius Auguſto, Auctor fuit, vt Centumuiralem haſtam. quam Quæſtura functi
D conſueuerãt cogere, Decemuiri cogerent. Cicero pro Cæcina, Cùm Arretinæ mulieris libertatem defenderem, & Cotta Decemuiris religionem inieciſſet, Decemuiri prima actione non iudicauerunt. Idem pro domo, Si Decemuiri ſacramentum in libertatem iniuſtum iudicaſſent, tamen quotieſcunque vellet quis, hoc in genere ſe rem iudicatam referre poſſe voluerunt. Dio præterea libro LIIII. ſcribit decemuiros iis iudi-
E ciis quæ ad Centumuiros ſorte deferebantur, præfuiſſe. Cicero in Oratore, Planè Duorumuirorum iudicium, aut Triumuirorum capitaliũ, aut Decemuirorum litibus iudicandis, dico nunquam.

DICTATOR.

DICTATOR, inde nomen inuenit, quòd vt inquit Varro, à Conſule dicebatur, cui dicto
F audientes omnes eſſent. nam (vt Dionyſ. lib. V. Plutarchus in Marcello, & Liuius lib. IX. XXII. & XXIII. tradunt) non à populo in comitiis, vt ceteri magiſtratus: ſed à Conſule captatis auſpiciis, nocte, ac ſilentio dicebatur. Seneca lib. Epiſt. 19. epiſt. 109. Præterea notat eum quem nos Dictatorem dicimus, & in hiſtoriis ita nominari legimus, apud antiquos Magiſtrum populi vocatũ. hodiéque id exſtat in Auguralibus libris, & teſtimonium eſt, quòd qui ab illo nominatur, Magiſter equitum eſt. Plutarch. Dictator non à populo, aut à patribus creari poteſt, ſed alter
G Conſulum, quem vult Dictatorem dicit. vnde quia ita dictus ſit, Dictator appellatur. Dionyſius autem Senatuſconſ. factum ſcribit, vt Conſules qui tum erant, Magiſtratúſque reliqui ſe abdicarent, vnúſque vir quem Senatus nominaret, populus ſciſceret, haud amplius quàm per ſex menſium ſpatium ſine prouocatione, &

maiure quàm Conſules poteſtate, imperaret. A Cauſſam creandi Cicero libro de Legibus III. ſic explicat. Aſt quando duellum grauius, diſcordiæ ciuium poſcunt, Dictator eſto, ne amplius ſex menſes, ſi Senatus creuerit. idem iuris quod duo Conſules teneto. Iſque aue ſiniſtra dictus, populi magiſter eſto. Dionyſius eius imperium lib. quinto ſic exponit: οὗτος πρῶτος ἐν Ῥώμῃ μόναρχος ἀπεδείχθη πολέμου τε καὶ εἰρήνης, καὶ παντὸς ἄλλου πράγματος αὐτοκράτωρ. ὄνομα δ' αὐτῷ τίθενται δικτάτορα, ὅτι δεῖ τὴν ἐξουσίαν τοῦ κελεύειν καὶ διατάττειν B ὅ, τι θέλει, τά τε δίκαια καὶ τὰ καλὰ τοῖς ἄλλοις, ὡς ἂν αὐτῷ δοκῇ. Pompo. l. 2. §.10 D. de orig. iur. Populo deinde aucto cùm crebra orirentur bella, & quædam acriora à finitimis inferrentur: interdum re exigente placuit maioris poteſtatis magiſtratum conſtitui. Itaque Dictatores proditi ſunt, à quibus nec prouocandi ius fuit, & quibus etiam capitis animaduerſio data eſt. Hunc magiſtratum quoniam ſummam poteſtatem habebat, non erat fas vltra ſextum menſem retinere. Fe- C ſtus, Optima lege cùm dicebatur in magiſtro populi faciendo, qui vulgò Dictator dicitur, quàm pleniſſimum poſſet ius, ſignificabatur. Præter ſuperiores cauſſas, quibus Dictator creabatur, nimirum Rei gerendæ & ſeditionis ſedandæ: inuenio creatum etiam fuiſſe claui in peſtilentia figendi cauſſa: de quo Liuius lib. VII. commemorat. item Comitiorum habendorum: eodem auctore lib. VII. & IX. Quæſtionis exercendæ, vt apud eundem libro IX. Ludorum faciendorum, D Senatus agendi, feriarum Latinarum: vt paſſim apud eundem legimus. Tantum autem illius erat imperium, vt eo creato magiſtratus omnes præter Tribunos pl. imperio ſeſe abdicarent: auctore Plutarch. in Fabio. Duo verò eſſe Dictatores non poterant, ac ne Dictator quidem ſine Magiſtro equitum: auctore Dionyſ. lib. V. & Liuio XXIII. neque extra Romanum agrum, hoc eſt Italiam, dici poterat: vt idem libro XXVII. ſcribit. Nonnunquam & Senatus populum rogari decer- E nebat, vt quem vellet Dictatorem iuberet, qui deinde à Conſule diceretur. cuius rei exemplum exſtat apud Liuium libr. XXVII. Quin & L. Cornelius Sylla Dictator à L. Valerio Flacco Interrege dictus eſt: auctore Appian. libro de bell. ciuil. I. Caium autem Iulium Cæſarem Senatus Dictatorem creauit: vt Plutarchus in eius vita ſcribit.

DVVMVIRI.

F DVVMVIRI capitales dicebantur, qui de perduellionis crimine iudicabant. Liuius libro I. de Tullo Rege loquens, Duumuiros, inquit, qui Horatio perduellionem iudicent ſecundum legem, facio. Lex horrendi carminis erat, Duumuiri perduellioné iudicent: ſi à Duumuiris prouocarit, prouocatione certato. ſi vincét, caput obnubito: infelici arbore reſte ſuſpendito: verberato, vel intra pomœrium, vel extra G pomœrium. Idem lib. ſexto: Sunt qui Duumuiros, qui de perduellione anquirerent, creatos auctores ſint. Loquitur de M. Manlio, de quo Plutarchus idem in Vitis ſcribit. Durauit hic mos ſtante ſemper Repub. Itaque C. Rabirius à Iulio Cæſare, & L. Cæſare Duumuiris perduellionis damnatus eſt, ſed ad populum prouocauit: vt ex Ciceronis Oratione pro eo, & Suetonio, & Dionis lib. XXXVII. notum eſt omnibus. Cicero in Oratore, Planè Duumuirorum iudicium, aut Triumuirorum Capitalium dico nunquam.

DVVMVIRI nauales lege Decia, quam M. Decius Tribun. pleb. tulit, creari ſunt: vt claſſis ornandæ reficiendæque curam haberent. Liuius lib. IX.

DVVMVIRI ſacerdotes ad inſtitutum noſtrum non pertinent.

DVVMVIRI curantes viarum quæ extra vrbem eſſent, nominantur à Dione lib. IIII. in eorum XXVI. virorum numero, vnde alij quoque magiſtratus minores erant.

DVVMVIRI municipales, vide Duumuiri, ſub litera D.

INTERREX.

INTERREGNVM primum inſtitutum eſt mortuo Romulo: vt Liuius & Dionyſ. & Plutarch. ſcribunt. Patres enim decem decuriis factis, ſingulisque in ſingulas decurias creatis, qui ſummę rerum præeſſent, conſociarunt. decem imperitabant, vnus cum inſignibus imperij & lictoribus erat: quinque dierum ſpacio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat: annuúmq; interuallum regni fuit. id ab re, quod nunc quoque tenet numen, Interregnum appellatum. Hæc ille. inde autem mox fluxit, vt cùm ſine ſummo imperio ciuitas eſſet, tum & Patricius & à Patricijs Interrex proderetur, qui dies dumtaxat quinque imperium obtineret, à quo alius deinde creabatur, in dies alteros quinque, itémque alius atque alius eodem modo: dum conſules creari poſſent. vt ex Ciceronis Orat. pro domo, Aſconio in Milon. & Liuij locis innumeris intelligitur: qui etiam libro VII. ſcribit ad vndecimum peruentú eſſe, dum per dies quinquagintaquinque ſine ſummo imperio ciuitas eſſet. Infeſtam, inquit, Patribus plebem Interreges cùm acceſſiſſent, ad vndecimum Interregem ſeditionibus certatum eſt.

IVRIDICVS ALEXANDRIÆ.

IVRIDICVS Alexandriæ dicebatur, qui Alexandriæ iuri dicundo tam præerat, quam prætor Vrbanus Romæ. nam Vlpia. in l. I. D. de offi. iurid. Alexan. ſcribit ei legis actionem datam fuiſſe: &, vti quæcunque lege agi poſſent, agere apud eum liceret. Spartianus in Seuero, Deinde, inquit, Alexandrinis ius Buleutarum (id eſt ſenatorum) dedit, qui ſine publico concilio, ita vt ſub Regibus antè viuebant, vno iudice contenti, quem Cæſar dediſſet. Strabo lib. XVII. de Ægypto loqués quàm cùm prouinciam & vectigalem populi Rom. dixiſſet eſſe, ad eámque regendam mitti cum ſummo imperio Præfectum, qui Principis locum obtineret, ὑπ' αὐτῷ δὲ, inquit, ἐστὶν ὁ δικαιοδότης, ὁ τῶν πολλῶν κρίσεων κύριος: id eſt, Sub eo eſt Iuridicus: penes quem iuris dicundi poteſtas eſt.

MAGISTER EQVITVM.

MAGISTER equitum dicebatur, inquit Var-

ro,quòd ſumma poteſtas huius in equites, & adcenſos,vt eſt ſumma io populum Roman. A Dictatoris: vnde is quoque Magiſter populi appellatus eſt. Moris autem erat, vt à Dictatore diceretur noctu, ſimulátque creatus Dictator fuerat. Liuius libro IIII. Dictator à Conſule dicitur: ipſe deinde C. Seruilium Ahalam magiſtrum Equitum dicit. Item, Er Senatus Dictatorem dici Mamercum Aemilium iuſſit. Is magiſtrum Equitum L. Quintium Cincinnatum dixit. Item, Virginius dum collegam coonſuleret, B moratus, permittente eo, nocte Dictatorem dixit. Is ſibi magiſtrum equitum Poſtumium dixit Pomponius l. 2. De origine. Et his Dictatoribus Magiſtri equitum iungebantur, ſic quo Regibus Tribuni Celerum. quod officium ferè tale erat, quale hodie Præfectorum prætorio. Aurelius l. 1. D. de offic. præf. prætor. Cùm apud veteres Dictatoribus ad tempus ſumma poteſtas crederetur,& magiſtrus equitum ſibi eligerent, qui aſſociati participes C curæ militiæ gratia ſecundam poſt eos poteſtatem gererent.

Præfecti Ærarii.

Præfecti ærarij primùm ab Auguſto inſtituti ſunt, vt ſcribit Dio lib. LV. Cùm enim ærarium conficieodi ratio excogitari oon poſſet, ipſe certum ac proprium ære ſuo conſtituit, quod Militare appellauit: eiúſque adminiſtra- D tionem tribus Prętoriis ſorte lectis ad triennium mandauit. qui binis lictoribus, aliíſque miniſtris vterentur. poſt cùm neque ipſius pecunia, neque ea quæ a Regibus & popolis mittebatur, ſatis locupletari ærarium poſſet, conſtituit vt pars hereditatum ac legatorum viceſima eò referretur: prærerquam quę proximis cognatis, aut pauperibus relioquerentur. Poſtremis autem temporibus eoſdem Præfectos à Principe deligi, & ſioe lictoribus creari ſolitos, eodem loco E ſcribit. Vlpiaous l. 8. §. 2. D. de tranſact. Apud Procuratorem Cæſaris tranſigi de alimentis poteſt. ſcilicet ſi à fiſco petantur alimenta. Secundum quæ & apud Præfectos ærarij tranſigi poterit. Sueton. in Auguſto, Vtque perpetuò ac ſioe difficultate ſumptos, ad tueodos eos, proſequendóſque ſuppeteret, ætarium militare cum vectigalibus nouis conſtituit. Quod autem ad hoc æratium Dio Prætorios refert, id Suetonius alteri attribuere videtur. Auctor fuit Senatui, F inquit, vt cura ærarij à Quæſtoribus Vrbanis ad Prætorios & Prætoréſve tranſiret. niſi fortè in vtroque hoc factum ſit. cùm idem lib. XLIII. ſcribat, publicæ pecuniæ adminiſtratiooem quæ Fabio, Caninio Coſſ. ad Aediles tranſlata fuerat, poſtea Quæſtoribus redditam non eſſe, ſed Prætoriis viris commiſſam. quod ipſum etiam ex Agellij lib. 13. cap. 23. intelleximus. Quod autem, inquit, per Quæſtorem dixi pecuniam ex prædæ venditione cootrahi, iorelligi nunc oportet Prę- G fectum ærario ſignificari: nam cura ærarij à Quęſtore ad præfectum tranſlata eſt.

Præfectus Vrbi.

Præfecturæ vrbis triplicem video rationem fuiſſe: A aliam enim Regum, aliam Imperatorum, aliam mediis temporibus eius magiſtratus procurationem fuiſſe animaduerto. nam primis temporibus præfectus vrbi à Regibus creabatur. Liuius lib. 1. L. Brutus imperium io vrbe Lucretio Præfecto vrbis iam antè à Rege inſtituto, reliquit. Et paulo pòſt, Doo Conſules inde comitiis centuriatis à Præfecto Vrbis ex commentariis Ser. Tullij creati ſunt. Tacitus lib. V. Sed præcipua ex eo gloria, quòd Præfectua B vrbi recens, continuam poteſtatem, & inſolentia pari grauiorem, mirè temperauit. namque antea profectis domo Regibus, ac mox magiſtratibus ne vrbs ſine imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet, ac ſubitis mederetur. ferruntq; à Romulo Dentrem Romulium, pòſt à Tullo Hoſtilio Numam Martium, & à Tarquinio Superbo Sp. Lucretium impoſitos. Dein. Conſules maodabant. Durátque ſimolacrum, quoties ob ferias Latinas præficitur, qui C conſulare munus vſurpet. Hæc Tacitus: ex quibus ſecunda huiuſce magiſtratus forma intelligitur, de qua loquitur Gell. libro XIIII. c. vlt. Præfectũ vrbi, inquit, Latinarum cauſſa relictum Senatum habere poſſe, negat Mutius: quoniam ne Senator quidem ſit, neque ius habeat ſententiæ dicendæ, cùm ex ea ætate Præfectus fiat, quæ non ſit ſenatoria. M. autem Varro & Atteius Capito ius eſſe Pręfecto Senatus habendi dicont. Déqoe ea aſſenſum eſſe Capitonem Tuberoni, contra D ſententiam Murij, refert Pompo. l. 2. §. 17. D. de orig. iur. Quoties, inquit, proficiſcuntur extra Rempu. magiſtratus, vnus relinquitur qui ius dicat. is vocatur Præfectus vrbi. qui Præfectus olim conſtituebator: poſtea verò Latinarum feriarum cauſſa introductus eſt, & quotannis obſeruatur Latinæ autem ferię dicebantur, quæ quotannis in Albano monte à quinquaginta Latinis ciuitatibus, Romaniſque magiſtratibus quatriduano ſacrificio Ioui Latiali celebrabantur. vn- E de ſacrificiom Latiar dicebatur: io cóque Latini à Romanis carnem petebant. Macrobius lib. 1. Conceptiuæ feriæ ſunt, quæ quotannis à magiſtratibus, vel ſacerdotibus coocipiuntur in dies certos, vel incertos, vt ſunt Latinæ, Sementinæ. item, Quare nec Latinarum tempore quo publicæ quondam induciæ inter Romanum populum Latinóſque firmatę ſunt inchoari bellum decebat. Dionyſ. autem libro ſexto tradit has per vnum diem celebratas à Superbo Rege fuiſſe: F exactis autem Regibus, per biduum: tandémque poſt ſeceſſionem in ſacrum mootem, per triduũ. Plutarchus autem in Camillo propter patrum & plebis concordiam diem quartum additum fuiſſe ſcitatur. Verum hæc quidem hactenus de pręfectura vrbis, quæ ſtante Republic. vſurpata eſt. Poſtremis verò temporibus immutata eius ratio eſt multis in rebus, videtúrque Magiſtratus hic ab Auguſto primum renouatus. Sueton. enim ſic ſcribit, quoque plures partem adminiſtrandæ G Reip. caperent, noua officia excogitauit, curam operum publicorum, viarum & aquarum, aluei Tiberis, frumenti populo diuidendi, Præfecturã vrbis. Ego has ferè video ab Vlpia. partes ipſius procurationi attributas eſſe. Vt ſeruorum de dominis querelas, viciſſimque horum in illos criminationes audiret. Vt patronis de libertis ingratis que-

querentibus ius diceret. Vt de tutorum curato- A
rúm ve criminibus cognoſceret. Vt numulariorũ
argentariorúmque frandes coerceret. Vt carnis
curam gererer. Vt quieté in populo procuraret,
illicitáque collegia coerceret. Vt ſpectaculorum
diſciplinæ præeſſet, denique quicquid non mo-
dò intra vrbem, verumetiam intra centeſimum
ab vrbe lapidem commiſſum eſſet, animaduerte-
ret. ſic vt & vrbe, & Italia interdicendi poteſta-
tem haberet, itémque in inſulam deportandi. l.
6. D. de interd. & releg. l. rei capitalis. §. conſtat, B
D. de pœn. Quod autem Vlpianus de carnis cu-
ra ſcribit, inueoio in Epigrammatis vrbis Romæ
confirmatum, in edicto Aproniani Præf. vrbi, de
carne occiſi pecoris appendenda & vendenda.
Quod de criminibus, video etiam ad publica per-
tinere. l. 1. §. generaliter, D. de pœn. Prætorea
& Præfecti vigilum, ſi quis grauiore ſupplicio
plectendus eſſet, eum ad illum remittebant. l. nã
ſalutem, & l. vlt. D. offic. præf. vigil. Dio verò
libr. LII πολιάρχον eum appellat, & Mecœnatem C
ſuadentem Auguſto facit, vt eum è primariis vi-
tis deligat, qui omnes magiſtratus priores geſſe-
rit, vt eas cauſſas in quibus prouocatio fuerit, &
nonnullas etiam publicas & capitales diſceptet,
non modò in vrbe, verumetiam μέχρι πεντήκοντα
καὶ ἑξακοσίων σταδίων: quod ille pro centũ paſſuum
millibus poſuit: vt paret ex l. 1. D. de offic. præf.
vrb.

Præfectvs Annonæ. D

Præfectvs annonæ magiſtratus fuit ex-
traordinarius, vtilitatis cauſſa conſtitutus, vti
ſcribit Pomponius l. 2. §. 17. De orig. iur. Liuius
libr. IIII. L. Minutium nominat, quem Præfe-
ctum vrbi à plebe creatum fuiſſe ſcribit. Conſtat
eius munus fuiſſe, vt videret ne plebs annonæ
inopia & caritate laboraret. Itaque ſi quid ad an-
nonam pertinens commiſſum erat, ipſe cogno-
ſcebat. Marcianus l. 13. D. de accuſat. Mulierem, E
inquit, propter publicam vtilitatem ad annonam
pertinentem audiri à Præfecto annonæ deferen-
tem, diuus Seuerus & Antonius reſcripſerunt.

Præfectvs Prætorio.

Præfectvs prætorio tranſlata in vnius domi-
natum Repub. exemplo Magiſtrorum equitum
ab Imperatore creari ſolebat: eique dari plenior
(vt Arcadius ſcribit) licentia ad diſciplinæ pu- F
blicæ emendationem. quibus initiis adeò is ma-
giſtratus creuit, vt appellari à Præfectis prætorio
non poſſit. credidit enim princeps, eos qui ob
ſingularem induſtriam explorata eorum fide &
grauitate ad huius officij magnitudinem adhibe-
rent, non aliter iudicaturos eſſe pro ſapientia ac
luce dignitatis ſuæ, quam ipſe foret iudicaturus,
l. 1 D. de offic. Præf. præt. Vnde autem dictus ſit
demiror eſſe qui ambigant, cùm Aſconij extet
auctoritas. Veteres, inquit, omnem magiſtratum G
cui pareret exercitus Prætorem appellauerunt.
Vnde & Prætorium tabernaculum eius dicitur,
& in caſtris porta Prętoria, & hodie quoque Prę-
fectus prætorio. Quibus ex verbis perſpicuum
eſt, Præfectum prætorio dici eum qui militibus
iis præeſſet, quos Imperatores in ſui cuſtodiam
allegerant. quod inſtitutum primùm ab Auguſto
fluxiſſe Suetonius in eius vita, & Dio libro LV.
teſtantur. Dio quidem, vbi ſcribit eorum decem
millia fuiſſe, legionémque illam ſuos habuiſſe
faſces. Conſtat autem ex pleriſque omnibus ſo-
litum ab Imperatore cingulum vnà cum gladio
dari Præfecto prætorio. & memorabilis vox Tra-
iani literis mãdata eſt, qui cùm Præfectum ſuum
cingulo donaret, ita dixiſſe traditur, Accipe hunc
enſem, & ſi quidem rectè atque è Republica im-
peratiero, pro me: ſin ſecus, in me vtere. Quam, vt
ego mihi perſuadeo, vocem ſuam in Panegyrico
Plinij ſignificans, ita loquitur: Ego quidem in me
ſi omnium vtilitas ita poſceret, etiam Præfecti
manum armaui. Suetonius & Plinius hanc præfe-
cturam equitibus Romanis mãderi ſolitam ſcri-
bunt. Ille his verbis: Veſpaſianus, inquit, præfe-
cturam quoque prætorij ſuſcipit nunquam ad id
tempus, niſi ab equite Roman. adminiſtratam.
Plinius autem Titum alloquens, Et quod his no-
bilius feciſti, dum illud patri pariter & equeſtri
ordini præſtas, Præfectus prætorio eius. Hæc au-
tem poteſtas vſque eò poſteriorum Cæſarum be-
neficija creuit, vt etiam poſtremis temporibus
ad prouincias regendas cum ſummo imperio
miſſi ſint. Itaq; quattuor eorum genera Conſtã-
tinopolitani Imperij tempore memorãtur in lib.
Cod. Præfectus prætorio per Orientem: Per Illy-
ricum, per Italiã, per Gallias. de quibus licet co-
gnoſcere ex libro qui inſcribitur. Notitia Rom.
Imperij. Caſſiodorus etiam epiſt. li. VI. Poteſtati
Prę́fecti prætorio, inquit, nulla dignitas eſt æqua-
lis, vice ſacra iudicat. nullus ei miles fori aucto-
ritate præſcribit, excepto Officiali magiſtri mili-
tum. Curiales enim etiam verberat. in officio ſuo
ius retinet ſingulare. & talibus tantiſque noſci-
tur iubere, quos etiam prouinciarum non aude-
rent Iudices in qualibet parte contemnere. Mili-
tia perfunctis, Tribunorum & notariorum hono-
rem tribuit, & milites ſuos illis exæquat. gratan-
ter implet Imperator quæ ille conſtituit.

Præfectvs Vigilvm.

Præfectvs vigilum inſtitutus eſt ab Augu-
ſto. nam cùm ſeptem cohortes opportunis locis
conſtituiſſet, vt binas regiones vrbis vnaquæque
cohors tueretur: præpoſuit eis Tribunos, & ſu-
per omnes ſpectabilem virum, qui Præfectus vi-
gilum appellaretur. Is cognoſcebat de incen-
diariis, effractoribus, furibus, raptoribus, rece-
ptatoribus: niſi ſi qua tam atrox, támque famoſa
perſona ſit, vt Præfecto vrbi remittatur. & quia
plerumque incendia culpa fiunt inhabitantium,
aut fuſtibus caſtigat eos qui negligentius ignem
habuerunt: aut ſeuera interlocutione commina-
tus, fuſtium caſtigationem remittit. Idem per to-
tam noctem vigilare debebat, & coërcere calcea-
tus, cum hamis, & dolabris, & curare omnes in-
quilinos admonendos, ne negligentia aliqua in-
cendij caſus oriatur: præterea vt aquam vnuſ-
quiſque inquilinus in cœnaculo habeat. Hæc ex
leg. 3. D. de offic. præfect. vigil. Dio libro LV.
ἐπειδή τε, ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ πολλὰ τῆς πόλεως πυρὶ
διεφθάρη, ἄνδρας τε ἀπελευθέρους ἑπταχῇ πρὸς τὰς ἐπι-
κουρίας αὐτῆς κατέλεξε, καὶ ἄρχοντα ἱππέα αὐτοῖς
προσέταξεν, ὡς καὶ δι' ὀλίγου σφᾶς διαλύσων, οὐ μὴν τοι,

A καὶ ἐποίησε τοῦτο. κατέμαθεν γὰρ ἐκ τῆς πείρας, καὶ χρησιμωτάτην, καὶ ἀναγκαιοτάτην, τὴν παρ᾽ αὐτῶν βοήθειαν οὖσαν, ἐτήρησεν αὐτούς. καὶ εἰσὶ καὶ νῦν λαμπρὰς οὗτοι ἴδιοι, τινὰ τρόπον οὐκ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων ἔτι συντασσόμενοι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ἄλλων στρατευόμενοι, καὶ τείχη τε ἐν τῇ πόλει ἔχουσι, καὶ μισθὸν ἐκ τοῦ δημοσίου φέρουσι. id eſt, Cùm per id tempus multa in vrbe incendio periſſent, libertini generis homines ſeptem in locis, incendiis procurandis delegit: eiſque Equitem vnum præfecit eo cõſilio, vt perexiguo tempore illorum opera vteretur. B Verùm cùm experiendo cognouiſſet, præſidium & illud vtiliſſimum & maximè neceſſariũ eſſe, retinuit. ſúntque vſque adhuc nocturnæ quodammodo excubiæ militares, non ex libertinis tantùm, verum etiam ex aliis conſtitutæ: quæ muris in vrbe præſunt, mercedémque de publico accipiunt. In eandem ſententiam Suetonios in Auguſto, Aduerſus incendia excubias nocturnas, vigiléſque commentus eſt. item, Libertino milite, prætérquã Romæ incendiorum cauſſa, & ſi tumultus in grauiore annona metueretur, bis vſus eſt. C

Præfectvs Avgvstalis.

Præfectvs Auguſtalis, ſiue Præfectus prætorio Auguſtalis, dicebatur is cui Princeps ſummum imperium & proconſulari par in Ægyptum dedit: quemadmodum Vlpianus ſcribit l. 1. D. de offic. præf. Auguſt. Tacitus libro 1. Nam D. Auguſtus apud Equeſtres, qui Ægypto præſiderent, D lege agi, decretáque eorum perinde haberi miſerat, ac ſi Romani magiſtratus conſtituiſſent. Idem libro 11. M. Silano, L. Norbano Coſſ. Germanicus in Ægyptum proficiſcitur cognoſcendæ antiquitatis cauſſa, ſed cura prouinciæ prætendebatur: leuauítque apertis horreis precia frugum, multáque in vulgus grata vſurpauit, ſine milite incedere pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu, P. Scipionis æmulatione, quem eadem factitauiſſe apud Siciliam, quamuis flagrãte adhuc E Pœnorum bello, accepimus. Tiberius cultu habitúque eius lenibus verbis perſtricto, acerrimè increpuit, quòd cõtra inſtituta Auguſti, non ſpõte principis, Alexandriam introiſſet. nam Auguſtus inter alia Dominationis arcana, vetitis ſine permiſſu ingredi Senatoribus, aut equitibus Rom. illuſtribus, ſepoſuit Ægyptum, ne fame vrgeret Italiam, quiſquis eam prouinciam, clauſtráque terræ ac maris, quãuis leui præſidio aduerſus ingẽtes exercitus inceſſiſſet. Strabo li. xvii. de Æ- F gypto loquens, ἐπαρχία νῦν ἐστι, φόρους μὲν τελοῦσα ἀξιολόγους, ὑπὸ σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν διοικουμένη τῶν πεμπομένων ἐπάρχων ἀεί. ὁ μὲν οὖν πεμφθεὶς τὴν τοῦ βασιλέως ἔχει τάξιν. id eſt Ægyptus autem nunc prouincia eſt. vectigalis populi Ro. regitúrque à viris ſapientibus qui eò cum imperio mittuntur. Qui mittitur, principis loco eſt. Dio præterea libro LI. in eandem ſententiam cum Suetonio & Tacito loquitur, vbi ait, Auguſtum propter gẽtis leuitatem, & regionis frugúmque omnium vbertatem & copiam non eſſe auſum eam prouinciam vlli Senatori committere: quin & proficiſcẽdi in Ægyptum poteſtatẽ, niſi ipſe nominatim alicui conceſſiſſet, nemini fuiſſe.

Præsides Provinciarvm.

A Præsides prouinciarum dici cœperunt, poſt diuiſionem prouinciarum ab Auguſto factam. Sic enim prouincias diuiſit, vt aliæ Cæſaris, aliæ populi dicerentur. Cęſaris, quæ validiores erant, & quas annuis (vt Suetonius ſcribit) Magiſtratuum edicti regi, nec facile, nec tutum erat. Has igitur ipſe ſuſcepit, in eáſque Rectores mittere inſtituit, viros (vt ait Strabo) tum Conſulares, tum prætorios, tum etiam equites. Quos & ille generali nomine ἡγεμόνας, & Iuriſconſulti in B Pandectis præſides appellant. Nomen (inquit Macer) præſidis generale eſt, eo quòd & procõſules, & legati Cæſaris, & omnes prouincias regentes licet Senatores ſint, Præſides appellantur. Vbi tamen Senatores non sint cum negatione legendum videtur: vt equites ſignificaret, de quibus hoc ipſum Strabo teſtatur. Populi autem prouinciis qui præerant, proconſules (vt ait Suetonius) dicebantur. Vnde caput eſt in libro Pandectarum 1. De officio proconſulis: quod ad C populi prouinciarum ſolos rectores pertinet. Nã etſi populus in ſuas prouincias στρατηγοὺς καὶ ὑπάτους (vt Strabo appellat (id eſt, Prætores & Cõſules (quibus nominibus abuſus eſt pro, Proprætores & Proconſules, vt continuò pòſt demonſtrat) tamen vtróſque Proconſulum nomine appellari ſolitos & Suetonius teſtatur, & ex Pandectarum libris facile intellectu eſt: quum ſcilicet extraordinarium eſſet eo tempore propè omnium in prouinciis imperium: eóque generali nomine, D Rectores omnes appellarentur. Nam vt in eiuſdẽ Imperatoris vita Suetonius ſcribit, Auguſtus auctor ſenatui fuit, ne magiſtratus depoſito honore ſtatim in prouincias mitterentur. Præſides autem maius imperium in ſua prouincia habebant omnibus poſt Principem, l. 4. De offic. præſid. & omnia prouincialia deſideria, quæ Romæ varios iudices habebant, ad officium Præſidum pertinebant. l. 11. eod. denique omnium Romæ magiſtratuum vice & officio fungebantur. l. 12. eod. Plu- E ra de iis ſub verbo, proconsvles.

Prætor Vrbanvs.

Prætor dictus, inquit Varro, qui præiret iure, & exercitu: à quo id Lucilius, Ergo Prætorum eſt antè præire. Hinc Feſtus, Prætorem maiorem (inquit L. Cæſar putat dici. Vrbanum: ceteros, minores. Maximum Prætorem dici putant alij eum, qui ætatis maximæ pro collegio: quia F Augurum decretum eſt, quòd in ſalutis augurio Prætores maiores & minores appellantur, non ad ætatem, ſed ad vim imperij pertinere. Hinc apud Liuium lib. vii. Lex vetuſtis ſcripta verbis, vt qui Prætor maximus eſſet, Idibus Septembr. clauum pangeret: id eſt, qui ſummum imperium & poteſtatem haberet, veluti Conſul, aut Dictator Iuſtin. autem Nouell. 25. de prætore Lycaon. ſcribit nomen prætoris proprium imperij Rom. fuiſſe, & ante ipſos etiã Coſſ. in Republic. vſur- G patum. quippe cùm veteres Romani ſuos Imperatores prætores appellarent: iiſque rei militaris ſummam poteſtatem attribuerent: legibúſque ab iis ſcriptis parerent. Quibus ex verbis de Iuſtiniani ſumma antiquitatum cognitione licet exiſtimare. Vtcunque ſit, commune hoc Prætoris verbum tandem eius proprium factum eſt,

qui

qui in vrbe iuri dicundo præeſſet. de quo Pompo. in l. 2. De orig. iur. Cúmque Conſules auocarentur bellis finitimis, neque eſſet qui in ciuitates ius reddere poſſet, factum eſt vt Prætor quoque crearetur, qui Vrbanus appellatus eſt, quod in vrbe ius redderet. Liuius libr. VI. & VII. ſcribit anno ab V. C. CCCLXXXVIII. conceſſum à plebe nobilitati de Prætore vno, qui ius in vrbe diceret, ex patritiis creando. eúmque ſibi honorem Patritios quæſiuiſſe, pro conceſſo plebi altero Conſulatu. Hæc ille. Moris autem erat, vt is creatus comitiis centuriatis, priuſquam ius diceret, vt cuique notum eſſet, quemadmodum anno ſuo ius dicturus eſſet, in albo edictum conſtitueret, atque proponeret, quod ab edicendo, id eſt antè denunciando ac prædicendo dictum eſt: quaſi tanto antè populo denunciaret quæ eſſet in iure dicẽdo obſeruaturus. Hoc autem inito Magiſtratu, habita concione & iuratus in leges, faciebat. Cicer. De finibus. II. Quid enim mereri velis iam, quũ Magiſtratum inieris, & in concionem aſcenderis (eſt enim tibi edicendum, quæ ſis obſeruaturus in iure dicendo: & fortaſſe etiam ſi tibi erit viſum, aliquid de maioribus tuis & de te ipſo dices more maiorum) quid mereraris igitur, vt te dicas in eo magiſtratu omnia voluptatis cauſſa facturum eſſe. Iuris dicundi autem munus tribus hiſce continebatur verbis, Do, Dico, Addico. Dabat bonorum poſſeſſionem ex legibus, ex edicto ſuo, ex ſenatuſconſultis. Dabat iudicium Recuperatorium, itémque Arbitros, cùm priuati poſtulabãt. Dicebat viam in formulis, Iſtam viam dico. Dicebat tutorem ex lege Attilia, dicebat ſententiam quibuſdam in cauſis maioribus, vt in liberalibus, in popularibus, in executionibus ſententiarum, in appellationibus, & aliis præterea nonnullis. Dicebat etiam interdicendo cùm de poſſeſſione, interdum etiã cùm de proprietate ageretur: quod ex lib. Pand. XLIII. cuiuis facile eſt intelligere. Dicebat præterea indicendo, veluti cùm ferias indicebat, vt Gell. libr. X. cap 24. Et item Macrobius lib. Saturn. I. demõſtrant. Suetonius in Claudio, Obſeruauitque ſedulò vt quoties terra in vrbe mouiſſet, Ferias aduocata concione Prætor indiceret. Addicebat autẽ cùm in iure ceſſio fiebat: cuius rei ritum in formulis expoſuimus. Cicero lib. De legibus III. Iuris diſceptator qui priuata iudicet, iudicarive iubeat, Prætor eſto. Is iuris ciuilis cuſtos eſto. Polybius autem & Plutarchus ei ſex Lictores datos tradunt. Vnde ἀρχὴν ἑξαπέλεκυν appellant, id eſt, ſex ſecurium. Notandum etiam quod Cicero ſcribit lib. fam. Epiſt. XII. Placuit nobis, inquit, vt ſtatim ad Cornutum prętorem vrbis has literas deferrem, qui, quòd Cõſules aberant, Conſulare munus ſuſtinebat more maiorum. Gellius lib. XIII. cap. XIIII. Prætor etſi collega conſulis eſt, neque Prætorem, neq; collegam iure rogare poteſt, quis imperium minus Prætor, maius habet Conſul & à minore imperio maius, aut è minore collega rogari iure non poteſt. Sed & collegam eſſe Prætorem Conſulem, Meſſala docet: quòd eodem auſpicio creantur. Hunc cẽtumuiralibus iudiciis poſtremis temporibus præfuiſſe, Plinius lib. epiſto. V. his demonſtrat verbis: Hoc facto Nepotis commotus Prætor, qui Centumuiralibus præſidet, deliberaturus an ſequeretur exemplum, inopinatum nobis ociũ

A dedit. Seneca. lib. De tranquill. vitæ I. An ille plus pręſtat, qui inter peregrinos & ciues, aut vrbanus Prætor adeuntibus aſſeſſoribus, verba pronunciat, quàm qui docet quid ſit iuſticia, &c.

PRÆTOR PEREGRINVS.

PRÆTOR Peregrinus, vt Pomponius ſcribit, creatus eſt propter magnam peregrinorum turbam, vt inter eos ius diceret: cùm Vrbanus prætor ſatisfacere vtriſque non poſſet. Eum autem reperio in epitome Liuij lib. XIX. an. DX. primùm

B creatum fuiſſe: & peregrinum dictum, quòd inter ciues & peregrinos ius diceret. Itaq; video apud Liuium ſemper vrbanam iuriſdictionem ei quæ inter ciues & peregrinos eſt, opponi. Vt li. XXII. Romæ iuris dicendi vrbana ſors Pomponio, inter ciues Ro. & peregrinos, P. Furio Philo euenit. Et lib. XXXIII. Prætores deinde prouincias ſortiti, L. Apuſtius Fullo vrbanam Iuriſdictionem, M. Acilius Glabrio inter ciues & peregrinos. Et lib. XL. Iuriſdictio vrbana M. Ogulnio Gallo, in-

C ter peregrinos M. Valerio euenit. Et libro XLI. Prætores L. Papyrius Maſo vrbanam, M. Aburius inter peregrinos ſortiti ſunt. Et lib. XLII Prætores deinde prouincias ſortiti ſunt, A. Atilius Serranus vrbanam, C. Cluuius Saxula inter ciues & peregrinos. Honoratiorem autem Vrbanam peregrina fuiſſe, Appianus & Dio non obſcurè ſignificant: ille lib. De bellis ciuilib. II. vbi ſcribit, Brutum & Caſſium Prætores deſignatos inter ſe contendiſſe, vter iuris inter ciues dicundi

D prouinciam obtineret. hic autem lib. XLII. vbi narrat Prætorem Cæcilium indignè tuliſſe, quòd Cæſar eam prouinciam collegæ Trebonio dediſſet. omnibus autem Præturis præſtantiorem & fuiſſe in orat. pro Muræna perſpicuè demonſtrat. Sed quæri ſolet, quid inter Vrbanam & Peregrinam Pręturam interfuerit. Ego tres ferè differentias reperio. Prima hæc eſt, quòd (vt modò diximus) ſoli ciues Roma. agere apud Vrbanum poterant, Peregrini nõ poterant. Altera, quòd apud

E illum lege agebatur, apud hunc autem, nequaquã. Itaque (vt eſt in orat. pro Flacco) cùm Græcus homo Heraclides à C. Plotio ſenatore mancipia quædam petiiſſet, & fore videret, vt Iudex ſumptus ſententiam ſecundum reum diceret, & ab eo iudice abiit, &, quòd iudicium lege non erat, cauſſam totã reliquit. Quod cùm ita ſit, ſequitur ciues Ro neque ſuos liberos emancipare, neque alienos adoptare, neque ſuos ſeruos manumittere, neque in iure cedere, neque bonorum poſſeſ-

F ſionem, tutorémve ciui Rom. impuberi poſtulare apud eum potuiſſe: denique, vt rem vno verbo complectar, legis actionem cum Prætorem non habuiſſe. Falſum eſt autem quod quidam ſcribunt, eum de pecuniis repetundis quæſiſſe. nam Aſconij locus, in orat. Ciceronis contra Competitores, quo ſolo argumento nituntur, longè aliò pertinet. Scribit enim Antonium cum magiſtratum adhuc nullum obtinuiſſet, ſed equitum turmas de Syllano exercitu nactus eſſet, Græcos

G ſpoliaſſe: ideóque ad M. Lucullum Prætorem, qui ius inter peregrinos dicebat à Græcis in ius eductum eſſe. non igitur Repetundarum iudicium illud erat, ſed iniuriarum potius: quæ cùm atrociores eſſent, dignæ viſæ ſunt, de quibus. Prætor ipſe inter ciuem & peregrinos Græcos homines, cognoſceret. Tertia differentia eſt, quòd Prætor

vrbanus edictum in albo proponebat, quibus A de rebus ius anno ſuo dicturus eſſet: cùm alter nuſquam, quod ſciam, legatur propoſuiſſe. ſed (vt opinor) ex Vrbano edicto ius dicebat.

Prætores Provinciales.

Prætores prouinciales creati ſunt circa annum DXIX. Sicilia & Sardinia captis, atque in prouinciarum formam redactis: quemadmodum Solinus capi. XXI. & Liuius epit. XX. prodiderunt. B Pomponius autem in l. 2. De orig. iur. Capta Sardinia, inquit, mox Sicilia, item Hiſpania, deinde Narbonēſi prouincia, totidem Prætores, quod prouinciæ in ditionē venerant creati ſunt. Pòſt autem moris fuit, vt cùm armis tuendæ prouinciæ viderentur, ſtatim & Conſules & Prætores inito magiſtratu mitterentur. Tandem etiam inſtitutum eſt, vt qui Conſulatu aut Prætura abiiſſent, eò cum ſummo imperio proficiſcerentur: illique proconſules, ſiue Proprætores C (tametſi verbis hiſce nonnunquam veteres abutantur) appellarentur. Demonſtrari etiam in Verrinarum commentariis moris fuiſſe, vt cùm a Senatu decretæ & Conſulares, & Prætores prouinciæ fuiſſent, tum Conſules inter ſe itémque Prætores prouincias ſortirentur, aut verò inter ſe compararent. Conſules autem id adhuc deſignati, & antequam magiſtratum inirent facere ſolebant: quemadmodum ex orat. De prouinc. Conſul. Saluſtio in Iugurth. & innumeris D Liuij locis intelligitur. Prætores verò quo tempore magiſtratu abibant, id factitaſſe ſignificat locus in Verrinæ IIII. Qui, ſimulátque ei ſorte prouincia Sicilia obuenit, ſtatim Romæ, & ad vrbem, antequam proficiſceretur, quærere ipſe ſecum, & cogitare cum ſuis cœpit, quibúſnam rebus in ea prouincia maximam vno anno pecuniam facere poſſet.

Prætor Fideicommiſſarius. E

Prætores fideicommiſſarios duos à Claudio Cæſare inſtitutos eſſe qui de fideicommiſſis ius dicerent, ſcribit Pomp. l. 2. §. 17. D. de orig. iur. ex iiſq; vnum à Tito Cæſare detractum eſſe. Suetonius autem in Claudio: Iuriſdictionem de fideicommiſſis, inquit, quotannis & tantum in vrbe delegari magiſtratibus ſolitam in perpetuū, atque etiam per prouincias poteſtatibus demandauit. F Sed hæc facile eſt ex Fabij verbis explicare. qui libr. III. cap. VI. ſic ſcribit, Non debes apud Prætorem petere fideicommiſſum, ſed apud conſules. maior enim Prætoria cognitione ſumma eſt. quæritur an maior ſumma ſit, &c. Quo ex loco intelligitur, fideicommiſſorum iuriſdictionem ita partitam fuiſſe, vt Prætor vſque ad certam ſummam cognoſceret, de maiore Conſul ius diceret. Budæus autem eum locum in Annotationibus ſuis proferens ita duobus in locis interpretatus eſt, G vt vel ea res admonere nos debeat quanta in aliorum ſcriptis legendis beneuolentia & facilitate vti debeamus. Verùm vt inſtitutum ſermonem perſequamur, Vlpi. perſpicuè id quod diximus confirmat, Inſtit. 25. Fideicommiſſa, inquit, non per formulam petuntur, vt legata. Sed cognitio eſt Romæ quidem Conſulum, aut Prætoris, qui fideicommiſſarius vocatur: in prouinciis verò, Præſidum prouinciarum. De Prætore fideicommiſſario Imp. l. 2. C. qui pot. in pigno. habeant. Paullus l. quæſitum, 78. §. pen. D. de legat. 3. & l. 4. in fid. D. Quibus ad lib. Vlpi. l. ſicuti legatum, 92. De condit. & demonſtr.

Prætor Fiscalis.

Prætor fiſcalis ab Imperatore Nerua creatus eſt, qui inter fiſcum & priuatos ius diceret, vt Pomponius ſcribit in l. 2. §. 18. De orig. iur.

Prætor Tutelaris.

Prætor tutelaris primus à M. Antonio philoſopho creatus eſt, quemadmodum Iulius Capitolinus ſcribit: cùm antea tutores à Conſulibus poſcerentur, vt diligentius de Tutoribus tractaretur. Quantum autem ex Iuſtiniano intelligimus, officium eius erat, vt cogerent tutores & ſatiſdare rem pupilli ſaluam fore, & delatam tutelam recipere.

Prætores Rerum capitalium.

Vide infrà Quæstores.

Procurator Cæsaris.

Procurator Cæſaris ab Auguſto primum inſtitutus eſt, vt ex Dionis lib. LIII. intelligimus: vbi ait Auguſtum in omnes prouincias præterquam vbi proconſules eſſent, mittere inſtituiſſe Curatores, qui vectigalia conquirerent, impendiáque, ſi quæ opus eſſent, facerent. Hoc autem potius officium quam magiſtratus appellatur in l. non licet, 46. D. de contr. empt. Itaque Rationales paſſim in libris noſtris appellantur: eóſque deportandi ius non habere, ſed petulantibus aditu prædiorum Cæſaris interdicere poſſe, Caliſtratus auctor eſt in l. vltim. D. de offic. procur. Præterea iuriſdictionem inter priuatos extra fiſcales cauſſas non habebat. l. 1. C. de iuriſd. omn. iudic. l. 1. & paſſim, C. vbi fiſc. cauſſæ. Inter fiſcum autem & priuatos ius dicebat. Vlpian. l. 5. C. eod. l. 1. D. de offic. pro. Cæſar. ſcribit, ea quæ ab illo acta geſtáque ſunt, ſic à Cæſare comprobari, atque ſi à ſeipſo geſta eſſent. Hinc illud Taciti lib. XII. de Claudio Cæſare: Eodem anno, inquit, ſæpius audita vox principis, parem vim rerum habendam à procuratoribus ſuis iudicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet. Ac ne fortuitò prolapſus videretur, Senatuſconſulto quoque cautum plenius & vberius, quàm antea. Suetonius tamen id illū precibus impetraſſe ſcribit. Vt ſibi in curiam, inquit, Præfectum prætorij ſecum inducere liceret, vtique rata eſſent quæ procuratores ſui in iudicando ſtatuerent, precariò exegit. Ad eundem illud quoque pertinet quod idem in Veſpaſiano ſcribit, procuratorem rapaciſſimum quemque ad ampliora officia ex induſtria promouiſſe, quo locupletiores mox

con-

condemnaret. ex quibus quidem vulgò pro
ſpongiis dicebatur vti quòd qnaſi & ſiccos ma-
…efaceret,& exprimeret humentes.

PROCONSVLES ET PRO-
prætores.

PROPRÆTORES & Proconſules qui fue-
rint, olim in Verrinarum commentatiis ſic ex-
poſuimus. Cùm antiquitùs auctis imperij fini-
bus prætores crearentur, qui in prouincias ſum-
mo cum imperio mitterentur (de quibus apud
Liuium frequens eſt mentio) inſtitutum tandem
fuit, vt qui Romæ conſulatum aut præturam geſ-
ſiſſent, ij anno inſequenti in prouincias eôdem
cũ ſummo imperio mitterentur, quę idcirco con-
ſulates,& prætoriæ vocabatur, quarum illę bien-
nium obtinebantur, hæ annum vnum: vt teſtis eſt
hic ipſe in prima Philippica. Qui verò ex conſu-
latu prouinciam obtinebant, Proconſules ſiue
proconſule: qui ex prætura, Proprætores ſiue pro-
prætore dicebantur. De proconſulibus quidem
nemini dubium id eſſe arbitramur. de proprætò-
ribus verò, quoniam dubitare non nullos ani-
maduertimus, teſtimoniis confirmandũ videtur.
Cicero libr. de Diuinat. II. Bellicam rem admi-
niſtrari maiores noſtri niſi auſpicatò noluerunt.
quàm multi ſunt anni, cùm bella à proprætori-
bus & proconſulibus adminiſtrantur, qui auſpi-
cia non habent? Quin igitur Gabinius, qui ex
conſulatu Syriam obtinuit, proconſul: quin
Verres, qui ex prætura Siciliam, proprætor dici
poſſet, dubitaturum neminem exiſtimamus. At
enim prætor hic perpetuò nominatur. Ita eſt,
ſed aut præturam magiſtratum eſſe annuum ne-
gemus, aut per abuſionem id dici, fateamur ne-
ceſſe eſt. Repugnat enim præturam Verris eſſe
annuam,& Verrem prætorio imperio, tum Ro-
mæ, tum in Sicilia, quadriennium præfuiſſe. ac ne
cui mirum videatur, verbum prætoris pro pro-
prætoris vſurpari, locum ex Verrina IIII. ſubſcri-
bemus, in quo & Conſul pro proconſul, & præ-
tor pro proprætore, perſpicuè vſurpatur. Quum
id quod omnes intelligebant diceret Heraclius,
legem eſſe Rupiliam, quam prætor Rupilius,
ex S. C. de decem legatorum ſententia dediſſet,
hoc omnes ſemper in Sicilia conſules prætoréſ-
que ſeruaſſe, &c. Sententiam noſtram nunc
ita perſpicuè confirmabimus, vt, quod amplius
dubitetur nihil futurum ſit. Cælius ad hunc no-
ſtrum ſcribens libro Epiſtol. 8. ſic ait, Itémque
ſenatui placere; in Ciliciam prouinciam inque
VIII. reliquas prouincias, quas prætorij pro præ-
tore obtinerent, eos qui prætores fuerunt, neque
in prouincia cum imperio fuerunt, quos eorum
ex S. C. cum imperio in prouincias pro prætore
mitti oporteret, eos ſortitò in prouincias mitti
placere: & quæ ſequuntur. Videmur, opinor, a-
pertè nunc, eos ipſos qui prætorij erant, prætorio
imperio in prouincias mitti moris fuiſſe. In quo
tamen illud intelligendum eſt, tametſi more id
inſtitutóque fieret, vt qui ex prætura conſulatú-
ve exirent, in prouincias proprætorio proconſu-
larîve imperio mitterentur, eóque hi magiſtra-
tus eſſent ordinarij. nonnunquam tamen extra
ordinem, tum proprætores, tum proconſules mit-
ti conſueuiſſe: quorum imperium extraordinariũ

A appellabatur. Velut in his duobus de quibus
modò commemoratum eſt, Cn. Pompeio,& L.
Gellio: quorum vterq; quum conſul antea nun-
quam fuiſſet, pro Conſule tamen in prouinciam
eſt miſſus. Nam de Pompeio quidem apertè id
Cicero undecima Philippica teſtatur: cuius ver-
ba paulo antea deſcripſimus, quod eodem modò
intelligendum eſt in iis, qui cùm Conſules qui-
dem fuiſſent, non tamen ſtatim ex Conſulatu in
prouinciam proficiſcebantur, quemadmodum
B Ciceroni vſuuenit: qui quia IX. poſt conſulatum
annis in Ciliciam proconſul profectus eſt, pro-
pterea extraordinarium ſuum imperium appel-
lat in Epiſtola 9 lib. ad Atticum quinti: Faciam,
inquit, vt ſumma modeſtia & ſumma abſtinen-
tia munus hoc extraordinarium traducamus.
Atque hæc quidem de Proconſulum imperio ex-
traordinario. A quo proprætorum extraordina-
rium imperium nihil omnino differre, hinc in-
telligi poteſt, quòd Cicero Philippica II. impe-
C rium a ſenatu in ſuam ſententiam C. Cæſari a-
doleſcenti, neque vllo vnquam magiſtratu fun-
cto, delatum vt proprætor eſſet, extraordinarium
appellat. At enim, ait, C. Cæſari adoleſcenti im-
perium extraordinarium mea ſententia dedi:
Significat autem S. C. quod in oratione V. per-
ſcriptum eſt. Eiuſdem modi fuit Cn. Piſonis im-
perium, de quo Salluſtius in coniuratione Cati-
linæ ſic ſcribit: Poſtea Piſo in citeriorem Hiſpa-
niam Quæſtor pro prætore miſſus eſt, adnitente
D Craſſo,&c. Non igitur aut Proconſulum aut Pro-
prætorum perpetuò extraordinarium imperium
fuit, quemadmodum placere quibuſdã video: Sed
tum demum, cùm in prouinciam aut ante Con-
ſulatum, Præturámve, aut non ſtatim ex Conſu-
latu præturáve cum imperio mitterentur. Hæc
cùm ita ſe haberent, illud tamen minimè ſilentio
prætermittendum videtur: quoniam prætoris vo-
cabulo veteres pro eo qui exercitui præeſſet vte-
bantur (quemadmodum ex Aſconio notum eſt)
E eos qui duces exercitus Vicarij relicti eſſent
(quos Locum tenentes generales vulgò nomina-
mus) Proprætore etiam appellari conſueuiſſe:
quod vel ex eo intelligi licebit, quia Salluſtius in
bello Iugurthino ſcribit, Albinum Conſulem ad
comitia profectum, Aulum fratrem in caſtris
pro prætore reliquiſſe: quem paucis pòſt verſibus
legatum appellat. & in eudem C. Marium in ex-
peditionem profectum, L. Syllam Quæſtorem
ſuum in caſtris pro prætore reliquiſſe. Valerius
F autem Maximus libr. 2. cap. De diſciplina mili-
tari, L. inquit, Martius Tribunus militum cum
reliquias duorum exercituum P. & Cn. Scipio-
num, quos arma Punica in Hiſpania abſumpſe-
rant, diſperſas mira virtute collegiſſet, earúmque
ſuffragiis dux eſſet creatus, ſenatui de rebus a-
ctis à ſe ſcribens, in hunc modum orſus eſt: L.
MARTIVS Proprætor, cuius honoris vſurpatio-
ne vti eum Patribus cõſcriptis non placuit, quia
duces à populo, non à militibus ſolerent creari.
G Hæc Valerius. De proconſulum autem & pro-
prætorum ordinario imperio lubet Appiani ver-
ba ex libr. Syriaco ſubſcribere: καὶ στρατηγὸς, in-
quit, ἐπὶ τῇ στρατιᾷ ἀπέπεμπον, ὡς αὐτοὶ καλοῦσιν ἑξα-
πελέκεας, ὅτι τῶν ὑπάτων δυώδεκα πελέκεσι καὶ
δυώδεκα ῥάβδοις, ὥσπερ οἱ πάλαι βασιλεῖς, χρωμένων
τὸ ἥμισυ τῆς ἀξιώσεως ἐπὶ τοῖσδε στρατηγοῖς, καὶ τὰ

ἡμίσεα παράσημα. Quæ nos cùm Appianum Latinum faceremus, ſic conuertimus: Imperatores cũ exercitu miſerunt, quos ipſi ſex ſecurium magiſtratus (id eſt Proconſules aut Prætores) vocant. Nam cùm vtantur Conſules duodecim ſecuribus, totidémque faſcibus, quemadmodum priſcis Reges: dimidiũ autem poteſtatis illorum magiſtratus iſti habeant, inſigniũ etiam partem duntaxat habent dimidiam. Atque hæc quidem vſque ad Auguſti imperium ita ſe quemadmodũ diximus habuerunt. Hic verò prouincias ita diuiſit, vt aliæ Cæſaris, aliæ Populi dicerentur. Cæſaris quæ validiores erant, & quas annuis (vt Suetonius ſcribit) magiſtratuum imperiis regi nec facile nec tutum erat. Has igitur ipſe ſuſcepit, in eáſque Rectores mittere inſtituit, viros (vt ait Strabo) tum Conſulares, tum prętorios, tum etiã equites. quos & ille generali nomine ἡγεμόνας, & Iuriſconſulti in Pandectis Præſides appellant. Nomen (inquit Macer) Præſidis generale eſt, eo quòd & Proconſules & legati Cæſaris & omnes prouincias regẽtes, licet Senatores ſint, Præſides appellantur. Vbi tamen, SENATORES NON SINT, cum negatione legendum videtur. vt Equites ſignificet de quibus hoc ipſum Strabo teſtatur. Populi autem qui prouinciis præerant, Proconſules (vt ait Suetonius) dicebantur. Vnde caput in libro Pandectarum 1. De officio proconſulis: quod ad populi prouinciarum ſolos rectores pertinet. Nam etſi populus in ſuas prouincias στρατηγοὺς ἢ ὑπάτους (vt Strabo appellat) id eſt Prætores & Conſules (quibus nominibus abuſus eſt pro Proprætores & Proconſules, vt continuò pòſt demonſtrat) tamen vtróſque Proconſulum nomine appellari ſolitos, & Suetonius teſtatur, & ex Pandectarum libris facilè intellectu eſt. cùm ſcilicet extraordinarium eſſet eo tempore propè omnium in prouinciis imperium, eóque generali nomine (vt paulò antè moris fuiſſe oſtendimus) rectores omnes appellarentur. Nam vt in eiuſdem imperatoris vita Suetonius ſcribit, Auguſtus auctor ſenatui fuit, ne magiſtratus depoſito honore ſtatim in prouincias mitterentur. & vt cura ærarij à Quæſtoribus vrbanis ad Prætorios Prætoréſve tranſiret. Atque hæc quidem de primis temporibus dicta ſint. De poſtremi verò temporis ratione pauca hæc ex Dionis lib. LIII. à nobis conuerſa, hunc in locum adſcribemus. Cæſar cùm appetendi regni ſuſpicionem omnem ab ſeſe remouere conſtituiſſet, decem ſibi annorum imperium ſuas prouincias ſumpſit. hoc enim temporis ſpacio pacatas ſe illas redditurum recepit. Simúlque iuueniliter exultãs, hoc addidit quo celerius ſedatæ & quietæ eſſe poſſent: eo ſe maturius illas depoſiturum. Atque eo primùm tempore ſenatores & in ſuas & in ſenatus prouincias cum imperio miſit: præter Ægyptum, quã ſolam equiti Rom. iis de cauſſis quas ſuperius expoſuimus, attribuit. Pòſt deinde hæc conſtituit: Vt eorum præfecturæ eſſent annuæ, ſortéque legerentur, niſi ſi quis vel propter liberorum multitudinem, vel propter vxorem ductam ius aliquod præcipuum ac ſingulare haberet: Vt ex s.c. mitterentur, & neque gladiis accincti, neque habitu militari eſſent: Vt proconſules dicerentur non modò illi duo, qui Coofulatu eſſent functi, ſed etiam ce-

A teri viri prætorij, quive pro prætore mitterentur. Vt tot lictores vtriſque darentur, quot habere in vrbe legibus licebat: Vt imperij inſignia quamprimum pomœrio egreſſi eſſent, acciperent: eáque vſque dum ex prouincia decederent, perpetuò retinerent. Reliquos verò à ſe deligi, ſuóſque legatos, etſi Conſulatum geſſiſſent, tamen Proprætores nominari voluit. duo namque hæc nomina valde floruerunt tum, cùm penes populum imperium eſſet. Is enim iam
B inde à primis temporibus Prętoris nomẽ, tanquã rei militari maximè conueniens, attribuit iis quos delegiſſet, & Proprætores eos appellauit: reliquos autem quaſi vocabulo ad pacem magis accommodato, è nomine Conſulum Proconſules appellauit. Hæc enim nomina Prætoris & Conſulis in Italia retinuit: qui verò extra Italiam erant, quaſi horum locum obtinerent, præfectos omnes appellauit. Effecit igitur, vt quos ipſe deligeret, non Proprætores ſolùm diceren-
C tur, verumetiam & plures annos cum imperio eſſent, & habitu militari vterentur, & gladium animaduertendique in milites poteſtatem haberent. Siquidem nulli neque proconſuli, neque proconſuli, neque proprætori, neque præfecto ius gladij geſtandi permittebatur, quin ſimul eadem animaduertendi in milites poteſtas legibus concederetur. neque verò ſenatoribus tantùm, verùm etiam equitibus Romanis, qui eam poteſtatem habent, ius illud permittitur. Atque
D hæc quidem ita ſe habent. Iam verò lictoribus ſex omnes vtuntur proprætores, & quicunque Conſulares non ſunt: ex eóque lictorum numero nomen inuenerunt, vt ἑξαπελέκεις dicerentur. Imperij etiam inſignia, poſtquam in prouincias ſuas peruenerunt, vtrique accipiunt: eáque vnà cum imperio deponunt. Hoc eodem modo leges etiam iubent, ex Prætoriis & Conſularibus viris præſides in Senatus Imperatoríſque prouincias mitti: quos Imperator & quæ in
E loca volebat, & quo tempore volebat, mittere conſueuerat. ita multi noo modò Prætores, verumetiam Conſules prouinciis præfuerunt. id quod hodiéque nonnunquam fieri conſueuit. Senatus autem & ſeorſim quidem Conſularibus Africam atque Aſiam conceſſit: & Prætoriis reliquas omnes diſtribuit. Omnibus autem æquabiliter interdixit, ne quis quinquennio antè, quàm magiſtratum in vrbe geſſiſſet, prouincias ſortiretur. Sic temporis progreſſu, licet maior
F eorum qui ſortiebantur, quam prouinciarum numerus eſſet, tamen ad imperium omnes perueniebant. Poſteà cùm malè nonnulli magiſtratus geſſiſſent, illæ quoque prouinciæ Imperatori adiectæ ſunt, ſic vt eas ipſe quodammodo diſtribueret: cùm tot ſortiri iuberet, quot eſſent prouinciæ. Alij autem Imperatores etiam à ſe delectos in prouincias miſerunt, iiſque annos complures imperium prorogarunt. Alij verò equitibus ſenatorum loco prouincias mandarunt.
G quo ferè tempore hæc legibus conſtituta ſunt de ſenatoribus, qui ius necis in eos qui imperio ſuo ſubiecti eſſent, haberent. Mittuntur enim etiam quibus ius illud non permittitur in eas prouincias quæ populi & Senatus eſſe dicuntur, & proquæſtores quos ſors dederit, & aſſeſſores eorum qui cum imperio ſunt. Hoc enim nomioe rectè illos,

illos, ſi officium illorum ſpectemus, appellabimus: cùm alij legatos etiam illos appellent. Sed de nomine ſuperius ſatis dictum eſt. Hus igitur aſſeſſores ſibi quique deligunt, vnum quidem prætori ex ſui aut inferioris ordinis hominibus: tres verò Conſulares, ex eiuſdem dignitatis viris, quos ipſe Imperator probauerit. Quanquam hæc ratio innouata eſt. Sed quia breui interiit, ſatis erit ſuo loco indicare. De prouinciis igitur populi hæc ita ſe habent. Mittuntur verò & in alias prouincias, quæ Imperatoris dicuntur, ab eo ipſo præſides pluribus legionibus inſtructi: plurimùm ex prætoriis, interdum ex iis qui quæſturam, aut alium magiſtratum intermedium geſſerunt. Hæc ex Dione.

PRODICTATOR.

PRODICTATOR propter Conſulum abſentiam nonnunquam creatus eſt. Liuius lib. 22. Itaque ad remedium iamdiu deſideratum, nec adhibitum, Dictatorem dicendum, ciuitas confugit. & quia Conſul aberat, à quo vno dici poſſe videbatur, nec per occupatam armis Punicis Italiam facilè erat aut nuncium aut literas mitti: nec Dictatorem populus creare poterat: quod nunquam ante eam diem factum erat, Prodictatorem populus creauit Qu. Fabium Maximum, & Magiſtrum equitum M. Rufum Minutium.

QVÆSTORES ÆRARII.

QVÆSTORES (inquit Varro) à quærendo: qui conquirerent pecunias publicas. Cornelius Tacitus lib. xi. Annalium, Apud maiores virtutis id præmium fuerat, cunctiſq; ciuium, ſi bonis artibus fiderent, licitum petere Magiſtratus: ac ne ætas quidem diſtinguebatur, quin prima iuuenta Conſulatum ac Dictaturas inirent. Sed Quæſtores Regibus etiam tum imperantibus inſtituti ſunt: quod lex Curiata oſtendit ab L. Bruto repetita. Manſitque Conſulibus poteſtas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret: creatique primum Valerius, Poſthumius, Æmilius Mamercus LXIII. anno poſt Tarquinios exactos, vt rem militarem comitarentur. Dein gliſcentibus negociis, duo additi qui Romæ curarent. Mox duplicatus numerus ſtipendiaria iam Italia, & accedentibus prouinciarum vectigalibus. Pòſt lege Syllæ viginti creati ſupplendo ſenatui cui iudicia tradiderat. Et quanquam equites iudicia recuperauiſſent, quæſtura tamen ex dignitate candidatorum, aut facilitate tribuentium gratuitò concedebatur, donec ſententia Dolabellæ venundaretur. Aſconius Verrina I. Quæſtores vrbani ærarium curabant, eiúſque pecunias expenſas & acceptas in tabulas publicas referre conſueuerant. Liuius autem libr. VII. teſtis eſt, eoſdem Quæſtores ſigna ex ærario prompſiſſe Imperatoribus ad bellum exeuntibus. Pomponius l. 2. §. 12. D. de orig. iur. Deinde cum ærarium populi auctius eſſe cœpiſſet, vt eſſent qui illi præeſſent, conſtituti ſunt. Quæſtores qui pecuniæ præeſſent. dicti ab eo, quòd inquirendæ & conſeruandæ pecuniæ cauſſa creati erant. Vlpian. in l. 1. D. de offic. quæſt.

A Origo Quæſtoribus creandis antiquiſſima eſt, & pene ante omnes magiſtratus. Gracchanus denique Iunius lib. 7. de Poteſtatibus etiam ipſum Romulum, & Numam Pompilium binos Quæſtores habuiſſe, quos ipſi non ſua voce, ſed populi ſuffragio crearent, refert. Sed ſicuti dubium eſt an Romulo & Numa regnantibus Quæſtor fuerit, ita Tullo Hoſtilio rege Quæſtores fuiſſe certum eſt. Sanè crebrior apud veteres opinio eſt, Tullum Hoſtilium primum in Rempubli-
B cam induxiſſe Quæſtores. Et à genere quærendi Quæſtores initio dictos, & Iunius, & Trebatius, & Feneſtella ſcribunt. Tacitus lib. XIII. de Nerone loquens. Deinceps curam tabularum publicarum à Quæſtoribus ad Præfectos tranſtulit, variè habita ac ſæpe immutata eius rei forma. Nam Auguſtus permiſit ſenatui deligere Præfectos. Deinde ambitu ſuffragiorum ſuſpecto, forte ducebantur ex numero prætorum, qui præeſſent: neq; id diu manſit, quia ſors deerrabat ad
C parum idoneos. Tunc Claudius Quæſtores rurſus impoſuit: iiſque ne metu offenſionum ſegnius conſulerent, extra ordinem honores permiſit. Sed deerat robur ætatis eum primum Magiſtratum capeſſentibus. Igitur Nero præfectura perfunctos, & experientia probatos delegit. Eorundem etiam munus erat prædam ex hoſtibus captam vendere, pecuniámque inde redactam in ærariũ referre: quemadmodum Agellius libr. XIII. cap. XIII. declarat. Item multas ir-
D rogatas exequi, & in publicas tabulas referre: vt patet ex Liuij lib. XL. Tacitus lib. XIII. Cenſuit Piſo deſignatus Conſul, ne multam à Tribunis dictam Quæſtores ærarij in publicas tabulas ante quatuor menſes referrent. Dio præterea in lib. LV. extremo ſcribit, Tuberone, Fabio coss. ad Quæſtores tranſlatam eſſe curam Senatuſconſultorum aſſeruandorum, cùm antea Tribunorum ple. & Ædilium id munus fuiſſet.

E

QVÆSTORES PROVINCIALES.

QVÆSTORES Prouinciales erant, qui vnà cum Proconſulibus aut Proprætoribus in prouincias exibant, cùm pecuniam ſibi ex ærario à Senatu attributam, & à Tribunis ærarij adnumeratam accepiſſent, vnde ſtipendio, frumento, legatis, proquæſtoribus, cohorti prætoriæ ſuppeditarent: quemadmodum ex Verrina III. intelli-
F gitur. Aſconius, Prima Senatoris adminiſtratio eſt Quæſtorem fieri, & in prouincia curam gerere pecuniæ publicæ in vſus diuerſos erogandæ. Inter vrbanos autem & prouinciales Quæſtores hanc differentiam reperio. Primùm quod illi neque lictores, neque viatores habebant: cùm neq; vocationem, neque prehenſionem haberent: vt ſic ſcribit Agellius lib. XIII. cap. XII. Hi verò & lictores, & togam prætextam habebant: vt in Verrinam III. docuimus. idque conſtat ex
G Orat. pro Plancio his verbis, Nam ſimulac me Dyrrachium attigiſſe audiuit (de Plancio loquitur, Quæſtore tum Macedoniæ) ſtatim ad me lictoribus dimiſſis, inſignibus abiectis, veſte mutata profectus eſt. Altera differentia eſt, quòd Vrbani ius non dicebant: Prouinciales autem iure dicundo conuentus circumibant, vt ſcribit

Suetonius in Cæſare,& quæcunq; commiſſa po- A
pulo Rom.eſſent,exquirebant: déque iis Iudices
ac Recuperatores dabant:quemadmodum vide-
mus in Diuinatione Q. Cæcilium Verris Quæ-
ſtorem in Agonidem iudicium dediſſe, Si pate-
ret eam ſe & ſua Veneris eſſe dixiſſe.

Qvæstores paricidii.

Qvæstores paticidij (quemadmodum
ſcribit Pomponius in l. 2. De orig. iur.) creari à B
populo ſolebant,qui capitalibus rebus præeſſent.
nam Conſulibus de capite ciuis Romani iniuſſu
populi ius dicere non licebat. Feſtus lib. xiiii.
Paricidij Quæſtores appellabantur,qui ſolebant
creari cauſſa rerum capitalium quærendarum.
Nam paricida non vtique is qui parentem occi-
diſſet dicebatur: ſed qui qualemcumque homi-
nem.idem autem fuiſſe indicat lex Numæ Pom-
pilij Regis,his compoſita verbis: Si quis homi-
nem liberum dolo ſciens neci duit.Paricida eſto. C
Poſtea verò cum à Senatu quæſtiones extra or-
dinem mandari cœpiſſent,nomen quidem obſo-
leuit, res ipſa in vſu manſit. Dictatorem tamen
quæſtionibus exercendis creatum, legimus apud
Liuium lib.ix. Senatus verò modò Conſulibus,
modò Prætoribus quæſtiones decernebat. de
coss.qui de Bacchanalib.quærerent,autor eſt Li-
uius lib. xxxix. Sic Iugurthinæ coniurationis
quæſtionem Conſuli mandatam Cic. in Bruto
ſcribit.De prætorib.qui de veneficiis & pecula- D
tu quærerent,ſcribit Liuius libr. 38. & 39. Talis
fuit quæſtio de vi, Cn. Domitij prætoris: de qua
Cicero & Aſcon. in Milonianam. Cum igitur
variæ & incertæ iudiciorum publicorũ quæſtio-
nes eſſent,eǽque modò coss.modò Prætoribus
mãdarentur, Cornelius Sylla lege ad populum
lata perpetuas (vt ait Pomponius) quæſtiones
conſtituit, & quattuor Prætores adiecit. Nam
ex lege Bæbia alternis annis (vt Liuius libro xl.
ſcribit) quattuor Prætores creabantur:duo qui in E
vrbe ius dicerent,vrbanus,& peregrinus:reliqui
qui in Prouincias Siciliam & Sardiniam irent.
Deinde ſex creari cœperunt.totidem enim idem
numerat libro xlv. Tum Sylla quatuor adiecit,
vtq; ex iis decem, octo de publicis criminibus
quærerent,conſtituit. Nam ante legem Corne-
liam non quæſtionibus exercendis, ſed prouin-
ciis adminiſtrandis creabantur prætores: qui-
bus tamen quandoque extra ordinem quæſtio-
nes (vt diximus) mandabantur à Senatu. Vnde F
extraordinariæ quæſtiones illæ, hæ ordinariæ,
perpetuæ & quotidianæ a Cicerone appellantur.
Decem autem prætores hi ſunt. Prætor vrbanus,
item peregrinus qui priuatis de cauſſis ius di-
cebant. Publicorum autem iudiciorum Quæſi-
tores ſunt: Prætor repetundarum, venefici),in-
ter ſicarios duo, qui etiam de paricidio quære-
bant, auctore Cicerone pro Sext. Roſcio: pecu-
latus,ambitus,maieſtatis,de vi publica. Ex qui-
bus multis intelligitur rectè ſcripſiſſe Pompo- G
nium,primum Syllam publicas conſtituiſſe quæ-
ſtiones, & quattuor prætores adieciſſe. Deinde
C. Cæſarem duos addidiſſe,ac proinde xii. Præ-
tores Cæſaris tempore fuiſſe. vnde patet decem
ante Cæſarem fuiſſe prætores: quod idem Cice-
onis teſtimonio confirmatur, qui in oratione

Cluentiana ſex publicorum iudiciorum Præto-
res commemorat: Q. Voconium de veneficio
M. Pletorium, & C. Flaminium inter ſicarios
C.Orchinium peculatus, ſeipſum de repetundis
pecuniis, C. Aquilium ambitus. Deinde, quid
reliquæ quæſtiones? inquit, quibus verbis certè
prætorem vrbanum non intelligit, vt nonnulli
ſuſpicantur: neque enim is quærere, ſed cogno-
ſcere dicitur. Intelligit ergo C. Caſſium, qui de
maieſtate eo anno quæſiuit, & alium qui de vi
publica.quibus omnibus ſi vrbanum & peregri-
num adiicias, decem omnino prætores efficies.
Nam qui prætorem inter peregrinos de pecuniis
repetundis quæſiſſe exiſtimant, nullis ſanè com-
modis rationibus ſententiam ſuam confirmant.
Confundunt enim & perturbant iuriſdictionem,
& quæſtionem: publicáque & priuata iudicia.
quin etiam Prætorem peregrinum de repetun-
dis pecuniis non quæſiſſe, Liuius teſtis eſt lib.
xlii. quod enim C. Antonium apud M. Lucul-
lum prætorem qui ius inter peregrinos dicebat,
accuſatum Pedianus ſcribit, quòd Achæos ſpo-
liaſſet, non illud repetundarum iudicium eſt.
neque enim Prætor in Achaia Antonius fuerat,
neque legatus: vix enim erat Quæſtorius. Sed na-
ctus (inquit Aſconius) de exercitu Syllæ equi-
tum turmas, Achæos ſpoliauit. Non enim hoc in
iudicio repetundarum quæritur, an ſpoliarit ſo-
cios, cùm nullum haberet imperium: ſed cœpe-
ritne contra leges pecunias Antonius teſtis Cic.
Verrina v.& lib.de orat. ii. Quamobrem cùm lex
nulla ſanxiſſet pœnam in eos qui latronum mo-
re, priuati prouincias ſpoliarent & diriperent,
ſed tantùm vi Magiſtratus (neque enim tum lex
Iulia lata erat) quomodo prætor repetundarum
hac de re iudicare potuiſſet: cùm quæſtiones le-
gibus exercerentur? Rectè verò Prætor peregri-
nus qui inter ciues & peregrinos ius dicebat. Et
quidem inter ſenatores & prouinciales, Romæ
fieri ſolita iudicia, Cic. libr. xiii. Epiſt. fam. ad Ser.
Sulpitium teſtis eſt. Satis ergo conſtat decem
fuiſſe prætores: rectéque Nicolaum Gruchium
virum clariſſimum & eruditiſsimum in optimo
ſuo de Comitiis libro id ex Pomponio defen-
diſſe: tametſi contumelioſè ſanè à nonnullis, qui
eum neſcio quem appellant, hanc ob cauſſam
reprehendatur. Atque hic quidem numerus Præ-
torum ordinarius fuit. Nam octo quoque crea-
tos Cicero pro Milone, & in ea quam poſt re-
ditum in Senatu habuit oratione, demonſtrat: &
Cælius libro viii. Epiſt. octo Prætorias prouin-
cias nominat. extraordinariæ tamen illæ ſunt.
De Aſia enim agitur in eo s.c. quam Sylla (vt
pro Flacco Cic. ſcribit) pro portione in prouin-
cias deſcripſit. Quibus ſi adiiciamus illum præ-
torem quem lege Clodia conſtitutum. Cic. pro
domo ſcribit, nouem certè efficiemus. Nam
quod Dio lib. xlii. Cæſarem decem prætores
conſtituiſſe ſcribit, tam verum eſſe exiſtimo,
quàm illud Taciti aut Paterculi, qui Octauiano
illud attribuunt. Cæſar enim qui pro libidine
rempub. tractaret, modò decem, modò xii. mo-
dò xiiii. Prætores creabat: vt idem libr. xliii.
teſtatur. Decem igitur ordinarios prætores fuiſ-
ſe, cum Pomponio & Cicerone crediderim: pro
ratione tamen prouinciarum quandoque paucio-
res, quandoque plures extra ordinem creatos

non

non negatim. huc enim ſpectat illa Ciceronis lex, Huic poteſtati pati quotcunq; ſenatus creauerit, populúſve iuſſit, tot ſunto. Atque hæc quidem hactenus. quæ tibi omnia, Lector optime, ex adoleſcētis clariſſimi Richardi Strein, Baronis generoſiſſimi commentationibus optimis de Magiſtratibus deprompta, hunc in locum referre volui: vt tibi arrabonem quēdam ac ſpecimen illarum meditationum hoc tempore præbetem. & adoleſcenti nobiliſſimo, quem propter optimarum artium ſtudium incredibile in conuictu meo habitum, ſemper chariſſimum iucundiſſimúmque habui, honorem meritiſsimum adiungerem, animúmq; ad hunc ſuū curſum perſequendum quacumque ratione poſſem, adderem.

Qvæstores Candidati.

Qvæstores candidati dicebantur, qui libris, hoc eſt epiſtolis, ſiue orationibus Principis in Senatu legendis præerant: quemadmodū docet Vlpianus in l. 1. D. de off. quæſt. Lampridius in Alexandro, Quæſtores candidatos ex ſua pecunia iuſsit munera populo dare, ſed vt poſt Quæſturam præturas acciperent, & inde prouincias tegerent. Quibus ex verbis candidatos ſuſpicor ea re dictos eſſe, quòd hic ingreſſus erat, & quaſi primordium gerendorum honorum, & ſententiæ in Senatu dicendæ: quemadmodum Vlpianus eodem loco ſcribit. Dio lib. LIIII. συναγαγὼν δὲ ἐκ τούτου τὸ βουλευτήριον, αὐτὸς μὲν οὐδὲν εἶπεν ὑπὸ βράγχου. τὸ δὲ δὴ βιβλίον τῷ ταμίᾳ ἀναγνῶναι δούς, τά τε πεπραγμένα οἱ κατηριθμήσατο. Tacitus lib. XVI. Inter quorum aſpectus & minas ingreſsi curiam Senatores & oratio Principis per Quæſtorem eius audita eſt, Suetonius in Tito: Recepta ad ſe propè omnium officiorum cura, cum patris nomine & ipſe epiſtolas dictaret, & edicta conſcriberet, orationéſque in Senatu recitaret etiam Quæſtoris vice.

Tribvni ærarii.

Tribvni ærarij dicebantur, inquit Varro quibus attributa erat pecunia, vt militi redderent. Et Pedianus Verrina III. Pecunia attributa eſt, quæ in ſtipendium militum de ærario à Tribunis ærariis adnumerari Quæſtori ſolet. Hi magiſtratus quidem non erant, ſed quia procurationem publicam habebant, idcirco a nobis in hunc ordinem relati ſunt: eo magis, quòd Cicero in lib. De legib. III. vbi de magiſtratibus ſe leges dare profitetur, hunc quoque adſcribit, & minorē magiſtratum appellare videtur: his verbis quæ ante annos ſex à me multis audientibus caſtigata, ſubſcribam. Minores magiſtratus, partiti iuris plures in pleta ſunto. Militiæ quibus iuſsi erunt, imperanto. Ærariique Tribuni ſunto. Domi publicam pecuniam cuſtodiunto. Quam lectionem manuſcriptorum librorum auctoritate confirmari, mihi magnopere placuit. Ordinis autem nomen hoc fuiſſe, magnúmque illorum numerum extitiſſe, vel ex eo intelligi poteſt, quod in lege Aurelia diximus, latum fuiſſe, vt iudicia quæ penes ſolos Senatores erant, cum equitibus & Tribunis ærariis communicarentur. Quòd ſi quis differentiam inter Tribunos ærarij, & Quæſtores ærarij requirat, hanc me reſpondebo fuiſſe arbitrari, quòd Tribuni pecuniam in

A vrbe ſignatam cuſtodirent: Quæſtores, ex vectigalibus quæſitam. Illi tribuebant atque adnumerabant Quæſtoribus in prouincias abeuntibus: hi pecunias ærarij tum acceptas, tum expenſas in tabulas publicas referebant.

Tribvnvs celervm.

Tribvnvs Celerum à Romulo primùm creatus eſt, vt Liuius libr. I. teſtatur, vbi ſcribit illum B trecentos armatos ad cuſtodiam corporis, quos Celeres appellauit, non in bello ſolum, ſed etiam in pace habuiſſe. Feſtus libro III. Celeres, inquit, antiqui dixerunt, quos nunc equites dicimus, à Celere interfectore Remi, qui initiò à Romulo iis præpoſitus fuit, qui primitùs electi fuerunt ex ſingulis decuriis deni, ideóque omnino trecenti fuere. Idem etiam Dionyſ. lib. II. ſcribit, & hoc amplius. Celerum alios equites, alios pedites fuiſſe. eorum Tribunos tres ſubiectos C centuriones fuiſſe, rurſúſque his alios: omnéſque per vrbem haſtatos Regem comitatos eſſe, eiuſque mandata obiiſſe. in militia verò anteſignanos fuiſſe, primos pugnam iniiſſe, poſtremos diſceſſiſſe equites quidem in planitie, pedites verò in aſperis & inæqualibus locis pugnaſſe. Paulo aliter tamen Pomponius ſub tit. De orig. iur. Regum temporibus, inquit, Tribunum Celerum fuiſſe conſtat. is autem erat, qui equitibus præerat, & veluti ſecundum locum à Regibus obti- D nebat: quo in numero fuit Iunius Brutus, qui auctor fuit Regis eiiciendi. Et paulo pòſt ait, Magiſtros equitum ita Dictatoribus eſſe iunctos, vt Regibus Tribunos Celerum.

Ouid. lib. Faſtorum IIII.

Hoc Celer vrget opus, quem Romulus ipſe vocarat:
Sintque Celer curæ, dixerat, iſta tuæ.
Néve quis aut muros, aut factam vomere foſſam
Tranſeat. audentem talia dede neci.

E

TRIBVNI MILITVM CONſulari poteſtate.

Tribvni militum terni Conſulari poteſtate creati ſunt, anno Vrbis CCCX. cùm orta inter patres & plebem diſſenſio eſſet, propter C. Canuleij Trib. ple. legem qua de Conſule altero de plebe creando agebatur. Placuit igitur, vt pro Conſulibus Tribuni militum ex patritiis terni, totidémque ex plebe crearentur: qui Conſulari F ac ſummo imperio Reipub. ſummam adminiſtrarent. Verùm terni tantum, iique patritij creati ſunt: plebs eo contenta fuit, quod ſui ratio in Comitiis habita fuiſſet. Liuius lib. IIII. & Dionyſ. libr. XI. Pomponius l. 2. §. 14. De orig. iur. Deinde cum poſt aliquot annos plebs cum patribus contenderet, & vellet ex ſuo quoq; corpore Conſules creare, & patres recuſarent: factum eſt, vt Tribuni militum crearentur partim ex plebe, partim ex patribus, conſulari poteſtate, hique G conſtituti ſint vario numero. interdum enim viginti fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores.

Tribvni militvm in legionibus.

Tribvni militum, inquit Varro, quòd terni ex tribus tribubus, Ramnium, Lucerum,

Tatienſium olim ad exercitum mittebantur. Pedianus autem Verrina II. Tribunorum, inquit, militarium duo ſunt genera: primum eorum qui Rufuli dicuntur. hi in exercitu creari ſolent. alij ſunt Comitiati, qui Romæ comitiis deſignantur. Zonaras autem lib. II. ſcribit eos ſic appellatos, qui imperium in mille viros obtinerent. Cic. libr. III. De legib. munus eorum bis complectitur verbis, Militiæ quibus iuſſi erunt imperanto. Polyb. in VI. de Repub. Deſignatis Conſulibus poſtea Tribunos militum creant, & quattuordecim quidem ex iis faciunt Tribunos, qui habent annua quinq; ſtipendia. his deinde adiiciunt decem, quos creant ex iis qui ſupra quinque vſque ad decem habent annua ſtipendia: Equites quidem qui decem omnino habent ſtipendia, pedites autem qui ſex & eo amplius habent annua ſtipendia. Liuius libr. VII. Et cùm eo anno primùm placuiſſet Tribunos militum ad legiones ſuffragio fieri (nam & antea ſicut nunc, quos Rufulos vocant, Imperatores ipſi faciebant) ſecundum in ſex locis tenuit. Idem lib. IX. Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum, vtraque ad rem militarem pertinentia: vnum vt Tribuni militum ſeni deni in quatuor legiones à populo crearentur: quæ antea perquàm paucis ſuffragio populi relictis locis Dictatorum & Conſulum fermè fuerant beneficia. Tulerunt eam rogationem Tribuni ple. L. Attilius, C. Marcius. Idem lib. XLII. In tribunis militum nouatum eo anno propter Macedonicum bellum, quod Conſules ex s. c. ad populum tulerunt, ne Tribuni militum eo anno ſuffragiis crearentur: ſed Conſulum Prætorúmque in iis faciendis iudicium arbitriúque eſſet. Hinc illud apud Suetonium in Cæſare: Tribunus militum, qui primùm Romam reuerſo per ſuffragia populi honor obtigit, auctores reſtituendæ Tribunitiæ poteſtatis enixiſſimè iuuit. Item apud Plutarchum in Catone Vticenſi: In petitione Tribunatus militaris legem quæ candidato nomenclatores adeſſe vetabat, ſolus Cato ſeruauit, per ſeipſum appellans populum. Plinius autem lib. 31 cap. 7. & lib. 34 cap. 3. ſcribit eorum ſtipendium, Salarium dictum fuiſſe, à ſalis nomine: quòd honoribus, inquit, militiæq; interponitur, ſalariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate, ſicut apparet ex nomine Salariæ viæ: quoniam illa ſal in Sabinos portari conſueuerat. Macer in l. officium, 12. D. de re milit. Officium Tribunorum eſt, vel eorum qui exercitui præſunt, milites in caſtris continere, ad exercitationem producere, claues portarum ſuſcipere, vigilias interdum circumire, frumentationibus commilitonum intereſſe, frumentum probare, menſorum fraudem coercere, delicta ſecundum ſuæ auctoritatis modum caſtigare, principiis frequenter intereſſe, querelas commilitonum audire, valetudinarios inſpicere.

TRIBVNI PLEBIS.

TRIBVNI pleb. primùm ita creati ſunt. An. CCLX. cùm plebs ex vrbe ad Æquorum bellum educta propter nobilium feneratorum impotentiam, Conſulibus relictis trans Anienem amnem collem occupauit: neque eo anno reuocari in vrbem potuit, vſque dum Senatus ei per decem Legatos promiſit, ius ipſi fore magiſtratum è ſuo corpore contra Patriciorum potentiam creare: primùm autem duo, vel, vt alij tradunt, quinque creati ſunt: ſed an. CCXCVI. Horatio, Minutio coss. decem effecti. Liuius lib. III. & Dionyſ. lib. VI. & X. In eandem ſententiam Pompon. l. 2. §. 2. D. de orig. iur. Iiſdem temporibus, inquit, cùm plebs a patribus ſeceſſiſſet, anno ferè ſeptimo decimo poſt reges exactos, Tribunos ſibi in monte ſacro creauit, qui eſſent Plebeij magiſtratus. Dicti Tribuni, quòd olim in tres partes populus diuiſus erat, & ex ſingulis ſinguli creabantur: vel quia tribuum ſuffragio creabantur. Sic Varro lib. De lingua Lat. IIII. Tribuni plebeij, qui ex Tribunis militum primùm Tribuni plebij facti, qui plebem defenderent, in ſeceſſione Cruſtumerina. Cic lib. De legib. III. poteſtatem eorum his declarat verbis: Plebes quos pro ſe contra vim auxilij ergô decem creaſſit, Tribuni eius ſunto. quódq; ij prohibeſſint, quódq; plebem rogaſſint, ratum eſto. ſanctique ſunto: néve plebem orbam Tribunis relinquunto. Erat enim hic magiſtratus ſacroſanctus. Liuius lib. III. ipſis quoque Tribunis, vt ſacroſancti viderentur, cuius rei propè iam memoria aboleuerat, relatis quibuſdam ex magno interuallo ceremoniis, renouarunt. & tum religione inuiolatos eos, tum legem etiam fecerunt ſanciendo, vt qui Tribunis plebis, Ædilibus, Iudicibus, Decemuiris nocuiſſet, eius caput Ioui ſacrũ eſſet: familia ad ędem Cereris, liberi, liberæq; venum irent. Idémque tradit Dionyſ. lib. VI. Ii viatorem quidem & prehenſionem habebant, vocationem verò, nequaquam. nam (vt ait Agellius) antiquitùs creati videntur, non iuri dicundo, nec cauſis, querelíſque de abſentibus noſcendis: ſed interceſsionibus faciendis, quibus præſentes fuiſſent: vt iniuria quæ coram fieret, arceretur. ac proptetea ius ad ſe vocandi ademptum: quoniam vt vim fieri vetarent, aſſiduitate eorum, & præſentiũ oculis opus erat. hæc Agellius libro XIII. cap. XIII. Scribit etiam in hanc ſententiam libro XV. cap. XXVII. his verbis, Tribuni neque aduocant Patricios, neq; ad eos referre de re vlla poſſunt. Ita ne leges quidem propriè, ſed plebiſcita appellantur, quæ Tribunis plebis ferentur accepta. Plutarchus autem in Catone Vtic. Ius, inquit, Tribunitiæ poteſtatis magis ad impediendum eſt, quàm ad agendum: quippe ceteris omnibus collegis volentibus, vnus qui nolit & intercedat plus poteſt. Idem in Problemat. Cur Tribunus plebis purpura non vtitur, cùm ceteri magiſtratus vtantur? an quòd magiſtratus non eſt? nam nec in ſella ius dicunt, nec ineunte anno item vt reliqui, magiſtratum ineunt, nec Dictatore creato ſe abdicant: imò quaſi magiſtratus non ſint, delato ad Dictatorem imperio, ſuam ipſi poteſtatem retinent. Cuius rei teſtimonium apud Liuium libro VII. videmus de Tribunis plebis, qui L. Manlium Dictatorem magiſtratu abire coegerunt. Idem etiam libro VI. intercedendi formulam & ſollẽne verbum fuiſſe hoc VETO ſignificat his verbis, Faxo, ne iuuet vox iſta VETO, qua nunc concinentes collegas noſtros tam læti auditis. Reperio etiam apud eundem lib. IIII. Conſules à Tribunis plebis duci in vincula potuiſſe Cicero in Vatin. cùm eum

tu conſulem in vincula duceres (de Bibulo loquitur.) & à tabula Valeria collegę tui mitti iuberent. Sed & Liuius li. ix. Cenſorem Appium à P. Sempronio Tri. ple. prehēdi, & in vincula duci iuſſum eſſe. & lib. v. Tribunos pleb. minitari ſe iuſſuros eſſe in vincula Tribunos militum duci. Apud Dionem autem lib. xxxvii. Metellum Cōſulem à L. Flauio Tribuno pleb. in carcerem ductū eſſe. Plutarchus in Problematis autor eſt, morib. Romanorum conſtitutum eſſe, vt domus Tribunorum noctu ne clauderetur (quod & Macrobius Satur. 1. confirmat) ſed interdiu noctúque indigenti cuique eorum auxilio paterent, quaſi portus quidam & præſidium periclitantium. Maiores enim communem Tribunum eſſe voluerūt, & tanquam aram omnibus acceſſibilem, proinde honore quidem ſacroſanctos eos eſſe voluerunt, nec ſine inexpiabili ſcelere violabiles. Idē in vita Catonis Vticenſis tradit Tribunos pleb. in baſilica Porcia χρηματίζειν εἰωθότας: quod ego non Ius dicere, ſed conuentum agere, & pro collegio decreta ſua interponere, interpretandum puto.

TRIVMVIRI CAPITALES.

Trivmviri capitales (inquit Pomp.) creati ſunt qui carceris cuſtodiā haberent, vt cùm animaduerti oporteret, id interuentu eorum fieret. Salluſt. in Catil. In eum locum poſtquam demiſſus eſt Lentulus, iudices rerum capitalium quib. præceptum erat, laqueo gulam fregere. Hi octo lictores habebant, qui eorùm iuſſu in damnatum animaduertebant. Plautus Amphyt. *Quid faciam nunc, ſi Treſuiri me in carcerem compegerint? Inde cras è promptuaria cella depromar ad flagrum. Nec quicquam ſit, quin non me omnes eſſe dignum deputent. Ita quaſi incudem me miſerum homines octo validi cadent.* Et in Aſinaria, *Vbi ſæpe cauſſam dixeris pendēs aduerſus octo, Aſtutos audaces viros, Valentes virgatores.* Et paulo pòſt, *Vbi ſæpe ad languorem tua duritia dederis octo Validos lictores Vlmeis affectos lentis virgis.* Et in eadem, *Ibo ego ad Treſuiros, veſtráque ibi nomina Faxo erunt capitis.* Verùm illi de vilibus & abiectæ tantùm conditionis hominibus ius dicebant: vt furibus, ſeruis nequam, & apud columnam Meniam cauſſas cognoſcebant. auctor Cicero in Diuinat. Et Aſconius in eādem. Memorabile autem eſt quod Valerius Max. lib. v. cap. iii. cōmemorat de muliere quadam quam Prætor damnatam Triumuiro in carcere necandam tradiderat: quam receptam is qui cuſtodiæ præerat, non protinus ſtrangulauit: aditum autem ad eam filiæ dedit: quam pòſt animaduertit certo vbere famem matris lenientem. itaque res ab ipſo ad Triumuirum, à Triumuiro ad Prætorem, à Prætore ad Conſulum iudicium perlata, remiſſionem pœnæ mulieri impetrauit. Idem etiam lib. viii. cap. iiii. de L. Calpurnio Triumuiro mentionem facit, à quo ſeruus quidem in crucem eſt actus. Apud Feſtum autem ſub verbo Sacramentum, lex Papiria legitur de Triumuiris capitalibus. Sed ſuſpicor de mendo. & MONETALIBVS legendum putarem.

TRIVMVIRI NOCTVRNI.

B Trivmviri incendiis arcendis præfuiſſe dicuntur apud vetuſtiores, à Paullo in l. 1. D. de offi. præf. vigil. & ab eo quòd excubias agerēt, nocturnos dictos eſſe. interueniſſe etiam nonnunquam & Ædiles & Tribunos pleb. fuiſſéque familiam publicam, circa portam & muros diſpoſitam, vnde ſi opus eſſet, euocabatur. Dio verò lib. LV. ita ſcribit, οἱ δὲ δὴ στενωποὶ ἐπιμελητῶν τινῶν ἐκ τοῦ δήμου, οὓς καὶ στενωπάρχους καλοῦμεν, καὶ σφίσι καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ ἀρχικῇ καὶ ῥαβδούχοις δύο ἐν αὐτοῖς τοῖς χωρίοις
C ὧν ἂν ἄρχωσιν, ἡμέραις τισὶ χρῆσθαι ἐδόθη, ἥ τε δουλεία ἡ τοῖς ἀγορανόμοις τῶν ἐμπιπραμένων ἕνεκα συνοῦσα ἐπετράπη, καίτοι καὶ ἐκείνων καὶ τῶν δημάρχων, τῶν δὲ στρατηγῶν πᾶσαν τὴν πόλιν εἰς δεκατέσσαρα μέρη νεμηθεῖσαν, κλήρῳ προσταχθέντων. ὃ καὶ νῦν γίγνεται. στενωπάρχους Dio vocat, qui Vicorum magiſtri dicebantur, quos non ſemper Prætexta vſos, ſed eo tantùm tempore quo ludos compitalitios faciebant. Cicero in Orat. in Piſonem, & Aſconius in eandem ſignificant tametſi ad Au-
D guſtum hæc potius referenda ſunt, de quo Suetonius ita ſcribit: Spatium vrbis in regiones, vicóſque diuiſit: inſtituitque, vt illas annui magiſtratus ſortitò tuerentur, hos magiſtri è plebe cuiuſque viciniæ lecti. Valerius autem Max. li. viii. cap. 1. de M. Militio, Cn. Lolio, L. Sextilio Triumviris commemorat, qui quòd ad incendium in ſacra via exortum extinguendum tardius venerāt, à Tribuno pleb. die dicta ad populum damnati ſunt. Item de P. Bilio Triumuiro nocturno qui à
E P. Aquilio Tribuno pleb. accuſatus, iudicio concidit, quia vigilias negligentius circumierat.

TRIVMVIRI MONETALES.

Trivmviri monetales, auro, argento, æri flando feriundo, conſtituti ſunt: vt ſcribit Pomponius in leg. 2. §. 16. De orig. iur. Hinc illud Ciceronis libr. De legib. iii. Æs, argentum, aurum publicè ſignāto. Item ad Trebatium de Treuiris Gallis io-
F cans, Treuiros vites cenſeo: audio capitales eſſe, mallem auro, ære, argento eſſent. Apud Sex. Pompeium ſub voce Sacramentum, lex Papiria refertur de iii. viris capitalibus, quam potius ad Monetales pertinuiſſe arbitrarer.

DE MAGISTRATIBVS

FINIS.

PARS TERTIA EST DE SENATV ET INSIGNIBVS ALIQVOT SENATVSCONSVLTIS.

QVI SENATORES ESSENT, QVIBVSQVE SENtentiæ in Senatu dicendæ ius eſſet.

CAP. I.

SENATVM à Romulo primum inſtitutum eſſe, Liuius Dionyſius, Plutarchus, aliique auctores tradunt. Liuius quidem in libro primo ſic: Cùm iã virium haud pœniteret, conſiliũ deinde viribus parat. Centum creat ſenatores, ſiue quia is numerus ſatis erat, ſiue quia ſoli centum erant, qui ciere Patres poſſent. Patres certè ab honore, patritiique progenies eorum appellati. Dionyſius autẽ libro II. ὁ δὲ ῥωμύλος ἐπεὶ ταῦτα διεκόσμησε, βουλευτὰς εὐθὺς ἔγνω καταστήσασθαι, μεθ' ὧν πράττειν τὰ κοινὰ ἔμελλεν, ἐκ τῶν πατρικίων ἄνδρας ἑκατὸν ἐπιλεξάμενος, ποιεῖται δὲ αὐτῶν τοιάνδε τὴν διαίρεσιν. αὐτὸς μὲν ἐξ ἁπάντων ἕνα τὸν ἄριστον ἀπέδειξεν, ᾧ τὰς κατὰ τὴν πόλιν ᾤετο δεῖν ἐπιτρέπειν οἰκονομίας, ὅτε αὐτὸς ἐξάγοι στρατιὰν ὑπερόριον. τῶν δὲ φυλῶν ἑκάστῃ προσέταξε τρεῖς ἄνδρας αἱρεῖσθαι τοὺς ἐν τῇ φρονιμωτάτῃ τότε ὄντας ἡλικίᾳ, καὶ διὰ γένος ὄντας ἐπιφανεῖς. μετὰ δὲ τοὺς ἐννέα τούτους, ἑκάστην φρατρίαν πάλιν ἐκέλευσε πατρικίους ἐπιλέξαι τοὺς ἐπιτηδειοτάτους. ἔπειτα τοῖς πρώτοις ἐννέα τοῖς ὑπὸ τῶν φυλῶν ἀποδειχθεῖσι τοὺς ἐνενήκοντα προσθείς, οὓς αἱ φράτριαι προεχειρίσαντο, καὶ τούτων ὃν αὐτὸς προέκρινεν ἡγεμόνα ποιήσας, τὸν τῶν ἑκατὸν ἐξεπλήρωσε βουλευτῶν ἀριθμόν. τοῦτο τὸ συνέδριον ἑλληνιστὶ ἑρμηνευόμενον, γερουσίαν βούλεται δηλοῦν, καὶ μέχρι τοῦ παρόντος οὕτως ὑπὸ ῥωμαίων καλεῖται. πότερον δὲ διὰ γῆρας τῶν καταχθέντων εἰς αὐτὸ ἀνδρῶν, ἢ δι' ἀρετὴν ταύτης ἔτυχε τῆς ἐπικλήσεως, οὐκ ἔχω τὸ ἀσφαλὲς εἰπεῖν. καὶ γὰρ τοὺς πρεσβυτέρους καὶ ἀρίστους, γέροντας εἰώθασιν οἱ παλαιοὶ καλεῖν. οἱ δὲ μετέχοντες τοῦ βουλευτηρίου, πατέρες ἔγγραφοι προσηγορεύθησαν, καὶ μέχρις ἐμοῦ ταύτης ἐτύγχανον τῆς προσηγορίας. id eſt, Romulus autem his conſtitutis, ſtatuit continuò ſibi conſiliarios cooptare. Virósque centum ex patritiis legit, quibus cum Remp. adminiſtraret. Eorum autem hoc diſcrimen fecit. Ipſe quidem vnum ex omnibus præſtantiſſimum deſignauit, quem exiſtimaret vrbanis rebus præeſſe oportere, ſi quando ipſe cum exercitu extra vrbem eſſet. Deinde iuſſit vnamquamque tribum tres viros ætate, prudentia & nobilitate generis præſtantes deligere. Poſt illos nouem, ſingulas curias iuſſit denuò tres viros è patritiis maximè idoneos deligere. Poſtquam ad primos illos nouem à tribubus deſignatos, iſtos nonaginta quos curiæ creatant adiunxiſſet, & iis illum præfeciſſet, quem ipſe antea decreuerat, centum Senatorum numerum impleuit. Is conſeſſus, ſiue concilium, verbum pro verbo Græcè expreſſum, γερουσίαν, id eſt Senatum ſignificat: & vſque adhuc eo nomine à Romanis appellatur. Vtrum autem propter ſenectutem eorum qui cooptati fuerant, an propter virtutem nomen illud reperent, non habeo certum quod dicam quippe Priſci homines ſolebant eos qui natu grandes, & boni viri eſſent, γέροντας id eſt ſenes appellare. qui verò in eo conſilio erant, Patres conſcripti vocati ſunt & vſq; adhuc eam appellationem retinuerunt. Plutarchus autem in Romulo ferè in eandem ſententiam ſcribit. Cicero etiam in catone ſic ſcribit: Nec enim, excuſſione, nec ſaltu, nec eminus haſtis vtetetur (de ſene Scipione loquitur) ſed conſilio, ratione, ſententia. quæ niſi eſſent in ſenibus, non ſummum conſilium maiores noſtri appellaſſent Senatum. Seneca autem a qua ætate non cogerentur Senatores in ſenatum venire duobus locis conſtituit: quorum vnus eſt lib. Declamat. I. Senator, inquit, poſt ſexageſimumquintum annum in curiam venire non cogitur, nec vetatur. Et in fine libri De breuitate vitæ, Lex, inquit, à quinquageſimo anno militem non cogit: à ſexageſimo ſenatorem nõ citat. Zonaras autem libro II. in hunc modum Τῶν μέντοι ἀριστίνδην γένει τε, καὶ συνέσει, καὶ βίου ἀρετῇ, ἑκατὸν ἀπέδειξε βουλευτάς, πατρικίους ὀνομάσας αὐτούς. τὸ δὲ σφῶν λοιπὸν σύστημα, σενάτον προσηγόρευσεν, ὅ ἐστι γερουσία. πατρίκιοι μέντοι οἱ βουλευταὶ ἐπεκλήθησαν ἢ ὅτι παίδων ἦσαν γνησίων πατέρες, ἢ μᾶλλον ὅτι αὐτοὶ πατέρας ἑαυτῶν ἀποδεικνύναι ἠδύναντο, ἕκαστος ἐκ γένους ὢν γνωρίμου, ἢ ἀπὸ τῆς πατρωνίας. οὕτω δ' ἐκάλουν τὴν προστασίαν. πάτρωνας γὰρ τοὺς κηδεμονικοὺς καὶ βοηθητικοὺς προσηγόρευον. μάλιστα δ' ἄν τις καταστοχάσαιτο τῆς τοῦ ῥωμύλου διανοίας, εἰ οἴοιτο διὰ τῆς κλήσεως ταύτης ἐμφαίνειν, κελεῦσαι τοὺς πρώτους καὶ δυνατωτάτους τῆς πόλεως πατρικῇ κηδεμονίᾳ κήδεσθαι τῶν ταπεινοτέρων, ἅμα δὲ καὶ τὸν δῆμον ἐνάγειν διὰ τῆς τῶν πατρικίων προσηγορίας εἰς τὸ μὴ ἄχθεσθαι ταῖς τῶν κρειττόνων τιμαῖς, ἀλλ' εὐνοϊκῶς διακεῖσθαι, νομίζοντας πατέρας αὐτοὺς καὶ προσαγορεύοντας. i. Romulus ex iis qui tũ amplitudine generis, tũ prudẽtia, tũ etiã inſtituto vitæ clariores eſſent, cẽtũ deſignauit cõſiliarios: eóſq; Patritios nominarit. Eorũ autẽ cõuentũ vniuerſũ, Senatũ appellauit: quem Græci γερουσίαν vocant. Senatoribus autem idcirco Patritiorum nomen eſt impoſitum, vel quòd ingenuorũ liberorũ patres eſſent: vel

vel potius quòd ipſi demonſtrare patres ſuos poſſent, quippe qui nobili genere orti omnes eſſent: vel etiam à patrocinio (ſic autem προστασίαν Latino verbo appellant: Patronos enim eos qui præſidium atque opem ferunt, nominabant.) Sed videamus, ne proximè ad Romuli mentem accedat is, qui per hanc appellationem exiſtimet illũ hoc ſignificare, oportere primarios viros, & ciuitatis principes, paterno ſtudio inferiorem curam ſuſcipere: ſimúlque plebem per hanc Patritiorũ appellationem perducere, vt ne potentiorum honorib. indignentur: ſed erga eos bono animo ſint, quippe quos Patres & habeant, & appellent. Idẽ de Patritiis eodem libro: τοῖς γὰρ εὐπατρίδαις τὰ ὑποδήματα ἀστυκὰ τῇ τε ἐπαλλαγῇ τῶν ἱμάντων, καὶ τῷ τύπῳ τοῦ γράμματος ἐκπεποίημένῳ, ἵν' ἐκ τούτων δοκεῖεν ἀπὸ τῶν ἑκατὸν ἀνδρῶν τῶν τὸ καθ' ἀρχὰς βουλευσάντων κατεῖναι. τὸ γράμμα δὲ ῥῶ φασιν εἶναι, ὅ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ἑκατὸν ἐκείνων ἀνδρῶν δηλωτικὸν ὄν, καὶ τοῦ τῶν ῥωμαίων κατάρχον ὀνόματος: id eſt: Patritiis enim vrbanos calceos, tum corrigiarum implicatione, tum literæ vnius forma inſignitos dederunt: vt ab illis centum viri qui à principio Senatores fuerunt, fluxiſſe viderẽtur. Literam autem Rom. fuiſſe aiunt: ſiue quòd numerum illorum centũuirorum ſignificet (nam apud Græcos ῥῶ nota eſt numeri centenarij) ſiue quod prima ſit litera, qua Romanorum nomen ſcribitur. Nunc qui ſenatores eſſent, quíque in ſenatu dicendæ ſententiæ ius haberent, breuiter ex antiquorum auctoritatibus ordine expoſitis aperiendum eſt. Salluſt. in Catilin. Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum erat, Reipublicæ conſultabant: hi vel ætate, vel curæ ſimilitudine Patres appellabãtur. Liuius lib. 1. Deinde quo plus virium in ſenatu frequentia etiam ordinis faceret, cædibus Regis diminutum, patrum numerum, primoribus equeſtris gradu lectis, ad trecentorum ſummam expleuit. traditúmque inde fertur, vt in ſenatum vocarentur, qui patres, quíque conſcripti eſſent. Conſcriptos videlicet in nouum ſenatum appellabant lectos. id mirum quantum profuit ad concordiam ciuitatis, iungendóſque patribus plebis animos. Feſtus lib. 1. Patres dicuntur, qui ſunt patritij generis: Conſcripti, qui in ſenatu ſunt ſcriptis annotati: Allecti antè dicebantur apud Romanos, qui propter inopiam ex equeſtri ordine in ſenatorum ſunt numerum aſſumpti. Idem lib. 14 Patres Senatores ideo appellati ſunt, quia agrorũ partes attribuebant tenuioribus, ac ſi liberis propriis. Idem libro 15. qui patres, quòd conſcripti vocati ſunt, in curiam, quo tempore Regibus vrbe expulſis, P. Valerius Conſul propter inopiam patriciorum ex plebe allegit, in numerum ſenatorum centum ex ſexaginta & quattuor, vt expleret numerum trecentorum. Sic duo genera appellauere. Idem lib. 17. Senatores a ſenectute dici, ſatis conſtat, quo initio Romulus elegit centum: quorum conſilio Rempub. adminiſtrabat. Itaq; etiã patres appellati ſunt, & nunc cum ſenatores adeſſe iubentur, additur, Quib. in ſenatu ſententiã dicere licet: quia ij, qui poſt luſtrum conditum ex iunioribus magiſtratum cepere, & in ſenatu ſententiam dicunt, & non vocãtur ſenatores antè, quàm in ſenatoribus ſunt cenſi. Quibus ex verbis apparet, primùm eos demum ſenatores fuiſſe, qui a cenſorib. lecti in ſenatum eſſent, vt de ſumma Reip. ſententiam rogati loco & modo dicerent. Deinde fuiſſe etiam alios qui quamuis à cenſoribus lecti non fuiſſent, tamen pro iure magiſtratus quem aut tum gerebant, aut antè geſſerant, ſententiæ in ſenatu dicendæ ius habebant. De quib. verba Agellij ex lib. 3. ca. 18. ſubſcribam. Videtúrque, inquit, eos ſignificare, qui nondum à c e n s s. in ſenatum lecti, ſenatores quidem non erant: ſed quia honoribus populi vſi quidem erant, in ſenatum veniebant, & ſententiæ ius habebant. nam & Curulibus magiſtratibus functi qui nondum à cenſorib. in ſenatum lecti erant, ſenatores non erant. Et quia in poſtremis ſcripti erant, non rogabantur ſententias: ſed quas principes dixerant, in eas deſcendebant. Hoc ſignificabat edictum, quo nunc quoque c o s s. quum ſenatores in Curiam vocant, ſeruandæ conſuetudinis cauſſa tranſlatitio vtuntur, ſenatores quibus in ſenatu ſententiã dicere licet. hæc Agellius. Huius autem edicti mentionem Liuius fecit in lib. xxiii. Conſules inquit, edixerunt quoties ſenatum vocaſſent, vti ſenatores, quibúſq; in ſenatu dicere ſententiam liceret, ad portam Capœnam conuenirẽt. Quo in libro, paulo ſuprà, ea quæ modò diceb amus planiſſimè confirmat. Dictator, inquit, recitato vetere ſenatu, inde primũ in demortuorum locum legit, qui poſt L. Æmiliũ & C. Flaminium cenſores Curulem magiſtratum cepiſſent, necdum in ſenatũ lecti eſſent, vt quiſque eorum ſenator primus creatus erat. Tũ legit, qui Ædiles, Tribuni & Prætores, Quæſtoreſve fuerant. Idem lib. xxxvi. P. Cornelius c o s s. edixit, qui ſenatores eſſent, quibúſq; in ſenatu ſententiam dicere liceret, quique minores magiſtratus eſſent, ne quis eorũ ab vrbe abiret. Iam verò ſcire illud oportet, cùm olim quidem ſenatores à Cenſoribus ex ætate & rerum vſu prudentiáque legerentur quemadmodum ſuperius dictum eſt, poſtea tamen ex cenſu legi conſueuiſſe. quam rẽ Plinius lib. 14. deplorans Poſteris, inquit, laxitas mundi, & rerum amplitudo damno fuit. Poſtquã ſenator cẽſu legi cœptus, iudex fieri cẽſu, magiſtratum ducemque nihil magis exornare quàm cenſus, preſſum iere vitæ pretia, &c. Seneca etiã lib. Declamat. 11. Senatorium ad gradum cenſus aſcẽdere facit. Cenſus Romanum equitẽ a plebe diſcernit. Cenſus in caſtris ordinem promouet. Cenſu in foro iudex legitur. Cenſus autem ſenatorius quantus fuerit, Suetonius in Auguſto his demonſtrat verbis: Senatoriũ cenſum ampliauit, ac pro octingentorum milliũ ſumma, duodecies H-S. taxauit ſuppleuítque non habentib. Deniq; hoc notandum eſt ante cenſores inſtitutos nominante conſule à populo cooptabantur. Cicer. pro Sext. ita magiſtratus, creauerunt vt conſilium ſenatus Reip. præponerent ſempiternum deligerentur autem in id conſilium ab vniuerſo populo, aditúſq; in illum ſummum ordinem omnium ciuium induſtriæ ac virtuti pateret.

QVIBVS DE REBVS SEnatus cognoſceret. CAP. II.

DIONYSIVS Halic. libro 6 ſcribit, legem ſemper ab vrbe condita Romæ fuiſſe, vt

Reſpublica omnis in poreſtare ſenatus eſſet, pręter magiſtratuum creationem legum lationem, & belli pacíſve arbitrium. Itaque Polybius lib. 6. ærarium vectigaliáque omnia in eius manu fuiſſe, impēdiá que de publico eiuſdem arbitratu facta eſſe teſtatur. Quæſtores enim ſine ſenatus auctoritate, præter ea quæ Conſules iuſſiſſent, ne minimum quidem cùm opus eſſet, in rem vllam ſumptum facere potuiſſe: grauiſſimis etiam & maximis ſumptibus, quos cenſores in luſtri quinquēnalis apparatum faciebant, præfuiſſe: ab eodémque auctoritatem & facultatem illam his conceſſam fuiſſe. Iam verò maleficia & crimina per Italiam commiſſa de quibus iudicium publicè fieri debebat, vtpura proditionis, coniurationis, veneficij, cædis atque inſidiarum, ad ſenatum referebantur, eiúſque de his cognitio erat. Quòd ſi qua in Italia controuerſia dirimenda, ſi publicè vel priuatim quiſpiam, vel ciuitas obiurganda, ſi cui auxilium, aut præſidium ferendum erat, de his omnibus curam ſenatus habebat. Eodémque modo ſi extra Italiam ad aliquos legatio mittenda erat, vel ad aliquid decidendum, vel ad fœdus faciendum, vel ad cohortandum, aut etiam imperandum, aut poſtremò ad res repetendas, aut ad bellum indicendum: hæc ſenatus ipſe curabat ac prouidebat. Præterea quid de legationibus exterarum gentium quæ in vrbem venerint, agendum, quid eis reſpondendum, in ſenatus voluntate, atque arbitrio poſitum erat. Hæc Polybius: quæ tamen vbi de iudiciis loquntur, obſcura ſunt. non enim ſenatum de rebus capitalibus iudicaſſe legimus. Nam etſi Quæſitores ex ſenatoribus crearentur data opera, qui de crimine aliquo cum conſilio, hoc eſt adhibita iudicum aliquot eodem ex ordine decuria quærerent, re verò iudicata priuati eſſent: non tamen ſenatum idcirco iudicaſſe, ſed ſenatores tantum, dicendum eſt. Itaque poſterioribus temporibus cùm etiam ſenatores ſoli lege Cornelia iodicarent, Cicero Verrina VII. ſic loquitur, Quo confugient ſocij? quem implorabunt? ad ſenatum deuenient, qui de Verre ſupplicium ſumat? non eſt vſitatum, non ſenatorium. Verumtamen vt rem illam omnem planius intelligamus, ſcire illud oportet, Primis temporibus iudicia penes ſolos Senatores fuiſſe: quemadmodum ex Polybio modò didicimus: nimirum vſque ad Annum vrbis DCXXX. quo lex Sempronia lata eſt, vt iudicia in equeſtrem ordinem transferrentur: quæ ratio durauit ad annum vſque DCXLVII. quo lege Seruilia latum eſt, vt Equeſtria iudicia cum ordine ſenatorio ita communicarentur, vt minor tamen ſenatorum numerus eſſet. qood quidem vſque ad annum DCLXII. obſeruatum eſt, quo Liuia lege ſancitum eſt, vt æqua ex parte iudicia penes ſenatum, & equeſtrem ordinem eſſent: vſquedum Plautia lex ferretur anno DCLXIIII. quæ nonnullos etiā ex plebe vnà cum ſenatorib. & equitib. admiſit. Pòſt verò iterum ad ſolum ordinem ſenatorium iudicia redierunt lata lege Corn. anno DCLXXIII. vt iudicia equeſtri ordini adempta, ad ſolos ſenatores trāſferrentur. quòd vſque ad legem Aureliam vſurpatum fuit, quæ anno DCLXXXIII. ſanxit, vti cum ſenatorib. & equites & Tribuni ærarij iudicarēt.

A Sed hos Iulius Cæſar ſubſtulit, iudiciáq; ad ſolos equites & ſenatores iterum reuocauit. Iam verò quòd ad reliqua Polybij pertinet, pręclarus exſtat & ei conſentaneus Cicer. locus in Vatiniana: his verbis: Eripueras ſenatui prouinciæ decernendæ poteſtatem, imperatoris deligendi iudiciū, ærarij diſpenſationem: quæ nunquam ſibi populus Ro. appetiuit, qui nūquam hæc à ſummi conſilij gubernatione auferre conatus eſt. Item Quis legatos vnquam audiuit ſine S. C. &c. In ea verò pro

B Domo ſua ſummam eius ordinis poteſtatem his oſtendit verbis. Summum & populi Rom. populorúmque & gentium omnium ac regum conſilium ſenatus. Porrò autem nō minimam ſenatus poteſtatis partem illam fuiſſe conſtat, quòd & in comitiis maiorib. & in legib. ferendis, neceſſaria & cognitio, & auctoritas ſenatus eſſet: Liuius libro I. Decreuerunt, inquit, vt cùm populus Regem iuſſiſſet, id ſic ratū eſſet, ſi patres auctores fierent. hodiéque in legibus magiſtratibúſq; ro-

C gandis vſurpatur idem ius vi ademptum, priuſquam populus ſuffragium ineat, in incertum comitiorum euentum patres auctores fiunt. Idem etiam lib. VIII. ſcribit, à P. Philone Dictatore legem latam, vt legum quæ Comitiis centuriatis ferrentur, ante initum ſuffragium patres auctores fierent. Et Appianos libr. De bellis ciuil. lib. I. legem à L. Sylla latam commemorat, vt nihil ad populum referretur, niſi quod antea confirmatū à Senatu fuiſſet, qoemadmodum, inquit, antiqua

D lege iubebatur. Hæc cum ita ſint, facilè intellectu eſt, quàm ridiculè Tribonianus & in l. 2. De orig. iur. & in Inſtitut. ſcribat, cùm auctus eſſet populus Rom. in eum modum, vt difficilè eſſet in vnum eum conuocari legis ſanciendæ cauſſa: ſenatū vice populi conſultum eſſe. Nō enim propter ciuiū copiam populi poteſtas ad ſenatum tranſlata eſt, ſed Cæſarum aſtutia & calliditate, qui ſenatus augenda potentia, ſuæ ſeruiebant. Tacitus libro I. Tum primum è campo Comitia ad patres tran-

E ſlata ſunt. nam ad eam diem etſi potiſſima principis arbitrio, quædam tamen ſtudiis tribuū fiebant: neque populus ademptum ius queſtus eſt, niſi inani rumore. Suetonius in Cæſare: Comitia cum populo partitus eſt: vt exceptis conſulatus competitoribus de cætero numero candidatorū pro parte dimidia quos populus vellet, pronunciaretur: pro altera parte, quos ipſe dediſſet. Idē in Tiber. Neque tam paruum quicquam, neque tam magnum publici priuatique negocij fuit, de

F quo non ad P. C. referretur. Idem in Calig. Tentauit & Comitiorum more reuocato ſuffragia populo reddere.

PER QVOS SENATVS MORE MAIOrum haberetur, & conſuleretur.

CAP. III.

PER quos autem ſenatus more maiorum haberi conſulique ſoleret, Agell. libro XIIII. ex Varrone his exponit verbis. Primum ibi ponit,

G qui fuerint, per quos more maiorum Senatus haberi ſoleret, eóſque nominat, Dictatorem, Conſules prętores, Trib. pleb. Interregem, Præfect. vrbis: neque alij præter hos, ius fuiſſe dixit facere Senatuſconſultum. Quotiéſque vſu veniſſet, vt omnes iſti magiſtratus eodem tempore

Romæ

Romæ eſſent, tum quo ſuprà ordine ſcripti eſſent, qui eorum prior aliis eſſet, ei potiſſimum Senatus conſulendi fuiſſe. Addit deinde, extraordinario iure Tribunos quoque militares, qui pro conſulibus fuiſſent: item Decemuiros, quibus imperium conſulare tum eſſet: item Triumuiros rei publ. conſtituendæ cauſſa creatos, ius conſulēdi ius Senatum habuiſſe. Vtrum autem Præfectus vrbi Latinarum cauſſa relictus ſenatum habere poſſet, dubitatum, idem capite inſequenti tradit. quoniam ne ſenator quidem ſit, neque dicendæ ſententiæ ius habeat: cū ex ea ætate Præfectus fiat, quæ non ſit ſenatoria. Sed & Capitonem, & Tuberonem contra Mutium ſenſiſſe, Ius eſſe Præfecto ſenatus habendi. Namque & Tribun. pl. ſenatus habendi ius fuiſſe: quanquam ſenatores ante Atinium plebiſcitum non eſſent.

QVO LOCO SENATVS HABERETUR.
CAP. IIII.

SENATVM alibi quàm in locis per augures cōſecratis, quæ templa vocabantur, haberi non licuiſſe, Agell. lib. XVIII. memoriæ prodidit: Senatuſconſultúmque alioqui iuſtum non fuiſſe. Propterea & in curia Hoſtilia, & in Pompeia, & pòſt in Iulia, cùm profana illa loca fuiſſent, templa eſſe per Augures conſtituta. vt in iis Senatuſconſulta more maiorum iuſta fieri poſſent. Seruius in illud Æneidos lib. XI.

Alta intra limina cogit:

Quæritur, inquit, cur ad priuatam domum conuocetur Senatus, qui non niſi ad publica & auguratò condita loca conuenire conſueuit. Sed ſcimus domum Latini auguratò conditam, & eandem tam templum fuiſſe, quàm curiam. námque in ſuperioribus legimus tectum auguſtum, id eſt augurio conditum. Item paullo pòſt.

Hinc ſceptra accipere & primos attollere faſces,
Regibus omen erat: hoc illis curia templum.

Meritò ergo ad domum Regis quaſi ad locum publicum conuocatur ſenatus nam vt ait in ſeptimo.

Tali intus templo diuûm patriáque Latinus
Sede ſedens.

Idcirco etiam in Palatij atrio, quod auguratò cōditum eſt, apud maiores conſulebatur Senatus: vbi etiam arietes immolabantur, quòd (vt in ſeptimo diximus) Virgilius ad Latioi tranſtulit domum. Multi dicunt peritè Virgilium nec templi nec curiæ hoc loco feciſſe commemorationem: ſed tantum dixiſſe, intra tecta regia: vt oſtenderet conſilium quod initur, non eſſe complendum: quia nec ritè & inchoatum. Ea enim quæ dicet Latinus, effectu carebunt. Hæc Seruius. Loca autem ea in quibus Senatus cogebatur, ſenacula vocabantur. Senaculum, inquit Varro, ſupra Græcoſtaſin, vbi ædes Concordiæ & baſilica Opimia, ſenaculum vocatum, vbi Senatu aut ſeniores conſiſterent: dictum γερουσία apud Græcos. Feſtus lib. XVII. Senacula tria fuiſſe Romæ in quib. ſenatus haberi ſolitus ſit, memoriæ prodidit Nicoſtratus in libro, qui inſcribitur de Senatu habendo, vnum vbi nunc eſt ædes Concordiæ, inter Capitolium, & forum: in quo ſolebant magiſtratus, vt dicit Titinnius, cum ſenioribus deliberare.

A alterum ad portam Capenam. tertium intra ædē Bellonæ, in quo exterarum nationum legatis, quos in vrbem admittere nolebant, Senatus dabatur. Hæc ille. Animaduerti etiam magiſtratibus qui ad vrbem dicebātur, datum in eo templo Senatū fuiſſe. Liuius li. 38. de P. Scipione loquēs: Ipſe, inquit, decem nauibus Romā rediit: & Senatu extra vrbem dato in æde Bellonæ, quas res in Hiſpania geſſiſſet, diſſeruit. Et lib. XLIX. Lucius, inquit, Manlius pro conſul ex Hiſpania redierat: B cui poſtulanti ab ſenatu in æde Bellonæ triumphum, rerum geſtarum magnitudo impetrabilem faciebat. Memorabile eſt etiam quod Plinius lib. 8. cap. 45. ſcribit, cùm eſſet nunciatum bouem locutum (quod frequens in priſcorum prodigiis fuiſſe ait) Senatum ſub dio haberi ſolitum fuiſſe.

QVO TEMPORE SENATVS HABERETUR.
C CAP. V.

PORRO autem Senatus alius fuit legitimus, alius indictus. Legitimus dicebatur, qui vel lege vel more certis ſemper diebus habebatur: Calendis, Nonis, Idibus. Sueton. in Auguſto, Sanxit ne plus quàm bis in menſe legitimus Senatus haberetur, ſcilicet Calendis, & Idibus: néve Septemb. Octobríve mēſe vllos adeſſe alios neceſſe eſſet, quàm ſorte ductos. Indictus autem di- D cebatur, qui reliquis diebus menſis, qui modò comitiales non erant, Magiſtratuum vocatu cogebatur. Capitolinus in Gordiano: Nō legitimo, ſed indicto Senatus die cōſul iam domi conuentus, cum Prætoribus Ædilibus, & Tribunis in curiam venit. Comitialibus autem diebus idcirco Senatus non indicebatur, ne ſenatores à ſuffragio ferendo auocarentur. Præterea Agellius lib. 14. docet, Senatuſconſultum nec ante exortum, nec poſt occaſum ſolem factū, ratum fuiſſe: opus E etiam cenſorium feciſſe exiſtimatos per quos eo tempore S. C. factum eſſet. Seneca verò lib. De tranquill. vitæ I. Maiores noſtri, inquit, nouam relationem poſt horam decimam, in ſenatu fieri vetabant. Quin & menſem totum Februarium legationibus exterarum gentium audiendis attributum fuiſſe, multis ex locis conſtat. Cic. ad Lentulum, Senatus haberi Februario toto non poteſt: niſi perfectis, aut reiectis legationibus. Idem ad Q. fratrem lib. 2. Epiſt. II. Et quod Gabinia le- F ge ſanctum ſit ex Calend. Febr. vſque ad Cal. Martias, Legatis Senatum quotidie dari.

QVOMODO SENTENTIÆ IN SENATU & ROGARENTUR & DICERENTUR.
CAP. VI.

SENATVSCONSVLTA duobus modis fieri ſolita, Agell. lib. XIIII. ex Varrone docet: aut per diſceſſionem, ſi conſentiretur: aut ſi res dubia eſſet, per ſingulorum ſententias exquiſitas: ſingulos G autē debere conſuli gradatim, incipique à conſulari gradu: ex quo gradu ſemper quidē antea primum rogari ſolitum qui princeps in ſenatum lectus eſſet. In S. Conſulto per diſceſſionem faciendo, moris erat (quemadmodum Feſtus lib. XV. ſcribit) vt præco diceret, Qui hoc cenſetis,

illuc tranſite:qui alia omnia,in hanc partẽ. Omi-
nis autem cauſſa ſic præibat,ne diceret, Qui non
cenſetis.Hinc illud Hircij lib. VIII. de bello Gall.
Diſceſſionem faciente Marcello,Senatus frequẽs
in alia omnia trãſiit. Sueton.in Tiberio:Cum s.c.
per diſceſſionem fieret,tranſeuntem eum in alte-
ram partem in qua pauciores erant, ſecutus eſt
nemo. Plinius autem in Epiſtolarum libr. VIII.
conſuetudinem illam ſic explicat : Quid? lex non
apertè docet dirimi debere ſententias occiden-
tis & relegantis, cùm ita diſceſſionem fieri iu-
bet? Qui hæc ſentitis, in hanc partem : qui alia
omnia,in illam partem ite quam ſentitis. Exami-
na ſingula verba,& expende. Qui hæc cenſetis:
hoc eſt,qui relegandos putatis : in hanc partem.
id eſt,in eam in qua ſedet qui cenſuit relegãdos.
Ex quo manifeſtum eſt,non poſſe in eadem parte
remanere eos qui interficiẽdos arbitrantur. Qui
alia omnia : animaduertis, vt non contenta lex
dicere Alia, addiderit, Omnia.num ergo dubiũ,
Alia omnia ſentire eos qui occidunt, quàm qui
relegant? In illam partem ire,quà ſentitis.Nónne
videtur ipſa lex eos qui diſſentiunt, in contra-
riam partem vocare cogere,impellere?num con-
ſulere etiam, vbi quiſque remanere, quò tranſ-
gredi debeat, non tantum ſollemnibus verbis,
ſed manu, geſtúque demonſtrat? Hæc Pli-
nius. Eodem autem illa quoque pertinent, quæ
ex Agellij lib. 3. cap. 18. ſcribemus. Non pauci
ſunt qui opinantur Pedarios Senatores appella-
tos qui ſententiam in Senatu non verbis dice-
rent, ſed in alienam ſententiam pedibus irent.
Quid igitur, cum s. c. per diſceſſionem fiebat:
nónne vniuerſi ſenatores ſententiam pedibus
ferebant? Feſtus libr. 1. Pedarium ſenatorem
ſignificat Lucilius cùm ait, Agipes vocem mit-
tere cœpit:quia ita appellatur quòd tacitus trãſ-
eundo ad eum, cuius ſententiam probat, quid
ſentiat indicat. Cicer. libro ad Attic. 1.Epiſt.18.
Cùm eſt actum, neque animaduerſum eſt ad
quos pertineret, & raptim in eam ſeniẽtiam
Pedarij concurrerunt. Plinius libro Epiſt. 11.
Sed cùm fieret diſceſſio,qui ſellis curulibus aſti-
terant,in Cornuti ſententiam ire cœperunt.tum
illi qui ſe collegæ annumerari patiebantur, in
diuerſum tranſierunt.Seneca lib.De vita beata 1.
cap.2. Cùm de beata vita agitur, non eſt quòd
mihi illud diſceſſionum more reſpondeas, Hæc
pars maior eſſe videtur.& cap.3. Eſt & mihi cen-
ſendi ius.itaque aliquem ſequar:aliquem iubebo
ſententiã diuidere.Fortaſſe & poſt omnes,citatus,
nihil improbabo ex iis quæ priores deuenerint,
& ducã,Hoc amplius cẽſeo Hactenus de s.c.quod
per diſceſſionẽ fieri dicebatur.Nunc de eo quod
exquirandis ſingulorum ſententiis fiebat, breui-
ter explicandum eſt. Moris erat vt poſt Comitia
conſularia,Conſules deſignati, primi ſententias
rogarentur,& eorum is prior,qui priore loco de-
claratus eſſet.ante comitia verò is qui è cenſori-
bus princeps Senatus lectus erat. ij deinde quos
conſulibus videbantur:ita tamen vt ne Prætorium
Conſulari, Ædilitium Prætorio, Tribunitium
Ædilitio anteferrent:quemadmodum ex Saluſtio
& Agellio intelligimus.Cicer.Philip.5.Sed qui or
do in ſententiis rogandis ſeruari ſolet, eundem
tenebo in viris fortibus honorandis. à Bruto

A igitur conſule deſignato more. maiorum capia-
mus exordium.Memorabile autem eſt,quod Sue-
tonius ſcribit in Iulio Cæſare, moris fuiſſe, vt
quem ordinem rogandarum ſententiarum Con-
ſul Calen.Ianuarijs tenuiſſet eundem toto anno
vſurparet.Poſt nouam affinitatem, inquit Pom-
peium primum rogare ſententiam cœpiſſe : cùm
Craſſum ſoleret, eſſetque conſuetudo vt quem
ordinem interrogandi ſententias Conſul Calen-
dis Ianuariis inſtituiſſet, eum toto anno conſer-
B uaret.Cùm autem rogatus ſenator dicere ſentẽ-
tiam vellet,aſſurgebat,ſtánſq; dicebat.Cicer. Ad
Att.1. Locutus ita eſt in ſenatu, vt omnia illius
ordinis conſulta γενικῶς laudaret: mihíque vt aſ-
ſedit,dixit ſe putare, ſatis ab ſe etiam de iſtis re-
bus reſponſum. Stans autem non modò de ea re,
de qua relatum fuiſſet, verumetiam quacunque
de re volebat. & quamdiu volebat, dicendi po-
teſtatem habebat : quemadmodum Agellius te-
ſtatur. Tacitus libro III. Decretum ne vaſa auro
C ſolida miniſtrandis cibis fierent, ne veſtis ſerica
viros fœdaret:exceſſit Fronto, ac poſtulauit mo-
dum argento,ſuppellectili, familiæ. Erat quippe
adhuc frequens ſenatoribus,ſi quid è Repu. cre-
derent,ſententiæ loco dicere.Idem li.13. De bel-
lo & pace,inquit,de vectigalib. & legib. quibúſ-
que aliis Romana continentur, ſuadere diſſuade-
réve licebat patribus, quoties ius dicendæ ſen-
tentiæ accepiſſent,& quæ vellent expromere,re-
lationémque in eo poſtulare. Agellius lib.4.cap.
D 10.C. Cæſar Conſul M.Catonem ſententiam ro-
gauit: Cato quæ conſulebatur, quoniam non è
Republ.videbatur, perfici nolebat. Eius rei gra-
tia ducendæ, longa oratione vtebatur, exime-
bátque dicendo diem. Erat enim ius Senatori,
vt ſententiam rogatus, diceret antè quicquid
vellet alius rei,& quod vellet.Cæſar Conſul via-
torem vocauit : eúmque cùm finem non faceret,
prehendi loquentem, & in carcerem duci iuſſit.
Senatus conſurrexit,& proſequebatur Catonem
E in carcerem.Hac,inquit,Inuidia facta.Cæſar de-
ſtitit, & mitti Catonem iuſſit. Hanc autem hi-
ſtoriam etiam Plutarchus in Catone commemo-
rat.Forma autem ſententię dicendę quemadmo-
dum ex Philippicis orationibus apparet,ferè hęc
erat. Quòd verba facta ſunt de literis, &c. de ea
re ita cenſeo.Neque verò prætereũdum illud eſt,
quod Pedianus docet in Milonianę cõmentarijs,
cùm aliquis in dicenda ſententia duas pluréſve
res cõplexus eſſet,ex ſi non omnes probarentur,
F poſtulari ſolitũ à quouis ſedẽre, vt diuidat:id eſt,
vt de rebus ſingulis referatur. De quo more mul-
ta Plinius in epiſtola ad Ariſtonem lib. Epiſto.
VIII.Vbi ſcribit cùm in Senatu relatum eſſet de
libertis Conſulis interfecti, & pars abſoluendos,
pars relegãdos,pars morte multandos cenſuiſſet,
eũ qui libertos relegandos, ſeruos ſupplicio affi-
ciendos dixiſſet,coactũ eſſe diuidere ſententiam:
quoniã,inquit, duas res cõprehendebat. Eius rei
etiã exẽplũ exſtat in epi.Cic.ad Lentul.Itaq;, in-
G quit,cùm ſententia 1.Bibuli pronunciata eſſet, vt
tres legati regẽ reducerent:ſecunda Hortenſij,vt
tu ſine exercitu reduceres:tertia Volcatij, vt Põ-
peius reduceret:poſtulatũ eſt,vt Bibuli ſententia
diuideretur,quatenus de religione dicebat:& rei
quia iam obſiſti non poterat, Bibulo aſſenſum eſt.

De numero Senatorvm ad s.c. faciendum neceſſario.

CAP. VII.

SENATORES primum à Romulo centũ, deinde à Bruto conſule ducentos creatos fuiſſe, ſuperius ex Liuio docuimus. eúmque trecentorum numerum ad vſque Gracchi Tribunatum duraſſe, patet ex Dione lib. LIIII. & Epitome Liuij LX. Vbi tamẽ quæ de aucto Senatorũ numero leguntur, mihi planè obſcura ſunt: quemadmodum in lege Seruilia ſignificauimus. Ciceronis quidem tempore CDXV. reperio numerari, in eius primo ad Att. Epiſtolarum lib. Dio verò lib. XLIII. Cæſaris ætate ſcribit non gẽtos fuiſſe. & Sueto. in Auguſto, poſt cædem Cæſaris amplius mille fuiſſe teſtatur. ſed Auguſtum ad modum priſtinum redegiſſe: qui modus quemadmodum intelligi debeat, mihi non ſatis conſtat. Dio namque li. LIIII. ea de re ſcribens, ait eum in animo quidem habuiſſe, trecentos dumtaxat ex antiquo more conſtituere: ſed offenſionis vitandæ cauſſa, numerum ſexcentorum expleuiſſe: vt veriſimilius ſit, modum illum priſtinum à Suetonio, non antiquiſſimum, ſed qui ante corruptiſſima tempora fuerat. intellectum eſſe. Vtcunque ſit, illud conſtat, ſenatori qui nec aderat, aut cauſſam, aut culpam fuiſſe: quemadmodum in Legibus Cicero loquitur: id eſt, aut legitimæ excuſationis eguiſſe, aut in culpa fuiſſe. nam vt idẽ grauitatem res habet, cùm frequens ordo eſt. Culpa autem pignoribus capiendis coërcebatur. Itaque cùm Antonius interminatus eſſet, ſe Ciceronis domum, qui in Senatum non venerat, publicis operis diſturbaturum: Quis vnquam, inquit, tanto damno Senatorẽ coegit? aut quid eſt vltra pignus & multam? hoc eſt, extrà multam: l. conſtitutã quę dum ſoluatur, pignora capiuntur: quemadmodum in §. penult. Inſt. Qui ſatiſd. cog. legimus pignoribus captis coërceri tutores, qui non ſatiſdant. multam enim, redacta ex pignorum venditione pecunia, Quæſtores ærarij capiebant. Cicero lib. de Orat. III. An tu, cùm omnem auctoritatem vniuerſi ordinis pro pignore putares, eámque in conſpectu populi Romani conſideres, me bis pignoribus exiſtimas poſſe terreri? non tibi illa ſunt cædenda, ſi Craſſum vis coërcere: hæc tibi eſt excindenda lingua, qua vel euulſa ſpiritu ipſo libidinẽ tuam libertas mea refutabit. Quo ex loco exiſtimare concidi, frangíque pignora ſolita fuiſſe, ridiculum eſt. Cædere namque veteres pro conſumere dicebant: vt Nonius demõſtrat ex illo Lucilij,

Lana, opus omne perit: ſqualor, tineæ omnia cædũt.

Quare cùm cædi pignora lex vetus dixiſſet, pro, ita capi vt auctione diſtraherentur, & conſumerentur. ludens Craſſus ancipiti ſignificatione vocabuli, ſic locutus eſt: ſimiliter vt Cicero in ea pro Sex. Roſcio, Neſcimus, per iſta tempora eoſdem ferè ſectores fuiſſe collorum, & bonorum? non enim ſectores bonorum ab eodem verbo, quo ſectores collorum appellatos eſſe, cuiuis perſpicuum eſt. Itaque idem in eodẽ libri tertij proœmio, paullo ſuperius ſic ſcripſit: Non tulit ille, & grauiter exarſit, pignoribúſque ablatis Craſſum inſtituit coërcere. Et Agellius libro 14. capite I. Prætor hæc de pignore quoque capiendo diſſerit, déque multa dicenda Senatori, qui cùm in Senatum venire deberet, non adeſſet. Atque hæc quidem hactenus. Certum autem Senatorum numerum s.c. faciendum neceſſarium fuiſſe, multis ex locis conſtat. Itaque NVMERA SENATVM, dicere ſolebat quiuis Senator Conſuli, cùm impedimento volebat eſſe, quominus fieret s.c. ſi tot non eſſent Senatores, quo numero liceret s.c. ſcribĩ vt exſpectaretur: quod ex lib. XII. Sext. Põpeij didicimus. Verũ qui numerus in omnibus s.c. legitimus fuerit, conſiderãdum eſt. Dio ſanè in fine libri LIIII. quadringentorum numerum prodidit. Nam de Auguſto loquens, ὁρῶν δὲ ὅτι οὐκ ἀεὶ συχνοὶ συνελέγοντο, ἐπέλυσε τὰ δόγματα αὐτῶν, ἐν ἐλάττοσιν ἢ τετρακοσίοις γίγνεσθαι. οὐ γὰρ ἐξῆν τινα ἐκ τοῦ πρὶν ἄλλως κυροῦσθαι. Cùm videret Senatum non ſemper frequentem conuenire, decreuit vt eius conſulta etiam à paucioribus quàm quadringentis fierent. Prius enim non aliter, quàm eo numero conſtante rata eſſe poterant. Quod quidem tum de poſtremis temporibus, quibus vſqueadeò Senatus creuerat, intelligendum eſt: tum de maioribus rebus, de quibus Senatus conſuleretur. Nam ſi ſuperiora ſpectemus, Liuius li. XXXIX. vbi de Bacchanalibus loquitur, ſcribit s.c. tantum fuiſſe, vt ſi quis tale ſacrum neceſſarium eſſe duceret, apud Prætorem vrbanum profiteretur: Prætor Senatum conſuleret. ſi ei permiſſum eſſet, cùm in Senatu centum non minus eſſent, ita id ſacrum faceret, cùm ne plus quinque ſacrificio intereſſent. Pedianus autem de re non ita magni momenti loquens, in Corneliana ſcribit, lege Cornelia cautũ fuiſſe ne quis in Senatu ſolueretur legibus, niſi ducenti adfuiſſent. Obſeruatum eſt etiam Prudentium trecentos tantùm prodere. Sic enim ſcribit:

Hic conſulta patrum ſubſiſtere conſcriptorum,
Non aliter licitum priſco ſub tempore, quàm ſi
Ter centum ſenſiſſe ſenes legerentur in vnum.

Qvæ forma scribendi s.c. fuerit.

CAP. VIII.

IN Senatuſconſ. ſcribendis primum moris erat, vt ea res de qua rogatæ ſententiæ fuerant, ſummatim exponeretur. Quòd M. Marcellus Cõſul verba fecit de prouinciis D.E.R.I.C. vel, M. Pomponius Senatum conſuluit. Quòd verba facta ſunt de Philoſophis, & Rhetoribus. D.E.R.I.C. Quòd ſi quid Senatusconſultibus mandaret, Donatus in Adelph. Terentij ſcribit, addi ſolitum, Si eis videatur. Cuius rei exemplum video in Philip. Ciceronis IX. vtique C. Panſa, A. Hirtius COSS. alter, ambóve, ſi eis videatur. Quæſtoribus vrbanis imperent, tametſi apud eundem eam interdum formulam prætermiſſam animaduerti. Quoniam autem s.c. intercedere Tribuni poterant, propterea moris erat, vt illa clauſula adderetur, Si quis huic s.c. interceſſerit, Senatui placere, auctoritatem perſcribi, & de ea re ad Senatũ, populumq; referri. Deinde ſi quis interceſſiſſet, addebatur, Huic s.c. interceſſit C. Cælius, C. Panſa Tribunus pleb. Ac tum quidẽ non s.c. ſed auctoritas perſcripta dicebatur. quemadmodum Dio libro LV. his docet verbis: εἰ δ᾽ οὖν ποτὲ ἐκ συντυχίας τινὸς μὴ συλλεχθεῖεν, ὅσοις

ἡ χρεία ἑκάστοτε ἐκάλει, ἐβουλεύοντο μὲν, καὶ ἡ γνώμη συνεγράφετο, οὐ μέντοι καὶ τέλος τι ὡς κεκυρωμένη ἐλάμβανεν, ἀλλ᾽ αὐκτώριτας ἐγίγνετο, ὅπως φανερὸν τὸ βούλημα ᾖ. τοιοῦτον γὰρ τι ἡ δύναμις τοῦ ὀνόματος δηλοῖ. ἑλληνίσαι γὰρ αὐτὸ καθάπαξ ἀδύνατόν ἐστι. τὸ δ᾽ αὐτὸ τοῦτο καὶ εἴποτε ἐν τόπῳ τινὶ μὴ νενομισμένῳ, ἢ ἡμέρᾳ μὴ καθηκούσῃ, ἢ καὶ ἐξωνομίμου παραγγέλματος ὑπὸ σπουδῆς ἠθροίσθησαν, ἢ καὶ ἐναντιωθέντων τινῶν δημάρχων. τὸ μὲν δόγμα οὐκ ἐδυνήθη γενέσθαι, τὴν γνώμην σφῶν οὐχ ὑπέμενον ἀποκρυφθῆναι. Quòd ſi forte vſuuenerit, vt non tã multi quam opus erat, conueniſſẽt, ſenatus quidẽ habebatur, decretúmq; perſcribebatur. non tamẽ quaſi ra um, effectũ habebat: ſed erat auctoritas, vti Senatus ſententia nota ac teſtata eſſet. Tale enim quiddam vis huius verbi declarat, quod vno verbo Græcè exprimi non poteſt. Quod idem etiam obſeruatum eſt, ſi quando in loco aliquo non legitimo, aut die non idoneo, aut non legitimo edicto, ſed ambitioſè Senatus coactus eſſet, aut nonnulli Tribuni plebis interceſſiſſent. Tum enim S.C. fieri non poterat. quid tamen placuiſſet, extari reliqui volebant. Quibus verbis illa ſunt apud Ciceronem conſentanea: vt lib. 1. ad Lentulum, De his rebus Senatus auctoritas grauiſſima interceſſerat: cùm Cato & Caninius interceſſiſſent, tamen eſt perſcripta. Præterea illud animaduertimus, notari nominatim illum oportuiſſe, cuius in ſententiam s.c. eſſet factum. Cicer. lib. ad Att. 4. Epiſt. 1. Factum eſt decretum in meam ſententiam, vt cum Pompeio ageretur. vt eam rem ſuſciperet, léxque ferretur. quo s.c. recitato, cùm concio more hoc inſulſo & nouo plauſum, meo nomine recitando dediſſet, habui concionem. Huc etiam illud pertinet, quod Feſtus ſcribit, Ælium Gallum Iuriſc. Senatus decretum à Conſulto ſic diſtinguere, vt id dicat particulam quandam eſſe Senatuſconſulti: vt cùm prouincia alicui decernitur. quod tamen ipſum Senatuſconſulti eſt. Scripto Senatuſconſulto, primum eorum omnium nomina qui ium affuiſſent, adſcribi ſolebant. Cælius ad Ciceronem Senatuſconſultum factum auctoritatesque præſcriptæ, pridie id. Octob. in æde Apollinis. Scribendo affuerunt L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus, Q. Cæcilius Q. F. &c. Cice. in proœm. libri de Orat. III. Et eundem, id quod in auctoritatibus perſcriptis exſtat, s.c. ſcribendo affuiſſe. Moris autem fuiſſe videtur, vt ad Conſulis pedes id fieret. Lampridius enim in Heliogabalo ſic ſcribit: Deinde vbi primum diem Senatus habuit, matrem ſuam in ſenatum vocari iuſſit: quæ cùm veniſſet, vocata ad Conſulum ſubſellia, ſcribendo affuit, id eſt Senatuſconſulti conficiendi teſtis.

QVÆ FACIENDIS S.C. IMPEDIMENTA eſſent: & ſi fierent, vbi aſſeruarentur.

CAP. IX.

SVMMA Senatus volũtas certis de cauſſis interdum ſic impediebatur, vt fieri s.c. non poſſet. Primum impedimentum reperio, ſi legitimus Senatorum numerus non adeſſet: quo tempore cuiuis ſenatori dicere Conſuli licebat, NVMERA SENATVM: vt ſuperius docuimus. Alterum, cùm dies tolleretur: hoc eſt, cùm quis adusque ſolis occaſum orationem producebat: quo tempore s.c. fieri non poterat: vti ſuperius quoque demonſtrauimus, vbi de Catone diem eximente commemorauimus. eóque ille quartæ Verrinæ locus pertinet: Eo die tranſigi nihil potuit, quòd & id temporis erat, & ille pater iſtius inuenerat homines, qui dicendo tempus conſumerent. Tertium, cùm quis Tribunus plebis moram interponebat: veluti, cùm Attilius noctem ſibi ad deliberandum poſtulauit, quo tempore de Cicerone reuocãdo in Senatu agebatur: vt eſt in oratione pro Sextio. Quartum, cùm quis intercederet. nam (vt ſcribit Agellius libro XIIII.) intercedendi ne s.c. fieret, vt fuit iis qui eadem poteſtate, qua ij qui s.c. facere vellent, maioréve eſſent. Memorabile autem eſt quod Valerius lib. II. ſcribit, vetuſtis temporibus ius non fuiſſe Tribunis pleb. curiam intrare: ante valuas autem poſitis ſubſellis decreta patrum examinaſſe: vt ſi quæ ex eis improbaſſent, rata eſſe non ſinerent. Itaque veteribus Senatuſconſultis T. literã ſubſcribi ſolitam: qua nota ſignificabatur, illa Tribunos quoque cenſuiſſe. Iam verò Liuius lib. III. auctor eſt, anno ab V.C. CCCIII. inſtitutum à Valerio & Horatio coss. fuiſſe, vt Senatuſconſulta in æde Cereris ad Ædiles pleb. deferrentur quæ ante arbitrio Conſulum ſupprimebantur, vitiabantúrque. Poſtea tamen ad ærarium ea delata fuiſſe, & Cicero Philippica V. & Suetonius in Auguſto, & Tacitus lib. 3 teſtantur. Hactenus de Senatu. nunc ea s.c. quæ tum in Iuriſconſultorum libris, tum apud antiquos ſcriptores maximè memorabilia exiſtimantur, literarum ordine breuiter ſtrictímque perſcribemus.

S.C. Æmilianum, de fideicommiſſarijs libertatibus, factum eſt Æmilio Iunio, & Iulio Seuero coss. Vt ſi quis ex his qui fideicommiſſam libertatem ex quacunque cauſſa deberent ſeruo, qui mortis tempore eius qui rogauit non fuerit, iſque adeſſe negabitur: Prætor cognoſcat. Et, ſi in ea cauſſa eſſe videbitur, vt ſi præſens eſſet, manumittere cogi deberet, id ita eſſe pronunciet. Cumq; ita eſſe pronũciaſſet, idem iuris ſit, quod eſſet ſi ita vt ex fideicommiſſo manu mitti debuiſſet, manumiſſus eſſet. l. ſi enim ſeruum, 28. §. ſi quis, D. de fideicom. libert.

S.C. Apronianum de fideicommmiſſariis hereditatibus, factũ eſt M. & L. Antoninis Imperatoribus, Aproniano, Paullo coss. ann. DCCCCXXIII. Vt omnibus ciuitatibus quę ſub imperio populi Romani ſunt, reſtitui deberet & poſſet fideicommiſſa hereditas. Sed & actiones in eas ex Trebelliano transferrentur: quin & municipes ad eas admitterentur. ita tamen, vt his quibus reſtitueretur hereditas, auctorem eligerent, & ad agendum & ad excipiendas actiones. l. omnibus, 26. & l. ſeq. D ad Trebellia.

S.C. Articuleianum de libertatibus ſeruorum. factum eſt imperante Traiano, ipſo & Articuleio Pœto coss. Anno DCCCLIX. Vt quacunque in prouincia libertas ſeruo relicta teſtamento fuerit, Præſes eius prouinciæ de ea cognuſcat, quãuis heres non ſit eius prouinciæ. l. non tantum, 51. §. 5. De fideicom. libert.

S.C. Antonianum de haſtis Martiis in regia motis. Factum M. Antonio, A Poſthumio coss. anno DCLIII. Quod C. Iulius L. F. Pontifex nunciauit, in ſacrario in regia haſtas Martias mo-

[illegible] runt: Vt M. Antonius Consul, hostiis maioribus Iovi & Marti procuraret: quod & ceteris diis quibus videbatur [illegible] procurasset, satis habendum censuerunt. Si quid succidaneis opus esset, Robigus succideret. A. Gell. lib. IIII. cap. VI.

S.C. Carbonianum, de statu liberorum. Vt si in controversiam venisset, an inter liberos esset, & impubes sit, causa cognita in bonorum possessionem mitteretur, ac si nulla de ea controversia esset, & causam in tempus pubertatis differret. l. 1. & passim D. de Carbon. edic.

S.C. Claudianum, de nuptiis sexagenarij. Vt quamvis sexagenario minorem quinquagenaria uxorem duceret, perinde haberetur, ac si minor sexagenario eam duxisset. Vlpia. cap. Insti. XVI.

S.C. Calvisianum de nuptiis quinquagenariorum: ut si maior quinquagenaria minori sexagenario nupsisset, nihil [illegible] lucris & legatis dotes perirent. Itaque mortua muliere dos caduca erat. Vlpian. cap. Insti. XVI.

S.C. Claudianum de provinciis consularibus. Factum est L. Paulo, C. Marcello coss. anno DCCIII. Quod M. Marcellus Consul verba fecit de provinciis consularibus, de ea re ita censuerunt: Vt L. Paullus, C. Marcellus coss. cum magistratum inissent ex a. d. ex Cal. Mart. quae in suo magistratu futurae essent, de consularibus provinciis ad senatum referrent, ne quid prius ex Calend. Martijs, neve quid coniunctim de ea re referretur à consulibus, utique eius rei causa per dies comitiales senatum haberent, S.Q.C. facerent. Et cum de ea re ad senatum referrent, à consiliis, eorum qui in CCC iudicibus essent, sine fraude adducere liceret, si quid de ea re ad populum plebemve lato opus esset, ut Ser. Sulpitius, M. Marcellus coss. Praet. Tribuni pl. quibus eorum videretur, ad populum plebemve ferrent. quod ij non tulissent, uti quicunque deinceps essent, ad populum plebemve ferrent. Caelius ad Cicero. Epist. lib. VIII.

S.C. Claudianum de muliere servo alieno coniuncta. Vt ea mulier quae se alieno servo iunxerat, domino servi cum bonis suis omnibus addiceretur. L. I. C. de sen. Claud. toll. Vbi Iustin. ait, denunciationibus sententia iudicum opus fuisse. Vlpi. autem ca. Instit. XI. Maxima capitis diminutio, inquit, dicitur, per quam civitas & libertas admittitur, veluti cum mulier alterius servo se iunxerit denunciante domino, & ancilla facta fuerit ex S.C. Claudiano. Quare autem hoc Claudianum S. C. vocetur, satis constituere non possum. nam Claudij Imp. nomine sic appellatum dicere nulla ratio est: cum satis constet Senatusconsulta non ex Imperatorum, sed ex Consulum referentium nomine appellata fuisse. Locum igitur Cornelij Taciti considerans, in quo post expositam Senatusconsulti sententiam, scribit Palentem, quem Claudij libertum, & apud illum gratia & auctoritate mirabili praeditum fuisse constat, editum ac nominatum à Claudio repertore huius relationis, ac propterea Praetoria insignia, & centies quinquagies H-S. ei decreta fuisse: venio in opinionem, Claudianū ex illius liberti nomine appellatum esse. Verba Cornelij. Inter quae, inquit, refertur ad partes de poenis feminarum, quae servis coniungerentur, statuiturque ut ignaro domino ad id prolapsae in servitutem sin consensisset: & qui manumissus, pro libertis haberentur. Pallanti quem repertorem relationis ediderat Caesar, praetoria insignia & centies quinquagies sestertium censuit Consul designatus. [illegible] cum Vlpianus & Iustinianus non [illegible] servitutem [illegible] quam si denunciante domino [illegible]. Video autem Tranquillum Vespasiano tribuere, auctorem illum fuisse decernendi, ut quae se alieno servo iunxissent, ancillae haberentur. Vt suspicer [illegible] quod Claudij temporibus [illegible] Vespasianum auctoritate [illegible] fuisse: & [illegible] Senatusconsulto [illegible] & Claudij autoritate inceptum, Claudianum nominatum.

S.C. Claudianum de quaestione familiae cum S.C. Silaniano coniungitur. Vide D. S.C. Silan. & Claud. Vide S.C. Silanianum.

S.C. Dasumianum de libertatibus fideicommissariis. Vt si ex iusta causa absit, qui fideicommissam libertatem debet, & hoc pronunciatum fuerit, perinde libertas competat, atque si, ut oportet ex causa fideicommissi manumissus esset. Item, ut quicunque fideicommissam libertatem ex quacunque causa debere pronunciatus fuerit, & cum eo abesse contigerit, perinde habeatur, atque si, ut oportet, ex causa fideicommissi manumissus esset. l. itaque, 36. & l. non tantum, in § Senatus. D. de fideicom. libert.

S. C. Fannianum de Philosophis & Rhetoribus. Factum C. Fannio Strabone, M. Valerio Messala Coss. Anno DXCII. Quod M. Pomponius Praetor senatum consuluit de Philosophis & Rhetoribus. De ea re ita censuerunt, ut M. Pomponius Praetor animadverteret curaretque ut ei è Repub. fideque sua videretur, uti Romae ne essent. A. Gellius lib. XV. cap. XI.

S.C. Iunianum de libertatibus fideicommissariis: ut si heres rogatus sit non hereditarium, sed proprium servum manumittere, is servus post pronunciationem, ad libertatem perveniat, sive ex iusta caussa dominus absit, sive latitet, sive praesens non vult manumittere, sive etiam dominus eius servi emtor sit. l. non tantum, 51. § sed si. D. de fideic. libert.

S.C. Iunianum de collusione detegenda, factum Domitiano imperante. Caesare & Ap. Iunio Sabino Coss. Anno DCCCXXXIX. ut qui per domini & servi, aut patroni & liberti collusionem factam probasset, ut vel servus ad libertatem, vel libertus ad ingenuitatem proclamaret, liberque aut ingenuus pronunciaretur, is servum quidem in potestate ac dominio suo, libertum autem in patronatu suo haberet. l. 1. D. de collus. deteg. l. 2. C. eod. l. adoptivum, 8. D. de in ius voc.

S.C. Iulianum de petitionis hereditatis, distractis rebus hereditariis dolo praeterito, & fructibus. Factum Hadriani temporibus, Q. Iulio Balbo, P. Iuventio Celso, T. Aufidio Frontone, Arrio Severiano Coss. Vt si antequam partes caducae ex bonis defuncti fisco peterentur, hi qui se heredes existimant, hereditatem distraxerint, ne redactae ex precio rerum venditarum

A pecuniæ vſuræ exigantur, idémque in ſimilibus cauſſis ſeruetur. Item, vt à quibus hereditas petita fuiſſet, ſi aduerſus eos iudicatum eſſet, ij precia quæ ad eos rerum ex hereditate venditarum perueniſſent, & ſi eæ ante petitam hereditatem deperiſſent, deminutæ've fuiſſent, reſtituere deberent. Item, vt ij qui bona inuaſiſſent, cùm ſcirent ad ſe non pertinere, etiamſi ante litem conteſtatam fecerint, quo minus poſſiderent, perinde condemnarentur, quaſi poſſiderent: ij B autem qui iuſtas cauſſas habuiſſent, quare bona ad ſe pertinere exiſtimaſſent, vſque eò dumtaxat, quo locupletiores ex ea re facti eſſent. Petita autem fiſco hereditas ex eo tempore exiſtimaretur eſſe, quo primùm ſcierit quiſque eam a ſe peti: id eſt cùm primùm aut denunciatum eſſet ei, aut literis, vel edicto euocatus eſſet. Vlp. l. itē veniunt, 20. D. de heredit. petit. apud quem pro OENVS, legendum FRONTO ARRIVS ex Faſtis Onuphrij Veronenſis intelligitur.

C S. C. Largianum de bonis libertorum, vt liberi manumiſſoris nō nominatim exheredati facti, extraneis heredibus eorum in bonis libertinorum præponerentur. Veluti, Lælius liberis ſuperſtitibus obiit Thracius eius Libertus teſtamentum ſcripſit, ſibique extraneos quoſdam heredes inſtituit. Senatus voluit, vt hæc hereditas inſtitutis heredibus adimeretur, liberiſque Lælij tribueretur, ſi modò à patre exheredes facti nō eſſent. Nam ſi eſſent, paterno iudicio indigni D omni emolumento videbantur, quod patris cauſſā vndecunque proficiſci poterat. §. vlt. De ſucceſ. liber l. 1. & paſ. C. de lar. lib. tol.

S. C. Libonianum de falſis. Factum, opinor, Hadriano Imp. L. Nonio, M. Annio Libone Coss. Ann. DCCCXXC. Vt pœna legis Corneliæ de falſis teneatur, qui ob inſtruendam aduocationem, teſtimoniáve, pecuniam acceperit, pactúſve fuerit, ſocietatem coierit, ad obligationem innocentum qui ſibi eive qui in ſua poteſtate eſt, le- E gatum fideicommiſſúmve adſcripſerit in teſtamento militis, aut etiam alterius: dummodo id ſignatum perfectúmque fuerit: qui heres inſtitutus exheredatione nominatim filij, vel aliarum perſonarum adſcripſerit, qui libertatem manu ſua ademerit ſeruo teſtatoris, & maximè cui à ſe legata vel fideicommiſſa data erant. Vt ſi ſeruus domini ſui iuſſu teſtamento codicilliſve libertatem ſibi adſcripſerit: ob eam rem quòd ipſius manu adſcriptum eſt, minus liber ſit: ſed li- F bertas ei ex fideicommiſſa cauſſa præſtetur, ſi modò poſt eam ſcripturam manu ſua teſtator teſtamento, codicilliſve ſubſcripſerit. l. 2. & paſſ. D. de falſis.

S. C. Macedonianum de filiorumfa. ære alieno, Veſpaſiani, vt opinor, tempore factum eſt. Ne cui qui filiofa. mutuo pecuniam dediſſet, etiā poſt mortem parētis eius, cuius in poteſtate fuiſſet, actio petitióve daretur. vt ſcirēt qui peſſimo exemplo fœnerarent, nullius poſſe filijfam. bo- G num nomen expectata patris morte fieri. l. 1. D. ad Maced. in qua duo obſcura ſunt: quo tempore ſit factum, & vtrum Macedo, qui S. C. cauſſam dedit adoleſcens perditus fuerit, vt Theophilus exiſtimat: an fœnerator vetus ac nobilis, vt eruditi omnes putant. Quod ad priorem dubitationem attinet, conſtat legem Lætoriam

A antiquiſſimam fuiſſe, qua vetabatur, ne ob pecuniam minoribus vigintiquinque annis creditam, ſiue ij filiifamil. ſiue ſui iuris eſſent, ius diceretur. nam quod ad locum illum Terentij in Phormione pertinet, *Quaſi quiſquam crederet te viuo*: non ad vllam legem, ſed ad filiifam. ius referendum puto. Iam verò Tacitus lib. XI. vbi de Claudio loquitur: Lege lata, inquit, ſæuitiam creditorum coërcuit, ne in morte parentum pecunias filiisf. fœnori darent. quo in loco MORTEM legen- B dum puto, quaſi dixerit obligationem non præſentem, ſed in diem collatam in mortis tempus fuiſſe: hoc modo, Centum quæ tibi credidi, poſt patris mortem dare ſpondes? Suetonius autem in Veſpaſiani vita ſic ſcribit: Auctor, inquit, ſenatui fuit decernendi, ne filiorumf. fœneratoribus exigendi crediti ius vnquam eſſet: hoc eſt, ne poſt patris quidem mortem. quod Macedonianum eſſe S.C. planè videtur, quia Tacitus non de S. C. ſed de lege nominatim loquitur: venióque in C ſuſpicionem ea lege Claudia certas quaſdā cauſſas exceptas fuiſſe: veluti ſtudiorum, & alias honeſtas ac neceſſarias. Macedonem autem cum exemplo peſſimo, maliſque moribus, hoc eſt, cōtra bonos mores, pecuniam adoleſcentibus crederet, cauſſam mutuationis non adſcripſiſſe, atque illud eſſe quod legimus INCERTIS NOMINIBVS: quod verbum eadem in re Cicero Verrina v. poſuit. Ex omni pecunia, inquit, quam aratoribus ſoluere debuiſti, certis nomi- D nibus deductiones fieri ſolebant: primum pro ſpectatione, & collybo: deinde pro neſcio quo Cerario.

S. C. NERONIANVM de ſimulatis adoptionibus, Nerone Imp. factum eſt. Ne ſimulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret, ac nē vſurpandis quidem hereditatibus prodeſſet. Percrebuerat enim ea tempeſtate prauiſſimus mos, cùm propinquis comitiis, aut ſortitione prouinciarum plerique orbi aſciſcerent filios, præturáſ- E que & prouincias, quòd inter patres ſortiti, ſtatim emitterent manu, quos adoptauerant. Qui magna cum inuidia ſenatum adeunt, ius naturæ, liberos educandi, aduerſus fraudem & artes: & breuitatem adoptionis enumerant. Satis precij eſſe orbis, quod multa ſecuritate, nullis oneribus gratiam, honores, cuncta prompta & obuia haberēt. Sibi promiſſa legū diu ex ſpectata in ludibrium verti, quando quis ſine ſolicitudine parens, ſine luctu orbus, longa patrum vota repen- F tè adæquaret. Tacitus lib. XV.

S.C. Orphitianum de maternis hereditatibus: factum eſt Marco & Commodo Imperatoribus, Orphitio & Rufo COSS. Vt filius & filia quamuis patris in poteſtate ſint. ad bona matris inteſtatę ante conſanguineos vocentur: ſiue mater ingenua ſit, ſiue libertina: item ſiue liberi legitimi ſint, ſiue vulgò quæſiti. l. 1. & pen. D. ad Tertyll. & Orfic. ſpurios tamen matri quæ illuſtris ſit, non ſuccedere, ſi modò exſtent ex iu- G ſtis nuptiis procreati, Imp. ſcribit in l. pen. C. eod. Quin & illud intelligendum eſt, ex Imperatorum conſtitutionibus, nepotes & Neptes ad auiæ inteſtatæ ſucceſſionem admiſſos, admiſſáſque eſſe. l. ſi defunctus, 4. De legit. hered. in Cod. Theodoſ.

S. C. Pegaſianum de quarta fideicommiſſ.

teri-

retinenda, factum Veſpaſiani Auguſti temporibus, Pegaſo & Puſione Coſſ. vt ei qui rogatus eſſet hereditatẽ reſtituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere conceditur. quam ſi retinuiſſet, tum omnes actiones quæ in heredes heredibúſque dari ſolent, in eum, eíque darentur. Is autem qui partem hereditatis ex fideicummiſſo reciperet, legatarij partiarij loco eſſet: hereditatíſque tum commoda, tum incommoda inter heredem, & eum cui reliquæ partes eſſent reſtitutæ, communicarentur, interpoſitis ſtipulationibus ad exemplum partis & pro parte ſtipulationum. Sed ſi heres ſcriptus hereditatem adire recuſet, ob id quòd dicat ſibi eam ſuſpectam eſſe quaſi damnoſam, poſtulatu eius cui reſtituere rogatus eſſet, iuſſu prætoris adiret, totámque reſtitueret, ita vt ei & in eum qui recipit hereditatem, actiones dentur. Iuſtinianus ſub titul. De fideicommiſ. hereditat. Vlpianus capitu. Inſti. 25. Paullus libr. Sent. 4. cap. 3.

S. C. Plancianum de liberis agnoſcendis, & partu ſubiecto. Vti liceat mulieri, parentíſve in cuius poteſtate eſt, vel ei cui mandatum ab eis eſt, ſi ea ſe facto diuortio prægnantem putet, denunciare intra dies triginta poſt diuortium connumerandas ipſi marito, vel parenti cuius in poteſtate eſt, vel etiam domi eius ſi nullius eorum copia eſt. Et ſi maritus cui denunciatum erit cuſtodes ad ventrem cuſtodiendum, inſpiciendúmque non miſerit, neque conteſtato dixerit, eam ex ſe prægnantem non eſſe, vt ei id quod editum ſit, agnoſcere ſit neceſſe. l. 1. D. de liber. agnoſ.

S. C. Piſonianum de ſeruis obnoxiis venditis. Vt ſi ſeruus pœnæ propter necatum dominũ obnoxius veniſſet, quandocumque animaduerſum in eum eſſet, venditor precium præſtaret: ne emptori iniuriam feciſſe videatur ſenatus. l. ſenatuſc. 8. de S. C. Silaniano.

S. C. Pernicianum de nuptiis. Vt qui intra ſexageſimum, vel quæ intra quinquageſimum annum neque liberos ſuſceperit, neque matrimonium contraxerit, licet ipſis legibus poſt hãc ætatem liberatus eſſet, perpetuis tamen pœnis teneatur. Vlpianus cap. Inſtit. xvi.

S. C. Prætextatum appellamus, nobile illud in Papyrij prætextati honorem factum. Vti pueri prætextati deinceps cum patribus in curiam non introirent, præter vnum illum Papyrium: vtque ei puero poſtea prætextati cognomentum honoris gratia imponeretur. Nota eſt hiſtoria ex Macrobio lib. Satur. 1. ca. vi. & Agellio lib. 1. cap. xxiii.

S. C. Rubrianum de fideicommiſſarijs libertatibus, factum eſt temporibus Diui Traiani, Rubrio Gallo, & Cælio Hiſpone coss. anno DCCCLIX. Vt ſi hi à quibus libertatem præſtari oportet, euocati à Prętore adeſſe noluiſſent, dum hi neque infantes ſint, neque furioſi, neque ab hoſtibus capti, neque hi quos religio, aut honeſtior cauſſa, aut calamitas aliqua, vel maior res familiaris, aut capitis famæ've periculum, aut ſimilis cauſſa moretur: ac ne pupilli quidem, qui tutorem non habent, aut eos habeant, quos earum quæ cauſſa detinet. Si cauſſa cognita Prætor pronunciaſſet, libertatem his deberi, eodem iure ſtatus ſeruaretur, ac ſi directò manumiſſi eſſent. l. cum vero, 26. §. ſubuentum, & l. neque, 36. l. ſi filius, 33. D. de fideicomm. libert.

S. C. Sabianum, de eo qui è tribus maribus arrogatus erat. Vt qui vnum è tribus alterius liberis maribus adoptaſſet, ei non minus quàm quadrantem hereditatis ſuæ relinqueret. l. pen. §. quæ autem, C. de adopt. & §. ſed ea omnia, 13. vbi Theophil. De hered. quæ ab inteſt. Videtur etiam ex eodem S. C. manaſſe quod Iuſtinianus commemorat in l. vltim. C. de decurionibus: vt qui tres mares haberet, ſi vnum ex iis qui decurio eſſet, in Senatum maximum, id eſt Romanum, allegendum curaret, ei curiæ liberationem pareret.

S. C. Silanianum de quæſtione familiæ, Auguſti temporibus factum nonnullis videtur, Dolabella & Silano coss. ann. DCCLXII. quibus idcirco aſſentiri vix poſſum, quia neque leges, neque ſenatuſconſulta ex cognominibus appellabantur: tametſi video & Piſonianum, & Neronianum eodem modo nominari. Vti de ſeruis eius qui domi ſuæ necatus erit, qui quidẽ ſub eodem tecto fuerint, neque opem ei tulerint niſi qui impuberes fuerint, quæſtio habeatur & cõuicti ſummo ſupplicio afficiantur. Qui verò non ſub eodem tecto, ſed in eadem regione fuerint, non aliter puniãtur, quàm ſi conſcij fuerint, vt quod ad cauſſam teſtamenti pertinens relictũ erit ab eo qui occiſus eſſe dicitur, id ne quis ſciẽs dolo malo apperiendum, recitandum, deſcribendúmque ante quæſtionem de ſeruis habitam curet. qui ſecus faxit, quod eo teſtamento ei relictum fuerit, publicetur. l. 1. & l. 13. & l. 14. D. ad S. C. Silanianum.

S. C. Statilianum vel Domitianum de quinquennij præſcriptione, Auguſti temporibus factum eſt, Tauro & Lepido Coſſ. Ann. DCCLXIII. Vt in cognitione teſtamenti eius qui à familia ſua occiſus eſſe dicetur: ante habitam de familia quæſtionem aperti quinquennij tempus heredibus conſtituatur. l. in cognitione, 13. D. ad S. C. Silanianum.

S. C. Summum, ſiue ſupremum appellatur, quod ſummis Reipublic. temporibus fieri ſolebat: de quo Liuius libro III. Tantum, inquit, terrorem Hernici incuſſere patribus, vt quæ forma ſenatuſconſulti vltimæ ſemper neceſſitatis habita eſt; Poſtumio alteri conſulum negocium daretur, videret ne quid Reſpub. detrimenti caperet. Salluſtius in Catilinario, Itaq; (quod plerunque in atroci negocio ſolet) ſenatus decreuit darent operam Conſules, ne quid Reſpubli. detrimenti caperet. Ea poteſtas per ſenatum more Romano magiſtratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis ſocios atque ciues, militiæque imperium atque iudicium ſummum habere: aliter ſine populi iuſſu nulli earum rerum Conſuli ius eſt.

S. C. Trebellianum de actionibus à fideicommiſſariis in heredes transferendis, factum eſt temporibus Neronis, octauo Calend. Septembr. Anneo Seneca, Trebellio Maximo Coſs. Anno DCCCX. Vt cùm æquiſſimum eſſet in omnibus fideicommiſſariis hereditatibus

ſi qua de his bonis iudicia penderent, ex bis eos ſubite, in quos ius fructúſque transferretur, potius quàm cuique periculoſam eſſe ſuam fidem: deinceps actiones quæ in heredem, heredibúſque dari ſolent, eæ neque in eos, neque his darẽtur, qui fidei ſuæ commiſſum, ſicuti rogati eſſent, reſtituiſſent: ſed bis & in eos quibus ex teſtamento fideicommiſſum reſtitutum fuiſſet, quo magis in reliquum confirmentur ſupremę defunctorum voluntates. Hæc Vlpianus l. 1. D. eod.

S. C. Turpillianum de accuſationibus deſertis. Factum fortaſſe Imp. Nerone, C. Silio, M. Turpilliano Coſſ. Anno DCCCXIX. Vt qui crimen publici iudicij detulit, & cauſſa criminis ordinata, id eſt inſcriptionibus depoſitis, & fideiuſſore de exercenda lite præſtito, eóque qui accuſatur, ſub cuſtodia officij facto, non impetrata abolitione ab executione criminis deſtitit: qui accuſatorem ſummiſit, aut inſtigauit, aut mandauit alicui, & inſtruxit eum ad accuſationem capitalem, deinde probationes, allegando excuſationes, qui chirographum ob accuſandum dedit, pactionémve aliquam interpoſuit, pœna quinque librarum auri multetur. l. 1. & paſſ. C. & D. ad Turpillian. l. tertia, in fine, D. præuaric.

S. C. Tertyllianum de liberorum hereditatibus matri deferendis, D. Pio imperante factum eſt, Tertullo & Sacerdote Coſſ. Vt mater ingenua trium liberorum ius babens, libertina quattuor ad liberorũ inteſtatorum hereditatem admittatur, ſiue ſui iuris, ſiue in patris poteſtate ſit, ita tamen vt ſi filiafam. ſit, parentis iuſſu hereditatem adeat: deinde vt filio mortuo, ſui: filia mortua, liberi præferantur matri: vtrouis mortuo, pater, non etiam auus: item conſanguineus, ſiue ſolus ſit, ſiue cum eo ſoror, eidem præferantur: conſanguinea verò ſola pariter cum matre ſuccedat. l. 1. & 2. D. eod. & libro Inſtit. III. tit. III.

S. C. Tacitum cuiuſmodi fuerit, Capitolinus in Gordianis docet bis verbis. Omnino exemplum Senatuſconſulti taciti non aliud eſt hodie quàm quod veſtra clementia conuocatis ad interiora maioribus ea diſponit quæ non ſunt omnibus publicanda: de quibus adiurare etiam ſoletis, ne quis ante rem completam quidquam vel audiat vel intelligat. Hunc autem morem apud veteres neceſſitates publicæ repererunt, vt ſi fortè aliqua vis ab hoſtibus immineret, quæ vel cogeret humilia captare conſilia, vel aliqua conſtituere quæ non prius oporteret dici quàm effici, vel ſi nollent ad amicos aliqua permanare, ſenatuſconſultum tacitum fieret: ita vt non ſcribæ, non ſerui publici, non cenſuales illis actibus intereſſent, ſenatores exciperent, ſenatores omnium officia cenſualium ſcribarúmque complerẽt, ne quid fortè proderetur.

A S. C. Velleianum de mulierum interceſſionibus, factum eſt Marco Silano & Velleio Tutore Coſſ. ne ius aduerſus mulieres diceretur, quæ fideiuſſionibus & mutationibus pro aliis interceſſiſſent: cùm eas virilibus officijs fungi, & eius generis obligationibus obſtringi, non ſit æquum. Ergo in veterem debitorem, aut in eum qui pro ſe conſtituiſſet mulierem ream, dabitur magis eo in ille, quàm creditor mulierem decepit. l. 1. & 2. D. eod.

B S. C. Velleianum de aſſignatione libertorum, factum eſt Claudianis temporib. Velleio Rufo, Oſterio Scapula Coſſ. Si quis duos pluréſve liberos iuſtis nuptiis quæſitos in poteſtate baberet, de liberto libertáve ſua ſignificaſſet, cuius ex liberis ſuis eum libertum, eámve libertam eſſe vellet, eáve quandoque is qui eum eámve manumiſit, inter viuos vel teſtamento in ciuitate eſſe deſiſſet, ſolus ei patronus, ſoláve patrona eſſet, perinde atque ſi ab eo eáve libertatem conſecutus C conſecutáve eſt, neque ei liberi vlli eſſent: ceteris eius liberis qui manumiſit, perinde omnia iura ſeruẽtur, ac ſi nihil de eo liberto, eáve liberta is parens ſignificaſſet. l. 1. D. de aſſig. libert.

S. C. Vitraſianũ de fideicom. libertatibus. Factum opinor Veſpaſiano imperante, Sulpitio Galbo, Vitraſio Pollione Coſs. Vt partes ſeruorum quibus per fideicommiſſum libertas data eſt, iuſto precio æſtimentur: atque ita ſeruus ab his qui rogati ſunt manumittatur: hi autem qui D eos manumiſerunt, precij nomine perinde fratribus & coheredibus ſuis obligati ſint, atq; ſi ob eam rem ex iudicati cauſſa cum his agi poſſit. Nam antè ſi plures heredes erant inſtituti, & inter eos qui fari non poterant, ſed non ipſe rogatus erat ſeruum manumittere: non oportebat intercidere libertatem ob hoc quod coheredibus ſuis vendere eum infans non poſſit. l. cum quaſi, 30. §. ſi plures, D. de fideic. libert.

S. C. Vigintiuirale factum eſt Auguſto Imp. E Tiberio & Varo Coss. An. DCCCLI. Vt viginti viri ex equitibus conſtituerentur, quorum deinceps nullus in ſenatum allegeretur, niſi quem etiam alium magiſtratum cuius ratione ſenatus poſſet fieri, geſſiſſet. Hi viginti viri in locũ XXVI. virorum ſucceſſerunt: quorum tres capitalibus iudiciis, alij tres pecuniæ ſignandæ præfecti ſunt: quattuor viis vrbis, decem ijs iudiciis, quæ ad centum viros, ſorte deferuntur. Vt quoniam nemo facilè Tribunatum pleb. petebat, ſorte ex F iis qui Quæſtores fuiſſent dum quadrageſimum annum attigiſſent, deligerentur. Dio lib. 54.

S. C. Voluſianum de coitione in litem: vt qui improbè in alienam litem coëunt, vt quidquid ex condemnatione in rem ipſius redactum fuerit, inter eos cõmunicaretur, lege Iulia de vi priuata tenerentur. l. 6. D. ad leg. Iul. de vi priuat.

QVAR-

QVARTA PARS CONTINET, DESCRIPTIONEM EORVM IVRIS CONSVLTORVM QVI A POMPONIO SVB TITVLO. DE ORIG. IVR. ENVMERANTVR.

S PAPYRIVS Iuriſconſultus, Tarquinio Superbo regnante floruit Is leges omnes à Regibus latas in ordinem redegit, vnúmque in librum coëgit, qui liber idcirco Ius ciuile Papyrianum appellatus eſt, Pompon. l.2.§.1 & §.18. De orig. iur. Videtne is fuiſſe Papyrius quem Dionyſ. Halicarn. ſcribit primum Regem ſacrificulum creatum fuiſſe, quem Manium appellat. Superbum antem non Demacati filium, vt Pomponius: ſed nepotẽ, Liuius: pronepotem Dionyſius appellant

AP. CLAVDIVS, Decemuir Ioriſconſultus, Anno CCCIII. quo leges XII. tabularum conſcriptæ & conſtitutæ fuerunt. Eius maximum in iis legibus conſcribendis conſilium exſtitiſſe, Pomponius tradit l.2.§.18. De orig. iur.

HERMODORVS Epheſius Iuriſconſultus, C legum quæ à legatis Romanis ex Græciæ ciuitatibus allatæ ſunt, cùm in Italia tum fortè exularet, interpres fuit. ob eámque cauſſam ſtatua ei in Comitio dicata eſt. Plinius lib.34. cap.5. & Pompon. l.2. §.1. D. de orig. iur. vbi tamen Auctorem ſcribit, pro Adiutorem, ſocium interpretem. Strabo lib. 14. de Epheſiis commemorans, ἄνδρες δ' ἀξιόλογοι γεγόνασιν ἐν αὐτῇ τῶν μὲν παλαιῶν ἡράκλειτός τε ὁ σκοτεινὸς καλούμενος, καὶ ἑρμόδωρος. περὶ οὗ ὁ αὐτὸς οὗτός φησιν, ἄξιον ἐφεσίοις ἡβηδὸν ἀπάγξασθαι, D οἵτινες ἑρμόδωρον ἄνδρα ἑωυτῶν ὀνήιστον ἐξέβαλον, φάντες, ἡμέων μηδεὶς ὀνήιστος ἔστω. εἰ δὲ μή, ἄλλη τε καὶ μετ' ἄλλων. δοκεῖ δ' οὗτος ὁ ἀνὴρ νόμους τινὰς ῥωμαίοις συγγράψαι. id eſt, In ea viri fuêre memorabiles. è veteribus quidem Heraclitus cognomento Obſcurus, & Hermodorus. de quo ille ipſe loquens, Digni ſont, inquit, omnes ad vnum Epheſij, quibus laqueo gula frangatur: qui Hermodorum virum inter ipſos vtilem exilio multarunt. dicentes: Nemo noſtrûm vtilis E eſto alioqui, alio in loco & apud alios ſit. Fertur etiam is leges quaſdam Romanis conſcripſiſſe.

AP. CLAVDIVS Cæcus Iuriſconſultus, Cenſor fuit Sulpitio, Sempronio Coſs. Anno ab V.C. CDXLIX. Primus actiones, id eſt formulas de vſurpationib. ſcripſit: ſcribæ ſuo Cn. Flauio ſuaſit, vt faſtorum tabulam exſcriberet, eámque promulgaret. Plin. lib.33. cap.1. & Pompon. l.2. §.18. De orig. iur. Tribonianus autẽ in eadem l. §. 3. ſcribit eum legis actiones propoſuiſſe, & ad formam F redegiſſe, quarum librum ſurreptum poſtea Cn. A Flauius populo tradiderit.

CN. FLAVIVS. Cn. F. ſcriba Iuriſconſultus, Sulpitio, Sempronio Coſs. Anno ab V. condita CDXLIX. Is patre libertino, humili fortuna ortus, cæterùm callidus vir & facundus, Ædilis curulis fuit. ciuile ius repoſitum in penetralibus Pontificum euulgauit, faſtóſque circa forũ in albo propoſuit: vt quando lege agi poſſet, ſciretur. Ob id munus Ædilis curulis & Tribunus plebis creatus eſt. Liu. l.9. extremo, Cic. pro Muræna, Agel. lib.6. B cap.9. Plin. l.33. c.3. Tribonian. l.2. §.3. De orig. iur.

P. SEMPRONIVS Sophus Iuriſconſultus Coſs. cum P. Sulpitio Sauerrione, anno ab V. condita CDXLIX. Pomponius ſcribit in l.2. §.18. hunc à populo Rom. Sophum eſſe appellatum, nec quenquam antè hunc aut poſt hunc hoc nomine cognominatum eſſe, cùm tamen plures in Conſulum tabulis hoc cognomine afficiantur, & conſtet Atilium, Lælium & Catonem Sapientes cognominatus fuiſſe.

TI. CORVNCANIVS Iuriſconſultus, Conſul cum P. Valerio, Anno ab Vrbe condita, CDLXXII. Primus ius ciuile docere ac profiteri cœpit, cùm priores id in latenti retinere cogitarent, ſolúmq; conſultatoribus vacare. Pompon. l.2. §.18 De origine iur. Cicero in Bruto ſcribit ex Pontificum commentariis intelligi eum longè plurimum ingenio valuiſſe. Idem in lib. de Orat. 3. Pontificem Maximum cum fuiſſe tradit, ad eum, eiuſque ſimiles de omnib. diuinis atque humanis rebus referri ſolitum: eundem & in ſenatu, & apud populum, & in cauſſis amicorum, & domi, & militiæ conſilium ſuum fidémque probaſſe. Eadem ferè in Epitome Liuiana XVIII.

Q. FABIVS Iuriſconſultus, cuius ad Carthaginienſes legatio celebratur: Cornelio, Sempronio Coſs. Anno DXXXII. nam cùm, eſſent duæ teſſeræ, poſitæ vna pacis, altera belli, arbitrio ſibi dato, vtrã mallet referre Romam, vtranq; ſuſtulit, & ait Cartaginienſes petere debere vtram mallent accipere. Hæc Pomponius. Aliter tamen Agell. lib.10. cap. 27. aliter etiam Polyb. libr.3. Liuius lib.21. & Appianus libro De bellis Hiſpan.

SEX. ÆLIVS Paitus Catus Iuriſconſultus, conſul fuit cum T. Quinctio Flaminio. Anno DLII. qui propter Iuris ciuilis ſcientiam ſic appellatus à ſummo poëta eſt, Egregiè cordatus homo Catus Ælius Sextus: vt ait Cicero libro De Orat. 1. qui in Bruto hunc quoque ait iuris quidem ciuilis periſſimum, ſed etiam ad dicendum paratũ & Tuſc. prima hunc eundem verſum profert. Varro autem in lib. De ling. 6. Cata, inquit, acu-

Digitized by Google

ta. Hoc enim verbo Sabini dicunt. quare Catus Ælius Sextus, non, vt aiunt, ſapiens: ſed acutus. Pomponius autem his verbis, Sextum Elium etiã Ennius laudauit, & extat illius liber, qui inſcribitur Tripartita: qui liber veluti cunabuls iuris continet. Tripartita auté dicitur, quoniã lege XII. tabularum præpoſita, iungitur interpretatio, dein ſubtexitur legis actio. eiuſdem eſſe tres alij libri referuntur: quos tamé quidam negant eiuſdem eſſe. Plinius verò libr. 33. cap. 2. L. Paulli qui Perſeum deuicit, generum ait fuiſſe, & cùm legati Ætolorum in Conſulatu prandentem in fictilibus adiſſent, miſſa ab his vaſa argentea non accepiſſe, neque aliud habuiſſe argenti ad ſupremũ vitæ diem, quàm duo pocula, quæ L. Paullus ſocer ei ob virtutem donaſſet.

P. ÆLIVS PÆTVS Iuriſconſultus, Conſul fuit cum Cn. Cornelio, Anno DLIX. apud Liuium lib. 32 & Pomponium. Plin. libr. 18. cap. 18. Plutarchum in Africano.

P. ACILIVS Iuriſconſultus. Cicero in Lælio: Scimus L. Acilium apud patres noſtros appellatum eſſe Sapientem, quia prudens eſſe in iure ciuili putabatur. Hunc quoque primum à populo ſapientem appellatum fuiſſe, Pomponius ſcribit. Meminit Cicero in Catone, libr. De offic. 2. De diuin. 1. Epitome Liuiana 49. Nonnullis tamen in libris Atilius nominatur.

P. CORNELIVS Scipio Naſica Iuriſconſultus, Conſul fuit cum M. Glabrione, Anno DLIX. adoleſcens nondum Quæſtorius optimus in ciuitate iudicatus eſt, eidemque publice domus in ſacra via data, quo facilius conſuli poſſet. Liuius libro 29. & Pompon. l. 2. § 8. de Orig. iuris.

M. PORCIVS Cato, Iuriſconſ. Conſul fuit cum L. Valerio, Anno DLV Iuris ciuilis periſſimus fuit, vt Cicero ait lib. De oratore primo: libros etiam de iure reliquit, vt ſcribit pompo. d. l. 2. Eius res geſtas Plutarchus in Vitis exponit, & Liuius lib. 33. & 34. ſed maximè lib. 39. ex quo elogiũ hoc Catonis noſtri quin deſcribam, facere non poſſum. In hoc viro tanta vis animi ingeniíque fuit, vt quocunque loco natus eſſet, fortunam ſibi ipſe facturus fuiſſe videretur. nulla ars neque priuatæ, neque publicæ rei gerẽdæ ei defuit. Vrbanas ruſticáſq; res pariter callebat. ad ſummos honores alios ſcientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris prouexit: huic verſatile ingenium ſic pariter ad omnia fuit, vt natum ad id vnum diceres, quodcunque ageret. in bello manu fortiſſimus, multíſq; inſignibus clarus pugnis: idem poſteaquam ad magnos honores peruenit, ſummus imperator: idem in pace, ſi ius conſuleres, periſſimus: ſi cauſſa oranda eſſet, eloquentiſſimus. nec is tantum, cuius lingua viuo eo viguerit, monumentum eloquentiæ nullum exſtet. viuit imò, vigétque eloquentia eius ſacrata ſcriptis omnis generis. Orationes & pro ſe multæ, & pro aliis, & in alios. nã non ſolùm accuſando, ſed etiã cauſſam dicẽdo fatigauit inimicos. ſimultates nimio plures & exercuerũt eum, & ipſe exercuit eas. nec facilè dixeris, vtrum magis preſſerit eum nobilitas, an ille agitauerit nobilitatem. Aſperi procul dubio animi, & linguæ acerbæ, & immodicè liberæ fuit: ſed inuicti cupiditatibus animi, & rigidæ innocentiæ, contemtor gratiæ, diuitiarum: in parſimonia, in patientia laboris periculíque ferrei propè corporis animíque: quem ne ſenectus quidem, quæ ſoluit omnia, fregerit: qui ſextum & octogeſimum annum agens, cauſſam dixerit, ipſe pro ſe orauerit, ſcripſeritq; octogeſimo ann. Ser. Galbã adduxerit in iudiciũ.

M. PORCIVS Cato Iuriſconſultus, Marci ſuperioris filius. Is Prætor deſignatus patre viuo mortuus eſt. Plurimos in iure ciuili libros reliquit. Agellius libro 13. capit. 18. Pompon. De orig. iur. Cicero de Orat. ſecundo. Huius ea creditur fuiſſe regula, quæ Catoniana in noſtris libris appellatur lib. Dig. 34. vt legatum quod non valeret, ſi teſtamenti facti tempore teſtator deceſſiſſet: quandocunque is decedat, non valeat. Celebratur etiam eius de diuiduis & indiuiduis ſtipulationibus diſputatio, in l. 4. D. de ver oblig. Citatur & à Iuſtin. lib. 1. Inſt. tit. De adop. Paulo l. 44. Solut. mat. Vlpiano l. 10. De ædil. edict. Celſo l. 18. De verb. ſign.

P. MVTIVS Scæuola Iuriſconſultus, Conſul fuit cum L. Calpurnio. ann. DCXVII. & Pontifex Maximus fuit, quo anno Tib. Gracchus interfectus eſt. Decem de iure libellos reliquit. Pomponius d. l. 2. Cicero de Orat. 2. & pro Cæcina, De legibus 1. De nat. deor. 3. Pompo. l. vlti. De iur. immunit. Aſcon. Verrin. 2. Interiit eo morbo quem phthiriaſin appellant. Plutarchus in Sylla.

M. IVNIVS Brutus Iuriſconſultus, vir Prætorius fuit, ſeptémque, vt ait Pomponius, reliquit libros. Cæſar tamé apud Ciceronem lib. de Orat. 2. audiſſe ſe ait ex Scæuola cùm diceret, tres duntaxat veros Bruti libros fuiſſe. In eodẽ libro Bruti in iure deſcribẽdo ratio improbatur, quòd hypotheſes non theſes exponeret. Eius meminit Cicero in Cluentiana, lib. Epiſt. fam. 7. Agellius lib. 18. cap. 7.

M. MANILIVS Iuriſconſultus, Conſul fuit cum L. Marcio Cenſorino, Anno DCI. Tres in iure reliquit libros exſtabant etiam Pomponij ætate volumina inſcripta Manilij monumenta. Hunc Craſſus libr. de Orat. 3. ſcribit ſe vidiſſe tranſuerſo ambulantem foro: quod erat inſigne eum qui id faceret, facere ciuibus omnibus cõſilij ſui copiam. Conſulatus etiam in Bruto meminit. Agellius etiam Doctrinæ lib. 18. cap. 7. Cicero eius librorum De mancipiis vendendis, De orat. 1. Varro de Re ruſt. perſæpe.

P. RVTILIVS Rufus Iuriſconſultus, Conſul fuit cum M. Manilio. Ann. DCXLV. M. Manilij, de quo diximus, diſcipulus, vt Pomponius teſtatur. Cic. in Bruto ſcribit eum magnum de iure reſpondẽdi munus ſuſtinuiſſe, eiúſque operam atque induſtriam propterea gratiorem fuiſſe. Memoratur eius iniuſta damnatio, quòd cùm ambitus à Scauro accuſatus eſſet, noluerit ſuam cauſſam ornatius dici, quàm ſimplex veritatis ratio poſtularet. qua de re lib. De orat. 1. in Bruto, De nat. deor. 3. De finib. 2. Tuſcu. 4. Offic. 2. pro Plancio, pro Balbo, in Piſonem, pro Fonteio, pro Poſthumo, pro Cluentio. Valerius lib. 2.

PAVLVS VERGINIVS Iuriſconſultus Hic apud Pomponium numeratur: corruptè, mea ſententia, cùm iſto modo nominetur nemo. Paullus præterea Æmiliorum eſt cognomen. Cùm autem Cicero in Bruto Scaurum Rutilio adiungat, Panætij diſcipulum & conuictorem in 3. de Oratore appellet, & Pomponius hoc loco Panætij audito-

ditores enumeret, haud ſcio an pro SCAVRVS
VIGELLIVS, repoſuerit aliquis PAVLLVS
VERGINIVS.

Q. ÆLIVS Tubero L. Paulli nepos, P. Africani
ſororis filius Iuriſconſultus, Triumuir agris, opi-
nor, ex lege Sempronia diuidundis fuit. Hunc in
Bruto Cicero Stoicum & doctiſſimum in diſpu-
tando fuiſſe ſcribit. Craſſus autẽ in lib. de Orat. 3.
Dies, inquit, & noctes virum ſumma virtute &
prudentia videbamus philoſopho cùm operam
daret, Qu. Tuberonem. Pomponius autem Pa-
nætii auditorem appellat. vbi tamen PANSÆ de-
prauatè legitur: vt quod ſequitur. QVI ET IPSE
CONSVL. nam in Conſulem recenſione Tubero
non nominatur hoc tempore. videntúrque hæc
verba potius ad Scaurum pertinere. Cicero in li-
bro qui inſcriptus eſt, De iure ciuili in artem re-
digendo, verba hæc poſuit: Nec verò ſcientia iu-
ris maioribus ſuis Q. Ælius Tubero defuit, do-
ctrina etiam ſuperfuit. Hoc ex Agell. lib. 1 cap. 22.
Hiſtoria de eo inſignis refertur a Cicerone in ea
pro Muræna.

SEX. POMPEIVS Iuriſconſultus, Cn. Pompeij
Magni patruus fuit. Hic, vt ait in Bruto Cicero,
præſtantiſſimum ingenium contulit ad ſummam
iuris ciuilis, & ad perfectam Geometriæ & re-
rum Stoicarum ſcientiam. Hunc eundem in lib.
de Orat. 3. Stoicum appellat, & lib. 1. eruditum ho-
minem in philoſophia.

L. CÆLIVS Antipater Iuriſconſultus, ſcriptor,
vt ait in Bruto Cicero, vt temporibus illis lucu-
lentus, fuit iuris valde peritus, multorum etiam,
vt L. Craſſi, magiſter. Pomponius eum ſcribit
maiorem eloquentiæ quàm ſcientiæ iuris ope-
ram dediſſe. nam ad hiſtoriam ſcribendam ani-
mum appulit, cui maiorem quam ſuperiores ſo-
num vocis addidit: vt ait Cicero libr. de Orat. 2.
& de legib. 1.

P. LICINIVS Craſſus Mutianus Iuriſconſul-
tus Conſul fuit cum L. Valerio, Ann. DCXIX. co-
gnomento Diues, P. Mutij filius, & P. Mutij Scæ-
uolæ Iuriſconſultorum frater germanus à P. Li-
cinio Craſſo adoptatus, domi à patre & fratre ius
ciuile didicit. in eo induſtriam conſtat ſummam
fuiſſe, maximámque gratiam, cùm & conſulere-
tur plurimum, & diceret. Eloquens etiam fuit:
Hæc ex Ciceronis Bruto, & primo de Orat. A-
gellius autem lib. 1. cap. 13. auctor eſt; Hiſtoricos
pleróſque ſcripſiſſe, habuiſſe illum quinq; rerum
bonarum maxima & præcipua: quòd eſſet ditiſſi-
mus, quòd nobiliſſimus, quòd eloqentiſſimus,
quòd Iuriſconſultiſſimus, quòd Pontifex Maxi-
mus. Pomponius autem hunc ſcribit à Cicerone
dici Iuriſconſultorum deſertiſſimum. falſò. nam
de L. Craſſo M. Antonii æquali loquitur in Bruto
his verbis, Vt eloquentium iuriſperitiſſimus
Craſſus, iuriſperitorum eloquentiſſimus Scæuo-
la putaretur. Meminit Velleius lib. 2. Cicero in
Catone, ad Attic. lib. 5. Phil. 11. Valerius lib. 8. cap.
6. Epitome Liu. 59. Strabo libr. 13. Eutrop. lib. 4.
Florus lib. 2. cap. 22.

Q. MVTIVS Scæuola Iuriſconſultus Conſul
fuit cum L. Cæcilio, An. DCXXXIII. Scæuolæ filius
Pontifex Maximus, item vt pater: iuriſconſultiſ-
ſimus, vt idem. Sic enim Cicero in libro de Le-
gibus 2. ſcribit. Pomponius autem hunc ait pri-
mum ius ciuile conſtituiſſe, generatim in libros

A 18. redigendo. Cicero in Lælio tradit eum primũ
Augurem, deinde Ædilem cum L. Craſſo fuiſſe:
item libro Offic. ſecundo, & de Conſulatu lib.
de Orat. 1. meminit. Appian. autem lib. ἐμφυλ. α΄
ſcribit eum C. Marij iuſſu occiſum in Tyberim
proiectum eſſe: itémque Lucanus lib. 2. Velleius
lib. 2. Florus lib. 3. cap. 23. Valerius lib. 9. & lib. 8.
Cicero de Natura deor. 3.

C. AQVILIVS GALLVS Iuriſconſultus Prætor,
de ambitu quæſtionem exercuit, cùm eius colle-
B ga Cicero eſſet: vt ipſe in Cluentiana teſtatur.
Hunc Qu. Mutij Pont. Max auditorem fuiſſe Pō-
ponius tradit. Cicero autẽ in Bruto, Ser. Sulpitij
præceptorem in iure, hominem acutum & exer-
citatum, prompta in agendo & in reſpondendo
celeritate præditum fuiſſe. ab eo ipſo prolata eſt,
de dolo malo formula, quam idẽ libro De natura
deor. 3. & de Offic. 3. euerriculum malitiarum o-
mnium appellat. Eius exſtat laudatio in Orat. pro
Cæcinna, his verbis: Hoc loco percōmodè acci-
C dit, quòd non adeſt is qui paulò ante affuit, & a-
deſſe nobis frequenter in hac cauſſa ſolet, vir or-
natiſſimus C. Aquilius. Nam ipſo præſente, de
virtute eius & prudentia timidius dicerim, quòd
& ipſe pudore quodam afficeretur ex ſua laude,
& me ſimilis ratio pudoris à præſentis laude tar-
daret. cuius auctoritati dictum eſt ab illa cauſſa
concedi nimium non oportere. Vereor de tali vi-
ro ne plus dicam, quàm vos aut ſentiatis, aut a-
D pud vos commemorari velitis. Quapropter hoc
dicam, nunquam eius auctoritatem nimium va-
lere, cuius prudentiam pop. Rom. in cauendo, nō
in decipiendo perſpexerit: qui iuris ciuilis ratio-
nem nunquam ab æquitate ſe iunxerit: qui tot
annos ingenium, laborem, fidem ſuam populo
Ro. promptam expoſitámque præbuerit: qui ita
iuſtus & bonus vir eſt, vt natura non diſciplina
conſultus eſſe videatur: ita peritus ac prudens, vt
ex iure ciuili, non ſcientia ſolum quædam, verū-
E etiam bonitas nata videatur: cuius tantum eſt in-
geniū, ita prompta fides, vt quidquid inde hau-
rias, purum liquidúmque, te haurire ſentias. Eiuſ-
dem iudicium ſingulare Valerius lib. 8. cap. 2. cō-
memorat fuiſſe, rem tamen non aperit. Is eſt de
quo Cicero in Topicis memoriæ prodidit: ſi quis
ad eū quid tale retulerat. vt de facto quæreretur,
ad Ciceronem, inquibat. ſignificans Iuriſconſul-
tos non de facto, ſed de iure conſuli oportere.

L. LVCILIVS Balbus Iuriſconſ. L. Mutij audi-
tor à Pomponio nominatur: à Cicerone autem
F in Bruto Ser. Sulpitij cùm C. Aquilio in iure præ-
ceptor. vbi hunc doctum & eruditum hominem
appellat; & tum in agendo, tum in reſpondendo
conſiderata tarditate præditum Meminit idem
libr. ad Attic. VIII. Sed qui in libris De Natura
deorum diſputat Qu. Balbus, eſt huiuſce, vt vi-
deatur frater.

SEX. PAPYRIVS Iuriſconſultus, inter Seruij
Sulpitij præceptores à Pomponio numeratur.

C. IVVENTIVS Iuriſconſultus à Pompo-
G nio inter Ser. Sulpitii præceptores numeratur.
Cicero autem in Bruto T. Iuuentium Iuriſc. no-
minat: quem alium ab hoc fuiſſe ratio tempo-
rum declarat. Multis enim poſt hāc Seruij iuuē-
tutẽ annis numeratur. In eodem genere, inquit,
cauſſarum multum erant T. Iuuentius, nimis ille
quidem lentus in dicendo, & penè frigidus, ſed

& callidus, & in capiendo adversario versutus, & præterea nec insolens, & magna cum iuris civilis intelligentia.

SERVIUS SULPICIUS Iurisc. Consul fuit cum M. Marcello Anno DCCII. Hic præceptores iuris habuit in iure, Aquilium, Balbum, [illegible] Lucilium, ut Pomponius testatur, cuius hæc verba subiiciemus: Servius cum in causis orandis primum locum, aut pro certo post M. Tullium obtineret, traditur ad consulendum Quintum Mutium de re amici sui pervenisse, cumque eum sibi respondisse de iure, Servius parum intellexisse, iterum Quintum interrogasse, & à Quinto Mutio responsum esse, nec tamen percepisse: & ita obiurgatum esse à Quinto Mutio. Namque eum dixisse turpe esse Patricio & nobili, & causas oranti, ius in quo versaretur, ignorare. Ea velut contumelia Servius tactus, operam dedit iuri civili: & plurimum eos de quibus locuti sumus audiit. Institutus à Balbo Lucilio, instructus autem maxime à Gallo Aquilio, qui fuit Cercinæ. Itaque libri complures eius extant Cercinæ confecti. Hic cum in legatione perisset, statuam ei P. Rom. pro Rostris posuit, & hodieque extat pro Rostris Augusti. Huius volumina complura extant, reliquit autem prope centum & octoginta libros. Cicero autem in Bruto, cum scribit eloquentiæ tantum assumpsisse, ut ius civile facile tueri posset. Nec facile, inquit, quem dixerim plus studij, quam illum & ad dicendum, & ad omnes bonarum artium disciplinas adhibuisse. Item, Atque haud scio an par principibus esse potuisset, sed fortasse maluit id quod est adeptus, longe omnium non eiusdem modo ætatis, sed eorum etiam qui fuissent in iure civili esse princeps. Sic enim existimo iuris civilis magnum usum & apud Scævolam & apud multos fuisse, artem in hoc uno: quod nunquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera & falsa iudicarentur, & quæ quibus propositis essent, quæque non essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem, omnium artium maximam, quasi lucem ad ea quæ confuse ab aliis aut respondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Recte, inquam, intelligis, sed adiunxit etiam & literarum scientiam, & loquendi elegantiam, quæ ex scriptis eius, quorum similia nulla sunt, facillime perspici potest. Cumque discendi causa duobus peritissimis operam dedisset, L. Lucilio Balbo, C. Aquilio Gallo, Galli hominis acuti & exercitati promptam & paratam in agendo & in respondendo celeritatem subtilitate diligentiaque superavit. Balbi docti & eruditi hominis in utraque re consideratam tarditatem vicit expediendis conficiendisque rebus. Sic & habet quod uterque eorum habuit, & explevit quod utrique defuit. Hæc Cicero. Idem præterea in Murenianam ostendit, Sulpicium Quæsturam Præturamque gessisse: [illegible] peculatus ei in Prætura obtigisse. Asconius autem in argumento Milonianæ scribit eû Anno DCCI. V. Calend. Martias mense intercalario interre[x]

A[illegible] [illegible] Cn. Pompeium solum consulem creasse; Anno vero insequenti ipse cum M. Marcello Consul (ut diximus) fuit. [illegible] Cæsare [illegible] Athenis se contulisset, tandemque ab illo restitutus, Cumque postea factus esset, Romam reversus est, legatusque à Senatu ad M. Antonium Triumvirum, qui Mutinæ D. Brutum obsidebat, missus, veteranosque perditis consiliis ad sanitatem [illegible]. Quæ in legatione interiit, ut ex eius legatione apud Ciceronem intelligitur, quæ Philippica IX. legitur. Meminit idem lib. Epistolarum 77. ad Attic. [illegible]. Agellius lib. 2. cap. 10. & lib. 6. cap. 8.

P. ALFENUS Varus Iurisconsultus, Consul fuit cum P. Vinicio, Anno DCCLII. ut Pomponius significat, qui Ser. Sulpitij discipulis, hunc fuisse, ait, et plurimumque ex ipsius auditoribus auctoritatis habuisse. Agellius quoque lib. 6. cap. 5. eundem discipulum appellat, ubi quidem librum Digestorum trigesimum quartum, & Catil. [illegible] secundum citat. Huc eadem pertinet [illegible] scriptum 62. D. de. dot. [illegible] Horatius Sermonum 1.

— ut Alfenus Vafer omni

Abiecto instrumento artis, clausaque taberna

Sutor erat.

Ubi Acron: Vafrum, inquit, Alfenum Varum Cremonensem dicit, qui abiecta sutrina, qua in municipio suo exercebatur, Romam venit magistroque usus Sulpitio iurisconsulto, ad eam pervenit scientiam, ut & consulatum gereret, & publico funere efferretur. Alterum Alfenum [illegible] quantum studio intendit, ut beneficio artis huius statum [illegible] sumeret, & ad consularem conscenderet dignitatem. Sunt qui illum Cremonensem fuisse [illegible] [illegible] Alfenum item [illegible] ab hoc Lampridius inter Alexandri Imper. consiliarios numerat, Ulpiani, Pauli, Pomponij, aliorumque eruditorum æqualem.

A. CASCELLIUS Iurisconsultus Ser. Sulpitij auditor numeratur à Pomponio, qui eundem in equestri ordine permansisse ait: Cascelliumque [illegible] fuisse, & libros de iure civili plurimos, & quintam partem operis [illegible], reliquisse, primumque de legibus [illegible] conscripsisse, item de iurisdictione, eundem edictum prætoris diligenter composuisse. Huius Ofilij [illegible] fuisse videtur Clodia, quam Plinius lib. 7. cap. 48. centum & quindecim annos vixisse, quindecies autem enixam esse tradit. Meminit Cicer. lib. Epist. fam. 7. & 16. Ad Att. 13.

T. CÆSIUS Iurisconsultus Servij Sulpitij auditor numeratur à Pomponio. Apud Ciceronem, Marcum & Sextum Cæsium reperio, sed nihil ad nostrum.

AUFIDIUS Tucca Iurisconsultus Servij Sulpitij auditor numeratur à Pomponio. Cicero T. Aufidij in Bruto meminit, qui vix ad summam senectutem, et is quidem & bonus vir & innocens, sed dicebat parum. Fuit & T. Aufidius Asiæ prætor in Orat. pro Flacco.

AUFIDIUS Namusa Iurisc. Ser. Sulpitij auditor numeratur à Pomponio, traditurque [illegible] eorum scripta in centum quadraginta libros digessisse.

FRA-

Flavivs Priſcus Iuriſconſultus Ser. Sulpitij auditor numeratur à Pomponio.

C. Ateivs Pacuuius Iuriſconſultus Ser. Sulpitij auditor à Pomponio numeratur.

Labeo Antiſtius Cinna Iuriſconſulti Ser. Sulpitij auditor à Pomponio numeratur. Tribunus plebis fuit, Sylla & Pompeio Coſs. De quo Cicero in Bruto, Rabula, inquit, ſanè probabilis: qui multos cùm tacuiſſet annos, neque contemni ſolum, ſed irrideri etiam ſolitus eſſet, in Tribunatu primùm contra C. Iulij illam Conſulatus petitionem extraordinariam veram cauſſam agens eſt probatus. Itaque poſt Tribunatum primò multæ ad eum cauſſę, deinde omnes, maximæ quæcunque erant, deferebantur. Hæc Cicero. Plutarchus autem & Oroſius, Appianus item & Velleius tradunt hunc cùm Pompeii ſocer eſſet, vt Syllanum à Marianis interfectum fuiſſe. Appianus autem lib. bel. ciuil. quarto extremo factum eius memorabile prodit, quod ſubiiciam: λαβεὼν δὲ ἐπὶ σοφίᾳ γνώριμος, ὁ πατὴρ λαβεῶνος τοῦ κατ᾽ ἐμπειρίαν νόμων ἔτι νῦν περιωνύμου, βόθρον ἐν τῇ σκηνῇ τὸ μέγεθος αὐταρκῆ σώματι ὀρυξάμενος, καὶ τὰ λοιπὰ τοῖς θεράπουσιν ἐντειλάμενος ἐπέσκηψε τῇ γυναικὶ, καὶ τοῖς παισὶ περὶ ὧν ἐβούλετο, καὶ τὰ γράμματα φέρειν ἔδωκε τοῖς οἰκέταις. τῶν δὲ πιστοτάτου τῆς δεξιᾶς λαβόμενος, καὶ περιστρέψας αὐτὸν ὡς ἔθος ἐστὶ ῥωμαίοις ἐλευθεροῦν, ἐπιστρεφομένῳ ξίφος ἔδωκε, καὶ τὴν σφαγὴν ὑπέσχε. καὶ τῷδε μὲν ἡ σκηνὴ τάφος ἐγένετο. id eſt, Labeo verò doctrina & prudentia clarus, pater Labeonis qui propter iuris ciuilis peritiam hodiéque celebratur, cùm foſſam in tabernaculo ſuo pro corporis ſui magnitudine fodiſſet, mandatáque ſuis ſeruis ceteris de rebus dediſſet, vxori ac liberis vt voluit proſpexit, literáſque ſeruis ad eos dedit. Tum eorum fideliſſimum dextra prehendit, eúmq; circumegit, vt mos eſt Romanis manumittere conuerſóque gladium tradidit, & iugulum præbuit atque huic quidem tabernaculum pro ſepulcro fuit.

Pvblicivs Agellius Iuriſconſ. Ser. Sulpitij auditor à Pomponio numeratur in libris Florentinis corruptè. duarum namque familiarum hæc nomina ſunt. In vulgatis libris, Publius Cæcilius. Legendum opinor, Publicola Agellius, pro Pomponij & ipſius ætatis conſuetudine. vt ſit L. Agellius Publicola, de quo Cice. in Bruto, Nõ tam vendibilis orator, quàm vt neſcires quid ei deeſſet nec enim erat indoctus, nec tardus ad excogitandum, nec Romanarum rerum immemor, & verbis ſolutus ſatis, ſed in magnos oratores inciderat eius ætas. multam tamen operam amicis & vtilem præbuit, atque ita diu vixit, vt multarum ætatum oratoribus implicaretur, multum etiã in cauſſis verſaretur. Hunc Valer. Max. lib. 5. cap. 9. omnibus honoribus ad Cenſuram vſque functum fuiſſe tradit.

C. Trebatius Iuriſconſultus, eques R. Ciceronis familiariſſimus, ad quem exſtant ſcripta ab eodem Topica, & epiſtolæ complures, omnes propè feſtiuæ & iucundæ. Hunc Pomponius Cornelij Maximi auditorem fuiſſe tradit, compluréſque reliquiſſe libros, ſed qui parum frequententur. Eiuſdem autem tantam apud Auguſtum auctoritatem fuiſſe Iuſtinianus ſub tit. De codicillis, tradit, vt eius ſuaſi atque conſilio codicillorum vſum receperit. Exſtat etiam Horatij Satyra lib. Sermonum II. ad Trebatium Iuriſconſultum, quem, niſi Porphyrionis me moueret auctoritas, vix hunc eundem fuiſſe putarem: cùm etiam Acron eum Iuriſperitum quendam nominet. Porphyrio verò ſcribit eum locum obtinuiſſe inter Poëtas, & aliquot libros de iure ciuili compoſuiſſe, & de religione nouem. Citantur autem De religione libri eius à Macrob. lib. 3. cap. 4.

A. Cascelivs Iuriſconſultus, Quæſtorius fuit: nec vltra, inquit Pomponius, proficere voluit, cùm illi etiam Auguſtus Conſulatum offerret. Quod autem apud eundem ſic legitur, Fuit Aulus Caſcelius Quintus Mutius Voluſij auditor, denique in illius honorem teſtamento Publium Mutium nepotem eius reliquit heredem: corruptum videtur. Primum enim Qvinti Mutij in ſecundo caſu poſtulat, quod ſtatim de P. Mutio eius nepote infert. At verò Voluſius non cognomen ſed nomen familiæ fuit Plinius autem Volcatium nominat huiuſce præceptorẽ libr. 8. cap. 40. Remedium igitur aut ab antiquo libro, aut ab eruditiore aliquo expectemus. nunc illud quod Macrobius refert lib. 2. ca. 16. adiiciemus. Caſcelius Iuriſconſultus vrbanitatis. Quod autem de Furio & Caſcelio prædiatoribus Cicero pro Balbo, & Valerius Maximus lib. 8. ca. 13. commemorant, quos Qu. Scæuolæ æquales faciunt, nihil ad hunc noſtrum pertinere conſtat. Huius autem noſtri ſcripta præter vnum librum Benedictorum, Pomponius ſuo tempore non exſtitiſſe affirmat. Benedicta autem facetas & acutas reſponſiones quales ſuperius protulimus, interpretamur.

Q. Ælivs Tubero Iuriſconſultus patricius, vt ait Pomponius, fuit, & à cauſſis agendis ad ius ciuile tranſiit. maximè poſtquam Q. Ligarium accuſauit, nec obtinuit apud Caium Cæſarem. Is eſt Q. Ligarius, qui cùm Africæ oram teneret, infirmum Tuberonem applicare non permiſit, nec aquam haurire: quo nomine eum accuſauit, & Cicero defendit. Tuberonem autem cùm dicit, patrem intelligit. Nam vt ex huius Oratore intelligitur, Q. Ligarius à C. Conſidio proconſule prouinciæ præfectus fuerat. Cùm autem Actius Varus in eam, pulſus à C. Cæſare veniſſet, Q. Tuberonem huiuſce patrem, cui ea prouincia obuenerat, portu prohibuit. De filio igitur illa Pompon. quibus hæc addit, Tuberus doctiſſimus quidem habitus eſt iuris publici & priuati, & complures vtriuſque operis libros reliquit. ſermone etiam antiquo vſus affectauit ſcribere, & ideo parum libri eius grati habentur. Meminit Cæſar lib. De bello ciuili I.

Ateivs Capito Iuriſconſultus quem Pomponius & Tacitus Conſulem fuiſſe produnt. vt valde mirer, Caſſiodorum, & Dionem ſcriptum habere Ann. DCCLXIIII. C. Fonteium cum Germanico Cæſare. Hunc Tacitus principem in ciuitate locum ſtudiis ciuilibus aſſecutum tradit libro tertio extremo, principiique ac dominantibus obſequentiorem fuiſſe. Pomponius autẽ Ofilio præceptori operam dediſſe, inque iis quæ ab eo acceperat perſeueraſſe. In eundẽ M. Pomponij Grammatici memorabile dictum celebratur ab auctore libelli De Grammaticis illuſtribus. Nam cùm Pomponium ex oratione repre-

hendiſſet,affirmante Ateio Capitoue & eſſe il- A
lud Latinum, & ſi non eſſet, fututum certè iam
inde: Mentitur, inquit, Capito. Tu enim Cæſar
ciuitatem date poteſt hominibus,verba non po-
tes. Meminit Agellius libr. 13.cap.12.libr.4.cap.
14.libro decimo,cap.20.Macrob.lib. Satut.ſepti-
mo,cap. 13.

ANTISTIVS Labeo Iuriſconſul. ſuperiotis fi-
lius,à Pomponio Trebatij diſcipulus fuiſſe tra-
ditur, conſularúmque ſibi ab Auguſto delatum
recuſaſſe: ſed plurimam ſtudiis uperam dediſſe, B
totúmque annum ita diuiſiſſe,vt Romæ ſex men-
ſibus cum ſtudioſis eſſet, ſex menſibus ſecede-
tet,& conſcribendis libris operam daret. itaque
quadringēta volumina reliquiſſe,ex quibus plu-
rima iuter manus ſuo tempore verſabantur.Eun-
dem prætetea ingenij qualitate, & fiducia do-
ctrinæ, qui & ceteris operis ſapientiæ operam
dederat, plurima innouare iuſtituiſſe. Hunc Ta-
citus lib. 3.extremo iuris ciuilis ſcientia Capito- C
nem Atteium antecelluiſſe ſcribit,& incorrupta
libertate,atque idcirco fama celebtariorem fuiſ-
ſe,Prætutámque eum geſſiſſe tantum: aditum e-
nim ad Conſulatum iniutia illi præcluſum fuiſſe.
Lubet etiam locum Agellij ex lib. 13. cap. 12. do
hoc noſtro ſubſcribere. In quadam epiſtola Ateij
Capitonis ſcriptum legimus, Labeonem Anti-
ſtium,legum atque morum populi R.iuriſque ci-
uilis doctum apprimè fuiſſe.Sed agitabat,inquit,
hominem libertas quidem uimia atque vecors: D
vſque eò,vt D.Auguſto iam principe, & Remp.
obtinente, ratum tamen penſúmque haberet,
niſi quod iuſtum ſanctúmque eſſe in Rom. anti-
quitatibus legiſſet. Ac deinde narrat, quid idem
Labeo per viatorem à Trib. plebis vocatus re-
ſponderit,Cùm à muliere, inquit, quadam Tri-
bun.plebis aduerſum eum aditi,Gellianum ad eū
miſiſſent,vt veniret,& mulieri reſponderet:iuſſit
eum qui miſſus erat, redire, & Tribunis dicere, E
ius eos non habere,neque ſe,neque alium quen-
quam vocādi:cùm moribus maiorum Trib. pleb.
prehenſionem haberent,vocationem non habe-
rent:poſſe igitur eos venire,& prehendi ſe iube-
re,ſed vocandi abſentem ius non habere.Memi-
nit idem libr. 20.cap.1. De eodem Suetonius in
Auguſto his verbis Antiſtius Labeo, ſenatus le-
ctione, cùm Triumuitum legeret Marcum Le-
pidum hoſtem olim eius,& tunc exulantem, in-
terrogatus ab eo, an non eſſent alij digniores, F
ſuum quenque iudicium habere reſpondit.Nec
ideo libettus aut contumacia fraudi cuiquam
fuit.

MASVRIVS Sabinus,Iuriſconſultus,Ateio Ca-
pitoni ſucceſſiſſe traditur à Pomponio, eque-
ſtrémque in otdinem iam natu grandem ac propè
quinquagenarium receptū fuiſſe, & publicè pri-
mum de iure reſpondendo ſcripſiſſe. poſt eum e-
nim hoc beneficium à Ti.Cæſare cepit.Huic,in-
quit idem,nec amplæ facultate fuerunt, ſed plu-
rimum à ſuis auditotibus ſuſtentatus eſt. Citan-
tur autem eius libri à Agellio & Macrobio mul- G
tis locis.

COCCEIVS Nerua Iuriſconſultus Antiſtio La-
beoni ſucceſſiſſe traditur à Pomponio, Cæſarí-
que Tiberio familiariſſimus fuiſſe: quod idem
Tacitus libr. 5.confirmat. Cùm enim lib.4.ſcri-
pſiſſet,Cocceium Neruam,ſenatorem Conſula-
tu functum,cui legum peritia,à Tiberio in Cam-
paniam proficiſcente deductum eſſe, tum libr.5.
Nerua,inquit, continuus principis, omnis diui-
ni humanique iuris ſciens, integro ſtatu,corpo-
re inlæſo, moriendi conſilium cepit. Quod vt
Tiberio cognitum, adſidete, cauſſas requirere,
addere preces, fateri poſtremò graue conſcien-
tiæ, graue famæ ſuæ,ſi proximus amicorum nul-
lis moriendi rationibus vitam fugeret, aduerſa-
tus ſermonem Nerua,abſtinentiam cibi coniun-
xit. ferebant ignari cogitationum eius quanto
propius mala Reipublicæ viſeret, ita & metu
dum integer, dum intemtatus, honeſtum finem
voluiſſe.

COCCEIVS Nerua Iuriſconſultus, ſuperioris
filius, traditur ab Vlpiano, Anno ætatis XVII.
aut paullò grandior publicè de iure reſpōſitaſſe.
l. 1. D. poſtul.

C. CASSIVS Longinus.Iuriſconſultus,Maſurio
Sabino ſucceſſiſſe traditur à Pomponio, natúſ-
que ex filia Tuberonis quæ fuit neptis Ser. Sul-
pitij: & ideo proauum ſuum Ser.Sulpitium ap-
pellaſſe. Conſúlque fuiſſe cum Quartino tempo-
ribus Tiberij: ſed plurimum in ciuitate auctori-
tatis habuiſſe, eoúſque donec eum Cæſar ciuita-
te pelleret.expulſus ab eo in Sardiniam, reuoca-
tus à Veſpaſiano diem ſuum obiit. Hæc Pompo-
nius. Tacitus autem libro duodecimo, ſcribit
hunc imperante Claudio Syriæ præfuiſſe, eáque
tempestate ceteris præcelluiſſe peritia legum.nā
militares artes per otium ignotæ, induſtrióſque
ac ignauos pax in æquo tenet. attamen quantum
ſine bello dabatur, reuocare priſcum morem,
exercere legiones, cura prouiſum, agere perin-
de ac ſi hoſtis ingrueret. ita dignum maioribus
ſuis, & familia Caſſia tatus, per illas quoque
gentes celebratra. Et libr.14.orationē eius com-
memorat,in Senatu habitam, cùm quæreretur,
an vetere ex more familiam omnem Pedanij
Secundi præfecti vrbis, quæ ſub eodem tecto
fuerat, cùm ille à ſeruo vno interfectus fuiſſet,
ad ſupplicium agi opotteret. qua oratione ma-
iorum morem retinendum imitandúmque diſ-
ſeruit. At libr. 16. Neronem miſſa ad Senatum
oratione remouendum à Republ. Caſſium diſ-
ſeruiſſe, obieciſſéque Caſſio, quod inter imagi-
nem maiorum etiam C. Caſſij effigiem coluiſ-
ſet, ita inſcriptam: DVCI PARTIVM. quod
idem Suetonius in Nerone ſcriptum reliquit,
adiicitque eundem Caſſium tunc luminibus or-
batum fuiſſe. nec ita multo pòſt, Idem Nero
appoſuit qui quaſi iudices Lepidam Caſſij vxo-
rem, Syllani amitam,inceſtum cum fratris fi-
lio, & diros ſacrorum ritus facere denuncia-
rent. túmque Senatuſconſulto Caſſio exilia de-
cernuntur, deportatúſque in Inſulam Sardi-
niam.

CASSIVS Longinus Iuriſc. alter à ſuperiore,
numeratur à Pomponio, qui ex equeſtri ordine
ad Præturam peruenit.

PROCVLVS Iuriſconſult. à Pomponius traditur
Neruæ patri ſucceſſiſſe, tantáque auctoritate
fuiſſe, vt cùm acceptam à Labeone & Nerua
quaſi ſectam acerrimè tueretur, qui in eam par-
tem ſtudioſi ſe dabant,Proculeiani vocitati ſunt.
Quo tempore autem quóque vitæ genere fue-
rit, non conſtat. Tacitus libro 18. ſub Othone
Procu-

Proculum Prætorij præfectum nominat. Vlpianus autē in l. diui, D. de iure patron. non leuem iuris auctorem hunc appellat. Duos autem patrem ſcilicet & filium fuiſſe, confirmari ex l. & Proculo, 30. D. de legat. & fid. 2. non poteſt. nam de patre ſuo Celſus, non Proculi perſpicuè loquitur.

C æ l i v s Sabinus Iuriſc. Caſſio Longino in iuris diſciplina ſucceſſiſſe traditur à Pomponio, plurimúmque Veſpaſiani temporibus potuiſſe. Cornelius autem Tacitus libr. 17. ab Othone deſtinatum ei bimeſtrem Conſulatum cum Flauio Sabino ſcribit: à Calendis Maij ad Cal. Iulias. Eiuſdem Agellius libro 7. ca. 4. meminit, quem ait ſcriptum reliquiſſe pileatos ſeruos venū ſolitos ire, quorum nomine venditor nihil præſtaret.

P e g a s v s Iuriſconſ. Proculo in Iuris ciuilis diſſenſione ſucceſſiſſe traditur à Pomponio et præfectúſq; vrbis Veſpaſiani temporibus fuiſſe. Creditur is eſſe Pegaſus quo Conſulatum cum Puſione gerēte s. c. factum eſt, quod vulgò Pegaſianum vocatur, vt ei qui rogatus eſſet hereditatem reſtituere, perinde liceret quartam partē retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere conceditur. vt Iuſtin. libr. Inſt. 3. ſub tit. De fideicommiſ. hered. teſtatur. De hoc illud eſt Iuuenalis Satyra IIII.

Pegaſus attonitæ poſitus modò villicus vrbi
Anne aliud tunc præfecti? quorū optimus, atque
Interpres legum ſanctiſſimus.

P r i s c v s Iauolenus Iuriſc. Cælio Sabino in iuris ciuilis diſſenſione ſucceſſiſſe traditur à Pomponio. vixit autem Adriani & Antonini Pij temporibus. Capitolinus enim in huius vita ſcribit Iauolenum in iure conſtituēdo magno huic Imperatori vſui fuiſſe. Hunc Iulianus præceptorem ſuum fuiſſe ſcribit in l. an apud ſe, 5. D. de manumiſ. vind. & in Africa & Syria cū imperio fuiſſe, iuriſdictionémq; exercuiſſe teſtatur. Plinius autem ſecundus Epiſtolarum libr. 6. hiſtoriam de eo commemorat, quam propter iucunditatem adſcribere eſt melius. Mirificæ rei non interfuiſti, ne ego quidem, ſed me recens fabula excepit. Paſſienus Paullus, ſplendidus eques Romanus, & in primis eruditus, ſcripſit elegos: gentilitium hoc illi. eſt enim municeps Propertij, atque etiam inter maiores ſuos Propertium numerat. Is cùm recitaret, ita cœpit dicere, Priſce iubes? Ad hoc Iauolenus Priſcus, Ego verò non iubeo. Cogita qui riſus hominum, qui ioci, quòd eſt omnino Priſcus dubiæ ſanitatis. Intereſt tamen officiis, adhibetur conſiliis, atque etiam ius ciuile publicè reſpondet: quo magis, quod tūc fecit & ridiculum, & notabile fuit. Interim, Paullo aliena deliratio aliquantū frigoris attulit. Tam ſollicitè recitaturis prouidendum eſt, non ſolùm vt ſint ipſi ſani, verumetiam vt ſanos adhibeant.

C e l s i duo Iuriſconſ. pater & filius, à Pomponio memorantur, Pegaſianámque ſectam ſecuti traduntur. Spartianus autem in Adriano de altero ſcribit his verbis: Cùm iudicaret, in conſilio habuit non amicos ſuos, aut comites ſolùm, ſed Iuriſconſultos ac præcipuè Iulium Celſum, Sabinum, Iulianum, &c. Filium autem bis Conſulem fuiſſe Pomponius teſtatur. Eius autem reſponſum extat in l. pater, 29. D. de leg. 2. in quo patrem ſuum in cōſilio Diui Veri Conſulis qui de fideicōmiſſo ius dicebat, fuiſſe teſtatur. Hūc Iuuentium Celſum fuiſſe lex proxima declarat.

P r i s c v s Neratius Iuriſconſultus à Pomponio numeratur, traditúrque Pegaſianam ſectam cum Iulio Celſo filio tenuiſſe, & cum eo Conſulatum geſſiſſe. Spartianus autem in Adriano de eo ſic ſcribit: Frequens ſanè opinio fuit Traiano id animi fuiſſe, vt Neratium Priſcum nō Adrianum ſucceſſorem relinqueret, multis amicis in hoc conſentientibus, vſq; eò vt Priſco aliquando dixerit: Commendo tibi prouincias, ſi quid mihi fatale contigerit. Item aliquanto pòſt: Cùm Adrianus iudicaret, in conſilio ſuo habuit non amicos ſuos, aut comites ſolùm, ſed Iuriſconſultos, & præcipuè Iulium Celſum, Neratium Priſcum, alióſque quos tamen Senatus omnis probaſſet.

A b v r n i v s Valens Iuriſconſultus, nominatur à Pomponio, & Iauoleno Priſco in Iuris ciuilis diſciplina ſucceſſiſſe. Capitolinus autem in Antonino Pio Saluium Valentem inter eos Iuriſconſultos numerat, quibus Antoninum Pium vſum tradit. vt hunc noſtrum Saluium Valētem Aburnium appellatum fuiſſe veriſimile ſit. Aburnius enim non Aburnus in Florentinis libris ſcriptum reperio.

T v s c i a n v s Iuriſconſultus nominatur à Pomponio, & Iauoleno Priſco in Iuris ciuilis diſciplina ſucceſſiſſe traditur. Eius tamen nuſquam mentionem reperio, vereórque ne pro T. Metiano ſcriptum ſit Tuſciano. Nam T. Voluſium Metianum vnà cum valente Capitolinus in Antonino coniungit: cui Valenti Tuſcianum Pomponius ſocium attribuit.

S a l v i v s Iulianus Iuriſconſultus nominatur à Pomponio, traditúrque Pegaſianorum ſectam ſecutus fuiſſe. Hunc Didij Iuliani, qui poſt Pertinacem Imperium R. adeptus eſt, proauū fuiſſe. Spartianus ſcribit: quem adſcribit bis Conſulem, præfectum Vrbi, & Iuriſconſultum fuiſſe: quod magis, inquit, eum nobilem fecit. In Adriano verò idem ſcribit, Iulianum hunc ſemper ab eodem Imperatore in conſilio adhibitū fuiſſe cùm res iudicaret. Eutropius autem lib. 9. hūc ipſum ſub eodem Imperatore Adriano perpetuum edictum compoſuiſſe ſcribit. quod ipſum Iuſtinianus confirmauit in l. 2. C. de ver. Iur. enucl. vbi Iulianum legum & edicti perpetui ſublimiſſimum conditorem appellat. Itémque in l. penul. C. de cond. indebit. vbi Saluium Iulianū ſublimiſſimum teſtem, ſummæque auctoritatis hominem, & Prætoriani edicti ordinatorem fuiſſe ſcribit. & in l. antequam, C. de vſufru. ſummum Iuris ſcientiæ auctorem nominat. Ipſe autem in l. an apud ſe, 5. D. de manum. vind teſtatur ſe Iauoleni auditorem ac diſcipulum fuiſſe. Hactenus Pomponius.

V o l v s i v s Metianus Iuriſconſultus in Pandectarum libris celebratur, interque iuris auctores præcipuos numeratur. Eo cōſiliario Antoninum Pium, magiſtro Antoninum Philoſophum vſum eſſe, Iulius Capitolinus tradit. Metianū item alterum, huius fortaſſe filiū Lampridius Alexandri Imper. in conſilio cū Africano, Florētino, Pomponio, Paulo commemorat,

i MARTIANVM Iuriſconſultum Lampridius inter Alexandri Imper. conſiliarios numerat, & Vlpiani, Pauli, Pomponiique, aliorúmque complurium æqualem facit.

L. CARVIDIVS Scæuola Iuriſconſultus, M. Antonini Philoſophi conſiliarius fuiſſe traditur à Iulio Capitolino: maximóque vſui ſuo Imperatori fuiſſe. Hunc inter principes & coryphæos Iuriſconſultorum numerat Modeſtinus in libr. De excuſationibus. Quin & Theodoſius Imper. lib. Theodoſiani Codicis IIII. ſub titulo, De teſtam. l. 3. prudētiſſimum Iuriſconſultorum appellat.

ÆMILIVS Papinianus Iuriſconſultus præfectus Prætorio, Septimio Seuero imperante fuiſſe traditur à Spartiano, qui eum iuris aſylum, & doctrinæ legalis theſaurum, appellat. Item aliquāto pòſt Papinianum amiciſſimum fuiſſe Imperatori Seuero, & vt aliqui loquuntur, affinem etiam per ſecúdam vxorē, memoriæ traditur. & huic præcipuè vtrumque filium à Seuero commendatum, eúmq; cum Seuero profeſſum, ſub Scæuola & Seuero in adminiſtratione fiſci ſucceſſiſſe, atque ad hoc concordiam fratrum Antoninorum fouiſſe. egiſſe quinetiam ne occideretur, cùm iam de inſidiis eius Baſſianus quereretur, atque ideo vnà cum his qui fautores fuerunt Geræ, à militibus, non ſolùm permittente, ſed etiā ſuadente Antonino occiſum. Multi dicunt, Baſſianum occiſo fratre illi mandaſſe, vt & in ſenatu per ſe & apud populum, facinus dilueret: illum autem reſpōdiſſe, Non tam facilè parricidiū excuſari poſſe, quàm fieri. Fertur etiam, Papinianū cùm raptus à militibus ad Palatium traheretur occidendus, prædiuinaſſe dicentem, ſtultiſſimum fore qui in ſuum ſubrogaretur locum, niſi appetitam crudeliter præfecturam vendicaret. Eius diſcipulos Lampridius in Alexandro numerat Pomponiū, Alfenum, Africanum, Florētinum, Marcianum, Calliſtratum, Hermogenem, Venuleium, Tryphonium, Medianum, Celſum, Proculum, Modeſtinum. Aſſeſſores autem eiuſdem Paullum & Vlpianum. Tryphoninus in l. reſcriptum, 12. D. de diſtr. pign. de eo ita ſcribit: Reſcriptum eſt ab imperatore, libellos agente Papiniano: id eſt, cùm libellorum magiſter eſſet. Eundem Spartianus ab Antonino Caracalla qui fratrem interfecerat, quū ab illo factum hoc improbaretur, necari iuſſiſſe ſcribit. Papinianus, inquit, ſecuri percuſſus eſt, & à militibus occiſus. quo facto Imperator percuſſori dixit: Gladio te exequi oportuit meum iuſſum. Eius hoc epitaphium in libro Antiquorum epigrammatum reperi, D. M. Æmylio Paullo Papiniano præfect. prætor. Iuriſconſ. qui vixit annis XXXVI. diebus X. M. I I I. Papinianus Hoſtilius Eugenia Gracilis turbato ordine in ſenio heu parentes fecerunt filio opt.

FABII Sabini Iuriſconſulti pater & filius memorantur. Filius à Lampridio Cato ſui temporis appellatur, & inter Alexandri Seueri cōſiliarios cum Vlpiano, Paullo, aliiſque compluribus numeratur.

DOMITIVS Vlpianus Iuriſconſultus, Phœnice Syriæ vrbe natus, quēadmodum ipſe in l. 1. D. de cenſibus teſtatur, conſiliarius Alexandri Seueri, & magiſter ſcrinij, Papinianique præfecti Prætorio aſſeſſor cum Paullo fuiſſe traditur à Lampridio, magnóq; in honore apud ſuum Imperatorem, & primum doctiſſimorū Iuriſperitorū, & principi fideliſſimum fuiſſe. neq; vnquā Alexandrum ſolum niſi Vlpianū præfectum ſuū vidiſſe, ex aſſeſſore ſemper ſuo, cauſſa iuſticiæ ſingularis. cùm autem alterum adbibuit, & Vlpianum rogari iuſſiſſe. Et aliquāto pòſt: Vlpianum, inquit, Alexāder pro tutore habuit, primùm repugnante matre, deinde gratias agente, quem ſæpe à militum ira obiectu purpuræ ſummè defendit: atque ideo ſummus Imperator fuit, quòd eius conſiliis præcipuè Rempub. rexit. Itaque idem Imperator in l. 4. C. locat. præfectum prætorio & parentem ſuum appellat. & in l. 4. C. de contrahen. ſtipu. reſcriptum ſuum ſic exorditur, Secundum reſponſum Domitij Vlpiani præfecti annonæ, Iuriſconſulti, amici mei, ea quæ ſtipulata eſt, &c. Xiphilinus è Dione ſcribit, ei ab Alexandro Imp. præfecturam Prætorianorum datam, ceteráque quæ ad imperij adminiſtrationem pertinent, ei permiſiſſe. Cùm autem Vlpianus multa quæ non rectè à Sardanapalo facta erāt emēdaſſet, ipſum non multo pòſt à Prætorianis, qui de nocte eum inuaſerunt, interfectum eſſe: quanquam in Palatium ad Imperatorem eiúſq; matrem confugiſſet. Hunc eundem Modeſtinus in libro De excuſationibus, præſtantiſſimū, & cum Paullo ac Scæuola Iuriſconſultorum coryphæum ac principē appellat. Diocletianus autem in l. Diuo Marco, C. de quæſt. prudentiſſimum. Iuſtinianus in l. vlti. C. de inſt. & ſubſt. diſertiſſimum: in l. vn. §. ne autem, C. de cad. toll. ſummi ingenij virum.

IVLIVS Paullus Iuriſconſultus, conſiliarius Alexandri Seueri, & Papiniani præfecti prætorio aſſeſſor vnà cum Vlpiano fuiſſe traditur à Lampridio: qui eundem præfectum vel ab Heliogabalo, vel ab eodem Alexādro fuiſſe adſcribit. Etiam de aſſeſſione ſua mentionem facit in l. lecta, D. de reb. cred. Libros in iure ciuili tam multos ſcripſit, vt facilè in eo genere ſuperiores omnes vicerit.

HARENNIVS Modeſtinus, Vlpiani fuiſſe diſcipulus videtur. Hic enim ſic ſcribit in l. ſi quis, quinquageſimaſecūda, D. de furt. Si quis aſinum meū coëgiſſet, furti non tenetur, niſi furandi animū habuit. quod & Herennio Modeſtino ſtudioſo meo de Dalmatia conſulenti reſcripſi &c. Gordiano Imperatore floruit, vt conſtat ex l. 5. C. ad exhib. vbi Imper. eum non contemnendæ auctoritatis Iuriſconſ. vocat. Arcadius Chariſius in l. vlt. D. de mun. & honoribus, ſcribit eū & uorando & diſputando bene & optima ratione quædam decreuiſſe.

QVIN-

QVINTA PARS EST; DE FORMVLIS ANTIQVIS.

FOrmulæ, quæ & Actiones dicebantur, vt ſuo loco demonſtrauimus, erant ſollemnium verborũ conceptiones, quibus eadem in re populus Roma. vti conſueuerat. Vulgus hodie ſtilum, formulariúmve appellat. Earum autem iuriſconſultos principes & tanquam architectos fuiſſe, nemo neſcit. quare quas ex diuturna obſeruatione veterum ſcriptorum collegimus, hanc in locum referendas putauimus. A B

Abdicationis L. Manlij.

Cvm silanvm filium meum pecunias à ſociis accepiſſe mihi probatum ſit, & Repub & domo mea indignum iudico, protinúſque è conſpectu meo abire iubeo. Ex Val. Max. libr. 5. cap. 8.

Abſolutionis in iudicio.

Nihil moror. Liuius libro 4. 9. 43. Non feciſſe videri. Cic. ad Att. lib. 4. C

Acceptilationis Aquilianæ.

Qvicqvid te mihi ex quacunque cauſſa dare facere oportet, vel oportebit, præſens, in diémve, aut ſub condicione: quarúmque rerum mihi tecum actio, quæve aduerſus te petitio, vel aduerſus te perſecutio eſt, eritve: quódve tu mecum habes, tenes, poſſides, quanti quæque earum rerum res erit, tantam pecuniam dari ſtipulatus eſt A. Agerius: ſpopondit Numerius Negidius. Quod Numerius Negidius A. Agerio promiſit, ſpopondítve, id haberétne à ſe acceptum, Numerius Negidius A. Agerium rogauit: A. Agerius Numerio Negidio acceptum fecit. Ex Inſtit. Iuſtin. lib. 3. tit. Quibus modis toll. oblig. Et Digeſt. lib. 46. De acceptilationibus. D

Actionis in perſonam.

Aio te mihi dare facere oportere. Val. Probus. & Iuſtin. §. ſic itaque, De actionibus. E

Actionis furti adiuti.

Ope consilio tuo furtum factum eſſe aio. Cicero De natura deor. libro 3. & libro quarto Inſtit.

Actionis in rem.

Petitor.

Fvndvs qvi est in agro qui Sabinus vocatur, meus eſt. eum ego ex iure Quiritium meũ eſſe aio. inde ibi ego te ex iure manu conſertum voco. F

Is vnde petitur.

Vnde tv me ex iure manu conſertum vocaſti, inde ibi ego te reuoco.

Prætor.

Vtrisqve ſuperſtitibus iſtam viam dico: Inite viam.

Idem.

Redite viam.

Petitor.

Qvando te in iure conſpicio, poſtulo ánne ſies auctor.

Is vnde petitur.

Avctor. sed ánne tu dicis, qua cauſſa vindicaueris. Hæc ex Oratione pro Muræna, pro Cæcina, & Val. Probo.

Actionis.

Qvam, rem, ſiue litem dicere oportet Varro lib. De lingua 6. & Cicer. pro Muræna.

Addictionis in diem.

Ille fundus centum eſto tibi emptus: niſi ſi quis intra Cālendas Ianuarias proximas meliorem condicionem fecerit, quò res à domino abeat. l. 1. D. de in diem addict.

Annuli aurei in concione donandi.

Qvandoqvidam tu in prælio, in bello in re militari mihi nunquam defuiſti, omnibúſque in periculis mecum verſatus es, ob haſce res hoc annulo aureo te dono. Hæc ferè ex Verrina Orat. 5.

Anteſtandi.

Olim qui anteſtabantur, auriculam contingebant, hiſque verbis loquebantur: licat antestari? ſi ille reſponderet, licet: iniectione manus aduerſarium ſuum in ius trahebat. Horatius Ser. 1. Satyr. 9. & in eundem Acron cum Porphyrio.

Arbitrij rei vxoriæ.

Qvantvm æquius melius ſit, dari. Cic. Offic. lib. 3. in Topic. pro Q. Roſcio l. pen. D. ſol. matr. l. ſi cùm Cornelius, 82. D. de ſolut.

Arbitrij fiduciæ.

Vt inter bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione. Cic. in Top. in Offic. lib. 3.

Arrogationis.

Velitis, iubeatis Quirites, vti L. Valer. L. Titio tam iure legéq; filius ſiet, quàm ſi ex eo patre matréq; familiâs eius natus eſſet: vtiq; ei vitę neciſq; in eũ poteſtas ſiet, vti pariẽdo filio eſt: hoc ita, vt dixi, ita vos Quirites rogo. Ex Agellij li. 5. c. 19. Suſpicor autẽ legendũ pro Pariẽdo, Patriẽdo, vt ſit, Endo pro In, vetuſtè. quã meã opinionẽ cùm iampridẽ in ſcholis noſtris indicaſſem, animaduerti poſtea à ſimilis quibuſdã quaſi pro ſua editã & diuulgatã fuiſſe. Eam autẽ locus hic Orat. pro domo, perſpicue confirmat: Credo enim, quanquã in illa adoptione legitime factum eſt nihil, tamen te eſſe interrogatum, auctórne eſſes, vt in te P. Fonteius vitæ necíſque poteſtatem haberet, vt in filio.

Aſſerendi in libertatem.

Hvnc ego hominem ex iure Quiritiũ liberali aſſero cauſſa manu. Terent. in Adelph. Plautus Pœnulo, & Curcul. Donat. in Ter. vide, Liberali cauſſa.

Digitized by Google

Belli indicendi. A

Legatus vbi ad fines eorum venit, vnde res
repetuntur, capite velato (filum lanæ velamen
eſt) AVDI IVPITER, inquit, audite fines (cuiuſ-
cunque gentis ſunt, nominat) audiat fas. ego
ſum publicus nũcius populi Romani: iuſtè pié-
que legatus venio: verbiſque meis fides ſit. Per-
agit deinde poſtulata, inde Iouem teſtem facit:
SI EGO iniuſtè, impiéque illos homines, illaſq;
res dedier populo Romano, mihique expoſco,
tum patriæ compotem me nunquam ſinas eſſe. B
Hæc, cùm fines ſuprascandit, hæc quicunque ei
primus vir obuius fuerit, hæc, portam ingre-
diens, hæc, forum ingreſſus, paucis verbis car-
minis, concipiendíque iuriſiurandi mutatis, per-
agit. ſi non deduntur quos expoſcit, diebus tri-
bus & triginta (tot enim ſollemnes ſunt.) pera-
ctis, bellum ita indicit: AVDI IVPITER, & tu Iu-
no, Quirine, diíque omnes cœleſtes, vóſque ter-
reſtres, vóſque inferni audite. Ego vos teſtor,
(populum illum, quicunque eſt, nominat) iniu- C
ſtum eſſe, neque ius perſoluere. ſed de iſtis rebus
in patria maiores natu conſulemus, quo pacto
ius noſtrum adipiſcamur. Cùm is nuncius Ro-
mam ad conſulendũ redit, cõfeſtim rex his fer-
mè verbis patres conſulebat: QVARVM rerum, li-
tium, cauſſarum condixit Paterpatratus populi
Romani Quiritium, Patripatrato priſcorũ La-
tinorum, hominibúſque priſcis Latinis, quas res
nec dederunt, nec ſoluerunt, nec fecerunt, quas
res dari, fieri, ſolui oportuit: dic (inquit ei, quem D
primum ſententiam rogabat) quid cenſes? Tum
ille: PVRO pióque duello quærendas cenſeo, itá-
que conſentio, conſciſcóque. Inde ordine alij
rogabantur. quandóque pars maior eorum qui
aderant, in eandem ſententiam ibat, bellum erat
conſenſu fieri ſolitum: vt fecialis haſtam ferra-
tam, aut ſanguineam præuſtam ad fines eorum
ferret, & non minus tribus puberibus præſenti-
bus diceret, QVOD POPVLI priſcorum Latino-
rum, hominéſque priſci Latini aduerſus popu- E
lum R. Quiritium fecerũt, deliquerũt, quod po-
pulus R. Quiritium bellum cum priſcis Latinis
iuſſit eſſe, ſenatúſque populi R. Quiritium cen-
ſuit, conſenſit, conſciuit, vt bellum cum priſcis
Latinis fieret: ob eam rem ego, populúſque R.
populis priſcorum Latinorum, hominibúſque
priſcis Latinis bellum indico, facióque. Id vbi
dixiſſet, haſtam in fines eorum emittebat. Ex Li-
uij lib.1.

Belli indicendi. F

QVOD POPVLVS Hermũdulus, hominéſque
populi Hermunduli, aduerſus populum Roma-
num bellum fecere, deliqueréque: quódque po-
pulus Romanus, cum populo Hermundulo, ho-
minibúſque Hermundulis bellũ iuſſit: ob eam
rem ego, populúſq; Romanus populo Hermun-
dulo, hominibúſq; Hermũdulis bellum indico,
facióque. Ex A. Gellij lib.16. cap.4.

Carminis Sibyllini.

QVANDOCVNQVE hoſtis alienigena terræ I- G
taliæ bellum intuliſſet, eum pelli Italia vincíque
poſſe, ſi mater Idæa Peſſinunte Romam aduecta
eſſet. Ex Liuij lib.29.

Carminis in ducendis nuptiis.

O Hymen Hymenææ Hymen, Hymẽ ô Hymenææ.
Hymen ô Hymenææ, Hymen ades, ô Hymenææ.

A Catullus duobus locis, Seruius Æneid.1. Plautus
in Caſina.

Cautionis de dolo malo.

VTI NE propter fidem tuam captus, frau-
datúſve ſim. Cic. lib. De offi.3.

Ceſſionis in iure.

In iure ceſſio fit hoc modo. Apud Magiſtratũ
populi Rom. vel apud Prætorem, vel apud Præ-
ſidem prouinciæ, is cui res in iure ceditur, rẽ te-
nens ita vindicat: HVNC EGO HOMINEM EX IV-
B RE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO. Deinde po-
ſtea quàm hic vendicauerit, Prætor interrogat
eum qui cedit, an contrà vindicet: quo negante
aut tacẽte, tunc ei qui vindicauerit eum addicit.
idq; Legis actio vocabatur. Boetius in Top. Ci-
cer. ex 2. comment. Caij.

Cinguli à Traiano Imp. præfecto præt. dati.

ACCIPITO hũc enſem, vt ſiquidẽ rectè, atq; è
Rep. imperauero, pro me: ſin ſecus, in me vtaris.

Coemptionis in matrimonio.

C Vir in coẽptione ſic ſtipulabatur: VISNE MV-
LIER mihi materfamiliâs eſſe? illa reſpondebat,
VOLO. item mulier interrogabat, VISNE VIR mi-
hi paterfamiliâs eſſe? ille reſpondebat, VOLO. itá-
que mulier viri conueniebat in manum: & vo-
cabantur hæ nuptiæ per coemptionem. Hæc
Boetius in Topic. ex Vlp. Inſt.

Coemptionis.

VBI TV Caius, & ego Caia. Plutarch. in Pro-
blem. & Cicero pro Muræn.

D Commeatus.

SI QVIS veſtrûm ſuos inuiſere vult, commea-
tum do: primo vere adſitis, edico. Liuius lib.30.

Conlucandi luci.

Lucum conlucare Romano more ſic oportet.
Porco piaculo facito. Sic verba concipito: SI
DEVS, ſi dea es, cuius illud ſacrum eſt, vti tibi ius
ſiet porco piaculo facere, illiuſce ſacri coercẽdi
ergô. Harúmque rerum ergô, ſiue ego, ſiue quis
E iuſſu meo fecerit, vti id rectè factum ſiet. Eius
rei ergô te hoc porco piaculo immolãdo bonas
preces precor, vti ſies volens propitius mihi, do-
mo, familiæq; meæ, liberiſq; meis. Harumce re-
rum ergô macte hoc porco piaculo immolãdo
eſto. Ex Catone De re ruſt. cap.139.

Conteſtandæ litis.

CONTESTARI litẽ dicũtur duo, aut plures ad-
uerſarij: quòd ordinato iudicio vtraque pars di-
cere ſolet, TESTES ESTOTE. Feſtus lib.3.

Cretionis in hereditatibus.

F Cretio eſt certarum dierũ ſpacium, quod da-
tur inſtituto heredi ad deliberandum, vtrum ex-
pediat ei adire hereditatem, nécne: velut, TITIVS
HERES eſto, cernitóq; in diebus centũ proximis,
quibus ſcieris, poteriſq;: niſi ita creueris, exheres
eſto. Cernere, eſt verba cretionis dicere, ad hunc
modũ: CVM ME Mæuius heredẽ inſtituerit, eam
hereditatẽ adeo, cernóque. Ex Vlp. Inſtit. c.22.

Decreti Trib. pl.

QVOD P. SCIPIO Africanus poſtulauit pro L.
G Scipione Aſiatico fratre, cùm contra leges, con-
tráq; morem maiorũ Trib. pl. hominibus accitis
per vim inauſpicatò ſententiã de eo tulerit, mul-
támq; nullo exẽplo irrogauerit, prædéſq; eũ ob
eam rẽ dare cogat: aut ſi non det, in vincula duci
iubeat: vt eũ à collegæ vi prohibeamus, & quòd
contrà collega poſtulauit, ne ſibi intercedamus,
quò

quò minus ſuapte poteſtate vti liceat : de ea re noſtrûm ſententia omnium data eſt : Si L. Cornelius Scipio Aſiaticus, collegæ arbitratu prædea dabit collegæ, ne eum in vincula ducat intercedemus : ſi eius arbitratu prædes non dabit, quo minus collega ſua poteſtate vtatur, non intercedemus.

Item.

CVM L. CORNELIVS Scipio Aſiaticus triumphans, hoſtium duces in carcerem coniectauerit, alienum videtur eſſe à dignitate Reipub. in eum locum imperatorem Pop. Rom. duci, in quem locum ab eo coniecti ſunt duces hoſtium. Itaque L. Cornelium Scipionem Aſiaticum à collegæ vi prohibeo. Ex Agell. libro 7. cap.19.

Dedicationis ſpoliorum & templi, qua Romulus Sabinorum rege interfecto eſt vſus.

IVPITER Feretri, inquit, hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero, templúmq; iis regionibus, quas modò animo metatus ſum, dedico, ſedem opimis ſpoliis, quæ regibus ducibúſque hoſtium cæſis, me auctorem ſequentes poſteri ferent. Ex Liuij lib.1.

Dedicati ſigni à T. Quintio.

Iupiter, atq; diui omnes hoc dederunt, vt T. Quintius dictator oppida nouem caperet. Ex Liuij lib.6.

Deditionis à fecialibus.

Quandoquidem hice homines, iniuſſu populi Rom. Quiritium fœdus ictum iri ſpoponderunt, atq; ob eam rem, noxâ nocuerunt : ob eam rem quo populus Ro. ſcelere impio ſit ſolutus, hoſce homines vobis dedo. Ex Liuij libro 9.

Deditionis.

Rex interrogauit: ATI'SNE VOS legati oratoréſque miſſi à populo Collatino, vt vos populum Collatinum dederetis? Sumus. Eſtne populus Collatinus in ſua poteſtate? Eſt. Deditiſne vos populum Collatinum, vrbem, agros, aquam, terminos, delubra, vtenſilia, diuina humanáqua omnia in meam populiq; Romani ditionẽ? Dedimus. At ego recipio. Ex Liuij lib.1.

Deferendi nominis.

Cùm in ius ventum eſſet, dicebat accuſator apud Prætorem reo, AIO TE SICVLOS SPOLIASSE. ſi tacuiſſet, lis ei æſtimabatur, vt victo : ſi negabatur, petebatur à magiſtratu dies inquirendorum eius criminum, & inſtituebatur accuſatio. Asconius in Verrin. II.

Deferendi nominis.

Conſul & dies. apud illum Prætorem vel Proconſulem L. Titius profeſſus eſt, ſe Mæuiam lege Iulia de adulteriis ream deferre, quòd dicat eam cum C. Seio in ciuitate illa, domo illius, menſe illo, Conſulibus illis, adulterium commiſiſſe. Paullus l.3. D. de accuſat.

Deuotionis vrbium & exercituum.

DIS PATER, ſiue Iouis, manes, ſiue quo alio nomine fas eſt nominare, vt omnes illam vrbem Carthaginem, exercitúmque quem eo me ſentio dicere, fuga, formidine, terrore compleatis, quique aduerſus legiones, exercitúmque noſtrum arma teláque ferét, vti vos eos exercitus, eos hoſtes, eóſque homines, vrbes, agróſque eo-

A rum, & qui in his locis, regionibúſq;, agris, vrbibúſque habitant, abducatis lumine ſupero principes: exercitúmque hoſtium, vrbes agróſque eorum, quos me ſentio dicere: Vti vos eas vrbes, agróſque, capita, ætatéſque eorum deuotas, conſecratáſque habeatis, illis legibus, quibus quandoque ſunt maximè hoſtes deuoti, eóſque ego, vicarios pro me fide magiſtratúque meo, & pro pop. Rom. exercitibus, legionibúſque noſtris do, deuoueo: vt me, meámque fidem, imperiúmque, legiones, exercitúmq; noſtrum, qui in his

B rebus gerundis ſunt, bene ſaluos ſinatis eſſe. Si hæc ita faxitis, vt ego ſciam, ſentiam, intelligam: Tunc quiſquis votum hoc faxit, vbi faxit, rectè factum eſt, ouibus atris tribus, Tellus mater, téque Iupiter obteſtor. Ex Macrobij lib.3. cap.9.

Deuotionis qua Decius eſt vſus.

IANE, IVPITER, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, diui Nouenſiles, dij Indigetes, diui, quorum eſt poteſtas noſtrorum, hoſtiúmq;, dijque Manes, vos precor, veneror, veniam peto, feróque, vti populo R. Quiritium vim victoriámque

C proſperetis: hoſtéſque populi Romani Quiritium terrore, formidine, mortéque afficiatis. Sicut verbis nuncupaui, ita pro Republ. Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Rom. Quiritium, legiones, auxiliáque hoſtium mecum diis Manibus, Tellurîſque deuoueo. Ex Liuij lib.8.

Dimittendæ concionis à Trib. pl.

SI VOBIS VIDETVR DISCEDITE QVIRITES.

D Liuius lib.2.

Dimittendi funeris.

Corona populi tandiu ſtabat, reſpondens fletibus præficæ, id eſt, principi planctuum, quandiu conſumpto cadauere, & collectis cineribus, diceretur nouiſſimum verbum ILICET: quod ire licet ſignificat. vnde eſt,

-Dixitque nouiſſima verba.

Seruius in lib. Æneid.6.

Dimittendi iudicij.

E ACTVM EST, ILICET. Donatus in Phormion. Sic iudices de conſilio dimittebantur, ſuprema dicta, cùm præco pronunciaſſet, ACTVM EST, ILICET: id eſt, Ire licet.

Dimittendi iudicij.

Moris fuit veterum, cùm ſatis viſum eſſet fluxiſſe verborum, hanc ſibi neceſſitatem finiendæ orationis imponere, vt dicerent ad vltimum, DIXI: quod etiam ab vtraq; parte oratione conſumpta, vt in conſilium dimitterentur, Prætor

F ſoleret pronunciare. DIXERVNT. Aſconius in II. Verrinam. Cic. tamẽ Verrina III. Præco, inquit, dixiſſe pronunciat.

Dimittendi Senatus.

NIHIL VOS MORAMVR P. C. Iul. Capitol. in Ant. Philoſoph.

Dimittendorum manium.

Dicebatur VALE, poſt tumuli peracta ſollemnia. Seruius Æneid. 6. Idem in lib.3. Mortuis etiam dicitur. vt,

-Salue maxime Palla.

G *Æternúmque vale.*

Item in eod.

-animámque ſepulcro.

Condimus, & magna ſupremum voce ciemus.

hoc eſt, inquit Seruius, Dicimus more ſolemni, A VALE.

Diuortij.

TVAS RES tibi habeto. Tuas res tibi agito. Ex l.2. D. de diuortiis.

Donationis cauſſa mortis.

In donationibus quæ mortis cauſſa fiunt, hæc verborum ſolemnitas cuſtoditur: Illum agrum, aut illam domum me malo habere, quàm te: te, quàm heredem meũ. Hæc Anianus Paulli Sent. interpres lib. Sent. II. cap. XXIII.

Duumuirorum qui de perduellione iudicent faciendorum.

DVVMVIRI perduellionem iudicent: ſi à Duumuiris prouocarit prouocatione certato: ſi vinceut, caput obnubito: infelici arbori rectè ſuſpendito: verberato vel intra pomœrium, vel extra pomœrium. Ex Liuij lib. 1.

EDICTI ædilitij; vide in l. 1. & l. 38. D. de ædil. C edict. & apud Agell. lib. 4. cap. 2.

Edicti Cenſorum de coercendis Rhetoribus.

RENVNCIATVM eſt nobis eſſe homines, qui nouum genus diſciplinæ inſtituerunt, ad quos iuuentus in ludum cõueniat: eos ſibi nomẽ impoſuiſſe Latinos rhetoras. ibi homines adoleſcentulos dies totos deſidere. Maiores noſtri qui liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare vellent, inſtituerunt. Hæc noua, quæ præter con- D ſuetudinem, ac morem maiorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter & iis qui eos ludos habent, & iis qui eò venire conſueuerunt, viſum eſt faciendum, vt oſtenderemus noſtram ſententiam, nobis non placere. Ex Agellij lib. 15. cap. 11.

Edicti Prætorij exempla paſſim in Pandectis exſtant.

Emancipationis.

Eſt autem emancipatio, imaginaria quædam E venditio: quod ipſum ius proprium Romanorum eſt. Eáque res ita agitur, adhibitis non minus quàm quinque teſtibus, ciuibus Romanis, puberibus, & præterea alio eiuſdem cõditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur Libripens. Is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: HVNC ego hominẽ ex iure Quiritum meum eſſe aio. Iſq; mihi emptus eſt hoc ære æneáque libra. Deinde ære percutit libram, ídque æs dat ei, à quo mancipium accipit, quaſi precij loco. F Ex Caij lib. Inſtit. 1.

Euocationis deorum.

SI Deus, ſi dea es, cui populus, ciuitáſq; Carthaginienſis eſt in tutela, téque maximè ille, qui vrbis huius, populíque tutelam recepiſti, precor, veneróque, veniámque à vobis peto, vt vos populum ciuitatémque Carthaginienſium deſeratis: loca, templa, ſacra, vrbémque eorum relinquatis, abſque his abeatis: eíque populo, ciuitatique metum, formidinem, obliuionem in- G iiciatis: proditíq; Romam ad me, meóſque veniatis: noſtráque vobis loca, templa, ſacra, vrbs acceptior, probatiórque ſit, mihi quoque, populóque Rom. militibúſq; meis præpoſiti ſitis, vt ſciamus intelligamúſque. ſi ita feceritis, voueo vobis templa, ludóſque facturum. Ex Macrobij lib. 3. cap. 9.

Exceptionis.

EXTRA QVAM ſi quid ita factum ſit vti lege fieri licuit: l. 1. §. Labeo, D. de ſtu. EXTRA QVAM in reum capitis præiudicium fiat: lib. 2. De inuent. si non vi, non clàm, non precariò feceris. l. ſi vitem, D. quod vi aut. si in ea re nihil dolo malo actoris factum eſt. l. 2. D. de dol. excep. si in ea re qua de agitur præiudicium hereditati non fiat. l. prima, D. famil. erciſc. si in ea re nihil B metus cauſſa factum eſt. l. 4. §. vltim. De dol. except. si non voluntate creditoris fundus venit. l. ſicut, D. quibus mod. pig. Si non mihi mandatum ſit, vt à debitoribus peterem. l. itaque, 48. de procur. act.

Exercitus euocandi.

SI eſſet tumultus, qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium: & exinde proferens duo vexilla, vnum roſeum, quo pedites euocabat, alterum ceruleum, quo equites, dicebat: QVI C vult ſaluam Remp. me ſequatur. Seruius in lib. Æneid. VIII. Cicero poſt reditum in Senatu: Quid magnificentius, quid præclarius mihi accidere potuit, quàm quod illo petente vos decreuiſtis, vt cuncti ex omni Italia qui Rempub. ſaluam vellent, ad me vnum hominem fractum & prope diſſipatum, reſtituendum & defendendum venirent? vt qua voce ter omnino poſt Romam conditam Conſul vſus eſſet pro vniuerſa Repu. apud eos ſolùm qui eius vocem exaudire D poſſent. Idem pro C. Rabirio: Fit S. C. vt C. Marius, L. Valerius coss. operam darent, vt imperium populi R. maieſtáſque conſeruaretur. qui Rempub. ſaluam eſſe vellent, arma capere & ſe ſequi iubent.

Fideiubendi.

CENTVM QVÆ mihi Caius debet, eadem mihi dare ſpondes? ſpondeo. Stichum aut decem fide tua iubes? iubeo. Quantam pecuniam credidero, fide tua eſſe iubes? iubeo. Mille mo- E dios tritici fide tua eſſe iubes? iubeo. Si reus quadraginta non ſoluerit, fide tua eſſe iubes? iubeo. Ex tract. De fideiuſſ. in Pandectis.

Fiduciæ.

VT INTER bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione. Cicero de Offic. 3. & Epiſt. fam. 7. epiſt. 12.

Fœderis peragendi.

FECIALIS regem Tullum ita rogauit, Iubéſne me rex cum patrepatrato populi Albani fœ- F dus ferire? Iubente rege, Sagmina, inquit, te rex poſco. Rex ait: Pura tollito. Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit: poſtea regem ita rogauit: Rex, facíſne me regium nuncium populi Romani Quiritium? Vaſa comitéſque meos? Rex reſpondit: Quod ſine fraude mea. populíq; Romani Quiritium fiat, facio. Dein Fecialis patrempatratum facit, qui legibus fœderis recitatis, AVDI, inquit, Iupiter, audi paterpatrate populi Albani, audi tu populus Albanus: vt illa G palàm prima poſtrema ex illis tabulis cerâve recitata ſunt ſine dolo malo, vtique ea hic hodie rectiſſimè intellecta ſunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet. ſi prior defecerit, publico conſilio, dolo malo, tum Dieſpiter populum R. ſic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam: tantóque magis ferito, quantomagis poteſt

tes polléſque. Quod vbi dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit. Ex Liuij libro primo.

Fœderis cum Antiocho rege.

Amicitia regi Antiocho cum populo Romano his legibus & condicionibus eſto. Ne quẽ exercitum qui cum populo Romano ſociiſque bellum geſturus erit. Rex per finea regni ſui eorúmve qui ſub ditione eius erunt, tranſire ſinito heu commeatu, neu qua alia ope iuuato: idem Romani ſociique Antiocho, & iis qui ſub imperio eius erunt, præſtent. B Belli gerendi ius Antiocho ne eſto, cum iis qui inſulas colunt, néve in Europam tranſeundi. Excedito vrbibus, agris, vicis, caſtellis cis Taurinum montem vſque ad Tanaim amnem, & à valle Tauri, vſque ad iuga quà in Lycaoniam vergit. ne qua arma efferto ex iis oppidis, agris, caſtelliſque, quibus excedat. ſi qua extulit, quæ quoque oportebit, rectè reſtituito. ne militem, neu quem alium ex regno Eumenis recipito. C Si qui earom vrbium ciues quæ regno abſcedunt, cum rege Antiocho, intráq; fines eius regni ſunt, Apameam omnes ante diem certam redeant. Qui ex regno Antiochi apud Romanos ſocióſque ſunt, iis ius abeũdi manẽdique eſto. Seruos, ſeu fugitiuos, ſeu bello captos, ſeu qui liber captus aut transfuga erit, reddito Romanis ſociiſque. Elephãtos tradito omnes, neque alios parato. Tradito & naues longas, armamentáque earum: néve plures quam decem naues actuarias, nulla D quarum plus quàm xxx. remis agatur, habeto: néve monerem ex belli cauſſa, quod ipſe illaturus erit: néve nauigato citra Calycandrum, néve Sarpedonem, promontoria: extrà quàm ſi qua nauis pecuniam, ſtipẽdium, aut legatos, aut obſides portabit. Milites mercede conducendi ex iis gentibus, quæ ſub ditione populi Romani ſunt, Antiocho regi ius ne eſto: ne voluntarios quidem recipiendi. Rhodiorum ſociorúmve quæ ædes ædificiáq; intra fines regni Antiochi E ſunt, quo iure ante bellum fuerunt, eo Rodhiorum ſociorúmve ſunto. Si quæ pecuniæ debentur, earum exactio eſto. Si quid ablatum erit, id conquirendi, cognoſcendi, repetendique ius item eſto. Si quas vrbes, quas tradi oportet, ij tenent, quibus Antiochus dedit, ex iis præſidia deducito: vtique rectè tradãtur, curato. Argenti probi Attica talenta xii. milia dato intra xii. annos penſionibus æquis. talentum ne minus pondo lxxx. Romanis ponderibus pendas: & F tritici dxl. millia modium. Eumeni regi talenta cccl. intra quinquennium dato: & pro frumento quod æſtimatione fiat, talẽra cxxvii. Obſides Rom. xx. dato, & triennio mutato. néve minores octonum denum annorum, neu maiores quinum quadragenum. Si qui ſociorum populi Romani vltrò bellum inferent Antiocho, vim vi, arcendi ius eſto: dum ne quam vrbem aut belli iure teneat, aut in amicitiam accipiat. controuerſias inter ſe iure ac iudicio diſceptẽt, G aut ſi vtriſque placebit, bello. Ex Liuij lib. 38.

Heredis inſtituendi.

Heres inſtitui rectè poteſt his verbis, titivs heres, Titius heres ſit, Titium heredem eſſe iubeo. Illa autem inſtitutio, Heredem inſtituo, Heredem facio, plerique improbata eſt. Ex Vlpian. Inſtitu. capite 21.

Heredis inſtituendi ac ſubſtituendi.

Heredes ſcripti ſunt, velut, titivs heres eſto, cernitóque in diebus proximis centum, quibus ſcieris poteriſque: niſi ita creueris, exheres eſto: tunc Mæuius hæres eſto, cernitóque in diebus, & reliqua. Similiter & deinceps ſubſtitui poteſt. Ex Vlpiani Inſt. cap. 22.

Indicendi compitalia.

Die noni poſt Cal. Ian. Quiritibus compitalia erunt. Ex Macrobij lib. 1. cap. 4. & Agel. lib. 10. cap. 24.

Inlicij vocandi.

Qvod bonvm, fortunatum, felíxque ſalutaréque ſiet populo R. Quiritium, reique publicæ populi R. Quiritium, mihíque, collegæque meo, fidei, magiſtratuique noſtro: omnes Quirites, pedites, armatos, priuatóſque, curatores omnium tribuum, ſi quis pro ſe, ſiue pro altero dari rationem volet, voca inlicium huc ad me. Ex Varr. lib. De ling. 5. Liu. lib. 40.

Interceſſionis Tribunitiæ.

Veto. Liuius lib. 6.

Interdicti de bonis prodigi.

Qvando tv bona paterna auitáque nequitia tua diſpẽrdis, liberóſque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercióque interdico. Ex Paul. Sent. lib. 3. tit. 5. Locum autem ſic correximus, cùm antea legeretur, habita qvae. Noſtræ correctionis teſtes ſunt ante biennium clariſſimi viri Bonifacius Amerbachius, Paullus Manutius: ad quos de communibus ſtudiis, vt fit, ſcribens, ea de re mentionem inieci. Interfuit etiam correctioni Iacobus Calonius, adoleſcens eruditiſſ. & mihi amiciſſimus. Pòſt eadem Iacobo Cuiacio in mentem venit. hoc tamen teſtari nunc operæprecium putaui, & ſimul conſiderandum, an pro ea re, legendum potius eſſet ære, commercioqve. vt intelligatur ei omni negocio quod per æs & libram gerebatur, interdictum eſſe. Aliorum Interdictorum Prætoris, exempla in Pandectis obuia ſunt omnibus: lib. Pandect. xliii.

Interrogationis, qua Cenſores in ſollemni Iureiurando de vxoribus vtebantur.

Et tv ex animi tvi sententia vxorem habes? Ex Agellij libr. 4. cap. 20. & lib. De orat. 2.

Iudicandi.

Vide poſterius, ſub formula sententiæ ferendæ.

Iudicis dandi.

L. Octavivs ivdex esto. Si paret fundum Capenatem quo de agitur ex iure Quiritium, P. Seruilij eſſe, neque is fundus reſtituatur. Ex Verr. 4.

Iudicij recuperatorij.

Si pateret eam se et sva Veneris eſſe dixiſſe. Cicero in Diuinat. Si pateret iugera eiuſmodi fundi eſſe plura; quàm colonus eſſet profeſſus, tum Xeno damnaretur. Si pateret aduerſus edictum feciſſe. Ex Verrina 5. Si pateret H-S 1ↃↃↃ. dari oportere. Ex Orat. pro Q. Roſcio.

Si apparet eum dare oportere. Ex §.ſic itaque, De actiooibus.

Iudicij T. Manlij in filinm.

QVANO OQVIDEMTVM. Manli' neque imperium conſulare:neque maieſtatem patriam veritus, aduerſus edictum noſtrom, extra ordioem io hoſtem pugnaſti, & quantum in te fuit, diſciplinam militarem, qua ſtetit ad hanc diem Romana res, ſoluiſti:méque in eam oeceſſitatem adduxiſti, vt aut Reipublic. mibi, aut mei,meorúmque obliuiſcendum ſit: nos potius noſtro delicto plectemur, quàm Reſpub. tanto ſuo damno noſtra peccata luat.triſte exemplom, ſed in poſterum ſalubre iuuentuti erimus. me quidem cùm ingenita charitas liberum, tum ſpecimen iſtud virtutis, deceptum vana imagine decoris, in te mouet: ſed cùm aut morte tua ſancienda ſint Conſulum imperia, aut impuoitate in perpetuum abroganda:nec te quidem, ſi quid in te noſtri ſanguinis eſt,recuſare cēteam, quio diſciplinam militarem, culpa tua prolapſam,pœna reſtituas.l.lictor. de liga. ad palum. Ex Liuij lib. 8.

Iudiciorum bonæ fidei.

QVANTVM EX BONA fide illum dare facere oportet.Cicero Offic. libr. 11. in Topic.

Iuriſiurandi.

Maiornio diligentia hæc fuit Primùm iurare EX ANIMI SVI SENTENTIA, quenque voluerunt:deinde ita teneri SI SCIENS FALLERET: quòd inſcitia multa verſaretur in vita Cicero libro Academ. 11. Ideio lib. De offic. 111. Non enim falſum iurare, peierare eſt: ſed quod EX ANIMI TVI SENTENTIA iuraueris ſicut verbis concipitur more noſtro, id oon facere, periurium eſt. Linius lib. 32. Ex animi mei ſenteotia iuro, vt ego Remp. non deſeram, ocque alium ciuem deſerere patiar. Idem lib. 43. Ex tui animi ſententia ex edicto C. Claudij, Ti. Sempronij Ceoſorum in prouinciam Macedoniam redibis,quod ſine dolo malo facere poteris?

Iuriſiurandi à P.Scipiooe concepti.

EX MEI ANIMI SENTENTIA iuro, vt ego Remp.non deſeram, neque alium ciuem Romanum deſerere patiar. ſi ſciens fallo, tum me Iupiter Opt.Max.domum, familiam, rémq; meam peſſimo leto afficias.Ex Liuij lib.22.

Iuriſiurandi, à L.Bruto ob Lucretiam præſtiti.

PER HVNC caſtiſſimum ante regiam iniuriam ſanguinem iuro, vóſque dij teſtes facio, me L.Tarquinium Superbum cum ſcelerata cōiuge & omni liberorum ſtirpe, ferro, igni quacunque de hinc vi poſſim, exacturum:nec illos, nec alium quenquam regnare Romæ paſſurum. Ex Liuij lib.1.

Iuriſiurandi per Iouem lapidem

SI SCIENS FALLO, tum me dieſpiter ſalua vrbe, arcéque bonis eiiciat, vt ego hunc lapidem. Feſtus lib. 10. Plaut. Aulularia. Cice. Epiſt. famil. 7. Plutarchus in Sylla. Polybius autem lib. Hiſt. 3. rem ſi explicat. ῥωμαῖος δὲ διὰ λίθον ὀμνύει κατὰ τὸ παλαιὸν ἔθος, ἐπὶ δὲ τούτῳ τὸν ἄρην τὸν καὶ ἐνυάλιον. ἔστι δὲ τὸ διὰ λίθου, τοιοῦτον. λαβὼν εἰς τὴν χεῖρα λίθον ὁ

A ποιούμενος τὰ ὅρκια, περὶ τῶν συνθηκῶν, ἐπειδὰν ὀμόσῃ δημοσίᾳ πίστει, λέγει τάδε, εὐορκοῦντι μέν μοι εἴη τἀγαθά. εἰ δ' ἄλλως διανοηθείην τι ἢ πράξαιμι, πάντων τῶν ἄλλων σωζομένων ἐν ταῖς ἰδίαις πατρίσιν ἐν τοῖς ἰδίοις νόμοις, ἐπὶ τῶν ἰδίων βίων ἱερῶν τάφων, ἐγὼ μόνος ἐκπέσοιμι οὕτως ὡς ὅδε ὁ λίθος νῦν. καὶ ταῦτα εἰπὼν ῥίπτει τὸν λίθον ἐκ τῆς χειρός.

Iuſiſiurandi militaris.

IN MAOISTRATV C.Lælij,C.F. Coſ.L.
B Cornelij P.F. Coſ.in exercitu, decémque millia paſſuum propè, furtum non facies dolo malo, ſolus,neque cum pluribus,pluris nummi argentei in dies ſingulos.Extra haſtam, haſtile, ligna, pabulum,vtrem,follem, faculam, ſi quid ibi inueneris intulerisſve, quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit:vti tu,ad C.Lælium, C.F.COS. L'. ve Cornelium P. F. coſs. ſiue ad quem eorum iuſſerit, profetas, aut profitebere io triduo proximo, quicquid inueneris ſuſtuleriſve
C riſve dolo malo,aut domino ſuo, cuium id cenſebis eſſe.reddes,vti quod rectè factum eſſe voles. Deinde ita coocipiebatur iuſiurandum, vt adeſſent,his additis exceptionibus,niſi harunce aliqua cauſſa erit: funus familiare : feriæ vindemiales : calendæque quæ non eius rei cauſſa in eum diem collatæ ſint, quo is eo die minus ibi eſſet.morbus ſonticus,auſpiciúmve, quod ſine piaculo præterire non liceat, ſacrificiúmve anoiuerſarium, quòd rectè fieri oon poſſet, niſi
D ipſius eo die ibi ſit, ius, hoſtíſve, ſtatus, condictúſve dies cum hoſte: ſi cui eorum harunce quæ cauſſa erit, cum ſe poſtridie quàm per eas cauſſas licebit eo die venturum adituúmque eum,qui eum pagum, vicum, oppidúmve delegererit.Ex Agell.lib.16.cap.4.

Legis ferendæ.

VALITIS iubeatis Quirites, &c. Ex Cicer. Orat.pro Domo.

QVICVNQVE poſt hanc legem. Ex Ora-
E tione pro Poſtumo,& l.1.D.ad legem Falcid.

CONSVL (vel Prætor, vel qui populum rogarat)Populum iure rogauit, populúſque iure ſciuit.

SI QVID ius noo fuit rogari, eius ea lege nihilum rogatum. Ex Philip.1. Valerio Probo, Feſto Pomp. Orat. pro domo,pro Cæcina, lib. Epiſt.ad Att.3.

SI QVID contra alias leges. huius legis ergô latum ſit,ei qui hanc legem rogaſſit, impunè e-
F ſto.Cic.lib.3.ad Attic.

Legis iubendæ,vel antiquaodæ.

VTI ROGAS: vel ANTIQVO. moris erat vt populo in comitiis legum duæ tabellæ darentur,quarum in altera V.R. in altera A. ſcriptum erat.patet ex Cic.lib. de le.2.epiſt. ad Att. 1. Liuio,& aliis.

Legis ſanciendæ.

NE PER ſaturam abrogari,derogariue iua eſto.Feſtus.

G Iuſſu mandatúque legis militaris,

P. R.

COSS. IMP. TRIB. Miles,Tiro,Commilito armate,quiſquis es, manipularieve Centurio,turmáve Legionarie hic ſiſtito,vexillū ſiniſto, arma deponito, nec citra hunc amnem Rubiconem ſigna,ducturum exercitum, commeatúmque traducito.Si quis huiuſce iuſſionis ergô aduerſus

aduerſus præcepta ierit, feceitve, adiudicatus A
eſto hoſtis P. R. ac ſi contra patriam arma tulerit,
penatéſque è ſacris penetralibus aſportauerit.
S.P.Q.R.

Sanctio plebiſciti, S. ve Conſulti, Vlta hos
fines arma ac ſigna proferre liceat nemini. Ex e-
pigram. Romanis.

Legati teſtamentarij.

Legamus quatuor modis: per vindicationem,
per damnationem, ſinendi modo, per præceptio-
nem. Per vindicationem, his verbis legamus: B
DO, lego, capito, ſumito, ſiue habeto. Per dam-
nationem his verbis: HÆRES meus damnas e-
ſto dare, dato, facito, heredem meũ dare iubeo.
Sinendi modo ita: HÆRES meus damnas eſto
ſinere, Lucium Titium ſumere illam rem, ſibi-
que habere. Per præceptionem ſic: LVCIVS Ti-
tius illam rem præcipito. Ex Vlpiani Inſtit.
cap. 24.

Libandi diis vini.

MACTVS hoc vino inferio eſto. Arnob. lib. C
contr. gent. VII. vide infra, Sacrificij porcæ.

Literarum ab Impp. ad Senatum incolumi
exercitu mittendarum.

Si vos, & liberi veſtri valetis, bene eſt: ego &
exercitus valemus. Dio Caſſ. in Adriano, & Ci-
cero in epiſt. per ſæpe alibíque complures.

Luſtrandi agri.

MARS PATER te precor, quæſóq; vtiſſies vo-
lẽs propitius mihi, domo, familiæq; noſtræ, quo
ius rei ergò, agrum terram, fundúmq; meum ſuo D
vitaurilia circumagi iuſſi. vti tu morbos viſos,
inuiſóſque viduertatem, vaſtitudinémque, cala-
mitates, intemperiáſque prohibeſſis, defendas,
auerruncéſque. vtique tu fruges, frumenta, vi-
neta, virgultáque grandire, benéque euenire ſi-
nas. paſtores, pecuáque ſalua ſeruaſſis, duiſque
bonam ſalutem valetudinémque mihi, domo,
familiæque noſtræ. Harunce rerum ergò, fundi,
terræ agrique mei luſtrandi, luſtiſque faciendi
ergò ſicuti dixi macte hiſce ſuouitaurilibus la- E
ctẽribus immolandis eſto. Mars pater eiuſdẽ rei
ergò, macte hiſce ſuouitaurilibus lactẽtibus eſto.
Item cultro facito ſtruem, & fertum vti adſiet.
Inde obmoueto. Vbi porcũ immolabis, agnum
vitulúmque, ſic oportet. Eiúſque rei ergò macte
hiſce ſuouitaurilibus immolãdis eſto. nominare
vetat Martem, neque agnum, vitulúmque. Si mi-
nus in omnes litabit, ſic verba concipito: MARS
pater, ſi quid tibi in illiſce ſuouitaurilibus lactẽ-
tibus, neque ſatisfactũ eſt, te hiſce ſuouitaurili- F
bus piaculo. Si vno duobúſque dubitauerit, ſic
verba concipito: Mars pater, quod tibi illoc por-
co neque ſatisfactum eſt, te hoc porco piaculo.
Ex Catone De re ruſt. cap. 141.

Mancipij faciendi.

Vide Nexus faciendi formulam.

Manumittendi ſerui.

Manumitti ſeruus dicebatur, cùm dominus
aut caput eius ſerui, aut aliud membrum tenens
dicebat, HVNC hominem liberum eſſe volo: & G
emittebat eũ è manu. Ex Feſti libro 11. Exſtat e-
tiam in Bibliotheca regia fragmentum indicis
Latinogræci, in quo ſcriptũ ita eſt: Βινδίκτα ῥαῦ-
δος, μεθ' ἧς ὁ ἄρχων ἢ ὁ πραίτωρ τὴν τῶν ἐλευθερουμένων
κεφαλὴν ἔπαιον φάσκοντες: ΦΑΜΕΝ ΤΟΝ ΠΑΡΟΝ-
ΤΑ ΑΝΘΡΩΠΟΝ ΕΙΝΑΙ ΕΛΕΥΘΕΡΟΝ, ΚΑΙ

ΠΟΛΙΤΗΝ ΡΩΜΑΙΩΝ.

Matrimonij teſtificandi.

Coss. AVG. Pub. Claud. Quæſ. ær. Antoni nam
Volumniam virginem, volent. auſpi. è parent.
ſuff. coemit, e. IIII. fac. in do. dux. id eſt, Con-
ſule Auguſto, P. Claudius Quæſtor ærarij Anto-
ninam Volumniam virginem volentem, auſpi-
catò, è parentibus ſuis coẽmit, & quatuor faci-
bus in domum duxit. Ex lapide Patauino.

Miſſionis ignominioſæ.

C. Auiene, quòd in Italia milites populi Ro-
ma. contra Rempubl. inſtigaſti, rapináſque per
municipia feciſti, quódque mihi, Reique publi-
cæ inutilis fuiſti, & prò militibus tuã familiam,
iumentáque in naues impoſuiſti, tuáque opera
militibúſque tempore neceſſario Reſpublic. ca-
ret; ob eas res ignominiæ cauſſã ab exercitũ meo
te remoueo: hodiéque ex Africa abeſſe, & quan-
tum potes, proficiſci iubeo. itémque te A. Fon-
teij, quòd Tribunus militum ſeditioſus, malúſ-
que ciuis fuiſti, ab exercitu dimitto. T. Alliene,
M. Tiro, C. Cluſiane. cùm ordines in meo exer-
citu, beneficio non virtute cõſecuti, ita vos geſ-
ſeritis, vt neque bello fortes, neque pace boni
aut vtiles fueritis, & magis in ſeditione conci-
tandiſque militibus aduerſariorum noſtrorum,
Imperatoris quam pudoris modeſtiéque fueri-
tis ſtudioſes, indignos vos eſſe arbitror, qui in
meo exercitu ordines ducatis: miſſóſque facio,
& quantum poteſtis, abeſſe ex Africa iubeo. Ex
Hirtio lib. de bell. Afric.

Multæ in iudicio.

M. TERENTIO. quando citatus neque re-
ſpondit, neque excuſatus eſt. ego ei vnam ouem
multam dico. A gell. lib. 11. cap. 1.

Nexus faciendi.

Mancipatio eſt imaginaria quædam venditio,
quæ ſic agitur. adhibitis non minus quàm quin-
que teſtibus ciuibus R. puberibus, & præterea
alio eiuſdem conditionis, qui libram æneam
teneba, qui appellabatur Libripens. is qui mã-
cipium accipit, æs tenens ita dicit: HVNC ego
hominem & Iure Quiritium meum eſſe aio, iſ-
que mihi emptus eſt hoc ære, æneáque libra.
Deinde ære percutit libram, idque æs dat ei à
quo mancipium accipit, quaſi precij loco. Boë-
tius in Topic. ex lib. 1. Inſtitut. Caij.

Ominis nuptialis.

TALASIO. Liuius libr. 1. Vnam longè antè a-
lias ſpecie inſignem à globo Talaſij cuiuſdam
lapiam ferunt: multiſque ſciſcitantibus, cuinam
eam ferrent, identidem, ne quis violaret, TALA-
SIO ferri clamitatum: inde nuptialem hanc vo-
cem factam. Idem Seruius in lib. Æneid. 1.

Oraculi Delphici.

ROMANE, aquam Albanam caue lacu conti-
neri, caue in mare manare ſuo flumine ſinas. e-
miſſam per agros rigabis, diſſipatámque riuis
exſtingues. tum tu inſiſte audax hoſtium muris,
memor, quam per tot annos obſides Vrbem, ex
ea tibi his quę nunc panduntur, fatis victoriam
datam. bello perfecto donum amplum victor ad
mea templa portato: ſacráque patria, quorum o-
miſſa cura eſt, inſtaurata, vt aſſolet, facito. Ex Li-
uij lib. 5.

Oraculi Delphici.

Tum, ſi faxitis Romani veſtræ res meliores

feliciorésque erunt: magis ex ſententia Reſpub. veſtra vobis procedet: victoriáque duelli, populi Ro. erit. Pythio Apollini, Repub. veſtra bene geſta ſeruatáque, lucris meritis donum mittote: déque præda, manubiis, ſpoliiſque honorem habetote. Ex Liuij li. 23.

Pactionis ob pacem cum Ætolis.

IMPERIVM maieſtatémque populi Ro. gens Aetolorum conſeruato ſine dolo malo. ne quẽ exercitum, qui aduerſus ſocios amicóſque eorum ducetur, per fines ſuos tranſire ſinito, néve vlla ope iuuato. hoſtes eoſdem habeto, quos populus R. armáque in eos ferto, bellúmque pariter gerito. perfugas, fugitiuos, captiuóſque reddito Romanis ſociiſque: præterquam ſi qui capti, cùm domos rediſſent, iterum capti ſunt: aut ſi qui eo tempore ex iis capti ſunt, qui tum hoſtes erãt Romanis, cùm inter præſidia Romana Aetoli eſſent. aliorum qui comparebunt, intra diem centum Corcyreorum magiſtratibus ſine dolo malo tradantur. qui non comparebunt, quando quiſque eorum primum inuentus fuerit, reddatur. Obſides XL. arbitratu Conſulis Romani dato, ne minore XII. annorum, neu maiores XL. Obſes ne eſto Præfectus equitum, ſcriba publicus, neu quis qui antè obſes fuerit apud Romanos. Cephallenia extra pacis leges eſto. Ex Liuij lib. 38.

Precationis ob bellum Macedonicum.

QVAM rem Senatus populúſque R. de Rep. déque ineundo nouo bello in animo haberet, ea res vti populo Rom. ſociiſque ac nomini Latino bene ac feliciter eueniret: ſecundum rem diuinam, precationémque, vt de Rep. déque prouinciis ſenatum conſulerent. Ex Liuij lib. 31.

Precationis P. Scipionis.

DIVI Diuæque, inquit, qui maria terráſque colitis, vos precor quæſóque quæ in meo imperio geſta ſunt, geruntur, póſtque gerẽtur, ea mihi, populo plebíque Romanę, ſociis nominíque Latino, qui populi Romani, quíque meam ſectam, imperium, auſpiciúmque terra mari, omnibúſque ſequuntur, bene verrundo æquè vos omnia bene iuuetis: bonis auctibus auxiſtis: ſaluos incoluméſque victis perduellibus victores ſpoliis decoratos, triumphantéſque mecum domos reduces ſiſtatis: inimicorũ hoſtiúmque vlciſcendorum copiam faxitis: quæ'que populus Carthaginienſis in ciuitatem noſtram facere molitus eſt, ea vt mihi populóque Romano in ciuitatem Carthaginięſiũ detis. Ex Liuij Lib. 29.

Precationis qua in principio Pompæ Romani Imperatores triumphantes, in Vaticano vtebantur.

DI, NVTV, & imperio quorum nata & aucta eſt res Romana, eandem placati, propitiátique ſeruate.

In fine verò in Capitolium aſcendentes, hæc:

GRATIAS tibi Iupiter optume maxume, tibíque Iunoni reginæ, & ceteris huius cuſtodibus, habitatoribúſque Arcis Di lubens lætúſque ago, re Romana in hanc diem & horam per manus, quod voluiſtis, meas ſeruata, bene geſtáque: eandem & ſeruare, vt facitis, fouete, protegite propitiati, ſupplex oro. Ex Macrob. Saturn. lib. 1.

Precationis Herſiliæ

NERIA Martis, te obſecro pacem dare, vt liceat nuptiis propriis & proſperis vti. quod de tui coniugis conſilio contigit, vti nos itidem integras raperent, vnde liberos ſibi & ſuis poſteris patriæ pararent. Ex Agellij lib. 13. cap. 21.

Precationis Conſularis, in Conſule renunciando.

B QVOD bonum, fauſtum, felix fortunatúmque ſit, mihi magiſtratuique meo populo plebíque Romanę L. Licinium cos. renuncio. C. pro Muræna.

Præconij in ſacrificiis.

HOC AGE. Plutarchus in Numa, & Coriolano. FAVETE linguis. Cic. 10. & 2. de Diuinat. Plin. lib. 28. cap. 2.

Præfandi omnibus in rebus.

C Quod bonum, fauſtum, felix, fortunatúmque ſit. Cic. lib. de Diuin. 1.

Poſtumos nepotes inſtituendi.

FILIVS MEVS heres eſto. ſi filius meus me viuo moriatur, tunc ſi quis mihi ex eo nepos ſiue quæ neptis poſt mortem meam in decem menſibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus nata erit, heredes ſunto. Scæuola ex C. Aquilio, l. gallus, 29. De lib. & poſtum.

Regis ob Interrege rogandi.

D QVOD BONVM, fauſtum, feliaque ſit, Quirites regem create. ita patribus viſum eſt. patres deinde, ſi dignum, qui ſecundus ad Romulo numeretur, crearitis, auctores fient. Ex Liuij lib. 1.

Regis inagurandi.

IVPITER PATER, ſi eſt fas hunc Numã Pompilium, cuius ego caput teneo, regem Romæ eſſe, vti tua ſigna nobis certa acclarasſint inter eos fines, quos feci. Ex Liuij lib. 1.

Relegandi.

E ILLVM PROVINCIA illa inſuliſque eis relego: excederéque debebit intra illum diem. Ex Vlpiano in l. 7. §. his qui, D. de interd. & releg.

Renuntiandi Conſulis deſignati ab ipſo Cos.

Quod bonum, fauſtum, felix, Fortunatúmque ſit, mihi magiſtratuíque meo, populo plebíque Romanæ, N. N. Conſulem renuntio. Ex Cicerone in Orat. pro Muræn.

Replicationis.

F AVT si mihi mandatum eſt, vt à te peterem. l. itaque, 48. De procurat.

AVT SI res iudicata non ſit l. 24. De except. rei iudic.

AVT SI damnatione interpoſita ſecundum decretum vendiderit. l. conſilio, 7. D. de curat. fur.

Repudij.

CONDITIONE tua non vtor. ex l. 11. De de diuort. & repud.

Rogandi iudicis.

G ITAQVE præclarum à maioribus accepimus morem rogandi iudicis, ſi eũ teneremus: QVÆ SALVA FIDE facere poſſit. Hæc rogatio ad ea pertinet, &c. Cic lib. De offic. III.

Rogationis Atiliæ.

OMNES CAMPANI, Attellani, Calatini, Sabatini, qui ſe dediderunt in arbitrium ditionémq; populi

populi Romani Fululo Proconſuli,quæque vnà ſecum dediderunt,agrum vrbémque,diuina humanáque vtenſiliáque, ſiue quid aliud dediderunr: de his rebus quid fieri velitis, vos rogo Quirites.Pleba ſic iuſſit: Quod Senatus maxima para cenſeat, qni aſſidetis,id volumua iubemúſque.Ea Liuij libro aa vi.

Rogationis de Tribunitio magiſtratu.

SI TRIBVNOS PLEBIS OECEM rogabo, ſi quos minus hodie decem tribunos plebia fecerint:hi tum, quos ſibi collegas cooptaſſint, ita illi legitimi eadem lege Tribuni plebei ſint, vt illi quoa bodie Tribunos plebei feceritis. Ea Liuij lib.3.

Salutationis matutinæ:

AVA. Veſpertinæ:

SALVA. Dio Caſſius in Adriano.

Salutationiapatris Patriæ.

QVOD BONVM fauſtúmque ſit tibi, domuique tuæ Cæſar Auguſte, Senatus te conſentiens cum populo Rom. conſalutat Patriæ patrem. Ea Valerius Meſſala vſus traditur à Sueton.in Auguſto.

Salutationis in epiſtolis.

Seneca libro epiſt. 11. epiſt. xv. Mos antiquis fuit,vſque ad meam ſenatus ætatem,primis epiſtolæ verbis adiicere,Si vales,bene eſt: ego valeo.Rectè & oos dicimus,Si philoſopharis, bene eſt,&c.

Salutatioois in epiſtolis Impp. re bene geſta.

Si voa liberíque veſtri valetis,bene eſt. Ego quidem & exercitua,valemus. Xiphilinus in Adriano,& in epiſt.Cicer.paſſim.

Sacrificij porcæ præcidaneæ ante meſſem.

Priuſquam meſſem facies, porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet. Cereri porca præcidanea,porcam fœminam, priuſquam haſce fruges condantur, far, triticum, ordenm, fabam,ſemen rapicium,thure,vino,Iano,Ioui,Iunoni præfato.Priuſquam porcam fœminam immolabia,Iano ſtruem commoueto ſic:IANE PATER, te hac ſtrue commouenda bonas preces precor,vti ſies volens propitius mihi liberiſque meis,domo familiæque meę mactus hoc ferto. Ferctum Ioui mouero,& mactato ſic: IVPITER TE hoc fecto obmouendo bonas preces precor, vti ſies volens propitina mihi liberíſque meis, domo familiæq; meæ mactus hoc fercto.Poſtea Iano vinú dato ſic:IANE PATER,vti te ſtrue cõmouenda bonas preces bene precatus ſum,eiuſdem rei ergô macte vino inferiori eſto. Poſtea Ioui ſic:IVPITER MACTE fercto eſto, macte vino inferiori eſto. Poſtea porcam præcidaneam immolato. Vbi exta proiecta erũt,ita Iano ſtruẽ commoueto,mactatóque item vti priua obmoueras. Ioui ferctum obmoueto, mactatóque ve prius feceras. Item Iano vinum dato,& Ioui viuum dato, ita vti prius datum fuit ob ſtruem obmouendam,& ferctum libandum.poſtea Cereri exta & vinum dato. Ea Catone De re ruſt. cap.134. apud quem tamen MACTVS perpetuo legendum, locus ille ex libro Arnobij contra gentes VII.ſignificare videtur.: Operæpretium eſt verba ipſa depromere, quibus cum vinum datnr,vti ac ſupplicare conſuetudo eſt. Mactus

A hoc vino inferio eſto. Inferio,inquit Trebatius, verbum ea cauſſa eſt additum,eáq; ratione profertur: ne vinum omne omnino quod in cellis atque apothecis eſt conditum, ex quibus illud quod effunditur promptum eſt, eſſe ſacrum incipiat,& ea vſibus eripiatur humanis.

S.Conſultorum à plebe comptobandorum.

QVOD SENATVS maxima pars iubeat,qui aſſidens, id volnmus, iubemúſque. Ex Liuij

B lib.26.

S.C.quo quid Conſulibus mandatur.

DONATVS in Adelph.Terent. *Facſis Soſtrata.* SIS, inquit, honorificè addirur verbo, ne quod imperatiuo modo pronuntiatur, ſuperbum ſit,deductum eſt autem à Senatuſconſulti formula.vbi enim aliquid Senatus Conſulib.iniungit,addit:SI EIS VIDEATVR. Hæc ille. Et eſt hoc obſeruatum à Cicerone in illis S. C. quæ in Philippic. legimus.vt Philip.IX. Vtiq; C.Panſa,

C A.Hircius coss.alter, ambóve, ſi eis videbitur, Quæſtoribus vrbanis imperent,&c.

Senatuſconſ.ſcribendi.

QVIO OE EA re fieri placeret,de ea re ita cẽſuerunt.Cælius in Epiſt.fam.7.alibi perſæpe.

Senatuſconſulti ſummi.

VIOEANT CONSVLES ne quid Reſpub.detrimenti accipiat. Salluſt. Catil. Cic. in Catil. Liuius lib. III. Tantúmque terrorem incuſſere patribus, vt, (quæ forma Senatuſconſulti vltimæ

D ſemper neceſſitatis habita eſt) Poſtumio alteri conſulum negocium daretur: Videret, ne quid reſp.detrimenti caperet.

Seotentiæ in perduellionis damnatum ferendæ.

ILICTOR, colliga manus, capnt obnubiro.Infelici arbori reſte ſuſpendito. Cic.pro C. Rabirio,Liu.lib.1.Agel.lib.12.cap.3.

Sententiæ iu damnatos pronnnciaodæ.

E LICTOR ADDE virgas, & in eum lege agito. Liuius.lib.36.

Senteutiæ per tabellam ferendæ.

IN cauſſis maioribus iudices in ciſtaio tabellas coniiciebant ſuas,eáſq; inſculptas literas habentes,A. abſolutinnis,C.condemnationis:cùm de alicuius capite agebatur,N.L.ampliationis.his enim literis ſignificabãt non liquere. Pediao. in Diuinat. De formula N.L.Cicero in Cluent.

Sententiæ in priuatis litibus pronuntiandæ.

F CICERO lib. De finib. II. Priuatarum litium iudicea ſumus.nihil enim poſſumus iudicare,niſi quod eſt noſtri iudicij. in quo fruſtra iudices ſolent, cùm ſententiam pronuntiant addere, SI QVID MEI IVDICII AST. Si enim non fuit eorum iudicij, nihilo magis, hoc non addito, illud eſt iudicatum,&c.

Sententiæ pronnnciandæ,

CVM conſtet Titium Seio ex illa ſpecie quinquaginta,item ex illa ſpecie vigintiquinque de-

G bere:idcirco L. Titium Seio cẽtum condemno. Ea l.t.D.quæ ſent. ſin.appel.Item, Non liquet:ſi quando obſcura cauſſa videbatur, priuati iudices id iurabant.Agell.lib.14. cap.2. & l. pompo-nius,D.de re iudic.

Sententiæ pronunciandæ.

Faciſſe videri. Cic. pro Cæcina, Verrina 3. De finibus 2. & aliis locis inumeris. itémque alij complures.

Sponſionis.

Qvod a Flauio abſtulero, partem dimidiam inde Roſcio me ſolututum ſpondeo. Ex Cic. Orat. pro Qu. Roſcio.

Sponſionis in iudicio.

Ni te Apronius in Decumis ſocium eſſe dicat. Ex Verrina 5.

Sponſionis in arbitrio.

Ni vir bonvs ſit. Cic. lib. 3. Offic.

Stipulationis in emptione ſuum.

Illasce ſues ſanas eſſe, haberéque rectè licere, noxíſque præſtare, neque de pecore morboſo eſſe, ſpondéſne? Var. lib. 2. cap. 4.

Stipulandi.

Spondes? ſpondeo. promittis? promittio. fide iubes? fideiubeo. dabis? dabo, facies? faciam. Iuſtinianus § 1. De verb. oblig.

Stipulationis in caprarum emptione.

Illas capras hodie rectè eſſe, & bibere poſſe, haberéque rectè licere, hæc ſpondéſne? Ex Var. lib. De re ruſt. 2. cap. 3.

Stipulationis in ouium emptione.

Cùm emptor dixit, tanti svnt mihi emptæ? & ille reſpondit, svnt, & expromiſit numos: emptor ſtipulatur priſca formula ſic: illasce oues, qua de re agitur, ſanas rectè eſſe, vti pecus ouillum, quod rectè ſanũ eſt extra luſcã, ſurdã, minam, id eſt, ventre glabro: neq; de pecore morboſo eſſe, haberéq; rectè licere. hęc ſic rectè fieri ſpondes? Ex Varr. li. De re ruſt. 2. cap. 2.

Stipulationũ in bouũ aut iuuencorũ emptione.

Eos cum emimus domitos, ſtipulamur ſic: illasce boues ſanos eſſe, noxíſque præſtari? Cùm emimus indomitos, ſic: illosce iuuencos ſanos rectè, déque pecore ſano eſſe, noxíſque præſtari ſpondéſne? Varr. lib. 2. cap. 5.

Teſtamenti nuncupati.

Tabulas teſtamenti teſtator tenens ita dicit: hæc vti in his tabulis ceríſve ſcripta ſunt, ita do, ita lego, ita teſtor. Itaque vos Quirites teſtimonium præbitote. Ex Vlpiani regul. tit. 20.

Teſtimonij dicendi.

Maiorum hæc fuit diligentia. Voluerunt vt qui teſtimonium diceret, arbitrari ſe diceret, etiam quod ipſe vidiſſet. Cic. Academic. 2. Idem pro Fonteio: Primùm illud verbum conſideratiſſimum noſtræ cõſuetudinis arbitror, quo nos etiam tunc vtimur, cùm ea dicimus iurati, quæ comperta habemus, quæ ipſi vidimus, ex toto teſtimonio ſuſtulit.

Templi concipiendi.

Varro libr. de lingua lat. vi. Concipitur templum verbis, non iiſdem vſque quaque. In arce ita: Teſtáque meta ſunto, quoad ego ea ſ te linquam, nũcupauero. Olla ver arbor, quicquid eſt, quam me ſentio dixiſſe, templum tectúmque: ſerto in ſiniſtrum. Olla ver arbor, quidquid eſt, quod me ſentio dixiſſe, templum tectúmque: ferto in dextrum. Interea concretione, conſpicione, cortumione, vtique ea rectiſſime ſenſi.

Vaticinij Martiani,

Amnem Troiugena Cannam Romane fuge, ne te alienigenæ cogant in campo Diomedis conſerere manus. ſed neque credes tu mihi, donec compleris ſanguine campum: multáque

A millia occiſa tua deferat amnis in pontum magnum ex terra frugifera, piſcibus atque auibus, feríſque quæ colunt terras, iis fiat eſca caro tua. nam mihi ita Iupiter fatus eſt. Hoſtes Romani ſi expellere vultis, vomicámque quæ gentiũ venit longè, Apollini vouẽdos cẽſeo ludos: qui quotãnis comiter Apollini fiant, cùm populus dederit ex publico partem, priuati vti conferant pro ſe ſuíſque. His ludis faciendis præerit Pretor hic, qui ius populo plebíq; dabit ſummũ. B Decemuiri Græco ritu hoſtiis ſacra faciãt. hæc ſi rectè faxitis, gaudebitis ſẽper, fietque res veſtra melior. nã is diuus extinguet perduelles veſtros, qui veſtros cãpos paſcit placidè. Ex Liuij lib. 25.

Veſtalis à Pontif. Max. capiundæ.

Sacerdotem Veſtalem, quæ ſacra faciat, quæ ius ſiet ſacerdotem Veſtalem facere, pro populo Ro. Quiritibus, vti quod optima lege fiat, ita te Amata capio. Ex Agellij lib. 1. cap. 12.

Voti ob bellum cum rege Antiocho.

C Si dvellvm quod cum Antiocho rege ſumi populus iuſſit, id ex ſententia Senatus populíque Rom. confectum erit: tum tibi Iupiter populus R. ludos magnos, dies decem continuos faciet: donáque ad omnia puluinaria dabuntur de pecunia, quantam Senatus decreuerit. quiſquis magiſtratus eos ludos quando vbique faxit, hi ludi rectè facti, donáque data rectè ſunto. Ex Liuij lib. 36.

Voti concipiendi.

D Tvo ductu, Pythice Apollo, tuóque numine inſtinctus pergo ad delendam vrbem Veios: tibíque hinc decimam partem prædæ voueo. te ſimul Iuno Regina, quæ nunc Veios colis, precor, vt nos victores in noſtram tuámque mox futuram vrbem ſequare: vbi te dignum amplitudine tua templum accipiat. Ex Liuij lib. v.

Voti de vere ſacro concipiendi.

Velitis iubeatíſ-ne hoc ſic fieri? ſi res populi Romani Quiritum ad quinquennium proxi- E mum, ſicut velim eam, ſalua ſeruata erit hiſce duellis, datum donum duit populus Romanus Quiritiũ, quod duellum populo Romano cum Carthaginieſi eſt, quǽque duella cũ Gallis ſunt, qui cis Alpes ſunt: quod ver attulerit ex ſuillo, ouillo, caprino grege, quǽque prophana erunt, Ioui fieri, ex qua die Senatus populúſque iuſſerit. qui faciet, quando volet, quáque lege volet, facito: quo modo faxit, probè factũ eſto. ſi id moritur, quod fieri oportebit: prophanũ eſto, neque F ſcelus eſto. ſi quis rumpet, occidétve inſciens, ne fraus eſto. ſi quis clepſet, ne populo ſcelus eſto, néve cui cleptum erit, ſi atro die faxit inſciens, probè factũ eſto. ſi nocte ſine luce, ſi ſeruus ſine liber faxit, probè factum eſto. ſi ante id ea Senatus populúſque iuſſerit fieri, ac faxit, eo populus ſolutus, liber eſto. Eiuſdem rei cauſſa ludi magni voti æris cccxxxiii. millibus, triente: præterea bubus Ioui ccc. multis aliis diuis bubus albis, atque ceteris hoſtiis. Ex Liuij lib. xxii.

G Voti Pontificum.

Pontificvm votis annvant dij Romanæ reipublicę arcanáque morbis præſidia Apollinia iuſſu ſummæ venerstione ex hoc Palladis cypho ſacramenta libarunt, annuant, quorum riſu Romano imperio regna ceſſere. Ex antiquitatibus Romanis, capite decimotertio.

FRANC. HOTMANI I.C. ANTIQVITATVM ROMAN.

LIBER II.

QVO VETERIS ROM. REIP. STATVS BREVITER OSTENDITVR.

Nunc demum editus.

DE VARIA REIP. ROMANÆ, ET MAGISTRATVVM RATIONE.

CAP. I.

POPVLVS Rom. initio Regum imperio paruit annos circiter 240. Primus omnium Romulus annos 38. Regnum obtinuit. quo è medio ſublato poſt annum interregnum Numa per annos tres & quadraginta in altiſſima pace Remp. tenuit. Huic ſucceſſit Tullus Hoſtilius, qui per annos 32. rerum potitus eſt. Max. Ancus Martius, 24. tum L. Tarquinius Priſcus, viginti octo tum Ser. Tullius, 44. poſtremus L. Tarquinus ſuperbus, annos 25. Eorum plerique Remp. iis inſtitutis ac legibus fundarunt, quibus ad Orbis ferè totius imperium peruenit. Tarquinio Rege partim propter ſuperbiam atq; impotentiam, partim propter ſtuprum Lucretiæ ab ipſius filio ſexto illatum, vrbe exacto, libertas recuperata eſt, creatique annui magiſtratus, qui quod Reip. conſulere debebant Conſules dicti ſunt. His omnia Regum iura atque inſignia tribuebãtur, id modo cautum, eſſet alter alteri per ſingulos menſes faſces ac ſecures concederet, ne ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror, duoque Reges pro vno accepti viderentur. Hoc Magiſtratu Reſp. vſa eſt per annos 460. Interiectis tamen interdum Decemuiris, interdum Tribunis militum conſulari poteſtate, interdum Dictatoribus, cum autem primis temporibus ſoli Patricij magiſtratus & iudicia obtinerent, plebs indigniſſimè ſeruiret, reperta moderatio eſt, per quam tenuiores cum principibus æquarentur. Tribunatus enim plebis inſtitutus fuit, tanta cum poteſtate, vt nihil publicè geſtum ratum eſſet, ſi tribunus pl. intercederet: id eſt hanc vocem pronunciaret. VETO. Senſim etiam patriciorum dignitatem, iuraque propè omnia cum plebeiis communicata ſunt: ita inter ſecundum & tertium Punicum bellum optimus perfectiſſimuſque Reipub. ſta-

A tus fuiſſe creditur. Optimus, quod ex tribus Reipub. generibus conſtaret, regio, optimatum, & populari, nam Conſules Regum, Senatus Optimatum, Tribuni popularem poteſtatem habebant. Perfectiſsimus, quoniam æquiſsimis legibus atque inſtitutis temperatus erat. Sanctus etiam, quia ſummus paupertati ac parſimoniæ honos habebatur. At pœnis tertio bello,
B multiſque aliis prouinciis, Regibuſque potentiſsimis ſuperatis, luxuria & ambitione in ciuitatem inuectis, ſeditioſi Tribuni plebl. exorti ſunt. Gracchi, Saturninus, Druſus, qui ſummum optimæ Reipub. conſenſum agrariis & iudiciariis legibus perturbarunt. Itaque ex eo tempore maiores plebis quam optimatum opes fuiſſe in Repub. cœperunt: quas L. Sylla ciuili bello victor imminuit: Tribunisque plebis maximam poteſtatis ſuæ partem ademit. At
C paucis poſt annis Cn. Pompeius magnus eam reſtituit: his crebris Reipub. perturbationibus excitati Cæſar, Craſſus, Pompeius, extraordinarias opes quæ liberæ ciuitati formidabiles erant ſibi quæſiuerunt. Ex quibus Cæſar Pompeio victo coerſaque Repub ſolus imperium cœpit quo interfecto cum Reip. reſtituendæ ſpes eſſet, Triumuiratus exortus eſt Antonij, Octaui & Bruti, aduerſus quorum Tyrannidem arma multis locis ſumpta ſunt. Tandem Octa-
D uios depoſito Triumuiri nomine Conſulem ſe ferens ac Tribunitia poteſtate contentus vbi militem donis, populum annona, cunctis dulcedine otij pellexit, totius ad ſe Reip. poteſtatem atque imperium tranſtulit. Sed de iis magiſtratibus quibus populus Rom. plurimum vſus eſt, paullo vberius differendum videtur. Fuerunt autem magiſtratus alij Patricij, qui patriciorum
E cauſſa & ex patriciis familiis primum inſtituti fuerunt. alij Plebeij qui plebis cauſſa & ex ipſa plebe ſemper creati ſunt. Ergo exactis Regibus duo Conſules regio & annuo imperio creati ſunt: ita tamen vt ab iis ad populum prouo-

catio, id eſt ius appellandi eſſet: niſi cum
S. C. factum erat, viderent Coss. ne quid
Reſpub. detrimenti caperet. Illorum autem in-
ſignia hæc fuerunt. Tunica purpurea cum lato
clauo, & toga purpureo prætexta limbo: XII.
lictores qui præibant illis. primum quidem
cum XII. ſecuribus & faſcibus virgarum,
poſt verò intra vrbem cum faſcibus dumta-
xat: item ſella eburnea & ſcipio eburneus.
Eorum verò poteſtas fuit, vt Senatui præ-
eſſent, conuocarent Senatum, non venien-
tes pignoribus coercerent: Legatos exte-
rarum gentium audirent, Decreta Senatusde-
ſcribenda & in ærarium recondenda curarent.
Prætores autem Ciceronis quidem tempore viii.
fuerunt, toga prætexta induti cum ſex lictori-
bus. Vnus dicebatur Vrbanus, qui iuri dicundo
præerat, id eſt priuatis & pecuniariis controuer-
ſiis diſceptandis. eius tria erant verba ſollemnia,
quibus omnis illius iuriſdictio continebatur, Do
Dico, Addico. Alter dicebatur Peregrinus, qui
inter ciues & peregrinos ius redderet. Reliqui
Quæſitores propriè dicebantur, & cauſſis publi-
cis ſiue capitalibus præerant, veluti maieſtatis,
repetundarum, inter ſicarios, peculatus &c. Iam
verò Ædiles quatuor fuerunt, quorum duo Cu-
rules dicebantur quòd ſella Curuli vterentur.
Hi ædes ſacras publicáſq; tuebantur, & ius de
mancipiorum venditione dicebant. Duo reliqui
Plebeij vocabantur, qui propriam iuriſdictionē
non habebant, ſed de rebus tantum tribunorum
arbitrio ad ſe delatis cognoſcebant. Poſtremo
Tribuni x. erant: quorum poteſtas erat, vt cete-
rorum magiſtratuum decretis intercederent cū
dixiſſent Veto. Conſules & prætores in carce-
rem abducere poterant: nihil ſine ipſorum con-
ſenſu ratum erat. Vnus vetans plus habebat po-
teſtatis quam reliqui ix. iubentes. Hic magiſtra-
tus vi & armis creatus eſt, cum plebs in montem
ſacrum ſeceſſiſſet, flagrans ira & odio in Patri-
cios, quorum ſuperbiam & crudelitatem graui-
ter accuſabat. ſeſe bella gerere, & imperij fines
propagare, ſanguinem pro patria profundere.
pro his meritis inopiam & iniuriam pati. Cum
hęc deſperatio præcipites illos egiſſet, ſedari im-
petus, niſi Tribunapl. creato non potuit. quæ po-
teſtas Senatus opes fregit, ac debilitauit maximè
nam per annos circiter D. id eſt vſq; ad exitium
Reip. contra nobilium potentiam ſeditioſis con-
cionibus vociferari non deſtiterunt. Ad extre-
mum vt plerumque accidit, ex illa populi ὀχλο-
κρατείᾳ. C. Cæſaris Tyrannis exorta eſt. De ſedi-
tioſis tribunis pl. locus eſt inſignis in oratione de
Aruſp. reſpon. Tiberius Gracchus conuellit ſta-
tum ciuitatis. qua grauitate vir? qua eloquentia?
qua dignitate? nihil vt à patris auique Africanī
præſtanti inſignique virtute, præterquam quod à
Senatu deſciuerat deflexiſſet. Secutus eſt C. Grac
chus. quo ingenio? quanta grauitate dicendi? vt
dolerent boni omnes, non illi tanta ornamenta
ad meliorem mentem voluntatémque eſſe con-
uerſa. Ipſe L. Saturninus ita fuit effrenatus & pe-
nè demens, vt auctor eſſet egregius, & ad animos
imperatorum excitandos inflammandóſq; per-
fectus. Nam quid ego de P. Sulpitio loquar? cu-
ius tanta in dicendo grauitas, tanta iucunditas
tanta breuitas fuit, vt poſſet vel vt prudentes er-

A rarent, vel vt boni minus benè ſentirent perfice-
re dicendo.

De Tribubus.
CAP. II.

AGER Romanus (inquit Varro) primum di-
uiſus eſt in partes tres: vnde tribus dictæ.
Poſt verò adaucta populi Rom. magnitudine
xxxv. factæ ſunt: quarum aliæ vrbanæ aliæ ruſticę
ſunt appellatæ. antiquitus quidem vrbanæ ab iis
B qui vrbem incolebant. Ruſticæ verò ab iis qui
rura colendi cauſſa haberent. vnde Feſtus viato-
res appellatos ſcribit, qui magiſtratibus apparēt
quia initio cum agri in propinquo vrbis erant,
atque aſſiduè homines ruſticabantur. crebrior
eorum in via opera erat, quam in vrbe, quod ex
agris plerúque homines a magiſtratibus euoca-
bantur Poſterius verò mutata tota hæc ratio eſt:
nam relictis vrbanis optimus ac præſtantiſſimus
quiſque ciuis in ruſticis cenſeri voluit. Itaque
C tum Tribus non vrbis ſed ciuitatis haberi cœ-
præ ſunt. Cauſſa mutationis duplex fuit. primum
propter ruſticæ vitæ dignitatem., nam Romulus
artes operoſas ac ſellularias ſeruis ac peregrinis
attribuit: militarem verò & ruſticam ciuibus ac
liberis reliquit. vt iidem rei ruſticæ qui & mili-
tari operam darent, ſanxit tamen vt nono quoq;
die in vrbem venirent: qui dies Nundinæ dictus
eſt. vnde factum vt Nundinas Macrobius paga-
norum id eſt ruſticorum fuiſſe ferias ſcripſerit:
D cum ad vrbem ſuorum negociorum cauſſa venti-
tarent. Ex illo ciuium genere deligi ſolebant,
quibus honores & poteſtates demandarentur.
Varro lib. de re Ruſtica. 2. Viri magni maiores
noſtri non ſine cauſſa præponebant ruſticos Ro-
manos vrbanis. Vt tutis enim qui in villa vi-
uunt, ignauiores quam qui in agris verſantur, in
aliquo opere faciundo, ſic qui in oppido ſede-
rent, quam qui rura colerent deſidioſiores puta-
bant. Item Plinius, Ruſticæ tribus (inquit) lauda-
E tiſſimæ eorum qui rura haberent. vrbanæ verò
in quas transferri ignominiæ eſſet, deſidiæ pro-
bro. Altera fuit: Cenſorum poteſtas quibus per-
miſſum eſt & nouas tribus addere & nouos ciues
in tribus referre, & veteres tribu mouere. Ita-
que ex eo tempore eam quiſque tribum tenere
cœpit, quam cenſores attribuebant, quę potiſſi-
ma ipſorum poteſtatis pars fuit. Libertinos qui-
dem in vrbanis tribubus fuiſſe conſtar: ac po-
ſtremis temporibus quatuor tantum vrbanas
F fuiſſe, vnam & triginta ruſticas.

De Curiis.
CAP. III.

CVM eſſent (vt dictum eſt) Romuli in-
ſtituto, tres tantum tribus, ſingulæ in de-
cem Curias ab eodem diuiſæ ſunt: ac proinde
xxx. factæ. Curiæ autem eo dictæ putantur
quod vnuſquiſque ciuis quod ſibi publicè curan-
dum erat in ea curabat. Fuiſſe quidem partes
vrbis conſtat, earum ſimiles quas Paræcias ap-
G pellamus. nam & ædes erat communis qua com-
muniter curiæ ſacra fiebant, & eorundem ſacro-
rum communis adminiſter, qui Curio dicebatur,
certæque cuiuſq; Curiæ feriæ ſollemnes erant:
in quibus Curiales vnà epulabantur magna cum
hilaritate. Nam Romulus ſuos cuique Diuos &
ſua

ſua cuiq; Diuorum ſacra cooſtituir, ſacriſq; faciundis certam ex ærario pecuniam attribuit, inſtituitq; vt Curiales rei diuinæ cum ſuis Curionibus iis ſactis intereſſent. atq; in Curiis epularentur. Cum autem tribus ad Curias nihil pertineret, factum eſt primum vt quamuis tribuum numerus augeretur, ramen curiarum numerus maueret. nam iu vrbe omnes erant, in agro nullæ. Deinde vt multi ciues R. eſſent, curiarum inexpertes, veluti municipes, qui extra vrbem agrúmq; R. domicilium habuerunt. Harum autem curiarum ſummum antiquis temporib. rerum omnium ius arbitriumq; fuit. nam earum comitiis ac ſuffragiis & magiſtratus creabantur & leges iubebantur & belli paciſq; ratio conſtituebatur qua de cauſſa Pompon. titul. de orig. iur. Romulus inquit in triginta partes populum diuiſit: quas partes Curias appellauit, propterea quod tūc Reip. curam per ſenteotiam partium earum expediebat.

De classibvs et centvriis.
CAP. IV.

SERO Tullius Rom. Rex ſextus populum vniuerſum in claſſes centuriaſq; ex cenſus, id e facultatum modo ſic diſtribuit. Primum ſex claſſes fecit, quarum vt quæq; ordine antecedebat, ita ciuium locupletiorum erat. Prima autem fuit eorum qui centum millium æris aut maiorē cenſum haberent. Secunda qui 75. millia tertia qui quinquaginta millia. quarta qui quinque & viginti millia. quinta qui vndecim millia. ſexta partim proletariorum erat, qui non amplius mille quingentis æris habehant, atq. ita dicebantur quod pro'i tantum & ſoboli propagandæ atq; alendæ operam nauabant; partim capite cenſorū qui non 375. aſſes in bonis habebant, quaſi ex capite, id eſt perſona tantum non ex fortunis cenſerentur. Rurſus ſingulas claſſes primum in ætates diuiſit, vt alij iuniores dicerentur, qui XVII. ætatis annum impleuerant eaque militaris ætas fuit, alij ſeniores qui XLV. annis maiores erant. Itaq; ſeniores vrbis cuſtodiæ præpoſuit: iuniores ad bella gerenda foris preſto eſſe iuſſit: tum deinde in centurias claſſes ſingulas diuiſit, ſed impari numero. nam in prima claſſe LXXX. centurias fecit. quadraginta iuniorum, totidémq; ſeniorum his additæ fabrum centuriæ duæ, qui ſine armis ſtipendium facerent, & machinas in bello ferrent. In ſecunda, tertia, & quarta, centurias vicenas fecit. In quinta, triginta, ac præterea tres accenſorum, cornicinum, tubicinumque. Poſtremò ex primoribus decem & octo equitum centurias conſtituit, quas primæ claſſi attribuit. ita centum & nonaginta tres centurias impleuit.

Da censv. CAP. V.

IDEM Ser. Tullius cenſum hoc modo inſtituit. Iuſſit cines omnes iureiurando adactos in ſua quemq; claſſe, tribu, centuria, nomina ſua vxorū, liberorum, libertorum, ſeruorumq;, tum etiam ętatem fortunarúmq; duarū omniū ęſtimationem apud ſe profiteri. Fiebat autem cenſus primum in foro, deinde in villa publica quæ erat in cāpo Martio, Exactis Regibus anno ab V. C. 310.

A Ceuſores creati ſunt. eo ceoſu primum numerus eorum qui ad bellum idonei erant, tum etiā magnitudo pecuniæ qua belli ſumptus ſuſtiueri poterant perſpiciebantur. nam ſoli puberes cenſebantur: pueri verò, & fœminæ, & ſerui, & mercatores atque opifices, qui vel ſerui vel peregtini erant, non cenſebantur. quoniam primis illis temporibus Romano ciui nemini (vt Dionyſ. ſcribit) cauponariam aut operoſam artem tractare licuit. Ac tanta eius cenſus vis fuit, vt qui
B è ſeruitute liberatus Romæ inter ciues Rom. domini iuſſu cenſum profeſſus eſſet ciuis haberetur quod etiam Vlp. in Fragm. teſtatur. Porrò cenſus non niſi præſentium fiebat. Itaque ſub cenſendi tempus ciues qui ab vrbe aberant, ad vrbem redibant, cenſendi cauſſa: niſi cenſores magna ex cauſſa decretum pro collegio feciſſent, vt ad cēſum venire neceſſe non eſſet, quod non niſi per raro accidebat. Bonorum autem æſtimationem
C Cenſores faciebant: vnde Varro Cenſorem dictum ſcribit, ad cuius cenſionem id eſt arbitriū. Populus cenſeretur & Feſtus, Ceuſores dictos, quod rem ſuam tanti quiſq; æſtimare ſolitus ſit, quantum illi cenſuerint. Porro eius qui cenſum non profitebatur pœna hæc fuit, vt publicatis bonis virgis cæſus pro ſeruo venderetur. quod Vlp. in eodem libello teſtatur. Itaque Cicero in Orat. pro Cæcina: cum populus in cenſum vendidit, hoc iudicat, cum ij qui in ſeruitute iuſta fue-
D rint, cenſu liberentur, eum qui cum liber eſſet, cenſeri noluit, ipſum ſibi libertatem abiudicaſſe.

De Sacris.
CAP. VI.

SACRORVM alia publica alia priuata fuerunt. Publica dicebantur quæ publicis ſumptibus pro populo vniuerſo fiebant: priuáta quæ
E pro ſingulis familiis aut hominibus. Nam ſinguli patresfam. in ædibus priuatis aram & focum habebant, in quibus Deos Penales colebant, id eſt imagunculas quæ Lares familiares dicebantur. Deos autem nullos niſi publicą auctoritate probatos colere licebat. Itaq; bello Punico ſecundo, noua quædam (inquit Liuius) externa religio ciuitatem inceſſit. vt aut homines aut Dij repentè alij viderentur facti. nec iam in ſecreto tantum atq; intra parietes ac poſtes continebantur Ro-
F mani ritus: ſed in publico eti ac foro Capitolióque mulierum turba erat nec ſacrificantium nec precantium Deos patrio more. Sacrificuli ac vates ceperant hominum mentes, incuſati quibus Senatu grauiter Ædiles Triumuiríque capitales, quod non prohiberent Cum euomete eam multitudinem è foro, ac diſiicere apparatus ſacrorū conati eſſent, haud procul abfuit quin violarentur. Porro priuatorum alia erant familiæ vniuerſę veluti Iuliæ, quæ gentilitia dicebantur, alia ſingulorum veluti Natalitia, quæ qui in patrisfam. poteſtate & manu erant, omnes cum eo commu-
G niter colebant. nam cum materfam. ſacrorum ſocia erat, & qui adoptahatur in ſacra patris adoptiui tranſibat & filijfamil. cum emancipabantur è ſacris paternis dimittebantur: quin etiam Heres ſacris teſtatoris obſtringehatur: ne priuata (vt ait Cicero) ſacra interirent ſed familiis decineps proderentur. Vnde cum,

magni in ea ſacra ſumptus fierent, dixit ille apud Plaut. Hereditatẽ ſine ſacris adeptus ſum opulentiſſima. quoniam autem ius ſepulchrorum pars quædam ſacrorũ erat, intelligendum eſt quędam familiaria fuiſſe, quæ ſibi quis familiæq; ſuæ cõſtituebat, vt primum ad eos qui in familia erant, quamuis heredes non eſſet, deinde ab heredes quamuis eiuſdem familiæ non eſſent pertinerẽt, quædam verò hereditaria, qu ępatresf. ſibi heredibuſq. ſuis conſtituerãt, vel hereditatio iure adquiſierãt. in quæ heredib. vel minima ex parte inſtitutis & ſepeliri & mortuum ſuum inferri ius fuit, quod ex Pandectar. variis locis intelligitur. Cic. de off. 1. Magnũ eſt eadem habere monumẽta maiorum iiſdem vti ſacris, eadem habere ſepulchra communia. Porrò ſacerdotum aliis Diis omnibus, alij Diis ſingulis operabantur. Pontifices quidẽ ſacris. ceremoniis & religionibus priuatis & publicis præerant, legeſque de iis ſanciebant. Eorũ notio erat, quibus Diis, quibus hoſtiis quibus diebus, ad quæ templa ſacra fierent, atq; vnde in eos ſumptus pecunia erogaretur. Sub illis fuere Augures, Aruſpices, Flamines, Curio- Sodales Salij, Feciales, Virgines veſtales. Cic. de Aruſp. Reſp. Pontificum auctoritati, fidei, prudentiæ maiores noſtri ſacra religioneſque & priuatas & publicas commodarunt.

De avgvriis et avspiciis. CAP. VII.

HVc reuera pertinet iſta tractatio: verùm quia eam olim in librum noſtratũ obſeruationum ſextum contulimus ordinem non turbabimus, teq; eò, ſi non eſt moleſtum lector humaniſſ. remittimus.

De Militia. CAP. VIII.

ROMANVS exercitus diuiſus fuit in Legiones & turmas. Legio peditũ manus erat, a deligendo dicta. nam Conquiſitores circummittebantur, qui omnem copiam ingenuorum inſpicerent, & quos ſatis roboris ad arma ferenda habituros iudicabant, eos nomina dare iubebant: tum ex magno numero delectus habebatur, ad quem niſi citatus reſponderet, publicè vendebatur. Legionis autem numerus aliquoties variatus eſt. nam primum quattuor, tum quinque poſt etiam ſex millium fuit. Cæſaris tempore quinq; milliũ erat. In eam autem aſcribi non licuit niſi ciues Rom. ingenuos, iuniores, qui in quinq; claſſibus cenſerent, & artem ludicram non feciſſent. Serui verò, libertini, ſeniores, capite ceſi, & hiſtriones atq; infames excludebantur. Ætas autem militaris iuuentus fuit, hoc eſt ab anno XVII. ad annum XLVI. quo anno ſeniores vocabantur, vt ſup. dictum eſt: eoq; ſpacio iuſtum militiæ tempus fuit, annorum XX. ac tum veterani dicebantur, & Emeriti, legitimaq; ſtipendia confeciſſe. Cum omnes conſcripti eſſent, ad iuſiurandum eos Tribuni mil. adigebant, ſe iuſſu conſulum conuenturos, neque iniuſſu abituros, fugæ ac formidinis ergo non abituros, neq; ſigna & ordines deſerturos, niſi tali ſumendi, aut petendi, aut hoſtis feriendi, aut ciuis ſeruandi cauſſa. Præſtito ſacramento Milites dicebantur: ac niſi militiæ ſacramento obligati eſſent, militandi ius non habebant. cuius rei præclarum in lib. de offic. 1. exemplum exſtat. Diurnum autem militis ſtipendium fuit denarius: id eſt, aſſes, X. Centurioni duplex, Equiti triplex dabatur. Quod ſequi fortè in bello ac prælio operam nauaſſet, tum ab Imperatore honoris ergò pro concione donabatur. Dona autem militaria erant coronæ. torques, armillæ, phaleræ, pecunia numerata. Porrò diſciplina militaris hæc erat, vt Imperator ſummum in milites imperium, hoc eſt ius vitæ ac necis haberent. Ac leuis quidem animaduerſio hæc fuit, ignominiæ cauſſa mitti. ſtipendio priuari, quo caſu Aere diruti dicebantur, item iuberi cibum ſtantem capere, diſcinctum deſtitui, hordeo paſci, ſanguinem mittere. Grauior verò virgis cædi, venire, fuſte aut ſecuri percuti, decimari, in crucem tolli.

De generibvs. CAP. IX.

GENERA primum Romæ duo fuerunt. nam Romuli inſtituto alij. Patres dicti ſunt, alij Plebeij. Patres dicti qui liberos habebant. vnde Progenies eorum Patricij dicti, quaſi qui Patres ciere, id eſt nominare poſſent. Deniq; nihil aliud (vt ait Liuius) quam Ingenui. Plebeij verò foere, qui tenuiores & copiis atq; opib. inferiores illis erant. Poſt illud tempus multi lege & beneficio Patricij facti ſunt. nam qui ex peregrino ciuis Rom. fiebat, plebis quidem iura ſimul cum ciuitate adipiſcebatur: patri eius verò niſi lege ad populũ lata non fiebat. Etſi autẽ ita populũ Romulus diuiſit, tamen ne qua inter illos diſſenſionis materia relinqueretur, ius quoddam neceſſitudinis inter illos conſtituit, vt hi in illorum ſe fidem cõmendarent. Qua de cauſſa hi clientes, illi Patroni appellati ſunt: atq; illi quidem patronus non ſecus ac patres obſeruabãt, aſſectationis officio colebant, honoris cauſſa, cum illi vrbem obibant, ducebant, & reducebant, eóſq; in filiabus collocandis, ſi opus eſſet. pecunia ſua iuuabant. Patroni contra illos in fidem ſuam recipiebant, ſuaq. auctoritate aduerſus iniquorum iniuriam tutabãtur: cauſſas illorum agebant, iura eos docebant, ac præclara in XII. tab. lex fuit: Patronus ſi clienti fraudem faxit, ſacer eſto. Itaq; neq; accuſare illis inter ſe, neque teſtimonio ſuffragióve lædere, aut inimicitias exercere licebat. Porro penes patricios ſolos ius ſacrorum, auſpiciorũ, Magiſtratuum, Sacerdotum, comitiorum, iudiciorũ, ius denique vitæ & necis in plebeios fuit. Plebs verò non modò honorum verum etiam connubij expers erat cum patriciis. vnde illa plebeiorum querela. An verò eſſe nulla maior aut inſignior contumelia poteſt, quam partem ciuitatis velut contaminatam, indignam connubio haberi? Iam verò in Patriciis etiam illud notandum eſt, alios maiorum gentium dictos fuiſſe, videlicet qui à Romulo conſtituti genere antiquiores eſſent, alios minorũ, qui à poſterioribus Regibus in eorũ numerus adſciti, aut lege lata recepti fuerant. Atq; hæc quidem antiquitus. Nam procedente tempore diſcrimẽ illud iuris quod inter patres & plebem fuit, magna ex parte ſublatum eſt. Semper tamen ij qui Patriciorum partibus fauebant, Optimates: qui plebi populares appellati ſunt. Verum ij qui Patronorum nomen obtinebant, cũ ſuperbè violẽterq. tenuiores haberẽt, plebeij ſeditionib. factis aduerſus eorũ ſe impotẽtiã munierunt

ruor. Ac primum magiſtratum ſibi babete voluerunt, qui Trib. pleb. dicti ſunt: tum deinde comitiorum & maiorum magiſtratuum ius conſecuti ſunt. Porrò Plebeiorum rurſus alij ignobiles dicebantor, qui ius imaginis non habebāt. alij noui qui ſuæ imaginis ius ouper adepti fuerant: alij nobiles qui & ſuas & ſuorum maiorum imagines habebant. Erat autem imago ſimulachrum otis, quod in atrio in armario reeondebatur, vt & feſtis familiæ diebus otnatum oſtenderetur & in funerib. teſtādæ antiquitatis cauſſa deferretur. Itaq; ius imaginis nihil aliud fuit quā ius nobilitatis: vnde illud præclarum Iuuenalis.

" *Tota licet veteres exornent vndiq; cera*
" *Atria, nobilitas ſola eſt atque vnica virtus.*

Ius autem illud iis demum conecdebatur, qui curialem magiſtratum adepti fuerant. Salluſt. in Iugurth. Cum maiorum imagines intuerentur, vehementiſsimè ſibi animum ad virtutem accēdi, ſcilicet, noo cetam illam neq; figuram taneam vim in ſeſe habere: ſed memoria rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſeere: neque prius ſedari, quàm virtua eorum famam atque gloriam adæquaſſet. Ergo qui obſcuris orti parentib. erānt, ignobiles ac ſine imaginibus dicebantur: vt apud Sueton. Flauia gens obſcura illa quidem ac ſine vllis imaginibus. Qui verò nuper adepti fuerant, noui dicebātur: poſteri eorum nobiles: veluti Cicero, auus pater ignobilis: ipſe nouus: poſteri nobiles fuerunt. Itaque in Agraria 2. Quirites alloquens: Me inquit, hominē nouū Conſulem feciſtis. Nobiliū tamen nomine generaliter etiam Patricij dicebantur, vt cum Cicero P. Clodium quem patricium fuiſſe conſtat, nobilem in Milon. nominat. Homo nobilis (inquit) in ſuis monimentis equitem Ro. occiderat.

De Ordinibus. CAP. X.

Ordines ciuitatis tres fuerunt, Senatorius, equeſter, plebeius, vnde illud Auſonij: *Martia Roma triplex equitatu, plebe, Senatu.* Quin etiam quorum maiores ſenatores fuerāt ex Senatorio: quorum equites, ex equeſtri loco atq; familia orti dicebantur. Primi autem Senatores ex ætate appellati fuot, quos Romulus in conſiliū de publicis negociis adhibuit, qua de cauſſa etiā Patres dicebaotur: & qui poſtea in eorum numerum allecti ſunt, patres conſcripti. Cōſtituta autem Repub. Senatores ex equeſtris ordinis primoribus legebantur: vnde ordo ille ſeminarium ſenatus appellabatur: cenſus enim ratio babebatur: quaſi dignitatis illius ſplendor tenuitate rei familiaris imminueretur. Plinius: Poſtquam (inquit) Senator cenſu legi cœptus peſſum iere vitæ precia. Ætatis quoque ratio babebator, anni (opinor) 27. nam eo demum anno Quæſtura gerebatur. Legi autem in Senatū nemo, niſi qui magiſtratū geſſiſſet, non ſolebat. Vnde Cicero perſæpe ſe ſcribit populi R. beneficio in ſenatū veniſſe, velut in ea poſt reditū: ſe populi Rom. honoribus in ampliſſimo conſilio & altiſſimo gradu dignitatis atq; in ipſa omnium terrarum arce collocatū. Opus tamen fuit etiam lectione Cenſorū. nam illo vno modo (vt ait Valerius) etiam iis qui iam honores geſſerāt, aditus in eutiam patebat. quin eorū quoq; poteſtas fuit mouendi & prætereūdi: nam vt quem in Senatu recitando nominarant, is ſenator erat, ſic quem prætetierant, ſenatu motus dicebatur. Fuit autem inſigne Senatorij ordinis tunica purpurea cū lato clauo, & calceus lunatus. Latum clauum fuiſſe arbitror ornamentū ex purpura ab humeris ad vtramq; pectoris partem demiſſam: qualis fuit Græcis ἱστομάς, quanqoam Græci latum clauum interpretantur πλατύσημον ἐσθῆτα. Demiſſionem illo verſu Hor. ſignificat: *Latum demiſit pectore clauum.* Mulieres Paragio vtebantor, Itaq; Nonius (Patagiom) inquit, aureus clauus, qui pretioſis veſtibus immitti ſolet. Calceus autem lunatus erat, cuius in ſuperiore parte C. litera (vt nonnulli veteres tradiderunt) inſcripta erat, Romuli vt putatur inſtituto poſita, quę ſignificaret eum qui calceis illis vteretur, è numero centum Senatorū eſſe. Tunicæ autem quæ carnes legebat, toga ſuperinduebatur puta priuatis hominibus: vt magiſtratibus purpureo prætexta limbo. Porrò, non omnes qui in ſenatu veniebant, quiq; ſententiæ in ſenatu dicēdæ ius habebant, ſenatores èrant, ſed ij ſolum qui à Cenſoribus (vt dictum eſt) lecti fuerant. nā qui magiſtratibus functi erant, in Senatū veniebant, neq; tamen ſentētias rogabantur, ſed quas Principes dixerāt, in eas diſcedebāt. vnde veteris Edicti formula: Senatores quibuſq; in Senato ſētentiā dicere licet. Et quoniam non voce, ſed pedibus in aliorū ſententiā ibant, propterea Pedarij dicti ſunt. Decernendi autem id eſt S C. faciendi duplex forma fuit. primum cum ſingulorū ſententiæ rogabātur, ſi res erat dubia: nam poſt Comitia conſularia Conſules deſignati primi ſententias rogabātur, & eorum is prior qui priore loco declaratus fuerat. ante comitia verò qui è cēſoribus Princeps Senatus lectos erat, ij deinde quos Conſulibus videbatur, ita tamē, vt ne Prætoriū Conſulari, Ædilitiū Prætorio, Tribunitium Ædilitio aote ferrent. Erat autem ius Senatori vt rogatus ſententiā diceret, & quādiu vellet & qua de re vellet. Fiebat præterea S. C. per diſceſſionē, ſi maxima pars Principi alicui cōſentiebat. nā præco ita pronuntiabat: Qui hoc cēſetis, illuc tranſite: qui alia omnia in banc partem. Cum autem aliquis in dicenda ſentētia duas pluresve res cōplexus eſſet, eæ ſi non omnes probabantur, poſtulari ſolebat à quo vis ſedente vt diuideret: id eſt vt de rebus ſingulis referretur. Erat autē Reſp. omnis in Senatus poteſtate, deq; rebus omnibus S.C. fiebāt, præterquā de bello ac paee, de magiſtratū creatione ac latione. Comitiis tamē patres auctores erāt, id eſt prius in ſenatu declarabator, verū vtilis videretur Reip. res, de qua Comitia inducta erant, an pernicioſa. Ex illo priore Senatorio ordine magiſtratus omnes tū intramurani tū extramurani ſumebantur: vnde illud Cic. in eluētiana: Senatorum eſt locus, auctoritas, domi ſplēdor, apud exteras nationes nomen, & gratia, toga prætexta, ſella curulis, inſignia, faſces, exercitus, imperia, prouinciæ, &c. Deinceps de equitib⁹ & equeſtri ordine videamus. Equitum igitur alij equo publico, alij priuato ſtipēdia merebāt. Illi in ciuitate Senatorib. opponebātur. hi in exercitu peditibus. Neq; enim ciues Romani erant quicunq; equo merebant, ſed qui publico & militari quem ei Cenſores aſſignarant. nam vt Senatores, ſic etiam equites à Cenſoribus legebantur, tum ex patritiis, tum ex plebeijs: idque ex cenſu, hoc eſt, H. S. quingentis milli-

bus. vt illorum inſigne fuit latus clauus & calceus lunatus, ſic horum anguſtus clauus & annulus aureus, quanquam poſterioribus temporibus aliud fuit habere annulos, aliud ius annulorum aureorum. nam hoc ius tribuebatur libertinis omnibus, quibus ingenuitatis ius Imperatoris beneficiu concedebatur. Poſtremò notandum eſt, legibus theatralibus equeſtri ordini attributos ludis XIIII. gradus, in quibus ſedentes ludos ſpectarent. Supereſt tertius & poſtremus ordo eorum, qui modo Plebeij, modo de plebe Ro. dicebantur. in quibus nonnulli etiam patriciæ gentis fuerunt. Nam ſi propter egeſtatem neq; in Senatum lecti, neq; equo publico donata fuerant, plebeij manebant. Itaque & M. Æmilij Scauri pater, quamuis patricius, carbonariam tamen exercuit, & C. Terentij Varonis pater, qui ad Cannas malè pugnauit, lanius fuit. Hinc plebs alia Ruſtica alia Vrbana dicebatur, vt ſuperius demonſtratum eſt. Plebs vrbana fuit quæ intra vrbem domicilium habuit, quo in numero hi fuerunt. Tribuni, Ærarij, Scribæ, mercatores & negotiatores, argentarij & fœneratores, artifices & opifices, turba forenſis, libertini; & magiſtratuum apparitores. nam etſi Romuli inſtituto plebs vrbana operoſas & mechánicas artes non exercuit, poſterioribus tamen ætatibus ad eas ſe contulit, vnde illud Cic. Catil. 4. Nulli ſunt inuenti tam aut fortuna miſeri, aut voluntate perditi. qui non ipſum illum ſellæ atq; operis & queſtus quotidiani locum ſaluum eſſe velit. multo verò maxima pars eorũ q in tabernis ſunt, immo verò genus hoc vniuerſum amantiſſimum eſt otij, etenim omne illorum inſtrumentum, omnis opera ac quæſtus, frequentia ciuium ſuſtinetur, alitur otio. quorum ſi quæſtus occluſis tabernis minui ſolet, quid tandem incenſis futurũ fuit? Huic autem vrbanæ plebi conuenticula & quaſi concilia quædam permiſſa erant. vnde illud eiuſdem in Orat. pro domo. Nullum eſt in hac vrbe collegium, nulli pagani, aut montani, (quoniam plebi quoq; vrbanæ maiores conuenticula & quaſi concilia quædam eſſe voluerunt) qui non ampliſſimè non modò de ſalute mea, ſed etiam de dignitate decreuerit.

De legibus. Cap. XI.

LEGVM diuiſio hæc fuit: vt aliæ ab vniuerſo populo, aliæ à parte populi iuberentur. Illæ generale nomen ſuum fecerunt, Legesq; propriè dictę ſunt: hæ verò plebiſcita, Leges duo maiores magiſtratus ordinarij regebant: Conſul, Prætor, duo extra ordinarij, Dictator & Interrex: Plebiſcita ſoli Tribuni pl. Qui legem laturus erat prius eam cum peritis cõmunicabat, ne quid noui aduerſus Remp. inſtitueret, néve ex ea commodum aliquod ſibi ſuiſve propinquis compararet, néve pluribus de rebus vna rogatione ferret. Tum enim lex Satura dicebatur, tranſlatione à Satura ſumta, quod fuit genus cibi ex variis cibis confecti & conditi. Item ne quid forte de quo legem ferre ius non eſſet. in ea adſcripſiſſet. nã omnium legũ clauſula hæc fuit, Si quid ius non fuit rogari, eius hac lege nihilum rogatum. Si lex probata erat, tũ qui ad populum eam laturus erat, prius de ea ad Senatum referebat, vt ſi patribus etiã probaretur, S.C. in ea fieret: ac tum patres legis illius auctores dicebantur. Priuſquam ſuffragium

A populus iniret (inquit Liuius) in incertum comitiorum euentum patres auctores fiebant. Poſteaquam Patres auctores facti erant, tũ lex promulgabatur: id eſt ſcripta publicis locis omnibus proponebatur, vt populo eius deſcribendæ, cognoſcendæ, & conſiderandæ poteſtas fieret. Ea promulgatio trinundinum durabat, id eſt per ſpatiũ trium nundinarum: quoniam iis diebus plebs, ruſtica in vrbem vendendi aut mercandi gratia ventitabat: ac tum legem cognoſcebat, & de ea cum B amicis communicabat. Poſt tertias nundinas magiſtratus qui legem laturus erat, populum vel in forum vel in Campum Martium conuocabat. Ibi præco ſubiiciente ſcriba legem recitabat. Tum orationes habebantur, primum ab iis qui legem ſuadebant, ſiue is legiſlator eſſet, ſiue alius: ac non modo magiſtratus, verum etiam priuatus, ſi modò concionem, id eſt concionandi poteſtatem ab aliquo magiſtratu accepiſſet, tum deinde ab iis, qui etiam diſſuadere vellent. Ita & commoda le- C gis & vitia planius aperiebantur. qui ſuadebant auctores legis dicebantur. Poſt ſitella deferebatur, in quam centuriarum (ſi centuriata) vel tribuum (ſi tributa comitia erant) nomina coniiciebantur, tum ſortibus æquales, hoc eſt ſitella ſic agitata, ne qua ſors emineret, ſortitio fiebat: & quæ prima exibat, aut ſecunda aut tertia, ea primum aut ſecundum aut tertium in ferendo ſuffragio locum atque ordinem tenebat. Interea ſi quis Tribunus intercedere legi, ſi quis magiſtra- D tus qui de cœlo ſeruaſſet, obnuntiare vellet, licebat. Interdum etiam Conſul diem comitialem, id eſt quo haberi comitia fas erat, eximebat, vel ſupplicatione decernenda, vel feriis indicẽdis. Si nemo impediret, tum is qui legem ferebat, ita dicebat: Si vobis videtur diſcedite Quirites: Ita in ſuam quiſq; vel centuriã vel tribum diſcedebat: in qua ſuffragium laturus erat. Habebant autem ſinguli binas tabellas cera oblitas, quarum in vna ſcriptum erat V. R. id eſt, vti rogas: quam in ci- E ſtellam iniiciebat, qui legem probabat: in altera, A. id eſt Antiquo, antiqua probo: noua non placet, quam iniiciebat, qui legem improbabat. Vbi ſuffragia perlata erant, tum aderant Diribitores qui tabellas diribebant, id eſt dinumerabant, vt numero punctis notato, quæ cuiuſq; tribus aut centuriæ voluntas eſſet, è maiore numero cognoſceretur, quæ magna voce continuò à prætore pronuntiabatur. Si lex accepta erat, tum ciues omnes in eam iurabant, ſimúlq; lex in æream tabu- F lam incidebatur, quæ poſt in publico proponebatur, vt oculis ciuium pateret. Interdum in ærariũ, quod fuit in Saturni Opiſq; fano, deferebatur: ibiq; cum Senatus conſultis & omnium rationũ publicarum libris recondebatur.

De comitiis. Cap. XII.

COMITIA dicuntur conuentus populi aut plebis ad ſuffragium de rogatione aliqua ferendum: quanquam ſi plebs ſola conueniebat, propriè Concilium dicebatur. Eorum antiquiſſi- G ma curiata fuerunt, poſt centuriata, poſtremo Tributa inſtituta ſunt. Comitia autem vetuſtis temporibus calata dicebantur, ab antiquo calandi, id eſt conuocandi verbo. De antiquiſſimis primo loco dicendum eſt. Ergo Curiata comitia fuerunt, in quibus populus curiatim diuiſus ita ſuffragium ferebat, vt quod plu-

res

plures Cutiæ iuſſiſſent, id ius ratúmq; eſſet. Ac
Regum quidem quinque primorum temporibus
ſola hæc comitia fuerunt, eorúmque auctoritate
ſumma Reipu. adminiſtrata eſt. nam in iis magi-
ſtratus creabantur, leges iubebantur, de bello ac
pace conſtituebatur. Poſtea verò Ser. Tullij ſexti
regis arte & conſilio centuriata comitia inſtitu-
ta ſunt: in quæ maxima horũ poteſtatis pars trãſ-
lata eſt (vt poſterius intelligetur.) Retenta ta-
men hæc poſtea multas ad ætates fuerunt reli-
gionis cauſſa, quod in ijs maior auſpiciorum &
ſacrorum auctoritas ineſſet. ac primis quidem tẽ-
poribus vera comitiorũ ratio retenta eſt, vt à cu-
riijs ſuffragia ferrẽtur, poſt verò ſenſim obſoleta
ſunt, ac tantũ ad ſpeciẽ vetuſtatiſque memoriã
vſurpata. Sẽper autẽ ita illud mãſit, vt nemini iu-
ſtũ plenũque imperium, niſi curiatis comitiis mã-
daretur: propter veterẽ (quam diximus) legẽ de
belli decernendi poteſtate, quę penes curias fuit:
Hinc illud Cicer. Agr. 2. Conſuli ſi legem curiatã
non habet, attingere rem militarem non licet.
Item Liuij lib. v. Comitia curiata quæ rem mili-
tarem continent, comitia centuriata, quibus
cõſules tribunóſque militares creatis, vbi auſpi-
catò, niſi vbi adſolent, fieri poſſunt? Item lib. ix.
Atque ei legem Curiatã de imperio ferenti triſte
omẽ diem diffidit. Qua de cauſſa magnoperè do-
ctiſs. viro N. Gruchio aſſentior, diſputanti mul-
tis poſt centuriata atque adeo tributa comitia
inſtituta temporibus, curiata tamen ita retenta
ac verè vſurpata fuiſſe, vt quibus de rebus
in illis primum iudicatum fuiſſet; de iiſdem
iterum in his iudicaretur: & magiſtratus centu-
riatis tributiſque comitiis creatos tum demum
pleno iure atque optima lege magiſtratus fuiſſe;
cum lege curiata imperium eis datum fuerat;
cuius rei hic ex Agrar. 2. teſtimonio eſt. Maio-
res de omnibus magiſtratibus bis vos ſenten-
tiam ferre voluerunt. nam centuriata lex Cen-
ſoribus ferebatur; cum curiata ceteris patri-
ciis magiſtratibus, tum iterum de ijſdem iu-
dicabatur, vt eſſet reprehendendi facultas, ſi
populum beneficij ſui pœniteret. Quanquam e-
nim locus ille perſpicuè corruptus eſt, tamen
minimo negocio emendari ſic poteſt: non om-
nino vt Gruchius exiſtimauit, ſed hoc potius
modo: Nam cum Centuriata lex Conſulibus fe-
rebatur, cum ceteris patriciis magiſtratibus;
tum curiata iterum &c. cuius tamen coniectu-
ra occaſionem idem nobis doctiſſ. Garuchius
præbuit: ne quem ſua meritiſſima laude frau-
demus. Prætetea ſententia hæc multis aliis argu-
mentis confirmari poteſt. Primum ex eo quod
Cicero eodem loco ſic infert: Ita cum maiores
binis comitiis voluerũt vos de ſingulis magiſtra-
tibus iudicare &c. nam ſi binis comitiis de iiſ-
dem magiſtratibus iudicatur, neceſſe eſt qui
prioribus creati ſunt, non pleno iure magiſtratus
fuiſſe. Tertium argumentum verba eiuſdẽ paullo
ſuperius poſita, ſuppeditant, vbi ſic loquitur: Iam
hoc inauditũ & planè nouo more, vt curiata lege
magiſtratus detur, cui nullis comitiis antè ſit da-
tus. Quibus verbis perſpicuè demõſtrat vetus in-
ſtitutũ, morémq; maiorũ fuiſſe, vt cui magiſtra-
tus antea certis comitiis datus eſſet, eidem ite-
rum curiata lege poſtea detur. Quartum argumẽ-
tum ex ſuperiorib. eiuſdẽ verbis cõſtituitur, cum

A ita loquitur: Nunc prima illa comitia tenetis cẽ-
turiata & tributa. Curiata tantum auſpiciorum
gratia manſerunt. hic autẽ Tribunus pl. quia vi-
debat poteſtatẽ nemini iniuſſu populi aut plebis
poſſe habere, curiatis ea comitiis, quæ vos non
tenetis (finitis mendoſè vulgò legitur) confir-
mauit. tributa quæ veſtra erant, ſuſtulit. Sic igi-
tur tractari hoc argumentum poteſt. Nam ſi
centuriata vel tributa prima centuria ſunt, bina
autem de iiſdem magiſtratibus habentur: relin-
B quitur vt curiata ſecunda ſint. quandoquidem
quartum comitiorum genus nullum eſt. ſimúlq;
intelligitur (quod ſuperius dictum eſt.) primis
quidem temporibus curiata comitia vera fuiſſe,
id eſt ſuffragia in iis ferri ſolita. Poſt verò tan-
tum auſpiciorum & religionis cauſſa, vti (vt
ſuo loco diximus) Curiæ ſacrorum eſſent, & re-
ligionis domicilia, quaſi quæ noſtris temporibus
Parœciæ dictæ ſunt. eiúſque rei locus alter ali-
quanto poſt inſequens documento eſt, vbi Cicer.
C demonſtrat verè curiata comitia fuiſſe, cum in
iis ſuffragia ferrẽtur: adumbrata verò eſſe cœpiſ-
ſe, cum dicis cauſſa & auſpiciorum vſurpandorũ
gratia tantum celebrata ſunt. Sũt igitur (inquit)
decemuiri, neque veris comitiis, hoc eſt populi
ſuffragiis, neque illis ad ſpeciem atque ad vſur-
pationem vetuſtatis per xxx. lictores auſpiciorũ
cauſſa adumbratis conſtituti. Quibus ex verbis
intelligitur, Ciceronis temporibus non modo
ſuffragia curiata lata non fuiſſe, ac ne triginta
D quidem curias conuocatas, ſed tãtummodo ſin-
gulos earum lictores dicis cauſſã & vſurpandæ
vetuſtatis gratia conueniſſe. Quintum argumẽ-
tum præbet apud Agell. Meſſalæ cum ita ſcri-
bit: Reliquorum magiſtratuum minora ſunt au-
ſpicia. Ideo illi minores, hi maiores magiſtratus
appellantur minoribus creandis magiſtratib. tri-
butis comitiis magiſtratus, ſed iuſtius curiata
datur lege. Maiores centuriatis comitiis fiunt.
Quibus ex verbis intelligitur, minorib. magiſtra-
E tib. poteſtatem tributis comitiis dari, ſed poſtea
iuſtiorem pleniorémq; curiatis. Sextum argumẽ-
tum eſt ex Cic. li. vi. vbi ſic ſcribit; Penes quos
ſunt auſpicia more maiorũ? nempe penes patres.
nam plebeius quidem magiſtratus nullus auſpi-
cato creatur. nobis adeo propria ſunt auſpicia, vt
nõ ſolum quos populus creat patricios magiſtra-
tus, nõ aliter, quàm auſpicato creet: ſed nos quoq;
ipſi ſine ſuffragiis populi auſpicato Interregem
prodamus: & priuatim auſpicia habeamus. quæ
F iſti ne in magiſtratib. quidem habent. Quibus ex
verbis patet, nulla in iis mandandis magiſtratib.
auſpicia fuiſſe, qui auſpicato non crearentur. At-
qui minores magiſtratus, veluti Quæſtura, Ædili-
tas curulia auſpicato creantur, vt ille ſuperius ex
Agellio prolatus locus oſtẽdit. Ex quo cõficitur,
cum comitiis tributis crearentur, quæ auſpicata
non erant magiſtratum iis alio quodã comitiorũ
genere dati ſolitũ, quæ auſpicata erant. quæ ſi cẽ-
turiata non erant (vt ſatis conſtat) relinquitur vt
G curiata fuerint. Itaq; Cic. Philipp. 2. Quęſtor es fa-
ctus, inquit, deinde continuò ſine SC. ſine ſorte,
ſine lege ad Cæſarem cucurriſti. Tributa autẽ co-
mitia auſpicata non fuiſſe, vel ille vnus ex Diony-
ſij lib. ix. locus demonſtrat. vbi Publilij Voleronis
legem cõmemorat, vt plebei magiſtratus tributis
comitiis crearentur, quoniam in iis neque facer-

dotes neque augures eſſe oportebat. Supereſt vt
obiectioni ex Pædiano ſumptæ teſpondeamus.
Sic enim ſcribit: Prærogatiuæ ſunt tribus, quæ
primæ ſuffragium ferunt, ante iure vocatus: mos
enim fuerat, quo facilius in comitiis concordia
populi firmaretur, bina de iiſdem candidatis co-
mitia fieri: quorum tribus primæ prærogatiuæ
dicebantur, quod primæ rogarentur, quos vellēt
Conſules fieri. ſecundæ iure vocatæ, quod in his
ſequēte populo (vt ſæpe contingit) prærogatiua-
rum volūtatem, iura omnia complerētur. Intel-
ligendum eſt igitur (quod Dionyſ. multis verbis
l. 4. demonſtrat) cētuтiatis comitiis à Seru. Tul-
lio inſtitutis vim omnem ſuffragiorum penes eos
fuiſſe, qui maximi cenſus erant: adeo vt cū equi-
tum primæque claſſis cēturiæ numero plures eſ-
ſent, quàm reliquarum claſſium omnes centuriæ
(erant enim equitum XVIII. peditum LXXX.) vix
vnquam reliquarum centuriarum ſententia ex-
quireretur. Itaque tandem inſtitutum fuit, ad fir-
mandam (vt Pædianus loquitur) populi concor-
diā, vt ſorte prærogatiua duceretur, quæ ſors æ-
què in aliquam poſtremæ vt ſummæ claſſis cen-
turiā cadere potuit. Cum igitur inſtituta illa ſor-
titio eſt, bina quodāmodo comitia eſſe cœperūt,
prærogatiuæ centuriæ, quæ antiquitus ſola ferē
iudicabat, & poſt modū aliarum quæ pro ſuo iure
ſuffragia ferebant. quanquam haud ſcio an ſatis
commodè à Pædiano dicatur, bina fuiſſe: cum iſta
ratione totidem comitia numerari poſſint, quot
centuriæ ſuffragia ferebant. Verum hæc quidē de
lege Curiata, ſiue comitiis curiatis, quatenus ad
magiſtratus pertinebant. Intelligendum eſt enim
eorum vſum præterea fuiſſe, primum in ſacerdo-
tiis mandandis, deinde in ſacrorum deteſtationi-
bus (vt ait Agellius) id eſt in publicis rerum con-
ſecrationibus antè legem Papirianam. tum prætet-
ea in adoptionibus, vt multis verbis Agellius
docet, lib. V. cap. XIX. lib. XV. cap. XXVII. & Cic. in ea
pro Domo. poſtremò etiam in teſtamentis: cuius
rei veſtigium apud Iuſtinianum remāſit, § 1. In t.
de teſtam ordin. Deinde ad Centuriata tranſea-
mus quæ Ser. Tullius (vt ſupra diximus) inſtituit.
Fuerunt autem Centuriata comitia in quibus
populus per claſſium centurias diuiſus, ſuffragiū
ita ferebat, vt ſententiarum maior pars non ex
ſingulorum ciuium, ſed cēturiarum numero æſti-
maretur. In iis autem primū creabantur magiſtra-
tus omnes maiores ordinarij, id eſt Cōſules, Præ-
tores, Cenſores: nam extraordinarij comitiis non
creabantur. Dictator enim ſenatus decreto à Cō-
ſule vel Prætore dicebatur. magiſter equitum ab
illo. Interrex à Patritiis prodebatur. In iis comi-
tiis leges, ſed à maioribus tantum magiſtratibus
ferebantur, vt cum de bello inducendo agerent.
In iiſdem iudicium de perduellione exercebatur,
id eſt de eo qui ſe hoſtili animo in Remp. geſſe-
rat. quo caſu ſi Trib. ple. accuſabat, diem à Con-
ſule petebat, quo populum in campum Martiū
per centurias non ipſe, ſed conſul ad iudiciū cō-
uocaret. Haberi autem niſi maioribus auſpiciis
atque à maiorib. magiſtratib. nō poterant, nec niſi
patrib. auctorib. quanquam religionis cauſſa, ve-
luti Regis ſacrorum creandi, interdum à Pontifi-
cib. habebantur. Peragebantur autem extra Po-
mœrium in campo Martio, auſpicato loco, exer-
citu prius imperato, præſidioque in Ianiculo
monte collocato, quod ibi tantiſper erat, dum

A comitia dimitterentur, quoniam intra vrbem
bellum adminiſtrari ius non fuit. Rurſus die-
bus tantum comitialibus habebantur, hoc eſt
ijs qui in faſtis deſignati erant, vt in iis agi cum
populo liceret: à quibus dies ludorum, ſacrificio-
rum, & feriarum excludebantur. Suffragium au-
tem in iis ferebant ciues omnes, ſiue in vrbe, ſiue
extra vrbem domicilium haberēt: qui modo ple-
no iure ciues eſſent. In iiſque aderant primum
Diribitores, qui tabellas populo per centurias di-
B ribebant, id eſt diſtribuebant. Item Rogatores,
id eſt qui ciſtas deferebant, in quas populus ſuf-
fragiorum tabellas coniiciebat. Item cuſtodes
qui & ne qua in ſuffragiis fraus fieret obſerua-
bant, & ſuffragiorum numerum punctis notabāt.
Vbi autem centuria vna ſuffragium tulerat, Præ-
co eius ſententiam magna voce populo ſignifi-
cabat. Tū cui ſorte contigerat, vt prima ſuffragiū
ferret, ea Prærogatiua dicebatur: cuius ſententiā
reliquæ ferè omnes ſequebantur, qua de cauſſa
C omē iuſtorum comitiorū appellabatur. Hæc præ-
rogatiua in certum campi locū cancellis & tabu-
laris circumdatum includebatur. quod ouile ex
ſimilitudine dicebatur: interdum etiā ſepta, vt in
Miloniana: Quid; comitijs in cāpo quoties pote-
ſtas fuit, cū ille in ſepta irruiſſet? reliquarū autē
certus erat ordo in ferendis ſuffragijs. Itaq; ſuo-
quoq; iure & ordine vocabatur: vnde Iure vocatæ
dicebantur. Porro comitia edicebantur trinun-
dino antè quàm haberentur, quo toto tempore,
D qui maiorem aliquem Magiſtratum petebant,
Candidati, id eſt toga candidiore eáque recincta
induti centurias obibant (vnde ambire dictum
& ambitus) partim vt ne in ſinu numos geſtarēt,
partim vt ſi quas aduerſo pectore cicatrices ha-
berent, eas oſtentarent, ſeſeque illarum nomine
commendarent. Licebat autem vel interceſſio-
ne magiſtratuum, aut parium, aut maiorum, aut
Tribunorum ple. Itémque obnuntiatione, cum
de cœlo ſeruatum erat, ea comitia impedire. Si
E non impediebantur, tum aut voce aut tabella ſuf-
fragia ferebantur. Si voce rogatores ſingulas cē-
turias obibant, & cum ſingulos rogaſſent, ſingu-
liq; clara voce reſpondiſſent, ex maiore numero
Præco cuiuſq; centuriæ ſententiā pronuntiabat.
Si in tabella, tū in magiſtratuū quidē comitijs ſin-
gulis ciuib. tot tabellæ dabantur, quot petitores
erant. Primis eorū nominū litteris inſcriptis. In
comitijs quidē legū V. R. id eſt vti rogas: vel A, id
eſt antiquo. Ac tū ſinguli per pōtes ſuffragium in
F ciſtellas inſpectantib. maiorib. magiſtratib. fere-
bant. Erant autē pontes anguſtæ quædā ſubſtru-
ctiones è tabulatis gradib. è ſolo ſublatæ. Super-
eſt vt de Tributis comitijs videamus. Ergo Tri-
buta comitia dicebātur, in quib. populus tributim
diuiſus ita ſuffragiū ferebat, vt ſententiarum nu-
merus non ex ſingulorū ciuiū ſed ex ſingularum
tribuū ſuffragijs æſtimaretur: (quas XXXV fuiſſe
ſuo loco docuimus) Itaque nulla in his comitijs,
cenſus, ordinis, ætatis ratio habebatur. Eorū autē
duo genera fuerunt. nam in legū & magiſtratuū
G comitijs omnes ſuffragiū ferebant: at in ijs quib.
ſacerdotes creabantur pars tantum ſuffragiū fe-
rebat, nimirū pars tribuū maior, hoc eſt XVIII. In
illis igitur primum creabantur minores magi-
ſtratus, non modo ordinarij, velut Ædiles curu-
les Quæſtores, Trib pl. Ædiles pl. verum etiam
extraordinarij, veluti Præfectus annonæ, Quæſito-

res particidij,ac non modo vrbani verum etiam extramutani & prouinciales, veluti Triumuiri aut Quinqueuiri coloniis deducēdis, Itémque ſi qui Tribunorum ple. rogatione extra ordinē in prouincias cu imperiu mitterentur. Pontifices autem ij creabantur his comitiis, qui publicæ religionis adminiſtri erant aſſidui perpetuiq; ſed à maiore tantum tribuū parte, id eſt numero (vt diximus) decem & octo. Præterea leges quæ Plebiſcita dicebantur his comitiis ferebantur. ſiquidem plebiſcitum eſt (vt Iuſtinianus ait) quod plebs plebeio magiſtratu rogante conſtituit: veluti rogationes de pace. nam Lex de bello inferendo non niſi comitiis centuriatis ferebatur. Item de quæſtione aliqua publica cōſtituenda, de triūpho decernendo, de ciuitate danda. Poſtremo iudicia in ijſdem comitijs exercebantur, quib. Trib. ple. diē aliā dicebant, multāque irrogabāt. Porrò nō modo Tribuni verū etiā conſules & Prætores comitia hæc habebāt, alijs ſcilicet minorib. magiſtratib. creādis veluti Quęſtorib. & Ædilib. plebis. Itē tribunis militū, Triumuiris capitalib. nocturnis & monetalib. In his autē ſuffragiū ferēdi ius erat ciuib. omnib. qui ius ciuitatis habebant, quāuis tribu moti ærarij à Cenſorib. facti fuiſſent, modo non ignominiæ cauſſa in cerituū tabulas relati eſſent, id eſt ſuffragij iure priuati. Hęc autē comitia ſiue à plebeis ſiue à patricijs magiſtratib. haberētur auſpicatò non habebantur. niſi quatenus obnuntiationi parendū erat. nam Ioue fulgente vel tonāte creati eſſe plebei. magiſtratus, vitio creati dicebantur. ſed non vt in cēturiatis eum qui comitia hæc habiturus erat, auſpicari, hoc eſt auſpicia captare oportebat. ac neque patres horū comitiorum auctores fiebant. quanquā plebiſcitarū maior videtur fuiſſe auctoritas, ſi eorū patres auctores fuiſſent. Ceterum & edici hæc comitia & trinundinum leges promulgari oportebat. Cōueniebant autem ad hæc comitia non tantū plebeij verū etiam Patricij ſi iis commodum videbatur. neque enim plebeij magiſtratus eos euocādi ius habebant. Vbi comitiorum dies venerat, & qui orationem ad populū habere vellet, perorarat, tū dimiſſa concione ciues in ſuas quáſque trib. diſcedebant, ſtatimq; ſortiones à magiſtratu fiebant, primū in qua tribu Latini ſuffragiū ferrēt. itē quo quæq; ordine trib. ſuffragium ferret. nam omnia tribuū nomina in ciſtā conijciebantur, ac tū quo quæq; ordine detracta exierat, eo ordine ſuffragiū ferebat. Qua de cauſſa Prærogatiua trib. dicebatur, quæ prima exierat. Rogatores autē in his comitiis non adhibebātur: ſed cuſtodū, præconū & dirihitorum miniſterio peragebantur. Poſtquā tota trib. ſuffragiū tulerat, ſentētię numerabātur: & cuius plura ſuffragia reperiebantur, ea trib. eius ſentētia eſſe dicebatur, palámque à Prætore pronūtiabatur. ac ſi decē & octo trib. in vnā ſentētiā conueniſſēt, ex illa parte quippe maiore, vel magiſtratus creabatur, vel lex ſciſcebatur. Quę ratio in x. Trib. pl. duob. Ædilib. plebeiis, viginti Quæſtorib. xxiiii. Trib. militarib. obſeruabatur. In iudiciis autē hæc ratio fuit, primū vt nemo niſi prędicta die accuſaretur: tū vt magiſtratus ter reū ante accuſaret, quā multā irrogaret. hac irrogata trinundino prodenda erat dies, qua ad populum multa certanda eſſet: quæ dies cum aduenisſet, quarta accuſatio fiebat à magiſtratu. Vbi dies dicendæ cauſſæ venerat, atratus reus & ſordidatus, barba & capillo promiſſo à magno amicorū ſimiliter atratorū comitatu in forum deducebatur. Magiſtratus interim in roſtris ſedebāt. Reus ſub roſtris ſtabat. Populus ante roſtra in comitia erat. Præco interim cum magiſtratus iuſſerat, reum ex Roſtris citabat. qui ſi vellet pro ſe dicere, in roſtra aſcendebat, vt inde orationem ad populum haberet. ſin per alium ſe defendi vellet, tum patronus eius iuſſu magiſtratus in roſtra aſcendebat, reúmq; defendebat. Quod ſi dicendo vſque eo perduceretur tēpus, vt non ſatis dies ſupereſſe videretur, dies producebatur: hoc eſt in alium comitialem diem iudicium reiiciebatur. Cum vtrimque dicendi finis factus erat, populus in ſuffragium mittebatur, in quo duæ tabellæ dabantur, quales dari in legibus ſolebant Vti rogas: & Antiquo. quippe cum lege lata multa illa diceretur. quæ lex ſi à populo acciperetur, tantæ pecuniæ reus damnatus intelligebatur, quanta erat multa quam magiſtratus dixerat, ſui populus antiquaret, abſoluebatur. Duplex autem in reorū fauorē interrūpendi iudicij ratio excogitata eſt. vna in auſpicijs, ſi de cœlo ſeruatum eſſet. altera in excuſationibus legitimis: veluti morbo exſilio voluntario, funere familiari. Quod ſi reus damnaretur, illico prædes dare ſoluendæ multę cogebatur. alioqui in vincula duci à magiſtratu iubebatur. Cum verò de lege comitia per acta erāt, ſi lex accepta erat, publicabatur: id eſt æneis tabulis per fora & templa fixis proponebatur. Tacitus lib. 11. Aſpiciuntur etiam nunc in ære publicatis plebiſcitis per fora & templa fixo. Iam verò hæc comitia plerumque quidem in campo Martio habebātur. interdum etiā in foro eo loco qui circus Flamin. dicebatur. Interdū ēt in Capitolio, atque etiā in Comitio. qui locus erat in foro tectus prope Curiam: vbi rerum priuatarum iudicia pleraque exercebantur, & plebiſcitorum comitia habebantur. Nulla autem comitia niſi comitiali die haberi fas erat, niſi nominatim ſibi quiſque legem tuliſſet, vt aliis etiam diebus ſibi cum populo agere liceret. Poſtremo notandum eſt ius fuiſſe maioribus magiſtratibus comitiatū aut concionem auocare: hoc eſt, vetare ne qui comitia aut concionem conuocaret, eam haberet. nam vt A. Gellius ſcribit: Conſul ab omnibus magiſtratibus & comitiatum & concionem vſque quaque auocare poteſt: niſi à Conſule.

De ivdiciis pvblicis. Cap. XIII.

IVDICIA publica dicuntur partim quoniā in ijs de iniurijs ad Remp. pertinentibus quæritur: partim quia per annos amplius quingentos populus ipſe ea iudicia quę quidē grauiora erant exercuit, lata lege à M. Valerio Poplicola, primi cōſulis collega, & poſtea S.C. in eā rem facto. Primū autē poſt reges exactos, populi iudiciū de Coriolano fuit, q à populo tributim diuiſo iudicatus eſt: vnde comitia tributa inſtituta, vt Diony. teſtatur. Poſt verò Pretores inſtituti sūt, qui magnā eorum iudiciorū partē cū cōſilio exercerēt. Porrò publicorū iudiciorum duplex diuiſio eſt. Nā eorū alia capitalia dicūtur, quorū dānatio vitā aut ciuitatē adimit, alia nō Capitalia, quæ cū pecuniaria multa infamiā tantū afferunt. Poſterior eſt hæc: Eorū alia populi propriè dicūtur, quippe quæ ab ipſo populo vel centuriatim vel tributim diuiſo exercētur: alia per Prætores in foro pro tribunali cū conſilio iudicū diſceptātur. Hi prætores olim

mine fraus omnis capitalis ſignificaretur. poſt
verò ſimpliciter Quęſitores dicti ſunt,& eorũ iu-
dicia Quæſtiones, quoniã in ijs, reus nocẽs ſit an
innocens cum conſilio cognoſcũt. Cẽturiata au-
tẽ illa populi iudicia perduellione tãtùm cõſtitue
bãtur,de quo lex (vt ait Liuius) horrẽdi carminis
erat Duũuiri perduellionẽ iudicãt. ſi à Duumuiris
prouocarit, prouocatiõe certato. ſi vincẽt,caput
obnubito.infelici arbori rectè ſuſpẽdito. verbera
to vel intra pomœriũ,vel extra pomœriũ Tributa
autẽ iudicia fiebãt,veluti ſi quis pecuniã publicã
accepiſſe,malè pugnando popul.R. maieſtatẽ di-
minuiſſe,ſociósve ſpoliaſſe diceretur. Itaq; magi
ſtrat⁹ aliqs legẽ in foro ad populũ ferebat Vellẽt-
ne iuberẽtur Quirites, ei multã eo noïe imponi,
vnde multarũ irrogatiões dictę ſunt, Porrò Quæſi
torũ, q (vt dixi) Prætores poſtea nominati ſunt,
alij Cur ita dicam repẽtini & extraordinarij no-
minati ſunt: alij certi,perpetui,ordinatij, & anno
præturæ magiſtratu prædicti. Repẽtinos appello,
qui & olim antè ꝑpetuas quæſtiones conſtitutas
cómiſſo aliquo crimine, repẽte vt de eo cognoſ-
cerẽt,data opera creabantur, & poſt quæſtiones
ꝑpetuas extra ordinẽ ex SC. eadẽ de cã cõſtitue-
bantur. Perpetuas autẽ q̃ſtiões dico, q̃ poſt annũ
vrbis DC. le.certa ita cõſtitutæ ſunt,vt certi pręto-
res ijs anno ſuo ita ꝓeſſent, vt ratiõe ac forma
iudicij à lege præſtituta ꝑpetuo vterẽtur. Extra-
ordinaria verò q̃ certa aliqua de cauſſa omiſſis
prætorib. alicui qui de induſtria quæſitor creaba
tur,cõtra vſitatũ iudiciorũ ordinẽ ac rationẽ mã-
dabatur: vt in Miloniana cauſſa factũ eſt. nã cum
eſſent leges,eſſent q̃ſtiones ordinariæ de cæde ac
de vi, quib. ſui Quæſitores præerant, tamen Cn.
Domitius creatus eſt: qui de Clodij cæde q̃reret.
Itaq; noua iudicia nouáq; iudicij formã illã Cice.
appellat. Quęſitores autẽ ordinarios dicimus pręto-
res qb⁹ certi alicuius criminis (veluti maieſta-
tis,peculat⁹,repetũdarũ,inter ſicarios (cognitio
q̃ ſortiri inter ſe ſolebãt, lege mandabatur. Porro
tractatio hæc quadripartia eſt: nã primo loco de
ijs q iudicio præeſſẽt dicendũ eſt, tũ de accuſato-
rib. poſt de reis,poſtremò de ꝓnuncianda ſenten-
tia & dãnatorũ pœna. Ergo tria eorum q iudicio
præerant genera fuerunt. Erat enim Prætor, ſiue
Quæſitor, deinde Iudex q̃ſtionis, poſtremo dele-
cti iudices. Prætoris officiũ fuit, vt ſella in tribu-
nali poſita circũdatis lictorib. omnia quę lege cõ-
ſtituta erant ꝓ Imperio ſeruaret, & vnũquẽq; in
officio cõtineret. Sũmatim autẽ ei⁹ hę partes fue
runt: vt Iudiciũ ſortitioni ac ſubſortitioni præeſ-
ſet,eos ad iuſiurãdũ adigeret, ſi iurati nõ aderãt,
eos pignorib. captis coerceret, tabellas eis daret,
in conſiliũ mitteret,ſententiã ꝓnũciaret. Iudicũ
autẽ ſortitio ſic fiebat: Poſtquã Iudices & ab ac-
cuſatore & à reo dati erant, eorũ nomina in vrnã
mittebãtur,vt de plurib. neceſſarius numerus cõ-
fici poſſet. i. vt quia plures erãt, q̃ lex cõſtituerat,
legitimus numerus cõficeretur. Subſortitio verò
ſic: Permiſſum erat accuſatori & reo,vt ea illo nu-
mero reiicerent, quos putabant ſibi aut iniquos
aut ex aliqua re incõmodos fore. Reiectione illa
celebrata,in eorũ locũ qui reiecti fuerãt,ſubſor-
tiabatur Prętor alios,p quos iudicũ legitimus nu-
merus cõpleretur. His ita cõſtitutis,cũ iudiciũ eſ-
ſet eiuſmodi,vt nõ palã ac voce ſentẽtiæ dicerẽ-
tur,ſed clàm ſignificarentur, Prætor ceratas cuiq;
tabellas dabat,quarũ in vna ſcriptus erat A.i. ab-

A ſoloo: in altera(.i. condẽno: in tertia N. L. i. Non
liquet. vt poſtea iudices ex illis tribus in vrnã quæ
ibi poſita erat quã vellent, iniicerent. Vbi vterq;
peroraſſet, atq; ad finẽ ꝓnuntiaſſet Dixi, Præco
magna voce ꝓnuntiabat, Dixerũt, ac tum Prætor
in conſilium mittebat: i. iubebat iudices capita
inter ſe cõferre,& tabulas in vrnam mittere. Iu-
dex, autẽ Quæſtionis priuatus erat & ferè Ædili-
tius: quæ ea quæ prætoris imperiũ ac præſentiam
non requirebant, quaſi ipſius vicarius ꝓ tribunali
B adminiſtrabat. Iuratus præterea ſentẽtiã ferebat,
& (vt ex eo coniicere libet, ꝙ Iudicũ princeps
appellatur) primus omniũ ferebat. Porrò conſti-
tui iudices ſolebant, qui à Prætore vrbano iurato
de decuriis iudicũ delecti, & Quæſitori attributi
fuerant. Decurias antẽ appellamus quauis nume-
rũ qui ad centũ accederet. Hæ primis tẽporib. ex
ordine Senatorio cõſtabant. poſtea mixti ordines
fuerunt, vt partim ex ſenatu, partem ex equitib.
ſumerentur, ad extremũ etiã ex Tribunorũ ærarij
C numero pars illis adiuncta eſt. Ergo cũ ea ordine,
pura ſenatorio aliquot eſſent, quib. iudicãdi par-
tes incũberent, Prætor certũ eorũ numerũ arbi-
trio ſuo deligebat, eoſq; Quæſitori aſſignabat, vt
ei operã darẽt, ac tũ iurati pręrori ſuo aſſidebant,
vel potius in ſubſellijs ſubſidebant, citati à præ-
cone ad nomẽ reſpondebant attẽtè vtrũque ora-
torẽ audiebant, & poſtremò tabellas in vrnam ex
animi ſui ſẽtẽtia mittebãt. Accuſatorũ porrò duo
genera fuerunt. nã alij actores erant, alij ſubſcri-
D ptores. Actores dicebãtur, q dicẽdi facultate pręditi
ſeſe vel aliorũ rogatu vel ſua ſpõte ad perſe-
quendã Reip. iniuriã cõparabãt: & ſi cõpetitores
fuerãt, iudicio eadẽ re facto (quã diuinationẽ ap-
pellabãt) alijs omnib. præponebãtur. Diuinatio
verò dicebatur iudiciũ, quo duo pluréſve q ſe præ
poni in accuſãdo volebãt de accuſatiõe ſibi defe
rẽda contendebãt, nã cũ Iudices nõ de præterito
ſed de futuro ſtatuerẽt, vter eſſet rectius accuſa-
turus diuinare meritò dicebatur & eorũ iudiciũ
E Diuinatio Subſcriptores autẽ erãt, qui in reo fa-
ciẽdo nomẽ ſuũ vna cũ actorib. ſubſcribebãt par
tim vt ſe aduerſarios ꝓfiterẽtur, & actorẽ adiuua
rent, partim vt actori cuſtodes adhiberẽtur, ne à
reo corrupt⁹ præuaricaretur, itẽ vt chartas & in-
ſtrumẽta cauſſę cuſtodierẽt. Accuſatoris autẽ of-
ficiũ erat, vt eũ quẽ accuſare vellet, aliquãto ante
ad Quæſitorẽ adduceret, & lege interrogaret, i. ea
lege qua crimẽ vindicabatur cuius accuſationẽ
inſtituebat his ferè verbis. Aio te prouinciã ſpo-
F liaſſe. Clodiũ interfeciſſe. patrẽ occidiſſe nã ſi al
ter tacebat, quia cõfeſſi ꝓ cõdemnatis habẽtur,
pœna illi ex lege ꝓnunciabatur. ſi negaret, tũ a-
ctor illũ reũ faciebat: i. apud eundẽ pręrorẽ ꝓfite-
batur, ſe illũ certo crimine certáq; die accuſatu-
rũ. ac tũ rei nomen in albũ aliorũ reorũ referebã-
tur, vt cã ex ordine ageretur: Poſt accuſator ſpa-
tiũ inquirẽdorũ criminũ à Pretore poſtulabat itẽ-
que ius denũtiãdi, ius omnia clauſa rei obſignãdi,
literas tũ publicas tũ priuatas q̃ ad accuſationem
G princrẽt etiã ex ꝓuincia cũ opus eſſet deportãdi
ad extremũ Prætor iudicij exercẽdi diẽ præſtituẽ-
bat. His cõparatis reb. Accuſator ex ijs decurijs
quas diximus, Iudices quos ſibi cõmodos fore
arbitrabatur, dabat. hi Iudices & ditiij dicebãtur
deinde cũ ſuos quoq; reus dediſſet, ſuſpectos (vt
ſuperius dictum eſt) reiiciebat, & quia iuratus id
faciebat, E iurare iudices dicebatur: Vbi Iudicij
dies

Digitized by Google

dies venerat, tū Præco primū auctorē, deinde reū A
citabat. quod ſi accuſator non adeſſet, tū rei nomen de reis eximebatur, i. delebatur. ſi reſpōderet, tū ab eodē præcone dicere iubebatur, ſimúlq; patronus eius ſtās cauſſam agere incipiebat. cu proximè in ſubſellijs ij ad quos eas res potiſſimu ubrinebat cōſiderēt, oratione autē abſoluta pronutiabatur Dixi. Reus autē cū ſuos quoq; iudices dediſſent, ac nōnullos ab Accuſatore datos eiuraſſet, ri ad iudiciū, ſordidatus, veſtib. obſoletis. promiſſa
barba, longoq; capillitio, vt eorū aſpectus miſeri- B
cordiā iudicib. cōmoueret, vna cū paruulis liberis & aduocatis multis veniebant: eorúq; ad nomē citatus à præcone reſpondiſſent, dicent accuſatore tacitus a demiſſus in ſubſellijs conſidebat. Vbi accuſator pnūtiaſſet ſuū dixi, patronus rei cauſſā dicere incipiebat, & eoúſq; audiebatur, dū ipſe quoque ſuū Dixi pronūciaſſet: ac tu præco clamabat Dixerūt. Antiquā de ſentētia pronuciāda dicamus intelligēdū eſt, cauſtas quaſda vna actiōe cōſtitiſ-
ſe, i. licuiſſe, vt ſemel tātu audito accuſatore ac reo C
iudices ſētētias ferrēt: quaſdā verò plurib. actu vel cōperendinatione, vel ampliatione vtādū erat. Eſt aūt Cōperendinatio reiectio iudicij in perendinū diē, tū lex nominatim iubet iterū perēdino cauſſam agi, vt plenius cognoſcatur. Ampliatio verò eſt reiectio iudicij in aliū diē, cū iudices tabellā hāc iniecerāt N. L. quia ſibi nō liquere ſignificabatur. & prætor pronūciarat, *Amplius deliberabitur*. Inter vtrāq; aut hoc intereſt. hæc libera eſt & in iudi-
cū poteſtate poſita: illa neceſſaria & legis vi atque D
imperio cōſtituta. Illa ſæpius fieri poterat: hæc ſemel tantū. Illa in tēpus quo Iudicib. placebat alterā actionē differebat: hæc in perendinū dūtaxat. His pactis ſententiæ ſic pnūciabātur, vt ſi reus abſoluēdus eſſet, Prætor diceret: *Nihil te moror*. ſin cōdēnādus *Videri feciſſe* pnuntiabat. Hac enim religione ac modeſtia in iudicādo vtebātur, vt nō dicerēt, *feciſſe: ſed feciſſe videri*. Pœna aūt noua à Iudicib. ſtatuebatur, ſed ipſa lege Iudicij cōſtituta fue-
rat Plerūq; autē litis æſtimatio, & Aquæ ignisque E
interdictio & Relegatio pœna erat. Poſtremo vbi ſententia pronūtiata erat, Præco magna voce exclamabat: Actum eſt: Ilicet, id eſt ire licet. ac tum ſinguli ſua ſe in tecta recipiebant.

De provinciis et earvm Rectoribvs.
CAP. XIV.

PROVINCIA dicebatur regio extra Italiā bello victa, & in Populi R. ditionē ita ſubiecta, vt & ei vectigalis eſſet, & ſibi ius ab eius magiſtratu
dici pateretur. Erāt enim regiones quidā armis ac F
bello victæ, q̄ tamē in puinciæ formā nō redigebātur, ſed comiter Populi R. maieſtatē tuebantur. hæ liberæ dicebātur: quia & ſuis legib. vtebantur, & immunes erant. Porrò prouinciarū aliæ Cōſulares aliæ Prætoriæ dicebātur: ſ. quas qui Cōſulatu in vrbe aut Prętura geſſerāt, vel cōſulari vel prętorio imperio obtinebant: iique magiſtratus Proconſules, aut Proprætores dicebantur. His partim dignitatis partim etiam terroris cauſſa prçibant lectoris ſeni cū ſecurib. & faſcib. Cicero de Propræ-
tore Siciliæ Verre: Sex lictores circūſiſtunt valen- G
tiſſimi, & ad pulſandos verberādoſq; homines exercitatiſſimi. Minor tamē pPrætorū quā Procōſulū dignitas ac poteſtas erat: cedebātque Proprætor Proconſuli, ſi qoando vnā in prouinciā conueniſſent. vt Plutar. in Catone Vticenſi teſtatur. Fuit autē lex vetus, vt prouinciæ in ſenatus poteſtate eſ-

A ſent. hoc eſt vt ipſius poteſtas autē decernendi, q̄ deſignādæ eſſēt, in quas qui Cōſulatu aut Prætura abiiſſēt, cū imperio proficiſceretur. Poſtea qui deſignati erāt prouincias inter ſe cōparabāt: hoc eſt amicè inter ſe ſtatuebāt, quā quiſq; obtineret. ſi res cōuenire inter eos non poterat, ſortiebātur. Hinc illud Liuij: Decreuerūt Patres, vt Cōſules inter ſe cōpararēt ſortirēturve vrbe puincias. Ferebatur ēt lex Curiatis, Comitiis q̄ propterea Curiata dicebatur, de forma prouinciç, hoc eſt quib. finib. ij qui in
B prouincias mittebātur, quibúſq; legib. imperium obtinerēt. Nā eorū munus ſi pacata prouincia erat, ſola iuriſdictione cōtinebatur. vnde illud Cic. ad Q. Fr. Nō magnā nomine varietatē negociorum in adminiſtrāda Aſia, ſed nam totam iuriſdictione contineri. Item Liu. li. 10. de cad. 4. Cum confectā prouinciam nuntias, exiſtimáſve Celtiberos perpetuo in fide manſuros, ita vt ſine exercitu ea prouincia obtineri poſſit. Siu bello implicata erat, magna æſtatis pars in rei militaris adminiſtratione
C conſumebatur hyeme verò Concilia indicebantur, ait ius pacatis redderetur. Cic. ad Cœl. Mihi erat in animo quoniā iuriſdictionē cōfecerā proficiſci in Ciliciā Nonis Maij: & cū primū æſtiua attigiſſem, militarémq; rem collocaſsē decedere. Idē ad Attic. Erat mihi in animo recta proficiſci ad exercitū æſtiuos menſes reliquos rei militari dare hibernos, Iuriſdictioni. Ergo lege illa Curiata, proficiſcentib. in Prouincias imperiū dabatur, idq; ſummū. quātū deniq; quiuis maior in vrbe magiſtratus
D habebat. Verū id eadem illa lege Curiata definiebatur, longéq; alius in pacatas, alius in bellicoſas prouincias proficiſcentib. comitatus dabatur. nam illis Quæſtores & Legati attribuebātur: tū etiā cohors Prætoria q̄ tamē nō armatorū militū erat, ſed miniſtrorū dūtaxat atq; apparitorū. in quib. erant hiſcè, ſcribæ, accenſi, lictores, præcones, interpretes, tabularij, architecti, aruſpices, cubicularij, medici. qua de cauſſa cohors illa domeſticis cōuictorib. cōſtare à Cice. dicitur. Alius verò propter legā-
E tos & Quæſtores dabatur exercitus. dabātur Tribuni militū & præfecti dabatur etiā cohors prętoria tota militaris. Intelligendū etiā eſt, mitti interdū in prouincias ſolitos, ſed extra ordinē eos qui magiſtratū nullū habebāt, hoc eſt qui neq; Procōſules neq; Proprętores erāt, ſed planè priuati, quib. tamē lege illa Curiata mādabatur imperiū: ac tum eſſe cū imperio dicebātur: quāuis magiſtratus non dicerētur. Liuius de P. Scipiōe: Ob res geſtas magis eſt tētata triūphi ſpes, quā petita pertinaciter, quia
F neminē ad eā diē triūphaſſe, q ſine magiſtratu res geſſiſſet, conſtabat. Cic. in Anton. Demus imperiū C. Cæſari, ſine quo exercitus haberi, res militaris adminiſtrari nō poteſt. Illud præterea notādū eſt, cautū legib. fuiſſe, vt qui cū imperio in prouincias mittebātur, iis argentum, veſtis, muli, equi, vehicula, tabernacula, ſuppellex, atque aliud omne neceſſariū inſtrumentū de publico attribueretur, ne ſociis vlla in re oneri aut ſumptui eſſent. vſque eo, vt ne minimā quidē vllā iis rem in prouincia emere liceret, præter ſeruos atq. adeò in demortuorū
G locū dumtaxat. Priuſquā autē vrbe excederēt, ſollemnia vota pro Rep. pro ſuo cōmuníque populi R. imperio, in Capitolio nuncupabant. Inde paludati cū lictoribus etiā paludatis magno comitatu, fauſtis ominib. amicorū ad portas proſequentium iter ingrediebantur. Quæ res (vt ait Liuius) magna cū dignitate ac maieſtate gerebatur: conuerſis om-

niũ oculis animiſq; ad eũ Ducẽ, cuius imperio conſilióq; sũma Reſp. permittebatur. Erat autẽ paludamentum cocco, purpura & auro diſtinctũ. Ac Ciceronis quidẽ ætate lex fuit, vt Conſulares prouinciæ bienniũ prætoriæ annũ dũtaxat obtinerẽtur. cuius anni initiũ non ab ineũte Ianuario, ſed ex eo die notabatur, quo imperiũ habere inã cipiebant: hoc eſt quo primum prouinciam attigerãt. Vnde illud Vlp. Proconſulem vbiq; quidẽ proconſularia inſignia habet, ſtatim atq; vrbẽ egreſſus eſt: poteſtatem autem non exercet niſi in ea prouincia ſola, quæ ei decreta eſt. Ius verò cum reddebant, pro Tribunali in eburnea ſella ſedebant, apparitoribus ad maieſtatem & dignitatem ſtipati: primum lictorib. (vt iam dictum eſt) qui turbam à tribunali ſummouerẽt: & damnatos virgis cæderent, ſecuri etiam percuterent. tum acceñſis qui vel ſilentium imperarent, vel dicere iuberent: poſtremò etiam ſcribis & præconibus. Ac tum forum agere, ſiue conuentũ agere dicebantur, cum aliquanto prius concilium indixiſſent. Liuius: Indicitur cõcilium à prætore Romano, conuentus agitur: eo imperio euocati conueniũt. excelſo in ſuggeſto ſuperba iura reddentem ſtipatum lictorib. vident. Virgæ tergo, ſecures ceruicibus imminent: & quotannis alium atque alium dominum ſortiuntur. Item alio loco Aſſuetis regio imperio tamen nouam formam terribilem præbuit tribunal, ſummotos aditus, præco, acceñſus, inſueta omnia oculis auribúſque. Notandum eſt etiam, cum prouincialibus ſuæ leges ademptæ eſſent, vitæ necíſque poteſtatem in omnes, capitalíſque ſupplicij animaduerſionem penes Rom. Magiſtratum fuiſſe. Vnde illa vox Iudæorum ad Pilatum Syriæ Proconſulem, monentem eos vt ſuis legib. in Chriſtum animaduerterent: Nobis necare licet neminem. Porrò non omnis qui cum imperio in prouinciam mittebatur Imperator dicebatur, ſed his demum qui ad bellum cum exercitu mittebatur: quãquam duobus modis nomen illud vſurpabatur: vno pro quouis rei militaris duce, qui ſuis auſpiciis exercitum ducebat, & imperium hoc eſt ius belli gerendi habebat. Vnde illud Vlp. Proconſul portam Romæ ingreſſus deponit imperium. Itaque cum interdum ad portam manerẽt, cum imperio *Ad vrbem* eſſe dicebantur: altero, pro eo qui cũ auſpiciis ſuis rem benè geſſiſſet, acclamatione militum Imperator vocabatur. Cic. ad Att. Magnum numerum hoſtium cæcidimus caſtella munitiſſima cepimus, incendimus Imperatores appellati ſumus. Ac tum laurea faſces lictorum ornabãt, laureatáſque literas ad ſenatum de re benè geſta mittebant quibus Imperatoris nomen ac ſupplicationes à ſenatu poſtularent, ſimúlque imperatoris nomen in literarum inſcriptionibus vſurpabant. hoc modo: M. Tullius Cicero Imperator. Cæſ. de bello ciu. III. Pompeius eo prælio Imperator eſt appellatus, hoc nomen obtinuit: atque ita poſtea ſe ſalutari paſſus eſt. ſed neq; in literis quas ſcribere eſt ſolitus, neque in faſcibus inſignia lauræ prætulit. Tacitus lib. 3. Imperator à legionib. ſalutatus: priſco erga Duces honore, qui benè geſta Rep. gaudio & impetu victoris exercitus conclamabantur. Ac ne illud quidem prætereundũ videtur, eos qui in prouincias cum Imperio mittebantur, magna ex parte rapaciter atque auarè in iis verſari ſolitos fuiſſe. vnde illud in Maniliana: Eiuſmodi in prouinciam homines cum Imperio mittimus, vt etiamſi ab hoſte

A defendant, tamen ipſorum aduentus in vrbe ſociorum non multum ab hoſtili expugnatione differant. Et aliquanto poſt: Difficile enim dictu Quirites, quanto in odio ſimus apud exteras nationes propter eorũ, quos ad eas hoc anno cum Imperio miſimus iniurias ac libidines. Quod n. fanum putatis in illis terris, noſtris magiſtratib⁹ religioſum quam ciuitatem ſanctam, quam domum ſatis clauſam, ac munitam, fuiſſe?

DE LEGATIS QVÆSTORIBVS VECTIGALIBVS ET PVBLICANIS. CAP. XV.

B LEGATI & Quæſtores (vt ſup. diximus) Comites magiſtratibus in prouinciam mittebantur, negociorum publicorum adiutores. Vterique autem ſine imperio erant niſi cum iis magiſtratus partem imperij ſui aliquam mandabat. quin ne legati quidem cum poteſtate eſſe dicebantur, ne dum in magiſtratu. Itaque Cic. in Verr. Frumẽtũ inquit, in cellam magiſtratib. & legatis imperetur. Idem in Piſon. Ne idem C Senatus exteris nationibus, me legatis magiſtratibúſque noſtris commendauit. Item in Verrem. Nemo eſt, qui cum poteſtate aut legatione in prouinciam eſſe profectus. Et in Sext. De me vno Patres conſcripti decreuerunt, vt qui prouincias cum imperio obtinerent, qui Quæſtores legatiq; eſſent, meã ſalutẽ & vitã cuſtodirẽt. ſæpe aut accidebat, vt Magiſtratus iis partẽ imperij ſui aut Iuriſdictionẽ mãdarunt, ſimúlq; imperij inſignia, lictores & ſecures. Hinc illud Cæſaris; Aliæ D ſunt Legati partes, atq; Imperatoris alter oĩa agere ad præſcriptũ, alter liberè ad ſummã rerũ cõſulere debet. Itẽ illud Liuij de Flaminio Scipionis Impe. Legato: In legatũ impetu lictorib. prius indignũ in modũ mulctatis faciũt. Itẽ illud Cic. procõſulis de ꝓuincia decedẽtis: in epiſtola ad Att. Rectiſſimũ videbatur fratrem cũ imperio relinquere. Itẽ ad Curionẽ Ergo de ꝓuincia decedẽs Quæſtorẽ Cœliũ præpoſui prouinciæ. Et in Plãciana: Quæſtor, ſimulatq; Dyrrachiũ me attigiſſe E audiuit, ſtatim ad me lictorib. dimiſſis, inſignib. abiectis, veſte mutata profectus eſt. Deniq; frequens apud Cæſarem mentio eſt Legatorum aut Quæſtorũ, qui abſente Cæſ. Imperat. bella ipſius mãdatu atque auſpiciis geſſerunt. Porrò Quæſtorum munus erat curã gerere pecuniæ publicæ, attributæ magiſtratui vel ad exercitum, vel ad comitum & cohortis prætoriæ ſtipendium: tum præterea pecuniæ ex præda redactæ. Itẽq; vectigalium, quibus exigendis publicani operam da- F bant. Vectigaliũ autem tria erant genera: nam alia erant ex arationibus quæ Decimæ dicebantur: alia ex portubus q̃ Portoria: alia ex paſcuis, q̃ ſcriptura vocabãtur. Arationes erãt agri publici. q aratorib. locabãtur, vt quotãnis decimas darẽt, ꝓuta olei, vini, frumenti, & legumĩnũ. Portoriũ erat, quod ꝓmercib. exportãdis aut importãdis recipiebatur, ſcriptura erat vectigal, quod pẽdebatur à pecuariis pecoris nomine quod in ſyluis publicis paſcebat. Cic. pro lege Manil. Nã G cũ hoſtiũ capur non lõgè abfuit, etiãſi irruptio facta nulla ſit, tamẽ pecura relinquũtur, agricultura deponitur, mercatorum nauigatio cõgeſcit. Ita neq; ex portu, neq; ex decimis, neq; ex ſcriptura, vectigal cõſeruari põt. Porrò vt q decimas ſoluebãt, Aratores: q portoriũ mercatores q ſcripturã, Pecuarij dicebatur: ſic q illa exigebãt Decumani, ſcripturæ magiſtri, & Portitores generaliter aũt nomine Publicani, quippe ad quos publica vectigalia pertineãt. Eorũ alij Mãcipes dicebãtur, publicanorũ

ſcili-

ſcilicet principes,qui quinto quoque anno præſenti pecunia vectigalia, haſta in foro poſita à cenſoribus publicè in conſpectu Populi R. redimebant, vlna deinde à prouincialibus periculoſo ſuo exigerent. Alij prædes dicebantur,qui pro mancipib. bona ſua oppignerabant: alij Socij, qui in quæſtus partam à mancipib. recepti erant. Quanta autem eorum dignitas fuerit Cicero in ea pro Plancio demonſtrat pluribus: Flos enim equitum Roman.&c.Item in Manliana:Etenim ſi vectigalia neruos eſſe Reip. ſēper duximus,eū certè ordinem qui impleret illa firmamentum ceterorum ordinum rectè eſſe dicemus. Tanta autem publicanorum in vexandis ac diripiendis prouincialibus rapacitas fuit,vt Liu.lib. 45. ſeribat: Vbi publicanus eſſet, ibi aut ius publicum vanum,aut libertatem ſocijs nullam fuiſſe.Itáq; à Iudæis pro ſceleratiſſimis & perditiſſimis hominibus habebantur.

De sociis popvli romani, de coloniis,Municipijs,Præfecturis.

CAP. XVI.

ROMANA ciuitas iure libertatis longe ceteris omnib.ciuitat. antecelluit:vt ait Cic. Agel.2.Itaque idem in ea pro Cæcina:Hoc ius, inquit,à maioribus proditum eſt, vt nemo ciuis Rom. aut libertatem aut ciuitatem poſſit amittere,niſi ipſe auctor factus ſit. & paulo poſt. Ius à maioribus noſtris ita comparatum eſt, vt ciuis Rom. libertatem nemo poſſit inuitus amittere, quinetiam hi Decemuiri ſacramentum in libertatem iniuſtum iudicaſſent, tamē quotieſcúmq; vellet quis hoc in genere,ſi rem iudicatam referre poſſe voluerunt.Item:Maiores noſtri de libertate & ciuitate ea iura ſanxerunt,quæ nec vis tēporum,nec potentia Magiſtratuum, nec res iudicata, nec denique vniuerſi populi Rom. poteſtas,quæ ceteris in rebus eſt maxima, labefactari poſſit.Item in Orat. pro Balb. O iura præclara atque diuinitus iam indè à principio Rom. nomine à maioribus noſtris comparata,ne quis inuitus ciuitate moretur,néve in ciuitate maneat inuitos. Hæc ſunt enim fundamenta firmiſſima noſtræ libertatis:ſui quemque iuris & retinendi & dimittendi eſſe dominum. Huius autem ſummę libertatis præcipuæ partes hæ fuerunt: primum vt ne Regum, néve Tyrannorum vnquam imperio parerent. nam exactis regibus L. Iunius Brutus,qui ciuitatem dominatu regio liberauit, qui Reges eiiciendi,& inducendæ libertatis auctor fuit,populum R. iureiorando adegit, ſe neminem regnare Romæ paſſurum. rogationémq; tulit,vt Sacrum cum bonis caput eius eſſet, qui Regni occupandi conſilia iniſſet.quinetiam Regibus Remp. obtinentibus,tamen populi ſumma ſemper hæc poteſtas fuit: primum vt leges iuberet,tum vt magiſtratos crearet, poſtremò vt pacis bellique arbitrium penes eum eſſet, quod Dionyſ.lib.4.teſtatur. Altera libertatis pars fuit, vt ne de capite ciuis Rom.niſi comitiis centuriatis ius diceretur,quod vetuſti ſic efferebant, ne priuilegium ferretur.item ne priuatis hominibus leges irrogarentur. vt ne nimiam magiſtratuum potentiam ac dominatum perferrent. Nam P. Valerius publicola dictus primi Conſulis colle-

A ga cum Imperij regij viam voluerſam (ait Vale-
rius) omniaque inſignia ſub titulo conſulatus
in ſe tranſlata cerneret, inuidioſum magiſtratus
faſtigium moderatione ad tolerabilem habitum
deduxit. faſces ſecuribus vacui faciendo, & in
concione populo ſubmittendo.Legem etiam co-
mitiis centuriatis tulit,ne quis magiſtratus ciuē
Rom.aduerſus prouocationem verberare aut ne-
care vellet.Multis etiam poſt ætatibus. L.Portia
lata eſt,ne ciuem Rom. verberati necaríve lice-
B ret:Sed ei tantum tecto,aqua & igni interdicere-
tur.Leges(inquit Saluſtius) cōdemnatis ciuibus
non animam eripi, ſed exilium permitti iubent,
quin ne quęſtionem quidem de homine libero
in Criminum ſuſpicione habere licebat. ſeruos
ſolos torqueri ius erat.Poſtremo lex Sempronia
lata eſt,qua veteres renouatæ ſunt: ne de capite
ciuis iniuſſu populi iudicaretur.Iuriſconſulti au-
tem ius Quiritium ferè ſic explicant, ius patriæ
poteſtatis, ius gentilitatis & agnationis,ius tu-
C telę:ius connubij: ius mancipij & nexus:ius aucto-
ritatis,id eſt vſu capionis: ius capiendi ex here-
ditate,quod teſtamēti factio appellatur. Alij au-
ctores hæc adiungunt, ius ſuffragiorum in comi-
tiis, ius magiſtratuum capiēdorum, denique ius
togæ,neque enim aut ei qui ciuis Rom.non erat
togæ geſtandæ, aut ei qui eſſet non geſtandæ ius
fuit. Hinc illud Sueton. in Claud. Peregrinitatis
reum orta inter aduocatos leui contentione, to-
gatúmne an palliatū cauſſam dicere oporteret,
D mutarę habitum prout accuſaretur defendere-
túrve iuſſit. Atque hæc quidem de ciuibus Rom.
Alij autem omnes populi, aut peregrini erant,
aut dedititij,aut ſocij.Perigrini dicebantur, qui
ciuitatis Rom. iuriſque Quiritium planè expertes erant.Itaque quibus Romana ciuitas adime-
batur,in peregrinitatem redigi dicebantur. De-
dititij verò qui armis populi Rom.territi,ſe ſuá-
que omnia Imperatori exercitus dediderant, in-
que ipſius fidem & clientelam permiſerant, ſe-
E ſéque imperata facturos promiſerant. Deditio-
nis autem formula hæc erat: Dediti ſne vos po-
pulúmque veſtrum,vrbem, agros,aquam termi-
nos,delubra,vtenſilia,diuina humanáque omnia
in meā populíque Rom.ditionē? Dedimus & ego
accipio. Actū dedititij arma tradebant,obſides
dabāt, iurabāt ſe neque quidquam contra popu-
lum Rom.conſilij inituros, neque obſides repe-
tituros,neque recuſaturus,quo minus ſub popu-
F li Rom.ditione atque imperio eſſent.Horum au-
tem deterrima erat condicio.nam neque vlla ra-
tione ciuitatem Rom. vnquam adipiſcebantur:
neque vel connubium,vel commercium, vel te-
ſtamenti factionem habebāt, liberi deníque niſi
verbo & nomine non erant. Nunc de Socijs di-
camus.Societas cum Rom. tribus coibatur mo-
dis:ſponſione, pactione, & fœdore. Sponſio ne-
que populi iuſſu, neque Senatus auctoritate,
(quod in fœdere moris erat) ſed arbitrio magi-
ſtratuum atque Imperatorum fiebat,quorum ta-
G men acta, ſi populus rata non habebat infirma-
bantur.Hinc illud Liuij: Itaque nō vt vulgò cre-
dunt,fœdere pax Caudina, ſed per ſponſionem
facta eſt.Quid enim aut ſponſoribus in fœdere
opus eſſet,aut obſidibus, vbi precatione res trā-
ſigitur,per quem populum fiat,quo minus dictis
legibus ſtetur,vt eum ita Iupiter feriat,quemad-

Google

modum à fecialibus potius feriatur. ſpoponde-
runt Conſules, Legati, Quæſtores, Tribuni mili-
tũ: nomináque omnium qui ſpoponderunt, ex-
ſtant, vbi ſi fœdere acta res eſſet, præterquã duo-
rum fecialium non exſtarẽt. Fœdus autem pactio
quædam eſt ſocietatis, non ex Imperatoris arbi-
trio, ſed iuſſu populi aut Senatus auctoritate fir-
mata, neque ad tempus ſed in perpetuum, neque
per ſponſores datis obſidibus, ſed precatione ad-
hibita per feciales. Nam moris fuit vt fecialis la-
pidem in porcæ caput coniiceret, his verbis: Si
ſciens fallo, tum me Dieſpiter ſalua vrbe arcéq;
bonis eiiciat, vti ego hunc lapidem. Fœderũ por-
rò tria genera fuerunt: vnum, cum bello victis le-
ges darentur: vbi enim omnia ei qui armis plus
poſſet dedita eſſent, quę ex iis habere victos, qui-
bus multari velit, ipſius ius arbitriumq; eſſe: al-
terum cum bello pares æquo fœdere, in pacẽ at-
que amicitiam venirent, tunc enim repeti reddi-
que per conuentionem res, & ſi quarum bello
turbata poſſeſſio ſit, eas aut ex formula iuris an-
tiqui, aut ex partis vtriuſque commodo compo-
ni: tertium cum qui hoſtes nunquam fuerint, ad a-
micitiã inter ſe ſociali fœdere iungendam coeũt,
eos neque dicere neque accipere leges. id enim
victoris & victi eſſe. Iniquiſſima autem fœderis
conditione vſi ſunt Dedititij, adeò vt non in fœ-
dere ſed in ditione eſſe dicerentur. Hinc Latino-
rũm illud de Campanis apud eundem: Campa-
norum aliam conditionem eſſe qui non fœdere,
ſed per deditionem in fidem veniſſent. Itaque
Cãpanos ſeu velint ſeu nolint quieturos. In fœ-
dere Latino nihil eſſe, quo bellare cum quibus
illi vellent prohibeantur. Item de Apulis: Ita in
ſocietatem eos eſſe acceptos, vt non æquo fœde-
re, ſed vt in ditione populi Rom. eſſent. Porrò ſo-
ciorum alij Latini, alij Italici, alij prouinciales
erant. Latini autem interdum ſimpliciter ſocij
dicebantur, interdum Latini ſocij, interdum ſo-
cij Latini nominis. Hi ſunt non Latij incolæ (vt
vir eruditus definiuit) ſed quibus ius Latij con-
ceſſum erat, quod ius Latinitatis eſſe dicebatur.
Fuit autem Latinitatis ius adipiſcendi ciuitatem
Rom. iuſque Quiritium certis modis. veluti libe-
ris procreandis. nam Liuius veterem legem po-
nit, vt ſocij ac Latini, qui ſtirpem ex ſeſe domi
relinquerent ciues Rom. fieri poſſent. Item ma-
giſtratibus in ciuitate ſua gerendis. Itaque Stra-
bo lib. 4. Nemauſo, inquit, in Gallia ius Latij da-
tum eſt, vt qui Nemauſi Ædilitatem aut Quæſtu-
ram adepti eſſent, ij ciues Rom. eſſent. qua de
cauſſa populus Nemauſenſis Romanis Prætori-
bus non paruit. Partem igitur Romanæ ciuitatis
aliquam etiam antiquitus Latini habebant. nam
& ſuffragij ius tenebãt: ſed perexiguum. nam ne-
que tribum certum habebant, in qua ſuffragium
ferrent, nec niſi ad leges iubendas, & iudicia fa-
cienda vocabãtur, nec intercedẽte vel Conſule
vel Tribuno pl. vllum ſuffragij ius tenebant. ſed
ſæpe vrbe in quam ſuffragandi cauſſa venerant,
exire ſunt iuſſi. Ad extremum autem (vt iam
dixi) etiam magiſtratuum Romæ capiendorũ ius
habuerunt. Memorabile autem eſt, quod ſubtit.
De orig. iur. & apud alios auctores frequens mẽ-
tio eſt feriarum Latinarum, nam Latini populi
fœderati XLVII. quotannis in montem Albanum
ſacrorum cauſſa conueniebãt, vt Ioui Latiali cõ-

A mune ſacrificium facerent, cúmque eorum alij
agnos, alij caſeum, alij lac, alij alia domo attuliſ-
ſent, tauro immolato, ſuam quiſque carnis par-
tem accipiebant. Id Latiar dicebatur, & Latinis
carnem petere. neque prius ij qui imperatores in
prouincias mittebantur, paludati vrbe exibant,
quam illas ferias dixiſſent. Porrò Latinorum ius
priuatum hoc fuit, vt commercium haberent, tũ
etiã teſtamenti factionem, deinde vt ciuitatem
Rom. certis modis conſequerentur, quos Vlp. in
B Fragm. enumerat. Deinceps de Italicis & iure
Italico dicamus. Hi antiquitus ſtipendium & tri-
butum populo Rom. ex fœdere ſoluebãt. certum
præterea militum numerum prębebant. Ius autẽ
ſuffragij aut magiſtratus petendi non habebant,
legibus autem & magiſtratibus ſuis vtebantur.
Sed hæc quidem de Latio & Italiæ iure genera-
tim dicta ſint. Supereſt vt de vario earum ciuita-
tum iure diſſeramus, quæ Latij aut Italiæ iure
fruebantur. Earum ergo aliæ Coloniæ diceban-
C tur, aliæ Municipia, aliæ Præfecturæ. vnde illud
in Piſoniana: Nulla fuit regio, nullum municipiũ,
neque præfectura aut colonia, ex qua non publi-
cè ad me venerint gratulatum. Item in Sextiana:
Nullum erat Italiæ municipiũ, nulla colonia, nul-
la pręfectura, quę non honorificentiſſime decre-
uiſſet de ſalute mea. Fuit autem Colonia ciuitas
ex Romana ciuitate propagata. nam aliquot ci-
ues Romani in oppidum quoddam deduceban-
tur, partim ad incolas coercendos, partim ad ho-
D ſtium incurſus repellendos, partim ad territorij
agros ſtruẽdos. nam cuiuſque territorij ager ter-
ritorium dicebatur. cóque præmio veterani mi-
lites afficiebãtur, Itaque hæc Rom. imperij pro-
pugnacula dicebãtur. Ager igitur viritim ita di-
uidebatur, vt ſingulis ciuibus certus eius modus
aſſignaretur. vnde leges ea de re latæ Agrariæ
vulgò dicebantur. Eaque poteſtas curatoribus
agrariis mandabatur, qui modò Triumuiri fue-
runt, modò Quinqueuiri, Septemuiri, Decemui-
E ri, Vigintiviri. Porrò Coloniarum aliæ Rom. di-
cebantur, quarum incolis ius Quiritium: aliæ La-
tinæ, quarũ incolis ius Latij tantũ dabatur. nam
qui ciues R. in Latinas Colonias deducebantur,
mediam capitis deminutionem patiebantur: hoc
eſt ius Quiritium amittebant, ac neque connu-
bij, neque mancipij aut nexus, neque patriæ po-
teſtatis, aut agnationis, aut gentilitatis ius habe-
bãt. quin ne in Rom. quidem Coloniis adſcripti,
F optimo iure ciues R. erant. nam partem tantum
ciuitatis habebant. publico enim ciuitatis iure
non fruebantur ſed priuato tantùm. Nullæ igitur
Coloniæ vel ſuffragiorum vel magiſtratuum ca-
piendorum ius habebant. Tributum etiã pende-
bant, & milites ad bellum ex formulæ mittebãt.
Leges autem vel à populo R. accipiebant, vel ip-
ſi ſibi per Senatum aut populum ſuum ſtatuebãt.
ac plerumque à curatoribus qui eas deduxerant,
accipiebant. Earum Senatores Decuriones dice-
bantur. magiſtratus verò plerumque Duumuiri,
G Cenſores, Quæſtores, Ædiles, & ius togæ prętex-
tæ itidem ne Rom. magiſtratus habebant. Sequi-
tur vt de municipiis dicamus. Municipium autem
eſt populus ciuitate R. donatus. vnde municipes
definiuntur, homines iuris Quiritium participes.
nam in ciuium Rom. tribus adſcripti erãt. Eorum
duo genera fuerunt: alij ius ciuitatis habebant,
ſed

ſed bonoris cauſſa duntaxat,ac ſine ſuffragio.ius ramen legionis habebant, vt in legione Rom, tanquam ciues Ro. non (vt ſocij) in auxilijs militarent. alij verò ius ciuitatis etiam cum ſuffragio,itémque ius legionis,reliquaque omnia Quiritium iura.& cum illi ſuperiores ita ciues Rom. eſſent,vt nec ſuffragium ferrẽt, nec magiſtratus caperẽt, ſed munus tantum honorarium obirẽt, id eſt honoris cauſſa in legione ſtipendia facerent, denique nomine non re ciues R.erant. Vt autem quibus ſuffragium non dabatur, iis ſuę leges permittebantur:ſic qui ſuffragio donabãtur, Romanis legibus vtebantur.Itaque duas patrias (vt ait Cic. in lib. De Legib.) habere dicebãtur, vnam naturæ,alteram iuris.Reſp.autem municipiorum erat huiuſmodi: Summum Conſiliũ curia dicebatur:conſiliarij,Decuriales.Ex illo ordine Decemptimi legebantur,qui ſummum Imperium babebant. Quj viris iis præerat, interdum vnus erat,qui Dictator dicebatur: interdum plures Duumuiri ſcilicet aut Quatuoruiri.Deinceps de pręfecturis videamus. Erat autem præfectura populus Italiæ legibus, magiſtratibus,publicóq; conſilio multatus, ad quem iuris dicundi cauſſa quotannis præfectus à populo Rom. mittebatur. Hæc fuit pœna ciuitatum Italiæ, quæ ſceleratè & perfidioſè ſeſe erga populum Rom. geſſerant, veluti Capua.Liu.lib.26. Habitari inquit,tantũ tanquam vrbem Capuam, frequentaríque placuit: corpus nullum ciuitatis, nec Senatus, nec plebs concilium,nec magiſtratus eſſe,ſine publico conſilio,ſine imperio, multitudinem nullius rei inter ſe ſociam ad conſenſum inhabilem foſe: præfecta ad iura reddenda ab R. quotannis miſſuros.Item Cic.in Agra.2. Statuerunt inquit, maiores noſtri cũ agrum Campanis ademiſſent, magiſtratus, Senatum, publicũ ex illa vrbe conſilium ſuſtuliſſent,imaginem Reipub.nullam reliquiſſent: nibil fore quod Capuam timeremus. Atque bæc quidem antiquis temporibus Italiæ ciuitatum ratio ac diuiſio fuit. Verum cum circiter annum DLX. multi tum ex Italicis tum ex Latinis per migrationem & cenſum in ciuitatem Roman.irrepſiſſent, Lege lata circiter duodecim millia Latinorum vrbe exire domumq́ue redire iuſſi ſunt. Verum cum victoriis cum pluribus Punica,Macedonica, Aſiatica omnium gentium conſenſu vniuerſi orbis terrarum imperium Romæ eſſet conſtitutum, Itali nuſquam ſe honeſtius aut melius, quam in ipſo imperij domicilio fore àrbitrati ſunt. Vnde bellum exortum eſt, quod modo Italicum modo Marſicum eſt dictum.tandem anno DCLXII. lata eſt lex Iulia,vt ciuitas propè omnibus Italiæ populis daretur. Ea lege Latini Italicique omnes in tribus à Cenſoribus adſcripti ſunt. Itaque ex eo tempore ſuffragium omnes habere cœperunt. vnde illud Cic.in Orat.ad Quit.poſt red. Ne in patriã ter ſuis decretis Italia cuncta reuocauit. Et pro Domo: Quid ego illa diuina atque immortalia municipiorum & coloniarum & totius Italiæ decreta commemorem? Idemq́ue de præfecturis factum, demõſtrat eiuſdem oratio.Pro Planc.Ad extremum autem Imperatoris Antonini conſtitutione:Omnes (vt ait Vlp.) qui in orbe Rom. erant,id eſt imperio Ro.parebant, ciues R. facti ſunt l.12.D.de ſtat.hom.qua de cauſſa Roma cõ-

A munis patria dicitur à Modeſtino, in l. 33. D. ad Porrò munic. Coloniarũ aliæ Italicæ dicebantur, quæ in aliquod Italiæ oppidũ deductæ,& iure Italico donatæ fuerant,aliæ Latinæ,quibus Latij ius cõceſſum erat,aliæ prouinciales.Latinæ Coloniæ ſunt,quæ (vt ait Aſconius) petendi magiſtratuũ gratia ciuitatem Rom.adeptæ ſunt. Veſpaſianus donauit vniuerſam Hiſpaniam iure Latij.Ius autem Latij aliud antiquum ſtante Rep. fuit, aliud nouum.Noui ſunt,qui per Latium aut beneficio B Principis in ciuitatem venerant. Hi cognationũ iura non babebant. illi habebant.& hac ratione (inquit vir doctus) illis quidem hereditatum viceſima remittebatur,bis irrogabatur quaſi extraneis heredibus ante cõſtitutionem Traiani, quæ onera viceſimæ etiam nouos ciues liberari voluit, quibus beneficio Principis aut per Latium ciuitas obueniſſet.Latium antiquum definit Pli. lib.3.cap.5.Colonias Latij antiqui,quæ Latio antiquitus donatæ ſunt.Coloniæ autem Italicæ di- C cebantur, quibus ius Italicum conceſſum erat. Ius verò Italicum non modo dat leuationem cẽſitionis ſi colonia non ſit immunis, ſed etſi immunis ſit, facit vt in reliquis eodem iure ſit eius coloniæ Reſp.quo ipſa Italia, puta in traditionibus nexi,in vſucapionibus,in annali exceptione. Itemque in iure capiendi. Atque ita multo plura conferebat ius Italicum,quam immunitas.ſed in cauſſa tributorum plus erat immunem eſſe, quam habere ius Italiæ. Coloniæ autem prouin- D ciales non omnes ius Italicum babebant: quæ dã etiam immunes erant: quamuis ius illud non habebant. Immunes ſunt quibus tributum capitis & tributum ſoli remiſſum eſt.Plus ergo eſt ciuitatem vel coloniam immunem eſſe, quam habere ius Italicum.nam ius Italicum leuatio tantum cenſitionis eſt,puta vt idem in cenſitione ius expetiantur,quòd Italicæ coloniæ.

E

DE TVNICA CIVIVM ROM, AT ALIIS quibuſdam veſtibus.

CAP. XVI.

VLpianus in l.veſtis,23.D.de aur. & arg. leg. veſtium,quibus ciues Rom.vtebantur,varia genera commemorat: in his togas, tunicas: nominat etiam prætextas, itemq́ue ornamenta quædam veſtium, vt picturas inſitas, & clauos qui veſtibus inſuuntur. Quare non alienum officio noſtro videtur,qui de iis obſeruauimus ſum- F matum bunc in locum conferre. Nam ciues Ro. animaduerto triplici veſtimento vſos eſſe: cùm ſcilicet ſubuculæ tunicam, tunicæ togam imponerent.De ſubucula Nonius citat Varronem libro de vita populi Rom.1. Poſtquam binas tunicas babere cœperunt, inſtituerunt vocare ſubuculam & induſium.Et Horat.1.epiſt.1.

——ſi fortè ſubucula pexa
Trita ſubeſt tunicæ.——

G Tunicam verò Nonius ait eſſe veſtimentum ſine manicis. atque hac primis tẽporibus caruiſſe Romanos ſignificat his verbis Agell.lib.7.ca.12. Viri Rom. primo quidem ſine tunicis toga ſola amicti fuerunt: poſteà ſubſtricta,& breues tunicas citrà humerum deſinente habebant. Verùm poſterioribus temporibus conſtat tunicas alias fuiſſe ſine manicis, alias verò manicatas, quas

Plautus vocat Mannleatas, Pſeudolo: Manuleatam tunicam hominem habere addecet. Priſc. enim lib.5. interpretatur manicatam. Cic. Catil. 2. Quos videtis manicatis & talaribus tunicis, velis amictos non togis. Prætereà Tunicis non eiuſdem generis omnes vtebantur. nam Senatores & equites iam olim, poſteà etiam eorundem filij tunicis vtebãtur ornatis purpura locis quibuſdã intertexta. Acceſſionis vice cedunt (ait Vlp.) inſitæ picturæ, clauique qui veſtibus inſuuntur. Claui autem erant ornamenta tunicæ purpurea variis locis intertexta, claui inſtat. vnde clauatæ tunicæ vulgò dictæ. Varro de ling. lat. 8. Nam ſi quis tunicam in vſu ita conſuit, altera plagula ſit anguſtis clauis, altera latis, vtraque pars in ſuo genere caret analogia. Quinctil. lib.9. cap.5. Porrò vt adfert lumen clauus purpuræ loco inſertos, ita certè neminem deceat intertexta plurib. locis veſtis. Nam eorum clauorum alij latiores erant, alij anguſtiores, illi Senatorum proprij fuerunt, hi verò equitum. Sueton. Auguſto: Togis neqoe reſtrictis neque fuſis vſus eſt: clauo nec lato nec anguſto. Tunica verò claui lati ſenatum ab equite, vt annuli equeſtrem ordinem à plebeio diſtinguit. Hinc ficta nomina Laticlauius, pro Senatore, Anguſticlauius, pro equite. Ouid. Triſt. 4. eleg.10.

Intereà tacito paſſa labentibus annis
Liberior fratri ſumta mihique toga eſt.
Induitúrque humeris cum lato purpura clauo,
Et ſtudium nobis quod fuit antè fuit.
Cepimus & teneræ primus ætatis honores,
Déque viris quondam pars tribus vna fui,
Curia reſtabat: claui menſura coacta eſt:
Maius erit noſtris viribus illud onus.

Et Plin. lib. 33. cap.2. Annuli diſtinxere alterum ordinem à plebe, vt ſemel cœperant eſſe celebres: ſicut tunica ab annulis ſenatum tantum, quamquam & huc ſerò, vulgóque purpura latiore tunicæ vſos inuenimus etiam præcones, &c. Ac non tantum Senatoribus attributum eſt iſtud ornamenti genus, verum etiam eorum liberis, Suet. Auguſto, cap.38. Auguſtus liberis ſenato-

A rum, quo celerius reip. adſueſcerent, protinus virili toga latum clauum inducere, & curiæ intereſſe permiſit. Et cap.94. Sumenti virilem togã tunica lati claui reſuta ex vtraq; parte ad pedes decidit. Idem in Veſpaſ. cap. 2. ſumta virili toga latum clauum quamquam fratre adepto diu auerſatus eſt. Equitum quoque filios clauata tunica vſos, etſi, à Senatorum filijs diuerſa, Ouidiani

B illius loci, quem paulo antè protulimus, teſtimonio comprobatur. Tunicas porrò vel cinctas vel ſolutas geſtabant. Solutę vel laſciuiam vel ſuperbiam arguebant. Horat. Diſcincta tunica fugiendum eſt ac pede nudo. Suet. Iulio: Cultu notabilem ferant. vſum enim lato clauo ad manicas fimbriato, nec vt vnquam aliter quàm ſuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura. vnde manaſſe Sullę dictum optimates monentis, vt cauerent puerũ malè præcinctum. Quinct.

C lib.11. cap.8. Cui lati claui ius non erit, ita cingatur, vt tunicæ priorib. oris infra genuá paullum, poſterioribus ad medios poplites perueniant. nã infrà, mulierum eſt, ſuprà, centurionem. Latum habentium clauum modus eſt; vt ſit paullum cinctis ſubmiſſior. Denique obſeruandum eſt, plebẽ infimam tunicis etiam vſam eſſe, ſed ſine togis, ſed ſine clauo. Horat. 1. epiſt. 7.

—Vulteium manè Philippus
Vilia vendentem tunicato ſcruta popello

D *Occupat.*

Cicero Agra. 2. Iam verò qui metus erat tunicatorum illorum quod & locis aliis permultis probari poſſet, vt & ea quę de lato & anguſto clauo diximus. ſed hæc iam vulgo etiã nota ſunt. Porrò Sagorum (vt de iis etiam aliquid dicamus) album fuiſſe colorem argumento eſt ille A. Hircij locus lib. de bell. Afric. 5. Cùm Scipio ſagulo pur-

E pureo antè Regis aduentum vti ſolitus eſſet, dicitur Iuba cum eo egiſſe, non oportere illum eodem vti veſtitu quo ipſe vteretur. Itaque factum eſt, vt Scipio ad album ſeſe veſtitum transferret, & Iubę homini ſuperbiſſimo inertiſſimóque obtemperaret. De Toga denique amplius dictum eſt à nobis in libris Obſeruat.

FRANC.

FRANC. HOTMANI I. C. ANTIQVITATVM ROM. LIBER III.

COMMENTATIONEM IN LEGES XII. TAB. CONTINENS.

Ab auctore recognitus.

PRAEFATIO.

AGEBATVR *annus ab vrbe condita trecenteſimus, cùm ciuitas Romana, quæ ſe à Regio dominatu ſexaginta antè annis liberarat, aſſidueque ex eo tempore vel finicimis bellis, vel domeſticis diſſenſionibus iactata fuerat, vt cum maximè diſcordijs ciuilibus conflictabatur. Plebs enim, cuius aſſiduis laboribus, periculis, ærumnis, hoſtium finitimorum iniuriæ propulſabantur: nimiam Conſulum poteſtatem, minimeque ciuitati liberæ tolerandam eſſe, querebatur. quippe qui iura Regum, inſigniáque omnia haberent: duóque pro vno domini infinita poteſtate, nomine commutato, ciuium R. ceruicibus impoſiti viderentur. Simul patriciorum ſuperbiam atque impotentiam ferre non poterat: qui tenuiores ære alieno oppreſſos crudeliter in vinculis habebant: duriſſimóque ſeruili opere fatigabant. Præterea, quibus legibus vſa Regum tempore ciuitas erat, quæ ad vnius dominatum accommodatæ fuerant, eæ commutato ciuitatis ſtatu, libertatéque adepta, retineri nullo modo poſſe videbantur. neque enim ad leges Reſpub. ſed contra ad Reipub. rationem leges accommodandæ ſunt. His de cauſſis quadraginta ferè ante hoc tempus annis, formidabilis illa plebis ſeditio acciderat: cùm anno poſt Reges exactos decimoſexto, propter nimiam potentium dominationem à Coſſ. ſecedens, trans Anienem amnem, tria paſſuum ab vrbe millia, collem occuparat, à quo reuocari in vrbem toto illo anno non potuerat: vſque dum legatis decem à Senatu de pace miſſis, & ſacratas ſibi ipſa leges conſtituit, & magiſtratum è ſuo corpore creauit, qui deinceps illam à patrum iniuria prohiberet: quem magiſtratum Tribunum pleb. appellarunt. Neque tamen illis acceptis conditionibus contenta plebs, poſtea ad multum temporis quieta, pacatáque permanſit. Etenim annis poſt ad triginta, Lucretio, Veturio Coſſ. queri denuò cœpit, nimiam eſſe principum potentiam, libertatémque ſibi non re, ſed verbo datam: niſi leges de Conſulum Imperio certis finibus coercendo ferrentur. Vnde illa toties in concionibus iactata, toties in ſenatu agitata Terentia lex, de Quinqueuiris creandis, qui certas ea de re leges conſcriberent: vt deinceps Conſules, non quod ipſi ſibi arbitratu ſuo ſumpſiſſent, ſed quod populus in ſe ius dediſſet, eo vterentur. Hic igitur per id tempus Ciuitatis Romanæ ſtatus erat, ea plebis irritata de libertate firmanda minuendáque principum poteſtate pertinaciſſima contentio. Cùm tandem pa-*

treſ ea plebis ſiue pertinacia,ſiue perſeuerantia victi: Sp. Tarpeio, A. Aterio coſſ. anno (vt ſuperius ex rotunda Dionyſij ratione poſuimus) ab vrbe condita trecenteſimo, à Rep. verò commutata ſexageſimo, animum ad concordiam adiecerunt: ſeſeq́ permiſſuros oſtenderunt leges ad libertatē conſtabiliendam, popularemq́ ciuitatis ſtatum accommodatas, conſcribi: cum repente Tribun. pleb. ad Senatū retulerunt, vt delecti partim è plebe, partim è patribus crearentur, qui leges æquè vtriſque commodas conſcriberent, temperamentum aliquod reperirent, quo ſe tenuiores cum principibus æquatos lætarentur. Erat tum in Senatu T. Romilius, qui (Conſul anno proximo ſuperiore plebis ſe partium acerrimum aduerſarium præbuerat: ſed in hac temporum confuſione ſapientis eſſe iudicans, cum neceſſitate non pugnare, vela contraxit, & præter omniū opinionem ita ſententiam dixit, vt quoniam de legibus conueniebat, de latore tantùm diſcrepabat, legati ad Græcas ciuitates quæ in Italia erant, præcipuè antem Athenas mitterentur, qui inclytas Solonis leges deſcriberent, aliarumq́ Græciæ ciuitatum inſtituta, mores iuraq́ cognoſcerent. Senatuſconſulto igitur in Romilij ſententiam facto, ſtatimq́ per plebeſcitum confirmato, Legati tres à Senatu delecti ſunt, Sp. Poſtumius, A. Manlius, Ser. Sulpitius, qui leges à Græcis ciuitatibus peterent. Triremes dein illis attributæ, quæ ex ærario pro maieſtate populi R. inſtructæ, ornatæq́ fuerunt. Atque hæc quidem propè omnia ex Liuio, Dionyſio, & Diodoro Siculo, quibus meliores hoc in genere reperiri auctores non poſſunt, expreſſa protulimus. Illud ex Strabonis, Pandectarum, & Plinij auctoritate aſcribendum videtur: fuiſſe per id tempus Romæ Hermodorū quendam Epheſium, hominem ſapientiæ deditum: de quo Heraclitus cognomento Scotinus dixiſſe fertur, dignos eſſe Epheſios omnes, quibus laqueo gula frangeretur: qui Hermodorum virum inter eos frugi, eieciſſent, cùm dicerent: ἡμέων μηδ' εἷς ὀνήϊστος ἔστω εἰ δ' ἐ μὴ, ἄλλη τε καὶ μετ' ἄλλων. Noſtrū nemo frugi eſto: ſin minus, & alibi & cum alijs eſto. Quem locum Cicero Tuſcul. 5. his exponit verbis: Eſt apud Heraclitum Phyſicum de principe Epheſiorum Hermodoro: vniuerſos ait Epheſios eſſe morte multandos: quòd cùm ciuitate expellerent Hermodorum, ita locuti ſunt: Nemo de nobis vnus excellat: ſed ſi quis extiterit, alio in loco & apud alios ſit. An hoc non ita fit omni in populo? nonne omnem exſuperantiam virtutis oderunt? Is igitur tum in Italia Hermodorus exulans, auctor Romanis fuit, vt Reipub. ſuæ conſtituendæ cauſſa leges à Græcis ciuitatibus peterent. quippe cùm homo doctrinæ deditus, quique ætatem in liberis illis ciuitatibus egerat, facilè illarum inſtituta cognouiſſet ad popularem rationem præclarè accommodata fuiſſe: ob eamq́ cauſſam fore populo Rom. ad ordinum concordiam, & iuris æquabilitatem conſtituendam maximè ſalutaria. Hac de cauſſa, cùm illum ſecum in Græciam Legati deduxerūt, omnium, vt credi par eſt, conſiliorum participem: tùm illius præcipua opera in cognoſcendis ciuitatum illarum legibus atque inſtitutis vſi ſunt. Quo in negocio ſic ille ſuam populo R. fidem induſtriamq́ probauit, vt Plinius lib. XXXIIII. memoriæ prodiderit, ſtatuam ei à pop. R. virtutis ergò, publicè in comitio poſitā dicatamq́ fuiſſe: neque dubiū eſt, quin hanc illius induſtriam Strabo ſignificet, cùm lib. XVI. tradit, eum leges quaſdam Romanis conſcripſiſſe. Etſi autem auctorem, qui de illius in Græciam profectione nominatim ſcripſerit, neminem habemus, tamen cùm & ſub cap. de orig. iur. ſcriptum ſit, eum auctorem Romanis legum ferendarum fuiſſe, & Plinius ei ſtatuam dicatam in comitióque poſitam teſtetur: minimè dubitandum videtur, quin maior quædam illius, quàm in legibus Romanis ab alijs allatis, Latinè interpretandis, opera extiterit: vt omittam, quod cùm interpretem illi ſecum legati neceſſariò eduxerint, veriſimile ſit, neminem potius quàm hunc rerum æquè ac verborum explanatorem eductum fuiſſe. Verùm quoquo modo ea ſe res habuerit, illud à Liuio & Dionyſio (ad quos noſtra ſe iam refert hiſtoria) proditum eſt, biennio amplius in præclara illa & Reip. maximè ſalutari legatione conſumtum fuiſſe: dum illi Græciam, Achaiam, ac Peloponneſum peragrantes, Athenienſium præcipuè & Lacedæmoniorum leges, inſtitu-

inſtitutaq́; cognoſcerent, quorum auctores ij qui ſapientiſsimi inter Legiſlatores numerãtur, Solon & Lycurgus fuerant. Nam ad Lacedæmonios quoque Romani iuris originem referri, cùm Iuſtinianus Imp. lib. Inſt. 1. dilucidè teſtatur, tum etiam Athenæus, qui lib. VI. extremo ſcribit, complura Romanos è Lacedæmoniorum Repub. ſumpſiſſe, quæ tum accuratiùs, quàm ipſi Lacedæmonij obſeruarẽt. Eo verò maiorẽ illi huius peregrinationis obeundæ, luſtrãdarumq́; Græciæ ciuitatum facultatem habuerunt, quòd, quemadmodũ Diodorus lib. XII. memoriæ prodidit, vniuerſa per id tempus Græcia tuta ac trãquilla pace fruebatur. Nam & fœdus cũ Græcis ciuitatibus Perſæ fecerãt: & inter Lacedæmonios atque Athenienſes pacta ad annos triginta induciæ fuerãt: deniq; toto ferè terrarũ orbe ſumma pax & tranquillitas erat. Tertio igitur anno pòſt T. Menenio, P. Seſtio Coſſ. domũ legati cũ Græcarũ ciuitatum legibus ſumma ordinũ omniũ gratulatione reuerſi ſunt: ſtatimq́; Tribuni pleb. inſtare apud Conſules cœperũt, vt ex Senatus auctoritate Legũlatores crearentur, tandẽq́; conſcribendarum legum initium fieret. Conſules rem ad Senatum. Ibi tum App. Claudius Conſul deſignatus, primo loco ſententiam rogatus, auctor Senatui fuit, vt Decẽuiri crearentur, qui magiſtratum eo anno ſummum ac ſine prouocatione gererent: ſimul ne quis alius per id tempus in ciuitate magiſtratus eſſet: iiſdemq́; cognoſcendarum legum, & earum quæ ciuitati maximè accommodatæ viderentur, deligendarum ſumma poteſtas attribueretur. In eum numerum reciperentúrne plebeij, aliquandiu controuerſia fuit. Poſtremò conceſſum patribus. Creati ergò Decemuiri: in quibus legati tres, qui Athenas ierant, habiti ſunt: ſimul vt pro legatione tam longinqua præmio eſſet honos: ſimul peritos legum peregrinarum ad condenda noua iura vſui fore credebant. Legibus dein ſcribendis operam delecti cum ſummo imperio Decemuiri dederunt. Quo loco prætermittendum non videtur, quod Dionyſius lib. X. apertius autem lib. II. tradit, illos ad hoc negocium non tantùm peregrinas illas & aſcititias leges adhibuiſſe, verum etiam patria quoque inſtituta: ſic, vt etiam ſi quæ ex Regijs legibus idoneæ viderentur, eas non repudiarent. Ex eo igitur ingenti legum numero, re dies multos agitata, Decem legum tabulas conciſa & planè admirabili breuitate, nullis (vt ex ijs quæ ſuperſunt reliquijs exiſtimare licet, aperteq́; Diodorus teſtatur) niſi neceſſarijs ac non redundantibus verbis, compoſuerunt: quas cum ingenti hominum expectatione perſcriptas palàm cùm propoſuiſſent, populumq́; ad concionem conuocaſſent (verbis enim Liuij rem exponemus) tum quod bonum, fauſtum, felixq́; Reipubl. ipſis, liberiſq́; eorum eſſet, ire & legere leges propoſitas iuſſere: ſe quantum decem hominum ingenijs prouideri potuerit, omnibus ſummis infimiſq́; iura æquaſſe, plus pollere multorum ingenia conſiliáque: verſarent in animis ſecum vnamquanque rem, agitarent deinde ſermonibus, atque in medium, quid in quaque re plus minúſve eſſet, conferrent, eas leges habiturum populum R. quas conſenſus omnium non iuſsiſſe latas magis, quàm tuliſſe videri poſſet. Cùm ad rumores hominum de vnoquoque legum capite edito, ſatis correcta viderentur: primùm ad patres de ijs relatum eſt: Senatuſq́; conſultum coniunctis ſententijs actum, vt centuriata comitia haberentur, in quibus decem illæ tabulæ adhibitis pontificibus, auguribus, alijſq́; ſacerdotibus ferrentur: quæ ſine mora plebiſcito confirmatæ, in æreis tabulis decem inciſæ, & in foro Romano illuſtri loco poſitæ ſunt. In tabulas enim æreas inciſas leges fuiſſe, cùm Diodorus lib. XII. diſertè teſtatur, tum etiam Venuleius noſter ſignificat in l. qui tabulam, 8. D. ad leg. Iul. pecul. cùm ait, eum qui tabulam æream legis refixerit, lege Iulia peculatus teneri. Sed & Seruius Honoratus figi leges & refigi, propterea dictũ à Virgilio tradit, quia inciſæ in æreis tabulis affigebãtur parietibus. Vnde Plin. lib. XXXIIII. cap. IX. Vſus æris, inquit, ad perpetuitatẽ monimentorũ iampridẽ tranſlatus eſt: tabulis æreis in quibus publicæ conſtitutiones inciduntur. Et ſanè cùm inter omnes conſtet, tabulas eas, nõ columnas fuiſſe, non iniuria mirũ videri poſſet, quod Dionyſius eas æreas colũnas nominet: niſi fortè collocatas quoq; colũnas æreas fuiſſe ſignificet, ad quas affixæ tabulæ fuerint. Nã quod Tribonianus quæſito Põponij nomine, ſub

rubrica De orig. iuris, eboreas illas tabulas fuiſſe tradit, cõmentum eſt, hominis ſtultitiæ, qui legibus noſtris honorẽ illũ haberi voluit, nihilominus quàm ignorantiæ aſſignandum. Quod verò Zonaras de Romanorũ cõſuetudine, quaſi ex magna antiquitatis obſeruatione adſcribit, vt res memoria dignas in tabellas referrent: haud ſcio an etiã ineptiùs in hunc locũ adiectũ ſit. nã etſi ſcribi aliter quàm in tabulis huiuſmodi monimenta non ſolerẽt, tamen quod de illo decẽ aut duodecim tabularũ numero traditur, abſurdũ eſt, de ceratis codicibus intelligi: cùm ſatis dilucidè pateat, ex arearũ tabularum ratione hunc decem aut duodecim numerũ definitum fuiſſe. Has igitur tabulas in foro R. celeberrimo loco fixas ac poſitas fuiſſe, video inter omnes conuenire. Diodorus autem adſcribit eas pro Roſtris, ante curiã (ſcilicet Hoſtiliã) conſtitutas, eamq́ ſculpturã integrã atque incolumen ad ſuam vſque ætatẽ, hoc eſt, ad Auguſti imperium, perduraſſe. Fixis decẽ tabulis vulgatur deinde rumor, Decemuiros propter temporis anguſtiam non ſatis cumulatè omnia cõprehendiſſe: deſiderari duas tabulas: quibus adiectis abſolui poſſe velut corpus omnis Romani iuris. Creati ergo alij inſequenti anno Decemuiri, qui ſub anni ſui finẽ duas tabulas ad ſuperiores decẽ adiecerunt, magis (vt Zonaras ſcribit) ad euertendam, quàm ad confirmandam ordinum concordiam accõmodatas. cuius rei etiã argumento eſt ea lex, qua ex hoc fonte deriuata patriciorum & plebis connubia interdixit: de qua poſterius, cùm ad id loci ventũ erit, explicabitur. Hoc loco quæſtio quadã ſubdifficilis occurrit, de qua nobis neceſſariò diſſerendum eſt: Vtrúmne iſtarũ XII. tabularum recepto iure, Regiæ leges ſublatæ, & quaſi abrogatæ ſint: an verò ſeparatim præter illas habitæ & conſeruatæ fuerint. Nam abrogatas aut certè harũ nouarũ latione obſoletas fuiſſe, illud argumento eſt, quòd (vt ſupra dictum eſt) mutato ciuitatis ſtatu, mutari quoque leges oportuit. Alioqui quorſũ tot plebis de nouis legibus ferẽdis cõtetiones? Præterea ſatis cõſtat, permultas Regum leges nõ modò noua duodecim tabularũ iure mutatas: verum etiã in has ipſas à Decemuiris tranſlatas perſcriptasq́ fuiſſe. Quinetiam Dionyſius libro Antiquit. II. dilucidè teſtatur, quo tempore conſtitutũ eſt, vt patrij mores, legẽſq́ omnes vnà cum peregrinis in foro proponerentur, Decemuiros eam Romuli legem, quæ patriã in liberos poteſtatem ſanxerat, inter cæteras retuliſſe: extitiſſeq́ ſuo tẽpore in quarta ex ijs, quas Duodecim tabulas appellarunt. Eò accedit quod in Pandectis noſtris, vbi de origine iuris diſſeritur, apertè ſcriptũ eſt, exactis Regibus, lege neſcio qua (quæ Tribunitia eo loco nominatur) Regias omnes leges exoleuiſſe, & legem de vindicijs decernendis ex vetere iure in XII. Tabulas tranſlatam fuiſſe. Contra tamen pugnare videtur, primùm quod Marcellus Iuriſconſult. ſub Rubrica de mortuo inferẽdo ſcribit, ſeruari legem Regiam, qua vetabat, mulierem quæ prægnans mortua ſit, humari antequam partus ei excidatur. Deinde quod Cicero in Oration. pro C. Rabirio teſtatur, iudicij de perduellione formulam à Tarquinio Rege inſtitutam, ſuo tempore obſeruatam fuiſſe. Verùm, ne plura colligantur, hoc vnum nobis pro decem millibus argumentum eſſe poterit, quòd Liuius libro VI. poſt narrationem de vrbe à Gallis capta, & euerſa, vbi adſcribit, magiſtratus nouos Gallis tandem à Camillo fugatis, de legibus inter vrbis ruinas eruendis cogitaſſe: In primis, inquit, fœdera & leges (erant autem eæ XII. tabulæ, & quædam Regiæ leges) conquiri, quæ comparerent, iuſſerunt: alia ex ijs edita etiam in vulgus, &c. Quibus verbis difficile dictu eſt, nonnè illud perſpicuè à Liuio ſignificari, præter leges in XII. tabul. perſcriptas alias quaſdã è veteribus Regijs fuiſſe, quæ & ad illud vſq; tempus propoſitæ ſteterant, & poſtea vnà cum vrbe reparatæ reſtitutæq́ ſunt. Videamus igitur, ecquid hoc modo ſatisfacere huic noſtræ quæſtioni poſſimus: ſi dicamus, non omnes Regias leges abrogatas fuiſſe, ſed earum partem dumtaxat: nimirum eam quæ vel cum libera ciuitatis ſtatu pugnabat, vel à nouis legibus diſertè contrarijs apertè tolli atque abrogari intelligebatur. cæteras verò quæ ad nouam Reipub. formam ſatis appoſitæ videbantur, retentas obſeruatasq́ fuiſſe: quarum in primis eæ fuerunt, quæ ad religionem pertinebant: de qua quæ diligenter à Numa ſancita fuerant, obſeruata perpetuò fuiſſe, multis veterum

aucto-

auctorum teſtimoniis cognoſcitur. Atque hae quidem ita nobis concluſa & conſtituta ſint. Deinceps cætera videamus: in quibus illud primum obſeruatione dignum videtur, quod Auſonius illo noto carmine ſignificat, tripartitam harum XII. *tabularum diuiſionem fuiſſe. prima enim parte ius illud quod ad ſacra pertinebat, comprehenſum: altera, ius publicum: tertia, priuatum.*

Ius triplex, tabulæ quod ter ſanxere quaternæ: Sacrũ, priuat, populi cõmune quod vſquã eſt. Etſi autem priuatũ ſecundo loco nominat: tamen id illum verſus cauſſa feciſſe, vel ex re ipſa & conditione Iuris intelligitur: vel ex Quinctiliani auctoritate, qui lib. II. *cap.* IIII. *Iuris Romani tria genera conſtituit, Sacri, publici, & priuati. Nunc de tabularum noſtrarum præſtantia non alienum erit, magnorum quorũdam virorum auctoritates, elogiáque proferre. In quibus illud primum Liuij memorabile eſt: qui in eo, quem ſæpe commemorauimus libro* III. *de his ipſis diſſerens legibus: Hic, inquit, nunc quoque in hoc immenſo aliarum ſuper alias aceruatarum legum cumulo, fons omnis publici, priuatíque eſt iuris. Tacitus autem libro Annalium* III, *Regum omnium, iuriſque Romani originem ex vetere memoria repetẽs: Pulſo, inquit, Tarquinio, aduerſum patrum factiones multa populus parauit, tuendæ libertatis & firmandæ concordiæ: creatiq́ Decemuiri & accitis quæ vſquam egregia, compoſitæ* XII, *tabulæ: finis æqui iuris: nam ſecutæ leges, etſi aliquãdo in maleficos ex delicto, ſæpius tamen ex diſſenſione ordinum, & adipiſcẽdi honores, aut pellendi claros viros, aliáque ob praua per vim latæ ſunt. Verũ qui hac de re præclarius magnificẽtiusq́ quàm Cicero multis ſuis in libris ſit locutus, non facilè quenquam reperiemus. Nam in libris de Orat. de his ipſis legibus ſub perſona Craſſi diſputans, ita loquitur: Siue quẽ hæc aliena ſtudia delectãt, plurima eſt in* XII. *tab. antiquitatis effigies: quòd & verborũ priſca vetuſtas cognoſcitur: & actionũ genera quædam maiorũ conſuetudinẽ vitamq́ declarãt: ſiue quis ciuilem ſcientiã contẽpletur, totam hãc deſcriptis omnibus ciuitatis vtilitatibus, ac partibus,* XII. *tab. contineri videbitis: ſiue quẽ iſta præpotẽs & glorioſa philoſophia delectat, dicã audacius, hoſce habet fontes omnium diſputationum ſuarũ, qui iure ciuili, & legibus continẽtur. Fremant omnes licet: dicam quod ſentio, bibliothecas mehercule omnium philoſophorũ vnus mihi videtur* XII. *tab. libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis põdere, & vtilitatis vbertate ſuperare. Hæc de noſtris legibus P. Craſſus: neque iniuria: cum etiam ob has ipſas quas ſignificat tantas earũ vtilitates, conſuetudo Romæ fuerit, vt adoleſcentes, qui liberalibus diſciplinis atque artibus inſtituerentur, tabulas illas in libellum cõtractas, perpetuò in ſinu geſtarẽt, eaſq́ ad verbũ ediſcerent. Vnde illud Ciceronis libro De legibus* II: *Diſcebamus, inquit, pueri Duodecim, vt carmen neceſſarium: quas iam nemo diſcit, &c. Eas porrò* XII. *tabularũ leges, multi clari & præſtãtes Iuriſconſulti interpretati ſunt: quorum è numero laudatur in primis Sex. Aelius, quem Põponius noſter auctor eſt compoſuiſſe librum, qui inſcribebatur Tripertita, in quo* XII. *tabularum leges deſcriptas ordine omnes explicabat. Huic Cicero in libro De Legib.* II. *L. Acilium coniungit: quẽ Sapientẽ propter iuriſprudentiã nominatum & ipſe idem in Lælio, & Pomponius in Origine iuris teſtantur: apud quos tamen Atilius ſcriptũ eſt. Celebrantur etiam Antiſtij Labeonis in eaſdem leges cõmentarij: citantúrq́ à Gellio lib.* I. *cap.* XII. *& lib.* VI. *cap.* XV. *Quinetiam Caij libri complures paſſim in Pãdectis noſtris memorantur, quos ad* XII. *tabularum interpretationem conſcripſit. Quorum nunc omniũ, neque* XII. *tabularum dico, neque tam multorum ad eas cõmentariorum, quidquam ferè, præter fragmenta quædam, eaq́ perpauca & mutila, ſupereſt. Gottorum enim ac Langobardorum, qui annos ad trecentos in Italia perbacchati ſunt, incẽdijs ac furoribus omnia periere. Legum, inquam, earum, quas conſtat ex omnibus ijs, quæ vnquam præclariſſimæ habitæ ſunt, tot ſapientiſſimorum hominũ iudicijs delectas ac tanquã delibatas fuiſſe, monimenta omnia ſuperioribus temporibus, Barbaria longè lateq́ dominante, quaſi eluuione quadã interciderunt, earũ, inquã, legũ monimenta, quarũ præſidio, tam beata quõdam & fortunata*

populi Rom. reſpublica floruit, vt Cicero prædicare non dubitet, non minorem fuiſſe maiorum in iure conſtituendo ſapientiam, quàm fuerit in illis tantis opibus Imperij comparandis: tantùm fragmenta quædam (vt ante dixi) eaq; admodum pauca & mutila ſuperſunt: quaſi ſi ex illa nobili Argonautarum naui paucæ quædam tabulæ, ſcalmíve forte aliquot reperti eſſent, quos propter antiquitatis memoriã oſtentaremus. Hæc nos fragmenta multifariam apud auctores varios ſparſa, quaſiq; obruta, lectione diuturnã, multorumq; annorum cõtinuato labore collegimus: in eumq; ordinẽ, quẽ ſecutos Decemuiros ſuperius ex Auſonio docuimus, ita redegimus: vt primo loco quæ ad ſacra & religiones pertinerent: tũ quæ publici iuris eſſent: poſtremò quæ priuatarum rerum iura continerent, collocaremus. Hoc enim mihi ſemper in omnibus meis lucubrationibus, cuiuſmodicunq; tandem illæ ſint, primũ ac ſummũ eſſe ſolet, vt ordinem conſeruem: cuius vim qui ignorant, & ſe tamen ad ſcribendũ conferunt, vt nobis ingeniorum ſuorum fœtus oſtentent, perinde mihi facere videntur, ac ſi ſpectanda nobis monſtra quædam proponerent, quorum contorta membra, & alieno loco fœdè contra naturæ ordinem collocata eſſent. Cùm autẽ pleraque omnes leges partim ob verborũ antiquitatẽ partim ob rerũ difficultatẽ obſcuriores viderentur, dedimus operã vt ad ſingula capita breuẽ quandam interpretationem adiungeremus, quæ lucem vtrique illi obſcuritati aliquã afferret. Iam verò cùm horum fragmentorũ duplex ratio ſit, ſiquidem alia ſunt integra, & per ſe ſuiſq; verbis ac formulis ipſa conſtant: aliorum autem argumenta tantum & cõiectura ſuperſunt: ſummam in illis diſtinguendis diligentiam, ac potius religionem adhibuimus: vt quorũ integræ formulæ ſupereſſent, ea ſuis verbis, quaſi gẽmæ ſuo incluſas auro, proponeremus: quorum verò argumenta tantùm exſtarent, eorũ ſententiam ſimpliciter fuſa & ſoluta oratione proferremus: neque veterum in legibus ſcribendis conſuetudinem imitaremur, earúmve formulam exprimeremus: ne fortè poſthac aut ficta pro veris ab hominibus incautis ſumerentur: aut ea imitari velle videremur, quorum ad præſtantiam, nullius, meo quidem animo, humani vis ingenij poteſt pertingere. Sed iam tempus eſt ad leges ipſas accedere: & primo loco quæ de ſacris, & religionibus populi Rom. ſancita ſunt, eo quem inſtituimus ordine proponere.

***

DE

DE IVRE SACRORVM LEGIS XII. TABVLARVM FRAGMENTA.

SACRA PRIVATA PERPETVA MANENTO.

Hvivs legis exſtat argumentum apud Ciceronem in Oratio. pro Muræna: vbi ſic loquitur: Nam cùm permulta præclarè legibus eſſent conſtituta, ea iuriſconſultorum ingeniis pleraque corrupta ac deprauata ſunt. Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio ſenes ad coëmptiones faciendas interimendorũ ſacrorum cauſſa reperti ſunt. De legib. autẽ XII. tab. eo loco Ciceronem agere, aliæ leges quas eodem loco profert, non obſcurè ſignificant. Itaque in lib. de legib. II. vbi ſuas leges ad XII. tab. exemplum conceptas edit, hanc profert: SACRA PRIVATA PERPETVA MANENTO: Quam legẽ aliquanto poſt interpretans: De ſacris, inquit, hæc ſit vna ſententia: vt conſeruentur, & deinceps familiis prodantur, &, vt in lege poſui, perpetua ſint ſacra. Intelligendum eſt igitur ſacrorum partim publica, partim priuata fuiſſe. Publica (inquit Feſtus) dicebantur, quæ publico ſumptu pro populo fiunt: quæq; pro montibus, pagis, curiis, ſacellis: At priuata quæ pro ſingulis hominibus, familiis, gentibus fiunt. Idem alibi: Quod priuatæ ſuæ religionis cauſſa Deo dedicarunt, id Pontifices R. non exiſtimant ſacrum. At ſi qua priuata ſacra ſuſcepta ſunt, quæ ex inſtituto Pontificũ ſtato die, aut certo loco faciẽda ſint, ea ſacra appellari, tanquã ſacrificium. Ille locus vbi illa ſacra faciẽda ſunt, vix videtur ſacer eſſe. De iiſdẽ ſacris illud præterea exſtat apud Macrob. lib. I. cap. XVI. Sunt præterea feriæ propriæ familiarum, vt Claudiæ familiæ, vt Æmiliæ, ſiue Iuliæ, ſiue Corneliæ: & ſi quas ferias proprias quæque familiæ ex vſu domeſticæ celebritatis obſeruat. Sunt ſingulorum vt natalium, fulgurumq́ue ſuſceptiones, item funerũ, atque expiationum. Hęc ille. Sacra autem hęc propria eorum Deorum erant, quos Penates, itemq́ue Lares nominabant. Vnde illud Æneid. II.

Aedibus in mediis, mediòque ſub ætheris axe,
Ingens ara fuit, iuxtáque veterrima laurus
Incumbens aræ, atque vmbra amplexa penates.

Hinc apud Plautum in prologo Aululariæ Lar familiaris ita loquitur:

— Ea mihi quotidie
Aut thure aut vino, aut aliquo ſemper ſupplicat
Dat mihi coronas. Et Euclio:
Nunc tuſculum emi, & haſce coronas floreas
A *Hæc imponentur in foco noſtro, Lari.*
Vt fortunatas faciat natæ nuptias.

Hæc porro ſacra quia gẽtis alicuius propria certis ritibus & ceremoniis colebantur, Gẽtilitia dicebantur. Vnde illud Ciceronis in Orat. de Aruſpicum reſponſ. Multi ſunt etiam in hoc ordine, qui ſacrificia gẽtilitia in illo ipſo ſacello, ſtatuto loco, anniuerſaria factitarunt. Et apud Liuiũ lib.
B V. An gentilitia ſacra ne in bello quidem intermitti, publicà ſacra & Romanos Deos etiam in pace deſeri placet? Itaque alia patriciorum, alia plebeiorum ſacra fuiſſe, illud argumẽto eſt. quod idem lib. X. ſcribit, Virginiam patriciã poſtquam Volũnio Plebeio nupſit, a matronis patriciis excluſam iis ſacris, quæ in ſacello pudicitiæ patricię fiebant: atque eam idcirco plebeiæ pudicitiæ nouam aram dicaſſe. Item cùm lib. IIII. Patricios de plebeiorũ connubio ſic loquentes inducit: Quam
C aliã vim promiſcua connubia habere, niſi vt qui natus ſit, ignoret cuius ſanguinis, quorum ſacrorum ſit, dimidius patrum ſit, dimidius plebis.

Iubet igitur lex (vt tandem ad illius interpretationem accedamus) quæ ſacra gens aliqua, ſiue illa patricia, ſiue plebeia ſit, aſciuerit, ea ſacra deinceps, ab iis qui eiuſdẽ ſtirpis erunt, culi atque cõſeruari. Vnde etiam illud nottinnũ conſtat, vt & mulieres in virorũ, & adoptati in parẽtum, & heredes in defunctorũ ſacra trãſirent. Ac de mulieribus quidẽ, poſterius ſub cap. De ma-
D trimonio, qui locus ad eam diſputationẽ propriè accommodatus eſt, diſſeremus. De adoptatis autẽ Cicero in Orat. pro domo ſic loquitur: Quid? ſacra Clodiæ gentis cur intereunt, quod in te eſt? Item: Quas adoptiones, hereditates nominis, pecuniæ ſacrorum, ſecutæ ſunt. Tu neque Fonteius es, qui eſſe debebas? neque partis heres, neque amiſſis ſacris paternis, in hæc adoptiua veniſti. Ita perturbatis ſacris, contaminatis gẽtibus, factus es, &c. Item Valerius lib. VII. M. Annei fi-
E lius in Suffenatis familiã & ſacra tranſierat. Hinc qui per emancipationem è familia migrabãt, quia ſacra ſibi arbitratu ſuo conſtituebant, e ſacris paternis dimitti & abſolui dicuntur: in l. quidã 31. C. de fideicom. l. 1. C. de annalib. exce. l. de emancipatis, 13. C. de legit. hered. Cùm contrà filii, qui in patris poteſtate permanent, dicãtur eſſe in ſacris paternis. l. 2. C. de bon. quæ lib. in ſacris parentum conſtituti. l. vlt. C. de inoff. teſt. l. vlt. C ad Tertull. l. 3. C. de bon. mater. De heredibus autẽ Cicero eodem libro De legib. II. iura hæc Ponti-
F ficum auctoritate, ad huius legis præſcriptum accommodata profert: vt patrefamilias mortuo,

ijs adiuncta eſſent ſacra, ad quos eiuſdem morte pecunia venerit. Nā (vt paullo pòſt ſcribit) ſacra cum pecunia nulla lege, ſed ſola Pontificum auctoritate coniuncta ſunt: nimirum vt huic legi quę gentilitia ſacra perpetuò retineri iubet, ſubſeruirent. Ordinem igitur hunc inſtituerunt: Primum vt ad heredes ſacra cū pecunia peruenirent: quippe cū nulla (vt Cicero ait) perſona ſit, quæ ad vicē eius qui è vita emigrarit, propius accedat. Secundo, qui morte teſtamento've eius tantundem capiat, quantum omnes heredes: qui legatarius olim partiarius dicitur. Tertio, ſi nemo ſit heres qui de bonis quæ eius fuerunt cùm moreretur, vſuceperit plurimum. Quarto, ſi nemo ſit, qui vſuceperit, de creditoribus eius qui plurimū ſeruet. Extrema illa perſona eſt, vt is qui ei qui mortuus ſit, pecuniā debuerit, nemini'q; eam ſoluerit, perinde habeatur, quaſi eam pecuniam ceperit. Hæc igitur Pontificum ratio fuit, vt ſacra à patrefamilias ſemel inſtituta perpetuò ſeruarētur. Nā quod de heredibus primo loco ſtatuerūt, eodem etiam illud Plauti pertinet in Trinummo: *Cœna hæc annona eſt, ſine ſacris hereditas.* Item in Captiuis: *Sine ſacris hereditatem ſum adeptus offertiſſimam*: hoc eſt, Lucrum ſine impendio. cùm ſcilicet in illis ſacris obeundis faciendis aliqui ſumptus eſſent. Atque hæc quidem de legis ſententia dicta ſint. Illud ne prætermittendum quidem videtur, quod Cicero in illo quem protulimus Murænianæ loco ſcribit: Iuriſconſultorum ingenio ſenes ad coēmptiones faciendas interimēdorum ſacrorum cauſſa repertos fuiſſe: cuius de loci ſententia pauliſper quærendum eſt. Nam mihi quidem non omnino incommodè ſic videtur explicari poſſe: vt dicamus ſenes orbos matrimonium per coëmptionem contraxiſſe: qua ratione accidebat, vt eorum vxores ſacrorū ſociæ, ſuæq; illis heredes eſſent: quemadmodum ſub capite de matrimonio docebimus. Plin. in Panegyr. ad Traian. Non laturi erant homines abradi aliquid bonis, quæ ſanguine gentilitate, ſacrorum denique ſocietate meruiſſent. Cicero in orat. Ao quibus verbis ſacrorum alienatio fiat, docere honeſtum eſt. quibus ipſa ſacra retineri defendique poſſint, non honeſtum eſt. Mortuis igitur ſenibus, mulieres heredes quidem vt pecuniæ, ſic etiam ſacrorum erant. At ſimul atque alteri nubebant, in eius ſacra tranſibāt: atque ita ſenis illius ſacra interibant. Hæc mea de illo loco ſententia eſt. Alciatus autem lib. Parerg. IX. cap. XIX. mirificè, vt pleraq; alia, locū hūc explanat, cum ita loquitur: ea bona quæ ſacris erant obnoxia, ſeni alicui & citò morituro venundari ſolita, quòd ſcilicet ea obligatio licet in ſucceſſorem particularem tranſiret, tamen in primum duntaxat tranſibat. l. vlt. §. vlt. D. de cont. empt. ſicut & pleraq; alia hodie ſunt, quæ in primum heredem ſolum trāſeunt: ad vlteriores non extēduntur. l. 5. D. de verb. ſignif. Hæc Alciatus ἐν τοῖς παρέργοις μᾶλλον παρεργῶς. vt nihil aliud dicatur: cùm coëmptionis verbum quiuis, vel mediocriter in his ſtudiis verſatus, ſatis intelligat non ad ſacrorum venditiones, de quibus ille in ſomniis cogitauit, ſed ad matrimonij antiqui genus pertinere. Sed ecce alia diuinatio ſenes, inquit aliquis, in omnibus coëmptionibus quib. quid venale proſcribitur, adhibiti fuiſſe videntur: propter hæc curij ad Ci-

A cer. verba, in lib. epiſt. fam. VII. Ergò fructus eſt tuus, mancipium illius. quod quidem ſi inter ſenes coëmptionales venale proſcripſerit, nō multum egerit. Quæro, quid tum poſtea? Senes adhibebantur in coëmptionibus, ergò ſacra interibāt. quid hoc eſt? niſi fortè illud etiam abſurdius, ſenes ad coëmptiones adhibitos. Vetus quidem liber ſic habet: Inter vos ſenes concionales. quo verbo Liuius quoq; lib. III. extremo eſt vſus. Sed neq; hoc neq; illud quidquam ad rem noſtrā facit. nam vt lectionem vſitatam retineamus, dilu-

B cida ſententia eſt: ſi Atticus inter eos ſenes qui multos ſeruos coëmunt, mancipium hoc venale proſcripſerit, egerit non multum. nam aut nemo erit qui velit emere: aut ſi quis erit, paruo licitabitur. Alias de ſacris complures in duodecim tabulis leges fuiſſe, ſatis conſtat: quarum tamen, quod ſciam, quodq; inueſtigare mediocri diligētia potuerim, teſtimonium certū nō exſtat. Vnam reperio de intercalandi ratione: quæ quia, vt Va-

C lerius Antias ſcripſit, & à Numa Rege ſacrorum cauſſa inſtituta eſt, &, vt omnes commemorant, ad Pontificum collegium pertinebat, idcirco in hunc ordinem referenda viſa eſt. Etſi autē quod illius teſtimonium ſupereſt, valde perplexum atque obſcurū eſt, tamen hac quoque in re officio noſtro ſatisfacere conabimur.

Vt Februarius menſis, qui Numa inſtituto poſtremus erat, deinceps ſecūdus eſſet: Vtiq; eo menſe poſt Terminalia, annis alternis, eorum dierū qui ad an-

D *nuam Solis rationem deeſſent, intercalatio fieret.*

EIus autem legis neq; formula, neq; ſatis certum (vt modò dixi) teſtimonium nobis ſupereſt: argumentum autem partim apud Ouidiū, partim apud Macrobium ſuppeditat. nam Ouid. lib. Faſtorum II. ita ſcribit:

Sed tamen antiqui, ne neſcius ordinis erres,
Primus, vt eſt, Iani menſis & antè fuit.
Qui ſequitur Ianum, veteris fuit vltimus anni:
Tu quoque ſacrorum, Termine finis eras.

E *Primus enim Iani menſis, quia Ianua prima eſt:*
Qui ſacer eſt imis manibus, imus erat.
Poſtmodò creduntur ſpatio diſtantia longo
Tempora bis quini continuaſſe viri.

Macrobius autem libro Saturn. I. cap. XIII. veteres auctores Tuditanum & Caſſium commemorat memoriæ prodidiſſe, Decemuiros qui decem tabulis duas addiderunt, de intercalando populum rogaſſe, eoſq; intercalationis primos auctores fuiſ-

F ſe. Paulo autem ſuperius ſcripſerat, omni intercalationi menſē Februariū attributū fuiſſe: quoniā is vltimus anni erat neq; tamen eo menſe confecto, ſed poſt XXIII. diē intercalaſſe, Terminalibus ſcilicet iā peractis. Quod vt intelligatur, præmunitione quadam vtendum eſt. In primis igitur illud ſcire oportet, annū ab initio vrbis, Albanorū inſtituto, decē menſiū fuiſſe. Quod ſpatium quia neque cum Solis, neque cū Lunæ curſu cōgruebat, idcirco Numa duos menſes addidit: vnū ab

G initio, Ianuarium: alterum in extremo, Februariū. atque vt annus ad Lunæ rationē accōmodaretur, dierum illum trecentorum quinquagintaquattuor effecit, vel (vt quidam ſcribunt) propter imparis numeri fauſtitatem, quinquagintaque. Vtcunque ſit, illud conſtat, cùm illi anno quominus ad ſolis rationem quadraret, dies vndecim & horæ ſex deeſſent, inſtitutum ab illo fuiſſe, vt

altero

altero quoq; anno menſis vnus intercalaretur, qui ex illis bis vndenis diebus.id eſt vigintiduobus,conſtaret: alter annus inſequens ordinariis menſibus concluderetur: tertius verò dies complecteretur tres & viginti, propter horas illas vigintiquatuor coniūctas. Cuius rei auctores habemus Macrob.lib. Saturn.1. & Cenſorinum De die natal.nam Cicer. quidem lib.de legib.11. Liuius li.1. & Plutarch.in Viris, Numę Regi intercalationis inſtitutum aſſignant: vt planè falſum eſſe appareat, quod ſuperius ex Tuditano & Caſſio, Macrobij teſtimonio, protulimus, decēuiros primos intercalationis auctores fuiſſe: Quid ergo eſt? Scilicet cùm à Rege inſtitutum fuiſſet, vt ſpatiū illud viginitiduorū triúmve dierum ad finem anni attexeretur (quod enim anno addendū erat, ad eius finē attexendum videbatur) decemuiri propter ſacrorū rationem commodius fore putarunt, Februarium ſecūdo loco ponere:&,(quemadmodum Ouidius ſcribit) ſpatio diſtantia longo tempora continuare ſic, vt menſis intercalarius poſt Terminalia interiiceretur, hoc eſt, poſt diē Februarij xxiii.& quo die viceſimus quartus Februarij numerandus eſſet, eo die Kalendæ intercalares dicerentur. Eo verò intercalario exacto, reliquos, inquit Macrobius, quinq; Februarij dies ſubiungebant, vetere religionis ſuæ more: vt Februariū omnino Martius ſequeretur. ſic enim lib. Saturn.1.ex veterū ſcriptorum auctoritate tradit, à quibus tamen diſſidentem Catonis & Mutij ſententiam Celſus noſter profert in l.cùm biſſextū,98.D. de verb.ſig. vbi ſcribit, Catonem putaſſe menſem intercalarem addititiū eſſe, omneſq; eius dies pro momēto temporis obſeruaſſe: extremúq; diei menſis Februarij à Qu.Mutio attributū, menſem autem intercalarem ex diebus xxviii.conſtitiſſe. Quorum verborum qui rectè ſententiam expoſuerit, vidi adhuc neminem. Arbitror autem exiſtimaſſe Catonem, menſem intercalarem non inſititium eſſe, ſiue interiectitium, ſed planè additițium: hoc eſt, non in Februarium menſem inſeri (quemadmodū Macrobij auctores putauerunt) vt Februarius modò quinquaginta, modò vnius & quinquaginta dierum eſſet: ſed ad eius finem adiici. Itaque quibus annis adhiberetur, iis annis Februarium vigintitribus tātùm diebus conſtitiſſe: reliquos omnes vſque ad Kalendas Martij, poſt extremum Februarij diem numerandos, & menſi intercalario attribuendos: qui propterea viginti octo diebus cōſtaret: ſcilicet, cùm perfectus eſſet: hoc eſt, cùm & dies & horæ omnes coniunctæ, tres & viginti dies additițios, præter reliquos quinq;, qui Februarij fuerant, conſicerēt. Id quòd quarto quoq; anno accidebat: cùm altero quoq; anno ſeptē tantùm & viginti coniunctos dies complecteretur. Quæ ſententia etſi à verbi notatione aliena videtur, cùm intercalare veteres pro interſerere, vel interponere vſurparent, l.3.§.4.D. de minorib. vnde intercalares verſus pro iis qui crebro interponebātur: tamen ſuffragatorem habet Varronem, vt ex ipſius lib. De lingua Lat. v. animaduerti: in quo ita ſcribit: Terminalia, quòd is dies anni extremus conſtitutus. Duodecimus enim mēſis fuit Februarius: & cùm intercalatur, inferiores quinque dies duodecimo demuntur menſe. Quod autem aſ-

A cribit Celſus, Catonem pro momento menſem Intercalarem obſeruaſſe: ſic accipiendum eſt: ne, cùm eum additițium faceret, decimumtertium menſem facere videretur. itaque ſuperius eodem loco Celſus monuerat intercalarem diem ne nunc quidem à Iuriſconſultis numerari: quod idem traditur ab eodem in l. 3 §. proinde, 4.D.de minorib. l. 2.D. de diuerſ. & temp. Atque hæc quidem de ſacris dicta ſint. Deinceps ad ſepulcrorum iura transeamus. ſiquidem ea B conſtat non modò cum ſacrorum iure coniuncta, verum etiam illorum quodammodo partem fuiſſe, quemadmodum vel ex libro Ciceronis De legib. 11. cognoſci poteſt. Itaque idem in primo de Officiis: Magnum eſt, inquit, eadem habére monumenta maiorum: iiſdem vti ſacris: ſepulcra habere communia. Et in illo ſecundo libro: Iam, inquit, tanta religio eſt ſepulcrorum, vt extra ſacra exigentem inferri fas negent eſſe Vnde illud in iure noſtro proditum eſt, quod C cum iis quæ ſuperiori capite diſſeruimus, maximè eſt conſentaneum, ſepulcrorum alia familiaria fuiſſe, alia hereditaria. Familiaria, quæ ſibi quis quis familiæq; ſuæ: Hereditaria autem, quæ ſibi heredibúſque ſuis conſtituit: quæve paterfam. iure hereditario acquiſiuit. Ac vtrunque quidem ſepulcrorum ius ad quoſuis heredes ac ſucceſſores pertinuiſſe: id eſt, etiā ad extraneos. Familiarium autem ad eos demum, qui eiuſdem familiæ, id eſt gentis & agnationis eſſent: ſic, ve D neq; ad affines, neq; ad proximos cognatos pertinerent. l.5.& l.6. D.de relig. l.4.& l.8.& l 13. C. eod. Imò verò ne ad emancipatos quidem. id quod ex l.1.§. interdum. D. de ſuis & legit. animaduerti licet. in qua cùm Vlpianus dixiſſet, filium eius qui poſt mortem ſuam perduellionis damnatus eſt, iure ſui excludi: hoc quo? inquit. vt ne iura ſepulcrorum hic filius habeat. Cui conſentaneum eſt quod Vlpianus in d.l.6. D.de relig. cùm dixiſſet, heredibus licere in vtrunque E illud ſepulcri genus inferri: mox tanquā contrarium quiddam inſerens: EMANCIPATIS, inquit, conceſſum eſt: nimirum quod eis ſummo & ſtricto iure non licebat.

HOMINEM MORTVVM IN VRBE NE SEPELITO, NEVE VRITO.

EXSTAT hæc lex totidem verbis apud Ciceronem libro De legibus 11. vbi ſic ſcribit: Hominem mortuum (inquit lex in XII.) in F vrbe ne ſepelito, néve vrito. Deinde legem ſic explanat: In vrbe ſepeliri lex vetat: ſic decretum eſt à Pontificum collegio, non eſſe ius in loco publico fieri ſepulcrum: Statuit enim collegium locum publicum non potuiſſe priuata religione obligari. Seruius tamen in libro Æneid. v. memoriæ prodidit, apud maiores (opinor ante XII.tabul.) moris fuiſſe, vt qui mortuus eſſet, domum ſuam referretur. Vnde eſt, *Sedibus hunc refer ante ſuis, & conde ſepul-* G *cro.* Deinde cùm ſeptem ibi dies fuiſſet, octauo die incenderetur, nono ſepeliretur, eóque illud Horatij pertinuiſſe,

Nouendiales diſſipare pulueres.

Quoniam ergo domi etiam ſepeliebantur, inde ortam conſuetudinem, vt dij penates in domibus colerentur. Item libro VI. Apud

maiores, inquit, omnes in ſuis domibus ſepelie- A
bantur. Vnde etiam vmbras Laruas vocamus.
Quinetiam eo quem ſuperiùs indicaui loco,
Cicero commemorat, ciues quoſdam bene de
Repub. meritos, virtutis cauſſa legibus ſolutos,
atque in vrbe ſepultos fuiſſe. Sed & ille idem
Seruius in XI. Æneid. ſuper illo loco *Vrbique remittunt*, Meminit, inquit, antiquæ conſuetudi-
nis. Nam antè etiam homines in ciuitate ſepe-
liebantur. Quod poſtea Duellio Conſule Sena-
tus prohibuit, & legauit (puto legendum Cauit) B
ne quis in vrbe ſepeliretur: vnde Imperatores
& Virgines Veſtæ, quia legibus non tenentur, in
ciuitate habent ſepulcra. Denique etiam no-
centes virgines Veſtæ, licet viuæ, tamen intra
vrbem in campo ſcelerato obruebantur. Legis
autem noſtræ ratio perſpicua eſt, ne ſcilicet vr-
banum cœlum fœdo cadauerum odore infe-
ctum, peſtem ciuibus, qui ſpiritum ex eo duce-
rent, inferret. Itaque moris fuiſſe tradit, vt py-
ræ cupreſſo circundarentur, propter grauem v- C
ſtrinæ odorem, ne populi circunſtantis corona
offenderetur. Et (vt Seneca libr. de remed. for-
tuit. primo ſcribit) non defunctorum cauſſa, ſed
viuorum, inuenta eſt ſepultura: vt corpora &
viſu & odore fœda, amouerentur, alios terra ob-
ruit, alios flamma conſumpſit, alios lapis ad oſſa
redacturus incluſit: non defunctis, ſed noſtris o-
culis parcimus. Sequitur in lege, NEVE VRI-
TO. Credo (inquit Cicero) vel propter ignis
periculum. Indicat autem non qui vratur ſepe-
liri, ſed qui humetur. Et paullo ſuprà: Siti di- D
cuntur ij, qui conditi ſunt: nec tamen eorum
antè ſepulcrum eſt, quàm iuſta facta, & corpus
incenſum eſt. Et quod nunc communiter in
omnibus ſepulcris ponitur, vt Humati dicantur,
id erat proprium tum in iis, quos humus inie-
cta contegeret: eúmque morem ius pontificale
confirmat. Nam priuſquàm in os iniecta gleba
eſt, locus ille vbi crematum eſt corpus, nihil ha-
bet religionis: iniecta gleba, tum & ille huma- E
tus eſt, & ſepulcrum vocatur: ac tum denique
multa religioſa iura complectitur. Item libr.
Tuſcul. I. In terram enim cadentibus corpori-
bus, iiſque humo tectis, ex quo dictum eſt hu-
mari, ſub terra cenſebant reliquam vitam agi
mortuorum. Plinius autem libr. VII. capit. LIIII.
Ipſum cremari, inquit, apud Romanos non fuit
veteris inſtituti. terra condebantur. at poſtquam
longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc
inſtitutum. Sepultus, intelligitur quoquo modo F
conditus: humatus verò, humo conditus. Item
Arnobius lib. VIII. Nec (vt creditis) vllum dam-
num ſepulturæ timemus: ſed veterem meliorem
conſuetudinem humandi retinemus. Patet igi-
tur vetuſtiſſimam ſepulturę rationem hanc fuiſ-
ſe, quæ priori loco à lege poſita eſt, vt corpora
humarentur: ſed cùm hoſtilis immanitas etiam
in mortuos ſæuiret, cadaueráq; eruerentur, in-
ſtitutum fuiſſe, vt cremarentur. Quæ conſuetudo
vſque ad Antoninorum ætatem permanſit, qui G
(quemadmodum Iulius Capitolinus ſcribit) le-
ges ſepeliendi ſepulcrorúmque aſperrimas ſan-
xerunt. Quandoquidem, inquit, cauerunt,
vt, ſi quis vellet, fabricaret ſepul-
crum: quod hodiéque
ſeruatur.

* * * HOC PLVS NE FACITO.

HVIVS fragmenti teſtē eundē habemus Ci-
cerone eodem lib. de Legib. II. vbi ſic lo-
quitur: Iam cętera in Duodecim: minuēdi ſum-
ptus ſunt, lamētationéſq; funeris: trāſlata de So-
lonis ferè legibus. HOC PLVS, inquit, NE FACI-
TO. Quę verba ſine dubio ſuperioris alicuius le-
gis quæ funerum & ſumptuum modum præfi-
niebat, appendix ſunt: quaſi in eam ſententiam
ſcripta lex eſſet, vt cùm finē illis rebus præſcri- B
pſiſſet, tū hoc quaſi ſanctionis loco adſcriberet,
Hoc amplius neque funerem neq; impenſarum
facito: néve præſcriptum à lege finem migrato.
Exſtat autem ex hoc eodem legum ordine quæ
funerum ſumptus præſtituūt, illud præterea ca-
put in eodem Cicer. libro, in quo ita ſcriptum
eſt:

Vt mortui tribus ricinijs, & vinculis purpu- C
ræ, decémque tibicinibus efferentur.

NAM eodē loco Marcus ita loquitur: Exte-
nuato igitur ſumptu trib. ricinijs, & vincu-
lis purpuræ, & decē tibicinibus, tollit etiā lamē-
tationē. Ricinium autē dictum videtur, quaſi re-
iicinū. Siquidē Seruius in I. Æneid. Togas, in-
quit. etiā fœminas habuiſſe, cycladū & recini v-
ſus oſtēdit. Recinus autē dicitur ab eo, quod poſt
tergū reiicitur. Itaq; Feſtus, Reciniū, inquit, om-
ne veſtimentū quadratū. Ij qui Duodecim inter- D
pretati ſunt, eſſe dixerunt, virilem togā, qua mu-
lieres vtebantur, prætextā clauo purpureo. Item
alibi: Ricæ, inquit, & Riculæ vocātur parua rici-
nia: Rica autem veſtimentum quadratum, fim-
briatum, purpureū. Sed cùm eodem libr. Cicero
teſtetur legem hanc de tribus ricinijs ex Solonis
legibus deſcriptam eſſe, eámq; ad funeris ſum-
ptum pertinere: haudquaquam dubitādum eſſe
arbitror, quin eæ veſtes intelligantur, quas Plu- E
tarch. ſcribit Solonē vetuiſſe, plures tribus in ſe-
pulcrum condi cum mortuo. οὐδὲ συντιθέναι, in-
quiēs, πλέον ἱματίων τριῶν. Veſtes enim lugubres
aut potius funebres has fuiſſe, quibus etiam mu-
lieres funus ſequentes vterētur, Nonius ſignifi-
cat, vbi hęc Varronis verba profert: Vt dū ſupra
terram eſſent, ricinijs lugerēt, funere ipſo pullis
pallis amictæ. Quod autem ſequitur, ET VIN-
CVLIS PVRPVRÆ: fortaſſe legendum ſit
PVRPVRAEIS: vt poteſtatem lex faciat cadauer F
tribus ricinijs obuolutū totidem purpureis faſ-
ciis obligari. Nam vocem TRIBVS priore loco
poſitam tacitè in ſecūdo repetitā arbitror. Neq;
eorū mihi coniectura diſplicet, qui de hac pur-
pura locum illū Liuij in lib. XXXIIII. intelligen-
dum putant, in quo ſic ſcribitur: Purpura viri v-
temur: nec id vt viui ſolum habeant tantum in-
ſigne, ſed etiam vt cū eo cremētur mortui. Iam
verò quod de Tibicinibus decem continuò ſe-
quitur, patet etiam ex Ouidij lib. Faſtorum VI. & G
funerib. Tibicines adhiberi ſolitos, & totidem
quot lex præſcripſit: nimirum decem. Sic enim
apud illum ſcriptum eſt:

Temporibus veterum tibicinis vſus auorum
Magnus, & in magno ſemper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis:
Cantabat mœſtis tibia funeribus.

Addo

Adde quod Ædilis pompa qui funeris irent
Artifices ſolos iuſſerat eſſe decem.

Scitum eſt autē, quod Seruius in v. Æneid. ſcribit, antiquæ conſuetudinis fuiſſe, vt maioris ętatis funera ad tubam proferrentur. Vnde Perſius,

Hic tuba, candelæ: tandémq; beatulus alto,
Compoſitus lecto. - Minoris verò, ad tibias. Vt Statius de Archemoro,

Tibia enim teneros ſolitum deducere manes.

Neque verò prætermittendū eſt quod Agellius lib. xx. cap. II. ſcribit. Siticines olim eos propriè B appellatos, qui apud ſitos canere ſoliti eſſēt: hoc eſt, vita functos & ſepultos. Eóſq; habuiſſe proprium genus tubæ qua canerēt, à ceterorum tubicinum proprietate differens, quos Siciniſtas vulgus dicit. Sapienter ergo modum ſumptuū in funus lex præſcripſit, quos apud veteres immenſos fuiſſe, vel hinc licet exiſtimare, quòd quęcūque defunctus in deliciis habuerat, etiam ſi precioſiſſima forēt, in ignē vnà cum ipſo cōiicerentur. quemadmodum multis ex antiquis auctori- C bus, & in primis ex Seruij Honorati cōmentariis licet cognoſcere. Huius autē legis inſtitutū diligēter in iure noſtro ciuili conſeruatū eſt: in quo cauetur, vt ſumptus funeris pro facultatibus & dignitate defuncti præſtituantur. Itē ne ornamenta cum corporib. condantur, quod hominea (inquit Vlpianus) ſimpliciores faciūt, l. ſi quis, 12. §. 3. & l. 14. §. 5. D. de relig. & ſump. fun. Itaq; Papinianus, Ineptas, inquit, voluntates defuncto- rum circa ſepulturā, veluti veſtes, aut ſi qua aliā D ſuperuacua vt in funus impendātur, non valent, l. ſeruo, 113. D. de leg. prim. Hactenus quos ſumptus è lege facere in funerib. liceat, expoſitū eſt. Deinceps igitur quos eadem lex vetet, & vulgo vſitatos abroget, videamus. Nā eius rei teſtimonium eodem nobis loco Cicero ſuppeditat, primúmq; hoc caput profert:

ROGVM ASCIA NE POLITO. E

NAM cùm cætera quaſi peruulgata prætermitteret: Noſtis, inquit, quę ſequūtur. Diſcebamus enim pueri XII. vt carmē neceſſarium. Iubet igitur lex è rudibus & impolitis lignis pyram confici: aſciā vetat adhiberi, quæ fabrorum materiariorū dolabra eſt, quibus ad aſpera ligna polienda vtuntur. Sumptus ergo ſuperuacuos & inutiles à funeribus lex remouet: è quibus ille vnus vel maximè anilē habuit ſuperſtitionem, vt magno labore ligna polirentur, quæ cōtinuò F pòſt vnà cum cadauere incenderentur.. Sequitur apud eūdem Ciceronem, quo meliorem in hoc genere auctorem reperire non poſſumus, caput hoc alterum:

MVLIERES GENAS NE RADVNTO; NEVE LESSVM FVNERIS ERGO HABENTO.

VBI etiā aſcribit, veteres XII. tab. interpre- G tes Sex. Ælium, L. Acilium, nō ſatis intelligere ſe dixiſſe, quid eſſet Leſſus: ſed ſuſpicari, veſtimenti aliquod genus funebris: L. verò Ælium arbitrari, Leſſum eſſe quaſi lugubrē eiulationem, vt vox ipſa ſignificat: quod eò magis, inquit idem, iudico verum eſſe, quia lex Solonis

A id ipſum vetat. Quinetiam II. Tuſcul. Ingemiſcere, inquit, nonnunquam viro conceſſum eſt: idque rarò. Eiulatus ne mulieri quidē. Et hic nimirum eſt fletus, quem XII. tab. in funeribus adhiberi voluerunt. Hæc ille. De genis autem radendis, qua de re priore loco diſſerendum fuit, Plin. lib. XI. cap. XXXVII. ita ſcribit: Infra oculos malæ homini tantum, quas priſci genas vocabant: XII. tabularum interdicto radi à fœminis eas vetantes. Et Seruius in illud XII. Æneid. *Et roſeas laniata genas*: Moris, inquit, fuerat, vt ante rogos humanus ſanguis effunderetur vel captiuorum, vel gladiatorum: quorum ſi fortè copia non fuiſſet, laniantes genas ſuum effundebant cruorem, vt rogis illa imago reſtitueretur. Tamen ſciendum cautum lege XII. tabularum, ne mulieres carperent faciem, his verbis: Mulier faciē ne carpito. Veriſimile eſt autē, legis verba, hæc ipſa quæ exſtant, à Seruio prolata fuiſſe: ſed cùm aut grandioribus literis, aut potius notis ſcripta eſſent, aut vetuſtate excſa, aut ignorata, poſtea à literatore aliquo ex proximorum Seruij verborum ſimilitudine conficta fuiſſe. Siquidem etiā apud Feſtū hęc ipſa extitere: vt illa veſtigia demonſtrant. Radere genas * * * lege XII. id eſt, vnguibus * * *. Hanc porrò legem à Solone ſumptam, Cicero in eodem lib. De legibus teſtatur. Poſteaquam, inquiens, ſumtuoſa fieri funera & lamentabilia cœpiſſent, Solonis lege ſublata ſunt: quam legem iiſdē propè verbis Decemuiri noſtri in XII. tabulas coniecerunt. nam de tribus riciniis, & pleraq; illa Solonis ſunt: de lamentis verò expreſſa verbis ſunt: MVLIERES GENAS NE RADVNTO: NEVE LESSVM &c. Hac autem de re Plutarchus in Solonis vita ſic loquitur: ἀμυχὰς δὲ κοπτομένων, καὶ τὸ θρηνεῖν πεποιημένα, καὶ τὸ κωκύειν ἄλλον ἐν ταφαῖς ἑτέρων ἀφεῖλεν. ἐναγίζειν δὲ βοῦν οὐκ εἴασεν, οὐδὲ συντιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν, &c. Lacerationes verò cædentium ſe, & eiulationes, alieniſq; in ſepulcris lamentationes ſuſtulit: neq; permiſit bouem immolare, mortuúmve cū veſtibus amplius tribus condere, &c. Præclarè igitur muliebres illas tragœdias & vi expreſſas lacrymas, ac lamentationes lex ſuſtulit: quas ab hominibus ambitioſis inſtitutas eſſe veriſimile eſt: qui quaſi magnum eorū morte Reſpublica vulnus accepiſſet, ita ſe mortuos multorum lacrymis ac lamentis lugeri voluerunt. Longè aliter Ennius:

Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
Faxit. Cur? volito viuus per ora virûm.

Itaque Platonis in duodecimo De legibus hoc præceptum eſt: δακρύειν μὲν τὸν τετελευτηκότα ἐπιτάττειν, ἢ μή, ἄμορφον· θρηνεῖν δὲ καὶ ἔξω τῆς οἰκίας φωνὴν ἐξαγγέλλειν, ἀπαγορεύειν, καὶ τὸν νεκρὸν εἰς τὸ φανερὸν προσάγειν τῶν ὁδῶν, κωλύειν, καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς πορευόμενον φθέγγεσθαι, καὶ πρὸ ἡμέρας ἔξω τῆς πόλεως εἶναι. Fleri quidem mortuum iubere, aut vetare, abſurdum eſt: plangere verò & voces ac lamenta extra ædes mittere, vetandum. Itémque mortuum in publicum efferre, ibique deponere, aut per vrbis vias vociferari, aut ante lucem, vrbe, vociferandi cauſſa, exire. nam ἰέναι legendum arbitror. Deinceps quid in noſtris legibus ſequatur, videndum eſt.

HOMINI MORTVO NE OSSA LEGITO QVO POST FVNVS FACIAT: *Extra quàm ſi militia aut peregre mortuus ſit.*

IN funeribus moris fuit, vt crematis corporibus certa legerentur oſſa quæ ſtatim vna cum cineribus in vrnam poſita, eodem ipſo loco congeſto madido aggere condebantur. Hoc lex permittit. Sed oſſa in lecta ſeruare poſt funus, & aliud in tempus eorum ſepulturam differre, lex vetat. niſi fortè in militia aut peregrè ſit mortuus, tum enim etiam humano corpore permittit lex certa illa legitima oſſa legere & aſportare, quo poſt ad ea funus, & iuſta ſoluantur. Exſtat autem hoc caput apud Ciceronem in eodem ſecundo De legib. libro: in quo ſic ſcribit: Cætera item funebria, quibus luctus augetur, Duodecim ſuſtulerunt. HOMINI, inquit, MORTVO NE OSSA LEGITO, QVO POST FVNVS FACIAT. Excipit bellicam peregrinámque mortem. FACSAS autem corrigendum, nemo, vt opinor, dubitauerit. Legis porrò ſententia hæc fuit, vt poſteaquam crematum corpus eſt, oſſa è cineribus lecta ſtatímque loco proximo in terram condantur. Id quod propterea inſtitutum fuit, ne ſi alium in locum ſepeliendi cauſſa deportarentur, ibíque iuſta iterum fierent, & luctus duplicaretur & ſumptus. De condendis autem oſſibus, Cicero aliquanto ſuperius ita locutus fuerat: Iure pontificio priuſquàm in os iniecta gleba eſt, locus ille vbi crematum eſt corpus, nihil habet religionis: iniecta gleba tum & ille humatus eſt, & ſepulcrum vocatur: ac tum denique multa religioſa iura complectitur. Eúmque morem video à Virgilio notatum Æneid. XI. cùm ita ſcribit:

Mærentes altum cinerem, & confuſa ruebant:
Oſſa focis, tepidóque onerabant aggere terra.

Itémque lib. VI.

Poſtquàm collapſi cineres, & flamma quieuit,
Oſſáque lecta cado texit Chorineus aheno,
Tum pius Æneas ingenti mole ſepulcrum
Impoſuit, &c.

Itémque ab Vlp. in l. 1. D. de corp. punit. vbi ait, eorum corpora qui exurendi damnantur, peti à propinquis poſſe: ſcilicet vt oſſa & cineres collecta ſepulturę tradi poſſint. Eodémque illud Senecæ pertinet in lib. De ira II. vbi cùm de miſſo ad ſupplicium locutus eſſet, eiúſque patrem dixiſſet ad cœnam inuitatum largius bibiſſe: Dignus, inquit, pater fuit, cui permitteret ad oſſa filij legenda diſcedere, ne hoc quidem permiſit &c. Ad eum autem morem alludit idem in libr. De conſolat. ad Marciam, cùm ita loquitur: Adiice incēdia, ruinas, naufragia, lacerationes medicorum, oſſa viuis legentium, & totas in viſcera manus demittentium. Quibus ex locis abſurdum eſſet ratiocinari, aliud eſſe Oſſa legere alicui, aliud Oſſa legere alicuius. Sueton. in Auguſto: Alij exſequiarum die ponēdos annulos aureos: nonnulli legenda oſſa per ſacerdotes ſummorum collegiorum. Et mox: Reliquias legerunt primores equeſtris ordinis. Ad antiquam autem illam conſuetudinem quam lex tollit, haud ſcio an etiam illud pertinuerit, quod Feſtus tradit: membrum abſcindi mortuo dici ſolitum cùm digitus eius præcidebatur, ad quod ſeruatum iuſta fierent reliquo corpori combuſta. Excipitur autem hac lege ſi quis aut in militia, aut peregrè ſit mortuus, vbi ſcilicet funus ei fieri non liceret: tum enim neque luctus, neque ſumptus augetur. Itaque in Pandectis noſtris is ſumptus funeris probatur, cùm peregrè mortuus in ſuū transfertur. l. etſi, 14. §. impēſa, & l. Diui fratres, 39, D. de religioſ. & ſumpt. Impenſa, inquit Vlpianus, peregrè mortui, quæ facta eſt vt corpus perferretur, funeris eſt: licet nondum homo funeretur. Fuit autem vetuſtæ conſuetudinis, vt prælio commiſſo, ſuperſtites oſſa ſuorum legerent: eáque in vnum coaceruata terra tegerent: vt ex libro Liuij XXXVI. intelligitur. Tumulus eſt, inquit, in vnum oſſibus quæ paſſim ſtrata erant coaceruatis factus. Nunc quod apud Ciceronem ſequitur videamus.

Vti ſeruilis vnctura, omniſque circumpotatio tolleretur.

HÆC præterea, inquit, ſunt in legibus de vnctura: quæ ſeruilis vnctura tollitur, omniſque circumpotatio, quæ & rectè tolluntur: neque tollerentur, niſi fuiſſent. Vncturam autem omnem lege noſtra tolli, nequaquam exiſtimandum eſt. Quandoquidem in Pandectis quoque eorū ſumptuum ratio probatur, qui in vnguento pro mortui corpore comparato, facti ſunt. l. funeris, 37, D. de religioſ. & ſumpt. fun. Denique Seruius Honoratus auctor eſt moris fuiſſe, vt cadauera dies octo ſeruarentur: dein calida abluerentur, & per interualla conclamarentur: quoniam, inquit, vitalis ſpiritus nonnunquam excluſus putari ſolet, & homines fallere: poſt vltimam autem conclamationem corpora comburebantur. Vnde illud in Æneid. VI.

Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis
Expediunt: corpúſque lauant frigentis & vngūt.

Item illud Ennij:

Tarquinij corpus bona fœmina lauit, & vnxit.

Nequaquam igitur omnis (vt antea dicebamus) vnctura lege noſtra tollitur: ſed tantūmodo ſeruilis. Quod genus vnctionis quemadmodū intelligendū ſit, vt verè dicam, ſatis exiſtimare non poſſum. nam quod peruulgatum eſt, vnctionem eam intelligi, quæ à pollinctorū familia fiebat, mihi non ſatis exploratū videtur: tum quia pollinctura hæc potius, quàm ſeruilis vnctura diceretur: ſiquidē ipſi pollinctores cadauera inūgebant: tū verò vel maximè quia pollinctura ſublata nunquam fuit, ſed perpetuò etiam vſque ad Iuriſconſultorum noſtrorū ætatem conſeruata. Itaque pollinctorum mentio fit in l. 5. §. idem ait, D. de inſt. act. Apud Plautum autem & cæteros Iuriſconſultis noſtris antiquiores, frequētiſſimè. Amplius igitur deliberandū putarem: & interea veteres codices conſulēdos: ſi qui forte reperiri poſſet, in quo non de ſeruili vnctura, ſed de ea qua ſeruarentur corpora incorrupta æuis, ſcriptum eſſet. qualis fuit Cedrina aut Cedrilis, de qua Plinius ſcribit: aut mel, de quo Lucretius libro III. Verumtamen, vt iam teſtificatus ſum, nihil affirmo. Quare alteram legis partem attendamus,

damus, quæ ſtatuit vt omnis circumpotatio tollatur: ex quo licet exiſtimare, antiquæ conſuetudinis fuiſſe, vt vncto & delibuto cadauere, potatio circum illud inſtitueretur, ordinéq; omnes inuitarentur: quam conſuetudinem tolli lex iubet. Tertull. tamẽ in Apologet. ſignificare videtur epulum appꝰtari ſolitum, quod Silicernium diceretur: & genus poculi funebris, quod Obba nominaretur, adhiberi. Quid, inquit, ad honorandos deos facitis, quod nõ etiam mortuis veſtris cõfertis? Ædes proinde, aras proinde. quid differt ab epulo Iouis, Silicernium? a ſimpulo, obba? ab aruſpice, pollinctor? nam & aruſpex mortuis apparet. Eodémq; illud Virgilij pertinere arbitror Æneid. v.

-Ille agmine longo
Tandem inter pateras, & leuia pocula ſerpens,
Libauitque dapes. -

Vbi Seruius, Leuiter guſtauit epulas ſuperpoſitas, inquit, quæ Silicernium dicuntur, quaſi ſilicernũ, ſuper ſilicem poſitum. Exſtat etiam apud Liuium lib. xxxviii. hiſtoria de Q. Terentio Culleone, qui cùm pileatus in funere P. Scipionis ante lectũ iiſſet, ad portam Capenã mulſum proſecutis funus dediſſe, narratur. Deniq; in potentiorum funeribus ſatis cõſtat epulũ adhiberi ſolitum, argento, veſte, omni apparatu, ornatuq; viſendũ: cũ prius ſupplicatio facta, dieſq; is populo R. feſtus fuiſſet: multaq; in eo hominũ millia diſcumberent: quemadmodum ex Vatiniana Oratione intelligitur. Eodemq; illa quę viſceratio dicebatur, pertinebat.

Vti ne ſumptuoſa reſpertio fieret, ne've murrata potio mortuo inderetur: ne've longæ coronæ, ne've acerræ adhiberentur.

QVÆ omnia extant eodem loco apud Ciceronẽ: vnde intelligitur moris fuiſſe, vt cadauer rogúſve, liquoribus quibuſdam precioſis perfunderetur. eoque ſine dubio altera illa lex pertinuit, quã Feſtus ex noſtris xii. tab. profert, cùm ita ſcribit, Murrata potione vſos antiquos indicio eſt, quod etiam nunc Ædiles per ſupplicationem diis addunt ad puluinaria: & quod xii. tabulis cauetur, ne mortuo indatur: vt ait Varro in Antiquitatum lib. i. Potionem autem murratam, ex murra confectam, atq; odoratam, dici intelligitur: quem ſumptum in mortuos fieri, lex vetat. Quinetiam Plin. lib. xiiii. c. xii. auctor eſt, legem Numæ Pompilij hanc fuiſſe: VINO ROGVM NE RESPERGITO. quod ſanxiſſe illum, inquit, propter inopiam rei, nemo dubitat. Eodem etiam videtur Virgilius in vi. Æneid. reſpexiſſe, cùm inquit:

Poſtquam collapſi cineres, & flamma quieuit:
Reliquias vino & bibulam lauere fauillam.
Idem ter ſocios pura circumtulit vnda:
Spargens rore leui, & ramo fœlicis oliuæ:

Circumtulit autẽ, id eſt, luſtrauit ſiue purgauit: vt rectè Seruius admonuit. Deinceps in lege prohibetur, ne longæ coronæ adhibeãtur. Nam coronas honorem fuiſſe ſepulcrorũ ac manium, teſtis eſt etiam Plinius lib. xvi. cap. i. cúmq; morem Arnobius ad ſuam vſque ætatem retentum fuiſſe teſtatur. Quin & Cicero in Orat. pro Flacco de plebiſcitis Smyrnæorum in Caſtricij mortui honorem commemorans, Primum, inquit, vt in oppidum introferretur, quod aliis nõ conceditur: deinde vt ferrent ephebi: poſtremò vt imponeretur aurea corona mortuo. Longas autem coronas videndum vtrum eas acceperimus, quæ non, vt viuis, ſoli capiti imponerẽtur, ſed quæ totum hominem à vertice ad pedes cingerẽt: quales fortaſſe deorum ſignis imponebantur: an potius Lemniſcatas. Id eſt, ex quibus faſciolæ penderent, quales in ludis & certaminibus dabãtur: quod eo mihi probabilius videtur, quia ſeq.ẽti capite iubetur, vt quæ coronæ in certaminibus partæ ſunt, eæ mortuis ſine fraude imponantur. quod ſic interpretor, quaſi dictum eſſet, Sine periculo ne in hãc legem committatur. Poſtea ſequitur, NEVE ACERRÆ ADHIBEANTVR. Quo verbo quid ſignificetur, difficile dictu eſt. nam Feſtus cùm Acerram dixiſſet eſſe aram, quæ ante mortuum poni ſolebat, in qua odores incendebantur: poſtea ſcribit, alios putare arculã eſſe thurariam, ſcilicet vbi thus reponebant. Vtcunque ſit, conſtat ex Seruio, ſolitos veteres aras ante ſepulcrum facere. Vnde illud Virgilij Æneid. iii. *& ingens*

Aggeritur tumulo tellus: ſtant manibus aræ
Cæruleis mœſtæ vittis, atráque cupreſſo

Et apud Ouid. lib. Triſt. iii.

Funeris ara mihi ferali cincta cupreſſo
Conuenit, & ſtructis flamma parata rogis.

Quare quod eſt apud Cicer. NEC ACERRÆ prætereantur, de aris potius accipiendum putarem: vt ſcilicet vetet lex, aras quæ proxime ſepulcra fierent, cum thure incenſiſq; odoribus obiri. præſertim cùm ita continuò pòſt apud Ouidum ſcriptum ſit:

Nec dare thura libet, nil exorantia diuos.

QVI CORONAM PARIT, IPSE, PECVNIAVE EIVS, VIRTVTIS ERGO AROVITOR, IPSIQVE MORTVO PARENTIBVSQVE EIVS DVM INTVS POSITVS ERIT, FORISQVE FERETVR, SINE FRAVDE IMPOSITA ESTO.

EXTAT hoc caput partim apud Plinium libr. xxi cap. iii. partim apud Ciceronem lib. De legibus ii. Nam Plinius quidem ſic: Semper, inquit, auctoritas vel ludicro quæſitarum coronarum fuit. namq; ad certamina in circũ per ludos & ipſi deſcendebãt, & ſeruos ſuos quiſq; mittebant. Inde illa xii. tab. lex: Qui coronã parit &c. Quã ſerui equiq; meruiſſent, pecunia partã lege dici, nemo dubitauit. Quis ergo honos? vt ipſi mortuo parentibúſq; eius dũ intus poſitus eſſet, foriſve ferretur, ſine fraude eſſet impoſita. Aliàs in vſu promiſcuo ne ludicræ quidem erant. Cicero verò eo, quem dixi, loco ita loquitur: Illa iam ſignificatio eſt, laudis ornamenta ad mortuos pertinere: quòd coronam virtute partam & ei qui peperiſſet, & eius parenti ſine fraude eſſe lex impoſitam iubet. Legis autem ſententia videtur eſſe hæc, vt qui in ludis certaminibúſque publicis coro-

nam adeptus ſit, quæ corona præmium erat victoribus bonoria cauſſa propoſitũ:ei monimentum iſtud, quaſi inſigne ſuæ virtutis, relinquetetur: vt cùm alij eiuea omnea vetẽtur cum longa corona ſpeliri, ipſe tamen atq; etiam parẽtes eius cum illa efferantur. nam illud verbum ARGVITOR ſic accipiendum puto, documentum illud ſuæ virtutis publicè habeto: corona illa ſit argumento & indicio ſuæ virtutis. Verba autem hæc IPSE PECVNIAVE EIVS: non ad verbum ARGVITOR referenda putarem: quia corona illa neque equis, neque ſeruis, vel viuis, vel mortuis dabatur: ſed ad verbum PARIT. quaſi dictum eſſet: ſi quis aut per ſe, aut per ſeruoa equóſve ſuos coronã adeptus ſit. quod ipſum perſpicuè Plinius oſtẽdit, cùm ita infert: Quã ſerui equiq; meruiſſent, pecunia partam lege dici, nemo dubitauit. Quibus ex verbia intelligitur, Pecuniæ nomine legẽ non equos tãtùm, ſed & ſeruos cõprehendiſſe. Ridiculum autem eſſe exiſtimare, legem ita ſcriptam fuiſſe, vt corona ei, qui eam peperiſſet, iámq; partã ſibi haberet, iterum daretur. Quanquã ne quare quidẽ victor donaretur, intelligi ſic poſſet. Hunc porro coronariũ honorem tanquam inuitamentum iuuentutis ad exercitationes armorum ludicras, priſcis illis tẽporibua, fuiſſe, apparet: cùm ludi illi veteres qui Romani ſiue Magni nominati ſunt committerẽtur: quos Liuiua lib. I. ſcribit à Tarquinio inſtitutos: Tum primùm, inquiens, circo, qui nũc maximus dicitur, deſignatua locus eſt: loca diuiſa patribua equitibúſq;. vbi ſpectacula ſibi quiſque facerẽt, Fori appellati. Spectauere furcis duodenoa ab terra ſpectacula alta ſuſtinentibua pedes. Ludicrum fuit, equi, pugiléſque ex Hetrutia maximè acciti: ſollemnes deinde annui mãſere ludi: Romani Magniq; variè appellati. Hæc Liuiua: cuius ex verbis exiſtimari poteſt, quod de pecunia lex dicit, id de equis & pugilibus illis accipiendum eſſe: vt quę corona parta ab illis eſſet, ea domino æquè ac ſi per ſe ipſe certendo eam peperiſſet, honorem illum conciliaret. De coronis igitur hactenus. Deincepa hæc nobis ex noſtris Cicero ſuppeditat legibus;

Vti plura funera ne vni fierent, néve lecti plures inferrentur.

SIc enim eodẽ loco diſſerit: Credóque, quod erat factitatũ vt vni plura fierẽt, lectiq; plures inferrentur, id quoq; ne fieret lege ſancitum eſſe. Quanquã de pluribus funeribus haud ſcio an quicquã hoc quidem capite repetitũ fuerit: cùm in illo ſuperiori, quo legi oſſa vetantur vt poſtea funus redintegretur, ſatis ea de re cautum videatur. Ciceronis tamen auctoritatẽ ſecuti ſumua, à quo quæ lex hoc loco de pluribua lectia profertur ad minuendos ſumptus, & mortuia & viuis inutiles, ſine dubio pertinet. Nã vt Seruius Honoratus tradit, apud maiores glorioſum fuerat quàmplurimis lectia efferri. Ac tenuis quidẽ fortunę homines capulis, ſiue feretris efferebantur: potẽtiores autem lectis. Itaq; Sylla ſex millia lectorũ habuiſſe dicitur. Et Auguſtus ad honorem Marcelli ſororis ſuæ Octauiæ filij ſexcentos lectos intrare ciuitatẽ iuſſit: & propinquioribua virilis ſexus hoc dabatur officium, vt feretro ſubirent, lectúmq; ferrent. Itaque Valeriua lib. IV. cap. I. ſcribit, Q. Metellum Macedonicum mortuo Scipione Africano, monuiſſe ſuos filios, vt funebri eius lecto humeros ſubiicerent, atque huic exſequiarum, illum vocis honorem adiecisse: Non fore vt poſtea id officium ab illis maiori viro præſtari poſſet. Deincepa apud Ciceronem legis inſequentis verba ſic exſtant:

NEVE AVRVM ADDITO: AST QVOI AVRO DENTES VINCTI ERVNT, IM CVM ILLO SEPELIRE, VRERE VE, SINE FRAVDE ESTO.

QVA in lege, inquit, cùm eſſet: Néve aurum addito: quàm humanè excipit altera lex: AST QVOI AVRO, &c. Et ſimul illud videto, aliud habitum eſſe ſepelire, & vrere. Vetat igitur lex ſepulchris aurum iniici, cùm apud antiquos conſuetudo ferret, vt in rogũ vnà cum mortuo pretioſa multa iniicerentur, id quod ex pleriſq; Virgilij locis, & Seruij in eum commẽtariis intelligitur. Ex huius autem legis inſtituto fluxiſſe vetus illa conſuetudo videtur, quam obiter attingit Plin. lib. XXXIII. c. I. vt morientibus annuli detraherentur. Vnde illud Suetonij de Tiberio: Nonnulli puluinum iniectum tradunt, cùm extractum ſibi deficienti annulum mox reſipiſcẽs requiſiſſet. Aurum tamen in lege excipitur, quo nonnulli dentes ſibi eburneos deuinciunt: qualis illa fuit Ægle de qua Martialis:

Sic dentata ſibi videtur Ægle
Emptis oſſibus, Indicóque cornu.

Hoc autem capite Decemuirorum noſtrorum, aut potius vniuerſi populi R. λεπτολογίαν admirari licet: qui in tãta grauiſſimarum legum paucitate, de re tamen tenuiſſima, & quæ rariſſimè vſu venit, ſanciendum aliquid putarunt: cùm tamen (vt Pomponius noſter admonet) iura conſtitui oporteat, ſicuti Theophraſtus dixit, in his quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidunt, non quæ ἐκ παραλόγου. niſi forte illud eſt, quod & Plutarchus & alij teſtantur, Romanos in rebus ad ſacra & religionem pertinentibua, quales Deorum manium fuerunt, mirabiliter anxios ad ſummam ſuperſtitionem fuiſſe. Atq; hæc quidem ita ſe habent. Nunc quæ de hoc ſepulcrorum iure legea apud Ciceronem ſuperſunt, conſideremus.

Vti ne rogum buſtúmve nouum propius L X. pedes adijci ædes alienas inuito domino, néve forum ſepulcri buſtúmve vſucapi liceret.

SIc enim eodem loco Cicero loquitur: Duæ ſunt præterea leges de ſepulcris: quarum altera priuatorum ædificiia, altera ipſis ſepulcris cauet. Nam quod rogum buſtúmve nouum vetat propius L X. pedes adiici ædes alienas inuito domino: incendium veretur acerbum. quod autem forum, id eſt, veſtibulum ſepulcri, buſtúmve vſucapi vetat, tuetur ius ſepulcrorum. Hæc habemus in Duodecim, ſanè ſecundum naturam: quæ norma legis eſt: reliqua ſunt in more, &c. Nunc legia ſententiam videamus. Pyra, inquit Seruius, eſt

ligoorum

lignorum congeries Rogus , cùm ardere cœ- A
perit dicitur: Buſtum verò , iam cauſtum voca-
tur. Similiter Feſtus: Buſtum, inquit, propriè di-
citur locus, in quo mortuus eſt combuſtus, & ſe-
pultus. dicitúrque Buſtum quaſi benè vſtum. V-
bi verò combuſtus quis tantummodo , alibi ve-
rò eſt ſepultus , is locus ab vrendo Vſtrina vo-
catur. Sed modò Buſtum eò quod ſepeliatur, ſe-
pulchra vocamus. Rectè Feſtus, & ad legem no-
ſtram (vt mihi quidem videtur) accommodatè.
Buſtum enim pro ſepulcro in quo humatus quis B
eſt, à lege vſurpari , vel hoc argumento eſt : pri-
mùm quòd cùm de loci interuallo caueat, aliud
eſſe Rogum demonſtret, aliud Buſtum. ſed illud
præcipuè , quod aliquantò pòſt Cicero ita ſcri-
bit: Pœnáque eſt, ſi quis Buſtum , (nam id puto
appellari τύμβον) violarit , deiecerit , fregerit.
Quòd cùm ita ſit, ſequitur vt aliud hæc lex de a-
gris, aliud de ædibus vicinis ſtatuerit. Nam de a-
gris exſtat in l. vl. D. finium regund. caput, quo ca-
uetur , vt tantum interualli inter ſepulchrum & C
vicini agrum relinquatur, quantum illud altum,
& in terram depreſſum eſt. Præterea conſtat ea
Siculo Flacco, moris fuiſſe, vt ſepulcra in extre-
mis agrorum finibus fierent: tametſi in locis ſa-
xoſis, inquit, & ſterilibus , etiam in mediis poſ-
ſeſſionibus ſepulcra fiãt. Patere igitur arbitror,
vbi ædificia ſunt , modum hunc à lege præſcri-
ptum fuiſſe , ne ſepulcra propius ſexaginta pe-
des adijcerentur inuito domino. præclarè. nam
vt in rogis incendium lex verebatur, quod Tul- D
lius annotauit : ſic in buſtis tetrum cadauerum
odorem & aëris peſtilentiam cauere oportuit.
Ac meo quidem iudicio hic modus eſt , quem
Pomponius Legitimum appellat in l. 3. D. de
mort. inf. cùm ita loquitur: Si propius ædes tuas
quis ædificet ſepulcrum , opus nouum te nun-
tiare poteris. Si propius ædificium alienum in-
tra legitimum modum mortuus illatus ſit , po-
ſtea eum prohibere non poterit ædificij domi-
nus , quo minus alium mortuum eò inferat , vel E
monimentũ ædificet, ſi ab initio domino ſcien-
te hoc fecerit. Quibus ex verbis ſimul intelli-
gimus, quamobrem lex addiderit NOVVM: quaſi
videlicet, vbi ſemel id paſſus quis ſit , tacitè iuri
ſuo renuntiaſſe videatur. Veriſimile eſt etiam
ad hunc legitimum modum legem illam Sem-
proniam & Iuliam de limitibus pertinuiſſe , de
qua mentio fit in Conſtitutione quadam Tibe-
rij Cæſ. quæ extat apud Frontinum : in qua de
legitimo ſepulcrorum interuallo mentio fit. De F
priore igitur legis capite hæc dicta ſint. Altero
capite lex cauet, ne forum ſepulcri buſtúmve v-
ſucapi liceat. qua in re ſepulcris (vt ait Cicero)
lex proſpexit. Feſtus autem antiquos , id forum
appellaſſe tradit , quod nunc veſtibulum ſepul-
cri dici ſolet. Ac de veſtibulo quidẽ ambitúque
ſepulcrorum legis ratio perſpicua eſt : vt ſcili-
cet poteſtas eſſet heredibus iuſta quotannis ad
ſepulcrum fieri. Qua de cauſſa etiam inſtitutum
legimus apud noſtros, vt dominis fundorum, in G
quibus ſepulcra fuerint, etiam poſt vẽditos fun-
docũ adeundorum ſepulcrorum ſit ius. Legibus
namque prædiorum vendendorum cauebatur,
vt ad ſepulcra quæ in fundis ſunt, iter ei, aditus,
ambitúſque funeris faciendi cauſſa ſit. l. 5. D. de
ſepulc. viol. Item apud Labeonem l. ſi merce-

dem, 53. D. de act. empt. Si eum fundum, inquit,
vendidiſti, in quo ſepulcrum habuiſti , nec no-
minatim tibi ſepulcrum excepiſti, parum tibi eo
nomine cautum habes. Paullus notat, Niſi in ſe-
pulcrum iter publicum tranſeat. Eóque illud
pertinet, quod Cicero in Orat. pro Sex. Roſcio
ſic ſcribit : Cui de tanto patrimonio ne iter qui-
dem ad ſepulcbrum patrium relictum eſt. Ad
hanc etiam legem reſpexit Imp. in l. locum, 9.
C. de religioſ. in qua ſanxit , agrum purum mo-
numento cohærentem , profani iuris eſſe: ideó-
que rectè venundari poſſe. ſcilicet, Cùm hæc lex
vetaret eum vſucapi , dubitarat quiſpiam an ne
vendi quidem eum liceret: quaſi omnem eius a-
lienationem lex prohibuiſſet : quod non ita eſſe
Imp. reſcribit: ſed rectè, & iure alienari: dum ta-
men eorum qui defunctorum manibus iuſta de-
bebant , ius integrum inuiolatúmque maneret.
De foro igitur ſepulcrorum facilis & expedita
legis ratio eſt: non eſſe permittendum illud vſu-
capi, ne religionis obeundæ, & iuſtorum perſol-
uendorum facultas heredibus adimatur. At de
buſtis ipſis quid dicemus? nam ſi buſtum hoc lo-
co pro ſepulcro ipſo dici putemus, quemadmo-
dum ſuperius factum eſt : temerè videtur lex ſe-
pulcris cauere: quæ per ſe ipſa ſua ſanctitate ſa-
tis munita ſunt. Locũ enim vbi mortui hominis
corpus conditum eſt, ſacrum eſſe, ſuperius dixi-
mus. Rerum autem ſacrarum nullam eſſe vſuca-
pionem , non magis quàm alterius modi acqui-
ſitionem, ſatis conſtat ex l. 4. & l. locum, 9. C. de
relig. Itaque Cicero Philipp. IX. Maiores, inquit,
noſtri ſtatuas multis decreuerunt: ſepulcra pau-
cis. Sed ſtatuæ intereunt, tempeſtate, vi, vetu-
ſtate : ſepulcrorum autem ſanctitas in ipſo ſolo
eſt , quod nulla vi moueri neque deleri poteſt.
Atque vt cætera exſtinguuntur, ſic ſepulcra ſan-
ctiora fiunt vetuſtate. Videndum igitur ecquid
huic quæſtioni ſatisfacere poſſimus, ſi dicamus,
Buſtum hoc loco propriè ac reſtrictè vſurpari:
nimirum pro loco in quo combuſtum cadauer
fuit. Quod eo mihi probabilius videtur , quia
cùm hoc loco Buſtũ dilucidè à ſepulcro diſtin-
guatur, demonſtratúrque aliud eſſe Buſtum , a-
liud ſepulchrum : neceſſe eſt vſucapionem hac
lege vetari, non tãtum ambitus ſepulcri, verum
etiã loci proximi , in quo crematus ſit mortuus.
Quemadmodum autem cauet hæc lex ſepulcris,
eorúmque ius contra vſucapionem tuetur: ſi ex
contrario Vlpianus docet in l. 4. D. de mort. inf.
nulla poſſeſſione quamuis longa , ius acquiri ei,
cui iure non competit. Hactenus quæ de ſacro-
rum iure & religionibus recuperari ex duode-
cim tabularum naufragio potuerũt , à nobis ex-
poſita ſunt. Sequitur, vt quę de publico iure paſ-
ſim apud auctores varios collegimus , ea dein-
ceps ordine deſcripta ac diſtributa propona-
mus. Eſt autem ius publicum, in quo totius po-
puli ſtatus reiq; publicæ ſumma verſatur: veluti
quod in legibus, iudiciis, ſecuritate ciuitatis, bel
lo ac pace poſitum eſt. Horũ enim quattuor ge-
nerum fragmenta quędã peruestigauimus ; quæ
eo ipſo quo propoſuimus ordine deſcribemus.
Nam ceteris quidem de rebus omnibus quæ ad
remp. pertinerent cautum in XII. tab. fuiſſe , vt
hæc L. Craſſi in primo de Oratore verba de-
monſtrant : ſiue quis ciuilem ſcientiam con-

tẽpletur, totam hanc deſcriptis omnib. ciuitatis vtilitatibus ac partibus, XII. contineri videbitis. Et quoniam ad ius ciuitatis ea iudicia pertinent, in quibus de capite ciuium Rom. agitur, idcirco quæ de capitalium rerum iudiciis ſancita ſunt, quæ étiam à noſtris in iuris publici partibus numerantur eo quoque in hanc ſecundam partem conferenda putauimus.

PARS SECVNDA, QVAE EST DE IVRE PVBLICO.

PRIVILEGIA NE IRROGANTO. DE CAPITE CIVILIS, NISI PER MAXIMVM COMITIATVM NE FERVNTO.

HAs duas leges ex XII. tab. noſtris Cic. in legũ ſuarum ordinẽ retulerit, li. De legib. III. de iiſq; áliquãtò poſt ita ſcribit: Tũ leges præclariſſimæ de XII tab. tral'atę duæ: quarum altera priuilegia tollit, altera de capite ciuis rogari, niſi maximo comitiatu, vetat: nondũ inuentis ſeditioſis Tribunis pl. In priuatos homines leges ferri noluerunt. Id eſt enim priuilegium: quo quid eſt iniuſtius? cùm legis hæc vis ſit, ſcitum eſſe & iuſſum in omnes: ferri de ſingulis, niſi centuriatis comitiis, noluerunt. Deſcriptus enim populus cenſu, ordinibus, ætatibus, plus adhibet ad ſuffragium conſilij, quàm fusè in Tribus conuocatus. Et in eandem ſententiam Agellius lib. x. cap. xx. Priuilegia dicta ſcribit quę de ſingulis concepta eſſent: quia veteres priua dixerunt quæ nos ſingula. Legem autem eſſe generale iuſſum populi, aut plebis. Huius autem legis teſtimonium quoque extat apud Cicer. in Orat. pro domo: Vetãt leges ſacratę, vetant XII. tab. leges priuatis hominib. irrogari: id eſt enim priuilegium. nihil eſt crudelius. nihil pernicioſius, nihil quod minus hæc ciuitas ferre poſſit. Item in ea pro Sextio: Cur cùm de capite ciuis, & de bonis proſcriptio ferretur, tum & ſacratis legibus, & XII. Tab. ſancitum eſſet, vt neque priuilegium irrogari liceret, neque de capite niſi comitijs centuriatis rogari, nulla vox eſt audita Conſulum? Et paullo poſt: Nihil de me actum eſſę iure, nihil more maiorum, nihil legibus: non poſſe quenquam de ciuitate tolli, ſine iudicio, de capite non modò ferri, ſed ne iuditari quidem poſſe, niſi comitiis centuriatis. Idem autem Athenienſium inſtitutum fuiſſe, patet ex Demoſth: Oratione contra Timocratem. in qua ſic loquitur: μηδὲ νόμον ἐξεῖναι ἐπ' ἀνδρὶ θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις: ψηφισαμένων μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις. id eſt, Neque de quoquam ferri legem licere, niſi quæ eadem in Athenienſes omnes feratur, non minus ſex ciuium millibus occultè ſuffragio iubentibus. Prioris capitis ratio ex Cicerone demonſtrata eſt. nam ſi æquitatis ſerendę cauſſa leges ſanciuntur, hoc eſt, vt ſummi cũ infimis pari iure retineantur: eæ demum habendæ leges ſunt, quæ cum omnibus ſemper vna atque eadem voce loquuntur. Repugnant autem, legem de quopiam propriè ac præcipuè rogari, & cum omnibus ciuibus vna atque eadem voce loqui. Alterius capitis æquitatem, id: in quoque ſuperius oſtendit: tùm vniuerſi populi grauius eſſe iudicium demonſtrat, quàm partiti: deſcriptúmque populum cenſu, ordinibus, ætatibus, plus adhibere ad ſuffragium cõſilij, quàm fusè in tribus conuocatum. Itaque moderata hæc populi iudicia vocabantur: de quibus verba Ciceronis in ea pro domo ſua hæc ſunt: Moderata populi iudicia ſunt à maioribus conſtituta: primùm vt ne pœna capitis cum pecunia coniungatur: deinde ne niſi prodicta die quis accuſetur: vt ter antè magiſtratus accuſet intermiſſa die, quàm multam irroget aut iudicet: quarta ſit accuſatio trinundinum prodicta die, qua die iudicium futurum ſit. Ex his igitur intellectũ eſt, & quàm vetus iſtud inſtitutum fuerit, vt populus centuriatis comitiis iudicaret: quæ, vt alibi Cicero ſcribit, maximè maiores iuſta dici haberique voluerunt: & quamobrem toties idem in Orationibus diſputet, nihil de ſe à Clodio lege actum fuiſſe, qui cùm capitis Ciceronem accuſaret, non centuriatis, ſed tributis comitiis legem tulerat. qua de re in III. De legib. ita ſcribit: Quo verius in cauſſa noſtra vir magni ingenij, ſummæque prudentiæ L. Cotta dicebat, nihil omnino actum eſſe de nobis. Præter enim quàm quòd illa eſſent armis geſta ciuilibus, prętere a neq; tributa capitis comitia rata eſſe poſſe, neq; vlla priuilegia: quocirca nihil nobis opus eſſe lege, de quibus nihil omnino actũ eſſet legibus. Simul etiam intelligi potuit, ridiculè à nonnullis dubitari, an priuilegia per maximũ conciliatum irrogari poſſent. cùm tam apertè Cicero ſic loquatur: Ferri de ſingulis, niſi maximo comitiatu, noluerunt. Itaque nemo vnquam dubitauit, quin rogatio quæ de Ciceronis reditu centuriatis Comitiis lata eſt, Priuilegium eſſet. Agellius autem hoc amplius, eo quem ſuperius diximus loco ita loquitur: Lex eſt generale iuſſum populi, quæ definitio ſi proba eſt, neque de imperio Cn. Pompeij, neque de cæde Clodij, leges vocari poſſunt. ſunt enim de ſingulis conceptæ: quocircà potius Priuilegia vocari debent.

Vt

Vt quodcunque poſtremum populus iuſſiſſet, id ius ratúmque eſſet.

EXTAT hæc apud Liuium lib. VII. vbi ſic ſcribitur: in ſecundo interregno orta contentio eſt: quòd duo patritij Conſules creabantur: intercedentibúſque Tribunis interrex Fabius aiebat, in XII. tab. legem eſſe, vt quodcunque poſtremum populus iuſſiſſet, id ius ratúmque eſſet, iuſſum populi & ſuffragia eſſe. Item lib. IX. Nam etſi tenuerit lex Æmilia eos Cēſores, quorum in magiſtratu lata eſſet: quia poſt illos Cenſores creatos eam legem populus iuſſiſſet, id ius ratúmque eſſet: non tamen &c. Et paulò poſt: Nemo eorū XII. tab. legit? nemo id ius eſſe, quod poſtremò populus iuſſiſſet, ſciuit? Imò verò omnes ſciuerunt. Ideo Æmiliæ potius legi paruerunt, quàm illi antiquæ, qua primùm Cenſores creati erant: quia hanc poſtremùm iuſſerat populus: & quia vbi duæ contrariæ leges ſunt, ſemper antiquæ obrogat noua. In eandem etiam ſententiam Cicero in Oratione pro Balbo dixit: Semper id eſſe, quod poſtremum populus iuſſerit, ratum. & in II. De inuent. In duabus, inquit, contrariis legibus vtra poſterius lata ſit, cōſiderare oportet: nam poſtrema quæque grauiſſima eſt. Vnde Modeſtinus in l. 4. D. de conſtit. princ. αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις, inquit, ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσίν. Legis autem ratio ſumma eſt: quoniam, vt in vetere prouerbio eſt, poſteriores cogitationes ſapientiores ſolent eſſe: & (vt Ariſtoteles lib. Polit. diſputat) cùm leges generaliter, omninóque ſanciendæ ſint: actiones autem ipſæ in rebus ſingulis verſentur, fieri non poteſt, quin leges interdum pro ratione actionum & Reip. mutatione, non etiam commutandæ ſint. quandoquidem ad Reſp. leges, non ad has illæ accommodandæ ſunt. Tametſi magnam in abrogandis legibus antiquis adhibendam eſſe cautionem conſtat. Vnde illud præclarum Thuriorum inſtitutum, de quo meminit Diodorus Sic. lib. XII. & Demoſt. in quadam Orat. Vt qui veterem legem abrogare vellet, laqueo ceruici circundato in concionem prodiret, nouámque ſuaderet: quam ſi populo non probaret, tum ei gula eodem laqueo frangeretur.

Vt ſi iudex, arbiterve iure datus pecuniam ob rem iudicandam accepiſſet, capite pœnas lueret.

HVIVS teſtimoniū exſtat apud Agell. lib. XX. cap. I. vbi de legibus XII. tab. diſſerens: Niſi, inquit, duram eſſe legem putes, quæ iudicem arbitrúmve iure datum, qui ob rem iudicandam (mendoſè vulgò legitur, Dicendam) pecuniam accepiſſe cōuictus eſt, capite punit. Abrogatam tamen hanc legem fuiſſe, vel ex eo intelligi poteſt, quòd de iudicibus qui litem ſuam faciunt, in libris noſtris conſtitutum eſt. Iudex, inquit, Vlpianus, litem ſuam facere intelligitur, cùm dolo malo in fraudem legis ſententiam dixit. Dolo malo videtur hoc facere, ſi euidens arguatur eius vel gratia, vel inimicitia: vel etiam ſordes. l. ſi filius fa. 15. D. de iudic. Litem autem ſuam facere iudex malè iudicando propterea dicitur, quia cauſſam eius ſecundum quem malè pronū- A tiauit, ſuſcipere cogitur, eámque quaſi ſuam defendere. Cicero in primo De orat. Quid ſi cùm pro altero dicas, litem tuam facias? &c. Pœna autem imprudentiæ arbitraria eſt, iudicantiſque poteſtati, ac prudentiæ permiſſa. l. 5. D. de obl. & act. §. 1. Inſt. de obl. quæ quaſi ex delict. At ſi largitione vel gratia inductus perperam iudicaſſet, Imp. Conſtantinus l. 2. C. de pœn. iudic. ſtatuit, vt & ſumptus litis reſtituat, & in litis æſtimationem damnetur. Platonis autem hac de re B lex in libro eius De legib. VIII. hæc exſtat: Ἐὰν δέ τις τῶν ἀρχόντων δοκῇ μετ' ἀδίκου γνώμης τιθέναι τὰς ζημίας, τῶν διπλασίων ὑπόδικος ἔστω τῷ βλαφθέντι. τὰ δ' αὖ τῶν ἀρχόντων ἀδικήματα, εἰς τὰ κοινὰ δικαστήρια ἐπανάγειν τὸν βουλόμενον ἑκάστων τῶν ἐγκλημάτων. Si quis è magiſtratibus iniquè ſententiam de multa tulerit, ei qui damnum paſſus erit, dupli teneatur. Denique ius eſto cuique iniurias ab iis qui in magiſtratu ſunt illatas, perſequi. Hæc Plato. Lege verò Iulia repetunda- C rum, vel exilij, vel grauior pœna conſtituta eſt: vti Paullus ſignificat in l. 7. D. illo tit. vbi ſcribit cautum lege fuiſſe, ne quis ob iudicem arbitrúmve dandum, mutandum, iubendúmve vt iudicet, néve quis ob hominem condemnandum, abſoluendúmve, néve ob litem æſtimandam, iudiciúmve capitis pecuniæve faciendum, vel non faciendum, aliquid acciperet. Quod ſi quis magiſtratus iudéxve quæſtionis ob capitalem cauſſam pecuniam acceperit, vt quis publi- D ca lege reus fieret, Martianus ſcribit eum lege Cornelia de ſicariis teneri. l. 1. D. illo tit. cuius pœna eſt, in inſulam deportatio, & omnium bonorum ademptio. l. 3. eodem. Neque verò prætermittēdum illud eſt, quod traditur in l. 2. & l. 3. D. de cond. ob turp. eum qui iudici pecuniam dedit vt ſecundum ſe in bona cauſſa pronuntiaret, condictionem quidem Iupiter dati habere: ſed tamen crimen contrahere, quòd iudicem corrumpat: atque idcirco litem perdere. Vbi au- E tem pecunia vt malè iudicetur, data eſt, condictionem nos dari.

Vt qui falſum teſtimonium dixiſſet, è Saxo Tarpeio deiiceretur.

HVIVS quoque teſtis eſt eodem loco Agellius, vbi ſic loquitur: An putas, Phauorine, ſi non illa etiam Legis XII. tab. de teſtimoniis F falſis pœna obſoleuiſſet, & ſi nūc quoque, vt antea, qui falſum teſtimonium dixiſſe conuictus eſſet, è Saxo Tarpeio deiiceretur, mentituros fuiſſe pro teſtimonio tam multos, quàm videmus? Ac de Tarpeio quidem Saxo, vnde quorūdam criminum damnati deiiciebātur, poſterius (vt ſpero) quodam loco dicetur. Legem autem hanc abrogatam poſtea fuiſſe, primùm ex eo cōſtat, quod noſtri ſignificant in l. 1. & l. Lucius, 21. D. qui nõt. infam. eos qui falſi teſtimonij con- G uicti fuerunt, inter infames haberi. Deinde ex eo quod Martianus ſcribit in l. 1. D. ad leg. Cornel. de ſicar. eum qui falſum teſtimonium dolo malo dixerit, quo quis rei capitalis dānaretur, ea lege teneri: cuius pœna eſt inſulæ deportatio, & omnium bonorum ademptio. l. 3. in fi. eod. Quin & idem Martianus l. 1. D. ad leg. Cornel. de falſ.

teſtatur, eum qui ob non dicendum, vel dicendum teſtimonium pecuniam acceperit, quive in rationibus, tabulis, cerisve, vel alia qua re ſine conſignatione falſum fecerit, quive ob falſas teſtationes faciendas, teſtimonia've falſa inſpicienda, dolo malo coierit, lege Cornelia de falſis teneri: hoc eſt, deportatione, & omnium bonorum publicatione. Platonis autem lex in libro eius De legibus XI. hæc extat: vt qui ter falſum teſtimonium dixerit, publico iudicio teneatur: & conuictus capite multetur. Ex quo animaduertere licet, verum eſſe quod Cicero in Orat. pro Fonteio, & altera pro Flacco diſputat, Græcis non æquè ſanctam teſtimoniorum fidem ac Romanis fuiſſe. quorum de ſingularium teſtimoniis dicendis fide ac pudore, memoratu dignum eſt quod idem in lib. Academ. II. his verbis ſcribit: Maiorum hæc fuit diligentia: voluerũt eum qui teſtimonium diceret, ARBITRARI ſe dicere, etiã quod ipſe vidiſſet. Et in Fõteiana: Primùm, inquit, illud verbum conſideratiſſimum noſtræ conſuetudinis ARBITROR, quo nos etiam tunc vtimur, cùm ea dicimus iurati quæ comperta habemus, quæ ipſi videmus, ex toto teſtimonio ſuſtulit.

Ne quis hominem indemnatum occideret, hominiſve occidendi cauſſa cum telo eſſet.

HVius legis auctorem habemus Ciceronem in Orat. quam pro Milone dixit: vbi ſic loquitur: Etſi perſapienter & quodammodo tacitè dat ipſa lex poteſtatem defendendi, quæ non modò hominem occidi, ſed eſſe cum telo hominis occidendi cauſſa, vetat: vt cùm cauſſa, non telum quæreretur, qui ſui defendendi cauſſa telo eſſet vſus non hominis occidendi cauſſa habuiſſe telum iudicaretur. Legem autem XII. tab. intelligendam, illud primùm argumento eſt, quòd eam paucis antè verſibus nominat. Deinde quòd legis appellatione XII. tabulas intelligi nemini mediocriter in hoc literarum genere verſato, ignotum eſt. Huc accedit, quod illa nobilis Caij doctrina de Teli ſignificatione in l. ſi caluitur, 233. De verb. ſignif. deſcripta eſt ex ipſius libro ad leges XII. tab. primo. Saturninus l. aut facta, 16. §. euẽtus. D. de pœn. lex eum qui occidendi hominis cauſſa cum telo fuerit, quàm eum qui occiderit, punit. nam hoc ad legem Corneliam de ſicariis pertinere, patet ex l. 7. C. de ſicar. Neque verò exiſtimandum eſt, ſi Corneliã legem Cicero ſignificaſſet (qua Martianus noſter ſcribit in l. 1. D. de ſic. vetitum fuiſſe, ne quis hominis occidendi cauſſa cum telo ambularet:) non eam ſuo nomine appellaturum fuiſſe: vt alibi ſemper conſueuit. Præterea conſtat ex Plauti Aulul. quæ lõgo ante Syllam tempore ſcripta eſt, ius hoc Romæ fuiſſe, ne quis cum telo eſſet. Nam Euclio Congrionem coquum alloquẽs: *ad tres viros*, inquit, *iam ego deferam tuum nomen c. quamobrem? E. quia cultrum habes c. coquum decet.* Sed prioris quidem partis de indemnatis occidendis teſtimonium habemus certiſſimum apud Saluianũ Maſſilienſium Epiſcopum in lib. de iudicio & prouid. VIII. vbi ſic ſcribit: Interfici, inquit, indemnatum quemcunque hominem, etiam XII. tab. decreta vetuerunt. Indéque veteres illæ diſceptationes de Gracchorũ, L. Saturnini, P. Clodij &

A aliorum cædibus: Ne ſceleratiſſimum quidem ciuẽ ſine iudicio iure vllo necari potuiſſe. quod idem & regnãte Romulo de Horatio Sororicida, quæſitum eſt. Legis autem æquitas in promptu eſt: ne ſi quemuis ſceleris manifeſtum occidi ſine iudicio liceret, feneſtra audacibus ac facinoroſis hominibus ad cædes pro libidine faciendas aperiretur. Hanc autem Lacedæmoniorum quoque legem fuiſſe. Valerius lib. VII. cap. II. teſtatur: vbi narrat Ageſilaũ cùm ortam cõ-
B ſpirationem quandam ſenſiſſet, leges Lycurgi: quæ de indemnatis ſumi ſupplicium vetabant, abrogaſſe: comprehenſis autem & interfectis ſontibus, eaſdem continuò reſtituiſſe. Scitum eſt autem quòd Cicero in illo Milonianæ loco ita ratiocinatur: cùm lex vetat eſſe cum telo occidendi cauſſa, eãdem tacitè permittere, eſſe cum telo ſui defendẽdi cauſſa. Locus enim eſt ex cõtrariis cuius hoc ſummum præceptum eſt, vt contrariorum contraria ſint conſequẽtia. Similiter at-
C que in Orat. pro Balbo: Si exceptio facit, ne liceat: ibi neceſſe eſt licere, vbi non eſt exceptum. Quod verò paullò ante Cicero de altera XII. tab. noſtrarum lege diſputarat, quę quaſi contra legis huius interdictum, nocturnum furem quoquo modo: diurnum autem ſi ſe telo defenderet, interfici impune volebat: de ea re ſub capite de furtis explicatum, atque ei quæſtioni ſatisfactũ eſt. Ad hanc autem poſteriorem legis partem illud Ciceronis pertinet ex orat. pro C. Rabirio: Niſi
D verò intereſſe aliquid putas inter eum qui hominem occidit, & eum qui cum telo occidendi hominis cauſſa fuit. Eſſe autem cum huiuſmodi telo, eſt arma hominis occidendi cauſſa ſumere, & eum ferro atque armis inſectari. Hoc autem caput poſtea lege Cornelia de ſicariis renouatum eſt.

Ne quis in vrbe cœtus nocturnos agitaret.

E EXTAT hæc in declamat. Portij Latronis contra Catilinam, in qua ſcriptum ita eſt: Primùm XII. tab. cautum eſſe ſcimus, ne quis in vrbe cœtus nocturnos agitaret: deinde lege Gabinia promulgatum, qui conciones vllas clandeſtinas in vrbe conflauiſſet, more maiorũ capitali ſupplicio multaretur. De re itaque Catilina ſciſcitor, tu'ne cœtus illos commilitonum tuorum contra præcepta XII. tab. contra leges noſtras, cõtra ſenatus ac plebis auctoritatem, noctu cogendos eſſe putauiſti? Eodem, vt credi par eſt, illa Cõ-
F ſulis oratio pertinet, apud Liuium libr. XXXIX. in qua de Bacchanalibus compertis agens: Maiores veſtri, inquit, ne nos quidem niſi cùm aut vexillo in arce poſito comitiorum cauſſa exercitus eductus eſſet, aut plebi concilium Tribuni edixiſſent, aut aliquis è magiſtratibus ad cõcionẽ vocaſſet, forte temere coire voluerunt: & vbicunq; multitudo eſſet, ibi & legitimum rectorem multitudinis cenſebant debere eſſe. quales primùm nocturnos cœtus, deinde promiſcuos mulierum
G ac virorum, &c. Clandeſtinas igitur coitiones lex vetat, quippe quæ facinoroſis hominibus facultatem aliquid contra Rempub. audendi præbeant. quemadmodum Mænander ſcribit, τὴν νύκτα τῶν πολλῶν κακῶν ἀρχηγόν. Quòd ſi communiter Reipub. conſulendum eſt, & legitimũ multitudinis rectorem adhiberi, & tẽpeſtiuos cœtus celebra-

celebrari publicæ ſecuritatis ratio poſtulat. Itaque intempeſtam, noctem veteres appellabant, vt Varro ſcribit, quia tempus agendi nullum erat. Inde inſtitutũ, vt nulla neque ante ſolis exortum, neq; poſt ſolis occaſum Senatuſcõſulta fierẽt. Inde etiam altera illa lex in has noſtras tabulas relata, de qua poſterius diſſeremus: SOL OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO.

Vt ſi quis hoſtem concitaſſet, ciuem've hoſti tradidiſſet, capite pœnas lueret.

HVIVS teſtis eſt Martianus in l. 3. D. ad legem Iul. maieſt. vbi ſic ſcribit: Lex XII. tab. iubet eum qui hoſtem concitauerit, qui've ciuem hoſti tradiderit, capite puniri. Citatur etiam à nonnullis, teſtis huius capitis Polybius lib. V. Sed in iis Polybij qui quidem exſtant, adhuc nihil eiuſmodi reperire potui. Quid ſit autem Hoſtem concitare, nondum ſatis exploratè conſtituere potui: niſi fortè illud ſit extra ordinem in hoſtem pugnare. quod capite ſancitum fuiſſe, vel ex A. Poſtumij Dictatoris in filium animaduerſione illa nobili: vel ex ſimili T. Manlij Conſulis facto exiſtimare licet: quorum vterque filium ſuum quòd extra ordinem cum hoſte pugnauerat, ſecuri percuſſit. quemadmodum tradunt Diodorus Sicul. lib. XII. Liuius lib. IIII. & VIII. Valer. Max. lib. II. cap. II. A. Gell. lib. IX. ca. XIII. & lib. XVII. cap. XXI. Videndum etiam an Hoſtem concitare illud ſit, quod Scæuola in lege inſequenti ſub ead. Rubr. dixit, Hoſtes ex amicis populi R. facere: quod maieſtatis crimen fuiſſe teſtatur, cùm ſcilicet belli cauſſam aliquis dediſſet. quanquam eum qui legatum pulſaſſet, Q. Mutius dedi hoſtibus vtilius eſſe ſolitus eſt reſpondere: vt ait Pompon. l. vlt. D. de legatio. Hinc Varro in vita populi R. Si cuius, inquit, legati violati eſſent, qui id feciſſent quamuis nobiles eſſent vt dederentur ciuitati, ſtatuerunt: Fecialéſque XX. qui de his rebus cognoſcerent, iudicarent, & ſtatuerent, conſtituerunt. Quin & Verrina VII. Cicero perſpicuè ſignificat fuiſſe iuris, vt qui fœdus violarant, iis qui affecti iniuria fuerant, dederentur. Illud fortaſſe ad hoc caput pertinuit, quod ex Caij libro ad legem XII. tab. ſecundo traditur in l. 234. D. de verb. ſign. Quos nos hoſtes appellamus, eos veteres Perduelles appellabant: per eam adiectionem indicantes cum quibus bellum eſſet.

Vt qui ædes alienas, aceruúm've frumenti iuxta ædes poſitum dolo malo conbuſſiſſet, vinctus, verberatus, igni necaretur: at ſi caſu feciſſet noxiam ſarciret: Prætoris've arbitratu caſtigaretur.

HVIVS exſtat teſtimonium apud Caium in l. qui ædes, 9. D. de incend. ruin. quam ex Caij libro ad leges XII. tab. quarto deſcriptam eſſe, inſcriptio declarat. In quam ſententiam illud eſt Calliſtrati in l. Capitalium, 28. §. 10. D. de pœn. Incendiarios capite puniri, qui ob inimicitiam, vel prædæ cauſſa intra oppidum incenderunt: & plerunque viuos exuri: qui verò caſam aut villam, aliquanto lenius. At fortuita incendia ſi cùm vitari poſſent, per negligentiam eorum apud quos orta ſunt, damno vicinis fue-

A runt, ciuiliter exerceri: vt qui iactura affectus eſt, damnum recuperet. Similiter Paullus in lib. Sent. V. cap. III. Incendiarij, inquit, qui conſultò incendium inferunt, ſummo ſupplicio afficiuntur. quod ſi per incuriam eorum euaſerit, dupli compendio damnum eiuſmodi ſarciri placuit.

QVI FRVGES EXCANTASSIT. ** QVI MALVM CARMEN INCANTASSIT. *

B ** NE'VE ALIENAM SEGETEM PELLEXERIS.

DVARVM priorum auctorem habemus Plin. lib. XXVIII. cap. II. vbi de verbis & incantamentis carminum diſſerens, quorum vim aliquã eſſe diſputat: Quid, inquit, nõ & legum ipſarum in XII. tab. verba ſunt? QVI FRVGES EXCANTASSIT. Et alibi: QVI MALVM CARMEN INCANTASSIT. Item lib. XXX. cap. I. C De magica factione loquens: Exſtant, inquit, & apud Italas gentes veſtigia eius In XII. tab. noſtris aliíſque argumentis &c. De primo quoque apud Senecam teſtimonium extat in lib. Natural. quæſt. IIII. vbi ſic loquitur: Apud noſtri ait, tabul. cauetur, ne quis alienos fructus excantaſſit. Rudis adhuc antiquitas credebat, & attrahẽ imbres cantibus, & repelli: quorum nihil poſſe fieri, tam palam eſt, vt huius rei cauſſa nullius philoſophi ſchola introcunda ſit. Tertium an- D tem caput extat apud Seruium in Æglog. Virgil. VIII.

Atque ſatas alio vidi traducere meſſes.

Magicis, inquit, quibuſdam artibus hoc fiebat. Vnde eſt in XII. tab. NE'VE ALIENAM SEGETEM PELLEXERIS. Quin & Auguſtinus lib. De ciuitate Dei VIII. Illud etiam, inquit, quod alio loco de his artibus dicit: *Atque ſatas aliò vidi traducere meſſes*: eò quòd hæc peſtifera, ſceleratáque doctrina fructus alieni in alias ter- E ras transferri perhibentur, nónne in XII. tabulis id eſt, Romanorum antiquiſſimus legibus, Cicero commemorat eſſe conſcriptum, & ei quĩ hoc feceerit ſupplicium conſtitutum? Item Apuleius in Apologia: Magia iſta, quantum ego audio, res eſt legibus delegata, iam inde antiquitus XII. tabulis propter incredundas frugum illecebras interdicta. Ex his igitur innumeríſque aliis teſtimoniis conſtat, partem hanc vnam magicæ artis fuiſſe, vt carminibus, id eſt, certis con- F ceptíſque verborum formulis, vel hominibus pernicies, vel agris calamitas inferretur. Has Græci ἐπῳδὰς, Cicero cautiones appellat, vt in Bruto: Cùm ego pro Titinia Cottæ perorauiſſem, Curio contra me diceret, ſubito totã cauſſam oblitus eſt: idque veneficiis & cantionibus Titiniæ factũ eſſe dicebat. Ad hanc quoque legem illud Tibulli pertinet lib. I. elegia VII. *Cantus vicinis fruges traducit ab agris.: Cantus & iratæ detinet ſanguis iter.* Et de hac ipſa mentio G eſt in Nouella, Leonis LXV. vbi θεραπείαν τῶν ἐπιρρημάτων καὶ καρπῶν hanc appellat. Huius eiuſdem generis illæ Diræ fuerunt, de quibus & Cicero in primo De diuinat. & Plutarchus in Craſſi vita commemorant: vnde intelligitur, arcanas quaſdam & vetuſtas execrationes fuiſſe, quarum ea vis foret, vt cui ſemel obnunciarentur, nun-

quam exitium perniciémque viraret. Quin & in ipſius obnunciantis caput, exitium ipſum redundare ſolitum: ob eámque cauſſam raró admodũ iis Romanos vſos fuiſſe. Seruius autem Honoratus tradit, Diras in cælo, Furias in terris, Eumenides in inferis fuiſſe. Facit autem & Plato incantationum mentionem in Charmide, itémque in Euthydemo, quibus viperarum & ſcorpionum morſibus remedium adhibetur. Quin & Cato in lib. de re ruſtic. luxum his verbis excantari docet: S. F. Molas Væta Daries Dardaries Aſtataries Diſſuoapite: & aliis quibuſdã. Vlpianus autem in l. 1. D. de extraord. cogn. genus hoc medicinæ repudiat, Cùm quis, inquit, incantauit, cùm imprecatus eſt, cùm, vt vulgari impoſtorum vtar verbo, exorciſauit. non enim ſunt iſta medicinæ genera, tametſi ſint qui hos ſibi profuiſſe, cum predicatione affirment. Eiuſmodi exorciſtarum (id eſt, qui abiurabant, ſiue execrabantur) meminit Lucas in Act. Apoſt. cap. xix. vbi de præſtigiatoribus quibuſdã loquitur, qui profitebantur ſe pronuntiato Chriſti nomine poſſe Dæmonas expellere. Denique extant Conſtãtini leges aliquot lib. Cod. ix. tit. De maleficis & Mathemat. quibus magorum & eorum qui magicis carminibus aſſueti ſunt, artes præſtigiæque omnes capitali ſupplicio damnantur.

Vti ſanatibus idem iuris eſſet, quod fort ius.

EXTANT hæc apud Feſtum in voce Senates: vbi ſic ſcribit: Senates dicti ſunt, qui ſupra infráque Romam habitauerunt. quod nomen his fuit, quia cùm defeciſſent à Romanis, breui pòſt redierunt in amicitiam, quaſi ſanata mente. Itaque in xii. cautum eſt, vt idem iuris eſſet ſanatibus, quod fortibus id eſt, bonis, & qui nun-

A quam defecerant à populo R. Legis æquitas perſpicua eſt, vt ij ſcilicet, qui benignitatem populi R. experti eſſent, conſtántes deinceps in fide atque ipſius maieſtate comiter tuenda permanerent: tum vt reliqui hoc tanquam inuitamento ad populi R. ſocietatem atque amicitiam allicerentur. Hanc tamen legem poſtea Æbutia lege abrogatam, teſtis eſt Agellius libr. xvi.
B capit. x. Eóque pertinere videntur, quæ Siculus Flaccus initio libri ſui De condit. agror. ita ſcribit: Quidam, inquit, populi pertinaciter aduerſus Romanos bella geſſerunt: quidam experti virtutem eorum, ſeruauerunt pacem: quidam cognita fide & iuſtitia eorum, ſe eis addixerunt, & frequenter aduerſus hoſtes eorum arma intulerunt. Leges itaque pro ſuo quiſque merito acceperunt: neque enim erat iuſtum, vt his qui toties admiſſo periurio rupere pacem,
C ac bellum intulere Romanis, idem præſtari quod fidelibus populis. Adhuc quæ de Sacrorum quæque item de publico recuperari ex xii. tabularum interitu potuerunt, omnia protulimus. Conſequens eſt vt ad poſtremam Tripartitæ noſtræ commentationis partem accedamus: & ea quæ de priuato iure, hoc eſt, quæ ad rerum priuatarum iudicia pertinent, variis in locis obruta peruestigauimus, vetere inſtituto noſtro legitimóque ordine proferamus. Nam cùm omne ius priuatum eò pertineat, vt intel-
D ligamus quibus ex rebus priuatarum rerum iudicia conſtent, conſentaneum eſt primo loco de perſonis litigatorum, quaſi cauſſa efficiente: altero de rebus & obligationibus, quaſi litium materia: poſtremò de actionibus, id eſt litigandi formulis diſſerere.

DE

TERTIA PARS, QVAE EST DE IVRE PRIVATO.

*Vti qui ex patre, mâtréque familias eius naſce-
retur, in patrisfamilias ſui manu, poteſtate,
mancipióque eſſet: haberétque paterfamilias ius
in eum vitæ ac necis, térque filium venundandi
poteſtatem.*

ATSI TER FILIVM PATER VENVN-
DARIT FILIVS A PATRE LIBER
ESTO. *Vtique filia cæterique liberi vna man-
cipatione liberarentur.*

LEGIS bnius pæcipuum
auctorê habemus Dio-
nyſium lib. II: vbi cùm
dixiſſet, Romulom ius
vitæ ac necis patribus-
fam. in liberos ſuos de-
diſſe, permiſiſſéque po-
teſtatem vinculis illos,
verberibus, morte deni-
que multandi: térqne filios venundandi: tum
continuò adſcribit, eam legem à Decemuiris,
qui ſcribendis legibus præfuerant, in XII. tab. re-
latam fuiſſe: ſuóque tempore in quarta tabula
extitiſſe. Atque hoc nimitum ipſum eſt, quod
Iuſtinianns ſcribit; §. primo, Inſt. de pat. pot.
Ius poteſtatis qnod in liberos habemus, pro-
prinm eſſe ciuium R. nullos enim alios eſſe
homines, qui talem in liberos poteſtatem
habeant. nam (vt eodem loco Dionyſius te-
ſtatur) gentes aliæ omnes modum patriæ po-
teſtati aliquem ſtatuerunt: at Romani in omne
vitæ filiorum tempus eam produxerunt: etiamſi
Rempubl. gererent, magiſtratúſque ſummos
obtinerent. Vnde illud de C. Flaminio, apud
Ciceronem in II. De inuentione, qui cùm Tri-
bunus pleb. eſſet, & ex roſtris concionem ad
populnm haberet, vi à patre de eo templo
deiectus eſt. Ac de iure quidē vitæ & necis in li-
beros, teſtimoniū etiam apud noſtros exſtat in
l. in ſuis, 11. D. de lib. & poſtu. l. vlt. C. de patr.
poteſt. Apud alios autem complura exſtant: ſed
duob. contenti erimus, quæ Salluſtius in Catili-
nario proculit. Apud maiores noſtros, inquit, A.
Maulius Torquatus, bello Gallico, filium ſuum,
quod is contra imperium in hoſtē pugnauerat,
necari iuſſit. Et multo ſuperius: Fuere extra con-
iurationem complures, qui ad Catilinam initio
profecti ſunt, in his erat Fuluius ſenatoris filius,
quem retractum ex itinere parens necari iuſſit.
Sed huius ſummi in liberos imperij pars il-
ls nequaquam prætermittenda eſt, qua infan-
tes recens natos & ſanguinolentos vel necare
vel exponere licuit, vt vel prætereuntib. ſuſci-
perentur, vel inedia perirent. qua de re exſtant
Tertulliani qnerelæ in Apologetico cap. 9. Sed
quoniam de infanticidio nihil intereſt, ſacro

A an arbitrio perpetretur, licet patricidium ho-
micidio interſit, conuertar ad populum. Quot
vultis ex his circumſtātib. & in Chriſtianorū ſan-
guinem hiātibus, ex ipſis etiā vobis iuſtiſſimis &
ſeueriſſimis in nos Præſidibus apud conſcientias
pulſem, qui natos ſibi liberos euectent? Siquidē
& de genere necis differt, vtique crudelius in a-
qua ſpiritum extorqueris, aut frigori & fami &
canib. exponitis. ferro enim mori ætas quoque
major optabit. Nobis verò homicidio ſemper in-
terdicto, etiam conceptū vtero, dum adhuc ſan-
B guis in hominem delibatur diſſoluere non licet.
homicidij feſtinatio eſt prohibere naſci. Nec re-
fert natam quis repetiat animam, an naſcentem
diſturbet. homo eſt, & qui eſt futurus: etiam fru-
ctus omnis iam in ſemine eſt. Et apud Lactātium
de vero cultu lib. VI. Ergò ne illud quidem con-
cedi aliquis exiſtimet, vt recentes natos liceat
oblidere, quæ vel maxima eſt impietas ad vitam
enim Deus inſpirat animas, non ad mortem. Ve-
rùm homines ne quod ſic facinus, quò manus
C ſnas non polluant, rudibus adhuc & ſimplicib. a-
nimis abnegant lucē non à ſe datam. Exſpectet
verò aliquis, vt alieno ſanguini parcant, qui non
parcunt ſuo. ſed hi ſine vlla controuerſia ſcele-
rati & iniuſti. Quid illi quos falſa pietas cogit ex-
ponere non poſſunt innocentes exiſtimari, qui
viſcera ſua in prædam canibus obiiciunt, & quā-
tum in ipſis eſt, crudelius necāt, quàm ſi ſtrangu-
laſſent. Item: Tam igitur nefarium eſt exponere,
quàm necare. At enim parricidæ facultatum an-
D guſtias conqueruntur, nec ſe plurib. liberis edu-
candis ſufficere poſſe prætendāt. Quāquam hoc
loco quæſtio exoritur. nam Vlpianus in l. patre,
8. D. de bis qui ſunt ſui vel alien. dilucidè ſcribit,
Ius hoc patriæ poteſtatis moribus eſſe receptum.
Verùm ex illo eodem Dionyſij loco nodus hic
expeditur: vbi poteſtatem hanc moribus qui-
dem receptam fuiſſe ait, Romuli tamen lege &
XII. tab. ſancitam, atqne conſtitutam. Deinceps
legis verba conſideremus. Ait lex: QVI EX PA-
E TRE MATRE'QVE FAMILIAS eius: quæ
verba ex arrogationis formula, quam ex Agellio
proximo capite deſcribemus, ſumpta ſunt. Qui
verò pater mater've familias dicatur, explicabi-
mos nec ita multo poſt. Illud interea nihil eſt in-
commodi ex Vlpiano deſcribere: Iure proprio
familiā dici plures perſonas, quæ ſunt ſub vnius
poteſtate vtputa patremfa. matremfa. filiumfa.
filiamfa. quiq; deinceps vicē eorum ſequuntur:
F vtputa nepotes, & neptes, & deinceps. patrem
autem familias appellari, qui in domo dominium
habet. l. pronunciatio, 195. D. de verb. ſignif.
Ergo hęc verba ſic accipienda ſunt, quaſi dictum
eſſet, Qui ex iuxta vxore. Nam (vt Iuſtin. ait,) in
poteſtate noſtra ſunt ij demum liberi, quos ex
iuſtis nuptijs procreauimus. §. 1. de pat. pot. §. vlt.

de nupt. Ait lex: MANV, POTESTATE, MANCIPIO. quæ tria coniunctim coaceruata ſunt, vt ſummum illud & infinitum ius patriæ p teſtatis, quod pluribus à Dionyſio verbis explicatur, intelligeremus. Vlpianus autem in Regul. Manum, propriè ac præcipuè ad matresfa: Poteſtatem, ad filiosfa. Mancipium, ad ſeruos refert: vt ex IX. & X. capitis inſcriptione intelligitur. Cùm autem vniuerſa hæc tria poteſtatis geoera patrio imperio ac dominatu contineantur, coniunctim omnia in hoc legis caput referenda putauimus. De iure autem vitæ ac necis ſatis ſuperius dictum arbitramur. Iam quod aſcriptum eſt, TER'QVE FILIVM VENVNDANDI, &c. huius partis teſtem habemus eodem loco Dionyſium, qui etiam illud aſcribit, maiorem hac lege patribus in filios, quàm heris in ſeruos, poteſtatem permiſſam eſſe. Seruum enim ſemel venditum ſi à nouo domino manumitteretur, ſui iuris effici: at filium non prius ſuæ poteſtatis fieri, quam ter à patre ſuo venditus, ter à ſuis dominis manumiſſus fuerit. Quo tamen loco dubitatio exoritur, ecquidnam illud ſit, quod Conſtantinus in l. vlt. C. de pat. pot. ſcribat: Libertati à maioribus tantum impenſum eſſe, vt patribus quibus ius vitæ in liberos necíſque poteſtas olim permiſſa erat, ius non eſſet libertatem iis eripere. Quare videamus, ne ius quidem illud ſub Regibus valuerit, quod etiam Dionyſius teſtatur: ſed iis exactis, conſtitutáque libertate, ciuilique iure ad XII. tabul. à Iuriſconſultis accommodato, ſpecies tantùm & vmbra retenta ſit: & ad ſolam vetuſtatis vſurpationem imaginaria illa venditio, quam Emancipationem appellamus, introducta: à qua quidem coniectura Dionyſij verba non abhurrent; qui Decemuiros ſcribit, eam legem, quippe veterem, & per annos trecentos obſeruatam, non eſſe auſos tollere: ſed in XII. tab. retuliſſe: vt Conſtantinus Maiorum verbo, tempus quod poſt XII. tab. fuit, ſignificet. Quod tamen ita accipiendum putarem, niſi liberi exteris vendecentur. cuius rei coniecturam ex duobus Ciceronis locis fecimus: quorum alter eſt in libro de oratore primo, his verbis: Memoria enim proditum eſt, quem pater ſuus, aut populus vendidiſſet, ei nullum eſſe poſtliminium. Alter locus eſt in orat. pro Cæcina: Quid quem pater patratus dedidit, aut ſuus pater, populúſve vendidit, quo is iure amittit ciuitatem? *Si pater*(ter) vendidit eum quem in ſuam poteſtatem ſuſceperat, ex poteſtate dimittit. Sic enim legendum arbitror hoc loco. Et mox: Quod ſi maximè iiſce rebus adimi libertas aut ciuitas poteſt: &c. Quod autem nonnulli verba Conſtantini ſic interpretarur, quaſi hoc vnum ſignificaſſet, non licuiſſe patribus filios in ſuam ſeruitutem redigere: videamus ne nimis coactum ſit: cum generaliter & indefinitè Conſtantinus dixerit, non licuiſſe libertatem eripere: quaſi diceret, quoquo modo, ſiue ſua ſiue alterius cauſſa vellent eripere. Libertatem autem pro ingenuitate hoc loco dictam fuiſſe, abſurdum eſt exiſtimare: cùm ſi libertas eriperetur, manere ingenuitas non poſſet. nam quod Paullus lib. Sent. V. cap. I. ſcribit, eos qui extremæ neceſſitatis, aut alimentorum cauſſa ſuos liberos vendunt, eorum inge-

A nuitati non præiudicare, ad ea tempora referendum eſt, quibus venditos liberos redimendi facultas introducta eſt: hoc eſt, ad poſteriorem Cæſarum ætatem, à quibus inſtitutum illud fuiſſe, nemo ignorat. Iam quod in lege ſequitur: SI TER FILIVM &c. auctorem habet Vlpianum, cuius verba tit. regul. X. hæc ſunt: Liberi, parentum poteſtate liberantur, emancipatione: id eſt, ſi poſtea quam mancipati fuerint, manumiſſi ſint. ſed filius qui-

B dem ter mancipatus, ter manumiſſus, ſui iuris fit. Id enim lex XII. tab. iubet his verbis: SI PATER &c. Atque hæc quidem, vt dixi, Romuli lege, trecentorúmque annorum ſpatio verè vſurpata ſunt. Poſteris verò temporibus aſperitas illa iure ciuili, hoc eſt, Iuriſconſultorum inſtituto ſublata eſt: qui ne legem apertè tollere viderentur, ad ſpeciem tantùm atque vſurpationem vetuſtatis, imaginariam emancipationem induxerunt: cuius ritum Caius lib. Inſt. I. his exponit

C verbis: Emancipatio quædam ſimilitudo venditionis eſt: quia in his præter illum certum patrem, alius pater adhibetur, qui Fiduciarius nominatur. Ergo iſte naturalis pater filium ſuum Fiduciario patri mancipat: à quo Fiduciario patre naturalis pater vnum aut duos nũmos quaſi in ſimilitudinem precij accipit: & iterum eum acceptis nũmis Fiduciario patri tradit. Hoc ſecundò & tertiò fit cùm Fiduciario patri mancipat ac tradit. Ibi autem quinque teſtes ciues R.

D in præſentia ſunt: & pro illo qui Libripens appellabatur. id eſt ſtateram tenens, & qui Anteſtatus, alij duo: vt ſeptem teſtium numerus impleatur. Quod ait lex, FILIA VERO CETERIQVE &c. teſtimonium, quod equidẽ meminiſſe poſſim, certum habet nullum. Nam quod Vlpianus tit. & ſic ſcribit: Cæteri liberi præter filium, tam maſculi, quàm fœminæ, vna mancipatione manumiſſionéq; ſui iuris fiunt: quod, inquam, Vlpianus ita ſcribit, nominatim legi XII. tab. non

E aſcribit: vt nec in l. 8. D. de iniuſ. rup. teſt. vbi Tribonianus huius antiquitatis veſtigium reliquit: Quid ergo eſt? Iuriſconſultorum'ne hoc inſtitutum fuiſſe dicemus? at veriſimile non eſt, vbi de ciuium R. capite agitur, tantam Iuriſconſultorum auctoritatis vim fuiſſe, vt aliquid huic tantæ legi vel derogarent, vel abrogarent. Quod ſanè idoneum ad hanc particulam in hoc capite retinendam, argumentum eſſe putauimus. præſertim cùm tam multa poſtea iura conſtet à Iuriſ-

F conſultis ex hoc quaſi fonte deducta eſſe: veluti in liberorum teſtamento præteritorum differentia, in legitima parentum ſucceſſione ad emãcipatorum liberorum bona aliiſque compluribus, de quibus poſterius magis idoneo loco explicabitur. Vtcunque ſit, capitis huius ſententiam Caius quoque lib. Inſtit. I. confirmans: Fœminæ, inquit, vel nepotes maſculi ex filio, vna mancipatione de patris vel aui exeunt poteſtate, & ſui iuris efficiuntur.

G

Vt qui alterius filiumfamilias ſibi ab ipſius patre mancipatum, in filijfamil. locum adoptaret, is vitæ necíſque in eum poteſtatem haberet: eſſétque hic illi filiusfa. vti ſi ex ipſo matréque famil. ipſius, natus eſſet.

HVIVS

HVIVS capitis nobis quidẽ certũ teſtimoniũ
deeſt: argumentum autem hoc in primis
ſuppeditat: quòd veriſimile non eſt rem tantam,
in qua tot ciuium R. caput ac libertas agebatur,
ſine vlla lege & publico ciuitatis inſtituto, à Iu-
riſconſultis ſolis inſtitutam fuiſſe. Nam vt illud
omittamus quòd pater filium in adóptionem e-
mancipans perpetuam alteri in illum poteſtatẽ
tradit: (neque enim mirũ videri hoc debet, cùm
etiam vendere in ſeruitutem cum perpetuam li-
ceret.) illud certè perabſurdum eſt, ius patrium,
quod tantum támque graue eſſe oſtendimus, ali-
cui in alterum ſine certæ legis auctoritate acqui-
ri: viciſſimque filiifa. ius, quod ad ſacra, ad gentẽ,
ad nomen, ad patrimonium, hereditatémq; per-
tinebat, aliquem ſine certa lege adipiſci. Præte-
rea quicquid illud iuris fuit, quod a Iuriſcõſul-
tis aliquanto poſt perſcriptas XII. tabulas conſti-
tutum eſt, quodque cõmune iuris ciuilis nomen
ſuum fecit; totum, inquam, hoc ius, non nouum
quoddam ius fuit: ſed potius ex XII tabularũ mẽ-
te & quaſi ſucco expreſſum, & tanquam neceſſa-
rium conſequens eductum atque expoſitum. At
ius hoc adoptionis etſi ex patris naturalis parte
noui nihil habeat: (ſola enim emancipatione ex
ea parte conſtat:) ex parte certè & adoptiui pa-
tris & adoptati filij, ius habet nouum, & magnũ.
nam & ille ſummum illud patriæ poteſtatis ius
in hunc acquirit: & hic filij ius, in illius familia:
ſui ius, in hereditate: agnationis, in gente adipiſ-
citur. Quæ quidẽ omnia de adoptionis ipſius vi
ac iure dicta ſint. Nã quod ad formã attinet, du-
bitari non debet, eam à Iuriſconſultis actionum
formularúmq; omniũ architectis inſtitutã fuiſ-
ſe. quod Agellius lib. V. cap. XIX. his docet verbis:
Adoptantur, inquit, cùm à parẽte in cuius pote-
ſtate ſunt, tertia mancipatione in iure ceduntur:
atque ab eo qui adoptat, apud eum apud quẽ le-
gis actio eſt, vindicantur. Addam etiam illud, eã
adoptionis ſpeciẽ quæ Arrogatio dicitur, à XII.
tabulis inſtitutam non fuiſſe: quippe quæ noua
populi rogatione indigeret, & lege ferẽda con-
ſtaret: quemadmodũ eodẽ loco Agellius tradit:
vbi hãc rogationis formulam, quæ noſtrum hoc
legis caput confirmat, profert: Velitis, iubeatis
Quirites, vt L. Valerius, L. Titio tam iure legéq;
filius ſiet, quàm ſi ex eo matréqueſa. eius natus
eſſet: vtique ei vitæ necíſq; in eum poteſtas ſiet,
vti patriendo filio eſt. Sic enim legẽdum eſſe, v-
bi PARIENDO vulgò legitur, iampridẽ in Inſti-
tut. comment. docuimus. Eiúſque formulæ exẽ-
plum extat apud Ciceronẽ in Orat. pro domo:
vbi de Clodij arrogatione diſſerens, ſic eum al-
loquitur: Cedo te eſſe interrogatum, auctor'ne
eſſes, vt in te P. Fonteius vitæ necíſque poteſta-
tem haberet. Exſtat etiam veſtigium quoddam
apud Proculum in l. ſi is qui. 45. D. de adop. vbi
ſic legendum eſt: Sed ſi ſic adoptauit, vt tam iu-
re legéq; nepos ſuus eſſet, quàm ſi ex Lucio, pu-
ta, filio ſuo, & ex matrefa. eius natus eſſet: contra
puto. Denique vt ſummatim de adoptione dica-
mus, de qua in Inſtit. commentariis vberius ex-
plicatum eſt, triplex ipſius animaduerti ius fuiſ-
ſe. Primum erat in ſacris: vt qui adoptaretur, in
ea ſacra quæ patris adoptatoris erant, tranſiret;
quæ gentis ſuæ propria fuerãt, relinqueret. quod
Cicero in Orat. pro domo, & Valerius libr. VII.
A teſtantur nóſque ſuperius attigimus. Alterũ erat
in nomine: quoniam adoptatus noui patris ſui
prænomen, nomen, & cognomen ſic aſſumebat,
vt ſuum duntaxat nomen leuiter inflecteret. id
quod ex Dionis lib. XL. & XLVI. intelligitur.
Nam qui L. Æmilius fuerat, poſteaquam ado-
ptatus eſt, P. Cornelius Scipio Æmilianus ap-
pellari cœpit. Poſtremum erat, vt ſui heredis ius
in adoptatoris familia conſequeretur: hoc eſt, vt
in ipſius agnatorũmque eius hereditate tantum-
B dem ius obtineret, quantum ſi ex eo matréq; fa-
mil. eius natus, habiturus iure ciuili fuiſſet. Qua
de re ordo poſtulat, vt planiùs capite proximo
diſſeramus.

*Vti filij filiæque familias rei paternæ quaſi ſuæ he-
redes eſſent.*

HVIVS autem teſtimonium quidem nullum
C habemus certum: argumenta verò propè
innumerabilia: quorum hoc primum eſt: quod
Iuriſconſulti in iis regulis quas ex XII. tabula-
rum mente, & vt ſuperius dicebamus, quaſi ſuc-
co expreſſerunt, hanc ſingularem poſuerunt: Suĩ
heredis præteritione, teſtamentum vitiari. l. 3. §.
2. De de iniuſt. rupt. teſt. l. inter cetera, 30. D. de
lib. & poſt. Neque enim hoc XII. tabularum ius
fuiſſe, vel ex eo intelligi poteſt, quòd Cicero lib.
de Orat. 1. ſcribit: antiquis temporibus quæſitum
D apud Centumuiros fuiſſe, de teſtamento, in quo
filius, quem pater mortuum crediderat, præteri-
tus fuerat: Cùm, inquit, de iure ciuili ambigere-
tur, poſſet'ne paternorum bonorum exheres eſſe
filius, quẽ pater teſtamento neq; heredem, neq;
exheredem ſcripſiſſet nominatim. Quare ſi ius
illud tẽporibus iis incertum fuit, perſpicuũ eſt,
nullam de eo in XII. tabulis legẽ extitiſſe. Quòd
ſi nulla eiuſmodi lex fuit, ecquæ'nam eſſe potuit
E tanta Iuriſconſultorum auctoritas, vt legem il-
lam alteram, quæ prope ſacroſanctum teſtamẽ-
torum ius eſſe ſanxit, euerteret: qua cauetur, VTI
LEGASSIT paterfam. ita ius eſſe? quo iure, inquã,
Iuriſconſulti teſtamenta omnia rectè legiti-
méque facta in quibus omiſſa ſuorum heredum
mentio fuiſſet, euerterent: inteſtatóſq; paterfa.
deceſſiſſe ſtatuerent, cùm lex XII. tabularum v-
ti quiſque ſuæ rei legaſſit, ita ius eſſe voluiſſet?
Sequitur aliud argumentum. Iuſtinianus in l.
F lege 12. tab. 14. C. de legit. hered. §. vlt. Inſt. de
exhered. lib. l. 4. C. de præt. lib. ſcribit: Legem
XII tabularum fœminas æquè ac mares ad in-
teſtatorum ſucceſſiones admiſiſſe. Cõſtat autem
poſterioribus temporibus magnam in teſta-
mentis ex marium aut fœminarum præteritio-
ne infirmandis, id eſt, inteſtatis decernandis,
differentiam inductam fuiſſe. Perſpicuum eſt
igitur, legem XII. tab. nominatim filiabus æquè
ac filiis paternam hereditatem adiudicaſſe, vt
G quocunque caſu pater inteſtatò decederet, id
eſt, ſiue nullo teſtamento facto, ſiue facto
& poſtmodum infirmato, filius filiáque fami-
lias rei paternæ quaſi ſuæ heredes eſſent. Cuius
rei etiam illud vel optimum argumentum pro-
ferri poteſt, quod filij filiæqueſa. non tantum
ſui, ſed etiam neceſſarij heredes appellan-
tur: quippe (vt Iuſtinian. ſcribit) qui omnino

ſiue velint, ſiue nolint, tam ab inteſtato, quàm ex teſtamento heredes ſint. §. 2. De hered. qual. & diff. quod ipſum etiam traditur in l. 15 qui putat, 15. l. neceſſarios 57. D. de aeq. hered. l. conditionibus, 5. D. de cond. & demonſtr. vbi Paullus eleganter & ad inſtituti ſermonis noſtri rationem accommodatè ſcribit, neceſſarios heredes propter patriam poteſtatem dici. Qua præclara ſententia imprimis adducti ſumus, vt legem hanc potius ad hūc locum, in quo de patria poteſtate diſſerendum fuit, quàm ad eum in quo de teſtamentis explicabitur, referremus. Mouit me præterea quod veriſimile eſt eodem capite & patris & filiorumfa. ius à lege expoſitum fuiſſe. Siquidem Paullus in l. in ſuis, 11. D. de lib. & poſt. ſcribit, FILII FAMILIAS nomen ex eo deriuatum, quòd rei paternæ, quaſi ſuæ, dominus atque heres eſſet. De hoc igitur Filiifa. iure paucis explicandum eſt. Ex hoc enim fonte, SVORVM HEREDVM nomen fluxiſſe, Paullus apertè illo eodem loco demonſtrat, itémque Vlpianus in l. liberorum, D. de verb. ſignific. de quo nomine quia ſub Rubrica De teſtamentis commodiùs explicabitur, illud tantùm hoc loco dicemus: Heredis nomen apud veteres pro domino vſurpatum fuiſſe quemadmodum Iuſtinian. tradit in §. item, 8. Inſtit. de hered. qualit. & Feſtus lib. 8. Eiuſque rei teſtimoniū iampridē ex Plauti Menæchmis protulimus: vbi Menæchmū peregrinum de palla loquētem facit: Prandi, potaui, atque abſtuli hanc, cuius heres nunquā erit poſt hunc diem. Lex igitur XII. tab. filiosf. ita patrum ſuorum heredes deſignarat, vt etiam illis viuis quodāmodo rei paternæ domini viderētur. Vnde Terentii: Donec viuus redierit meus particeps. Item illud Ciceronis Verr. III. Quibuſcum viui bona noſtra partimur. Et illud Auſonij Edyl. IIII.

Iuſta quidem ſeries patri ſuccedere: verùm
Eſſe ſimul dominos, gratior ordo pijs.

Qua de cauſſa patribus mortuis, non tam percipere hereditatem, quàm dominiū cōtinuare, & liberam eius adminiſtrationem conſequi dicuntur. §. ſui autem, 4. Inſtit. de hered. qui ab inteſt. item non tam hereditatem adire, quàm retinere, eíq; ſe immiſcere. l. ſi patronus, §. vlt. D. de bon. libert. deniq; nō tam heredes fieri, quàm exiſtere, id eſt, apparere. l. vlt. §. ſin verò perpetuus, C. de curat. fur. Vnde Paulus in l. 11. D. de lib. & poſtum. In ſuis, inquit, heredibus euidentius apparet continuationem dominij eò rem perducere, vt nulla videatur hereditas fuiſſe, quaſi olim hi domini eſſent, qui etiam viuo patre quodāmodo domini exiſtimantur. Vnde etiam FILIVSFA. appellatur, ſicut paterfa. ſola nota hac adiecta, per quam diſtinguitur genitor ab eo qui genitus ſit. Hac ex cauſſa licet non ſint heredes inſtituti, domini ſunt. Itē in l. vlt. D. de bon. dānat. Cùm ratio naturalis, quaſi lex quædam tacita, liberis parentum hereditatem addiceret, velut ad debitā ſucceſſionē eos vocando, propter quòd & in iure ciuili Suorum heredū nomē eis relictū eſt: ac ne iudiciis quidem parentis niſi meritis de cauſſis ſubmoueri ab ea ſucceſſione poſſunt. Hactenus de patrum & filiorum filiarúmque fa. ſatis dictum eſſe arbitror. Proximum eſt, vt de virorum vxorúmque iure diſſeramus. Cùm enim

A ius hoc nuptiarum ex patria poteſtate magna ex parte pendeat, conſentaneum fuit, priore loco, quid de illa legibus XII. tab. conſtitutum fuiſſet, breuiter exponere.

Vt quæ mulier viro in manum conueniret, ea mulier illi viro materfa. eſſet, rerúmque ipſius omnium ac ſacrorum ſocia, ſuáque ei heres fieret, ſicut hic illi.

CAPVT hoc in XII. tabulis fuiſſe, vel ex eo licet exiſtimare, quia cùm Dionyſius eam B legē à Romulo ſcriptam fuiſſe teſtetur, tum verò conſtat eam Regibus exactis ſtantéq; Repub. viguiſſe. Quæ verò Romuli leges retentæ ſunt, eas in XII. tab. noſtras magna ex parte relatas fuiſſe, ſatis planè in præfatione docuimus. Dionyſius igitur li. II. ſcribit Romulū cōſtituiſſe, vt mulier quæ ex ſacratis legibus in mariti manum cōueniſſet, omnium rerum ac ſacrorū particeps fieret. Vxor autem æquè atque ille familiæ eſſet domina, in eiusq; mariti bona, quaſi filia in parētis, ſuccede- C ret: ex aſſe quidē, ſi is ſine liberis inteſtatóq; decederet: ſin autem liberos relinqueret, æquis partibus. Verba eius hæc ſunt: Γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ, κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν. Deinde cùm oſtendiſſet legis huius vim hanc fuiſſe, vt matrimonij vinculum inſolubile faceret, neque rem vllā fuiſſe, quę huiuſmodi matrimonium dirimeret, ita infert: σωφρονοῦσα μὲν γὰρ καὶ πάντα τῷ γεγαμηκότι πειθομένη ἡ γυνὴ, κυρία τοῦ οἴκου τὸν αὐτὸν τρόπον ἦν, ὅνπερ καὶ ὁ ἀνήρ: D καὶ τελευτήσαντος τοῦ ἀνδρὸς κληρονόμος ἐγίνετο τῶν χρημάτων, ὡς θυγάτηρ πατρός. εἰ μὲν ἄπαις τε καὶ μηδὲν διαθέμενος ἀποθάνοι, πάντων οὖσα κυρία τῶν ἀπολειφθέντων: εἰ δὲ γενεὰν ἔχοι, τοῖς παισὶν ἰσόμοιρος γινομένη. Hoc verò idē iuris ſtante Repub. fuiſſe, deinceps ex veterum auctorum teſtimoniis demonſtrabimus. Nam Cicero quidem in Topicis ita loquitur: Si ita Fabiæ pecunia legata eſt à viro, ſi ei viro materfa. eſſet, ſi ea in manum viri non conuenerat, nihil debetur. Genus eſt enim Vxor: E eius duæ formæ: vna matrumfa. hæ ſunt quæ in manum conuenerunt altera earum quæ tantummodo vxores habētur. Quem in locū Boëtius ſic ſcribit: Quæ vxores in manum per coemptionem conuenerant, hæ matresfamil. vocabantur. Coëmptio verò certis ſolennitatibus peragebatur, & ſeſe in coëmendo (ſic legendum arbitror, pro Communicando) inuicem interrogabāt: Vir ita: An ſibi mulier materfa. eſſe vellet, illa reſpondebat velle. Itē mulier interrogabat, An vir ſibi F paterfa. eſſe vellet, ille reſpondebat velle. Itaque mulier viri conueniebat in manum: & vocabantur hæ nuptiæ per coëmptionem, & erat mulier materfa. viro, loco filiæ, quam ſolennitatē in ſuis Regulis Vlpianus exponit. Hæc Boëtius. Quibus illud conſentaneum eſt, quod in iiſdem Topicis Cicero ſic ſcribit: Cùm mulier viro in manum conuenit, omnia quæ mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine. Vnde etiam inſtitutum fuiſſe cō- ſtat, vt ſi quid mulier è viri bonis ſurripuiſſet, in G eam ſoluto matrimonio Rerum amotarum formula, non autem Furti actione ageretur: quibuſdam æſtimātibus (inquit Paulus) ne furtū quidē eam facere: quia ſocietas vitæ quodammodo dominā eam faceret. l. 1. D. rer. amor. Eodē præterea pertinet, quod & Vlp. tit. reg. XI. & Cic. in Topicis ſcribunt, mulierē quę viro in manum conuenit,

capite

capite diminutam eſſe: quippe cùm eius familia vno capite, id eſt, vna perſona diminuta ſit: ſcilicet quia iam in viri familiam & ſacra, vt mox docebimus, tranſierit. Vnde illud Agellij libro XVIII. cap. VI. vbi ſcribit Matremfamil. appellatam eſſe eam ſolam, quæ eſſet in mariti manu mancipióque: aut eius, in cuius manu mancipióque maritus eſſet: quoniam non in matrimoniũ tantùm, ſed in familiam quoque mariti, & in ſui heredis locum veniſſet. Item illud Vlpiani tit. reg. XXII. & XXIX. In ſuorũ heredum numero eſſe vxorẽ, quæ in manu eſt, & nurum quæ in manu filij eſt, quem in poteſtate habemus. Ex his igitur perſpicuum eſt, ius coëmptionis hoc fuiſſe, vt & vxor viro & viciſſim vir vxori ab inteſtato heres eſſet. Vnde illa criminatio in L. Flaccũ Aſiæ Proprętorem, de qua in Ciceronis Oratione quæ pro illo habita eſt, ſic ſcribitur: At enim Androni Seſtilio grauis iniuria facta eſt, quòd cùm eſſet vxor Valeria inteſtatò mortua, ſic egit eam rem Flaccus quaſi ad ipſum hereditas pertineret. Ingenua, inquit, fuit. Quid? ab ingenuis mulieribus hereditates lege non veniũt? In manum, inquit, conuenerat. nũc audio: ſed quæro, vtrum vſu an coëmptione. Eius autẽ accuſationis ſententia hæc fuit: Cùm Valeria Androni Seſtilio in manũ conueniſſet, inteſtatò mortua eſt, Prętore tum in Aſia P. Globulo. Ea mortua L. Valerij Flacci procuratores eius bonorum poſſeſſionem. Vnde legitimi à Globulo poſtularant. Recuſauit Seſtilius, cùm ſe ſuum illi heredem eſſe oportere demõſtraret. Anno pòſt Flaccus Proprętor factus, ſibi ius dixit, eámq; poſſeſſionem ſibi ſumpſit. Cauillatur igitur eo loco Cicero nõ tantum in illa bonorum poſſeſſione, ſed etiam in eo, quod cùm Seſtilius magna contentione obiiceret, vxorem ſuam in manum ſibi conueniſſe, tamen illudens interrogat, vtrum ne vſu an coëmptione: quaſi verò quæ vſu vxores fiunt, in manũ viris non cõueniant. Planum præterea factum, quod in lege poſuimus, matremfa. in manu ac mancipio poteſtate viri ſui fuiſſe. l. 4. D. de his qui ſunt ſui vel ab. Quò eodẽ pertinet, quod Plutarchus in problem. ſcribit, Verba nouæ nuptæ cùm in viri domum ingrederetur, ſollemnia hæc fuiſſe: Vbi tu Caius, & ego Caia. Quam formulam Cicero in orat. pro Muræna ſignificans, ita ſcribit: In omni denique iure ciuili æquitatẽ reliquerunt: verba ipſa tenuerũt: vt quia in alicuius libris exempli cauſſa id nomen inuenerant, putarunt omnes mulieres quæ coëmptionẽ facerent, Caias vocari. Hæc enim verba potius ad eam poteſtatem in qua vxores erãt, quàm ad dominij communionem referenda eſſe arbitror. ſiquidem longè aliàm viri in bona communia, quàm vxoris poteſtatem fuiſſe conſtat: quippe qui arbitratu ſuo de iis & inter viuos & per teſtamentum ſtatuere poſſet. cùm matriſam. nunquam niſi in teſtamento alienare liceret. Atque hæc quidem de viri vxoriſque communione in bonia dicta ſint. De ſacris autem præterquam quòd Dionyſius eo, quem ſupra dixi, libro declarat, exſtat hoc Modeſtini teſtimonium in l. 1. D. de ritu nupt. vbi ſcribit, nuptias eſſe coniunctionem maris & fœminæ, conſortium omnis vitæ, diuini & humani iuris communicatio-

A nem. Item illud Gordiani Imp. in l. 5. C. de crimi. expil. hered. Vxorem diuinæ & humanæ rei ſociam eſſe. Vnde intelligi debet, eam vxorem quæ in viri manum conuenerat, iis ſacris quæ gentis ſuæ propria erant, renunciaſſe: atque in ea tranſiſſe, qui viri ſui gentilitia & priuata erant. Quod etiam de ſepulcris accipiendum eſſe, facile eſt intelligi ex iis, quæ primo capite de priuatis familiarum ſacris diſſeruimus.

B *Vt quæ mulier cùm ſui iuris eſſet annum vnum apud virum matrimonij cauſſa fuiſſet, ea mulier ni trinoctium vſurpatum iſſet, pro vſucapta haberetur.*

HVIVS exſtat teſtimonium apud Agell. lib. III. cap. II. itémque apud Macrob. lib. Saturn. I. cap. III. apud quos totidem verbis ita ſcriptum eſt: Q. Mutium Iuriſconſultum dicere C ſolitum, non eſſe vſurpatam mulierem quæ cùm Kalendis Ianuariis apud virum cauſſa matrimonij eſſe cœpiſſet, ante diem quartum Kalendas Ianuarij ſequentes, vſurpatum iſſet. non enim poſſe impleri trinoctium, quod abeſſe à viro vſurpandi cauſſa ex XII. tab. deberet: quoniam tertiæ noctis poſteriores ſex horæ alterius anni eſſent, qui inciperet ex Kalendis. Diſputant autem vterique illo loco de die, quo Romani vtebantur, quem Ciuilem nominabant, docéntque D ex Varrone diem illum à ſexta noctis hora, id eſt, à media nocte incipere: terminarique ad mediam noctis inſequentis partem. Itaque quæſitum à Q. Mutio fuiſſe, an Trinoctium, quod lex in anno vſurpationis cauſſa poſtulat, rectè abſolueretur à quarto Kalend. Ian. anni inſequentis. hoc eſt, à XXIX. Decemb. vſque ad Kalend. Quod iuris imperitis propterea videbatur, quia reuera tres adhuc noctes naturales ad annum inſequentem ſuperſunt. Mutius au- E tem reſpondit, noctes in lege XII. tab. non naturaliter numerandas eſſe, ſed ciuiliter, id eſt, ex conſuetudine ciuitatis Romanæ: quæ ſex poſteriores horas tertiæ naturalis noctis primo diei anni inſequentis aſſignabat. Ac propterea mulierem illam qua de agebatur, non rectè atque ex lege vſurpatum iſſe. Nunc legis ſententiam videamus. Primùm autem intelligendum eſt, Vſurpare & Vſucapere verba eſſe inter ſe contrariè relata. Nam (vt Paullus ait in F l. 2. D. de vſurp. & vſucap.) Vſurpatio eſt vſucapionis interruptio. Iubet igitur lex, vt quæ mulier annum vnum matrimonij cauſſa apud virum fuerit, ea mulier anno exacto in eius virĩ manu ſit: id eſt, quaſi vſu capta ſit. quemadmodum res mobiles anno vno vſucapiuntur. qua de re nec ita multo poſt, cùm ad id loci ventum erit, demonſtrabitur. Quemadmodum autem iure ciuili rerum vſucapiones infringuntur, ſi dominus eas vſurparit, veluti ſi ſurculum G in fundo defregerit: (quod ex lib. Ciceronis de Oratore tertio intelligitur) eodem modo lex mulieri poteſtatem facit poſſeſſionem illam virĩ interrumpere: nimirum ſi ante anni finem tres ab eo noctes abſuerit. Has autem vxores quæ matreſa. non erant, Matronas propriè & reſtri-

ctè appellari ſolitas, veriſimile eſt. Præſertim cũ Agellius lib. XVIII. cap. VI. ſcribat: Matronam dictam eſſe propriè, quæ in matrimonium cum viro conueniſſet, quoad in eo matrimonio maneset. Et de huc vxorum genere, locus ille quem ſuperius ex Oratione pro Flacco protuli, intelligẽdus eſt, in quo Cicero ſic loquitur: In manum, inquit, conuenerat. nunc audio: ſed quæro, vtrũ vſu an coëmptione? vſu non potuit: nihil enim poteſt de tutela legitima ſine omnium tutorum auctoritate diminui. Coëmptione? omnibus ergo auctoribus: in quibus certè Flaccum fuiſſe nõ dices. Quibus in verbis illud obſeruatu dignum eſt, quod ad locum hunc noſtrum vel maximè pertinet, neque vſu, neq; coëmptione fieri vxorem ſine tutorum ſuorum omnium auctoritate vllam potuiſſe.

Vt ne inter patricios & plebeios connubij ius eſſet.

HVic capiti teſtimonium Dionyſius ſuppeditat libro decimo extremo: vbi ſcribit, decemuiros hanc legem in duas poſtremas tabulas retuliſſe: eamque idcirco adiectam fuiſſe, ne patres cum plebe reconciliati, communi ſtudio Decemuirorum, qui retinere magiſtratũ perpetuum volebant, obſiſterẽt. Liuius etiam lib. IIII. Hoc ipſum, inquit, ne connubium patribus cum plebe eſſet, non Decemuiri tulerunt paucis his annis peſſimo exemplo publico, cum ſumma iniuria plebis? Eandem autẽ legem ſeptimo poſt anno à Canuleio Tribuno pl. abrogatam, Liuius eodem libro memoriæ prodidit: quo ex libro quæ cuiuſque partis argumenta fuerint, iuuat exponere. nam pro patribus quidem hæc proferebantur, colluuionem gentium, perturbationem auſpiciorum publicorum priuatorumque afferri, ne quid ſynceri, ne quid incontaminati ſit: vt diſcrimine omni ſublato, nec ſe quiſquam nec ſuos nouerit. Quam enim aliam vim promiſcua connubia habere, niſi vt ferarum propè ritu, vulgentur concubitus plebis patrumque? vt qui natus ſit, ignoret cuius ſanguinis, quorum ſacrorum ſit, dimidius patrum ſit, dimidius plebis, ne ſecum quidem ipſe concors. Contra verò Canuleius: An verò, inquit, eſſe vlla maior aut inſignior contumelia poteſt, quàm partem ciuitatis velut contaminatam indignam connubio haberi? quid eſt aliud quàm exilium intra eadem mœnia, quàm relegationem pati? ne affinitatibus, ne propinquitatibus immiſceatur, cauent. ne ſocietur ſanguis? quid? ſi plebeiam patricius duxerit, ſi patriciam plebeius, quid iuris tandem mutatur? nempe patrem ſequuntur liberi. Perlata autem à Canuleio tandem lex fuit: abrogataque hæc noſtra: ſancitumque vt deinceps patribus cum plebe connubij ius eſſet.

Vt ſi qua mulier temetum biberet, cúmve alieno viro probri quid faceret, in eam maritus, cauſſa cum ipſius mulieris propinquis cognita, pœnam ſtatueret: aſt ſi eam in adulterio deprehenderet, tum eam occidendi ius poteſtatémque haberet.

A LOGEM hanc primùm à Romulo ſcriptam fuiſſe, Dionyſius lib. II. teſtatur: vbi illum ait exiſtimaſſe, è vinolentia ſtuprum, è ſtupro verò inſolentiam plerumque naſci. Verba illius hæc ſunt. Ἁμαρτάνουσα δέ τι δικαστὴν τὸν ἀδικούμενον ἐλάμβανε: (de marito loquitur) καὶ τοῦ μεγέθους τῆς τιμωρίας κύριον. ταῦτα δὲ, οἱ συγγενεῖς μετὰ τοῦ ἀνδρὸς ἐδίκαζον· ἐν οἷς ἦν φθορὰ σώματος, καὶ ὅ τις οἶνον εὑρεθείη πιοῦσα γυνή. ἀμφότερα γὰρ ταῦτα ζημιοῦν ἐπέλευσεν ὁ Ῥωμύλος, ὡς ἁμαρτημάτων γυναικείων ἔσχατα. B φθορὰν μὲν ἀπονοίας ἀρχὴν νομίσας, μέθην δὲ φθορᾶς. καὶ μέχρι πολλοῦ διέμεινε χρόνου ταῦτ' ἀμφότερα παρὰ Ῥωμαίοις ἀπαραιτήτου τυγχάνοντα ὀργῆς, μάρτυς δὲ τοῦ καλῶς ἔχειν τὸν περὶ τῶν γυναικῶν νόμον, ὁ πολὺς χρόνος. Exactis autem Regibus legem hanc eandem per multas ætates Romæ viguiſſe, cùm ex his Dionyſij verbis intellectum eſt, tùm etiam Agellius lib. X. cap. XXIII. demonſtrat. ex quo intelligi debet, eam in XII. tabulas noſtras relatam fuiſſe. Eius autem verba ad hanc C legem pertinentia hæc ſunt: Qui de victu atque cultu populi R. ſcripſerunt, mulieres Romæ atque in Latio ætatem abſtemias egiſſe, hoc eſt vino ſemper (quod Temetum priſca lingua appellabatur) abſtinuiſſe dicunt: inſtitutúmque vt cognatis oſculum ferrent: reprehendendi cauſſa, vt odor indicium faceret, ſi bibiſſent. Verba M. Catonis ex Orat. de dote hæc ſunt: Vir, inquit, cùm diuortium fecit, mulieri iudex pro Cenſore eſt: imperium quod videtur, habet: ſi quid D peruersè tetréque factum eſt à muliere: multatur: ſi vinum bibit, ſi cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur. In adulterio vxorem tuam ſi deprehendiſſes, ſine iudicio impunè necares: illa te, ſi adulterares, digito non auderet contingere, neque ius eſt. Hæc Agellius: quibus conſentanea ſunt quæ Atheneus profert. lib. X. cap. XIII. ex libro Polybij ſexto, cuius nunc epitome tantùm exſtat. Apud Plinium autem lib. XIIII. cap. XIII. hæc in eãdem ferè ſentẽtiam ſcri- E pta ſunt: Non licebat, inquit, fœminis Romæ vinum bibere. Inuenimus inter exempla Egnatij Mecennij vxorem, quòd vinum bibiſſet è dolio, interfectam fuiſſe à marito: cúmque cædis à Romulo abſolutum. Fabius Pictor in Annalibus ſcripſit, Matronam, quòd loculos, in quibus erant claues vinariæ cellæ, reſignauiſſet, à ſuis inedia mori coactam. Cato ideo propinquos fœminis oſculum dare, vt ſcirent an temetum olerent, hoc tum nomen vino erat: vnde & Te- F mulentia appellata. Hoc igitur legis antiquæ ius fuit. De adulteriis autem poſtea lex Iulia lata, dióque obſeruata eſt: qua marito ius ademptum eſt, adulterum occidere, niſi & domi ſuæ deprehenſum, & iam antea infamem. Veluti ſi leno, hiſtrio've, iudicióve publico damnatus fuerit. Sed hoc ad leges noſtras nihil pertinet, quare ad eas reuertendum eſt.

G *Vt ſi è coniugibus alter alteri nuntium mitteret, eúmque ſuas res ſibi habere iuberet, diuortium eſſet.*

DE diuortio lege XII. tabularum permiſſo, teſtimoniũ eſt apud Ciceronem Philipp. II. his verbis: Frugis factus eſt. mimam illam ſuam ſuas res ſibi habere iuſſit ex XII. tabulis: claues ademit, exegit: & in l. pen. D. ad legem Iul.

Iu.l de adult. vbi verba hæc Caij ex libro ad legem XII. tab. tertio proferuntur: Si ex lege repudium miſſum non ſit,& idcirco mulier adhuc nupta eſſe videatur: tamen ſi quis eam vxorem duxerit, adulter non erit. Plutarchus autem in vita Romuli ſcribit,cum tribus tantùm de cauſſis diuortium maritis permiſiſſe: quarum prima eſt, ſi vxores veneficium in liberos commiſiſſent: altera,ſi partum ſubiecißent:tertia,ſi probri quid cum alienis viris feciſſent. Quod ſi quia alia de cauſſa vxorem dimiſiſſet, tum ſtatuiſſe,vt eius bonorum pars vxori adiudicaretur:pars Cereri ſacra eſſet. Itaque conſtat Romuli inſtituto tam ſanctam habitam fuiſſe matrimoniorum coniunctionem, vt diuortium Romæ nullum per annos DXX. fuerit: id quod à Dionyſio,Plutarcho,Valerio, & Agellio memoriæ eſt proditum. Primum enim M.Pomponio, C.Papyrio, vel (vt alij ſcribunt) M.Atilio P. Valerio Coſſ. Sp.Caruilios Ruga vxori nuntium remiſit,quòd eam ſterilem diceret, ſéque liberorum quærendorum cauſſa vxorem capere iuraſſet. Hinc illud Tertulliani in libro De Monogam. Adeo, inquit, repudium à primordio non fuit, vt apud Romanos poſt annum ſexcenteſimum vrbis conditæ,id genus duritiæ fuiſſe denotetur. Item in Apologetico: Per annos fermè ſexcentos ab vrbe condita nulla repudium domus ſenſit. Neque verò prætermittendum eſt,quod Gaius ſcribit in l. 2. D.de diuort. ſolemnem in diuortiis faciendis formulam hanc fuiſſe: TVAS RES TIBI HABATO: vel, TVAS RES TIBI AGITO. Vnde orta illa quæſtio eſt, de qua ſcribit Cicero libro de Orat. I. cùm ait,dubitatum olim fuiſſe,certiſne verbis fieri diuortium oporteret: hoc eſt illa formula quam ſuperius prodidimus. Paterfam. inquit, cùm vxorem prægnantem reliquiſſet, Romæque alteram duxiſſet, neque nuntiũ priori remiſiſſet,mortuúſque eſſet inteſtatò, & ex vtraque filius natus eſſet, mediocríſne res in controuerſiam adducta eſt?cùm quæreretur de duorum ciuium capitibus, & de puero qui ex posteriore natus erat,& de eius matre: quæ ſi iudicaretor certis quibuſdam verbis, nõ nouis nuptiis, fieri cum ſuperiore diuortium, in concubinæ locum duceretur. Illud verò memorabile diuortij genus fuit, cuius tamen haud ſcio an certus auctor laudari poſſit: Plutarchus quidem eius in Numa mentionem facit: vt marito qui ſatis liberorum haberet, ius eſſet vxorem ſuam alteri viro liberorum ex ea quærendorum cauſſa concedere, atque in matrimonium elocare. Quinetiam Strabo lib. XI. ſcribit, Catonem Hortenſio vxorem ſuam Martiam liberorum quærendorum cauſſa in certum tempus conceſſiſſe: vbi etiam aſcribit feciſſe hoc illum κατὰ παλαιὸν ῥωμαίων ἔθος. Sed & idem Plutarchus in Catone Vticenſi nominatim addit, contracta Philippi patris voluntate ſponſalia fuiſſe.

Vt ſi qua mulier poſt viri mortem in decem menſibus proximis pareret, qui quave ex ea naſceretur, ſuus ſuáve in viri familia heres eſſet.

CAPVT hoc partim ex teſtimonio veterum auctorum, partim ex ingenio & coniectura audaci conflatum eſt. Nam prioris partis te- A ſtimonium extat apud Agellium lib. III. cap. XVI. vbi cùm multa de varietate temporum in puerperiis mulierum diſſeruiſſet: aſcribit, fœminam bonis atque honeſtis moribus, non ambigua pudicitia, in XI. menſe poſt mariti mortem peperiſſe, factúmq; eſſe negotium propter rationem temporis, quaſi mortuo marito concepiſſet: quoniam Decemuiri in decem menſibus gigni hominem, non in vndecimo ſcripſiſſent. Vbi cum SCRIPSISSENT poſuit, dubitationem, de quibus B Decemuiris ſentiret ſuſtulit. Decemuiros enim qui Centumuirali haſtæ præerant, non ſcripſiſſe, ſed iudicaſſe, nemo ignorat. In eandem autem ſententiam Paullus lib. IIII. ca. IX. ſcribit: rationem Pythagorei numeri hoc admittere, vt aut ſeptimo pleno, aut decimo menſe partus maturior videatur. Indéque inſtitutum Romæ fuit, vt mulieres virorum mortem menſes decem lugerent, néve ante decimum menſem exactum alteri nuberent. l. 2 C. de ſecon. nupt. & l. C 2. D. de infamib. Hinc illud Ouid. I. Faſt.

Quod ſatis eſt vtero matris dum prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.
Per totidem menſes à funere coniugis vxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.

Sed & Seneca de Conſolat. Maiores, inquit, decem menſium ſpacium lugentibus viros dederunt, vt cùm pertinacia muliebris mœroris publica conſtitutione deciderent, non prohibuerunt luctus, ſed finierunt. Eámque ob cauſſam D factum conſtat, vt Aquiliana illa nobilis formula ita conciperetur: SI QVIS MIHI NEPOS poſt mortem meam in decem menſibus proximis natus erit. l. Gallus. D. de lib. & poſt. Inde etiam illud Varronis in Teſtamento: Si quis mihi filius vnus pluréſve, in decem menſibus gignuntur, ij ſi erunt ὄνος λύρας, exheredes ſunto. Nunc ad alteram legis partem accedamus, quam ex coniectura quidem, ſed tamen cum aliqua Iuriſconſultorum veterum auctoritate ad illam E priorem attexuimus. Ecquidnam enim tandem aliud adiectum, aut verò ecquámnam aliam ob cauſſam caput iſtud à Decemuiris poſitum fuiſſe exiſtimemus? nam aliud præterea nihil in lege fuiſſe, nulla inquam alia de re niſi de legitimo puerperij ſpacio cautum in lege fuiſſe, probabile non videtur. Imò verò abſurdum potius videatur, legem ea de re nominatim ſcriptam fuiſſe, quæ tot iam ſeculis, hoc eſt (vt ex Ouidio docuimus) vſque à Numæ temporibus vſitata per- F uulgatáque fuerat. ſed Iuriſconſultorum auctoritatem audiamus. Nam Vlpianus quidem in l. 3. §. 4. D. de ſuis & legit. ita ſcribit: Vtique ex lege XII. tab. ad legitimam hereditatem, is qui in vtero fuit, admittitur, ſi fuerit editus. Quo loco etſi de poſtumo agnato Vlpianus loquatur, tamen multò id magis de ſuo exiſtimandum eſt. Denique; vt auctoritatẽ cũ cõiectura coniungamus, vt planum, inquam, faciamus, caput hoc de decem menſibus ad poſtumos heredes decernen- G dos, deſignandóſque pertinuiſſe, verba Vlpiani quæ proximè inſequuntur, deſcribemus. Sic enim eodem loco ſcribit: Poſt decem menſes mortis natus non admittetur ad legitimam hereditatem. De eo autem qui centeſimo octogeſimo ſecũdo die natus eſt, Hippocrates ſcripſit, & D. Pius Pontificibus reſcripſit, iuſto tempore

videri natum. Quinetiam l.6. & l.7. cum Iulianus dixiſſet, lege XII. tab. eum ad hereditatem vocari, qui moriente eo de cuius bonis quæritur, in rerum natura fuerit: Celſus inſulit, vel ſi viuo eo conceptus eſt: quia conceptus quodammodo in rerum natura exiſtimatur. Ex his igitur facile eſt intelligi, caput quoddam in XII. tabulis fuiſſe, quo capite caueretur iis liberis poſtumis, qui in decem poſt patris mortem menſibus ex matre fa. eius nati eſſent: vt æquè ſui ius in defuncti familia obtinerent, ac ſi vel ipſo viuo, vel paucioribus poſt eius obitum menſibus nati fuiſſent. De poſtumis autem liberis, tum ſuis tum alienis, poſteriuſq; cùm ad id loci ventum erit, explicabitur.

A

B

Patronvs si clienti fravdem fecerit, sacer esto.

Hæc ſumpta eſt ex Seruij commentariis in Virgilium, vbi verſum illum interpretans ex VI. Æneid. Aut fraus innexa clienti: Ex lege, inquit, XII. tab. venit: in quibus ſcriptum eſt, patronvs si clienti &c. Si enim clientes quaſi colentes ſunt: patroni quaſi patres: tantundem eſt, clientem quantum filium fallere. Et hoc poſſe fieri ex Horatij dictis intelligimus, qui cùm loqueretur de auaris potentibus, ait de vicino cliente: C

Pellitur paternos in ſinu ferens Deos.

Vrbano tamen hoc diſplicet: & dicit rarum eſſe hoc, magiſque contrarium: cum magis Patronos decipiant frequenter clientes. Vult autem intelligi præuaricatores, qui patroni ſunt clientem, quos nunc ſuſceptos vocamus. Hæc Seruius. Patronatus autem & clientelarum iura cùm Dionyſius libr. II. tum etiam Plutarchus in Romuli vita hæc fere deſcribit: Vt cùm de plebe quiſque ex patritiis aliquem ſibi patronum cooptaſſet, cumque hic illum in fidem ſuam recepiſſet, tum alter alteri pro ſua quiſque facultate opem ferret: patronus quidem auctoritate & potentia: cliens autem obſeruantia, & cùm opus eſſet, fortunis. nam ille ſe clienti in ciuilibus negociis iuris interpretem, in iudiciis defenſorem, in rebus denique omnibus conſiliarium præſtabat: hic contrà patronum honore & obſeruantia proſequebatur, in filiabus etiam elocandis, liberis ab hoſtibus redimendis, multis pecuniariis præſtandis, ære alieno diſſoluendo, pecunia cùm opus erat, iuuabat. Mutua autem hæc inter ſe iura habebant, vt neque accuſandi, neque teſtimonij dicendi, neque exercendarum inimicitiarum poteſtas inter illos eſſet. Itaque Agellius libr. XX. cap. I. & libr. V. cap. XIII. ſcribit, Antiquis populi Rom. moribus comparatum fuiſſe, vt clientem in fidem receptum chariorem haberent, quàm propinquos: eúmque etiam aduerſus hos tuerentur: neque peius vllum facinus exiſtimaſſe, quàm ſi quis probaretur clientem deriſui habuiſſe: quin & licuiſſe patronis teſtimonium pro cliente aduerſus cognatos dicere, aduerſus clientem non licuiſſe. Iam verò quod in lege ſancitur, vt ſi patronus ius illud violarit, ſacer ſit: conſentaneum eſt cum iis quæ Dionyſius eo quem antea citauimus loco ſcribit: Romulum ſanxiſſe, vt cuius ius eſſet illum tãquam D E F G

A Diti ſacrum interficere: moremque Romanis fuiſſe, vt quos impunè occidi vellent, eorum corpora Deo cuidam, ac præcipuè alicui ex inferis deuouerent. Vnde Feſtus, Sacrum hominem eum definit, quem populus iudicauit ob maleficium: neque fas erat immolari. ſed qui occidit, parricidij non damnatur. Nam lege Tribunitia prima cauetur, Si quis eum qui eo plebiſcito ſacer ſit, occiderit, parricida ne ſit. Addit autem Dionyſius propter hanc ſiue legem, ſiue B legis ſanctionem mutua patronorum clientúmque officia per multas ætatis duraſſe: neque ſetius eam neceſſitudinem quàm ſanguinis coniunctionem inter propinquos cultam obſeruatámque fuiſſe.

Vt mulieres orbæ innuptæ in fratris agnati've proximi tutela eſſent.

C Hvivs teſtis eſt partim Cicero in Murenia-na, partim Vlpianus in Regul. Nam Cicero quidem ita ſcribit: Cum permulta præclarè legibus eſſent conſtituta, ea Iuriſconſultorum ingeniis pleraque corrupta ac deprauata ſunt. Mulieres omnes propter infirmitatem conſilij, maiores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt. hi inuenerunt genera tutorum, quæ poteſtate mulierum continerentur. Vlpianus autem tit. reg. I. poſtquam dixit, Legitimos tutores eſſe, qui ex lege aliqua deſcendunt, per eminentiam autem Legitimos dici qui ex lege XII. tab. intro-D ducuntur: nimirum agnatos & patronos: ſtatim ſic infert: Fœminarum autem legitimas tutelas lex Claudia ſuſtulit, de qua lege Claudia mentio fit in l. 3. C. de legit. tut. vnde legem hanc XII. tab. illa lege Claudia abrogatam fuiſſe intelligitur. Animaduertendum etiam quod illo tit. Vlpianus ſcribit, moribus inſtitutum fuiſſe, vt ſi mulieres cum illis ſuis tutoribus legitimis lege aut legitimo iudicio agere vellent, auctore eo E tutore agerent, qui à Prætore illis data opera conſtitutus eſſet. Addidi autem in lege orbæ innvptæ, quia filiæfam. in patrum ſuorum poteſtate ſunt: nuptæ autem in virorum manu. Orbæ igitur innuptæ in fratrum tutela. Quod M. Cato de lege Oppia diſſerens apud Liuium lib. XXXIIII. ſic oſtendit: Maiores noſtri nullam ne priuatam quidem rem agere fœminas ſine auctore voluerunt: in manu eſſe parentum, fratrum, virorum. Et Valerius aliquanto poſt: Mi-F nus filiæ, vxores, ſorores, etiam quibuſdam in manu erunt. Nunquam ſaluis ſuis exuitur ſeruitus muliebris: (Suos appellat, quorum in manu ſunt, patrem, fratrem, maritum.) & ipſæ libertatem quam viduitas & orbitas facit, deteſtantur. In veſtro arbitrio ſuum ornatum, quam in legis malunt eſſe: & vos in manu ac tutela, non in ſeruitio debetis habere eas: & mallem patres vos aut viros, quàm dominos dici. Hæc ille. Illud autem ne prætereundum quidem eſt, quod Cicero G in Topicis, & in eadem Boëtius demonſtrant, mulierem eam integri capitis dici ſolitam, quæ viro in manum non conueniſſet: quæ verò conueniſſet, eam capite diminutam fuiſſe. Illam ſine tutoribus auctoribus teſtamentum ſcribere non potuiſſe: hanc arbitratu ſuo, quippe tutela ſolutam ac liberam, potuiſſe. Quin & illud qui-

dem

dem omittendum videtur, quod eodem ex libro cognoſcitur, diſſimilem fuiſſe mulierum & pupillorum tutelæ rationem. Non quemadmodum, inquit, quod mulieri debeas, recte ipſi mulieri ſine tutore auctore, ſoluas: ita quod aut pupillæ aut pupillo debeas, recte poſſis eodē modo ſoluere.

Si fvriosvs existat, agnatorvm gentilivmqve in eo, pecvniaqve eivs potestas esto.

HVivs legis verba exſtant apud Ciceronem lib. De inuent. II. itémq; in lib. Rhetorices ad Heren. primo. Teſtimonium autem habemus apud eundem Ciceronem lib. Tuſcul. III. vbi ſcribit, eum qui errore mentis affectus ſit, vetari XII. tabulis rerum ſuarum eſſe dominum. Itaque non eſſe ſcriptum si insanvs, ſed si fvriosvs eſſe incipit. Nam ſtultitiam, inquit, cenſuerunt, id eſt, inconſtantiam ſanitate vacantem, poſſe tamen tueri mediocritatem officiorum, & vitæ communem cultum atque vſitatum. Furorem autem eſſe rati ſunt, mentis ad omnia cæcitatem. Quin & apud Vlpianum tit. regul. XII. ita ſcriptum eſt: Lex XII. tabularum furioſum in curatione iubet eſſe agnatorum. Nūc legis ſententiam videamus, quàm rectè Cicero ſic exponit: vt de iis intelligatur, non qui dementes ſunt, id eſt, qui mediocritatem officiorum, & communem vitæ cultum tuētur: ſed planè de iis qui mētis ad omnia cæcitate affecti ſunt. Quapropter furioſos à demētibus Iuriſconſulti paſſim diſtinguunt, vt l. ſi furioſi, 25. C. de nup. l. tam dementis, 21. C. de epiſc. audient. l. 2. D. de inoff. teſta. l. vlt. C. de admin. tut. l. 8. §. 1. D. de tut. dat. ab. l. 6. D. de curat. fur. Verbum autem existet, Cicero eodem loco ſic interpretatur, id eſt, eſſe incipit: quaſi iubeat lex ſtatim propinquos officio fungi: ne quid forte incommodi per eorum negligentiam incitámve accidat. Quod autem ſequitur, agnatorvm gentilivmqve, diſcrimen quidem eſſe oſtendat inter Agnatos & Gentiles: de quo quia ſatis copioſè in noſtro Commentario de verbis iuris explicauimus, nihil neceſſe eſt hoc loco diſſerere. Tantum id ſatis eſt intelligi, de quo Paullus in l. 53. D. de verb. ſignific. nos admonet: tametſi coniunctim locuta lex ſit, quaſi vtroſque ad tutelam adhiberi iubeat: tamen hoc loco, item vt aliis nonnullis, coniunctionem pro diſiunctione accipiendam eſſe: perinde ac ſi ſcriptum eſſet, gentilivmve: vt cui erunt agnati, ad eos tutela deferatur: cui gentiles, eodem modo. Neque verò illud omittendum eſt, ex hac lege promulgatum inter veteres prouerbium ortum eſſe, vt cum aliquem errore mentis affectum ſignificarent, eum dicerent ad agnatos & gentiles deducendum eſſe. Cuius rei teſtimonia in Inſtit. Commentariis protulimus.

Vt qui prodigus exiſteret, ei Prætor cauſſa cognita bonis ſuis interdiceret, inque ipſius pecunia agnatorum gentiliúmque poteſtas eſſet.

HVic capiti teſtimonium præbet Vlpianus in l. 1. D. de curat. fur. vbi ſic ſcribit: Lege

A XII. tabularum prodigo interdicitur bonorum ſuorum adminiſtratio. Et item tit. reg. XII. cùm ita loquitur: Lex XII. tab. furioſum itémque prodigum, cui bonis interdictum ſit, in curatione iubet eſſe agnatorum. Sed & Iuſtinianus §. 2. D. de curat. Furioſi, inquit: Et prodigi licet maiores viginti quinque annis ſint, tamen in curatione ſunt agnatorum, ex lege XII. tabul. Quod cùm ita ſit, quæſtio ſubdifficilis exoritur, cur Vlpianus in d. l. 1. continuò poſt illa ſuperiora ſic aſcri-

B bat: Quod moribus quidem ab initio introductum eſt. Sed ſolent hodie Prætores vel Præſides, ſi talem hominem inuenerint, qui neque tempus, neque finem expenſarum habet, ſed bona ſua dilacerando & diſſipando profundit, curatorem ei dare. Mirum, inquam, videtur, Vlpianum morum memoriam ante XII. tab. tempus repetere. Quare videndum eſt, probarine vetus illa mea coniectura poſſit, cùm eum locum ita corrigendum eſſe dicerem: sed qvod moribus

C quidem introductum eſt, ſolent hodie Prætores, &c. vt iam non de prodigo loquatur, cui certum eſt legem XII. curatorem impoſuiſſe: ſed potius de eo qui aliquantò minus quàm prodigus, intemperans, diſſolutúſque ſit. Quandoquidem Cicero quoque in Catone ſcribit, moribus populi R. comparatum fuiſſe, vt malè rem gerentibus patriis bonis interdiceretur: quo in loco de Sophocle loquitur, quem prodigum (vt opinor) non rectè diceremus. Sed hac de re plu-

D ra in Inſtit. commentariis: vnde cuiuis quæ hinc abeſſe videbuntur, aſſumendi poteſtas eſt. Illud ſatis erit intelligi, prodigis interdici ſuis bonis ex lege XII. tab. cæteris verò malè rem ſuam gerentibus, inſtituto ciuitatis & moribus. Notatione autem digna eſt ea formula, qua Paullus lib. ſent. V. ſcribit, Prætores hac in re vti ſolitos fuiſſe: qvando tv bona patria avitaqve neqvitia tva disperdis: liberosqve tvos ad egestatem perdvcis: ob eam

E rem tibi ea re commercioqve interdico. Quæ formula non dubitandum eſt, quin & in prodigis, & in aliis vſitata fuerit. Neque enim agnatis licuit manum in prodigi bona ipſo iure & ſine Prætoris decreto inîicere: ſed id eos poſtulare à Prætore oportuit, vt & illi bonis interdiceret, & ſibi ex lege bonorum illorum adminiſtrationem decerneret. Atque hæc quidē de lege XII. tab. dicta ſunt: poſt quam Lætoria lex longo interuallo lata eſt, vt curato-

F res vel propter laſciuiam, vel propter dementiam darentur: quemadmodum Capitolinus in M. Antonino teſtatur. Sed cùm cetera eius capita omnia, quæ quidem exſtant, ad minores tantummodo pertineant, & Capitolinus eo loco nominatim de adoleſcentibus loquatur, veriſimile eſt, legem illam de adoleſcentibus duntaxat, non etiam de maioribus XXV. annis caviſſe. quod eo etiam probabilius videtur, quia cùm Plautus eam ſignificaret, legem Quinauicenariam appellat,

G Tum lex, inquit, me perdit, Quinauicenaria: metuunt credere omnes.

Paterfam. vti legassit svper pecvnia, tvtelave svæ rei, ita ivs esto.

HVivs teſtis eſt Vlpian. tit. reg. XI. vbi ſic ſcribit: Teſtamento quoq; nominatim tutores

dati confirmantur eadem lege XII. tabul. his verbis, VTI LEGASSIT &c. Quibus verbis ſignificare videtur, legem noſtram coniunctim eodem capite de inteſtatorum hereditatibus ſimul & de tutelis ſanxiſſe. Cuius rei etiam illud argumento eſt, quod Paullus in l. ſæpe, 53. D. de verb. ſignific. ita ſcribit: Cùm dicitur, SVPER PECVNIA TVTELAVE SVÆ R. (ſic enim ſcribendum eſt) tutorem ſeparatim ſine pecunia dari non poſſe. Verumtamẽ cùm apud Ciceronem duobus locis caput De heredum inſtitutionibus, ſeparatum ab hoc de Tutelis capite videremus: ſatius fore putauimus, ſeparatim de vtraque re diſſerere. præſertim cùm hæc de tutelis diſputatio ad locum de perſonis: illa de hereditatibus ad eum in quo de rebus diſſeritur, propriè pertineat. Vtcunque ſit, verba Caij quibus huic noſtræ legi teſtimonium perhibetur, hæc ſunt in l. 1. D. de teſtam. tut. Lege XII. tab. permiſſum eſt parentibus, liberis ſuis, ſiue fœminini, ſiue maſculini ſexus, ſi modò in poteſtate ſint, tutores teſtamẽto dare. Quin & Paullus in l. tutor, 20. D. eod. ti. eo amplius hoc aſcribit: Teſtamento quemlibet dari tutorem poſſe: ſiue is Prætor, ſiue Conſul ſit: quia lex XII. tab. id cõfirmat. Quibus ex verbis exiſtimare aliquis poſſet, legem XII. tab. de Prætore aliquid & Conſule nominatim ſanxiſſe: quaſi aliquid huiuſmodi ſcriptum in lege fuiſſet: Patrifa. teſtamento quemuis pupillis ſuis tutorem inſtituendi, ſiue is priuatus, ſiue cum imperio ſit, ius poteſtáſque eſto. Sed alia fortaſſe Paulli verborũ ſententia eſt: vt non legis verba ſcilicet, ſed vim & mentem conſideret: quemadmodum traditur in l. verbis legis, 120. D. de verb. ſignific. His verbis legis XII. tab. VTI LEGASSIT, ITA IVS ESTO: ampliſſimam poteſtatem tributam teſtatoribus videri. Significat ergo Paullus, tantam eſſe teſtatoribus tributam hac lege poteſtatem, vt etiam ſi Prætorem aut Conſulem, qui cum ſummo imperio eſt, ſuis liberis tutorem inſtituant, eos ad hoc onus ſuſcipiendum obligent. Nunc ad legis verba veniamus. Quod ait lex, VTI LEGASSIT, pro eo eſt, quaſi dixiſſet, vti ſtatuerit, ſiue decreuerit; quemadmodum infra ſub primo capite de teſtamentis vberiùs exponemus. Quod ait, SVPER TVTELA SVÆ REI: mirum videri poteſt: quaſi Rei, id eſt, patrimonio tutela detur: cùm contrà noſtri teſtentur, tutores non rei aut cauſſæ, ſed perſonæ dari. l. quia perſona, 14. cum ſeq. D. de teſt. tut. qua de cauſſa tutela definitur, Vis & poteſtas non in bonis & patrimonio, ſed in capite libero. l. 1. D. de tutel. Et profectò ita eſt, vt tutela moribus potius ac diſciplinæ pupillorum, quàm fortunis & patrimonio comparata ſit. arg. l. tutores, 18. C. de excu. tut. Sed videamus ne id adiectum ſit propter ſuperius verbum PECVNIA: quaſi lex hoc capite de teſtatorum patrimonio tantùm & fortunis ſanxiſſet: & hoc ſingulare caput poſitum fuiſſet, in quo propriè de teſtatorum poteſtate in ſuorum bonorum aut proprietate aut adminiſtratione ad alios transferenda, cautum fuiſſet. Quod ait, ITA IVS ESTO: latiſſimam (vt ait Pomponius) teſtatorũ poteſtatem oſtendit. Itaque per hanc legem vis patriæ poteſtatis, etiam poſt patris mortem, & vſque ad pubertatem liberorum extenditur. quod
A enim pater in ſuo teſtamento de bonorum ſuorum adminiſtratione ſtatuit, id vſque ad liberorum pubertatem obtinet. l. vlt. C. quand. tut. vel cur.

Vt ſi paterfam. inteſtatò moreretur, agnatorum gentiliúmque in ipſius pupillis, eorumque pecunia poteſtas eſſet.

HVIVS teſtimonia multifariam extant. Vlp.
B in l. 1. D. de legit. tut. Legitimæ, inquit, tutelæ lege XII. tab. agnatis delatæ ſunt, & conſanguineis: id eſt, his qui ad legitimam hereditatem admitti poſſunt. hoc ſumma prouidentia: vt qui ſperarent hanc ſucceſſionem, iidem tuerentur bona, ne dilapidarentur. Item l. 5. Legitimos tutores nemo dat: ſed lex XII. tab. fecit tutores. Sic Vlpianus tit. reg. 11: Legitimi tutores ſunt, qui ex lege aliqua deſcendunt: per eminentiã autem Legitimi dicuntur, qui ex lege XII. tab. in-
C troducuntur. Quod verò INTESTATO MORITVR, poſuimus, in eo Iuſtinianum auctorem habemus: qui ſub tit. de legit. tut. ita ſcribit: Quod autem lex ab inteſtato vocat ad tutelam agnatos, non hanc habet ſignificationem, ſi omnino non fecerit teſtamentum is qui poterat tutores dare; ſed ſi quantum ad tutelam pertinet, deceſſerit inteſtatus, quod tunc quoq; accidere intelligitur, cùm is qui datus eſt tutor, viuo teſtatore deceſſerit. idemq; ſcribit Paulus, l. 6. D.
D eod. tit. Quod ait lex, AGNATORVM, Caius in l. 9. D. eod. tit. ſic interpretatur: vt, ſi plures agnati ſint, proximus familiam adipiſcatur: & ſi eodem gradu plures ſint, omnes ſimul tutelam naciſcantur. De Agnatorum autem & Gentilium differentia, ſatis copioſè in Commẽtario de verbis iuris diſſeruimus. Itaq;, quod veteri prouerbio vetamur, actum non agemus. Illud autẽ minimè videtur hoc loco prætermittendum, quod traditur in l. 3. §. pen. D. de legit. tut. & §. vlt. Inſt.
E de legit. agnat. ſucceſſ. Succeſſionem quæ lege XII tab. in agnatorum hereditatibus repudiabatur, in tutelis tamen admitti: vt ſi proximior nõ modò mortuus, verum etiam capite deminutus eſt, qui poſt eum eſt, in tutelæ adminiſtrationẽ ſuccedat. Nunc de legis æquitate nonnihil dicendum eſt. nam Solonis vulgo contrariũ inſtitutũ laudatur, cuius Diogenes Laertius teſtis eſt: vt ne ei tutela deferretur, ad quem pupilli morte patrimonium rediret. quippe: ne bonorum
F cupiditate inductus pupillorum vitæ inſidiaretur. Sed videamus ne laudabilior Decemuirorum, magíſque naturæ conſentanea ratio fuerit, qui non modò tanti ſceleris ſuſpicionem de conſanguineis & propinquis necandis bene morata ciuitate indignam eſſe iudicarunt: præſertim cùm minores natu conſanguinei liberorum propè loco eſſe videantur: verumetiam ex naturæ iure ſtatuerunt, nullos tota ciuitate deligi poſſe, quibus charior & commendatior agna-
G torum puerulorum ſalus eſſet. De bonis autem, Vlpiani nota ſententia eſt, ſumma prouidentia inſtitutum id fuiſſe, vt qui ſucceſſionem ſperarent, iidem tuerentur bona ne dilapidarentur. l. 1. D. illo tit.

Vt

Vt ſi quis doli mali, culpæve in tutela gerenda ſuſpectus videretur, eum cuiuis apud Prætorem ſuſpecti arguere ius eſſet: vtque doli damnatus infamis fieret.

HVIVS teſtis eſt Vlpianus l. 1. D. de ſuſp. tut. vbi ait, Suſpecti crimē è lege xii. tab. deſcēdere. Eodémque pertinere arbitror locum illum Ciceronis in iii. De officiis, vbi ſic ſcribit: Atque iſte dolus malus etiam legibus erat vindicatus: vt tutela xii. tabu. &c. Nam capite ſequenti de furti crimine agitur perſpicuè. Dolum autem malum Seruius definiebat: cùm aliud agitur, aliud ſimulatur. quod, cùm de tutoris peccato quæritur, in alia potius quæuis eius facta, quàm in furta conuenire videtur. Itaque Platonis hac de re lex noſtræ conſimilis exſtat in eius libr. De legibus xi: Ἐὰν δ᾽ ἐπίτροπος ἀμελῶν ἢ κακουργῶν δοκῇ τοῖς οἰκείοις, ἢ καὶ τῶν ἄλλων τινὶ πολιτῶν, εἰς ταὐτ᾽ ἀγέτω δικαστήριον: ὅτι δ᾽ ἂν ὄφλῃ, τετραπλασίαν μὲν τούτου τινέτω, γιγνέσθω δὲ τὸ μὲν ἥμισυ τοῦ παιδὸς, τὸ δ᾽ ἥμισυ τοῦ καταδικασαμένου τὴν δίκην. id eſt, Si tutor vel pupilli propinquis, vel ciui cuiuis alteri, culpæ dolive nomine ſuſpectus ſit, ad idem iudicium adductus, ſi damnetur, quadruplum ſoluito: cuius dimidium pupilli, dimidium accuſatoris eſto. Patet igitur iudicium hoc propterea inſtitutum fuiſſe, vt ſi tutor aliud agere, aliud ſimulare videatur, veluti ſi ſub ſpecie patrimonij pupillaris amplificandi. & maioris emolumenti ex fœneranda pecunia, quàm ex prædiorum fructibus capiendi, eius prædia diuendat, tum priuſquam longiùs hoc malum ſerpat, maturè à tutela remoueatur. Aliud autem iudicium comparatum fuiſſe, cùm quid furti in pupilli rebus admiſſum eſſet, diſſimiléque illius ab hoc noſtro rationem fuiſſe, deinceps ex capite ſequenti intelligamus.

Vt qui per tutelam pupillum fraudaſſe, eiúſque rem furatus eſſe conuinceretur, infamia notatus dupliones pœnam ſubiret.

HVIVS teſtis eſt Tryphoninus in l. tres tutores, 55. D. de admin. tut. vbi ſic ſcribit: Sed ſi ipſi tutores rem pupilli furati ſint, videamus an ea actione, quæ proponitur ex lege xii. tabu. aduerſus tutorem in duplum, ſinguli in ſolidum teneantur. Sed tutores propter admiſſam adminiſtrationem, non tam inuito domino contrectare eam videntur, quàm perfidè agere. Nemo denique dicet, vnum tutorem & duplum hac actione præſtare, & quaſi ſpecie condictionis, aut ipſam rem aut eius æſtimationem. Atque hæc nimirum actio eſt quæ dicitur, Rationibus diſtrahendis: quæ aduerſus eos demum tutores finita tutela competit, qui in tutela gerenda rem aliquam pecuniámve pupilli ſubtraxerint. nam in tutela ex vna obligatione duæ ſunt actiones: prior Tutelæ, quæ generalis eſt. l. pro ſocio, 38. D. pro Soc. & generaliter ad rationes exigendas pertinet. l. 1. §. 2. D. de tut. & rat. diſt. poſterior, Rationibus diſtrahendis, quæ ſpecialis eſt de iis rebus, quas quis in gerenda tutela ſubtraxit & in duplum, in quo ſimplum ineſt. d. l. tres tutores, & l. 1. §. conſiderandum, D. de tut. & rat. diſt. Itaq; ſi tutela actum eſt, agi hac non poteſt: at ſi hac, tamen illa, ob alias res ſupereſt. d. l. 1 §. pen. Conſiderandum eſt in hac actione, vtrum pretium rei tantùm duplicetur, an etiam quod pupilli intereſſit. Et magis eſſe arbitror, in hac actione quod intereſt non venire: ſed rei tantùm æſtimationem. Item l. 2. Hæc actio licet in duplum ſit, in ſimplo rei perſecutionem continet, non tota dupli pœna eſt. Quibus ex verbis videamus, an locus ille inſignis commodè illuſtrari poſſit, qui eſt in primo Ciceronis de Orat. his verbis: Vbi Scæuola de tutelæ iudicio commemorans: Alter, inquit, plus lege agendo petebat, quàm quantum lex in xii. tabulis permiſerat. Veriſimilius enim videtur oratorē illum quem Scæuola perſtringit, totum duplum pœnæ nomine petiiſſe, atque hoc nomine plus, quàm ex lege liceret, poſtulaſſe: quàm (vt nonnulli interpretantur) tam ſtultè imperitum fuiſſe, vt triplum aut quadruplum ex ea lege peteret, quam etiam pueris conſtabat duplum duntaxat impoſuiſſe. Sed hæc quidem hactenus. Cicero in Orat. pro Cæcina, vbi ait: Turpe iudicium dari aduerſus eum, qui per tutelam aliquem fraudarit. Itémque in Orat. pro Comœdo: Vbi inter iudicia ſummæ exiſtimationis & pœnæ dicam capitis, tutelæ iudicium enumerat.

QVÆ de iure perſonarum ex xii. tabularum fragmentis reperiri potuerunt, hactenus expoſita ſunt. Deinceps ordo poſtulat, vt quæ de rebus reliqua nobis ſuperſunt, proferamus. Ac primo quidem huius ordinis loco digna ea lex videtur, in qua ſacrorum populi Rom. ratio attingitur.

Ne quis rem litigioſam in ſacrum dedicaret: qui dedicaſſet, dupli pœnam ſubiret.

EIVS autē teſtis eſt Caius, in l. vlt. D. de litig. (quam inſcriptio demōſtrat ex xii. tab. ſumptam eſſe) vbi ſic ſcribit: Rem de qua controuerſia eſt, prohibemur in ſacrum dedicare: alioqui dupli pœnam patimur: nec immeritò, ne liceat eo modo duriorem aduerſarij cauſſam facere. Duplum autem aduerſario præſtandum eſt: vt id veluti ſolatium habeat, pro eo quod potentiori aduerſario traditus eſt. Multam igitur ſtatuit lex iis, qui rem, de qua controuerſia eſt, dedicāt: propterea quòd non tam religionis ſtudio, quàm aduerſarij fraudandi animo id feciſſe videntur. Deinde ne facultas malæfidei poſſeſſoribus detur, dominos rerum ſuarum dominiis euertendi, ſi, vt primùm ea de re mota erit controuerſia, eam dedicare licebit. Simillima ferè P. Clodij ratio fuit, qui Ciceronis in exilium eiecti aream conſecrauit, libertatíſque fanum in ea dedicauit: qua de re exſtat eius Oratio quæ pro domo ſua inſcribitur.

Vt ſi quis viam alteri deberet, tam munitam præſtaret: ſi ea immunita eſſet, qua vellet is cui ea deberetur, iumentum ageret.

HVIVS exſtat teſtimonium apud Ciceronē in Orat. pro Cæcina: vbi de lege xii. tab. diſſe-

Ambitus propriè dicitur inter vicinorum ædifi-
cia, locus duorum pedum, & ſemipedis, ad circũ-
eundi facultatem relictus. Atque hoc nimirũ eſt,
meo quidem iudicio, quod Legitimum ſpacium
appellatur in l. Imperatorea, D. de ſeruit. vrb.
præd. Indéq; dictæ Inſulæ, quæ (vt Feſtus ſcribit)
non iunguntur cõmunibus parietibus cũ vicinis,
circuitúq; publico aut priuato cinguntur. Itaq;
vbi non inſulæ ſed domus ſunt, quæſitum inter
Iuriſconſultos fuit, quiſtum ambitus ædium dici
videretur. P. autẽ Scæuola id eſſe reſpondit, quo-
ad parietis communis tegendi cauſa tectũ pro-
iiceretur: ex quo in eius ædes qui protexiſſet, a-
qua defluerer. Sic enim locum illum in Ciceronis
Topicis iampridem reſtituimus: eiuſq; ſententiã
in primo noſtrarum Obſeruationum explicaui-
mus. Atque hæc quidem huius capitis argumẽ-
ta fuerunt. Nunc quæ in coniectura incertiſſima
poſita ſunt, nihil affirmantes, in mediu ponemus
Vitruuius igitur lib. II. cap. VIII. ſic ſcribit: Leges
publicæ non patiuntur maiores craſſitudines,
quàm ſeſquipedales conſtitui loco communi.
Ceteri autem parietes, ne ſpacia anguſtiora fie-
rent, eadẽ craſſitudine collocantur. Lateritij ve-
rò ſeſquipedali craſſitudine nõ poſſunt pluſquam
vnam ſuſtinere contignationem. Plinius autem
lib. XXXV. cap. XIIII. Romæ, inquit, non fiunt
talia ædificia (de lateritiis parietibus loquitur)
quia ſeſquipedalis paries non plus quàm vnam
contignationem tolerat: cautúmque eſt, ne com-
munis craſſior fiat: nec intergerinorum ratio pa-
titur. Quibus ex verbis ſuſpicari aliquis poſſet, de
ſeſquipedali pariete cautum aliquid in XII. tabu-
lis fuiſſe: ſed quia nondum eius rei certius argu-
mentum reperire potuimus, ſuperioris capitis
fragmentis contenti erimus.

Vt ſi cuius arbor in vicini agrum impenderet, eam dominus pedes quindecim à terra altius coerceret.

HVIVS exſtat teſtimonium apud Vlpianum in
l. 1. D. de arb. cædũd. vbi Prætoris in eandem
ſententiam interdictũ hoc profert: QVÆ ARBOR
ex agro tuo in agrum illius impẽdet, ſi per te ſtat
quo minus pedes quindecim à terra eam altius
coërceas: tũc quo minus illi ita coërcere, lignaq;
ſibi habere liceat, vim fieri veto. Infert autẽ ſic:
Quod ait Prætor, & lex XII. tabularũ efficere vo-
luit, vt quindecim pedes altius rami arboris cir-
cuncidantur: & hoc idcirco effectũ eſt, ne vmbra
arboris vicino prædio noceret. Qua de re Paulus
quoq; lib. ſent. V. cap. VI. ſic ſcribit: Arbor quæ in
vicini agrũ imminet, niſi à domino ſublucari nõ
poteſt: iáque conueniendus eſt, vt eam ſublucet.
quod ſi facere noluerit, à vicino luxuries ramo-
rum compeſcatur. Quibus ex verbis exiſtimari
poteſt, verbo SVBLVCANDI legem XII. tab.
vſam fuiſſe: quaſi Sublucare ſit, ſubiecto Solo lu-
cem immittere: & (vt ipſe Paulus interpretatur)
luxuriem ramorum compeſcere. Exſtat autem
eodem Pandectarum capite, interdictum de ar-
boribus, quæ in alienas ædes impendent: quo
ſuccidi eas præcipitur: de quo ecquid XII. tabulis
cautum fuerit, mihi quidem incertum eſt. Illud
autem quod lege ſecunda Pomponius adſcribit,
ad hunc locum pertinet: Si arbor ex vicino fun-
A do vento inclinata in tuum fundum ſit, ex lege
XII. tab. de adimenda ea rectè agi poſſe, ius ei
non eſſe ita arborem habere.

Vti glandem ſuam in alienum fundum procidentem colligere ius eſſet.

HVIVS teſtis eſt Plinius, qui lib. XVI. cap. V. ſcri
bit, glãdes opes fuiſſe etiã ſuo tempore mul-
tarũ gentiũ, per Hiſpanias quoq; ſecundis men-
B ſis inferri. cautum præterea lege XII. tab. vt glan-
dem in alienum fũdum procidentem liceret col-
ligere. Quibus verbis apertè Plinius ſignificat, &
de vera glandẽ legẽ locutam: & priſcis illis tẽpo
ribus Romanos glande interdum pro cibo vſos
fuiſſe. Caius autẽ legem hanc, vt credi par eſt, in-
terpretãs libro ad XII. tabulas quarto, ſic ſcribit:
Glandis appellatione omnem fructum contineri,
exemplo Græci ſermonis, apud quos omnes ar-
borum ſpecies ἀκρόδρυα appellantur. l. 236. D. de
C verb. ſignific. In eandem autem legis veteris ſen-
tentiam exſtat hoc Prætoris interdictum: GLAN-
DEM quæ ex illius agro in tuum cadat, quo mi-
nus illi tertio quoque die legere, auferre liceat,
vim fieri veto. l. vn. D. de gland. leg. Neque verò
prætermittendum eſt, quod ſcribitur in l. Iulia-
nus, 9. §. 1. D. ad exhib. Si glans ex arbore vicini
in fundum meum incidit, eamque ego immiſſo
pecore depaſcam: vicino Ad exhibendum actio-
nem competere: nam etſi glans exſtaret, nec pa-
D teretur illam tollere, ad exhibendum teneret.
Denique ſiue glans exſtet, ſiue conſumpta ſit, ad
exhibendum actio dabitur. Sed ſi exſtet, etiam
interdicto De glande legenda, vt tertio quoque
die legendæ glandis facultas ſit, agere poterit, ſi
damni infecti cauerit.

Vt vſus, auctoritas fundi, biennis: ceterarum rerum, annus eſſet:

E ADVERSVS HOSTEM ÆTERNA AV-
CTORITAS ESTO.

PRIORIS capitis ſententia exſtat apud Cice-
ronem in Orat. pro Cæcina: vbi ſic ſcribit:
Lex vſum, auctoritatẽ fundi iubet eſſe biennũ:
At vtimur eodem iure in ædibus, quæ in Legẽ
non appellantur. Et in Topic. Quod in re pari va-
let, valeat in hac quæ par eſt: vt quoniam vſus au-
ctoritas fundi biennium eſt, ſit etiam ædium. At
F in Lege ædes non appellantur, & ſunt ceterarum
rerum omnium, quarum annuus eſt vſus. Valeat
æquitas, quæ paribus in cauſſis paria iura deſide-
rat. Quibus in locis iam pridem diſputauimus
pro BIENNIVM legendum eſſe BIENNEM.
niſi fortè Biennius pro Biennis Veteres dixerint:
quod fortaſſe ex Frontino ſuſpicari aliquis poſ-
ſet: Biennem quidem & Triennem & quadrien-
nem latinè dici, nemo ignorat. Illud autem anim-
aduertendum eſt, quod traditur in l. 7. D. de vſur-
pat. Annum hac in lege non naturaliter à mo-
G mento ad momentum, ſed ciuiliter à die ad diem
numerari. Vt qui ad extremum anni diem perue-
nerit, annum compleſſe intelligatur. l. 6. & l. 7. D.
de vſurp. Auctoritatis autẽ verbo ius legitimi do
minii lex ſignificat: vt in Orat. p domo ſua. Mul-
tæ ſunt domus in hac vrbe, atq; haud ſcio an pe-
nè cunctæ, iure optimo, ſed iure priuato, iure he-

ſeditatio, iure auctoritatis, iure mancipij, iure nexi. Et in lege proxima: ADVERSVS HOSTEM ÆTERNA AVCTORITAS. quam ex Ciceronis lib. de offic. 1. ſumpſimus: vbi ſic ſcribit: Equidem illud etiam animaduerto, quòd qui proprio nomine perduellis eſſet, is hoſtis vocaretur: lenitate verbi triſtitiam rei mitigante. Hoſtis enim apud maiores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant XII. tabulæ: AVT STATVS DIES CVM HOSTE. Itémque: ADVERSVS HOSTEM ÆTERNA AVCTORITAS. Iubet igitur lex vſucapionem ciuium R. eſſe propriam: aduerſus peregrinos, ſemper ius in rem ab illis poſſeſſam, integrum illibatúmque manere.

Vt vicini ne inter ſe iurgarent, eorum quiſque in agris ſuis finibus quinque pedes relinquerent, quos vſucapio ius non eſſet. Vtique qui ſepem ad vicini agrum poneret, terminum ne excederet: qui maceriam, pedem relinqueret: qui domum, pedes duos. qui ſepulcrum ſcrobémve foderet, quantum id altum eſſet, tantum ſpacij relinqueret: qui puteum, paſſus latitudinem: aſt qui oleam, ficúmve plantaret, nouem pedes ab alieno: qui ceteras arbores, ad pedes quinque relinqueret.

HARVM reliquiarum teſtem habemus Ciceronem lib. de legib. II. his verbis: Ea hac autē non rerum, ſed verborū diſcordia, controuerſia nata eſt de finibus: in qua, quoniam vſucapionem XII. Tabulæ inter quinque pedes eſſe noluerunt, depaſci veterem poſſeſſionem Academiæ ab hoc acuto homine non ſinemus: nec Mamilia lege ſinguli. ſed ex XII. tres arbitri fines regemus. Sic enim locus ille ex antiquis libris reſtituitur. De Mamilia autem lege quæ veterem illam quinque pedum perſcriptionem renouauit, Aggenus in lib. de limit. agror. ſic ſcribit: De fine lex Mamilia quinque aut ſex pedum latitudinem perſcribit: quoniam hanc latitudinem vel iter ad culturas accedens occupat, vel circumactus aratri, quod vſucapi non poteſt. Iter enim non quà ad culturas peruenitur, capitur vſu, ſed id quod in vſu biennio fuit. Patet igitur legem quinque pedum ſpacium atque interuallū à termino perſcripſiſſe, id eſt, relinqui iuſſiſſe: vt ad culturam iter eſſet: atq; vt omnis iurgandi occaſio præcideretur, vetuiſſe, ne ſpacium illud vllo longinqui temporis vſu à vicino caperetur. Idq; vſq; ad Theodoſij tēpora valuiſſe, duo illius reſcripta demonſtrant: quorum alterum eſt apud Frontinū his verbis: De ſpacio quinque pedum, qui veteri iure perſcripti ſunt, ſine obſeruatione temporis arbitros iuſſimus iudicare. Alterum in l. 5. C. finium regend. cuius hæc verba ſunt: Quinque pedum perſcriptione ſummota, finalis iurgij libera peragatur intentio. Qua lege iubet arbitros in finibus regendis non reſtricte legitimum illud ſpacium exquirere, ſed vti commodum illis erit, fines regere. Quæ verò in lege noſtra conſequuntur, teſtimonium habent ex l. vlt. D. famil. erciſc. quam ex quarto Caij ad legem XII. tabularum libro deſcripta eſſe, inſcriptio demonſtrat. Quod autem de termino mentio in lege hac facta eſt, argumēto eſt, de eo cautū nominatim aliqua legis parte fuiſſe: præſertim cùm de eo tam accuratè Numa ſanxiſſet. cuius in lege (vt Dionyſius & Plutarchus tradunt) cautum fuerat, vti vicini terminum figerent Ioui ſacrum, qui propterea Terminalis diceretur: vtique ſacra anniuerſaria ei deo ſtato die facerent: vtique qui terminum ſciens dolo malo mouiſſet, Ioui ſacer eſſet. Cuius rei Dionyſ. lib. II. Plutarchus in Numa, & problem. itémque Varro, & Feſtus auctores ſunt. Sacri autem eius quod ad Terminum fiebat, rationem prodit Siculus Flaccus lib. de cond. agror. in quo etiam illud eſt, quod ad ſepulcra de quibus lex cauet, pertinet: moris ſcilicet fuiſſe, vt in extremis finibus fierent, & cippos imponerent. Hactenus de agrorum terminis expoſita lex eſt, quam conſtat ad impedienda vicinorum iurgia comparatam fuiſſe. Deinceps aliud caput ſequitur, quod ad eadem iurgia, ſi qua forte nata ſunt, tollenda, diſceptandasque vicinorum controuerſias pertinet: quod etſi magis idoneum locum ſub Rubrica de iudicijs habuiſſet, quippe cùm ad dirimendas lites, vt iam dixi, pertineat: tamen quia de vicinorum iurgiis hoc loco diſſeritur, nihil viſum eſt incommodi hanc illi quaſi appendicem attexere.

VT SI VICINI INTER SE IVRGANT, *finibus regundis arbitros tres darent: eisque totius rei ius arbitriúmque permitterent.*

HARVM autem reliquiarum fragmenta extāt, primùm apud Ciceronem in lib. de Repub. IIII. vbi auctore Nonio ſic ſcriptum eſt: Iurgari igitur lex vetat inter ſe vicinos: non litigare. Item: Admiror non rerum ſolum, ſed verborum etiam elegantiam. SI IVRGANT, inquit. Beneuolorum concertatio, non lis inimicorum, iurgium dicitur. Reliqua verò ex illo Ciceronis loco, qui eſt in II. De legibus, ſumpta ſunt. Nec Mamilia lege ſinguli, ſed ex XII. tres arbitri fines regemus. Sic enim illum nobis locū Iacobus Cuiacius vir doctiſſimus ex vetuſtis libris reſtituit. Cuius loci ſententiam in commentario Verborum Iuris, cùm de quinque pedū vſucapione diceremus, expoſuimus. Totius autem rei poteſtatem idcirco arbitris permitti diximus, quia licet iis, ſi forte fines commodè dirimere non poſſunt, adiudicatione controuerſiam definire. Et ſi fortè amouendæ veteris obſcuritatis gratia per alium regionem fines velint dirimere, poſſunt hoc facere per adiudicationem & condemnationem: id eſt, vt is cui finium diſtinguendorum cauſſa pars agri alieni adiudicatur, alteri certam in pecuniā condemnetur. l. 2. & 3. D. fin. regund. Regi autem fines dicuntur (vt in Ciceronis Topica Boëtius definit) quoties vnuſquiſque ager propriis finibus terminatur.

PATERFAM. VTI LEGASSIT SVPER FAMILIA PECVNIAQVE SVA, ITA IVS ESTO.

HVIVS capitis teſtes ſunt Pomponius in l. verbis, 120. D. de verb. ſignifi. & Iuſtin. §. 1. De leg. Falcid. quorum tamen vterque, verba legis preciſè ſic profert: VTI LEGASSIT SVÆ REI ITA IVS ESTO. vbi videlicet, hæc deſunt

SVPER

SVPER PECVNIA TVTELAVE. Nam Vlpianus cap Inſt.xi.legem ita profert: Vti legaſſit ſuper pecunia tuteláve ſuæ rei,ita ius eſto:vbi coniunctim & de pecunia, & de tutela cautum in lege ſignificat:de quo tamẽ affirmare nihil poſſumus. Sed quia certum nobis ordinem,legúmq; deſcriptionem propoſuimus, propterea melius eſſe iudicauimus,ſuo quamq; rem loco exponere:idque eò magis,quia & in libro De inuentione II.& ad Herenn.I.bis edita eſt lex verbis: Paterfa.vti ſuper familia pecuniáve ſua legauerit, ita ius eſto. Primum igitur quod ait lex, PATERFAMILIAS: ſic accipiendum eſt: ſolis patribusfa. teſtandi ius fuiſſe. filiisfa.ne patribus quidẽ auctoribus fuiſſe l.6.D.de teſtam. quippe qui ſuum nihil haberẽt: vti ſcribit Vlpianus cap.Inſtit.xx. Quod verò ait LEGASSIT, verum eſſe oſtendit,quod & Vlpia. cap. Inſt. XXIV. & Eutychius lib. II. De diſcer. coniug.ſcribunt.Legandi verbum à lege fictum: vt Legare nihil aliud ſit quàm ſtatuere,decernere,&(vt vulgus loquitur)diſponere:ſiue de hereditate,ſiue de legatis & donationibus teſtamẽto relinquẽdis,ſiue etiam de libertatibus dandis,ſiue de tutelis cõſtituendis agatur: quemadmodũ docet Pomponius in l.verbis,120.& l.in generali,80.D.de verb.ſignific.l.in repetendis,63. D.de legat. tertio. Liuius lib. I. Numitori, qui ſtirpis maximus erat,regnum vetuſtum ſyluię gentis legat. Iam verò,quòd ait Lex, SVPER FAMILIA, familiæ appellationem,id eſt,bona patrisfa.& in his ſeruos ſeruaſque hoc loco ſignificari, tradit Vlpianus in l.pronunciatio,195.D.de verb. ſignif. Vnde illud Terentij: Decem dictum vix mihi eſit familia. Vnde etiam Familiæ emptor in teſtamentis dicebatur,qui teſtatoris patrimonium vniuerſum coëmebat:inde Familiæ erciſcundæ iudicium,id eſt,hereditatis diuidendę.Quare quod adſcriptũ eſt PECVNIAQVE,nihil neceſſe fuit adiici,niſi ad planiorem interpretationem: quoniam eo quoq; verbo non modò pecunia numerata, verùm etiam res omnes tam ſoli, quàm mobiles, & tam corpora, quàm iura continentur.l. pecuniæ,222.l.pecuniæ,179.D.de verb.ſignific.l. pen.C.de conſtitut. pecun. SVA verò quod addidit, ſignificat de re ſua quemque teſtari oportere. Nam etiam in legatis,alienæ rei quam ſuam teſtator putaoit,legatum nullum eſt.l.vnum,67. §.6. De legat.ſecundo.l.com alienam, 10. C. de legat.Quod verò adſcriptum eſt, ITA IVS ESTO: ſummum teſtamentorum ius eſſe oſtendit; quemadmodum Cicero Philipp.II.ſcribit: In publicis actis,nihil eſt lege grauius: in priuatis, firmiſſimum eſſe teſtamentum. Qua de cauſſa Pomponius in l.verbis,120.D.de verbor. ſignific. Verbis legis XII. tabularũ,inquit, VTI LEGASSIT, ITA IVS ESTO: latiſsima poteſtas tributa videtur,& heredes inſtituendi,& legata & libertates dãdi: tutelas quoq; cõſtituendi. Eodemq; ex fonte illud fluxit,quod Vlpianus cap.Inſtitut.XIX.ita ſcribit: Lege nobis acquiri, veluti legatum ex lege XII. tab.ſiue mancipi res ſit,ſiue nec mancipi. Atque hęc quidem ad legis interpretationem dicta ſint: ex quibus intelligitur, teſtamẽtorum ſummũ ius eſſe: qua de cauſſa huius loci ratio poſtulat, vt eos caſus enumeremus,quibus teſtamenta rumpuntur,dumtaxat de quibus dubitari poteſt, verum ex lege XII. tab.illi ſint,an non ſint. Nemo enim A hodie(vt opinor) ſcriptor eſt, quin apertè atque aſſeuerãter affirmet,regulas illas vulgares, Agnatione poſtumi teſtamentũ rumpi. itẽ, Suos, ſiquidem poſt mortem noſtram naſcantur, iure ciuili inſtitui poſſe: ex numero legum XII. tabularum fuiſſe. Animaduerti ergo ſex illas, ſeptémve vulgatas & decantatas regulas,quæ ab Vlpiano traduntur cap.Inſtitut.XXII. non XII. tabularum leges fuiſſe: ſed potius ſententias & aphoriſmos quoſdam à Iuriſconſultis ex mẽte XII. tabularum B delibatos,& quaſi ex illarũ ſucco expreſſos. Nam quod ad primã attinet, Præteritione filiifa. teſtamentum vitiatur.l.I.D.de iniuſt.rup.ſuperius vel ex eo ſolo docuimus certam XII. tabularum legem non fuiſſe,quia Cicero in I. De orat. apertè ſcribit.ius illud quondam,id eſt,poſt XII. tabulas controuerſum fuiſſe: nimirum antequam Iuriſconſultorum auctoritate pro regula confirmata & innetetata eſſet. Seqoitur II. Agnatione poſtumi ſui præteriti teſtamentum rumpitur. d. C l.I.de iniuſt.teſt. quippe qui ſuorum numero eſt: vt ibidem Vlpianus tradit. Hanc autem à Iuriſconſultis cõpoſitam fuiſſe, Cicero duobus in locis teſtatur: quorum prior eſt in Orat. pro Cęcina: vbi,cùm de Iuriſconſultorum placitis, eorumq; auctoritate diſputaret,duo hæc quaſi exempli loco profert: Cui filius agnatus ſit,eius teſtamẽtum eſſe ruptum. Item: Quod mulier ſine tutore auctore promiſerit,non deberi. Alter locus eſt in I. De orat.vbi Antonius de iure eo diſputãs, quod D inter Iuriſconſultos non ambigitur, quod propterea noſtri ius conſtitutum appellant, eius hoc exemplum profert: Numquis eo teſtamẽto,quod paterfa.ante fecit,quàm ei filius natus eſt,hereditatem petit?nemo. quia conſtat agnaſcendo rũpi teſtamentum. Neque ad rem pertinet, quod traditur in l.6.& 7.D. de ſuis & legit. Legem XII. tabul.vocare ad hereditatem eum, qui moriente eo de cuius hereditate agitur, vel in rerũ natura E erat,vel iam viuo illo conceptus fuerat. primùm quia illis in locis agitur de inteſtatorũ hereditatibus: longè autem aliud eſt,eum qui eſt in vtero vocari ad agnati inteſtati hereditatẽ,aliud agnatione poſtumi ſui præteriti, patrisfa.teſtamentũ rumpi. Deinde quia neqoe ille locus, neque item alter ſimilis, in l.pen.D.de ſtatu homin.vbi Iulianus ſcribit, Legitimas hereditates poſtumis reſtitui: quicquã de verbis legis probat. Nemo enim ignorat, Legitima dici non tantùm ea,de quibus F nominatim in lege cautum eſt: verum etiam quæ ex legis ſententia hauſta & delibata ſunt. l.6. D. de verb.ſigni. Vnde legitima patronorum & parentũ tutela.l.3.D.de legit.tut.& lib.Inſta.de legit. patron.itemq; de legit.parent.tut. Deniq; Vlpianus cap.XXII.ſatis planè id oſtendit. Cùm enim regulam hanc edidiſſet, ſui aut inſtituendi ſunt,aut exheredandi: mox infert: Poſtumi autem ſuorum quoque numero ſunt. Sequitur III. Filiifam.pręteritio teſtamentum vitiat: filię autem & nepotis non vitiat: ſed ſcriptis heredibus accreG ſcunt quod Vlpianus d.cap.XXII.tradit: & Iuſtin. §.I.de exhered.lib.& Paulus lib.Sent.III.cap.de teſtament. Itemq; Caius lib.Inſtit.II. cap.III. Nã hanc quoque regulam non ex verbis legis eſſe, vel ex eo patet. quod ſuperius docuimus, toties Iuſtinianum teſtari,legem XII.tab. inteſtatorum hereditates fœminis æquè ac marib.adiudicaſſe.

Quod ſi quis quærat, Verbiſne igitur legis Iuriſconſulti adverſantur? imò verò (reſpondeo) eius ſe menti ac ſententiæ quoad poſſunt, accommudant: quod apertè apud Vlpianum depreheudi: quē in l. 8. D. de iniuſt. rupt. ſic ſcripſiſſe arbitror: Filia vel nepos, quia cùm emancipantur, vna mancipatione exeunt de poteſtate, teſtamentum non rumpunt. Sic enim reſtituendum illum eſſe locum, iampridem docuimus: vt ſit ſenſus: Propterea non videri tantum eſſe ius filiæfam. & B nepoti præteritis, in hereditate patris auive, quantum eſt ius filiifam. quia non pari modo patriæ poteſtati ſubiecti ſunt. filius enim non niſi tertia emancipatione liberatur: cæteri verò prima: quemadmodum ſuperius ſuo loco docuimus. Quare Iuriſconſulti conſentaneum eſſe legis menti crediderunt, exiſtimare legem non tam præfinitè patrum hereditatem his attribuiſſe, quàm filiofam. ac propterea leuius illorum præteritionem ferendam eſſe: quaſi pater non tantum bis, quantum filio debuerit. C Sequitur IIII. Poſtumos qui ſui poſt mortem noſtram naſcentur, licet heredes inſtituere. quam regulam Vlpianus eodem capite ſic edidit: Eos qui in vtero ſunt, ſi nati ſui heredes nobis futuri ſunt, poſſumus inſtituere heredes, ſiquidem poſt mortem noſtram naſcantur, ex iure ciuili: id eſt (vt omnes interpretantur) ex XII. tab. Vnde etiam in l. Gallus, D. de lib. & poſt. Ius antiquum doctiſſimi quique viri hanc ipſam XII. tab. legem interpretantur. D Sed videamus, ne non ſatis id attentè & conſideratè dicatur. Quàm enim abſurdum eſſe exiſtimare, legem id teſtatorum arbitrio permittere, quod paulò ante tam vehementer ſeuerèque præceperat. Docuimus enim legem ita ſuis heredib. paternam hereditatem adiudicaſſe, vt Iuriſconſulti non dubitarint nobis hanc regulam quaſi ſanctionem legi nominatim adſcriptam tradere: Suorum præteritione teſtamentum vitiari: Suorum porro numero E poſtumos de quibus agitur, habendos eſſe: quaſi ſcripta lex ita fuiſſet: Sui heredes, quorum è numero poſtumi ſui ſunt, ita rei paternæ domini ſunto, vt niſi pater eos nominatim exheredarit, eius domini: etiam contra ipſius teſtamentum permaneant. Quid igitur abſurdius eſſet, quam poſt hanc legem quæ nominatim inſtituendi neceſſitatem teſtatoribus impoſuit, alienam ita ſubiungere: Poſtumos qui ſui nobis naſcentur, inſtituere ius eſto? Modò enim edixeras, niſi in- F ſtituerentur, teſtamentum ruptum iri. Ex eodem genere alter hic error eſt: Poſtumos alienos iure ciuili, id eſt iure XII. tabularum inſtitui non poſſe. quem errorem iam pridem in paraphraſi legis Gallus confutauimus: vbi probauimus, vel hinc intelligi poſſe, non nominatim ac diſertè vetitam à lege XII. tabularum alieni poſtumi inſtitutionem fuiſſe, quia Prætor ei bonorum poſſeſſionem decernit: vti ſcribit Iuſtinianus §. 1. de bon poſſ. Vlpianus autem in l. non eſt, 12. D. de G bon. poſſ. teſtatur, vbi lex hereditatem capi vetat ibi bonorum poſſeſſionem non dari: vnde efficitur, Iuriſconſultorum hanc habendam eſſe regulam, quæ duabus hiſce cauſsis nitatur: primùm, quia ſiue inſtitueretur, ſiue exheredaretur filius, ſemper tamen ob iſtam nepotis inſtitutionem, qui in eius poteſtatem re-

A caſurus fuerat, heres futurus erat. Deinde quia pupillariter ei ſubſtitui non potuiſſet, propterea quòd auo mortuo in patris ſui poteſtatem recaſurus erat. Denique quia ſi natus teſtamenti tempore fuiſſet, ſuus non fuiſſet. Quod verò Theophilus §. 1. Inſt. de bon. poſſ. iuris ciuilis nomen de XII. tabulis interpretatur, nos id in Inſtitut. commentariis abſurdum minimèque conſentaneum eſſe docuimus: Sequuntur duæ poſtremæ regulæ V. & VI. Filiusfamil. nominatim exheredator: fi- B lia verò & reliqui etiam inter cæteros. Item, Poſtumus filius nominatim exheredator: poſtuma filia, & reliqui etiam inter ceteros. Quas regulas non modò in XII. tabulis nominatim non fuiſſe: verum etiam cum eius verbis prima ſpecie pugnaſſe, ſuperius ex eo probauimus, quòd lex XII. tabularum nullam prorſus inter ſexus differentiam admiſit: ſed æquo loco & fœminas & mares habuit, neque tamen idcirco Iuriſconſultos in hac inducenda differentia legi aduerſatos eſſe C credendum eſt: imò verò eius menti quodammodo ſubſeruiſſe, ſuperius ex ratione l. 8. D. de iniuſt. reſt. demonſtrauimus. Verùm hoc de caſibus qui à lege XII. tab. aduerſus teſtamentorum ius ſummum introducti putabantur, hactenus. Ex quibus ſemel intelligi potuit, nondum ſatis planè conſtare, legem XII. tabul. vllam de poſtumis mentionem nominatim feciſſe: quod tamen in ſcholis noſtris valde nouum & paradoxum prima ſpecie videbitur.

D

Vt cùm paterfa. ſuper familia ſua legaret, nexum faceret: perque as & libram familiam manciparet: ac præter libripendem ciues R. puberes ne minus quinque pr ſ.ntes ad finem vſque adhiberet.

HVIVS capitis argumentum ſuppeditat primùm Gellius lib. XV. cap. XIII. cùm ait in XII. tabulis eo loco vbi de teſtamentis agitur, libri- E pendis mentionem fieri. deinde Vlpianus cap. Inſt. XX. reliqua ſic explicat: Hodie ſolum eſt in vſu teſtamentum illud quod per æs & libram fit: id eſt, per mancipationem imaginariam: in quo teſtamento libripens adhibetur, & familiæ emptor, & non minus quam quinq; teſtes, cum quibus teſtamēti factio eſt. Item, In teſtamēto quod per æs & libram fit, duæ res agūtur: familiæ mācipatio, & nuncupatio. Nuncupatur teſtamentū F in hunc modum: Tabulas teſtamenti teſtator tenens, ita dicit: Hæc vti his tabulis cerisve ſcripta ſunt, ita do, ita lego, ita teſtor: itaq; vos Quirites teſtimonium præbetote. Agellius autem lib. XV. cap. XXVII. Tertium, inquit, teſtamenti genus eſt, per familiæ mancipationem, cui æs & libra adhibetur. Item Iuſtinianus lib. Inſt. II. Acceſſit, inquit, genus teſtamentorū, quod dicebatur Per æs & libram. ſcilicet quia per mancipationem, id eſt, imaginariam venditionem agebatur: quinque teſtibus & libripēde, teſtibus R. puberibus, & eo G qui familiæ emptor dicebatur. Æris autem & libræ adhibendæ formulam Boëtius in Ciceronis Topica, ex Caii noſtri inſtitutionibus exponit: vnde aſſumi poterunt, quæ cuique opus eſſe videbuntur. De familiæ verò emptore Plutarchus in lib. de Sera Dei animaduerſione: ὅταν, inquit, διαθήκας γράφωσιν, (de Romanis loquitur) ἕτερον

μὲν

μὴ ἀπολείπωσι κληρονόμους, ἑτέροις δὲ πωλῶσι τὰς οὐσίας: ὃ δοκεῖ παράλογον. Romani, inquit, cũ teſtamẽta ſcribunt, alios quidem relinquũt heredes, al.ix verò familiam vendunt: quod abſurdum videtur. Hoc autem ob eam cauſſam fiebat, vt quis ſcriptus heres eſſet, ignoraretur: ne ſcilicet illius vitæ à legitimis heredibus inſidiæ fierent. Itaq; cõplicatæ plerũq; teſtamenti tabulæ & teſtibus obſignandæ præbebantur: neq; quis, quáve ex parte inſtitutus heres eſſet, ſciebatur: Indéque illud conſtitutũ fuiſſe conſtat, quod Iuſtinianus in §. ſed neq; 5. de teſtam. ſcribit, vt heredes quidem teſtes adhibere liceret: familiæ autem emtores, eóſve qui eorum in poteſtate eſſent, non liceret.

CVM NEXVM FACIET, MANCIPIVMQVE, VTI LINGVA NVNCVPASSIT, ITA IVS ESTO.

EXSTANT hæ reliquiæ partim apud Feſtum, vbi ſic ſcribit: Nuncupata ſunt, propriis nomi C nibus pronunciata. CVM NEXVM FACIET, MANCIPIVMQVE, VTI LINGVA NVNCVPASSIT, ITA IVS ESTO: id eſt, ita vti nominarit, locutúsve erit: partim apud Ciceronem in 1 de Orat. vbi Antonius ita Craſſum alloquitur: Lapides mehercule flere coëgiſſes, vt totũ illud VTI LINGVA NVNCVPASSIT, non in XII. tabulis, ſed in magiſtri carmine ſcriptum videretur. Quod autem nexum mancipiúmque lex dicit, illud ipſum ſignificat, quod proximo capite verbis aliis expo D ſitum eſt, nimirum per æs & libram: quemadmodum poſterius ſub Rubrica de rebus contrahendis magis idoneo, vt opinor, loco, explicabitur. Iubet igitur lex, vt quod teſtator heredem nuncupans, de ſuis bonis decreuerit, id ius ratúmque ſit. Quæ verba quæri poteſt, ecquid potius ad ea teſtamenta quæ per nuncupationem, quàm ad ea quæ per ſcripturam fiebant, præcipuè pertineant. de quibus tres . . . æ Sabinij regulæ ſiue præceptiones traduntur in l. heredes, 21. D. qui teſtam. fac. E poſſ. Heredes palam ita vt exaudiri poſſint, nuncupandi ſunt. In teſtamentis teſtes rogati adeſſe debent: vno contextu actionis teſtari oportet. Horum enim nuncupatorum teſtamentorum vſum antiquo iure, ac propterea lege XII. tab. fuiſſe, documento eſt illud quod in vita Horatij ſic ſcribitur: Deceſſit herede Auguſto palam nuncupato: cum vrgente vi valetudinis non ſufficeſet ad obſignandas teſtamenti tabulas. Vt enim ea teſtamenta valerent, lege certè confirmata o F portuit. Quod ſi ita eſt, dicendum quoque eſſet, nexum mancipiúmque in hoc nuncupatorũ teſtamentorum genere adhiberi ſolitum fuiſſe. Cuius rei hoc quoq; argumẽto eſſe poterit, quod Iuſtin. in Inſtitut. genus hoc vnicum teſtamentorum iuris ciuilis inſtituto aſſignat, cùm per æs & libram familiam mancipamus, vt diſputari poſſit, cùm nuncupatum teſtamentum ex ea lege eſſet, Iuſtinianus autem nullum aliud quàm per æs G & libram adhiberi ſolitam fuiſſe. Mouet l. ſi is qui, 25. De teſtam. vbi Seruius agens de eo qui plures heredes nuncupaturus, cum partem nuncupaſſet, obmutuerat, neq; tamen cauſſam hanc adferi, cur teſtamentum illud non valeat, quod non ſuffeciſſet ad nexum mancipiúmque facien- A dum. Conſtat tamen Seruij tempore nondum abrogatum ritum illum fuiſſe.

QVÆ SE SIERIT TESTATOR, LIBRIPENSVE FVERIT, TESTIMONIVM FERIATVR IMPROBVS, INTESTABILISQVE ESTO.

HOc fragmentũ apud Agell. exſtat li XV. cap. XIII. vbi de vi verbi Teſtator, explicãs, quod B in patiendi ſignificatione interdum vſurpari diſputat: Item, inquit, ex iiſdem XII. tabulis id quoque eſt: QVÆ SIERIT TESTATIOR, &c. Locum autem hoc modo vir doctiſſimus Iacobus Cuiacius ope vetuſti Codicis reſtituere conatus eſt. Qui ſe ſierit teſtarier, libripénſve fuerit, ſi in teſtimonium feriatur, improbus inteſtabiliſq; eſto. vt verba illa, SI IN TESTIMONIVM FERIATVR, poſita ſint, pro ἀναγκάζηται, ſiue pulſetur: quod, vt verè dicam, ſatis adhuc concoque C re non potui. Præſertim cùm in antiquo libro FARIATVR ſcriptum eſſe teſtetur. vt ſuſpicari aliquis poſſit, legendum potius videri, NI TESTIMONIVM FATEATVR: vel, SI TESTIMONIVM INFICIETVR: de quo tamen nihil adffirmo. Illud ſatis erit adici, noſtro quoq, iure traditum eſſe. vt cùm ab initio teſtamenti tabulæ aperiendę ſint. Prætor pro ſuo officio cogat ſignatores cõuenire, & ſigilla ſua recognoſcere, vel negare ſe ſignaſſe: quoniam publice expedit D ſuprema hominum iudicia exitum habere. l. 4. & l. 5. D. teſtam. quemad. aper. Quòd verò in ſanctione adſcriptum eſt, etiam alio loco teſtimonium habet apud Agellium: nimirum libr. VI. cap. VII. vbi ſcribit: Teſtabilem dici cui teſtimonii dicendi ius eſt: contrarium eſſe in XII. tab. IMPROBVS INTESTABILISQVE ESTO. Qua de re Caius in l. 26. D. de teſtam. Cùm, inquit, lege quis inteſtabilis iubetur eſſe, eò pertinet, ne eius teſtimonium recipiatur: & E eo amplius, vt quidam putant, néve ipſi dicatur teſtimonium. Vlpianus autem in l. 18. D. de teſti. Vt nec teſtamentum facere poſſit, nec ad teſtamentum adhiberi. Improbum autem quod addidit, è vetere conſuetudine eſt: quam Liuius lib. X. de lege Valeria quæ de prouocatione lata eſt, loquens, ita notat: Si quid aduerſus ea feciſſet, nihil vltra quàm improbè factum adiecit. Id (qui tum pudor hominum erat) viſum credo vinculum ſatis validum legis. F

SI PATERFA. INTESTATO MORITVR, CVI SVVS NEC EXSTABIT HERES, AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO.

VLPIANVS in l. 1. D. vnd. libr. teſtificatur legem XII. tab. hunc ordinem ſecu G tam eſſe, vt prius de iudiciis teſtantium deinde de ſucceſſione ab inteſtato ſtatueret. Extſtat autem hoc caput apud Vlpianum titul. Regul. XXVI. cuiuſque priorem partem Paulus interpretatur in l. ſi quis, 9. D. de lib. & poſt. Hæc verba, SI INTESTATO MORITVR, ad id idem tempus referuntur, quo teſtamentum deſtituitur, non

quo moritur. quippe cum tunc demum certum eſſe incipiat, teſtatorem inteſtato eſſe mortuum. Dicitur enim inteſtatus modis quattuor: Teſtamento non facto, non iure facto, rupto irritóve facto, & ab herede deſtituto: id eſt, cùm heres ſcriptus hereditatem repudiauit. l. 1. D. de ſuis & legit. Alteram partem Iuſtinianus explanat in §. 1. De hered. quæ ab inteſt. vbi ſic ſcribit: Inteſtatorum hereditates ex lege XII. tab. primùm ad ſuos heredes pertinent. Quibus ex verbis patet, Suorum heredum nomen ex XII. tab. fluxiſſe quod etiam teſtatur Calliſtratus in l. liberorum, 220. D. de verb. ſignif. Liberorum, inquit, appellatione nepotes & pronepotes, ceterique qui ex his deſcendunt, continentur: hos enim omnes Suorum appellatione lex XII. tab. comprehendit. Suus autem heres qui dicatur, & quamobrē dicatur, ſuperius quidem ſub tit. de patria poteſtate perſtrinximus: hoc tamen loco, qui ad eam rem aptior videtur, aliquanto planius exponendum eſt. Suus igitur dicitur heres, qui in morientis familia proximum ab eo gradum obtinet: ſiue is naturalis ſit, ſiue adoptiuus. l. ſcripto, 7. D. ſi tabul. teſtam. Veluti filius, aut eo de familia ſublato nepos, & qui deinceps. Item vxor, quæ in manum conuenit: quemadmodum ſuperius ſub tit. de nuptiis docuimus. Item nurus, quæ in manu filij eſt, quem in poteſtate habemus: vti ſcribit Vlpianus tit. Regul. XXII. A. Gel. lib. XVIII. cap. VI. Dionyſ. lib. II. Sui autem heredes hi propterea dicebantur, quia patre fa. mortuo, non tā alienarum quàm ſuarum quodammodo rerum plenum integrúmq; dominium adipiſcebantur: quarum etiam illo viuo heredes (quo verbo veteres dominum intelligebant) lege hac deſignati erant. l. in ſuis, 11. D. de lib. & poſtum. l. vlt. D. de bon. damnat. l. 1. §. Largius, D. de ſucceſſ. edic. Locus autem poſtulat, vt de poſtumis diſſeramus: an patre fa. inteſtato mortuo agnati, liberi ex hac lege ſuccedant. Et conſtat ſuorum heredum appellatione legem quoque eos poſtumos comprehendiſſe, qui ſi viuo patre fa. nati fuiſſent, in ipſius poteſtate fuiſſent, proximumq; ab eo in familia locum tenuiſſent. §. 3. Inſt. de hered. quæ ab inteſt. Veluti filius, aut illo de familia ſublato nepos, qui ex filij demortui iuſta vxore naſcetur. Itaque Vlpianus d. cap. XXII: Poſtumi quoque liberi, inquit, id eſt, qui in vtero ſunt, ſi tales ſūt, vt nati in poteſtate noſtra futuri ſint, ſuorum heredum numero ſunt. Hinc factum, vt hi poſtumi non propriè illi quidem, ſed tamen diſciplinæ cauſſas vi poſtumi vulgo nominentur: cùm tamen ſui propriè dicantur, qui in morientis poteſtate ſunt. Vnde Pomponius in l. vlt. D. de aſſig. libert. ſcribit: Appellatione filiorum qui in poteſtate ſunt, po[illegible]mos non contineri. quippe cùm in morientis poteſtate non ſint. l. vlt. D. de collat. bon. Quæ cùm ita ſint, ſatis iam perſpicuum eſſe arbitror, legem XII. tab. nullam hoc capite de poſtumis nominatim mentionem feciſſe: hoc eſt, non fuiſſe in hac lege caput aliquod peculiare de poſtumis, in quo diſertè ac nominatim caueretur, vt vnà cum ſuis ab inteſtato ſuccederent: ſed eos ſub his verbis comprehenſos atque intellectos fuiſſe, CVI SVVS NEC EXTABIT HERES, quod etiam Vlpianus d. cap. XXII. ſatis apertè oſtendit: cùm ait, eos poſtumos qui nati in noſtra poteſtate futuri ſunt, ſuorum numero eſſe. Item cap. XXVI. vbi curſim legem hanc exponens, ita ſcribit: Inteſtatorum hereditates pertinent primum ad ſuos heredes, id eſt, liberos qui in poteſtate ſunt, ceteroſq; qui in liberorum loco ſunt. Si ſui heredes non ſunt, ad conſanguineos. Neq; de poſtumis nominatim vllam mentionem facit. Sequitur in lege, AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO: quibus verbis etiam teſtimoniū idem Vlpianus præbet in l. pronunciatio, 195. D. de verb. ſignif. & Iuſtin. §. 1. de legit. agn. ſucceſſ. Agnatorum autem verbo lex eos omnes complectitur, qui defunctum per virilem ſexum attingunt: hoc eſt, etiam fratres ac ſorores ex eodē patre: qui tamen proprio ac peculiari nomine Conſanguinei dicuntur. De quibus nihil nominatim cauiſſe legem, ſed Agnatorum appellatione eos comprehendiſſe, ſatis planè Vlpianus d. cap. XXVI. demonſtrat, cùm ita ſcribit: Si ſui heredes non ſunt, ad conſanguineos, id eſt, fratres & ſorores ex eodē patre: ſi nec hi ſunt, ad reliquos agnatos proximos. Cùm enim RELIQVOS dicit, in his etiam conſanguineos contineri, oſtendit. Tametſi plerunq; diſciplinæ cauſſa generale agnatorum nomen ad eos qui vltra fratres & ſorores ſunt, propriè contrahatur. Vnde Vlp. l. 2. D. de ſuis & legit. Poſt conſanguineos, inquit, admittuntur agnati, ſi conſanguinei non ſunt. Agnati autem ſunt cognati virilis ſexus ab eodem orti: nam poſt ſuos & conſanguineos ſtatim mihi proximus eſt conſanguinei mei filius, & ego ei patris quoque frater, qui patruus appellatur, deincepsq. ceteri, ſi qui ſunt, hinc orti in infinitum. Iuſtinianus autem hoc perſpicuè confirmat in §. 1. de legit. ag. ſucceſſ. Sunt autem agnati, inquit, cognati, per virilis ſexus perſonas, cognatione coniuncti. Itaque ex eodem patre nati fratres, agnati ſibi ſunt: qui & conſanguinei vocantur: nec requiritur, an etiam eandem matrem habuerint. Hoc loco præterea notandum atque obſeruandum eſt. quod Iuſtinianus tradit § 1. de ſenat. Tertyl. lege XII. tab. neque matrem liberis, neque liberos matri ſucceſſiſſe. nam quo iure inter ſe ſucceſsiſſent, cùm neque ſuorum, neque agnatorum numerum obtinerent? ſuos enim heredes matrem non habere, iampridem docuimus ex l. nulla, 12. D. de ſuis & legit. Idque Vlpianus cap. Inſtit. XXVI. his confirmat verbis: Ad liberos matris inteſtatę hereditas ad matrem ex lege XII. tab. non pertinebat: quia fœminæ ſuo heredes non habent. Et paulo poſt: Inteſtati filij hereditas ad matrem ex lege XII. tab. non pertinet. Illud cōſideratione dignū eſt, ecquid præter ſuperiora legis verba, quorum auctorem Vlpianum laudauimus, hæc quoque addenda ſint: AGNATAVE: Item, PROXIMAVE. cùm apertè Iuſtinianus in l. pen. & vlt. C. de legit. hæred. & in §. 2. de legit. agn. ſucceſſ. teſtetur, legem XII. tab, ſimili modo omnes agnatos, ſiue maſculos ſiue fœminas, cuiuſcunq; gradus, ad ſimilitudinē ſuorum inuicem ad ſucceſſionem vocaſſe. Itaq; non modò conſanguineam ad fratris, ſed & amitam ad fratris filij hereditatem: itemque fratris, filiam ad patrui ſucceſſionem ea lege admitti. Nam quod poſtea inſtitutum eſt, vt fœminæ ad hereditates legitimas vltra conſanguineas non admittantur: id Paulus lib. ſent. IIII. cap. VIII. ad

ius

ius ciuile, vel Voconiam rogationem refert. Ceterum, inquit, lex XII. tabul. nulla diſcretione ſexus, agnatos admittit. Sic enim tria menda quæ in illo Paulli loco inſidebant, tollenda eſſe arbitror: vt & VOX SVCCESSIONES deleatur: & Ius ciuile, prima illa veterum Iuriſconſultorum placita intelligamus: & AGNATOS, pro COGNATOS, quemadmodum ratio poſtulat, reponamus. Sequitur nunc in verbis legis, PROXIMVS. Sub quo nomine myſteria latent non parua. quorum hoc primum ex Iuſtiniani verbis proferemus. Quamuis ſingolari numero via lex, proximum vocet: tamen dubium non eſſe, quin ſi plures ſint eiuſdem gradus, omnes admittantur. §. 4. de legit. agnat. ſucceſſ. quod idem traditur in l. 1 §. 2. & 3. D. de ſuis & legit. Alterum eſt. quòd proximus non is ſolus dicitur, qui tunc fuit, cúm paterfa. moreretur: ſed & is qui tunc fuit, cùm eum inteſtatum deceſſiſſe certum eſt. d. l. 2. §. 5, eodem: & §. proximus, 5, Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ. Tertia, huius verbi vis eſt hæc, quòd inter agnatos graduum ſucceſſio nulla eſt: hoc eſt, quod; non vt in ſuorum heredum tractatu, ſic etiam in hoc; agnatorum liberi in parentem locum ſuccedunt. l. 5. C. de legit. hered. §. 4. Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ. vbi Iuſtinianus non obſcurè ſignificat, legem XII. nihil de hoc non ſuccedendi iure nominatim caviſſe: ſed ex verbi Proximus interpretatione ductum id fuiſſe. Si inquit, plures ſint gradus agnatorum, apertè lex XII. tab. proximum vocat. Itaque ſi (verbi gratia) ſint defuncti frater, & alterius fratris filius aut patruus, frater potior habetur. Et paullò poſt: Si proximus aut ſpreuerit hereditatem, aut antequam adeat, deceſſerit, iis ſequentes non admittuntur. Quod & Vlpianus l. 2. D. de ſuis & legit. & cap. Inſtitu XXVI. itémque Paullus lib. ſent. IIII. tradunt. Quartum myſterium eſt, quòd ſi teſtamentum nullum factum eſt, proximus intelligitur, qui morienti fuit proximus: ſin factum, & poſtea deſtitutum eſt, eum qui tum proximus eſt, cùm ex teſtamento non futurum heredem cônſtat, l. 2. §. 4. & 5. D. de ſuis & legit. §. proximus, 5. Inſt. de legit. agn. Quintum eſt, quòd ſi plures ſunt eiuſdem gradus, hereditas inter illos non in ſtirpes, ſed in capita diuiditur. Nam hac de re nihil in lege nominatim cautum fuiſſe, ſed ex legis mente conſtitutum, Vlpianus non obſcurè ſignificat in l. 2. D. de ſuis & legit. Hæc hereditas, inquit proximo agnato defertur, vt ſi plures ſint eiuſdem gradus, omnibus in capita ſcilicet diuidatur, vtputà duos fratres habui, aut duos patruos, vnus ex his vnum filium, alius duos reliquit. hereditas mea in tres partes diuidetur. quod idē ſignificatur in ſi. l. 1. D. ſi pars hered. & apertè Vlpianus cōfirmat cap. Inſt. XXVI. Agnatorum, inquit, hereditates diuiduntur in capita: veluti ſi ſit fratris filius, & alterius fratris duo plorésve liberi, quotquot ſunt ab vtraque parte perſonæ, tot ſunt portiones: vt ſinguli ſingulas capiant. Quod ait lex FAMILIAM habeto, Vlpianus in d. l. 195. de verb. ſignific. ſcribit, Familiæ nomine, rem, id eſt, defuncti patrimonium contineri & in defuncti patrimonio fuit ius patronatus in libertis qui liberos patroni ſequuntur. Sed de hoc verbo ſuperius quoque explicatum eſt.

Vt ſi quis ex ſuis heredibus maribus ſuus heres A *eſſe deſineret, liberi eius & ceteri in locum ſuorum ſui heredes ſuccederent: at tum hereditas, non in capita, ſed in ſtirpes diuideretur.*

HVIVS capitis teſtes ſunt Impp. in l. 2. & l. 3. & l. 4. C. de ſuis & legit. & Iuſtinianus §. vi. Inſt. de legit. agn. ſucceſſ. vbi omnes dilucidè affirmant, ſucceſſionum ordinem à lege XII. tab. inſtitutum eſſe: & euidenter eadem lege cautum, vt nepos ex demortuo filio, vnà cum altero filio B ſuperſtite pariter ęquabilitérque ſuccedat. Quod cùm ita ſit, animaduertendum eſt, lege XII. tab. duo quodammodo Suorum genera inſtituta eſſe: vnum eorum, qui natura: alterum eorum qui ſucceſſione ſui exiſterent. vt non omnino incommodè alij Naturales, alij Succedanei appellari poſſint. Naturales ſunt, ſoli filij & filiæfam. quia ſtatim vt nati ſunt, cum hac luce Sui ius dignitatémque adipiſcuntur. Succedanei verò qui inferiore gradu nati, filiis è familia per mortem, aut C emancipationem ſublatis, in eorum locum vacuum ſubeunt, atque aſcendunt. l. poſt numerum, 13. D. de iniuſt. rupt. Quæ cùm ita ſint, ſiue altero ex filiis mortuo, alter ſuperſtes eſt, nepos ex demortuo, cum filio ſuperſtite, auo ſuccedet; ſiue vterque filius deceſſerit, nepotes ex vtroque, auo ſui ſuccedent. l. 1. §. ſi filius, D. de ſuis & legit. §. cùm filius, 6 Inſt. de heredit. quæ ab inteſt. d. l. 2. & l. 3. & l. 4. C. de ſuis & legit. quod idem Iuſtinianico iure confirmatum eſt. auth. ceſſante, & D auth. poſt fratres, C. de legit. hered. De partitione autem hereditatis ita lex iubet: vt vbi ſui ſuccedanei exſtabunt, hereditas non in capita, ſed in ſtirpes diuidatur. In capita autem diuidi dicitur hereditas, quæ in viriles partes diuiditur. In ſtirpes verò, cùm in tot partes, quot eius de cuius hereditate agitur, ſtirpes, ſiue ſoboles ſunt: id eſt, filij ex quibus ſui ſuccedanei exſtant: quod idem traditur in l. 8 §. quoniam, D. de inoff. teſt. Itaque ſi filius vnus ſuperſit, & ex altero demor- E tuo duo plurésve nepotes exſtent: ille ſemiſſem, hi alterum tantùm ſemiſſem auferent, Item ſi ex duobus filiis nepotes neptésve exiſtant, ex altero vnus forte aut duo, ex altero tres aut quattuor: ad vnum aut duos dimidia pars pertinebit: ad tres vel ad quattuor, altera dimidia: quippe cùm ſuccedanei non pro ſuo iure & capite, ſed pro eius iure cuius in locum ſubierunt, ſuccedant. vt iam intelligi poſſit, quamobrem diſſimiliter in fratrum duorum liberis ſit conſtitutum. vtputa F duos fratres habui: vnus ex his vnum filium: alter duos reliquit: hereditas mea in tres partes diuidetur: inquit Vlpian. l. 2. §. 1. D. de ſuis & legit. nimirum quia non ſucceſſionis iure, ſed ſuo proprio hereditatem petunt. quippe cùm lex in agnatis ſucceſſionem non inſtituerit, Itaque fratris filius cum fratre defuncti ad hereditatem nō admittetur. l. 5. C. de legit. heredit. & l. 3. §. ſi duo. in fin. D. de legit. tut. Iuſtinianus autem hoc immutauit Nou. CXVIII. §. reliquū, & Nouel. CXXVII.

G

Vt ſi libertus libertáve, cui ſuus nec extabit heres, inteſtatò moreretur, patronus, patronáve, liberíve patroni, familiam haberent. at ſi plurium patronorum liberi eſſent, proximi potiſſimùm familiam haberent: eáque in capita diuideretur.

HVIVS capitis teſtis eſt primũ Vlpianus cap. Inſt.xxix.vbi ſic ſcribit:Ciuis R.liberti hereditatem lex xii tab.patrono defert,ſi inteſtatò ſine ſuo herede libertus deceſſerit.Ideoq́;ſiue teſtamento facto decedat, licet ſuus heres ei non ſit,ſeu inteſtato,& ſuus heres ei ſit,quamuis non naturalis, ſed vxor quæ in manu fuit, vel adoptiuus filius, lex patrono nihil præſtat. Et paulò pòſt:In bonis libertæ patrono nihil iuris ex edicto datur.Itaq; ſi inteſtata moriatur liberta ſemper ad eũ patronũ hereditas pertinet.Libertę autẽ ſuus heres eſt maritus, cuius in manũ cõuenit: vt ſuo loco diximus.Iuſtinianus autem in §. 1, de ſucceſſ.lib. Olim,inquit, licebat liberto patronũ ſuum impunè teſtamento præterire.Nam ita demum lex xii tab.ad hereditatem liberti vocabat patronũ,ſi inteſtatus mortuus eſſet libertus,nullo ſuo herede relicto Idẽ autem traditur in l.3.D.de ſuis & legit.De patrona autem patroniue liberis & hereditate in capita diuidenda, Vlpianus cap. Inſtit. xxvii. ſic ſcribit: Libertorum inteſtatorum hereditas primùm ad ſuos heredes pertinet: deinde ad eos quorum liberti ſunt, veluti patronum,patronam, liberusve ſui patroni Capite autem xxix. additur præterea, fœminas ex lege xii. tab.perinde ius habere,atque maſculos patronorum liberos.Item cap. xxvii. Si ſit patronus,& alterius patroni filius, ad ſolum patronũ hereditas pertinet.Patroni filius,patroni nepotibus obſtat. Ad liberos patronorum hereditas defuncti pertinet, vt in capita non in ſtirpes diuidatur. Quod idem Iulianus tradit in l.ſi libertus, 23. §.1. D.de bon.libert. Si libertus, inquit,inteſtato deceſſerit,relictis patroni filio,& ex altero filii duobus nepotibus, nepotes non admittentur,quamdiu filius eſſet:quia proximum quemque ad hereditatem liberti vocari manifeſtũ eſt. Si autem ex duobus patronis alter vnum filium,alter duos reliquiſſet, dixi viriles inter eos partes fieri.quod eodem modo traditur in leg. 3.§.1. D. de legitim. tut. Sed operarum diſſimilis ratio eſt: quoniam operarum obligatio nihil commune habet cum hereditate. qua de cauſſa qui à duobus manumiſſus eſt, alter vero mortuus eius quoque filio operas debebit.l.4. D. de oper. libert.

Vt nomina defuncti ſiue ſuum ſiue alienum æs eſſet, inter heredes pro cuiuſque parte diuiſa eſſent.

HVIVS legis complura exſtant Imperatorum teſtimonia, quorum primum illud eſt ex l. vlt.C.de act. hered. Creditores hereditarios aduerſus legatarios non habere perſonalem actionem: quippe cum euidentiſſimè lex xii. tab. heredes huic rei faciat obnoxios. Alterum eſt in l.6, C.famil. erciſc. Ea quæ in nominibus ſunt non recipiunt diuiſionem (ſubaudi familiæ erciſcundæ iudicio) cùm ipſo iure in portiones hereditarias ex lege xii. tab.diuiſa ſint.Item in l. 1 C.Si vnus ex plur. hered.vbi Impp.ſcribunt,Defuncto creditore,multis relictis heredibus actionem perſonalẽ inter eos ex lege xii. tab.diuidi. Et l.1.C.de except. Debitores hereditarij vnicuique heredũ pro portione hereditaria antiqua lege obligati ſunt.In Pandectis autem extat Paulli teſtimonium in l.heredes, 25, §. idem iuris, D.famil erciſc.vbi ait:obligationẽ ex pecunia à defuncto promiſſa per legẽ xii.tab.inter heredes diuidi. Loci verò

A conſentanei paſsim exſtant in libris noſtris: quo in numero eſt l. 1. C. Si cert.petat.l.2.C.de act. hered.l.1.C. de an.& tribut.l.1.C.de hered. vend. l.cum à matre, 14. C. de rei vind. Nunc de legis ſententia videamus. Iubet igitur lex, vt patrefam. vel teſtato vel inteſtato mortuo, ea quæ in nominibus ſunt, hoc eſt,quæ vel illi ab aliis debebantur, vel ipſe aliis debebat, ita inter heredes diuiſa ſint, vt ſinguli pro ea tantùm parte qua heredes ſunt, & debitores obligatos habeãt B & viciſsim creditoribus obligati ſint: ac proinde neque plus quàm pro parte hereditaria à debitoribus exigant: neque creditoribus plus quàm pro eadem parte ſoluere debeant. Atque hoc nimirum illud eſt, quod Cicero in Oratione pro Quincto Roſcio ſignificat eo loco, in quo ſic ſcribit: Simillima & maximè gemina ſocietas hereditatis eſt: Quemadmodum ſocius in ſocietate habet partem: ſic heres in hereditate habet partem. Vt heres ſibi ſoli, non cohe- C redibus petit: ſic ſocius ſibi ſoli,non ſociis petit, Et quemadmodum vterque pro ſua parte petit,ſic pro ſua parte diſſoluit.Heres ex ſua parte qui hereditatem adiit: ſocius ex ea qua ſocietatem coiit. Hæc ille. Siue igitur creditor in debitoris heredes,ſiue creditoris heredes, aut in debitorem,aut in ipſius heredes agere velint,regula hæc tenenda eſt, vt quiſque pro parte dumtaxat hereditaria & petat, & conueniatur, adeò vt ſi duo ſint creditoris heredes,debitoris autem D tres: non dubium ſit, quin ſinguli illorum primum ab vno iſtorum trientem, deinde ab altero ſextantem petere debeant. Illud autẽ obſeruandum eſt,quod ſcribit Vlpianus in l.de ætate.11.§. 2. D.de interrog.faciend. Si cùm eſſet quis ex ſemiſſe heres, dixerit ſe ex quadrante, mendacij hanc pœnam laturum, vt in ſolidum cõueniatur. Quod verò ad vim ſanctionemq; legis intelligẽdam attinet,illud primùm notandum eſt; Vſq; eo hanc nominum diuiſionem à lege factam valere. E vt ſi heres ex parte inſtitutus decem quæ defunctus promiſerat,tota ſoluerit: pro parte quidem, qua heres eſt, liberetur: pro parte autem reliqua, poſſit condicere l.ex parte,25.D.de ſolut. l. ſi teſtamento,49.§.1. D.de fideiuſſ. Deinde non modo heredes non poſſe diuiſionem,hanc pacto inter ipſos conuento peruertere: l. pactum, 26. C. de pact.l.licet, C. famil. erciſc. ſed ne teſtatorem quidem iubentem, vt vnus totum æs alienum ſoluat,impedire creditores poſſe, quo minus in F ſingulos heredes agant.l.ſeruo legato, §. ſi teſtator,D.de legat.primo.l.ſi filia,20.§.ſi pater, D.famil. erciſcun. Quemadmodũ ſi vni omnia hereditaria nomina adſcripſerit,poſſunt tamen ceteri pro ſua parte in debitores agere: quamquam his ſi ſoluerint,exceptio cõcedatur.l.1. D.de except. Præterea quod lex de partibus hereditariis præſcripſit, adeo obſeruatur, vt ne eorum quidem quæ præterea ex teſtamento capiuntur, ratio ducatur. Itaque quod alicui prælegatum erit, eius G partem in æris hereditarij onere ſuſtinendo non augebit.l.2.C.ſi cert.petat. l. licet,C.fam.erciſc.l. ex facto,35.§. vnde,D. de hered. inſtitut. Quinetiam vſqueo hęc lex valet,vt quamuis heredes hereditatẽ vel vendiderint,vel donarint: nihilominus & legatariis & creditoribus obligati maneant.l.2.C.de hered.vel act.vend.l.2,Cod.de legat,

gat. l.1. C. de reuoc. quæ in fraud. l. hereditatem, 28. D. de donat. Poſtremò illud quoque ex hac lege fluxit, vt legatorum petitio aduerſus heredes pro partibus hereditariis competat: nec pro his qui ſoluendo non ſunt, coheredes onerentur. l. legatorum, 33 D de legat. primo. l. ſiue, 27. D. de duob. reis. Atque hæc quidem propriè de lege ipſa, eiuſque ſententia, dicta ſint. Ex hac autem radice quàm variæ, quamq; multiplices Iuriſconſultorum diſputationes de obligationum hereditariarum diuiſione natæ ſint, propè incredibile dictu eſt. Tractatur autem hic locus præcipuè in l. 2 l. 3. l. 4. l. 54. l. 85. D. de verb. obligat. Quare non alienum erit inſtituto noſtro, ſummam quādam earum diſputationum hoc loco certa quadam arte ac ratione proponere. Rerum igitur quę in obligationes hereditarias cadunt, aliæ diuiduę ſunt, aliæ indiuiduæ. Obligationes autem hereditariæ dicuntur, quæ ex facto defuncti ad heredes perueneruni: cùm ſcilicet ob promiſſoris factum vel ſtipulator in ipſius heredes, vel ſtipulatoris heredes in ipſum ipſiuſve heredes agūt. Diuiduæ autē res aliæ natura ſunt, alię per accidens. Natura diuiduæ dicuntur, quæ numero diuiduntur: veluti ſumma: vt centum aurei. Item genera, dumtaxat quæ plura ſunt, veluti duo homines. Item operæ tum præterea res omnes, quæ pondere, numero, & menſura conſtant, natura diuiduæ ſunt. De iis igitur hæc ex legis mente regula traditur: Ex obligatione rei natura diuiduæ, heredes neq; agere, neq; exigi, niſi pro ſua parte hereditaria, poſſunt. l. 85. De verb. oblig. l. 9. D. de ſolut. Exempli cauſſa: Si obligatio eſt decem aureorum, neq; ſtipulatoris heredes plus quàm pro ſua parte agere in promiſſorem poſſunt: neq; promiſſoris heredes ſtipulatori plus quàm in ſuam partem, tenentur: neque vtriſque mortuis inter ſtipulatoris & promiſſoris heredes vel actio vel exactio plus quàm in partē cōceditur. Similiter ex ſtipulatione duplę, ſtipulatoris heredes ſinguli ob euictionē ſuæ partis, pro portione tātùm ſua habēt actionē: inqt Paullus in l. 4. §. vlt. D. de verb. oblig. Cōtrà autē mortuo promiſſore, vnicuiq; ex ipſius heredib. pro parte hereditaria pręſtatio iniungitur. l. in executione, 85. D. eo. Eadē planè de obligatione plurium generum traduntur in l. 54. D. eod. vt ſi quis duos homines ſtipulatus ſit, & duos heredes reliquerit, ſingulis eorum ſinguli homines debeantur: & numero, non intellectu fiat diuiſio. l. ſi centum, 117. D. eod. Res per accidens diuiduæ dicuntur, quæ cùm per ſe ac ſua ſponte indiuiduæ ſint, tamen per accidens, id eſt, propter communem vtilitatem, diuiſionem recipiunt: veluti ſpecies certæ (vt puta Stichus) per ſe, indiuiduæ ſunt. Hæc enim ſunt propriè quæ Dialectici indiuidua ſubſtantiæ nominant. Nam ſi duas in partes geometricas ſecētur, ſpecies interit. Intellectu tamen plures ſunt partes: quia ſi duorum ſit Stichus, non ſingulorum erit totus, ſed ex parte intellecta dūtaxat. l. 5 D. de ſtip. ſer. l. Mæuius. §. duobus, D. de legat. 2. &c. Iraque qui Stichum debet (inquit Vlpianus) parte Stichi data, in reliquam partem tenetur. l. 9. §. 1. D. de ſolu. Harum igitur quæ per accidens diuiduæ ſunt, eadem prorſus quę ſuperiorum norma & regula eſt. Iraque ſiue ſtipulator Stichi in promiſſoris heredes agat, partem tantùm (intellectam ſcilicet) à

A ſingulis petet. Siue ſtipulatoris heredes in hunc agant, ſinguli ſuam tantum partem petent: ſiue ſtipulatoris heredes cum promiſſoris heredibus, pro parte tantùm cuiuſque & agetur & exigetur. Et hoc eſt, quod Iulianus ſcribit in l. in ſtipulationibus, 54. D. de verb. oblig. cùm ſpecies ſtipulamur, neceſſe eſt inter dominos & inter heredes ita diuidi ſtipulationem, vt partes corporū cuiq; debeātur. veluti ſi quis Titio Stichum & Dauū promiſerit: Titiiq; duo ſint heredes: non vni Sti-
B chus, alteri Dauus dabitur: ſed ſingulis partes ſingulorum dimidiæ: hoc eſt, partes intellectæ. Ac de ſpeciebus quidem, ſiue corporibus certis, hoc præceptum eſto: à quo tamen propter ęquitatem quædam excipiuntur: veluti commodatum, depoſitum, pignus: quæ etſi natura ſua ſuperiori regulę ſubiecta ſunt: tamen propter bonæ fidei vim atque potentiam ab illo ſummo iure liberantur: Iraque heres eius, qui commodatum accepit (inquit Vlpianus) pro ea parte qua heres eſt, conue-
C nitur: niſi forte habeat facultatem totius rei reſtituendæ nec faciat. tunc enim condēnatur in ſolidum: quaſi hoc boni iudicis arbitrio conueniat. l. 3. §. heres, D. commod. quod idem de depoſito Marcellus ſcribit in l. ſi duo, 22. D. depoſ. In pignore autem hoc iuris eſt, vt & qui ex creditoris heredibus rem obligatam poſſidet, tum ſolus, tum etiam in ſolidum conueniatur. Neque vnus aliquis ex debitoris heredibus pro ſua parte ſoluendo, illud luere poſſit, quo minus, niſi ſolidum
D ſoluatur, à creditore vendatur. l. 1. & l. 2. C. ſi vnus ex plur. hered. l. a. C. de hered. act. l. heredes, 25. §. idem obſeruatur, D. fam. erciſ. l. ſi neceſſarias, 8. §. ſi vnus, l. ſolutum, 11. §. ſi creditor, D. de pig. act. Hactenus de rebus diuiduis: ſequitur vt de indiuiduis diſſeramus. Res igitur aliæ natura indiuiduæ ſunt, aliæ per accidens. Natura indiuiduę res ſunt, quarum ne intelligi quidem partes poſſunt: veluti, via, iter actus. neque enim fieri, imò verò ne cogitati quidē poteſt, vt aliquis ex parte eat,
E vel agat. l. viæ, 17. D. de ſeruit. Euiuſcemodi ſunt ſtipulationes, quæ in faciendo aut non faciendo conſiſtunt. veluti Inſulam fieri, iter fieri. l. 2. & l. 34 l. 85. D. de verb. oblig. De his igitur hæc ex legis mente regula concipitur: Ex obligatione rei natura indiuiduæ, heredes neque agere, neq; exigi, niſi in ſolidum, poſſunt. l. ea quæ, 192. D. de reg. iu. vbi Marcellus ait: Ea quæ in partes diuidi non poſſunt, ſolida à ſingulis heredib. debentur. Itaque ſi ſtipulator deceſſerit plurib. heredibus re-
F lictis, (inquit Pomponius) ſinguli ſolidam viam petunt: & ſi promiſſor deceſſerit, à pluribus heredibus ſolida petitio eſt. l. viæ 17. D. de ſeruit. l. 2. §. ex his, D. de verb. oblig. l. heredes, 25. §. an ea, & §. ſeq. D. famil. erciſc. l. ſi vnus, 19. in fi. D. de ſeruit ruſt. Simillima eſt ratiò factorū indiuiduorum: veluti fundum tradi, foſſam fodiri, inſulam fabricati. Nam quemadmodum ſi ſtipulator in heredes promiſſoris agat, ſinguli in ſolidum tenentur, quia operis effectus in partes ſcindi non
G poteſt: ait Paulus l 85. & in l. 72. D. de verb. oblig. l. fideicommiſſa, 11 §. pen. D. de legat. tertio. Eodem modo ſi ſtipulatoris heredes in promiſſorem agant, ſinguli effectum opus, ac proinde totum petent, d. l. 85. Verum hoc loco magna cautio adhibenda eſt, ne quo errore labamur. Nam ſi longius aliquanto ad faciendi aut nō faciendi ſtipu-

Digitized by Google

lationes progrediamur, lubricus locus reperietur. Erit ergo hæc neceſſaria obſeruatio, diſſimillimã eſſe rationem earum obligationum quæ hereditariæ ſunt, atque earum quæ ab heredibus ipſis committuntur. Nos hoc loco de hereditariis agimus, quemadmodum iam inde à principio teſtificari ſumus. Quæ verò in l.3.& 4. de verb. oblig. diſputantur, pleraque ad eas obligationes, quę ex ipſorum heredum facto vel non facto naſcuntur, pertinent. Veluti cùm hæc regula traditur: Ex ſtipulatione quæ factum indiuiduum continet, vno ex heredibus promiſſoris contra quàm cautum ſit faciente, omnes pro portione hereditaria teneri. Aut illa: Ex ſtipulatione quæ factum diuiduum continet, is ſolus qui contra fecerit, tenetur. Supereſt vt de rebus quæ per accidens indiuiduæ ſunt, dicamus. Sunt autem eæ, quæ per ſe quidem diuiduæ ſunt, id eſt, quarum intelligi quidem partes poſſunt, at commodè ſolui non poſſunt. Quo in numero eſt ſtipulatio generis, veluti hominis incerti. Nam etſi hominis in genere promiſſi partes intelligi poſſunt: ſolui tamẽ propterea non poſſunt, ne ſi diuerſorum hominũ partes ſoluantur, ſtipulator non id de quo negocium geſſit, conſequatur. Conſtitutum eſt igitur propter communem vtilitatem, vt qui generaliter hominem aut lancem aut quodlibet vas promiſit, non niſi ſolidi præſtatione liberetur. l.2 §.1. & l.85. de verb. oblig. l 9. D. de ſolut. At quia intellectu conſtare partes poſſunt, neque ſtipulator à ſingulis promiſſoris heredibus plus poteſt petere, quàm vt pro ſua quiſque parte hominem quendam præſtiterit: neque ipſius heredes à promiſſore plus quàm pro ſua parte poſtulare poſſunt. Idemque iuris eſt in diſiunctiuis ſtipulationibus, decem aut Stichum dari. d. l. 2. & l. 85. de verb. oblig. l ſi non ſortem, 26. §. ſi decem. D. de cond. indeb. l. qui decem. 21. D. de ſolut. De his igitur regula paullò à ſuperiore diuerſa traditur. Ex obligatione rei per accidens indiuiduæ actio in partes datur, liberatio verò non niſi ſolido præſtito contingit, quemadmodum ex iis, quæ proximè dicta ſunt, ſatis intellectum puto.

Vti ceterarum rerum ſi heredes partem quiſque ſuã habere mallent, familiæ erciſcundæ arbitrum ſumerent: eis totius rei ius arbitriúmque permitterent.

LEGES huius teſtis eſt Caius in l.1. D. famil. erciſc. Hæc actio, inquit, proficiſcitur è lege XII. tabul. namque coheredibus volentibus à cõmunione diſcedere, neceſſarium videbatur aliquam actionem conſtitui, qua inter eos res hereditariæ diſtribuerentur. Item Vlpianus in l.4. eod. Ceteræ, inquit, res præter nomina veniunt in hoc iudicium. Ex quibus intelligi poteſt, caput hoc in XII. tabulis, poſterius ſuperiore fuiſſe. Ac familiæ quidem nomine res hereditarias à lege XII. tab. appellari, ſuperius docuimus, ex l.195. D. de verb. ſignif. Erciſci autẽ veteres pro partiri ac diuidere dicebant. Vnde illud Feſti, Erctum citumq; fit inter conſortes: vt in libris legum Romanarum legitur. Erctũ à coërcendo dictũ: vnde & Erciſcundæ, & Erciſci. Citũ autẽ, eſt vocatum à ciendo. Quo eodẽ etiã illud Seruij pertinet lib. Æneid. VIII. Donatus huc loco contra metrum ſentit, dicens: Citæ, diuiſæ: vt eſt in iure, ERCTO

A NON CITO: id eſt, patrimonio, vel hereditate non
diuiſa. Quibus ex verbis exiſtimari poteſt Er-
ctum dici, quia cùm hereditas diuiſa eſt, alter ab
alterius parte arcetur. Itaque certa & ſollemnia
fuiſſe verba quibus arbiter, partibus diuiſis, al-
terum ab alterius parte arceret. Cicero in 1. de
orat. ſignificat, his verbis: Nec ſi parui nauigij &
magni eadem eſt in gubernando ſcientia, idcirco
qui quibus verbis erciſci oporteat, neſciat, idem
familię erciſcundæ cauſſam agere nõ poſſit. Quæ
B ſint autẽ huius arbitrij propria, noſtri ſub Ru-
brica familiæ erciſcun. abundè explicant. Summa
autem huc pertinet, vt Arbiter familiæ erciſ-
cundæ additus, primùm ſingulas res, ſi commodè
fieri poſſit, ſingulis adiudicet: ſi nõ poſſit, & vnius
pars præponderet, tũ eũ alteri in pecuniã certam
cõdemnet. quod ſi vnus aliquis ſolus fructus per-
cepit, remq́, hereditariam corrupit, aut conſum-
pſit, tum reum in certam quoque pecuniam alteri
condemnet. l.16. l.19. l.55. D. fam. erciſc. Denique
C idcirco inter heredes hoc arbitrium ſumitur vt &
hereditas diuidatur, & quod eo nomine alterum
alteri præſtare oportebit, præſtetur. Qua de cauſ-
ſa formulam Prætoriæ actionis in hanc ferè ſen-
tentiã fuiſſe arbitramur: L. Octauius arbiter eſto:
itaque familiam erciſcitor, vt quid cuique ex he-
redib. ex bono & æquo adiudicari, quidq; alterũ
alteri ex fide bona dare facere oporteat, arbitre-
tur. Illud poſtremò adnotandum eſt quod Vlpia-
nus cap. Inſt. XIX. ſcribit, per hanc familiæ erciſ-
D cundæ formulam adiudicatione dominium ac-
quiri. Quod enim iudex vni ex heredibus adiudi-
carit, ſtatim ei acquiri. Quod & Iuſtinianus tra-
dit in fin. cap. de offic. iudic.

Vt ſi teſtator ſeruum aliquem, cùm is certam heredi pecuniam dabit, liberum eſſe iuſſiſſet: ſi eum heres abalienaret, tamen ſi emptori eam pecuniam ſeruus daret, liber eſſet.

E CAPITIS huius auctorem habemus Vlpianũ
cap. Inſt. II. vbi ſic ſcribit: Sub hac cõditio-
ne liber eſſe iuſſus, ſi decẽ millia heredi dederit,
& ſi ab herede abalienatus ſit, emptori dãdo pe-
cuniam, ad libertatem perueniret: idq; lex XII. ta-
bul. iubet. Exſtat etiam Pomponij teſtimoniũ in
l. ſtatuliberi, 29. D. de ſtatuliber. vbi docet legẽ
XII. tab. in hoc capite Emptoris nomine omnes
eos comprehendiſſe, ad quos quoquo iure domi-
nium in ſtatuliberum perueniſſet. Itaque ſiue le-
F gatus ſit tibi ab herede ſtatuliber, ſiue adiudica-
tus, ſiue vſucap. à te, ſiue traditus vel aliquo iu-
re tuus factus: parere conditioni ſeruus in perſo-
na tua poterit. l.6. §.1. D. eod. Quinetiam Mode-
ſtinus l.25. eod. tit. caput hoc ſignificans: Statuli-
beros, inquit, venundari poſſe, leges XII. tab. pu-
tauerunt. Quo verbo nõ nominatim ea de re cau-
tum in lege fuiſſe ſignificat: ſed ex legis id ſentẽ-
tia perſpicuè apparere. Vtcunque ſit, ſtatuliberi
hi dicebãtur: quo de verbo Feſtus ſic ſcribit: Sta-
G tuliber eſt, qui teſtamento certa conditione pro-
poſita iubetur eſſe liber: & ſi per heredẽ eſt, quo
minus ſtatuliber præſtare poſſit quod præſtare
debet, nihilominus eſſe liber videtur. Illius autẽ
legis rationes video duas fuiſſe: primùm ne in he-
redum poteſtate ſit, fraudem libertati facere: de-
inde quia cùm de teſtatoris (id quod in hac re ca-

put aſt)certa in ſtatuliberum voluntate conſtet, maior multò principalis negocij, quàm eius quod in acceſſione eſt, ratio ducitur: denique fauor libertatis hoc poſtulat: cuius multa cauſſa in iure ciuili contra ſtrictā rationē inducta eſſe, Iuriſcōſulti teſtantur. Hinc illud Paulli, vt quamuis decem dare iuſſus, & liber eſſe, quioqua det, nō perueniat ad libertatem, niſi totum det. l.3.§.4.D.illo rit. tamen ſi decem heredi dare iuſſus fuerit, heres etiam per partes accipere fauore libertatis cogendus ſit. l.4.§.item ſi, D.de ſtatulib. Item ve in emptoris nomine (quemadmodum ſuperius iam dictum aſt) omnes quicunque quoquo iure dominium io ſtatulibero nacti ſunt, cootineantur. Itaque ſiue legatus ſit tibi ab herede ſtatuliber, ſiue adiudicatus, ſiue vſucaptus à te, ſiue traditus, vel aliquo iure tuus factus, ſine dubio dicemus patere condicioni io perſona tua poſſe: ſed & in heredem emptoris idem dicetur. l.6.§.1.D eod. Quinetiam heredi iuſſum dare, etiam heredis heredi dare poterit. l. ſi peculium, 20.§.3. D.eodem. l.ſub diuerſis, 51. D.de cond. & demooſtr. Atque hoc illud eſt, quod Papinianus acutè ac ſubtiliter complectens in l. Seruius, 34. de ſtatulib. ſcribit: Coodicionem illam eſſe ambulatoriam. Duas enim eſſe cauſſas, per quas io primi heredis perſona condicio impletur: dominij rationem, item perſonæ demonſtrationem. priorem cauſſam tranſire in omnem ſucceſſorem, ad quem peruenerit ſtatuliber per dominij tranſlati continuationem: ſequentem verò, perſonæ, dumtaxat eius qui demonſtratus eſt, adhærere: ac propterea ſtatulibero ab herede manumiſſo, heredis heredi pecuniam dandam non eſſe. Hactenus quæ de teſtamentorum iure nobis ex duodecim tabul. ſuperſunt, expoſuimus. Proximum eſt, vt quid ex iiſdem quod ad ius contrahendarum rerum pertinet, reliquum nobis factum ſit, videamus. Ac primum omnium de iureiurando diſſeremus: tum quod ab iis, quæ ſacrorum ius attingunt, ſemper inchoandum videtur: tum præcipuè quoniam iuſiſiurandi auctoritatem ad pactorum conuentorúmque ius conſtabiliendum inſtitutam à Numa Rege fuiſſe, Diooyſius lib. Antiq. ſecunda commemorat. Caput igitur hoc, quoquo modo ex cooiectura compoſitum, proferamus.

Vt iuriſiurandi ad fidem adſtringendam præcipua vis eſſet.

EXSTAT enim eius argumētum apud Ciceronem, ſed ita tenue, vt niſi de iureiurando diſſerendum fuiſſet, facilè prætermitti potuiſſet. Is igitur lib. De off. III. ita ſcribit: Nullum enim vinculum ad ſtringendam fidem iureiurando maiores arctius eſſe voluerunt. Id indicant leges in XII. tab. &c. Agellius autem lib. VII. cap. XVIII. Iuſiurandum, inquit, apud Romanos inuiolatè ſanctéque habitum ſeruatúmque eſt. Id & moribus legibúſque multis oſtenditur, &c. Sed oemo id copioſius explicauit Dionyſio, qui lib. vt dixi, II. extremo, Regi Numæ inſtitutum illud aſſignat: cùm ita ſcribit: Eum ad pactorum conuentorúmque ius excogitaſſe quiddam, de quo à ceteris Legumlatoribus cautum nihil fuerat. Cùm enim animaduerteret, ea quidē pacta quæ teſtatò facta eſſent, propter teſtium auctoritatem ſeruari: cetera verò quorum vſus multò frequentior eſt, ſola contrahentium fide conſtare, quo maiorem ei vim atque auctoritatem conciliaret, diuinos ei honores tribuiſſe: templúmque Fidei dicaſſe: vnde factum eſt, vt ſi quando ciues ſine teſtibus pacti quid inter ſe eſſent, poſtea ſi qua ob eam rem controuerſia naſceretur, fides eam alterutrius contrahentium dirimeret. Iudices enim in cauſſis ambiguis plerumque alterutrius litigatoris iureiurando ſententiam pronuntiaſſe. Hæc Diooyſius: cui conſentaneum eſt, quod Polybius lib. VI. commemorat. vbi tantum apud Romanos iuriſiurandi religionem valuiſſe ſcribit, vt ea laude facilè gentibus omnibus antecelleret. Nam ſi Græco homini, inquit, qui magiſtratum gerat, talentum vnum committatur, etiamſi decem ſcribendo aſſint, ſignaque totidem, atque etiam duplo plures teſtes exiſtent, fidem tamen plerumque violant. Apud Romanos autem, qui, cùm Remp. gerunt, maiorem multò pecuniam tractant, ſola iuriſiurandi ſui religione in officio ſuo continentur. Ad hanc porrò legem illud Caij pertinet, in l.1.D de iureiur. Maximum remediū expediendarum litium io vſum veniſſe Iuriſiurādi religionem: qua vel ex pactione ipſorum litigatorum, vel ex auctoritate iudicis deciduntur controuerſiæ. Et in l.38. Manifeſtæ turpitudinis & confeſſionis eſt, nolle nec iurare, nec iuſiurandum deferre. Eaque de cauſſa inſtitutum etiam fuit, vt ne de periurio quidem cuiuſquam quæri liceret. l.3. D. eod. & l. aduerſus, 15. D. de except. Vnde etiam exiſtimare licet, legem in XII. tabul. noſtris, in eadem ſententia fuiſſe, qua io Ciceronis legibus hanc videmus. Periurij pœna diuina, exitium: humana, dedecus. Siquidem apud Impp. illa exſtat conſtitutio in l.2.C. de iureiur. Iuriſiurandi contempta religio ſatis Deum vltorem habet. Nunc ad leges de contractibus accedamus.

Vt quæ res mancipi eſſent, qui eas venderet, nexum faceret, mancipiúmque: pérque æs & libram, teſtibus ne minus quinque, ciuibus R. puberibus eas manciparet.

HVIC capiti argumentum præbet Caius Iuriſconſ. io commentariis Boëtij in Topica Ciceron. vbi ſic ſcribit: Mancipatio eſt, imaginaria quędam venditio, quæ ſic agitur: Adhibitis ne minus quàm quinque teſtibus ciuibus R. puberibus, & pręterea alio eiuſdem condicionis qui libram æneam teneat: qui appellatur Libripens: is qui mancipium accipit, ęs tenens, ita dicit: Hūc ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio: iſque mihi emptus eſt hoc ære, æneáque libra. Deinde ære percutit libram, idq́; æs dat ei à quo mancipium accipit, quaſi pretij loco. Quæcunq; igitur res mancipi, lege XII. tab. aliter niſi per hanc ſollemnitatem, abalienari non poterat. Sui iuris autem ceteræ res, nec mancipi vocabantur. Quæ verò res mancipi dicerentur: licebit cuiuis ex Vlpiani Inſtitut. cap. XIX. cognoſcere. Poteſt autem videri, nominatim aliquid cautum in lege de Rauduſculo fuiſſe: quandoquidem in IIII. Varronis de lingua Lat. ita ſcriptum eſt: Aes raudus dictum: ex eo in veteribus mancupiis ſcriptum Rauduſculo libram ferito. Nunc de Nexo & Mancipio dicamus. Nexum, inquit Varro, Manilius ſcribit eſſe omne quod per libram & æs geritur, in quo ſint mancipi (Legendum puto, In quo ſint res mancipi.) Mutius Scæuola, quæ per

æs & libram fiant, vt obligentur, præterquam quæ mancipio dentur. Hoc verius eſſe, ipſum verbum oſtendit, de quo quæritur. Nam idem quod obligatur per libram, neque ſuum ſit: inde Nexum dictum. Hæc ille, in vi. de lingua Lat. quæ ſic interpretor, vt Scæuola Nexus nomen non generaliter ad omnia quæ per æs & libram gerantur, referat: ſed propriè ac præcipuè ad obligationes ſine perſonarum ſiue rerum: quæ ſunt oppignorationes. Nam idē, inquit, quod obligatur per libram, neque ſuum ſit, inde Nexum dictum pro neque liberum, ac ſolutum ſit, & optimo iure. Quod cùm ita ſit, patet etiam in pignoribus faciendis libram adhiberi ſolitam fuiſſe. Hinc Nexum æs (vt ait Feſtus(apud antiquos dicebatur pecunia, quæ per nexum obligatur. Hinc nexa res, & itē nexa pignori res à Iuriſconſultis dicitur, quæ pignoris nomine obligata eſt. l. 1. §. ſi quis, D. ne vis fiat ei qui in poſſ. l. 22. §. 1. D. de Iur. fiſc. l. 2. & l. 7. C. de diſt. pig. Hinc Nexus pro vinculum obligationis apud Vlpianum. l. 26. §. 7. D. de cond. indeb. Si emptor fundi damnarit heredem ſuum, vt venditorem nexum venditi liberaret. Hinc legimus apud Ciceronē in ii De legib. Legatarium qui nō vult accipere quaſi ex teſtamento, ſtipulare ab herede, & per æs & librā ab eo accipere: Ita legatarius, inquit, heredē ſoluit. Quibus verbis adducor ad ſuſpicandum, moris fuiſſe, vt qui ſtipularetur, dicis cauſſa promiſſorē necteret: quē deinde re accepta diſſolueret. Præſertim cùm idem Cicero in Murænıana ſic ſcribat: Quod ſi in iis rebus repetendis quæ mancipi ſunt, is periculum iudicij præſtare debet, qui ſe nexu obligauit, &c. Potuit igitur nexus eſſe ſine mancipio, mancipium ſine nexu potuit. Itaque quarum rerum dominium iure adeptum eſt, eę res & mancipio & nexu illius eſſe dicuntur: vt in vii. epiſtolarum: Attici proprium te eſſe ſcribis, mancipio & nexu: meum autē, vſu & fructu. Et de reſponſ. aruſp. Multę ſunt domus iure mancipij, & iure nexi. Et in Topic. Abalienatio eſt eius rei quæ mancipij eſt, aut traditio alteri nexu, aut in iure ceſſio. Et in Paradox. Non enim ita dicunt eos eſſe ſeruos, vt mancipia quæ ſunt dominorum facta nexu, aut aliquo iure ciuili. Videtur ergo moris fuiſſe, vt auctor, id eſt vēditor dicis cauſſa necteretur, re verò tradita, acceptoq; precio ſolueretur. Poſtremò intelligendum eſt, cùm res ita mancipio vendebatur, cum qui ſe nexu obligabat, id eſt, venditorem, euictionis periculum in ſe recepiſſe. Quod cùm ex illo Murænianæ loco intelligitur, tū etiā ex aliquot Plautinis verſibus, quos in Comment. verborum Iuris protuli. Quod ſi res nō mācipio, ſed nuda & ſimplici traditione vēderetur, tum duplam in caſum euictionis promitti ſolitam, capite inſequenti ex Varrone probabimus. Teſtamenta autem per æs quoque & libram fieri ſolita, ſuperius docuimus: quia teſtator res omnes ſuas in familiæ emptorem abalienabat.

Vt quod quiſque in prædijs vendundis lingua nuncupaſſet, præſtaret: qui inficiatus quod eſſet, dupli pœnam ſubiret.

CAPVT hoc teſtimonium habet apud Ciceronem in iii. De offic. vbi ſic ſcribit: Ac de iure quidem prædiorum ſancitum eſt apud nos iure ciuili, vt in his vendendis vitia etiam dice-

A rentur, quæ nota eſſent venditori. Nam cùm ex xii. tab. ſatis eſſet ea præſtare, quæ lingua nuncupata eſſent, quę qui inficiatus eſſet, dupli pœnam ſubiret, Iuriſconſultis etiam reticentiæ pœna eſt conſtituta. Quicquid enim ineſt prædio vitij, id ſtatuerunt ſi venditor ſciret, niſi nominatim dictū eſſet, præſtari oportere. Nunc legis ſententiam videamus: in qua principio illud occurrit, cùm Cicero de prædiis tantummodo teſtetur, vtrum'ne aliam de mancipiis, id eſt, mobilibus

B rebus legem fuiſſe exiſtimemus: an verò par idêmque de vtriſque ius ex hac lege conſtitutum fuiſſe. Quod eo mihi veriſimilius videtur, quia Cicero aliquanto poſt ita ſcribit. Nec verò in prædiis ſolum ciuile ius ductum à natura malitiam fraudémque vindicat, ſed & in mancipiorum venditione venditorum fraus omnis excluditur. Quod enim ſciri debuit de ſanitate, de fuga, de furtis, præſtatur id edicto Ædilium. Sic enim locum illum auctoritate meorum veterum

C codicum reſtituendum putamus. Quibus ex verbis exiſtimare poſſumus, lege xii. tab. idem, & de prædiis, & de mancipiis cautum fuiſſe. vt profectò in lege concipienda parum abfuerit, quin pro PRAEDIIS vocem REAVS poneremus. Poſtea verò, ius ciuile, id eſt (quemadmodum ſæpe iam dictum eſt) Iuriſconſultos, ſtatuiſſe, vt etiam vitia dicerentur, eáque de cauſſa, quo teſtatius hoc ius eſſet, palàm in edictum Ædilium relatum id fuiſſe. Vnde illud in l. 1. D. illo titu. Qui manci-

D pia vendunt, certiores faciant emptores, quid morbi vitiiue cuique ſit &c. Eadémque omnia cùm mancipia venibunt, palam rectè pronuncianto. Quod enim lex Lingua nuncupare, dixit: id Aediles ſic extulerunt, Palam rectè pronunciare: Cicero autem illo in loco, Nominatim dicere: Item, Pronunciare. Atque hæc nimirum eſt, quam vulgò Legem venditionis appellamus: id eſt, formam & conditionem: vt l. 33. D. de cont. empt. In lege venditionis ita ſcriptum erat: FLV-

E MINA, STILLICIDIA, vt nunc ſunt, vt ita ſint. Et apud Varronem ii. de re ruſt. In emptionibus iure vtimur eo, quod lex perſcripſit: in ea enim alia pauca, alij pauciora excipiunt. Et apud Catonem: Lex vini pendentis: Lex oleæ legendæ, &c. plura enim in Commentario verborum Iuris expoſuimus. Secundo loco illud intelligendum eſt, in hoc xii. tab. capite, non eſſe dubitandum, quin de vtroque contrahente ęque cautum fuerit: ſcilicet vt tam venditor emptori, quā

F viciſſim hic illi quod quiſque lingua nuncupaſſet, præſtaret. Quippe cùm vtriuſque par eadémque ratio & æquitas ſit. Itaque Vlpianus in l. 13. §. 17. D. de act. empt. Ex vendito actio, venditori competit ad ea conſequenda, quæ ei ab emptore præſtari oportet: hoc eſt, precium, quanti res venit: item vſuræ precij, poſt diem traditionis. Tertiò quod dicitur Iuriſconſultos huius contractus rationem immutaſſe, non propterea intelligendum eſt, legem hanc ab illis abrogatam fuiſſe. ne-

G que enim tanta illorū auctoritas fuit. Neque verò iſtud vnquam in hoc iure conſtituendo profeſſi ſunt: ſed legis duntaxat mentem ſe ac ſententiam exponere, quaſi minus verbis cautum in ea fuiſſet. Nunc cùm finem legis hunc eſſe conſtet, vt fraus omnis contrahentium excluderetur Iuriſconſulti ex cōtrario ratiocinati ſunt. Si fraus omnis

omnis excludenda eſt, bonam fidem exigendam
eſſe. Non igitur legē abrogant, ſed ſupplent, eiq;
quodammodo ſuccenturiantur, cùm hanc regu-
lam conſtituunt: vt in emptionibus & venditio-
nibus maior bonæ fidei, quàm eorum quæ dicta
& pronunciata ſunt, ratio haberetur. Vnde illud
Vlpiani in l. ex empto, 11. D. de act. empr. Inpri-
mis ſciendum eſt, in hoc iudicium id demum de-
duci, quod præſtari conuenit. Cùm enim ſit bonæ
fidei iudicium, nihil magis bonæ fidei congruit,
quàm id pręſtari, quod inter contrahentes actum
eſt. Quod ſi nihil conuenit, tunc ea præſtabun-
tur, quæ naturaliter inſunt huius iudicij præſta-
tioni, &c. Quarto loco intelligendū eſt, verbo
Nuncupandi vel Pronuntiandi eademū contine-
ri, quæ, quemadmodum dixi, lege comprehenſa
ſunt: ac potiſſimum de agri modu, qua de cauſſa
Paullus lib. ſent. 1. cap. xix. & lib. 11. cap. v. vbi ait:
Ex empto actionem ex earum eſſe numero, quæ
inficiando duplantur: Item inquit, de modo agri,
cùm à venditore emptor deceptus eſt. Item libr.
11. cap. v. Diſtracto fundo ſi quis de modo men-
tiatur, in duplo eius quod mentitus eſt, officio
iudicis æſtimatione facta, conuenitur. Quæ ve-
rò laudandæ commendandæque rei cauſſa dicta
ſunt, hoc verbo non cōtinentur. Nam, vt ait, Flo-
rentinus in l. 43. D. de contr. empt. Ea quæ com-
mendandi cauſſa in venditionibus dicuntur, ſi
palàm appareant, venditorem non obligant. Ve-
luti ſi dicat, ſeruum precioſum: domum benè æ-
dificatam. At ſi dixerit hominem literatum vel
artificem, præſtare debet. nam hoc ipſo pluris vē-
didit. Item Vlp. l. quod venditor, D. de dolo mal.
Quod venditor, inquit, vt commendet, dicit, Hic
habendum eſt, quaſi neque dictum, neque pro-
miſſum ſit. Quod idem confirmatur in l. Iulianus,
§. quod autem, D. de act. empt. l. ſciendum, 19.
D. de ædil. edict. Quinto ex hac lege noſtra no-
tandum atque animaduertendum eſt, harum re-
rum lites ex earum eſſe numero, quæ inficiando
creſcere dicuntur. Dupli enim pœnam inficiāti
lex impoſuit. ex quo licet exiſtimare, duplam il-
lam quæ cùm res mancipio non dabatur, promit-
ti à vēditore ſolebat, ex hac lege fluxiſſe. Qua de
re Varro lib. De re ruſt. 11. ſic ſcribit: In horum, in-
quit, emptione, ſolet, ſi res mancipio non datur,
dupla promitti: aut ſi ita pacti, ſimpla. Atq; hæc
nimirum eſt dupla de qua in l. vindicante, 17. &
paſſim ſub tit. D. de euict. Paullus lib. ſentent. 11.
cap. xvii. Res empta, mancipatione & tradi-
tione perfecta, ſi euincatur, auctoritatis vēditor
duplo tenus obligatur. Quo in loco vox NOMI-
NE, ſubauditur: vt ſit, Auctoritatis nomine. Itē
ſi res ſimpliciter tradita euincatur, tanti vendi-
tor emptori condemnandus eſt, quanti ſi ſtipu-
latione pro euictione cauiſſet. l. quod ſi nolit, 31.
§. quia aſſidua, D. de ædil. edict. l. ex empto, 11. §.
Caſſius, D. de act. empt.

*De vendita res, quamuis tradita, niſi æs datum, ſa-
tiſve eo nomine factum eſſet, dominum non
mutaret.*

LEGIS huius auctorem habemus Iuſtinian.
in §. venditæ, 31. de rerum diui. vbi ſic ſcribit:
Venditæ verò res & traditæ, non aliter emptori
adquiruntur, quàm ſi is venditori preciū ſoluerit,
A vel alio modo ei ſatisfecerit: veluti ex promiſſo-
re, aut pignore dato. quod cauetur ex lege xii. tab.
Quæ ſententia confirmatur à noſtris in l. quod
vendidi, 19. D de contr. empt. l. procuratoris, 5. §.
ſed ſi, D. de trib. act. Itemq; à Varrone in 11. de re
ruſtic. Nec cùm id factum eſt, inquit, (id eſt,
ſtipulatio emptionis interpoſita) tamen grex do-
minum non mutauit, niſi ſit æs adnumeratum.
Vbi vel Græco more geminaſſe negationem in-
telligendus eſt, vel poſterior abundare. Huius au-
B tem legis perſpicua eſt æquitas: quia non pactio-
nibus, ſed contrahendarū rerū viciſſitudine & æ-
quabilitate permutationis dominia rerum adqui-
runtur. Quod verò eodem apud Varronem loco
ſic ſcriptum eſt: Nec non emptor pote Ex empto
vendito illum damnare, ſi non tradet, quāuis non
ſoluerit numos: vt ille emptorem ſimili iudicio, ſi
non reddit precium: quod, inquam, ita ſcriptum
eſt, cum eo temperamento accipiendum eſt, de
C quo ſic ſcribitur in l. Iulianus, 13. §. 7. D. de act.
empt. Offerri precium ab emptore debet, cùm ex
empto agitur: & ideo etſi precij partem offerat,
nondum eſt ex empto actio. Venditor enim qua-
ſi pignus retinere poteſt, eam rem, quam vendi-
dit. Quemadmodum ex contrario: ſi venditor ob
rem nondum traditam precium petat, emptori
exceptio dabitur, SI NON ea pecunia qua de a-
gitur, pro ea re petitur quæ venit, neq; tradita eſt.
l. qui pendentem, 25. D. eod. Sic enim exceptio-
D nis illius formulam reſtituendam arbitror. Duo
igitur ad rei dominium mutandū neceſſaria ſunt
ex venditoris parte, traditio: ex emptoris, precij
ſolutio. Nam de traditione conſtat ex l. empto,
11. D. de act. empt. l. eum qui emit, 14. & l. ſi ven-
didero, 80. D. de furt. l. ſi ager, 50. D. de rei viud.
Atque hæc quidem omnia de rebus quæ non per
æs & libram venduntur, intelligenda ſunt. Nam
cùm Mancipatio adhibetur, traditio intercedat
E neceſſe eſt: quippe cùm ex ea nomen inuenerit,
quòd emptor manu eā capiat. Sed exoritur quæ-
ſtio: cùm rei cuiuſque & commodum & pericu-
lum ad dominum rei pertineat, quo iure conſti-
tutum eſt, vt emptione contracta res venditæ tū
periculum tum emolumentum ad emptorem,
quamuis rem nondum acceperit, pertineat? l.
quòd ſæpe, 35. D. de contr. empt. l. neceſſario, 8. D.
de peric. & com. l. cum emptor, 5. in fi. D. de reſ-
cind. vend. Reſpondetur, quia obligationum ſub-
F ſtantia non in eo conſiſtit, vt aliquod corpus no-
ſtrum faciat, ſed vt alterum nobis obſtringat ad
aliquid dandum, aut faciendum. l. 3. D. de oblig. &
act. Itaque qui agit ex empto vendito, non corpus
petit, ſed id quod intereſt. l. 1. D. de act. empt. In
eo verò quod intereſt, illa omnia quæ ſupra dixi-
mus, continentur.

*Vti ſodalibus qui ius coeundi haberent, poteſtas eſ-
ſet, pactionem quam vellent ſibi ferre: dum ne
quid ex publica lege corrumperent.*

G CAPITIS huius teſtis eſt Caius lib. 1111. ad le-
gem xii. tab. quo ex libro tranſcripta hęc
ſunt in l. vlt. D. de colleg. Sodales ſunt, qui eiuſ-
dem collegi ſunt: quam Gręci ἑταιρείαν vocant.
His autem poteſtatem facit lex, pactionem quā
velint ſibi ferre: dū ne quid ex publica lege cor-
rumpant. Sed hæc lex videtur ex lege Solonis

tráſlata eſſe. nam illic ita eſt: ἐὰν δὲ ὁ δῆμος, ἢ φράτορες, ἢ ἱερῶν ὀργίων ἢ ναῦται, ἢ σύσσιτοι, ἢ ὁμόταφοι, ἢ θιασῶται, ἢ ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι, ἢ εἰς ἐμπορίαν ὅ,τι ἂν τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους, κύριον εἶναι, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύωσι τὰ δημόσια γράμματα: id eſt, Si qui eiuſdem corporis, aut ſi qui tribules, aut ſacerdotes orgiorum, aut nauicularij, aut ſodales, aut eiuſdẽ ſepulcri, religionis've conſortes, aut ad pecorum coëmptionem, aliud've negotiationis genus ſimul proficiſcentes, pactionem inter ſe aliquam inierint, ratum id eſſe, dum ne quid tabulis publici prohibeatur. De iiſdem ſodalitatibus idem Caius ſcribit in l.1.D.quod cuiuſque vniuerſ. hoc modo: Neque ſocietas, neque collegium, neque huiuſmodi corpus, paſſim omnibus habere conceditur, vt hæ, vectigalium publicorũ ſocijs permiſſum eſt corpus habere, vel aurifodinarum, vel argentifodinarum, vel ſalinarum. Item collegia Romæ certa ſunt, quorum corpus confirmatum eſt, veluti piſtorum, & quorundam aliorum: item nauiculariorum, & qui in prouincijs ſunt. Videtur autem hæc lex ad eas ſodalitates pertinere, quibus de communi ordinis ſententia certa lex impoſita & præſcripta fuerat (ſic enim δημόσια γράμματα interpretor) poteſtatémque illis facere, priuatas inter ſe pactiones arbitratu ſuo ineundi: cum eo tamen, ne communem illam totius collegij ſiue ordinis legem violent. quam ad rem nihil incommodi eſt, regulam illam referre, quæ eſt in l.38 D.de pact. Ius publicum priuatorum pactis mutari non poſſe. Neque dubitandum arbitror, qui ad eas quoque pactiones hæc lex pertinuerit, quas Græci μονοπώλια nominãt, de quibus extat Zenonis conſtitutio in l. vn. C.de monopol. in qua vetat, ne quis illicitis habitis conuentionibus coniuret, aut paciſcatur, vt ſpecies diuerſorum corporum negociationis non venundentur minoris, quàm inter ſe ſtatuerint.

Ne fœnus amplius vnciario exerceretur: qui amplius exercuiſſet, quadrupli pœnam lueret.

INITIVM huius legis teſtimonium habet apud Cornelium Tacitum libro v. vbi ſic ſcribit: Sane vetus vrbi fœnebre malum, & ſeditionum diſcordiarúmq; creberrima cauſſa: eaq́; cohibebatur antiquis quoq; & minus corruptis moribus. Nam primò xii. tabulis ſanctum, ne quis vnciario fœnore amplius exerceret: cùm antea ex libidine locupletum agitaretur. Alteri parti quæ ſanctio legis eſt, argumentũ ſuppeditat, quod Cato ſcribit initio libri de re ruſtic. his verbis: Maiores noſtri ſic habuerunt, & ita in legibus poſiuerunt, furem dupli condemnari: fœneratorem quadrupli. Quanto peiorem ciuem exiſtimauerint fœneratorem, quam furem, hinc licet exiſtimari.

Cùm enim damnationem illam furti, ex xii. tabulis fluxiſſe conſtet, nemo dubitarit in eodem quoque hanc numero fuiſſe. Præſertim cùm legis noſtræ de fœnore coërcendo ſanctionem aliquã fuiſſe oporteat. Nunc quod ſit fœnus vnciarium, breuiter explicandum eſt. Primùm autem illud ſcire oportet, Decemuiros harum legum auctores, Solonis inſtituto, qui ſortem omnem ad minam (quæ centũ drachmas continet) redegerat: ſortem quoque omnem ad centenarium numerum reuocaſſe. Deinde cùm Græci ſummam vſu-

A ram eſſe definiſſent, cùm drachmæ ſingulę in minas ſingulas menſibus ſingulis penderentur, eorundem exemplo Decemuiros vſuram ſummam feciſſe, cùm pars ſortis centeſima ſingulis menſibus perſoluitur: hoc eſt, cùm è centum aureis vnus ſingulis mẽſibus penditur. Atque hæc quidem (vt dixi,) Decemuiri Græcorũ exemplo atq; inſtituto induxerunt. Illud Romanæ conſuetudinis proprium fuit, quòd cùm aſſem xii. partium haberent, ſumma autẽ illa centeſima ſiue drach-
B malis vſura, annuatim xii. aureos in centenos efficeret: hoc duodenario numero admoniti ſunt, vt hunc annuum aſſem vſurarium aſſem appellarent: quod noſtræ huius diſquiſitionis caput eſt. Nam quemadmodum As vſurarius, non ex menſtrua, ſed ex annua pẽſione denominatur: ſic omnes eius partes ex anni ratione intelligendæ ac denominandæ ſunt. Itaq; cùm vnciam, aut ſemiſſem, aut beſſem vſurarum dicimus, aſſis illius annui vnciã, aut ſemiſſem, aut beſſem intelligimus.
C diſſimiliter atque cùm centeſimam vſurã nominamus. ea enim drachmalis Græcanicæ inſtituto ex menſis cuiuſq; ratione denominatur. hoc eſt, cùm pars ſortis centeſima quot menſibus penditur. Vnciarium autem fœnus non ex mẽſtrua ratione definitur: cùm ſingulis menſibus pars aſſis (quæ drachma apud Græcos eſſet) duodecima penditur: neque enim as in vſuris eſt menſtruus ſed annuus dumtaxat. Ecquo'nam igitur pacto, ex anni ratione hoc modo: quia vſurarius as eſt, cùm
D vno quoque anno duodeni in centenos penduntur, ſemis vſurarius erit, cùm ſeni quotãnis penduntur: vncia, cùm vnus: ſextans, cùm bini: quadrans, cùm terni: triens, cùm quaterni: quincunx cùm quini: ſeptunx, cùm ſepteni: bes, cùm octoni: dodrãs, cùm noni: dextans, cùm deni: deunx, cùm vndeni. Illud hoc loco minimè prætereundum eſt, quod Liuius lib. vii. teſtatur Legem hanc, annis poſteaquam perlata eſt xcvii. deprauatis (vt credi par eſt) temporibus obſoletã, renoua-
E tam à M. Duilio, L. Mænio Tribunis plebis fuiſſe, Marcio, Manlio Coſſ. anno cccc xv iii: quam plebs aliquando cupidius ſciuit, accepitq́;, quàm patres, quibus haud æquè læta erat. Reliquum eſt, vt illud quæramus, cùm furtũ natura turpius ſit, quàm fœneratio: illud enim iure gentium turpe eſt, hæc gentium propè omnium inſtitutis cõprobata eſt: præterea cùm furtum inuitis dominis fiat, fœneratio verò ambobus conſentien-
F tibus exerceatur, quidnam cauſſæ fuit, cur fœneratores quadrupli, fures dupli damnãdi viderentur? Sed meo iudicio reſpondendũ eſt, quia cùm furtum natura, hoc eſt (vt Cicero loquitur) ſua ſponte turpe ſit, multo facilius homines ad fœnerandum, quàm ad furandum adducuntur. Pœnæ igitur grauitate multitudo deterrenda fuit. Atq; hæc quidem de obligationibus quæ ex cõtrahendis rebus naſcũtur, dicta ſint. Sequitur, vt de iis, quæ ex priuatis delictis oriuntur, diſſe-
G ramus. Earum autem quattuor ſunt genera: de quorum vnoquoque lex nobis aliqua ex noſtris duodecim tabulis ſupereſt.

SI NOX FVRTVM FAXIT, ET IN ALIQVIS OCCISIT, IVRE CÆSVS ESTO. *Vt ſi quis luci furtum faceret, ſéque telo defenderet, domino cum clamore teſtificanti, eum occidere ius eſſet.*

HA-

HARVM reliquiarum auctorē habemus Macrob.lib 1.cap.vi.vbi ſic ſcribit: Decemuiri in XII.tabulis, Nox pro nocte dixerunt. verba hæc ſunt: Si nox furtum factum ſit, ſi im aliquis occiſit, iure cæſus eſto. In quibus verbis id etiam notandū eſt, quod ab eo quod eſt Is, non Eum caſu accuſatiuo, ſed Im dixerit. Quod ipſum & Feſtus cōfirmat, cùm ita ſcribit: Im ponebant pro Eum, à nominatiuo Is. Totius autem capitis teſtimonium apud alios complures exſtat: ſed in primis apud Agellium lib. XI. cap. XVIII. Decemuiri, inquit, noſtri, qui poſt reges exactos, leges quibus populus R. vteretur, in XII.tab. ſcripſerunt, furem qui manifeſto furto præhenſus eſſet, tum demum occidi permiſerunt, ſi aut cùm faceret furtum, nox eſſet: aut interdiu ſe telo, cùm prehenderetur, defenderet. Quin & Cicero in Orat. pro Milone ita loquitur: Duodecim tabulæ nocturnum furē, quoquo modo: diurnum autem, ſi ſe telo defenderit, interfici impune voluerunt. Item in Orat. pro M.Tullio apud Quintil. lib. v. Si quis, inquit, furem occiderit, iniuria occiderit quamobrem? quia ius conſtitutum nullum eſt. quid ſi ſe telo defenderit? non iniuria quid ita? quia conſtitutū eſt. Sed & apud Senecam lib. declam. x. lex, inquit, quæ nocturnum furem occidi iubet. quoquomodo iubet: non de damno tantum, ſed de fure loquitur. Item Caius l.4. D. ad leg. Aquil. Lex XII. tab. inquit, furem noctu deprehenſum occidere permittit: vt tamen id ipſum cum clamore teſtificetur. Interdiu autem deprehenſum, ita permittit occidere, ſi is ſe telo defendat: vt tamen æquè cum clamore teſtificetur. quæ omnia confirmantur à noſtris in l. ſi pignore, 54. D. de furt. l.7. D. de mot. cauſ. Hoc igitur capite ſancit lex, nocturnum furem iure occidi: quod idem Plat. lib. IX. De legib. cauit his verbis: νύκτωρ φῶρα εἰς οἰκίαν εἰσιόντα, τὸν κλοπῇ χρημάτων, ἐὰν ἑλὼν κτείνῃ τις, καθαρὸς ἔστω. Id eſt, Qui furem noctu domum furandi cauſſa ingredientem, interfecerit, extra culpam eſto. Legis æquitas eſſe videtur, quia nocturni fures quaſi graſſatorum numero ſunt. Animaduertendum eſt autem, legem hāc non præciſè domino rei, ſed in ſtione cuiuis nocturni furis interficiendi poteſtatem permiſiſſe. Sed mirum eſt in hoc primo capite prætermiſſum ab omnibus id fuiſſe, de quo Caius teſtatur: VT TAMEN IDIPSVM CVM CLAMORE TESTIFICETVR. Quibus ex verbis præclarā illā ſententiā Vlpianus expreſſit, quæ traditur in l. 9. D. ad leg. Corn. de ſica. Furem nocturnū ſi quis occiderit, ita demū impunè feret, ſi parcere ei ſine periculo ſuo non potuit. Quod ſi verū eſt, ſanè illud intelligitur, non iam tanquā furem, ſed tanquā ſicarium & inſidiatorem interfici. Vt facile exiſtimare liceat, nō id ex lege XII. tab. ſed ex edicto ad quod ea lex inſcripta eſt, profectum fuiſſe: præſertim cùm idem ſcribat in l.5. D. ad legem Aquil. Si quis cùm poſſet furem apprehēdere, maluerit occidere, magis eſſe, vt iniuriā feciſſe videatur: & lege Cornelia teneatur. Secūdi autem capitis æquitas hæc videtur eſſe, quia vis qua fur vtitur publica hac proinde capitalis eſt. Hæc enim eadē lex XII. tab. alio capite vetabat, ne cui priuato eſſe cum telo hominis occidendi cauſſa liceret: vt ſuo loco docebimus. Teli autem appellatione & ferrū, & fuſtis, & lapis, & denique omne quod

A nocendi cauſſa habetur, ſignificatur. l. 54. De furt. & aliis innumeris. Teſtificationem igitur hæc lex poſtulat, vt probari poſſit cum telo furem fuiſſe, eoq; telo vſum fuiſſe contra legis interdictū, quæ domino prehenſionem dabat: ac proinde nō iam tanquam furem, ſed tanquam violentum occidi. Itaque Auguſt. lib. II Quæſt. ſuper Exodum: Hoc, inquit, & in legibus antiquis ſecularibus inuenitur, impune occidi nocturnū furem quoquo modo: diurnum autem, ſi ſe cum telo defenderit. iam

B enim plus quàm fur eſt. Hoc loco propoſiti ſermonis ratio poſtulat, vt de vi bonorum raptorum actione pauca diſſeramus. Nam cùm in libris noſtris de quattuor delictis tractetur, ex quibus obligationes naſcuntur, furto, rapina, damno iniuria & iniuria: conſtat autem lege XII. tabularum de tribus reliquis nominatim cautum fuiſſe: operæpretium eſt, quid de rapina dicendum ſit, paulliſper exquirere. Nam quod de ea in XII tab.

C noſtris cautum fuerit, nihil planè legiſſe memini. Et omnino, vt meam coniecturam aperiam, veriſimile mihi videtur, rapinam hoc ipſo ſecundo capite coerceri: vt verba hæc, SI QVE TELO DEFENDARET, non minus ad violentam rei ſublatæ retentionem, quàm ad euitandam prehenſionem, pertineant. Eiuſque coniecturæ noſtræ hæc argumenta ſunt. Primum, quia vis ſiue in bonorū ereptione, ſiue alio in genere illata ſit, iudicio publico coërcetur. l.2. § 1. D. vi bon. rapt.

D Deinde quod noſtri tradunt, rapinæ nomine furti quoque actionem competere. l. 1. & l.2. § pen. D. eod. Poſtremò quod Iuſtinianus teſtatur, peculiarem vi bonorum raptorum actionem à prætore introductam fuiſſe. § 1. vi bon. rapt. nimirum cùm à lege XII. tab. nulla propria eò nomine actio eſſet conſtituta: ſed cùm vſus eſſet, furti actio eo quoque nomine, quemadmodum modo dicebamus, competeret.

E

Vt ſi neque noctu neque ſe telo defendens prehenderetur, virgis caſus ei cui furtum feciſſet, addiceretur.

HVIVS teſtis eſt Agellius eodem loco, vbi ſic ſcribit: Ex ceteris autem manifeſtis furibus liberos verberari, addiciq; iuſſerunt ei, cui furtū factū eſſet: ſi modò id luci feciſſent: neque ſe telo defendiſſent. Tria autem ex hac lege notanda atque obſeruanda ſunt. Primum enim intelligimus

F quo ex fonte manifeſti furti appellatio fluxerit: nimirum quia fures prehendebantur. Prehenſionem autem noſtri interpretati ſunt, vel in ipſo actu, vel in loco ipſo, vel antequā in deſtinatū locum rem deportaret. l.3. D. de furt. Vnde Maſurius eodem apud Agellium loco, manifeſtum furtum definit, quod deprehēditur dum fit: faciendi finē eſſe, cùm perlatum eſt, quò ferri cœperit. Denique manifeſti furti appellationē à manibus dictā, nemo ignorat. Alterum obſeruandū eſt, quod prehēſus fur virgis cædebatur. Maiores enim noſtri (vt Cæſar apud Salluſtium loquitur) Græciæ

G mores imitati, verberibus animaduertebāt in ciues: de condemnatis ſummum ſupplicium ſumebant. Poſtea lex Porcia, aliæq; leges paratæ ſunt, quibus legibus exilium damnatis permiſſum eſt. Et paulo ſupra: lex Porcia, aliæq; leges cōdēnatis ciuibus nō animā eripi, ſed exilium permitti iubēt. Poſtremum notatione dignum eſt, de addictione

in ſeruitutẽ: vt non mancipium quidem preheuſoris ſeruus fieret, ſed in eius ſeruitute perpetua eſſet, eique tanquam ſeruus operas daret. Illud non prætermittendum eſt, pœna illa corporali ſublata inſtitutũ Prætorum edictis fuiſſe, vt manifeſti fures quadrupli pœna multarentur. l. in furti, 50. D. de furtis. qua de cauſſa actio hæc Prætoria paſſim appellatur. §. 1. Inſtit. de perpe. & tẽpor. act.

Vt impubes arbitratu Prætoris verberatus, noxam factam ſarciret.

SIc enim eodem loco Agellius ſcribit: ex quo intelligimus leuius multo impuberibus quã in adultis ſupplicium fuiſſe: neq; enim addici impuberes lex voluit: ſed eos virgis dũtaxat cædi, & nihilominus noxam ſarcire. Impuberẽ autẽ ætatẽ noſtri ſic interpretantur, ſi modò proximi pubertati ſint, & ob id intelligant ſe delinquere, doliq; capaces ſint. l. impubere, 23. D. de furt. l. pupillum, 111. D. de reg. iur. l. ſed etſi, 5. §. & ideo, D. ad legem Aquil. l. excipiuntur, 14. D. ad Silan. Cùm autem virgarum modus Prætoris arbitrio permittatur, probabile eſt, de ætate iudicium eiuſdem quoque prudentiæ & fideicommiſſum fuiſſe.

Vt ſeruus manifeſti furti damnatus, verberibus affectus, de ſaxo deijceretur.

CVius rei eodem loco Agellius teſtis eſt. Saxum autẽ Tarpeium lex ſignificat, dictum à Tarpeia, Tarpeij filia, quòd eam arcem, quæ poſtea Capitolium dicta eſt, Sabinis prodiderit. Nã ab ea rupe certis criminibus damnati, deijciebãtur: eaq; de cauſſa, vt locus funeſtus, cum reliqua parte Capitolij non erat coniunctus. Quæ omnia ex Varrone, Liuio, Dionyſio, Plutarcho, & Feſti fragmentis cognoſci poſſunt. Hoc autem genus ſupplicij, ſua ætate ſublatum, Modeſtinus Iuriſconſul. ſcribit in l. ſi diutino, 25. D. de furt.

Vt qui nec manifeſti furti damnatus eſſet, niſi cum domino paciſceretur, duplum ſolueret: interea ei addictus ac nexus operas daret.

LEgis XII. tabul. pœnam hanc nec manifeſto furto conſtitutã, patet ex eo, quod Agellius illo eodem capite, poſtquam de Decẽuiris locutus eſt, ad aliena quędam digreſſus, tandem ſic infert: Alijs deinde furtis omnibus quæ nec manifeſta appellantur, pœnam impoſuerũt dupli. Quod etiã Cato initio libri de re ruſt. his ſignificat verbis: Maiores noſtri ſic habuerunt, itaq; in legibus poſiuerunt, furem dupli dãnari, fœneratorẽ quadrupli. Huius autem legis verba, quod equidem ſciam, non exſtant: niſi forte illorum pars ſit, quæ ex XII. tabulis Feſtus profert, vbi Nec pro Non poſuiſſe antiquos docet. SI ADORAT FVRTO, QVOD NEC MANIFESTVM ERIT. nam Adorat veteres pro Agit dixiſſe, idem in verbo Adorare teſtatur. Illud etiam hoc loco ſedem habuiſſe videtur, quod Vlp. ſcribit in l. Iuriſgentiũ, 7. §. ſi paciſcar. D. de pact. Nã & de furto paciſci lex permittit, quaſi ad ſuperiora verba adiunctũ illud fuiſſet, NISI CVM EO PACIT, duplionem ſoluito. Huius autem pacti hæc vis eſt, vt actio

A furti ipſo iure ſiue exceptione tollatur. l. ſi tibi, 17. §. 1. D. eod. Porro actionis huius veteris exemplum exſtat apud Plautum iis locis, quos in Inſtitut. Commentariis expoſui.

Vt ſi furtum per lancem, liciúmque cõceptum eſſet, perinde ac ſi manifeſtum foret, vindicaretur.

HVius exſtat apud eundẽ Agellium eodẽque loco teſtimonium, & item lib. XVI. cap. X. vbi
B veterem illam furtorum inueſtigandorum rationem ſua ætate ſublatam eſſe ſcribit. Cuiuſmodi autem illa fuerit, nondum ſatis conſtare arbitror. Duplicem tamen coniecturam in Inſtitut. Commentariis expoſuimus. alterã ex Dioſcoride, qui lapidem aethiten κλεπτέλεγχον appellat: & ab illa facere videtur quod Acron ſcribit in illum Horatij locum lib. Epiſt. 1. & X.

Vtque ſacerdotis fugitiuus liba recuſo,
Pane egeo iam mellitis potiore placentis:

C Cùm in ſeruis, inquit, ſuſpicio furti habetur, ducuntur ad ſacerdotem: qui cruſtum panis carmine infectum dat ſingulis: quod cum ederit, manifeſtum furti reum aſſerit. Alteram autem concipiendi furti actionem eodem Inſtitut. loco expoſuimus ex Platonis lib. De legib. XII.

Vt frugem aratro quæſitam furtim noctu paviſſe, ſecuiſſéve, capitale eſſet: pubéſque ſuſpenſus Cereri necaretur: Impubes arbitratu Prætoris verberaretur, noxiámve duplione ſarciret.
D

HVius capitis auctorem habemus Plinium lib. XVIII. cap. III: in quo ita ſcribit: Frugem quidem aratro quæſitam furtim nocte pauiſſe ac ſecuiſſe, puberi XII. tab capitale erat, ſuſpenſumq; Cereri necari iubebant: grauius quàm in homicidio conuictum Impubem Prętoria arbitratu verberari, noxiam've duplionem've decerni. Iam verbum illud PAVISSE Feſtus ſic interpretatur,
E Pauere frumenta dicebant antiqui, quæ de vagina non benè exibant. Quibus ex verbis intelligitur, legem de duobus frugũ generibus ſanxiſſe: hoc eſt, ſi immaturæ fruges paſcerẽtur, maturæ've ſecarẽtur. Nam (vt Varro 1. De re ruſt. ſcribit) cùm ſpicæ primitus oriuntur, qua ſublatẽ herba ea vocatur vagina; vti qua latet conditum gladium, vt mihi dubium nõ ſit, quin apud Plinium pro AC legendum ſit AVT. Illud quoque in lege obſeruandum eſt, non de frugibus quæ ſua ſpon-
F te naſcuntur, quas Iuriſconſulti naturales appellant, quales ſunt arborum baccę, grauem hanc pœnam ſtatuiſſe: ne de iis quidem omnibus, quæ manu & opera excoluntur, vt raſtris & ligonibus: ſed præciſè de iis, quæ aratro quæſitæ ſunt. De cæterarum autem frugum furtis, leges alias conſtitutas fuiſſe nequaquam dubitandum: earũ autem nulla, quod ſciam, exſtat memoria. Illud tantùm ab Vlpiano traditur in l. ſi ſeruum, 27. §. 26. D. ad leg. Aqui. Si oliuam immaturam decerp-
G ſerit, vel ſegetem deſecuerit immaturam, vel vuas crudas, Aquiliam actionem dari.

TIGNVM IVNCTVM ÆDIBVS, VINEÆVE, ET CONCAPV, NE SOLVITO.

Vt qui illud iunxiſſet domino duplum præſtaret.

EXTANT hæ reliquiæ apud Feſtum in voce Tignũ, vbi ſic ſcribit: Tignum non ſolùm in ædificiis, quo vtuntur, appellatur, ſed etiã in vineis: vt eſt in XII: TIGNVM iunctum ædibus vineæ've & concapu ne ſoluito. Teſtimonium autem ſententiæ totius ſuppeditat Vlpianus in l. 1. D. de tig. iunct. vbi ita loquitur: Lex XII. tab. neque ſoluere permittit tignum furtiuũ, ædibus vel vineis iunctum, neque vindicare: ſed in eum qui conuictus eſt iunxiſſe, in duplum dat actionem. Itemq; alij in l. gemma, 6. D ad exhib. l. de eo, 63. D. de dona inter vir. l. in rem, 23. §. tignum, D. de rei vind. l. qui res ſuas, 98. 10 h. D. de ſolut. §. cum in ſuo, 21. Inſt. de rer. diuiſ. l. 7. §. 7. D. de adq. rer. dom. Legis autem æquitatem Vlpianus eodem loco hanc profert: Ne vel ædificia ſub hoc prætextu diruantur, vel vinearũ cultura turbetur. Nunc de legis ſententia videamus: in qua primùm illud conſtat, Tigni appellatione omnẽ materiam contineri, ex qua ædificia conſtant: quæq; vineæ neceſſaria ſunt, veluti perticæ, aut pedamenta: d. l. 1. De tig. iunct. l. adeo, 7. §. 7. D. de adquir. rer. dom. l. tigni, D. de verb. ſign. l. tigni, D. ad exhib. Itaq; ſiue trabes quis alienas, ſiue axa, ſiue lateres, ſiue cæmenta ſuis ædibus iunxerit, dupli eo nomine domino ex hac XII. tab. lege teneri, Iuriſcõſulti cõſtituerunt. Quin & illud extra controuerſiã eſt, legem de eo tigno quod ſine voluntate domini iunctum eſt, intelligendã eſſe: quoniam, vt Paulus ſcribit, nõ eſt credibile, Decemuiros de iis ſenſiſſe, quorum voluntate res eorum in alienum ædificium coniunctæ eſſẽt. l. de eo, 63. D. de don. inter vir. Illud inter noſtros ambigitur, vtrũ de furtiuo tantùm tigno lex ſenſerit, hoc eſt, de eo, quod quis ſciens alienum eſſe, ſine domini voluntate iunxit: an verò etiã de eo quod bona fide iũctum ſit: hoc eſt, quod ſuum eſſe quis putabat. Nam primum omnium ſi Tribonianus perpetui edicti ordinem ſecutus eſt, veriſimile eſt, cùm ad Rubricam De furtis, noſtrum hunc de Tigno iuncto tractatum attexuerit, legẽ hanc in illo edicto de furtiuo tãtùm tigno intellectã fuiſſe. Eò accedit, quod Vlpianus toto illo capite, nõ niſi de furtiuo tigno loquitur: quaſi lex nominatim ſcripta de illo ſolo fuiſſet. Quod ſi ita eſt, contraria diſputatio exorietur, quia ſuperior lex furtis dupli pœnã impoſuerat: hæc verò ſimpli duntaxat, quia in hoc duplo verum rei preciũ continetur. Ecce item alia concertatio: ſiquidem Vlpianus initio l. 1. de tign. iunct. dilucide ac nominatim affirmat, hac lege tigni vindicationem vetari: in extremo verò & vindicationem, & ad exhibendum actionem concedit. Cui Paulus cõſcorit l. 7. D. de rei vind. Ne multis morer, Si furtiuum tignum eſt, vetus actio ad dupli exactionem dabitur: quod totum pœna eſt: vindicatio verò ad verum rei precium. Itaq; legem ſecundam interpretamur, ne furti pœna legitima fruſtretur. Vindicatio autem non dabitur quidem ad rem eximendam, ne ſcilicet ędificia diruãtur: ſed tantùm ad precij exactionem. quod in l. 1. Vlpianus his verbis ſignificat: Non enim ſic eum conueniemus, quaſi poſſidentem: ſed ita, quaſi dolo malo fecerit, quò minus poſſideat. Sed ad priorẽ quæſtionẽ reſpondendum eſt. Et puto nemini eſſe dubium, quin æquum ſit, vt is qui tignum alienum ſuis iunxit ędibus, vineis ve, ſiue ſciẽs id fecerit, ſiue ignorans, quanti ea res eſt domino damnetur: hoc eſt, & quanti tignum eſt, & quãti domini intereſt: ſi fortè, verbi gratia, ſuas quoque vel ædes vel vineas fulciri oporteret. Quoniam autem in eo quod cuiuſque intereſt probando, ac dilucidando, multum ſæpe negocij eſt, l. quatenus, D. de reg. iur. l. vlt. D. de ſtip. prętor. propterea fere lex dupli pœnam in hoc genere cõſtituit quemadmodum in tractatu De eo quod intereſt, docuimus, ex l. Titius, 43. cum ll. ſeq. D. de act. empt. l. ſi tibi, 25. C. de euict. l. ſi fratres, C. commun. vtriuſque iudic. Atque hoc nimirum ipſum eſt, quod paſſim traditur in libris noſtris, Tigni iuncti nomine in duplum actionem lege XII. tab. dari: cũ de furtiuo nulla planè ſuſpicio ſit, ſed indiſtinctè noſtri de quouis tigno loquantur. quẽadmodũ animaduerti poteſt ex l. gemma, 6. D. ad exhib. l. in rem, 23. §. tignum, D. de rei vindic. & ſimilibus: Proximum eſt, vt illud conſideremus, vindicari ne interea tignum liceat: cùm Paulus in l. qui res, 98. in fin. D. de ſolut. teſtetur, legem XII. tab. ſciuiſſe, vt tignum ædibus iunctum vindicari liceret: ſed tamẽ interim id ſolui prohibuiſſe, preciumq; eius dari iuſſiſſe, Quibus verbis apertè repugnãt ea quæ traduntur in l. 7. §. 7. D. de adq. rer. dom. d. l. 6. ad exhib. & l. 23. de rer. vindic. quanquam totius perplexitatis iſtius culpam in ſolum Tribonianum conferendam exiſtimamus. Sed nos quid veritas poſtulet, conſideremus. Nã cùm legis æquitas perpetuò maneat, quæ dirui ædificia, & ruinis ſpeciem vrbiũ deformari vetat, dubiũ eſſe non poteſt, quin iuncta tigna vindicari ſic non poſſint, vt exiſtimantur. Sed cùm vindicationis duplex ſit effectus, alter vt dominiũ euincatur: alter vt rei poſſeſſio auferatur: ad priorem duntaxat vindicatio valebit, vt duplum dominus auferat. ſin autem exemptum iam tignum eſſet, non dubium eſt, quin omnimodo vindicari poſſet. Idq; perſpicuè traditur in d. l. 7. D. de adq. rer. dom. §. cum in ſuo, 21. Inſtit. de rer. diuiſ. quoniã (vt eo loco Imp. ſcribit) dominus tigni proprietatem perpetuò retinet, quamuis tantiſper dum iunctum fuit, vindicare id nõ poterit, vt illud eximeret. Supereſt illa diſputatio, quam in Inſtitutionum Commentariis iampridem explicauimus: quidnam cauſſæ ſit, cur cùm Iuriſcõſulti omnes in hac lege tigni appellatione, materiam omnem ex qua ædificia fiunt, intelligant: tã diſſimiliter de ædificijs, ac de rebus aliis omnibus ſtatuatur. Nam ſiue nauis ex alienis tabulis, ſiue qua alia res ex aliena materia effecta ſit, eius dominium ſtatim in effectorem operis tranſit: quippe cùm ſpecies mutata ſit. l. ſed ſi meis, 26. & ſimilib. D. de adq. rer. dom. Ego in mea priſtina ſententia permaneo, vt quod Iuriſconſulti tradunt, tigni dominium eius cuius ſemper antea fuerat, permanere: de eo tãtùm tigno intelligatur, quo non conſtruuntur ædificia, ſed fulciuntur tantum, & ad tempus iunguntur: quẽadmodũ vinearum tigna, hoc eſt, pedamenta, vel perticę, temporis duntaxat cauſſa vineis iunguntur. quã ſententiã Iuriſconſulti ex legis æquitate expreſſerunt: propterea quòd poſtquam exempta tigna ſunt non dubium eſt, quin à domino vindicari poſſint. Quod ſi tum poſſunt, ſemper antea illorum proprietatem apud veterem dominum permanſiſſe arguitur. Quanquam verè vt dicam, vbi

ſpecies mutata eſt, difficile dictu eſt, dominium permanſiſſe. (A) Quid enim ſi quadratus ſit lapis, qui rudis antea fuerat? vel quadrata rotundatáve trabs, quæ formæ alterios fuerat: aut etiam ex arbore viua excisa? Qua de re paulò copioſius in inſtitutionum Commentarijs diſputauimus.

SI QVIS OCCENTASSIT, CARMENVE CONDIDERIT, QVOD INFAMIAM FACERET, FLAGITIVMVE ALTERI, CAPITALE ESTO. (B) SI INIVRIAM ALTERI FAXIT, XXV. AERIS POENA SVNTO. SI MEMBRVM RVPIT, NI CVM EO PACIT, TALIO ESTO. SI OS FREGIT ** AERIS SVNTO.

PRIMI capitis reliquiæ exſtãt apud D Auguſtinum lib De ciuit. Dei II. cap. IX. vbi ſic ſcribit: Quid autem de poëtica licentia veteres Romani ſenſerint, Cicero teſtatur in nobis, quos de Repub. ſcripſit. vbi Scipio diſputans, ait: Nunquam comœdiam niſi conſuetudo vitæ pateretur probare ſua theatris flagitia potuiſſent. (C) Et Græci quidem antiquiores vitioſæ ſuę opinionis quandam conuenientiam ſeruauerunt: apud quos fuit etiam lege conceſſum, vt quod vellet comœdia nominatim, vel de quo vellet, diceret. Itaque ſicut in eiſdem libris loquitur Africanus, quem illa non attigit, vel potius quem non vexauit: cui pepercit? eſto. Populares homines, improbos, in (D) Repub. ſeditioſos, Cleonem, Cleophantem Hyperbolum patiamur, inquit, & ſi eiuſmodi ciues à Cẽſore melius eſt, quàm à Poëta notari: ſed Periclẽ, cùm iam ſuæ ciuitati maxima auctoritate plurimos annos domi & belli præfuiſſet, violari verſibus, & eos agi in ſcena non plus decuit quã ſi Plautus, inquit, noſter voluiſſet aut Næuius P. & Cn. Scipioni, aut Cæcilius M. Catoni maledicere. Deinde paulo pòſt: Noſtræ, inquit, contrà (E) XII. tabulæ, cùm perpaucas res capite ſanxiſſẽt, in his hãc quoq; ſanciendã putauerunt: SI QVIS OCCENTASSET, SIVE CARMEN CONDIDISSET, QVOD INFAMIAM FACERET FLAGITIVMVE ALTERI. præclarè. iudiciis enim ac magiſtratuum diſceptationibus legitimis propoſitam vitam, non poëtarũ ingeniis habere debemus, nec probrum audire, niſi ea lege vt reſpondere liceat, & iudicio defendere. Hæc Auguſtinus. Cicero item Tuſcul. IIII. Quanquam, inquit, id quidem etiam XII. tabulæ declarant: (F) condi iam tum ſolitum eſſe carmen: quod ne liceret fieri ad alterius iniuriã, leges ſanxerũt.

Legis autem æquitatem Cic. ſuperius expoſuit. Verba nunc videamus. Occentaſſint, inquit Feſtus, antiqui dicebãt, quod nunc conuicium fecerint, dicimus. quod id clarè, & cum quodã canore fit, vt procul exaudiri poſſit. quod turpe habetur, quia non ſine cauſſa fieri putatur. Quibus ex verbis Vlpiani ſententia non obſcurè cõfirmatur, (G) cùm dixit. Conuicium à vocum multitudine fictum eſſe verbum. De carminibus autẽ teſtimonium etiam exſtat apud Arnobiũ lib. contra gentes IIII. Carmen, inquit, malum conſcribere, quo fama alterius coinquinetur, & vita, Decemuiralibus ſcitis euadere voluiſtis impune. Idem etiã Horat. ſignificat in Epiſt. ad Auguſt.

Quin etiam lex
Pœnáque lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Deſcribi: vertere modum formidine fuſtis.
Ad benedicendum, delectandúmque redacti.

Item Sat. I. lib. II.

Si mala condiderit in quem quis carmina, ius eſt
Iudiciúmque.

Sed notandum eſt quod Horatius eo loco ſignificat, & Porphyrio dilucidè notat, fuſtuarium ſupplicium cõſtitutum fuiſſe in auctorem carminum infamium. Quod credendum eſt noua lege inſtitutum fuiſſe, cum hæc XII. tabul pœna durior videretur. Denique fuit & tertia lex de hoc carminum genere, Cornelia de iniuriis, quã Vlpianus his edit verbis in l. 5. D. de iniur. Si quis librũ ad infamiam alicuius pertinentem, ſcripſerit, cõpoſuerit, ediderit, dolo ve malo fecerit, quo quid eorũ fieret, etiamſi alterius nomine ediderit, vel ſine nomine, vti de ea re agere liceret: &, ſi condemnatus ſitis qui id fecit, inteſtabilis ex lege eſſe iubetur. Quod idẽ traditur in l. ob carmen, 21. D. de teſtib. l. ſi cui, 18. D. de teſtam. Secundũ caput exſtat apud Agellium libro XX. cap. I. quod tamen mirum eſt, à Paullo in lib. ſen. V. cap. III. vbi legem XII tab de iniuriis commemorat, prætermiſſum fuiſſe. Iniuriarum actio, inquit, lege XII. tab. introducta eſt, de famoſis carminibus, membris ruptis, & oſſibus fractis. Videndũ igitur, nũquidnã apud Paullum deſideretur: cùm inter omnes conſtet, carminũ iniuriam capitalem fuiſſe: pulſationis verò, pecuniariã. ſiquidem Phauorinus hanc apud Agellium legis pœnam improbãs, ita diſputat: Quis erit tam inops, quem ab iniuriæ facienda XXV. aſſes deterreant? Itaque cùm eam legem Qu. quoque Labeo vellet, in libris quos ad XII. tab conſcripſit. non probaret, inquit: L. Neratius fuit egregiè homo improbus, atque immani vecordia. Is pro delectamento habebat, os hominis liberi manus ſuę palma verberare. Eum ſeruus ſequebatur crumenã plenam aſſium portitans, & quemcunque depalmauerat, numerari ſtatim, ſecundum XII. tab. XXV. aſſes iubebat. Quod cùm ita ſit, perſpicuum eſſe arbitror iniuriæ nomine in hoc capite, & conuicium & pulſationem & verberationem contineri. Æris autem XXV. vetuſtè dictum eſt, cùm ſubaudiatur, Numi: vt apud Ciceronem in Orat. pro Qu. Roſcio: Nam illa membra merere per ſe nõ amplius poterant, duodecim æris. Quod autẽ Phauorinus pœnæ genus improbat, in eo non tam videtur attentè temporis illius priſtini rationẽ ſubductã habuiſſe: tametſi (vt poſtea Agellius ſcribit) hæc ipſa paucitas aſſium graue pondus ęris illis temporibus fuerit: quàm Iuſtiniani, qui ea de re loquẽs: Quaſi, inquit, in magna veterum paupertate. Nã eo tempore XII. tabul. ſcriptæ ſunt, quo populus R. per exiguam Italię partem obtinens, agriq; colendi ſtudio contentus, ſupremam multam habebat duorum ouium, boum verò trigintã: vt ſcribit Agellius lib. XI. cap. I. & Plin. lib. XVIII. cap. III. Quin & Liuius lib. IIII. teſtatur, Dena millia grauis æris diuitias illo tempore habitas fuiſſe. Quãquam per exiguam ſummam ſanè hanc multam fuiſſe, negare non poſſumus. Qua de cauſſa Labeo ſcribit, ſenſim hanc aboleſcere, & relinqui cenſuiſſe: iniiſq; æſtimandis Recuperatores ſe daturos edixiſſe. Tertiò caput exſtat quidẽ apud Agel-

Agellium eodem capite,ſed aliqua ex parte mẽdoſum Itaque corrigitur ex Feſto in voce TALIO, vbi ſic ſcribit: Taliouis mentionẽ fieri in XII. ait Vertius hoc modo: SI MEMBRVM RVPIT, NI CVM EO PACIT, TALIO ESTO. permittit autem lex parem vindictam. Quin & apud Iuſtinianum legis huius teſtimonium extat, vbi ſic ſcribit: Pœna autem iniuriarum ex lege XII. tab. propter membrum quidem ruptũ talio erat,&c. Legis de talione æquitatem Agellius eodem capite ſic exponit: Præſertim cùm habeas facultatem paciſcendi,&non neceſſe ſit,pati talionem, niſi eam tum elegeris. Item: Nolo hoc ignores, hanc quoque ipſam talionem ad æſtimationem iudicis redigi neceſſariò ſolitam. Nam ſi reus depaciſci noluerat, iudici talionem imperanti non parebat, æſtimata lite iudex hominem pecuniæ dãnabat, atque ita ſi reo pactio grauis & acerba talio viſa fuerat,ſeueritas legis ad pecuniç multã redibat.Quibus ex verbis apparet,triplicem mẽbri rupti pœnam ex lege XII tab. fuiſſe aut pactionem, aut talionem, aut multam. Sequitur quartum caput, cuius teſtimonium extat apud Iuſtinianũ,his verbis: Propter os verò fractum, lege XII.tab. nummariæ pœnç erant conſtitutæ: quaſi in magna veterum paupertate. Item apud Agellium ſupradicto loco:Quod iniurias factas, inquit, quinque & XX aſſibus ſanxerunt, non omnes omnino ære illo pauco diluerunt:ſed iniurias atrociores, vt de oſſe fracto,non liberis modò,verum etiam ſeruis factas impenſiore damno vindicauerunt. Quanta autem illius multæ ſumma fuerit,nuſquam extare arbitror. Quod verò nonnullis mirum videtur,fracti oſſis iniuriam ab illa membri rupti diſtingui, cùm frangi nullum ferè ſine oſſe membrum poſſit, perabſurdum eſt. Nam neque idem eſt membrum,quod eſt os:neque quoduis os,membrum efficit.Illud ad extremum obſeruandum eſt, locum illum ex Catonis Originibus quem Priſcianus lib. VI. profert: Si quis membrum rupit, aut os fregit,talione proximus cognatus vlciſcitor:hunc, inquam,locum potius ad gẽtis alicuius inſtituta, de quibus Cato diſſerebat,quàm ad hãc duodecim tabularum legem pertinere: cùm apertè ex Agellio conſtet, neque oſſi fracto talionem eſſe conſtitutam, neque proximo cognato potiſſimùm vltionẽ dari.

QVOD RVPITIAS, SARCITO.

HVIVS capitis nihil ferè præter coniecturam habemus. Nam Vlpianus quidem in l.1.D. ad leg. Aquil.teſtatur,caput aliquod in XII tabulis de damno iniuria dato fuiſſe:ſed ſuperuacuum eſſe illud referre. Feſtus autẽ in voce RVPITIAS, & item in voce SARCITO,noſtræ huic coniecturç auſam præbuit:cùm ita loquitur: Rupitias, in duodecim,damnum dederis. Sarcito, in duodecim,Ser. Sulpitius ait,ſignificare damnum ſoluito,præſtato. Rumpendi autem verbo vſam quoque legem Aquiliam, eoque multa admodum contineri, docet Vlpianus multis in l.ſi ſeruus, 27.§.9.D.ad leg.Aquil.

Vt qui alienas arbores iniuria cecidiſſet,in ſingulas æris vigintiquinque lueret.

HVIVS legis teſtimonium habemus apud Pli.

A lib.XVIII.cap.I.vbi ſic ſcribit: Fuit & arborũ cura legibus priſcis,cautũmque eſt XII tab. vt qui iniuria cecidiſſet alienas, lueret in ſingulas æris XXV.Itémque apud Paullum in l.1. D. arbor. fur. cæſ.Si furtim,inquit,arbores cæſæ ſint,& ex lege Aquilia, & ex XII. tab. danda eſt actio:ſed ita vtraque dabitur, vt iudex in poſteriore deducat id,quod ex prima conſequutus ſit,& reliquo cõdemnet. Quo ex loco, totóque adeò illo capite dubitari poteſt, vtrum ne in lege, SI INIVRIA

B ſcriptum fuerit,vt apud Plinium legimus: an verò potius FVRTIM,vt in Pandectis. Et quanquam nihil comperti eſt, tamen [illegible] grauis Pandectarum auctoritas eſt, nos eam [illegible]quentes ita legem hanc ex Iuriſconſultorum verbis explicabimus. Furtim,inquiunt,arborem cædit,qui clam cædit. Item:Furtim cæſæ arbores videntur, quæ ignorante domino celandique eius cauſſa cæduntur. Nec verò eſt hæc furti actio: cùm & ſine furto fieri poſſit,vt quis arborem furtim cçdat.Igitur ſi

C cæciderit,& lucri faciendi cauſſa contrectauerit: etiam furti tenebitur lignorum cauſſa. l.1. & l.8. D.eod. Aliud ergo eſt furtim arbores cædere, aliud furti cauſſa cædere. In illo damnum iniuria eſt, in hoc furtum: vt meo iudicio dubitari non debeat, quin hæc actio potius ad legis Aquiliæ tractatũ referenda ſit, quam (vt in Pandectis factum videmus) ad tractationem de furtis.Sed tamen ſub illa Rub. multa obſeruatu digna ſunt: quorum illud potiſſimum eſt,quod ſcribit Caius

D l.2.quæ ex primo illius libro ad legem XII tab.deſcripta eſt:Eos qui arbores & maximè vites ceciderint, etiam tanquam latrones puniri. Nam Seruius in Æclog.III.vbi ſic ſcribitur:

Atque mala vites incidere falce nouellas:

In hoc,inquit,maximum nefas eſt, quod ait Vites nouellas. Nam vetulæ & cum vtilitate inciduntur. Fuerat autem capitale ſupplicium arbores alienas incidere. Alterum obſeruatu dignum videbatur, de quo tamen doctiorum ſententiam

E potius tentandam, quàm quidquam temere affirmandum putamus: quoties ſub illa Rubrica CINGENDI verbum eſt, toties mendum eſſe pro STRINGENDI: videríque in lege vel XII. tab. vel Aquilia ſcriptum ſic fuiſſe:Qui arborem alienam iniuria ſtrinxerit,ſucciderit,cæciderit: &c. quoniam in l.7.§.2.ſcriptum ita eſt: Siue autem quis ſuis manibus,ſiue dũ imperat ſeruo, arbores cingit,ſubſecat,cædit,hac actione tenetur.Stringe-

F re arbores (vt Seruius Honoratus ſcribit) eſt defrondare,vt Æclog.IX:

Agricolæ ſtringunt frondes,

id eſt,amputant,decutiunt. Vnde in Georg.

Sed tamen & teneras glandes tunc ſtringere.

Plin.lib.XV. cap.III. Qui medium temperamentũ ſeruant, perticis decutiunt oleas cum iniuria arborum, ſequentíſque anni damno.quippe oliuãtibus lex antiquiſſima fuit: Oleam ne ſtringito, néve verberato.Ordine autem videretur lex po-

G ſuiſſe, Qui alienam arborem ſtrinxerit, ſucciderit,cæciderit: quia ſtringũtur arbores in ſummo, ſucciduntur in imo:cæduntur in medio. Nã verba illa Paulli:Cingere,eſt deglabrare: ſubſecare, eſt ſubſecuiſſe:ſuſpicione mendi non carent: itaque corrigenda videntur:Stringere,eſt deglabrare:ſuperſecare.vt coniunctum vtrunque verbum fuerit,rei dilucidandæ cauſſa: facile enim fuit no-

tam per, quæ PER ſignificat, non animaduerte- A
re. Deinde ſtatim adiectum: Succidere, eſt ſecuri
ſecare. Cui coniecturæ conſentaneum eſt, quod
adſcribitur: Non enim poterat cecidiſſe intelli-
gi, qui ſerra ſecuiſſet. quippe cùm aliud ſit ſerra
ſecare, aliud vi & impetu cædere. Itaque in l. 7.
vbi ſic legitur: Si quis radicitus arborem euelle-
rit, vel exſtirpauerit (quod verbum gloſſema eſſe
arbitror) hac actione non tenetur: neque enim
vel cædit, vel ſuccidit, vel ſubſecuit: corrigendũ
putarem, Superſecuit. Verùm hæc, vt dixi, ex au- B
daci coniectura ſunt: cui locus quoque alter ad-
uerſatur in l. 29. D. [illegible] bi ſic legitur: In lege lo-
cationis ſcriptum [illegible]. Redemtor ſyluam ne cæ-
dito, néve cingito, néve deurito: nevé quem cę-
dere, cingere, vrere ſinito, &c. Illud tertiũ loco
obſeruandum eſt, Arboris appellatione, in hac
lege vitem contineri. l. 3. D. arb. furt. cæſ. Cui etiã
conſentaneum eſt, quod Plinius ſcribit lib. XIIII.
cap. 1. Vites iure apud priſcos magnitudine quo-
que inter arbores numerari ſolitas. Quin & illud C
ex Caij libro ad XII. tab. in l. 4. relatum eſt: non
deberi arboris numero haberi, id quod adeò te-
nerum eſt, vt herbæ loco ſit.

Ut ſi ſeruus furtum nec manifeſtum faxit, no-
xam'ue nocuit: dominus, quo imprudente id
factum eſſet, quanti ea res eſſet, ſolueret: ſer-
uum've noxæ dederet.

At ſi eum interea manumiſiſſet, quamuis id ſer-
uus domino conſcio commiſiſſet, liber ipſe no- D
xam ſarciret.

PRIORIS capitis argumentum ſuppeditat Iu-
ſtinianus § 2. de nox. action. vbi ſcribit. No-
xalem actionem furti, à lege XII. tabul. inſtitutã
fuiſſe. Nam cùm A. Gellius perſpicue teſtetur, ma-
nifeſta furta in ſeruis deiectione de ſaxo vindi-
cari, relinquitur hanc noxalem actionem, furto-
rum nec manifeſtorum propriam, peculiaremq́;
fuiſſe. Verba autem hæc *Si ſeruus furtum faxit,* E
noxam've nocuit, ſumſimus ex l. 2. D. de noxal. act.
vbi Vlpianus de lege XII tab. diſſerens, ea com-
memorat. quam legem ex Atheniensium inſtitu-
tis ſumtam fuiſſe, argumento eſt quod Plato lib.
De legib. XI. ſimilem legem propoſuit his verbis:
Δοῦλος δ' ἐὰν εἴ δ' ἄλλη βλάψῃ τῶν ἀλλοτρίων, καὶ ὅτι οὐ
μὴ ξυναίτιου τῷ βλαβέντος, αὐτὸς γιγνόμενος, κατ' ἀπει-
ρίαν, εἴ τιν' ἑτέραν χρείαν καὶ σώφρονα, ὁ τοῦ βλάψαντος
δεσπότης τὴν βλάβην ἐξιάσθω, μὴ ἐκδιδούς, ἢ τὸν βλά-
ψαντ' αὐτὸν παραδότω. Id eſt: Si cui alieno ſeruus F
ſeruáve vel imperitia, vel alia minus conſide-
rata ratione noxam nocuerit, neque is qui dam-
num paſſus eſt, cauſſam eius damni ex parte
præbuerit, dominus eius qui nocuit, aut litis æ-
ſtimationem ſoluito, aut eum noxæ dedito. Legis
autem æquitatem Iuſtinianus hanc profert: quia
iniquum erat, nequitiam ſeruorum vltra ipſorũ
corpora dominis damnoſam eſſe. Quod tamẽ de
iis culpis intelligendum eſt, quarũ domini planè
expertes ſunt: quos ſanè inhumanũ eſſet, alienæ G
culpæ reos fieri. Quod & in lege Aquilia & in
Prætoris edicto nominatim cautum fuiſſe, paſſim
ſub Rub. D. de nox. act. perſpicitur. Nam ſi con-
ſcius fuit dominus, eum in ſolidũ teneri, æquitas
poſtulat. Alterũ caput teſtimonium habet apud
Vlp. in l. 2. D. de nox. act. vbi ait, differentiam in-
ter legem Aquiliam & legem XII. tabul. hoc caſu A
fuiſſe. Nam in lege antiqua, ſi ſeruus ſciente do-
mino furtũ fecit, vel aliam noxam cõmiſit, ſerui
nomine actio eſt noxalis: nec dominus ſuo nomi-
ne tenetur. At in lege Aquilia dominus ſuo no-
mine tenetur, non ſerui. Vtriuſq; legis reddit ra-
tionem: XII. tabularũ, quaſi voluerit ſeruos do-
minis in hac re non obtemperare: Aquiliæ, quaſi
ignouerit ſeruo, qui domino paruit, periturus ſi
non feciſſet. Quę verba ſanè videntur à Triboni-
no vexandi lectoris cauſſa ita obſcurè perplexeq́; B
poſita fuiſſe: quaſi generaliter de noxali actione
intelligẽda eſſent, vt ſi ſeruus ſciẽte domino da-
mnum alteri dediſſet, ipſe ſolus teneretur, nõ do-
minus. quo nihil abſurdius fingi poteſt, vt ſeruus
imperantę vel ſaltem ſciente domino, damnum
alteri faciens, dominũ liberet: inſciente verò, in
ſolidum obliget. cùm contrariũ ratio poſtulet, vt
& ſciens in ſolidum teneatur: vel imprudenti
per noxæ deditionem ſuccurratur: quod etiam
Athenienſium inſtitutis cautum fuiſſe, ſuperius C
docuimus: vt mihi quidem dubium non ſit, quin
tota illa ſiue Celſi ſiue Vlpiani diſputatio, ad eũ
duntaxat caſum referenda ſit, de quo proximè
tractatũ fuerat: id eſt, cùm ſeruus qui furtum fe-
cit, noxámve nocuit, manumiſſus eſt. Vt illa ver-
ba *Serui nomine actio eſt noxalis* vel voce *Noxa-*
lis abundent: vel certè abuſiue poſita ſint: pro,
actio eſt in eũ, qui in ſeruitute noxam nocuerat,
noxæ illius nomine. Nam illa ſuperiora verba,
Quemadmodu ſerui facti excuſabimus? planiſſi- D
mè oſtendunt. non de ſeruo hic agi, ſed de manu-
miſſo: cui ſi ſeruus maneret, ſtulte excuſandi eius
cauſſa quæreretur. Iam verò quod eodem loco
ſequitur: *Sed ſi placeat, quod Iulianus ſcribit, Si*
ſeruus, &c. quod certe parum dilucidè nobis à
Triboniano propoſitum eſt, id ego ſic interpre-
tor: Caput iſtud legis XII tab. quod protulimus, à
poſterioribus legibus abrogatũ non eſt, ſed etiã
ad illos pertinet, poterit dici duplicem actionem
in eum qui à domino manumiſſus fuit, ob illud E
ſerui factum competere: vnam directã ex ver-
bis Aquiliæ directis, in ipſum dominũ, & ipſius
domini nomine, vt ipſius qui conſcius fuerit, cul-
pa plectatur: alteram vtilem ex verbis XII tab. in
lege poſteriore intellectis: ne ſerui facinus oblite-
retur, & quaſi excuſetur. vt quod datur Aquilia,
directa aduerſus dominũ ſerui noxæ conſcium,
non veterem in ſeruum actionem tollat, quaſiq́;
ſeruum excuſet, ſed potius dominum oneret: qui
& præcipuè, ſuo: & ſecundario, ſerui nomine te- F
neretur: ita tamen vt vna pœna exacta, alterã exi-
gere non poſſit. Quam huius loci eſſe ſententiam
apertiſſimè Pauli verba oſtẽdunt in l. ſeq. § cùm
dominus. Verùm hæc quidem omnia (vt appa-
ret) de eo dicta ſunt, qui domino conſcio, alteri
damnum dedit. Nam ſi inſciente domino id fecit
multò magis in ipſũ ex verbis legis directa actio
dabitur: quod etiã ea lege aquilia & prætoris e-
dicto confirmatum eſt. l. quod ab alio. 15. D. de
cond fur. l. 4. C. an ſeruus ex ſuo fact. l. ſerui. 14. D. G
de oblig & act. Illud poſtremò notandũ eſt, quod
vulgò dici ſolet. Noxa caput ſequitur, hoc eſt, no-
xalis actio eum qui ſerui caput efficitur, vt puta ſi
dominus mutetur: non ea lege XII. tab. nomina-
tim cautum, ſed ex Iuriſconſultorum obſeruatio-
ne natum fuiſſe: quod apertè perſpicitur in l. ſer-
ui. 17.

ui,17.& l.ſeq.D.de fur.Quoties enim illud *Quod dicitur* legimus, totiea non legem aliquam, ſed Iuriſconſultorum regulã & obſeruationem aliquam ſignificari intelligitur:vt l.quod dicitur.12. D. de liber.& poſtũ l.86.& l.130.de verb.obli.l.1. D. quis à quo appel. Ex eóq; cõſtituto iure illud in Ædilium edicto natum eſt:QVI mancipia vendunt,certiores faciant emptores qui morbi vitiive cuiq; ſit,quis fugitiuus, erróve ſit,noxáve ſolutus non ſit.Qua de re Vlpianus ita ſcribit:Noxas accipere debemus, priuatas:hoc eſt,eas,quęcunque committũtur ex delictis. Ex priuatis autem noxiis oritur damnum pecuniarium, ſi quis fortè noxæ dedere noluerit, ſed litis ęſtimationẽ ſufferre. Vnde illud Feſti:Noxa,ponitur pro peccato:aut pro peccati pœna: vt cum lex iubet noxæ dedere,pro peccato dedi iubet.

Vt ſi cuius quadrupes pauperiẽ alteri feciſſet,quidve in alieno depaſta eſſet,dominus damni æſtimationem ſolueret,quadrupedémve noxæ dederet.

PRIORIS partis, de pauperie ſcilicet, exſtat teſtimoniũ in l.1. D. ſi quadr. paup. vbi Vlpianus ſic ſcribit:Si quadrupes pauperiem feciſſe dicetur,actio ex lege XII.tab.deſcendit.Quæ lex voluit,aut dari id quod nocuit, id eſt, id animal quod noxam commiſit,aut æſtimationem noxiæ offerre.Item apud Iuſtinianum lib.Inſtit. IIII. Animaliũ,inquit,nomine quæ ratione carẽt,ſiquidem laſciuia aut feruore aut feritate pauperiem fecerint, noxalis actio lege XII. tab. prodita eſt: quæ animalia ſi noxæ dedãtur, proficiunt reo ad liberationẽ:quia ita lex XII.tab ſcripta eſt. Sumſiſſe autem Decemuiros hanc legem ex Athenienſium inſtitutis, illud argumento eſt, quod Plato lib.De legib.XI.ſic ſcribit: Ἐὰν ὑποζύγιον ἢ ἵππος ἢ κύων, ἤ τι τῶν ἄλλων θρεμμάτων σινηταί τι τῶν πέλας κατὰ ταῦτα ἐκτίνειν τὴν βλάβην. Id eſt, ſi vel iumentum,vel equus,vel canis, vel alia vlla quadrupes pauperiẽ alieno fecerit,eodem modo dominus damnum ſarciat,vt cùm ſeruus ſeruáve noxam nocuerit. Teſtatur etiam Plutarchus in Solonis vita,legem illius fuiſſe,de pauperie quadrupedum:his enim ſcribit verbis: Ἔγραψε δὲ καὶ βλάβης τετραπόδων νόμον, ἐν ᾧ καὶ κύνα δακόντα, παραδοῦναι κελεύει κλοιῷ τετραπήχει δεδεμένον. τὸ μὲν ἐνθύμημα χαρίεν πρὸς ἀσφάλειαν. Id eſt: Scripſit etiam legem de pauperie quadrupedum, in qua caput hoc fuit, vt canis qui quemquam momordiſſet,quattuor cubitorum iugo vinctus dederetur.quod eo ipſo ſane præclarè & ad ſecuritatem accommodatè excogitatum eſt. Ac legis quidem noſtrę perſpicua eſt æquitas.itaque verba ipſa conſideranda ſunt. Nam quod ait lex, SI QVADRVPES, Vlpianus monet ad ſolas pecudes pertinere,non etiam ad beſtias:nimirum propter naturalem feritatem.l.1.§.4.D.eod.At ſi nõ quadrupes,ſed aliud animal pauperiem fecit, actionem vtilẽ competere.l.pen.eod. Quod verò ait, PAVPERIAM: Pauperies, inquit Vlpianus, eſt damnum ſine iniuria facientis datum. nec enim poteſt animal iniuriam feciſſe,quod ſenſu caret. Itaq;,vt Seruius ſcribit, tunc hæc actio locũ habet, cùm commota feritate nocuit quadrupes, puta ſi equ⁹ calcitroſus calce percuſſerit,aut bos cornu petere ſolitus petierit, aut mulæ propter nimiam ferociã. Et generaliter hæc actio locum habet, quoties cõtra naturam fera mota pauperiem dedit. Ideóque ſi equus dolore concitatus (ſic legendum arbitror) calce petierit, ceſſare iſtã actionem.At ſi cùm equũ permulſiſſet quis, vel palpatus eſt,calce eũ percuſſerit, erit actioni locus. Quorum verborum hanc arbitror eſſe ſententiam:vt ſi cum equus calcitret, cùm permulcetur,contra naturam ſæuire videatur.ſunt enim equi ex cicurum numero, at ſi cum ſtimulo vel dolone cæditur & irritatur, nihil contra naturã feciſſe videatur.Iam verò quod ait lex,NOXÆ dedito:idem aliquanto poſt ſic interpretatur:Noxæ dedere, eſt animal tradere viuum. Vnde ſi antè litem conteſtatam deceſſerit animal, extinctam eſſe actionem. Altera legis parte de paſtu pecoris cauetur:cuius teſtimonium exſtat in l.qui ſeruandarum,14.§.vlt. D.de perſcript. verb.vbi Vlpianus ſic ſcribit: Si glans ex arbore tua in fundũ meum cadat,eamq́ue ego immiſſo pecore depaſcam,agi non poteſt, neque ex lege XII.tab.de paſtu pecoris, quia non in tuo paſcitur, neque de pauperie,neque de damni iniuria. In factum itaque erit agendum.Quibus ex verbis intelligitur, legem de iis nominatim ſcriptam, quæ in alieno paſcerentur. Quo eodem illud Pomponij pertinet in l.quintus.39.D.ad leg. Aqui.Quamuis alienum pecus in agro ſuo quis deprehendiſſet,ſic illud expellere debet, quomodo ſi ſuum deprehẽdiſſet: quoniam ſi quid ex ea re damnum cœpit, habet proprias actiones. Genus autem actionis, quæ propter damnum illud daretur. Paullus lib. ſent.I.cap.XIIII. idem plane eſſe teſtatur,quod in cauſſa ſuperiore. Sic enim ſcribit: Si quadrupes pauperiem fecerit, damnúmve dederit, quidve depaſta ſit,in dominum actio datur, vt aut damni æſtimationem ſubeat, aut quadrupedẽ dedat, Quo ex loco eſtimari poteſt,legem XII.tab.eodem capite ſimul & de pauperie & de paſtu pecoris caviſſe, noxalémque actionem vtraque ex cauſſa conſtituiſſe Simul etiam intelligitur,aliud eſſe Damnum,aliud Pauperiem,aliud Paſtionem in alieno.Damnum eſt detrimentum rei,cum iniuria facientis: Pauperies, ſine iniuria facientis: Paſtio verò non eſt detrimentum, quia non abuſus, ſed vſus eſt. Qua de cauſſa ſimiliter ſcribit Paullus in l.qui occidit,30. §.2. D.ad leg. Aquil. Si quis alienum vinũ, vel frumentum effuderit, legẽ Aquiliã damni iniuria locum habiturã. Sin autem conſumſerit, nequaquam. Itaque rectè dicemus, ſi quadrupes in agrum alienũ ingreſſa, fruges perdiderit,veluti ſi ſegetes aut vuas obtriuerit,priore formula,de pauperie ſcilicet, agendũ eſſe:ſin autem alieno in prato depaſta ſit, poſteriore. Adhuc eas XII. tabularum reliquias perſecuti ſumus, quæ ad litium inſtituendarũ cauſſas pertinebant:hoc eſt,quæ demonſtrãt, quibus ex cauſſis lites inſtituantur.Proximum eſt,vt quę de actionibus,litiúmque exercendarum formulis reperire potuimus, ordine exponamus. Earum autem hæc prima eſt:

SI IN IVS VOCET, ATQVE EAT.

CAPVT hoc exſtat apud Ciceronem lib. De legib.II.vbi ſic ſcribit:A paruis enim Quincte dicimus, SI IN IVS VOCET, ATQVE EAT, & eiuſmodi alias leges nominare. Quæ verba cùm

Cicero propterea proferat, vt doceat non bas veras eſſe, quæ vulgo nominantur leges: ſed illam veram eſſe legem, quæ naturæ eſt: dubitari non debet, caput illud ex ea potiſſimum lege prolatũ fuiſſe, quę in populo Ro. eo nomine dignabatur. Vetuſte autem dixit lex, ATQVE pro ſtatim, vt Seruius in illud Virgilii notauit:

Atque illum in preceps prono rupit alueus amni.

Itemq; Agellius lib. x. cap. vlt. Iubet igitur lex, ciuem in ius vocatum, illico nulla mora interpoſita, vocantem ſequi: quemadmodum lib. ad Herenn. II. ſcribitur: Lege ius eſt id, quod populi iuſſu ſancitum eſt: quod genus, vt in ius eas, cùm voceris. Vnde in perpetuum prætoris edictum illud relatum: In ius vocati vt eant, aut ſatis vel cautũ dent lib. Pand. II.

SI IVS VOCATIONI TESTAMINI, IGITVR EN CAPITO ANTASTARI.

EXSTANT hæc fragmenta apud Porphyrionem interpretem Horat. nam cùm Horatius Sat. IX. ſic ſcripſiſſet:

Caſu venit obuius illi
Aduerſarius: & , quo tu turpiſſime? magna
Exclamat voce: & , licet anteſtari? ego verò
Oppono auriculam, rapit in ius.

Aduerſarius moleſti illius, Horatium conſulit, an permittat ſe anteſtari, eum iniecta manu extracturus ad Prætorem, quod vadimonio nõ paruerit. De hoc autem lege XII. tabul. his verbis cautum eſt: SI IVS VOCATIONI TESTAMINI, IGITVR EN CAPITO ANTESTARI. Eſt ergò Anteſtari ſcilicet antequam manum iniciat. Portò autem qui anteſtabatur, auriculam ei tangebat, dicens: Licet anteſtari? Si ille reſponderet, licet: tum iniecta manu aduerſarium ſuum extrahebat. Niſi ita anteſtatus eſſet, qui inicere manus aduerſario volebat, iniuriatum reus cõſtituebatur. Acron autem ſic: Denunciatos litem anteſtatos habebant, quibus præſentibus conueniebant: ita, vt aures illis tertiò vellerent. Plaut. in Perſa: *Age ambula in ius Leno. D. Quid me in ius vocas? S. illic dicam apud Prætorem. Sed ego in ius voco. D. nonne inteſtaris? S. Tuáne ego cauſſa carnifex. Cuiquam mortali libero aures atteram? Qui hic commercaris ciues homines liberos.* Priſcianus autem lib. VIII. teſtis eſt interdum Anteſtari paſſiuè vſurpari, vt apud Liuium: Impubes libripens eſſe non poteſt, neque anteſtari, id eſt, inquit, προσ μαρτυρεῖσθαι. Hæc cùm ita ſint, nihil abſurdi eſt exiſtimare, caput hoc in illam fortaſſe ſententiam ſcriptum fuiſſe: *vt ſi in ius vocatus nõ ſequeretur, qui eum vocaret, alicui in teſtimonium aurem velleret, eumque anteſtaretur, ac tum in aduerſarium manus iniiceret.* Notum eſt autẽ phyſicos aurẽ memoriæ dicaſſe, dextram fidei, digitos memoriæ, frõtẽ genio, genua miſericordię: ſingulas denique corporis partes ſingulis numinibus.

SI CALVITVR, PEDEMVE STRVIT, MANVM ENDO IACITO.

HARVM reliquiarum teſtis eſt Feſtus in voce Struere, vbi ſic loquitur: Ar in duodecim quod eſt: SI CALVITVR, PEDEMVE STRVIT, MANVM ENDO IACITO: Alij putant ſignificare

A retrorſus ire: alij in aliam partem, alij fugere, alij gradum augere, alij minuere. Hinc illud Caij in l. 233. D. de verb. ſignifi. SI CALVITVR, eſt moratur & fruſtratur (ſic enim legendum arbitror) Inde calumniatores appellati, quia per fraudem & fruſtrationem alios vexarent litibus. Inde & Cauillatio dicta eſt. Quin & Feſtus in voce Pedes: Pedem, inquit, ſtruit: in Duodecim, ſignificat, fugit, vt ait Ser. Sulpitius. Iubet igitur lex, vt ſi in ius vocatus fruſtari vocationem velit, ius ſit vo-

B canti manum in illum inicere, eúmque prehenſum, vi ad eum qui ius dicit, ducere. Vnde illud Terentij in Eunucho: *Si vim facit in ius ducito hominem.* Itémque inſtitutum illud, de quo Valerius lib. II. vt qui matronam in ius vocaret, ei corpus eius non liceret attingere. Item edictũ lib. Pand. I. Ne quis eum qui in ius vocatus erit, vi eximat. Item illud Caij ex lib. I. ad legem XII. tab. quod refertur in l. 18. D. de in ius voc. Pleriq; putauerunt, nullum de domo ſua in ius vocari li-

C cere: quia domus tutiſſimum cuique refugiũ atque receptaculum ſit: eúmq; qui inde in ius vocaret, vim inferre videri. Sed etſi is qui domi eſt (inquit Paullus) interdum vocari in ius poteſt, tamen de domo ſua nemo extrahi debet.

ASSIDVO VINDEX ASSIDVVS ESTO, PROLETARIO CIVI QVIVIS VOLET, VINDEX ESTO.

D CAPVT hoc commemoratur à Agellio libro XVI. cap. X. idque ſic interpretatur: Aſſiduus in XII. tabul. & pro locuplete, & facile munus faciente: dictus ab Aſſibus, id eſt, ære dando, cùm id tempora Reip. poſtularent. Aut à muneris pro familiari copia faciẽdi aſſiduitate. At qui in plebe Romana tenuiſſimi pauperrimiq; erant, neq; amplius quàm mille quingentum æris in cenſum deferebant, Proletarij appellati ſunt. Qui vero nullo aut perquam paruo ære cenſebantur, Ca-

E pite cenſi vocabantur. Ad eandem quoque legẽ ille Ciceronis Topicorum locus pertinet, vbi ſic ſcribitur: Cùm lex aſſiduo vindicem aſſiduũ eſſe iubeat, locupletẽ iubet locupleti: Locuples enim aſſiduus (vt ait Ælius) appellatus eſt ab ære dando. Quo in loco Cicero legem antiquorum inſtituto preciſè appellans, legem XII. tab. ſignificat. Cuius rei ignorantia factum eſt, vt gloſſema illud ex coniectura nominis Ælij Iuriſconſulti ſubiiceretur, ÆLIA SANCTIA, quod poſtea in cõ-

F textum Ciceronis verborum irrepſit: vt iampridem obſeruatum eſt. Reliquum eſt, vt quis ſit Vindex conſideremus. Nam Feſtus, Vindex, inquit, ab eo quod vindicat, quo minus is qui prenſus eſt, ab aliquo teneatur. Vt iam perſpicua legis ſententia ſit: quaſi vocãti in ius, manus iniectionem in vocatum, ſi fruſtretur permittat: niſi forte vindicẽ præbeat, qui pro eo fidem det. vt fortaſſe non incommodè dici poſſit. Vindices eoſdem fuiſſe, qui & Vades dicebantur. quandoqui-

G dem Varro in V. de ling. ita ſcribit. Vas appellatus, qui pro altero vadimoniũ promittebat. Cõſuetudo erat, cùm reus parum eſſet idoneus, inceptis rebus, vt pro ſe alterum daret. Quod cùm ita ſit, haud ſatis peritè videtur Boëtius locum illum Cic. explicaſſe, cùm ita ſcribit: Vindex eſt, qui alterius cauſſam ſuſcipit vindicãdam, veluti

quos

quos nunc Procuratores vocamus. Neq; adiuuat, A quod vir doctus ex antiquo libro prædiatores reſtituit, quam tamẽ correctionem valde probo: ſed ita, vt aliud illud Vindicum genus ſignificetur, de quo Varro eodem loco coniunctim ſic ſcribit. A quo caueri poſtea lege cœptum eſt, ab his qui prædia venderent, Vades ne darent. Ab eo ſcribi cæptum in lege mancipiorũ, Vadem ne poſceret, nec dabitur. Prædiatores enim ſiue vades eos tum dici intelligitur, qui à venditoribus cautionis cauſſâ dabantur, vt euictionis periculum B præſtarẽt. Legis autem huius æquitas cuiuis perſpicua eſt: vt locupleti locuples, proletario verò quiuis vindex ſit. Eóque pertinere arbitror, quod ex Caij libro ad legem XII. tabul. ſecundo profertur in l. 134. D. de verb. ſignif. Locuples eſt, qui ſatis idoneè habet pro magnitudine rei, quã actor reſtituendã eſſe petit. Item quod Vlpianus ſcribit in l. 2. D. qui ſatiſd. cog. Fideiuſſor iudicio ſiſtendi cauſſa locuples iubetur dari, non tantùm in facultatibus, ſed etiam ex conueniendi facilitate. C Præcipuè autẽ id quod ex lib. Caij ad leges XII. tab. refertur in l. 22. D. de in ius voc. Qui in ius vocatus eſt, duobus caſibus dimittendum eſſe: ſi quis eius perſonam defendit, & ſi dum in ius venitur, de re tranſactum fuerit.

SI IN IVS VOCATO MORBVS ÆVITASVE VITIVM ESIT, QVI IN IVS VOCASSIT, IVMENTVM DATO, SI NOLET, ARCERAM NE STERNITO. D

HARVM reliquiarum auctorem habemus A. Gel. lib. XX. cap. 1. vbi cùm legem hanc propoſuiſſet, adſcribit, morbum in lege iſta non febriculoſum, neque nimium grauem intelligi, ſed vitium aliquod imbecillitatis atque inualentiæ. Iumentũ quoque non id ſolùm ſignificare, quod nunc dicitur, ſed vectabulũ, etiam quod adiunctis pecoribus trahebatur. Arceram autem vocari E ploſtrũ tectum vndique, & munitum: quaſi arca quædã magna veſtimentis inſtrata, qua nimis ægri aut ſenes portari cubantes ſolebant. Varro etiam in quarto de Ling. Latin. Vehiculum, inquit, ab aliis etiam dictum arcera: quæ etiam in XII. tab. appellatur: quod ex tabulis vehiculum erat factum, vt arca arcera dictum. Legis æquitatem Iulius illo eodem loco ſic exponit: Nam cùm Phauorinus initio improbans, ita locutus eſſet: Populus R. illud nõ humaniter ſcriptum impro- F bauit: quod ſi homo in ius vocatus, morbo aut ætate æger ad ingrediendum inuandus eſt, arcera non ſternatur, ſed ipſe auferatur, & iumento imponitur: atque ex domo ſua ad Prætorem in comitiũ noua funeris facie effertur: cùm, inquam, Phauorinus locutus ita eſſet, ei Cæcilius Iuriſconſultus ſic reſpondit: Quænam igitur acerbitas viſa eſt, quod in ius vocato pauperrimo homini vel inopi, qui aut pedibus fortè ægris eſſet, aut quo alio caſu ingredi non quiret, ploſtrũ eſſe G dandum cenſuerunt: neque iuſſerunt tamen delicatè arceram iuſſerunt: quoniam ſatis eſſet inualido huiuſmodi vectabulum. Atque id fecerunt, ne cauſſatio iſta ægri corporis perpetuam vacationem daret, fidem detrectãtibus, iuriſq; actiones declinantibus. Quæ quidem omnia ex lege ipſa ſunt. At illud poſterius eſt quo & bono inſtitutum eſt, quod in lib. ad Heren. II. traditur: vt maior annis ſexaginta, & cui morbus cauſſa eſſet, cognitorem daret.

Vt ſi iudex alterve ex litigatoribus morbo ſontico impediatur, IVDICII DIES DIFFISVS ESIT.

CAPITIS huius teſtis eſt Vlpianus in l. 2. §. 2. D. ſi quis caut. Sonticum autẽ morbũ in XII. tab. Feſtus ex Ælio Stilone ſignificare ait, certũ cum iuſta cauſſa, quẽ nonnulli putãt eſſe, qui noceat, quòd ſontes ſignificet nocentes. Qua de re Iulianus l. quæſitum. 60. D. de re iudicata, ita ſcribit: Morbus ſonticus etiã inuitis litigatoribus ac iudice diem differt. Sonticus autẽ exiſtimandus eſt, qui cuiuſq; rei agendæ impedimento eſt. Igitur ſi rei iudicandæ tẽpore alter ex litigatoribus febrim habuit, res non videtur iudicata. Itẽ A. Gell. lib. XX. cap. 1. Morbũ vehementiorem, inquit, vim grauiter nocendi habentẽ XII. tabularũ ſcriptores, non per ſe morbũ, ſed morbũ Sonticum appellant. Obſcurius autem eſt, quod Venuleius ſcribit in l. vlt. D. de ædil. edi. Quoties, inquit, morbus Sonticus nominatur, eũ ſignificari Caſſius ait, qui noceat: nocere autẽ intelligi qui perpetuus eſt, non qui in tempore finiatur: ſed morbũ Sonticũ eum videri, qui inciderit in hominẽ poſtquã is natus ſit: ſontes enim nocentes dici. Sed videamus ne tota hæc Venuleii diſputatio reſtrictè ad venales ſeruos referẽda ſit, in quibus Sonticus morbus is demũ intelligendus ſit, non qui ad tempus, ſed qui perpetuò eos vexaret. Sequitur in lege: DIES IVDICII DIFFISVS ESTO. Eſt autem diem diffidere, idem quod proferre, & aliud in tempus reiicere. Vt apud Agellium lib. XIIII. cap. 2. In rerum diffiſionibus atq; comperendinationibus. Item aliquantò poſt: Diem igitur diffindi iuſſi. Itẽ apud Liu. lib. IX. Atq; ei legẽ Curiatam de imperio ferẽti, triſte omen diẽ diffidit. Quæ cùm ita ſint, facilè adducor vt credam, caput hoc ex Numæ legibus ſumtũ fuiſſe. Atque illud eſſe, quod Feſtus in voce Reus, his verbis ſignificat: Numa in ſecunda tabula, ſecunda lege, in qua ita ſcriptum eſt: Quid horum fuit, vitium iudici, arbitróve, reóve, eo diffenſus eſto, vt locus ſic emendetur: Si quid horũ fuit vitiũ iudici, arbitróve, reóve, is dies diffiſus eſto. Legis autem æquitas per ſe apparet, quam propterea noſtri ſecuti ſunt in l. ſi longius. 18. & l. ſi prætor. 75. D. de iudic. l. & ſi qua. 16. & l. quid tamẽ. 21. §. ſi quis. D. de recept. arb. l. 2. §. ſi quis. D. ſi quis cautionib.

REM VBI PAGVNT, ORATIONE PAGVNT.

HVIVS capitis argumentum præbet Agellius lib. XVII. cap. 11. vbi caput inſequens, quod in II. Rhetoricorum ad Herenn. huic coniungitur, legi XII. tabul. aſſignat. Eius autem perdifficile eſt certam aliquam ſententiam exponere. Scriptum eſt enim apud illum auctorem his verbis: Ex pacto ius eſt, ſi qui inter ſe pepigerint: ſi quid inter quos conuenit. Pacta ſunt, quæ legibus obſeruanda ſunt: hoc modo: Rem vbi pagunt, oratione pagunt. In comitio aut in foro cauſſam coniicito, &c. Quibus ex verbis dubita-

ri non poteſt, Rhetorem illum legis verba protuliſſe, quæ quod inter ſe aliqui pepigiſſent, ratum ac fixum eſſe iubebat. Quandoquidem illi propoſitum erat oſtendere, quemadmodum ex pacto ius oriretur. Itaque exiſtimari poteſt, ſub voce *Oratione* verbum aliquod de ratis pactionibus latuiſſe: quaſi in hanc ferè ſententiam cõpoſitum caput fuiſſet: Rem vbi pagunt, rata vt ſit, pagunto: vel ſic, Rem vbi pagunt, irritam ne pagant: vt NE antiquorum inſtituto pro NON poſitum ſit. Nam PAGO antiquum eſſe verbum, pro paciſcor, Grammatici vel ex hoc XII. tab. loco demõſtrant. Cuiuſmodi etiam ille ſuperior fuit ſub cap. de iniuriis: NI CVM EO PACIT. Tametſi & apud Priſcianum libro X. locus Ciceronis ille totidem literis deſcriptus ſit: & apud Quintil. lib. I. cap. VI. ita legatur. Nam cum in XII. tab. legeremus: NI ITA PAGVNT, &c. In illo ſcrupulus durior eſt, quod inſequentia verba, IN COMITIO, AVT IN FORO, &c. temere & extra rem adſcripta viderentur. Qua de cauſſa, veni aliquãdo in ſuſpicionem ita legi poſſe: *Rem ni ita pagũt* (ſcilicet vt ſuperiore capite præſcriptum erat) *oratione peragunto in foro aut in comitio*: id eſt, peragunto, præſertim cùm de peroranda cauſſa proximè caueat. Sed tamen ſuperior ratio multo pugnantior eſt. Nam illa verba, Rem vbi pagunt, ni ita pagunt: in foro cauſſam coniicito: nihil minus quam ius ex pactis naſci, demonſtrant: quam ſolam ad rem quærenda & acceſſenda lex fuit. vt multo minus peccatum ſcriptoris ſit, in adſcribendis proximis legis verbis ſuperuacaneis, quàm in ea lege, quæ nihil ad inſtitutam diſputationem pertineret, proferenda. Vtcunque ſe res habeat, illud ex Rhetoris Herenniani diſputatione intelligitur iuſſiſſe legem, vt quæ litigatores ante litem conteſtatam inter ſe de re controuerſa pacti eſſent, rata & fixa manerent: ex eoq; pacto certum ius quo vterq; teneretur, manaret. Atque hæ nimirum pactiones ſunt, quas Vlpianus & Paullus legitimas appellãt, in l. 5. & l. 6. D. de pact. hoc eſt, quæ lege aliqua confirmãtur, & ideo interdum ex pacto actionem naſci, vel tolli, quoniam lege adiuuatur.

IN COMITIO AVT IN FORO ANTE MERIDIEM CAVSSAM CONSCITO, CVM PERORANT AMBO PRÆSENTES.

EXSTANT hæ reliquiæ apud Agell. lib. XVII. cap. II. Primus etiã verſus legitur in II. Rhetor. ad Herenn. quemadmodum proximo capite diximus. Senſum legis hunc eſſe arbitror, vt iubeat, iudicẽ in comitio aut in foro, cauſſam ex vtriuſque litigatoris oratione cognoſcere. Nam etſi in Ciceronis libris impreſſis legatur CONIICITO: tamen vocem CONSCITO, quæ apud Agelliũ legitur, eo probabiliorem arbitror: primùm quod & proximus verſus inſequens oſtendit, legis verba ad iudicem directa eſſe: tùm ita ſcribit: LITEM ADDICITO. deinde quod non videtur magni interfuiſſe, cauſſarum coniectiones (de quibus Aſcanius, Agellius & Nonius loquuntur) ante meridiem fieri: cauſſas autem eo tempore actitari, cognoſciq; ſolitas, cùm ex omnibus hiſtoriis intelligitur: tum ex illa Martialis peruulgato, *Exercet raucos tertia cauſidicos.* Eodem accedit, quod in duobus Herennianis libris manuſcriptis vox CONSCITO literis omnibus ſcripta legitur, & ad marginem vnius gloſſema adſcriptũ eſt, *Id eſt, cognoſcito: ſcilicet tu iudex.* Reliqua nũc videamus. Comitium, inquit Varro, ab eo quòd coibant eò, comitiis curiatis & litiũ cauſſa. Hinc illud Ciceronis in Bruto: Quare ſi anguſtè & exiliter dicere eſt Atticorum, ſint ſanè Attici, ſed in comitium veniant, ad ſtantem iudicem dicant: ſubſellia grandiorem & pleniorem vocem deſiderant: Hinc illud Plauti in Pœnulo:

Nam iſtorum nullus (de Aduocatis loquitur) *nefaſtus eſt: comitiales ſunt meri.*
Ibi habitant, ibi eos conſpicias quam prætorẽ ſæpius
Hodie doctiores non ſunt, qui lites creent, quàm hi ſunt.
Qui ſi nihil eſt litium, lites ſerunt.

Hinc locus ille inſignis ex antiqua Oratione C. Titii, qui deſcribitur a Macrobio lib. III. cap. XVI. ludunt alea ſtudioſe vnguentis delibuti, ſcortis ſtipati: vbi horæ decem ſunt, iubent puerum vocare, comitium eat perconitatum, quid in foro geſtum ſit, qui ſuaſerint, qui diſſuaſerint, quot tribus iuſſerint, quot vetuerint. Inde ad comitium vadunt, ne litem ſuam faciant. Dum eunt, nulla eſt in angiporto amphora, quam non impleant: quippe qui veſicam plenã vini habeant. Veniunt in comitium triſtes, iubent dicere, quorũ negociũ eſt, narrant. Iudex teſtes poſcit: ipſus it mictu. vbi redit, ait ſe omnia audiuiſſe: tabulas poſcit, literas inſpicit, vix præ vino ſuſtinet palpebras. Eunti in conſiliũ, ibi hęc oratio: Quid mihi negotii eſt, cum iſtis nugatoribus, potius quàm potamus, mulſum mixtum vino Græco? Patet igitur priuatarum rerum cauſſis minores ad iudicem vnum ſtantem in comitio agi ſolitas. In foro autem Centumuiri haſta poſita de iis cauſſis agnoſcebant, quas Cicero in I. de Orat. libro enumerat.

POST MERIDIEM PRÆSENTI LITEM ADDICITO: SI AMBO PRÆSANTAS.

EXSTAT hæc quoq; apud Agellium eo quem ſupra diximus libro. Vtriuſque autem litigatoris præſentiam lex in lite addicenda deſiderat: qua de cauſſa inſtitutũ fuit, vt abſente altero alter à Prætore edictum peteret; quo abſens intra dies decem adeſſe iuberetur: ni veniret, item alterum edictum, itémque tertium: quibus propoſitis tunc peremptorium proponeretur, quo aduerſario facultas omnis tergiuerſandi præcideretur, quippe cùm in hoc denuncietur fore, vt etiam abſente aduerſario res cognoſcatur, ac iudicetur. Itaque cùm eius dies venerit, abſens citatur: & ſiue reſponderit, ſiue non reſponderit, agitur cauſſa & pronuntiatur. l. ad peremptorium 68. & ſeqq. D. de iudic.

SOLIS DIES OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO.

HOc caput apud Agellium in illo ſupra dicto loco ſic legitur: Sole occaſo, ſuprema tẽpeſtas eſto. Sed apud Varr. in lib. de Liu. V. plenius

hoc

A hoc modo Suprema, ſummum diei hoc tempore xii tabulæ dicunt occaſum eſſe ſolis: ſed poſtea lex Prætoria id quoque tempus iubet eſſe ſupremum. quo Prætor in comitio ſupremam pronunciat populo. Item in vi:Supremum, inquit, à ſupremo dictum. Itaque in xii. tabulis SOLIS OCCASVS, DIES SVPREMA TEMPESTAS ESTO. Itémque apud Macrob. libr. Satur. I. capit. III. Suprema tempeſtas, hoc eſt diei nouiſſimum tempus: ſicut expreſſum eſt in xii. tab. SOLIS OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO. B Et item apud Cenſorinum libr. de die natali, capit. xix. Meridies, inquit, quod eſt mediæ diei nomen. Inde, de meridie. Hinc, Tempeſtas ſuprema, quamuis plurimi ſupremum poſt occaſum ſolis exiſtiment: quia eſt in xii. tabulis ſcriptum: Solis occaſus, ſuprema tempeſtas eſto. Sed poſt M. Prætorius Tribunus pleb. plebiſcitum tulit, in quo ſcriptum eſt: Prætor Vrbanus qui nunc eſt, quique poſthac fuerit, duos lictores apud ſe habeto, iſque ſupremum ad ſo- C lis occaſum ius inter ciues dicito: DIES autem pro DIEI antiquos poſuiſſe, teſtis eſt Agellius lib. ix. c. xiv. Atq; hæc quidē de lege. Quanquam in hoc quidem prætermittendum eſt, videri legis caput hoc eſſe. ex quo & Cenſorinus, eodem libro, & Plin. lib. vii. c. lx. argumentantur, horarum nomen annis trecentis Romæ ignoratum fuiſſe, cùm in xii. tabul. ortus tantùm & occaſus nominetur. Poſterioribus autē temporib. Suprema hora dicebatur, velut in l. 1. §. dies autem, D D. quand. appell. ſit.

Vt ſi qui in iure manus conſererent, Prætor ſecundum eum qui ſine dolo malo poſſideret, vindicias decerneret.

HVIVS initium ex XII. tabulis reliquum extat apud Agell. libro xx. capit. ix. Cætera ex coniectura ſuppleuimus: de qua ex illo toto Agellij loco cuiuis faciemus exiſtimandi co- E piam. Nam illum à nobis emendatum infra deſcribemus. Manum conſerere eſt, de qua re diſceptabatur in re præſenti, ſiue ager, ſiue quid aliud eſſet, cùm aduerſarius aduerſarium ſimul manu prenderet, in ea re omnibus verbis vindicare: id eſt, vindicia correpta manus in re atque in loco præſenti conſerere. quod apud Prætorem ex xii. tabulis fiebat: in quibus ita ſcriptum eſt: SI QVI IN IVRE MANVM CONSERVNT. Sed poſtquam Prætores pro- F pagatis Italiæ finibus, latis iuriſdictionibus, negotiis occupati, proficiſci vindiciarum dicendarum cauſſa longinquas in res grauabantur: inſtitutum eſt, contra XII. tabul. tacito conſenſu, vt litigantes non in re apud Prætorem manum conſererent, ſed ex iure manu conſertum vocarent: id eſt alter alterum ex iure ad conſerendam manum in rem de qua ageretur, vocaret: atque ita profecti ſimul in agrum de quo G litigabatur, terræ aliquid ex eo, veluti vnam glebam in ius in vrbem ad Prętorem deferrent: & in ea gleba tanquam in toto agro vindicarent. Ex his Agellij verbis manifeſtum eſt, manuum in iure conſertionem vſurpari tum ſolitam, cùm de vindiciis dicendis ageretur. Vindicias autē nihil aliud tum fuiſſe, quàm poſſeſſionem, nos multis verbis in Inſtitutionum commentariis docuimus. Itaque Pedianus Verrin. 3. Ius vindiciarium, inquit, eſt cùm litigatur de ea re apud prætorem, cuius incertum eſt quis debeat eſſe poſſeſſor. Quod cùm ita eſſet, caput hoc de vindiciis decernendis facili coniectura ſuppleuimus, earúmque rationem, ad illud ius, quod poſtea Prętores in edictum perpetuum retulerunt, accommodauimus. Nam quod illi poſſeſſionem eis ſe daturos edicunt, qui neque vi, neque clam, neque precario poſſiderent, id nos vno doli mali nomine, ſententiam potius quàm verba ſecuti, complexi ſumus. Neque verò dubitari debet, quin ad hoc quoque caput, illud pertinuerit, quod eſt apud Feſtum, in voce Superſtites, his verbis: Superſtites, teſtes præſentes ſignificat. Cuius rei teſtimoniū eſt, quod ſuperſtitibus præſentibus, ij, inter quos controuerſia eſt, vindicias ſumere iubentur. Quanquā difficile dictu eſt, ius illud quod Feſtus ſignificat, capitis huius partē fuiſſe. Nam ſi in iure vindiciæ ſumebātur, nimirum teſtiū ſatis erat. Exiſtimarem igitur ſanxiſſe legem, vt ſi Prætore abſente litigatores vindicias ſumerent, cùm ſcilicet in agrum & rem præſentem profecti eſſent, aliquot teſtibus præſentibus id facerent. Sed illud aduerſatur quòd Agellius ſcribit, xii. tab. temporibus, ius fuiſſe, vt ſemper Prætores adeſſent: & in iure manus conſererent. Mouet quod Seruius quoque Honoratus diſputans, ſuperſtitis verbo Pręſentes ſignificari, citat locum ex Murężiana: SVIS VTRISQVE SVPERSTITIBVS, id eſt, pręſentibus. quaſi verba Prætoris eſſent, cùm in hanc fortaſſe ſententiam decerneret: Vtrique ſuis ſuperſtitibus, ex agro, quo de agitur, vindicias ſumunto. Sed hoc totum in coniectura, aut potius diuinatione poſitum eſt, quam à nobis longè remotiſſimam eſſe conuenit.

SI VINDICIAM FALSAM TVLIT ***, SI VELIT IS, ARBITROS TRES DATO: EORVM ARBITRII FRVCTVS DVPLIONE DAMNVM DECIDITO.

EXSTANT hæ apud Feſtum reliquiæ in voce Vindiciæ: quas tamen ita reconcinnādas exiſtimarē: SI VINDICIAM FALSAM TVLIT, PRÆTOR EIVS LITIS ARBITROS TRES DATO: EORVM ARBITRIO FRVCTVVM DVPLIONE DAMNVM DECIDITOR. Vtcunque autem ſeſe locus ille habeat, conſtat, eum qui falsò ſibi rem alienam vindicauit, id eſt, ſecundum quem poſt iniuſtam manuum conſertionē vindiciæ datę ſunt, ad duplos fructus reſtituēdos teneri. quod idem traditur & in l. 1. C. Th. de fruct. & lit. expenſ. Et apud Paullum lib. ſent. v. capit. ix. Ex die, inquit, accepti iudicij dupli fructus computātur. Quanquā in Iuſtiniani libris eius nihil exſtet omnino. nam alienæ rei poſſeſſor, ſiquidem prædo eſt, omnes fructus præſtat, etiam quos ipſe inhoneſtè percepit, quóſve poſſeſſor verus honeſtè percipere potuit. ſin autem ſimpliciter poſſedit, nec conuentus reſtituit, ex eo demum quo in iudiciū deducta res eſt, fructus reſtituere cogitur. l.

1.§.ea die,D.vnde vi.l.2.§.vlt. D.de interdict.l. A Videamus,38.§.in Fabiana,D.de vſur.

Vt ſi quis è libertate in ſeruitutem aſſereretur, Prætor vindicias ſecundum libertatem decerneret.

CApitis huius exſtat teſtimoniũ apud Dionyſium Halicarn. libr. xi. vbi de aſſertione Virginiæ puellæ commemorans,ſcribit,Numitorium ipſius auũculum & aſſertorem, poſtulaſ- B ſe ab Appio Claudio Decemuiro , vt legem à ſe in xii.tabul.perſcriptam ſeruaret,in qua ita cautum eſſet : σώματος εἰς δουλείαν ἐξ ἐλευθερίας ἀγομένου, μὴ τὸν ἀφαιρούμενον τὴν ἐλευθερίαν, ἀλλὰ τὸν φυλάττοντα κύριον εἶναι μέχρι δίκης. Id eſt, Eius qui in ſeruitutem ex libertate aſſeritur , dominum vſque ad exitum iudicij non eum eſſe , qui contra libertatem , ſed qui pro libertate pugnat. Item, nec ita multò poſt : Ἐγὼ τὸν μὲν νόμον οὐκ ἀγνοῶ, τὸν δ᾽ ὑπὲρ τῆς ἐγγυήσεως τῶν εἰς δουλείαν ἀγο- C μένων κείμενον, ὃς οὐκ ἐᾷ παρὰ τοῖς ἀφαιρουμένοις εἶναι τὸ σῶμα μέχρι δίκης· οὐδ᾽ ἂν καταλύσαιμι ὃν αὐτὸς ἔγραψα ἑκών. ἐκεῖνο μέντοι δίκαιον ἡγοῦμαι, δυοῖν ὄντοιν τοῖν ἀντιποιουμένοιν, κυρίου καὶ πατρός, εἰ μὲν ἀμφότεροι παρῆσαν, τὸν πατέρα κρατεῖν τοῦ σώματος, μέχρι δίκης, ἐπεὶ δ᾽ ἐκεῖνος ἄπεστι, τὸν κύριον ἀπαγαγεῖν, ἐγγυητὰς ἀξιόχρεως δόντα, καταστήσειν ἐπὶ τὴν ἀρχήν, ὅταν ὁ πατὴρ αὐτῆς ἀφίκηται. Id eſt, Legem quidem de vindiciis eorum,qui in ſeruitutem aſſeruntur,non ignoro : quo vetat eum, de D quo agitur , apud aſſertorem eſſe , vſque ad exitum iudicij : neque verò ſciens prudens,velim eam legem violare , quam ipſe ſcripſi. Sed cùm inter eum, qui ſe dominum , & eum qui ſe patrem aſſerit, controuerſia eſt , æquum eſſe arbitror,ſiquidem ambo adſint præſentes,ſecundum patrem vindicias dari , vſque ad finem iudicij. Cùm verò ille abſit , eum qui ſe dominum eſſe ait, puellam abducere , prædéſque idoneos dare ſiſtendi eam apud magiſtratum , quando pater i- E pſius aderit. Liuius quoque libr. iii.idem ſignificat,cùm ita ſcribit : Lege ab ipſis lata,vindicias det ſecundum libertatem. Appius enim vnus ex Decemuiris legatis ad leges ferendas fuerat. Videtur autem Liuius eodem loco ſignificare, cautum eadem lege fuiſſe , vt cui vindiciæ ſecundum libertatem addicerentur , is ſponſores daret hominem poſtea iudicio ſiſti. Nam paulò poſt ita loquitur : Cùm inſtaret aſſertor puel- F læ(is erat M. Claudius qui virginem in ſeruitutem aſſerebat) vt Icilius Virginæ ſponſus vindicaret , ſponſoréſque daret(id eſt , vt vindicias à Decẽuiro ſtatim poſtularet,quippe quę in diem tantùm poſterum duraturę eſſent) manus tollere multitudo,& ſe quiſque paratum ad ſpõdendum Icilio oſtendere.atque ille lacrymabundus:Gratũ eſt,inquit:craſtina die veſtra opera vtar.ſponſorũ nunc ſatis eſt.Ita vindicatur Virginia ſpondentibus propinquis:id eſt. promittẽtibus illam G poſtridiè ſiſti. Iam verò ne hoc quidem prætermittendum eſt, non eſt dubium , quin lex non eam tãtùm cauſſam complexa ſit, quam Dionyſius nominatim retulit : nimirum cùm quis è libertate in ſeruitutem aſſeritur : ſed etiam alteram contrariam,cùm è ſeruitute ſcilicet in libertatem vindicatio fit , vt meo quidẽ iudicio conſcripta lex in hanc potius ſententiam fuerit : Si de cuius libertate ambigetur, Prætor ſecundum eum qui libertatem defendet , cùm is ſponſores iudicio ſiſti dederit, vindicias addicito. Itaque Paullus in l.24.D. de lib.cauſſ. Ordinata,inquit, liberali cauſſa,liberi loco habetur is, qui de ſtatu ſuo litigat. Item l. ſeq.Poſt ordinatum liberale iudicium , homo de cuius ſtatu controuerſia eſt, liberi loco habendus eſt. Huius autem totius de legis ſententia plura, tum in commentariis Inſtitutionum,tum in libro Obſeruat.1.cap.xxii. diſſeruimus.

ÆRIS CONFESSI , REBVSQVE IVRE IVDICATIS, XXX DIES IVSTI SVNTO. POST DEINDE MANVS INIECTIO ESTO : IN IVS DVCITO. NI IVDICATVM FACIT, AVT QVI PSAVDO EO IN IVRE VINDICIT, SECVM DVCITO : VINCITO, AVT NERVO, AVT COMPEDIBVS XV PONDONE MINORE, AVT SI VOLET MAIORE VINCITO : SI VOLET, SVO VIVITO : NI SVO VIVIT, QVI EVM VINCTVM HABEBIT, LIBRAS FARRIS IN DIES DATO, SI VOLET PLVS DATO.

TOTVM hoc caput refertur à Agellio libro xx. capite primo , Cuius in primo verbo duo notanda ſunt: alterum eſt ÆRIS CONFESSI , dictum eſſe paſſiuè, pro, de quo reus confeſſus eſt. ipſo eodem teſte Agellio , apud quem libro xv. capite xiii. extremo , ita ſcriptum eſt : CONFESSI autem AERIS,de quo facta confeſſio eſt , in xii. tabul. ſcriptum eſt his verbis : AERIS CONFESSI, REBVSQVE IVDICATIS XXX DIES IVSTI SVNTO. Alterum notatu dignum eſt, in figura veteri,quæ de Græcis fontibus manauit, cum ſubauditur , Nomine : vt cùm dicimus , Noxæ dedere : & apud Ciceronem Verrina v, Lucri aut acceſſionis dare. Quod verò ſequitur, REBVSQVE IVRE IVDICATIS, haud ſcio an vna literula mendoſum ſit,pro REBVSVE : vt cauſſas duas lex complectatur : quibus de cauſſis debitoribus diſſoluendi ſpatium & tanquam à concertatione ocium atque induciæ dandæ ſint. vna cùm poſt interrogatoriam actionem reus confeſſus eſt : altera cùm poſt inficiationem diſceptata & iudicata res eſt. Sic enim video vtranque hanc cauſſam coniunctam eſſe in l. debitoribus, 31. D. de re iudic. His qui fatebuntur debere , aut ex re iudicata neceſſe habebunt reddere : tempus ad ſoluendum detur , quod ſufficere pro facultate cuiuſque videbitur. Legis autem ſententiam Agellius ſic interpretatur : Confeſſi igitur æris ac debiti iudicatis (id eſt damnatis) triginta dies ſunt dati conquirendæ pecuniæ cauſſa , quam diſſoluerent : eóſque dies Decemuiri iuſtos appellauerunt, velut quoddam iuſtitium:id eſt,iu-

eis

ris intèr eos quaſi interſtitionem quandam & A
ceſſationem, quibus diebus nihil cum his agi iu-
re poſſet. Hæc ille. qoibus tamen probabilius
videtur, iuſtos triginta hoſce dies dictos ad ſi-
militudinem eorum trigiota, quibus exercitui
imperato veaillum ruſi coloris in arce poneba-
tur: interea dum boſtem laceſſere non liceret: vti
Sex. Pompeius ſcribit. itémque Macrob. libro 1,
cap. xvi. qui alios dies, quibus pugnare fas eſſet,
Præliares appellatos ſcribit. Noſtro autem iure,
hoc eſt ex Iuſtiniani conſtitutione iudicaris
quattuor menſes conceduntur. l. 2. C. de vſur. rei
iudic. cùm antea duo præſtituti eſſent, vti patet B
ea l. 2. Th. de vſur. rei iudic. Quòd verò lex con-
feſſos cum iudicatis comparat, poſtea in vniuer-
ſo iure noſtro obſeruatum eſt: vbi crebiò legi-
mus confeſſos pro iudicatis baberi, l. poſt rem,
56. D. de re iudic. l. 1. & l. 6. D. de confeſſ. l. 3. C. de
fid. inſtrum. l. vnic. C. de confeſſ. Atque ob eam
cauſſam confeſſis æquè ac iudicatis legitimum
ſpatium ad diſſoluendum dati, l. debitoribus, 31.
D. de re iudic. d. l. 6. §. vlt. D. de confeſſ. Sequen-
ti capite iubet lex, iuſtis diebus ſine ſolutione C
trāſactis, ius eſſe creditori manum in debitorem
iniicere, cúmq; in ius ducere, vt à Prætore ſcili-
cet impetret, vt eum ſibi addicat: ac tum ſibi ad-
dictum, domum ducere: cum hac tamen diſiun-
ctione, AVT QVI PSAVOO EO IN IVRE VIN-
DICIT. quæ verba legenda ſic cēſeo: Aut quis pro
eo endo iure vindca ſit. Nam (vt ait Feſtus) Vin-
dea dicitur ab eo, quod vindicat, quo minus is
qui prenſus eſt, ab aliquo teneatur. Salluſt. in C.
Mālij epiſt. Neq; cuiquam noſtrom licuit more D
maiorū lege vti, neq; amiſſo patrimonio liberū
corpus babere: tanta ſæuitia fœneratorum atq;
Prætoris fuit. Et moa: Te atq; Senatum obte-
ſtamur, vt conſulatis miſeris ciuibus, legis præ-
ſidium quod iniquitas Prætoris eripuit, reſtituatis.
Quod ſequitur de vinciendo iudicato, diffi-
cultatem habet: quaſi lea creditorum humanita-
tem prohibeat. Itaque legendum quibuſdam
potius videretur: NA MAIORA. SI VOLET, MI- E
NORE, qui dum vetuſti libri auctoritate nitan-
tur, licet meam quoque ad hoc ſuum iudicium
ſentētiam adſcribant. Interea πὲρὶ τούτου ἐπέχων,
tantiſper eaſtimabo ſupplicij partem hanc le-
gitimi fuiſſe: quandoquidem conſtat, hac lege
pœnam acerbè in debitorum perfidiam conſti-
tutam eſſe. Quod ait lea, NI SVO VIVIT, LIBRAS
FARRIS IN DIES DATO: quæſtionem habet
ſubdifficilem, quaſi iubeat lea plus addictis da- F
ri, quàm quantum in dies ſingulos ſatis eſſe ea
antiquo ciuitatis inſtituto ſolebat. Nam Plutar-
chus in Camillo ſic ſcribit: τῷ δὲ Μαλλίῳ τῆς νίκης
ἀριστεῖα, πρὸς τιμὴν μεγάλην μᾶλλον ἢ χρείαν ψη-
φισάμενοι συνενηνόχασιν, ὅσον ἡμέρας ἕκαστος ἐλάμ-
βανεν εἰς τροφὴν σίτου μὲν ἡμίλιτρον φαρός. οὕτω γὰρ
καλοῦσιν αὐτό: οἴνου δὲ, κοτύλης ἑλληνικῆς τέταρτον.
id eſt, Manlio verò victoriæ præmia honoris
ergo magis, quàm neceſſitatis cauſſa decreue-
runt: nam ad eum contulerunt, quantum quiſ-
que in dies alimenti ſumeret: cibarij quidem, G
ſelibram farris, ſic enim illud vocant: vini au-
tem Cotylæ Græcæ quartarium. Qua de re Li-
uius lib. v. Manlius, inquit, primùm ob virtutem
laudatus, donatúſque non ab Tribunis ſolùm
militum, ſed conſenſu etiam militari, cui vni-

A uerſi ſelibras farris, & quartarios vini ad ædes
eius quæ in arce erant, contulerunt. Rem dictu
paruam, cæterum inopia fecerat eam argumen-
tum ingens charitatis: cùm ſe quiſque victu ſuo
fraudans, detractum corpori atque vſibus neceſ-
ſariis, ad honorem vnius viri conferret. Viden-
dum igitur, an propterea farris libra his attribu-
ta ſit, quòd cùm opus facerent, maioris cibi in-
digerent. Siquidem & ſeruis in ſingulos dies bi-
ni ſextarij, eóque amplius dabantur: nam, vt in-
terpres Terentij in illud Phormionis ſcribit:
Quod ille vnciatim vix de demenſo ſuo comparſit
B *miſer*: ſerui quaternos modios accipiebant fru-
menti in menſem, & id demenſum dicebatur.
Cùm igitur quaterni modij ſeaagintaquatuoc
ſextarios conficiunt, ſextarius autem viginti vn-
cias contineat, id eſt, libram & beſſem, tres li-
bras & trientem ſerui capiebant. Conſiderādum
etiam an Græcorum morem Decemuiri ac quo-
que in re imitati ſint. Chœnicem apud Græcos
diurnum alimentum fuiſſe, nemo neſcit. Siqui-
dem Heſychius, χοίνικες, inquit, αἱ ἡμερήσιαι τρο-
C φαί: & Suidas, ἡ γὰρ χοῖνιξ ἡμερησία τροφή. Qua de
cauſſa Pythagoræ præceptum celebratur, Euan-
gelico contrarium, χοίνικι μὴ ἐπικάθιζαι. Chœnia
autem duos ſextarios vrbicos continebat, quin
& cibus militum diurnus probatur ex Hierony-
mi in Ezechielem commentariis fuiſſe, ſextarius
caſtrēſis: qui duos vrbicos capiebat, id eſt chœ-
nicem. Quarum omnium rerum perdifficilis,
(vt antè dixi) diiudicatio eſt: præſertim cùm
nec de huius quidem ſcripturæ integritate ſatis
D conſtet.

Vtique paciſcendi inter ipſos ius poteſtáſque eſſet,
intra dies LX. *inter quos trinis nūdinis continuis*
addictus ad Prætorem produceretur: quātaque
pecuniæ iudicatus eſſet, prædicaretur. ni pacti eſ-
ſent, tum addictus tertiis nundinis capite pœnas
daret: aut trans Tyberim peregrè venum iret.
TERTIIS NVNDINIS PARTEIS SECANTO. SI
E PLVS MINVSVE SECVERINT, SINE FRAV-
DE ESTO.

HVivs autem capitis teſtem habemus Agel-
lium eodē loco, vbi ſic ſcribit: Erat autem
ius interea paciſcendi ac niſi pacti forent, habe-
bantur in vinculis dies ſexaginta. Inter eos dies
trinis nundinis continuis ad Prætorem in co-
mitium producebatur, quantæque pecuniæ iu-
dicati eſſent, prædicabatur. Tertiis autem nun-
F dinis, capite pœnas dabant, aut trans Tyberim
peregre venum ibant. Quibus in verbis, quæri
poteſt, quid ſit, quod cùm ſeaaginta dies pacif-
cendi dentur: tamen caueatur, vt inter eos dies
addicti per Trinundinum producantur, & ter-
tiis nundinis capite multentur. nam cùm ſin-
gulæ nundinæ nouem diebus conſtent, ſequitur
vt tertiarum nundinarum exitus ſit, dies poſt vi-
ceſimum ſeptimus. qui numerus longo interual-
lo à ſexagenario abeſt. Huic quæſtioni eò luben-
G tiùs operam dabimus, quòd eam à nemine, vel
minima ex parte contactam exiſtimemus: cùm
tamen ad illud vtrunque Trinundinum intelli-
gendum, & quod in legibus promulgandis, &
quod in prodicenda iudiciorum publicorum
die obſeruabatur, planè neceſſaria ſit. Ergo illud

ſcire oportet,cùm dicimus addictos primis, ſecundis tertiis nundinis ad Prætorem in comitiũ produci,id propterea non poſſe de diebus ipſis nundinarum intelligi quoniam is dies nefaſtus erat: quemadmodũ ex Feſto cognoſcimus cùm ita ſcribit:Nundinas feriarum diẽ eſſe voluerũt antiqui,vt ruſtici conuenirent, mercãdi vendẽdíque cauſſa:eámque nefaſtum:ne ſi liceret cum populo agi,interpellarentur nũdinatores.Quod cùm ita ſit,ſequitur,vt cùm de trinundino & rebus in eo agẽdis mentio fit,non ipſi trium nundinarum dies intelligantur, ſed potius dies ter octoni, qui inter nũdinas ternas interiecti ſunt: vt cùm ſeptimanas dicimus: ſeptem enim dies ipſos intelligimus. Ac proinde legem hanc ita accipiendam, quaſi iuberetur addictus,niſi per dies tres & triginta paciſcerentur, trigeſimoquarto die ad Prætorem in comitium produci,idémque per dies octo continuos,qui faſti erant, fieri:nono verò, qui dies nũdinarum & nefaſtus erat, à præcone palàm in foro prædicari quantæ pecuniæ damnatus eſſet, vt ſi quis eum emere vellet,legitima die veniret. iterúmq; ac tertium idem per totidem dies fieret:tertiis autem nundinis, qui dies erat induciarum ſexageſimus, aut capite pœnas daret, aut trans Tyberim venum iret.Similima Trinundini legum promulgandarum ratio fuit.neque enim exiſtimandum eſt,ipſis tantùm trium nundinarum diebus legẽ promulgari ſolitam:ſed per dies ipſos ſeptem & viginti propoſitam, & proſcriptam legem fuiſſe: vt cuiuis eam legendi, deſcribendi, excutiendi, conſiderandíq; poteſtas eſſet. Denique,id quod iam ſupradictum eſt, nũdinas eodem planè modo in hoc genere accipiendas arbitror, quomodo vulgò ſeptimanas appellamus: hoc eſt,dierum ſeptem numerum:& Trinundinum,dierum ſeptem & viginti ſpacium: inter quos liceret populo rem qua de ageretur:hoc eſt, legem qua ſe alligari patiebatur,expendere. Doctus autem vir in ſuo libro de comitiis hac de re aliud, vt opinor,agens,ita ſcribit: Trinundino promulgare,eſt legem quam propoſueris, tribus diebus nundinarum aduocata concione recitare.Supereſt,vt quod reliquiarum reſtat, proſequamur: de quibus idem Agellius eodem loco ita ſcribit: Sed capitis pœnam ſanciendæ fidei gratia horrificã atrocitatis oſtentu,nouíſq; terroribus metuendam, reddiderunt.Nam ſi plures forẽt, quibus reus eſſet iudicatus, ſecari ſi vellent, atque partiri corpus addicti ſibi hominis permiſerunt. Et quidem verba legis dicam TERTIIS NVNDINIS PARTEIS SECANTO: SI PLVS MINVSVE SECVERINT, SINE FRAVDE ESTO. Nihil profectò immitius, nihil immanius: niſi (vt re ipſa apparet) eo conſilio tanta immanitas pœnæ denunciata eſt, ne ad eam vnquam perueniretur. Addici nanque nunc & vinciri multos videmus: quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. Diſſectum eſſe antiquitus neminem equidem neque legi, neq; audiui: quoniam ſæuitia iſta pœnæ contemni non quita eſt. Hæc Agell.quo etiam illud Quint.lib.III.cap.VI. Sunt enim quædam non laudabilia natura, ſed iure conceſſa:vt in XII.tabulis, debitoris corpus inter creditores diuidi licuit:quam legem mos publicus repudiauit. Item Tertullia. in Apologetico: Sed & iudicatos in partes ſecari à creditoribus leges erant: conſenſu tamen publico crudelitas poſtea eraſa eſt,& in pudoris notam capitis pœna conuerſa eſt,bonorũ adhibita proſcriptione: ſuffundere maluit hominis ſanguinẽ, quàm effundere. Patet igitur ex tot auctorũ teſtimoniis, legem hanc ad terrorem potius, quàm ad ipſorum debitorum cruciatum poſitam fuiſſe: noſtrámq; illam bonorum proſcriptionem, de qua in Inſtitutionum Commentariis ſub tit.de ſucceſſionibus ſublata ſignificatur, ſemper tacito populi conſenſu vſurpatum fuiſſe.

*

ANTI-

ANTIQVITATVM ROM. LIBER IIII.

QVI EST DE RE NVMARIA Populi Rom.

EIVSDEM DISPVTATIO DE aureo Iuſtinianico.

ALTERA EDITIO AVCTIOR ET MELIOR.

His acceſſerunt

VOLVSIVS MÆTIANVS, Iuriſc.
RHEMNIVS FANNIVS,
PRISCIANVS CÆSARIENSIS,
De aſſe, ponderibus & menſuris.

ITEM, BVDÆI ET PHILANDRI BREuiarium de Aſſe.

OPERIS PRÆFATIO.

SCRIPSERE *antehac de re numaria non modò populi Rom. verùm etiam vniuersè gentium populorúmque penè omnium complures eruditi viri: in primis autē Guillelmus Budæus Pariſiēſis, & Georgius Agricola Germanus: tanta cum ingenij & doctrinæ laude, vt orbē propè terrarum nominis ſui gloria compler:nt. Scripſere præter illos etiam alij non pauci: de quorum in hoc genere præſtantia mea exiſtimatio non eſt. Palmam quidem Leonardo Portio & Andreæ Alciato plurimorum conſenſu tribui video: ſed quàm neceſſaria poſt Budæum in hoc argumenti genere illorum opera fuerit, pro certo affirmare non poſſum. Vtilem quidem ad excitanda ſtudioſorum ingenia fuiſſe, nemo vt opinor, negauerit. Fuerunt præter illos etiam alij Epitomatores docti & laborioſi: qui præclara illa quinque Budæi volumina, ſed nullo neque ord:ne, neque artificio digeſta, imò verò digreſſionibus alieniſſimis, & quaſi mæandris atque anfractibus referta, in ſummam & breuiarium quoddam redegerunt: inter quos præcipua laus d beri creditur Tonſtallo, Clareano, & Crepſio. Ceteros, ſi qui fortè in hoc ſe ſtudij genere exercuerunt, quia non vidi, neque laudare, neque vituperare p:ſſum. Quod ſi quis nunc rogitet, quid ſit, quòd poſt tot ac tales viros in hoc eodem argumenti genere moliar, verbo vno reſpondebo: Meum commentarium multis ei locis ita plenè, cumulatéque ſatisfacturum, vt altercandi cauſam idoneam habiturus non ſit. Nunc duo ſunt de quibus in hoc aditu ac limine lectorem admonitum volo: primùm ea me ſola, quæ Reipublicæ Rom. & Iuris noſtri ciuilis propria ſunt, attigiſſe: quæ ad alias gētes veluti Græcorum & Hebræorum pertinent, eorum cognitionem ex opulentiſſimis Budæi & Agricolæ theſauris hauriendam auidis & ſtudioſis hominibus reliquiſſe. Alterum eſt, me*

quæ ab aliis peccata eſſe animaduerti, quæ ſanè & multa, & non leuia eſſe conſtabit, perquàm modeſtè & leniter, ac ſine acerbitate vlla indicaſſe: vt ſi fortè quibuſdam ipſe quoque in locis à vero aberrarim, (quod facilè factum fuiſſe non inficior) eandem mihi lectores in reprehendendo humanitatem tribuant, qua me in aliorum peccatis indicandis vſum eſſe animaduertent.

FRANC. HOTMANI I.C. DE RE NVMARIA POP. ROM.

PARS PRIMA.

De numi definitione, & quattuor ipſius partibus. Cap. I.

NVMVS eſt lamina metalli, ad certum pondus examinata, & publica lege certo pretio taxata, certáque nota inſignita. quatuor enim rebus legitimus numus conſtat, materia, pondere, æſtimatione, ac figura: ſiue quis malit auctoritate publica. poteſt enim eadem eſſe plurium numorum materia, cùm par idémque omnium pondus non ſit: poſſunt & materia & pondus vnum idémque eſſe, cùm tamen pretium ſit diſſimile, atque diſcrepantia in vetuſtis & recentioribus numis cernitur. poteſt denique & materia eadem eſſe, & par pondus ac pretium, cùm tamen diſſimilis ſit omnium figura, atque effigies. Itaque neque Iſidoro, neque ipſius auctori, (quicunque is fuerit) aſſentior, cùm Originum libro 16. ita ſcribit: In numiſmate tria requiruntur, metallum, figura, & pondus. Nam auctoritas, ſiue æſtimatio lege publica numo attributa, pars eſt ipſius potiſſima: vt mox intelligetur. Materia numi dicitur, in qua percuſſus eſt, cuiuſcunque generis illa ſit: ſiue metallica (quod vſitatius eſt) ſiue coriacea, ſiue alterius denique naturæ atque ſubſtantiæ. Seneca libr. de Benef. 5. Æs alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percuſſum: quale apud Lacedæmonios fuit, quod vſum numeratæ pecuniæ præſtat. Caſſiodorus autem ſcorteam pecuniam rudem, ac ſine vllo ſigno tribuere priſcis Romanis videtur. libr. 7. epiſt. 32. Pecunia, inquit, à pecudis tergo nominata, Gallis auctoribus, ſine aliquo adhuc ſigno, ad metalla tranſlata eſt. Vtcunque ſit, apud Romanos, iis de quibus dicturi ſumus temporibus, triplex numorum materia fuit. Nam prima ætate vrbis ſolo ære ſunt vſi, pòſt verò argento, ad extremum etiam auro. Vnde Triumuiri monetales dicti, Æris, argenti, auri flatores, vt ait Pompon. in l. 2. §. deinde, D. de orig. iur. qui etiam dicebantur TREVIRI ÆRI, ARGENTO, AVRO FLANDO, FERIVNDO. Vnde harum notarum interpretatio apud Valerium Probum III. V. A. A. A. F. F. Cicero de legibus 3. Minores magiſtratus, æs, argentum, aurum publicè ſignanto. Vnde auri, argenti, æris publica appellatio in lege Iulia peculatus. l. 1. D. ill. titul. Ferro idcirco vſos Romanos non arbi-

A tror, quòd & difficulter funditur, & cùm æruginem facile concipiat, ſeruare pondus legitimum non poteſt. quam eãdem cauſam eſſe credo, cur neque albo, neque nigro plumbo in numis ſint vſi: ne ſcilicet aſſidua tractatione detereretur, legitimíque ponderis aliquid deperderet. Itaque lege Cornelia numaria disertè cautum erat, ne quis numos ſtanneos, plumbeos, emere vendere dolo malo vellet: B ait Vlpian. l. 9. §. 2. D. ad leg. Corn. de falſ. Eſt tamen, cur de plumbo dubitetur. nam apud Martialem lib. Epigr. 1. hos reperio verſus in Calcuum,

Vt conuiuia ſumptuoſiora
Toto quæ ſemel apparas in anno
Nigra ſordibus explices moneta.
Et ſeptem veteres tui ſodales
Conſtemus tibi plumbea ſelibra.

C Item lib. x. ad Romam.

Anteambulones & togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto.

Item apud Plautum in Trinummo:

Numum nunquam credam plumbeum.

& in Caſina:

Cui homini hodie peculi numus non eſt plumbeus.

Videndum eſt igitur, an numuli quidam viliores, quales erant quadrantes ſportularij, interdum D ex plumbo ſolido conflarentur. quod certè non abſurdum eſſe videtur: præſertim cùm parui admodum ad conſtituendum pretium referret: aureis autem & argenteis ne admiſcere quidem plumbum liceret: quia non modò lex id Cornelia disertè vetuit, verùm etiam ante legem illam crimen fuit: vt ex illo Plauti in Moſtell. licet cognoſcere: *Tace tu faber, qui cudere ſoles plumbeos numos.* Sciendum eſt præterea, numos interdum ex electro E factos à quibuſdam imperatoribus fuiſſe. quod Lampridius in Alexand. Seuero his docet verbis: Alexandri habitu numos plurimos figurauit: & quidem electreos aliquantos, ſed plurimos tamen aureos. Quoſdam mihi præterea Romanos numos ex agris ſuis effoſſos oſtendit Princeps quidam, non ex metallo, ſed lentore aliqua materia ſubnigra percuſſos: atque (vt opinio mea fert) ex fuco generis: quod eſſe multiplex copioſè ſimul & eleganter do-

ter docet Georg. Agricola lib. de natur. fuſſil. 4. vt mihi ſuſpicari libeat, electræos illos fuiſſe quos modo commemorauimus: quandoquidem [illegible] Græci nomine generali ſuccinum appellant. Fuit autem & aliud numorũ genus, ſeu ludicrũ, ex lupinis aqua, vt opinor, maceratis percuſſum. Vnde illud Horat. 1. Epiſt. 7.

Ne tamen ignorat quid diſtent æra lupinis. Sic enim & legendum & intelligendum illum eſſe locum, permulti iampridem eruditi homines docuerunt: cùm lupinos inter leguminis & fabarum genera Plinius & alij referant: veriſſiméque Lambinus animaduertit eôdem pertinere locum illum Plauti in Pœnulo:

AG. *Agite, inſpicite aurum eſt.* CO. *profectò ſpectatores, comicum.*
Macerato hoc pingues fiunt auro in Barbaria boues.

Verùm ad hanc rem agendam Philippeum eſt. melius quàm Alciatus qui ad naporum rotulas referebat Parerg. 7. c. 4. Fit etiam lupinorum iſtiuſmodi mentio in l. 3. C. de alear. Si quis ſub ſpecie aliarum victus ſit lupinis, vel alia quauis materia, ceſſet etiam aduerſus eum omnis exactio. Quinetiam affirmare auſim, ſcurrilem illum Catulli iocum ita emendandum eſſe,

Atque id durius eſt faba, & lupinis:
Quod in ſi manibus teras fricéſque,
Non vnquam digitum inquinare poſſis.

Vbi mendosè, meo iudicio, legitur LAPILLIS. Non enim vnguibus & digitis lapilli teruntur: ægrè fabæ aut, lupini. tametſi de ſordibus illis Catullianis non facilè cum vllo contenderim. Fortaſſis etiam ad hoc ludicrum numorum genus illud referendum eſt, quod Cicero epiſt. ad Att. lib. 1. his ſcribit verbis: Sed heus tu? vidéſne Conſulatum illum noſtrum, quem Curio antea ἀποθέωσιν vocabat, ſi hic factus erit, fabam numum futurum? Afranius ſcilicet, & pro eo Pompeius, magnis largitionibus populi ſuffragia mercabantur. Nunc eſt expectatio comitiorum (dixerat paulo ante) in quæ omnibus inuitis trudit noſter Magnus Auli filium (id eſt Afranium) In eo neque auctoritate, neque gratia pugnat: ſed quibus Philippus omnia caſtella expugnari poſſe dicebat, in quæ modò aſellus onuſtus auro poſſet aſcendere. Hæc ille. Cùm igitur Afranius tanta numorum largitione conſulatum eblandiretur, ipſe autem Cicero ſola virtute magiſtratum illum aſſecutus eſſet. Non vides (inquit) ſi ille Cõſul factus erit, fore, vt populus ſibi de acceptis ab illo numis gratulans eum in laudibus in cœlum ferat? meum autẽ conſulatum, quem Curio ἀποθέωσιν vocabat, dicat, aliud nihil fuiſſe, niſi fabam numum? id eſt, proſperatis numis ſe fabas ſiue lupinos a me accepiſſe: quomodo apud Græcos dici ſolebat Pro theſauro carbones. Neque verò ignoro, quàm diſſimiles aliorum coniecturæ fuerint: ſed, præterquam quod mea hæc ſententia librorum omnium veterum auctoritati conſentanea eſt, (id quod ſummi apud doctos viri oo éti eſſe oporter) ſatis cõſtat, opponi à Cicerone primùm rationem qua Afranius conſulatum adepturus erat, ei qua ipſe vſus antea fuerat: deinde vocem Curionis, voci & rumoribus populi præbitorea & largitores amantis: vera autem via gra-

A dientes deſpectoi atque odio habentis. Neque quidquam abſurdi eſt credere, ſicuti vulgo ad vocẽ Seſtertius addebatur Numus: veluti, ſi quis dixiſſet, Accepi ab Afranio mille HS numos, ita moris in iocando fuiſſe, vt dicerent, Faba numus: veluti Accepi à Cicerone mille fabas numos, vel mille lupinos numos: id eſt, nihil. Sed iam ad inſtitutum redeundum eſt. Sciendum eſt igitur, duplex materiæ illius metallicæ genus fuiſſe. nam altera pura fuit, altera mixta. Me- B ra fuit, quæ vnico, eóque puro metalli genere conſtabat: quales ij fuerunt argentei denarij, quos Plinius ſcribit iuſto pondere percuti ſolitos ex argenti libra numero quatuor & octoginta: aut quale fuit aurum in ſolidis, quod obryſum dicebant: hoc eſt, ita excoctum, vt nihil præter aurum purum putum ſupereſſet: vnde Obryzati numi, de quibus ſub Aureis diſſeremus. Mixtum autem fuit, quod metallo quopiam temperatum erat: puta ære, aut ferro. Li- C uius Druſus (inquit idem Plinius) octauam partem æris argento miſcuit. Et alio loco: Miſcuit argento Triumuir Antonius ferrum, miſcentur æra. Ego numum illum Antonij Triumuiri penes me habeo, veteréſque item complures argenteos, ære hoc modo temperatos: neque credibile eſt, quam multi paſſim ita ſuberati reperiantur. quinetiam ſuſcepta hoc apud pleraſque gentes conſuetudo communis, vt non alij quam hoc eodem modo temperati numi cudan- D tur, ſiue propter ſolidiorem laminæ firmitatem, ne diuturna contrectatione deterantur, & pondus eleuetur: ſiue (quod veriſimilius eſt) propter ærarij & Reipub. compendium. Quod autem Plinij locum ita retuli, cùm in vulgatis libris aliter legatur, eius emendationis laus Budæo debetur, qui ſe in vetuſtis libris hanc ſcripturam inueniſſe teſtatur: tametſi quod ſequitur FALSÆ MONETÆ (quas voces idem Budæus pro Plinianis reliquit) ſumptũ ex annotatione mar- E gini adſcripta facilè exiſtimarem: niſi potius annotator (quiſquis ille fuit) ſcripſerit, ARS FALSÆ MONETÆ. quandoquidem illo loco Plinius de ea commemorat, neque difficile fuit vocabulum AERA, cùm inſequenti ARS confundere. Quinetiam, vt aliud ex alio ſubiungam, facilè mihi perſuaſerim, turpes illius generis mendum in illum Ciceronis locum irrepſiſſe, lib. de Off. 3. vbi de hac numorum corruptela mentionem his verbis fecit: Ne noſter quidem F Marius Gratidianus boni viri officio functus eſt, cùm Prætor eſſet, collegiúmque Prætorum Tribunipl. adhibuiſſent, vt res numaria de communi ſententia conſtitueretur. Iactabatur enim illis temporibus NVMVS, ſic, vt nemo ſcire poſſet quid haberet. Nam verbum NVMVS importunè hoc loco poſitum, atque adulterinum eſſe, quis non videt? Quod autem Carolus Langius, vir cum primis doctus cenſuit, duos hoſce totos verſus tollendos eſſe, in quo etiam Lambinum G adſtipulatorẽ nactus eſt, vereor vt hoc illis poſſim concedere: cùm apertiſſimè Cicero verbum IACTABATVR ad rem numariam retulerit: pro fluctuabat: incerta ſcilicet, atque ambigua numorum, qui tum in vſu erant, æſtimatione. Qua de cauſſa Plinius eodem loco ſcribit, artem factam eſſe denarios probare: tam iucunda lege

plebi, vt mario Gratidiano vicatim totas ſta- A
tuas dicauerit: fortaſſe VICIS TOTIS ſcripſit
Plinius, ſicuti Cicero VICIS OMNIBVS: nam
VOX TOTAS quorſum pertineat, non video: ſed
boc patui refert) mirúmque: in hac artium ſola
vitia diſcuntur (emendo In hac artium ſola, ſo-
la vitia diſcuntur: geminata voce SOLA) & fal-
ſi denatij ſpectatur exemplar: pluribúſque ve-
rĩs denatiis adulterinua emitur. Significat vide-
licet Plinius, in arte cognoſcendæ monetæ, ni-
hil diſci, niſi adulterandæ monetæ artificium, & B
falſariorum ſolertiam: quam vt homines impro-
bi domi claneulum imitati poſſint, pluribus bo-
nis numis vnum adulterinum emunt, vt exem-
plar penes ſe habeant, quod furtim imitentur.
quarum falſitatum cauſſa lex illa Cornelia lata
eſt, Numaria ideo appellata: vt Cicero Verrina
III. teſtatur, de qua Iuriſcon. ſcribunt in l. 8. &
l. 9. D. de falſ. & Paullus 5. Sent. tit. 25. Vopiſcus
in Tacito, Cauit, vt ſi quis argento publicè pri-
uatímve æs miſcuiſſet, ſi quis auro argentum, C
ſi quis æri plumbum, capitale eſſet cum bono-
rum proſcriptione. Dio de Anton. Caracalla,
*τῷ σὺν Ἀντωνίνῳ τά τε ἄλλα, καὶ τὸ νόμισμα κίβδη-
λον ἦν. τότε ἀργύριον, καὶ τὸ χρυσίον, ὃ παρεῖχεν
ἡμῖν, τὸ μὲν ἐκ μολίβδου καταργυρούμενον, τὸ δὲ καὶ
ἐκ χαλκοῦ καταχρυσούμενον ἐσκευάζετο.* Anto-
nino, inquit, cùm alia, tum adulterinus numus
erat. nam pro argento & auro, quod nobis præ-
beret, plumbum inargentatum & æs inauratum
parabat. Ex hoc vitij genere fictum nomen Æ- D
roſæ pecuniæ, apud Scæuolam in l. credit. 102.
D. de ſolut. & Subæratæ apud Perſ. ſat. 5.

Et veri ſpeciem dignoſcere calles
Ne qua ſubærata mendoſum tinniat auro.

Hinc etiam Lacunæ nomen apud Ciceronem
in epiſt ad Attic. Vide ne qua lacuna ſit in auro:
id eſt, vt numi ſint ſolidi ex auro, non ære aut
argento inquinati.

DE NVMIS SERRATIS ET ASPERIS. E

CAP. II.

POSTVLAT autem hic locus, vt de
ſerratis & aſperis numis aliquid dica-
mus: quandoquidem vtrũque hoc vo-
cabulum videtur ad hoc noſtrum inſtitutum
pertinuiſſe. Serratos autem numos ſolus (vt opi-
nor) ex iis qui exſtant, Corn. Tacitus nominat F
lib. de morib. Germ. Formas, inquit, quaſdam
noſtræ pecuniæ agnoſcunt atque eligunt: inte-
riores ſimplicius & antiquius permutatione
mercium vtuntur. Pecuniam probant veterem,
& diu notam, Serratos, Bigatóſque. De aſperis
autem numis Sueton. Neron. c. 44. ita loquitur:
Exegítque ingenti faſtidio & acerbitate numũ
aſperum, argentum poſtulatum, aurum ad ob-
ruſam. Seneca 2. epiſt. ad Lucil. 19. Sed moue-
bis mihi controuerſiam, ſi te noui: nec voles G
quod debeo, niſi in aſpero & probo accipere.
Mea igitur hæc coniectura eſt, Serratos numos
dici, quorum ambitus angulis incíſus eſt, atque
ita formatus, vt ſunt canum & ſerpentum den-
tes: de quibus Plinius lib. 11. c. 37. ſic ſcribit:
Dentium tria genera: ſerrati, aut continui, aut
A exerti. Serrati pectinatim coeuntes, ne contra-
rio occurſu atterantur, vt ſerpentibus, piſcibus,
canibus, &c. Sciendum eſt igitur typum ferreum
in quem metallum vel liquatum, vel certè atte-
nuatum imponebatur, angulatam in circuitu
formam habuiſſe, ſic, vt numus in eo percuſſus,
ei quaſi typus aculeatus aculeato antypo reſpõ-
deret: quales mihi non paucos videre licuit. Faci-
le autem intellectu eſt, excogitatum id fuiſſe ad
fraudes falſariorum vitandas, vt facilius intima
B numi pars poſſet, introſpici, ecquid fortè alte-
rius vilioris metalli admixtum haberet. Cùm
autem ij numi aculeati (vt dixi) & tanquam ſpi-
noſi, ac proinde tractatu aſperi eſſent, inde for-
taſſe non abſurda coniectura eſt, nomen hoc
Aſperorum fictum: atque id genus numorum ab
auaris & ad rem attentis auidè expetitum fuiſſe,
ne ſi quid vitij ſubeſſet, latere poſſet. Neque
verò ſum neſcius, longe aliam & Turnebum &
alios eruditos viros huius vocabuli notionem
C ſecutos: cùm aſperos numos dici putarunt, ab
impreſſis ſignis, quæ in aſperitatem eminent,
neque leues eſſe numos patiuntur: ſicuti pocula
aſpera dicuntur, propter cælaturam, quia in aſ-
peritatem exciſa ſunt. vt Plinius loquitur. Et ſa-
nè conuenire hanc illi epitheto notionem a-
gnoſco, quod Perſius numis omnibus tribuit,
cùm Satyra 3. ſic ſcribit. *Quis modus argento? quid
fas optare? quid aſper Vtile numus habet?*
Quinetiam Aſpratuiam inde pro collybo vſur-
D patam probabile eſt, quòd pro aſperis daretur,
quaſi aſperorum nomine numi intelligerentur.
Sed nihil abſurdi eſt dicere, duplicem illius no-
minis notionem fuiſſe: vt aſperi ἐπίθετον numis
omnibus ab illa ſignorum eminentia tributum
ſit: quia nulli læues ſunt, & plani, ſed omnes aſ-
peri & eminentes. Sed ſi omnes huius gene-
ris fuerunt, neque vlli alterius formæ reperie-
bantur, non intelligo cur Nero, & alij auari, aſ-
peros tam auidè conquiſiſſe, alios autem reſpul-
E ſe dicantur.

De pondere numorum.

CAP. III.

HACTENVS de materia numorum ſatis vi-
detur dictum: deinceps de pondere dice-
mus. Pondus eſt, quantitas metalli, publica lege
cuique numo attributa: vel vti, vt pro tanto me-
F talli pondere certæ merces, permutentur. oues,
puta, ſingulæ pro denis æris: boues ſinguli, pro
centenis. quod precium lege Æternia conſtitu-
tum fuiſſe, A gellius tradit lib. 11. cap. 1. Cæſar de
Britannis, Vtuntur autem ære, aut annulis fer-
reis (legendum arbitror LAMINIS) ad certum
pondus examinatis pro numo. Nam cùm ære v-
terentur importato, vt mox ſubiungit, & ferri
per exigua eſſet copia, ac proinde ſummum v-
triuſque metalli ad vſum vitæ deſiderium, pu-
G blico Britannorum inſtituto pleræque merces,
certo illorum metallorum pondere, quaſi legi-
timo precio taxatæ atque æſtimatæ fuerũt. Nam
verbum quidem LAMINIS pro ANNVLIS com-
probat illud Senecæ lib. De benefic. 7. c. 10. Quid
agis auaritia? Nunc volo tuas opes recognoſce-
re, laminas vtriuſque materiæ, ad quas cupiditas
noſtra

noſtra caligat.item illud. Straboois lib. 3. vbi de Hiſpanis ἀντὶ δὲ, νομίσματος τοῦ ἀργύρου ἐλάσματος ἀποτέμνοντες διδόασι. Pro numis, inquit, argenti laminam in fruſtra conſiſam præbent. Fuit autem pondus monetæ varium atque arbitrarium, vel pro Reipubl. temporibus, vel pro cuiuſque principis imperio ac libidine: interdum vſque ad inſaniam. Poſtulantibus Reipub. temporibus aliquando inſtitutum fuit, vt aſſium pondus tribus & viginti partibus minueretur: hoc eſt, vt ex aſſe librili ſemuncialis fieret, patris tameo eiuſdémque poteſtatis & æſtimationis. Lampridius ſcribit, tanta fuiſſe in aureorum ponderibus augendis Heliogabali inſaniam, vt formas eorum binarias, ternarias, & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius vſque ad bilibres quoque & centenarias conflaret. Capitolinus in Vero: Iaciebat & numos in popinas maximos, quibus calices frangeret. Pari modo memoriæ proditum eſt, Imperatorem Tiberium ſecundum numos aureos librilès ſignaſſe, & 50. Chilperico Francorum Regi inter alia munera miſiſſe. Eſt autem in hac ponderis tractatione ſingulari animaduerſione dignum illud, quod mihi perſæpe cogitare, atque admirari contigit: Romanos ponderum leuitatem in re numaria ſtudioſè ſecutos eſſe. Nam cùm ceteræ nationes talentis, & aureis argenteiſve grauiſſimis numis ſuas rationes conficerent. Romani contrà frequenter ad aſſes, plerumque autem ad ſeſtertios ſuos conficiebant: ad argenteos vel aureos denarios admodum raro. Quod ſapienter & ab illis inſtitutum, & ab aliis noonullis gentibus vſurpatum fuiſſe videtur: quo vilior quarumque mercium æſtimatio, maiórq; infimæ multitudini ad res neceſſarias comparandas facultas eſſet. Ponderum autem ratio ad libræ modum exigebatur: cùm viris monetalibus imperatum eſſet, quo numero æreos, argenteos, aureos numos ex vna æris, argenti, auri libra conflarẽt: qua diſputatione nullam in hoc opere vniuerſo difficiliorem aut magis perplexam eſſe, poſterius, cùm ad id loci peruentum erit, intelligetur.

De numorum æſtimatione ac precio.

CAP. IV.

NVNC conſequens eſt, vt de æſtimatione, quam tertiam & potiſſimam numi partem eſſe diximus, pauca diſſeramus. Æſtimatio numi dicitur, ſignatæ cuiuſque laminę precium, auctoritate publica, ſimul cum pondere, definitum. Pomponius & Vlp. æſtimationem vſurpant. l. 1. in fi. D. de aur. & ar. leg & l. 3. D. de in lit. iur. alij precium appellant in l. 9. & l. 35. D. de aur. & arg. alij poteſtatem, vt in l. 3. de eo quod cert. loc. & in Rub. C. de ve. num. poteſt. alij dignitatem, alij quãtitatem: vt Papin. in l. ſi is cui, 94. D. de ſolut. & Vlp. in l. cùm aurum, 9. D. de aur. & arg. Florẽt. in l. quæ extrinſecus, 65. D. de verb. ob. Paullus in l. 1. D. de cont. em. propterea quod quanti quiſque numus ſit, quantùmque vel minutiorũ numorum, vel rerũ venaliũ valeat, demõſtrat. Electa, inquit, Paullus, materia eſt, cuius publica ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis ſubueniret: eáq; materia, forma publica percuſſa, vſum, dominiúm-

A que non tam ex ſubſtantia præbet, quàm ex quãtitate. Itaque per numos res omnes æſtimationem accipiunt: vt ait Ariſt. lib. Ethic. 4. χρήματα δὲ λέγομεν, πάντα ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται. χρήματα, inquit, vocamus res omnes, quarũ precium numo æſtimatur. & eadem mente Iauolenus ſcribit, Merces omnes pecunia æſtimari: pecuniã mercibus æſtimari non poſſe. l. ſi ita 42. D. de fideiuſſ. & l. tantum quiſque, 88 D. de verb. ſignif. ſignificans, numi poteſtatem, non tam ex corpo-
B re ſiue materia, (quia, vt diximus, poteſt eſſe vel ferrea, vel ſcortea) neque tam ex numero, vel pondere, (quod & graue & leue eſſe poteſt) quàm ex auctoritate publica, & precio et publica lege impoſito, cenſeri. Quo tamen loco meminiſſe oportet, quamuis non ex rebus numi, ſed ex numis res æſtimationem accipiãt, tamen numos ipſos ex numis poteſtatem accipere: argenteos nẽpe ex æreis: aureos autem ex argenteis & æreis: non tantum. verum etiam ipſos inter ſe precium
C ſibi facere. vnde illud Auſonij: *Aura magnus honos: auri precium tamen æs.* Item illud Martiani: Pecunia numerata olim in ære erat: ita vt omnis numus argenteus ex numero æris poteſtatem habent. Et eadem mente dici ſolet, Aſſem valere duos ſemiſſes æreos: Solidum aureum duos ſemiſſes aureos, tres trientes. Denarium argenteum quattuor Seſtertios. Sic Varro: Denarius, inquit, dictus quod denos æris valebat. Quinarius, quod quinos. Atque hoc nimirum illud eſt, quod Iuriſ-
D conſulti dicunt in pecunia numarata, non corpus ſed quantitatem ſpectari. l. ſi is cui 94. D. de ſol. adeò vt numi à rebus corporalibus ſeparentur. l. nam etſi, 13 §. vlt. D. de reb. cre. l. ſi pœnæ, 19. §. 2. l. qui heredis, 46. D. de cond. indeb. Denique Iuriſconſultorum hęc ſententia eſt, quamuis numi inter ſe & materia, & pondere, & ſigno differant, tamen in precio & quantitate conueniant, omnes vno genere (id eſt vna ſpecie) contineri: bo eſt, non alios, atque alios eſſe videri, ſed protſus
E eoſdem. l. 2. D. de reb cr. qua de cauſſa cùm ſtipulatio vitietur, ſi alia res promittatur, atque ea quæ nominatim in ſtipulatum deducta eſt, eum, qui denarios ſtipulanti, (puta centum) eiuſdem precij & quantitatis aureos. (nimirum quattuor) ſpoponderit, obligari. l. quæ extrinſecus, 65. D de verb. obl. Viciſſim igitur, argumento ex contrarijs ducto, eum qui aureos ſtipulanti eiuſdẽ quantitatis denarios, vel quinarios, vel ſeſtertios, æreoſve numos, quantumuis minutos promiſerit,
F ſimiliter obligari. In ſolutione quoque idem iuris eſt: niſi fortè creditoris interſit, alterius & materiæ & formæ numos accipere. l. creditorem, 99. D. de ſolut. ex quibus intelligitur, numos omnes vno eodémque genere contineri. Sed diſſimilis aliarum rerum eſt ratio. Non enim qui certũ auri argentíve pondus debet, vtique tanti ponderia numos ſoluendo liberabitur. quid enim ſi nomi ex impuro metallo conflati ſint, cuiuſmodi Romę pleroſque in vſu fuiſſe, poſterius idoneo loco do-
G cebimus? Regula igitur hæc eſt, vt tum demum certum auri argentíve pondus debens, pecuniam numeratam dando liberetur, cum tanti pecunia ſit, quanti pondus valebat. l. 1. §. vlt. l. Titiæ. 35. D. de aur. & arg. leg. Sed operæprecium eſt, inſigni quodam argumento, quantum in monetæ æſtimatione, ac publica numerorum auctoritate mo-

mentum ſit, oſtrndere. quo planius id quod di-
ximua intelligatur, Publicam numorum auctoritatem
potiſſimam ac præcipuam eſſe ipſorum
pattem. Nam vt optima eorum materia ſit, puta
aurea puriſſima, vt & pōdus grauiſſimum & no-
tam affabrè inſcriptã habeant, tamen ſi publica
auctoritate deſtituantur, non pro numis ſed pro
mercis genere & (vt paulo antè poſui) pro rebus
corporalib. habebuntur. Vnde illud Pomponij
in l.28. D. de vſufr. Numiſmatum aureorum vel
argenreorum veterum, quibus pro gemmis vtis
ſolent, vſusf. legari poteſt: Plin. 33. c. 3. Qui nunc
victoriatus appellatur, lege Clodia percuſſus eſt.
Anrea enim hic num⁹ ex Illyrico aduectus, mer-
cis loco habebatur. Videri vt lex Clodia publi-
cam ei auctoritatem tribuerit, ſine qua nō proſi-
gnato ſed pro facto argēto habit⁹ fuiſſet? Mætia-
nus ac peregrinus numus loco mercis, vt nūc te-
trachmum & dragma habebatur. Quid verbis
opus eſt? Mirandum mihi ſemper viſum eſt, Bu-
dæo verò ſummo ac præſtanti viro etiam in-
credibile, quod Polybiua lib. hiſt. 2. vbi de Ita-
liæ vbertate rerúmque omnium, quarum fera-
ciſſima eſt, abundantia commemorat, ſcribit his
verbis: ὡς μὴ δ' ἐνίοτε πολὺ παρίεσθαι τοὺς καταλύ-
τας οἱ πανδοκεῖς, ὡς ἱκανὰ παντ' ἔχειν τὰ πρὸς τὴν
χρείαν, ἡμιασσαρίῳ. τοῦτο δ' ἔστι τέταρτον μέρος ὀβο-
λοῦ. σπανίως δὲ τοῦτο ὑπερβαίνουσι. i. Caupones Itali
plerumque accipiunt viatores, atque hoſpites,
non pluris ſemiſſe: ſiue dimidio aſſario. ſic ta-
men vt hi, quantum ſibi ſatis ſit, habeant. Eſt au-
tem ſemis ſiue ſemiſſarius quarta pars oboli: ac
rarò vſuuenit vt hoc precium excedant. Hoc di-
ctum Polybij (inquit Budæua) hyperbolicum
mihi viſum eſt: nec de eo habeo, quod ſtatuere
poſſim. Recte Budæus. nam incredibile profe-
ctò videtur, viatoris famem duobus denariolis
noſtris Pariſienſibua ſiue (vt loquimur) du-
plo æreo expleri poſſe: quanti Budæi ratio-
ne fuit ſemiſſarius, ſiue ſemis Romanua. Sed ve-
reor, vt non ſatis momentum illud æſtima-
tionis, de quo iam admonuimua, à multis per-
pendatur non enim (vt paulo antè dixi) ex
numorum vel materia, vel pondere, vel numero,
quarumque rerum æſtimatio penditur: ſed ex le-
ge atque auctoritate publica. quod Ariſtot. Et-
hic. 5. ſic extulit: τοὔνομα δ' ἔχει νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει,
ἀλλὰ νόμῳ ἐστί cuius rei argumentum eſſe poteſt
euidentiſſimum, id quod Agellius, Feſtus, Dio-
nyſius, Plutarchus memoriæ prodiderunt, anti-
quitus lege Aterina ouem, in multis irrogandis,
denis aſſibus æſtimatam: bouem, centenis. nam ſi
poſteriorum temporum æſtimationem ſpecte-
mus, nemo credat ouem quattuor ſeſtertiis (qui
ſunt Pariſienſis pecuniæ quattuor Karolini) emi
potuiſſe. Sciendum eſt igitur, primùm eo tem-
pore, de quo Polybius loquitur: recens fuiſſe
pecuniæ argenteæ inſtitutum: ſicuti poſthac
ſuo loco docebimus: tum deinde per idem illud
tempus, aſſium & aliorum numorum æreorum
per exiguum numerum fuiſſe: quemadmodum
de Publicolæ tempore Plutarchus in ipſius vita
teſtatur. quo verò pauciores ſunt numi, eo ſunt
precioſores: denique tanti aſſem illis tempori-
bus valuiſſe, tantum, inquam, potuiſſe, quantum
poſterioribus ſeculis, non dico denarius argen-
teus, aut denarius aureus potuit, ſed fortaſſe
A haud paullo pluris. quemadmodum ex immenſo
illo rerum venalium ac ciborum precio intelli-
gitur, quod Varro, Plinius, Columella & alij
commemorant. Coniecturam noſtram adiuuat,
quòd Agellius & alij teſtantur, quamuis circiter
centum poſt Polybium annis populi Romani
opes maiorem in modum excreuiſſent, tamen
lege Fannia ſumptuaria, quæ per illa tempora
lata eſt, denos aſſes in cœnæ ſumptum definitos
fuiſſe. Ex quo ratiocinari poſſumus, non adeò
B mirum videri oportere, ſi centum antè annis
caupones non amplius ſemiſſe ab ſuis hoſpiti-
bus acciperent. Nam ſemis non ex poſteriorum
ætatum æſtimatione cenſendus eſt: ſed partim
ex numorum raritate, partim ex lege atque
auctoritate publica: cuius tanta vis eſt, vt
etiam plumbeua, aut ſcorteus numus pro ar-
genteo vel aureo valeat: quippe (vt Paullus
eleganter dixit cùm numus vſum dominiúm-
que non ex ſubſtantia præbeat, ſed ex quantita-
C te, poteſtate, & (vt nunc loquimur) valore. Ita-
que aliquoties vſuueniſſe videmus, ſi quando
plebs ære alieno premeretur, vt illi augendo in
libras numorum numero ſuccurreretur. quod
duobus modis fiebat, vt poſterius in Denario-
rum tractatione docebimus. Nam aut retenta
eadem materia, pro ſeptuaginta duabus, puta,
drachmis, centum excudebantur: quod Solonis
inſtitutum Plutarchua commemorat. atque hac
ratione debitores parem drachmarum nume-
D rum ſoluendo, quamuis multo leuiores ſolue-
rent, liberabantur. quod idem Plinius in aſſibus
æreis, Romæ factitatum tradit: vt primò pro li-
bralibus ſextantarij ſoluerentur, poſtea pro ſex-
tantariis vnciales: ad extremum pro his, ſemun-
ciales. Alter erat modus qui Romæ ſeruatus eſt,
vt aliquanto æris, ſertíve pondere ad argenti li-
bram adiecto, denariorum numerus augeretur.
qua ratione pro quattuor & octoginta denariis,
qui ex puri argenti libra ſignati antea ſolebant,
E adiecto duodecim decuſſium æreorum ponde-
re, ſex & nonaginta ſignari cœpti ſunt. quo be-
neficio qui (verbi gratia) quattuor & octoginta
puri argenti denarioa debebant. totidem æroſis
denariis ſoluendis liberabantur, magno ſuo
compendio: cùm inſuper duodecim lucrarен-
tur. Redeo tamen ad illud mirificum Polybij
dictum, de ſemiſſario, ſiue ſemiſſe, antequam
longius progrediar. ac ne multis lectorem mo-
rer, etſi conſtanter affirmo ſuperiorem diſputa-
F tionem eſſe certiſſimam, Numi cuiuſque pre-
cium neque ex materia, neque ex pondere, ſed
ex ſola auctoritate publica cenſeri: mihi tamen
tantuli numuli precium cogitanti venit in men-
tem ſuſpicari, duo fœdiſſima in illo Polybij lo-
co menda ſubeſſe, ſcripſiſſéque Polybium, non
ſimpliciter ἡμιασσαρίῳ, ſed τρίτῳ ἡμιασσαρίῳ, id-
que per notam fortaſſe, ſiue literam tertiam γ:
cùm ſcilicet Romanum numum, ſeſtertium pari
ratione dictum, deſignaret: nam ſicuti poſtetius
G in argenteis numis dicemus, Seſtertium Roma-
ni Græcorum more dixerunt, quaſi ſemiſſem
tertium: τρίτον ἡμιασσάριον: ſicuti τρίτον ἡμιτά-
λαντον. neque aliter Græco more Latinua ſeſter-
tius pronuntiari poteſt: quod & Didymus apud
Priſcianum, & Suidas copioſè demonſtrarunt.
Sic Pollux lib. 9. τρίτον ἡμίδραχμον, αἱ δύο ἡμίσειαι
δραχμαί.

δραχμαί. Alterum mendum eſt in voce ὀβολοῦ A quam certè ferri poſſe non arbitror. vulgo enim receptum eſt drachmam & denarium promiſcuè pro eodem numi genere vſurpari. Iam Pollux & alij ſummi auctores ſenos in drachmam obolos imputant. ἡ μὲν τοι δραχμή, inquit, ἔχει ὀβολοὺς ἕξ. Oboli porrò ſinguli, Polybij ratione duobus aſſibus valerent. quod nunquam auditum eſt, vt drachma ſiue denarius duodecim aſſibus æſtimaretur: ſed vel decem dumtaxat, vel ſedecim. Credo igitur librarium hanc notam B oboli < pro illa drachmæ Z. nota accepiſſe: reponendúmque apud Polyb. Τοῦτο δ' ἐστὶ τέταρτον μέρος δραχμῆς. quo nihil vel aptius vel conuenientius dici poteſt. Nam & ſeſtertius pars eſt drachmæ ſiue denarij quarta: vt inter omnes conſtat: & tolerabilius erit Polybij dictum, minúſque à veriſimile abhorrens, cœnam aut prãdium viatoris in caupona ſeſtertio numo taxatum, quanti eſtuũ eſt in Gallia noſtra quondam fuiſſe: quam Italiæ hoc in genere nunquam ceſ- C ſiſſe, vel vnius Ioſephi teſtimonio ſatis notum eſt. Verùm hæc quidem in præſentia de Polybij loco plus ſatis: quæ ſi quis non intelligat, poſthac ex iis quæ de argenti libra, & legitimo denariorum ac drachmarum numero dicentur, facilè vera eſſe cognoſcet.

De forma & nota publica numorum.

CAP. V.

RESTAT vt de Numi figura diſſeramus, quam hoc modo definire poſſumus: Fi- D gura (qua eadem & forma, & cælatura, & ſignũ & effigies & character appellatur) dici ſolet, qua impreſſa numi cuiuſque auctoritas deſignatur. ὁ γὰρ χαρακτὴρ, τοῦ πόσου σημεῖον: ait Ariſtoteles lib. Polit. 6. ſed ſatius eſt locũ integrum adſcribere: Τὸ μὲν πρῶτον inquit, ἁπλῶς ὁρισθὲν μεγέθει καὶ σταθμῷ. τὸ δὲ τελευταῖον καὶ χαρακτῆρα ἐπιβαλλόντων, ἵνα ἀπολύσῃ τῆς μετρήσεως αὐτούς. ὁ γὰρ χαρακτὴρ ἐτέθη τοῦ πόσου σημεῖον. Id eſt, numus primùm quidem magnitudine & pondere ſimpliciter finitur: E tandem verò etiam charactere adiecto, vt eos à dimenſione liberaret. character enim ad deſignandam quantitatem appoſitus eſt. Certa igitur & legitima cuique numo forma imprimitur, vt ex ea, cùm ipſius auctoritas, tùm etiam legitimus & ponderis precij ſtatus cognoſcatur. Non eſt malus numus (ait Seneca) quem barbarus & ignarus formæ publicæ reiecit. Item Quinctil. 7. c. 6. Vtendum eſt ſermone, inquit, vt nemo, vt publica forma eſt. Sed in- F telligendum eſt, non vniformem & ſingularem numi cuiuſque figuram fuiſſe, ſed interdum variam ac multiplicem. Quatuor enim rebus plerunque conſtabat: primùm effigie auctoris, tum eiuſdem nomine, deinde inſcriptione, poſtremò ſigno aliquo ſiue nota, eáque vel certa vel arbitraria. De auctoris imagine & inſcriptione, notiſſimum teſtimonium eſt ex dicto Chriſti, qui ab hypocritis interrogatus, an fas eſſet Iudæos Romanis, profanis atque impiis homini- G bus, a quibus in ſeruitutem ſubacti fuerant, tributos pendere: Cedo mihi, inquit, numiſma, quod pro cuiuſque cenſu penditur. Tum illi denarium attulerũt. At Chriſtus, Τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη, καὶ ἡ ἐπιγραφή; λέγουσιν αὐτῷ, Καίσαρος. Cuius eſt imago & inſcriptio? dixerunt ei, Cæſaris: Tiberij

A nimirum, qui tum imperabat: cuiuſque nomine atque effigie percuſſus erat denarius, quẽ Pompeius tributi nomine Iudæis viritim imperarat. Ex quo intelligitur, auctoritatem numo ex auctoris imagine, ſimul & inſcriptione, quæſitam fuiſſe. Quo loco nec illud quidem prætermittendum eſt, cùm auctoritas ac poteſtas numi proficiſcatur ab eo, qui cum ſumma poteſtate atque imperio eſt, characterem numi præſertim aurei ſummæ penes auctorem poteſtatis argumento eſſe. Itaque Procopius lib. de bell. Goth. 3. B cùm Francos probare vellet, ſummum in prouincia Gallia imperium, & Arelatenſe regnum, ſuo iure, non Imperatoris beneficio, obtinere, ita loquitur: Galliarum partem ſuæ quondam ditionis effectam, in huius belli principio Gothi Germanis tradiderunt, cùm minus ſe poſſe exiſtimarent Romanis ſimul ac Germanis reſiſtere. Id factum Romani non interpellarunt. Sed vt Gallias ſibi Germani haberent, Iuſtinia- C nus vltro permiſit. non enim illi has tuto poſſeſſuros putabant, niſi & Imperator, vt ſuæ ditionis futuras perpetuò confirmaſſet. quo factum, vt ex eo tempore, Germanorum principes, Maſſiliam, Phocenſium quandam coloniam, & cætera circa id mare loca tenuerint, totiúſque eius oræ maritimæ potiti imperio ſint: vnde & Arelate nunc reſident. Aureum numum natiuo è Galliarum metallo hi cudunt, non Romani Imperatoris, vt ceteri ſolent, imagine, ſed ſua D impreſſa. Perſarum ſiquidem Imperator, etſi ad arbitrium argenteum numiſma facit, aureo tamen non illi fas eſt ſuam vt imponat effigiem, nec barbarorum princeps alius quiſquam id facere auſit. Hæc Procopius. Sed hoc loco magna exiſtit quæſtio, eóque mihi ad explicandum difficilior, quòd eam à nemine adhuc non modò tractatam, ſed ne contactam quidem animaduerterim: Si ad auctoritatem numo quærendam certa & legitima figura & effigies fuit, quid ſit E quòd tam variæ ac multiplices in ijs qui toto ferè orbe terrarum effodiuntur, imagines reperiantur? Nam Plutarchus quidem in vita Publicolæ ſcribit, antiquiſſimis vrbis temporibus pecuniam bouis, vel ouis, vel ſuis imagine inſignitam fuiſſe. Plinius autem lib. 33. æreæ pecuniæ legitimam formam fuiſſe tradit, ex vna parte Ianum, ex altera nauem: argenteæ, partim bigas aut quadrigas, partim victoriam, vt poſterius demunſtrabimus. At in iis qui eruuntur vi- F dere licet, interdum Martis, aut Veneris, aut Mercurij, alteriúſve dei deæ've effigiem, interdum Romam galeatam, lupam vbera lactentibus infantibus præbentem, aquilam legionariam, peduceum, fulmen duplex, taurum cornupetem, ſeceſpitam, aſpergillum, guttum, lituum, capedonculam, coronam, delphinum, quiduis denique: vt planè arbitraria, & in cuiuſque auctoris libidine poſita fuiſſe videatur: neque in tanta varietate ab vllo ciue (quod Seneca voluit) G facilè internoſci potuiſſe. Verùm ego duo notarum genera fuiſſe animaduerto: vnum certum legitimum, & definitum: alterum incertum, & arbitrarium. Certam notam appello, quæ vel lege, vel s. c. vel magiſtratus edicto Romæ à viris monetalibus imprimebatur: quales illæ notæ ſunt, quas modò ex Plinio commemora-

uimus : & cuiuſmodi multas paſſim apud homines Romanarum antiquitatum ſtudioſos videre licet:necnon his literis impreſſas. Ex s.c.vel ſimpliciter,s.c.Fuit enim (vt Pedianus in Verrinam 3.ſcriptum reliquit) lex Cornelia numaria: de moneta, ne quis priuatus pecuniam faceret: quod etiam Vlpianus ſignificat in l.9.D.ad leg. Corn.de fal.& Paul.Sentent.5. tit. 25. his verbis Qui numos aureos, argenteos adulterauerit, conflauerit. Apertè autem Imperator Conſtantinus in l.2.C.de falſ.mon.vnde intelligitur,numos neque ex materia neque ex pondere, ſed ex ſola lege magiſtratus auctoritate, quàm imago & inſcriptio indicabat, publicam auctoritatem obtinere. Itaque Trebellius Pollio, vbi de Tyranno Trebelliano commemorat, qui ſe Imperatorem appellarat:Monetam etiam, inquit, cudi iuſſit : palatiúmque in arce Iſauriæ conſtituit. & eadem de cauſa Triumuiri (vt dixi monetales creari Romæ ſoliti,æris,argenti, auri flatores:vt Pomponius noſter loquitur:vt Dio lib. 54. *οἱ τὸ τοῦ νομίσματος κόμμα μεταχειριζόμενοι*. Indéque reproburum numorum nomen, qui vel Romæ ab illis monetalibus,vel in prouinciis à præſidibus earum vitij alicuius damnati fuerant. l. eleganter,24. §.1.D.de pign. act. l. creditor, 102.de ſolut. atque inde natum illud inſtitutũ, vt principis effigies ac nomen nouis numis imprimeretur.velut in l.1.C.de vet. num. poteſt. Solidos veterum principum veneratione formatos.Item illud l.vlt. Vel æternales vultus, dum fraudibus ſtudet, duxerit viliores. Trebell. in Gallienis: Matronas ad conſulatum ſuum rogauit, iiſdémque manum ſibi oſculantibus, quaternos ſui nominis aureos dedit. Idem in Victoria Tyranna, Cuſi ſunt eius numi ærei, aurei & argentei, quorum hodiéque forma exſtat apud Treuiros. Idem ex Diui Claudij epiſtola : Philippeos noſtri vultus annuos centum quinquaginta. item ex epiſtola Gallieni,Aureos Valerianos centum quinquaginta, Trientes Salonianos trecentos. Vopiſcus Aureliano: Ipſi autem ad ſumptus aureos Antonianos diurnos binos,argenteos Philippeos minutulos quinquagenos,æris denarios centum. Et paulo pòſt, Aureliano dabis ad editionem Circenſium aureos Antonianos trecẽtos,argenteos Philippeos minutulos tria millia. Idem Bonoſo:Ipſi dabis aureos Philippeos centum,argenteos Antonianos mille,æris HS decies. Quibus ex locis, aliiſque ſimilibus obiter illud animaduertendum eſt, Philippeos numos (quorum mentio fit in l.Quintus,27.§.4.de aur. & arg.leg.)non eos præciſè ſignificari,qui à Philippo Macedoniæ Rege percuſſi ſunt, ſed qui Romanorum principum imperio ad illorũ inſtar,vel in argento,vel in ære ſignati fuerant,pari ſcilicet & pondere & precio & materia.Itaque vt primum nouus Imperator creatus erat, continuò eius effigie noui numi percutiebantur. Ammianus lib.26.Aureos ſcilicet numos in vultum noui principis. aliáque ad illecebras aptantes.Caſſiodor.Var.6. ep. 7. Vt figura vultus noſtri metallis vſualibus imprimatur : monetámq; facis de noſtris tẽporibus futura ſecula cõmonere.O magna inuẽta prudentũ!O laudabilia inſtituta maiorum! vt & imago principũ ſubiectos videretur paſcere per commercium. Item 7.e-

A piſt.32.Omnino monetæ debet integritas quæri, vbi & vultus noſter imprimitur, & generalis vtilitas inuenitur. Quidnam erit tutum, ſi in noſtra peccetur effigie? Neque tamen vna eadémque formæ menſura omnibus adhibebatur : ſed interdum diuerſa, quamuis vnum idémque omnium pondus eſſet.Omnes ſolidi,inquit Conſtantinus, in quibus noſtri vultus ac veneratio vna eſt, vno precio æſtimandi ſunt, atque vendendi : quamquam diuerſa formæ menſura ſit.
B Nec enim qui maiore habitu faciei extenditur, maioris eſt precij : aut qui anguſtiore expreſſione concluditur, minoris : cùm pondus idem exiſtat.Dixi,Dignitatem numo tribui ex eius auctoritate, qui ſummam poteſtatem habet. neque enim tanta, vel materiæ vel ponderis ratio habetur, quanta poteſtatis à ſummo magiſtratu attributæ : cuius rei hæc ſunt teſtimonia: primùm quod ne monetalibus quidem viris, id eſt ſignandæ pecuniæ præfectis, ex priuati ho-
C minis auro, quamtumuis puro, cudere pecuniam licebat. l. quicquid, 7. & l. ſeq. C. de falſ. mon. deinde,quod Cedrenus de Niceph.Phoca commemorans ita ſcribit :*Νόμου δὲ καὶ ἔθους ὄντος, πάντα χαρακτῆρα βασιλέως εἰ μὴ τοῦ σταθμοῦ ἐλαττοῖτο, δύναμιν ἰσοφερῆ ἔχειν καὶ ἰσότιμον. ὁ δὲ τὸ ἴδιον προτιμᾶσθαι ἐνομοθέτησεν, ὑποβιβάζων τὰς τῶν ἄλλων, ἐξ ἧς αἰτίας οὐ μικρῶς ἔβλαψε, τὸ ὑπήκοον ἐν τοῖς λεγομένοις ἀλλαγίοις* hoc eſt,Cùm & lex & conſuetudo eſſet, vt numorũ omniũ qui imperato-
D ris effigie formati eſſent,niſi quid eis in pondere deeſſet, par eadémque poteſtas eſſet, ſtatuit, vt numi forma ſua inſigniti, deminutis aliorum preciis omnibus præualerent : qua in re ciuibus ac ſubiectis ſuis in permutationibus non leue diſpendium attulit. Zonaras autem hoc ipſum tomo 3. his exponit verbis : *ἔθους δ' ἐπικρατοῦντος παλαιοῦ, στατῆρα πάντα, βασιλικὸν ἐκτύπωμα φέροντα, ἰσότιμον εἶναι τῷ ἄρτι κοπτομένῳ παρὰ τοῦ βασιλεύοντος, ἐκεῖνος τὸ ἑαυτοῦ προτιμᾶσθαι κεκέλευκε νόμισμα.*
E *ἵνα τί γένηται; ἵνα ἐκείνου μόνον τοῖς ἐμπόροις ζητουμένου, κέρδος αὐτῷ προσῇ ὑπὲρ ἑκάστου νομίσματος ἁδρὰ πραττομένων ἀλλάγια.* id eſt, Cùm antiquitus inſtitutum fuiſſet, vt par idémque precium eſſet ſtateris omnis veteris, effigie principis formati, & recentioris ab Imperatore percuſſi, ille aureo ſuo maius precium attribuit. quid ita?vt negotiatoribus hunc vnum expetentibus, per magnus ei ex permutationis compendio quæſtus accederet.Hactenus de certis &
F legitimis numorum formis expoſuimus. Arbitrarias autem appellamus,quæ pro cuiuſque vel principis vel magiſtratus, qui cum ſummo imperio erat,arbitrio feriebantur : quarum genera perſequi nõ modò infinitum eſſet, verùm etiam putidum atque abſurdum:præſertim cùm earum exempla paſſim exſtẽt innumerabilia : in eorum libris qui ſtudioſè antiquitates illas collegerũt: inter quos Fuluio Vrſino & Adolpho Occoni doctiſſimis viris, palma conſenſu omnium tri-
G buitur.

De varia Numi & Nummi appellatione.

CAP. VI.

EXPLICATA numi definitione, deinceps quæ de illius vocabuli notione, vi ac

pertiſtat

poteſtate, obſeruauimus, exponenda videntur. in quo prima illa occurrit quæſtio, vtrum id vocabulum vnico M. an geminato MM. ſcribendum ſit? de quo quid habeam dicere, verecundè exponam: prius tamen à doctis veniam precatus: ſiquid liberius edixero. Videtur vtroque modo ſcribi rectiſsimè, ſed non eadem mente atque ſententia. NVMVM enim per vnicum M. à Græco Νόμος, item vt Nomiſma deductum, nemo, vt opinor, negauerit. Ariſtot. Ethic. 5. cap. 5. Τὸ νόμισμα, inquit, γέγονε κατὰ συνθήκην. καὶ διὰ τοῦτο τοὔνομα ἔχει νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει ἀλλὰ νόμῳ ἐστί. Nomiſma, inquit, pactione quadam, & conuentione gentium inſtitutum eſt. qua de cauſſa Numiſma vocatur, quia non natura, ſed lege valet. cuius Ariſtotelici dicti vim ac ſententiam paullo antè copioſè explicauimus: cùm oſtendimus numi precium, valorem, atque æſtimationem, non ex materia, aut pondere, ſed ex ſola lege atq; auctoritate publica pendere. Quod autem Epiphanius, Cedrenus, &c. ſi bene memini, Zonaras Numum ex Numæ Regis nomine appellatum ſcribunt, planè ineptum ac nugatoriũ eſt. NVMMI autem geminato M vocabulum primigenium fuiſſe, non obſcurè Iulius Pollux ſignificat lib. 9. Quamuis enim, inquit, Romanorum proprium eſſe exiſtimetur, tamen Græcorum fuit in Italia, ex Sicilia Dorienſium, id quod primum ex eo confirmat, quòd Ariſtoteles in Tarentinorum Republica teſtatur, fuiſſe apud illos νόμισμα quoddam, quod Νοῦμμον appellabãt in quo Tarantis, Neptuni filij, imago impreſſa erat, equo inſidentis. deinde ex aliquot Epicharmi Siculi poetæ verſibus.

Εὐρήσοντί μοι καὶ νούμμους. Item,

Κάρυξ ἰὼν ἰθύς πρίασθαί μοι νούμμων μόσχον καλόν.

Inuenient mihi nummos. Præco abi cito: ac mihi decem numis eme pulchrum vitulum. Quid multa? Voluſius Mætianus appertiſſimè oſtẽdit, Nummi vocabulũ non commune numorũ omnium fuiſſe, ſed proprium argenteorum: haud dubiè, cùm illi Siculi, & Tarentini nũmi eſſent argentei: Romani autem ad illorum exemplum vſurpati: quod apprimè notandum eſt. As quidem, inquit, ſeu de diuiſione ſolidi, ſeu de pondere, ſeu de numerata in ære pecunia agatur: Libra autem in pondere: Numi verò argentei, in pecunia, forma publica dumtaxat nomen accipiunt. Vbi cùm ſenſus nullus ſit, neminem dubitaturum arbitror, quin ita potiùs legendum ſit: Numi verò argentei in pecunia, forma publica percuſſa, dumtaxat nomen accipiunt. Significat videlicet, Aſſis vocabulum eſſe generale, & de quouis ſolido, pondere, & pecunia numerata vſurpari: Numi autem verbum propriè & reſtrictè ad pecuniam argenteam pertinere. Sic Varro de lin. L. 4. poſteaquam de numis æreis diſſeruit. In argento, inquit, nummi: id à Siculis. Denarij, quod denos æris valebant, &c. vbi nummos argenteos deinceps enumerat. Quæ cùm ita ſint, non incommodè tentari poſſe arbitror, Numeratæ pecuniæ nomen non propriè à numero, ſed potius à numo deductum fuiſſe. cuius meæ coniecturæ hæc ratio eſt: primùm quia cùm antiqua conſuetudine Pecuniæ vocabulum generaliter ad res omnes, quæ in alicuius patrimonio erant, pertineret, poſtquam ſignari numi cœpti ſunt,

A ſignatóſque in vſum recipi placuit, exinde factũ eſt, vt ſpeciali pecuniæ numeratæ nomine res aliæ omnes præter numos excluderentur. l. 1. D. de cond. tritic. l. tantom quiſque, 18. & l. pecuniæ 178. l. pecuniæ, 222. D. de verb. ſignif. l. quiſquis, 95. D. de legat. 3. l. talis, 30. D. de legat. 1. adeò, vt ne auri quidem aut argenti appellatione propriè aurum & argentum ſignatum contineretur. l. cùm aurum, 15. l. quintus, 27. §. 1. D. de aur. & argent. legat. Ex quibus intelligitur tantum inter

B pecuniam & pecuniam numeratam interfuiſſe, quantum inter genus & ſpeciem. Numerata enim dicebatur quaſi numata, ſiue nomaria, & ad numos tranſlata. Cicero Agrar. 1. Nunc præſens, certa nomerata pecunia quæritur. Dicebatur etiam Argentum numeratum & facto atque infecto, opponebatur. Liu. lib. 36. Argẽti bigati pręſe tulit CXXX millia: & extra numeratum XII. millia pondo argenti: auri pondo CXXVII. Nam ab infecto auro & argento diſtinguebatur. Aſinius

C Pollio Ciceroni Famil. 10. epi. 32. Balbus quæſtor, magna numerata pecunia, magno auri pondere; maiore argẽti coacto, duxit ſe à Gadib⁹. Pla. Perſ. *Probum & numeratum argentum vt accipias, face* quod interpretor, ſignatum. Mætianus: Pecunia numerata olim in ære erat. Poſtea & in argento feriri cœpit. Item: Aſsis appellatio etiam ad pecuniã numeratam refertur, quæ olim in ære erat. Poſtea & in argento feriri cœpit. Item, Aſsis appellatio etiã ad pecuniã numeratã refertur, quæ

D olim in ære erat. Seneca de benef. VI. Æs alienum habere dicitur & qui aureos debet, & qui coriũ forma publica percuſſum: quale apud Lacedęmonios fuit, quod vſum numeratę pecunię pręſtat. Dicebatur enim Signata pecunia: & aurum atque argentum Signatum. vti patet ex collatione, l. 1. §. vlt. & l. cùm aurum, 19. l. quintus, 27. §. 4. & §. vlt. D. eod. Liuius 34. Signati argenti octoginta quattuor millia fuere Atticorum. Item lib. 37. Argenti infecti tria millia pondo: ſignati te-

E tradrachmum Atticorum CXIII millia. denique Numeratam & Signatam pecuniam veteres promiſcuè vſurpabant. Cicero in Topic. Quoniam argentum omne mulieri legatum eſt, non poteſt ea pecunia, quæ numerata domi relicta eſt, non eſſe legata. Forma enim à genere, quoad ſuum nomen retinet, nunquam ſeiungitur. Numerata autem pecunia nomen argenti retinet: legata igitur, Rectè, Videtur: vt diſputare Ciceronem intelligatur, non affirmare. Nã certè poſt-

F quam ſignatum argentum eſt, ſuum ac proprium nomen obtinet, à ſuo genere ſeiunctum. Ac pari modo Quinctilianus in lib. 5. cap. 11. Non ſi quis, inquit, argentum omne legauit, videri poteſt ſignatam quoque pecuniam reliquiſſe: ideo etiam quod eſt in nominibus, dari voluiſſe credi tur. Item cap. 14. Si pecunia quæ eſt in argento ſignato, argentum eſt: qui argentum omne legauit, & pecuniam quæ eſt in argento ſignato, legauit Similiter Dos numerata dicitur, quæ non

G in prædiis, ſed in numis poſita eſt, Cicero pro Cæcina: Cùm vteretur dote vxoris numerata, &c. Et eodem pertinet, quod vulgo dicimus. Nec emptionem & venditionem ſine precio, nec precium niſi in numerata pecunia conſiſtere. §. item precium, Inſt. De contr. emp. non enim ad numerationem hoc pertinet, ſine qua & venditio

A & emptio & pretium optimè conſiſtit, dummodo de ea conuenerit. l. 2. D. eod. l. empti, 9. C. eod. quid ergo eſt? nimirum id quod Paulus ſuperiore lege dixerat, emptionem & venditionem ſine numis dici non poſſe. l. 1. §. ſed an ſine, D. eod. Altera coniecturæ noſtræ ratio eſt, quòd cùm numeratam pecuniam dictam conſtet, antequam numerari cœpta eſſet, ſed appendi tantum ſolebat: conſentaneum eſt, eam non à numerando denominari potuiſſe: ſed potius à numo, vnico M. B ſcripto. Martianus ſuprascripto loco: As quidem, ſeu de diuiſione ſolidi, ſeu de pondere, ſeu de numerata in ære pecunia agatur. Iuſtinianus in Inſtitut. Propter os fractum, inquit, lege 12. tab. numariæ pœnæ erant conſtitutæ, quaſi in magna veterum paupertate. Nam quo tempore lex 12. tabul. conſcripta eſt, graui ære populus vtebatur: appendique, non numerari, pecunia ſolebat: ſicuti: vel ex vnico Iulij Agellij loco intelligitur, libro 20. cap. 1. Nihil autem mouere nos debet C ſyllabarum diuerſa quantitas, in verbis Nummus, & Numerata primùm, quia Numus priore producta, cum duobus M. M. ſcribendum eſt. Numum autem vnico M. ſcriptum, breue eſſe, vel ex coniugato nomine Numiſma perſpicuè apparet. velut apud Horatium:

Retulit acceptos regale numiſma Philippos.

Tum verò innumerabilis einſmodi vocabula fuiſſe conſtat, quæ ex vna eadémque radice propagata diſparem tamen ex vulgi conſuetudine D quantitatum obtinuerunt, quemadmodum ex multis Grammaticis intelligitur, cuius rei exempla proferuntur in Luce & Lucerna: Latere & Laterna: Mole & Moleſtia. Fatendū tamen illud eſt, perſæpe Numeratum pecuniam dici, cuius ad certum numerum ratio redacta eſt velut apud Plautum Pœnulo.

Hic trecentos numos numeratos habet.

Sed potiſſimùm apud Iuriſconſultos: veluti cùm in emptione numeratum precium dicitur, vel nō E numeratæ pecuniæ exceptio opponitur. l. 9. C. de cont. empt. l. 1. & paſſ. C. de excep. non num. pecun. Verùm hæc quidem, cùm ad exactam & exquiſitam rationem horum vocabulorum notionem vim ac poteſtatem reuocamus, ita ſe habēt. nam vbi popularem conſuetudinem ſequimur, certiſſimum eſt, locum huic tam accuratæ diſputationi non eſſe: atque vtranque hanc appellationem promiſcuè & ſcribi & vſurpari conſueuiſſe. Quapropter illud vnum adiiciemus, quemadmodum triplex apud Romanos pecuniæ nu- F meratæ materia fuit, ita triplicem eorum in re numaria pronuntianda conſuetudinem fuiſſe: primùm vt ad æream, tum vt ad argenteam, poſtremò vt ad auream pecuniam ſuas rationes cōficerent. Ac æream quidē vnam ac ſimplicē fuiſſe reperio: propterea quòd nō niſi ad aſſes, omiſſis minutioribus numulis, ratiocinari ſolebant. Argenteum verò video quadruplicem fuiſſe: ad ſeſtertium, quinarium, denarium, & libras. Aurea verò duplex tantū fuit, ad denarium ſcilicet, & G libras: tametſi poſterioribus temporibus ſolidorū, ſemiſſium, & tremiſſium vſus introductus eſt.

De pecunia ærea, & primùm de ære graui.

CAP. VIII.

A SEn iam tempus eſt ad primā inſtitutæ commentationis noſtræ partem accedere: & de pecunia ærea & grauibus aſſibus diſſerere. in quo item vt in reliquis numis omnibus, quinquepartitam hanc methodum ſeruabimus, vt definitione cuiuſque numi prępoſita, primùm de materia, tum de pondere, pòſt de precio, mox de charactere exponamus: ad extremum etiam partes eiuſdem numi & diuiſionem explicemus. As igitur, ſiue Aſſis, ſiue Aſſarius, ſiue Aſſipondium (tot B enim nominibus appellabatur) priſcis temporibus dicebatur ærea rudis lamina libralis, qua pecunię & numi loco vtebantur. Mirum eſt autem quod Chariſius Grammat. ita ſcribit: Aſſarius ab antiquis dicebatur, nunc Ar dicitur, non Aſſis: quia eius genitiuus eſt. Nam apud Plin. 33. cap. 3. ita legitur: Libralis, (vnde etiam nunc libella & Dipondius) appendebatur Aſſis. quinetiam Budæus idem aliquoties adfirmat, ſed ſine vlla teſte. Donat. in Phorm. Terent. Aſſis, libra erat, C eiuſque partes variæ. Qua ex definitione ſummatim intelligitur, primùm æream aſſis materiam fuiſſe: deinde pondus habuiſſe libræ vnius: tum vt pro numo valeret, certum eidem precium publica lege impoſitum fuiſſe: poſtremò nulla primis illis temporibus nota inſignitum fuiſſe. Nam, vt ait Plinius 33. cap. 3. Seruius rex primus ſignauit æs: antea rudi vſos Romæ Timæus tradit. Caſſiodorus autem Variar. VII. epiſt. XXXII. Pecunia, inquit, à pecudis tergo D nominata, Gallis anctoribus, ſine aliquo adhuc ſigno ad metalla tranſlata eſt. Et mox: Monetæ curam habere præcipimus, quam Seruius Rex in ære primùm impreſſiſſe perhibetur. Itaque ex eo tempore definire aſſem poſſumus laminam æream libralem, precij XII. vnciarum, & pecudis primùm, pòſt verò Iani & nauis nota inſignitam. Quas partes omnes ordine deinceps veterum auctorum teſtimoniis comprobabi- E mus. ac primo loco materiam & pondus coniunctim: quandoquidem apud auctores perpetuò coniunguntur. Nam Varro De ling lat. 4. As, inquit, ab ære, Aſſipondium dicebatur: ideò quòd as erat librę pondo. Pro aſſibus nonnunquam æs dicebant antiqui, à quo dicimus aſſem tenentes, HOC AB ÆRE ÆNEAQVE LIBRA. Dionyſius autem: Halicarn. libro 9. ἦν δὲ ἀσσάριον, χάλκεον νόμισμα, βάρος λιτριαῖον. quem locum infra ſub DVO MILLIA æris interpretabimur. Priſcianus autem, As, in- F quit, numus eſt libralis, per L perſcriptam notatus, vt ſignificet vnam habere hunc numum libram. Liuius 4. Indicibus decem millia æris grauis, quæ tum diuitiæ habebantur. & quia nondum argentum ſignatum erat, æs graue quidam plauſtris in ærarium conuehentes, ſpecioſam etiam collationem fecerunt. Agellius 20. cap. 1. Non omnino omnes iniurias ære pauco XXV aſſium diluerunt, tametſi hæc ipſa paucitas aſsium graue pondus æris fuit: nam librariis aſ- G ſibus ea tempeſtate populus vſus eſt. Quibus ex verbis perſpicuum eſt, non idem fuiſſe, æs graue, & æs rude: quamuis huc Budæus libro primo his affirmarit verbis: Fuit autem hic ordo rei numariæ, vt primùm Romani ære graui, id eſt numo rudi & informi vſi ſint, poſtea ære ſignato, quod fuit ſub Sexto

demùm

demùm Rege. Hæc Bud. Ego tantum interfuiſſe dico inter æs graue & rude, quantùm inter genus & ſpeciem: Nam æs graue aliud fuit rude, & nulla forma inſignitum, vſque ad Seruium Regem: aliud fuit ſignatum, poſt illum regem: quòd graue permanſit, vſque ad id tempus, quo vnciales & ſemunciales aſſes facti ſunt. Itaque æs rude ſignatæ pecuniæ opponitur. velut apud Nonium & Agellium 2. cap. 10. Priſcos Latinos Flaniſſas dixiſſe, quòd in eas non rude æs argentúmque, ſed flata ſignatáque pecunia conderetur. Præterea notandum eſt, quamuis propriè aliud eſſet Æs, aliud As, quippe cùm illud eſſet materia, hoc ſpecies: tamen popularis ſermonis conſuetudinis factum fuiſſe, vt pro Aſſe plerumque Æs diceretur. Cicero in Topicis: Locuples enim Aſſiduus (vt ait Ælius) appellatus eſt, ab ære dando. At vir doctus apud Agellium, Aſſiduus, inquit, dictus ab aſſibus, id eſt ære dando. & Chariſius: Ditiores qui aſſes dabant aſſidui dicti ſunt. L. Cornutus in Perſiũ: Saturno in Italia regnante, æs in vſu fuit, quod etiam poſtea in æde Saturni condebatur. Vnde Ærarium dictum eſt: nondum enim fuit argentum, neque aurum. Quinetiam Libra pro aſſe vſurpatur. velut apud Priſcianum: Denarius, inquit, decem librarum numus: pro eo quod alii dixerunt Aſſiũ Varro de lin. L. 4. Stipendium à ſtipe dictum quòd æs quoque ſtipem dicebant. Nam quòd aſſes libræ pondo erant, qui acceperant maiorem numerum, non in arca ponebant, ſed in aliqua cella ſtipabant, id eſt componebant, quo minus loci occuparet. Feſtus, Stipes, dicitur numus ſignatus. Iſidor. Orig. 16. Stipendium à ſtipe pendenda nominatum. Antiqui enim appendere pecuniam ſoliti erant, magis quàm numerare. Quibus verbis Varro & Iſidorus, ſiue potiùs vetus aliquis ipſius auctor, ſignificant, ſtipendium κατὰ συγκοπὴν dictum, quaſi ſtipependium. Plinius lib. 33. cap. 3. Libralis (vnde etiam nomen Libella & Dipondius) appendebatur Aſſis. quare æris grauis pœna dicta. & adhuc EXPENSA in rationibus dicuntur, item IMPENDIA & DEPENDERE: quin & militum ſtipendiorum, hoc eſt ſtipis ponderandæ penſatores, Libripendes dicuntur: qua conſuetudine in iis emptionibus quæ mancipi ſunt, etiam nunc libra interponitur. Caſſiodorus Variar. 7. Epiſt. 32. Pondus quinetiam conſtitutum denariis (abuti hoc verbo ſolet Caſſiodorus pro quouis numi genere) præcipimus debere ſeruari, qui olim tam penſo, quàm numero vendebantur. vnde verborũ vocabula competenter ab origine trahens, Compendium & Diſpendium pulchrè vocitauit antiquitas. Cornutus in Perſium: Fuit autem Aſſis libralis & Dipondius duarum librarum: quod hodie in vſu remanſit, & ſolet penſari potiùs quàm numerari: vnde & Diſpenſatores dicti progogatores. vbi SOLEBAT, & EROGATORES reponendum arbitror. Quibus omnibus ex locis intelligitur, vnde conſuetudo illa manarit, vt in omni ſolutione pecuniæ, quæ quidem ritu Quiritium fieret, libripens adhiberetur, de quo ſuprà diximus, eáque formula retenta ſit, quamuis re mutata: quamuis, inquam, non amplius appenderetur, ſed iam numeraretur pecunia: quam conſuetudinem Boëtius ex Caij Inſtitut. his verbis expoſuit: Is qui mancipio accipiebat, æs tenens ita dicebat: Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio: iſque mihi emptus eſt hoc ære æneáque libra. Horatius:

Si proprium eſt, quod quis libra mercatur & ære.

Liuius 6. Inde rem creditori palam populo ſoluit, libráque & ære liberatum emittit: hoc eſt, pecuniam Manlij nexi nomine fœneratori exſoluit. adhibito libripende, qui æra penderet. Suetonius autem pro eo quod alij dicunt, Per æs & libram, dixit, Per aſſem & libram. Nam Auguſt. cap. 64. Caium, inquit, & Lucium adoptauit domi per aſſem & libram, emptos à patre Agrippa. Quod tamen probare vix poſſum, potiuſque iis aſſentior, qui Æs pro ASSEM reſtituunt. Nam indidem fluxit appellatio Teſtamenti per æs & libram, cùm familiæ emptor adhiberetur, cui teſtator rem ſuam dicis cauſſa mãcipio vendebat. Fuit igitur populus Rom. maiorum conſuetudinis & formularum retinentiſſimus: ſic vt etiam re ſublata, ritus tamen vetuſtatis vſurpandæ cauſſa ſeruarit. quod idem in vocabulis feciſſe apparet. Nam etiam poſt vſum argenteæ, atque aureæ pecuniæ receptum, tamen antiquam æris appellationum retinuit. Itaque (inquit Vlpianus) etiam aureos numos æs dicimus: & paullò ante ex Seneca docuimus, eum dici æs habere, etiam qui aureos debet: & qui cotium forma publica percuſſum. Sic lege Iulia repetundarum cauetur, ne quis ob militem legendum mittendum vt æs accipiat. l. 6. D. repetund. Indidem etiam fluxit appellatio Æris alieni, & Æris ſui, quamuis de argenteis vel aureis numis ageretur. l. 175. De verb. ſignif. & apud Plinium lib. 34. cap. 10. Cicero Verrin. 6. Quærendum eſt, credo, Heius iſte num æs alienum habuerit. Et mox, Non modò in ære alieno nullo; ſed in ſuis numis multis eſſe, ac ſemper fuiſſe. Et hanc eandem Græcorum conſuetudinem fuiſſe, Pollux lib. 9. his teſtatur verbis: Τὸ δὲ νῦν χαλκὸν οἱ Ἀττικοὶ χαλκίον εἰώθασι καλεῖν· ἴδιον τῶν πολλῶν καὶ τῶν ἰδιωτῶν χρῆσις τὸ χαλκὸν ἀργύριον λέγειν, οἷον, οὐκ ἔχει χαλκίον. Attici, inquit, χαλκὸν appellare ſolent χαλκίον. quinetiam populari iam conſuetudine receptum eſt, vt æs pro argento dicatur: veluti, Non habet æs. Memoria etiam dignum eſt, quod Plutarchus in Publicolæ vita ſcripſit, Romæ etiam poſt Reges exactos non magnum pecuniæ ſignatæ vſum fuiſſe: opes enim ac facultates illorum in pecudum, non numorum copia poſitas fuiſſe: vnde Pecuniæ & Peculij; & Pecunioſorum vocabula. ἤπω νομίσματι χρωμένων πολλῷ τότε Ῥωμαίων, ἀλλὰ προβατείαις καὶ κτηνοτροφίαις εὐθηνούντων. Permutationibus ergo Romani potius, quàm emptionibus & venditionib. vtebantur. Eadémque de cauſſa Ærarij vetus nomen eſt retentum. de quo apud Iſidorum Orig. 6. ita ſcriptum eſt: Antiquiſſimi, nondum auro argentóque inuento, ære vtebantur. Nam prius ærea pecunia in vſu fuit, pòſt argentea, deinde aurea ſubſecuta, ſed ab ea qua cœpit, nomen retinuit. Vnde & Ærarium dictum, quia prius æs tantum in vſu fuit: & ipſum ſolùm recondebatur, auro argentóque nondum ſignato. Ex quorum metallis, quamuis poſtea facta fuiſſet pecunia, nomen tamen Ærarij permanſit ab

eo metallo, vnde initium ſumpſit. Hęc ille. Et ad eundem ærę pecuniæ vſum referenda ſunt nomina ciuium ærariorum, item oberatorum, item militum ære diruttorum, item æris vxorii, quod pendebatur ab iis, qui ſine vxore ad ſenectutem peruenerant: item Aſſiduorum ciuium, pro locupletium, qui aſſes dabant: facilè vidilicet: non, vt proletarii & capite cenſi, grauatè & difficulter apud Agellium, Ciceronem in Top. Chariſium, & alios. Inde poſtremò Æra dicta, notæ ſummarum quæ in ſingulis rationum nominibus atque articulis ad oram libri ſcribebantur, quo facilius ad extremum iis ſolis inſpectis, confici ſumma ſummarum poſſet. Cicero Hortenſio, apud Nonium: Quid? tu, inquam, ſoles, cùm à diſpenſatore rationem accipis, ſi æra ſingula probaſti, ſummam quę ex his confecta ſit, non probare? id eſt, ſummas, vel potius numeros ſummarum cuiuſque articuli, ad marginem annotatos. Vix enim ac ne vix quidem iis aſſentiri poſſum, qui putant Æra in eo loco pro collybo dicta. Nam idem Nonius apertè: Æra, inquit, numeri nota. Lucilius, Hæc ratio perverſa eſt æra & ſumma ſubducta improbè. Sic enim legendum arbitror.

Hactenus de materia & pondere grauium aſſium ſatis dictum eſt, deinceps de eorundem æſtimatione videamus. Argenteos quidem nummos ex numero æreorum, quos complectebantur, æſtimationem habuiſſe, Mætianus ſcribit. DE ASSIBVS autem iniri hæc ratio non poteſt. Itaq; neceſſe eſt ex leuioribus eiuſdem metalli numis eorum precium æſtimari: vt ſcilicet dicamus, Aſſem duodecim vncialibus nomis valuiſſe, ſextantibus ſex, quadrantibus quatuor, trientibus tribus, atque ita deinceps. Nam cuiuſmodi numuli & illi & minutiores fuerint, multo commodiùs ſub Aſſis diuiſione explicabitur.

De nota & figura Aſſium.

CAP. IX.

RESTAT igitur, vt cuiuſmodi Aſſium nota & figura fuerit, conſideremus. Nam Varro quidem libro 2. Ruſt. cap. primo, ita ſcribit: Et quod æs antiquiſſimum, quò æs conflatum, pecore eſt notatum. Cui Plinius aſſentiens, lib. 18. cap. 3. ita ſcribit: Seruius Rex ouium boúmque effigie primus æs ſignauit, & 33. cap. 3. Signatus eſt nota pecudum. vnde & Pecunia appellata eſt. Plutarch. Publicol. διὸ καὶ τὰς οὐσίας ἄχρι νῦν ἀπὸ τῶν προβάτων πεκύλια καλοῦσι, καὶ τῶν νομισμάτων τοῖς παλαιοτάτοις βοῦν ἐπεχάραττον, ἢ πρόβατον, ἢ σῦν. Itaque, inquit, facultates ſuas etiamnunc à pecudibus Peculia vocant: & antiquitus numis ſuis bouem, aut ouem aut ſuem inſculpebant. quod idem in Problem. Romanis tradit. Verumtamen Plinius eodem hoc ipſo loco, paucis verſibus interiectis, ea ſubiungit, quæ facilè aliquis pugnare cum ſuperioribus exiſtimarit. Nota æris, inquit, fuit ex altera parte Ianus Geminus, ex altera roſtrum nauis. Lactantius lib. 1. cap. 13. Saturnum errantem atque inopem Ianus excepit: cuius rei argumento ſunt (ſic lego) Numi veteres: in quibus eſt cum duplici fronte Ianus, & ex altera parte nauis. Ma-

A crobius autem lib. Saturnal. 1. cap. 7. & Cornutus in Perſium, eius ſigni hanc cauſſam afferunt: cùm Ianus in Italia regnaret, & Saturnum claſſe peruectum hoſpitio excepiſſet, regni eum ſocietate munerauit. Cùm primùs quoque æra ſignaret (legendum arbitror Primùm) ſeruauit & in hoc Saturni reuerentiam, vt, quoniam ille naui fuerat auectus, ex vna quidem parte ſui capitis effigies, ex altera verò nauis exprimeretur. Æs ita fuiſſe ſignatum, hodiéque intelligitur in aleæ B luſu: cùm pueri denarios in ſublime iactantes, capita aut nauim (luſu teſte vetuſtatis) exclamant. Hæc Macrobius. Denique complures mihi veteres æreos nummos vtraque illa forma notatos videre licuit: credo etiam aliis, qui hæc noſtra legent, permultis. Quare ſi eorum locorum conciliationem, quam alij prætermiſerunt, inueſtigemus, non alienum videtur ſic arbitrari: Seruij quidem Regis inſtituto æs, in vrbe Roma, pecude notatum fuiſſe: in reliquis autem Italiæ parti- C bus, Iani & nauis effigie. Cùm autem bello Punico temporibus Rei publicæ poſtulantibus, Aſſes ſextantarij percuſſi ſunt, tum demum vetuſtam illam in Italia vſurpatam Iani & nauis effigiem, nouis illis aſſibus impreſſum fuiſſe. quam coniecturam Athenęi locus magnopere confirmat, quem ex lib. ipſius 15. ſubſcribimus. Nam vbi de Iano bifronte loquitur, ſubiungit eum primùm naues reperiſſe, numúmque ex ære ſi- D gnaſſe. καὶ νόμισμα χαλκοῦν πρῶτον χαράξαι, διὸ καὶ κατὰ τὴν ἑλλάδα πολλὰς πόλεις καὶ τὴν κατὰ τὴν Σικελίαν, καὶ Ἰταλίαν, ἐπὶ τοῦ νομίσματος ἐγχαράττειν πρόσωπον δικέφαλον, καὶ ἐκ τοῦ θατέρου μέρους ἢ χελιδόνα, ἢ στέφανον, ἢ πλοῖον. Et numum æreum primùm ſignaſſe, quapropter multas Græciæ, Siciliæ, Italiæ ciuitates ſuos numos facie bicipiti ſignaſſe: ex altera parte pontem, coronam, aut nauem. Plinius verò non obſcurè hoc ipſum oſtendit, eo loco quem modò paullò an- E te recitaui: Conſtitutum, inquit, fuit, vt aſſes ſextantario pondere ferirentur. Ita quinque partes factæ lucri, diſſolutúmque æs alienum. Nota æris fuit ex altera parte Ianus geminus, ex altera roſtrum nauis. Quod idem confirmat Ouidius lib. Faſt. 1. vbi poſteritatem naualis figurę auctorem facit.

Multa quidem didici: ſed cur naualis in ære
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?
Noſcere me duplici poſſes in imagine, dixit,
Ne vetus ipſa dies extenuaſſet opus.
F *Cauſſa ratis ſupereſt. Thuſcum rate venit ad amnē*
Ante pererrato falcifer orbe Deus.
Hac ego Saturnum memini tellure receptum,
Cœlitibus regnis à Ioue pulſus erat.
Inde diu genti manſit Saturnia nomen:
Dicta quoque eſt Latium terra latente Deo.
At bona poſteritas puppim formauit in ære,
Hoſpitis aduentum teſtificata Dei.

Atque hos quidem verſus citari ab omnibus, qui hoc argumentum tractarunt, videmus. ſed G qui quęſtionem iſtam attigerit, vidi certè adhuc neminem. Neque verò prætermittenda eſt mirifica auctorũ inter ſe diſcrepantia: quorũ alij nauē, alij puppim, alij prorã, alij Roſtrũ æreorum numorum effigiem fuiſſe affirmant. Sed nos in craſſioribus plerumque puppim, aut proram: in minoribus, plerumque roſtrum deprehendimus.

De

De aſſibus leuioribus.

CAP. X.

ATqve hæc quidem, vt dixi, vetuſtiſſimis temporibus fuit aſſium & æris ratio: quam temporum varietas, & neceſſitas Reipublicæ, atque ærarij anguſtiæ immutarunt. Neque enim eorum eſt ferendus error, qui non alios aſſes Romæ quàm graues ac librales vllis temporibus fuiſſe arbitrantur: quem errorem vel vnicus ille Q. Labeonis Iuriſconſulti apud Agellium notiſſimus locus apertiſſimè refellit: vbi de Neratio quodam commemorat, qui cùm lege 12. Tabul. ſancitum fuiſſet, vt qui iniuriam alteri feciſſet, 25. æris pœnam ſubiret, pro delectamento habebat obuij cuiuſque liberi hominis os verbare: ſeruúmque præ illo à tergo habere, qui crumenam aſſium plenam geſtaret, vt quemcunque depalmauerat, ei ſtatim aſſes 25. ſecundum legem adnumeraret. Quantum enim obſecro, & quàm immane eſſe marſupium illud oportuiſſet, quod tot librales aſſes caperet, qui (vt ex Liuio antè docuimus) nonnunquam plauſtris deportabantur: atque vt Varro ſcribit, in cella alij ſuper alios ſtipabantur. Sciendum eſt igitur, difficillimis Reipub. temporibus, vrgente inopia ærarij, & publica rei pecuniariæ difficultate, pondus numorum æreorum ita ſenſim imminutum fuiſſe, vt ad extremum aſſes leuiſſimi, hoc eſt etiam ſemunciales, ferirentur: neque amplius appenderentur, ſed iam numerarentur. qua de cauſſa Graue æs paſſim apud auctores numeratæ pecuniæ opponitur: velut apud Martianum: Aſſis appellatio, inquit, etiam ad pecuniam numeratam refertur, quæ olim in ære erat. Item alio loco: Nam cùm olim Aſſes librales eſſent, & denarius decem aſſes valeret, &c. Denique locis omnibus eiuſmodi grauium Aſſium mentio fit, quaſi de re antiqua & obſoleta, atque ita Grauium appellatione adiecta, vt eo tanquam ſigno à leuioribus diſtinguerentur. Plinius libro 33. cap. 3. Libralis appellabatur aſſis. quare grauis æris pœna dicta. Liuius libro 4. Dena millia grauis æris diuitiæ illo tempore habebantur. Item ſub finem: Et quia nondum argentum ſignatum erat, æs graue paluſtris quidem ad ærarium conuehentes, ſpecioſam etiam collationem faciebant. Idem libro 5. His occaſionibus incitata plebs, denis millibus grauis æris reos condemnat. Idem eod. Peſſimo exemplo innoxij denis millibus grauis æris condemnati ſunt. Et aliquantò pòſt, vbi de M. Furio Camillo: Abſens quindecim millibus grauis æris damnatur. Item libro 10. ſub finem, vbi de triumpho Papyrij de Samnitibus: Æris grauis magna vis tranſuecta vicies centies millies, & quingenta triginta millia. Et paulo pòſt: Æris grauis tulit in ærarium trecenta nonaginta millia. Denique obſeruauimus, tota illa prima Decade, Liuium nuſquam argenteæ monetæ mentionem feciſſe, ſed æreæ duntaxat. Nam in Epit. 16 ſub anno C D L X X X I V. initium argenteæ pecuniæ cœpiſſe dicitur. Seneca de Conſolat. ad Albinum: Beatioréſne iſtos putas, quorum pantomimæ decies ſeſtertio nubunt, quàm Scipionem, cuius liberi à Senatu tutore ſuo, in dotem æs graue acceperunt?

A Agell. 10. cap. 6. Ædiles plebeij Appij Cæci filiæ ob execrationem in populum multam dixerunt æris grauis viginti quinque millia. Perſpicuum eſt igitur, quoties Aſſium libralium apud auctores mentio fit, toties eos illa Grauium appellatione, quaſi nota, à poſterioribus & leuioribus ſeparari: qui vt dixi, non appendi, ſed numerari ſolebant: adeò, vt poſt bellum punicum & leues aſſes in vſum receptos, ſi quando de antiquis mentio fiebat, adiecta Grauium appel- B latione notarentur: cùm leuiores ſimpliciter & abſolutè Aſsium nomen haberent. velut apud Liuium lib. 32. T. Quinctio. Sex. Ælio C O S S. anno vrbis D L V. Egregia inquit, duorum opera ſeruorum indicum, & vnius liberi fuit. ei centum millia grauis æris dari patres iuſſerunt: ſeruis vicena quina millia æris & libertatem. Nam cùm eſſent in ærario vetuſtatis conſeruandæ cauſſa librales aſſes, aliquo numero relicti, placuit Senatui liberum illum hominem liberaliter C muneraті centum millibus librarum pondo æris: quò maiore præmio, quàm veteris ſeruorum afficeretur, cui præter vicena quina leuiorum aſſium millia inæſtimabile libertatis præmium donabatur. Itaque quo tempore æs graue adhuc in vſu erat, Liuius eius mentionem non prætermittit, veluti libro 22. Indici data libertas, & æris grauis viginti millia. Quinetiam vetuſti moris vſurpandi cauſſa ciuiles emptiones per æs & libram adhibito libripende, fiebant: quemadmo- D dum paullò antè demonſtrauimus: eadémque de cauſſa, etſi ſemunciales aſſes fuerunt, priſtinum tamen ſuum nomen retinuerunt: adeò vt etiam minutiores numuli proportione percuſſi, Aſſis quoque partium nomen haberent. veluti Semis, Triens, Quadrans, & reliqui: de quibus poſteriùs exponemus. Huius autem rei ac mutationis hiſtoriam, Plinius eodem loco ſic exponit: Libræ pondus æris imminutum bello Punico primo, cùm impenſis Reſpub. non ſufficeret: cō- E ſtitutúmque vt aſſes ſextantario pondere ferirentur. Ita quinque partes factæ lucri: diſſolutúmque æs alienum. Poſtea Annibale vrgente, Q. Fabio Maximo dictatore, aſſes vnciales facti: mox lege Papiriana ſemunciales facti. Feſtus autem ſic: Sextantarij aſſes in vſu eſſe cœperunt, ex eo tempore, quo propter bellum Punicum ſecundum, quod cum Annibale geſtum eſt, decreuerunt patres, vt ex aſſibus, qui tunc erant librarij, fierent ſextantarij, vt populus ære alieno F liberaretur. Quo in loco pro S E C V N D V M ex Plinio reſtituendum arbitror P R I M V M, præſertim cùm ibidem ſubiungat, Vrgente Annibale (nimirum ſecundo bello Punico) Aſſes ex ſextantariis vnciales factos fuiſſe. Sed hoc leue videri poteſt, prout illud eſt, quod Alciatus in libello de pond. & menſ. totum illum Plinij locum mirificè conturbat: vbi pro S E X T A N T A R I O S tacitè reponendum ſignificat, D E X T A N T A R I O S: diſertè autem pro Q V I N Q V E P A R- G T A S factæ lucri, Q V I N T A P A R S facta lucri. In quo etiam aſtipulatorem habet Guillel. Philandrum in iis ſcholiis, quæ in Vitruuium edidit. Alciatus igitur ita ſcribit: Plinius imminutum aſſium pondus tradit, ac tum percuſſos fuiſſe aſſes dextantarios pondere, id eſt, duabus vnciis minus: vnde & Sextantarij dicti ſunt, quia Sex-

tans illis deeſſet. Ita reliqua parte facta lucri, diſſolutum eſt æs alienum. Duæ enim vnciæ quinta pars eſt dextantis: nec tamen magno detrimento populi affecti ſunt, vt Feſtus ſcribit, cùm ſolùm quinta pars eis abeſſet. Vnde conijcitur malè & contra veterum codicum fidem, hunc locum ab iis corrumpi, qui QVINQVE PARTES, non QVINTAM PARTEM legunt, maximum enim damnum eſſet, ſi pro duodenis ſo æ binæ vnciæ reſtituerentur. Poſtea facti ſunt vnciales aſſes, ſic dicti, quòd alia vncia extra ſextantem, aliâs diminutum, illis detracta eſſet. Ita Reſpub. dimidium lucrata eſt eius, quòd dempto ſextante lucriſaciebat. mox lege Papyriana ſemunciales facti ſunt, detractáque etiam alia vncia ſemis: quo fit vt pro duodecim ſolæ ſeptem cum dimidio penderentur, qua ratione facta ſequebatur, vt ſeſtertius quattuor aſſibus, denarius ſedecim æſtimaretur. Sic ergo legenda eſt illa clauſula, & in ſuum locum reſtituendum quod peruerſum erat. Mox lege Papyriana ſemunciales Aſſes facti, placuitque denarium ſedecim aſſibus permutari quinarium octonis, ſeſtertium quaternis. Hæc Alciatus: quibus aſſentiens Philander: Locus, inquit, in codicibus Plinij & mendoſus & luxatus eſt, mecúmque Andreas Alciatus ſentit. Hæc illi: quibus tanti & tam abſurdi erroris cauſſam, recepta illa opinio de graui aſſium pondere perperuò retento atque vſurpato præbuit. Nam vt Dextantarij aſſes facti ſint, aut etiam ad extremum Septunciarij, grauitas tamen, non tanta illa quidem, ſed certè maxima retenta eſt. Summum autem Alciati argumentum eſt, quòd ſi Sextantarij aſſes pro librariis facti fuiſſent, minus magnum creditorum detrimentum fuiſſet. At quæro, vtrum maius detrimentum eſt pro librariis aſſibus ſextantarios, an pro argenteis, puta denarios, æreos, vel certè ſubæratus denarios accipere? Nam Caius quidem Manlius apud Saluſtium ita loquitur: Sæpe maiores veſtri miſerti plebis R. decretis ſuis inopiæ eius opitulati ſunt: ac nouiſſimè memoria noſtra propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum ære ſolutum eſt. Sed huic argumento pluribus verbis paullò pòſt commodiore loco reſpondebimus. Nunc enim abſurdiſſimum illud Alciati commentum demonſtrandum eſt, dum ait, Sextantarios aſſes dictos, qui tamen eſſent pondere dextantario, ob eam autem cauſſam Sextantarios appellatos, quia ſextans iis deerat. Non enim ex eo pondere quod abeſt, ſed ex eo quod adeſt, alicui rei Ponderale nomen imponitur. veluti cùm librarium aſſem dicebant, quod pondere librali eſſet. Vnciatum, quod vnciæ vnius. Quadrantariam Clodiam. quod quadrantem flagitio mercedis capiebat. Itaque quod Feſtus ſcribit, decretum à patribus, vt ex aſſibus librariis fierent ſextantarij: nemo ſanus aliter interpretabitur, quàm vt ex aſſibus, qui pondere librali erant, fierent aſſes pondere ſextantis. Quas ob res, cùm Alciatus propter hanc Feſti cum Plinio conſenſionem mutare apertè Sextantariorum, in Dextantariorum nomen auſus non eſſet, Philander mentem Alciati ſecutus, contemta Feſti auctoritate, liberè & confidenter Dextantarios repoſuit. Magis verò etiam illud Alciati ſum admi-

A ratus, vbi ſubiecit, illa ratione reponendum eſſe QVINTAM PARTEM factam lucri, pro QVINQVE PARTES. Nam qui debitor pro duodenis vnciis denos ſoluendo liberatur, certè non quintam crediti partem lucratur, ſed ſextam dumtaxat. Si enim ſeni ſunt in aſſe ſextantes, qui ſenos ſoluendo liberatur, ſextam tantùm partem lucratur. Denique Feſti locus ille quem protulimus, apertè hanc Alciati opinionem repudiat. Bello Punico inquit, populus R.

B preſſus ære alieno ex ſingulis aſſibus librarus ſenos fecit, qui tantundem valerent. Quid enim aliud eſt, Ex vno aſſe ſenos aſſes facere, quàm pro libra ſextantem facere? Reliqua igitur eiuſmodi commenta omittemus, vt cùm idem ſcribit, vnciales aſſes factos, id eſt quibus, præter illum dextantem, vna inſuper vncia detracta erat. quaſi verò non Dodrantarios potius Plinius dixiſſet, vel ſecundum mirificam illam rationem, quam ſuperius refutauimus, Quadrantarios qui-

C bus quadrans deerat. Item, cùm Semunciales aſſes dictos interpretatur, quòd inſuper detracta eſſet vncia ſemis: vt ad extremum as ad ſeptem vncia & ſemunciam redactus eſſet. Quæ omnia & excellenti Alciati ingenio & longiore refutatione indigna ſunt: præſertim apud eos qui locum illum Liuij ex libro 7. legerint: Otium domi foriſque manſit. Semunciarium tantùm ex vnciario fœnus factum. Quis enim vnciarium aut ſemunciarium fœnus Alciati modo inter-

D pretari vellet, cùm debitor aſſem dempta vncia vel ſemuncia diſſolueret? Verumtamen vt ad ſummum & vehementiſſimum Alciati & Philandri argumentum redeamus, Feſti fortaſſe nobis obiicietur locus: idque dupliciter: vbi ſic ſcribit: Sextantarius aſſibus percuſſis, vtriſque ſubuentum, & populo, qui eo facilius ære alieno liberabatur, & priuatis, quibus debitum publicè ſolui oportebat: & ea ratione non magno detrimento afficiebatur. Nam magnum certè

E priuatorum detrimentum fuiſſe videtur, quibus vnus tantùm ſextans, pro ſenis ſextantibus ſoluebatur. Primùm iam antè ex Saluſtio demonſtratum eſt, vrgentibus Reipublicæ temporibus, ac publicis neceſſitatibus poſtulantibus, multò maiorem boni publici quam priuatorum commodi rationem haberi: vſque adeò vt interdum facta obæratis poteſtas fuerit, pro argenteis nummis æroſos diſſoluere: in quo longè maius creditorum diſpendium ac detrimentum verſaba-

F tur. Deinde animaduertendum eſt, Feſtum eo loco compenſationis commodum non obſcurè oſtendiſſe: nam ſicuti populus, hoc eſt ærarium, duodecim (puta) grauis æris millia ſoluendo liberabatur, ita priuatus qui tributi (puta) nomine duodecim æris millia ærario debebat, duo millia ſoluendo ſimiliter liberabatur. qua ex compenſatione vltro citróque facta, non magnum alterutrius partis detrimentum fuiſſe apparet. Quod ſi rurſus ex eodem Feſto aliquis

G verba illa obiiciat, Septennio quoque anno vſus eſt, vt priore numero: ſed id non permanſit in vſu: nec amplius proceſſit in maiorem: quaſi Feſtus ſignificet, poſt ſeptennium graues aſſes in vſum reuocatos fuiſſe: ſic facilè reſpondebimus: errorem illum (in quo Budæum etiam libro. De aſſe quinto verſatum eſſe video) natum ex inue-

inueterata (vt initio diximus) opinione, quòd Aſſes Romæ ſemper, excepto illo ſeptennio librales fuerint, æriſque grauis vſus perperuò retentus. Sed hanc opinionem, primùm ſuperior ille Plinij locus apertè repudiat: qui poſt ſextantarios aſſes ſcribit vnciales percuſſos, tum deinde vncialibus, ſemunciales ſucceſſiſſe. neque vel ex Plinio, vel ex alio auctore idoneo probari fabula illa poterit, quòd Aſſes librales belli punici tempore abrogati, poſtea in vſum reuocati fuerint. Itaque paſſim Aſſis nomen pro minuto numo vſurpatur. Quintil. lib. 6. cap. 3. Auguſtus, ait, militi libellum timidè porrigenti: Noli inquit, dubitare, quaſi aſſem elephanto des. Macrob. 2. Saturn. 3. Cùm quidam ei libellum trepidus offerret, Putas, inquit te aſſem Elephanto dare? Quem Quinctilianus & Macrobius aſſem dixerunt, Suetonius ſtipem appellauit. Tanta comitate, inquit, adeuntium deſideria excipiens, vt quendam ioco corripuerit, quòd ſic ſibi libellum porrigere dubitaret, qua ſi elephanto ſtipem. Sed ne longius reſponſionem, quàm ex ipſo Feſti libro, repetamus, tantùm hoc dicimus, tres ſummos viros, qui in recenſendo Feſto elaborarunt, apertè profiteri, locum illum mutilatum in veteribus membranis fuiſſe. quod etiam abſurditas illius locutionis oſtendit, Septennio anno. Quare præterquam quòd ex loco perſpicuè corrupto ſumi argumentum non poteſt, dico totam illam Feſti clauſulam ita commodè reſtitui poſſe: vt ad vocẽ SEXENNIVM, quæ continenter ſubiungitur, referatur: hac videlicet ſententia: Sexennium dicebant antiqui, & Sexennes: & Septennio quoque pro Septimo anno populus vſus eſt, vt priore numero: ſed id non permanſit in vſu, nec amplius proceſſit in maiorem. quia non dictum eſt Octennium, aut Nouennium, ſed Decennium. Verùm hac de re ſatis ſupérque diſputatum eſt. Reſtat vt concludamus, Aſſem leuiorem ita definiri poſſe, Numum æreum, veteris reſpectu ſemuncialem, nouo tamen inſtituto & fictione Iuris æquè duodecim vnciarum, eiuſdemque pretij, Iani & nauis nota inſignitum. Nam prout libræ veteris pondus decreuit, ita partes eiuſdem omnes decreuerunt: cùm tamen fictione nõ ſecus vnciæ duodecim in hoc ſemunciali aſſe numerarentur, atque in illo antiquo & re & nomine librario. quã eandem fictionem in aliis quibuſdam numis inductam fuiſſe, poſterius demonſtrabimus.

De diuiſione Aſſis, eiúſque partibus minutioribus.

CAP. XI.

PORRO quod ſuperius diximus, repudiandã eſſe vulgi opinionem, iam vbique inueteratam, Aſſem fuiſſe numum æreum omnium minimi precij, planius explicandum eſt. Nam parui certè precij fuiſſe negari non poteſt: quia veteres paſſim ita de Aſſe, vt de re vili & exigui pretij, locuti ſunt. Catullus,

Rumoréſque ſenum ſeueriorum
Omnes vnius æſtimemus aſſis.

Cicero in Quinctiana: Aſſem ſe negat daturum. Sueton. Auguſt. Ex nocturno viſu ſtipem quotãnis die certo emendicabat à populo, cauam manum aſſes porrigentibus præbens. Iuuenal. Satyra 14.

-merſa rate naufragus aſſem
Dum rogat, & picta ſe tempeſtate tuetur.

Liuius 4. L. Minutius boue aurato eſt donatus, ne plebe quidem inuita, quia frumentum Mælianum aſſibus in modios æſtimatum plebi diuiſit. Cicero de Offic. 2. Ne Marco quidem Seio vitio datum eſt, quòd in caritate annonæ aſſe modium populo dedit. Plin. lib. 21. cap. 3. vbi de B Scipione Suarione loquitur: Nec ei fuit in bonis funeris impenſa. Aſſes ergo contulit populus, ac funus elocauit. Matthæus cap. 10. Nonne duo paſſeres aſſe veneunt? οὐχὶ δύο ϛρυθία ἀσσαρίου πωλῆται; Plin. 19. Etiámne in hortis diſcrimen inuentum eſt, opéſque differentiam fecere in cibo etiã vno aſſe venali? Paruus igitur, vt diximus, numus fuit Aſſarius: ſed paruo numo alij ſunt minores, iique ſane complures. Primùm enim quot Aſſis partes ſolemnes numerari ſolent, quæ lippis (vt ait Horatius) & tonſoribus notæ ſunt, C exiguiores Aſſe fuerunt. quod Varro libro 4. his verbis docet: Æris minima pars, Sextula, quòd ſexta pars vnciæ: ſicut Quadrans, quod quarta, & Triens tertia pars. Semiſſis, quòd ſemies, id eſt dimidium aſſis. Hæc ille. Ex quibus plurimos Aſſe minutiores numos fuiſſe apparet, fortaſſe quot aſſis partes fuerunt. Quotum autem mentionem apud auctores reperi, eos exponam, ſi prius ex Martiano hoc ſubiunxero: Aſſem bipartitò D diuidi: in partes ſcilicet pares & impares: diuiſionémque illam eſſe ſexcuplicem. I. in duos ſemiſſes. II. in tres trientes: III. in quattuor quadrantes. IV. in ſex ſextantes. V. in octo ſeſcuncias. VI. in duodecim vncias. At in partes impares fuit quintuplex. I. in vnciam & deuncẽ. II. in ſextantem & dextantem. III. in quadrantem & dodrantem. IV. in trientem & beſſem. V. in quincuncem & ſeptuncem. Licebit etiam nõ inelegante quaſi conſtructione pauxillatim Aſ-E ſis aceruum ita conſtituere: vt vnciæ ad vnciam additione, ſextans efficiatur: ſextantis ad vnciã adiectione, quadrans: quadrantis, triens: trientis, quincunx: quincuncis, ſemis: ſemiſſis, ſeptũx: ſeptuncis, bes: beſſis, dodrans: dodrantis, dextans: dextantis, deunx: deuncis verò As ſolidus coaceruetur.

SEMIS igitur, numulus fuit æreus, precio & pondere dimidiam Aſſarij partem exæquans, Iani ac nauis nota inſignitus. Varro de ling. 4. F Semiſſis, inquit, quòd ſemiæs, id eſt, dimidium aſſis. Idem lib. Ruſt. 3. c. 7. Antequam ædifices rure columbarium, magnum condiſcas in vrbe lucrum, aſſe ſemiſſem condere in loculis. Nonnulli emendant. Ex aſſe ſemiſſem, præpoſterè. Nam hæc eſt quaſi vſura ſemis. Vatin. in Epiſt. ad Ciceron. Simius, non ſemiſſis homo, contra me arma tulit. Tertul. in Apologet. Licet nunc Sarmentitios & Semiſſios appelleris, quia ad ſtipitẽ G dimidij aſſis reuincti ſarmentorum ambitu exurimur. Lucillius apud Nonium:

Præterquam in pretio primus ſemiſſe ſecundus
Numo, tertius iã plures quàm totus medimnus.

Polyb. ἡμιασσάριον appellat: lib. hist. 2. ὡς μηδ' ἐπιτοπολὺ παρίενται τοὺς καταλύτας οἱ πανδοχεῖς, ὡς ἱκανὰ πάντ' ἔχειν τὰ πρὸς τὴν χρείαν ἡμιασσαρίου. τοῦτο δ' ἔστι τέταρτον μέρος ὀβολοῦ. Sed eum locum

ſuperius interpretati ſumus.

Triens, fuit numulus æreus, ponderis & precij trientalis, ratis ſigno percuſſus. Varro De ling. 4. Triens dictus, quòd eſſet tertia pars aſſis. Plin. 33. c. 3. Nota æris fuit ex altera parte Ianus geminus: ex altera roſtrum nauis. In triente verò & quadrante, Rates. Idem lib. 34. c. 13. Vnum etiã num æris miraculum non omittemus. Seruilia familia illuſtris in Faſtis, trientem æreum paſcit auro & argento, conſumentem vtrumque. Origo atque natura eius incomperta eſt mihi. Verba ip- B ſa de ea re Meſſalæ ſenis ponam. Seruiliorum familia habet trientem ſacrum, cui ſumma cum cura magnificentiáq; quotannis ſacra faciunt: quem ſeruotaliàs creuiſſe, aliàs decreuiſſe videri, & ex eo aut honorem aut diminutionem familiæ ſignificari. Iuuenal. Saty. 3. *Infelix nec habet quem porrigat ore trientem.* Feſtus: Ratitum quadrantem dictum putant, quòd in eo & triente ratis fuerit effigies: vt nauis in Aſſe. C

Qvadrans, fuit numulus æreus, ponderis & precij vnciarum trium, ratis nota inſignitus. Itaque dicebatur etiam Triunx & Triuncis. Sed non Teruntius, vt Budæus exiſtimauit, qui lib. de aſſe 2. ita ſcripſit: Triens fuit numus, tertia pars aſſis. ceterùm quem Quadrantem Plinius & Triuncem appellat, Cicero Teruntium appellauit. Imò Teruntius argenteus fuit numus, vt ſuo loco docebimus. Quadrans, ſiue Triunx æreus. neque Triens fuit aſſis pars tertia, ſed quarta: vt D mox docebimus. Plin. 33. c. 3. Quadrans, inquit, antea triuncis vocatus à tribus vnciis. Varro De ling. Lat. 4. vbi de numis æreis: Quadrãs dictus, inquit, quòd quarta pars aſſis. Et alio loco: Hinc vecturæ quas ſoluebant hi qui ratibus trãſibant, Quadrans. Ab eo Lucilius ſcripſit: Quadrantis Ratiti. Liuius lib. 2. vbi de Valerij Conſulis interfecti corpore loquitur, In Conſulis domum plebes quadrantes, vt funere ampliore efferretur, iactaſſe fertur. Plin. De viris illuſtrib. E Menenius Agrippa tanta paupertate deceſſit, vt eum populus collatis quadrantibus ſepeliret. Alij Sextantibus ſcribũt: vt paulò pòſt dicemus. Plutarch. in Public. ὁ δὲ δῆμος ἐψηφίσατο δημοσίᾳ ταφῆναι τὸ σῶμα, καὶ τεταρτημόριον ἕκαστος ἐπὶ τιμῇ συνεισήνεγκεν. Populus iuſſit cadauer eius publico funere efferri: quocirca ciues ſinguli ipſius honoris cauſſà quadrantes cõtulere. Merces hęc fuit balneatoribus dari ſolita. Iuuenal. Satyr. 6. F

Cædere Syluano porcum, quadrante lauari.

Horat. Satyr. 3. verſ. 1. Quadrante lauato. Seneca Epiſt. 13. Rem quadrantariam dixit, pro balneo. Cur exornaretur res quadrantaria, & in vſum, nõ oblectamentum reperta? Hinc illud Ciceronis pro Cœlio: Niſi fortè mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori. Quadrantes centum ſalutatorum ſportulam fuiſſe, multis locis intelligitur. Nã cùm olim cœnæ præberentur, poſtea inſtitutum fuit, vt obſonij loco centeni quadrantes darentur. Martialis:

Sportula nos iunxit quadrantibus arida centum. G

Item,

Centum miſelli iam valete quadrantes,
Ante ambulonis congiarium laſſi.

Item,

Dat Baiana mihi quadrantes ſportula centum.

Item,

A *Inuitas centum quadrantibus, & bene cœnas.*

Sed quid eſt, quod idem Martialis eos plumbeos appellat? lib. Epigr. 10.

-quandiu ſalutator
Ante ambulones & togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto?

Vtrum quòd plumbo admixto conflabantur, an potiùs quod cùm parui ad precium intereſſet, ſolidi ex plumbo nonnulli cudebantur? vt ſuperius diximus. Memoratu etiam dignum eſt, quod B Velleius lib. 2. ita ſcribit: In Marij demortui locũ ſuffectus Valerius Flaccus turpiſſimæ legis auctor, qua creditoribus quadrãtem ſolui iuſſerat, cuius eum pœna intra biennium conſecuta eſt. Marcus Euãg. c. 12. Καὶ ἐλθοῦσα μία χήρα πτωχὴ ἔβαλε λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης. Cùm vidua quædã paupercula ad gazophilacium acceſſiſſet, intulit minutolos duos numos, qui eſt quadrans. Romanam tamen hanc nõ fuiſſe pecuniam, poſteaquã C Epiphaniũ legi, ſuſpicari cœpi. Martial. Epigr. 2.

Et quadrans mihi nullus eſt in arca.

Sextans fuit æreus numolus, ſextantarij ponderis, & pretij, Iano, vt opinor, & naue inſignitus. Nam cùm Trientibus & Quadrantibus Ratis attribuatur, conſentaneum eſt, commune ſignum ceteris relictum fuiſſe. Varro libro De ling. Lat. 4. vbi de numis æreis loquitur: Sextãs, inquit ab eo quòd ſexta pars aſſis. Itaq; Plin. lib. 33. c. 10. nominatim ſextantes æreos appellat. D Nam quòd Agrippæ Menenio, inquit, ſextantes æreos in funus contulit, honoris neceſſitatiſque propter paupertatem Agrippæ, non largitionis eſſe dixeris. Quam eandem rem Valerius lib. 4. cap. 4. commemorans: Menenius Agrippa inquit, arbiter publicæ ſalutis, quem Senatus & plebis pars inter ſe faciendæ auctorem legit, niſi à populo collatis in capita ſextantibus funeratus eſſet, ita pecuniæ inops deceſſit, vt ſepul- E turæ honore caruiſſet. Liuius lib. 2. Eodem anno Agrippa Menenius moritur, ſumptus funeri defuit. Extulit eum plebs, ſextantibus collatis in capita. Cic de Orat. 2. vbi de iocis loquitur: Vt tuus amicus, Craſſe, Granius, Non eſſe ſextantis. Granius præco dicacitate & facetiis nobilitatus, qui quanti quiſque in auctione licitatus eſſet, magna voce pronũciare ſolitus erat, cùm de quodam forte Sextio, vel Sextilio ſermo incidiſſet, dixit, Non eſſe ſextantis: hoc eſt, non F valere duas vncias.

Septvnx, pro portione ſimiliter definitur. Varro de ling. Lat. 4. vbi de numis æreis: Septunx à ſeptem & vncia.

Devnx, inquit eodem loco, à duodecim, vna dempta vncia.

Dextans, dempto quadrante.

Bes, vt olim Des, dempto triente. Poſtea numos argenteos enumerat.

Sescvncia, numulus vncia & ſemuncia valẽs: dictus quaſi ſeſquiuncia. Pomponius Piſtoribus apud Non. Pappus hic in medio habitat ſenica, G non ſeſcuncia. Fortaſſe ſeſcunciæ, caſu ſecundo: vt ſuprà Non ſemiſſis homo. &, Non eſſe ſextantis. vide paulo pòſt Sesqvias.

Vncia, numulus fuit æreus, põderis & precij vncialis, communi, vt opinor, ſignu percuſſus. Plin. 34. c. 3. P. Manutio præfecto annonæ extra portam trigeminã vnciaria ſtirpe collata. neſcio

au

an primo honore tali à populo: antea enim à Senatu erat. Loquitur de ſtatua Minutio ea publica vnciarij numi collatione poſita. Donatus in illũ Phormionis locum: *Quod ille vnciatim vix de demenſo ſuo, &c.* Sic veteres, inquit, cùm ea penſa pecunia ferretur, more veterum: non, vt nunc, adnumeraretur. Aſſis, libra erat: eiuſq; partes, vnciæ. Rurſus vnciæ vnius, duodecima pars libella dicebatur. Meritò ergò non per ſingulos ſeſtertios, neque per ſingulos denarios, neque per ſingulos aſſes: ſed id quod ὑπερβολικῶς minimum fuit, per ſingulas vncias vnciatim dixit. Et Cicero, Ecquis Volcatio, ſi ſua ſponte veniſſet, libellam vnam dediſſet? Hæc Donatus. quæ ſanè aliqua ex parte obſcura videri poſſunt. Nã & Varro minimum æris numum dixit eſſe Sextulam, vt mox intelligetur: neq; libellæ mentionem æreæ vnquam adhuc vllã animaduerti ſed argenteæ dumtaxat, vt ſuo loco demonſtrabimus.

SEMVNCIA, numulus fuit æreus, precij & ponderis ſemuncialis. Varro de ling. 4. Æris minima pars, Sextula: quòd ſexta pars vnciæ. Semuncia, quòd dimidia pars vnciæ. Aſcon. in Milonian. Milo in exiliũ Maſſiliam intra pauciſſimos dies profect⁹ eſt. bona eius propter alieni æris magnitudinem ſemuncia venierunt.

SEXTVLA, numulus fuit æreorum omnium minutiſſimus, communi, vt opinor, ſigno notatus. Varro de ling. 4. Æris minima pars Sextula, quòd ſexta pars vnciæ.

SESQVIAS, ſeſquiaſſis: as & ſemis: vt Seſcũcia vncia & ſemis. Nuſquam tamen hoc verbum legere memini, niſi apud Didymum, cuius hæc verba Priſcianus profert: Τὸ γὰρ δύο ἥμισυ ἀσσάρια, συγγράφεις φασί. Τοῦ μὲν σε, τὸ ἥμισυ δηλοῦντος, ὡς ἐν τῷ σημόδιουμ, σέσκουας (legendum opinor, σέσκουιας) σέσκουπλα. Τὸ δὲ σέσκουας, σύνθετόν ἐστιν ἀπὸ τοῦ σε καὶ τοῦ κουμ, καὶ τοῦ ας ἄσσις. καὶ ἔστιν ἡμίσεως ἀσσαρίου τοῦτ᾽ ἔστιν ἓν ἥμισυ ἀσσάριον. Duos aſſes, inquit, & ſemis Seſtertium appellant. nam particula Se ſignificat dimidium, vt in Semodiũ, Seſcuas (lego Seſquias) ſeſcupla. Seſquias autem compoſitum eſt ex particula Se & Coum & As aſſis: & eſt ſemis cum aſſe: hoc eſt, as vnus & ſemis. Hæc ille. in quam ſententiam hæc Varronis extant lib. 4. Semuncia, quòd dimidia pars vnciæ. Se valet dimidium, vt in ſelibra & ſemodio. Quod autem Didymus Seſquiaſſem notat compoſitum ex tribus, quaſi Semis, cum aſſe: mihi æquè obſcurum eſt, ac ſi diceret, Seſquiplex, quaſi ſemis cum ſimplice. Quorum tamen ſimilia nonnulla apud Varronem animaduerti licet.

De duobus aſſibus, ſiue Dupondio.

CAP. XII.

ASSES duo ſeiunctim dicebantur: coniunctim verò, Dupondius, ſiue Dupondium. Nam vtroque genere pronunciari, Varro De ling. Lat. 8. idoneus auctor eſt. Fuerunt etiam qui Dipondius ſcriberent. erat autem is numus æreus, ponderis ac precij aſſium duorum, communi, vt opinor, nota inſignitus: hoc eſt, Iano & naue. Varro De ling. 4. As ab ære: Dupondius à duobus ponderibus, quòd vnum pondus Aſſipõdiũ dicebatur. Idem lib. 8. As eſt ſimplex, Dupon-

A dius duos aſſes pẽdebat. Plin. 33. c. 3. Libralis (vnde etiam libella nunc dicitur) & Dupondius appendebatur Aſſis. Priſcianus, Dupõdius à duobus ponderibus quod vnum pondus Aſſipondiũ dicebatur: ideò quòd As erat libræ põdus. Quinctil. lib. 1. Quid? quòd quædã quæ ſingula proculdubio vitioſa ſunt, iũcta ſine reprehenſione dicũtur? nam DVA & TRE & PONDO diuerſorum generũ ſunt barbariſmi: at DVPONDIO & TRAPONDIO vſq; ad noſtrã ætatẽ ab omnibus dictũ
B eſt (puto legendũ caſu recto, Dupondiũ & Trepondiũ) Quibus locis hæ definitiones probãtur: Dupondius eſt as duplex: æs bilibre: numus æreus bilibris. In gloſſario, dicitur, διούμμος Iuſtinianus ſcribit, olim iuris ſtudioſos anno primo Dupondios dictos, ridiculo vocabulo: & fortaſſe an hac mente, quòd Grammaticæ artis auditores aſſipondios altero tanto ſuperarent. De ſigno communi, ſatis hoc argumenti eſt, quòd nullum ei proprium ab auctoribus attribuitur.
C Sunt qui in Orat. pro Quinctio ita legant: Si dupondius tuus ageretur, Sex. Næui, ſi in paruula re captionis aliquid vererere. Sed mendum illud iã pridem eſſe docuimus: legendúmque DE PRÆDIIS TVIS: neque Latini ſermonis conſuetudo vitium illud patitur. Columella libr. 4. c. 1. Dupondium ad menſuram tranſtulit, ac pro duorũ pedum menſura duobus locis dixit. Vlpianus ad ſolidum, & duorum aſſium ſiue viginti quatuor vnciarum integritatem. Item quod. 17. D.
D de hered. Inſtit. Lucas cap. 12. οὐχὶ πέντε στρουθία πωλεῖται ἀσσαρίων δύο; Nõne quinq; paſſeres duobus aſſarijs veneunt? Liuius lib. 33. Ædiles Curules M. Fuluius Nobilior, & C. Flaminius tritici decies centum millia, (non dubito legendũ eſſe CANTSNA, & vocem MODIVM, ſubaudiendam) binis æris populo diuiſerũt. Plin. 33. 12. vbi de pigmento Sile loquitur: Precium in libras huius HS bini. dipõdijs verò detractis, quod lucidum vocant, è Gallia veniens. Significat, opinor, teſſem.

E

De duobus aſſibus & ſemiſſe, ſiue ſeſtertio.

CAP. XIII.

PARTITIONE Duo aſſes & ſemis ſeiunctim dicebantur: coniunctim autem Seſtertius. Veteris ſeſtertij ærei nemo eorum, qui ante me ſcripſerunt, mentionem facit, quãtum mihi quidẽ animaduertere licuit. Quinetiam Budæus lib.
F De aſſe 2 pag 148. Seſtertius, inquit, nunquam æreus fuit, ſed ab initio ſtatim duos aſſes & ſemiſſem valuit. Contrà Varro, qui libro de ling. 4. ita ſcribit: Seſtertius quòd ſemis tertius Dupondius enim & ſemis, antiquus ſeſtertius eſt. & veteris conſuetudinis eſt, vt retro æra numerẽtur, ita vt Semis tertius, Semis quartus pronũciarẽt. Seſtertius igitur ab ſemis tertius dictus Hæc Varro: ex quibus intelligitur, aliũ fuiſſe apud antiquos, aliũ Varronis ætate ſeſtertiũ. veterẽ enim æreũ fuiſ-
G ſe: ſed poſt argenteum ſignatum, illius vſum obſoleuiſſe. Animaduerti tamen poſterioribus ſeculis denuò reſtitutum æreum ſeſtertium fuiſſe. Nam Vopiſcus in Aureliano ex Valeriani epiſtola hæc edit: Aureliano, cui Conſulatum detulimus, ob paupertatem, qua ille magnus eſt, ceteris maior, dabis ad editionem Circenſium;

aoteos Antonianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos tria millia, in ærenum quinquagies. Idem in Bonoſo: Ipſi dabis aureos Philippeos centum, argenteos Antonianos mille, æris HS decies. ſed de notione verbi Seſtertius, plura poſterius ſub Seſtertio argenteo dicemus.

Tres asses ſeiunctim dicebantur: coniunctim autem tripondivm, ſiue tressis: qui fuit numus æreus, precij & põderis trium aſſium, communi (vt credi par eſt) nota inſignitus. De Tripõdij nomine teſtimonium ex Quinctiliano modò paulò antè protulimus. Varro de ling. 4. Treſſis à tribus aſſibus: & pro portione vſque ad Nonuſſis. Item alio loco: A Treſſibus virilia multitudinis. Hei Treſſeis: &, Heis treſſibus: cùm ſit ſingulare, Hoc Treſſis. ab eo ſic deinceps ad Centuſſis. Fuiſſe autem numum æreum, idem lib. 8. his docet verbis: Treſſis ex tribus æris. quod ſic pro aſſibus nonnumquam æs dicebant antiqui. Itaque pro leui pecunia vſurpabãt: velut apud Perſium Sat. 5.

Hic Dama eſt: non treſſis agaſo.

Nonius Marcelli. Nubentes veteri lege Romana aſſes tres ad maritum venientes ſolebant ferre, atque vnum quẽ in manu tenerent, tanquam emendi cauſſa marito dare: alium quem in pede haberent, in foco larium familiarium ponere: tertium in ſacciperione cùm condidiſſent, compito vicinali ſolere reſernare. Liuius lib. 39. de M. Catone Cenſorio loquens: In cenſibus quoque accipiendis triſtis & aſpera in omnes ordines cenſura fuit. Ornamenta & veſtem muliebrem, & vehicula, quæ pluris, quàm quindecim millium æris eſſent, in cenſum referre viatores iuſſit, item mancipia minora annis xx. quæ poſt proximum luſtrum decem millibus æris aut eo pluris veniſſent, vti ea quoque X pluris, quam quanti eſſent, æſtimarentur: & his rebus omnibus terni in millia æris attribueretur. Sic enim locus ille etiam in libris centum ab hinc annis in Italia editis legitur: in alijs verò pro nota X. ſcriptum eſt decvplo. in aliis quos iampridem Budæus, & poſt illum Sigonius ſecutus eſt, decias. quinetiam in alis eo amplius legitur, decvplo tanto plvris. In alis verò decies tanto plvris. Qua ex varietate multiplex mihi naſcitur obſcuritas. Quæri enim meritò primum poſſe video, vtrum tandem illa laudabilis Cenſoria ſeueritas videatur, an potius vituperabilis acerbitas: vtrum iuſtitia, an iniuſtitia, decies tanto pluris ſeruos æſtimare, quàm quanti empti fuerãt. Quæri prę terea meritò poterit, ſatiſne Latinè dicatur, Decies pluris æſtimare, pro Decuplo pluris. poſtremò, licueritne Cenſori nulla lege, nullo crimine nominato, tanto damno, tantaque multa tot ciues R. afficere, vt non modò res eas quæ cenſeri antea non ſolebant, in cenſum referrent, verùm etiam decuplo pluris, quàm quanti eſſent, æſtimarent? Dum his quæſtionibus aliquis reſpondeat, interea verecundè ſententiam animi mei proferam, cuius iudicium eruditioribus integrum permittam. Scriptum enim à Liuio ſic fuiſſe arbitror, Vti ea quoque decem, aut pluris, quanti quanti empti eſſent, æſtimarentur: & ex his rebus omnibus terni in millia æris attribuerentur. Quemadmodum enim Cato in veſte &

A mundo muliebri & vehicolis cenſendis eam æſtimationẽ ſecutus fuerat, quam emptores in emendo tenuerant, ita in ſeruis feciſſe intelligitur: vt qui ſerui immenſo precio, decẽ millibus ęris, empti fuerant, tantidem hoc eſt, denis millibus æris ęſtimarẽtur: qui pluris, etiam pluris: nimirũ quãti quanti empti fuerant. Sic enim Cicero ſcripſit epiſt. ad Attic. lib. 12. Sed quanti, quanti: bene emitur quod neceſſe eſt. Itaq; pro particula avt vox tanto irrepſit: pro qvanti qvanti, ſuppoſitum eſt qvam qvanti. pro numero decem, vox decvplo. neque quenquã eruditum fore virum arbitror, qui nõ facilè agnoſcat, ita Latinæ linguæ conſuetudinem flagitare. Me tamen, vt ingenuè fatear, Plutarchi grauiſſima mouit auctoritas, qui in Catone Maiore hac ipſa de re ita ſcribit: ἠνάγκαζεν ἐσθῆτος, ὀχήματος, κόσμου γυναικείου, σκευῶν τῶν περὶ δίαιταν, ὧν ἑκάστου τὸ τίμημα δραχμὰς χιλίας πεντακοσίας ὑπερέβαλλεν ἀποτιμᾶσθαι τὴν ἀξίαν εἰς τὸ δεκαπλάσιον. βουλόμενος ἀπὸ μειζόνων τιμημάτων αὐτοῖς μείζονας καὶ τὰς εἰσφορὰς εἶναι καὶ προσετίμησε τρεῖς χαλκοῦς πρὸς τοῖς χιλίοις. Quem locũ Xilander & Cruſerius ſuo arbitratu conuerterunt. Hic certè τὸ δεκαπλάσιον, in quo ſummũ momentũ fuit, mirè pręteriit. Sigonius autẽ hoc modo in Liuij notis expreſſit. Coëgit veſtimẽta, vehicula, mundũ muliebrẽ, & familiarem ſuppellectilem, ſi pluris quàm mille & ducentas libras æſtimata eſſent (omiſit vocẽ ἑκάστου, quę ponderis plurimũ habuit) decuplo pluris æſtimari, quòd vellet eos, quorum res pluris æſtimatæ eſſent maiora etiam tributa conferre. Itaque ſingulis millibus ternos æreos attribuit. Nos autem non incommodè, vt ſperamus, ſic interpretabimur: Coëgit veſtis, vehiculi, mundi muliebris, vaſorum domeſticorum, quorum vniuſcuiuſque æſtimatio drachmas mille quingentas ſuperaret, pretium conſtitui vſque in decuplum. Nam ex maiore cenſu maiora illis imponi tributa volebat. Itaque ternos aſſes in ſingula æris millia inſuper iis attribuit: hoc eſt, præter ea tributa, quæ antea pendebant, ex harum rerum æſtimatione ad cenſum addita, ſtatuit, vt in ſigula æris millia ternos inferrent. Quibus ex verbis quàm longè à Liuij ſententia Plutarchus aberrarit, facile eſt animaduertere. nam neque de ſingulorum vaſorum, aut veſtium, aut vehiculorum æſtimatione Liuius quicquam pronuntiauit: ſed in vniuerſum de omnibus. deinde, vt maximè decupli mentionem feciſſet, tamen non ad illatum rerum æſtimationem decuplationem illam retulit: vt fecit Plutarchus: ſed ad ſolam ſeruorum æſtimationem, quos ad delitias impenſo precio mercati fuerant. Neque verò nouum eſt. Plutarchum, in rebus Romanis hallucinati. quanquam hoc quidem loco non ipſi, ſed iis quibus vſus eſt Latinis exemplaribus, erroris culpa tribuenda eſt. Culpa igitur vnius eſt librarij, qui in nota X. nobis μῦθον ἔλεγχος importauit: cùm illã Plutarchus Decvplo, Budæus & alij, decies: ego ſimpliciter pro decem ſum interpretatus.

Qvatvor asses, vno vocabulo dicebantur Quadtuſſis: qui fuit numus æreus communi ſigno percuſſus. Plutarchus in Mario, Fanniam, inquit, Tinnius in matrimonio habuerat. (legẽdum eſt Titinnivs) Ea diuortio facto do-

tem

tem repetebat, quam pergrandem attulerat. Hic adulterium ei obiiciebat. Marius ſextùm Conſul iudex erat. Cauſa vtrinq; audita, cognitum eſt, & Fanniam impudicè vixiſſe: & Titinnium cùm illam talem noſſet, dotis lucrandæ cauſſa nihilominus duxiſſe: diùque illam in matrimonio habuiſſe. Marius poſtquam vtrumque increpuit, virum dotem iuſſit reddere mulierem autem infamiæ damnatam, quattuor aſſibus damnauit: τῆς δὲ γυναικὸς ἀτιμίας ἕνεκα τῇ καταδίκῃ χαλκοῦς τέσσαρας προσθέμενον. Valer. autem lib. 8. cap. 2. ſeſtertium numum poſuit. Vterque rectè & congruenter. quoniam, vt ſuo loco demonſtrabitur, ſeſtertij æſtimatio bello Punico, ad aſſes quattuor perducta eſt: qua de cauſſa apud Iuſtinianum in l. vlt. §. vlt. C. de donat. quod de quattuor aſſibus poſt vnius ſeſtertij mentionem adiectum eſt, de gloſſa ſumptum eſſe non dubito. Sapienter autem Marius in ea ſententia pronuntianda verſatus eſt. Nam qui ſciens impudicam duxerat, lucro dotis ob grauiores mores commiſſæ mutandus fuit. Serò enim accuſabat vxoris mores, quos eam ducendo comprobarat: inquit, l. ſi vxor, 13. §. vlt. D. ad leg. Iul. de adult. Quattuor aſſes Martialis Quaternum æs dixit:

Amphora vigeſſis, modius datur ære quaterno.

QVINQVESSIS pro rata portione, item vt ſuperiores definiendus eſt. Apuleius in Epitomo apud Priſcianum lib. 6. Sed tum ſeſtertius dipondium ſemiſſem, Quinarius, quinqueſſis, Denarius decuſſis valebat. vbi Quinqueſſem & Decuſſem nullo, vt ſpero, repugnante reſtituemus.

SEXCVSSIS.

SEPTVSSIS.

OCTVSSIS, Plin. 4. c. 14. ex edicto Cenſorum: Ne quis vinum Græcum Aminæúmque octonis aſſibus in ſingula quadrãtalia venderet. Horat. 2. Serm. Sat. 3.

Quanti empta? paruo. quanti ergo? octuſſibus.

NONVSSIS.

DECVSSIS, qui & Denarius virili. & Denarium neutro genere dicebatur, numus fuit æreus, precij ac ponderis aſſium decem, nota Iani & nauis inſignitus. Varro de ling. 4. Treſſis & ſic proportione vſque ad Nonuſſis. in denario numero hoc mutat. quod primum eſt ab decem aſſibus Decuſſis: ſecundum ab duobus decuſſibus, Viceſſis. Quem locum ſic interpretor, vt ab aſſe certa fuerint & propria cuiuſque præcedentis numeri vocabula: Dupondius, Treſſis, Quadruſſis, Quincuſſis, Septuſſis, Octuſſis, Nonuſſis, Decuſſis, at Vndecuſſis non diceretur, nec Duodecuſſis, ſed Vndecim æris, Duodecim æris: vbi ſubauditur Numi. Nunc de quadruplici Decuſſis, ſiue Denarij veteris materia dicendum eſt. Quod enim vulgo traditur, æreum nullum denarium fuiſſe, manifeſtò falſum eſt. Budæus quidem, quem alij ad vnum omnes ſecuti ſunt, in lib. De aſſe 5. ſic ſcribit: Denarius nũquam æreus fuit apud Romanos, nec Drachma apud Græcos. ſed ante argentum ſignatum Decuſſis æreus fuit, vt Centuſſis. Non animaduertit ſcilicet vir eruditiſſimus, Decuſſim & Denarium promiſcuè olim appellatum. Itaque receptam hanc opinionem auctoritate veterum refellemus. Macrob. Sat. 1. c. 7. Cùm Ianus primus æra ſignaret, ſeruauit & in hoc Saturni reuerentiam, vt quoniã ille

A naui fuerat aduectus, ex vna quidem parte ſui capitis effigies ex altera verò nauis exprimeretur. Æs ita fuiſſe ſignatum, hodiéq; intelligitur in aleę luſu, cùm pueri denarios in ſublime iactantes, capita aut nauim (luſu teſte vetuſtatis) exclamant. Quibus verbis perſpicuè oſtendit, quamuis Denarius, quo tum vtebantur, eſſet argenteus, & bigatum nota inſignitus, tamen veteri ſeculo Denarium æreum fuiſſe, & æreæ pecuniæ figuram illam duplicem habuiſſe, de qua iam per-
B ſæpè dictum eſt. Luſus autem illius puerilis (qui me puero etiam Lutetiæ frequens erat) meminit etiam Aurelius Victor in Orig. gent. R. Iuſtum etiam viſum (inquit) ſignandi æris ac monetæ in formam excutiendæ oſtendiſſe traditur: in qua ab vna parte caput eius imprimeretur, (loquitur de Iano) altera nauis, qua vectus ille erat. vnde hodiéque aleatores poſito numo, opertóque, optionem colluſoribus ponunt enuntiandi, quid putent ſubeſſe, caput aut nauem. Planius autem
C etiam Feſtus de denario æreo loquitur, his verbis: Graue æs dictum à pondere, quia deni aſſes (ſinguli pondo libræ) efficiebant denarium, ab hoc ipſo dictum denarium. Quem tamen locum nonnulli ſic reſtituendum putant: Quia aſſes ſinguli pondo libram efficiebant deni autem Denarium, ab hoc ipſo numero dictum. Quinetiam Plutarchus in Camillo, Denarium & ex ære, Camilli temporibus, oſtendit fuiſſe, & aſſes decem valuiſſe & in genere neutro vſurpat. ἀσσάριον γὰρ
D ἦν τὸ ἀργύριον. καὶ τὸ δεκάχαλκον οὕτως ἐκάλεῖτο δηνάριον. Aſſarium, inquit, erat numus. & is numus æreus decuplatus ex eo dicebatur Denarium. Sed nemo apertius quàm Vopiſcus in Aureliano, ex ipſius epiſtola: Ipſi autem ad ſumptus, aureos Antoninianos diurnos binos, argenteos Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum: reliqua per præfectos ærarii præbebantur. De precio item & poteſtatẽ Chariſius lib. 1. ſimiliter teſtatur: Apud antiquos, inquit, Dena-
E rius decem aſſes habuit, ideóque in rationibus faciendis Denarium decuſſi X. inductum notamus. Priſcian. de pond. & menſ. Seſtertius olim dipondium & ſemis. quo tempore denarius decuſſis valebat. Item, Denarius quoque decem librarum numus per ſcriptam notatur. Vbi deſiderari, arbitror, literam X. Sed hæc multo planius docuit Vitruuius lib. 3. c. 1. vbi ſic ſcribit: Noſtri primò decem fecerunt antiquum numerum, & in denario denos æreos aſſes conſtituerunt: & ea
F re compoſitio numi ad hodiernum diem Denarij nomen retinet. Nam illa voce PRIMO, dilucidè oſtendit, ante argenteum ſignatum, æreum denarium fuiſſe. Agellius 11. c. 1. Multam, quæ appellatur ſuprema, inſtitutam in ſingulos dies duarum ouium, viginti boum. Poſtea lege Aterina conſtituta ſunt in oues ſingulas, ęris deni: in boues, æris centeni. Credo tamẽ apud Agelliũ duobus locis in illo capite mendosè IN DIAS SINGVLOS ſcriptũ fuiſſe, pro IN RES SINGVLAS. ſicut in lege Ma-
G milia, & aliis Aquariis, apud Frontinũ Feſtus, Ante æs aut argentum ſignatum ob delicta pœna grauiſſima erat duarum ouium: & xxx. boum (legendũ puto, vt apud Agellium, xx. tametſi quinque tantum Plutarchus edat) quæ pecudes poſtquam ære ſignato vti cœpit populus R. Tarpeia lege (corrigendum ATERINA) cautũ eſt, vt bos

centuſſibus, ouis decuſſibus æſtimaretur. Mirum eſt autem Plutarchum in vita Publicolæ, vbi hanc legem ab illo latam ſcribit, Obolos poſuiſſe pro aſſibus: cùm omnes alij ſenos obolos denario attribuant, aſſes verò denos. Sed hoc nimirum illud eſt, quod poſterius vbi de Drachmis & Denariis agetur, aliquotis dicemus; Græcos ſcriptores in ſuorum numorum cum Romanis cumparatione non exactè, ſed (vt ita dicam) παχυμερέστερον rationem iniiſſe. Agell. 2. c. 24. Fannia lege cibaria cautum eſt, ne, niſi certis exceptis diebus, amplius denos æris impendere in cœnæ ſumptus liceret. Quod idem Macrob. tradit Saturn. 3. cap. 17. Valer. 4. c. 8. Fabricius à Samnitibus, quos vniuerſos in clientela habebat denos æris, & quinque pondo argenti, totidémq; ſeruos ſibi miſſos in Samnium remiſit. Et mox: Ergo domus eius quemadmodum ære & argento & mancipijs Samnitum vacua, ita gloria ex his contemptis parta, referta fuit. Agell. autem lib. 1. c. 14 hoc idem commemorans, ſcribit Samnites ei grandem pecuniam dono obtuliſſe. ſed & aliquot antè annis eoſdem M. Curio ad focum ſedenti, magnum auri pódus dono miſiſſe. quod ipſum & Cicero in Catone Maiore, & Athenæus quodam loco commemorant. Tum verò quænam proportio eſt denum aſſium, cum quinque argenti libris? denique quænam illa tanta fuiſſet, & tantis laudibus prædicanda Fabricij abſtinentia, quòd decem aſſes, & tantulum argenti ac mancipiorum recuſaſſet? Potius irridenda Samnitium amentia, qui tanto patrono tam exile munuſculum miſiſſent. præſertim cùm aliquot (vt dixi) antè annis tantum auri pondus priori patrono ſuo muneri obtuliſſent. Itaque pro DECEM AERIS reſtituendum arbitror, vel DECIES AERIS, vel, ſi fortè, DECEM MILLIA AERIS: & pro QVINQVE argenti libris, totidémque mancipiis, QVINQVAGINTA. Tacit. Annal. 1. Enimuerò militiam ipſam grauem, infructuoſam, denis in diem aſſibus animã & corpus æſtimari. loquitur de diurno militum ſtipendio. Sed hunc locum ſub Denario argenteo commodius explicabimus.

VNDECVSSIS non dicebatur, vt paulo antè ex Varrone docuimus. ſed plenè vndecim aſſes numerabantur: cuius tamen numeri exempla in præſentia non ſuppetunt.

DVODECIM ASSES eodem modo dicebantur. vt apud Ciceronem in ea pro Comœdo, Nã illa membra merere per ſe non amplius poterant duodecim æris. ſignificat diurnam operarij alicuius non adeò robuſti ac valentis mercedulam.

VICESSIS, qui viginti aſſibus valebat. Varro de ling. 4. Primùm ab decem aſſibus, Decuſſis: ſecundum à duobus decuſſibus, Viceſſis. Quo ex loco intelligitur, Viceſſim & æreum numu fuiſſe, & viginti aſſibus valuiſſe. Agell. 20. c. 1. ex legibus 12. tab. caput hoc commemorat: Qui iniuriam alteri faxit, 25. æris pœnæ ſunto. Plin. 18 c. 5. Qui iniuria cecidiſſet alienas arbores, ex lege 12. tab. lueret in ſingulas æris 25. Martialis.

Amphora vigeſſis, modius datur ære quaterno.

Ebrius & crudus nil habet agricola.

Liuius 39. Senatuſconſultum factum eſt, vt ex pecunia, quæ in triumpho tranſlata eſſet, ſtipendium collatum à populo in publicum, quod eius ſolutum antea non eſſet, ſolueretur. vicenos quinos & ſemiſſes in millia æris Quæſtores vrbani cũ fide & cura ſoluerunt. Sũma tãtula mihi valde ſuſpecta eſt. Corrigendũ fortaſſe fuerit, Sexcenos vicenos quinos: cùm eſſet ſcripta nota VIcenos.

TRICESSIS, aſſes triginta: vt ex Varrone modò demonſtrauimus. Agell. 2. c. 24. Lex Fannia lata eſt, quæ ludorum diebus in ſingulos dies cẽtenos æris conceſſit, decémque aliis diebus, in ſingulis menſibus, tricenos. ceteris autem diebus, denos. Et mox: Centum æris Fannius conſtituit, feſtis quidem diebus. aliorum autem omnium in ſingulos dies ſumptus incluſit intra æris aliàs tricenos, alias denos Lex deinde Licinia rogata eſt, quæ cùm certis diebus, ſicuti Fannia, centenos æris impendi permiſiſſet, nuptiis ducenos indulſit: ceteríſque diebus ſtatuit æris tricenos, cùm & carnis aridæ, & ſalſamenti certa pondera in ſingulos dies conſtitueret. Quibus ex verbis emendandus eſt apud Macrobium locus. lib. Saturn. 3. c. 17. vbi ſcriptum ita eſt: Legis Liciniæ ſumma, vt Kalendis, Nonis, Nundinis R. cuique in dies ſingulos triginta duntaxat aſſes edendi cauſſa conſumere liceret. Ceteris verò diebus, qui excepti non eſſent, ne amplius apponeretur, quàm carnis aridæ pondo tria, & ſalſamentorum pondo libra: quod (deeſt vox PRÆTER) ex terra, vitæ, arboréve natum ſit. Totam enim hanc ſententiam deeſſe arbitror, Vt Kal. Non. Nund. Rom. cuique in dies ſingulos centum, nuptiis ducentos, ceteris diebus, qui excepti non eſſent, triginta duntaxat aſſes, edundi cauſſa conſumere liceret: & ne amplius apponeretur, quàm carnis aridæ, &c. Abſurdum enim eſſet, tanti ſtuporis Macrobium damnare, quòd ludorum diebus triginta tantùm aſſes permitti ſcripſiſſet. præſertim cùm integram eum habuiſſe legem appareat: quippe, cuius etiam caput vnum planius quàm Agellius expoſuit.

QVADRAGINTA AERIS. Liuius 30. ſub finem: vbi de Scipionis Africani triumpho loquitur Militibus ex præda quadragenos æris diuiſit. Quæ ſumma in tam magnifico triumpho per quàm exigua videtur. Sunt enim quatuor tãtum denarij, ſiue decuſſes. videndũ igitur ecquilibet vetus ſcriptum habeat QVADRINGENTOS.

QVINQVAGINTA ÆRIS. Feſtus, Sacramentum, æs ſignificat, quod pœnæ nomine penditur, ſiue eo quis interrogatur, ſiue contenditur. id in aliis rebus, quinquaginta aſſium eſt: in aliis rebus quingentorum, inter eos qui iudicio inter ſe contendunt.

CENTVSSIS, numus æreorum omnium maximus, precij & ponderis centum aſſium, communi nota inſignitus. Varro de ling. 4. Centuſſis, à centum aſſibus: quo maius Æris vocabulum non eſt. Perſius Satyr. 5.

Et centum Græcos curto centuſſe licetur.

Feſtus, Centenariæ cœnæ, in quibus lege Licinia non plus centuſſibus impendebatur: id eſt, centum aſſibus: qui erant breues numi ex ære. Quam appendiculam etſi nonulli ex gloſſa imperiti literatoris ſumptam putant, tamen à Feſti conſuetudine non alienam puto. Nam breues aſſes dicit, quos ſuperius Leniores, hoc eſt, ſemunciales nominauimus. Varro Sat. περὶ ἐδεσμάτων. Si quantũ operæ ſumpſiſti, vt tu' piſtor bonum

num faceret panem, eius duodecimam philoſo- A
phiæ dediſſes, ipſe bonus iampridem eſſes fa-
ctus. Nunc illum qui norunt, volunt emere mil-
libus centum: te qui nouit, nemo centuſſi. Agell.
15.c.17. Liuius in fine 10. Militibus ea præda cen-
tenos binos aſſes, & alterum tantum Centurio-
nibus atque equitibus diuiſit. Agell. 12.c.24. Lex
Fannia lata eſt, quæ ludorum diebus in ſingulos
dies centenos æris inſumi conceſſit. Hanc Lucil-
lius poeta legem ſignat, cùm dicit:

Fanni centuſſiſque miſellos. B

In quo errauerunt quidam, quòd putauerunt
Fannia lege perpetuò in omne dierum genus
centenos æris ſtatutos. Centum enim æris Fan-
nius conſtituit feſtis quibuſdam diebus, eóſque
ipſos dies nominauit. Ita deinde Licinia rogata
eſt, quæ cùm certis diebus, ſicuti Fannia, cente-
nos æris impendi permiſiſſet, nuptiis ducenos
indulſit. Macrob. Saturn. 3.c.17. Fannia lex ſum-
ptus modum fecit, aſſibus centum. vnde à Lu-
cillio poeta Centuſſis vocatur. Tertullian. A- C
pologet. Quonam illæ leges abierunt, ſumptum,
& ambitionem comprimentes, quæ centum æra
non amplius in cœnam ſubſcribi iubebant? Vbi
temporum illorum conſuetudo poſtulat ÆRIS:
vt ex ſuperioribus locis apparuit. Quin etiam
ſcribi, vel perſcribi, vel reſcribi potius, quàm
ſubſcribi probarem. Feſtus, Eſſe etiam Pompi-
lij Numæ legem opimorum ſpoliorum talem,
QVOIVS. AVSPICIO. CLASSE. PROCIN-
CTA. OPEIMA. SPOLIA. CAPIVNTOR. IO- D
VEI. FEDETRIO. BOVEM. CAEDITO. QVI.
CEPET. AERIS. CCC. DARIER. OPORTETO.
SECVNDA. SPOLIA. IN. DVI. MARTIS. ASAM.
EN. DO. CAMPO. SVOVE TAVRILIA. VTRA.
VOLET. CAEDITO. QVAEI. CEPET. AERIS. CC
DARIER. OPORTETO. TERTIA. SPOLIA.
IANO. QVIRINO. AGNOM. MAREM. CAEDI-
TO. QVEI. CEPET. ÆRIS. CENTVM. DARIER.
OPORTETO. QVOIVS. AVSPICIO. CAPTA.
DIS. PIACVLOM. DATO. Hanc autem legem E
emendare feliciſſimè cœperat Ioſephus Scali-
ger, vir cùm ingenio, tum omni liberali doctri-
na inſignis. Poſt autem ea Plutarcho in Marcelli
vita facile animaduerti, in primo eius capite la-
cunam eſſe, quam cùm ea Plutarchi verbis meo
arbitratu explere conatus eſſem, poſtea cogno-
ui legem integram à Fuluio Vrſino ingenioſiſ-
ſimè ita reſtitutam fuiſſe, vt nūc edidimus. Ver-
ba Plutarchi de aſſium numero ſunt huiuſmodi:
καὶ λαμβάνειν γέρας ἀσσάρια τ', τὸν πρῶτον· τὸν δὲ F
δεύτερον, σ'· τὸν δὲ τρίτον, ρ'. Nam aſſes Plutarchus
paſſim aſſaria conuertit.

CENTVM VICENI ASSES. Agell. 2. c.24. Sena-
tus decretum factum, in quo iubentur Princi-
pes ciuitatis iurare apud coss. (puto legendum
CESS.) non amplius in ſingulas cœnas ſumptus
eſſe facturos, quàm centenos, vicenóſque æris.
Liuius 31. Militibus ex præda centum viginti
aſſes diuiſit. Credo legēdum, Centenos vicenos. G

CENTVM QVINQVAGINTA. Paul. Iuriſc. Col-
lect. Ruffin. tit. 16. ſcribit, centum quinquaginta
æris pœnam lege 12. tab. conſtitutam in eum, qui
ſeruo alieno per iniuriam os fregiſſet. Quem lo-
cum in libello De aureo Iuſtinianico interpre-
tati ſumus.

DVCENTI AERIS. Agell. 2. cap. 24. Lex Lici-
nia rogata eſt, quæ cùm certis diebus centenos
æris impendi permiſiſſet, nuptiis deinceps in-
dulſit. Liuius 34. Militibus duceni quinquageni
æris in pedites diuiſi, duplex centurioni, triplex
equiti.

TRECENTI SEPTVAGINTA QVINQVE. Agel.
16.c.10. Qui nullo aut perquam paruo ære cen-
ſebantur, Capitecenſi vocabantur. Extremus au-
tem cenſus Capitecenſorum æris fuit CCCLXXV.
Liuius 10. Fabius Peruſinorum cepit ad mille
ſeptingentos quadraginta. qui redempti ſin-
guli æris trecentis decem. Scripſiſſe credo Li-
uium TRECENIS DENIS. Idem libr. 36. Militi-
bus, qui currum ſecuti ſunt, trecenos vicenos
quinos aſſes diuiſit. duplex centurioni, triplex
equiti. Idem lib. 40. Æris trecenos militibus di-
uiſit.

MILLE ASSES, ſiue mille æris. Vlpian. tit.
Regul. 1. Lex Furia teſtamentaria plus mille aſ-
ſium legati mortiſve cauſſa prohibet capere. vi-
dentur ad eandem legem hæc Varroniá verba
pertinere, ex lib. De ling. 4. Pro aſſibus, nonnun-
quam æs dicebant antiqui. à quo dicimus Mil-
le æris legaſſe. Legis æquitatem, ſiue cauſſam
aliquam probabilem quærere non immeritò
aliquis poſſit. Quid enim ſi quis decies centena
millia æris in bonis haberet? Equidem non
exiſtimo in vniuerſum ita cautū fuiſſe, Ne quis
ciuis R. plus mille aſſia legaſſet. ſi quis amplius
ſibi legatum mortiſve cauſſa datum cepiſſet,
quadrupli pœnam ſubiret. Sed illa lege excep-
tas, id eſt comprehenſas quaſdā perſonas fuiſ-
ſe, quib. plus mille aſſes relinquere teſtamento
non liceret. in his autem cognatos manumiſſo-
nis fuiſſe, quo nomine primum cognati conti-
nebantur, tum ad eorum exemplum ingenuorum
manumiſſores fiduciarij, quibus in defectum a-
liorum omnium, tandem ad extremum octauo
loco bonorum poſſeſſio inteſtati manumiſſi
deferebatur: quamuis ſi manumiſſus teſtatò de-
ceſſiſſet, non plus quàm mille aſſes capere ex il-
lo teſtamento potuiſſet. Sic enim alterum ex e-
iuſdem Vlp. regulis locum addita negatione le-
gendum arbitror: Septimo gradu datur bono-
rum poſſeſſio cognatis manumiſſoris, quibus
per legem Furiam plus mille aſſes capere NON
licet. Theophilus autem ex ſeculi ſui conſuetu-
dine mille aureos, χίλια νομίσματα Græcè dixit:
§. 1. ad leg. Falc. quod in Nouellis Iuſtin. & aliis
Græcis conſtitutionibus perpetuum eſt, vt pro
aureis νομίσματα dicātur. Atque ita Theophilus
paſſim ſub eodem tit. νομίσματα pro aureis po-
ſuit: itémque §. pœna, de iniur. διατιμοῦμαι τὴν
ὕβριν ἑκατὸν νομισμάτων. quod non niſi de centum
aureis interpretari rectè poſſumus. Nam ſi Im-
peratoris ſui æſtimationem ſpectaſſet, qui mil-
le ſeſtertiis vnum aureum æſtimarat, tum legis
Furiæ ſummā coactus fuiſſet interpretari, quar-
tam vnius aurei partem: quo nihil abſurdius di-
cere potuiſſet. Aſconius in Miloniana, Milo,
quem opinio fuit iuiſſe in exilium voluntarium,
inuidia aduerſariorum retentus, nocte ea redie-
rat Romam, qua incenſa erat curia, petebátque
nihilo ſecius conſulatum. Apertè quoque tri-
butum in ſingulos millia aſſium dederat. Agell.
16.c.10. Qui in plebe R. tenuiſſimi pauperrimí-
que erant, neque amplius quàm mille quingen-

tum æris in cenſum deſerebant, Proletarij appellati ſunr. qui verò nullo aut perquam paruo ære cenſebãtur, Capite cẽſi vocabantur. Eodémque modo Nonius: Proletarij ciues, inquit, dicebantur, qui in plebe tenoiſſima erant, & non amplius quàm mille & quingeotos æris in cenſum deſerebant.

DVO MILLIA AERIS. Vſitata & propè legitima hæc fuit ſumma pecuniæ, quam olim Senatus ſingulis exterarum nationum legatis bonoris cauſſa mittebat. quod ea multis Liuij locis iotelligitur: præſertim ea libr. 42. 43. 44. 45. vbi de Tbracum, Athenienſium, Mileſiorum, Cretenſium, Rhodiorum, Lampſacenorum, Alabadenſium legatis commemorat: quorum ſiogulis bina millia ætis muneris miſſa ſcribit. Idem libr. 2. vbi de T. Meneuij damnatione loquitur: Cùm capitis anquiſiſſent, duo millia ęris dãnatę mul tam edixerũt. qua de re operæprecium eſt Dionyſij Halic. verba audire, ex lib. Antiq. 9. οὐ μέντοι θανάτῳ γε αὐτὸν οἱ καταδικασάμενοι ἐτίμησαν, ἀλλ' ἐκτίσματος, ὃ πρὸς μὲν τοὺς νῦν ἐξεταζόμενον βίους γέλωτος ἂν ἄξιον φανείη. τοῖς δὲ τότε ἀνθρώποις, αὐτουργοῖς οὖσι καὶ πρὸς αὐτὰ τὰ ἀναγκαῖα ζῶσι, μάλιστα δὲ ἐκείνῳ τῷ ἀνδρὶ πενίαν κληρονομήσαντι παρὰ τοῦ πατρός, ἀφυὲς ἦν καὶ βαρύ, δισχιλίων ἀριθμὸς ἀσσαρίων ἦν δὲ ἀσσάριον, χάλκεον νόμισμα, βάρος λιτριαῖον. ὥστε τὸ σύμπαν ὄφλημα, ταλάντων ἑκκαίδεκα εἰς ὁλκὴν χαλκοῦ γενέσθαι. καὶ τοῦτο ἐπίφθονον ἐφάνη τοῖς τότε ἀνθρώποις καὶ ἐπανορθώσασθαι βουλόμενοι αὐτοὶ τὰς μὲν χρηματικὰς ἔπαυσαν ζημίας, μετήνεγκαν δὲ εἰς πρόβατα τὰ ἐκτίσματα καὶ βόας, τάξαντες καὶ τούτων ἀριθμὸν ταῖς ὕστερον ἐσομέναις ὑπὸ τῶν ἀρχόντων τοῖς ἰδιώταις ἐπιβολαῖς. Id eſt. Noo tamẽ qui eum dãnarunt, capite illũ, ſed pecunia multarunt: quę ad huius ſeculi rationem, ridicula vid ri poſſit. illius verò temporis hominibus, qui ſuis manibus atque operis, res ſibi ad vitam oeceſſariaa parabant, maxımè autem illi bomini, cui paupertas à patre pro patrimonio relicta erat, grauis atque intolerabilis: duo nempe aſſium millia numero. Erat autem As, æreus oumus, pondere libralis. vt multa vniuerſa conficeret ad ſummam ſedecim æris talenta. Sed & hæc multarum pecuniarum ratio eius temporis hominibus inuidioſa viſa eſt: atque idcirco eas ſuſtulerunt, conuerterũotque in multas ouiũ & boum: quorum etiam numerum præfinierunt, quẽ deinceps magiſtratus in priuatorum damnationibus ſernarent.

TRIA MILLIA AERIS. Liuius lib. 3. Vades dare placuit. vnum vadem tribus millibus æris obligarunt. Hic primus vades publicos dedit. Auctor vitæ T. Pomponij, Nec hoc prætenbo, quamquã nonnullis leue viſum iri putem. Cùm io primis lautus eſſet eques R. & non parum liberaliter domum ſuam omnium ordinum homines inuitaret, ſcimus, non amplius quàm terna millia æris peræquè in ſingulos menſes ex ephèmeride eum expenſum ſumptui ferre ſolitum. Quem locum Budæus exponens libr. de aſſe 5. Terna millia æris, inquit, millenos ac ducenos ſeſtertios oumos valent: id eſt, ære noſtro triginta aureos. Sic in dies ſingulos Pomponius aureum vnum noſtrum in ſumptu domeſtico impendebat. Hæc Budæus. Sed videamus, ne perquàm exilis illa ſumma fuerit: ſiue ciuium R. per ea tempora potentiam, ſiue ingentes ipſius Põponij opes ſpectemus: præſertim cùm etiam modici ſumptus cœnã Martialis æſtimet viginti ſeſtertiis nummis. quæ ſumma menſtrua efficeret ſeſtertium CIↃ CIↃ IↃ: hoc eſt, æris octo millia octingentoa. Martial. Epigr. 12.

Et, rogat vt cenes ſecum Latorius, inquit:
Viginti nummis non ego malo famem?

Itaque videodum eſt, an pro TERNA rectius ſit TRICENA. quod ſanè liber aliquis antiquus facilè mibi perſuaſerit. Nam quòd vocem AERIS nonnulli tollendam putabant, & ſummam millium ad ſeſtertios referendam, idcirco non probo, quia neque vetus illa locutio facilè imperito alicui librario io mentem veniſſet, & hoc quoque modo pertenuis ſummà coronatorum ſeptuaginta quinque fuiſſet. Liuius libr 29. Stipendium præterea iis coloniis tria millia æris: aſſes ſingulos imperari, exigiq; quotannis. Non dubito quin Liuius ſcripſerit, IN SINGVLOS: quaſi dixiſſet, in capita. Sic enim libr. 30. Legatis in ſingulos dona ne minus quinum millium.

QVATVOR MILLIA AERIS. Liuius lib. 37. Legatis à Ptolemæo & Cleopatra Regibus Ægypti miſſis, munera dari iuſſit in ſingulos quaternum millium æris.

QVINQVE MILLIA. Liuius 30. Maſſiniſſæ legatis in ſingulos dona nõ minus quinum millium. Comitibus eorum millia æris Prætorem mittere iuſſum.

DECEM MILLIA. Liuius libro 1. Ad equos emendos dena millia æris ex publico data. Magna quidem illa ſumma eſt. nam aureos R. confecit ad quadraginta. neque veriſimile eſt in tanta paupertate tanti equos conſtitiſſe: ſed Equorum vocabulo, vt opinor, etiam ornamẽta complectitur: deinde ſemel ea pecunia dabatur, vt equo perempto, alterum ſibi ſuis oumis eques cõpararet. Idem li. 3. Vterq; magna patrum indignatione damnatus, Romilius decẽ millibus æris, Veturius 15. millibus. Liu. li. 4. Indicibus decem millia æris grauis, quæ tunc diuitiæ habebantur, ex ærario numerata & libertas præmium fuit. Idẽ lib. 5. His rationibus incitata plebs, denis millibus grauis æris reos condemnat. Item eod. vbi de duorum Tribnoorum damnatione loquitur, Peſſimo exemplo obnoxij, denis millibus grauis æris condemnati ſunt. Item eod. vbi de M. Furio: Abſens quindecim millibus grauis æris damnatur. Idem lib. 28. Saguntinorum legatis muneris ergò in ſingulos dari, ne minus dena millia æris. Valer. 4. c. 4. Tatia Cæſonis filia, maximam dotem ad virum decem millia æris attuliſſe viſa eſt.

VNDECIM MILLIA. Liuius lib. 1. vbi de quinta claſſe à Ser. Rege inſtituta loquitur: Vndecim millibus, inquit, hæc claſſis cenſebatur.

DVODECIM MILLIA. Liu. 25. Duodecim millia æris Prætori ad rem diuinam & duas maiores hoſtias dandas.

QVINDECIM MILLIA. Liu. 4. vbi de C. Sempronio loquitur: Cùm dies venit, cauſa ipſe pro ſe dicta, 15. millibus æris damnatur.

VIGINTIQVINQVE MILLIA. Liuius li. 1. In quarta claſſe cẽſus, quinq; & viginti millium.

Agell.

Agell.10 c.6.Ædiles plebei Appij Cæci filiæ ob A exſecrationem in populum mulctam dixerũt,æris grauis viginti quinque millia.

VIGINTI MILLIA.Liuius li.21.Per eoſdẽ dies ſpeculator Carthaginienſis, qui per bienniũ feſellerat,Romæ deprehenſus,præciſisq; manibus dimiſſus: & ſerui quinque & viginti in crucem acti,quòd in campo Martio coniurasſent.indici data libertas,& æris grauis viginti millia.

TRIGINTA millia æris.Liuius 31.Triumphauit de Gallis in magiſtratu L.Furius prætor.in ærarium tulit trecenta viginti millia æris. B

QVADRAGINTA millia æris. Val.4.c.4.Cum Cn.Scipio ex Hiſpania ſenatui ſcripſiſſet,peteret vt ſibi ſucceſſor mitteretur, quia filiã virginem adultæ iam ætatis haberet, neque ei ſine ſe dos expediri poſſet, ſenatus,ne R. ſp. bono duce careret, patris ſibi partes deſumpſit. conſilióque vxoris ac propinquorum Scipionis conſtituta dote,ſummam eius ex ærario erogauit: ac puellam nuptum dedit. Dotis modus quadraginta C millia ęris fuit.Suſpicor Valeriũ ſcripſiſſe,Quadringentum millium.

QVINQVAGINTA millia ęris.Liuius lib.1.Tertiæ claſſis quinquaginta milliũ cenſum eſſe voluit.Idem lib.24.Cõſules ex S.C.edixerũt, vt qui L.Æmilio C.Flaminio Coſs.millibus ęris quinquaginta ipſe aut pater eius cenſus fuiſſet, vſq; ad centum millia, aut cui poſtea res tanta facta eſſet,nautam vnum eum ſex menſium ſtipendio daret:qui ſupra centum millia, vſque ad trecen- D ta millia,tres nautas cum ſtipendio annuo. Valer.4.c.4.Adeò veterum arcta fuerunt patrimonia,vt Megullia, quia cùm quinquaginta millibus ęris mariti domum intrauit,Dotatæ cognomen inuenerit.

SEPTVAGINTA.Liu.1.Secunda claſſis intra centum vſque ad quinque & ſeptuaginta milliũ cenſus inſtituta. Nam prius vocem Æris vſurparat.

CENTVM MILLIA æris. Hic fuit primis E vrbis temporibus cenſus ciuium maximus. Nam Liuius lib. 1. vbi Seruij Regis inſtitutum de claſſibus deſcribit, Prima claſſis, inquit, eorum fuit, qui centum millium æris aut maiorem cenſum haberent. Quam ſummã Dionyſius lib. 4. centum minas interpretatur. Plinius autem lib. 33. c. 3. centum decẽ aſſium millia pronuntiauit.Agell.7.c.13.Claſſici,inquit, dicebantur primæ claſſis homines, qui cẽtum & viginti quinque millia æris,ampliúſve cenſi erant. Ego F Liuij & Dionyſij auctoritatem ſequor:& in horum vtriuſque libris mendum eſſe non dubito: partim ob rotundi numeri rationem, partim quoniam Aſconius Verrina 3.notat, morẽ fuiſſe veterum, vt Cenſi dicerentur, qui centum millia profeſſione detuliſſent. vbi deeſſe ſuſpicor vocem AERIS.Quinetiam eò accedit, quòd Plinius ſcribit lib.33.c. 10. non fuiſſe apud antiquos numerum vltra centum millia. qua de cauſſa ne G nota quidem vlla fuit ſupra CCCIↃↃↃ. poſtea enim multiplicabatur vſq; ad decies.Liuius lib. 32. Egregia duorum opera ſeruorum indicum, & vnius liberi fuit. ei centum millia grauis æris dari patres iuſſerunt. Seruis vicena quina millia æris,& libertatem. precium enim ex ærario ſolutum eſt dominis.Idem lib. 39. vbi de Bacchanalibus: S.C. factum eſt,vt ſingulis hi centena millia æris Quæſtores vrbani ex ærario darent. Idem lib.42.Legatóque centũ millium æris munus miſſum(loquitur de Regis Antiochi legato) & ædes liberæ hoſpitio datæ. vide ſuprà, Quinquaginta millia.

DVCENTA millia æris.Liuius 25.Tribuni plebis ducentum millium æris multam M.Poſtumio dixerunt. Cæſar Ciuil.3.cap.11.Scutóque ad eum relato,Scæuæ Centurionis, inuenta ſunt in eo foramina CCXXX. quem Ceſar, vt erat de ſe meritus & de Rep. donauit millibus ducentis æris:atque ab octauis ordinibus ad primipilum ſe transducere pronuntiauit.Quo ex loco & ſimilibus, ſuperius diximus fieri coniecturam poſſe, interdum, etſi ſeſtertiis, aut denariis, aut aureis ſolutio fieret,tamen ad aſſem rationes duci ſolitas fuiſſe.Liuius lib.33.Tulit in triumpho ducenta triginta ſeptem millia, quingentos: argenti bigati ſeptuaginta nouem millia.vbi non dubito verbum ÆRIS ab initio deeſſe. Nã duobus interpoſitis verſibus:Pecuniæ,inquit,prope par ſumma fuit. Æris tranſlata ducenta & quinquaginta quatuor millia,argenti bigati quinquaginta tria millia & ducenti.

TRECENTA millia æris.Liu.in fi.lib. 11.vbi de triumpho Caruilij de Samnitibus: Æris grauis tulit in ærarium trecenta nonaginta millia.

TRECENTA millia æris. Liuius lib. 22. vbi de voto Q.Fabij Max. loquitur, Cum imperio aduerſus Annibalem miſſi: Eius rei cauſſa, inquit, ludi magni voti æris CCCXXXIII.millibus,trienſe.Quam ſcripturam Budæus lib.3. vitioſam putat, propter hanc Plutarchi in Fabij vita Græcam ſententiam: θέας δὲ μουσικὰς καὶ θυμελικὰς ἄξειν ἀπὸ σηστερτίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν καὶ δηναρίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν, ἔτι τριτημορίου προσόντος. At ego non modò ſcripturam Liuij veram & ſinceram eſſe confido, verùm etiam Plutarchum, qui ſe quodam loco non ſatis Latinæ linguæ peritum fuiſſe fatetur, ab interprete in errorem inductum fuiſſe.Nam cùm Liuius, aliique auctores Latini ſcripſiſſent ÆRIS, vox autem illa(vt iam ſæpenumero demonſtratum eſt) ad quoduis numorum Romanorum genus referri poſſet: interpres Plutarchi conuertit in vocem SESTERTIVM,aut DENARIVM, ſecundo plurali caſu,Latina conſuetudine: ſecundum quam plerunque vocem MILLIVM tacitè comprehendi diximus. Plutarchus igitur eam conſuetudinem ita ſecutus eſt, vt diceret ἀπὸ σηστερτίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν,ſubaudita voce χιλίων,Romano more,vt diximus.Quinetiã probabile videtur,cùm interpres ille ſubieciſſet ἢ δηναρίων, Plutarchum pro ἢ legiſſe per imprudentiam καὶ: quandoquidem hæc Seſtertiorum & Denariorum coniunctio à Romanorum cõſuetudine alieniſſima eſt: qui vnam eandémque ſummam pluribus & diuerſis numorum generibus enumerare non ſolebant:ſed vno duntaxat. Eò accedit, quòd veriſimile non eſt, præſertim in tanto ciuitatis luctu, quantũ propter crebras Annibalis victorias tũ fuiſſe cõſtat, vel Senatũ vel Põtifices toties illo ternario numero inculcãdo pueriliter ludere voluiſſe. præ-

tans illis deeſſet. Ita reliqua parte facta lucri, diſſolutum eſt æs alienum. Duæ enim vnciæ quinta pars eſt deatantis: nec tamen magno detrimento populi affecti ſunt, vt Feſtus ſcribit, cùm ſolùm quinta pars eis abeſſet. Vnde conijcitur malè & contra veterum codicum fidem, hunc locum ab iis corrumpi, qui QVINQVE PARTES, non QVINTAM PARTEM legunt, maximum enim damnum eſſet, ſi pro duodenis ſo æ binæ vnciç reſtituerentur. Poſtea facti ſunt vnciales aſſes, ſic dicti, quòd alia vncia extra ſextantem, aliàs diminutum, illis detracta eſſet. Ita Reſpub. dimidium lucrata eſt eius, quòd dempto ſestante lucrifaciebat mox lege Papyriana ſemunciales facti ſunt, detractáque etiam alia vncia ſemis: quo fit vt pro duodecim ſolæ ſeptem cum dimidio penderentur, qua ratione facta ſequebatur, vt ſeſtertius quattuor aſſibus, denarius ſedecim æſtimaretur. Sic ergo legenda eſt illa clauſula, & in ſuum locum reſtituendum quod peruerſum erat. Mox lege Papyriana ſemunciales Aſſes facti, placuitque denarium ſedecim aſſibus permutari quinarium octonis, ſeſtertium quaternis. Hæc Alciatus: quibus aſſentiens Philander: Locus, inquit, in codicibus Plinij & mendoſus & luxatus eſt, mecúmque Andreas Alciatus ſentit. Hæc illi: quibus tanti & tam abſurdi erroris cauſſam, recepta illa opinio de graui aſſium pondere perpetuò retento atque vſurpato præbuit. Nam vt Dextantarij aſſes facti ſint, aut etiam ad extremum Septunciarij, grauitas tamen, non tanta illa quidem, ſed certè maxima retenta eſt. Summum autem Alciati argumentum eſt, quòd ſi Sextantarij aſſes pro librariis facti fuiſſent, minus magnum creditorum detrimentum fuiſſet. At quæro, vtrum maius detrimentum eſt pro librariis aſſibus ſextantarios, an pro argenteis, puta denarios, æreos, vel certè ſubæratus denarios accipere? Nam Caius quidem Manlius apud Saluſtium ita loquitur: Sæpe maiores veſtri miſerti plebis R. decretis ſuis inopiæ eius opitulati ſunt: ac nouiſſimè memoria noſtra propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum ære ſolutum eſt. Sed huic argumento pluribus verbis paullò pòſt commodiore loco reſpondebimus. Nunc enim abſurdiſſimum illud Alciati commentum demonſtrandum eſt, dum ait, Sextantarios aſſes dictos, qui tamen eſſent pondere deatantario, ob eam autem cauſſam Sextantarios appellatos, quia ſextans iis deerat. Non enim ex eo pondere quod abeſt, ſed ex eo quod adeſt, alicui rei Ponderale nomen imponitur, veluti cùm librarium aſſem dicebant, quod pondere librali eſſet. Vnciarum, quod vnciæ vnius. Quadratariam Clodiam, quod quadrantem flagitio mercedis capiebat. Itaque quod Feſtus ſcribit, decretum à patribus, vt ex aſſibus librariis fierent ſestantarij: nemo ſanus aliter interpretabitur, quàm vt ex aſſibus, qui pondere librali erant, fierent aſſes pondere ſestantis. Quas ob res, cùm Alciatus propter hanc Feſti cum Plinio conſenſionem mutare apertè Sextantariorum, in Dextantariorum nomen auſus non eſſet, Philander mentem Alciati ſecutus, contemta Feſti auctoritate, liberè & confidenter Dextantarios repoſuit. Magis verò etiam illud Alciati ſum admi-

A ratus, vbi ſubiecit, illa ratione reponendum eſſe QVINTAM PARTEM factam lucri, pro QVINQVE PARTES. Nam qui debitor pro duodenis vnciis denos ſoluendo liberatur, certè non quintam crediti partem lucratur, ſed ſextam dumtaxat. Si enim ſeni ſunt in aſſe ſextantes, qui ſenos ſoluendo liberatur, ſextam tantùm partem lucratur. Denique Feſti locus ille quem protulimus, apertè hanc Alciati opinionem repudiat. Bello Punico inquit, populus R. B preſſus ære alieno ex ſingulis aſſibus librariis ſenos fecit, qui tantundem valerent. Quid enim aliud eſt, Ex vno aſſe ſenos aſſes facere, quam pro libra ſestantem facere? Reliqua igitur eiuſmodi commenta omittemus, vt cùm idem ſcribit, vnciales aſſes factos, id eſt quibus, præter illum deatantem, vna inſuper vncia detracta erat. quaſi verò non Dodrantarios potius Plinius dixiſſet, vel ſecundum mirificam illam rationem, quam ſuperius refutauimus, Quadrantarios qui- C bus quadrans deerat. Item, cùm Semunciales aſſes dictos interpretatur, quòd inſuper detracta eſſet vncia ſemis: vt ad extremum as ad ſeptem vncia & ſemunciam redactus eſſet. Quæ omnia & excellenti Alciati ingenio & longiore refutatione indigna ſunt: præſertim apud eos qui locum illum Liuij ex libro 7. legerint: Otium domi foriſque manſit. Semunciarium tantùm ex vnciario fœnus factum. Quis enim vnciarium aut ſemunciarium fœnus Alciati modo inter- D pretari vellet, cùm debitor aſſem dempta vncia vel ſemuncia diſſolueret? Verumtamen vt ad ſummum & vehementiſſimum Alciati & Philandri argumentum redeamus, Feſti fortaſſe nobis obijcietur locus: iſque duplicater: vbi ſic ſcribit: Sextantariis aſſibus percuſſis, vtriſque ſubuentum, & populo, qui eo facilius ære alieno liberabatur, & priuatis, quibus debitum publicè ſolui oportebat: & ea ratione non magno detrimento afficiebatur. Nam magnum certè E priuatorum detrimentum fuiſſe videtur, quibus vnus tantùm ſestans, pro ſenis ſextantibus ſoluebatur. Primùm iam antè ex Saluſtio demonſtratum eſt, vrgentibus Reipublicæ temporibus, ac publicis neceſſitatibus poſtulantibus, multò maiorem boni publici quam priuatorum commodi rationem haberi: vſque adeò vt interdum facta obæratis poteſtas fuerit, pro argenteis nummis æroſos diſſoluere: in quo longè maius creditorum diſpendium ac detrimentum verſaba- F tur. Deinde animaduertendum eſt, Feſtum eo loco compenſationis commodum non obſcurè oſtendiſſe: nam ſicuti populus, hoc eſt ærarium, duodecim (puta) grauis æris millia ſoluendo liberabatur, ita priuatus qui tributi (puta) nomine duodecim æris millia ærario debebat, duo millia ſoluendo ſimiliter liberabatur. qua ex compenſatione vltro citróque facta, non magnum alterutrius partis detrimentum fuiſſe apparet. Quod ſi rurſus ex eodem Feſto aliquis G verba illa obijciat, Septennio quoque anno vſus eſt, vt priore numero: ſed id non permanſit in vſu: nec amplius proceſſit in maiorem: quaſi Feſtus ſignificet, poſt ſeptennium graues aſſes in vſum reuocatos fuiſſe: ſic facilè reſpondebimus: errorem illum (in quo Budæum etiam libro. De aſſe quinto verſatum eſſe video) natum ex

inue-

inueterata (vt initio diximus) opinione, quòd Aſſes Romæ ſemper, excepto illo ſeptennio librales fuerint, æriſque grauis vſus perpetuò retentus. Sed hanc opinionem, primùm ſuperios ille Plinij locus apertè repudiat: qui poſt ſextantarios aſſes ſcribit vnciales percuſſos, tum deinde vncialibus, ſemunciales ſucceſſiſſe. neque vel ex Plinio, vel ex alio auctore idoneo probari fabula illa poterit, quòd Aſſes librales belli punici tempore abrogati, poſtea in vſum reuocati fuerint. Itaque paſſim Aſſis nomen pro minuto numo vſurpatur. Quintil. lib. 6. cap. 3. Auguſtus, ait, militi libellum timidè porrigenti: Noli inquit, dubitare, quaſi aſſem elephanto des. Macrob. 2. Saturn. 3. Cùm quidam ei libellum trepidus offerret, Putas, inquit te aſſem Elephanto dare? Quem Quinctilianus & Macrobius aſſem dixerunt, Suetonius ſtipem appellauit. Tanta comitate, inquit, adeuntium deſideria excipiens, vt quẽdam ioco corripuerit, quòd ſic ſibi libellum porrigere dubitaret, qua ſi elephanto ſtipem. Sed ne longius reſponſionem, quàm ea ipſo Feſti libro, repetamus, tantùm hoc dicimus, tres ſummos viros, qui in recenſendo Feſto elaborarunt, apertè profiteri, locum illum mutilatum in veteribus membranis fuiſſe. quod etiam abſurditas illius locutionis oſtendit, Septennio anno. Quare præterquam quòd ex loco perſpicuè corrupto ſumi argumentum non poteſt, dico totam illam Feſti clauſulam ita commodè reſtitui poſſe: vt ad vocẽ SEXENNIVM, quæ continenter ſubiungitur, referatur: hac videlicet ſententia: Sexennium dicebant antiqui, & Sexennes: & Septennio quoque pro Septimo anno populus vſus eſt, vt priore numero: ſed id non permanſit in vſu, nec amplius proceſſit in maiorem. quia non dictum eſt Octennium, aut Nouennium, ſed Decennium. Verùm hac de re ſatis ſupérque diſputatum eſt. Reſtat vt concludamus, Aſſem leuiorem ita definiri poſſe, Numum æreum, veteris reſpectu ſemuncialem, nouo tamen inſtituto & fictione Iuris æquè duodecim vnciarum, eiuſdemque pretij, Iani & nauis nota inſignitum. Nam prout libræ veteris pondus decreuit, ita partes eiuſdem omnes decreuerunt: cùm tamen fictione nõ ſecus vnciæ duodecim in hoc ſemunciali aſſe numerarentur, atque in illo antiquo & re & nomine librario. quã eandem fictionem in aliis quibuſdam numis inductam fuiſſe, poſterius demonſtrabimus.

De diuiſione Aſſis, eiúſque partibus minutioribus.

CAP. XI.

PORRO quod ſuperius diximus, repudiandã eſſe vulgi opinionem, iam vbique inueteratam, Aſſem fuiſſe numum æreum omnium minimi precij, planius explicandum eſt. Nam parui certè precij fuiſſe negari non poteſt: quia veteres paſſim ita de Aſſe, vt de re vili & exigui pretij, locuti ſunt. Catullus,

Rumoréſque ſenum ſeueriorum
Omnes vnius æſtimemus aſſis.

Cicero in Quinctiana: Aſſem ſe negat daturum. Sueton. Auguſt. Ex nocturno viſu ſtipem quotãnis die certo emendicabat à populo, cauam ma-
A num aſſes porrigentibus præbens. Iuuenal. Satyra 14.

-merſa rate naufragus aſſem
Dum negat, & picta ſe tempeſtate tuetur.

Liuius 4. L. Minutius boue aurato eſt donatus,
ne plebe quidem inuiſa, quia frumentum Mælianum aſſibus in modios æſtimatum plebi diuiſit. Cicero de Offic. 2. Ne Marco quidem Seio
vitio datum eſt, quòd in caritate annonæ aſſe
modium populo dedit. Plin. lib. 21. cap. 3. vbi de
B Scipione Serapione loquitur: Nec ei fuit in bonis
funeris impenſa. Aſſes ergo contulit populus,
ac funus elocauit. Matthæus cap. 10. Nónne duo
paſſeres aſſe veneunt? οὐχὶ δύο ςρυθία ἀσσαρίου πωλεῖται; Plin. 19. Etiámne in hortis diſcrimen inuẽtum eſt, opéſque differentiam fecere in cibo etiã
vno aſſe venali? Paruus igitur, vt diximus, numus fuit Aſſarius: ſed paruo numo alij ſunt minores, iique ſane complures. Primùm enim quot
Aſſis partes ſolemnes numerari ſolent, quæ lip-
C pis (vt ait Horatius) & tonſoribus notæ ſunt,
exiguiores Aſſe fuerunt. quod Varro libro 4. his
verbis docet: Æris minima pars, Sextula, quòd
ſexta pars vnciæ: ſicut Quadrans, quod quarta,
& Triens tertia pars. Semiſſis, quòd ſemiæs, id eſt
dimidium aſſis. Hæc ille. Ex quibus plurimos
Aſſe minutiores numos fuiſſe apparet, fortaſſe
quot aſſis partes fuerunt. Quorum autem mentionem apud auctores reperi, eos exponam, ſi
prius ex Martiano hoc ſubiunxero: Aſſem bipar-
D titò diuidi: in partes ſcilicet pares & impares:
diuiſionémque illam eſſe ſexcuplicem. I. in duos
ſemiſſes. II. in tres trientes. III. in quattuor
quadrantes. IV. in ſex ſextantes. V. in octo ſeſcuncias. VI. in duodecim vncias. At in partes
impares fuit quintuplex. I. in vnciam & deuncẽ.
II. in ſextantem & dextantem. III. in quadrantem & dodrantem. IV. in trientem & beſſem. V.
in quincuncem & ſeptuncem. Licebit etiam nõ
ineleganter quaſi conſtructione pauaillatim: ſeſ-
E ſis aceruum ita conſtituere: vt vnciæ ad vnciam
additione, ſextans efficiatur: ſextantis ad vnciã
adiectione, quadrans: quadrantis, triens: trientis, quincunx: quincuncis, ſemis: ſemiſſis, ſeptũx:
ſeptuncis, bes: beſſis, dodrans: dodrantis, dextans: dextantis, deunx: deuncis verò As ſolidus
coaceruetur.

SEMIS igitur, numulus fuit æreus, precio
& pondere dimidiam Aſſarij partem exæquans,
Iani ac nauis nota inſignitus. Varro de ling. 4.
F Semiſſis, inquit, quòd ſemiæs, id eſt, dimidium
aſſis. Idem lib. Ruſt. 3. c. 7. Antequam ædifices rure columbarium, magnum condiſcas in vrbe lucrum, aſſe ſemiſſem condere in loculis. Nonnulli emendant. Ex aſſe ſemiſſem, præpoſterè. Nam
hæc eſt quaſi vſura ſemis. Vatin. in Epiſt. ad Ciceron. Simius, non ſemiſſis homo, contra me arma tulit. Tertul. in Apologet. Licet nunc Sarmentitios & Semiſſios appelletis, quia ad ſtipitẽ
dimidij aſſis reuincti ſarmentorum ambitu exu-
G rimur. Lucillius apud Nonium:

Præterquam in pretio primus ſemiſſe ſecundus
Numa, tertius iã plures quàm totius medimnus.

Polyb. ἡμιασσάριον appellat: lib. hiſt. 2. ὡς μὲν ἐπὶ τοπολὺ παρίενται τοὺς καταλύτας οἱ πανδοχεῖς, ὡς ἱκανὰ πάντ' ἔχειν τὰ πρὸς τὴν χρείαν ἡμιασσαρίου. τοῦτο δ' ἔστι τέταρτον μέρος ὀβολοῦ. Sed eum locum

ſuperius interpretati ſumus.

Triens, fuit numulus æreus, pondrris & precij trientalis, ratis ſigno percuſſus. Varro De ling. 4. Triens dictus, quòd eſſet tertia pars aſſis. Plin. 33. c. 3. Nota æris fuit ex altera parte Ianus geminus: ex altera roſtrum nauis. In triente verò & quadrante, Rates. Idem lib. 34. c. 13. Vnum etiã num æris miraculum non omittemus. Seruilia familia illuſtris in Faſtis, trientem æreum paſcit auro & argento, conſumentem vtrumque. Origo atque natura eius incomperta eſt mihi: Verba ipſa B de ea re Meſſalæ ſenis ponam. Seruiliorum familia habet trientem ſacrum, cui ſumma cum cura magnificentiáq; quotannis ſacra faciunt: quem ferunt aliàs creuiſſe, aliàs decreuiſſe videri, & ex eo aut honorem aut diminutionem familiæ ſignificari. Iuuenal. Saty. 3. *Infelix nec habet quem porrigat ore trientem*. Feſtus: Ratitum quadrantem dictum putant, quòd in eo & triente ratis fuerit effigies: vt nauis in Aſſe. C

Qvadrans, fuit numulus æreus, ponderis & precij vnciarum trium, ratis nota inſignitus. Itaque dicebatur etiam Triunx & Triuncis. Sed non Teruntius, vt Budæus exiſtimauit, qui lib. de aſſe 2. ita ſcripſit: Triens fuit numus, tertia pars aſſis. ceterùm quem Quadrantem Plinius & Triuncem appellat, Cicero Teruntium appellauit. Imò Teruntius argenteus fuit numus, vt ſuo loco docebimus. Quadrans, ſiue Triunx æreus. neque Triens fuit aſſis pars tertia, ſed quarta: vt D mox docebimus. Plin. 33. c. 3. Quadrans, inquit, antea triuncis vocatus a tribus vnciis. Varro De ling. Lat. 4. vbi de numis æreis: Quadrãs dictus, inquit, quòd quarta pars aſſis. Et alio loco: Hinc vecturæ quas ſoluebant hi qui ratibus trãſibant, Quadrans. Ab eo Lucilius ſcripſit: Quadrantis Ratiti. Liuius lib. 2. vbi de Valerij Conſulis interfecti corpore loquitur, In Conſulis domum plebes quadrantes, vt funere ampliore effer- E retur, iactaſſe fertur. Plin. De viris illuſtrib. Menenius Agrippa tanta paupertate deceſſit, vt eum populus collatis quadrantibus ſepeliret. Alij Sextantibus ſcribũt: vt paulò pòſt dicemus. Plutarch. in Public. ὁ δὲ δῆμος ἐψηφίσατο δημοσίᾳ ταφῆναι τὸ σῶμα, καὶ τεταρτημόριον ἕκαστος ἐπὶ τιμῇ συνεισήνεγκεν. Populus iuſſit cadauer eius publico funere efferri: quocirca ciues ſinguli ipſius honoris cauſſa quadrantes cõtulere. Merces hęc fuit balneatoribus dari ſolita. Iuuenal. Satyr. 6. F

Cædere Syluano porcum, quadrante lauari.

Horat. Satyr. 3. verſ. 1. Quadrante lauato. Seneca Epiſt. 13. Rem quadrantariam dixit, pro balneo. Cur exornaretur res quadrantaria, & in vſum, nõ oblectamentum reperta? Hinc illud Ciceronis pro Cœlio: Niſi fortè mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori. Quadrantes centum ſalutatorum ſportulam fuiſſe, multis locis intelligitur. Nã cùm olim cœnæ præberentur, poſtea inſtitutum fuit, vt obſonij loco centeni quadrantes darentur. Martialis:

Sportula nos iunxit quadrantibus arida centum. G

Item,

Centum miſelli iam valete quadrantes,
Ante ambulonis congiarium laſſi.

Item,

Dat Baiana mihi quadrantes ſportula centum.

Item,

A *Inuitas centum quadrantibus, & bene cœnas.*

Sed quid eſt, quod idem Martialis eos plumbeos appellat? lib. Epigr. 10.

—quandiu ſalutator
Ante ambulones & togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto?

Vtrum quòd plumbo admixto conflabantur, an potiùs quod cùm parui ad precium intereſſet, ſolidi ex plumbo nonnulli cudebantur? vt ſuperius diximus. Memoratu etiam dignum eſt, quod B Velleius lib. 2. ita ſcribit: In Marij demortui locũ ſuffectus Valerius Flaccus turpiſſimæ legis auctor, qua creditoribus quadrãtem ſolui iuſſerat, cuius eum pœna intra biennium conſecuta eſt. Marcus Euãg. c. 12. Καὶ ἐλθοῦσα μία χήρα πτωχὴ ἔβαλε λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης. Cùm vidua quædã paupercula ad gazophilacium acceſſiſſet, intulit minutulos duos numos, qui eſt quadrans. Romanam tamen hanc nõ fuiſſe pecuniam, poſteaquã C Epiphaniũ legi, ſuſpicari cœpi. Martial. Epigr. 2.

Et quadrans mihi nullius eſt in arca.

Sextans fuit æreus numulus, ſextantarij ponderis, & pretij, Iano, vt opinor, & naue inſignitus. Nam cùm Trientibus & Quadrantibus Ratis attribuatur, conſentaneum eſt, commune ſignum ceteris relictum fuiſſe. Varro libro De ling. Lat. 4. vbi de numis æreis loquitur: Sextãs, inquit ab eo quòd ſexta pars aſſis. Itaq; Plin. lib. 33. c. 10 nominatim ſextantes æreos appellat. D Nam quòd Agrippæ Menenio, inquit, ſextantes æreos in funus contulit, honoris neceſſitatiſque propter paupertatem Agrippæ, non largitionis eſſe dixeris. Quam eandem rem Valerius lib. 4. cap. 4. commemorans: Menenius Agrippa inquit, arbiter publicæ ſalutis, quem Senatus & plebis pars inter ſe faciendæ auctorem legit, niſi à populo collatis in capita ſextantibus funeratus eſſet, ita pecuniæ inops deceſſit, vt ſepul- E turæ honore caruiſſet. Liuius lib. 2. Eodem anno Agrippa Menenius moritur, ſumptus funeri deſuit. Extulit eum plebs, ſextantibus collatis in capita. Cic de Orat. 2. vbi de iocis loquitur: Vt tuus amicus, Craſſe, Granius, Non eſſe ſextantis. Granius præco dicacitate & facetiis nobilitatus, qui quanti quiſque in auctione licitatus eſſet, magna voce pronũciare ſolitus erat, cùm de quodam fortè Sextio, vel Sextilio ſermo incidiſſet, dixit, Non eſſe ſextantis: hoc eſt, non F valere duas vncias.

Septvnx, pro portione ſimiliter definitur. Varro de ling. Lat. 4. vbi de numis æreis: Septunx à ſeptem & vncia.

Devnx, inquit eodem loco, à duodecim, vna dempta vncia.

Dextans, dempto quadrante.

Bes, vt olim Des, dempto triente. Poſtea numos argenteos enumerat.

Sescvncia, numulus vncia & ſemuncia valẽs: dictus quaſi ſeſquiuncia. Pomponius Piſtoribus apud Non. Pappus hic in medio habitat ſenica, G non ſaſcuncia. Fortaſſe ſeſcunciæ, caſu ſecundo: vt ſupra Non ſemiſſis homo. &, Non eſſe ſextantis. vide paulo pòſt Sesqvias.

Vncia, numulus fuit æreus, põderis & precij vncialis, communi, vt opinor, ſigno percuſſus. Plin. 34. c. 5. P. Manutio præfecto annonæ extra portam trigeminã vnciaria ſtirpe collata. neſcio

an primo honore tali à populo: antea enim à Senatu erat. Loquitur de ſtatua Minutio ex publica vnciarij numi collatione poſita. Donatus in illũ Phormionis locum: *Quod ille vnciatim vix de demenſo ſuo, &c.* Sic veteres, inquit, cùm expenſa pecunia ferretur, more veterum: non, vt nunc, adnumeraretur. Aſſis, libra erat: eiuſq; partes, vnciæ. Rurſus vnciæ vnius, duodecima pars libella dicebatur. Meritò ergò non per ſingulos ſeſtertios, neque per ſingulos denarios, neque per ſingulos aſſes: ſed id quod ὑπερβολικῶς minimum fuit, per ſingulas vncias vnciatim dixit. Et Cicero, Ecquis Volcatio, ſi ſua ſponte veniſſet, libellam vnam dediſſet? Hæc Donatus. quæ ſanè aliqua ex parte obſcura videri poſſunt. Nã & Varro minimum æris numum dixit eſſe Sextulam, vt mox intelligetur: neq; libellæ mentionem æreæ vnquam adhuc vllã animaduerti ſed argenteæ dumtaxat, vt ſuo loco demonſtrabimus.

Semvncia, numulus fuit æreus, precij & ponderis ſemuncialis. Varro de ling. 4. Æris minima pars, Sextula: quòd ſexta pars vnciæ. Semuncia, quòd dimidia pars vnciæ. Aſcon. in Milonian. Milo in exiliũ Maſſiliam intra pauciſſimos dies profectꝰ eſt. bona eius propter alieni æris magnitudinem ſemuncia venierunt.

Sextvla, numulus fuit æreorum omnium minutiſſimus, communi, vt opinor, ſigno notatus. Varro de ling. 4. Æris minima pars Sextula, quòd ſexta pars vnciæ.

Sesqvias, ſeſquiaſſis: as & ſemis: vt Seſcũcia vncia & ſemis. Nuſquam tamen hoc verbum legere memini, niſi apud Didymum, cuius hæc verba Priſcianus profert: τὰ γὰρ δύο ἥμισυ ἀσσάρια, συνήρτηκε φασί. τοῦ μὲν σε, τὸ ἥμισυ δηλοῦντος, ὡς ἐν τῷ σημόδιον, σέσκουας (legendum opinor, σέσκουας) σέσκουπλα. τὸ δὲ σέσκουας, σύνθετόν ἐστιν ἀπὸ τοῦ σε καὶ τοῦ κουμ, καὶ τοῦ ας ασσις. καὶ ἔστιν ἥμισυ σὺν ἀσσαρίῳ τοῦτ' ἔστιν ἓν ἥμισυ ἀσσάριον. Duos aſſes, inquit, & ſemis Seſtertium appellant. nam particula Se ſignificat dimidium, vt in Semodiũ, Seſcuas (lego Seſquias) ſeſcupla. Seſquias autem compoſitum eſt ex particula Se & Coum & As aſſis: & eſt ſemis cum aſſe: hoc eſt, as vnus & ſemis. Hæc ille. in quam ſententiam hæc Varronis exſtant lib. 4. Semuncia, quòd dimidia pars vnciæ. Se valet dimidium, vt in ſelibra & ſemodio. Quod autem Didymus Seſquiaſſem notat compoſitum ex tribus, quaſi Semis, cum aſſe: mihi æquè obſcurum eſt, ac ſi diceret, Seſquiplex, quaſi ſemis cum ſimplice. Quorum tamen ſimilia nonnulla apud Varronem animaduerti licet.

De duobus aſſibus, ſiue Dupondio.

CAP. XII.

Asses duo ſeiunctim dicebantur: coniunctim verò, Dupondius, ſiue Dupondium. Nam vtroque genere pronunciari, Varro De ling. Lat. 8. idoneus auctor eſt. Fuerunt etiam qui Dipondius ſcriberent. erat autem is numus æreus, ponderis ac precij aſſium duorum, communi, vt opinor, nota inſignitus: hoc eſt, Iano & naue. Varro De ling. 4. As ab ære: Dupondius à duobus ponderibus, quòd vnum pondus Aſſipõdiũ dicebatur. Idem lib. 8. As eſt ſimplex. Dupon-

A dius duos aſſes pẽdebat. Plin. 33. c. 3. Libralis (vnde etiam libella nunc dicitur) & Dupondius appendebatur Aſſis. Priſcianus, Dupõdius à duobus ponderibus quod vnum pondus Aſſipondiũ dicebatur: ideò quòd As erat libræ põdus. Quinctil. lib. 1. Quid? quòd quædã quæ ſingula proculdubio vitioſa ſunt, iũcta ſine reprehenſione dicũtur? nam Dva & tre & pondo diuerſorum generũ ſunt barbariſmi: at Dvpondio & Trepondio vſq; ad noſtrã ætaté ab omnibus dictũ B eſt (puto legendũ caſu recto, Dupondiũ & Trepondiũ) Quibus locis hæ definitiones probãtur: Dupondius eſt as duplex: æs bilibre: numus æreus bilibris. In gloſſario, dicitur, διπούνδιος. Iuſtinianus ſcribit, olim iuris ſtudioſos anno primo Dupondios dictos, ridiculo vocabulo: & fortaſſe an hac mente, quòd Grammaticæ artis auditores aſſipondios altero tanto ſuperarent. De ſigno communi, ſatis hoc argumenti eſt, quòd nullum ei proprium ab auctoribus attribuitur. C Sunt qui in Orat. pro Quinctio ita legant: Si dupondius tuus ageretur, Sex. Næui, ſi in paruula re captionis aliquid vererere. Sed mendum illud iã pridem eſſe docuimus: legendúmque De prædiis tvis: neque Latini ſermonis conſuetudo virium illud patitur. Columella libr. 4. c. 1. Dupondium ad menſuram tranſtulit, ac pro duorũ pedum menſura duobus locis dixit. Vlpianus ad ſolidum, & duorum aſſium ſiue viginti quatuor vnciarium integritatem. l. item quod. 17. D. D de hered. Inſtit. Lucas cap. 12. οὐχὶ πέντε στρουθία πωλεῖται ἀσσαρίων δύο; Nõne quinq; paſſeres duobus aſſarijs veneunt? Liuius lib. 33. Ædiles Curules M. Fuluius Nobilior, & C. Flaminius tritici decies centum millia, (non dubito legendũ eſſe centena, & vocem modivm, ſubaudiendam) binis æris populo diuiſerũt. Plin. 33. 12. vbi de pigmento Sile loquitur: Precium in libras huius HS bini. dipõdijs verò detractis, quod lucidum vocant, è Gallia veniens. Significat, opinor, tresſem. E

De duobus aſſibus & ſemiſſe, ſiue ſeſtertio.

CAP. XIII.

Partitione Duo aſſes & ſemis ſeiunctim dicebantur: coniunctim autem Seſtertius. Veteris ſeſtertij ærei nemo eorum, qui ante mé ſcripſerunt, mentionem facit, quãtum mihi quidẽ animaduertere licuit. Quinetiam Budæus lib. F De aſſe 2 pag 148. Seſtertius, inquit, nunquam æreus fuit, ſed ab initio ſtatim duos aſſes & ſemiſſem valuit. Contrà Varro, qui libro de ling 4. ita ſcribit: Seſtertius quòd ſemis tertius. Dupondius enim & ſemis, antiquus ſeſtertius eſt. & veteris conſuetudinis eſt, vt retro æra numerẽtur, ita vt Semis tertius, Semis quartus pronũciarẽt. Seſtertius igitur ab ſemis tertius dictus Hæc Varro: ex quibus intelligitur, aliũ fuiſſe apud antiquos, aliũ G Varronis ætate ſeſtertiũ. veterẽ enim æreũ fuiſſe: ſed poſt argenteum ſignatum, illius vſum obſoleuiſſe. Animaduerti tamen poſterioribus ſeculis denuò reſtitutum æreum ſeſtertium fuiſſe. Nam Vopiſcus in Aureliano ex Valeriani epiſtola hæc edit: Aureliano, cui Conſulatum detulimus, ob paupertatem, qua ille magnus eſt, ceteris maior, dabis ad editionem Circenſium;

aureos Antonianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos tria millia, in æternum quinquagies. Idem in Bonoſo: Ipſi dabis aureos Philippeos centum, argenteos Antonianos mille, æris HS decies. ſed de notione verbi Seſtertius, plura poſterius ſub Seſtertio argenteo dicemus.

Tres asses ſeiunctim dicebantur: coniunctim autem TRIPONDIVM, ſiue TRESSIS: qui fuit numus æreus, precij & pôderis trium aſſium, communi (vt credi par eſt) nota inſignitus. De Tripôdij nomine teſtimonium ex Quinctiliano modò paulò antè protulimus. Varro de ling. 4. Treſſis à tribus aſſibus: & pro portione vſque ad Nonuſſis. Item alio loco: A Treſſibus vitilia multitudinis. Hei Treſſeis: &, Heis treſſibus: cùm ſit ſingulare, Hoc Treſſis. ab eo ſic deinceps ad Centuſſis. Fuiſſe autem numum æreum, idem lib. 8. his docet verbis: Treſſis ex tribus æris. quod ſic pro aſſibus nonnumquam æs dicebant antiqui. Itaque pro leui pecunia vſurpabãt: velut apud Perſium Sat. 5.

Hic Dama eſt: non treſſis agaſo.

Nonius Marcell. Nubentes veteri lege Romana aſſes tres ad maritum venientes ſolebant ferre, atque vnum quẽ in manu tenerent, tanquam emendi cauſſa marito dare: alium quem in pede haberent, in foco larium familiarium ponere: tertium in ſacciperione cùm condidiſſent, compito vicinali ſolere reſeruare. Liuius lib. 39. de M. Catone Cenſore loquens: In cenſibus quoque accipiendis triſtis & aſpera in omnes ordines cenſura fuit. Ornamenta & veſtem muliebrem, & vehicula, quæ pluris, quàm quindecim millium æris eſſent, in cenſum referre viatores iuſſit, item mancipia minora annis xx. quæ poſt proximum luſtrum decem millibus æris aut eo pluris veniſſent, vti ea quoque X pluris, quam quanti eſſent, æſtimarentur: & his rebus omnibus terni in millia æris attribuerentur. Sic enim locus ille etiam in libris centum ab hinc annis in Italia editis legitur: in alijs verò pro nota X. ſcriptum eſt DECVPLO. in aliis quos iampridem Budæus, & poſt illum Sigonius ſecutus eſt, DECIES. quinetiam in aliis eo amplius legitur, DECVPLO TANTO PLVRIS. In aliis verò DECIES TANTO PLVRIS. Qua ex varietate multiplex mihi naſcitur obſcuritas. Quæri enim meritò primùm poſſe video, vtrum tandem illa laudabilis Cenſoria ſeueritas videatur, an potius vituperabilis acerbitas: verum iuſtitia, an iniuſtitia, decies tanto pluris ſeruos æſtimare, quàm quanti empti fuerãt. Quæri præterea meritò poterit, ſatiſne Latinè dicatur, Decies pluris æſtimare, pro Decuplo pluris. poſtremò, licueritne Cenſori nulla lege, nullo crimine nominato, tanto damno, tantaque mulcta tot ciues R. afficere, vt non modò res eas quæ cenſeri antea non ſolebant, in cenſum referrent, verùm etiam decuplo pluris, quàm quanti eſſent, æſtimarent? Dum his quæſtionibus aliquis reſpondeat, interea verecundè ſententiam animi mei proferam, cuius iudicium eruditioribus integrum permittam. Scriptum enim à Liuio ſic fuiſſe arbitror, Vti ea quoque decem, aut pluris, quanti quanti empti eſſent, æſtimarentur: & ex his rebus omnibus terni in millia æris attribuerentur. Quemadmodum enim Cato in veſte &

A mundo muliebri & vehiculis cenſendis eam æſtimationẽ ſecutus fuerat, quam emptores in emendo tenuerant, ita in ſeruis feciſſe intelligitur: vt qui ſerui immenſo precio, decẽ millibus æris, empti fuerant, tantidem hoc eſt, denis millibus æris æſtimarẽtur: qui pluris, etiam pluris: nimirũ quãti quanti empti fuerant. Sic enim Cicero ſcripſit epiſt. ad Attic. lib. 12 Sed quanti, quanti: bene emitur quod neceſſe eſt. Itaq; pro particula AVT vox TANTO irrepſit: pro QVANTI QVANTI, ſup-
B poſitum eſt QVAM QVANTI. pro numero DECEM, vox DECVPLO. neque quenquã eruditum fore virum arbitror, qui nõ facilè agnoſcat, ita Latinæ linguæ conſuetudinem flagitare. Me tamen, vt ingenuè fatear, Plutarchi grauiſſima mouit auctoritas, qui in Catone Maiore hac ipſa de re ita ſcribit: ἐσθῆτος, ὀχήματος, κόσμου γυναικείου, σκευῶν τῶν περὶ δίαιταν, ὧν ἑκάστου τὸ τίμημα δραχμὰς χιλίας πεντακοσίας ὑπερέβαλλεν, ἀποτιμᾶσθαι πλείονος ἠξίωσε τὸ δεκαπλάσιον. βουλόμενος ἀπὸ
C μειζόνων τιμημάτων αὐτοῖς μείζονας καὶ τὰς εἰσφορὰς εἶναι καὶ προσετίμησε τρεῖς χαλκοῦς πρὸς τοῖς χιλίοις. Quem locũ Xilander & Cruſerius ſuo arbitratu conuerterunt. Hic certè τὸ δεκαπλάσιον, in quo ſummũ momentũ fuit, mirè præteriit. Sigonius autẽ hunc modũ in Liuij notis expreſſit. Coëgit veſtimẽta, vehicula, mundũ muliebrẽ, & familiarem ſuppellectilem, ſi pluris quàm mille & ducentas libras æſtimata eſſent (omiſit vocẽ ἑκάστου, quę ponderis plurimũ habuit) decuplo pluris æ-
D ſtimari, quòd vellet eos, quorum res pluris æſtimatæ eſſent maiora etiam tributa conferre. Itaque ſingulis millibus ternos æreos attribuit. Nos autem non incommodè, vt ſperamus, ſic interpretabimur: Coëgit veſtis, vehiculi, mundi muliebris, vaſorum domeſticorum, quorum vniuſcuiuſque æſtimatio drachmas mille quingentas ſuperaret, pretium conſtitui vſque in decuplum. Nam ex maiore cenſu maiora illis imponi tributa volebat. Itaque ternos aſſes in
E ſingula æris millia inſuper iis attribuit: hoc eſt, præter ea tributa, quæ antea pendebant, ex harum rerum æſtimatione ad cenſum addita, ſtatuit, vt in ſigula æris millia ternos inferrent. Quibus ex verbis quàm longè à Liuij ſententia Plutarchus aberrarit, facile eſt animaduertere. nam neque de ſingulorum vaſorum, aut veſtium, aut vehiculorum æſtimatione Liuius quicquam pronuntiauit: ſed in vniuerſum de omnibus. deinde, vt maximè decupli mentio-
F nem feciſſet, tamen non ad illarum rerum æſtimationem decuplationem illam retulit: vt fecit Plutarchus: ſed ad ſolam ſeruorum æſtimationem, quos ad delitias impenſo precio mercati fuerant. Neque verò nouum eſt, Plutarchum, in rebus Romanis hallucinari. quanquam hoc quidem loco non ipſi, ſed iis quibus vſus eſt Latinis exemplaribus, erroris culpa tribuenda eſt. Culpa igitur vnius eſt librarij, qui in nota X. nobis μῦθον ἴσαιδος importauit: cùm illã Plutarchus
G DECVPLO, Budæus & alij, DECIES: ego ſimpliciter pro decem ſum interpretatus.

Qvatvor asses, vno vocabulo dicebantur Quadruſſis: qui fuit numus æreus communi ſigno percuſſus. Plutarchus in Mario, Fanniam, inquit, Tinnius in matrimonio habuerat. (legẽdum eſt TITINNIVS) Ea diuortio facto de-

tem reprtebat, quam pergrandem attulerat. Hic adulterium ei obiiciebat. Marius ſextùm Conſul index erat. Cauſa vtrinq; audita, cognitum eſt, & Fanniam impudicè vixiſſe: & Titinnium cùm illam talem noſſet, dotis lucrandæ cauſſa nihilominus duxiſſe: diúque illam in matrimonio habuiſſe. Marius poſtquam vtrumque increpuit, virum dotem iuſſit reddere mulierem autem infamiæ damnatam, quattuor aſſibus damnauit: *τῆς δὲ γυναικὸς ἀτιμίας ἕνεκα τῇ καταδίκῃ χαλκοῦς τέσσαρας προσθέμενον.* Valet. autem lib. 8. cap. 2. ſeſtertium numum poſuit. Vterque rectè & congruenter. quoniam, vt ſuo loco demonſtrabitur, ſeſtertij æſtimatio bello Punico, ad aſſes quattuor perducta eſt: qua de cauſſa apud Iuſtinianum in l. vlt. §. vlt. C. de donat. quod de quattuor aſſibus poſt vnius ſeſtertij mentionem adiectum eſt, de gloſſa ſumptum eſſe non dubito. Sapienter autem Marius in ea ſententia pronuntianda verſatus eſt. Nam qui ſciens impudicam duxerat, lucro dotis ob grauiores mores commiſſæ mutandus fuit. Serò enim accuſabat vxoris mores, quos eam ducendo comprobarat: inquit, l. ſi vxor, 13. §. vlt. D. ad leg. Iul. de adult. Quattuor aſſes Martialis Quaternum æs dixit:

Amphora vigeſſis, modius datur ære quaterno.

QVINQVESSIS pro rata portione, item vt ſuperiores definiendus eſt. Apuleius in Epitomo apud Priſcianum lib. 6. Sed cum ſeſtertius dipondium ſemiſſem, Quinarius, quinqueſſis, Denarius decuſſis valebat. vbi Quinqueſſem & Decuſſem nullo, vt ſpero, repugnante reſtituemus.

SEXCVSSIS.

SEPTVSSIS.

OCTVSSIS, Plin. 4. c. 14. ex edicto Cenſorum: Ne quis vinum Græcum Aminæúmque octonis aſſibus in ſingula quadrãtalia venderet. Horat. 2. Serm. Sat. 3.

Quanti empta? paruo. quanti ergo? octaſſibus.

NONVSSIS.

DECVSSIS, qui & Denarius virili, & Denarium neutro genere dicebatur, numus fuit æreus, precij ac ponderis aſſium decem, nota Iani & nauis inſignitus. Varro de ling. 4. Treſſis & ſic proportione vſque ad Nonuſſis. in denario numero hoc mutat. quod primum eſt ab decem aſſibus Decuſſis: ſecundum ab duobus decuſſibus, Viceſſis. Quem locum ſic interpretor, vt ab aſſe certa fuerint & propria cuiuſque præcedentis numeri vocabula: Dupondius, Treſſis, Quadruſſis, Quincuſſis, Septuſſis, Octuſſis, Nonuſſis, Decuſſis, at Vndecuſſis non diceretur, nec Duodecuſſis, ſed Vndecim æris, Duodecim æris: vbi ſubauditur Numi. Nunc de quadruplici Decuſſis, ſiue Denarij veteris materia dicendum eſt. Quod enim vulgo traditur, æreum nullum denarium fuiſſe, manifeſtò falſum eſt. Budæus quidem, quem alij ad vnum omnes ſecuti ſunt, in lib. De aſſe 5. ſic ſcribit: Denarius nũquam æreus fuit apud Romanos, nec Drachma apud Græcos. ſed ante argentum ſignatum Decuſſis æreus fuit, vt Centuſſis. Non animaduertit ſcilicet vir eruditiſſimus, Decuſſim & Denarium promiſcuè olim appellatum. Itaque receptam hanc opinionem auctoritate veterum refellemus. Macrob. Sat. 1. c. 7. Cùm Ianus primus æra ſignaret, ſeruauit & in hoc Saturni reuerentiam, vt quoniã ille

A nani fuerat auectus, ex vna quidem parte ſui capitis effigies ex altera verò nauis exprimeretur. Æs ita fuiſſe ſignatum, hodiéq; intelligitur in aleæ luſu, cùm pueri denarios in ſublime iactantes, capita aut nauim (luſu teſte vetuſtatis) exclamant. Quibus verbis perſpicuè oſtendit, quamuis Denarius, quo tum vtebantur, eſſet argenteus, & bigarum nota inſignitus, tamen veteri ſeculo Denarium æreum fuiſſe, & æreæ pecuniæ figuram illam duplicem habuiſſe, de qua iam perB ſæpè dictum eſt. Luſus autem illius puerilis (qui me puero etiam Lutetiæ frequens erat) meminit etiam Aurelius Victor in Orig. gent. R. Iuſtum etiam viſum (inquit) ſignandi æris ac monetæ in formam excutiendæ oſtendiſſe traditur: in qua ab vna parte caput eius imprimeretur, (loquitur de Iano) altera nauis, qua vectus ille erat. vnde hodiéque aleatores poſito numo, operróque, optionem colluſoribus ponunt enuntiandi, quid putent ſubeſſe, caput aut nauem. Planius autem C etiam Feſtus de denario æreo loquitur, his verbis: Graue æs dictum à pondere, quia deni aſſes (ſinguli pondo libræ) efficiebant denarium, ab hoc ipſo dictum denarium. Quem tamen locum nonnulli ſic reſtituendum putant: Quia aſſes ſinguli pondo libram efficiebant deni autem Denarium, ab hoc ipſo numero dictum. Quinetiam Plutarchus in Camillo, Denarium & ex ære, Camilli temporibus, oſtendit fuiſſe, & aſſes decem valuiſſe & in genere neutro vſurpat. *ἀσσάριον γὰρ*

D *ἦν τὸ ἀργύρεον. καὶ τὸ δ' ἐκάχαλκον οὗτος ἐκαλεῖτο δηνάριον.* Aſſarium, inquit, erat numus. & is numus æreus decuplatus ex eo dicebatur Denarium. Sed nemo apertius quàm Vopiſcus in Aureliano, ex ipſius epiſtola: Ipſi autem ad ſumptus, aureos Antoninianos diurnos binos, argenteos Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum: reliqua per præfectos ærarii præbebantur. De precio item & poteſtatè Chariſius lib. 1. ſimiliter teſtatur: Apud antiquos, inquit, Dena-

E rius decem aſſes habuit, ideóque in rationibus faciendis Denarium decuſſi X. inductum notamus. Priſcian. de pond. & menſ. Seſtertius olim dipondium & ſemis. quo tempore denarius decuſſis valebat. Item, Denarius quoquè decem librarum numus per ſcriptam notatur. Vbi deſiderari, arbitror, literam X. Sed hæc multo planius docuit Vitruuius lib. 3. c. 1. vbi ſic ſcribit: Noſtri primò decem fecerunt antiquum numerum, & in denario denos æreos aſſes conſtituerunt: & ea

F re compoſitio numi ad hodiernum diem Denarij nomen retinet. Nam illa voce PRIMO, dilucidè oſtendit, ante argenteum ſignatum, æreum denarium fuiſſe. Agellius 11. c. 1. Multam, quæ appellatur ſuprema, inſtitutam in ſingulos dies duarum ouium, viginti boum. Poſtea lege Aterina conſtituta ſunt in oues ſingulas, æris deni: in boues, æris centeni. Credo tamẽ apud Agelliũ duobus locis in illo capite mendosè IN OIS SINGVLOS ſcriptũ fuiſſe, pro IN RES SINGVLAS. ſicut in lege Ma-

G milia, & aliis Aquariis, apud Frontinũ Feſtus, Ante æs aut argentum ſignatum ob delicta pœna grauiſſima erat duarum ouium: & xxx. boum (legendũ puto, vt apud Agellium, xx. tametſi quinque tantum Plutarchus edat) quæ pecudes poſtquam ære ſignato vti cœpit populus R. Tarpeia lege (corrigendum ATERINA) cautũ eſt, vt bos

ceotuſſibus, ouis decuſſibus æſtimaretur. Mirum eſt autem Plutarchum io vita Publicolæ, vbi hanc legem ab illo laiam ſcribit, Obolos poſuiſſe pro aſſibus: cùm omnes alij ſeoos obolos denario attribuant, aſſes verò denos. Sed hoc nimirum illud eſt, quod poſtetius vbi de Drachmis & Denaiis agetur, aliquoris dicemus; Græcos ſcriptores in ſuorum numorum com Romanis comparatione noo exactè, ſed (vt ita dicam) παχυμερέστερον rationem iniiſſe. Agell. 2. c. 24. Faonia lege cibaria cautum eſt, ne, niſi certis exceptis diebus, amplius denos æris impendere in cœnæ ſumptus liceret. Quod idem Macrob. tradit Saturn. 3. cap. 17. Valer. 4. c. 8. Fabricius à Samnitibus. quos vniuerſos in chentela habebat denos æris, & quinque pondo argenti, totidémq; ſeruos ſibi miſſos in Samnium remiſit. Et mox: Ergo domus eius quemadmodum ære & argento & mancipijs Samnium vacua, ita gloria ex his contemptis parta, referta fuit. Agell. autem lib. 1. c. 14. hoc idem commemorans, ſcribit Samnites ei grandem pecuniam dono obtuliſſe. ſed & aliquot antè annis eoſdem M. Curio ad focum ſedenti, magnum auri pódus dooo miſiſſe. quod ipſum & Cicero in Catone Maiore, & Athenæus quodam loco commemorant. Tum verò quænam proportio eſt denum aſſium, cum quinque argenti libris? denique quænam illa tanta fuiſſet, & tantis laudibus prædicanda Fabricij abſtinentia, quòd decem aſſes, & tantulum argenti ac mancipiorum recuſaſſet? Potius irridenda Samnitium amentia, qui tanto patrooo tam exile munuſculum miſiſſent. præſertim cùm aliquot (vt dixi) antè annis tantum auri pondus priori patrono ſuo muneri obtuliſſent. Itaque pro DECEM AERIS reſtituendum arbitror, vel DECIES AERIS, vel, ſi fortè, DECEM MILLIA AERIS: & pro QVINQVE argenti libris, totidémque mancipiis, QVINQVAGINTA. Tacit. Annal. 1. Enimuerò militiam ipſam grauem, infructuoſam, denis in diem aſſibus animã & corpus æſtimari. loquitur de diurno militum ſtipendio. Sed huoc locum ſub Denario argenteo commodius explicabimus.

VNDECVSSIS non dicebatur, vt paulo antè ex Varrone docuimus. ſed plenè vndecim aſſes numerabantur: cuius tameo oumeri exempla in præſentia non ſuppetunt.

DVODECIM ASSES eodem modo dicebantur. vt apud Ciceronem in ea pro Comœdo, Nã illa membra merere per ſe non amplius poterant duodecim æris. ſignificat diurnam operarij alicuius noo adeò robuſti ac valentis mercedulam.

VICESSIS, qui viginti aſſibus valebat. Varro de ling. 4. Primùm ab decem aſſibus, Decuſſis: ſecundum à duobus decuſſibus, Viceſſis. Quo ex loco intelligitur, Viceſſim & æreum oumu fuiſſe, & viginti aſſibus valuiſſe. Agell. 20. c. 1. ex legibus 12. tab. caput hoc commemorat: Qui iniuriam alteri faxit, 25. æris pœnæ ſunto. Plin. 18 c. 5. Qui iniuria cecidiſſet alienas arbores, ex lege 12. tab. lueret in ſingulas æris 25. Martialis.

Amphora viceſſis, modius datur ære quaterno.
Ebrius & crudus nil habet agricola.

Liuius 39. Senatuſconſultum factum eſt, vt ex pecunia, quæ in triumpho tranſlata eſſet, ſtipendium collatum à populo in publicum, quod eius

A ſolutum antea non eſſet, ſolueretur. vicenos quinos & ſemiſſes in millia æris Quæſtores vrbani cũ fide & cura ſoluerunt. Sũma iſtula mihi valde ſuſpecta eſt. Corrigendũ fortaſſe fuerit, Sexcenos vicenos quinos: cùm eſſet ſcripta nota VIcenos.

TRICESSIS, aſſes triginta: vt ex Varrone modò demonſtrauimus. Agell. 2. c. 24. Lex Fannia lata eſt, quæ ludorum diebos io ſingulos dies cẽtenos æris conceſſit, decémque aliis diebus, in ſingulis menſibus, tricenos. ceteris autem die-

B bus, denos. Et mox: Centũm æris Fannius conſtituit, feſtis quidem diebus. aliorum autem omnium in ſingulos dies ſumptus incluſit intra æris aliàs tricenos, alias denos Lex deinde Licinia rogata eſt, quæ cùm certis diebus, ſicuti Fannia, centenos æris impendi permiſiſſet, nuptiis duceoos indulſit: ceteriſque diebus ſtatuit æris tricenos, cùm & carnis aridæ, & ſalſamenti certa pondera in ſingulos dies conſtitueret. Quibus ex verbis emendandus eſt apud Macrobium

C locus. lib. Saturn. 3. c. 17. vbi ſcriptum ita eſt: Legis Liciniæ ſumma, vt Kalendis, Nonis, Nundinis R. cuique in dies ſingulos triginta duntaxat aſſes edendi cauſſa conſumere liceret. Ceteris verò diebus, qui excepti non eſſent, ne amplius apponeretur, quàm carnis aridæ pondo tria, & ſalſamentorum pondo libra: quod (deeſt vox PRÆTER) ex terra, vinæ, arboréve natum ſit. Totam enim hanc ſententiam deeſſe arbitror, Vt Kal. Non. Nund. Rom. cuique in dies ſingu-

D los centum, nuptiis ducentos, ceteris diebus, qui excepti non eſſent, trigiota duntaxat aſſes, edundi cauſſa conſumere liceret: & ne amplius apponeretur, quàm carnis æridæ, &c. Abſurdum enim eſſet, tanti ſtuporis Macrobium damnare, quòd ludorum diebus triginta tantùm aſſes permitti ſcripſiſſet. præſertim cùm integram eum habuiſſe legem appareat: quippe, cuius etiam caput vnum planius quàm Agellius expoſuit.

QVADRAGINTA AERIS. Liuius 30. ſub

E finem: vbi de Scipionis Africani triumpho loquitur Militibus ex præda quadragenos æris diuiſit. Quæ ſumma in tam magnifico triumpho per quàm exigua videtur. Sunt enim quatuor tãtum denarij, ſiue decuſſes. videndũ igitur ecquis liber vetus ſcriptum habeat QVADRINGENTOS.

QVINQVAGINTA ÆRIS. Feſtus, Sacramentum, æs ſignificat, quod pœnæ nomine penditur, ſiue eo quis interrogatur, ſiue contenditur. id in aliis rebus, quinquaginta aſſium eſt:

F in aliis rebus quingentorum, inter eos qui iudicio inter ſe contendunt.

CENTVSSIS, numus æreorum omnium maximus, precij & ponderis centum aſſium, communi nota inſignitus. Varro de ling. 4. Centuſſis, à centum aſſibus: quo maius Æris vocabulum non eſt. Perſius Satyr. 5.

Et centum Græcos curto centuſſe licetur.

Feſtus, Centenariæ cœnæ, in quibos lege Licinia non plus centuſſibus impedebatur: id eſt,

G centum aſſibus: qui erant breues numi ex ære. Quam appendiculam etſi nonulli ex gloſſa imperiti literatoris ſumptam putant, tamen à Feſti conſuetudine non alienam puto. Nam breues aſſes dici, quos ſuperius Leuiores, hoc eſt, ſemunciales nominauimus. Varro Sat. περὶ ἐδεσμάτων. Si quantũ operæ ſumpſiſti, vt tu' piſtor bo-

num

num faceret panem, eius duodecimam philoſo- A
phiæ dediſſes, ipſe bonus iampridem eſſes fa-
ctus. Nunc illum qui norunt, volunt emere mil-
libus centum: te qui nouit, nemo centuſſi. Agell.
15. c. 17. Liuius in fine 10. Militibus ex præda cen-
tenos binos aſſes, & alterum tantum Centurio-
nibus atque equitibus diuiſit. Agell. 12. c. 24. Lex
Fannia lata eſt, quæ ludorum diebus in ſingulos
dies centenos æris inſumi conceſſit. Hãc Lucil-
lius poeta legem ſignat, cùm dicit:

Fanni centuſſiſque miſellos. B

In quo errauerunt quidam, quòd putauerunt
Fannia lege perpetuò in omne dierum genus
centenos æris ſtatutos. Centum enim æris Fan-
nius conſtituit feſtis quibuſdam diebus, eóſque
ipſos dies nominauit. lex deinde Licinia rogata
eſt, quæ cùm certis diebus, ſicuti Fannia, cente-
nos æris impendi permiſiſſet, nuptiis ducenos
indulſit. Macrob. Saturn. 3. c. 17. Fannia lex ſum-
ptus modum fecit, aſſibus centum. vnde à Lu-
cillio poeta Centuſſis vocatur. Tertullian. A- C
pologet. Quonam illæ leges abierunt, ſumptum,
& ambitionem comprimentes, quæ centum æra
non amplius in cœnam ſubſcribi iubebant? Vbi
temporum illorum conſuetudo poſtulat ÆRIS:
vt ex ſuperioribus locis apparuit. Quin etiam
ſcribi, vel perſcribi, vel reſcribi potius, quàm
ſubſcribi probarem. Feſtus, Eſſe etiam Pompi-
lij Numæ legem opimorum ſpoliorum talem,
QVOIVS. AVSPICIO. CLASSE. PROCIN-
CTA. OPEIMA. SPOLIA. CAPIVNTOR. IO- D
VEI. FEDSTRIO. BOVEM. CAEDITO. QVI.
CEPET. AERIS. CCC. DARIER. OPORTETO.
SECVNDA. SPOLIA. IN. DVI. MARTIS. ASAM.
EN. DO. CAMPO. SVOVE TAVRILIA. VTRA.
VOLET. CAEDITO. QVASI. CEPET. AERIS. CC
DARIER. OPORTETO. TERTIA. SPOLIA.
IANO. QVIRINO. AGNOM. MAREM. CAEDI-
TO. QVEI. CEPET. ÆRIS. CENTVM. DARIER.
OPORTETO. QVOIVS. AVSPICIO. CAPTA.
DIS. PIACVLOM. DATO. Hanc autem legem E
emendare feliciſſimè cœperat Ioſephus Scali-
ger, vir cùm ingenio, tum omni liberali doctri-
na inſignis. Poſt autem ex Plutarcho in Marcelli
vita facile animaduerti, in primo eius capite la-
cunam eſſe, quam cùm ex Plutarchi verbis meo
arbitratu explere conatus eſſem, poſtea cogno-
ui legem integram à Fuluio Vrſino ingenioſiſ-
ſimè ita reſtitutam fuiſſe, vt nũc edidimus. Ver-
ba Plutarchi de aſſium numero ſunt huiuſmodi:
ἢ λαμβάνειν γέρας ἀσσάρια τ', τὸν πρῶτον: τὸν δὲ F
δεύτερον, σ', τὸν δὲ τρίτον ρ'. Nam aſſes Plutarchus
paſſim aſſaria conuertit.

CENTVM VICENI ASSES. Agell. 2. c. 24. Sena-
tus decretum factum, in quo iubentur Princi-
pes ciuitatis iurare apud coss. (puto legendum
CESS.) non amplius in ſingulas cœnas ſumptus
eſſe facturos, quàm centenos, vicenóſque æris.
Liuius 31. Militibus ex præda centum viginti
aſſes diuiſit, Credo legẽdum, Centenos vicenos. G

CENTVM QVINQVAGINTA. Paul. Iuriſc. Col-
lect. Ruffin. tit. 16, ſcribit, centum quinquaginta
æris pœnam lege 12. tab. conſtitutam in eum, qui
ſeruo alieno per iniuriam os fregiſſet. Quem lo-
cum in libello De aureo Iuſtinianico interpre-
tati ſumus.

DVCENTI AERIS. Agell. 2. cap. 24. Lex Lici-
nia rogata eſt, quæ cùm certis diebus centenos
æris impendi permiſiſſet, nuptiis deinceps in-
dulſit. Liuius 34. Militibus duceni quinquageni
æris in pedites diuiſit, duplex centurioni, triplex
equiti.

TRECENTI SEPTVAGINTA QVINQVE. Agel.
16. c. 10. Qui nullo aut perquam paruo ære cenſe-
bantur, Capitecenſi vocabantur. Extremus au-
tem cenſus Capitecenſorum æris fuit CCCLXXV.
Liuius 10. Fabius Peruſinorum cepit ad mille
ſeptingentos quadraginta. qui redempti ſin-
guli æris trecentis decem. Scripſiſſe credo Li-
uium TRECENIS DENIS. Idem libr. 36. Militi-
bus, qui currum ſecuti ſunt, trecenos vicenos
quinos aſſes diuiſit. duplex centurioni, triplex
equiti. Idem lib. 40. Æris trecenos militibus di-
uiſit.

MILLE ASSES, ſiue mille æris. Vlpian. tit.
Regul. 1. Lex Furia teſtamentaria plus mille aſ-
ſium legati mortiſve cauſſa prohibet capere. vi-
dentur ad eandem legem hæc Varronis verba
pertinere, ex lib. De ling. 4. Pro aſſibus, nonnun-
quam æs dicebant antiqui, à quo dicimus Mil-
le æris legaſſe. Legis æquitatem, ſiue cauſſam
aliquam probabilem quærere non immeritò
aliquis poſſit. Quid enim ſi quis decies centena
millia æris in bonis haberet? Equidem non
exiſtimo in vniuerſum ita cautũ fuiſſe, Ne quis
ciuis R. plus mille aſſes legaſſit. ſi quis amplius
ſibi legatum mortiſve cauſſa datum cepiſſet,
quadrupli pœnam ſubiret. Sed illa lege exem-
ptas, id eſt comprehenſas quaſdã perſonas fuiſ-
ſe, quib. plus mille aſſes relinquere teſtamento
non liceret. in his autem cognatos manumiſſo-
nis fuiſſe, quo nomine primum cognati conti-
nebantur, tum ad eorum exemplum ingenuorum
manumiſſores fiduciarij, quibus in defectum a-
liorum omnium, tandem ad extremum octauo
loco bonorum poſſeſſio inteſtati manumiſſi
deferebatur: quamuis ſi manumiſſus teſtatò de-
ceſſiſſet, non plus quàm mille aſſes capere ex il-
lo teſtamento potuiſſet. Sic enim alterum ex e-
iuſdem Vlp. regulis locum addita negatione le-
gendum arbitror: Septimo gradu datur bono-
rum poſſeſſio cognatis manumiſſoris, quibus
per legem Furiam plus mille aſſes capere NON
licet. Theophilus autem ex ſeculi ſui conſuetu-
dine mille aureos, χίλια νομίσματα Græcè dixit:
§. 1. ad leg. Falc. quod in Nouellis Iuſtin. & aliis
Græcis conſtitutionibus perpetuum eſt, vt pro
aureis νομίσματα dicãtur. Atque ita Theophilus
paſſim ſub eodem tit. νομίσματα pro aureis po-
ſuit: itémque §. pœna, de iniur. διατιμούμαι τὴν
ὕβριν ἑκατὸν νομισμάτων. quod non niſi de centum
aureis interpretari rectè poſſumus. Nam ſi Im-
peratoris ſui æſtimationem ſpectaſſet, qui mil-
le ſeſtertiis vnum aureum æſtimarat, tum legis
Furiæ ſummã coactus fuiſſet interpretari, quar-
tam vnius aurei partem: quo nihil abſurdius di-
cere potuiſſet. Aſconius in Miloniana, Milo,
quem opinio fuit iuiſſe in exilium voluntarium,
inuidia aduerſariorum retentus, nocte ea redie-
rat Romam, qua incenſa erat curia, petebátque
nihilo ſecius conſulatum. Apertè quoque tri-
butum in ſingulos millia aſſium dederat. Agell.
16. c. 10. Qui in plebe R. tenuiſſimi pauperrimi-
que erant, neque amplius quàm mille quingen-

rum æris in cenſum deferebant, Proletarij appellati ſunt. qui verò nullo aut perquam paruo ære cenſebãtur, Capite cēſi vocabantur. Eodémque modo Nonius: Proletarij ciues, inquit, dicebantur, qui in plebe tenuiſſimi erant, & non amplius quàm mille & quingentos æris in cenſum deferebant.

Dvo millia aeris. Vſitata & propè legitima hæc fuit ſumma pecuniæ, quam olim Senatus ſingulis exterarum nationum legatis honoris cauſſa mittebat. quod ex multis Liuij locis intelligitur: præſertim ex libr. 42. 43. 44. 45. vbi de Thracum, Athenienſium, Mileſiorum, Cretenſium, Rhodiorum, Lampſacenorum, Alabandenſium legatis commemorat: quorum ſingulis bina millia æris muneris miſſa ſcribit. Idem libr. 2. vbi de T. Meneuij damnatione loquitur: Cùm capitis anquiſiſſent, duo millia æris dãnatę mulctam ediserũt. qua de re operæpretium eſt Dionyſij Halic. verba audire, ex lib. Antiq. 9. οὐ μέντοι θανάτῳ γε αὐτὸν οἱ καταδικασάμενοι ἐτίμησαν, ἀλλ' ἐκτίσματος, ὃ πρὸς μὲν τοὺς νῦν ἐξεταζόμενον βίους, γέλωτος ἂν ἄξιον φανείη. τοῖς δὲ τότε ἀνθρώποις, αὐτουργοῖς οὖσι καὶ πρὸς αὐτὰ τὰ ἀναγκαῖα ζῶσι, μέγιστα δὲ ἐκείνῳ τῷ ἀνδρὶ πενίαν κληρονομήσαντι ἐκ τοῦ πατρός, ἄφυκτον καὶ βαρύ, δισχιλίων ἀριθμὸς ἀσσαρίων. ἦν δὲ ἀσσάριον, χάλκεον νόμισμα, βάρος λιτριαῖον. ὥστε τὸ σύμπαν ὄφλημα, ταλάντων ἑκκαίδεκα εἰς ὁλκὴν χαλκοῦ γενέσθαι. καὶ τοῦτο ἐπίφθονον ἔδοξεν τοῖς τότε ἀνθρώποις καὶ ἐπανορθώσασθαι βουλόμενοι αὐτοὶ μὲν χρηματικὰς ἔπαυσαν ζημίας, μετήνεγκαν δὲ εἰς πρόβατα τὰ ἐκτίσματα καὶ βοῦν, τάξαντες καὶ τούτων ἀριθμὸν ταῖς ὕστερον ἐσομέναις ὑπὸ τῶν ἀρχόντων τοῖς ἰδιώταις ἐπιβολαῖς. Id eſt. Non tamē qui eum dãnarunt, capite illũ, ſed pecunia mulctarunt: quę ad huius ſeculi rationem, ridicula videri poſſit. illius verò temporis hominibus, qui ſuis manibus atque operis, res ſibi ad vitam neceſſarias parabant, maximè autem illi homini, cui paupertas à patre pro patrimonio relicta erat, grauis atque intolerabilis: duo nempe aſſium millia numero. Erat autem As, æreus numus, pondere libralis. vt mulcta vniuerſa conficeret ad ſummam ſedecim æris talenta. Sed & hæc mulctarum pecuniarum ratio eius temporis hominibus inuidioſa viſa eſt: atque idcirco eas ſuſtulerunt, conuerterúntque in mulctas ouiũ & boum: quorum etiam numerum præfinierunt, quē deinceps magiſtratus in priuatorum damnationibus ſeruarent.

Tria millia aeris. Liuius lib. 3. Vades dare placuit. vnum vadem tribus millibus æris obligarunt. Hic primus vades publicos dedit. Auctor vitæ T. Pomponij, Nec hoc præteribo, quamquã nonnullis leue viſum iri putem. Cùm in primis lautus eſſet eques R. & non parum liberaliter domum ſuam omnium ordinum homines inuitaret, ſcimus, non amplius quàm terna millia æris peræquè in ſingulos menſes ex ephemeride eum expenſum ſumptui ferre ſolitum. Quem locum Budæus exponens libr. de aſſe 5. Terna millia æris, inquit, mille nos ac ducenos ſeſtertios numos valent: id eſt, ære noſtro triginta aureos. Sic in dies ſingulos Pomponius aureum vnum noſtrum in ſumptu domeſtico impendebat. Hæc Budæus. Sed videamus, ne perquàm exilis illa ſumma fuerit: ſiue ciuium R.

A per ea tempora potentiam, ſiue ingentes ipſius Pōponij opes ſpectemus: præſertim cùm etiam modici ſumptus cœnã Martialis æſtimet viginti ſeſtertiis numis. quæ ſumma menſtrua efficeret ſeſtertium CIↃ CIↃ IↃ: hoc eſt, æris octo millia octingentos. Martial. Epigr. 12.

Et, rogat vt cenes ſecum Lætorius, inquit:
Viginti numis non ego malo famem?

Itaque videndum eſt, an pro Terna rectius ſit
B Tricena. quod ſanè liber aliquis antiquus facilè mihi perſuaſerit. Nam quòd vocem aeris nonnulli tollendam putabant, & ſummam millium ad ſeſtertios referendam, idcirco non probo, quia neque vetus illa locutio facilè imperito alicui librario in mentem venisset, & hoc quoque modo pertenuis ſummã cœnatorum ſeptuaginta quinque fuiſſet. Liuius libr. 29. Stipendium præterea iis coloniis tria millia æris: aſſes ſingulos imperari, exigíq; quotannis.
C Non dubito quin Liuius ſcripſerit, in singvlos: quaſi dixiſſet, In capita. Sic enim libr. 30. Legatis in ſingulos dona ne minus quinum millium.

Qvatvor millia aeris. Liuius lib. 37. Legatis à Ptolemæo & Cleopatra Regibus Ægypti miſſis, munera dari iuſſit in ſingulos quaternum millium æris.

Qvinqve millia. Liuius 30. Maſſiniſſæ legatis in ſingulos dona nõ minus quinum millium.
D Comitibus eorum millia æris Prætorem mittere iuſſum.

Decem millia. Liuius libro 1. Ad equos emendos dena millia æris ex publico data. Magna quidem illa ſumma eſt. nam aureos R. confecit ad quadraginta. neque veriſimile eſt in tanta paupertate tanti equos conſtitiſſe: ſed Equorum vocabulo, vt opinor, etiam ornamēta complectitur: deinde ſemel ea pecunia dabatur, vt equo perempto, alterum ſibi ſuis numis eques
E cõpararet. Idem li. 3. Vterq; magna patrum indignatione damnatus, Romilius decē millibus æris, Veturius 15. millibus. Liu. li. 4. Indicibus decem millia æris grauis, quæ tunc diuitiæ habebantur, ex ærario numerata & libertas præmium fuit. idē lib. 5. His rationibus incitata plebs, denis millibus grauis æris reos condemnat. Item eod. vbi de duorum Tribunorum damnatione loquitur, Peſſimo exemplo obnoxij, denis millibus grauis æris condemnati ſunt. Item eod.
F vbi de M. Furio: Abſens quindecim millibus grauis æris damnatur. Idem lib. 28. Saguntinorum legatis muneris ergò in ſingulos dari, ne minus dena millia æris. Valer. 4. c. 4. Tatia Cæſonis filia, maximam dotem ad virum decem millia æris attuliſſe viſa eſt.

Vndecim millia. Liuius lib. 1. vbi de quinta claſſe à Ser. Rege inſtituta loquitur: Vndecim millibus, inquit, hæc claſſis cenſebatur.

Dvodecim millia. Liu. 25. Duodecim mil-
G lia æris Prætori ad rem diuinam & duas maiores hoſtias dandas.

Qvindecim millia. Liu. 4. vbi de C. Sempronio loquitur: Cùm dies venit, cauſa ipſe pro ſe dicta, 15. millibus æris damnatur.

Vigintiqvinqve millia. Liuius li. 1. In quarta claſſe cēſus, quinq; & viginti milliũ.

Agell.

Agell. in c. 6. Ædiles plebei Appij Cæci filiæ ob A
execrationem in populum multam dixerũt, æris granis viginti quinque millia.

VIGINTI MILLIA. Liuius li. 22. Per eoſdẽ dies ſpeculator Carthaginienſis, qui per biennĩũ feſellerat, Romæ deprehenſus, præciſiſq; manibus dimiſſus: & ſerui quinque & viginti in crucem acti, quòd in campo Martio coniuraſſent. indici data libertas, & æris granis viginti millia.

TRIGINTA millia æris. Liuius 31. Triumphauit de Gallis in magiſtratu L. Furius prætor. in æta- B
rium tulit trecenta viginti millia æris.

QVADRAGINTA millia æris. Val. 4. c. 4. Cum Cn. Scipio ex Hiſpania ſenatui ſcripſiſſet, petens vt ſibi ſucceſſor mitteretur, quia filiã virginem adultæ iam ætatis haberet, neque ei ſine ſe dos expediri poſſet, ſenatus, ne R. ſp. bono duce careret, patris ſibi partes deſumpſit. conſilióque vxoris ac propinquorum Scipionis conſtituta dote, ſummam eius ex ærario erogauit: ac puellam nuptum dedit. Dotis modus quadraginta C
millia æris fuit. Suſpicor Valeriũ ſcripſiſſe, Quadringentum millium.

QVINQVAGINTA millia æris. Liuius lib. 1. Tertiæ claſſis quinquaginta milliũ cenſum eſſe voluit. Idem lib. 24. Cõſules ex S. C. edixerũt, vt qui L. Æmilio C. Flaminio Coſs. millibus æris quinquaginta ipſe aut pater eius cenſus fuiſſet, vſq; ad centum millia, aut cui poſtea res tanta facta eſſet, nautam vnum cum ſex menſium ſtipendio daret: qui ſupra centum millia, vſque ad trecen- D
ta millia, tres nautas cum ſtipendio annuo. Valer. 4. c. 4. Adeò veterum arcta fuerunt patrimonia, vt Megullia, quia cùm quinquaginta millibus æris mariti domum intrauit, Dotatæ cognomen inuenerit.

SEPTVAGINTA. Liu. 1. Secunda claſſis intra centum vſque ad quinque & ſeptuaginta milliũ cenſus inſtituta. Nam prius vocem Æris vſurparat.

CENTVM MILLIA æris. Hic fuit primis E
vrbis temporibus cenſus ciuium maximus. Nam Liuius lib. 1. vbi Seruij Regis inſtitutum de claſſibus deſcribit, Prima claſſis, inquit, eorum fuit, qui centum millium æris aut maiorem cenſum haberent. Quam ſummã Dionyſius lib. 4. centum minas interpretatur. Plinius autem lib. 33. c. 3. centum decẽ aſſium millia pronuntiauit. Agell. 7. c. 13. Claſſici, inquit, dicebantur primæ claſſis homines, qui cẽtum & viginti quinque millia æris, ampliúſve cenſi erant. Ego F
Liuij & Dionyſij auctoritatem ſequor: & in horum vtriuſque libris mendum eſſe non dubito: partim ob rotundi numeri rationem, partim quoniam Aſconius Verrina 3. notat, morẽ fuiſſe veterum, vt Cenſi dicerentur, qui centum millia profeſſione detuliſſent. vbi deeſſe ſuſpicor vocem AERIS. Quin etiam eò accedit, quòd Plinius ſcribit lib. 33. c. 10. non fuiſſe apud antiquos numerum vltra centum millia. qua de cauſſa ne G
nota quidem vlla fuit ſupra CCCIↃↃↃ. poſtea enim multiplicabatur vſq; ad decies. Liuius lib. 32. Egregia duorum opera ſeruorum indicum, & vnius liberi fuit. ei centum millia grauis æris dari patres iuſſerunt. Seruis vicena quina millia æris, & libertatem. precium enim ex ærario ſolutum eſt dominis. Idem lib. 39. vbi de Bacchanalibus: S. C. factum eſt, vt ſingulis his centena millia æris Quæſtores vrbani ex ærario darent. Idem lib. 42. Legatóque centũ millium æris munus miſſum (loquitur de Regis Antiochi legato) & ædes liberæ hoſpitio datæ. vide ſuprà, Quinquaginta millia.

DVCENTA millia æris. Liuius 25. Tribuni plebis ducentum millium æris multam M. Poſtumio dixerunt. Cæſar Ciuil. 3. cap. 11. Scutóque ad eum relato, Scæuæ Centurionis, inuenta ſunt in eo foramina CCXXX. quem Ceſar, vt erat de ſe meritus & de Rep. donauit millibus ducentis æris: atque ab octauis ordinibus ad primipilum ſe transducere pronuntiauit. Quo ex loco & ſimilibus, ſuperius diximus fieri coniecturam poſſe, interdum, etſi ſeſtertiis, aut denariis, aut aureis ſolutio fieret, tamen ad aſſem rationes duci ſolitas fuiſſe. Liuius lib. 33. Tulit in triumpho ducenta triginta ſeptem millia, quingentos: argenti bigati ſeptuaginta nouem millia. vbi non dubito verbum ÆRIS ab initio deeſſe. Nã duobus interpoſitis verſibus: Pecuniæ, inquit, prope par ſumma fuit. Æris tranſlata ducenta & quinquaginta quatuor millia, argenti bigati quinquaginta tria millia & ducenti.

TRECENTA millia æris. Liu. in fi. lib. 11. vbi de triumpho Caruilij de Samnitibus: Æris grauis tulit in ærarium trecenta nonaginta millia.

TRECENTA millia æris. Liuius lib. 22. vbi de voto Q. Fabij Max. loquitur, Cum imperio aduerſus Annibalem miſſi: Eius rei cauſſa, inquit, ludi magni voti æris CCCXXXIII. millibus, triente. Quam ſcripturam Budæus lib. 3. vitioſam putat, propter hanc Plutarchi in Fabij vita Græcam ſententiam: θεὰς δὲ μουσικὰς καὶ θυμελικὰς ἄξειν ἀπὸ σηστερτίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν καὶ δηναρίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν, ἔτι τριτημορίου προσόντος. At ego non modò ſcripturam Liuij veram & ſinceram eſſe confido, verùm etiam Plutarchum, qui ſe quodam loco non ſatis Latinæ linguæ peritum fuiſſe fatetur, ab interprete in errorem inductum fuiſſe. Nam cùm Liuius, aliíque auctores Latini ſcripſiſſent ÆRIS, vox autem illa (vt iam ſæpenumero demonſtratum eſt) ad quoduis numorum Romanorum genus referri poſſet: interpres Plutarchi conuertit in vocem SESTERTIVM, aut DENARIVM, ſecundo plurali caſu, Latina conſuetudine: ſecundum quam plerunque vocem MILLIVM tacitè comprehendi diximus. Plutarchus igitur eam conſuetudinem ita ſecutus eſt, vt diceret ἀπὸ σηστερτίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν, ſubaudita voce χιλίων, Romano more, vt diximus. Quin etiã probabile videtur, cùm interpres ille ſubieciſſet ἢ δηναρίων, Plutarchum pro ἢ legiſſe per imprudentiam καὶ: quandoquidem hæc Seſtertiorum & Denariorum coniunctio à Romanorum cõſuetudine alieniſſima eſt: qui vnam eandémque ſummam pluribus & diuerſis numorum generibus enuntiare non ſolebant: ſed vno duntaxat. Eò accedit, quòd veriſimile non eſt, præſertim in tanto ciuitatis luctu, quantũ propter crebras Annibalis victorias tũ fuiſſe cõſtat, vel Senatũ vel Põtifices toties illo ternario numero inculcãdo pueriliter ludere voluiſſe. præ-

terea ineptum fuiſſet, ſeſtertiorum & denariorum A numerum confundere: non ſecus ac ſi quis hordeum ſimul cum tritico ſereret: tertiò quoniam ea tempeſtate rationes potius ad aſſem, quàm ad ſeſtertium, aut denarium conferebantur. poſtremò, quia Trientem, quem Plutarchus τριτημόριον appellar, Romano more neque ad denarios, neque ad ſeſtertios referre poſſimus: ſed ad aſſes duntaxat. quandoquidem Triens, ſiue Teruntius, non ſeſtertij, vel denarij, ſed Aſſis tertia pars fuit: vt ſuperius ſuo loco de- B monſtratum eſt. Quare nihil nos moueat, quod Plutarchus binas iſtas diuerſorum numorum ſummas Græco more ad drachmatum rationem reducens, ſcribit eas reſpondere octoginta tribus millibus quingentis octoginta tribus drachmis & duobus obolis. quod etiam Bud. libr. de Aſſe tertio perſpicuè ſubduxit: quaſi hac ratione Plutarchus Seſtertiorum vocabulo, mille ſeſtertios comprehendat. Nam hoc certè conſummatio illa poſtulat: & illam Budæi opinio- C nem confirmat: ſed, vti iam diximus, Romanum loquendi morem Plutarchus ſecutus eſt, & vocem MILLIVM tacitè ſubaudiendam reliquit. Cùm hæc ſcripſiſſem, & ad amicum quendam virum doctum, conſilij cauſſa, retuliſſem, oſtendit mihi Xylandri viri eruditi, & mihi (dum vixit) amici, ſcholia quædam in illum Plutarchi locum, quæ magnoperè cupio ab huius argumenti ſtudioſis legi, partim vt intelligant non mihi ſoli miram illius loci perplexita- D tem viſam eſſe, partim etiam vt erroris cauſſa demonſtretur: nempe ex TRIENS vocabulo natum eſſe, quod Xylander in cõmuni ſignificatione vſurpari falsò credidit, pro tertia cuiuſuis rei parte: cum TRIENTIS nomine propriè Liuius numum æreum, intellexerit.

QVINGENTA millia æris. Liuius 6, Tribuni pleb. tulerunt ad plebem, idque plebs ſciuit, vt ſi M. Furius pro dictatore quid egiſſet, quingentum millium æris ei multa eſſet. Fuit hæc illa tempeſtate ingens pecuniæ ſumma: ſed præterquam quòd Furius illo anno quartam Dictaturam gerebat, ſummíſque rebus gerendis rei ſimul priuatæ cum publica pariter (vt credi par eſt) ſtuduerat, video Plutarchum in eius vita quinque argenti myriadas ponere: quæ ſumma cum illa Liuij congruit.

DACIAS ÆRIS. Vetus hæc fuit lectio præciſa, pro Decies centena millia æris, vt Budæus noſtra memoria primus, ſumma cum ſua laude docuit: & poſterius ſub DECIES SESTERTIVM copioſè oſtendimus. Liuius libro 24 Conſules ex S. C. edixerunt, vt qui ſupra trecenta millia vſque ad decies æris cenſus fuiſſet, quinque nautas daret: qui ſupra decies, ſeptem. Idem libro 43. C Lucretium, vbi dies quæ dicta erat, venit, Tribuni ad populum accuſarunt, multámque decies centum millium æris dixerunt. Scripſiſſe Liuium arbitror CENTENVM.

VICIES CENTIES MILLIAS. Titus Liuius in fine libri decimi, vbi de triumpho L. Papirij de Sannitibus: Nobiles aliquot captiui, clari ſuis patrúmque factis, ducti. æris grauis magna vis tranſuecta. Vicies centies millies, & quingenta trigenta millia. id æs redactum ex captiuis dicebatur.

DE

DE RE NVMARIA POP. ROM.

PARS ALTERA.

DE NVMIS ARGENTEIS, AC primùm de Denario.

CAP. I.

HACTENVS de pecunia ærea ſatis explicatum videtur. deinceps de argentea dicamus, A cuius ſeptẽ animaduerto genera ſtãte Romano imperio fuiſſe: hoc eſt, ante imperij ſedem Byzantium tranſlatam: Denarium, Quinarium, Seſtertium, Sextantem, Libellam, Sembellam, & Teruntium. Poſterio- B ribus autem ſeculis mentionẽ fieri video Miliariſij, Ceratij, Siliquæ, Follis de quibus omnibus eo quem propoſuimus ordine diſſeremus. Sciendum eſt igitur, populũ R. primis vrbis tẽporib. rudibus vſum laminis argẽteis fuiſſe, pro numis. Nam ſignatum argentum ante Pyrrhum Regem deuictum fuiſſe, Plinius negat. lib. 33. c. 3. hoc eſt (vt paullo pòſt admonet) ante annum vrbis CDLXXXIIII. C. Fabio cos. (ſic legendũ eſt) quinque annis ante primum bellum punicum. Itaq; Florus Epit. 15. Tũc primum, inquit, populus R. C argento vti cœpit: vbi ſubaudiendum Signato. At Eutropius ab vtroque diſſentiens hoc inſtitutum reiicit in annũ vrbis CDXVIII. annis poſt illud cœptum bellum nouem. M. Æmilio Paullo, inquit, Ser. Fuluio nobiliore coss. primo bello Punico argenteus numus percuſſus eſt. Verùm hãc totã ſententiã falsò adſcriptam Eutropio fuiſſe, poſtea ex melioribus eiuſdem optimi libri editionibus cõpertum eſt. Zonaras autem Tomo 2. ea commemorans quæ poſt Pyrrhum D Regem deuictũ acciderunt, inter alia ſic ſcribit: πολλὰ δὲ χρήματα τότε τῇ ῥώμῃ ἐγένοντο. ὥστε καὶ ἀργυροῖς δραχμαῖς χρήσασθαι. Cùm magna, inquit, pecuniæ copia Romæ per id tempus eſſet, cœperũt vti drachmis argenteis. Quo loco drachmas homo Grecus patrio more pro denariis poſuit. Verùm his aduerſari grauiter videtur ſummus auctor Varro, cuius hæc ex primo Annaliũ verba Chariſius lib. 1. prodidit. Numum argenteũ conflatum primùm à Ser. Tullo dicunt. Is quatuor E ſcrupulis maior fuit, quàm numi. Credidi nonnumquã rudem illam argentẽam laminã fuiſſe, conflatam tantũ, ſed non ſignatam. Sed animaduerti poſtea Conflati numum & Signati pro eodem etiam ab antiquis dictum. Quos enim Theſauros Greco nomine appellaremus, priſcos Latinos (vt Q. Sorani verbis vtar) Flauiſſas dixiſſe, quòd in eas non rude æs argentúmque, ſed flata ſignatáque pecunia conderetur. Sic enim apud Nonium ſcriptum eſt in verbo Flauiſſæ: itémque apud Agell. libr. 2. c. 10. Quare veriſimilius videtur, inſtitutum hoc quidem à Seruio Tullo Rege fuiſſe, poſtea verò propter Reip. tenuitatem omiſſum atque obſoletum. Neq; mouet, quod Liuius lib. 1. ſcribit, Sueſſa Pometia vĩ capta, prædáque diuendita, quadraginta argenti aurique talenta redacta. Quia cùm eo tẽpore nulla neque argẽtea, neque aurea pecunia Romę eſſet, Græcorum rationem ſequi neceſſe habuit: qui interdum Talenti vocabulo pro pondere vtuntur: quemadmodum rectiſſimè docuit Agricola libr. de pond. Rom. 4. & de pond. Græc. 5. Vtcumque ſit, Denarius certè quo primùm tempore ſignari cœptus eſt, ita definiri potuit, Numus argenteus precij decem aſſium, ponderis autem octogeſimæ quartæ partis libræ argenteę: ex vna parte bigatum, aut quadrigatum, ex altera auctoris ſui effigie ſubiecta nota X notatus. Nam Martianus quidem ita ſcribit, Pecunia numerata olim in ære erat: poſtea & in argento feriri cœpit: ita vt omnis numus argẽteus ex numero æris poteſtatem haberet. Eo in numero ſunt hi. Denarius, cuius eſt nota X. Varro De ling. L. 4. In argento hi ſunt numi: Denarij, quòd denos æris valebant. Plin. 33. c. 3. Argentum ſignatum eſt C. Fabio cos. & placuit denarius pro decem libris æris. Quibus locis id quod de materia, & precio Denarij diximus perſpicuè confirmatur. Sed alios inſuper addemus. Quia deni aſſes (inquit Feſtus) efficiebant Denarium, ab hoc ipſo numero dictum eſt. Apuleius in Epitoma apud Priſcianum libr. 6. Sed tum Seſtertius dipondium ſemiſſem, Quinarius, quinque aſſes, Denarius decuſſim valebat.

Deinceps de pondere explicãdum eſſet: hoc eſt, quo numero Denarij è libris argenti ferirentur. Sed quoniam ea diſputatio propriè ad eum locum pertinet, in quo de libris argenti di-

eſt, quantum in tabulis perſcriptum eſt, tamen A
vbi diuerſa eſt, & collybo eſt locus, non ſatis eſt conſtare, quantum debeatur, niſi confecta collybi ratione ſtatuatur, quantum ex fori & negotiatorum conſuetudine ſoluatur. Cicero Verrin. v. Nam collybus eſſe qui poteſt, cùm vtantur omnes vno genere numorum? Item, Certis nominibus deductiones fieri ſolebant, primùm pro ſpectatione & collybo. &c. Item ad Attic. 5. Sed certè in collybo eſt detrimentum. Turnebus autem aduerſar. 8. c. 14. mirificè locum illum ſic interpretatus eſt, quaſi Ærariam rationē Cicero dixerit pro æream pecuniam: cùm in aſ- B
ſium, inquit, numerum ſumma redigitur: vt, verbi gratia, ſi centum millia æris deberi dicam. Hac igitur centum millia æris debita fuiſſe Scapulis ex æraria ratione. Eam ſummam ſibi in ære numerari nolebant: in argento optabant. non recuſabant debitores, ſed aliquid deduci volebant, ſi ad denarium ſoluerent. Erat enim Denarius argenteus, & in argento ratio vel ad denarium fiebat, vel ad ſeſtertium. Voluſius: Quare ſi ad denarium rationem conficies. Et C
paulò pòſt: Cùm ad Denarium ratio conficeretur. Rurſus Voluſius: ſi prius inſpexeris ad quem modum ſeſtertiaria ratio conficiatur. Hæc Turnebus: ne quid diſſimulem, quot verbis, tot mēdia, vt ſcapham ſcaphæ nomine appellem. primùm, quòd non animaduertit, Ærariam rationē Latina conſuetudine dictam à Cicerone, pro pecuniariam, ſiue numariam. Nam (vt ait Vlpianus) etiam aureos numos æs dicimus. Vnde æs alienum habere dicitur (inquit Seneca) & qui D
aureos debet, & qui corium forma publica percuſſum. Neque verò quoties ratio ad aſſes ducitur, exiſtimandum eſt hoc numorum genus propriè intelligendum eſſe: ſed potius tanti quanque ſummam eſſe. velut apud Liuium lib. 42. Munera binum millium æris ſummæ in ſingulos miſſa. Quod idē de ſeſtertiis intelligi volumus. velut apud Liuium libr. 45. X pondo auri & argenti ad ſummam ſeſtertium decies in æ- E
rarium retulit: Sed longe abſurdius fuit exiſtimare, creditorem, cui cētum æris millia deberi ſcriptum eſt, recuſare poſſe ſolutionem cētum millium aſſium, & aureos vel argenteos numos petere. Nam ſi creditor cogi non poteſt alterius formæ numos accipere, quàm qua pecuniā credidit: multo minus debitor alterius formæ ſoluere, quàm quæ nominatim promiſſa eſt l. creditorē, 99. D. de ſolut. Sed cùm multa Turnebi peccata in illa noua interpretatione numerari F
poſſunt, tum nullum abſurdius, quàm quod exiſtimauit, Soluere ad denarium eadem mente dici, qua Conficere rationes ad denarium. Tota enim illa Voluſij Mæciani Iuriſc. diſputatio de conficiendis rationibus ad denarium, ad quinarium, ad ſeſtertium, quam in ſuo de Aſſe libello elegantiſſimè tradidit, non ad creditum aut ſolutionem numorum pertinet, vt iam ante diximus: ſed tantùm ad intelligendas notas in tabulis & codicibus, ſiue libris rationum, perſcri- G
ptas: quēdmodum poſterius magis opportuno loco Deo volente demonſtrabimus. Nunc enim de legitimo Denariorum pondere, hoc eſt de iuſto numero denariorum ex argenti libra conflato, diſſerendum videtur.

De libris Argenti, & quanta reperiatur apud auctores Varietas in numeris Drachmarum & Denariorum ex libra.

CAP. III.

DE Libris argenti perplexa tractatio eſt: partim veterum auctorum culpa, tum Græcorum, tum Latinorum: partim etiam eorum hominum, qui cùm & noſtra & patrum memoria huius rei explanandæ curam ſuſcepiſſent, rem per ſe obſcuram ſuis argutiis & commētis obſcuriorem reddiderunt. Veterum auctorū culpa duplex fuit. Prior illa, quòd cùm varius eſſet apud illos & libræ & minæ modus, vel potiùs cùm varius eſſet numerus numorum, qui è libra & mina ſignabantur, vbi certum numerum in libram aut minam imputarunt, quam libram aut minam intelligerent, non edixerunt. Altera hæc fuit, quòd cùm haud parum inter Romanam libram & Græcam minam intereſſet, tamen ea vocabula plerunque inter ſe commutarunt: præſertim poſteaquàm Græci ſub imperium populi R. ſubiecti eius moribus atque inſtitutis vti cœperunt: & vel Græci de Romanis, vel Romani de Græcia rebus ſcribere inſtituerant. Quod vt perſpicuè intelligi poſſit, demonſtrabimus libram & minam interdum pro eodem ponderis genere ab auctoribus vſurpatis: interdum verò pro diſpari ac diuerſo, eóque quintuplici. modò enim ſeptuaginta duas drachmas in libram ſiue minam imputari, modò ſeptuaginta quinque ſæpe quattuor & octoginta, nonnunquam nonaginta ſex, per ſæpe autem centum. Rurſus vnciæ attribui (quod tamen eodē reuoluitur) modò ſenos denarios (ſiue drachmas) modò ſeptenos, perſæpe autem octonos, & præter duodenas vncias, interdū inſuper ſemunciam, hoc eſt, vel tres, vel quattuor. vt mihi certè tam tortuoſa & perplexa veterum ænigmata conſideranti, & Proteum hunc nodo aliquo conſtringere conanti, nonunquam in mentem venerit, non hanc liberalem diſciplinam, ſed ingeniorum carnificinam videri. Cuius rei teſtimonia hæc erunt: ac primum de Minæ & Libræ paritate. Nam Galenus quidem lib. 1. De comp. medic. ſec. gen. teſtatur propria hæc eſſe Romanorum vocabula, Libram, Sextarium, Vnciam. Ἐπιχώρια γὰρ (de Romanis loquitur) ταῦτα ὀνόματα τότε τῆς λίτρας, καὶ τὸ τοῦ ξέστου, καὶ οὐγγίας. Minæ autē vocabulum Græcorum proprium fuiſſe, multis ex locis cognoſci licet, tametſi Mnam potiùs dicebant. velut apud Fannium,

Μνᾶν vocitant, noſtrique Minam dixere priores.

Et Plinius libro 21. cap. vltimo, Mna, quam noſtri Minam vocant, pendit drachmas Atticas centum. quem locum totidem verbis Marcellus medicus in operis ſui præfationem tranſcripſit. Nam quod paullò antè dixit, Mina habet libram vnam, vncias duas, plane abſurdum eſt: ac reponendum Vncias duodecim, vt paullò poſt intelligetur. Verumtamen hæc duo vocàbula interdum, vt dixi, promiſcuè vſurpabant. nam Græcis Libræ nomen Fannius tribuit:

Hæc maior Latio libra eſt, gentique togatæ:
Attica nam minor eſt.

Item Priſcianus: Libra, vel Mina Attica, drachmæ ſeptuaginta quinque. Item Galenus lib. eiuſd. tract. 6. Ποτὲ μὲν γὰρ ἀντὶ τὰς λίτρας, ρ δραχμὰς γράφουσιν αὐτὰ ποτὲ δὲ ἀντὶ τὰς μνᾶς. Interdum, inquit, pro libra ſcribunt centum drachmas, interdum pro mina. Sed multo ſpinoſior eſt illa veterum tum Græcorum, tum Romanorum diſſenſio in vnciæ modo: quandoquidem alij drachmas ſiue denarios, in vnciam ſenos imputarunt, alij ſeptenos, alij octonos. De ſenis Priſcianus hoc teſtimonium profert ex Liuij lib. 34. Argenti ſignati octoginta millia fuere Atticorum. Tetradrachma vocant. Trium fere denariorum in ſingulis eſt pondus. Quo ex loco Priſcianus, qui est omnium ad vnum Numarij ſcriptoris ſi conſulunt, notat, Liuium tres denarios pro quattuor drachmis numeraſſe: qua ratione proportio inducitur inter Tetradrachmum & tres denarios ſeſquitertia, ſiue (vt Græci loquuntur) ἐπίτριτος at proinde ſi ſex ac nonaginta drachmæ in Librã imputarentur, duo & ſeptuaginta denarij pari proportione imputandi eſſent, qua nonaginta ſex, tertia parte (quæ eſt XXIIII) ſuperat LXXII. quod etiam Priſcianus eo loco ſignificauit, vbi ſic loquitur: Italica libra drachmas habet nonaginta ſex, quod eſt libra XII. vnciarum: id eſt denarij ſeptuaginta duo. Tametſi planius ita legeretur, Qui ſunt in libram XII. vnciarum, denarij ſeptuaginta duo. Sed ecce rurſus alia varietas atque inconſtantia. Nam alijs [D] locis ſeptuaginta quinque in libram imputantur, velut apud Fannium:

Attica nam minor eſt, ter quinque hanc denique drachmis,
Et ter vicenis tradunt explerier vnam.

Cui Priſcianus aſſentiens. Libra, inquit, vel mina Attica drachmæ ſeptuaginta quinque. Quin ne hoc quidem prætermittendum eſt, quod aduerſus Agricolæ & aliorum omnium interpretationem obſeruauimus, Fannium diſcrimen ſtatuere inter Libram Atticam, & Minam Atticam. huic enim ſenas tantùm vncias, ac proinde ſeptuaginta drachmas attribuit: illi autem præter ſenas vncias, ſemunciæ acceſſionem, de qua paullò poſt dicturi ſumus, aſſignat: ac proinde drachmas ſeptuaginta quinque, his verbis:

Attica nam minor eſt: ter quinque hanc denique drachmis,
Et ter vicenis tradunt expleriet vnam.

At paullò poſt:

— quod ſi decerpſeris illos
Quattuor, efficies hanc noſtram denique libram:
Attica quæ fiet (ſi quartam dempſeris hinc) Mna.

Quod ſic interpretor, Si hinc, id eſt ex numero quem proximè nominarat, nimirum XCVI. dempſeris quartam, hoc eſt, XXIIII. efficies minam Atticam: omnium LXXII. quam Fannius apertiſſimè diſtinguit tum ab Attica Libra, cui propter ſemunciæ, hoc eſt, trium drachmarum acceſſionem verè tribuit LXXV. tum etiam à Græca mina, cui centum drachmas imputat. Elias autem Vinetus, vir de literis optimè meritus, Agricolæ ſententiam amplexus particulam HINC non ad proximum numerum XCVI. ſed ad ſuperiorem centum drachmarum referebat. Galenus De comp. med. ſecund. gen. ἡ μὲν γὰρ λίτρα δραχμὰς ἑξ ἔχει πρὸς τοῖς ἐνενήκοντα. τὸ δ' ἡμιλιτρον ὀκτὼ καὶ τεσσαράκοντα διαλονεῖται. καθάπερ καὶ τούτου πάλιν τὸ ἥμισυ τέσσαρας καὶ εἴκοσι. hoc eſt, Nã libra nonaginta ſex habet drachmas Selibra autem, octo & quadraginta: ſicuti & huius rurſus pars dimidia, quattuor & vigintі. Sed ad rem redeundum eſt. Priſcianus aliquantò poſt: Et eſt ſciendum, inquit, quòd minæ Atticæ ſingulæ ſe[B]ptuaginta quinque drachmas habent. Item Seneca (hoc quid ſit neſcio) decima epiſt. ad nouatum: Viginti quatuor HS (id eſt ſeſtertium millia: ſic enim apud Priſcianum ſcribendum eſt, vbi vitioſè legitur Seſtertia) id eſt talentum Atticum paruum: viginti quatuor enim HS ſexaginta libras habent. Hæc Priſcianus, & rectè: vt poſterius magis idoneo loco docebimus: dumtamen (vt dixi) libras intelligamus ſeptuaginta quinque drachmarum. quia ſicuti qua[C]tuor ſeſtertij denarium explent, (vt ſuo loco intelligetur) ita viginti quattuor ſeſtertium millia, denariorum ſex millia conficiunt: quæ, ſi ſeptuaginta quinque drachmas in libram imputemus, ſexaginta libras explebunt. Age, alios audiamus. Sunt enim alij, & magno hi quidem numero, qui ſeptenos vnciæ denarios tribuunt. in quibus principatum obtinet Celſus, in Epiſt. ad C. Natalem: Græci medici, inquit, pondera medicamentorum ad drachmas redigunt: quæ quia [D] ad denarium noſtrum conueniunt (octoginta enim & quattuor in libram incurrunt) pro nota Græcæ drachmæ, notam denarij poſui: & ad eius pondus drachmas redegi. Item lib. 5. c. 17. Scire volumus, in vncia pondus denariorum ſeptem eſſe. Quibus ea verbis apparet, Celſum non modò denarios, ſed etiam drachmas in libram quattuor & octoginta imputare. Idem præterea totidem fere verbis tradit Plinius lib. 33. c. 9. his verbis: Miſcuit denario Triumvir Antonius fer[E]rum. Miſcuit æri. Alij è pondere ſubtrahunt: cùm ſit iuſtum LXXXIIII. e libris ſignari. Nam cùm in libra vnciæ duodecim numerentur, perſpicuum eſt, duodecim octoginta quattuor denariorum partem eſſe ſeptem denarios. quam eandem rationem Scribonius Largus ſecutus eſt, in fine præfationis, his verbis: erit nota denarij vnius pro Græca drachma: æquè enim in libra denarij octoginta quattuor apud nos, quot drachmæ apud Græcos incurrunt. Hactenus de ſe[F]ptem denarijs, ſiue drachmis in vncia. Deinceps de octo videamus. Sunt enim complures qui hunc numerum ſequuntur: atque imprimis Fannius, noto illo verſu:

Vncia fit drachmis bis quattuor.

Et Priſcianus: Vncia drachmæ octo, ſcrupuli viginti quattuor. quod Dioſcorides totidẽ verbis confirmat: ἡ δὲ οὐγγία δραχμὰς η, γραμμάτων κδ. & Marcellus medicus, Vncia habet drachmas nu[G]mero octo ſcrupula XXIIII. Item Heſychius: δραχμαὶ ὀκτὼ δύναται τῆς οὐγγίας. Et Balbus ad Celſum: Semuncia eſt medietas vnciæ, &c. Drachma verò octaua. Qua ratione efficitur, vt in duodecim vnciarũ libra ſex & nonaginta ſiue denarij, ſiue drachmæ incurrant: velut apud Fannium:

Centum has ſunt drachmæ. quòd ſi decerpſeris illis
Quattuor, efficies hanc noſtram denique libram.

Item

Item apud Priſcianum: Libra, vel mina Græca A
drachmæ nonaginta ſex. Sed & Dioſcorides, ἡ δὲ λίτρα ἔχει οὐγγίας ιβ΄. δραχμὰς ϟϛ΄. Libra, inquit, habet vncias duodecim, drachmas nonaginta ſex. Galenus autem lib.1.de comp. medic.ſec. gē. ἡ μὲν λίτρα δραχμὰς ἓξ ἔχει πρὸς ταῖς ἐννενήκοντα. Libra, inquit, habet drachmas ſex ſupra nonaginta. Satis, opinor, diſſenſionis iam ac varietatis inter auctores demonſtratum eſt: neque dum tamen omnia diſſidia patefacta ſunt. Duo namque adhuc ſuperſunt: quorum prius eſt eorum, B
qui drachmas centum in Minam imputant: velut apud Fannium:

Μνᾶν vocitant, noſtrique Minam dixere priores.
Centum has ſunt drachmæ.

Id autē ex Solonis inſtituto manaſſe, Plutarchus in eius vita auctor eſt: quemadmodum aliquantò pòſt demonſtrabimus. Plin. lib.21.c. vlt. Mna, inquit, quam noſtri Minam vocant, pendit drachmas Atticas centum. Si Pollux lib.9. ἡ μνᾶ δὲ ὡς παρ' Ἀθηναίοις ἑκατὸν εἶχεν δραχμὰς ἀττικὰς οὕτω, καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐπιχωρίοις. Mna, inquit, ſicut apud Athenienſes centū habuit drachmas, ita etiam apud alios ipſis vſitatas. Item Suidas, ἑκατὸν δραχμαὶ ποιοῦσι μνᾶν μίαν. Ac ne quis litigioſus cauilletur locum illum Plinij ad pōdera medicorum, non ad rem numariam pertinere (qua diſtinctione video ſe Agricolam mirificè oblectaſſe) attendi cupio, Plutarchi locum illum in Fabio, quem paullò pòſt proferemus, vbi pro eo quod Liuius (lib. 22.) ſcripſerit argenti D
bina pondo, & ſelibram, Græcè ſic conuertit, δραχμὰς πεντήκοντα ϗ διακοσίας. vt iā tergiuerſandi facultas omnis ſublata ſit. Pari modo infrà ſub Duo millia ſeſtertiûm, Appiani locum proferemus, vbi pro eo quod Suetonius Latinè ſcripſerat centum denarios, ſiue (quod idem eſt) quadringentos ſeſtertios, Græcè poſuit Μνᾶν Ἀττικήν. Neque mouere nos debet, quod apud Plinium lib.12.c.14. ita ſcriptum eſt: Micas concuſſu eliſas Mannam vocamus. Etiamnum tamen inueniuntur guttæ, quæ tertiam partem E
Minæ hoc eſt xxxix denariûm pondus æquent. Qui locus vehementer Budæum & Agricolam exercuit. nam Agricola xxix. tantùm admittens: Sic legitur, inquit, in exemplaribus correctis: & Budæus ſe duo manuſcripta vidiſſe ait, in quibus ita legatur, & vera lectio eſt. Hæc Agricola. Sed quis eſt, qui, calculis adhibitis, non facilè animaduertat, tertiam centum drachmarum partem neque viginti nouem eſſe, F
neque triginta nouem: ſed triginta tres & inſuper vnum ſcrupulum? quandoquidem tum in drachma, tum in denario tres ſcrupuli continebantur, vt apud Fannium:

In ſcrupulis ternis drachmam, quod pōdere doctis
Argenti facilis ſignatur nummus Athenis.

Vt facilè appareat, Pliniū ita ſcripſiſſe, Hoc eſt xxxiii.)(.ſ quæ notæ ſignificant triginta tres denarios, & inſuper ſcrupulum. Tametſi facilè crediderim, Plinium ſcrupuli notam (vt tum lo- G
quebantur) excurrentem, & quæ ad ipſius inſtitutum nullius propè momenti erat, omiſiſſe. Reſtat poſtrema inter auctores diſſenſio. Nam cùm antea demonſtratum ſit, permultos magnū inter denarium & drachmam diſcrimen conſtituere, tamen vel eoſdem, vel alios inuenimus, qui paris eiuſdémque vtrumque illum nummum ponderis eſſe affirment. in quibus princeps Cornelius Celſus lib.5.c.17. non modò parem denario drachmam facit, verùm etiam vtriuſque partes inter ſe omnino æquales conſtituit. Sciri volo, inquit, vnius denarij pondus diuidi à me in ſex partes: id eſt ſex vncias (rectè Agricola SEXTANTES) vt idem in vncia (reponendum arbitror vi.ª id eſt ſexta) denarij habeam, quod Græci habent in eo, quem ὀβολὸν appellant. Id ad noſtra pondera relatum, paullo plus dimidio ſcrupulo facit. Non vult Cornelius, ciuis R. niſi Latinis verbis ſua præcepta tradere. Itaque neque Drachmæ, neque Oboli vocabulis vti ſtatuit: ſed pro illa, Denarium dicere: pro hoc, Sextantem. quia ſicuti ſex ſunt oboli in drachma, ita ſex in Denario ſextulæ. In eandem ſententiā Plin. lib.21.cap.vlt. Drachma Attica, inquit, Denarij Argentei pondus habet. Quæ verba Marcellus Medicus in operis ſui præfatione pro ſuis vſurpauit. ſed & alio loco Marcellus: Denarius, inquit, eſt drachma vna: quod facit ℈ iii. hoc eſt, ſcrupulos tres. Celſus in Epiſtola ad Natalem: Græci medici pondera medicamentorum ad Drachmas redigunt: quæ quia ad denarium conueniunt (octoginta enim in libram incurrunt) pro nota Græcæ Drachmæ Z notam Denarij poſui ✱, & ad eius pōdus Græcas Drachmas redigeo. Sic Cleopatras: τὸ Ἰταλικὸν δηνάριον ἔχει δραχμὴν α. Sic Suidas: Δραχμὴ δὲ ἐκαλεῖτο νομίσματος ἀργυρίου. Item Priſcianus: Drachma, ſiue Argenteus, ſcrupuli trea. Quibus ex locis manifeſtū eſt, de numis ipſis, de ipſorum, inquam, numorū corporibus ac precio hæc tradi: ne quia cauilletur hanc æquationem ac diſputationem ad medicorum pondera referendam eſſe. Sic denique Iſidorus: Drachma inquit, octaua pars vnciæ eſt, & Denarij pondus argenti tribus conſtans ſcrupulis, id eſt ſiliquis.

Amplior recenſio locorum apud auctores quibus Drachma & Denarius inter ſe comparantur.

CAP. IV.

SEd operæpretium eſt, plura ex veteribus teſtimonia de drachmæ & denarij compatatione, proponere. Nam Zonaras quidem eo loco vbi de iis commemorat, quæ poſt Pyrrhum regem deuictum acciderunt, ita loquitur: πολλὰ δὲ χρήματα τότε τῇ Ῥώμῃ ἐγένετο· ὥστε ἀργυραῖς δραχμαῖς χρήσασθαι: hoc eſt, Tanta per id tempus Romæ fuit pecuniæ copia, vt argenteis vti drachmis inciperent. Neque enim drachmarum vſum populus R. vnquam recepit: ſed denarios pari pondere, trium ſcilicet ſcrupulorum, percuſſit. Valerius lib.7.c.6. Præneſtini, inquit, cùm in obſidione permanerent, euenit, vt murem quidam captiuus ducentis potiùs denarijs vendere, quàm ipſe leniendæ famis gratia conſumere mallet. Strabo lib. 5. ſub fin. Medimnum poſuit pro mure: ſed in precio conſentiens, ὥσθ' ὑπὸ λιμοῦ, inquit, διακοσίων δραχμῶν πραθέντος μυὸς τὸν μὲν πωλήσαντα ἀποθανεῖν, σωθῆναι δὲ τὸν πριάμενον. Eiuſdem generis illud eſt apud Agellium 1. cap. 8. Ad Thaidem Demoſthenes clanculum adit,

& vt ſibi ſui copiam faceret, petit. At Lais μυρίας δραχμὰς ἢ τάλαντον popoſcit. Hoc facit numi noſtratis denariûm decem millia. Talentum autem Agellius illo loco Euboicum intelligit, quod decem millium drachmarum erat. Item illud Cicero͞nis, Dionis, & Appiani. Nam cùm Cicero ad Atticũ 16. ep. 8 ſcripſiſſet, Octauium veteranis quingenos denarios pollicitum fuiſſe, Dio lib. 44. itémque Appianus libro Ciuil. 3. Græcè verterunt κατὰ πεντακοσίας δραχμάς. Quibus locis non mihi dubiũ eſt, quin de drachmis, quarum centum in libram incurrebant, auctores illi locuti ſint. Item illud Curtij & Diodori. Nam ille lib. 6. Atque ille, inquit, non fortunæ ſolùm eorum, ſed etiam pœnitentiæ miſertus, terna millia denariûm ſingulis dari iuſſit. Diodorus autem lib. 17. terna millia drachmarum ſcripſit. τρισχιλίας μὲν ἑκάστῳ δραχμὰς ἐδωρήσατο. Item illud Laertij & Agellij. Nam ille quidem in Platonis vita ſic ſcribit: λέγουσι δέ τινες ὅτι Δίωνι ἐπέστειλεν εἰς Σικελίαν ὠνήσασθαι τρία βιβλία Πυθαγορικὰ παρὰ Φιλολάου μνῶν ἑκατόν. Hic autem lib. 3. c. 17. Tres, inquit, Philolaus Pythagoræ libros decem denariorum millibus emit. Item illud Liuij & Plutarchi. Nam Liuius quidem lib. 4. vbi de Camillo commemorat: Abſens, inquit, quindecim millibus grauis æris damnatus eſt. Plutarchus autem in eius vita: ὦφλε, inquit, τὴν δίκην ἐρήμην τίμημα μυρίων καὶ πεντακισχιλίων ἀσσαρίων ἔχουσαν, ὃ γίνεται πρὸς ἀργυρίου λόγον χιλίας δραχμὰς καὶ πεντακοσίας. ἀσσάριον γὰρ ἦν τὸ ἀργύριον καὶ τὸ δεκάχαλκον (οὕτως ἐκάλουν τὸ δηνάριον.) Abſens inquit, ob cauſſam deſertam damnatus eſt quindecim millibus aſſarium: quæ ſumma ad argenti rationem redacta, mille quingentas drachmas efficit. Aſſarius enim erat ærei numi genus, qualea numero decem vocabantur Denarium. Sed hic Plutarchi ſyllogiſmus mutilus videtur, cùm de denario priùs concludat, quàm eius mentionem fecerit. Itaque aut poſt verbũ πεντακοσίας tria hæc deſunt, ὃ ἦν δὲ δηνάριον: aut certè intellectu ſupplendi ſunt. Nam hoc modo ſyllogiſmus conſtabit. Drachma & Denarius ſunt numi eiuſdem poteſtatis ac precij: ſed illa Græcorum, hic Romanorum. Quindecim aſſium millia efficiunt mille quingenta denaria. Cuius aſſumptionis probatio ſubiicitur: quia δεκάχαλκον (qui Varroni propriè eſt Decuſſis: id eſt decem aſſes ærei) Denarium appellatur. Quare quindecim aſſium millia mille quingentas drachmas complent. Verùm vtcunque ſit (nihil enim hic ſecuplolus noſtram concluſionem moratur) commodiſſimè quoque hoc idem ex Talentorum cum Denariis comparatione conſtabit. Nam Feſtus ſcribit, Atticum Talentum ſex milliûm denariûm fuiſſe: itémque Fannius:

Cecropium ſupereſt poſt hæc docuiſſe talentum,
Sexaginta minas, ſeu vis, ſex millia drachmas
Quod ſummũ doctis perhibetur pondus Athenis.

Cùm igitur Græci Attico talento ſex drachmarum millia tribuant; perſpicuum eſt, drachmam denario reſpondiſſe. Pollux 9. τὸ μὲν ἀττικὸν τάλαντον ἑξακισχιλίας ἐδύνατο δραχμὰς ἀττικάς. id eſt, Atticum talentum ſex millia drachmarum Atticarum valebat. Et Suidas: τάλαντον, ὥς φησι Διόδωρος, μνῶν ἐστιν ξ. ἡ δὲ μνᾶ, δραχμῶν ρ΄. Talentum eſt, (vt ait Diodorus) minarum ſexaginta: Mina drachmarum centum. Curtius lib. 7. Fecerant fidem rumori temerè vulgato Græci milites, redire iuſſi domos, quorum æquitibus ſingulis denariorum ſena millia dono dederat. Diodorus lib. 17. ſingula talenta prodidit: ἐδωρήσατο δὲ τῶν μὲν ἱππέων ἑκάστῳ τάλαντον. Sed omniũ optimè Priſcianus hæc declarat. Liuius, inquit, xxxiv. ab v. c. Multitudinis eorum argumentum ſit, quòd Polybius ſcribit, centum talentis eam rem Achæis ſteteſſe: cùm quingentos denarios precium in capita, quod redderetur dominis, ſtatuiſſent. Mille enim ducentos ea ratione Achia habuit captiuos Italicos. Qua ratione oſtenditur, ſex millia denariorum habere talentum. Nam cùm quingenti denarij pro mille ducentis captiuis dati colligantur, ſexcenta millia denariorum, centum ea oſtendit fuiſſe talenta. centeſima autem pars ſexcentorum millium ſex millia inueniuntur. Denarij autem illo tempore numi argentei erant, viginti quatuor ſiliquarum: quod in eodem libro oſtendit Liuius. Argenti ſignati octoginta quatuor millia fuere Atticorum. τετράδραχμα vocãt. Trium ferè denariorum in ſingulis argenti eſt pondus. Hæc Priſcianus: vnde intelligitur, quemadmodum Polybius Græcus auctor ſex millia drachmarum in talentum imputarat, eodem modo Liuium ſex millia denariorum talento tribuiſſe: ac proinde Denarij & Drachmæ vocabula promiſcuè ab illis vſurpata fuiſſe: ſic tamen, vt per id tempus non æquè octoginta quatuor drachmæ in libram ferirentur, vt poſtea factitari cœptum eſt: ſed potiùs, ex Solonis inſtituto, centum. Atque hæc quidem de talentis. Licebit etiam ex ratione ſeſtertiaria idem concludere. Quamuis enim Romani propter duodecim vnciarum rationem non poſſint, in libram ampliùs, quàm ſex & nonaginta denarios imputare, qui quadruplicato numero trecentos tantùm & octoginta ſeſtertios explent: tamen Græci propter ſemunciæ ad duodecim vncias acceſſionem centum drachmas, ac proinde quadringentos ſeſtertios, numerant. Vnde illa Budæi manauit opinio, de qua ſub Seſtertio poëtico tractabimus. Nam cùm Græcos videret propter centum drachmas quadringentos in libram ſeſtertios imputare, exiſtimauit idem Romana ratione dici poſſe: nimirum centum denarios: ac proinde quadringentos ſeſtertios ſimiliter in libram imputandos eſſe. quod neque Budæus cui totus penè mundus aſſentitur, neque quiſquam Budæo doctior, ſi quis fortè poſthac reperietur, vnquam veritatis ſtudioſis perſuadebit. Tametſi iuſtiſſimam erroris excuſationem vir ille ſummus habuit: cùm & Græcos ſcriptores & Latinos poëtas illam ſecutos rationem videret. ſed abuſiuè ac licentius vtrique, cùm Græci drachmaria ratione niterentur: poëtæ verò neque verbum ſeſtertij multis caſibus comprehendere ſuis verſibus poſſent, & modicam differentiam parui ducerent: quemadmodum poſterius copioſè exponemus. Nunc enim teſtimonia proferenda ſunt: quorum hoc primùm eſſe poterit. Sueton. in Cæſare: Populo, inquit, hortos circa Tyberim, publicè ac viritim trecenos ſeſtertios legauit. Plutarchus autem in Antonio: καὶ γὰρ ἀπέλιπε, inquit,

inquit, Ρωμαίων ἑκάστῳ δραχμὰς ἑβδομήκοντα πέντε δοθῆναι, Καίσαρος ἐν ταῖς διαθήκαις γράψαντος. Idem in Bruto: πρῶτον μὲν γὰρ ἐν ταῖς διαθήκαις δεδομένων κατ᾽ ἄνδρα Ρωμαίοις δραχμῶν ἑβδομήκοντα πέντε &c. Appianus verò Ciuil. 2. τῷ δήμῳ δὲ ἦσαν οἱ κῆποι ἐνδιαίτημα δεδομένοι καὶ κατ᾽ ἄνδρα Ρωμαίων τῶν ἄλλων ἔτι ἐν ἄστει πέντε μὲν ἑβδομήκοντα ἀττικὰς δραχμάς. Quibus ex verbis facilè iam apparet, quantopere ſit Agricola, qui Græcum Appianum nondum viderat, locum illum calumniatus, lib. de pond. Rom. 4. pag. 104. Faciliùs autem Dio id etiam demonſtrabit, qui li. 41. ἐ δραχμὰς, inquit, ὡς μὲν αὐτὸς ὁ Ὀκτάουιος γράφει τετταράκοντα, ὡς δ᾽ ἕτεροι πέντε καὶ ἑβδομήκοντα ἑκάστῳ σφῶν δοθῆναι κελεύσας. Quibus ex locis illud etiam obſeruandum eſt, quod paullò antè notauimus, ſi quinque & ſeptuaginta drachmas in libram imputemus, eadem retenta ratione trecentis ſeſtertiis numis, argenti libram expleri. Addamus etiã illud ex Plutarcho in Sylla, vnde & de denariorum cum drachmis, & de drachmarum ac denariorum cum ſeſtertiis comparatione conſtabit. Cùm iam Sylla victor, inquit, Remp. obtineret libertinus quidam ſuſpectus quod vnum proſcriptis occultaret, qua de cauſſa præcipitari eum è ſaxo Tarpeio oportebat, nimiæ inſolentiæ Syllam increpuit, quòd perquamdiu in vnis ædibus conductis habitaſſent, cùm ipſe pro ſuperiore parte duo nummum ſeſtertiûm millia Sylla autem pro inferiore parte tria millia mercedis penſitaret: vt inter illorum fortunam mille tantùm ſeſtertij numi intereſſent: qui drachmas Atticas ducentas quinquaginta valent. Quibus ex verbis patet, primùm drachmas Atticas & Denarios exæquari: quemadmodum ſuperius diximus: deinde in centum drachmas quadringentos ſeſtertios numos imputari, φερόντες, inquit, ᾤκησαν αὐτὸς μὲν τῶν ἄνω διςχιλίους νόμους, ἐκεῖνος δὲ τῶν ὑποκάτω τρισχιλίους. ὥστε τῆς τύχης αὐτῶν τὸ μεταξὺ χιλίους νόμμους εἶναι: οἱ πεντήκοντα καὶ διακοσίας δραχμὰς ἀττικὰς δύνανται. Ne hoc quidem teſtimonium prætermittendum eſt. Nam Cicero ad Attic. 4. Tribunitij candidati, inquit, iurarunt, ſe arbitrio Catonis petituros. apud eum HS quingena depoſuerunt: vt qui à Catone damnatus eſſet, id perderet, & competitoribus tribueretur. Item ad Qu. Fratrem 2. Epiſt. 14. Tribunitij candidati compromiſerunt HS quingenis in ſingulos apud M. Catonem depoſitis, petere eius arbitratu, vt qui contra feciſſet, ab eo condemnaretur. Nunc Plutarchum eandem rem Græcè & drachmaria ratione narrantẽ audiamus. Plut. in Caton. Vtic. ἔδοξεν οὖν αὐτοῖς εἰς ταυτὸ συνελθοῦσι παραβαλλέσθαι δραχμῶν ἕκαστον ἀργυρίου δέκα δύο ἥμισυ μυριάδας. Cùm in vnum, inquit, conueniſſent, placuit iis, vt ſinguli deponerent drachmarum decem myriades & dimidiatam: hoc eſt, denariorum vicena quina millia, quæ ſeſtertium efficiunt quingena millia.

Finem teſtium producendorum faciam, vbi ſummum auctorem Dionyſium Helicarnaſſæũ, adduxero, qui agmen claudat. Nam is lib. 4. vbi de cenſu à Rege Tullo inſtituto commemorat, pro eo quod Liuius lib. 1. dixit centum millia æris, modò centum minas, modò decẽ drachmarum millia indifferenter vſurpat. pro ſeptuagin-

A ta quinq; millibus æris, prius ſeptuaginta quinque minas, mox ſeptem drachmarum millia quingentas: pro quinquaginta millibus æris, priore loco quinquaginta minas, proximè verò quinque millia drachmarũm. Verba Liuij hæc ſunt: Tum claſſes centuriáſque & hunc ordinem ex cenſu deſcripſit. Ex iis qui centum millium æris cenſum haberent, prima claſſis omnes appellati. Secunda claſſis intra centum vſque ad quinque & ſeptuaginta millium cenſum inſtituta.
B Tertiæ claſſis quinquaginta millium cenſum eſſe voluit. in quarta cenſus quinque & viginti millium: quintis claſſis vndecim millibus cenſebatur. Hoc minor cenſus reliquam multitudinem habuit. Audiamus nunc Dionyſium: μίαν ἀφεῖλεν ἐξ ἁπάντων μοῖραν, inquit, ὧν τὸ μέγιστον τίμημα ἦν οὐσίας, οὐκ ἔλαττον ἑκατὸν μνῶν. αὕτη πρώτη σύνταξις ἦν. Vnã, inquit, ex omnibus partem delegit, cuius maximus eſſet cenſus, nec minor centum minis. Hæc prima fuit claſſis. Tum
C ita ſubſcribit: ἑτέραν δὲ ἀφῄρει μοῖραν, ὧν ἦν ὁ μὲν μυρίων δραχμῶν, ὁ μεῖον δὲ πέντε καὶ ἑβδομήκοντα μνῶν τὸ τίμημα. Poſtea, inquit, alteram delegit, cuius cenſus erat intra decem drachmarum millia non minor tamen quinque & ſeptuaginta minis. Vides, vt centum minas, & decem drachmarum millia pro eadem ſumma vſurpet? vtrámque autem ſummam pro centum æris millibus: ac proinde non modò pro quadraginta HS, verùm etiam pro decem denariorum millibus? Audiatur iterum Dionyſius:
D τὴν δὲ τρίτην σύνταξιν ἐκ τῶν ὑπολειπομένων ὅσοι τίμασιν εἶχον ἐλάττονα μὲν τῶν ἑπτακισχιλίων καὶ πεντακοσίων δραχμῶν, οὐ μείονα δὲ μνῶν πεντήκοντα. Tertiã claſſem, inquit, fecit ex iis, qui cenſum habebant minorem quidem ſeptem drachmarum millibus quingentis, non minorem tamen quinquaginta minis. Videmus iterum, vt pro ſeptuaginta quinque millibus æris, drachmarum ſtatuat ſeptem millia quingentas: ac proinde HS triginta mil-
E lia numũm. Pari ratione mox in quarta claſſe, pro quinquaginta millibus æris, Græcè poſuit quinque drachmarum millia. ἐκ τῶν ὑπολειπομένων τοὺς ἐλάττω πεντακισχιλίων δραχμῶν ἔχοντας οὐσίαν ἄχρι καὶ εἴκοσι μνῶν, τετάρτην ἐποιήσατο μοῖραν. Ex reliquis, ait, qui cenſum habebant minorem ſeptem drachmarum millibus, ſed tamen vſque ad minas viginti, quartam claſſem fecit. Atque hæc quidem de drachmarum cum denariis exæquatione hactenus dicta ſint. niſi fortè inſuper
F addendum hoc videtur, cùm Dionyſius quintæ claſſi duodecim minarum & dimidiæ cenſum attribuat, & duplaris proportio, quam Rex Tullus in cenſu conſtituendo ſequi inſtituit, apertiſſimè hoc flagitet, videri apud Liuium fieri non poſſe, quod ita ſcriptum eſt: Quinta claſſis vndecim millibus cenſebatur. Mendum igitur ex notis natum arbitror: quas cùm hoc modo Liuius exaraſſet, CCIƆƆ CIƆ CIƆ IƆ: imperitus librarius duas poſteriores quaſi ſuperuacaneas
G omiſit: & CCIƆƆ CIƆ: id eſt, vndecim millia duntaxat ſcripſit. Sed quo dilucidius & proportio quam Rex Tullus ſecutus eſt, & drachmarum cum denarijs, aſſibus ac ſeſtertijs comparatio cognoſcatur, non alienum videtur, eam quaſi in tabula depictam, ſub oculos ſubiicere.

tuor & octoginta. nam libra eſt vnciarum duodecim, in quarum ſingulis ſunt denarij ſeptem, qui duodecies ſumpti complent quattuor & octoginta denarios. Eadem libra Græcis eſt drachmarum ſex & nonaginta. Libra enim vnciarum eſt etiam illis duodecim (Cleopatras dixit eſſe duodecim & ſemis,) in quibus ſingulis drachmæ octo, quæ duodecies iunctæ efficiunt drachmas ſex & nonaginta. (Aſſentior Syluio, dummodo deleatur ille Fannij verſus, qui ei grauiter aduerſatur:

Centum habent drachmæ. quòd ſi decerpſeris illis
Quattuor, efficies hanc noſtram denique libram:

Nam Fannius loquitur vt ciuis Romanus, & NOSTRAM cùm dicit, ſine dubio Romanam intelligit. nunquam autem Romani ciues ſuas rationes in Latio ad drachmas, ſed ſemper ad denarios confecerunt. quare nonaginta ſex denarios Romanos in libra Romana Fannius apertiſſimè computat.) Cùm igitur (ſubiungit Syluius) paullò grauior denarius eſſet, quàm drachma Attica, pondus autem vel numiſma Græci interpretes non haberent, quòd exactè Denario Romano reſponderet, Latina in Græcum ſermonem verſuri, per id quod proximum eſſet ac non multò leuius, drachmam ſcilicet, pro denario reddiderunt, vt Plutarchus & Galenus. Hæc Syluius: cuius hoc poſtremum verbum facilè concoquere fortaſſe poſſem, ſi de vnius tantùm denarij cum vna tantùm drachma comparatione ageretur: ſed durum eſt conniuere in comparatione quattuor & octoginta denariorum cum ſex & nonaginta drachmis: vbi diſcrimen eſt duodecim drachmarum: quam Syluij pillulam qui tacitus deglutire poterit, non anguſtis ſe faucibus eſſe præditum indicabit. Pergit Syluius: Contrà Latini, dum Græca verterunt, pro drachma Attica, denarium, tam pondus quam numiſma verterunt: quia pars vnciæ octaua apud Romanos nomine proprio caret. niſi cum Balbo & Latinis multis drachmam quoque Græco more appelles: vt Agellius, Feſtus, Liuius libr. ab V.C. 44. Polybij locum recenſens. (Hæc apud Syluium Agricolæ verba reperi: quibus addo hæc aliorum auctorum teſtimonia, valdè vtriuſque ſententiæ repugnantia. Drachma, inquit Priſcianus, ſiue Argenteus denarius, ſcrupuli tres. Drachma, inquit Iſidorus, octaua pars vnciæ eſt, & denarij pondus: argenti tribus conſtans ſcrupulis.) Pergit Syluius: Sic drachma Attica, inquit, denarij argentei habere pondus dicitur Plinio lib. 21. cap. vltim. Nec mirum eſt, id eum feciſſe in ponderibus nimium diuerſis, drachma & denario: cùm μνᾶν Atticam (quæ vnciarũ eſt duodecim, & dimidiæ, ſeu drachmarum centum) verterit libram, quæ vnciarum eſt tantùm duodecim, ſeu drachmarum eſt tantùm ſex & nonaginta: drachmis ſcilicet quattuor leuior quàm Alexandrina. hæc enim differentia illis viſa eſt parui eſſe momenti. niſi ſi qui eſſent validis (fort. inualidis) admodum viribus. Non habet igitur drachma Attica denarij pondus, neque libra minam æquat. Hæc doctiſſimus Syluius: quæ P. Manutius ſcriptor politiſſimus his paucioribus verbis elegantiſſimè perſtrinxit in Comm. epiſt. Att. lib. 6. Quos Cicero denarios appellat, Appianus & Dio drachmas vocant, ſed quia drachma paullò leuior eſt denario, cùm octo apud Athenienſes drachmæ in vncia, denarij Romani ſeptem ferirentur: ideo non ſolùm Græci ſcriptores drachmam pro denario, ſed Latini quoque denarium pro drachma interdum vſurparunt. Hæc Manutius. Sed videamus, ne falſis poſitis principiis, vera eſſe conſequentia non poſſint. Nam quod nobis quaſi oraculi loco ediderunt, ſeptem denarios ſemper in vncia octo verò drachmas numerandas eſſe, bona ipſorum venia dictum ſit, apertè falſum eſt. Fannius certè & Priſcianus, cùm hanc rem totam diligenter & accuratè tractarent, & in libra modò ſeptuaginta duas, modò ſeptuaginta quinque, modò nonaginta ſex, modò centum drachmas numerarent, nuſquam tamen (quod diligenter attendi, ſuóque momento ponderari cupio) de numero quattuor & octoginta vel denariorum vel drachmarum verbum vel minimum interpoſuerunt. Quinetiam Fannius apertiſſimè in libram Romanam ſex & nonaginta denarios imputat, vt modò demonſtrauimus. præterea quid reſpondebunt Celſo, cuius hæc ex Epiſtula ad Natalem verba protulimus: Græci pondera ad drachmas redigunt, quæ quia ad denarium conueniunt (octoginta enim quattuor in libram incurrunt) pro nota Græcæ drachmæ Z. notam denarij poſui ✱: & ad eius pondus Græcas drachmas redegi. item ad illud Cleopatræ, τὸ ἰταλικὸν δηνάριον ἔχει δραχμὴν α. Quid opus eſt plura? Verbo iam vno & oraculum & oraculatores iſtos euertam. Video inter omnes conſtare, Liuium eam inter Tetradrachmum & tres denarios proportionem inducere, quam ſeſquitertiam dicimus: eo loco quem ſæpe iam protulimus. Hoc & Agricola, & Syluius, & alij omnes fatentur. Atqui ſi verum eſſet, octo drachmas valere ſeptem denarios, quemadmodum Agricola & Agricolarij omnes contendunt, ea proportio eſſet, quam, vt dixi, ſeſquiſeptimam appellant: nimium quantum ab illa diſcrepans, quæ octo drachmas cum ſex denariis, non cum ſeptem componit. Quare aut illam tam apertam repugnantiam eruditi & ingenioſi viri dirimant, aut ne moleſtè ferant, ſi neque Budæi, neque Agricolæ, neque Syluij auctoritate à veri inueſtigatione deterreamur.

Tertia ſuperiorum diſſenſionum conciliatio.

CAP. VII.

RESTAT igitur vt videamus, ecquid tandem lucis eſt tenui noſtro lychnucho tantis iſtis tenebris afferri poſſit. Arduum quidem negotium eſt: ſed quo difficilius, hoc præclarius. Sic igitur ſtatuo, duo denariorum genera Romæ fuiſſe: vnum grauiorum, quod fuit antiquius: alterum leuiorum, quod poſterius fuit. Grauiores dico, qui quattuor & octoginta tantùm numero ex libra ſignabantur: quod iuſtum, id eſt lege aliqua nominatim definitum fuiſſe, Plinius teſtatur lib. 33. c. 9. & Celſus Plinio antiquior, ſua tempeſtate obſeruatum illum fuiſſe oſtendit in iis locis, quos paullò antè protulimus. atque ad hunc genus grauiorum dena-

riorum illa omnia loca pertinere conteodo, quæ A
ſuperius de ſeptenis in vnciam denariis comme-
morauimus: qoia ſeptem denatij duodecies du-
cti numerum illum octoginta quattuot in libram
expleot. Leuiores antem appello, qui ſex & no-
naginta numero ex libra feriebantor, quòd le-
ge, vel potius Conſtitutione & Edicto alicuius
Cæſaris iorroductum fuiſſe oportet: ſed cuius,
diuinare certè non poſſum. Numerum quidem
Fannius his verſibus exponit:

B

Μνᾶν vocitant, noſtrique Minam dixere
priores.
Centum hæ ſunt drachmæ, quòd ſi decerp-
ſeris illis
Quattuor, efficies hanc noſtram denique li-
bram.

Scribit enim hæc Faunius, vt iam ſæpè dixi, tao-
quam ciuis Romanus, & tanquam de Romana
libra: vt nemini dubium eſſe poſſit, quin Roma- C
ni denarios eiuſmodi habuerint, ſuperioribus il-
lis leuiores. atque idcirco ex libra plures, duode-
oario nimirum. Quod etiam Priſcianus his con-
firmat verbis: Italica mina, inquit, drachmas
habet (vt ſuprà dictum eſt) nonaginta ſex. Item
aliquanto antè: Libra vel mina Graia drachmas
habet nonaginta ſex. Quo in loco pro GRAIA,
reponendum eſſe ITALICA, verba illa proxi-
ma demonſtrant: vel certè cum Fanoius Graiæ
minæ centum drachmas tribuat, ita explendus D
locus videtur, Libra vel mina Graia drachmæ
centum, Italica nonaginta ſex. Sed de his duobus
Romanorum denariorum generibus paullò poſt
accuratius diſſeremus.

De numero LXXII. LXXV. & C. dra-
chmarum in libram

CAP. VIII.

NAM hic permagna nobis occurrit quæſtio,
quæ priore loco tractanda eſt: Cùm dictum
ſit, legitimum denariorum numerum in libram
fuiſſe primum quattuor & octoginta, poſteave-
rò, imperio Cæſaris alicuius, duo denario ad-
auctum, & ad nonaginta ſex perductum: quid
illud ſit quod paſſim auctores de LXXII. LXXV.
& C. in libram drachmis commemorant? Ao-
tequam huic quæſtioni reſpoodeo, duo præmu- F
nienda eſſe arbitror: quorum hoc prius eſt:
Numerum ſiue drachmarum, ſiue denariorum
in libras, ex eius proportiooe cognoſci, qui in
vncias impendebantur: veluti ſi ſex drachmæ ex
vncia ſignarentur, duas & ſeptuaginta in libras
ſignari: quia ſenæ duodecies ductæ, illam ſum-
mam conficiunt. Alterum eſt, libram Romanam
duodecim tantùm vnciarum fuiſſe (vt apud
Fannium.

Vnciáque in libra pars eſt quæ menſis eſt G
anno.)

Græcam autem, hoc amplius, ſemunciam ha-
buiſſe: cuius rei teſtis eſt præter cæteros Cleo-
patras his verbis: ἡ ἀττικὴ μνᾶ ἔχει οὐγγίας ιβ´ ς´.
ςρ. id eſt, Attica mina habet vncias duode-
cim, & inſuper ſemunciam: drachmas verò, cen-
tum. Ac de hac quidem ſemunciæ acceſſione,
Budæus aliquot locis locutus eſt, ſed nullo pla-
nè auctore tantummodo ex coniectura & ſuſpi-
cione, cuius in tam graui diſputatiooe momen-
tùm nullum eſt.

Reſtat vt de ſex & oonagiota drachmis, &
poſtremò de centum videamus. Ergo ſi ex vn-
cia octo feriaotur, tum in libram ſex & nona-
ginta redibunt, quem fuiſſe legitimum Roma-
B næ libræ numerum, & Priſcianus & Fannius te-
ſtantur:

Centum hæ ſunt drachmæ: quòd ſi decer-
pſeris illis
Quattuor, efficies hanc noſtram denique
drachmam.

NOSTRAM enim Fannius ciuis Romanus cùm
dicit, non Græcam, aut Ægyptiam intelligit, ſed
C Romanam, & Romanis peculiarem: vt iam ſæ-
pè dictum eſt: lege igitor aliqua & Cæſaris cu-
iuſpiam conſtitutione taxatam ac definitam.
Quid? de ſemunciæ additamento, quid dicemus?
nam additis quattuor emerget decantatus ille
numerus ccoteoarius, quem paſſim celebrari a-
pud aoctores videmus: veluti cùm Plutarchus
pro eo quod Liuius libram argenti dixerat, ipſe
Græcanicam rationem, & ſemunciæ illius ac-
ceſſionem ſecutus, centum drachmas poſuit: pro
D eo quod duas libras & ſelibram, drachmas du-
centas & qoinquaginta. Liuios lib. a. Conue-
oerat ioter duces Romanos, Pœoúmque, vt quæ
pars plus reciperet quàm daret, argenti pondo
bina & ſelibras in militem præſtaret. At Plu-
tarchos propter ſemunciæ: id eſt, quattuor de-
nariorum acceſſionem. poſuit drachmas ducétas
quinquaginta. Nam in Fabio ſic ſcribit: Διδόναι
δραχμὰς ὑπὲρ ἑκάστου τῶν κομιζομένων πεντήκοντα
καὶ διακόσια. Quinetiam eandem prorſus ratio-
E nem Dydimus vetus auctor ſecutus eſt: cùm a-
pud Priſcianum ita ſcripſit, τὰ δὲ χίλια σηστέρτια
ποιεῖ διακόσια πεντήκοντα δηνάρια ἀργυρᾶ· δέκα δὲ
χρυσᾶ· ὥσπερ καὶ μάλλιος νόμμους φασί. Sed veriſſimũ
eſt, ne hac quidem in cauſſa illi ſemunciæ ac-
ceſſioni locum eſſe: propterea quod numerus
hic ex Romanorum more inſtitutus ad defini-
tus eſt, qui acceſſionem illam ignorabant. Quid
ergo eſt? nempe cùm Græci Græcam in re nu-
F maria tractanda conſuetudinem retioere vel-
lent, leue illud quattuor drachmarum ad ſex &
nonaginta deoarios additamentum diſſimula-
runt, & pro libra Romana ſex & nonaginta de-
nariorum, Græcam centum drachmarum mi-
oam vſurpare non dubitarunt. Atq; ad huius rei
confirmationem incredibile dictũ eſt, quantope-
re dupla illa aureorum cum argẽteis denariis pro
portio pertioeat, de qua poſterius dicturi ſumus.
Nam poſtremos Plinij tempore aureorum nu-
merus in auri librá fuit octo & quadraginta. Du-
G plicetur is numerus. pariet oostrum illum nona-
ginta ſex argenteorum, quem quærimus. His po-
ſitis, deinceps ita dilucidè quæſtionem hanc ex-
ponemus, vt rem ipſam, quaſi in tabula depictã,
ſub oculos ſubiiciamus. Nam ſi ex vncia (vt dixi)
ſenæ drachmæ percutiantur, tam ex libra binæ
& ſeptuaginta redibunt: atque hæc nimirum illa
vetus

A vetus fuit Attica mina, quàm Fannſus illo verſu ſignificat.

Attica quæ fiet (ſi quartam dempſeris hinc) Mna.

Nam cùm proxime dixiſſet.

Centum hæ ſunt drachmæ. quòd ſi decerpſeris illis
Quattuor, efficies hanc noſtram denique libram:

perſpicuum eſt, particulam HINC, ad hunc proximè poſitum numerum, ſex nempe & nonaginta, referendam eſſe: à quo ſi quarta, id eſt, viginti B quattuor demantur, duo tantùm & ſeptuaginta ſupererunt. Neque enim (vtiam antè dixi) Agricolæ aut Vioeto quantumuis doctis aſſentiri poſſum, qui particulam illam HINE, tam longè ad ſuperiorem, videlicet CENTVM, & tertium ab hoc poſtremo numerum referendam putant: nimirum vt quarta, hoc eſt XXV. demptis, ſeptuaginta quinque reliqua ſignificarentur. Nam hoc quoque ſumnium ſupradicta ſemunciæ acceſſio refellit. Addatur enim ad ſummam duarum & C ſeptuaginta drachmarum illa ſemuncia, hoc eſt tres drachmæ, legitimus ille numer⁹ ſeptuaginta quinq; complebitur: de quo Fánius ita loquitur,

ter quinque hanc denique drachmis,
Et ter vicenis tradunt explerier vnam.

Confirmari etiam hæc poſſunt ex illa dupla proportione aureorum cum denariis. Nam quantùm ad primum & antiquiſſimum aureorum numerum attinet, qui ex auri libra feriebatur, & non minor erat triginta ſex, perſpicuum eſt, D eum duplicatum ad duas & ſeptuaginta drachmas perueniſſe. Hactenus de numero LXXII. & LXXV. Veniamus ad LXXXIV. Nam cùm in vnciam argenti feriuntur ſeptem denarij, tum ex libra octoginta quattuor emergunt: quem numerum Plinius iuſtum & legitimum appellat. quid ita? nempe quia lege aliqua præciſè definitus fuerat. quemadmodum enim Ariſtoteles dixit, Numi poteſtatem non à natura, ſed à lege E profectam: ita iuſtum denariorum aut drachmarum in libra numerum, non à natura, ſed à lege aliqua conſtitutum ac definitum fuiſſe oportet. neque enim dubium eſt, quin æquè iuſtus ſit numerus ſeptuaginta duorum aureorum ex auri libra, quem Valentinianus conſtituit: vt quattuor & octoginta, quem Conſtantinus ante perſcripſerat. l. quoties, 5. C. de ponderat. l. 1. C. TH. eod. tit. Sed de ſemunciæ acceſſione quid dicemus? Quoniam ille denariorum numerus & lege Romana, & à Romanis definitus eſt, qui duodecim F tantùm vncias in libram imputabant: hæc autem acceſſio tota Græcorum propria eſt, idcirco dicemus ei locum in Romanorum denariis non eſſe. Neque verò prætermittenda illa eſt aureorum proportio, quàm ſuperius attigimus. nam cùm ſecundum genus aureorum (vt poſterius docebimus) numerum haberet ex auri libra duorum & quadraginta, ſi eum duplicemus, ſolidè reperiemus quattuor & octoginta denarios argenteos: pari eodémque pondere, quo tum fuerunt aurei duo & quadraginta. G

De diuiſione denarij, eiúſque partibus: vbi de Quinario, ſiue Victoriato.

CAP. IX.

DEINCEPS inſtitutus à nobis ordo poſtulat, vt de Denarij partitione dicamus: quam ſeptuplicem fuiſſe reperio. prima autem bipartita eſt, in binos ſcilicet Quinarios, qui etiam Victoriati dicebantur. Fuit enim Quinarius numus argenteus: dimidiam denarij partem & pondere & pretio exæquans, nota Victoriæ inſignitus. Varro de lingua Lat. 4. In argẽto hi nummi. Denarius quòd denos æris valebat. Quinarius, quòd quinos. Idem lib. 9. vbi de proportione & ἀναλογίᾳ diſputat: Quam rationem, inquit, duo ad vnum habent, eandem habent viginti ad decem. In numis, in ſimilibus. ſic eſt ad vnum Victoriatum denarius, ſicut ad alterum Victoriatum alter denarius. vbi vocem VNVS deeſſe non dubito. Nam hæc ſententia eſt: Sic eſt ad vnum Victoriatum vnus denarius, ſicut ad duos Victoriatos, duo denarij. Plinius 33. cap. 3. Qui nunc Victoriatus appellatur, lege Clodia percuſſus eſt. antea enim hic nummus ex Illyrico aduectus, mercis loco habebatur. Eſt autem ſignatus Victoria: & inde nomen. Mætianus: Eo in numero ſunt hi argentei numi: Denarius, cuius eſt nota X. Quinarius, cuius eſt nota V. Victoriatus nunc tantundem valet, quantum Quinarius olim. at peregrinus numus loco mercis, (vt nunc tetradrachmum & drachma) habebatur. vnde & nomen traxit. Quinarius, dimidium eius, id eſt quinque aſſes: vnde & ipſe vocatur, Quod autem ſuperius de mutata denarij æſtimatione diximus, idem in ſingulis ipſius partibus pro portione accidiſſe, intelligendum eſt. Nam, vt eodem loco Mætianus ſcribit, Denarius primò aſſes decem valebat: vnde & nomen traxit. Quinarius, dimidium eius: id eſt, quinque aſſes: vnde & ipſe vocatur. Nunc denarius, ſedecim: Victoriatus & Quinarius octo aſſes valet. Hæc ille. Quod autem ſuperius in denario monuimus, etiam ad Victoriatũ referendum eſt: non veterem ſcilicet Victoriatum retentum & ſolum illius precium immutatum fuiſſe: ſed nouum Quinarium conflatum multis partibus illo antiquo leuiorem.

Pomponius in Paſtoribus apud Nonium,

Quæ tuleram mecum decem millia Victoriatum,
Græca mercede illico curaui, vt occuparem.

Cicero pro Fonteio: Titurium Tnloſæ quaternos denarios in ſingulas vini amphoras portorij nomine exegiſſe: Croduni, Porcium & Munium ternos Victoriatos: Vulchalnne Serueum binos & Victoriatos M. Quæ tamen poſtrema verba mendoſa ſunt, neque ſine libri veteris ope emendari poſſunt. Quinctil. libr. 6. cap. 4. Mendacium mendacio eluditur: Vt Galba; dicente quodam Victoriato ſe vno in Sicilia quinque pedes longam murænam emiſſe: Nihil, inquit, mirum: nam ibi tam longæ naſcuntur, vt iis piſcatores pro reſtibus vtantur.

Secunda & tertia partitio Denarij, vbi de Libella.

CAP. X.

SECVNDA Denatij diuiſio quadripartita eſt, in quarruot ſcilicet ſeſtertios. cuius rtactationis locum fatror hûc eſſe certiſſimum. Sed quoniam àdeò copioſa eſt,& multiplex, dari mihi veoiam poſtulo, ſi eam in proprium & ſeparatum locum conferrodam putem. Tettia igitur denarij diuiſio eſt in decem libellas. oam quod quidam,in his(vt meminiſſe videor) Agricola, denarium à Celſo ita diuidi putant in ſex ſextantes, quaſi ſextantem argenteum faceret. valde abſurdum eſt. Solius enim Celſi hoc commentum eſt, ad ſuam cauſſam accnmmodatum vt Latiois potius,quàm Græcis vocabulis vteretur. Sextantis autrm argentei mentionem nuſquam animaduerti. Sed de Libellis dicendum eſt Varro lib. 4. vbi numus argenteos enumerat: Numi denarij,inquit, decuma Libella: quod libram,pondo,as,valebat,& erat ex argento parua. Scripſiſſe Varrouem puto, ASSEM. hoc ſenſu, Libellam argenteum numulum fuiſſe, qui aſſi æreo numo, poteſtate reſponderet: iodc dictam, quod libram æris valebat. Quare definiri commode ſic poterit,Libella eſt numulus argenteus,qui decima denatij parte valebat, commoni (vt credi par eſt) nota inſignitus:nimirum bigis,aut quadrigis. Plautus Pſeud. Tibi libellam argenti nũquam credam. Idem in Captiu. At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis. Mætianus, Libella dicta creditur, quaſi puſilla libra. Nam cùm olim aſſes librales eſſent,& denarius decem aſſes valeret,&decima pars denatij libtã,prępoſita nota denarij vel ſeſtertij,vt erat ratio, æra exprimebantur. Plinius 33.c.3.Libtalis(vnde etiam nunc Libella dicitur,& Dipondius)appendebatur aſſis. Neque aliter is locus legendus eſt:ſed adhibenda parentheſis nota, qualem adſcripſimus. Patet igitur Libellam argenreũ nomum fuiſſe, qui aſſi æreo poteſtare quidem reſpondebat,põdete autem multo inferior erat:atque vt aſſibus decem,decuſſim:ita libellis decem,denarium reſpondiſſe. Ciceto pro Q.Roſcio: Hic niſi planum facit HS 1000. ad libellam ſibi deberi, cauſſam perdit. Idem Verrin 4. Ecquis Volcatio, ſi ſoa ſponte veniſſet, vnam libellam dediſſet? Plaot. Pſeud. Cui nec paratus numus argenti ſiet, neque libellæ vlla ſpes. Idem, Cùm libella nuſquam eſt, niſi hic leno ſubnenit tibi. Idem Caſioa, Vna libella poſſum liber firri.

Reliquæ diuiſiones denarij.

CAP. XI.

QVARTA Denarij diuiſio propriè ſubdiuiſio eſt,eáque bipartita: Libellæ ſcilicet in duas ſembellas. Varrò eodem loco: Sembella dicta, quia ſit Libellæ dimidium: quòd ſemis aſſis. Eſt igitur Sembella numulus argenteus dimidiam libellæ partem precio & pondere adæquans, communi nota ſignatus. Varro lib. 9. Dicimus eandem rationem habere aſſem ad ſemiſſem, qoam habet argentea libella ad ſembellam. Quinta diuiſio ſimiliter ſubdiuiſio eſt Libellæ,

A eáque quadripartita.nam in quattuor teruncios
diſtribuitur. Fuit enim Teruntius nnmulus argenteus,
Libellæ quartam partem precio & pondere
adæquans,communi ſigno percuſſus.Varrò
eodem loco: Teruntius à tribus vnciis, ſembellæ,
qnod valet dimidium: & eſt quarta pars, ſic
vt quadrans,aſſis. hoc eſt, ſicuti Quadrans tres
æris vncias, ita Teruntius tres libellæ partes valebat.
Nam vt aſsi libella, ita quadranti Tetuotius
reſpondebat. Voloſ. Mætianus: Aucta ta-
B men computatione,hæo quoque libella in duos
veluti ſemiſſes, qui ſiogulæ vocantur, & qoattuor
velut quadrantes, qui Teruntij vocantur,
diuiditur. Vnde perſpicuum eſt. Teruntium qui
argenteum numum fuiſſe. nam vt æreos oumoa
cum aſſe qui foit æreus,ſic argenteos cum argentea
libella coofert, Cicero ad Art. epiſt.5. Spero
toto anno imperij noſtri teruntium ſumprus in
prouincia nullum fote. Item de fin.3. Interit enim
magnitudine maris Ægei ſtilla muriæ, & in diui-
C tiis Crœſi teruntij acceſſio. Item Fam.2.ep.17. De
præda mea præter Quæſtores vrbanos,id eſt pop.
R. teruntium nec attigit, nec tacturus eſt quiſquam.

Amplior diſquiſitio quot genera Romæ denariorum argenteorum fuerint.

CAP. XII.

D
HIs ita conſtitutis, deinceps paullò accuratius
conſiderandum eſt, quàm multa denariorum
Romanorum genera fuerint. nam cum
ſuperius demonſtratum ſit denarios& drachmas
paris eiuſdemq; pooderis fuiſſe. præterea drachmas
interdum e libra LXXII. interdum LXXV. nonnumquam
LXXXIV. aut XCVI. aut C. ſignari ſolitas:
conſentaoeum prima ſpecie videbatur, quinque
denariorum genera conſtituere. quod con-
E tra tamen paullò ante diximus, Romanos duo
taotum habuiſſe Denariorum genera: vnum
quattuor tantùm & octoginta in libram: alterum
poſterius, ſex & oooagiota: vtrumqoe autem
iuſtum ac legitimum: id eſt lege aliqua &
ſummi imperij auctoritate conſtitutum. Neque
mouet, quod Liuius lib. 34. ita ſcribit: Argenti
ſignati octoginta millia fuere Atticorum. Tetradrachma
vocant. Trium fere deoariorum in
F ſingulis eſt pondus. quaſi denarios eo loco Liuius,
ſeptuaginta duos è libra conſtituat. Sic enim
illa ratio poſtulat; vt ſi ſint drachmæ in libram
oonaginta ſex, quot Romana ratiooe ſignari
diximus: ſint etiam denarij in libram ſeptuaginta
duo: propter illam ſeſquitertiam proportionem,
quam Liuius tradit inter tetradrachmum,
& tres denarios fuiſſe. Vt enim ſunt
quattuor ad tres, ita nonaginta ſex ad duos &
ſeptuaginta. Ponamus ita ſcripſiſſe Liuium (de
quo tamen poſtea videbimus) reſpondemus ta-
G meo, eum nequaquam illis verbis ſeptuaginta
duorum denariorum numero libram definiſſe:
ſed cùm eorum ipſorum Græcorum numorum
numerum edidiſſet, quos tum exſolutos dixerat,
nimirum tetradrachmorum: tum vt commodius
intelligi à Romanis, quibus hiſtoriam ſcribebat,
poodus illorum numorum poſſet, ſub-

ieciſſe

iecisse ſingula tetradrachma tres ferè denarios Romanos pependiſſe. qua ratione apparet, pondus denariorum fuiſſe in illa ſumma ferè ducentorum, & quadraginta millium. Quòd ſi ad libras rationem reuocemus, Priſcianus eam demonſtrat. Nam ſicuti tetradrachmum ſuperat tres denarios parte ſui quarta, id eſt vna drachma: ita nonaginta ſex ſuperant ſeptuaginta duo parte ſui quarta, quæ ſunt quattuor & viginti. Quare ſi ponamus in libram ſex & nonaginta drachmas, eadem proportione relinquemus item in libram ſeptuaginta duos denarios. Non igitur Liuius denarium conſtituit ſeptuageſimam ſecundam libræ Romanæ partem: ſed quale eſſet numi tetradrachmi pondus, ex Romanæ monetæ comparatione expoſuit. Qua de cauſſa, permanendum in illo numero cenſeo, vt duo tantum denariorum Romanorum genera conſtituamus: vnum octoginta quattuor in libram, alterum nonaginta ſex. Sed aduerſus hanc noſtram ſententiam mouere quempiam Agricolæ fortaſſe poterit auctoritas, qui in lib. aduerſ. Alciatum de ponderibus & menſuris pagin. 190. ita ſcribit, Argentei Romanorum denarij triplices ſunt. graues, qui pendunt drachmam cum dimidia: mediocres, qui drachmam & ſeptimam eius partem: leues, qui plerumque drachmam. De grauibus ſcribit Liuius lib. 44. his verbis: Multitudinis eorum argumentum eſt, quòd Polybius ſcribit, centum talentis Achæis eam rem ſtetiſſe: cùm quingenos denarios precium in capita, quot redderentur dominis, ſtatuiſſet. mille n. ducentos ea ratione Achaia habuit. Hæc ille. Antequam ad alia pergamus, cuiuſmodi hoc ſit principium, pauliſper conſiderandum eſt. Nam primum omnium nemini Latinè intelligenti probabitur, eiuſmodi quicquam his Liuij verbis ſignificari: deinde ſi quis fuit denarius, qui drachmam Atticam cum dimidia penderet, & in Attica libra ponamus ſupraginta quinque drachmas, ſicuti Fannius, Priſcianus, & alij ſuperius à nobis producti docuere: nouam & inauditam libram Atticam inducemus, drachmarum centum & duodecim, atque inſuper etiam dimidiæ, quod perſpicuè abſurdum eſt. Quòd ſi in Attica libra ponamus drachmas duas & ſeptuaginta, conſingemus libram centum & octo drachmarum: quod peræquè alienum eſt. quòd ſi centum drachmas, tum erunt in libram centum quinquaginta drachmæ. quod omnium ſuperiorum erit abſurdiſſimum. Sed quid in iſtis Agricolæ ſomniis perſequendis operam conſumimus? cum ipſemet alio loco perſpicuè oſtendat, ſe quid tum aut ſcriberet, aut diceret, neſciſſe, ſed planè vigilantē (vt dici ſolet) ſomniaſſe. Nam in libr. 2. De pond. & temp. mon. pag. 279. locum illum ſignificans, hoc modo fabulatur. Romani ex argenti libra primò formarunt LXIIII. denarios: quod ex Liuio & Varrone intelligetur, vt explicaui in eo libello qui inſcribitur, Ad ea quæ Alciatus denuo diſputauit, &c.* Nam vbi tandem iſtud vel Agricola explicuit, vel mortali cuiquam perſuaſit, denarios ex argenti libra quattuor & ſexaginta quòdam percuſſos? cùm Celſus & Plinius tam apertè profiteantur, legitimum eorum pondus fuiſſe quattuor & octoginta in libram? Pergit Agricola,

A Quoniam, inquit, in tetradrachmo trium ferè denariorum argenti pondus eſt, ſatis intelligimus, denarium pendere drachmam Atticam cum dimidia: ſiue drachmas Atticas quattuor cum dimidia habere pondus trium denariorum ex M. Varrone percipimus: qui talentum Atticum XVI. HS taxat. Cùm enim ſedecim millia HS efficiant quattuor millia denarium, Atticum vero talentum ſit ſex millium drachmarum Atticarum, ſequitur vt denarius argenteus pendat Atticam drachmam, cum dimidia. B Nihil iſtorum Agricola probare cuiquam bene de mente conſtituto poterit. Ac de tetradrachmo quidem ſuperius abunde ſatisfactum eſt. Varronis autem ſententia ſic apud Plinium legitur lib. 35. cap. 11. Talentum Atticum XVI. taxat M. Varro. Agricola, ſiue de ſuo, ſiue ex alio quodam exemplari notam HS adiecerit, non ſatis quid ageret animaduertit. nam cum Atticum talentum magnum, auctorum omnium conſenſu, ſex ſiue drachma- C rum, ſiue denariorum millibus taxetur, vt ſuperius dictum eſt: ſequitur, vt ſex denarium millia non ſedecim, vt Agricola dixit, ſed viginti quattuor ſeſtertium millia complectantur. vt mihi non dubium ſit, quin Plinij locum ita & corrigi & ſcribi oporteat: Talentum Atticum * VI. taxat M. Varro. quod ſic interpretor, Talentum Atticum denarium ſex millibus taxat M. Varro. Nā litera X. ſiue nuda, ſiue perſcripta, id eſt media D linea hoc modo transfixa ✱ denarij nota fuit, ſicuti paulo antè docuimus: & ex pleriſque numis antiquis cognoſcitur. neque cuiquam ignotum eſt tam & Feſtum & Priſcianum, Talentum Atticum æſtimare. ſed cum apud Plinium imperitus librarius videret ✱ VI: vel ✱ VI. putauit illis notis ſedecim deſignari. cùm linea numero Romano ſuperpoſita mille ſignificet: vt poſterius ſub Mille ſeſtertij ex Macrobio demonſtrabimus. Sequitur apud Agricolam commentum E de Plinij loco & ſeſtertiis grauibus (quod epithetum vſque adhuc inauditum fuerat) relatu planè indignum: quemadmodum ex iis quæ poſtea de aureo dicturi ſumus, intelligetur. Nihil autem alienius, quàm quod his ſubiungit verbis. Apertiſſimè Nicandri interpres id oſtendit, cùm neſcio quem ſecutus ita ſcribit: τὸ δηνάριον ἔχει δραχμὴν μίαν ἡμίσειαν. Nam eius hominis teſtimonium profert Agricola, quem aliquanto antè, vt ſtolidum ac malè ſanum irriſerat. F nimirum in libr. de pond Græc. pag. 132. vbi ſic ſcripſit: Portius minus aberrat à verò, quàm interpres Nicandri, qui ſcribit, δηνάριον δραχμὴν ἔχει μίαν ἡμίσειαν. Iſto modo feliciter denarij creſcerent in arca. Agricolam igitur ſuo ipſius gladio iugulatum in pace quieſcere cum ſuis grauibus denariis iubebimus. Veniamus ad eiuſdem denarios mediocres. De mediocribus denariis, inquit, qui legitimi vt illi veteres dici poſſunt, ſcriptum reliquit Plinius lib. 33. cap 9 & Celſus 5. cap 17. Quoniam libra Romana pendit G Atticas drachmas nonaginta ſex, denarios verò octoginta quattuor: vncia autem drachmas octo: denarios verò ſeptem: conſequitur, vt denarius pendat Atticam drachmam & ſeptimam eius partem. Hunc Agricolæ locum paullò ſuprà & protulimus & ſimul refutauimus. Itaque piget me fruſtra eadem, præſertim adeò abſurda, ne-

rate. Quatead leues denatios tranſeamus. Leues (inquit) videntur eſſe percuſſi ante Claudij principatum: quo tea Taprobanes inſulæ Romanorum iuſticiam ſuſpeait, quòd pares pondere denarij eſſent in captiua pecunia, cum diuerſæ imagines indicarent à plurihus factos: vt ſctibit Plinius. Nou omnino nihil Agricola hoc loco diait. nam hi ſanè leues denarij fuerunt: qui non Claudij, ſed recentioris alicuius Cæſaris imperio percuſſi ſunt. quanquam non ſatis aſſequor quod ait, ante Claudij principatum huiuſmodi B numos percuſſos. nam alio loco ſcribit, poſt Claudij principatum. nimirum in lib. 2. de ponder. & temper. mnn. pagina 279. vbi ſic loquitur: Imperatores qui poſt Claudium aliquid de pondere detraxerunt, è libra ſignarunt denarios xcvi Vt facile appareat, neque ſatis ſibi Agricolam conſtitiſſe: quippe qui modò hoc, modò illud affirmet: & eundem ſine certis aucturibus tria denariorum genera conſtituiſſe.

C

Altera diſquiſitio in Liuij locum de comparatione tetradrachmi cum tribus denariis.

CAP. XIII.

ATQVE hæc quidem ita ſe habent: vt iam ſine vlla cunctatione concludere poſſimus duo apud Roman. denario- D rum genera fuiſſe: vnum grauiorum octoginta quatuor in libram: alterum leuiorum, ſex & nonaginta. Deinceps paullo accuratius in illum Liuij locum inquirendum videtur, vbi Tetradrachmum Atticum trib. Romanis denariis æſtimat. Neque enim quidquam incommodi videtur illa in ſe continere ſeſquitertia proportio Tetradrachmi, cum tribus denariis, prima quidem ſpecie: ſed ſi paullò diligentius animum attendamus, tum verò multa ſecum trahere aliena E atque abſurda deprehendetur. Quod non tam indignor Budæum, aut Agricolam non vidiſſe, quàm eximium illum Grammaticum Priſcianum Cæſatienſem: qui proportiooem illam mirificè amplectitur atque in ipſius interpretatione quodammodo exultat. Denarij, inquit, illo tempore numi argentei erant viginti quattuor ſiliquarum: quod in eodem libro oſtendit. Liuius: Signati argenti octoginta quattuor millia fuere Atticorum. τετράδραχμα vocant. Trium ferè de- F nariorum in ſingulis eſt pondus. Vide (inquit) quòd quattuor drachmæ ſunt ſeptuaginta duę ſiliquæ. Diximus enim ſuperius quòd tres oboli, (legendum eſt Tres ſcrupuli, ſic enim aliquanto antè dixerat, atque ita vera ratio flagitat) quorum ſinguli ſex ſiliquas habeant, drachmam faciunt. Tres autem denarij idem habebant: id eſt, ſeptuaginta duas ſiliquas. Hæc Priſcianus: cuius argumentum eſt huiuſmodi: Drachma ſiliquas valebat decem & octo: ac proinde tetradra- G chmum ſeptuaginta duas. Denarius ſiliquas valebat viginti quatuor: ac proinde tres denarij ſiliquas pariter ſeptuaginta duas. Tetradrachmũ igitur & tres denarij eiuſdem valoris ac poteſtatis erant. Huic ego Priſciani argumento dupliciter reſpondeo. Primùm, Liuium non docere, cuius valoris ac poteſtatis fuerit tetradra- A chmum: ſed cuius ponderis. aliud autem eſſe valorem, aliud pondus, nemo ignorat: & nos ab initio vel vnico leuiorum & grauiorum aſſium argumento demonſtrauimus. deinde aſſumit pro vero Priſcianus id, quod nullo (vt opinor) auctore probare potuiſſet, denarium habuiſſe viginti quattuor ſiliquas, quamuis enim id ex illa Liuij ratione neceſſario conſequatur. tamen Priſcianus Liuij rationem explanans, alterius cuiuſdam auctoris vel teſtimonio debuit. Eò acce- B dit quòd Celſus, Scribonius, Plinius auctores & grauiſsimi & locupletiſsimi Liuianæ illi ratiocinationi manifeſtiſsimè aduerſantur. Nam illi duo non plures in denarium, quàm in drachmam ſcrupulos imputant, ac proinde non plures ſiliquas. Semper enim ſcrupul⁹ ſex habuit ſiliquas. Denarius autem, æquè vt drachma, tres habuit ſcrupulos: vt ipſe quoque Priſcianus teſtatur. Quare Denarius decem & octo tantum ſiliquas habuit, hoc eſt non plures quàm Drachma Quod C aũt denarius argenteus viginti quattuor ſiliquas habuerit, nuſquam legi, neq; verum eſſe arbitror. Iuſtiniani quidẽ ætate tot fuiſſe ſiliquas in aureo, conſtat ea Nouell. 32. ſed & Iſidorus: Siliqua (inquit) eſt viceſima quarta pars aurei. vt fortaſſe Priſcianus qui Iuſtiniani tempore ſcripſit, memoria lapſus argenteum numum pro aureo poſuiſſe videatur, aut quiſquis eſt illius libelli auctor, qui Priſciani nomine circumfertur. Plinius autem lib. 21. cap. vlt. Drachma Attica, inquit, D denarij argentei pondus habet. quæ verba Marcellus medicus, duobus locis in ſuum librũ tranſcripſit. ſed & Galenus lib. 8. de compoſ. medic. ſec. loc. vbi de drachmis loquitur, quarum ſeptem vnciam conſtituunt: πρόδηλον, inquit, ὅτι δραχμὴν λέγομεν νῦν ἐν τοῖς τοιούτοις ἅπασιν, ὅπερ Ῥωμαῖοι δηνάριον ὀνομάζουσι. Apparet, inquit, nos in omnibus iſtiuſmodi drachmam appellare, quam Romani denarium vocant. Præclarè tamen, vt dixi, tertiaria illa proportio primo qui- E dem aſpectu conſtare videtur. nam vt ſunt quattuor ad tria, ita viginti quattuor ſiliquę, quas Priſcianus imputat denario, ad decem & octo, quas in drachma eſſe conſtat. Sed ſi proportionem illam longiùs producamus, tum hæc incommoda conſequentur: quia vt ſunt quattuor ad tria, ſic ſunt quadraginta ad triginta: & per conſequens quadraginta drachmæ nihilo plus pendent, quam triginta denarij: nihilo plus ſimi- F liter centum drachmæ, quàm ſeptuaginta quinque denarij: nihilo denique plus quadringentæ quàm trecenti. Immane, quanto diſcrimine ab eo, quod Plinius & cæteri ſcripſerunt, denarium & drachmam pondere pares eſſe, aut certè præterpropter, vt veteres loquebantur. Quid multis moror? ecce tibi Priſcianum inconſtantiæ conuictum apertiſsimè. Nam paucis & antè & poſt verſibus, duobus, inquam, aut tribus locis ſcribit, Talentum Atticum magnum, habere ſex millia denariorum, qui etiam Feſtus, Talentum Atti- G cum, inquit, eſt ſex millium denarium: atque idem ſcripſiſſe grauiſſimum auctorem M. Varronem paullò antè demonſtrauimus. Audiamus Græcos noſtros Drachmarios. Pollux libr. nono τὸ μὲν ἀττικὸν τάλαντον ἑξακισχιλίας ἐδύνατο δραχμὰς ἀττικάς. Diodorus apud Suidam, τάλαντον μνῶν ἐστιν ξ. ἡ δὲ μνᾶ δραχμῶν ρ. Talentum minarum

minarum eſt ſexaginta, Mina vero drachmarum A centum. Sed alio loco plura teſtimonia protulimus. Ducamus nunc centum ſexagies. quadrabit ſumma examuſſim. Quinetiam eiuſdem modi mirificum illud eſt Priſciani dictum, quod paucis verſibus interpoſitis ſubiungit. Nam cum minæ verbum, Græcorum ſit proprium & Attica mina drachmarum ſit ſeptuaginta duarum, iuxta Fannij verſum:

Attica quæ fiet (ſi quartã dempſeris hinc) Mna:

Libræ autem nomen Romanorum peculiare fuerit, qui ſex & nonaginta denarios in eam poſterioribus ſeculis imputarunt, vt idem Fannius B proximis ſuperioribus verſibus docuerat: tamen abſurdè & præpoſterè nonaginta ſex drachmarum numero Minæ nomen attribuit, duos autem & ſeptuaginta denarios libræ duodecim vnciarum, hoc eſt, Romanæ aſſignat, ac proinde vnciæ Romanæ ſenos denarios. quod credo nunquam auditũ antehac fuiſſe. Addãtur nũc illa eiuſdẽ verba, Libra vel Mina Attica, drachmæ ſeptuaginta C quinque: Libra vel mina Græca drachmæ nonaginta ſex: & conſideretur horum præceptorum varietas ac repugnantia. vix futurum eſt, vt non Budæo aſſentiamur, libellum illum Priſciano abiudicanti. Sed vtcunque ſit licet hoc loco conſiderare proportiones dicam an diſproportiones? quas Priſcianus & Agricola inducere voluerunt: nam cùm ille ſeſquitertiam finxerit, vt iam ſæpe dictum eſt, nimirum à quatuor ad tria, ſiue à nonaginta ſex ad ſeptuaginta duo: hic ſeſquiſepti- D mam inuexit, hoc eſt ab octo ad ſeptem: ſiue à nonaginta ſex, ad octoginta quattuor: quemadmodũ ſuperius abundè demonſtratũ eſt Dixerit nũc aliquis. Ecquid igitur conciliationis, aut ſolutionis affers? Ad Ciceronem, inquibat Aquilius Gallus, ſi quis ad eũ de facto retuliſſet. Ad Scaligerũ igitur, aut Puteanũ, aut Paſſeratiũ aut Lipſium, inquã ego: vel alium pari ingenij felicitate præditũ Interea ſemipaganus ad ſacra vatum ſymbolam affero meam. Vereor, vt apud Liuium nomen τρίδραχμα degenerarit in τετράδραχμα. nam & hæc E ſcriptura valde cum illo Plinij & aliorum dicto conueniret: neque cuiquam erudito ignotum eſt, Græcos illo nomine numum argenteum habuiſſe, qui trium drachmarũ & pretiũ & pondus habebat. Pollux li. 9. ἦν δὲ διδραχμὸν νόμισμα μόνον: ἀλλὰ καὶ πεντηκοντάδραχμον, καὶ πεντάδραχμον παρὰ Κυρηναίοις, καὶ τετράδραχμον ἐκαλεῖτο, καὶ τρίδραχμον, καὶ ἡ δραχμον hoc eſt, Erat aũt nõ ſolũ Drachma numi genus, verũetiã Pentecontadrachmũ, F & Pentadrachmum, id eſt quinquaginta & quinque drachmarum numus, vocabatur etiã Tetradrachmum, quod erat quatuor, & Tridrachmũ, quod trium, & Didrachmum quod duarum erat drachmarum. Neque tamen ſum neſcius, Liuium duobus aliis locis Attica Tetradrachma nominare, ſimiliter in triumphis deportata: ſed non ſi Tetradrachma quibuſdam locis nominata ſunt, continuò ſequitur, eadem in omnibus nominata fuiſſe, neque vſquam Tridrachmis lo- G cum dari oportere, quanquam, vt iam ante dixi, iterum atque iterum teſtificor, hæc me nihil aſſeuerantem. ſed dubitantem, anxium, ſuſpicantem, eruditioribus ad diiudicandũ modeſtè proponere.

De Solonis inſtituto in Atticæ minæ æſtimatione augenda.

CAP. XIV.

LOCVS hic poſtulat, vt de Solonis inſtituto in Atticæ minæ æſtimatione augenda nonnihil diſſeramus. Nam Plutarchi in eius vita hæc verba ſunt. ἑκατὸν γὰρ ἐποίησε δραχμῶν τὴν μνᾶν, πρότερον ἑβδομήκοντα καὶ τριῶν οὖσαν. ὥστ' ἀριθμῷ μὲν ἴσον, δυνάμει δ' ἔλαττον ἀποδιδόντων, ὠφελεῖσθαι μὲν τοὺς ἐκτίνοντας μεγάλα, μηδὲν δὲ βλάπτεσθαι τοὺς κομιζομένους. hoc eſt, Centũ enim drachmarum minam eſſe ſtatuit, quæ tunc erat trium & ſeptuaginta. quæ res magnum ſoluentibus compendium, creditoribus autem nullum diſpendium afferebat: propterea quod debitores eodem quo acceperant numero numos ſoluebant: quamuis poteſtate pares non eſſent, Hic quæſtio exoritur, Cuiuſnammodi proportio fuerit inter vnciam & minam, quando drachmæ in minam ſeptuaginta tres imputabantur; non enim ſex aut ſeptem numerari in vncia poterant ſicuti cùm ſeptuaginta duę aut quatuor & octoginta in libram imputarunt. Itaque Georgius Agricola lib. de ponder. Græc. v. apertè ſcribit, numerum illum vel negligenter à Plutarcho poſitum, vel potius librariorũm incuria mutatum, qui notas ob vetuſtatem non rectè obſeruarunt quinetiam eò progreditur, vt eam minam quam Solon mutauit, quinque & ſeptuaginta drachmarum fuiſſe affirmet. cui quo minus aſſentiar, hoc argumento deterreor quòd Solonis tempore neque plureis in mina, quàm vnciæ duodecim fuerunt, neque ſemunciæ acceſſionis, de qua Cleopatras teſtatur, vlla fuit mentio: quam, Græcia ſub imperium Romanorum redacta, idcirco inſtitutam fuiſſe apparet, vt drachmarum ratio ad denariorum rationem redigeretur. Quare facile adducor vt credam, mendum irrepſiſſe apud Plutarchũ, & pro ἑβδομήκοντα καὶ τριῶν reponendũ eſſe ἑβδομήκοντα καὶ δύο: vt in ſingulas vncias ſenas drachmas imputemus. quia ſenæ drachmæ duodecies ductæ & ſeptuaginta numerũ explent. Cùm igitur Solon inſtituit, vt quæ mina duarum & ſeptuaginta drachmarum erat, deinceps centum drachmarum eſſet, efficitur, vt Solonina mina veterem minam octo & viginti drachmarum numero ſuperaret. Cùm autem multi multa in illo Plutarchi loco interpretando peccarunt, tùm verò haud ſcio, an quiſquam longiùs à vero aberrarit, quàm ſcriptor politiſſimus, & mihi dũ vixit amicus: qui in doctiſſimis commentariis in epiſt. Cicer. famil. hac de re diſputans, primum omnium in ipſo limine offendit: vbi ſcribere auſus eſt, non modo Solonis inſtituto, verùmetiam ante Solonem libram Atticam fuiſſe drachmarum x c vi. quod vt leuiſſimè dicam, nullo vnquam auctore probari poterit. imo Plutarchi ſententiæ & narrationi perſpicuè aduerſatur. Deinde in eo quod ſequitur, mutatum in drachmis à Solone pondus fuiſſe, numerum mutatum non fuiſſe: quia centenæ ſemper in mina fuerint. quod cuiuſmodi ſit, ne vit quidem ille doctiſſimus, ſatis attendit. quo pacto enim vel pondus ſine numero, vel nu-

merus ſine pondere mutari in numis potest ? A
Aut quis ignorat, quò plures in libram numi fe-
riuntur, eò ſingulos leuiores eſſe oportere?
Statuit igitur Solon, vt quantum argenti in dua-
bus & ſeptuaginta drachmis conſumebatur, tan-
tundem & non amplius in centum leuiores dra-
chmas impenderetur. Eiuſdēmodi etiā illud eſt,
quod idem ille vir ingenioſus ſubiungit, in dra-
chmis centum pondus fuiſſe non amplius no-
naginta ſex: lucrante quattuor officina, quaſi ve- B
rò lucrum officinæ id dicendum fuiſſet, ac non
potius operarum merces: aut quaſi auctores cum
de legitimo aliquo numorum numero ex vncia
vel libra conflando loquuntur, non in illo nu-
mero mercedem illam fabrorum complecte-
rentur. Ex eodem genere etiam illud eſt, Septem
Antiquas drachmas fuiſſe in vncia Romana: in
Attica verò, denarios octo. proinde quaſi tem-
poribus illis vel Athenis denariorum, vel Ro-
mæ drachmarum nomine percuſſi numi appel- C
larentur. Item, Atticam minam, quæ ante Solo-
nis inſtitutum in vſu erat Romana libra grauio-
rem fuiſſe: Soloninam autem, leuiorem: cum ta-
men adeò dilucide Plutarchus ſcribat, illam fu-
iſſe duarum & ſeptuaginta drachmarum: Soloni-
nam verò centum. Sed ſuper hac re nimis. Nunc
enim conſiderandum eſt, quemadmodum ille
in Heliogabalo Lampridij explanari locus poſſit,
in qua ita ſcriptum extat: Idem nunquam minus
centum ſeſtertiis cœnauit: hoc eſt argenti libris D
triginta. aliquando autē tribus millibus HS cœ-
nauit, omnibus ſupputatis, quæ impendit. Iam
primùm pro CENTVM SESTERTIIS ſcribē-
dum antiquo more ſtatuo HS, id eſt centum ſe-
ſtertium milibus. Nam in ſequenti verſu eun-
dem illum morem ſecutus eſt. quanquam ſi quis
eſt, qui malit Lampridium in illa Latini ſermo-
nis, vt ſic dicam, ſenecta poëtarum conſuetu-
dine ſeſtertia dixiſſe, pro mille ſeſtertiis (de qua E
conſuetudine poſterius idoneo loco diſſeremus)
cum eo non magnopere luctabor. Sed in libra-
rum numero mendum eſt certiſſimum. Nam ſi
Græcorum more (de quo iam aliquoties & di-
ximus, & deinceps dicturi ſumus) mille ſeſtertios
numos in libram imputemus, ex cētum HS mil-
libus argenti libras conficiemus ducētas & quin-
quaginta: vt apud illum reponendum ſit CCL. Sed
fieri poteſt, vt Lampridius plenum numerū tre-
centarum librarum pro illo imperfecto poſuerit, F
vt ficti interdum ſolere Pedianus teſtatur. Nam
ſi veram rationem exequemur, hac ratione dena-
rij eſſent in libra dumtaxat octoginta tres & vna
quarta: ſeſtertij trecēti triginta tres & vna tertia.
qua ratione haud dubiè trecentarum librarum
ſummā conficeremus. vt, quoquo modo rationē
ineamus, notæ XXX. ſcriptæ ſint illo loco, pro no-
tis CCC. ſiue quis malit 30. pro 300. quo eodem
modo ſequentes notas ſcribendas arbitror, vt
pro III. millibus HS ſcribendum ſit CCC mil-
libus HS: cum mox ita ſubiungat: Cœnas verò G
& Apicij & Vitellij vicit. quæ cuiuſmodi fue-
rint, nemo paulo humanior, ignorat.

*De libris argenti quales inclinante im-
perio fuere.*

CAP. XV.

PERPVRGATVM iam arbitror locum illum
multis antehac ſpinis, dumiſque obſitum, de
libris & minis argenti tum Græcis, tum Latinis.
Reſtat illa quæſtio, quales argenti libræ inclinan
te iam & prolabente Romano imperio, fuerint.
Cui dupliciter reſpondeo: primùm argēti libram
centenis æris libris æſtimatam fuiſſe: ac proinde
argenti proportionem ad æs centuplam fuiſſe.
Nam argenti libram aureis quinque videmus æ-
ſtimari. l. 1. C. de argent. pret. æris autem centum
libras, tantidem. l. 1. C. de collat. æris. vbi æris libræ
vicenæ ſingulis aureis ſiue ſolidis æſtimantur: ac
proinde centū æris libras, aureis quinque. Quan-
tum autem ad denariorum numerum attinet, qui
ex argenti libris feriebantur, reſpondeo variam
atque incertam, totámque in Imperatorum ar-
bitrio ac libidine poſitam fuiſſe. Cuius rei argu-
mento eſt l. 5. C. Th. de expenſ. lud. vbi Impp. Va-
lent. Theodoſ. & Arcad. ita ſcribunt: Nec maio-
rem argenteum numum fas ſit expendere, quàm
qui formari ſolet, cùm argenti libra vna in argē-
teos ſexaginta diuiditur. minorem verò dare vo-
lentibus, non ſolùm liberum, ſed etiam honeſtum
eſſe permittimus. Quibus ex verbis intelligitur,
moris per ea tempora fuiſſe, vt denarij interdum
ſexaginta, interdum verò plures, ac proinde le-
uiores, fortaſſe etiam pauciores, atque idcirco
grauiores ex libra ſignarentur. neque vllam cer-
tam ac perpetuam legem fuiſſe, quæ certum de-
nariorum ex argenti libra numerum definierit.

*Recenſio locorum aliquot de numeris de-
nariorum.*

CAP. XVI.

VNVS DENARIVS. Initium faciemus ab eo
Taciti loco, qui multorum ingenia exer-
cuit. Nam is lib. Annal. 1. vbi de ſeditione mili-
tum Pannonica commemorat, quæ paulo poſt
initum a Tiberio principatum accidit, & de po-
ſtulatis militum, vt pro denis aſſibus, qui eis an-
tea diurni ſtipendij nomine dari ſolebant, dein-
ceps denarium acciperēt: quod Dio δραχμαντιμι-
σθίαν appellat, ſic eos loquentes facit: Enimuerò
militiam ipſam grauem, infructuoſam, denis in
diem aſſibus animam & corpus æſtimari. Et pau-
cis interiectis: Nec aliud leuamentū, quàm ſi cer-
tis legibus militia iniretur, vt ſingulos denarios
mererent. An Prætorias cohortes, quæ * binos
denarios acciperent, plus periculorū ſuſcipere?
& aliquanto poſt: Reſponſum eſt à concione,
mandata Clementi centurione quæ proferret. Is
orditur a miſſione à XVII. annis: de præmiis fini-
tæ militiæ, vt denarius diurnum ſtipendium fo-
ret. Locus eſt, meo quidem animo, ad intelligen-
dum facillimus quamuis aliis permultis videatur
ſecus. Nam ſi denarius, inquiunt, decem aſſibus
valebat, quid intererat, vtrum illi milites denos
aſſes, an denarium acciperent? Quaſi verò non
Tiberij tempore, & iam multò antè, Denarij
precium ad ſenos denos aſſes productum fuiſſet.
quid igitur mirum, ſi miles pro denis aſſibus ſe-
nos denos petebat? Sed quod de prætorianis mi-
litibus dicitur, mihi quidem obſcurum videri fa-
teor: vt binos denarios in dies acciperent. Du-
plum quidem ſtipendium ipſos meruiſſe conſtat.
Sed ſi binos denarios, quales erant Tiberij tem-
pore merebant, triplo amplius accipiebant: aſſes
nimirum

nimirum duos & triginta. vt mihi ſuſpicari in mentem veniat, Tacitum ſcripſiſſe potius, BIS DENOS ACCIPERENT, cùm ad vocem Aſſes, qua prius erat vſus, reſpiceret: totius auté illius querelæ ſumma hæc eſſet, vt milites quibus deni tantùm aſſes in diem dabantur, ſedecim poſtularent: hæc præſertim de cauſſa, quia prætoriani, qui non plus laboris & periculorum ſuſtinebant, viginti recipere ſolebant. Itaque Xiphilinus ex Dionis lib. 53. vbi Senatus erga Auguſtum ſtudium & beneuolentiam commemorat, ſubiecit decretum ab eo fuiſſe, vt prætorianis militibus duplex ſtipendium daretur eius, quod reliqui milites merebant. Τοῖς δορυφορήσουσιν αὐτὸν, inquit, διπλάσιον τὸν μισθὸν τοῦ τοῖς ἄλλοις στρατιώταις διδομένου ψηφισθῆναι διεπράξατο. Sed hac tota de re, & aliis ad Taciti interpretationem pertinentibus, Iuſto Lipſio, excellentis ingenij viro, & amico noſtro, exiſtimandi copiam facio. Nunc enim alteri difficultati occurrendum eſt, quæ ex illis Plinij verbis naſcitur, lib. 33. c. 3. In militari tamen ſtipendio ſemper denarius pro decem aſſibus datus. Non ignoro, quid homines docti complures de illius interpretatione ſcripſerint: quorum ne duo quidem inter ſe conſentiunt. quominus iraſci mihi alij debebunt, ſi quid ego ad illius loci explanationem pro mea virili parte attulero. Primum autem illud præfabor, moris fuiſſe, vt rei militaris rationes non ad denarios, aut ſeſtertios, ſed ad aſſes, retento priſco more, ducerentur. vnde Æreditati milites dicebantur (ait Nonius) quibus ſtipendium, id eſt merces menſtrua aut annua, quæ eſſet (inquit) in numis æreis, ſubtrahebatur. Liuius lib. 5. Placere autem omnibus his, voluntariam extra ordinem profeſſis militiam, æra procedere: & equiti certus numerus æris eſt aſſignatus. tum primû equis merere equites cœperunt. Cæſar Ciuil. 3. c. 11. vbi de Scæua Centurione loquitur: Quem Cęſar, inquit, vt erat de ſe meritus & de Rep. donauit ducentis millibus æris. Alioqui Cæſar dixiſſet, viginti denariorum millibus vel octoginta HS millibus. Quare loci Pliniani ſententiam eſſe hanc puto: vt poſtquam milites à Tiberio impetrarunt, vt pro denis aſſibus denarium acciperent, quamuis reuera pecuniam argenteam accipiebant, tamen in Quæſtorum rationibus, quæ ad aſſes ducebantur, denarij illis pro denis tantum aſſibus imputarentur: conniuentia ducum ſcilicet, qui ſibi militum animos hac indulgentia deuinciebant. Sed non alienum erit de ſtipendio militari paullò plenius exponere. Liuius libr. 4. tradidit, anno vrbis CCCXLVII. inſtitutum, vt ſtipendium miles de publico acciperet, cùm antè id tempus de ſuo quiſque functus eo munere eſſet. Modum eius ſtipendij Polybius lib. VI. ſcribit ſuo tempore, hoc eſt ſub initium belli Punici ſecundi, fuiſſe in peditem duorum obolorum: in centurionem duplum, in equitem triplum. Veteres omnes tradunt, in denario tres ſcrupulos fuiſſe, in ſcrupulo duos obolos. Iam ſi denarius per id tempus decem aſſium fuit (vt inter omnes conſtat) manifeſtum eſt, ſcrupulum vnum, ſiue duos obolos valuiſſe tribus aſſibus cum triente. ratione quidem exacta & accurata: ſed negaturum neminem arbitror, Polybium illo tantulo diſcrimine inſuperhabito quattuor aſſes intellexiſſe: ac proinde diurnum militis ſtipendium id temporis fuiſſe quattuor aſſium: qui drachmæ Græcæ triens erat: quandoquidem (vt Pollux teſtatur) ἡ δραχμὴ ἔχει ὀβολοὺς ἕξ. Verùm aliquantò poſt Punicum illud bellum, nimirum Plauti ætate, reperio modum illius ſtipendij auctum fuiſſe ad ſenos aſſes. cuius rei coniecturam facio ex illis Plauti verſibus in Moſtellaria:

Vbi ſunt iſti plagipatidæ, ferritribaces viri?
Iſti qui trium numorum cauſſa ſubeunt ſub falas,
Vbi aliqui quindenis haſtis corpus transfigi ſolet.

Nam tres numos Plautus, Græci poetæ veſtigia ſecutus, pro tribus obolis vſurpauit. Generali nanque, Numi vocabulo ſpecies numiſmatum omnes comprehendebant, ſiue minores, ſiue maiores: vt alio loco diximus. Neque verò ſum neſcius, aliter locum illum Plauti ab aliis interpretatum eſſe. Sed eius quoque rei iuſtum iudicium Iuſto Lipſio, qui locum illum tractauit, permitto. Vtcunque ſit, ne illud quidem prætereundum videtur, nihilo maiorem illis temporibus militis R. quàm operarij alicuius & mercenarij diurnam mercedem fuiſſe. Nam apud Mat. c. 20. Christus de vinitoris mercede loquẽs, συμφωνήσας, inquit, μετὰ τῶν ἐργατῶν ἐκ δηναρίου τὴν ἡμέραν: Pactus cum operariis denario in diem; quod idẽ aliquoties poſteriùs inculcatur. Nã denarium illum R. fuiſſe, & Tyberij eiuſdem Imperatoris effigiem atque inſcriptionem habuiſſe patet ex eiuſdem Matthæi c. 22. verſ. 20. ſed præter ſtipendium milites annonam & veſtem habebant, & vbi rem bene geſſerant, non donatiuum tantùm, verùm etiam interdum prædæ partem.

VNVS DENARIVS. Sueton. Aug. c. 71. Talis iactatis, vt quiſque canem aut ſenionem miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios in medium conferebat. Plin. Traiano epiſt. 10. Qui virilem togam ſumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magiſtratum, vel opus publicum dedicant, ſolent totam bulen, aut etiam è plebe non exiguũ numerum vocare, binóſque denarios, vel ſingulos dare. Hæc munuſcula Traianus epiſtola ſeq. ſportulas appellat. Plin. 15. c. 12. denariis ſingulis ſingula poma Perſica Romæ empta teſtatur.

TRES DENARII. Martial. Epigr. 9.

Denarijs tribus inuitas: & manè togatum
Obſeruare iubes atria, Baſſe tua.
Deinde hærere tuo lateri, præcedere ſellam,
Ad vetulas tecum plus minus ire decem.
Trita quidẽ nobis togula eſt, vilíſque putrísque;
Denariis tamen hanc non emo, Baſſe, tribus.

QVINQVE DENARII. Varro Ruſt. 3. c. 6. Oua pauonũ veneũt denariis quinis. ipſi facile quinquagenis. Quem in locũ Macrob. Saturn. 3 Ecce res, inquit, non admiranda ſolum, ſed etiam pudenda: vt oua pauonum quinis denariis veneant, quæ hodie non dicam vilius, ſed omnino non veneũt. De quinq; mẽſtruis denariis mulieri quádiu aduixerit legatis, mentio fit in l. 30. D. de adim. legat.

SEXDENARII menſtrui alimentorum nominé legati. l. 28. D. de liber. legat.

DECEM DENARII legati. eod. l. 2. cibariorum nomine legati. l. 39. §. 2. Fam. erc. quod de menſtruis intelligendum, ex d. l. 28. de lib. leg. l. 27. Quand. dies legat. ſed de annuis mentio in l. an-

nuà,20.§.1.D.de an.legat.

Dvodecim denarij annui alimentorum nomine legati.l.13.D.de ann.legat.

Qvindecim. Liuius lib. 41. Militibus in ſingulos quindeni denarij dati,duplex centurioni, triplex equiti.

Viginti. Liu.22. In ſingulos equites quadrigatos numos quinos vicenos, & peditibus denos,& arma quibus deerant, dederunt. Idem lib. 37.Militibus quini viceni denarij dati:duplex cẽturioni,triplex equiti. Item lib.41. Militibus denarios quinos vicenos,duplex centurioni,triplex equiti.

Qvadraginta. Liuius lib.45. De præda militibus in ſingulos quadragenos quinos denarios duplex centurioni,triplex equiti.

Qvinqvaginta. Liuius 40. Militibus de præda quinquagenos denarios,duplex centurionibus (ſemper aliis locis centvrioni) triplex equiti Varro Ruſt.3.c. 6. vbi de pauonibus. Is à procuratore ternos pullos exigit : eóſque cum creuerunt,quinquegenis denariis vendit.

Septvaginta. Liuius 45. Dedit ſociis naualibus in ſingulos , denarios ſeptuagenos quinque (qvinos conſuetudo poſtulat) gubernatoribus, qui in nauibus fuerant duplex : magiſtris nauium quadruplex.

Centvm denarii. Sueton. Calig 46. Pronuntiatóque militi donatiuo, centenis viritim denariis,quaſi omne exemplum liberalitatis ſupergreſſus, Abite, inquit,læti : Abite locupletes. Idem in Galba, c. 7. Militi. qui per expeditionem annona arctiſſima reſiduum cibariorum tritici modium centum denariis vendidiſſe arguebatur, vetuit, ſimulátque indigere cibo cœpiſſet, à quoquã opem ferri:& is fame extabuit. Petron. Arbit. Sat. in formula fœderis iocularis: Niſi pro qua te præſentes numerauerit denarios centum. Varro apud Nonium:Quare Heraclides Ponticus plus ſapit,qui præcepit vt comburerent,quàm Democritus,qui vt in melle ſeruarẽt. quem ſi vulgus ſecutus eſſet, peream , ſi centum denariis calicẽ mulſi emere poſſemus. Liuius 45. vbi de Triumpho L.Paulli:Pediti in ſingulos dati centeni,duplex centurioni, triplex equiti. Tantum pediti daturum fuiſſe credunt,& pro rata aliis,ſi aut non refragati honori eius fuiſſent , aut benignè,hac ipſa ſumma nuntiata, acclamaſſent. Deeſſe apparet non dico verbum denarii , ſed notam X. nam & ampliſſimum illum fuiſſe triũphum, Liuius teſtatur, & maiorem ſummam in minoribus triumphis datam,paullò pòſt docebimus. Paullus in l.40.ff. de cond. indeb. Inque denarioa centenos denarios ſingulos. Verùm in l.alumnæ,30.D.de adim.leg.in illo loco, Veſtiarij nomine centenos vicenos quinos , non dubito, quin vel annvos legendum ſit , vel vox centenos delenda : argumento ſimilium legatorum l. 39. D.fam.erciſc. l. 28. D. de liber.leg.l.84.D.de condit.& demonſtr.

Dvcenti denarii. Petron. Arbit. eod. loco: Aut ſi quæſieris,pro ſingulis denariis numerabis præſentes denarios ducentos. Valer.7.c.6. In illa obſidione cùm trecenti Prænestini permanerent, quidam murem captum ducem denariis vendidit. Plin.8.c.57. Nummos poſuit , non Denarios Qua de re dicemus infrà , ſub Ducenti ſeſtertii

Strabo verò ſub finem libr. 5 Medimnum poſuit, non Murem. ὥστ᾽ ὑπὸ λιμοῦ διακοσίων δραχμῶν πραθῆναι μέδιμνον. Accuratus ſcriptor fuit & grauis Strabo : deinde notam Medimni apud Græcos fuiſſe μ , ſatis planè conſtat. Itaque cùm de Mure Latini conſentiant , vereor interdum ne μυὸς Strabo ſcripſerit : librarius autem mendum eſſe putans, μ repoſuerit pro μεδίμνου. Sueton.Octauio 71.ex epiſtolis ipſius : Miſi tibi denarios ccl. quos ſingulis conuiuis dederam , ſi vellent inter cœnam vel talis,vel par impar ludere, Didymus apud Priſcianum: τὰ δὲ χίλια σηστέρτια ποιεῖ διακόσια πεντήκοντα δηνάρια ἀργυρᾶ. Mille ſeſtertij faciunt ducentos quinquaginta denarios argenteos.

Qvadringinti. Liuius lib. 45. Tantáque præda fuit , vt in equitem quadringinti denarij, peditibus duceni diuiderentur. Varro Ruſtic.3. c.7 vbi de colũbis loquitur: Paria ſingula,vulgo veneunt ducenis numis, nec non eximia ſingulis millibus nummûm, quas nuper cùm mercator tanti emere vellet à L. Axio, equite R. minoris quadringentis denariis daturum negauit . Plin. 10.c.37 L.Axius eques R.ante bellum ciuile Põpeianum denariis quadringentis ſingula paria venditauit:vt M.Varro tradit Liuius 8. Vectigal quoque eius Campanus populus iuſſus pendere in ſingulos quotannis (fuere autem mille & ſexcenti) denarios nummos quadringenos quinquagenos. Verum is mihi obſcurus videtur locus. nam Liuius hæc geſta narrat anno vrbis dcxiii. Denarios autem argenteos ſuperiùs docuimus ſignatos anno demum dclxxxiiii. neque vſquã Liuius , vel ante illum locum, vel in tota prima Decade vllam argenteæ pecuniæ mentionem facit:ſed ſemper ad aſſem rationes ducit. Quare videndum eſt , an locum illum non de argenteis, ſed de æreis potius denariis,ſiue decuſſibus accipi oporteat:de quibus ſuperius ſuo loco diximus.

Qvingenti. Liuius 22. Precium fore in capita : equiti quingenos quadrigatos numos, trecenos pediti, ſeruo centenos. Sueton. Octau. 67. Thallo à manu , quod pro epiſtola prodita denarios quingentos accepiſſet, crura effregit. Liuius 34. Multitudinis eorum argumentum ſit, quod Polybius ſcribit , centum talentis eam rem Achæis ſtetiſſe : cùm quingentos denarios precium in capita quod redderetur dominis ſtatuiſſent. Mille enim ducentos ea ratione Achaia habuit captiuos Italicos. Cicero Attic.16.epiſt. 8. Veteranos, qui quę Caſilini & Calatiæ ſunt, perduxit ad ſuam ſententiam. nec mirum. quingenos denarios dat.cogitat reliquas colonias obire. Quem locum Aſinius Pollio explanat in epiſt.ad Cicer.Famil.x. Treis legiones firmas habeo: quarum vnam vicesimam octauam cùm ad ſe accerſiſſet Antonius,hac pollicitatione,quo die in caſtra veniſſet , denarios quingenos ſingulis militibus daturum,&c.

Septingenti. Lamprid. Commodo:Congiarium dedit populo, ſingulis denarios ſeptingentos vicenos quinos : circa alios omnes parciſſimus. Ingens hæc ſumma eſt in ſingulos. Itaque ex aliorum congiariorum ratione & modo quibus terni aurei dati dicuntur, ſuſpicor legendum Septvagenos qvinos. quæ ſumma argentea cum illa aurea conueniat.

Mille

MILLE DENARII. Sueron. Tiber. Militi, poſt duplicata ex Auguſti teſtamento legata, nihil vnquam largitns eſt, præterquam ſingula millia denariorum. Macrob. Saturn. 3. c. 14. Tanta autem fuit gratia & gloria Q Roſcius, vt mercedem diurnam de publico mille denarios, ſine gregalibus acceperit. Quem locum accipiendum arbitror non de ſingulis anni diebus, ſed de iis tantum, quibus operam ludis dabat. Chirins Fortonat. lib. Rhet. 1. Edicto vel præconio quomodo fit? Cuius ſeruus fugerit, libello propoſito, vel per præconem nuntians dixit, daturum mille denarios ei, qui ad ſe ſeruum perduxiſſet. Scæuola l. vlt. D. de inſtit. act. Habes penes menſam patroni mei denarios mille. Togam vel denaria mille. l. 21. D. de cond. indeb.

DECEM MILLIA DENARIVM. Agellius 3. c. 17. Memoriæ mandatum eſt, Platonem Philoſophũ tenui admodum pecunia familiari fuiſſe. Atqui eum tamen tres Philolai Pythagorici libros decem millibus denarium mercatum Quinctil. libr. 3. c. 1. Et Abderites Protagoras à quo decem millibus denariorum didiciſſe artem quam edidit, Euathius dicitur. Agellius lib. 1. c. 8. Ad Thaidem Demoſthenes clanculum adit: &, vt ſibi ſui copiam faceret, petit. At Lais μυρίας δραχμὰς ἢ τάλαντον popoſcit. Hoc facit numi noſtratis denarium decem millia. Paullus l. 26. D. depoſ. τῶ ἀργυρείου δηνάρια μυρία.

TRIGINTA. Liuius libr. 33. Tulit in triompho argenti denarios triginta quattuor millia, & quingentos quinquaginta.

TRIGINTA NOVEM millia. Cic. Verrin. 4. Pecuniam illam ob cenſuram clam dederunt, ac denarium triginta nouem millia palam ſaluis legibus contulerunt.

QVADRAGINTA MILLIA. Plin. 10 ep. ad Traianum: Ecdicus, Domine, Amiſenorum ciuitatis petebat apud me à Iulio Piſone denariorum circiter quadraginta millia, donata ei publicè ante viginti annos: vtebatúrque mandatis tuis, quibus eiuſmodi donationes vetantur.

DVCENTA QVINQVAGINTA MILLIA denariorum. Appianus ἐμφυλ. δ. vbi de capite Ciceronis ad Antonium perlato commemorat: ὁ δὲ ἥσθη τε μάλιστα, καὶ τὸν λοχαγὸν ἐστεφάνωσε, καὶ πλεῖστον ἐπὶ ἄθλον ἐδωρήσατο, πέντε καὶ εἴκοσι μυριάσιν Ἀττικῶν δραχμῶν. Hic autem gaudio elatus primùm centurionem torona donauit: deinde maiore illum præmio monerauit, ducentis quinquaginta denariorum millibus.

TRECENTA millia. Liuins 41. Tulit in eo triumpho denariom CCCVII. millia, & Victoriatum LXXXV. millia DCCII.

De Seſtertijs.

CAP. XVII.

NVNC iam tempns eſt ad illam ſecundam Denarij partitionem reuerti, quam eſſe quadripartitam diximns. Quattuor enim eſſe in denario ſeſtertios, cùm aliis ex locis conſtat, tum præcipuè ex eo Didymi loco, quem ex Priſciano ſubiecimus. τὰ δὲ χίλια σηστέρτια ποιεῖ διακόσια πεντήκοντα δηνάρια. Mille ſeſtertij faciunt ducentos quinquaginta denarios. Vbi Didymus Seſtertia eodem modo genere neutro vſurpauit, quo Denaria, Planius autem hoc ipſum Cicero demonſtrat Verrina 5. his verbis: Venit Prætor. Frumentum, inquit, me abs te emere oportet. Optimè. Modium denario. benignè ac liberaliter. Nã ego ſeſtertiis ternis non poſſum vẽdere. Mihi frumento non opus eſt, numos volo. Nã ſperauerã, inquit arator, me ad denarios peruenturũ. Sed ſi ita neceſſe eſt, quanti frumentum ſit, conſidera. Video eſſe binis ſeſtertiis. Quid ergo à me numorum dari poteſt, cùm ſenatus quaternos numos dederit? Quid poſcat attendite. Quaternos ſeſtertios, quos mihi ſenatus decreuit, & ex ærario dedit, ego habebo, & in ciſtam transferam fiſco. Quid poſtea? Quid? pro ſingulis modiis, quos tibi impero, tu mihi octonos ſeſtertios dato. Qua ratione? Senatus te voluit mihi numos dare, me tibi frumentum metiri. Tu eos numos, quos mihi ſenatus dari voluit, ipſe babebis: à me cui ſingulos denarios dari oportuit, binos auferes. Quibus ex verbis, aliiſque locis in numeris intelligitur, quattuor in denario ſeſtertios fuiſſe. Sed ſeſtertij definitio videoda eſt. Fuit igitur Seſtertius, numus argenteus, precij quondam duorum aſſium & ſemis, poſt verò quatuor aſſium: ponderis, viceſimæ octauæ partis vnciæ argenteæ, bigarum nota inſignitus. Nã Denarij æſtimatione ad ſedecim aſſes adaucta, (de qua ſuperius diſſeruimns) ſeſtertius pro portione quartam denarij partem, hoc eſt quattuor aſſarios compleuit. cùm priſtinum nihilominus vocabulum retineret: ſicuti ſuperius de Aſſis, Denarij, Centuriæ Tribuum vocabulis dictum eſt. Varro de ling. 4. vbi de numis argenteis loquitnr: Seſtertins, quòd ſemis tertius. Dupondius. n. & ſemis antiquus ſeſtertius eſt. Cetera ſub Æreo ſeſtertio decripſimus. Vitruuius 3. c. 1. Noſtri primò quartã denarij partẽ, quod efficiebatur ex duobus aſſibus & tertio ſemiſſe, Seſtertinm vocitauerunt. Aruntius apud Priſcianum: Seſtertius olim dupondius & ſemis quaſi ſemis tertius. Quo tempore denarius decuſſis valebat. Legendum puto Decuſſi, caſu ſexto. Mætianus: Seſtertius primò valebat duos aſſes & ſemiſſem, quaſi ſemis tertius. Græca figura ἕβδομον ἡμιτάλαντον. Lex etiam XII. Tabularum argumento eſt, in qua duo pedes & ſemis, Seſtertius pes vocatur. Nunc ſeſtertius quattuor aſſes valet. Chariſius lib. 1. Seſtertius vnde appelletur, ſolet quæri. Quod manifeſtum erit, ſi ſciamus apud antiquos denarium decem aſſes habuiſſe. cuius quarta pars dipondius ſemis, ſeſtertius dicitur: quòd de tribus aſſibus ſemis deficiat. denique & nota nihil aliud quàm dipondium & ſemis HS oſtendit. Quibus ex locis ſuperior Seſtertij definitio, quãtum ad materiam & precium attinet, plenè comprobata eſt: quanquam de materia etiam illud Liuij teſtimonium licebit adſcribere ex libr. 40. Argenti data centũ & quinquaginta millia HS vnde in nouas ædes compararent quæ opus eſſent. De nota verò ſuperius ex Plinio ſatis diximus. Quantum autem ad pondus attinet, cùm quattuor ſeſtertij denarium explerent, vt modò diximus, ſi denarius ſeptima pars eſt vnciæ argenteæ, libræ autem octogeſima quarta, certè ſeſtertius erit illius viceſima octaua, huius autem treceoteſima viceſima quarta, Nuncillud

adnotandum eſt, tametſi Numi vocabulum generale & commune ſit omnium, ſed præſertim (vt ex Martiano didicimus) argenteorum tamen Seſtertium propter frequentiorem ipſius vſum commune nomen ſuum propemodum feciſſe. Nam interdum ſimpliciter Numus dicitur, interdum Seſtertius, interdum coniunctè Seſtertius numus, vel Numus ſeſtertius. Quarum rerum exempla quidem alij protulerunt, ſed nos alia exponemus: & ſimul obſeruationes noſtras ſubiungemus, quarum illa prima eſt: Vbi nihil additur ad numerum, neque nominatim numi genus deſignatur, tum ſeſtertios intelligi. Varro Ruſt.3.cap.2. E venationibus in annos ſingulos plus quinquagena millia è villa capere dicebat. ſubauditur enim SESTERTIVM. Et mox: In hac villa quę eſt Ornython, ex ea quinque millia ſcio veniſſe turdorum denariis ternis: vt ſexaginta millia ea pars reddiderit, bis tantùm quam tuus fundus ducentûm iugerum reddit. Quid, Sexaginta? inquit Axius. Sexaginta. Sexaginta? deridesʔ Sexaginta, inquam. Item, Dicebat in Albano fundum ſuum paſtionibus ſemper vinci à villa. Agrum enim minus dena millia reddere, villam plus vicena. Item, Secundum mare, quo loco vellet, ſi paraſſet villam, ſe ſuprà centum millia è villa recepturum. Quibus omnibus in locis vocem SESTERTIVM, ſubaudiendam eſſe, dubitari propter illius temporis rationem & conſuetudinem non poteſt. Sed apud Liuium libr.37. locus exſtat obſcurior: vbi de M. Acilij Glabrionis peculatus accuſati iudicio loquitur. Centum millium multa, inquit, irrogata erat. Nam vſque ad illum locum, vbi de Multis locutus eſt, Æris vocem adſcribere eſt ſolitus. Sed quoniam multò ante cœperat & ſeſtertiorum mentionem facere, & rationes quaſdam ad ſeſtertium ducere, propterea credo locum illum non de aſſibus, ſed de ſeſtertiis exaudiendum. Secunda obſeruatio eſt huiuſmodi: Vbi plures enumerantur ſummæ, ſi prior ſumma maior eſt, poſterior verò minor, ante priorem vox vel potius nota HS ponitur: poſt inferiorem, vox Numûm. Cicero Verrin.3. Dedi HS decies, ſexcenta triginta quinque millia, quadringentos decem & ſeptem numos. Columella libr.3.cap.3. Huc accedant ſemiſſes vſurarum HS tria millia, quadringenti octoginta numi. Et paullò pòſt: Conſumant tamen ſeptem colei HS duo millia, & centum numos. Quod cùm ita ſit, perſpicuum eſt initio illarum Verris rationum deeſſe hanc notam HS. vt ſit Accepi HS vicies, ducēta triginta quinque millia, quadringentos decem & ſeptem numos. Numum autem præcisè dici pro Seſtertium, & abſoluta Numi appellatione Seſtertium intelligi, facile eſt ex locis quam plurimis cognoſcere. velut apud Horat.lib.epiſt.2.

Fiet, eritque tuus numorum millibus octo.

In Orat.pro Cluentio: Initio permagnam pecuniam popoſcit. pòſt ad id peruenit, quod confici potuit: & ſeſtertiùm ſexcenta quadraginta millia deferri ad ſe domum iuſſit. Et paullò pòſt: Sedecim dico iudices, vt Oppianicus abſolueretur, corrumpendos fuiſſe. Ad Stalenum ſexcenta & quadraginta millia numûm eſſe delatā. Idem Verrina quarta, Facta eſt ſpōſio ſeſtertiùm quinque. A Coëgit Scandilium recuperatores, aut iudicem poſtulare, Et aliquantò pòſt: Coëgit Scandilium quinque illa millia numùm dare, ac numerare Apronio. Idem paullò poſt: Coëgit Scandilium Apronio ſeſtertium quinque millia mercedis nomine ac præmij dare. Varro Ruſt.3.cap.6. Ex pauooibus M. Aufidius Lurco ſupra ſexagena millia numûm in anno dicitur capere. Plin.10.c.20. Saginare pauones primus inſtituit. M. Aufidius Lurco: éxque eo quæſtu reditus ſeſter- B tium ſexagena millia habuit. Tacit. Annal.15. Subuectáque vtenſilia ab Hoſtia & propinquis municipiis, pretiúmque frumenti minutū vſq; ad ternos numos. At Cicer.in Frumētaria paſſim binos & ternos ſeſtertios pronūtiat. velut in illo loco: Eſt enim modius lege ſeſtertiis ternis æſtimatus. Fuit autē te Prætore ſeſtertiis binis: ſed fuerit ſeſtertiis ternis. Cato apud Agelliū 7.c.12. Quid nunc, & quæ tandem lex eſt tam acerba, quæ dicat, Si quis illud facere voluerit, mille numi di- C midium familiæ pœna eſto. Quo loco intercidiſſe arbitror particulam VEL. Coniunctionis autem paſſim exſtant exempla, ſic, vt nonnunquā vox Seſtertius ſubſequatur, non rarò etiam antecedat. Conſecutionis exempla hæc ſunt. Cicer.poſt Poſtumo: Ecquis eſt, qui bona C. Rabirij numo ſeſtertio ſibi addici velit? Et mox, Tuáne, Poſthume, numo ſeſtertio à me addicuntur? Vitruu.1.c.4. Areas diuiſit, numóque HS municip. mancipio dedit. Anteceſſionis hæc ſunt exem- D pla. Colum.3. Percipere debet in annos ſingulos mille DCCXL. ſeſtertios numos, Valer.5.2. Vt exequiarum apparatus ſeſtertio numo ipſis præbentibus addiceretur. Quinetiam licet illud animaduertere. numerale verbum ſæpè interponi. velut in veteri monimento QVISQVIS ID MONIMENTVM vendere volet. inferat ærariu P.R. HS.M.N. id eſt, ſeſtertios mille numos. Item, Cuius ob dedicationē dari iuſſit ab hærede ſuo decurioоib. ſinguli HS IIII. numos, plebi E HS II. N. Item, Hoc monumentum L. Tiberius Sabinus ſe viuo donauit L. Samio Symphoro, mācipauítque ſeſtertio numo vno. Columel.3. cap.3. Noſtra cura in tantum iam proceſſit, vt non inuiti ſeſtertiis ſexcentis numis ſingula millia viuiradicis à me ruſtici mercentur. Sed in recenſione exemplorum, poſterius plura teſtimonia proferemus: quam ipſam mox à ſingulari exordiemur: ſi prius illud admonuerimus, non idcirco vocem Numo poſt Seſtertio apponi ſolitam, quòd F Numi appellatio latiſſimè patebat. Nam ſi quaſi ad generale nomen reſtringendum ſubiungeretur, vt cùm dicimus. Quadrupedem pecudem, ad aliarum quadrupedum diſtinctionem in l.2. D.ad leg. Aquil. contrarium omnino ſequeretur, nempe vocem Seſtertio latiorem & ampliorem eſſe voce Numo. quod cum apertè falſum eſt, tum etiam iis exemplis refutatur, quæ paulo antè de anteceſſione vocis Numo produximus. Vel abundare igitur vocem Numo dicendum eſt, vt cùm G dicimus, Populus Romanus Quiritium: vel ita ſtatuendum, Cùm verbum Seſtertio de iis rebus omnibus vſurparetur, quæ pondere & menſura conſtant, veluti cùm dicimus Seſtertio pede, Seſtertio carcere, Seſtertio veſtimento, Seſtertio bipalio: factum, vt cùm de numo vſurpabatur, vox Numo ſubiungeretur. Rurſus cùm

cum verbum Numo latiſſimè pateret, ſi de ſeſtertio vſurparetur, plerumque nominatim adiiceretur: quamuis (vt antè dixi) ſeparatim atque abſolutè verba Numo & Seſtertio promiſcuè vſurparentur.

Recenſio locorum aliquot in quibus de certo ſeſtertiorum numero mentio fit.

CAP. XVIII.

SESTERTIVS VNVS. Eius mentio fiebat in venditionibus imaginariis: Emere apud antiquos generale verbum fuit, pro, quoquomodo ab altero adquirere: hoc eſt, ſiue venditionis, ſiue donationis, ſiue permutationis titulo l. ſtatuliber 29. in fi. de ſtatul. quia per leges XII. tab. omnes alienationes & adquiſitiones fieri per mancipationem ſolebant, in qua æs & libra interponebantur: vt ſuperius demonſtratum eſt. Varro Ruſtic. 2. In emptionibus dominium legitimum ſex ferè res perficiunt: id eſt, in adquiſitionibus. Itaque quoquomodo quis rei alicuius dominium adquirebat, eam emiſſe, aut redemiſſe dicebatur. qua de cauſſa in teſtamentis Emptor familiæ adhibebatur, vt teſtator viuus rerum ſuarum dominium in heredem tranſtuliſſe videretur. cuius rei veſtigium extat in l. 1. §. *diui fratres*, D. de quæſtionib. item in donationibus, is cui res donabatur, dicis cauſſa ſeſtertium numum quaſi precij loco dabat. l. vlt. C. de donat. vbi Iuſtinianus ſolemnia illa verba prætermitti iubet, SESTERTIO NVMO VNO. Vitruuius libr. 1. cap. 4. Ab ſenatu populóque R. petiit, vt liceret transferre oppidum, conſtituítque mœnia, & areas diuiſit: numóque ſeſtertio ſingulis municipibus mancipio dedit. Florus Ep. 55. C. Martianus accuſatus eſt apud Tribunos pleb. quòd exercitū in Hiſpania deſeruiſſet, damnatúſque ſub furca diu virgis cæſus eſt, & ſeſtertio numo veniit. Cicero pro Poſtum. Ecquis eſt ex tanto populo, qui bona C. Rabirij numo ſeſtertio ſibi addici velit? & mox: Tuáne, Poſtume, numo ſeſtertio à me addicuntur? ô meum miſerum acerbúmque præconium! Similiter in conductionibus imaginariis, quæ ob eam cauſſam donationes potius dicuntur, cùm vno numo fiunt. l. 46. D. de locat. l. 10. D. de adquir. poſſ. Valer. 5. c. 2. M. Cornuto prætore funus Hircij & Panſæ iuſſu Senatus locante, ij qui tum Libitinam exercebant, cùm rerum ſuarum vſum, tum miniſterium ſuum gratuitū polliciti ſunt, quia hi pro Repub. dimicantes occiderant, perſeuerantique poſtulatione extuderunt, vt exequiarum apparatus, ſeſtertio numo ipſis petentibus addiceretur. Valer. 8. c. 2. C. Marius iudex inter C. Titinniū & Fanniam ipſius vxorem adulterij ab illo poſtulatam ſumptus, cùm ſciret, Titinnium eam data opera duxiſſe, vt dotem ex adulterij damnatione lucraretur, Mulierem, inquit impudicitiæ reá ſeſtertio numo, Titinnium ſumma totius dotis damnauit. Plutarchus autem illud idem commemorans, quattuor aſſes poſuit, quæ par omnino ſumma eſt: iampridem perducta ſeſtertij æſtimatione ad quattuor aſſes, vt ſuperius dictum eſt. τὸ δὲ γεωργικὸς, inquit, ἀτιμίας ἕνεκα τῇ καταδίκῃ χαλκοῦς τέσσαρας προσετίμησεν.

DVO vel TRES SESTERTII. Cicero Verrin. 1. Queritur Cicilia tota, C. Verrem ab aratoribus cùm frumentum ſibi in cellam imperauiſſet, & cùm eſſet tritici modius ſeſtertiis binis, pro frumēto in modios ſingulos duodenos ſeſtertios exegiſſe. Idem Verr. 4. Verumenimuero cùm eſſet HS binis, aut etiam ternis, quibuſuis in locis prouinciæ, duodenos HS exegiſti. Tacitus Annal. 2. de Tiberio loquens: Sæuitiam annonæ incuſante plebe, ſtatuit frumento precium, quod emptor penderet, binóſque numos ſe additurum negotiatoribus in ſingulos modios.

TRES SESTERTII. Agell. 2. c. 24. L. Sylla Dictator legem tulit, vt feriis ſolemnibus HS tricenos in cœnam inſumere ius eſſet, ceteris autē diebus omnibus, ternos. Quis hanc ſummæ tenuitatem ferat, præſertim illa ætate tam opulenta? TRECENOS igitur de principio legendum arbitror, pro Trecentis: in extremo verò TRICENOS, pro triginta. Quam ad rem videndum, quod de Iulia lege ſumptuaria diximus ſub Ducenti, Trecenti, Millies.

QVATTVOR. Ex inſcriptione Peruſina, ſtatuæ Antonio poſitæ: Impetrata venia ab ordine Peruſinorum, optimo maximóque princ. de. ſua. pecunia poſuit. cuius. ob. dedicationē. dari. iuſſit. ab. herede. ſuo. decurion. ſing. HS. IIII. N. plebi. HS. II. N. id eſt, ſeſtertios quattuor numos: ſeſtertios duos numos. Seſtertij quaternis precium Perſicorum pomorum, apud Plin. 15. c. 12.

DVODECIM SESTERTII. Cicero Verrin. 4. eo loco vnde potiſſimum intelligitur, Seſtertium numum quartam Denarij partem fuiſſe Tritici, inquit, modios ſingulos denariis ternis æſtimaſti. & paulo pòſt: Duodenos HS exegiſti.

TRIGINTA HS. Tacitus Hiſtor. 1. vbi de Viennenſium periculo loquitur: Haud ignari diſcriminis ſui Viennenſes, velamenta & infulas proferentes, vbi agmen inceſſerat, arma, genua, veſtigia prehenſando, flexere militum animos. Addidit Valēs tricenos ſingulis militibus ſeſtertios. Credo legendum TRECENOS: argumento eorum quę poſterius ſub eo numero proferentur.

QVINQVAGINTA HS. Plin. 37. cap. 2. vbi de tertio Pompeij triumpho loquitur: Reipub. datum mille talentum: legatis & quæſtoribus, HS bina millia: cōmilitibus ſingulis quinquaginta. ſed ex proportione conicio reponendum eſſe QVINGENTI.

CENTVM SESTERTII. Tacitus Annal. 2. Inter quæ vnus hoſtium, Latinæ linguæ ſciens, acto ad vallum equo, voce magna coniuges & agros & ſtipendij in dies donec bellaretur, ſeſtertios centenos, ſi quis transfugiſſet, Armenii nomine pollicetur. Idem Annal. XI. Quoties Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos numos diuideret.

DVCENTI. Agellius 2. c. 24. Poſtremo lex Iulia (loquitur de ſumptuaria, ſiue cibaria) ad populum peruenit Cæſare Auguſto imperante, qua profeſtis quidem diebus, nonis, & aliis quibuſdam feſtiuis, trecenti, nuptiis autem & repotiis, HS millies eſſe. Quo loco reſtituendum alibi diximus, MILLE SESTERTII. Varro Ruſt. 3. cap. 7. vbi de columbis loquitur: Paria ſingula veneūt ducenis numis. Plin. 8 c. 57. Veniſſe murem ducentis numis. Caſilinum obſidente Annibale;

eúmque qui vendiderat, fame interiiſſe, emptorẽ vixiſſe, Annales tradunt. Sed eo loco deeſſe arbitror notam denarij: vt Plinius ſcripſerit, DUCENTIS NVMIS ✲ hoc eſt denarijs quemadmodum ſcribi ſolebat Numis, ✲✲✲. quandoquidem Valerius lib.7.c.6. Denarios prodidit,& Strabo lib.5. Drachmas ducentas.

TRECENTI. Sueton. Iulio, Populo præter frumẽti denos modios, trecenos quoque numos, quos pollicitus olim erat, viritim diuiſit: & hoc amplius centenos pro mora. Item, Populo hortos circa Tyberim, publicè & viritim trecenos ſeſtertios legauit in Antonio conuenienter edidit δραχμὰς ἑκάστῳ ὀγδοήκοντα πέντε. Itémque Appianus Ciuilium 2. verſus finem. Sueton. Auguſt. 41. Congiaria populo frequenter dedit: ſed diuerſæ fere ſummæ: modò quadringenos, modo trecenos, nonnumquam ducenos, quinquagenóſque numos. Item c.101. Legauit cohortibus vrbanis quingenos, legionariis trecenos numos. Ad quẽ locum videnda quæ diximus ſub Mille ſeſtertij. Idem Tiberio, cap.20. Prandiũ dein populo mille menſis & congiarium trecenos numos viritim dedit. Item in Domitian. c 4. Congiarium populo numorum trecentorum ter dedit. Tacitus Annal. 3. Ceterum Tiberius nomine Germanici trecenos plebi ſeſtertios viritim dedit, ſéque collegã conſulatui eius deſtinauit. Sueton. Caligul. c.17. Congiarium populo bis dedit, trecenos ſeſtertius.

QVADRINGENTI. Sueton. Neron. cap. 10. Præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit, diuiſis populo viritim quadringenis numis. Tacitus eadem de re lib. Annal.13. Plebeique cõgiarium quadringeni numi viritim dati. Sic enim legitur in libris Florentiæ olim editis: cùm in aliis quibuſdam recentioribus QVADRAGENI vitioſè legatur: vt ex locorum collatione cognoſcitur. Sueton. Neron. c.30. Quadringenis in punctum ſeſtertiis aleam luſit. Quem locum Budæus de ſuis maioribus commentitiis ſeſtertiis interpretatur: ſed hanc illius coniecturam tãtæ ſummæ magnitudo repudiat. Vide Trecenti.

QVINGENTI. Sueton. Iul. Annuam etiam habitationem Romæ vſque ad bina millia numũm, in Italia non vltra quingenos ſeſtertios remiſit. Idem Auguſt. cap.101. Legauit cohortibus vrbanis quingenos, legionariis trecenos numos. De quo loco videnda quæ diximus ſub Mille ſeſtertij.

De mille ſeſtertiis & commentitio neutrius generis ſeſtertio.

CAP. XIX.

POSTVLABAT inſtituta enumeratio, vt hoc loco de mille ſeſtertiis exempla proferremus. ſed quoniam inueterata iam ac propè recepta opinio eſt, magnum inter Seſtertius & Seſtertium diſcrimẽ eſſe: & hoc poſteriore neutrius generis vocabulo mille ſeſtertios numos contineri, operæprecium eſt, quod ea de re noſtri iudicij ſit, exponere. Tres enim ab eruditis viris ferri video ſententias, quarum (vt liberè dicam quod ſentio) probare nullam poſſum. Prima eſt Italorum, Sabellici, inquam, Beroaldi, Portij, Egnatij, quos Turnebus noſter ſecutus eſt.

A nam illorum opinio eſt, Seſtertium virili genere pronuntiatum, numum æreum fuiſſe, duorum aſſium & ſemis: Seſtertium autem neutrius generis, numum fuiſſe argenteum, duarũ librarum & ſemis. Nam Sabellicus quidem in Auguſtum Suetonij: Voluit (inquit) Auguſtus vt ſinguli ſenatores qui octingenta poſſiderent ſeſtertia, mille & ducenta poſſiderent. Habuit enim SESTERTIVM mille numos. Beroaldus autem in eundem locum: Hæc obſeruatio,

B inquit, apud eruditos cuſtoditur, vt Seſtertius genere maſculino vſurpent, ſignificantes minuſculam ſummam: Seſtertia verò neutro genere pro maioribus ſummis. vt Quadringẽta ſeſtertia pro quadringentis millibus capiantur. Leonardus autem Portius lib. de aſſe primo, Duplex, inquit, ſeſtertium eſſe obſeruaui: maius & minus. ſed qua alterum ab altero vel nota, vel adiectione apud auctores dignoſcatur, nondum mihi planè ſatis facio, Sed cùm Seſtertium neutro & virili

C genere & cum adiectione numi, & ſine, apud auctores inuenerim, opinor hac differentia dignoſci poſſe, quod virili genere & cum adiectione Numi, de minore, & ſic æris, neutro autem & ſimpliciter poſitum, vt Seſtertium, de maiore & argenteo intelligi debere. & aliquantò pòſt: Apparet Seſterti in æris, fere ſemper virili genere, & cum adiectione vel nuda appellatione Numi: argenti verò, neutro & ſimpliciter poſitum apud auctores. Item, Succurrebat etiam, antiquos fi-

D guræ Seſtertij aliquam notam fortaſſe addere conſueuiſſe, qua maiora à minorib. ſeſtert is diſtinguerentur. Item, Difficultas eſt in maiori ſeſtertio, quod a nemine auctorum declaratum, ex diuerſis fuit neceſſe elicere. & excuſſi tandem, ad exemplum illius minoris maius fuiſſe repertum: & ſicut illo duas libras & ſemis æris, ita maiore tantumdem argenti: videlicet duas minas & ſemis, & ſic ducentas & quinquaginta drachmas vel denarios repræſentari. Item, Ex quibus decla-

E ratur Iuuenalis locus cum dicit:

Mullum ſex millibus emit
Æquantem certè paribus ſeſtertia libris.

quia cum dicit Sex millibus, intelligit de ſeſtertio minore, ſcilicet æris: cum poſtea dicit Æquantem ſeſtertia, intelligit de maiore, & ſic argenti. Hactenus Italorum ſententiã expoſui. Secundę auctor fuit Budæus, quem Alciatus, Tonſtallus, Glareanus, Ant. Auguſtinus, Goueanus, Labinus, & alij cõplures ſecuti ſunt. tametſi Gla-

F reanus in Claudium Suetonij c. 4. aperiſſimè minorem ſeſtertium & maius ſeſtertium agnoſcat: eaque vocabula vſurpet. Nam Budæus quidẽ lib. de aſſe s. pag. Lugdun. 120. 121. Seſtertia ſingula, inquit, mille numos ſeſtertios ſignificant. nam duæ libræ & ſelibra ducentás & quinquaginta drachmas valent: quæ ſi quaternario multiplicentur, mille numos efficiunt. Quomodo igitur Seſtertij dicti ſunt numi, quòd duos aſſes & ſemiſſem ſinguli valerent, id eſt dipõdium & ſe-

G miſſem æris: ita Seſtertia ex eo dicta ſunt, quòd duas libras ſingula & ſelibram argenti valerent. Item pag.141. Seſtertius numus (inquit) & Seſtertium genere neutro caliginem multam legentib. offuderunt. nam vt pro numo Seſtertium in recto dictũ ſit, mihi perſuadere nõ poſſum. De hac Budæi ſententia Geor. Agricola lib. de pon. & rep. mouet.

monet. 2.pag.281. ita ſcribit.M.Antonio Sabellico Seſtertium viſum eſt habuiſſe, vt ipſe loquitur, mille numos. Cùm enim ex re ipſa intelligeret, apud ſcriptores, ſiquando librarij ſcripſerunt Seſtertia centum, ab ipſis auctoribus ſignificari Numùm centum millia, hoc errore ducitur, vt arbitretur, Seſtertiû valere mille numos. Goillelmo autem Budęo placet, ita ſingula ſeſtertia valere duas argenti libras & ſelibram, vt ſeſtertij ſinguli valent duos aſſes & ſemiſſem, qui item pendunt duas libras & dimidiā: atque ex eo vtrumq; nominatum. nec vero Budæus diſſentit prorſus a Sabellico: ſed æq; ac ille cenſet Seſtertium ſignificare mille numus, & æri. Nunc Tõſtallum Anglum audiamus, qui in Breuiario librorum Budæj, Numus ſeſtertius argenteus, inquit, valebat æreos duos aſſes & ſemiſſem. qua ratione Seſtertium neutro genere, quod duas argenti libras & ſemiſſem cūplectebatur, mille ſeſtertios genere maſculino capiebat. Seſtertius autē numus ęris duas libras & ſelibram complectebatur, hoc eſt duos aſſes & ſemiſſem. Item paullò pòſt, Libra Romana quę & Mina & Pondo dicitur, centenos denarios habebat. Cū igitur denarius quaternos ſeſtertios æquaret pōdere & ęſtimatione, liquet in libra Romana quadringentos fuiſſe ſeſtertios. qua ratione fit, vt Seſtertia ſingula numero plurali millenos ſeſtertios valeāt: hoc eſt, duas libras & ſemis. vt. n. Seſtertius numus dicitur ex eo, quòd duos aſſes & ſemiſſem valebat, hoc eſt duas libras ęris grauis & ſelibram: ita Seſtertia numero plurali, & genere neutro ideo dicuntur, quòd ſingula duas libras & ſelibrā argenti valerent: hoc eſt, ducētos & quinquaginta denarios, ſiue mille ſeſtertios: quod idē eſt. ſic fit, vt decem ſeſtertia, & decem millia ſeſtertium numorum pro eodem ab antiquis diceretur. In eandem ſententiā Glareanus in notis Sueton. Galb. c.5 Horatius, inquit, Epiſt. 7. lib.1. Seſtertia dixit, apertè libras, non numos intelligens: vbi de Philippo ac Vulteio loquitur: Dum ſeptem donat ſeſtertia, mutua ſeptem Promittit: nempe vt mercetur agellum Latinè igitur dicuntur ſex, decem, viginti, centum ſeſtertia, pro binis libris & dimidia: nō pro numis Idem in lib. de aſſe: Seſtertius, inquit, maſculino genere argenteus erat numus, denarij quadrans. At Seſtertia ſingula plurali numero & neutro genere ſingula millia ſeſtertiū ſiue numorum ſignificant. dicta ſic, quòd vt ſeſtertius duos aſſes & ſemiſſem ſignificat, ita illa duas libras & ſelibram argenti, ſingula valerent. Non ſum neſcius, Leonardum à Portis ſcripſiſſe, ſeſtertium numum genere maſculino, ærçum fuiſſe: Budæum autem argenteum aſſerere. At Plinij verba, quæ paullò antè adiūximus, pro Budæo faciunt. Item aliquanto pòſt: Seſtertius ſingulari numero, genere maſculino, eſt idem quod numus & numiſma argenteum: Seſtertia plurali numero & genere neutro, ſingula dicuntur millia ſeſtertiorum. Hactenus ſecundam ſententiam, cuius auctor fuit Budęus, expoſuimus. Supereſt tertia, cuius primus auctor fuit Georgius Agricola qui lib. de menſur. & pond. pag. 189. Seſtertius, inquit & Seſtertium eundem declarant numum argenteum, qui quarta denarij pars eſt. nam pace Alciati dixerim, nullum mihi videtur eſſe argenteum, Seſtertium, quod denarios, vt

A ipſe ait, habeat ducentos & quinquaginta: ſiue
quod valeat argenti duas libras cum dimidia: vt
ſcribit Budæus: qui quos non ſua opinione rapuit in hūc errorem? Idem lib. de pond. & temp.
mon. Seſtertium, inquit, plerumque poëtis in vſu
eſt, Seſtertius reliquis ſcriptorib. Quod verò SESTERTIVM etiam paruum illum numum ſignificet, ex bis Martialis verſib. poteſt percipi.

Mutua viginti ſeſtertia forte rogabam,
Quæ vel donanti non graue munus erant.
B *Quippe rogabatur fidúſque vetúſque ſodalis,*
Et cuius laxas arca flagellat opes.
Is mihi, Diues eris, ſi cauſas egeris, inquit.
Quod peto da, Cai: non peto conſilium.

Et paullo poſt: Eodem modo poetæ dicunt, ſex decem, viginti, centum, pluráve ſeſtertia, nihil aliud intelligentes, quàm ſeſtertios. neutro autem genere potius quam maſculino vtuntur idcirco, quòd quidam verſus non recipiant aliquot caſus plurales, illius recipiant. Martial. lib.6.

C *Sex ſeſtertia ſi ſtatim dediſſes,*
Cum dixti mihi, Sume, tolle, dono:
Deberem tibi, Pæte, pro ducentis.
At nunc cùm dederis diu moratus,
Poſt ſeptem puto, vel nouem Kalendas,
Vis dicam tibi veriora veris?
Sex ſeſtertia Pæte perdidiſti.

Idem lib.11.

Soluere Pæte decem tibi me ſeſtertia cogis,
Perdiderat quoniam Bucco ducenta tibi
D *Ne noceant, oro, mihi non mea crimina: tu qui*
Bis centena potes perdere, perde decem.

Iuuenal. Satyr.1.

Simplexne furor ſeſtertia centum
Perdere, & horrenti tunicā non reddere ſeruo?

Tum idem Agricola hanc regulam ſubiungit:
Vbicumque apud oratores legitur, Seſtertia, corrigendum eſſe Seſtertiûm, & vocem Millia ſubaudiendam. velut in illo Saluſtij: Si quis indicauiſſet de coniuratione, præmium ſeruo liber-
E tatem & ſeſtertia centum: libero impunitatem
eius rei, & ducenta millia. Nam pro Seſtertia,
legendum Seſtertiûm. Tranquillus Calig. Comperat prouincialem, locupletem ducenta HS
numerallę vocatoribus, id eſt ducenta ſeſtertiū.
minorem millia. Cicero III. in Verrina, ſcribit
HS LX. ſocios perdidiſſe ex viceſima portorij:
id eſt, ſeſtertium ſexaginta millia. Plin. 36. c. 15.
Pyramidas, Regum miramur opera, cùm ſolum
tantùm foro extruendo HS mille ducentis Cæ-
F ſar dictator emerit: id eſt (inquit) ſeſtertium mille ducentis millibus. Tacitus Annal.11. Daturum
libertis eius ducena HS ſingulis qui ſexus virilis
eſſent: id eſt, ducenta millia ſeſtertiûm. Librarij
autem ignari huius loquendi conſuetudinis, cùm
Seſtertium nota ſcriptum inuenirent, iunctum
cum neutrius generis nominibus numeralibus,
exiſtimantes eiuſdem generis & caſus eſſe, ita
mutarunt, vt non ſolùm numero, ſed etiam caſu
& genere conueniret cum nomine numerali: vt
G apud Tranquillum. in Tiberio: Vnam modò
liberalitatem ex indulgentia vitrici conſecutus, cum tribus claſſibus factis pro dignitate
cuiuſque primæ ſexcenta ſeſtertia, ſecundæ
quadringenta diſtribuit, ducenta tertiæ, Et apud Tacitum. Annal. 11. Hæc ita haud fruſtra dicta Princeps ratus, capiundis pecuniis

poſuit modum, vſque ad dena ſeſtertia: quæ egreſſi repetundarum tenerentur. Nam in illo legendum, Primæ ſexaginta ſeſtertium: in hoc, Vſque ad dena ſeſtertium: in vtróque verò millia intelligendum. Atque hæc quidem doctiſſimus Agricola, non minùs verè, quàm eruditè: quemadmodū olim adoleſcens ex ſexcentis Verrinarum Orationum locis comprobaui, ſed quod priore loco dixit, nomen Seſtertia nihil aliud apud poëtas ſignificare, quàm Seſtertios etſi me tum in errorem induxit, breui tamen pòſt tēpore falſiſſimum eſſe animaduerti: quemadmodum aliquantò pòſt certiſſimis documentis demonſtrabimus.

Auctoris aduerſus ſuperiores opiniones diſputatio.

CAP. XX.

NAM, vt meam quoque his de rebus ſententiam in hunc quartum & poſtremum locum conferam, quatuor hæc ſummo ſtudio ac diligentia obſeruaui.

I Seſtertium neutro genere, numero ſingulari, nuſquam neque apud oratores, neque apud poëtas, neque pro numeri genere, neque pro pecuniæ ſumma reperiri.

II Seſtertia veteres oratores nunquam dixiſſe, ſed confictum hóc nomen a poëtis fuiſſe, ex genitiuo plurali SESTERTIVM, contracto pro Seſtertiorum: tantùm vt ſuis verſibus ſeruirent.

III Vbi aliquot ſeſtertiûm millia enuncianda erant, vſum fuiſſe loquendi duplicem: vt interdum plena oratione dicerent, Quinquaginta ſeſtertium millia: interdum præcisè, Quinquaginta ſeſtertiûm.

IV Parem in ſcriptura rationem fuiſſe, vt interdum plenè & abſolutè perſcriberent, Quinquaginta ſeſtertium millia, interdum, L.HS millia: interdum verò vocem Millia non perſcriptam, lineola ſuperducta notatam, hoc modo, L.HS. His igitur quattuor præceptis exponēdis, & cōprobandis, ſuperiores illas tres Portij, Budęi & Agricolæ ſententias eadem opera refellemus. Nam primum omnium profero Priſciani, ſummi Grammatici, & teſtis hac re locupletis auctoritatem, qui tam diſertè ac tam dilucidè teſtatur, nomen SESTERTIVS neutrum genus non habere, vt me certè pudeat, locum illum neque à Budæo, neque ab Agricola, neque ab vllo vnquam notatū atque animaduerſum fuiſſe. Sic enim libro 7. ſcriptum reliquit: Et genitiuus quidem pluralis fit, in omni genere, ab ablatiuo ſingulari, aſſumente RVM. vt Ab hoc viro, horum virorum: Ab hoc templo, horum templorum. Inueniuntur tamen per conciſionem mediæ ſyllabæ, maſculinorum plerunque nominum, QVÆ NEVTRA NON HABENT, hunc caſum proferentes: Liberûm pro liberorum: Seſtertiûm pro ſeſtertiorum: Numûm pro numorum. Quid planius dici potuit, vt intelligatur, nomen Seſtertius non magis habere neutrum, quàm vocem Numus. nihilo magis inquā, dici Hoc ſeſtertium, quàm Hoc numum? Addo etiam illud, Græcos quidem aduerſus iſtas Latinæ linguæ regulas à Priſciano expoſitas, dixiſſe Seſtertia, ſed tantum pro Seſtertij: ſicuti Aſſa-

A ria, pro Aſſarij: & Denaria (quod in Pandectis noſtris ſemper occurrit) pro Denarij. Nam apud Priſcianū extat inſignis ille Didymi locus, τὰ γὰρ δύο καὶ ἥμισυ ἀσσάρια σηστέρτιον φασὶ, τοῦ μὲν ἥμισυ δηλοῦντος. ὡς ἐν τῷ σημάδιον, σήσκουας, σήσκουπλα, τοῦ δὲ τέρτιον τὸ τρίτον. καὶ ἔστιν ἥμισυ τρίτον. τὰ δὲ χίλια σηστέρτια ποιεῖ διακόσια πεντήκοντα δηνάρια ἀργυρᾶ, δέκα δὲ χρυσᾶ, ἅπερ καὶ μιλλενάριον φασί. Secundum argumentum erit huiuſmodi: Si veteres Seſtertium vel pro numo, vel pro pecuniæ

B ſumma vſurpaſſent, nūquam Varronem, Pliniū, Martianum, Priſcianum eius rei mentionem prętermiſſuros fuiſſe: præſertim cùm id inſtitutus ab illis ſermo nō modò poſtularet, verum etiam flagitaret. Denique cùm tam accuratè genera etiam numorum Romanorum ac potiſſimum ſeſtertiorum perſecuti ſint, vt etiam leuiora quædam ad rem numariam pertinentia notanda exiſtimarent. Veluti cùm Varro lib. 8. monet, dici in ſingulari, Hoc treſſis, in plurali tamen Hei

C treſſes, Heis treſſibus. Item, Hoc mille denariū, & tamen numero multitudinis Millia denarium, Et mox: Nam ſic loquimur, Hoc mille denarium non hóc mille Denarij. & Hæc duo millia denarium, non duo millia denarij. Sequitur tertium argumentum, quod aduerſus Portium & alios Italos, itémque aduerſus Turnebum propriè pertinet: Si quis eiuſmodi vegrandis numus apud Romanos fuiſſet, quòd Seſtertium diceretur, & mille ſeſtertios valeret (hoc eſt, vt quiuis intel-

D ligat, Karoleos pariſinos circiter mille, taleros autem Germanicos amplius triginta) non veriſimile videri, non ſaltem vnum aliquem his tot ſæculis effoſſum, & vnà cum tot aliorum generū numis prolatum fuiſſe: atque antiquarios noſtros diligentiſſimos huius rei indagatores non illum inter ſua cimelia oſtentaturos fuiſſe. Ad hoc argumentum illam inſuper quæſtionem adiungo, quid ſi quod veteres auctores, vbi de adaucto Denarij precio cōmemorant, hoc eſt à denis aſſi-

E bus ad ſenos denos, tam accuratè de incremento & proportione Quinarij, & Seſtertij præcepta tradunt, nullum tamē neq; de vegrandi ſeſtertio, neq; de precij ipſius pro rata portione incremento verbum vel minimum interponant? cùm, ſi quis eiuſmodi argenteus numus fuiſſet, ordinis & argumenti ratio ab illis flagitaret, vt dicerent, Maioris ſeſtertij æſtimationem pro rata parte excreuiſſe: nimirum à duabus argenti libris & ſelibra ad quattuor libras: ab aſſium duobus

F millibus quingentis, ad quattuor millia: deniq; à mille ſeſtertiis numis, ad mille quingentos quinquaginta. Occurrit & illa quæſtio, quæ aduerſus Budęū æque vt aduerſus alios pertinet, Si Seſtertiū vno verbo dici pro mille ſeſtertiis potuiſſet, qua de cauſſa nunquā veteres verbū illud vſurparint, ſed ſemper Mille ſeſtertios dixerint, vnum Seſtertiū, aut ſingula Seſtertia nunquam? aut verò, quid opus fuerit duas voces pro vna fruſtra cōſumere? quod idem in augēdis numeris

G quæremus. Si duo, tria, quattuor, decem, viginti, triginta ſeſtertia dici eodem modo potuiſſent, quorſum tribus verbis pro duobus abuſi fuiſſent? Succedit etiam illa quæſtio, quæ ſimiliter aduerſus Budæanos valet: Si veteres Seſtertia pro mille ſeſtertiis neutro genere dixerunt, cur nūquam mille, duo, tria, quattuor millia grādio-

rum

rum ſeſtertiorum dixerint: ſed vbi ad nongenta nonaginta nouem peruentum erat, tum repentè, quaſi Socratico dæmonio reuocati, conuerſa ratione ad minores ſeſtertios redierunt: ac dicere cœperunt, DECIES SESTERTIVM: quod valet, Decies centena millia minorum (vt ipſi loquuntur) ſeſtertiûm, de maiorib. autem, nunquã hæc locutio vſurpetur: cuius rationem, ſiquidem ita res habuit, quæro. Quæro, inquam, vt me quãtumuis tardi, barbi, hebetes intelligant, quid ita nunquam Mille ſeſtertia diceretur, ſi vſque ad nongenta nonaginta nouem millia pronuntiaretur? Deinceps ſequitur quartum argumentum. Si quis eiuſmodi numus apud Romanos in vſu fuit, certè aut eodem tempore percuſſus eſt, quo Seſtertius, aut poſtea. Non eodem tempore percuſſum fuiſſe, loca illa omnia demonſtrant, quæ ſuperius ex Priſciano, Varrone, Vitruuio, Plinio, Martiano & Chariſio protulimus: in quib. argenteos numos enumerantes primùm Denariorum pro decem aſſib. Quinarij pro quinque, Seſtertij pro duobus & ſemiſſe, ordine recẽſent: ingens autem iſtud Seſtertium ne nomine quidẽ appellant. Sin aliquot annis poſt percuſſos minores ſeſtertios maius illud natum eſt, quæro quo tempore & qua lege? ſed præſertim quibus id auctoribus probetur?

Sequitur quintum, quòd propriè aduerſus Budæanam ſententiam pertinet. Nam Budæus quidem pro ſuo pudore ingenuè fatetur, ſe Seſtertium ſingulari numero pro numo non legiſſe: in quo magnopere illi aſſentior: ſed Seſtertia ſingula, inquit, plurali numero vſurpabantur pro ſumma mille ſeſtertiorum numorum: quia ſicuti Seſtertius duas æris libras & ſemiſſem, ita Seſtertia ſingula, duas argenti libras & ſemiſſem valebant. Hæc totidem literis Budæus. Primùm igitur hoc contendo, Sicuti Budæus nunquam Seſtertium neutro genere, ſingulari numero ſe legiſſe fatetur: ita eum nunquam hanc nouam locutionem, quam primus, vt opinor, inuexit, SINGVLA SEXTERTIA apud veteres ſcriptores vidiſſe. Semper enim Mille ſeſtertios nunquam Vnum ſeſtertium, aut Singula ſeſtertia dicebant. cuius rei paulò pòſt ſatis multa exempla proferemus. Quamquam quid fuit opus, Budæum ita ſcribere, Non reperio Seſtertium, ſingulari numero: ſed reperio Singula ſeſtertia? quaſi verò ſi Singula ſeſtertia veteres dixiſſent, non etiam Singulum ſeſtertium pronuntiaſſent. velut apud Plautum, At ſingulum video veſtigium. apud Varronem, Semel vnum ſingulum eſſe. Item, Niſi dixerat, numo ſingulo multabatur. quæ omnia Nonius Marcellus protulit. Non minus igitur in Latina lingua Budæus peccat (pace tanti viri dixerim) cùm dicit Singula ſeſtertia, quàm ſi Seſtertium numum neutro genere pronuntiaret. Sed hæc (dixerit fortaſſe quiſpiam) de verbis contentio eſt. Quamobrem de re ipſa dicamus, & vnico argumento Budæanorum omnium phalanges euertamus. Nam ſi Seſtertium mille ſeſtertios continebat, ſimúlq; duas argenti libras & ſelibram valebat, neceſſe eſt, duas illas ſummas inter ſe conueniſſe: hoc eſt, duas argenti libras ac ſelibram mille ſeſtertiis valuiſſe. atqui duæ argenti libræ & ſelibræ valebant octingentos tantùm & quadraginta

A ſeſtertios. Quare Budæanorum ratio conſtare omnino non poteſt. Minorem ſæpè antehac apertiſſimo Plinij teſtimonio confirmauimus: qui lib. 33. cap. 3. ſcribit, ex argenti libra denarios conflari ſolitos quattuor & octoginta: ac proinde ex duabus libris & ſelibra ducentos & decem denarios. quæ ſumma ſi ad ſeſtertios redigatur, quorum quattuor denarium conficiunt, quadruplicato numero non plures ſeſtertij reperientur, quàm octingenti & quadraginta. Sumamus al-
B terum legitimum denariorum numerum in libram. de quo ſuperius ſuo loco dictum eſt: nimirum ſex & nonaginta. Nihil neceſſe eſt rationem inire. Verbo iſto ſolo ſatis intelligitur; Budæanæ opinioni nullum omnino locum relinqui. Occurrit etiam illud eiuſdem propè generis argumentum, aduerſus Budæanorum ſententiam. Nam quid ita Budæus ſeſtertia ſua ſingula duabus tantùm argenti libris & ſelibra ſemper æſtimat, cùm omnino neceſſe fuerit, ſi quod eiuſ-
C modi vocabulum fuiſſet, adaucto Seſtertij minoris precio illorum quoque æſtimationem pro rata creſcere? Quod ſi factum eſt, certè nõ duabus argenti libris & ſelibra, ſed quattuor libris: ac proinde non mille ſeſtertiis, ſed mille ducentis ſexaginta quattuor æſtimanda fuerunt.

Noua obiectio Turnebi, & ad eam reſponſio.

CAP. XXI.

D VERVM hæc quidem aduerſus tres illas doctiſſimorum virorum ſententias, ſatis videntur dicta. Vnam reſtare obiectionẽ arbitror, ex Turnebi Aduerſar. lib. 19. cap. 7. vbi diſertè ſcribit, *Seſtertium neutrius generis, numum fuiſſe apud Romanos maximum*: Solinúmque huius ſententiæ auctorem profert, qui cap. 40. de Baſiliſco ſerpente ſic loquitur: Serpens eſt penè ad ſemipedem lõgitudinis, qui etiam ipſas corrum-
E pit auras. Vis ne defuncto quidem deeſt. denique baſiliſci reliquias amplo ſeſtertio Pergameni cõpararunt: & vt ædem Apollinis, manu inſignẽ, nec araneæ intexerent, nec alites inuolarent, cadauer eius reticulo aureo ſuſpenſum ibidem locarunt. Huic Turnebi obiectioni vt reſpõdeam; primùm illud præfabor, Seſtertium neutro quidem genere vſurpatum ab antiquis fuiſſe, ſed nõ pro vllo numi genere. Nam Plutarchus in Galbæ vita memoriæ prodidit, Romæ locum quen-
F dam carceris fuiſſe, in quo ſumi de rei capitalis damnatis ſupplicium ſolebat. ὁ δὲ τόπος, inquit, Σηστέρτιον καλεῖται. Verũ eius appellationis ratio non obſcura eſt. Nam ex ſpatij modo ([illegible] tamen, vt arbitror) nomen illud confictum eſt, cùm ita ferè anguſtus eſſet locus, vt non amplior pede ſeſtertio videretur: id eſt ſpacio duorũ pedum & ſemiſ: quemadmodum ſuperius ex XII. tabulis & Martiano Iuriſconſulto demonſtrauimus. Cuius generis Plautus in Aulularia, Pu-
G teum nominat:

Vincite, verberate, atque in puteum condite.

Alia tamen eſt iuſti Lipſij coniectura, vt ita locus ſit dictus, quia ſemiterrio diſtabat ab vrbe milliari: ſicut in vita Cypriani, cũ veniſſet ad eum locum qui dicitur Sextus quartus ab vrbe milliari. vbi alij emendant, Sextertius. Sed redeo

ad pedem ſemitertium. Non enim alia meute Columella in lib. de arbor. cap. 1. ita ſcripſit: Agrum, quem ſeminario deſtinaueris, ſat erit bipalio vertere, quod vocant ruſtici Seſtertium, Nam bipalium duos pedes & ſemis latum ſignificat. Atque in hac ſignificatione credo equidem Solinum Seſtertij vocabulum pro menſura vſurpaſſe. Neque enim mihi veriſimile fit, Pergamenos ex Aſia legationem in Africam ad Cyrenenſes cum aliquot camelis miſiſſe, qui amplum illud ſeſtertium, emendi mortui baſiliſci cauſſa deportarẽt. quaſi verò vel Cyrenenſes, vel Pergameni ſeſtertiis, aliiſve Romanis numis vterẽtur, & res exoticas ab exteris ac longinquis nationibus Romana pecunia mercarentur: aut proinde quaſi Solini, aut alterius cuiuſuis hiſtorici grauitati conueniat, de tantula mille Karoleorum Pariſinorum ſumma, tanquam de immenſa & innumerabili aliqua pecunia, in longinquam regionem deportata, hiſtoriam ſcribere. Videndum igitur, an pro AMPLO SESTERTIO COMPARAVERVNT, ſcripſerit Solinus, IN AMPVLLA SESTERTIA COMPOSVERVNT: vt ampullam ſeſtertiam dixerit, duorum pedum & ſemis, ex ſpatij & capacitatis modo, de quo ſuperius diximus. Nam etſi ſemipedalis tantùm illius animalis longitudo fuiſſe dicatur, tamen vt vis & affectio cadaueris liberius in omnes templi partes diffunderetur, non in anguſtam capſulam coartari illud oportuit. ſed eiuſmodi vel vitream, vel criſtallinam ampollam deligi, in qua digitorum aliquot ſpatium quoquo verſus relinqueretur. Ne multa: potius quàm fateat, Solinum ſcripſiſſe, Aſianos in Africam vnicum argenteum Romanum numum mercandi mortui Baſiliſci cauſſa miſiſſe, crederem illum, non optimum Latinitatis auctorem, dixiſſe, Amplo ſeſtertio, pro Immenſo precio, vel grandi ære, vel ingenti numorum HS numero. ſicuti cùm dicimus, emptum, aliquid decies, vicies, tricies ſeſtertio: de quo ſermonis genere poſterius idoneo loco commemorabimus. idque eo magis, quia Plinius tradit, complures Reges concupiſſe monſtrum illud enectum intueri: ex quo de illa Seſtertiarij precij exiguitate cuiuis licet coniecturam facere. Sed ne hæc quidem mihi coniectura placet.

Refutatio Agricolæ putantis ſeſtertia apud Poetas nihil aliud ſignificare quam Seſtertios.

CAP. XXII.

COmmodius igitur videtor, hoc loco ad refellendam Georgij Agricolæ ſententiam accedere, ac firmiſſimis argumentis demõſtrare, Seſtertia dici à poëtis ſolita, non pro numis ſeſtertijs, vt ipſe ſtatuit: ſed pro mille numorum ſumma: vt Budæus rectiſſimè animaduertit. Nã Martialis quidem ex libro Epigram. hi ſunt verſus in Prætorem.

Prætorem, pauper centum ſeſtertia Gaurus
Orabat, chara notus amicitia
Dicebátque ſuis, hæc tantùm deeſſe trecentis,
Vt poſſet domino plaudere iuſſus eques.
Prætor ait, Scis me Scorpo, Thalóque daturum:
Atque vtinam centum millia ſola darem.
Ah pudet ingratæ, pudet ah malè diuitis arcæ:
Quod non das equiti, vis dare, Prætor, equo?

Gaurus ſcilicet, cùm equeſtrem ordinem appeteret, qoi nulli niſi quadringenta ſeſtertiûm numûm millia in cenſu profeſſo concedebatur, ac trecenta tantùm haberet, petebat à Prætore, vt ſibi centum ſeſtertia, id eſt, reliqua ceotum ſeſtertium millia ad implẽdam. illam quadringentorum ſummam erogaret. Ex quo intelligitur, Martialem non centum Seſtertia pro centum Seſtertios, ſed pro centum ſeſtertiorum millibus vſurpaſſe. Simile illud eſt eiuſdem lib. 10.

Millia viginti quondam me Galla popoſcit,
Et fateor, magni non erat illa nimis.
Annus abit: biſquina dabis ſeſtertia, dixit.
Poſcere plus viſa eſt, quàm prius illa mihi.
Iam duo poſcenti poſt ſextum millia menſem,
Mille dabam nummos: noluit accipere.
Tranſierant bina forſan trinave Kalendæ,
Aureolos vltra quatuor ipſa petit.
Non dedimus. cẽtum iuſſit me mittere nummos:
Sed viſa eſt nobis hæc quoque ſumma grauis.
Sportula nos iunxit quadrantibus arida centũ:
Hanc voluit: puero diximus eſſe datam.
Inferius nunquid potuit deſcendere? fecit.
Dat gratis. vltro dat mihi Galla? nego.

Deſcendit igitur Galla à viginti ſeſtertium millibus primùm ad decem millia, tum ad duo millia, inde ad mille, poſt ad quadringentos: hinc ad centum ſeſtertios: inde ad centum quadrantes, qui ſex ſextertios conficiunt & inſuper quadrãtem. poſtremò ad nihil. Simile item illud eſt Iuuenalis, quod Budæus ex Sat. 4. protulit:

Mullum ſex millibus emit
Æquantem ſanè paribus ſeſtertia libris.

Nam quod priore verſu de minoribus (vt loquuntur) ſeſtertiis dixerat, ſequenti de maioribus enunciauit. Significat enim totidem libras mullum illum pependiſſe, quot ſeſtertiis poëticis emptus fuerat, nimirum ſex. Simile item illud eſt Horatij.

Dum ſeptem donat ſeſtertia, mutua ſeptem
Promittit: nempe vt mercetur agellum.

Quantulum enim agellum eſſe oportuiſſet, qui ſeptem ſeſtertiis numis emi poſſet? aut quænam illius principis ac ſatrapæ Philippi, de quo loquitur Horatius, in Menam alterum (vt ſibi videbatur) regulum munificẽtia fuiſſet, ſi ſeptem Karoleos Pariſinos ei donaſſet, totidémq; mutuos pollicitus fuiſſet? Eſt etiam illud Martialis ſimillimum qood ſuperius ex Agricola protulimus.

Mutua viginti ſeſtertia forſè rogabam.

& quæ ſequuntur. Nam quæ fuit mens Agricolæ, cùm exiſtimauit Martialẽ adeò mendicũ atq; inopẽ fuiſſe, vt ab opulẽto & veteri amico, vigĩti ſeſtertios tanquã ſtipẽ emẽdicaret? Ex eodẽ genere illud eſt, qđ etiã ſuperius ex Agricola protulimus.

Sex ſeſtertia, ſi ſtatim dediſſes, & quæ ſequuntur. Nam ſextertios numos tandiu rogaſſe Martialem Agricola quidem, niſi ſomnolentus exſtimaret, non magis quàm quinque in altero illo quem mox addidit,

Mutua cum peterem ſeſtertia quinque, negaſti:
Non caperet nummos, cùm grauis arca tuos.

Item apud Catullum.

Et ſeſtertia, quæ ſoles precari,
Centum, deſine. nam ſat es beatus. Itẽ apud Horat. lib. epiſt. 2. de milite quem ſuus imperator

tor Lucullus, propter expugnatum caſtellum, viginti ſeſteriiis donarat:

Clarus ob id factum donis ornatur honeſtis,
Accipit & bis dena ſuper ſeſtertia numum.

Nam vt rectiſsimè ſcripſit Lambinus, nónne ridicula fuiſſet Luculli in militem illum munificentia, ſi viginti ſeſtertios, (id eſt viginti Carolinos noſtros) ei donatos intelligeremus? Itaque verſus omnes, quos Agricola pro ſe protulit, planiſsimè contra ipſum faciunt.

Quæ cauſſa tam inueterati erroris fuerint.

CAP. XXIII.

DIcet aliquis, Ecquam igitur eſſe cauſſam putabimus, quę tot ac tales viros in iſtum errorem induxit? Hanc nimirũ potiſsimam, quod cùm apud Poëtas Seſtertia, pro Mille ſeſtertiis numis vſurpari viderent, exiſtimarunt idem ab iis quoque, qui proſa oratione vſi ſunt, factitatũ fuiſſe. Itaque cùm veteres vſitatiſsimum illum genitiuum Sestertiûm plerumque non literis perſcriberent, ſed vulgari nota H-S deſignarent, opinati ſunt, eum ſecundum numerale nomen, ei adiunctum interpretandum eſſe. veluti Centena H-S. id eſt, centena ſeſtertia: Sexcenta H-S, id eſt, ſexcenta ſeſtertia. In quo magnum equidem illorum iudicium deſidero. Animaduertere namque debuerant, triplicem per ea tempora Romani ſermonis cõſuetudinem fuiſſe. primam, vt oratores Seſtertiûm in plurali genitiuo dicerent, pro Seſtertiorum: alteram, vt cùm ad numerum aliquot millium peruentum eſſet, vocem Millia interdum compendij cauſſa prætermitterent, eámque ſubaudirent: hoc modo, Triginta ſeſtertiûm, pro Triginta ſeſtertium millia: Centena H-S pro centena H-S millia. & ſic deinceps. Nam primę quidẽ conciſionis teſtimonium aliquantò ſuperiùs ex Priſciano protulimus: vbi hanc, ſyncopen appellat: eámque in Virûm, Denariûm, Numûm, Modiûm, Medimnûm, Iugerûm & ſexcentis aliis vſurpari oſtendit. Quinetiam Cicero in Oratore, Aliàs, inquit, ita loquor, vt conceſſum eſt. At hoc vel Pro Deûm dico, vel Pro Deorum: aliàs vt neceſſe eſt, cùm Triumvirûm, non Triumuirorum: & Seſtertium numûm, non numorum. Sed & hoc idem & Nonius aliquot locis, & Chariſius lib 1. demonſtrant. Poſterioris autem conſuetudinis, atque adeò vtriuſque, paſſim exempla in Verrinis extant. Velut in quarta: Redeunt illi Rhegio Syracuſas. queri cum multis, ita vt fit, incipiunt, ſeſe H-S LXXX. numûm fruſtra dediſſe. vbi apertiſſimè vox Millia ſubauditur. Item Verrina quinta, Tritici ſeptem medimnûm ex Nimphonis arationibus tollit. Item in eadem, Imperas, vt decimas accipiant: Apronio dentur lucri tritici medimnûm triginta quattuor. Item, Iubes ſeſtertiûm triginta lucri dari. Item, Ab vna ciuitate capiuntur tritici medimnûm triginta tria, & præterea ſeſterſtertiûm ſexaginta. Item, Statim cogitur Heraclius numerare ſeſtertiûm viginti duo. Item, Anni tertij decumæ, anno tertio venierunt tritici modiûm triginta ſex. Item VI. Si quis villicus ex eo fundo cui ſeſtertiûm dena merces eſſet, domino viginti millia numum pro decem miſerat: id

A id eſt, pro eo fundo qui denis ſeſtertium milibus locari potuiſſet. Plinius 35. cap. 12. Nos cùm patinam Æſopi diceremus ſeſtertiûm ſexcentis ſtetiſſe non dubito indignatos legentes. Denique Cicero lib. Fam. 5. epiſt. pen. poſteaquam tribus locis plenè H-S centum millia pronunciauit: ad extremum. Quod ſi mihi, inquit, expenſa H-S centum tuliſſes, tamen nolles à me æſtimationem accipere. Ac ſimillima fuit altera præciſio ſermonis, cùm aduerbiis vterentur. Nam compendio dicebant Decies ſeſtertiûm, pro Decies
B centena millia ſeſtertiûm. Et ſimiliter Vicies, Tricies, Quadragies, Quinquagies, Cuius rei teſtimonium inſigne proferemus ex Galba Suetonij cap. 5. Liuiæ mortuæ, inquit, teſtamento penè dictatus eſt. H-S namq; quingenties cùm præcipuum inter legatarios habuiſſet, quia notata, non perſcripta erat ſumma, herede Tiberio legata ad qúingenta reuocante, ne hæc quidem accepit. Significat in Liuiæ teſtamento ſcri-
C ptum ita fuiſſe, H-S Qvingent. cùm ſeſtertium quingenties centena millia ſignificarentur. Tiberium autem heredem contendiſſe, notam illam per qvingenta interpretandam eſſe: manente ſcilicet genitiuo caſu Seſtertiûm: quod omnino neceſſe fuit. Alioqui Suetonius dixiſſet, Tiberium heredẽ reuocaſſe legatum ad quingenta ſeſtertia. Cùm igitur vterque & legatarius ſcilicet & heres vocem Seſtertiûm retinerent, atque in eo caſu conſentirent, manifeſtum
D eſt, ſicuti pro legatario duæ voces centena millia ſubaudiebantur, ita pro herede vnam hanc Millia ſubintellectã fuiſſe. Quinetiam tanta fuit vulgi licentia, vt eam locutionem per caſus omnes declinarent: Hoc decies ſeſtertium, Huius decies ſeſtertij, Ab hoc decies ſeſtertio, vt poſterius ſuo loco demonſtrabimus. Cùm igitur Poëtæ neque genitiuum illum, neque alios quoſdam caſus ſuis verſib. poſſent includere, & genitiuum illum pluralem ſeſtertiûm aſſiduè in ore omnium verſari ac vocem Millia ſubaudiri vide-
E rent, pro ſua licentia duobus conciſis dicendi generibus vti cœperunt. primùm vt Seſtertia pro Mille ſeſtertiis dicerent: deinde vt vocem Millia præciſè pro Millia H-S numûm vſurparent. Vtriuſque conciſionis exemplum, paullò antè coniunctim ex Iuuenali protulimus: quibus vnicum illud ex Horatij epiſt. 2. ſubiungemus:

Clarus ob id factum donis ornatur honeſtis,
Accipit & bis dena ſuper ſeſtertia numûm.

F Nam proſa oratione ſine dubio dixiſſet. Accipit inſuper bis dena ſeſtertiûm numûm: & vocem Milla vſitata conſuetudine ſubaodiſſet. Prioris autem conciſionis ſeparatæ, ſuperius ſatis multa exempla propoſuimus. Poſterioris verò ex plurimus pauca hæc producemus. Mart. 4. Epigramm.

Millia miſiſti, mihi ſex biſſena petenti.
Vt bis ſena feram, bis duodene petam.

Idem Epigram. 1.

G *Millia pro puero, centum me mango popoſcit*
Riſi ego: Sed Phœbus protinus illa dedit.

Item in eodem,

Mulio viginti venit modò millibus, Aule.
Miraris pretium tam graue? ſurdus erat.

Tanta autem licentia vſi ſunt Poetæ in illo plurali Seſtertia vſurpando, vt etiam genitiuum

quendam verſibus ſuis ſeruientem commenti ſint. Nam SESTERTIOLÛM pro Seſtertiorum dicere cœperunt, cuius rei turpe quidem teſtimonium, propter obſcœnitatem verborum proferemus, ſed tamen eiuſmodi, vt in præſentia illo vti cogamur: eo liberiùs, quòd Budæus ſcriptor caſtiſſimus eodem vti non eſt veritus: ſed alium tamen ad vſum. Martialis igitur in Phœbum quendam impurum & ſui ſimilem ganeonem, hi ſunt obſcœni verſus:

Millia pro puero, centum me mango popoſcit:
Riſi ego, ſed Phœbus protinus illa dedit.
Hoc dolet, & queritur, dolet hoc mea mentula mecum:
Laudaturque meam Phœbus in inuidiam.
Sed Seſtertiolûm donauit mentula Phœbo
Bis decies: hoc da tu mihi, pluris emam.

Pari licentia verbum Aureolos hexametris verſibus incluſit lib. 9. epigr. 5. & eadem vſum Iuuenalẽ video in eo genere locutionis, de quo paullò antè diximus. Nam cùm noui ſcriptores noſtri Mille millia ſeſtertiûm maiorum nuſquam pronuntiati fateantur, ſed pro illa locutione hanc alteram in vſu fuiſſe agnoſcant, Decies ſeſtertiùm: tamen Iuuenalis poëticè dicere eſt auſus, BIS quinquaginta ſeſtertia, pro Mille ſeſtertia maiora. quod etiam Budæus lib. animaduertit, vbi cùm docuiſſet maximam dotis ſummam fuiſſe decies numûm ſeſtertiû, hos ex Iuuenalis verſus producit,

Optima ſed quare Ceſonia teſte marito?
Bis quingenta dedit. tanti vocat ille pudicam.

Sequitur, vt tertiam erroris cauſſam ſuperius à nobis indicatam pleniùs exponamus. Nam veteribus moris fuit, vt notæ numorum virgulam ſuperponerent, qua mille ſignificabãt: veluti X id eſt decem millia. L, id eſt quinquaginta millia, LLSC. id eſt ſeſtertium centum millia. Cuius cõſuetudinis teſtimonium primùm apud Valerium Probum & nos iampridẽ comperimus, & alij ſat multi indicarunt. ſed præter alios inſigne quoddam animaduertimus apud Macrobium lib. Saturn. 2. cap. 4. cuius verba partim propter elegantiam, partim emendandi cauſſa ſubſcribemus. Solebat, inquit, Licinius libertus Auguſti, inchoante opera patrono, magnas pecunias conferre. quem morem ſecutus CENTVM promiſit per libellum, in quo HC virgulę ſuperductæ pars vltra pecuniæ deſectionem protendebatur, vacante infrà loco. Cæſar occaſione vſus, priori alterum CENTIES ſua manu iunxit, ſpatio diligenter expleto, & affectatæ literæ ſimilitudine: geminatámque accepit ſummam, diſſimulante liberto: qui poſtea incœpto alio opere leniter factum ſuum Cæſari obiecit, libello tali dato: Confero tibi, Domine, ad noui operis impenſam quod videbitur. Hæc Macrobius. vbi primùm arbitror, neminem dubitaturum, quin vtrobique vel CENTIES ſit reponendum, vel potiùs cùm illa immodica ſumma ſit, CENTVM. & certè ita eſt, vt mox intelligetur. Nam cùm Licinius ita ſcripſiſſet, Confero tibi, Domine, ad noui operis impenſam HS C, id eſt, ſeſtertiûm centum millia, Auguſtus affectata literæ (inquit Macrobius, nempe vnius c.) ſimilitudine, alterum c. adiunxit, ſub illa productæ lineæ parte vacua, vt eſſet HSCC, id eſt ducenta millia. Quòd ſi CENTIES ſcriptum

A fuiſſet, præterquam quod immanis in liberto ea ducenties ſumma fuiſſet, locus huic ioco non fuiſſet: quia Centies non vna litera notari poterat, ſed integris & continuis ſeptem perſcribi oportebat. Vtcunque ſit, illud conſtat, Centum millia non tãtùm per I mediam & tres in dextra parte apoſtrophos, & in ſiniſtra totidem contrarias CCCIↃↃↃ deſignari, quemadmodum Priſcianus docuit, verum etiam per ſuperductam lineã C. Cuius rei etiam Budæus teſtis eſt: qui lib. 2. de

B aſſe ita ſcribit, Obſeruaui autem in antiquis libris H & S. cum apice ſignificare ſeſtertium: apicem autem porrectum ſuper quemcumq; numerum, millia ſignificare. vt DC cum apice Sexcenta millia. Proderit autem hæc & Budæi ex antiquis libris, & noſtra ex Macrobij auctoritate obſeruatio, ad illum Quint. locum intelligendum, qui lib. 7. c. 6. ita ſcriptus eſt? Accidit nuper vt eſſet ſcriptum, quod appareret ſcriptorem noluiſſe. Qui ſeſtertiûm numûm quinque millia lega-

C uerat, cùm emendaret teſtamentum, ſublatis ſeſtertiis numis, argenti pondo poſuit: quinque millia remanſerunt. Apparuit tamen quinque pondo dari voluiſſe: quia ille in argenti legato modus, & inauditus erat, & incredibilis. Hæc ille. Quibus verbis ſignificat, Teſtatorem ita ſcripſiſſe HS. N. V. id eſt ſeſtertiûm nummum quinque millia. Pòſt verò in emendandis tabulis, pro HS. V. repoſuiſſe quidem ARG. PONO lineam autem literæ V impoſitam

D per errorem reliquiſſe potuit tamen etiam hac vti nota IↃↃ. quæ quinque millia ſignificat, neque poſteriorem Ↄ. deleuiſſe. Verum vtut ſit, cùm imperiti librarij lineolæ illius ſupraductæ vim ignorarent, notas illas, quales ſunt HSC. (quæ ſeſtertiûm numûm centum millia ſignificabant) per ſeſtertia centum interpretanda exiſtimarunt. vnde peruulgatus error manauit.

Quo argumento apud auctores ſeſtertios aut E *ſeſtertia intelligere poſſimus.*

CAP. XXIV.

HAc autem diſputatione, reſponſum etiam volumus ad hanc Budæi, Portij, Agricolæ & aliorum quæſtionem: Cùm apud veteres frequentes huiuſmodi notæ occurrunt, CHS, CCHS. IↃ: HS, ecquonam argumento coniiciemus legendum eſſe potius Centum, ducen-

F tos, quingentos ſeſtertios, quàm vt (illi duo loquuntur) Centum, ducenta, quingenta ſeſtertia? vt ego cum Agricola ſeſtertiûm? Ponam inſigne exemplum, in quo quantumuis eruditus aliquis, atque etiam in hoc genere exercitatus, niſi cautionem adhibeat, facilè labi poſſet. Tertullianus in Apolog. cap. 6. ſic ſcribit: Quonam illę leges abierunt, ſumptum & ambitionem comprimentes? quæ centum æris, (ſic legendum, non æra) non amplius in cœnam ſcribi iubebant:

G nec amplius quàm vnam inferri gallinam, & eam non ſaginatam? Video enim & centenarias cœnas à centenis iam ſeſtertiis dicendas, & quæ ſequuntur. Hic igitur quæri non immeritò poterit. Si vſitatis notis ſcriptum eſſet CHS, & Budæus ac Portius eas ita interpretarentur, vti iam ex impreſſis libris deſcripſi: quónam argumento con-

cōiicerem̄us de minoribus aut maioribus eas notas intelligēdas eſſe? Nā quod illi reſpondere ſolent, id facilè ex grauitate vel tenuitate rei qua de agitur, exiſtimari: ſanè hoc loco probari non poteſt. Contendet enim quiſpiam, eas de ſeſtertiis nummis idcircò intelligendas eſſe, quia ſicut Fannia lex antiqua fuerat, quæ plus centum aſſibus in cœnam impendere vetabat, vnde Centenariæ cœnæ dicebantur, quę ad illam vſque ſummam protēdebantur: ita multis pòſt ſeculis, Cornelia, & binæ Iuliæ leges fuerunt, quæ per ſeſtertiariam rationem cœnarum ſumptum definierunt: quemadmodum Agellius tradit lib. 2. cap. 24. At ego contrà diſputabo. Primùm nullam ab Agellio legem proferri, quæ centenis ſeſtertiis nummis ſumptus illos definiret: ſed (quæ multo maior ſumma eſt) vel trecenis, vel mille? vt alio loco demonſtrauimus. deinde, ſatis perſpicuè ex illo integro Tertulliani loco cognoſci, virum ſanctum nequaquam pro tantula centum ſeſtertiorum nummûm ſumma in cœnas inſumpta tam vehementer exarſiſſe, cùm in illorum temporum luxum & profuſos ſui ſeculi mores inuehebatur, ſed cùm oſtendere vellet, illius ſeculi mores à maiorum moribus nimium quantum degeneraſſe, alluſiſſe ad illas cœnas veterum centenarias, eadem lege Fannia permiſſas, qua non plus centum aſſibus in cœnam impendere licebat: dixiſſéque, multum inter veterum continentiam, & ſuorum temporum profuſionem interfuiſſe. Tum enim cœnas (quæ centenariæ pro maximis & liberaliſſimis dicebantur) centenis tantùm aſſibus conſtitiſſe: ſuo verò tempore centenarias appellari ſolitas, in quibus centum ſeſtertiûm millia conſumebantur. Quam ſummam vſitatam in cœnis principū illa tempeſtate fuiſſe, facilè quiuis ex hiſtoriis cognoſcet. Dicet aliquis, Quónam igitur modo notas illas interpretabimur? nimirum eo, quem paullò antè demonſtrauimus, nam ſi linea ſuperducta erat, hoc modo $\overline{\text{CHS}}$, tum verò ſine controuerſia, pro centenis ſeſtertiûm millibus legendum erit. ſin ita, Centenis HS, tum per genitiuum pluralem enuntiari ſummam oportebit, Centenis ſeſtertiûm, & vox Millibus ſubaudienda. Sumamus alterum exemplum. Cicero Verrina 6. vbi de Cybiratis fratribus commemorat, quorum opera Verres ad vaſcula conquirenda vtebatur, cùm alter pictor eſſet, alter è cera fingeret, ſic eos loquentes facit: Quid vis nobis dare, vt iſti ne auferantur abs te? ne multa HS CC, me, inquit, popoſcerunt. Dixi me daturum C. Ego annis ab hinc amplius triginta monueram legendum eſſe, Seſtertios ducentos: Seſtertios centum. Lambinus in editionis ſuæ margine repoſuit, ſeſtertiûm ducenta, & centum millia. quanti ne ipſos quidem ſcyphos fuiſſe, dixiſſet: tantum abeſt, vt illi famelici Cybiratæ pro corollario tantùm popoſciſſent. Pari modo duabus interpoſitis paginis, vbi de ablato Apollinis ſigno loquitur. at dices, inquit, te emiſſe. ſcio. HS c1ɔ. ita opinor. & tamen id factum non oportuit: locum illum de ſeſtertiis nummis intelligendum monui: ſine linea ſuperimpoſita.

Reditur ad quartam erroris cauſſam.

CAP. XXV.

A DEINCEPS tempus eſt ad quartam illius inueterati erroris cauſſam accedere: nimirū ad eorum locorum copiam innumerabilē, in quibus ſtudioſi homines Dena, Tricena, Centena ſeſtertia literis omnibus perſcriptū videbāt, pro Denis, Tricenis, Centenis minorum ſeſtertiorū millibus. velut apud Ciceronem in Paradox. Capit ille ex ſuis prædiis ſexcenta ſeſtertia: ego centena ex meis. Salluſtius Catil. Si quis indicaſſet de coniuratione, quæ contra Rempub. facta erat

B præmium decreuerunt, ſeruo libertatem & ſeſtertia centum: libero, impunitatem eius rei, & ſeſtertia ducenta. Sed exemplorum adeò plena ſunt omnia, vt eorum me copia nonnumquam commouerit, ac ferè in Budæi ſententiam pertraxerit. Verum huic obiectioni mihi ipſe tacitus ſic reſpondebam: fieri potuiſſe, vt quemadmodū poëtę nomen Seſtertia finxerunt, & pro mille HS nummis vſurparunt, ita nonnūquam qui proſa oratione vtebantur, conſuetudinem illam ſe-

C querentur. Verùm ex contrario illud pugnare animaduertebam. primùm quòd in Verrinis Ciceronis orationibus, quas Seſtertiariorum numerorum refertiſſimas eſſe cōſtat, ne vnus quidem exſtabat verſiculus, in quo vel ſeſtertiis illis maioribus locus eſſe poſſet: vel certè qui non & aptiſſimè & commodiſſime de minoribus acciperetur. Quod idem de reliquis ſimilium auctorum locis omnibus dici poſſe animaduertebam. Deinde, librariorum quoque imperitiam in animū reuocabam, qui notam ſuperducta virgula con-

D ſtratam, per ſeſtertia pluratiuo numero paſſim interpretari poterant Cuius rei placet inſigne exēplum ex Columellæ lib. 3. ſubiicere. Precioſiſſimum, (inquit) vinitorē in primis eſſe cenſeo: iſq; licet ſit emptus ſex, vel potius ſeſtertiis octo millibus. (quis tam luteo ingenio eſt, qui non videat HS à Columella in genitiuo caſu numero multitudinis poſitum, à librario ſtolidiſſimè in ablatiuum pluralem conuerſum fuiſſe?) cùm ipſum ſolum ſeptem iugerum totidem millibus nummo-

E rum partum; vineáſque cum ſua dote, binis millibus in ſingula iugera poſitas duco. Fit tum in aſſem conſummatum precium ſeſtertiorum. (reponenda iterum nota HS & legenda per ſeſtertiûm) xxix. milliū. Huc accedunt ſemiſſes vſurarum ſeſtertia tria millia (patet mendum ſuperioris ſimillimum) & quadringenti octoginta nummi biennij temporis. quò velut infantia vinearum ceſſat à fructu. Fit in aſſem ſumma ſortis & vſurarum xxxii. millium, quadringentorum LXXX.

F nummorum, Hæc ille. Eſto igitur huiuſmodi Columellæ ratiocinatio. In vinitorem HS 1ɔɔ c1ɔ c1ɔ c1ɔ. in ſolum ſeptem iugerum HS 1ɔɔ c1ɔ c1ɔ. in vineas cum ſua dote binis millibus in ſingula iugera cc1ɔɔ c1ɔ c1ɔ c1ɔ c1ɔ. Aſſis conſummatus, ſiue ſumma, erit HS cc1ɔɔ cc1ɔɔ 1ɔɔ c1ɔ c1ɔ c1ɔ c1ɔ. Pergit Columella, Quod quaſi nomen ſi vt fœnerator cum debitoribus ita ruſticus cum vineis

G ſuis fecerit, vt in perpetuum vſuram ſemiſſem dominus conſtituat, percipere debet in annos ſingulos mille ſeptingentos quadraginta HS nummos. Hæc ille. Quinetiam, eodem capite, bis peccatum eſt in eadem voce. primò in illo loco, Seſtertia duo millia & centum nummos. Item, Superant duo millia ſeſtertia. Prius enim dixerat,

Dun millıx ſeſtertiûm nnmûm. xtque hæc quidem ex vnico Colume'llæ capite protulimus. Sed innumetabilia eiuſdem modi loca contendo apud veteres auctores repetiri: in quibus cuius herbit eundem errorem, non aliunde, quàm ex illa HS nota profectum animaduertere. Quare in illis duobus Ciceronis, & Salluſtij, aliiſque ſimilibus locis reponendas eſſe notas illxs contendo, CHS. CCHS. IↃCHS, & per pluralem genitiuum interpretandas, hoc modo: Centenx ſeſtertiûm, Ducentx ſeſtertiûm, Sexcenta ſeſtertiûm: vt in ſingulis vox Millia ſubaudiatur, quæ tamen innumeris in locis adiungitur. Quinetiam video Iuſtinianum hanc veterum conſuetudinē ſecurum, in §. poſtea. de ſucceſſ. libert. his verbis. Poſtea lege Papia adauctx ſunt iura Patronoru, qui locupletiores libertos habebant. Cautum eſt enim, vt ex bonis eius qui ſeſtertiûm centum patrimonium reliquerat, &c. Sic. n. ſcriptum eſt in libris manuſcriptis peruetuſtis: xtque ita reſtituit & edidit Haloxnder: vbi nonnulli alij vocem MILLIVM, de ſuo ſuppoſuerunt. Quæ cùm ita ſint, nihil nos mouere Lambini debet illa diſputxtio in Horatianis commentariis: Oſtendamus, inquit, ex M. Tullio Seſtertium vxlere mille ſeſtertios. Verrin. de iure dicundo: Dicebant, quantum cuique eius iuſſu numorum eſſet dxtum. gemebant Syrxcuſani: ſed txmen patiebantur. repentè recitatur vno nomine HS CCL. millia iuſſu Prætoris data. Sequitur mox aliis verbis eadem ſententia: Numerantur illa HS, ducentx quinquaginta Syracuſanis. Hæc Lambinus. Sed ecqux rxtione coget nos, in hoc poſteriore verſu legere in caſu recto SESTERTIA: potius quàm in ſecundo SESTERTIVM? ſicuti veterem conſuetudinem fuiſſe oſtendimus, vt xut vox Millia ſubauditetur, aut in ſcribenda nota HS, linex mille ſignificās ſuperduceretur: Quo eodem modo reliquis tribus locis quos ex Epiſtolis Famil. Paradoxis & Epiſtolis ad Atticum protulit, partim ſuperiùs reſpondebimus, pxrtim nunc quoque reſponſum volumus. nam quo iure Lambinus notam HS plenè in recto caſu legendam eſſe contendet, cùm vetus cōſuetudo fuerit, vt per cxſum ſecundum legeretur, ſubxudita, vt modò dixi, voce Millia? Nxm eodem modo cùm à decem ad centum numerus augebatur, ſemper genitiuus ille pluralis caſus ſubaudiebxtur, vt ſuperius docuimus: veluti Decies HS: vbi voces illæ duæ ſubauditæ, Centena millia, conuincunt genitiuum illum neceſſariò retinendum eſſe. vt iam perſpicuè rxtiocinxri poſſimus, ſicut in illo maiore numero ac notis 100000. HS genitiuꝰ ille retinetur, ita in illo minore, & his notis 10000. HS pari ratione retinendum eſſe: vt ſcilicet æquè dicxmus Decem ſeſtertiûm, ſicuti Decies ſeſtertiûm, Viginti ſeſtertiûm, vt Vicies ſeſtertiûm, Centum ſeſtertiûm, vt Centies ſeſtertiûm. Sed hac de re ſatis ſupérque dictum eſt. Itaque concluſa mihi ıxm eſſet omnis ratio, niſi vnica reſtaret obiectio, qux tamen neque Budæum, neque alium vllum adhuc vſum fuiſſe reperio. Ex eſt ex Chariſii Grammatici lib. 1. his verbis: Item in coniungendo propria quædam poteſtas, quæ ratione excluditur. vt cùm dicimus, Quinquagintx millia numûm, non ſtxtim Centies numûm dicere poſſumus: ſed Centies ſeſtertiûm, nec tamen Quinquxgintx ſeſtertiûm, ſed Quinquagintx ſeſtertix dicimus. Quibus verbis non obſcurè ſignificxtur, Latinè non dici, Quinquaginta ſeſtertiûm, vbi ſubaudiatur millia: ſed Quinquxgintx ſeſtertix: neque tamen vllam eius rei rationem ex arte Grammatica proferri poſſe, ſed hanc eſſe receptam ex vſu conſuetudinem, quæ in quauis lingua dominatur. Quid dicemus? nimirū inſolſè & putidè Chxriſium feciſſe, ſi hæc ſcribere xuſus eſt, quæ ſexcentis veterum xuctoritatibus refelli poſſunt. ſed locus ita reſtituendus eſt: Nec quinquaginta numûm, ſed quinquxgintx ſeſtertiûm dicimꝰ. Quod his teſtimoniis confirmxtur. Cicero Verrina 4. Qui ſtatim cùm perſenſiſſet, iubet cuidxm ſuorum xmicorum numerxri HS LXXX. Res occultari ſxtis non poſſe. Et mox, Demonſtrxt id quod ille ſciebxt, ſe HS LXXX. dediſſe. Item Queri cū multis incipiunt ſeſe HS LXXX. numûm fruſtrx dediſſe. Verres ait velle ſe de illis HS LXXX. cognoſcere. Item Expoſitis ſuis difficulrxtibus, hominem xd HS LXXX. perducit. Quæro igitur, ſi dicimus, Seſtertiûm octingenta, quidni etiam Quinquaginta dicere licebit? Quin etiā de Quadringentis in Cluentianx hoc exemplum extat: Phxrmacopolam circumforaneum, qui caſu tum Lxrinium veniſſet, & cum eo HS quxdringentis tranſigit. Item, Fidiculanius quid feciſſe dicebatur? Accepiſſe à Cluentio HS quadringenta. De triginta verò in Verrina 5. Numerare Volcatio coguntur HS XXX. Item, Statim cœpit Herxclius legxtus numerxre HS XXII. Sed eiuſmodi exemplorum ſyluxm deinceps ingentem proponemus.

Enumeratio ſeſtertiorum vltrà numerum millenarium.

CAP. XXVI.

NVNC tempus eſt, ad inſtitutxm à nobis ſuperius enumerxtionem redire, in qua exploſo commentitiu neutrius generis ſeſtertio primum locum obtinent.

MILLE SESTERTII. Macrob. Sxturnxl. 2. cap. 4. Augoſtus in quxdam villa inquietas noctes agebat: rumpente ſomnum eius crebro noctuæ cantu. prehendendam curauit. Miles xucupij peritus, eam ſpe ingentis precij pertulit. Laudato Imperator. mille numos dxri iuſſit. Ille auſus eſt dicere, Malo viuat: auémque dimiſit. Mille numos Macrob. dixit, cùm ſi verx Turnebi opinio fuiſſet, Seſtertium vnum vno verbo dicere potuiſſet: xtque hxc eadem rxtione miles ille amplum ſeſtertium pro noctuæ xucupio xſpernxtus eſſet, quod txmen Cyrenenſes pro monſtroſi Bxſiliſci precio à Pergamenis miſſo acceperant. Sed locus ille Didymi, pxullò antè prolatus, omnem dubitxndi cxuſſxm præcidit. τὰ δὲ χίλια σηστέρτια ποιεῖ διακόσια πεντήκοντα δηνάρια ἀργυρᾶ, δέκα δὲ χρυσᾶ, ἅπερ καὶ μίλλε νούμμους φασί. Mille ſeſtertix, inquit, faciunt ducentx quinquxginta denxrix xrgētea, decem autem xurex, quæ mille numos vocant. Sed ne xctum agamus, vetus hæc exſtxt inſcriptio, COLLEGIO. DENDROPHOR. ROMANOR. QVIBVS. EX. SC. COIRE. LICET. ARGENTI. P. X. ET. HS. X. MILLIA. N. REDDEDIT. Id eſt argenti

genti pondo decem & ſeſtertium decem millia. Sueton. Auguſt. cap 46. Iis qui è plebe regiones ſibi reuiſenti, filias filiáſve approbauerant, ſinguli numûm millia per ſingulos diuidebat.

MILLE SESTERTIÛM, vel MILLE NVMÛM veteres dicebant, vulgi quadam conſuetudine, pro mille ſeſtertiis, vel mille numis. atque ita ſingulari numero pronuntiabant, Hoc mille numûm: plurali autẽ, Hi mille numi: vt poſterius ex Varrone & Agellio docebimus, ſub voce Millies. Cicero Philip. 6. Quis vnquam in illo Iano (medio) inuentus eſt, qui L. Antonio mille numûm ferret expenſum? Agell. 9 cap. 2. Muſonius æruſcanti cuipiam, Philoſophum ſeſe oſtentanti, dari iuſſit mille numûm. Lucillius 3 Satyrarum: *Tu mille numum potes Vare, quærere centum.* Milli numûm dixit pro Mille numis: aperteque oſtendit, Mille & vocabulum eſſe, & ſingulari numero dici, & caſum etiam capere ablatiuum eiúſque pluratiuum eſſe Millia. Mille enim non ex eo ponitur, quod Græcè χίλιοι, dicuntur, ſed quod χιλιάς. Hæc Agell. Exſtat autem apud eund. fragmentum ex oratione P. Africani, contra Tib. Aſellum. Tu in vno ſcorto maiorem pecuniam abſumſiſti, quàm quali omne inſtrumentum fundi Sabini in cenſum dedicauiſti. ni hoc ita eſt, qui ſpondet mille numûm? tu plus tertia parte pecuniæ paternæ perdidiſti atque abſumſiſti in flagitiis. ni hoc ita eſt, qui ſpondet mille numûm? Non vis nequitiam? Age. malitiam ſaltem defendes, ſed tu verbis conceptis coniuraſti ſciens ſcitoee animo tuo. ni hoc ita eſt, qui ſpondet mille numûm?

Notandum & alterum loquendi genus conſuetudine ſimiliter non ratione inductum, vt Mille octingentûm dicerent, pro Octoginta millia. Varro de vita pop. R. 4. apud Non. itaque retulit auri pondo mille octingentûm ſeptuaginta quinque. Quod ſic interpretor, quaſi dixiſſet, Octingenta ſeptuaginta quinq; millia librarum auri. Lucillius apud eundem:

Millia ducentum frumenti tolle medimnum,
Vini mille cadum, &c. id eſt, ducenta millia medimnûm.

Quin ne illud etiam prætermittendũ eſt, quòd interdum vocem REM ſubaudiebant. Lucill. lib. 30. apud Nonium.

Maximu' ſi argenti ſexcentum, ac mille reliquit.

Idem eodem,

Quid verò eſt, centum ac ducentum poſſideas ſi Millium.

Plenè autem dixit Terentius in Phormione,

At ſi talentum rem reliquiſſet decem,
Primus eſſes, &c. Varro Ruſt. 3. cap. 7. vbi de columbis loquitur: Paria ſingula vulgo veneunt ducentis numis: nec non eximia ſingulis millibus numum. quas nuper cùm mercator tanti emere vellet, à L. Axio Equite R. minoris quadringẽtis denariis daturum negauit. Cic. Verrina. 5. Apollinis ſignum ablatum certè eſſe non oportuit. At dices te emiſſe. Scio. ſeſtertiis mille ita opinor. Tacitus Annalium 1. Prætoriarum cohortium militibus ſingula numûm millia. Ex quo, & Grãmaticæ præcepto legendum apud Suetonium in Auguſto, Legauit Prætorianis militibus ſingula millia numûm. vbi vitioſe ſcriptum eſt, Numorum. Item cap. 40. Fabianis & Scaptenſibus tribulibus ſuis die comitiorum, nequid à quoquam candidato deſiderarent, ſingula millia numûm à ſe diuidebat. Sed in illo Taciti loco deſiderari quædam arbitror. Nam cùm & Suetonius & Dio de cohortium vrbanarum militibus tam accuratè ſcripſerint, non fit mihi veriſimile Tacitum, ſcriptorem diligentiſſimum, caput illud teſtamenti facilè prætermiſiſſe: ſed in eius libro hæc deeſſe: VRBANARVM QVINGENOS vt ſit, Prætoriarum cohortium militibus ſingulis numos millenos: Vrbanarum, quingenos. Legionariis autem cohortibus tricenos, &c. Dio libro 56. καὶ τοῖς στρατιώταις τοῖς μὲν δορυφόροις, κατὰ πεντήκοντα καὶ διακοσίας δραχμάς. τοῖς δὲ ἀστυκοῖς, τὸ ἥμισυ ἐκείνων· τῷ τε λοιπῷ τῷ πολιτικῷ πλήθει πέντε καὶ ἑβδομήκοντα. Militibus lancearlis (inquit) id eſt prætorianis, ad ducentas quinquaginta drachmas: hoc eſt millenos HS. vrbanis autem, dimidium, hoc eſt, quingenos reliquit: multitudini vrbanæ, ſiue plebi, quinq; & ſeptuaginta: hoc eſt, trecenos HS. At hoc poſtremum falſum eſt. non enim Vrbanæ plebi viritim hanc ſummam legauit, ſed legionariis militibus. itaque ὁπλιτικῷ non dubito quin ſit reponendum. Cùm autem hæc ſcripſiſſem, animaduerti doctiſſimum virum Iuſtum Lipſium aliquando idem ſenſiſſe, ſed poſtea ſententiam mutaſſe. At me cur pœniteat, cauſſam non video. nam certè legionarij milites Vrbanæ plebis, ac multitudinis nomine non continentur. Suetonius Domitiano, capite ſeptimo, Geminari legionum caſtra prohibuit, nec plus quàm mille numos à quoquam ad ſigna deponi: quòd L. Antonius apud duarum legionum hyberna res nouas moliens, fiduciam cepiſſe, etiam ex depoſitorum ſumma videbatur. Veget. 2. cap. 20. Cùm milites publica ſuſtinerentur annona, ex donatiuo quod conſumebatur, pars dimidia ipſis ſeruabatur, ne inutiliter ſua abſumerent: & depoſiti memores ſigna non deſererent. Domitianus tamẽ vltra mille numos deponi noluit. cauſſam addit Suetonius. At Peſcẽninus Niger milites ſuos ituros in prælium aurum argentúmve quod in zonis portarent, publicè commendare iuſſit: recepturos poſt prælia quod dederant. Hæc ille. quæ poſtrema ex Spartiano ſumſit: cuius hæc verba ſunt: Idem iuſſit, ne in zonis milites ad bellũ aureos vel argenteos numos portarent, ſed publicè &c.

MILLE DVCENTI. Martialis in Caſſiodorũ,

Addixti ſeruum nummis here mille ducentis,
Vt bene cœnares Caſſiodore ſemel.
Nec bene cœnaſti. mullus tibi quattuor emptus
Librarum, cœna pompa capúq; fuit.
Exclamare libet, Non eſt hic improbe, non eſt
Piſcis: homo eſt: hominem, Caſſiodore, voras.

Idem ad Cæcilianum lib. 4.

Mille tibi nummos heſterna nocte roganti
In ſex, aut ſeptem, Cæciliane, dies.
Non habeo, dixi. ſed tu cauſatus amici
Aduentum, lancem paucáque vaſa rogas.
Stultus es, an ſtultum me credis amice? negaui
Mille tibi nummos: millia quinque dabo?

DVO MILLIA HS. Cicero Verrina 5. Coactus eſt ei conferri lucri, tritici modiûm XVI. & acceſſionem HS duo millia. Item, Cùm decumæ ducentis medimnis veniſſent, HS duo

millia dare coacti ſunt. Item, Venuleio dantur,
ne accedat, tritici modij ſexcenti præterea HS
duo millia. Item, Qui mille modiûm Verri pro
ſua parte in cellã gratis dediſſet, duo millia nu-
mûm aut ſummum teia dediſſet, idem nunc pro
eodem numero frumenti, HS VIII. millia dare
coactus eſt. Idem Verrin. 7. Cogere eum cœpit,
cùm ageret nemo, nemo poſtularet, HS duobus
millibus ſponſionem facere, cum lictore ſuo, Ni
furtis quæſtum faceret. Sic Cicero & alij aucto-
res vbique. Ea quo quæſtio exoritur, Si Latinè
dicere potuiſſent DVO SESTERTIA, quid opus
fuerit, vocem MILLIA, fruſtra, & inaniter adiun-
gere? Sed reliqua videamus. Idem pro Sexto Roſ-
cio, Bona patris huiuſce Sex. Roſcij, quæ ſunt
ſexagies, quæ de viro fortiſſimo & clariſſimo L.
Sylla duobus millibus numûm ſeſe dicit emiſſe
L. Chryſogonus Plutarchus autem in vita Cice-
ronis, αὐτὸς inquit, ὠνήσατο δισχιλίων δραχμῶν. E-
mit duobus millibus drachmarum, quæ ſumma
quadruplicata ſeſtertiûm nummum parit octo
millia. Quare neceſſe eſt, alterutrius auctoris
librarium mendoſum fuiſſe: hoc eſt, vel apud Ci-
ceronem legendum OCTO, vel apud Plutarchum
pro δισχιλίων legendum πεντακοσίων. Imò verò
Plutarchum ipſum mendoſum eſſe arbitror,
non eius librarium. nam cùm Latinæ linguæ (vt
quodam loco fatetur) non admodum peritus eſ-
ſet, interpretémque ad eum locum intelligendũ
adhibuiſſet, nihilo magis in re popu. R. numaria
cognoſcenda exercitatum, vterq; vocẽ NVMVM
quæ apud Græcos vſitatè pro Drachma vſurpa-
batur, popularis ſermonis cõſuetudine deceptus,
Drachmam interpretatus eſt. Sic enim Fannius.

In ſcrupulis ternis drachmam: quo põdere doctis,
Argenti factis ſignatur numus Athenis.

Mendoſe igitur illo loco Plutarchus Drachmam
pro numo, ſiue pro ſeſtertio accepit. cautius au-
tem alio loco Latinum nomen retinuit. nam in
Syllæ vita: Cùm Sylla victor, inquit, complures
ciues interficeret, libertinus quidam ſuſpectus,
quod vnum aliquem è proſcriptorum numero
occultaret, atque idcirco de ſaxo deiiciendus eſ-
ſet, ὠνείδιζε τὸν Σύλλαν, ὅτι πολὺν χρόνον ἐν μιᾷ
συνοικίᾳ συνῳκήκασι, φέροντες ἐνοίκιον, αὐτὸς μὲν
τῶν ἄνω δισχιλίους νούμμους, ἐκεῖνος δὲ τῶν ὑποκάτω τρισ-
χιλίους. Obiecit Syllæ, quod diu in vnis ædibus
habitaſſent, cùm ipſe pro ſuperiore parte duo
millia numûm, Sylla autẽ pro inferiore tria mil-
lia penſitaret. Suetonius Iulio cap. 38. Veteranis
legionibus prædæ nomine in pedites ſingulos ſu-
per bina HS, quæ initio ciuilis tumultus nume-
rauerat, * in equites vicena quaterna millia nu-
mûm dedit: populo tricenos quoq; numos, quos
pollicitus olim erat, viritim diuiſit, & hoc am-
plius centenos pro mora. Corruptiſſimum hunc
eſſe locum, iudicarunt vno conſenſu Beroaldus,
Budæus, Glareanus, & alij: neque tamen eorum
quenquam eſſe video, qui in eius emendatione
conſentiat. Videamus ecquid Appianus eandem
rem commemorans, nobis opis afferat. Nam in
lib. ἐμφυλ. β. ſic ſcribit: διένειμε τὰ ὑπεσχημένα πάντ'
ὑπερβάλλων· στρατιώτῃ μὲν ἀνὰ πεντακισχιλίας δραχ-
μὰς Ἀττικάς, λοχαγῷ δ' αὖ τὸ διπλάσιον, καὶ τοῖς
δημόταις ἑκάστῳ μνᾶν Ἀττικήν. Quæ pollicitus e-
rat, inquit, omnia præſtitit, atque etiam amplius.
vnicuique militi quina millia drachmarum At-
A ticarum: Centurioni duplum: Tribuno militum
equitúmq; præfecto, etiam duplum: Plebi in ca-
pita minã Atticam. Quibus verbis tantũ abeſt,
vt aliquid ad illam emendationẽ adiumenti con-
ſequamur, vt contrà in maiores ſalebras incida-
mus. Non dico difficile eſſe creditu, quina dena-
riorũ millia, ſiue (quod idẽ eſt) vicena ſeſtertiûm
millia vnicuique militi donata fuiſſe, & pro rata
cæteris. Hoc dico nulla in ſumma Appianum
cum Suetonio, niſi in donatiuo plebis conueni-
B re. nam pro eo quod Suetonius poſuerat Seſter-
tios quadringentos, Appianus poſuit Minam
Atticam: ſiue centum drachmas: eo more, de quo
in Denariorum tractatione ſatis ſupérque dixi-
mus. Ceteris in ſummis magnopere inter ſe diſſi-
dent. Quod ſiquid remedij tentari placet, age,
ne hunc quidem laborem recuſemus. Primùm
igitur eam proportionem teneamus, quam Po-
lyb. lib. 6 ſcribit moris fuiſſe, vt in militari ſti-
pendio ſeruaretur. vt quid legionario militi ſti-
C pendij nomine dabatur, id Centurioni duplica-
retur: tum rurſus Equiti: poſtremò etiam Tribu-
no militum. Hanc Latini auctores Ratam por-
tionem appellant: Græci ἀνάλογον. Cæſar Ciu. 2.
vbi de Domitio loquitur: Militibus in concione
agros ea ſuis poſſeſſiõnibus pollicetur: quaterna
in ſingulos iugera: & pro rata parte Centurioni-
bus, euocatiſque Capitol. Anton. Philoſ. Pariter
caſtra prætoria petiuerunt, & vicena millia nu-
mûm ſingulis ob participatum imperium mili-
D tibus promiſerunt, & ceteris pro rata. Appian.
ἐμφ. δ. vbi de donatiuo à Caſſio & Bruto pro cõ-
cione promiſſo loquitur: ἐπιδώσομεν εὐθὺς ἀπὸ τοῦ-
δε τοῦ βήματος, στρατιώτῃ μὲν χιλίας καὶ πεντακοσίας
δραχμὰς Ἰταλικάς, λοχαγῷ δὲ πενταπλάσιον· χιλι-
άρχῃ δὲ τὸ ἀνάλογον. Inſuper, inquit, dabimus in
præſentia ex hoc ipſo tribunali, militi quidem
mille & quingentas drachmas Italicas: Centu-
rioni quintuplum, Tribuno verò pro rata por-
tione. Similem ex Ioſepho locum poſterius ſub
E Quindecim HS millia proferemus. Hanc igitur
in hoc donatiuo proportionem ſi tenere volu-
mus, & ſummas denariorum ab Appiano poſitas
ſeruare, primùm illæ ſummæ in immenſum creſ-
cent. deinde neq. Suetonij ſummis quadrabunt,
vt diximus: neq. Latinorum ſcriptorum conſue-
tudini: qui ad ſeſtertios potios, quã ad denarios
iſtas rationes reuocant: vt mihi magnopere ve-
rendum videatur, ne Appianus, eodem quo Plu-
tarchus errore inductus, pro vocabulo Numûm,
F quo Suetonius erat vſus, poſuerit Drachmarum.
Ex quibus illud primùm intelligitur, nullam
planè in illo Suet. loco proportionem ſeruari, vt
Pediti bina HS millia, Equiti vicena, aut vi-
cena quaterna dentur. Apparet præterea aut
non ſemper hanc ab Impp. proportionem ſer-
uatam, cùm Appianus, loco proximè prolato,
quintuplum centurionibus tribuat: aut pro
πενταπλάσιον, reponendum διπλάσιον. Tertiò in
illo ſuperiore Appiani loco, pro quaternis mil-
G libus, quæ in milites ſingulos Suetonius edidit,
ferri non poſſe vicena millia: atque idcirco vel
Appianum pueriliter hallucinatum eſſe, vel pro
πεντακισχιλίας δραχμάς, reponendum vt in illo
Caſſij Bruti, χιλίας καὶ πεντακοσίας: id eſt, ſena
ſeſtertiûm numûm millia. quæ ſumma, ſi priora
bina cum poſterioribus quaternis coniungan-
tur,

tur, cùm illa Suetonij adamuſſim quadrabit. Poſtremò, ſi in reſtituendo Suetonij loco legitimã illam proportionem ſeruare volumus, ita emendabimus: In pedites ſingulos ſuper bina HS, quæ initio ciuilis tumultus numerauerat, quaterna: in centuriones, ſena: in equites, octona millia numûm dedit. Plinius libro 17. cap. 1. Nec minus miraculum in pomo eſt, multarum circa ſuburbana fructu annuo adducto binis millibus numûm: maiore ſingularum reditu, quàm erat apud antiquos prædiorum. Martialis Epigr. 8.

Egi, Sexte, tuam pactus duo millia cauſſam.
Miſiſti nummos quot mihi? mille. quid eſt?
Narraſti nihil, inquis, & à te perdita cauſſa eſt.
Tanto plus debes, Sexte, quòd erubui.

Plin. 37. cap. 2. vbi de Pompeij triumpho loquitur, Reip. datum mille talentûm: legatis & Quæſtoribus, qui oras maris defendiſſent, HS bina millia commilitibus ſingulis quinquaginta. Præclara proportio. Emendo igitur HS cc millia.

TRIA MILLIA. Plin. 7. cap. 39. Precium hominis in ſeruitio geniti, maximum ad hanc diem fuit Grammaticæ artis Daphnidis Cn. Piſaurenſi vẽdente M. Scauro principe ciuitatis III M. D C C. ſeſtertiis licente. id eſt, HS tribus millibus, ſeptingentis numis. At illa ſumma ridiculè puſilla eſt: quandoquidem ſeruus quinis, operarius duobus HS millibus vulgò æſtimatur: ſiue (vt Iuriſc. loquuntur) aureis viginti. Itaque longè aliã ſummã prodit Suetonius lib. de illuſtr. grãmat. Cõſtat, inquit, Lutatium Daphnidem ducentis millibus numum Q. Catulo emptum, ac breui manumiſſum. At in aliis libris ſcriptum eſt D C C. numûm. Ego vtrobique reponendum cenſeo HS TRIENT, ſeptingentis numis. Cuius rei fides ex aliorum exemplorum collatione conſtabit. Sed de emptoris nomine, nihil ſtatuo. quanquam ſi Daphnis manumiſſus Lutatius dictus eſt, vt Suetonius tradit, nõ dubitarim illud Plinij ἁμάρτημα μνημονικὸν agnoſcere. nam huius nodi ſolutionem ex licitatoris & emptoris differentia quærere, planè abſurdum putarem.

QVATVOR MILLIA. Legis Mamiliæ cap. 3. Si quis aduerſus ea quid fecerit, in res ſingulas quotieſcunque fecerit, HS IIII. colonis municipibúſque eis, in quorum agro id factum erit, dare damnas eſto. Scribendum HS CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ. Velleius lib. 2. Mandetur deinde memoriæ ſeueritas iudiciorum: quippe M. Cato cõſularis, M. Catonis nepos, Africani ſororis filius, repetundarum ex Macedonia damnatus eſt, cùm lis eius IIII. M. æſtimaretur. Nimium exilis hæc ſumma eſt. Reſtituendum arbitror HS cccc. M. id eſt quadringentis millibus.

QVINQVA MILLIA. Cicero Verr. 5. Facta eſt ſponſio HS V. millibus. Cœpit. Scandilius petere Recuperatores. Et paullò pòſt, Cogit Scandilium Apronio HS V. millia mercedis ac præmij dare. Tacit. hiſtor. 1. Finis ſeruatus in eo, vt quina millia ſingulis militibus numerarẽtur. Seneca Epiſt. 96. ad Lucill. Mullum ingentis formæ Tiberius Cæſar miſſum ſibi, cùm in Marcellum deferri & venire iuſſiſſet: Amici, inquit, omnis fallunt, niſi iſtum mullum aut Apicius emerit, aut P. Octauius. Vltra ſpem illi coniectura proceſſi. Licitati ſunt. vicit Octauius, & ingẽtem conſecutus eſt inter ſuos gloriam: cùm quinque ſeſtertiis emiſſet piſcem, quem Cæſar vendiderat, Apicius quidem emerat. Reſtituendum, HS quinque millibus. Quintil. 7. c. 6. Accidit nuper, vt eſſet ſcriptum, quod appareret ſcriptorem noluiſſe Qui ſeſtertiûm numûm quinq; millia legauerat, cùm emendaret teſtamentum, ſublatis ſeſtertiis numis, Argenti pondo poſuit: QVINQVE MILLIA remanſerunt. apparuit tamen Quinque pondo legari voluiſſe: quia ille in argento legato modus & inauditus erat, & incredibilis. Hæc ille. Ex quibus illa noſtra quæſtio renouatur, ſi Seſtertia pro Mille ſeſtertiis numis valuiſſent, cur teſtator nõ ſimpliciter ſcripſerat, QVINQVE SESTERTIA. Nã ſublata voce SESTERTIA, ſi repoſuiſſet ARGENTI PONDO, nullam dubitandi cauſſam reliquiſſet.

SEX MILLIA. Velleius lib. 2. Proſequamur notam ſimultatem Cenſorum Caſſij, Longini, Cæſoniſque, quæ ab hinc annis CLVII Lepidum Ælium augurem, quod ſex millibus ædem conduxiſſet, adeſſe iuſſerunt. At nunc ſi quis tanti habeat, vix vt ſenator agnoſcatur; adeò maturè à rectis in vitia, à vitiis in praua, à prauis in præcipitia peruenitur. Vide Trigenta millia. Tertull. de pallio: Aſinius Pollio nulli vnius obſonium VI. HS. detulit. qua nota millia ſæpe vt dixi, ſignificantur. Sic Iuuen. Satyra quarta:

Mullum ſex millibus emit,
Æquantem ſanè paribus ſeſtertia libris.
Sed alij ſeptem alij octo tribuunt, vt ſuis locis diximus.

Plin. 35. c. 4. Tabulis autem externis auctoritatẽ Romæ publicè fecit primum omnium L. Mummius, cui cognomen Achaici victoria dedit. namque cùm in præda vendenda Rex Attalus VI. M. ſeſtertium emiſſet Ariſtidis tabulam, Liberum patrem continentem, precium miratus ſuſpicatúſq; aliquid in ea virtutis quod ipſe neſciret, reuocauit tabulam, Attalo multum conquerente, & in Cereris delubro poſuit. In his Plinij verbis turpe mendum ſubeſſe neceſſe eſt: cùm idem auctor duobus locis Græcorum ratione centum talenta prodat. primùm in lib. 7. 38. Ariſtidis Thebani pictoris, inquit, vnam tabulam centum talentis Rex Attalus licitatus eſt: octoginta emit duas, Cæſar dictator. Item lib. 35. c. 10. Qua in arte tantum valuit, vt Attalus Rex vnam tabulam eius centum talentum emiſſe tradatur. At centum Attica talenta pariunt denariûm ſexcenta millia, ſeſtertium verò numûm quater & vicies. Qua ratione facilè intellectu eſt, in illo Plinij loco pro SEX MILLIBVS SESTERTIVM, reponendum eſſe SEXCENTIS MILLIBVS DENARIVM: eumque errorem ex notarum perturbatione natum eſſe. Budæus quidem teſtatur ſe in vetuſto codice Sedecim libris reperiſſe: Portius autem pro Seſtertiis, reponendum putat Sex millibus librarum. Nam ſex millia librarum, inquit, numero & æſtimatione examuſſim & ad aſſem, centum talentis reſpondent. Quod certè ſi de minoribus talentis Atticis Plinius locutus eſt, veriſſimum eſſe conſtat, quæ ſexaginta libris valebant. nam maiora talenta, quorum frequentior apud Latinos auctores mentio eſt, octoginta libris à Liuio æſtimantur: ac proinde quadrare ſummæ nõ poſſunt. Sed cùm Plinius dicat pre-

tium illius tabulæ factum eſſe in ſectione prędæ, & auctione cui Quæſtores Romani præerant, ac proinde Romsoo more, & pecuniæ genere probabilius videtnr, denariariam potius rationem Pliniom ſecutum, quàm librariam, ab auctorum, vt mea ſert opinio, Romanorum conſuetudine alienam. Plin. 10. c. 29. vbi de luſciniis loquitur: Scio LLS ſex candidam alioquin (quod eſt propè inuſitatum) veniſſe, quæ Agrippinæ Claudij principis coniugi dono daretur.

B Martial. in Pætum:

Sex ſiſtertia, ſi ſtatim dediſſes,
Cùm dixti mihi, Sume, tolle, dono:
Deberem tibi, Pate, pro ducentis.
At nunc cùm dederis diu moratus,
Poſt ſeptem puto vel nouem Kalendas,
Vis dicam tibi veriora veris?
Sex ſeſtertia, Pate, perdidiſti.

Septem millia. Macr. Sat. 3. c. 16. Aſinus C Celer vir Cõſularis mullom viuum ſeptem millibus numum mercatus eſt Iuuenalis Sex millia poſuit. Plinius octo millia. Horatius 1. Epiſt. 7.

Dum ſeptem donat ſeſtertia, mutua ſeptem.
Promittit.

Octo millia. Plin. 9. c. 17. Aſinius Celer vnus è Conſularibus Claudio principe mullum vnum mercatus octo millibus numum. Colomell. 3. c. 3. Precioſum vinitorem in primis eſſe cenſeo, iſque licet ſit emptus ſex, vel potius LLS D octo millibus, &c. Horat 2. epiſt. 2.

Fiet eriſque tuus nummorum millibus octo
Verna, miniſteriis ad nutus aptus heriles.

Enumeratio ſeſtertiorum vltrà numerum Decem millium.

CAP. XXVII.

Decem millia. Pœna hæc fuit legis Scantiniæ de nefando marium concubitu, ſi quis ingenuum ſtuprasset. Quint. 4. c. 2. Ingenuum ſtuprauit, & ſtupratus ſe ſuſpendit, non tamen ideo E ſtuprator capite vt cauſſa mortis, punietur. ſed decem millia quæ pœna ſtupratori conſtituta eſt, dabit. Et paullò pòſt, Tu tamen ingenuum ſtupraſti. ſolue decem millia. Et lib. 7. c. 4. Stuprator an decẽ millia dare debeat, quæ pœna huic crimini conſtituta eſt: an, quia ſtupratus ſe ſuſpẽdit. capite puniri, tanquam cauſſa mortis debeat. Nam de decem millibus nulla controuerſia eſt, quæ nec petuntur. Hæc ille: quæ tamen vtrum ad ſeſtertios, an ad aſſes referenda ſint, liquidò F affirmare non poſſum. Aricinũ quendam (opinor Tribunum plebis) latorem eius legis fuiſſe, Cic. Phil. 3. teſtatur. Pœnæ autem leuitas facit, vt ſuſpicer, latam antiquis illis temporibus fuiſſe, quibus decem millium æris ſumma grauiſſima numerabatur.

Decem millia. Frontin. libr. 2. de aquæ ductib. ex S. C. Si quis aduerſus ea commiſerit, in ſingulas res, in dena millia damnas eſto. Item, Ne quis aquam olorato dolo malo, vbi publicè G ſalit: Si quis olotarit, ſeſtertiûm decem millium pœna eſto. Vetus inſcriptio: Si quis autem hoc vendere voluerit, arcæ Pontificum x. millia numûm inferet: vel ſi quis alienum corpus huc intulerit, pœnam ſuprascriptam inferat. Sueton. in Othon. cap. 5. Primò quinque ſæpe curatoribus commiſſa res eſt (loquitur de conſilio necandi Galbæ ab Othone inito) deinde decẽ aliis, quos

A ſinguli binos produxerant. omnibus dena ſeſtertia (lego LLS, & per genitiuom pluralem interpretur) repræſentata & quinquagena promiſſa. Martial. lib. 11.

Soluere, Pate, decem tibi me ſeſtertia cogis:
Perdiderat quoniam Bucco ducenta tibi.
Ne noceant, oro, mihi nunc mea crimina. tu qui
Bis centena potes perdere, perde decem.

Catullus,

B *Aut ſodes mihi redde decem ſeſtertia Silo,*
Deinde eſto quamuis ſæuus & indomitus.
Aut ſi te nummi delectant, deſine quæſo
Leno eſſe, atque idem ſæuus & indomitus.

Quem locum demiror ita explanatum, quaſi leno, qui à Catullo ſeſtertia decem, quæ illi pro opera promiſerat, iamdiu acceperat: nihilominus vrgeret atque inſtaret. quid enim præter pactam mercedem flagitare potuiſſet? Neceſſe eſt igitur, maiorem Catullum ſummam promiſiſſe; & eius C duntaxat partem ſoluiſſe: reliquam importune lenonẽ flagitaſſe. Tacitus Annal. 11. Hæc ita haud fruſtra dicta princeps ratus, capiendis pecuniis poſuit modũ, vſque ad dena ſeſtertia: quę egreſſi repetundarum tenerentur. Loquitur de aduocatorum honorario, à Cl. Cæſare conſtituto: quod Vlpian. l. 1 §. 6. D. de extraor cognit. centum aureorum interpretatur. Sed ego pro sestertia notam LLS repono & per genitiuum pluralem interpretor. velut apud Plinium de illius eiuſdẽ D honorarij ſumma ſcribentem lib 7. epiſtol. vlt. Suberat S. C. hoc: Omnes qui quid negocij haberent, iurare priùs quàm agerent iubebantur, nihil ſe ob aduocationem cuiquam dediſſe, promiſiſſe, cauiſſe. His enim verbis & mille præterea & venire aduocationes, & emi vetabantur. Peractis tamen negociis, permittebantur pecuniam dũtaxat decem millium dare. Eandem ſummam lib. Epiſt. 4. diuerſo nummorum genere ſic expreſſit: Interrogati à Nepote Prætore quem docuiſſent, E reſponderunt quem priùs. Interrogati an tunc gratis adfuiſſet, reſponderunt ſex millibus numûm. An rurſus aliquid dediſſent, dixerunt mille denarios. Nepos poſtulauit vt nominatus induceretur. Hęc Plinius, qui Induceretur, dixit, pro Ad cauſſam agendam introduceretur: quaſi legitimam iſtiùm ſummã accepiſſet. nam mille denarij quattuor ſeſtertiorum millia continent: quæ ſex ſuperioribus addita, legitimam illam ſummam conficiunt. Ex quibus ſimul patere ar-F bitror, non decem ſeſtertia ſcripſiſſe Tacitum, ſed LLS ccIↄↄ. Donatus in vita Virgilij: octauia, cùm recitationi intereſſet, ad illos de filio ſuo verſus, *Tu Marcellus eris*, defeciſſe fertur: atque ægrè refocillata, dena ſeſtertia pro ſingulo verſu Virgilio dari iuſſit. Scriptum à Donato crediderim Dena ſeſtertiûm: niſi fortè non optimus Latinitatis auctor, præſertim illa tempeſtate, poëtarum more Seſtertia dixerit, pro Seſtertiis mille. Martial. in Caium:

G *Mutua viginti ſeſtertia forte rogabam:*
Quæ vel donanti non graue munus erant.
Quippe rogabatur fidúſque vetúſque ſodalis:
Et cuius laxas arca flagellat opes.
Is mihi diues eris, ſi cauſas egeris, inquit:
Quod peto da Cai, non peto conſilium.

Hircius de bello Alexand. Quos Caſſius interfici iubet: exceptis iis, qui ſe pecunia redeme-

runt. nam palam HS cIↃↃ cum Calpurnio paciſcitur, & cum Q. Sextio quinquaginta. Prior ſumma exilior videtur, ſiue perſonam, ſiue ſalutis precium ſpectemus, ſiue poſterioris pecuniæ ſummam. Itaque facile arbitrarer ccc IↃↃↃ, hoc eſt centum millium notas pro priore ſumma reſtituendas eſſe.

Decem millia HS Plin. 13. c. 15. Maioris plurima arbor cedri: & menſarum inſania, ſuas fœminæ viris contra margaritas regerunt. Exſtat hodie M. Ciceronis in *illa paupertate, & quod magis mirum eſt, illo æuo*, empta HS decem. memoratur & Galli Aſinij HS vndecim. Venundatæ ſunt & duæ, Iuba Rege vendente, quarum alteri precium fuit HS. quind. cim: alteri paullò minus. Interiit nuper incendio à Cethegis deſcendens HS. quattuordecim permutata, latifundij taxatione, ſi quis prædia tanti mercari malit. Magnitudo ampliſſima adhuc fuit vnius commiſſæ ex orbibus dimidiatis duobus, à rege Mauritaniæ. Ptolemæo, quattuor pedum & ſemi pedis per medium ambitum, craſſitudine quadrantali: maiúſque miraculum in ea eſt artis latente iunctura, quam potuiſſet eſſe naturæ ſolidæ. Tertull. de pallio: Qua M. Tullius quingentis millibus non vnum orbem citri emit qua bis tantùm Aſinius Gallus pro menſa eiuſdem Mauritaniæ numerat. Quanta, Deus bone, inter hos auctores diſcrepantia? Turnebus, cui omnes aſſenſi ſunt, magnum ſe feciſſe putauit, quòd NVMVM pro NON VNVM apud Tertullianum repoſuit. At Plinij locus oſtendit, interdum ex duobus dimidiatis orbibus compactas menſas precij ingentis fuiſſe. Quid igitur vetuit, quo minus non vno, ſed dimidiato orbe aliqua menſa precio dimidiato conſtiterit, cum integra & ſolida, qualis fuit Aſinij, altero tanto conſtaret? Grauiora igitur vlcera videamus, quorum illud primum eſt, quod Plinius Ciceronis paupertatem, eiuſdémque ſeculi frugalitatem continentiámque prædicat. Quod (verè vt dicam) tarditas ingenij mei aſſequi non poteſt. Quid ſi M. CVRII ſcriptum à Plinio dicamus? Sed Tertullianus vetat auctoritas: non tantùm hoc loco, verum etiam in lib. de anima ibi, Quod menſis Ciceronianis infertur. Sed memoria falli Tertullianus potuit: Nam & dimidiati orbis mẽtionem, quàm Ptolemæo Plinius tribuerat, Ciceroni tribuit. Sed meæ, vt dixi, tarditati malo culpam omnem, quam tanto viro quicquam huiuſmodi vitij aſſignare. Retineamus igitur Ciceronis nomen: & ex ea ſumma quam Plinius poſtremo loco poſuit, & latifundij æſtimationem appellauit numeros omnes ſuperiores ita reſtituamus: vt pro DECEM legamus DECIES. Nam decem millium HS ſumma (quam Budæus probat) in Cicerone adeo leuis eſt, vt tantam Plinij ſtomachationem non ferat. pro VNDECIM vero ſi quidem Tertulliani duplicationem probemus reponendum erit VICIES. ſin minus, VNDECIES. Nam vndecim millium ſumma in Aſinio nihil admirationis habuit: paullò autẽ poſt, pro *quindecim quindecies*. Poſtremò pro QVATVORDECIM, QVATERDECIES. Cuius rei ſummũ argumẽtũ eſt, quod illæ citreæ menſæ pari prope auri pondere æſtimantur: qua de cauſſa viris (vt Plinius paullo ante dixit) à mulieribus cõtra margaritas recriminationis cauſſa regerebãtur. Martialis in Diſtich. *Accipe felices Atlantica munera, menſas, Aurea qui dederit dona, minora dabit.* Reſtat illa ſumma, quam Tertullianus in Cicerone poſuit, ad quingenta millia: de qua, vt ingenuè fatear, nihil habeo dicere, niſi pari obliuione lapſum Tertullianum, & precium decies Aſinio tribuiſſe: dimidiatum hoc eſt quingentorum millium M. Tullio, cũ probabilius ſit, Plinium decies Ciceroni tribuiſſe, Aſinio vicies, quam coniecturam nemo, vt opinor, qui & Ciceronis & Aſinij, & temporum illorum opes in memoriam reuocari temere improbabit.

QVINDECIM MILLIA. Sueton. Claudio, cap. 10. Poſtero die Senatu ſegniore in exequendis conatibus, per tædium armatos pro concione iurare in nomen ſuum paſſus eſt: promiſitque ſingulis quinadena HS primus Cæſarum fidem militis etiam præmio pigneratus. Ioſephus ἀρχαιολ. ιθ. κ. γ. Κλαύδιος δὲ τοῖς στρατιώταις συλλεχθεῖσι διελέγετο, ὅρκους λαμβάνων, ἦ μὴν ἐμμένειν πίστει τῇ πρὸς αὐτὸν, καὶ δωρεῖται τοὺς σωματοφύλακας πεντακισχιλίαις δραχμαῖς, κατ᾽ ἕκαστον ἄνδρα, τοῖς τε ἡγεμόσιν αὐτῶν ἀνάλογον τοῦ ἀριθμοῦ, καὶ τοῖς ὅποι ποτὲ στρατοπέδοις ὑπισχνεῖται τὰ ὅμοια. Quem locum quoniam Gelenius, vir doctiſſimus, mutilatè ſuo arbitratu conuertit, ſic interpretabimur: Claudius concionem apud milites habuit, vt in ipſius fide manerent, donauítque ſingulis Prætorianis quina drachmarum millia, & pro rata centurionibus: legionariis inſuper tantundem pollicitus. Quina drachmatũ ſiue denariorũ millia, viginti quinq; HS millia cõficiunt. Vicena igitur Ioſephus poſuit, Suetonius Quinadena. Quod autẽ de proportione loquitur, ſuperius ſub ovo MILIA HS interpretati ſumus. Nunc enim Dio videndus eſt, qui libro vlt. ſic ſcribit, τοῖς δορυφόροις πέντε καὶ εἴκοσι δραχμὰς ἔδωκε, καὶ τοῦτο ἔπειτα κατ᾽ ἔτος ἐποίησε. Prætorianis, inquit, quinas & vicenas drachmas donauit: & hoc idem quotannis fecit. Manifeſtum hoc mẽdum eſt: ſiquidẽ de priore illo donatiuo Dio locutus eſt, quod mihi non fit veriſimile, vt tã imperitus Dio fuerit. Nã viginti quinq; drachmæ cẽtum dumtaxat ſeſtertios nummos cõficiunt itaque probabile eſt errorẽ ex notis natum, cùm Dio idẽ quod Ioſephus edidiſſet, nimirũ πεντακισχιλίας δραχμάς. Vetus inſcriptio, Quod ſi quis id monimẽtum alienare tẽptauerit, dare damnas eſto ærario populi R. HS V. M. N. & collegio Pontificum HS XV. M. N. Catullus:

Furi, villula noſtra non ad Auſtri
Flatus oppoſita eſt, nec ad Fauoni,
Nec ſaui boreæ: aut apheliote
Verùm ad millia quindecim & ducenta.
O ventum horribilem, atque peſtilentem.

Sunt qui ad illũ Furium verba hæc referant, cuius extremam inopiam ac mendicitatem paullò antè Catullus illuſerat: quorum opinionẽ primùm illa vox NOSTRA perſpicuè repudiat: quam abſurdum eſſet mutare in VESTRA. nam. Gottorũ hoc dicendi genus eſſet, nõ Romanorũ deinde ſi Furius ne cẽtum quidem millium rẽ habuit, vt Catullus illo carmine oſtendit, quomodo ducentorum & inſuper quindecim millium conſtituere pignus potuiſſet?

Et ſeſtertia, inquit, quæ ſoles precari
Centum deſine, nam ſat es beatus.

Sunt qui Catullum de ſua ipſius villula loqui agnoſcant: ſed ex antiquo libro reponendum cēſent DVCENTOS. alioqui, (inquit auctor illius opinionis doctiſſimus, idémque acerrimo iudicio præditus) immanis nimis fuiſſet ſumma illa neque puto tam copioſum Catullum fuiſſe, vt ducentis quindecim millibus fundum oppigneraſſet. Sed vt Catullus in Equeſtri tantùm ordine conſtiterit, tamen duplo locupletiorem illum fuiſſe neceſſe eſt. præterea ſi & hoſpes fuit C. Cæſaris, & cum eo gerere inimicitias eſt auſus, vt Suetonius teſtatur: non eſt veriſimile, tam tenuis eum fortunæ fuiſſe. vt verò DVCENTOS reponamus, & tantulam ſummam quindecim millium ſeſtertiûm ſupra ducentos numos, ventum tam horribilem & Catullo adeò peſtilentem fuiſſe putemus, cauſſam eſſe non arbitror. Locū igitur ſic interpretandum putarem: Cùm Furius, qui fortè ad dies aliquot ſecedere in Catulli villā cupiebat, ex eo quæſiſſet, cui vēto & cæli plagæ eſſet oppoſita, feſtiuè poëta ex ambiguitate verbi iocum captauit, ac reſpondit, nō vlli ventorum tempeſtati obiectā eſſe, ſed pro ducentis quindecim ſeſtertiûm millibus pignori oppoſitam. De quo tamen (item vt de aliis omnibus) integrum doctiſſimo Scaligero iudicium permitto. Tantùm lectorem monebo, vt vel ex hac vna diſputatione animaduertat, quātum hæc locorum à nobis congeſtorum ſylua vtilitatis habeat, tum ad Romanorum opes, tum ad rerum apud illos precia cognoſcenda. nam ex illorum locorum comparatione facilè perſpici potuiſſet, neque horribilem fuiſſe ſummam quindecim millium numorum, ſed leuem: & Catullum Equitem (vt credi par eſt) Romanum, facilè pignus ducentorum quindecim millium ſeſtertiûm cōſtituere, non modò in ſuis bonis vniuerſis potuiſſe, ſed etiam in aliqua villa. Cicero ad Atticū 4. epiſt. 2. Nobis ſuperficiem ædium coss. æſtimarunt HS vicies: cætera valde illiberaliter. Tuſculanam villam quingentis millibus, Formianum HS ducentis quinquaginta millibus, quæ æſtimatio non modò vehementer ab optimo quoque, ſed etiam à plebe reprehenditur.

DECEM ET OCTO MILLIA. Cicero Verrin. 6. C. Cato duorum hominum clariſſimorum nepos, L. Paulli, & M. Catonis, & P. Africani ſororis filius: quo damnato, tum cùm ſeuera iudicia fiebant, HS XVIII millibus lis æſtimata eſt: huic Mamertini irati non fuerunt, qui maiorem ſumptum quàm quantum Catonis lis æſtimata eſt, in Timarchidis prandium ſæpe fecerunt? Locus eſt notandus ad rationem veterum temporum, & eorum ſumptuum qui poſterioribus temporibus in cœnas & prandia fiebant. Et has ad res valet hæc locorum iſtiuſmodi recenſio.

VIGINTI MILLIA. Macrob. Satur. 2. c. 3. Sublimis Auguſtus Actiaca victoria reuertebatur. occurrit ei inter gratulantes coruum tenens, quem inſtituerat hoc dicere, Aue Cæſar victor imperator. Miratus Cæſar, officioſam auem viginti millibus numûm emit. Sueton. Aug. c. 10. Reliqua legata variè dedit, produxítque quædam ad vicena HS quibus ſoluendis annuam diem finiuit, excuſata rei familiaris mediocritate. Sed videamus, ne & tantula ſumma, pro tantis Auguſti opibus nimium exilis fuerit, & ab-

A ſurdiſſimè diei prolatio ad eam præſtandam adhibita. Reſpondendum igitur arbitror VICIES ſeſtertium: velut in teſtamento Tiberij: Legato etiam vicies ſeſtertium proſecutus, commeodauit inſuper exercitibus. Cicero. 1. Attic. epiſt. 5. L. Cinnio HS XXCD. conſtitui me curaturum. Manutius ſic interpretatur, Seſtertiorum viginti millia quadringinta: neque ſatis ſcienter, & contra Latini ſermonis conſuetudinem. Quare
B linea notis duabus prioribus imponenda eſt: & interpretandum, Seſtertiûm viginti millia, quadringentos, vt ſubaudiatur Numos: ex vetere cōſuetudine. Plin. lib. 33. c. 10. M. Craſſum diuitem viginti HS millia in agris poſſediſſe. Manifeſto errore veterum impreſſorum. Itaque doctiſſimus Gelenius ex manuſcriptis repoſuit MM. quod Budæus interpretatur, Bis millies, de quo poſterius ordine ſuo videbimus. Capitol. Antonino Philoſ. Actis igitur quæ agenda fuerunt in
C ſenatu, pariter caſtra Prætoria petiuerunt, & vicena millia numûm ſingulis ob participatum imperium militibus promiſerunt, & ceteris pro rata Martial. Epigrammat. 8.

Morio dictus erat. viginti millibus emi.
Redde mihi nummos, Gargiliane: ſapit.

Horat. 2. epiſt. 2.

Clarus ob id factum, donis ornatur honeſtis.
Accipit & bis dena ſuper ſeſtertia numûm.

VIGINTIQVINQVE MILLIA. Spartia-
D nus Didio, Sanè cum vicena quina millia militibus promiſiſſet, tricena dedit. Cic. Attic. 2. epiſt. 7. Caſtricianum mendum nos corrigemus. & tamē ad me Q. C IↃ CCIↃↃ IↃↃↃ ſcripſerat, non ſororem tuam HS XXX CIↃ. Locum eſſe mendoſum omnes viderunt: nemo emendauit. Ego ſic reſtituebam: Et tamen ad me Quintus CCIↃↃ CCIↃↃ IↃↃ ſcripſerat, nō vt ad ſororē tuam XXX CIↃ. id eſt viginti quinque millia, nō vt ad ſororem tuam triginta millia. Errarat in eo Caſtricius: Scripſerat Ciceroni de viginti quin-
E que dumtaxat: ea Cicero curarat: ſed poſtea certior ab Attico factus deberi triginta, ſcribit ſe mendum illius correcturum, & inſuper quinque millia miſſurum.

TRIGINTA. Liuius lib. 45. Et eos qui prædium prædiáve ruſtica pluris ſeſtertiûm triginta millium haberent, cenſendi ius factum eſt. Cicero pro Cælio: Triginta millibus dixiſtis eum habitare. Nunc demum intelligo, P. Clodij inſulam eſſe venalem, cuius hic in ædiculis habi-
F ret, decem (vt opinor) millibus. Sueton. Tiber. 34. Corinthiorum vaſorum pretia io immenſum exarſiſſe, tréſque multos triginta millibus numûm veniſſe, grauiter conqueſtus, adhibendum ſuppellectili modum cenſuit. Agel. 3. c. 17. Ariſtotelem quoque traditum, libros pauculos Speuſippi philoſophi, poſt mortem eius, emiſſe talētis Atticis tribus. ea ſumma fit numi noſtri HS duo & LXX millia. Quo in loco perſpicuum eſt de ſeſtertiis numis Agellium ſenſiſſe, non de mil-
G lenariis poëticis. alioqui quid opus fuiſſet addita voce MILLIA? quod etiam valere volumus ad ea confirmanda, quæ poſterius ſub capite TRECENTA ex eodem auctore proferemus.

QVADRAGINTA MILLIA. Varro Ruſtic. 3. cap. 2. Age, Non M. Cato nuper cùm Luculli accepit tutelam, è piſcinis eius quadraginta millibus

libus HS vendidit piſces? Macrob. Satur. 3. cap. 15. Piſcinas antè quàm refertas habuerint precioſiſſimis piſcib⁹ Romani illi nobiliſſimi principes, L. Philippus & Hortẽſius, etiam illud indicium eſt, quòd M. Varro in libro de agricultura refert, M. Catonẽ, qui pòſt Vticæ periit, cùm heres teſtamento Luculli eſſet relictus, (corrigendum eſt TVTOR, niſi fortè memoria lapſus eſt Macrobius, vt alibi nonnunquam) piſces de piſcina eius quadraginta millibus vendidiſſe. Emendo apud vtrumq; QVADRINGENIS: vt ſit æs illud grãde, de quo Columella perſpicuè ita ſcribit, libr. 8. c. 16. Laudabatur ſeueritas Catonis, qui nihilominus & ipſe tutor Luculli, grandi ære ſeſtertiûm millium quadringentorum piſcinas pupilli ſui venditabat. Sed multò turpius mendum eſt apud Plinium lib. 9, c. 54. vbi de hoc ipſo ſcribens: Tricies, inquit, piſcinæ à defuncto illo veniere piſces. Sic enim doctiſſimus Gelenius edidit: cùm antea (vt Budæus teſtatur) ſcriptum eſſet, QVADRAGINTA ipſius piſcinę à defuncto illo veniere piſces. Melius autem, inquit idem Budæus, ex codice antiquo legeretur, XL. ſeſtertiis è piſcina defuncto illo veniere piſces. Sed & illa grãdis æris à Columella prædicatio & cõparatio locorũ precioſorumque ex piſcibus & piſcinis redactorum ita legi poſtulat: Seſtertiûm quadringentis è piſcinis ipſius, defuncto illo, veniere piſces. Nã ſumma quadraginta ſeſtertiûm, nimium exilis eſt. Deinceps alia videamus. Varro Ruſt. 3. cap. 2. Quòd ſi ea ædificia villæ non ſunt, quæ aſinum tuum, quem mihi quadraginta millibus emptum oſtendebas apud te, non habent, metuo ne pro villa emam, Oſtiæ in litore, Seianas ædes. Rectè Varronis locus: quippe apud quẽ lib. 2. cap. 1. mirandum fuiſſe precium dicitur, emptum aſinum quinquaginta, vel ſexaginta nummorum millibus. Mendoſa ergo apud Plinium ſcriptura hæc libro 8. capite 43. Aſinum cccc. numûm emptum Quinto Axio Senatori, auctor eſt M. Varro. Ac Budæus quidem libro de aſſe 2. de vera horum duorum locorum ſcriptura dubitans, atque æſtuans, tres ferè paginas ancipiti diſputatione cõpleuit: cùm in ſuo Plinij libro ſcriptum dicit QVADRINGENTIS NVMIS, reponendum cenſet, Quadringentis millibus: vt ſubaudiatur, Numorum. At iam in recentioribus impreſſis video cccc NVMVM vtrobique perperam. nã ex Varrone, & locorũ comparatione corrigendum eſt, Quadraginta numûm præciſè, vel pleno ſermone, Quadraginta millibus numûm. Rurſus apud Varronem Budæus pro Quadraginta HS millibus, reponendũ putat, Quadringentis, immani ſumma &, intolerabili: vt me tantæ in tanto viro ſomnolentiæ pigeat, qui tamen identidem glorjatur, nihil ſe niſi exploratiſſimum edidiſſe. Quinetiã errorem errore cumulauit, cùm alterum illum Varronis locum emendat lib. 2. c. 8. apud quem ita legerat: De aſinis quẽ ampliſſimum formoſiſſimúmque poſſunt eligunt, quíque ſeminio natus ſit bono Arcadico, vt antiqui dicebant, vt nos experti ſumus, Reatino. vbi tricenis ac quadringẽtis millibus admiſſarij aliquot venierunt. Hoc in loco, inquit, Budæus, Tricenis ac Quadragenis millibus lego. Sed quis iã ex ſuperiorũ locorũ collatione non videt, Tricenis ac Quadragenis legendum eſſe: non, vt in recẽtiſſimis impreſſũ eſt, Quadrigenis. Quod idẽ precium Plinius illo eodẽ quẽ ediduimus loco, taxauit. Quæſtus ex iis, inquit, opima præda exſuperat. Notũ eſt in Celtiberia ſingulas quadragenis millibus numorũ enixas. Cetera videamus. Suetõ. Veſpaſ. c. 22. Expugnatus autẽ a quadam, quaſi amore ſui deperiret, cùm productæ pro cõcubitu HS quadraginta donaſſet, admonẽte diſpenſatore, quemadmodũ ſummã rationibus vellet referri, Veſpaſiano, inquit, adamato. Suet. alter de Illuſt. Grãmat. vbi de Q. Rhemnio: Luxurię ita indulſit, vt ſæpius in dies lauaretur, nec ſufficeret ſumptibus: quãquã ex ſchola quadragena annua caperet: ac non multò minus ex re familiari. Reſtituendũ vt in antiquis impreſſis, QVADRINGENTA: propter huius ſũmę exiguitatẽ, vt quiuis iã à me admonitus facilè agnoſcet.

QVINQVAGINTA MILLIA. Suet. Vitell. c. 7. Cũ libertino cuidam acerbiùs debitũ repoſcẽti iniuriarũ formulã, quaſi ab eo calce percuſſus, intendiſſet, nec aliter quàm extortis quinquaginta HS remiſiſſet. Hæc ſuma mihi pro vitellij cõditione, quãuis nondũ Imperatoris, pertenuis videretur, niſi eius rei familiaris egeſtatem prius nominaſſet. Inſcriptio antiqua: QVOD SI QVIS contra hanc inſcriptionem fecerit, inferet pœnæ nomine aræ Põtificũ L. N. HS M. quas notas ſic interpretor, Quinquaginta numûm ſeſtertiûm millia. Quæ tamen tãta ſumma eſt, vt de mendo ſuſpicari liceat. Vide ſuperius Quinque millia. Vetus inſcriptio Salerni, T. TERTIXNVS AVGVSTALIS HS. L. M. N. legauit ad exornandam ædem Pomonis.

SEXAGINTA MILLIA. Varro Ruſt. 2. c. 1. Tertia pars eſt, quo ſint ſeminio quærẽdum. hoc enim nomine aſini Arcadici in Græcia nobilitati, in Italia Reatini, vſque eò, vt mea memoria aſinus væníerit HS millibus LX. & vnæ quadrigæ Romæ cõſtiterint quadringẽtis millibus. Vide, Quadraginta millia. Idem lib. 3. c. 6. Ex pauonibus M. Aufidius Lurco ſupra ſexaginta millia numûm in anno dicitur capere. Plin. 10. c. 20. Saginare pauones primus inſtituit circa nouiſſimum piraticum bellum M. Aufidius Lurco, éxque eo quæſtus reditus Seſtertiũ ſexagena millia habuit. Notandum etiam hoc loco Dionis mẽdum inſigne lib. 41. vbi de Iulio Cæſare cõmemorans ita ſcribit: ἐπειδή τε συχνοὶ πολλὰ χρήματά τι ἔχειν καὶ πάντα αὐτὰ ἀποκρύπτειν ἐλέγοντο, ἀπηγόρευσε μηδένα πλεῖον πεντακισχιλίων καὶ μυρίων δραχμῶν ἐν ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ κεκτῆσθαι. hoc eſt, Et quoniã multi magnã pecuniã habere, & occultare dicebantur, vetuit, ne quis vltra quindecim drachmarũ millia in argento vel auro poſſideret. Hęc ſumma quadruplicata ſeſtertiũ efficit ſexaginta millia. Sed qui ingentes illius tẽporis diuitias conſiderarit, ſomnium hoc Dionis mirabitur. Scribit quidem Tacitus lib. Annal. 6. Cæſaris legẽ fuiſſe de modo credendi, poſſidendíque intra Italiam: ſed ea lex non vnicam ciuibus omnibus ſummam definiuit: ſed vetuit, ne quis intra Italiam maiorem rei familiaris partem in fœnore, quàm in fundis vel poſſeſſionib⁹ haberet. in prouinciis verò, vel apud exteras nationes, modum non præſcripſit. Suet.

Tiberio c. 49. Vt quibuſdam nõ aliud ſit obiectum, quàm quòd partẽ tei familiaris in peeunia haberent. Nemo ſic loquitur: neque vllam eiuſmodi legem fuiſſe conſtat. Itaque non dubito quin vox MAIOREM, aut alia eiuſdemmodi eo loco deſideretur.

SEPTVAGINTA. Agel. 3. c. 17. Ariſtotelem quoque traditum eſt, libros pauculos Speuſippi Philoſophi poſt mortem eius emiſſe talentis Atticis tribus. Ea ſumma fit numi noſtri, H-S duo & LXX millia.

Enumeratio HS vltrà numerum centum millium.

CAP. XXVIII.

CENTVM H-S MILLIA. Pedianus in Verrin. in illum Ciceronis locum: Neque cēſus eſſet, ita ſcribit: id eſt neque centum millia ſeſtertiûm poſſideret. Nam more veterum Cēſi dicebantur, qui centum millia profeſſione detuliſſent. Hæc ille. Quod ſi quis obiiciat Cēſos innumerabiles fuiſſe, qui minus in bonis profeſſi fuerant, qualem fuiſſe M. Scauri patrē, Valerius tradit, cuius totum cenſum quinque ac triginta millium numûm fuiſſe ſcribit, reſpondendum erit, nomen hoc illis temporibus tributum iis ſolis fuiſſe, qui non minus profeſſi erant, quemadmodum Claſſicos primis temporibus κατ' ἀντονομασίαν appellatos, Agellius dicit, quia centum æris millibus cenſi fuerant. Vtcunque ſit, Voconia lege cautum erat, ne cui qui cenſus eſſet, mulierem heredem faceret, néve plus cuiquam legare, quàm ad heredem heredéſve perueniret. Quod Cicero in eadem orat. Agell. Florus, Auguſtinus teſtantur. Sed Dio libro 56. hanc legem commemorans, non ſatis eius ſententiam aſſecutus videtur. Sic enim ſcribit: τῇ δὲ γυναιξί τισι καὶ παρὰ τὸν Οὐοκώνιον νόμον καθ' ὃν οὐδεμία αὐτῶν ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας οὐσίας κληρονομεῖν ἐξῆν συγχωρήσας τοῦτο ποιεῖν, &c, id eſt, Cùm per legem Voconiam nulli mulieri licere hereditatem capere ſupra ſummam duarum myriadum & dimidię, Auguſtus vt deinceps liceret, permiſit. Quibus verbis Dio ſignificat, lege illa cautum fuiſſe, vt ne mulieri capere ex cuiuſquam hereditate vltra quartam ipſius partẽ liceret: nam cùm ſub Myriadis vocabulo vocem Drachmarum Græci plerumque ſubaudiant, ac proinde decē ſeſtertium millia ſignificent: duæ myriades & dimidia XXV H-S millia conficiunt. quæ quarta pars eſt centum millium. Sed vt omittam, quòd ea lex non indiſtinctè de omnium, ſed propriè de nōn cenſorum hereditatibus ſcripta eſt, non puto ſatis conſideratè Dionem XXV. millia præſtituiſſe, pro quarta parte hereditatis eorum omnium, qui cenſi fuerant. quaſi verò quītriplo vel quadruplo plus in bonis profeſſi fuerāt, non etiam Cenſi dicerentur: aut non ad eorum quoque hereditates illa lex pertineret? Quartā ergo partem aut Quadrantē dicere Dio debuit, non certam ac definitam nummorum ſummam definire. Multò verò vitioſius interpres Latinus hoc modo: Cùm lege Voconia mulieribus prohiberetur, nequa maiorem cētum millibus nummûm hereditatem poſſet adire, ea quoque lege quaſdam ſoluit. Porro Cenſum hunc Decurionū in municipiis fuiſſe, Plin. 1. Ep. 19. his docet

A verbis: Eſſe autem tibi centum millium cenſum ſatis indicat, quod apud nos Decuriones. Lamprid. Heliogabl. Fertur & meretricem notiſſimam & pulcherrimam redemiſſe H-S C. eámque intactam velut virginem coluiſſe. Macrob. Satur. 2. c. 4 Solebat Cæſari epigramma porrigere Græculus. Id cùm fruſtra ſæpe feciſſet, ruruſque id facturum videret Auguſtus, breue manu ſua exarauit Græcum epigramma: eique miſit. Tum ille paucos denarios protulit, adiungens: Non ſe-

B cundum fortunam tuam, Auguſte: ſi plus haberē, plus darem. Secundo omnium riſu, diſpenſatorē Cæſar vocauit, & H-S centum millia Græculo numerari iuſſit. Idem cap. 6. Cælius cum Cæſar aliis qui ſecum pila luſitabant centena H-S, illi vni quinquagiota dari iuſſiſſet, Quid? ego, inquit, vna manu ludo, & non duabus, vt plus habere poſſim. Martial. Epigram. 6.

Ruſtica mercatus numis ſum prædia multis:
Mutua des centum, Cæciliane, rogo.
C *Nil mihi reſpondes. tacitum te dicere credo.*
Non reddes. ideo Cæciliane, rogo.

Item in eodem,

Mutua te centum ſeſtertia, Phœbe, rogaui.
Cùm mihi dixiſſes, Exigis ergo nihil?
Inquiris, dubitas, cunctaris: meque diebus
Téque decem crucias. Iam rogo, Phœbe, nega.

Idem libro 5.

Centenis quod emis pueros, & ſæpe ducentis,
Quod ſub Rege Numa condita vina bibes. &c.

D Suetonius in Veſpaſiano, Primus è fiſco Latinis Græciſque rhetoribus annua centena conſtituit: præſtantes poëtas, necnon artifices coëmit. Iuuenal. Sat. 5.

--ſimpléxne furor ſeſtertia centum
Ludere, & horrenti tunicam non reddere ſeruo?

Cyprianus epiſt. 60. Miſimus autē ſeſterria centū millia nūmū, quæ iſtic in Eccleſia cui de Domini indulgentia præſumus, cleri & plebis collatione collecta ſunt. Corrigendum HS. & legendum

E Seſtertiûm. Item vetus inſcriptio: Si quis hoc ſepulcrum vel monimentum poſt abitum meum vendere vel donare voluerit, vel corpus alienum inuehere velit, dabit pœnæ nomine arcæ Pontificum H-S C. & is cui donatum vel venditum fuerit, eadem pœna tenebitur. Varro Ruſt. 3. c. 7. An tibi columbaria qui in tegulis habent, non videtur habere περιστερεῶνας, cum aliquot ſupra centum millium H-S habeant inſtrumentum? Cùm prius dixiſſet ingens eſſe columbarum pre-

F cium, adeò vt paria ſingula ſingulis H-S millibus venditarentur, oſtendit columbaria etiam in vrbe & tectis ædium precioſum eſſe inſtrumentum ſupra centum H-S millia. Seneca 3. Epiſt. 27. Cùm dixiſſet Sabinus, centenis millibus ſibi cōſtare ſingulos ſeruos: Minoris, inquit, totidem ſcrinia emiſſes. Sueton. de Grammat. illuſtr. vbi de Verrio Flacco: Docuit, inquit, in atrio Catilinæ domus (lego Catuli) quæ pars palatij tunc erat: & H-S centena in annum accepit. Hirtius

G Alex. belli 1. c. 8. Caſſius Longinus cùm primùm in vnum locum exercitum conduxit, H-S cētum militibus eſt pollicitus. nec multò pòſt cùm Medebrugum oppidum expugnaſſet, ibique Imperator eſſet appellatus, iterum H-S centum militibus donauit. Item aliquantò pòſt, Pollicetúrque iis cùm in Mauritaniam traieciſſet, H-S cen-

tena

A iena ſe daturum. Agell. 3. cap. 9. Corn. Dolabellam fama iſtius equi adductum (loquitur de equo Seiano) emiſſe eum HS centum millibus. Cicero ad Atticum 1. epiſt. 5. Domum Rabirianam M. Fonteius emit HS. cccIↃↃↃ xxx. Ego tribus poſterioribus notis lineam, quæ Millibus ſignificet impono. vt omnes ſic exprimantur, Centum triginta millibus. Sed mendum eſt in illo Ciceronis Verrin. 4. In auctione ſignum æneum non maximum HS xx millibus venire non vidimus? reponendúmque, vt Lambinus B teſtatur ſe in manuſcripto legiſſe, xl. millibus. quam ſummam aliarum proximarum proportio comprobat. Apud Cæſarem autem libr. Ciuil. 2. c. 4. mendum eſt certiſſimum, in illo loco: Quibus rebus perterritis ciuibus R. eius prouinciæ, ſibi ad Rempub. adminiſtrandam HS cxc millia, & argenti pondo xx. millia, tritici modios cxx. millia polliceri cogit. Ego Centies nonagies legendum puto, ac vocem Millia tollēdam: necnon Modiûm in genitiuo plurali corrigen- C dum. Sed hoc iampridem in Notis ad Cæſarem adnotaueram. Porrò CENTENARII fictum à Iuriſconſultis vocabulum eſt, pro iis qui cenſi dicebantur, eſt centum HS. mill. rem habebant. l. ſi libertus, 16. D. de iur. patr. Pòſt à Iuſtiniano vſurpari cœptum eſt hoc verbum in iis qui centum aureorum patrimonium poſſidebant. §. 4. de ſucceſſ. lib. Vtique ab eodem locupletes dicebātur. ac fortaſsè locupletes dicti ſunt, teſtes ij demum, qui cenſi erant, & centum millium rem D habebant: olim æris, pòſt ſeſtertium: nunc igitur qui centum aureos, locupletes dicentur. Ceterùm hereditas maior centum ſeſtertiis apud Paullum nominatur lib. Sent. 5. tit. 9. vbi non dubito ſcriptum ab illo fuiſſe, Maior centum HS, id eſt centum ſeſtertium millib. Eáque locuplex hereditas habita eſt: vt ex illo Paulli loco intelligitur.

DVCENTA. Cicero pro Comœdo, Dionyſiam notam ſaltatriculam, ſcribit ducenta millia E meruiſſe. Salluſtius Catilina, Siquis indicaſſet de coniuratione, quæ contra Rempub. facta erat, præmium ſeruo libertatem, & HS centum: libero impunitatem eius rei & ducenta millia. Cicer. Verrin. 4. Repente recitatur vno nomine HS ccl. millia iuſſu Prætoris data. & mox: Numerantur illa HS ducenta quinquaginta Syracuſanis. Sueton. Neron. c. 50. Funeratus eſt impenſa ducentorum millium, ſtragulis albis, auro intextis, quibus vſus Kal Ian. fuerat. Tacit. An- F nal. 2. de Tiberio loquens, & Hortalo Oratoris Hortenſij nepote: Ceterum ſi patribus videretur, daturum liberis eius ducenta HS ſingulis, qui ſexus virilis eſſent. Suetonius. de vir. illuſtr. Pretia Grammaticorum tanta, mercedéſq; tam magnæ, vt conſtet Luctatium Daphnidem, ducentis millibus numûm emptum, ac breui manumiſſum. Sed de hoc loco videnda quæ diximus ſub Tria millia HS. Suet. Tiberio, Aſel- G lio Sabino HS ducenta donauit pro dialogo, in quo boleti & ficedulæ & oſtreæ & turdi certamen induxerat. Idem in Veſpaſiano cap. 4. Conuictus quoque dicitur ducenta HS expreſſiſſe iuueni, cui latum clauum aduerſus patris voluntatem impetrarat, eóque nomine grauiter increpitus. Cicero ad Atticum 4. epiſt. 2. Formianum HS ducentis quinquaginta millibus Conſules æſtimarunt. quæ æſtimatio nō modò vehementer ab optimo quoque, ſed etiam à plebe reprehenditur. Tertull. de perſcript. aduerſ. Hæret. Marcion quidem cum ducentis HS. quæ eccleſiæ intulerat nouiſſimè in perpetuum diſſidium relegatus venena doctrinarum ſuarum diſſeminauit. Vbi non dubium eſt quin de ducentis nummum ſeſtertium millibus ſignificet: quæ pro veterum more ex ſuis facultatib. in eccleſiæ theſaurum & pauperū ſubſidium intulerat, quemadmodum ex Cypriani loco, quem paullo antè protulimus, intelligitur. Scribit igitur Tertull. Marcioni heretico, cū ab eccleſia exterminatus eſt, redditam fuiſſe pecuniam, quam in illius eccleſiæ vſus de ſuis bonis contulerat.

TRECANTA. Agell. 5. c. 12. Equus Alexandri Regis & capite & nomine Bucephalus fuit. Emptum Cares ſcripſit talentis tredecim, & Regi Philippo donatum. Æris noſtri ſumma eſt HS cccxii. Quas notas video eſſe qui per ſeſtertia interpretentur, quæ millenaria nominant. ſed fruſtra ſunt in re peruulgata ingenioſi: nam ſiue linea ſuperinducta ſit, ſiue Seſtertiûm genetiandi caſu legamus, facile eſt vocem Millia ſubaudire. Cic. pro Comœd. Pro deûm hominúmque fidem, qui HS trecenta quæſtus facere noluit (nam certè HS trecenta merere & debuit, & potuit, ſi poteſt Dionyſia ducenta merere) is per ſummam fraudem & malitiam HS quinquaginta appetiit. Plutarchus in Cicerone, ſcribit ei veniſſe hereditatem quandam, nouem myriadum drachmarum, καὶ κληρονομία τις εἰς ἐννέα δ᾽ ἰσναρίων συναχθεῖσα μυριάδας. Quadruplicetur ſumma. Conficiet HS trecenta ſexaginta millia numûm. Plin. 37. c. 2. T. Petronius Conſularis moriturus inuidia Neronis principis, vt menſam eius exheredaret, trullam murrhinam, ccc ſeſtertiis emptam fregit: ſed Nero, vt par erat principem, vicit omnes ccc ſeſtertiis capidem vnam parando. Vtrobique reponenda eſt nota HS, & per genitiuum pluralem legenda. Sueton. Augusto, 68: Inſectatus eſt Auguſtum, quaſi delibatam à Cæſare pudicitiam A. etiam Hirtio in Hiſpania ccc millibus numûm ſubſtrauerit. Cornut. in Satyr. Perſij iv. Glycon tragœdus populo mirè placuit, & ideo à Nerone manumiſſus eſt, datis Virgilio tragœdo domino eius, pro parte dimidia, quam poſſidebat, ſeſtertiorum trecentis millibus.

QVADRINGENTA. Cenſum hunc Equeſtrem fuiſſe, iampridem vna omnium voce comprobatum eſt. Plinij tamen locum inſignem non vidi à quoquam allegatum. Ex lib. 1. epiſt. 19. Eſſe autem tibi centum millium cenſum, ſatis indicat, quòd apud nos Decurio es. Igitur vt te non Decurione ſolùm, verùm etiam Equite R. perfruamur, affero tibi ad implendas Equitis facultates trecenta millia numûm. Sueton. Iulio, Exiſtimatur etiam Equeſtres cenſus pollicitus ſingulis: quod accidit opinione falſa. nam cùm in alloquendo, exhortandóque ſæpius digitum læuæ manus oſtentans affirmaret, ſe ad ſatisfaciendum omnibus, per quos dignitatem ſuam defenſurus eſſet, annulum quoque æquo animo detracturum ſibi: extrema concio cui facilius erat videre commonentem, quàm audire, pro di-

ſto accepit, quod viſu ſuſpicabatur, prnmiſſúm que ius annulorum cum millibua quadringentis dixit. Horat. Epiſt. 1. lib. 1.

Si quadringentis ſex, ſeptem, millia deſint,
Plebs eris.

Iuuenalis Satyra 3.

Quadringenta tibi ſiquis Deus, aut ſimilis Dis,
Aut maior fato danaret homuncia, quantus
E nihilo fieres?

Itaque eui hæc patrimonij ſumma imminuta erat, retinere hunc ordinem non poterat Sueton. Auguſto, Cùm plerique equitum attrito bellis ciuilibus patrimonio, ſpectare ludos è XIIII. non auderent, metu pœnæ theatralis, Auguſtus pronuntiauit, non teneri ea, quibus, ipſis parentibúſve Equeſter cenſus vnquam fuiſſet. Plin. 33. cap. 2. Hac de cauſſa conſtitutum, necui ius id eſſec (loquitur de iure aurei annuli) niſi cui ingenuo, ipſi, patri, auóque paterno HS cccc cenſus fuiſſet. & lege Iulia theatrali in quatuordecim ordinibus ſedendi. Tacit. Annal. 4. Cautum in poſterum S. C. nequis gladiatorum manus ederet, cui minor quadringentorum millium res, néve amphitheatrum imponeretur, niſi ſolo firmitatis ſpectatæ. Plin. 3. epiſt. 5. vbi de auúculo ſuo, & ipſius liberis: Referebat ipſe, inquit, potuiſſe ſe, cùm procuraret in Hiſpania, vendere hos commẽtarios Lartio Licinio, quadringentis millibus numûm: & tunc aliquanto potiores erant. Suet. Tiberio cap. 46. Vna modò liberalitate comitea itineria proſequutus, cùm tribua claſſibus factis pro dignitate cuiuſque primæ ſexcenta ſeſtertiûm, ſecundæ quadringenta diſtribuit, ducenta tertiæ. Idem Nerone cap. 20. Adoleſcentea Equeſtris ordinis & quinque amplius millia è plebe robuſtiſſimç iuuentutis elegit, qui diuiſi in factionea plauſuum genera condiſcerent: quorum duces quadraginta millia HS merebant. Idem Vitell. c. 13. Indicebat autẽ prãdium aliud alij, eadẽ die: nec cuiquãminus ſinguli apparatus quadringentis millibus numûm conſtiterunt. Martialis ad Phœbũ:

Quadringentorum reddis mihi, Phœbe, tabellas,
Centum da potius mutua, Phœbe, mihi.
Quære alium, cui te tam vano munere iactes.
Quod tibi non paſſum ſoluere, Phœbe, meum eſt.

Idem Martial. in Diſtich.

Cum fieret triſtis ſoluendis auctia numis,
Hæc quadringentis millib. empta fuit.

QVINGENTA. Sueton. Neron. cap. 10. Senatorum nobiliſſimo cuique, ſed à re familiari deſtituto, annua ſalaria, & quibuſdam quingena cõſtituit. Deeſt nota HS. Nam eadem de re Tacitus Annal. 13. Nobili familiæ (de Valerio Meſſala loquitur) honor auctus eſt, oblatis in ſingulos annos quingenis HS, quibus Meſſala paupertatem innoxiam ſuſtentaret. Plin. 29. in procemio: Q. Varro Stertinius imputauit principibus, quòd HS quingenis annuis contẽtus eſſet. Sexcena enim ſibi quæſtu vrbis fuiſſe, numeratis domibus oſtẽdebat. Quo ex loco Budæus ſtatuit hanc fuiſſe ſub principibus R. mercedem medicorum annuã. Sed non ſi vni alicui eximio tanta merces conſtituta eſt, continuò eadẽ fuit omnium legitima & ordinaria. Tum Plinius adſcribit, Par & fratri eius merces à Claudio Cæſare infuſa eſt: cenſúſque quanquam exhauſti, operibua Neapoli exornata, heredi HS ccc. relinquere: quãtum ad eam ætatem Aruntius ſolus. Quis credat duos illos fratres coniunctim vni heredi non plus trecentis HS millibus reliquiſſe, cùm vterius quingenta aut ſexcenta annua lucratus eſſet? Videndum igitur vtrum TRICIAS reponendum ſit, an potius TRECENCIES: vt paullò pòſt de medico Maſſilienſi, Seſtertium centies. Et certè iam video Budæum lib. 2. ex antiquo libro eandem illam ſummam reſtituiſſe. Sueto. Iul. Ludius Decimus Laberius Eques R. mimum ſuum egit: donatúſque quingentis HS & annulo aureo, ſeſſum in quatuordecim è ſcena per orcheſtram tranſiit. Quod autem Budæus in eum locũ ſic ſcribit, lib. de aſſe primo: QVINGENTA ſeſtertia haud dubiè pro equeſtri cenſu poſuit, ſed qui iã auctus eſſet: in eo me adſtipulatorem non habebit: qui ſciam illũ equitem prius fuiſſe, partim ex elegantiſſimis ipſius verſibus, partim ex eo Macrobij loco, quem ſubſcribam. Macrob. Satur. 2. c. 7. Laberium aſperæ libertatis equitem R. Cęſar quingentis millibus inuitauit, vt prodiret in ſcenã. Et aliquantò pòſt: Statimque Publio palmam & Laberio annulum aureum cum quingentis ſeſtertiis dedit. Plin. 7. cap. 39. Apud maiores Roſcius Hiſtrio HS quingenta annua meruiſſe proditur. Budæus in quibuſdam libris DVCENTA QVINQVAGINTA legi teſtatur. At Cicero Trecenta tãtum prodit in oratione pro eodem: quemadmodum ſuo loco demonſtrauimus.

SEXCENTA. Plin. 10. cap. 51. Maximè inſignis eſt in hac memoria Clodij Æſopi tragici hiſtrionis patina, ſexcentis HS taxata, in qua poſuit aues cantu aliquo aut humano, ſermone vocales, numis ſex ſingulas coemptas, nulla alia inductus ſuauitate, niſi vt in his imitationẽ hominis manderet: ne quæſtus quidem ſuos reueritus, illos opimos, & voce meritos: dignus prorſus filio, à quo deuoratas diximus margaritas. Non ſit tamen facile inter duos iudicium turpitudinis, niſi quòd minus eſt ſummas naturæ opes, quàm hominum linguas cœnaſſe. Idem lib. 35. cap. 12. Nos cùm patinam Æſopi tragœdiarum hiſtrionis in natura auium diceremus ſeſtertiûm ſexcentîs ſtetiſſe, non dubito indignatos lectores. Sic enim vterque locus ſcriptus eſt, tum in Gelenij cod. tũ in impreſſo Veneto, anno 1487. ſed priorẽ locum Budæus lib. de aſſe 2. ita corrigit, vt pro SEX NVMIS, reponat SEX MILLIBVS. & locum ſic interpretatur: vt Centenaria Æſopi patina fuerit, hoc eſt centenis auibus inſtructa, quarum ſingulæ ſeſtertium ſenis millibus emptæ ſint. vt ad ſummum patina obſonio referta ſexcentis ſeſtertium millibus conſtaret. Tanta enim ad aſſem conſummatio ſit. Sed videamus ne in hac Budæi coniectura variè peccetur. primùm in eo, quòd Patinæ nomine nõ modò ipſum patinæ corpus cẽſet intelligi, verùm etiam obſonium patina comprehẽſum: quem errorem locus poſterior apertiſſimè coarguit: ex quo perſpicuum eſt, Plinium ingentem illam precij magnitudinem, non ad obſonij & auium appoſitarum, ſed ad ipſius patinæ fictilis æſtimationem retuliſſe: præſertim cùm ita ſubiũgatur, At Herculca. Vitellius principatu ſuo CC. HS condidit patinam

patinã, cui faciendæ fornax in cãpis ex ædificata
fuerat. quoniam eò peruenit luxuria, vt etiam
fictilia pluris cōſtent, quàm murrhina. Quæ ver-
ba, ſi quis aliorſum quàm ad luteæ & fictilis pa-
tinæ materiam pertinere contendat, lutei ſe i-
pſum ingenij damnabit. Seneca Epiſt. 1. ad Lu-
cill. lib. 15. Memini fuiſſe quondam nobilem Æ-
ſopi patinam, in quam quicquid apud lautos ſo-
let deduci in diuerſas patinas, properãs in dam-
num ſuum popina congeſſerat. Poſteà verò varia
obſoniorum genera & admiranda cōmemorat.
Alterum haud paullò grauius Budæi peccatum
eſt, quòd aues ſingulas ſenis ſeſtertium milli-
bus emptas putauit: quod immane & planè pro-
digioſum precium eſt, & à vulgari auiarũ auium
precio nimium quantũ abhorrens. Nam Varro
columbarum paria ſingula tradit illo tempore
vulgo ducentis tantùm numis veniſſe: eaimia
tamen ſingulis millibus numûm. lib. Ruſt. 3. cap.
7. Qua ex comparatione facile eſt exiſtimare,
ſcriptum à Plinio fuiſſe NVMIS SEXCANTIS:
atque ita corrigendum, Vt Æſopus aues illas ca-
noras & vocales, ſingulas ſexcenis numis per
auerſionem coëmiſſet: hoc eſt ſimul vniuerſas
taxato in ſingulas ſexcẽtum numûm precio. Ne-
que enim Budæum adiuuat, quòd Plinius tradit,
luſciniarum precia ſeruorum preciis exæquari.
Vinitoris autem precium apud Columellam o-
cto HS millibus taxari. Nam luſciniarum ſingu
lare quoddam precium eſſe conſtat. Liuius et-
iam illud eſt alterum eiuſdem argumentum,
quòd Auguſtus coruum loquacem viginti nu-
mûm millibus emerit. Nego enim Auguſtum
coruum illum quaſi cōmuni precio æſtimatum
emiſſe. fuit enim illa triumphantis eo die Impe-
ratoris liberalitas & munificentia: præſertim
tam opportunam illam gratulationem audien-
tis, AVE CÆSAR, VICTOR, IMPERATOR. Dona-
tio deniq; illa fuit multo maxima ex parte, non
iuſta emptio. Patinæ autem corpus ſexcentis
millibus rectè taxatum, ex eo ratiocinari poſſu-
mus, quòd Plinius ſubiungit, eò luxuriam per-
uaſiſſe, vt pluris eſſent fictilia vaſa, quàm mur-
rhina. Nã de Vitellij patina mox dicemus. prius
enim altera ex eodem Plinij loco macula delen-
da eſt. Ecquid enim illud eſt, quòd ait, Æſopum
in illa patina hominum linguas cœnaſſe? Ego
AVIVM ſcripſiſſe Plinium inuitis omnibus e-
xemplaribus contendo, manifeſtiſſimo ex illis
verbis argumento, Æſopum alia nulla inductum
ſuauitate, patinam illam (vt arbitror) recentem
auium aceruo initiatum eſſe, &, vt Sueton. loqui-
tur, dedicauiſſe, niſi vt in his imitationem ho-
minis manderet. Quibus verbis nefariam illius
impuri ganeonis liguritionem notat, qui ex tan-
to auium aceruo ſolas earũ linguas illo cōuiuio
comederit. Hic enim ille eſt Æſopus, quẽ alio lo
co diximus, ex arte hiſtrionica ducenties ſeſter-
tium filio ſuo reliquiſſe: patre (vt Plinius ait) di-
guiſſimo, qui margaritas octo liquefactas deuo-
rabat, & ſingulis conuiuia ſingulas deuorandas
præbebat. Itaque hanc eandem locutionem i-
dem Plin. lib. 10. c. 42. ſimiliter vſurpauit: vbi de
pſittacis & picis loquens, Latior, inquit, iis eſt
lingua omnibúſq; in ſuo auiúmque genere, quæ
ſermonẽ imitantur humanũ. Agrippina turdum
habuit, cùm hæc proderem, imitantem ſermo-

A nem humanũ. Quare Mandere imitationem ho-
minum, dictum puto à Plinio, pro Mandere a-
uium linguas, ſermonem hominum imitantes.
Ac paris nequitiæ damnatos alios eiuſdem or-
dinis ganeones ſatis conſtat. Plin. 10. c. 48. Phœ-
nicopteri linguam præcipui ſaporis eſſe, Apicius
docuit: nepotum omnium altiſſimus gurges.
Martial. 13.

Dat mihi penna rubẽs nomen: ſed lingua guloſis
Noſtra ſapit: quid ſi garrula lingua foret?

B Lampridius de Heliogabalo, Comedit ſæpius,
ad imitationem Apicij, criſtas viuis gallinaceis
demptas, linguas pauonũ, & luſciniarũ. Tranq.
Vitell. c. 13. vbi de patina ipſius loquitur: In hac,
inquit, ſcarorum iecinora, & linguas phœnico-
pterûm commiſcuit. Reliquum eſt, vt illam po-
ſterioris loci maculã apud Plinium indicemus,
quandoquidem eluere non poſſumus. Nam quid
eſt, quòd ait Æſopum ſexcẽtis HS millibus pa-
tinam condidiſſe, Vitellium Cæſarem ducentis?
C Tranquillus eodem loco: Famoſiſſima ſuper ce-
teras fuit cœna ei data aduẽtitia à fratre, in qua
duo millia lectiſſimorum piſciũ, ſeptem auium
appoſita traduntur. Hanc quoque exſuperauit i-
pſe dedicatione patinæ, quam ob immenſam
magnitudinem clypeum Mineruæ dictitabat.
Si Plinius de ferculo intellexerat (inquit Bu-
dæus) quonam pacto non ineptus erit, qui poſt
ſexcenta ſeſtertia ducenta ſeſtertia dixit? cùm
maius aliquid & mirabilius dicere vellet, vt ex
D eius verbis licet intelligere. Quare ex vetuſtiſ-
ſimo exemplari DECIAS SESTERTIÛM lego:
quod addit quadraginta ſeſtertia ad patinam
Æſopi. CONDIDIT autem pro Commen-
tus eſt, & auctior fuit intelligo. Hęc Budęus: cui
me aſſentiri vetat inſtitutus Plinij ſermo nō de
ferculo & epulis, ſed de materia & artificio pa-
tinæ: cuius condendæ cauſa fornacem in cam-
pis exædificatam tradit. Condendi autem ver-
bo vſum eſſe Plinium arbitror (non vt nonnul-
E lis placuit, CONDIENDI) vt operis atque
artificij difficultatem & magnificentiam deſi-
gnaret: quia non vſitato modo, ac figulorum
more fingeretur: ſed quaſi ingens quædam ſtru-
ctura condebatur. Sed & Plinius alio loco dixit
Fabricare, libro 33. capit. 11. Seruus Clodij prin-
cipis, inquit, Druſillanus diſpenſator Hiſpaniæ
citerioris quingenariam lancem habuit: cui fa-
bricandæ officina prius exædificata fuerat: &
comites eius octo, quinquaginta librarum.
F quæſo vt quàm multi eas conſerui eius infer-
rent, aut quibus coementibus? Quingenariam
lancem appellat, quæ quingentas libras pende-
ret, cùm alij Quinquagenariam habeant. Ter-
tull. de pallio: Cùm Druſillanus, & quidem ſer-
uus Claudij, quingenariam promulſidem ædifi-
cat, ſupraſcriptis fortaſſe menſis neceſſariam.
Quare non DECIAS, vt Budæus, ſed DVCENTIES
vt in omnibus quos vidi libris, in illo Plinij lo-
G co legendum cenſeo. Neque abſurdum eſt, Cæ-
ſaris Vitellij luxum ab Apicio in patinæ arti-
ficio ſuperatum fuiſſe: quãdoquidẽ neque inter
illos certamen fuit, quod ſanè impar futurum
fuiſſe fateor, & ſatis prodigioſum videtur, opus
luteum ac fictile ducentis HS millibus conſti-
tiſſe: hoc eſt (vt Budæus ratiocinatus eſt) quin-
que aureorum noſtrorum millibus.

Sed ecce rurſus alterum ſcopulum
Nam Tertull. de pallio: Æſopus
Hiſtrio, inquit, ex auib. eiuſdem
precioſitatis, vt canoris & loquaribns, quibúſque ceotum millium, patinam confiſcauit. Ego locum ita reſtiruendum putarem: Ex auibus eiuſdem precioſitatis, aut canoris, aut loquacibus, quibûſque. ſexceorum numûm patinam conſerrauir. Emeodationis primæ Plinium auctorem babuimus, paullo ſuperius, his verbis: Io qua poſuit aues cantu aliquo aut humano ſermone vocales. De ſecunda, hoc eſt, de ſexcenris numis paullo antè ex eodem auctore ſatisfecimus. nam QVIBVSQVE pro ſingulis dixit, huc ſenſu: Quarum vnaquæque pro ſexcentia numis coostitit. Poſtremæ cooiecturæ, vt pro *Confiſcauit* legamua, *Conſecrauit*, auctorem Suetooium habuimus, qui Dedicationem patinarum dixir, cùm primum ipſarum receotium vſum deſigoarer.

SEXCENTA HS. Soet. Calig. c. 44. In exercitu recenſeudo, pleriſque eenturiooum, maturis iam & nonoullis ante pauciſſimos, quàm ronſummaturi eſſent dies, primos pilos ademit, cau ſatua ſenium cuiuſque & imbecillitarem: ceterorum increpita cupiditate commoda emeritæ militiæ, ad ſexceniorumrmillium ſummam recidit. Duo ſunt eruditi Belgæ, quibus, cùm immaois hæc ſumma videretur, placuit repooendum, SEX MILLIVM, primùm quoniam equeſtris cenſus fuir (vr paullò antè diximus) tantùm quadringeotorum HS. deinde quoniam Dio lib. 55. ſcribit Auguſtum emeritis defioiſſe commoda militiæ rribus drachmarum millibus: hoc eſt HS duodenis millibus. poſtremò quia victor Cæſar pediti ſena millia diſtribuiſſe diritot. cap. 38. Primum Cæſar quateroa taotùm numeraſſe dicirur, ſed prædæ oomioe, non commodorum, ſiue præmiorum. deinde Suetonius adſcribir, euodem præterea etiam agros iis aſſignauiſſe, vt erat conſuetudo: neque veriſimile eſt exiguum fuiſſe agrorum aſſignatorum precium: poſtremò largitiones poſteriorum principum multo maiores Iulianis fuiſſe, nemo ignorat. Quo eodem modo Dionis loro reſpondeo, qui de Auguſto loquirur, & de præmiis, pecunia ſiue agrorum aſſignatiooe ſolnendis: maiora autem veteranorum multorum fuiſſe commoda, quàm quantum equitum ceoſus fuit, mirandum non eſt. quandoquidẽ equitibus præter legitimum illum quadringentorũ ceoſum, etiam emeritæ militiæ præmia liberaliter pro rata perſoluebantur. Denique, vt breui præcidam, rùm Iulius illũ equeſtrem cenſum ſingulis militibus ſuis largitus dicatur, vt paullò antè docuimus, nihil mirandum arbitror, ſi multo maiorem poſteriores tyranoi ad eorum animos beneficiis demerendos largiti dicantur. Tullius Paradox. Venio ad illos ſumptuoſos. relinquo iſtũ quæſtuoſum. capir ille ex ſuis prædiis ſexrẽta ſeſtertiũm. ego ceotena ex meis.

OCTINGENTA HS. Hunc ante Auguſtum Senarorum cẽſum fuiſſe, duplo maiorẽ equeſtri, Suetooius in eius vita teſtarur. Senarorũ cẽſum, inquit, ampliauit, ac pro octogintorum millium ſumma, duodecies HS taxauit, ſuppleuitq; non

A habeotibus. Ex quo licebit, Dionis io hoc hiſtoriæ Romaoæ geoere oegligentiã admirari: qui li. 54. ita ſcribit. Τάς τε ἀρχὰς ἅπασι τοῖς δέκα μυριάδων οὐσίαν ἔχουσι, ἐπαγγέλλειν ἐπέτρεψε. τοσοῦτον γὰρ τὸ βουλευτικὸν τίμημα τὴν πρώτην εἶναι ἔταξεν, ἔπειτα καὶ ἐς πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας αὐτὸ προήγαγε, καί τισι τῶν εὖ βιούντων ἐλάττω, τοτὲ μὲν τῶν δέκα αὖθις δὲ τῶν πέντε καὶ εἴκοσι κεκτημένων, ἐχαρίζετο ὅσον ἐνέδει. hoc eſt, Magiſtratus omnibua qui decem myriadum (id eſt, quadringentorum
B millium HS) ſubſtantiam haberent, petere permiſit: tantum enim Senatorum cẽſum eſſe conſtituir: poſtea verò etiam vſque ad quinque & viginri myriadas illum produxir, & quibuſdam commodè viuentibua qui antea minus decem, tum aorem minus viginriquioque poſſidentibus quod defuit ſuppleuit. Hæc Dio contra Suetonij & Latinorum omuium auctoritatem. primùm in eo, quòd ſcribit Auguſtum conſtituiſſe primò cenſum ſenatorium decem myriadum:
C ſubaudiens ſcilicet dracbmarum, quæ ſumma Romano more centum denariorum millia conficir, ſeſtertium verò quadringenta millia. quem fuiſſe renſum equeſtrem ſuperius demonſtrauimus. deiode io eo quod vigiotiqoinque drachmarum myriadas, hoc eſt denariorum durenta quinquaginta millia exiſtimauit fuiſſe cẽſum ſenatoriũ ab Auguſto inſtitutũ, cùm ea ſumma ſeſtertium efficiat decies dũtaxat. Ponere ergo priore loco viginti myriadas debuit, quæ com-
D plent HS octingenta millia: poſterius verò triginta: quę duoderies HS implẽt: quem ab Auguſto ſenatorum ceoſum conſtitutũ fuiſſe, Suetonius teſtarur.

OCTINGENTA HS. Sueton. de Claudio c. 4. Auguſtus oe heredem quidem eum niſi ioter tertios, ac penè extraneos, è parte ſexta nuncopauit: legatóque non amplius quàm octingentorum HS proſecutus. Quem in loconi Glareaous: Si de minore ſeſterrio, inquit, hoc eſt nu-
E mo intelligamus, oimis parua erit ſumma: oempe viginti corooatorũ. Itaque de maiore intelligendũ, vr 20000. coronatorũ accipiamus. Sed ſi ex vſitata conſuetudine vocem MILLIVM ioterponamus, nihil hac Glareani diuinatiooe opus erir, & fiet ſumma octingentorũ millium ſeſtertiûm: quam & ſuperior eiuſdẽ auctoris locus cõfirmar, & hic alter io Nerooe ſimillimus, ca. 30. In Tiridatẽ (qood vix credibile videatur) octingenta oumûm millia diurna erogauir. Vi-
F deo eſſe qoi OCTINGENTIES in eo Claudij loco legendum potent: ſed credo eos non ſatis integrum Suetonij locom attendiſſe, qui contemptũ ac deſpicatui habitũ ab Auguſto Claudium non obſcurè oſtendir.

NONGENTA HS MILLIA.

MILLE HS MILLIA: ſequens erat hic numerus: ſed eo Romani nõ vrebantur. Nã vbi ad hũc numerum peruentũ erat, inſequentea ſummas per hæc aduerbia efferebanr, Decies, Vnderies,
G Duodecies, Trederiea, Quarerdecies, Quindecies, Sedecies, Decies ſepties, Decies octies, Decies nouies, Vicies: item Vicies centũ, Vicies ducenta, Vicies trecenta. Hoc & Budæus omniũ primus immortali cũ ſua laude tradidit, & poſt eum Agrirola: ſed oeuter certas & neceſſarias

ad di

ad diſtinguendos numeros regulas expoſuit. A Quæri autem à ſtudioſis non immeritò poſſit, ecquam rationem in minoris numeri aduerbiis ſeruari oporteat, puta Bis, Ter, Quater, Quinquies. quandoquidem hæc loquendi genera occurrunt, Bis millies, Tricies quinquies, Ter & Quadragies, Quadragies octies, Ter millies, Quater millies: de quibus neque Budæus, neque alius quiſquam (quod ſciam) præcepta tradidit. Tres igitur his de reb. regulæ conſtituēdæ ſunt, quarum hæc prima eſt. 1 Quæ ſummæ minores B ſunt decies centenûm millium numero, eæ non per aduerbia, ſed vſitato modo pronuntiantur. Non enim dicimus, Bis, Ter, Quater, Quinquies HS: ſed Ducenta, Trecenta, Quadringenta, Quingenta HS. Dubitandi autem cauſſam afferre poſſet, quia ſicuti Suetonius dixit, Tricies quinquies, & Cicero Ter & vicies, itémque Sexagies ſepties: eodem modo dici poſſe videbatur, Ter ſeſtertium: Quinquies, Septies ſeſtertium. Altera regula eſt hæc: Quæ ſummæ per ſe C numerum denarium ſic implent, vt eum non exſuperent, eæ per aduerbia denarij numeri pronuntiantur: veluti Decies, Vicies, Centies, Millies. Et hanc ſolam regulam Budæus, Portius, & Agricola tradiderunt, eámque vſitatis exemplis comprobarunt. Tertia hæc erit: Quæ ſummæ numerum denarium exſuperant, eę intra numerum viginti per aduerbia tantùm cōpoſita pronuntiantur: ſupra eum numerum, modò per duo aduerbia ſeiūcta, modò partim per aduerbium, D partim per nomen: ſed in aduerbiorum numero voci Semel locus non conceditur. veluti Semel & Decies non dicimus: nec Bis & Decies, Ter & Decies, Quater & Decies. Quinquies & decies: ſed Vndecies, duodecies, tredecies, quaterdecies, quindecies ſeſtertiûm. At ſupra numerū viginti, interdū dicimus Bis & Vicies: interdum Vicies & Ducenta. velut apud Cicer. pro Flacco, Nos hîc in mare ſuperū & inferum ſeſtertium ter & quadragies erogabamus. At idē Verrin. 3. Accepi HS vicies ducenta triginta quinque millia numûm. Tacit. Hiſt. 1. Bis & E vicies mille HS donationibus Nero effuderat.

Milla sestertivm millia, vt iam admonui, veteres non dicebant: multo autem minus milla sestertia, pro eadem ſumma: quia Seſtertia nulli, niſi aut poetæ, aut mali Latinitatis auctores dixerunt. dicebant tamen Milla sestertivm, vel Mille numum. ſed pro Mille ſeſtertiis nummis: ſicuti Mille denarium, Mille ho- F minum, Mille paſſuum, Mille equitum, pro Mille denariis, hominibus, paſſibus, equitibus. Cic. de Orat. 3. Quanti addictus? mille numûm. Ducas licet. nihil addo. Item 6. in Anton. Iránę Iamus medius in L. Antonij clientela eſt? quis vnquam in illo Iano inuentus eſt, qui L. Antonio mille numûm ferret expenſum? Lucillius,

Tu milli nummûm potes vno quærere centum.

Quibus ex locis & ſimilibus Agellius docuit, vo- G cem Mille in illis locutionibus ex vulgi conſuetudine receptis, ſingulari numero vſurpatā fuiſſe. Lib. 1. c. 16. quod tamen prius ex Varronis lib. de ling. Lat. 8. didiceramus, vbi Hoc mille denarium, ſingulari numero dici oſtendit: plurali autem, Hæc duo millia denarium.

De aliis loquendi generibus, per Hoc decies ſeſtertium, Huius ſeſtertij, ab Hoc ſeſtertio.

CAP. XXIX.

Postvlat hic locus, vt noſtram de abnormi quodam & inuſitato locutionis genere, obſeruationem exponamus: quam Budæus quidem attigit, ſed ſtrictim, ac ſummis, tantùm, vt B dici ſolet, digitis: ita denique vt quiuis ipſius perplexitatem poſſit agnoſcere. Agricola autem dum lyncæus videri voluit, planè caligauit. Sciendum eſt igitur, tantam vſus & conſuetudinis popularis auctoritatem in inducendo nouo ſermonis compendio fuiſſe, vt id etiam à ſummis auctoribus contra omnes Latinæ orationis regulas vſurparetur: ita tamen, vt iidem interdum ſeſe ad rectam rationem reuocarent. nam conſuetudo increbuit, vt quoties iſtiuſmodi ad- C uerbiis locus eſſet, Decies, Centies, & aliis, de quibus paullò antè diximus, tum sestertiûm ſingulari numero pro centenis ſeſtertiorum nummorum millibus vſurparent: idque vocabulum per caſus omnes declinarent. non diſſimili licentia eius, quam aliquantò antè ex Varrone & Agellio protulimus, cùm vſu receptum eſſet, vt diceretur, Hoc treſſis, numero ſingulari: & tamen Hi treſſes, numero multitudinis: item Hoc mille denarium: à quo (inquit) multitudinis fit, D Millia denariûm. Cuius rei eundem quoque auctorem Varronem habemus: qui eodem octauo libro ita ſcribit: Nam vt Deciens cùm dicitur, Hoc deciens: vt Hoc mille, huius mille, vt ſit vtrunque ſine caſibus vocis, dicemus, vt Hoc mille, huius mille, ſic Hoc deciens, huius deciens. Exempla igitur videnda ſunt, & à primo nominandi caſu exordiēdum. Cicero Philippica 2. Vbi eſt ſepties millies ſeſtertium, quod in tabulis habebat? Brutus ad Ciceronem lib. 11. epiſt. 10. E Cùm ad liberandam Remp. acceſſi, ſeſtertium mihi fuit pecuniæ quadringenties amplius. Liu. libro quadrageſimo, Seſtertiûm numum quater & vicies ab iis eſt exactum. Tacit. Ann. 11. Seſtertium quindecies & inſignia præturæ Criſpino decreta. Idem Annal. 12. Ita quinquagies ſeſtertium ex opibus immenſis exuli remiſſum. Plinius 36. capit. 5. vbi de quibuſdam aquæductibus loquitur: Ad eam excelſitatem, vt in omnes vrbis montes leuarentur, influxe- F re Curtius, atque Ceruleus fontes. Erogatum in id opus ſeſtertium ter millies. Tacitus Hiſtor. 4. Ceterùm verane pauperie, an vti videretur, actum in ſenatu, vt ſexcenties ſeſtertium à priuatis mutuum acciperetur. Atque hæc quidem de nominandi caſu exempla ſunt. Sequuntur generandi caſus exempla. Tacit. Annal. 12. Et factum eſt ære publico S. C. quo Libertinus ſeſtertij ter millies poſſeſſor antiquæ parſimo- G niæ laudibus cumulabatur. Item, Eodē Nerone oratore, Bononienſi coloniæ igne exhauſtæ ſubuentum centies ſeſtertij largitione. Quin etiam veteribus in libris locus hic Ciceronis ex Philipp. 2. ſic legitur, quemadmodum & Budæus teſtatur, neque vt videmus, abſonum iudicandum eſt: Syngrapha ſeſtertij centies per legatos viros bonos facta in gynæceo. Nunc au-

tem ſuppoſita vulgaris nota eſt LLS : ſic vt ſubaudiri genitiuus vtriuſque numeri caſus peræquè poſſit. Sueton. de teſtamento Tiberij : Legato etiam vicies LLS proſecutus commēdauit inſuper exercitibus. Plinius 10 Epiſt. 5. Mater Romani liberalitatem ſeſtertij quadringenties, quod conferra ſe filio codicillis profeſſa fuerat, nondū ſatis legitimè peregerat. Hæc de ſecūdo caſu. Tertiū autē etſi nuſpiam obſeruauimus, tamen cùm aliorum omnium tot exempla extent, dubium nemini eſſe debet, vbi vſus tulit, quin et nihilo magis parcitum fuerit. Nam accuſandi quidem caſus exempla hæc extant. Cicero Philipp. 2. Tu autem quadringenties ſeſtertiū, quod Idibus Martiis ſuſtuliſti, quonam modo, &c. Item, Ego enim amplius ſeſtertium ducenties acceptum hereditatibus retulit. Adrianus apud Spartianum : Perdidimus quater milliea ſeſtertium, quod populo & militibus dedimus. Seneca de benefi. 2. Cn. Lentulus Augur quater millies ſeſtertium ſuum vidit. Sueton. Calig. cap. 16. Si quibus regna reſtituit, adiecit & fructum omnem vectigaliorum, & redituum medij temporis, vt Antiocho Cōmageno ſeſtertium millies confiſcatum, Valer. 9. c. 1. Sexcenties ſeſtertium æris alieni aſpexit, contractum famoſa iniuria nobilium iuuenum. Eutrop. 6. Cæſar Galliæ tributi nomine, annuum imperauit ſeſtertiū quadringenties. Sed plura quarti caſus exēpla proferre ſuperuacaneum eſt: quandoquidem ſub aduerbiis Decies, Centies, Millies, & aliis ſimilibus, multa relata ſunt. Quare ad ſextum & vltimum caſum tranſeūdum eſt. Varro Ruſt. 3. c. vlt. Memini propter piſcium multitudinem quadragies ſeſtertio villam veniſſe. Seneca de conſol. ad Albin. Claudius Cæſar centies ſeſtertio cœnauit vno die. Item, Beatioréſne iſtos putas quorū pantomimæ decies ſeſtertio nubāt, quàm Scipionē &c. Quibus ex locis facilè adducor, vt in eodem libello ſic legendum exiſtimem, vbi vulgo ſic ſcriptum eſt : Velut in vltima fame victurus, ſi in ſeſtertium vicies vixiſſet, veneno vitam finiuit. tametſi, vt iam antè dixi, ferri vtrumque poteſt. Cicero in Salluſt. Ne cauſſam diceret, ſeſtertio duodecies cum Cæſare paciſcitur, Plin. 3. epiſt. Vt ſcias, quanti videantur emi poſſe, ſeſtertio tricies. non quia non aliquando quinquagies fuerint, &c. Et mox, Quæris, an hoc ipſum tricies facilè colligere poſſimus. Tacit. Annal. 16. Cladem Lugdunenſem quadragies ſeſtertio ſolatus eſt Princeps, vt amiſſa vrbi reponerent. Velleius lib. 2. Id gratis, an accepto centies ſeſtertio feceris, in medio relinquemus. Sueton. Tiber. cap. 48. Publicè magnificentiam bis omnino exercuit, propoſito millies ſeſtertio gratuito in triennij tēpus. Tacitus Annal. 4. eadem de re loquens: Donec tulit opem Cęſar, diſpoſito per menſas millies ſeſtertio. Plin. 9. cap. 35. Lolliam Paullinam, quæ fuit Caij principis matrona, vidi ſmaragdis margaritiſque oppletam, quæ ſumma quadragies ſeſtertium colligebat. Et mox, Quadragies ſeſtertio operta ſpectaretur ad lucernas. Macrob. 2. Saturn. 4. Æs alienum Auguſtus cuiuſdam Senatoris chari ſibi non rogatus, exſoluerat numerato quadragies. At ille pro gratiarum actione hoc ſolùm ei ſcripſit, Mihi nihil. Valerius 9. cap. 1. Cn. Domitius

A L. Craſſo, collegæ, ſub altercatione obiecit, quòd columnas Hymettias in portione domus haberet: quē cōtinuò Craſſus, quanti ipſe domū ſuam æſtimaret, interrogauit atque vt reſpondit, ſexagies ſeſtertio : Quanti ergo eam, inquit, minoris fore exiſtimas, ſi decē arbuſculas inde ſuccidero : Ipſo tricies ſeſtertio, ait Domitius. Tum Craſſus, vter igitur luxurioſior eſt, Egóne qui decem columnas centum millibus nummûm emi, an tu, qui decem arbuſcularum vmbram

B tricies ſeſtertiûm ſumma compenſas? Valerius quod prius conciſè dixerat, Tricies ſeſtertio, plenius poſtea pronuntiauit Summa tricies ſeſtertium. Tacit. hiſtor. 4. Cùm ex funere Reip. raptis Conſulatibus ſpoliis ſeptuagies ſeſtertio ſignatus, & ſacerdotio fulgens: vbi vidēdum an SIGNATVM Tacitus dixerit, pro Inſignem, vel Inſignitum : nam quod eruditus vir DIGNATVS reponit, valde placeret, ſiquod iſtius dignationis ac liberalitatis à Nerone aut alio in

C Meſſalam collatæ teſtimonium ederetur. Tacit. Annal. 3. M. Piſo tacita dignitate, & accepto quinquagies ſeſtertio, in decē annos, relegatur. Plin. 36. c. 15. P. Clodius quem Milo occidit, ſeſtertiûm centies & quadragies octies domo empta habitauerat. vbi Plinius dicere potuit Seſtertio. Et ſic Sueton. Iul. c. 50. Sexagies ſeſtertiûm margaritam mercatus eſt. Macro. 3. cap. 13. Huius Hirtij villam conſtat, propter viuaria quæ habuit, quadragies ſeſtertium vendiram. Quin

D etiam animaduerti veteres auctores tantam interdum proprietatis rationem habuiſſe, & SESTERTIVM illud cum aduerbiis coniunctum in ſecundo numeri pluralis caſu ſic extuliſſe, vt centena millia perſpicuè ſubaudirent, eíſque ſuum numerum accommodarent. Cicero Verrina 3. Hinc LLS quaterdecies P. Tadio numerata Athenis, teſtibus planum faciam. Itē Verr. 4. Hic eſt Dio, Iudices, de quo multis viris primariis teſtibus, vobis priore actione ſatisfactū

E eſt, ſeſtertium vndecies numerata eſſe. Sic enim ſcriptum eſſe in optimo & antiquiſſimo libro, vir fide dignus affirmat : cùm in vulgatis ſcriptum ſit, NVMERATVM. quod tamen nemo qui ſuperiora eiuſdem auctoris exempla legerit, aſpernabitur. Agellius autem lib. 12. apertè rationem proprietatis habuit. Cicero, inquit, cùm emere vellet in palatio domum; & pecuniam in præſens non haberet, à P. Sylla, qui tum reus erat, mutua LLS vicies tacitè accepit. Pro quo

F Tacitus (vt ſuperius oſtendimus) libro Hiſtor. 4. Mutuum ſingulari numero vſurpauit. Atque hæc quidem hactenus : ex quibus Georgij Agricolæ conuinci error poteſt, qui libr. de pond. monet. 2. contra Budæum contendit, vbique legendum in generandi caſu fuiſſe SESTERTIÛM. Librarij, inquit, huius loquendi rationis ignari iterum auctorum ſcripta, vt à me Budæus de hac re diſſideat, deprauarunt: in locum enim Seſtertiûm, hîc ſubſtituerunt Seſtertio: quorum libra-

G riorum errore Bud. inductus eſt. Hæc Agricola. Nunc enim ad inſtitutum à nobis enumerationis ordinem redeundum eſt. Reditur ad enumerationem ſeſtertiorū vltrà Decies LLS. cap. xxx.

DACIES SASTERTIVM. Plutarchus Anton. τῶν φίλων τινὶ μυριάδας ἐκέλευσε πέντε καὶ εἴκοσι δοθῆναι. τοῦτο Ῥωμαῖοι δέκιες καλοῦσι. hoc eſt, A-

micorum

micorum cuidam myriades iuſſit quinque & viginti dari. Hoc Romani DECIES appellant. Hunc loco Plutarchus ſub Myriadum nomine vocem Drachmarum intelligit, ſiue (vt Romanorum rationem ſequamur) denariorum. Quare ſi ad denarium rationem conficiamus, quinque & viginti drachmarum myriades conficiunt 25. denariorum ducenta quinquaginta millia. ſin autem ad ſeſtertium, quadruplicanda erit ſumma, quæ pariet decies centena millia ſeſtertiûm. Sed quod Plutarchus ſimpliciter & abſolutè ſubiicit, aduerbium DECIES dici de ſeſtertiis, in eo me aſtipulatorem non habet. quandoquidem etiam de aſſibus vſurpari ſolitum, ſuperiùs ſuis locis demonſtrauimus. Cic. Verr. 3. vbi narrat Dionem quendam Siculum Haleſinum, cùm eius filio hereditas à propinquo permagna veniſſet, per calumniam in iudicium vocatum, totidem literis ſcribit, HS decies centena millia numeraſſe, vt cauſſam certiſſimam obtineret. Item Verr. 4. Hic eſt Dio, iudices, de quo priore actione ſatisfactum eſt, ſeſtertiûm decies numerata eſſe, vt eã cauſſam in qua ne tenuiſſima quidem dubitatio eſſet, iſtu cognoſcente obtineret. ita HS decies Q. Dionem, quòd hereditas ei obuenilſet, nullámque aliam ob cauſſam perdidiſſe. Liu. libr. 45. X. pondo auri & argenti ad ſummam ſeſtertium decies in ærarium retulit. Suet. Tiber. Parrhaſij tabulam, legatam ſibi ſub conditione, vt ſi argumento offenderetur, decies pro ea ſeſtertium acciperet, non modò prætulit, ſed & in cubiculo dedicauit. Idem Galba: In ſeceſſu plurimum vixit: nec ad geſtandum quidem vnquam aliter iter ingreſſus, quàm vt ſecum vehiculo proximo decies HS in auro efferret. Idem in Otho. Ante paucos dies à ſeruo Cæſaris pro impetrata diſpẽſatione decies HS expreſſerat. Idem Nerone c. 21. Non dubitauit etiam in priuatis ſpectaculis operam inter ſcenicos dare: quodam Prætorum HS decies offerente. Capitolin. Pertinace, Cùm tantam penuriam ærarij haberet, vt præter decies HS non ſe inueniſſe fateretur, coactus eſt ea exigere, quæ Commodus indixerat, contrà quàm profeſſus erat. Horatius Serm. 2. Sat. 3.

Sume tibi decies: tibi tantundem: tibi triplex
Vnde vxor media currat de nocte vocata:
Filius Æſopi detractam ex aure Metellæ
(Scilicet vt decies ſolidum exſorberet) aceto
Diluit inſignem baccam.

Tacit. Annal. 1. Propertio Celeri Prætorio, veniam ordinis ob paupertatem petenti, decies ſeſtertium largitus eſt, ſatis comperto, paternas ei anguſtias eſſe. Idem Annal. 2. M. Hortulus nepos erat oratoris Hortenſij, inlectus à D. Auguſto liberalitate decies HS ducere vxorem, ſuſcipere liberos, ne clariſſima familia extingueretur.

DECIES HS. Fuit hæc ſumma, maximæ dotis modus, vt Bud. & poſt eum Agricola iampridem ex illo Iuuenalis verſu annotarunt, Sat. 10.

Et ritu decies centena dabuntur.
Antiquo. Item Sat. 6.
Optima ſed quare Cæſonia, teſte Marito?

Martialis libr. 2. epigr. 65.

Bis quingenta dedit: tanti vocat ille pudicam.
Illa, illa diues mortua eſt Secundilla.
Centena decies quæ tibi dedit dotis.

Idem libro 12.

Horum delicias ſuperbiámque
Et faſtus querulos, amice, malo,
Quàm dotis mihi quinquies ducenta.

Eiuſdémque dotalis ſummæ mentio exſtat apud Iuriſconſ. l. 6. D. de vſur. Seneca de Conſol. ad Albin. Beatioréſne iſtos putas, quorum pantomimę decies ſeſtertio nubuit, &c. Et eòdem pertinere videtur fideicommiſſum illud, de quo in l. auia, 77. §. pater, D. de cond. & demonſt. Cùm vxori mandatum eſſet, vt moriens filiæ communi decies reſtitueret. Interdum tamen hæc ſumma pro ingenti vſurpatur: veluti in illo Martialis in Scæuolam.

Si dederint Superi decies mihi millia centum,
Dicebat nondum Scæuola, factus eques:
Qualiter ô viuam, quam largè quámque beatè.
Riſerunt faciles, & tribuêre Dij.
Iniis, ô fallax atque inficiator, eamus.
Aut viue, aut decies, Scæuola, redde diis.

Sed nihil ad hoc inſtitutum illud eiuſdem poëtæ pertinet ex lib. 1 Epigr. 12. *Cùm data ſint equitibus quinque numiſmata, quare Bis decies ſolus Sextiliane bibis?* Cuius hanc eſſe ſententiam arbitror, Cùm tibi ſportulæ nomine dati ſint tantùm decem numi, tu tamen in cœna duplo plus bibis, & viginti ſcyphos ebibis.

VNDECIES HS Cicero Verr. 4. Hic eſt Dio, Iudices, de quo multis viris primariis teſtibus vobis priore actione ſatisfactum eſt, HS vndecies numerata eſſe. Quibuſdam in lib. legitur, Numeratum. vtrumque rectè.

DVODECIES HS. Hunc Auguſti inſtituto cẽſum fuiſſe Senatorium, ſuperiùs diximus in Octoginta HS millia. Cicero in Salluſt. Ne cauſſam diceret, HS duodecies cum Cæſare paciſcitur. Idem Verr. 4. Pauculis igitur menſibus, vt hi puſilli & contempti libelli indicant, furta Prætoris quæ extant HS duodecies ex vno oppido ſolo exportata ſunt.

TREDECIES.

QVATERDECIES. Cicero Verr. 3. Hinc HS quaterdecies P. Tadio numerata Athenis, teſtibus planum faciam.

QVINDECIES HS. Tacit. Annal. 11. Seſtertium quindecies & inſignia præturæ Criſpino decreta. Adiecit Vibullius ſeſtertium decies Soſibio, quòd Britannicum præceptis, Claudium conſiliis iuuaret.

VICIES. Spartianus Adriano: Prætor factus eſt Sura Seruiano coſs. cùm ſeſtertium vicies ad ludos edendos, à Traiano accepit. Agel. 12. c. 12. Cicero cùm emere vellet in palatio domum, & pecuniam in præſens non haberet, à P. Sylla, qui tum reus erat, mutua HS vicies tacitè accepit. Ea res prodita eſt, obiectúmque ei eſt, quòd pecuniam domus emendæ cauſſa mutuò accepiſſet. Cicero Att. 4. epiſt. 2. Nobis ſuperficiem ædium Conſules de conſilij ſententia æſtimarunt HS vicies: cetera valdè illiberaliter. Diruta ſcilicet illa domus fuerat, quam integrã tricies & quinquies emerat. ſolum igitur non æſtimarunt, quod ei reſtituebatur, ſed ſolam ſuperficiem. Sueton. Claud. 6. Qui tamen moriens (loquitur de Tiberio) & in tertiis heredibus eum ex parte tertia nuncupatum, legato etiam circa HS vicies proſecutus, commendauit eum inſuper exercitibus. Item Caligul. cap. 55. Cythico comiſſatione:

quadam in apophoretis vicies HS contulit.

Bis et vicies. Cic. ad Att. 2. ep. 1. In ciſtophoro in Aſia habeo ad HS bis & vicies. Tacit. Hiſt. Bis & vicies mille HS donationibus Nero effuderat. appellari ſingulos iuſſit: decuma parte liberalitatis apud quenque eorum relicta. Sed mendum manifeſtum eſt, neque apud tantum auctorem tolerabile. Itaque partim ex Neronis conſuetudine, partim ex locorum collatione, & temporum illorum obſeruatione coniecturam facio millies reſtituendum eſſe. Auctor vitæ Pomp. Att. Tantáque eſt vſus moderatione, vt neq; in ſeſtertio vicies, quod à patre acceperat, parum ſe ſplendidè geſſerit, neq; in ſeſtertio centies, affluentius vixerit quam inſtituerat: paríq; faſtigio ſteterit in vtraque fortuna.

Qvater et vicies Liuius libr. 40. vbi de Certimanis obſeſſis: Oppidani deſtituti ab vnica ſpe auxilij in deditionem venerunt. ſeſtertium nomum ab iis quater & vicies eſt exactum.

Vicies qvinqvies. Cicero Verrin. 3. Cum eum ad ſeſtertium vicies quinquies redegiſſe conſtaret, vt Romam rediit nullam literam pupillo, nullam matri eius nullam tutoribus reddidit.

Tricies HS. Cicero 5. epiſt. 6. Ego tua gratulatione commotus, quod ad me pridem ſcripſeras, velle te bene euenire, quòd de Craſſo domũ emiſſem, emi eam ipſam domum x x x v. Itaque nunc me ſcito, tantum habere æris alieni, vt cupiam coniurare, ſi quis me recipiat. In aliis legitur, millibvs nvmvm xxxv. vitioſiſſime. nam ſuperiùs oſtendimus Ciceronem ad illam domũ emendam vicies HS à P. Sylla mutua ſumpſiſſe. deinde lib. ad At. 4. epiſt. 2. ita ſcribit: Nobis ſuperficiem ædium Conſules de conſilij ſententia æſtimarunt HS vicies. cetera valde illiberaliter. Notas igitur illas xxxv. ſic interpretabimur, Quinquies & Tricies. Cuius eiuſdem ſummæ mentio extat apud Sueton. Auguſt. Legauit populo R. quadringenties, tribubus quinquies & tricies HS. Qui locus nulla indiget emendatione. Significat enim ſingulis tribubus (fuiſſe autem quinque & triginta nemo neſcit) centena HS millia legata. Nã etſi ciues omnes in illis tribubus deſcripti erant, tamen vnaquæque tribus ſuam quandam communem arcam habebat, vnde præter alios vſus conuiuia feſtis quibuſdã dieb. inter ſe agitabant: ſicut in Quadringenties docuimus.

Qvadragies HS. Macrob. Sat. 2. c. 3. Æs alienum Auguſtus cuiuſdam Senatoris chari ſibi non rogatus exſoluerat, numerato quadragies: at ille pro gratiarum actione hoc ſolum ei ſcripſit, Mihi nihil. Plin. 8. c. 48. Metellus Scipio triclinia Babylonica ſeſtertium octingentis millibus veniſſe iam tunc, poſuit in Capitonis criminibus, quæ Neroni principi quadragies ſeſtertio nuper ſtetere. Budæus teſtatur in duobus antiquis ſcriptum fuiſſe, Qvadringenties sestertivm. quam lectionem non dubito veram & germanã eſſe. Sueton. Neron. 27. Indicebat & familiarib. cœnas. quarum vni mellita quadragies HS cõſtiterunt alteri pluris aliquãto ab Syrtio roſaria. Seneca de vita beata. c. 21. M. Cato cùm laudaret

A Curium & Coruncanium, & ſeculum illud in quo Cenſorium crimen erat, paucæ argenti argenti armillæ poſſidebat ipſe quadragies HS. Sed eo loco reſtituendum arbitror Quadringẽties. quandoquidem Craſſi opes fuiſſe ex Plin. didicimus ad bis millies ſeſtertium. vt nullum comparationis inter ipſos inducendæ argumentum Senecæ reliquum fuiſſet. Macrob. 3. c. 15. Auctor eſt Plin. C. Cæſarem dictatorem cùm triumphales cœnas populo daret, ſex millia muB rænarum à C. Hirtio ad pondus accepiſſe. Huius Hirtij villam quamuis non amplam, aut latam, conſtat propter viuaria, quæ habuit, quadragies HS venundatam. Plinius 9. c. 55. Murænarum viuarium priuatim excogitauit C. Hirtius ante alios qui cœnis triumphalibus Cæſaris Dictatoris ſex millia numero murænarum mutuo appendit. nam permutare quidem pretio noluit, aliáve merce. Huius villam intra quam modicam quadragies piſcinæ vendierunt. Sic doctiſſimus Ge-C lenius edidit. mendoſè, vt ex Latini ſermonis ratione apparet. Veteres impreſſi habebant, vendiderunt. quod Bud. rectiſſimè retinuit. Nã feſtiuè Plin. ita locutus eſt, vt diceret Piſcinas ipſas vendidiſſe villam, pro Vendibilem feciſſe villam, cùm eſſet intra quam modicam, id eſt, minùs quàm modica. multa enim (vt ait Iuriſc.) propter acceſſiones emuntur. ſicuti cùm domus propter marmora & tabulas pictas emitur. l. ſi in emptione, 34. D. de cont. empt. Vale-D rius 5 c. 7. Cùm à L. Scipione ex Antiochenſi pecunia HS quadragies ratio in curia repoſceretur, prolato ab eo libro quo acceptæ & expenſæ ſummæ continebantur, & refelli inimicorum accuſatio poterat, diſcerpſit, & in hunc modum egit: Non reddo P. C. ærario veſtro HS quadragies rationem: (credo legendum ſeſtertij alieni imperij miniſter, quòd meo ductu meiſque auſpiciis bis millies HS vberius feci. Et eadem hæc Liuius infra, ſub Bis millies.

E Ter et qvadragies. Cicer. pro Flacco. Nonne eo ipſo tempore, cùm L. Flaccus in Aſia remiges imperabat, nos hìc in mare ſuperum & inferum HS ter & quadragies erogabamus?

Qvinqvagies. Tacit. Annal. 12. Exin Claudius inaudita rea, (Lolliam Paulinam ſignificat) multa de claritudine eius apud Senatum præfatus, addidit perniciosa in Remp. conſilia, & materiam ſceleri detrahendam. proinde publicatis bonis cederet Italia. Ita F quinquagies HS ex opibus immenſis exuli relictum.

Sexagies. Cicero pro Sext. Roſc. Bona patris huiuſce Sext. Roſcij, quæ ſunt ſexagies, quæ de L. Sylla duobus millibus numûm ſeſe dicit emiſſe Chryſogonus. Plutarchus in Cicerone poſuit πεντήκοντα καὶ διακοσίων ταλάντων. Rectè. nam cùm talẽtum Atticum valeat HS quattuor & viginti millibus, certè ducenta quinquaginta talenta efficient ſexagies HS numum. G Sueton. Iul. c. 50. Ante alias dilexit M. Bruti matrem Seruiliam, cui & proximo ſuo Conſulatu ſexagies HS margaritam mercatus eſt. Capitolinus verò, Omne autem conuiuium æſtimatum dicitur ſexagies centenis millibus ſeſtertium. Quo loco ridendum ferè dicerem Egnatium

rum,cum ita ſcribit: Ridendus profectò auctor, nec,ſi ita legas, ſatis numerorum veterum peritus. Tu Sexagies tantùm leges,quæ ſumma non modica fuerit. Hæc Egnatius:admodum, vt dixi, ridiculè. Maioris negotij eſt locus ille Ciceronis in ea pro Comœdo: Decem his annis proximis HS ſexagies honeſtiſſimè conſequi potuit,noluit. Nam ſi hoc verum eſſet, non tantùm trecenta millia Roſcius annua meruiſſet, de quibus paulò antè locutus erat, verùm ſexcẽta,vt mihi de alterutrius loci mendo ſuſpicari liceat.

Octogies. Suet. Claud. Poſtremò etiam HS octogies pro introitu noui ſacerdotij coactus impẽdere, ad eas rei familiaris anguſtias decidit, vt cùm obligatam ærario fidem liberare non poſſet,in vacuum lege prædiatoria venalis pependerit. Cicero 13. Epiſt. 61. Eius filio pecuniam Nicæenſes grandem debent ad LLS octogies.

Nonagies. Sueton. Caligula 38. Nota res eſt: Aponio Saturnino inter ſubſellia dormitanti monitum a Caio præconem, ne Prætorium virum crebro capitis motu nutantem ſibi, præteriret: nec licendi finem factum, quoad tredecim gladiatores HS nonagies ignoranti addicerentur.

Centies. Plin lib. 27. 10 Proœ. Crinas Maſſilienſis, cùm aliquamdiu Romæ medicinam feciſſet, nuper centies HS reliquit muris patriæ: mœnibus quoque aliis pene non minori ſumma extructis. Paul. Oroſius li. 7.c.7. vbi de Nerone commemorat: Centies centena millia ſeſtertium annua ad expenſas à Senatu ſibi conferri imperauit. Velleius lib.2. vbi de C. Curione Trib. pl. loquitur. Huic primò pro Pompeij partibus, mox ſimulatione contra Pompeium & Cæſarem, ſed animo pro Cæſare ſtetit. Id gratis, an accepto centies ſeſtertio fecerit (vt accepimus) in medio relinquimus. Auctor vitæ Virgilij: Poſſedit propè centies HS ex liberalitatibus amicorum.

Centies HS Plin. 9. cap. 35. Duo fuere maximi vniones per omne æuum. Vtrunque poſſedis Cleopatra, Ægypti Reginarum nouiſſima, per manus Orientis Regum ſibi traditor. Hæc, cùm exquiſitis quotidie Antonius ſaginaretur epulis, ſuperbo ſimul ac procaci faſtu, vt Regina meretrix, lautitiam eius omnem eius apparatúmque obtrectans,quærenti eo,quid aſtrui magnificentiæ poſſet; reſpondit, vna ſe cœna centies HS abſumpturam. Cupiebat diſcere Antonius, ſed fieri non poſſe arbitrabatur. At illa abſumpturam ſe eam in cœna taxationem cõfirmans, ſolámque ſe centies HS cœnaturam, inferri menſam ſecundam iuſſit. Ex præcepto miniſtri vnum tantum vas poſuere ante eã aceti cuius aſperitas vſque in tabem margaritas reſoluit. Gerebat auribus tum maxime ſingulare illud & verè vnicum naturæ opus. Itaque ſpectante Antonio, quidnam eſſet, acturæ, detractum alterum merſit, ac liquefactum abſorbuit. Eandem hiſtoriam Macrob. commemorat lib. Saturn. 3. c. 17. Seneca de conſol. ad Albin. vbi de Caligula: C. Cæſar Auguſtus, inquit, quem mihi videtur rerum natura ediſſe, vt oſtenderet, quid ſumma vitia in ſumma fortuna poſſent, centies ſeſtertio cœnauit vno die: & in hoc omnium adiutus ingenio, vix tamẽ inuenit, quomodo trium prouinciarum tributum vna cœna fieret. Qua de re Sue-

A tonius: Nepotinis ſumptibus omnium prodigorum ingenia ſuperauit, commentus nouum balnearum vſum, portentoſiſſima genera ciborũ atque cœnarum, vt calidis frigidiſque vnguẽtis lauaretur, precioſiſſimas margaritas aceto liquefactas ſorberet, conuiuis ex auro panes & obſonia apponeret: aut frugi hominem eſſe oportere dictitans, aut Cæſarem. Cic. Att. 2. epi. 20. Diodorus mortuus eſt. reliquit nobis HS fortaſſe centies. Manutius rectiſſimè animaduertit, immanẽ eſſe

B ſummam: & centvm pro Centies reponendum.

Centies HS. Seneca de Conſolat. ad Albin. Apicius noſtra memoria vixit, qui in ea vrbe ex qua aliquando philoſophi velnti corruptores iuuentutis abire iuſſi ſunt, ſcientiam popinæ profeſſus, diſciplina ſua ſeculum infecit. cuius exitum vitæ nouiſſe, operæpretium eſt. Cum LLS millies in culinam congeſſiſſet, cum tot cõgiaria principum & ingens Capitolij vectigal ſingulis commiſſationibus hauſiſſet, ære alieno

C oppreſſus, rationes ſuas tunc primum inſpexit, ſuperfuturum ſibi HS cẽties computauit. & velut in vltima fame victurus, ſi in ſeſtertium centies vixiſſet, veneno vitam finiuit. Quanta luxuria erat, cui HS centies egeſtas fuit? Pro Millies, Martialis poſuit Bis trecenties.

Dederas Apici bis trecenties ventri.
Sed adhuc ſupererat centies tibi laxum.
Hoc tu grauatus, ne famen & ſitim ferres,
Summa venenum potione duxiſti.

D Centies. Sueton. Veſpaſ. c. 19 Sed & in funere, Fauo Archimimus perſonam eius ferens, imitánſque, vt & mos, facta ac dicta viui, interrogatis palam procuratoribus, quanti funus & pompa conſtaret, vt audiit HS centies, exclamauit, Centum ſibi ſeſtertia darent, ac ſe vel in Tiberim proiicerent. Immanis certè hæc ſumma eſt. Nero enim ducentorum millium impenſa funeratus dicitur. cap. 50. Itaque dici vix poteſt quàm varie Bodæus, Glareanus, & alij locum illum

E diſtraxerint. in quo ſi modò seſtertiũm plurali genitiuo reponamus, nihil quod deſideretur, ſupererit. Sordes Principis inde Suetonius arguit, quòd paratus erat ſeſtertium centum millibus præſentibus depaciſci, vt ſe mortuum in Tiberim deijcerent, neque vllam in ſuum funus impenſam facerent.

Centies qvinqvagies. Tacit. Annal. 12. Pallanti (fuit hic Claudij Cæſaris libertus) prætoria inſignia & centies quinquagies HS cẽ-

F ſuit Cos. deſignatus Barea Soranus. Aſſeuerauit Claudius contẽtum honore Pallãtem intra priorem paupertatem ſubſiſtere. Plin. li. epiſt. 7. c. 7. ad Mont. eſt via Tiburtina monimentum Pallantis ita inſcriptum: Huic Senatus ob fidem pietatémque erga patronos, ornamenta prætoria decreuit, & ſeſtertium centies quinquagies: cuius honore contentus fuit. Item lib. 8. ad eundẽ: Voluiſſe quidem Senatum cenſere, dãdum ex ærario HS centies quinquagies. Sed & paullò poſteriùs aliquoties eadem ſumma inculcatur.

Centies qvadragies octies. Plin. 36. cap.

G 15. Et ſi quidem impenſæ mouent captos auaritia animos, P. Clodius, quem Milo occidit, HS centies & quadragies octies domo empta habitauerat: quod equidem non ſecus ac Regum inſaniam miror.

Centies et octogies. Cic. in Piſ. Quid auaritię, quę criminibus infinitis implicata eſt, ſummam nunc explicem? generatim ea quæ maxime nota ſunt, dicam. Nonne ſeſtertium centies & octogies, quod quaſi vaſarij nomine, in venditione mei capitis adſcripſeras, ex ærario tibi adtributum, Romæ in quæſtu reliquiſti?

Dvcenties. Macrob. 3. Saturn. 14. Æſopũ ex arte hiſtrionica ducenties HS reliquiſſe filio conſtat. Cic. Philip. 2. Hereditates mihi negaſti venire. qui iſtuc tibi venit in mentem? Ego enim amplius HS ducenties acceptum hereditatibus retuli. Mirandum igitur videri poteſt, quòd Plutarchus in eius vitæ quaſi memorabile quiddam narrat, hereditatem ei quandam obueniſſe HS quadringentorũ ſexaginta: vt ſuo loco diximus, Macrob. 2. Sat. 4. Relata ad ſe magnitudine æris alieni, (loquitur de Auguſto) quam quidam eques R. dum vixit excedentem HS ducenties celauerat, culcitram emi cubicularem in eius auctione ſibi iuſſit. Et præceptum mirantibus, hãc rationem reddidit: Habenda eſt ad ſomnum culcitra, in qua ille cùm tantum deberet, dormire potuit. Liu. 45. HS ducenties ex ea præda redactum eſſe, auctor eſt Antias: præter aurum argentúmque, quod in ærarium fuit relatum.

Trecenties. Martial. 5. Epigram.

Dederas, Apici, bis trecenties ventri.
Sed adhuc ſupererat centies tibi laxum.
Hoc tu grauatus, ne famem & ſitim ferres,
Summa venenum potione duxiſti.

Qvadringenties HS. Tanti litem Siculi C. Verri agenti Cicerone æſtimarunt. Verr. 2. Dicimus C. Verrẽ quadringenties HS ex Siciliæ contra leges abſtuliſſe. Idem Ver. 3. Dixi in primæ actione me planum eſſe facturum, C. Ver. HS quadringenties contra legem abſtuliſſe. Et Verr. 5. At ego plus dico. Seſtertium quadringẽties accepiſſe te arguo contra leges. Mouere dubitationem Plutarchus poſſet, qui in Ciceronis vita ſic ſcribit: οὕτω δὲ τοῦ Βέῤῥου καταδικασθέντος, ἑβδομήκοντα πέντε μυριάδων τιμησάμενος τὴν δίκην ὁ Κικέρων διεβλήθη ὡς ἐπ' ἀργυρίῳ τὸ τίμημα καθυφειμένος. id eſt, Dãnato Verre vocatus, eſt in inuidiã Cicero, quaſi pecunia corruptus litẽ ei æſtimaſſet, dũtaxat ſeptuaginta quinq; myriadibus. Tot. n. drachmarũm myriades non plus tricies ſeſtertium efficiunt. Itaque mendoſum eo loco Plutarchum Bud. exiſtimat, legendúmque potius τετρακοσίων ἑβδομήκοντα πέντε μυριάδων: vt ſit (inquit) centies quinquagies ſeſtertium. Quæ tamen ſumma longo interuallo abeſt ab illa quadringenties. vt mihi potius libeat huc quoque in aliorum Plutarchi peccatorum numerum referre. Tac. Ann. 13. vbi de Nerone: Plebique cõgiarium quadringeni numi viritim dati, & HS quadringenties ærario illatum eſt ad retinendam populi fidem. Brutus Cicer. ep. 10. Cùm ad liberandam Remp. acceſſi, HS mihi fuit pecuniæ CD. amplius. tantum abeſt, vt meæ rei familiari liberum ſit quicquam, vt meos iam omnes amicos ære alieno obſtrinxerim. Septenum numerum legionum alo: qua difficultate, tu arbitrare. Olim legebatur Seſtertium quattuor millibus. Bud. reponebat, Tricies quinquies: haud procul à vero. Nunc in recentioribus editionibus notæ illæ repoſitæ ſunt: pro quibus

A plenis literis ſcribendum eſt HS quadringenties, Plin. 9. c. 35. Paulinam, quæ fuit C. Principis matrona, vidi ſmaragdis margaritiſque opertam, quæ ſumma quadringenties ſeſtertium colligebat. Cic. Phil. 2. Tu autem quadringẽties HS quod idibus Martiis ſuſtuliſti, quonã modo ante Kal. Apriles debere deſiſti? Debuerat ſcilicet illã ſummam Antonius ſuis creditoribus. Sublato ſepties millies ſeſtertio, quod Cæſar ad ędem Opis depoſuerat, eam pecuniam exſoluit.

B Sueton. Aug. c. vlt. Legauit populo R. quadringẽties, tribubus tricies quinquies HS. Tacitus Annal. 1. Legata non vltra ciuilem modum, niſi quod populo & plebi ccccxxxv dedit. Ambo concordiſſimè: Nam Auguſtus vniuerè populo legauerat quadringenties HS. deinde ſingulis tribubus centena millia numûm. quorſum? non vt in ſingulas tribus diuiderentur. nam tribuli vni cuique ſua iam erat virilis portio adtributa. quid ergo eſt? nimirum vt in cuiuſque tri- C bus arcam communem relata, poſtea in vniuſcuiuſque vſus impenderentur: veluti feſtis quibuſdam diebus in epulas curialium. Populi nomen commune eſt omnium ſiue vrbanorum ſiue ruſticorum Romanorum, plebs Propriè vrbana eſt Dionyſ. Antiq. 2. συνέθυον τε τοῖς ἱερεῦσιν ἀποφάντρας εἰς τὰς ἀπονεμηθείσας αὐτοῖς θυσίας, καὶ συνειστιῶντο κατὰ τὰς ἑορτὰς ἐπὶ τὰς φρατριακὰς ἑστίας. ἑστιατόριον γὰρ ἦν κατεσκευασμένον ἑκάστῃ φράτρᾳ. Curiales vna cum ſuis ſacerdotibus ſacris ſuæ curiæ propriis D intereſſe ſolebant: & feſtis diebus vnà in ſuis curialibus atriis epulabantur. Erant enim ſua cuique curiæ cœnacula, ad conuiuandum inſtructa. Dixit autem Tacitus Intra ciuilem modum, pro, Non immodicè, & præter ciuium aliorum conſuetudinem: velut Annal. 2. Diſplicere maximis ciuilia filiorũ ingenia. & lib. 4. Quæ in præſens Tiberius ciuiliter habuit. & libro 5. Silentium ipſius non ciuile, ſed in ſuperbiam accipiebatur. Itẽ libro Hiſtor. 2. Comitia Conſulum cũ E candidatis ciuiliter celebrans, id eſt, populariter, communi ciuium quaſi vnus è ciuibus. Verùm vt ad ſuperiorẽ ſummam redeamus, Dio lib. 56. ſuo more excurrentem ſummam omiſit. τοῦτο δὴ μοι inquiens, χιλίας μυριάδας. nam mille drachmarum myriades ſummam illam vnicam conficiunt HS quadringenties, Eutrop. lib. Breuiar. 6. Cæſar ſubactæ Galliæ tributi nomine imperauit HS quadringenties. Sueton. Iul. c. 25. Omnem Galliam in prouinciæ formam redegit, ei- F que ſeſtertium quadringenties in ſingulos annos ſtipendij nomine impoſuit. Sic n. legendum, & libri veteres argumento ſunt, & iam pridem ab aliis demonſtratum eſt.

Qvingenties. Suet. Othon. c. 7. Nec quicquã prius pro poteſtate ſubſcripſit, quàm quingenties HS ad peragendam auream domum. Idem Octauio c. 30. Vtpote qui in cellam Capitolini Iouis xvi. millia pondo auri, gẽmáſque ac margaritas quingenties HS vna donatione contu- G lerit. Idem in Galba c. 5. Liuiæ mortuæ teſtamẽto peuè ditatus eſt. HS nãque quingẽties cum præcipuũ inter legatarios habuiſſet, quia notata, non perſcripta erat ſumma, herede Tiberio legatum ad quingẽta reuocãte, ne hæc quidẽ accepit. Locus quidẽ indiget emẽdatione: ſed non ea quam vir cũ primis doctus adhibuit. Scriptũ fuiſſe

fuiſſe oportet in teſtamento HS QVING. ambiguè nimirum, vt æquè pro Seſtertium. quingenta, vt pro Seſtertiū quingenties interpretari poſſet. Ac legatarius quidem petebat quingenties ſeſtertiùm: heres quingenta offerebat: nempe ſeſtertium: cum in illo Centena millia, in hoc Millia ſubaudietur. nam ceutuplo minor hęc ſumma eſt. ſed tamen neque leuis. neque modica. Quod autem vir doctus reponendum putauit QVINQVAGIES, primùm congruere cū illa nota QVING. B propter poſtremam literam quę in alphabeto ſeptima eſt, non poteſt: nota autem QVINQ. per Q. poſtremam nihil habuiſſet cum Quingenta commune. præterea quamuis Quinquagies ſeſtertium ſumma ſit permagna, tamen ad ditandū Galbam non vſqueadeo exiſtimanda eſt. Vtcumque ſit, hic eſt locus vnde primum ſuſpicari cœpi, actionem quæ vulgo dicitur Præſcriptis verbis, appellatam olim fuiſſe Perſcriptis verbis, hoc eſt non notis, ſed plenis atque integris literis exaratā. C quemadmodum olim docuimus in cōiectura ſeu Diſputat. noſtra de perſcriptis verbis. Plinius 6. c.23. Diùque ita nauigatum eſt, donec compendia inuenit mercator lucróque India admota eſt. quippe, omnibus annis nauigatur, ſagittariorum cohortibus impoſitis. Digna res: nullo anno imperij noſtri minus HS quingenties exhauriente India, & merces remittente, quæ apud nos centuplicato veneant.

SEXCENTIES. Valer. 9. c. 1. Conſimilis mutatio D in domo Curionum extitit. ſiquidem forum noſtrum & patris grauiſſimum ſupercilium & filij ſexcenties ſeſtertiū æris alieni aſpexit contractū famoſa iniuria nobiliū iuuenum. Tacitus hiſtor. 4. Ceterum verāne pauperie, an vti videretur actum in ſenatu, vt ſexcenties HS à priuatis mutuum acciperetur. Plin. 33. c. 10. C. Aſinio Gallo C. Marſio Cenſorino Coss. C. Cæcilius Claudius Iſidorus teſtamento ſuo edixit, quamuis multa bello ciuili perdidiſſet, tamen relinquere ſeruorum quattuor millia, CAV. iuga boum (legen- E dum eſt IVGVM generandi caſu) tria millia ſexcenta: reliqua pecoris CCLVII millia: in numerato HS DC. funerari ſe iuſſit HS XI. Hunc locū Budæus ex antiquis libris feliciſſimè reſtituit, & prius Sexcenties, poſterius Vndecies interpretatus eſt.

SEPTINGENTIES. Plin. 36. cap. 15 Itaque & ipſum Milonem ſeſtertium ſeptingenties æris alieni debuiſſe, inter prodigia animi humani duco.

MILLIES HS Plin. 17. c. 1. M. Craſſus Cenſor, L. F Domitio increpante eum, quòd Cenſor tanti habitaret, pro domo eius HS millies identidem promittenti addicere ſe reſpondit, exceptis ſex arboribus. At ne vno quidem denario ſi adimerentur, emptam volente Domitio, Craſſus, Vtrúmne igitur, ego ſum, inquit, Domiti, exemplo grauis, qui in domo, quæ mihi hereditate obuenit, comiter habitem, an tu qui HS millies ſex arbores æſtimes. Eæ fuere loti patulæ ramorum opacitate laſciuæ. Sueton. Veſpa. 13. Sa- G binium liberalem in defenſione diuitis rei auſum dicere, Quid ad Cæſarem, ſi Hipparchus HS millies habet? Et ipſe laudauit. Paul. l. 4. §. D. de ſtatulib. Non eſt ſtatuliber is, cui teſtator tam difficilem, imò planè impoſſibilem cōdicionem adiecerat, vt aliunde ea libertas contingere

A non poſſit. veluti, ſi hæredi millies dediſſet Sit enim rectè Florentiæ ſcriptum eſt, vbi ſubauditur Seſtertiùm: cùm in vulgaris MILLE ſcriptum eſſet: quandoquidem condicio mille ſeſtertios dandi, nec difficilis eſt, & multo minus impoſſibilis. Mille autem ſeſtertia nunquam dici ſolita, ſed Decies ſeſtertium, ſuo loco demonſtrauimus. Sententia tamen pro ALIVNDE, poſtulat INDE: hoc eſt, ex illius condicionis euentu. B Sueton. Iulio 26. Altiora iam meditans, & ſpei plenus, nullum largitionis genus publicè priuatimque omiſit. Forum de manubiis inchoauit, cuius area ſuper HS millies conſtitit. Quam ſummam Budęus vt immanem, ac propè portentoſam ferre vix poteſt. Itaque & ipſe, & familiaris ipſius librorum Portius, vocem MILLE reponendam putant: quod Portij commentum Egnatius laudibus in cælum tollit: valde, meo iudicio, inconſideratè: cùm hæc eadem ſumma C prodatur à Plinio libro 36. c. 15. Pyramides Regum (inquit) miramur, cùm ſolum tantùm foro extruendo HS millies Cæſar dictator emerit. quanquam alij codices MDD. Quas notas interpretor per Millies ducentica: vt eam ſummam excurrentem intelligamus, quam Suetonius adiecta particula SVPER deſignauit. Neque id mirum aut Budæo, aut Portio videri oportuit, inſtitutum à Suetonio ſermonem conſiderantibus, & illa præſertim verba, Nullum à Cæſare modū D largitionibus factum eſſe, dum inſtitutæ dominationis fundamenta iaceret. Itémq; verba illa Plinij de pyramidum admirabilitate à Iulio Cęſare victa. Eò accedit, quòd complures domus dirui oportuit, vt forum nouum inchoaretur. Quid multa? nam ſiue legamus Seſtertios mille, ridicula ſumma eſt: ſiue Seſtertia (vt Budæus & Portium voluiſſe video) tamen prærerquā quòd eadem ſumma leuior eſt, meminiſſe debuerunt, nunquam dici Mille ſeſtertia, ſed ſemper Decies E ſeſtertium: quemadmodum ſuperiùs docuimus. Et hoc idem Glareanus in Suetonium rectiſſimè animaduertit. Suet. Nerone c. 30. In Tiridatem, quod vix credibile videatur, octingenta nummorum millia diurna erogauit, abeuntiq; ſuper HS millies contulit.

MILLIES. Cicero in Diuinat. Sicilia tota, ſi vna voce loqueretur, hoc diceret, Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis vrbibus, ſedibus, delubris fuit, quod in vnaquaque re beneficio Senatus populique R. iuris habui, F id mihi tu Verres eripuiſti, atque abſtuliſti. quo nomine abs te HS millies ex lege repeto. Aliis locis litem eidem ęſtimat quadringenties, vt ſuo loco diximus. Sed rectè Pedianus hoc loco monuit, ſuperius illud elaturiè ab Oratore pronuntiatum, cùm neque ipſius accuſator adhuc conſtitutus, neque Verres adhuc reus factus eſſet. Agel. 2 c. 24. Poſtremò lex Iulia (ſumptuaria) ad populum peruenit, Cæſare Auguſto imperante, qua profeſtis quidem diebus ducenti (loquitur G de HS numis) finiuntur. Kalendis, Idibus, Nonis & aliis quibuſdam, feſtiuis treceni: nuptiis autem & repotiis, HS millies eſſe. Ridiculè & abſurdè. nam, vt alia omittam, ecquænam tandē proportio illa eſt? aut verò quónā illud ASSE referri poteſt? Corrigēdum igitur HS MILLE, vel

ſcribit eum antequam Antoninum Pium adoptaret, Ceionium Commodum adoptaſſe: ob cuius adoptionem Circenſes ludos dedit, & donatiuum populo ac militibus. Quem conſulē deſignatum cùm minus ſanum videret, ſæpiſſimè dictitabat, In caducum parietem nos inclinauimus, & perdidimus quater millies HS quod populo & militibus pro adoptione Commodi dedimus. Alio loco Ter millies edidit: vt neceſſe ſit, alterutro in loco mendum ſubeſſe.

Sexies millies. Velleius lib. 2. vbi de Iulio Cæſare, & quinque ipſius triumphis: Pecunia, inquit, ex manubiis lata paullò amplius ſexies millies. Sed hæc ſumma oppido mihi tenuis videtur. itaque sexagies millies reponendum arbitror. vide Bis millies centies.

Septies millies. Cicero Philipp. 2. vbi eſt ſepties millies HS, quod in tabulis, quæ ſunt ad Opis, patebat? funeſtæ quidem illius pecuniæ, ſed tamen, ſi iis quorum erat, nō redderetur, quæ nos à tributis poſſet vindicare. Velleius locum illum lib. 2. ſic interpretatur: Seſtertiū ſepties millies depoſitum à C. Cæſare ad ædem Opis occupatum ab Anton. Et hoc ipſum in Phil. perſæpe.

Novies millies. Tacit. Hiſtor. 2. de Vitellio loquens, Ipſe abundè ratus, ſi præſentibus frueretur, nec longius conſultās, nouies HS paucißimis menſibus interuertiſſe creditur. Zonaras autem ea de re commemorans, πρὸς πάντων ὁμολογεῖται, δύο μυριάδας μυριάδων καὶ χιλίας πεντακοσίας ἐν τῷ τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ χρόνῳ ἐς τὰ δεῖπνα αὐτὸν δεδαπανηκέναι. Quem locum Volphius noſter ſic conuertit, Inter omnes conſtat, eum imperij ſui tempore bis millies centies quinquagies centena millia drachmarum in cœnas inſumpſiſſe. Quæ ſumma vehemēter ab illa Taciti diſcrepat. Quod ſi διχιλίας legeremus, & vocem μυριάδας repeteremus, tum verò proximè ad eam accederet. Nam illa ſumma quadruplicata ſeſtertium efficit decies millies centena millia.

Qvater decies millies. Suet. Auguſt. Viginti proximis annis, quaterdecies millies ex teſtamentis amicorum perceperat: quod penè omne cum duobus patrimoniis cæteriſque hereditatibus in Remp. abſumpſiſſet.

Vicies millies. Cicero Verr. 3. ex rationibus C. Verris Quæſtoris: Accepi HS vicies ducēta triginta quinque millia, quadringentos decem & ſeptem numos. Dedi ſtipendio, frumento, legatis, proquæſtore, cohorti prætoriæ HS mille (legendum eſt vicies) ſexcenta triginta quinque millia: quadringentos XVII. numos. Reliqui Arimini HS ſexcenta millia.

Vicies septies millies. Sueton. Calig. 37: Ac ne ſingula commemorem, immenſas opes, totúmque illud Tiberij Cæſaris vicies ac ſepties millies HS non toto vertente anno abſumpſit.

Bis et et vicies millies. Tacit. hiſtor. 1. Bis & vicies millies ſeſtertium donationibus, Nero effuderat. Vbi in omnibus quos videre licuit, vitioſè legitur mille.

Tricies. Liuius libro 28 Pecuniæ in ærarium tulerunt ſeſtertium tricies octoginta millia æris: id eſt, tricies centena millia, & inſuper octoginta millia. Hunc puto primum eſſe locum apud Liuium, in quo Seſtertiorum fiat mentio. Sed mi-

A hi obſeruatores, & exploratores deſunt, quibus alij abundant. Nobis neque licet eſſe tam beatis, neque tam oculatis.

Qvadringenties millies. Suet. Veſpaſ. cap. 16. Sunt qui opinentur ad manubias & rapinas neceßitate compulſum, ſumma ærarij fiſcique inopia. de qua teſtificatus ſit initio ſtatim principatus, profeſſus quadringenties millies opus eſſe, vt Reſpub. ſtare poſſet.

B *Quid ſit, Confici rationes ad denarium, quinarium, ſeſtertium.*

CAP. XXXI.

Adhvc de numis argenteis ſatis explicatum videtur. ſupereſt, vt de aureis diſſeramus. Commodius tamen futurum arbitror, ſi prius expoſuerimus, quid ſit, quod apud veteres dicebatur, Rationes confici ad denarium, ad quinarium, C ad ſeſtertium. Qui locus ſcitè admodū & eleganter à Mætiano Iuriſconſulto tractatus eſt: ſed nihilomagis à noſtris Antiquariis (quorum quidem mihi vſque adhuc libros videre licuit) quàm aliquod Cumeæ Sybillæ ſomnium, intellectus. Nam Budæus quidem & Agricola ſic eum quaſi prætereuntes aſpexerunt, tanquam aut nihil omnino ille locus ad eorum inſtitutum pertineret: aut confici rationes ad denarium, ſeſtertium, quinarium idem eſſet, quod referre in tabu- D las certum denariorum, ſeſtertiorum, quinariorum numerum expenſum acceptúmve fuiſſe. de quo ſanè neutrum culpare, nedum incuſare velim. Nā egomet poſt attentiſſimam aliquot horarum cogitationem, ac moleſtiſſimum laborem, quem in illo Mætiani tractatu partim emendando, partim explicando conſumpſi, vix mihi viſus ſum bonā operam in re præſertim, hoc quidē tēpore, ſuperuacanea, poſuiſſe. niſi fortè, quòd Antiquitatis locum obſcuriſſimum primus omnium E aggredi ſum auſus: eúmq; feliciter, vt ſperare videor, illuſtraui. Primùm igitur Mætiani verba hæc, quaſi præmunitionis loco proferamus. Ingenioſiſſimè, inquit, cùm ad denarium ratio conficeretur, excurrentis æris nota inuenta eſt: quę ſedecies multiplicata id efficeret. nāque cùm denarij nota præſcribatur, eique ſubiūgatur (incurrentis) excurrentis æris nota, manifeſtum ad eam ſedecies ducēdam ex adnotatione Denarij. Hæc ille. Quæ vt intelligātur, primùm meminiſſe opor- F tet, quod ſuperius ſuo loco diximus, Denarium qui ab initio pro decem aſſibus percuſſus fuerat, aliquanto pòſt ad ſedecim perductum fuiſſe: Quinarium qui pro quinque, ad octo: Seſtertium pro duobus & ſemiſſe, ad quattuor: veterem tamen eorum & appellationem & notam conſeruatam fuiſſe. Id quod primùm Chariſius lib. 1. confirmat his verbis: Apud antiquos Denarius decem aſſes habuit. ideóque in rationibus faciendis denariū decuſſi X inductū notamus. Tum verò Mæ- G tianus in eodem libro multò planius. Cùm (inquit) olim aſſes librales eſſent, & denarius decem aſſes valeret, ſiue denariaria, ſiue ſeſtertiaria ratio conficeretur, iiſdem notis (id eſt libellarum & ſingularum & teruntiorum) præpoſita nota denarij (vt erat ratio) æra exprimebantur. poſteaquam in ſedecim aſſes denarius diſtri-

butus eſt, denariaria ratio expeditius confici cœpit, vt ſupra dictum eſt: ſeſtertiaria manſit ſub iiſdem notis. Aucta tamen computatione, hæc quoque libella, exemplo maiorum, in duos velut ſemiſſes, qui Singulæ vocantur, & quattuor velut quadrantes, qui Teruntij vocantur, diuiditur. Hæc ille. Sciendum eſt præterea, Excurrentis æris notam dici à Mætiano, non quomodo dici olim ſolebat Summa aliqua excurrens (ſicuti nonnullis placuiſſe video) nimirum quæ minutiorum erat numorum, quàm proxima ſuperior: vt in l. Publia, 26. §. vlt. D. de poſ. vbi Budæus locutionem illam ſic rectiſſimè interpretatus eſt: veluti, Debeo tibi decem aureos, & viginti ſeſtertios. Nam hæc viginti ſeſtertiorum ſumma excurrens, hoc eſt quaſi ſuperfluens & redundãs, ab antiquis appellabatur. quid ergo eſt? Hoc loco Excurrentis æris nota dicitur, quæ alias præcurrit, & antecedit: quæ aliquantulò ante alias interuallo præſcripta eſt, vt paollo poſt loquitur: vt multò inferius. Præpoſita, & prænotata eſt. ſicuti Excurſores, Præcurſores, Antecurſores promiſcuè dicebantur, qui agmen aliquantò antè præcedebant. Notæ ergo excurrentes ſunt ✳-V-ƧƧ: quarum prima ſignificat ſedecies, altera octies, poſtrema quater. tametſi Mætianum arbitror ſecundo verſu non Excurrentis, ſed Incurrentis æris ſcripſiſſe, pro Propoſiti & in medium adducti. velut apud Scribonium, & Celſum, Septem drachmæ in vnciam incurrunt. Significat enim Mætianus, æra poſt primæ notæ excurſionem & antegreſſionem propoſita, & in rationis lineam inducta, veluti ✳ Ƨ'Ƨ, Ɔ/Ʒ. His ita conſtitutis, deinceps Mætiani locum ſic interpretemur: Qui rationes ad ærarium conficere volebant, ne neceſſe haberent notam pecuniæ incurrentis ſedecies exarare: (quod certe moleſtiſſimum fuiſſet) ingenioſiſſimè commenti ſunt certam notam ac figuram: qua præpoſita & inſpecta confeſtim intelligeretur, ſubſequentes & in rationis lineam inductas notas ſedecies multiplicandas eſſe. nimirum ✳. quæ denarium, hoc eſt ſedecim numerum deſignaret. namque cùm illa denarij nota ✳ excurrat, & prima ante alias ponatur, eique ſubiungatur nota æris per eandem lineam incurrentis, facilè ex adnotatione, id eſt prænotatione denarij cognoſcitur, eam ſedecies ducendam eſſe. Sumamus exemplum, quod alio loco Mætianus edidit. Si ad denariam rationem, inquit, (ſed credo, vt aliis in locis, ſic hoc loco legendum Denariariam) conficias aſſem, hac nota ſcribas, ac voces Semũcia Sicilicus. ✳ x. Semunciæ enim ſedecim & Sicilici ſedecim aſſem conficiunt. Fortaſſe Mætianus ſcripſerat, Has notas ſcribas. ſed hoc parui refert. Illud quidem negari non poteſt, pro ſequenti nota, quæ drachmam apud Græcos ſignificabat, reponendas iſtas ſemunciæ & ſcilici notas certiſſimas Σ Ɔ. Sic igitur locum interpretamur. Finge me in meis tabulis ita ſcripſiſſe: Titio, qui mihi aſſem crediderat (id eſt, quamlibet pecuniæ ſummam, quæ in duodecim partes diuidebatur) perſolui, primùm ✳ Σ Ɔ. tum ſequenti menſe, perſolui ✳ Ɔ. Quamuis ſemel tantùm ſemunciæ notã neq; pluries illã ſicilici poſuerim, tamen nota denarij excurrẽs & præpoſita, indicat ſedecim à me primùm ſemuncias, poſtea totidẽ ſicilicos perſo-

A lutos fuiſſe: ac proinde me paria feciſſe, liberatúmq; eſſe. nã cùm in aſſe duodecim ſint vnciæ, ſi ad ſedecim ſemũcicias, quæ octo cõficiũt vncias, inſuper ſedecim ſicilicos addamus, qui quattuor vncias explent, aſſem duodecim vnciarum complebimus. Pergit Mætianus: Depondium hac nota ſcribas: & voces Seſcuncia ✳ Σ. nam ſedecim ſeſcunciæ dupondium efficiunt. Notas, iis quos ſuprà nominaui auctoribus, ita reſtituo: ✳ Σ/. tum deinde ſic locum interpretor:

B Qui dupondium debens, ſedecim ſeſcuncias perſoluit, dupondium perſoluit. ſeſcunciam enim eſſe vnciam cum dimidia, vulgo notum eſt. quæ ſemel octuplicata, libram ſiue aſſem efficit. iterum octuplicata, dupondium: id eſt, duos aſſes. Sequitur apud Mætianum: Treſſis hac nota ſcribas, ac voces Sextans ſicilicus ✳ Σ═══. æquè enim ſedecim ſextantes, totidémque ſicilici. tres aſſes efficiunt. Notas ſic emendo ✳ ═══ Ɔ. Titius qui treſſem, id eſt, tres aſſes, ſiue

C tres libras debebat, primò ſoluit ſedecim ſextantes: id eſt vncias duas & triginta. ſextans enim duas vncias continet. addamus ſedecim ſicilicos, qui quattuor vncias efficiũt. fient ad ſummam triginta ſex vnciæ, atque ita Treſſis explebitur. Ex quibus patere iam arbitror, Conficere rationem ad denarium, nihil aliud eſſe, quàm æra poſt excurrentem denarij notam incurrentia multiplicare per ſedecim: id quod quiuis mediocriter in Arithmetica exercitatus facillimè ani-

D maduertet. Atque hæc quidem exempla protuliſſe, ſatis iam ad noſtrum inſtitutum videtur. Nam ea quæ apud Mætianum ſequuntur, diſcentium ingeniis, quibus iam viam præiui, ad imitãdum reliquenda ſunt. Deinceps quid ſit Rationes ad ſeſtertium conficere, diſpiciendum eſt. qua de re Mætianus ita ſcribit: Ad ſeſtertium verò ſi cõficiatur, ſ. mis hac nota ſcribatur ——— T. vocatur libella teruntius. Eſt autẽ Libella ſeſtertij decima pars. teruntius quadrageſima. quę duę

E partes iunctæ octauam ſeſtertij partem, id eſt ſemiſſem efficiunt. Hoc Mætiani dictum veriſſimè dicere poſſumus numeris Platonis obſcurius. Verumtamen (vt ait Poeta ſummus) tentanda via eſt: neque labor vllus iuuentutis adiuuandæ cauſſa recuſandus. Age igitur, & ratiocinatorum fictione vtentes cogitemus in ſeſtertio decem eſſe libellas: ſingulas (id eſt ſemilibellas) viginti vt Mætianus proximè docebit: teruntios quadraginta: ſimúlq; proportiones notemus. quæ

F inter Libellam quidem & Singulam, tum verò etiam inter Singulam & Teruntium dupla eſt: inter Libellam verò & Teruntiũ quadrupla quandoquidem vt ſunt decem libellæ ad quadraginta ſeſtertios (quod Mætianus docuit) ita eſt vna libella ad vnum teruntium. Paria igitur hæc ſunt inter ſe, vna libella, duæ ſingulæ, quattuor teruntij: nec inter illa præter vocis ſonum quicquam intereſt: non magis quàm inter vnum denarium, duos quinarios, & quattuor ſeſtertios. Secundò

G illud notandũ eſt, octauã ſeſtertij, ſiue octauã decẽ libellarũ partẽ, eſſe libellã vnã, ſimul enim vno teruntio. quippe, cùm vnum & vnius quarta pars octies repetiatur in decem. vnde illud Mætiani intelligetur, Libella eſt ſeſtertij decima pars, Teruntius quadrageſima: quæ duæ partes iunctæ octauam ſeſtertij efficiunt hoc modo.

Lib.

	Lib.	Ter.	
Seſtertij	1	1	octaua pars.
	1	1	
	1	1	
	1	1	
Seſtertij	1	1	ſemis.
	1	1	
	1	1	
	1	1	
	1	1	
	1	1	

Seſtertius plenux.

Sed quid illud eſt, quod Mætianus in illo poſtremo verſu interiecit, ID EST SEMISSEM? Hoc enim perſpicuè falſum eſt. Quapropter aut meam cæcitatem ingenuè cogor agnoſcere, aut pro ID EST quinque hæc neceſſaria verba reponere: ITERVM IVNCTÆ QVARTAM, TERTIVM IVNCTÆ ſemiſſem efficiunt. quod ex ſubiectis tabulis intelligetur.

	Lib.	Ter.	
Seſtertij	2	2	quarta pars.
	2	2	
	2	2	
	2	2	

Plenus ſeſtertius.

Iungamus enim iterum illas ſuperiores notas: hoc eſt, iungamus duas libellas, iiſque iunctis binos teruntios addamus, tum quartam ſeſtertij partem conficiemus. nam duo & ſemis ſunt quarta pars decem: hoc eſt quater in decem reperiuntur. Sequitur altera.

	Lib.	Ter.	
Seſtertij	4	4	ſemis.
	4	4	

Denuò & tertium notas illas coniungamus: id eſt, bis duas libellas: efficiemus quattuor libellas. tum iis totidem teruntios addamus: ſemiſſem ſeſtertij complebimus. quia quattuor & vnum bis reperiuntur in decem. Atque hæc quidem de ratione ad denarium hactenus. F Sequitur, vt de ratione ad quinarium videamus. Ad quinarium (inquit Mætianus) rationem Romæ confici, neſcio. quemadmodum tamen, ſi velis, conficias, facilius apparebit, ſi prius inſpexeris, ad quem modum ſeſtertiaria ratio cõficiatur. tunc enim vel excurrentis æris licet exemplum denariariæ rationis & dimidiam duces, vel ſeſtertiaria, duplicabis. Hæc Mætiani verba turpiter contaminata ſunt. Ego illa ſic emendo: Tunc enim vel excurrentis G æris (ſcilicet exemplo denariariæ rationis) dimidiam duces: vel ſeſtertiariam duplicabis. Nam hac emendatione poſita, nihil erit facilius. Mætiani enim hæc fuit ſententia: Si ad quinarium rationem ducere volueris, duobus modis id efficies. prior eſt, ſi excurrentis æris, id eſt ✳ dimidiã duces, & pro illa ſcribas -V-. nam ſicuti præſcri-

Scilicet exemplo. Vacat. Seſtertium duplicab.

A pta & excurres nota ✳ indicat æra incurrentia multiplicanda eſſe per ſedecim, ita præpoſita nota V ſignificat eadem multiplicanda eſſe per octo. velut in his notis -V-E. ſic enim exprimentur octo ſeſcunciæ, quæ plenum aſſem efficiunt. alter modus eſt, ſi rationem ſeſtertiariam duplicabis. nam vt eſt quinariaria ad denariariam, ita ſeſterriaria ad quinariariam. Verba Mætiani hæc ſunt quæ rem demonſtrant. Nam octo libellis, B id eſt octo decimis, teruntij octo, id eſt octo quadrageſimæ (quæ fiunt quattuor viceſimæ, hoc eſt duæ decimæ) adiectæ complent ſeſtertium. Tollamus NAM, particulam hoc loco importunam, ac non ferendam. neque enim Mætianus probare proxima propoſuit, neque verò probare hoc modo potuiſſet. ſed redit ad demonſtrandam quinariam rationem, quam dixit eſſe duplicandam per ſeſtertiariam: manifeſta ratione, quia Quinarius duplus eſt ad Seſtertium. Reponamus ergo IAM, illi particulæ alteri non modò finitimam, verum C etiam inſequenti computationi maximè adcommodatam: & hanc poſtremam tabulam ſeſtertiariam duplicatam appingamus.

Lib.	Ter.
8	8

Plen. ſeſtert.

Iam, inquit Mætianus, ſi vtraſque illas notas duplicemus, id eſt, quattuor & quattuor libellas cõiungamus, conficiemus octo libellas. ita duæ tantùm ad explendum ſeſtertium reſtabunt. tum ſi D etiam ſuperiores illas teruntiorum notas duplicemus, id eſt bis quattuor teruntios coniungamus, octo conficiemus: qui duas libellas faciunt. ita plenum ſeſtertium habebimus. nam octo quadrageſimæ, inquit, id eſt octo teruntij, ſunt quattuor viceſimæ, ſiue quattuor ſingulæ: binæ autem ſingulæ valent quaternos teruntios. quattuor teruntij vnam libellam. ac proinde octo valent duas, quæ ad octo ſuperiores additæ ſeſtertium, id eſt decem libellas, explent. Atque hæc quidem E de iſtis antiquis rationum conficiendarum modis ſatis ſupérque dicta ſunt: præſertim ab eo qui ad alia, & maiora & multò vtiliora properat. nam neque mihi de re numaria ſcribere inſtituenti propoſitum fuit totum hunc Mætiani librum interpretari, & hic labor iis qui maiore otio abundant, quibúſque iam aditum patefecimus, potius delegandus videtur. Vnum igitur illud addemus, videri mihi locum Auſonij mutilum in gratiarum actione ad Imp. Gratianum, duobus hiſce F verbis DENARIARIA RATIONE, poſſe reſtitui. In eo ita eſt: Vel illud vnum cuiuſmodi eſt, de condonatis reſiduis tributorum? deinde aliquot interpoſitis verſibus: Tu argumenta omnia flagitandi (non pe tributorum reſidua vetera) publicitus ardere iuſſiſti. Videre in ſuis quæque foris omnes ciuitates conflagrationem ſalubris incendij: ardebant ſtirpes fraudum veterum, ardebant ſeminaria futurarum. Iam ſe cum puluere fauilla miſcuerat: iã nubibus fumus inuolue- G rat: & adhuc obnoxij in paginis concrematis ductus apicum & ſeſtertiorum notas CVM IVVANTIA VERATIONA cernebant. quod meminerant legi poſſe & veteres. Reponendum igitur cenſeo CVM DENARIARIA RATIONE CERNEBANT, QVAS meminerant legi poſſe & veteres. hoc ſenſu, Quæſtores in codice ſuatũ rationũ iã olim

quantum quæque ciuitas pecuniæ tributi aut re-
ſidui nomine deberet, vſitatis per illa antiqua
tempora ſeſtertiorum notis, ſeruatáque denaria-
ria ratione perſcripſerant. Gratiani autem tem-
pore & ſeſtertiorum & denariariæ rationis vſus
obſoleuerat: tranſlata ſcilicet imperij Romani ſe-
de Byzantium, inſtitutóque nouo numorum ac
rationum genere ad Græcæ conſuetudinis vſum
adcommodato. Veteres illos Quæſtorum codi-
ces Gratianus Imperator incendi iuſſerat: reſi-
duáque illa tributorum veterum condonarat.
quorum nonmodo exactio, verum etiam memo-
ria, propter vetuſtatem, futura erat ciuitatibus
imperij odioſiſſima. Inceoſis igitur tot codici-
bus, fauillæ tamen (vt fieri aſſolet) flamma ſubla-
tæ, nonnullæ interdum io terram recidebant. Has
aot potius earum fragmenta qui colligebant, ve-
teres ſeſtertiorum & denariariæ rationis notas
intuebantur: quas meminerant ab noonullis an-
tiquitatis ſtudiuſis legi poſſe, etiam veteres, atq;
illo tempore obſoletas. Nam, vt ait Chariſius,
apud antiquos Denarius decē aſſes habuit. ideó-
que in rationibus faciendis Denarium decuſſi X
inductum ooramus. Atque hæc quidem de Au-
ſonij loco dicta ſint: de quibus tamen notionem
ſimul & aoimaduerſionem Scaligero, & Vineto,
duobus præſtantiſſimis auctoris illius interpre-
tibus, æquiſſimo animo permitto. Vnicum ſub-
iungam de numorom notis corollarium ex Val.
Probo, cuius hæc verba ſunt: Semis alicuius rei
notatur per S. As numus eſt libralis, notatur per
L. Dupondius numus eſt libralis (corrigendum
eſt Bilibris) notatur per LL. Seſtertius numus
eſt doarum ſemis librarum, LLS. vel HS. Dena-
rius decem librarum numus ✳ vel ✳.

De miliariſio, ceratio, & ſiliqua.

CAP. XXXII.

HACTENVS de argenteis numis, qui ſtan-
te Romano imperio vſum habuerunt, ſatis
dictum eſt. Deinceps de iis qui poſt imperij ſe-
dem Byzantium tranſlatam viguerunt, pauliſper
diſſerendum videtur. ac primùm de Miliariſio,
quem fuiſſe numum argenteum Iuſtinianus a-
pertè oſtendit in Nouell. 105. c. 2. vbi Conſuli-
bus ceteriſque magiſtratibus interdicit, ne au-
reos numos in vulgus ſpargant: argenteos autem
permittit. τοῦτο ἐφιέμϑυ αὐτοὺς ῥίπτειν ἐν τε τοῖς κα-
λουμένοις μιλιαρεσίοις καὶ μήλοις &c. item c. 3. μὴ
συγχωρεῖν ὑπάτοις χρυσίον ῥίπτειν, ἀλλ' ἐν μιλιαρι-
σίοις τε καὶ μήλοις &c. ποιεῖσθαι τὴν δόσιν. De hoc
numo Suidas ita ſcribit: Μιλιαρίσιον τὸ τοῦ νομίσ-
ματος δέκατον. id eſt Miliariſiū aurei decima pars.
Eius etiam meotionem facit Cedrenus, vbi de
terræ motu commemorat, qui Leone Conone
imperante Conſtantinopolis templa, ædificia,
muros diſtorbarat. Sic enim Cononem loquen-
tem inducit: ὑμεῖς τῆς πόλεως ἀδυνατεῖτε τὰ τείχη
κτίζειν, ἀλλὰ προσετάξαμϑυ τοῖς διοικηταῖς τῶν
θεμάτων ἀπαιτεῖν εἰς τὸ κανόνα κατὰ νόμισμα μιλιαρί-
σιον ἕν. Et mox: καὶ ἐντεῦθεν ἀπεκράτησεν ἡ συνή-
θεια τοῦ παρέχειν τὰ δικέρατα τοῖς διοικηταῖς. id eſt,
Quando vos vrbis veſtræ muros reficere nō po-
teſtis, ſtatuimus, vt Quæſtores noſtrarum pro-
uinciarum exigant Canonis nomine in ſingolos

A aureos ſingula miliariſia. Ex illo inſtituto cōſue-
tudo inualuit, vt bina ceratia ſuſceptoribus tri-
buti nomine penderentur. Hæc Cedrenus. tum
deinde fabulam ſubiungit, genus hoc tributi pri-
mùm à Rege Numa inſtitutū fuiſſe, cùm ſtatuiſ-
ſet, vt qui ſtipendiom è palatio capiebant, ſingu-
la ceratia penderent. Alio autē loco: Μιλιαρίσια
inquit, ἀπὸ τῆς μιλιτίας, ἤγουν στρατείας. ὁ γὰρ Σκιπίων
διὰ ἔνδειαν χρυσίου τοῖς στρατιώταις τὰ μιλιαρίσια κα-
τασκευάσας ἐπιδέδωκε, Ἀννίβου τοῖς πράγμασιν ἐπι-
B κειμένου. Miliariſia, inquit, à militia dicti ſunt.
Nam Scipio Annibale vrgēte miliariſia propter
auri penuriam inſtituit, eáque militibus diuiſit.
Sed hæ quoque aniles ſunt fabulæ: cuiuſmodi
ſunt apud illum monachum quamplurimæ. Epi-
phanius tamen à militia fictum putat vocabu-
lum. τὸ δὲ ἀργύριον, τοῦτο ἐστὶν ὃ οἱ ῥωμαῖοι μιλιαρίσιον
καλοῦσιν, ὃ ἑρμηνεύεται στρατιωτικὸν δόμα. De milia-
riſiis alia quædā loca in libello de aureo Iuſtinia-
neo protulimus: vbi docuimus, in Nouella qua-
C dam Theodoſij pro MILLIA reponendum vi-
deri MILIARISIA. Neque tamen alienum vi-
detur, inſignem Caſſiodori locum, quaſi pro co-
rollario ſubiicere: io quo ita vulgò ſcriptum eſt:
Sex millia denariorum Solidum eſſe voluerunt.
Nam hæc verba corrigenda ſic arbitror, Sex mil-
liariſiorum Solidum eſſe voluerunt. Etenim, vt
ſuo loco diximus, aureorum pretia perſæpe mu-
tata ſunt: ac veriſimile videtur Theodoſij tēpore
ſeptenis miliariſiis conſtitiſſe: Caſſiodori, ſenis:
D Suidæ verò, denis. Ferri qoidē illud certè non po-
teſt, vt ſex millia non dico denariorum, ſed vl-
lorum quantumuis minutorum nnmorum in ſo-
lido computata ſint. videtúrque & idem modum
eſſe, quod fuit apud Theodoſium, & idem re-
medium adhibendum. Pergit Caſſiodorus: ſci-
licet, inquiens, vt radiantis metalli formata ro-
tunditas ætatem mundi, quaſi Sol aureus, conue-
nienter includeret. Senarium verò quem nō im-
meritò perfectum docta antiquitas definiuit,
E vnciæ (qui menſuræ primus gradus eſt) appella-
tione ſignauit. quam duodecies ſimilitudine mē-
ſium computatam in libræ plenitudine, ad anni
curricula collegerunt. Quibus verbis ſcriptor
μετεωρολόγος hoc ſignificat, ſuperiores princi-
pes voluiſſe in aureo ſolido rotundo imaginem
Mundi elucere. nam vt mundus rotundus eſt, i-
ta ſolidus. vt mundus ſex millium annorum æta-
tem habiturus dicitur (hæc multorum quondam
fuit opinio) ita ſolidus ſex milliariſia Caſſiodori
F ætate continebat: vt ſenarius numerus in arith-
metica perfectus eſt, ita ſolidus aureus ex nu-
mero ſex milliariſiorum perfectus eſt. Sicut vn-
cia primus ſiue aſſis, ſiue libræ, ſiue ſolidi gra-
dus eſt, quandoquidem in libra duodecim vn-
ciæ computantur: ita ſenarius aureorum nume-
rus, id eſt ſex aurei primus gradus ſunt in libra
auri duodecim vnciis conſtante. quippe, cùm
duodecies ſeni aurei (hoc eſt duo & ſeptuaginta)
auri libram expleant. L. quoties, ſ. C. de ſuſcepr.
G ſicuti denique annus ſolaris duodecim conſtat
menſibus, ita libra auri duodecim vnciis. Seni
autem aurei duodecies computati libram (vt di-
ximus) duorum & ſeptuaginta ſolidorum con-
ſtituunt: qua de cauſſa Solidus Sextula diceba-
tur. quod Iſidorus auctor io hoc genere non aſ-
pernandus his verbis tradit: Solidus apud Lati-
nos

oosa'io nomine Sextula dictus eſt. ideò quòd his ſex vncia compleatur. Hunc autem volgus Solidum aureum vocat, ideo quòd nihil illi deeſſe videatur.

Ceratium, numus fuit (vt opinio mea fert) argenteus: vt pleriqne putant, idem qui Latinè Siliqua dicebatur. Nam & Priſcianus, & vetus Nouellarum interpres & Iulianus anteceſſor Latinè Siliquam interpretantur. Sed Iſidorus videtur Siliquam cornutam appellare, opinor vel ex Siliquæ forma, vel ex Lunæ creſcentis nota, qua numus ille ſignabatur. Cerates, inquit, oboli pars media eſt, ſiliquam habens vnam ſemis. Hunc Latinitas ſemiobolum vocat. Cerates autem Græcè, Latinè Siliqua cornuum interpretatur. Obolus ſiliquis tribus appenditur, habens cerates duos, calcos quattuor. Iuſtin. Nouell. 32. εἰ δὲ νομίσματα τὰ δανεισθέντα εἶεν, ὑφ᾽ ἑκάστῳ νομίσματι ἐνιαύσιον κεράτιον ἐν προφάσει τόκου. Quod ſi aurei fœnerati ſint, in ſingulos aureos annuum vnum ceratium pro fœnore: ſiue, vt illi verterũt, annuam vnam ſiliquam: ac proinde vieeſimam quartam aurei partem. in cẽtenos igitur aureos, quattuor annuos aureos & quattuor ſiliquas: quę viceſima quarta pars eſt centum aureorum: vſura autem perpuſillo maior triente. Zonaras tom. 3. vbi de Nicephoro loquitur: ἐπόπτας προεβάλλετο τῶν τελῶν, ἐπαύξειν σφᾶς τὰ δημόσια ἀπειλείσθαι δὲ καὶ ὑπὲρ χαρτιατικοῦ ἐπὶ τοῦ νομίσματι δύο κεράτια. Creauit inſpectores, inquit, eiſque mandauit, vt vectigalia ſua augerent, & pro chartlatico in ſingulos aureos bina ceratia exigerent. Cedrenus autẽ: ἐποπτεύεσθαι πάντας, καὶ ἀναβιβάζεσθαι τὰ τούτων δημόσια τέλη, παρέχοντας καὶ χαρτιατικοῦ ἕνεκα ἀνὰ κεράτια δύο. Iuſſit inquit, omnium bona explorari & cenſeri, publicaque augeri vectigalia, præberique ex chartiatici nomine à ſingulis bina ceratia. Sed illud Zonaræ magis placet de ſingulis aureis. Cedrenus paucis poſt verſibus: τοὺς ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐπισήμους ναυκλήρους συναγαγὼν δέδωκεν ἐπὶ τόκῳ τετρακεράτῳ τὸ νόμισμα ἀνὰ χρυσίου λίτρας δώδεκα. Naucleros, inquit, Conſtantinopolitanos primarios voum in locum coëgit: iiſque in capita duodenas auri libras credidit, ſub vſura quaternorum ceratiorum, in aureos ſingulos.

Siliqva, inquit Iſidorus, eſt viceſima quarta pars aurei: quod etiam apertiſsimè confirmat Nouell. Iuſtin. 32. Priſcianus autem, Siliqua, inquit, eſt quod dicunt Græci κεράτιον vel λεπτόν. Quibus ex verbis ſuſpicor alio nomine minvtvm appellatam. Lampridius Seuero: Tantúmque intra biennium vel prope annum porcinæ carnis fuit & bubulæ, vt cùm fuiſſet octuncialis libra, ad duos vnúmque carnis libra redigeretur. Siliquæ mentio fit in l. 1. C. de impon. lucrat. deſcript. vbi conſtitutum eſt, vt ſi curialis hereditas ad non curialem peruenerit, hic Curiæ quadrantem inferat: ſibi dodrantem ſeruet: cum eo tamen, vt in iugationes ſingulas curiæ ſiliquas annuas præſtet. Item Nouell. 59. vt aliquot ſiliquæ pro funerum ſumptibus præſtentur. item Nouell. Iuſtini 115. §. 46. Ne religioſæ perſonæ ſportularum nomine plus quàm quattuor ſiliquas præſtent. Item in edicto quodam Impp. Theodoſij & Valen. vt nundinis ex omnium rerum venditione per ſolidum dimidia ſiliqua ab emptore, dimidia à venditore fiſco pręſtetur. Denique conſtat ex quam plurimis Caſſiodori locis, tributum, vnius ſiliquæ rebus omnibus venalibus impoſitum fuiſſe: quod propterea Siliquaticum appellabant. veluti. libr. 2. epiſt. 3. lib. 4. epiſt. 19. lib. 5. epiſt. 31. & aliis cõpluribus. Patet etiam ex l. 1. C. de ratiocin. public. oper. moris fuiſſe, vt quidam prouinciarum rectores, alij magiſtratus, cùm opera publica in aliqua ciuitate fiebant, ſiliquam vnam in ſingulos aureos exigerent: quod eo lege prohibetur.

De Folle.

CAP. XXXIII.

Restat, vt de Folle dicendum eſſe videatur: cuius tamen perplexior, quàm vtilior tractatio eſt. nam neque de materia, neque de pretio & æſtimatione quicquam liquidò affirmari poteſt. quin ne nomen quidẽ apud auctores certum inuenitur. ſunt enim qui φολλὶς ſcribant, quidã φολλὶς, alij φολλὸ, nonnulli φολλὶς. De materia etiam non minor diſſenſio eſt. Nam alij æream, alij ferream fuiſſe tradunt: nõnulli autem ad aurum potius, aut certè ad argentum reuocant. Lampridius quidem in Heliogab. ita loquitur: Sortes conuiuales habuit, &c. item centum aureos & mille argenteos, & centum folles æris, & alia talia, quæ populus tam libenter accepit, vt eum postea imperare gratularetur. Euſtathius autem in primum Iliad. ferream fuiſſe bracteolã haud obſcurè ſignificat. ὀβολὸν, inquit, σιδήρου τι ἔλασμα ἔλεγον. Et mox: οἱ δὲ τοιοῦτοι, ὡς εἰκὸς, ὀβολοὶ χρόνου τοῦ μὲν ὕψους ὑποστερούμενοι καὶ κατὰ μικρὸν ὑποκαταβαίνοντες, τοὺς ὕστερον τι πενιχρὰς καὶ πεταλώδεις, καὶ ὡς ἄν τις φαίη ἐπιπολαίους, ἐποίησαν ὀβολοὺς τοὺς λεγομένους φόλλεις. Id eſt Obolum appellabant laminã quãdam ferream. Et mox: Tales autem oboli, vt credi par eſt, ſenſim leuiores ac tenuiores facti poſteriores item exiliores, folij inſtar, atque (vt ita dicam) ſuperficiarios, obolos fecerunt, qui Folles appellantur. Hæc ille: ex quibus facilè intelligitur, minutiſſimam & tenuiſſimam eam laminam fuiſſe, ac proinde viliſſimam: qualis apud Romanos fuit Sextula, vel (quod verbum in hoc genere frequentius eſt) Teruntius. vt fortaſſis apud Marcellinum Comitem in Chron. legendum ſit, Teruntij, vbi Follerales à Græcis dictos ſcribit, quos Latini Terentianos appellant: Teruntium enim Latinè pro viliſſimo numo vſurpabant, ſicuti Græci ὀβολόν: qua de cauſſa Moſchopulus, φόλλις, inquit, ὀβολός. ac ſimiliter Suidas, οἱ ὀβολοὶ δὲ εἰσὶν, οἱ καλούμενοι φόλλεις. Heſych. autem, ἔσχατον κοδράντην, interpretatur, τὸ τέταρτον τῆς φόλλεως. quod magnopere miror, vt quarta tam leuis bracteolæ pars eſſe potuerit. Conſtantinus autem Imp. Prætorum largitionibus ac miſſilibus concedit numerum viginti quinque millium, primæ Præturæ: Conſtantinianæ, viginti: tertiæ, quindecim. l. 5. C. TH. de prætoribus. Sed valde mirum eſt, quòd cum Suidas ſcribat, numularios Iuſtiniani tempore ſolitos permutare ſtaterem aureum ducentis & decem follibus: idem tamen Iuſtinianus in legibus Georg. tit. 4. de furt. Ceratiũ ſiue Siliquam duodecim follibus exæquet, παρεχέτω, inquit, κεράτ

τιον ἐν, ἤγουν φόλας δώδεκα. quę ſi vera eſſet ratio, A ducentos & octaginta octo folles in aureos ſingulos imputaremus. vt ſuſpicari aliquis poſſit, mendum apud Suidam in notis numerorum eſſe non exiguum. Quod certè ita eſt. nam & Zonaras Tom. 3. & Cedrenus, vbi de Leone Conone commemorant, ſcribunt xxi. folles in Ceratio fuiſſe: κανθεῦθεν (inquit Cedrenus) ἀπεκράτησεν ἡ συνήθεια, παρέχειν τὰ διπέρα τοῖς διοικηταῖς. Κεράτια δὲ αἱ ιβ φόλλεις ὠνομάσθησαν. Atque hinc conſuetudo inualuit, vt Præfectis bina ceratia ſol- B uerentur. Ceratia autem nominata ſunt, quæ duodenis follibus valebant. Zonaras autem eandẽ hiſtoriam commemorãs, pro duobus ceratiis, Φόλεις, inquit, εἴκοσι, καὶ τέσσαρας ἐφ' ἑκάστῳ νομίσματι. Epiphanius autem quid ſibi velit, verè vt dicam, non intelligo. Φόλεις, inquit, ὃ τὸ ταλάντιον καλεῖται. διπλοῦν δὲ ἐστιν, ὑπὸ δύο ἀργυρῶν συγκείμενον. οἳ γίνονται σ ῃ δηναρίων. καὶ φόλης δύο λεπτοὶ κατὰ τὸν δηναρισμὸν, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸν ἀργυρισμόν. Pholes, inquit, quod etiam Talentium vo- C catur. Eſt autem duplex, quippe ex argenteis duobus compoſitum: & fiunt ducenti octo denarij. & Pholes, duo minuta, ſecundum denariſmum, non autem ſecundum argentiſmum. Deinceps eos locos proferemus, ex quibus licebit conijcere maioris hunc nummum pretij fuiſſe. nam primùm omnium libram carnis ſuillæ video taxati ſenis follibus l. 3. C. de ſuar. deinde quã exiguum illud in Eccleſias Conſtantini donatiuum fuiſſet, de quo apud Euſeb. libr. eccleſ. D hiſtor. 10. cap. 6. vbi hæc ea Imperatoris epiſtola proferuntur: καὶ ἐδήλωσα αὐτῷ ὅπως τρισχιλίους φόλλεις τῇ σῇ στερρότητι ἀπαριθμῆσαι φροντίσει: Eique mandaui, vt tria follium millia integritati ſuæ adnumeranda curaret. Præterea quantula hæc multa fuiſſet, quæ temeratrici appellationi imponitur, follium dumtaxat triginta? l. 2. & l. 3. C. TH. quor. appel. non recip. Vtcumque autẽ hæc ſe res habeat, non prætereundum ne illud E quidem videtur, vocabulum hoc interdum pro Tributi genere vſurpari, quod follibus aliquot perſoluebatur. velut in l. 2. C. de prætor. & hon. præt. Glebam vel follem, ſiue ſeptem ſolidorum functionem, ſiue quamlibet eiuſmodi collationem, funditus iubemus aboleri. Itaque Zoſimus lib. 2. vbi de Conſtantino loquitur: Habebat, inquis, deſcripta virorum clariſſimorum patrimonia, quibus & tributum impoſuit, quod ille Follem nuncupauit. quibus ſanè collationibus vr- F bes exhauſit.

Recenſio locorum aliquot inſignium, in quibus data certa librarum argenti numera mentio facta eſt.

Dvæ argenti libræ. Liuius lib. 22. Conuenerat inter duces Romanos Pœnúmque, vt quæ pars plus reciperet quàm daret, argenti põdo bina & ſelibras in militem præſtaret. Plu- G tarchus autem in Fabio Maxim. διδόναι δραχμὰς ὑπὲρ ἑκάστου τῶν κομιζομένων, πεντήκοντα καὶ διακοσίας.

Qvattvor libræ. Martialis Epigramm. 8.

Quattuor argenti libras mihi tempore Brumæ
Miſiſti ante annos Poſtumiane decem.
Speranti plures (nam ſtare aut creſcere debent
Munera) venerunt plúſve minúſve duæ.

Decem. Plinius 33. c. 11. Nam propter quinque pondo notatum a Cenſoribus triumphalem ſenem, fabuloſum iam videtur. Idem lib. 18. c. 6. præcipiebant ita qui triumphali denas argenti libras in ſupellectile crimini dabant. Agel. l. 17. c. vltim. C. Fabricius & Q. Æmilius Cenſores P. Cornelium Rufinum. qui bis Conſul & Dictator fuerat, Senatu mouerunt, cauſſámque iſti notæ ſubſcripſère: quòd eum comperiſſent, argenti facti cœnæ gratia decem pondo habere. Epitom. Liuij 14. Fabricius Cenſor P. Cor. Rufinum Conſularem Senatu mouit, quòd decem argenti pondo facti haberet. Idem Valer. li. 2. c. 9. Plutarch. Sulla. & Iuuenal. Satyr. 9.

—— Argenti vaſcula puri
Sed quæ Fabricius Cenſor notet.

Dvodecim. Plin. 33. & c. 11. Põpeium Pauſinum Aretalenſis equitis Rom. filium paterna quoque genre pullum, quòd xii. pondo argenti hahuiſſet, apud eaercitum, ferociſſimis gentibus oppoſitum ſcimus.

Septemdecim. Plin 33. cap. 11. Poſteà victa Numantia & deleta, idem Africanus in triumpho militibus xvii. millia pondo dedit.

Triginta. Plin. eod loco: Libras triginta duas argenti Africanus ſequens heredi reliquit.

Qvinqvaginta. Iniuſtæ appellationis pœna legitima eſt quinquaginta libr. argenti. l. 5. C. quor. appel. non recip. l. 10. l. 15. l. 16. C. Th. eod. l. 2. C de epiſc. aud. Tanta etiam pœna eſt eorum, quibus iuriſdictio data eſt hiemis tempore in Rhodo & alijs tribus, niſi eam exerceant l. 6. C. de off. Rect. prouinc.

Centvm argenti libræ. Plin. 33. cap. 11. Paullò antè bellum ciuile Syllanum lances centenis libris argenti, quas huic ſuper quingentas numero Romæ fuiſſe conſtat, multoſque ob eas proſcriptos dolo concupiſcentium.

Dvcentæ. Lamprid. Alexand. Seuero: Ecce cùm argentum in miniſterio plus ducentis libris non haberes, nec plures miniſtros, argentum & miniſtros antè, quando poſcebas, accipiebat ab amicis. Varro de vita pop. Rom. 3: Delphos Apollini munera miſſa, corona aurea pondo ducentûm.

Qvingentæ. Plin. 33. c. 11. Claudij principatu, ſeruus eius Druſillanus, nomine Rotundus, diſpenſator Hiſpaniæ citerioris quingenariam lancem habuit: & comites eius octo, quinquaginta librarum.

Mille argenti libræ. Plinius ibidem: Primus Allobrogicus primus omnium mille pondo habuit. Liuius 8. Veliterni iuſſi trans Tiberim habitare, vt eius qui cis Tiberim deprehenſus eſſet, vſque ad mille pondo clarigatio eſſet: nec priùs, quàm ære perſoluto, is qui cepiſſet extra vincula captum haberet. Haud ſcio tamen, an locus ille ad æris libras potiùs pertineat: propterea quod neque argenteæ pecuniæ tum vſus erat: & ſemper anteà Liuius ad æris numerum rationes duxit.

Vndecim millia. Plin. 33. cap. 11. Primus omnium

omnium Liuius Druſus in Tribunatu plebis ha-
buit pondo xi. millia.

Sedecim Millia. Suet. Oct. ω. 30. Ædes ſa-
cras, opulentiſſimas domus adornauit: vtpote
qui in cellam Capitolini Iouis xvi. millia pondo
auri contulerit.

XL. Millia Liuius lib. 1. vbi de ſumptibus in

A Capitolij fundamenta factis loquitur: Eo magis,
Fabio crediderim, xl. ea ſola (auri argentiq;) ta ē-
ta fuiſſe, quàm Piſoni, qui xl millia pondo argen-
ti ſepoſita in eam rem ſcribit. quia (lego QVÆ)
ſumma pecuniæ neq; ex vnius tum vrbis præda
ſperanda, & nullius, ne horum quidem magnifi-
centiæ operum fundamenta non exſuperatura.

DE RE NVMARIA.

PARS III.

DE NVMIS AVREIS.

CAPVT I.

QVIA de numis tum æ-
reis, tum argenteis di-
ctum eſt, deinceps dice-
mus de aureis. Sed eo-
rum quot ſpecies fue-
rint, ingenuè fateor me
ignorare, ac ne pro cer-
to quidem à quoquam
affirmari poſſe arbitror.
quin, ne quo nomine quidem appellarentur, pro
comperto dici poteſt. Nam Denarios quidem au-
reos appellari quibuſdam in locis animaduerto,
ſed ita vt perobſcura & admodum recondita
eius appellationis cauſſa ſit. Vetus eſt illud Mæ-
tiani, Omnis nummus argenteus ex numero æris
poteſtatem habet. quo eodem modo dicere poſ-
ſumus, Omnis numus aureus ex numero argen-
ti poteſtatem habet. tametſi etiam ex æreis nu-
mis interdum æſtimationem accipiat: nam, vt e-
leganter Auſonius ſcripſit,

Auro magnus honos, auri precium tamen eſt æs.

Itaque Denarius æreus ex decem aſſium nume-
ro, Denarius argenteus ex decem æreorum po-
teſtate nomen inuenit. At dici poſſe non vide-
tur, Denarium aureum ex pari argenteorum nu-
mero & æſtimatione nomen inueniſſe: quando-
quidem aureis denariis ſcriptores vno conſenſu
omnes quinque & viginti denariorum argenteo-
rum precium adtribuunt: quemadmodum ali-
quantò pòſt dilucidè probabimus. Vtcunque ſit,
ferri eorum ſententia non poteſt, qui ſcripſere
denarios Romæ nullos niſi argenteos fuiſſe.
Nam ſicuti ſuperius aduerſus eorundem opinio-
nem oſtendimus, denarios quondam fuiſſe ex æ-
re, ita facilè iam docebimus, aureos quoque de-
narios in vſu populi R. fuiſſe. Plinius enim illo
loco ſic ſcribit: Proximum ſcelus fecit, qui pri-
mus ex auro denarium ſignauit. Item lib. 37. c. 4.
Indicato in Cypro ſex aureis denariis ſmaragdo,
iuſſiſſe numerari. Præterea cùm Sueton. in Gal-
ba c. 12. ſic ſcripſiſſet, Cano Choraulæ mirè pla-
centi denarios quinque donaſſe prolatos manu
ſua è peculiaribus loculis ſuis: Plutarchus Græcè
ſic reddidit, καὶ λαβὼν χρυσοῦς τινάς. ἐπέδωκε τῷ
ἀνδρί. Eodem accedit Didymi vetuſtiſſimi ſcri-

B ptoris auctoritas, qui apud Priſcianum eo quem
aliquoties iam protulimus loco ſcribit, Mille
ſeſtertios reſpondere denariis, argenteis quidē,
ducētis quinquaginta aureis verò, decem. Quin-
etiam huc pertinet quod L. Cornutus illum Per-
ſij locum explanans,

Et veri ſpeciem dignoſcere calles,

Ne qua ſub ærato mēdoſum tinniat auro.

Ita, inquit, callidus ſimilitudinem veritatis co-
gnoſcere, vt æs obductum auro. percutiendo in-
C telligas. ſicut (legendum, Non ſicut) numularij fa-
ciunt, qui nondum inſtructi denarios auro infe-
ctos pro auro accipiunt, quia vſum dignoſcendo-
rum aureorum non habent. Quare neceſſe eſt, i-
ſtius appellationis cauſſam exquirere quam ſanè
mihi perobſcuram eſſe fateor. niſi fortè harum al-
terutram probemus. prior hæc erit: Cùm aureus
numus paucis poſt argenteum percuſſum an-
nis (vt mox docebimus) pariq; & figura & craſ-
ſitudine ac magnitudine ſignari cœpiſſet, ex
D illa ſimilitudine par idémque nomen impoſitum
illi fuiſſe. Altera coniectura probabilior videtur.
Quo primum tempore ſolidi aurei feriri cœpti
ſunt, tres tantum ex auri vnciа ſignati fuere: vt a-
liquantò pòſt demōſtrabimus. horum ſinguli de-
narios argenteos triginta complectebantur: vt
eodem loco patebit. probabile eſt autē, quemad-
modum ex argento, nō modò Denarij, verum e-
tiam duplo & quadruplo leuiores, nimirum Qui-
narij & Seſtertij, percuſſi ſunt: eodem modo ex
E auro non modò Solidos, verùm etiam triplo te-
nuiores, fortaſſis etiam quadruplo, nēpe Trientes
& Quadrantes ſignatos fuiſſe nam Trientium
certe aureorum mentionem apud Trebellium re-
perio vt ſub verbo TREMISSIS oſtendemus. Iam
ſi Solidi triginta denarios argenteos valebant, &
ex vncia tres tantùm feriebantur, perſpicuum eſt
Trientem Solidi denis argenteis valuiſſe: atque
hac de cauſſa huic ipſi Trienti, non autem Soli-
F do, nomē illud Denarij adtributum fuiſſe de quo
tamen integrum eruditioribus iudiciū permitto

De pondere aureorum qui Solidi dicebantur.

CAP. II.

NVNC enim maior multò & longè vtilior quæſtio ſubſequitur, de pondere Aureorum, quos Solidos veterum more nominauimus. Ea autem duplex eſt, prior de proportione ponderis ad denarios argenteos: altera, de numero numorum qui ex auri libra feriebantur. De priore cõſtare ferè inter omnes video, duplã aurei appenſi fuiſſe proportionem ad denarium argenteum: ſicuti Stater apud Græcos duarum drachmarum pondus habet. vnde illud Pollucis lib. 9. ὁ δὲ χρυσοῦς στατὴρ δύο εἶχε δραχμὰς ἀττικάς. Denique B licet hoc cuiuis ex aureis & argenteis numis eſſaſſis perſpicere: quemadmodum ipſe in compluribus, quos diligenter appẽdi, animaduerti. quod idem Budæus ab ſe obſeruatum, multis verbis in libro de aſſe tertio commemorat. Neque tamen fuit hoc perpetuum. nã regio dominatu ad Cæſares translato, non pauci extitere, qui ad ſuum arbitrium aureos numos multò grauiores conflarent. Itaque vidi apud Principem humaniſſimum aureum numum Neronis effigie formatum, C ſeptem argenteorum denariûm pondere: hac autem inſcriptione NERO. CLAVD. CÆSAR. AVG. GERM. TR. P. IMP. P.P. In medio effigies erat Neronis: ab altera parte nauium ſex imago, ſub qua Tiberis flumen viri nudi reſupini effigie. tum hæ notæ S.P.O.R O.S.T.C. id eſt, Portus Oſtienſis, vt opinor: cùm Oſtienſem portum reparaſſet. Vidi & alterum ſex denariorum pondere, hac inſcriptione. M. ANTONINVS. COMMODVS. AVG. ex D altera parte ſignum Victoriæ, ſub qua notæ S.C. ſed ſcriptura in ambitu exoleſcente. Sequitur vt de legitimo & ordinario pondere aureorum diſſeramus, quo numero ſcilicet ex auri libra ſignarentur. Nam exſtat quidem eius rei tractatio apud Plinium. eo quem modò protulimus loco: ſed adeò multis & contaminata mendis, & circumfuſa tenebris, vt eam Budæus, Agricola, alij denique omnes planè pro deplorata habuerint. Verba illius hæc ſunt: Aureus nu-
xii. mus poſt annos * LXII. percutius eſt quàm ar- E
genteus, ita vt ſcrupulum valeret ſeſtertios vicenos: quod efficit in libras, ratione ſeſtertiorum
4720. qui tunc erant, ſeſtertios * nongentos. Poſt hæc
xlii. placuit * XL. millia ſignari ex auri libris. paula-
fig. timque Principes imminuere pondus, minutiſ-
xlviii. ſimè verò ad * XLV. millia. Videamus igitur, ecquid huic tanto morbo & à tantis medicis deſperato afferre remedij poſſimus. A Budæo quidem pro deplorato habitum. patet ex ipſius lib. F de aſſe 3. pa. 151. ab Agricola verò relictum, lib. de precio metall. 1. pag. 265. Verum ad hoc conſilium inſtitutúmque noſtrum tria præmunienda ſunt: quorum illud primum eſt, quod iam ſuperius attigimus, Denarios aureos duorum argenteorum pondus habuiſſe: ac proinde cùm in argenteo denario terni eſſent ſcrupuli, ſenos in aureo fuiſſe. quod ad ea quæ mox conſequentur apprimè notandum, ac memoriæ mandandum eſt. Alterum eſt huiuſmodi, Ex numero denariorum, qui in libram feriebantur, cognoſci numerũ G eorum, qui in vnciam ſignabantur: quia ſemper in libra Romana duodecim vnciæ fuerunt, vt ſuperius in Argenteis denariis ſatis demonſtratum eſt. Itaque ſi ex auri libra cudebantur octo & quadraginta, tum ex vnaquaque vncia cudi oportebat quattuor: ſi ex libra triginta ſex, ex

A vncia tres. Tertia præmunitio eſt, Non vnum eundémque ſemper aureorum ſtatum in Republica R. fuiſſe: ſed primis temporibus, grauiores percuſſos: poſterioribus, leuiores. Id quod Plinij ſupraſcriptus locus ita dilucidè oſtendit, vt confirmatione non egeat. Nunc quod dicere inſtituimus ſic exordiemur. Satis conſtat, parem eandémque eſſe rationem libræ auri, & libræ cuiuſuis alterius metalli. proinde ergo argenti: vt ſcilicet in vnamquamque libram duodenas vn- B cias numeremus. Ex argenti libra docuimus argenteos denarios ſub Cæſaribus cudi ſolitos numero ſex & nonaginta. Quare cùm denarius aureus duorum argenteorum pondus haberet, efficitur, vt ex libra auri octo & quadraginta aurei cuderentur: quæ pars eſt ſuperioris numeri dimidia. qua ratione patet, argenteos numos aureis dupla proportione reſpondiſſe. quæ obſeruatio dici non poteſt, quantam lucem huic loco ſit allatura vt illud omittam, quòd hæc quoque pro- C portio vtriuſque metalli naturæ conſentanea videtur. Sed hoc minùs ad rem. Nunc quod neceſſe eſt. Nam his poſitis illud neceſſario efficitur, Plinium extremo illo quem protulimus loco, ita ſcripſiſſe, MINVTISSIME VERO AD XLVIII. non autem, vt in vulgatis libris exſtat, XLV. quod ipſa proportio apertè repudiat: multò verò minus XLV. millia: quod vt abſurdum eſt, ita doctorum omnium conſenſu iampridem exploſum fuit. Facilem autem fuiſſe librarij lapſum à notis D III. (quæ trium numerum deſignant) ad notam CIↃ. (quæ mille ſignificat) quiuis, vel me tacente, animaduertit. Veruntamen, vt omnis cauillandi præcidatur occaſio, ecce profero inſignem Plinij locum, ex ipſius libro 19. cap. 1. vbi auri ſcrupulum apertè quaternis denariis æſtimat. Quaternis, inquit, denariis ſcrupula Byſſi permutata quondam, vt auri, reperio. Atqui Fannius & Priſcianus in drachma ſiue denario E argenteo tria conſtituunt argenti ſcrupula. vnde efficitur ratione duplæ proportionis, aureum ſex ſcrupulorum pondus habuiſſe. Coniungamus nunc ſexies quaternos denarios. efficiemus numerum Denariorum viginti quattuor: quanti dico & contendo fuiſſe, vera ratione Romana, ſingulos aureos, quorum octo & quadraginta libram auri explebant. Verumenimuerò, quæret aliquis, Quemadmodum igitur quadrabit hæc ratio cum illo vel viginti quinque denariorum, F vel centum ſeſtertiorum numero, quem omnes vno conſenſu aureo attribuunt? Cuius rei teſtimonia hæc ſunt manifeſtiſſima: primum ex Dione & Zonara: quorum ille lib. 55. ita ſcribit: χρυσοῦν γὰρ δὴ καὶ ἐγὼ τὸ νόμισμα τὸ τὰς πέντε καὶ εἴκοσι δραχμὰς δυνάμενον κατὰ τὸ ἐπιχώριον ὀνομάζω. καὶ τῶν Ἑλλήνων δέ τινες ὧν τὰ βιβλία ἐπὶ τῷ ἀττικίζειν ἀναγιγνώσκομεν, οὕτως αὐτὸ ἐκάλεσαν. Aureũ, inquit, ego quoque numum, qui drachmas quinq; & viginti valet, more noſtro appello. Et Græcorũ qdã, quorũ libros quòd Attico dicendi generi ſcripti G ſunt, legimus, ſic ipſũ vocarũt. Zonaras autẽ to. 2. inquit, παρὰ Ῥωμαίοις αἱ εἴκοσι καὶ πέντε δραχμαὶ χρυσοῦν νόμισμα ἦν. παρὰ δὲ τοῖς Ἕλλησιν εἴκοσι δραχμῶν, ὡς Δίων φασί, τὸ χρυσοῦν ἀλλάττεται νόμισμα. Valet, inqt, apud Romanos quinq; & viginti drachmæ numũ aureum vnum: apud Græcos autẽ viginti drachmis (vt Dio ſcribit) aureus numus permuta-

mutatur. Ex quibus intelligitur, quæ proportio A fuit inter denarium & ſeſtertium, nimirum quadrupla, parem eandémque fuiſſe inter precium aurei denariis taxatum, & idem precium ſeſtertus definitum: quia ſicuti quattuor ſeſtertij denarium, ita viginti quattuor denarij centum ſeſtertios explebant, qua de cauſſa videmus promiſcuè aureum & centenos ſeſtertios pro eadem pecuniæ ſumma vſurpari. veluti quum Suetonius in Othonis vita ſcripſiſſet his verbis. Quoties cœna principem acciperet, aureos excubanti cohorti B viritim diuidebat: Tacitus lib. ita expreſſit: Quoties Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos numos diuideret. Plutarchus autem χρυσοῦν ἑκάστῳ διανέμων: Eodémque pertinet, quòd cùm idem Tacitus li. Annal. 11. tradidiſſet, Claudij inſtituto taxatum aduocationis honorarium decem ſeſtertiûm millibus, Vlpianus noſter centum aureis interpretatus eſt, l. 1. D. de extraord. cognit. Sed & eodem C ille Plauti locus pertinet in Truculento, primùm à Turnebo, tum etiam à Lambino tractatus.

Nam iam de hoc obſonio de mina vna deminui
Modo quinque numos: mihi detraxi partem
Herculanam.

Nam ſi centum drachmæ in mina erant, vt inter omnes conſtat, quomodo quinq. numi drachmales dici poterant pars Herculea, ſiue decima minæ ſolidæ? Neceſſe eſt igitur, Numi nomine ſtaterem aureum intelligi: quem à Polluce duab. D drachmis æſtimatum paullò antè demonſtrauimus. Magna igitur illa obiectio, & magnopere noſtræ illi diſputationi aduerſaria: vnde ne mihi ſubterfugio aliquo elabi liceat, ac dicere, neque Dionē, neq; Zonaram de denariis locutum eſſe, ſed de drachmis: manum mihi grauis auctor inijcit Didymus, cuius apud Priſcianum hæc verba ſunt, τὰ δὲ σηστέρτια ποιεῖ διακόσια πεντήκοντα δηνάρια ἀργυρᾶ· δέκα δὲ χρυσᾶ· ἅπερ καὶ μίλλε νούμμους φασί. hoc eſt, Mille ſeſtertij faciunt ducentos E quinquaginta denarios argenteos decem autem aureos, quos mille numos vocant. Sanè, vt ingenuè fatear, non mediocriter hæc me obiectio de principio commouit. ſed poſtea re accuratius perpenſa & cognita, eam ſolutionē animaduerti, quam omnibus, qui ſana mente ſunt probatū iri confido. nempe, aliud eſſe laminæ rudis aureę precium, aliud ſignatæ: ſicut aliud eſſe conſtat argenti infecti, aliud facti precium: quippe, cùm F propter operarum mercedem ac manuprecium inſuper aliquid accedat. l. 1. §. vlt. l. 9. & l. Titiæ, 35. D. de aur. & argent. legat. Mercedis autem illius modum, fuiſſe animaduerto viceſimum quintum denarium: quia cùm ad aureum cudendum non plus materiæ paratum eſſet, quàm quantum viginti quattuor denariis emi poterat: tamen aureus percuſſus pro viginti quinque denariis permutabatur. Atque hoc modo poſtremum illius Pliniani loci verſum feliciter ac dilucidè à nobis explanatum eſſe confidimus. Aſcendamus nunc G ad primum verſum, ſic enim facilior ad intermedium intelligendum aditus patebit. Nam Plinius in principio nos admonet, grauiores aureos antiquis temporibus percuſſos fuiſſe, quàm poſtremis. quòd ſi grauiores, certè etiam in libram pauciores. Sed quibúſnam veſtigiis veritatem il-

A lius primi & antiquiſſimi ponderis peruestigare poterimus? nimirum iis ipſis, quæ nobis Plinius, quaſi intentis digitis, oſtendit, cùm ita loquitur: Aureus numos poſt annos LXII. percuſſus eſt, quàm argenteus, ita vt ſcrupulum valeret ſeſtertios vicenos. quod efficit in libram, ratione ſeſtertiorum qui tunc erant, ſeſtertios DCCCC. Nam ex priore ſeſtertiorum numero, nimirum viginti, perfacilè ac ſine vllo errore colligemus, ternos ex vncia, ſenos & tricenos ex libra per- B cuſſos fuiſſe. Cùm enim aurei huius numeri grauiores ſint quàm illi ſuperioris, in quo quattuor fuerant, atque vno ſint pauciores: neceſſe eſt, viceuerſa, ſingula cuiuſque aurei ſcrupula vno denario plus valere, quam illa ſuperiorum aureorum. Cùm igitur illa valerent, auctore Plinio, quaternis denariis: hæc valebant quinis. qui, ſi ſeſtertiaria ratione quadruplicentur, liquidò parient eum ipſum ſeſtertiorum numerum, quem Plinius edidit: nimirum viginti. quantum in vn- C ciam: trecentos ſexaginta. Supereſt libra: in quam Plinij codices imputant nongentos abſurdè & ridiculè, vt Budæus, Agricola, & omnes vno conſenſu agnoſcunt. Reponantur ergo Quattuor millia quadringenti, ſexaginta quattuor. omnia examuſſim quadrabunt. Et profectò ita eſſe ratio proportionum oſtendit, quam ſuperius diximus magnum in hac tota tractatione pondus ac momentum habere. Demonſtratum eſt enim, aureum dupla proportione argenteo reſpondiſſe. Dictum D eſt etiam ex Plutarchi teſtimonio, drachmas in mina, ante Solonis inſtitutum, fuiſſe duas & ſeptuaginta. Diuidamus hanc ſummam Quanta erit dimidia? nempe illa ipſa, quam in auri libra fuiſſe diximus, aureorum ſex & triginta. Experiamur alteram proportionem ſeſquitertiam. quadrare ad amuſſim omnia comperiemus. Nam vt ſunt quattuor aurei (qui in ſuperiorem vnciam incurrebant) ad tres (qui in hanc noſtram incur- E runt) ita ſunt quadraginta octo (qui ex ſuperiore libra cudebantur) ad triginta ſex, (qui ex hac noſtra percotiuntur.) Sed quid eſt quod Plinius ſubiicit, Ratione ſeſtertiorum qui tunc erant? Dicam apertè. Nihil fuit neceſſe, Budæum, Glareanum & alios doctos viros commoueri. Quo tempore Plinius hæc ſcripſit, ſeſtertius quattuor aſſes valebat: vt ſuo loco dictum eſt ab initio duos tantùm & ſemiſſem valebat: cuius temporis ęſtimationem Plinius monet ſpectandam eſſe in hac F ſua ratiocinatione, vbi de ſeſtertiis antiquis loquitur, non autem eius, quo ſeſtertius quattuor, denarius ſedecim aſſium precium ęquabat. Longè verò illud erat obſcurius, quod neminem attigiſſe vehementer miror: Quid ſit quod Plinius eodem loco poſuit, Aureum poſt annum LXII. percuſſum fuiſſe, quàm argenteum. Quod enim de mutatione ſeſtertiorum loquitur, ferre tantum ſpatium non poteſt: cùm illam contigiſſe teſtetur anno vrbis DXXX. Q. Fabio Dictatore: argentea autem pecunia ſignari cœperit an- G no CCCCLXXXIIII. vt idem eodem loco tradidit. Quod ſi LXII. annos ad illos CDLXXXIV. adderemus, perueniremus ad annum vrbis DXLVI T. Quinctio, M. Claudio Coss. vt Agricola rectiſſimè ratiocinatus eſt lib. de precio metallor. 1. pag. 265. Sed idem vehementer errat, cum illam ſeſtertiariam mutationem non animaduertit fa-

& quadraginta antè anoit accidiſſe. Quid verbis opus eſt? Nam Liuiut lib. 26. de auro ſignato loquitur, ſub auno oa LIII. Manlio, Octacilio Coſs. Aurum, inquit, argentum, æt ſignatum omnes ſenatores craſtiua die in publicum ennferamus, & moa: Cæternm omne aurum, argentum. æs ſiguatum ad Triumuiros menſarios deferamus. Cùm igitur numerus ille LXII. ſtare non poſſit, tantiſper dum verus ac certut reperiator, per exigua mutatioue æponendum cenſeo, ait. in quu oon proculà recepta ſeriptura recedimus. Sequitur verſut apud Plinium intermedios. Poſthæc placuir XL. millia ſignari ea auri libris. Breui præcîdam. Ptubabiliter dici poteſt, imò, vt opinor, pro cetto & vero affirmari, Plioiom, ita ſcripſiſſe, Placuit XLII. ſignari ea anri libris. Nam quadraginta aureorum millia nihilomagis fetri poſſunt, quàm talentorum quadringenties quadragiet tentena millia: quemadmodum & Budæus & Agricnla & alij omnes ſine vlla varietate cooſentiunt. Vt igitur ſuperius oſtendimus, pro a LV. millia reponendum eſſe aLVIII. quia tres poſtremæ notæ propter ſimilitudinem CIↃ degenetarant in verbum MILLIA: ita hoc loco affirmamus, idem verbum MILLIA ſuppoſitum pro hit duabus notis fuiſſe II. quod etiam hoc modo planiſſimè demouſtrabimus. Plinius tradit, non voum ſemper aureorom ſtatum fuiſſe, ſed aliquoties vatiatum. Tres autem varietates tantùm eoumerat. poſtremam quattuor aureorum in vnciam, primam trium. tertiam idem iutermediam numerat. Quænam igitur alia eſſe poterit, quam medij oumeri? nimirum trium cum dimidio. Exigamus rationem hanc ad tegulam proportionis. Dixi, primam eſſe octo & quadraginta aureorum in libram: quia cùm argentei denarij ſolenniter ea argenti libra ſignari ſulerent XCVI. numeto, & aureos didrachmus eſſet, hoc eſt binos argenteos penderet, neceſſe fuit, dimidiam tantùm illius numeri partem aureis imputari: vt ſcilicet octo & quadraginta ſignarentor. Rurſus diai primam fuiſſe ſex & triginta aureorum in libram, quia cùm drachmæ ex argenti mina feriri ſolerent numero duæ & ſeptuaginta, pari ratiooe dimidia illius numeri pars erat didrachmorum, ſioe aureorum ſea & trigiota. Nunc hoc dicimut: Vbi aureorum pondus imminoi cęptus eſt, non tepentè à tribus ad quattuor decurſom fuiſſe (nam hunc poſteriorem Plioius teſtator vltimum fuiſſe) ſed ad eum qoem natura & communis ſenſut oſtendit: nimirum ad tres cum dimidio: qui numerus eſt inter duos illos eattemos intermedios, nimirum XLII. quia cùm quattuor & octoginta drachmæ in libram ferirentur, aurei didiachmi feriendi fuerunt ad eiuſdem ponderis rationem duo & quadraginta. Et hac ratione præclaram licebit proportionem animaduertere. Quantò enim hic numerus a LII. ſuperat illum XXXVI. tantò numerus a LVIII. ſuperat illum XLII. nimirum ſex. Atque hoc modo pulcherrimum illum Plinij locoin à tam multis deploratum, à oemioe vſque adhuc ſanatum, primi omoium (vt ſperamus) in ſuam integritatem reſtituimus. Etſi autem hæc à nobis ſatis dilueidè pro rerum obſcuritate dicta ſunt, tamen ne quid dubitationis aut ſcrupuli ſuperſit, tem tutam ſub utulos ſubiiciemus, & hanc numerorum tabulam, in qua proportiones dilucidè animaduerti poterunt, propooemut.

A	B	C	D	E	F	G	H
3	36	5	30	120	20	360	4320
3½	42	4½	27	108	18	372	4464
4	48	4	24	96	16	384	4808

A Quot aurei in vocia.
B Quot anrei in libra.
C Scrupulum quot valet denarios argenteos.
D Aureut quot valet deoariot argeoteot.
E Denarius quot ſeſtertiot.
F Scrupulum quot ſeſtertios,
G Seſtertij quot in vncia.
H Seſtertij quot in libra.

His ita cooſtituris, tandem concludendum eſt aureos de quibus ſub impetio Cæſarum, & in Pandectis noſtris mentio fit, cudi ſolitos è libris a LVIII. ex vnciis autem quattuor. deinde in ſingulos aureos oon plus auri, quàm quantùm quattuor & viginti denariis comparari poterat, conſumptum fuiſſe: ſed propter officinæ mercedem, vicenis quinis æſtimatos fuiſſe. Poſtremò neque Budæo, neque Agricolæ aſſentiendum, qui nonnullis in locis octo & quadraginta aureos libræ attribuunt, aliis verò quinquaginta: ſed potiùs ita definiendum, Octo tantum & quadraginta aureorum pondus in libra fuiſſe, numerum tamē quinquaginta. Quam tamen differentiam veteret Græci & Latini auctores propter Græcæ & Rumanæ hiſtoriæ permiationem crebro confuderunt: cùm ſcilicet Græcorum res Romani, viciſſimque horum illi res narrationeſque ad rem pecuniariam pertinentes tractarent. Budæi verba, nequis fortè quæ ſuperius dicta ſunt, in dubium vocare, & nos calumniari inſtituat, totidem literis deſcribam, ea lib. 3. pag. 255. Cùm libra Romana ſex & nonaginta drachmarum fuerit (melius dixiſſet denariorum, centum autem drachmatom) duodequinquaginta numi didrachmi ex ea factitati ſunt à principio (imo ſemper vſque ad Plinij ętatem, atque adeò poſterius) quibus ſi ſemunciam addideris, id eſt quattuor drachmas, vt ea libra fiat plena mina, erunt io libra quinqoaginta omnino nomiſmata: vt apod Plin. QVINQVAGINTA potiùs, quam QVADRAGINTA legendum ſit (imo QVADRAGINTA OCTO.) Ex quo intelligimus qoinquageoot olim aureos in ſingulis libris fuiſſe. dumtaaat iuſti ac legitimi nomiſmatis. Hæc ille. At in eod. lib. pag. 257. Romani, inquit, quaternos aureos in vncias ſignabant. Ita quater duodenos io libras ſignaſſe deprehenduntur, id eſt, in duodecim vncias: & binos ea ſemuncia, quæ minæ. id eſt libræ argentariæ accedit. Item libto quint. pag. 654. Diximus ſuprà duodequinquagenos numos ex auto libra percuſſos (imo verò Quinquaginta, mi Budæe) Et pag. ſequ. Antiqui aurei (vt diximus) binas drachmat pendebant: hoc eſt, ſenos ſcrupulos: & quattuor in vncias ſignabantur. ſic ex libra Romana duodequinquaginta fiebant: hoc eſt, ea duodecim vnciis, poudere autem imminuto ex binis drachmis terni aurei numi fieri cœperūt: hoc eſt, ſeni ex vncia. Ita fit, vt auri libra to-

bus

bus & ſeptuaginta aureis impleretur, licet antiqua libra numaria centenas drachmas caperet, vt mina Attica. Hæc doctiſſimus Budæus: quæ fortaſſe nemo eruditus credidiſſet ab illo ſcripta fuiſſe, niſi verba ipſius totidem literis deſcripſiſſem. Nam cuioſmodi tandem illud ſomnium eſt, ſtante Romaoo Imperio ſenos ex auri vncia denarios aureos percuſſos, ex libra binos & ſeptuagenos? quem numerum à Valentiniano ſolo, poſt nouam Romam conditam, ſeruatum legimus. l. quoties, 5 C. de ponderatorib. Quale porro illud eſt, quod ſubiicit, Licet antiqua libra numaria centenas drachmas caperet, vt mina Attica? an non boc Saliorum carmen eſt, ſiue, vt in Gallia dicere ſolebamus, ſaltatin à gallo ad aſinum? Nam cum de auri libra & aureis oumis dicere exorſus eſſet, repentè Latini tibicinis modo ad argenti libram & denarios argenteos, ſiue drachmas argenteas tranſiliit. Simillimum eſt illud eiuſdem lib. pag. 258. Nam cùm paullò antè apud Plinium legendum eſſe dixiſſet XLVIII. Fortaſſe igitur, inquit, apud Plinium legi poſſet, Poſthæc placuit L. numos ſignari ex auri libris. paulatimque principes imminuere pondus: minutiſſimè verò ad LV. numos. *Quo teneam vultus mutantem Protea nodo*? aut verò qualis iſta eſt vel proportio, vel Romanæ libræ ratio? Sed pag. ſequenti (hoc eſt 259.) multò etiam magis aliena loquitur. Videndum, inquit, quodammodo auri ſcrupulus vicenos ſeſtertios valere potuerit (nos eum paullò antè ſpectandum oculis ſubiecimus.) Quod antequam explicu, hoc præfandum habeo, me Plinij locum ita legere inſtituiſſe, quoad aliud inuenero: Ita vt ſcrupulum valeret ſeſtertios duodenos, vel bis ſenos potius (hac ratione Budæus aoreum nobis fingeret ſeſtertiorum ſeptuaginta duorum, qualis nunquã antehac auditus eſt) quod efficit in libras ratione ſeſtertiorum qui tũc erant, Denarios nongentos. Et inferius, Paulatimque Principes imminuêre pondus, minutiſſimè Nero, ad quinquaginta quinqoe numos. Ita Budæus vocem NER o reponendam putat; pro VERO. quod ferri non poteſt, quia Plinius, qui, vt aliquoties teſtatur, res Neronis ſcripſit, & ad Veſpaſiani ætatem peruenit, eodem illo loco diſertè proteſitur, aoreorum pondus ſemper vſque ad ſua tempora diminutum fuiſſe: ac proinde non leuius, fortaſſis etiam grauius ſub Neronis imperio, quàm ſua ætate fuiſſe. Quin ne illud qoidem prætermittendum eſt, quod Suetonius memoriæ prodidit, Cæſarem cùm in Gallia fana & templa Deorum atque vrbes quaſdam ſpoliaſſet, tantam auri copiam habuiſſe, vt ternis millibus numum in libras promercale per Italiam prouinciáſque diuideret. quod ſanè animaduerſione dignum fuit, cùm ſuperior tabula demonſtret, nunquam aureorum numorum libram minoris quàm quatuor numum millibus valuiſſe.

De aureis inclinato imperio & circa Iuſtiniani tempora vſitatis.

CAP. III.

ATQVE hæc quidem hactenus. Verùm in-
A clinato iam ac labente imperio, longè diſſimilis fuit aureorum qualitas & ratio, de qua quę à nobis obſeroata ſunt, deinceps eo quem ſuperius in æreis & argenteis numis exponendis ſecuti ſumos, ordine diſſeremus. quanquam ne illud quidem hoc initio prætereundum videtur, Aureum apud Græcos poſteriores ſcriptores, (hoc eſt ferè poſt Conſtantini imperium) generale Numiſmatis nomen ſuum feciſſe. nam in Nouellis Iuſtiniani, & aliorum Orientalium
B conſtitutionibus, itémque apud Theophilum, Harmenopulum, Nicephorum, Zonaram, Cedrenum, vbicunqne Νομίσματος nomen reperitur aureus ſolidus ferè intelligitur. Ac primùm de materia quam fuiſſe duplicem animaduerto: quorundam enim lamina ex auro puro & obryzo cõſtabat: aliorum verò mixta, & alio quopiam metallo temperata erat. Obryzum monetales viri purum & excoctum appellabant: ac fruſtra ſe homines docti in illius verbi notione indaganda
C fatigarunt: quod in officina monetali natum eſſe, Plinius oon obſcurè ſignificat: vbi complura eiuſdem modi vocabula monetalis & metallariæ artis propria commemorat. ſic denique nautarum, & ſingulorum ferè artificum atque opificum propria quædam vocabula fuiſſe, facilè ex auctorum locis cognoſci licet. ſed iam quod inſtat agendum eſt. Fuit igitur Obriza, probatio ſiue examen per ignem acerrimum, cuiuſmodi hodie eſt, quod vulgo Cineritium appellant. vt apparet
D ex l. vlt. C. TH. de ponderat. vbi Imp. Valentinianus aureos numos diu multúmque cum edacis flammæ examine in Obriza detineri iubet. vbi Edacem igoem Ouidij exemplo dixit: cuius ille notus eſt verſiculus, *Omnia purgat edax ignis, Vitiúmque metalli Excoquit.* Nec dubito, quin Conſtantinus in l. 1. eod. titul, ita ſcripſerit: Si quis ſolidos appendere voluerit auri Obriza cocti. Nam per obrizam quicqnid alterius metalli
E admixtom erat, depellebatur: atque ita materiæ pondus imminuebatur. l. 4. C. TH. de aur. coron. Quod ſi qua ex numorum qualitate inter emptores & venditores controuerſia naſcebatur, erat in ſingulis ciuitatibus Zygoſtrates Principũ imperio conſtitutus, qui de iis diſceptabar, l. 2. C. de ponderat. l. 2. C. TH. eod. cuius legis iotio pro SOLIDORVM, Latina oratio poſtulat Soli nos io quarto caſu reſtitui: vt ſit hic ordo Emptio venditióque impeditur, nonnullis repu-
F diantibus ſolidos leuius vendibiles, quos (quidam) excidunt, aue diminuunt, aut arrodunt. Solidorum autem mentio fit in edicto Prætoris perpetuo, quod, Adriano Imperante, à Iuliano compoſitum eſt. l. 5. §. prætor. D. de bis qui deiect. vel effud, itémque in edicto Ædilium. l. qua vulgò, 41. D. de Ædil. edict. verbi autem notionem Iſidorus ſic explicat lib. Origin. 16. Solidus apud Latinos Sextula dictus eſt: ideo quòd his ſex vnciae ompleatur. Hunc autem vulgus ſolidum aureum vocat: qui Solidus dicitur ideo
G quia nihil illi deeſſe videatur. Solidum enim antiqui integrom dicebant. Cicero de Diuin. Annibal cùm columnam auream vellet auferre, dubitauit vtrum ſolida eſſet, an extrinſecus inaurata. Itaq. in Queruli comœdia pro NOBILITAS (quod verbum eo loco nullius vſus eſt) reponen-

dum cenſco SOLIDITAS. Quid tam ſimile, inquit, quàm ſolidus ſolido? Etiam hic diſtantia quæritur in auro. vultus, ætas, color, NOBILITAS, literatura, patria, grauitas, atque ad ſcriptulos quæritur in auro, plus quàm in homine. Quod ſic interpretor, Quæritur in aureo numiſmate auctoris vultus, ſiue effigies, ætas etiam, ſi forte & iuuenis quædam percuſſit, & ſenex: item color auri, qui quo ſplendidior eo certior, ſoliditas præterea, vt ne ſit alij metallo admixtum, ſed excoctum & merum: literatura item, id eſt inſcriptio, quæ in numis imprimitur. (Matthæus ἐπιγραφὴν appellat Euangel. c. 22.) patria deinde, id eſt, ciuitas vbi numus percuſſus eſt: poſtremò grauitas & pondus. Patet igitur, Solidos duabus de cauſſis appellatos: primùm quòd ex auro puro conſtabant, deinde vt ab iis diſcernerentur, qui dimidiati, aut dimidiatis minores erant: hoc eſt, ſemiſsibus, & tremiſsibus.

De legitimo Solidorum numero ex auri libra.

CAP. IV.

DEINCEPS de legitimo Solidorum numero, qui ex auri libra feriebantur, pauliſper conſiderandum eſt. Nam poſterioribus temporibus circiter Conſtantini ætatem, labente iam ac proclinato imperio, ita pondus aureorum imminutum eſt, vt quattuor & octoginta ex auri libra conflarentur. ſiue, quòd idem eſt, ex vncia ſeptem. quod fuiſſe legitimum denariorum argenteorum pondus ſuperius ex Plinio demonſtrauimus. quanquam in eo non mediocriter interfuit, quòd cùm in argenteo denario terna eſſent ſcrupula, Conſtantinus quaterna in aureo ſuo eſſe ſtatuit. nam in l. 1. C. TH. de ponderat. Si quis, inquit, Solidos appendere voluerit auri * cocti (lacunam voce Obryza replendam diximus) ſeptem ſolidos quaternorum ſcrupulorum noſtris vultibus figuratos appendat pro ſingulis vnciis: quattuordecim verò pro duobus: iuxta hanc formam omnem debiti ſummam illaturus: eadem ratione ſeruanda, & ſi materiam quis inferat, vt ſolidos dediſſe videatur. Poſt Conſtantinum Valentinianus ad grauiores aureos rediit: ſtatuitque vt duo & ſeptuaginta conflarentur, qua ratione cùm libra duodecim vnciis conſtaret, facilè legitimum aurei Solidi pondus eſſe deprehenditur, ſextam vnciæ partem. legem illam quæ decurtata refertur in l. quoties, C. de ſuſcept. ex codice Theodoſiano integram, & ex coniectura noſtra emendatam proferemus. Quotieſcunque ſolidi ad largitionum ſubſidia perferendi ſunt, non ſolidi (pro quibus adulterini ſæpe ſubduntur) ſed aut iidem, in maſſam redacti, aut (ſi aliunde qui ſoluit, poteſt habere) materia auri obryzati dirigatur, &c. Illud etiam cautionis adiicimus, vt quotieſcunque certa ſumma ſolidorum pro tributi qualitate debetur, & auri maſſa tranſmittitur, in ſeptuaginta duos ſolidos libra feratur accepta. Perſpicuum eſt igitur, Valentiniani imperii ſenos aureos ex vncia conflatos, quandoquidem ſex vnciæ duodecies ductæ, numerū implent duarum & ſeptuaginta. Atque hoc nimirum eſt quod Iſidorus his ſignificat verbis: So-

A lidus apud Latinos alio nomine Sextula dicitur quòd iis ſex vncia compleatur. Nam ſextulam Iſidorus ſextam vnciæ partem eſſe oſtendit, vt apud Fannium:

Sextula quæ fertur nam ſex his vncia conſtat.

atque idcirco Solidum eius nomine appellatum quia ſeni ſolidi auri vnciam expleant. ſed & paulò poſt tres aureos Semunciæ nomine appellatos tradit. ac pari ratione Græci Latinos imitati ἑξάγιον ſolidum aureum appellarunt: quo Sex-

B tulam cómodiſſimè dicere poſſumus Zonaras tit. 3. vbi de Nicephoro Phoca commemorat: ἦν δὲ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ χρημάτων ἥττων, ὡς ἔοικε. μέχρι γὰρ ἐκείνου παντὸς νομίσματος ἑξαγίου σταθμὸν ἕλκοντος, ἐκεῖνος τό τε τέταρτον ἐπενόησε, κολοβώσας αὐτὸ κατὰ τὸν σταθμόν, καὶ τὰς μὲν εἰσπράξεις διὰ τοῦ βαρυτέρου, τὰς δὲ δόσεις καὶ πάντα τὰ ἀναλώματα διὰ τοῦ κεκολοβωμένου πεποίητο. id eſt, Erat autē, præter alia, etiam ardente auaritia, & pecuniæ præter modum appetens, quod vel hinc licet intelli-

C gi. nam cùm ſemper antea aurei omnes ſextulam penderent, ipſe Quartarium excogitauit, pondere leuiore ac deminuto: & exactiones, quidem grauiore, largitiones autem & ſumptus leuiore ac mutilato numo faciebat. Quam hiſtoriam Cedrenus his exponit verbis: ἠλάττωσε δὲ καὶ τὸ νόμισμα, τὸ λεγόμενον τεταρτηρὸν ἐπινοήσας, διπλοῦ δὲ τοῦ νομίσματος ἐκτότε γεγονότος ἡ μὲν εἴσπραξις τῶν δημοσίων φόρων τὸ βαρύτερον ἀπῄτει, ἐν δὲ ταῖς ἐξόδοις τὸ μικρὸν ἐσκορπίζετο. Aureum, inquit, leuio-

D rem fecit: Quartarium commentus, & cum ex eo tempore duo genera aureorum eſſent, publicorum quidem tributorum functio, grauiorem exigebat: minor autem ac leuior in ſumptus diſpenſabatur. τεταρτηρόν, quartarium Lampridij more appellaui, quaſi ἑξάγιον ſextarium pari modo diceremus: ſed Quartarium Lampridius dixit, pro quarta aurei parte, quaſi quadrantarium: ego pro quarta vnciæ parte: Et commentum iſtius Ganeonis ſic interpretor: Cùm antea ſemper au-

E reus eſſet, vt ita dicam, ſextantarius, hoc eſt, ſextam vnciæ partem appendens, qua de cauſſa, Sextula dicebatur, Nicephorus aureum ſuo nomine ſignari iuſſit, paris eiuſdémque ponderis, ſed precij maioris: quaſi quattuor tantùm in vncia ineſſent, quapropter, Quartarium, ſiue potius quadrantarium illum appellauit: cùm tamen multò leuior eſſet vnciæ quadrante.

Tū vbi quid fiſco ſuo ſoluendum erat, ſextan-

F tarios adnumerari iubebat. vbi contra ſoluere ipſum atque impendere aliquid oportebat, alteros illos pondere ſextantarios, verbo quadrantarios expendebat. ex quo permagnum priuatis diſpendium accidebat, cùm leuiores numos inter ſe commutare, grauiores autem fiſco dependere cogerentur. Patere igitur iam arbitror, non vnam ſemper ac certam aureorum æſtimationem fuiſſe: ſed pro cuiuſque Principis arbitrio ac libidine mutari ac variari ſolitam. Itaque Imperatores Valentin. Valens & Gratianus in leg.

G 2. C. de vet. num. poteſt. ita ſcribunt, Pro imminutione, quæ in æſtimatione ſolidi fortè tractatur, omnium quoque precia ſpecierum decreſcere oportet. Quod cùm ita ſit, nunc quæſtio exoritur, quid ſit quod in l. 1. & l. vltima eiuſdem tit. Impp. ſtatuunt, vt par eadémque ſit veterum & recentiorum numorum poteſtas. Nam ſi pre-

cium autentum imminutum eſt, certè materiæ quoque bonitatem imminutam fuiſſe oportet.ac proinde veterum æſtimationem iniquiſſimè recentiorum æſtimationi adæquari. Animaduertendum eſt igitur, Imperatores non ſimpliciter & abſolutè ſtatuere, vt ſolidorum veterum & recentiorum par eademque ſit poteſtas: ſed coniunctè, ſolidorum omnium obryzatorum. Itaque legum illarum hæc ſententia eſt, Vt obrizatorum quidem ſolidorum omnium qui ſcilicet eiuſdem eſſent ponderis, par eadémque eſſet poteſtas: ſiue veterum, ſiue recentiorum Principum effigie formati eſſent. ac proinde vbi recentiorum poteſtas imminuebatur, ſimul etiam veterum dignitas decreſcebat. Cedrenus de Nicephoro Phoca: Νόμου δὲ καὶ ἔθους ὄντων, πάντα χαρακτῆρα βασιλέως, εἰ μὴ τοῦ σταθμοῦ ἐλαττοῖτο, δύναμιν εἰσφέρειν, καὶ ἔχειν ἰσότιμον. Cum & lege & conſuetudine receptum eſſet, vt numorum omnium qui Imperatoris effigie inſigniti eſſent, niſi forte aliquid ponderi legitimo deeſſet, par eadémque poteſtas eſſet. Qui verò non puri, ſed mixti erant, quales Caracalli Imperio fuiſſe ex Dione docuimus, ij pro Monetalium & Zygoſtatarum iudicio æſtimationem accipiunt. qui fruſtra inſtituti à principibus in ſingulis ciuitatibus fuiſſent, ſi ſolius auri puri purri, & vnius eiuſdémque numorum generis vſus receptus eſſet.

De auri precio & libris circa Iuſtiniani tempora.

CAP. V.

CVR autem aurum argento aliiſque metallis omnibus precioſius exiſtimetur, alterius generis quæſtio eſt. Georgius quidem Agricola in lib. de preciis metallorum primo tres cauſſas profert præcipuas: vim eius in ignibus, vtilitatem ad vſum vitæ, & raritatem. neque animaduertit, ferri maiorem eſſe & duritiē in igne, & ad vſum vitæ ſiue ruſticæ, ſiue vrbanæ, ſiue militaris, ſiue naualis opportunitatem. plumbum autem Britannicum, omnium metallorum eſſe rariſſimum. Commodius igitur videtur, in æſtimanda metallorum præſtantia ſic diſtingui, vt de ea quæratur vel ſimpliciter, id eſt per ſe, & ex cuiuſque metalli natura: vel relatè, hoc eſt ratione vtentium, & opportunitatis reſpectu. Nam ſi per ſe metalla conſiderentur, non dubium eſt, quin Auro principatum tribui oporteat, quippe quòd ſit metallicum forma, & opus naturæ perfectum atque abſolutum, vltra quod ipſa progredi non poteſt. nam cùm prima metalli materia, fuerit ab initio humida & frigida, itémque leuis atque aërea, vt facillimè perexiguo colore adhibito euaneſcat, ſenſim tamen tum à natura, tum ab arte, naturæ imitatrice, per alia metalla quaſi gradus in eam maturitatē perducitur: vt iā tota ſit ignea, & ſolida, & mirè compacta. quocirca neque ignis ardori cedit, neque quicquam illi vel in incendiis vel in catinis deperit, nec tantum ſcoriis natiuis omnibus expurgatur, verùm ne aduentitias quidem vllas admittit. vitiáve vlla aut maculas concipit nec ab acribus exeditur, & colore, ſplendore, fulgore facilè omnibus antecellit. Sin autem quæſtio ad vitæ communis opportunitatem referatur, tum verò dubitari non debet, quin ferrum multis partibus auro ſit præſtan-

A tius ſiue pacis tempore, ſiue belli, ſiue ruſticæ ſiue vrbanæ vitæ commoda ſpectemus. Verùm, vt dixi, quæſtio hæc alterius eſt & loci & temporis. nam ad phyſiologiam tota pertinet & ramum, ſiue vellus, ſiue potius muſcum aureum: de quo mihi alius eſt dicendi conſtitutus locus. Nunc vt ad inſtitutum redeam, animaduerto poſteriorum Impp. ætate libram auri æſtimatam quatuordecim argenti libris & ferè ſe libra: quia quinta pars ſelibræ detrahenda eſt. Nam cùm Impp.

B Arcad. & Honor. in l. 1. C. de arg. pret. libram argenti quinis aureis ſolidis æſtiment, libram autem auri duobus & ſeptuaginta ſolidis aureis; perſpicuum eſt, ſeptuaginta ſolidis aureis: perſpicuum eſt, ſeptuaginta ſolidos aureos quatuordecim auri libras exæquare, ſuperſunt aurei duo: qui, ſi ſemiſſem adderemus, ſelibram, ſiue ſex vncias argenti explerent. nunc quia ſemis deeſt, explebunt quatuor vncias, & inſuper quatuor

C quintas vnciæ vnius partes. Porro, cùm ſuperiùs demonſtratum ſit, legitimum aureorum ſolidorum numerum ex quaque auri libra fuiſſe, Iuriſconſultorum tempore, quinquaginta, conſequens eſt, ex ſingulis vnciis quaternos ſignatos fuiſſe. ita tamen, vt bini ſummæ excurrentis ſupereſſent. Quocirca, quibus in veterum auctorum locis vnius auri libræ mentio fit, quinquaginta aureos intelligemus: in quibus duarum, centum: trium, centum & quinquaginta. ac proinde

D Senatuſconſultum cuius fit mentio in l. 3 §. vlt. D. de præuaric. quo pœna quinque auri librarum in deſiſtentem ab accuſatione ſtatuitur, ſic interpretabimur, quaſi ſcriptum eſſet, ducentorum quinquaginta aureorum: ſeſtertiaria autem ratione, quinque & viginti millium numûm ſed poſterioribus ſeculis, tranſlata imperij ſede Byzantium, quibus temporibus aureorum pondus imminutum, numerus ita vt diximus auctus eſt; comparatio hæc ad illius temporis rationem ac-

E commodanda erit.

De auri ad argentum proportione.

CAP VI.

SEd hæc diſputatio ad eam quæſtionem pertinet, quam à Budæo, Agricola, & aliis, qui ſe in hoc ſtudij genere exercuerunt, tractatā ad argētum ſit proportio? Nam ſi qua inter metalla proportio eſt, eam eſſe oportet aut in ipſorum

F natura, aut in vſu, atque vtilitate, aut in hominum cupiditate ac ſtudio, aut poſtremò in populorum inſtitutis, ac legibus. In metallorū natura proportionem aliunde, quàm ex eorum maturitate vel immaturitate quærere, perquam abſurdum eſt. Omnium enim metallorum vna eadémque, vt paullo antè diximus, eſt ſtirps ac radix: quamuis radices inter ſe bonitate ac puritate diſcrepent. quædam enim plus fæcis ac ſordium admixtum habent, quod harum rerum periti at-

G que intelligentes Sulphur exterius appellant, quædam minus. Hoc ſulphur ex atro colore: qui lineis ex quoque metallo ducendis perſpicitur, & quem Plinius etiam commemorat, perfacile à quouis videri intelligique poteſt. præterea propter caloris & coctionis varietatem, hoc eſt diſſimilem ſolis cœlique affectionem, varia metallorum genera gigni neceſſe eſt. Vſui verò quid loci tribuere in hac inueſtiganda propor-

tione poſſumus? cùm proportio ſemper certa & A
rata ſit, vſus & vtilitatis ratio in metallis incertiſſima. certas.n.ad res argentum exempli cauſſa erit vtile, quod in aliis erit inutile. velut in militaribus Romanorum ſignis, quæ ex argento (vt Plinius teſtatur) fiebant. quoniam is color aureo eſt clarior, magiſque diei ſimilis, & lõgius (vtipſe ait) fulget. Quod ſi vſum atque opportunitatem ſpectemus, nemini dubium eſt, quin ferrum reliquis omnibus longè lateque antecel- B
lat: tametſi varia, vt diximus, cuiúſque metalli varias ad res commoditas eſt. Sequitur hominũ cupiditas, cuius cũ modus ſit nullus, ecquæ tandem aut initi ratio, aut conſtitui regula poterit? nihilò certè magis quàm in gemmis aut margaritis, addo etiam in ſignis & ſimulacris: quarum rerum æſtimatio ex eorum affectione pẽdet, qui huius generis ornamentorum ſtudioſi ſunt. Itaque præclarè Tullius, vt omnia: Qui modus eſt in his rebus cupiditatis, inquit, idem eſt æſtima- C
tionis. ſed, vt Iuriſconſulti ſapienter ſtatuunt, pretia rerum non ex affectu, vel vtilitate ſingulorum, ſed communiter funguntur. l. pretia.36. D.de leg. falcid. l. ſi ſeruum, 33. D.ad leg. Aquil. Quid igitur dicemus? Idem nimirum de proportione & precio metallorum ſtatuendũ eſſe quod Ariſtoteles de numis dixit: illam non à natura, ſed à lege & inſtitutis populorum proficiſci: atq; ex eo fieri, vt auri libra interdũ decem, plerumque duodecim, interdum tredecim, atque adeò quatuordecim, & amplius argenti libris æſtime- D
tur. quemadmodum paullò antè docuimus, ſub Arcadij, & Honorij imperio quatuordecim libris, &, eo amplius. ferè ſelibra, taxatam auri libram fuiſſe: argenti autem libram, centum æris libris: in quo non metallorum natura, ſed communis populorum vtilitas ſpectatur. quæ non minùs in metallis, quàm in aliis rebus ac mercibus varia & mutabilis eſſe cõſueuit. l. 3. D.de eo quod cert.loc. l. cum certum, 9. D.de aur. & arg. leg. l. E
ſi quis 35. in fi. princip. C. de donat. vbi auri argentique precium ex varietate temporis locorũ variari dicitur. quod ſummè notandum eſt. cuius rei teſtimonium exſtat certiſſimum in l. 9. D. de aur. & arg. leg. & l. ſiquis, 35. in fin. prin. C.de donat. vbi auri argentique precium ex varietate tẽporis & locorum variari dicitur. Neque verò moueri quenquam oportet Platonis, Herodoti, Liuij & Pollucis auctoritate. qua plerósq; omnes abuti ad hanc opinionem animaduerto. Dicit quidem Plato in Hippareo duodecuplum eſſe F
aurum ad argentum. qua de re mox videro. ſed, vt hoc concedamus, tamen, non ſi Platonis tempore & Athenis valuit illa proportio, idcirco ſequitur eandem & vbique & omni tempore valuiſſe. Platonis autem locum vitioſiſſimè à nonnullis conuerſum, ſic interpretabitur. Socr. *Si quis minus impendij fecerit, plus perceperit, ain hoc lucrum eſſe?* Hipp. *Non quidem ſi deterius aliquid acceperit. ſed ſi quis auri vel argenti minus impen-* G
derit, plus autem receperit. Socr. *Hoc ipſum volebam, Agedum enim. Si quis dimidiam certi ponderis auri partem impenderit, duplum autem pondus argenti receperit, vtrum lucrum, an damnum fecerit?* Hipp. *Damnum certè, ô Socrates. nã aurũ quod apud eũ fuerat duodenarium, effectũ eſt ei* (vel redactũ eſt ei ad) *binariũ.* ἀντὶ δωδεκαςασίου τοῦ δι-ςάσιον αὐτῷ καθίςαται τὸ χρυσίον (nempe, vt iam ei decẽ partes abſint. nã cùm auri pondus, quod impendit, valeret duodecuplo argenti, pro duodecuplo duplum tantam accepit) Socr. *Atqui plus accepit. nunquid duplum plus eſt, quàm dimidiũ?* Hipp. *Non quidem argenti duplum dignitate plus eſt, quàm auri dimidium.* Socr. *Oportet igitur, vt apparet, iſti lucra ineſſe dignitatem:* (lucrum iſtud ex dignitate ęſtimate, lucrum eſſe id quod dignitate præſtat.) *Atque hac ratione negas plus argenti dignius eſſe, quàm minus auri. Minus autem auri dicis eſſe dignius, quàm plus argenti.* Hipp. *Prorſus ita eſt.* Socr. *Quod igitur dignius eſt, id lucrum cenſendum eſt, ſiue paruum ſit, ſiue magnũ. quod autem vilius, pro damno habetur.* Hæc Plato, quibus ſanè videtur Duodecuplum facere aurum ad argentum: quam eandem proportionem à Romanis longo tempore obſeruarã, paullò pòſt demonſtrabimus. ſed quid eſt, quod Menander poeta pari aut certè ſuppari ętate decuplum tantum, idque Athenis, aurum fuiſſe teſtatur ad argentum, vt mox intelligemus? Videndum igitur an Plato Δικαςάσιν potius ſcripſerit, quandoquidem de hac Menandri proportione dubitari omnino non poteſt, quod mihi certè probabilius videtur. Venio ad locum Liuij ex libro triceſimo octauo. vbi loquitur de pacis conditionibus quas Romani victis Ætolis impoſuerant. De pecuniæ ſumma, inquit, quam penderent, penſionibúſque eius nihil ex eo, quod cum Conſule conuenerat, mutatum. pro argento, ſi aurum dare mallent, darent conuenit: dum pro argenteis decem aureus vnus valeret. Quo ex loco docti viri ratiocinantur, auri proportionem ad argentum fuiſſe decuplam. verè profectò, ſiquidem victoris illius Conſulis imperium atque arbitriũ ſpectemus: cui ęquè licuit vnum aureum pro decem argenteis, vt pro nouem aut octo exigere. ſed in hac ratiocinatione magnus calculi verſatur error. nam etſi prima ſpecie videtur Conſul ille multum Ætolis concedere, qui cum ex vſitata illa Platonis proportione duodecim argẽteis aureum vnum æſtimare poſſet, decem tantùm æſtimet: tamen ex contrario multum illos onerat. nã ſi eis licuiſſet duodecuplam pro portionem ſeruare, tum aureis ſingularibus ſoluendis in centenos & vicenos argenteos ſeſe liberaſſent. nunc ad decuplam redacti, nonniſi in centenos liberantur. quantum enim vnius aurei debitor ſubleuatur, cùm argenteis decem ſoluendis liberatur, tantum argenteorum decem debitor oneratur, cùm vnum aureum ſoluere cogitur: viciſsímque quantum vnius aurei debitor oneratur, cum duodecim argenteos ſoluere cogitur: tantum duodecim argenteorum debitor ſubleuatur, cùm vnum aureum ſoluendo liberatur. vt iam abſurdiſſimũ eſſe appareat, ſtatuere decuplam fuiſſe per illa tempora auri proportionem ad argentum. Sed intelligendum eſt Romanos ea tempeſtate argenti cupidiores fuiſſe, quàm auri. quod ex his Plinij verbis conſtabit: Miror, inquit, populum R. victis gentibus in tributo ſemper argentum imperaſſe, nõ aurũ: ſicut Carthagini cùm Annibale victæ. argẽti põdo annua in quinquaginta annos? nihil auri. Quin ne illud quidem ſilentio prætereundũ eſt, Liuiũ illo loco, quẽ ex Polybij Græca hiſtoria expreſſit, pro auro argentóque infecto

ſigna.

ſignatum numeratúmque Latinè poſuiſſe. Nam A
Polybij locum in optimo libro nuper edito ita
ſcriptum reperio, δότωσαν δὲ αἰτωλοὶ ἀργυρίου
μὴ χείρονος ἀττικοῦ παραχρῆμα μὲν τάλαντα εὐβοϊκὰ
σ' τῷ στρατηγῷ τῷ ἐν ἑλλάδι ἀντὶ τρίτου μέρους τοῦ
ἀργυρίου, χρυσίον ἐὰν βούλωνται, διδόντες τῶν δέκα
μνῶν ἀργυρίου χρυσίου μνᾶν. id eſt, Danto Ætoli
Conſuli (ſiue Imperatori) qui in Græcia eſt, ta-
lenta Euboica ducenta præſentia: cum eo, vt
pro tertia parte argenti, aurum, ſi velint, eis dare
liceat: pro denis putà, minis argenti, ſingulas B
auri minas. Melius ſanè Polybius, ac certiùs mul-
tò quàm Liuius: qui cùm de valore aureorum &
argenteorum numorum loquatur, ſignificat, v-
nius aurei numi tantum fuiſſe pondus, quantum
ſingulorum ex decem argenteis: quos vniuerſos
decem, precio & dignitate vnus aureus adæqua-
bat. nam pondus & precium res ſunt, vt ſæpe di-
xi, inter ſe diuerſiſſimæ. quapropter apud Roma-
nos vnus aureus qui binos tantùm argenteos pē-
debat, quinque tamen & viginti valebat. vt mi- C
hi certè nonnunquam in mentem venerit, ſuſ-
picari, hanc vſitatam libræ notam ⋖ apud Li-
uium intercidiſſe: eúmque potius ita ſcripſiſſe:
Dum pro argenteis decem vna auri ⋖ valeret.
Libram enim Latinos pro Græca mina vſurpaſſe,
ſatis copioſe ſuo loco demonſtrauimus. Venia-
mus nunc ad Iulij Pollucis locum, vbi pari ratio-
ne contendit, aurum idcirco ad argentum eſſe
decuplum, quod cùm Menander in fabula qua-
dam priore loco auri talĕtum dixiſſet, paullo poſt D
decem argenti talĕta pro eadem ſumma poſuit.
Non enim ſi aurum per id tempus fuit apud A-
thenienſes decuplum ad argentum, continuò e-
ius proportionis regulam vbique & omni tem-
pore conſtituere poſſumus, non magis quàm ex
altera Herodoti proportione in Thalia, vbi cùm
eorum talentorum numerum expoſuiſſet, quæ
Darius ſuis ciuibus ac ſubiectis imperarat ad ex-
tremum, vnum auri talentum, tredecim argen- E
teis taxauit: aut ex illa, quam ſuperius diximus,
perquamdiu Romæ obſeruatam, vt aurei numi
pondus, argenteorum duodecim precium adæ-
quaret: non, vt Agricola exiſtimauit, duodecim
cum dimidio: nam vt ſuperius diximus, Plinius
libr. 19. cap. 1. auri ſcrupulum quaternis denariis
taxat. ſenis autem ſcrupulis aureus conſtabat, ac
proinde viginti quattuor denariis. ſed viceſimus
quintus propter officinæ mercedem accedebat.
vt illud omittam quod paullò ſuperius diximus, F
ſub Arcadij & Honorij Imperio libram auri am-
plius quattuordecim argenti libris æſtimatam.
Verè igitur concludere poſſumus, Auri ad argen-
tum, cuiuſuis denique metalli ad aliud metallū,
nullam eſſe proportionem, niſi quæ Regis aut
Principum imperio atbitrióq; variè pro tempo-
rum varietate conſtituitur. ſicuti verum eſſe non
poteſt quod Caius in l. 3. D. de eo quod cert. loc.
ſcribit, pecuniarum vnam eandémque vbique
poteſtatem eſſe: niſi quatenus & quamdiu lex,
quæ certum numo precium impoſuit, & in Prin-
cipum arbitrio poſita eſt, perdurat. Vt enim re- G
rum ac mercium precium pro temporum varie-
tate mutatur, ita & metallorum & numorum pre-
cium pro temporum & locum varietate flecti-
tur. d. l. 9. D. de aur. & arg. leg. l. 35. C. de donat.

De ſtatere aureo & argenteo.

CAP. VIII.

QVo loco difficilis nobis ſcrupulus occurrit,
propter Budæi & aliorum opinionem, qui
cenſent, duo Librarum genera in Cod. Iuſtinia-
ni reperiri, magnopere animaduertenda. vnam
enim eſſe vulgatam, & ponderalem, quæ vncias
continet duodecim: alteram monetalem ſiue nu-
mariam: ad quam eorum aureorum ratio dirigē-
da eſt, quorum in Codice Iuſtiniani fit mentio.
Itaque Budæus lib. de Aſſe 3. Exiſtimo, inquit,
Staterem eſſe, quod in iure Libra auri vocatur. l.
quoniam, C. de appellat. l. 4. C. de mod. mul. Plus
eſt enim auri vncia, quàm auri Libra: vt ibidem
liquet. Tum ſubiungit, Staterem à Polluce di-
ci duarum drachmarum Atticarum numum, ſi-
cut Romano more. duorum denariorum. Rurſus
lib. 4. Circa Iuſtiniani tempora, inquit, Libram
auri ſtaterem aureum fuiſſe exiſtimo non magni
Ponderis: & eundem ſtaterē modò Libram mo-
dò Pondo appellatum. Hæc doctiſſimus Bud. ex
quibus intelligitur duo nobis ab illo tradi præce-
pta, quorum prius certiſſimum eſt, ſtaterem au-
reum pondus habuiſſe duarum drachmarum al-
terum (vt ingenuè fatear) concoquere non poſ-
ſum, Eundem illum ſtaterem, ac numiſma aureū,
Libræ & pondo nominibus appellatum fuiſſe
quòd certè cuiuſmodi ſit, nulla vſque adhuc aſ-
ſequi coniectura potui. Nam quod ait ex l. 4. &
l. vlt. C. de mod mult. liquido conſtare, plus eſſe
auri vnciam, quam auri libram: ego contra liqui-
do confirmare poſſum, mihi hoc non liquere:
qui viduam talem in iis legibus, & iure mul-
tæ certis magiſtratibus permittendo propor-
tionem ſeruari, qualis eſt in ipſorum dignitate ac
iuriſdictione. nam Præfectis Prætorio, multæ di-
cendæ poteſtas vſque ad quinquagenas auri li-
bras conceditur: Proconſulibus, vſque ad ſe-
nas vncias: Iudicibus præfectorum prætorio vi-
cem gerentibus, non vltra ternas: Præſidibus
prouinciarum, vſque ad binas. Quòd ſi Libram
auri, ſolidum ſiue ſtaterem aureum interpretare-
mur, cuiuſmodi quæſo illud eſſet, quod ſtatuitur
in l. 1. C. de greg. domin. vt qui equum è grege do-
minico occupaſſet, vna auri libra multaretur: qui
ex alio, ſelibra? Quid? an quæ de cauſſis decē aut
viginti librarū ſummā excedentibus ſtatuūtur in
l. antepen. & vlt. C. de appell. interpretabimur de
aureis dumtaxat, ſiue ſtateribus didrachmis? mò
verò quemadmodum argenti libra quinis ſolidis
aureis ſexaginta: l. 1. C. TH. de expenſ. lud. ita nos
auri librā ſeptuagenis binis ſolidis æſtimabimus
ex l. quoties, 5. C. de ſuſcept. Mouetur Budæus tā-
ta ſumma multæ, triginta népe auri librarū, quæ
iudicib. ordinariis appellationem non admitten-
tibus imponitur in d. l. quoniam, 21. C. de apell.
At Iuſtinianus eam in decem librarum ſummam
mutauit. Nou. 176. c. 3 vbi ſic δέκα χρυσίου λίτρας,
decem ſolidos aureos interpretaremur, quis
nos audiret? Quid? an quod quinquaginta li. ra-
tum auri pœna in eum ſtatuitur, qui fundum pa-
trimonialem aut limitotro, hum in ius priuatum
transtulerit, de quinquaginta tantum ſtateribus
didrachmis accipiemus: l. nulli, 13 C. de fund pa-
trim. Mitto quod ſtatuitur in l. 2. l. 3. l. 4. C. de
conſul. vt Conſules loco largitionum & miſſi-
lium, quæ tot pecuniarum aceruos inutiliter ex-

hauriebant, inferant in ſumptum aquæductuom modò centum pondo, modò centum auri libras. Fuit quidem Srateta vſurpari ſolita pro eo trutinæ genere, quod vna tantùm ex parte lancem habet, ex altera pondus vnco appenſum, l. 6. §. 1. D. de extraord. crimin. & apud Vitruuium 10 c. 8. neque ita multò pòſt ex Polluce docebimus Staterem aureum pro Libra ſiue Mina auri vſurpari: ſed non pro libra Budæi imaginaria, duarū drachmatum: verùm pro libra vnciarum duodecim, drachmarum centum. Nam vt rem omnem planius explicemus, ſciendum eſt, Staterem alium argenteum, alium aureū fuiſſe. Argenteus quattuor drachmarum & pondus & precium habuit. nam vt Cleopatras & Epiphanius ſcribunt. ὁ ϛατὴρ ἄγει δραχμὰς δ. καλοῦσι δὲ αὐτὸν τετράδραχμον. vt facilè appareat, quod apud Heſychium ſic legitur, ϛατὴρ τετράγραμμος, mendoſum eſſe, pro τετράδραχμος. Idem etiam apud Matthæum apparet, cap. 17. vbi Chriſtus ſtaterem in ore piſcis inuentum pro duobus didrachmis ſolui iubet. nā hoc de ſtatere argenteo intelligendum eſt, qui Hebraico ſiclo reſpondebat, non autem de aureo. Itaque quod apud eundem Euangeliſtam cap 26. ita legitur: Οἱ δὲ ἔϛησαν αὐτῷ τριάκοντα ἀργύρια, Euſeb. lib. 4. ἀποδείξεως ita tranſcripſit, τριάκοντα ϛατῆρας. Locum quidem illum Budæus lib de aſſe quinto extremo tractat, ſed ita vt nō nihil ratiocinationi noſtræ conceſſerit. Deus per Moſem iuſſerat, vnumquemque Iudæum ſemiſiclum argenteum ad templi ornamentum & tutelam quotannis pendere. Ei exigendo præfecti erant è Iudæorum gente Quæſtores, ſiue (vt credi par eſt) Æditui. de quibus intelligendum illud eſt, quod Matthæus commemorat, veniſſe ad Petrum, eos, qui ſemiſiclum exigere ſolebant, atque ex eo quæſiſſe, Nunquid ipſorum magiſter annuum illud didrachma priſcis temporibus à Deo Iudæis omnibus in capita imperatum, penſitaret? Neque enim de Romanis vel Quæſtoribus vel exactoribus illud accipiendum eſt, vt Budęus putauit: neque de tributo quod Cn. Pompeius, aut Auguſtus Iudæis impoſuerat, vt Germanus doctiſſimus in ſuis Notationibus tradidit: quod etiam Chriſtus apertiſſimè oſtendit, vbi Petrum alloquens, dicit, quamuis Reges non ſuis filiis tributa imponant, ſed alienis, hoc eſt, ciuibus & ſubiectis, ac proinde vetus illa capitatio non ad ſe, qui Dei filius, & templi regníque paterni dominus erat, pertineret: tamen ne illi Æditui offenderentur, ſatius fore ſemiſiclum illum ſoluere. & ſuſpicionem contemptæ religionis & ſacri loci deuitare. Quod enim de Regibus & Principibus & de ipſorum filiis Chriſtus dixit, abſurdū eſſet, ad Romanos Imperatores, & ad ipſum Chriſtum referre. Quod autem ex Ioſepho Budæus commemorat, Auguſtum imperaſſe Iudæis cenſum, id ſine dubio ad alterum functionis ac tributi genus pertinet, quod Romani victis ab ſe gentibus imponere ſolebant. quemadmodum Cn. Pompeius ſubactis ab ſe Iudæis tam pridem impoſuerat, M. Tullio, C. Antonio Coſs. non autem ad capitationem illam primis temporibus à Deo propriè in templi tutelam & ſarta tecta inſtitorum ac deſtinatum. Stipendium autem à Veſpaſiano imperatum, de quo Ioſephus loquitur, ad tempus multo poſterius referendum eſt. Nam

A Ioſephos de Veſpaſiano libr. de bello Iudaico 7. cap. 26. ita ſcribit: Stipendium, vbicunque degerent, Iudæis indixit: binaſque drachmas ſingulis annis deferre in Capitolium iuſſit, ita vt antehac Hieroſolymorum templo pendebant. Quo ex loco exiſtimare licet capitationem illam antiquitus à Deo ad templi tutelam inſtitutam, vſque ad Veſpaſiani victoriam perueniſſe. Porro quod de ſiclo Hebraico, Græco ſtateri argenteo reſpondente, diximus, id partim ex Ioſepho didicimus,

B qui pro Siclo Græcè ſolet ſtaterem dicere: partim ex Hieronymo, qui in Ezechielis capite quarto ita loquitur, Siclus autem, id eſt ſtater, habet drachmas quattuor. Quod autem Chriſtus illo loco κῆνσον dixit, itémque Matthæi cap. 22. νόμισμα κήνσου, non ex Romana conſuetudine intelligi oportet: neque Latinè propriè Cenſus nomine appellari poſſet: ſed impropriè & abuſiuè. nam, vt Suidas ſcribit, Κῆνσος dicebatur νόμισμα,

C ἐτήσιον τέλος, παρὰ τὸ καίνω, τὸ κόπτω. id eſt, numus, tributum annuum, à verbo Cædo, ſiue Percutio. quaſi numus certo ſigno propriè ad illam penſitationem impreſſus ac deſtinatus. quod tamen ab illo Semiſiclij inſtituto alienum eſt. ſed ex Romanorum conſuetudine Κῆνσος, inquit, οὕτω τῇ ἐπιχωρίῳ γλώσσῃ Ῥωμαῖοι τὴν ἐξέτασιν τοῦ Ῥωμαϊκοῦ πλήθους προσαγορεύουσι. Sic Romani ſua lingua nominant recenſionem populi R. per quam ciuium facultates noſcuntur. Quanquam ecce

D aliud Heſychij commentum: τὸ δὲ τέλος, inquit, Κινσὸς διὰ τοῦ ι. Cinſus per i, tributum ſignificat. quinetiam paullò pòſt, Κῆνσος, inquit, εἶδος νομίσματος, ἐπικεφάλαιον. Cenſus eſt genus numi, quod viritim imponitur, ſiue Capitatio. Quibus ex locis patet, Cenſum à Græcis appellatum tributum, quod prouinciales pro modo cenſus & facultatum ſuarum pendebant. nam inſtitutū quoque in prouinciis eum cenſum, vel ex titulo Digeſtorum De cenſibus, nemo ignorat. Sed iam ad

E inſtitutum reuertamur: ac deinceps de ſtatere aureo propriè diſſeramus: de quo Budæus lib. De aſſe quinto ſic loquitur: Stater aureus minam argenti valebat. Pollux, ὁ δὲ χρυσοῦς ϛατὴρ μνᾶν ἐδύνατο. καὶ γὰρ ἐν τοῖς ϛαθμίοις τὴν μνᾶν τῆς ῥοπῆς ϛατῆρα ὀνομάζουσι. Aureus, inquit, ſtater, minam valebat. nam & in iis quæ appenduntur, pondus minæ Staterem nominauerunt. καὶ ὅταν εἴπωσι πεντεϛάτηρον πεντάμνουν δοκοῦσι λέγειν. Et cùm dicunt Pentaſtaterum, id eſt, quinque ſtaterū pon-

F dere, dicere videtur: hoc eſt quinqueminale. Hoc ſi verum eſt, ſtater vnus aureus quaternos minimū aureos numos Romanos valebat. Quattuor enim aurei Romani quadragintos non amplius ſeſtertios valebant: vt fuerint ſtateres aurei vnciales: cuiuſmodi ferè Luſitanici hodie aurei viſuntur, denis aureis æſtimabiles Hęc doctiſſimus Budæus, Græci ſermonis, in quo totus terrarum conſentit orbis, facilè omnium princeps. Videamus tamen, ne plus apud nos tanti viri valeat

G auctoritas, quàm veri cognoſcendi ſtudium honeſtiſſimum. Nam Pollux ſtateris aurei duo genera conſtituit: vel potius Stateris aurei nomen duplex eſſe oſtendit. alium enim ponderalem eſſe, qui minam, ac proinde centum drachmas pendebat, alium monetalem, qui duarum tantùm drachmarum pondus habebat: valebat autem (ſicut ex aurei Romani comparatione credi par e.l)

eſt) quinque & viginti. Nam ſuperioribus illis A verbis à Budæo prolatis, (vbi μνᾶν τὰς ῥοπῆς, dixiſſe videtur, pro ῥοπὴν τῆς μνᾶς) non obſcurè oſtendit, ſe non de numario, ſed de librario cuiuſuis rei pondere ſentire. qua de cauſſa ſubiungit, quamuis rem quinque minas pendentem dici Quinqueſtateram: veluti δίκελλαν πεντεστάτηρον, ligonem quinque pondo: vt non incommodè dicere poſſimus, Staterem illo ſpeciali nomine idē apud Græcos valere, quod apud Latinos Pondo. cuius rei teſtimonium, aliquanto etiam apertius B paullò pòſt èx quarto ipſius libro proferemus. Hactenus igitur Pollux, de ſtaterē, qui pro librali pondere vſurpatur. ſed quid poſtea ſubiungit? ἔστι δὲ καὶ νόμισμα στατὴρ ὡς ἰδεῖν ἔνεστι Ἀριστοφάνους, στατῆρσι δ' οἱ θεράποντες ἠρτιάζομεν, τὸ γὰρ ἐν τοῖς Βατράχοις, ἀμφὶ ὀβολὸν, σωτηρίας τετραστατήρους, εἴτε ῥοπὴν, εἴτε ἀριθμὸν, λέγει. Εὔπολις δὲ ἐν μὲν Δήμοις, τὸ νόμισμα δοκεῖ λέγειν, ἔχων στατῆρας χρυσίου τρισχιλίους, ἐν δὲ Ταξιάρχοις, τὴν ῥοπὴν λέγει. ὅτ' ἦν μὲν ἡ γυνὴ νέα, πέντε στατῆρας εἷλκε. Eſt verò, inquit, C ſtater etiam numi genus. (Viden', vt poſt Ponderalem ſtaterem, Pollux nunc demum ordiatur de Monetali diceret?) Quemadmodum cùm Ariſtophanes dicit, Stateribus famuli ludebamus par impar. nam quod in Ranis dixit, Soterias quadriſtateras, ambiguum eſt, vtrum ad pondus an ad numerum pertineat. Eupolis autem in Demis, perſpicuè pro numo vſurpat: Habens ſtaterum aureorum tria millia. At in Taxiarchis, pro pondere vſurpat: Trama, dum erat noua, fuit D quinque pondo. Item paucis pòſt verſibus, καὶ εἰ μὲν χρυσοῦς εἴποις, προσυπακούεται ὁ στατήρ. εἰ δὲ στατῆρ εἴποις, οὐ πάντως ὁ χρυσοῦς. Si dixeris aureus, inquit ſubauditur ſtater. ſin autem, ſtater dixeris, non continuò χρυσοῦς. Quibus verbis Pollux tantum inter ſtaterem & aureum diſcrimen eſſe oſtendit, quantum inter genus & ſpeciem: quia Stateris nomine, pondo, & numus comprehenditur. Pondo, inquam, duodecim vnciarum, & Numus duarum drachmarum. Quinetiam libro 4. στατῆρα δὲ, inquit, οἱ τῆς κωμῳδίας ποιηταὶ, τὴν λίτραν λέγουσι. Δίκελλαν ἡ πεντεστάτηρον, Κράτης ἐν παρακαταθήκῃ, τὴν πεντάλιτρον. ὁ δὲ χρυσοῦς στατὴρ, δύο εἶχε δραχμὰς Ἀττικάς. E Poetæ Comici, inquit, ſtaterem appellāt libram. Ligonem autem, quinque ſtaterum Crates in Depoſito Quinqueſſem appellat. Stater autem aureus duas habuit drachmas Atticas. Quibus poſtremis verbis apertè oſtendit, Numum aureum, quem Græci ſtaterem appellarunt, duarum tantùm drachmarum pondus habuiſſe: valuiſſe autem quinque & viginti: F indéque intelligi poſſe, quantum inter argenteū & aureum ſtaterem interfuerit. nam argenteus & pondere & precio fuit quadridrachmus: vt ſuperius demonſtratum eſt. Quòd ſi Budæi ſententiam ſequeremur, prodigioſum ſtaterem aureum fingeremus, non modò precij, verùm etiā, ponderis centum drachmarum, quod ne natura quidem patitur, vt numus aureus non pluris valeat, quàm quantum argenti pendit: quemadmo- G dum in vtriuſque metalli proportione demonſtrauimus. Itaque Budæus ſubiecit, Staterem, precium quattuor Romanorum aureorum exæquaſſe, decem autem Gallicorum coronatorum, & illius Luſitanici, quem vulgo Portugallicum appellamus. quod ferri omnino non poteſt, ſi Pollucis verba, quæ quidem protulit, de ſtatere monetali intelligeremus. Quin ne calculus quidem illam Budæi æſtimationem patitur, vt ſtateri librario quattuor tantùm aureorum Romanorum precium adtribuamus. cùm eum Budæus ex loco Pollucis perperam intellecto, ἑκατοντάδραχμον fecerit: quæ ſumma, non quattuor, vt Budæus putauit, ſed octo Romanos aureos complectitur. Itaque, vt huic diſputationi modum imponamus, videmur iam poſſe liquidò concludere, Staterem aureum paris eiuſdémque ponderis & precij fuiſſe, quo fuit Romanus aureus: Romanum denique aureum ad aurei ſtateris inſtar percuſſum fuiſſe: ob eámq; cauſſam, vbi Græci ſcriptores χρυσοῦν ſcripſerunt, Latinos Aureum poſuiſſe. atque idcirco mendum eſſe apud Liuiū, eo loco libri XLV. vbi de Rhodiis, qui metu liberati, coronam auream Romam miſerunt, ita inquitur: Itaque extemplò coronam viginti millibus aureorum decreuerunt: Corrigendum eſt enim, X millibus. quandoquidem Polybius libr. 93. ita Græcè ſcripſit, διὸ καὶ παραχρῆμα ψηφισάμενοι τῇ Ῥώμῃ στέφανον ἀπὸ μυρίων χρυσῶν. Vtcumque autem ſe res habeat, videmus etiam circa tempora Iuſtiniani, Stateris & Aurei vocabula promiſcuè vſurpari. nam Zonaras tomo 3. ἔθους δὲ, inquit, ἐπικρατήσαντος παλαιοῦ στατῆρα πάντα βασιλικὸν ἐκτύπωμα φέροντα, ἰσότιμον εἶναι, τοῖς ἄρτι κοπτομένοις παρὰ τοῦ βασιλεύοντος, ἐκεῖνος τὸ ἑαυτοῦ προτιμᾶσθαι ἐκέλευσε νόμισμα. id eſt, Cùm veteris eſſet conſuetudinis, vt ſtateres omnes, qui Principis effigie formati eſſent, eiuſdem eſſent precij, cuius erant noui, & à nouo Imperatore percuſſi, ille (de Nicephoro loquitur) ſuos aureos iuſſit maioris eſſe valoris ac poteſtatis, quàm veteres. Ad extremum, ne illud quidem omittendum videtur, quòd Iſidorus Staterem facit vnciæ partem dimidiam: atq; idcirco Semunciam appellari tradit. Stater, inquit, medietas vnciæ eſt, appendens aureos tres: vnde & vocatur ſtater: quòd tribus ſolidis ſtet. Hic & Semuncia, quia ſemis habet de vncia. Quibus ex verbis intelligitur, Iſidorum ſenos in vnciam aureos numerare: hoc eſt, ſeptuagenos binos in libram.

De aurei ſolidi partibus.

CAP. VIII.

RESTAT quarta numiſmatis aurei conſideratio: de nota, ſiue forma publica, per quam numi auctoritatem obtinebant. Sed quoniam operis huius initio, vbi generaliter de numorum figura diximus, huic parti ſatisfactum eſt, deinceps inſtitutum in exponendis aureis & argēteis ordinem ſecuti, de minutioribus numis, ex quorū numero ſolidus aureus æſtimationem capiebat, diſſeremus. Nam illud ſcire oportet, circa hæc tempora, quibus aureus ſeptuageſima ſecunda pars erat libræ aureæ, imò verò multò antè, veterum denariorum quinariorum & ſeſterciorum ſublatum vſum fuiſſe. Nam cùm & leues & exigui admodum aurei eſſent, qui duo & ſeptuaginta numero ex auri libra conflabantur, ferri non poterat, vt denarij ſeniтriceni, quinarij bini & ſeptuageni, ſeſtertij autem centeni quadrageni quaterni in ſingulis conſtituerentur. Inſtitutum igitur fuit, vt Aurei partim ex minorum aureorum numorum, partim etiam ex

argenteorum numero æſtimationem caperent. Aureorum numero reperto Semiſſem fuiſſe, qui dimidia aurei pars erat: Trientem ſiue Tremiſſem, qui tertia Scrupulum aureum, qui quarta pars erat, credo argenteum fuiſſe, item vt Miliariſmum qui octaua, & ſiliquam qui viceſima quarta. Semiſſium & Tremiſſium auctorem primum fuiſſe Alexandrum Imperatorem complures eruditi ex his Lampridij verbis exiſtimarunt, Vectigalia publica in id contraxit, vt qui B decem aureos ſub Heliogabalo præſtiterant, tertiam aurei partem præſtarent: túmque primùm Semiſſes aureorum formati ſunt. Atque etiam cùm ad tertiam partem aurei vectigal decidiſſet, Tremiſſes: dicente Alexandro, etiam Quartanos futuros, quando minus non poſſet. quos quidem iam formatos in moneta detinuit, expectans, vt ſi vectigal contrahere potuiſſet, & eoſdem ederet. ſed cùm non potuiſſet per publicas neceſſitates, conflari eos iuſſit: & Tremiſſes C tantum Solidúſque formari. Hæc Lãpridius. Sed de Tremiſſibus mox videtimus. Nam Semiſſis quidem numus fuit aureus precio & põdere dimidio minor quàm ſolidus: conſuli tamen, vt opinor, nota inſignitus. Fictum autẽ nomen apparet ad exemplum ærei Semiſſis, qui dimidiato aſſe valebat. vt ſuo loco diximus. Iſidorus autẽ valde mendoſus eſt quo loco vocabulum Stater explicat. nam ibi ſic ſcriptum eſt, quaſi ſtater, Semiſſis & Semuncia eſſent ſynonyma: ſed tollẽ- D dæ ſunt hæ duæ particulæ HICET. ſeparatímque legendum Semiſſis (ſubauditur aureus numus) quia ponderis Semis eſt, quaſi ſemis aſſis. Rectè hoc modo. nam cum As, Libra, Solidus ſynonyma fuerint (vt Voluſius Mætianus docuit) Solidi autem nomen aureo numo maximo attributum eſſet, conſentaneum eſt, partem eius dimidiam non modò Selibram, verũ etiam Semiſſem appellari potuiſſe.

TREMISSIS fuit aureus numus pondere & E precio tertia ex parte minor quàm ſolidus: pari (vt credi conuenit) forma inſignitus: Eſt autem fictum hoc nomen malè Latinè pro Triens: quia tertia (vt dixi) ſolidi parte valebat. Iſidor. Orig. 16. Solidi tertiam partem dixerunt Tremiſſem eo quòd ſolidum faciat ter miſſus. Eius autem mentio fit in l. iubemus, 6. C. de erog. mil. annon. l. 3. C. de mil. veſt. itémque Nouell. 28. & Nouell. 39. in legib. Vviſigoth. perſæpe. Credo tamen eundem interdum Latinè Trientem appellari. velut apud Trebelliũ in D. Claudio: Philippeos no- F ſtri vultus annuos centũ quinquaginta, & in ſtrenis quadraginta ſeptem, & trientes centum ſexaginta. Item in extremo: Aureos Valerianus c l. Trientes Saloninianos. c c c.

SEPTVNX AVRI. De hoc mentionem reperio apud Liuium lib. 23: Sed antequam aurum ſignari cœptum eſſet. Itaque propriè vocabulum illud de ſeptem auri infecti vnciis intelligendum eſt. Tum demum (inquit, de Annibale loquens) agi G ſecum eſt paſſus de redemptione liberorum capitũ, Septunces auri in ſingulos precium conuenit.

Recenſio locorum aliquot in quibus de certo aureorum numero fit mentio.

CAP. IX.

SYLVAM eiuſmodi locorum reperiet Lector ſub finem l. 1. C. de off. præt. præt. Afric.

AVREVS VNVS. Sueton. Othon. Quoties cœna Principem acciperet, aureos excubanti cohorti diuidebat. Quod Plutarchus ita conuertit, χρυσεῦν ἑκάστῳ διανέμων. Impp. Arcad. & Honor. Pro viginti libris æris, vnus auri ſolidus à poſſeſſore reddatur. l. 1. C. de collat. ær. l. vlt. C. de aleatoribus. Sed nec permittimus etiam in his ludere vltra vnum ſolidum, ſi multum diues ſit. Luſiones aleatorias acerrimè coercet: vetátque in ludis, etiam qui prope aleatorij eſſe non videantur, vltra aureum vnum impendi.

Dvo aurei poſterioribus temporibus DVELLÆ nomine appellati ſunt. nam (vt ait Iſidorus) ſextula bis aſſumpta Duellam facit. Iuriſcõſulti ſuo tempore duos aureos ſummam modicam appellant. l. 10. tit. de dol. mal. Imp. Martianus vetat, ne litium executores plus duobus ſolidis ſportularum nomine à clericis exigant. l. cum clericis. 25. C. de epiſc. & cler.

TRIS AVRII grauiores ante Domitiani imperium, menſtruum Romani militis ſtipendium erant. Suet. Domit. 7. Addidit & quartum ſtipendium militi aureos ternos. Zonaras autem, Cùm militibus inquit, ſeptuagenæ quinæ drachmæ ſoluerentur, cẽtenas dari Domitianus iuſſit. Quo ex loco Iuſtus Lipſius vir eximiè doctus ingenioſiſſimè animaduertit, apud Suetonium legendum eſſe AVREIS TERNIS. quandoquidem ſeptuagenæ quinæ drachmæ tres aureos complent. Simul etiam intelligitur, ſuperiorum Imperatorum largitionibus militare ſtipendium maiorem in modum amplificatum fuiſſe. nam Tiberij tempore legitimum ſtipendium menſtruum triginta tantum denariorum, ſiue drachmarum erat: vt ſuperiùs dictum eſt. Sed non dubium eſt, militum animos ab his tyrannis qui poſt Tiberium dominati ſunt, ea largitione ac liberalitate redemptos ac delinitos fuiſſe. A quibus autem ea tanta redemtio facta ſit, nemo, quod quidem adhuc animaduertere potuerim, ex iis qui exſtant admonuit. Fortaſſe non perpetuum hoc fuit. nam Capitolinus ex epiſtola Imp. Commodi ad Clodium Albinum quem ſibi ſucceſſorem deſignabat, hæc profert: Habebis præterea dandi ſtipendij vſque ad tres aureos librã poteſtatem. Spartianus Adriano: Cõgiarium duplex præſens populo dedit: ternis iam per ſingulos aureis ſe abſente diuiſis.

TRES ſolidos multæ nomine quibuſdam litium executoribus ob delictum imponi ſtatuit l. 3. C. de ſportul.

QVATTVOR. Trebellius in Gallienis. Matronas ad Conſulatum ſuum rogauit, iiſdémque manum ſibi oſcultantibus, quaternos aureos ſui nominis dedit.

QVINQVE. Ammian. libr. 20. Abſtractum ſibi torquem capiti Iuliani impoſuit. qui truſus ad neceſſitatem extremam, ſi remittere perſeueraſſet: quinos omnibus aureos, argentique ſingula pondo promiſit. Spartianus Anton. Philoſ. Temperauit etiam ſcenicas donationes, iubens vt quinos aureos ſcenici acciperent: ita tamen, vt nullus editor decem aureos egrederetur. Impp. Arcad. & Honor. Pro ſingulis libris argenti quinos ſolidos inferat l. 1. C. de arg. pre. Silaniano S. C. quinque aurei præmij loci attributi accuſatori qui requiſierit & renuntiarit ſeruum, qui ex occiſi familia fugerit. l. lege, 25. D. ad Sen. Silan.

Sex ſolidorum multæ in executores ob delictũ mentio fit in l.3.C.de ſportul.item vt iudices diœceſeos Africanæ pro codicillis ſuæ promotionis ſex tantùm ſolidos præſtent. l.1.§.vlt. C.de offic.præf. Afric.

Septem. Septem ſolidorum functionis, quæ Follis ſenatorij nomine præſtabatur. mentio fit in l.1.C.de prætoribus & hon.præt.

Octo aureis ſeruus æſtimatus in l.37.§.1. D. de pecul.

Decem. Ammian. 25. Adeò enim atroci tabuimus fame, vt ſi vſquam modius vnus farinæ fuiſſet repertus (quod rarò cõtigerat) aureis decem mutaretur, vt minus. Præmij nomine deni aurei adtributi ei qui ſeruum ex occiſi familia conuicerit.l.lege,25.§.1.D.ad Sillan.

Tres ſolidus multæ nomine quibuſdam litium executoribus ob delictum imponi ſtatuit l.3.C.de ſportul.

Qvatvor. Trebellius in Gallienis. Matronas ad Conſulatũ ſuum rogauit, iiſdémque manum ſibi oſculantibus, quaternos aureos ſui nominis dedit.

Decem Solidorum pœna conſtituta fuit edicto prætoris in eũ, qui ſupra eũ locũ qua vulgò iter fieret, id poſitũ habeat, cuius caſus nocere ei poſſit.l.5.§.prętor.D.de his qui effud.De ſeruo tanti ęſtimato in l.37.§.1.D.pecu.l.1.§.ne autem,C.de commun.ſer manumiſſ.l.vl.C.commun. de legat.De legato decẽ aureorũ annuorũ in l.20.D.de alim.legar. l. 13. De ann. legat. De mẽſtruorũ.l.21.§.filiũ. D. eod de inſtrumẽto tãtæ ſummæ debitæ l.49. D. Solut. mal. De tanta ſumma tranſactionis nomine promiſſa.l.9.C.de tranſact.In ſumptus funeris l. Liuius 88. §. 1. de legat. 2.

Dvodecim. Ne iudices diœceſeos Africanæ in ſcrinio præfectorum non vltra duodecim ſolidos cogantur inferre. §. vlt.C.de offic.pręſ. prætor.

Qvindecim aureis ſeruus æſtimatus in l.35. §.ſin autem, C. de donat. Sportulæ quindecim aureorum mentio fit in leg. 2.Cod. de ſportul.

Viginti aureis ſerui plerunque æſtimantur l.8.in fin.&l.ſeq.D.de inoff.teſt. l. 31. D.de minorib.l.1.C.de fideic. libert. l. vlt C. Commun. de legat.l.4.D.de ſer. fugit.l.1.C.de commũ.ſer. manumiſs.Pœna legis ſcilicet de annona viginti aureorum fuiſſe traditur in l.2.D.ill.tit.

Vigintiqvinqve.Ammian. lib. xvi. vbi de Iuliano loquitur, Quàm profuerit anhelantibus extrema pecunia Galliis, hinc maximè claret, quòd primitus partes eas ingreſſus pro capitib. ſingulis tributi nomine vicenos quinos aureos reperit flagitari: diſcedens verò, ſeptenos tantùm munera vniuerſa complentes.

Triginta aureis ſeruus artifex æſtimatur, item Eunuchus.l.vlt C.commun.de legat.l.1. §. ſin autem,C.commun.de manum.

Qvadraginta. Suet.Octauio. 98. ex eius epiſtolis: Qua re admodum exhilaratus quadragenos aureos comitib. diuiſit. Item Clau. 5. Tiberius patruus Claudio legitimos honores flagitanti, id ſolùm codicillis reſcripſit, quadraginta aureos in Saturn. & ſigillaria ſe miſiſſe ei.

Qvinqvaginta aureorum pœna eſt in eum qui terminũ mouerit.l.3.de term.mot. qui præ-
A toria album corruperit.l.7.de iuriſd.in qua pro Quingentis, reſtituo Quinquaginta. qui id deiecerit, quo liber homo perierit.l.1.de his qui deiec. qui patronum ſine venia in ius voc.l.12 l.penult. l. vltim.D.de in ius voc. qui pro neceſſariis perſonis quemlibet fideiuſſorem iudicio ſiſtẽdi cauſſa nõ acceperit.l.2.de in ius voc. vt eant.Pauper dicitur, qui minùs aureis quinquaginta in bonis habet.l.10.D.de accuſat. Ser-
B uus notarius tantæ pecuniæ æſtimatur. d.l. vlt. & d. l.1.§.ſin autem. Tantæ ſummæ annuæ legatę men. fit in l.20.§.2.D.de alim.legat.l.Sempronius,47.D.de legat.2.Cauſſę minores dicuntur eſſe aureorum quinquaginta, ſed leuiorum. l.2.C.de defenſ.ciuit.

Sexaginta aureis ſeruus, medicus, item eunuchus artifex, item ancilla obſtetrix æſtimatur d.l.vlt.&.d.l.15.§.ſin autem.

Septvaginta. Spartianus Seuero poſtera die
C ſeptuagenos vicenos aureos legatis dedit. Mendum manifeſtum eſt. ſed correctio difficilis. loquitur de legatis Seuero à Senatu gratulandi cauſſa miſſis. Fortaſſe ſcribendũ eſt, septingentos, ſed nihil affirmo. Impp. Valent.& Valens: In ſeptuaginta duos ſolidos libra feratur accepta. l.5.C.de ſuſcept.

Cantvm aureorum pœna coſtituta eſt in eũ qui ſepulcbrum violarit,l.3.D.de ſepul.viol. in eum qui ambitus in municipiis commiſſi dam-
D natus erit, quíve reus aut accuſator domũ iudicis introierit.l. 1.D.ad leg.ambit.in eum magiſtratum qui ſeruum fugitiuum inquirentem nõ adiuuerit.l.1.§.1.D.de fugit. qui tabulas teſtam. contra S.C.Sillanianum aperuerit.l.25.§.vlt. D. ill.tit.Magiſtratus vrbanus qui plus doni muneris in anno acceperit, quàm quod ſit aureorum centum, lege repetundarum. tenetur.l.6.D. ad leg.Iul repet. Eadem fuit licita merces aduocatorum pro cauſis ſingulis.l.1.§.ſi cui,D.de extra-
E ord.cognit. Tantæ ſummæ legatæ mentio fit in l.20.§.1.D.de alim. legat.l. cùm pater, 77.D. de legat. 2.

Dvcentorvm aureorũ pœna eſt in eũ qui in ſepulcbro habitauerit. ædificiúmve aliud quàm quod ſepulchri cauſſa factum ſit, habuerit. l. 3. D.de ſep.viol. Tantæ ſummę legatæ mentio fit in l.Lucius. 78. §. filiam.D. ad Trebell.

Qvadringentorvm aureorum legati mẽtio fit in l.quidam.95.D. de legat.1.

F Qvingentorvm aureorum pœna conſtituta dicitur in eum qui Prætoris album corruperit.l.7.D.de iuriſ. ſed partim ex aliis codicibus, de quib. Accurſius teſtatur, partim ex aliarũ pœnarũ proportione, non dubito, quin qvinqvaginta reſtitui oporteat. Ex lege Iuſtin. pupillis non maiorem quingentorum aureorũ, Cenſum habentib. magiſtratus adhibito ciuitatis Epiſcopo tutores decernit.l.30.C.de epiſc.aud.§. 4.de attil.tut.

G Viginti millia. Liuius lib.45. Hæc Rhodũ nuntiata, quæ per ſe triſtia fuiſſent, quia maioris mali leuatus erat timor, cùm bellum timuiſſent, in gaudium renuntiata verterunt. Itaque exemplo coronam xx.millibus aureorum decreuerunt. Credo hæc de Rhodiis numis Liuium ſcripſiſſe: fortaſſe millivm in ſecundo caſu dixiſſe.

Centies aureorum ſumma eſt, vt alio loco ex Budæo demonſtrauimus, centies centenûm millium aureorum. Eius mentio fit in l.88. D. de verb.ſignif.& l. 97. D.de legat. 3. quibus tamen locis legitur Centum aureos. quod propter ſummæ & alterius immanitatem verius eſſe non dubito: certè ad Iuriſconſulti inſtitutum æquè commodum eſt, denique in poſteriore lege ferri non poteſt à plebeio aliquo & priuato centies centena aureorum millia condita in arca fuiſſe, vnde quotidie in vſum domeſticum ſumi aliquid ſoleret. nam ſi ad ſeſtertium ratio duceretur, immanem ſummam efficeret decies millies centenum millium ſeſtertiûm: quantum neminem ferè vnquam priuatum habuiſſe legimus. Placeret tamen vtrobique vel CENTVM MILLIA AVREORVM reſtitui, vel CENTIES præcisè poſitum, vt

A ſubanditum ſeſtertium.

Porrò aureæ libræ duodecim eſſe partes, item vt argenteæ aliquoties iam diximus, eáſque vncias appellari; de quibus paucula hæc exempla proferemus, dum plura lector ipſe de induſtria obſeruauerit.

Duæ vnciæ. Præſidibus prouinciarum multæ dicendæ vſque ad duas auri vncias permittitur. l. vlt. C. de mod. mult.

B Tres. Iudicibus, qui vicem præfectorum gerunt, non licet vltra tres auri vncias multam dicere. l. vlt. C. de mod. mult.

Sex. Proconſulib. datum eſt ius multæ irrogandæ vſque ad ſenas auri vncias. d. l. vlt. C. eod.

His qui volet plura adiiciet, ac noſtra boni conſulet.

FINIS.

FRANC. HOTMANI IVRISC. DISPVTATIO DE AVREO IVSTINIANICO.

ADVERSVS QVANDAM OBSERVATIONEM DE IVSTINIANA aurei æſtimatione.

Verba Obſeruationis ex libro 19. cap. 31.

Primus Iuſtinianus certam & perpetuam aureo æſtimationem attulit.

Reſponſio.

PRIMVS Iuſtinianus neque certam, neque perpetuam aureo æſtimationem attulit imò ne afferre quidem potuit: imò ne attulit: quidē vllam. Ante Iuſtinianum complures hoc Imperatores tentarunt: ſed fruſtra. Incredibile dictu eſt, quanta quorundam in duplicandis, triplicandis, decuplicandis, centuplicandis denique aureis inſania fuerit. Formas binarias (inquit Lampridius de Alexandro Seuero) ternarias & quaternarias & denarias etiam, atque amplius vſque ad bilibres quoque & centenarias, quas Heliogabalus inuenerat, reſolui præcepit neque in vſu cuiuſquam verſari. atque ex eo his materiæ nomen inditum eſt cùm diceret: Plus largiendi hanc eſſe Imperatori cauſſam, ſi cùm multos ſolidos minores dare poſſit, dans decem vel amplius vna forma, triginta & quinquaginta & centum dare cogeretur. Conſtantinus iuſtum & legitimum aureorum numerum ex auri libra definierat quatuor & octoginta. l. 1. C. TH. de ponderatoribus ſeptenos enim in ſingulas vncias imputabat. quæ computatio conuenit ei, quam Plinius legitimam eſſe ſtatuit in quattuor & octoginta denarios argēteos ex ſingulis argēti libris. lib. 33. cap. 3. Aliquantò poſt Valentinianus duodecim detraxit, duoſque & ſeptuaginta conſtituit, hoc eſt, in ſingulas vncias, ſenos. l. quoties. 5. C. eod. Alio etiam loco idem Imperator ſolidi æſtimationem ſuo tempore imminutam fuiſſe, teſtatur l. 1. C. de vet. num. poteſt. Neque video cur dici poſſit Iuſtinianus nonā vllā aureo æſtimationem attuliſſe: cùm apertiſſimè ſtatuat, vt ea, quam ſuperiores Impp. Impoſuerāt, ſeruetur. Nam in Pragm. ſanct. c. 19. ſic ſcribit: Sancimus, ſolidos Romanorum principum ſine permutationis diſpendio per omnes

A prouincias ambulare, & per eos celebrari contractus. Denique exſtat LII. Conſtitutio Imper. Leonis, cognomento Philoſophi, qui longo poſt Iuſtinianum tempore Orientis imperium obtinuit, in hanc ferè ſententiam: Rectè veteres quoſdam principes ſtatuiſſe (ſignificat d. l. 1. C. de vet. num. poteſt.) vt par eadémque eſſet veterum ac recētiorum numorum poteſtas: poſteriores autem Principes egregium hoc inſtitutum abrogaſſe, & ſuperiorum Principum effigie

B inſignitos numos exauctoraſſe. Vnde Intelligitur, ſolidorum æſtimationem ab anteceſſoribus Iuſtiniani conſtitutam, & ab ipſo cōfirmatā ac ſeruatā, à poſterioribus Imperatoribus immutatā fuiſſe: ac proinde Iuſtinianū neque certā, neque perpetuā, neque vllā denique aureo æſtimationē attuliſſe. Addo etiā illud, ne afferre quidem potuiſſe: quia per ea tēpora ſiue tacito populi cōſenſu, ſiue errore quodā vulgi receptū erat, vt poſt Imperatoris exceſſum, ſimulatque noui Principis effigie noui numi for-

C mati fuerāt, veterū auctoritas euaneſceret, niſi noui Principis auctoritate cōfirmarētur: quemadmodū exiſtimare licet ex d. prag. ſanct. & l. vl. C. de vet. num. pot. Ammianus lib. 26. Aureos ſcilicet numos in vultū noui Principis, aliáque ad illecebras aptātes. Ceterū quoniā in hac iracūda Obſeruatione, dicā an Obiurgatione? meū nomen appoſitū nō fuit, ne in hac quidē defēſione mea auctoris illius nomē apponā: ſed vt honeſtior cōcertatio ſit, & Iuriſcōſultorū pro-

D feſſioni cōſentanea, moderatè, quoad potero, cōuitiis ipſius reſpondebo. quod ſanè iampridem à me factum eſſet, ſi mihi prius hæc audire aut videre licuiſſet: alioqui me metipſum inertiæ nequitiæque condemnaſſem.

Seſtertiaria ratione, quā ſeruabant veteres leges & mores, redactā ad rationem aureorum: Vt deinceps non ſeſtertiis, ſed aureis inter homines negocia & res omnes ageretur.

Iuſtinianus neque ſeſtertiariam rationem, A
neque ſeſtertiorũ vſum ſuſtulit, neque ſeſter-
tiariam rationem ad aurariam redegit, neque
ſtatuit, vt aureis inter homines negotia gererẽ-
tur. Aliquot ante Iuſtinianum ætatibus genus
illud numi argentei exoleuerat: cuius rei argu-
menta hęc ſunt. Primum quòd pretium & pon-
dus veterum aureorum, qui (vt Budæus, Portius,
Alciatus, Agricola, & alij eruditi omnes ſummo
conſenſu docuerunt) centenis ſeſtertiis permu-
tabantur, adeò imminutum erat, vt in iis rationi B
ſeſtertiariæ locus eſſe non poſſet. Tum ex auri
libra duodequinquaginta tantùm aurei ſigna-
bantur: vt perſpicuè docuimus in libro De re
numaria populi R. nec dubium eſt, quin de iis,
loci Pandectarum omnes, in quibus aureorum
mentio fit, accipiendi ſint. At circa Iuſtiniani
tempora duo & ſeptuaginta aurei (vt modò di-
ximus) conflabantur, ac de iis conſtitutiones Im
peratorum in Iuſtiniani Codicem relatę intelli-
gendæ ſunt. Alterum argumentum eſt, quòd cũ C
tam multæ multorum Imperatorum poſt Con-
ſtantinum conſtitutiones extent, tã multa præ-
terea Hiſtoricorum illius temporis monumẽta,
in iis tamen nullis (quantum mihi animaduer-
tere licuit) ſeſtertiorum mentio interponitur:
non modò argenteorum, quales & florente Re-
pub. & longo pòſt tempore fuiſſe conſtat. verũ-
etiam æreorum, quorum apud recentiores mẽ-
tionem nuſquam reperio, niſi ea ætate, quę per-
ex guo interuallo Conſtantini imperium ante- D
ceſſit. Hac accedit, quod Iuſtinianus in l. vlt. C.
de donat. ſuperfluam atque inanem illorũ ver-
borum adiectionem appellat, quia, propter mã-
cipationis & imaginariæ venditionis formulã,
vti donationibus ſolebãt, SESTERTIO VNO. quip-
pe, cùm & ſeſtertiorum vſus iampridem obſo-
leuiſſet, & imaginaria emtio nummo ſeſtertio
fieri ſolita dudum ex vſu ſublata eſſet. Itaque
perobſcurum mihi videtur, quod in hac Obſer-
uatione ſubiicitur, Iuſtinianũ ſanxiſſe, vt dein- E
ceps non ſeſtertiis, ſed aureis negotia gereren-
tur. Neque enim Iuſtinianus in illa Pragmat.
ſanct. verbum de ſeſtertiis, vel æreis, vel argen-
teis vllũ interpoſuit: imò ne interponere quidẽ,
niſi fruſtra & temerè, potuit. Et quod in eadem
ſanctione ſubiecit, vt contractus per aureos ce-
lebrentur, nequaquam eò pertinet, vt deinceps
non ad ſemiſſes, aut tremiſſes, non ad miliariſia,
aut ceratia, aut auri argentive libras negotia cõ-
trahantur, quemadmodum nuper in Gallia e- F
dictum fuiſſe aiunt, vt contractus omnes ad au-
reorum coronatorum rationẽ celebrentur. Ni-
hil iſtiuſmodi Iuſtinianus aut cogitauit, aut cõ-
mentus eſt: vt ipſius verba dilucidè cuiuis La-
tinè intelligenti declarant: Sed cùm aureia ve-
terum Imperatorũ ſuam auctoritatem conſer-
uatam vellet, ſtatuit, vt per illos, per illos, inquã,
veterum Imperatorum aureos, ęquè ac per ſuos
& ſuo nomine ac vultu inſignitos aureos com- G
mercia exercerentur.

Proinde eum, qui in bonis habet centum aureos (quod ad legem Papiam attinet de bonis libertorum) Iuſtinianus pro locuplete habet: quia lex Papia exigebat, vt haberet centum millia ſeſtertiûm.

A Huius concluſionis artificiũ ſatis aſſequi non
poſſum. Iuſtinianus ſtatuit, vt ſuo imperio ſub-
iecti deinceps non ad ſeſtertios, ſed ad aureos
rationes conficerent: proinde rationem legis
Papiæ ad mille ſeſtertios ductam, ad centum
aureos redegit. Nã primũ omnium pragmatica
illa ſanctio quæ falſò dicitur eſſe de rationibus
ad aureum conficiendis, multis poſt immutatã
à Iuſtiniano legis Papiæ ſummam & locuple-
tium libertorum definitionem, annis edita eſt:
B imò ne in Codicem quidem, atque (vt vulgò
loquimur) in Corpus Iuſtiniani collata eſt: ſed
ſub finem Codicis Theodoſiani inter quaſdam
alias Nouellarum Conſtitutionum reliquias a-
liquot abhinc annis reperta, atque in lucem
edita. Deinde longè aliud eſt edicere, vt ratio-
nes ciuium deinceps non ad nummos argenteos
ſed aureos conficerentur: aliud ſtatuere, vt pro
mille ſeſtertiis vnus aureus cõputetur. Illud e-
dici facilè potuit: quia nihil refert, vtrum ad ar-
C genteos, an ad aureos rationes conficiantur, cũ
vtrobique par eadémque quantitas & poteſtas
ſubſit. l. quæ extrinſecus, 65. De verbor. obl g.
Hoc nullo modo potuit: partim quoniam ſe-
ſtertiorum vſus (vt modò dicebamus) iampri-
dem ſublatus fuerat: partim, quia veterũ ratio-
num ad ſeſtertios ductarum nulla erat cum au-
reis Iuſtinianeis proportio: vt paulò antè dixi-
mus. præterea Cõſtitutio illa generalis fuit: hæc
verò de mille ſeſtertiis pro vno ſolido compu-
D tandis, propriè & ſpecialiter ad vnum illud le-
gis Papiæ caput de locupletibus libertis, neque
ad aliũ vllum noſtri iuris articulum pertinuit.
Non igitur Iuſtinianus idcirco mille ſeſtertios
pro vno aureo in definiendis locupletibus li-
bertis computauit, quia prius edita erat, vt ratio-
nes ſuorum ciuium deinceps ad aureos confice-
rentur: (multis enim pòſt annis hoc edictũ ſe-
cutum eſt) ſed quoniam præcipitante iam tum
Imperio Romano, deminutiſque priuatorũ o-
E pibus, perpauci liberti reperiebantur, qui mille
aureos in bonis haberent: ſiue (quod idem fuit,
& vt lex Papia locuta eſt) cẽtũ millia ſeſtertiûm.

Et idem in lege Voconia Cenſus appellabatur, vt docui tit. Inſt. de leg. Falcid. nimirum his ver-
bis, *Vt ne quis cẽſus mulierẽ hęredẽ faceret vltra quadrantem. ſiue (vt Dio ſcribit lib. 6. ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας: id eſt, vigintiquinq; millia ſeſtertiûm, quę quarta pars eſt bonorum eius, quę*
F *Cenſus dicebatur.*

Ne hoc quidem ſatis intelligo. Neque enim
quarta bonorum Cenſi pars præciſè vigintiti-
quinque ſeſtertiûm millib. definiri poteſt. Quid
enim ſi Eques fuiſſet, ac proinde quadringento-
rum millium ſeſtertiûm cẽſum habuiſſet? Quid
ſi Senator, ac proinde octingentorum? Sed Dio
neque de ſeſtertiis, neque de quarta bonorum
Cenſi parte, neque omnino de Cenſo verbum
G vllum facit. Tantùm his verbis ſcribit: τῶν τε
γυναικῶν τισὶ καὶ παρὰ τὸν Οὐοκώνιον νόμον, καθ' ὃν οὐδε-
μία αὐτῶν οὐδενὸς ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας οὐσίας κλη-
ρονομεῖν ἐξῆν, συνεχώρησε τοῦτο ποιεῖν. id eſt, Cum
per legem Voconiam nulli mulieri liceret, plus
ex cuiuſquam hęreditate capere, quàm quinque
& viginti millia, nõnullas ea lege ſoluit. Neque
igitur de ſeſtertiis Dio loquitur, quod hæc Ob-
ſerua-

ſeruatio falsò affirmat: neque vſquam dicitur, quartam Cenſi bonorum partem fuiſſe vigintiquinque ſeſtertiûm millia: quandoquidem illo maiorum more (de quo Aſconius loquitur) Cēſi dicebantur, non qui ſeſtertium, ſed qui aſſium centum millia profeſſione detulerant: vt Liuius Plinius, Agellius, Dionyſius memoriæ prodiderunt. Ac planè ridiculum eſſet, exiſtimare, florentiſſimis illis Reipub. temporibus, de quibus Dio loquitur, non licuiſſe mulieri ſupra vigintiquinque vel aſſium, vel ſeſtertiûm millia ex cuiuſquam hereditate capere: ſed ſimpliciter & indefinitè plus quarta Cenſi hereditatis parte.

Tametſi mediocrem eum cenſum eſſe, argumento ſit, quod Dio libr. vlt. ſcribit, lege Iulia cautum, ne aqua & igni interdicto, ὑπὲρ δώδεκα ἡμισείας μυριάδας, id eſt, plus centum viginti quinque millibus ſeſtertiûm, non (vt mihi olim impoſuit interpres) quingentis millibus in bonis habere liceret.

Valde hoc mirum eſt, tam procul è Græcia teſtimonium eius rei peti, quæ lippis (vt ait ille) & tonſoribus nota erat: non maximū fuiſſe cenſum, centum millium ſeſtertiûm. Namque (vt modò dicebamus) ne equiti quidem cuiquam eſſe licebat, niſi qui quadruplum, aut Senatori, niſi qui octuplum poſſideret. Imò ne in municipiis quidem Decurioni cuiquam eſſe licebat, qui minus ſeſtertiûm centum millibus poſſideret: vt ex proximo Plinij Epiſtolarum libro notauimus, epiſt. 19. denique quanti ſumma illa per ea tempora fuerit notiſſimi Martialis illi verſus oſtendunt ad Phœbum ſcripti:

Malua te centum ſeſtertia Phœbe rogaui,
Cum mihi dixiſſes, Exigis ergo nihil?
Inquiris, dubitas, cunctaris, méque diebus
Téque decem cruciaſtiam rogo, Phœbe, nega.

Quid ampliùs? Ne hoc quidem loco Dio de ſeſtertiis mentionem vllam fecit: quinimò ſexcētis locis, vbi vel Dio, vel Plutarchus, vel Appianus, vel Zonaras de certo myriadum numero indefinitè loquuntur, conſtat apud illos non ſeſtertios, ſed drachmas, ſiue Romanos denarios intelligi. Pergamus etiam vlterius. Ne hæc quidem ſeſtertiûm centum viginti quinque millium ſumma ſatis cum illis facultatibus conuenit, quas Dio exulibus illis permiſſas ſcribit: cùm ait, eadem tamen lege conceſſum illis fuiſſe, vt nauem onerariam vnam actuarias binas, itémque ſeruos vicenos, ac libertos totidem apud ſe haberent. Nam quomodo ſumma centum vigintiquinque millium ſeſtertiûm illis impenſis ſuffeciſſet? Prætereà cuiuſmodi tandem ille taxationis modus eſt? cur enim potius centum vigintiquinque, quàm centum triginta, aut cētum quinquaginta lex definiiſſet? Potius igitur de centum vigintiquinque drachmarum millibus illum Dionis locum interpretemur, quemadmodum auctoris illius cōſuetudo poſtulat: eámque Latino more per ſeſtertiûm quingena millia capo[n]amus: quæ ſumma cenſum equeſtrem quinta tantùm parte (vt modò diximus) exſuperat. Ex quibus quantum inter meā & huius Obſeruationis coniecturam interſit, facilè eſt cuiuis animaduertere.

Et quod Cicero in Paradoxis centena tantùm

A *ſeſtertia ſcribit capere ſe ex ſuis prædiis. Nam centena millia intelligit, vt in penultim. Epiſt. lib. VI.*

Ne hoc quidem ſatis dilucide poſitum videtur: Centena ſeſtertia ſunt centena millia. Recepta quidem & inueterata: opinio eſt, fuiſſe quondam numos quoſdam argenteos, qui Seſtertia plurali numero genere neutro dicebantur: & ſeſtertios virilis generis numos mille valebant, quos Portius & alij quam plurimi minores appellant. Ponamus, veram hanc eſſe opinio
B nem, quam tamen propediem, Deo volente, ex hominum animis euellemus: tamen aſcribi hoc debuit, Centena ſeſtertia ſunt centena minorū ſeſtertiū n millia. Sed facilè cōuincam, Ciceronem nunquam ſcripſiſſe, centena ſe ſeſtertia percipere: ſed (vt tum Latini ſermonis conſuetudo ferebat) centena ſeſtertiûm, vbi ſubaudiebatur, Millia. Prætereà ſubobſcura mihi hæc collectio videtur: Cicero centena HS millia quotannis ex ſuis fructibus percipiebat: Er-
C go cenſus tantæ pecuniæ fuit mediocris. Nam certum eſt, cenſum ciuium Romanorum non ex vectigali, ſiue annuo ipſorum reditu, ſed ex vniuerſi patrimonij modo æſtimatum fuiſſe. Prætereà ſatis ieiunum hoc videri poſſit argumētum ad probandum cētum millia ſeſtertiûm non admodum magnum ciuis Romani cenſum fuiſſe: cùm tam multa paſſim extent Romanarum opum apud veteres auctores documenta. quanquam quid vllis argumentis opus fuit, cùm lex
D Papia, de qua iam agitur, non generaliter de ciuiū R. facultatibus, ſed ſpecialiter de tenui infimo libertinorum ordine & eorum fortunis loquatur?

Et non tantùm in lege Papia, ſed etiam in pœnis æſtimandis eandem rationem ſecutum Iuſtinianum apparet ex l. lege §. vlt. D. ad Syllanian. qua popularem actionem, quem Paulus III. Sentent. fuiſſe centum millia ſeſtertiûm auctor eſt, ipſe redegit ad centum aureos.

E

Duplex hæc obſeruatio eſt. Prior eſt huiuſmodi Iuſtinianus rationem interpretādi aureos per mille ſeſtertios non tantum in lege Papia ſecutus eſt, verumetiam in pœnis antiquarum legum æſtimandis. Imò Iuſtinianus & in Inſtitutionibus, & in edita nuper Græca de ſucceſſione libertorum conſtitutione, itémque Latina ipſius Epitome dilucidè oſtendit, ſuam illam interpretationem tantùm ad vnicum legis Pa-
F piæ caput, nimirum ad definiendos Centenarios libertos pertinere: vt ſcilicet ij, qui olim Centenarij ſecundum Papiam legem ex centenis HS. millibus dicebantur, deinceps ex ſua Conſtitutione ex centenis aureis cenſerentur, acciſis nimirum Imperij R. & libertorum facultatibus: vt qui liberti ante illam Conſtitutionem editā ex mille aureis locupletes habebantur, deinceps ex centū aureis eodem numero haberentur. Sequitur altera Obſeruatio: Paullum ſcripſiſſe, pœ-
G nam intempeſtiuæ tabularum aperturæ à Senatuſconſulto Sillaniano taxatam fuiſſe centum millibus ſeſtertiûm. At hæc Obſeruatio nō modò mihi obſcura, verumetiam ab aliarum pœnarum proportione planè aliena videtur. Pœna ſepulchri violati (quo crimine Deorum Manium religio lædi credebatur) fuiſſe tantùm dici,

rur ſeſtertiûm decem millium, ſiue (quod idẽ eſt) centum aureorum: l.3.D. de ſepulch. viol. Pœna termini moti & eiecti (quo crimine religio quoque violari credebatur) fuiſſe dicitur ſeſtertiûm dumtaxat quinque millium, ſiue (quod idem eſt) quinquaginta aureorum. l.vlt. de term. mot. Pœna detenti nautæ, nauiſve, qua annona deportabatur, viginti tantùm aureorum fuiſſe dicitur, ſiue (quod idem eſt) duûm millium ſeſtertiûm, l.2. D. ad leg. Iul. de ann. Pœna ambitus in municipiis dicitur fuiſſe tantùm decem millium ſeſtertiûm, ſiue (quod idem eſt) centum aureorum, l.1. D. ad leg. Iu. amb. Quænam igitur pœnæ illius immanitas fuiſſet, ſi ob apertas ante legitimum tempus teſtamẽti tabulas (quod certè non admodum graue delictum dici potuit) centum HS. millium mulcta irrogata fuiſſet? Quid ergo eſt? dicet aliquis. Nimirũ Vlpianus manifeſtiſſimum nobis in Pauli verbis mendum oſtendit. Nam cùm in d. §. vlt. ſcribit, pœnam Senatuſconſulto definitam centum aureorũ fuiſſe (quæ ſumma planiſſimè decem ſeſtertiûm millibus reſpondet) apertiſſimè oſtẽdit, in illo Paulli loco pro CENTVM reponendum eſſe DECEM. Pauli quidem verba hoc modo edita ſunt: Hereditas à fiſco, vt indignis auferrur his, qui, cùm interfectus eſſet teſtator, apertis tabulis teſtamenti hereditatem adierunt. amplius his & in CENTVM millia ſeſtertiûm pœna irrogatur. At hæc ſumma neque cum eiuſdem modi pœnis proportione conuenit, & pro centum aureis, quos Vlpianus poſuit, mille aureos efficit. DECEM igitur pro CENTVM reſtituendum eſt, vt argentea Paulli ſumma cum illa Vlpiani aurea cõueniat: quemadmodum illius ſeculi conſuetudo & vſitata aureorum cum ſeſtertiis comparatio ferebat. Verùm hæc deinceps planius ex iis quæ ſubſequuntur, intelligi poterunt.

Vnde opinor, quæ in l.1.D. ad leg. Iul. amb. dicitur eſſe in aureos centum, ea ex l. Iulia fuit in centum millia ſeſtertiûm.

Primùm omnium illa centum aureorum pœna non lege Iulia, (vt hic dicitur) ſed Senatuſconſulto ad legem Iuliam accommodato conſtituta fuit. Deinde pœna hæc nihil ad ambitum in vrbe Roma commiſſum pertinuit, ſed in municipiis dumtaxat: ſi quis, putà, Decurio ambitu & largitione Duumuiratum aſſequutus eſſet: de quorum vtroque Modeſtin. diſertè nos admonuit in d.l.1.D. de amb. Et certè abſurdum eſſet exiſtimare, quo tempore lex illa Iulia Romæ lata eſt (quod tempus omnium florentiſſimũ fuiſſe conſtat) ſummam centum millium ſeſtertiûm pro pœnæ genere habitam fuiſſe ab iis ſatrapis, qui vel Præturam, vel Conſulatum petebãt. Ludus illis iocúſque hic fuiſſet, ſi tantula pecunia crimen ambitus redimere potuiſſent. Cuius rei vel vnica illa M. Tullij ad Quintum Fr. epiſtola argumento eſſe poterit, quæ lib.2. decimumquartum locum obtinet. vel illa rogatio de qua Epiſtol. 15. ad Attic. 1. vt qui nomos in tribu pronuntiarit, ſi dederit, quoad viuat, ſingulis tribubus HS CIↃ CIↃ CIↃ debeat: quæ ſumma, cum xxxv. tribus eſſent, fuit annuûm centenûm & quinûm millium ſeſtertiûm. Facit etiam ille ſextæ Verrinæ locus: Quòd HS LXXX. millia

A diuiſoribus, vt Prætor renuntiarere, dediſti. Trecenta accuſatori, ne tibi moleſtus eſſet. Quo tamen loco non eſt veriſimile LXXX. tantùm Verrẽ diuiſoribus dediſſe, ſed potius CCCC. vel etiam plura. Sed quid iſtiuſmodi argumentis opus eſt, cùm ſola purpura centum millibus cõſtaret? Martial. Epigr. 10.

Menſe nouo Iani veterem Proculeia maritum
Deſeris, atque iubes res ſibi habere ſuas.
Quid, rogo, quid factum eſt? ſubiti quæ cauſſa doloris?
B *Nil mihi reſpondes? dicam ego, Prætor erat.*
Conſtatura fuit Megalenſis purpura centum
Millibus, vt nimium munera parca dares.
Et populare ſacrum bis millia dena tuliſſet.
Diſſidium non eſt hoc, Proculeia, lucrum eſt.

Nunc quæro, cùm illud S.C. ad Decuriones tantùm (vt Modeſtinus admonuit) pertineret, quorum cenſum fuiſſe diximus ſeſtertiûm dumtaxat centum millium, quis credat totius illius cenC ſus ſummam pro ambitus pœna illis impoſitam fuiſſe? Quæro etiam illud: Modeſtinus eodem loco ſubiicit, ſi quis reus vel accuſator iudicis ſui domum introiſſet, pœnam centum aureorum conſtitutam fuiſſe. Quis credat, ſummam illam per centum ſeſtertiûm millia interpretandam eſſe? ac non potius per decem millia? quemadmodum illorum temporum ratio & conſuetudo ferebat. Pari ergo ratione concludendum eſt, in S.C. de ambitu in municipiis commiſſo, D pœnam definitam fuiſſe dumtaxat decem millium ſeſtertiûm. Centum verò millium multa vſque adeò mihi magna atque acerba videtur, vt vix putem vlla vnquam lege ſine aquæ & ignis interdictione irrogatam fuiſſe.

Et quæ ex vltima lege Aquaria apud Frontinum eſt, in centum millia ſeſtertiûm, hodie foret in centum aureos.

Imò, ſi verùm eſt, quod paulo antè dicebatur, non tantùm hodie, poſt Iuſtiniani conſtituE tionem, ſed rogationis aquariæ tempore par eadémque fuit centum aureorum & centum millium ſeſtertiûm ſumma. Sed quemadmodum ex auctoritate Vlpiani docuimus, mendum eſſe apud Paullum, ita ex certiſſima & notiſſima temporum illorum ratione dicimus, mendum apud Frontinum irrepſiſſe, & pro CENTVM MILLIA, reponendum eſſe DECEM MILLIA. Verba legis ſic edita ſunt in Florentino libro anni 1496. & Baſilienſi, anni 1530. (neque enim alioF rum mihi copiam habere licuit) Quicũque poſt hanc legem rogatam, riuos, ſpecus, fornices, fiſtulas, caſtella, lacus aquarum publicarum, quæ ad aquam ducuntur, ſciens dolo malo forauerit, ruperit, &c. is populo R. c. millia dare damnas eſto. Si quid eorum ſeruus fecerit, dominus eius centum millia populo R. det. Quis credat delicto non adeò atroci, imò verò noxæ à ſeruo commiſſæ, tantam centum HS. millium pœnam impoſitam fuiſſe? præſertim cùm lege Mamilia de limitibus agrorum aduerſus eos, qui terminos conturbaſſent, non maiorem quinque millium G HS. pœnam irrogatam legamus: Si quis (ait) aduerſus ea fecerit, in res ſingulas VIII. S. colonis municipibus dare damnas eſto. Nam ex capite ſequenti facilis coniectura eſt, reſtituendum eſſe V. M. HS. id eſt quinque millia ſeſtertiûm, vt

cap-

A cap. ſequenti: Si quis aduerſus ea fecerit, in terminos ſingulos, quos eiecerit, locóve mouerit, HS. V. M. N. in publicum dare damnas eſto: id eſt, ſeſtertiûm quinque millia numûm. Denique veriſſimam hanc eſſe ſcripturam, perſpicuè intelligitur ex l. vlt. D. de term. mot. vbi Calliſtratus totidem verbis ſic ſcribit: In terminos ſingulos, quos eiecerit, locóve mouerit, quinquaginta aureos in publicum dari iubet. Quo nihil neque commodius, neque aptius afferri potuit, B ſiue ad Frontini emendationem, ſiue ad demonſtrandum, Iuriſconſultorum noſtrorum ætate, vnam eandémque ſummam quinquaginta aureorum, & quinque millium ſeſtertiûm fuiſſe. Sed nihil attinet pluribus verbis hac de re diſputare, cùm ex conſimili pœnarum genere ſatis conſtet, non CENTVM MILLIA apud Frontinum legendum eſſe, ſed DECEM MILLIA. veluti apud eundem in ſenatuſconſulto: Si quis aduerſus ea commiſerit, in ſingulas res in dena millia damnas eſto. Item in lege Agraria: Ne quis C aquam oletato, ſi quis oletârit, HS. decem milliû multa eſto.

Et in l. 11. de dol. mal. modica ſumma, quæ extenditur ad duos aureos, olim fuit ad duo millia ſeſtertiûm.

Ferre hoc non poſſum, vt ſumma omnes in Pandectis noſtris ad aureū confectas per mille ſeſtertios in ſingulos aureos interpretemur. Quòd ſi hanc interpretationem, non dico in Pādectis, ſed in ipſo Codice, addo etiam illud, in ipſius Iuſtiniani Conſtitutionibus admittamus, D Deus bone, quantam æſtimationum perturbationem, quantam confuſionem inducemus! An ſeruos, qui plerumque viginti aureis æſtimantur, dicemus olim viginti ſeſtertiûm millibus fuiſſe? An eum, qui centum aureos legauit, dicemus centum millia ſeſtertium legaſſe? aut qui mille, decies centena millia ſeſtertiûm? viciſſimque conuerſa ratione, an ſeruum, quem apud Paullum in I l. 57. De ædil. edict. decem HS. millibus æſtimatum videmus, dicemus, Paulli tēpore decē rātum aureorū fuiſſe? Sumamus aliud exemplū apertiſſimū. Vulgaris opinio eſt, quā huius quoque Obſeruationis auctor eſt ſecutus, lege Cincia de donis & munerib. definitū fuiſſe certum donationis modum, quem excedere donatoribus non liceret: nimirum ducentorum aureorum. arg. l. ſancimus 34. C. de donat. Ponamus, hanc opinionem veram eſſe, quandoquidem huic auctori F placuit. Dicemúſne igitur ex hac ipſius ratiocinatione prohibitum lege Cincia fuiſſe, ne cui ſupra ducenta ſeſtertiûm millia donare liceret? Ridicula verò illa lex fuiſſet, quæ id vetaret, quod innumerabilium ciuium paupertas ſatis per ſe prohibebat. Nam quotuſquiſque, præſertim illis Cinciæ rogationis temporibus, ciuis fuit, qui tantæ ſummæ munificētiam exercere poſſet? Sed iam quod inſtat agamus. Si duo Iuſtinianei aurei duobus ſeſtertiûm millibus valebant, ſiue (quod G Vlpiani & Paulli ætate tantumdem fuit) aureis ducentis: ſequitur, vt ſumma duûm millium ſeſtertiûm eorundem ætate pro modica, ſiue minima ſumma habita fuerit. Quam enim ſummam Vlpianus & Paullus in l. 9. & l. 10. De dol. mal. modicam appellant, eandem Calliſtratus minimā dixit, in l. 4. D. de in int. reſtit. vbi, cum illis duobus conſentiens, tradit, extraordinarium & contra ius ciuile inſtitutum reſtitutionis in integrum remedium propter modicam & exiguam ſummā non concedi. Quid? Num ergo ſi quis duûm millium ſeſtertiûm ſumma fraudatus fuiſſet, non à Prætore auxilium illud impetraſſet? At Plinius prędiorum hoc precium apud antiquos fuiſſe tradit, lib. 17. cap. 1. Cicero vbi Verri duûm millium furtum obiicit, quantos clamores tollit? Duos igitur aureos Paullus ex ſeculi ſui ratione poſuit pro ducentis ſeſtertiis, eámque ſummam, ita vt eſt, modicam appellat: cui congruit, quod Varro Ruſt. 3. c. 7. ſcriptum reliquit, ſingula columborum paria ſuo tempore ducentis vulgò conſtitiſſe.

Sanè l. Mæuia, D. ſol. matr. cùm initio dixiſſet decem ſolidos, id eſt aureos: mox decem millia ſubiunxit, in eadem ſpecie: nimirum decē millia ſeſtertiûm.

Iterum iam atque iterum apertè ſtatuit, Paulli Iuriſconſulti ætate Aureum mille ſeſtertiis valuiſſe: & decem aureos vno loco ab illo dici, alio decem ſeſtertiûm millia, pro pari eademque ſumma. In quo commodè intelligendo caliginē certè & cæcitatem, quæ mihi poſteriùs obiicitur, ingenuè agnoſco. Nam ſi hoc verum eſſet, ecquid noui Iuſtinianus attuliſſet, cùm eos libertos, qui Papiæ rogationis tempore ex centum ſeſtertiûm millibus locupletes habebantur, nouo & inaudito more ſtatuit, ex centum aureorum facultatib. pro locupletib. cenſendos? Dicet aliquis, quemadmodum igitur Paulli locum interpretabimur? Nihil eſt quod faciliùs expediri poſſit. Decem aureorum millia ipſius ætate valebant decies cētenis ſeſtertiûm millibus. quem fuiſſe maximæ dotis modum, primus Budæus docuit: ac (ſi bene memini) poſt eum Portius, atque Agricola confirmârunt, eiúſque veſtigia extant in l. 6. D. de v. ſu. l. auia, 77. §. pater. D. de cond. & demonſt. Iam illud notum eſt, vocem MILLIA paſſim apud auctores in hoc locutionum genere ſubaudiri: eiúſque (vt Priſcianus appellat) ſyncopes complura exempla, vbi res poſtulauit, alio magis idoneo loco protulimus. Locum igitur Paulli plenè ſic legamus: Mæuia marito ſuo dotis inſtrumentum ſolidorum decem millium tradidit, quo Octacilius eidem Mæuiæ cauerat, daturum ſe, cùm ire nuptum cœpiſſet, decem millia. Hac lectione ac ſcriptura nihil erit facilius. Nam quod verbum Paullus vno loco poſuit, altero, ex Latinæ linguæ conſuetudine, prætermiſit. Sic enim Tullius Verr. 3. Quo modo ex decies HS. ſexcenta millia reliqua ſint facta, vt illa de Cn. Carbonis pecunia reliqua HS. ſexcenta ſint facta. Item Verr. 4. Repentè recitatur vno nomine HS. CCL. millia iuſſu Prætoris data. Et paulò pòſt: Numerantur illa HS ducenta quinquaginta Syracuſanis. Item Verr. in. 5. Vt ſiquis villicus, ex eo fundo, cui ſeſtertiûm dena merces eſſet, domino viginti millia numum pro decem miſerit. Itaque in l. Lucius, 88. D. de legat. 2. vbi ſic ſcriptum eſt: Debeo Demetrio pattuo meo denaria tria, Seleuco pattuo meo denaria tria: non dubito, quin ſcriptum olim fuerit, Denariûm tria, & vox Millia, tacitè ſubaudita. Nam illorum temporum ratio & conſuetudo loquendi hæc fuit. Quinetiā ſiquis contenderet vocem MILLIA in d. l. Mæuia redundare, (qua in opinione me aliquando fuiſſe fateor) ne nunc quidem exiſtimarem eum ab-

ſurdi quicquam dicturum: præſertim cùm apertiſſimè videamus, ſimile mendum exſtare in l. ſi Stichus, 25. D. commun. diuid.

Nec dubito, quin definitio paupertatis in l. nonnulli. De accuſat. ad aureos quinquaginta Iuſtinianus ſit, quæ olim fuerit quinquaginta millia ſeſtertium in ingenuis ſcilicet: nam in libertinis ex Papiniani XV. Reſponſorum, intelligimus fuiſſe triginta millia ſeſtertiûm ergo triginta aureorum.

Strenue ſanè ac fortiter in illa opinione perſeuerat de aureo, Papiniani tempore, mille ſeſtertiis æſtimato. Sed alia videamus. Primùm Hermogenianus non definiit paupertatem aureis quinquaginta, ſed infra aureos quinquaginta. Deinde permirum mihi videtur, pauperem olim habitũ, qui minus quinquaginta HS. millibus in bonis haberet, atq; hac ſola de cauſſa ab omni accuſatione excluſum fuiſſe. Certè Budæus optimus opum Romanarum æſtimator nunquam iſtud dixiſſet. Sunt quidẽ aurei quinquaginta, ſi de leuioribus loquamur, quales inchoato imperio fuerunt, leuis ſumma. l. 1. C. de deſenſ. ciuit. Sed ſi de iis agatur, qui Hermogeniani ætate in vſu fuerunt, & quinque ſeſtertiûm millibus valebant, ſumma certè non leuis fuit, neque quinquaginta aureorum pœna leuibus culpis impoſita: vti patet ex l. 3. de termin. mot. l. 7. de iuriſdict. l. 1. de his qui deiecer. l. 12. l. pen. l. vlt. de in ius voc. Sed ponamus, Hermogenianum propriè de adulterij accuſatione verba feciſſe. Quàm multos ruſticos Romanos quàm multos artifices, tabernarios, opifices Romæ fuiſſe credimus, qui ſe ob facultates multò minores à perſequendis vxorum ſuarum adulteriis excludi non ſiuiſſent? Marc. ille Scaurus princeps Senatus ſcriptum reliquit (vt Valerius auctor eſt) totum ſuum cenſum non ampliorem quinque & triginta millium ſeſtertiûm fuiſſe. Quinquaginta igitur aureos apud Hermogenianum quinque ſeſtertiûm millia, ex recepta illius temporis ratione & æſtimatione, interpretemur: neque Iuſtinianum illi Hermogeniani loco manum admouiſſe credamus. Quanquam quid opus fuit, Iuſtinianum ſummam illam quinquaginta aureorum pro quinquaginta ſeſtertiûm millibus ponere, ſi verum eſt, quod iam antè toties inculcatum fuit, ſolidum aureum Vlpiani, Paulli, Hermogeniani tempore, æquè vt poſt Iuſtiniani Conſtitutionem, mille ſeſtertiis fuiſſe? Veniamus ad Papiniani reſponſum, quod hoc modo editum eſt. Ciuis R. qui ſine connubio ſibi peregrinam in matrimonio habuit, iure quidem mariti eam adulteram non poſtulat: ſed ei nõ opponitur infamia, vel quòd libertinus tem ſeſtertiorum triginta millium non habuit. Valde hoc mirum eſt, liberto non fuiſſe ius accuſandi vxorem de adulterio, niſi qui triginta HS. millia poſſideret. Sed quemadmodum ſuperius ex proportione ſummarum menda quædam ſuſtulimus, & ex aureæ pœnæ modo, argenteæ modũ certiſſima ratione coniecimus: ita hoc loco ex aurea ſumma ab Hermogeniano prodita, & proportione ſeruata, mendum è Papiniani reſponſo tollemus: ac pro Triginta reſtituemus Tria: vt quemadmodum ingenuus propter facultates quinque ſeſtertiûm millibus, ſiue (quod idem eſt) aureis quinquaginta minores ab accuſatione excludebatur: ita libertus propter cenſum tribus HS. millibus, ſiue (quod idem eſt) triginta aureis minorem ab adulterij accuſatione ſummoueatur. Verùm hæc quidem hactenus: niſi fortè, vt ſtudioſorũ vtilitati nihilominus in hoc libello, quàm defenſioni noſtræ ſeruiamus, aliã inſuper emendationem, cuius mihi iam in mentem venit, adſcribi erit melius. Nam in Heliogabalo Lampridius ita ſcribit: Idem nunquam minus centum HS. cœnauit: hoc eſt, argenti libris triginta. Cùm enim legitimus ſit numerus quatuor & octoginta denariorum in ſingulas argenti libras, vt ſuperius ex Plinio diximus: nõ dubitandum eſſe arbitror, 300. pro 30. ſcribendũ eſſe: hoc eſt, trecentas argenti libras, non triginta. Et in eo quod ſubiicitur: Aliquando autẽ tribus millibus HS. cœnauit, omnibus ſupputatis, quæ impendit: quis non videt pro Tribus reponendum eſſe Triginta, vel potius Trecenta, vt aliqua ſit inter illas ſummas proportio? præſertim cùm ita ſubiungat: Cœnas vero Vitellij & Apicij vicit. Ex quibus quantum inter meam & Budæi coniecturam interſit, non difficile intellectu eſt.

Et ſanctio quæ ex edicto de in ius vocando, vel ex edicto de his qui deiecerunt vel effuderunt, eſt in quinquaginta aureos, & de albo corrupto in quingentos, proculdubio in Edicto veteri ſeruauit rationem ſeſtertiariam: quæ redacta ad aureos pro mille ſeſtertijs computat vnum aureum: & ex quingentis millibus HS. facit quingentos aureos: ex quinquaginta millibus ſeſtertiûm, quinquaginta aureos.

Primùm illud accuratè notari velim, pœnam quinquaginta aureorum, quæ in Edicto de in ius vocando conſtituta eſt diſertè conſtitutam dici, non in quemuis hominem, ſed ſpecialiter in libertum, qui ſine venia patronum in ius vocauit. l. 12. l. penult. l. vlt. D. de in ius voc. Hoc poſito, duplicem quæſtionem propono. Primùm, an veriſimile ſit, tantam & tam acerbam pœnam libertis, ob culpam non adeò magnam, à Prætore impoſitam fuiſſe, vt ſi patronum ſine venia, quãtumuis modeſtè in ius vocarent, quinquaginta ſeſtertiûm millibus multarentur? Quæro præterea, ſi quinquaginta aurei in illo edicti capite pro quinquaginta HS. millia interpretandi ſunt, nũquid etiã eadem interpretatio adhibenda erit ad parem ſummam, quæ in altero eiuſdem Edicti capite conſtituta eſt aduerſus eum, qui pro neceſſariis perſonis non quemlibet fideiuſſorem iudicio ſiſtendi acciperet? l. licet. D. in ius vocat. vt eant. Cuius capitis mentionem conſultò in hac obſeruatione prætermiſſam arbitror, quia nemini veriſimile futurum erat, tam acerbam quinquaginta millium ſeſtertiûm pœnam ob tam leuem culpam irrogatam fuiſſe. Legitima igitur illa vetus æſtimatio retinenda eſt, illis tẽporibus vſurpata, vt quinquaginta aureos in vtroque illius Edicti capite, nõ pro quinquaginta ſed pro quinque ſeſtertiûm millib. interpretemur. Venio iam ad pœnam iis conſtitutam, quorũ culpa deiectum effuſumve per imprudẽtiam aliquid eſt, quo liber homo interierit. Nam & Prætor in Edicto, & Iuſtinianus in Inſtit. ſimiliter quinquaginta aureis pœnam illam definiũt. At in hac Obſeruatione adfirmatur, proculdubio in Edicti Prætorij archetypo QVINQVAGIN-

TA HS. MILLIA ſcriptum fuiſſe. Non inculcabo, quæ iam ſæpe dicta ſunt. quæ nouam hanc opinionem apertiſſimè refellunt. Tantùm quæram ecquid dicendum videatur de altero eiuſdem Edicti capite, cuius hîc cōſultò mētio prætermiſſa eſt, quo decem aureorum pœna ei iniungitur, qui ea parte, qua vulgò iter fit, poſitū id aut ſuſpenſum habet, quod poteſt, ſi eeciderit, alicui nocere? Sanè nō grauis illa culpa eſt: imò ne culpa quidem hoc tēpore numeratur. An tamē ex illa commētitia ſuperioris pœnę proportione dicemus, decem ſeſtertiûm millibus illam æſtimandam eſſe? Atqui ſuperiùs docuimus, ne grauiſſimis quidem delictis grauiorem irrogari pœnam conſueuiſſe. Supereſt, Albi corrupti pœna, quæ dicitur eſſe aureorum quingentorū l. 7. D. de iuriſd. ac proinde (ex hac noua opinione) ſeſtertiûm quingentorum milliū. Pœnam certè ingentem: qualem non puto lege vlla, ſine bonorum amiſſione, conſtitutam fuiſſe: præſertim cùm atrociſſimo ſepulchri violati crimini, ſiquis in eo ædificium poſuiſſet (quo crimine vehementer pollui religio videbatur) non grauior quàm ducentorum aureorum pœna cōſtituta fuerit. l. 3. D. de ſepul. viol. Accurtium igitur audiamus, qui teſtatur, ſcriptum in aliis codicibus extare, QVINQVAGINTA: quam lectionem iampridem monui multò & certiorem & veriorem eſſe: & ad aliarum pœnarum proportionem adcommodatiſſimam.

Quamobrem ex l. Fabia, quam Vlpianus lib. 19. de Officio Proconſulis ſcripſit fuiſſe pœnam ſeſtertiûm quinquaginta millium hodie ſi in vſu eſſet, redigeretur ad quinquaginta aureos.

Tædet me toties eadem iterare. De hoc Vlpiani loco idem quod de ſuperioribus ſtatuo; mendum eſſe in voce QVINQVAGINTA, & pro ea ſumma aliam aliquam ſubſtituendam. Sed locum integrum, vti à Pithœo editus eſt, conſideremus. Lege Fabia tenetur, qui ciuem R. * eundémque qui in Italia liberatus ſit, celauerit, vinxerit, vinctúmque habuerit, vendiderit, emerit, quíve in eam rem ſocius fuerit, cui capite primo eiuſdem legis pœna iniungitur. Si ſeruus * qui ſciente domino fecerit, dominus eius * ſeſtertiis quinquaginta millibus eodē capite punietur. Eiuſdem legis capite ſecundo tenetur, qui alieno ſeruo perſuaſerit, vt dominū fugiat, quíve alienum ſeruū inuito domino celauerit, vendiderit, emerit dolo malo, quíve in in ea re ſocius fuerit. iubetúrque * populus ſeſtertiā quinquaginta millia dare. Primum omnium pro EVNDEMQVE, neminē fore arbitror, qui meū cōſiliū improbet, ſi EVMVE corrigēdū cenſeam: deinde pro POENA INIVNGITVR, fortaſſe legendum eſt, POENA CAPITIS INIVNGITVR, vt in l. 1. D. de plagiar. tametſi propter ſimillimū finē legis penult. mutare nihil audeo: præſertim cū in l. vltima Hermogenianus ſcribat, pœnam pecuniariam lege Fabia cōſtitutam in vſu eſſe deſiiſſe. Quòd ſi nummaria pœna reſtituenda eſſet, crederem legendum eſſe POENA HS DECEM MILLIVM INIVNGITVR: eodémque modo capite ſequēti pro SESTERTIIS QVINQVAGINTA MILLIBVS, nō dubitarē reponēdum eſſe HS DECEM MILLIBVS. poſtrema autē verba vbi legitur, EX TERTIAM QVINQVAGINTA, idcirco exiſtimarē legendū eſſe HS QVINQVE, quoniam Græci, quo Βασιλικῶν loco integrā l. 5. D. de plagiar. conuerterunt, ſcribunt, eum qui ſeruū alienū ſuſcepit & celauit, cogi non tantùm illum reſtituere, verùm etiam alterum parem, vel aureos viginti præſtare. quam ſummam etiam Conſtantinus retinuit in l. 4. C. ill. tit. Nam aurei viginti, ſeſtertiûm efficiunt duo millia. quòd ſi ob ſuſceptum & celatum ſeruū duo HS millia pœnæ conſtituta ſunt, certè conſentaneum eſt, ob eundem venditum grauiorem ſummam, putà ternûm vel potius quinque millium, irrogatā fuiſſe. ob liberum verò venditum, decem (vt opinor) millium. Neque enim veriſimile eſt, parem ac non grauiorem ei plagiario pœnam impoſitam fuiſſe qui liberum & ciuem R. quàm ei qui ſeruulum alienū vendiderit. addo etiā illud, qui alieno ſeruo perſuaſerit, vt à domino fugeret. Atque ita dum huic defenſioni noſtrę operam nauamus, eadem accidit opera, vt ſtudia quoque diſcentium in aliquot antiquis ſcriptoribus emendandis pro noſtra vili parte ſubleuemus.

Eiúmve.

quid eorum, ſeſtertiûm decem milliū.

populo ſeſtertiûm quinq.

Et eadem ratio eſt in æſtimatione vulgariſeruorum in aureos XX. quæ frequenter occurrit in corpore Iuſtiniani quæ olim per ſeſtertios fiebat quamobrem in eodem corpore nuſquam ad ſeſtertios, vel ſeſtertia, ſed ad aureos vel ſolidos tantùm rationē haberi inuenies.

Si eadem Seſtertiaria ratio tenenda eſt in ſeruorum æſtimatione ad XX. aureos, quam hæc Obſeruatio in ſuperioribus cauſſis obſeruandā eſſe contendit: certè quot aureis ſerui in corpore Iuſtiniani æſtimantur, tot ſeſtertiûm millib. æſtimādi erūt: veluti, Quidam ſerui aureis octo æſtimantur, in l. 37. §. 1. D. de pecul. ergo ſeſtertiûm octo millib. alij aureis 10. æſtimātur, in l. 2. §. ne autē. C. de comm. ſeru. man. l. vlt. C. com. de legat. alij quindecim: l. 35. §. ſin autē C. de donat. Plerunque autem ęſtimātur viginti, velut in l. 8. in fin. & l. ſeq. D. de inoff. teſta. l. 31. de minorib. l. 2. C. de fideic. lib. l. vl. C. cōm. de leg. l. 4. D. de ſeru. fugit. l. 1. C. de com. ſeru. manu. ſed hoc mediocriū ſeruorū pretiū eſt. nā medicus, notarius, eunuchus, artifex, quinquaginta & ſexaginta aureis æſtimātur, d. l. vl. Sed ſumam' illud mediocre & peruulgatū aureorū viginti. An igitur mediocre ſerui pretiū ęſtimabimus viginti HS millia? an vilis mediaſtini octo vel decē millia? an illū vicariū, q decē aureorū eſſe dicitur, dicem' fuiſſe ſeſtertiûm decē milliū in l. Stichus, 25. D. com. diuid. Immane, quāto ab vſitata tēporū illorū ratione interuallo: quandoquidē ne pretioſum quidē vinitorē Columella pluris æſtimat, quàm ſex, aut ſummū, octo ſeſtertiū millib. lib. 3. cap. 3. Sed operæpretiū eſt aliunde quàm ex ſeruis argumēta repetere. Nam l. pater. 38. §. fidei de legat. 3. mētio fit legati duorū milliū aureorū. An legatū illud per viceres ſeſtertia ſeſtertiûm millia interpretabimur? Rurſus in l. Titios, 42. De leg. §. mētio fit teſtamēti, quo cautū erat, vt monumentum extrueretur vſque ad quadringentos aureos. An illam ſummam per quadringenta HS. millia interpretabimur? Item in l. libertio 21. §. filium. D. de ann. leg. mentio fit legati

ti menſtrui denûm aureorum. In l. vaori. 33. §. 2. D. de legat. 3. legati vicenûm aureorum annuorũ. Cui veriſimile videbitur priuato alicui tantũ menſtruũ legatũ fuiſſe, centũ & viginti millium? Quid? an nõ in l. Titia. 18. cod. mentio fit legati ſexcentorũ aureorũ annuorum, idque ea parte reditus cuiuſdam fundi? quantũ quæſo illius latifundij prouentũ ac reditum fuiſſe oportet, ex quo amplius ſexcenta HS. millia quotánis percipiebantur? Vix tanti vellus illud Iaſonis aureũ fuiſſet. Superiùs etiam dictũ eſt, Ciceronem in tantis opibus, non plus centenis annuis HS. millibus ex ſuis prędiis percepiſſe, Lucullos autem & eiuſmodi ſatrapas non plus ſexcenis, Venio (inquit) ad illos ſumptuoſos, relinquo iſtum quæſtuoſum: capit ille ex ſuis prædiis ſexcenta ſeſtertiûm, ego cẽtena ea meis. Neq; igitur aurei, de quibus in Pandectis mẽtio fit, ad Iuſtinianam æſtimationem retrahendi ſunt: quę ſpecialiter ad locupletũ libertorũ definitionem pertinuit, & tantò pòſt ſecuta eſt: neque aurei de quibus Iuſtin. & alij in Codice loquuntur, ad ſeſtertiariam rationem, quæ iampridem obſoleuerat, reuocandi.

Quamobrem in eodem corpore nuſquam ad ſeſtertios vel ſeſtertia, ſed ad aureos vel ſolidos tantum rationem haberi inuenies.

Non intelligo concluſionis huius artificium. Ratio ſeſtertiaria in æſtimatione ſeruorum ad aureos, etiam in corpore Iuſtiniani ſeruáda eſt. Quamobrem in eodem corpore nulla ſeſtertiariæ rationis mẽtio reperitur. Obſcurũ etiã mihi hoc videtur, nuſquã in corpore Iuſtiniani ſeſtertiariæ rationis veſtigiũ inueniri. At hęc Obſeruatio paulò pòſt admonet, Africani locũ in l. liberto, D. de bon. libert. ad ſeſtertiariã rationẽ addo inſuper l. ſi ſeruus, 57. D. de ædil. edict. vbi ſeruus, qui quinque millibus erat, decem millibus emptus fuiſſe dicitur: quæ ſumma non poteſt niſi de ſeſtertiis intelligi. Addo etiam l. pace. 54. D. de legat. 3. Lucius Titius plebi quina millia dedit hoc amplius Seius viſcerationem: quina quoque millia Seiũ dediſſe intelligimus. Addo & illa Papiniani verba, Numerari decies cẽtena dotis nomine ex l. 6. D. de vſur vbi Ant. Auguſt. teſtatur, in archetypo Florẽtino adſcriptam eſſe literam N: vt intelligantur, inquit, decies cẽtena millia ſeſtertiũ nummũ: quẽ fuiſſe maximæ dotis modũ ſuperiùs diximus: eodémque pertinet. l. auia, 77. §. pater. D. de cond. & demõ. Plus dico. Nã in quibuſdã locis video ſeſtertiariã rationẽ cũ auraria permixtã. velut in l. 8. D. de fideic. liber. vbi Pomponius ait, Eum cui mille annui legati fuiſſẽt, (quod de ſeſtertiis intelligẽdũ cõſtat) ſi rogatus fuiſſet ſeruũ viginti (ſubaudiẽda eſt vox Aureorũ) manumittere, nõ cogi fideicommiſſam libertatẽ præſtare, ſi legatũ nõ caperet. Hoc perinde eſt ac ſi dixiſſet, ei cui mille ſeſtertij legãtur. vt ſeruũ duûm milliũ ſeſtertiũ manumitteret, licere legato repudiando ſeſe ab illius fideicommiſſi præſtatione liberare. quoniam iniquũ eſſet, plus cuiquã oneris, quã honoris tribuere. l. ſi minor, 33. D. de minorib. Viginti autem aureos duob. ſeſtertiûm millibus reſpondere, ſatis antea demonſtratum eſt. Sed iam ad alia multò quàm hæc & atrociora & horribiliora veniendum eſt.

Vnde apparet, quàm ſit ſtultus ille, qui mille & centum loco commutat in Inſtitutionibus: vbi Iuſtinianus ait, ſe pro mille ſeſtertiis vnũ aureum computare: ac proinde in l. Papia C. millia ſeſtertiûm C. aureos interpretari, quod & Theophilus ita luculenter explicuit.

Numnam igitur magnus ille Budæus, Gallię noſtræ immortale decus, iſto verborum honore afficitur, vt ſtultus appelletur? Nam ſi qui ſcripſit Centum pro Mille, viciſſimque Mille pro Centum in illo Inſtitutionum loco commutanda eſſe, STVLTI nomine dignus eſt: certè Budęus, qui princeps omniũ hoc ſcripſit, ſtultorum omniũ princeps appellandus eſt. Antecedens patet ex lib. de Aſſe 2. vbi totidem literis ita ſcripſit: Nos vnum aureum centum ſeſtertiis æſtimamus: Iuſtinianus mille. Sed potuit numerus corrumpi. vt MILLE pro CENTVM legatur: errore ex notulis orto: vt infrà videbimus. Potuit & mille ſeſtertiis pro mille æris obrepere librariis. Rurſus lib. 3. Iamprimum (inquit) ad Iuſtiniani dictum ſatis iam reſponſum eſt: quin etiã Centenarij olim dicti ſunt, non qui Centum ſeſtertia poſſidebant, ſed qui centum millibus æris cenſi erant: vt ex Liuio & Plinio apparet & nos in lib. de re num. demonſtrauimus. Vt autem pro mille ſeſtertiis vnus aureus haberetur, nulla auctoritate antiqua defendi poteſt. Et enim docuimus ſuprà, aureum vnum pro centum ſeſtertiis ceſſiſſe. Hæc totidem literis Budæus: ex quibus neceſſarium cõſequens efficitur, Budæũ in iſta Obſeruatione ſtultum appellari. At non Budæus (dixerit fortaſſe quiſpiam) ſed Hotmanus illis verbis petebatur: quia Græca quædam conſtitutio nuper ex Oriente aduecta eſt, in qua Iuſtinianus pro imperio ſtatuit, vt ſumma legis Papiæ per centũ millia ſeſtertiûm expreſſa, per cẽtum ſui temporis aureos interpretetur, & pro mille ſeſtertiis vnus aureus computetur. At non ſtultis, ſed fanaticis diuinandi facultas tribuitur, qui (vt Viuianus ait) capita iactantes futura profantur, l. 1. §. apud Viuianum. D. de ædil. edict. neque vel Budæus ariolari potuit, fore, vt poſt annos ſexaginta, vel Hotmanus poſt annos triginta, eiuſmodi aliqua Iuſtiniani conſtitutio prodiret. Sed nihil opus eſt excuſatione: parata defenſio eſt. Quęro enim ecquánam ratione Papię legis ſumma ſub Imperatorib. qui proximè Iuſtinianum anteceſſerunt, interpretabatur? Sub Iuſtino, inquã, Anaſtaſio, Zenone, Leonibus? Planiùs etiam quęro, ex cuius pecuniæ ſumma ſub illis Imperatoribus libertus aliquis pro locuplete, ſiue centenario numerabatur? certè non ex centum ſeſtertiûm millibus. Iampridem enim (quod etiã Ant. Auguſtinus admonuit) & ſeſtertiariæ rationis, & ſeſtertiorum vſus ſublatus fuerat. Ecquonam igitur modo? nempe per aureos. quam multos? mille, ſine controuerſia, quanti ſemper antea, dum ſeſtertiorum vſus vigebat, æſtimati fuerant: quamuis aureis antiquis pondere pares nõ erãt. Hoc loco Roaldeſiũ mihi vel Fabrũ, vel Pythœos Iudices aſciſco: vel alios eruditos eiuſdem ordinis viros: quorum hîc attentionem requiro. Quęro enim, pridie illius diei, quo Iuſtinianus illã cõſtitutionẽ edidit, ſi caſus tuliſſet vt patronus aliquis ius ſibi in Centenarij liberti

berti ſui bonis lege Papia tributum perſequeretur: ecquam aliam rationem in illa Papiæ legis ſumma conficienda ſeruari oportuiſſet, qoàm per mille aureos, qui etiam poſt editam illam conſtitutionem vſum atque auctoritatem obtinuerunt? quorum denique paſſim in Codice & Nouellis Iuſtiniani mentio fit. Vna igitur nox nobis hoc noui Iuſtinianici iuris attulit, vt quæ ſumma pridie mille aureis æſtimabatur; eadem poſtridie centum duntaxat eiuſdem generis aureis æſtimaretur. Ecquænam ergo vel Budæi, vel Hotomani culpa eſſe potuit, ſi eius Græcæ Conſtitutionis nouæ, inſolentis, inuſitatæ, præcipitis ſententiam ignorarunt, quam his quingentis annis nemo in Occidente viderat? At Iuris noſtri regula eſt, vt facti ignorantia iuſtam excuſationem habeat. Sed hic hominum quorundam morbus eſt, vt video, inſanabilis, vt ſemper aliquem laceſſant, mordeant, ubſtringillent. Verùm ad alia properandũ eſt. Perſului primæ criminationi. venio ad ſecundam.

Nam quod ait Africanum in l. liberto, D. de bõ. libert. loqui de centum aureis, in eo mendacium deprehendimus: quia libertum die legati cedente ampliorem habuiſſe rem centum, hoc tantùm Africanus ait, qui vtique cẽtum HS. millia intelligebat, vt & ille paulo antè fatetur in §. poſtea. Hæc ait verò Iuſtinianus centum aureos.

Non ſatis hæc ſibi conſtare videtur Obſeruatio. Nam cùm toties antehac incolcarit, nullum in corpore Iuſtiniani ſeſtertiariæ rationi locum relictum eſſe: nunc contendit; Africani legem hanc non per aureos, ſed per illam ſeſtertiariam rationem interpretandam eſſe. At ego ex contrario contendo, Africanum quidem in illa lege ſcribenda rationem ſeſtertiariam ſecutum fuiſſe: ſed iam propter Iuſtiniani conſtitutionem, ad quam illa lex Triboniani artificio accommodata eſt, per aureos interpretandam eſſe, hoc modo: Libertum, cui octinginta aureos habenti fundus aureorum quadraginta legatus eſt, ſi die legati cedente deceſſit, videri mortis tempore ampliorem habuiſſe rem centum aureis, quia ſicuti legatum ſub conditione, conditione exiſtente, ipſo iure legatario acquiritur, l. vl, C. quando dies le. ced. l. cùm pater, 77. §. ſurdo. D. de legat. 2. l. ſi fundum, 81. §. ſi Titius. D. de legat. 1. ita legatum alicui cùm morietur, ei morienti acquiritur, atq; in ipſius hęredẽ, imò etiã in poſthumũ tranſmittitur. l. 4. & l. huiuſmodi, 13. quãdo dies leg. l. ſi in perſona, 11. C. de fideic. Iudicent nunc graues & eruditi homines, quo pudore mihi mẽdacium in re tam clara ac tam aperta obiiciatur.

Et quòd prætendit locũ Dionis, quo aureus XXV. drachmis æſtimatur, in eo verè cæcam caliginem: quia de Attico aureo ſe loqui, non de Romano, Dio apertè demonſtrat: de quo etiam Zonaras, & Heſychius, & aurei Attici multò minor æſtimatio.

Vter noſtrûm cæcutiat, auctorum iſtorum trium docebit oratio. Nam Dionis quidem lib. 55. hæc verba ſunt. χρυσοῦν γὰρ δὴ καὶ ἐγὼ τὸ νόμισμα τὸ τὰς πέντε καὶ εἴκοσι δραχμὰς δυνάμενον, κατὰ τὸ ἐπιχώριον ὀνομάζω, καὶ τῶν Ἑλλήνων δέ τινες, ὧν τὰ βιβλία ἐπὶ τοῦ ἀττικίζειν, ἀναγινώσκομεν, οὕτως αὐτὸ ἐκάλεσαν. id eſt: Aureum ego quoque ex regionis noſtræ conſuetudine appello numum, qui quinque & viginti drachmis valet. in quo Græcos quoſdam auctores habeo, quorum libros

A quòd Attico dicendi genere ſcripti ſunt, legimus. Loquitur Dio de Auguſto, qui ad palatij incenſi refectionem aureum à populis, drachmã à priuatis accipiebat. Hìc primùm quæro, cur Auguſtus Romæ Atticos potiùs, quàm Romanos aureos exegiſſet? quæro præterea, Si Atticos exigebat, cur Dio tam disertè adſcribat, ſe aureum, quem Auguſtus accipiebat, eum intelligere, qui quinque & viginti drachmis permutabatur? quantum ſcilicet apud Græcos Ro-
B manus aureus valebat, cùm Atticus viginti tantùm drachmis permutaretur? Scitum eſt illud Tertulliani aduerſus gentes, Cæcitatis duæ ſpecies facilè concurrunt: vt qui non vident quæ ſunt, videre videantur quæ non ſunt. Sed Zonaram audiamus, qui hanc noſtram controuerſiã vno verbo decidit: δύνανται δὲ παρὰ ῥωμαίοις αἱ εἴκοσι καὶ πέντε δραχμαὶ χρυσοῦν νόμισμα ἕν. παρὰ δὲ τοῖς Ἕλλησιν εἴκοσι δραχμῶν, ὥς Δίων φησί, τὸ χρυσοῦν ἀλλάττεται νόμισμα. Valent, inquit, apud Ro-
C manos quinque & viginti drachmæ numum aureũ vnum: apud Græcos autem viginti drachmis (vt Dio ſcribit) aureus vnus permutatur. Quid planiùs vel ad noſtræ ſententiæ confirmationem, vel ad nouæ iſtius opinionis refutationẽ afferri potuit? Nam Heſychius de ſolo Attico loquitur. Πολέμαρχος φησὶ δύνασθαι τὸν χρυσοῦν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς δραχμὰς δύο. τὴν δὲ τοῦ χρυσοῦ δραχμὴν, νομίσματος ἀργυρίου δραχμὰς δέκα. Polemarchus, inquit, dicit aurenm valere apud Athe-
D nienſes drachmas duas. drachmam auri decem argenteorũ numorum drachmas. Perſpicuum eſt igitur, & Dionem disertè de aureo Romano locutũ (quod hic Lynceus negabat) & eundem in aureo centenos ſeſtertios numeraſſe, ſiue (quod idem eſſe conſtat) denarios vicenos quinos: quã æſtimationem contendo, Iuriſcõſultos omnes noſtros ſemper arctè diligentérque ſeruaſſe. Cõmodè igitur de hoc genere hominum cæcitatem aliis exprobantium, Horatianum illud v-
E ſurpabimus.

Cùm tua prauideas oculis malè lippus inunctis;
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?

Sed Catullus aptiſſimè reſpondet, quia

Suus cuique attributus eſt error.
Sed non videmus, mantica quod in tergo eſt.

Et quod de aureo ab Othone viritim diuiſo cohorti prætoria, quoties Galbam conuiuio excipiebat, ſiue centenis ſeſtertiis ex Suetonio & Tacito;
F *in eo etiam duritiam prodit oris ſui, quia non ſeſterties dixit Tacitus, nec Turnebus, ex quo ille eorum locorum collationem ſumſit, ſed numos.*

Stultus, mendax, cæcus, caliginoſus, os durũ: Tantum hìc mihi tribui video; quantum ego nec agnoſco, nec poſtulo. Quòd ſi iam pro meo iure par pari reſpondere vellem, muliercularum hæc diceretur eſſe concertatio, non eorum hominum qui per tot annos Iuriſprudentiam profeſſi ſunt: quorúmque & ætatem & profeſſionem grauitas & moderatio decuit, ne fortè vul-
G gus Ennianum illud de nobis vſurpet:

Haud doctis dictis certantes, ſed maledictis;
Miſcent inter ſeſe inimicitias agitantes.

Primum omnium hoc reſpondeo, Turnebum nihil vnquam hac de re ſcripſiſſe, nullum vſquam in tam ſpiſſo Turnebi Aduerſariorum volumine collationis illorum locorum veſtigium extare, quantum mihi intenti in omb

ne: oartes oculis perluſtrare licuit. De Commentario in libros Ciceronis de Legib.idē affirmo:neque vllorum mihi aliorū pręſtātis illius viri ac mei quondam præceproris ſcriptorum copia fuit. Budæo, Budæo, inquam, prima collationis iſtius laus debetur: quam tamen & à Portio, & ab Agricola, & ab Alciato, & ab aliis, quibus æquè vt Budæo in promptu erat, vſurpatam, ſi nos quoque ad noſtrum inſtitutum accommodauimus, in quo culpa hærebit, vtri noſtrûm oris duritia iure obiici poterit? Primus Budæus ex Iuuenalis & Martialis verſibus maximæ dotia modum eſſe docuerat, decies ſeſtertiûm. Hanc illius obſeruationem homo iracundus ſibi ſub Nouella xaii. ſuppreſſo Budæi nomine tribuit. Sed hæc aliud in tempus differemus. Tacitus, inquit, non expreſſe dixit SESTERTIOS, ſed dixit NVMOS. Quid? Dubiúmne cuiquam eſt, quin Numi nomine veteres plerumque ſeſtertium deſignarint? At pleni ſunt huius admonitionis libri Budæi, Portij, Agricolæ: ſi quærimus, etiam Victorij, Manutij, Lambini, Lipſij, Torrentij, & aliorum omnium qui eruditos iſtos calculos attigerunt. Itaque qua in re Vatro Numos dixit, in eadem Plinius Seſtertios vſurpauit. Ille Ruſt.3.cap.6. Ex pauonibus M. Aufidius Lurco ſexaginta millia numûm in anno dicitur capere. Hic lib.10.cap.20. Saginare pauones primus inſtituit M. Aufidius Lurco, éxque eo quæſtu reditus ſeſtertiûm ſexagena millia habuit. Tacitus annnal.13. Pretiúmque frumenti vſque ad ternos numos. Cic. 10 frumentaria: Eſt enim modius, lege, ſeſterriis ternis æſtimatus. Sed exemplorum plena ſunt omnia. Turnebus, inquit, non dixit Tacitum ſcripſiſſe, ſeſtertios. At dixit Budæus, haud paulò quàm Turnebua hoc in genere præſtantior. Nam libr. de aſſe 2. pag. Lugd. 147. Nunc, inquit, centum ſeſtertios vno aureo valuiſſe docebo. Tranquillus in Othone, Aureos excubanti cohorti viritim diuidebat. Plutarchus in eodem χρυσοῦν ἑκάστῳ διανέμων: id eſt, Aureum ſingulis diſtribuens. Tacitua de eodem lib. xvii. Quoties Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos numos diuideret. Hæc Budæus. Ex quibus intelligitur, quos Tacitus dixit Numos, eoſdem Budæum Seſtertios appellaſſe: eadémque opera demonſtraſſe, Seſtertium non milleſimam (vt hic Ratiocinator putauit) ſed centeſimam tantùm aurei partem fuiſſe. Pari ergo ratione dicimus, quam ſummam Vlpianus extulit per centum aureos, cùm hoc aduocationis honorarium eſſe dixit: l. 1. De extraord. cognit. eandem a Tacito per decem ſeſtertiûm millia expreſſam fuiſſe. lib. Annal. 10. à Plinio verò per ſex millia ſeſtertiûm, & mille denarios lib. Epiſt. 4. quæ duæ ſummæ ſuperioribus illis exactiſſimè reſpondent: quia mille denarij quattuor ſeſtertiûm millia conficiunt. Quocirca in l. quæ extrinſecus. 65. D. de verb. obligat. nullum adhiberi melius exemplum poteſt, quàm eius qui ducentos quinquaginta denarios, ſiue (quod idem eſt) quingentos Victoriatos, vel mille ſeſtertios ſtipulanti decem aureos promiſit, atq; vt ſtudioſi adoleſcentes intelligant, temerè me laceſſitum eſſe, & eruditos omnes qui antehac de re numaria ſcripſerunt, in eadem qua ego ſum opinione fuiſſe, verba Ant. Auguſtini proferam ex ipſius emendat. lib. 2. cap. 9. Duo, inquit, aureorum numorum genera Budæus & Alciatus conſtituunt, quorū neutro hodiè vtamur. Et Digeſtorum aureos ab Inſtitutionibus & Cōſtitutionibus Iuſtiniani ſeparant: eo argumento vſi, quòd Tacitus dena ſeſtertia cauſarum patrono mercedis nomine permiſſa ſcribat. Vlpianus centenos aureos. cúmque fiat ea ratione vt ſeſtertium aureis decem æſtimetur, idque ſit mille ſeſtertiorum: conſequens eſt, aureum Vlpiani tempore centum ſeſtertiis mutatum. Hæc Ant. Auguſtinus: rectiſſimè. nam aurei, quorum in Pandectis mentio fit, multò grauiores iis fuerunt, qui in Iuſtiniani & aliquot ſuperiorū Impp. conſtitutionibus nominantur. quemadmodū in li. de Re numar. copioſe docuimus. Quantum autem ad ſeſtertiariam noſtram diſputationem attinet, ſumma huc redit, de qua eruditis omnibus iudiciū permitto. Sententia iſtius obſeruationis hæc eſt, aureum illum vtrunque, tam veterem quàm recentiorem, tam ante Iuſtinianum quam poſt Iuſtinianum, mille ſeſtertiis valuiſſe. Mea vero hæc eſt, Nullum vnquam tempus neque ante Iuſtinianum, neque Iuſtiniano imperante, neque poſt Iuſtinianum fuiſſe, quo mille ſeſtertiis aureus æſtimaretur: aureum (vt Alciatus loquitur) Digeſtorum ſemper centum ſeſtertiis conſtitiſſe: recentiorem verò, ſiue Iuſtinianicum, nunquam ſeſtertiaria ratione æſtimatum fuiſſe.

Et centenos numos apud Tacitum licet interpretari centena ſeſtertia, quæ eſt æſtimatio aurei Iuſtinianici, non ſeſtertios.

Vulgatis hæc opinio eſt, de qua iam antè diximus, numum apud Romanos fuiſſe, qui neutro genere Seſtertium appellabatur, & centum minoribus ſeſtertiis valebat. Eius ſententiæ auctores fuerunt Beroaldus, Sabellicus Portius, quos alii innumerabiles ſecuti ſunt: in his Ant. Auguſt. vir doctiſſimus, qui locum illum Inſtitutionum hoc eodem modo de maioribus (vt ipſi loquuntur) ſeſtertiis iampridem interpretatus eſt, non de minoribus. Sed hunc errorem propediem, vt dixi, Deo volente tollemus. Interea vnum hoc monebimus, vbi vel tandem illum numum, neutrius generis ſeſtertium (quod Karoleis Pariſinis mille: Talleris Germanicis propè quatuor & triginta valere oportuiſſet) & quod ego fabuloſum ac poeticum (vt eſt) appellare ſoleo, mihi è flauiſſis erutum aliquis oſtenderit, tum æquo me animo manus daturum, & de priſtina ſententia deſtitutum. Sed alia poëtarum, alia oratorum plerunque ſermonis conſuetudo eſt. Quòd ſi Taciti de numis verba de poeticis illis ſeſtertiis acciperemus, permagnum hoc incommodum ſequeretur, vt pari ratione aureum (de quo Suetonius loquitur) de mille ſeſtertiis minoribus, (ſiue, quod idem eſt) de cētum ſeſtertiis maioribus accipi oporteret: quod ſanè perquam abſurdum eſt, neque vnquam cuique bene de mente conſtituto in mentem venit.

Numorum enim nomen generale eſt, nec alia re Seſtertio addi ſolet Nummo, quàm quod eius appellatio patet latiſſimè.

Videtur præpoſtera concluſio: Quia numus ampliſſimum nomen eſt, idcirco ad reſtringendam vocem, Seſtertio, addi ſolet Numo. Diaiſſet

ſet potiùs, Iccirco ad reſtringendam vocem Numo, addi ſolet Seſtertio. Sed vtrocunque modo, neutrum iſtorum verum eſt. Nam veteres quatuor modis illa duo verba vſurpabant. interdum enim ſimpliciter dicebant Numo, interdum ſimpliciter Seſtertio, interdum coniunctè, modò Seſtertio numo, modò Numo ſeſtertio. Quarum rerum exempla, quoniam ſatis multa in libium de re numaria contulimus, nihil attinet hoc loco proponere. Tantùm igitur hoc addemus, ſexcentis ex locis veterum auctorum intelligi, Romæ loquendi conſuetudinem ita tuliſſe, vt in diſtinctâ numorum appellatione, ſeſtertij intelligerentur. Id quod ſtudioſis adoleſcentibus prodeſſe poterit ad intelligendam illam iuris Regulam, qua dicimus, Numis indiſtinctè legatis, exiguiores deberi, niſi regionis conſuetudo refragetur. l. ſi ſeruus. 50. §. vlt. de legat. 1. l. numis 75. de legat. 3. Nam cui Romæ centum Numi legati fuerant, ei non centum minutulis libellis, aut ſembellis, aut teruntiis, non centum aſſibus, aut ſemiſſibus, aut quadrantibus, aut ſextulis numerandu ſatisfiebat: ſed ex regionis & ciuium R. conſuetudine, centum ſeſtertiis duntaxat:

Vt l. vlt. C. de donat. Seſtertij numi vnius, aſſium quatuor, qua verba erunt donationis cauſa rem mancipio addicemis Seſtertio numo vno, aſſium quatuor: vt interpres Βασιλικῶν rectiſſimè interpretatus eſt: quis, vt prater Plinium & Vitruuium Mœtianus docuit: Seſtertius, qui primùm erat duorum aſſium & ſemis, pòſt cœpit eſſe quatuor. Et in donationibus verba illa Seſtertio nummo vno, aſſium quatuor. ideo in d. l. vt ſuperflua dicit eſſe Iuſtinianus, quòd ſolennitas illa per as & libram, & ratio ſeſtertiaria in vſu eſſe deſuiſſet: denique, re ſublata, etiam verba rem exprimentia in vſu frequentari haud quaquam eſſe conuenient.

Sanè ne hoc quidem aſſequi coniectura poſſum: Quoniam appellatio Numi latior eſt, iccirco in formula mancipationis ad legem Cinciam accommodata, priore loco verbum SESTERTIO poſitum fuiſſe, poſteriore NVMO. Quid enim ſi ordine inuerſo ſcriptum fuiſſet Numo ſeſtertio vno? aliquidne tandem interfuiſſet? At Cicero in ea pro Poſtumo ſic locutus eſt: Ecquis eſt ex tanto populo, qui bona C. Rabirij numo ſeſtertio ſibi addici velit? Et mox, Tuáne, Poſtume, numo ſeſtertio à me addicuntur? Itémque Vitruuius lib. 1. cap. 4. Numóque ſeſtertio ſingulis municip. mancipio dedit. Cato Ruſt. 14. Pretium in tegulas ſingulas N. S. cùm tamen alibi ponat S. ante N. veluti c. 144. Qui deportarit, in ſingulas deportationes S S. N. II. item c. ſeq. Si ſumpſerit, in ſingulas ſumptione SS. N. XL. Cur autem addita illa verba ſint, ASSIVM QVATVOR, cauſam requiro: neque alienum erit, hac quoque in re diſcentium ſtudia ſubleuare. An (quod præter Plinium & Vitruuium Mœtianus docuit) quia ſeſtertius, qui primùm erat duorum aſſium & ſemis, pòſt cœpit eſſe quatuor? Simpliciter probari hoc non poteſt: primùm, quoniam hac ratione ſemper gloſſam illam in omnibus eiuſdemodi mancipationibus imaginariis, quæ numo vno fiebant, adhiberi oportuiſſet: quod non factum fuiſſe cóſtat. deinde ſi in ſeſtertio pronunciando addenda iſtius generis gloſſa fuiſſet, addi eandem etiam in denario & quinario oportuiſſet: quoniam illius pretium æquè à decem ad ſedecim, huius à quinque ad octo excreuerat, vt ſeſtertij à duobus ſemis ad quatuor: quemadmodum præter illos auctores Chariſius & Priſcianus teſtantur. At ne hoc quidem vnquam factum fuiſſe conſtat. Potiùs igitur dicendum erat, (ſiquidem illa duorum verborum adiectio formulæ pars vera fuit) iccirco in vſurpanda legis Cinciæ actione additam illam adiectionem fuiſſe, quoniam rogationis illius tempore recens erat illius mutationis & amplificati pretij memoria. Mutationem enim anno vrbis DXXX. Q. Fabio dictatore factam, Plinius tradit. Lex autem Cincia XIX. poſt annis, Tuditano, Cethego Coſs. anno Vrbis DXLIX. lata eſt. Venit quidem mihi aliquando in mentem, gloſſam illam interpretis cuiuſdam eruditi hominis fuiſſe, non partem formulæ à Iuriſconſulto ad legem Cinciam accommodatæ: primùm, quoniam hæ duæ particulæ ID EST, in Iuſtiniani libris omnibus leguntur, vt facilè intelligatur, ſcriptum olim hoc modo fuiſſe, SESTERTIO NVMO, id eſt aſſibus quatuor. deinde, quoniam in eiuſmodi venditionibus imaginariis flocci non erat, vtrum vetus ille ſeſtertius duorum aſſium & ſemis, an alter quatuor aſſium adhiberetur. Poſtremò, quia cùm olim ſatis diligens Formularum antiquarum obſeruator fuerim (cuius rei libellus meus tot antè annis editus argumento eſſe poteſt) tamen non commemini vllas iſtiuſmodi gloſſas in formulis ſolennibus interponi ſolitas fuiſſe. Sed hac de re tantiſper aſſenſionem ſuſtinebo, dum vir clariſſimus, ac planè polyhiſtor B. Briſſonius ſuum ea de re iudicium interpoſuerit. cuius hanc propriam eſſe notionem, eruditi omnes, inſpecto illo inſigni Formularum volumine, vno ore conſentiunt. Vnum hoc interea ſubiungam, in illis imaginariis venditionibus non ſemper veteres vſos ſeſtertio numo fuiſſe, ſed in terdum alio quopiam minuti numi genere, veluti ſemuncia: vt cùm Aſconius ſcribit, bona Milonis in exilium profecti ſemuncia veniſſe: quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, ſeſtertio. quanquam quid verbis opus eſt? Nam quod Valerius lib. 8. cap. 2. dixit, C. Marium iudicem ſumptum mulierem impudicitiæ ream ſeſtertio numo damnaſſe, Plutarchus eadem de re commemorans in eius vita dixit, quatuor aſſibus. χαλκοῖς τέσσαρσι προστιμήσαι.

Ad confirmandam Iuſtinianam aurei æſtimationem etiam facit plurimùm Nouella Theodoſij de pretio ſolidi. ſi modò bona fide agnoſcimus, vocem Seſtertium in ea degeneraſſe in SEPTEM, & hoc velle Theodoſium, vt aureos acceptos à numulario ſeſtertium millibus ducentis, non expendat quis ſeſtertium millibus duntaxat, ſed eo quo acceperat pretio, eadémque quantitate. num ecquis vnquam audiuit aureum æſtimari ſeptem millibus?

Locus hic de alterutrius noſtrûm vel cæcitate vel lippitudine diiudicabit. Nam in Theodoſij Nouella ita ſcriptum extat: Ne vnquam intra ſeptem millia numorum ſolidus diſtrahatur, emptus è collectario ſeptem millibus ducentis. Hanc Nouellam è tenebris in lucem edidit P. Pithœus, vir cùm ingenio, tum etiam doctrina excellens. Eum ego vel ſolum, vel ſi volet, v-

nà cum Franciſco fratre pari ingenij elegantia prædito iudicem fero, num illa verba, Solidus emptus è collectario ſeſtertiûm millib. ducentis nunquam intra ſeſtertiûm millia numorum diſtrahatur: hanc ferre interpretationem poſſint, Solidi accepti à numulario ſeſtertiûm millibus ducentis, non expendantur ſeſtertiûm millibus duntaxat, ſed eo quo accepti ſunt pretio: Fœnum eſſe oportet, qui talem interpretationem ferat. Neque enim Theodoſius vſus eſt numero multitudinis, vt infinitè diceret, Solidi: ſed numero ſingulari, Solidus. Deinde non indefinitam ſolidorum ſummam reliquit, vt diceret, Solidi quotquot erunt empti, tanti diſtrahantur, quanti aceruatim coëmpti fuerint. Sed, ſicuti Rubricæ ratio flagitabat, ita ſingularis ſolidi pretium taxauit. Præterea quid hoc verbi eſt, Solidum accipi ſeſtertiûm millibos ducentis? At idem continuò poſt ex ſeipſo percontatur, quis vnquam audierit ſolidum æſtimari ſeptem millibus ducentis? Imò verò dicamus, Quis vnquam audiuit ſingulis millibus? Omitto quod iam antè ſæpenumero dictum eſt, nullum Theodoſij ætate ſeſtertiorum vſum, nullam mentionem, niſi quaſi de veteri & obſoleto numiſmate, fuiſſe. Videamus iam ecquid nos cæci & caliginoſi perſpicere in iſtis tenebris poſſimus. Veriſimilius enim nobis videtur, verbum MILIARISIA degeneraſſe in MILLIA, & locum ita ſcriptum olim fuiſſe: Ne vnquam intra VIII. mil. numerum ſolidus diſtrahatur, emptus è collectario VII mil. & c c. Quas notas ſic interpretor, Ne vnquam intra octo miliariſiorum numerum ſolidus diſtrahatur, emptus è collectario ſeptem miliariſiis, & duobus ceratiis. Meam autem coniecturam ſic interpretor. Miliariſium fuit numus argenteus, vt apparet ex Nouell. 105. c. 2. §. 1. Id duobus ceratiis (quod alterum numi genus fuit) conſtabat: vt Cedrenus apertè oſtendit. Ceratium autem Iſidori ratione, ſiliqua vna & ſemis valebat: quanquam alij vna tantùm æſtimeot. Quare cùm aureus quatuor & viginti ſiliquis conſtaret, vti patet ex Nouell. 32. tres autem ſiliquæ miliariſium explerent, ſequitur in aureo ceratia ſedecim, miliariſia autem octo fuiſſe: Cedreni quidem, vel potius Leonis illius Imp. Græci tempore: de quo Cedrenus commemorans, ſcribit eum tributum Byzantinis ciuibus imperaſſe binorum ceratiorum in aureos ſingulos, ad mœnia vrbis reparanda, quæ terræmotu corruerant. καὶ τοῦ δεῖν ἀπεκράτησεν ἡ συνήθεια, παρέχειν τὰ δικέρατα τοῖς διοικηταῖς. Κεράτια δὲ αἱ ιβʹ φόλεις ὠνομάζοντο. Ex illo, inquit, inſtituto conſuetudo inualuit, vt bina ceratia exceptoribus tributorum pēderentur. Ceratia autem folles duodecim dicebantur. Paulò antè autem pro duobus ceratiis dixerat, κατὰ νόμισμα μιλιαρίσιον ἕν. Quam eandem hiſtoriam Zonaras commemorans pro binis ceratiis dixit folles quatuor & viginti. φόλεις (ſic legendum apparet, non φόλος) εἴκοσι καὶ τέσσαρας ἐφ' ἑκάστῳ νομίσματι. quæ ſumma par eadémq; eſt omnino, vt ex illis Cedreni verbis perſpicitur. Ponamus nūc genus idē fuiſſe tributi ſub Theodoſio: neque enim verum eſt, primum illius auctorem fuiſſe Leonem illum: cùm idem Zonaras illud idem inſtitutum Imperatori Nicephoro poſterius attribuat, vbi ſcribit illum officiales creaſſe, ἀπαιτεῖσθαι ἐπὶ τῷ νομίσματι δύο κεράτια. ſed & Cedrenus antiquum illud fuiſſe tributi genus agnoſcit. quinetiā edictum quoddā Theod. & Valent. fuit, vt nundinis ex omnium terū venditione ſiliquæ ſingulæ in ſingulos aureos fiſco præſtarentur. Nunc vt huius coniecturæ noſtræ ſummam conficiamus, cùm Theodoſij tempore aureus octo miliariſiis permutaretur, Collectores autē & Numularij vnum pro collybo ſiue tributo illo detraherent: Theodoſius hac Nouella edicit, ne poſt illam detractionē à ſuis collectariis factam liceat cuiquam priuato quicquā inſuper exigere. cuius conſtitutionis planè conſimilem videmus in legibus VViſigothorum lib. 7. §. vlt. Neq. mouere nos debet quod Suidas miliariſiū interpretatur τὸ τοῦ νομίσματος δέκατον. nā, vt iampridem apertè oſtendi, aureorum pretia ſæpenumero pro Principum arbitrio variari ſolebant. cuius rei præter alia quæ ſuperius protuli, teſtimonio illud ſit quod Zonaras tom. 2. & Cedren[us] ſcribunt, Nicephorum Phocam conſtituiſſe, vt cùm antea numi omnes Imperatoris alicuius imagine formati, ſiquidem paris eiuſdémque eſſent pōderis, paris eiuſdémque poteſtatis eſſent, deinceps qui ſuo vultu inſigniti eſſent, pretio maiori permutarentur: nimirum, vt, mercatorib. illos ſolos numos expetentibus, magnos quæſtus ex permutationis lucro faceret. Cùm hæc ſcripſiſſem, animaduerti conſimiles errores aliquot in Nouella Conſtantini quinta, De fug. mancipiorum in lib. Baſilic. quem ſumma ſua cū laude amicus noſter Ioannes Leunclauius vir doctiſſimus in lucem protulit: qui eius quoque mendi Lectores in libri margine admonuit. nam ſex ſeptémve locis μίλια pro μιλιαρίσια ſcriptum eſt. vnde meam coniecturam non mediocriter confirmatam puto.

His quod addam nihil habeo, quam rationem ad ſeſtertium longè vetuſtiorem fuiſſe rationem ad aſſem: quod indicat lex XII *tabularum de arboribus furtim excisis, & de iniuriis quæ viginti quinque æris pœnam irrogat, & illa de iniuriis: Si iniuriam alteri faxit,* XXV *æris pœna ſunto, quæ verba in vtraque lege ſignificant* XXV *aſſes, Gellio & Feſto auctoribus.*

Non ſatis perſpicio huius obſeruationis acumen, Cognoſci ex XII tabulis rationem ad ſeſtertium poſteriorem fuiſſe ratione ad aſſem. Nam quomodo legum illarum tempore duci rationes ad ſeſtertium potuiſſent, cùm adhuc nullus eſſet ſeſtertius? Fuit enim (vt notum eſt omnibus) celeberrimus ille ſeſtertius numus argenteus. At quo tempore leges XII tab. ſcriptę ſunt, nulla dum argentea Romæ percuſſa erat pecunia. ſolum æs graue in vſu erat. Itaque Agellius 20. cap. 1. de illa iniuriarum pœna aſſium quinq. & viginti commemorans, Non omnes omninò (inquit) iniurias iſto pauco ære diluerunt: tametſi hæc ipſa paucitas aſſium, graue pondus æris fuit. nam librariis aſſibus ea tempeſtate populus vſus eſt. Plin. 33. cap. 3. Populus Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum regem deuictum vſus ſt. Libralis appendebatur aſſis. Et hoc idem Florus confirmat Epitom. XV. Itémque Zonaras tom. 2. Nam quod vulgò ex Eutropio profertur, adulterinum eſt.

Poſtea auctis ciuium Romanorum facultatibus, à iuris auctoribus commutata eſt, pro aſſibus ſubſtitutis ſe-

tis sestertiis, & à Paulo hoc modo concepta libro singulari de iniuriis, Qui iniuriam alteri faxit, quinque & viginti sestertiorum pœnam subito. nec enim auctores verba XII tab. custodiuè eadem omnino seruare, & in eorum conceptione inter se consentire vsque semper, leges de testamentis, & de intestatorum hereditatibus testimonio sunt, quæ non eodem modo ab omnibus proferuntur.

Hoc verò nunc primùm audio, licuisse Iurisconsultis pœnam lege aliqua constitutam arbitrio suo interpolare: & pro æraria pœna, argenteam supponere. Aliquem igitur historiæ istius nouæ proferri auctorem oportuit. Nam Iustinianus quidem ei perspicuè aduersatur. Lege XII. tab. (inquit) pœnæ numariæ propter os fractum erant constitutæ, quasi in magna veterum paupertate: sed postea Prætores iniuriam passis litis æstimationem permiserunt. Quo loco nulla de pœna æraria in sestertiariam commutata mentio interponitur. Similiter Labeo apud Agellium, vbi veteris ærariæ pœnæ leuitatem in desuetudinem abiisse dixit, & de Nigidij lasciuia commemorauit, qui in singulas depalmationes vicenos quinos asses continuò numerabat: Propterea (inquit) Prætores iniuriis æstimandis Recuperatores se daturos edixerunt. Sed de argento ære mutato vox apud illum nulla. Quinetiam ridiculè mihi Iurisconsulti nostri facturi fuisse videntur, si ciuium R. opibus vsque adeò in immēsum auctis existimassent, pœnæ loco habitam fuisse, viginti quinque sestertiorum summam: id est, vt Budæus noster ratiocinatus est, quinque & viginti Karoleorum Parisinorum. Quàm multi enim reperti Nigidii fuissent, qui cùm obuium quemque depalmassent, illicò viginti quinque sestertios adnumerari iussissent? At Iurisconsulti (inquit) non custoditè legis verba seruant. Itaque legum quarūdam verba aliter atque aliter commemorant. Sed non eadem Iureconsultis in pœna legitima commemoranda, quæ in legis sententia summatim exponenda libertas fuit. Videamus Pauli verba, vti à P. Pithœo, viro de nostris literis optimè merito, prodita sunt. Iniuriarum actio legitima (inquit) ex lege XII. tab. qui iniuriam alteri faxit, quinque & viginti sestertiorum pœna subit: quæ lex generalis fuit. Libero trecentos, seruo CL. pœnam subito sestertiorum. Hæc Pauli verba deprauata & contaminata esse, nemo non videt. Ea pro suo quisque arbitrio emendabit. Ego ex Agellij auctoritate corrigenda sic censeo: Iniuriarum actio legitima est ex lege XII. tab. qua, qui iniuriam alteri fecit, quinque & viginti æris pœnam subit. Quæ lex generalis non fuit. Nam qui os fregit, si libero, trecentorum: si seruo, centum quinquaginta assium pœnam subit. Notarum scilicet ignorantia menda illa peperit; cùm librarij L. pro HS. vicissimque hanc pro illa sumpsissent: neque vllus error frequentius apud Plinium & alios auctores, quàm hic ex notarum ignoratione occurrit.

Illa autem lex de iniuriis, vt idem Paulus subiicit eodem loco, generalis fuit: quia nōn distinxit cui iniuria fieret, libero, an seruo, aut peregrino: sed dixit generaliter Alteri, nimirum ad differentiam alterius de osse fracto: quia non modò libero, sed etiam seruo facta iniuria vindicabatur, vt Gellius scribit, aliò modo quàm talione, aut viginti quinq. assibus, & ex ea opinor esse, hæc quæ ex eodem libro Pauli restant verba: Libero CCC. seruo CL. sestertiorum pœnam subito: sed interpolata, æquè vt superiore, pro assibus repositis sestertiis. Namq. vetus ita ferè videtur concepta: Si os fregit, vel aliam atrocem iniuriam faxit, libero CCC. seruo CL. æris pœna sunto.

Imò lex illa de iniuriis, qua XXV. assium pœna cōstituebatur, generalis non fuit. qua de caussa particulam NON in illis verbis interposui: quia non generaliter ad quamuis iniuriæ speciem pertinuit, sed tantùm ad eam, quæ fiebat verbis, pulsatione, scriptura, indignitate, infamia. §. 2. Inst. eod. l. 5. & passim. D. eod. ad membrum ruptum, aut os fractum non pertinuit: sed illa grauior talionis, ob membrum ruptum: ducentorum quinquaginta aut trecentorum assium, propter os fractum. Generalis, inquam, verbum, refero ad varias iniuriarum species: sicuti sub eodem tit. Generale edictum referri video à Iurisconsultis in l. item apud 10. §. ait Prætor, 20. & §. sequent. D. eod. eámque nobis interpretationem Agellius quasi intento digito demonstrat, cùm ita loquitur: Quòd iniurias factas quinque & viginti assibus sanxerunt, non omnino omnes iniurias isto pauco ære diluerunt: sed iniurias atrociores, vt de osse fracto, non liberis modò, verumetiam seruis factas impensiore damno vindicarunt: quibusdam autem iniuriis talionem quoque apposuerunt. Hæc Agellius, vbi verbum OMNINO apertissimè posuit pro Generaliter. At in hac Obseruatione verbum Generalis refertur ad varia personarum genera: quod probari nemini erudito poterit: quia siue libero, siue seruo in contumeliam domini, siue patrifam. siue filio, siue viro, siue vxori facta esset iniuria, non dubium est, quin eadem viginti quinque assium pœna vindicaretur. Quod autem subiungit, Paulum tribus locis interpolasse legem XII. tabul. & tribus illis locis pro ASSIBVS ausum esse supponere SESTERTIOS: hoc verò non credo vel Brissonio, vel Fabro, vel Puteano, vel Pythœis fratribus, vel cuiquam illorum, simili claro & magno viro probari posse. Præterea si Iurisconsulti sestertiariam pœnam pro æraria substituerunt, cuius tandem extat memoria temporis, quo lex illa sestertiaria, nouo more à Iurisconsultis lata, in vsu fuit? Addo etiam illud, si Iurisconsulti auctis in immensum ciuium R. opibus pœnas ærarias lege XII. tabul. constitutas in sestertiarias mutarunt, vtrum id in omnibus, an in quibusdam tantùm fecerunt? in quibusdam? non est credibile: quandoquidem par eadémque in vniuersis ratio mutationis subest, temporum scilicet illorum opulentia. in omnibus? ergo etiam in crimine arborum furtim cæsarum, cui parem XXV. assium pœnam illa lege constitutam fuisse, Plinius lib. 17. cap. 1. testatur. Cautum, inquit, XII. tabul. vt qui iniuria cæcidisset alienas arbores, lueret in singulas æris XXV. At neque Plinius de noua pœna sestertiaria verbum vllum facit, & qui ciuium Romanorum potētiam, simúlque illorum in arborum quarundam æstimatione insaniam in animum reuocarit, qualem Plinius, Valerius, & alij commemorant,

perridiculam illam vigintiquinque Karoleotum Pariſienſium pœnam fuiſſe facilè iudicabit. Ac pari ratione Vlpianus ſub tit. Reg. primo & penult. legem Furiam teſtamentariam commemorans, non dixiſſet, eam vetuiſſe, ne quis plus mille aſſium legatum caperet: ſed auctis in immenſum ciuium R. facultatibus, mille ſeſtertios ſubſtituiſſet. Cuius rei ne Magnum quidem illum Scaligerum, clarum in primis & præſtanti doctrina virum, iudicem recuſo. imò vero fretus illius æquitate in hac vniuerſa contentione noſtra, eo diſceptatore vti volo. Non ſum neſcius, multa me in iis, qui mihi adoleſcenti exciderunt, libris peccaſſe. Nemo adoleſcens ſcripſit, quin hoc ſenex factus ingenuè agnoſcat. ſed tamen inſtitutum hoc ſtudioſè tenui, ne quem omnino carperem, néue laceſſerem: quo mihi facilius veniam erranti datum iri ſperabam. Quæ quoniam me ſpes feſellit, dabitur à me opera, vt deinceps ea prodeant, quæ cùm hac ætate, tum hoc vſu digna eſſe videbuntur. Hippocrates clarus arte medicinæ (inquit Fabius) videtur honeſtiſſimè feciſſe, qui quoſdam errores ſuos, ne poſteri errarent, confeſſus eſt. Etenim ſuperuacuus foret in ſtudiis longior labor, ſi nihil liceret melius inuenire præteritis: vt idem eodem loco ſubiungit.

Et ſimili modo priores leges cibaria apud Gellium & Macrobium ſumptus finiunt ad rationem aſſium: poſteriores ad rationem ſeſtertiorum.

Nec mirum: cùm antiquarum legum tempore nondum (vt ſuperiùs diximus) Seſtertiorum nomen auditum eſſet. Verumenimuerò, an putamus, poſt ſeſtertios in vſum receptos, poſt argenteam, inquam, atque auream pecuniam ſignatam, nullas rationes confici ad aſſem ſolitas fuiſſe? At Liuius antiquitatis auctor eximius, quoties de muneribus ad Regum aut exterarum gentium legatos miſſis mentionem facit, ferè ad aſſes, non ad ſeſtertios rationem conficit. veluti lib. 37. Legatis à Ptolemæo & Cleopatra Regibus Ægypti miſſis, muneta dare iuſſit, in ſingulos quaterna millia æris. Idem, Maſiniſſæ legatis in ſingulos dona non minus quinûm millium: comitibus eorum millia æris Prætorem mittere iuſſum. Item lib. 43. Cretenſium legatis in ſingulos binûm millium æris munera miſſa. quæ ratio perſæpe ſeruata eſt: vt apparet ex lib. 42. 43. 44. Pari modo Cæſar libr. Ciuil. 3. cap. 11. vbi de Scæua Centurione loquitur: Quem Cæſar, inquit, vt erat de ſe meritus & de Rep. donauit ducentis millibus æris. Varro Ruſt. 1. cap. 12. Fundum illum vendas quot aſſibus poſſis, aut ſi nequiueris, relinquas. Denique, ſicuti ſuperius diximus, nihil intereſſe, vtrum ad aureos an ad ſeſtertios ratio conficiatur, quoniam eodem res redit: ita nihil interfuit, vtrum ad aſſem an ad ſeſtertium legum pœnæ conſtituerentur: tametſi poſt receptos in vſum ſeſtertios, potius & frequentius ad eorum quàm aſſium rationem conſtitutæ fuerint.

Vetus lex Furia teſtamentaria mille aſſium legatum prohibet capere, vt Vlpianus ſcribit libro Singulari Reg. perperam interpres Latinus Theophili, mille A *aureorum, cùm numûm ſcripſerit Theophilus, non aureorum. Numûm autem illo loco eſt aſſium: qui ſi ſint mille, æquant CCL. ſeſtertios. quartam ſcilicet partem mille ſeſtertiorum. Lex habuit mille aris, ſed auctore Varrone* VIII. *de ling. Lat. as pro aſſibus accepit, & quidem libralibus, vt ſupradicta leges* XII. *tab. de iniuriis & de arboribus iniuria caſis: rectiſſiméque Dionyſius* IX. *aſſem interpretatur eſſe χάλκινον νόμισμα βάρος λιτριαῖον.*

B Cautio & conſideratio diligens in iis potiſſimùm exquiritur, qui ſtudioſè alios coarguunt. Lex Furia non prohibet capere legatum mille aſſium, ſed plus quàm mille aſſium: quemadmodum expreſſè ab Vlpiano ſcriptum eſt. Cùm autem Theophilus poſuit χίλια νομίσματα, quo verbo ſemper vtitur pro aureis (vt ex omnibus Inſtitutionum locis apparet) non potuit Curtius, interpres Theophili doctiſſimus, aliter quàm de aureis interpretari: quia non magis Vlpiani C librum Regularum viderat, quàm ego Græcam Iuſtiniani Conſtitutionem de libertis centenariis: in qua ipſa ſemper νόμισμα pro aureo vſurpatur, ſicut in Iuſtiniani Nouellis, vbi Iulianus ſemper pro nomiſmate aureum interpretatur. Et eadem mente Suidas in illo, quem ſuperiùs protulimus, loco Miliariſium interpretatur τὸ τοῦ νομίσματος δέκατον, id eſt, aurei partem decimam. Neque quidquam ad legis Furiæ interpretationem pertinuit pueriliter calculos indu-D cere, & arguta ratiocinatione docere, mille aſſes reſpondere ſeſtertiis numis ducentis quinquaginta, ac proinde quartam eſſe partem mille ſeſtertiorum, vel quatuor millium aſſium. nam quorſum iſta puerilis computatio pertinet? præſertim cùm illa lex nihil de quarta bonorum ſanxerit. Sed vt ex tit. Vlp. Reg. penult. exiſtimare licet, videtur prohibuiſſe, ne cognatis manumiſſoris plus quàm mille aſſes manumiſſ. teſtamento capere liceret. cùm Manumiſſoris nomi-E ne non modò extraneum manumiſſorem ingenui, hoc eſt emtorem in emancipatione fiduciarium, ſed multo magis patronum intelligeret: quemadmodum in poſterioribus Inſtit. commentariis expoſuimus. Neque rurſus exiſtimandum, quoties de aſſium aliquo numero, & aliquot æris pœna mentionem fieri videmus, toties graues illos aſſes librales, qui quondam legis XII. tab. tempore in vſu fuerunt, & plauſtris interdum (vt Liuius ſcripſit) deportabantur, intelli-F gendos eſſe. Alioqui quantum illud Nigidij marſupium fuiſſe oporteret, ex quo cuique obuio, quem depalmauerat, viginti quinque aſſes, numerari iubebat? Mulo clitellario ad eam rem, non marſupio, vel loculis opus fuiſſet. Meminiſſe igitur oportet, quod Plinius tradidit, bello Punico, periculoſis Reip. temporibus, in ſumma ærarij inopia, ex grauibus aſſibus leues factos, paris tamen eiuſdémque poteſtatis: ſic vt non modò vnciales eſſent, ac proinde duodecim pro vno vale-G tent: ſed Papyria lege ſemunciales, hoc eſt, pro vno quatuor & viginti. Qua de re & aliis generis eiuſdem, quoniam in libro de Re numaria copioſè diſſeruimus, modum huic noſtræ placidæ & modeſtæ defenſioni imponemus.

VOLVSII METIANI IVRIS-CONSVLTI LIBER DE ASSE, ET EIVS PARTIBVS.

SÆPENVMERO, CENSOR, animaduerti ægrè ferentem te, quòd ASSIS diſtributionem & in heredum inſtitutione, & in aliis multis neceſſariam, ignotã haberes. Quæ ne tam exigua res ingenium tuum vllo modo moraretur, cùm partes ipſas, tum vocabula & notas proponenda exiſtimaui. Et deprehendes diſtributionem quidem partium infinitam, oppidò autem quàm exigua vocabula ac notas.

Prima diuiſio ſolidi, id eſt libræ, quod AS vocatur, in duas partes dimidias deducitur. Pars dimidia SEMIS vocatur. nota eius S. Sequens diuiſio fit in tres tertias partes. pars tertia TRIENS vocatur. nota eius ——— ———. Sequitur diuiſio in quatuor quartas partes. pars quarta QVADRANS vocatur. nota eius ———. Deinceps fit diuiſio in ſex ſextas partes: ſextæ partis nomen eſt SEXTANS cuius nota eſt ———. Deinde diuiditur in octo octauas, quæ SESCVNCIÆ vocantur quarum eſt nota £Ʌ. Item in nouem nonas. nona pars vocatur vncia duæ ſeſtulæ. nota —. Diuiditur item AS in duodecim partes duodecimas. vocantur ſingulæ, VNCIA, cuius nota ———. Hæc velut elementa primæ de aſſe diſtributionis, æqualitatem ſeruant. Siquid quibuſdam earum detrahas, vel conſeras, fient diſpares: quare ſi quadranti ſextantem, vel trienti vnciam applices, facies QVINCVNCEM: qui conſtat ex quinque vnciis, hoc eſt, quinque duodecimis. Nota quincuncis ——— — ———. Si ſemiſſi applices vnciam, vel quincunci ſextantem, vel trienti quadrantem, efficies SEPTVNCEM, hoc eſt ſeptem duodecimas. Nota ſeptuncis ſ. Si ſeptunci applicueris vnciam, vel ſemiſſi ſextantem, vel quincunci quadrantem, vel trienti tantundem, facies BESSEM, id eſt duodecimas octo. Nota beſſis —S— Si beſſi applicueris vnciam vel ſeptunci ſextantem, vel ſemiſſi quadrantem, vel quincunci trientem, DODRANTEM efficies, hoc eſt nouem duodecimas: Nota dodrantis SZ. Si dodranti applicueris vnciam, vel beſſi ſextantem, vel ſeptunci quadrantem, vel ſemiſſi trientem, vel quincunci tantundem, facies DEXTANTEM. hoc eſt decem partes duodecimas. Nota dextantis S ——— ——— Si dextanti applicueris vnciam, vel dodranti ſextantem, vel beſſi quadrantem, vel ſeptunci trientem, vel ſemiſſi quincuncem facies DEVNCEM, hoc eſt vndecim duo- A decimas. Nota deuncis S ——— — ———.

Ex his apparet, in quas partes æqualiter, in quas diſpares AS diuidatur. Quò tamen facilius & memoria res teneatur, ſumma diuiſionis hæc eſt. In ASSE ſunt vnciæ decem duæ, hoc eſt, partes duodecimæ duodecim: vnciæ & binæ ſextulæ, nouem, hoc eſt, nouem nonæ: ſeſcunciæ octo, id eſt, octo octauæ: ſextantes ſex, id eſt ſex partes ſextæ: quadrantes quatuor, id eſt, quatuor partes quartæ: trientes tres, id eſt, tres B partes tertiæ: Semiſſes duo, id eſt, duæ partes dimidiæ. Cæteræ partes inæqualem faciunt diuiſionem. In DEVNCE ſunt vnciæ vndecim, ſextantes quinque & vncia, quadrantes tres & ſextans, trientes duo & quadrans, quincunces duo & vncia, ſemis & quincunx, ſeptunx & triẽs, bes & quadrans. Dodrans & ſextans, dextans & vncia. Deeſt aſſi vncia. In DEXTANTE ſunt vnciæ decem, ſextantes quinque, quadrantes tres & vncia, trientes duo & ſextans, quincunces C duo, ſemis & triens, ſeptunx & quadrans, bes & ſextans, dodrans & vncia. Deeſt aſſi ſextans. In DODRANTE ſunt vnciæ nouem, ſextantes quatuor & vncia, quadrantes tres, trientes duo & vncia, quincunx & triens, ſemis & quadrans, ſeptunx & ſextans, bes & vncia. Deeſt aſſi quadrãs. In BESSE ſunt vnciæ octo, ſextantes quatuor, quadrantes duo & ſextans, trientes duo, quincunx & quadrans, ſemis & ſextans, ſeptunx & vncia. Deeſt aſſi triens. In SEPTVNCE ſunt vnciæ D ſeptem, ſextantes tres & vncia, quadrantes duo & vncia, triens & quadrans. quincunx & ſextans, ſemis & vncia. Deeſt aſſi quincunx. In SEMISSE ſunt vnciæ ſex, ſextantes tres, quadrantes duo, triens & ſextans, quincunx & vncia. Deeſt aſſi alter ſemis. In QVINCVNCE ſunt vnciæ quinque, ſextantes duo & vncia, quadrans & ſextans, triens & vncia. Deeſt aſſi ſeptunx. In TRIENTE ſunt vnciæ quatuor, ſextantes duo, quadrans & vncia. Deeſt aſſi bes. In QVADRANTE ſunt E vnciæ tres, ſextans & vncia. Deeſt aſſi dodrans. In SEXTANTE ſunt vnciæ duæ. Deeſt aſſi dextans. Huc vſque diuiſio maiorum, vt ita dictum ſit, partium, & celebris & nota eſt: ſed quum in ſe natura infinitam partiendi præſtet facultatem, ſuccedit VNCIÆ quoq; (quæ eſt aſſis, vt ſuprà dictum eſt, pars duodecima) diuiſio, non tam celebris quidem, ſed tamen non adeò ignota. Vt aſſis, ita vnciæ prima diuiſio fit in duas partes dimidias: quæ vocantur SEMVNCIÆ. Nota ſemunciæ F £Ɔ. Item diuiditur vncia in tres partes, quæ vocãtur BINÆ SEXTVLÆ. Nota binarũ ſextularum

Ↄ. Item diuiditur vncia in quatuor SICILICOS, id eſt quatuor quartas. Nota ſicilici ↄ. Item in SEXTVLAS ſex. i. ſex ſextas. Nota ſextulæ ⅄. Item in duodecimas duodecim: quas ſingulas partes, ΟΙΜΙΟΙΑΣ SEXTVLAS vocamus. Nota dimidiæ ſextulæ †. Item in SCRIPTVLA viginti, quatuor. Scriptuli nota ℈. Eſt autem aſſis SEMVNCIA pars viceſima & quadrageſima octaua: ſextula, ſeptuageſima ſecunda: dimidia ſextula, centeſima quadrageſima quarta: ſcriptulum, ducenteſima octogeſima octaua. SEMVNCIA habet Sicilicos duos ſextulas tres. dimidias ſextulas ſex, ſcriptula duodecim. DVÆ SEXTVLÆ habent ſicilium & dimidiam ſextulam, ſextulas duas, dimidias ſextulas quatuor, ſcriptula octo. SICILICVS habet ſextulam & dimidiam, dimidias ſextulas tres, ſcriptula ſex. SEXTVLA habet dimidias ſextulas duas, ſcriptula quatuor. Dimidia ſextula habet ſcriptula duo. Has quoque partes in quantunlibet diuidere poſſis: verùm infra eas neque notas, neq. propria vocabula inuenies. Præterea dimidium ſcriptulum audio quoſdam ratiocinatores SIMPLIVM vocare: quod erit totius aſſis quingenteſima ſeptuageſima ſexta. Quam & ipſam partem infinitò ſeparare poſſis. Nec mirum, ſi infra has partes partitio facta, & nominibus & notis caret, quum etiam inter partes, primáſque diuiſiones pleræque partes & nominibus & notis careant. Statum nanque vndecim vndecimæ aſſem efficiunt: nec aut nomen proprium, aut notam habent. Perinde decem decimæ. Nam nona aſſis facit vnciam duas ſextulas. Octaua, vt ſupra redditum eſt, ſeſcuncia vocatur Septem ſeptimę, quæ & ipſæ aſſem implet, nec nomen proprium, nec notam habent. Sextæ, ſextantes vocantur. Nonquintæ quidem aut nomen proprium, aut notam habent. Iam verò tertias, trientes: quartas quadrantes: ſicut duodecimas, vncias vocari oſtenſum eſt. Infra has, cæteræ vſque ſextam decimam, nomine proprio notáque carent: ſed ſextadecima, ſemuncia, ſicilicus dicetur. Nam ſedecim ſemunciæ, octo ſunt vnciæ. ſedecim ſicilici, quatuor vnciæ fiunt. iunctæ vnciis octo, aſſem implent. Septimadecima deinde interiecta, nomine notáque caret. Octauadecima vocabitur ſemuncia ſextula. Nam hæ decies octies ductæ, aſſem efficient. Poſt has inferiores partes (excepta ſemuncia, duabus ſextulis, ſicilico, ſextula, dimidia ſextula, ſcriptulo) neque vocabula propria, neque notas habent: centeſimáque commodia, vt vſurarum nomine ad ſortem applicaretur, ſicilico, id eſt C. auerſo, eo notari: quod quum C. centum ſignificaret, conuertebatur ad eam ſummam, cuius centeſima futura erat: & ſiue vna conueoerat, vnus ſicilicus: ſiue plures, tot ſicilici ponebantur.

• Sicut autem aſſis appellatio ad rerum ſoliditatum, hereditatiſque totius, diuiſio autem eius ad partium demonſtrationem pertinet: ita & ad pecuniam numeratam refertur: quæ olim in ære erat, poſtea & in argento feriri cœpit: ita vt omnis numus argenteus ex numero æris poteſtatem haberet. Eo in numero ſunt hi ARGENTEI NVMMI: DENARIVS cuius eſt nota ✳. QVINARIVS, cuius eſt nota V. SESTERTIVS.

A cuius nota eſt H-S. VICTORIATVS enim nunc tantundem valet, quantum quinarius olim. At peregrinus nummus loco mercis, vt nunc tetradrachmum & drachma, habebatur. DENARIVS primò aſſes decem valebat, vnde & nomen traxit. QVINARIVS, dimidium eius, id eſt, quinque aſſes: vnde & ipſe vocatur. SESTERTIVS duos aſſes & ſemiſſem, quaſi ſemis tertius. Græca figura, ἴσδομον ἡμιτάλαντον. Nam ſex talenta & ſemitalentum eo verbo ſignifican-

B tur, Lex etiam duodecim tabularum argumento eſt: in qua duo pedes & ſemis, ſeſtertius pes vocatur. Nunc Denarius ſedecim, Victoriatus & Quinarius octo, Seſtertius quatuor aſſes valet. Infra quam diuiſionem ſequitur alia quædam ſubdiuiſio, notas æquè ac propria vocabula habens. Quare ſi ad denariariam rationem conficias, aſſem hac nota ſcribas, ac voces ſemuncia ſicilicus ✳Σ. Semunciæ enim ſedecim, & ſicilici ſedecim, aſſem efficiuot. DVPONDIVM hac

C nota ſcribas, & voces ſeſcuncia ✳Σ. Nam ſedecim ſeſcunciæ dupondium efficiunt. TRESSIS hac nota ſcribas, ac voces ſextans ſicilicus ✳ ═══. Æquè enim ſedecim ſextantes, totidémque ſicilici tres aſſes efficiunt. QVARTVSSIS hac nota ſcribas vocéſque quadrans X ═══. Sedecim enim quadrantes quartuſſis efficiunt, QVINQVES hac nota ſcribas, vocéſque quadrans ſemuncia ſicilicus ✳ ═══ Σ. Nam ſedecim quadrantes, ac totidem ſemunciæ ſicilici-

D que, faciunt quinques. SEXIS hac nota ſcribas, nominéſque. Triens ſemuncia ✳ ═══ ═══ Σ. Æquè enim trientes & ſemunciæ ſedecies ducti, ſexis efficiunt. SEPTVS hac nota ſcribas ac nomines. Quincunx ſicilicus ✳ ═══ ═══. Simili enim modo quincunces ac ſicilici multiplicati ſeptus efficiunt. OCTVS hac nota ſcribas, ac nomines ſonus. Quibus eodem modo multiplicatis, octus reperias. NONVS hac nota ſcribas, appelléſque ſemis ſemuncia ſicilicus

E ✳ SΣ. Vt ſemiſſem hanc quoque notam, quæ vocatur ſemiſſis vncia ſicilicus multiplicatum nonus inuenies. DECVS hac nota ſcribas, atque nomines ſeptuncem ſemunciam ✳ S Σ. Septuncem quoque ac ſemunciam totiens ſi duxeris, decus efficies. VNDECIAES hac nota ſcribas, appelléſque beſſicilicus ✳ S ═══ Nam beſſicilici totiens ducti, vndecieais efficiunt. DVODECIAES hac nota ſcribas: ac voces dodrans ✳ ς. Dodrantes eodem modo computari duo-

F deciæs efficiunt. TREDECIAES hac nota ſcribas, vocéſque dodrans ſemuncia ſicilicus ✳ S. ═══ ═══ Σ. Dodrantibus ſemunciis ſicilicis eadem ratione multiplicatis tredecim aſſes efficies. QVATVORDECIAES hac nota ſcribas, ac voces dextans ſemuncia ✳ S ═══ Σ. Dextantes ſemunciæque ſedecim æquè quatuor deciæs efficiunt. QVINDECIAES hac nota ſcribas ac appelles deūx ſicilicus ✳ S ═══ ═══ Σ. Deunx quoq, ac ſicilicus ſedecies ducti, quin-

G decies efficiunt. Ingenioſiſſimè autem quum ad denarium ratio conficeretur, excurrentis æris nota inuenta eſt: quæ ſedecies multiplicata id efficeret. Nanque quum denarij nota præſcribatur, eique ſubiungatur æris excurrentis nota, manifeſtum eſt eam ſedecies ducendam ex adnotatione denarij. Ad quinarium & victoriatum ratio-

tationem Rnmæ conſici neſcio: quemadmodum tamen, ſi velis, conficias, facilius apparehit, ſi priùs inſpexeris, ad quem modum ſeſtertiaria ratio conficiatur: tunc enim vel excurrentis æris licet exemplum denariariæ rationis) dimidiam duces, vel ſeſtertiariam duplicabis. Ad ſeſtertium ratio ſi conficiatur, ſemis hac nota ſcrihitur —— T. Vocatur libella teruncius. Eſt autem LIBELLA ſeſtertij decima pars, TERVNCIVS quadrageſima: quæ duæ partes iunctæ, octauam ſeſtertij. id eſt, ſemiſſem efficiunt. Nam octo libellis, id eſt, octo decimis teruncij octo, id eſt, octo quadrageſimæ, (quæ fiunt quatuor viceſimæ, hoc eſt duæ decimæ) adiectæ complent ſeſtertium. Sunt enim in ſeſtertio, libellæ decem, SINGVLAE viginti, teruncij quadraginta. Infra ſemiſſem nemo rationem temerè ſeſtertiariam ducit. poteſt tamen. Nam quadrans, qui eſt pars ſextadecima ſeſtertij. poterit nntari SINGVLA, quæ eſt viceſima ſeſtertij, & dimidio teruncio, qui eſt nctogeſima ſeſtertij. Nam vtraque hæc pars iuncta efficit ſextamdecimam. AS notari debet ═══ ʂ. Hæc ad ſeſtertium nota vòcatur. Duæ lihellæ ſingula, fiunt duodecimæ & viceſima, hoc eſt quarta pars ſeſtertij. Nam quater binæ libellæ, octo fiunt decimæ: quatuor ſingulæ: quatuor fiunt viceſimæ, hoc eſt, duæ decimæ, quæ ſuperioribus iunctæ, ſeſtertium complent. AS SEMIS nntari debet ≀ —— ʂ T. Vocatur tres libellæ ſingula teruncius: & ſunt tres decimæ, vna viceſima, vna quadrageſima, hoc eſt quarta & octaua ſeſtertij. Supeiſunt octauæ quinque, id eſt ſemiſſes quinque, vt compleant. ſeſtertium. DVPONDIVS hac nota S. Vocantur quinque libellæ, quæ ſunt quinque decimæ. Hæ duplicatæ ſeſtertium implent. DVPONDIVS ſemis hae nota S ⌉ T. Vocatur ſex libellæ teruncius. Sunt autem ſex decimæ & quadrageſima, id eſt dimidia & octaua totius. Supetſunt octauæ tres, id eſt, ſemiſſes tres, vt ſeſtertium compleant. TRESSIS hae nota S. ═══ ʂ. Vocatur ſeptem libellæ ſingula. Sunt autem pars dimidia & duæ decimæ & viceſima, hoc eſt, pars dimidia & quarta. Deſunt dnæ octanæ, id eſt quarta, quæ iuncta impleat ſeſtertium. TRESSIS SEMIS hac nota S ═══ - ʂ T. Vocatur octo libellæ ſingula teruncius. Sunt pars dimidia & tres decimæ & viceſima & quadrageſima, hoc eſt pars dimidia & quarta & octaua. Supereſt octaua, quæ adiecta ſeſtertium compleat. LIBELLA dicta creditur, quaſi puſilla libra. Nam quum olim ASSES librilesesſent, & DENARIVS decem aſſes valeret, & decima pars denarij libram, quæ eadem as erat: ſingula ſelibram, quæ eadem ſemis erat: teruncius quadrantem haberet, ſiue denariaria, ſiue ſeſtertiaria ratio conficeretur, iiſdem notis id eſt libellatum, & ſingularum, & terunciorum, præpnſita nota denarij vel ſeſtertij, vt erat ratio, æra exprimebantur. Poſtea quàm in ſedecim aſſes denarius diſtrihutus eſt, denariaria ratio expeditiùs confici cœpit, vt ſupra dictum eſt: ſeſtertiaria manſit ſub iiſdem notis. Aucta tamen computatione, hæc quoque libella, exemplo maiorum, in duos velut ſemiſſes, qui ſingulæ vocantur, & quatuor velut quadrantes, qui teruncij vocantur, diuiditur.

PONDERIS eadem diuiſio eſt, quæ æris. Nam in quas partes as diuiditut: in has & libra diſpenditur. Ita AS quidem ſeu de diuiſione ſolidi, ſeu de pondere, ſeu de numerata in ære pecunia agatut: LIBRA autem in pondere, NVMMI verò argentei in pecunia, forma publica duntaxat nomen accipiunt. MENSVRARVM liquoris atque grani expeditior & forma & appellatio eſt. Nam QVADRANTAL, quod nunc plerique AMPHORAM vocant, habet VRNAS duas, MODIOS tres SEMOOIOS ſex, CONGIOS octo, SEXTARIOS quadraginta octo, HEMINAS nonaginta ſex, QVARTARIOS centum nonaginta duos, CYATHOS quingentos ſeptuaginta ſex.

NOTÆ MENSVRARVM.

Quadrantalis	ȡ I.
Ad granum	◡
Vrnæ	ȡ ſ
Heminæ	⊃
Sextarij ad vinum	)
Semodij	⅏ ſ
Cyathi	T I
Congij	ʂ
Modij	⅏ I
Quartarij	✝⅏

REMI FAVINI, SIVE, VT QVIDAM volunt, Rhemnij Fannij Palæmonis Carmen de Ponderibus & menſuris.

1 *Pondera Paeoniis veterum memorata libellis*
Noſſe iuuat. Pondus rebus natura locauit
Corporeis. elementa ſuum regit omnia pondus.
Pondere terra manet. vacuus quoque ponderis æther
Indefeſſa rapit voluentis ſydera Mundi.
Ordiar à minimis. poſt hæc maiora ſequentur.
Nam maius nihil eſt aliud, quàm multa minuta.
Semioboli duplum eſt OBOLVS: *quem pondere duplo*
Γράμμα vocant. Scripulum noſtri dixere priores.
Semina ſex alij ſiliquis latitantia curuis
Attribuunt ſcripulo: lentis verâciter octo,
Aut totidem ſpeltas numerant, triſtéſve lupinos
Bis duo. Sed ſi par generatim his pondus ineſſet,
Seruârent eadem diuerſa pondera gentes:
Nunc variant. Etenim cuncta non fœdere certo
Natura, ſed lege valent hominúmque reperta.
Scripla tria drachmam faciunt; quo pondere doctis
Argenti facilis ſignatur nummus Athenis.
Holcéq; à drachma non re, ſed nomine differt.
Drachmam ſi gemines, aderit, quem dicier audis,
2 *Siclicus. Drachmæ ſcriplum ſi adiecere, fiet,*
Sextula quæ fertur. Nam ſex his vncia conſtat.
Sextula quum dupla eſt, veteres dixere duellam.
Vncia fit drachmis bis quatuor. Vnde putandum
Grammata dicta, quod hæc vigintiquatuor in ſe
Vncia habet. totenim formis vox noſtra notatur,
Horis quot Mundus peragit noctémq; diémque.
Vnciáque in libra pars eſt, qua menſis in anno.
Hæc maior Latio libra eſt, gentique togata.
Attica nam minor eſt. Ter quinque hanc denique drachmis.
Et tertidenis tradunt explerier vnam.
Accipe præterea patrio quam nomine Graij
Μνᾶν vocitant, noſtríque Minam dixere priores.
Centum hæ ſunt drachmæ. Quòd ſi decerpſeris illis
Quatuor, efficies hanc noſtram denique libram.
Attica quæ fiet (ſi quartam dempſeris hinc) mina.
Cecropium ſupereſt poſt hæc decuſſe talentum.
Sexaginta minas, ſeu vis, ſex millia drachmas,
Quod ſummum doctis perhibetur pondus Athenis.
3 *Nam nihil his oboloue minus, maiúſue talento.*
Nunc dicam ſolida quæ ſit diuiſio libra,
(Sine aſſis.) Nam ſic legum dixere periti.
Ex quo quod ſoli capimus, perhibemur habere,
Dicimur aut partis dominos pro partibus huius.
Vncia nam libræ ſi deeſt, dixere deuncem.
Aut ſi ſextantem retrahas, erit ille decuncis.
Sed nullum reliquo nomen ſemuncia certum.
Dempta dabit. Namque eſt huius ſeſcuncia triplex,
Dodrantem, reliquum vocitant, quadrante retracto.
Cúmque triens deſit, Beſſem dixere priores.
Iidem Septuncem dempto quincunce vocarant.
Poſt hæc Semiſſis, ſolidi pars maxima fertur.
Nam quod dimidium ſuperat, pars eſſe negatur.
Vt docuit tenui ſcribens in puluere Muſa.
Cætera dicta prius: quibus eſt ſemuncia maior.
Hæc de ponderibus, ſupereſt pars altera nobis,
Humida metiri, ſeu frugum ſemina mauis:
Cuius principio nobis pandetur origo.
Pes longo ſpatio, atque alto latéque notetur:
Angulus & par ſit, quem claudit linea triplex:
Quatuor & quadris medium cingatur inane.
Amphora fit cubus. Quam ne violare liceret,
Sacrauere Iouis, Tarpeio in monte Quirites.
Huius dimidium fert Vrna, vt & ipſa Medimni
Amphora: térque capit modium. Sextarius iſtum
Sedecies haurit: quod ſoluitur in digitos pes.
Ac Cotylas, quas ſi placeat, dixiſſe licebit.
Heminas, recipit geminas ſextarius vnus.
Quis quater aſſumptus, Graio fit nomine χοῖνιξ.
Adde duos, χοῦς fit: vulgò qui eſt congius idem.
E quo ſextarii nomen feciſſe priores
Crediderim, quod eos capiat ſex congius vnus.
At cotyle Cyathos bis ternos vna receptat.
Sed de abaco nobis id pondus ſæpe notatur.
Bis quina hunc faciunt drachmæ, ſi appendere velles.
Oxibaphum fiet, ſi quinque addantur ad iſtas.
At myſtrum cyathi quarta eſt: at tertia myſtri,
Quam vocitant chemen, capit hæc cochlearia bina:
Quod ſi menſura pondus componere fas eſt,
Sextari cyathus pars eſt, quæ eſt vncia libræ.
Necnon oxybaphi ſimilis ſeſcuncia fiet.
Siciliciúmque tibi myſtro ſimulare licebit.
Cochlear extremum eſt: ſcripliique imitabitur inſtar.
Attica præterea diſcenda eſt amphora nobis,
Seu cadus. hanc facies, noſtra ſi adieceris vrnam.
Eſt &, bis decies quem conficit amphora noſtra,
Culeus. hac nulla eſt maior menſura liquoris.
Eſt etiam terris, quas aduena Nilus inundat,
Artaba: cui ſuperat modij pars tertia poſt tres.
Namque decem modiis explebunt artaba triplex.
Illud præterea tecum cohibere memento,
Non unum pondus varios ſeruare liquores.
Nam libra, vt memorant, beſſem ſextarius addit,
Seu puros pendas latices, ſeu dona Lyæi.
Addunt ſemiſſem libræ leuentis oliui.
Selibrámque ferunt mellis ſupereſſe bilibri.
Hæc tamen aſſenſu facili ſunt credita nobis.
Namque nec errantes vndis labentibus amnes,
Nec mer ſi puteis latices, aut fonte perenni
Manantes, par pondus habent: non denique vina,
Quæ campi, aut colles, nuperúe, aut antè tulere.
Quod tibi mechanica promptum eſt depromere muſa.
Ducitur argento, tenuíue ex ære cylindrus,
Quantum inter nodos fragilis producit arundo.
Cui cono interius modice pars ima grauatur:
Ne totus ſedeat, totúſve ſupernatet vndis.
Lineáque à ſummo tenuis deſcendit ad ima,
Ducta ſuperficie: tot quaque in fruſta ſecatur,
Quot ſcriplis grauis eſt argenti æriſve cylindrus.
Hoc cuiuſque potes pondus ſpectare liquoris.
Nam ſi tenuis erit, maiori immergitur, vnda:
Sin grauior, plures modulos ſupereſſe notabis.
Aut ſi tantundem laticis ſumatur vtrinque
Pondere præſtabit grauior. ſi pondera ſecum
Conueniunt, tunc maior erit, quæ tenuior vnda eſt.
Quod ſi ter ſeptem numeres texiſſe cylindri

Hos videas latices, illos cepiſſe ter octo:
His drachmâ grauius fatearis pondus ineſſe.
Sed refert aqus tantum conferre liquoris,
Ut grauior ſuperet drachma, quantum expulit vnda
Illius aut huius, teretis pars merſa cylindri.
Hæc de menſuris: quarum ſi ſigna requires,
Ex ipſis veterum poteris cognoſcere chartis.
Nunc aliud parium ingenio trademus eodem.
Argentum fuluo ſiquis permiſceat auro,
Quantum id ſit, quóne id poſſis deprendere pacto,
Prima Syracuſij mens prodidit alta magiſtri,
Regem namque ferunt Siculum, quam vouerat olim
Cælicolûm regi, ex auro ſtatuiſſe coronam:
Compertóque dehinc furto (nam parte retenta,
Argenti tantundem opifex immiſcuit auro)
Oraſſe ingenium ciuis, qui mente ſagaci,
Quis modus argenti, fuluo latitaret in auro,
Repperit, illaſo, quod dîs erat ante dicatum.
Quod te quale fiet, paucis, aduerte, docebo.
Lancibus æquatis, quibus hæc appendere mos eſt,
Argenti atque auri, quod edax purgauerit ignis,
Impones libras, neutrum vt præponderet: háſque
Summittes in aquam. Quas pura vt ceperit vnda
Protinus inclinat pars hæc, quæ ſuſtinet aurum.
Denſius hoc nanque eſt, ſimilari craſſius vnda.
At tu ſiſte iugum. mediique è cardine centri,
Interualla nota. quantum deſcerpſerit illinc,
Quótque notis diſtet ſuſpenſo pondere filum
Fac drachmis diſtare tribus. Cognouimus ergo
Argenti atque auri diſcrimina, denique libram
Libra tribus drachmis ſuperat, quum mergitur vnda.
Sume dehinc aurum, cui pars argentea mixta eſt,
Argentique meri pars pondus idémque ſub vnda.
Lancibus impoſitum ſpecta. propenſior auri
Materies ſubſiſtet enim, furtúmque decebit.
Nam ſi ter ſenis ſuperabitur altera drachmis,
Sex ſolas libras auri dicemus ineſſe.
Argenti reliquum. quia nil in pondere differt
Argentum argento, liquidis quum mergitur vndis.
Hæc eadem pure deprendere poſſumus auro.
Si par corrupti pondus pars altera geſtet.
Nam quotiens ternis pars illibata grauarit
Corruptum drachmis ſub aquam, totidem eſſe notabis.
Argenti libras, quas fraus permiſcuit auro.
Pars etiam libræ quæuis ſi fortè ſuperſit,
Hæc quoque drachmarum ſimili tibi parte notetur.
Nec non & ſine aquis. * * *

PRISCIANI GRAMMATICI CÆSARIENSIS DE FIGVRIS ET NOMINIBVS numerorum, & de nummis vel ponderibus, liber.

PRISCIANVS SYMMACHO S.

OMNI te, Symmache, nobilitatis ſplendore celebratum, ac omni naturæ munere præſtantem, omnique virtutis luce fulgentem, ſtudiis etiam optimarum artium diſciplinarúmque florentem, iuſtiſſimieque proſpera fortunæ, meritis vitæ probantem, fama quidem antea nobis abſentem, venerabilem faciebat: nunc autem præſentem veritas ſupergreſſa laudes prædicationis oſtendit. Mediocritatis enim altiſſimæ, qua ſuperbiæ calcas tumores, & B pietatis ponderibus grauiſſimis ſuperas omnia. Itaque glorioſum mihi credens, aliquid à tanta auctoritate, interrogationis mereri, de figuris, ſicut iuſſiſti, numerorum, breuiter collecta demonſtrabo, & de nummis vel ponderibus, præterea de Terentij metris, necnon etiam de præexercitamentis rhetoricis, quæ Græci προγυμνάσματα vocant. Quoniam diligentius ea ſophiſtæ iuniores, quos ſequimur, aptioribúſque diuiſionibus ad omne rhetoricæ genus expoſuiſſe creduntur. C Petimus igitur ſapientem eloquentiam veſtram (hac enim dignitate nihil in homine melius nouimus) vt & nos huiuſcemodi frequentiùs quæſtionibus tam præſentis quàm abſentis cum felicitate exerceatis: & Romanorum diligentiam veſtrorum ad artes ſuorum alacriores reddatis auctorum: quibus ſolis ceteras cum Graiis gentes A ſuperaſſe noſcuntur: quarum decus & munimen induſtria veſtri nititur culminis.

DE FIGVRIS NVMERORVM QVAS ANTIQVISSIMI HABENT CODICES.

De figuris numerorum quas antiquiſſimi habent codices.

SCIENDVM, quòd quum ab vno ad millies mille numeri notentur, apud Latinos non plus tredecim eos figuris notari inuenimus. Nam principales repetuntur quater ſinguli tam ante B quinarios, qui ſunt medij, numeros, quàm poſt eos. Sunt igitur principalium figuræ ſeptem, mediorum verò ſex: quarum rationes diu exquiſitas, vt potero, breuiter diſſeram. Vna per ι ſcribitur antiquo more Atticorum, qui ſolebant principalem nominis numeri literam ponere, & ſignificare numerum. Ergo ἴα pro μία dicentes, ι ſcribebant: & Π, πέντε: & Δ, δέκα: & ſic [Δ], πεντήκοντα, πεντάκις δέκα ſignificantes: & H, ἑκατόν. Vetuſtiſſimi enim quique Græci pro aſpiratione, C H ſcribebant HECATON in principio. & ſic [H], πεντακόσια, id eſt, πεντάκις ἑκατόν. χ, χίλια. [X] πεντάκις χίλια, id eſt, πεντάκις τὰ χίλια. M, μυρία vel ſic X quod ſignificat δεκάκις χίλια. Quidam autem & ſic ſcribebant X̄. Non incongruum tamen videtur etiam verſus Græcos aptiſſimè de his numeris compoſitos ſubiicere.

Χείλια Χ πέλεται. ἠ Πεῖ μέσον Η τα φέροντος

Ἥμισυ τοῦ φάμην. Ἑκατὸν δ᾽ ἄρα Ἦτα πέλοντα.
Δέλτα δὲ τεμνομένοιο μέσον καὶ Πεῖ φορέοντος
Πεντήκοντ᾽ ἀριθμοῦ σημεῖα, καὶ δέκα Δέλτα.
Πεῖ δ᾽ ἄρα πέντε πέλει καθαρὸν, καὶ Ἰῶτα ἕν ἐστιν.

Hos igitur Latini quoque in pleriſque imitati ſunt. Nam per I, vnum notant illos ſecuti. Quinque per V, quia quinta eſt vocalis, a, e, i, o, u. Decem per X, quia decima eſt conſonans apud Græcos, β, γ, δ, ζ, θ, κ, λ, μ, ν, ξ: vel quòd poſt u apud Latinos x ſequitur. Quinquaginta per L, quia apud antiquos Græcos, L, pro N, quæ nota eſt quinquaginta, ponebant, teſte Apollonide, & Lucio Tarrhæo: vnde Latini quoque Lympha dicunt pro Nympha, aquam vel fontem volentes monſtrare. Virgilius in primo Æneidos,

Dant famuli manibus lymphas, Cereremque caniſtris.

Centum autem per principalem nominis literam C. Quingenta per ſequentem literam conſonantem. Nam poſt C, D ſequitur. Mille ſecundum Atticos per X Græcam, ſed vt ſit differentia ad decem, circumſcriptis lateribus, ∞ Quinque millia per I, & duas à dextera parte apoſtrophos, IↃↃ. Decem millia per ſupradictam formam, additis in ſiniſtra parte contrariis duabus notis, quàm ſunt apoſtrophi CCIↃↃ. Et hoc ad imitationem Græcorum, qui *μύρια*, vnius nota, ſubdita linea nunc quoque ſcribunt, ſic I. Quinquaginta millia per I. mediam, & tres in dextera parte apoſtrophos, IↃↃↃ. Centum millia per I. mediam, & tres in dextera parte apoſtrophos, & in ſiniſtra totidem contrarias, CCCIↃↃↃ Vel, quod veriſimilius eſt, decem millia notantur per M circumſcriptã ex vtroque latere, ſic CMↃ: quo modo mille per X circumſcriptam ex vtroque latere, ſic (X). Et hoc ad imitationem Græcorum. quia *χίλιοι* eam literam habent principalem ſui nominis. Sed differentiæ cauſa, media linea altior facta eſt, quia millies quoque mille per M circumſcriptam ſolet notari. ſic C M Ↄ. Ergo quinque millia quum ſint dimidia pars decem millium, dimidiam partem ſcripturæ ſeruauerunt, ſic I Ↄ Ↄ: quomodo quinquaginta millia dimidia pars centum millium qui numerus per eandem notam decem millium ſcribitur, additis tamen ex vtroque latere ſingulis circumſcriptionibus. Quingenta millia per QↃ, quod eſt initium nominis, & apoſtrophen. Mille ſimiliter millia per M, vnde incipit nomẽ, ex vtraque parte circumſcriptam, vt C M Ↄ. vel etiam ſic CC M.

5 De ponderibvs etiam neceſſarium eſſe putauimus addere.

As, nummus eſt libralis, per L perſcriptam ᴾ notatus, vt ſignificet, vnam habere hunc nummum libram.

Dvpondivs, nummus eſt bilibris, per duas ᴾᴾ perſcriptas.

Sestertivs, nummus duarum ſemiſſis librarum, per duas L L, & S, ex qua incipit ſemis, perſcriptas, LLS: vnde ſeſtertius dicitur ſemis tertius: de quo Arruntius hæc ait. Seſtertius, olim dupondius & ſemis, quaſi ſemiſtertius, quo tempore denarius decuſſis valebat: hoc eſt, poſt duo, ſequens tertio loco eſt ſemis. Hoc quoque ſecundum Atticos & Ionas, qui *ἥμισυ τρίτον* dicebant pro *δύο ἥμισυ*, teſte etiam Didymo, qui hoc ponit, oſtendens in omni parte orationis & conſtructionis, analogiam Græcorum ſecutos eſſe Romanos. Vnde & Herodotus in primo hiſtoriarũ, *Ἐποιέετο δὲ καὶ λέοντος εἰκόνα χρυσοῦ ἀπέφθου, ἕλκουσαν σταθμὸν τάλαντα δέκα. Οὗτος ὁ λέων, ἐπείτε κατεκαίετο ὁ ἐν Δελφοῖς ναὸς, κατέπεσεν ἀπὸ τῶν ἡμιπλινθίων ἐπὶ γὰρ τούτοισιν ἵδρυτο. καὶ νῦν κεῖται ἐν τῷ Κορινθίων θησαυρῷ, ἕλκων σταθμὸν ἕβδομον ἡμιτάλαντον. * εἴδωλον τῶν δέκα ταλάντων γεγενῆσθαι τὸν λέοντα, καταλέγει ἔχειν ἕβδομον ἡμιτάλαντον. τουτέστιν ἓξ ἥμισυ τάλαντα.* Septimum ſemitalentum dixit pro ſex ſemis talenta.

Denarivs quoque decem librarum nummus per X perſcriptam ✱ notatur. Horum pleraque in Verrinis Ciceronis licet inuenire, antiquiſſimæ ſcripturæ emendatis codicibus.

Obolvs dicitur, vt Dardanus docet, ſcripulus eſſe, id eſt, ſex ſiliquæ.

Drachma, ſiue argentevs ſcripuli tres.

Vncia drachmæ octo, ſcripuli viginti quatuor.

Vnciæ duodecim, libra.

Libra vel mina attica, drachmæ ſeptuagintaquinque. Libra vel minagraia, drachmæ nonaginta ſex.

Talentvm Athenienſe paruum, minæ ſexaginta: magnum minæ octoginta tres, & vnciæ quatuor.

Libra vel as, vnciæ duodecim.

Devnx, vnciæ vndecim.

Decvnx vel dextans, vnciæ decem.

Dodrans, vnciæ nouem.

Bessis, vnciæ octo.

Septvnx, vnciæ ſeptem.

Semis, vnciæ ſex.

Qvincvnx, vnciæ quinque.

Triens, vnciæ quatuor.

Qvadrans, vnciæ tres.

Sextans, vnciæ duæ.

Vnciasescvnx, vel, vt alij, sescvncia, tres dimidiæ partes vnciæ.

Semvncia, ſemis vnciæ.

Duæ sextvlæ, ſunt tertia pars vnciæ, id eſt, ſcripuli octo.

Sicilicvs, ſcripuli ſex.

Sextvla, ſcripuli quatuor: dimidia Sextula, cripuli duo.

Rurſus ſextula & dimidium ſextulæ Sicilicvs appellatur.

Scripvlvs, ſiliquæ ſex.

Siliqva eſt, quod dicunt Græci *κεράτιον*, vel *λεπτός*.

Neceſſarium tamen exiſtimaui ad confirmanda ſupradicta, à diuerſis auctoribus de his dicta ſubiicere. Liuius in triceſimoquarto ab Vrbe condita. Multitudinis eorum argumentum ſit, quod Polybius ſcribit centum talentis eam rem Achæis ſtetiſſe, quum quingentos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis, ſtatuiſſent. Mille enim ducentos ex ratione, Achaia habuit captiuos Italicos. Qua ratione oſtenditur ſex millia denariorum, habere talẽtum. Nam quum quingeni denarij pro mille ducentis captiuis dati colligantur, ſexcenta millia denariorum, centum ea oſtendit fuiſſe talenta. Centeſima autem pars ſexcentorum millium, ſex millia inueniuntur. Denarii autem illo tempore, nummi argentei erant, viginti quatuor ſiliquarum: quod in eo-

in eodem libro oſtendit Liuius. Signati, octoginta quatuor millia fuere Atticorum. τετράδραχμα vocant. Trium ferè denariorum in ſingulis argenti eſt pondus. Vide, quòd quatuor drachmæ ſunt ſeptuaginta duæ ſiliquæ. Diximus enim ſuperius, quod tres ſcrupuli quorum ſinguli, ſex ſiliquas habeant drachmam faciunt. Tres autem denarij idem habebant, id eſt, ſeptuaginta duas ſiliquas. Idem Liuius in triceſimo octauo ab Vrbe condita, Oſtēdit magnum talentum Atticum octoginta habere libras, & paulò plus, quum ſupradictorum computatio manifeſtet octoginta tres libras & quatuor vncias habere talentum: quod eſt ſex millia denariorum. Liuius Talentum ne minus pondo octoginta, Romanis ponderibus, pendat. Id eſt, ſic decreuit ſenatus, vt non plus, quàm ternæ libræ, & quaternæ vnciæ ſingulis deſint talentis. Et eſt ſciendum, quod ſecundum Liuij computationem, centum minæ Atticæ, quarum ſingulæ ſeptuagintaquinque drachmas habent, faciunt talentum magnum. Nam minus ſexaginta habet, ſecundum Dardanum. Quod autem eſt magnum & minus, oſtendit Terentius in Phormione, Act. 3. ſc. 3.

Si quis daret talentum magnum.

Italica autem mina drachmas habet, vt ſuprà dictum eſt, nonaginta ſex: quod eſt libra duodecim vnciarum, id eſt denarij ſeptuaginta duo. Hac igitur computatione, octoginta tres libræ Romanæ & quatuor vnciæ, quod eſt magnum talentum, centum minas Atticas faciunt. Seneca in decimo epiſtolarum ad Nouatum. Viginti quatuor ſeſtertia, id eſt, talentum Atticum paruum. Vigintiquatuor enim ſeſtertia, ſexaginta libras habent. Varronis quoque auctoritate ſupradictorum pleraque comprobemus. Varro de lingua Latina libro quinto, Multa pecuniæ ſignatæ vocabula ſunt æris & argenti hæc. AS, ab ære, DVPONDIVS, à duobus ponderibus. Quod vnum pondus, ASSIPONDIVM dicebatur. id ideo quòd as erat libræ pondus. Deinde à numero vſque ad Centuſſem. Ab tribus aſſibus TRESSIS, & ſupra ſic proportione vſque ad Nonuſſis. In denario numero hoc mutat. Quod primum eſt ab decem aſſibus, DECVSSIS. Secundum ab duobus decuſſibus, VICESSIS. Reliqua conueniunt, vt TRICESSIS pro portione vſque ad CENTVSSIS (quod Perſius oſtendit.

Et centum Græcos uno centuſſe licetur) quo maius æris proprium vocabulum non eſt. Nam ducenti, & ſic pro portione quæ dicuntur, non magis aſſes, quàm denarij aliæque res ſignificantur. Æris minima pars SEXTVLA: quod ſit ſexta pars vnciæ. SEMVNCIA, quod dimidia pars vnciæ. VNCIA ab vno dicta. SEXTANS ab eo, quod ſexta pars aſſis eſt: QVADRANS, quod quarta: & TRIENS, quod tertia pars. SEMIS, quod ſemis, id eſt, dimidium aſſis, vt ſuprà dictum eſt. SEPTVNX, à ſeptem & vncia colliſum. Reliqua obſcuriora, quod à diminutione: & ea, quæ diminuuntur, ita ſunt, vt extremas ſyllabas habeant. Vna dempta vncia DEVNX. DEXTANS, dempto ſextante. DODRANS, dempto quadrante. BES, vt olim DVES, dempto triente. In argento, nummi, id eſt à Siculis. DENARII, quod de-

A nos æris valebant: QVINARII, quod quinos: SESTERTIVS, duobus ſemis. Dupondius enim & ſemis, antiquus ſeſtertius eſt, & veteris conſuetudinis, vt retro æra diceret, ita, vt ſemis quintus, ſemis quartus, ſemis tertius pronunciarent. Ab ſemis tertius, ſeſtertius dictus. Nummi denarij decima libella. Didymus etiam ita ea confirmat.

ΔΙΔΥΜΟΣ ἐν τῷ περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας Υ. Ἴωνες καὶ Ἀττικοί, τὰ δύο ἥμισυ τρίτον φασί. B καὶ τὰ ἓξ ἥμισυ τάλαντα, ἕβδομον ἡμιτάλαντον. καὶ τοὺς τέσσαρας ἥμισυ πήχεις, πέμπτην ἡμισπιθαμήν, καθάπερ φησὶν Ἡρόδοτος προθεὶς τὸ ἐνδεκάτης. Ἰάδης ἐν τῷ περὶ μουσικῆς. Ἐπιφέρει τρίτον ἡμιπόδιον, ἀντὶ τοῦ δύο ἥμισυ πόδες. Καὶ καθόλου, ὅταν βούλονται ἀριθμόν τινα δηλοῦν, καὶ μόριόν τι προσκείμενον, τὸ ὁμώνυμον τοῦ ἀριθμοῦ ἀεὶ τοῦ πλεονάζοντος λαβόντες, τὸ ὅλον φασίν. οἷον τὰ ἓξ ἥμισυ, ἕβδομον ἥμισυ φασὶ τοῦ ἑπτὰ ἕβδομον, ὃς μονάδι πλεονάζει τοῦ ἓξ τὸ ὁμώνυμον λαβόντες. Καὶ Ῥωμαῖοι δ' εὑρεθήσονται C τούτῳ χρώμενοι τῷ σχήματι. τὰ γὰρ δύο ἥμισυ ἀσσάρια, (τὸ δηνάριον, ὡς αὐτοὶ λέγουσι δηναρίους παρὰ τὸ δῆνα ἐσχηματισμένους) σηστέρτιουμ φασί, τοῦ μὲν ση, τὸ ἥμισυ δηλοῦντος, ὡς ἐν τῷ σημόδιουμ, σήσηνας, σήσκουπλα, τοῦ δὲ τέρτιουμ, τὸ τρίτον. καί ἐστιν ἥμισυ τρίτον. Τὰ δὲ χίλια σηστέρτια ποιεῖ διακόσια πεντήκοντα δηνάρια ἀργυρᾶ, δῆνα δὲ χρυσᾶ, ἅπερ καὶ μᾶλλον νούμμους φασί. τὸ δὲ ΣΥΣΚΟΤΑΣ, σύνθετον ἐστὶν ἀπὸ τοῦ ση, καὶ τοῦ κουμ, καὶ τοῦ ἄσσαρις. καί ἐστιν ἥμισυ σὺν ἀσσαρίῳ, τουτέστιν ἓν ἥμισυ ἀσσάριον. ὥσπερ δὲ ἡμιέδιμνον D λέγουσιν Ἀττικοί, ἀντὶ τοῦ ἡμιμέδιμνον, οὕτω καὶ οὗτοι σημόδιουμ, πλεονάζοντες τὸ σ.

NECESSARIVM eſſe exiſtimauimus etiam ipſa nomina numerorum, & quæ ab eis deriuantur vel componuntur, ſubiungere.

Et ſciendum eos declinari numeros, qui variant genera, qui verò vna voce tria genera continent, indeclinabiles eſſe tam apud Græcos, quàm apud Latinos. Vnus, vna, vnum: Duo, & duæ, & duo: hi & hæ Tres, & hæc tria: hi & hæ & E hæc Quatuor: ſimiliter quinque, & ſex, & ſeptem, octo, nouem, decem, vndecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, ſedecim, decem & ſeptem, decem & octo, decem & nouē,

VIGINTI, vigintiunus, vigintiuna, vigintiunū. Sic deinceps omnibus cardinalibus numeris minores vſque ad nouem adduntur: quamuis contrarium ante decem fiat vſque ad ſedecim. Licet tamen & præpoſterè maximè coniunctione interpoſita hæc proferre, decem & vnum, de- F cem & duo. Triginta, quadraginta, quinquaginta, ſexaginta, ſeptuaginta, octoginta, nonaginta, CENTVM, ducenti ducentæ ducenta, trecenti trecentæ trecenta, quadringenti quadringentæ quadringenta, quingenti quingentæ quingenta, ſexcenti ſexcentæ ſexcenta, ſeptingenti ſeptingentæ ſeptingenta, octingenti octingentæ octingenta, noningenti & nongenti, noningentæ & nongentæ, noningenta & nongenta, hi & hæ & hæc MILLE.

G Ex his naſcuntur ORDINALIA nomina, hæc inæqualiter quidem quantum ad vocem primus, & ſecundus: æqualiter verò tertius, & quartus, quintus, ſextus, ſeptimus, octauus, nonus, DECIMVS, vndecimus, duodecimus, ab vndecim & duodecim. Nam reliqua ex vtraque

parte declinantur contra conſuetudinem Græcorum vſque ad nonumdecimum: vt tertiuſdecimus, quartuſdecimus, quintuſdecimus, ſextuſdecimus, ſeptimuſdecimus, octauuſdecimus, nonuſdecimus, VICESIMVS, viceſimus primus, viceſimusſecundus, viceſimuſtertius, viceſimuſquartus, viceſimuſquintus, viceſimusſextus, viceſimusſeptimus. Sic omnes ſequentes, velut in primitiuis, ad unitationem Græcorum, à viceſimo & ſupra, maiori minorem addunt numero plerumque: ante decem verò minorem ponunt quando compoſita accipiuntur, & ſub vno accentu proferuntur. Nam licet, diſſoluta compoſitione, diuerſis accentibus ea proferentes, mutare ordinem quomodo & apud Græcos, & dicere decimus & ſeptimus, pro ſeptimusdecimus: &, tertius & viceſimus, pro viceſimuſtertius. ſic & ſimilia. Triceſimus, quadrageſimus, quinquageſimus, ſexageſimus, ſeptuageſimus, octogeſimus, nonageſimus, CENTESIMVS, ducenteſimus vel duceſimus, trecenteſimus vel treceſimus, quadringenteſimus vel quadrigeſimus, quingenteſimus vel quingeſimus. Liuius ab Vrbe condita triceſimo primo. Anno quingeſimo. Sexcenteſimus vel ſexceſimus, ſeptingenteſimus vel ſeptigeſimus, octingenteſimus vel octigeſimus, noningenteſimus & nongenteſimus vel nonigeſimus & nongeſimus, milleſimus.

Habent ex omnibus numeris Romani DISPERTITIVA, quæ Græci vocant ἐπιμεριζόμενα: quæ naturaliter ſemper pluralia ſunt. quippe in multos diſtribui eundem ſignificant numerum: vt, ſingulos oculos habebant Cyclopes quod Græci dicunt, ἀνὰ ἓν, ἀνὰ δύο, ἀνὰ τρία. Sic vſque ad mille habent Latini: vt, ſinguli, bini, quæ ſunt anomala, quantum ad vocem Vnius & Duorum: terni vel trini: ſed terni, ἀνὰ τρεῖς, trini, τριχοὶ magis ſignificat, vel τρισσοί. trini ludi, quaterni, quini, ſeni, ſepteni, octoni, noueni, deni, vndeni, duodeni, ternideni ex duobus integris, quomodo tertiuſdecimus: & deinde quaternideni, quinideni, ſenideni, ſeptenideni, octonideni, nouenideni, VICENI, viceniſinguli, vicenibini, viceniterni. Similiter ceteri, triceni, quadrageni, quinquageni, ſexageni, ſeptuageni, octogeni, nonageni, CENTENI, ducenteni, per ſyncopam duceni: trecenteni, per ſyncopam treceni.: quadringenteni, quadringeni: quingenteni & quingeni ſexcenteni & ſexceni, ſeptingenteni & ſeptingeni, octingenteni & octingeni, nongenteni & nongeni, milleni. Auctores tamen non propriè etiam ſingulari numero ea protuliſſe inueniuntur: vt Lucanus,

—ſeptene gurgite Nilus:

Pro ſeptenario. Et Virg. in decimo Æn.

It grauis Aulestes: centenáque arbore fluctum
Verberat aſſurgens.—

Hæc tamen ipſa etiam in ſemper pluralibus geminatis ponuntur: vt bina mœnia, terna arma. Cicero in ſecundo Verrinarum, Inter binos ludos. quia LVDI quando ſpectacula ſignificant, ſemper pluraliter dicuntur. Liuius in triceſimo quinto. bina equeſtria arma. Vni quoque & vnæ & vna ſemper pluralibus adiunguntur, quæ pro ſingularibus accipiuntur: vt Salluſtius in Catilinario. Hi poſtquàm in vna mœnia conuenere. pro, in vnam vrbem. Virgilius in ſecundo Æneidos.

—fatis vna ſupéque
Vidimus excidia.—

Pro vnum excidium. Et Lucanus in quarto,

—teriúmque in partibus vnis
Bellorum fecere nefas.—

pro vna in parte. Donatus in arte prima. Atque excepto amphibracho & epitrito, quorum alterum tripla, altera epitrita diuiſione partiunur, vniuerſorum pedum trina conditio reperitur. Trina pro tripertita dixit.

PRIMANVS, primæ legionis: Secundanus, ſecundæ legionis, ſimiliter tertianus, vnde tertiana febris: quartanus, vnde etiam quartana febris: quintanus, vnde & quintana porta caſtrorum: ſextanus, ſeptimanus, vnde ſeptimana dierum: octanus, nonanus, decimanus, vnde decimana porta caſtrorum. DECANVS quoque à decem, & decuria, & decurio nomen, & verbum decurio decurias, vnde decuriatus, ex quo decuriata comitia: vt à centum centurio nomen & verbum, & centuriatus, ex quo centuriata comitia, ex quo ſuccenturiatus. Terentius in Phormione,

—Ego in ſubſidiis hîc ero
Succenturiatus, ſi quid deficias.—

Sunt & altera forma ex omni numero deriuatiua, in RIVS deſinentia, (exceptis vnus & duo, e quibus ſingularis & dualis dicimus) vt ternarius iambus, qui tres habet pedes: quaternarius, quinarius, vnde & ſemiquinarius: ſenarius, ſeptenarius, vnde & ſemiſeptenarius: octonarius, nouenarius, DENARIVS, vnde & denarius nummus: vndenarius, duodenarius, ternariuſdenarius: ſimiliter cæteri, vicenarius, tricenarius, quadragenarius, quinquagenarius, ſexagenarius, ſeptuagenarius, octogenarius, nonagenarius, CENTENARIVS, ducentenarius & ducenarius, trecentenarius & trecenarius, quadringentenarius & quadringenarius, quingentenarius & quingenarius, ſexcentenarius & ſexcenarius, ſeptingentenarius & ſeptingenarius, octingentenarius & octingenarius, noningentenarius & noningenarius (ſed melius per ſyncopam proferuntur) millenarius.

ADVERBIA quoque ex omni numero inueniuntur, ab vnus quidem & duo inæqualiter, ſemel & bis: à cæteris verò æqualiter, ter, quater.

Reliqua omnia in es productam deſinunt, quinquies, ſexies, ſepties, octies, nouies, decies, vndecies, duodecies, terdecies, quaterdecies, quinquieſdecies, ſexieſdecies, octieſdecies, nouieſdecies, VICIES, tricies, quadragies, quinquagies, ſexagies, ſeptuagies, octogies, nonagies, CENTIES, ducenties, trecenties, quadringenties, quingenties, ſexcenties, ſeptingenties, octingenties, noningenties & nongenties, millies, Infinitis tamen numerorum aduerbiis etiam interponitur, quotiens, totiens, ſimiliter multotiens, aliquotiens.

Inueniuntur & aliæ deriuationes, vel compoſitiones multæ à nominibus numerorum: vt, vnicus, vllus, vnitas, vnio, vniuerſus, & vno, verbum

verbum, vnas, vnæ: ternitas vel trinitas, ſeptimana, A
ſenio. Perſius.

Iure etenim id ſummum, quid dexter ſenio ferret.

Millia, ſemiquinarius, ſemiſeptenarius, nundinum & nundinæ, trinundinum, trinum nundinum. Et ſciendum, quòd poetæ ſæpe deriuatiuis vtuntur pro primitiuis, vel contra: vel aliis ſpeciebus pro aliis. Virgilius in decimo Æneidos,

Tot lecti proceres bis denis nauibus ibant. pro bis decem Et Lucanus,

——ſepteno gurgite Nilus. B

pro ſeptenario.

Sunt præterea SIMPLVM, duplum, triplum quadruplum, & ſimilia, quæ propriè ad pondus, vel numerum dicuntur: SIMPLEX, duplex, triplex, & ſimilia, quæ ad omnem rem dicuntur: & verba ex iis duplico duplicas, triplico triplicas: multiplex, multiplico multiplicas: dupondius, tripondius, & ſimilia.

Illud quoque ſciendum, quod VNDEVIGINTI dicimus pro decem & nouem: id eſt, vndè C
vnum deeſt viginti. Vel vndeuiginti, poſt quem viginti numerus eſt, quod eſt nouem & decem numerus. Poſt eum enim ſequitur viginti numerus. Horatius in ſecundo ſermonum,

——vnde——

Octoginta annos natus, cui ſtragula veſtis.

Vnde octoginta dixit, id eſt, ſeptuaginta nouem annos habens ætatis: hoc eſt, octoginta, vnde vnum. Etiam DVODEVIGINTI dicunt, pro decem & octo: quod Attici δυοῖν δέοντων dicunt. Idem inuenitur in D
cæteris cardinalibus numeris, id eſt, triginta, & quadraginta, & reliquis: duodetriginta pro viginti octo & ſimilia.

VNIFORMIS, biformis, triformis, & ſimilia.

Duo aſſes, DVSSIS, dupondius: Treſſis, quadraſſis, decuſſis, viceſſis, triceſſis, quadrageſſis, quinquageſſis, ſexageſſis, ſeptuageſſis, octogeſſis, nonageſſis, CENTVSSIS: poſt quem numerum, teſte Varrone, non componuntur cum aſſe numeri. Deunx, dextans, dodrans, beſſis, ſeptunx, ſexcunx, quincunx, triens, quadrans, ſextans, ſextula.

Libra, BILIBRIS, trilibris, quadrilibris, & ſimilia.

Anniculus, vel annuus, biennis, triennis, quadriennis, quinquennis, & ſimilia. Biennium, triennium, quadriennium, quinquennium, & ſimilia. BIMVS, trimus, quadrimus, & ſimilia. BIDVVM, triduum, quadriduum, & ſimilia.

B BINOCTIVM, trinoctium, quadrinoctium, & ſimilia.

BICORPOR, tricorpor, & ſimilia.

BIPES, tripes, quadrupes, decempes & decempeda, & ſimilia.

BICEPS, triceps, quadriceps, centiceps, & ſimilia.

BIFARIAM, trifariam, quadrifariam, & ſimilia.

BIPATENS, tripatens, & ſimilia.

BILINGVIS, trilinguis, & ſimilia.

BIVIVM, triuium, quadriuium, & ſimilia.

C BIFIDVS, trifidus, quadrifidus, & ſimilia.

BISVLCVS, triſulcus, & ſimilia.

GEMINVS, tergeminus, centigeminus & ſimilia.

VNIMANVS, bimanus, trimanus, centimanus, & ſimilia.

VNICOLOR, bicolor, tricolor, & ſimilia.

DVVMVIR, triumuir, quinqueuir, ſeptemuir, decemuir, centumuir, & ſimilia.

BIGÆ, trigæ, quadrigæ, & ſimilia.

BIIVGVS, vnde Virgilius in quinto Æneid.

D *——Biiugo certamine campum*

Corripuere.——

Et, bigati nummi: triiugus, quadriiugus, & ſimilia.

TRIANGVLVM. Cæſar in Arato:

——Cur diuite lingua,

Græcia, præcurram, potiùsque triangula dicam: quadrangulum, quinquangulum, ſexangulum, & ſimilia.

BIFVRCVS, trifurcus, quadrifurcus, & ſimilia.

ELIÆ VINETI SANTONIS ANNOTATIONES IN PRISCIANI librum de figuris, & nominibus Numerorum.

¶ELOQVENTIAM VESTRAM. Pluralis numerus pro ſingulari. Quod loquendi genus ſub Cæſarum & Auguſtorum tyrannide adulatoribus nimium placuit. Priſcianus in grammaticorum præfatione ad Iulianum non eſt ita locutus. ¶*Ad millies mille.* quem Galli millionem vulgò dicunt. Plinius libro triceſimo tertio Naturalis hiſtoriæ. Non erat apud antiquos numerus vltra centum millia. Itaque & hodie multiplicantur hæc, vt decies centena millia aut ſæpius dicantur. Hæc Plinius, qui millies millena potiùs dixiſſet, vt arbitror, quàm millies mille. Sic enim Cicero & alij veteres Latini diſpertitiuis numerorum nominibus in multiplicãdo potius vſi. ¶*Non plus tredecim.*

I	vnum,
V	quinque,
X	decem,
L	quinquaginta,
[X]	mille,
Iↄↄ	quinque millia,
CCIↄↄ	decem millia.
Iↄↄↄ	quinquaginta millia,
CCCIↄↄↄ	centum millia,
qↄ	quingenta millia,
cmↄ	mille millia.

Plures in libro de notis, qui Marco Valerio Probo inſcriptus extat. ¶*Ergo ια pro μία.* In vetuſto codice Græca tonos non habebant notatos. Impreſſi ια' ſcribebant: ſed Cyrillus ἰαν vocem eſſe dicit: vnam verò & primam vltima acuta ἰά. ¶*Vel ſic* X. In hac nota, literæ Δ & X facilè agnoſcuntur. ¶*χεῖλια χ πέλεται.* Verſus hi in impreſſis exemplaribus adhuc deſiderati ſunt. Quorum tertius valde dubito, an ſine mendo ſit. Multùm corrupta fuerunt Græca omnia in codice membraneo. In quo literarum nomina vt notabantur ſcribebantúrve, ita reddidimus. Ibi fuit ſola litera χ, quæ χῖ vulgò ſcribitur appellatúrque. Π verò illic tribus locis ΠΕΙ; quam πῖ ſcribebant duabus tantum literis, pronunciabántque, qui nobis prima linguæ Græcæ rudimenta tradiderunt. ¶*Nam per I vnum notabant.* Notam vnius I, non literam, ſed lineolam vocat Aulus Gellius in principio libri decimi noctium Atticarum. Et certè ſunt, qui à Priſciano hic ita diſſentiunt, vt dicant non à Græcis hominibus eorúmque literis, ſed ab illiteratorum teſſeris, taleiſve, numerarias iſtas notas vſu receptas. Vide caput vltimum libri decimi parérgon Andreæ Alciati. ¶*Decem per χ.* Decim frequenter vetuſti codices, i

A pro e ante m: quomodo & in Virgilianis caſtigationibus monuit Pierius. ¶*Quæ nota eſt quinquaginta.* Græci per conſonantem ν quinquaginta notant: quæ eſt Latina n. ¶*Teſte Apollonide.* Quis hic fuerit grammaticus Apollonides, non ſatis ſcio. Eſt apud Stobæum, & in epigrammatum anthologia, Poeta Græcus Apollonides. Eſt & vnus ex Plinij Solinique auctoribus Apollonides: ex quo inter cetera Bithias Scythiæ illi nouerunt. ¶*Et Lucio Tarrhæo.* Hic mihi non multò notior. B Tarrhæi prouerbia Græca formis edidit Aldus Manutius. Citatur in vetuſtis ſcholiis Tarrhæus, qui commentaria in Apollonij Argonautica ſcripſerit: ſi fortè ſit idem Tarrhæus. ¶*De quo Arruntius.* Ita in Arruntio geminabant liquidam antiqui codices hoc loco: alibi non geminabant, vt apud eundem Priſcianum libro tertio de ſuperlatiuo. Victorinus in capite de orthographia, vt ferrum, & currit, ſic Arruntium per duo r ſcribere præcipit: ſi nomen idem ſit. Hunc au- C tem Arruntium, niſi fortè multi fuerunt Arruntij grammatici, Arruntium Claudium appellat Diomedes, quo loco de propriorum nominum ſpeciebus diſputat: Arruntium Celſum Caſius de aduerbiis perditè, tutò, vt, Terentij & Virgilij interpretem faciens. Quibus tamen omnibus locis impreſſi codices noſtri Aruntium vnico r ſcribunt. ¶*Teſte etiam Didymo.* quem & Didumum ſcribunt antiqui libri. Eſt enim vocalis il- D la Græca y, u vocalis Latina. Hoc autem Didymo nemo plura ſcripſit, inquit Quintilianus libro primo inſtitutionum oratoriarum: quem & quatuor millia librorum ſcripſiſſe meminit Seneca in epiſtola, quam numerant tertiam libri tertiidecimi illarum, quas ad Lucillium ſcripſit. Suidas autem aliquot Διδύμους grammaticos recenſet: hunc, Claudium Didymum vocat. ¶*Εννεόβολ* ʒ. In his Herodoti Græcis, ſi quid corruptum habuit membraneus codex, id ex i- E pſo tui auctoris libro reſtituimus. Verborum autem Herodoti vltimum eſt ἡμιταλαντον. quæ ſequuntur alia Græca εἰ δ᾽ ὑλον τοῦ δ᾽ ἑκα ταλάντου γεγυνῆσθαι τὸν λίαντα. καὶ ταλάντου ἔχειν ἑβδομον ἡμιτάλαντον. τουτέστιν ἓξ ἥμισυ τάλαντα. ſicut in vetuſto codice habuerunt, ita tibi damus: ſiue Didymi ſint hæc, ſiue alicuius alterius, locum Herodoti Græcum Græcè explicantis. ¶*Vt Dardanus docet.* Quis hic grammaticus? quem & alibi citat. ¶*Scripulum eſſe.* Dicitur & genere neutro ſcripulum: F vt apud Martialem in epigrammate quarto libri quarti.

Ergo nec argenti ſex ſcripula Septitianæ:

Et in viceſimo quinti:

Flammata ve toga ſcripula tota decem:

Et in quinquageſimo quinto decimi.

Libras, ſcripula, ſextuláſque dicit.

Cæterùm varia eſt huius nominis ſyllaba prima. Scrupulum per quintam vocalium, & ſcri- G pulum per tertiam ſcriptum reperio. Medici noſtri ſcrupulum per u ferè appellant: ſed qui per i ſcripulum malunt, hi deducunt à ſcribendo, propterea quod Græcis γράμμα dictum legant, vt in carmine illo mutilo de ponderibus.

Gramma vocant: ſcriplum noſtri dixêre priores.

quod

quod nomen γράμμα à verbo Græco γράφεσθαι originem trahit: cuius eadem eſt ſignificatio cum Latino ſcribere. At eam primam ſyllabam quæ i habet pro u variam etiam reperies: quod id & ſcripulum & ſcriptulum olim dictum ſit, teſte Cariſio Grammatico vetuſtiſſimo: cuius apponam verba de hoc nomine. Scriptulum, quod nunc vulgus ſine t dicit, Varro in Plautorino dixit. Idem in Annali Nummum argenteum conflatum primùm à Seruio Tullio dicunt. Is quatuor ſcriptulis maior fuit, quàm nummi. Sic Cariſius noſter habet: vnde conijcias, eos, qui ſuum ſcrupulum à ſcrupo trahunt, errare poſſe: poſtquam ex ſcripulo & ſcriptulo, ſcrupulum & ſcruptulum ita poſſint eſſe facta: ſicut ea carnifice carnufex, & ex optimo, maximo, optumus, maxumus facta. ¶ *Vnciæ duodecim libra*. Hæc eſt libra, quam poſtea Italicam & Romanam libram, minamque appellabit drachmarum nonaginta ſex. ¶ *Libra vel mina Attica, drachmæ ſeptuaginta quinque.* Tantudem æſtimat Minam Atticam carmen de põderibus. Corrupta exemplaria octoginta notabant pro ſeptuaginta quinque. ¶ *Libra vel Mina Graia, drachmæ nonaginta ſex*. Hic numerus fuit in exemplaribus impreſſis: in alijs C V. id eſt centum & quinque. Mina Graia centum eſt drachmarum in carmine de põderibus & menſuris. Vide de his Guilhelmum Budæum, Alciatum & Georgium Agricolam. ¶ *Talentum Athenienſe paruum, minæ ſexaginta*. Varia talentorum genera apud veteres fuerunt, Atticum, Aegineum, Euboicum, Byzantinum, Ægyptium & alia: de quibus quærunt, qui nuper de aſſe, de menſuris, de ponderibus, & nummis ſcripſerunt. Apud eoſdem multa de mina & libras: quas Priſcianus pro eodem accipit, vt heminę ſexaginta, ſint ſexaginta libræ: & minæ octoginta tres maioris talenti, octoginta tres libræ Romanæ vnciarum duodenûm, vt paulò poſt patebit. ¶ *Beſſis vnciæ octo*. Hic ita ſcripſerunt etiam membranei libri, pro B E S. Dicebatur enim vtrunque, vel Beda teſte: apud quem biſſis & biſſa legitur pro beſſis i pro e. Bes autem monoſyllabum, eſt in Monoſyllabicis Auſonij.

Tertia defuerit ſi portio quid reliquum? Bes.

¶ Κεράτιον, vel A Π T O C. Hoc A Π T O C quid nominis eſſe debeat non video, niſi forte λεπτόν. Leptum tamen, id eſt minutum, ſeu minutia, alij ceratio minus faciunt, & omnium minimum. ¶ *In triceſimo quarto*. non procul à fine. Ita triceſimum quartum dicit, quem incipit, quartum decadis quartæ. Iſtas δεκάδας Titi Liuij non nouerunt antiqui homines. Legitur autem apud Liuium, eſt pro ſit: quingenos pro quingentos: &, ea ratione, pro, ex ratione. ¶ *Signati octoginta*, argẽti addunt apud Liuiũ ſignati argẽti octoginta. Ibiq; tetradrachmũ ſcripſerũt ꝓ tetradrachma. Neutrius generis nome eſt τετράδραχμον: quod quatuor drachmas ſignificat. ¶ *Quod tres oboli*. Ὀβολὸς & ſcriptulus, idem, ſex ſiliquæ. Drachma, tres ſcriptuli, ſiue oboli tres. Ergo drachma, decem, & octo ſiliquæ. Hunc ſiliquarũ numerũ quater multiplica: fiet quater denæ & octonę ſiliquæ. Quatuor ergo drachmæ, id eſt tetradrachmum, ſunt ſeptuaginta duæ ſiliquæ. Tres autem denarios dicit Liuius eſſe ferè tetradrachmum. ¶ *Quarum ſingulæ ſeptuaginta quinque drachmas habent*, Idem Budæus, & Agricola, Priſcianum hic erraſſe oſtendunt. Nam ſi talentum Atticum maius, valet, vt ait, octoginta tres libras Romanas cum

A quatuor vnciis, & idem valent centum minæ Atticæ, quarum ſingulæ ſeptuaginta quinque drachmas contineant: poſt quam libra Romana ex duodecim eſt vnciis. octoginta tres libræ Romanæ & quatuor vnciæ, ſunt mille vnciæ. & quia drachmarum octo eſt vncia, erit talentum maius, ex octo millibus drachmarum. Centenæ verò minæ Atticæ ſi ſeptuagies quinquies multiplicentur, fient tantùm ſeptem millia & quingentæ drachmæ, quæ deberent eſſe octo millia. Præterea quod ſubiungit de talento mi-

B nore, habere ſexaginta ſecundũ Dardanum: ſi ſexaginta minas Atticas intelligit, quæ contineant ſeptuagies quinquies ſexagenas tantum, id eſt, quatuor millia & quingentas drachmas: ipſum paulò poſtea Senecæ auctoritate ſexaginta libras Romanas probabit habere, quæ ſunt nonagies ſexies ſexagenæ, hoc eſt, quinque millia ſeptingentæ ſexaginta drachmæ. ¶ *Vt ſuprà dictum eſt*. Italica & Romana mina, eſt, quam libram ſimpliciter appellauit, ex

C duodecim vnciis conſtantem. Quod autem idem ſit duodecim vnciæ, id eſt libra, & ſeptuaginta denarij, ſic collige. Vncia eſt ſcripulorum viginti quatuor, vt ſuprà dixit: & ſcripulus ſiliquarum ſex. quare in vncia fuerint centũ & quadraginta quatuor ſiliquæ. Hunc ergo ſiliquarũ numerum multiplica per duodecim vncias libræ: fient mille ſeptingentæ viginti octo ſiliquæ. Hanc denique ſummam ſiliquarum per viginti quatuor diuiſito, poſtquam, vt dixit, denarij ſunt vicenûm quaternûm ſiliquarum: inuenies

D ſeptuaginta duos denarios. ¶ *Seneca in decimo epiſtolarum ad Nouatum*. Inter Senecæ ſcripta, nullæ extant ad Nouatum epiſtolæ, ſed tantùm libri tres de ira ad Nouatum ſcripti. ¶ *Varro de ling. Lat. libr. 5.* Hæc oratio non fuit in codicibus impreſſis, inter verba comprubemus & multa: quam in alijs reperimus. In laceris tamen illis & mutilis Marci Terentij Varronis reliquiis, quæ extant, liber numeratur quartus, in quo leguntur hæc de aſſe & partibus eius. In his autem ex Varronis libro deſcriptis, quæ-

E dam aliter habent, atque apud Varronem ipſum hodie inueniuntur: ſed Priſciani exemplaribus nihil addere, neque detrahere voluimus. ¶ *Ab duobus decuſſibus viceſſis*. Habent quidem viginti & triginta: ſed ab iis deriuata ſæpius per c reperio ſcripta, viceſimus, & triceſimus, viceni & triceni, vicennium & tricennium, viceſſis & triceſſis. pro viceſſis autem biceſſis etiam per b pro u ſcribebant alia noſtrorum exemplarium. Nam & ipſum viginti u pro b habet, quòd ex bis denis compoſitũ ſit. Ab

F autem hic habebant vetuſti codices pro a ab tribus, ab decem, ab duobus. ¶ *Quod Perſius oſtendit*. Varronis eſſe hoc non poteſt. Nam ante natum poetam Perſium, in cuius Satyrarum extrema quinta legitur centuſſis, Marcus Terentius Varro plus ſexaginta annis mortuus fuerat, quomodo computat Hieronymus Euſebij interpres. At ne Priſciani quidem eſſe interiectionem facilè crediderim. Sciolorum quiſpiam audaculus potiùs interſcripſerit. ¶ *Semis quod ſemis*. In Varronis codice, ſemis, quod ſe-

G mias: & ſemis, quod ſemiſes. ¶ *In argento nummi, id eſt, à ſiculis* Alia exemplaria. Et argentei nummi, id eſt, ab ſiclis. Ipſe Varronis codex, in argento nummi, id à Siculeis. ¶ *Seſtertius duobus ſemis*. Sic omnia noſtra exemplaria. In ipſo Varrone: ſeſtertius, quod ſemis tertius. ¶ *Nummi denarij à decima libella*. Apud Varr. nulla præpoſitione, Nummi denarij, decuma, libella. ¶ Δ I A T M O C ἐν τῷ δεῖ.

Hæc Græca ex vnico exemplari, edere meliora nõ potuimus. ¶ *Ἰάδητ ἐν τοῖς.* Plinius libro triceſimo quarto hiſtoriæ naturalis, Iadem inter nobiles ſtatuarios memorat: ceterùm Iadem muſicum aliunde non noui. ¶ *Τὸ δηνάριον.* Vel ex hoc loco poterunt diſcere noſtri homines, quàm inepti ſint, qui vocalem Græcam η, proferunt Ita, & non ēta. Omnia autem nomina Latina, quæ hic Græcis literis ſcribuntur, ſic deſcripſi, vt in exemplari vetuſto ſcripta reperi. Accentuum tantùm notas adieci & ſpirituum. Δηνάριον ergo illic vltima breui, & Δηναρίους vltima longa diphthongo, & δῆνα, id eſt, denarium, denarius, & dena: σηστέρτιουμ, ſeſtertium: σῆ, ſemodium: σήσκουας, ſeſquas: ſeſquaſſis: quod nomen Latinum, neſcio an alibi vnquam legerim. σήσκουπλα ſeſcupla: τέρτιουμ, tertium vltimam literam μ diphthongo ου præcedente, ſicut & in σηστέρτιουμ, & σημόδιουμ: μίλλε, mille geminata conſonante media, & poſteriore ſyllaba breui. ſicut eam corripiunt ſui Latini: νοῦμμους, nummos. priore ſyllaba diphthongo ου, & geminata etiam hic media conſonante, quemadmodum & apud Iulium Pollucem libro nono, altera vocali ω longa, vt eam accuſatiuorum pluralium terminationem ſemper Latini produxerunt: & κοὺμ, cum, præpoſitio per ου & μ. ¶ *Sedecim decem & ſeptem.* Qui puerum numerare Latinè docebant, dicere me præcipiebant, quindecim, ſedecim, ſeptemdecim, octodecim, nouemdecim: ſed hæc tria poſteriora vereor, vt ne barbara ſint. Miror enim, quod hic auctor eorum nullam faciat mentionem. Quòd ſi in aliquo veterum ſcriptorum fortè reperiuntur, vt ſeptemdecim memini legiſſe in Nerone Suetonij, & in Verrinis Ciceronis: octodecim & nouendecim in breuiario Eutropij: eoſdem numeros ibi etiam notatos inuenias XVII. XVIII. XIX. vt planè neſcias vtrum auctores ipſi ſeptemdecim, octodecim, nouemdecim, dixerint: an verò imperiti, quos notis comprehenſos repererant numeros, ita ipſi extulerint, pro decem & ſeptem, decem & octo. decem & nouem: quæ probat Priſcianus: quæque interdum reperias in vetuſtis codicibus. & frequentius etiam, quàm illa, de quorum probitate dubitare me confiteor. ¶ *Quamuis contrarium ante decem* In vndecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, ſedecim, minores numeri vnum, duo, tres, quatuor, quinque, ſes præcedunt ante decim ſiue decem. ¶ *Hæc inæqualiter quidem.* ὁμαλὸς æqualis: ἀνώμαλος inæqualis. Hinc aduerbia ὁμαλῶς æqualiter: ἀνωμάλως inæqualiter. Ab ἀνώμαλος etiam eſt ἀνωμαλία: quam Varro de analogia diſſerens, inæqualit item appellauit. Sunt ergo primus & ſecundus, ſinguli & bini, ſemel & bis, anomala: quæ non ducuntur ab vnus & duo, ſicut tertius, terni, & ter, ab eo fiunt, quod eſt tres: quartus, quaterni, & quater, à quatuor. Anomali autem vocem corruperunt aliquando barbari: qui à norma factum ſomniantes, anormalum dicebant. ¶ *Contra conſuetudinem Græcorum.* Qui prioſem partem non declinant, vt δυοκαιδέκατος duodecimus, δυοκαιδεκάτῃ, δυοκαιδέκατον. Sic τρισκαιδέκατος, ὀκτωκαιδέκατος, & alia. ¶ *Viceſimus primus, Viceſimus ſecundus.* Vnus pro primus, & alter pro ſecundus, hic interdum vſurpatur. Eutropius libro quarto, Anno quinquageſimo vno poſt, quàm ſecundum Punicum bellum tranſactum erat. Sic vnum & centeſimum caput legis, in quadam Cælij epiſtola ad Ciceronem: vna & viceſima legio apud Cornelium Tacitum, libro viceſimo. Liuius libro tertio, Anno trecenteſimo altero. Eutropius primo, Anno trecenteſimo & altero. Liuij epitome quadrageſimo nono, altero & ſexcenteſimo anno ab vrbe. ¶ *Ad imitationem Græcorum.* Dicunt Græci εἰκοστὸς πρῶτος, viceſimus primus εἰκοστὸς δεύτερος, viceſimus ſecundus: εἰκοστὸς τρίτος, viceſimus tertius, &c. Dicunt etiã cum cõiunctione εἰκοστὸς καὶ πρῶτος, εἰκοστὸς καὶ δεύτερος, εἰκοστὸς καὶ τρίτος: & præpoſito minore numero, πρῶτος καὶ εἰκοστὸς, δεύτερος καὶ εἰκοστὸς, τρίτος καὶ εἰκοστός. Polyb. in extremo libro ſecundo, περὶ τὴν εἰκοστὴν καὶ τετάρτην ὀλυμπιάδα. Et ibid. περὶ τὴν ἐνάτην καὶ τριακοστὴν. ¶ *A viceſimo & ſupra.* Vt viceſimus primus, viceſimus ſecundus, ſic triceſimus primus, triceſimus ſecũdus. quadrageſimus primus, quadrageſimus ſecũdus: quinquageſimus primus, &c. ¶ *Et dicere decimus & ſeptimus.* Hæc ſeptem ſine coniunctione etiam reperiſſe memini in bonis auctoribus, decimuſtertius, decimuſquintus, decimuſſextus. decimuſſeptimus, decimuſoctauus, decimuſnonus: ſed quia imperiti homines variis modis corruperunt antiquorum ſcripta, tutiùs fuerit, in numerandi ratione, antiquiſſimi grãmatici præceptis auſcultare. ¶ *Anno*, quingeſimo. In Liuianis codicibus quingenteſimo pro quingeſimo, hodie legetur. ¶ *Quæ Græci vocant hemiexζόμενος.* Huic loco ſua reſtituimus Græca ex duobus antiquis codicibus. ¶ *Cicero in ſecundo Verrinarum.* In quarto, vt nunc diuiduntur in libros orationes illæ, atque in ea oratione, quam Aſconius de iuriſdictione inſcribit. ¶ *Vnde ſeptimana dierum.* Quæ ſic Italis, Gallis, Hiſpanis, hodiéque appellatur. ſed quod nomen hac ſignificatione apud antiquiores Latinos auctores non ſis inuenturus. Hebdomada ſunt, qui libentiùs appellent Græco verbo. De iſtis autem ſeptimanis, & dierum nominibus, Angelus Politianus capite octauo Miſcellaneorum. ¶ *Quotiens, totiens, ſimiliter multotiens, aliquotiens.* Sic idem Priſc. li. 15. & Priſciano antiquior grammatic. Victorinus. Quare longè ineptos iudicabis, qui noſtris temporibus, Angelo Politiano, vt arbitror, duce, & auctore, dicunt quoties, toties, multoties, aliquoties, ſine n. ¶ *Cæſar in Arato.* Hoc non memini legiſſe in Germanici Cæſaris Arateis, quæ extant.

IN CARMEN DE PONDERIBVS ET MENSVRIS.

POndera *Pæonia.* Remum Fauinum appellant huius imperfecti poematis auctorem vetuſta exemplaria: ſed corrupta nomina exiſtimantes Politianus, Lilius Ferrarienſis, & alij quidam, Rhemnium Fannium Palæmonem pro Remo Fauino appellauerunt. Proſtitit autem aliquandiu ſine titulo inter Priſciani ſcripta carmen hoc: vnde eiuſdem Priſciani opus eſſe multi putauerunt. ¶ *Scripulum noſtri.* Quia primam ſyllabam ſcripulum producit vt in ſupra citatis illis tribus locis Martialis, id debet triſſyllabum legi in hoc poemate, per eam quam ſyncopem vocant grammatici. ¶ *Semina ſex alij.* Georgius Agricola libro de reſtituendis põderibus & menſuris. ¶ *Etenim cuncta nõ fœdere certo.* Sic habuerunt omnia noſtra exemplaria: ſyllabámque

que breuem ſic producunt: quum ſic legi poſſit, ſi quis malit, *Etenim non certo fœdere cuncta.* Agricola verò Georgius libro de reſtituendis ponderibus & menſuris, legit, Etenim non omnia fœdere certo. ¶ *Scripla tria drachmam faciunt.* Sic fuit in antiquo libro, pro, In ſcripulis ternis drachmam. Poteſt autem *a* in *tria* ideo productum videri, quòd ſequatur muta cum liquida. ¶ *Holcéque.* ὁλκὴ apud Galenum & alios.

¶ *Nam ſex his.* ſextulis. ¶ *Grammata dicta.* Græci γράμματα dicunt, quas Latini literas: & viginti quatuor habēt: quot diei ciuilis horas numeramus. ¶ *Hac magno Latio.* Latina, Italica, Romana libra, eſt ex duodecim vnciis: quæ ſunt drachmæ nonaginta ſex. ¶ *Ter quinque hanc.* Ter quinque, quindecim: & ter viginti, ſexaginta. Quindecim autem & ſexaginta, ſeptuaginta quinque. ¶ *Quod ſi decerpſeris.* Ex centum drachmis ſi quatuor drachmas ſubduxeris, reliquæ erunt nonaginta ſex drachmæ: quæ Romana libra eſt. ¶ *Si quartam dempſeris hinc.* Id eſt, ſi ex centum drachmis, quæ Graia mina eſt detraxeris quartam partem, quæ drachmæ ſunt viginti quinque, fiet Attica mna: quam dixit ex ſeptuaginta quinque drachmis conſtare.

¶ *Cecropium.* Atticum. Athenienſe talentum.

¶ *Sexaginta minas.* Sexaginta minæ Graiæ, ſunt ſex millia drachmarum, poſtquam mina centum drachmas valet. Si quis autem contendat *a* longū ſemper eſſe in fine horum nominum triginta, quadraginta, quinquaginta, ſexaginta: id vt *a* hic quoque producatur, mnas pro minas legere potes. ¶ *Nam nihil his obolo.* Budæus, Portius, Alciatus, Agricola, de his quæſierunt diligentiùs ex Polluce, Galeno, Clenpatra, Suida, & aliis. ¶ *Nam ſic.* aſſem. ¶ *Erit ille decunces.* Quo caſu decuncis? pro decuncis legitur & decunces. ¶ *Sed nullum reliquo.* Semunciam, id eſt, dimidium vnciæ, ſi ex aſſe ſuſtuleris, reſtabunt vndecim vncię & ſemis. ¶ *Tenui ſcribens puluere,* geometriæ peritus. Sed quis hic?

Pes longo ſpatio latóque notetur in anglo. Ineptus fuit, qui hoc, *in anglo,* ſubiecit ad complendum verſum, quem ſic mancum inuenerat,

Pes longo ſpatio latóque notetur.

Petrus Daniel Aurelianenſis cod. antiquum miſerat: in quo etiam mutilus erat hic verſus, ſicut in omnibus aliis noſtris. De hoc ergo eum rogaueram, ſcripſerámque ſic potiùs legi poſſe:

Pes longo ſpatio latóque notetur & alto:

quum reſcripſit habere ſe codicem ex impreſſorum antiquiſſimis: in quo ſic legeretur,

Pes longo ſpatio, atque alto, latóque notetur.

¶ *Angulus vt par ſit.* Vt angulus ſit æquabilis, & rectus: quem iungunt tres lineæ trium dimenſionū, longitudinis, altitudinis, & latitudinis. Sed de fabrica Amphoræ, Quadrantis, Cubi, lege Budæum libro quinto de Aſſe, & Georgium Agricolam de reſtituendis ponderibus & menſuris. ¶ *Quam ne violare liceat.* Locum hunc explicauit Georgius Agricola libro primo de menſuris Romanis. ¶ *Tarpeio in monte.* In monte Capitolio, vbi fuit arx Tarpeia, & Iouis Capitolini templum. ¶ *Térque capit modium,* amphora. ¶ *Sextarius iſtum.* Hoc eſt, modius capit ſextarios ſedecim. ¶ *Quot ſoluitur in digitos pes.* Pedem, quo res metimur, in 16. partes æquales diuidimus: quos appellamus digitos. Diuiditur idem & in 12. quos vocamus pollices. ¶ *Heminas.* ἥμισυ dimidium ſignificat: vnde heminam dictam putant. Feſtus. Hemina ex Græco ἥμισυ: quod eſt dimidia pars ſextarij. ¶ *Adde duos.* Ad quatuor ſextarios, qui χοίνικα faciunt, adde duos ſextarios, fient ſex ſextarij: qui χοῦα complent. ¶ *Bis quinæ.* Docuit Agricola intelligendum hoc de pondere olei. Senſus ergo huius loci erit. Cyathum olei pēdere decem drachmas. ¶ *Si quinque addantur.* Si quinque drachmæ ad decem addentur, fient 15. drachmæ: quot continet cyathus ſemis. ¶ *Quam vocitant chemen.* χήμη eſt rectus huius: quòd variè corruptum fuit in noſtris exempl. De cheme & myſtro Agricola lib. 3. ¶ *Noſtra,* Romanæ amphoræ, quæ continere duas vrnas dicta eſt, ſi vnam vrnam addideris, fiet Attica amphora, tres complectens vrnas. ¶ *Artaba.* Ἀρτάβη, menſura Ægyptiaca, Perſica, Medica: de qua plura Georgius Agricola in libro priore de externis menſuris. ¶ *Illud præterea.* Idem Agricola libro tertio de ponderibus. ¶ *A ſummo.* Sic habent hic ſcripti calamo codices, & ſic legendum, non à ſumma. ¶ *Tot quæq.* & quæ linea ducta in ſuperficie cylindri ſecundum longitudinē, à ſummo ad imum eius in tot partes diuiditur, quot ſcripula pendit cylindrus. ¶ *Hoc.* Hac re, cylindro, ¶ *Maiori immergitur.* Legitur &, Maiori mergitur. Senſus autem eſt, ſi aqua in quam cylindrum inieceris, fuerit tenuis & leuior, ea cedet oneri: & in eam cylindrus altius deſcendet, maioréque pondere: Sed confer huc, quæ de aqua marina & fluuiali diſputat Ariſtoteſes in Problematibus, & Macrobius ſeptimo Saturnaliorum. ¶ *Plures modulos.* Plura, quæ dixit, fruſta, & partes cylindri ſuper aquam extabunt. ¶ *Aut ſi tantundem.* Vt cyathum aquæ fontanæ, verbi gratia, & cyathum puteanæ. Quanquam ſcribit Plinius libro triceſimo primo leuitatem deprehendi aliter, quàm ſenſu, vix poſſe, nullo penè momento ponderis, aquis inter ſe diſtantibus. ¶ *Si pondera ſecum.* Pondere pro, pondera, quædam exemplaria, ſed eodem, puto ſenſu. Si aquarum, & aliorum liquorum pondera, inter ſe conueniunt: aut ſi æquè pari inter ſe conueniunt pondere: vt ſi fuerit, exempli cauſa aquæ pluuiæ libra, & libra aquæ fluuialis: maior erit quantitas aquæ pluuiæ, quam alterius, quòd aqua pluuia ſit tenuior & leuior. ¶ *Ter ſeptem numeros.* viginti vnam earum partium, in quas diuiſa ſit linea longitudinis cylindri. ¶ *Illos,* alteros latices, alterum liquorum. ¶ *Hic drachma grauius.* longitudinem cylindri diuiſit in ſcripula. Sunt autem tria inter viginti vnum & viginti quatuor, quæ drachmam faciunt. ¶ *Quarum ſi ſigna.* Menſurarum, ponderum, numerorum notæ extant, ſed corruptæ pleræque, apud Cornelium Celſum, Valerium Probum, Voluſium, Metianum, Scribonium, Largum, Priſcianum, Bedam, Paolum diaconum. ¶ *Argentum fuluo.* Scribitur & flauo. ¶ *Prima Syracuſii.* Syracoſij, ſunt, qui ſcribere malint in Sileno Virgilij, quàm Syracuſio, Syracuſanus autem Archimedes quo modo deprehenderit argēti in aurea corona miſtionem, & manifeſtum artificis furtum, exponit pluribus Vitruuius libro nono. ¶ *Illæſo quod diis erat ante dicatum.* corona illa aurea, iam facta. ¶ *Denſius hoc.* Hic quædā exēplaria P pro D habent Penſius pro Dēſius. Sunt autem hæc magis etiam corrupta apud Palladium in libro de Architectura. ¶ *Necnon & ſine aquis.* Extremum carminis hoc hemiſtichium, in omnibus noſtris exemplaribus. Quod autem per aquam docuit, id etiam ſine aqua deprehendi poſſe deinceps docebat Fan-

nius,ſi fortè carmen abſoluit: quod ad nos venit imperfectum.

In Volvsivm Metianvm.

Hvnc Libellum quomodo ſuus auctor inſcripſerit, dubito: cuius titulum in antiquis cod. non reperi. *¶ Item inſcriptula.* Sic t habuit nomen hoc in Metiani tam nouis, quàm vet. exempl. ſicut veteres primùm dixiſſe ſuprà docuimus.

¶ Centeſimáque commodia. Sic fuit in vtriuſque generis exempl.quicquid ſit nominis hoc commodia, ſiue à modio deductum, ſiue aliunde. *¶ Vndecies hac not.* Quæ in impreſſis exempl.erant. Vndeciæs, Duodeciæs, Tredeciæs, Quatuordeciæs, Quindeciæs ea in vet. cod. Danielis noſtri fuerunt Vndeciære, Duodeciære, Tredeciære, Quatuordeciære, Quindeciære.

GVILIELMI BVDÆI PARISIENSIS, SECRETARII REGII, BREuiarium de aſſe.

As, qvi et Aſſis dicitur, in duodecim vncias diſtribuitur. As quaternos denariolos noſtros valuit, & pauxillo plus. Sic fit, vt duo aſſes, & ſemis, ſeſtertium faciant, id eſt, Karoleum noſtrum & ſemiſſem denarioli.

Duo aſſes, ſextans dicebatur, quod nomiſma paruum fuit, cuius meminit Plinius & Liuius.

Quadrans etiam nummulus. & valebat aſſis quartam partem, & Triens tertiam. Semis autem duos quadranteis valebat.

Apud Græcos drachma in ſex obolos diuiſa eſt, & in trienteis, quadranteſque. Seſquiobolus Athenis erat Romæ ſeſtertius.

Seſtertius, & nummus idem erant apud Romanos.

Seſtertius æſtimatione noſtra decem turonicis denariolis, & ſemiſſe denarioli valuit.

Denarius quaternos ſeſtertios nummos, valebat, hoc eſt, quaternos caroleos noſtros, & binos denariolos turonicos, ex eo dictus denarius, quòd pro decem aſſibus locaretur æreis & cederet in ſolutum.

Seſtertius ex eo dictus eſt, quòd duos aſſes, & ſemiſſem valeret. Qua ratione quaterni ſeſtertij denarium Romanum valebant. Et ſeſtertius dictus, quia tertius ſemis eſt, duo ſunt ſolidi aſſes, & ſemis, hic etiam nummus dicebatur, & argenteus erat.

Libra Romana, quæ & mina, & pondo dicitur, centenos denarios, ſeu quod idẽ eſt, centenas drachmas habebat. Cùm igitur denarius quateroos ſeſtertios æquaret pondere & æſtimatione, liquet in libra Romana quadrigentos fuiſſe ſeſtertios, & in duabus libris & ſelibra, mille ſeſtertios. qua ratione fit, vt ſeſtertia ſingula numero plurali millenos ſeſtertios valeant, hoc eſt, duas libras, & ſemiſſem,

A Vt enim ſeſtertius nummus dicitur, ex eo quòd duos aſſes & ſemiſſem valebat, hoc eſt, duas libras æris grauis, & ſelibram: ita ſeſtertia numero plurali & genere neutro ideo dicuntur, quòd ſingula duas libras & ſelibram argenti valerent, hoc eſt, ducentos & quinquaginta denarios, ſiue mille ſeſtertios, quod idem eſt. Sic fit, vt decem ſeſtertia, & decem millia ſeſtertium nummorum pro eodem ab antiquis dicerentur.

Mille ſeſtertij, æſtimatione noſtra, viginti quin-
B que coronatorum valent. Dicitur autem mille ſeſtertij, & mille nummi: vel mille ſeſtertium, & mille nummum: vel copulatè, mille ſeſtertium nummum.

Cùm autem mille ſeſtertij, id eſt, ducenti quinquaginta denarij, duas libras argenti, & ſemiſſem valerent, ſequitur vt libra Romana, quę & mina dicitur & pondo, decem aureos coronatos valuerit. Coronatos autem ita intelligi volo, vt ſinguli triginta quinque ſolidos valeant, quod eſt legitimum pre-
C cium.

Igitur decem millia nummum, vel decem millia ſeſtertium, quod idem eſt, ducentos, & quinquaginta aureos coronatos valebant. Hęc etiam decem ſeſtertia dicuntur, cum ſingula ſeſtertia, ſingula millia ſignificent.

Decies ſeſtertium, idem eſt quod decies centena millia ſeſtertium, quæ ſumma centies maior eſt decem ſeſtertiis. Idem eſt enim decies ſeſtertiũ, quod
D mille ſeſtertia. Cum enim ſingula ſeſtertia millenos nummos ſeſtertios valeant, ſi mille ſeſtertia millies multiplices, fient decies centena millia, quem lingua vernacula millionem vocant.

Decies igitur ſeſtertiũ, centies ducentos & quinquaginta aureos valet, hoc eſt, viginti quinque millia. Sic fiet, vt millio Romanus viginti quinque millia coronatorum valeat.

Hoc igitur tenere oportet, quòd quemadmodum, cum à nummis ſeſtertiis ad ſeſtertia genere
E neutro fit tranſitus, numerus millies multiplicatur: ita cùm ad eam loquutionem ventum eſt, quæ per aduerbia numeralia enuntiatur, ſeſtertia ſingula conduplicata creſcunt. vt verbi gratia. Si centum ſeſtertia dicam, centum millia ſeſtertium intelligere debeas. Quod ſi centies ſeſtertium dicam, non iam centum ſeſtertia, ſed centies centena ſeſtertia, ſeu centies centena millia ſeſtertium, intelligendum ſit.

Vt autem facilis, & obuia ſit vnicuique earum
F ſummarum intelligentia, quæ apud autores identidem leguntur, hoc meminiſſe oportet, quod ſequitur: vt quæ vis ſumma etiam in digitos deduci poſſit ſine calculis, aut abaco.

Decem ſeſtertia	ducenti quinquaginta aurei.
Viginti ſeſtertia	quingenti aurei.
Triginta ſeſtertia ſeptingenti, & quinquaginta.	
Quadraginta ſeſtertia	mille aurei.
Quinquaginta ſeſtertia	mille ducenti, & quinquag.
G Sexaginta ſeſtertia	mille & quingenti.
Centum ſeſtertia	duo millia & quingenti.
Ducenta ſeſtertia	quinque millia.
Quadringẽta ſeſtertia decem millia coronatorum.	
Cenſus equeſtris ſub Iulio Cæſare.	
Quingenta ſeſtertia duodecim millia & quingenti,	
Sexcenta ſeſtertia	quindecim millia.
Octingenta ſeſtertia	viginti millia.

Cenſus

Cenſus ſenatorius ante Auguſtum.
Mille ſeſt ertia — viginti quinque millia.
Mille ac ducenta ſeſtertia — triginta millia.
Cenſus ſenatorius ſub Auguſto.

Notandum quod ſupra mille ſeſtértia Români ferè ſemper per aduerbia loquebantur, infra mille nunquam per aduerbia loquuti ſunt, hoc modo:
Decies ſeſtertium, id eſt mille ſeſtertia, vigintiquinque millia.
Duodecies ſeſtertium, triginta millia aureorum.
Cenſus ſenatorius ſub Auguſto.
Quindecies ſeſtertium — triginta ſeptem millia & quingenti.
Vicies ſeſtertium — quinquaginta millia.
Tricies ſeſtertium ſeptuaginta quinque millia aureorum.
Quadragies ſeſtertium centum millia aureorum.
Quinquagies ſeſtertium — centum vigintiquinque millia aureorum.
Sexagies ſeſtertium — centum quinquaginta millia aureorum.
Centies ſeſtertium — ducenti quinquaginta millia aureorum.
Tanti æſtimatus eſt vnio Cleopatræ.
Quadringenties ſeſtertium — decies centena millia, id eſt millio, Millies mille, id eſt, millio.
Tanti æſtimatus eſt à Plinio ornatus Lolliæ.
Millies ſeſtertium — vicies quinquies centena millia, id eſt, duo milliones, & quingenta millia.
Bis millies ſeſtertium quinquagies centena millia.
Cenſus Lentuli auguris ſub Auguſto.
Quater millies ſeſtertium — decem milliones dicantur, hoc eſt, centies centena millia.
Decies millies ſeſtertiũ viginti quinque milliones.
Quadragies millies ſeſtertium centum milliones.
Vicies ſepties millies ſeſtertium coegiſſe Tiberius dicitur, id eſt, ſexaginta ſex milliones, & quinquaginta millia aureorum coronatorum, vt no-

A ſtro ſermone loquar.
Libra Romana in duodecim vncias & ſemiunciam diuiditur, & vncias in octonas drachmas. Sic fit vt centenæ drachmæ libram & minam, ſeu pondo faciant.

Drachma in terna ſcrupula diuiditur. Sic fit vt ſint vicena quaterna ſcrupula in vncia. Pariſienſes drachmam groſſum appellant, & ſcrupulum appellant denarium, & binæ drachmæ ſterlini quinque dicuntur, id eſt, quadrans vnciæ.

B Hæc de pondere dicta ſufficiant.

Mina apud Græcos idem eſt quod libra & pondo apud Romanos. hęc centum drachmas continebat, hoc eſt centum denarios Romanos, ſeu quadringentos ſeſtertios.

Mina igitur decem aureos coronatos valuit. Et drachma tres ſolidos turonicos & ſemiſſem, quanti ſcilicet denarius Romanus æſtimatus eſt à nobis, hoc eſt, quaterni nummi.

Talentum multiplex fuit, vt in libro noſtro latiſ-
C ſimè enarratum eſt. ſed talentum Atticum. quod plurimum celebratur ab hiſtoricis, ſexaginta libras valuit, ſeu minas, hoc eſt, ſex millia denariorum vel drachmarum quæ ſexagies denos coronatos valent, hoc eſt, ſexcentos.

Talentum	ſexcenti aurei.
Decem talenta	ſex millia aureorum.
Quindecim talenta	nouem millia aureorum.
Viginti talenta	duodecim millia.
Quinquaginta talenta	triginta millia aureorum.
D Centum talenta	ſexaginta millia.
Ducenta talenta	centum millia & viginti.
Quadringenta talenta	ducenta & quadringenta millia.
Mille talenta	ſexcenta millia.
Duo millia talentum	mille & ducenta millia.
Decem millia talentum	ſexagies centena millia,

Tanti funeraſſe Alexander Epheſtionem dicitur.

BREVIARII BVDAICI DE ASSE FINIS.

GVILIELMI PHILANDRI CASTILIONENSIS EPITOME DE PONDERIBVS & menſuris Romanorum.

LIBRA quæ & pondo dicitur, in duodecim vncias diuiditur. Eius partes ſunt, Vncia. Sextans. Quadrans. Triens. Quincunx. Semis quæ & ſelibra. Septunx. Bes. Dodrans. Dextans. Deunx.

Seſcuncia autem eſt vncia vna & dimidia.

Vncia diuiditur in
- Duas ſemuncias.
- Tres binas ſextulas, ſiue duellas duas, quæ ſcripula octo ſingulæ pendunt.
- Quatuor ſicilicos, quæ ſunt drach. 8. ſinguli enim duas drac. pendunt.
- Sex ſextulas, quæ ſcripula 4. ſingula pendunt.
- Septem denarios: nam in libra ſunt octoginta quatuor.
- Viginti ſcripula.

Denarius diuiditur in
- Victoriatos duos, qui & quinarij olim dicebantur.
- Sextantes ſex.

Libra diuitur in partes
- Æquas
  - Semiſſes duas.
  - Trientes tres.
  - Quadrantes quatuor.
  - Sextantes ſex.
  - Seſcuncias octo.
  - Vncias duodecim.
- Diſpares
  - Deuncem & vnciam.
  - Dextantem & ſextantem.
  - Dodrantem & quadrantem.
  - Beſſem & trientem.
  - Septuncem & quincuncem.

Libra rurſus diuiditur in
- Semuncias 24.
- Duellas 36.
- Sicilicos 48.
- Sextulas 72.
- Denarios 84.
- Victoriatos 168.
- Scripula 288.

Selibra ſiue ſemis diuiditur in
- Quadrantes 2.
- Vncias 6.
- Sicilicos 24.
- Victoriatos 84.
- Sextantes 3.
- Semuncias 12.
- Sextulas 36.
- Scripula 144.
- Seſcuncias 4.
- Duellas 18.
- Denarios 42.

Vncia diuiditur in
- Semuncias 2.
- Duellas 3.
- Sicilicos 4.
- Sextulas 6.
- Denarios 7.
- Victoriatos 14.
- Scripula 24.

Semuncia diuiditur in
- Duellam & dimidiam.
- Sicilicos duos.
- Sextulas 3.
- Denarios 3. & dimidium.
- Victoriatos 7.
- Scripula 12.

Duella diuiditur in
- Sicilicum & tertiam eius partem.
- Sextulas 2.
- Denarios 2. & vnius tertiam partem.
- Victoriatos 4. & dimidium & tertiam dimidij.
- Scripula 8.

Sicilicus diuiditur in
- Denarium & dimidium & eius quartam.
- Victoriatos tres & dimidium.
- Scripula ſex.

Sextula quæ & ſtagi interpreti Nicandri vocatur, diuiditur in
- Denarium & ſextam eius partem.
- Victoriatos duos & tertiam.
- Scripula quatuor.

Denarius diuiditur in
- Victoriatos duos.
- Scripula 3. & tres ſeptimas ſcripuli.
- Sextantes ſex.

Victoriatus diuiditur in ſcripulum vnum & dimidium, & tres decimas quartas ſcripuli.

Scripulum diuiditur in duo ſimplia.

De pon-

De ponderibus Græcorum Attica pondera.

Talentum minarum ſexaginta. Id minus eſt.
Mina duas habet ſemiminas, drachmas verò 100.
Drachma habet obolos 6.
Obolus habet duos ſemiobolos, chalcos verò ſeu æreola ſex.
Æreolum habet minuta ſiue minutia ſeptem. χαλκοῦς.
Minutum non diuiditur. λεπτόν.

Talentum diuiditur in
- Minas 60.
- Drachmas 6000.
- Obolos 36000.
- Semiobolos 72000.
- Æreola 216000.
- Minuta 1500012.

Mina diuiditur in
- Drachmas 100.
- Obolos 600.
- Semiobolos 1200.
- Æreola 3600.
- Minuta 25200.

Obolus diuiditur in
- Semiobolos 2.
- Æreola 6.
- Minuta 42.

Semiobolus diuiditur in
- Æreola 3.
- Minuta 21.

Æreolum diuiditur in minuta ſeptem, quæ diuidi non poſſunt.

Talentum Atticum duplex.
- Maius 80. minarum, hoc eſt librarum Romanarum 83. & 4. vnciarum, eſt enim mina grauior libra drachmis quatuor.
- Minus ſexaginta minarum.

Mina Attica duplex.
- Maior ſiue Solonis centum drachmarum.
- Minor ſiue vetus quinque & ſexaginta drachmarum.

Pondera medica.

Mina medica vncias habet 16.
Libra vnc. 12.
Vncia drachm. 8.
Drachma ſcrip. 3. Eadem holce vocatur.
Scripulum obolos 2.
Obolus ſemiobolos 2.
Semiobolus ſiliquam vnam & dimidiam.
Siliqua grana 4.

Mina medica diuiditur in
- Vncias 16.
- Drach. 128.
- Scripula 384.
- Obolos 768.
- Semiobolos 136.
- Siliquas 2304.
- Grana 9216.

Libra diuiditur in
- Vncias 12.
- Drach. 96.
- Scripula 288.
- Obolos 576.
- Semiobolos 1152.
- Siliquas 1728.
- Grana 6912.

Vncia diuiditur in
- Drachmas 8.
- Scripula 24.
- Obolos 48.
- Semiobolos 96.
- Siliquas 144.
- Grana 576.

Drachma diuiditur in
- Scripula 3.
- Obolos 6.
- Semiobolos 12.
- Siliquas 18.
- Grana 72.

Obolus diuiditur in
- Semiobolos duos.
- Siliquas 3.
- Grana 12.

Semiobolus diuiditur in
- Siliquam vnam & dimidiam.
- Grana ſex.

Siliqua diuiditur in grana quatuor.

Pondera Veretinariorum.

Mina habet vncias 15.
Libra drachmas 90.
Vncia drachmas 7. & dimidiam.
Drachma ſcripula 3.
Denarius ſcripula 4.
Scripulum obolos 2.

Mina diuidiiur in
- Libram & quadrantem, hoc eſt vncias 15.
- Drachmas 112. & dimidiam.
- Scripula 337. & dimidium.
- Obolos 675.

Libra diuiditur in
- Vncias 12.
- Drachmas 90.
- Scripula 270.
- Obolos 540.

Vncia diuiditur in
- Drachmas 7. & dimidiam.
- Scripula 22. & dimidium.
- Obolos 45.

Drachma diuiditur in
- Scripula 3.
- Obolos 6.

Scripulum diuiditur in obolos duos.

FINIS.

FRANC. HOTMANI I.C.
ANTIQVITATVM ROM. LIB. V. & poſtumus: QVI EST
DE LITE ORDINANDA,
Itémque
De pœnis & ſupplicijs apud Rom.

DE LITE ORDINANDA:
Obſeruatio I. nunc primùm edita.

De Conuentione CAP. I.

ANTIQVO iure primum in lite ordinanda locum obtinebat CONVENTIO. Erat autem Conuentio denunciatio debitori poſſeſſorive extra iudiciũ teſtatò facta, vt vel quod deberet præſtaret, vel quod poſſideret exhiberet reſtitueretue.l.8. C. de bon.lib. l. 7.D.de inoff.teſtam. qua de cauſſa Denunciatio etiam dicebatur. l. debitores, 10. C. de pignor. Pro Conuenire dicebant veteres appellare, admonere, & ſi vehementius agerent, flagitare. Cic.pro Quinctio: Tunc appellat vltrò Næuium, vt quoniam inſpicaretur aliqua de re fore controuerſiam, videret vt quamprimùm & quàm minima cum moleſtia tota res tranſigeretur. Item, Quem nunc interficere nefariè cupis, eum tum prudéter appellare nolebas. Ita credo hominem propinquum maiorem natu nolebas aut non audebas appellare. Item, Cùm cuperes appellare, non audebas, ne inuitus adiret. Itẽ, cùm tibi quotidie poteſtas fuiſſet hominis admonendi, verbum nullum facis: biennio iam confecto ferè, appellas. Plaut. in Caſin. *Ducite ex animo curam, atque alienum as, Neque formidet flagitatorem ſuum, Ludi ſunt, ludus datus eſt argentariis.* Poſterior ætas dixit Inſinuare, quo in eadem ſignificatione vtebantur quo Intimare.l.2.C.ſi ex plur.tutor.& curat. Fuit autem honeſtiſsima conſuetudine comparatum vt ſi res conuenire inter aduerſarios non poſſet, plerunque illam controuerſiam ad communes aliquot amicos & familiares deferrent, qui intra priuatos parietes experirentur an componere inter ipſos eam controuerſiam poſſent. Cicero pro Cæcina, Priuatæ controuerſiæ plerumque diſceptatore domeſtico & honoraria amici opera diiudicantur. Idem pro Quinctio: Quis tam tui Sexte diſſimilis qui non heredem cùm primùm vidiſſet, certiorem faceret, appellaret, rationem adferret, ſi quid in controuerſiam veniret, aut intra parietes, aut ſummo iure experiretur? Item, Dat iſte amicum M. Trebellium, nos Sext. Alfenum, res conuenire

A nullo modo poterat. Item pro Cœlio: Nunquam ſe ne cogitaſſe quidem & conſtituto cœpiſſe de tantis iniuriis experiri. Hi interdum Arbitri dicuntur ſed Honorarij, vt ſcil. à compromiſſariis ſeparentur, quoniam nullius apud illos pecuniæ compromiſſum fiebat.l.pen.C.de recept.l.vlt. C.vbi & apud quem. qui verò ſine compromiſſo ad hoc tantum interueniunt vt experiantur an conſilio ſuo vel auctoritate litem poſsint amicè & bona partium pace dirimere, propriè Arbitri eſſe negantur l. Põ-
B ponius,13 §.D. de recept. Si conuenire inter illos poterat, ea Compoſitio dicebatur Tranſactio: id eſt pactio de re ambigua per quam vitandæ litis cauſſa eius rei pars auferetur pars remittitur l. tranſactio, 38.D.de tranſact. eiúſque conſuetudinis veſtigia extant in l. neque impuberes, 22. D.de iniu ius voc.l.2. D.ſiquis caut.l.eleganter, 23.§.2. D.de condict. indeb. quemadmodum copiosè docuimus in Diſput. noſtra De tranſactionib. Ea conuentio litis Præparatio dicebatur.l.7. D.de inoff. teſta. quoniam iam
C tum mota erat controuerſia.l. 4.D. ſi cui plus quã per leg Falcid. hoc eſt vt nondum quidem litigioſa diceretur: quia tum demum litigioſa dicitur cùm lis conteſtata eſt l. 1. D. de litig. ſed tamen res eſſe in controuerſia l.ſed etſi, 25.§, ſi ante, D. de petit. hæred. & nondum quidem inſtituta petitio ſed tamen inchoata.l.amplius, 15. D.rat.rem hab.& §.3.Inſt.de off.iud. Eiúſque rei quatuor effectus reperio. Primum vt per illam conuentionem reus in mora cõſtitueretur.l. 32. D. de vſur. neque enim facilè acci-
D dit, inquit Papin. vt mora non præcedente ad iudicium deueniatur l.5.D.eod. Secundum, vt bonæ fidei poſſeſſorem in mala fide conſtituat. l. item veniunt, 20 §.petitum.& d.l.ſed etſi, 25.§. ſi ante, D.de pet.hered. quod litis conteſtandæ propria vis fuit, l. ſi homo, 25.D.de rei vindic. Tertium, vt actio quæ alioquin tempore peritura erat, ad heredem tranſmitteretur.d.l 7.D.de inoff. teſtam. Quartum, vt præſcriptioné impediret. Nouel.119.§.vectura.l.3.l.
E 7.l.vlt.C.de præſc.trig.annor.l 2. C. vbi in rem act.

De edendo. CAP. II.

SEcunda litis præparatio fuit Editio: quæ duplex fuit, vna actionis ſiue formulæ qua actor ſe viſurum

tum minabatur, altera inſtrumentorum litis quibus ſe ad intentionis ſuæ probationem viurum denunciabat. l. 1. l. 3. D. de edend. Prior enim ante vocationem in ius fiebat. nam qui ſic teſtatò conuentus erat, poſtulabat ſibi genus ſiue formulam eius actionis qua petitor ſe vti velle dicebat, edi, id eſt oſtendi. l. non videtur, 33. D. de iudi. quod Vlp. his demonſtrat verbis, Editio fit vt ſciat reus vtrum cedere an contendere debeat: nam ceſſio apud Prætorem fiebat. Itaque actionum editio ſpeciem non inſtitutæ ſed futuræ litis demonſtrare dicitur. l. 3 C. eod. Dicebatur etiam Rei iudicium, vt in l. accipientis, 15. D. de auct. tut. l. 2. D. pro Dom. Cicer. pro Quinctio: Iudicium quin acciperet in eadem ipſa verba quæ Næuius edebat, non recuſaſſe. Item, ſe iudicium id quod edat accipere. Interdum tamen editio actionis in iure fiebat, velut in ſpecie d. l. non videtur, De iud. atque ita cum vocatione in ius cohærebat, vt vix ac ne vix quidem ab ea diuelli poſſet. qua de cauſſa videmus in Cod. titulum de Edēdo præcedere titulum De in ius voc. cum tamen in Pandectis hic illum antécedat. Altera autem editio nimirum Inſtrumentorum litis, fiebat in iure apud Prætorem, cùm is qui iudicium poſtulabat Prætori inſtrumenta, quibus intentionem ſuam fundabat, exhibebat: veluti tabulas teſtamēti, chirographum, pacta, ſtipulationea. l. 1. §. edenda, D. eod. l. 5. & ſeqq. C. eod. Cauſſa enim in actionib. perſonalib. exponenda eſt l. & an eadem, 14. §. pen. D. de except. rei iud. neque enim tam titulus actionis quàm obligationis origo ſpectatur. l. 3. C. ad Macedon. l. qui id quod, 33. D. de donat. Sed quid ſit actionis editio paulo apertius exponendum eſt. Ergò illud ſcire oportet, certas actionum formulas antiquitus ab iis Iuriſconſultis conceptas fuiſſe qui primi ius ciuile conſtituerunt, quibus ciues inter ſe diſceptarent: quemadmodum olim docuimus in Iuriſconſulto noſtro ex l. 2. §. 2. de orig. iur. quas formulas Prætor vrbanus in ſuum Edictum retulerat, vt omnibus notæ atque in promtu eſſe poſſent. l. 1. D. ſi para hæred. pet. l. 1. D. de poſſ. hered. pe. Cic. pro Q. Roſcio. ſunt iura, ſunt formulæ de omnibus rebus conſtitutæ, ne quis aut in genere iniuriæ, aut in ratione actionis errare poſſit. Expreſſæ ſunt enim ex vniuſcuiuſque damno, dolore, incommodo, calamitate, iniuria publicè à Prætore formulæ, ad quas priuata lis accommodatur. Hæc aucupia actionum appellantur l. 1. C. de formul. quia ſi quis in deligenda actionis formula erraſſet, litem amittebat: quippe cùm ipſius aduerſarius ab illa actione vtpote inepta abſolueretur, neque actori ad aliam actionem regreſſus eſſet. l quod in herede, 9. §. 1. D. de tribut. l. cùm filius, 77. §. variis, D. de legat. 2. l. huiuſmodi, 84. §. vlt. De legat. 1. propter legem quam Fabius, opinor, ex XII. tab. commemorat: Bis eadem de re actio ne eſto. Indéque vſitatum prouerbium, Qui formula cadit, cauſſa cadit. cuius veſtigia ſunt in l. 1. D. ſi menſ. falſ. mod. l. actio, 47. D. de neg. geſt. Cic. de inuent. 2. Ita ius ciuile habemus conſtitutū vt cauſſa cadat is qui non quemadmodum oportet egerit. Quapropter vbi incertum erat vtra potius actio competeret, actor duas dictabat, proteſtatus ſe ex ea quæ competere videretur acturum l. 1. §. 2. D. quod legat. Prius enim quàm quis agat, eum accuratè explorare oportet quemadmodum agere debeat, ac tum ad agendum procedere l. qui in alterius, 42. D. de reg. iur. vt mihi vehementer obſcurum ac difficile intellectu videatur quod Imp. ſcribit in §. ſin minus, 33. de action. non modò ſi quis aliud pro alio intenderit, nihil periclitari, veluti ſi quia Stichum pro Erote petierit, verumetiam ſi quis quod ſibi ex teſtamento debebatur, actione ex ſtipulatu petierit: quoniam agnita veritate in eodē iudicio licet ei ſuum errorem corrigere. quæ verba perſpicuè cum his Vlpiani verbis pugnant ex l. 5. D. de except. rei iud. cùm quis actionem mutat, ſi tamen eadem de re experiatur, etſi diuerſo genere actionis, quam inſtituit, videtur de eadem re agere: niſi dicamus hoc nouum ius à Zenone introductum fuiſſe. quod tamen ex ſtyli genere difficile dictu videtur. Illud fatendum eſt, vbi actio diſiunctiua eſt. quamuis ab initio vna ſpecie actum fuerit, tamen licere mutato conſilio ad aliam tranſire, vt de noxali traditur in l. 4. § 3. D. de nox. act. Sed ſi pluribus ex cauſis eadem res debeatur, veluti ex teſtamento, & ex ſtipulatu, nulla earum alterius petitione vitiatur: non enim ſi mihi ex teſtamenti cauſſa non debetur, idcircò ex ſtipulatu non debetur, l. & an eadem, 14. §. pen. D. de except. rei iud. quinetiam ſi quis pigneratitia ante ſolutionem egit, quamuis non rectè egerit, tamen oblata in iudicio pecunia, rectè agit. l. 9. §. vlti. D. de pign. act. Porrò editio actionis & inſtrumentorum olim vocationem in ius præcedebat. Hodie vtrumque ſimul fit, editio nempe & vocatio. Sed hac tota de re amplius diximus in Epitomat. ad rubricas De edendo, & De in ius voc.

De Vadimonio. CAP. III.

TErtia litis præparatio priſcis temporibus fuit, ſi res in eo conuentu conuenire non potuerat, vel Vadatio, vel In ius vocatio. Erat autem vadatio denunciatio reo ab actore facta, vt certo die ad eū qui iuriſdictioni præerat adeſſet, exacto ab eo vade, hoc eſt fideiuſſore iudicio ſiſti. Cicero pro Quinctio: Res conuenire nullo modo poterat. itaque ex eo tempore res eſſe in vadimonium cœpit cùm vadimonia ſæpe dilata eſſent, & cùm aliquantum tēporis in ea re eſſet conſumtum &c. Verbi notionē Varro ſic explicat: Vas, inquit, appellatur is qui pro altero vadimonium promittebat. Conſuetudo erat cùm reus eſſet parum idoneus inceptis rebus, vt pro ſe alterum daret. Promitti autem vadimonium ſolebat ad certum locum & loco vbi ius dicebatur proximum, vt inde copulati aduerſarij ad Prætorem adirent. Cicer. in ead. orat. Ipſe ſuos amicos corrogat, vt ad tabulam Sextiam ſibi adſint, hora ſecunda poſtridie, veniunt frequentes. teſtificatur iſte P. Quinctium non ſtitiſſe, ſe ſtitiſſe. Item, Ad vadimonium non venerat. illicóne ad Prætorem conuenit? Liuius lib. 33. Prætores, quorum iuriſdictio erat, tribunalia ad piſcinam publicam poſuerunt, eò vadimonia fieri iuſſerunt. Agell. lib. 7. Scipio cùm oppidum quoddam obſideret, & ius in caſtris diceret, quiſpiam interrogauit ex more in quem diem locúmque vadimonium promitteret. Et Scipio manum ad ipſam oppidi arcem protendens, Perendie, inquit, ſeſe ſiſtant in illo loco. Atque hæc quidem & vſitatior & honeſtior fuit ratio ad Magiſtratum vocandi. altera ſeuerior, quæ propriè in ius vocatio dicebatur. Erat enim in ius vocare, cōfeſtim ad eum ducere, qui iuriſdictioni præerat. l. 2. D. ſi quis in ius voc. Non dixi ad eum cuius de ea re notio vel iuriſdictio erat, vt in l. 4. C. de diſtr. pign.

nam etiam ſi vocatus cuius iuriſdictioni ad quam A
vocatus erat ſubiectus non erat, tamen ſequi coge-
batur, quoniam cognoſci hoc ipſum oportebat v-
trum ei ſubiectus eſſet an non. l. 2. D. ſi quis in ius
voc. l. 5. D. de iud. l. ſi is qui, 66. §. 2. D. de furt. Dice-
batur autem interdum vocari in iudicium ſed for-
taſſe cùm extra ordinem agebatur, vt in l. 2 §. 2. D.
qui ſat. cog. l. vlt. D. de eo per quem fact. Porrò in-
ter Vadari & in Ius vocari hoc intererat quod Va-
datio non præſens erat, ſed in diem locúmque cer- B
tum fiebat, vt paulò antè docuimus. In ius vocatio
præſens & momentanea erat. Cicer. pro Quinctio:
Vadari vis? Promittit. in ius vocas? ſequitur. Præ-
terea vadatio ſine vi fiebat, in ius vocatio inuito
vim adferebat; propter legem XII. tab. Si in ius vo-
cet atque eat. ſi caluitur, pedémve ſtruit, manum
endo iacito. quam nos legem in Fragment. XII.
tab. expoſuimus, itémque in Comment. de verbis
iuris. Atque hæc nimirum fuit ratio cur eas perſo-
nas quibus reuerentia debebatur, veluti parentem C
aut patronum in ius vocare ſine Prætoris venia non
licuit, l. 4. & ſeqq. D. ill. tit. Fuit tamen etiam hoc
iuris, vt qui antè vadationem in ius vocaretur, ſi va-
dem ſiue fideiuſſorem daret, qui ſtipulanti promit-
teret illum iudicio ſiſti, dimitteretur, & in certum
diem locúmque promitteret. l. neque 22. D. de in
ius voc. l. 5. §. vlt. D. qui ſatiſd. cog. Vnde rubrica, In
ius vocati vt eant aut ſatiſdent. interdum etiam cũ
pœna ea ſtipulatio fiebat. l. 2. §. vlt. l. 3. D. qui ſatiſd.
cog. l. 4. §. vlt. D. Si quis caut. D

De pœna deſerti vadimonij.

CAPVT IV.

QVod ſi tum reus non comparebat, tum à ve-
teribus vadimonium, à poſterioribus promiſ-
ſionem deſeruiſſe dicebatur, l. 4. §. quæſitum. D.
qui ſatiſd. cog. cuius deſertionis duplex erat pœna
vna fideiuſſoria, vt ſi certa ſumma petebatur, tanti
damnaretur. l. 2. §. vlt. l. 3. l. 5. §. vlt. D. eod. altera vo- E
cati. nam ſi vocatus neque ſui copiam faceret, neq;
idoneè defenderetur, tum Prætoris iuſſu edictis,
hoc eſt libellis publicè fixis euocabatur l. 7. §. 2. D.
de ſuſpect. §. pen. Inſt. eod. quod ſi ne tum quidem
comparebat, Prætor in eius bon. poſſeſſionem
mittebat, vt ſi latitare non deſineret, ad extremum
venderentur. l. 19. D. de in ius voc. l. x. l. 7. D. ex qui-
bus cauſſ. in poſſ. Cicero Verr. 4. Inſimulant ho-
minem fraudádi cauſſa diſceſſiſſe. poſtulant vt bo-
na poſſidere liceat. Cic. in Quinctiana: Tabulæ ma- F
ximæ ſignis hominum nobilium conſignantur.
diſceditur. poſtulat à Burrieno prætore Næuius, vt
ex edicto bona poſsidere liceat. Iuſsit bona pro-
ſcribi eius, &c. Prius tamen ad domum denuncia-
batur, aut per libellum ædibus affixum. l. 4. §. 3. §. 4.
D. de damn. inf. l. 5. §. 1. D. quod vi aut clam. ll. illud
tenendum, 18. §. nulla, D. de excuſat. l. 3. C. de ann.
except. Et inde dictum, Ad ianuam tabulas figere.
l. vlt. §. 2. D. quod vi aut clam. Hoc autem loco no-
tandum eſt, certos ſtatóſq; dies fuiſſe quibus Præ- G
tor in ſella eburnea ſedens pro tribunali ius dice-
bat, qui dies Seſſionum dicebantur. l. 2. D. quis ord.
in bon. poſſ. l. is cui, §. ſatisfactionis, D. vt in poſſ.
legat. Atque hi fuerunt qui Cognitionum dies dice-
bantur. Alij autem erant quibus experiundi iuris
poteſtas fiebat, qui vtiles dicebantur, l. 1. D. de diuer.
emp. l. & poſt edictum, 73. §. 1. D. de iudic. l. mulier,

A §. quædam, D. de adult. & hi nimirum fuerunt qui
Poſtulationum dies vocabantur. d. l. 2. Quis ord. in
bon. poſſ. Creditores igitur omnes bonorum poſ-
ſeſſionem à Prætore poſtulabant. l. pen. D. de bon.
auct. iud. poſsid. l. pen. C. de dignit. l. 2. l. 7. D. quib.
ex cauſſ. in poſſ. l. rem ait, 21. §. pen. D. ex quib. cauſ.
maior. Atque hoc primum Decretum dicebatur,
ex quo creditores ita bona poſsiderent vt ea tantũ
cuſtodirent l. ſi quis, 10. D. qui poſsid. idque Præto-
B rium pignus nuncupabatur. l. 2. C. qui pot. in pign.
l. 3. D. vt in legat. poſſeſſ. Poſt diem trigeſimum cre-
ditores à Prætore poſtulabant, vt ſibi vnum è ſuo
numero conſtituere liceret, qui adminiſtrandis, &
ſi opus eſſet vendendis bonis præficeretur, qui o-
lim Magiſter, poſteà Curator bonorum dictus eſt,
vt in Orat. pro Quinctio, & in l. vlt. D. de curat. bon.
& l. 8. D. de bon. auct. iud. poſſ. Poſtremò exacto eo
tempore quod Prætor arbitratu ſuo præſtituerat,
tertium decretum interponebat, vt bona auctione
C diſtrahi permitteret: ac plerumque vnus Bonorum
emtor erat, cui & aduerſus quem actiones omnes
vel debitori vel contra debitorem competentes
concedebantur. l. cum poſtea, 9. §. ſed etſi, D. de iu-
reiur. Verùm ſi debitor ſine latitatione aberat, quã-
uis non defendebatur, tum eius quidem bona poſ-
ſideri iubebantur, at non etiam vendi niſi poſt re-
ditum vel pubertatem. d. l. 21. §. 1. Ex quib. cauſ. ma-
ior. l. 6. ex quib. cauſſ. in poſſeſſ. l. ſi pupillus 23. & l.
vlt. De reb. auct. iud.
D

De noua in iudicium vocandi forma.

CAPVT V.

ATque hæc quidem vetuſtiſsima in ius vocan-
di ratio fuit, quæ poſtea Græcorum inſtituto
plane immutata eſt. Inſtitutum enim fuit, vt qui ali-
quem vocare in ius vellet, ſi quidem apud iudicem
ordinarium litigaturus erat, actionem ei ſuam in li-
bello perſcriptam, hoc eſt actionem in factum ex-
E hiberet, qui Latinè libellus conuentionis, Græcè
ἀντικλήσεως βιβλίον dicebatur. Sin autem apud Dele-
gatum litigaturus erat, reſcriptum à Principe impe-
tratum ei exhiberet. Nouell. de litig. §. omnem, v-
trocunque autem loco acturus erat, viatorem à iu-
dice poſtulabat, qui litis executor dicebatur, pro-
pterea quod ea quæ ad peragendum iudicium per-
tinebant, exſequebatur, nam primùm omnium li-
bellum conuentionis ab actore acceptum ex Iudi-
cis auctoritate ad eum qui in iudicium vocandus
F erat, deferebat, quam auctoritatem Græci ὑπόμνη-
σιν, Latini Commonitionem vocarunt: cùm priùs
duas cautiones adhibere ſoliti eſſent: quarum prior
fuit nuda, cùm actor repromiſiſſet ſe intra duos
menſes vel litem conteſtaturum, vel damnum o-
mne quod ex eo reus ſenſiſſet in duplum præſtatu-
rum, cautione tamen XXXVI. aureorum non ex-
cedente, quo in damno continebantur primùm
ſportulæ viatoris, hoc eſt merces operæ & laboris
quem in reo adeundo ſuſceperat, quas tamen ſi iudi-
G cio abſoluebatur, ab actore recuperaret, l. vlt. C. de
fruct. & lit. expenſ. l. vlt. C. de princip. agent. in reb.
§. tripli, de act. & Nouell. 96. auth. libellum. C. de
lit. conteſt. nam illas reus de ſuo præſtare cogeba-
tur. Altera cautio fuit aut fideiuſſoria, aut ſi dare
fideiuſſorem non poſſet, iuratoria vel per ſe vel
procuratorem ſuum in iudicio vſque ad litis exitũ
perſeueraturum: & ſi iudicio victus eſſet, decimam
litis

litis partem reo præſtaturum, hoc eſt decimam eius quantitatis partem quam libello conuentionis complexus erat, niſi fortè communi conſenſu apud arbitros litigaretur. Nouell.112.§.2.authen. generaliter, C. de epiſc.& cler. Hæc enim pœna temerè litigantibus impoſita eſt: ſiue reus tantundem ſiue minus in litem perſequendam impenderit. nam ſi quid plus impendit, vetus regula retenta eſt, vt victus victori in litis ſumptus damnetur. Victoris autem partes ſunt, vt ei quem in ius vocat non modò libellum conuentionis oſtendat, verumetiam eius exemplum præbeat; & dierum aliquot ſpatium, olim quidem decem, Iuſtiniani autem conſtitutione XX. permittat ad deliberandum vtrum cedere an contendere debeat, ſimul vtrum iudicem ad quem vocatus eſt planè recuſare, an ei fortè collegam & συνδικαστὴν adiungi velit. Vocatus primùm ipſe quoq; ſuam reſponſionem ſcripto comprehendit eóque teſtatur quo die libellum editum acceperit, quæ ipſius ſubſcriptio ἀντιβιβλον appellabatur. deinde vt ſatiſdet iudicio ſiſti. poſtremò vt exſecutori ſportulas perſoluat: quæ omnia Nouell.53.82.96. continentur.

De ſatiſdationibus. CAP. VI.

NAM quod ad ſatiſdationes attinet, antequam lis conteſtaretur hoc iuris fuiſſe cõſtat, vt illæ tum ab actore tum ab reo exigerentur l.8.§.2.l.Iulianus,11.D.qui ſatiſd.cog. In iis autem exigendis alia iuris antiqui ratio fuit, alia noui. Antiquo iure, ſi in rem agebatur, actor ſiquidem ſuo nomine agebat non ſatiſdabat: ſi alieno, ſatiſdabat de rato. Reus autem ſatiſdabat iudicatum ſolui; ſiue ſuo ſiue alieno nomine defendebatur. l. 8. D. iud.ſol. d.l.8.§.2. D.qui ſatiſd. cog. Sin autem in perſonam agebatur, tum actor ſi ſuo nomine agebat, non ſatiſdabat; ſi alieno, de rato ſatiſdabat. Reus, ſiquidem alieno nomine defendebat, ſatiſdabat: ſin ſuo, non item. l.18.D.de interrog. act. l.5. §.1. D. de noxal. act. Iure autem nouo multa ſunt immutata. nam Actor ſiquidem ſuo nomine agat, non ſatiſdat: ſin alieno, ſatiſdat de rato, duobus tantum exceptis caſibus, ſi mandatum procuratorium publicè exhibeat, vel ſi procurator publicè apud acta ipſo domino præſente ſit conſtitutus. l. 1. C. de ſatiſd. nam vbi de domini voluntate conſtat, de rato cautio neceſſaria non eſt d.l.1.& l.maritus,21.C.de procur. l. ſatiſdatio,21. D. rem rat.hab. Reus ſi ſuo nomine agat, non quidem ſatiſdat. iudicatum ſolui, ſed tantum cauet de lite perſequenda, vt paulo antè diximus. Sin alieno, tum dominus ipſe præſens eſt, quo caſu non ſatiſdat procurator, ſed ipſe reus ſub hypotheca ſuorum bonorum ſatiſdat, niſi ſententiæ dicendæ tempore adfuerit, fideiuſſorem iudicatum, à quo appellatum non erit, facturum. aut abſens eſt dominus, quo caſu procurator iudicatum ſolui ſatiſdat. d.l.1. C.de ſatiſd.§.4. & ſeqq.Inſt.eod.

De interrogationibus in iure & reſponſionibus. CAP. VII.

CVM in ius ventum erat, permittebat Prætor actori, ſiquidem iuſta eſſe cauſa videbatur, non modò aduerſarium de iis quæ ad actionem ſuam inſtituendam pertinebant interrogare, verumetiam ex ipſius reſponſione ius ſumere

A re l. 2. D. de interrogat. l.4. D.de confeſſ. l.inde Neratius, 23. l. prouide, 25.D.ad leg. Aquil. veluti an heres, aut pro qua parte heres ſit. l.1.D.de interrog. vtrum ex lege an ex teſtamento. vtrum ſuo nomine an per ſubiectam ſibi perſonam. l. 9.§.illud, D.eod. an poſſideat. l. qui ſeruum, 20.§. in iure, D. eod. l.qui petitorio,36. l.vlt.D. de rei vind. non tamen quo titulo & qua ex cauſſa poſſideat. l.pen. C.de petit.hered. Quòd ſi reus reſpondere recuſet, Prætor ſummatim vtrum iuſta

B an iniuſta recuſationis cauſſa ſit, cognoſcit l. ſi ſine, 5.§.pen. D.de interrog. Eius autem interrogationis primus hic effectus fuit, vt ſi interrogatus mentitus eſſet, tanti damnaretur quanti illum, ſi actione directa teneretur, damnari oportuiſſet. l.ſi filius,12.§.7.& l.vlt. D.de interrog. l.1.§.interdum, D.ſi quadrup. l.5.7.8.20. De interrog. itaque ſi interrogatus an poſſideat mentiatur, & ſe poſſidere neget, actor in poſſeſſionem mittitur: l.vlt. D. de rei vind. & d.l.qui ſeruum, D.h.t. Se-

C cundus vt per eam probetur id in quo actori probatio deficiebat. l.2.3.4 D.eod. Tertius, vt actionem ad id quod reſponſum eſt accommodatam patiat. l.4.& paſſ.eod, propterea quòd is qui confeſſus eſt quaſi ex confeſſo obligatus eſt l. de ætate, 12.§. qui interrogatus,8.l. confeſſionibus, 14.eod. Altera rei defenſio ſeu reſponſio Clauſulæ condemnationis opponebatur, & propriè dicebatur Exceptio cuius rei inſigne hoc & planè ſingulare teſtimonium exſtat in §.1. de replicat.

D ex quo dilucidè apparet, Exceptionem non intentionis actionis, ſed condemnationi opponi. Si excipiat debitor vt ita demum condemnetur, SI NON conuenerit ne eam pecuniam creditor petat. quanquam quando ſimul intentio cum condemnatione coniungitur, generaliter excludere dicitur quod in intentionem condemnationémve deductum eſt l. 2. D. de excepr. & hæc cauſa eſt cur Exceptio definitur condicio l. 22. D.eod. quoniam condicionaliter concipiebatur

E per SI NON, vel NISI, vel EXTRA QVAM: quaſi reus tacitè actoris intentionem veram eſſe & ſe condemnandum eſſe fateretur, non tamen purè, ſed ſub condicione NISI, verbi gratia creditor pactus ſit de non petendo: tametſi non vtique ſemper verum ſit eum qui excipit de actionis intentione confiteri. l.9.D.ill.tit. qua de cauſſa priore loco actor ſuam intentionem implere cogitur, tum deinde reus ſuam probare l. 8. l. 19. C. eod. Eiuſdemmodi eſt exceptio compenſationis

F aut deductionis. nam ſi actor in iure intenderit ſibi centum ex cauſſa mutui dari oportere, alter compenſationem obiecerit, intentionem fatetur; ſed non condemnationem: & tunc licet ſine iudicio petitio fuerit, tamen in effectu petitio iudicialis eſt, vt apertè in l.amplius,15.D.rem rat.hab. Etſi autem Tribonianus in d.l.1. D.ill.tit. ſcribat illam interrogationum conſuetudinem è foro ſublatam eſſe, tamen illæ etiamnunc vſurpantur: nec modò antè, verumetiam poſt litem conteſta-

G tam, quotieſcunque iudici opus videtur, ex l.pen. D.eod. At iure moribus recepto actor ſuam intentionem libello complectitur, quem in articulos diuidit, qui vulgò Poſitiones appellantur, quorum vnicuique ordine reus reſpondet. Sed de harum interrogationum genere diximus olim in Epitomat.Pand.ad illam rub.

De litis conteſtatione. CAP. VIII.

POST actionis editionem & propoſitam ſummatim actoris poſtulationem, ſequebatur litis conteſtatio. l. 1. C. de lit. conteſt. Vbi lis conteſtata dicitur, cùm iudex narrationem audire cœperit: vbi tamen ſubaudiendum eſt ab vtroque, hoc eſt & actoris intentionem & rei contradictionem, vt in l.rem, 12. §.patroni, C.de iudic.l.2. C.de iureiur.propt.cal. Ex quo quæſtio exoritur, vtrum in iure apud Prætorem, an in iudicio apud pedaneum iudicem litis conteſtatio fieret. De qua ita definiendum arbitror, vt dicamus in ordinariis iudiciis apud Prætorem, in extraordinariis apud Iudicem fieri ſolitam: vbi tamen cùm in ORDINARIO iudicio: quia conteſtatio illa iudicij ordinationem ſiue conſtitutionem præcedebat. Cic. pro Q. Roſcio: In hanc rem, inquit, ſe cognitorem dediſti, lite conteſtata, iudicio damni iniuria conſtituto tu ſine mecum Flauio decidiſti. Et ſub finem: Cùm Panurgus eſſet interfectus, & lis conteſtata cum Flauio damni iniuria eſſet, tu in eam litem cognitor Roſcij ſis factus. Nam & propter ſumptus & propter damna, moleſtias atque occupationes forenſes rei etiam intererat litem conteſtari. Neque obſtat l.ſi à me, 11. D. de iudic. ſi quis mecum litem conteſtatam habeat, vel ego cum illo. Itaque Cic. in illa ipſa Orat. Neſciebat Fannium Roſcio eſſe ſocium: præclarè. nam iſte cum eo litem conteſtatam habebat, id eſt, Roſcius Flauio litem intenderat. Dicimus & litem conteſtari in aliquem, vt in l.ſeruus, 14. D. de his qui not.infam. & litem inter duos conteſtatam, in l.1. D. de litigioſ. At cùm extra ordinem agitur, hoc eſt ſine Prætore rectà ad iudicem itur, tum litis conteſtatio in iudicio fit. l. ſi eum, 10 in fi. D. ſi quis caut. Atque hæc quidem Romani iuris ratio fuit, quam Græci Impp. poſteri ſic immutarunt, vt cùm ex viatoris conuentione Reus ſe iudicio ſtitiſſet, iudex primùm ex die vocationis in libello adſcripto animaduerteret, an xx. dies reo ad deliberandum dati tranſacti eſſent, quo explorato tunc litis conteſtatio fieret, quam illi *προκάταρξιν* appellarunt. Nouell. 53. Porrò quis & quàm multiplex effectus litis cōteſtationis fuerit, docuimus obſeruationū noſtrarum lib. 4. cap. 5.

De conſtituendo iudicio. CAP. IX.

LITIS conteſtationem ſequebatur conſtitutio iudicij, quæ duabus partibus conſtabat, quarum prior erat Datio iudicis, altera formulæ actionis. Actionum quædam ipſo iure competere dicuntur, quædam à Prætore dari. §.1. de perpet. & temp. act. cùm tamen omnes tam ciuiles quàm prætoriæ in albo Prætoris perſcriptæ eſſent. l.1. D. commod. l.1. D. ſi ſeru. vind. l.1. D. ſi pari hered.pet. l.1. De poſſ.her.petit. Ipſo iure competere dicuntur quæ ciuiles ſunt, quia ciui eo ipſo quia ciuis eſt competunt, veluti actio familiæ erciſcundæ. l.1. D. ill. tit. Item quæ ex contractibus competunt, quæ idcirco naſci dicuntur, neque à Prætore temerè denegari poſſunt, quantumuis iniquæ videantur: veluti, quamuis dolo, vi, aut metu contracta verborum obligatio ſit, tamen ſummo iure naſcitur ex illa actio, quemadmodum ad tit. Inſt. de action. iampridem diximus.

A Et hoc eſt, quod dici ſolebat, ius ſummum ſummam interdum eſſe iniuriam. Interdum tamen vbi euidens erat actionis iniquitas & actoris impudentia Prætor pro poteſtate actionem ſummo iure competentem denegabat. qua de re Prætor nonnunquam ſummatim & de plano, nonnunquam pro tribunali & cum cauſſæ cognitione ſtatuebat. De plano, veluti ſi dolus euidens aliàve iniquitas prohibebat, vt in l.1. §.4. D. de dol. mal. l.123. De verb.oblig. l.5. C. de cond.ob turp.cauſſ. B Item ſi obligatio, ex qua competere dicebatur actio, ipſo iure perempta, extincta, ſublata erat. Quod vt intelligatur, illud ſcire oportet, Obligationes ac proinde natas ex illis actiones interdum ipſo iure perimi, interdum per tuitionem Prætoris, ſiue per exceptionem ipſo iure perimuntur: veluti ſolutione, nouatione, acceptilatione. nam vt certis & legitimis modis obligationes contrahuntur, ita certis & legitimis modis ſic diſſoluuntur, ſic moriuntur, ſic intereunt, vt parere actio- C nem non poſſint: ac proinde Prætor earum nomine conſtituere iudicium non poſſit: qua de re ſummatim, vt dixi, Prætor cognoſcebat, veluti ſi credita pecunia ſoluta fuiſſe diceretur. nam vbi actor edito puta chirographo creditam abs ſe pecuniam docuerat, confeſtim reus ſe ſoluiſſe oſtendebat l.1. C. de probat. l.9. §.1. D. de ſolut. Item ſi nouatione perempta obligatio dicatur, de eo Prætor ſummatim cognoſcit, & ſi probatum ei fuerit, iudicium non dat. l.1. ſi debitor, 91. D. de ſo- D lut. Item ex S.C. Macedoniano ſi de filijfa. conditione Prætori apparebat. l.7. §.non ſolùm. l.9. §. hoc S.C. D. ad Maced. quod idem de Velleiano traditur in l. 15. l. 16. l.17. §.ſi mulier. l. 30. D. ad Velleian. atque idcirco etiam actiones quæ competunt, dari tamen à Prætore dicuntur. l.9. §.vlt. & l.ſeq. D. de tut. & rat. diſtr. Quod vt planius fiat, intelligendum eſt, Dari à Prætore actiones propriè dici quæ prætoriæ ſunt: quarum quædam merè ſunt prætoriæ, quæ ex ipſius iuriſdi- E ctione ſubſtantiam capiunt: quædam ciuiles & fictitiæ, quales ſunt vtiles ad directarum exemplum compoſitæ, quæ non niſi benignitate Prætoris conceduntur, & vt paſſim dicitur, adcommodantur. Et huc pertinet regula iuris l.102 §.1. D. de reg. iur. Eius eſt actionem denegare cuius eſt dare. quod ſimiliter interdum ſummatim fiebat. veluti ob ſpretam noui operis nūciationem. l.1. §.3. D. de nou. oper. nunciat. Item ob contumaciam fratris qui non contulit. l.1. §.ſi frater, D. F de colla.bon. Interdum cum cauſſæ cognitione: veluti ſi decretalis erat, vt in l.item ſi, 14. §. 1. D. quod met.cauſſ. & in l.1. C.TH. de dol. ſic edicto comprehenſum erat, vt aduerſus eum qui omiſſa teſtamenti cauſſa alio modo hereditatem poſſidet, non continuò detur actio, ſed cauſſa cognita ſi dolo malo id fecerit. l.6. §. 2. D. ſi quis omiſſ. cauſſ. Per tuitionem Prætoris diſſoluuntur obligationes, quæ non per ſe & ſummo iure extinguntur, ſed per exceptionem à Prætore ex bono G & æquo adcommodatam eliduntur, excluduntur. Omnes enim exceptiones ex bono & æquo adcommodantur contra ſtrictam iuris ciuilis rationem. veluti ſi pactum de non petendo factum eſt, ſi iuſiurandum præſtitum eſt, ſi debitor bonis ceſſit, ſi dolo vel vi vel metu contracta ſtipulatio dicatur. nam cùm hi non ſint legiti-

legitimi, & iure ciuili conſtituti tollendarum obligationum modi, obligationes durant, ſed quia contra æquum & bonum durant, idcirco Prætor æquitatem ſequens per exceptionem illas excludit. qua tota de re abundè dixi ad leg. 19. C. de probation. Huic autem cognitioni, ſiue ſummaria ſiue plana erat, cauſſam præbebat Rei defenſio, quæ duplex erat. Nam cùm in ius ventum erat, actor iudicium in hunc ferè modum poſtulabat, vt in Iuriſconſulto noſtro docuimus: Quando te mihi ex cauſſa mutui centum dare oportet, poſtulo vt tantam mihi pecuniam ſoluere damneris. Huius actionis duæ ſunt partes, Intentio quæ etiam allegatio dicitur, & Clauſula condemnationis, & aduerſus bipartitam hanc actionem reo duplex defenſio competit: quarum prior eſt Negatio, quæ intentioni opponitur, cùm in iure ſit interrogatio. & quamuis generali Defenſionis nomine comprehendatur, l. 5. l. 8. D. de exception. l. 11. C. eodem. tamen propriè & ſtrictè neque defenſio neque exceptio eſt: ſiquidem, (inquit Imp.) intentionem actoris probatione deficere confidis, nulla tibi defenſio neceſſaria eſt. l. 9. C. de exception. Itaque reſponſiones in iure dilucidè ab exceptionibus ſeparantur. l. 43. D. de regul. iuris. l. 12. §. 1. D. de interrog. Negatio autem litem inficiatur, vt ait l. 2. in fin. D. de except. Hixita conſtitutis dicebatur Acceptum iudicium: nam litis conteſtatio & iudicij conſtitutio ſic inter ſe cohærent vt ſæpè coniungantur, velut in l. quod ſi nolit, 31. §. culpam, D. de ædilit. edict. l. 1. D. de litigioſ. l. ſed etſi, 28. §. 1. §. 2. D. de iudic. qua de cauſſa dicebatur interdum Iudicium conteſtatum. l. ſi mulier, 19. D. ſol. matr.

De datione & recuſatione iudicis.

Cap. X.

ALtera conſtituendi iudicij pars fuit Datio & recuſatio iudicis, nam olim certæ fuerunt iudicum decuriæ, hoc eſt certus ordo eorum quos cùm vſus veniret iudicijs dare operam oportebat. vnde iudicandi munus neceſſarium in l. pen. §. quæ autem. D. de vacat. l. cùm qui, 13. D. de iuriſd. l. duobus, 30. D. de lib. cauſſ. l. vlt. §. iudicandi, D. de muner. & hono. Ergò in cauſſis priuatis plerumque nõ Prætor ipſe iudicabat, ſed priuatum aliquem iudicem de litigatorum tamen conſenſu dabat, qui de cauſſa cognoſceret, & ſecundum formulam ſibi à Prætore præſcriptam ſententiam pronunciaret. Dixi autem de litigatorum ſententia & conſenſu, quoniam inter eos de Iudice conuenire oportebat. l. ex conſenſu, 23. D. de appellat. l. obſeruandum, 47. l. ſi in iudiciis, 80. D. de iudi. Cic. in Cluent. Neminem voluerunt maiores noſtri nõ modò de exiſtimatione cuiuſquam, ſed ne pecuniaria quidem de re minima eſſe iudicem niſi qui inter aduerſarios conueniſſet. Itaque qui ex hoc Iudicum ordine editus alterutri litigatori ſuſpectus videretur, reiiciendi & recuſandi ei poteſtas fiebat. l. ſi pariter, 9. D. de lib. cauſſ. l. 1. D. apud eum à quo appell. Cicero Verrin. V. Præterea conuentus honeſtus Syracuſis. multi equites Rom. viri primarij, ex qua copia iudices reiici oporteret. Item, Si ex omni copia conuentus Syracuſani ſplendidiſsimorum hominum faceres poteſtatem Aratori non modò A reiiciendi, ſed etiam ſumendi Recuperatores, tamen hoc nouum genus iniurię ferre nemo poſſet. Tempus autem recuſando iudici olim præſcriptum fuit X. dierum: ſed nouiſſimo iure XX. dies à Iuſtiniano præſtituti ſunt. Nouell. 53. 82. 96. Recuſationis autem cauſſas libello complecti oportuit, vel apud acta teſtari. l. vlt. C. de iudic. & d. l. ſi pariter, De lib. cauſſ. Hæ dicebantur exceptiones declinatoriæ, & antè litem conteſtatam opponebantur. nam priuſquam iudicium conſtituatur, de Iu- B dicis & reorum perſonis conſtare oportet. Vbi lis conteſtata erat, locus recuſationi iudicis non erat. nam qui litem cõteſtatur, ratam habere iudicis dationem intelligitur, & recuſationis cauſſis, ſi quas habebat, tacitè renunciaſſe. l. 2. C. de iuriſd. omn. iudic. & l. apertiſsimi. 14. C. de iudic. ad quam legem hac tota de re copioſè diſſeruimus. Recuſato verò iudice litigatores cõmuni cõſenſu de arbitro deligendo conueniunt d. l. 14. quam ad rem triduum præſcriptum eſt l. vlt. eod. Hi dice- C bantur Iudices delegati, propterea quod certæ cauſſæ cognitio iis delegabatur. Item Pedanei, quod non edito & legitimo loco iudicabant, ſicut magiſtratus ex tribunali & ſella eburnea, ſed humi, vel pedibus ſtantes vel humili ſubſellio conſidentes cauſſas audiebant. l. 1. & paſſ. C. de pedan. iud. Longè igitur aliud fuit ius dicentis, aliud iudicis officium. l. 1. D. de iuriſd. l. 4. D. de damn. infect. Qui cum imperio eſt, latiſſimam pro iure imperij ſui poteſtatem habet, & multa pro ſuo arbitratu D ex bono & æquo decernit. At iudex delegatus nullam eiuſmodi poteſtatem habet, niſi in bonę fidei iudiciis. Magiſtratibus iuriſdictio & cognitio attribuitur. Pedaneis iudicibus notio ſiue cognitio, iuriſdictio nunquam. l. 5. D. de re iud. l. vlt. C. vbi & apud quem cognit. reſtit. l. quidam conſulebat, 57. De re iud. & paſſim Iudices pedanei à Magiſtratibus ſeparantur. l. 1. C. de pedan. iud. l. vlt. D. de off. Præt. l. 5. D. de verb. obl. l. 1. D. de præt. ſtipul. Porrò Prætor ipſe nunquam in quibuſdam cauſſis E iudicat, & cùm ei commodum eſt, vt in ſpecie l. Titiæ, 35. §. 1. D. de aur. & arg. leg. & l. 9. D. de off. præſ. qua de re in Epitom. noſtris ad Pand. dictum eſt, itémque in Obſeruat. lib. 6. cap. 6. cap. 23. ca. 24. ſed luculentius earund. Obſer. lib. 7. cap. 4. & 5.

De exceptionibus declinatoriis.

Cap. XI.

LItis autem ordinandæ pars fuit exceptio decli- F natoria. Exceptio generale nomen eſt, qua omnis eius qui in ius vocatus eſt reſponſio ſiue contradictio comprehenditur, inde meo quidem iudicio dicta, quod Reus poſterior Actorem prius dicentem excipit. Declinatoria verò exceptio dicitur allegatio, per quam reus non actoris petitionem excipit ac ſuſtinet, ſed præſens iudicium euitat & certamen detrectat. itaque propriè hæc Præſcriptio eſt: qualis eſt de foro competenti, cùm ſe ad eum in G ius vocatum contendit, cuius iuriſdictioni ſubiectus non eſt: quamquam ſequi nihilominus vocantẽ debet, vt de ipſius allegatione cognoſcatur, vtrum ſcilicet ipſius iuriſdictio ſit an nõ. l. 5. D. de iud. l. 2. D. ſi quis in ius voc. nam hæc præſcriptio ante litis conteſtationem opponendi eſt. l. vlt. C. de except. l. ſed etſi ſuſceperit, D. de iudic. nam alia præſcriptio eſt Iudicis incompetentis, alia Iudicis ſuſpecti.

Illa per exceptionem opponitur ſine cauſſæ expoſi-
tione,quia poſtea cognoſcitur:hęc per libellum vel
apud acta & cũ cauſæ cognitione.vt ſ.dictum eſt.l.
vlt.C.de iud.l.ſi pariter,D.de lib.cauſſ.Eſt & Exce-
ptio procuratoria;eũm reus negat puta militi alie-
no nomine actionem intendere.l.ita demum.13.C.
de procurat. Forum autem competens dicitur quò
quemque in ius vocare inuitũ licet, neque per vllũ
aut priuilegium aut præſcriptionẽ declinari poteſt:
qua de re abundè diximus in Epitomat. ad rub. de
iudiciis.Atq; hæc quidem exceptio dilatoria quoq;
dicitur.ſed Dilatoriæ nomen multo latius eſt. nã in-
terdum cauſſæ ipſius ſummã attingit,ſed tantum ad
tempus: veluti ſi conuenerit ne intra certum tem-
pus peteretur,vtputa intra triennium. §. appellãtur,
Inſt.de except.& nos in Comment.de verb.iur. Ac
omnes quidem declinatoriæ dilatoriæ ſunt, at
non omnes dilatoriæ ſunt declinatoriæ. Illæ apud
Prætorem in iure tantũ obiiciuntur, & ſimul diſce-
ptantur.l.vlt.C.de excep.l.ita demum,13.C.de pro-
cur. At dilatoriæ quædam ſunt quæ apud Prętorem
quidem conteſtantur, ſed apud Iudicem tantum
cognoſcuntur l.exceptionem,19.C.de probat.

De re & lite. CAP. XII.

NVnc illud admonendi ſumus,quæ vſq; ad hoc
tempus dicebatur RES, nunc iudicio conſti-
tuto propriè LITEM dici ſolitam,& quæ res in cõ-
trouerſia eſſe dicebatur, eandẽ dici rem litigioſam.
l.1.D.de litigioſ.& qui anteà Partes, nunc litigato-
res appellati.Res autem litigioſa eſt cùm in iudiciũ
deducta eſt.l.ſi rem,31.D.de nouat.l.liberto,31.§.2.
D.de neg.geſt. l.2.C.de pet.hered. Pinguius inter-
dum Controuerſiæ nomen pro lite vſurpatur,nun-
quam autem lis pro controuerſia. Hinc illud Var-
ronis: Quibus res erat in controuerſia ea vocaba-
tur lis.ideò in actionibus videmus dici, *Quam rem,
ſiue litem,dicere oportet*. Et poſt litis conteſtationem
lis exerceri dicitur. l. non diſtinguemus, 32.§. item
ſi qui, D. de recept. litis enim nomine etiam actio
intelligitur. l. litis, 36. D. de verbor. ſignificat.Sed
ex illis Varronis verbis intelligitur Iuriſconſultos
interdum dubitaſſe, vtrùmne Rem an Litem di-
cere oporteret: quod Cicero in Muræn. exagitat,
Tot homines, inquit, tam ingenioſos ſtatuere
non potuiſſe, vtrum diem tertium an perendinum,
Iudicem an arbitrum,rem an litem dici oporteret.
Et certum eſt interdum ſeparari, vt in l.cum mi-
les,11. D. de alien. mut. iud. vt rem magis quàm
litem tranſtuliſſe in militem credatur. Item in l.ſi
defunctus.9.C.de ſuis & legit. ſi quæ poterant vel
de re vel de lite competere actiones. Coniunctim
autem de rebus & controuerſiis omnibus arbi-
trum ſumere, frequens eſt locutio, vt in l. qualem,
15.§.1.l.quid tamen, 21. §. plenum. l.de rebus 43. l.
de his, 46. D. de recept. Porrò nouo iure Iuſtin.
conſtitutum eſt, vt ea litigioſa res haberetur, cu-
ius de dominio apud iudicem inter actorem &
reum orta contentio eſt, Nouell.112.

De Condictionibus.

CAP. XIII.

COnſtituto iudicio moris fuit, vt actor reo con-
diceret, id eſt denunciaret quo die ad Iudi-
cem eum adeſſe vellet. nam Condicere, inquit Iu-
A ſtinianus, priſca lingua dicebatur pro denunciare.
Cicer. pro Qu. Roſcio: Quid enim factum eſt?
veniſti domum vltrò Roſcij: quod temet commi-
ſiſſes in iudicium vt denunciares. rogaſti vt ignoſ-
ceret. te adfuturum negaſti. deberi tibi ex ſocie-
tate nihil clamitaſti. Cùm autem ferè in diem
tertium ſiue perendinum ea condictio fieret,
hinc probabile eſt Comperendinationem appel-
latam. Comperendinatio eſt, inquit Pædianus, ab
B vtriſque litigatoribus inuicem ſibi denunciatio in
perendinum diem, námque cùm in rem aliquam
agerent litigatores,& pœna ſe ſacramenti peterent,
poſcebant iudicem qui dabatur poſt tertium diem:
quo dato,deinde inter ſe in perendinum diem vt ad
iudicium venirent,renunciabant. Quò eodem illæ
veteres notæ pertinebant, I.D.T.S.P. in diem ter-
tium ſiue perendinum. Ex quibus verbis intelligi-
tur, Comperendinationem non ad ius & Præto-
rem, ſed ad iudicium pertinuiſſe: vt Macrobij er-
C rorem admirari liceat. qui lib. 1.cap.16. Compe-
rendinos dies definit quibus vadimonium dicere
licebat.

De cauſſæ coniectione.

CAP. XIV.

CVM ex comperendinatione ventum eſſet
ad Iudicem, antequam cauſſa ageretur, ait
Pædianus, litigatores quaſi per indicem cauſſam
D exponebant. quod ipſum dicebatur cauſſæ conie-
ctio, quaſi cauſſæ ſuæ in breue coactio. Itaque
Sabinus Regulas Iuris Cauſſæ coniectionibus
comparabat. l.1. D. de regul. iur. quia Iudex leui-
ter audita litigatorum altercatione ſummam quan-
dam eius controuerſiæ quaſi informationem col-
ligebat: qualis ferè fuit Rhetorum in iis quæ Græci
τὸ κρινόμενον, Latini diſceptationem appellarunt. A.
gellius li.5.c.10. Et cum ad iudices coniiciendæ cõ-
ſiſtendæq; cauſſæ gratia veniſſent, &c. Afranius a-
E pud Nonium: Cauſſam coniicere apud te volo. am-
bo adeſte. profuturos arbitror. Sed ne actum aga-
mus, diximus olim hac tota de re Obſeruationum
noſtrarum libro 2. capit. 18. itémque ad l.1. D. de
regul.iur.

*De iure moribus recepto in litibus apud iudices
inſtituendis.*

CAP. XV.

F MOribus noſtris inductum eſt,vt omnes apud
Iudicem allegationes, quæ vel ab actore vel
à reo proferuntur, literis conſignentur: in quibus
primum obtinet locum is qui Libellus conuen-
tionis appellatur. de quo ſuprà dictum eſt: cuius
quattuor ferè partes ſunt. Prima, vt actor ab ex-
ordio nomen Iudici & ſuum & rei profiteatur. hoc
modo: Apud Iuridicum Alexandriæ L. Titius ad-
uerſus C. Mæuium actionem inſtituit. Secunda,
vt paucis ſuam intentionem cum cauſſa exponat
G hoc ferè modo: Intendítque illum ſibi centum au-
reos dare oportere ex cauſſa mutui, vel legati, vel
dotis, &c. nulla enim ſine cauſſæ adiectione peti-
tio, poſtulatio, allegatio eſt. Tertia eſt, vt inten-
tionis ſuæ probationem paratam eſſe profiteatur
hoc ferè modo, Quemadmodum ex ipſius chiro-
grapho, vel teſtibus, vel tabulis teſtamenti ſe
probaturum profitetur. Poſtrema eſt, Poſtulatio,

vt niſi reus quamprimum ſatisfaciat, in litis æſtimationem damnetur. A Hunc Conuentionis libellum reus interdum ſic excipit, vt eius ſibi copiam edi, & ſpacium ſibi ad deliberandum dari poſtulat. Vbi verò per viatorem eius libelli copia ei facta eſt, iubetur protinus reſpondere. Solent autem Reſpõſiones primæ ſumi ex declinatoriis & dilatoriis exceptionib. ſi quas habet: quibus vbi actor reſpõdit, & reus ſi ei commodum fuit confirmauit, Iudex ſolet eam primam velitationem ſiue altercationem ſententia interlocutoria dirimere. B Quo facto Reus iubetur actoris intentioni deſtrictè reſpõdere, & ſuas defenſiones producere. Eóque tempore, audita ſcilicet vtriuſque partis allegatione, ſiue actoris intentione ſiue rei contradictione, propriè Conteſtata lis dicitur, nam actor directè poſtulat vt reus litem conteſtetur, in quo Iudex interloquitur & iubet. Porrò producta à reo defenſione, actor eius ſibi copiam fieri poſtulat. Iudex concedit, eúmque iubet intra certam diem replicationes, ſi C quas habet, proferre. Actor itaque quas habet probationes producit, & teſtes nominat, quos ſe editurum profitetur. Reus inſtrumentorum copiam petit. Iudex iubet reum interrogari, exhibere: deinde tempus producendorum teſtium præfinit, quod eodem modo in duplicationibus & triplicationibus obſeruatur, vſque dum litigatores concludant. ſic enim loquuntur. Cætera Pragmatico cuiuis nota ſunt, neque ad inſtitutum noſtrum pertinent, quod de lite ex iuris Rom. forma & præ- D ceptis ordinanda ab initio fuerat.

Finis.

DE POENIS ET SVPPLICIIS APVD ROM.

Obſeruatio II. nunc primùm edita.

PRISCIS temporibus moris fuit, vt capitalis criminis damnati lictoribus aut carnifici traderentur qui eos ad palum adligatos capite furcæ inſerto virgis in foro vel comitio ad necem cæſos ſecuri feriret. Vnde frequentiſſima apud auctores locutio, More maiorum, more pri- F ſco de damnatis ſupplicium ſumere. Sueton. Neron. Legit ſe hoſtem à ſenatu iudicatum & quæri vt puniatur more maiorum; interrogauitque quale id eſſet genus pœnæ. & cùm comperiſſet nudi hominis ceruicem inſeri furcæ, corpus virgis ad necem cædi, conterritus duos pugiones arripit. Cicer. Ver. V. Hos ad ſupplicium iã more maiorũ traditos & ad palum adligatos ex media morte liberare auſus es. Item alio loco: Etiam illud præcidas licet, te quod ſupplicium more maiorum ſumſeris, G ſecuríque percuſſeris, idcircò à me in crimen vocari. Sueton. Claud. Cùm ſpectare antiqui moris ſupplicium Tiburi concupiſſet, & deligatis ad palum noxiis carnifex deeſſet, accitum ab vrbe ad veſperam vſque opperiri perſeuerauit. Cato apud Salluſt. de confeſſis ſicuti de manifeſtis rerum capitalium more maiorum ſupplicium ſumendum. Verium Regib. exactis conſtituta rep. tres Valeriæ leges ab eadem familia latæ ſunt: Ne quis qui ad populum prouocaſſet, virgis cæderetur, ſecuriue necaretur: teſte Liuio lib. II. III. X. Quare qui vel ad populum non prouocabat, vel iterum à populo damnatus, carnifici tradebatur. Deinde Porcia lex à M. Porcio Catone Tribuno pl. lata eſt anno CDLIIII. ne quis magiſtratus ciuem R. virgis cæderet necaretve, ſed damnato exſilium permitteret. quæ lex cùm interdum neglecta eſſet, vt intelligitur ex A. Gell. lib. X. cap. III. poſt à C. Sempronio Graccho Tribuno pl. renouata eſt anno DCXXX. ne de capite ciuis R. iniuſſu populi iudicaretur. quod Cice. in Rabir. & Liu. lib. X. teſtantur. Porcia lex (ait Cicer.) virgas ab omnium ciuium corpore amouit, libertatem ciuium lictori eripuit. Idem Verr. VII. O nomen dulce libertatis! ô ius eximium noſtræ ciuitatis! ô lex Porcia legéſque Semproniæ! Cæſar apud Salluſt. Maiores noſtri Græciæ morem imitati verberibus animaduertebant in ciues, de condemnatis ſummum ſupplicium ſumebant. poſtquàm Reip. adoleuit, lex Porcia aliæque leges paratæ ſunt, quib. legib. exſilium damnatis permiſſum eſt. Idémq; Polib. lib. VI. teſtatur, & Tacitus lib. XIV. Indéq; lex Porcia dicta eſt pro tergo lata & pro ſcapulis. Eiúſque iuris antiqui mentio fit apud Pompo. l. 2. §. exactis, D. de orig. iur. Quinetiam lege Iulia de vi publica renouatæ illæ fuere leges veteres: ſi quis cum imperium poteſtatémve haberet, ciuem R. aduerſus prouocationem necaſſet, verberaſſet l. 7. D. ad l. Iul. de vi pub. Idq; ius Paulus Apoſtolus ſignificat Act. XVI. quod cum ciuis R. eſſet, tamẽ iuſſu tribuni militaris adligatus ac virgis cæſus fuiſſet. ὁ δὲ χιλίαρχος, inquit Lucas, ἐφοβήθη ἐπιγνοὺς ὅτι ῥωμαῖός ἐστ. Nã & iis qui exercitui præerãt, itémq; tribunis militum & præfectis claſſium vel alarũ militaris criminis coercitio ſine prouocatione data erat l. 6. D. de cuſtod. reor. l. 12. §. 2. l. 13. §. 3. D. de re milit. & apud Paul. ſent. lib. V. cap. XXVI. atque inde natum eſt E Meri imperij nomen. Hircius li. 1. de bell. Afric. Ira percitus Scipio adnuit cẽturionib. quid fieri vellet, atq; ante pedes centurionẽ iter fecit. Atq; hæc cauſſa fuit quamobrẽ Cæſarem appellauerat Paulus. nam cùm olim ſtãte rep. populus R. hoc eſt, tribuni ple. appellarentur, vt paulo ante diximus, Rep. ad vnum trãſlata, & tribunitia poteſtate adſumpta, cœptũ eſt ad Cæſarẽ appellari. Nunc illud ſcire oportet, interdũ cauſſas eiuſmodi accidiſſe, vt ex vſu reip. videretur, morem illum veterem renouare: vt cùm apud Salluſt. Porcius Latro ſic loquitur: Deinde lege Gabinia promulgatum, Qui coitiones vllas clandeſtinas in vrbe conflauiſſet, more maiorũ capitali ſupplicio multaretur. Sic Liu. lib. LV. Naſica & Bruto Coſſ. C. Matienem accuſatum quod exercitum deſeruiſſet, damnatúmq; ſub furca diu virgis cæſum HS. nummo veniſſe. Deinde in l. Iulia exceptiones aliquot fuiſſe, eorũ quibus ad populum prouocandi ius non erat, quarũ primam Paul. ſent. V. tit. XXVI. numerat, eorum qui artem ludicram faciebant, hoc eſt hiſtrionum: quippe qui Romæ infames habebãtur. l. 1. D. de his qui not. inf. & Tacit. li. II. annal. Secũda fuit eorũ qui iudicati & cõfeſſi erãt, quib. tãquam ipſa lege dãnatis ius appellãdi non eſt. ſent. V. tit. XXXV. & argumentum habet in l. 5. D. de cuſtod. reor. Tertia fuit furum ac latronum. Aſcon. in Diuinat. vt fures, inquit, & ſeruos nequam qui apud Triũuiros capitales ad columnã Meniã puniri ſolet.

Liu. lib. xxxviii. Atenim quod ex bonis redigi A non poſsit, ex corpore & tergo L. Scipionis petituros inimicos, vt in carcere inter fures nocturnos & latrones vir clariſsimus includatur. Quartam fuiſſe arbitror, abiectarum & humiliũ perſonarum: veluti libertinos, ſcœnicos, tabernarios, cocos, arenarios omnes infames. Cicer. Verr. III. Oblitóſne igitur hos putatis quemadmodum ſit iſte ſolitus virgis plebem R. concidere? quam rem etiam tribunus pl. in concione egit, cùm eum, quem virgis iſte cæciderat, in proſpectum populi R. produxit. Denique B repub. in vnum translata plerumque Principis iuſſu milites ſiue ſpiculatores ipſius in damnatos animaduertebant: quippe cùm Imp. conſtitutionibus omnes pœnæ eſſent extraordinariæ, l. hodie, 13. D. de pœn. & corpora eorum qui erant in carcere necati ſæpè vncis ad gradus & ſcalas Gemonias indéque in Tyberim protrahebãtur. Tacit. XI. Narcisſus denunciat centurionibus & tribuno qui aderant, exſequi cædem. ita Imperatorem iubere. Meſſalina ſta- C tim ictu Tribuni transfigitur. Lamprid. in Heliogabalo: Sabinum conſularem virum, ad quem libros Vlpianus ſcripſit, vocato Centurione mollioribus verbis iuſſit occidi. ſed centurio aure ſurdior imperari ſibi credidit vt vrbe pelleretur. itaque fecit. ſic vitium Centorionis Sabino ſaluti fuit. Ergò euerſa rep. pœnæ alias ordine, id eſt legibus publicorum iudiciorum, alias extra ordinem, hoc eſt ſine legib. & variis modis iudicabantur. ac initiò probandorũ criminum ordo legibus publicorum iudiciorũ inſtitutus in vſu eſſe deſiit. l. 8. D. de pub. iud. poſt verò non modò exercendorum publicorum iudiciorum ordo in vſu eſſe deſiit, verum etiam criminum puniendorum. l. 7. §. vlt. D. repetund. l. 3. §. pen. D. de ſicar. l. vlt. D. ad leg. Fab. l. 13. D. de pœn. Hodie licet ei qui extra ordinem de crimine cognoſcit, quam vult ſententiam ferre, vel grauiorem vel leuiorem. Quinetiam interdum Principes permittebant liberam mortis facultatem ſiue arbitrium. l. 8. §. 1. D. de pœn. & paſsim apud Tacitum. Sic etiam Domitianus veſtalibus inceſti accuſatis liberum mortis arbitrium permiſit. Sueton. Domitiano.

Sequitur tabula de ſupplicijs.

Suppliciorum alia ſunt, ait Paulus, ſent. 5. tit. 17.

- Summa: l. 28. D. de pœn. quibus libertas adimitur.
  - Crux
  - Crematio
  - Decollatio, ſiue capitis amputatio, gladio non ſecuri d. l. 8. §. 1.
  - His tribus modis olim adimi vita poterat, non laqueo, non furca. l. 8. §. 1. D. de pœn.
- Mediocria, quib. libertas adimitur, & pœnæ ſeruitus imponitur.
  - Metallum, opus metalli, opus publicum perpetuum.
    - l. 8. §. 3. l. 17. l. 36. De pœn. §. 2. Inſtit. quibus mod. ius pat. poteſt.
  - Ludus l. 25. §. 2. De adqui. hered. l. 6. §. 4. de iniuſt. rup. & d. l. 8. §. pœn. de pœn.
    - Venatorius: cùm damnatus in arena cum feris depugnat. l. 10. D. de vi pub.
    - Ad beſtias.
    - Gladiatorius.
  - Deportatio.
- Minima quibus neque libertas neque ciuitas adimitur. l. 5. D. interd. & releg.
  - Relegatio.
  - Exſulium.
  - Opus publicum ad tempus.
  - Vincula ad tempus.

CRVX

CRVX ET FVRCA.

Furca fuit trium generum. Vna, lignum plauſtri, quod temoni ſubiicitur, & ſeruis non tam ſupplicij quàm ignominiæ cauſſa ferendum imponebatur. Halicar. lib. VII. Plut. in Coriol. & Donat. in Terent. Altera, lignum duplex, quo damnati collum inſerebatur, quo commodius ad ſupplicium traheretur: quod ſignificari puto in l. 1. D. de vi pub. Aurel. Victor: Senatus ſententia conſtitutum, vt more maiorum collo in furcam coniecto virgis ad necem cæderetur. Prudentius:

Etiam retortis brachiis Furca eminus,
Romanus acto ingerebatur rogo.

Tertia fuit, qua hodie paſſim vtuntur, ex qua laqueo ſuſpendi damnati ſolent. Iſidor. lib. V. patibulum appellat. Sed patibulum adpenſos ſtatim exanimat; crux autem ſubfixos diu cruciet. Vnde in Euangelio, latronibus vt morerentur & de ligno ante ſabbatum deponerentur, crura ſubfracta ſunt, quia ligno ſuſpenſi citò mori non poterant. Seruile autem plerumque hoc ſupplicium fuit. Cic. Verr. V. vt quã ſeruis damnatis crucem fixeras, indemnatis ciuibus R. reſeruares. Itemque latronum & transfugarum, vt paullo antè docuimus ex l. 28. §. pen. & l. 38. §. 1. de pœn. itémque ſacrilegorum l. 6. D. de peculat. Crucis diſſimilis & forma & ratio fuit. Seneca de conſolat. ad Marciam: cap. 20. Video iſtas cruces non vnius quidem generis ſed aliter ab aliis fabricatas, alij capite conuerſos in terram ſuſpendere, alij per obſcœna ſtipitem egerunt, alij brachia patibulo explicuerunt. Et hanc vſitationem fuiſſe conſtat. Sozomen. hiſt. eccleſ. lib. 1. cap. VIII. narrat Conſtantinum hoc genus ſupplicij ſuſtuliſſe, & in ſuis numis ſculpſiſſe. Idem ſcribit Nicephor. hiſt. eccleſ. lib. VII. cap. XLVI. quia pro ſigno venerandæ Chriſtianæ religionis habebatur, vt Theodoſ. loquitur l. vlt. C. Th. de pagan. ſacrif. & templ. Itaq; non dubium eſt, quin paſſim in libris noſtris, vbi Crux poſita erat, ibi furcæ nomen à Triboniano ſuppoſitum, vt in d. l. 8. §. 1. De pœn. Moris autem fuit vt viui capite velato cruci ſubfigerentur impactis in manus & pedes clauis & brachiis expanſis pendentes, inedia tandem necarentur. quod ſi diutius viuere viderentur, carnifices crura ſubfringebant. Ioan. cap. 19. vbi at crura Chriſto ideò non ſubfracta quia mortuum eum offenderant. Senec. de vita beat. cap. XIX. Cùm refigere ſe crucibus conantur in quas vnuſquiſq; veſtrum clauos ſuos ipſe adiicit ad ſupplicium tamen acti ſtipitib. ſingulis pendent. Lactant. lib. IV. de diuin. inſt. cap. XXVI. Subfixus itaque cùm ſpiritum ſponte depoſuiſſet, neceſſarium carnifices nõ putauerunt oſſa eius ſubfringere, ſicut mos eorum ferebat: ſed tantummodò latus eius perforauerunt. Porrò moris fuit, vt milites aliquot cuſtodes imponerentur, nequis ſuſpendioſorum corpora ſupulturæ mandaret. Petron. in Satyr. Proxima nocte cùm miles quis cruces adſeruabat ne quis ad ſepulturam corpora detraheret notaſſet ſibi & lumen &c. Ex quo intelligitur, indulgenter potius quàm ex more permiſſum fuiſſe Ioſepho Arimatheenſi decurioni vt Chriſti corpus ſepulturæ mandaret. Obſeruandum tamen Iudæos adpropinquante feſto die ſupplicio adfectos ex hominum conſpectu tolli iuſſiſſe. Ioan. 19. nam Deute. 21. in crucem actorum cadauera ad veſperam de ligno deponi, eodémque die ſepeliri debebant.

A Ideò petierunt, vt crura latronibus ſubfringerentur. Math. 27. Marc. 15. Luc. 23.

CREMATIO.

Crematio eſt viui hominis damnati exuſtio: qua pœna transfugæ ad hoſtes & publici conſilij renunciatores adficiebantur. l. 8. §. 2. l. 38. §. 1. D. de pœn. item falſæ monetæ damnati. l. 2. C. de falſ. monet. item qui in vrbe dolo malo incendium fecerunt. l. 9. B D. de incend. naufrag. Tacit. ſub Nerone, vbi de Chriſtianis hoc ſupplicio adfectis loquitur.

DECOLLATIO.

Decollatio eſt, quæ alibi capitis amputatio dicitur, cùm quis ad gladium damnatus lictori vel carnifici traditur, vt gladio ei caput amputetur. d. l. 8. §. 1. De pœn. Sueton. Calig. Miles decollandi ar- C tifex quibuſcumque è cuſtodia capita amputabat. Eadem dicitur ſpecialiter Animaduerſio. l. 11. §. vlt. & l. ſeq. De pœn. Vnde illud veteris poetæ in orat. Cicer. pro C. Rabirio: Animaduerte & dicto pare: id eſt, gladio percute. Ex quo intelligitur cur Ant. Caracalla dixerit, gladio te iuſſum meum exſequi oportuit, vt ſcribit Spartianus, cùm in Papinianum animaduerti iuſſiſſet: quem carnifex ſecuri percuſſerat: Nam decollationem gladio, non ſecuri, non telo fieri oportuit. d. l. 8. §. 1. De pœn. Proconſul D in vita Cypriani: Taſcium Cyprianum gladio animaduerti placet.

METALLVM, OPVS METALLI.

Damnatio in metallum eſt, cùm quis ad effodendum metallum grauioribus vinculis adligatus damnatur. Magna hæc capitis minutio eſt. quia pœnæ ſeruitutem irrogat l. 8. §. 1. l. 36. De pœn. At Iu- E ſtiniani lege noua Media capitis diminutio facta eſt. Nouell. 22. Sed ad opus metalli damnati leuiorib. vinculis premuntur, opinor cùm in excoquendo elaborent. Grauius enim ſupplicium illud fuit. l. 8. §. 4. De pœn. l. vlt. D. de extraord. cogn. Vtraque autem pœnæ eſt ſeruitus, l. 17. l. 19. l. 36. de pœn De grauitate autem huius ſupplicij vide Diod. Siculum lib. VI.

LVDVS VENATORIVS.

F Damnatus ad ludum venatorium pœnæ ſeruus efficiebatur. l. 25. §. 2. D. de adquir. hæred. l. 8. §. 1. De pœn. non tamen vt continuò conſumeretur, ſed vt in arena ferro cum beſtiis pugnare diſceret, ad populi voluptatem, vt aliquando in theatro venararetur, interdum etiam vt pyrrhicharius fieret, hoc eſt, ſub armis geſticulari & ſaltare diſceret l. 8. §. pen. D. de pœn. l. 10. D. ad leg. Iul. de vi pub. l. vlt. D. de fugit. Perſæpè autem non damnati, ſed vltrò ſeſe G ad venationes dabant, de quibus l. 1. §. remouet, D. de poſtul. vnde Beſtiariorum & Harenariorum nomina in l. 21. §. 2. D. de teſtib. l. 11. C. de inoff. teſtam. Cyprian. epiſt. lib. II. Quid illud, oro te, quale eſt vbi ſe feris obiiciunt quos nemo damnauit, ætate integra, boneſta ſatis forma, veſte precioſa viuentes in vltroneum funus ornantur, malis ſuis miſeri gloriantur. pugnant ad beſtias non crimine ſed fu-

A ſente ſpectant filios ſuos patres, frater in cauea & ſoror præſto eſt. Et rurſus eorum duo fuerunt genera. Nam alij mercede id faciebant cùm ſuas operas ad depugnandum cum beſtiis locaſſent, alij verò virtutis oſtentandæ cauſa id faciebant. Illorum fama minuebatur, non caput. Horum neque fama neque caput, niſi paſſi ſint ſeſe cornllariis in harena cornnari. Hi enim infamia notantur. d. l. 1. §. remouet, De poſtul. Voluntarij neque parentum neque cognatorum bonis excluduntur. l. 1. B §. qui operas, D. ad S.C. Tertyll. De his diſertè ſcribit Theodoricus rex apud Caſſiod. lib. v. epiſt. antepen. qui propter deſperatam audaciam dicebantur παράβολοι. Vide Sueton. Auguſto. & l. 3. §. lege, D. de teſtib.

AD BESTIAS.

Damnari ad beſtias dicebantur qui primo quoquè muneri ſiue ſpectaculo deſtinati erant, vt ad palum adligati ſtatim à beſtiis conſumerentur. l. 1. C C. Th. ad leg. Fab. l. 31. D. de pœn. l. 1. §. 2. D. de abig. Itaque non dubium eſt quin ſerui pœnæ fiant. l. 8. D. de teſtam. & Vopiſc. in Aureliano. & Apoſtolus 1. ad Corinth. 4.

LVDVS GLADIATORIVS.

D Aliud eſt Damnari ad ludum gladiatorium, aliud Damnari ad gladium. Qui ad ludum gladiatorium damnabatur, Laniſtæ arte armorum ludicra inſtituendus dabatur, & populi voluptatibus reſeruabatur. quinetiam poſt quinquennium pileari, hoc eſt pileo & libertate donari poterat: ac deinde poſt biennium rudem accipere: vt ait Vlp. collectan. tit. 11. nimirum vt cæteris gladiatoribus præficeretur. Rudem enim Soſipater definit, Scipionem quem Laniſta liberandis E gladiatoribus gerit. Inſigne igitur fuit honeſtæ miſſionis à ludo gladiatorio. Sed hæc quæ vocantur Cruenta gladiatorum ſpectacula Conſtantinus ſuſtulit l. vn. C. de gladiator. penit. toll. non tamen ludum & pœnam. l. 1. C. Th. ad leg. Fab. Idem eſt autem Damnari ad ludum gladiatorium quod damnati ad ferrum d. l. 8. de teſtam. Sueton. Nerone: Exhibuit ad ferrum etiam cccc. ſenatores. Interdum dicebatur Ad gladium, vt in l. 25. §. ſiquis planè, D. de adq. hæred. l. 6. F §. ſed & ſi quis, De iniuſt. rupt. teſtam. Cic. Tuſcul. 11. Gladiatores aut perditi homines aut barbari vulneribus confecti mittunt ad dominos qui quærant quid velint. ſi ſatisfactum iis ſit ſe velle decumbere, quis mediocris gladiator ingemuit? quis vultum mutauit vnquam? quis non modò ſtetit, verum etiam decubuit turpiter? quis cùm decubuiſſet, ferrum recipere iuſſus, collum contraxit. Agell. lib. vII. cap. III. Gladiatori compoſito ad pugnandum propoſita hæc ſors eſt, aut G occidere ſi occupauerit; aut occumbere ſi ceſſauerit. Propriè autem Ad gladium damnatio ad Decollationem pertinet, vt damnatus vel ſtatim vel certè intra annum conſumatur. Paull. ſentent. libr. v. tit. xvII. & in Collectan. tit. xI. At ſtante repub. ſecuri vtebantur, quam lictores in faſcibus virgarum præferebant: vt in Rabiriana docuimus. Cùm is qui ſententiam pro-

A nunciarat, lege agere iuſſiſſet, lictor damnatum palo adligabat, eique ceruicem ſecuri præcidebat. vt initio dictum eſt. Cic. Verr. v. producantur è carcere, & deligantur ad palum, & ſecuri feriuntur. Valer. v. cap. vIII. L. Brutus filios ſuos pro tribunali virgis cæſos & ad palum religatos ſecuri percuti iuſſit.

AQVÆ ET IGNIS INTERDICTIO.

B Aqua igni, tecto interdici damnatis ſolebat, quibus non nominatim ſed tacitè & vi ipſa exilium inferebatur. quoniam earum rerum vſu prohibebantur, ſine quibus retineri vita non poteſt. Itaque & bona omnia & iura & ciuitatem amittebant. l. 3. D. de peculat. l. vlt. D. de legation. Cæſar apud Salluſt. Poſtquam reſp. adoleuit, & multitudine ciuium factiones valuere, circum- C ueniri innocentes, alia huiuſcemodi fieri cœpere. hinc lex Porcia aliæque leges paratæ ſunt, quibus legib. exſilium damnatis permiſſum eſt. Lactant. libr. de orig. error. II. cap. xx. Exſulibus quoque igni & aqua interdici ſolebat. Adhuc enim videbatur nefas quamuis malos tamen homines ſupplicio capitis adficere. Interdicto igitur vſu earum rerum quibus vita conſtat hominum, perinde habebatur ac ſi eſſet qui eam ſen- D tentiam exceperat morte multatus.

DEPORTATIO.

Deportatio, media capitis minutio eſt, quæ libertatem quidem relinquit, ſed & ciuitatem, id eſt omnia quæ iuris ciuilis ſunt adimit, & bonorum omnium publicationem infert. §. 1. Inſt. de cap. min. l. 2. D. de publ. iud. l. 17. D. de E pœn. l. 8. C. eod. l. 59. De cond. & demonſt. l. 2. C. de bon. præſcript. neque laborandum eſt eo de eo quod dixit Calliſtratus in l. pen. D. de extraord. cognit. libertatem adimi deportatione: quia quamuis deportatio iuris gentium libertatem relinquat, quæ in effectu nulla eſt, non magis quàm in ſeruis, tamen eandem in effectu adimit, cùm iure ciuili haud multo meliori conditione ſint quàm ſerui. quamuis enim adquirere aliquid poſſint, tamen quia morientes F fiſcum hæredem habent, alienare nihil poſſunt, ac ne ſeruis quidem libertatem dare: vt omittam quod tota illa Calliſtrati diſputatio confuſa eſt: cùm exiſtimationis & criminis capitalis cauſas, quas in diuidendo ſeparauerat, in explicando perſpicuè permiſcet. Interdum tamen deportati etiam libertate priuabantur. l. 2. D. vt nemo priu. & expulſus ciuitate habetur pro ſeruo. l. 5. in fi. D. de ſtat. homin. Mirum autem eſt quod dicitur in l. 13. D. de donat. int. vir. & G vxor. Deportatione matrimonium non diſſolui. Vide quæ ſcripſi ad l. 97. D. de reg. iur.

RELEGATIO.

Relegatio eſt inſulæ vinculum, hoc eſt damnatio vt quis in certa & adſignata inſula moretur, neque ex ea egredi liceat. l. 5. 6. 7. D. de interd. & releg.

Hæc

Hæc capitis minutio non eſt: famam minuit non caput. l. 28. D. de pœn. Itaque relegatus omnia quæ iuris ſunt retinet: ius patriæ poteſtatis, ius ſui, ius adgnationis, ius patronatus, etiam teſtamenti factionem. itaque neque liberorum, neque parentum, neque adgnatorum, neque cognatorum bonis excluditur. l. 4. l. 7. §. 1. D. de interd. & releg. l. 13. D. de bon. poſſeſſ. Hæc igitur non propriè Exſulium eſt. l. 2. D. de pub. iud. Sed exſulium ſalua ciuitate. l. 4. D. ſi quis caut. Vnde illud Ouid. *Quippe relegatus nō exſul dicor in illo.* Item: *Ipſe relegati non exſulis vtitur in me, &c.* Itaque pœna hæc plerumque honeſtioribus tantum infligitur. l. 1. §. vlt. D. de ſicar. l. 5. C. de pœn. l. ſi adulterium, §. imperatores, D. ad leg. Iul. de adult. Paul. ſent. v. tit. xx. & xxvi. l. t. §. quanquam, De abigeis. Exiſtimationem tamen minuit, id eſt, damnatum infamat, non tamen exiſtimationem conſumit. l. pen. D. de extraord. cog. A deportatione autem hoc differt, quod ſemper hæc & in perpetuum eſt: illa interdum etiam ad tempus. l. 7. §. 1. D. de interd. & releg. Itaque temporalis exſulij nomine Relegatio intelligitur. l. 13. D. ex quib. caut. in poſſ. l. 13. D. de falſ. Obiter autem hic corrigo. l. 5. D. de cap. min. vt legatur, vel relegauit vtiq; vſque eò vt ciuitatem amitteret. Et notandū eſt, quandoque Relegatum dici pro Deportato, ſed non à iuris auctoribus. quod & alij obſeruarunt.

INTERDICTIO.

Interdictio generale verbum eſt. nam interdicitur damnato interdum arte ſua l. vlt. D. de pœn. interdum negociatione l. 9. §. 2. D. de pœn. honoribus, foro, aduocationibus & poſtulationib. d. l. 9. Propriè autem Interdictionem hic vſurpamus strictè pro Relegatione: cùm relegatio in inſulam eſſe non poſſit ſine aliorum omnium locorum interdictione l. 4. D. de pœn. item cuicumque certo loco interdicitur, is extrà eum locum relegatur. veluti cùm patria interdicitur. l. 10. C. de ſent. & interloc. Hæc vt plenius intelligantur, dico Exſulium interdum abuſiuè & generaliter vſurpari, eique tres ſpecies ſubijci, quarum prima eſt, Interdictio certi loci, cùm quis certo tantum loco excluditur, aliorum ei omnium aditus & habitatio permittitur. Secunda huic contraria eſt, lata fuga, quod Græco more dictum interpretor pro φυγῆ, cùm omnium locorum aditu interdicitur præter vnū, vt dixi, certum & deſignatum, ex quo ei egredi non licet. Tertia eſt, Relegatio quæ eſt inſulæ vinculum, neque à lata fuga niſi loci qualitate differt, quoniam illa continentis eſt, hæc inſulæ. Tanto ergò grauior eſt Relegatio Interdictione, quanto acerbius eſt vnum in locum concludi quàm ab vno ſolo excludi. l. 5. l. 7. §. ſicut, §. ſolet, D. de releg.

OPVS PVBLICVM.

Damnatio in opus publicum aut perpetua eſt aut temporalis. quæ perpetua eſt, inter mediocria ſupplicia numeratur: ſicuti de metallo diximus, & pœnæ ſeruitutem irrogant. l. 8. §. in miniſterium, l. 17. l. 36. De pœn. ac deportationi ſimilis eſt. l. 1. C. eod. Quæ temporalis eſt, non caput ſed exiſtimationem etiam in perpetuum minuit. l. 6. C. ex quib. caut. infam. l. 28. D. de pœn. l. vlt. D. de extraord. cogni. Obſeruauimus autem pœnam operis publici non niſi

A humilibus & plebeiis, id eſt, non honeſtioribus perſonis irrogari. l. 5. C. de pœn. l. 38. §. imperator, D. de adult. l. 1. §. vlt. D. de effractor. l. 1. §. 2. D. de abig. & l. 6. D. de extraord. crimin. Porrò Opus publicum video ſeparari ab Opere metalli, & refugas operis publici in opus metalli damnari. l. 8. §. quiſquis D. de pœn. Huiuſmodi fuerunt Lautumiæ ſiue Lapidicinæ publicæ. l. 9. D. ex quib. cauſſ. maior. l. 1. in fi. D. de aleat. item calcariæ, aut ſulphurariæ. d. l. 8. §. 8. De pœn. item ſalinæ, quæ vſitata fuit pœna B mulierum d. l. 8. §. in miniſterium, De pœn l. 6. D. de capti. Item damnatio ad remum publicæ ſcilicet triremis aut quadriremis, apud Valer. lib. ix.

VINCVLA.

Vinculorum pœnam apertè videmus nominari lib. ſentent. v. tit. xvii. & l. 1. in fi. D. de aleat. vbi ea pœna interdicta dicitur, quaſi carcer non ad puniendos noxios, ſed ad cuſtodiendos reos ſit inſtitu C tus. l. 8 §. ſolent. l. 35. D. de pœn. vbi tamen §. vlt. ſeruos in perpetua vincula damnari adfirmat. Sic Catilinarios Cæſaris ſententia in vincula perpetua damnatos legimus apud Cicer. & Salluſtium. Probabile eſt eam pœnam Impp. conſtitutionibus in liberis hominibus ſublatam; niſi operi publico coniuncta eſſet. itaq; perſpicuè ab Opere publico ſeparatur d. l. 1. in fi. De aleat. l. 8 §. 4. D. de pœn. vt & à Carcere. l. 1. C. ex quib. cauſ. infam. itémq; à Cuſtodia publica l. 3 §. lege, D. de teſtib. quia cuſtodia mi D litaris, hoc eſt militum aliquot intelligitur, quæ à vinculis ſeparatur. l. 4. §. 1. D. ſi quis caution. l. 9. D. de teſtam. item à Cuſtodia publica & à compedibus l. 45. §. 1. D. de iur. fiſc. quaſi vincula collorum Compedes pedum fuerint, vt Iſidor. lib. v. tradidit. Temporalium autem frequens mentio eſt: vt cùm ob ſuſpecti crimina quædam vincitur tutor l. 3. §. qui pecuniam, D. de ſuſpect. item qui reus in iudicio confeſſus eſt. l. 4. D. ad leg. Iul. maieſt. Vtrùm autem infamiam adferat, quæri poteſt. quia qui in E vinculis eſt cuſtodiave publica lege Iulia de vi in reum teſtimonium dicere vetatur. l. 3. §. lege, D. de teſtib. ſed hoc tantiſper verum eſt, dum quis in vinculis continetur. reuera enim infamia niſi damnatus non adficitur. l. 1. C. ex quibus cauſſ. infam. irrog.

EQVVLEVS.

Equuleus ſiue Eculeus, ſtipes creditur fuiſſe, in equi formam inciſus, cui imponebantur rei, vt ner F uis vtraque ex parte diſtentis cruciarentur. Prudentius in Romani martyrio:

—Iuſſerat
Euiſcerandum corpus eculeo eminus
Pendere, & vncis vngulíſque creſcere

Conſtant. in l. 7. C. de malefic. Sic eculeo deditus, vngulíſque ſulcantibus latera perforata pœnas proprio dignas facinore. Ammianus lib. xxix. Intenduntur eculei, expediuntur pondera plumbea, cum fidiculis & verberibus.

G

FIDICVLÆ.

Fidicularum mentio fit in l. 4. C. ad leg. Iul. maieſt. & l. 16. C. de quæſtion. fuiſſe videntur chordæ quibus noxiorum artus magno cruciatu diſtendebantur Valer. lib. iii. cap. iii. Rupit verbera, fidi-

eulas laxauit, ſoluit equuleum. Seneca de ira III. Torſerat per omnia quę in rerum natura turpiſſima ſunt, fidiculis, eculeo, igne, &c.

PLVMBATÆ.

Plumbatæ dicebantur verbera plumbea, quibus damnati cædebantur. l. 2. C. de exact. tribut. l. vn. C. de his qui potent. nom. l. 40. C. de decurionib. Prudentius περὶ στεφάνων:

--Tundatur tergum crebris ictibus,
Plumbeoq́ ceruix verberata extuberet:
Pulſatus ergò martyr illa grandine,
Poſtquam inter ictus dixit hymnum plumbeos.

VIRGVLÆ.

Harum fit mentio in d. l. 7. C. de maleſic. & in l. vn. C. de emend. ſeru. & videntur ferramenta fuiſ-
A ſe ad vngularum inſtar biſulca, quibus latera cruciatorum ſecabantur vel fodiebantur. Prudentius:

Coſtas biſulcis exſecandas vngulis. Item:
Non vngularum tanta vis fodit latus.

Auguſtin. epiſt. CLIX. Non extendente eculeo, non ſulcantibus vngulis, non vrentibus flammis. Cypria. lib. II. ep. II. commemorat equuleum extentum, vngulam effodientem, & ignem exurentem. Hoc denique obſeruandum eſt, condicionis hominum tres eſſe gradus, ſecundum quos pœnarum gradus
B metimur. l. I. l. vlt. & paſſ. D. de pœn. Summum, qui eſt honeſtiorum perſonarum, veluti decurionum. l. 9. §. 3. D. de pœn. Medium, eorum qui non ſunt infimæ ſortis. Infimum, quales ſunt liberti, item perſonæ turpes & famoſæ, quales diximus eſſe Arenarios, ſcænicos, lenones, tabernarios. l. 7. C. de inceſt. nupt. Serui verò omnium atrociſſimè puniebantur: vt conſtat ex Pauli ſentent. itémq; ex tit. de pœn. Digeſt. & Cod.

FINIS.

FRANC.

FRANC. HOTMANI IVRISC. IN ORATIONES M. T. CICERONIS, EAS MAXIME quæ quæſtionem aliquam Iuris continent, COMMENTARII MAGNA EX parte noui.

INDEX ORATIONVM QVÆ HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Commentarij in has priores primùm editi ſunt anno M. D L I V. *nunc verò renouati.*

Pro P. Quinctio,	Oratio I.
Pro Sex. Roſcio Amerino,	II.
Pro Q. Roſcio Comœdo,	III.
Accuſationes omnes in Verrem.	VII.
Pro M. Fonteio,	XI.
Pro A. Cæcina,	XII.
Pro lege Manilia,	XIII.

Hi verò poſteriores noui ſunt & poſtremi.

Pro C. Rabirio perduellionis reo,	Oratio XVIII.
Pro A. Licinio Archia poëta,	XXVI.
Ad Quirites poſt reditum,	XXVIII.
Poſt reditum in ſenatu,	XXIX.
Pro domo ſua ad Pontifices,	XXX.
Pro P. Sextio,	XXXIII.
In Vatinium,	XXXIV.
Pro M. Cœlio,	XXXV.
De prouinciis conſularibus,	XXXVI.
In L. Piſonem,	XXXVII.
Pro T. Annio Milone,	XXXVIII.
Pro C. Rabirio Poſtumo,	XXXIX.

M. T. CIC. PRO P. QVINCTIO

ORATIO I.

ARGVMENTVM.

L. Scipione C. Norbano COSS. *(quo tempore L. Sylla ex Mithridatico bello reuertens, infeſtis armis Romam cum maximo exercitu contendebat) Sex. Neuius præco, qui ſibi à P. Quinctio plebeio homine pecuniam ex ſocietate deberi, & deſertum ab eodem vadimonium diceret, V Cal. intercalares, hoc eſt,* XXII *die Febr. à P. Burrieno Prætore ex edicto poſſeſſionem bonorum ipſius Quinctij poſtulauit: quam quum impetraſſet, fundum in Gallia, qui communis ipſorum erat, poſſedit. Biennio pòſt M. Tullio Cn. Dolabella* COSS. *L. Sylla Dictaturam gerente, quum hic ipſe Neuius à Cn. Dolabella Prætore iudicium Pro ſocio aduerſus Quinctium peteret, tum eo vt Quinctius ſolus iudicatum ſolui ſatiſdaret, iudicium Quinctius nõ recuſauit, ſatiſdare recuſauit: hanc afferens cauſam, quòd iſ ſoli ſatiſdarent, quorum bona, quòd vadimonium deſeruiſſent, poſſeſſa eſſent: poſſeſſa autem ſua bona nunquam fuiſſe. quum Cn. Dolabella Prætor decernit, eumque iubet aut ſatiſdare, aut ſponſionem facere, Si bona ſua ex edicto poſſeſſa eſſent. Sponſionem Quinctius facere maluit, fecit. In eam ſponſionem à Prætore iudicem C. Aquilium Iur. ſconſultum petiit: Neuius non recuſauit. Datus itaque C. Aquilius à Prætore iudex eſt, qui de hac ſponſione iudicaret. Is peritos iuris tres, L. Lucullum, P. Quintilium, M. Marcellum in conſilium aduocauit. Sedit ipſe iuratus: ſedere & alij, ſed iniurati. neque enim iudicabant, non accepta ſcilicet à magiſtratu poteſtate: ſed conſilium communicabant. Cauſa priuata eſt: id eſt, actor non totius populi (vt in publicis iudicijs) ſed vnius alicuius priuati hominis, qui ſe læſum quæritur, iniuriam perſequitur. Acta eſt poſt aliquot ampliationes, quum difficile iudicium videretur: aut propter iuris obſcuram dubiámque rationem, aut quia ciuis R. exiſtimatio agebatur. quæ duæ ampliandi cauſæ fuerunt, vt ſuo loco docebimus. Et (vt puto) in Comitio acta eſt: qui locus erat in foro propter Curiam, in quo priuatarum rerum iudicia fieri ſolebant: vt conſtat ex Plauto, Macrobio, & Bruto Ciceronis. Dicta eſt autem à M. Tullio, annum (vt ſcribit Agellius) ſextum & vigeſimum ætatis agente. ſiquidem à C. Serrano Q. Cæpione* COSS. *quibus ſe natum ipſe in Bruto ſcribit, ante diem* III *Non. Ian. (vt Agellius auctor eſt, & ipſe teſtatur in Epiſtolis ad Atticum) ad Tullium & Dolabellam* COSS. *quo tempore (auctore Agellio) hæc cauſa dicta eſt, totidem anni numerantur.*

COMMENTARIVS.

A *Queres.* In exordio aduerſarios in inuidiam inducit commemoranda eorum gratia, potentia, iniuria. Gratia Neuij apud nobilitatem: potentia nobilium Neuij fautorum apud prætorem & iudicem. Iniuria & iniquitate Burrieni prætoris in hoc iudicio peruerſè ac præpoſterè conſtituendo. Clienti verò ſuo beneuolentiam iudicis conciliat exponenda ipſius inopia ac ſolitudine amicorum: ſua verò perexigua dicendi facultate & exercitatione forenſi. Quinctij porro incommodis & difficultatibus, qui per aduerſariorum iniuriam biennium propè affectus eſt. Rem verò modicè ac ſtrictim attingit, huiuſce conſtituti iudicij peruerſam atque iniquam rationem leniter demonſtrans. Locos autem beneuolentiæ à ſua & clientis, & aduerſariorum perſona conciliandæ hoc initio coniunxit.

In ciuitate. In hac ciuitate. vt infrà, Aut C. Aquilius vir iuratus hoc ius in ciuitate conſtituat. Si eſt homini honeſto locus in ciuitate inuito Neuio.

Summa gratia & eloquentia. Gratia, copia eſt plurimorum amicorum, vt ſcribit Aſconius: & intelligitur ex his verbis quæ proximè inſequuntur: P. Quinctius, cui exiguæ amicorũ copiæ ſunt, cum aduerſario gratioſiſſimo contendat. Plurimum autem in ciuitate gratia poterat. primùm B in iudicijs: etenim moris erat in iudiciis tum priuatis, tum publicis, amicos omnes aduocare, quorum auctoritate moueri iudices poſſe putabantur. iique, vt ſcribit Aſconius, Aduocati dicebatur, qui ſcilicet præſentiam ſuam amico commodabant. Orator enim, Patronus dicebatur. Patronus autem, inſtituto Romuli, qui ex Patrum numero

Digitized by Google

numero plebi, quos ei commodum eſſet, deligendi poteſtatem fecit, qui ipſius cauſas ſuſciperent. ex quo illi quidem Patroni, hi verò Clientes, vt alibi docuimus, dicebantur. Eò igitur & Prætores,& Conſules,& omnes denique,quicunque poterant, tum magiſtratus, tum alij ciuitatis principes aduocabantur: in quibus potentia quidem dicebatur: quum in eo cui aduocati aderant, Gratiæ verbum potius vſurparetur. In hanc ſententiam ipſe in Oratione pro Cæcina, Denique, inquit, nimia iſta quæ dominatur in ciuitate potentia, in hoc ſolo genere quieſcit. Has copias amicorum, qui aduocari ad iudicium ſolebant, Æſchines in Oratione contra Cteſiphontem τῆς παρασκευῆς, καὶ τῆς παρατάξεως nomine ſignificat: quibus verbis modò quod Manum, modò quod Aciem inſtructam Latini appellant, Græci declarant. Τὴν μὲν παρασκευὴν ὁρᾶτε, ὦ Ἀθηναῖοι, καὶ τὴν παράταξιν, ὅτι γεγένηται. Copias enim aduocatorum oſtendit Demoſthenis & Cteſiphontis: quas inuidioſè Manum,atque Aciem inſtructam, quaſi ad vim faciendam comparatas appellat. Poterat præterea Gratia plurimum in honorum petitionibus,poterat in Senatu, qua de re mentio fit in Miloniana cùm dicit Munatium Plancum ſuam potentiam inuidioſè criminari, ac dicere, Senatum non quod ſentiret, ſed quod Tullius vellet, decernere. Denique omnibus in Reip. partibus amicorum copiæ plurimum (vt ipſe dicit) poterant. De eloquentia verò, quid attinet dicere! cùm in liberis ciuitatibus dominam, & reginam eam rerum omnium fuiſſe conſtet: vt ipſe docet initio libri de Oratore I.

Quarum alteram eloquentiam. Sic enim frequenter ad proximum ſe refert. Duplex autem quaſi certamen impar hoc iudicio conſtitutum ſignificat, Oratorum & Reorum. Differentiam porrò locus hic oſtendit inter Metuere & Vereri: quam obſcuram eſſe, idem in lib. De orat. III. his verbis ſignificat: Comparationis autem duo ſunt loci: vnus cùm idemne ſit, an aliquid interſit, quæritur, vt metuere & vereri: &c.

Alteram C. Aquilij. Hic eſt, puto, C. Aquilius Gallus, auditor Q. Mutij Pont. Max. vt ſcribit Pomponius in capite de origine iuris, Seruij Sulpitij in iure præceptor, vt Cicero tradit in Bruto: clarus iuris ciuilis ſcientia, à quo de dolo malo formula prolata eſt, quam Cicero euerriculum malitiarum omnium appellat, in libro de Nat. Deorum III. & de Offic. III. quem ipſe idem & in Topicis & eodem libro de Offic. ſuum collegam appellat, opinor, quòd Præturam vnà cum ipſo geſſerit: cùm Tullio quidem de pecuniis repetundis, Aquilio vero ambitus quæſtio obueniſſet: vt in Cluentiana ſignificat, & alibi exponemus.

Ne me dicendo impediat. Ne permultis in rebus timore prolabar, vt ipſe inquit infrà. & hac verecundia qua quidem, auctore Fabio, nihil eſt adconciliandum grauius, beneuolentiam ſibi iudicis adiungit.

Gratia Sex. Neuij. Gratiam ſibi nobilitatis paucis hiſce diebus conciliarat, cùm à partibus Marianis, inclinata tamen & propè iacente iam fortuna, ad Syllanos deſciuiſſet. vt conſtat infra. Itaque ei aderant homines nobiliſſimi ac potentiſſimi ciuitatis, vt infrà dicitur. Potentes, diſerti,

A nobiles omnes aduocandi ſunt.

Neque vſu ſatis. Annum agens ætatis ſextum & vigeſimum, vt in expoſitione argumenti diximus.

Cum patrono diſertiſſimo compararer. Comparari hoc loco committi ſignificat: quomodo duo paria gladiatorum inter ſe committi dicuntur, Nam comparari ad certamen intelligitur. Græci παρίστασθαι dicunt, ἀντιπαρίστασθαι, & ἀντιπαραβάλλεσθαι.

B *Tenues opes, nullæ facultates.* Non diuitias ſignificat, quum infrà fortunas appellet illius ampliſſimas: ſed quam antea gratiam appellari diximus: aut, quod vernacula noſtra lingua dicere ſolemus, creditum. Ita in Epiſtol. I. ad Q. Frat. Nunc quoniam ita accidit, vt neque Prætores ſuis opibus, neque nos noſtro ſtudio quicquam proficere poſſemus, &c. Similiter infra. Obteſtatur, vt plus huius inopia poſſit ad miſericordiam, quàm illius opes ad crudelitatem. Et paulò
C poſt, Si apud hoc conſilium, ex opibus, non ex veritate cauſa pendetur. Itaque hoc ipſo loco opibus ac facultatibus nullis præditum, cum homine gratioſiſſimo, quaſi contraria contrariis reſpondentia, comparat. Facultates autem maius eſſe voluit, quàm opes: vt Facultatis verbo ἱκανότης intelligatur: nam ἱκανώτατοι à Xenophonte dicuntur in Tyranno, quibus nihil deeſt ad ſummam potentiam.

Qui hanc cauſam aliquoties egit. Apparet ali-
D quoties ampliatam hanc cauſam fuiſſe. quod etiam infrà. ſignificat. Nec illud, inquit, mihi arrogabo, me poſſe cauſam commodius demonſtrare, quàm antea demonſtrata ſit. item, Et ab illo, inquit, qui antè dixit, informata iam cauſa eſt. Ac de ampliatione quidem in Verrinis orationibus idoneo loco diſputabimus.

Noua legatione impeditus. Quam ſignificet legationem, obſcurum eſt: niſi fortè nouam appellat, quaſi alteram nunc legationem obeat, quum
E iam antè legatus Proconſuli, aut Proprætori cuipiam fuiſſet. De Legatorum quidem generibus in Ver. III breuiter explicauimus.

Ad me ventum eſt. Deferri enim cauſæ poſt ampliationem, etiam ad alium poterant patronum: vt in Bruto delata à C. Lælio dicitur ad Sergium Galbam quædam publicanorum cauſa.

Vt ſumma haberem cætera. Si maximè & ſummam haberem eloquentiam, & ſummam amicorum copiam ac facultatem. Græcè, οἱ τ᾽ ἄλλα πλεο-
F νεκτοῦσιν: cuius contrarium eſt ἐλαττοῦσθαι.

Tot controuerſiis implicatam. Iam enim biennium in hoc iudicio verſabantur, vt ipſe dicit inf.

Quæ quo plura. Nunc locum beneuolētiæ à iudicis & aſſeſſorum perſona conciliandæ attingit.

Hos qui tibi in conſilio adſunt. Datus Aquilius à Prætore Dolabella iudex huius cauſæ fuerat, ſicuti in expoſitione argumenti diximus. Is ſibi iuriſconſultos aliquot in conſilium aduocarat: qui cum illo tantummodo conſilium communi-
G carent, ſententiam ipſi, non accepta ſcilicet eius rei poteſtate, neque (vt opinor) iurati non ferrēt. itaque Iudicem C. Aquilium identidem appellat: eius aduocatos, quod ſciam, nuſquam.

In conſilio adſunt. Libri manuſcripti Aſſunt. & certè ſic ſe res habet, vt veteres ita locuti fuiſſe videantur, quum apud Plautum in Pœnulo

ſcriptum ita ſit, Heus Milphio vbi es? MIL. Aſſum apud te: eccum. AG. At ego elixum volo.

Solitudini atque inopiæ. Aduocatos enim habebat Quinctius, & paucos, (de quibus infra) & non potentes. Nam profuſis ſumptibus potentium amicitiæ parabantur: ipſe ſemper incultè atque horridè vixerat.

Ex opibus, non ex veritate. Opibus, gratia. Veritate, bonitate cauſæ, æquitate. Terentius in Andria, Idne eſt verum? immò id genus hominum eſt peſſimum. Vergilius,

Quæcunque eſt fortuna, mea eſt, me verius vnum
Pro vobis fœdus luere & decernere ferro.

Sed in re aperta putidũ eſt exempla conquirere.

Nihil tam ſanctum atque ſyncerum in ciuitate. Artificioſa laudatio conſilij, quaſi ſanctius in ciuitate aduocari non poſſit, neque ſyncerius. & locus eſt ex comparatione maioris. Si apud quos multo maiore ratione valere debet æquitas, apud eos non valeat: ne apud eos quidem valebit, apud quos minus videtur valere poſſe.

Humilitatem cuiuſquam. Infimam ac tenuem conditionem, inopiam ac ſolitudinem ab amicis.

Non eo dico C. Aquili. Purgat quod initio dictum paulo acerbius videtur: Gratia Sex. Neuij ne P. Quinctio noceat, id verò non mediocriter pertimeſco. Oſtendit ex prætoris decreto cauſam cur id pertimeſcat, fuiſſe.

Quid ergo eſt? Locus attentionis: quaſi noua quædam & inuſitata in hoc iudicio verſentur.

De fortunis omnibus decerni. Illud enim hoc iudicio quæritur, ſintne ex edicto bona poſſeſſa eius, qui vadimonium deſeruerit. Horum verò bona omnia auctione vendita, ære primum alieno diſſoluto, ei qui poſſeſſionem poſtularat addicebantur: vt poſtea docebimus.

Omnes quorum in alterius manu. Nam ex officij conſideratione, fiducia: ex poteſtatis, metus naſcitur, & cogitatio periculi: quod ipſum ſi ſolius officij ratio ducatur, reuera nullum eſt, vnius videlicet qui quum innocentes ſint, tamen in crimen vocantur. Sed cur potius poteſtatis ratio ducitur? propter inſitam cuique à natura ſui charitatem ac diligentiam. Notum eſt illud Alcibiadis, ἐξὸν φυγεῖν, μὴ ζητεῖν δίκην. Et illud de eodem apud Plutarchum, ἐρωτήσαντος δέ τινος, οὐ πιστεύεις ὦ Ἀλκιβιάδη τῇ πατρίδι; τὰ μὲν ἄλλ' ἔφη πάντα· περὶ δὲ τῆς ψυχῆς τῆς ἐμῆς, οὐδὲ τῇ μητρί, μήπως ἀγνοήσασα τὴν μέλαιναν ἀντὶ τῆς λευκῆς ἐπενέγκῃ ψῆφον. id eſt, Quum quidam dixiſſet, Quid? Alcibiades, non fidis patriæ? Sanè, inquit ille, aliis omnibus in rebus: verùm vbi mea vita agitur, ne matri quidem. ne fortè imprudens, nigrum pro candido calculum conſtituat.

Verbo Sex. Neuium, reuera homines diſertiſſimos. Mirè Quinctij cauſam ſubleuat, dum iſtam illi ſtructam à nobilibus calumniam fuiſſe dicit, propter inſitum inueteratúmque illorum in ipſum odium: quod ex eo tempore cœptum dicit, quum ipſe Marianas partes ſecutus eſt. quaſi hæc vna Quinctij calamitatis cauſa ſit. Non eſt, inquit, hæc reuera Neuij controuerſia, ſed ab hominibus maleuolis atque inuidis malitioſè conflata, vt hoc nomine quæſito Quinctium opprimant. Nam appoſitus eſt modò Neuius, per quem illũ homines aliquot nobiles opprimerẽt.

Homines diſertiſſimos, fortiſſimos. L. Philippum, Q. Hortenſium: de quibus infra. Sed mirum eſt quod addidit, Fortiſſimos, quod verbum nũquam niſi maximi honoris loco tribuit. Videamus ergo ne FLORENTISSIMOS potiùs ſit corrigendum, cùm infra L. Philippum florentiſſimum ciuitatis appellet.

Qui communi iudicio. Iniquè conſtituto. hoc enim ad Prætorem Burrienum pertinet, non ad hoc Aquilij iudicium.

Dici aut commemorari. Alibi perſæpe fingi aut commemorari. Sed hoc loco Dici, ad res nouas, Commemorari ad veteres, referendum videtur, quæ olim etiam auditæ & dictæ ſunt.

Qui caput alterius, famam, fortunaſque defendam. Caput, locum ac numerum ciuis R. Latinè appellamus. vnde cenſa dicuntur ciuium capita, quum à Cenſoribus in luſtris condendis eorum nomina in tabulas publicas relata ſunt. Quocirca quibus iudiciis de ciuitate quis eximitur, ea iudicia Latini Capitalia appellant. Paulus Iuriſc. ſub tit. De pub. iud. Iudicia, inquit, capitalia ſunt, ex quibus pœna, mors, aut exilium eſt: hoc eſt, aquæ & ignis interdictio. per has enim pœnas eximitur caput de ciuitate. Sed in hoc verbo lapſa conſuetudo, ſenſim eò deducta eſt, vt & Caput, exiſtimationem hominis nominemus: & omnem infamiam, pœnam capitalem. Modeſtinus in l. licet, D. de verb. ſig. Licet, inquit, Capitalis Latinè loquentibus, omnis cauſa exiſtimationis videatur: tamen appellatio Capitalis, mortis vel amiſſionis ciuitatis intelligenda eſt. Et ab eadem ratione in Orat. pro Q. Roſcio, priuata iudicia, quæ turpitudinem afferunt, Capitalia tamen non appellat. Si qua, inquit, ſunt priuata iudicia ſummæ exiſtimationis, & propè dicam capitis, tria hæc ſunt, fiduciæ, tutelæ, ſocietatis. Hæc autem conſuetudo manauit, opinor, ex eo, quòd qui turpi iudicio damnati eſſent, à Cenſoribus tribu mouebantur. Quum ergo ex ea tribu capita illa eximerentur, in Ceritúmque tabulas relata eſſent, propè de ciuitate ſublata videbantur: quum ſcilicet & ius ſuffragij amitterent, & ad hoc tantùm ciues eſſent, vt pro capite ſuo tributi nomine æra penderent. Ex his autem illud intelligi volumus, quòd capitis iudicium hoc Quinctianum tam ſæpe appellatur, non tamen publicum fuiſſe, vt quidam imperitè ſcripſerunt: ſed quum priuatum ſit, propterea tamen capitis appellari, quia turpem exiſtimationem afferat. Hoc autem iudicio, ideo Quinctij caput atque exiſtimatio in diſcrimen vertitur, quòd eo quæritur, vadimonium deſeruerit Quinctius, néc ne. Deſertoribus autem vadimonij, pœnam eſſe conſtitutam, infamiam, pro locis intelligetur.

Priore loco cauſam dicere. Neuius iudicio Pro ſocio certare cum Quinctio volebat, ſed cum eo, vt Quinctius (quaſi qui vadimonium deſeruiſſet) ſolus iudicatum ſolui ſatiſdaret. Soli autem ſatiſdabant, quorum bona, quòd ipſi vadimonium deſeruiſſent, ex edicto poſſeſſa eſſent. Negabat ergo poſſeſſa eſſe bona Quinctius. cuius rei conſtitutum eſt hoc iudicium. Ergo hoc iudicio vadimonium deſeruiſſe arguitur, & tamen priore loco falſum id eſſe docere cogitur. fecit enim ipſe ſponſionem: qui verò ſponſionem faciunt, debẽt

ipſi,

ipſi, vtpote actores, cauſam priore loco dicere.

Partes accuſatoris obtinet. Inuidioſè dictum in Hortenſium. nam Accuſatores in cauſis publicis dicuntur, auctor hic ipſe in Partitionibus. Sed & ſe capitis defenſorem, & Hortenſium graui verbo Accuſatorem appellat, quòd hoc iudicio de fama, fortuniſque omnibus Quinctius decernat.

Tela depellere. Euellere ſententia poſtulabat, vbi de medicina facienda loquitur. Sed hanc ſcripturam id quod ſequitur confirmat, vitandi illorum impetus.

Vitandi illorum impetus. Neque enim eum qui poſterius dixerat, licebat, niſi ampliata cauſa, redargui.

Quaſi venenatum. Similitudinem non ad illud quod antecedit, Falſum crimen: ſed ad illud potius Medicinæ faciundæ, referendam puto. vt ſit ſenſus, Non erit locus medicinæ faciundæ, non magis quàm ſi tinctum veneno telum iecissent: & verbum IECERINT, quaſi bis poſitum intelligatur. primùm quidem poſt illa verba, Falſum crimen iecerint: deinde ſuo loco, Quaſi iecerint, &c.

Prætoris iniquitate. Cn. Dolabellæ. Iniquitatem autem in iure dicente ponimus, quum variè & non æquabiliter omnibus ius dicit: ſed aut gratia inflectitur, aut potentia infringitur, aut adulteratur pecunia. Iniquitati autem æquabilitas opponitur. Cicero in Ep. 1. ad Q. Fr. Quare, ſit ſumma in iure dicendo ſeueritas, dummodo ea ne varietur gratia, ſed conſeruetur æquabilis. ſed tamen parui refert abs te ius dici æquabiliter, & diligenter, niſi idem alij faciant, quibus tu eius muneris aliquam partem conceſſeris.

De probro, quàm de re. Noluit, inquit, agi de re pecuniaria ciuili actione, arbitrio Pro ſocio: priùs quàm hoc iudicio iudicatum eſſet, an ex edicto bona Quinctij, quaſi qui vadimonium deſeruiſſet, poſſeſſa eſſent.

Antequam verbum accuſatoris audiſſet. Hæc dicuntur oratoriè, quaſi iniuriam Quinctio Dolabella feciſſet: quum re vera conſtitui aliter iudicium non poſſet. Nam aut ſatiſdare Quinctius debebat, quum eius bona poſſeſſa dicerentur, aut non eſſe poſſeſſa docere. hoc verò, niſi ſponſione facta, non poterat. qui verò ſponſione certaret, eum priore loco cauſam dicere oportebat.

Verbum accuſatoris. Verbum ab accuſatore: vt infrà 12. Tum denique vocem accuſatoris audiat.

Eorum gratia & potentia. Apud prætorem.

Opes ſuas. Potentiam, vulgus, creditum.

Quo plus propter virtutem nobilitatémque poſſunt. Ipſe in Orat. pro Muræna, Semper in hac ciuitate nimis magnis accuſatorum opibus ſapientes iudices reſtiterunt. Nolo accuſator in iudicium potentiam afferat, non vim maiorem aliquam. & ibi multa in hanc ſententiam.

Fidem, veritatem. Probitatem, integritatem, innocentiam.

Non ius par, non agendi poteſtas eadem. Cn. Dolabellam Prætorem dicit, hominem nobilem & Neuij familiarem: qui aut ſatiſdare Quinctium iubebat, aut ſponſionem facere. Eadem querimonia poſtea repetitur, & in peroratione. Sed omnia hæc ad tempus dicuntur, & ad cauſam

A ſubleuandam. nam, vt paulo antè poſui, re uera conſtitui aliter hoc iudicium non potuit.

Cæterarum rerum. Græcorum locutionem imitatur, qui τῶν ἄλλων πραγμάτων dicunt, ſubaudientes περὶ. Ergo Cæterarum rerum dixit, pro Cæteris in rebus. Simile eſt illud Terentij in Adelph. Nolim ceterarum rerum te ſocordem eodem modo.

Viro bono, veruntamen. Ironia: vt infra, Vereor, ne ſe derideri putet, quod iterum iam dico O-
B ptimus. Nam hoc eodem modo dicimus, vt illud vulgare apud nos, Vir optimus niſi quòd Deum eſſe nullum putat: vel niſi quòd fidem non colit. ſic, Viro bono, ſed qui non didicit magna fide ſocietatem gerere, id eſt perfidioſo & improbo.

Officia certi patriſfamiliâs. Id eſt, probati & cogniti. vt Ver. v. certæ res dicuntur, quæ probatæ ſunt, & iuſtæ veræque cognitæ. Hæc omnia, inquit, non rerum certarum, ſed furtorum impro-
C biſſimorum ſunt vocabula. ſic nebulo certus, id eſt cognitus & ſpectatus, ad Att. lib. x v. Scribit autem Statius illum cum patre habitare velle: hoc verò mirum: & id gaudet. quem tu illo certiorem nebulonem?

Parum facetus ſcurra. Scurras à dicacibus ea re Cicero diſtinguit in lib. de Orat. 11. quòd dicaces in iocando modum adhibent, rationem perſonæ, temporis & loci ducunt: ſcurræ quotieſcunque poſſunt, quaſi neceſſe habeant dicere, dicunt.
D Temporis, inquit, ratio, & ipſius dicacitatis moderatio & temperantia, & raritas dictorum diſtinguet Oratorem à ſcurra: & quod nos cum cauſa dicimus, non vt ridiculi videamur, ſed vt proficiamus aliquid, illi totum diem, & ſine cauſa.

Vocem in quæſtum contulit. E duabus, inquit, tenuiſſimis rebus, quas ſolas habuit, ex quibus pecuniam facere potuit, alteram vendidit, vocem videlicet, quũ ex præconio quæſtum faceret: al-
E teram, libertatem ſcilicet, nõ vendidit. Notũ eſt, maioribus annis x x v, licuiſſe libertatem vẽdere, pretij parte aliqua, ei à quo venderentur, data.

Vocem, in quæſtum. Præcones in comitiis legum, ſubiiciente ſcriba, leges pronuntiabant: in comitiis magiſtratuum, tribus citabant, qui deſignati eſſent, renuntiabant: in iudiciis iudices, reos, & teſtes citabant, audientiam faciebant, Oratores dixiſſe pronũtiabant: in auctionibus, rei pretium indicabant, addictam à magiſtro rem venditam
F pollicebantur.

Quo impunius dicax eſſet. Nam ſcurræ nulli, niſi liberi. ſeruis enim ridicula iacere nõ licebat.

In tua pecunia. Suam enim ille nullam habebat. quare in aliena diſcendum erat. Socios autem eos nobis ferè adiungimus qui pecuniæ exercendæ rationes tenent.

In Gallia comparabantur. Videtur ſignificare, vt inde Romam deportarentur.

Tollitur ab atriis Liciniis. Dicit, puto, nobile il-
G lud L. Licinij Craſſi atrium, in quo quatuor Hymettij marmoris columnas, Ædilitatis gratia ad ſcenam ornandam aduectas, ſtatuit, vt ſcribit Plinius: cùm publicè nondum eſſent vllæ marmoreæ. Et fuiſſe atria quædam, in quibus auctiones fierent, argumento eſt locus primæ contra Rullũ Orationis, quem ſubiiciam. Homines, inquit, ne-

quiſſimi, conſumptis patrimoniis hoc faciunt, vt in atriis auctionariis potiùs, quàm in triuiis, aut in compitis auctionentur.

Trans Alpes. In Sebuſianos, infrà.

Fit magna mutatio loci non ingenij. Hinc illud Æſchinis contra Cteſiphontem ὡδ᾽ ὅϛις ἦν οἴκοι φαῦλος, οὐδέποτ᾽ ἦν ἐν Μακεδονίᾳ κατὰ τὴν πρεσβείαν καλὸς κἀγαθός, οὐ γὰρ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετήλλαξε. Neque qui domi nequam eſt, vnquam erit in legatione Macedonica frugi ac probus. Fit enim mutatio loci non ingenij. ſed agnominatio τρόπου & τόπου Latinè non apparet.

Ab adoleſcentulo quæſtum ſibi inſtituiſſet ſine impendio. Vtrum turpem quæſtum ſignificat, quem perditi & infames pueri productorum opera faciebant, præſertim quum de ætate tenera loquatur: an potiùs quæſtum ex voce, atque præconio? Illud opinor, potiùs intelligit.

Nec mirum, ſi is qui vocem. Hoc dicit, Si ex voce viliſſima leuiſſimáque re quæſtum fecerat, minimè mirum eſt, ſi ex fructuoſa & quæſtuoſa re, nimirum pecunia, magnum expectabat emolumentum.

Arbitrium pro ſocio condemnari ſolerent. Condemnari arbitrium, incognita mihi locutio: Condemnari arbitrio, facilis & expedita. quomodo ego legendum hoc loco potius exiſtimarem. Arbitrium enim hoc in genere pro Iudicium dicimus: id eſt, in iis cauſis, in quibus EX FIDE BONA eſt additum. veluti tutelæ, mandati, fiduciæ, pro ſocio, rei vxoriæ, & ſi quæ ſunt generis eiuſdem. non quò idem ſit Iudicium & Arbitrium. hoc enim inter ſe differunt, quòd iudicibus quidem Prætor qui iudicium dedit, certam formulam præſcribit, quam ipſi in iudicando directò ſequantur: arbitris non præſcribit: ſed eorum arbitrio poteſtatique permittit, ex bono & æquo vt iudicent. quid ergo eſt? In conuentionibus, ex quibus alter alteri obligatur, Prætor in iure dicendo præter vſitatam iudiciorum formulam hoc addit, EX FIDE BONA. quo verbo arbitrium quodammodo videtur potius, quàm iudicium conſtituere, propterea quòd datos ab ſe iudices nequaquam ad certam formulam adſtringit ſed illorum, vt dixi, poteſtati permittit, vt prout æquum bonúmque exiſtimabunt, ita iudicent. Et ſanè ſic ſe res habet, vt hæc modò Iudicia, modò Arbitria promiſcuè nominentur. Itaque Cicero quum in Topicis locutus ita eſſet, In omnibus igitur iudiciis, in quibus ex fide bona eſt additū, primus cauſarum vſus eſt: in lib. de Offic. III, Quintus, inquit, Scæuola ſummam vim eſſe dicebat in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur. Ex fide bona. Item, quod Paulus l. 5. de neg. geſt. ait, in bonæ fidei iudiciis tantundem officium iudicis valere, quantum in ſtipulatione interrogatio. Eadémque prorſus ratione dati diſceptatores modò Iudices, modò Arbitri nominantur. Cicero lib. de Offic. III, Itaque C. Calphurnius arbitrum illum adegit, Quicquid ſibi dare facere oporteret Ex fide bona. M. Cato ſententiam dixit, &c. & paulo pòſt, Is igitur iudex ita pronuntiauit, Quum in venundando rem eam ſciſſet, &c. Eſt igitur Arbitrio pro ſocio condemnari, conciſa locutio, quæ plena ſic effertur, Condemnari arbitrio, ſiue iudicio, quod aduerſus ſocium pro ſocio conſtitutum eſt. Hæc autem iudi-

A cia libera, ſiue arbitria, Iuriſconſulti poſtea bonæ fidei iudicia nominarunt. de quibus quum eam diſciplinam coleremus, edito De actionibus libello, copioſè diſputauimus. Senſus eſt igitur. Ita diligens erat in auertendo, quaſi metueret, ne ſi minus id faceret, iudicio pro ſocio damnaretur: quaſi ij damnari ſolerent, qui bona fide & abſtinenter ſocietatem colerent.

Tametſi cauſa poſtulat. Non ineptus elicitur ſenſus: ſed concinnior eſſet oratio, ſi ſic legeremus,
B Nam etſi cauſa poſtulat, tamen quia poſtulat, &c.

Quia poſtulat, non flagitat. Ergo plus eſſe voluit Flagitare, quàm Poſtulare. vt qui poſtulat, ſi refutetur, non inſtet: qui flagitet, acriter aſſiduéque vrgeat. Rogare ſimiliter in Epiſtola ad Varronē, quàm Flagitare minus eſſe voluit: Ex ea, inquit, media excitatos miſi, qui metuo ne te fortè flagitent: ego autem mandaui vt rogarent. Sed poſtulamus, quod quaſi iure noſtro contendimus: rogamus, quod in beneficij & gratiæ loco petimus.
C Flagitatur autem propriè, quod debetur: vnde qui debitam pecuniam poſcunt, Flagitatores appellantur. Plautus in Caſina,

Ducite ex animo curam, atque alienum æs:
Ne quis formidet flagitatorem ſuum.
Ludi ſunt, ludus datus eſt argentarus.

Moratur in Gallia Quinctius. Atq; ita ſocietas extinguitur. Nam (vt ait Vlp. l. nemo, 35. D. pro ſocio) nemo poteſt ſocietatem heredi ſuo ſic parere, vt ipſe heres ſocius ſit. Et Pomponius l. adeo,
D 59. Adeo morte ſocij ſoluitur ſocietas, vt nec ab initio paciſci poſſimus, vt heres etiam ſuccedat ſocietati.

Moritur repentinò. Suſpicioſè dictum. Vult enim & Neuij conſcientiam furtorum, & Quinctij celerem interitum argumento eſſe, veneno ſublatum à Neuio fuiſſe Quinctium.

Ad eundem ſummus honos quoque perueniret. Similiter in Oratione pro Cæcina, Vſumfructum omnium bonorum ſuorum Cæſenniæ legat, vt
E frueretur vnà cum filio. Magnus honos viri iucundus mulieri fuiſſet, ſi diuturnum eſſe licuiſſet. Etenim honorificum erat hæredem inſtitui, vt contrà, inhoneſtum ac turpe præteriri. Quamobrem Ciceroni obiecerat Antonius, hæreditates ei nullas ab amicis obueniſſe. quod contrà Cicero defendit, amplius ſe HS ducenties acceptum hæreditatibus retuliſſe, id eſt ſcutatorum, vt nunc loquimur, amplius quingenta millia. Et Suetonius Auguſtum ſcribit grauiſſimè ferre ſo-
F litum, ſi à quoquam ſuorum amicorum præteritus in teſtamento fuiſſet. Addidiſſe autem videtur teſtamento, quod etſi lege & iure agnationis heres erat, honeſtius tamen teſtamento quàm lege veniat ad nos hereditas.

De ſocietate. Non quæ nunc erat, ſed quæ cum defuncto fuerat.

Aut ſocietatem. Propter ſocietatem C. Quinctij aliquid ſibi deberi.

Aliquantulum eſſe relictum. A C. Quinctio.

G *Pecuniam Romæ curari oporteret.* Curare pecuniam, curare vt pecunia detur & ſoluatur. Græci πορίζειν ἀργύριον & πορίζειν dicūt: Terētius Phorm. Datúmne argentum eſt? DE. Curaui illico. Cic. ad Q. Fratrem, Redemptori tum dimidium pecuniæ curaui. Nomē autem dicitur, quicquid in accepti vel expenſi tabulas refertur. Videtur autē in pa-

ctione

ctione cantũ fuiſſe, vt ea pecunia Romę redderet.

In Gallia. Vacare videtur, cùm addat, Narbone, niſi propter multitudinem circunſtantium id dicat, quorum plerique ignorare eam ciuitatem poterant. Id autem alibi fęciſſe Oratorem ſuis locis admonuimus.

Quæ ipſius erant priuata. Id eſt, quas C. Quinctius priuatas habuerat ac proprias: non autem cũ Sex. Neuio communes, quod infra conſtabat.

Vir optimus. Officioſus, liberalis qui ad gratificandum de pecunia promtus ac paratus eſſet. Sic Iupiter optimus dicitur beneficentiſſimus, quod omnibus proſit.

Et ex ea liberos. Quo ſanctior eſt affinitas: nam viuis liberis nunquam diſſoluitur. infra.

Hoc eo per te agebatur. Quum, quid ſoluendum eſſet, non ſatis inter illos conueniret, ſumptus C. Aquilius eſt arbiter. Ergo, ne iudicio & vi coactus fuiſſe Quinctius exiſtimetur, dicit cut opus diſceptatore Aquilio fuerit.

Per te C. Aquili. Moris erat, vt in pactionibus, tranſactionibus, teſtamentis, ſponſalibus & eiuſmodi actionibus Iuriſconſulti adhiberentur, eorúmque arbitrio eiuſmodi negotia conferent.

Niſi à Quæſtoribus. Manu ſcripti libri, partim ad Caſtoris, partim ad Caſtoris templum: quorum prius, meo iudicio, corruptum eſt ex nota librarij, qui ſic ſcripſerat, A. Quæſtor. cui poſtea ſubſcriptum gloſſema, ſenſim cum veris germaniſque verbis contextum eſt. Nobis hæc verior videtur: etſi ſubobſcura ſit, ſed ſperamus nos ſenſum tamen verum & germanum eruiſſe, quem modò exponemus.

Niſi à Quæſtoribus quæſiſſet quantum ſolueretur. Corrige ſic, A Quæſtoribus quæſiſſes: & facilior erit aditus ad obſcuriſſimi loci ſententiam. In Gallia pecuniæ diſſimilis fuit ratio ac Romæ, vt apparet ex Oratione pro Fonteio, & alijs locis. Quum igitur quod C. Quinctio P. Scapula expenſum in Gallia pecunia Gallica tulerat, id Romæ pecunia Romana curare Quinctium oporteret: propter diſſimilem pecuniæ rationem, non ſatis commodè poterat inter P. Quinctium & Scapulæ liberos conuenire quantum ſolueretur. Sumptus igitur ea de re eſt arbiter. Is à Quæſtoribus vrbanis, qui pecuniam quæ ex vectigalibus debebatur, in ærarium pecunia Romana referebant, quæſiuit ad denarium, id eſt Romanæ pecuniæ rationem, quantum ſolueretur. Hoc eſt quod modò dixit, Per te C. Aquili decidit. Nam decidere dicimur in re dubia & impedita, cùm minus quàm petitum eſt, ſoluitur.

Propter neceſſitudinem quæ tibi cum Scapulis eſt. Plinius lib. VII, capite De mortibus repentinis, ſcribit P. Quinctium Scapulam, quum apud Aquilium Gallum cœnaret, mortuũ eſſe repẽtinò.

Quid iis ad denarium ſolueretur. Denarius, numus erat Romanus. Cicero ad Atticum ſcribens, lib. Epiſt. II. Scripſi, inquit, ad Quæſtores vrb. de Q. fratris negotio. vide quid narrent, & quæ ſpes ſit denarij, an ciſtophoro Pompeiano taceamus. Quinto Ciceronis fratri, Aſiæ Proprætori populus pecuniam debebat. eam Cicero cupiebat denario, id eſt, pecunia Romana ſolui: non ciſtophoro, qui numus erat Aſiaticus: ſicuti victoriatus, Gallicus. Et denarij dicti, vt ait Varro, quòd denos æris valebant.

A *Conſtituit Scapulis ſe daturum.* Hinc conſtituta pecunia dicitur à Iuriſcõſultis, cuius etiam actionem Prætor dabat. Nam ciuili iure, ſine ſtipulatione actio non naſcebatur ex conſtituto. Verè igitur hic locus conſtitutæ pecuniæ exemplum Iuris ſtudioſis ſuppeditat.

Vereor ne ſe deriderі. Nunc hoc dicendi tempus eſt, cùm illius inhumanitatem & duritiam accuſat. Nam optimus dicitur qui humanitatem & benignitatem exercet.

B *In ſummas anguſtias.* Propter pecuniam conſtitutam quæ ſua die ſoluenda erat.

Suis cõditionibus. Cõditionibus, pactionibus, quę ſuis eſſent rationibus & cõmodis opportunæ atq; appoſitæ. ſic in Verrinis, Suum tempus, & Suum iudicium, hoc modo Aſconius interpretatur.

Poſterius, inquit, iſta videbim. Quinctius. Vſitata traiectio, qua veteres frequenter vtebantur. vt hic ipſe in libro de Oratore II. Licet, inquit, rogare, Philippus? Et paulò pòſt, Cœnabo, inquit, a-
C pud te, huic luſco familiari meo C. Sextio. Et alibi, Audiamus, inquit, pulchellum puerum, Craſſus. Sed exemplorum; Cæſaris & Liuij libri referti ſunt.

Non plus ſua referre. Nam (vt ait Vlp. in l. qui erat, D. famil. ercíſ.) ſi quis ad exequendam ſententiam à Prætore datus diſtrahat, duplam promittere non cogatur. in ea enim conditione eſt, ne cogatur implere id, quod coguntur ij qui ſuo arbitrio diſtrahunt. Nam inter officium ſuſci-
D pientis & voluntatem diſtrahentis multum intereſt. Item in l. Si pignora, D. de euict. 8. pignora veneant per apparitores prætoris, extra ordinem ſententiam exequentes, nemo vnquam dixit dãdam in eos actionem re euicta. Sed ſi dolo rem viliore pretio proiecerint, tunc de dolo actio datur in eos domino rei.

Quum auctionem venderet. Suſpectus mihi locus. vereor vt ſit potiùs legendum, Quum auctione vendetet: in ſexto caſu. vt ſit, Conſtituta au-
E ctione, vel dum auctio fit.

Ea quæ proſcripſerat. Quæ ſcilicet iterum proſcribenda curauit.

Dat iſte amicum M. Trebellium. Subauditur, Arbitrum. Et conſultò amicum dixit, quaſi apud quem gratioſus ſit futurus. De hac conſuetudine cognoſce infrà.

Propinquum noſtrum. Hæc in Quinctij perſona.

Res eſſe in vadimonium cœpit. Vetus locutio, de qua in Diuinatione diximus. Sic in Pompeiana
F dixit, In poteſtatem eſſe. Pro Cæcina, In poſſeſſionem veſtigium facere. De Finibus, In hiſtoriam veſtigium ponere. In Vert. VII, In poteſtatẽ eſſe.

In vadimonium. Qui litem alicui intendere volebant, à Prætore poſtulabant, vt eum vadari liceret. Plautus in Aulularia,

Pulmentum pridem ei eripuit miluius:
Homo ad Prætorem plorabundus deuenit:
Inſit ibi poſtulare, plorans, eiulans,
Vt liceret miluium vadarier. De Euclione lo-
G quitur. Eſt autem Vadari, vades poſtulare, id eſt locupletes fideiuſſores, qui aliquem certæ pecuniæ ſponſione vadimonium obiturum præſtabant. qua de re copioſè à nobis dictum eſt in Comment. de verbis iuris.

Vadimonia ſæpè dilata eſſent. Quòd malè Neuius agere cœpiſſet.

Perfectum eſſet. Cùm omnia vtrique integra etiam eſſent. Nõnulli Profectum, quod loci ſenſus repudiat.

Venit ad vadimonium. Non in ius, ſed ad alicuius argentarij tabernam vt moris erat.

Rem Gallicanam. Apparet ergo eum priuatas res, non quæ in ſocietate fuerant, vendidiſſe.

Ante diem IIII. *Cal. Februarij.* Idem valet ac ſi dixiſſet, Quarto Calendas. Nam hæc implicata locutio eſt, quæ fuſa ſic effertur, Quarto die ante diem Calendas. qua locutione ipſe etiam Calendarum dies includitur. ſicuti Tertio Calend. dicitur, qui tamen ſecundum ante Cal. locum obtinet. Et cùm aut Quarto aut Tertio Calend. nominamus, hoc ipſum præciſè dicimus, quod modò planius explicabimus, Die quarto, vel tertio ante Calend. ſic in Epiſt. ad Tironem, cuius initium, Nos apud Alyziam diem poſt Nonas Nouemb. qui præciſè ſic vulgò diceretur, Octauo Idus, ita expreſſit vt diceret, Ante diem octauum Idus. ſed in hoc non laboramus. Nodus difficilior eſt in illo, quòd hic locus pugnet manifeſtiſſimè cum eo qui infrà legitur. Inuenitur dies profectionis, pridie Cal. Febr. Ego pro IIII Cal. ſcribendum ita putarem, II Cal. Nam ſecundo Cal. in eodem die dicimus, quo pridie Cal. Cicero in Epiſt. ad Ligarium, cuius initium, Me ſcito, lib. VI, Ego, inquit, cùm ad II Calen. intercalares priores rogatu fratrum tuorum veniſſem. Quinetiam ſimilem animaduerti poſtea errorem in earũdem Epiſt. lib. XIIII, epiſt. IIII. quam cùm pridie Cal. Brunduſio datam eſſe ſcriptum in extremo ſit, tamen aliquantò poſt ipſius initium ita legimus, Brunduſio profecti ſumus ad V Cal. vbi coniuncta duorum II extrema, & ex iis V effectum facile eſt exiſtimare,

Vt eum diem memoriæ mandetis. Quorſum? quia factum Neuius vadimonium dicebat Nonis Februarij.

L. Albius Sex. filius Quirina. Quirina, nomen eſt tribus, ablatiui caſus: vt ſit, ex Quirina. Moris fuit, cùm aliquis ciuis Romanus oſtendendus eſſet, vt interdum ſignificaretur à tribu. vt in Verrinis, C. Verrem Romilia, L. Claudium Palatina. Hæc ferè Aſconius. Et de tribu Quirina, idem Aſconius in Corneliana, Duæ, inquit, ſolæ tribus cum Sergia, & Quirina damnauerunt.

Vada Volaterrana. Volaterranus ager in Hetruria eſt, qui mari minimè profundo alluitur: vnde vada Volaterrana. Plinius, Ptol. Strabo.

Ex publicio narratum. Similem locutionem legiſſe me non memini: Ex aliquo narratum, pro, Ab aliquo.

Ipſe ſuos neceſſarios. Hanc igitur inter Amicos & Neceſſarios ſtatuit differentiam, vt neceſſarij dicantur quos alicuius muneris ſocietas neceſſitudoque coniunxit: veluti qui eiuſdem collegij ſunt, aut ſodalitatis: vt hoc loco præcones Neuio neceſſarij dicuntur. alibi plerunque cognati, affines, collegæ in magiſtratib. aut aliis Reipub. muneribus neceſſarij appellantur.

Ab atriis Liciniis & faucibus macelli. Atria Licinia, de quibus ſuprà diximus, in Palatio erant, vbi L. Craſſi domus, quam emit poſtea M. Tullius. Macellum autem propè ab Eſquiliis. vt fauces macelli eas putem anguſtias quæ inter Viminalem & Eſquilias inſtar faucium habebant, ex quibus in macellum, inde in forum iter eſt. Ergo ex atriis Liciniis auctionariis præcones, ex faucibus macelli nobiles homines, otio affluentes, qui cupediis inhiabant, aut otio ibi ſuo fruebantur. Cicero Ver. V Albam Æmilium ſedentem in faucibus Macelli loqui palàm, viciſſe Verrem, emptos habere iudices.

Ad tabulam Sextiam ſibi adſint. Romæ circum forum, tabernas argentariorum fuiſſe ſatis conſtat. in iis tabulas quoque fuiſſe intelligitur, in quibus multa quæ in foro agerentur ſcribi, conſignarique ſolebant: veluti ſi quæ auctione venderentur. vnde Auctionariæ tabulæ appellatæ, de quibus vide quæ dixi in Oratione pro Cæcina, ad illa verba, Ebutio negotium datur: adeſt ad tabulam. licetur Ebutius. Præterea, ſi quæ teſtata eſſe oporteret, vt quum deſerta eſſent vadimonia: vt patet ex hoc loco: in quo tabulam Sextiam, argentarij Sexti tabulam interpretor. aut cùm abſentem defendi procurator teſtaretur, vt infra. Edebantur autem argentariorum tabulæ in iudiciis, iiſque fides atque auctoritas adiungebatur, vt ex Iuriſconſultorum reſponſis patet.

Teſtificantur iſti. Vetus, Teſtificatur iſte: & ita legendum eſſe verbum proximum, ſe ſtitiſſe, declarat. Teſtificatur ergo, id eſt, teſtes ſumit aut facit. Nam teſtificatio eſt denunciatio teſtibus aliquot data opera aduocatis facta, vt rei alicuius teſtes ſint. ac ferè teſtificationes in tabulas referebantur, quæ teſtium annulis obſignabantur. cuius rei non hoc tantùm loco exemplum habemus, ſed etiam Verrina VII.

Non ſtetiſſe, & ſe ſtetiſſe. Lego, Stitiſſe, vtrobique. Non enim à Stando, ſed à Siſtendo declinatum eſt, quod ad vadimonium adeſſe ſignificat. Planeſium virgo Palinurum amicum ſic apud Plautum alloquitur, Vbi tu es, qui me conuadatus Veneriis vadimoniis? vbi tu es, qui me libello Venerio citaſti? ecce me ſiſto, ades contrà. Siſto ego tibi me, & mihi contra itidem vt ſiſtas, ſuadeo. Hoc idem Gellius etiam confirmat lib. Noct. Att. II. cap. XIIII.

Conſignantur. Deſertum à P. Quinctio vadimonium fuiſſe.

Vt ex edicto bona poſſidere liceat. Nam qui vadimonium deſeruiſſent, in eorum ſe bona Prætor miſſurum creditores edixerat: vt ſi dies XXX poſſiderentur, auctione vendita, ipſis creditoribus, quaſi qui cauſam obtinuiſſent, addicerentur. Suet. in Caligula, Comprehendit, inquit, meritoria vehicula: adeò vt plerique litigatorum, quòd occurrere abſentes ad vadimonium non poſſent, cauſa caderent. Vlpianus in edicto perpetuo ſcriptum ita fuiſſe tradit, In bona eius qui iudicio ſiſtendi cauſa fideiuſſorem dedit, ſi neque poteſtatem ſui faciet, neque defendetur, iri iubebo. Cicero in Catil. Illum, inquit, exercitum magnopere contemno, collectum ex ruſticis mendiculis, ex decoctoribus, ex iis qui vadimonia deſerere, quàm illum exercitum maluerunt: quibus ego non modò ſi aciem exercitus noſtri, verùm etiam ſi edictum Prætoris oſtendero, concident.

Iuſſit bona proſcribi. Oratoriè quæ ſuæ cauſæ aduerſaria ſunt, in narratione reticens, poſſeſſio-

nes

nis mentiooem ſubterfugit: cùm infrà etiam bona poſſeſſa neget.

Societas erat. Falſum. Nam vt ſupra docuimus, ſocietas, defuncto ſocio diſſoluitur. Ergo hæc oratoriè dicuntur & liberius: quia nondũ pro ſocio iudicio & communi diuidundo res erant diuiſæ.

Affinitas liberis iſtius ?mus dirclli nullo modo poterat. Inſignis locus, & diligenti animaduerſione dignus. Ex quo alter in Oratione pro Seſtio intelligi poterit, in quo ita ſcriptum eſt, Ademit Albino ſoceri nomen mors filiæ, cùm tamen ex ipſius filiæ matrimonio duo liberi extitereot. Quare hoc ita accipiendum eſt, vt mortua perſona per quam affinitas contracta eſt, affinitatis quidem nomen intereat, ſed quandiu liberi ex eo matrimonio manebunt, tandiu vis affinitatis permaneat. exempli cauſa, Lege Iulia ſancitum eſt, ne cui inuito genero denuntiare liceat vt teſtimonium dicat in ſocerum. Vxore Seſtij mortua, ex qua duo liberi extabunt, non licebit Seſtio teſtimonium inuito denuntiare in Albinum: quamuis ſoceri nomen amiſerit. mortuis liberis, licebit. Itaque quod Paulus ait in l. pen. D. de iur. dot. Socerum qui dotem promiſit, manente affinitatein quantum facere poſſit cõdemnandum eſſe: Dirempto verò matrimonio ex cauſa & perſona id tribuendum: ad hanc ego regulam reuocarem, & affinitatem etiam poſt diremtum matrimonium, quandiu liberi viuerent, manere, ideoque in quantum fieri poſſet, ſocerum condemnandum eſſe. Atque hæc quidem ita ſe habent. Quod autem de Quinctij affinitate Cicero dicit, de mutuo amore ac beneuolentia, oratoriè accipiendum eſt: quum illius affinitatis, ne manente quidem matrimonio, legibus vlla vis conſtituta ſit.

Qua ex re intelligi. Hoc eò interiecit, vt iudicis acerbitatem & odium in aduerſarium excitaret. Nam ex hoc ipſo facto illud intelligi voluit, nunquam illum neque ſocij, neque affinis animum induiſſe, cùm tamen & ſocius & affinis eſſet. Eſt enim argumentum ex repugnantibus, Si fide ſocietas colitur, non & aliquis ſocius eſt, & fidem violat.

Tam ſanctum atque ſolenne. Hoc poſtremum verbum ferè in iis ponitur, quæ ad ſacra & religiones pertinent, vt in ea Pro domo ſua. Verbis priſcis ac penè ſolennibus domum conſecrare. Ergo puta dictum, Tam ſanctum ac religioſum.

Etenim pro. Et profectò ita eſt vt: vel, Et certè ſic ſe res habet, vt. Eſt autem argumentum ex contrariis.

Libellos deiicit. Fixos in triuiis & compitis, vt cuique futuram certo die Quinctij bonorum auctionem denuntiarent. Et hoc eſt quod modò dixit, Iuſſit bona proſcribi. Proſcribi enim bona dicuntur, cùm fixis publicè libellis, venditio eorum bonorum in diem certam edicitur, ac ſignificatur. vnde Proſcripti ciuili bello dicti ſunt, quorum nomina in tabula pro Roſtris ſubfixa perſcripta erant, illorum & bonorum venditionem, & interfectoribus præmium, receptatoribus autem ſimiles pœnas denuntiante. Vlpianus: Proſcribere, palam ſic accipimus, claris literis vt de plano legi poſſint, ante tabernam ſcilicet, vel ante cùm locum in quo negociatio exercetur, aut in loco remoto, ſed in euidenti. l. 11. D. de Inſtit.

A Huc autem illud Senecæ pertinet ex lib. de benef. IIII. ſpondeo pro iudicato, & ſuſpenſum amici bonis libellum deiicio: creditoribus eius me obligaturus: vt poſſim ſeruare proſcriptum, ipſe proſcriptionis periculum ſubeo.

Abducit. Qui poterat, cùm id magiſtratus imperin atque auctoritate fieret: An quòd fretus auxilio populi & Tribunorum eſſet, quos contra Prætoris iniuriam modo appellat. Appellatione autem aut paris, aut ſuperioris poteſtatis, alterius B imperium conquieſcit? An quod id ſibi licere putaret?

Denuntiat ſeſe procuratorem eſſe. Quis eſt procurator? Cicero in Oratione pro Cæcina declarat his verbis, Procurator dicitur, omnium rerum eius qui in Italia non ſit, abſitve Reipub. cauſa quaſi quidam penè dominus, hoc eſt alieni iuris vicarius. Ergo procurator abſentis dicitur, vt Cognitor præſentis. & ita ſcripſiſſe arbitror Aſconium, vt quodam loco demonſtraui.

C *Inbibuerit.* Aut Inſtituerit, aut In animo habuerit, legendum putarem. Aliis tamen IMAIARIT, ex antiquitatis obſeruatione magis arridet.

Contra ius & conſuetudinem. Cùm neque deſertum vadimonium eſſet, neque reus latitaſſet: quippe qui procuratorem Neuium reliquiſſet.

Edicto Prætoris. Principiò locus mihi obſcurus videbatur, & omnino verbum Edicto poſitum D pro Decreto exiſtimare cogebar: quod tamen inſolens & inuſitatum eſſe intelligebam. Præterea, hoc ipſum Ciceronis cauſæ aduerſari, eúmque, ſi ita ſcripſiſſet, locutum pugnantia perſpiciebam. Nam ſi ex edicto Prætoris hoc factum eſt, ineptè & ſine cauſa tam grauiter queritur, non rectè atque ordine id eſſe factum. Sed poſtea conſultis antiquis exemplaribus hanc lectionem in omnibus ſine vlla varietate reperi, quæ mihi multò verior & ſincerior videtur, Contra ius, conſuetu-E dinem, edicta Prætorum. Nam quod dicit Edicta Prætorum, ſic accipiendum eſt, quia Prætores non dant poſſeſſionem, niſi abſens iudicio non defendatur: defenſum autem fuiſſe Quinctium confirmat. Et huic ſententiæ mirificè concordat, quod ſcribit infra. Hunc per inſidias vi de agro communi deiecerit. vt hanc ſcripturam ſine controuerſia veram & incorruptam eſſe appareat.

A ſeruis communibus. Nondum enim iudicio communi diuidundo diuiſæ res erant.

F *Exiſtima C. Aquili modo & ratione.* Alij innumeri, Id modo & ratione: quod & ſenſus repudiat, & optimi mei codicis auctoritas.

Confugit ad C. Flaccum. Poſtulauit edictum, vnde vi: vt vnde vi deiectus fuiſſet, eò reſtitueretur.

Ad C. Flaccum Imperatorem. Quem dicat C. Flaccum, quidque is in Gallia geſſerit, mihi obſcurum eſt. Cùm tamen eum Imperatorem nominet, victoriam ab illo aliquam reporta-G tam ſignificat. Hoc enim nomine decorabantur aut militum acclamatione (vt Cicero Proconſul in Cilicia) aut Senatuſconſulto, belli duces, qui prœlio aliquo hoſtes populi Romani deuicerant.

Cum iſto gladiatore. Veteres in maximis familiis, ſiqui iogenio excellerent, eos nobilioris

A alicuius artis præceptotibus in diſciplinam tradebant, & arte aliqua erudiendos inſtituendóſque curabant, veluti medicina, pictura, muſica. Qui verò nequam, ſed valenti tamen & firmo corporis habitu viderentur, eos ad Laniſtas, id eſt, ludi gladiatorij magiſtros mittebant, vt poſtea doctos & inſtitutos, ſpectandos populo ludorum diebus exhiberent. Ex iis tranſlatum poſtea nomen eſt ad homines nequam & improbos, quaſi ſeruos viliſſimos, ſed firmis corporis viribus præditos. B Cicero I I Philip. Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauſeras. Sic Verrinà I I I I Apronium Verris accenſum, quem grandi & obæſa corporis habitudine fuiſſe conſtat, gladiatorem ſæpe appellat. Laniſtæ præterea ipſi ſuos habebant domi gladiatores, quos eis qui vti vellent, locabát. Liuius lib. XXVIII. Gladiatotum ſpectaculum fuit, non ex eo genere hominum, ex quo Laniſtis comparare mos eſt, C ſetuorum delectu ac libertorum, qui venalem ſanguinem habent. Hoc ita eſt. ſed multis locis gladiatores non hac ſignificatione, ſed pro ſicariis, & percuſſoribus appellantur: vt dicemus in Orat. pro Sex. Roſcio. Nunc verò facetè ludit, & ridiculè Neuium gladiatorem appellat, vt haberet verbum ad quod inſequens illud PVGNABAT referatur.

Gladiatore Vetulo. Grandem natu fuiſſe Neuium apparet ex eo quod dicit infrà, illius ætati difficile eſſe diſcere & dediſcere. Quare Vetulū, D ſic interpretor, vt ad ætatem referatur, potiùs quam ad vſum & peritiam. quomodo in Orat. pro Sext. Roſc. Capitonem veterem ac nobilem gladiatorem appellat.

Populo ſanè ſuo. Eo magis, quòd contra Neuium pugnaret, populi partium bello ciuili deſertoré, & amicum nobilitatis. & SANE SVO, pro Admodum fauorabili.

Caput petere non deſinebat. Ludit ex ambiguo. E Nam petitiones dicuntur gladiatorum. & caput hoc loco ciuis Romam exiſtimationem ſignificat, quam vitæ & capiti ſemper ſapientes homines antepoſuerunt. Hoc ergo tantum periculum à Quinctio propulſare populus cupiebat: cùm tantam conciui inferri iniuriam, præſertim ab homine contrariarum partium, moleſtè ferret. Tranſlatè alibi Cicero hac locutione eſt vſus. Nam in Muræniana. Etenim ſciebam, inquit, Catilinam non latus aut ventrem, ſed caput & col- F lum ſolere petere.

Iudicatum ſolui ſatiſdaret. Satiſdamus alteri, cauemus nobis. Cauet enim qui ſatis accipit. Cicero in Bruto, At verò tibi ego Brute non ſoluam, niſi priùs à te cauero, amplius eo nomine neminem petiturum. ſed exemplorum copiam Oratio pro Q. Roſcio facilè ſuppeditat. Peruulgatus tamen eſt hic error, quo etiam doctiſſimi homines ducuntur, vt Cauere dicant aliquem alicui, pro Satiſdare. Nam Satiſdare, ſponſores dare ſignifi- G cat; ei qui ſibi à debitore cauet. vnde Satiſdato debere dicitur, qui creditori fideiuſſores, ſiue ſponſores dedit. Cicero lib. X V I, Ep. ad Atticum, Poſſumus enim, vt ſponſores appellentur, procuratorem introducere: neque enim illi litem conteſtabuntur: quo facto, non ſum neſcius ſponſores liberari. ſed & illi turpe arbitror, eo nomine,

A quod ſatiſdato debeat, procuratores eius non diſſoluere: & noſtræ grauitatis, ius noſtrum ſine ſumma illius ignominia perſequi. Ergo Iudicatum ſolui ſatiſdaret, hoc ſignificat, daret ſponſores locupletes, qui præſtarent quantum iudicio facto ſolui oporteret, ſi Quinctius damnaretur, tantum ſuo periculo ſolutum iri. Sed iudicatum ſolui ſtipulatio tres clauſulas in vnum collatas habet: (ait Vlpianus) de re iudicata, de re defendenda, de dolo malo, l. 6. D. iudic. B ſolui.

Vt procurator ſatiſdaret. Huius rei veſtigium extat in L. hæc autem, 5. §. 2. D. quibus ex cauſ. in poſſ. vbi cùm pupillus in ſuam tutelam venit, & rectè defenditur, hoc eſt ſatiſdato iudicatum ſolui, Prætor decedere de poſſeſſione iubet. Ex quo exiſtimari poteſt, ius hoc fuiſſe, vt quamuis bona poſſeſſa eſſent, tamen ſi ante venditionem offeretur, defenſio & ſatiſdatio, poſſeſſio deſineret.

C *Negat Alphenus æquum eſſe.* Hoc quî probet, mihi non ſatis conſtat. Neque adduci poſſum vt exiſtimem non receptum fuiſſe temporibus illis, iuriſconſultis excellentiſſimis, præceptum iuris æquiſſimum & viitatiſſimum, Neminem in aliena re ſine ſatiſdatione idoneum defenſorem intelligi. præſertim locum illum ex Verrina quarta conſiderans, in quo de Epicrate Bidino, qui metu Verris ex Sicilia profugerat, ſic loquitur, Inſimulant hominem fraudandi cauſa D diſceſſiſſe: poſtulant, vt bona poſſidere liceat. amici, ſiquis quid peteret, iudicio ſecum agi paſſutos, iudicatum ſolui ſatiſdaturos eſſe dicebant. Et huc pertinet reſcriptum Imperator. in l. 1. C. de ſatiſdand. Rei procurator vel defenſor etiam ſub geſtorum teſtificatione factus, in ipſo litis limine iudicatum ſolui ſatiſdationem in omnibus cauſis præſtare cogitur. Et huic reſcripto conſimile eſt aliud in l. exigendi, 12. C. de procur. Sed hoc loco fortaſſe ſignificat Ora- E tor, poſtulaſſe Neuium, vt Alphenus Quinctij nomine ſatiſdaret, non ſuo. Nam Modeſtinus in l. ſi ad defendendum, 10. D. iudic. ſolui. ſcribit, à procuratore qui mandatum habet, non ſuo nomine ſatiſdationem exigi: ſed vel ſi præſens ſit dominus, eum ſuo nomine ſatiſdaturum, vel ſi abſit, ſignificat eius nomine ſatiſdandum eſſe. Quòd ſi mandatum aliquis non habeat, & ſua ſponte velit defendere, tum ſuo nomine ſatiſdaturum. Recuſabat igitur Alphenus ſatiſda- F re Quinctij nomine, non autem ſuo. & recuſabat, niſi ſi Neuius quoque viciſſim ſatiſdaret: ſolum autem ſatiſdare Quinctium æquum eſſe negabat, quòd ij ſoli ſatiſdant, quorum bona, quòd vadimonium deſeruerant, ex edicto poſſeſſa ſunt. Vlpianus tamen in d. l. 5. Quibus ex cauſ. ait, pupillum cuius bona poſſeſſa ſunt, ſi ipſe ſe defendat, non cogendum eſſe ſatiſdare: ſin ab alio defendatur, ſatiſdationem eſſe neceſſariam.

G *Appellantur Tribuni.* Cùm Prætor, vt Alphenus ſatiſdaret, decerneret. infrà. Nam appellantur, vt Prætoris decreto intercederent. Tribunis poteſtas erat, magiſtratuum omnium decretis intercedere. Cicer. De legib. I I I, Plebes quos pro ſe contra vim, auxilij ergo decem creaſſit, Tribuni eius ſunto: quódque ij prohibeſſint,

quód-

quódque plebem rogaſſint, ratum eſto. Qui verò Tribunos appellabant, ij iurare conſueuerant, ſe ideo appellare, quòd æquo iure vti non poſſent: ſicut Aſconius ſignificat. Tribuni verò, vt ex Liuio patet, hanc vocem Veto pronuntiabant.

Idib. Septemb. Scipione & Norbano COSS. Ex quo intelligitur Alfenum ſiſti Quinctium promiſiſſe menſe poſtquam Roma diſceſſiſſet, ſeptimo: & notandus hic, dies iduum Septembris quo primum die ludis Romanis confectis ad iudicia redibatur. vt ex lib. de Oratore III. intelligitur, & Verrina II.

Vadimonium ſiſti. Quod Sex. Alfenus promiſerat. Nam Quinctium ſine vadimonio diſceſſiſſe, ſuprà expoſuit.

Annum & ſex menſes nihil petit. Poſtea dicit Biennium, oratoriè. Apparet autem quod ſuprà dixi, cùm poſt hoc tempus iudicium acceptum ſit, M. Tullio, & Cn. Dolabella COSS. actam hanc cauſam fuiſſe. Nam annum & ſex menſes ducimus ab Idib. Septemb. Scipione & Norbano COSS.

Conditionibus producit. Quas ipſe, per ſimulationem tranſactionis, Quinctio deferebat.

A Cn. Dolabella denique Prætore poſtulat. Hic eſt ille Cn. Dolabella, qui ex Prætura Ciliciam prouinciam ſortitus, quum eam auaro & iniquo imperio adminiſtraſſet, à M. Scauro accuſatus & damnatus eſt: quemadmodum ex Verrina tertia intelligitur. Sed alius fuit hoc eodem tempore, ſimili, vt ſcribit Aſconius, prænomine, nomine, & cognomine Cn. Cornelius Dolabella: quem ſuprà diximus Conſulem hoc anno cum M. Tullio fuiſſe. Hunc autem, de quo modò loquitur, Prætorem illum fuiſſe Dolabellam, qui à Scauro damnatus eſt, coniecturam capimus ex eo, quòd Suetonius & Plutarchus ſcribunt, Conſularem à Iulio Cæſare accuſatum eſſe, nec damnatum: vnus autem Dolabella Conſul his temporibus reperiatur.

Ex formula. Ex qua ſe in edicto ſatiſdare iuſſurum denuntiarat. Similiter in Ver. v. A L. Metello, vt ex edicto ſuo iudicium daret in Apronium, Quod per vim, aut metum abſtuliſſet: (quam formulam Octauianam & Romæ Metellus habuerat, & habebat in prouincia) non impetrat.

Ex formula, Quod ab eo petat, cuius. Formulam appellat caput ex Prętoris edicto, in quo ita erat: Quod ab eo petetur, cuius ex edicto PręLoris Romani bona dies XXX poſſeſſa erunt, eius rei nomine iudicatum ſolui ſatiſdare iubebo. Sic Verrina V. infrà. à Lucio Metello, vt ex edicto ſuo iudicium daret in Apronium, Quod per vim, aut metum abſtuliſſet: (quam formulam Octauianam & Romæ Metellus habuerat, & habebat in prouincia.

Prætoris Romani. Sic infrà, Procuratorem decreto Prætoris Romani oportuiſſe parere. Nam idem valet, vt ſi diceret, Vrbani.

Ita ſatiſdare iuberet. Solum Quinctium. Sed ſi aliquo in libro probo & antiquo Iuberetur ſcriptum offenderem, lubenter eam lectionem cum hac recepta commutarem.

Si bona poſſeſſa eſſent. Nam hoc modo ſponſionem facere Neuium oportuiſſet, & onus probádi ſubire quod nunc in Quinctium deriuatũ eſt.

Decernit. Moris erat vt prius iuberet Prætor,

A poſtea decerneret. Aduerſus iuſſum recuſare licebat. aduerſus decretum non licebat. Sed hoc loco Decernit, inuidioſè pro Iubet & ad decernendum ſe comparat, poſuit.

Sponſionem cum Sex. Neuio facere. In priuatis cõtrouerſiis, ne qui calumniarentur, impunè diſcederent, moris erat, vt qui litem intenderet, aduerſarium ſponſione certæ pecuniæ laceſſeret, ni veram cauſam haberet. Cicero Verrina v, P. Rubrius Q. Apronium ſponſione laceſſiuit, ni
B Apronius dictitaret te ſibi in decumis eſſe ſociũ. Et paulò pòſt, Cum eodem Apronio poſtea P. Scandilius Eques Romanus eandem ſponſionem de ſocietate fecit. inſtitit, oppreſſit, non remiſit. facta eſt ſpõſio HS v milliũ & pro Comœdo, inf. Petita eſt pecunia certa. cum tertia parte ſponſio facta eſt. Contráque is qui ſponſione prouocabatur, aut fateri cogebatur, aut ſi inficiaretur, reſtipulari. Valerius lib. II, Pertinacius, inquit, progreſſa contentione, Valerius ſponſione Lucta-
C tium prouocauit, non ſe petiturum triumphum, ni ſuo ductu Punica claſſis eſſet oppreſſa. nec dubitauit reſtipulari Luctatius. Sic apud Liuium lib. 39. In extrema oratione Catonis conditio Quinctio fertur, vt, ſi id factum negaret, ſponſione defenderet ſeſe. Id eſt, quod Valerius dixit, reſtipularetur. Ergo ſtipulatione vltro citroque interpoſita concipiebatur hæc ſponſio. Quod ſi ita eſt, exoritur illa dubitatio, Cur ſponſio appellata ſit, ac non ſtipulatio: vt actus ille iudicialis vſita-
D tus, qui hoc nomine appellatus eſt? Sed reſpondemus, ex vſitatis locutionibus, quum dicitur Laceſſere ſponſione, Certare, Prouocare, Contendere, coniecturam capi poſſe, eum qui laceſſeret, priùs ſpõdere, quàm ſtipulari debuiſſe: cùm ſpopondiſſet, tum ſtipulari ſolitum. aduerſarium verò etiam ab illo reſtipulari, vt ille iterum ſponderet: & eius ſponſio ritè facta conceptáque videretur. eámque cõiecturam adiuuare videtur, quod Verrina ſeptima legimus, Verrem plagis voluiſſe
E C. Seruilium quendam cogere, quum ageret nemo, nemo poſtularet, nemo eſſet aduerſarius, ſpondere tamen cum lictore ſuo, ni furtis quæſtum faceret. vt appareat, quum ex potiore ac maiore parte res nominentur, rectè & hanc Sponſionem, & contrà illam Stipulationem appellari ſolitam. Sed quæritur ab hominibus non imperitis, inter Sponſionem & illud quod veteres Sacramentum appellabant, ecquidnam interſit. Hoc perſpicuè intelligitur ex Varronis verbis,
F qui Sacramẽtum ſic definit, Sacramentũ à ſacro. Qui petebat, & qui inficiabatur, de aliis rebus, vtrique quingentos æris ad Pontificẽ deponebant, de aliis rebus item, certum alium legitimum numerum aſſium. Qui iudicio vicerat, ſuum ſacramentum à ſacro auferebat: victi, ad ærarium redibat. Sic enim locum illum & legendum, & diſtinguẽdum putamus: vt ſit ſenſus, In aliis cauſis, quingentos æris deponebãt (quod etiam S. Pompeius tradit) in aliis, alium certum ac legitimum
G numerum. & Redibat, non Redibant, vt vulgò legitur: quum apertiſſimè ad vocem Sacramentum referatur. Sex. Põpeius, Sacramenti, inquit, nomine, id æs dici cœptũ eſt, quod pœnæ nomine penditur: & id quidẽ propter ærarij inopiam, & ſacrorum publicorum multitudinem conſumebatur in rebus diuinis. Quod autem in Varronis

libris AD PONTEM legitur, non vt ſcripſimus ad Pōtificem, id ex inſcitia librariorum manaſſe opinor, qui hanc notam PONT. pontem interpretati ſunt. nam ad Pontificem deponi hãc pecuniam ſolitam fuiſſe, ex Sex. Pompeij verbis conijcimus. Neque ſum neſcius, eſſe qui Pontes quibuſdam locis menſulas interpretentur, altis pedibus impoſitas: quæ inſtar pontium habent. de quo poſtea in Oratione pro Sex. Roſcio idoneo loco diſputabimus. Nunc redeamus ad differentiam. In Sacramentis ergo, deponebantur in ſacro pecuniæ: & qui cauſa cadebat, eius pecuniæ referebantur in ærarium. At in ſponſionibus, opinor, non deponebantur: ſed tantùm interpoſita ſtipulatione promittebantur. vnde ex ſponſo agi eo ipſo iudicio dicebatur: vt hac eadem Oratione, ſuprà. Sponſionem facere maluit. fecit te iudicem C. Aquili ſumpſit. ex ſponſo egit. Nam poſtea qui iudicium dederat Prætor, victum pro imperio pecuniam ſoluere cogebat. Hanc igitur vnam opinor fuiſſe differentiam, quum alijs in rebus omnibus ſimillima eſſet vtriuſque ratio. quemadmodum ex iis locis cognoſcimus, in quibus ſacramentum & in poſſeſſionis, & in proprietatis controuerſiis interpoſitum dicitur: vt in libro de Oratore I. & in Oratione pro Milone, & apud Aſconium Ver. III. vbi de Ampliatione loquitur.

Si bona ſua ex edicto poſſeſſa eſſent. Id eſt, ſpondere certam pecuniam, ni poſſeſſa non eſſent. Quod enim cum negatione quibuſdam in libris legitur, Poſſeſſa non eſſent, mendum manifeſtum eſt, vt perſpicuè intelligitur. Spondet enim, id eſt, promittit certam pecuniam ſi ſua bona poſſeſſa non ſint.

Recuſabant qui. Aduerſus iuſſum prætoris recuſare, id eſt, cauſam dicere licebat.

De re iudicium fieri. De pecunia, ſi qua ex ſocietate Neuio deberetur.

Vt aut vterque inter ſe. Nam vt ex Iuriſconſultorum libris intelligitur, in actionibus in perſonam, qualis eſt actio Pro ſocio, neuter litigatorum cogitur ſatiſdare: duntaxat qui ſuo nomine iudicium accipiunt.

Vt aut vterque inter ſe, aut neuter ſatiſdaret. Quorſumnam pertinere dicetur hæc recuſatio, qua tam vehementer & tam acriter tum Quinctius, tum ipſius aduocati depugnant? Nam in Prætoris quidem decreto de ſatiſdatione verbum nullum. Hoc conſideret lector, & diligenter cum animo ſuo reputet, primùm ecquanam ratione tam præciſæ ſatiſdationis recuſatio fiat, deinde cur bipartita defenſione Quinctius vtatur: ſi de ſatiſdãdo nihil Prætor decreſſet, ac ſimplex fuiſſet de ſponſione iuſſio: non autem diſiunctiua, vt aut ſatiſdaret Quinctius, aut ſpõſionem faceret. Non enim dubito, ſiquis diligenter omnia conſideret, quin facilè in eandem opinionem adducatur, quam ego iampridem ſum amplexus, neque omnino poſſum dimittere: vt locus ille ſuperior ita legi ac reſtitui debeat, Iubet P. Quinctium ſatiſdare, aut ſponſionem cum Sex. Neuio facere. quod cùm multa ex iis quæ ſequuntur, comprobant, tum illud manifeſtò oſtendit, quòd in ſequenti pagina hunc eundem iuſſum Cicero commemorans, ſic ſcribit, Dolabella iniuriam facere fortiſſimè perſeuerat: aut ſatiſdare, aut ſpon-

A ſionem iubet facere.

Famam alterius in iudicium venire. Veniet autem, ſi cogatur ſolus ſatiſdare. Nam ij ſoli ſatiſdant, quorum bona, quòd vadimonium deſeruerint, decreto Prætoris poſſeſſa ſunt: quaſi ſoluendo non ſint, quum contrà qui poſſident, vel ex iis quæ poſſident, locupletes ſint.

Ne videretur iudicaſſe. Re ipſa confeſſus eſſe, & conceſſiſſe.

Sponſionem porrò. Conieсturam quam expoſui
B hæc ipſa particula PORRO confirmat: quæ ſignificat, atque adeo apertè oſtendit, duas recuſationis partes ad bipartitum Prætoris iuſſum relatas eſſe.

De capite ſuo. De fortunis omnibus, & exiſtimatione.

Priore loco. Nam qui ſponſione prouocat, is actoris partes obtinet. qua de cauſa in Verr. VII, Seruilium quendam legimus tanta contentione recuſaſſe, ne ſponſionem faceret, ni
C Verres furtis quæſtũ faceret. hoc enim ille probare debuiſſet.

Nemo noſtro loco natus. Nemo nouorum hominum. nobilibus enim noui homines opponuntur: vt alibi docuimus. Tullius autem ortus ex equeſtri ordine, nullis ipſius maioribus honores in Repub. conſecutis. Ortum ſe tamen antiquiſſima ſtirpe gloriatur in II de legib. ex regio ſcilicet Volſcorum genere, apud quos rex Tullus regnauit, vt ſcribit Silius Italicus,

D *Tullius aratas raptabat in agmina turmas,*
Regia progenies, & Tullo ſanguis ab alto.

Aut ſponſionem iubet facere. Iubet pro decernit. Nam hoc, iam decretum, non modò iuſſum appellatur. vt infra.

Acerrimè ſubmoueri. Per lictores. Prætoribus enim & Conſulibus ſui lictores erant, quibus populum ſubmouere pro imperio poterant. At Tribuni pleb. viatoribus in ſubmouendo vtebantur. Conſules quidem & Prætores ita ſubmoue-
E bant, vt qui non pareret, prehendi iuberent. ſed Tribuni non pro imperio, ſed comiter verbis ſubmouebant, Si vobis videtur, diſcedite Quirites. Et huius ſummouendi moris exemplum eſt apud Liuium lib. III, vbi de Appij Claudij Decemuiri decreto in Virginiam puellam loquitur. Aduerſus iniuriam decreti, inquit, quum multi magis fremerent, quàm quiſquam vnus recuſare auderet: P. Numitorius puellæ auunculus, & ſponſus Icilius interueniunt: datáque inter tur-
F bam via, lictor decreſſe ait: vociferantémque Icilium ſummouet.

In altera re. Si ſatiſdediſſet.

Cauſæ nihil eſſet quin. Vetus locutio, quæ hóc ſignificat, Recuſare, vel inficiari non poſſe quin. Similiter infra, Pridie Cal ſi Romæ fuit, cauſæ nihil dicimus quin tibi vadimonium deſeruerit. Et infrà. Nunquid eſt cauſæ C. Aquili, quin ſi longè aliter poſſedit, &c. Et apud Terentium, Non cauſam dico quin quod meritus eſt ferat.

Quin ſecus iudicaret ipſe de ſe. Secus, minùs re-
G ctè, minùs verè, aliter quàm ſeſe res habeat. Salluſt. in Iugurtha, Prius tamen omnia pati decreuit, quàm bellum ſumere, quia tentatum antea ſecus ceſſerat. Apud hunc noſtrum, Epiſt. ad Appium, lib. III, De tuo in me animo iniquis ſecus exiſtimandi videris nonnihil loci dediſſe.

Quod

A *Quod iudicium grauiſſimum eſt.* Similiter Ver. V I I. Meo,inquit,iure contendam, eum qui ſuo iudicio condemnatus ſit, iuratorum iudicum ſententiis damnari oportere.Et in Cluentiana de reo Fabritio, qui patroni infantia deſperatus, à ſubſellus diſceſſerat, Iam tum, inquit, Fabritius primùm ſuo iudicio, quod eſt grauiſſimum, deinde legis vi condemnatus eſt.

In altera ſpes eſſet. Si ſponſionem faceret.

Te iudicem C. Aquili ſumpſit. In iudiciis tum B priuatis, tum publicis, dabantur ij à Prætore iudices,qui reis placuiſſent. Sumebat igitur actor priore loco iudicem, cui, ſi reus eum non reiiceret,Prætor iudicandi poteſtatem dabat:ex quo ipſo,vt Varro ſcribit,Iudex dicebatur,quòd iudicaret accepta poteſtate, & cauſam quibuſdam verbis dicendo finiret:id eſt quibus verbis à Prętore iudicium erat conſtitutum.

Ex ſponſo egit. Id eſt, ex ſponſione, ſecundum ſponſionem factam actionem inſtituit. Interdum eſt agere C ex ſponſu, vt apud Gell. lib. 4.cap.4.

Qui pro capite diceret. Modò dixit, Fama, fortuniſque.

Posteriore loco diceret. In prima quidem actione. Nam ampliata cauſa, aut comperendinata priore loco cauſam reus dicebat, actor poſtremo,vt ex Verr. I I I. notum eſt,& ex Aſconio.

Inaudita criminatione. Nondum audita.

Priore loco cauſam dicere intelligit. Oratoriè D de hoc, quaſi iniurioſè decreto, cõqueritur: cùm tamen reuera ſi bona poſſeſſa eſſent, aut ſolùm ſatiſdare, aut ſponſionem facere Quinctium oporteret: &, ſi ſponſionem faceret, priore loco dicere.

Illud etiam reſtiterat. Superfuerat ad noſtras iniurias cumulandas. Et accipe dictum per ironiam: vt ſi diceret, Non ſatis malorum habebamus, niſi inſuper hic quaſi cumulus acceſſiſſet.

In ius adducerent. Ad Prætorem.Nam ius,Prætoris E dicitur: Iudicium verò,datorum à Prætore iudicum.

Ita ſine iniuria potentiam leuem. Vſqueadeò ſe ſua potentia non vſuros putant,niſi iniuriam imponant. Nam hic,opinor, ordo & contextus eſt, Ita leuem potentiam,pro vſque eò leuem & inanem.Et apparet quod ſuprà dixi, Potentiam eorum fuiſſe, apud quos Grattoſi eſſe aliqui dicebantur: Gratiam autem eorum, qui potentium hominum amicitia florebant.

F *Vt eas in conſilium.* In publicis iudiciis poſtquam propoſitis omnibus argumentis Orator dixerat DIXI, & præco vtrumque Oratorem dixiſſe pronuntiarat, dimittebat Orator Iudices ad dicendam ſententiam.Et hoc eſt(vt ſcribit Aſconius)quod dicitur Mittere in conſilium. quod (vt dixi)ipſorum eſt Orat-ꝑum. Sed in cauſis priuatis, in quibus præcones fuiſſe non repero, poſteaquam prior patronus dixerat, ſi Recuperatores,inter ſe: ſi Iudices,cum aduocatis ſuis capita G conferebant.tum alter patronus dicebat.vbi dixiſſet,teſtes dabantur,tabulæ poſcebantur,literæ inſpiciebantur,poſtremò in conſilium ibatur. quæ cum ex Verrina V. tũ ex Aſconio & Macrobio didicimus.Hæc cùm ita ſint,tamen ſi longior orator videbatur, in priuatis quidẽ iudiciis iudex ire poterat in conſiliũ,eáq; ratione Oratori ſilentium imponebat,vt hic locus perſpicuè oſtendit. In publicis autem Quæſitor conſilium dimittebat.Cicero in Bruto: Videt oſcitantem iudicẽ loquentem cum altero,nonnunquam etiam circulantem, mittentem ad horas, quæſitorem vt dimittat,rogantem.

Priore patrono cauſam defendente. Id eſt, patrono cauſam dicente priore loco.

Nos rem iudicari nolle. Qui enim rem iudicari nolunt,oſtendunt ſuæ ſe cauſæ diffidere.

Ab illo qui antè dixit. M. Iunio, quem hanc cauſam aliquoties egiſſe ſuprà dixit.

Informata iam cauſa est. Informare,eſt formam aliquam alicui rei inducere: ſic,vt quæ res ea futura ſit, iam tum ex ea rudi & inchoata forma exiſtimari poſſit. Pictores adumbrare verbum in ea re vſurpant. Quum igitur hominis ſpeciem vmbris tantùm & rudibus lineamentis inchoatam oſtendunt, informata hominis effigies dicitur: quòd in illo opere, quamuis rudi & impolito,formam tamen eſſe hominis, non belluæ,perſpicitur. Ergo Informata cauſa hoc ſignificat, non penitus explicata,planéque demonſtrata, vt planiſſimè cognoſci, intelligique poſſit: ſed aliqua ex parte expoſita,vt ignorari nequeat.Exemplis autem in re plana atque aperta ſuperſedeo.

Neq; excogitare, neque pronuntiare multa poſſum. Alterum ad modeſtiam dictum eſt,oratoriè:alterum ad veritatem. vt ex his ipſius verbis in Bruto cognoſces,Erat eo tempore in nobis ſumma gracilitas & infirmitas corporis, procerum & tenue collum: qui habitus, & quæ figura non procul abeſſe putatur à vitæ periculo,ſi accedit labor,& laterum magna contentio.

Quod tibi natura dat vt ſemper poſſis, id mihi cauſa dat vt hodie poſſim. Ergo non vera laudatio, ſed ironia potiùs illa eſt. neque enim qui perpetuò partitione tam accurata vtitur, ſed qui in loco,& qui cauſa poſtulante id facit,laudem meretur.Coniecturam adiuuat quod ſcribit Aſconius in illum Diuinationis locum, Quid, quum accuſationis tuæ membra diuidere cœperit? Hic, inquit,irridet Hortenſij conſuetudinem: vt ſæpe aliás.Et Quintilianus libro I I I I, Nec immeritò, inquit, multum ex diligentia partiendi tulit laudis Q.Hortenſius: cuius tamen diuiſionem in digitos diductam, nonnunquam Cicero leuiter eludit. Nam eſt certus eius modus: & euitãda maximè conciſa nimium & velut articuloſa partitio. Nam & auctoritati plurimum detrahunt multa illa non membra, ſed fruſta: & huius gloriæ cupidi, quo ſubtilius & copioſius diuiſiſſe videantur, & ſuperuacua aſſumunt, & quæ natura ſingularia ſunt,ſecant.

Id mihi cauſa dat. Omnes ad vnum veteres & manu ſcripti & impreſſi libri, quoſcunque videre potui,non DAT,ſed CONCEOIT ſcriptum habent. quorum ſine cauſſa auctoritatem nunquam repudiabimus.

Veſtra exiſtimatione reuocabitis. Dum verebor ne ſi aliter atque oſtendi faciã,ſecus de me exiſtimetis. ne tacita exiſtimatione veſtra reprehẽdar.

Non fuit cauſſa. Confirmatio huius, primæ partis triplex eſt. primùm enim docet nihil debuiſſe Quinctiũ: ſecundo nihil petiiſſe vnquam Neuium antea: poſtremo ſi maximè debitum quid fuiſſet,vadimonium quòd deſertũ eſſet, nõ

tamē icco co cauſā cur poſſeſſio peteretur fuiſſe.

Cur poſtulares. Alij, Poſtularet. q͡d magis arridet.

Quis huic rei. Omnes, puto, alij, Quis huic rei. quorum ſine cauſſa nunquā deſugiā auctoritatē.

Mentionem fuiſſe. Iidem, opinor, omnes, Feciſſe. quod ſine dubio rectum eſt.

Certis nominib. Certis de cauſis. Contra in Senatuſconſulto Macedoniano, Qui pecuniam, incertis nominibus crederet. Id eſt cauſa nō aſſcripta.

Ab eo qui contraxiſſet Quicum contraxiſſet, legendum equidem iampridem exiſtimaram: ſed poſtea hanc meam opinionem veterum auctoritas omnium librorum penitus confirmauit.

Aut intra parietes, aut ſummo iure experiretur? Conſuetudo veterū. Priuſquā iudicio contenderent, honoraria amici opera plurimū vtebantur, qui intra domeſticos parietes de illorum controuerſia diſceptaret. exemplum ſuprà, & apud Liuiū libro IIII, quo loco de Ardeæ ciuitatis legatis commemorat. Quum res, inquit, peragi intra parietes nequiſſet, ventum in ius eſt. Hoc eſt quod Cic. dicit in Oratione pro Cæcina, ea iudicia quę diſtrahendarum controuerſiarum cauſa reperta ſunt perſæpe diſceptatore domeſtico diſceptari.

Aut ſummo iure experiretur? Experiri nonnunquam præciſè dicitur: nonnunquam etiam plenè & coniunctè Experiri ius. id quod pro Lege agere vſurpatur: propterea, opinor, quòd qui rem aliquam iudicio petunt, ij quod iuris ſe habere ad eam rem petendam arbitrantur, id ad iudices tentandi & experiendi cauſa exponunt. Id adeò ex his Titi Liuij verbis intelligi poteſt, qui libro L. Prætor, inquit, L. Petitio dixit, ſeſe eos libros in ignem coniecturum eſſe. priùs quàm id faceret, ſe ei permittere, vti, ſi quod ſeu ius, ſeu auxilium ſe habere ad eos libros repetendos exiſtimaret, experiretur: id integra ſua gratia eum facturum. Loquitur de Numæ libris. Sed agere, vel experiri ſummo iure tum dicimur, cùm quammaximè poſſumus duriter, & præfractè cum aduerſario contendimus, eúmque quam aſperrimo & vehementiſſimo iudicio poſſumus, perſequimur. infrà ſummo iure agere ſic extulit, Ad extrema & inimiciſſima iura cupidè decurrere. Inimiciſſimè & infeſtiſſimè contendere. Et in epiſt. ad Att. lib. XVI, Agere vehementer & ſeuerè.

Quod viri optimi faciunt. Hoc quemadmodum quadret cum eo quod proximè dicebat, coniectura aſſequi non poſſum. Nam argumentum eſſe videtur ex comparatione minoris. Si diſſoluti homines debitores ſuos appellant ac flagitant, id non faceret Neuius, homo omnium auariſſimus: Ergo quum hoc ſumpſiſſet, nemo eſt tam diſſolutus, qui non appellet: ita efferre videlicet argumentationem debebat, Si viri diſſoluti appellant, non eſt probabile Neuium auariſſimum appellaturum non fuiſſe: quum contrà de viris bonis loquatur, de quibus tamen antea ſuſpicio nulla eſt. Etiam illud abſurdum, quum dicit SI QVI. quaſi vlli viri boni ſint, qui propinquos ſuos claros atq; honeſtos haberi nolint. Quod quum ita ſit, haud ſcio an non paulò commodius ita legeremus, ne dicam verius, Quod iure optimo faciunt hi qui ſuos propinquos &c. vt comparatione vti duplici videatur, hominum diſſolutorum cum auariſſimo, & eorū quibus ſuorum amicorum exiſtimatio chara eſt, cum eo qui eam pro nihilo putat. vt ſit ſenſus, Si iure optimo, & ſaluo amicitiæ officio id facere poſſunt hi qui de amicorum exiſtimatione ſunt ſoliciti, ſi inquam appellare debitores ſuos poſſunt, neque tamen vllam in ea re faciūt ſuis amicis iniuriam: cui probari poteſt, id facturum non fuiſſe Neuium, qui neque de amicitia, neque de propinquitate vlla laborat? cum eo videlicet, vt pro illa interrogationis nota, quæ ad verbum FACERET adiuncta eſt, nota membri ſcribatur. Mihi quidem hæc lectio atque ſentētia placeret. Quòd ſi nihil mutandum exiſtimamus, vel εἰρωνικῶς hæc dici ſtatuemus, & feſtiuè ad Neuij improbitatem exagitandam: vel viros dici optimos interpretabimur, ex eo ipſo quòd propinquorum exiſtimationem charam habeant. Sed aſſumptio durior, neque ſatis cohærere videbitur.

Neceſſarios caros & honeſtos eſſe atque haberi volunt. Nihil muto. ſed Caritatis mentio quorſum hoc loco pertineat, aut quàm appoſitè cum honeſtate coniungatur, non diſpicio. Fortaſſe rectius legeremus, Claros & honeſtos. Nam Claros dici video etiam pro Integris, & caſtis, & nulla malæ exiſtimationis labe contaminatis. Ipſe in orat. pro Q. Roſc. Quem tu, ſi ex cenſu ſpectas, eques Romanus eſt: ſi ex vita, homo clariſſimus eſt. Nam eundem paulò pòſt hominem honeſtum appellat, Nega, nega nunc equiti Romano homini honeſto credi oportere. Vetera igitur exemplaria conſulantur, ſiqua ſunt, (vt confido eſſe nonnulla) quæ meam coniecturam auctoritate ſua comprobent.

Sanguinem vitámque eripere conatur. Id eſt, opes ac fortunas, quibus vita ſanguiſque retinetur.

Reſpirare liberè non ſinis. Non ſinis viuere, non ſinis ſpiritum ducere. item vt modò dixit, Quem nunc vita priuare vis.

Prudenter appellare. Alij omnes Pudenter: melius omnino meo iudicio. Etenim contrarium contrario poſuit, cùm dixit nefariè interficere, & Pudenter appellare. Nefarius enim, qui religionem omnem reſpuit, atque aſpernatur. Verecundia autem vna ex omnibus maximè religioſorum hominum propria: quippe cuſtos virtutum omnium, vt idem ait in partitionibus.

Cuius caput oppugnet, eius auribus peperciſſe. Feſtiuè & ridiculè ex verborum ambiguitate: quaſi ad auriculas & caput hoc pertineat, cùm de auditione quæ aures ferit, intelligat.

At aliquanto. Aliquantò per T fortaſſe concinnius legeretur.

Anno vertente ſine controuerſia. Annus vertens quid ſit, Vitruuius his verbis oſtendit, lib. Archit. IX, Sol, inquit, ſigni ſpatium, quod eſt duodecima pars mundi, menſe vertente vadens tranſit, ita XII menſibus XII ſignorum interualla peragrando, quum redit ad id ſignum vnde cœperit, perficit ſpatium vertentis anni. Eadem figura Plautus menſem vertentem dixit in Perſa, Tu hanc ſi emeris, Nunquam hercle hunc menſem vertentem, credo, ſeruibit tibi.

Tecum anno plus. Omnes prope libri veteres, Annum plus: vtrunque rectè. Aliquid tamen apud nos tot veterum librorum valeat auctoritas.

In Gallia agi non potuit. Vtrum intermiſſis belli tempore iudicijs, quum Prætor forum agere, & conuentum habere non poſſet. Cui bello præ-

erat

erat C. Flaccus, quem Imperatorem antea nomi- A
nauit?

In prouincia ius dicebatur. Vel hoc dicit, Si prætor
intra fines prouinciæ, bello diſtrictus ius non dice-
bat, Legatum habebat in prouincia, qui quaſi Præ-
torij imperij vicarius, iudicium ea de re conſtituere
poterat, & iudices de conuentu dare. Vel hoc, ſi mi-
nus in Gallia peregrina, at in ea parte quæ in prouin
ciæ formam redacta eſt, vbi ius à magiſtratib. & di-
ci ſolet. B

Et Romæ iudicia fiebant. Hoc propterea dicit, quia
propter ciuile bellum quod hiſce temporibus fla-
grabat, iudicia in vrbe aliquandiu intermiſſa fue-
rant.

Satis eſt argumenti. Confirmationis pars altera.

Tot & tales viros defatigat. Vtrum Neuij aduoca
tos, homines nobiles, an potius iudicem, & eos qui
illi in conſilio aderant? Sic opinor, vt ſuo more iu-
dicibus laudem aliquam aſpergat.

Oſtendo teſtimonio eſſe nihil deberi. Quid ita? Quum, C
inquit, Quinctij exitium & calamitatem, & om-
nium eius fortunarum interitum petat, hoc ſignifi-
cat, atque adeò apertè oſtendit, ſe non ob pecu-
niam iudicio contendere, ſed odium in illum con-
ceptum effundere. Et opinor, ex eo ratio ducitur,
quòd quibus pecuniæ debentur, ij dum ad ſuum
peruenire poſſint, ſatis habent: neque quicquam
amplius à debitore poſtulant: at qui ira acerbiore
& intimo odio quempiam perſequuntur, non faci-
lè exſaturantur, niſi ſummum illi exitium & perni- D
ciem attulerint.

De rationib. & controuerſiis ſocietatis. Præclarè.
Huc autem communi diuidundo iudicium per-
tinebat, nondum enim res communes diuiſæ fue-
rant.

Ne in ciuitate ſit. Non, ne in vrbe ſit (neque enim
qui vadimonij deſerti damnati erant, exilio mul-
tabantur) ſed ne numeretur inter ciues. Hoc dicit
propter ignominiam qua afficiebantur qui turpi
iudicio damnati eſſent. Nanque hi poſt à Cenſo- E
ribus, ſi plebeij eſſent, in Ceritum tabulas refere-
bantur, & ærarij fiebant, vt ad hoc eſſent ciues tan-
tùm, vt pro capite ſuo tributi nomine æra pende-
rent. Asconius.

Decernas de vita. Elatè hæc dicuntur, & per am-
plificationem.

Eam quum orarit. Perorarit, meo iudicio rectius
& apertius legeretur.

Honeſtiore iudicio conflixiſſe? Honeſtius hoc iu-
dicium eſt arbitrio pro ſocio, Nam illo damna- F
nati, infamia notantur. Huius autem iudicij exitus
infamiam non affert.

Iugulare non potes. Spoliare iis rebus quibus ani-
ma & ſpiritus conſeruatur.

Vt facilius iudicium ſit? Nam de facto tantùm
quæritur hoc iudicio, & coniectura, Sintne poſſeſ-
ſa ex edicto bona: quum in iudicium Pro ſocio
de iure pleræque diſceptationes incidant, & lon-
gior ac difficilior ſit rationum ſubductio compen-
ſationum, quæ in præſtationibus & ſocietatis no- G
minibus plurimùm fiunt, conſideratio. Ergo Faci-
lius, & dilucidius ſignificat, & breuius: quòd quo
quidque dilucidius eſt, eo minore negotio ac tem-
pore explicatur.

Contra caput non didicit dicere. Didicit, conſue-
uit. Eadem figura viſus eſt Plautus in Amphitryo-
ne. ALC. Cur negas? AMPH. Quia verè didici
dicere. ALC. Haud æquum facit, Qui quod didi-
cit, id dediſcit. Et in Curc. TERAPONT. miles,
Non ego nunc mediocri incedo iratus iracundia,
Sed ea ipſa illa qua excidionem facere condidici
oppidis. Vatinius in epiſt. Si vales, bene eſt, lib.
v, Ego autem quem potius adoptem, aut inno-
cem, quàm illum, quo defendente vincere di-
dici? Hic noſter in Orat. pro Deiotaro, Et ve-
nit vel euocatus, vt is, qui Senatui parêre didi-
ciſſet.

Quid à nobis autem C. Aquili refertur? Refer-
re, reſpondere, contradicere. Iuriſconſulti Repli-
care poſtea dixerunt. Græci ἀνθυποφέρειν: id eſt,
aduerſus defenſionem alterius opponere. In Orat.
pro Cæcina, Hic eſt mucro defenſionis tuæ: in
eum ipſum cauſa tua incurrat neceſſe eſt: ego enim
tibi refero, &c. Et paucis pòſt verſibus, Idque me
non ad meam defenſionem attuliſſe, ſed illorum
defenſione retuliſſe. Item in Partit.

Si veretur vt res iudicio facto parata ſit. Ergo,
quòd in actionibus in perſonam, neceſſariam eſſe
ſatiſdationem Iuriſconſulti negant, modò is qui
cum agitur, iudicium ſuo nomine ſuſceperit: ita
intelligendum eſt, niſi ſi periculum ſit ne ſol-
uendo reus non ſit. qua in cauſa etiam actor ſatiſ-
dare viciſſim cogitur. Et hoc ipſum poſterius ite-
rat his verbis, Quo in loco conditionem tuli, ſi
vellet pecuniam petere, P. Quinctium iudicatum
ſolui ſatiſdaturum, dum ipſe ſiquid peteret, pari
conditione vteretur. Sed moris tamen fuiſſe appa-
ret, vt qui vadimonium deſeruiſſet, & cuius ea e-
dicto bona poſſeſſa eſſe dicerentur, ſolus ſatiſdare
cogeretur.

Quibus verbis. Certis enim verbis ſatisdationum
formulæ conſtabant.

Iiſdem ipſe, quod peto, ſatiſdet. Quod peto, id ſi-
gnificat, Quod iam antea petij, quod ſæpe poſtula-
tum eſt. hoc enim aduocati Quinctij poſtularant vt
de re pecuniaria iudicium fieret, & vterque inter ſe
aut neuter ſatiſdaret. ſuprà.

Vnum illud vnde hæc omnia naſcuntur. Dicit iudi-
cium Pro ſocio, vnde omnes quæ annis ab hinc
duobus controuerſiæ fuerunt, quaſi ex fonte fluxe-
runt. Itaque infra ſcribit in hanc ſententiam his
verbis, Deinde quòd omnia iudicia difficillima cum
ſumma ſua inuidia fieri mallet, quàm illud vnum
pecuniarium iudicium, ex quo vno hæc omnia nata
& profecta eſſe concedit.

Inter tot annos. Elatè: quum duo tantum anni ſint,
ac ne ij quidem integri. De hac autem loquutione
dicendum neceſſario fuerit Verrina II. & putidum
eſt eadem ſæpius iterare.

Male agere cœpit. Hæc dicuntur ad tempus. Nam
ſi hoc verum eſſet, quum antea mentionem dila-
ti vadimonij interpoſuit, non eſt dubium quin
de hoc quoque aliquid dixiſſet. Eſt autem ſen-
ſus, Vbi ex amicis intellexit malè ſe hoc modo
acturum eſſe, vadimonium diſtulit: ne ſi hac a-
ctione ad Prætorem vteretur, cauſa caderet. Er-
go qui vadabantur, actionis ſuæ formulam ad-
uerſario edebant: quod ipſum ſignificare vide-
tur Vlpianus, libro Pandectarum II, ſub tit. De
edendo, Qua quiſque, inquit, actione agere vo-
let, prius eam edere debet. nam æquiſſimum vi-
detur, eum qui acturus eſt, edere actionem: vt
proinde ſciat reus vtrum cedere, an contende-
re vltrà debeat: & ſi contendendum putet,

veniat inſtructus ad agendum, cognita actione qua conueniatur. Sed quid ſit malè agere, oſtendit Cicero in Partit. his verbis, Plus petiſti, ſerò petiſti, nō fuit tua petitio, non à me, non hac lege, non his verbis, non hoc iudicio. Et Quintilianus libro III. In omnibus, inquit, ferè cauſis, in quibus cecidiſſe quis formula dicitur, hę ſunt quęſtiones, an huic, an cum hoc, an hac lege, an apud hunc, an hoc tempore liceat agere, & ſi qua ſunt talia.

Sponſionem de probro facere maluit. Ni bona Quinctij ex edicto poſſeſſa eſſent qua ſpōſione eiuis Romani exiſtimatio in diſcrimen vocatur. nam qui vadimonij deſerti damnati erant, ignominia notabantur.

Conditionem æquiſſimam repudiet. Vt quibus verbis à Quinctio ſatis accipiat, iiſdē ipſe verbis Quinctio ſatiſdet.

Fateatur, ſe non pecuniam, ſed vitam, & ſanguinem petere. Ipſe poſtea ſic interpretatur, Si non verbo, re quidem ipſa fatetur.

Tanto negotio. Tam laborioſo, & tum Quinctio, tum ipſi etiam Iudici graui & moleſto.

Inuito atque ingratis. Ingratis, grauatè, illibenter. Terent. Heaut. Ea coacta ingratis, Poſt illa cœpit victum vulgò quærere. Hic ipſe Verrina VI, Producam cæteros: reticebunt quæ poterunt, libenter: dicent quæ neceſſe erit, ingratis.

Adhibenda vis veritati. Æquitati: quod iam ſæpè diximus.

Illum conſeſſum. Neuij aduocatorum: hominum nobilium & potentium. Græci dicerent τὴν ...τάξιν, vt in Orat. κατὰ Κτησιφ.

Eo leuiora infirmioráque eſſe exiſtimo. Minus apud te ponderis habitura. Tantum enim illorum & tam vehemens euertendi Quinctij ſtudium documento tibi eſſe debebit, eos non æquitate, ſed cupiditate & libidine certare.

Quid ſi debuiſſet? Tertia pars confirmationis, in qua docet cauſſam cur poſſeſſio peteretur, non fuiſſe.

Vt tu ipſe prædicas. Si minus verbo, re quidē ipſa.

Quid igitur demonſtrat? Quam affert huiuſce cōſilij ſui rationem: vulgus dicit, allegat. Galli dicunt, Remonſtrer.

Omnes denique cauſæ & neceſſitudines. Genus loquendi animaduerſione dignum. Ita enim veteres loquebantur, vt CAVSA præcisè dicerent, pro cauſa coniunctionis, amicitiæ, beneuolentiæ. Idem in Epiſt. ad Ser. Sulpitium, Cum Lyſone eſt mihi quidem hoſpitium vetus, quam ego neceſſitudinem ſanctè colendam puto: ſed ea cauſa etiam cum aliis compluribus, familiaritas tanta nullo cum hoſpite. Item in ea de prouinc. conſul. Non alterum eſſe arbitror explicare breuiter, quæ mihi ſit ratio & cauſſa cum Cæſare.

Ad Prætorem ire conuenit. Conuênit, ęquum fuit. Præteritum enim tempus demonſtrat: vt quod proximè ſequitur.

Pecuniam ſi cuipiam fortuna ademit. Dicamus ἐν ... quid hoc toto loco ſignificet, & velificemur ei κατορθώσει quam obtinere volumus. Hoc enim ad huiuſce loci ſenſum eruendum non mediocriter pertinebit. Quibus, inquit, aduerſa fortuna eſt, ij aut pecuniam, ſalua exiſtimatione, aut exiſtimationem, ſalua pecunia, aut vtrunque ſimul amittunt. Horum omnium poſtremi ſunt miſerrimi. Qui verò ſub præcone ſubiiciuntur, vtrunque illud amittunt. Omnium igitur hi ſunt miſerrimi. quid amplius? Etiam mortuis miſeriores habendi ſunt. quum enim vel moriendo memoriam ſui penitus extinguere cupiant, id tamen non poſſunt: mori enim iis obſcurè non licet. Hæc de loci ſententia ſummatim: nunc ſingula videamus.

At non nemo. Scribamus Et non nemo, vel Ac non nemo: ſic enim ſententia poſtulat, quam oſtendemus.

Aut ignominia affectus, aut iudicio turpi conuictus. Alterum ad animaduerſionem ac notam Cenſoriā: alterum ad res iudicatas refertur, de quibus in Oratione pro Cluent. Quòd ſi illud iudicium putaretur, inquit, vt cæteri turpi iudicio damnati, in perpetuum omni honore ac dignitate priuantur, ſic hominibus ignominia notatis neque ad honorem aditus, neque in curiam reditus eſſet.

Bonis quidem ſuis vtitur: alterius opes, id quod miſerrimum eſt, non expectat. Huius loci caſtigationem ſenſus ipſe oſtendit, & vetuſti codicis auctoritas, in quo, pro Alterius, ſcriptum eſt, Altiores. Sic igitur legamus, Qui dum bonis ſuis vtatur, altiores opes, id quod miſerrimum eſt, non expectat. Senſus autem apertus eſt. Non eſt, inquit, difficile reperire, qui, quum exiſtimationem amiſerit, bona tamen retineat, vt qui Senatores iudicio turpi conuicti ſunt, & Senatu moti, aut Equites equo publico multati. Hos igitur miſeros quidem iudicabimus, quòd exiſtimationem amiſerint, ſed non vſque eò tamen, vt qui bonis etiam, & fortunis omnibus euerſi ſunt.

Hoc adiumento & ſolatio. Quòd bonis tamen, & fortunis ſuis fruuntur.

Sub præcone ſubiectus eſt. Similis loquutio in Orat. pro domo ſua, Cyprius Rex cum omnibus bonis ſub præcone ſubiiceretur. Et tranſlatio ſumpta eſt ex conſuetudine præconum, qui de ſuperiore loco auctione vendebant. Stantes enim ſuper lapidem, quem Græci πωλητήριον appellant, res venales pronuntiabant, vt ex illo Plauti intelligitur, in Bacchidibus: O ſtulte, ſtulte, neſcis nunc vænire te. Atque in eo ipſo aſtas lapide, vbi præco prædicat. Vnde in Miloniana, Sex. Attilium & Q. Numerium Trib. pl. quos P. Clodius corruperat, Cicero de lapide emptos dicit, quòd ei ſuum ſilentium pretio ac mercede vendiderant, & (vt ſæpe hac in re loquitur) addixerant: perinde quaſi ſilentium illorum ſimiliter vænale fuiſſet, ac res quæ in auctionibus de lapide vænales proclamantur. Eraſmus autem viliſſimos & vehementer obſcuros homines ea locutione ſignificari putauit, opinor eodem iudicio, quo propè omnia Ciceronis ſcitè & prouerbialiter dicta interpretatus eſt.

Infra etiam mortuos amandatur. Id eſt, deteriore conditione eſt, quàm mortui. Nonnulli codices Mādatur, quod abſurdum eſt. In Orat. ad Quir. poſt reditum, eandem loquutionem vſurpat, Quum is inimicus ſpiritu duntaxat viueret: re quidem infra omnes mortuos amandatus eſſet.

Vita turpis ne morti quidem honeſtæ locum relinquit. Hoc loco mihi aqua hæret, vt aiunt. Nam ſi vitam turpem, interdum mors honeſta conſequitur, quomodo non morti honeſtæ interdum vita turpis antecedet? Nodus mihi quidē perdifficilis videtur: neque ſanè quēadmodum expediri poſſit, ſatis intelligo. Quòd ſi tamen coniecturæ locus eſt, fortaſſe ſic potius ab Oratore ſcriptum fuit, Vita hęc turpis,

ne

ne morti quidem obſcuræ locum relinquit. primùm quia generatim illud falſum eſt, niſi pronomen HÆC interiiciamus, vt modò quum dicit, Vita hæc turpia: apertè intelligitur vita eorum qui ſub præcone ſubiiciuntur. Deinde quum miſeram illorum conditionem eſſe affirmet, valde alienum eſt quod dicit, eos eſſe miſeros ob eam cauſam, quòd honeſtè mori non poſsint. Nam ne iis quidem qui honeſtiſſimè viuunt, ſemper id contingit, vt honeſtam mortem obeant. Ex profectò ita eſt, vt quum quis & ſe tanta ignominia affectum videt, & ſuam turpitudinem ſermone omnium diuulgari, & verò etiam ſua bona omnia diſtrahi ac dilacerari, non de honeſta morte tum cogitet, ſed de obſcura potius: nimirum quomodo ſui memoria funditus extingui, ac deleri poſſit. quod tamen ipſum aſſequi non poteſt, vt proximè oſtendit, quum ait, De quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem certè tacitè obſcuréque conceditur. Et illud, *Huic viuo videntique* funus ducitur. Nam quibus funus ducitur, eorum non eſt obſcura & occulta mors. Eò accedit, quòd illæ particulæ NE QVIDEM verbum illud, quò referendæ omnino ſunt, TANTVM ABEST, ſi vulgatam lectionem retineamus, non habent: niſi fortè hoc modo aliquis ſubaudiendum putet, Vita turpis tantum abeſt vt vitæ honeſtæ locum relinquat, vt ne morti quidem honeſtæ. quo quid obtuſius dici poteſt? Nam ſi vita turpis eſt, quomodo honeſtæ vitæ locum relinquet? At hoc ſenſu quem exponimus, relatio aperta eſt, vt ſit, Tantum abeſt vt honeſtæ, vt ne obſcuræ quidem morti locum relinquat. Sed conſideretur locus qui proximè ſequitur, qui quum aliud nihil prætet horum verborum interpretationem contineat, tum verò nihil planè aliud declarat, quàm quod modò diximus, iis qui ſub præcone ſubiiciuntur, ne obſcurè quidem mori, & memoriam ſui extinguere licere.

Ergo hercule. Ergo ſic accipio quaſi diceret, Et ſanè: vt ſit confirmandi nota, non concludendi, vt infrà Qui locus igitur abſentis defendendi procuratori primus datus eſt? quum proſcribebas. Ergo affuit. Apud Plautum in Epidico,

MIL. Quæ te intemperiæ tenent? Qua atu mihi tenebras cudis? quin fidicinam Produci iubes?

PERIP. Hæc ergo eſt fidicina; hic alia nulla eſt. Idem in Bacchid.

LYD. Non hic placet mihi ornatus.

PIST. Nemo ergo tibi hoc apparauit, mihi paratum eſt, cui placet.

Certe tacite. Vox Certè ab omnibus abeſt antiquis exemplaribus, & certè non admodum opportuna videtur hoc loco. Mihi tamen ſine magna cauſa religio eſt quicquam immutare.

Cui magiſtri fiunt & domini conſtituuntur. Theophilus homo Græcus, qui Iuſtiniani Inſtitutiones in Græcum ſermonem conuertit, Magiſtrum in auctionibus appellatum ſcribit, vnum aliquem lectum de creditoribus, qui debitoris bonis auctione diuendendis præeſſet. Quod Cicero etiam ſignificat in epiſtola ad Atticum prima: Vnà, inquit, agebant cæteri creditores, in quibus erat Lucullus, & P. Scipio, & is, quem putabant magiſtrum fore, ſi bona venirent, L. Pontius. Et ſanè vel hic locus argumẽto eſt, Magiſtrum in auctione dici ſolitum, qui bonis alicuius vendendis ita præeſſet, vt ei qui plurimo liceretur, rem addiceret. Notus eſt Ciceronis in Plætorium Fonteij accuſatorem iocus, de quo meminit Quintilianus lib. VI. Eius, inquit, matrem dixit, dum vixiſſet, ludum, poſtquam mortua eſſet, magiſtros habuiſſe. Dicebantur autem, dum vixit, infames fœminæ ad eam conuenire ſolitæ: poſt mortem, eius bona venibant: quanquam hic Ludus per tranſlationem dicta eſt: Magiſtri, per ambiguitatem. Hæc Fabius.

Qua conditione pereat. Quo pretio ſuæ res veneant, atque addicantur.

Viuo videntiq; funus ducitur. Prouerbium vſitatum, quum quis valens & incolumis ſibi ſuas fortunas eripi & videt, & patitur. Terentius Eunucho, Viuus videnſque pereo, nec quid agam ſcio. Cicero pro Sextio, Ille Cyprius miſer viuus, vt aiunt, & videns cum victu ſuo ac veſtitu publicatus. & DVCITVR eleganter, vt ex ſententia perſpicitur, quum impreſſi nonnulli indicitur, ſcriptum habeant. Indicebantur quidem funera per præcones, ea ſcilicet quæ ſimpludearia non erant: ſed quibus funus ducebatur, iis, opinor, ipſis funera non indicebantur.

Ad exequias cohoneſtandas. Supremi diei celebritatem. Et notanda verborum vicinitas Exequias, & Reliquias, quam figuram Rhetores agnominationem appellant.

Prætores vt conſideratè fierent comparauerunt. Vlp. in l. 4. §. prætor ait, D. de dam. infect. Dum ei qui aberit prius domum denunciare iubeam. Abeſſe autem videtur & qui in iure non eſt. Verecundè autem prætorem denuntiari iubere, non extrahi de domo ſua: ſed domum in qua degit denuntiari, ſic accipere debemus, vt etſi in aliena domo habitet, ibi ei denuntietur: quod ſi nec habitationem habeat, ad ipſum prædium erit denuntiandum, vel procuratori eius vel certe inquilinis.

Experiundi poteſtas non eſt. Latitante nimirum aduerſario.

Iugulare ciuem. Spoliare iis rebus, quibus anima & ſpiritus retinetur.

In homines alieniſsimos. Nulla cognatione aut affinitate coniunctos. Nam Alieni verbum in eo homine ponitur. Cicero pro Cæcina, Ne forte quæratis, num propinquus? nihil alienius.

Et communis humanitatis cauſa. Quo quaſi vinculo omnes inter ſe homines natura colligauit. Cicero de Officiis III, Natura, inquit, præſcribit, vt homo homini, quicunque ſit, ob eam cauſam quòd is homo ſit, conſultum velit.

Si res iſta grauiſsima ſua ſponte videretur. Malefacta alia ſua ſponte, & naturali interpretatione, alia diſputatione Iuriſconſultorum dicuntur. Aſconius, Ergo vadimonium deſerere in poſtremi generis loco, ac numero ponendum oſtendit.

Aut voluntas congregaſſet, aut fortuna. Latè ſocietatis vocabulum accepit, vt infrà. Cum eo tu voluntariã ſocietatẽ coibas, qui te in hæreditaria ſocietate fraudarat. Nam ſocij non omnes propriè appellantur, inter quos res cõmunicata eſt: niſi ſi animo ſocietatis cõmunitatem contraxerint hæres vero ſocij ſocius non eſt, vt ſuperius demonſtratũ eſt. Vlpianus lib. Dig. XVII, Vt ſit Pro ſocio actio, ſocietatẽ intercedere oportet. Nõ enim ſufficit rẽ eſſe communẽ, niſi ſocietas intercedat. Cõmuniter autẽ res agi poteſt, etiã citra ſocietatẽ: puta, quũ non affectione ſocietatis incidimus in cõmunionẽ, vt euenit in re duobus legata. item, ſi duobus ſimul empta res ſit, aut ſi hæreditas, vel donatio cõmuniter nobis obueniat.

Si de prædiis tuis ageretur Sex. Neui. Vidi multos codices manu ſcriptos, in quibus omnibus, extra vnum antiquiſſimum, ita legitur, Si dupondius tuus gereretur: in altero, Si dupondius vnus ageretur. vidi etiam complures impreſſos, in quibus ſcriptum ita eſſet, Si dupondius tuus ageretur. quam lectionem reperio præterea in veteribus impreſſis libris Iulij Rufiniani. In hac diſſenſione tam multiplici, quæ potius ſequenda ſcriptura ſit, difficile eſt exiſtimare. Illud tamen affirmare liquidò poſſumus, quum in perſona furaciſſimi & auariſſimi hominis loquatur, maximéque aridi atque auidi (talem enim antea Neuium deformauit) alienum videri prædiorum mentionem, perinde quaſi de re paruula fieri, ac leui momento æſtimanda, & ſumi argumentum ex comparatione prædiorum, quaſi rei minoris, cum iure amicitiæ, quaſi re quàm illa maiore, præſertim quum antea dixerit, nullum eſſe officium tam ſanctum atque ſolenne, quod non auaritia comminuat. & hunc ipſum Neuium iam dixerit aliquam commodi ſui particulam multò pluris facere, quàm omnem Quintij exiſtimationem. Quæ quo attentius conſidero, eo magis adducor equidem in opinionem, non DE PRÆDIIS TVIS, vt vulgò legimus, ſed DVPONDIVS VNVS, vt in vetuſto libro ſcriptum eſt, legi potius oportere, quum præſertim de re, vel ipſius Neuij confeſſione, paruula & leuiſſima loquatur. Dupondius autem, ſiue Dupondium duos aſſes valebat, vt ſcribit Varro, quæ ſumma perexigua eſt: reſpondet enim octo Gallicæ pecuniæ numis denariolis, vt Budæus docet, qui hanc ipſam lectionem comprobat, & iiſdem verbis hunc locum citat, libro de Aſſe quinto. Dum hæc ſcriberemus animaduertimus contrarium huic vitium in Plutarcho, quod & Latino & Gallico interpretibus viris doctiſſimis, errorem obiecit. Plutarchus enim quum in vita Coriolani ſic ſcripſiſſet, Μαρκίων οἶκος ἐν Ῥώμῃ, τῶν πατρικίων πολλοὺς παρέσχεν ἐνδόξους ἄνδρας. ὧν καὶ Μάρκιος ἦν Ἄγκος ὁ Νουμᾶ θυγατριδοῦς, id eſt, Martiorum familia Romæ patritios complures edidit, viros illuſtres: in his Ancum Martium, Numæ ex filia nepotem: quum inquam Plutarchus ſic ſcripſiſſet (id quod ex Liuio, & alibi ex Plutarcho ipſo intelligitur in libris tamen quos vidi omnibus, ita ſcriptum eſt, Μάρκιος ἦν Γαΐος ὄνομα θυγατριδοῦς: id eſt (id quod interpretes etiam conuerterunt) Martius Gaius, nomine Nepos. quum tamen Plutarchus de quo loquatur, perſpicuè oſtendat. Poſt Tullum, inquit, Hoſtilium regnauit.

Si in paruula re. Et, tua ipſius confeſſione, paruula: neque .n. vim habet interrogatio confeſſionis, niſi quã ex perſonæ ratione veriſimilitudinẽ accepit.

Non modò ad C. Aquilium. Corrigendum putarem, Non modò aut C. Aquilium: licet omnes libri diſſentiant. L. autem Lucullum Iuriſconſultum intelligit, de quo in lib. De clar. orat.

Quid ago? Formula eſt conſilij petendi. Itaq; Terent. in Phormione Demiphonem conſiliũ à tribus Iureconſultis petentem his verbis facit, videtis quo in loco res ſit. quid ago? dic Hegio.

Tute collegiſſes. Huc quid ſit declarat Cicero Tuſculana quarta extrema, Quid eſt, inquit, ſe ipſum colligere, niſi diſſipatas animi partes rurſum in ſuum locum cogere?

Conſilium cepiſſe, hominis propinqui fortunas euertere. Conſilium capere cum infinitiuo, rara locutio & obſeruanda, qua vſum eundem alibi reperio, in Verr. IIII. Capit conſilium de amicorum ſententia, non adeſſe ad iudicium. Et ad Att. epiſt. li. XIV. Nec alia cauſa profectionis mihi vlla fuit tum, quum conſilium cœpi legari ab Cæſare.

C. Aquili, L. Lucule, P. Quintili, M. Marcelle. C. Aquilius iuratus iudex in hac cauſa ſumptus, de quo initio diximus. Ei aderant in conſilio alij tres Iuriſperiti. in his L. Lucullus, quem Cicero in Bruto acutum, & iuris tum publici tum priuati peritum appellat. De cæteris nihil reperio.

Socius & affinis. Elatoriè, nam reuera ſocius non erat: vt ſuo loco diximus.

Domum potius denuntiem. vt paulò antè diximus ex l. 4. de damn. inf.

Primum expectare. Hæc omnia verba ad poſtremum verbum Oportere referuntur.

Quàm ad hanc rationem extremam neceſſariam deuenire Nihil muto. ſed ſi neceſſaria hæc ratio eſt, non video cur non ſtatim amplectenda ſit. Fortaſſe, Nec neceſſariam, rectius legeretur, vt ſit ſenſus, Ad hanc extremam & inimiciſſimam rationem decurrere, præſertim quæ non ſit neceſſaria. Neq; eſt vllum mendũ in antiquis libris frequẽtius, quàm vt è duabus geminis vocibus, altera omittatur.

Viderint iſta officia. Omnes ad vnum libri veteres, quibuſcum etiam poſteriores nonnulli conſentiũt, Viderint, inquit, iſta officia.

Non quid habeam, ſed quibus rebus inuenerim, quærant. Ne me ex meis opibus virum bonũ, bonúmq; patremfa. iudicent. Ex hoc loco intelligi poteſt, viros bonos dici ſolitos patresfa. locupletes. quod etiam confirmat Aſconius, qui diuites à veterib. appellatos ſcribit, bonos & honeſtos.

Et quemadmodum natus, & quo pacto educatus ſim, memini. Verba hæc ſunt omnia non Ciceronis, ſed Neuij. Et, Quemadmodũ natus, dixit, pro Quibus parẽtibus generatus. Itaq; idem in Partitionib. ſic inquit, Quamobrem omnis vis laudandi vituperandíque ex his ſumetur virtutum vitiorúmq; partibus: ſed in toto quaſi contextu orationis hæc erunt illuſtranda maxime, quemadmodum quiſque generatus, quemadmodum educatus, quemadmodum inſtitutus. Quintilianus autem lib. V. in eandẽ ſententiam, Argumenta, inquit, ducuntur ex genere. Nam ſimiles parentibus ac maioribus ſuis filij plerunque creduntur: & nonnunquam ad honeſtè turpitérq; viuendum inde cauſæ fluunt. item ex educatione & diſciplina. quoniam refert à quibus, & quo quiſque modo ſit inſtitutus.

Multo facilius diuitem quàm patremfa. fieri poſſe. Id eſt, difficilius patremfa. quamuis nauum, atq; induſtrium, diuitias parare quàm ſcurram.

Quorum illi ætati vtrunque difficile eſt. Minuitur enim memoria ſenibus, vt ipſe in Catone ſcribit. Denique veriſſima illa ſunt Diphili apud Stobæum

Ἅπαντα δ' ἐργαζόμενος ἀσθενέστερα
Πολιὸς τεχνίτης, ἢν ὁ χρόνος ἥξει.
Χαίρει μεταπλάττων πάντας ἐπὶ τὰ χείρονα.

De iuuentute contrà Plato in Theæteto ſic ſcribit, τὸ γὰρ ὄντι ἡ νεότης, οἷς πᾶν ἐπίδοσιν ἔχει.

Res autem noua & inaudita. Omnes libri veteres, quibuſcum etiam poſteriores nonnulli conſentiũt, Atque inaudita.

Ad ephemeridem reuertitur. Quæ per dies ſingulos res geſtæ ſcribũtur, ea hiſtoria Græco vocabulo ἐφημε-

ἐφημερὶς dicitur: cui Latinum verbũ reſpõdet, quod A apud Gellium Sempronius Aſellio diarium appellat. Sed aliæ ſunt quotidianæ tabulæ, in quibus accepta & expenſa perſcribuntur, quæ Cicero Aduerſaria nominat: de quibus in Oratione pro Q. Roſcio explicabimus.

Cauſa nihil dicimus. Non recuſamus, non inficiamur. nota locutio, de qua ſuprà.

Profectus vnà L. Albius, homo in primis honeſtus. Omnes tum manu ſcripti, tum impreſſi veteres, Pro B fectus eſt vnà L. Albius, homo cum primis honeſtus. Et paulo pòſt, Proſecuti ſunt familiares & Albium & Quintium. In hac varietate alij quod ſequantur arbitrio ſuo deligere poterunt. Mihi ſi tam multorum librorum, præſertim qui inter ſe concordiſſimè ſentiunt, tantam coniunctionem & quaſi conſpirationem negligerem, temeritati, opinor, ac ſtultitiæ verteretur.

Cum adſtipulatore tuo comparabuntur. Hoc eodẽ verbo viua eſt in Oratione in Piſonem, Quaſi verò C non modò ego, qui multis ſæpè auxilio fuiſſem, ſed quiſquã tam inops fuerit vnquam, qui iſto non modò propugnatore tutiorem ſe, ſed aduocato aut adſtipulatore paratiorem fore putaret. Ex hoc autem loco apertiſſimè intelligitur, eum Adſtipulatorem à Cicerone appellari, qui vadimonij facti teſtis ſit. Sed origo huius vocabuli ſubobſcura eſt: niſi fortè quũ Adſtipulari pro aſſentiri vulgò dicatur, argumentemur, Adſtipulari propriè idem valere quod Spondere vel promittere. vt Adſtipulatores ij ſint, qui al- D teri anteſtanti & interroganti Teſtẽ ſne futuri ſint, vadimonium ab aliquo promiſſum, reſpondeant (vt in lite conteſtanda) Teſtes. Sed in epiſtola ad Octauium, Adſtipulator alia in re ponitur: in Vitellio Suetonij, Stipulator. de quo quidem aliàs quum erit otium, explicabimus.

Vixit autem ſemper inculte atque horridè. Suſpicioſe in Neuij aduocatos. Nam hoc totum eò ſpectat, vt aduerſatij gratiam imminuat. Vult enim non honeſtis rationibus partam illorum amicitiam videri, E ſed luxu & profuſis ſumptibus. Quare hic ſenſus eſt, Non, ſi non adeò gratioſa & potenti amicitia Quinctius inſtructus eſt, debet hoc tamẽ illius cauſam lædere. malis enim illa rationibus parta atque conciliata eſt.

Non ad ſolarium, non in campo, non in conuiuiis verſatus eſt. Solarium, inquit Varro, dicunt id, in quo horæ in ſole inſpiciebantur. Eundem Plinius ſcripſiſſe auctor eſt, ſolarium ſtatutum in publico, ſecundum Roſtra, in columna. Cenſorinus autem lib. de Die F nat. cap. XII. Illud ſatis conſtat Solarium Romæ nullum in foro prius fuiſſe, quàm id quod M. Valerius ex Sicilia aduectũ ad roſtra in columna poſuit. Ad ſolarium igitur celebris aliquis locus fuiſſe debuit, in quo nobiles & otioſi homines animi gratia otiabantur: item vt in faucibus macelli: ſicuti paulo antè dictum eſt. Coniecturam adiuuat quod ſcribit Macrobius, capite de iocis Auguſti, Quid ergo? inquit. vt me populus R. dicat bene cultum, in ſolario ambulaturus ſum? Non ignoramus alias eſſe ſolarij G ſignificationes: ſed hanc huic loco conuenire ſolam arbitramur.

Non in campo. Martio: in quo ludi & exercitationes omnium generum præbebantur. Cicero de off. II. Suppeditat, inquit, campus noſter ſtudia venandi, & honeſta exempla ludendi. Genera ludorum Horatius his verſibus deſignat,

Cur neque militaria
Inter æquales equitet? Gallica nec lupatis
Temperet ora frænis?
Cur timet flauum Tyberim tangere? cur oliuum
Sanguine viperino
Cautius vitat? neque iam liuida geſtat armis
Brachia, ſæpe diſco,
Sæpe trans finem iaculo nobilis expedito?

Strabo verò libro Geogr. V. de campo Martio ſcribit in hanc ſententiam, quam de Græco ſermone ſic expreſſimus: Magnam ornamentorum partem campus Martius continet: qui præter ea quibus ſua ſponte ac natura abundat, aliis etiam ex arte & induſtria ornamentis atque inſignibus inſtructus eſt. Etenim admirabilis campi magnitudo, quum equiria & alias equeſtres pugnas ſuppeditet, locum tamen tam multis pila, circo, palæſtra ſeſe exercẽtibus, vacuum relinquit. Opera autem quibus cinctus eſt, ſolum herbis confertum omni tempore anni, collium denique vertices theatri ſpeciem & ornatum ad alueum vſque fluminis præ ſe ferentes, ſpectaculum præbent ita amœnum, vt ægrè & inuitus ab eo abſcedas.

Commiſſum nihil eſſe. Nihil eſſet, ſententia poſtulat: & quum veritate adductus ſic emendaſſem, poſtea opinionem meam Aldinus codex comprobauit.

Docui quod primum. Tranſitio ad ſecundum partitionis membrum.

Poßidere nullo modo. Nonnulli Poſſideri, rectius omnino meo iudicio.

Qui fraudationis cauſa latitarit. Vt in illo Epicrate Bidino, de quo Verrina quarta dicitur, quòd ex Sicilia metu Verris profugerat. Inſimulant, inquit, hominem fraudandi cauſa diſceſſiſſe. poſtulant vt bona poſſidere liceat. Vlpianus libro Pand. XLII. verba hæc ex edicto perpetuo interpretans, Non ſufficit, inquit, latitare: ſed & neceſſe eſt fraudationis cauſa id fieri. Quid autem ſit Latitare videamus. E Latitare eſt non (vt Cicero definit) turpis occultatio ſui. poteſt enim quis latitare non turpi de cauſa: veluti qui tyranni crudelitatem timet, aut vim hoſtium, aut domeſticas ſeditiones. ſed & is qui fraudationis cauſa latitat, non tamen propter creditores, etſi hæc latitatio creditores fraudet, in ea tamen erit cauſa, ne hinc poſſideri bona eius poſsint: quia non hoc animo latitat, vt fraudet creditores. animus enim latitantis quæritur, quo animo latitet, vt fraudet, an alia ex cauſa. hæc ille. Quòd au- F tem ita Latitare verbum à Cicerone definitum ſeribit, vt omnino ac ſimpliciter diceret eſſe turpem occultationem ſui, ob eámque cauſam eum reprehendit, primùm hoc vbi à Cicerone dictum ſit, non video: deinde vt dictum ſit, non eſt tamen cur reprehendi debeat, quum turpem illam occultationem creditorea fraudandi cauſa ſuſcipi edicti verba demonſtrent: vbi FRAVDATIONIS CAVSSA latitarit, ſcriptum apertè eſt.

G *Niſi latitant*. Omnes libri veteres, Niſi ſi latitant.

Hæres non extabit. Hac de cauſſa lege Ælia Sentia latum eſt, vt teſtatoribus qui ſoluendo non eſſent liceret ſeruum vnum cum libertate hæredem inſtituere. Vnde, inquit, Iuſtinianus, qui facultates ſuas ſuſpectas habent, ſolent ſeruum ſuum primo aut ſecun-

do aut etiam vlteriore gradu heredem inſtituere: vt ſi creditoribus ſatis non fiat potius eius hæredis bona, quàm ipſius teſtatoris à creditoribus poſſideantur, & vel diſtrabantur, vel, inter eos diuidantur.

Qui exilij cauſa ſolum verterit. Id eſt, ſedem ac locum mutarit: vt ipſe interpretatur in Oratione pro Cæcina, & pro Domo ſua. Qui erant, inquit, rerum capitalium damnati, non prius ciuitatem amittebant, quàm erant in eam recepti, quò vertendi, hoc eſt mutandi ſoli cauſa venerant. Ergo addidit EXILII CAVSA: quòd etiam ſua ſponte ſolum vertere, & in aliam ciuitatem migrare cuiuis licebat. De exilio verò dicemus in Oratione pro Cæcina.

Quo tempore exiſtimas. Ante hæc verba deſiderantur hæc omnia, quæ tibi lector ex libro manuſcripto perantiquo reſtituimus, Dici id non poteſt. QVI ABSENS IVDICIO DEFENSVS NON FVERIT. ne id quidem. Ad hæc autem omnia etiam illud ſubaudiendum eſt, ius bona poſſideri vendíque iubebo. Hoc enim in edicto Prætoris perpetuo legimus apud Vlpianum, eo quem ſuprà dixi libro. Edicti autem hæc verba ſunt, In bona eius, qui iudicio ſiſtendi cauſa fideiuſſorem dedit, ſi neque poteſtatem ſui faciet, neque defendetur: iri iubebo. Et alibi, Qui fraudationis cauſa latitarit, ſi boni viri arbitratu non defendetur, eius bona poſſideri vendíque iubebo. Dicet aliquis: Sed cùm eorum quibus ignis & aqua interdicebatur bona publicarentur, quomodo bonorum illorum poſſeſſio creditorib. dabatur? Reſpondendum, quia id demùm quod æri alieno ſupereſt, in ærarium olim, poſtea in fiſcum redigebatur. l.1.§. 1. & l.non poſſunt.11.D.de iur.fiſ.

Quiſquam diuinare poterat te poſtulaturum. Quippe quum nec cauſa cur poſtulares, eſſet, nec cuiquam id te facturum denuntiaſſes.

Neque quenquam attinebat id recuſare, quod Prætor non fieri, ſed ex edicto ſuo fieri iubebat. In omnibus quos quidem viderim, & ſcriptis & impreſſis ita legitur, Quod Prætor non fieri, ſed ex edicto ſuo fieri iubebat. In quo tamen quis ſit ſenſus, non facilè dixerim. Nã quòd ita nonnulli emendarunt, vt ſcriberent, Quod Prætor non modò fieri: ſententiam corrumpit. neque enim verum eſt, Prætorem ex edicto ſuo iuſſiſſe Neuium bona Quintij poſſidere. ſiquidem earum cauſarum quæ in edicto comprehenſæ ſunt, nulla erat cur id iuberet. Quamobrem ita legendum potius arbitrarer, Quod Prætor fieri, ſed non ex edicto ſuo fieri iubebat. Nam quod ait, Neq; quenquam attinebat: ſic interpretor, Nullius intererat. Quum enim contra edictum hoc fieret, paratum erat Tribunorum auxilium, aut collegæ. vt Ver.111. Itaque, inquit, L. Piſo, multos codices impleuit earũ rerum, in quibus ita interceſſit, quòd iſte aliter atque vt edixerat, decreuiſſet.

Attinebat id recuſare. Moris erat vt primum petitor apud prætorem verba faceret qui dicebatur poſtulare: tum reus, qui recuſare dicebatur. At poſtea Iuriſconſulti poſtulandi verbum vtriuſque commune eſſe voluerunt.

Quũ proſcribebat. Tũ.n. id ſcire procurator potuit.

Et quum is iudicium acciperet pro Quintio. Quid eſt iudicium accipere? Pati à Prætore dari ſuper eam rem Iudices, de qua mouetur controuerſia.

Poſtulabam, inquit, vt ſatiſdaret. Iudicatum ſolui.

A *Ita videbare.* Manifeſtum mendum. Corrigendũ putarem, Iubebare, vt etiã adiuuetur coniectura de qua diximus ſ. Neuiũ poſtulaſſe, vt Alphenus procurator ſatiſdaret, nõ ſuo, ſed Quintij nomine: & ob eam cauſam ſic loquutus ſit, vt diceret, iuſſum Quintiũ ſatiſdare. non autem in tertia perſona, Alphenũ.

Verùm prætor decernebat. Ex hoc loco apparet, inter Iuſſum & Decretũ Prætoris quid interſit. & hoc ipſum etiam oſtenditur ſuprà. Recuſatio enim cõtra iuſſum interponitur. Decreto verò aut parere neB ceſſe eſt, aut ab eo appellare. Celſus ſub titulo De re iudic. Quod iuſſit vetuítue Prætor, contrario imperio tollere & remittere poteſt: ſed de ſententiis contrà. Qui locus noſtris interpretibus mirificas tragœdias excitauit.

Tribuni igitur appellabantur. Tribunis pl. reliquorum omnium Magiſtratuum decretis intercedendi poteſtas erat. appellantur ergo vt intercederent. niſi intercedant, decreto parere neceſſe eſt.

C *Non eſt id iudicium pati.* Reuera hic Cicero tenetur. Atque hic totius cauſſæ ac defenſionis Hortenſij firmamentum eſt: vt in argumento demonſtrauimus. Nam (vt ait Vlpianus) Rectè defendi, hoc eſt, iudicium accipere, vel per ſe vel per alium, ſed cum ſatiſdatione. l.63.D.de iudic.

In ea ipſa verba, quæ Neuius edebat. Erãt enim formulæ omnibus de rebus conſtitutæ, ad quas priuata quæq; lis accommodaretur: vt in Orat. pro Comœdo. Has autẽ formulas quibus litigatores ſuas actioD nes concipiebant, quum in ius ventum eſſet, ipſi edebant. Tũ enim aut in ea verba conceptũ Prætor iudiciũ conſtituebat, ſi reus nõ recuſaret: aut ſi recuſaret, quòd nõ his verbis agi oportere diceret, & rectè recuſaret, petitor cauſa cadebat. Cicero De invent. 11. Et ita, inquit, ius ciuile habemus conſtitutum, vt cauſa cadat is, qui non quemadmodum oportet, egerit. Idem Ver.v. Recuperatores ſe de cohorte ſua daturum minabatur. Quærebant quæ in verba Recuperatores daret. reſpondebat, SI PATERET aduerE ſus edictum feciſſe, quæ in iudicio dicturum eſſe dicebat. Vlpian. Qua quiſq; actione agere volet, prius eam edere debet. Eum quoque edere Labeo ait, qui producat aduerſarium ſuũ ad album & demõſtret quid dictaturus ſit, vt id dicẽdo quo vti vellet Hęc ille l.1.D. de edendo. Eas autẽ labeo ſignificat actiones, quæ cùm à Prætore inſtitutę eſſent, eius in edicto atque albo perſcriptæ ac propoſitæ fuerant.

Per eum magiſtratum, qui auxilij cauſa conſtitutus eſt. Tribunum plebis. de quo apud Ciceronem ſcriF ptum ſic eſt, Plebes quos pro ſe contra vim, auxilij ergò decem creaſſit. Tribuni eius ſunto. Auxilium autem aduerſus patrum iniurias intelligitur quemadmodum alibi docuimus.

Talis vir iuratus hoc ius in ciuitate conſtituat. Partẽ enim Iuris quandam Rhetores Iudicatum numerãt. Alioqui priuati homines ius non conſtituunt. Et, Talis vir: dicit ſuo more, laudationem iudici breuiter aſpergens.

Cuius procurator non omnia iudicia acceperit. ConG trà apertè dixit, & modò paulo antè, & verò etiã pagina proxima. Quare ſine negatione legendũ putarẽ, Cuius procurator omnia iudicia acceperit. Vlp. l.34. de iureiur. Sufficit ad plenam defenſionem, ſi defenſor paratus ſit iudicium accipere.

A Prætore ad Tribunos appellare. In omnibus antiquis libris, à Prætore Tribunos appellare: quod valde probo. nec (opinor) vſquam aliter loquutus eſt.

Ei, miſero abſenti. Miſerum pro innocente dici nonnunquam, ſcribit Aſconius. Ego hoc loco ita accipi opinor oportere. A

Et miſero abſenti, ignaro fortunarum ſuarum. Vox OMNIA inter ignaro, & fortunarum interiecta eſt in libro vetuſtiſſimo. quam lectionē, vt veram & germanam recipio, vt ſit, Ei miſero, abſenti, ignaro, omnia fortunarum ſuarum, &c.

Ex edicto bona poſſeſſa non ſunt. Enumeratis partibus, totum concludit, Quoniam earum cauſarum, quibus de cauſis daturum ſe Prætor bonorum poſſeſſionem edixerat, nulla omnino eſt, non dedit igitur: aut ſi dedit, non ex edicto. B

Decreto Prætoris R. oportuiſſe parere. Addidit Romani, non quò prouinciarum non eadem ratio eſſet (nam iis ne Tribuni quidem erant qui intercederent, vt ex Verrina IIII. & Aſconio intelligimus) ſed augendi cauſa, vt ſuprà, Cuius ex edicto Prætoris Romani bona poſſeſſa ſunt.

Quid ſi M. Brutus. Tribunus plebis. Et (opinor) is ipſe eſt quem Cn. Pompeius Ciſalpinam Galliam tenentem, bello perſequutus, interfecit. C

Non more, ſed auxilij cauſa. Quod à magiſtratu iniquè fit, hoc fieri dicitur, Non more, vel nullo more, ſiue nullo exemplo. Innumera exempla, Verrina accuſatio ſuppeditat. Poſtulabat autem Alphenus, vt Tribuni intercederent, ne qui (vt Næuius quidem contendebat) vadimonium deſeruerat, eius bona poſſideri iuberentur. Ergo ſi Prætori hoc decernenti Tribunus intercedebat, non more intercedebat, ſed contra Tribunorum omnium inſtituta, & omnino improba atque iniqua ratione. Hoc quum apertum plerúmque ſit, tamen nonnulli nō MORE, ſed MORÆ cum diphthongo legendum putarunt, itáque impreſſerunt. Cicero pro Cæcina, & C. Piſone domo tectiſque ſuis prohibito, Prætor quemadmodum more & exemplo opitulari poſſit, non habebit. D

Se iudicio id quod edat accipere. Corrige IVDICIVM, vt & ſententia poſtulat, & omnium librorum veterum auctoritas. E

Tabulas obſignauerunt. Hæc eſt quam Teſtationem appellabāt: vnde illud Ouid lib. de Pont. IIII.

Confiteor, teſtari licet, ſignate Quirites:
Nil opus eſt legum viribus, ipſe loquor,

Inde etiam, Tabellis obſignatis agere.

Iſto calumniante biennium. Suprà dixit vadimonia differente, quòd malè agere cœpiſſet. Et Biennium, oratoriè: quum antea annum & ſex menſes dixiſſet, Calumniante autem, id eſt ludificante, tergiuerſante. F

Ab vſitata conſuetudine. Ab eo iudicio quod vſurpari ſolet in eius generis controuerſiis nimirum de re pecuniaria.

Singulare iudicium. Vnum iudicium.

Quare P. Quintius abſens negatur eſſe defenſus. Negetur, fortaſſe concinnius legeretur, &, vt opinor, rectius.

Nuper iniecit. Sic ad Atticum li. II. Sed illud quid ſit, quod iacis obſcurè, ſcire cupis.

Paſſem certationem. Iniquiores fuiſſe Tribunos Sext. Neuio, populares videlicet homines, apud quos gratioſus fuerat Alphenus, gratioſus Quintius, vterque Marianarum partium, & popularis. Qui tribunos appellabant, iurabant ſe ideo iudicium recuſare, quòd æquo iure vti non poſſent: vt antè docuimus. G

Illo tempore. L. Scipione, C. Norbano Coss. qui vrbem in dominatu ſuo tenebant, & bellum acerrimum cum L. Sylla gerebant.

Per ius & magiſtratum. Non per Prætorem tantùm, ſed per ius: id eſt, modò nihil iniuria decerneret.

Erat illarum partium. Omnes quos vidi veteres; & ſcripti, & impreſſi, Erat enim, inquit, &c. quod valde placet. Nam hæc particula ENIM, vſitata eſt in obiectionibus, ſed in re perſpicua putidum eſt exempla cumulare.

Illarum partium. Populi partium aduerſus Syllam. hoc enim tempore, ciuilis diſſenſionis flamma ciuitas ardebat.

Ne gladiatori quidem hæreres. Deprauatus apertè locus. Mihi valde placeret vt ſic legeretur, Ne gladiatori quidem cederet. Omnes tamen, quos vidi; libri diſſentiunt. Burrienum autem Prætorem ſignificat, nobilem, quem gladiatorem ſuo more appellat, hominem videlicet habitu corporis prægrandi, & robuſtum. Sed quid omnibus de libris affirmamus, quum in Lugdunenſibus impreſſis anno M.D.XV. non Hæreret, ſed Cederet planiſſimè ſcriptum inueniamus?

Qui tum & poterant per vim & ſcelus plurimum, & quod poterant, id audebant. Nam etſi Conſules diuerſarum partium eſſent, tamen quum iam tum in Italia eſſet Sylla (vt ex hiſtoria intelligimus) & vrbi propinquaret, veriſimile eſt, nobiles, qui in vrbe reliqui erant, animos erexiſſe. quanquam non eſt dubium, quin oratoriè potentiam illorum, verbis maiorem faciat. Omnis autem hæc nobilitas; quæ in vrbe manſerat, anno inſequenti à L. Damaſippo Prætore vrbis in curia interfecta eſt, Florus, Appianus, Plutarchus.

An omnes tu iſtos vincere volebas? Quum contrarias partes ſequereris, & in vrbe eſſes cum aduerſariæ partis hominibus: & ſummè cuperes vt Conſules vincerent. Sed quid illud erit, quod infert Aude id dicere, non palàm, ſed his ipſis, &c. NOLEBAS igitur legamus, ſi modò ſenſum aliquem elicere volumus. Nam mihi quidem de hoc toto loco attentius cogitanti ſic videtur, figuram eſſe quam Græci ἀνάκλασιν vocant, quum (vt ait Rutilius) id quod ab altero dictum eſt, non in eam mentem, qua intelligitur, ſed in aliam, aut contrariam excipitur. Quum enim diſparem ſibi Neuius fuiſſe cum Alpheno contentionem diceret, ſic Cicero detortè & oratoriè hoc interpretatus eſt, Fuit (inquit) ſanè diſpar atque diſſimilis. Sed quæ fuit iſta diſparitas? vna illa ſcilicet, quòd Alphenus quarum partium bello ciuili fuit, eas partes omni ſtudio ſequutus eſt, contrarias apertè oppugnans; tu contrà (inquit) perfidiosè cum iſtis tuis defenſoribus colludebas, cōſque tu cum cæteris Syllanis oppugnare ac vincere nolebas.

Aude id dicere. Dic audacter & liberè hoc interfuiſſe. Re vera enim hoc interfuit: quòd ille omnes Syllanos oppugnabat, tu cum iſtis colludebas: & quum in vrbe & exercitu hoſtili verſareris, hoſce tamen tuos fautores ex hoſtium numero excipiebas.

Non palàm. Ne perfidiæ & ſceleris arguare.

His ipſis quos aduocaſti. Qui tuæ perfidiæ ſunt conſcij.

Tametſi nolo eam rem commemorando renouare. Conſideretur locus, & iudicetur, ſatiſne ſententiæ

A cohæreant:an potius ante Tametſi, ſex verſus à capite Neque enim, reponendi ſint. Nam mihi quidem accuratè locum hunc totum perpendenti ſic videtur. Primùm quòd hæc [illegible] familiaris Ciceroni, quum de Syllanorum temporum calamitate loquutus eſt, ineptè hoc loco ante malorũ & calamitatis mentionem ponitur. Quum autem & de iis qui periere loquutus eſt, & de iis item qui vicerunt. quoniam recentem adhuc Reip. cicatricem refricare videbatur, commodiſſimè ſubiungi poſt B illos verſus quos modò notauimus, potuit.

Neque enim inter ſtudium veſtrum, quicquam, vt opinor, interfuit. Aliud interfuit, legendum eſſe quis non videt? quum & interfuiſſe aliquid, & quid illud ſit quod interfuit, manifeſtò demonſtret.

Alphenus cum iis, & propter eos periit. Alphenus enim proſcriptus fuerat, eiúſque bona publicè à Sylla vendita: vt patet paulò poſt.

Vt amici tibi eſſent, qui vincebant, effeciſti. Hoc eſt quod infrà ſignificat, Ab afflicta amicitia transfu- C gere, atque ad florentem aliam deuolare.

Ingenio, vetuſtate. Vetuſtate dictum pro calliditate: quomodo etiam Veterator dicitur: ſicuti callidus: cuius (vt ſcribit Cicero) tanquam manus opere, ſic animus vſu concalluit.

Quòd ſi tum par. Hoc quàm aptè cum illo ſuperiore loco conſentiat, quàm malè cum proximo cohæreat, nemo, opinor, qui attentè conſiderabit, non apertiſſimè perſpiciet.

Neque iudicium redditum eſt vſitatum. Quum D enim de re pecuniaria iudicandum eſſet, de probro tamen iudicari Prætor iuſsit.

Non conditio, non ſponſio. Nam quæ conditio mihi à Prætore delata eſt, vt aut ſatiſdarem, aut ſponſione certarem, ea fuit iniquiſſima. Iniquiſſima præterea ſponſio. quæ priore loco cogat me cauſam dicere.

Interceßit poſtulatio. Quum Neuius poſtularet, vt ſolus ſatiſdarem.

De re pecuniaria. l. Iudicio communi diuidundo E & actione pro ſocio.

Index ipſe arceßetur. Ad Prætorem, vt nobis tempus, quandiu diceremus, præſtituat.

Hominem antiqui officij. Antiquitas proximè accedit ad Deos, vt idem ſcribit lib. de legibus 1. itaque de antiquis ferè ita loquitur, quaſi omnes æquabiliter eſſent viri boni. vnde in Orat. II. Verrin. tres homines veteres pro grauibus & ſeueris interpretatur Aſconius. Similiter hoc loco Antiquum officium, pro ſyncero & minimè fallaci: vt in Orat. F pro Sexto Roſcio. In qua muliere veſtigia antiqui officij remanent. item eadem oratione. Homines antiqui, qui ex ſua natura cæteros fingerent. Terentius in Adelphis.

Næ illiuſmodi jam nobis magna ciuium
Penuria eſt: homo antiqua fide ac virtute.

Pro me pugnabit L. Philippus. De L. Philippo Cicero in Bruto his verbis, Duobus igitur ſummis Craſſo & Antonio L. Philippus proximus accedebat: ſed longo interuallo tamen proximus. Et pau- G lo pòſt, Sed tamen erant ea in Philippo: quæ qui ſine comparatione illorum ſpectaret, ſatis magna diceret, ſumma libertas in oratione, multæ facetiæ, ſatis creber in reperiendis, ſolutus in explicandis ſententiis. Erat etiam in primis, vt temporibus illis, Græcis doctrinis inſtitutus, in altercando cum aliquo, aculeo & maledicto facetus. Hic eſt de quo

A ſcribit Horatius in epiſtolis, Strenuus & fortis, cauſiſque Philippus agendis. Clarus. Epiſtola eſt vii. lib. i. lectu digniſſima.

Quorum frequentiam. Veteres nonnulli, Vt eorum, ſed nihil muto.

Quatu contra Alphenum velitabaris. Celeriter, quomodo velites digladiari ſolet, altercabaris. Velites autem, expediti pedites, quaſi volitantes. Ex quo factum, vt Velitari pro leuiter altercari vſur- B petur. Plautus Menæch. Neſcio quid velitati eſtis inter vos duos. Sex. Pompeius, Aduelitatio, inquit, iactatio quædam verborum figurata, ab haſtis velitaribus. Velites dicuntur expediti milites, quaſi volites, id eſt volitantes.

Quum hæc facta ſint. Omnes libri veteres, Quum hæc ita facta ſint: quos ſequor.

Cur cæteri ſponſores. Fideiuſſores, quibus ſpondẽtibus pecuniæ cuipiam creduntur. Apparet has pecunias Quinctium ſatiſdato debuiſſe.

C *Tam inſignitè improbus.* Non. Marcellus, Inſignitè, inquit, cum iudicio notæ. Cicero lib. de Orat. ii. Nec improbum notari ac vituperari inſignitè poſſe. Hæc Nonius. Sic etiam Plautus locutus eſt in Pœnulo, Act. iii. ſcen. vi.

Qui quum ipſe vltrò deberet. Deeſt, opinor, verbũ defendere: vt ſit, Vltro defendere deberet.

Communi luce priuaret. Elatè. nam hoc ipſum eſt quod ſuprà dixit, Non modò ampliſſimis fortunis, ſed etiam victu veſtitúque neceſſario priuare.

D *A me nominis eius, quod inficiatus eſſet, diem petiuit.* Opinor hic ſenſus eſt: Quum debitũ, quod inficiatus erat, probaſſem, & ſe condemnatum iri videret, petiit à me vt petitionem differrem, & diem ei longiorem, qua diſſolueret, conſtituerem.

Ita ſe graues eſſe. Quamuis ſint graues, niſi tamen verum dixerint, leuem eorum auctoritatem fore. Significare videtur auctoritate præditos homines teſtimonium dicturos.

In tua, quoniam contra te eſt. Omnes alij, Id in tua.

E *L. Sylla Dictatore vendente.* L. Sylla rerum potitus, eorum qui à contrariis partibus ſteterant nomina publicè in tabula ſcribi iuſſit, vt ad cædem quærerentur, præmio etiam percuſſoribus propoſito: & bona in foro publicè vendidit. Dictaturam autem Sylla anno ſuperiore extremo ceperat, & totum hunc annum geſſit quo hæc oratio habita eſt; id eſt Tullio & Dolabella Coſs. Nam Conſules hi ad ſpeciem & dicis tantummodo cauſa creati ſunt, vt Appianus auctor eſt. Depoſuit autem F anno, cui proximus antecedit, Seruilio Iſaurico, Claudio Pulchro Coſs. ergo recenti re hæc dixit de bonis Alpheni venditis: & apparet Neuij & Quinctij charitas & gratia in Alphenum, cuius opera quum ſemper antea vſi fuiſſent, nunc eius interempti bona per ſummam iniuriam à tyranno crudeliſſimo mercantur.

Et quum eſſet attentè auditurus. Nonnulli, Et eum: quam lectionem ſentẽtia manifeſtò repudiat.

Geſtum agere conaretur. Similiter in Cæſaris G perſona lib. de Orat. ii. Soleo, inquit, ſæpe mirari eorum impudentiam qui agunt in ſcena geſtum ſpectante Roſcio. Sed de Roſcio plena ſunt omnia. verùm illud inſigne, quòd quum eſſet oculis peruerſiſſimis, ita tamen à Q. Catulo, quem principem ciuitatis fuiſſe conſtat, mirabiliter diligebatur, vt illud extet de eo carmen in lib. de Natur. Deor. ii.

Conſti-

A
Conſtiteram, exoriẽte m auroram forte ſalutans,
Quum ſubitò à læua Roſcius exoritur.
Pace mihi liceat cœleſtes dicere veſtra,
Mortalis viſus pulchrior eſſe Deo.

Quod adhibebat erga propinquum ſuum. Sic valde placet. Omnes tamen alii codices, Habebat.

Solus dignus videatur eſſe qui eò non accedat. Hiſtrionum ars apud Romanos turpis habebatur. Prætoris in edicto hæc verba ſunt libro Pand. III, Infamia notatur, qui artis ludicræ, pronuntiandiue cauſa in ſcenam prodierit. Itaque, vt ex Liuio & Valerio B Max. didicimus, & tribu mouebantur, & à militaribus ſtipendiis repellebantur. Suetonius autem in vita Tyberii, Et ex iuuentute vtriuſque ordinis profligatiſſimus quiſque, quo minus in opera ſcenæ arenæque edenda Senatuſconſulto tenerentur, famoſi iudicii notam ſponte ſubibant. Liuius tamen & Valerius tradunt, Attellanorum genus vacuum nota fuiſſe.

Nimium, inquit: in eo cauſa conſiſtit. Nonnulli ſic impreſſerunt, C Nimirum, inquit, in eo cauſa conſiſtit. Sed libri veteres cum hac noſtra conſentiunt: neque video cur mutari debeat, quum & ſententia bona ſit, & bonis elata verbis. Nam Nimium pro Valde, & pro vehementer plerunque vſurpatur. Terentius in Eunucho, Tum equidem iſtuc os tuum impudẽns videre nimium velim.

Inauditum facinus. Non, vt ſuprà inaudita criminatione, id eſt nondum audita: ſed Inauditum, id eſt ſingulare, & ante hoc tempus non auditum. D

Ante v Calend. intercalares. Decemuiri qui XII, legum tabulas conſcripſerunt, inſtituerunt vt Februarius menſis ſecundus eſſet: Intercalarius autem poſt Terminalia, hoc eſt poſt diem Februarij viceſimum tertium interiiceretur, vt quo die viceſimus quartus Februarij numerandus eſſet, eo die Kalendæ intercalares dicerentur. Quod cum ita ſit, quod hoc loco ſcribit Cicero Ante v Kal. intercalares, ſic intellige, viceſimo die februarij. Nam viceſimus tertius dicitur, pridie ſiue ſecundo Kal. quoniam, vt E ſuperius diximus, illa locutione Ante v Kal. is ipſe Kalendarum dies primus numeratur.

Pridie Kal. intercalares. i Viceſimo tertio die Februarij.

Vt ſtatim de iure aliquis cucurrerit. Ius etiam locus dicitur, in quo Prætor ius dicit, vt ſcribit Paulus Iuriſcõ. in l. vlt. D. de iuſt. & iur. Vnde in ius vocare dicimus, & Ex iure manum conſertum vocare. Ergo Currere de iure, currere de loco in quo ius dicitur. vt Verrina III, Currere de concione: & apud F Plautum, Currere de veſtibulo. Puerilis annotatio, fateor: ſed quanto puerilior eſt illorum qui ſic interpretati ſunt, Aliquis de iure, id eſt, mediocris aliquis Iuriſconſultus? vel hoc modo, Hoc videtur prouerbialiter dici, pro eo quod eſt, ad ſummum esegerit.

In Sebuſianos biduo veniunt. Sebuſianos, probo: vt eos ſignificet de quibus Cæſar libro I ſic ſcribit, Inde in Allobrogum fines, ab Allobrogibus in Se- G buſianos exercitum ducit. Hi ſunt extra prouinciam trans Rhodanum primi. Quibus ex verbis apparet eos ſignificari quos hodie Breſſæos appellant. Sed apud auctores admodum incerta & varia eſt ſcriptio huius vocabuli. Plinius enim Secuſianos appellat. In Lugdunenſi, inquit, Gallia ſunt Secuſiani, liberi: in quorum agro, colonia Lugdunum. Strabo verò σεγοσιάνους. προκεῖνται δὲ, inquit, τοῦ ἔθνους τῶν σεγοσιάνων ἡ πόλις αὕτη (de Lugduno loquitur) κειμένη μεταξὺ τοῦ ῥοδανοῦ, καὶ τοῦ δούβιος.

Si Craſſi omnes cum Antonii exiſtant. Qui ſex abhinc annos Octauio & Cinna coss. interfecto Octauio cos. & vrbe à Mario oppreſſa, occiſi ſunt: Craſſus quidem quum ipſe ſua manu filium occidiſſet: Antonius, quum eos milites qui ad eum interficiendum miſſi erant, longa & luculenta oratione ita produxiſſet, vt penè quid ſibi imperatum eſſet, obliti eſſent.

Eſt quadam tamen ita perſpicua veritas. Similis ſententia in Oratione pro Cælio, quam non alienũ eſt huic loco ſubſcribere. O magna vis, inquit, veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contráque fictas hominum inſidias facile ſe per ſe ipſa defendat.

An antequam poſtulaſti. Hucuſque à capite Biduo pòſt, priorem hanc partem intellige, Vtrum DCC millia paſſuum biduo decurſa ſunt: vt hanc coniungas, An antequam: & quod ſequitur, Vtrunlibet elige, de vtraque hac parte intelligamus.

Quado? poſt dies XXX. Subaudi, Quàm emiſſarius Neuii profectus eſſet. Et accipe dictum ὑπερβολικῶς. pro diebus compluribus. vt infrà dicit, quum hæc eadem aliis verbis iterat, Sex. Neuium diebus compluribus ante poſſeſſionem miſiſſe. Nam idem eſt vt quum dicimus, Poſt tres mẽſes, vel poſt quindecim annos. Nam elatè, vt dixi, hoc pronuntiandum eſt, & per irriſionem.

Tibi tum ſatiſdaret, & iudicium accipere vellet. Viſitata immutatio temporis, pro Satiſdediſſet & Voluiſſet. Pleni ſunt exemplorum libri: ſed vnum in præſentia proferre ſatis erit. In Orat. pro Cluentio, Itaque, inquit, nunc quemadmodum audiar, ſentio. at tum ſi diceret, non audiret: non quòd alia res eſſet, immò eadem, ſed tempus aliud. id adeò ſic cognoſcite. Quis tum auderet dicere, nocentem condemnatum eſſe Oppianicum? & quæ ſequuntur.

A ſuis diis penatibus preceps eiectus. Sui cuique ciui ac patrifamiliàs dii in aliqua parte domus erant, quos ipſe, familiáque eius priuatim coleret. Plautus, Dii penátes meûm parentum, familiæ lar pater. Ii modò Penates, modò domeſtici, modò lares familiares dicebantur. Demipho apud Terentium, At ego deos penates hinc ſalutatum domum deuortar. Et in adelph. Abi domum, ac deos comprecare. Penates autem, vt Cicero ſcribit, libro de Nat. deor. II, à penu dicti ſunt. (eſt enim omne quo veſcuntur homines, penu) aut ab eo quòd penitus inſident, ex quo etiam Penetrales à Poetis vocantur. Hæc illè. His ara & focus conſecratus erat. ex quo illud, Pro aris & focis pugnare. Virgil. lib. Æneid. II.

Ædibus in mediis, nudóque ſub ætheris axe
Ingens ara fuit, atque vmbra amplexa penates.

Cicero Pro domo ſua, Quid eſt ſanctius, quid omni religione munitius, quàm domus vniuſcuiuſque ciuium? hic aræ ſunt, hic dii penates, hic ſacræ religionis ceremoniæ continentur, hoc perfugium eſt ita ſanctum omnibus, vt inde arripi neminem fas ſit. Fiebant autem priuata his diis ſacra, quæ in familia perpetuò manebant, & priuatis feriis agebantur. Erant autem priuatæ feriæ, vt Sex. Pompeius ſcribit, ſacrorum propriorum, vt dies natales. Sedes vbi lares erant poſiti, lararium appellabantur, fuerunt & penates laréſque publici. de

quibus Dionyſius Hal.lib.2.

Potueris P. Quinctium de poſſeſſione deturbare. Hac
de re ſuperius ita diſputatum eſt, vt intelligeretur,
cùm Prætor in poſſeſſionem mittit, non licere dominum
detrudere: at cùm poſſidere iubet, licere. l.
7. l. 12. l. 15. de damno inf. His autem in cauſſis, quibus
ob latitationem datur poſſeſſio, vnum decretũ
interponi ſolitum Vlpian. in L. Fulcinus, 7. D. quib.
ex cauſſ. in poſſ. manifeſto declarat. Cùm enim ea
vendi iubeat, quomodo non inuitus detruderetur?

Opinor, ex edicto. Ex edicto, ſecundum edictum,
ſicuti ſe iuſſurum edixerat.

Ni ex edicto. Omnes alij, Si ex edicto, quorum
auctoritate moueri me fateor, præſertim quum tãta
ſine vlla varietate ſit conſenſio. Sponſionem igitur,
non Quinctij, ſed ipſius Neuij exaudiemus. ſcilicet
ſi vulgatam lectionem retineamus, qua ſanè (vt
verum dicam) noſtra hæc mihi quidem multo probabilior
videtur.

Nunquid eſt cauſa C. Aquili, quin. Id eſt, Potéſtne
negare, ac defendere ſe non poſſediſſe? De hac locutione
ſuprà.

Qui ex edicto meo in poſſeſſionem veneris. Venerint,
corrigendum putarem. itaque omnino poſtulat,
quæ ſequitur, oratio. Sed difficilior dubitatio eſt in
eo, quod perſpicuè Prætor vetare videtur hoc edicto,
ne dominus inuitus detrudatur. Cui ſuperiora
ferè omnia repugnant. Neque dubium eſt, quin ſi
duo decreta in his cauſſis interponi ſolerent, non
vel Prætor Burrienus interpoſuiſſet, vel interpoſita
non fuiſſe Cicero conqueſtus eſſet. Difficilis quidem
hic nodus eſt, vt dixi, qui tamen ita diſſolui nõ
incommodè poterit, ſi dicamus, hanc edicti partem
non de iis fuiſſe ſcriptam qui latitarant: ſed de iis
qui abſentes non defendebantur. Aliud eſt enim
latitare, aliud abſentem non defendi, vt Vlpian. docet
in l. 12. D. quib. ex cauſſ. in poſſ.

Qui fraudandi cauſa latitet. Hæc ex artificio Rhetorico
non è iure Ciuili deprompta eſſe paulò ante
monui. Repugnant enim vendi latitantis bona licere,
& detrudi eum non licere.

Auferre & abducere. Caius lib. III. ad leg. XII.
Tab. Ferri propriè dicimus, quæ quis ſuo corpore
baiulat: portari ea quæ quis iumento ſecum ducit.
Agi quæ animalia ſunt.

Vt Quinctio ius non auferatur. Vis non afferatur.
vetus codex. quam lectionem tanquam perſpicuè
meliorem & veriorem amplector.

Hoc dico. Multa deſunt. Itaque vidi librum manu
ſcriptum, non peruetuſtum, in quo ad marginem
ſic ſcriptum eſſet, Hic in vetuſto exemplari duo folia
erant abſciſſa. Deſiderãtur autem omnia, quæ
ad caput partitionis tertium pertinebant: in quo non
poſſediſſe Neuium docebat. Deinceps ſequebatur
epilogus, quam hæc ἀνακεφαλαίωσις antecedit.

Ne appellauiſſe quidem. Omnes alij, Appellaſſe.

Omnia iudicia difficillima. Difficillima iudicia dicuntur,
quæ difficiliter & grauatè à Iudicibus fiunt:
tametſi non magnam cauſa difficultatem habeat:
vt quum ciuis R. caput agitur. Itaque his iudiciis, ſi
videretur reus abſoluendus, ſtatim, id eſt prima actione,
abſoluebatur. ſi condemnandus, non ſtatim
ſed ampliata ſemel ac ſæpius cauſa, iudicium fiebat;
quum Iudices admodum ægrè de capite ciuis R. iudicarent,
Ipſe in Orat. pro Cæcina, & Aſconius in
Verr.

Dum ipſe pari conditione vteretur. Alioqui enim

A vt non cogebatur actor ſatiſdare, ſic neque reus cogi
poterat. hoc ex iure conſuetudinéque veterum,
quemadmodum ſcribit Iuſtinianus tit. de Satiſdat.
lib. Inſt. tit. 4.

Reliquum eſt, vt Tertiam partem, vtpote Quinctio
viuo ſuperuacaneam prætermittit. Si hæres
non extabit.

Iudicio pati paratum. Corrige ſic, Iudicium pati:
item vt cæteris in libris omnibus.

Omnino autem bona poſſeſſa non eſſe conſtitui. Om-
B nino, id eſt denique. Et ſic probo, contra aliorum
librorum varietatem, in quibus Omnia pro Omnino
vitioſè, meo iudicio, legitur. Percurrit enim ea
breuiter, quæ partitionis capite III. docuit, non eſſe
poſſeſſa bona, quòd cuncta poſſeſſa non eſſent.

*Quòd bonorum poſſeſſio ſpectetur non aliqua ex parte,
ſed in vniuerſis quæ teneri ac poſſideri poſſint.* Id eſt
poſſideri bona ex edicto non dicuntur, niſi vniuerſa
omnino poſſideantur. Nam, vt ſuprà diximus,
hæc erat improbè latitantium pœna, atque ignomi-
C nia, vt vniuerſa eorum bona dies XXX. poſſeſſa &
proſcripta (id eſt palàm propoſitis libellis, quibus omnes
creditores admonerẽtur vt certo die adeſſent
ad auctionem) publicè diuenderentur ac diſtraherentur.
Et hoc illud eſt quod ſuprà dixit, Cuius verò
victus veſtitúſque neceſſarius ſub præcone ſubiicitur:
Etenim aliud eſt, in quorundam bonorum
poſſeſſionem mittere, aliud bonorum poſſeſſionem
dare. Hanc enim bonorum venditio ſequitur:
illam, non item: quemadmodum ex multis Iuriſcõ-
D ſultorum reſponſis intelligimus, ſub titulo, Quibus
ex cauſis in poſſeſſ. eatur. præſertim ex illo Celſi
reſponſo, de quo mentio eſt in l. Fulcinius, ferè in
extremo. quum ait, Si quis abſens non defendatus,
commodius ſe exiſtimare, in fundi, quem petere
volebam, poſſeſſionem mittendum, quàm bona eius
poſſideri. Sed iam illa quæſtio exoritur, Dimiſſis
creditoribus, & ære alieno diſſoluto, quum quid
ſuperaret, quid eo fieret? Nuſquam equidem quicquam
diſertè ſuper ea re ſcriptum, aut reſponſum
E inuenio: ſed quum tam crebrò in hac Oratione Neuium
apertè criminetur, ad hanc rationẽ cupiditate
& auaritia adductum eſſe, & in hoc vno laboraſſe,
vt homini propinquo vitam ac ſanguinem, id eſt
fortunas omnes eriperet, facile adducor in hanc opinionem,
vt ei qui bonorum poſſeſſionem poſtulaſſet,
quæcunque reliqua eſſent, addicerentur: ita
tamen vt ſi qui poſtea creditores alij reperirentur,
cõfugere nominũ ſuorum cauſa ad ipſum poſſent.

In vniuerſis quæ teneri ac poſſideri poſſint. Aliud e-
F nim tenere eſt, aliud poſſidere. Tenere dicitur, quæ
quis naturaliter accepit. Poſſidere, quæ ciuiliter, animo
& corpore. ex quo etiam quædam tenere dicimur,
quæ non poſſidemus: quædam etiam poſſidere,
quæ non tenemus. Itaque rem aut nobis commodatam,
aut apud nos depoſitam tenere dicimur,
non poſſidere. At theſaurum, qui nobis ignorantibus
in agro noſtro eſt, poſſidemus potius quàm tenemus,
l. poſſideri, D. de acq. poſſ. vſum autem &
vſumfructum, & cæteras ſeruitutes magis, inquit
G Vlpianus, tenemus, quàm poſſidemus l. a. D. Quod
legat.

Quò iſte ne aſpirarit quidem. Non modò non acceſſit,
ſed ne aſpirauit quidem. Vtrunque ſic interpretatus
Aſconius. Accedere, inquit, eſt proximum
fieri: aſpirare, in eam partem qua quid quæſitum
eſt, vultum & oculos ac ſpiritum oris aduertere.

Ex quo

Ex quo & ex cæteris dictis. Locus non cohæret. Deeſſe quippiam videtur.

Veſtræ naturæ bonitatiq; obſequamini. Natura enim alterius ad lenitatem, alterius ad crudelitatem atque aſperitatem ſua ſponte ducitur. Laudabilis autem illa, & cum humanitate conſentiens: hæc magis vituperatur, vt ad ferarum & beluarum naturã propius accedens. Eſt igitur honeſta laudatio iudicis & aſſeſſorum, ſine ſuſpicione aſſentationis: & tacita cohortatio ad miſericordiam.

Si cauſa cum cauſa contenderet. Neque enim nunc æquitate cauſæ, ſed gratia & potentia certatur.

Quòd vitæ ratio cum ratione vitæ decerneret. Quia Neuij vita omni voluptatum genere diffluens, profuſis ſumptibus amicorum copiam ei conciliauit: Quinctij verò ruſticana atq; inculta vita, nobilium & principum virorum amicitias ab illo alienauit: & nunc amicorum potentia & gratia certatur, vt quodammodo vitæ ratio cum ratione vitæ decernere, atque contendere videatur.

Ad voluntatem loqui. Sic in paradox. loquitur ad voluntatem: quicquid nuntiatum ſit facit.

Ab afflicta amicitia. Marianorum. vide ſuprà.

Cupiditati petulantiæq; addicantur. Addicere quempiam alterius cupiditati, genus eſt dicendi, quod crebris ſermonibus vſurpat, nos ſemel explicabimus. Tranſlatio ex eo more qui tum erat, ducta videtur vt qui pecuniæ damnati iudicatum facere non poſſent, nexi creditoribus in ſeruitutem addicerentur: vnde etiam Addicti dicebantur. Vt igitur cui quis addictus eſt, is pro ſuo iure, arbitratu ſuo, addicto item vt ſeruo vti, atque abuti poteſt. eodem modo qui per alterius gratiam atque potentiam iniquo iudicio damnatur atque opprimitur, tranſlato vocabulo, addici alterius cupiditati libidiníque dicitur.

Afflicta amicitia. Hoc dictum eſt ſuprà.

Et quæſtum & ſumptum Gallonij ſequi maluerunt. Quæſtum Gallonij: quia præco Gallonius, item vt Sex. Neuius. de quo Horatius lib. Serm. II.

Gallonî præconis erat acipẽſere mẽſa Infamis. Sumptum autem, quia ventris & gutturis vitio mirabiliter addictus in cupedias & ſuauiſſimos quoſque cibos profuſos ſumptus faciebat. de quo Lælius apud Lucilium,

O Publi, ô gurges Galloni, es homo miſer, inquit: Cœnaſti in vita nunquam bene, quum o-

A mnia in iſto Conſumis ſquilla, atque acipenſere cum decumano.

Hos verſus retulit Cicero in lib. II. De finib. vbi ſic ſcribit, Rectè ergo is negat vnquam bene cœnaſſe Gallonium, rectè miſerum: quum præſertim in eo omne ſtudium conſumeret, quem libenter cœnaſſe nemo negat. Cur igitur non bene? quia quod bene, id rectè, frugaliter, honeſtè. ille porrò malè, prauè, nequiter, turpiter cœnabat. Non igi-

B tur nec lapathi ſuauitatem acipenſeri Gallonij Lælius anteponebat, ſed ſuauitatem ipſam negligebat.

Aliquando tamen poſſe conſiſtere. Omnes alij, Aliquando tandem. Quam lectionem recipio: quanquam TAMEN pro TANDEM plerunque ab hoc eodem vſurpari, alio loco docuimus. ſed hoc loco durior videtur illa ſignificatio.

Ne vnde arbitratu quidem ſuo poſtularet. Poſtulare à Prætore ius dicitur, qui quid ad iuriſdictionem

C eius pertinens ſiue in agendo, ſiue in defendendo poſtulat. hoc autem dicit, quia quum de re pecuniaria contendere cuperet, non licuit.

Ipſius Sex. Neuij lachrymans manum apprehendit. Mos antiquorum, quum vehementius quempiã rogurent, vt eius manum prehenderent. Plautus in Amphit. I V P. Per dextram tuam te Alcmena oro, obſecro, Da mihi hanc veniam, ignoſce, irata ne ſies. Et in Captiuis, Hæc per dexterã tuam, te dextetera retinẽs manu Obſecro, infidelior mihi ne ſuas,

D quàm ego ſum tibi. Sic in epiſtola Platonis VII, quũ Theodotẽ referret à Dionyſio ſuppliciter deprecãtẽ nequid in Heraclide grauius conſuleret, προσπεσὼν δ' αὐτῷ ὁ Θεοδότης, λαβόμενος τῆς χειρὸς ἐδάκρυσε ϗ ἱκέτευε μηδὲν τοιοῦτον ποιεῖν. i. Prulapſus ad pedes Dionyſij Theodotes, manu prehenſa lachrymabatur, & obſecrabat nequid tale admitteret.

Per fratris ſui mortui cinerem. Veteribus mos erat propinquorum ſuorum cineres in vrnis aſſeruare. His Tullius oratoriè ſenſum tribuit. vt Verr. VII. Non ex litibus æſtimatis tuis pecuniam, domum,

E ſed ex tua calamitate cineri, atque oſſibus filij ſui ſolatium vult reportare.

Per ipſius coniugẽ & liberos. Nam P. Quinctij conſobrinam habet in matrimonio Neuius, & ex ea liberos.

Ne per te ferat. Neuius. Id eſt, Ne hoc abs te auferat: ne abs te diſcedat beneficio illo affectus.

PRO SEXT. ROSCIO AMERINO, ORATIO II.

ARGVMENTVM.

L. Sylla II. Q. Metello Coss. C. Erutius Sex. Roſcium municipem Amerinum, Equitem R. parricidij reum apud M. Fannium Quæſitorem inter ſicarios fecit, eúmque ita accuſauit, vt diceret cauſam ei maleficij ſuſcipiendi fuiſſe, primum odium patris, qui & ab ſeſe illum amandarat, & in prædia ruſtica relegarat, neque vnquam domi ſuæ habuerat: & hoc amplius, exhæredare illum in animo habebat. M. *Tullius annum tùm agens ætatis ſeptimum & viceſimum, Roſcium hac oratione defendit. in qua hæc*

ferè capita complexus eſt. Primùm abhorrere à tanti ſceleris atrocitate vitam Sext. Roſcij honeſtiſſimè atque integerrimè tranſactam: patri autem cauſam nullam fuiſſe cur eum odio haberet, atque exhæredare vellet. Quòd verò rei eum ruſtica præpoſuerat, id non modò non odij ac maleuolentia, ſed etiam amoris & beneuolentiæ paternæ ſingulare teſtimonium extitiſſe. incredibile eſſe, hoc crimen in quenquam humana ſpecie ac figura præditum cadere potuiſſe, niſi tanquam ea qua oculis cernuntur, expreſſa ſceleris veſtigia extarent: facultatem denique perficiendi maleficij nullam Roſcio fuiſſe, qui neque Romæ tum fuiſſet, quum cædes facta diceretur, neque vllum liberum hominem noſſet, per quem negotium transigeret. ſeruos verò ipſum etiam in quæſtionem poſtulare, quum, ij ne dentur, aduerſarij magnopere recuſent. Secundo loco ita reum purgat, vt etiam in T. Roſcium quendam, cognomento Magnum, *crimen conferat, quòd & veteres & capitales inimicitias cum Sexti patre exercuerit, & Romæ tum fuerit quum ille occiſus dicatur: verus præterea ſicarius & gladiator ſit, ac ſæpe in cæde verſatus. Deinde L. Chryſogonum L. Syllæ libertum, & apud eundem gratioſiſſimum interfecti bona quaſi proſcripti coëmiſſe, poſſidere, partem cum T. Roſcio communicaſſe: & quia nunc Sexti huiuſce vitam vterque ſibi ad ea bona fruenda obſtare atque officere intelligit, Erutium, accuſatorem veterem & exercitatum appoſuiſſe, qui crimen callidè confingeret, accuſationémque ſuſciperet. Reum autem Roſcium non modò nullum emolumentum ex nece patris, ſed etiam ſummam egeſtatem atque inopiam reportaſſe: iniquum eſſe, vt cuius iniuria patriis fortunis omnibus ſit euerſus, atque ad ſummã inopiam redactus, eius nunc potentia per ſummum dedecus ſummamq́ iniuriam vita priuetur. Cauſa publica eſt: hoc eſt accuſator non priuatam alicuius, ſed læſa totius Reip. iniuriã perſequitur. Acta eſt in foro (vt moris erat publicè, & in conſpectu populi, circum ſubſellia Iudicum, coronã facientis hac capitis iudicia fieri) ad* M. *Fannij Prætoris tribunal, qui quæſtioni inter ſicarios præerat, quum ei in conſilio Iudices ex ordine Senatorio, qui tum ſolus lege Cornelia iudicabat, aſſiderent. Et acta eſt, vt Gellius teſtatur, L. Sylla iterum, & Q.* Metello *C*OSS. *anno poſt cauſam P. Quinctij. ex quo, quod initio de ætate Ciceronis diximus, licet intelligi.* N*am à Q. Cæpione & Q. Serrano, quibus* COSS. *Cicero natus eſt, ad illos* COSS. *totidem anni numerantur. Quo magis & Feneſtellam erraſſe miror, quem Aſconius (auctore Gellio) meritò reprehendit, & Fabium* Quinctilianum: *qui lib.* XII. *putauit Ciceronẽ ſex & viginti natũ annos, hanc cauſam dixiſſe: ſed hoc eos, opinor, in errorem induxit, quòd annũ Cæpionis & Serrani non numerabant: vt plerunq; vſu venit, cùm ſatis conſtet* III. *Nonas Ianuarij natum Ciceronem fuiſſe: vt in ſuperioris Orationis initio demonſtrauimus. Prima autem hæc cauſa eſt, quam publicam egit, vt ex Oratione intelligitur, & in Bruto docet his verbis, Itaque prima cauſa publica pro Sext. Roſcio dicta, tantùm commendationis habuit, vt non vlla eſſet qua non noſtro digna patrocinio videretur. De hac Oratione in libro de Off.* II. *ſic ſcribit,* Maximè *autem & gloria pariter, & gratia defenſionibus: eoq; maior, ſi quando accidit vt ei ſubuenatur qui potentis alicuius opibus circumueniri, vrgeriq́ videatur: vt nos & ſæpe aliàs, & adoleſcentes, contra L. Syllæ dominantis opes pro Sex. Roſcio Amerino fecimus: quæ (vt ſcis) extat Oratio.*

COMMENTARIVS.

Credo ego vos Iudices. Hoc principio beneuolentiam à ſua perſona conciliat quòd hominis miſeri & innocentis cauſſam à cæteris omnibus propter defenſionis periculum deſertam, officio adductus ſuſceperit. I V D I C E S autem, Senatores intellige: vt paulò pòſt, Ex ciuitate in Senatum, ex Senatu in hoc conſilium delecti eſtis. Antea iudicia penes Equites R. erant: nunc Sylla victor duos ab hinc annos in ordinem ea Senatorium tranſtulerat.

A Et IVDICES, priuati homines ex Iudicum decuriis dati ab accuſatore & reo, qui M. Fannio Prætori, & iudici quæſtionis pro tribunali ſedenti, in ſubſelliis iurati aſſidebant, ſententiam ad Prætoris vrnam perorata cauſa laturi.

Hominesq; nobiliſſimi. De hoc more initio ſuperioris Orationis diximus: vnde quæ ad hunc locum pertinebunt, ſumere licebit. Homines autem nobiliſſimos dicit Scipiones, Seruilios, Metellos.

Potiſſi-

Potiſsimum ſurrexerint. Stantes enim & Oratores in foro, cauſſam: & ſenatores in curia, ſententiam dicebant.

Is qui. Pronomen IS abeſt ab omnibus aliis quos vidi & antiquis & impreſſis libris: & abeſt tantùm meo iudicio, non deeſt.

Neque ætate. Annorum, vt ante dixi, XXVII.

Neque auctoritate. Nam auctoritas bene gerenda Rep. conciliatur: ipſe autem nondum ad Remp. acceſſerat.

Omnes enim hi. Rationis ſubiectio nouo modo, & omnino præter conſuetudinem poſita. Nam particula ENIM cauſam cur mirarentur, afferri debebat: nunc cur alij ſedeant, oſtendit.

Iniuriam defendi. Propulſari: & ſic loquutus eſt lib. de Offic. III. Etenim ſi is qui defendit iniuriam, neque propulſat à ſuis, quum poteſt, iniuſtè facit, &c.

Nouo ſcelere. Accuſatorum. Et NOVVM ſic accipio, inauditum, ſingulare, nefarium. Terentius,

Neque huius ſis veritus fœminæ primariæ,
Nouo modo ei quin faceres contumelias.

Propter iniquitatem temporum. Propter Syllæ potentiam, cuius offenſionem metuunt.

Verbum de Rep. feciſſet. Id eſt de rebus à Sylla in Republ. geſtis: de proſcriptis, eorúmque bonis venditis.

Multo plura dixiſſe. Nam qui hoc Syllæ renũtiarent, rem verbis maiorem facerent.

Nequaquam tamen ſimiliter exire. Hoc dicit, Nõ tanti fiet vt ad Syllam perferatur: quippe habita ab homine adoleſcente, nulla auctoritate prædito. Verùm hæc eum ſpes fefellit. coactus eſt enim Syllæ offenſionem veritus in Græciam proficiſci. Et quoniam ea de re, Plutarchi verba magnopere ad hunc locum pertinent, melius erit ea ſubiicere, ἐν δὲ τῷ χρόνῳ τούτῳ, χρυσόγονος ἀπελεύθερος σύλλα, προσαγγείλαντός τινος οὐσίαν ὡς ἐκ προγραφῆς ἀναιρεθέντος, αὐτὸς ἐωνήσατο δισχιλίων δραχμῶν. ἐπεὶ δὲ ῥώσκιος ὁ υἱὸς καὶ κληρονόμος τοῦ τεθνηκότος ἀγανακτῶν, καὶ τὴν οὐσίαν ἀπεδείκνυε πεντήκοντα καὶ διακοσίων ταλάντων οὖσαν ἀξίαν. ὅ τε σύλλας ἐλεγχόμενος, ἐχαλέπαινε, καὶ δίκην πατροκτονίας ἐπῆγε τῷ ῥωσκίῳ, τοῦ χρυσογόνου κατασκευάσαντος. ἐβοήθει δ' οὐδεὶς, ἀλλ' ἀπετρέποντο τοῦ σύλλα τὴν χαλεπότητα δεδοικότες, οὕτω δὴ δι' ἐρημίαν τοῦ μειρακίου τῷ κικέρωνι προσφυγόντος, οἱ φίλοι συμπαρώρμων, ὡς οὐκ ἂν αὐτῷ λαμπροτέραν αὖθις ἀρχὴν πρὸς δόξαν ἑτέραν οὐδὲ καλλίω γενησομένην. ἀναδεξάμενος οὖν τὴν συνηγορίαν καὶ κατορθώσας, ἐθαυμάσθη. δεδιὼς δὲ τὸν σύλλαν, ἀπεδήμησεν εἰς τὴν ἑλλάδα. hoc eſt, Per id tempus Chryſogonus libertus, Sylla publicante bona cuiuſdam quaſi ex proſcriptione interfecti, emit ea bona duobus millibus drachmarum, quod quum Roſcius, filius & hæres defuncti, ægrè ferret, demonſtrarétque ea bona eſſe ducentorum quinquaginta talentorum, Sylla redargui ſe grauiter & acerbè tulit, Roſciíque nomen de parricidio deferendum curauit: cuius rei tranſactore & adminiſtro Chryſogono vſus eſt. Roſcio verò nemo ſubueniebat; quin potius omnes abhorrebant, Syllæ offenſionem pertimeſcentes. Itaque adoleſcens ab omnibus deſertus, ad Ciceronem cõfugit. Suadebant id amici, dicebãt non alium ad gloriam neque illuſtriorem, neque ſplendidiorem aditum poſtea oblatum iri. Itaque eius patrocinium ſuſcepit: & quum præclarè eam cauſam egiſſet magnam apud omnes admirationem ſui concitauit. Veritus

A autem Syllam, in Græciam profectus eſt. Hæc Plutarch. In quibus quod μειράκιον Roſcium appellat, intelligendum eſt eum aut falli, cùm illum maiorẽ annis quadraginta Cicero poſtea fuiſſe dicat: aut Ciceronem oratoriè loquutum eſſe.

Nõ modò ignoſcendi, verùm etiam cognoſcendi. Hoc ſignificat. Siquid ad Syllã quaſi de ipſo liberius dictum perfertur, non modò ei qui dixerit non ignoſcitur, ſed etiam incognita cauſa damnatur. Videtur
B autem ad illud Terentianum alluſiſſe: Nã & cognoſcendi & ignoſcendi dabitur peccati locus.

Pro capite ac fortunis. Hoc loco planè ac Latinè loquitur. nam hic Caput non exiſtimationẽ ſignificat, vt in Orat. pro Quinctio: ſed more Romano, PRO CAPITE, id eſt pro vita: in cuius diſcrimen Sex. Roſcius adductus eſt. Nam in parricidas extremum & ſummum ſupplicium conſtitutum eſt.

Quemadmodum conſueuerunt. Hoc ad illorum laudem pertinet. Nam (vt ex Verrina prima conſta-
C bit,) accuſatorum nomen odioſum: defenſorũ verò, laudabile & gratioſum erat. Id quod libro de Officiis II. pluribus verbis commemorat.

Quæ ſunt ſexagies. Hac defectione vſus eſt etiam Plautus. Subauditur autem Seſtertiûm. Et infrà plenè loquutus eſt, Hæc bona, inquit, H-S ſexagies emuntur duobus millibus nummûm. Etiam alia defectio, quũ dicimus H-S ſexagies, hoc ſubintelligimus, Centena millia. vt ſit, Sexagies centena millia ſeſtertiûm. De qua quidem locutione dixi-
D mus in Orat. Verrina III. Sunt autem noſtratis pecuniæ, vt Budæus probauit, aureorum centum quinquaginta millia. & eidem ſummæ reſpondet quod ſcribit Plutarchus de ducentis quinquaginta talentis.

Duobus millibus nummûm. Id eſt ſeſtertiorum. nam & Numus dicitur præciſè, & Seſtertius, & Numus ſeſtertius. Reſpondet autem hæc ſumma noſtratis pecuniæ aureis ſcutatis quinquaginta.

E *L. Cornelius Chryſogonus.* Syllæ libertus, Et Chryſogonus, ſerui nomen, quaſi dicas, Aureus fœtus, vel Semen aureum: L. Cornelius, patroni. Nam qui libertate donabantur, in eius nomen tranſibant à quo libertate donati eſſent. L. Sylla victor proſcriptorum ſeruis, qui firmis corporis viribus, & ætate integra eſſent, amplius decem millibus libertatem dedit, eóſque ciues Romanos eſſe, & Corneliorum nomine appellari voluit. vide Verrin. V. De hoc ipſo Chryſogono operæpretium eſt Pli-
F nij verba ſubſcribere ex libro XXXV. capit. XVII. Eſt, inquit, & viliſſima creta, qua circum producere ad victoriæ notam, pedéſque venalium trans mare aduectorum denotare inſtituerunt maiores, talémque in cataſta videre maiores noſtri Chryſogonum Syllæ. &c. alióſque deinceps, quos enumerare iam non eſt, è ſanguine Quiritum, & proſcriptionum licentia ditatos.

Is à vobis. Locus beneuolẽtiæ ab aduerſariorum perſona conciliandæ: cùm eorum potentiam, ſcelus
G & audaciam oſtendit: demonſtrátq; eorum auaritia crimen hoc in hominem innocentem conflatum fuiſſe.

In alienam prouinciam. Hoc ad Iuriſconſultorum obſeruationem pertinet, qui ſcribunt veteres pecuniæ nomine fortunas omnes intellexiſſe.

Hunc ſibi ex animo ſcrupulum. Scrupulus eſt lapillus in calceo latens, & preſſus pedem offendens.

Hinc ægritudinem cum cogitatione,ſcrupulum ap-
pellamus. Terentius in Phormione,Monſtri,ita me
di ament, ſimile. P.Inieci ſcrupulum. Noſter in O-
rat.pro Cluent. Hic tum iniectum eſt hominibus
ſcrupulus,& quædam dubitatio,quidnam eſſet actũ.

Vt ad hanc ſuam. Magis placeret,Et ad hanc.

Periculum quod in omnes intenditur. Hoc decla-
rat infrà his verbis, An verò,Iudices, vos non intel-
ligitis,nihil aliud agi, niſi vt proſcriptorũ liberi qua-
uis ratione tollantur, & eius rei initium in veſtro iu
reiurando,atque in Sex.Roſcij periculo quæri?

Nonnihil ſecuti. Tranſlatum à venatoribus vide-
tur qui ferarum veſtigia ſequuntur. Senſus eſt.Quã
obrem videantur non penitus hoc crimen confin-
xiſſe , ſed argumenta & veſtigia quædam ſceleris
animaduertiſſe, quæ illi nunc ſequuntur : vt crimen
è tenebris educere poſſent.

In deferendo nomine ſequuti. Deferri nomen dici-
tur, quum is qui accuſare vult quempiam apud Præ
torem,interrogat , Aio te patrem interfeciſſe. vt ſi
neget , eius nomen in reos referatur, & inſtituatur
accuſatio. aliud ergo Deferre nomen eſt,aliud Ac-
cuſare. quod ego non dicerem, niſi homines non
imperitos aliter ſcripſiſſe animaduertiſſem.

Qui ex ciuitate in Senatum. Cenſores enim,vt ſcri
bit Feſtus,ex Equeſtri ordine optimum quenque cu
riatim in Senatum legebant. vnde etiam Allecti di-
cti ſunt:nimirum quòd propter Senatorum penuriã
ex Equeſtri ordine in Senatorum numerum aſſume
bantur. Et alibi,Conſcripti dicebantur,qui ex Eque
ſtri ordine Patribus adſcribebantur, vt numerus Se
natorum expleretur.

Propter dignitatem. Hoc loco à perſona iudicum
beneuolentia quæritur : cùm quanta eorum iudicij
& auctoritatis expectatio ſit,oſtenditur.

Ex ſenatu in hoc conſilium. Nam,vt paulò ante po
ſui,Senatus hoc tempore iudicabat. Ex Senatu autẽ
Iudices ex ſenſu legebantur , anno ætatis XXXV.
tréſque illorum decuriæ fiebant. Singulis autem
decuriis per vices annua vacatio erat. Plutarchus,
Plinius , Suetonius. Quum igitur Senatorum de-
curia hoc anno iudicaret, iudicio à M. Fannio
Prætore conſtituto , accuſator primùm ex ea de-
curia Iudices dedit, dedit & reus : datorum nomina
in vrnam miſſa ſunt , vt de pluribus neceſſarius nu-
merus cõfici poſſet. non enim omnes iudicabant,
ſed ad eum numerum , qui lege , verbi gratia,repe-
tundarum, ambitus,de ſicariis, maieſtatis,definitus
erat. Poſt ſortitionem accuſator & reus,quos viſum
fuit,reiecerunt : poſt reiectionẽ Prætor Fannius ex
aliis ſubſortitus eſt, quibus Iudicum legitimus nu-
merus compleretur: ex quibus omnibus Conſilium
conſtabat. Atque ita intelligendum eſt quod dicit,
Ex Senatu in hoc conſilium delecti eſtis. vnde illa
peruulgata, Cum conſilio cognoſcere , De conſilij
ſententia pronuntiare,Aduocare conſilium, Dimit-
tere cõſilium, Mittere in conſilium. & vt ipſe in hac
Oratione extrema demonſtrat,more maiorum hoc
Publicum conſilium appellabatur.

Homines ſicarios atque gladiatores. Per abuſio-
nem,inquit Fabius Quintilianus,Sicarios etiam o-
mnes vocamus, qui cædem telo quocunque com-
miſerint.

His de rebus. Hinc attentio comparatur, cùm
etiam atrocibus, atque inuſitatis flagitiis ſe dictu-
rum oſtendit.

Summus timor , quem mihi natura pudórque meus

A *attribuit.* Vide locum Diuinationis illum , Quum
illius diei mihi venit in mentem,&c.& quæ in eum
locum annotauimus.

Te quoque M.Fanni. A perſona quæſitoris bene-
uolentiam conciliat.

Cùm huic idem. Vetus codex. Cùm huic eidem,
& ſic emenda, Id eſt, num huius eiuſdémque quæ-
ſtionis Iudex eſſes. nam de iudice quæſtionis hic
locus intelligendus eſt:qui cuiuſmodi fuerit,copio-
sè in Commentario verborum iuris expoſui-
B mus. Significat autem iam antea Præturam Fan-
nium geſſiſſe , & hanc ipſam quæſtionem inter ſi-
carios exercuiſſe. Ergo ante annos decem. non
enim eundem magiſtratum capere,niſi poſt decen-
nium,licebat.

Iudex præeſſes. Prætor iudicium exerceres. nam
Prætores , Iudices quæſtionis principes diceban-
tur, vt Verrina III,& in Cluentiana , & hac ipſa O-
rat.infrà.

Iudicium inter ſicarios. Vetus locutio , Inter ſica-
C rios,pro De ſicariis : & ſic locutus eſt lib. De finib.
II.in Cluentiana,& Philip.II.

Committitur. Exercetur,fit.

Quum interea cædes indigniſſimæ. Syllanis pro-
ſcriptionibus.

Hanc quæſtionem. Publica iudicia quæſtiones
dicuntur,quòd in iis reus in iudicium vocatus, no-
cens ſit an innocens. conſtituto iudicio quæritur.
Sed hoc loco non hoc iudicium de Sext. Roſcio
ſignificat , ſed hanc prouinciam , ac muneris pu-
D blici procurationem , quæ Prætori ſorte obuenit.
Prætores creati in comitiis , ſortiebantur prouin-
cias:alii iuriſdicũdi prouincia obueniebat,alij quę-
ſtio inter ſicarios,repetundarum,maieſtatis,& ſimi-
les. Nam has etiam procurationes Cicero Verrina
VII,prouincias appellat.

Haud remiſſius ſperant futuram. Obſcurus locus,
& mea quidẽ opinione,vna litera corruptus. Cor-
rigendum putarem FVTVRVM , ea loquendi for-
ma ac figura quam Agellius in hoc ipſo auctore,
E & aliis pleriſque Latinis ſcriptoribus annotauit li-
bro I. cap. VII. vt Remiſſius, ſit aduerbium: Futu-
rum autem,verbum ſit indefinitum & (vt Græci di-
cunt) ἀπαρέμφατον,neque virilis,neque neutrius ge-
neris,ſed ab omni neceſſitate generum abſolutum.
quale illud eſt Verrina VII. Sed quocunque vene-
rint , hanc ſibi rem præſidio ſperant eſſe futurum.
Et in Orat.C. Gracchi, Credo ego inimicos meos
hoc dicturum. In tertio annali Quadrigarij, Dum ij
conciderentur,hoſtium copias ibi occupatas futu-
F rum. Apud Valerium Antiatem,Omnia ex ſenten-
tia proceſſurum. Apud Plautum , Etiámne habet
Caſina gladium? habet,ſed duos : Quibus altero te
occiſurum ait , altero villicum. Apud Laberium,
Non putaui hoc eam facturum. Ergo hic ſenſus eſt,
Haud remiſſius futurum , id eſt acriter & ſeuerè
exercitum iri,fore vt non diſſolutè , ſed grauiter,&
vehementer exerceatur.

Etenim quid aliud. Nũc ſummam cauſæ breuiter
exponit vt dociles habere iudices poſſit.

Ad hoc ipſum iudicium cum præſidio venit. Præſi-
G dium, opinor, aduocatorum conſeſſum ſignificat,
quos antea ſummos Oratores hominéſque nobiliſ-
ſimos appellauit : præterea pagina inſequenti ſic
ſcribit , Fama & vita innocentis ab hoſpitibus,
amicíſque paternis defenditur. Hæc autem id-
circo iniecit , vt aduocationis tam frequentis
inuidiam

inuidiam minueret : quam orationi ſuperiore in A Sext. Mæuio mirificè exaggerabat. Dictum eſt iam anteà, nobiliſſimorum hominum aduocatione vſum eſſe Roſcium.

Quos populus poſcit. Ad ſupplicium: propter cędes quotidianas, de quibus modò locutus eſt.

Municeps Amerinus. Ameria ciuitas eſt in Vmbria. Municipia autem dicebantur ciuitates ſuo iure ac legibus vtentes, deque vlla populi R. lege adſtrictæ: quarum ciuibus munera, id eſt honores Romæ capere licebat. Feſtus ſcribit, municipia tan- B dem omnia ciuitate donata eſſe. Itaque Roma (vt ſcribit Modeſtinus Iuriſconſultus) communis patria erat omnium.

Hoſpitijs florens hominum nobiliſſimorum. In Italia, & prouinciis, exteriſq; nationibus, ciues R. neceſſitudinem hoſpitii contrahere cum aliquo peregrino ſolebant, aut priuatim, quæ ἰδιοξενία à Græcis dicitur, aut publicè, quam iidem προξενίαν vocant.

Hoc ſolum filio reliquit. Hoc dicit propter tam C frequentes aduocatos. ex omni nobilitate: & inuidiam huius conſeſſus amolitur.

Domeſtici prædones. Qui Sext. Roſcij domum prædiaque deprædati ſunt. de quibus paulo pòſt commemorabit.

Hoc tumultu proximo, quum omnium nobilium dignitas & ſalus in diſcrimen veniret. Quo tempore Cinna & Marius in vrbem recepti, omnes aduerſæ partis nobiles trucidarunt. tum enim in Italiæ municipia plerique confugerunt. Appianus, Florus. D Et PROXIMO, ſeptem ab hinc annis, Octauio & Merula Coſs. Tumultum dixit ὑποχοριστικῶς pro bello ciuili.

Eam partem cauſámque. Munit aſtutè viam ad id quod intendit, proſcriptum non fuiſſe. Soli enim à Sylla nobilitatis aduerſarij proſcripti ſunt.

Quum proſcriberentur homines. L. Sylla victor tabulam in foro fixit, in qua ſcripta erant eorum nomina quos ad cædem quæri volebat, præmio etiam percuſſori propoſito. Hi proſcripti diceban- E tur, quaſi palàm ſcripti. Multi quum ſua nomina in tabula legiſſent, ſibi manus attulerunt. Appianus ſcribit L. Syllam harum proſcriptionum principem atque auctorem fuiſſe. Μάριος μὲν γὰρ ἐζήτει καὶ ἐκόλαζεν εἰς εὕροι: Σύλλας δ' ἐπὶ μισθοῖς τε μεγάλοις, καὶ κολάσεσι τῶν ἐπικρυψάντων ὁμοίαις, τὸν ἐντυχόντα κτείνειν προέγραψε. Marius enim, inquit, conquirebat, & quos inuenerat, ſupplicio afficiebat: Sylla autem magnis præmiis percuſſoribus propoſitis, pœnis verò iis qui quempiam occultaſſent, iiſ- F dem ac proſcriptis, conſtitutis, quo quiſque loco repertus eſſet, iuſſit interfici.

Alterum ſedere. T. Roſcium Magnum.

Iſte qui adeſt. Quem infrà, Sex. Roſcij non modò municipem, ſed etiam cognatum appellat.

Plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator. Gladiatoribus poſt victoriam palma dabatur. Gellius ex Plutarcho lib. Noct. IIII. Propterea, inquit, in certaminibus palmam ſignum eſſe placuit victoriæ, quoniam ingenium eiuſmodi ligni eſt, vt G vrgentibus opprimentibuſque non cedat. Liuius in fine libri X. Eodem anno coronati primum ob res bello bene geſtas ludos Romanos ſpectarunt, palmæque tum primum tranſlato è Græcia more, victoribus datæ.

Vetus ac nobilis gladiator. Vetus, peritus, exercitatus. vt infrà, Vt ad eam rem aliquẽ accuſatorem veterem compararent. Itẽ vetus videlicet ſicarius, homo audax, & ſæpe in cæde verſatus. Vnde Vetuſtas in Orat. pro Quinctio, pro calliditate & verſutia. Gladiator autem per tranſlationem, pro ſicario, & qui multos interfecit. Ergo gladiator plurimarum palmarum, id eſt qui artem gladiatoriam ſic exercuit, vt multos interfecerit, & victor palmam ſæpenumero reportarit.

Ad eum laniſtam contulit. Laniſta ludi gladiatorij magiſter. Locus hic hoc oſtendit, & alter in quo infrà ſic loquitur, Num aut ille laniſta omnino iam à gladiis receſſiſſe videtur: aut is diſcipulus magiſtro tantulum de arte concedere?

Ante hanc pugnam. Hanc cædem Sex. Roſcij.

Scelere audaciáque ſuperauit. Hoc ſignificat, Quũ de Sext. Roſcij cæde conſpiraſſent, ipſe has partes ſuſcepit, & Roſcium interfecit. Nam Romæ T. Magnum, quum cædes facta eſt, Capitonem autem Ameriæ fuiſſe declarat, infrà.

Occiditur ad Balneas Palatinas. De balneis Palatinis alibi legiſſe non memini. Eas in colle Palatino fuiſſe conſtat. quo in loco, res eſt minimi momenti.

Homo tenuis, libertinus. Libertinus, libertis parẽtibus natus. Nam ſi libertus ipſe fuiſſet, ſine dubio Græcum ſerui nomen addidiſſet.

Cliens & familiaris iſtius T. Roſcij. De clientibus & patronis frequens eſt mentio in Orationibus Ciceronis. Hoc autem loco, vno pro omnibus, de eo more explicabimus, vt hinc poſthac quæ aliò pertinere poſſe videbuntur, depromi poſſint. Romulus plebeii generis hominibus à Patribus diſcretis, ne qua inter eos diſſenſionum materia relinqueretur, vnicuique ex plebe permiſit, quencunque ex Patribus vellent, patronum cooptare. Hæc autem inter eos iura conſtituit. Patroni quidem, vt quæ clientes iura & legitima ignorarent, eos docerent. quod ſignificat Horatius Epiſtol. ſecundo libro,

Romæ dulce diu fuit, & ſolenne recluſa
Mane domo vigilare, clienti promere iura.

Eorum abſentium æquè ac præſentium, neque ſecus quàm parentes liberorum, curam gererent: cauſas & priuatæ & publicæ rei ſuſciperent: denique tum priuatim, tum publicè, eorum commodis & rationibus conſulerent. Viciſſim autem vt clientes ad collocandas patronorum filias dotem, ſi opus eſſet, conferrent: patronos, aut ipſorum liberos ab hoſtibus captos redimerent: multas, ſi quæ deberentur, eorum nomine perſoluerent: ſi qui ſumptus publicè faciendi eſſent, partem contribuerent. Vtriſque autem hanc legem impoſuit, vt neque inter ſe accuſare, neque aut teſtimonio, aut ſuffragio lædere, inimicitiaſve exercere poſſent. Hoc inſtituto, ſumma plebis cum Patribus conſenſio & beneuolentia ad multas ætates conſeruata eſt. autor Dionyſius Hal. lib. 1. cui potius quàm Plutarcho aſſentior qui ἐκ τῶν πολλῶν patronos creatos putauit, in vita Romuli, vbi ſimilia ferè de patronis & clientibus commemorat.

Poſt horam primam noctis. Accipe horas inæquales, quæ & diurnæ & nocturnæ duodecim ſemper fuerunt. cuius horologij rationem cognoſce ex Vitruuio, libro IX.

Ciſiis peruolauit. Ciſium vehiculi biroti genus, ait Feſtus.

Quatriduo, quo hæc geſta ſunt. Id eſt, intra quatuor dies, vel ante quartum diem quàm hæc geſta ſunt. Et ſic loquutus eſt infrà, Mors Sex. Roſcij quatriduo, quo is occiſus eſt, Chryſogono nuntiatur. Sic etiam Asconius in Orat. contra Ant. & Catil. Hunc inquit, Antonium Gellius & Lentulus Cenſores ſexennio, quo hæc dicuntur, Senatu mouerunt. Id eſt quum hæc dicerentur, nondum ſexennium præterierat ex quo eum Senatu mouerant. Plautus in Aſinaria, Et ſiqua inutilis Pictura ſit: eam vendat. ni quatriduo Abalienarit, quo ex te argentum acceperit: Tuus arbitratus ſit: comburas, ſi velis.

In caſtra L. Syllæ Volaterras deferetur. Strabo Volaterris Marianos proſcriptos conſtitiſſe, eaſque triennium obſeſſas hoc ciuili bello, poſteáque à Sylla victore earum agrum proſcriptum fuiſſe narrat.

Societas coitur. Bonorum Sext. Roſcij interfecti, itémque ſuperſtitis, partem enim Chryſogono, vt eius gratia & potentia rectores ſint, offerunt.

Proſcriptionis mentio nulla. Hunc locum Chameſius libro 3. ex memoria (vt opinor) ſic protulit: Cum iam proſcriptionis commemoratio fieret, eũ etiam qui antea proſcripti erant, ſederent, nomen refertur in tabulas, Sext. Roſcij, vſitatam ſcripturam omnes antiqui libri comprobant.

Manceps fit Chryſogonus. Manceps dicitur, quicunque auctione aliquid emit. Proſcriptorum enim bona auctione conſtituta, in foro vendebantur. Quare mancipem modò appellat, quem poſtea ſectorem. ſed de mancipibus & ſectoribus fuſius in Verrinis orationibus.

Propria traduntur. Id eſt, donantur. Nam donationes lege Cincia mancipatione fiebant. Vere autem quæ mancipio dabantur, propria fiebant.

Sexagies H-S. Dictum ſuprà.

Imprudente L. Sylla. Opportunè dictum. Nam etiam poſt Syllæ mortem omnes ipſius res geſtas populus R. ratas & fixas eſſe iuſſit.

Quum eodem tempore, & ea quæ præterita ſunt, & ea quæ videntur inſtare, præparet. Sic omnes libri veteres. Mendum tamen ſubeſſe aliquod apparet. Deeſſe autem verbum REPVTET videtur. vt ſic legamus, Quum eodem tempore & ea quæ præterita ſunt, reputet, &c.

Simulatque ille deſpexerit. Verrina VII. in eandem ſententiam dixit, oculos deiicere, tranſlate ab iis, qui ſomno oppreſſi, oculos dimittunt, Si tantulum, inquit, oculos deiecerimus præſto eſſe inſidias.

Quamuis ille fælix ſit. De hoc cognomine Plutarchus in eius vita, & Appianus lib. ἐμφυλίων. Plinius quidem lib. VII, ſic ſcribit, Vnus hominum ad hoc æui, Fœlicis ſibi cognomen aſſeruit L. Sylla, ciuili nempe ſanguine, ac patriæ oppugnatione adoptatus. Et quibus fœlicitatis inductus argumentis? quòd proſcribere tot millia ciuium, ac trucidare potuiſſet. O praua interpretatio, & futuro tempore infœlix!

Paterno funeri iuſta ſolui ſſet. Iuſta, ſacra quæ placandis manibus fiebant. Græci νομιζόμενα.

Focis patriis diiſque penatibus. Vide quæ diximus in Orat. pro Quinctio, ſuprà: nam eadem inculcare non eſt noſtri conſilij.

Ne iter quidem ad ſepulchrum patrium reliquiſſet.

A Nam in agris veteres ſepeliebantur, (vt lex vetus teſtatur, In vrbe ne ſepelito) & ſpatium certos pedes latum conſecrabatur, vt Philippica IX. extrema, Vtique locum ſepulchro in campo Eſquilino C. Panſa Conſul, ſeu quo in loco videtur, pedes triginta quoquouerſus aſſignet, quò Seruius Sulpitius inferatur. Quod etiam Liuius lib. VI. ſignificat, Vt ſinguli, inquit, propè trecentorum ciuium poſſiderent agros, plebeio homini vix ad tectum neceſſarium, aut locum ſepulturæ, ſuus pateret ager. Con-
B dito porrò cadauere, gleba in os iniecta, iuſtiſque factis, locus is vbi quis humatus erat, religioſus fiebat. Quum autem agrum illum in quo humatus erat Roſcius, T. Magnus poſſideret, huic Sex. Roſcio non licebat religionis obeundæ cauſa ad ſepulchrum patrium per fundum alienum tranſire. Sed fortaſſe hoc oratoriè dicitur, & agrorum publicatorum, eadem quæ & priuatim venditorum ratio fuit. De his autem Pomponius ſic ſcribit, ſub titul. De ſepulchro violato, Vtimur eo iure,
C vt dominis fundorum, in quibus ſepulchra fecerint, etiam poſt venditos fundos adeundorum ſepulchrorum ſit ius. Legibus nanque prædiorum vendendorum cauetur, vt ad ſepulchra quæ in fundis ſunt, iter ei, aditus, ambitúſque funeris faciundi cauſa ſit. Hinc ſeruitutes itineris ad ſepulchrum, apud Iuriſconſultos. Labeo l. ſi mercedem, 53. D. de act. empt. Si eum fundum vendidiſti, in quo ſepulchrum habuiſti, nec nominatim tibi iux ad ſepulchrum excepiſti parum tibi eo nomine cau-
D tum habes. Paulus: Minimè: ſi modò in ſepulchrum iter publicum tranſit.

Decurionum decretũ ſtatim fit, vt Decemprimi proficiſcantur ad L. Syllam, Decuriones, non Magiſtratus, vt homines pereruditi exiſtimant, ſed Senatores coloniarum. aut municipiorum fuerunt. vnde Decuriare verbum pro In decuriam aſcribere. Iuriſconſulti in municipiis vulgò duos hoſce ordines quaſi contrarios numerant, Plebeios & Decuriones. Ex Decurionum autem ordine, item vt Romæ
E ex Senatorum, Magiſtratus creabantur. Paulus, Is qui non ſit Decurio, Duumuiratu, vel aliis honoribus fungi non poteſt: quia Decurionum honoribus plebeij fungi prohibentur. Erátque Duumuiratus ferè in municipiis ſummus magiſtratus, vt conſtat ex l. 1. D. De albo ſcribendo. Cicero in Piſonem, Gabinium denique ſi vidiſſent Duumuirum (de Campanis loquitur, & Gabinio Conſule, Conſulatum eum Duumuiratu comparans) veſtri illi vnguentarij citiùs agnouiſſent. Sed vt eo vnde di-
F greſſa eſt, reuocetur oratio, Decretum Decurionum in municipiis ſic accipio, vt Romæ Senatuſconſultum. Decemprimi autem Magiſtratus non erant, quemadmodum pleríque exiſtimarunt. Vlpianus enim Decaprotos minores annis XXV. fieri tradit: quum ad Rempublicam adminiſtrandam ante eam ætatem admitti neminem teſtetur. Eorum autem adminiſtratio nequaquam in Reipublicæ gubernatione, ciuitatéque regenda ac defendenda verſabatur, ſed potius in ſumptibus Reipublicæ cauta faciendis. Illa autem munera, Iuriſ-
G conſulti Perſonarum, hæc verò Patrimonij appellant. Tributorum autem exactioni ferè præerant, in quo ſi quæ detrimenta fiſcus defunctorum culpa contraxiſſet, ſarcire ea Decemprimi, & Viginti primi ſolebant.

Homines nobiles allegat is. Allegate in priuato negotio

negotio dicimus, quod in publico Legare. Teſentius in Andria, Hoc modò te obſecro, vt ne credas à me allegatum hunc ſenem. Summittere etiam Cicero in eadem re vſurpat, vt Verrina IIII. Summittebat iſte Timarchidem, qui moneret,&c.

Homines antiqui, qui ex ſua natura cæteros fingerent. Antiquitas, vt idem libro de legibus I. ſcribit, proximè accedit ad deos. itaque veteres antiquos omnes æquabiliter viros bonos exiſtimabant. Ex quo plerunque Antiqui, qui integri & boni viri ſunt, appellantur. Terentius in Adelphis. Dij boni, Næ illiuſmodi iam nobis magna ciuium Penuria eſt, homo antiqua virtute ac fide. Hoc in genere annumerare poſſumus noſtris temporibus Maturinum Corderium, ſenem eruditum & ſanctum: cuius, dum hæc pangerem, mihi propter ſummam ipſius cum illis antiqua virtute & fide hominibus ſimilitudinem, in mentem veniebat.

Qui ex ſua natura cæteros fingerent. Tales eſſe cæteros arbitrarentur quales ipſi eſſent. In hanc ſententiam ſic ſcribit in Epiſt. ad Q. Fratrem, Vt quiſque eſt vir optimus, ita difficillimè eſſe alios improbos ſuſpicatur.

Nomen Sex. Roſcij de tabulis exemptorum. De tabulis, in quibus erant proſcriptorum & occiſorum nomina perſcripta. Valerius Max. libro IX. Quatuor millia & ſeptingentos diræ proſcriptionis edicto iugulatos in tabulas publicas retulit. (de Sylla loquitur) videlicet ne memoria tam præclaræ rei dilueretur. An potius de tabulis ſuis priuatis, & Codice accepti & expenſi, in quo quæſita ſibi Roſciana prædia præſcripſerat. Sic puto: cum inferat, Prædia vacua filio traditurum. Vacua autem prædia ſunt, quorum nemo poſſeſſor. Vnde vacua poſſeſſio apud Iuriſconſultos.

Adpromitteret. Adpromiſſor eſt, qui quod ſuo nomine promiſit, idem pro altero quoque promittit. Feſtus: apud quem tamen locum corruptum arbitror, legendumque, Qui quod alter ſuo nomine promiſit.

Ad Cecliam Nepotis filiam. Corrige ſic, Cæciliam Balearici filiam, Nepotis ſororem, vt infrà. Nam Q. Cæcilius Metellus, qui à Balearibus deuictis Balearicus dictus eſt, filiam habuit, quæ ex familiæ nomine Cæcilia dicta eſt: & filium Q. Cæcilium Metellum, qui quòd Metelli Macedonici nepos eſſet, vt à patre ſuo diſcerneretur, Nepos appellatus eſt. Et hæc ipſa eſt Cæcilia, cuius fides & religio tantùm in ciuitate valuit, vt ex eius ſomnio, Marſico bello templum Senatus ſententia, Iunoni Soſpitæ reſtitutum fuerit: vt apud Ciceronem lib. de Diuinat. I. duobus locis. Sed quod eodem in libro de Cæcilia Metelli loquitur, cuius omine ſororis ſuæ filia ipſius marito nupſit, ad hanc Cæciliam non pertinet. Nam vetus illa loquutio eſt, Cæcilia Metelli, quæ præciſè hoc ſignificat, quod plenè ſic effertur, Cæcilia vxor Metelli. vt alibi, Poſthumia Sulpitij, Cornelia Cæſaris, Terentia Ciceronis. Cæciliam autem de qua ibi Cicero loquitur, Metelli vxorem fuiſſe, patet ex Valerio Max. qui lib. I. hanc eandem hiſtoriam commemorat.

Quaſi exempli cauſa, veſtigia antiqui officij remanent. Quaſi exempli cauſa, id eſt vt quaſi teſtimonio ſit, olim fuiſſe homines tanto officio & probitate præditos. Aſconius hoc modo, Fuit, inquit, Pupius Piſo eiſdem temporibus quibus Cicero, ſed tanto ætate maior, vt adoleſcentulum Ciceronem pater ad eum deduceret; quòd in eo & antiquæ vitæ ſimilitudo, & multæ erant literæ. Antiquum autem pro bono & integro, modò dici docuimus. & Cicero ſic loquutus eſt in Orat. pro Quinctio, Quid tum? tu aliquem patronum inuenies hominem antiqui officij.

Hoſpitiiſ oppreſſo iam. Suprà dixit Sexto Roſcio patri hoſpitij neceſſitudinem fuiſſe cum Metellis, ex quorum familia Cæcilia.

Quàm otioſus in proſcriptos. Vt Sextus pater, qui poſteaquam occiſus eſt, in proſcriptorum numerum eſt relatus, infrà. Cogitabant enim ſi eum occiderent, illius nomen in proſcriptorum numerum referre.

Aliquem accuſatorem veterem. Peritum, exercitatum, multis in accuſationibus verſatum. Et hoc contumelioſè dicitur. Nam accuſatoris nomen erat inuidioſum, vt diximus in Diuinat.

Tempore ipſo pugnarent. Nihil muto. ſed ſi liber aliquis antiquus ita haberet, Tempore ipſum oppugnarent: non valde repugnarem.

Iugulandum vobis tradiderunt. Id eſt condemnandum, neci addicendum, ſed inuidioſo verbo vti maluit, oratoriè.

Ceruices Roſcio dare. T. Roſcio Magno, quem ſuprà gladiatorem nominauit, & inſidias vitæ huiuſce Sex. Roſcij paraſſe dixit.

Inſutus in culeum, ſupplicium parricidarum. Hæc verba SVPPLICIVM PARRICIDARVM, ad marginem à ſtudioſo quopiam poſita, librarij errore ducti in contextum Ciceronis verborum induxerunt, De ſupplicio parricidarum, cognoſce infrà.

Cum ferro atque telis. Qualis hæc conſuetudo fuerit vt verè dicam incertus ſum. Doctiores viri hunc locum obſeruabunt, & quæ ad eum faciere animaduertent, notabunt.

Aut condemnetis. Condemnare pro Condemnandum curare, locutio vſitata.

C. Fimbriam. Qui legatus L. Flacci Cōſulis miſſi in Aſiam, vt Syllæ ſuccederet, ipſum interfecit, & imperium in ſe tranſlatum ſic adminiſtrauit, vt Mithridatem ferè ceperit. ab exercitu poſtea deſertus, ſe ipſe percuſſit. Velleius, Appianus, Florus.

In funere C. Marij. Qui primo ſeptimi Conſulatus ſui menſe deceſſit.

Q. Scæuola vulneraretur. Adhuc enim tum erat Romæ Fimbria: ſed paulo pòſt miſſus eſt, vt modò dixi, L. Flacco (qui Conſul in locum Marij creatus eſt) legatus. Tum autem Scæuola tātummodò vulneratus eſt, vt hic locus apertè oſtendit: ſed triennio poſt Carbone & Mario, COSS. nex ei iuſſu L. Damaſippi Prætoris in veſtibulo ædis Veſtæ allata eſt. vt apud Ciceronem de Nat. deorum III. & Appianum ἐμφυλίων α, & Velleium Paterculum. Damaſippus autem poſtea victoria conſtituta, L. Syllæ iuſſu interfectus eſt. Auctor Salluſtius.

Diem Scæuola dixit. Idē ſcribit Val. Max. li. IX. capite De dictis improbis, factiſque ſceleratis.

Quem pro dignitate ne laudare quidem quiſquam ſatis commodè poſſet. Eundem in libro de Natu. deorum III. temperantiæ prudentiæque ſpecimen appellat. In Lælio ſcribit, mortuo augure Scæuola ad quem à patre ſumpta virili toga deductus erat, ſe ad

A hunc Pontificem contuliſſe: quem vnum (inquit) noſtræ ciuitatis & ingenio, & iuſtitia præſtantiſſimum audeo dicere.

Omnes ciues ſuos. Obſcura loquutio, Mors omnes ciues ſuos perdidit: niſi fortè SVOS pro ILLIVS poſitum eſt: vt alibi apud hunc ipſum non vno loco tametſi ne ſic quidem obſcuritas tolletur: non enim omnes Scæuolæ ciues ob eam mortem afflicti ſunt, ſed eius tantùm mortis auctores. Præterea quorſum Scæuolæ ciues, illos appellat? Locus eſt (vt dixi) obſcurus, & fortaſſe etiam corruptus. B nam fieri poteſt, vt pro EIVS CONSCIOS librarius CIVES SVOS poſuerit.

Non eſt ferendum. Mendum apertiſſimum. Vacat enim negatio, & ſententiam deprauat. Itaque in NVM nonnulli eam commutant, vt cum interrogandi nota legatur: quibus aſſentior.

Crimen aduerſariorum. Id eſt Criminatio. vt alibi frequentiſsimè.

Quid igitur eſt? Obſcurus mihi locus. neque equidem quemadmodum explicari poſsit, ſatis in- C telligo. niſi fortè ſic legamus. Non tamen eodem modo de omnibus. Et illa verba, Quid igitur eſt? aut poſt verbum PVGNAT reponamus, aut poſt Populus R. impoſuit.

Scelera omnia complexa eſſe videantur. Complexa præter conſuetudinem, in patiendi ſignificatione, vt Fateatur in Orat. contra Rullum, Hunc excipere nominatim, qui publicus eſſe fateatur. Experta, pro Balbo, Cuius igitur auditu virtus dubitatio- D ni locum non daret, huius præſens experta, atque perſpecta obtrectatorum voce lædetur?

Vultu ſæpe læditur pietas. Vultu importuno, qualis eſſe ſolet indignantium. nam vultus ſermo quidam tacitus mentis eſt: vt ſcripſit idem aliis locis quammultis. Huc autem pertinet illa Cleobuli apud Diogenem Laertium ſententia: πατέρα δεῖ αἰδεῖσθαι.

Vetus videlicet ſicarius. Vetus, peritus, exercitatus.

E *Ne in conuiuio quidem vllo interfuiſſe.* Romanorum in conuiuiis intemperantiam, cum ex aliis rebus permultis, tum vel maximè ex eo more intelligimus, quem Athenæus lib. δειπνοσοφ. δ. ex Nicolai Damaſceni hiſtoriis commemorat. Ῥωμαίους, inquit, ἱστορεῖ παρὰ τὸ δεῖπνον συμβάλλειν μονομαχίας, γράφων οὕτως, τὰς τῶν μονομάχων θέας οὐ μόνον ἐν πανηγύρεσι καὶ θεάτροις ἐποιοῦντο Ῥωμαῖοι, παρὰ Τυρρηνῶν παραλαβόντες τὸ ἔθος, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς ἑστιάσεσιν. ἐκάλουν γοῦν τινες πολλάκις ἐπὶ δεῖπνον τοὺς φίλους ἐπί τε ἄλλοις, καὶ ὅπως ἂν δύο ἢ τρία ζεύγη ἴδοιεν F μονομάχων, ὅτε καὶ κορεσθέντες δείπνου καὶ μέθης, εἰσεκάλουν τοὺς μονομάχους. καὶ ὁ μὲν ἅμα ἐσφάττετο, αὐτοὶ δ' ἐκρότουν ἐπὶ τούτῳ ἡδόμενοι. ἤδη δέ τις καὶ ταῖς διαθήκαις γέγραφε γυναῖκας εὐπρεπεστάτας μονομαχῆσαι, ἃς ἐκέκτητο· ἕτερος δὲ παῖδας ἀνήβους ἐρωμένους ἑαυτοῦ. ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἠνέσχετο ὁ δῆμος τὴν παρανομίαν ταύτην, ἀλλ' ἄκυρον τὴν διαθήκην ἐποίησεν. id eſt, Scribit Romanos inter cœnam gladiatorum pugnas edidiſſe, his verbis, Gladiatorum ſpectacula nõ G tantùm ludis, & in theatris Romani præbebãt, conſuetudine ex Tyrrhenis accepta, ſed etiam in conuiuiis. Amicos igitur quidam ſæpe ad cœnam inuitabant, cum aliis de cauſis, tum vt duo triáve paria gladiatorum ſpectarent. nam cùm cibo & potu ſatiati eſſent, gladiatores euocabant. Ac vnus aliquis interficiebatur, illi autem plauſu & voce volupta- A tem demonſtrabant. Quidam etiam teſtamento mulieres facie eximia, quarum dominus erat, pugnare iuſſit: alius etiam pueros impuberes, quos in deliciis atque amoribus habuerat. Sed populus hãc improbitatem non tulit, teſtamentáque reſcidit, atque irrita eſſe iuſſit. Hæc Athenæus. Vnde autem mos ille profectus ſit, licet ex hoc quem ſubſcribã Liuij loco in lib. IX. exiſtimare. Et Romani quidem ad honorem demum inſignibus armis hoſtium vſi ſunt, Campani ab ſuperbia & odio Samnitum gla- B diatores, (quod ſpectãdum inter epulas erat) eo ornatum armarunt.

Quæ vita maximè diſiuncta à cupiditate. Huc illud Menandri pertinet, ἀγροῖκος εἶναι προσποιῇ πονηρὸς ὤν. Quum ſis improbus, ruſticum te ſimulas. Item illud Catonis initio libri de re ruſtica. Et virum bonum Maiores noſtri cum laudabant, ita laudabant bonum agricolam, bonúmque colonum. Ampliſſimè laudari exiſtimabatur, qui ita laudabatur.

C *Diſiuncta à cupiditate.* Omnes veteres, Diſiuncta à cupiditate eſt. quod probo.

In vnico filio. Hoc pro cauſa dicitur, nam alter poſtea mortuus eſt, quàm hic in prædia relegatus.

Omnium conſtantiſsimus. Conſtantem hominem amenti opponit. nam vt ipſe ſcribit Tuſcul. III. qui moderatus eſt, & temperans, eum neceſſe eſt eſſe conſtantem. qui autem conſtans, quietum: qui quietus, perturbatione omni vacuum: ergo etiam amẽtia. In Orat. pro Q. Roſcio mobili opponit conſtã- D tiſſimum. Quem hominem? leuem? imò grauiſſimum. mobilem? imò conſtantiſsimum.

Tantummodo aleretur ad villam. Ad villam, in villa, vt veteres Grammatici interpretantur. Villa autem ex eo, vt ſcribit Varro, appellatur, quòd ab agro in eam conuehuntur fructus, & euehũtur, cùm veneunt. Sic in Piſonem, Deprehenſus cum ferro ad Senatum, pro in Senatu. Et Verr. III. Duo ſigna quæ ad impluuium ſtant, quæ multos annos ad valuas Iunonis Samiæ ſteterunt.

E *Vt commodis omnibus careret.* Et commodis, non dubito quin ſit reponendum. Reſpondet enim hoc habuiſſe Roſcium commodi, quòd certis fundis patre viuo frueretur: præterea non ad priorem, ſed ad proximam partem hoc referri intelligitur.

Vita attenta, Frugalis, parca.

Patre certo naſcere. Infamiam matris Erucij ſignificat. vt quum hic ipſe Metello nepoti quærenti ex ſe quis ei pater eſſet. ita reſpondit. Tibi, inquit, hoc reſponſum mater tua difficilius effecit. hoc ex A- F poph. 4. Plut.

Senex ille Cæcilianus. Inductus à Cæcilio, poeta comico.

Expreſſamq; imaginem noſtram vitæ quotidianæ. Noſtræ vitæ quotidianæ, plerique libri veteres. & ita ſine dubio corrigendum.

Quid cenſes hunc ipſum. Figura loquendi non peruulgata, Similem in libro de Oratore I. reperi, quã ſubſcribam. Quod ſi tibi tantum in nobis videtur eſſe, quibus etiamſi ingenium (vt tu putas) non ma- G ximè defuit, doctrina certè & otium, & hercule etiam ſtudium illud diſcendi acerrimum defuit: quid cenſes ſi ad alicuius ingenium vel par, vel maius illas, quæ ego non attigi, acceſſerint, qualem illum & quantum Oratorem futurum. Item in libro de Officiis II. Quid enim cenſemus ſuperiorem illum Dionyſium, quo cruciatu timoris angi ſolitum?

ſolitum? quid, Alexandrum, quo animo vixiſſe arbitramur? A Item in oratione contra Rullum II. Quid cenſetis eum iſti decemuiri, cum imperio, cum faſcibus, cum illa delecta finitorum iuuenum per orbem vagabuntur, quo tandem animo, quo periculo miſeras nationes futuras.

In iſto artificio callidiores, quàm hic in ſuo. Callidos ipſe libro III. de Nat. deorum, ſic interpretatur, quorum tanquam manus opere, ſic animus vſu concalluit. Callidior igitur, peritior, exercitatior. etenim non quaſi in vitio poſitum accipiendum eſt. B

Quum ab aratro arceſſebantur qui Conſules fierent. Verba ipſius ſubiiciam in Catone maiore, quæ hũc locum illuſtrant, In agris erant tum Senatores, id eſt, ſenes. ſiquidem L. Quinctio Cincinnato in agro aranti nuntiatum eſt, eum Dictatorem eſſe factum. Et paulò pòſt, A villa in Senatum arceſſebantur, & Curius, & cæteri ſenes. ex quo qui eos arceſſebant, Viatores nominati ſunt. Ac de hoc Attilio, & aliis præterea nonnullis apud Val. Max. libro IIII, capite De paupertate: Columellam initio libri I. de re C Ruſtica. De Lucio quidem Quinctio multa & lectu perquàm iucunda apud Dionyſium Hal. libro x. & Liuium libro III.

Quem neque in vrbe videret. Hoc valde probo, quanuis omnes libri diſſentiant. nam ſi illorum lectionem comprobemus, Qui neque in vrbe viueret, VOCATVRVS verbum quò referatur, non habebit. pro quo tamen ipſo valde placeret vt legeremus EVOCATVRVS. D

Et id erat certi accuſatoris officium. Certi, id eſt docti, & exercitati, & ſuum munus bene & ratione fungentis.

Vt amorem illum penitus inſitum eiiceret. Etenim, vt Paulus Iuriſconſultus ſapienter ſcribit, in l. vltima, D. de bon. damn. ratio naturalis, quaſi lex quædam tacita, liberis parentum hæreditatem addicit, velut ad debitam ſucceſſionem omnes vocando: propter quod & in iure ciuili ſuorum hæredum nomen eis inditum eſt, ac ne iudicio qui- E dem parentis, niſi meritis de cauſis, ſubmoueri ab ea ſucceſſione poſſunt. Idem ferè Plato lib. de Legibus XI.

Cogitabat. cui dixit? Hoc amplius omnes tum veteres, tum impreſſi libri, Cogitabat. Cogitabat? cui dixit? quod ſine cauſa reiicere non eſt noſtri pudoris.

Huiuſce pecunia. T. Roſcij Magni.

Legem Memmiam putares aliquid valere. Legem Memmiam Valerius etiam nominat lib. III, eaque F vetitum ſcribit, ne qui Reipub. cauſa abeſſent, eorum nomina in reos referrentur. De calumniatoribus etiam latam eſſe, hic locus demonſtrat. vt apud Martianum in l. 1. ad Senat. Turp. & Papinianum in l. Quæſitum, D. de teſtibus, non Rhemniam, ſed Memmiam potius legendum eſſe videatur. nam de Rhemniorum familia adhuc nos quidem nihil legiſſe meminimus.

Innocens ſi accuſatus ſit. Priori ſubeſt ius argumenti ex differentibus: hoc modo, non ſiquis ac- G cuſatus, continuo damnatur. nec continuo ſi quis accuſator eſt, continuo damnare poteſt, alterius enim eſt accuſare, alterius damnare. Secundum ex cauſa ſine qua non depromptum videtur. Damnari enim nemo niſi qui accuſatus ſit, poteſt. Vtilius eſt autem neminem accuſare, quam quemuis, hoc eſt, & nocentem & innocentem promiſcue damnari.

Anſeribus cibaria publicè locantur, & canes aluntur in Capitolio. De anſeribus, qui canibus dormientibus, Gallorum in Capitolium aſcenſum perſenſerunt, & clangore vigiles excitarunt, nota eſt hiſtoria ex Liuio, & Plutarcho De fortuna populi R. & in vita Camilli. Ob eam cauſam anſeribus cibaria Cenſores magiſtratum ineuntes locare ſolitos tradit idem Plutarchus in problematis. Sed de canibus non idem puto. eos enim tum dormiſſe, quũ anſeres vigilantes cuſtodes excitarunt, Plutarchus & Plinius itémque Columella teſtantur. Itaque Plutarchus in libro De fortuna P. R. canis in crucem ſublati ſignum in Capitolio poſitum tradit: anſeris autem in ſtrato pretioſo & ferculo reſidentis. Verba Plutarchi hæc ſunt, Πομπεύει δὲ μέχει νῦν ἐπὶ τῷ τότε συμπτώματι ἡ τύχη. κύων μὲν ἀνεσταυρωμένος, χὴν δὲ μάλα σεμνῶς ἐπὶ στρωμνῆς πολυτελοῦς, καὶ φορείου καθήμενος. Plinius autem libro x. Eſt, inquit, & anſeri vigil cura, Capitolio teſtata defenſo, per id tempus canum ſilẽtio proditis rebus. Quamobrem cibaria anſerum Cenſores in primis locant. Idem libro XXIX, Eadem de cauſa ſupplicia annua canes pendunt, inter ædem Iuuentutis & Summani, viui in furcas ſambucea arbore fixi. Lucretius,

Romulidarum arcis ſeruator candidus anſer.

Columella lib. 8. Nam clangore prodit inſidiantem, ſicut etiam memoria tradidit, in obſidione Capitolij: quum aduentu Gallorum vociferatus eſt, canibus ſilentibus Virg. Æneid. VIII.

Atque hic auratis volitans argenteus anſer.
Porticibus, Gallos in limine adeſſe canebat.

Aliquem commiſiſſe. Sic omnes libri, quorum tamen in aliquo, ſi,

Aliquid aliquem commiſiſſe alias reperiſſem, lubenter eam ſcripturam cum hac vulgata commutarem.

Literam illam, cui vos vſque eò inimici eſtis. Obſcurus locus. ſed (vt opinor) ſic elicietur ſenſus. Moris erat præter eas literas quæ ad rei abſolutionem vel condemnationem, aut ad iudicij ampliationem, pertinebant (quæ literæ notæ ſunt omnibus, mediocriter quidem eruditis) etiam alias Iudicibus dare, quæ ad accuſatorem vel calumniæ vel præuaricationis damnandum pertinerent. De præuaricatione argumentum eſt apertiſſimum in Partit. vbi præuaricationem defenſor docet eſſe tantummodo accuſatoris corruptelam ab reo, argumento ex conſequentibus: quòd ea litera de accuſatore, ſoleat dari Iudici. Ex quibus verbis dari ſolere Iudicibus literam quæ accuſatorem notaret, & item alteram quæ præuaricationem factam ſignificaret, facilè intellectu eſt. De calumnia verò teſtimonio eſt hic locus. Literam verò A, quæ accuſatorem: P, quæ præuaricatum: C. verò quæ calumniatum ſignificaret, dari ſolitam, ex illo Partitionum loco coniecturam facimus. Nam ſublata etiam conſuetudine ſententiam per tabellam ferendi, hunc tamen morem fuiſſe vt Iudex voce pronũtiaret CALVMNIATVS ES, Martianus teſtatur in l. 1, D. ad S.C. Turpil. Alij hanc literam ita interpretati ſunt, vt θ Græcum ſignificari putarent, quæ prima eſt litera verbi θάνατος. quaſi verò aut Græca litera Romani in iudiciis vterentur, aut qui calumniæ damnabantur, mortis pœnam ſubirent. Hæc tamen Eraſmus ſe ex Aſconio in ſuum magnum volumen conieciſſe affirmat: quem alij ſine vlla dubitatione auctorem ſequuti ſunt. Sed de Eraſmo dicetur ſuo loco. Noſtram qui-

dem coniecturam locus in Epiſtola M. Cælij ad M. Tullium confirmat, Scito, inquit, C. Sempronium Rufum, rufum mel ac delicias tuas, calumniam maximo plauſu tuliſſe. & quæ poſtea ſubſcribit. Siquis autem eas tantum notas de quibus ſcribit Aſconius dari Iudicibus ſolitas exiſtimet, is intelligat, iudiciis noua lege conſtitutis, tabellas quoque eas dari conſueuiſſe, quæ ad eam legem & quæſtionem accommodatæ eſſent. cuius rei cum alia multa teſtimonio eſſe poſſunt, tum illud in primis quod ex Cæſaris libro de Bello ciuili III, huc adſcribemus, L. Domitius in concilio dixit, placere ſibi bello confecto ternas tabellas dari ad iudicandum de iis qui ordinis eſſent Senatorij, bellóque vnà cum ipſis non interfuiſſent: ſententiáſque de ſingulis ferrent qui Romæ remanſiſſent, quique intra præſidia Pompeij fuiſſent, neque operam in re militari præſtitiſſent. Vnam fore tabellam, qui liberandos omni periculo cenſerent: alteram, qui capitis damnarent: tertiam, qui pecuniam multarent.

Vt etiam eas omnes. Omnes ad vnum libri veteres, Vt etiam calumniis. Ego, Vt etiã alias omnes. Quũ enim literæ illi quæ calumniæ nota atque ſignificatio eſt, ob eam cauſam inimicos eſſe dicat iſtos accuſatores improbos, quòd vehementer, ne ab Iudicibus in vrnam conſtituatur, metuant, eandem quoque aliarum odij cauſam eſſe intelligẽdum eſt: vt ſenſus hic ſit, Vſque eò metuunt ne literam illam conſtituant, vt quoties literas ferri atque conſtitui vident, conſcientia calumniæ cohorreant, ac reformident.

Ad caput affigent. Simili tranſlatione dicitur, vt illud, Notam vel ignominiam inurere. Vtrunque autem à Barbarorum conſuetudine transfertur, qui notas, quas Græci στίγματα appellant: certorum hominum frontibus inurebant.

In hiſce ſubſelliis ſederent. In ſubſelliis defenſoris, quæ à læua Prætoris conſtituebantur.

Negligentiam eius in accuſando conſiderare. Hinc illud Ciceronis in M. Callidium: qui quum peſtem capitis ſui, quum indicia mortis ſe comperiſſe manifeſtò, & manu tenere diceret, ſolutè tamen egerat, ac leniter & oſcitanter, Tu iſtuc M. Callidi niſi fingeres, ſic ageres? & multa in hanc ſententiam, quæ ex Bruto cognoſces.

Cauſam publicam nullam dixerim. Idem ſcribit in lib. De clar. Orat. Cauſarum autem aliæ publicæ dicuntur, aliæ priuatæ, quomodo etiam publica & priuata iudicia: de quibus hoc loco breuiter explicandum eſt. nam cauſæ quidem quæ ſint publicæ, alij multis locis indicarunt: ſed vim cauſámque huius appellationis nemo adhuc, quod ſciam, commodè demonſtrauit. Quum autem docendi melior, meo iudicio, ratio nulla ſit, quàm ex contrariorum contentione atque comparatione: conſtet autẽ cauſas priuatas à Cicerone innumeris locis cauſas rei priuatæ nominari (vt Ver. II. & libro de Nat. deorum III, & in Bruto) erit opinor, nemini dubium quin cauſæ publicæ etiam eæ dicantur quæ ſunt Reipub. Hoc autem ita interpretor, vt cauſæ Reipub. dicantur quum Reſpublica læſa eſt: priuatæ, quum priuatim aliquis ex ciuibus, ſiue ille priuatus ſit, ſiue magiſtratus. Sed quæritur quibus delictis, & quando lædi Reſpub. dicatur an ſimulatque lex aliqua violata eſt: vt ſi quis furtum commiſerit, aut pupillum, ſociúmve fraudarit? nequaquam alioqui enim publicæ omnes cauſæ dicerentur: quum ſcilicet lędi nemo, iniuriáque affici, niſi contra leges poſſit.

A Sed quum Reipub. res populi dicatur, in populi autem arbitrio ac voluntate ſitum ſit, quo in quodque peccatum modo animatus eſſe velit, cauſæ (iudicio meo) populi dictæ ſunt eorum criminum, quæ ipſe grauiora iudicauit, quibúſque lædi ſe exiſtimari voluit. veluti veneni, ſicæ, inceſtus, adulterij. offendi enim his peccatis non eum duntaxat qui hac iniuria affectus eſt, ſed etiam ſe vniuerſum, lege lata demonſtrauit. Quorum igitur maleficiorum B populus cauſam ſuſcepit, eorum cauſæ vel Reipublicæ, vel publicæ cauſæ appellatæ ſunt. Quas autem ſuſcipiat, in eius, vt dixi, arbitrio ac poteſtate ſitum eſt. Itaque non modò peculatus, aut repetundarum, & ſimilia crimina, ſi populus volet, publica nominabuntur, eorúmque quæſtiones cauſæ publicæ, verumetiam furti, rapinæ, damni iniuria dati, iniuriæ: & omnia denique quæ non ſua ſponte, ſed prudentium interpretatione maleficia C nominantur. quod ex lege Lectoria planè intelligitur, quæ aduerſus eos lata eſt qui minorem circumueniſſent. ſiquidem lege lata, ea cauſa quæ priuata antea ſemper fuerat, publica facta eſt. Cicero de Nat. deorum III, Inde, inquit, iudicium publicum rei priuatæ, lege Lectoria. Rei priuatæ, id eſt quæ antea ſemper priuata fuerat. Atque hæc quidem de cauſis priuatis & publicis dicta ſint. Sequitur vt de iudiciis exponamus: in quibus etiam præceptum de contrariorum contentione D adhiberi volumus. Priuata autem iudica ex eo dicta eſſe arbitror, quod ferè priuatim & inter priuatos parietes diſceptarentur. vt patet ex Ora. pro Cæcina, vbi ſic ſcribit, Perſæpe diſceptatore domeſtico diiudicantur. Conſtat etiam ex iis quæ in Oratione pro Quinctio diximus. Res autem ex eo quod plerunque fit nominari, nemini ignotum eſt. Publica ergo iudicia dicentur quæ in publico exercentur. ſicuti conſtat iudicia publica Romę plurimum in foro, & ſub dio exerceri E ſolita. quod ita ſcilicet accipi volumus, quum Iudicij nomine cognitionem ipſam & quæſtionem Iudicum intelligimus. nam ſi Iudicium Cauſam interpretemur eandem eſſe quam de Cauſa dicimus, notionem ac ſententiam intelligi volumus. Vtcunque autem ſeſe res habeat, falſam certè eſſe apparet Iuſtiniani ſententiam, qui iudicia publica ex eo dicta putauit quòd cuiuis de populo agere liceret. Non enim publica ſunt, aut dicuntur, quòd cuiuis de populo liceat agere: ſed contrà, quia F cauſæ publicæ ſunt, id eſt, quia quiuis de populo læſus eſt, quia cuilibet de populo iniuria facta eſt, quia denique cuncta Reſpublica læſa eſt: propterea licet cuiuis de populo, quaſi pro ſua virili parte, ſuam Reſque publicæ iniuriam perſequi. Etenim ob eam cauſam vnicuique accuſandi poteſtas permiſſa eſt, quòd ad vniuſcuiuſque ſingulatim, & publice ad vniuerſum populum ea pertinet iniuria. Præterea ſi ob eam cauſam Publica iudicia dicerentur, quòd cuiuis liceret agere, Populares quoque G actiones Publica iudicia vocari poſſent. quo nihil dici poteſt abſurdius. Porrò autem iudicia publica non ideo dici quòd illorum criminum quæſtio quodammodo ad populum pertineat, & Magiſtratus quaſi pupuli vicarius de iis cognoſcat, duabus de cauſis intelligitur: primùm, ex contrarij contentione. alioqui enim priuata dicerentur, quòd ea priuati exercerent: quod abſurdum eſt.

quaſi

A quaſi verò non etiam Prætores ipſi, & Triumuiri capitales, & Ædiles, & Quæſtores de quibuſdam cauſis cognoſcerent: aut dubium ſit quin cauſæ priuatæ, quia rei priuatæ ac pecuniariæ ſunt, ita etiam appellētur. Deinde quis ignorat populum omnium legum cuſtodem ac vindicem eſſe, Prætorémque eum etiam qui iure dicundo præeſt, à Populo R. quaſi vicarium in imperio & poteſtate collocatum eſſe, & ipſius nomine atque imperio ius in priuatis cauſis dicere? Sed quorum iudiciorum quæſtio propriè ad populum pertinere dicatur, explicabimus in B Orat. Verrina III. Nunc Platonis locum ſubiiciemus ex libro de Legibus VI, qui noſtram ſententiam de Priuatis Publicíſque iudiciis apertè confirmat, Δύο δ' ἔ τῶν λοιπῶν ἔςω κριτήρια· τὸ μὲν ὅταν τις τινὰ ἰδιώτην ἰδιώτης ἐπαιτιώμενος ἀδικεῖν αὐτὸν, ἄγων εἰς δίκην, βούλεται διακριθῆναι. τὸ δ' ὁπόταν τὸ δημόσιον ὑπό τινος τῶν πολιτῶν ἡγῆταί τις ἀδικεῖσθαι, καὶ βουληθῇ τῷ κοινῷ βοηθεῖν. Id eſt, Cæterarum rerum duo iudicia ſunto. Alterum, quum quis priuatus C à priuato quopiam iniuria ſe affectum queritur eúmque in ius ducens, de ea re diſceptari poſtulat. alterum, quum Rempublicam à quopiam ciuium læſam eſſe aliquis exiſtimat, & vult Reipub. perſequi iniuriam. In eandem ſententiam Demoſthenes Κατὰ μειδίου. πάνθ' ὅσα τις βιαζόμενος πράττει κοινὰ ἀδικήματα, καὶ κατὰ τῶν ἔξω τοῦ πράγματος ὄντων ᾠήθη εἶναι ὁ νομοθέτης. Quæcunque quis vi feciſſet, communia peccata eſſe: etiam ad eos qui extra negotium eſſent exiſtimauit legiſlator. Legiſlator vim D factam non ad eum tantum, cui iniuria facta eſt pertinere verùm eorum etiam commune eſſe, qui læſi non ſint. Et paulo poſt τὴν γὰρ πόλιν ἡγεῖτο ἀδικεῖν, οὐ τὸν παθόντα μόνον τὸν ὑβρίζειν ἐπιχειροῦντα quod exiſtimaret, eum qui iniuriam facere inſtitueret non ei tantum quem læderet, ſed etiam vniuerſæ ciuitati iniuriam facere.

Reſideret, deinde ſpatiaretur. Etenim æquo in loco cauſas Oratores dicebant, & interdum inambulabant, in ſpatio ſcilicet quod inter aduocatorum E ſubſellia relinquebatur. quod cum ex hoc loco, tum ex illis Quintiliani verbis intelligitur, quæ ſubiiciam, Conueniens etiam ambulatio quædam propter immodicas laudationum moras: quanquam Cicero rarum inceſſum, neque ita longum probat. Et paulo pòſt, Ambulantem loqui ita demum oportet in cauſis publicis, in quibus multi ſunt Iudices, ſi quod dicimus, quaſi ſingulis inculcare peculiariter velimus. Hoc tamen poſtea ſublatum, queritur Cornelius Tacitus in dialogo de Oratore, his F verbis, Quantum virium detraxiſſe orationi audito ria & tabularia credimus, in quibus iam ferè plurimæ cauſæ explicantur? nam, quo modo nobiles equos curſus & ſpatia probant, ſic latus Oratorum campus, per quem niſi liberi & ſoluti ferantur, debilitatur & frangitur eloquentia.

Nonnunquam etiam puerum vocaret. Quintilianus eodem capite, Vnde moueor vt neid quidem tranſeam ineptiſſimè fieri, quum inter moras laudationum, aut in aurem alicuius loquuntur, aut cum G ſodalibus iocantur, aut nonnunquam ad librarios ſuos ita reſpiciunt, vt ſportulam dictare videntur.

Reſpirare viſus eſt. Cùm antea metu, ne quis alius diceret animam retineret.

Alias res agere. Agere vetuſte pro attendere, animaduertere. Hinc illa vox præmiſſa in ſacrificiis: Hoc age: & apud Plautum frequentiſſime. Ergo ex A contrario alias res agere dicuntur, qui non attendunt.

Chryſogono nunciaui. Aberat igitur ab hoc iudicio Chryſogonus quod propter perorationem hoc loco notandum fuit.

Gratiam potentiámque eius. Gratia rationem habet cum potentioribus: potentia cum inferioribus. Ergo gratiam, apud Syllam qui tum rerum potiebatur: Potentia, apud iudices huiuſce conſilij.

Reſtitue nobis veterem i.i.c.a. prudentiam: confitere B huc ea ſpe veniſſe. Obſcurus mihi locus, niſi AVT diſiunctiua particula interponatur: vt ſit, Aut confitere. Senſus erit ſic apertus, Vtere nunc vetere illa tua calliditate oratoria: refer priſtinam illam tuam prudentiam, qua in quamuis mala cauſa, tamen aliquid commodè fingebas. aut ſi id non potes, confitere. & quæ ſequuntur. Legendum tamen putarem Confitere te, &c.

Latrocinium non iudicium. Quaſi indicta & incognita cauſa Sex. Roſcius damnaretur.

C *Inter ſe congruere.* Conſentire, nulla ex parte repugnare.

Tamen non temerè creditur. Suetonius in Auguſto ſcribit, nonniſi confeſſos parricidarum ſupplicio affici moris fuiſſe. Dixit, inquit, ius non diligentia modò ſumma, ſed & lenitate. ſiquidem manifeſti parricidij reum, ne culeo inſueretur, quòd nonniſi confeſſi afficiebantur hac pœna, ita fertur interrogaſſe, Certè patrem tuum non occidiſti.

D *Expreſſa ſceleris veſtigia.* Id eſt notæ & argumenta certa, quæ Iudices in coniectura faciendâ ſequuntur.

T. Clælium quendam Terracinenſem. T. Cœlium reperio ſcriptum apud Valerium Max. & Cœlios fratres, vbi hanc ipſam hiſtoriam exponit. Hoc amplius, Tarracinenſem. quo modo ſine dubio corrigendum hoc loco eſt. Eſt enim Tarracina, vt Plinius ſcribit, oppidum Volſcorum, quorum lingua Anxur nominatur.

E *Id ætatis autem duo filij.* Græca locutio quam alibi quoque notauimus pro eius ætatis.

Somnum ſtatim capere potuiſſe. Potuiſſet, alij plerique. quod probo.

Quos nobis poetæ tradiderunt. Oreſtem & Alcmæonem. notæ ſunt fabulæ.

Ne pij quidem. Deorum iuſſis atque oraculis parere.

Nolite enim putare Iudices. Sumptum videtur ex Æſchinis oratione contra Timarchum. cuius hæc F ſunt verba, Μὴ γὰρ οἴεσθε, ὦ Ἀθηναῖοι, τὰς τῶν ἀδικημάτων ἀρχὰς ἀπὸ θεῶν, ἀλλ' οὐχ ὑπ' ἀνθρώπων ἀσελγείας γίνεσθαι· μηδὲ τοὺς ἠσεβηκότας, καθάπερ ἐν ταῖς τραγῳδίαις ποινὰς ἐλαύνειν, καὶ κολάζειν δᾳσὶν ἡμμέναις. ἀλλ' αἱ προπετεῖς τοῦ σώματος ἡδοναὶ καὶ τὸ μηδὲν ἱκανὸν ἡγεῖσθαι ταῦτα πληροῖ τὰ λῃστήρια, Id eſt, Nolite enim putare, Athenienſes, ſcelerum principia ex diis, non ex hominũ intemperantia proficiſci. neque eos, qui aliquid impiè ſceleratéque commiſerint, (quemad- G modum in fabulis) à furiis agitari, cruciaríque tedis ardentibus: ſed corporis effrenatæ libidines, inexplebiléſque cupiditates, ea latrocinia direptionéſque perficiunt. In eandem rationem noſter lib. I. de Legibus ſic ſcribit, At verò ſcelerum in homines, atque impietatum nulla expiatio eſt. Itaque pœnas luunt non tam iudiciis, vt eos agitant inſectantúrque furiæ, non ardentibus tedis, ſicut in fabulis, ſed angore conſcientiæ, fraudiſque cruciatu. Similis

etiam ſententia extat in Orat. in Piſonem.

In fabulis. In Tragœdiis. Fabularum enim nomi ne Latini & Tragœdias & Comœdias appellant.

Niſi penè manifeſtum parricidium proferatur. Dixi modò ex Auguſtu Suetonij, nonniſi confeſſos hac pœna affici moris fuiſſe.

Dum ea rerum potita eſt. De Athenienſium imperio cognoſce ex commentariis in Orat. pro L. Manilia.

B

Cum interrogaretur cur nullum. Sic Laertius ἐρωτηθεὶς διὰ τί κατὰ πατροκτόνου νόμον οὐκ ἔθηκε, διὰ τὸ ἀπελπίσαι ἔφη. id eſt: Interrogatus cur legem de parricidis nullam ſanxiſſet, reſpondit ſe id neminem facturum putaſſe. Plutarchus autem in vita Romuli ſic ſcribit: ἴδιον δὲ τὸ μηδεμίαν δίκην κατὰ πατροκτόνων ὁρίσαντα πᾶσαν ἀνδροφονίαν, πατροκτονίαν, προσειπεῖν. ὡς τούτου μὲν ὄντος ἐναγοῦς, ἐκείνου δὲ ἀδυνάτου. καὶ μέχρι χρόνων πολλῶν ἔδοξεν, ὀρθῶς ἀπογνῶναι τὴν τοιαύτην ἀδικίαν. οὐδεὶς γὰρ ἔδρασε, τοιοῦτον οὐδὲν ἐν Ῥώμῃ σχεδὸν, ἐτῶν ἑξακοσίων διαγενομένων. ἀλλὰ πρῶτος μετὰ τὸν ἀννιβιακὸν πόλεμον, ἱστορεῖται Λεύκιος ὅστιος πατροκτόνος γενέσθαι. Id eſt: Eius illud quoque proprium fuit, quod cum nullum ſupplicium conſtituiſſet, in eos qui parentes necaſſent, homicidium omne parricidium appellauit, quaſi illud ſceleratum ac nefarium eſſet, hoc vero à nemine vnquam fieret.

C

Cœlum ſolem. E quatuor elementis aerem, cœlum: ignem, ſolem: quòd hæ voces magis ad rem accommodatæ viderentur, appellauit.

D

Non tam prohibere, quam admonere. Sic in oratione pro domo: Neque erat cauſa cur prohibendo nõ tam deterrere videretur, quàm admonere.

Maleficio ſummouerentur. Mirè dixit, ſummouere maleficio, pro arcere & deterrere.

Noluerunt feris corpus. Mirum eſt autem, nullam hoc loco de cane, gallo gallinaceo, vipera & ſimia mentionem fieri. cum tamen Paulus in l. 9. D. de parricid. ſcribat, more maiorum in parricidas eam conſtitutam pœnam fuiſſe. Sed credendum eſt Tribonianum ea de ſuo, ſumpta ex Conſtantini lege, appoſuiſſe.

E

Delati eſſent in mare. A flumine, in quod coniecti fuiſſent.

Ipſum polluerent, quo cætera quæ violata ſunt, expiari putantur. Euſtathius lib. Iliad. α, in illum Homeri verſum, οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο, καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον, ſic ſcribit: διὰ τί δὲ εἰς τὴν ἅλα, ἢ πάντως διὰ τὸ φύσει ῥυπτικὸν εἶναι τὸ τῆς θαλάσσης ὕδωρ. εἰς τὴν ἀπείραντον οὖν φασὶ τὰ ἀπολύματα ἔβαλλον, διὸ καὶ παροιμία φησὶ, θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακὰ, ἣ παρ' Εὐριπίδῃ κεῖται, hoc eſt, Quid ita autem in mare? an omnino, quòd aqua maris natura abſtergendi vim habet? Prouerbium autem eſt in Iphigenia Taurica: ortúmque ex eo euentu putatur, quem Diogenes Laertius commemorat, Platonem quum in Ægyptum proficiſceretur, comitem ſibi Euripidem adiunxiſſe. quem quum morbo affectũ ſacerdotes Ægyptij in mare merſiſſent, atque ita ſanaſſent, hunc verſum conſcripſiſſe, quem poſtea Iphigeniæ attribuit, θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά, Mare proluit omnia mortalium mala.

F

G

Etenim quid eſt tam commune. Hunc locum ſummis à populo R. clamoribus ac laudationibus exceptum ſcribit ipſe in Oratore ad Brutum, vbi etiã hoc adſcribit, aliquanto pòſt ſentire ſe cœpiſſe,

A

quàm hæc ſcripſiſſet, nequaquam hæc ſatis deferbuiſſe. Sunt enim omnia, inquit, ſicut adoleſcentis, non tam re & maturitate, quàm ſpecie & expectatione laudati. Morem fuiſſe populi, dum cauſæ ab Oratoribus dicerentur, ſiquid inſigniter dictum videretur, & ſtrepitu & clamore teſtimonium dare. ſibi ea quæ dicerentur vehementer probari, cum ex ipſius Ciceronis Orationibus pluribus intelligitur, tum ex eo Quintiliani loco quem antè protuli ex lib. Inſtitutionum xI.

Vt eorum oſſa terra non tangat. In Oratore, Terram non tangant: quæ mihi probabilior lectio videtur.

Nunquam abluantur. Alluantur, in eodem libro: & ſic emenda.

Eſto. Particula, qua frequentiſſimè vtitur in hac ſententia, Vt hoc tibi concedam & largiar. In eadem re eodem eius Demoſthenes & Æſchines crebro vſurpant, vt alibi oſtendimus.

Ita quæro abs te C. Eruci quomodo. Locum ſic interpungendum putarem Ita, ita quæro abs C. Eruci quomodo? quod ſententiam planiſſimè declarat.

Si per alios feciſſe dicis. Argumentum ex partium enumeratione. Omnes enim quorum opera interfici Roſcius potuerit, ab reo ſic remouet, vt omnis criminis ſuſpicio in T. Roſcium deriuetur.

Pretium dedit pretium dixit, pro Mercedem. Nã hæc propria locatio fuit: niſi potius ad redemptionis conſuetudinem reſpexit.

His veſtigiis ad caput maleficij. Tranſlatum à venatoribus: qui feratum veſtigiis perſequendis tandẽ ad earum latebras perueniunt. Caput tamen pro fonte & auctore poſuit.

Luxuries ueatur. Propter vrbis celebritatem, Vbi autem ſolitudo eſt, neque conuiuia, agitantur, neque alij ciuſdem generis ſumptus fiunt. Obſeruanda eſt etiam verborum copia, luxuries naſcitur, creatur, exiſtit, erumpit, gignitur.

Quam tu agreſtem vocas. Contumelioſius igitur Agreſtem, quam Ruſticam. nimirum quia rura culta ſunt: & vbi cultura, ibi, hominum frequentia eſt: vnde vita conſuetudine fit humanior. At agri extra iura deſerti & inculti, in quibus ſolæ feræ degunt. Atque illud eſt, quod mox infert: Is homo (vt tute dicis) nunquam inter homines fuerit.

Et tamen, cauſa de parricidio dicitur. Mire dixit, pro tamen dubitatur an Roſcius parricidium commiſerit. Nam dubitatur de iis quæ ambigua ſunt & quæ aliquam vtraque ex parte ſimilitudinem habent.

Ex tanta familia. Ex tam multis ſeruis. Nam (vt ipſe ait in Orat. pro Cæcina) familia eſt ſeruorum multitudo.

Vt ſeruos in quæſtionem polliceatur. Moris fuit vt qui reus alicuius criminis argueretur, ſeruos ſuos in quæſtionem daret: in caput autem ipſius nunquam niſi eo petente ac poſtulante quærerent. Eódem illud reſpicit quod ipſe ſcribit in Partitionibus, Multi etiam ſuam vitam neglexerunt, vt eos qui his chariores quàm ipſi ſibi eſſent, liberarent. Et eodẽ rurſus libro, De noſtrorum etiam prudentiſſimorum hominum inſtitutis, qui de ſeruis in dominos quæri noluerunt.

O Scipio, te Metelle. Magis crederem hos iudices eſſe, quàm aduocatos Roſcij: ſcilicet, quæ ante conſtitutum iudicium operam ſuam in controuer-ſia

ſu ſedanda poſuerint.

In cade atque ex cade. Hoc illud eſt quod poſtea dicet Qui omni tempore in præda & ſanguine verſabantur.

Eiuſmodi tempus erat, inquit, vt homines impunè occiderentur. Significat tempus Syllanarum proſcriptionum: quibus, vt dixi, præmium erat percuſſoribus publicè propoſitum.

Vna mercede duas res aſſequi velle. Tranſlatè dictum, pro vna eademque opera, quam quaſi mercedis loco perſoluis, ac ſi diceret, vnius accuſationis labore. Neque enim adduci poſſum vt putem eam mercedem ſignificari, quam illi à Chryſogono perſolutam eſſe ſcribit: quem & ſenſus foret ineptiſſimus, & laudi potius quàm vitio duci oporteret, ſi pro vna mercede quam acciperet, duplicem laborem ſumeret.

Nos iudicio perfundere. Perfundi propriè dicimur liquoribus, vt ille Philodamus, qui à Rubrio aqua calida perfuſus dicitur, Ver. 111. Eleganter autem ad animum trãsfertur: vt quum dicimus Perfundi voluptate, ſuauitate, mœſtitia. Cicero ad Atticum, Dii immortales, quis me horror perfudit? Qua figura dictum puto Iudicio perfundere, pro Metu & formidine perfundere, qua, qui in iudicium vocati ſunt, afficiuntur. Senſus eſt enim, Quum interfectum dicas Roſcium à ſicariis, reuera Titos Roſcios accuſas, ſicarios, & gladiatores certiſſimos, quum tamen in iudicium nos vocaris, & nomen noſtrum detuleris. Ita vna opera vnius accuſationis, duas res aſſequeris nam & metu iudicij nos afficis, & illos tamen accuſas.

Te à ſectoribus huc adductum. Qui ſint Sectores declarat Aſconius his verbis, Sectorem autem dicit æſtimatorem redemptoremque bonorum damnati atque proſcripti, qui ſpem lucri ſui ſequutus, bona condemnatorum ſemel auctionatur. Ex quibus verbis Sectores ab antiquo verbo Secare, quod ſequi ſignificat, dictos eſſe apparet. quo verbo vſus eſt, teſte Seruio, Vergilius, lib. Æneidos x, Quæcunque eſt fortuna hodie, quam quiſque ſecat ſpẽ. Ex quo verbo ſine dubio declinata hæc quoque ſunt, Secta, & Sector, & Sectio: vt Sectores nomen ex eo reperiſſe videantur, quòd iudicia & reos ſectarentur, quorum damnatorum bona auctione coemerent. Nam quod proximè dicit, eoſdem fuiſſe ſectores collorum & bonorum: ludit ancipiti ſignificatione vocabuli: vt in ſimilibus locis innumeris. Et alludit ad Secutores, quod fuit gladiatorum genus, qui iidem & Myrmillones dicebantur. Sueton. Calig. Retiarij quinque totidem ſenatoribus ſuccubuerant.

Quid poſtea? Poſtea pro præterea. vt in Ora. pro Cæcina, infra Poſtea cur Ebuti de iſto potius fundo, quàm de alio Cæcinæ denuntiabas? Plautus in Mercatore,

Neſcio quid animo meo ægrè eſt pater:
Poſtea nocte hac quieui non ſatis ex ſententia.

Neque ad eum qui cauſam dicit. Hoc dicitur ad tempus. Nam (vt Aſconius ſcribit) pleraque crimina ex anteacta vita ſæpe firmantur. omnis enim cõfirmatio ab attributis perſonæ & negotij ſumi ſolet. Ergo attributa perſonæ maximè in anteacta vita quæri ſolent, negotij, in ipſo crimine.

Venio nunc Erucium. Tranſeo ad ſecundum petitionis caput: vbi de Roſciorum audacia ſe dicturum propoſuit.

A *Accuſarem alios potius, ex quibus poſſem creſcere.* Nam qui nobili aliqua accuſatione quempiam dãnabant, laudem eloquentiæ, ingenij, induſtriæ, probitatis apud populum conſequebantur: quæ via erat ad honores & Remp. certiſſima: vt libro de Off. 11, & in Diuinatione.

Iſtic ſedes. In accuſationis ſubſelliis.

Alias quoque ſuas palmas cognoſcet. Palmæ gladiatoribus victoribus in victoriæ ſignum dari ſolebant. Cædes igitur ab iſto factas complures ſignifi-
B cat. Vide ſupra.

L. Caſſius ille. De hoc ipſo Caſſio vide Aſconium in Milonianam. Valerius Maximus lib. 111, eius tribunal propter nimiam ſeueritatem, Scopulum reorum appellari ſolitum, memoriæ tradidit.

Hunc Quæſitorem ac iudicem fugiebant. Quæſitor in publicis cauſis, Prætor is dicitur qui iudicio præeſt, deriuata ex eo appellatione, quòd qui accuſatur, nocens ſit, an innocens, cum conſilio quærit, id eſt cognoſcit.

C *Quàm implicatus ad ſeueritatem.* Implicatum dixit, quaſi ſeueritate præpeditum quo minus liberè ac facilè miſericordia vteretur. Nonnulli autem inclinatus repoſuerunt: quod mei libri manuſcripti repudiant videturque à Ciceronis conſuetudine paulo alienius.

Huic quæſtioni & contra. Huic quæſtioni vir & contra omnes alij libri: & ſic emenda. Significat autem M. Fannium Prætorem huius quæſtionis.

D *Ab innocentia clementiſſimus.* Id eſt in cauſa innocentium vel ex ea parte qua innocentiam perſpicit. Similis locutio lib de Orat. 1. Sed vide ne hoc Scæuola totum ſit à me. Et Tuſcul. 11, Quid enim dicãt; & quid ſentiant hi qui ſunt ab ea diſciplina, nemo ignorat. Sic in Bruto, Stare à Senatu, & à bonorum cauſa, quod Græci dicerent πρὸς συγκλήτῳ.

Iudice quærente. Iudicem, vt opinor quæſtionis ſignificat: de quo ſuperius diximus.

Sed eà perſpicuum crimen. Hoc quid ſit, non intel-
E ligo. Mihi corrigendum videtur, Sed & perſpicuum. Et ſenſus eſt planiſſimus. Potius crimen adiungeſet ad prædam, quàm ad egeſtatem.

Vt hoc dubitemus. Dubitemus, cogitemus, conſideremus. Virgil. 1x. Æneid-percipe porrò Quid dubitem, & quæ nunc animo ſententia ſurgit. Id eſt, cogitem, inquit Seruius. omnis enim cogitatio in dubitatione eſt ante ſententiam.

Quæſtum noſſet nullum fructum autem eum ſolum quem labore peperiſſet. Quæſtum & Fructum ita di-
F ſtinguere videtur, vt quæſtus pecuniæ ſit, & mercium: fructus verò agrorum. Sic lib. Tuſc. 1v. nam vt quæſtuoſa mercatura fructuoſa aratio dicitur, non ſi altera ſemper omni damno, altera omnis, calamitatis ſemper vacet, &c. Vlpianus ſimiliter & Paulus l. 7. & aliquot in ſequentibus, D. Pro ſocio: quæſtum eſſe ſtatuunt, qui ex opera & induſtria cuiuſque obuenit.

Propter fori inſolentiam. Inſolens: Inſolitus. Te-
G rentius, Quid tu Athenas inſolens? Cicero Moueor etiam loci inſolentia. contrarium eſt conſuetudini.

Propter multitudinem. Vt ſim vnus ex multis: quẽ πολλοστὸν à Græcis nominari alio loco docuimus.

Te pugna Cannenſis accuſatorem ſat bonum. Æmylius Paulus, Terentius Varro c o s s. victi ſunt ab Annibale memorabili prælio ad Cannas commiſſo. Quadraginta millia peditum, duo millia

ſeptingenti Equites, & tanta propè ciuium ſociorúmque pars cæſi dicuntur. in his Conſul Æmylius, Quæſtores duo, XXI. Tribuni mil. Conſulares quidam, Prætoriſque & Ædilitij. Hæc ex Polybij lib. III, & Liuij XXII. Ergo hæc ἀλληγορικῶς à Tullio dicuntur, & ſignificant maximam eorum cædem eſſe factam qui accuſare conſueuerant. Nam vt poſtea demonſtrat, proſcriptione Syllana, qui ciuium bona diripiebant, accuſatores etiam ſuſtulerant, ne ab iis poſtea in iudicium vocarentur. Et magnum interfectorum numerum fuiſſe oſtendit, cùm eam cædem cum clade Cannenſi comparat. Senſus eſt igitur, Ego quia multi patroni appellantur, fortaſſe in eorum grege annumerabor: tibi quia accuſatores præter te nulli ſunt, fortaſſe hoc nomen imponetur, & ſat bonus accuſator eſſe videbere. Hæc cùm iampridem ſcripſiſſem, poſtea in Arnobij Quinctio aduerſus gentes, locum hunc obſeruaui. Nunquid bellum Iliacum in Socraticam verti condemnationem poteſt? aut pugna illa Cannenſis proſcriptio fieri, crudelitáſque Syllana? poteſt quidem proſcriptio (quemadmodum Tullius ludit) pugna dici, appellarique Cannenſis.

Thraſimenum lacum. Anno ante illos, quos modò nominauimus, Conſules, C. Flaminius COS. inſidus ab Annibale circumuētus ad Thraſimenum lacum, qui eſt in agro Peruſino, cum exercitu cæſus eſt. Deſiderata ſunt in eo prælio quindecim millia Romanorum, qui magna ex parte immota acie, ad extremum, vt Romani moris erat, perſtiterunt. Polyb. li. III, Liuius lib. XXII.

Sed ad Seruilium. Lacum modò Lacunam dicit, vbi aqua continebatur. Nam Varro docet, ſemper lacum portis additum (inquit Donatus) ſcilicet ob vſum iumentorum exeuntium & introeuntium: prę terea vt aduerſus hoſtilem ignem portis de proximo ſubueniretur. Ergo lacus Seruilius Romæ fuit (vt apud Feſtum Pompeium; quo tamen loco libri corrupti ſunt) à conditore Seruilio nominatus, in quo hydræ effigies fuit, poſita à M. Agrippa. Seneca in libro de diuina prouidentia: videant (inquit) largum in foro ſanguinem & ſupra Seruilianum lacum (id enim proſcriptionis Syllanę ſpoliarium eſt) ſenatorum capita & paſſim vagantes per vrbem percuſſorum greges, & multa millia ciuium Romanorum vno loco poſt fidem, imo per ipſam fidem trucidata. Quid ergo? fœlix eſt L. Sylla, quod illi deſcendenti ad forum gladio ſubmouetur, quod capita conſularium virorum patitur oſtendi, & pretium cædis per Quæſtorem ac tabulas publicas numerat.

Ferro Phrygio. Sic accipio, Gladiis ſeruorũ Phrygum. nam ex Phrygia venales nouitij plurimum adducebantur. vnde illud apud Athenæum, ἀνδράποδ' ἐκ φρυγίας. ἐκ δ' ἀρκαδίας ἐπικούρου. Herodianus etiam libro primo, ſeruorum Phrygum mentionē facit, qui Romæ frequenter ſub præcone ſubiecti, auctione vendebantur.

Curtios, Marios, denique Mamercos. Notos accuſatores illius ætatis, qui omnes ferro Phrygio interfecti ſunt.

Aetas à præliis auocabat. A præliis, forenſibus ſcilicet: ab accuſandi labore & negotio. Et alludit ad ætatem cui vacatio à re militari concedebatur.

Poſtremò Priamum ipſum ſenem Antiſtium. Dicit opinor, P. Antiſtium, quem in Bruto rabulam primùm, deinde probabilem Oratorem fuiſſe ſcribit.

A Hunc Appianus à L. Bruto Prætore ex voluntate C. Marij Conſulis, cùm Senatum coegiſſet, vnà cũ omni quæ in vrbe erat, nobilitate interfectum tradit. Priamum autem appellat, quòd inter accuſatores quaſi Rex quidam & princeps exiſteret.

Non modò ætas, ſed etiam leges. Fortaſſe aut ignominia affectum, aut turpi iudicio damnatum. Nam vt ſcribit Vlpianus, remouentur à poſtulando perſonæ turpitudine notabiles: veluti qui calumniæ cauſa publico iudicio damnatus eſt.

B *Imprudentibus Imperatoribus.* L. Syllam ſignificat. neque enim vult videri hoc apertè dicere, voluntate Syllæ illos eſſe interfectos. Illos autem cùm dico, ſuperiores intelligo: non hunc P. Antiſtium, qui ante Syllæ victoriam conſtitutam interfectus eſt.

Qui ſuis vulneribus mederentur. Qui prouiderent ne poſtea accuſari poſſent. & his verbis Chryſogonum, & Titos Roſcios vult intelligi.

Ita ruebant in tenebris. Ruere propriè ſues dicuntur: C vt Grammaticis placere video, Ergo rectè verbum miſcebant coniunxit.

Non ſtudio accuſare. Non dedita opera & conſulto: ſed ratione officij ac defenſionis coactum.

Aſsiduus eo tempore Romæ fuerit. Chariſius lib. I. Cùm à Seruio Tullio, inquit, populus in quinque claſſes eſſet diuiſus, vt tributum, prout quiſque poſſideret, inferret: ditiones qui aſſes dabant, aſſidui dicti ſunt: & quoniam ſolis negotiis publicis freD quentes aderant, eos qui frequenter aſſunt, aſſiduos & ab aſſibus dixerunt.

In cuius fide ſint & clientela. Chryſogonum ſignificat, de quo ſuprà, ſic ſcribit Nam, quum multos veteres à maioribus Roſcij patronos, hoſpitéſque haberent, omnes eos colere atque obſeruare deſtiterunt, ac ſe in Chryſogoni fidem & clientelam contulerunt.

Cum defenſione noſtra contendito. Conferto, comparato.

E *Vereor enim cuicuimodi es Roſci.* Hunc locum ita citat Priſcianus lib. XIII. ſcribitque dictum Cuicuimodi, pro cuiuſcuiuſmodi, id eſt cuiuſcunque modi. vt apud Terentium in Andria, Tam nulli conſilij, pro Nullius conſilij. Et in Heaut. Loquitur alteræ, pro alteri. Ego in libro de Legibus III, in emendatis exemplaribus ſcriptum ſimiliter inuenio hoc modo, Nam neque in populo lex dici verè poteſt, cuicuimodi fuerint illa, etiamſi pernicioſum aliquid populus acceperit. Et in epiſt. Etſi diligenF ter, lib. 3. epiſt. ad Atticum. velim omnia cuicuimodi ſunt, ad me ſcribas.

De huius maleficio. De Sext. Roſcij parricidio.

Partes iſtius depopoſciſſe. Tranſlatum ab actoribus ſcenicis. Sic Terentius, Duras fratris partes prædicas.

Mallius Glaucia. Corrige Manlius, vt ſuprà. & ſic paulo infrà, Sua ſponte Manlius nuntiat.

In curru collocat Autumedontem illum, Glau-G ciam, curſorem celerrimum, qualis fuit Automedon, Achillis auriga, qui Xanthe & Balio equis velociſſimis, vtpote Zephyri filiis, rapidiſſimè ferebatur.

Niſi hoc video. Niſi pro Sed, antiquè & eleganter poſitum. vt apud Plautum in Sticho, Act. II, ſcena I, Miror quid ſiet, niſi vt periculum fiat, viſam quid velit. Et in Epiſt. ad Memmium, lib. Ep.

xiii,

rui, Nec cur ille tantopere contendat, video, nec cur tu repugnes: niſi tamen multo minus tibi concedi poteſt, quàm illi, laborare ſine cauſa. Et apud Terentium multis locis.

Hanc primam tamen eſſe lemniſcatam. Lemniſci, inquit Feſtus, id eſt, faſciolæ coloriæ, dependentes ex coronis, propterea dicuntur, quòd antiquiſſimũ fuit genus coronarum lanearum. Plinius libr. 16. Inter corticem & lignum tenues tunicas multiplici membrana, è quibus vincula tiliæ euocantur, tenuiſſimæ earum philyræ coronarum lemniſcis celebres, antiquorum honore. Et lib. xxi, Craſſus diues, primus argento auróque folia imitatus, ludis ſuis coronas dedit. acceſſerúntque & lemniſci, quos adiici ipſarum coronarum honos erat. Feſtus autem à lana deriuare hoc velle vocabulum videtur; quaſi laniſci diceremus: quod quale ſit, coniectura aſſequi non poſſum. cùm ſatis conſtet Græcum eſſe vocabulum, quo lib. v. Athenæus vtitur, ἐκ τούτου, inquit, ἀστραγαλί, καὶ φάναι, καὶ πτυχόνες καθ' ὅλον ἐξήπλωτο τὴν ὁδὸν, λημνίσκοις τὰς πόδας δεδεμένοι, πρὸς τὸ ῥαδίως ὑπὸ τῶν θεωμένων ἁρπάζεσθαι. Lemniſcos eas faſciolas eſſe putamus quæ in numis antiquis circum coronas Imperatorum deuinctæ cernuntur, quem morem Rex Galliæ Henricus nuper in aureis & argenteis numis imitatus eſt. Seruius in illud Virgilij, Puniceis ibant euincti tempora taeniis, Significat, inquit, lemniſcatas coronas, quę ſunt de frondibus, & diſcoloribus faſciis: & ſicut Varro dicit, magni honoris ſunt.

Minorem annis LX. de ponte in Tyberim deiecerit. Varro apud Nonium Marc. Cùm, inquit, in quintũ gradum peruenerant, atque habebant quinquaginta annos, tum deniquè erant à publicis negotiis liberi, atque expediti, & otioſi. Ideo in prouerbium quidam putant veniſſe, Sexagenarios de ponte deiici oportere, id eſt, quòd ſuffragium non ferant, quod per pontem ferebant. hæc Varro. Ergo ad hunc morem Tullius alludens, hoc ſignificat, deiectum eſſe de ponte aliquem in Tyberim à T. Capitone: non de ponte comitiorum cauſa facto, ſed de Sublicio, aut alio quopiam in Tyberi facto. Ex illa porrò conſuetudine Depontani ſenes, vt Sex. Pompeius ſcribit, appellati ſunt, qui ſexagenarij de ponte deiiciebantur: ex quo etiam nata eſt fabula, de qua ſcribit Ouidius Faſtorum v.

Tum quoque priſcorum virgo ſimulacra virorũ
Mittere roboreo ſcirpea ponte ſolet.
Corpora poſt decies ſenos qui credidit annos
Miſſa neci, ſceleris crimine damnat auos.
Fama vetus, tunc quum Saturnia terra vocata eſt,
Talia fatidici dicta fuere ſenis,
Falcifero libata ſeni duo corpora gentes
Mittite, quæ Thuſcis excipiantur aquis.
Donec in hæc venit Tyrinthius arua, quotannis
Triſtia Leucadio ſacra peracta deo.
Illum ſtramineos in aquam miſiſſe Quirites,
Herculis exemplo corpora falſa iaci.
Pars putat, vt ferrent iuuenes ſuffragia ſoli,
Pontibus infirmos præcipitaſſe ſenes.

De more autem ſuffragiorũ hoc intelligere poſſumus, tum in comitiis legum, quæ in foro fiebant: tum in comitiis magiſtratuum, quæ in Campo Martio, pontes quondam leuiter fieri ſolitos, quos populus R. ſuffragium laturus tranſgredi ſolebat. quod & Varro verbis ſuperioribus ſignificauit Suetonius in Cæſare demonſtrat his verbis, Con-

A iurati primùm cunctati, vtrómne illum in Campo per comitia tribus ad ſuffragia vocantem partibus diuiſis è ponte deiicerent, atque exceptum trucidarent, &c. Etſi enim vnius tantùm mentionem faciat, tamen complures fuiſſe & ex iis locis intelligitur in quibus de pontibus mentio fit, vt lib. de Leg. III. & ad Herennium I. neque veriſimile eſt vnum tantùm xxxv. tribubus tranſmittendis pontem, ſatis fuiſſe. Cùm igitur ſeptis incluſæ tribus ad ſuffragia ferenda prodirent, magiſtratus qui in pontibus eis

B præerant, ſiquem ſexaginta annis maiorem animaduerterent, eum de ponte per viatores deiici iubebant. Cùm autem Maria lex (vt Cicero ſcribit lib. III. de Legib.) pontes anguſtos fecerit, nequis videlicet ad populum rogandum ſubire poſſet, diſtinctos apparet ac ſeparatos his pontibus candidatos à populo fuiſſe. Ac de his ipſis pontibus Cornificium quoque loquutum arbitror in libro ad Herennium primo, quum ait Cæpionem, cum viris

C bonis impetum feciſſe, pontes diſturbaſſe, ciſtas deieciſſe. & Ciceronem lib. I. ad Att. Operæ Clodianæ pontes occuparant.

Et minitatum eſſe. Eleganter, cùm in aliis omnibus mendoſe meditatum eſſe, ſcriptum ſit.

Iuſiurandum accommodetis. Accommodare ſuum iuſiurandum ad alicuius teſtimonium dicitur Iudex cum dedita opera ſecundum alicuius teſtimonium ſententiam dicit.

Alter ex ipſa cæde. T. Roſcius Magnus.

D *Ad magiſtrum ſuum.* Laniſtam, Capitonem.

Alter, ſi diis. T. Roſcius Capito.

Si diis placet. Donatus ſcribit proprium eſſe exclamantis propter indignitatem rei.

More maiorum comparatum. Sic Pomponius in l. 10. D. de teſtib. nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur.

Nihil opus fuit te iſti credere. Sic omnes libri veteres. Mihi tamen non eſt dubium quin ita emendandum ſit, vt ſic legamus, Nihil opus fuit te iſtic ſedere:

E vt Erucij ſubſellia demonſtret. quod enim ſequitur, ſedere illum in accuſatoris ſubſelliis oſtendit. quod etiam his verbis apertè docuit, Tecum enim mihi res eſt T. Roſci, quoniam iſtic ſedes, ac te palàm aduerſarium eſſe profiteris. Et infrà, Solus tu inuentus es qui cum accuſatoribus ſederes. Qua de re ipſe in Ora. pro Flacco, Quid, inquit, ſi teſtium ſtudium cum accuſatore ſociatum eſt? tamenne iſti teſtes habebuntur? Et paulo pòſt, Hoc verò quid eſt? vnà ſedent, ex accuſatorum ſubſelliis ſurgunt,

F non diſſimulant, non verentur. de ſubſelliis queror: vna ex domo prodeunt, &c. Quare quod modò dixit, Vnum ſtultiſſimè, ſic accipiendum eſt, Hoc ſtultiſſimè feciſti, & non de Erucij conſilio, quod in accuſatoris ſubſelliis conceſſiſti. Fidem enim hoc pacto tuo teſtimonio abrogaſti.

Accuſatore muto. Qui accuſationem adiuuat, aut accuſator eſt, aut teſtis. Accuſator autem non es: quippe mutus quum ſis, & verbum nullum facias. Teſtis porrò non habetur is idoneus,

G qui de accuſatoris ſubſellio ſurgit. Stultiſſimè igitur feciſti. Teſtes autem ſua ſeorſim ſubſellia habebant, ſeparata ab rei & accuſatoris ſubſelliis.

Vt eius bona veneant. Tanquam proſcripti; & ne perſequendi ſceleris facultas filio ſuperſit.

Suſpicionem hanc putetis. Suſpitione hac vtamini

ſed tranſlate dixit, vt illud inſequeris oſtendit: non ego ita diſputabo, nam à calculis diſputandi verbum ſumptum eſt.

Indicij partem acceperit. Indicium pro Indicij præmio poſuit. Et amare hoc dixit quoniam indices ſunt conſcij & participes ſceleris.

Quod opera pretium eſſet. Apparet verum eſſe quod Donatus ſcripſit in Andriam: operæpretium dici de mirificis & laudabilibus.

Honoris aliquid haberi. Honos præter vulgarem ſignificationem, præmium etiam ac remunerationem declarat, vt infrà, Quòd viris fortibus, quorũ opera eximia in rebus gerendis extitit, honos habitus eſt, laudo. quod de conſuetudine Græcorum ſumptum videtur, qui τὸ γέρας pro vtroque vſurpant. Cicero Ver. 3. Ei poſtea præmia tamen liberaliter tribuit, bona quædam proſcriptorum in agro Beneuentano diripienda conceſſit. habuit honorem vt proditori; non, vt amico, fidem.

Quod non eius ſcelus. Ita probo: quum in omnibus alijs Eiuſce vis corruptè legatur.

Illum acuere. Hortari, vrgere, ſtimulare. Terentius in Adelphis, Attẽtiores ſumus ad rem omnes, quàm ſat eſt, Quod illos ſat ætas acuet.

Partem ſuam depaciſci. Paciſci, vt illius prædæ parte ſibi concedatur.

Aliqua fretus hora ſemper. Fretum aura, omnes libri veteres. quorum alterum contextus reijcit orationis, alterum ſententia poſtulat. Nam vt aliqua hora fretus eſſet Capito, tempus tamen obſeruare aliud Legati & occupare potuiſſent. Nunc auram aliquam, dicit aliquem Capitonis fautorem, amicum ac beneuolum, de L. Syllæ intimis ac familiaribus.

Interceſſore. Id eſt impediente, prohibente.

Si accuſator voluerit teſtimonium ei denuntiare. Quid ita Tullius ipſe non denuntiabat, ſi ex re id ſua eſſe intelligeret? quia denuntiare teſtimonium nemini niſi lege licebat. Lege autem accuſatores poterant: reis verò denuntiandi poteſtatem lex non permittebat. non enim defenſor teſtes producit: cùm teſtes facti tantùm producantur, vt ſcribit Aſconius.

Summum admiſiſſe dedecus. Itaque in edicto Prætoris lib. Dig. III. verba hæc ſunt, Infamia notatur qui furti, &c. tutelæ, mandati, depoſiti ſuo nomine, non contrario iudicio damnatus erit. Quæ verba Vlpianus exponens, Mandati, inquit, condemnatus, verbis edicti notatur non ſolùm qui mandatum ſuſcipit, ſed & is qui fidem, quam aduerſarius ſecutus eſt, non præſtat: vt puta ſi fideiuſſi pro te, & ſolui: mandati ſi te condemnauero, famoſum facio.

Vicaria fides amicorum ſupponitur. Qua de cauſa, qui iudicio, inquit Vlpianus, contrario damnabitur, non erit infamis, nec immeritò. nam in contrariis non de perfidia agitur, ſed de calculo, qui ferè in iudicio ſolet dirimi. hæc ille, l. Furti, D. de iis qui not. inf.

Ignominia mortuum affecerit. Sine dubio tale quippiam deſideratur, Viuum fortunis euerterit, vel Viuum bonis ſpoliarit.

Atque adeo inter viuos. Senſus eſt, Non modò inter homines honeſtos, ſed etiam inter viuos. quæ ſententia inepta eſt: hoc tamen particulæ illæ ATQVE ADEO ſignificant. Quare corrigẽdum ſic putarem, Atque adeo inter viros. Nam hoc modo Viri nomẽ

A ab Hominis diſtinguit, ſcribens ad Q. Fratrem, Sed quum veneris, virum te putabo: ſi Salluſtij Empedoclea legeris, hominem non putabo. Et Tuſc. II, Ita & tulit dolorem, vt vir: & vt homo, maiorem ferre ſine cauſa neceſſario noluit. Et ſimilem Græci inter ἄνδρα & ἄνθρωπον differentiam ſtatuunt: vt apud Xenophontem in Tyranno, οἷς δὲ ἐμφυῇ τιμῆς τε καὶ ἐπαίνου ἔρως, οὗτοι εἰσὶν οἱ δὴ, οἱ πλεῖστον μὲν τῶν βοσκημάτων διαφέροντες, ἄνδρες δὲ καὶ οὐκέτι ἄνθρωποι μόνον νομιζόμενοι.

B *In crimen mandati iudiciumque infamia.* Sic omnes libri veteres. Impreſſi eſt ingenio, vt opinor, correcti, Iudiciſque infamiam. Ego ſic corrigerem, In crimen mandatique iudicium infame reuocatur. Etenim infame ſic accipio, vt ſuperiore pagina, ſemel atque iterum, Iudicium turpe, pro eo quod infamiam ac turpitudinem affert. ſic etiam paſſim loquitur, vt in Orat. pro Cæcina, & pro Q. Roſcio multis locis.

Si rectè fiat. Si pro An, vt apud Terent. in Heaut. C Viſam ſi domi eſt. Et apud Plautum in Milite glor. Philocomaſium dicere nomen, Si iniuria eſt?

Legationis ipſius ceremoniam polluerit. Inuidiosè hoc addidit. Nam ceremoniæ in legationibus adhibentur, duntaxat quæ ad fœdera facienda, aut leges pacis belliquè dicendas mittuntur.

Si quid opus eſſe putaret. Id eſt, Caueret rem ratam Roſcium habiturum.

Damnatus per arbitrum. Puta dictum Per Iudi-D cem. nam in hiſce iudiciis in quibus EX FIDE BONA addebatur, quale eſt mandati iudicium, arbiter idem ipſe dicitur, qui Iudex eſt. Eſt autem animaduertendus locus, eo magis quòd apertè oſtendit nihil intereſſe, damnatus quis dicatur per arbitrum, an per Iudicem (in iis ſcilicet iudiciis quæ bonæ fidei Iuriſconſulti præciſè nominant, id eſt, in quibus EX FIDE BONA addebatur) vt ignominia afficiatur. quum Budæus vir doctiſſimus in commentariis Linguæ Græcæ, quem alij plerique ſecuti E ſunt, tradiderit Iudicio pro ſocio afferri infamiam, arbitrio non afferri. de qua re aliis quibuſdam locis fuſius explicauimus.

Et rem reſtitueret. Id eſt, quantum ex bona fide dare facere illum mandati nomine oporteret, perſolueret.

In rebus minoribus. Iudicio mandati tranſit ad illud pro ſocio: quia ſocios eiuſdem legationis & mandati T. Roſcius fefellerat.

Tecti eſſe ad alienos poſſumus. In hanc ſenten-F tiam ipſe Verrina III. his verbis: Nullæ ſunt occultiores inſidiæ, quàm quæ latent in ſimulatione officij, aut in aliquo neceſſitudinis nomine. Nàm qui palam eſt aduerſarius, facile cauendo vitare poſſis: hoc verò occultum, inteſtinum, ac domeſticum malum, non modo exiſtit, verum etiam opprimit antequam proſpicere atque explorare potueris. Item Verrina VII. Tacitæ magis & occultæ inimicitiæ timendæ ſunt, quàm indictæ & apertæ.

G *In virorum bonorum numero.* Inſignis locus: ex quo intelligitur cur infames, Improbi inteſtabiléſque dicerentur.

Si quod illorum forte dubitabitur. Sic poſtulat verbum Continetur. Et ſimiliter dictum eſt vt illud lib. de Off. III, Hoc non turpe eſt dubitare Philoſophos, quod ne ruſtici quidẽ dubitent? Vidi tamẽ qui corrigendum putarent Si quo de illorum. quorum ſenten-

ſententiam locus ipſe refellit.

Ille laniſta. T. Capito, de quo ſupra.

A gladiu receßiſſe. Ita probo, quum in aliis omnibus ſcriptum ſit, A gladiatore ceſſiſſe. Senſus autem hic eſt, Num ille ludi gladiatorij magiſter artem deſiiſſe videtur?

Aut is diſcipulus. Rectius putarem, Hic diſcipulus, vt T. Magnum demonſtret, qui in accuſatoris ſubſelliis ſedebat.

Gemina audacia. Gemini ferè ſunt inter ſe ſimillimi. Itaque ad eas res quæ ſunt inter ſe ſimillimæ, B Latini hoc vocabulum tranſtulerunt. Sic in Orat. pro Q. Roſcio, Simillima enim & maximè gemina ſocietas hæreditatis eſt.

Indigni erunt. P. Scipionem & Metellum clariſſimos viros ſignificat de quibus ſuprà.

Nihil intereſſet, Vtrum eam rem recuſares. Quòd ſi recuſares, ſatis intelligi poſſet te propterea recuſare, quia ſi torquerentur, cædem faterentur à vobis factam.

In dominos quæri de ſeruis iniquum eſt. Verba T. C Magni, & T. Capitonis, Iniquum eſt in nos de iis ſeruis quæſtionem haberi. idem autem traditur in Partitionibus, & libris Pand. multis locis.

Anne quæritur? Sex. enim Roſcius reus eſt. Reſponſio Ciceronis, Si quæratur de iis ſeruis, in reum quæritur. Vos autem rei non eſtis, ſed Sex. Roſcius. propterea cùm quæritur quorum ſint ſerui, vos dominos eſſe non dicitis.

Neque enim cùm de hoc. Iacet vox ENIM, & meo iudicio, vt otioſa & ſuperuacanea inducenda D eſt. vt illa in vetuſtis codicibus, Vos enim dominos eſſe dicitis.

Cum Chryſogono ſunt. Verba Roſciorum, Magni & Capitonis, Negatis vos eſſe illorum dominos & apud vos eſſe: cum Chryſogono eſſe dicitis.

Literis eorum & Vrbanitate. Ironia. Veteres in magno ſeruorum numero, qui valere ingenio videbãtur, alios literis inſtituendos curabant: alios aliis ingenuis artibus ac diſciplinis, vt pictura, medicina, muſica.

E *Ex tot elegantißimis familiis.* Proſcriptorum: quorum bona vendente L. Sylla, Chryſogonus emerat.

Homines pene operarios. Verba ſunt Caſſij apud Varronem lib. de Re ruſt. I. quæ quales Operarij fuerint, demonſtrant, Operarios parandos eſſe, qui laborem ferre poſſint, ne minores annorum XXII, & ad agriculturam dociles.

Aut humanitatem. Humanitatem, doctrinam interpretor: vt aliis multis locis, quorum partim an- F notauimus.

Cuius tota argumentatio. Argumentatio, tractatio, diſputatio. Videamus tamen ne potius Cicero dixerit: quod verbum & Plinius vſurpat & commodiſſimè à ſuo fonte declinatur. Nonnulli manuſcripti libri Augmentatio ſcriptum habebant: vt etiam de coagmentationis verbo ſuſpicari liceat, aut Commentum.

Nimiam gratiam potentiámque Chryſogoni. Gratiam apud L. Syllam: potentiam, in iudicijs. Nam gra- G tia apud ſuperiores dicitur, potentia in inferiores: vt alibi docuimus.

Venio nunc ad illud nomen aureum. Tranſitio ad tertium ac poſtremum partitionis, caput, χρυσὸς autem aurum, γόνος ſemen, ſignificat. Semen igitur aureum vel fœtum aureum declarat,

A *Sub quo nomine tota ſocietas ſtatuitur.* Alludit ad nomina ſocietatum, quæ in tabulas ſocietatis referuntur. nam quidquid in codicem refertur, id Nomen dicitur. Societatem autem bonorum Sex. Roſcij ſignificat, quam tres quidem illi coierant, ſed ſub vnius Chryſogoni nomine. Solus enim Chryſogonus, qui & bona vendenda curauerat, & illa minimo pretio coemerat.

Si enim hæc audientur. Si pro Etſi, vel Si maximè. Sic Terentius in Eunucho, Nam ſi ego digna hac B contumelia. Sum maximè, at tu indignus qui faceres tamen. Eſt ergo ſenſus, Vt hæc contumelia bona cum venia ex me audiatur, & iudices eam palàm fieri patiantur, tamen non fuit, &c.

Siue Valeria eſt, ſiue Cornelia. Siue à L. Valerio Flacco, ſiue à L. Cornelio Sylla, inuenta & excogitata eſt. L. Flaccus deſtituta ciuitate Conſulibus, Carbone quippe & Mario interfectis, à Senatu Interrex proditus, vt Conſulum creandorum cauſa comitia haberet, & Syllam Dictatorem dixit, & le- C gem tulit, vt omnia quæcunque Sylla feciſſet, eſſent rata. Cicero in Rullum, Omnium legum iniquiſſimam diſſimillimámque legis eſſe arbitror eam quã L. Flaccus Interrex de Sylla tulit, vt omnia quæcunque ille feciſſet, eſſent rata. Sed hoc loco Cicero ſatis acerbè Syllam perſtringit: non enim ait ſe ignorare à quo lata ſit, ſed à quo excogitata & ſcripta ſit. Ergo hoc totum. *Siue Cornelia eſt:* contumelioſe & grauiter in L. Syllam dictum putato.

In aduerſariorum præſidiis. Præſidiis, id eſt ca- D ſtris. ſic in Orat. pro Ligario, Tantummodo in præſidiis eratis, animi verò à cauſa abhorrebant.

Feciſſe dico vt ementiretur. Id eſt, ementitum eſſe, finxiſſe, dixiſſe, paſſum non eſſe. Et eſt Latina locutio, qua veteres frequenter vtebantur. Plautus Menæchmi, Tu facito ante ſolis occaſum vt venias aduerſum mihi. Sed putidum eſt exempla in re perſpicua proponere.

Tabulas publicas. Quas Quæſtores Ærarij aſſer- E uabant: & in quibus pecuniam quæ ex publicatis bonis redigebatur, perſcribere ſolebant. NVLLA autem, non NVLLAS video in antiquis omnibus & manu ſcriptis libris. quod valde probo. vt ſit antiquè poſitum pro Non redierunt. Locutio autem ita & nota eſt, & à nobis ſæpe explicata, vt exempla proferre nihil neceſſe ſit.

Ab iſto nebulone. Chryſogono, quem paulo pòſt & hominem poſtremum, & ſeruum nequiſſimum appellat. Sed hæc poſtea Ciceroni doluit orationis F acerbitas.

Reduuiam curem. Rediuiam, multi libri veteres. quam ſcripturam etiam apud Feſtum reperio: qui Rediuiam à Rediuire declinatam dicit, quod Soluere ſignificat. Eſt enim Rediuia (inquit) morbus, quũ circa vngues cutis ſe reſoluit. Senſus eſt igitur, Quũ magno malo mederi debeam, vitæ ſcilicet & capiti Sex. Roſcij, nunc curam leuiuſculi mali ſuſcipio, de bonis ſcilicet quæ contra leges ſunt vendita, de quibus ipſe nihil laborat. Alia per inſigni tranſlatio- G ne ſimili fere in re vſus eſt lib. de diuinat. II. Vrbẽ philoſophiæ mihi crede proditis, cum caſtella defenditis.

Quæ ad huius vitæ caſum cauſamq; pertinent. Ordo & ſenſus hic eſt, Quæ pertinent ad caſum vitæ, id eſt calamitatem Sex. Roſcij, eiúſque cauſam ac defenſionem.

Qui neque apud aduerſarios occiſus eſt. Neque, in-
quit Asconius, eſt coniunctio diſiunctiua, & ſemper
poſtulat vt rurſus inferatur: vt cùm dicimus, Neque
hoc, neque illud. Deeſſe igitur alterum membrum
videtur. quid dico, videtur? imò verò, niſi planè cæ
ci ſumus, apertè ac dilucidè perſpicitur. Deſunt au-
tem hæc verba. Neque proſcriptus fuerat. quod il-
lum locum quem ſubiiciam, conſideranti perſpicuè
conſtabit. Scriptum enim ita dicunt eſſe, Vt eorum
bona veneant, qui proſcripti ſunt: quo in nume-
ro Sex. Roſcius non eſt: aut eorum qui in aduerſa-
riorum præſidiis occiſi ſunt.

Tantulo venierint. Seſtertiûm duobus millibus
ſuprà.

Nihil pernicie cauſa Perniciì, Aul. Gellius lib. IX.
vetuſtè vt dies, dij: progenies, progenij: luxuries,
luxurij: acies, acij. Apud Nonium tamen Marcellum
reperio Pernici: niſi locus corruptus eſt. Charisius
autem lib. I. Cicero, inquit, pernicies cauſa, geniti-
uum extulit.

Ex iis quæ nunc maximè fiunt. Nunc maximè: hoc
ipſo tempore, hoc ipſo temporis puncto, ac momē-
to. Eſt enim genus loquendi cum emphaſi vſurpa-
rum, quale illud eſt, Nunc ipſum: quod lib. VII, VIII,
& XII. Epi. ad Atticum vſurpauit. Et item illud, cùm
maximè. vt Verrina IV, cùm hæc maximè cognoſce
remus, & iam in manibus tabulas haberemus.

Accuſare ſe dixit Erucius. Deſideratur tota argu-
mentatio, qua neque venire bona potuiſſe, neque ve
niſſe docuit.

*Rus amœnum & ſuburbanum, plura præterea præ-
dia:* Rura agrorum dicuntur tantùm, quia (vt Varrò
ſcribit) quotannis rurſum facienda eadem, vt rurſus
capias fructus. Prædia verò nonniſi cùm ædificiis
ſunt. Hæc tamen verborum proprietas minimè à Iu
riſconſultis obſeruatur.

Vaſis Corinthiis & Deliacis. Aes Corinthium nō
naturale, ſed artificioſum fuit: confuſo quippe au-
ro argentóque miſcebatur. Illud principiò caſus mi
ſcuit, Corintho cùm caperetur incenſa. Eius tria ge-
nera fuere, Candidum, argento nitore quàm proxi-
mè accedens, in quo illa mixtura præualuit: alterum,
in quo auri fulua natura: tertium, in quo æqualis o-
mnium temperies fuit. Cicero Verrina VI, Tu vide-
licet ſolus vaſis Corinthiis delectaris? tu illius æris
temperationem, tu operum lineamenta ſolertiſſimè
perſpicis. Sed antiquiſſima æris gloria Deliaco fuit,
mercatus in Delo concelebrante toto orbe. hæc fe-
re ex Plinio. Florus autem ſic: Æris notam pretio-
ſiorem ipſa opulentiſſimæ vrbis fecit, iniuria: quia
incendio peruſtis plurimis ſtatuis atque ſimula-
cris, æris, auri, argentique venæ in commune flu-
xere.

Authepſa illa. Vas fuiſſe videtur ex ære, duos ha
bens fundos: quorum in ſuperiore elixa, in inferiore
igniculus imponebatur, coquendis quæ ſupra poſi-
ta fuerant, accommodatus. Vocabulum fictum eſt
ex αὐτὸς & ἕψω: quaſi per ſe cibos coqueret, neque
foco opus eſſet.

Magna caterua togatorum. Qui ſe in illius fidem
& clientelam contulerunt. Clientes enim ſuos pa-
tronos aſſectationis officio colebāt, & honoris cau
ſa, cùm illi vrbem obibant, ducebant ac reducebāt.
Inuidioſe autem hoc dicitur de togatis, qui libertū
hominem ita obſeruanter aſſectabantur. Martialis
de illiuſmodi togatis aſſectatoribus,

Iam parce laſſo Roma gratulatori,

A Laſſo clienti, quamdiu ſalutator,
Anteambulones & togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto. Et alibi,
Si matutinos facile eſt tibi rumpere ſomnos,
Attrita veniet ſportula ſæpe toga.
Item alibi locis innumeris.

Videtis Iudices, vt omnes deſpiciat. Omnes prope
alij, in queis etiam Aldinus, Videtis Iudices: etiam
videtis Iudices, vt omnes deſpiciat. quod cur ex li-
bris tollatur, opinor cauſa nulla eſt.

B *Pro illa tenuis infirmaq; parte.* Marij, Cinnæ, Car-
bonis.

Honos habitus eſt. Præmia tributa ex eorum ſpo-
liis, in quos animaduerſum eſt.

Homines poſtremi. Id eſt, infimi, nequam, nullo
numero. quemadmodum ex contrario Primi ho-
mines pro primarij, honore ac dignitate præditi.
Brutus Ciceroni, in lib. Epiſt. ad Brutum, Quòd ſi
Romanos nos eſſe meminiſſemus, non audacius
C dominari cuperent poſtremi homines, quàm id nos
prohiberemur. C. Gracchus in Orat. poſt reditum
ex Sardinia. Si vlla meretrix domum meam introi-
uit, & cuiuſquā propter me ſolicitatus eſt omnium
nationum poſtremiſſimum nequiſſimúmque exi-
ſtimatote.

Nihil eſt quòd quiſquam aut tam ſtultus. Hæc tota
cohortatio eſt Iudicum, Chryſogoni potentiam
timentium. ſed quę de decernendo loquitur, & ma-
giſtratu ac procuratione ad M. Fannium Quæſito-
D rem pertinere maximè videntur.

Si rectè & ordine iudicaris. Ordine, modo, ratio-
ne, ſapienter. Nam ordo ex ſapientia naſcitur, & a-
pta rerum atque accommodata compoſitione.

Poſteaquam magiſtratus creauit. Cn. Papyrio, C.
Mario Coss. altero in Sicilia, altero Præneſte in-
terfectis, L. Sylla vrbe potitus. Dictator à L. Flacco
Interrege dictus eſt. Proximis tamen Calendis Ia-
nuariis Conſules creari permiſit, tātùm ad ſpeciem,
&, vt ſcribit Appianus, ἐς πρόσχημα τῆς πατρίου πο-
E λιτείας, M. Tullium & Cornelium Dolabellam. a-
pud Appianum enim vitioſè legitur Σύλλιος καὶ
Ορβύλλιος. quum Τούλλιος ſcribi debeat, & Κορνή-
λιος. Denique hoc toto triennio quo Dictaturam
geſſit, Conſules per ſimulationem tantùm, ac dicis
cauſa creati ſunt.

Qui equeſtrem ſplendorem pati non potuerunt. Nam
huic ordini Sylla victor iudicia ademerat, & in Se-
natorum ordinem tranſtulerat.

Seruus nequiſſimus. Chryſogoni.

F *Annulumq; dedit.* Inſigne & ornamentum E-
queſtris ordinis, quo vti nemini, niſi qui in cenſu
HS. CCCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ poſſideret, li-
cebat. Sic ergo loquitur, quaſi omnibus fortunis e-
uerſus Roſcius etiam annulum de digito ſuo detra-
xiſſet, eúmque Chryſogono dediſſet.

Os ſuum tibi tradidit. Semper tibi præſto fuit: nū-
quam tuum aſpectum præſentiámque vitauit. ſic a-
pud Terentium in Adelphis, Clemens, placidus,
nulli lædere os, arridere omnibus. vbi Donatus,
G Nulli lædere os, id eſt nullum præſentem lædere.
Plato κατὰ στόμα ſimiliter pro præſente aliquo dixit
in lib. de Legib. IX. πρὸ τούτου δὲ κατὰ τὸ στόμα τῶν δια-
κοντός τε καὶ φεύγοντος, ὁ δικαστὴς ἑξῆς ἡμῶν ἑζηύτω κατὰ
πρέσβιν ἐξιών. Antea, inquit, in cōſpectu accuſatoris
& rei, Iudex ordine, & quāproximè poterit, pro di-
gnitate ſua conſideat. Alibi, ſcilicet in Euthydemo,
in os dicere, εἰς τὴν κεφαλὴν εἰπεῖν dixit. quod

Galliçè

Gallicè dicimus *in barbam*, ὄζειν θύειν, εἰμὴ ἀγροικότερον ἦν εἰπεῖν, εἶπον ἄν σοι εἰς κεφαλὴν, ὅτι μὴ θύον μου, &c. Noſter autem ſic Verrina oratione quarta; Qui teſtes interrogari priore actione nolueris, & his tacitum os tuum præbere malueris, quamuis & te & patronos tuos ingenioſos eſſe dicito. Item lib. Epi. ad Atticum 1, Auli filius millies dignus, qui Palicano, ſicut facit, os ad malè audiendum quotidie præbeat. id eſt qui quotidianas eius contumelias audiat. Terent. in Adelph. quid potui melius qui hodie vſque os præbuit id eſt, morem geſſi inquit, Donatus. Item nonnulli eruditi hoc loco contra omniũ quos quidem librorum auctoritatem repoſuit, De digito ſuum pro dedit os ſuum. vtraque igitur lectio probabilis & aperta eſt.

Ego aliena miſericordia viuo. Quod vulgus dicit ex eleemoſina, inſignis locutio.

Familia mea maxima vterer. Familia, vt ipſe inquit in Orat. pro Cęcina, intelligitur, quę conſtat ex ſeruis pluribus.

Quod præter cæteros tu metuere non debeas. Cùm tantum apud Syllam gratia valeas, quantum in ciuitate nemo alius.

Quam in aliis rebus quas L. Sylla geſſit. Quas L. Flaccus interrex ratas in perpetuum eſſe iuſſit ſupra hæc tamen dicuntur ἐν παρέργῳ.

Veſtitum ſedere. Nam atra toga luctuoſe indutus cum barba & capillo in iudicium reorum more venerat.

Diligenter defenditur. Aduocationem ipſius copioſam ſignificat: de qua initio orationis dictum eſt non vno loco.

Summa Reip. in huius periculo tentatur. Summa Reipub. locutio eſt idem ſignificans quod ſtatus, ſiue firmamentum Reipub. Ergo hic ſenſus eſt, Tentatur ſumma Reipub. id eſt, Id agitur vt Reſpub. euertatur, vt optimis quibuſque ciuibus, qui ſua virtute Rempubl. ſuſtinent, exitium ac pernicies afferatur.

Meſſala, vt videtis Iudices, ſuſcepit. De hoc Meſſala ipſe in Bruto ſic loquitur, M. Meſſala minor natu quàm nos, nullo modò inops, ſed non nimis ornatus genere verborum, prudens, acutus, minimè incautus patronus in cauſis cognoſcendis componendiſque, diligens, magni laboris, multæ operæ, multarúmque cauſarum.

Ad dicendum impedimento eſt ætas. Annus legitimus cauſas agendi, fuit decimus octauus: vti ſcribit Vlp. l. 1. D. de poſtul. & Iuſtin. §. 3. Qui & quib. ex cauſ. manumiſſ. nam anno ætatis XVII, pueri depoſita prætexta virilem ſumebant, atque in forum à pa-

A rentibus deducebantur.

Sua cauſa cupere ac debere. Vſitata loquutio, Alterius cauſa cupere, pro Alterius cupidũ & ſtudioſum eſſe, alteri ex animo bene velle, veréque amicum eſſe, propendere beneuolentia & ſtudio in alterum.

Vt nobiles reſtituerentur in ciuitatem. Sylla nanque in bellum Mithridaticum profecto, Marius & Cinna vi in vrbem cum hoſtili exercitu regreſſi,
B & Conſulem vtrunque, Octauium ſcilicet & Merulam, & omnes aduerſæ partis nobiles partim occiderunt, partim qui effugere potuerant, proſcripſerunt.

Actum eſt. In ſumma rerum deſperatione ponitur, vt ſæpe apud Terentium. Nam quum Iudices de conſilio dimittebantur, præco pronuntiabat, Actum eſt, Ilicet. id eſt, ire licet.

Quod maiores publicum conſilium vocari. Id eſt cõſeſſum Iudicum publicæ vtilitati conſulentium. Sic
C in lege Iulia repetundarum: apud Valerium l. 5. D. illo tit. Nònne quis ob ſententiam in ſenatu conſiliove publico dicendum pecuniam acceperat. Nam Conſilium pro cœtu conſeſſúque Iudicum vſurpari, conſtat ex locis innumeris. In Orat. pro Mil. In iudicio verò, & in eo conſilio, in quo ex cunctis ordinibus ampliſſimi viri iudicarent. Et ſuprà hac ipſa Orat. Qui ex ciuitate in Senatum, ex Senatu in hoc conſilium delecti eſtis. Neque iis aſſentior, qui quia Senatus publicum conſilium vocatur, ita hunc
D Iudicum conſeſſum dictum putant, quòd Senatores hi Iudices eſſent. non enim pars tam exigua Senatus Publicum conſilium vocatur: ſed cunctus Senatus. præterea non quaſi Senatores hic ſedent, ſed quaſi Iudices: nec maiores iudicium hoc publicum, conſilium publicum eo duntaxat tempore vocari voluerunt, quo ſoli Senatores iudicabant. quid enim? duos ab hinc annos conſeſſus Equitum & Senatorum, decem autem poſt annos, Equitum Senatorũ & Tribunorum æris, nunquid publicum iudicium
E eodem modo vocitatum eſt? Sed publica conſilia, meo iudicio, omnia iudicia publica vocata ſunt, & diſtincta hoc nomine à priuatis: in quibus etiam Iudicis & aduocatorum eius conſilium dicitur, ſed priuatum: quippe quod non rei communis & publicæ, ſed priuatæ tantùm & pecuniariæ rei cauſa ſit aduocatum. Cicero pro Quinctio, Si apud hoc conſiliũ ex opibus, non ex veritate cauſa pendetur. Et alibi frequenter.

Deſit fortaſſe quippiam. Hoc, opinor, inducendum
F eſt, & ex libris tollendum. Nam mihi quidem nihil fingi poſſe videtur perfectius.

PRO Q. ROSCIO COMOEDO, ORATIO III.

ARGVMENTVM.

C. FANNIVS *ſeruum ſuum Panurgum Q. Roſcij Comœdi gratis communem fecit. pactis legibus, vt eum Roſcius arte hiſtrionica inſtitueret. Inſtitutum Q. Flauius Tarquinienſis quidam interfecit. Roſcius ad Flauium iudicio* DAMNI INIVRIA DATI *perſequendum, Fannium cognitorem dedit. Lite conteſtata, iudicio conſtituto, Q. Roſcius cum Flauio ſine Fannio decîdit. accepit fundum quem* H-S. *centum millium fuiſſe, aiebat Fannius. Anno pòſt teſte & arbitro C. Piſone, Q. Roſcius C. Fannio pro opera, pro labore quòd cognitor fuiſſet, quòd vadimonia obiſſet, certam pecuniam dedit, ea conditione, vt ſi quid ille exegiſſet à Flauio, partem eius dimidiam Roſcio diſſolueret. C. Fannius quum Flauium diu multúmque perſecutus eſſet, neque quicquam (vt ipſe dicebat) ab eo exigere potuiſſet, Roſcium in ius vocat. Iudicium in certam pecuniã,* H-S *ſcilicet quinquaginta millium, à Prætore poſtulat: & actionem quæ Certi condictio vocatur, impetrat, hanc afferens cauſam, Quia quodcunque ſibi petit ſocius, id ſocietatis fit:* H-S *centum millia Roſcius à Flauio exegit, eorum partem dimidiam ad ſe pertinere. M. Tullius Q. Roſcium hac oratione defendit. demonſtrat ſocium, niſi cognitorem datum, partem alterius petere non poſſe: ac multò minus de ea tranſigere: atque hoc idem Fannium ipſum indicaſſe, qui tranſactione à Q. Roſcio facta, nihilominus Flauium perſequutus eſt, Roſcióque etiam repromiſit partem eius quod exigeret dimidiam. hoc amplius,* H-S *centum millia à Flauio exegiſſe. Sed initio orationis non ſtatim ingreditur in cauſam. Diſputat enim, malè Fannium egiſſe. neque enim incertam pecuniam ad Iudicem peti. hanc autem vel ipſius Fannij confeſſione incertam eſſe: quippe quam ad arbitrum antea petierit. ad arbitrum autem incertam pecuniam peti. Cauſa priuata eſt. ſtatus iuridicialis Intentio: debes mihi* H-S. I Ɔ ƆƆ *: iis de cauſis quas ſuperius expoſui. D. non debeo. Q. an debeat. Ratio: quia non ſocietatis, ſed meo priuato nomine tranſegi. Firmamentum: At quod ſocius à debitore exigit, id non ſibi, ſed ſocietati exigit. Diſceptatio an ſocius cum debitore ſocietatis tranſigere, niſi pro tota ſocietate, non poſſit. agitur apud C. Piſonem Iudicem à Prætore datum: cui M. Perpenna, vir Conſularis in conſilio adeſt. Quibus Conſulibus acta ſit, non reperio. Facilè tamen ante ſuperiorem actam eſſe duabus hiſce de cauſis exiſtimarim. Primùm, quia conſtat acta ſuperiore cauſa continuò Tullium in Græciam metu L. Syllæ profectum eſſe. Deinde quòd Macrobius ſcribat Roſcium à L. Sylla Dictaturam gerente, aureo annulo donatum. quod quum ad Roſcij laudem vel maximè pertineret, mihi veriſimile non ſit Oratorem, ſi iam tum id factum fuiſſet, prætermiſſurum fuiſſe.*

COMMENTARIVS.

Multa quæ deſunt quærenda. Deeſt principium, narratio, partitio & prima pars confirmationis in qua quid demonſtratum ſit ex ſequẽtibus intelligetur: nimirum pecuniam quæ hoc iudicio petitur adnumeratam non fuiſſe.

Vir optimus, & ſingulari fide præditus. C. Fannius. & εἰρωνικῶς dicitur. vt pro Quinctio ſupra Ve-

A reor ne ſe derideri putet, cùm iterum iam dico Optimus.

Quis ſuo iudicio. In ſuo iudicio, Aldinus, & omnes ſcripti libri. quod verum puto.

Tabulis ſuis. Moris erat vt patresfamiliarum, quæcunque per ſingulos dies aut acciperent, aut expenderent, ea primùm properè ac feſtinanter

in

in codicem memoriæ cauſa paratum, referrent, quę Aduerſaria dicebantur: deinde per otium in aliis tabulis ordine & accuratè perſcriberent. eas tabulas accepti & expenſi nominabant: de quibus Cicero in Cluentiana ſic ſcribit, Confecit tabulas diligentiſſimè. hæc autem res habet hoc certè, vt nihil poſſit neque additum, neque detractum de re familiari latere. De earum tabularum fide Cenſores cùm vrbem luſtrarent, patresfam. iuſiurandum (vt ait Dionyſius lib. 4.) interponere iubebant. Nam ex iis vniuſcuiuſque ciuis cenſum æſtimabant. Tabulas autem qui in poteſtate patris erant, nullas conficiebant: vt ex Orat. pro Cælio intelligitur.

Per tabulas hominis honeſti. Vt ſiue ab eo qui mihi pecuniam debebat, pecuniam meo iuſſu accipias.

Expenſam tulerunt. Id eſt, In tertij tabulas referri, ac perſcribi iuſſerunt, expenſam tibi ab ſeſe pecuniam fuiſſe. Moris erat, vt ſi cui quid expenſum ferretur, creditor non modò in vtriuſque, verùm etiã in aliquot aliorum tabulas id referendum curaret, quo res cautior eſſet. Seneca lib. de benefic. III. vtinam nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaret: nec pacta conuentaque impreſſis ſignis cuſtodirentur: fides potius illa ſeruaret, & æquum colens animus. Adhibentur ex vtraque parte teſtes. Ille per tabulas pluriũ nomina interpoſitis parariis facit. Ille non eſt interrogatione contentus, niſi rem manu ſua tenuit. Expenſam autem dicimus, vt adnumeratam, creditam, diſſolutam. Ære enim graui, & libra in eo tradendo Veteres vtebantur. vnde Expenſa in rationibus ſemper poſtea dicta ſunt, & Prima penſio, ſecunda, & ſiqua alia. Item Diſpẽdium, & Compendium. hæc ex Varrone, & Plinio.

Falſum perſcriberent nomen. Nomen eſt quodcunque in tabulis refertur, inſcripto eius, cui vel acceptum, vel expenſum fertur, nomine. Plautus in Curculione, LYCO trapezita, Noui Ædepol nomen. nam mihi iſtoc nomine, Dum ſcribo, expleui totas ceras quatuor. ET PERSCRIBERANT, rectè: quum in aliis omnibus Perſcriberem vitioſè legatur.

Sibi expenſum ferri. Id eſt, quod ipſe Roſcius iuſſiſſet. Planius autem ita dixiſſet: Quod ſibi ille acceptum ferri iuſſiſſet? nam conſtat moris fuiſſe. vt creditor in ſuis tabulis expenſum debitori ferret: Debitor contra in ſuis, acceptum illi referret.

Et eius qui falſum perſcripſit. Nihil muto: venit tamen in mentem VT pro ET dici frequentius.

Secundum illum iudicetis. Iudicat vnus C. Piſo: cui qui in conſilio aſſident vtpote iniurati, propriè non iudicant. Impropriè igitur hoc verbo eſt vſus.

Paulò antè à M. Perpenna P. Saturi tabulas poſcebamus. C. Piſo Iudex fuit huius iudicij. Ei in conſilio adfuit M. Perpenna, vt dicemus ſupra, in illum locum, Nam tibi M. Perpenna, C. Piſo certè tanti non fuiſſet, &c. Quo in loco (vt apparet) aſſeſſor priore loco nominatus eſt: quo modo hic quoque factum arbitramur: vt verbum Saturi pro Argentarij poſitum ſit. Argentarium autem eum ſignificat cuius opera in aliqua earum tranſactionum, de quibus poſtea dicet, vſi ſunt. nam ad argentariorum tabulas qui tabernas in foro habebant, iſtiuſmodi pactiones pecuniarum fieri ſolitas, patet ex Orat. pro Quinctio, pro Cæcina, & aliis locis. Locum igitur hoc modo reſtituendum putamus, Paulo antè M. Perpenna, C. Piſo, argentarij tabulas poſcebamus. Nam A particula quæ verbis illis M. Perpenna antecedit, abeſt ab omnibus veteribus & manu ſcriptis & impreſſis libris. Præterea P. Saturium non eſſe hoc loco appellatum à Tullio, illud coniecturam affert, quòd ſuprà, primũ eum tum demũ appellare videtur, quid, ait, tu Saturi, qui contra hunc venis, exiſtimas aliter? &c.

Non conficit tabulas? Hoc pronuntiatur à perſona Chæreæ ad Iudices conuerſo vultu. vt ſit ſenſus, Fortaſſe quæratis an tabulas non conficiat. nam illo loco, Quomodo tibi tanta p. ext. iacet? rurſus aſpectus in Chæream conuertitur.

Leue & tenue hoc nomen H-S CCCIↃↃↃ *ſunt?* Nomen quinquaginta duntaxat millium eſſe debebat, non centum. ſed elate hoc dicitur quod centum millia Roſcius à Flauio accepiſſet, vtriuſq; nomine, vt Fannius quidẽ dicebat: vt Roſcius, ſuo ſolus.

H-S CCCIↃↃↃ. Valerius Probus in libello de notis antiquis, & Priſcianus in eo quem de ponderibus & menſuris inſcripſit, docent his notis CCCIↃↃↃ ſignificari Centum millia, his verò CCIↃↃ, decem millia. illis IↃↃ, quinque millia. Priſcianus quidem bis literis IↃↃↃ quinquaginta millia: vterque verò (vt modò diximus) illis ſuperioribus CCCIↃↃↃ centum millia. Quæ quum ita ſint, & quales antiquæ notæ fuerint tam facilè ex his notis intelligi exiſtimarique poſſit: id certè doctiſſimis illis viris in mentem non veniſſe valde miror. niſi fortè, quod mihi magis veriſimile videtur, eorum libri, ac notæ deprauatæ ſunt. Nam ſi in augendo totidem ad læuam adiectæ C literæ, vel apoſtrophi (vt Priſcianus vocat) quot antè ad dextram fuerant, priorem numerum altero tanto multiplicant: dubium, opinor, non erit quin demendis vtrinque iiſdem literis contrà atque in augendo vſu veniat. quod ipſi quoque in vtriſque illis numeris verum eſſe oſtendunt. Docent enim & IↃↃↃ quinquaginta millia deſignare, & CCCIↃↃↃ centũ millia, ac ſimiliter IↃↃ quinque millia: CCIↃↃ verò, decem millia. Quod ſi ita eſt, profectò non modò hæc nota IↃↃↃↃ quingenta millia ſignificabit: illa verò CCCCIↃↃↃↃ, decies centena millia: verumetiam illa IↃ quingenta, hæc verò CIↃ millenarium numerum. vt ex illa obſeruatione intelligitur, quòd quantum augetur numerus adiectis literis, tantundem ademptis minuitur. Ex quo illud etiam exiſtimare poſſumus, quas notas vulgò pro quingentis & pro mille vſurpari ſcribunt, D ſcilicet & ∞: eas notas pro illis germanis IↃ & CIↃ vulgo vſurpatas eſſe. Nam quòd corruptas quidam arbitrantur poſteriorum imperitia fuiſſe, hoc ex monimentis antiquiſſimis falſum eſſe apparet: in quibus & D pro quingentis, & CIↃ pro mille ferè inuenitur. vt etiam CD pro quadringentis plurimum reperiatur. quod D pro quingentis vſurpari ſolitum oſtendit. nam ſi IↃ tantùm ſcriberetur, præpoſita litera C millenarium numerum efficeret. Vtcunque autem ſe res habeat, illud eſt certè ſine controuerſia quod paulo antè diximus: & IↃ quingentorum, & CIↃ millenarij numeri ſignificationem fuiſſe. quod ex aliarum notarum analogia, de quibus inter Priſcianum & Valerium conſtat, cuiuis licet animaduertere. Sed quoniam de notis numerorum quædam obſeruauimus, ex quibus & quæ ſit ſcribendi antiqua ratio intelligi poteſt, & plerique veterum auctorum loci vitioſè ſcripti, caſtigari: non alienum erit præcepta

quatuor quibus hanc omnem diſciplinam comple-xi ſumus, hoc loco exponere. ſed principio vnam-

I
IIII
V
X
XXXX
L
C
CCCC
IↃ

Prima obſeruatio, Numerorum notæ ſunt quinque ſimplices: reliquæ verò coniunctæ. ſimplices ſunt I, V, X, L, C. Secunda, Hæ notæ alternis tantùm ex ſuo genere multiplicantur: cæteræ nonniſi cum diuerſi generis notis coniunguntur. nam neque plures V, neque plures L, neque aut IↃ, aut cæteræ quæ alternis vicibus ſubſequuntur, ſimul reperiuntur, ſed aut I, aut X, aut inſequentes intermediæ. Sequitur tertia obſeruatio, Multiſicatio non fit ſupra quadruplum: nam in quinto loco noua nota ſuccedit. Hoc notauimus in numeris qui ex ſuo genere multiplicantur. IIII. enim tantùm ſcribuntur, non IIIII. & XXXX. non XXXXX, quum certa nota, & huius numeri propria conſtituta ſit. Quarta obſeruatio, In coniunctione priores augent poſtpoſitæ ſequentibus: præpoſitæ verò detrahũt, hoc modo: I, literæ V poſtpoſita, valet ſex: præpoſita, quatuor. I, poſt X, valet vndecim: ante nouẽ. In antiquiſſimis monimentis IIX valet octo, & VL quadraginta quinque. Sed in vulgatis & paruis numeris facilior eſt cognitio. in maioribus ſanè peccatum eſt in libris veterum, ignorantia librariorum multis locis. vt quum Verrina V, ſic ſcribitur, Modiûm LXX M M M, pro, ſeptuaginta tria millia, ſic enim Latinè & antiquè ſcribi oportuit, IↃↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ. & alibi XVM, pro quindecim millibus. Quum enim nullam eſſe certam notam viderent, quæ hunc numerum indicaret, non animaduerterunt coniungi notas oportere maximorum numerorum, item vt ſuperiores: & in coniunctione priores augere poſtpoſitas ſequentibus. vt ſi hanc notam IↃↃ illi ſequenti CCIↃↃ poſtponamus, efficiemus quindecim millia, & hoc modo CCIↃↃ CCIↃↃ IↃↃ, pro 25000: qua in re vel plurimum in Plinianis numeris peccatum eſt. Sic in maximis numeris priores notæ præpoſitæ ſequentib. tantundem quãtum poſtpoſitæ efficerent, detrahũt quod ex monimentis antiquis intelligitur, in quibus DXC, quingenta nonaginta ſignificat: & DXXC, quingenta octoginta. Hoc poſtremò de notis numerorum intelligendum eſt, quod Valerius Probus etiam oſtendit: lineam alicui numero impoſitam ſignificare millia, quod ex Ciceronis epiſt. ad Attic. quinta & ſexta facilè intellectu eſt. nam pro H-S XXCO, qua nota epiſtola quinta viſus eſt, in ſequenti epiſtola H-S CCIↃↃ CCIↃↃ CCCC ſcripſit. Quo ex loco etiam, veterem hanc notam D, non nouam & ab imperitis cõfictam eſſe, quemadmodum antea dicebamus, perſpicuè conſtat. Atque hæc quidem de notis numerorum. De ſeſtertiis verò eorũmque notis, in libello De re numaria copioſè diximus.

Tanta pecunia extraordinaria. Iam ſuprà diximus, moris fuiſſe vt omnes pecuniæ ordine in tabulas referrentur. & hoc ipſum oſtẽdit ĩ. Quamobrem quum cætera nomina in ordinem referebas,

A quanque notam ſuo ordine atque loco collocabimus.

CIↃ 1000
CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ 4000
IↃↃ 5000
CCIↃↃ 10000
CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ 40000
IↃↃↃ 50000
CCCIↃↃↃ 100000
CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ 400000

B hoc nomen in aduerſariis relinquebas? Obeámque cauſam quæ non erant relatæ, Extraordinariæ ab antiquis vocabantur. Sic idem in Verr. III, Homo ſtultiſſime & amentiſſime, tabulam quum cõficeres, & quũ extraordinaria pecunia crimen ſubterfugere velles, ſatis te elapſurum omni ſuſpicione arbitrabare, ſi quibus pecuniam credebas, iis expenſum non ferres, neque in tuas tabulas vllum C nomen referres? Et Verr. IV, Idem præterea pecunias iſtius extraordinarias grandes ſuo nomine fœnerabatur.

Referre in tabulas timeat. Quia falſum ſit.

Adiurare in litem non dubitet. Iuſiurandum, opinor, illud dicit, quod poſtea Iuriſconſulti iuramentum calumniæ appellarunt. quũ qui aliquem in ius vocat, iurat ſe non malitia, neque falſa fictáque intentione, ſed quia bonam ſe & veram cauſam habere arbitretur, litem intendere. Sed aliud eſt iura-D mentum in litem, de quo iidem Iuriſcõſulti diſputant, quum Iudex propter rei calumniam atq; contumaciam actori quanti litem illam, id eſt aduerſarij iniuriam æſtimet, iurare permittit. de quo quidẽ iuramento loqui Oratorem non arbitror, quum infrà non litis æſtimationem, ſed certam pecuniam quæ ex ſocietate debeatur, à Fannio actione Pro ſocio petitam eſſe demonſtret.

I *In codice accepti & expenſi relatum.* Magis placeret In codicem. vt in multis veteribus, etiam E impreſſis.

In aduerſariis patere contendit. Aduerſaria dicuntur tabulæ ad quotidianum vſum paratæ: in quibus curſim & negligenter ea ſcribimus, quæ pòſt accuratius in certas & perpetuò manſuras tabulas ordine ac diſpoſitè perſcribimus. deductáque ex eo appellatio videtur, quòd ibi ſtatui ſoleant vbi nobis aſſiduè obuerſentur: quaſi aduerſus nos poſita. vnde etiam Aduerſarij dicti, quaſi in quos perpetuò incurramus, vel qui ſe nobis aſſiduè opponant: hoc F enim propriè aduerſari ſignificat. Aduerſaria & Tabulas noſter Verrina 4. ſic expreſſit: Omnia, quæ dicimus, rationibus populorum non interpoſitis, neque perturbatis, neque repentinis: ſed certis inſtitutis, ordine relata atque confecta ſunt.

Diligis & magnificè circumſpicis. Tranſlatum à pauonibus, qui dum aduerſo ſole expanſis plumis frequenter ſe circumſpectant, ac veluti mirantis caudæ gemmãtibus pinnis ſe protegent (vt ille ait) propter G earum ornatum ac ſplendorem, maiorem in modum ſibimetipſis placent.

Memoria tradere literarum vetuſtatem. Literarum vetuſtatem, ſic accipio, literas vetuſtas: & literas vetuſtas, veteſta nomina. Nam literæ, priuatæ tabulæ modò dicuntur: vt Ver. IV & VI, multis locis, ĩ. Hinc illud in Piſonẽ. Quas rationes ſi cognoris, intelliges nemini plus quàm mihi literas profuiſſe:

quem

quem locum alibi explicauimus. Ergo Memoriæ tradere literarum vetuſtatem, hoc ſignificat, conſeruare vetuſta nomina, curare vt eorum memoria in multum tempus perduret.

Apud iudicem. Qui iuriſiurandi religione de vnaquaque re diligentius æſtimanda & perpendenda commoneri debeat.

Hæc ſunt menſtrua, illa ſunt æterna. Hæc ad remotius, illæ ad proximum retulit: præter conſuetudinem Latinæ orationis, quo modo loquutum Ariſtotelem Budæus putauit in IIII. Ethic. ἴδοι δ' ἄν τις καὶ ἐκ τῶν κωμῳδιῶν τῶν παλαιῶν καὶ τῶν καινῶν. τοῖς μὲν γὰρ ἦν γελοῖον αἰσχρολογία, τοῖς δὲ μᾶλλον ἡ ὑπόνοια.

Perpetuæ exiſtimationis fidem & religionem amplectuntur. Qui enim in cenſum adſcribebantur, & tabulas conficiebant, iuſiurandum dabant, ſe bona fide tabulas confecturos: vt ſcribit Dionyſius Hal. li. IV.

Hæc ſunt deiecta. Sic omnes libri veteres. Alij tamen Coniecta, quod planè reiicio. Nam Deiecta ſic accipio, quaſi diſiecta, & permiſtè nullóque ordine poſita, vti ea quæ de ſuperiore loco in inferiorem fortuitò depulſa ac deturbata ſunt. Haud ſcio tamen annon Diſiecta rectius legeretur.

Tamen in codicem. Vſitata defectio. Subauditur enim, Vt tibi hoc concedam & largiar.

In codicem acceptum & expenſum referri debuit. Fortaſſe alibi ſic rectè dicatur, vt ſit ſenſus, Id quod acceptum & expenſum eſt, ſed hoc loco verba hæc ad vocem ſuperiorem Nomen referuntur. Quare Accepti & Expenſi reponendum potius putarem.

Amplius triennium eſt. Nam tantum temporis intercesſit, ex quo Panurgus interfectus eſt, & Roſcius eius nomine H-S CCCIↃↃↃ accepit à percuſſore.

Pecunia tibi debebatur certa. Longa diſputatio, in qua ad ſummam hoc dicit, Malè Fannium egiſſe, qui incertam pecuniam petat ad Iudicem. Incertam autem Fannium ipſum iudicaſſe, quum eandem antè ad arbitrum petierit. nam ad arbitrum nunquam niſi incertam pecuniam peti. Arbitrum autem hoc toto loco etiam eum ſignificat, qui Iudex eſt, ſed in iis iudiciis quæ nunc à Iuriſconſultis vel arbitraria vel bonæ fidei appellantur. in quibus additur EX FIDE BONA. quibus in cauſis iidem Iudices dicebantur & Arbitri, idem Iudicium & Arbitrium, vt diximus in Orat. pro Quinctio. Atque hoc eſt quod idem ait in Muræniana, Iuriſconſultos nondum ſtatuere potuiſſe, vtrum Arbitros an Iudices appellarent.

Legitimæ partis ſponſio. Infrà tertiam appellat. ex quo coniecturam capimus, in litibus quibus pecunia certa petitur, non fieri ſponſionem arbitratu litigatorum, ſed lege conſtitutam, & definitam ſummam fuiſſe: opinor ex Prætorum edictis: quæ leges erant annuæ. Addidit autem In qua legitimæ partia ſ. f. eſt, quo magis oſtenderet, certam pecuniam in iudicium deductam eſſe.

Iudicium eſt pecunia certa. arbitrium incerta. Quid ita? quoniam Iudices (quippe priuati homines) poteſtatem iudicandi nullam, niſi quam à magiſtratu, & qua de re acceperant, habebant. veluti, L. Caſſius Iudex eſto. Si apparet aureos XX Neuio dare oportere Sempronium, eum tantæ pecuniæ condemnato. Poterat L. Caſſius de aureis XX iudicium ſtatuere: de vno minus, aut amplius, non poterat: non accepta ſcilicet à Prætore poteſtate. nam poteſtates & imperia ſunt penes magiſtratus: Iudices autem, priuati (vt diximus) homines erant. Itaque ſi maximè vndeuiginti deberentur, qui tamen XX petita ſunt, petitorem Iudex damnabit. vnde illud vulgatum, vt qui plus peteret, cauſa caderet. Officium ergo Iudicis eſt, conſtituere ſimpliciter, debeantúrne XX aurei, annon debeantur: non autem de aureorum numero arbitrari. Qua de cauſa repræhendit Hippodamum Mileſium Ariſtoteles lib. de Repub. II. qui Iudicibus poteſtatem fecerat, vt reum partim damnarent, partim abſoluerent. οὐ καλῶς δ' οὐδ' ὁ περὶ τῆς κρίσεως ἔχει νόμος, τὸ κρίνειν ἀξιοῦν διαιροῦντα τῆς κρίσεως ἁπλῶς γεγραμμένης, καὶ γίνεσθαι τὸν δικαστὴν διαιτητήν. De iudiciis, inquit, non rectè ſancitum eſt: quum poteſtas ſit Iudici, vt diuidat, id eſt partim condemnet, partim abſoluat, quum purè dica ſcripta eſt, vtq. ex Iudice fiat arbiter. Nam τὸ κρίνειν ἁπλῶς γράφειν, Iuriſconſulti ſic Latinis verbis explicant, Iudiciū ſiue actionem purè intendere. Et paulo pòſt, ἔπειτα πῶς οὐκ ἔσται ταραχῶδες ἡ κρίσις, ὅταν ὀφείλειν ὁ μὲν δικαστὴς οἴηται, μὴ τοσοῦτον δ' ὅσον ὁ δικαζόμενος. ὁ μὲν γὰρ εἴκοσι μνᾶς, ὁ δὲ δικαστὴς δέκα μνᾶς, ἢ ὁ μὲν πλέον, ὁ δ' ἔλασσον, ἄλλος δὲ πέντε, ὁ δὲ τέτταρας, τοῦτον δὴ τὸν τρόπον δῆλον ὅτι μερίζουσιν, οἱ δὲ πάντα δικάζουσιν, οἱ δ' οὐδέν. τίς οὖν ὁ τρόπος ἔσται τῆς διαλογῆς τῶν ψήφων, ἔτι δ' οὐδεὶς ἐπιορκεῖν ἀναγκάζει τὸν ἁπλῶς ἀποδικάσαντα ἢ καταδικάσαντα, εἴπερ ἁπλῶς τὸ ἔγκλημα γέγραπται δικαίως. οὐ γὰρ μηδὲν ὀφείλειν ὁ ἀποδικάσας κρίνει, ἀλλὰ τὰς εἴκοσι μνᾶς ἀλλ' ἐκεῖνος ἤδη ἐπιορκεῖ ὁ καταδικάσας, μὴ νομίζων ὀφείλειν τὰς εἴκοσι μνᾶς. Iam verò, inquit, qui poterit non turbulentum eſſe iudicium? quum deberi quidem Iudex, non tantum autem quantum petitor exiſtimabit. hic enim viginti minas, Iudex verò decem: hic plus, ille verò minus, alius quinque, alius quatuor, atque hoc ſcilicet modo partientur: alij integram ſummam, alij nihil deberi iudicabunt, Quanam igitur ratione diſcerni ac numerari ſententiæ poterunt? Preterea nemo peierare cogit eū qui ſimpliciter damnabit, aut abſoluet, ſi purè lis iure intendatur. neque enim qui abſoluit, nihil deberi iudicat, ſed viginti minas. Is verò peierat, qui quem viginti minas debere non putat, tanti tamen condemnat. hæc ille. Exemplum autem ſubiiciemus. Qui abſoluit reum à quo viginti aurei petuntur, quum decem tantùm deberet, non iudicat nihil deberi, ſed viginti aureos deberi negat. quod verum eſt.

Vt totam litem obtineamus. Corrige, Aut obtineamus, vt in aliis libris. Huius autem rei ipſa verba formulæ teſtimonio ſunt, Aio te mihi dare centum oportere. nam Oportere verbum neceſſitatem ſignificat. ex quo apertè intelligitur, quod Paulus reſpondit in l. Verbum oportere, D. De verb. ſig. ad libera & bonæ fidei iudicia referendum non eſſe. Verbum oportere, inquit, non ad facultatem Iudicis pertinet, qui poteſt vel pluris vel minoris condemnare: ſed ad veritatem refertur. Iudicem enim appellat, quem Arbitrum hoc loco Cicero nominauit, nimirum eum qui in bonæ fidei iudiciis ſedet. quum contrà qui in ſtricti iuris iudiciis ſedeant, hic à Cicerone Iudices appellentur.

Verba formulæ. Formulæ Iudicij ſcilicet, quod à Prætore dari Iudici ſolebat. Et H-S IↃↃↃ. potuit: quòd hæc ipſa eſſet præſentis iudicij data ac præſcripta Piſoni Iudici à Prætore formula. in

hanc enim ſummam ſponſio facta eſt.

Si peteret H-S IↃↃↃ *dari*. Corruptus locus, quem ſic puto corrigendum: SI PATERET H-S IↃↃↃ DARI OP. id eſt, oportere, vt apud Valeriũ Probum in not. antiquis. vt verba ſint formulæ iudicij, & grandioribus literis ſcribantur. Sic Verr. V, Dabat iſte iudicium, SI PATERET iugera eiuſmodi fundi eſſe plura, quàm colonus eſſet profeſſus, tum Xeno damnaretur. Et eadem rurſus Orat. Quærebant quæ in verba Recuperatores daret: reſpondebat, SI PATERET aduerſus edictum feciſſe, quæ in iudicio dicturum eſſe dicebat. Et in Diuinat. 129, Iudicium dat ſtatim, SI PATERET eam ſe & ſua Veneris eſſe dixiſſe. nã & PATERET dicebatur, & APPARET, vt Ver. 4. & PARET, vt in Inſtitut. Iuris libro IIII. cap. de Actionibus. Hanc autem notam OP. quæ Auctore Paulo Diacono, Oportere ſignificat, aut reponendam arbitror, aut certè ſubaudiendam.

Ad libellam ſibi deberi. Libella, idem quod libra, pondo, as valebat. & erat ex argento parua, vt apud Varronem lib. de Ling. Lat. IV. Veteres autem cùm paruam peeuniolam ſignificabant, hoc verbo vtebantur. Cicero Verr. IV, Et quis Volcatio, ſi ſua ſponte veniſſet, vnam libellam dediſſet: Plautus in Pſeudolo,

Tibi libellam argenti nunquam credam, dum ſtrenuas.

Cauſam perdit. Etiamſi vno minus deberetur. Et hoc eſt quod modò dixerat, Directum, aſperum, ſimplex. hoc eſt, præfractè iudicium à Prætore definitur, & quaſi ad viuum reſecatur, vt Iudici ab iis verbis ne tantulum quidem diſcedere liceat. vnde iudicia hæc ſtricti Iuris à Iuriſconſultis appellantur, quòd iis dati Iudices ad certam formulam ac ſummam adſtringantur. Quæ verò ea ſint, docuimus in libello De actionibus.

Mite, moderatum, quantum æquiùs & meliùs. Sic reſtituo, Mite moderatum, QVANTVM ÆQVIVS ET MELIVS SIT DARI: vt verba ſint arbitrij à Prætore dati, & ſubaudiatur, Tantùm dari iubeas, aut aliquid eiuſmodi. In arbitrio rei vxoriæ de repetitione dotis ſoluto matrimonio, formulam hanc fuiſſe ipſe in lib. de Off. III. docet his verbis, Reliquorum autem iudiciorum hæc verba maximè excellunt. in arbitrio rei vxoriæ, MELIVS ÆQVIVS. In Topicis autem, In primíſque in arbitrio rei vxoriæ, in quo eſt QVID ÆQVIVS MELIVS. Ergo hoc pro exemplo poſuit, cùm in aliis addi ferè ſoleret, EX BONA FIDE. vt lib. de Offic. III, Quid ſibi dare facere oporteat ex fide bona. Nam hac formula non certa & definita ſumma petebatur, ſed quantum Iudex bona fide deberi iudicaſſet. Atque hoc eſt quod Iuſtinianus ait ſub tit. De actionibus, In bonæ fidei iudiciis libera poteſtas permitti videtur Iudici ex bono & æquo æſtimandi, quantum actori reſtitui oporteat. Dicebantur autem Bonæ fidei iudicia, conciſa loquutione, pro Iudicia in quibus addebatur, EX BONA FIDE. vt diximus in Orat. pro Quinctio.

Ille tamen. Ille dicit, alium litigatorem ſignificans. alioqui dixiſſet Hic. ſed eum qui arbitrio ageret, deſignat. & TAMEN dixit, cum vſitata defectione. Subauditur enim, Quanquam pecuniæ ſummam aliquam nominet.

Itaque alter. Qui ad arbitrum venit. Confidit enim pluris petitionem non obfuturam: quæ aliis apud Iudicem litigantibus periculoſa eſt.

A *Quæ quum ita ſint*. Cùm in arbitrio nonniſi inniſi incerta pecunia petatur.

De hac pecunia. Certa & definita.

Compromiſſum feceris. In iudiciis ſponſiones, in arbitriis compromiſſa fieri ſolebant. illæ, ni verè actio intenderetur. hæc, ni damnatus arbitri ſententiæ pareret. quid ſit compromiſſum, explicauimus Verrina IIII.

Si pateret. Omnes alij, & ſcripti & impreſſi libri, B SI PETERES? cum interrogandi nota. quod perſpicuè rectum eſt. Senſus eſt enim, Si peteres quantum æquius melius arbitro videretur, quo modo de hac certa & definita pecunia compromiſſum faciebas? Repugnant enim Certam pecuniam petere, & Petere quantum æquius melius. illic Iudex ad certam ſummam adſtringitur, hic arbitro poteſtas permittitur de quauis ſumma pro ſuo arbitratu ſtatuendi.

Eundémne tu arbitrum & iudicem ſumebas? Simul C & vno tempore. quia ſimul & quantum æquius melius eſſet, petebas, & certam ac definitam pecuniam præcisè flagitabas.

Infinitam largitionem. Nam arbitris, vt dictum eſt, certa ſumma non definitur, in qua vel damnent, vel abſoluant: ſed ex æquo & bono poteſtas eis de ea re diſceptandi permittitur. Infinitum autem dixit pro eo quod vulgo dicimus indefinitum.

Et eundem in anguſtiſſimam. Vno tempore. In D eandem rationem Seneca libro De beneficiis III. ſic ſcribit, Melior videtur conditio cauſæ bonæ ſi ad Iudicem, quàm ſi ad arbitrum mittatur. quia illum formula includit, & certos quos non excedat terminos ponit: huius libera & nullis conſtricta vinculis religio eſt. detrahere aliquid poteſt, & adiicere.

De eo ad iudicem veniſti. In quo malè te vtrobique egiſſe oſtendis. nam ſi pecunia incerta eſt, ad Iudicem peti non poteſt: ſi certa, ad arbitrum.

E *Cæteri quum ad iudicem cauſam labefactari animaduertunt, ad arbitrum confugiunt*. Labefactari ſic accipio, vt ſi dixiſſet Labefactatum iri, quemadmodum apud Iuriſconſultos frequentiſſime, ſatis dare iudicatum ſolui, pro ſolutum iri: decem dari, pro datum iri. Neque enim ſi cauſa agi ad Iudicem cœpta eſt, ad arbitrum defertur. Ergo hic ſenſus eſt, Qui animaduertunt fore, vt ſi cauſa ad Iudicem deferatur, euertatur ac labefactetur: malunt arbitrum ſumere. Exemplum extat in Oratione Demoſthe-F nis contra Phormionem, μελλούσης δὲ τῆς δίκης εἰσιέναι εἰς τὸ δικαστήριον, ἐδέοντό μου ἐπιτρέψαι τινὶ, καὶ ἡμεῖς ἐπιτρέψαμεν Θεοδότῳ ἰσοτελεῖ κατὰ συνθήκας, Et aduerſus Apaturium, ἐπεγνωκότες δ᾽ αὐτοὶ τὴν δίκην, πεισθέντες ὑπὸ τῶν παρόντων εἰς ἐπιτροπὴν ἔρχονται. καὶ γράψαντες συνθήκας ἕνα μὲν διαιτητὴν κοινὸν Φωκρίτῳ πολίτην αὐτῶν, ἵνα δ᾽ ἑκάτερος παρακαθίζετο, οὗτος μὲν Ἀριστοκλέα Οἶηθεν, ὁ δὲ Παρμένων ἐμέ. Sed qui ſemel iudex datus eſt, arbitrium recipere eius rei de qua Iudex eſt, ſiue ſe compromitti iubere, lege G Iulia prohibetur. l. 9. D. de arbitr.

Ad Iudicem venire eſt auſus. Quum tamen malam cauſam haberet. nam malæ cauſæ ad arbitrum melior eſt conditio: vt ex Seneca paulò ante docebamus. Quod autem ab arbitro vetitum ad iudicem Orator ſcribit, obſeruandum eſt. Nam commiſſum fuiſſe compromiſſum Paulo videtur in

tur in l. ſi quis 30. D. de arbitr. Si quis ait rem de qua compromiſſum ſit, in iudicium deducat, quidam dicunt, prætorem non interuenire ad cogendum arbitrum ſententiam dicere: quia iam pœna non poteſt eſſe, atque ſi ſolutum eſt compromiſſum. Sed ſi hoc obtinuerit, futurum eſt vt in poteſtate eius quem pœnitet compromiſſi, ſit compromiſſum eludere Ergo aduerſus eum pœna committenda eſt: litis apud iudicem ſuo ordine habendæ. Hæc Paulus. vtrum igitur Fannius compromiſſum amiſerit an non, cum id certi iuris non fuerit, incertum eſt.

Iudicauit ſibi pecuniam non deberi. Iudicauit, omnes alij libri: quod magis placet. nam Iudicare, fateri & oſtendere plerunque ſignificat, vt in Orat. pro Quinctio, non vno loco. Senſus autem hic eſt, Quum ad arbitrum hanc pecuniam petiit, apertè oſtendit ſibi pecuniam certam non deberi: nunc autem eandem pecuniam petit. Incertam igitur pecuniam malè ad Iudicem petit.

Expenſum tuliſſe non dicit. Indicat tres obligationes ex quibus certi cunrentio naſcitur Re, nominibus & ſtipulatione, Nam ex actu incerto ad arbitrum datur actio. Expenſum ergo tuliſſe, & Adnumeraſſe non idem ſunt: nam quę pecunia mutuò datur, adnumerari dicitur. mutuum enim, inquit Paulus, non poteſt eſſe, niſi proficiſcatur pecunia. eiúſque nomine chirographum, id eſt pecuniæ cautio fiebat. quod verò nun in pecunia numerata debetur, expenſum in tabulas refertur. vt ſi ſocius HS CCIↃↃↃ ſocietatis nomine ſeruum emerit, ſocio ſuo IↃↃↃ expenſa referet. De ſyngrapha verò, & obligatione quæ nominibus fiebat, dixi copioſè Verr. III.

Præterea enim quemadmodum certam pecuniam petere poſſit, non reperio. Eadem partium enumeratio eſt apud Agellium, cap. 11, lib. XIV. ſed paulo aliis expreſſa verbis. Is tamen, inquit, cum ſuis multis patronis clamitabat, probari apud me debere pecuniam datam conſuetis modis: expenſi latione, menſæ rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obſignatione, teſtium interceſſione. Nam menſæ rationem Argentariorum tabulas intelligit, quæ expenſi latione cótinentur: de quibus dixi ſuperius. Chirographum autem & tabulas debitoris ſigno conſignatas, Adnumerationis verbo, Cicero complexus eſt: teſtium interrogationem, Stipulationis. Quare hic locus diligenter iuris ſtudioſis notandus atque obſeruandus eſt: qui tribus tantùm cauſis certam peti poſſe pecuniam oſtendit: nimirum ex obligationibus quæ vel re vel verbis vel literis contrahuntur. vnde tractatus apud Iuriſc. Si certum petatur. Nam Bonæ fidei iudiciis incerta petitur: quum Iudici, vt Iuſtinianus ait, poteſtas permittatur, ex æquo & bono æſtimandi quid cuique debeatur.

Stipulatus es. De ſtipulationis etymologia, formula, vi & effectu, vide in Comment. noſtro de verb. ioris.

Cum tertia parte ſponte facta eſt. Proxima pagina legitimam partem appellauit. In petitione igitur certæ pecuniæ non arbitratu litigatorum ſponſiones fiebant, vt in aliuſmodi cauſis, ſed lege præſcriptæ ac definitæ fuerunt.

Et reus is eſt. Ita probo: quum in aliis vitioſiſſimè legatur, Et res eius eſt, cuius.

Aduocatio ea eſt. Iam ſuprà dixi, moris fuiſſe in iudiciis tum priuatis, tum publicis, vt litigatores cum patronis amicos adducerent, quorum præſentia & gratia cauſam ſuam apud Iudices adiuuarent.

In hanc formulam. Iudicij, quæ tibi C. Piſo à Prætore præſcripta eſt. quæ quanuis facilis ſit & expedita, neque à me longiore oratione explicanda eſſe videatur, tamen perinde ac ſi difficilliſima quæque iudicia, & arbitria obſcuriſſima de cauſa conſtituta in ea formula concluſa eſſent, ita longa vtemur explicatione.

Iudicia legitima. Quibus lege agi dicebatur.

Omnia arbitria honoraria. Arbitri appellantur Honorarij, opinor ex eo quòd honoris cauſa arbitrium ad eos defertur. vnde Honoraria huiuſmodi amicorum opera appellatur in Orat. pro Cæcina: quoniam, vt Vlpianus ſcribit, qui arbitrum ſumunt, quaſi virum bonum eum diſceptatorem inter ſe deligunt. nam Honos, vt ſcribit Varro, quaſi honeſtum onus, Itaque Honeſtus dicitur, & Honoratus, quaſi Oneratus: qui ſuſtinet Rempu. Cicero de Fato, Ac mihi quidem videtur, quum duæ ſententiæ fuiſſent veterum Philoſophorum, Chryſippus tanquam arbiter honoratius, medium ferire voluiſſe. Et lib. Tuſcul. V, Quorum controuerſiam ſolebat tanquam honorarius arbiter iudicare Carneades. An potius hoc modo: quoniam arbitrorum duo ſunt genera, vt Proculus ſcribit, in l. Societatem, D. pro ſocio: & alij à Prætore dantur, qui litium ſcilicet cauſa ſumuntur: alij non dantur, vt quum dicimus Arbitratu L. Titij inſulam ædificate ſpondes? tum enim boni viri arbitrium comprehenſum eſt: ij quidem qui à Prætore dantur, Honorarij appellantur, quòd ab eo qui honorem gerit, ſumpti ſint. quomodo ius Honorarium Iuriſconſulti interpretantur, & actiones honorarias item ſucceſſiones honorarias.

Omnia officia domeſtica. Si agretur in hoc iudicio de maximis quibuſque officiis, qualia ſunt quæ domeſtici & cognati inter ſe debent.

Quæ ex ſocietate debeatur? Hoc Fannius cóſirmabat, quum diceret Roſcium Panurgi nomine, qui vtriuſque illorum communis erat, pecuniam accepiſſe, quam inter illos diuidi, ex ſocietatis partibus oportebat. Non eſt tamen hæc actio Pro ſocio, vt multis es locis intelligitur: quum enim actio Pro ſocio bonæ fidei ſit, patet tamen hanc ſtricti iuris eſſe, vtpote Certi condictionem.

Fiducia, tutela, ſocietatis. Fiducia eſt contractus quo fidem alterius ſequuti, rem ei aliquam ſimulandi tantùm cauſa mancipamus. veluti, vult aliquis filium ſuum ex manu poteſtatéque ſua dimittere. Lex eum iubet alteri filium ſuum mancipare ac vendere, nummúmque ab illo accipere: vt poſtea filius ille ab emptore, quaſi ſeruus emptus, manumittatur. Hæc venditio, Fiducia dicitur, quia non verè nec ex animo facta eſt, ſed ea ſpe ac fiducia tantùm vt emptor illum manumittat. vnde etiam Fiduciarius pater, emptor ille appellatur. Nomen autem Fiducia ex eo inuenit, quòd pater verus alia re nulla fretus quã fide ac probitate emptoris, filium ei ſuum mancipat. Quòd ſi viciſſim pater ille fiduciarius venditum ſibi filium naturali patri remancipet ac vendat, tum Fiducia contracta, id eſt vltro citróque facta dicetur: quia non vera venditio hæc eſt, ſed ad ſpeciem facta duntaxat, & ea

ſpe ac fiducia, vt eum pater verus manumittat. ita enim emancipati filij ſui, ſi inteſtatò deceſſiſſet, pater hæres futurus erat. Hæc autem à nobis eo fuſius explicata ſunt, quòd illa neminem eorum qui hac ætate ius ciuile interpretati ſunt, in iis quidem libris quos legimus, adhuc animaduertiſſe comperiebamus. Boetius autem in Topica Ciceronis aliud exemplum exponit Fiduciæ, quod ſubſcribemus. Fiduciam accipere dicitur is cui res aliqua mancipatur, ita vt eam aliquando mancipanti remancipet. veluti ſi quis tempus dubium timens, amico potentiori fundum mancipet, vt ei, cùm tempus quod ſuſpectum eſt, prætererit, reddat. hæc mancipatio, fiduciaria dicitur, idcirco quòd reſtituendi fides interponitur. hæc ille. Cicero autem pro Flacco, exemplum Fiduciæ protulit, quæ pignus tantummodo ſignificat. qua in re Paulus Iuriſconſultus in Sententiis hoc nomen crebrò vſurpat. Adoleſcens enim pecuniam fœnore acceperat, ſic vt pro ea pecunia fundum ſimulatè mancipaſſet, ea ſcilicet lege, vt ſi intra certum diem pecuniam redderet, ipſi fundus redderetur. Pecuniam, inquit, adoleſcentulo grandi fœnore, fiducia tamen accepta, occupaſti. Hanc fiduciam commiſſam tibi tenes hodie, ac poſſides. Id eſt, quia intra præſtitutum tempus perſoluta tibi non eſt pecunia, ſtipulatio commiſſa eſt: hoc eſt, commiſſum eſt, ad quamobrem fundus ſit tuus. Fiduciam igitur dare tum dicimur, quum eius fidem qui nobis iure ciuili obligari non poteſt, ſequimur (qualia ferè Fidei commiſſa olim fuerunt: tametſi non eadem prorſus ratio eſt) vt rectè Maiores eum qui fiduciam violaſſet, ſummum admiſiſſe dedecus exiſtimarint. Ad cuius enim fidem is confugiet, qui per eius fidem læditur, cui ſe commiſerit? vt ipſe ſcribit in Orat. pro Sex. Roſcio. De Fiducia autem dictum eſt etiam in Orat. pro Cæcina.

Et ſocium fallere. De ſocietate, in Orat. pro Sext. Roſcio, ſuprà.

Dabit enim nobis iam tacitè vita acta in alterutram partem firmum & graue teſtimonium. Hunc locum ipſe in Syllana luculenter tractat his verbis, Omnibus in rebus, Iudices, quæ grauiores maioréſque ſunt, quid quiſque voluerit, cogitarit, admiſerit, non ex crimine, ſed ex moribus eius qui arguitur, eſt ponderandum. neque enim poteſt quiſquam noſtrum ſubitò fingi. neque cuiuſquam vita repentè mutari, aut natura conuerti. Et hoc ipſum eſt quod ſcribit Iuuenalis Satyra II, nemo repente Fit turpiſſimus.

Audacter dico. Nam elatè loqui videtur, & oratoriè, cùm plus fidei in Roſcio ineſſe dicit, quàm artificium in eo tantum artis & diſciplinæ ſit, quantum in nullo alio poſt hominum memoriam fuiſſe creditur.

Plus veritatis. Bonitatis, probitatis. quod ſæpe alibi commonſtratum eſt.

Ita digniſſimus eſt. Ita pro Adeò, cum ſuperlato verbo poſitum reperio in Orat. pro Seſtio, Cuius ſententiam ita frequentiſſimus Senatus ſequutus eſt, vt vnus diſſentiret hoſtis. Sed hoc in loco, ordo (vt mihi videtur) & ſenſus hic eſt, Qui digniſſimus eſt ſcena propter artificium, ita tamen vt digniſſimus ſit curia propter abſtinentiam. Curia autem pro Senatu, figura vulgò nota. Cùm igitur Hiſtrionia turpis haberetur, Senatores eſſe hiſtriones non poterant. In hanc ſententiam de hoc ipſo Roſcio multa in Orat. pro Quinctio ſuprà. Locum autem hunc Auguſtinus in libro I. De conſenſu Euangeliſt. ita profert: Nónne Cicero cùm Roſcium quendam laudaret hiſtrionem, ita peritum dixit, vt ſolus eſſet dignus qui in ſcenam deberet intrare: ita virum bonum, vt ſolus eſſet dignus, qui eò non deberet accedere. quid aliud aperiſſimè oſtendens, niſi illam ſcenam eſſe tam turpem. vt tanto minus ibi eſſe homo deberet, quanto magis fuerit vir bonus?

Crimen gratia concedebas. Crimen, criminationem: vt ſæpe aliàs. Gratiæ, C. Fannij, cuius in gratiam Roſcium accuſabas.

Aliquem timidum. Qui de ſocio, à quo fraudaretur, queri non auderet.

Dementem. Qui ſe fraudari ſentiret, non animaduerteret.

Diuitem. Qui non tanti faceret pecunia fraudari, quàm litium & iudiciorum moleſtiam ſuſcipere.

Inertem. Qui de ſuo iure decedere, quàm litigare mallet.

Nactus eſſet. Roſcius.

Qui experiri non poſſet. Experiri quid ſit, iam ſuprà dictum eſt in Oratione pro Quinctio.

Incredibile eſſet. Propter ipſius vitam ab eiuſmodi ſuſpicione planè abhorrentem.

Vos qui noſtis, Vos qui vtrunque noſtis, ſententia poſtulat, & ſic puto corrigendum.

Nónne ipſum caput & ſupercilia illa penitus abraſa. Caput & ſupercilia radere, moris fuit quibuſdam calorem ægrè & moleſtè ferentibus. Iulius Cæſar etiam velliſſe capillos dicitur. Suetonius, Circa corporis curam moroſior, vt non ſolùm tonderetur diligenter ac raderetur, ſed velleretur etiam, vt quidam exprobrauerunt: caluitij verò deformitatem iniquiſſimè ferret, ſæpe obtrectatorum iocis obnoxiam expertus. P. Scipio Africanus apud Gellium lib. VII, Nam qui quotidie vnguentatus aduerſum ſpeculum ornetur, cuius ſupercilia radantur, qui barba vulſa fœminibúſve ſubuulſis ambulet, &c. eúmne quiſquam dubitet, quin idem fecerit quod cinædi facere ſolent? Sed Cicero quę Fannius mollitiæ & delitiarum cauſa fecerat, quia deformitatem afferebant, oratoriè impudentiæ ſignum interpretatur.

Nónne ab imis vnguib. ad verticem ſummum Sic Plaut. in Epidico, STRATIPHOCLES, Contempla Epidice, vſque ab vnguiculo ad capillum ſummum.

Si quam coniecturam. Quæ fuit opinio quorundã, quos adeo φυσιογνώμονας Græci appellant, qui ſe profitebantur hominum mores naturaſq; ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere.

Ballionem illum improbiſſimum. Notiſſimum lenonem ex Pſeudolo Plauti, Comœdia cæterarum omnium facilè principe.

Niſi fortè quod præclarè. Salſè & contumelioſè dictum. & eſt ſenſus, Roſcius tum quàm optimè lenonem agit, cùm Chæream optimè imitatur: quia perſona illa impura & lutulenta in huius vita & moribus expreſſa eſt. imitari autem ſimilium eſt. quare ſui ſimilem, qui ſe imitaretur, Roſcium exiſtimauit. Hæc Turnebus. Sed videamus ne ad Chæream hæc nullo modo referri poſſunt, quem aut hiſtrionem fuiſſe aut lenonem perſonam agere conſueuiſſe, nulla vt opinor in hac oratione litera ſignificatur.

Plauti

Plauti autem locum de pileo perſpicuum eſt ad eum morem pertinere quo radi ſerui ſolebant cum accepto pileo libertatem aſſequebantur.

Et Fannium quicquam per ſe bonitate amiſiſſe. Omnes libri conſentiunt: ego contra omnium auctoritatem PER SVAM BONITATEM, reſtituo, ſententia poſtulante, quam libris omnibus facilè antepono. nam Bonitatem ἐνδεῶς modò dicit, & εἰρωνικῶς loquitur..

Ait, propter ipſa. H-S I Ↄ Ↄ Ↄ. Id eſt, tantùm ob lucrum & quæſtum.

Nam tibi M. Perpenna, C. Piſo. Cùm anteà C. Piſonem apertè huius iudicij Iudicem appellarit, apparet M. Perpennam ei in conſilio adfuiſſe. vt moris erat Iudicibus aduocare Iuriſperitos, quorum conſilio in re diſceptanda vterentur. ſicut in cauſa P. Quinctij, C. Aquilius L. Lucullum, P. Quintilium, & M. Marcellum aduocauit Sed M. Perpennam priore loco nominat, opinor ob eam cauſam, quòd ampliſſimis honoribus vſus eſſet. Eum enim fuiſſe puto qui fuit Conſul cum P. Clandio, annos ab hinc ad quatuordecim, & à quo poſtea Sertorius interfectus eſt. Roſcium principibus quibuſque ciuitatis, in his etiam L. Syllæ, & L. Catulo gratioſiſſimum fuiſſe ita notum eſt, vt teſtimonia proferre putidum videatur.

Imò in ſuis nummis Verſabatur. Perſpicuè rectum: cùm in alijs propè omnibus, Summis pro Nummis vitioſè ſcriptum ſit. & hanc lectionem ſimilis locutio confirmat Verr. VI, infrà, Non modò in ære alieno nullo, ſed in ſuis nummis multis eſſe, ac ſemper fuiſſe.

Facere Voluit. Mendum typographi: corrige Noluit.

Si poteſt Dionyſia. Nota ſaltatricula: cuius nomine oratorem Hortenſium Torquatus appellabat. Gellius lib. I. cap. V.

Illa propria. Id eſt, ſine controuerſia, ſine iudicio.

H-S ſexagies. De hac locutione dixi in Orat. pro Sex. Roſcio. Hæc autem ſumma ſuperioſem ſummam trecentorum millium decies repetitam altero tanto exuperat. tricies enim illa annis decem tantummodo conficit: hæc in annos ſingulos H-S ſexcenta millia. I. IↃↃↃↃ CCCIↃↃↃ. neque equidem quemadmodum hunc nodum expediam, coniectura aſſequi poſſum. nam quod apud Plinium lib. VII legimus, H-S quingenta millia annua meritaſſe Roſcium: valde etiam incertum eſt. cùm, vt Budæus quoque admonuit, in plerìſque non Quingenta, ſed CCCL ſcriptum ſit. Macrobius autem lib. Satur. III de Roſcio ſic ſcribit, Tanta autem fuit gratia & gloria, vt mercedem diurnam de publico mille denarios ſine gregalibus ſolus acceperit. quæ ſumma ſingulis annis H-S efficit CCCCIↃↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ ſuprà IↃↃↃ CCIↃↃ, id eſt, quatuordecies ſexaginta millia H-S: vt ille locus ſuperioris paginæ mihi valdè lubricus & incertus eſſe videatur.

Sunt formulæ de omnibus rebus conſtitutæ. Ex Legibus XII tabularum Actiones compoſitæ ſunt quibus inter ſe ciues R. diſceptarent. quas actiones ne populus prout vellet inſtitueret, certas & ſolennes eſſe voluerunt: & appellabatur hęc pars iuris, Legis actiones. Has apud Pontificum colle-

A gium erant: ex quibus conſtituebatur, quis quoque anno præeſſet priuatus. & ferè populus annis propè centum hac conſuetudine vſus eſt. Poſtea cùm Appius Claudius compoſuiſſet, & ad formam redegiſſet bas actiones, Cn. Flauius ſcriba eius, libertini filius, ſurreptum librum populo tradidit. Augeſcente ciuitate, qui præerant, quædam agendi genera compoſuerunt. Nec poſt multum temporis ſpatium Sex. Ælius actiones compoſuit: & librum populo dedit, qui B appellatur Ius Ælianum. hæc Pomponius, cap. de Origine iuris. Non modò autem ex duodecim tabularum Legibus formulæ conceptæ ac proditæ fuerunt, verùm omnibus etiam ex Legibus quæ poſtea latæ ſunt. veluti ex lege Aquilia, Rhodia, Cornelia, Voconia, & ſimilibus. quas actiones, Legitimas Vlpianus appellat in l. Qui ſeruandarum, D. De præſc. verbis. tum præterea conſenſu populi, ex placitis Iuriſconſultorum, vt illa De dolo malo formula, quam Cicero euerriculum C malitiarum omnium appellat. Quinetiam Prætores quarum rerum noua in edictis iudicia conſtituebant, earum rerum formulas atque actiones certas inſtituere ſolebant: vt teſtatur hic ipſe Verr. V. his verbis, A L. Metello vt ex edicto iudicium daret in Apronium, QVOD PER VIM, aut metum abſtuliſſet (quam formulam Octauianam & Romæ Metellus habuerat, & habebat in prouincia) non impetrat. Omnium autem, quocunque ex iure profectæ eſſent, formularum quaſi D diſpenſator quidam, atque adminiſtrator vrbanus Prætor erat: vt qui iudicio vellet contendere, is eius iudicij actioniſque formulam ab illo poſtulare cogeretur. In quo non paruæ ſæpe apud Prætorem contentiones exoriebantur, cùm an huic, an cum boc, an hac lege, an apud hunc, an boc tempore (vt Fabius ſcribit) liceret agere, diſceptaretur. nam ſi quis formula cecidiſſet, id eſt non eam qua agere debebat poſtulaſſet, cauſa cadebat: vt ſcribit Cicero lib. de Inuen. II, Ita ius ci- E uile, inquit, habemus conſtitutum, vt cauſa cadat is, qui non quemadmodum oportet, egerit. Prætor antem, ſi modò idoneam atque appoſitam actor formulam poſtularet, quamuis eam dari non æquum eſſet, recuſare tamen non poterat. Quomodo enim? an cùm adminiſtrator iuris eſſet, id quod ius largiri atque impertiri iubebat, recuſaſſet? Quapropter ſi domum quam ex mea materia in Titij fundo conſtructam poſſideo, Titius (vtpote ipſius iure ciuili dominus) petere velit, a- F ctionémque (pretium tamen materiæ non offerens) à Prætore poſtulet, quam lex XII tab. dominis ad res ſuas vindicandas dedit, SI PARET HANC DOMVM EX IVRE QVIRITIVM MEAM ESSE: quamuis iniquum id videatur, recuſare tamen illi Prætor nec actionem nec iudicium poterit. quippe cùm ius actor poſtulet, id eſt quod ſibi à legibus conceſſum ac permiſſum eſt. Hanc tamen iuris acerbitatem ita Prætor leniet, vt Iudicem à ſe datam, ſi dolo malo actorem vti co- G gnouerit, reum abſoluere iubeat. Exceptionem enim adiiciet, EXTRA QVAM ſi dolo malo Titium vſum appareat. Atque hoc eſt quod ait eodem in loco Cicero, Prætoris exceptionibus multæ excluduntur actiones. Ac de formulis quidem hactenus. Cùm autem eiuſmodi aliquod negotium exortum eſſet, cuius certa nondum eſſet in-

ſtituta formula: aut Prætor ipſe de controuerſia cognoſcebat, aut ſubſidiariam actionem dabat, quæ modò Vtilis, modò In factum præſcriptis verbis dicebatur. cuius rei exemplum Vlpianus in Titulis oſtendit. Cùm enim fideicommiſſa Leges improbarent, quippe quæ clam iis relinquerentur, quibus apertè Legibus non licebat, actionem ſcilicet eorum nomine ac formulam Leges nullam inſtituerant. quapropter vbi conſtitutum eſt vt Fideicommiſſa valerent, Vlpianus ait ea non per formulam peti conſueſſe, ſicuti legata: ſed cognitionem Romæ quidem fuiſſe Conſulis, aut Prætoris qui Fideicommiſſarius vocabatur: in prouinciis verò, Præſidum prouinciarum. Quod tamen cùm magno in litium numero fieri non poſſet, Prætor quidem Romæ, in prouinciis verò Præſides, aut Proconſules, actionem plerunque Vtilem actori concedebant, Iudicémque aut Recuperatores dabant qui de ea controuerſia cognoſcerent Eſt autem Vtilis actio, quæ cùm alia de cauſa inuenta atque inſtituta ſit, aliam tamen in cauſam atque controuerſiam accommodatur: ex eo dicta, quòd vtilitate Reipub. poſtulante concedi ſoleat. Quoties enim deficit actio, inquit Vlpianus, Vtilis actio danda eſt. Exempli cauſa, Flauius Panurgum ſeruum Roſcij manu ſua interfecit. Lex Aquilia concedit actionem Roſcio aduerſus Flauium, SI PARET Panurgum manu Roſcij interfectum, Flauius quanti plurimi damnetur. Prætor ergo Roſcio legis Aquiliæ actionem dabit: quæ quoniam directò, id eſt ex præſcripto legis datur, Directa nominatur. Quòd ſi non ſua manu Panurgum Flauius occiderit, non eſt actio lege Aquilia prodita. Prætor tamen quamuis ius non ſit dari, eandem formulam ad hanc quoque cauſam accommodabit, quæ ob eam cauſam Vtilis dicetur, quòd eam vſu Reip. poſtulante concedere ſoleat. Quid verò ſi neque ſuo corpore, neque corpus læſit Flauius: ſed miſericordia ductus Panurgum compeditum ſoluerit, & is poſtea effugerit? Tum quia nouum hoc negotium eſt, & neque ius neque vtile eſt, dari Aquilianam: nouam concipiet Prætor formulam, quæ In factum appellabitur, quòd factum in ea Prætor comprehendat. Eáque actio plerunque Ciuilis à Iuriſconſultis appellatur, opinor, quaſi dicas humanam & humanitatis ac ciuilitatis gratia inſtitutam, cùm alibi ciuiles actiones iidem nominent, quæ iure ciuili, non Prætorio conſtitutæ ſunt. Et quoniam de Vlpiani libello mentio facta eſt, hoc loco non poſſum præterire ſilentio inſignis loci caſtigationem, quam idem liber mihi hodie demonſtrauit. nunquam enim intempeſtiuum eſſe arbitror, ſtudioſorum labores iuuare, & maculas ex his Ciceronis pulcherrimis libris eluere. præſertim cùm beneficium clariſſimi & præſtantiſſimi viri Io. Tilij meis ſcriptis celebrare mihi in animo ſit, vt cùm illum qui librorum optimorum theſaurum habet inæſtimabilem, ex quo etiam ad nos nonnulla iam peruenerunt, maioráque peruentura ſperamus: tum alios ad iſtiuſmodi liberalitatem in ſtudioſos exercendam alliciam. Locus ergo ille nobilis, qui in libro de Orat. I. vulgò ſic legitur; De his, credo, rebus, inquit Craſſus, vt in conditionibus ſcribi ſolet, quibus ſciam poteróque: quíque doctiſſimorum ingenia non

A ſine cauſa exercuit, ſic corrigendus eſt, vt pro CONDITIONIBVS, CRETIONIBVS legamus. Cretio enim, inquit Vlpianus, eſt certorum dierum ſpatium, quod datur inſtituto hæredi, ad deliberandum vtrum expediat ei adire hæreditatem, nécne. velut, Titius hæres eſto, cernitóque in diebus centum proximis, quibus ſcieris poteriſque: niſi ita creueris, exhæres eſto. Et paulò pòſt, Cretio vulgaris dicitur, aut continua. Vulgaris, in qua adiiciuntur hæc verba,
B Quibus ſcieris poteriſque. Continua, in qua non adiiciuntur. Ei qui vulgarem cretionem habet, dies illi dati computantur, quibus ſcit ſe hæredem inſtitutum eſſe, & potuit cernere. ei verò qui continuam habet cretionem etiam illi dies computantur, quibus ignorauit ſe hæredem inſtitutum: aut ſciuit quidem, ſed non potuit cernere. Hæc Vlpianus. Quin ergo ad eam formulam Craſſus alluſerit, hominem certè qui dubitet, neminem fore arbitramur.

C *Ad quas priuata lis accommodatur.* Accommodetur, duo libri veteres: quod magis probo.

Arbitrium pro ſocio adegeris. Vetus locutio, Adigere arbitrium, pro Agere ad arbitrium. vtrunque autem dicimus, Arbitrium adigere, & Arbitrum adigere. & eſt ſimilis ſignificatio, quæ illius Agere in iudicium, vel ad iudicium. Idem Offic. III. Itaque Calphurnius cùm demolitus eſſet, cognouiſſétque Clodium ædes poſtea proſcripſiſſe quam eſſet ab Auguribus demoliri
D iuſſus, arbitrum illum adegit, Quicquid ſibi dare facere oporteret ex fide bona. Et in Topicis, Quemadmodum ſi in vrbe de finibus controuerſia eſt, quia fines magis agrorum videntur eſſe, quàm vrbis, finibus regundis adigere arbitrum non poſſis: ſic ſi qua pluuia in vrbe nocet, quoniam res tota magis agrorum eſt, aquæ pluuiæ arcendæ adigere non poſſis arbitrum.

Cur non arbitrium pro ſocio adegeris Q. Roſcium,
E *quæro.* Hæc fallaciter dicuntur & oratorié. Nam re vera C. Piſonem arbitrum Pro ſocio ſumpſerat: ſed cùm paratum eſſet iudicium, pactione (vt Saturius dicebat) interpoſita renuntiatum ac remiſſum eſt.

Iudicio graui. Apparet verum eſſe quod in Quinctiana diximus, in iis iudiciis, in quibus EX FIDE BONA adderetur, idem fuiſſe iudicium atque arbitrium. de quo tamen aliter Budæus exiſtimaſſe videtur in commentariis.
F vbi etiam illud adſcripſit, Iudicio Pro ſocio damnatum exiſtimationem amittere: arbitrio, non amittere. quod cùm hic locus apertè repudiat, tum ille alius luculentus, quem ex Orat. pro Sex. Roſcio ſubiiciam, Si hanc ei rem priuatim Sex. Roſcius mandauiſſet, ille qui ſeſe facturum recepiſſet, nónne ſi ex eo negotio tantulum in rem ſuam conuertiſſet, damnatus per arbitrum, & rem reſtitueret, & honeſtatem omnem amitteret?

G *Iudicio graui experiri nolebas?* Graue Pro ſocio iudicium ſiue arbitrium ſic appellat, vt in Orat. pro Cæcina, Turpe: in Roſciana, modò infame, modò turpiſſimum: paulò ſuprà, ſummæ exiſtimationis, & penè dicam capitis. Ex hoc porrò loco facile intellectu eſt quod initio diximus, non eſſe hoc iudicium Pro ſocio, cuius cauſa

habita

habita hæc oratio eſt:ſed Certi condictionem.

Propter magnitudinem criminis? Refer ad proximum membrum,Inſimulas. vt ſit, Num inſimulas propter magnitudinem criminis?id eſt fraudis in ſocietate factæ?

Quem per arbitrum. Senſus eſt, Si arbitrum (qui & Iudex dicitur) ſumpſiſſes, & actione Pro ſocio apud eum egiſſes, is quia à Prætore de ea re iudicandi poteſtatem accepiſſet, ſi planum feciſſes fraudatum te in ſocietate à Roſcio fuiſſe, Roſcium condemnare potuiſſet. quia planum facere non poteras. non egiſti actione Pro ſocio, neque eo iudicio condemnare Roſcium potuiſti. Vel ſic, Cùm egiſſes actione Pro ſocio, (reuera enim ſumptus antea fuerat arbiter) quia tamen intelligebas non poſſe id planum fieri, iudicium litémque omnem remiſiſti. Nunc Index datus eſt,cui certa formula de H-S 1000 à Prætore præſcripta eſt: ſponſio in eandem ſummá facta eſt, ad cuius anguſtiſſimam formulam Piſonem adſtrinxiſti. de ſocietate,neque in ſponſione,neque in formula verbum vllum feciſti. Hoc igitur iudicio condemnare Roſcium fraudis in ſocietate factæ non potes: quòd Piſonis de ea re nullum eſt arbitriú, id eſt nulla ei de ea re iudicandi facultas data eſt. in formula enim certa & anguſta à Prætora concluſus eſt: à qua ne tantulum quidem poteſt diſcedere.

Propriumerat iudicium. Sic poſtulat ſententia. Alij libri corruptè,Proprium non erat.

Vbi licet agere. Si iudicio Pro ſocio vſus eſſes, id eſt libero iudicio, & vt Iuriſconſulti ex verbis illis EX FIDE BONA præciſè appellant, iudicio bonæ fidei: licuiſſet hoc obiicere. nunc quia ſtricto iudicio(ſic enim iidem appellant)vſus es,non licet. nihil autem oportet, quod non licet. non igitur oportet.

Nam quo tu tempore formula illa vti noluiſti. Cùm arbitrio Pro ſocio vti noluiſti:id eſt cùm inſtitutum iudicium renuntiaſti, ac litem inchoatam remiſiſti,noluiſti perſequi iudicium de ſocietate quod inſtitueras.

Fecit pactionem. Verba Fannij,Volebam,inquit, litem inſtitutam parſequi: ſed Roſcius metuens ne turpi iudicio damnaretur, fecit pactionem, tranſegit de ſumma quapiam.

Num tabulas habet, an non? Saturium alloquitur, & de Fannio intelligit, hoc ſenſu, Ecquid habet eius pactionis tabulas?omnes enim in tabulas actus legitimi referebantur, ſtipulationes, ſponſiones, pacta, conuenta, & quæ ſunt in eodem genere. & ſic locutus eſt ſuprà. Quid ita non profers?non conficit tabulas? imò diligentiſſimè,&c.

Familiarem ſuum. Aliquem è ſuis familiaribus.

Non petiit. Hoc ſignificat, Apparet non petiiſſe, cùm C. Piſo ſumptus ſit. & oſtendit C. Piſonem non fuiſſe familiarem Q. Roſcij.

Non pepigit. Apparet non pepigiſſe,cùm tabulas non proferat.

Quare ſit abſolutus. Abſolutus, non arbitri ſententia: ſed abſolutus, id eſt ſolutus, ac liberatus ea lite ac iudicio. ſic infrà. Cur de fundo decidit, & iudicio non abſoluitur? Neque enim ab arbitro lata eſt ſententia, remiſſo videlicet, ac renuntiato iudicio. Atque hoc ipſum eſt ſcilicet, quod Iuſtinianus ait olim dictitari ſolitum, Omnia iudicia abſolutoria eſſe, id eſt ranm

A etiam accepto iudicio,ac lite conteſtata, & ſemel acta cauſa, ſi tamen culpam agnoſcat, poſſe à Iudice liberatum ab actione dimitti,ne infamia notetur. quod etiam in actore vſitatum fuiſſe ex hoc loco intelligimus: cùm videlicet actor ſe calumniatum eſſe agnoſcit.

Satisfeciſti. Purgaſti te,voluiſti ei dolori mederi quem de tua iniuria conceperat.

Vt in iudicium denuntiaret. Denuntiares, in ſecunda perſona corrigendum putarem. Nam

B actorum erat denuntiare, vt ſcribit Iuſtinianus: quod antiquo verbo Condicere dicebatur. vndè Cicero in Epiſt. ad Lentulum, Condicere cœnam dixit, non (vt homines non imperiti arbitrantur) pro Inuitare ad cœnam, ſed quod Suetonius in Nerone, Indicere cœnam, id eſt Denuntiare vt cœnam paret, velle ſe apud eum cœnare. Craſſus, inquit, vt quaſi teſtata populo R. eſſet noſtra gratia, penè à meis laribus in prouinciam eſt profectus. nam cùm mihi condixiſſet, cœnauit apud

C me, in mei generi Craſſipedis hortis. Hoc verò dilucidè Suetonius in Tyberio demonſtrat, Sexto, inquit, Claudio libidinoſo ac prodigo ſeni cœnã ea lege condixit, nequid ex conſuetudine immutaret aut demeret.

Abſolutus eſt. Iudicio liberatus eſt, dimiſſus eſt, τῆς δίκης ἀπηλλάχθη.

Idcirco videlicet. Ironia.

Quid erat cauſa. Interrogatio Ciceronis.

Res erat manifeſta. Fannij reſponſum. nam in il-

D lius perſona loquitur.

Magna cum expectatione. Iudicum. nam hic locus nota diſtinctionis eſt interpungendus.

Veteris hiſtrionis exponere ſocietatem. Ordo eſt, Exponere ſocietatem, quam de Panurgo vetere hiſtrione Roſcius & Fannius contraxerant.

Communem factum eſſe gratis cum Roſcio. Nam & ita coiri poſſe ſocietatem non dubitatur (inquit Iuſtinianus) vt alter pecuniam conferat, alter non conferat: & tamen lucrum inter eos com-

E mune ſit. quia ſæpe opera alterius pro pecunia valet.

Duodecim aeris. Præciſa locutio. Subauditur enim Numos:& idem ſignificat vt ſi diceret, Duodecim aſſes. Gellius lib. XX ad hanc legem, Si iniuriam alteri faxit, viginti quinque æris pœnæ ſunto: Quis, inquit, erit tam inops, quem ab iniuria facienda viginti quinque aſſes deterreant? As autem denariolos Gallicos quatuor valebat,

F vt Budæus docet: quem vbique ſecuti ſumus, & ab ære dictus eſt, vt Varro tradit. Æreis enim numis Romani plurimum vtebantur: vnde Ærarium dictum, & Tribuni, Quæſtores, ac Scribæ Ærarij.

Sic eſt vulgus. Similis ferè ſententia de Imperatorum exiſtimatione in Orat. pro Pompeio, Vehementer autem pertinere ad bella adminiſtranda, quid hoſtes, quid ſocij de Imperatoribus veſtris exiſtiment, quis ignorat? cùm ſciamus ho-

G mines in tantis rebus, vt aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minùs famæ, quàm aliqua certa ratione commoueri.

Si veniret ab Statilio. Hiſtrione vulgo non admodum probato, vt hic locus oſtendit.

Ad primos peruenit comœdos. Locus declarat honeſtius fuiſſe Comœdi nomen, quàm Hiſtrionis.

tametsi Histrionis nomen generale sit, & comœdos, tragœdos, mimos, pantomimos, ethnlogos comprehendat: itaque Cicero lib. de Orat. 1, & alibi, Æsnpum & Roſcium claros histriones nominat. ſed nptior histrionum nomen in iis permanſit, qui cæteras fabulas Hetruſcorum more agerent, quorum omnium turpis erat exiſtimatio. Comœdos autem propriè eos fuiſſe qui Atellanas agerent: quod genus ludorum, inquit Liuius, ab Oſcis acceptum, tenuit iuuentus, nec ab histrionibus pollui paſſa eſt. eóque inſtitutum manet, vt actores Atellanarum nec tribu mnuerentur, & ſtipendia, tanquam expertes artis ludicræ, faciant. hæc Liuius, & Val. Maximus.

Nam quo quiſque eſt ſolertior. Itaque libro de Orat. 1. in perſona Craſſi ſic ſcribit, Sæpe enim ſolen audire Roſcium, cùm ita dicat, ſe adhuc reperire diſcipulum, quem quidem probaret, potuiſſe neminem: non quo non eſſent quidam probabiles: ſed quia, ſi aliquid modò eſſet vitij, id ferre ipſe non poſſet. De diſcipulis quoque in quibus docilitas ineſt, & memoria, idem ſcribit Plato in perſona Theodori, in dialogo περὶ τῆς ἐπιστήμης. Τὸ γὰρ εὐμαθῆ ὄντα, ὡς ἄλλῳ χαλεπὸν, πρᾶον αὖ εἶναι διαφερόντως, καὶ ἐπὶ τούτοις ἀνδρεῖον, παρ' ὁντινοῦν. ἐγὼ μὲν οὔτ' ἂν ᾠόμην γενέσθαι, οὔτ' ὁρῶ γιγνομένους. ἀλλ' οἵ τε ὀξεῖς, καὶ ἀγχίνοι, καὶ μνήμονες. ὡς τὰ πολλὰ καὶ πρὸς τὰς ὀργὰς ὀξύρροποί εἰσι καὶ ᾄττοντες φέρονται, ὥσπερ τὰ ἀνερμάτιστα πλοῖα, καὶ μανικώτεροι, ἢ ἀνδρειότεροι φύονται. οἵ τε αὖ ἐμβριθέστεροι, νωθροί πως ἀπαντῶσι πρὸς τὰς μαθήσεις, καὶ λήθης γέμοντες. id eſt, Docilem enim perdifficile eſt, ſimul admodum eſſe manſuetum, & prætetea fortem cum omnibus. ego quidem neque fuiſſe puto, neque qui ſint video. ſed acuti, & ingenioſi, & optima memoria præditi vel plurimum in iracundiam propenſi ſunt, & cum impetu feruntur, vt naues ſine retinaculis: & furioſi potiùs quàm viriles exiſtunt. Conſtantiores autem & grauiores, tardi ferè ſunt ad artes perdiſcendas, & obliuioſi.

Me cognitorem dediſti. Cognitor præſentis dicitur: Procurator abſentis. hoc aliis multis locis explicauimus, & mendum ex Aſconij libro, vbi hoc ipſum explicabat, ſuſtulimus.

Lite conteſtata. Lis conteſtata dicitur, cùm accepto à Prætore iudicio vtraque pars teſtibus præſentibus pronuntiat TESTES ESTOTE. Gallus Ælius reus tum demum dici putauit, cùm lis conteſtata eſt: reos autem ſiue qui agerent, ſiue cum quibus ageretur.

Iudicio damni iniuria conſtituto. Præciſa locutio. ſubauditur enim DATI. vt illa duo verba DAMNI INIVRIA, formulæ verba ſint, & grandioribus literis ſcribantur. Senſus eſt igitur, Iudicio conſtituto, cuius formula hæc vitata eſt, DAMNI INIVRIA DATI, &c. vt paulò ſuprà. Et in Quinctiana, Arbitrium PRO SOCIO adigere. In Topicis, FINIVM REGVNDORVM, AQVÆ PLVVIÆ ARCENDÆ. Iniuriæ autem nomine in hac actione culpa intelligitur: vt Vlpianus ſcribit in l. 1. D. de iniur. nam ſi iniurioſè Flauius Panurgum interfeciſſet, ex vno facto incidiſſet & in Aquiliam, & in iniuriarum actionem. iniuria enim ex affectu fit: damnum ex culpa: vt ſcribit Paulus in l. qui ſeruum, D. de action. &

A oblig. Hæc autem ſi vera ſunt, Iuriſconſultorum libros innumeris in locis mendoſos eſſe oportet: in quibus non Iniuria, ſed iniuriæ ſcriptum eſt. nam hanc quidem lectionem etiam veterum librorum confirmat auctoritas.

Sine me decidiſti. Ex duobus reis ſtipulandi ſi ſemel vnus egerit, alteri promiſſor offerendo pecuniam nihil agit. l. ex duobus, 16. D. de duob. reis conſt.

Planius dicam. Nam cùm pro dimidia parte B dixiſſet, obſcurum erat vtrum dimidiam partem litis, an ſocietatis intelligeret.

Pro me? potius. Hoc ergo ſignificat, Seruo communi occiſo, & altero ex ſociis cognitore facto ad percuſſorem iudicio perſequendum, lite iam ab eo conteſtata, poſſe tamen alterum ſuo nomine cum percuſſore transigere. Sanè ſocium ſuæ partis alienandæ poteſtatem habere, conſtat ex l. Si ſocius. D. Si cert. pet. & l. Nemo. 2. D. pro ſocio. & quamuis procurator per litis conte- C ſtationem ſit dominus litis, l. Quod quis, l. Neque tutores, C. de Procur. nihil tamen officit quominus dominus, eóque etiam ſocius, de ſua parte transigere poſſit, l. Transactionis, C. De transact.

Si ſit hoc verò. Si ſit hoc verum: ſententia poſtulat, & ſic puto corrigendum.

Quum iacerent pretia prædiorum. Proſcriptione Syllana: tum enim emere nemo volebat. nam ſiue diuerſarum partium quis eſſet, bona erant D ipſius incertiſſima: quia vti quiſque aut domum (inquit Salluſtius) aut villam, poſtremò vas aut veſtimentum alicuius concupiuerat, dabat operam vti is in proſcriptorum numero eſſet. ſiue in ſtudio Syllanarum partium fuiſſet, viliſſimo pretio proſcriptorum bona, auctione conſtituta, mercari poterat. cùm, vt idem ait, nunquam prius finis iugulandi fuerit, quàm Sylla omnes ſuos diuitiis expleuerit.

Neque villam habuit. Villa ab eo quòd in eam E inuehuntur, & euehuntur quæ veneunt, dicta eſt. à quo ruſtici veam non viam dicunt, propter vecturas: & vellam non villam, quò vehunt. item qui vehunt dicuntur vellaturam facere. hoc ex Varrone lib. De re ruſt. 1.

Tam maleuolus es. Vt ægritudinem ſuſcipias propter Roſcij proſperitatem.

Iſta moleſtia. Inuidentia, quæ tibi dolorem & moleſtiam affert: quam tibi ego adimerem, ſi F prædij bonitatem verbis extenuarem.

Vertit hic rationem. Immutauit defenſionem: aliam defenſionis viam iniit.

De tota re, inquit, decidiſti. Ambiguè dictum, quaſi de tota ſumma Fannius dixiſſet: cùm contrà non de tota re, ſed pro tota ſocietate, id eſt pro vtroque decidiſſe Roſcium diceret. Reuera autem ita eſt vt Cicero diſputat, non enim pro tota ſocietate, ſed pro ſua tantùm parte exegit. Vlpianus l. ſi ſeruus 27. §. 2. D. ad leg. Aquil. Si ſeruus communis meus & tuus ſit occiſus à ſeruo G Titij. Celſus ſcribit, alterum ex dominis agentem, aut litis exiſtimationem conſecuturum pro parte, aut noxæ dedi ei in ſolidum oportere: quia hæc res diuiſionem non recipit. Ex quibus verbis apparet ſi res diuiſionem reciperet, pro parte tantùm ſolutionem recipi: quomodo intelligenda eſt l. ſi in re communi, 19. D. de nox al. act.

De tota ſocietate. Planius dixiſſet, pro tota ſocietate: vel, vt ſuprà, Pro me & pro te.

Societatis, non ſuas lites redemit. Verba Saturij. Pactionem, inquit, non de ſua lite, ſed de ſocietatis fecit.

Quid ita ſatis non dedit? Satiſdare eſt ſponſores dare, quantum ei ſatis ſit, qui ſibi ea ratione cauet. vt ſi quis pecuniam ſocietati debeat, & vni ex ſociis ſolidum perſoluat, cauet ſibi ab eo, acceptis ſponſoribus, id eſt fideiuſſoribus, neminem ampliùs eo nomine quicquam petiturum. eleganter hoc verbum Cicero tranſtulit in Bruto, Ego tibi, inquit, Brute non ſoluam, niſi priùs à te cauero amplius eo nomine neminem cuius petitio ſit, petiturum. Sed de Satiſdare & Cauere in Orat. pro Quinctio fuſius explicauimus.

Amplius à ſe. Nonnulli A SE, pro AB IPSO poſitum hoc loco exiſtimant. Sed videamus, ne nimis hoc ſit inſolens: & ſic potiùs locum accipiamus, quaſi ſtipulationis formulam Cicero vſurparet: quod mihi ſanè veriſimilius videtur.

Et iudicio non abſoluitur. Non liberatur ab ea controuerſia quam ei Fannius intenderat, ſi de tota lite decidebat.

Stipulatione alliget. Neminem poſtea petiturum.

Ex conditione iuris. Quia ius eſt, ſolidum ſoluenti, hanc ſtipulationem interponere.

Ex conſuetudine cautionis. Quia hæc ſatiſdatio & cautio in huiuſcemodi ſolutionibus exigi conſueuit.

Ab hinc annis XV. Manifeſtum mendum. Legendum opinor IV, id eſt quatuor. primùm quòd iam ſuprà, nomen hoc IↃↃↃ H-S, de quo hæc controuerſia eſt, nonniſi ab hinc quadriennium à Fannio in aduerſaria relatum dicat. ſcribit enim, Amplius triennium. deinde quòd modò repromiſſionem ab hinc triennium factam confirmet, quam ſatis conſtat non multò poſt Roſcij tranſactionem factam eſſe. Poſtremò tandiu prolatam eſſe rem, mihi certè non fit veriſimile. Erroris autem occaſionem facilè notæ ignoratio imperitis librariis præbere potuit. nam veteres, vt antè dixi, hanc notam IV, pro quatuor ponebant, quæ tamen multis ignota eſt.

Repromittis tu ab hinc triennium Roſcio. Societate diſſoluta. nam alioqui promiſſione nulla fuiſſet opus. & hoc eſt quod proximè dicet, In re tam veteri, in negotio tam confecto, in ſocietate diſſoluta.

Si Flauius nihil debet. Hoc Fannius non dicit. ſed hoc contendit, H-S centum millia quæ Roſcius à Flauio accepit, communi nomine accepta eſſe, ideóque partem ad ſe dimidiam, ad Roſcium alteram dimidiam pertinere.

Quod iampridem ipſe exegit. Hoc dicitur ad tempus. Non enim quod exegit à Flauio, nunc ſtipulatur à Fannio: ſed partem dimidiam eius ſummæ quam Fannius à Flauio conſequeretur. Hoc enim inter eos certa de cauſa, quam modò explicabit, conuênit.

Pro opera, pro labore. Hæc dicuntur de Fannio. vt ſit, pro opera quam interpoſuit: pro labore quem ſumpſit in Flauio perſequendo.

Quod vadimonia obiſſet. De vadimonio dictum eſt in Orat. pro Quinctio.

Fannio daret H-S CCCIↃↃↃ. Hic mendum eſt ſine dubio. neque enim veriſimile eſt integram ſuam ſummam Roſcium Fannio pro opera & labore dediſſe. præſertim cùm ab eo partem dimidiam eius, quod à Flauio exacturus eſt, ſtipuletur. Sed qua ratione reſtitui locus poſſit, coniectura aſſequi non poſſum.

Non exitum exactionis. Aut exactionis poſuit pro actionis & petitionis, aut quod mihi probabilius videtur ACTIONIS hoc loco legendum eſt.

Fannium à Q. Flauio. Tranſactionis nomine: quam lite apud Cluuium Iudicem cum Flauio conteſtata, fecit Fannius. vt infrà. Dicat deciſionem factam eſſe, quæ facta non eſt.

Viri optimi exiſtimationi Q. Roſcij. Hæc verba, Q. Roſcij: ſubolent gloſſam. Libri tamen ij quibus, cùm hæc ſcriberem, vtebar, hanc lectionem retinebant.

Cùm de tota re decidiſſet. Non de tota re Fannius dicebat: ſed de tota ſocietate, vel totius ſocietatis nomine.

Addictus erat tibi? Apud veteres, qui pecuniæ damnati iudicatum facere non poterant, nexi in ſeruitutem creditoribus addicebantur. vt ille Veturius, de quo ſcribit Val. Maximus lib. VI, cap. I: vnde Addicti nominati ſunt. Sed opinor, elatè hoc dictum eſt, pro Damnatus erat tibi pecuniam aliquam ſoluere? De addictis notus eſt Quintiliani locus lib. VII. cap. de Finitione.

Non abſtulit. Fannius: & verba ſunt Saturij.

A me teſtem ſpectabis. Expectabis, opinor, ſcriptum à Cicerone eſt: & ſic puto legendum.

Flauium Fannio diſſoluiſſe. Ex tranſactione. infrà. Dicat deciſionem factam eſſe, quæ facta non eſt.

Si ex cenſu ſpectas. Cenſus eſt facultatum cuiuſque ciuis æſtimatio. Teſtes autem ex cenſu ſpectantur, quòd homines tenues & egentes facilè pretio ad falſum dicendum adducantur. Vnde teſtes idonei, Locupletes teſtes dicebantur. Cicero in Topicis, Opulentos homines, & ætatis ſpatio probatos, dignos quibus credatur, putamus: non rectè fortaſſe. ſed vulgi opinio vix mutari poteſt.

Eques R. eſt. Quorum cenſus erat H-S CCCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ: auctore Suetonio.

Homo clariſſimus eſt. Clariſſimus, Integerrimus, caſtiſſimus, nulla malæ exiſtimationis labe contaminatus. nam ſi de magiſtratibus & imperiis intelligeret, non dixiſſet, Si ex vita: ſed potius, Si ex honoribus.

Qui ex Cluuio audierunt. Nam, vt Verrina III ſcribit Aſconius, apud veteres etiam de auditione teſtimonium dicebatur. poſt verbum autem AVDIERVNT, deeſſe hæc opinor omnia, quæ ferè in omnibus ſimilibus locis interponuntur, TESTIMONIVM T. MANILII, ET C. LVSCII.

Fidem iuſiurandi. Iuriſiurandi, omnes alij. & ſic emenda.

Nihil mihi detraham. Locus eſt ſubobſcurus: ſed, vt opinor, hic ſenſus eſt, Nihil ſciens de mea exiſtimatione detraham, nihil lubens ac volens diminuam. quod facerem, ſi tantum mihi ſumerem, vt de illorum exacta ſeueriſſimè ætate, adoleſcens & nulla auctoritate præditus, iudicium meum interponerem. non faciam igitur, vt mihi tantum arrogem. conceptam enim de me opi-

nionem immінuerem, & temeritatis atque arrogantiæ notam ſubirem.

Diu deliberandum & concoquendum. Quæ concoquimus, retinemus: quæ non concoquimus, euomimus, ac reiicimus. ergo à ventriculo translatum eſt vocabulum, vt ea non concoquere dicamus, quæ reiicimus ac probare non poſſumus. Cicero Varroni, Nunc vide vtra te κρίσις magis delectet, χυστεπτοία ne, an hæc quam noſter Diodorus non concoquebat. Ea contrà concoquere, quæ pati ac ferre poſſumus. Idem ad Q. Fr. De Epiſtola Vatinij, risi. ſed me ab eo ita obſeruari ſcio, vt eius iſta odia non ſorbeam ſolùm, ſed etiam concoquam. Græci, ἀλλα καὶ πέψω, vel πεπανῶ. vt illud Xenoph. in IV de Cyri diſciplina. ὁ ὀργῇ οὖν σαφῶς οἶδ᾽ ὅτι ὑπότε τῶν ἀγαθῶν πεπανθήσονται, καὶ σιωὶ τοῦ φόβῳ λήγοντι ἄπεισι. Sed hoc loco Concoquendum dictum eſt, quaſi Ruminandum, & ſæpius idem animo agitandum. ſenſus eſt enim, Quemadmodum cibum grauem diutiſſimè concoquimus priùs, quàm in ſanguinem & nutrimentum mutetur, eodem modo diu multúmque de hac ſalebroſa & difficili propoſitione priùs deliberandum eſt, debeáſne Chæreæ iniurato in ſua lite credere: quàm eam comprobes. Græci ἀναμασᾶσθαι dicunt, vt apud Ariſtophanem in Veſpis, Μόλις τὸ πρᾶγμα ἔγνωσαν ἀναμασσόμενοι: Vix rem cognorunt, vbi concoxerunt.

Quem ego ſi ferrem iudicem. Iudicem enim actor, quem ei commodum erat, ferebat. reus aut recuſabat, ſi ſibi eum iniquum fore putaret, aut comprobabat: comprobato ab vtroque iudici Prætor iudicandi poteſtatem faciebat. hinc Iudex dictus, vt ſcribit Varro, qui iudicat accepta poteſtate. Dare autem iudicem veteres dicebant pro offerre ſic lib. de Orat. II. cùm ei M. Flauius in aliis probris obiectis P. Mutium iudicem tuliſſet &c. Item Seruilius ille Galba cùm Iudices à Scribonio Tribuno pl. ferat familiares ſuos, &c.

Dixit enim, inquit iniuratus. Hoc illud eſt quod Fabius præcepit libro V. nam & tota genera teſtimoniorum eleuata ab Oratoribus ſcimus: vt de auditionibus: non enim ipſos eſſe teſtes, ſed iniuratorum afferre voces.

Quid intereſt inter periurum & mendacem? Hoc totum ad tempus dicitur, & oratoriè. nam qui periurus eſt, mendax etiam erit: at non contrà, qui periurus non eſt, mendax etiam non erit. Et quæ de peccatorum gradibus dicuntur, eodem modo accipienda ſunt.

Nimis cupidus. Cupiditatis verbum ferè in vitio ponitur. Modò eum ſignificat qui alterius cauſa cupit: quæ à teſtibus voluntas aliena eſſe debet. de Iudice quoque ſic in Orat. pro Cæcina, Tamen is aut timidior videatur, quàm fortem: aut cupidior, quàm ſapientem Iudicem eſſe æquum eſt.

A *H-S millies.* Vicies quinquies centena millia aureorum.

A Ballione, aut aliquo De Ballione cognoſce infrà.

Hoc poſtulare auderes. Aldinus liber, & omnes alij, Expoſtulare. quorum auctoritate ſummáque conſenſione moueri me fateor. Plautus etiam in Perſa hoc eodem verbo ſic vſus eſt, Act. IIII. Scena III.

DORPALVS, benedictis benefacta, aures

B meæ

Auxilium expoſtulant.

Cùm altera penſio ſoluenda eſſet. Apparet deciſionis nomine trecenta Flauium Fannio promiſiſſe: è quibus centum & quinquaginta, id eſt dimidia pars Flauio debebatur. quam ſummam duabus penſionibus ſolutam eſſe oſtendit. nam prima penſione, inquit, H-S IↃↃↃ ſoluta ſunt: altera verò, CCCIↃↃↃ.

Cur cùm altera penſio. Id eſt, ſolutio. Varro de lin-

C gua Latina IV, Ab ære impendendo, Diſpenſator: & in tabulis ſcribimus expenſum, & prima penſio, & ſic aut ſecunda, aut quæ alia.

Quàm trecenta millia. Id eſt integram ſummam, quam Fannio Cluuius deciſionis nomine promiſerat.

iam intelligis C. Piſo. Nam cùm Panurgi nomine pecuniam Fannius acceperit, Roſcium ſibi ſoli petiſſe intelligitur.

Qui cognitor eſt datus. Nonnulli impreſſi, Qui

D cognitorem dat: imperitè, cùm in hoc vis ſit, quia cognitor Roſcius datus non ſit, alteri non petiſſe, & hoc verum eſt. nam ſocius (vt antea diximus) ſuam ſolam partem alienare poteſt: ideóque eam ſolam petere.

Sibi, non tibi exegit. Corrige ſic, Tibi, non ſibi exegit? cum interrogandi nota. quod ego, quia perſpicuum eſt, pluribus verbis non confirmo.

Lis conteſtata cùm Flauio damni iniuria eſſet. Grandioribus literis duo illa verba ſcribenda

E ſunt: quæ ex formula Aquilianæ actionis eſſe docuimus. infrà.

Ex tua oratione. Qua in petendo ac perſequendo Flauio vtebare.

Huic peteres. Non ſoli. ſed vt modò dicit, In ſocietatem.

Hæres ſibi ſoli, non cohæredibus petit. Nomina ipſo iure diuiduntur inter hæredes, l. 2. C. famil. erciſ. itaque non poteſt hæres agere, niſi pro ea parte qua hæres eſt. neque ei ſententia cum altero hæ-

F rede lata, quicquam aut prodeſt, aut nocet. l. A ſententia, D. de appellat. quinimo pro parte qua non eſt hæres, extraneus habetur. l. Prætoriæ, D. de Præt. ſtipul.

Quodcunque ſibi petat ſocius, id ſocietatis fieri. Hoc falſum puto. nam, vt paulo antè poſui, ſuam tantùm partem ſocius alienare poteſt: ex quo ſuam tantùm partem eum poſſe petere, argumentari poſſumus.

ACCVSATIONIS IN C. VERREM

LIBER PRIMVS, QVI DIVINATIO dicitur,

ORATIO IIII.

COMMENTARIVS.

PRINCIPIO illud ſcire oportet, nos in Verrinis explicandis, quæ ab Aſconio Pediano doctiſſimo viro explanata ſunt, ea conſultò prætermiſiſſe: ne cùm ſtudioſorum optimæ voluntati, qui ad harum Orationum cognitionem omni feſtinatione properât, conſulere debeamus, moram contrà illorum ſtudiis afferamus. Itaq; huius orationis argumentum omiſimus, quod, cùm ſit ab Aſconio fideliter & ſumma cum diligentia expoſitum, melius erit ex ipſius commentariis cognoſcere. Sed quoniam de numero librorum quibus accuſatio in Verrem continetur, eorúmq; inſcriptionibus mihi longè alia opinio eſt, quàm aliis (puto) omnibus qui de iis noſtra memoria conſcripſerunt, & ſcio meam opinionem probari quàm plurimis hominib. ſummo ingenio iudicioq; præditis: operæpretium eſſe arbitror eâ breuiter hoc loco exponere. Primùm enim, qui vulgo ſeptê Accuſationis libros conſtituunt, eos falſa opinione & manifeſto errore duci, vel hinc licet intelligatur, quòd prima hæc Oratio, quam Primum Accuſationis librum appellant, ſolam M. Tullij cum Q. Cæcilio de conſtituendo accuſatore contentionem continet; & amplius tribus menſibus antè habita eſt, quàm accuſari Verres cœperit: quemadmodum ex eo conſtat, quòd poſteaquam accuſator Tullius conſtitutus eſt (id autem habita hac diuinatione factum eſt) dati ſunt illi inquirendi, inſtruendæque accuſationis cauſa c & x dies. Secunda autem oratio etſi illa quidem accuſationis initium quoddam eſt, quoniam tamen neque ea quæ conſecuta ſunt, id eſt quibus crimina exponebantur, ab Oratore literis mandata ſunt, neque aliud quicquam præter exhortationem Iudicum, & minas in aduerſarios continet, de Verris criminibus mentionem facit nullam, Accuſationis liber appellari non poteſt. Ecquemnam igitur librorum numerum ſtatuemus? Illum ipſum ſcilicet qui ab ipſo Cicerone poſitus, & à Quintiliano, Tacito, Gellio, & cæteris præterea omnibus antiquis ſcriptoribus obſeruatus eſt. quinque enim perpetuò numerant, reliquos à duobus prioribus: de quibus ipſis ſic loquitur Aſconius, Libros, inquit, pro qualitate criminum Tullius diuidens, anteactis vnum dedit hunc ſcilicet ſolum: (de primo loquitur, quem alij tertium faciunt) criminis ipſi repetundarum quatuor: vnum de iure dicundo, alterum de re frumentaria, tertium de ſignis, quartum de ſuppliciis. Fabius verò libri vndecimi capite ſecundo, Habeamus ſanè, inquit, vt qui notis ſcribunt, certas imagines omnium, & loca ſcilicet infinita, per quæ verba, quæ ſunt in quinque contra Verrem ſecundæ actionis libris, explicentur. Cornelius verò Tacitus in eo dialogo quem de Oratore inſcripſit, Quis, inquit, nunc ferat Oratorem de infirmitate valetudinis ſuæ præfantem? quis quinque in Verrem libros expectauerit? Atque hæc quidem Tacitus. Sed melius eſt Ciceronem ipſum de ſuis libris loquentem audire. Is igitur in eo libro quem Oratorem inſcripſit, verba hæc ex eo libro proferens qui vulgò Sextus creditur, Conferte hanc pacem cum illo bello, huius Prætoris aduentum cum illius Imperatoris victoria: Hoc, inquit, genere antiqui delectabantur, nos etiam in eo frequentes, vt illa ſunt in quarto Accuſationis, Conferte hanc pacem, &c. Quibus ex verbis perſpicuum eſt, eum quartum Ciceroni fuiſſe, qui hodie Sextus numeratur. quemadmodum ex eo quoque loco, cùm inquit, Exponenda narratio, quæ plus dignitatis deſiderat quàm doloris: vt in quarto Accuſationis, de Ennenſi Cerere, de Segeſtana Diana, de Syracuſarum ſitu diximus. Sunt enim hæc omnia in ea poſita oratione, quæ vulgo Sextus accuſationis liber inſcribitur. Quid? quoto accuſationis de Siciliæ laude commemorat? eo videlicet qui Quartus inſcribitur, ferè initio. & tamen in eodem Oratore, Adhibenda, inquit, numeroſa oratio, ſi aut laudandum eſt aliquid ornatius, vt nos in Accuſationis ſecundo de Siciliæ laude diximus. De ſuis libris Ciceronis ſententiam audiuimus. nunc Agellij doctiſſimi viri teſtimonium, quaſi corollarium, & (vt dici ſolet) παρέργως audiamus. Is libro Noct. Att. I. cap. VII. ita ſcribit, In Oratione Ciceronis quinta in Verrem ita ſcriptum fuit, Homines tenues, obſcuro loco nati nauigânt, adeúntque ad ea loca quæ nunquam antea viderant. Atqui ſatis conſtat hæc verba in ea legi Oratione, quæ vulgo ſeptima numeratur. Item in libro XIII. cap. XIII. verba hæc, Eſt modò locus intra Oceanum, &c. è tertia in Verrem protulit: cùm tamen in ea quæ vulgo quinta credita eſt, tantùm inueniantur. Item eodem lib. cap. XX. verba hæc, Perangusto fretu diuiſa, profert è quinta in Verrem, cùm tamen in ea

quæ ſeptima vulgo numeratur, legamus. Item A eod. cap. verba hæc, Nemo ita viuebat, vt nulla eius vitæ pars manifeſto peccatu, &c. è ſecunda in Verrem notat, cùm tamen alibi quàm in ea quæ quarta vulgo creditur, non legantur. Iulius autem Rufinianus, in libello De figuris, In Verrinarum, inquit, libro I, Si pupillo redimitur, mibi præda de manibus eripitur. quæ verba in Verrina tertia reperies. Verrinas enim accuſationes Iulius ſignificat. cùm, vt opinor, non malè VII Verrinæ dici poſſint, quæ ad Verris cauſam pertineant. B quomodo a Seruio Virgilij interprete perpetuò nominantur. Cùm autem ex illo loco de Iulij ſententia manifeſtò conſtet, haudquaquam etiam dubium cuiquam fore arbitror, quin mendum ſit alio in loco, vbi ſic ſcriptum eſt, Cicero in Verrem III actionis libro, Vos quod ad famam, &c. non enim Tertiæ actionis, ſed Primo ſecundæ actionis legendum: quod tamen etiam ipſa nota ſignificare poteſt, modò ſic interpungatur, Cicero in Verrem I, II actionis C libro. vt cùm ſcribimus, Liuius libro III, I Decadis. Quæ cùm ita ſe res habeat, cui tandem obſcurum, aut dubium eſſe poſſit, quin locus ille Oratoris ad Brutum, in quo de ſeptem Accuſationis libris mentio fit, ab imprudente quodam & importuno emendatore deprauatus ſit: qui cùm hunc locum ex opinione, vt fit, non ex veritate æſtimaſſet, vbi Quinque legebatur, Septem reponendum eſſe crediderit? Sunt autem M. Tullij verba hæc, quo loco de temperando D orationis genere loquitur, At hæc interdum temperanda & varianda ſunt. Quod igitur in Accuſationis ſeptem libris non reperitur genus? quod in Habiti? quod in Cornelij? &c. quis inquam ex Quintiliani, Taciti, Gellij, quos antea protulimus, auctoritate, aliiſque tam multis argumentis non videt, Quinque reponi oportere? Atque hæc quidem de librorum Accuſationis numero ſatis dicta ſint. Proximum eſt vt aliam abſurdam falſamque opinionem euellamus, quam omnes E ad hunc vſque diem de actionum numero habuerunt: cùm ſeptem alij numerent, alij ſex. vtrique falſò: quemadmodum ex veterum iudiciorum more perſpicuè intelligitur. Cùm enim aut duas aut tres, pluréſve actiones eſſe dicimus, hoc tantùm ſignificamus, cauſam non ſemel tantùm, ſed vel bis, vel ter, vel ſæpius actam eſſe. Cùm igitur bis tantùm cauſa Verris acta ſit, ſemel interrupta atque interciſa oratione: (quæ, quoniam nullius elegantiæ fuiſſet, non F eſt à Cicerone mandata literis) iterum, perpetua, quæ quinque libros accuſationis, de quibus modò dixi, continet, duas tantùm numerari actiones neceſſe eſt. Itaque hos quinque libros Alteram actionem Cicero appellat, extrema Oratione ſecunda, his verbis: Si quis eſt, inquit, qui perpetuam orationem accuſationémque deſideret, altera actione audiet. Hæc enim lege Acilia huius erat iudicij ratio, vt reus comperendinaretur, ac bis ageretur repetundarum cau- G ſa. quæ omnia intelligi nullo negotio poterunt, cùm eò ventum erit. Et profectò ita eſt, vt Fabius eo quem ſuprà protuli loco, Secundam actionem hos quinque libros appellet. Quæ ſunt, inquit, in quinque in Verrem ſecundæ actionis libris. Sed hæc, vt dixi, cùm eò peruenerimus, vbi certus mihi locus ad explicandam comperendinationem conſtitutus eſt, intelligi facilius poterunt. Nunc reliquum eſt vt quid ſit Diuinatio breuiter explicemus. DIVINATIO eſt iudicium quo duo pluréſve, qui ſe præponi in accuſando volunt, de accuſatione ſibi deferenda contendunt. Ex eo autem deductum nomen putamus, quòd cùm in hoc iudicio Iudices non de præterito, ſed de futuro ſtatuant, vter ſit rectius accuſaturus (quod totum opinabile eſt, coniecturáque nititur) diuinare dicantur, eorúmque iudicium, opinabilis diuinatio. Id quod ex his Ciceronis verbis, quibus in extrema hac oratione prima vſus eſt, facilè perſpicitur. Quapropter, inquit, Iudices veſtrum eſt deligere, quem exiſtimetis facillimè poſſe magnitudinem cauſæ ac iudicij ſuſtinere, fide, diligentia, conſilio, auctoritate.

Si quis veſtrûm Iudices. Hoc principio beneuolentiam ſibi a ſua perſona conciliat, quòd miſeræ & afflictæ prouinciæ cauſam partim officio patrocinij adductus, partim prouincialium propè omnium rogatu impulſus ſuſceperit. Simul cauſas propter quas ad accuſandum ſe traducat, has quinque exponit. quòd rogatu Siculorum id fecerit, quibus officium ſuum de prouincia decedens, detulerat: quòd alium hoc tempore idoneum non habeant: Quintum etiam Cæcilium repudient: quòd vniuerſam Siculorum gentem defendat, vnum autem duntaxat accuſet. quod hominem iam omnium voluntate ac iudicio damnatum accuſet: quòd accuſatorum penuria nulla iam penè iudicia eſſe videantur. In hoc numero lectiſſimi & ornatiſſimi viri complures fuerunt ex eo conſilio Iudicum, qui Glabrioni Prætori in iudicio Verris affuerunt: quemadmodum ex libro Accuſationis primo intelligitur. Erant autem ex ordine tantùm Senatorio, priuati homines, hoc eſt ſine imperio ac poteſtate. Magiſtratibus enim Iudicibus eſſe non licebat. Quis porrò Prætor in hac contentione fuerit, non conſtat. Opinor Iudicem quæſtionis duntaxat ei præfuiſſe: cuius de officio diximus in Comment. de verbis iuris.

Qui adſunt. Populum ſignificat, qui circum ſubſellia coronam faciebat.

Me qui tot annos. Elatè: cùm eſſent anni duntaxat quinque. Sic enim in Bruto, Cùm igitur eſſem in plurimis cauſis, & in principibus patronis quinquennium ferè verſatus, tum in patrocinio Sicilienſi maximè in certamen veni. Hanc verò ſuſcepit contentionem cùm Ædilitatem peteret, annum ſcilicet agens ætatis XXXVII. nam à C. Attilio, Q. Seruilio COSS. quo tempore natum Ciceronem alibi docuimus, ad Cn. Pompeium, M. Craſſum COSS. quo tempore hæc Diuinatio facta eſt, totidem anni numerantur.

In cauſis, iudiciiſque publicis. De priuatis publiciſque cauſis, cognoſce ex Orat. pro Sex. Roſc.

Subito nunc mutata voluntate ad accuſandum deſcendere. Nam cùm multorum inimicitias ij ſubirent qui alios accuſabant, delata erat accuſandi moleſtia ad homines adoleſcentes, neque ferè quiſquam, niſi ea ætate ad accuſandum deſcendebat. quam tamen ætatem Cicero quamuis in foro iudiciiſque publicis vel plurimum verſatus,

ſine vlla accuſatione tranſegerat. Nunc igitur A cùm ad eam ætatem peruenerit in qua defendere omnes ſolebant, accuſare nulli: mirari multi tam ſubitam conſilij mutationem poterant. vt hac eadem oratione, infrà. Nemo mirabatur in Africano illo, quod in me nunc ſe mirari ſimulant, Quid ſibi iſte vult? accuſatorémne ſe exiſtimari, qui antea defendere conſueuerat, nunc præſertim ea iam ætate, cùm Ædilitatem petat?

Cauſam rationémque cognouerit. Cauſa eſt quæ B impellit, quoquo modo. Ratio, qua conſideratè & adhibito conſilio inducimur.

Id quod facto probabit. Accuſandi ſtudium laudine an vitio duci oporteat, præclatè oſtendit Quintilianus lib. XII, cap. VII.

Cùm Quæſtor in Sicilia. Quatuor ab hinc annos: Prætore Sex. Pæduceo, cui ſucceſſit C. Sacerdos, qui ſucceſſorem habuit C. Verrem.

Itáque ex ea Prouincia deceßiſſem. Decedere de C prouincia ferè dicuntur qui cum imperio aut poteſtate ſunt. Diſcedere verò, priuati. Itaque Syriæ reges, qui per Siciliam iter faciebant, dicitur Verres de prouincia diſcedere iuſſiſſe. infrà.

Iucundam diuturnámque memoriam. De ſua Quæſtura in Orat. pro Plancio ſic ſcribit, Non vereor ne quis audeat dicere, vllius in Sicilia Quæſturam aut gratiorem aut clariorem fuiſſe. Frumenti in ſumma charitate maximum numerum mi- D ſeram: negotiatoribus comis, mercatoribus iuſtus, municipibus liberalis, ſociis abſtinens: omnibus etiam viſus in omni officio diligentiſſimus.

Cùm ſummum in veteribus patronis. Eandem ego eſſe arbitror harum duarum particularum CVM & TVM rationem hoc loco, quæ ſemper à Cicerone ſeruata eſt. nam etſi Nonnullum, minus ſit quàm Summum, tamen minus eſt veteres patronos ſine Tullio, quàm eo præterea addito ha- E buiſſe.

Cuncti ad me publicè ſæpe venerunt. Cuncti, elatè & ὑπερβολικῶς. Etenim neque Mamertini venerant, neque Syracuſani. Publicè autem & priuatim venire, contraria ſunt. Illud, Reipub. nomine & auctoritate venire ſignificat; ex quo quid aliud ſit, poteſt intelligi. Cicero Accuſationis quinto, Quid enim tibi naue opus fuit, qui ſi quò publicè proficiſcereris, & præſidij & vecturæ cauſa ſumptu publico nauigia præberentur: priuatim autem nec proficiſci quoquam potes, &c. F

Nec deos quidem habere. Lactantius lib. de orig. error. II. cap. IIII. Locum hunc proferens, ac deridens, ſic intulit: Quaſi verò ſi Verres ex vrbibus delubríſque ſuſtulerat, de cœlo quoque ſuſtuliſſet. Vnde apparet iſtos deos nihil habere in ſe amplius, quàm materiam, de qua ſunt fabricati.

Quas res luxuries in flagitiis. Hæc eadem ſimiliter in Præturæ Sicilienſis initio coniunctim enumerat. Sed cùm, inquit, perferre non poſſent G luxuriem, crudelitatem, auaritiam, ſuperbiam, &c. vt ea coniungere vitia videatur, quæ maximè omnium generis humani ſocietati bellum indixerunt. Etenim luxuries in mulieres & pueros, crudelitas in viros, auaritia in cuiuſque bona & fortunas exercetur: ſuperbia verò hominum inter ſe communicationem funditus euertit.

Hoc vno Prætore per triennium pertuliſſe. Annuæ fuerunt Prætoriæ prouinciæ, vt apparet ex prima in Antonium. ſed cùm ſucceſſor expectaretur Arrius, prorogatum ei ſuum imperium eſt.

Auxilium expectaſſent. Petiſſent, omnes ad vnum tum veteres, tum impreſſi libri. Mihi tamen hæc valde arridet, quam etiam Spei verbum non modò comprobare, ſed etiam poſtulare ac requirere videtur.

Dicebam habere. Hoc loco ab aduerſarij perſona beneuolétiam comparat; quem à Siculis, cùm iis ſe vltro offerret, repudiatum fuiſſe oſtendit.

Qui præſertim Quæſtor. Cur Præſertim? quia ſi quæ illius extitiſſent in Siculos officia, eorum memoria recentior eſſe potuiſſet, quàm meorū.

Si iſtum non noſſent. Acerbè in Cæcilium: de quo infrà.

Adductus ſum officio. Rationes omnes, quas & in exordio & in extremo orationis exponit, his verbis complectitur. Nam Officio, ad Quæſturam ſuam pertinet: Fide, ad officij ſui delationem: Miſericordia, ad Verris libidinem & crudelitatem: Multorum bonorum exemplo, & quæ ſequuntur, ad extremum orationis: de quo paulò antè diximus.

Ex meo tempore. Non vt meo tempori ſeruirem, ſed meorum neceſſariorum calamitatibus ſubuenirem. Tempus pro ratione negotiorum, id eſt commodo vel incommodo recenti, cui ex tempore conſulendum ac proſpiciendum eſt. Itaque libro de Offic. 2. quod ſic dixerat, Tempus quod mihi ab amicorum temporibus datur, paulò infrà ſic expreſſit, Ab amicorum negotiis. Et hoc iam contra Cæcilium eſt, qui ſuas ſe iniurias perſequi dicebat. Neceſſarios autem ſuos Siculos appellat, propter ius hoſpitij quod cum iis habebat.

Quam defenſio exiſtimanda. Odioſum erat Accuſatoris nomen, vt multis ex locis intelligitur. itaque illud tanquam inuidioſum declinat. vt libro Accuſat. 1. Sed ego defenſorem in mea perſona, non accuſatorem maximè laudari volo. Et libro ſecundo, infrà. Quanquam in hac cauſa multo plures partes mihi defenſionis, quàm accuſationis ſuſcepiſſe videor. Itaque in libro de Officiis II, cùm ad accuſandum duabus tantùm de cauſis deſcendendum eſſe dixiſſet, Reipublicæ cauſa, & patrocinij: Patrocinij, inquit, vt nos pro Siculis: quo loco Accuſationem in C. Verrem intelligit. Et libro de claris Orat. Cùm igitur eſſem in plurimis cauſis, & in principibus patronis quinquennium ferè verſatus, tum in patrocinio Sicilienſi maximè in certamen veni.

Si mihi vnus. VNVM oppoſuit Multis mortalibus, multis ciuitatibus. SI verò pro ETSI poſuit, vt ſæpe aliàs. Senſus eſt, Cùm tam multos defendam, vt vnum accuſem, non tamen hæc accuſatio, ſed defenſio potiùs appellanda eſt. nam, vt idem ſcribit libro De finib. 2. & Tuſculan. Diſput. 5. ſemper ex eo quod maximas partes continet, latiſſiméque funditur, tota res appellatur.

Hanc cauſam. Multos mortales, Siciliam totam defendendi.

Reipub. cauſa. Accuſare Reipub. cauſa dicitur

(qui vt ipſe Verrinæ quintæ initio declarat) nullis inimicitiis, nullis iniuriis, nullo præmio, nulla denique alia re, quàm vtilitate communi adductus, aliquem in iudicium vocat. Obſcurè igitur in Cæcilium, qui ſuas ſe perſequi inimicitias fatebatur.

Quis tandem eſſet. Rectius putarem, Quis tamen eſſet, hoc ſenſu, Vt nullæ huiuſmodi extarent cauſæ, meum tamen conſilium, &c. nam SI pro ETSI poſitum dubitari non poteſt. vt infrà, Si plurimas à tuo Prætore iniurias accepiſſes, tamen eas ferendo &c. Item, Quamobrem ſi iure poſſis eum accuſare, tamen cùm is tibi partes, &c.

Populata, vexata. Nunc ab ipſa re beneuolentiam captat; cùm quanti Reipub. interſit, hanc ab ſe accuſationem ſuſcipi, oſtendit. Et ſimul attentionem comparat, cùm rei magnitudinem, & cauſæ grauitatem demonſtrat.

Socij, ſtipendiariique populi R. Socij incertum, vt decimas; Stipendiarij, certum vectigal pendunt. de quo dixi latiùs. Verr. v. infrà.

Quæ iudicia manere. Iudicia L. Sylla victor ordini Equeſtri ademerat, & in Senatorium tranſtulerat. Sed hoc tempore cùm ordo Senatorius infamia iudiciorum flagraret, populus R. Equitum iudicia requirebat. neque quicquam propius erat, quàm vt promulgaretur lex ab Aurelio Cotta Prætore, vt cum Equeſtri ordine & Tribunis Ærariis iudicia communicarentur. Erant autem in vrbe alij aliarum partium ac ſtudiorum. Sed falſum eſt quod ſcribit Aſconius, ferri legem hoc tempore. Etenim ne prioris quidem actionis tempore, id eſt tribus ferè poſt menſibus promulgata erat. vt Cicero oſtendit Verrina ſeptima his verbis, Itaque cùm primò agere cœpimus, lex non erat promulgata, &c. vide infrà.

Accuſatores idoneos. Accuſabant enim rudes adhuc & inexercitati adoleſcentes, vt mox dicet. Itaque paulò infrà, Vt homines, ait, idonei atque integri cauſam Reip. ſuſciperent. homines idoneos adoleſcentibus: integros, quadruplatoribus opponens.

Veterem iudiciorum vim. Quæ tum erat cùm Equeſtris ordo iudicaret. Iudicauit enim annos, vt Cicero ſcribit, propè quinquaginta, ſine vlla ne tenuiſſima quidem ſuſpicione acceptæ pecuniæ: niſi fortè ad tempus hoc dicit, cùm Appianus apertè oſtendat non minori cum flagitio adminiſtrata eſſe ab Equeſtri ordine iudicia, quàm antè à Senatorio fuiſſent. legum autem iudicialium ordinem ac ſeriem in libello de legibus expoſuimus.

Multis incommodis. Bellis ciuilibus, Syllæ & Marij.

Iudiciorum deſiderio Tribunitia poteſtas efflagitata eſt. Nam Tribunis pl. ante Syllæ Dictaturam poteſtas erat quemlibet, qui pecunia accepta iudicaſſet, ad iudicium populi rapere, eique multam dicere. quod ex Oratione pro Cluentio apertiſſimè intelligitur. in qua Cicero ſcribit C. Iunium Prætorem, quòd pecuniam ob rem iudicandam acceperat, à L. Quinctio Tribuno pl. in iudicium populi abreptum, & condemnatum eſſe. Sed eam poteſtatem victor Sylla Tribunis ademerat. Atque hoc eſt quod Cicero ſignificat Orat. proxima. Quid ſit, quod iudiciis ad Senatorium ordinem trãſlatis, ſublatáq; Populi R. in vnumquemque noſtrûm poteſtate, &c. Cùm igitur corruptiſſimè Senatorius ordo iudicaret, poteſtatem illam veterem Tribunitiam Populus efflagitabat, ac repoſcebat: quam paucis poſt menſibus, COSS. modò deſignati Pompeius & Craſſus, reſtituerunt. Hic ipſe Verrina VII, Et grauiter deſiderata & aliquando reddita plebi Rom. Tribunitia poteſtas. Vide etiam infrà.

Etiam Cenſorium nomen. Cenſoribus enim ius erat, eos qui corruptè iudicaſſent, notare, & Senatu mouere. de quo dixi in Orat. pro Cluent. Itaque reſtituta hoc tempore ita hæc poteſtas eſt Cenſoribus Gellio & Lentulo, vt quatuor & ſexaginta Senatu mouerint.

In hac libidine hominum. Ἀνακεφαλαίωσις, qua ea curſim ſtrictímque repetuntur, quæ antè dicta ſunt. Nam hæc verba Libidine hominum, eò referenda ſunt, Populatæ, vexatæ: illud autem, Populi querimonia, ad id quod dixerat, Queruntur accuſatores, &c. tum illud Iudiciorum infamia, ad hunc locum Iudiciorum ſeueritatem. illud autem Ordinis offenſione, ad Tribunitiæ poteſtatis, ordinis Equeſtris & Cenſorij nominis flagitationem.

Homines idonei atque integri. Idoneos, Adoleſcentibus: Integros, Quadruplatoribus opponit: quorum vitio ac turpitudine perdita iudicia perſæpe antea queſtus eſt.

Nunc quoniam. Secunda pars orationis.

Ego ſic intelligo Iudices. Totam hanc ſecundam principalis diuiſionis partem vna hac argumentatione complectitur, Ij præponendi ſunt qui petuntur: Sæpe ſum petitus, Sum igitur præponendus.

Cui potiſſimùm delatio detur. Deferre nomen, Diem dicere, & Accuſare nonnulli pro eodem vſurpant. imperitè. cùm Deferri nomen dicatur tum cùm quis legibus interrogatur apud Prætorem, & ſi neget, eius nomen inter reos refertur. vt Deferre nomen idem ſit quod reum facere. At poſtea inſtituebatur accuſatio, qua inſtituta dies dicebatur.

Et quem minimè velit. Hic enim ab omni præuaricationis ſuſpicione eſt remotiſſimus, quem & qui queritur, expetit etſi de quo querimonia eſt reformidat.

Iudicium de pecuniis repetundis. Iudicium repetundarum inde dictum eſt, quòd eo iudicio Socij pecunias ſibi contra leges ereptas repetebant, quas ex condemnatorum litibus æſtimatis, domum reportarent. Ipſe in quinto Accuſat. infrà. Itaque res ſuas negligunt. pecunias, quo nomine iudicium hoc appellatur, non repetunt. Et paulò pòſt, Non ex litibus æſtimatis tuis pecuniam domum, ſed ex tua calamitate cineri atque oſſibus filij ſui ſolatium vult aliquod reportare. Iudicium autem conſtitutum, hoc quidem loco ſic accipio, vt illud quod mox dicet, Legem de pecuniis repetundis ſociorum cauſa conſtitutam. Aliis enim locis aliud Iudicium conſtituere ſignificat.

Queruntur Siculi vniuerſi. Præter duas ciuitates, Syracuſanam & Mamertinam.

A Populo R. legibus petunt. Corrigendum putarē

populi

populi in ſecundo caſu. non enim à populo A nunc auxilium poſtulatur, ſed à legibus, quarum cuſtodes hos iudices populus R. conſtituit, vt Verrina VII. infra. Ad populum confugiet? facilis eſt cauſa populi, legem enim ſociorum cauſa iuſſiſſe, ac ei legi cuſtodes ac iudices præpoſuiſſe dicet.

Me cognitorem iuris ſui. In Aſconio corrige ſic, Aut procurator, ſi abſentis negotium ſuſcipit: aut cognitor, ſi præſentis cauſam nouit, & ſic tuetur vt ſuam. Deeſt enim verbum Abſentis. quod cùm B ex Orat. pro Cæcina intelligitur, tum ex his Sex. Pompeij verbis, Cognitor eſt, qni litem alterius ſuſcipit coram eo cui datus eſt. Procurator autem abſentis nomine actor fit.

Cauſam ſubleuabis. Subleuabitur cauſa, ſi negetur eum petitum eſſe actorem: poſito eo quod poſtea docebit, alium præterea nullum petitum eſſe à Siculis. nam ſi actorem Siculi nullum petunt, facilè exiſtimari poteſt, non tam graues eorum eſſe iniurias, quàm homines arbi- C trantur.

Non præiudicium, ſed planè iudicium. Ex tribus Præiudiciorum generibus, de quibus diſputat libro quinto Quintilianus, opinor illud intelligit, quod ex iudiciis naſcitur ad ipſam cauſam pertinentibus. Vnde etiam nomen inuenit. Nam cùm actorem Siculi poſtulant, condemnant ipſi Verrem ſuo iudicio. quod quidem illorum iudicium ad Verris cauſam pertinens, huic cauſæ præiudicium affert. Sed elatè dixit, & ſuo more, Non D præiudicium, ſed planè iudicium factum eſſe. quaſi diceret, Quid nunc ſubleuare conaris eam cauſam, quæ non dico præiudicata, ſed omnino iudicata, & damnata eſt. Sed Aſconius de eo genere præiudiciorum locum exponit, quod Fabius Exemplum vocat. Nunc vtra probabilior ſit opinio, eruditiores exiſtimare poterunt. Damnationem autem in opinione, vt dixi, hominum intelligit. vt in ſequenti Oratione oſtendit his verbis, Reus in iudicium adductus eſt C. Verres, homo E vita atque factis omnium iam opinione damnatus. Et paulò pòſt, Quæ eſt iſta tanta dicendi facultas, quæ iſtius vitam tot vitiis flagitiiſque conuictam, iampridem omnium voluntate iudicióque damnatam, aliqua ex parte poſſit defendere? Et eadem rurſus Oratione, Nam illud mihi nequaquam dignum induſtria conatúque meo videbatur, iſtum à me in iudicium iam omnium iudicio condemnatum vocari.

Nimium familiariter inimicitias exercere. Græci F [illegible] dicunt, & [illegible]. Familiariter autem & amicè inimicitias exercent, qui cùm ſe aduerſarios profiteantur, ac præ ſe ferant, amicorum tamen officio funguntur, & rei cauſam ſubleuant.

C. Lentulus Marcellinus. Apperet Marcellum hunc fuiſſe, ſed à Cn. Lentulo adoptatum, ita nomen antiquorum more immutaſſe.

Marcellorum nomini. M. Marcellus Syracuſas in fidem receperat. Scribit autem Cicero libro de G Officiis primo, more maiorum comparatum fuiſſe, vt qni nationes aut ciuitates deuictas bello, in fidem recepiſſent, earum patroni eſſent.

Vel maxima minuerentur. Nimirum ipſis ciuitatibus. quaſi diceret, Minus arguerentur ob ea crimina, quorum ſociæ atque adiutrices fuerunt. Tacitè ad ſocietatem accuſationis eas allectat, obiecta ſpe præteritionis criminum. tametſi non præteriri dixit, ſed minui, ne præuaricari velle videatur. De Syracuſano crimine vide lib. Accuſat. II. de Mamertino lib. III. & lib. V. infrà.

C. Verri communicata ſunt. Id eſt à C. Verre communicata, ſic infrà ſæpè locutus eſt vt 120. ego in hoc iudicio mihi Siculorum cauſam ereptam populi R. ſuſceptam eſſe arbitror.

At enim cur à me. Remouet à ſe arrogantiæ ſuſpicionem, ne multis claris & diſertis Oratoribus, qui patroni erant Siciliæ, præponi velle exiſtimetur. Senſus eſt, Non te petunt Siculi. Cur enim te potiùs, quàm Marcellos? Et hoc cùm dicis, nimium es arrogans.

Oculis iudicare. Cùm hos qui præſentes adſunt Sicnlos, id à vobis apertè petentes intuemini.

Qui eſſent idonei. Propter adoleſcentes hæc dicuntur. Semper enim, vt dixi, accuſatores idoneos adoleſcentibus opponit.

Quàm neminem. Hoc propter Cæcilium. neque enim accuſator, ſed præuaricator eſt Cæcilius.

Ciuili ferè actione & priuato iure repetunt. Ciuilem actionem opponit non Prætoriæ, vt ſæpe apud Iuriſconſultos: ſed Sociali. vt ſit Actio ciuilis, quæ ciuium propria eſt, qua præcipuè ciues vtuntur: Socialis, qua ſocij. Ius autem priuatum dicit, cui præerat vrbis Prætor, qui inter priuatos ius dicebat: vt Accuſationis primo.

Hæc lex ſocialis eſt. Apparet, cùm infrà in eorum voluntate ſitum eſſe oſtendat, maneántne an tollantur hæc iudicia: & nationes exteras legationes miſſuras, quæ illa tolli poſtulent. quin & Verrina VI. ſic ſcribit: Vtitur, inquit, hac lege, qua iudicium eſt communis & priuatæ rei ſociorum.

Munitam quàm anteà. Cùm Equeſtris ordo iudicaret. Munitam autem intelligit cuſtodibus & propugnatoribus: id eſt Iudicibus. Quod enim in arce cuſtos eſt, id in lege Iudices.

Seſtertium millies. Conciſum genus orationis, quo veteres Millies centena millia ſignificabant: quod ex Verrina tertia & quarta intelligitur. Nam cùm in illa Dionem quendam Haleſinum H-S vndecies centena millia numeraſſe dixiſſet, de eodem loquens oratione ſequenti, bis eadem pagina vndecies numeratum, ſimpliciter dixit. Gulielmus Budæus ratione Gallica vicies quinquies centena millia aureorum, quo tempore libros de Aſſe couſcripſit, ei ſummæ reſpondere oſtendit. quam etſi longè alienam eſſe conſtat ab aureis qui noſtro hoc tempore ſex & quadraginta aſſiculis æſtimantur, cùm illo tempore XXXV tantum valerent, tamen quoniam eandem eſſe certum eſt eorum qui tum erant aureorum, & quibus nunc vtimur, rationem: aſſiculorum præterea XXXV veterum cum his ſex & quadraginta vulgatis: vſitatum numerum auctoritate tanti viri confirmatum immutare non auſi ſumus.

In huiuſmodi. Hactenus maximè ſe petitum oſtendit. Deinceps minimè peti Cæcilium, atque adeò recuſari demonſtrat.

Acutum & ſuſpicioſum. Siculi perſpicaces. ſic Accuſ. III. Ita acutè vt Siculum. Et lib. V, Et in Bruto, de Sicilia loquens, Quòd eſſet, inquit, acuta illa gens & controuerſa natura.

Ex Sicilia literas. Accuſatori conſtituto, Prætoris eius quæſtionis quæ in iudicium vocabatur, lege poteſtas fiebat, omnia non modò Romæ, ſed etiam in prouinciis obſignandi ac deportandi quæ ad inſtituẽdam accuſationem pertinere exiſtimaret. Dabaturq; ea lex accuſatori ſcripta, qua vti, vbi commodum erat, poſſet. hoc ex Ver. V.

Nec ea dico. His nolle Cæcilius oſtenditur veri accuſatoris officio fungi: illis verò, Hoc dico, te, ſi maximè cupias, tamen verum accuſatorem eſſe nõ poſſe: id eſt firmum non eſſe.

Scribam & familiarem. Familiarem ideo dixit, quoniam ſuorum inimicorum amicis & familiaribus nemo vtitur.

Retentum eſſe. Nam anno ſecundo Cæcilius de prouincia deceſſerat: & per ſingulos annos Quæſtores Verri mutati ſunt, vide infrà.

Lectiſſimum atque ornatiſſimum adoleſcentem. Laudat Cæcilij fratrem, vt oſtẽdat, ſi vlla eſſet Verris in Cæcilium inimicitia, non manſurũ illum cũ Verre fuiſſe: ſed fratris inimicitias perſecuturum.

Hoc dico. Superiora dixit vt probet eum accuſatorem verum eſſe nolle: nunc eſſe non poſſe, ſi maximè cupiat, oſtendit.

Verum accuſatorem. Verus accuſator dicitur, qui nihil diſsimulat, nihil fert obſcurè, nihil quicquam ſciens prætermittit.

Frumentũ in cellam imperauiſſet. Prætori ex S.C. licebat frumentũ in annuum ſumptũ aratorib. imperare. Attribuebatur enim Quæſtori ex ærario pecunia, quam aratoribus pro frumento ſoluerent. Prætor autem ea pecunia perſoluta frumẽtum quò vellet, vehi imperabat: aut pro frumento pecuniam, quanti frumentum erat: aut verò etiam à Quæſtore pecuniam ex S.C. attributam accipiebat. Hac igitur de cauſa genus hoc frumenti, Æſtimatum dicebatur, quòd non frumentum, ſed eius æſtimationem Prætor accipiebat. Huc autem illud Seruij pertinet in primum Æneid. Cellarium dici paucorum dierum: vnde & in cellam diei imperatum frumentum, penus verò dici temporis loco.

Quum eſſet tritici modius H-S II. Sic interpretor, Seſtertius duobus, vt apud Non. Marcellum in dictione Exigere. ſic enim loquitur frequẽter in Frumentaria. & ſenſus eſt, Quũ tanti venderetur ab aratoribus, aut ſummum ternis: quod pretium Verres in æſtimando ſequi debebat, & vide infrà. Nam quod in omnibus tum antiquis, tum impreſſis libris ſcriptum eſt H-S V, mendum manifeſtum eſt: quod etiam ex Aſconio intelligitur, & Nonio Marcello, in eo quem modò notaui loco.

Domeſtici periculi metu. Locutio è Græcis fontib. fluxiſſe videtur qui οἰκεῖον quod proprium eſt appellant.

Emptum ex S.C. frumentum. Tenebãtur populi Siciliæ vectigales populo R. frumenti quantum vellet, certo pretio vendere. Ea pecunia Quæſtori ex vectigalibus attribui ſolebat, qui populo R. frumenti numerum quem is poſceret, curabat.

Pecunia omnis ſoluta non eſt. Certis enim nominibus deductiones fiebant. de quibus vide infrà.

Mancipes à ciuitatibus pro frumento pecuniam exegerunt. Mancipes dicuntur qui in auctione publica

A redimunt. Modò Decumanos ſignificat, quib. Verres vendere Siciliæ decumas conſueuerat. Publicani, quorum Verres ſocius erat in decumis, illas quã plurimo redimebant, quòd poſtea non vnas modò decumas, ſed ternas & quaternas exigerent. Sæpe tamen has decumas aratoribus ac ciuitatibus remittebant, pretium quanti emerant exigentes, & præterea lucrum, aut acceſſionem.

Non reperiebat. In tam manifeſto crimine.

Si tibi iudicium, Indicium. Mendũ fuit typographi.

B *Qui nullo ſuo peccato.* Obſcurè reſpondet obiectioni, quæ ad illud vtrunque fieri poterat, quod ſe in accuſatore conſtituendo deſiderare dixerat, vt paulo pòſt, in tertio, Fortaſſe dices, quid? &c. Non enim apertè affirmat ſummam eſſe in ſe vitæ integritatem, atque innocentiam: ſed nullam ſibi criminum ſocietatem eſſe cum Verre.

Impediuntur. Tangit Cæcilium: quaſi diceret, Vt tu qui, quia peccati es ſocius, accuſare non potes.

Ego etiam qua tu. Trium criminum genera ſe perC ſecuturum affirmat: quæ Verres ſine Cæcilio, quæ cum Cæcilio, & quæ Cæcilius ſine Verre. ex quib. duo poſteriora dicit Cæcilium ne attingere quidem velle.

Quòd non te prohibuerit. Alij omnes, Quòd te nõ: & ſic emenda.

Aut ratio aut exercitio. Rationem opinor modò dixit pro habitu ex conſuetudine & vſu, plus eſt igitur ratio quàm exercitatio.

Difficili in loco. Quia ſi eam eſſe in me affirmem, D arrogans videbor: ſi negem, ea ipſa lege quam ſtatuo, excludar.

Maius id. Hominum ſcilicet opinionem.

Hanc contentionem. Ambiguum verbum. Nam & ad hanc cauſam de conſtituendo accuſatore referri poteſt, & ad comparationem Ciceronis cum Q. Cæcilio. Nam cùm ſibi quiſque id ſumit quod aduerſario detrahit, contendere dicitur. Certamen autem ſignificat, quod ex illa comparatione contentioneque ortum eſt.

E *Familiariter.* Mei rationem non ducens: vt in hac noſtra contentione, in qua etſi vlla eſſet in te facultas, tamen nullam præ mea ducerem.

Tu te collige. Cicero Tuſcu. III, Quid eſt ſe colligere? niſi diſſipatas animi partes rurſus vnum in locum cogere: quod fit cùm diligentius conſideramus. At in contentione diſſipantur partes animi, quæ diſſipatio iudicium impedit.

Putáſne poſſe. Putaſne te poſſe, omnes alij libri, in queis Aſconius & ſic puto legendum.

F *De maximis acerbiſſimiſq; rebus.* ἀνανταπόδοτον figura: qua nõnũquã de induſtria Tullius vtitur, vt ex tẽpore dicere videatur. ſimilis eſt illa in Orat. pro Balbo narratio, Audiui hoc de parente meo, &c.

Tot res tam varias. Hoc amplius omnes ad vnum tum veteres, tum impreſſi libri, Tot res, tam graues, tam varias.

Voce, memoria. Tacitè eas res complexus eſt quæ in Oratore deſiderantur: Inuentionem, quod ingenium appellat: Diſpoſitionem, quod conſilium: G Memoriam, & Vocem.

Qua Roma, qua in Italia. Amplificatione iterat eadem, quæ modò dixerat, ſed aliis verbis. Romæ & in Italia, refero ad Præturam vrbanam. Nam vſque centeſimum lapidem Prætor vrbanus iudicabat: & Romam inde vſque vadimonia promittebantur.

Achaia, Aſia. In Quæſtura & legatione. Prætu- A ram autem Sicilienſem omittit, quod iam ante Cæcilium ab eius accuſatione alienum oſtendiſſet.

Putáſne poſſe, id quod. Putáſne te poſſe: duo libri veteres. quod non diſplicet.

Quæ ille libidinoſè, quæ crudeliter fecerit. Hoc amplius omnes alij libri, Quæ ille libidinoſè, quæ nefariè, quæ crudeliter.

Athenis nō Lilybæi. Locum hunc Aſconius interpretatur; Tātum igitur in eius ſententiā Plauti verſus ex Menæchmis ſubſcribam: Atque adeo hoc ar- B gumentum Græciſſat tamen, non Atticiſſat verum, Sicilliciſſat. Item illum Hieronymi locum ex epiſtola Paulæ & Euſtochij ad Marcellam ſcripta. Certè etiam ſi præclarus orator reprehendendum neſcio quem putat, quod literas Græcas non Athenis, ſed Lilybæi, Latinas non Romæ, ſed in Sicilia didicerat &c. Quo in loco Eraſmi χρόγον legitur, ſane homine illo erudito indignum. In Sicilia autem Latinas literas didicerat. Erat enim Cæcilius C (vt Aſconius iam inde ab initio monuit) homo Siculus.

Mihi elaboratum. Græca locutio. Xenophon libro de Cyri inſtitutione v, ὅτι δ' ἐξέλαθε ἡμᾶς, τί ἡμῖν πεπραγμένον ᾖ φανερὸν ἔστι; Similiter in Orat. pro Pomp. Quamobrem quicquid in hac cauſa mihi ſuſceptum eſt Quirites, &c. Quantum autem elaborarit, oſtendit in libro de claris Orat. extremo.

Cùm illius diei mihi venit in mentem. Omnes & veteres & impreſſi libri, Cùm illius temporis: quod D ego ſine vetuſti auctoritate codicis immutare non auſim. Subauditur enim, Eius dici: & magis accōmodatum eſt ad ſententiam. ſiquidem iis qui metuunt, potius momenti temporis in mentem venit, quàm diei. Video etiam Priſcianum lib. 18. locum hunc ita deſcripſiſſe.

Quo die citato reo. Nam apud veteres, vt alio quodam loco ſcribit Aſconius, & Iudices, & rei, & accuſatores & defenſores à præcone Prætoris citabantur. Plutarchus in Apoht. ſcribit Ciceronem tanto E in metu cuiuſdam agendæ cauſæ tempus expectaſſe vt ſeruum nomine Erotē libertate donarit, quòd cauſam quam acturus erat in poſterum diem dilatā nuntiaſſet. Ipſe de ſe in Cluentiana ſic ſcribit, Semper equidem magno cum metu incipio dicere: quotieſcunque dico, toties mihi videor in iudicium venire non ingenij ſolùm, ſed etiam virtutis atque officij: ne aut id profiteri videar, quod non poſſim implere, quod eſt impudentiæ: aut id non efficere, quod poſſim, quod eſt aut perfidiæ, aut negli- F gentiæ.

Toto corpore perhorreſco. Natura hoc accidit metu affectis, vt ſanguis cor deſerens, defluat, eóque cutis illorum palleſcat, ex quo fugiente vi naturali, ac neruos deſerente quibus robur tenebatur, horror ac tremor conſequitur.

Modò differendum, modò omni ratione pugnandum. Quidam Omni oratione. & ſic interpretantur, Modò altercatione & velitatione quadam vtendum: modò omni, id eſt perpetua & continuata oratio- G ne pugnandum. Ego & differere ſimpliciter accipio, pro Rationibus conquiſitis dicere, & argumentari: quod etiam in perpetua fit oratione: & Omni ratione, legendum arbitror: quo verbo quāuis dicendi rationem complectitur. Nam Omnem orationem, pro Perpetuam, mihi non fit veriſimile Ciceronem dixiſſe.

Artificio peruertet. Quod paulo infrà dixit, Ab inſtitutis, cogitationibúſque abducere.

Hominis petitiones. Vtrum ictus ſignificat, quaſi gladiatorum: quorum dicuntur propriè Petitiones: an potius cùm de ratione dicendi loquatur, Partitiones legamus? quod verbum cum ratione dicendi Hortenſij magnopere congruit. Ipſe in libro de Clar. Orat. Hortenſius attulerat duas quidem res, quas nemo alius, partitiones quibus de rebus dicturus eſſet. In Orat. pro Quinctio, Faciam quod te ſæpe animaduerti facere Hortenſi: totam cauſæ meæ dictionem certas in partes diuidam. tu id ſemper facis, quia ſemper potes.

Iiſdem cauſis. Quum eandem cauſam ſimul defendimus. Contrarius. cùm tu accuſabas, ego defendebam: vt in cauſa Quinctij. Cicero in Bruto, Etenim videram in iiſdem cauſis, vt pro M. Canulcio, pro Cn. Dolabella quum Cotta princeps adhibitus eſſet, priores tamen agere partes Hortenſium.

Ita contra me ille dicet. Id eſt, Quum dicet, non tanta confidentia ingenij dicet, quin nonnullum, &c.

Vt nonnullum etiam. Vt non putet ſibi cum homine imperito eſſe negotium, & qui de illius ingenio iudicare non poſſit. Sibi hoc tribuit, ne terreantur Siculi laude Hortenſij. Nam qui de aliorum ingenio iudicant, non multo inferiores eſſe oportet iis de quibus iudicant.

Eluſurus. Complexionibus illis & argumentis vtrinque concludentibus, Vis verum, an falſum? vtrum dixeris, id contra te futurum eſt. Tranſlatum à gladiatoribus. qui ex iis quibuſcum pugnant, interdum quærunt, vbi feriri malint, ſuprà, infrà, dextrà, ſiniſtrà, antè, à tergo.

Quis tibi æſtus, quis error. Eleganter in eadem tranſlatione gladiatorum perſiſtit, quibus magna aliqua plaga in capite accepta, tenebræ, error, æſtus oboriri conſueuit, quod ἰλιγγιᾶν Græci vocāt vt dixi Verrina 4.

Periculum faceſſeris. Sic Tacitus lib. 1. & v. eſt locutus, procreans, attuleris.

Traycere. Tranſlationem criminum ſignificat. Nam cùm tanta Cæcilio cum Verre ſocietas fuerit, multa in eum crimina traiici ac deriuari facilè poterunt.

Subire inuidiam. Suſtinere eam inuidiam quam ille tibi oratione ſua parabit. ſic enim omnes omnino, quos vidi, libri. Solus Aſconius, Subire inuidiæ. quod ſic, inquit, Latinè dixit, vt Vergilius in ſexto, Subeúntque feretro. Nonius Marc. Subire orationem.

Vide modò. Dum res adhuc eſt in integro.

Geſtu ac motu. Non ad laudem hoc dicitur, ſed illum obſcurè pungit. nam in libro De claris Orat. de eodem loquens, Vox, inquit, canora, & ſuauis, motus & geſtus plus artis habebat, quàm erat Oratori ſatis. Gellius autem lib. 1, ob eam cauſam à L. Torquato geſticulariam Dionyſiam eum notiſſimæ, ſaltatriculæ nomine appellatum ſcribit.

Hac proluſione. Alia vtitur in re ſimillima perinſigni ac pereleganti metaphora in libro de diuinat. 11. his verbis. Sed hæc fuerit, nobis tanquam leuis armaturæ prima orationis excurſio: nunc cominus agamus. Experiamur itaque ſi poſſumus cornua commouere diſputationis tuæ.

Eſto,

Eſto, ipſe nihil eſt. Particula veteribus vſitata, cùm A aduerſariorum confeſſio ſimul cum alia obiectione ſubiicitur, Græcis εἶεν in vſu eſt, vt ſæpe in Orat. κατὰ Κτησιφ. Hac autem ipſa Cicero ſimiliter vſus eſt infrà,

Ipſe nihil eſt. Q. Cæcilius.

Quum ſubſcriptoribus exercitatis. Subſcriptores dicebantur, qui ſe accuſatori, qui rei nomen detulerat, ſubſcribebant. Aſconius pro Cornelio, Detulit nomen Publius, ſubſcripſit Caius. Et Epiſt. B ad Q. Fratrem, Gabinium de ambitu reum fecit P. Sylla, ſubſcribente priuigno Memmio. Dabantur autem plerunque ab reis ipſis actoribus cuſtodes, ne fortè præuaricarentur. Interdum ſubſcriptionem ipſi à Iudicibus poſtulabant. Nulli autem, niſi per Iudices liceret, ad ſubſcribendum admittebantur: vt oſtendit paulo infrà. Et omnino hic locus demonſtrat ſubſcriptores fuiſſe patronos qui ſecundo, tertio, & quarto loco cauſam agerent. nam hoc tempore (vt Aſconius ſcribit in Oration. pro C Scauro) quatuor ferè patronis vtebantur. At poſt bella ciuilia ante legem Iuliam ad duodenos patronos eſt peruentum. Et ob eam cauſam quatuor tantùm patronos Tullius hic numerat. Quartum, inquit, quem ſit habiturus, non video. Hic mos etiam fuit Athenis, vt ex argumento Libanij in Orat. κατὰ Λεπτίνου intelligitur, quam ſecundo loco habitam ſcribit. Nam Aphepſion, inquit, natu maior, primas cauſæ partes egit. & δευτερολογίαν eam appellat: de qua in fine argumenti pauca explicat. In D orationem verò κατ' ἀνδροτίωνος, auctor argumenti ſecundi ſic ſcribit, ἰστέον δὲ ὅτι ἡνίκα δύο ὦσι κατήγοροι, ὧν μὲν εἷς πρεσβύτερος, οὗτος λαμβάνει τὴν πρωτολογίαν, κατὰ τιμήν. ὥσπερ καὶ ἐνταῦθα ὁ Εὐκτήμων ἔλαβε τὴν πρωτολογίαν, ὡς πρεσβύτερος. καὶ εἶπε τὰ προοίμια, καὶ τὴν κατάστασιν, καὶ μέρος τι τῶν ἀγώνων. ὁ δὲ Διόδωρος ἰδιώτης ὢν ἔλαβεν ἀπὸ τοῦ Δημοσθένους τὸν παρόντα λόγον, ἥ ἐστι δευτερολογία. ἔχει δὲ ἃ παρέλιπεν ὁ Εὐκτήμων. Quando, inquit, duo ſunt accuſatores, quorum alter ſenior eſt, hic habet prio- E res partes, honoris cauſa: veluti in hac cauſa, Euctemon priores habuit partes, vtpote natu maior: vſúſque eſt proœmiis, & narrationem, partémque argumentationis expoſuit. Diodorus autem homo imperitus, à Demoſthene hanc orationem accepit, quæ eſt deuterologia. continet autem quæ Euctemon prætermiſit.

Eſt tamen hoc aliquid. Tamen pro Tandem: vt ſæpe aliàs, hoc ſenſu, Tandiu quæro quid ſit in Q. Cæci- F lio cur debeat admitti ad accuſandum: neque quicquam adhuc dictum eſt. Nunc tandem aliquid dicitur, ſed tamen quod non ſatis ſit. vt in Orat. pro Sex. Roſcio, Audio: nunc dicis aliquid quod ad rē pertineat. Nonius Marc. ex hoc Salluſtij loco, Tamen pro Tandem vſurpari docet, Nam qui enare conati fuerant, icti ſæpe ferramentis nauium, tamen aut vulnerati à ſuis, aut afflicti vndarum vi poſtremò periere.

Omnibus enim rebus. Liber Aſconij, In omnibus G enim rebus: quo modo legendum & reſtituendum arbitror. Neque enim Ornatiſſimus ad Rebus refertur, ſed ad Gregem accuſatorum. quaſi diceret, In rebus omnibus, ſiue in vſu & exercitatione forenſi, ſiue in facultate dicendi, is qui primas habet partes debet eſſe omnium actorum ornatiſſimus. Deletum autem & ſublatum opinor ab iis qui Ornatiſſimus ad Rebus omnibus referendū putabant.

Habet Allienum. Et hoc loco & paulo pòſt ſequi videtur Aſconius eorum opinionem, qui Alienus legendum putabant. cùm tamen apertiſſimè Tullius viri nomen proprium eſſe oſtendat. Sic faciet Allienus, Ipſe Allienus detracturus eſt, Si Allienus minus vehemens fuerit. Senſus eſt autem nō obſcurus, & de Iudicum ſubſelliis intelligi poteſt: ac de iis cauſis quæ ad Prætorum tribunalia in foro agebantur. Similiter enim dixit in libro de Oratore primo extremo, habitare in ſubſelliis eum, cuius operam nullam ad rem, niſi in ſubſelliis vtilem eſſe ſignificabat. Et in ea pro Muræna cum longo interuallo veneris, cum iis qui in foro habitarunt, de dignitate contendas. Sic igitur accipio, vt Tamen, item vt paulo antè, pro Tandem, poſitum intelligatur: & A ſubſellis hoc ſignificet, Qui in ſubſellis habitarit, in foro agendíſque cauſis plurimum ſit verſatus. Senſus igitur hic erit, Quinam iſti tandē ſunt, qui ſibi delationem dari poſtulant? Q. Cæcilius? At nunquam in cauſis, iudiciíſque verſatus eſt. L. Apuleius? at nouitius & planè tyro eſt in vſu exercitationéque forenſi. Allienus igitur. Tandem vnum aliquem qui in ſubſelliis hæſerit, habitarit, verſatus ſit, nominaſtis. Sed tamen ita verſatus, vt clamator potius quàm declamator dici poſſit.

Hunc tamen à ſubſelliis. Similiter dictum vt à pedibus, à manu ſubſellia, inquit Aſc. ſunt minorum magiſtratuum, aut iudicum priuatorum. Apud hos allienus actitare cauſſas ſolebat: non, vt Cicero, apud maiores magiſtratus, qui pro tribunali cauſſas cognoſcebant.

Ac ne is quidem. Magis placeret, At ne is quidem.

Totum iudicium ſuſtinebit. Clamore & vociferatione εἰρωνεία eſt, vt in omnib. quæ ſequuntur.

Tantum contendet in dicendo. In clamando, non tanta contentione vociferabitur, vt mox ex eo, quod ipſe poteſt, in clamando aliquantum remittet.

Vt tu tamen aliquid. Alij omnes vt tu tandem. vtrunque rectè, modò Tamen, vt ſuprà, pro Tandem accipiamus.

Se aliquid futurum putet. Hanc lectionem ſolus codex comprobat, quem aliis omnibus antepono. Cæteri omnes tum veteres, tum impreſſi, Facturum. Sic autem loquutus eſt paucis ſuprà verſibus. Vt tu tamen aliquid eſſe videare.

Et ſibi primas. Perſpicuè rectum. omnes alij, Tibi primas.

Ex quibus alieniſſimis. Obſcurus locus, ſed, vt opinor, hic ſenſus eſt, Oratores iſti qui ſubſcriptionem ſibi poſtularunt, nihilomagis verſati ſunt in iudiciis, quàm tu, aut Apuleius: adeóque à foro alieni ſunt, & ignari diſciplinæ conſuetudiníſque forenſis, vt quum tu te ſperes poſſe ab iis vſum rationémque forenſem condiſcere, contrà ipſi tibi docendi ſint tanquam hoſpites, atque peregrini, qui nunquam in forum ingreſſi ſunt. Nam Hoſpitem in ea re ſæpè Cicero vſurpat: vt in libro de Orat. 1. Fateor enim callidum quendā hūc, & nulla in re tyronem ac rudem, nec peregrinum atque hoſpitem in agendo eſſe debere. Et pro C. Rabirio, Adeóne hoſpes huius vrbis, adeóne ignarus es diſciplinæ noſtræ vt hæc neſcias?

Ita paratus, Tam imparatus. De hoc autem Oratorum grege tantummodo loquitur, non de Allieno. vt nihil Aſconio Alieniſſimi alluſionem prodeſſe appareat.

Aliquis ſit recipiendus. Aliquis ex illis hominibus A alieniſſimis, ex iſto Oratorum grege: is ſcilicet quẽ quartum habiturus es.

Quaſi præteriens. Vtpote abiectis & infimæ ſortis hominibus. Et hoc de viatorum conſuetudine tranſlatum eſt. Nam qui in itinere ab honorato viro interpellantur, ei ſtantes, & gradu (vt dicitur) compreſſo reſpondent. ſin à quouis de populo, prætereuntes & inſtitutum iter perſequentes.

Inopia amicorum. Id eſt, tam parum poſſe gratia B apud Iudices. Amicorum enim, ad Iudices refertur non ad Meos ſubſcriptores. vnde paulo pòſt, Non eſſe hostales viros commiſſuros, in eandem ſententiam. Nulli enim, niſi quibus per Iudices licebat, ad ſubſcribendum admittebantur.

De populo. Contemptim, vt in lib. De clar. Orat. Quantum non quiuis vnus de populo, ſed exiſtimator doctus & intelligens poſſet cognoſcere. Et alio loco, Atque eodem tempore accuſator de plebe L. Cæſulenus fuit, quem ego audiui, &c. Qua in re C etiam illud dicitur, Vnus de multis: vt libro de Off. 2, Itémque in ſermonibus alium quendam videmus, quamuis ſit præpotens, efficere, vt vnus de multis eſſe videatur. Iſocrates πρὸς νικοκλέα συμβουλεύων, σὺ δ' ἂν εὐχοῖο ἕνα τῶν πολλῶν, ἀλλὰ πολλῶν ὄντα τύραννον. Idẽ etiam in Orat. πρὸς φίλιππον. πολλοστὸν appellat. Διονύσιος, inquit, τοίνυν πολλοστὸς ὢν καὶ τῷ γένει καὶ τῇ δόξῃ, ἐπιθυμήσας μοναρχίας, κατέσχε Συρακούσας.

A columna Menia. Vbi treſuiri capitales, ſeruorum & infimorum hominum crimina cognoſce- D bant: ſumique de damnatis ſupplicium iubebant octo enim habebant lictores qui eorum iuſſu in damnatum animaduerterunt. vt ex Plauti Amphytrione & Aſinaria cognoſcitur.

Cuſtodem inquit. Quis inquit? num Cæcilius? opinor. Sic enim ipſe poſtea libro Accuſ. 1, Quod meum factum lectiſſimi viri atque ornatiſſimi ita comprobarunt, vt ei qui iſtius Quæſtor fuiſſet, & ob iſto læſus inimicitias iuſtas perſequeretur, non modò deferendi nominis, ſed ne ſubſcribendi qui- E dem, cùm id poſtularet, facerent poteſtatem. Paulo tamen pòſt ſic loquitur, Verùm vt ad te Cæcili redeam. Nam cùm id contumelioſius fuiſſet, nimiſq; inhumanum, Cæcilium ſubſcriptioni negare eſſe idoneum, obſcurè atque occultè illum remouere conatur, generali reſponſo ad omnes ſubſcriptores.

Meas capſas. In quibus literas, auctoritates, tabulas recondam, quas ex Sicilia deportabo, ſi ad me accuſatio deferatur. F

Non eſſe hostales viros. Liber Aſconij, Nunquam tales viros. Nihil cenſeo mutandum.

Hostales viros. Iudices noſtræ huius contentionis. Et eſt obſcura laudatio Iudicum.

Fides mea. Mea vna ſufficit integritas: neque alterum ferre poteſt.

Diligentia. Quæ tanta eſt, vt mihi etiam à cuſtode timeam, nequid ille vel enuntiet, vel ſuffuretur.

Qui ſi rectè monere. Qui ſi te rectè, omnes alij: & ſic emenda. G

Quid enim dices. Propoſitio Q. Cæcilij: Læſus ſum à C. Verre, & ob hoc iure illi ſum inimicus, quare præuaricator eſſe non poſſum.

Arbitror. Non te hoc dicturum, ſed tibi iniuriam illatam.

Vnum eximium. Non eodem te loco habuiſſe, quo reliquos omnes Siculos. Siculus enim ipſe quoque Cæcilius, quocirca infert, Sed cæteri Siculi vltorem, &c.

Id quod non poteſt. Omnes alij, Non potes. quod magis placet: tametſi apud Donatum in Adel. ſic legatur. neque enim ita hoc accipiendum eſt, quaſi neget iure Cæcilio licere, ſed quòd nulla in eo facultas agendi, nulla dicendi ratio ſit.

Et hoc te præteris. Valde placeret vt cum interrogatione legeretur.

Non id ſolùm ſpectari. Hæc erat Q. Cæcilij ratio, Qui iniuria affecti ſunt, accuſare debent. Ego ſum affectus: accuſare igitur debeo. Nunc Cicero propoſitionem diſtinguit, quòd non eos tantùm qui debent, ſed etiam qui poſſint ſpectare oporteat.

In quo alterum. Non Alterutrum, quod quidam exiſtimant. Poſtremum enim excluditur his verbis, Sed quid facere poſſit. Sed Alterum ſimpliciter dixit, ſatis intelligi putans primum illud Qui debeat, quod principale eſt, & primo loco expetendum.

Quòd ſi ei. Nunc argumentum ipſum in Q. Cæcilium retorquet, Qui iniuria affecti ſunt: accuſare debent. Concedo, nimirum vt quiſque maxima & atrociſſima affectus eſt. Prouinciæ autem maxima eſt & grauiſſima: præponenda igitur.

Grauius ferre. Id eſt, grauiores & atrociores exiſtimare iniurias.

Te læſum. Extenuat, cùm iniuriam factam dicere debuiſſet; quod grauius eſt, vt infrà oſtendit.

At eam tibi. Reſponſio Cæcilij, non eſſe priuatam iniuriam, qua à Verre affectus eſt, ſed publicam: quòd Magiſtratui populi R. facta ſit.

Cæterorum animos. Mira commutatio verborum, pro eo quod Cæcilius dixerat, Quæ publica eſt, vel, Quæ ad Rempub. pertinet: vtpote quæ magiſtratui populi R. facta ſit.

Liberta Veneris Erycinæ. Verba ſunt Polybij, in libro primo, Eryx eſt Siciliæ mons, mari imminens, ex ea parte quæ Italiam ſpectat, inter Drepanum ac Panormum, magis tamen Panormo coniunctus. Hic magnitudine omnes Siciliæ montes ſuperat præter vnum Ætnam. In eius vertice planicies eſt, ſinque ea Veneris Erycinæ templum ſine controuerſia omnium Siciliæ templorum opulentiſſimũ atque ornatiſſimum. Quod idem Strabo quoque libro Georg. vi, ſcribit. Qui ergo quæve Siculorũ religionibus conſecrati eſſent Veneri, ij Venerei Venereæve dicebantur. neque enim mulieres modò, vt ex Strabone intelligitur, ſed etiam viri Veneri conſecrabantur. Cicero in Cluentiana, Martiales quidam Larini appellantur, miniſtri publici Martis. quorum quum ſatis magnus numerus eſſet, quúmque, item vt in Sicilia permulti Venerei ſunt, ſic illi Larini in Martis familia nominarentur. Atque iidem, opinor, erant Venerei, de quibus frequens mẽtio eſt in Verr. iv, & v, id eſt viatores atque apparitores quidam, qui magiſtratibus populi R. præſto eſſe ſolebant.

Iudicium dat ſtatim. In prouinciis & Prætores, & Quæſtores, vt apparet, iudicia in cauſis priuatis dabant. Eſt autem Dare iudicium, Iudices conſtituere in certa verba, vt SI PATERET eam ſe & ſua Veneris eſſe dixiſſe: Plena autem eſt oratio, Tum eius bona Veneri adiudicantor. Nam Iudices à Magiſtratu dati de facto poſtea cognoſcebant, & eorum ſententiam Magiſtratus exequebatur. Erat autem hoc Cæcilij negotium, vtpote Quæſtoris Lilybætani, qui ea Veneri Erycinæ commiſſa eſſent, pete-

petebat. Et de Iudiciorum priuatorum ſurma fuſius in Orat. pro Q. Roſcio.

Iudicant Recuperatores. De Recuperatoribus dixi in Orat. pro Cæcina, vnde ea aſſumentur quæ ad hunc locum pertinebunt.

Id quod vos omnes admirari video. Apud Iulium Rufinianum, Quod admirari vos video. Vtra ſit verior, ſtudioſi ex librorum veterum vel conſenſione, vel diſſenſione iudicabunt. Illud quidem corruptum eſt ſine controuerſia, quod eodem in libro ſcriptum eſt, Ex aliquo Circæo poculo. nam a x particula tollenda eſt.

Non Verres, ſed Q. Mutius. Conſul hic Aſiam, vt ſcribit Valerius, tanta fide ac vigilantia gubernauit, vt Senatus poſtea in eam prouinciam ituris Magiſtratibus exemplum, atque formam officij Scæuolam decreto ſuo proponeret. In ea autem menſes tantùm nouem verſatus eſt: ex quo vt ſcribit Cicero, illuſtriorem virtutis gloriam reportauit: Epiſt. ad Att. lib. v. Itaque diem feſtum Aſiatici in eius honorem celebrarunt, quæ Mutia dicebantur, vt infrà.

Tanquam Circæo poculo. Nota eſt de Circe fabula, ex libr. Odyſſ. x, quæ Vlyſſis ſocios in ſues mutauit. Et alludit ad nomen Verris quaſi è Q. Mutio ſus factus ſit, Verres.

Ad ſe auertit. Propter agnominationem in qua eum ludere conſtat, legendum putarem in præterito tempore Auertit.

Sic te læſum Eſt igitur Lædere, idem quod damnum atque incommodum afferre: at Iniuriam facere, iniuſtè & improba ratione damnum afferre.

Perfidioſum an præuaricatorem. Perfidioſus dicitur, qui cùm inimicus ſit, amicum ſe ſimulat: Præuaricator, qui cùm amicus ſit, inimicum ſe fingit. Illud ad C. Verrem, hoc ad Siculos refertur. Præuaricatoris autem verbum à varicibus deductum eſt, quæ ſunt venæ in ſuris inflexæ, & obtortæ: vnde hic ipſe in Partitionibus, Defenſor, inquit, vim verbi ex nomine ipſo reperiet, quod ſignificat eum qui in contrariis cauſis quaſi variè eſſe poſitus videatur. Ex illo autem Partitionum loco illud intelligitur, quod animaduerſione dignum eſt, moris fuiſſe vt qui in iudicium adductus eſſet, ſi præuaricatione liberatus eſſe diceretur, rurſus in iudicium reuocaretur, eiúſque cauſa ſecundo loco cognoſceretur.

Quid ſi ne iniuriæ quidem cauſa remanet. Obſcurè facit eius rei ſuſpicionem quam affirmare non audet: redditam ſcilicet à C. Verre, Cæcilio Agonidis pecuniam fuiſſe, quam ille auerterat. Nam hæc iniuriæ atque inimicitiarum cauſa fuerat.

Quæſtorem illius fuiſſe. Mirè dictum Cæcilij inuentu. Contendebat enim in ſe, quia quòd Quæſtor Verris fuiſſet, omnia eius crimina nota & perſpecta haberet, in accuſando præponendum eſſe. id quod eius dictum nunc ita extulit, vt nihil frigidius eſſe videatur.

Hac vna in re te mihi. Hac vna re, crederem eſſe corrigendum, propter ſequentem particulã, Quòd. Idem autem ſignificat, vt quod ſequitur, Hanc vnã ob cauſam. Neque eſt aliud dicendi genus.

magis apud Ciceronem vſitatum.

A maioribus noſtris. Idem in libro Accuſat. 1. Tu cùm Quæſtor ad exercitum miſſus ſis, cuſtos non ſolùm pecuniæ, ſed etiam Conſulis, particeps omnium rerum conſiliorúmque fueris, habitus ſis in liberûm loco, ſicut mos maiorum ferebat. Idem in

A Ora. poſt reditum, Qui ſi mihi Quæſtor Imperatori fuiſſet, in filij loco fuiſſet. Et in Epiſt. ad Brutum lib. fa. Epiſt. 13, Quum ad te tuus Quæſtor M. Varro proficiſceretur, commendatione egere eum non putabam: ſatis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipſo more maiorum: qui vt te non fugit, hanc Quæſturæ coniunctionem liberorum neceſſitudini proximam voluit eſſe.

Quam coniunctionem ſortis. Nam & Conſules & Prætores Prouincias ſortiebantur, & ex S.C. Quæ-
B ſtores. Quibus igitur eadem prouincia obuenerat, diuinitus eam muneris officiíque publici ſocietatẽ accidiſſe putabant: qua de cauſa ineſſe in ea ſocietate religionem aliquam exiſtimabant.

Publicam muneris ſocietatem. Nihil muto: ſed ſi quis vetus liber ita ſcriptum haberet, publici muneris ſocietatem, lubenter hanc cum illa commutarem.

Quum is tibi parentis numero fuiſſet. In hanc ſententiam hic ipſe in Oratione pro Cluentio, Facilè
C intelligo non modò reticere homines parentum iniurias, ſed etiam æquo animo ferre oportere.

Iniuſtum impiúmque bellum. Alludit ad belli iura, quæ ab Anco Rege Fecialibus deſcripta, & conſtituta ſunt. Bellum enim populus R. nullum niſi à niſi à collegio Fecialium iuſtum, piúmque habitum, faciebat.

Quamobrem qui Quæſtor fueris. Probabilior ſcriptura mihi videtur ea quæ in Aſconij libro legitur, Quamobrem eum cui Quæſtor fueris.

D *Atque ille.* Atque frequenter idem ſignificat quod Atqui, vt hoc loco.

Vtra illuſtrior. Id eſt, vtrius noſtrum: vel ſic. Vter noſtrum honeſtius ita de ſe loquuturus eſt.

Ab hoſpitibus clientibuſq; ſuis. De clientibus latè explicaui in Orat. pro Sex. Roſcio.

In amicitiam populi R. ditionémque eſſent. Vetus loquutio, qua eadem vſus eſt in Orat. pro lege Manil. Cùm veſtros portus atque eos portus quibus vitam ac ſpiritum ducitis, in prædonum fuiſſe pote-
E ſtatem ſciatis. Et infrà, Verrina v 1 1, pag. 528, Quòd qui illam partem vrbis tenerent, in eorum poteſtatem portum futurum intelligebant. Aulus Gel. lib. 1. cap. v 1 1, ſimilem ex Plauti Amphytrione notauit, Non verò mihi in mentem fuit. In Oratione pro Cæcina eadem figura dixit, In poſſeſſionem veſtigium fecero. Et lib. v. de Finibus, In aliquam hiſtoriam veſtigium ponere.

M. Catonem illum ſapientem. Ver. v 1 1, & quæ ex Liuio deſcripſi.

F *Decimo Silano diem dixiſſe.* Hunc poſtea Marcum appellat, & Conſularem, Ver. 1 v. Conſul autem M. Iunius Silanus fuiſſe traditur, anno ab hinc xxxv111. collegámque habuiſſe Q. Cæcilium Metellum. At Decius fuit Silanus Conſul anno poſt Ciceronem Conſulem. Lego igitur M. Silano, adductus præterea Ciceronis verbis in Orat. pro Cornelio, apud Aſconium, Quid idem Domitius? M. Silanum, Cõſularem hominem, quemadmodum Tribunus ple. vexauit? Cur autem vexarit ex Aſconij commenta-
G riis cognoſces.

Neque enim. Particula ENIM, conuenire huic loco planè non poteſt. Itaque conſulendi ſunt libri veteres ex quibus reperiuntur in quo VERO pro ENIM legatur.

Is qui Princeps Senatus fuit. Princeps Senatus à Cenſoribus legebatur, is qui primus Cenſor ex iis

qui viuerent, fuiſſet. Liuius Decadis quartæ, libro nono, Scipionem & Polybius, & Rutilius hoc anno mortuum ſcribunt. Ego neque his, neque Valerio aſſentior: his, quòd Cenſorib. M. Porcio. L. Valerio. Principem Senatus ipſum L. Valerium Cenſorem lectum inuenio, quum ſuperioribus duobus luſtris Africanus fuiſſet: quo viuo, niſi vt ille Senatu moueretur (quam notam nemo memoriæ prodidit) alius Princeps in locum eius lectus non eſſet. Eum in Senatu primum ſententiam rogari ſolitum B tradit Aulus Gell. lib. I V, cap. X.

Accuſabat M. Aquilium. Quem M. Antonius defendit, diloricata tunica, vt cicatrices apparerent. Ver. V I I, & libro de Orat. I I.

L. Cottam in iudicium vocabat. Qui tamen abſolutus eſt, ne nimus aduerſarii viribus abiectus videretur. Ipſe in Oratione pro Muræna, & Val. Max. li. V I I I.

Bis Conſul. Primùm tempore tertij belli Punici, quum Ædilitatem peteret, nec dum per ætatem C Conſulatum petere poſſet. iterum bello Numantino: legibus vtroque tempore ſolutus.

Se mirari: quum moleſtè ferant. Moleſtè ferunt tã diligentem accuſatorem adhiberi, id tamen diſſimulant ac fingunt ſe mirari cur hac ætate accuſationem ſuſcipiam. Adoleſcentes accuſare ſolitos antea diximus: id quod ex Oratione pro Cælio intelligitur. Volui, inquit, vetere inſtituto eorum adoleſcentium exemplo, qui pòſt in ciuitate ſummi viri & clariſsimi ciues extiterunt, induſtriã ſuã à po- D pulo R. ex aliqua illuſtri accuſatione cognoſci.

Ea iam ætate. Non tamen admodũ grandi, neq; in annos natus erat X X X V I I I. qui fuit annus Ædilitatis legitimus: ſed Ea ætate, quia nonniſi in adoleſcentia ſolebant accuſare, quam adoleſcentiam Cicero in defendendis amicorum periculis tranſegerat.

Quum Ædilitatem petat. Quam hoc ipſo anno conſequutus eſt, vt apparet ex libro Accuſat. V, Nunc ſum deſignatus Ædilis: habeo rationem quid à populo R. acceperim.

Non nimis ſeuerè. Dictum puto pro Non multum, vt in Epi. ad Pætum, Teſtes verbum honeſtiſſimum eſt in iudicio: alio loco non nimis.

Quod in offenſione. Id eſt. ſi minus rectè & ſyncerè B accuſet, ſi ab religione officij ſui declinet, vt paulo pòſt, Si tantulum offenſum titubatumque ſit, id eſt peccatum. Item vt in Orat. I I, Hic ſi quid erit offenſum, omnes homines alium ordinem ad res iudicandas quærendum arbitrabuntur.

Multos obſides. Deterrentur homines à maleficio, qui & exiſtimationi iam collectæ, & expectatis honoribus (ne eos non conſequantur) metuunt. Sũt enim hæc tãquam pignora, quæ ab illis habet Reſpub. vt ſi qua in re offendant, ea quaſi Reipub. com- C miſſa videantur. Cæcilius, cuius neque opinio, neque honorum expectatio vlla eſt, nullo metu à ſuſcipiendo ſcelere deterreri poteſt. Contra M. Tullius, qui ſi in hac cauſa, &c. Obſides autem dicere maluit, quàm Pignora, vt maiorem timorem ſignificaret, ne non & expectationem & famam ſatis commode tueri poſſet. Maior eſt enim in obſidibus, quàm in pignoribus religio.

Dignitate ſuperatum. Id eſt non putabo vos id feciſſe, quòd Q. Cæcilium digniorem qui accuſet D exiſtimetis.

Tam ſeueram accuſationem. Quàm mea eſt: vel, Tã ſeuerum accuſatorem. Qui verò frigidum & inertẽ accuſatorẽ cupiunt, ij reo fauere ſe oſtendũt. Quare obſcurè ſignificat Iudices, in ſuſpicionẽ populi vẽturos, quòd hominis vita atque factis omnium iam opinione damnati cauſam ſubleuent.

ARGVMENTVM VERRINÆ ORATIONIS SECVNDÆ, QVÆ PRIMÆ ACTIONIS initium continet.

M. Tullio accuſatore conſtituto, atque ex Sicilia quò inſtituenda accuſationis cauſa profectus erat, reuerſo, C. Verrès, quum ſua cauſæ magnopere diffideret, neque dubitaret quin multis & teſtimoniis & tabulis, tum publicis, tum priuatis conuinceretur, duplicem inire rationem cœpit: primùm vt huius cauſæ actio in annum proximum perduci poſſet, quòd ſcilicet in eum annum & Qu. Hortenſius ipſius patronus, & Qu. Metellus eiuſdem amiciſſimus, Conſules deſignati eſſent: deinde quòd M. Glabrio, præſentis anni Prætor, breui magiſtratu abiret, multique huius conſilij Iudices Magiſtratum caperent, quo tempore Iudicibus illis eſſe non liceret, in quorum locum M. Metellus frater Conſulis Prætor deſignatus, & alij Iudices, non tam, vt ſperabat, ad corrumpendum difficiles, ſuccederent. tum præterea L. Metellus, illorum frater, Siciliam prouinciam ſortitus eſſet, cuius auctoritate Siculos commoueri poſſe confidebat. Id vt efficeret, quoniam quatuor duntaxat menſes ante Calendas Ianuarij ſupererant, principiò cauſam alterius rei interponere conatus eſt, quæ omne tempus ad agendum idoneum abſume-

abſumeret. Sed eius ſpem Ciceronis diligentia longè fefellit. Itaque ea ſpe fruſtratus tentare aliam rationem cœpit. Nam cùm ex hoc tempore, Nonis ſcilicet Sextilibus, non multum tēporis ad agendum ſupereſſet, ludis propè menſes treis auferentibus, præſertim ſi horis ſuis legitimis, id eſt xx. diebus accuſator vti voluiſſet: conſilium hoc cepit, vt partim dicendo partim excuſando, rem integram in annum ſequentem produceret. Huic illius conſilio Cicero ita occurrit. Statuit perpetuam orationem in aliud tempus reſeruare, & breuiter teſtes interrogando accuſationem expedire. Et quoniam ſibi ab vſitata ratione Hortenſii, & corrumpendorum iudiciorum conſuetudine timebat, hac tota Oratione multis minis interpoſitis, & Hortenſium, & alios eiuſmodi artifices perterrere conatus eſt: oſtendens ſe admiſſum dedecus ſeueriſſimè perſequuturum. Deinde cùm Senatoria iudicia infamia laborarent, & Populus Equitum iudicia magnopere flagitaret, oſtendit hanc vnam eſſe vel maximam aut ea amittendi, ſi ſe corrumpi ſinerent: aut confirmandi facultatem, & ordinis inuidiam infamiámque iudiciorum ſedandi, ſi in hoc iudicio, quo Senatorij ordinis integritas in iudicium vocatur, ſeueritatem & religionem tam graui & delecto conſilio dignam adhibeant. Atque argumentum quidem hactenus expoſuimus: quòd etſi Aſconius illud quoque conſcripſerat, mihi tamen paulo fuſius ac dilucidius explicanda eſſe nonnulla videbantur. Ex his autem etiam illud intelligi volumus, non rectè adhuc appellatam atque inſcriptam hanc fuiſſe orationem, vel ſecundum Accuſationis librum, vel Alteram actionem: cùm illa initium potius, & quaſi proœmium quoddam ſit Accuſationis, quæ (quemadmodum in Diuinatione diximus) quòd interrupta, atque interciſa oratione conſtaret, non eſt ab Oratore mandata literis.

COMMENTARIVS.

Quod erat optandum maximè Iudices. Hoc initio A beneuolentiam ab ipſa re, hoc eſt ab huius iudicij genere conciliat: cùm id eiuſmodi eſſe oſtendit, vt illius opera recuperari Senatorij ordinis amiſſa exiſtimatio, eiúſque in iudiciis auctoritas confirmari poſſit. Iudices autem dicit primùm M. Acilium Glabrionem Prætorem, cui ſorte quæſtio de pecuniis repetundis obuenerat: tum Senatores qui ei in conſilio affuerunt, vti ex Iudicum decuria ſortitione obuenerant, ab accuſatore & reo, vt mos erat, reiecti. Affuerunt deſignati M. Metellus Prætor, B M. Cæſonius Ædilis cum Tullio, Q. Manlius, Q. Cornificius, P. Sulpitius Tribuni pleb. M. Crepereius, L. Caſſius, Cn. Tremellius Tribuni militares, P. Seruilius Iſauricus vir clariſſimus maximis rebus geſtis, Q. Catulus, is qui Capitolium dedicauit, C. Marcellus qui Proconſule in Sicilia fuerat, L. Octauius Balbus, homo iuris & officij peritiſſimus, Q. Titinius. Acta eſt in foro, ad ædem Caſtoris. Agi autem cœpit Nonis Sextilibus, durauítque ad xix. Cal. Septemb.

Veſtri ordinis. Senatorij ad quem decem ab hinc annis tranſlata fuerant ab Equeſtri ordine iudicia, lege L. Syllæ Dictatoris.

Summo Reipub. tempore. Id eſt, ſummo Reipub. commodo: vel Reipub. tempore & ſtatu id ſummè poſtulante. Hoc enim vox Tempus plerunque ſignificat. Cicero De claris Orat. Sed quoniam perpetua quadam fœlicitate vſus ille exceſſit è vita, ſuo magis, quam ſuorum ciuium tempore. Et Verr. iii, Quumque iter hoc ſibi magis ad quæſtum ſuū, quàm ad Reip. tempus accommodatum depopoſciſſet. Et Philip. v, Quòd C. Cæſar C.F. Proprætor ſummo Reipublic. tempore milites veteranos ad libertatem populi R. cohortatus ſit, eóſque conſcripſerit.

Huius iudiciis quæ nunc ſint. Senatoriis, vel Senatorio ordine iudicante.

In ipſo diſcrimine ordinis. Cùm ordo veſter adductus eſſet in diſcrimen, maneréntne penes eum iudicia, an aliò transferrentur. Ipſe Verr. vii, At quo tempore futurum eſt? nempe eo, quum populus R. aliud genus hominum, atque alium ordinem ad res iudicandas requirit.

Concionibus & legibus. Hoc quid ſit, Aſconius declarat. Adſcribemus etiam ipſius Oratoris locum ex Orat. pro Cluentio, qui planius Aſconij ſententiam confirmat: Condemnato Oppianico, ſtatim L. Quinctius (Tribunus pleb. erat & Oppianici patronus) homo maximè popularis, qui omnes rumorum & concionum ventos colligere conſueſſet, oblatam ſibi facultatem putauit, vt ex inuidia Senatoria poſſet creſcere, quòd eius ordinis iudicia C minus iam probari populo arbitrabatur. Habetur vna atque altera concio, vehemens & grauis, accepiſſe pecuniam Iudices, vt innocentem reum condemnarent. Tribunus pleb. clamitabat: agi fortunas omnium dicebat, nulla eſſe iudicia: qui pecunioſum inimicum haberet, incolumem eſſe neminem poſſe.

Vt augerem inuidiam ordinis. Senatorem Verrem iis ipſis criminibus conuincens, quorum hoc tempore ordo Senatorius inſimulatur. Ipſe Verr. vii, De D niq; ſi videor hic, id quod ego nō quæſiui, de vno iſto voluiſſe creſcere: iſto abſoluto, qđ ſine multorū ſcelere fieri nō pōt, de multis mihi creſcere licebit.

Depeculatorem ærarij. In Quæſtura.

Vexatorem Aſiæ. In Legatione.

Prædonem iuris Vrbani. In Prætura vrbana.

Labem atque perniciem pro.Sic. In Prętura Siciliẽſi.

Auctoritas ea. Iudiciorum. Sic Verr. III, Vt cùm hæc res pro voluntate populi R. eſſet iudicata, aliqua ex parte, mea diligentia conſtituta auctoritas iudiciorum videretur.

Equidem, vt de me. Hoc loco à iudicum perſona beneuolentiam aucupatur, laudem eis, artificiosè aſpergens: cùm eorum integritatem & religionem dicit aduerſario ita ſuſpectam fuiſſe, vt omni ſtudio iudicium hoc ad alios traducere conaretur.

Inſidiæ terra marique. Rediens ex Sicilia, iter à Rhegio Romam vſque terra facere veritus, propter fugitiuorum & Verris inſidias, à Vibone (quæ eſt vrbs in Agro Brutio) Veliam Lucaniæ oppidum paruo nauigio tranſiit.

Concurſus tanta multitudinis. Nam hoc tempore propter comitia ludos & luſtrum plebs ruſtica Romam conuenerat.

Quas vno tempore mihi. Meæ exiſtimationi, præuaricationis præmia proponens: vt infrà, Fecit animo lubentiſſimo populus R. vt cuius diuitiæ me de fide deducere non potuiſſent, ne eiuſdem pecuniis de honore deiicerer.

Nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia poßit. Alludit ad Philippi dictum, nullum eſſe oppidum tam munitum, quod expugnari non poſſit, modò aſellus auro onuſtus poſſet in illud aſcendere. Sic enim hic noſter ad Atticum ſcribens teſtatur. Diodorus autem. lib. 16. Dicunt, inquit, Philippum cùm vrbem quandam admodum munitam, oppugnare vellet, & quidam illam aduerſum oppugnationem tutiſſimam eſſe diceret, quæſiſſe, num aurum eius vrbis mœnia tranſcendere non poſſet? Expertus ſcilicet Philippus erat, quæ capi armis non poſſent, ea perfacilè auro expugnari poſſe.

Tum cùm primùm reus à me factus ſit. Liber Aſconij, Tum, cùm à me reus factus ſit. Nihil cenſeo mutandum. Sæpe enim interpretes non omnia verba religiosè deſcribunt.

Non vt idem conficeret. Non quo ſe tam induſtrium ac diligentem putaret: ſed vt meum tempus obſideret. Diligẽtia autẽ ad multitudinẽ literarũ: Induſtria ad celeritatem reditionis refertur. Verr. III.

Reum ſuum adduceret. Adduci intelligo non ex Achaia: nam eum Romæ reum fecerat: ſed in iudicium. vt paulo ſuprà, Adductus eſt in iudicium C. Verres. Et in Orat. ſequenti. Quid iam Reipub. honeſtius, quàm in tanta inuidia iudiciorum adducere hominem, cuius damnatione, &c. Et ſic loquutus eſt in Orat. pro Milone, Reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius quoad vixit.

Meum tempus obſideret. Vt illud occuper, méque ab eo remoueat. Nam tres eo anno menſes Tullio erepti ſunt, ad agendum maximè appoſiti.

Tot graues ab amiciſsimis ciuitatibus legationes. Decedentibus de prouincia moris erat, vt ciuitates eius prouinciæ Senatuſconſulto Legationes decernerẽt, eáſque Romam mitterent: quæ, ſi Magiſtratu functi abſtinenter, & moderatè prouinciam rexiſſent, eos laudarent: ſin minus, vituperarent, atque in iudiciũ, poſtulato actore, adducerent. Laudationis autẽ ferè legitimus numerus decem erat ciuitatũ, quẽadmodum ex Verrina VI, intelligitur: quibus tum præſertim locus dabatur, cùm Magiſtratu functus in

A ſuſpicionem iniquę adminiſtrati imperij vocaretur. Alioqui enim de Legationibus ita ſcribit Cicero ad Appiũ, Epiſtolarũ li. III, Deinde vidi multis accidere, vt eorũ cauſa Legationes Romam veniant. ſed his Legationibus nõ memini vllum tẽpus laudandi, aut locũ dari. De priuatorũ quidẽ hominũ laudationibus (priuatos autẽ dico, etiã Magiſtratibus fungẽtes, ciuitatũ videlicet laudationes ab iis diſtinguens) Valerius Max. li. VI, ca. Quæ liberè dicta aut facta ſunt, ſic ſcribit: Cùm Cato in Senatorẽ nocentem & infamẽ

B reũ Iudex ſediſſet, tabellæq; Cn. Pompeij laudationẽ eius cõtinẽtes, prolatæ eſſent, proculdubio efficaces futuræ pro noxio, ſubmouit eas è quæſtione, legem recitando, qua cautum erat, ne Senatoribus tali auxilio vti liceret.

Tempus ipſum emiſſe. Pecunia effeciſſe vt cauſã nõ niſi anno inſequente diceret. quo anno & ab hoc Prætore M. Glabrione, & à magna parte horũ Iudicum, ad Prætorem alium, Iudicéſque alios veniret.

Procellam temporis. Tranſlatum à nauiculariis, qui

C ſi infeſtum aliquem & periculoſum locum adituri ſunt, eóque ipſo tempore procella aliqua impendere videatur, eam tamen deuitant. nam Procella venti impetus vehementiſſimus, ſed non diuturnus.

Quod ſi nõ modò. Non modò, id eſt Nõ dico. vt in Diuinat. Quid habes quod poſſis dicere, quamobrẽ nõ modò mihi, ſed cuiquã anteponare? & ſæpe aliàs.

Non vſque eò deſpiceret. Contemnit enim, cùm ex eo ordine reum aliquem fieri poſtulat, & modò aliquis fiat, quis ille ſit, minimè laborat.

D *Dum hic quæ opus eſſent compararet.* Dũ Verres pararet ea quæ ſibi in iudicio opus eſſet: id eſt dũ largitione & promiſſis Iudices ſibi adiungeret, atque amicos faceret.

Perficere hoc Prætore. Artificioſa laudatio Glabrionis, & Iudicũ, qua ſibi beneuolentiã illorũ conciliat, cùm eos minimè ad corrũpẽdũ accõmodatos, neq; Verris rationi, atq; conſiliis appoſitos eſſe oſtendit. Nõnulli libri, Hoc Glabrione Prætore. qđ verbũ vt gloſſã Aſconij ſub inſequẽti verbo ſubiectã, reiicio.

E *Quod populus R.* Aſconius, & pleriq; libri, Quod Prætor. quod vitiũ ex ignoratione notę veteris manauit. cùm P.R. diſtinctæ literæ grandiores, pro populus Romanus ſcriberentur: coniunctæ verò alteram vocem, Prætor ſcilicet, indicarent.

In reiectione Iudicum iudicauit. Cùm Verres ſpectatiſſimos & ſeueriſſimos Iudices reiiceret, quos nullo modo corrumpi poſſe arbitrabatur. De reiectione ſatis copiosè Aſconius.

Omnium voluntate iudicioq; damnatam. Voluntatem

F & iudicium cõiungit, hoc ſenſu, Quam omnes iam damnatam vellent, & damnandam eſſe iudicãt.

Cn. Carbonem ſpoliatum. Libro Accuſat. I.

Legatio exitium Aſiæ. Eodem libro.

Multas domos, plurimas vrbes. Facilis fuit error, qui vt acciderit, vereamur. vt cùm Vrbes multas, domos plurimas, ſcriptum eſſet, librarius vocem Vrbes omiſſam, & in margine poſitam, alienum in locum coniecerit.

Legatus & Proquæſtor. Omnes alij Proquæſtore:

G & ſic legiſſe videtur Aſconius.

Scelus illud priſtinũ. Nã vt Carbonem auxiliis ſpoliatum prodiderat, & oppugnarat, ſic Dolabellę cauſam omnem ad inimicos accuſatoréſque detulit.

Bonorũ poſſeſsionumq; addictio. Addici bona dicũtur, quæ in iure apud Prætorẽ alteri cedebantur, cũ Prætor hoc verbũ pronũciaſſet, Addico veluti, Edixit

Præ-

Prætor nequis hæredem mulierem inſt.tuat. Inſtituit aliquis filiam:eíque Mæuium ſubſtituit. Prætor bona Mæuio condonabit. hoc ſignificat Addicere. Vide infrà Addicit præterea, & tum maximè quum in iure fit ceſſio. fit autem illa per tres perſonas: Cedentis, id eſt domini: Vindicantis, id eſt eius cui ceditur, & Addicentis Prætoris. Sic enim Vlpiani locum reſtituendum arbitror. Condonare autem poſſeſſionem, eſt quum duo inter ſe de poſſeſſione contendunt (meliore enim conditione eſt is qui poſſidet, quàm qui petit) alterum poſſeſſorem conſtituere, & à petitionis onere liberare.

Aut imprudentia ſubterfugit. Imprudentiam, omnes tum veteres, tum impreſſi libri. Mihi hęc probatur: quòd prudentiam hac in re ſubterfugere diceremus, non imprudentiam.

At enim hæc ita. Hæc ſubiectio referenda ad illud eſt quod ſuprà negauit, vllam eſſe tantam eloquentiam, quæ aliqua ex parte poſſit illius vitam defendere.

C *Inania nobilitatis, hoc eſt hominum arrogantium nomina.* Ludit obſcurè ancipiti ſignificatione vocabuli, vt & Nomina inania dicat, quaſi vana ac futilia: & Inania nobilitatis, quaſi veræ ac germanæ nobilitatis expertia.

Adiuuant quòd noti ſunt. Acerbè dictum per agnominationem verborum Nobilis & Notus. Nam illud, Satis notus eſt, in deteriorem partem accipitur. vt alibi diximus. Sic in oratione pro Cælio. Res eſt omnis in hac cauſa nobis Iudices cum Clo- D dia muliere non ſolum nobili ſed etiam nota.

Manſit in conditione. Aſconius, Ea manſit in conditione. & ſic emenda.

Redemptio eſt huius iudicij facta grandi pecunia. Tranſlatum à redemptionibus operis faciendi. Nam qui certo precio opus aliquod faciendum ſuo periculo conduxit, Redemptor dicitur: & qui locat, Venditor. opus verò ipſum, Redemptoris bona. Et contumelioſè ducta ſimilitudo ab operariis & fa- E bris, qui vulgò ſuas operas locant, quaſi hi quoque artem corrumpendorum iudiciorum vulgò mercede propoſita exercerent.

Fortuna populi R. Nam ſorte Iudices contigerunt in iudicio C. Verris, non eiuſmodi, quales ipſe ſperabat, & optabat. Sed cur populi R? An potius, Reipub. legendum? vt in antiquiſſimo codice manu ſcripto. quæ verba frequentiſſimè mutata ſunt à librariis, quum ea notis duarum literarum P.R. & contrà R. P. ſcripta reperirent. Nam Populum R. F frequentius Cicero pro plebe dicit. Reip. autem hæc fortuna eſt, ſicuti initio dixit, Summo Reipub. tempore adductum Verrem. Et Orat. ſeq. Neque enim ſalus vlla maior Reipub. hoc tempore reperiri poteſt, quàm populum R. intelligere diligenter reiectis ab accuſatore Iudicibus, &c.

Renuntiata eſt tota conductio. Renuntiare conductionem, eſt irritam nuntiare: ſicuti ſcribit Aſconius in eum locum, Præturæ vrbanæ. Renuntiat iRabo- G nius illam deciſionem tutoribus. Liber Aſconij, & alij plerique, Conditio. ſed hoc probabilius. Perſtat enim in tranſlatione redemptionis, quæ alio verbo Conductio dicitur. vt ſi diceret, Renuntiata eſt tota redemptio.

Ex alacri atque læto. Alacritatem Cicero Tuſculana I V, lætitiam geſtientem interpretatur. Propriè igitur Lætitia animi eſt: Alacritas autem, corporis. Itaque hominis Lætitia propria, quippe quæ opi- A nione conſtet: Alacritas autem communis omnium animantium. Idem de Diuinat. II, Galli victores alacritate, & quaſi lætitia ad canendum excitantur.

His diebus paucis. Familiare Ciceroni, pro Paucis pòſt diebus. In Orat. pro Cluentio, Aſinius autem breui illo tempore occiditur, & venenum diebus paucis deprehenditur.

Comitiis Conſularibus. Quibus Verris Patronus Q. Hortenſius, & Q. Metellus, Conſules deſignati B fuerant. Fiebant autem comitia Conſularia ante diem VI, Cal. Sext. Hoc tempus ſignificat Iuuenalis Satyra III, Charus erit Verri, qui Verrem tempore quo vult Accuſare poteſt.

E campo. Campum Martium ſignificat, in quo comitia fiebant, mandabantúrque Magiſtratus à populo R.

A multitudine. Rectius fortaſſe, Frequentia ac multitudine.

Pedetentim cautéque dicentur. Hoc loco Platonem imitatus videtur, apud quem Socrates de Protagora loquens ſic inquit, ἐπειδὰν δ᾽ οὖν ἴσμεν αὐτὸν οὕτως ἔχοντα περὶ χρημάτων τινὰ ἀκούοντι, καὶ ἀγωνιῶντα, καὶ λαβούμενος ἠρέμα ἠρόμην. Et in Orat. pro Cluentio, A me tamen, vt æquum eſt, omnia cautè pedetentímque dicentur, vt neque fides huius defenſionis relicta, neque cuiuſquam aut dignitas læſa, aut amicitia violata eſſe videatur.

Fornicem Fabianum. Fornicem, veteres arcum D triumphalem quem nunc dicimus, appellabant. Monimentum eſſe ſolebat rerum in bello præclarè geſtarum. Vicerat autem Fabius Allobroges: è quibus ſpolia, ad columnas quæ arcum ſuſtinebant, affixerat. Poſitum in Sacra via fuiſſe declarat Cicero pro Plancio his verbis, Equidem ſiquando, vt fit, iactor in turba, non illum accuſo qui eſt in ſumma Sacra via, quum ego ad Fabij Fornicē impellor: ſed eum qui in meipſum incurrit atque incidit. Vbi tamen corruptè Fabium legitur, Idem libro de Orat. II, E Etiam illa ridentur, quæ minuendi, aut augendi cauſa, ad incredibilem admirationem efferuntur: velut tu Craſſe in concione, ita ſibi ipſum magnum videri Memmium, vt in forum deſcendens caput ad Fornicem Fabij demitteret.

Neceſſariíſque eius. C. Verris.

Honeſtiſſimi homines inter ſe & mecum loquebantur. Vnus manu ſcriptus, Inter ſe & me colloquebantur. ſed nihil muto.

Omnes Siculi, omnes negotiatores. Non enim Siculi F ſoli Verrem, ſed etiam Romani homines qui in Sicilia negotiabantur, accuſant. infrà

Non omnia in vnius poteſtate. Vetus, Num omnia in vnius poteſtate ac moderatione vertentur? Ne hoc quidem loco mutandum quidquam putarim.

Prætores deſignati ſortirentur Præter vrbis Prætorem, qui iuri dicundo tantùm præerat, aucta vrbe alij Prætores creati ſunt, qui de quæſtionibus capi- G talibus legum præſcripto & imperio cognoſcebant. Deſignati autem antequam Magiſtratum inirent, ſortiri inter ſe ſolebant, quis de pecuniis repetundis, quis de ambitu, quis de veneficiis, quis aliis denique quæſtionibus præfuturus eſſet. quæ quia ſatis perſpicua eſſe arbitror, mediocriter quidem eruditis, vno tantùm huiuſdem auctoris loco confirmabimus. ex Orat. pro Muræna, Quid? in ipſa Prætura, nihilne exiſtimas inter tuam & iſtius ſortem inter-

fuiſſe? huius ſors ea fuit, quam omnes tui neceſſarij tibi optabamus, iuris dicundi. Et paulo pòſt, Quid tua ſors? triſtis, atrox, quæſtio peculatus. ex altera parte lacrymarum & ſqualoris, ex altera plena catenarum atque ludicum. Non erat igitur M. Metellus vrbis Prætor, ſed Quæſitor. Aurelius Cotta eo anno vrbis Prętor fuit. nõ eſt hoc anno M. Glabrio, ſed M. Mummius de quo infrà. Non erat Iunius qui præfuit in cauſa Cluentij, ſed Verres. Hoc eodem modo, Prætorum prouincias (nam hæ quoque prouinciæ dicuntur, vt Verr. VII.) apertè diſtinguit in Orat. pro Cluent. Quid ergo eſt? hæc quæſtio ſola ita gubernatur? quid M. Pletorij, & C. Flaminij inter ſicarios? quid C. Orcinij peculatus? quid mea de pecuniis repetundis? quid C. Aquili, apud quem nunc de ambitu cauſa dicitur? quid reliquæ quæſtiones?

Vt is quoque domum mitteret. Domum pueros mitteret: alij tum veteres, tum impreſſi libri: quorum auctoritatem ſequimur.

Neque tamen quid tantopere. Valde arridet. Cęteri tamen ſic, Neque quid, &c.

Fiſcos complures cum pecunia Siciliensi. Fiſci propriè dicebantur, in quibus æra publica deferebãtur. vt apparet ex tertio Accuſat. infrà, Viator ac Venerius, qui fiſcum ſuſtulit. Et eadem rurſus Orat. Quatuor H-S quos mihi Senatus decreuit, & ex ærario dedit, ego habebo, & in ciſtam transferam ex fiſco. At pecuniam Sicilienſem intelligit, ex Siciliæ furtis & rapinis conciliatam. eſt ita. ſed hoc verbo conſultò vſus eſt, augendæ rei cauſa. Nam Fiſci, vt ſcribit Aſconius, etiam vtenſilia ſunt ad maioris ſummæ pecunias capiendas.

Diuiſores omnium tribuum. Diuiſores fuiſſe arbitror, qui & Diribitores dicebantur, qui in comitiis populum in tribus aut claſſes centuriáſue ad ſuffragia ferenda diuiderent, ſinguliſque ciuibus, cùm quis largitione in populum vteretur, pecuniam in ſua tribu diſpertirentur. Nam vnanquanque tribum ſuum Diuiſorem habuiſſe docet hic locus. Neque veriſimile eſt genus hominũ tam apertè corruptionibus accommodatum, quaſi probatum iam, & receptum fuiſſe. Veruntamen per hos Diuiſores commodiſſimè ſuffragia corrumpebantur. Ex quo etiã Diuiſorum nomen contumelioſum cœpit eſſe. vt quum Verr. v. ita loquitur, Tu ſeiuſmodi euaſiſti, non in hominis luxurioſi, ſed tantùm in furis, ac Diuiſoria diſciplina educatus.

Omnia mea cauſa debere. Alij, Facere debere. imperitè. cùm hoc genus dicendi frequentiſſimum apud Ciceronem eſſe conſtet. cuius exempla ponerem, niſi in re aperta putidum videretur.

Quum ipſe Praturam petiſſet. Declarat in libro Accuſat. I V, infrà Quod (inquit) H-S LXXX millia Diuiſoribus, vt Prætor renunciarere dediſti.

Putare perfici poſſe. Aldinus & omnes impreſsi, Putare id perfici. Idem noſter manu ſcriptus probo.

Fortem amicum. Id eſt, Audacem. Opponit iis qui negarunt ſe id tentare audere.

Patris iſtius diſcipulum atque amicum. Nam Verris patrem etiam Diuiſorem appellat, eo quem modò commemoraui loco.

H-S *quingentis millibus.* Coronatorum duodecim millibus, & præterea quingentis.

Et fuiſſe tamen. Tandem opinor, rectius legeretur. Tamen enim iam antè dictum eſt. quaſi diceret,

A Cùm plerique audere id ſe negaſſent, vnus tamen inuentus eſt, quem alij tandem exemplo, vt fit, confirmati, ſequuti ſunt.

Solicitabar rebus maximis. In Oratione pro Muræna, apertius declarat Cicero his verbis quàm aliud ſit petendi, aliud accuſandi tempus, Primùm accuſandi terrores, & minæ, quibus tu quotidie vti ſolebas, ſunt fortis viri: ſed & populi opinionem à ſpe adipiſcendi auertunt, & amicorum ſtudia debilitant. Neſcio quo pacto ſemper hoc fit, neque in B vno atque altero animaduerſum eſt: ſed iam in pluribus. ſimulatque candidatus accuſationem meditari viſus eſt, vt honorem deſperaſſe videatur. Et multa in hanc ſententiam.

Quamobrem accerſerentur. Aſconius, & duo libri veteres quorum auctoritatem non opinor aſpernandam, Arceſſerentur.

Non veniſſent. Omnes alij, Non veniſſe. vide Aſconium.

Caterorum hoc anno. Non obſcurè in C. Horten- C ſium, & Metellos, quaſi pecunia & largitione Verris, honores aſſequutos.

Cuius diuitia. Vide infrà, Verr. III,

M. Metellum Pratorem. Deſignatum, cui fortè obtigerat, vt de pecuniis repetundis quæreret.

Pro prærogatiua iam reddidiſſe videatur. Senſum interpretatur Aſconius. ſed tamen Eam pro Iam rectius & cõcinnius legi poſſe arbitrarer. vt ſit ſenſus, Pro prærogatiuis tribubus, quas ei Verres addixe- D rat, hoc ſuæ erga illum voluntatis ſpecimen & quaſi primitias eſſe voluit. Nam Prærogatiuam tranſlatè poſuit pro anteceſſione, progreſſione, primordio, vt in Epiſt. Catonis ad Ciceronem lib. Epiſt. XV, Quòd ſi triumphi prærogatiuam putas ſupplicationem.

Accerſit alter Conſul. Aſconius, Arceſſit. probo.

Præſertim Siculos, timidos homines. Non, quaſi ſint Siculi natura timidi: ſed Præſertim, quòd alij E eſſent præterea nonnulli teſtes Romani ciues. infrà.

Qui te ignoras. Qui te non nouit. Sic Terentius in Heauton.

Erras ſi id credis, & me ignoras Clinia.

In Eunucho.

Iſti te ignorabant: poſtquam eis mores oſtendi tuos, Impetraui. Cicero Acad. quæſt. IV, Maiore etiam ſtudio Lucullus Philoſophiæ deditus fuit, quàm qui illum ignorabant, arbitrabantur.

F *Hunc iudicem ex Cal. Ian. non habebimus.* Locus animaduerſione dignus: ex quo illud intelligitur quod ſæpè dixi, non licuiſſe & Magiſtratus & Iudicis partes vno tempore ſuſtinere. Etiam illud: multa in Orationibus dicere Ciceronem ad tempus, non ad veritatem. Nam & Cæſonium hoc loco, & Cornificium paulo infrà ſpectatos & integros appellat: eum in prima Epiſt. ad Atticum vtrunque vt Conſulatu quem petebant, indigniſſimum, acriter perſtringat.

G *Iudex triſtis & integer.* Donatus in illum Terentij locum, Triſtis ſeueritas ineſt in vultu, atq; in verbis fidea: Ad laudem, inquit, interdum ſumitur, non ad amaritudinem Triſtis. Cicero, Iudex triſtis & integer. Hæc Donat. Seruius in illud Vergilij, Triſtiſque ſenectus: Seuera, inquit. Cicero, Iudex triſtis & integer.

Subſortiemur etiam in M. Metelli locum. Non ſub-

ſortiebantur Conſules, ſed Prætor vrbis, vnà cum Iudice quæſtionis. Itaque hæc dicuntur ex perſona Metelli, non vt Conſulis, ſed vt amici Verris, ad ſpem omnem Siculis tollendam: quaſi omnia in eorum manu ſint. Subſortitio verò in eorum fiebat locum, qui vel ob reiectionem, vel aliam ob cauſam, vt quia Magiſtratus eſſent, in conſilio intereſſe non poterant.

Nonæ ſunt hodie Sextiles. Quintus dies Auguſti. Romulus Martium primum anni menſem conſtituit. vnde Iulius, ante C. Iulium Cæſarem, Quintilis: Auguſtus, ante Auguſtum, Sextilis dicebatur. Id illi S.C. datum eſt, quòd eo menſe triumphos tres in vrbem intulerat: & AEgyptum in ditionem populi R. redegerat. Tranquillus, Macrobius.

Ante ludos votiuos. Vouebantur à Magiſtratibus pro ſalute Reip. Profecturi enim in militiam Imperatores, vota pro Repub. cæſis victimis nuncupabant. inde paludati extra vrbem exibant. Hæc autem ideo dicit, quia ludorum diebus iudicia in vrbe non exercentur.

Quos Cn. Pompeius facturus eſt. Qui quum adhuc Quæſtor eſſet, cum imperio Conſulari contra Sertorium miſſus eſt. in quo imperio eos Ludos vouerat. Votiui autem ludi XVII Cal. Septemb. dabantur, vt ex hoc loco, rationem ſubducenti conſtabit.

Hi ludi dies quindecim auferent. Locus oſtendit, primum diem ludorum votiuorum fuiſſe, decimum ſeptimum Cal. Septemb. eoſque ad tertium Kalendas ſeptembris duraſſe. poſt quē dies quatuor continuò vacui ludis ſequebantur. Nam pridie nonas ſeptembris committi Romanos ludos Kalendarium Romanum à Paulo Manutio editum demonſtrat. Eos autem nouem dies in palatio duraſſe conſtat, tum ex eodem Kalendario, tum ex eo quod Cicero lib. de orat. III. teſtatur, extremum Romanorum diem fuiſſe pridie idus ſeptembris poſt duo dies vacui ludis, ſecundum quos Circenſes ludi ſequebantur à die decimo ſeptimo ad decimum tertium Kal. Octobris. A quo die ſeptem & triginta dies vacui ludis excurrebant ad vſque diem ſeptimum Kal. Nouemb. vt illud idem Kalendarium oſtendit. Quod cum ita ſit, rectè Cicero ſubiungit: Hortenſium cogitare prope XL. dies inter accuſationem & defenſionem interponere. Nam à primo votiuorum ad extremum Romanorum Circēſium triginta quinque dies numerantur, qui omnes, præter ſex, in ludis conſumuntur. Sed idem admodum elatorie locutus eſt verrina III. Vbi hæc de re loquens ita ſcribit, Hoc ſi Romæ fieri poſſet certe aliqua ratione expugnaſſet iſte vt dies XLV inter binos ludos tollerentur, per quos ſolos iudicium fieri poſſet. Neque aliter locus ille intelligi poteſt, quaſi dicamus non veritatem illo loco ſecutum eſſe oratorem: ſed ad Verris intercalarium alluſiſſe, quod totidem diebus conſtabat.

Continuò Romani conſequentur. Oratoriè pro paucis interiectis diebus. interſunt enim dies quatuor. Romanos autem inſtituiſſe traditur L. Tarquinius Priſcus, primóſque in circo, qui Maximus dictus eſt dediſſe, bello cum Latinis fœliciter geſto, & Appiolis captis. Solennes deinde annui manſerunt: primique Romani ſunt nominati. Hi Iunoni, Ioui & Mineruæ ab Aedilibus curabantur: maximíque etiam appellabantur: Liuius lib. I, Cicero lib. Accuſat. V.

Prope XL. diebus. Nam à primo votiuorum ad extremum Romanorum Circenſium, triginta quinque numerantur qui omnes præter ſex in ludis conſumuntur.

Aut nulli, aut pauci dies. Nā tres Iudices Nonis Decemb. magiſtratū ineunt: vt paulò antè oſtendit.

Iurato ſuam. Neque enim qui Iudex quæſtionis erat, iurabat, quippe qui ſententiam ipſe non ferret, ſed eorum qui ipſi in concilio aſſidebant, tantummodo pronuntiaret. Iurabat autem vrbis Prætor, qui Iudices legebat de quæſtione ſententiam laturos, vt apparet ex Orat. pro Cluentio.

Meo legitimo tempore. Viginti diebus. hi enim dabantur ad accuſandum legitimi, totidemq. defenſori ad reſpondendum. Aſconius Verr. 3.

Mei laboris. Laboris, in itinere faciendo, & conquirendis literis ac teſtimoniis: Induſtriæ, in celeritate reditionis: Diligentiæ, in multitudine comparandarum litérarum, & teſtiom. Ver. III.

Quoniam inſtituiſti. Ad præteritum tempus referendum. Achaicum enim inquiſitorem interpoſitum ſignificat, qui & inquiſitionis tempore menſes tres ad agēdum appoſitos eriperet: & reuerſus quod reliquum erat temporis ad Calendas vſque Ianuarias dicendo conſumpturus erat.

Secundum binos ludos. Votiuos & Magnos.

Comperendinem. Atque ita non modò ego accuſarim, ſed tu quoque defenderis. Comperendinare verò eſt, cauſa vtrinque dicta, iubere vt perendie & reus & accuſator reuertantur, cauſam iterum acturi. Factum autem eſſe hoc ipſum ſignificat Accuſationis I, his verbis, Vt his ludorum diebus interpoſitis, nemo iſtum comperendinatum, ſed condemnatum iudicaret. Et rurſus Accuſ. tiii, Vt nuper poſteaquam eſt comperendinatus, cum iam pro damnato, mortuóque eſſet, &c.

Aſtuta. Aſtus & Aſtutus ab ἄςυ, Ita eſt: ſed Aſtutā non ita ſubtiliter hoc loco dici puto, pro Vrbana, ſed pro callida & veteratoria: quum apertè extrema Oratione, hanc ipſam Aſtutam rationem, Malitiam appellet: Nunc id quod facimus, ea ratione, vt malitiæ illorum occurramus, neceſſariò fieri intelligat. Neceſſarium verò declarat lib. Accuſ. I, his verbis, Tametſi ita de meo facto loquor, quaſi ego illud mea voluntate potius, quàm veſtra iniuria adductus fecerim. Mea voluntate & Neceſſariò conſilio, inter ſe opponit tanquam repugnantia.

Qui innocentia. In Quæſtura Sicilienſi.

Suſcepto negotio. Mea voluntate. Recipere & Suſcipere inter ſe opponit, vt ſuprà oſtendimus.

Nequaquam dignum induſtria. Id eſt, Humilius videbatur, quàm vt eò mihi deſcendendum eſſet.

Profiteor huic generi. Nunc illud eſt, quod poſtea dicet, Id ſum aſſecutus, vt vna hora, qua cœpi dicere, reo audaci, pecunioſo, profuſo, perdito ſpem iudicij corrumpendi præciderem.

Agam in Magiſtratu. Ædilitate, quam proximis comitiis Ædilitius adeptus eſt.

Ex eo loco. In primo Accuſ. Hanc ego cauſam cum agam beneficio populi R. de loco ſuperiore. Nemini enim, niſi magiſtratui, concionem aduocare, & cum populo agere licebat.

Secum agere de Repub. ac de hominibus improbis volunt. Non enim agere cum populo, & in concionem aſcendere, niſi Magiſtratibus licebat. vt apparet ex eo loco quē modò protuli: & ex Orat. pro Pōpeio, in exordio: & lib. Accuſa. V. infra Et ſic ſcribe, Ac de hominibus: vt in aliis omnibus.

A *Conſul Hortenſius cum ſummo imperio.* Conſulum ſummum imperium, & planè regia poteſtas erat. Itaque duodecim iis faſces, item vt Regibus, præferebantur: Magiſtratibus omnibus intercedebant: iis ſolis nō intercedebatur: ab omnibus Magiſtratibus, & comitiatum & concionem auocare poterant: nullus eis auocare poterat, ne Prætor quidem, qui aliis omnibus euocabat. prouocabatur tamen ab iis ad populum: neque vitæ & necis poteſtatem in ciuem B vllum habebant. Quare re vera populi ſummum erat imperium: ſecundùm populum, eius Conſulis qui faſces haberet. Sed quæ populi, quæ Conſulis poteſtas eſſet, Salluſtius his verbis planiſſimè declarat, Itaque, quod plerunque in atroci negotio ſolet, Senatus decreuit, darent operam Conſules nequid Reſpublica detrimenti caperet. Ea poteſtas per Senatum more Romano Magiſtratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis ſocios atque ciues, domi militiæq; C ſummum imperium atque iudicium ſummum habere. Aliter ſine populi iuſſu nulli earum rerum Conſuli ius eſt.

Hoc eſt, paulo amplius quàm priuatus. Nam Ædilitas primus eſt Magiſtratus curulis. olliſque ad honoris amplioris gradum is primus aſcenſus erat, & ex minoribus erat Magiſtratibus, id eſt, ex iis qui minoribus auſpiciis creabantur. ſellam tamē curulem, & iudicia, & antiquiorem in Senatu ſententiæ dicendæ locum habebant. Priuatus autem à Latinis D ei qui cum imperio eſt opponitur, quaſi publico, & iam in re publica non priuata verſanti. quapropter Magiſtratus à Græcis πολιτικοὶ & πολιτευταί, quaſi dicas publici, appellantur.

Quam me acturum eſſe polliceor. Ad populum de loco ſuperiore.

Minus quàm priuatus. Quippe qui multis partibus melius Reip. quàm ipſe Conſul, cuius id munus eſt, conſulam atque proſpiciam.

Non modò commemorabuntur, ſed etiam agentur. E Vt ſcilicet de ea re populus R. ſuffragia ferat. Nam Commemorare, ſimpliciter rem exponere ſignificat: ſed Agere, eo animo exponere, vt non modò popolus R. audiat, ſed de ea re ſuffragium ferat. Agere nanque cum populo, rogare eſt quid populum quod ſuffragiis ſuis aut iubeat, aut vetet. vnde pagina inſequenti, Hæc omnia me diligenter ſeuereque acturum eſſe polliceor. An potius ſic exponamus, Certiſſimis firmiſſimiſque probationibus, atque argumentis coarguentur, & conuincentur. vt infrà F Ita res à me agetur, vt in eorum conſiliis omnibus, non modò aures hominum, ſed etiam oculi populi R. intereſſe videantur.

Intra decem annos: Quum dicimus Intra decem annos, hoc ſine dubio ſignificamus, Minus decem annis, vel Minus decem ab hinc annis. quod exemplis confirmandum eſt. Plautus in Curculione,

Dimidiam partem nationum vſque omnium.

Subegit ſolus, intra viginti dies. Liuius libro quarto, Decemuiros legibus ſcribendis intra decem G hos annos & creauimus, & è Repub. ſuſtulimus. Idem lib. IX, Quid ego antiqua repetam? nuper intra decem annos C. Mænius Dictatura ſe abdicauit. Cæſar lib. I, Intellecturum, quid inuicti Germani, exercitatiſſimi in armis qui intra annos XIIII tectū non ſubiſſent, virtute poſſent, id eſt paulo minus annis XIIII proximis. Liuius lib. IX, Puberes ad triginta omnes intra annum cum ſtirpe extinctos. Idem

A lib. X, Legem recitari iuſſit, qua inter decem annos eundem Conſulem refici non liceret. Similiter Intra Calendas, id eſt ante exitum eius diei. quod contrà tamen apud Agellium ineptiſſimè diſputatur. Itaque cum mihi huius ſcripturæ fides in dubium veniret, conſului librum Aſconij, in quo non Intrà, ſed Inter, & in manuſcripto, & in Aldino reperi. quam lectionem longè probabiliorem & commodiorem eſſe iudicaui. Video enim vſurpatum ab B hoc auctore eſſe multis in locis hoc dicendi genus, quod noſtram ſententiam planiſſimè confirmat; vt in Orat. pro Quinctio, Qui inter tot annos ne appellarit quidem Quinctium, cùm poteſtas eſſet agendi quotidie. Et pro lege Manilia, Qui inter tot annos vnus inuentus eſt, quem ſocij in vrbes ſuas cum exercitu veniſſe gaudeant. Quibus ex locis hac locutione Inter tot annos, nihil aliud ſignificari videtur, quàm Per tot annos. quod etiam ex illo Titinnij intelligitur, apud Nonium Marc. Quæ inter decem C annos nequiſti vnam togam detexere. Similem etiam errorem irrepſiſſe video in libro Liuij ab vrbe condita primo: cùm Aldus & veteres manuſcripti habeant in eo loco, Bina poſtea inter tot annos, tot bella, opima parta ſunt ſpolia: alij Intra emendarunt, & hodie in multis impreſſis legitur.

Nullo Iudice Equite R. Sic omnes, quos vidi, codices. Ego contra omnium auctoritatem clariſſimi & erudítiſſimi viri Iohannis Lucanij iudicium ſecutus, NVLLA in caſu recto reſtituendum opi- D nor.

Ne tenuiſſima quidem ſuſpicio. Hæc dicuntur Oratoriè, & ad tempus. Contra enim ſcribit Appianus, Equites non minus turpiter & flagitioſè iudicia adminiſtraſſe, quàm Senatores.

Sublatáque populi R. Quam habebat per Tribunos. Magna enim Tribunorum poteſtas, non modò in Senatores, ſed etiam in Magiſtratus. itaque Magiſtratum, quem vellent, in concionem rapere pro ſuo iure poterant: & qua de re viſum eſſet, interro- E gare, prehenderéque, atque in vincula ducere vel Conſulem ipſum, vt ſcribit Plutarchus in Tiberio. Liuius verò, Appium Claudium Cenſorem, à Tribuno pl. Sempronio prehenſum eſſe, atque in vincula duci iuſſum: miſſos in Africam Tribunos, qui Scipionem, ſi Prætoris dicto audiens non eſſet, comprehenderent, ac iure ſacroſanctæ poteſtatis reducerent. Tullius autem libro de Legib. III, cùm reliqui Magiſtratus omnes Conſuli parerent, vnum Tribunum pl. illius imperio non paruiſſe demon- F ſtrat. Aſconius autem de ſublata interceſſione locum interpretatur: quod mihi quidem dubium, ac lubricum videtur, ex eo quod ſcribit Cæſar libro de Bello ciuili primo, & Cicero de Legib. III, Syllam nudata omnibus rebus Tribunitia poteſtate, tamen interceſſionem liberam reliquiſſe: hoc amplius quod de poteſtate Tribunorum in Senatores Cicero loquitur, cùm interceſſio non omnino in Senatores, ſed iniuſtis Magiſtratuum decretis opponeretur.

G *Minoris* H-S XXX M. Liber Aſconij, Minoris H-S tricies. quæ ſummæ vehementer inter ſe diſcrepant: nam illa ſeptingentos quinquaginta aureos efficit, hæc ſeptuaginta quinque millia. Vtra verò probabilior ſit, difficile eſt exiſtimare. tametſi aliorum damnationes litiúmque æſtimationes reputanti, perexigua ſanè hæc ſumma videtur ſeptingentorum quinquaginta aureorum: præſertim cùm ab

Oratore

Oratorē commemoretur non paruæ alicuius ſummæ loco, ac numero, ſed eius quæ magnas Senatorum rapinas fuiſſe demonſtret. Omnino autem aut Millibus integrè ſcribendum eſt, aut his notis vtendum, CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ: de quibus in Orat. pro Q. Roſcio explicauimus: ſed mihi verior Aſconij lectio videtur.

Q. Hortenſio Prætore, de pecunijs repetundis. Ordo eſt, P. Septimio dānato de pecunijs repetundis, Prætore Q. Hortenſio. Hæc enim Q. Hortenſio Prætori ſors obtigit, vt de repetundis pecunijs quæreret. ſicuti conſtat ex libro de Clar. Orat. Sed cur nominatim Q. Hortenſio Prætore? An criminosè hoc dictum eſt in Hortenſium? vt Aſconius interpretatur. Mihi quidem minimè videtur: præſertim cùm damnatum dicat Sulpitium. An igitur vt rem nemini dubiam, ſed manifeſtam, & vel ipſius aduerſarij oculis teſtatam prolaturum ſe oſtendat? opinor, hæc potius cauſa eſt.

Lis æſtimata ſit in eo nomine. Omnes alij libri, Æſtimata ſit eo nomine. Et in Orat. pro Cluentio, P. Septimio Scæuolæ litem eo nomine eſſe æſtimatā. Æſtimari autem lis dicitur, cùm reo damnato initur furtorum eius omnium ratio atque æſtimatio, ex qua, ſumma quædam pecuniæ conficitur: vt ſocijs ereptæ pecuniæ reſtituantur. Nam continuò damnati bona Sectoribus auctione venduntur, qui eam ſummam Quæſtoribus Ærarij repræſentent.

C. Popilio. Hunc in Ora. pro Cluentio Publium appellat, vbi de hiſce omnibus copiosè commemorat.

Inuenti ſunt Senatores. Vnum tantùm in Cluentiana nominat, C. Fidiculanium Falculam, à quo condemnatum ſcribit Oppianicum, cùm tamen poſt paucos ex ſubſortitione dies ſediſſet. Sed operæpretium eſt alium ex Orat. pro Cæcina locum ſubſcribere, ex quo & Fidiculanium negotium intelligatur, & M. Tullij integritas, qui cùm in hac pro Cæcina teſtem Falculam ob eam cauſam repudiet, iure tamen eum in Oratione pro Cluentio abſolutum fingit. Decimo, inquit, loco teſtis expectatus, & ad extremum reſeruatus, dixit Senator populi R. ſplendor ordinis, decus atque ornamentum iudiciorum, exemplar antiquæ religionis Fidiculanius Falcula. In eum quid dicam, niſi id quod negare non poſſit, veniſſe in conſilium publicæ quæſtionis, cùm eius conſilij Iudex non eſſet: dum incognita re iudicare voluiſſet, maluiſſe condemnare, quàm abſoluere? cùm, ſi vno minus damnarent, cōdemnari reus non poſſet, non ad cognoſcendam cauſam, ſed ad explendam damnationem præſto fuiſſe. Vtrum grauius aliquid in quempiam dici poteſt, quàm ad hominem condemnandum quem nunquam vidiſſet, neque audiſſet, adductum pretio eſſe?

C. Verre ſortiente. Aut Subſortiente legendum, aut Sortiri pro Subſortiri poſitum, atque vſurpatum eſt. Iunianā enim ſubſortitionem ſignificat, de qua & hoc extremo libro, & in Orat. pro Cluentio multa mentio eſt. Subſortiebatur autem non modò Prætor vrbis, qui ius dicebat, ſed vnà cum ipſo is Prætor qui quæſtioni capitali præeſſet. Itaque non modò C. Verres, qui eo anno Prætor vrbis erat, quo acta Oppianici cauſa eſt, ſubſortitus dicitur: ſed etiam C. Iunius qui ei quæſtioni præfuit. Reponebantur autem in arcam Prætoris vrbani, eorum qui manſerant Iudicum nomina, in libellis perſcripta. Cicero pro Cluēt. Multa à C. Iunio petita eſt, quòd

A C. Verres Prætor vrbanus homo ſanctus & diligēs, ſubſortitionem eius in eo codice non haberet. & aliquanto pòſt, Ab illo enim, ſiue quòd in legem nō iuraſſet, ſiue quòd ex lege ſubſortitus Iudicem non eſſet, multa petita eſſe dicitur.

Exirent. Non ex vrna, vt ſit, Eorum nomina ex vrna educerentur: ſicuti nonnulli exiſtimant. Non enim ex vrna nomen Falculæ exierat: ſed Irent ſimpliciter accipio, quaſi dictum ſit, Adirent ad illud iudicium, & Prætori aſſiderent.

B *Inuentus eſt ſenator.* C. Ælius Stalenus in Oppianici cauſa Iudex, cui tamen in Orat. pro Cluentio, ab Oppianico ſolo numerata eſſe HS ſexcenta quadraginta millia corrumpendorum Iudicum cauſa defendit. Quapropter recitatus hic ex hac Oratione locus, in ea cauſa eſt ab Actio aduerſus Tullium, cui quàm honeſtè & præclarè reſpondeat, operæpretium eſt ex ipſius verbis cognoſcere, ſuprà, pro Cluentio.

Se habere hominem potentem. Quem ſignificet ne- C que obſcurum eſt, & ipſe clarè oſtendit in quinto Accuſationis, Hortenſium compellans, Quæ iſte in prouincia palàm dictitabat, cùm ea quæ faciebat, tua ſe fiducia facere dicebat, ea ne vera putentur, tibi maximè eſt prouidendum.

Satis eſſe arbitretur. Quidam corrigunt, Arbitrarentur. cuius rei ſi rationem aliquam afferrent, tolerabilius opinor facerent. Nunc ſine cauſa quæ recta ſunt immutare, non eſt mei pudoris.

Patronis, aduocatis. Moris erat in iudicijs tum D priuatis, tum publicis, amicos omnes aduocare, quorum vel auctoritate vel gratia moueri poſſe Iudices exiſtimabātur. Hos Aduocatos nominabāt, qui præſentiam ſuam amico commodabant. qui verò ipſi orabant, cauſámque dicebant, Patronos. patet ex Orat. pro Sylla, Sex. Roſcio, & aliis.

Cui loco. Locus pro Res, vt ſit, Cui rei, vel exiſtimationi. Ita Terentius in Andria,

Summum bonum eſſe here, putabam hunc Pamphilum,

E Amicum, amatorem, virum paratum in quouis loco.

Tribunitiam poteſtatem tanto ſtudio requiſiuit. Illā enim tres Tribuni pl. Sicinius, Quinctius, & Palicanus hoc triennio ſumma contentione flagitarant. itaque de Pompeio, qui eam hoc anno populo reddidit, ſic loquitur Cicero libro de Legib. III, Senſit, inquit, deberi non poſſe huic ciuitati illam poteſtatem: quippe quam tantopere populus noſter ignotam expetiiſſet, qui poſſet carere cognita? Sapientis F autem ciuis fuit, cauſam nec perniciosam, & ita popularem vt non poſſet obſiſti, perniciosè populari ciui nōn relinquere. Palicanum autem ſignificat.

Concionem ad Vrbem Conſul deſignatus habuit. Ad vrbem, in vrbe, inquit Aſconius. quod quemadmodum intelligi debeat, coniectura aſſequi non poſſum: cùm locus ipſe quem alibi teſtē citauit ex Salluſtio, perſpicuè extra vrbem Imperatores illos fuiſſe oſtendat, quos ad vrbem fuiſſe dicit: Hi vtrique, inquit, ad vrbē Imperatores erant, impediti ne triū- G phārent, calumnia paucorū, quibus omnia honeſta atque inhoneſta vendere mos erat. Nemini autem qui cum imperio prouinciali eſſet, niſi aut triumpharet, aut imperium deponeret, vrbem introire licebat. Quod etiā ipſe Aſconius in Ora. pro M. Scauro, planiſſimè demōſtrat: Horū, inquit, magna pars per tabulas laudauerūt, quia aberāt: inter quos Pōpeius

quoque. nam quòd erat Proconſule, extra vrbẽ mo A ſabatur. Et Dion. lib. Καὶ μέντοι καὶ τοῦ δήμου ἔξω τοῦ πωμηρίου, τὴν γὰρ ἀρχὴν ἤδη τὴν τοῦ ἀνθυπάτου ἔχων ἐπεὶ ἠδυνήθη ἐς τὴν πόλιν ἐσελθεῖν, ἀθροισθέντος, πολλὰ ὑπὲρ τοῦ Γαβινίου ἐδημηγόρησε, καὶ γράμματά τινα παρὰ τοῦ Καίσαρος πρὸς ἑαυτὸν ὑπὲρ αὐτοῦ πεμφθέντα ἀνέγνω, &c. Quibus enim mãdatum erat imperium, ij cæſis in vrbe victimis, votiſque nuncupatis, paludati continuò ex vrbe exibant. quod ex B libro Accuſationis v, intelligitur, vbi ſic loquitur, Alterum, quòd cùm paludatus exiſſet, votáque pro Imperio ſuo, communique populi R. nuncupaſſet, noctu ſtupri cauſa lectica in vrbem introferri ſolitus eſt ad mulierem nuptam vni, propoſitam omnibus. Itaque libro Epiſt. fam. xvi, cùm ad Tironem ſcriberet, & ſe ad Vrbem acceſſiſſe dixiſſet prid. Non. Ian. paucis pòſt verſibus, Senatum ſibi frequentem flagitaſſe triumphum dicit: poſteaquam ſe Proconſulem paulo antè nominaſſet. cùm tamẽ C ſatis conſtet Proconſulari imperio neminem in vrbe fuiſſe. Sed & libro tertio in Epiſtola ad Appium, poſteaquam ſic ſcripſit, Videbam te hanc epiſtolam, cùm ad Vrbem eſſes, eſſe lecturum: in Epiſtola inſequenti apertè oſtendit tum in Vrbem illū nondum introiiſſe. Quinetiam ex libro xi. Epiſt. ad Atticum, intelligitur, Ciceronem etſi in vrbem tũ ingreſſus non eſſet, quòd ſibi triumphum decretum iri ſperabat, tamen neque imperium, neque laureatos lictores, & cætera inſignia depoſuiſſe: D ſed cum iis Pompeium vrbe relicta profugientem ſecutum eſſe. Ex his igitur omnibus facilè id quod volumus intelligitur, Ad vrbem eos dici Magiſtratus, qui cum poteſtate prouinciali, aut nuper e prouincia reuertiſſent, aut nondum in prouinciam profecti eſſent: ſed extra vrbem manerent: vt modò Põpeius, qui cùm triumphum expectaret (quem poſtea adeptus eſt, vt ex Orat. pro L. Manilia, Plinio, & Valerio Maximo intelligitur) extra vrbem morabatur. vt mihi obſcurior Aſconij ſententia videatur, niſi E fortè Vrbis verbum latè accepit etiam pro continẽtibus ædificiis vt cùm poſtea dixit in iv Verrinam, Etiamſi adminiſtrator eius Romæ eſt. Nam vt Paulus Iuriſconſultus docet in l. II, D. de verb. & rer. ſig. Vrbis appellatio muris, Romæ autem continentibus ædificiis finitur, quod latius patet. vt Romæ eſſe dicerentur etiam qui ad Vrbem erant, quãuis in vrbe nõ eſſent. Verba ſunt Ciceronis in Ora. pro Cluent. quæ meam ſententiam confirmant, Interea Oppianicus cùm iam conualeſceret, & huc ad F vrbem profectus eſſet, (ſolebat enim extra portam aliquid habere conducti) cecidiſſe ex equo dicitur, &c.

Factus eſt in eo ſtrepitus, & grata concionis admurmuratio. Conſuetudo populi, cùm quid, quod ſibi placeret, in cõcione audiſſet, teneri nõ poterat quin ſummiſſa voce, alius alij benè & præclarè dictum inſuſurraret. In Ora. pro Pomp. cum Orator obſcure Lucullum auaritiæ notaſſet, ea re lætus populus inſuſurrare cœpit, ſignificari Lucullum. Veſtra, inquit, admurmuratio facit Quirites, vt agnoſcere vi- G deamini, qui hæc fecerit. ego autem neminem nomino. Idem etiam in Curia Senatorum mos erat. vt in Piſonem, Quo quidem tempore cœpi P. C. fructum immortalem veſtri in me & amoris, & iudicij, qui non admurmuratione, ſed voce, & clamore, abiecti hominis, & ſemiuiui furorem petulantiámque fregiſtis. Et Epiſt. ad Q. fratr. Multa feci

A verba de toto furore latrocinióque P. Clodij. Eum tanquam reum accuſaui, multis & ſecundis admurmurationibus. Quintilianus lib. xi, Conueniens etiam ambulatio quædam, propter immodicas laudationum motas. Et aliquanto pòſt, Vnde moneor vt ne id quidem tranſeam ineptiſſimè fieri, cùm inter moras laudationum, aut in aurem alicuius loquuntur, aut cum ſodalibus iocantur, &c. Sed alia erat populi acclamatio aduerſa, quæ, vt Cicero De B Orat. II. ſcribit, aut Orationis peccato aliquo excitatur, ſi aſperè, ſi arroganter, ſi turpiter, ſi ſordidè, ſi quoquo animi vitio dictum eſſe aliquid videatur. Eam ipſe ſuſtinuit, cùm pro C. Rabirio diceret: Nihil, inquit, me clamor iſte commouet, ſed conſolatur, cùm indicat eſſe quoſdam ciues imperitos, ſed non multos, Nunquam, mihi credite, populus R. hic qui ſilet, Conſulem me feciſſet, ſi veſtro clamore perturbatum iri arbitraretur.

In retinenda religione. Iuriſiurandi.

C *Vnum Senatorem vel tenuiſſimum.* Aſconius, Vnũ hominem. ſed nihil cenſeo mutandum.

Aliis rectè factis. Hoc eſt, Non tam turpiter factis, quàm ſi pecunia abſolutus eſſet. Similiter infrà Quòd ſi non modò in cauſa, verùm in aliquo honeſto præſidio, aut in alicuius eloquentia, aut gratia ſpem aliquam collocaſſet. Honeſtum præſidium appellat, quod modò dixit Rectè factum. Item in Orat. pro Milone infrà, Rectè facta appellat munera, & ludos qui à Candidatis deliniendæ multitudinis D cauſa fiunt. Qui non modò, inquit, improbitati iraſcuntur Candidatorum, ſed etiam in rectè factis ſæpe faſtidiunt.

Inueſtigare & conſequi. Modò Inueſtigare, Peruestigare ſignificat, & quærendo inuenire, vt apud Terentium, Nihil tam difficile, quin quærendo inueſtigari poſſit. Aliàs Exquirere, & veſtigiis odorari ſignificat.

Poſt hæc conſtituta iudicia. Omnes propè tum veteres, tum impreſſi libri, Poſt hæc iudicia. Sed hanc E ſcripturam & Aſconij liber tuetur, & ſenſus ipſe confirmat.

Hoc ſplendore. Tribuit hoc ſuæ fidei, & diligentiæ in reiiciendis Iudicibus: libro Accuſat. I, Ita, inquit, reiecti Iudices, vt hoc conſtet, poſt hunc ſtatum Reip. quo nunc vtimur, ſimili ſplendore & dignitate conſilium nullum fuiſſe.

Non iam ex eodem. In libro Accuſ. I, Splendor veſter facit, infrà, &c.

Quod ſperare mihi videor. Nõnunquã etiã verbũ F Debere adiũgitur: vt li. Epi. IX. Epiſt. I, Quãobrẽ quãdo placatis his vtor, videor ſperare debere ſi te viderim, &c. Sæpe hoc eodẽ modo: vt li. de Orat. II. Itaq; ſiquid eſt in me quod iã ſperare videor, quoniã quido, &c. Et li. de Amic. Quo in genere ſperare videor, Scipionis amicitiã, & Lælij, notam poſteritati fore.

Hoc iudicio probatus. Hoc ſignificat quod apertè dicit infrà, Quid iam Reipub. honeſtius, quàm adducere hominem, cuius damnatione totus ordo cũ populo R. & in laude & in gratia poſſit eſſe?

G *Cogita qui ſis, quo loco ſis.* Aldinus & omnes alij, Cogita quo loco ſis, quos ſequi videtur Aſconius.

Paterna lege Acilia. De qua Orat. ſequenti infrà.

Soceri Scauri. M. Æmylium Scaurum ſignificat, quem Salluſtius in Iugurth. ſic deſcribit, Scaurus homo nobilis, impiger, factioſus, audax, ſed vitia ſua callidè occultãs, vir Cõſularis & in Senatu princeps. Sed Cicero ſemper de illius laudibus prolixius, vt in Orat.

Orat. pro Fonteio, in Bruto, & lib. de Orat. t..

Delectóque conſilio. Id eſt, lectiſſimis & maximè eximus Iudicibus. Sic in Orat. contra Rull. Quid cenſetis, cùm iſti Decemuiri cum imperio, cum faſcibus, cum illa delecta finitorum iuuentute per orbem terrarum vagabuntur?

Quadraginta diebus interpoſitis. Alij propè omnes, Triginta. Aſconius Quadraginta. quod perſpicuè rectum eſt, vt ex ſimilibus locis intelligitur, infrà. Nam oratoriè loquitur, nunc triginta quinque dies ſint tantum, hoc eſt à primo Votiuorum ludorum ad extremum Circenſium, vt ſuperius oſtendi.

In obliuionem diuturnitate adducta ſit. Nonnulli alios libros ſecuti, Diuturnitatis. quam correctionem, vt docto homine indignam, ſilentio potius, quam argumentis refutandam puto.

Sed ab iis qui nunc. Sic Aſconius. Omnes ferè alij, Sed ab aliis qui nunc. Sequor Aſconium.

Teſtibus vtar ſtatim. In Accuſationibus vſitatis, ſeparata erat ab oratione perpetua, teſtium interrogatio. hic ſtatim ſunt citati à præcone teſtes: quod ipſe declarat Oratione proxima, infrà vt tota hæc actio, teſtium interrogatio meritò appelletur. Atque idipſum eſt quod in Accuſationis primo ſcribit his verbis, Etenim ſic me ipſum egiſſe memoria tenetis, vt in teſtibus interrogandis, omnia crimina proponerem, & explicarem. Non quò primus teſtes appellaret, quàm crimen breuiter explicaſſet, quemadmodum ex hiſce verbis intelligitur, Vt cùm rem totam in medio propoſuiſſem, tum denique teſtem interrogarem: & his prætereà quæ proximè conſequuntur, Hic in ſingulas res teſtes dabũtur: ſed quoniam actus ille legitimus & iudicialis Teſtium interrogatio ob citatos primo die teſtes diceretur, Primũ ergo breuiter vnumquodq; crimen ſingulatim explicabatur ab Oratore, Verres illo die, ex illo templo Dianæ ſignum ſuſtulit: tum excitabat ipſe teſtes, eóſque interrogans, confirmabat accuſationem. vt mihi ſuſpectus omnino locus ſit proximus, in quo ſcriptum hoc modo eſt, Vbi id interrogando, argumentis atque oratione firmauero, tum teſtes ad crimen accommodem. Nam ſi interrogãdo firmauit crimen, quid eſt quod cõtinuò ſequitur, Tum teſtes ad crimen accommodem? Quo modo enim interrogando confirmauit, niſi adhibitis, accommodatíſque teſtibus? Aperiam igitur quod mihi in mentem venit, de quo eruditiores exiſtimare poterunt. Quoniam in illo primi Accuſationis loco, quem ſuperius protuli, dicit ſe in teſtibus interrogandis crimina explicaſſe, veni in ſuſpicionem, prætermiſſum in ſcribendo verbum INTERROGANDO., poſtea in conferendo, ad marginem adſcriptum: deinde verò ab alio ſcriptore non ſuo loco reſtitutum eſſe. itáque potius legendum ſum arbitratus, Quòd ita teſtes conſtituam vt interrogando crimen totum explicem: vbi id argumentis, atque oratione firmauero, tum teſtes ad crimen accommodem. Vt verbum INTERROGANDO, non ipſam teſtium compellationem declaret, ſed (vt in libro ſequenti) actum illum legitimum & iudicialem, qui teſtium interrogatio dictus eſt: præſertim cùm hoc ipſum apertè iiſdem verbis in eo libro explicarit, Vt in teſtibus, inquit, interrogandis omnia crimina proponerẽ & explicarem. Ex quibus ipſis verbis perſpicuè falſitas eorũ opinionis intelligitur, qui locũ hunc de reo interrogãdo interpretabantur, cũ apertè de teſtium interrogatione Cicero loquatur.

Eadem interrogandi facultas. Ex his verbis apparet, quare prima hac actione non defenderit Hortẽſius. Nam cùm teſtes facti tantùm producantur, neganti autẽ factum defenſori non proſint, & tota hęc actio teſtium interrogatione conſtaret, nihil Hortẽſio relictum omnino eſt, præter eandem interrogãdi, dicendi, atque argumentandi facultatem. Verba autem Oratoris in libro ſequenti hæc ſunt, Credo, ſi meis horis vti voluiſſem, vererer ne, quem nemo prima actione defendere auſus eſſet, eum ego accuſare non poſſem. Et aliquanto poſt, Niſi verò illud dicet, quod & in teſtimonio Tettij priore actione interpellauit Hortenſius. quo tempore quidem ſatis ſigni dedit, ſi quid eſſet quod poſſet dicere, ſe tacere non poſſe: vt quandiu in cæteris rebus tacuerit, ſcire omnes poſſemus, nihil habuiſſe quod diceret. Et lib. III, infrà, Qua re igitur id aſſecutus es? ingenio? qui teſtes interrogari priore actione nolueris, & iis tacitum os tuum præbere malueris, quamuis & te & patronos tuos ingenioſos eſſe dicito. Et lib. Acc. V, Reducam iterum Equitem R. L. Flauiũ, ſi voles, quoniam priore actione, vt patroni tui dictitant, noua quadam ſapientia: vt omnes intelligunt, conſcientia tua teſtem nullum interrogaſti. Aliam tamen in Oratore cauſam huiuſce rei attulit, quam ſubiiciam, Eſt inquit, παθητικὸν, quod bene tractatũ ab Oratore, admirabilem eloquentiam facit: quo perturbantur animi, & concitantur, in quo vno regnat oratio. éſtque vehemens, incenſum, incitatum, quo cauſæ eripiuntur, quod cum rapidè fertur, ſuſtineri nullo pacto poteſt. Quo genere nos mediocres aut multo etiam minus, ſed magno ſemper vſi impetu, ſæpe aduerſarios de ſtatu omni deiecimus. Nobis, pro familiari reo, ſummus Orator non reſpondit Hortenſius. Hæc ille. At Plutarchus de ea re in Ciceronis vita ſic loquitur, vt ſępe in Romanis hiſtoriis, in quibus hoſpes nõnunquã alicui videri poſſit.

Si quis erit qui perpetuam orationem, accuſationemq; deſideret, altera actione audiet. Moris erat tũ in publicis, tum in priuatis iudiciis, vt, ſi Iudicibus non liqueretur, Amplius cognoſcendum pronuntiaret. cuius rei exemplum libro Accuſationis primo infrà, repeties, & in Bruto. Itaque de integro cauſa agebatur, & cognoſcebatur. In hoc verò repetundarum iudicio, lege Glauciæ, qua hoc Verris iudicium conſtitutum eſt, iubebatur, vt bis cauſa ageretur, Hoc igitur dicit, Prima hac actione interrupta atq; intercisa vtemur oratione: altera verò, id eſt poſt comperẽdinationem, perpetua. Similiter in Orat. pro Fonteio, Fonteius ita duabus actionibus accuſatus eſt, vt obiectum nihil ſit, quo ſignificari veſtigium libidinis poſſit. Et pro Cæcina, Decemuiri prima actione nõ iudicauerunt: poſtea re quæſita & deliberata, ſacramentum iuſtũ iudicauerunt. Sic pro Cluent. ꝙ. Hæc igitur, vt apparet, prior actio eſt, aut potius prioris actionis initiũ, quæ nouẽ cõtinuis diebus trãſacta eſt.

Nunc id quod facimus, ea ratione facimus. Tenebricoſa oratio, quæ, ſi Aſconium ſecuti, poſtremum Facimus tollatur, nihil erit apertius. Referẽdum enim verbũ illud INTELLIGAT, ad illud quod antecedit SI QVIS. vt euidentius appareat, nõ INTELLIGANT, plurali, ſed INTELLIGAT ſingulari numero ſcribendũ eſſe. Similiter autẽ dixit & de malitia, & de cõſilio neceſſario paulo poſt. Nũc quoniã pugnare cõtra me inſtituiſti, nõ tã ex tua natura, quã ex iſtius tẽpore & cauſa malitioſè, neceſſe eſt iſtiuſmodi rõi aliquo cõſilio

obſiſtere. Et eodem loco, Ita fiet, vt tua iſta ratio existimetur aſtuta: meum hoc conſilium, neceſſarium. Cur autem neceſſario id fieri dicat, oſtendit libro ſequenti in eo loco, Tametſi ita de meo facto loquor, &c. Quæ cùm ita ſint, haud ſcio an aliorum opinio pluribus verbis refutanda ſit, qui locum ſic correxerunt vt ſic legatur, Ea enim ratione. Nam cum ſine vetuſti auctoritate codicis id faciũt, tum verò ſententia per ſe abſurda eſt: cùm præter Ciceronis, & omnino doctorum hominum conſue- B tudinem, rationem cur quid dicatur tanto priuſquã illud dicatur, exponat.

A

Quadringenties H S. Seſtertiorum nummorum quadringenties centena millia, id eſt decies centena millia aureorum.

Dixi. Hoc verbum, inquit Donatus, denuntiatio eſt confirmandæ ſententiæ, nec mutandæ. Et alibi, Hoc verbum in fine additum ſuperiora confirmat, & eſt proprium his qui perorauerint cauſam.

ACCVSATIONIS IN C. VERREM

LIBER TERTIVS, ORATIO VI.

COMMENTARIVS.

SERMONEM *vulgi, atque hanc opinionem populi R. fuiſſe.* Nonnulli libri veteres, Vulgo & Populo, in dandi caſu. quod & Tulliana elegantia, & Quintiliani auctoritas refellit, apud quem libro IX. ſemel atque iterum ita hunc locum ſcriptum reperio.

Altera actione reſponſurum non fuiſſe. Id eſt, hac ſecunda, quę tota ficta eſt. diximus iudicium Repetundarum nonniſi duabus actionibus abſolui poſſe. Et reſponſurum præconi, & accuſatorem & reum citanti. Eſſe autem, non Fuiſſe legitur in antiquis, & impreſſis propè omnibus. quod primi, vt opinor, Florentini immutarunt. Ego ſequor antiquos.

Neque ad iudicium affuturum. Quid ita? cùm, etiã lata ſententia, dãnatis tamen exulare liceret, neq; in eorũ corpus animaduerteretur (vt cõſtat ex loco Salluſtij quẽ paulo poſt afferemus) & abſentes, atq; in voluntarium exiliũ profecti etiam dãnarentur, vt poſtea declarat, cùm inquit, Abſens ſi iſte damnatus eſſet, &c. Ego præter pudorem, & vt Orator. ait pudentem exitũ nullã cauſam reperio: ſi quidẽ dãnaretur, nã ſiue præſens, ſiue abſens bonis omnibus mulctabatur, corpore nullũ ſupplicium ſuſtinebat. præterea ne damnato quidem dies ad populũ dici poterat, vt multis ex locis intelligetur. Cur damnari expediret. Nam cùm bonis mulctatus aliquis eſſet, vita nõ multabatur, vt patet ex Orat. pro domo ſua. At ſi abſolutus fuiſſet, dies dici potuiſſet. quod hoc loco ſignificari opinor, vt multis ſequentibus.

C poenis afficeretur, quæ ſunt Legibus conſtitutæ, quę vitantur exilio voluntario. Ad Populum enim propter ius ciuitatis violatum, & imminutæ maieſtatis crimina reuocandum fuiſſe: cuius Populi iniuſſu de cõdemnatis ſupplicium ſumere non licebat. Cæſar apud Salluſt. in Catil. Poſtquam Reſpub. adoleuit, & de multitudine ciuium factiones valuere, circumueniri innocentes, alia huiuſmodi fieri cœpere, tum lex Portia, aliæq; leges paratæ, quibus legibus exilium damnatis permiſſum eſt, cùm antea morem D Græciæ imitati, verberibus animaduerterent in ciues, de condemnatis ſupplicium ſumerent. Ergo quod ad repetundarum cauſſam attinet, nulla in re ſibi, niſi forte pudore ſuo, conſuluit cum ſcilicet infamiam damnationis præſens expectare ac ſuſtinere voluit. Sed cum ab aliis ſibi grauioribus iudiciis cauit, tum ſibi profuit atque conſuluit.

Salus illa maior Reip. Quaſi reipub. interſit, manere iudicia Senatoria, itaque paulo infrà, Splendor veſter facit, vt peccare ſine ſummo Reip. detrimen- E to ac periculo non poſſitis.

Itaque mihi videor magnam. Apud Non. Marcellum, in dictione Deponere, Itaque mihi videor, Iudices, magnam, quod mihi maiorem in modum arridet. præſertim cùm ſtatim inferat, Quam veſtræ Ludi. Vox autem illa facilè prætermitti potuit, cùm hac nota vulgò ſcriberetur, Iud.

Et propè depoſitam. Seruius in illum Verg. locum, quem citat Aſconius, Conſuetudo erat, inquit, vt deſperati ante ianuas ſuas collocarentur, vel vt ex- F tremum ſpiritum redderent terræ, vel vt poſſent à tranſeuntibus forte curari, qui aliquando ſimili laborauerant morbo. Cicero, Ægram & pr. d. R. partem. hæc Seruius.

Vt cum hac res. Cauſa Verris.

Pro voluntate populi R. Vult videri populum R. cupere vt Verres damnetur. Nam pro voluntate, dixit, vt ex voluntate.

Auctoritas iudiciorum. Id eſt antiquitates iudiciorum ſenatoriorum. Nam ſi iudicia in hoc or- G dine retineantur, per me conſtabilita veſtra auctoritas videbitur, quæ iam nutare propter Aureleam rogationem videtur.

Poſtremo vt eſſet hoc iudicatum. Poſtremo dixit pro denique, in ſumma, ne multis morer.

Vt eſſet hoc iudicatum. Vt eſſet exploratum & certum, quod nunc in dubium vocatur: vera &

Vt ad audendum proiectus, ſic paratus ad audiendum. Ludit, opinor, agnominatione verborum, & adiectione vnius literæ, qua ſola hæc duo inter ſe verba differunt, Audendum & Audiendum.

Tamen impudentiæ ſuæ. Tamen pro Saltem, vt ſit ſaltem reticentia & abſentia pudentem exitum, &c. Dicit autem pudentem exitum, propter infamiam quam præſens ſuſtinebat.

Virtute veſtra factum. Laudẽ me ex diligẽtia mea: vos ex integritate, quos corrumpere non potuit.

Qui adeſſe noluerit. Nam abſentes damnabantur tamen. Itaq; Verres quamuis in exilium voluntariũ abierit, nihilominus eſt damnatus: quod idem Dolabellæ contigiſſe poſterius dicemus.

Tam demum illa victa videbantur. Nulla enim ſine pugna & certamine victoria.

Sibi conſuluiſſe. Significat futurum fuiſſe, vt iis

vera & incorrupta ſenatoria eſſe iudicia. Sic idem lib. ad Att. xi. Sed tota res etiam nunc fluctuat, *κατὰ ὀπτώπλω τεχὼς*: quæ ſi deſederit, magis erunt iudicata quæ ſcribam. Sic initio inſequentis orationis. Suſcepi cauſam populi R. quod putabam tum denique rectè iudicari poſſe. ſubaudi, de iudiciaria controuerſia.

Vt finis aliquando. Multo planius legeretur, ET finis.

Eares. Maiores etiam tenebræ, ſi totum locum, vt ſcriptus eſt, relinquamus. Etenim quam rem intelligi dicemus? Emendamus igitur ſequentem locum, REVS eſt enim nocentiſſimus: quoniam in Aſconij libro legimus, Homo eſt nocentiſſimus, ad hunc modum: Reus eſt homo nocentiſſimus: vt EA RES hoc ſignificet quod proximè declarat. Sanè totus hic locus mihi ſuſpectus eſt, neque omnino quicquam affirmare auſim. nam quod ſequitur de pecunia, poſtulare videtur vt pro Nocentiſſimus, Opulentiſſimus aut ſimile quiddam legamus. niſi fortè vtrunque neceſſarium eſt: quod etiam non obſcurè ſignificare videtur Aſconius.

Quòd iſte inuentus eſt. Apud Priſcianum lib. vii, capite de Genitiuo pl. ſecundæ decl. Iſte vnus inuentus eſt. quod *ἐνεγγενεκότερον* videtur, & mihi vehementer arridet.

Iacent in tenebris. Nam cum venturum accuſatorem ſenſiſſet, qui quæ domi erant obſignaret abſcondit vide infrà.

Hoc auaritiæ ſupplicio communi. Aſconius ſuperiore libro quod eſſet ſupplicium lege Repetundarum conſtitutum oſtendit his verbis, Duæ, inquit, res conſequebantur damnationem, altera redditio pecuniæ iis ad quos pertinebat, in quo vel ſimpli, vel dupli, vel quadrupli ratio ducebatur: altera exilium.

Cui damnari expediret. Propter animaduerſionem populi, ad quem, ſi hoc iudicio abſolnatur, propter ius libertatis & ciuitatis imminutum, reuocabitur. nam animaduertere in ciuem R. ad populum ſolum, vt modò dixi, pertinebat. Et locus apertè oſtendit, quod etiam ex Orat. pro domo ſua intelligitur, vbi multatio bonorum erat, ſupplicium in corpus irrogari ius non fuiſſe.

Nobiſcum actum iri. Id eſt, cum Senatoribus. Significat populum R. in alios quoque Senatores animaduerſurum eſſe.

Contentus erit. Priſcianus lib. 18. contentus fuerit: & paulo poſt ſententia ſua liberauit: quod valde probo.

Peccandi locus. Id eſt, nulla peccandi facultas cuiquam relicta eſt, ſubauditur autem impium.

Ad aliud iudicium perducere potuerimus. Aſconius ſic, Po. ſ. & Equitum R. Quod ſic interpretati ſumus, Populi ſcilicet & Equitum Romanorum. in quo quidem error manifeſtus eſt cùm ſatis conſtet peculatus quæſtionem ad populum non pertinuiſſe: ſed eius Quæſitorem & Iudices conſtitutos, itē vt in aliis publicis cauſis fuiſſe. quod vel ex hoc ipſo loco ita perſpicuum eſt, vt alia teſtimonia conquirere putidum videatur. Locum igitur in Aſconio corruptum puto, quem tamen quemadmodum emendare poſſim, non diſpicio.

Alieno nomine. Pecuniam opinor, eam ſignificat, quam tum empti, tum æſtimati frumenti nomine à Quæſtoribus vrbanis accepit. Illam enim fœneratus

A eſt, hanc auertit. vide librum Accuſ. iii.

De capite detraxerit. Hęc latè dicuntur li. iii. infrà, & ſeq. Ex quibus illud intelligitur, Caput in Decumis eam appellari frumenti ſummam, qua Decumani ciuitatis alicuius Decumas coemunt. Caput autem appellatur, propter eam rationem quam habet ad lucrum & ad acceſſionem: quorum vtrunque Decumanis concedebatur: ſicut in mutua pecunia Caput cum Vſura confertur.

Illum eius peculatum. Patet peculatum non pecu-
B niæ tantum eſſe ac numorum, ſed & cuiuſuis rei quæ publica ac populi R. ſit.

Meditetur de ducibus. Aliud iudicium denuntiat, maieſtatis ſcilicet, quod prætorem quoque ſuum habebat. Maieſtatis igitur imminutæ, crimen eſt, duces hoſtium pecunia liberare priuatim domi ſuæ duces hoſtium ſeruare.

Noſtro crimini. Noſtrę accuſationi locutio vſitata.

Oportuiſſe concedam Ἐσπουδᾶς plus eſt enim Opor-
C tere, quàm Licere. Oportere ſiquidem perfectionem ſignificat officij.

Eò quò me iampridem. Ad iudicium populi in cāpum Martium vbi perduellionis iudicium triginta quinque tribubus conuocatis fiebat. Aliorum quidē criminum quæſtiones lege lata populus conſtituetat: eíque legi, vt Cicero Ver. v. ſcribit, cuſtodes & vindices, id eſt Quæſitorem & Iudices præpoſuerat qui de reis & accuſatione cognoſcerent. Sed hu-
D ius criminis perduellionis ſcilicet atque imminutæ libertatis populi R. iuriſque ciuitatis iudicium & cognitionem ſibi reſeruarat. quo vehementiora erant huiuſmodi iudicia, propter animaduerſionem poteſtatémque populi, de qua paulo antè commemorauimus. ſimiliter hac eadem Oratione ſuprà, criminis Falſi quæſtionem ad populum pertinere Cicero demonſtrat. Poſterius tamen crimen illud violatorum ciuium ex L. Iulia de vi ab Auguſto lata in prætoris ſui iudicium vocabatur, vt docet Vlp. in l. 1. D.
E de vi pub. Lege Iulia, inquit, de vi tenetur qui cum imperium poteſtatémve haberet ciuem R. aduerſus prouocationem necauerit, verberauerit iuſſeritve quid fieri.

Conſilia ſenatoria. Iudicium repetundarum peculatus & Maieſtatis quorum vnicuique ſuus prætor cum ſenatorum conſilio præeſt.

Qui cognitores homines honeſtos daret. Cognitores hoc loco eoſdem videtur exiſtimare dici Aſconius, qui in Diuinat. eùm inquit, Cognitorem iuris ſui.
F Ego Cognitores ſimpliciter eos intelligo, quibus eorum qui capiebantur ſtatus & cōditio nota eſſet, id eſt qui teſtificari poſſent, eos non eſſe ſpeculatores. Itaque in lib. Accuſat. v, vbi hæc eadem ipſa narrantur, Homines, inquit, tenues, obſcuro loco nati, nauigant: adeunt ad ea loca quæ nunquam antea viderant: vbi neque noti eſſe iis, quo venerant, neque ſemper cum cognitoribus eſſe poſſunt. Et paulo pòſt, Clauſum habuiſſe eùm Panormo Pretius veniret: cognoſceret hominem?
G aliquid de ſummo ſupplicio remitteres. ſi ignoraret, tum hoc iuris in omnes conſtitueres, vt qui neque tibi notus eſſet, neque cognitorem locupletem daret, quamuis ciuis R. eſſet, in crucem tolleretur. Hos *γνωστῆρας* Græci appellant. Xenophon lib. κυρ. παιδ. vi. *οἱ δ᾽ ἔτις χρημάτων προσδεόμενοι νομίζοι σὺς ἐμπολλῷ, γνωστῆρας ὑμῶν προσάγων, λαμβανέτω ἂν ἡμᾶς ἔχομεν.*

A v. & xxx *tribus* Quarum aliæ Ruſticæ, aliæ Vrbanæ dicebantur: illæ quidem ingenuorum, vt ſcribit Aſconius pro Milone: laudatiſſimæ, inquit Plinius, eorum qui rura haberent. Vrbanæ verò libertinorum, vt Florus docet in epitome lib. xx. in quas, inquit Plinius, transferri ignominiæ eſſet, deſidiæ, probro. itaque quatuor ſolæ erant à partibus vrbis, in queis habitabant, Suburrana, Palatina, Collina, Exquilina Hæc Plinius. Omnes autem tribus huic iudicio perduellionis in campo Martio præerant: vt ex oratione pro C. Rabirio intelligitur.

B *In Latumiis*. De iis in Oratione in Verrem quinta ſuo loco explicauimus.

Beneficio populi R. Vtpote Ædilis factus: non enim cuiquam niſi Magiſtratui, aut ei cui per Magiſtratum licebat, ius erat in concionem aſcendere.

De loco ſuperiore. In Campo Martio ſuperiorem aliquem fuiſſe locum oportet, vnde Magiſtratus orationem ad populum haberet. In foro quidem Roſtra ad eam rem fuiſſe nemini ignotum eſt. Similis autem in Verrina vii. locus eſt.

C *Vllum munus Ædilitatis*. Ædiles ſolennes ludos curabant, Ver. vii. & lib. de legib. iii. vnde munera Ædilitia dicebantur. Cicero de Offi. ii, Craſſus tum cognomine diues, tum copiis, functus eſt Ædilitio maximo munere. Ad hanc igitur Ædilium conſuetudinem alludit, Nullo, inquit, Ædilitio munere gratiore populo R. fungi potero, quàm hoc meo officio Reip. præſtando. Etſi autem muneris nomine venationes propriè intelliguntur vt Lactantius docet lib. de vero cultu, vi. cap. xx. vulgo tamen pro ludis omnibus vſurpari conſueuit præſertim autem pro gladiatoribus vt ex Suetonio in Nerone & Veſpaſiano & Domitiano cuiuis licet animaduertere.

D *Nihil eſt iam*. Poſtquam omnia diligentis accuſatoris officia præſtitimus.

In præteritis rebus. Quæ ad accuſationem comparandam pertinebant.

In reliquis. Quæ ad conuincendum & condemnandum Verrem pertinebunt.

E *Veterem conſuetudinem*. Vt homines honeſtiſſimi, non imperiti adoleſcentuli accuſent.

Celeritas reditionis. Quinquaginta enim diebus obiit vniuerſam Siciliam.

Qui à me auxilium. Ne quaſi pro meo iure, ab iis qui meæ cauſæ deberent, hoſpitium exigere viderer. De more hoſpitiorum alibi explicauimus.

Neque priuatim. Patet igitur eos qui apud hoſpites ſuos diuerſabantur ſumptibus ſuis vixiſſe. Idemque ex Seneca intelligitur.

F *Quantam lex dabat*. Tantummodo in furta inquiſiui, non in alia flagitia. Etenim Legem repetundarum dicit, quę poteſtatem faciebat inquirendi in pecunias à ſociis ereptas.

Pactiones. Quam cum reo feciſſent ſe præuaricaturos.

Quam iſte laudem. Optimæ Iudicum reiectionis.

G *Nimium ſui iuris*. Nulla gratia à ſemel ſuſcepta ſententia deduci poſſe.

Onus meum. Si ſuſpectus eſſem, vos quoq; quos retinueram, fore ſuſpectos.

Non ſolùm notis. Noti & Ignoti actiua ſignificatione pro iis qui norunt, & qui non norunt. In Orat. pro Celio, De dignitate, Celius notis ac maioribus natu facilè ipſe reſpondet. quibus autem non

A æquè eſt cognitus, &c. Et lib. Epiſt. fam. v, Atque illi artifices corporis, ſimulacra ignotis nota faciebant. Sic paulo pòſt & lib. Accuſ. v. infrà.

Comitiis meis. Quibus Ædilitatem petebam.

Fructum diligentiæ. Quam in reiiciendis Iudicibus adhibueram.

Reo audaci. Ad corrumpendum.

Perdito. Qui nullis opibus, modò iudicium corrumperet, parcebat.

B *Remp. ſtare non poſſe*. Quòd qui integerrimi Iudices haberentur, ij corruptiſſimè iudicarent: pro Iudicum autem integritate ac leuitate ſtétque cadátque Reſp.

Reliquis diebus. Sex. nam diebus nouem primam actionem tranſactam eſſe infrà oſtendit.

His ludorum diebus. Votiuorum & Romanorum.

Comperendinatum. De Comperendinatione paulo pòſt idoneo loco explicabimus.

C *Cum cauſa*. Etenim neque adoleſcentes qui aut exercendi ſui, aut oſtentandæ eloquentiæ cauſa: neque Quadruplatores, qui lucri cupiditate adducti accuſant: cauſam habent idoneam cur boni ciues ob accuſationem exiſtimentur.

Fuit iuſtior. Vt Reip. commodis ſeruire exiſtimaſer. Alij codices, Illuſtrior. ſed hanc magis probo.

D *Graue & incommodum iudicare*. Quòd multæ neceſſariò ſubeundæ ſint inimicitiæ, & damnatorum, & eorum qui illorum ſunt propinqui atque amici. vnde libro Accuſ. ii, Multa ſunt, inquit, impoſita huic ordini munera, multi labores, multa pericula, non ſolùm legum, ac iudiciorum, ſed etiam rumorum ac temporum. Sic eſt hic ordo quaſi propoſitus atque editus in altum, vt ab omnibus ventis inuidiæ circumflari poſſe videatur. Aſconius etiam in fine Verrinæ tertiæ, Facilè, inquit, pro veris Iudicibus improbi ſupponi poterant, volente hoc Iudice quæſtionis, & illis patientibus qui veri Iudices erant: quia niſi citati non conſidebant, & graue onus erat, & incommodum iudicare.

E *Spes illorum noua*. Poſt priorem actionem corruptos eſſe Iudices.

Aperta. Quum in exilium proficiſceretur.

Nouo quærimoniæ genere. Nouum dixit, quaſi ridiculum. Eſt enim nouum & abſurdum, defenſorem queri quòd ab accuſatore reus opprimatur.

Alıter quàm ego velim. Aſtutum me, & callidum appellans.

F *De meis legitimis horis*. Viginti diebus qui accuſatori dati erant ad accuſandum vt poſterius docet Aſconius.

Lege conceſſum eſt. Hac qua nunc vtimur, hoc eſt Cornelia à L. Sylla lata.

Abuſus ero. Id eſt tempus omne conſumpſero. Alludit ad Iuriſconſultorum conſuetudinem, qui ea dicunt, in abuſu conſiſtere, quæ vtendo conſumuntur. Similiter Verrina vii. infrà libertatem quam vos ſociis dediſtis, hac ille in acerbiſſimo ſupplicio, miſerrimæ ſeruitutis abuſus eſt.

G *Ea re quidem quod*. Senſus eſt reus quamuis nocens ſi obſcura cauſa eſt, abſolui potius quam damnari poteſt. non enim niſi patefacta & notiſſima cauſa ſit, condemnari licet. Quare ſi quid ex me fiat quo minus cauſa cognoſcatur, moleſte ferre non debes.

Nam cauſa cognita. Demonſtrat ſiquid, fecit, quo minus cauſa cognoſceretur, feciſſe quo

minus

minus reus damnaretur.

Adimo enim comperendinatum. Id eſt, puta me perendinationem adimere; quemadmodum paulò poſt ait, puta te non hac tam atroci, ſed illa lege mitiſſima cauſam non dicere. Ridiculum eſt enim exiſtimare id in Ciceronis poteſtate fuiſſe. Primùm quia lex Cornelia qua nunc vtebantur id iubebat: deinde quia iam Comperendinatus erat Verres, & nunc ex comperendinatione cauſa hæc agitur. Cōperendinatam autem pro comperendinatione poſuit vt in illa de claris Orat. Vnum quaſi comperendinatus, medium diem fuiſſe.

Quod habet lex in ſe moleſtiſſimum. Quā comperēdinandi neceſſitatem retulit lex Cornelia, moleſtam, & grauem accuſatis: quoniam quo ſæpius cauſa agitur eo clarius & apertius crimina explicantur & cognoſcuntur.

Bis vt cauſa dicatur. Ex hoc loco erui poſſe putaui differentiam inter Comperendinationem & Ampliationem: quum in Lege comperendinationis numerus actionum duarum præſtitutus eſſet, Ampliationis, nullus eſſet certus numerus. Itaque cauſam C. Cottæ accuſati repetundarum à L. Scipione, ſepties ampliatam eſſe Valerius auctor eſt. Et Cicero in lib. de claris Orat. cauſam quorundam publicanorum tribus ampliationibus prolatam. Et Liuius libro XLIII, M. Titinum repetundarum ab Hiſpanis accuſatum, bis ampliatum, tertiò abſolutum fuiſſe. Et paucis pòſt verſibus, Grauiſſimis criminibus accuſati ambo, ampliatique, quum dicenda de integro cauſa eſſet, excuſati exilij cauſa ſolum vertiſſe. Præterea in Ampliatione iudicari primò poterat, vt infrà, in Comperendinatione nonniſi poſt ſecundam actionem, vt ex hoc loco intelligitur.

Opus eſt redargui. Id eſt Vtile eſt, vt paulò infrà, Verum ſi cauſam cognoſci opus eſt.

Glaucia primus. C. Seruilius Glaucia: quo Prætore Saturninus maximè vſus eſt in illa ſeditione, propter quam in Curia interfectus eſt. Eum Cicero libro De Orat. III, per ſimilitudinem ſtercus Curiæ appellari poſſe dicit, niſi deformis eſſet cogitatio ſimilitudinis. Eius etiam mentionem facit contumeliæ cauſa in Bruto, in Orat. de reſponſ. Haruſpl & pro Rabirio Poſthumo. Huius legis Seruiliæ meminit Aſconius in Comment. pro M. Scauro.

Iudicari primò poterat. Id eſt prima actione, vt cōtinuò poſt, Iſti turpe ſibi exiſtimant non primò iudicare. Ex quo apparet lege Seruilia, id eſt Glauciæ, primò iudicari non licuiſſe: ſed expectandam alteram fuiſſe neceſſariò actionem.

Amplius pronuntiari. Iudices ſibi non liquere dicebant. Prætor amplius cognoſcendum pronuntiabat. cuius rei exemplum eſt infrà poſitum in cauſa Philodami hoc ipſo libro infrà, & in Bruto.

Opinor illam veterem. Cæciliam niſi fallor ſignificat, de qua Valerius lib. VI. cap. XI.

Citò abſolui. Vnica actione, vt illud, TARDE condemnari, poſt ampliationem ſcilicet, quæ ſæpe non ſemel, ſed iterum ac ſæpius fiebat.

Hac tam atroci. Cornelia poſtrema. Atrociores autem ſemper fuiſſe poſteriores Tullius auctor eſt in lib. de Offi. II. Iulia verò à Iulio Cæſare lata poſtea eſt. Atrox autem Cornelia, propterea quòd cognoſci crimina multis ampliationibus iubebat. Cōdemnari autem, niſi cauſa diligentiſſimè cognita, nemo poterat, vt modò diximus.

A *Illa lege mitiſſima.* Si Aſconium audiamus. Acilia mitiſſima autem quod vnam duntaxat actionem habebat. Rariſſimè autem contingebat, vt vnica actione cauſa ita cognoſceretur, vt nihil omnino difficultatis ſupereſſet. In cauſa enim dicenda, defenſiones multæ aut veræ, aut veriſimiles afferuntur à reo, quæ rem obſcurant. in quo ipſo mollitia & lenitudo legis apparet. Nam condemnari niſi euidentiſſimis & manifeſtiſſimis criminibus nemo
B poterat: abſolui autem poterat. Sed quomodo mitiſſimam Aciliam diceres quam Aſconius ſuperiore Oratione, ſeueriſſimam appellauit, & Cicero atrociores ſemper fuiſſe poſteriores teſtetur. Videamus igitur ne mitiſſimam Cæciliam ſignificet quæ neceſſitatem non improbat, ſed primo iudicandi poteſtatem faciebat.

Accuſabo reſpondebis. Moris tamen erat, vt modò dixit, prima actione reum reſpondere, pòſt in altera priore quoque loco dicere. Sed quoniam alte-
C ra actione non reſpōdebit, poſteriore loco dicet in hac accuſatione: quaſi lege adhuc Acilia vtantur.

Genere cauſarum. De pecuniis repetundis: vbi aliquid ereptum vi, aut ablatum furtim à quopiam dicitur.

H-S quadringenties. Scutatorum decies centena millia.

Prætore Sacerdote. Erat in manuſcripto C. Sacerdote, eum prænomine. eſt etiam in multis
D poſtea locis. quo mihi magis hæc lectio probatur. Fuerat autem Prætor in Sicilia ante Verrem C. Sacerdos.

Meſſanam literas dedit. Reſtituo, Meſſanæ: ex libro ſequenti, infrà, Qua dic, inquit, Siciliam tengit, Meſſana literas Halciciam mittit. Et omnino Meſſana in Pelori promontorij ſinu ſita eſt, quod Italiæ eſt proximum. vnde Silius, lib. XIV,

Incumbens Meſſana freto, niuibúſq; reuulſa.

Commiſſam eſſe dicerent. Commiſſa hæreditas ea
E dicitur, in qua id commiſſum eſt, quamobrem alteri debeatur. Iuſſus hæres fuerat in foro ſtatuas ponere: niſi poneret, Veneri Erycinæ multatus eſt. Mortuo teſtatore, non poſuit. Commiſſa multa dicitur, & hæreditas, quoniam id commiſſum eſt, quamobrem ei auferatur. Similiter pœna commiſſa dicitur à Iuriſconſultis, & commiſſa ſtipulatio: à Cicerone in Orat. pro domo ſua, deuotio ſui capitis commiſſa. Et in Epiſt. ad Thermum libro XIII. Commiſſæ hypothecæ.

F H-S *decies centena millia.* In libro ſeq. H-S vndecies. ex quo apparet vel Vndecies hoc loco reponendum, vel in illo oratoriè & elatè loqui Ciceronem, vt ſæpe aliàs. Decies autem H-S, viginti quinque ſcutatorum millia noſtratis pecuniæ efficiunt, vt Budæus, cuius tantiſper in his occupationibus auctoritatem ſequimur, diſputauit.

Decies centena millia. Plena loquutio, quæ præciſè in ſequenti libro ſic vſurpatur, Seſtertium decies. vbi tamen Vndecies, vt dixi, legitur. Sed Plu-
G tarchus in Antonio id planiſſimè demonſtrat; τῶν φίλων τινὶ μυριάδας ἐκέλευσε πέντε καὶ εἴκοσι δοθῆναι. τοῦτο Ῥωμαῖοι δεκίης καλοῦσι. id eſt, amico cuidam drachmarum, ſiue denariorum ducenta quinquaginta millia dari iuſſit. hoc Romani Decies vocant. Quibus ex verbis hoc quoque intelligitur, Decies præciſè dici ſolitum, etiam ſine voce Seſtertium, pro Decies centena millia H-S. quod vſque

eò verum eſt, vt etiam cum ſingulari numero coniungatur, quaſi Centena millia non ſubaudiretur. vt Verrina v, infrà, H-S bis & tricies in annos ſingulos Verri decernebatur quod aratoribus ſolueret. Et paulo pòſt, Hic per triennium propè centies & tricies erogatum eſt. Et Verrina IIII, H-S vndecies numeratum eſſe. Sed quod in libris quibuſdam tum Ciceronis, tum aliorum legitur, Seſtertio decies, & Seſtertij decies: id planè abſurdum eſt. vehementérque miror Budæum hunc errorem tandiu in bominum mentibus aluiſſe.

Abigendos curaſſe. Abigei, inquit Vlpianus, ij dicuntur, qui pecora ex paſcuis vel ex armentis ſubtrahunt, & quodammodo deprædantur, & abigendi ſtudium quaſi artem exercent, oues de gregibus, vel boues de armentis abducentes.

Stragula quod fuerit. Eodem loco, Stragulæ domi quod fuerit. Nihil muto tamen.

Quum ego dicerem. Neque id tabulis, aut teſtibus probarem.

Magni momenti. Ad fidem Iudicibus faciendam.

Cauſa agi videretur. Non, quum hæc aut à me dicerentur, aut à te negarentur.

Interrogandis. Id eſt, In actu illo iudiciali, qui teſtium interrogatione conſtabat. Prius enim crimen breuiter exponebat, vt ſuperius diximus, quàm vllum teſtem interrogaret. ſed quia ſtatim initio teſtes à præcone citati ſunt, idcirco dicit, In teſtibus interrogandis.

Veſtra iniuria. Ad defenſores Verris & vocē cōuertit, & vultū. Νῦν φορὰ hæc à Græcis appellatur.

In Siciliam. Inquirendi cauſa.

Menſes tres. Maium, Iunium, & Quintilem. Nonis enim Sextilibus agi hæc cauſa cœpta eſt.

Remiſſurum. Sine accuſatione traducturum.

Quadrageſimo pòſt die. Huius loci interpretationem ſ. expoſuimus, eam inde repetere quam hoc loco inculcare ſatius duximus.

Duceretur. Protraheretur, partim dicendo, partim excuſando.

Ad Prætorem alium. M. Metellum, Prætorem comitiis proximis deſignatum.

Crimina non ſuppeterent. Quibus explicandis tēpus meum legitimum conſumerem.

Iniuria atque impudentia. Iniuriam cum impudentia poſuit, hoc ſenſu, quòd ſe aliud conſiliū velle corrumpere non diſſimulabant.

Eripiendum redemerunt. Qui certa pactione receperunt, ſe iudicium corrupturos.

Ita cauerent. Ea lège ſeſe obligarent.

Aut ex eo. Longè probabilior lectio quæ eſt in libro Aſconij, Aut ex iſto. Verris enim filium oſtendit, qui in iudicio erat cum patre atratus. & vide infrà.

Recognoſcere. Quaſi tanta ſit ſimilitudo paternæ turpitudinis, vt filij turpitudine cognita, continuò parentis in mentem veniat: & cùm alij ex formæ aut ingenij ſimilitudine liberi agnoſcantur, iſtum imago paternæ pueritiæ demonſtret.

Date hoc, & concedite pudori meo. Eſt enim hominis pudentis, non modò nihil facere, ſed etiam nihil dicere impudicum.

Perductorum. Perductores, inquit Aſconius, dicuntur etiam inuitarum perſonarum. inde, vt puto, ducta appellatione, quòd ſuaſionibus aut pollicitationibus illas perducant vt velint. Similiter mimam Tertiam, Iſidori Mimi filiam, dolo atque inſidiis ad

A Verrem per Rubrium perductam poſtea multis in locis dicit infrà. Verrem ipſum, cùm puer eſſet, abduci à foro ſolitum, non, vt ipſe prædicabat, perduci. Quibus ex locis, Perductores, quàm Productores, ſcribendum potius exiſtimaui: præſertim cùm hoc modo apud Tertullianum ſcriptum offēderim, in Apologetico, capite, qui de Chriſtianis conquerantur. Hos Græci προαγωγεῖς appellant.

Damna, dedecora. Ordo eſt, damna, quæ res patris eius: dedecora, quæ ætas ipſius pertulit. Damna au-
B tem, quæ ex aleæ ludo contracta ſunt.

Lucretur. Id eſt Ne repoſcatur ab eo illiuſmodi damnorum ratio. Indicia autem veteris infamiæ appellat damna & iacturas aleatorias.

Quæſtor S.C. prouinciam. Quæſtores comitiis tributis creabantur, poſt ſenatus decernebat, vt prouincias inter ſe ſortirentur.

Quæſtor Cn. Papirio COS. *fuiſti*. Cnei Papirij Carbonis alterum Conſulatum ſignificat quem annos ab hinc tredecim cum L. Cornelio Cinna geſſit,
C cùm infrà ſic ſcribat, Idem feciſſes quod anno pòſt M. Piſo. Quæſtor cùm L. Scipioni Conſuli obtigiſſet, &c. Conſul enim fuit Scipio inter ſecundum & tertium Carbonis Conſulatum. Erat autem Quæſtura primus honoris gradus, cuius rationem Tacitus lib. XI. deſcribit. Huic à Tribunis Ærariis adnumerari pecunia ex Ærario ſolebat in ſtipendium militum, annonam exercitus, & ſumptum in Legatos & Proquæſtores. Inde autem dictos apparet
D quòd, item vti vrbani, pecuniam quæ populo R. ex vectigalibus debebatur Romæ quærebant, & aſſeruabant: ſic illi in prouinciis, quæ Reipub. deberentur quærerent, & Romam ad Quæſtores vrbanos mitterent.

Obtigit tibi Conſularis. Quæ dicantur Prætorię aut Conſulares prouinciæ diximus in Comment. Orationis de prouinc. Conſularibus: & in commentario verborum iur.

Statuere te debuiſſe. Vt lege illa nobili Solonis Atheniēſis, de qua ipſe ſcribit libro X. Epiſt. ad Atti-
E cum: quæ capite ſanciebat, ſiqui in ſeditione, nō alterutrius partis fuiſſet. Gellius legē profert li. II. c. 12.

Luxuria atque inertia. Inertia dicitur in iis in quibus virtus nulla eſt. Cicero lib. De Finib. II, Sed luſtremus animo non has maximas artes, quibus qui carebant, inertes à maioribus nominabantur.

Beneficiis, officiiſque omnibus. Omnes libri veteres, Beneficiis omnibus. quod magis probo. Nā verbū Officij, opinor, potius inferioris eſt in ſuperiorem, & redolet gloſſam, hominis tamen non doctiſſimi.

F *Pecunia attributa*. Senatuſconſulto: & numerata, vt ſcribit Aſconius, à Tribunis Ærariis: qui quemadmodum ex legibus XII. tab. intelligitur, pecuniā publicam domi cuſtodiebant, eam duntaxat quæ in vrbe ſignabatur. Attributa autem, vt Varro ſcribit, pecunia dicebatur quæ aſſignata erat: vnde Tribuni Ærarij dicti, quibus attributa erat pecunia quæ militibus redderetur. Nam id quod attributum erat, Æs militare dicebatur.

Cn. Carbonis mortui nomen odio ſit. Hic ex Cinna-
G nis partibus cùm eſſet, Vrbi bellum intulit: & ſe ipſe per biennium Conſulem creauit. Tandem à Cn. Pompeio in Siciliam miſſo captus, & flens muliebriter, interfectus eſt. Liuius, Plutarchus, Appianus.

Illam relictionem. Alii propè omnes, Reiectionem, ſed nihil muto.

Nouos homines. Noui homines dicebantur, quorum nulli maiores Magiſtratum in Republica geſſiſſent. Iis opponuntur Nobiles. Plutarchus in Catone Cenſorio, εἰωθότων δὲ τῶν Ῥωμαίων τοὺς ἀπὸ γένους δόξαν ἐκ ἔχοντας, ἀρχομένους δὲ γνωρίζεσθαι δι᾽ αὐτῶν, καινοὺς προσαγορεύειν ἀνθρώπους, ὥσπερ καὶ τὸν Κάτωνα προσηγόρευον, &c.

Accepi vities. Rationem tribus verſiculis relatam reprehendit, Accepi, Dedi, Reliqui. primùm quòd ſingula nomina nō deſcripſerit: ſed vniuersè & generatim omnia in vnū nomen congeſſerit. Deinde quòd ita quadrēt ſummæ, vt neque plus quicquam, neque minus inueniatur. quod vix, aut nullo modo in veris rationibus contingit. Nam quod dedit & accepit, cum eo quod accepit ita conuenit, vt non Archimedes melius potuerit deſcribere. Summa autem iſta ad noſtratis pecuniæ rationem redacta, ſcutatos, vt nunc dicimus, aureos accepiſſe dicetur Verres 53224, cum aſſiculis nouem: dediſſe 38938, cum vno & viginti aſſiculis: reliquiſſe 14285, cum aſſiculis triginta.

Legatis. De Legatorum generibus inſequenti pagina cognoſces.

Proquæstoribus. Aſconij liber, Pro Quæſtore: quam lectionem, meliorem iudico: quòd vbi Quæſtor eſſet, ibi Proquæſtoribus opus non erat.

Cohortis prætoria. Cohors prætoria manus dicebatur partim euocatorum militum, partim adoleſcentium nobilium quæ & in caſtris & in agmine atque acie præſto Imperatori eſſe ſolebat. Scipio enim Africanus primus fortiſſimum quenque delegit qui ab eo in bello non diſcederent, & cætero munere militiæ vacarent, & ſexquiplex ſtipendium acciperent. Prætoriam autem dixit vetuſte: quum eſſet Conſularis. Nam Prætores dicti, vt ait Varro, qui præirent iure & exercitu. quare apud Liuium libro VII, Legis vetuſtæ priſcis literis, verbiſque ſcriptæ mentio fit, vt qui Prætor maximus eſſet, Idib. Septemb. clauum pangeret: id eſt qui ſummum imperium & poteſtatem haberet, veluti Conſul, vel Dictator.

Quod exemplum. Nam alij omnes impenſas minutatim & articulatè deſcribunt.

Rationum res relatarum. Alij omnes, Res rationum rel. Legendum putarem, Verris rationum relatarum. ſubaudiendum autem, Literæ. vt libro Accuſat. v. infrà, Cedo mihi eiuſdem Prætoris literas, & rerum decretarum, & frumenti imperati. Nam & paulo antè dixit, Ex tot hominum rationibus relatis. Et aliquanto pòſt, Rationes relatæ P. Seruilij.

Seditioſus homo Cn. Carbo. Stetit, vt dixi, à partibus Marianis, & cum Sertorio ac Cinna in vrbem receptus, eam velut captam, cædibus & rapinis vaſtauit, occiſo Cn. Octauio cos. & omnibus aduerſæ partis nobilibus.

Quæſtor cùm L. Scipioni Conſuli. Alij, L. Piſoni. corruptè: Carbonis enim ſecundum Conſulatum L. Scipionis C. Norbani Conſulatus proximè ſequutus eſt.

Fidem ſuam. Quam nec Conſuli ſuo dedit.

Morem maiorum. Qui Prætorem Quæſtori ſup parentis eſſe loco voluerunt.

Neceſſitudinem. Qualis eſt parentis cum filio.

Periculoſam infeſtámque. In alijs omnibus codicibus, Periculoſam, inuidioſam, infeſtámque. Eſt autem ſenſus, Nemo erit tutus ab altero ſi non à ſuo Quæſtore Conſul ſit tutus.

Nemo vnquam ſapiens proditori credendum putauit. In hanc ſententiam Plutarchi verba, quę ad hūc locum magnopere pertinent, ſubſcribemus. οὐ μόνος οὖν, ὡς ἔοικεν, Ἀντίγονος ἔφη προδιδόντας μὲν φιλεῖν, προδεδωκότας δὲ μισεῖν. οὐδὲ Καῖσαρ, εἰπὼν ἐπὶ τοῦ Θρᾳκὸς Ῥυμιτάλκου, φιλεῖν μὲν προδοσίαν, προδότην δὲ μισεῖν ἀλλὰ κοινόν τι τοῦτο πάθος ἐστὶ πρὸς τοὺς πονηροὺς τοῖς δεομένοις αὐτῶν, ὥσπερ ἰοῦ καὶ χολῆς ἐνίων θηρίων δέονται. τὴν γὰρ χρείαν ὅτε λαμβάνουσιν ἀγαπῶντες, ἐχθαίρουσι τὴν κακίαν ὅταν τύχωσι. hæc Plutarchus in vita Romuli, quæ ſic conuertimus, Non ſolus igitur, vt apparet, dixit Antigonus, ſe proditores, dum produnt, amare: poſtquam prodiderunt, odiſſe. neque Cæſar: qui in Thracem Rhumitalcum dixit, placere ſibi proditionem, proditorem verò eſſe odio. Sed hoc ferè modo omnes, qui improborum opera egent, in eos affecti ſunt, quomodo qui quarundam ferarum felle aut veneno indigent. ea enim, dum eis vtuntur, amant: vbi vſi ſunt, malum ac perniciem illam oderunt.

In talere. Vt exemplum in Verre aliis Quæſtoribus edatur.

Nullæ ſunt occultiores inſidiæ. Simillima ſententia in libro Accuſ. v. Etenim tacitæ magis & occultæ inimicitiæ timendæ ſunt, quàm indictæ & apertæ. Sumptus autē hic locus videtur ex libro Xenophontis, rerum Græcarū ſecundo. καί τοι τοσοῦτο μὲν δεινότερον προδοσία πολεμίου, ὅσω χαλεπώτερον φυλάξασθαι τὸ ἀφανὲς τοῦ φανεροῦ. τοσοῦτο δὲ ἔχθιον, ὅσω πολέμιοι μὲν ἄνθρωποι καὶ σπένδονται αὖθις, καὶ πιστοὶ γίγνονται. ὃν δ᾽ ἂν προδιδόντα λαμβάνωσι, τούτω οὔτε ἐσπείσατο πώποτε οὐδεὶς, οὔτ᾽ ἂν ἐπείσατο τοῦ λοιποῦ.

Nam quæ in iſtum u. c. contulit in illum. Alij, Nam, quæ in ipſum v. c. c. in iſtum. Aſconius etiam, Nam quæ in ipſum. Valdè placeret vt ſic legeremus, Nam quæ in ipſum v. c. c. in illum.

Ad inimicos accuſatoréſque detulit. Significat M. Scaurum, de quo mentionem facit hoc eodē libro, paulo infrà, Vnde ſatis conſtat, & condemnatum, & in exilium pulſum fuiſſe Dolabellam. Demiror autem, quod ſcribit Aſconius, Iudicem aduerſus Dolabellam fuiſſe Verrem: cùm ipſe in Diuinatione doceat, Senatores lege prohibitos fuiſſe, Iudices eſſe. Nam quòd hunc ſcribit fuiſſe Dolabellam, qui à Cæſare accuſatus eſt, ἁμάρτημα μνημονικὸν putandū eſt, & diſſimulandum: non inconſtantiæ, vt nonnulli faciunt, aſſignandum. Quem ergo Cicero Dolabellam nominat, eum a M. Scauro accuſatum eſſe idē poſtea oſtendit, & damnatum infrà, cùm ita loquitur, Nemo tam Dolabella, neque tot, neque tuorum liberûm, &c. Quem verò Cæſar accuſauit, & Conſularis erat, & abſolutus eſt, vt Suetonius & Plutarchus ſcribunt. Atque is fuit videlicet Dolabella, qui cum M. Tullio Conſulatum geſſit vndecim ab hinc annis: quo Conſule alter quoque Cn. Dolabella Prætor vrbanus erat, vt in Oratione pro Quinctio diximus, & ex Prætura prouinciam Ciliciam nactus vt Cicero poſtea oſtendit.

Multò ex maxima parte. Quidam hæc verba EX PARTE tollenda eſſe arbitrantur. Qua verò adducti ratione venerint in eam opinionē, non video. Conſtat enim ſua ſententia huic orationi. Quanquam ſi miſerum pro Innocente accipiamus, vt voluit Aſconius, tollenda omnino videntur eſſe. Nam ſi innocens Dolabella oppreſſus eſt, non ex parte, ſed in totum alterius inuidia conflagrauit. Sed ego niſi auctoritate vetuſti codicis adiutus, Miſerum

pro Calamitoſo & Afflicto potius accipiendum, quàm quicquam temerè mutandum putarim. Illud quidem certè fateri oportet, quem locum citat Aſconius ex Orat. II, in L. Catilinam, cum locum, etſi aliter vulgò ſcriptus eſt in omnibus libris (non enim Miſerum ſed Timidum vbique legitur) tamen in antiquiſſimo libro manuſcripto, quocum omnes Ciceronis Orationes diligentiſſimè contuli, eam lectionem retinuiſſe, quam profert Aſconius.

Aut ad quam ſpem. Omnes propè, Ad aliquam ſpem. ſed nihil muto.

Primique magiſtratus. Quæſtura prima erat, vt ſcribit Aſconius, Senatoris adminiſtratio. Eratque Magiſtratus, ſed ex minorib. vt Gellius ex Varrone docuit, id eſt ex iis qui minoribus auſpiciis creabantur, & in vrbe neque lictorem, neque viatorem, hoc eſt, neque præhenſionem, neque vocationem habebant: quinetiam à priuato in ius ad Prætorem vocari poterant. lib. XIII, cap. XII, & XIII.

Syllanarum proſcriptionum. De quibus ſatis multa diximus in Orat. pro Sex. Roſcio.

Cn. Dolabella Cilicia prouincia conſtituta eſt. Vt eam pro prætore adminiſtraret, cùm anno ſuperiore prætor in Vrbe fuiſſet, vt poſt intelligitur.

Quibus allegationibus. Allegatio dicitur in priuato negotio, quod in Publico Legatio. Iuriſconſulti Allegationes poſtea tranſlatè dixerunt, & Allegare cauſam, pro eo quòd Cicero Afferre, aut Proferre, aut etiam Opponere dicit. Quinetiam quaſi tranſlatè vſum hoc verbo Ciceronem reperio in Epiſtola benè longa ad M. Catonem, lib. Epiſt. XV, Extremum, inquit, illud eſt, vt quaſi diffidas rogationi meæ, philoſophiam ad te allegem.

In Achaia. Per quam iter in Ciliciam prouinciā faciebat. Non enim hęc in prouincia geſta ſunt.

Magiſtratum Sicyonium. Sicyon oppidum eſt in Peloponneſo, ea parte qua Achaia prouincia eſt, quæ propriè dicitur Achaia. Plinius lib. XXXVI, Sicyonē diu fuiſſe ſcribit officinarum omnium metallorum patriam.

Ex quo genere hominem iſtum iudicetis. Mallem Ex quo genere hominum: vt illa inter ſe opponantur. Genus animaduerſionis, & Genus hominum.

Athenis audiſtis. Hæc omnia fiunt in itinere.

Etiam æſtimatum. Damnationem litis æſtimatio ſequebatur: vt alibi docuimus.

Quæ literis mandata ſunt. Poetas diſcebant in ſcholis pueri, & ex iis Deorum fabulas. Eſt autem in Heſiodi Theogonia hæc fabula.

Λητὼ δ᾽ ἀπόλλωνα, καὶ ἄρτεμιν ἰοχέαιραν.
Ἱμερόεντα γόνον περὶ πάντων οὐρανιώνων
Γείνατ᾽ ἄρ αἰγιόχοιο Διὸς φιλότητι μιγεῖσα.

Tacitus tamen lib. 3. ſic ſcribit: primi, inquit, omnium Epheſij adiere memorantes non vt vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Deli genitos: eſſe: apud ſe Cenchrium amnem locum Orthygā vbi Latonam parte grauidam & oleæ, quæ tum etiā manent adnitam, edidiſſe ea numina, eorúmq; monitu ſacratum nemus.

Temporibus exactis. Nouem menſibus.

Fugiſſe Delum. Mallem Confugiſſe. Confugere enim dicimus tanquam ad portum & perfugium. Et abſurda hæc oratio videtur, Ex longo errore & fuga fugiſſe. Macrobius autem expoſuit hanc fabulam libro Satur. I, cap. XVII.

Diis hominibúſque. Diis dixit, quòd templa incenderent: de quo vide Herodotum libro quinto &

A ſexto. Cicero etiam lib. De Legibus II, Patrum, inquit, delubra eſſe in vrbibus cenſeo: nec ſequor Magos Perſarum, quibus auctoribus Xerxes inflammaſſe templa Græcię dicitur, quòd parietibus includerent deos, quibus omnia deberent eſſe patentia ac libera, quorúmque hic mundus omnis templum eſſet, & domus. Hoc quoque Æſchylus queritur in Perſis,

οἳ γῆν μολόντες Ἑλλάδ᾽ οὐ θεῶν βρέτη
B ᾐδοῦντο συλᾶν, οὐδὲ πιμπράναι νεώς.
βωμοὶ δ᾽ ἄϊστοι, δαιμόνων θ᾽ ἱδρύματα
πρόρριζα φύρδην ἐξανέστραπται βάθρων.

Religionem tamen aliquam colebant. Nam etſi neque ſtatuas, neque templa, neque aras ædificarēt, ſacrificia tamen in præcelſis atque editis montibus cæli complexui, quem Iouem nominabant, & Lunæ, Telluri, Igni, Aquæ, & Ventis facere ſolebant. Sed de Perſarum religione & cerimoniis fusè libro I. Herodotus & Strabo Geogr. XV.

C *Fuit illa cupiditas.* Longè probabilior lectio manuſcripti codicis, Fuit vlla.

Tenem ipſum. De Tene ipſe ſic ſcribit libro de Nat. deor. III. Tenes enim Cycni filius in eam cum nouis colonis ex Troade nauigaſſe dicitur, conditámque ex ſe vrbem Tenedon nominaſſe.

Iunonis Samia. In Samo Inſula Iuno nata traditur & educata, Iouique nupta. Quocirca templum & ſimulacrum in habitu mulieris figuratum eſt, & ſacra eius anniuerſaria nuptiarum ritu celebrata.

D *Non ad Prætorem, ſed Romam.* Etſi non Neronis Legatus erat Verres, ſed Dolabellæ, vt rectè Nero feciſſe videretur, quòd in eum qui ipſius Legatus non eſſet, animaduertendum non putaſſet, in qua ſententia fuiſſe videtur Aſconius: apparet tamē hoc reſponſum non in eam partem commemorari à Tullio, quòd Neronis factum probaret. Et profectò ita eſt, vt & ad Prætorem quem oportebat Samij queſti ſint (Prætor quippe Nero erat in Aſia, in qua & Samos) & Nero pro ſummo imperio de iis co-
E gnoſcere potuiſſet, quæ in ſua prouincia commiſſa dicerentur.

In ſylua denique. Erant in viridariis ſyluulæ Romæ, & in ſuburbanis, quò ſe vitandi caloris cauſa conferebant.

Diſpoſita ſub diuo. Sub dio, omnes alij libri, quam ſcripturam confirmat Aſconius. Apud Varronem tamen vtrunque reperio. Iupiter, inquit, olim Diouis & Diespiter dictus, id eſt Dies pater: à quo Dij dicti, qui inde & Dius (ſic enim puto ſcribendū, nō
F Dies) & Diuus. vnde Sub diu, Diuo, Dius fidius. Itaque inde Dius (ſubaudi dicitur: ſic enim legi arbitror oportere) perforatum tectū, vt videatur Diuū, id eſt Cælū. Ergo Subdio hoc ſignificat quod Virg. dixit, Nudo ſub ætheris axe, Græci ὑπαίθριον dicūt & ἐν Διὸς αὔραις. Plat. in Protagor. ἐπειδὴ οὖν αὐτοῖς ἀντιλεγόμενον διέφυγες ἐπόρευσε, πρὸς τὰς ἐν Διὸς αὔραις ὑμᾶς εἰς ἡμᾶς χαρακτῆρα ἀμφιεννὺς αὐτὰ συναγῆς τε θεωξι. &c.

Subſortitus es. Aut Subſortitus dixit κατὰ πρόληψιν, pro Subſortiturus: quaſi iam certos ha-
G beat, & deſignatos quos anno inſequenti ſubſortiatur. vt ſuperiore Oratione multis locis, Condemnatum dixit Verrem ſpe, & certa quadam populi Rom. expectatione: aut Subſortiturus eras, omnino legendum. quod mihi veriſimilius videtur, perpendenti verba & interpretationē Aſconij, & illud quod ſ. dixit. Subſortietur in M. Metelli locū.

Teſti-

Teſtibus quàm horis tuis. Aſconium hunc locum aliter & legiſſe, & intellexiſſe, ſatis ex ipſius verbis intelligitur. TVIS enim eius interpretatio manifeſtò repudiat. Neque ea ſanè in eius libro aut manuſcripto, aut veteri impreſſo legebatur. Tolerari tamen fortaſſe poterit, ſi modò ſententiam attendamus. Opponere nanque Cicero videtur inter ſe Noſtris teſtibus, & Tuis horis. vt Tuis horis eodem modo dictum videatur, quo ſuperiore Oratione dixit Suum iudicium: id eſt, vt ipſe Aſconius interpretatur, ſibi appoſitum. Vti ergo, tuis horis, perinde interpretor quaſi dixiſſet, Tibi commodis, vel, Tempore tuis rationibus accommodato, & appoſito. vt ſit, Poſteaquam vidiſti nos tantum nolle in accuſando temporis conſumere, quantum tibi commodum fuiſſet.

Quæſtorem, Sectoremq. Nam Quæſtores Ærarij à Populo in eius bona publicè poſſidenda mittebantur qui damnatus eſſet. vt ſcribit Liuius, miſſos Quæſtores in poſſeſſionem bonorum Scipionis Aſiatici, ſed eos nequaquam tantam ſummam in Ærarium redegiſſe, quantæ pecuniæ damnatus fuerat. Sectores autem à ſequendo dictos, ex verbis Aſconij conijcimus. Arbitror ab antiquo verbo Seco, ſecas, quod idem ſignificat vt ſequor. vnde Sector, ſectaria, & Secta, ſectæ. Accuſatores enim & iudicia ſectabantur, quoniam damnatorum bona ipſi æſtimare, & certam ſummam promittere ſolebant. verùm hoc apertè iam apud Nonium animaduerte Secare, inquit, ſequi. vnde & ſectatores bonorum, & ſectores dicti ſunt. Virg. lib. x. Quæ cuique eſt fortuna hodie quam reſecat ſpem.

Græcis hominibus in prouerbio. Quòd ita citharam pulſaret, vt à ſe tantummodo exaudiretur: prouerbium in eos conuenire arbitror, qui ſuis duntaxat commodis & rationibus conſulentes, aliorũ nullam curam aut cogitationem ſuſcipiunt. Sic in Orat. contra Rullum, Atque hoc carmen, Tribunus non vobis, ſed ſibi intus canit.

Pergæ fanum. Fanum hoc non Pergæ, quod eſt oppidum Pamphyliæ, ſed proxime Pergam fuiſſe Strabo teſtatur libro Geog. XIIII, ἐν ᾧ. inquit, πανήγυρις κατ᾽ ἔτος συντελεῖται. Perge verò ſine diphthongo legiſſe Aſconium ex eius verbis conijcio, vt ſit, Perge, Perges, ἀπὸ τῆς πέργης.

Audacia atque amentia. Non modò diripuiſſe, ſed etiam domum tuam deportaſſe ſigna atque ornamenta ſociorum.

Quid de M. Marcello. Hic imperator populi R. Syracuſas bello cepit; neque tamen vlla ſigna inde exportauit. vide latè infrà. Itaque Liuius lib. VI. tertiæ decadis, Ouans, inquit multam præ ſe prædam in vrbem intulit. Cum ſimulacro captarum Syracuſarum catapultæ, balliſtæque, & alia omnia inſtrumenta belli lata, & pacis diuturnæ, regiæque opulentiæ ornamenta, argenti æriſque fabrefacta vaſa, & alia ſuppellex, pretioſáque veſtis, & multa nobilia ſigna, quibus inter primas Græciæ vrbes Syracuſæ ornatæ fuerant.

L. Scipio. De L. Scipione Aſiatico, eiúſq; triũpho ſcribit Liuius Decadis quartæ lib. VII. extremo.

Quid de Flaminio. T. Quintium Flaminium dicit, de cuius triumpho Liuius li. IV, quartæ decadis, & Plutarch. in eius vita.

Quid de L. Paulo. Huius triumphi vide apud Liuium Decadis quartæ lib. V. De abſtinentia, Cicero libro de Off. II, ita ſcribit, Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus eſt Paulus: tantum in Ærarium pecuniæ inuexit, vt vnius Imperatoris præda finem attulerit tributorum. At hic nihil in domum ſuam intulit, præter memoriam nominis ſempiternam. Plinius eadem propè, libro XXXIII, cap. III.

Quid de L. Mummio. Cicero, eo quem modò dixi loco, Quid, qui eius collega in Cenſura fuit L. Mummius? nunquid copioſior, quum copioſiſſimã vrbem funditus ſuſtuliſſet? Italiam ornare, quàm domum ſuam maluit: quanquam Italia ornata, domus ipſa videtur mihi ornatior. Strabo item libro Geographiæ octauo, contemptorem ſignorum & tabularum maximum facit Mummium. Itaque quod de vrbis Romæ & Italiæ templis Cicero ſcribit, idem ille attingens, χεδὸν ἢ τι, inquit καὶ τὰ τῶν ἄλλων ἀναθημάτων τῶν ἐν Ῥώμῃ τὰ πλεῖστα καὶ ἄριστα ἐντεῦθεν ἀφῖχθαι· τινὰ ἢ καὶ αἱ κύκλῳ τῆς Ῥώμης πόλεις ἔχον, Ferè, inquit, quæ Romæ ſunt pretioſiſſima templorum ſigna & ornamenta, ea magna ex parte ex Corintho deportata ſunt. nonnulla etiam Italiæ ciuitates habuerunt.

Olympum, vi, conſiliis. Strabo lib. XIIII. ſcribit in hanc ſententiam, In vertice Tauri montis Olympus eſt, Zeniceti pyratæ ſedes. Mons item & arx eodem nomine: vnde Lycia omnis, & Pamphylia Piſidiáque cernitur. Quem montem cùm Iſauricus cepiſſet, ſeſe ille cum vniuerſa domo exuſſit. Illius erat & Corycus, & Phaſelis, & loci Pamphyliæ plurimi. Hæc autem omnia cepit Iſauricus.

P. Seruilius. Hic eſt P. Seruilius Iſauricus, qui, vt Strabo ſcribit lib. XII, Iſauriam in populi R. imperium ditionémque redegit. quo loco idem teſtatur ſe Iſauricum vidiſſe.

Certè maior eſt. Aſconio ſubobſcurus videtur locus. ego ea de cauſa ſubiectum arbitror ὑποφώνημα, quòd omnia ſubtiliter admodum & enucleatè Seruilius perſcripſerit: ex quo eum apparet voluptatem etiam in deſcribendo, & ſingula quæque ita ſubtiliter enumerando cepiſſe.

Vrbi foróque. Hac de re Aſconius ſcribit & eodẽ is Liuij locus pertinet, quem ex lib. IX. ſubijciam, Dictator ex S.C. triumphauit, cuius triumpho longè maximam ſpeciem captiua arma præbuere, tantum magnificentiæ viſum in iis vt aurata ſcuta dominis argentariorum ad forum ornandum diuiderentur. inde natum initium fori ornandi, ab Ædilibus, cùm tenſæ ducerentur.

Reliquorum quoque peccatorum. Fore vt hoc iudicium corrumpi poſſet.

Eſſe ſeruos. Seruos cupiditatum Hortenſium & cæteros appellat, quòd vt ea ſigna ſibi haberent, receperant ſe Verris voluntati, in iudicio turpiter corrumpendo, morem geſturos. Nam corrumpendorum iudiciorum artifices, iudiciorum dominos & reges appellat.

Spem omnium abijcere. Deſperarunt ſe à Prætorum rapinis & iniuriis fortunas poſſe ſuas integras conſeruare.

Exitio ſociorum. Id eſt, quin eſſet maxima Prætoribus, & populi R. Magiſtratibus, ad populandas prouincias feneſtra patefacta.

In Achaiam, Aſiam, Pamphiliam. Per quas iter in prouinciam Ciliciam faciebat.

Cum imperio & ſecuribus. Abeſt hoc totum ab omnibus & manuſcriptis, & impreſſis libris, quos quidem adhuc viderim vno Aſconio excepto, 'neq;

A qua ratione hoc adſcriptum ſit, intelligo, quum ſatis conſtet Legatis non modò imperium,ſed ne poteſtatem quidem datam fuiſſe: vt apparet infrà. Secures autem Legati, niſi cùm operam fiduciariam præſtant, id eſt cùm Proprætore relicti, aut à Prætore quopiam miſſi ſunt,quorſum haberent?Itaque Cornelij Lictoris Veris legationem obeuntis, infra fit mentio, Quapropter autem ἀφροντικῶς dictum, accipiendum eſſet,quemadmodum Aſconius interpretatus eſt·aut tollendum hoc totum,&remouen- B dum putarem:quaſi ſumptum ex illo Orationis ſextæ loco,infrà,O dij immortales, præclaram defenſionem:mercatorem cum imperio ac ſecuribus in prouinciam miſimus. Vbi de Prætore loquitur, cui ſummum imperium & ſex ſecures dabantur, vt alibi dictum eſt. Hæc autem dicuntur per irriſioné: quia nulli neque Magiſtratui, neque Legato quicquam in prouinciis mercari licebat,quòd videretur ereptio,non emptio,quum venditori ſuo arbitratu vendere non liceret.Legatos tamen lictores inter- C dum à ſuis prætoribus conceſſos, ſed vt opinor eũ faſcibus duntaxat, locus Ciceronis quem ſubſcribam oſtendit ex lib.epiſt.famil.12.ep vlt.Illud non nimium probo,quod ſcribis, quò illi animo æquiore ferrent. te tuis etiam legatis lictores ademiſſe.

Nam in iſto Iudices. Neceſſariò anticipatione vſus eſt, vt intelligi poſſet quod modò dixit, Tuas quoad ais te confeciſſe. Eſt enim alius ad dicen- D dum locus de tabulis conſtitutus.

De Antonio falſa. M. Antonium Oratorem non exiſtimatum eſſe tabulas conficere, ſcribit in ipſius perſona Cicero libro de Orator. his verbis, Sulpitius, Me quidem, inquit, rectè mones, idque mihi gratum eſt,ſed ne te quidem Antoni,multum ſcriptitaſſe arbitror. Tum ille, Quaſi verò, inquit, non ea præcipiam aliis,quæ mihi ipſi deſunt: ſed tamen ne tabulas quidem conficere exiſtimor. Verum & in hoc ex re familiari mea, & in illo ex eo quo dico,quantulum idcunque eſt, quid faciam iudicari E poteſt. De alio tamen Antonio locum Aſconius interpretatur.

Huiuſce rei ratio. Id eſt Poteſt hoc aliqua ratione defendi. Poteſt aliqua eſſe huiuſce rei ratio videri.

Ad M. Terentium. C. Caſſium coss. Tribus ab hinc annis hoc eſt anno vrbis D.CLXXX. Lucullum C.Caſſium Conſules prodit Carolus Sigonius qui diligentiſſimè faſtorum rationem obſeruauit ex fragmentis Capitolinis tranſcit M.Licinium Lu- F cullum à M. Terentio Varrone adoptatum ac propterea M. Terentium Varronem Lucullum appellatum.

Aduentus ſui veſtigia. Aut rixis, aut cædibus factis.

In Helleſponto Lampſacum. Helleſpontus Aſiam diſcriminat ab Europa, hinc Seſto, & Callipoli: illinc Lampſaco & Abydo nobiliſſimis vrbibus, inter ſe quaſi è regione ſpectantibus.

Aſia prouincia. Quæ definitur à Septentrione G Bythynia, ab Occaſu Propontide, Ægeo, pelago, atque Icario, Myrtoóque, à Meridie Lycia, ab Oriente Pamphilia,& Galatia.

Virum non haberet. Mortuum nimirum. Mulierem enim modò appellat,non virginem.

Veritus ne quid in ipſo ſe offenderit. Obſcura loquutio. Fortaſſe ſic rectius legeretur, Veritus ne A quid ipſum in ſe offenderit: vel, Ne quid in ſeipſum offenderit. vel ſic potius, Ne quid ipſe in ſe offenderit. vt pronomen Ipſe Verrem demonſtret. Nam ſic loquutus eſt in Orat. pro Milone, Quæ ſi vos cepit obliuio, aut ſi in me aliquid offendiſtis: cur non id meo capite potius luitur, quàm Milonis?

Tametſi non erat ignarus. Negationem ſententia manifeſtò repudiat, quæ abeſt etiã non modò ab omnibus eũ veteribus, tum impreſſis libris: ſed etiã à B lexico Nonij Marcelli in dictione Conſtituere.

Tum ipſos tantum Prætores. Malim, Tamen ipſos. Eritque multo ſententia concinnior. Fuit autem lapſus perfacilis, in nota vulgari Tñ, u vocalem, pro n conſonante accipere.

Conſules & prætores. Sic ſæpe alibi loquitur, pro Proconſules & Proprætores, id quod à nobis alio loco demonſtratum eſt.

Cauſamq́ neglexit. Cauſam, excuſationem. vt infrà, Omen magis Patribus Conſcriptis, quàm cauſa C placuit. Terentius in Hecyra,

Nam hercle abs te factum eſt turpiter:
Etſi tibi cauſa eſt, mater te impulit.

Ornatè conuiuium apparat. Vitruuius lib. VI. cap. X. Nam cùm fuerunt Græci delicatiores, & ab fortuna opulentiores, hoſpitibus aduenientibus inſtruebant triclinia, cubicula, cum primóque die ad cœnam inuitabant, poſtremo mittebant, pullos, oua, olera, poma, reliquáſque res agreſtes.

Quos et commodum ſit. Vetuſtè, inquit Aſconius, D in eum locum ſequentis Orationis. Aut enim Iudicem, quem commodum erat, pro Eum quem volebat. Similiter hac eadem Orat. Bona patria eriperes, & cui tibi commodum eſſet, condonares.

Inuitatio vt Græco more biberetur. Morem attingit duplicẽ. primùm vt inuitatio fieret; deinde vt maioribus poſcerent. quare de vtroque teſtimonia proferemus. Cicero lib. Tuſculanarũ diſputationum 5, de Theramene loquens, Cùm venenũ, inquit, vt ſi- E tiens obbibiſſet, reliquũ ſic è poculo eiecit, vt id reſonaret. Quo ſonitu reddito, ridẽs, Propino, inquit, hoc pulchro Critiæ, qui in eũ fuerat teterrimus. Græci enim in conuiuiis ſolent nominare cui poculum traditur ſint, hæc ille. Morem autem hunc animaduertere poſſumus ex conuiuio, de quo mentionem facit Xenophon, libro de Cyri minoris expeditione VII: in quo conuiuæ inter ſe ad bibendum prouocantes, cũ nominant cui pincernam poſtea cornu vino plenum tradere iubent. Itaque, inquit, regi o- F mnes propinant. Xenophon ipſe cùm adeſſet, ab alio prouocatus, regem inuitat. ad extremũ, ἀναστὰς δὲ ὁ Σεύθης, inquit, συνεξέπιε, καὶ συγκατεσκεδάσατο τῷ μετ' αὐτοῦ τὸ κέρας. Alexãd. porrò Aphrodiſ. in Problematis eius moris quo maiorib. poſcebãt, mẽtionem facit, cauſámq; affert quã nõ alienum erit hoc loco exponere. Διὰ τί ἐν τοῖς συμποσίοις τοὺς ποτοὺς ἐναντίως οἱ ἄνθρωποι ποιοῦνται. ἀρξάμενοι μὲν γὰρ, ἐν μικροῖς πίνουσι. πληρωθέντες δὲ, ἐν μεγάλοις ποτηρίοις. τοῦτο νομίζεται μὲν εἶναι καταγέλαστον, ἔχεται δέ τινος G αἰτίας εὐλόγου. διὰ γὰρ τὴν εὐοχίαν πρὸς τὸ πίνειν πυκνότερον καὶ συνεχῶς, ἄρχονται μὲν ἀπὸ μικροτέρων φιαλῶν, λήγουσι δὲ ἐν μείζοσιν· αἱ γὰρ μικραὶ, αὐτάρκη κόρον ὡς ἐν δαψιλεῖ ποτῷ ποιεῖν οὐχ οἷαί τε εἰσίν. ἐὰν μὲν οὖν ἀπὸ μειζόνων ἄρχονται, θᾶττον πληρούμενοι πυκνῶς τοῦτο πράττειν, ὡς ἐν τρυφαῖς, οὐ δύνανται, ἔτι γυμνοὶ καὶ τῇ ἀθρότητι, καὶ τῷ πλήθει ξενιζόμενοι εὐθὺς ἐμέσεις ἀναμένουσι τὸ πλῆθος ἀποστρέφονται. ἐν δὲ

τοῖς

τοῖς μικροῖς, κατ' ὀλίγον ἐθιζομένη, καὶ πλῆθος ἐνεγκεῖν δυνήσεται τοῦ χρόνου. Hoc eſt, Cur Græci in conuiuiis cōtraria ratione poculis vtūtur? Bibunt enim initio in paruis, pleni verò in grādiorib. poculis. hoc exiſtimatur quidem eſſe perridiculum. habet tamen cauſam aliquam probabilem. nam propter epulas, vt crebrò & continenter bibant, à paruis quidem poculis initium faciunt, finem à maioribus. parua enim, vbi largè & prolixè bibendum eſt, ſatietatem afferre commodè nequeunt. Quòd ſi à maioribus inciperent, celerius explerentur, neque crebrò hoc facere (vt fit in epulis) poſſent. Præterea natura, frequentia & crebritate bibendi excepta, ſtatim faſtidio afficitur, & copiam atque abundantiam auerſatur. paruis autem paulatim aſſueta, ſuccedente tempore abundantiam ferre poterit.

Poſcunt maioribus poculis. Poſcere hoc loco Nonius Prouocare interpretatur, vt ſit Prouocant inter ſe maioribus poculis exhauriendis, vt in illo Virgilij,

Aut acrem dubites in prœlia poſcere Turnū.

Calere viſa eſt. Non ad libidinem. non enim ea præda vlli conuiuæ quærebatur. Philodamum verò vino accenſum non dicit, quem ſumma grauitate hominem, & natu grandem appellat. Calere igitur comitum & ſodalium animos intelligo, ad audendum & ſuſcipiendum facinus conſtitutum. Quod Demoſthenis locus, quem Cicero ſine vlla dubitatione ſibi modò imitandum propoſuit, apertiſſimè declarat. Is eſt in Oratione περὶ παραπρεσβείας, vbi de Æſchinis intemperantia commemorat, apud Xenophonem cœnantis. Ἐπειδὴ δὲ ἧκον εἰς τὸ πίνειν, εἰσάγει τινὰ Ὀλυνθίαν γυναῖκα, εὐπρεπῆ μὲν, ἐλευθέραν δὲ, καὶ σώφρονα, ὡς τὸ ἔργον ἐδήλωσε· ταύτην τὸ μὲν πρῶτον, οὑτωσὶ πίνειν ἠνάγκαζον ἡσυχῇ καὶ τρώγειν οὗτοι, μοὶ δοκεῖν, ὡς διηγεῖτο Ἰατροκλῆς ἐμοὶ τῇ ὑστεραίᾳ. ὡς δὲ προῄει τὸ πρᾶγμα, καὶ διεθερμαίνοντο, κατακλίνεσθαι καὶ τι καὶ ᾄδειν ἐκέλευον. ἀδημονούσης δὲ τῆς ἀνθρώπου, καὶ οὔτε ἐθελούσης, οὔτε ἐπισταμένης ᾄδειν, τὸ πρᾶγμα, ὕβριν ἔφασαν οὗτοι καὶ οὐκ ἀνεκτὸν εἶναι τὴν τοῖς θεοῖς ἐχθράν τε, καὶ ἀλιτηρίων Ὀλυνθίων αἰχμάλωτον οὖσαν, τρυφᾶν. Id eſt, Cùm ad potationem ventum eſſet, introducit mulierem quandam Olynthiam: forma quidem eximia, ſed ingenuam & pudicam: quemadmodum reipſa compertum eſt. Hanc ergo principiò (vt opinor) bibere iſti atque edere leniter cogebant: ſicuti mihi poſtridie narrabat Iatrocles. Poſtquam res progreſſa eſt, & illi calere cœperunt, vt diſcumberet atque aliquid caneret iuſſerunt. Mulier cùm animo angeretur, doloréque ardens, Neque canere vellet, neque ſciret, tum iſte ac Phryno, Enimuero, inquiunt, contumelia hæc eſt, neque tollerandum vt iſta ex nefariis ac ſceleratis Olynthiis captiua delitias agat, noſque ludificetur. Donatus autem hunc Ciceronis locum in Terentium proferens, Enimuero, inquit, ſignificationem habet nimium permoti atque irritati animi, principiúmque eſt aliquid cum iracundia dicturi.

Negauit moris eſſe Græcorum. In eandem rationem Æmilius Probus in exordio de vitis Principū Græcorum, Quem enim, inquit, Romanorū pudet vxorem ducere in conuiuium? aut cuius non materfamiliâs primum locum tenet ædium atque in celebritate verſatur? Quòd multo fit aliter in Græcia: nam neque in conuiuium adhibetur, niſi propinquorum, neque ſedet niſi in inferiore parte ædium. Item Vitruuius lib. vi. cap. x. Habent autem eæ domus (inquit) veſtibula egregia, æcos quadratos tam ampla magnitudine, vti faciliter in eis tricliniis quatuor miniſtrationum, ludorúmque operis locus poſſet eſſe ſpatioſus. In his æcis fiunt conuiuia virilia, non enim fuerat inſtitutum. Matresfa. eorum moribus accumbere. Et paulo pòſt, Græci enim ἀνδρῶνας appellant æcos, vbi conuiuia virilia ſolent eſſe, quòd eò mulieres non accedant.

Clamor interea fit tota domo inter ſeruos Rubrij atque hoſpitis. Hoc amplius liber Iulij Rufiniani, in figura παθοποιΐα, Pugna inter ſeruos Rubrij. quod mihi mirandum in modum arridet.

Vir optimus, & homo honeſtiſſimus. Vir primus, omnes ad vnum ſcripti, & veteres impreſſi. & ſic locutus eſt infrà. A Liſone verò Lilybætano, primo homine, apud quem diuerſatus es. Apud Nonium Marcellum in dictione lactare, reperio Primario. Ego à librorum conſenſione non facilè diſcedo.

Aqua denique feruenti. Ridiculè & contumelioſè dictum in Rubrium; quaſi non vt vir, gladiis; ſed vt mulier inſtrumentis ex culina ſumptis depugnaret.

Tantos tumultus concitatos videret. Quomodò videret, qui non aderat? An Videret, pro Accepiſſet, poſuit: an potius Audiret legendum eſt? quod mihi quidem veriſimilius videtur, niſi fortè tumultum in oppidò factum ſignificet.

In concionem veniunt. Mos Græcorum vt de publica iniuria concio cognoſcat, & pſephiſma fiat, de quo in Oratione pro Flacco.

Pro ſuo quiſque ſenſu ac dolore. Id eſt pro eo ac indignè quiſque & grauiter ferebat. Similiter in Orat. Pro Sex. Roſcio, Hæc ego pro meipſo, & animi mei ſenſu ac dolore pronuntio.

Ignem ſubiicere. Antiquus codex, impreſſi veteres nonnulli, Ignémque ſubiicere. quam lectionem cùm propter librorum auctoritatem, & compoſitionis numerorúmque concinnitatem elegantiorem iudicarem, recipere tandem alia de cauſa minimè dubitaui, quòd viderem eam Iulio Rufiniano doctiſſimo viro placuiſſe.

Quam ille Adrianus. Hunc poſtea disertè Prætorem appellat libro Accuſat. v. quod quidem propter Aſconij dubitationem dicimus. De hoc autem Adriano ſic ſcribit Valerius Maximus. libro nono, Cùm Adrianus ciues R. qui Vticæ conſiſtebant, ſordido imperio vexaſſet, idcircóque ab his viuus eſſet exuſtus: nec quæſtio vlla in vrbe hac de re habita, nec querela verſata eſt. Et Florus in Epitome, C. inquit, Fabius in Africa propter crudelitatem & auaritiam in Prætorio ſuo viuus exuſtus eſt.

Sociorum ambuſtus incendio. Ambuſtus, ſemiuſtulatus, ἡμίφλεκτος, flāma circumuentus & obſeſſus.

Cauſam illam excogitare. Id eſt, Defenſionē aliquam falſam comminiſci atque confingere.

Quamobrem commiſerit, aut quid euenerit. Nihil muto. ſed ſi quis vetus liber ſcriptum ita haberet, Quamobrem euenerit, aut quid commiſerit: eam lectionem lubentiſſimo animo reciperem.

Quaſi diceret. Ordo igitur loci ſuperioris hic

fuit, Non enim potuit dicere, quod cùm ſeditionẽ,&c.acrius imperaui,acrius animaduerti,&c.

Accẽſus C.Neroni fuit. Accẽſus,inquit,Varro ab acciendo dictus eſt,ꝙ is quoq;(itẽ vt Pręco)quos Magiſtratus iuberet, acciebat.à quo nõ abhorrẽt Ciceronis verba in Epiſt.ad Q. Fratrẽ, His rebus nuper Cn.Octauius iucũdiſſimus fuit: apud quẽ primus lictor qui fuit, tacuit Accenſus. quoties quiſq; voluit dixit, & quã voluit diu.Præconũ enim id munus fuiſſe, nemini ignotum eſt. Sed in prouinciis & in exercitu Aſconius ſcribit Accenſum fuiſſe nomen ordinis, & promotionis in militia.& hoc ipſum exVarronis verbis intelligitur, apud Noniũ Marcellũ.Honeſtiorẽ quidẽ cæteris Apparitoribus fuiſſe Accenſum, alter in eadem Epiſtola locus non obſcurè ſignificat, quem hîc ſubiiciã,Accenſus ſit eo etiã numero,quo eũ maiores noſtri eſſe voluerunt, qui hoc nõ in beneficii loco,ſed in laboris ac muneris nõ temerè, niſi libertis ſuis,deferebãt: quibus illi quidẽ nõ multo ſecus,ac ſeruis imperabãt.Declarat etiam hoc ipſum locus Verrinæ v.infrà ex quo,quæ ad hũc pertinebũt,aſſumi licebit.Atque hęc quidem de Accenſis dicta ſint. ex quibus illud intelligi volumus,multum inter Apparitoris &Accenſi verba intereſſe.quod qui anteà tradiderit, reperi adhuc neminem. Apparitores enim,verbũ generale eſt,eoque omnes,qui Magiſtratui apparere ſolent eiúſque imperio præſto eſſe, intelliguntur, veluti Scribæ,Accenſi,Interpretes,Lictores,Viatores, Precones, quod veterum auctoritate, ſcriptorũ cõfirmandũ eſt. De Scribis quidẽ minimè obſcurũ eſt, cũ in hac ipſa Orat.infrà, poſteaquã ſic loquutus eſt, Tu ex pecunia publica H-S tredecies Scribã tuum permiſſu tuo cùm abſtuliſſe fateare, &c. quatuor verſibus interiectis ita ſcribat, In eadẽ ciuitate apparatori tuo eſſe conceſſum,vt H-S vno nomine tredecies auferret. Item infrà,Tuus Apparitor parua mercede populi cõductus, de aratorũ bonis prædabitur? cùm paulo antè Scribã apertè nominaſſet.Sed cũ hoc ipſum, tũ verò vnde hoc nomẽ inuenerint declarat in Cluentiana his verbis,Quid ſibi autẽ illi Scribæ, quid Lictores, quid cæteri, quos apparere huic quæſtioni video,volũt?De Interpretibus teſtis eſt Epiſt.adThermũ,lib.XIII,cuius initium eſt.Cùm mihi.in qua cùm Marcilium patrẽ Interpretem ſuũ nominaſſet,ad extremũ ſic ſcribit,Ego cũ anteà ſtudioſè commendabã Marcilium, tum multo nunc ſtudioſius,ꝙ in longa apparitione ſingularẽ eius fidẽ cognoui. De Lictoribus autẽ Epiſt. I,ad Q.Fratrem, Sit Lictor non ſuæ, ſed tuæ lenitatis Apparitor, maioraq; præferant faſces illi ac ſecures dignitatis inſignia,quàm poteſtatis. Et apud Gellium lib.II.cap.II, ex libro Quadrigarii, Poſteaquam Lictor ille qui apparebat,citò intellexit, Maximum Proconſulem deſcendere iuſſit.

Non te abſolutum eſſe improbitatu. Argumentum ex differentibus.Non ſi iure Philodamus damnatus eſt, iccirco Verris factum à Nerone comprobatum eſt.Alia enim Philodami,alia Verris facti ratio eſt:nec alienum alteri coniunctum eſt.

Eſſe damnatos. Eoque apparere malam cauſam non Verrem,ſed Philodamos habuiſſe.

Neronis iudicio liberaretur. Quòd hæc cædis abſolutio,comprobatio eſſe videret cauſæ,cur eſſet facta.

A *Quod multi reprehenderunt.* Imperatoribus iniuſſu Senatus de prouincia decedere non licebat: vt cõſtat ex Orat.in Piſonẽ,his verbis,Gabinius eduxit exercitũ è Syria. qui licuit extra prouinciam? Et apud Liuium, lib.Decad.III nono, Q.Fabij in Senatu ſententia refertur, vt P.Scipio, ꝙ de prouincia deceſſerit iniuſſu Senatus, reuocaretur: agereturque cum Tribunis pleb. vt de imperio ei abrogando ferrent ad Populum. Reprehenderũt B autem in eius accuſatione.

Venerat ipſe, qui primus ſententiam diceret. Ipſe Dolabella. & obſerua, in aliena prouincia, alterius prouinciæ Prætores, primos ſententiam in Prætoris conſilio dixiſſe.

Ciuis R. de creditoribus. Aſconius,Et ex creditoribus.

Fortunas agi ſuas. Dixi ſuprà,Fortunas non modò pro opibus, ſed pro capite & exiſtimatione, tum hoc loco, tum aliis præterea compluribus v- C ſurpari.

Et quum homines conſtaret. Quæ omnia Philodami cauſam magnoperè lædebant.

Amplius pronunciaretur. Senſus eſt, Tametſi multa Philodami cauſæ aduerſarentur, etiam illud accederet,quòd,quia occiſum hominem conſtaret, aperta cauſa videretur, non tamen prima actione condemnarunt:ſed fecerunt,quod in obſcuris cauſis fieri ſolebat, vt cauſam ampliarent, & non liquere reſponderent. Sed oratoriè hæc D dicuntur, cùm in optimam partem accipi hæc poſſet ampliatio: quam ſatis conſtat, etiam tum fieri à pleriſq; bonis viris ſolitam, cùm reus condemnandus videretur: ſed leuiter, de capite cuiuſquam iudicare nollent.vt ex Orat.pro Cæcina intelligitur.

Lachrymas & concurſiones. Corrigendum putarem Cõcurſationes:quo verbo tum vtimur, cùm vehemens aliquod ſtudium ſignificamus, & frequentem itionem ac reditionem: vt prima ad E Lentulum Epiſtola, Libonis & Hypſæi non obſcura concurſatio & contentio. Sed Concurſiones dicimus earum rerũ quæ inter ſe conflictantur: vt cùm Cicero ſcribit Epicurum ſenſiſſe ex atomorum concurſione natum eſſe mundum: aut cùm ait, vitandas eſſe crebras vocalium Concurſiones.

Quid facere potuerit. Hoc partim perſtringendi, partim propter gratiam eius & potentiam excuſandi Neronis cauſa dicitur.

F

Ex illis. Philodamis,patre,& filio.

Famámque ſororis defenderet. Alij Defenderat: quos magis ſequor.

Nemo iam Dolabella. Aſconius profert hunc locum in Diuinationem hoc modo, Iam iam Dolabella neque me tui, neque tuorum liberûm miſeret. Itáque etiam ſcriptum apud Quintilianum reperio, lib.IX.cap.I, in antiquis ſcilicet impreſſis: nam poſtea nonnulli typographi legendum G hoc loco aliter putarũt: ſicut in Aſconio quidam etiam correxerant.

Hominum innocentûm ſanguine lui velles. Non Expiari ſignificat,vt infrà,hoc eodem libro,Multorúmque innocentium ſanguis iſtius ſupplicio luendus eſt.Sed Abſtergi ac deleri,vt nullum eius criminis veſtigium relinquatur. quaſi diceret, Tegi,aut velari.

Spoliatum

Spoliatum auxiliis, nefariè oppugnatum. Hoc amplius omnes propè alij, Spoliatum auxiliis, pecunia nefariè oppugnatum. quod verbũ ſumptum eſt ex eorum libris, qui gloſſam Aſconij ſub verbo, Auxiliis, ſubſcripſerant.

Niſi damnato te referre noluit. Nam & expenſa Dolabellæ multa retulit, quæ ille non acceperat: & plus à Dolabella acceperat quàm in tabulas accepti retuliſſet, vt infrà. Sed hoc abſens & exul Dolabella redarguere non poterat. Hoc eſt quod dicit infrà. Iterum geſſit hæreditariam Quæſturã cum Dolabella, magnam pecuniam auertit, ſed eius rationem cum damnatione Dolabellæ permiſcuit. Et vide paulo infrà.

Non modo pacatæ. Non modò quibuſcum bellum nullum eſt, ſed etiam pacis ac belli ſocietas contracta eſt.

Teſtimonium tuum. In libro Aſconij, Teſtimonium publicum tuum. Sed Teſtimonium publicum dicitur ciuitatum & populorum, vt infrà, & alibi frequenter.

Non multo pòſt in domũ. Ex iis quæ ſequũtur ſatis cõſtat, recitatas eſſe cũ teſtimonio literas. Ex quo adducor in opinionẽ verba hæc eſſe nõ teſtimonij, ſed literarum. & eo magis, ꝙ cùm teſtimonia recitantur, inſeri ſimiles particulę nõ ſolent. Quę cùm ita ſint, deeſſe hæc ſuſpicor, Recita de literis ad Nęronẽ miſſis. LITERÆ C. VERRIS AD NERONEM. NON MVLTO POST, &c. Nã etſi poſtea recitatæ denuò ſunt, ſatis tamen apparet, non hoc ipſum caput de obſeſſione, ſed de iis in quos à Verre culpa collata eſt, recitatum eſſe.

Lampſacenes ciues conabantur. Omnes ad vnum libri veteres, Lãpſaci ciuitas f. conabatur? Et poſtea, Volebat? Quod cur mutari debuerit cauſam eſſe nullam opinor.

In qua ciuitate nõ modo Legatus pop. R. circunſeſſus. Videtur eſſe legendũ, Legatus popul. R. nõ modò circũſeſſu~. Hæc enim locutio, quæ à Cic. pro Nõ dico, crebrò vſurpatur, de eo detrahit quod ipſi ꝓximè adiunctũ eſt. Detrahit autẽ vt apparet, nõ de Legati perſona, ſed de verbo Circunſeſſus.

Niſi publicè ſatisfactum ſit. Niſi decreto publico traditi ad pœnã ſint culpæ auctores. vt in L. Minutio, & L. Manlio contigit, qui M. Æmylio Lepido, C. Flaminio COSS. quòd Legatos Carthaginenſes pulſaſſe dicebantur, iuſſu M. Claudii. Prær. Vrb. per Feciales traditi ſunt Legatis, & Carthaginem auecti. Liuius lib. Decadis quartę octauo. Et Florus in Epit. lib. xv. Quum, inquit, Legatos Apolloniatium ad Senatum miſſos quidam iuuenes pulſaſſent, dediti ſunt Apolloniatibus.

Legitimum tempus expectare. Quod eſt legitimũ tempus accuſãdi comites magiſtratuum? Opinor, ad ipſos Magiſtratus, dum in prouincia cum imperio verſantur. Nã Accuſationis tertio, Quæſtores, inquit, Legatos, Præfectos ſuos, Tribunos multi miſſos fecerunt, & de prouincia decedere iuſſerunt. Et Liuius auctor eſt, Locrenſes, qui de Q. Pleminii, Scipionis Legati, iniuriis ad Senatũ queſtum venerant, à Q. Fabio COS. interrogatos detuliſſentne eas querelas ad P. Scipionem, Vlpianus l. 5. D. de pœn. Si quos comitum vel legati reos Proconſul inuenerit vtrum punire eos debeat an ſucceſſori ſeruare, quæri poteſt, ſed multa extant exempla quæ non tantum ſuorum, nec ſub ſe agentium, verum ſuos quoque ſeruos pœna af-

A fecerunt, quod quidem faciendum eſt, vt exemplo deterriti minus delinquant. Sed erat Magiſtratus tum improbus, Dolabella Prætor. Magiſtratus igitur vitio, eas tum iniurias vlciſci non poterant. Quod erat igitur tempus legitimum? Accepto ſucceſſore, vt ſcribit Aſconius. ita puto: niſi ii de prouincia, qui iniurias feciſſent, ſtatim decederent. Tum enim Romam deferri ſolere querimonias ex eo coniicio, quod ſuprà dixit, Se demonſtrat incolumen eſſe non poſſe, ſi Philo-
B damo viuere, & aliquãdo Romam venire licuiſſet. Et hac ipſa pagina, Lampſacenos in iſtũ nunquam vlla res mitigaſſet, niſi eum pœnas Romæ daturum credidiſſent.

Qui populi R. nomen contemnerent. Veteres & Aldini libri, Qui populum R. contemnerent. quod ſine antiqui auctoritate codicis immutare non auſim.

Quo niſi nos vindicatis. QVO ad vtrumque refertur: & ad VTENTVR, & ad VINDICATIS: vt ſit,
C Niſi vos liberetis, atque aſſeratis ab hoc perfugii genere: niſi illud periculum à vobis propulſetis, eo vtentur neceſſariò. Vindicetis tamen apertius legeretur.

Veſtris committere legibus. Vetus codex, Noſtris: vt modò paulò infrà, Quaſi deſperatis noſtris legibus. Lectionem tamen vulgatam non improbo. Quæ verò inter Committere & Permittere differentia ſit, alibi dictum eſt.

Tu mihi cùm circunſeſſus. Mihi redundat, figura
D dicendi & Græcis & Latinis vſurpata. Terentius in Phormione.

Qui mihi vbi ad vxores ventum eſt, tum fiunt ſenes. Cicero extrema hac Oratione, Is mihi etiam queritur. & alibi frequentiſſimè.

In alios tranſtuliſſe. Malim Contuliſſe: vt eſt in libro Aſconii.

Quos tu inſimularis. Inſimularas libri veteres, quod non improbo.

Cur imminuiſti ius Legationis. Huius criminis,
E quo ſe is obſtringit (quemadmodum notat Aſconius) qui ius poteſtatis alicuius imminuit, mentio fit apud Liuium libro IV: vbi de Mamerco Æmylio loquitur, qui Cenſuram Dictator annuam & ſemeſtrẽ fecerat, cùm antea quinquennalis eſſet. Cenſores, inquit, ægrè paſſi, Mamercũ quòd Magiſtratũ populi R. minuiſſet, tribu mouerunt, octuplicatoq; cenſu ærariũ fecerunt. ob eamq; ipſam cauſam præterea legimus, Q. Fabiũ Maximum eùm eſſet Conſul, patrem ſuum in e-
F quo ad ſe venientem iuſſiſſe deſcendere.

Ab accuſatore rogatus. Liber Aſconij, Interrogatus. ſed nihil muto.

Cur iniurias tuas coniunctas cùm publicis reliquiſti. Subauditur, Inultas. vt pro Cæcina, infrà, Nunc verò quis eſt, qui aut vim armatis hominibus factam relinqui putet oportere?

Qui populum concitarent. Corrige, Concitarant.

Inter hoſtium tela. In libris Aſconij error eſt hoc loco, quem, cùm Aſconium corrigerem, notare
G prætermiſi. Quod enim ita ſeriptum eſt, Cùm de Magiſtratu dicat, non Legato, & falſum eſt: de Verris enim Legatione loquitur: & illa duo verba NON LEGATO præter manuſcriptum & Aldi librum adiecta ſunt. Legendum autem ita potius arbitramur, Cùm de Magiſtratus Legato dicat. Prætorum enim Legatos à Legatis belli,

pacis,& fœderum diſtinguit. quorum quæ ſit differentia facile intellectu eſt.

Nomen Legati eiuſmodi eſſe debet. In hanc ſententiam idem in Oratione de Haruſp.Reſp.Sic enim ſentio, ius Legatorum, cùm hominum præſidio munitum ſit, tum etiam diuino iure eſſe vallatũ. & notum eſt vetus prouerbium, *πρέσϐεις οὐ τύπτονται, οὐδ᾿ ὑϐρίζονται.* Pomponius l. 17. D.de legationib. Si quis legatum hoſtium pulſaſſet contra ius gentium id commiſſum eſſe exiſtimatur, quia ſancti habentur legati, & ideo ſi qui legati apud nos eſſent gentis alicuius bellum cum eis indictum ſit, Reſponſum eſt liberos eos manere, id enim iuri gentium conuenit eſſe. Itaque eum qui legatum pulſaſſet, L.Mutius dedi hoſtibus, quorum erant legati, ſolitus eſt reſpondere.

Mileſiis lana publica abſtulerit. Miletus ciuitas eſt Aſiæ, vbi tinguntur lanæ optimæ: inquit Seruius Gram. in illud Vergilij, Quamuis Mileſia magno Velleta mutentur.

Magio & L.Fabio, qui Myndi habitabant. Liber Aſconij, L. Magio & L. Fannio. quos à Mariano exercitu ad Mithridatem transfugiſſe dicit, & ad Sertorium legatos, de ſocietate belli aduerſus Romanos, ab eodem miſſos eſſe. Appianus autem L.Muinnij & L.Fannij mentionem facit in Mithridatico, quos cum Sertorio in Hiſpania ſcribit fuiſſe, & ad Mithridatem profectos, ei, vt cum Sertorio belli ſocietatem coiret, perſuaſiſſe. Nunc vtrũ ſit verius, difficile eſt dicere: tametſi, cùm eos Myndi Cicero habitaſſe dicat, veriſimilior Aſconij ſentẽtia videatur, qui egiſſe illos apud Mithridatem ſcribit. Eſt enim Myndus Cariæ oppidum, item vt Miletus. Cariam autem Mithridatis in regno fuiſſe, & eo deuicto in populi R. imperium ſubactam, notum eſt ex hiſtoria. Scribit autẽ Plutarchus ſimiliter in Sertorio, & hic ipſe in Orat. pro Lege Manil. Mithridatem Legatos ad Sertorium miſiſſe.

Quos nuper Senatus. Quos Senatus hoſtes indicarat, ij more maiorum ita puniebantur, vt nudorum hominum ceruix furcæ infereretur, corpus virgis ad necem cæderetur.

Vſque ab Dianio quod in Hiſpania eſt, ad Sinopem, quæ in Ponto eſt. Poteſt hoc totum augendi cauſa de induſtria poſitum ab Oratore videri. ſuſpicari tamen poſſet aliquis hæc verba, Quod in Hiſpania eſt, & illa, Quæ in Ponto eſt, ſumpta ex eius libro fuiſſe, qui notam Aſconij in ſuum librum tranſtulerat. hæc enim illius ferè verba ſunt.

Huius adeo nefariæ. Omnes, opinor, alij, Siue adeo. quod quamobrem mutari debuerit, non intelligo. Ver. v. Qua ad Apronij quæſtum, ſiue adeo qua ad iſtius ingentem prædam &c.

Iuſſit L.Murena. Qui in bello Mithridatico L. Syllæ legatus in Aſia fuerat: pater L.Murenę quẽ Cicero defendit.

Conſulum deſignatorum nomen expectant. Malim, Extimeſcunt: quod verbum ſua ætate in multis codicibus fuiſſe declarat Aſconius. Sed vtrunque retinere non inutile fuerit, ita tamen vt alterum, ſcilicet EXPECTANT, poſt illa verba MENSEM FEBRVARIVM: alterum poſtremo loco reponatur. vt ſit, Menſem Februarium expectant, & Conſulum deſignatorum nomen extimeſcunt.

C.Malleolo Quæſtore. Abrupta oratio videtur, &

A carere tranſitione, qua frequenter vti nouorum in criminum expoſitione Cicero conſueuit.

Alteram tutelæ. Criminosè, Hæreditatem tutelæ dixit, quaſi bonorum, quæ in tutela eſſent. itáque illud conueniet, quod ſtatim infert, Nam cùm p.M.t.e.in bona eius impetum fecit.

Nam Malleolus. Eò pertinet, Potuit impetum facere continuò poſt patris mortem. Erant enim bona Malleoli non Romæ, ſed in prouincia.

B *Pecunias occuparat apud populos.* Occupare pecuniam alicui, vel apud aliquem, veteribus, opinor, idem ſignificabat, quod dare fœnori. deriuatáque locutio videtur ex eo, quòd fœnerata pecunia otioſæ opponitur, quaſi quæ in commodo domini, quæſitúque faciendo occupata ſit. Cicero pro Flacco, Pecuniam adoleſcentulo grandi fœnore, fiducia tamen accepta, occupauiſti. Iuriſconſulti autem exerceri pecuniam, & otioſam relinqui frequenter pro contrariis

C vſurpant.

Syngraphas fecerat. Syngrapha, ſiue Syngraphus, (vtrumque enim dicimus) tabella eſt, in qua perſcripta eſt pactio vtriuſque obſignata paciſcentis manu. Eius cùm apud Demoſthenem varia exempla ſunt, tum apud Plautum hoc inſigne, in Aſinaria. DIABOLVS adoleſcens,

Agedum, iſtum oſtende, quem conſcripſiſti ſyngraphum.
Inter me & amicam, & lenam. leges pellege.

D PARASITVS. Diabolus Nicocli filius, Cleretæ
Lenæ dedit dono argenti viginti minas,
Philænium vt ſecum eſſet noctes & dies
Hunc annum totum. Et quæ ſequuntur. Syngraphas autem tantùm in Græcia fieri conſueſſe reperio. nam Romæ pactiones eiuſmodi in accepti & expenſi codices referebantur: cùm ſyngraphæ in tabella certa, id eſt quæ data opera pararetur, neque aliud quicquam contineret, perſcriberentur. Cuius rei exemplum eſt in Epiſtola vlt.

E lib.Ep.ad Atticum quarti, Nam cùm inter Memmium & Domitium facta eſſet pactio, & cùm ea pactio firmari poſſet aut ſtipulatione aut ſcriptura, ſcripturam Domitius maluit. itaque in codices accepti & expenſi multorum amicorum relata eſt. Atque hæc ipſa eſt (niſi vehementer me animus fallit) obligatio, quam nominibus fieri ſolitam Iuſtinianus ſcribit. de qua breuiter Iuris ſtudioſorum gratia nobis explicandum eſt. Olim, inquit Iuſtin. ſcriptura fiebat obligatio, quæ nomi-

F nibus fieri dicebatur. hæc ille. Nomen autem eſſe quodcunque in codicem refertur, inſcripto eius cui vel expenſum vel acceptum fertur, nomine, docuimus alibi non vno loco. Principio igitur intelligendum eſt, veteres ſiue quòd pecuniã ſuam ferè apud argentarios haberent, ſiue quod fidem (de qua dicemus in Maniliana, infrà.) ita colerẽt, plerunque quam pecuniam alicui aut aſſignabant, aut ſoluebant, eam ab argentariis, curare conſueuiſſe: quod cùm ex ſexcentis Plauti locis,

G tum verò ex his Donati verbis facilè intellectu eſt, Tunc, inquit, in foro & de menſæ ſcriptura, magis quàm ex arca domoque vel ciſta pecunia numerabatur. argentarius itaque nomen illud, id eſt articulum (vt nunc loquimur) hoc modo in codicem referebat: Seſtertium quadringenta, Memmij nomine Cn. Domitio Calendis proximis

ximis debebuntur. atque hoc Perſcribi vulgò dicebatur: vt apud Terentium in Phormione,

Sed trani rurſus ad forum, atque illud mihi
Argentum iube rurſum reſcribi Phormio.
PHORMIO. Quod? næ ego perſcripſi porrò illis quibus debui

Quem locum Donatus explicans, Reſcribi, inquit, id eſt reddi, ſeu per menſæ ſcripturam dari. Quoniam ad numerationem pecuniæ antecedit ſcriptura, Reſcribere dicebant pro Renumerare. Reſcribi ergo eſt per ſcripturam, id eſt de menſæ ſcriptura dari. vnde hodie additur chirographis, Domo ex arca ſua, vel Ex menſę ſcriptura. Ex quibus Imperatoris verba facilè, opinor, intelliguntur, cùm ait, Olim ſcriptura fiebat obligatio, quæ nominibus fieri dicebatur. Euíſque, vt dixi, exemplum extat in illa ad Atticum Epiſtola, his verbis, Hæc pactio non verbis (id eſt non ſtipulatione, ac teſtibus pręſentibus) ſed nominibus & perſcriptionibus multorum cùm eſſe facta diceretur, prolata à Memmio eſt. Perſcriptiones enim amicorum ſignificat, qui quadraginta H-S Domitio ſe Memmij nomine debere in ſuis tabulis perſcripſerant. Apud Senecam verò lib. de Beneficiis II, Quidam, inquit, nolunt nomina ſecum fieri, nec interponi pararios, nec ſignatores aduocari, nec chirographum dare. Et libro III, Ille per plurium tabulas nomina interpoſitis parariis facit. De eodem genere obligationis alter quoque Ciceronis locus intelligendus eſt in lib. de Off. III, Emit homo cupidus & locuples tanti quanti voluit Pythius, & emit inſtructos. nomina facit, negotium conficit. His enim verbis, opinor, ſignificat curaſſe Cannium, vt pecunia Pythio apud argẽtarium perſcriberetur, eique de menſæ ſcriptura (vt Donatus loquitur) numeraretur. Atque hæc quidem de ſyngraphis & iis obligationibus quæ nominibus fieri dicebantur. Inter Chirographum autem & Syngrapham hoc intereſſe ſcribit Aſconius, quòd in chirographis tantum ea ſcribuntur quæ geſta ſunt: in ſyngraphis etiam contra fidem veritatis pactio venit. Eſt enim Chirographum generale nomen, quo ſyngrapha etiam continetur. Sed ſyngraphis cautio datur quaſi creditarum pecuniarum. qua de cauſa facilè falſum in eas referri poteſt, ſi creditas pecunias, quæ tamen creditæ non ſunt, perſcribatur: cùm chirographis aut facti obligatio contineatur, vt apud Senecam lib. Declamationum I, aut acceptilatio, vt in exemplis quæ ex Donato protulimus. Quod Cicero ſignificans modò criminosè dixit in Malleolum, Syngraphas fecerat. Et in Verrem infrà, Inanes ſyngraphas perſequebatur. Et in Orat. de Haruſp. Reſponſ. Brogitarum putabo regem, ſi habuerit vnde tibi ſoluat quod ei per ſyngrapham promiſiſti.

Nam ille quoque ſodalis. Senſus eſt, Nam ille, vt in cæteris rebus, ſic in auaritia ſodalis iſtius erat. Non eſt obſcura ſententia, nec huius noſtræ explanationis indigebat. ſed ne quis vocem Sodalis ad pronomen Ille referendam putaret, propterea cautionem adhibui lectoribus non ingenioſiſſimis.

Quando pondus argenti familiam magnam. Mirum eſt tum proximè hoc idem iteratum eſſe, quod etiam de argento facto intelligere cogimur. Sic tamen omnes quot vidi codices ſcri- A ptum habent.

Facillimè comparantur. Id eſt Paruo pretio, vel, quæ vendi non multò poterant: vt illud ex contrario, Reliqua vendidit quæ vendi magno pretio poterant.

Cùm ad H-S XX quinquies. Corrige ſic, H-S vicies quinquies. De quibus notis fuſiſſimè in Orat. pro Qu. Roſcio explanauimus. Redacta ſumma ad noſtratis pecuniæ rationem, B aureorum efficiet ſexaginta duo millia, & præterea quingentos.

Circumpedes autem homines formoſos. Pueros fuiſſe puto, non qui à pedibus alibi dicuntur, ſed qui dominis cœnantibus & in conuiuiis accumbentibus ad pedes ſtabant. Seneca lib. de benefic. 3. vt primum diluxit ſeruus qui cœnanti ad pedes ſteterat, narrat quæ inter cœnam ebrius dixiſſet.

Aliquando dixit H-S decies. Aureorum viginti C quinque millia.

In codicis extrema cera. Aſconius extremam ceram, vltimam tabulam interpretatur: quomodo Plautus ceras quatuor, pro quatuor tabulas dixit in Curcul. Noui ædepol nomen. nã mihi iſtoc nomine. Dum ſcribo, expleui totas ceras quatuor.

In flagitioſa litura. Scriptam antea videri vult integram ſummam fuiſſe, aut certe H-S decies. ſed poſtea correxiſſe, & pro Decies, ſcripſiſſe Sexies. D Et in litura, locutio vulgata, pro In cera interlita: vt infrà.

Expenſa ſeruo Chryſogono. Quæ ſeruo meo Chryſogono ſexcenta data, & expenſa ſunt in Aſia, ea à pupillo Malleolo, id eſt ex Malleoli numis illi expenſa ſunt. ei ego debeo. Nam acceptum referre alicui, aliud nihil eſt quàm in tabulas referre, id eſt ſcribere ſe ab aliquo accepiſſe. vt Expenſum ferre alicui, ſcribere ſe ei dediſſe & appendiſſe. Sed cùm dicitur hoc loco, E Expenſa Chryſogono, non ſubauditur Tulit, aut Retulit. ſed ſenſus eſt, vt dixi, Ea quæ data & expenſa ſunt, pupilli nomine illi expenſa ſunt, egoque accepi, & habeo.

H-S ſexcenta millia. Coronatorum quindecim millia.

Quòmodo ex decies H-S ſexcenta ſint facta. Corruptas, opinor, tabulas fuiſſe ſignificat. quod ita factum fuiſſe coniicimus, vt pro DECIES ſcripſerit SEXIES.

F *Eodem modo quadrarint.* Dempta reliqua quadringenta intelligere videtur Aſconius, & eorum rationem relatam. quod mihi non ſit veriſimile. Sed quòd tam aptè quadrantes & perfectas habeat ſummas, ex eo furti ſuſpicionem facere conatur.

Quòmodo Chryſogono expenſa lata ſunt. Cùm ſcriptum aliter fuiſſet. quomodo? difficilis coniectura eſt. ſed tamen ſi diuinationi locus eſt, Chryſopoli à ſe acceptum Verres retuliſſe G potuit. Eſt enim Chryſopolis Aſiæ ciuitas: & in Aſia hæc geſta ſunt.

H-S quinque millia ſoluta non ſunt. Magnum crimen, ingens pecunia, furtum impudens: vt mihi ſuſpicionem faciat, non Quinque, ſed Quingenta potius legendum eſſe.

Vicariique retinentur. Vicarius, dicitur in alterius ſerui peculio, ſeruus. Ordinarium au-

tem. Iuriſconſulti, Vicarij dominum appellant.

Productus & mater. Corrige, Productus eſt, & mater, vt in Aldino, & aliis.

Commune Milyadum. Græca locutio τὸ κοινὸν μιλυάδων: pro, Reſpublica, vel Ciuitas Milyadum. vt apud Calliſtratum in l. ſi de vi, D. de iud. τὸ κοινὸν συμμαχικόν. Eſt autem Milyas, Ptolemæo auctore, Carbaliæ ciuitas, quæ eſt in Pamphylia.

Frumento imperando, æſtimando. Nam Quæſtorum frumentaria erat procuratio propria: vt in Orat. de Haruſp. Reſponſis. Imperabatur autem præter decumas frumentum, quod emptum dicebatur. Sumebatur etiam in cellam Magiſtratuum, quod Æſtimatum appellabant. de quo vide quæ dixi infrà.

Quæ res per eum geſtæ ſunt. Hoc totum vſque ad verbum Exigeret, parentheſi concludito: & HIS NOMINIBVS, pro HIS IN QVAM NOMINIBVS dictum putato.

Per iſtum omnia tamen. Vetus, Per iſtum tamen omnia: quæ lectio paulo concinnior videtur.

Coniunctione criminum. Fatendo ſe criminum participes fuiſſe, & pollicendo ſe indices futuros. Nam impunitas legibus propoſita erat iis, qui ſe indices profitebantur.

Legationis, non niſi condemnato, & eiecto eo qui poſſet reprehendere. Imperfecta oratio. Græci hanc figuram ἀνανταπόδοτον appellant, Subaudiendum videtur, Ratio relata eſt, vt ſit. Legationis relatio relata eſt. vt continuò pòſt, Nunc denique Preturæ. vbi ſubaudiendum, Rationem audiamus. Nã verbum AVDISTIS, ad vtrunque referre, nulla ratio eſt.

Quæſtorem ſe in ſenatu. Aſconij interpretatio poſtulare videtur vt Quæſtores, multitudinis numero reponamus. duos enim dicit, Lilybætanum ſcilicet, & Syracuſanum.

Sine Prætore poſſet referre. Alij omnes, Poſſet rationem referre.

Omen magis quàm cauſa placuit. Ex hoc, inquit, Dolabellæ exemplo, ominati ſunt exitũ fore huiuſce iudicij ſimilem qui fuerat Dolabellæ, quem antè damnatum & eiectum dixit. Et CAVSA, pro Excuſatio: vt ſuprà oſtendi.

Dolabella pr. & propræt. Prætori, Romæ: proprętori in Cicilia. Quib. ex verbis intelligitur, quod alibi copiosè diſputatum eſt. non propriè ſed abuſione quadam vocabuli, Verrem in Sicilia prætorem dici. Tametſi mendum hoc loco ſubeſſe negare non auſim, cùm paulo ſuprà ſic legatur Cn. Dolabellæ PR. POPVLOR. PECVNIÆ REDACTÆ. quod hoc in loco notæ poſitæ fortaſſis ſignificant.

Quod minus Dolabella Verri acceptũ retulit, quàm Verres illi expenſum tulerit. Id eſt, Quod Dolabella minus in ſuis tabulis ſcripſerit ſe à Verre accepiſſe, quàm Verres in ſuis ſcripſit, ſe ei dediſſe. vt infrà.

H-S *Quingenta triginta quinque millia.* Scutatorum quinque millia, & præterea octingentos.

Et quod plus. Tollenda coniunctio ET; tum ex hoc loco, tum ex eo qui proximè ſequitur: auctore codice manuſcripto.

H-S *decies, & octinginta millia.* Scutatorum quadraginta quinque millia.

A *Aliud in tabulis habebas.* Non intelligo quid velit, præſertim cùm dicat ALIVD. Aperta autem erit oratio, & cum ſuperiore conueniens, ſi eo ſublato, verba ita commutemus, Quòd plus frumenti fecit accepiſſe iſtum, quàm tu homo caſtiſſimus in tabulis habebas, H-S decies & octingenta millia.

Extraordinariæ pecuniæ. Hoc quid ſit, explicatũ eſt in Orat. pro Q. Roſcio ſuprà.

B H-S *quater decies.* Scutatorum centum millia. Q. autem, non P. appellat, infrà. Fuit autem hic P. Tadius illius in Sicilia legatus, de quo infrà.

Aſsiduitate. Aſſiduitas dicebatur eorum qui honoris & officij cauſa aliquem obſeruabant, & aſſectabantur, quæ quidem obſeruatio Magiſtratum petentibus, teſtimonio erat amicorum copiæ & multitudinis. Itaque Q. Frater in libro de Petit. Conſulatus, Habes, inquit, aliquot collegia, præterea ſtudio dicendi conciliatos plu-

C rimos adoleſcentulos, quotidianam aſſiduitatem & frequentiam. Et multo pòſt quaſi ad extremum, Hominum nobilium voluntas, adoleſcentulorum frequentia, eorùm qui abs te defenſi ſunt, aſſiduitas, ex municipiis multitudo eorum quos tua cauſa veniſſe appareat.

Ne accuſaretur. Ambitus. vide infrà.

Ex vtroque genere, & iuris dicundi, & ſartorum tectorum. Prætores in comitiis fiebant, Populique ſuffragio deſignabantur. poſtea ſortiebantur in-

D ter ſe prouincias: alius præerat iuri dicundo, alius quæſtioni de pecuniis repetundis, alius de ſicariis, alius de peculatu, alius item de aliis criminibus cognoſcebat. Cui verò ſorte obuenerat vt iuri dicundo præeſſet, Prætor is vrbanus dicebatur. Cicero in Orat. pro Muræna, Quid? in ipſa Prætura nihilne exiſtimas inter tuam & iſtius ſortem interfuiſſe? huius ſors ea fuit quam omnes tui neceſſarij tibi optabamus, Iuris dicundi. Et paulo pòſt, Quid tua ſors? triſtis, atrox, quæſtio pecula-

E tus. ex altera parte, lacrymarum & ſqualoris: ex altera, plena catenarum atque iudicum. Errat igitur Budæus (quod pace ſummi viri dixerim) qui eundem & iuridicundo, & alicuius criminis quęſtioni Prætorem in Vrbe præfuiſſe affirmat. Diuerſa quippe & diuerſorum Prætorum hæc munera atque officia fuerunt. Nõ fuit anno ſequenti M. Metellus vrbis Prætor, ſed Quæſitor. Aurelius Cotta eo anno (teſte Aſconio) Vrbis Prætor fuit. Non eſt hoc anno M. Glabrio, ſed M.

F. Mummius. Non erat Iunius qui præfuit in cauſa Cluentij, ſed C. Verres. Prætor enim ſeniorum iuniorúmque centuriis renuntiatus, ſortem, inquit Cicero, nactus eſt vrbanæ prouinciæ, vt ius in Vrbe diceret, infrà. Eius autem iuriſdictionis duas reperio partes, alteram in iudiciis dandis, alteram in decernendo. neque enim de rebus ipſe controuerſis, niſi de certis, iudicabat: ſed aut Iudices, priuatos homines, aut Recuperatores dabat, qui ex ea formula quam ipſe iis præſcribe-

G bat, inter litigatores ſententiam ferebant. de qua formula multis antea in locis, pluribus verbis cõmemorauimus. De iis præterea rebus quas ante iudicium conſtitutas tranſactaſque eſſe oportet, ius dicebat; veluti, vt et in poſſeſſione ſit, vt ſatiſdetur iudicatum ſolui, in integrum reſtituat, interdicat: quæ omnia propriè Decreti appellatione con-

ne continentur, & generaliter Iuriſdictionis, quemadmodum ex eo intelligitur quod hic ipſe ſcribit infrà, vbi ait non eſſe veritum C. Verrem poſcere ob ius dicendum à M. Octauio pecuniam, cui bonorum poſſeſſionem ademerat. At verò ſarctorum tectorum exigendorum procuratio propria eſt Cenſorum: quemadmodum ex innumeris Liuij locis intelligitur. Interdum tamen eam Senatus aut Conſulibus, aut Prætori mandabat, quod in C. Verris Prætura vſuuenit. Quam ob cauſam de vtraque hac illius adminiſtratione dicturus eſt, iure dicundo videlicet, & ſarctis tectis exigendis.

Qualis in edicto conſtituendo fuerit. Creati Prætores priuſquam ius dicerent, vt cuique notum eſſet, quemadmodum anno ſuo ius dicturi eſſent, ſolebant in albo edicta conſtituere, atque proponere, quæ ab edicendo, id eſt antè denuntiando, ac prædicendo dicta ſunt: quaſi tanto antè populo denuntiarent, quæ eſſent in iure dicendo obſeruaturi. Hoc autem inito Magiſtratu, habita concione, & iurati in leges, faciebant. Cic. de finib. II, Quid enim mereri velis iam, cùm Magiſtratum inieris, & in concionem aſcenderis (eſt enim tibi edicendum, quæ ſis obſeruaturus in iure dicendo: & fortaſſe etiam ſi tibi erit viſum, aliquid de maioribus tuis, & de teipſo dices more maiorum) quid merearis igitur, vt te dicas, in eo Magiſtratu omnia voluptatis cauſa facturum eſſe?

P. Annius Aſellus. Lege Voconia, qui cenſus eſſet, vetabatur mulierem ſuis bonis hæredem ſupra quadrantem inſtituere. Fecit teſtamentum Annius non cenſus. Filiam ſcripſit hæredem, lege nulla prohibente. Eam hæreditatem Verres deſignatus Prætor, vt Annij filiæ adimeret, atque in hæredem ſubſtitutum transferret, edicto denuntiauit, ſe mulieribus quæ hæredes ſiue à cenſis, ſiue à non cenſis factæ eſſent, non daturum poſſeſſionem. Id illi iure Prætorio licebat. Verùm in eo arguitur, quòd etiam in tempus præteritum edictum valere voluit, cùm ſatis conſtet, leges id iuris tantum ſtatuere, quo poſt eas leges populus vtatur. Diſputari autem pro Verre ſic poterat: non potuiſſe illum denegare petitionem hæreditatum, niſi earum quæ ſe Prætore deferebantur. non deferebantur autem niſi quæ teſtamentis ante ſe prætorem factis relictæ fuiſſent.

Neque cenſus eſſet. Neque enim aliter licuiſſet. Qui verò Cenſi dicerentur, Aſconius exponit. Gellius autem primæ claſſis homines, qui Claſſici dicebantur, referre ſcribit ſolitos c & xxv millia æris, ampliúſve: infra claſſem autem appellatos, ſecundæ claſſis, cæterarúmque omnium claſſium: qui minore ſumma æris quàm ſuprà dixi, cenſerentur.

Natura hortabatur. Hoc eſt quod à Iuriſconſultis vſurpari ſolet, parentum hæreditatem liberis naturæ iure deberi. l. vlt. D. de bon. damnat.

Faciebant omnia cum pupilla, Priſcianus lib. XVIII. locum hunc ita deſcribit: Faciebant omnia cum puella, leges, æquitas. Quod non improbo.

Inſtitutus ſecundum filiam. Id eſt filiæ ſubſtitutus. Sed quærendum eſt, qualis hæc ſubſtitutio fuerit. Nam cùm & filia extaret, & ea toties pupilla nominetur, conſentaneum eſt, pupillarem ſubſtitutionis formulam fuiſſe. Rurſus cùm ſubſtitutũ admitti ſuperſtite filia; hoc eſt, contra pupillaris formulæ præſcriptum, videamus, difficile dictũ eſt, tantam Verris impudentiam à Cicerone prætermiſſam ſilentio fuiſſe. Sanè multa conturbant. ſed probabilius videtur pupillarem formulam fuiſſe: Prætorem autem perempto primo gradu, teſtamento initium à ſecundo gradu dediſſe. vt in l. ſi filius, 75. D. de hæred. inſt. l. ex facto, 43. §. Lucius, D. de vulg. & pupill. Neque obſtat quod dici ſolet, vitioſa inſtitutione totum teſtamentum corrumpi. quia Vitium in illa regula intelligitur, quod à iure ciuili damnatur. hoc autem caſu primi gradus inſtitutio iure ciuili valebat: tametſi prætorio iure admiſſa non eſt. Itaque videmus ſubſtitutionem, ac proinde reliquas omnes teſtamenti partes hoc caſu effectum habere.

Quid poſſit fieri. Ita videlicet ſcribi edictum poſſe, vt in præteritum tempus regrediatur; eaque teſtamenta reſcindat, quæ ante Verris annum facta eſſent.

Illi bona res. Alludit ad mercatorum conſuetudinem, qui, ſi mercem bonam viderint, facilè ad emendum adducuntur: ſi vendant, & res vendibilis videatur, de aliis emptoribus cogitant, quò pluris vendant. Itaque etſi emptorem L. Annium reperiebat Verres, experiendum tamen aliũ, ſi vendere pluris poſſet, exiſtimauit.

Edictum ſcripſerit. Priſcianus, conſcripſerit: & addit: συνέγραψεν ἄρα, ἢ συγγεγράφοι ἄρα.

Cùm intelligam legem Voconiam. Hanc legem latam Cæpione & Philippo coss. ſuaſiſſe ſe annos LXX natum gloriatur Cato apud Ciceronem, in eo libro, qui ipſius nomine inſcriptus eſt: extántque nonnulla ipſius Orationis verba apud Gellium lib. XVII, cap. V. Et Auguſtinus lib. de Ciuit. Dei III, Lata, inquit, etiam eſt lex Voconia, Nequis hæredem fœminam faceret, nec vnicam filiam. Ex quo adducor in ſuſpicionem mendum eſſe apud Florum, in Epit. lib. XLI, qui ſic ſcribit, Q. Volumnius Saxa legem tulit, nequis hæredem mulierem inſtitueret: ſuaſit legem M. Cato. extat Oratio eius: Voconius enim pro Volumnius legendum videtur. Huius legis mentionem quoque Cicero facit in libro De finibus II, cuius verba, quòd ad hunc locum magnoperè pertinent, ſubiiciam, Memini, inquit, me adeſſe P. Sextio Rufo, cùm is ad amicos rem ita deferret, ſe eſſe hæredem Q. Fabio Gallo; cuius in teſtamento ſcriptum eſſet, ſe ab eo rogatum, vt omnis hæreditas ad filiam perueniret. Id Sextius factum negabat. poterat autem impunè: quis enim redargueret? nemo noſtrum negabat. erátque veriſimilius, hunc mentiri, cuius intereſſet, quàm illum, qui id ſe rogaſſe ſcripſiſſet, quod debuiſſet rogare. Addebat etiam, ſe in legem Voconiam iuratum contra eum facere non audere, niſi aliter amicis videretur. Aderamus nos quidem adoleſcentes, ſed & multi ampliſſimi viri: quorum nemo cenſuit plus filiæ dandum, quàm poſſet ad eam lege Voconia peruenire. Item aliquanto pòſt, Si te amicus tuus moriens rogauerit, vt hæreditatem reddas ſuæ filiæ, nec vſquam id ſcripſerit, vt ſcripſit Fabius, nec cuiquam dixerit, quid facias? tu quidem reddes, &c. Quod autẽ de hoc legis Voconiæ cap. diximus, ex

Dionis libro LVI, ita modificandum eſt: ne mu- A
lierem hæredem inſtituere liceret, ſupra quadrantem. ſcribit enim ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας: id eſt, HSXXV. quæ pars quarta eſt bonorum eius, qui Cenſus auctore Pediano dicebatur. Alterius etiam capitis Voconiæ legis mentio fit in libris noſtris, & paulo pòſt: Ne plus legatis, quàm hæreditatibus auferretur: id eſt, ne plus cuiquam legare liceret, quàm ad hæredem hæredésve perueniret. Item, Ne fœminæ vltra conſan-
guineos ab inteſtato ſuccederent. B

Quid potius? Sequens interrogatio ſatis oſtendit, Quis potius, legendum eſſe, Subaudiendum eſt autem, Cupiditati hominum occurrit. Et eſt aperta ironia.

Qui ab A. Poſtumio. Sic accipio, vt ſi ſcriptum eſſet, Qui poſt A. Poſtumium, Q. Fuluium Cenſores. veluti cùm dicimus, Ab vrbe condita. itaque vocem POSTVE EA, dilucidandi cauſa poſitam interpretor. quaſi ſcriptum ita fuiſſet:
Qui ab illo tempore quo Poſtumius & Fuluius C
Cenſores fuerunt, póſtve id tempus, in teſtamento ſcribendo, virginem aut mulierem hæredem fecit, fecerit: ſecundùm eius teſtamenti tabulas neque petitionem, neque poſſeſſiooem dabo.

Fecit, fecerit. Apparet ex integra diſputatione, prius verbum, præteriti temporis: poſterius autem futuri vim & ſignificationem habere. Et hac locutione de induſtria vſus eſt, vt ambiguitatem
vitaret, quæ in poſteriore verbo ineſſe poterat. D
Cuius rei exemplum eſt apud Gellium, lib. XVII. Legis, inquit, veteris Atiniæ verba ſunt, Quod ſurreptum erit, eius rei æterna auctoritas eſto. Quis aliud putet in hiſce verbis, quàm de tempore tantùm futuro, legem loqui? Sed Q. Scæuola patrem ſuum, & Brutum, & Manilium viros apprimè doctos, quæſiiſſe ait, dubitaſſéque, vtrùmne in poſt facta modò furta lex valeret, an etiam in antè facta: quoniam QVOD ſurre-
ptum erit, vtrumque tempus videretur oſtende- E
re, tam præteritum, quàm futurum. Priſcianus autem lib. XVIII. locum hunc citans: Præterito, inquit, indicatiui vſus eſt, quaſi indubitabili: futuro verò ſubiunctiuo, in quo eſt aliqua dubitatio, vtrum fiat, necne. Hæc Priſcianus, rectè. illud non ſatis intelligenter, cùm verba hæc, FECIT, FECERIT, ad teſtamentum refert: cùm infrà perſpicuè Cicero ad hæredem ea referat: vt cùm ait, Ne quis hæredem virginem, neve mu-
lierem faceret: in lege Voconia non eſt, Fecit fe- F
cerit. Similem cautionem in Pandectis noſtris reperio, vbi lex Iulia de marit. ordinib. profertur: QVI ARTEM LVDICRAM FECIT FECERIT.

Eius rei fraudem. Id eſt pœnam. Nam veteres, vt ait Vlpianus, Fraudem pro pœna ponere ſolebant.

Quæ neque poſt edictum. Omnes, opinor, antè Florentinorum librorum editiooem, Quod ne-
que. Et ſic ferè locutus eſt in Oratione pro Cæ- G
cina. infrà. Quod eſt grauius, & cuius rei cauſa maximè iudicia conſtituta ſunt, id iam mala conſuetudine diſſolutum eſt.

Improbum. Improbum dici puto in quo liberi ſine iuſta cauſa exhæredati ſunt: aut perſonæ turpes inſtitutæ: Inofficioſum, in quo liberi, parentes, aut propinqui præteriti: Inhumanum, in quo amicorum, quibus aliquid relinquere moris fuit, mentio facta nulla eſt.

Noui iuris. Neque enim poſterioribus legibus, ſed quæ ante teſtamentum factæ ſunt, teſtamentum reſcindi poteſt.

Imitatus eſſes. Priſcianus lib. XVIII. dictum putat pro imitari potuiſſes: μιμήσαιο ἄν.

Qui poſt eos Cenſores cenſus eſſet. Obſcurè dictum, pro, Qui cenſus, poſt eos Cenſores teſtamentum ſcribet, ne quis hæredem &c. vt in lege Falcidia: Quicunque ciuis R. poſt hanc legem rogatam teſtamentum faciet, &c.

Quæ ſua ſponte ſcelerata. Itaque in omnibus ferè publicorum iudiciorum legibus, etiam præteritum tempus repreheoditur. vt in Orat. pro Cluentio, Quive in Senatu ſententiam dixit, dixerit: qui eorum coiit, coierit: conuenit, conuenerit: qui venenum malùm fecit, fecerit, &c. Sunt autem ſua ſponte ſcelerata, quæ non ciuili, ſed gentium iure malefacta exiſtimantur. de quibus Vlpianus ſic ſcribit in l. Probrum, D. de Verb. ſign. Probra quædam natura turpia ſunt, quædam ciuiliter, & quaſi more ciuitatis: vtputa furtum, adulterium, natura turpe eſt: enimuerò tutelæ damnati, hoc non natura probrum eſt, ſed more ciuitatis. Nec enim natura probrum eſt, quod poteſt etiam in hominem idoneum incidere.

Corneliæ, teſtamentaria, nummaria, cætera complures. Subaudi SVNT. quanquam ita interpunctus legitur hic locus, vt de tribus legibus loqui videatur: cùm contrà, vtramque legem & teſtamentariam ſcilicet, & nummariam, Cornelias ab auctore appellatas eſſe conſtet. de quibus cognoſce ex capite, Ad legem Corneliam de falſis, libro Digeſtorum XLVIII.

Ad populum pertineat. Quid eſt hoc, Ad populum? cùm & P. Syllam à populi cauſa remotiſſimum fuiſſe conſtet, & nullius rei, præter perduellionem, quæſtio populi iudicio relicta ſit. Meodum igitur ex nota P. ortum arbitror: quam librarius POPVLVM interpretatus eſt, cùm PRÆTOREM ſignificaret. Cùm enim cæterorum criminum, præter perduellionatum, iudicia olim à Quæſtoribus ex tempore creatis exerceri ſolerent: L. Sylla legem tulit, vtvt perpetuæ quæſtiones eſſent: hoc eſt, vt Prætores crearentur, qui per annum integrum de certis criminibus quærerent: quemadmodum intelligitur ex l. 2. D. de orig. iur. & lib. Cicer. de Finib. II. itémque De clar. Orat. Sanxit igitur lex Cornelia, teſtamentaria, numaria, vt falſi quæſtio ad Prætorem pertineret ex certo tempore: id eſt, poſt eam legem rogatam.

Si quis noui quid inſtituit. Priſcianus, Inſtituerit, omnino legit: & ſic interpretatur, διατυπώσειε ἄρα.

Rata eſſe patitur. Aſconius, Patietur? vt quaſi per indignationem, & interrogatiuè dici videatur. Mihi cur optimum & apertiſſimum ſenſum, contra aliorum librorum auctoritatem immutemus, cauſa nulla videtur. niſi fortè Priſciani auctoritatem ſequamur, qui NON particulam interponit: & locum ita profert: Is non omnia quæ acta ſunt, rata eſſe patietur? quæ ſententia mihi ſanè arridet.

Furias,

Furias, Fuſſias. Fuſſiarum legum alibi mentio- A nem fieri non memini. Quinetiam in libro Aſconij non Fuſſias, ſed Fuſias legimus. Conſtat autem veteres pro FVRIIS, Fuſiis dixiſſe, & pro Valeriis, Valeſiis. Tulit autem C. Furius legem de teſtamentis, vt ſcribit Cicero in Orat. pro C. Balbo. vt aliquis ſuſpicari poſſit, annotationem docti cuiuſdam hominis eam fuiſſe, qui in ſuo codice variam lectionem, vt mos eſt, annotarat, quæ poſtea in contextum inducta eſt. nam quæ lex Fuſia Caninia, de ſeruis teſta- B mento manumittendis in Pandectis appellatur; eam legem Vlpianus in titulis Furiam appellauit.

Qui plurimum tribuunt edicto. Tanto verò edictis Prætoris leges præſtant, quanto populi maieſtas & amplitudo, vnius Magiſtratus, qui in ipſius manu ac poteſtate eſt, iuri ac poteſtati antecellit.

Plus complecteris quàm lege. Legis enim vis in C poſterum, non in præteritum tempus valet. cuius dicti frequens eſt mentio apud Iuriſconſultos.

Si finem edicto Prætoris. Apud Quintilianum libro V, immutatus ordo eſt, hoc modo, Si finem Prætoris edicto: & pro Naſcitur, ſcriptum eſt Naſcatur. Nihil affirmo. ſed hanc tamen ſcripturæ varietatem teſtatam relinquere volui, vt ſtudioſi cum antiquis codicibus eam conferre D poſſint.

Et qui cenſus ſit, licet? Alij, Qui cenſus non ſit. quod propter Theophili Iuriſconſ. auctoritatem recipio. Scribit enim ſub tit. De leg. Falcid. Voconia lege cautum fuiſſe, ne plus vni legatario relinquere liceret, quàm ad hæredem hæredéſve perueniret. In ea tamen hoc fuiſſe incommodi, quòd ſi multi eſſent legatarij quorum ſingulis vncia legaretur, vnica in hæreditate vncia remaneret. Ergo loci huius ſententia hæc eſt. Voconia lex ne fraus ſuperiori capiti fieret, vetuit E ne qui cenſus eſſet plus vni legatario attribueret, quàm in hæreditate relinqueret. Quid? Tu Verres, qui ſuperius caput ad non cenſos produxiſti, quid ita non idem in hoc quoque capite frandis vitandæ cauſa, feciſti? Nam ſi de cenſis nominatim Voconia lex ſcripta eſt, vt ne iis id liceret: perſpicua eſt ex contrariis conſequentia, id iis qui Cenſi non eſſent, ad quos tuum Edictum pertinet, licuiſſe.

In eodem genere ſit. Vt eorum qui cenſi ſunt, F hereditatibus caueatur: primùm ne ad mulieres perueniant, deinde ne legatis exhauriantur.

Tamen eſſet improbum. Quo tandem modo improbum eſſet, prætorem edicere, ſe non daturum actionem legatario, cui plus quàm heredi relictum eſſet ab eo qui cenſus non eſſet? & cur potius improbum in incenſis, quàm in cenſis? Locum igitur ſic interpretor, improbum futurum fuiſſe, ſi non modò de futuro, ſed etiam de præterito tempore ſtatuiſſet.

Sed tum vituperari. Tantum vituperari, corri- G gendum ex antiquo libro, ſententia vulgatam lectionem manifeſtò repudiante.

Nuper Annia ea de multorum. Diſtingue ſic, vt poſt vocem Annia, puncti notam adſcribas.

Itaque hoc magnum iudicium hominum. Subaudiendum, EST, aut fortaſſe etiam adſcribendum. Priſcianus autem pro ITAQVE, poſuit IAM: &, QVOD VERRES.

Reſcinderes mortuorum. Elatoriè: non enim teſtamentum reſcidit, ſed priorem tantùm inſtitutionis gradum peremit.

Ex Siciliensi edicto. Nam in prouinciis quoque Prætores edicta conſtituebant, quæ, ſi ex vrbanis deſcripta eſſent, Tranſlatitia dicebantur.

Ex vrbano edicto. Non ſuo veteri: ſed ex illo M. Marcelli qui tum præturam obtinebat.

Quam poſtea tu tibi defenſionem. Opinor, aduerſus eorum accuſationem qui edictum reprehenderent quòd in præteritum tempus conſtitutum eſſet. quaſi dicat, Læſiſti te ipſe primus, aliiſque præterea viam idipſum faciendi demonſtraſti, cùm caput illud ex vrbano edicto tuo ſuſtuliſti. In quo etiam notanda agnominatio eſt, In defenſione offendere.

Acerba videatur. Si quid iſtius in ea commiſſum eſſet.

Noſtræ diligentiæ indulgentiáque. Indulgentiá ſæpe in bonam partem, pro beneuolentia & charitate: vt illud eiuſdem in Orat. poſtquam rediit, Liberi mei propter indulgentiam meam mihi vita ſunt mea chariores. Bene autem diligentiam coniunxit cum indulgentia, cùm iis tantùm in rebus quæ diliguntur, charæque habentur, ſoleat adhiberi diligentia: quæ ipſa etiam à Diligendo reperiſſe appellationem videtur.

Bona noſtra partimur. Locus iuris noſtri ſtudioſis obſeruandus. Simile illud in Heauton. Terent. Niſi vbi ille huc ſaluus redierit meus particeps. Et hæc ſuorum heredum appellationis cauſa videtur apud Iuriſconſultos fuiſſe.

Nec petitionem, inquit, nec poſſeſſionem. Vtraque enim à Prætore poſtulari ſolebant: Prætor ex edicto dabat, id eſt ex iis cauſis, quibus de cauſis daturum ſe in edicto denuntiarat.

Togam prætextam? Detrahes ornamenta non ſ. ſ. ſed etiam ingenuitatis? Plutarchus in vita Romuli, de mulieribus Romanis loquens, φορεῖν δὲ καὶ παῖδας αὐτῶν τὴν καλουμένην βοῦλλαν ἀπὸ τοῦ σχήματος, ὁμοίαν πομφόλυγι περιδέραιον, καὶ περιπόρφυρον.

Syracuſis profugiſſe. Hoc alibi dici non memini.

Si alienam vicem pro noſtra iniuria doleremus. Sic omnes quos vidi libri. Budæus in Comm. vocem Iniuria, ſtudioſè omiſiſſe videtur. quaſi dictum eſſet, æquè ac noſtram vicem. ἡμεῖς δὲ οἱ τῶν ἀλλοτρίων ὑπεραλγοῦμεν ὁμοίως, καὶ ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων, ἐὰν ἔσθ' ὅπως ἴχνος οὐδὲν τοιοῦ ἐν τῇ ἀγορᾷ ὑπελείπετο.

In foro eſſet relictum? Sic valdè arridet. alij tamen omnes cum negatione, Non eſſet relictum: & ſine interrogandi nota, quos Budæus ſecutus videtur.

Non manu vindicaſſet. Aſconio videtur confuſa locutio, & NON particula redundare. Ego, quid vacet nihil video: modò cum interrogatione locus legatur, vt in omnibus legitur: vt quiuis poteſt intelligere. itáque eum Priſcianus protulit lib. XVIII. vbi Græcam quoque interpretationem appoſuit: ἐὰν ἂν ἐξεδίκησεν. quo loco etiam animaduerti poſterius HVIC, omiſſum eſſe. quod non improbo.

Vti proximum quenque potiſſimum. In aliis de- A erat vox PROXIMVM. ſed hanc ſcripturam cùm ſenſus ipſe, tum etiam Aſconij liber confirmat.

Vti prox. q. potiſſimum hæredem eſſe oporteret, ſi is inteſtato mortuus eſſet, ita ſecundum eum poſſeſſio daretur. Demiror tam craſſum mendum & tam manifeſtum, tamen vſque ad hoc tempus neminem animaduertiſſe. Quis eſt enim qui non videat nullum his verbis ſubeſſe ſenſum, non magis, quàm in delirantis ſomniis? Nam vt ita legeretur, B Ac ſi is inteſtato mortuus eſſet, tamen IS pronomen quò referretur, verbum nullum haberet. Quis eſt porrò, qui vel curſim Aſconium inſpexerit, qui non apertiſſimè perſpicere poſſit, totum hoc SI IS INTESTATO MORTVVS ESSET, ſumptum ex eius libro fuiſſe, in quo pro AC EI, vel vt SI IS int. m. eſſet, legitur, ETSI inteſtatò m. eſſet: annotante videlicet atque interpretante ea verba quæ ſunt auctoris, Hæredem eſſe oporteret. propterea quòd idem obſeruatum eſt, eo caſu G cùm tabulæ teſtamenti non proferuntur, ac ſi inteſtatò aliquis deceſſiſſet. Sin autem inteſtatò aliquis deceſſiſſet, agnatus proximus lege XII tab. hæreditatem habebat: ac proinde ei bonorum poſſeſſio à Prætore dabatur. qua de re hæc ſunt Vlpiani verba, in Inſtitut. Inteſtati datur bonorum poſſeſſio per ſeptem gradus: primo gradu liberis: ſecundo legitimis hæredibus, &c. Legitimos autem hæredes appellat ex lege XII. tab. conſtitutos, quam idem Vlpianus paulo ſuprà D commemorat, Ac ſi inteſtatus moritur cui ſuus nec extabit hæres, agnatus proximus familiam habeto. Exterminemus igitur ac remoueamus, quantum quidem ingenio contendere poſſumus, hæc prodigia ac portenta mendorum, quæ præclara huius excellentiſſimi ſcriptoris monimenta ad hunc vſque diem fœdè ac turpiter contaminarunt. itaque hunc locum poſthac ſcriptum impreſſúmque videamus, Vti proximum quenque potiſſimùm hæredem eſſe oporteret: E ita ſecundum eum poſſeſſio daretur. Simile mendum in Orat. pro Muræna natum eſt ex gloſſa ſub verbo Superſtitibus ſubſcripta. cùm enim ita ſcriptum eſſet, Vtriſque ſuperſtitibus: ſubſcripſit aliquis Præſentibus. quod verbum poſtea cum auctoris verbis contextum eſſe apparet ex Seruij comment. in III Æneid. Superſtes, inquit, præſentem ſignificat. vt Cicero in Murænianа, Vtriſque ſuperſtitibus, id eſt præſentibus. Plura de ſuperiore illo Verrinæ loco, & noſtra coniectura F diſputauimus lib. Obſeruat. I. cap. V. quam etiam in ſequentibus illis verbis confirmari animaduertimus: Teſtamentum extabat nullum. Vt lege hereditas ad gentem Minutiam redibat, ita poſſeſſio ei genti danda erat.

Potiſſimum hæredem. Quomodo Potiſſimum, cùm is tantùm qui proximus eſt, ad hæreditatem vocetur? Potiſſimum igitur, non nomen, ſed aduerbium eſt. vt in Offic. Vt ſi nautæ certarent, G quis potiſſimùm gubernaret.

Hæredem eſſe oporteret. Perinde ac ſi inteſtatò mortuus eſſet.

Erat nullum. Id eſt, Extabat nullum. nam factum fuiſſe, ſed tum non extitiſſe, paulo poſt intelligitur.

Lege hæreditas. Legem intelligit XII tabularum; vnde etiam Legitima hæreditas dicitur a Iuriſconſultis: & hæredes, tutoréſque Legitimi. Verba legis ſunt, Proximus agnatus familiam habeto.

Poſſeſſio eſſet data. Ab inteſtato, vnde legitimi.

Aut pro præde. Sic & apud Aſconium, & Priſcianum lib. XVIII. & in omnibus ad vnum libris. Ego ſi hæc ſcriptura retineatur, ingenuè fateor nihil me hoc in loco intelligere. Putarem enim ET pro AVT reponendum: cuius ſententiæ meæ rationem, ſimúlque totius huiuſce loci explorationem poſui in lib. Obſeruat. I. cap. VI.

Aut pro præde ſatis accepiſſet. Id eſt, Quod ad prædem & ſecuritatem attineret, contentus eſſet, vel, Pro eo nomine quo præs dari deberet, idoneum accepiſſet. denique ſententia ex Pauli verbis quæ ſuprà ſcripſimus, facilis & aperta eſt.

Tantùm quod. Rara & notanda locutio: pro, Hoc tantùm defuit, quod hominem non appellauit. Cuius ſimilem notauimus Verrina V.

Cauſam quidem totam perſcribit. Id eſt, Conditionem eius totam complectitur à quo erat pecunia corruptus. vt libro Accuſat. V. Quia pertimuerat adoleſcens, quòd eandem ſuam cauſam videbat eſſe. Et pro M. Marcello, Vehementer angebar cùm viderem virum talem, qui in eadem cauſa in qua ego, fuiſſet, non in eadem eſſe fortuna.

Si de hæreditate. Totum hunc locum ſatis explicaſſe videmur in lib. Obſerua. I. cap. II.

Qui ſe dicat. Et eius rei teſtes producat. l. I. §. ſufficit, D. ſecund. tab. Quod perinde eſt ac ſi ſecundum nuncupationem poſſeſſio peteretur. l. 2. C. eod. l. vlt. C. de codicill.

Item vt illo edicto. Poſt verbum Dixi, aſcribe notam membri, quod Græci κῶλον appellant: eritque hic ſenſus, Idem edixit in Sicilia de hæreditatum poſſeſſionibus dandis, quod omnes Romæ præter iſtum: ſimiliter atque illo edicto, de quo ante dixi. Edictum autem ſignificat de mulierum hæreditatibus.

Qui æquo iure vteremur. Inepta ſententia. Repone Vterentur. locus erit facilis, & expeditus hoc ſenſu, Digniores qui vterentur æquo iure: id eſt iuſto, & recto. Priſcianus tamen vulgatam ſcripturam retinet.

L. Piſo multos codices impleuit. Etenim & Prætor Prætori, & Conſul Conſuli, & par denique omnis poteſtas pari, item vt ſuperior inferiori intercedebat. Cicero de legib. III, Par maiorve poteſtas plus valeto. Hunc autem L. Piſonem ius inter peregrinos dixiſſe arbitror. Nam C. Verres inter ciues ius reddebat. In libro Commentariorum Cæſaris de bello ciuili III, ſimiliter M. Cælij Prætoris mentio fit, qui initio Magiſtratus tribunal ſuum iuxta C. Trebonij Prætoris vrbani ſellam collocauit: & ſiquis appellauiſſet, fore auxilio pollicebatur. Apud Valerium Maximum lib. VII. cap. VII. appellatus Mamercus Conſul Cn. Oreſtis Prætoris vrb. decretum reſcidit.

Multos codices. In quos acta ſui magiſtratus referebantur.

Redite

Redite in memoriam iudices. Priſcianus, QVIRITES. quod ſi verum eſt, ad populum qui coronam circum ſubſellia faciebat, hæc pertinet δημηγορῶ. quæ tamen mihi noua & vix probabilis videtur.

Ridiculi inueniebantur. Ridiculi, faceti, qui riſum mouent. vt illud alibi, Facie magis, quàm facetiis ridiculum. Et lib. De Orat. 1. Multa ex vita ac ſermone communi non modò acutè, ſed etiam ridiculè ac facetè colligeres.

Ius tam nequam eſſe Verrinum. Cornelius Tacitus in Oratore quaſi frigidius dictum reprehendit. Sed Quintilianus excuſat, quòd in aliorum perſona hoc dicatur, & quaſi pro teſtimonio poſitum eſſe videatur. Ius autem liquorem dicit, in quo Verrina caro decocta eſt. Et eodem modo ludit in Epiſt. ad Pætum: Tu iſtic te Atteriano iure delectato, ego me hîc Hirciano. Et Epiſt. in ſeq. Etiam Hircio cœnam dedi: ſine pauone tamen in ea cœna cocus meus præter ius feruens nihil potuit imitari.

Sacerdotem execrabantur. Ludit ex ambiguo. Sacerdotes enim ſuem ſacrificabant. At C. Sacerdoti Prætori Verres ſucceſſit.

Virgis plebem R. concidere. Quod lex Portia vetabat. Cicero pro C. Rabirio. Salluſtius in Catilin.

Liberum eſſe nunquam duxerit. Minus eis detulerit, quàm liberis: ſeruorum loco habuerit. Sic libro Epiſt. ad Att. 1. Quanquam ille paſtor Idæus Menelaum ſolum contempſerit: hic non Paris tam Menelaum, quàm Agamemnonem liberum non putauit.

Viros bonos & honeſtos. Quomodo Bonos? cùm à quo ſummum beneficium acceperint, eius aſpernentur voluntatem. An quibus de cauſis factum id putat Aſconius? An potiùs bonos appellat, & honeſtos, ſolius iudicium teſtatoris ſpectans: vt eius voluntatem commendatiorem reddat?

Et cùm cautum vellet. Cùm id quod ei relinquebat, prouidere vellet vt certum & extra periculum poſitum eſſet. Fideicommiſſum enim ſignificat, cùm ei clàm aliquid relinquebatur, cui palàm legibus relinqui non licebat. Ergo hæc cauſa eſt. A. Tribonius iſtos hæredes inſtituerat ſub conditione, ſi iurarent ſe non minùs dimidium &c. Eo mortuo cùm inſtituti hæredes bonorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas à Prætore peterent, ſimul poſtularent, vt ſibi iuſiurandum remitteretur. Nam, vt ait Vlpianus in l. quæ ſub conditione, 8. D. de cond. inſt. quæ ſub conditione iuriſiurandi relinquuntur, à Prætore reprobantur. prouidit enim ne is qui ſub iuriſiurandi conditione quid accepit, aut omittendo conditionem, perderet hereditatem: aut cogeretur turpiter accipiendo conditionem, iurare. Et multa in hanc ſententiam, quæ Martianus confirmat, in l. non dubitamus, 20. D. de cond. & demonſt.

Ne minus dimidium. Vetus locutio, in qua Quàm particula ſubauditur. Eadem vſum reperio Liuium libro III, tertiæ Decadis, Ex quingentis ſeptuaginta qui in præſidio fuerunt, minus dimidium ferrum faméſque abſumpſit. Et libro X, Cædes in eo prælio minor, quàm victoria fuit: non plus quinque millia occiſa, minus dimidium eius hominum captum eſt. Et Plautus non vno loco.

Contra legem Corneliam. Imò, vt opinor, Valeriam, quæ tamen re & veritate Cornelia erat: quemadmodum in ea pro Sex. Roſcio docuimus. Hoc autem non legis caput aliquod, ſed ſententiam fuiſſe arbitror: vt quibus aqua & igni interdictum eſſet, eos neque teſtamento neque inter binos iuuare liceret.

Erat iniquum. Hæc dicuntur ἐν εἰρωνείᾳ, vt contumeliam Verris oſtendat. quaſi diceret, non magnum ſcelus facturum fuiſſe C. Verrem, ſi contra legem Corneliam homini afflicto & inopi, ex fraternis bonis partem aliquam impertiret. Eſt igitur ironia, quaſi non id fecerit Verres iniquitate rei permotus quæ magna non erat, ſed ſuperbia & faſtidio potiùs in homines tenues, & paruis opibus ac facultatibus præditos.

Et ille libertus. Vetus, At ille libertus: quod probo.

Negat ſe daturum. Iniuria: cùm Prætoris hæ partes non ſint. nam ipſe iuris eſt miniſter, & quaſi diſpenſator. quare cùm teſtamentum ratum eſſet, & iſte conditioni pareret, debuit Prætor ei ſecundum tabulas poſſeſſionem dare. Verùm ad quem iſta hæreditatis pars redibat? Nimirum cæteris cohæredibus accreſcebat.

Patronum ſuum proſcriptum. Apparet hunc ſeruum fuiſſe communem amborum fratrum, & ab vtroque manumiſſum.

Adimis tu ei qui iurauit? quo exemplo? Senſus eſt non obſcurus, vt mihi quidem videtur. Concedit enim Prætori qui iuri dicundo præeſt, decretum interponere, & in cauſis ciuilibus ac priuatis ius dicere. veluti dare bonorum poſſeſſionem. Negat autem eius officio contineri, vt pœnam in eum ſtatuat qui in legem publici iudicij commiſerit. quemadmodum ſuprà dixi, Quæſitorum hoc munus fuiſſe, qui de cauſis capitis cum conſilio iudicabant. & apparet non ita multo pòſt, infrà. qua Verri crimini dat, quòd iudicium in Prætura publicum exercuerit. Sed Aſconius ita hunc locum interpretatur, quaſi non IVRAVIT, in præterito: ſed IVRABIT, in futuri temporis ſignificatione ſcriptum inuenerit. vt ſit, Adimis tu ei qui iurabit? quod ego quemadmodum illi in mentem venerit, coniectura aſſequi non poſſum. ADIMIS autem oratoriè dixit, pro Denegas. poſſeſſionem enim libertus nondum adeptus erat.

Proſcriptum iuuat. Obiectio Verris, abſurda. Quapropter Cicero ſic refert, Lex eſt, quæ capite ſanxit, ſi quis proſcriptum iuuet. Si in legem commiſit, ea lege quæſtio conſtituatur, & Quæſitor ei legi præpoſitus, de ea re cum conſilio quærat. Nam ad eum Prætorem qui nactus eſt ſortem vrbanæ prouinciæ, vt ius diceret, huiuſce rei cognitio non pertinet. Sed quæri poteſt ad quem huius criminis quæſtio pertineret. Ego ad Maieſtatis prætorem puto: cùm id crimen publicæ ſecuritati aduerſetur. l. 1. & l. 3. D. ad leg. maieſt.

Libertinus homo. Quem antea libertum appellarat. nam hoc tempore vtrumque nomen eodem in homine ponebatur. cùm olim libertini eſſent ingenui ex libertis prognati: vt ſcribit Sueton.

Modeſtum ordinem. Omnes alij, O modeſtum ordinem: & ſic emenda. Rapit Verrem in inuidiam Libertinorum.

Poſſum ſexcenta decreta proferre. Alij omnes libri Sexaginta: quorum auctoritatem eleuat primùm conſuetudo Ciceronis, qui pro Multa, conſueuit ponere Sexcenta: deinde Donati auctoritas, qui in illud Terentij, Sexcentas dicas ſcribito, ſic inquit, Perſpicere hinc licet conſuetudinem vtriuſque ſermonis. nam Apollodorus μυρίας dixit, pro Multis. Et vt apud Græcos μυρία, ita apud nos Sexcenta dicere pro multis, vſitatum eſt. Cicero, Sexcenta poſſum decreta proferre. Hæc Donatus.

Præturam petere cœperit. At petitio annum vnum durabat. Ergo, elatoriè hoc dixit, pro, priuſquam deſignaretur Prætor comitiis prætorus.

Sulpitij patroni filia. Eius filia qui patronus fuerat defuncti Sulpitij Olympij. Verres enim edixerat, ſi quis libertus alienum heredem inſtituiſſet, neque quicquam patroni ſui libertis reliquiſſet, ſe iis ſextam hereditatis partem condonaturum. Qua de re dixi lib. Obſeruat 1. cap. 2.

Suam quoque rationem ducere. Vetus locuio, pro qua nunc dicimus, habere ſui rationem. hic ipſe lib. Epiſt. ad Att. VIII, Inde ſuſcepto bello, cùm pacis conditiones ad te afferri viderem, duxi rationem meam, quàm tibi facilè me probaturum arbitrabar.

Canibus ſuis quos circa ſe haberet. Canes opinor, item vt libro V, ob eam cauſam appellat, quòd indagare omnia & odorari ſolerent, ſiquid vſquam peruestigare prædæ poſſent.

Quos nunquam liberos putauit, libertinos homines ſolitus ſit appellare. Veteres, Quos nunquam liberos homines duxerit, ſolitus ſit app. in quo mendum eſt manifeſtiſſimum.

Qui ob ius dicendum. Notetur locus, ex quo illud intelligitur, Iuriſdictionis verbo, etiam dationem poſſeſſionis contineri.

In ſartis tectis. Sarta tecta quæ dicuntur ſuperius expoſitum eſt.

Frater germanus Q. Titinij. Nam Titinius cognomen erat. Itaque C. Titinius appellabatur.

Q. Tadius. Verrina VI. Q. Tadium nominat, qui in Sicilia cum ipſo fuerat, & eius iuſſu pecuniam pictoribus Græcis dederat, quam expenſam in tabulas retulerat, qua ex re coniecturam faciebam hunc Verri Quæſtorem fuiſſe: ſed explorati nihil habeo publicum quidem Tadium eius legatũ fuiſſe dictum eſt Verrina. 3. inf.

Nam quid ego. Quidam libri, Iam quid ego. Sed Nam, pro Iam vſurpat Cicero crebris ſermonib.

In æde Caſtoris. Ædem Caſtoris votam bello Latino, A. Poſthumio Dictatore, filius eius Duumvir, ad ipſum creatus, dedicauit. Auctor Liuius libro II. Eam poſtea L. Metellus Dalmaticus manubiis ſuis ornauit, infrà. Et in Orat. pro Scauro apud Aſconium, L. ipſe Metellus auus huius, ſanctiſſimos deos illo conſtituiſſe in templo videtur in veſtro conſpectu Iudices, vt ſalutem à vobis nepotis ſui deprecarentur. Erant autem in ipſo foro, celeberrimo in loco Prætorij, locati Caſtor & Pollux: vt ipſe ſcribit Verrina quinta extrema, infrà. Voſque omnium rerum forenſium, conſiliorum maximorum, legum iudiciorúmque arbitri, celeA berrimo in loco Prætorij locati Caſtor & Pollux. Sed cùm geminis fratribus ædes in foro eſſet conſtituta, ſolius tamen Caſtoris nomine vocabatur. auctor Suetonius.

Aduocationes fiunt. Aduocatur conſilium, in quo de maximis rebus deliberatur.

L. Sylla Q. Metello COSS. Error manifeſtus. Fuerunt enim hi Conſules annos ab hinc decem plus minus. Reponendum ergo ſine controuerſia, CESS. id eſt Cenſoribus, vt in duobus li-
B bris manuſcriptis.

Aurelius COSS. Anno ante Verrem Prætorem.

Veruntamen cùm eſſet. Satis conſtat vocem VERVNTAMEN otioſam eſſe: eámque etiam à nonnullis libris abeſſe. Sed tamen ita longum verbum temerè in hunc incidiſſe locum, difficile eſt credere. Aperiam igitur quod mihi in mentem venit, vt alij eruditiores melioribus argumentis id aut confirmare, aut repudiare poſſint. Solet Cicero CVM & TVM frequen-
C ter coniungere: interdum etiam adiuncta particula VERO, quæ vim verborum auget. Prætermiſſum igitur fuiſſe ſuſpicor à ſcriptore TVM VERO: eoque in margine poſtea repoſitum: ſed ea tamen nota qua plerique vti ſolent, linea videlicet impoſita, hunc in modum, tum verò. vt alius non ſuo loco verbum illud reponens, Tamen verò, ad extremum etiam Veruntamen ſcribendum putarit. Quamobrem ita legendum ac reſtituendum potiùs arbitramur, vt ex Q. Ta-
D dio cognouiſtis, cùm eſſet omnibus in rebus apertiſſimè impudentiſſiméque prædatus, tum verò hoc voluit c.r.i.l.ſ.

In ſinum delatum. Vltro ſibi oblatum, cùm minimè expectaret. Sinum enim dicit, vt oſtendat non quæſitum, ſed receptum.

In quo moliri. Moliri dicimur in re difficili & & laborioſa, quaſi molem mouere. Vſus igitur boc loco eſt eo verbo, quaſi furandi difficultatem in opere tam integro ac tam perfecto ſigni-
E ficans. vt paulopòſt, Tu Verres hîc quod moliare, nihil habes. Et infrà. Dubitamus quid iſte in hoſtium præda molitus ſit.

Aedem Caſtoris tradi. Per pupillum.

Sine vllo intertrimento. Intertrimentum vtriuſque partis damnum incommodúmque ſignificat. auctor Aſconius. Cuius rei cauſam declarat ex vi verbi Varro De lingua Lat. IV, his verbis, Detrimentum, ait, à detritu: quòd ea quæ trita, minoris ſunt pretij. Ab eadem mente Inter-
F trimentum: ab eo quòd duo quæ inter ſe trita, etiam deminuta ſunt. Hæc Varro. Scæuola verò in l. vlt. D. de pign. act. cullerrum, in quibus frumentum deportabatur & intertrimentum appellat.

Facilem pupillo traditionem. Difficilis traditio eſt, cùm multa deſunt: facilis ergo, vbi quod deſit, nihil.

Iam mehercule. Omnes manuſcripti, & impreſſi veteres, Nam mehercule. quod qui im-
G mutarunt, fortaſſe hanc particulam confirmandi vim ſignificatiouémque habere ignorarunt.

Qui legem noſſet. Id eſt contrariam locutionis & conductionis: vt ſæpe alibi.

Numerus traditur. Priſcianus TRADERETVR παραδίδοιτο ἄν: haud ſcio quo iudicio cùm proximè ſequatur FIT, non FIERET.

Prima-

Priuatorúmque omnium controuerſiis. Nominatim. Priuatorum controuerſias, quoniam Magiſtratus à priuato in ius (quemadmodum ex Gellio intelligimus) vocari nō poterat: niſi qui vocationem aut prehenſionem non habebat. vt Quæſtores, Tribuni Ærarij, Ædiles, quos etiam ad Prætorem vocatos idem demonſtrat. Et apertè ex l. cúmque, 13. D. de peric. & com. rei vend. At Magiſtratus à Magiſtratu poterat. ita puto: ſed Magiſtratum aut ius emiſſe, aut ad Chelidonem veniſſe, non putauit dici honeſtè. De magiſtratibus autem quos iudicio perſequi liceebat, ſic ſcribit Vlpianus, lib. Pandectarum XLVII, ſub tit. De iniuriis, Siquid igitur per iniuriam fecerit Magiſtratus, vel quaſi priuatus, vel fiducia Magiſtratus, iniuriarum poteſt cōueniri. Sed vtrum depoſito Magiſtratu: an verò quandiu eſt in Magiſtratu? Sed verius eſt, ſi is magiſtratus eſt qui ſine fraude in ius vocari non poteſt: expectandū eſſe quoad Magiſtratu abeat. Quòd ſi ex minoribus Magiſtratibus erit, id eſt qui ſine imperio, aut ſine poteſtate ſunt Magiſtratus, & in ipſo Magiſtratu poſſe eos conueniri. Idem in l. 2. D. de in ius vocando. In ius, inquit, vocari non oportet neque Conſulem neque Præfectum, neque Prætorem, neq; Proconſulem, neque cæteros Magiſtratus qui imperiū habent, qui & coercere aliquem poſſunt, & iubere in carcerem duci: nec Pontificem dum ſacra facit, nec eos qui propter loci religionem inde ſe mouere non poſſunt, ſed nec eum qui equo publico in cauſa publica tranſuehatur. Item in l. ſed etſi, 26. ex quib. cauſ. manu.

Sartis tectis dominata eſt. Aſconius legit, Sartis tectíſque dominata eſt: additámque eſſe particulam aut, vt plenum eſſet dictum. Ego Sarctis tectiſque, cum cōiunctione legiſſe puto Aſconiū: ſcripſiſſéq; Ciceronem: vt clauſula finis hexametri vitaretur.

In me iudicium ne det, mihi bona addicat. Quid ſit Iudicium dare, alibi oſtendimus. At Bona addicere, condonare eſt ex edicto, & ea pro imperio alicui permittere, veluti cùm Q. Annio P. Atellij bona Verres dedit, quòd is filiam hæredem inſtituiſſet.

Tabulas obſignabant. Tabulas Verris annulis ſuis obſignabant, in quibus ſcriptum erat, eos Verri pecuniam debere. Hinc Tabulis obſignatis agere: de quo alibi diximus. Plautus in Milite glor. Videtur tempus eſſe vt eamus ad forum, vt in tabellis quas conſignaui hic heri latronibus ego diminuerem ſtipendium.

Pecuniam confici poſſe. Pupillum, vt ab ea controuerſia liberetur, grandem pecuniam daturum.

M. Iunium tutor. Priſcianus lib. XVII. M. Iunius defenſor, tutor, & Patritius.

De Muſtio auditum. Aſconius alio quodam loco, Veteres, inquit, etiam de auditione teſtimonium dicebant. quod etiam ex Orat. pro Q. Roſcio intelligitur.

Etenim id iudicium. Omnes veteres, Etenim iudicium. quam ſcripturam, quia liber vetus Aſconij confirmat, immutare non auſim.

Vt ſuſcipiās ipſi negotiū. Reficiendarū colūnarū.

Quod erat H-S quadraginta millium. Quod minus mille aureis perfici poterat, tranſigunt H-S ducentis millibus, id eſt quinque millibus aureorum. Erat enim faber Rabonius.

Nullam maiorem pupillo. Quàm ſi columnæ arbitrio C. Verris reficiendæ locentur.

Proſcripta neque edicta die. Id eſt libello propoſito palámque affixo, in quo die auctioni conſtituebatur. Sic Vlp. l. ſed ſi 11. D. de inſtit. act. Proſcribere palam ſic accipimus claris literis vnde de plano rectè legi poſſit.

Ludis ipſis R. De ludis Romanis dictum eſt priore actione.

Renuntiat Rabonius illam deciſionem tutoribus. Hoc eodem modo dictum eſt, vt illud actione priore R. Renuntiata eſt tota conductio: id eſt vt in Aſconio; ex antiquo libro, reſtitui. Irritam nuntiat.

Digitum tollit. Mos in auctionibus. Qui licebatur in turba, digitū tollebat. ſic Verrina V, infrà. Vtrum eſt æquius eum qui manu quæſierat, an eum qui digito licitus ſit, poſſidere. Hanc etiam Feſtus cōſuetudinē notat, cùm ait, Manceps eſt, quiſquis à populo aliquid emit, conduciſve: quia manu ſublata ſignificat ſe auctorem emptionis eſſe. & ad hanc cōſuetudinē reſpexiſſe videtur Orator in ea de prouinc. conſular. ib. vbi ſic ſcribit. Cùm palā populi R. imperator inſtructo exercitu dexteram tendens nō ad laudem milites hortaretur: ſed omnia ſibi & empta & vendita eſſe clamaret.

Si opus pupillo redimeretur. A tutorib. Id eſt ſi pupillus ipſe reciperet ſe columnas refecturum.

Sires abiret ab eo mancipe. Mancipes ergo, nō tantùm Publicanorum principes dicebantur, ſed omnino quicunque aliquid in auctionibus emebant.

Improbè vel callidè. Alij omnes, Verum callidè, in quo mendum eſt apertiſſimū. Nam improbe πλεονῶς ſignificat: & in eo ponitur. qui cùm probus videri velit, eſt tamen nefarius.

Præda de manibus eripitur. Sperabat enim ab eo ſe partem pecuniæ maximam recepturum, cui pretio quammaximo imperato, opus illud addixiſſet.

In bonis, prædibus, prædijſq́ vendendis. Vellē in huius loci interpretatione poſſem vel non nominare Aſconiū, vel eū honorificētius appellare. Sed quoniā noſtram ſententiā confirmare, niſi recepta opinione infirmata, nō poſſumus, quod meū officium eſt, quódq; mihi ab initio has partes ſuſcipiēti propoſitū fuit, faciā, vt omnia liberè exponā: in quo tamen à me, vt æquū eſt, omnia cautè pedetentímque dicētur, vt neque ratio mei officij neglecta, neque illius ſingularis auctoritas læſa eſſe videatur. Satis conſtat agere hoc loco Ciceronem de locatione publicorū operū, docerēque Iudices, eū cui propè ſoli reficiēdi quod tuendū redemerat, poteſtatē factam oportuit, ab eo tamē negotio iniquitate Verris excluſum eſſe. Cùm igitur magis magiſque facti indignitatem intelligi ac perſpici vellet, veterē omniū Conſulum, Cenſorū, Prætorū, Quæſtorúmque conſuetudinē oſtendit, vt ex ea facilius quàm lōgè ab æquitate Verres diſceſſerit, appareat. Cōſuetudinē aūt eſſe ait, vt in operib. locādis (quæ ipſa etiam Bona dicſitur eorū qui redemerūt; vt ex eo apparet quod continuò ſequitur, Scilicet tu Prætor in mea bona quos voles, immittes) in quibus & prædes & prædia dātur à conductoribus, optima conditione ſit is, pluráque ei concedantur, minimḗque ſummo iure cū eo agatur, cuia res eſt redempta, & cuium periculū eſt, ſiquid vitii contigerit. Ex quibus intelligi volumus, quod ait BONIS VENDENDIS, perinde accipiendum eſſe, quaſi dixiſſet, Locandis. vt quemadmodum Redimere pro Conducere dicimus, & Redemptor pro Cōductor, ita Vēdere pro Locare dicendum ſit, & opus faciendum alicui tradere, quod apertiſſime Caius Iuriſconſultus confir-

mat in l.19. & 20. D. de act. empt. vbi de publicanis A
loquitur. vectigalia redimunt veteres, inquit, in em-
ptione, venditione, quæ appellationibus promiſcuè
vtebantur: item eſt & in locatione & conductione.
Bona autem, vt modò dixi, res ipſæ conductæ di-
cantur, quaſi ipſius redemptoris factæ ſint. vnde ait,
Cuia res ſit, Ex continuo poſt, In mea bona. Prædi-
bus verò & Prædiis dictum in ſexto caſu intelliga-
tur, quaſi dixiſſet, Datis vel appoſitis prædibus &
prædiis. Hæc interpretatio ita perſpicua, itáque ad
ipſa Ciceronis verba mihi quidem accommodata B
videtur eſſe, vt aliam qui quærat, neminem futurum
exiſtimem. Videamus tamen Aſconij auctoritas
quid valere in præiudicata opinione debeat. Bona,
inquit, prædia, dicuntur bona ſatiſdationibus ob-
noxia. Et paulo poſt, Bona prædia res fideiuſſorum
dicuntur. Quid? in his verbis, Conſuetudo in bonis,
prædibus, prædiiſque vendendis: referrѐne nomen
Bonis ad illud tertium PRÆDIIS, dicemus? Ex Aſ-
conij quidem ſententia, non dubitanter affirmabi-
mus. vt etiam vera eorum eſſe opinio videatur, à C
quibus annotatum fuiſſe vidimus, Bona ex Aſconij
ſententia ſubſtantiuum eſſe, Prædia verò adiecti-
uum: quaſi verò vocem Prædia, vſquam adiectiuè
poſitam videamus. quanquam vt maximè poſita
ſit, quorſum tamen proximum illud Prædibus, per-
tinebit? Quod ſi BONIS adiectiuum eſt, tantúmne
igitur ad Prædijs referendum erit, ac non etiam ad
Prædibus? Sed hæc omitto. Satius enim videtur eſ-
ſe, de loci ſententia dicere. Quæ fuit mens Aſconij, D
cùm putaret de prædum & fideiuſſorum agris, bo-
niſque vendendis, Oratorem agere? vbi tandem de
D. Bruti prædiis auctione vendendis, vlla ſuſpicio
eſt? Atque vt fuiſſe concedam, tamen ecquid ad
propoſitum pertinet, in bonis fideiuſſorum ven-
dendis, optima eſſe conditione an redemptores, an
fideiuſſores? neque enim ſatis intelligo vtrum ad
hos an ad illos potius illud referendum exiſtimet,
CVIA RES SIT: CVIVM periculum. Sed nimis
multa fortaſſe, præſertim in ea re quæ ſine contro- E
uerſia planior eſt, quàm vt lõgæ diſputationis indigeat.

Prædibus & prædiis populo cautum eſt. Id eſt, dati
ſunt ſponſores, oppoſitáque eorum bona & prædia
pignori, ni probum & non vitioſum opus fieret. Si-
militer Liuius libro Decadis tertiæ ſecundo, vbi de
captiuis redimendis actum eſſe in Senatu comme-
morat, cenſuiſſe quoſdam ſcribit, de priuato à co-
gnatis, ſi velint, redimendos: quod ſi quibus argen-
tum in præſentia deeſſet, dandam ex Ærario pecu-
niam mutuam, prædibúſque ac prædiis cauendum
populo. Sunt autem prædes, vt ſcribit Varro, & Præ F
dia à præſtando dicta, quòd ea pignori data publi-
centur, ni Mancupes fidem præſtent. qui tamen lo-
cus apud Varronem corruptiſſimè legitur. In-
terdum etiam Prædes, prædia ipſa ſignificare pu-
tant. vt in illo Phippicæ II, Ne L. Plancus prædes
ſuos venderet. quod tamen Aſconij ſententiam
nulla ex parte tuetur. cùm de prædum bonis vendẽ-
dis ſuſpicio nulla ſit, ſed tantum de operib. locãdis.

In mea bona quos voles immittes. Id eſt, in opus il- G
lud quod faciendum redemi. Nam vt qui conduxe-
runt, Redimere dicuntur: eodem modo quæ con-
ducta ſũt, Redẽpta & Redẽptoris bona nominãtur.

Opera pretium eſt ipſam legem cognoſcere. Legem
dixit, antiquè pro pactione, vt in Com. de verb. Iur.
diximus. Placet aũt in marmore inſcriptã legẽ parie
ti faciendo Puteolis inuẽtam hoc loco adſcribere:
partim quod hunc locũ nõ mediocriter illuſtret, par
tim etiã vt antiquitatũ R. ſtudioſis gratum faciam.

ab Colonia deducta anno XC. N. Fuſidio N. F.
M. Pullio duouir. P. Rutilio Cn. Mallio Cos.
operum lex II.

Lex parieti faciendo in area quæ eſt ante ædẽ Sera-
pi trans viam qui redemerit, prædes dato prædiáq;
ſubſignato, duumuirum arbitratu. In area trans viã
paries qui eſt propter viã in eo pariete medio oſtiei
lumen aperito latum P. VI altum P. VII facito ex eo
pariete antas duas ad mare vorſum proiicito lõgas
P. II. craſſas P. I. inſuper id limẽ robuſtũ lõg. P. VIII.
latũ P. I. altũ P. S — impoſito inſuper id & antas
mutulos robuſtos duos craſſos S — altos P. I. pro-
iicito extra pariete in vtrãq; partẽ P. IV, inſuper ſi-
mas pictas ferro affigito inſuper mutulos trabiculas
abiegnieas II craſſas quoq; verſus S. impoſito. Fer
róq; figito inaſſerato aſſerib' abiegnieis ſectilibus
craſſeis quoq; verſus — diſponito ne plus S —
operculáque abiegneia lata a — craſſa — cu-
matiúmque impoſito ferróque plano figito por-
tuláque tegito tegulatúmque ordinibus Seneis
quoque verſus tegulas primores omnes in ante-
pagmento ferro figito, marginémque impoſito
eidem fores clatratas II cum poſtibus æſculineis fa-
cito, ſtatuito occludito picatóque ita vt ei ad ædem
honorus facta ſũt eiſdẽ maceria extrema, paries qui
eſt eam parietem cũ margine altum facito P. X. eiſ-
dẽ oſtium introitu in area quod nũc eſt & feneſtras
quæ in pariete propter eam areã ſunt parietem ob-
ſtruito, & parieti qui nũc eſt propter viã marginem
perpetuom impoſito, eóſque parietes marginéſque
omnes quæ lita non erunt calce harenato lita pol-
litáque & calce vda dealbata recte facito, quod o-
pus ſtructile fiet in terra calcis reſtinctæ partem
quartam indito nive maiorem cæmenta ſtruito,
quam quæ cæmenta arda pendat P. XV. niue ango-
laria altiorem — facito.

Locúmq; purum pro eo opere reddito eidẽ ſa-
cella aras, ſignáq; quæ in cãpo ſunt, quæ demõſtrata
erũt ea omnia tollito deferto componito ſtatuitóq;
vbei locus demonſtratus erit duumuirum arbitratu
Hoc opus omne facito arbitratu duouir. & duum-
uiratiũ qui in cõſilio eſſe ſolent puteoleis dũ ib mi-
nus viginti adſient cũ ea res cõſuletur quod eorum
viginti iurati probauerit probũ eſto dies operis K.
Nouẽb. primeis dies pequn pars dimidiata dabitur,
vbei prædia ſatis ſubſignata erunt, altera pars dimi-
dia ſoluetur opere effecto probatóque. C. Bloſſius
Q. F. H-S ∞ D idemq; Præſ. Q. Fuſcius Q. F.
Cn. Tetteius Q. F. C. Granius C. F. Tr. Craſſicius.

Ex opere faciundo, quæ pupilli Iunij. Vetus, Ex ope
re faciũdo pup. Iunij quæ. & ſic puto corrigendum.

Corriguntur leges Cenſoriæ. Vetus liber Aſconij,
Cenſoriæ. vt ſit, more & exemplo Cenſorũ. A Cen-
ſoribus autẽ ſarctorum tectorum leges conſcribe-
bantur, quibus addere poſteriores Cenſores non-
nunquam capita quædam ſolebant, quos C. Verres
imitatus eſt. Infrà tamen Verrina V, Cenſorias le-
ges hoc edicto commutatas dicit. vt nihil immutã-
dum videatur. De lege Cenſoria, quæ ad Siciliæ
portum pertinebat, mentionem facit Vlpianus in l.
in lege Cenſoria, D. de verb. ſignific.

Cn. Domitius. Totus hic verſiculus, Cn. Domi-
tius. L. M. L. C. Cn. S. Cenſores addiderunt, gran-
dioribus literis ſcribendus eſt. Verba enim hæc
ſunt capitum, quæ vulgò à Cenſoribus addebantur.

Socium

Socium ne admittito, néue ei partem dato, né've ei redimito. Cœpit hic locus emendari, reſtituto duobus locis quod tum in impreſſis multis, tum etiam in Aſconio deerat, pronomine EI. Quid enim ſenſus elici poterat, cùm ita ſcriptum eſſet? Qui de Cenſoribus redemerit, ne redimito. ſed cœpit, vt dixi, emendari, non enim planè integritati tuæ reſtitutus es. Nos verò ex noſtro libro, quod antea inchoatũ erat, abſoluimus. Reponimus enim quod ſuo loco deerat, pronomen EVM: vt poſthac ita legamus, Qui de Cenſoribus redemerit, eum ſocium ne admittito. Pupillum autem intelligi ſicuti conſtat ex eo quod antè dixit, legem ab eo ſcriptam, qua pupillus excluſus eſt: & præcipuè ex eo quod continuò ſequitur, Ne parum locuples eſſet, &c. Quod autem ſcribit, Neve ei redimito, hunc habet ſenſum, Ne alter verbo redimat, reuera autem pupillus. Superius enim dixerat, Si opus pupillo redimatur.

Subierant periculum. Alij omnes, Subierunt: ſed hanc ſcripturam liber Aſconij confirmat.

H-S CLX *millib.* Quatuordecim millib. aureorũ.

H-S LXXX *millibus.* Duobus millib. aureorum.

Vetus tectorium delitum ſit. In aliis puto omnib. Deletum, nihil muto. Nam Delitas literas auctore Priſciano dixit M. Tullius in Epiſt. ad Caluum, Tulli moleſtè, quòd literæ delitæ mihi antè redditæ ſunt. Apud eundem tamen lib. XVIII. hoc in loco reperio OBIECTVM.

Aedilitatem petiuiſſem. Ædilibus quippe ſacrarum ædium procuratio committebatur. libr. 3. de Legib. & Accuſat. v.

Satiſdet damni infecti. Damnum infectum, inquit Caius Iuriſconſultus, eſt damnum nondum factũ, quod futurum veremur. Eſt autem præciſa locutio. ſubauditur enim Nomine. Satiſdare ergo damni infecti eſt, cauere datis fideiuſſoribus ſe damnum, ſi quod accidat, ei cuius intererit, præſtaturum.

Hoc opus bono ſuo quoque. Alij omnes, in queis Aſconius, Bonum ſuo cuique. mẽdoſè, vt arbitror. His enim quæ poſuimus, orationis verbis, eius accommodata videtur interpretatio: vt ſit ſenſus, Hoc opus bona quaque re, ac materie facito.

Lapis aliquis cædendus & apportandus fuit machina ſua? an illò, &c. Dele notam interrogationis. & puta dictum pro conſuetudine loquendi, directò, nullo verſo aut mutato verbo. vt ſi diceret, Quam vim iſtius fuiſſe legis exiſtimatis, qua iubetur opus bona quaque re fieri? Parui aliquot lapides cædẽdi fuerunt. & machina supernè tollendi, atque in ſuum locum deportãdi. Hoc eſt vniuerſum opus quod fecit Rabonius. nam quod ſequitur, An illò, &c. ſic emendo, vt in Aldino & aliis impreſſis ac manuſcriptis omnibus, NAM ILLO, ſine interrogandi nota. Differunt enim Saxum & Lapis: vt omnes norunt. Ideo ait, lapidem aliquem cædendum fuiſſe, & ſupernè machina tollendum ac deportandum. At ſaxa maiora nulla neque opus fuiſſe, neque aducta eſſe. Et addit MACHINA SVA, quia data opera machinam à fabro certam fieri oportebat.

Pauca opera fabrorum mercedis tulerunt. Argumentum ex conſequentibus, Quoniam parua ſit ces, parum quoque operis eſſe factum. Nam quod ſequitur, VTRVM EXISTIMATIS, hoc ideirco ſubiunxit, vt oſtenderet paruam fuiſſe mercedem, ex eo quòd pro opere multo maiore, perexigua tamen pecunia ſoluta eſt: nempe mille ſcutati. Mercedes tamen in aliis corruptè legitur.

A

Manupretij machinæ. Manupretium quid ſit, opinor, cum Aſconio, tum ex his Valerij verbis intelligetur, quæ ſunt in eius Oratione apud Liuium, Decadis quartæ libro quarto, Sed in purpura quæ teritur, abſumitur, miuſtam quidem, ſed aliquam tamen cauſam tenacitatis video: in auro verò, in quo præter manus pretium nihil intertrimenti fit, quæ malignitas eſt? Item ex illo Alpheni Iuriſconſulti, libro Pande. XIX. Quoad opus lapidis erit, pro

B

lapide & manus pretio dominus redemptori in pedes ſingulos ſeptena dabit, item ex illo Plauti in Menæhmo.

ANCILLA, Obſecro mi Menæhme inaures da mihi)

Faciunda pondo duum nummûm ſtalagmina;

Vt te lubenter videam, quom ad nos veneris.

MENÆH. Fiat. cedo aurũ: ego manupretiũ dabo.

Senſus eſt igitur, Nihil opus fuit illo capite legis,

C

quo iubetur, vt opus bona materie fiat. Nam materies nulla noua aducta eſt. vſi ſunt iiſdem lapidibus, quos tantummodo renouarunt, (quemadmodum paulo pòſt ait, Totum opus ex rediuiuis cõſtitutũ eſt) itaque ſumptus dũtaxat factus eſt in fabrorũ operas, eáſque perpaucas, & manus pretium eius machinæ quam ille data opera fecit. non enim materiei machinæ ratio ducenda eſt, quæ ad Fabiũ redit, ſed manupretij tantùm. Quæ cùm ita ſint, ſine dubio corrigendum, vt in aliis omnibus, Manupre-

D

tium, in recto caſu, vt ſit, Quantum abſtulit mercedis manupretium machinæ.

Vtrum exiſtimatis. Hæc eò pertinent, vt quàm exiguus factus ſit ſumptus, intelligatur.

Lapide rediuiuo. Rediuiui lapides dicuntur, qui ſumpti ex edificio vetere, deintegro cæduntur, nouámque formam, quaſi in vitam reuocati, recipiũt, vt eſſe propè alij lapides videantur.

H-S *quadragenis millibus.* Mille coronatis.

Ad extremum conſcripſerit. Nonnulli libri AB-

E

SCRIPSERIT quod Priſcianus lib. XVIII. confirmat vbi pro CONSTITVERETVR etiam ſcriptũ reperio CONSTRVERETVR κατὰ συνέκδοχὴν ἄρα.

Atenim pupillo redimi non licebat. Legendũ, vt in Aldino. & aliis omnib. Atenim ſi pupillo. quanquã leue eſt hoc mendũ, aliud ſi nullũ eſſet: non enim cohæret oratio cũ iis quæ antecedunt. Quorſum enim pronomẽ IPSVM referendũ dicemus? Ad Raboniũ quidẽ pertinere, nõ eſt dubiũ. Sed eius, niſi duabus antè paginis, nullũ verbum factũ eſt, quò ſine cõtro-

F

uerſia, non eſt veriſimile Oratorem tã longè ſuam orationem retuliſſe. Deeſſe igitur perexiguũ quiddam apparet, in quo Rabonij mentio fiebat.

De populo accedere. Hoc interrogatiuè legendum putat Aſconius. Ex quo illum credibile eſt, paulo aliter hũc legiſſe locũ, hoc opinor, modo, Num neceſſe erat rem ad ipſum peruenire? non poterat aliquis ad hoc negotium de Populo accedere.

Anguſtiis temporis excluduntur omnes. Anguſtiã rẽ tamen diẽ operi faciundo præſtitã arbitratu

G

boni viri proferri. Labeo teſtatur in l. inſulã. 58. D. locat. In operis, inquit, locatione erat dictũ antequã diẽ effici deberet dicẽdo ſi ita factũ nõ eſſet quanti locatoris intereſſet. tantã pecuniã cõductor promiſerat, eatenus eam obligationem contrahi puto quatenus vir bonus de ſpatio temporis exiſtimaſſet. quia id factum apparet eſſe vt eo ſpatio abſolueretur ſine quo fieri non poſſit.

A *Nemo Rabonio moleſtus eſt, neque Calendis Decemb. neque Nonis, neque Idibus.* Subtiliſſimè locum hunc interpretatus erat Aſconius: quemadmodum quidem ex eius verborum veſtigiis ſuſpicari poſſumus. Sed verba propè omnia in iis quidem libris quos vidimus, inciderunt. Hanc tamen illorum fuiſſe ſententiam ſuſpicamur, Religioſis diebus vim cuiquam fieri non licebat. Idcirco Calendas & Idus nominauit, cùm diceret Rabonio moleſtum neminem fuiſſe. Nam Idus Ioui, Calendæ Iunoni dicatę ſunt. Nonas tamen, qui dies feriatus non erat, etiam B nominauit: opinor, per occaſionem inductus aliorum ſimilitudine dierum ſolennium. tametſi hæc ex ipſa actionis ratione, ac pronuntiationis, per irriſionem dici, ſatis intelligi poſſe arbitratur Aſconius. Sed de actione iudicare ipſi aut perquam difficulter, aut nullo prorſus modo poſſumus. Hiſtoriam quidem, ex Macrobij Saturnalium primo, breuiter explicauimus.

C *Negabat opus in acceptum referre poſſe.* Quid ſi, Referri? ſed in hoc vis nulla eſt. Illud potius imprimis obſeruandum eſt, referri in accepti tabulas non tantùm pecunias, verumetiam opera, ſi quæ deberentur, moris fuiſſe.

Codicem obſignaſſem. Notum eſt quod ſuprà declarauit Aſconius, moris fuiſſe, vt accuſator omnia clauſa rei obſignaret.

Amicos allegat. Qui à me contendant vt codicis poteſtatem faciam.

D *Aliquid defenſionum.* Rectius, puto, legatur, vt in lib. Aſconij, Aliquid defenſionis. Defenſionem autem intelligit aduerſus eorum accuſationem, qui dicerent, cùm opus à Rabonio non eſſet ſua die perfectum, eum tamen non exegiſſe.

Hac conditione ſi quis de populo Redemptor acceßiſſet. Ex hoc loco iandiu conor ſenſum aliquem eruere, ſed adhuc non poſſum, ita mihi obſcurus eſt, ac reconditus. nam quod affert Aſconius difficultatem mihi potius augere, quàm tollere videtur. Quòd e- E nim verba hæc, QVI SIBI ereptam prædam arbitraretur, ad Rabonium referri putat oportere, hoc falſum eſſe intelligitur ex eo, quòd neque ſi quis alius ad hanc redemptionem acceſſiſſet, in Rabonij poteſtatem veniſſet: neque hæc verba intelligi de alio videntur poſſe, quàm de illo ipſo, ad quem eadem propè verba pertinent quibus paulo antè vſus eſt, SI OPVS pupillo redimitur, mihi præda de manibus eripitur. Deinde quæ ſubiicit argumenta, quibus doceat ad Verrem pecuniam perueniſſe, ap- F paret manifeſtiſſimè ad illud ipſum probãdum pertinere, quod in extremo dixerat. Ex quibus arbitrari profectò cogimur, deprauatum eſſe locum, itáq; reſtitui poſſe vt ſic legatur, Hac conditione quiuis de populo redemptor acceſſiſſet: ſed cùm die cæteros redemptores excluſiſſet, tum in eius arbitrium ac poteſtatem venire nemo volebat, qui ſibi ereptã prædam arbitraretur. hoc ſenſu, Si hanc conditionẽ operi dixiſſet, vt quadriennio pòſt, eius operis ratio exigeretur, quiuis de populo redemptor acceſſiſſet: G ſed duæ aliis omnibus res obſtabant. primum anguſtiæ temporis. nam Verres die cæteros excluſerat. ſic enim Accuſat. tertio loquitur, Exiguam diem præfinire operi, quo cæteros ab negotio excluderes: cùm ipſe in tuo redemptore nullam certam diem obſeruares. Deinde, vt ſuprà dixit, probatio futura erat Verris. idcirco nemo eum de opere ſuo arbitrari ac iudicare volebat, qui ho-

A lum illum, quem iſte iam ſpe atque animo deuorarat, ſibi quaſi è faucibus ereptum arbitraretur. Significat autem pupilli pecuniam, quam ei pro opere faciundo imperaturus eſſet. Mirum eſt autem Priſcianum lib. XVIII. ſic locum hunc citare: hac conditione ſi quis de populo redemptor acceſſiſſet, non eſſet vſus: nam ſi quis acceſſiſſet, &c.

Cùm die cæteros excluſiſſet. Verres, ſcilicet. quod tamen falſum eſſet, ſi nihil immutaremus. nam ſi quadriennium præſtituiſſet, neminem excluſiſſet.

B *Venire nolebat.* Vetus liber Aſconij, Volebat, in quo ſenſus nullus eſt. Meam tamen coniecturam etiam adiuuat.

Nam quid argumentamur. Omnes libri veteres, Nónne argumentamur. in quo mendum manifeſtum eſt. Scriptum fuiſſe opinor, Non enim. ſed ea nota, quæ peruulgata eſt, vt litera. n. inter duo puncta collocetur. Quod ſi liber antiquus noſtram hãc confirmaret, lubentius eam reciperem.

C *Nam quid argumentamur.* Quorſum hæc? vt hoc confirmet quod modò dixit, Hanc fuiſſe Verri prędam propoſitam.

Fecit iſte indicium. Placet ſic, Fecit ipſe indicium per N. vt in aliis omnibus.

D. Brutus contenderet. Vt aliquid pupillo redimeretur. Apertè autem id contendiſſe illũ dicit, quippe Verris conſilium & technam intelligentem.

Numerauit. Rabonio ſcilicet. idque ex lege, quæ præſentem pecuniam ſolui iubebat.

D *Quod iam iſte ferre non poterat.* In libro Aſconij, Referre. quod quemadmodum conuenire poſſit, non diſpicio. Horum autem verborum ſenſus eſt huiuſmodi, Quoniam tantam Bruti contentionem diutius ferre non poterat, opere addicto Rabonio H-S IↃLX millibus, prædibus acceptis ab eodem Rabonio, remiſit, &c.

H-S LX millibus. Scutatis mille & quingentis.

Rabonij tabula. Scripſerat Rabonius, addictã ſibi à C. Verre pecuniam numeratam non eſſe,

E *Pupillum Iunium w. prætextatum.* Nam prætexta pueri toga ad annum ætatis XVII vtebantur: quo anno puram ſumebant, quæ Virilis dicebatur.

Populariter agere. Id eſt, ſeditioſè, & inuidioſè in ordinem Senatorium.

Gracchi & Saturnini. Non exponimus hiſtoriã, quam vnicuique notam eſſe arbitramur. vide Appianum lib. de bellis ciuil. lib. I, Florum in Epit. & Plutarchum in Gracchorum vita.

Paulo tamen obſoletius. Paulo tandem, apertius F legeretur, hoc ſenſu, Qui antea ſplendidè magnificéque veſtiebatur. Erat enim Verres attratus in iudicio cum liberis & cognatis, vt erat conſuetudo. Quanquam TAMEN, pro Tandem frequẽter à Cicerone vſurpari ſuprà docuimus, Et Obſoletius veſtiri, antiqua loquutio eſt, pro Detrita & ſordida veſte indutum eſſe, vt in Rulliana II, Veſtitus obſoletior, & apud Liuium libro 27. vbi de M. Liuio loquitur, Erat, inquit, veſte obſoleta, capillóque & barba promiſſa.

G *Sine bulla venerat.* Aurea bulla ornamentũ puerorum erat ingenuorum, quorum patres equo meruiſſent, in cordis figurã formata, quam ante pectus geſtabant. de qua Macrobius pluribus verbis commemorat libro Saturn. primo: Plutarchus in Romulo, & Plinius lib. XXXIII. Titus quidem Liuius libro Decadis III. ſexto, ſic ſcribit, Aurum, argentum, æs ſignatum omnes Senatores craſtina

die

die in publicum conferamus: ita vt annulos ſibi quiſque & coniugi, & liberis, & fillo bullam, relinquant.

Ius ingenuitas dabat. Prætexta. Solis enim ingenuis ea conceſſa erat, libertinis verò nullo iure vti prætextis licebat, ac multo minus peregrinis, quibus nulla eſſet cum Roma iis neceſſitudo. Sed poſtea libertinorum filiis certa de cauſa prętexta conceſſa eſt quam Macrobius eodem loco exponit.

Quod ornamentum. Bullam auream.

In Vltima Phrygia, quid in Vltimis Pamphyliæ partibus. In his regionibus Legatus, & Proquæſtore Cn. Dolabellæ Conſuli fuerat.

In foro populi R. Furtum in æde Caſtoris factum ſignificat, quam paulo antè in foro fuiſſe docuimus. Eodem modo ſcribit in libro ſequenti infrà, Quum videret in foro latrocinia Præturæ, &c.

Templum illud. Hæc dicit manu ædem Caſtoris oſtendens.

A ſigno Vertumni. Hic præeſſe creditus eſt contrahendis permutandíſque rebus: vnde Vertumni nomen reperiſſe arbitror. non quò mentes hominum & cogitationes verteret, vt nonnulli putant, ſed quia vertendis rebus præeſſet. Sed de Vertumni ſigno, quod in vico Thuſco fuiſſe traditur, extat elegia Propertij perelegans, in libr. Elegiarum IIII: quam vide omnino. Ex vico autem Thuſco in circum maximum, vbi ludi committebantur, iter eſt: quod (quia per illud iter deferri dij in thenſis ſolebant, in quorum honorem ludi dabantur, quemadmodum ex lib. Accuſa. quinto intelligimus) Æ diles curabant, quibus commiſſa erat ludorum procuratio. Significat igitur Verrem, cùm ludis præeſſet, quæſtum ex eius viæ curatione feciſſe. Fieri autem quæſtus poterat à viarum curatoribus, cùm aut ne quis viam facere cogeretur pecuniam dabat, aut id quod factum eſſet, ne improbaretur. Idem libro Accuſat. V, Omnéſque dij qui vehiculis thenſarum ſolennes cœtus ludorum initis, quorum iter iſte ad ſuum quæſtum, non ad religionum dignitatem faciendum exigendúmque curauit.

In quo quoque gradu. Particula IN ab aliis pleriſque libris abeſt & citatur ſine ea locus hic à Priſciano.

Eiuſmodi exegiſti. Cùm ei Ædilitatem gerenti ludorum procuratio commiſſa eſſet. Nam de Ædilitate hunc locum interpretari cogimur: quamuis nuſquam eius mentionem faciat.

Freto diſiunctus. Freto interfuſi maris, quo Sicilia olim Italiæ cohærens auulſa eſt. quod quàm latum ſit Thucydides exponit, initio libri ſexti, his verbis, Σικελίας γὰρ περίπλους μέν ἐστιν ὁλκάδι οὐ πολλῷ τινὶ ἔλασσον ἢ ὀκτὼ ἡμερῶν, καὶ τοσαύτη οὖσα, ἐν εἰκοσισταδίῳ μάλιστα μέτρῳ τῆς θαλάσσης διείργεται τὸ μὴ ἤπειρος οὖσα.

Cùm populus R. Apud Priſcianum eodem loco reperio. Quam populi R. vt ad iudices referatur. quod mihi non probatur. VICERENT autem dictũ ſcribit ὁρῷεν ἄρα, omnino eo aſpicerent.

Atque etiam. Atque etiam pro Atqui, vt alibi frequenter. Accuſat autem Verrem, quòd cùm Prætor vrbanam prouinciam ſortitus eſſet, iuríque dicundo præeſſet, quæ prouincia à capitalibus quæſtionibus ſeiuncta omnino eſt, quæſtioni tamen legẽ Cornelia conſtitutæ præfuiſſet. quod à noſtris iuris ſtudioſis diligenter obſeruari velim, qui de I. Impe-

A rium tanta contentione diſputant: cùm apertè conſtet, Quæſitorum merum Imperium fuiſſe, atque à Iuriſdictione planè diſiunctum: Prætoris verò vrbani mixtum fuiſſe, & in ſola iuris dicundi prouincia conſtitutum.

Petita multa eſt. Ea videlicet, quæ lege Cornelia conſtituta fuerat: ſi quia eam legem migraſſet. Antea tamen cùm quis Magiſtratus multam irrogaret, eius multæ certatio ad populum erat: vt ex libro III, de Legibus intelligitur, Oratione pro
B Cluentio, & aliis locis innumeris. Vnde autem deductum hoc nomen ſit, valdè obſcurum puto: cùm Sabinum, non Latinum eſſe vocabulum, Varro, auctore Gellio, teſtetur.

Adductus eſt in iudicium verbo. Id eſt, nullo argumento, nullis probationibus. Similiter in Orat. pro Sext. Roſcio, De quibus quoniam verbo arguis, verbo ſatis eſt negare. & infrà Oratione proxima. Itaque tantùm verbo poſuit: Sacerdote Prætore, Sthenium literas publicas corrupiſſe. Niſi for-
C tè ſic poſtea ſcribendum eſt, vt duos ab hinc annos ſuſpicatus eram, & modò quoſdam libros Lutetiæ & Florentiæ multis ab hinc annis impreſſos ſcriptũ habere reperio, Re quod in Tribunatu, & omnino ita eſt, nam Priſcianus eo quem ante citaui loco hoc amplius REVERA ſcriptum habet.

Contra legem Corneliam interceßiſſet. Corneliam Tribunitiam intelligit, quam L. Sylla victor tulerat ne ad tribunos pl. prouocatio eſſet, vt ne iis intercedere liceret. Cicero lib. I. de legib. III. & Cæſar
D Gallici belli lib. I.

Paucos homines arrogantes. Non eſt omittendum ſine cauſa quod, hoc amplius, in lib. Aſconij reperio, neque ab hac ſententia alienum eſt, Paucos homines, vt leuiſſimè dicam, arrogantes.

Detrahere conatus ſit. Omnes libri veteres, Conatus eſt, quod ſine cauſa immutare non auſim.

Tabulas quas protuliſti. In Oppianici iudicio ſubſortitione facta dicebatur Iunius, Prætor eius quæ-
E ſtionis, alios qui Iudices eius conſilij non eſſent, ad explendam damnationem ſuppoſuiſſe. Id vehemẽter confirmatum eſt auctoritate prolati codicis C. Verris, Prætoris vrbani, in quo ſcripta inueniebantur aliorum iudicum nomina, quàm qui Oppianicum damnaſſent. Solebant enim nomina ſelectorum iudicum à Prætore vrbano conſignari, & vbique haberi, vt ex illo conſtat quod eſt ſuprà. Libelli nominum veſtrorum, conſilíque huius in manibus erant omnium. Itaque in Oratione pro Cluentio,
F Multa, inquit, à C. Iunio petita eſt, quòd C. Verres, Prætor vrbanus homo ſanctus & diligens ſubſortitionem eius, in ſuo codice non haberet.

Annulus aureus. Vide infrà lib. III.

Interpolando. Renouando ceram, ne litura lacunáve appareat. Interpolare, inquit Nonius, eſt immittere & interponere, & nouam formam è vetere fingere. & eſt tractum ab arte fullonia, qui poliendo diligentér vetera quæque, quaſi in nouam ſpeciem mutant. Plautus in Amphytrione, Illic homo
G me interpolabit, meúmque os finget denuo. Hæc Nonius. Apud Plautum autem de Mercurio Soſia loquitur, cùm illum de pugnorum vi ac pondere prædicantem audiſſet.

Reperire poßet. Omnes alij, Reperire poſsit. quod non puto immutandum.

Eiuſdemmodi ſortitionem. Aſconij liber, Eiuſmod

A ſubſortitionem. Vtrum legamus, non magni referre arbitror. Etſi enim de ſubſortitione loquatur, ſortitionem tamen pro ſubſortitione poni, alio loco docuimus.

Per ſodalem ſuum Q. Curtium. Sodales dicuntur eiuſdem imperij prouincialis miniſtri, & adiutores. vt ſuprà, Nam ille quoque ſodalis iſtius erat in hoc morbo. vt huius Q. Curtij ſodalem fuiſſe, dum Cn. Dolabellæ vel Legatus, vel Proquæſtor eſſet, appareat. Nam infrà, ſic ſcribit, Hinc ratio cum Q. & Cn. Poſthumiis, Curtiis, multis nominibus, &c.

B *Ex hac decuria noſtra.* Hoc anno Senatum iudicaſſe, conſtat ex initio huius & ſuperioris Orationis. In Senatu autem trecentos fuiſſe Iudices ex cenſu conſtitutos, docet Celius in Epiſt. lib. VIII, Plutarchus in Gracchorum vita, & Plinius lib. XXXIII. itémque Florus in Epit. lib. LX. Legebantur autem annorum non minus XXXV, vt ſcribit Suetonius in Auguſto. Iam in prima & quinta Philippica tres fuiſſe Senatorum Iudicum Decurias Cicero declarat. Aſconius autem hoc loco inter Centurias & C Decurias hoc tantùm intereſſe ſcribit, quòd hæ honeſtiorum, illæ inferiorum dicerentur. Ex quo adductus ſum in opinionem, Decurias ex eo dictas, quòd decies decem continerent. vt ſiue Centurias, ſiue Decurias dicamus, nihil interſit. itaque Aſconius in extremo commentario in Piſonianam, Centurias tantùm poſuit, cùm etiam de Senatori-

A bus loqueretur. Pompeius, inquit, tulit, vt ampliſſimo ex cenſu ex centuriis aliter quàm antea, lecti Iudices, æquè tamen ex illis tribus ordinibus, res iudicarent. Singulis autem decuriis per vices annua vacatio erat: vt eodem loco Suetonius oſtendit. Cùm igitur conſtituta eſſet quæſtio, qui Quæſitor erat, ex ea decuria ex qua Iudices conſcribi oportebat, Iudices deligebat: deinde in vrnam mittebat, vt ex ſortitione legitimus ac neceſſarius numerus confici poſſet. Sed Aſconius ſic locum interpretatur, Ex decu-

B ria noſtra, vt ſit, Ex ordine noſtro, nempe Senatorio In quo vis nulla eſt. tametſi hoc probabilius eſſet, ſi alij ordines iudicarent, nimirum Equites, aut etiam Tribuni Ærarij. Tum enim decuriæ Senatoriæ nomine, ordo Senatorius intelligeretur. ſed vt dixi nihil intereſt. Nam vt ordinem modò deſignet, tamen ex certa decuria delecti fuerant. hoc tamen animaduerſione dignum eſt in Aſconio, Equitum centurias dici & Tribunorum æris, Senatorum autem decurias.

C *Cuius mihi copiam quàm largiſſimè factam.* Liber Aſconij, Cuius mihi poteſtatem largiſſimam fieri.

Cum is annuerat. Ex eodem libro ſine controuerſia ſic reſtitui oportet, Cùm iis quos iſte annuerat. Deſiderari autem nihil arbitror. In aliis quidem impreſſis, ſic legitur, Facultas eorum, quos iſte annuerat. ſed ita vt dixi corrigendum eſt.

ACCVSATIONIS IN C. VERREM

LIBER QVARTVS, ORATIO VII.

COMMENTARIVS.

Vt poſſim aliquo modo. Aliquando, omnes propè alij, & ita ſine controuerſia corrigendum. D

Hoc onere ſuſcepto, & recepta cauſa Siciliensi. Inter Suſcipere & Recipere quid interſit, cognoſce ex Aſconij commentariis in Diuinat. & ſuprà.

Cauſam totius ordinis. Senatorij, qui iudiciorum infamia laborat, ſuprà.

Cauſam populi R. Qui alium ordinem ad iudiciorum adminiſtrationem poſtulabat. E

Quod putabam. Conſiderandũ an potius QVAM legendum ſit. Senſus. Suſcepi cauſam illam de iudiciis vel retinendis vel transferendis, quæ tota in coniectura poſita eſt, nam alij Senatoribus culpam omnem attribuũt alij bonorum accuſatorum inopiæ: vel in diuinatione dictum eſt. Putabam igitur eam cauſam tum demum bene iudicari atque extingui poſſe ſi eam improbiſſimo reo firmus accuſator in iudicium veniret. Poterit tamen ita locus F explicari. Quod putabam tum denique ea de cauſa id eſt de controuerſia iudiciaria rectè iudicari poſſe: & quæ ſequuntur. Similis locus qui hunc illuſtrat legendus in oratione proxima.

Satis temporis ad dicendum. Viginti autem dies accuſatori dabantur: vt Aſconius teſtatur.

D *Diligens & firmus accuſator.* Non pueri & quadruplatores, qui ſoli hoc tempore accuſant,

Atque adeo antequam. Laudat narrationem iſtam, vt numeroſè ſcriptam in Oratore, his verbis, Adhibenda eſt, inquit, numeroſa oratio, ſi aut laudandum eſt aliquid ornatius, vt nos in Accuſationis ſecundo, de Siciliæ laude diximus. Opportunè autem, qui Siciliæ calamitatem expoſiturus eſt, initio florentem illius ſtatum exponit: vt ex vtriuſque

E ſtatus comparatione acerbior calamitas, magiſque luctuoſa videatur.

Princeps Siciliæ. Prima fuit Siciliæ ciuitas Meſſana: quæ, quòd ab Hierone Syracuſanorum duce, qui poſtea Rex fuit, oppugnaretur, partim à Carthaginenſibus, partim à Romanis auxilium petiit, miſſóque Appio Claudio vrbem tradidit: Carthaginenſium duce, quem in arcem ante aduentum Appij receperant, ex vrbe pulſo. Polybius.

Prouincia eſt appellata. Subacta Italia, Romani

F primam omnium Siciliam aggreſſi ſunt. auctores Polybius, Diodorus, & alij. Eámque ſub imperium ſuum redactam, primam (vt ait Cicero) Prouinciæ nomine appellarunt. quo verbo procul victam regionem, vt Feſtus putat, ſignificabãt. Ex quo aliæ item regiones omnes, quæ extra Italiã populi R. imperio parerent, prouinciæ appellatæ ſunt: duntaxat

in quas Magiſtratus à populo cum imperio mitterentur, qui in iis ius dicerent. Nam aliæ, in quibus ius dicere Magiſtratibus populi R. non licebat, Liberæ dicebantur: & Liberari prouinciæ, quæ ſuo iuri, ſuiſque legibus relinquebantur.

Semel in amicitiam noſtram veniſſent. Capta Meſſana, & Hierone Syracuſis pulſo ac fugato, M. Valerius & M. Octacilius coss. miſſi in Siciliam fuerunt. quorum aduentu pleræque Syracuſanorum ciuitates ad Romanos defecerunt. ipſéque adeò Hiero, quem Conſules in amicitiam, percuſſo fœdere receperunt: pacto etiam inito, vt deinceps Syracuſani, ſocij atque amici populi R. appellarentur. Polybius.

In Africam ex hac prouincia gradus Imperij factus eſt. Pulſis ex Sicilia Pœnis, p e .táque prouincia populus R. duce Attilio Regulo, primùm in Africam belli terrorem conuertit, & paucis diebus Clypeam ciuitatem maritimam, itémque amplius CCC caſtella ſubiugauit. Polybius, Strabo, alij.

Maioribus in Africam. Nonnulli alij, Maioribus noſtris. & ſic puto emendandum.

Receptaculum claſſibus. Sic Strabo lib. VI. de Meſſana loquens ἐχρήσαντο (inquit) ὁρμητηρίῳ ῥωμαῖοι πρὸς τὸν σικελικὸν πόλεμον τὸν πρὸς καρχηδονίους. vſi ſunt, inquit, eo receptaculo Romani in bello Sicilienſi contra Carthaginenſes.

Claſſibus noſtris pateret. Immutatio temporis, Pateret, pro Patuiſſet: quę frequentiſſimè tum ab hoc, tum ab aliis veteribus vſurpatur.

Exornauit. Hæc ipſe fuſius libro V, infrà.

Superatis hoſtibus temperauit. Pro Ab hoſtibus, vetuſtè poſitum, vt ſuprà, Te putet quiſquam, ſociis temperaſſe. Et infrà, Si cuiquam denique vlla in re vnquam temperauerit, vt ei vos quoque temperetis.

Loci natura. Syracuſarum ſitum & deſcriptionem cognoſce, infrà

Terra marique claudebatur. Mari ab ortu. Terra, ex ea parte quæ Ætnam montem ſpectat; de quo Verrina VI, Hinc Poſidonius Syracuſus ἀμφότερον ἐπὶ θαλάττης ſitam dicebat: vt Strabo lib. VI teſtatur.

Vi conſilióque cepiſſet. Captæ ſunt à M. Marcello Syracuſæ noctu, opera & conſilio tranſfugæ cuiuſdam, à quo illi nuntiatum eſt, diem feſtum Dianæ in vrbe per triduum agi: & quòd alia in obſidione deeſſent, vino largius epulas celebrari. Liuius.

Hoſtium vrbem. Syracuſas.

Itaque ad omnes. Nunc ne inſulæ vtilitate quæ erat extrema in partitione poſita, commemorat.

Ex ſociorum inſula. Sicilia.

Domi noſtra conditum. Nonnulli libri iam conditum, quod non improbo. Senſus eſt enim Tantam eſſe Siculorum liberalitatem, vt quod apud ſe natum eſt, id non ſit ab iis petendum: continuò enim id ad nos aduehunt.

Cellam penariam. In hanc eandem ſententiam luculenter Strabo lib. Geog. VI, his verbis, τὴν δὲ τῆς χώρας ἀρετὴν θρυλλουμένην ὑπὸ πάντων, οὐδὲν χείρω τῆς ἰταλίας ἀποφαινομένων, τί δεῖ λέγειν; σίτῳ, δὲ καὶ μέλιτι, καὶ κρόκῳ καὶ ἄλλοις τισὶ κἂν ἀμείνω τις φαίη. πρόσεστι δὲ καὶ τὸ ἐγγύθεν· ὥσπερ γὰρ μέρος τι τῆς ἰταλίας ἡ νῆσος. καὶ ὑποχορηγεῖ τῇ Ῥώμῃ, καθάπερ ἐκ τῶν ἰταλικῶν ἀγρῶν ἕκαστα εὐμαρῶς καὶ ἀταλαιπώρως. καὶ δὴ καὶ καλοῦσιν αὐτὴν ταμιεῖον τῆς Ῥώμης. κομίζεται γὰρ τὰ γιγνόμενα πάντα, πλὴν ὀλίγων τῶν αὐτόθι ἀναλισκομένων

A δεῦρο· ταῦτα δ' ἐστὶν, οὐχ οἱ καρποὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ βοσκήματα καὶ δέρματα, καὶ ἔρια, καὶ τὰ τοιαῦτα. id eſt, Regionē verò quam omnes tãtopere celebrant, atque Italia ipſa nihilo deteriorẽ eſſe prędicãt, quid attinet cõmemorare? nã à frumẽto ſanè ac melle, & croco aliiſque præterea frugibus, poſſit aliquis melius Italico Siculum ſolum dicere. Huc accedit vicinitas locorum atque propinquitas. Eſt enim quaſi pars quædam Italiæ hæc inſula, quæ Romæ res ſingulas, quaſi ex ipſius Italiæ prædiis prolixè ac nullo labo-
B re ſuppeditat. Qua de cauſa vrbis eam Romæ cellam penariam nonnulli nominant. quum ſcilicet omnia quæ ibi naſcuntur, eò comportentur, paucis exceptis, quæ ab incolis conſumuntur. qualia hæc ſunt, non fructus modò, ſed & pecora, & coria, & lanæ, & quæ ſunt generis eiuſdem.

Italico maximo difficillimóque bello: Cauſam huius fuiſſe belli ſcribunt Appianus, Liuius, & alij, non impetratam à S. P. Q. R. ciuitatem: cuius magno ſtudio Italici omnes tenebantur. ob eámque cau-
C ſam defeciſſe omne Latium, Picenum, Hetruriam, Campaniam, & omnem propè Italiam. bellúmque ſibi calamitoſum & exitiale, populo R. intuliſſe. fractos enim à Carbone Lucanos, à Sylla Samnites, à Catone Hetruſcos, à Gabinio Marſos, à Cn. Pompeio Strabone euerſum Aſculum fuiſſe.

Non pro penaria cella, ſed pro Aerario. Non modò commeatum, ſed etiam pecuniam ſuppeditaſſe.

Quæ forſitan ne ſentimus. Nonnulli veteres, Quod forſitan: vt hic locus κατὰ παρένθεσιν legatur. ex quo
D non ineptus elicitur ſenſus. Receptam tamẽ lectionem retineo, quam & manuſcripti codicis & Aſconij auctoritas confirmat

Multis locupletioribus. Mercatores autem ſignificat quaſi diceret. Multo ideo locupletiores ciues habemus, quod habeant prouinciam propinquam fructuoſam. &c.

Quò facilè excurrãt. Mercatores, quos illa mercibus ſuppeditandis cum quæſtu compendióque di-
E mittit.

Negotium gerant. Negotiatores, id eſt decumani, aratores, pecuarij, cæterique publicani, ac vectigalium redemptores, qui in ea prouincia ſedes ac domicilium collocant.

Quaſi quadam prædia. Prouinciæ ſunt prædia: vectigalia, prouentus.

Nunc increbruit. Quam nunc ſuſcepit vita hominum, conſuetudóque communis.

Cæterorum ſimile Græcorum. Qui otio & ceſſatio-
F ne delectantur. Sic in Orat. pro Seſtio, Græculum ſe atque otioſum putari voluit.

Neque Publicanus neque negotiator. Publicani nomine, & pecuarij, & portitores intelliguntur. Erant hi omnes, propter vectigalium rationem, omnibus odio exteris nationibus.

Neque negotiator. Id eſt, Alius negotiator, præter publicanos: veluti aratores, argentarij, Senatores, quibus liberæ Legationes ad negotia obeunda, de-
G cernuntur. Nam publicanus negotiator eſt.

Ad aram legum. Ariſtoteles libro Rhetoricæ III, ſcribit Archytam Tarentinum in rebus diſſimillimis ſimilitudinem poſuiſſe: cùm diceret Iudicem & aram idem eſſe: quòd ad hæc ambo, qui iniuria affecti ſunt, confugiant, petentes, vt ſuas iniurias vleiſcantur, ὥσπερ, inquit, Ἀρχύτας ἔφη ταυτὸν εἶναι διαιτητὴν καὶ βωμόν. ἐπ' ἄμφω γὰρ τὸ ἀδικούμενον καταφεύγει.

Conſilio confugerent. Confugerint, opinor, rectius A legeretur.

C. Marcellus. Succeſſor M. Lepidi, Siciliæ Prætoris.

Poſtquam M. Antonij. Deprauatus locus, relicta nulla, aut perquam obſcura ſententia. Quum enim ET particula alteram item geminam deſideret, vt cùm dicimus, Et hoc pertulerant, & illud ſenſerant: deeſt tamen quæ illi priori comitetur. Tametſi & illum annum. ſed hoc mendum non difficile eſt corrigere. Extat enim apud Aſconium & hoc loco, & B in Diuinationis commentariis vera lectio: in quibus non Poſtquam M. Antonij, ſed hoc quidem loco, ET POSTEA M. ANTONII: in Diuinatione verò, ET POST, ſcriptum habebat meus manuſcriptus, & Aldi liber. De Antonio porrò ſcribit Aſconius, nec vno loco. Infinitum autem eius imperium Tullius appellat, quòd ei Senatus æquum imperium in omnibus prouinciis cum Proconſulibus, vſque ad quinquageſimum miliarium à mari decreuerat. vt ſcribit Velleius Paterculus poſterio- C re volumine.

Sic à maioribus. Deſiderari videtur, Scilicet. vt ſit, Scilicet, ſic à maioribus acceperant. Affirmationem enim plerunque ſignificat. quod eo probabilius videtur, quia ſæpe in antiquis libris notam inuenio, punctum ad ſ literam, pro Scilicet, hoc modo ſ. quæ nota prætermitti à librario facilè potuit.

Beneficia Senatus. Vt legibus Hieronis vterentur D Reges Siciliæ. Victis hoſtibus nouæ leges à populo R. per decem Legatos mittebantur.

Quandoquidem iam ante. Nonnulli libri quando quidem agros iam ante, quod ſine dubio rectum puto.

Apud patronos. Marcellos, Scipiones, Metellos. De prouincialium hominum conſuetudine patronos adoptandi ſuo loco dictum eſt.

In iſtum crimina. Id eſt Criminationes, vt alibi dictum ac demonſtratum eſt. E

Cognouerant. In Quæſtura, quam Pæduceo Prætore Lilybæi geſſerat.

Plures partes defenſionis. Cùm ſcilicet vnum accuſem, multos defendam.

Quemadmodum venerunt. Quàm animosè, quàm nullis minis deterriti.

Ipſi veline. Reformidantes L. Metelli Prætoris Siciliæ, & Verris amiciſſimi animum offendere.

Saluti conſulam. Potius habebo rationem, quid F illis ſubſidio, quàm quid terrori eſſe poſſit.

Cum faſcibus mihi præſto fuerunt. Habuerunt enim Quæſtores in prouinciis ſuos lictores, prætextam togam, & reliqua Magiſtratus inſignia: quemadmodũ ex Orat. pro Plancio intelligitur. Nam, inquit, ſimulac me Dyrrachium attigiſſe audiuit (de Plancio loquitur, Quæſtore tum Macedoniæ) ſtatim ad me lictoribus dimiſſis, inſignibus abiectis, veſte mutata profectus eſt. At Vrbani Quæſtores neque lictores, habebant neque Viatores, quia neque vocationem G neque prehenſionem habebant vt ait Gell. lib. XIII. cap. XII. Sed hoc loco quæritur, cùm iſti Quæſtores Verri non Metello fuiſſent, an tam diu poſt Verris diſceſſum imperium obtinerent, præſertim cũ alij in ipſorum locum ſucceſſiſſent? Nam faſces imperij ſunt inſignia. Reſpondemus, hos neque imperium neque poteſtatem id temporis habuiſſe

quod Cicero demonſtrat, cùm ait, Quæſtores vtriuſque prouinciæ qui iſto prætore fuerant. Fuiſſe illos dicit non eſſe. Sed deponere ſuos faſces, qui è prouincia cùm imperio vel poteſtate redibant, antequã in Verrem ingrederentur non ſolebant, quod ex ipſius Ciceronis facto apparet lib. epiſt. ad Atticum VIII & Piſonis in oratione contra ipſum. Etſi autem alij, qui Verris Quæſtoribus ſucceſſiſſent, eſſent in prouincia: deponere tamen ſuos faſces prius quàm in vrbem ingrederentur, nullis Magiſtratibus mos erat.

Non tam illis Siciliam. Acerbè in Metellum, & Metelli comites. vt ſi diceret, Illa prouincia, quam non adminiſtrationis cauſa, ſed prædæ & quæſtus gratia poſtulaſtis, vnde pleni atque opimi decederetis, non tam fuit Sicilia, quàm Verris opes ac facultates conciliatæ annis ſuperioribus.

Si decreſſent Legationem. De hoc more mittendarum Legationum, cognoſce ex commentariis in Verr. II, infrà.

Præſentibus denuntiauimus. Teſtimonia. Et ſic loquutum video Quintilianum libro Inſt. V, Et quoniam, inquit, duo genera ſunt teſtium, aut voluntariorum, aut eorum quibus Iudex in publicis iudiciis lege denuntiare ſolet, &c. Perrarò tamen Denuntiare præcisè dicitur: ſed Denuntiare teſtimonium.

Vna opera. Vt Verrem laudarent.

Publico conſilio. Sui ſenatus auctoritate.

Vt illa ſummi imperij. Quam L. Metellus Siciliæ prætor habet. Nam proconſules & proprætores neminem in prouincia qui donum decretis intercederent habebant: vt paulo poſt dicetur. præterea tum priuatis, tum capitalibus cauſis præerant, quapropter ſummum imperium habere dicebantur.

Proficiſcerentur. Laudaturi Verrem.

Qui contra iſtum Legatos decr. Senatores videlicet Siciliæ ciuitatum, qui ipſi Legati mitterentur.

Quod intelligo. De vtroque genere hominum, & noſtrorum, & Siculorum.

Vt vos quoque temperetis. Pro Vt vos, ſcribendum putarem ET VOS. nam VT particula bis poſita ſententiam relinquit inchoatam, & imperfectam.

Statim Romæ & ad Vrbem. Ex hoc loco coniecturam capimus, diſſimilem fuiſſe Conſulum & Prætorum rationem in ſortiendis comparandiſve prouinciis. Nam Conſules adhuc deſignati, & antequam Magiſtratum inirent, ſibi decretas prouincias aut ſortiebantur, aut ſuo ipſi arbitratu inter ſe comparabant. quemadmodum ex Orat. de Prouin. Conſ. Salluſtio in Iugurtha, & innumeris Liuij locis facilè intellectu eſt. At Prætores, qui modò Vrbani Magiſtratus erant, eas prouincias in quas cum imperio exirent, quo tempore, opinor, Magiſtratu abibant, ſortiri conſueuerant. Ad vrbem autẽ quid ſignificet, dixi ſuprà. Meam coniecturam etiam hoc adiuuat, quòd li. Epiſt. ad Att. I, Epiſt. Accepi, ita ſcribit, Prouincias Prętores nondum ſortiti ſunt. cùm illam Epiſtolam VI Cal. Feb. ſcribat.

Vno anno. Quærit Aſconius, cur vno anno. Reſpondemus, quia Prætoriæ prouinciæ ſunt annuæ: & quia diuinare Verres non poterat, fore vt ſibi nõ ſuccedente Arrio, prorogaretur prouincia.

Non prouincia rudis. Quæſtor videlicet, & Legatus didicerat in Achaia, Aſia, Pamphylia. &c.

Ex nomine iſtius. Sic ſcilicet, Verres, ô Verres, prouinciam, & inanem relinques. Nam ipſa quoque

hominum

hominum nomina in omen vertebant : adeò vt ne dux quidem eligeretur nominis ominoſi. Liuius Decadis III, lib. VIII, Sed illi primum non Atrium Vmbrium Semilixam, nominis etiam abominandi ducem, ſed Decium Iubellium Tribunum mil. ſequuti ſunt.

Quid in prouincia facturus eſſet. Priſcianus lib. VIII. Quid iſte in prouincia. quod mihi videtur ad Tullianæ orationis genus propius accedere.

Perridiculi homines. Faceti qui aliis riſum mouent, vt ſupra Ver. 3.

Sed etiam nomina. Obſcurus mihi locus: niſi ſubaudimus eorum, quod ſpoliandorum aliqua erat occaſio Dionis nimirum & aliorum. vel nomina, cauſas ſpecioſas interpretemur: & Veneris Erycinæ cauſam intelligamus.

Ad euertendam prouinciam. Legendum apparet, Ad euerrendam.

Beneficio Q. Metelli. Itaque paulo poſt Q. Cæcilium Metellum eum nominat.

H-S *Vndecies numeratum.* De hoc genere dicendi cognoſce infrà.

Eſſe multatum. Id eſt Teſtamento damnatum eam hæreditatem veniri reddere.

Ex teſtamento. Secundum teſtamentum ſecundum legem, ac formam teſtamento præſcriptam.

Cauſam pecuniæ. Conficiendæ. Sic apud Iuriſconſultos cauſa bonorum plerunque dicitur, vbi ſubauditur acquirendorum.

Vt eſt conſuetudo. Erat hæc Quæſtorum procuratio, vt quæ Reipub. commiſſa eſſent, exquirerent: eáque de cauſa iure dicendo conuentus circuirent, quemadmodum docet Suetonius in Cæſare, & perſpicitur in Diuinatione ſuprà, de Quæſtore Cæcilio Siciliam iuris dicendi cauſa obeunte. Et Varro, Quæſtores, inquit, à quærendo, qui conquirerent publicas pecunias.

Qui Erycinum montem obtinebat. Aſconius, Erycinum. & ſic emenda: vel vt Virgilius, Plinius, & alij Erycem.

Quadruplatorum deterrimus. Fortaſſe TETERRIMVS.

Conuentio quadruplatorum. Quadruplatores qui dicantur, cognoſce ex Aſconio in Diuinationem, & in hunc ipſum locum.

Hunc hominem. Vetus, Hic hominem. quæ lectio probabilior videtur.

Maluit ſe potius. Similem locutionem in diuinatione obſeruauimus.

Sex. Pompey Chlori. Qui beneficio Sex. Pompeij ciuis R. erat factus.

Ac prudentiſſimi. Vetus, Prudentiſſimi. quod magis arridet.

Lucullus qui tum in Macedonia fuit. Quo tempore in Aſiam proconſul ad bellum Mithridaticum profectus eſt. Nam Proconſulari imperio Macedoniæ præfuiſſe Lucullum non reperio.

Teſtimonia M. Luculi. Deeſſe videtur verbum Recita: vt aliis in locis innumeris.

Si commiſſum quid eſſet. Contrà quàm teſtamento cautum erat.

Multa erat. Hæreditas ad Venerem trāſferebatur.

Ipſos viginti annos. Sine dubio probabilior Aſconij lectio, Ipſo vigeſimo anno. vt etiam ad extremum negatio tollatur. petitam enim hæreditatem fuiſſe apparet, ex eo quòd ſcribit cauſam à Verre fuiſſe cognitam. Neque obſtat quod ab hinc duos

A & viginti annos. Nam duobus annis antequam hæc Cicero diceret, facta, hæc erant in Sicilia. IPSOS autem ἐμφατικῶς dixit pro integros : vt certo loco demonſtrauimus.

Petita eſt. Quaſi exiſtente conditione, cùm voluntati teſtatoris non eſſet obtemperatum.

Non peruenit. Sed ad Volcatium.

Aſſeueratur in hoc, an tentatur. Vtrum ſeriò id dicunt, vt defendant, an experiuntur ſi poſſint ea ratione defendere. Nam Aſſeuerare pro ſerio dicere;

B & pro eo quod Græci σπουδάζειν dicunt, Latinè vſurpamus. Hic ipſe in Bruto, Bella ironia, ſi iocaremur: ſin aſſeueramus, vide ne religio nobis tam adhibenda ſit, quàm ſi teſtimonium diceremus. Plato in Gorgia, Εἰπέ μοι, ὦ Χαιρεφῶν, σπουδάζει ταῦτα Σωκράτης, ἢ παίζει; Et in Phædro, Δοκῶ γάρ σοι παίζειν, καὶ οὐχὶ ἐσπουδακέναι.

Verres calumniatores. Apud Aquilam Romanum, hoc modo, Verres calumniatorem apponebat, Verres de cauſa cognoſcebat, Verres pronuntiabat.

C quod ex memoria promptum apparet, & minus diligenter perſcriptum.

Quæ vis erat. Quo iure, aut quò verò imperio auferebat.

H-S CCCC *millia.* Coronatorum quadraginta millia.

Ecquis Volcatio. Omnes libri veteres, Et quis: quo modo quidem acrior efficitur oratio.

Vnam libellam. Dixi in Orat. pro Q. Roſcio.

H-S *quadringenta.* De hoc dictum eſt Actione prima extrema.

D *Quo quiſque te maximè.* Apud Aquilam Romanum locum hunc ſic ſcriptum reperio, Comites illi delecti manus erant tuæ: vt quiſque te familiaritate attigerat, ita maximè manus tua putabatur. Quod etſi decurtatum & mutilum eſſe conſtat (reliqua enim ad ipſius propoſitum vel maximè pertinebant: ſed librarius in his verbis, Manus erant tuæ: quæ ſecundo loco poſita erant, hallucinatus eſt) præbet

E tamen exiſtimandi copiam, non Quo maximè Aquilam ſcripſiſſe, quod verbum inſolitum atque inuſitatum eſt: ſed Vt maximè : quod & particulæ inſequenti ITA MAXIME reſpondet: & ad loquendi conſuetudinem propius accedit.

Nemo vnquam tam reus, tam nocens. Prius TAM abeſt à libro manuſcripto : vt ſic legamus, Nemo vnquam reus tam nocens. quod valdè probo.

In Verre defenſionis tentare rationem. Odioſè in Verris defenſores, quaſi qui iiſdem, quibus C. Ver-

F res, criminibus affines, in eo defendendo experiantur num aliquem ſibi ex ſimilitudine cauſæ defenſionem comparare poſſint. Vrget Iudices commemoratione incommodorum quæ ſine dubio conſecutura ſunt, ſi hæc Verris defenſio admittatur.

Opera tanta danda eſt. Vox TANTA, non eſt dubium quin aut aurium ſcriptoris, aut eius qui dictabat pronuntionis, vitio in hunc locum irrepſerit : ex quo ſine controuerſia tollenda & inducenda eſt.

Spes amicitiæ. Spes quam in eorum erga nos amicitia poſueramus, fore vt pro ea amicitia exiſtimationi noſtræ conſulerent. vt paucis pòſt verſibus, Ego iampridem ab eo, cui meam exiſtimationem charam fore arbitror. Similis ſpes Ciceronem fefellit in Aſiæ Proconſulatu, vt in Epiſt. I. lib. VII. ad Att. Nam ἐν παρέργῳ volo te hoc ſcire omnia illa prima, quæ etiam tu literis in cælum fe-

rebas, *[illegible]* fuerunt. Quàm non eſt facilis virtus, A quàm verò difficilis eius diuturna ſimulatio.

Vt vindicemus. Subaudi, nos ab illorum comitatu, niſi forte ABDICEMVS legendum videtur.

Miſſos faciamus. Idem libro proximo, infrà, Quæſtores, Legatos, Præfectos ſuos, &c.

Liberaliſſimi. Id eſt, ad bene de omnibus merendum promptiſſimi, maximáque voluntate cuiuis gratificandi præditi. Hoc autem modo præfecturas ambire ſolitos ſimilis in lib. De orat. II. locus demonſtrat B vt noſter Scæuola Septumuleio illi Anagnino cui pro C. Gracchi capite erat aurum repenſum rogāti vt ſe in Aſiam præfectum duceret, Quid tibi vis, inquit, inſane? tanta malorum eſt multitudo ciuium vt tibi ego hæc confirmem, ſi Romæ manſeris tum paucis annis ad maximas pecunias eſſe venturum.

Vetus aſſectator Qui iampridem illius, in prouinciis, comes eſſe conſueuerat.

In beneficij loco deferendum. In hanc rationem de C Q. Fuffidio ſic loquitur in Epiſtola ad Brutum, lib. Ep. XIII, Et fuit in Cilicia mecum Tribunus mil. quo in munere ita ſe tractauit, vt accepiſſe ab eo beneficium viderer, non dediſſe.

In conſilio, hoc eſt cum ſua cohorte. Prætores in prouinciis Legatorum ſuorum, & negotiatorum ciuiū Ro. opera vtebantur in iudiciis. Cohortem in conſilium aduocare legibus non licebit. itaque Oratione ſeq. infrà, Metellum ex ſua cohorte iudices nullos dediſſe affirmat. Veruntamen quia non In conſi D lio cognoſcere dicere ſolemus, ſed Cum conſilio, vt conſtat ex locis innumeris: corrigendum potius ſic putarem, vt Concilio per c legeremus: vt ſignificet conuentum, qui quò concilium indictum vadimoniáque promiſſa eſſent, agebatur. Liuius lib. XXXI, Siculorum ciuitatibus, Syracuſas, aut Meſſanam, aut Lilybæum indicitur concilium. Prætor R. conuentus agit. eò imperio euocati conueniunt. excelſo in ſuggeſtu ſuperba iura reddentem, ſtipatū lictoribus vident: virgæ tergo, ſecures ceruicibus E imminent, & quotannis alium atque alium dominum ſortiuntur.

Quas ipſe inſtituerat cognoſcere. Non enim cauſas ſolebat Prætor cognoſcere, niſi certas: vt quæ ad Remp. pertinebant. qualis erat Dionis, & duorum fratrum.

Qui iudicia dant. Qui litigatoribus dant poteſtatem iudices eligendi, & apud eos cauſam dicendi. Iudicibus autem poteſtatem cognoſcendi, iudicandíque. Qua poteſtate Romæ prætor Vrbanus, in F prouinciis Proprætores & proconſules præditi fuerunt.

Qui iudicant. Priuatorum hominum, qui iudices à Prætore dabantur.

A quopiam veſtrum. Noſtrum, poſtulabat tenor orationis. ſed Veſtrum dixit, quo facilius iniuriæ ſuæ commemoratione Iudices commouerentur.

Interdicere poſſit. Intercedere legendum, & ex ſenſu apparet, & ex Asconio. Hoc enim ob eam G cauſam dictum eſt, vt ab vrbanis Prætoribus Prouinciales diſtingueret. Vrbanis enim, & Tribuni pl. & pares denique omnes, maioréſque poteſtates intercedere poterant.

Non poſſit aliter iudicare. Inconſequens locutio, quod vitium orationis Græcis [illegible] appellant: & nonnunquam in hoc ipſo auctore reperitur.

A Subauditur autem, Quanto deterior erit reorum conditio? Sed cur Octauius aliter iudicare non poterit? quia priuatis hominibus ius facere non licet; ſed neceſſe habent, ex eo iure quod illis à Prætore datum eſt, ſententiam dicere: neque ab ea formula, vel tantulum eis diſcedere permittitur.

Sit eiuſmodi L. Octauius. Senſum in hac verborum interpunctione non video. Legendum ſic arbitrarer, Sit eiuſmodi. ſubaudi, iudicium: vel iuris à Præ- B tore dati formula, L. OCTAVIVS BALBVS IVDEX ESTO, SI APPARET, &c. Hanc autē fuiſſe iudiciorum formulam, diximus in Orat. pro Q. Roſcio.

Quo de agitur, ex iure eum P. Seruilij eſſe. Antiquus liber, Ex iure quūm. Qui hanc notā ignorarūt, partim Equum, vt in aliis propè omnibus impreſſis, & manu ſcriptis, poſuerunt: partim, vt in hoc, Eum Ego hanc notam ſic interpretor, vt ſignificet Quiritium. Formula autem hæc erat actionum, vt ex Va- C lerio Probo intelligimus: cuius quæ fuerit ſententia declarat Vlpianus, in eo libello qui Tituli Vlpiani inſcriptus eſt, & nuper in lucem editus. verba eius ſubſcribemus, vt quærendi labore ſtudioſos leuemus, Qui tantùm in bonis, non etiam ex iure Quiritium ſeruum habet, manumittendo Latinum facit. In bonis autem alicuius ſeruus eſt, velut hoc modo: ſi ciuis R. à ciue R. ſeruum emerit, iſque traditus ei ſit, neque tamen mancipatus ei, neque in iure ceſſus, neque ab ipſo anno poſſeſſus ſit. nam quandiu D horum quid fit, is ſeruus in bonis quidem emptoris eſt: ex iure Quiritium autem venditoris eſt. Ex quibus verbis alius Ciceronis locus intelligitur, ex lib. Epiſt. XIII, Eius frater, inquit, nuper mortuus eſt. nullam omnino arbitrabamur de ea hæreditate controuerſiam eum habiturum. & eſt hodie in bonis. Significat enim nondum in iure ceſſionem eſſe factam: adiſſe tamen hæreditatem. nam, vt idem Vlpianus ſcribit, hæreditas in iure ceditur, & antequam adeatur, & poſtquam adita fuerit.

E *Q. Catulo reſtituetur*. Subaudiendum, TVM damnetur Seruilius. Et ſcribenda hæc ſunt eatenus, literis paulo grandioribus. Ponit autem Q. Catulum petitorem: & P. Seruilium reum ac poſſeſſorem fundi: quem Prætor, licet Seruilij eſſe appareat, Q. tamen Catulo reſtitui iubet.

Non neceſſe erit. At ei adimet, cuius eſſe apparuit. Oſtendit vim poteſtatis Prætoriæ in prouinciis: cuius quamuis iniquo & iniuſto imperio, neceſſe tamen habeant iudices obtemperare magnámque ha- F bet hæc fictio commonſtrandæ iniquitatis & iniuriæ facultatem. Dicit enim, Si hoc in vrbe fieret, neque intercedi poſſet, indigniſſimum omnibus videretur. Atqui in Sicilia factum eſt, vbi ne hiſcere quidem quiſquam audebat, vbi nemo poterat intercedere. Nam etiam in Vrbe Iudices ad eam Prætoris formulam aſtringerentur, niſi aut Tribuni aut par, maiórve alia poteſtas appellaretur. Ex iure enim à Prætore dicto, ac præſcripto priuati homines iudicabant: neque tantulum ab ea formula diſcedere po- G terant. adeo vt ſi vndeuiginti apertè deberentur, & viginti petita eſſent, in eaque viginti ius à Prętore compoſitum fuiſſet, iudici nihil aliud niſi condemnare petitorem liceret, quemadmodum in Oratione pro Q. Roſcio docuimus. Nam cùm iudicibus ſine Magiſtratus permiſſu, neque abſoluere, neque condemnare liceat: (alioqui enim ius illis facere liceret, quæ poteſtas ſolis Magiſtratibus permiſſa

miſſa eſt) non debet illis, cùm de condemnando Prætor loquitur, abſoluere permitti. itaque cùm ad reſtituendum fundum L. Octauius iudex datus ſit, non autem ad eundem ei cuius erit, adiudicandum, neceſſe erit L. Octauio P. Seruilium cogere Q. Catulo fundum reſtituere: cúmque, quem æquo iure non oporteat, condemnare.

Aut condemnare. Obſcurus, &, vt mea fert opinio, malè affectus locus: qui tamen parua immutatione facta cõmodiſſimè ſanari poterit, ſi pro AVT, ET particulam reponamus: quam ſenſus ipſe flagitat. Nam ſi ſic interpretemur, Aut condemnare in litis exiſtimationem, genus orationis, inconcinnum & alienum videbitur.

Si non accipit. Creditor.

Te debere dicat. Tu debitor.

Si petit. Apud Aſconium, petitur: cui nonnulli libri conſentiunt inepte vt proximus locus demonſtrat.

Ducat. Quidam de addicto loco interpretantur, vt ſit ſenſus, ſi peteret aliquid is qui Verri non placebat, duci damnatum iubebatur: cúmque addicebat. Huic igitur Verris facto ſimile illud eſt Piſonis quod in oratione contra ipſum Cicero commemorat. Nonne eum CC talenta tibi Appolloniatæ Romæ dediſſent ne pecunias creditas ſoluerent, vltro Fuſidium equitem R. hominem ornatiſſimum, creditorem debitoribus ſuis addixiſti?

Iudicia eiuſmodi. Deeſſe iniqui iudicij formulam ſatis ex ipſa re exiſtimari poteſt. Quod enim ſequitur, verba ipſa continet Oratoris deprauata & mutila, quæ literis grandioribus ſcribi non oportet. Ex iis ſanè quæ ſequuntur, & ex Donato in Phormione, paucis immutatis, ita hæc verba intelligenda eſſe conſtat: Qui ciues R. erant, dabantur Iudices, ſi Siculi eſſent rei, cùm Siculos eorum legibus dari oporteret. qui Siculi, ſi ciues R. eſſent. Nam paucis verſibus interiectis, Quod ciuis, inquit, Romanus à Siculo petit, Siculus iudex datur: quod Siculus à ciue R. ciuis R. datur. Donatus in illud Terentij, Hic in noxia eſt: ille ad defendendã cauſam adeſt: Cùm ille eſt, hic præſto eſt: tradunt operas mutuas: Huic loco, inquit, reddidit Cicero illum locum in Verrinis, Qui ciues, &c. nam ſubauditur ad Qui ciues R. erant, Iudices dabantur: ad Si Siculi eſſent, ſubauditur Rei. deeſt autem hoc loco SI, quam alij omnes libri retinuerunt. vt ſit, Si Siculi eſſent, &c.

De decem Legatorum. Mos erat, vt Cicero Philippica XII. teſtatur decem in eam regionem Legatos mittere, quæ paulo antè in imperium ditionémque populi R. venerat, qui eius iura & Remp. conſtituerent exempla facilè eſt cuilibet apud Liuium inuenire. Hunc autem P. Rupilium non publicanũ in Sicilia fuiſſe, ſed operam publicanis dediſſe, poſteáque Conſulem fuiſſe Valerius Max. lib. VI. memoriæ prodidit, apud quem tamen non Rupilius, ſed Rutilius corruptè legitur: de quo vide Aſconium.

Quod priuatus à populo. Populi nomine ordinem aliquem aut collegium ſignificat: quæ populi pars eſt, vt infrà Palyſtritos, Syracuſanos, populum Syracuſanum appellat.

Alterna ciuitates reiectæ ſunt. Ciuitates dixit pro ciues. Senſus eſt cùm petitor iudices ex rei ciuitate, reus cõtra iudices ex actoris ciuitate datas reieciſſet. Hoc ex Heraclij iudicio intelligitur.

Quod Siculus à ciue R. Priſcianus lib. VII, hunc locum citans, Ciui ſcribit, non Ciue. Et paulo pòſt, Primùm ſuæ leges, quod ciuis eum ciui ageret. Sic enim, inquit, veteres codices habent, quos imperitia quorundam corrumpit, mutantium ſcripturas.

Ex ciuium R. conuentu. Conuentus ex Equitibus R. conſtabat, qui in prouinciis negotiabantur, & à Prætore in conſilium aduocabãtur. vnde Conuentum ſeu Forum agere Prætor eadem in re dicebatur. vt infra.

Primum ſuæ leges. Subaudi Perturbatæ & ereptæ ſunt. vt mihi pro AVT EVM, legendum potius eſſe videatur AVT ENIM, & poſt AGERET, nota puncti diſtinguenda oratio.

Iudicium conſtitutum. Iudices certi conſtituti, quos à Prætore dari oporteret.

Edictum enim hominis cognoſcite. Obſeruandus locus à quo intelligitur non licuiſſe prætoribus, eorum quos iudices dederant, reſcindere iudicia, cùm enim iis iudicandi poteſtatem dediſſent, iudicare ipſimet videbantur.

Nemo dubitat. Omnes alij, Dubitabat. corruptè, vt cuiuis apparet.

Non Q. Scæuolæ. Facetè Q. Scæuolæ meminit, quem alibi diximus, abſtinenter prouinciam rexiſſe: ex quo etiam qualis illius comitatus fuerit, facilè intellectu eſt. Dabatur, inquit, ex cohorte Iudices. at ex qua cohorte? non Q. Scæuolæ, ſed C. Verris. quaſi ex ſolo ipſius nomine, qualis ipſius comitatus fuerit, exiſtimari poſſet.

Hoc principe. Suſpicari aliquis poſſet, hoc prætore legendum eſſe, & errandi cauſam notam hanc attuliſſe PR. mihi tamen arrogantiæ ſuperbiæque Verris hoc tribuiſſe Cicero videtur.

Sicuti vidistis edictum. Mihi totus hic locus valde ſuſpectus eſt. ſententia etiam obſcura & incerta. Quare eum aliis explicandum relinquo.

Iudicia plurimarum controuerſiarum ſublata. Senſum ne hoc quidem loco video, niſi abſurdum. Lex enim Hieronica, Siculorum erat, qua lege non tollebantur, ſed conſtituebantur iudicia, vt legendum potius videatur, Lege Hieronica iudicia plurimarum controuerſiarum conſtituta: ſublata vno nomine omnia. & SVBLATA, à C. Verre. Nam hoc quoque verbum Conſtituta ſimiliter video prætermiſſum olim à ſcriptoribus fuiſſe Verrina II. ſuprà hoc loco, Conſtat inter omnes, poſt hæc conſtituta iudicia, quibus nunc vtimur, &c. quod tamen ex Aſconij libro poſtea reſtitutum eſt.

Facilè ad H-S tricies. Facilè, ſine dubio, ſine controuerſia. Terentius in Andria,

Facilè hic plus mali eſt, quàm illic boni.

H-S Tricies. Septuaginta quinque millia aureorum.

Leniore artificio. Non tam appoſito, neque vſitato.

Affines iſtius. Affines ſunt, aut quorum propinquam aliquis in vxorem duxit, aut qui aliorum ipſi propinquam duxerunt. Significat autem Verri cũ illorum vxoribus ſtupri conſuetudinem interceſſiſſe. Itaque quaſi Verris propinquæ illorum vxores fuiſſent, ita affines iſtos illius appellat. ſimiliter infrà, Agathinum ita obſeruabat, vt aliquem affinem ac propinquum.

Non promptiſſimum. Hebetiorem, tardiorem, hominem minimè malum.

Præter Marcellos. Communes patronos Siciliæ

non ſingulares, ac proprios Heraclij. A

Iure ſuo. Pro ſua virili parte: cùm Siculus eſſet, & Marcelli patroni Siciliæ.

In palaſtra, Palæſtra, locus in vrbibus Græciæ quamplurimis, vbi in curſu & luctatione, aliiſque variis ludis adoleſcentes exercebantur. Galenus li. 11. de ſanitate tuenda τοῦτο μὲν δὴ κοινὸν γυμνάσιον ὀνομάζεται, ἴδια δὲ ἀφ' οὗπερ καὶ τὰ γυμνάσια προσαγορεύουσιν ἅπαντες ἔν τινι κοινῷ τῆς πόλεως οἰκοδομησάμενοι χωρίῳ, εἰς ὅπερ καὶ ἀλειψόμενοί τε καὶ διατριψόμενοι ἢ διαπαλαίσαντες, καὶ δισκεύσοντες ἤ τι B τοιοῦτον ἄλλο πράξοντες, ἥκουσι, hoc eſt propriè verò à loco Græce denominatur, quem γυμνάσιον ipſi appellant. Is locus eſt in publica aliqua vrbis regione extructus, quo vngendi, fricandi, luctaturi deſcum iacturi aut tale quippiam facturi confluunt.

Palaſtra commiſiſſe. Lego, Commiſſam eſſe. vt libro ſuperiore ſupra. Eſt autem Commiſſa hęreditas quæ conditione exiſtente debetur ei, cui ſub ea conditione relicta eſt. C

Heraclio dica. Dicam Latinè dixit, Syracuſanorum linguam exprimens. Eſt autem δίκη actio ſiue lis vt apud Terentium in Phormione. En vnquã iniuriam audiſti mihi ſcriptam dicam & alibi. Et tibi ſcribam dicam. Sed poſtea δικαὶς καταχρηστικῶς pro δικαστὰς vſurpat.

Adiectum eſſe oculum. Galli eleganter, *Qu'il auoit aſſiegee de l'œil*, quam obſederat oculo. hoc eſt, Notarat & deſignarat oculis ad prædam. In Orat. pro lege Agraria, hoc eodem verbo vſus eſt, An vos, D inquit, aliter exiſtimabatis, cùm ad omnia noſtra pauci homines cupiditatis oculos adieciſſent, non eos in primis ad acturos? Græcè dicimus ἐποφθαλμεῖν.

Dicas ſortitorum. Id eſt iudices qui de controuerſiis inſtitutis cognoſcerent & ſimiliter δικὰς dixit pro δικαστὰς, vt apud Latinos iudicium pro iudices.

Sortiri dicam. Id eſt ſortiri iudices qui de dica, id eſt actione inſtituta diſceptarent. E

Paratus. Id eſt meditatus, quemadmodum prima omnium educeretur.

Hoc eſt cùm populo. Notandus locus ex quo intelligitur, legem quæ de populo loquitur, de collegiis, & ordinibus qui populi partem conſtituunt intelligi poſſe. Lex autem Rupilia iubebat quod populus cum priuato ſenatum iudicem dari: vt paulo ante docuit.

Aequo iure. Non vt alibi nonnunquam, æquabili & non vario iure: ſed æquo & honeſto iudicio. F Hoc autem Heraclius poſtulabat, quòd ſatis intelligeret, daturum Verrem quos ipſi commodum eſſet, Iudices: non ex lege Rupilia, & æquo iure ſortiturum. ſic infrà, Nympho, cùm ſe vellet æquo iudicio defendere, iſte viros optimos Recuperatores dat. Et Aſconius in Orationem habitam in toga candida, cùm Cicero dixiſſet, Quem enim clientem habere poteſt is qui in ſua ciuitate cum peregrino negauit ſe iudicio æquo certare poſſe? Antonius, inquit, appellauit Tribunos, iurauitque ſe ideo recuG ſare, quòd æquo iure vti non poſſet.

Ex iis ciuitatibus, quæ in id forum conuenirent. Syracuſis ab aliquot finitimis ciuitatibus, ſi qua lis inter earum ciues orirètur, vadimonium promittebatur Magiſtratus populi R. iudices dabat è lege Rupilia primum ciues aliquos ex rei ciuitate, quos ſi actor reiiceret tum ex ipſius ciuitate dabat quos ſi

A reus quoque reiiceret, tum ſenatus alterutrius ciuitatis iudex dabatur.

E lege Rupilia dentur. Sortitò, non electi qui Verri viderentur.

Lege agere. Iudicio experiri. Prætor actionem in eos dabat, qui in legem aliquam commiſiſſent hinc lege agere, eſt iudicium ex lege poſtulare.

Iudices citari. Erant in iudiciis præcones, qui tum Iudices, tum actores & reos, tum etiam teſtes citabant.

B *Multo maturius, quam vnquam antea.* Vide Verrina vii, infrà.

Inſtituto ſuo Conſuetudine Syracuſanorum.

Horam decimam. Accipe horam inæqualem: vt ſæpe monui.

Atque iudices. Atque ſe Iudices, omnes libri veteres quos valde ſequor.

Sortiri dicas oportere. Ex hoc loco apparet, Dicam non Actionem ſignificare, ſed Iudicium. Iudicium C verò Iudices ipſos: vt ſæpe Legatio Legatos. vnde poſtulare Iudicium, pro poſtulare Iudices: vt in illo, quem modò protuli, Nympho cùm ſe vellet æquo iudicio defendere, iſte viros optimos Recuperatores dat: id eſt, æquis Iudicibus vti, eorúmque præſidio ius ſuum tueri, Iudices dat ex cohorte ſua nequiſſimos. Itaque paucis pòſt verſibus, & Sortiri iudicium, & Sortiri dicam eadem in re perſpicuè poſuit. Et ſuprà, Iudicium conſtitutum, pro Iudices conſtituti. O præclarum iudicium, id eſt O præD clari Iudices.

Nulla debetur. Pro, Non debetur. Terentius in Eunucho, Memini. tametſi nullus moneas. Plautus in Aſinaria, Quem in tonſtrinam iuſſeram venire, is nullus venit.

Turpiſſima perſona calumnia. Tranſlatum ex fabulis, pro Turpiſſimæ partes. id eſt, turpiſſima procuratio, vel negotium mandatur.

Sortiri iudicium debuiſſe. Id eſt, Iudices vt modo δικὰς dixit pro δικαστὰς.

E *Cùm ex eo numero iudices haberet.* Id eſt, ſi haberet.

Cæteras dicas omnes illo foro, M. Poſtumius Quæſtor ſortitus eſt. Id eſt iudices qui de litibus inſtitutis cognoſcerent. Quæſtores autem mandato Prætorum iure dicendo conuentus circumibant. Suetonius.

Illo foro. Syracuſano. Et nota forum idem eſſe quod conuentum.

Populo Syracuſano. Palæſtratis Syracuſanis.

F *Iſtum condemnetis neceſſe eſt.* At eum repetundarum: qua de re conſtitutum eſt hoc iudicium.

Alieno præmio. Palæſtritarum. Nam hi ſoli diripiendæ hæreditatis participes fuerunt.

Ad communem litium æſtimationem. Id eſt, vt quemadmodum Verri, ita & ipſis hoc iudicio lites æſtimentur. In lege de pecuniis repetundis hoc fuiſſe caput Cicero declarat, in Orat. pro Rabirio Poſth. vt repeteretur ab iis, ad quos ea pecunia, quã is cepit, qui damnatus eſt, peruenerit.

G *H-S. Tricies.* Scutatorum ſeptuaginta quinque millium.

Poſſeſſio traditur. Secundum tabulas teſtamenti: in quo niſi ſtatuæ ponerentur, ſubſtituti palæſtritæ fuerant: patrimonij verò poſſeſſio, iniuſtè decreta eſt.

Venerat legibus. An legitimã ſignificat hæreditatẽ quę proximo cognato à legibus defertur: an legibus dixit ꝑ legũ permiſſa iuſto ſc. & legitimo teſtamẽto,

Vtendo

A *Vtenda ac poßidenda.* E quibus fructuſ percipiendorum poteſtatem illi fecerat. vt in Orat. pro Sext. Roſcio, Quid ſi conſtat hunc non modò colendis prædijs præfuiſſe, ſed certis fundis patre viuo frui ſolitum eſſe?

Nomine ciuitatis. Nomine quæſito palæſtritarum.

Cornubiorum vaſorum. Vide pro Sex. Roſcio.

Cohors iſtius mutila. ἀλλοχοριναῖς significat cohortem Verris, & quæ voluit, & quo pretio voluit, ex ea auctione abſtuliſſe. B

Verbo redigendis. Vquam in ſummem, quæ Reip. numeraretur, conferendis.

Re diſpertiendis. Quibuſcum prædæ ſocietatem Verres coierat.

H-S DC L *millia.* Aureorum ſex millia ducentos quinquaginta.

Per ſummam iniuriam erepta. Aut Eripi, aut Erepta eſſe, plenius, opinor, & rectius legeretur.

Auctores iniuria. Cleomenes & Æſchrio.

Pene alterum filium. Generum ſuum Adoleſcentem electum ET ALTERVM FILIVM non filij ſui ſimilem, quidem quaſi præditum & impurum ſæpe oſtendit: ſed cuius exiſtimatio non minus chara quā filij eſſe debuit. C

De prouinciáque deceſſit. Vetus codex, impreſſi cō plures veteres, in his Cratandri liberi Diceſſit. Vtra ſit verior, affirmare non auſim. Hoc tamen non dubitabo dicere, nuſquam me alibi ſic locutum Ciceronem animaduertiſſe, vt Decedendi verbum in iis poneret, qui ſine imperio aut poteſtate de prouincia eacederent. Aldinus codex, Deceſſit. D

Non modo deriuare in aliquem, ſed communicare cum aliquo. Deriuare eſt totum trāsferre communicare partem.

Per pſeudothyron reuertantur. Cùm palàm exire à Verre viderentur, latenter poſtea, quaſi per poſticum reuertebantur.

Et illa ſcelera quoque per Theomnaſtum. Vetus codex, Etiam illa ſcelera ſunt, quæ per Theomnaſtum. quæ lectio mihi verior ac ſyncerior videtur. E

Vt vrbs tota ſpoliaretur. Vide librum Accuſationis IIII, infrà.

Buleuterium appellant. Βυλευτήριον vbi conſultationes fiunt vbi βυλευταὶ hoc eſt ſenatores de Repu. ſententias dicunt.

Honeſtiſſimo loco. Totius Buleuterij.

Marcellea Marcellea, feſtus erat dies, quem Syracuſani in M. Marcelli honorem & memoriam ſacris epuliſque celebrabant.

Mithridates in Aſia. De Mithridate cognoſce ex commentarijs in Pompeianam. F

Mutia. Quæ Aſiani, in Q. Mutij Scæuolæ, qui abſtinenter prouinciam rexerat, honorem inſtituerāt.

Nimis ferus & immanis. In Pompeiana.

Syracuſanis vnum diem. Syracuſanos in quarto caſu, poſtulat Latini ſermonis conſuetudo.

Locarentur. Vt certi homines certo pretio reciperent, ſe, quæ opus eſſent, ad diem omnia daturos, paratáque habituros.

Iam in iſta. Vetus, Sed iam in iſta. valde placet. G

Quoquam ſi acceßiſti. Aliquis elicitur ſenſus. ſed ſi Quónam enim acceſſiſti, legeremus, multò concinnior ſententia videretur.

Euerſum atque exterſum. A verbo Euerro deductum alludit enim ad Verreorum vocem, quaſi præclarè Verrea vbiq; celebrata ſint, euerſis videlicet, atque exinanitis domibus, fanìſque omnibus.

A *Sed ex manibus, naturáque tua.* Vehementer aſſentior eruditiſſimo viro Ioanni Lucanio, vt non Manibus, ſed MORIBVS legatur: tametſi omnes quos vidi, libri diſſentiant.

H-S *quingentorum millium.* Duodecim millium aureorum, & præterea quingentorum.

Vt ea etiam. Senſus poſtulat VT EIVS niſi vetus locutio ſit, cuius adhuc ſimilem non obſeruarim.

Per eius interpretes. Vtrum interpretes planè ſignificat, quaſi Verres Bidinos Græciæ homines ſine interprete intelligere non poſſit: an interpretes modo emiſſarios & tranſactores ſuorum factorum appellat vt infra multis locis. B

Tam palæſtricum. Qui tantopere palæſtræ ſe negotiis interponeret, alij Palæſtritam, ſed nihil moto.

Vnctior diſcederet. Iocus ea conſuetudine palæſtritarum, qui oleo iungebantur. Nam pecunia inungi Verrem ſolitum ſignificat.

Qui ſtatim. Deeſſe aliquid apparet, præſertim ea eo quod mox dicet, Per aliquem eorum, qui interfuerant. Ex quo coniectura ducor, certos homines, qui ſe amicos Epicratis fingerent; tranſegiſſe Epicratis nomine cum Verre duobus millibus aureorum, vt à moleſtia litium liberaretur. C

H-S LXXX. Aureorum duo millia.

Non poſſe. Omnes libri veteres, Non poteſt nihilo meliore ſententia, ſed dum integer locus reſtituatur, illorum auctoritatem ſequendam arbitrarer.

Interfuerat. Liber manuſcriptus, Interfuerant, numero multitudinis. quod magis placet. Interfuerant autem, in illa Verris & aliorum trāſactione. D

Vbi auditum. Omnes alij, Auditum eſt. quod non puto immutandum.

Aeſtuare illi. Tranſlatum ab iis qui præ nimia contentione animi & vehementi cogitatione deſudant. Sic paulo poſt. Itaque æſtuat dubitatione, verſabat ſe in vtranque partem.

Heraclius tamen affuerat. Sine dubio ſyncerior hæc ſcriptura eſt, & multo quàm alia concinnior, in qua non TAMEN, ſed TVM legimus. E

Rhegium. Vrbem in margine Italiæ ſitam, à qua Sicilia auulſa eſt.

H-S LXXX. Vt eum ab omni moleſtia liberarent.

Ab ſeſe caueat. Exigat ab illis talem cautionem, quam ipſi commodum erit. ſe paratos quauis cautione repromittere, neminem eo nomine amplius petiturum. vide Orationem pro Quinctio, & pro Q. Roſcio.

F *Refert illam ſuam Syracuſanam.* Mutilatus locus, quem etiam qui SVMMAM pro SVAM repoſuerunt, fœdius deprauarunt. Legendum arbitror, Refert ſe ad rationem illam ſuam: vel Refert rationem illam ſuam: hoc ſenſu, Syracuſis culpam ſuam in generum contulerat: nunc idem facere inſtituit: cùm in Volcatium deriuare hoc crimen voluit.

Qua via modo viſa eſt. Hoc ego vt vere dicam, intelligere non poſſum, & ſi mihi hoc genere vtendum eſſet, ita potius dicerem, Hanc pecu- G niam quæ via modo viſa eſt exire ab iſto, eandē ſemitā reuertiſſe. Nā ſuprà ſic fere locutus eſt, pecuniā quā per anticū hoſtiū exierat per poſticū reuertiſſe.

Quid enim debuit Prætor. Ordo eſt, Quid? debuit Prætor non animaduertiſſe, cùm cōperiſſet &c. Sed apertior eſſet ſētētia, ſi ita legeretur, Quid enim? nō debuit Prætor, &c. animaduertiſſe? vt particula NON q̄ poſteriore loco poſita eſt, priore loco reponatur.

Non modo eques. R. Non modo pro NON DICO qood ſæpè à me ſuperius annotatum eſt.

Colluſiſſet. Colludere dicuntur, qui quod in ſpeciem ex animo facere videntur, id ſimulatè & fictè agunt inter ſe, aliorum ſenſibus illudentes.

Succenſuit. Ob tantam acceptam contumeliam.

Iure agere. Paulo poſt iudicio agere dicet. alibi etiam iudicio petere. At Romæ lege agere, hoc dicitur propter actiones ex lege XII. cõſtitutas. Sic apud Vlpianũ in Inſtitut. lege aut legitimo iudicio agere: id eſt apud prætorem aut iudices ab eo datos.

Pecunia eſſe tentatum. Periculum illos facere voluiſſe, num ob iniquè decernendum Verres pecuniam acciperet.

Nouo modò. Contra morem maiorum, nullo exemplo.

Petunt hæreditatem. Vt quam palæſtræ commiſſam eſſe dicerent.

Exitus nullus reperiebatur. Teneri ſe videbant, neque quemadmodum ab hac illorum defenſione, poſſent diſcedere, reperiebant.

Inſimulant hominem. Epicratem. Itaqoe quando hoc non ſucceſſit, alia adoriuntur via alij Codices homines corrupti.

Vt bona poßidere liceat. Petunt poſſeſſionem ex edicto prætoris cuius hæc verba Vlpianus commemorat in l. Fuluiuius. 7. D. quib. cauſ. in põſſ, Qui fraudationis cauſa latitarit, ſi boni viri arbitratu nõ defendetur, eius bona poſſideri vendique iubebo.

Iudicio ſecum agi paſſuros. Id eſt, iudiciũ accepturos & daturos fideiuſſores, qui ſponderent eam pecuniam cuius Epicrates dãnatus eſſet, ſoluturos, De hac ſatiſdatione in Quintiam diximus. Locus autẽ oſtendit procuratores quoq; iudicatu ſolui ſatiſdare. Nam vt ait Ca. in l. qui proprio 46. §. 2. De procurat. Nemo alicui litis idoneus defenſor ſine ſatiſdatione, intelligitur.

Omnia conſilia. Sic liber manuſcriptus. Alij codices, Omnia iudicia. quod perſpicuè falſum eſt.

Literas publicas corripuiſſe. Quidam Corripuiſſe: non rectè opinor. Nam de hoc quoq; crimine mentio fit infrà.

Actionem eius rei poſtulant. poſtulant vt eius rei iudicium quæſtionémque conſtituat. Eſt enim hęc rei capitalis actio. Et ſimiliter paulo poſt locus eſt, eius rei impṙimis actiunem eſſe daturum.

Ne qua ipſius. Verris ſcilicet. Et hoc addidit, quaſi non tam abſentis innocentiæ timerent quàm Verrem iudicem formidarent.

Abſentem Epicratem. Vetus liber abſente Epicrate; quod probo.

Actionem eſſe daturum. Id eſt quæſtionem conſtituturum. Nã ſi ſemper oſtendiſſent abſentem defendere, nunquam iudicium dediſſet ac proinde nũquã ſpetioſam cauſam dãdæ poſſeſſionis habuiſſet.

Poßidere & ſibi habere. Quaſi latitantis ac non defenſi, apparet autem id quod in Quinctiana dominus vnicum decretum in his dandis poſſeſſionibus interponi ſolitum fuiſſe nimirum vt ſtatim poſſideri bona vendíque iubeantur quemadmodum paulo ante Vlpianus expoſuit.

Vtrum res ab initio. Omnes interrogationis notæ tollendæ, præter poſtremam. delendúmque etiam EST verbum, poſt PERDVCTA. Eſt autem ſenſus, Ex ea ratione qua in hac tota controuerſia vſum eſſe Verrem oſtendi, & ex magnitudine pecuniæ, & moribus Verris exiſtimari poteſt, hæc vt faceret,

A pecuniam à Bidinis accepiſſe. Nam ſic vita hominum eſt, vt ad maleficium nemo conetur ſine ſpe atque emolumento accedere.

Moueri loco. Nam quæ moueri potuerant, remota erant & direpta.

Non reſtituebatur. Laudat Metellum, quòd eos qui ſibi eſſent commendati, reſtitueret. Probabilior igitur veteris ſcriptura codicis, Vi reſtituebatur

Senator. Qui Verre Prætore bonis expulſus eſſet. Et ductus ad Metellum vt eum reſtitueret.

B *Ab Heraclio.* Etenim propter illam commendationem aliquid apud Metellum ponderis eius habebat oratio.

Duci iubebat. In ſua bona redire.

Multi ducti ſunt. In bona ſua: vnde Verris Imperio atque iniuria expulſi fuerant.

Cenſus qui iſto Pretore. De Cenſu vide in Oratione inſequenti.

In iſto tabellario. Non puto tabellarium hoc loco C ſignificari eum. qui literas perfert. quid enim ad illos homines eruditio pertinet? Videamus igitur ne ſcribam potius ſignificet.

Omnia Verris cauſa velle. Pręciſa locutio, quæ plena ſic effertur, Verris cauſa velle facere.

Erant qui putarent. Obſcurè facit eius rei ſuſpicionem, quam affirmare liquidò non audet.

Laudationem petere. Pro eo more de quo in Verrina ſecunda ſuprà.

Quod ego. Particula Quod vacat antiquæ & elegã D ter. Virg. 1. Geor. Quòd niſi & aſſiduis terram inſectabere raſtris.

Glabrionis literis. Qui Romæ Quæſtor repetundarum iudicium exercebat, mihíque in Siciliam inquirendi cauſa proficiſcenti, literas, poteſtatémque & quærendi & exſcribendi omnia permiſerat.

Qua adire vellem. Inſtituendæ accuſationis cauſa.

Conſtitui cum hominibus. Hinc conſtitutum iuris verbum de quo ſuo loco diſputauimus.

Edidi Metello. Vt eos mihi de prouincia decedere & mecum Romam venire ſineret. E

H S C millia. Mirũ eſt plus eſſe in cõpromiſſo, quã in cõtrouerſia. Paulus tamen in l. 32. D. de recep. arb. Non diſtinguemus, inquit, in compromiſſis minor an melior ſit pœna quam res de qua agitur.

Calumniam. Vt qui nihil deberet, iudicio tamen vexaretur.

Pœnis compromiſiſq. Compromiſſum dicitur certa pecunia, ab vtroque litigatore mutuo promiſſa, ni Arbitri ſententiæ pareant.

F *C millia.* Aureorum duo millia, quingentos.

CCC millia. Aureorum ſeptem millia, & præterea quingentos.

Quod ciuis Centuripinus. Nõ quo nõ id ius eſſet verũ quod ipſe iudices de ſua coborte arbitratu ſuo daſe volebat. vt Cicero expoſuit. Primũ ſuę leges, &c.

Rerum capitalium. Hæc tum Iudicia publica, tum Cauſæ publicæ dicuntur: in quibus reus nocẽs ſit an innocẽs quæritur. Ergo hoc Quæſtio eſt in publico iudicio, quod in priuato Cognitio. Locus autẽ id- G ipſum iudicabat quod alibi diſputatũ eſt, Prætores in prouinciis merum & mixtum imperiũ habuiſſe.

Ex multis ſimilibus. Nonnulli veteres, Ex multis millibus. quod valdè arridet.

Huic eidem. Vetus locutio. Huic homini criminis iſtius nomen ad prętorem deferunt: pro Reum iſtius criminis apud Prætorem.

Iſtius libertus, & accenſus idẽ Timarchides. De Accenſo

cenſo diximus ſuprà. Qualix fuerit Timarchides A ipſe declarat infrà.

Tranſactor. Interpres mercaturæ iudiciorum faciendæ.

Ob ſalutem. Abſoluendi, quam damnandi cauſa.

Difficultate numaria. Hoc Græci dicunt, ἀπορεῖσθαι τῶν χρημάτων vt contra εὐπορεῖσθαι. Demoſth. κατὰ τίμον. τὰ γὰρ εἰς τὰς θυσίας, καὶ τὴν ὕλην, καὶ ἄλλα χρήματα ἀναλισκόμενα ὁ νόμος ὁ τοιοῦτ προσευπορεῖσθαι.

B *In ea quæſtione præbebat.* Antique pro gerebat.

Quoquo modo ſe in ea quæſtione præbebat. Tametſi in eo iudicio & criminis cognitione iniquum ſe ſopatro demonſtrabat.

In conſilio habebat. Obſeruandum prætores prouinciarũ in cauſis capitalibus negotiatores aliquot in conſilium adhibuiſſe, déque illorum ſententia rem iudicaſſe. At in priuatis cauſis iudices ex eo numero decernere ſolebant.

Quem habet in conſilio. Nonnulli habuit ſed hoc vt puto rectius cùm res in præſentia narratur.

C *Quod ſuos amicos.* Nam in priuatis etiam iudiciis adhiberi à iudice in conſilium alij ſolebant, vt patet ex iudicio pro Quinctio.

Nam hercule, inquit Q. Minutius. Nam pro Atqui: cuius rei exempla proferam proxima Oratione.

Alterutri adeſſe. Adeſſe propriè dicuntur patroni & aduocati inquit Donatus in illud Terentij ex phormione Adeſte quæſo. Cicero in Catone Adſum amicis, venio in ſenatum frequens.

D *Tantum crimen inuidiamq́.* Tantam ſui criminandi, ſeque in inuidiam vocandi materiam præbuiſſe.

Aeſtuabat dubitatione. Tranſlatum à mari commoto, à quo ita tactantur naues, vt ſæpe qui nauigent vertigine afficiantur. Græci ἰλιγγιᾶν dicunt. Plato in Protagora, ἐγὼ δὲ τὸ πρῶτον ὥσπερ ὑπὸ ἀγαθοῦ πύκτου πληγεὶς ἐσκοτώθην καὶ ἰλιγγίασα. Loquitur Socrates, fingens ſe Protagoræ oratione, quaſi pugilis ictu, percuſſum, vertigine affectum eſſe. ſic ſuprà Æſtuare illi qui dederant pecuniam.

E *Retinere retinete.* Pœnam damnati repetundarum fuiſſe, aquæ & ignis interdictionem ſuperius ex Aſconio demonſtratum eſt.

De bello & pace ſententiam feras. Notetur locutio, Ferre in Senatu ſententiam, pro Dicere. Nam in foro ferebantur in vrnam tabulæ, in Senatu ſententiæ dicebantur.

Niſi Februario menſe. Iam ſæpe dictum eſt, Februarium menſem audiendis exterarum gentium F & prouinciarum legationibus deſtinatum fuiſſe. Quare hoc puto ſignificari, ſententias Senatorum Legatos emere ſolitos: Verrem eo menſe venalem ſuam ſententiam habiturum, & pretio vt in curiam veniat, facilè adductum iri.

Adſpirabit ad curiam. Seruius in XII. Æneid. Aſpirare, inquit, apud maiores accedere ſignificabat. Cicero, Nunquam aſpirabit ad curiam. hæc ille.

Decernas bellum Cretenſibus. Hoc tempore Cretenſes belli ſocietatem cum piratis aduerſus popu- G lum Romanum coierant: vt ex Plutarcho intelligitur in Pompeij vita, & Liuio lib. XCVIII, & XCIX. Ergo DECERNAT BELLVM CRETENSIBVS, ſcilicet, vt eius belli adminiſtratio Q. Hortenſio mandetur. ſed Q. Metello tamen eius collegæ mandata eſt. Nam cùm Conſules ſortirentur, Hortenſio, vt bellum gereret cum Cretenſibus, obuenit. Sed is vrbe delectatus & foro, in quo primum locum poſt Ciceronem obtinebat, collegæ vltro exercitum ceſſit, ipſe in vrbe remanſit. Metellus autem in Cretam miſſus, eam inſulam cepit. hæc ex Dione.

Liberet Byzantios. Liberari dicuntur prouinciæ, cùm ſtatuitur ne amplius ſint prouinciæ (vt apparet ex ſecunda Philippica) id eſt vt Romanis Magiſtratibus ius in iis dicere non liceat: vt ex Oratione de pro. Conſul. intelligitur.

Regem appellet Ptolemæum. Regem Ægypti, qui Rex à Senatu populóq; R. appellari cupiebat. De quo honore dixi in Oratione pro lege Man. Significat autem emptam à Rege Verris ſententiam.

Qua vult Hortenſius. Qui tum Conſul erit cum ſummo imperio.

In iudicibus ſit neceſſe eſt. Tum enim Senatores ſoli iudicabant. Sedebit igitur in ſua decuria.

In eius exercitu. Hortenſium ſignificat, quem duabus primis Orationibus ſæpe dominum & regem iudiciorum appellauit.

Habeatis ſanè vobiſcum. Vetus, Habeatis ſanè vobis. quod magis arridet.

Si quis extra. Idem, QVI extra, ſine particula SI: quæ lectio vera & aperta eſt. niſi fortè HI pro SI legamus, vt coronam populi demonſtret. Equites autem dicit & Plebem,

Amplius quàm trium iudicum. Figura dicendi è Græcis fontibus deriuata. Solent enim Græci plerunque comparatiuum iungere cum ſecundo caſu, interiecta particula ἢ: vt ἀμείνων ἢ ἐμοῦ. Cæſar apud Plinium in laudatione Ciceronis ſimilem locutionem vſurpaſſe videtur, Omnium triumphorum lauream adepte maiorem. Quod Linacer dictum putat pro omni triumpho. tametſi mihi quidem ablatiuus Laurea ſubaudiendus potius videtur. vt hic locus Liuij ex lib. Decadis tertiæ ſecundo, propius ad hãc dicendi figuram accedere videatur, Qui vbi, quã cuique proximum fuit, decurrere: (loquitur de Annibalis exercitu) eo magis Romanis ſubita atq; improuiſa res fuit, quòd orta ex lacu nebula, campo, quam montibus denſior, ſederat. Nam ordo eſt, Nebula ſederat campo: denſior quàm montibus, pro Denſior montibus.

Leges Corneliæ. Sylla rerum potitus, multas in Plebis & Equitum odium leges tulit: de quibus in Diuinatione diximus. In his hanc fuiſſe apparet, ne in reiiciendis iudicibus, amplius quàm tres iudices reiiciendi poteſtatem haberent. Aſconius in Orat. pro Milone, lege Pompeia quindecim reiici licuiſſe in Milonis cauſa, & iudicio de vi ac de ambitu teſtatur: quinos ſcilicet ex ſingulis ordinibus, Equitibus, Senatoribus, & Tribunis ærariis.

Addictam fidem. Tranſlatum ab auctionibus verbum: quaſi Verres ſimiliter plus numeranti fidem ſuam manciparet, quemadmodum in auctionibus pluris licitanti res addicitur.

Prædonum conſuetudine. Qui vitã iis non adimunt, qui eã certo pretio redemerunt. Cicero li. de Offi. ſecundo, Cuius, inquit, iuſtitiæ tanta vis eſt, vt nec illi quidẽ, qui maleficio & ſcelere paſcũtur, poſſint ſine vlla particula iuſtitiæ viuere. nã qui eorũ cuipiã, qui vnà latrocinãtur, furatur aliquid, aut clàm eripit, is ſibi ne in latrocinio quidẽ relinquit locũ. Ille autẽ qui archipirata dicitur, niſi æquabiliter prædã diſpertiat, aut occidet̃ à ſociis, aut relinquet̃. Poly. li. 6. μὴ μετέχοντας ἴσων ἐν διαιρέσει τῶν κατὰ λείαν ἀδικημάτων κοινῶν

ἀλλὰ πλήθει μόνον ϗ μεγέθει τῶν συμβαινόντων. ϗ γὰρ κατοδίαν τὸ τῶν ῥαδιουργῶν καὶ κλεπτῶν φῦλον, τούτῳ μάλιστα τῷ τρόπῳ σφάλλεσθαι, τὸ μὴ ποιεῖν ἀλλήλοις τὰ δίκαια, καὶ συλλαβεῖν τὰς εἰς αὐτοὺς ἀθέσεις.

Quem Bulbum, quem Stalenum. Hi duo iudices in Oppianici iudicio turpiter, & auarè verſati, pœnas legibus & iudicio dederunt. Staienum tamen legitur in libro de Clar. Orat.

Alteram decuriam Senatoriam. Alteram, id eſt ſecundam. Tres autem decurias ſiue centurias fuiſſe iudicum Senatorum, apparet ex Philippica prima, & quinta, & Epiſtola Celij lib. VIII. Sed de decuriis diximus in eius Orationis fine quæ huic antecedit.

Obtinebit. Sedebítne iudex in ſecunda decuria Senatorum.

De capite libero. Antiqui ſic loquebantur pro de homine libero velut apud Iuriſc. Tanta eſt vis atque poteſtas in capite libero. Et Vlpian. cap. Inſt XI. Qui liberum caput nam captatum ſibi &c.

Sanguine notabit. Capitis eos cioes, quos ei commodum erit, condemnabit.

Quid ni iſte neget. Cùm id ei maximè ſit aduerſarium.

Quæ palàm geſta ſunt. Dimiſſos & remotos Iudices.

Vt in vno omnia. In hoc vno, vel In eo vno, rectius putarem.

Occultè egeris. Pecuniámne ob condemnationem acceperis.

Alia rogando. Gratia: vt Poſcendo, imperio: Sumendo, precario: vt infrà

Profiteretur. Polliceretur.

Ex oppidi nomine & fluminis. Ælianus li. 2. de fluminum ſimulachris loquens. In Sycilia inqoit, Syracuſij Anapium in viri formâ effingunt, Cyanâ fontē, in fœminæ Ægeſtenſes, Porparē, Crimiſsū & Telmiſſum, io viri agrigentini puerum ex oppidi nomine, & fluminis effictum venerantur: quæ etiam Delphis conſecrarunt. Himeram autem per mediam Siciliam fluere Strabo lib. VI. item alij teſtantur.

Steſichori poetæ. Hunc ſcribit Suidas tricesima ſeptima olympiade vixiſſe, mortuum verò ſexta & quinquageſima, libros ſcripſiſſe Dorica lingua κϛʹ. Inde autem appellatū ὅτι πρῶτος κιθαρῳδίᾳ χορὸν ἔστησεν. id eſt, quòd primus cithara ſaltare inſtituit: prius enim Tiſiam dictum fuiſſe. De Steſichoro Socrates in Phædro ſic loquitur, ἔστι δὲ τοῖς ἁμαρτάνουσι περὶ μυθολογίαν καθαρμὸς ἀρχαῖος, ὃν Ὅμηρος μὲν οὐκ ᾔσθετο, Στησίχορος δέ. τῶν γὰρ ὀμμάτων στερηθεὶς διὰ τὴν Ἑλένης κακηγορίαν, οὐκ ἠγνόησεν ὥσπερ Ὅμηρος. ἀλλ᾽ ἅτε μουσικὸς ὤν, ἔγνω τὴν αἰτίαν, καὶ ποιεῖ εὐθύς, Οὐκ ἔστ᾽ ἔτυμος ὁ λόγος οὗτος, οὐδ᾽ ἔβας ἐν νηυσὶν εὐσέλμοις, οὐδ᾽ ἵκεο πέργαμα Τροίας. ποιήσας δὴ πᾶσαν τὴν καλουμένην παλινῳδίαν, παραχρῆμα ἀνέβλεψεν. id eſt Iis qui in loquēdo peccarunt vetus eſt expiatio, quā Homerus quidem non intellexit, ſed Steſichorus. Oculis enim orbatus ob Helenæ vituperationem, id noo ignorauit ſicuti Homerus. ſed cùm muſicus eſſet, cauſámque noſſet, continuò ſcripſit,

Non verus ſermo ille fuit, non vlla parata.
Nauis, & ad magnæ non venit mœnia Troiæ.

Et cùm vniuerſam recantatiooem abſoluiſſet, continuò viſum recepit.

Vt putant. Quòd ij ſoli ſignorum ſtudio capiuntur, qui artificij excellentiam norunt, vt ab ſe omnem eiuſmodi ſuſpicionem remoueat, ſæpe in hiſce Orationibus harum ſe rerum rudem & imperitum profitetur. vt modò de capella, & infrà. Quo non facilè quicquam dixerim me vidiſſe pulchrius, tametſi non tam multum in iſtis rebus intelligo, quàm multa vidi infrà & alibi ſæpe.

Ab eo qui fuit Himeræ. Sculptorem aliquem inſignem ſignificat: mihi tamen ignotum. Plinius Himeræi ſculptoris, quod ſciam, non meminit.

Ea quidem mira. Mirè aduerbium eſt, & ad Scitè refertur, vt ſit Mirè ſcitè & venuſtè.

Nihil pretio. Vetus codex, Precario. quod magis placet.

Emigrat atque adeò exit. Quid intereſt inter Exire, & Emigrare? Emigrare ſeu Migrare dicitur, qui ex eo loco in quo habitabat relictis vaſis, diſcedit. quod opinor hic Plauti locus oſtendit in Menæhmis, vbi Menæhmum viri fratrem vxor ſurrepti Menæhmi noctu cum palla ad meretricem profectum apud patrem inſimulat.

SENEX, Vbi habitas inſaniſſime?

MENÆHMVS. Tūn ſenex ais habitare me in illiſce ædibus? SE. Tu negas?

ME. Nego hercle verò: imò ſi non hæc eluderet, neget.

VXOR. Niſi ex quo nocte emigraſti?

SE. Concede hoc filia.

Quid tu ais? non hinc emigraſti?

ME. Quem in locum? aut quamobrem obſecro

Similiter Verr. VII, infrà, emigrare Verres ex Prætorio dicitur, cùm in locum quendā Syracuſis proximum, ad aliquot dies animi cauſa diuertit: cùm ſcilicet eo non omnia ſua vaſa exportaſſet. Exire verò eum apparet, qui cùm alibi iam diuerſaretur, nondum tamen ex priore hoſpitio vniuerſa ſua vaſa exportarat. Tum igitur cùm deportat, exire dicitur. Sed hæc ſeruatur perrarò differentia. Nam & locom qui mutat, & qui vaſa exportat, migrare, & commigrare, & emigrare dicitur. vt modò quod ſequitur, Ad generum Agathini migrare maluit.

Omnia inter eos eſſe communia. Etiam Dorothei vxorem hoc ſignificat.

Aliquem affinem. Quaſi ſocerum, & cuius cum filia rem habuiſſet. vide ſuprà.

Statim educunt. In ius. vt infrà Sumptum à Græcis qui Ἐπάγειν dicunt. Demoſthenes, περὶ στεφάνου, μετὰ ταῦτα συστάντων ὡς ἐμὲ ἤδη μᾶλλον κακῶς ἐμὲ ποιεῖν, ϗ γραφὰς ἐνδείξεις, εἰσαγγελίας ἐπαγόντων μοι.

Aiunt ab eo literas publicas eſſe corruptas. Quod capitale crimen eſſe, vt lege Cornelia de falſis vindicari, nemo ignorat. Quæret igitur aliquis, & meo iudicio non ſine cauſa dubitabit, quamobrē poſtea dicat Agathinus à prætore rogatus vt rei capitalis Achiniū accuſet, ſe nō vſque eo Achinio eſſe inimicū, vt eū rei capitalis accuſet. Ex quo perſpicuè intelligitur, hoc prius iudiciū rei capitalis nō fuiſſe. Reſpōdemus autē primū hæc in prouincia fieri nō Romæ, vbi lex Cornelia valebat. Deinde cū res capitalis hæc eſſet, licuiſſe tamen rei capiti parere, mitiorique iudicio in pecuniam ſcilicet aut pœnam corporalem agere. Nā capitis quoque poſtea propter hoc ipſum crimeo accuſatum Achinium fuiſſe poſterius intelligetur.

Poſtulat vt ſecū. Legēdū opinor POSTVLAT VT QVIA SECVM, vel POSTVLAT QVIA SECVM, pendet enim ſententia ex fine periodi, vt his omnibus de cauſis ſe ad leges reiiceret.

De his omnib. cauſis. Id eſt, has omnes ob cauſas.

Hora

Hora octaua. Diei.

Mulier tacere. Callidama.

Id ipſum agere. Omnes alij, Id iſtum. quod ſine cauſa non arbitror immutandum.

Virgis ſupplicium ſumeret. Neque tamen iccirco capitale iudicium appellatur. Nam vt ait Paulus in l. 2. D. de pub. iudic. non capitalia iudicia ſunt, ex quibus pecuniaria aut in corpus aliquo coercitio pœnæ eſt.

Hyemi fluctibúſque. Freto Siculo.

Homo certus. Qui à præſtituto tempore non recederet.

Venerios in domum Sthenij. Venerij, viatores erant in Sicilia, dicti à Venere Erycina: qui Magiſtratibus populi R. quaſi apparitorum loco ac numero eſſe ſolebant.

Corrupiſſe videri. Illud animaduerſione dignum eſt hoc loco, morẽ fuiſſe iudicibus, ita pronuntiare ſententiã, vt non feciſſe aliquẽ liquidò dicerent, ſed feciſſe videri. ſimiliter ſuprà. Feciſſe videri pronuntant. & in Orat. pro Cæcina, Iſte veſter teſtis, qui auſus eſt dicere feciſſe videri eum, de quo, &c. Et lib. Acad. quæſt. 11, Quam rationẽ, inquit, maiorũ etiã cõprobat diligẽtia: qui primùm iurare ex ſui animi ſentẽtia quenq; voluerunt: deinde ita teneri, ſi ſciens falleret, quòd inſcientia multa verſaretur in vita: tum qui teſtimoniũ diceret, vt Arbitrari ſe diceret etiam quod ipſe vidiſſet: quæq; iurati iudices cognouiſſent, vt ea non eſſe facta, ſed vt videri pronuntiarent.

Homo Venerius. Pius & religioſus in Venerem. Illum enim Erycinæ Veneri condemnabat.

H-S quingenties. Sine dubio maior hęc ſumma eſt, quàm veriſimile ſit, partẽ duntaxat Sthenij bonorũ fuiſſe. Efficit enim noſtratis pecuniæ duodecies centena quinquaginta millia aureorũ. Legẽdũ potius arbitrarer, Quingenta: vt aut vox Millia ſubaudiatur, aut eũ hæc nota H-S ſcripta eſſet, prętermiſſa ſit, quę ſumma eſt duodecim millium aureorũ, & præterea quingentorum. quanta ex Epicratis bonis fuiſſe dicitur.

Rei capitalis reum. Apparet igitur ſuperius iudiciũ de falſo ac literis publicis corruptis rei capitalis non fuiſſe.

Nomen abſentis deferre. Quod Romę nullo modo licebat: cum is cuius nomen deferebatur præſens apud prætorem interrogaretur, an contra legem feciſſet, et ſi negaret eius nomen in ordinem ac ſeriẽ reorum referretur. Hoc enim eſt nomen referre vt diximus.

Itaque defertur. Mirum autẽ profectò eſt, crimen iſtud cuius & accuſatus & dãnatus eſt Athenius à Cicerone nominatũ non eſſe. Ex quo coniecturã illius eiuſdẽ criminis corruptarũ ſcilicet literarũ, iterũ publico capitaliq; iudicio accuſatũ fuiſſe, vt capitis poſtularetur: id eſt vt vel ſummo ſupplicio afficeretur ſi fortè id Thermitanorũ legibus licebat vel exilio multaretur. Nã vnius eiuſdẽmq; criminis duplicẽ interdum actionẽ eſſe, Capitalẽ ſcilicet & non capitalẽ, item priuatã & publicã nemo iuris ciuilis ſtudioſus ignorat. Capitalis autẽ rei damnatũ intelligi eũ, cui pœna mors aut aquæ & ignis interdictio fuit innumeris ex locis perſpicitur vt l. edicto, 13. D. de bo. poſſ. l. qui eũ 14, D. de bon. lib. l. eum patronum, 10. de iure patr. l. 2, D. de pœnis l. licet, 103. de verb. ſignif.

Cn. Lentulus & Lucullus COSS. In recenſione Cõ A ſulum Cn. Lentuli collegã reperio L. Gelliũ: itẽmq; in Ora. pro Balbo, nõ vno loco. ex quo in ſuſpicionẽ incidi, pro L. Gellius ſuppoſitũ hoc loco fuiſſe Lucullus. quã ſuſpicionẽ etiã hoc adiuuat, quòd eũ priorẽ Conſulẽ eum prænomine poſuerit, veriſimilius eſt alterum ſine prænomine Lucium non reliquiſſe. Et profectò ita eſt, vt L. Lucullus hoc tempore in Aſia bellum aduerſus regem Mithridatem adminiſtraret.

B *Erat ſumma voluntas Senatus.* Antiqua loquutio, pro, lubentiſſimis animis aſſentiebantur. ſic lib. Epi. ad Att. 1, Iudices habemus quos volumus, ſumma accuſatoris voluntate.

Tranſigi nihil potuit. Senatuſconſultum perſcribi non potuit.

Dicendo tempus conſumerent. Senatuſconſultum antè exortum aut poſt occaſum ſolis factum, ratum non erat. Itaque ſi qui Senatuſconſultum, quominus fieret, impedire vellent, dicendo tempus con- C ſumebant. Licebat enim Senatori & qua de re vellet, & quandiu vellet, dicere. Atque hoc Diem tollere, & Diem eximere veteres appellabant. Gellius, Valerius, Plutarchus.

Neq; officij ſui. Quod in eo Magiſtratu ſuſtinebat.

Neque periculi. Ne amitteret exiſtimationem.

Neque pietatis. In patrem.

Humanitatis. In amicos.

Ambitione inductus petiſſet. Ambitio modò ſtudium gratiæ & fauoris conciliandi ſignificat, vt in- D infrà, Quiſquam dubitabit, quin tu iſtam inuidiam non ambitionis, neque beneficiorum collocandorum, ſed pecuniæ conciliandæ cauſa ſuſceperis. Et infrà, Officij potius in ſocios, quàm ambitionis in ciues rationem duxerit. Sic Epiſt. prima ad Q. Fratrem, Præſertim cùm mores ad nimiam lenitatem atque ambitionem incubuerint. Græci τὸ ἀρεσκεύεσθαι dicunt, gratiam & beneuolentiam aucupari, & qui ita ambitioſi ſunt τοὺς ἀρέσκους appellant: ipſam ambitionem, ἀρέσκευμα.

E *A Vibone Veliam.* Vibo vrbs eſt ſita in agro Brutio, qua è Sicilia Cicero rediens, Veliam Lucanię oppidum nauigio peruenit. Nauigium enim feſtinanti commodius erat magna naue.

Si ego non affuiſſem ad diem. Cùm ad iudicium Prætor veniſſet, ſi accuſator à præcone citatus, non reſponderet, rei nomen de reorum numero eximebatur. Aſconius in Orat. pro Cornelio, Poſtero diem eùm P. Caſſius aſſediſſet, & citati accuſatores non adeſſent, exemptum nomen eſt de reis F Cornelij.

Primus illis temporibus. Pauci poſt damnationem diebus, quibus Romam ea res perlata erat nunciiſq; Roma in prouinciam reuerſi.

Tribunos plebis hoc ſtatuiſſe. obſeruandum igitur Tribunos pl. iuriſdictionem earum rerum habuiſſe: de quibus edicebant. Nam vt videmus Orator apud eos cauſam agit Athenij ipſi Athenium abſoluant.

Damnationem duci non oportere. Sthenium pro G damnato habere non oportere.

Vertit ſtilum. Superiore parte ſtili quod ſcriptum erat, induxit. Vſus eſt Horatius in 1 Sermonum, Sæpe ſtilum vertas, iterum quæ digna legi ſunt, Scripturus.

In quos laqueos ſe induerit. Gręca locutio, ἐνδύεσθαι ἑαυτὸν, & περιβάλλειν, pro Implicare, & Irretire. Similiter in Lucullo, Philo, vt docuit Antiochus, in

idipſum ſe induit, quod timebat. Et paulo infrà, Videte vt dum expedire ſeſe vult, induat. item infrà.

In communibus poſtulatis. Quæ à Legatis prouinciatum ſcripta Conſulibus edebantur menſe Februario, vt de iis in Senatu ageretur. Apparet autem hoc ex loco duo poſtulatorum genera fuiſſe, vnum communium, quæ communiter ab vniuerſis ciuitatibus alicuius, prouinciæ proponebantur. Alterum propriorum, quæ ab ſingulis tantum ciuitatibus proprio ſuo nomine conſulibus edebantur.

Dicere audiſtis. Priore actione, pro teſtimonio.

Circunfer. Scribam alloquitur, cui literas dederat, vt ſuprà cognouimus, recitandas.

Totum hoc nomen. Nomen igitur non tantum articulos debitoris ſignificat: vt aliquis ex Aſconij verbis ſuſpicari poſſet: ſed etiam quicquid in tabulas refertur vt nominis verbo caput rei cuiuſque ſignificetur.

Iudicauit. Iudicabit, opinor, paulo venuſtius legeretur.

Non ex ipſius. In veteribus nonnullis, NON particula meliore loco poſita videtur, inter Publicas, & Corrupiſſe. Ex nomine autem dixit pro ſcilicet nomine: hoc eſt ex eo loco vbi præſentem Athenium in reos relatum fecit.

Cognitorem aſcribit. Cognitor præſentis dicitur, qui Procurator abſentis. Dixi in Diuinatione, & alibi frequenter.

Prætorum literas. In quibus acta iudiciorum deſcribi conſueuerant.

Qui antè fuerunt. Rectius putarem, Ante te vt alibi plerunque.

Scriptum habes. Ciuem R. homini Siculo cognitorem fuiſſe.

Palatina. Præcisè in ſexto caſu, pro Ex tribu Palatina. Et vide Aſcon. in II. Verrinam.

Si de literis corruptis contrauenit. Si acerrimum ſe aduerſarium in illa cauſa præbuit.

Peracutus eſſe. Contemptim nos intuens, quaſi abiectos deſpiciens.

Timarchidi. Quem non ita multo antè interpretem mercaturæ iudiciorum faciendæ fuiſſe dixit: infrà.

Nunc abtinebat. Id eſt, Tunc, quo tempore fuit cognitor.

Apronio illi. Oſtendit Apronium, de quo mox dicet.

Videatur &c. Corrigendum putarem, Videretur vt.

Dubitare etiamnum poteſtis. Aldinus & alij, opinor, omnes, Dubitate etiam ſi poteſtis. in quo cùm ſenſus ſit optimus, non video cur quicquam immutari oporteat.

Improbam perſonam imponeret. Partes daret hominis improbi, & ementiti cognitoris. Tranſlatum ex fabulis verbum.

Cùm ei Legatio. Minus iniquum videri vult, Legatum abſentem in reos referri, quàm non Legatum. Legationem igitur liberam intelligit, quæ non Reipub. ſed aut ſyngraphæ exigendæ, aut hæreditatis perſequendæ, aut voti ſoluendi cauſa dabatur: vt ex libro de Legib. III intelligitur. Dabatur autem iis ferè, qui periculum aliquod iudiciorum declinare vellent.

Exemplum eiuſmodi. Exemplum eſt quod aliis aut imitandum, aut fugiẽdum proponitur, Dicit autem

A Crudelitatis exemplum immanitatiſque naturæ, quod omnibus acerbum, & omni contentione fugiendum videri debeat. Sic in Orat. pro Flacco, In hoc ego reo, ne quod pernicioſum exemplum prodatur, pertimeſcam?

Nunc à me tamen reportata eſt. Reporta, in curiã, id eſt, refiſa, reſtituta.

Cn. Pompeium. Nam Syllæ partes ſequutus eſt Pompeius à quo etiam Imperator appellatus eſt. Et apud Cn. Pompeium, opinor, cùm Prætor eſſet,

B & quæſtionem imminutæ maieſtatis exerceret.

Quod tum magis. Probabilior lectio, quam tum in manuſcripto, tum impreſſis nonnullis reperio, Cùm magis inuidioſo.

Commune Siciliæ. Legendum putarem, A communi Siciliæ: vt libro ſuperiori, Commune Miliadum pro Reſpub. & ſuprà., Vt ij pro parte in commune Siciliæ conferrent. Græca locutio, de qua alio loco commemorauimus.

Mamertina ciuitas. Vide librum Accuſat. IV. ij.

C *In Eryco monte.* Iam ſupra diximus, Aut Erycino, vt in Aſconio: aut Eryce monte legendum eſſe, quemadmodum & Strabo, & Virgilius, & Plinius, & alij omnes loquuti ſunt.

Stheny nomen aſcriptum eſt. Nam ſcriptum & inciſum eſt, ex Sthenij damnati bonis hoc eſſe donum Veneri dicatum. Exacta ſunt enim H-S quingenta millia. vt ſuprà.

Quid tandem habuit argumenti? Id eſt, quid fuit

D cauſæ: Gallicè dicimus, Quæ fuit apparentia? Sic lib. Off. II. Tabulæ verò nouæ quid habent argumẽti, niſi vt emas mea pecunia quidẽ & eum tũ habeas ego nõ habeam pecuniam? Dolet Sthenij nomini notam infamiæ tantam, & tam diuturnã iniuſtam. Conſecratum enim religioni monimentum in perpetuum tempus manebat. Idcirco dicit, In eo potiſſimum: id eſt in ſacro & religioſo loco.

Stheniarum præmium. Hoc poſtea explicabit.

Amoris iudicium. Corrige, Indicium. Alludit au-

E tem ad Cupidinis nomen ac numeri nomen cùm dicit, cupiditatis ſignum, nomen cum amoris & neceſſitudinis iudicium, quod Cupido deus ſit amoris neceſſitudiniſque conciliandæ.

Qua illam totam. Nam ob amorem hoſpitæ, cuius & vir & pater inimici erant Sthenio, recepta erat abſentis à Verre & delatio & accuſatio.

Exiſtimatioq; offenſa. Senatus enim tum iudiciorũ infamia laborabat. & alibi ſæpe.

In Quæſtura mea. Quam in Sicilia geſſi, Prætore

F Sex. Peduceo.

M. Syllanum. Vide quæ dixi in Diuinat.

Centum & triginta millia. Ter mille ducentos quinquaginta aureos.

Octauium Ligurem. Verrina III. infrà.

Quod eſt enim p.g.p. cogenda, quod præterit. Omnes veteres & manuſcripti, & impreſſi libri duabus illis vocibus EST, & QVOD carent. quam ſcripturam, cùm optimam habeat ſententiam, ſine cauſa immutare non auſim.

G *Honos aliquis.* In Senatoribus cooptandis. infrà.

Poteſtas. In Magiſtratibus creandis. infrà.

Procuratio. In Sacerdotiis mandandis. infrà.

Catinenſes. Vtrunque reperio & Catanenſes, & Catinenſes. Quare nihil mutandum cenſeo.

Ne genera quidem. Veluti ne ex libertinis crearentur.

Quas enim leges. Hoc dicit propter Rupiliũ, quem

ſuprà

ſuprà ex Senatuſconſulto, de decem Legatorum ſententia leges Siculis dediſſe oſtendit.

Nuper L. Licinio, Q. Mutio coss. Annos ab hinc XIV. Nam vox nuper etiam de longinquo tempore frequenter. vt infrà Nuper homines nobiles eiuſmodi, Iudices: ecquid dico, Nuper? imò verò modò, ac planè paulo antè vidimus &c.

De quæſtu. Vt qui ſordidum & illiberalem quæſtum feciſſet: veluti, qui leno, præco, hiſtrio fuiſſet.

De cenſu. Ne quis, niſi qui certam ſummam in bonis haberet, Senator eſſet,

Colonorum. Qui ex aliis Siciliæ oppidis Agrigentum deducti fuerant.

Vetere Agrigentinorum. VETERVM legendum eſſe apparet, ex iis quæ & modò paulo antè dixit, & dicet paucis pòſt verſibus.

Ne amplius numerus eſſet. Obſcura locutio & inſolens, quam ita intelligi arbitror oportere, Vt numerus maior, neque amplior, ſiue in quo eſſet amplius veterum ciuium, non colonorum.

Obeam oratione mea. Vt ſigillatim quid vnaquaque in ciuitate fecerit, perſequar.

Iouis ſacerdotem. Diodorus ſic lib. 16, Timoleon inquit magiſtratum honoratiſſimum, animum inſtituit: quem Syracuſani Iouis Olympij famulatum appellabant. Electuſque eſt primus Callimenes famulus Olympij Iouis: & ita deinceps is honos per manus traditus eſt, annique à magiſtratu eiuſmodi annotati fuerunt, vſque ad tempora quæ noſtræ huic hiſtoriæ terminus & mutationi Reipub. initium fuit. Romanis enim Siculos alios in communionem Reipub. inducentibus famulorum principatus ille, qui annos plures trecentos durauerat, obolitus eſt.

In tribus illis. Id eſt, vnus ex tribus illis.

Religionem ſacrorum. Alij omnes, Religiones. quod cur immutari oporteat, non intelligo.

Cephaledi. Strabo libro VI. κεφαλοίδιον Siciliæ oppidulum appellat: vt fortaſſe Cephaledij legendum eſſe videatur.

Suo more decidatur. Sponſione facta certæ pecuniæ.

Toreumata. ἀπὸ τοῦ τορεύειν: dicuntur propriè torno facta, itémque ſculpta & cælata opera. eadem puto, quæ lingua noſtra dicimus, *Taillez en boſſe.*

Comitia. Quibus legi ſacerdotem oportebat.

Alio menſe. Quòd neceſſarium putabatur, vt vitaretur aduentus Herodoti.

Non eſt homo acutior. Hæc dicuntur εἰρωνικῶς. Dixit enim ſæpe antea, nihil eum obſcurè nec diſſimulanter agere: neque verò quicquam obtuſius, aut minus rectè fieri hac exemptione potuit.

Eſt conſuetudo Græcorum. Græci treis in partes menſem diuidebant, earum prima τὸ ἱςάμενον dicebatur, altera τὸ ἐπὶ δέκα, tertia τὸ φθῖνον. prima & ſecunda decem diebus perpetuò conſtabat: tertia autem ideo incerta & varia erat, quòd luna modò tardius, tum autem celerius ſe oſtendat: quippe quę interdum altero die poſt coniunctionem, interdum tertio, nonnunquam quarto appareat. Quum igitur celerius appareret, eximebatur: cùm ſerius, addebatur dies vnus, aut ſummum alter. Hęc ex libro Theodori Gazæ, De menſibus.

Eo die Kalendas Martias. Huius rei non diſſimile eſt quod Plutarchus de Alexandro magno ſcribit. in Parallis. his verbis ἐπεὶ δ᾽ ἐὰν καὶ νῦν περὶ τὸν μῆνα τὸν ὀνομαζόμενον, ἐν ᾧ μὲν δ᾽ ἂν φυλάξασθαι δαισίῳ γὰρ οἱ A ἀσθενοῦσιν οἱ βασιλεῖς τῶν μακεδόνων ἐξάγειν τὴν στρατιὰν τοῦτο μὲν ἐπηνωρθώσατο, κελεύσας δεύτερον ἀρτεμίσιον ἄγειν.

Offendit eum menſem. Venit enim triceſimo die, quàm menſis comitialis Verris inſtituto cœperat.

Intercalarium. De Intercalatione, cognoſce ex Macrobio, & argumento in orationem Demoſthenis κατ᾽ ἀνδροτίωνος. Intercalarium autem dixit virili genere, menſem ſignificans interpoſitum, qui quadraginta quinque dierum erat. Suetonius in Iulio,

B Fuitque is annus quo hæc conſtituebantur, XV menſium, cum intercalario, qui ex conſuetudine in eum annum inciderat.

Dies XLV. De huius loci interpretatione dixi, meam ſententiam, in Verrina II, nec eam adhuc mutare poſſum.

In cenſu habendo. Legendum putarem & in cenſu habendo, ne diſſoluta eſſet oratio.

In ſortitione fallere. Vt in Theomnaſti ſacerdotio.

Dies eximere. Vt in illo Climachiæ.

C *Ex omnibus ciuitatibus tolleret.* Hæc dicuntur εἰρωνικῶς, quòd minus malum maiore malo commutarit.

Tot comitiis. Quibus ij Magiſtratus mandabantur.

Licitationibus. Auctis ſubinde pretiis ab iis qui Cenſuras mercabantur.

Deſcribebat. Partiebatur, partito diſtribuebat.

Suiſque acceſſionibus. Acceſſionem hoc loco accipio pro interuentu, & interpellatione eorum qui

D Cenſuras ad eum, mercatum ibant. Coniungit enim eum eo quod dixit SVO LABORE. Quòd ſi pro Quæſtu & compendio acciperemus; vt libro inſequenti: quæ coniuncta voluit, maiorem in modum diſtraheremus, ſenſúmque meo iudicio ineptum redderemus.

Hiante atque imminenti. Sumpta tranſlatione à coruis, aut vulturibus, qui cadaueribus imminere ſolent, ore & faucibus apertis.

E *Hæc verò eius.* In meo manuſcripto ſyncerior eſt lectio, Huius verò, Timarchidem enim deſignat, cùm hæc vulgata Verrem ſine dubio ſignificet.

Athenionem. Ducem in Sicilia Drepanitanorum, qui à populo R. deſciuerant: & fugitiuorum, a quibus omnibus Regem ſe appellari iuſſit. Appianus in Mithrid.

Omnibus oppidis. Per omnia oppida.

In Timarchidis poteſtate. Priſcianus lib. VI, diſputat Ciceronem hoc loco Timarchidi ſine, s, litera

F dixiſſe: vt Terent. in Heaut. Anchonidi filia pro Anchonidis.

Denarij trecenti. In ſingulis denariis, quatuor ſunt ſeſtertij, quare trecenti denarij, triginta (vt nunc loquimur) ſcutatos aureos efficiunt.

Ad ſtatuam Prætoris. Hæc fuit Magiſtratuum Romanorum conſuetudo, vt in prouinciis quas regebant, ſtatuas ſibi ponendas curarent, quaſi de prouincia bene meritis. Interdum etiam templa iis ædificabantur.

G *At denarium.* Omnes libri veteres, Hæc denaria: in quo mendum illud eſt peruulgatum. nam Denariûm in ſecundo caſu legendum eſt, vt referatur ad millia. HAEC autem non dubito quin ſit verius: vt illa inter ſe duo opponantur, Illam pecuniam clàm dederunt: hæc denariûm millia palàm contulerunt.

Denarium XXXIX M. Quadrat ſumma. ſed pro

M litera,ſcribè plenè Millia. Etenim ne hac quidem nota pro Mille veteres vtebantur. Notis autem quemadmodum ſcribi debeat, diximus in Oratione pro Q. Roſcio. Hæc autem ſumma noſtratis pecuniæ ſcutatorum efficit tria millia, & præterea nongentos.

Tantam pecuniam. Cùm ſtatui multo minore pecunia ſtatua potuiſſet.

Ordo aliquis. Eſtne genus quoddam hominum ſeiunctum ab aliis ordinibus, vt cùm alij ordines conferent, ipſi non conferant? nequaquam. Creantur enim, verbi gratia, ex aratoribus. Quamobrem cùm ſui ordinis homines, id eſt aratores conferebant in ſtatuam, ipſi quoque pro ſua virili parte, vtpote aratores, conferre iubebantur.

Cenſorum eſt collegium. Locum ſic diſtinguerem vt tres interrogationes eſſent, Ordo aliquis Cenſorum eſt collegium? genus aliquod hominum.

Illos homines habent. Tribuunt honorem ſtatuatum.

Quis magis. Pecuniam ad ſtatuam conferent.

Ob beneficium. Quod, abs te Cenſores creati, acceperant.

Ergo hoc fatebere. Sequi non videtur. Non enim qui, quòd beneficium acceperit, aliquid largitur, continuò eius poſtulatu à quo accepit, donat. Poteſt enim ſua ſponte grati & memoris hominis officio fungens, id largiri. Verum id ſignificat, Verrem ob eam cauſam beneficium iis contuliſſe, vt pecuniam conferrent. itaque ſic interpretor, Ob beneficium? quod abs te eam ob cauſam acceperant.

Nam erepta non audebis dicere. Alij nonnulli Empta. quod perſpicuè abſurdum eſt.

Ambitionis. Demerendæ gratiæ & fauoris. vide infrà.

Cenſus habitus. Sic æſtimatæ ſunt cuiuſque facultates.

Nullius ciuitatis Reſpublica poſſet adminiſtrari. Nam pro cuiuſque facultatibus tributa ſingulis ciuibus imponebantur.

Letilij. Quem ſupra Verris tabellarium fuiſſe dixit, & Roma ad Metellum complures literas attuliſſe.

Qui Cenſor. Pro Quis Cenſor: vt ſæpe aliâs. Terentius in Phormione, Qui erit rumor populi? METVERET autem, vt in manuſcripto legendum omnino eſt.

Tamen ſi animo æquo. Tametſi animo, habent alij libri quammulti. & ſic emenda.

Graue videretur. Magnum tibi præiudicium fieri videretur.

Cognatus voluntarius. Repente cœpit dicere, ſe omnia Verris cauſa velle ſibi cum eo amicitiam cognationémque eſſe.

Magiſtratum abnegaſſet. Abrogare magiſtratum eſt legem ferre, vt alicui ſuus magiſtratus à populo tollatur priuatúſque reddatur.

Pupillo Drepanitano. Soſippi Epicratis fratris filio, ex Drepano ciuitate Siciliæ. Mortuum ſignificat Soſippum ante Metelli aduentum. Pupillos tamen numero multitudinis dixit, infrà Verrina vt.

A. Claudium. Hunc libro Accuſat. IIII. Apollonium Nicomi filium Drepanitanum appellat: Qui nunc, inquit, A. Clodius vocatur. infrà. Ciuis R. erat factus, & in Clodiorum familiam aſcitus.

A H-S C X X *millia.* Coronatorum tria millia.

Legitimum quinquennium. Et ex hoc loco, & ex iis qui ſequuntur, intelligi poteſt, ad conſumendam pecuniam in ſtatuas collatam, permiſſu legib. quinquennium, quo præterito, neque poſitis ſtatuis, accuſare licere.

Comprobaremus. Vetus, Comprobauerimus, perſpicuè rectum.

H-S CCC *millia.* Coronatorum ſeptem millia, ſupra quingentos.

B *Moram accipiendi ſ.u.ſ.c. dandi auferre videamur.* Corruptus locus: quem ne ope quidem aliorum codicum reſtituere poſſumus: in quibus non MORAM, ſed MOREM per E legimus. non tam quòd Auferre morem, ſuſpecta mihi locutio eſt: quàm quòd probata pecuniæ exactione, præberi potius, quàm auferri cauſa dandi ſociis videatur. Quòd ſi pro Auferre, Afferre legamus, nihil erit apertius. Sæpe autem & Cauſam & Moram afferre apud Ciceronem legimus. eſt autem ſenſus, Si hoc pro- C babimus, tantum abeſt vt auaros Magiſtratus reuocemus à cogendis pecuniis, eorúmque auaritiam tardemus, vt potius honeſta nomina quæſiſſe videamur, quibus ſocij ſine Magiſtratuum periculo pecunias conferant. Locutionum exemplum, vtriuſque vnum ex hoc ipſo afferemus. in Orat. pro Clu. Oppianicus, qui pecuniam Saſſiæ concupiuiſſet, domo ſibi quærendum remedium exiſtimauit ad eam moram quæ nuptiis afferebatur. In libro de Diuinat. II, Ac mihi quidem explicandæ philoſo- D phiæ cauſam attulit caſus grauis ciuitatis.

Hunc enim puerum non oderant. Acerbè in puerum, tanquam blandum & gratioſum Syracuſanis. id quod ad infamiam pueri pertinet. Syracuſanos enim, qui Legationem laudandi cauſa miſerãt, multis locis non leuiter laceſſit.

Vt in foro ſtatuerunt, abſtuliſti. Id eſt, extorſiſti, obtinuiſti.

Vt ijdem darent. Id eſt bis iidem conferrent: ſemel ordinis ſui nomine, aratorum ſcilicet: iterum E pro virili parte, cùm Siculi omnes communiter conferrent.

Pecuniam coactam. In aliis omnibus, Pecuniam per vim coactam. & ſic emenda.

Poſtulatis communibus. Quæ menſe Februario edi ſolebant. Dixi iam antea, Menſe Februario audiri ſolitas legationes. vt in Epiſt. ad Lentulum, Senatus haberi Februario toto non poteſt, niſi perfectis aut reiectis Legationibus.

Audio. ne in cellam. Male interpuncta oratio lo- F cum reddit obſcurum. Senſus eſt, Audio Legatos cùm poſtulant, Ne prætores in cellam, &c. ſic igitur ſcribendum, vt poſt Audio, diſtinctionis nota ponatur. Ac de hoc toto genere, modò vt Deus velit, libro inſequenti fuſius explicabitur.

Formulas vſitatas. Vt præter formulam, nihil ſimile habeat poſtulationum: neque aliud quicquam ſint niſi criminationes.

Sententiámque non perſpiciat. Priſcianus li. XVIII. RESPICSAT ὑπ ἄρα κατίδοι.

G *Vt ipſis ne liceat.* Statuas Prætori, antè, quàm deceſſerit, ponere.

Nihil ergo, inquit. Subaudi Impetraro.

Seſe pecuniam. Mendum typographi. In aliis, Seſe ad ſtatuas pecuniam.

Tuis patronis. Hortenſio, Siſenna, Curione, & aliis.

Multi

Multi primarij multa. Aliud mendum:in aliis libris,Multi primarij viri multa dixerunt.

Circunſcribere. Modò ſignificat Reiicere & excludere.

Omnino præclarè te habes. Præclarè tecum agitur: habes quo te oblectes. εὐφραίνῃ.

Summa Reipub. Summus principatus, ſumma rerum dominatio manet penes populum R.

Propter ædem Vulcani. Paulo ſupra comitium dedicatum à Tatio rege Sabinorum.

O cauſam ſingularem. Cauſa pro Excuſatio:vt ſæpe aliàs. Græci πρόφασιν dicunt. pro quo Cicerò Specioſam cauſam.Vt ad Att.lib. XVI, Reuerſionis has ſpecioſas cauſas habes.

Vt hoc tamen. Tandem, apertius legeretur:hoc ſenſu, Denique ne multis morer:hoc iam ita planiſſimum faciam.

Qui in Sicilia. Vetus liber, Qui ex Sicilia.quod verum puto.

Et huius ego pecunia. Rectius putarem, At huius.

Quoniam intelligitis. Suſpectus mihi locus. Legendum putarem, Sed quoniam.vt poſt Coactam eſſe, non clauderetur ſententia: ſed in fine periodi inſequentis.

Ambitionis in ciues. Potius ſpectarit quid officij ſui ratio poſtularet,quàm quemadmodum gratiam ſibi ſuorum ciuium conciliaret. Dictum eſt de hoc vocabulo.

Sed etiam Sotera inſcriptum. Eundem Tito Flaminio tributum à Calchidenſibus honorẽ ſcribit Plutarchus in eius vita:& canì ſolitum Ἰὴ ἰὲ Τίτε σωτήρ

A communi Sicilia. Corrige Siciliæ:vt dixi infrà, & ſic legitur in impreſſis multis.

Ad honores atque ampl. In manuſcripto probabilior lectio, Ad honorem. nam de ſtatuarum honore loquitur.

Nonnulla religione deorum. Ex quo manauit opinor ſeruorum conſuetudo, ad ſtatuas,tanquam ad aſylum confugiendi. Cuius quidem conſuetudinis frequens eſt mentio in libris noſtris ciuilibus. Quin etiam Liuius libro tertio Decadis III, Decium Magium, qui à Campanis fuerat Annibali deditus, cùm Carthaginem mitteretur, tempeſtate delatum eſſe ſcribit Cyrenas: ibique cum Magius ad ſtatuam Ptolemæi regis confugiſſet, deportatum eſſe Alexandriam ad Ptolemæum, à quo à vinculis liberatus eſt.

Propè ſoli ſuperius. Quo L. Sylla Q. Pompeius coss. creati ſunt. Nam Mithridates quinquies bellum in Romanos inſtaurauit:quod à Pompeio magno tandem confectum eſt. At Superius dicit primum illud quod fœliciter in Aſia geſſit, de quo Cicero in Orat. pro Pompeio, Delenda eſt, inquit, vobis illa macula Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta:cùm vna die tota Aſia,tot in ciuitatibus, vno nuntio ciues R. necandos trucidandóſque denotauit. Et eadem rurſus Orat. Quas Mithridates & à maioribus acceperat,& ipſe bello ſuperiore ex tota Aſia direptas in ſuum regnum congeſſerat. Dixit autem PROPE SOLI, Romanorum fortunam diſſimulans,qui eo bello magnam offenſionem acceperunt.cùm & L. Caſſius, Aſiæ Proconſul,& Manius Attilius,& Q.Oppius, Minutius Ruffus, C.Popilius exercitus haberent:è quibus Q.Oppius à Mithridate captus eſt,& Manius auctor belli ſuſcipiendi coactus aurum fuſum & liquefactum potare. auctor Appianus. Cùm autem hęc ita ſe habeant,haud ſcio qua fiducia nonnulli bene conſtitutum locum perturbare audeant,qui in ſuis libris pro SOLI SVPERIVS,hæc verba OMNIVM SÆVISSIMVM ſuppoſuerunt.

Impetum à mœnibus. Error typographi.nam Mœnibus impetum excipere dicimur, non à mœnibus, Bis autem repulſum Mithridatem Appianus auctor eſt.

In bello ſoleat defendere. Sæpius tamen accidiſſe conſtat,vt quod odium in aliquem attuliſſent, id in eius imaginem ac ſimulacrum profunderent.Itaque iidem ipſi Rhodij Chalcide capta, Philippi Regis Macedonum ſtatuas deiecerunt:Athenienſes verò, etiam plebiſcito facto, eiuſdem ſtatuas, imagines omnes,nomináque earum,item maiorum eius virilis ac muliebris ſexus omnium, ſuſtulerunt: ſicuti ſcribit Liuius lib.I.quartæ Decadis. Appianus verò in Mithridatico,Epheſios ſtatuas omnes Romanorum deturbaſſe ac comminuiſſe ſcriptum reliquit.

Maximè remotiſſimi. Maximè cum ſuperlatiuo,vt Epiſt.ad Att.lib. XII,Siue hanc aberrationem à dolore delegerim,quæ maximè liberaliſſima, doctóq. homine digniſſima,laudari me etiam oportere. Et apud Liuium libro I,quintæ Decadis,Parua,inquit, aut mediocris res Achæi videtur agi: ego maximè grauiſſimam omnium,non agi que tantum arbitror, ſed quodammodo actam eſſe.

Leontini miſera in ciuitate. Corrige, Leontinis.vt infrà, & alibi. Nam Leontini Leontinorum dicimus:vt Syracuſæ,Puteoli.

Iſtius in gymnaſio. Ordo eſt, In gymnaſio, ſtatua iſtius deiecta eſt.

Ante ipſum Iouem. Alij complures Ante ipſum Sepim. quo verbo cuius Dei nomen ſignificetur, non reperio. niſi fortè Sabim, aut Serapim ſcribamus: quorum tamen religionem à Syracuſanis cultam nuſquam reperio. Iouem autem Olympium opinor ſignificat de cuius templo cognoſce ex Orat. VI infrà.

Atque illam. Multitudinem.

Centuripinorum Magiſtratum & Decemprimos. Vide quæ dixi in Orat.pro Sex. Roſcio,ſupra.

Hic ego aliud alij concedo. Centuripinis ignoſco, qui tam repentè ſtatuas ſtultè repoſuerunt, quas publico conſilio demoliendas curarant.

Sua vi & auctoritate. Cùm ſtatuas reponi iuſſit.

Sed ego Metello non iraſcor. Epitherapeuſis: ne Metellum acerbius læſiſſe videatur.

Malitiosè. Non feciſſe animo iuuandi Verris, & huius criminis extenuandi.

N-S CXX.millia. Tria millia coronatorum.

Cur Haleſini? cur Centuripini? Hæ ſunt omnes ſine fœdere immunes ac liberæ ciuitates.

Vtrum de te aratores. Vtrum, ſine particula An: præter Latini ſermonis conſuetudinem: vt apud Græcos πότερον, & maximè apud Platonem. ſic infrà, Tametſi iandudum erro,qui quæram vtrum emeris, & quomodo,& quanti emeris: quod verbo tranſigere poſſum. Valde tamen, vt verum fatear, huic loco duæ illæ voculæ AN MALE, conuenirent? neque ſanè eas non deeſſe affirmare auderem.

Iſtam orationem contemnendorum Siculorum. Id eſt qua Siculos contemneres,ſi leuem & nullius momẽti eſſe illorum exiſtimationem diceres. Alij repoſuerũt,Negotiatorum.vt ſit,Iſtam orat. negotiatorum

Siculorum. quod ſi ſine vetuſti auctoritate codicis A auſi ſunt, impudenter mea quidem ſententia fecerunt.

Inſcribique iuſsiſti. In quo, quanti eorum iudicium faceres, oſtendiſti.

Communi Siciliæ. Corrige Siciliæ: & vide infrà.

Genus humanum. Vetus, Hominum: & ſic emenda. nam ſuprà perſæpe hoc eodem modo loquutus eſt.

Sperabas. Sperâris, & oratio, & veterum codicum B auctoritas poſtulat.

Tua ſapientia. Calliditate, qua vſus es in literis remouendis.

In ſcriptura Siciliæ. Scriptura dicebatur, eorum ratio, qui paſcua publica conducebant: vt exigenda à ſociis ſuo periculo exigerent, quæ tamen Reip. repræſentabant.

Pro magiſtro eſt. Magiſter ſocietatis, vnus aliquis è ſociis dicebatur, qui Romæ ſocietati alicui, id eſt, aut ſcripturæ, aut portorij, aut vectigalium ita præ- C erat, vt & Decumanos quaſi Senatum cogendi, & ad eos de ſocietatis negotiis referendi poteſtatem haberet: curámque omnem gereret tabularum, & rationum, quæ vndique ab iis qui operas dabant, Romam mitterentur. Hic Promagiſtrum in prouincia habebat, ſui quaſi muneris vicarium, & ſocietati præfectum, qui etiam Magiſter dicebatur. Promagiſtro autem coniunctim dicitur, vt Procõſule, Proprætore.

Sociorum intereſſe. Socios intelligit non Siculos, D ſed qui ſcripturæ ſocietatem coierant.

Circum omnia fora. In certis Siciliæ vrbib. prætores ius dicere ſolebant hoc forum agere Latinè dicitur. Ad ea fora vadimonia ex proximo territorio conſtituebantur. Prætor ea certis temporib. obibat, quo notari Verrẽ Carpinatius ſolebat.

Hoc erat etiam capitalior. Deterior, pernitioſior, magis exitialis. Sic Off. 1. Totius iniuſtitiæ nulla capitalior eſt, quàm eorum &c.

Ferebat expenſas. Dixi in Orat. pro Q. Roſcio. E

Extraordinarias. Extraordinariæ pecuniæ dicuntur, quæ in accepti & expenſi tabulis perſcriptas nõ habemus. Dixi in eadem Orat.

Operas dabat. Societates certo pretio Romæ à Cenſoribus vectigalia, quæ pro exportandis rebus à Syracuſanis pendebantur, conducere ſolebant: ſociúmque aliquem in ſingulis prouinciæ vrbibus habere qui ea exigeret: quem paulo pòſt Seruum ſocietatis appellat. Atque is quidem operas dare dicebatur. Vnus autem tota Sicilia Promagiſtro erat: F qui verò operas dabant, totidem, quot ciuitatum ratio poſtulabat.

Sine portorio. Nulla pecunia pro exportatione ſoluta.

Seueriora iudicia. Quàm quæ à Senatoribus exercentur.

Reos iudicare. Corrige Res iudicare. quæ locutio apud Latinos vſitata eſt.

Iudices poſcit. Dixi ſuprà.

Ab homine non noſtri generis. L. Aurelium Cottam G Prætorem dicit: patricium hominem, qui legẽ promulgarat, de iudiciis Equeſtri ordini reſtituendis. vide ſuprà.

Nitatur. Vetus, Nititur, quod probo.

Fidem ſuam & religionem. Quippe quæ multis iam documentis perſpecta & cognita eſt. blanditur Decumanis.

Condemnari noluerunt. Voluerunt, legendum eſſe apparet vel ex eo quòd ſuprà dixit, At quorum iudicio condemnatum? Ergo hic ſenſus eſt, Iudicarunt te nocentem, & niſi literas remouiſſent, certiſſimè condemnatum iri.

Vtrum illorum iudicium, ac voluntatem. Voluntas apparet in literis remouendis: in quo cupiditas dominata eſt: Iudicium in eo, quòd eum & nocentem, & damnandum eſſe cognouerunt. Eſt autem anteferendum cupiditati & voluntati iudicium. hoc igitur ſequendum.

Magis accuſatoriè. Magis animo infenſo, & cupiditate ducto, qualis eſſe ſolet accuſatorum.

Tantum poſſem. Tantum, hoc loco eſt aduerbiũ, pro Tantummodo: poſtea nomen eſt.

Quantum poſſum. Etiam quaſi plus ſit in literis: quippe quæ nõ extant, vt aliquid affinxiſſe conuincat.

Veſtem Melitenſem. Veſtis Melitenſis muliebris fuit, quæ fiebat Melitæ: quæ eſt inſula ſatis lato ab Sicilia mari periculoſóque diſiuncta. vide infrà. Maltam hodie appellamus, Veſtẽ autem muliebrẽ fuiſſe docet hic locus, & alij. Sed tãtúmne Melitenſiũ, quaſi etiam amicorum vxores ornaturus eſſes?

Omnia tela excipiat. Patiatur ſe his telis & criminibus confici.

Deſcendo. Quid eſt deſcendere? Honos habeatur homini doctiſſimo & diligẽtiſſimo Laurentio Vallæ, qui in Elegantiarum libris luculẽter hoc verbũ exponit his verbis, Deſcendere dicimur in cãpum, aut in certamen, non quia de loco ſuperiore in inferiorem deſcendimus: ſed quia de loco tuto in locũ diſcriminis. opinor, quòd qui in loco ſuperiore ſe tenet, pugnam detrectare exiſtimetur: quem cùm reliquit, & in locum æquum venit, atque deſcendit, mentem ſe pugnandi habere declarat.

Communis inter ſe conſcientia. Nam quòd vnà cùm id actum eſt, fuerint, conſcij ſunt inter ſe quid geſtũm ſit. alter igitur alterius conſcientia ab omni tum ſimulatione, tum diſſimulatione reuocabitur: ne ſcilicet mendacij ab aliis eiuſdem rei conſciis coarguatur.

Vt verum ſcire. Et vt verum, legi poſtulat oratio.

Decretúmne ſit. Vt literæ remouerentur.

Iſtum ſine dubio condemnarent. Mutilatus ſine dubio locus, qui quo modo reſtitui poſſit, non diſpicio: niſi forte ante hæc verba, reponamus AN NON. Anantapodoton eſſe putarem, ſed particulam SI, neceſſario iterari oporteret. at quo in loco iteranda ſit, incertum.

Nulla vi aut ratione abſolui poteſt. Frigida concluſio hæc videtur omnino: quæ, ſi cum interrogatione legatur, & pro Nulla reponatur Vlla, multo futura eſt acrior ac vehementior.

Aſſequi potuerit. Aſſequi in patiendi ſignificatione. vt complexa, in Orat. pro Sex. Roſcio: & Experta, in Orat. pro Balbo.

Tabulas haberent, Quarum ipſi rationibus exigẽdis & conficiendis præerant.

Obſignaus ſtatim. Accuſatoribus, Prætoris lege atque imperio poteſtas dabatur, omnia quæ apud quenque ad accuſationem inſtruendam pertinentia reperirent, obſignandi, nequid remoueri poſſet.

Erant hæc. Apertius legeretur, vt in vetuſto libro, Nec erant hæc ex eo genere.

Libellum Canuleij. In manuſcripto. Libellus Canuleij, vt mihi grandioribus literis ſcribendum eſſe videa-

videatur, vt ſæpe aliis in locis.

Quinquaginta tricliniorum lectos. Certus numerus pro incerto. In quarto Accuſationis, in ſingula triclinia amplius triginta lectos quæſitos dicit.

Quaſi etiam amicorum vxores. Figura quam Græci [illegible] nominant. Facit enim occultè ſuſpicionem donata hæc eſſe amicorum vxoribus, quos in inuidiam conatur adducere, quippe Verris defenſores. Apparet autem ex hoc loco, Meliteníes veſtes eſſe muliebres.

H S L X. Subaudi, Millia, ex conſuetudine. Id eſt B aureos mille quingentos.

Viceſima portorij. Partē enim viceſimā earū rerū quæ exportabantur, publicani portorij & vectigalis nomine capiebant: id eſt quinque in centena. Erat autem aurū viceſimariū, quod in ærario ſanctiore ad vltimos Reip. caſus ſeruari ſolitū ſcribit Liuius libro Decadis III, ſeptimo.

H-S *duodecies.* Aureorum triginta millium. Inſignis locus, vt qui planiſſimè oſtendit, ſi ſeſtertium ſexaginta millia, ſunt pars ſeſtertium duodecies C viceſima: ſeſtertium duodecies, conciſam eſſe loquutionem, pro Duodecies centena millia ſeſtertium. ſed non, mille ac ducenta ſeſtertia, neutrius generis: vt Budæus putauit, qui ſeſtertia mille ſeſtertios continere falsò credidit. Quid enim me coget Budæus notam hanc H-S, hoc loco Seſtertia potius quàm Seſtertios interpretari? an quòd non eſt addita vox Millia? Atqui ſexcentis locis oſtendimus, eam non modò in ſeſtertium, verum D etiam in iugerum, in nummorum, in aſſium, in denarium, in modium, in medimnorum denique numeris ſubaudiri.

Quod ſibi iſte Mamertinos. Mamertini, ciues Meſſanenſes dicti: quòd à Mamertinorum regione Campana, eò colonia deducta ſit. Polybius, Strabo, Plinius.

Verſuram à Carpinatio feciſſe. Verſura fieri propriè dicitur, cùm creditoris conuerſio quædam, & E mutatio fit: id eſt cùm quis alij vt ſoluat, ab alio pecuniam mutuatur. Modò Verſuram facere, ſimpliciter ſignificat æs alienum contrahere. Sic in Orat. pro Cælio, Tabulas qui in patris poteſtate eſt, nullas cōficit. verſuram nunquam omnino fecit vllam. & aliis locis innumeris.

Cùm hæc maximè cognoſceremus. Elegans locutio, cum emphaſi momentum ipſum ſignificās quo quid fieri dicitur. Sic libro Ep. ad Att. II, Cùm hæc maximè ſcriberem, ecce tibi Seboſus.

Vſque alterum r. Prius enim ſcriptum fueras, A F C. Verre. pòſt autem, R E interlitum, & in lituram R V T I O relatum.

Tum flagitioſa. Cùm, repetitum eſſe arbitror: & hoc loco reponendum, vt ſit, Cùm flagitioſa, &c.

Ac fœneratio. Quas enim pecunias Carpinatius occupabat, earum vſuræ ad Verrem pertinebant.

Seruus ſocietatis ſemper mendoſus eſſet. Id eſt, Semper vitium feciſſet, ſemper mendum commiſiſſet. Seruum autem ſocietatis dicit eum, qui Syracuſis operam dabat ſocietati: eúmque Magiſtro ſocietaG tis opponit. Neque enim ſeruum illum fuiſſe putandum eſt: ſed, vt dixi, ſeruum appellat qui cum Magiſtro conferatur.

Deſcriptionem. Librum in quem tranſlatæ rationes erant ex tabulis.

Sed ipſa cubilia. Tranſlatio à feris ſumpta, quæ in ipſis cubilibus deprehenduntur. Similis figura in A Piſonem, An verò tu parum putas inueſtigatas eſſe à nobis labes imperij tui, ſtragéſque prouinciæ? quas quidem nos non veſtigiis odorantes ingreſſus tuos, ſed totis volutationibus corporis, & cubilibus perſecuti ſumus. Et infrà. Nam nos quidem quid facimus in Verre, quem in luto volutatum totius corporis veſtigiis inuenimus?

Extremam partem. Rutius.

Caudam illam. Extremitatem. Sumpta videtur tranſlatio à beſtia, cuius cauda extra cubile extans, B index eſt eam ibi deliteſcere.

Laudantur Oratores. Concluſio per enumerationem: in qua breuiſſimè renouans memoriam eorū quæ dicta ſunt, videri vult ſpem omnem defenſionis ita Hortenſio oratione ſua præciſam, vt vel ipſe Hortenſius libenter Verris patrocinium ſit abiecturus, modò liber ac ſolutus eſſet, neque iam defenſionis accepta mercede teneretur. Et quoniam laudabile & honeſtum erat reorum patrocinium ſuſcipere: propoſita Oratorum veterum & Hortēſij C diſſimilitudine, ab hac laudis expectatione remouere conatur Hortenſium. Non, inquit, ſi laudabiliter defendit Antonius, continuò ex Verris defenſione gloriam conſequere. Alia enim Verris, alia illorum quos Antonius defendebat, ratio & cauſa eſt. in illorum igitur defenſione decus & laus: in huius verò, dedecus & turpitudo verſantur.

In manifeſto peccato tenebatur. Agellius lib. XIII. cap. XIX, non Peccato, ſed Peccatum ſcriptum ſe teſtatur reperiſſe in vno atque altero antiquiſſimæ D fidei libro Tironis, Ciceroniani liberti.

At hominem flagitioſiſſimum, libidinoſiſſ. nequiſſimumq; defendit. Similis ſubiectio quæ proximè ſequitur, & totius loci ſententia hanc ſcripturam cōprobat: eam quæ eſt apud Gellium, repudiat: An hominē defendat? ſic. n. apud eū legitur li. VI. cap. XVI.

Fortitudinis commemoratione. Vt animi veſtri illius fortitudinis recordatione occupati, horū criminum obliuiſcantur.

Magis vir. Contentione rem auget. Nam virum E nequam & ignauum non contentus appellaſſe addidit, Inter mulieres. ac ſi diceret, vel muliere ignauior. Similiter illud, Magis impura inter viros muliercula. vt ſi diceret, impurior meretrice, & ea meretrice quæ vel viris impudicior eſſet. Nam quamuis impudica mulier, retinet tamen quàm vir impudicus, plus pudoris ac verecundiæ. Eadem ratione de Clodio in Orat. pro domo ſua loquitur. Cùm ipſe impurus atque impius hoſtis omnium religionum, qui contra fas & inter viros ſæpe mulier, & inF ter mulieres vir fuiſſet. Vitia tādem hic alia in Clodio, quam in Verre notauit. Nam in Verre ignauiā coarguit: in Clodio vero primum infamiam, deinde religionem in operto bonæ deæ violatam cum habitu muliebri, in mulierum commeatum introiſſe.

Ne in alterius impudentia. Ne hominem apertè improbum defendendo, impudentes viderentur.

Liberi enim ad cauſas. Non iam accepta mercede patrocinij, non vendita ſui pudoris exiſtimatione.

Si impudentes in defendendo. Vult exiſtimari ancipiti G cogitatione diſtrahi animum Hortenſij. Si defendam, impudens: ſi deſeram, ingratus exiſtimabor. Quæ cura nunquam Craſſum & Antonium ſolicitos habuit: vt illorum diſſimilis in ſuſcipiendis cauſis ratio iure gloriam conſecuta ſit: cùm Hortenſium ſumma maneat turpitudo ac dedecus.

Ingratis in deſerendo. Sphingem Hortēſio à Verre A
datam, notū eſt omnibus mediocriter quidē eruditis. Plinius li. xxxiiii. Ciceronis dictū in Hortenſiū cōmemorat. Cùm, inquit, orta in Verris iudicio altercatione, Hortenſius diceret Ciceronis ſe ænigmata nō intelligere: reſpōdit debere, quoniā ſphingē domi haberet. Quintilianus lib. vi, his verbis, Ex hiſtoria etiā ducere vrbanitatē, eruditum: vt Cicero fecit, cùm ei teſtem in iudicio Verris roganti dixiſſet Hortenſius, Non intelligo hæc ænigmata: Atqui debes, inquit, cùm Sphingem domi habeas. Acceperat autem ille à Verre Sphingem æneam, magnæ pecuniæ. & idem tradit Plutarchus in vita Ciceronis, & Apophthegmatis.

ACCVSATIONIS IN C. VERREM

LIBER QVINTVS, ORATIO VIII.

COMMENTARIVS.

TERTIVS hic accuſationis liber eſt, C
nō, vt vulgò inſcribitur, quintus: ſicuti à nobis initio demonſtratū eſt. Continet autem furta Verris in omni frumēti genere, in decumano, empto, & æſtimato. Hunc enim ſibi ordinem accuſationis Orator hoc libro conſtituit. Genus cauſæ honeſtum eſt. Conſtitutio coniecturalis, ſimplex: verſatúſne ſit in re frumentaria Verres auarè & incontinenter.

Reipub. cauſa. Communi vtilitate commoti. Pa- D
trocinij tamen, non accuſationis cauſa ad hanc ſe accuſationem deſcendiſſe, dicit in libro de Officiis ii. Sed hoc quidem, inquit, non eſt ſæpe faciendum: nec vnquam niſi Reip. cauſa, vt duo Luculli: aut patrocinio, vt nos pro Siculis.

Rationem vitæ repoſcunt. Aptiſſima ſimilitudo, & mirè conueniens. Vt qui Reip. debitor eſt, ſi alium debitorem rationes reddere iubeat, audiendus non ſit, niſi primùm ipſe rationes referat: eodem modo, qui ſe ſcelere aliquo obligauit, niſi priore ipſe loco E
pœnas luat, ab alio ſi repoſcat, minimè ferendus eſt. Vide Diuinat. 120.

Quis huic ignoſcat? Quid ita? an quoniam vindicandi maleficij ratio ex hoc capite ducitur, Reip. intereſſe vt maleficia vindicentur? quod cùm generale ſit, & vniuerſum, ipſum quoque omnino accuſatorem complectitur. Et cùm accuſandi voluntas hoc habeat rationis, vt aliis exemplum ſtatuatur, ſi vera eſt voluntas. ad id ſe quod procliuius eſt applicabit. Pœnæ igitur ſe primùm accuſator offerat: F
tum alios in crimen vocet.

Non modo communi voluntate. Pro ſua virili parte.

Quòd C. Carbonem. Cicero ad Papyrium Pætum, Epiſtola Ain' tandem? Tres, inquit, fratres fuere, P. C. M. Carbones. Publius Flacco accuſante condemnatus, fugit Marcus ex Sicilia, Caius accuſante L. Craſſo cantharidas ſumpſiſſe dicitur. is Tribunus pl. ſeditioſus, & P. Africano vim attuliſſe exiſtimatus eſt. Et in Bruto, C. Carbo propter perpetuam in populari ratione leuitatē morte voluntaria ſe à ſe- G
ueritate iudicū vindicauit. At de L. Craſſo in eodē libro ſic ſcribit, Accuſauit C. Carbonē eloquētiſſimum hominem admodū adoleſcens ſummā ingenij non laudem modò, ſed etiam admirationem eſt conſequutus. In libro de Offic. ii. Nam L. quidem Craſſus, cùm eſſet admodum adoleſcens. nō aliunde mutuatus eſt, ſed ſibi ipſe peperit maximā laudem ex illa accuſatione nobili & glorioſa. Quot verò natus annos eam cauſam egerit, docet in eius perſona Tullius libro de Orat. iii. Quippe, inquit, qui omnium maturrimè ad publicas cauſas acceſſetim, annóſque natus vnum & viginti nobiliſſimum hominem & eloquentiſſimum in iudicium vocatum. Quo tamen loco videamus ne librarij culpam admiterint, ac pro Vndeuiginti, Vnum & viginti ſcripſerint. cùm ſcilicet Cornelius Tacitus in Dial. de Oratore apertè teſtetur eam tum Craſſi ætatem fuiſſe. Nonodecimo, inquit, ætatis anno L. Craſſus C. Carbonem, vno & vigeſimo Cæſar Dolabellam, altero & xx. Aſinius Pollio Catonem iis orationibus inſecuti ſunt, quas hodiéque cum admiratione legimus. Memorabilis autē huius Craſſi fiducia fuit, qui cùm ex Conſule prouinciam Galliam obtineret, atque in eam Cn. Carbo, cuius patrem damnauerat, ad ſpeculāda acta ſua veniſſet, nō ſolùm eū inde nō ſummouit, ſed inſuper locū ei in tribunali aſſignauit, nec vlla de re, niſi eo in cōſiliū adhibito, cognouit. auctor Valerius. Idem ſcribit, cùm accuſationē Craſſus inſtrueret, & Carbonis ſeruus ſcrinium plura continens quibus facilè opprimi poſſet, ad eum attuliſſet vt erat ſignatum, cum ſeruo catenato ad eum remiſiſſe.

Quid facere poſſemus, oſtendimus. In Quæſtura, qua Sex. Peduceo Prætore Sicilij functus eſt.

Fuiſſe videar. Fore, poſtulare videtur oratio: vt ſit, Fore videar.

Mea lege & conditione. Quam mihimetipſi mea voluntate ſtatui, atque indixi.

Neceſſitudinis. Quæ interdum nos dum Quæſturam gererem, intereeſſit.

Quàm contrariæ hominum ſent. In hanc eandem ſententiam ipſe in Lælio ſic ſcribit, Diſpares mores, diſparia ſtudia ſequuntur. nec ob aliam cauſam vllam, boni improbis amici eſſe non poſſunt, niſi quòd tanta eſt inter eos, quanta maxima poteſt eſſe, morum ſtudiorúmque diſtantia.

Conſilus commiſſis. Cum illo communicatis, eius fidei commiſsis. Nam commiſſa conſilia alia in re alibi dicuntur.

Meretriciam diſciplinā. Vitæ rationē impurā, atq; impudicam, qualis doceri ſolet à meretricibus.

Domeſticum lenocinium. Rubrij perductoris domeſtici.

Ex thenſarum orbitis. Ex hoc & alio tertiæ Orationis

tionis loco, capio coniecturam, & Ædilem Verrem fuiſſe, & cùm Ædilis viam à Vertumni ſigno ad circum maximum, in qua Thenſæ ducebantur, exigeret, iniqua & improba ratione pecuniam coegiſſe. vide infrà Aſconium de Thenſis, & orbitis.

Ciuium R. iura ac libertatem. C.Gracchus legem tulerat, ne de capite ciuis R. iniuſſu populi iudicaretur.

Arbitrarer. Rectius putarem, Arbitrarere. cùm præſertim continuò ſequatur, Quæris: & Hortenſium alloquatur.

Virtutem depreſſam. Ne ſi emerſerit, ſuo ſplendore veſtram illam nobilitatem obſcuret. Moleſtè patiebatur nobilitas, populum R. nouis hominibus honores & imperia mandare.

Non pudore, non pudicitia. A quibus omnibus eſt multò remotiſſimus.

Patere, an hiare. Sumpta à beſtiis tranſlatione, quæ ſimul eum, à quo paſtum accipere conſueuerunt, aſpexerint, hiare ſolent. Ex quo intelligi voluit, ædes nobilium, quoties ipſe intrò recipiebatur, ſolitas eſſe aliquid ab eo recipere.

Qui ita vixerunt, vt ſine præſidio. Aſperè, ſed ſubtiliter dictum. Alij certis hominibus præſidio ſunt, quòd eos charos habeant. Vos verò non quo Verrem ametis, propterea eſtis illis præſidio: ſed ideò amatis, quòd præſidij veſtri indigeat. cuius vobis mercedem prolixè cumulatéque perſoluit.

Populique Romani beneficia. Honores, quos adepti ſumus, virtute potiùs, quàm opulentia & facultatibus ornemus.

Impunè eludentem. Laſciuientem, neminem præ ſe ducentem.

Forum comitiúmque. Comitium in foro fuiſſe, locus hic oſtendit quem ſubiiciam ex Epiſtola II libri IIII epiſt. ad Atticum, Metellus tamen poſtulat vt ſibi poſtero die in foro obnuntietur: nihil eſſe quod in campum noctu veniretur: ſe hora prima in comitio fore. Itaque ante diem XI. Cal. Ian. in comitium Milo de nocte venit. Plinius præterea in lib. XV, cap. XVIII. Colitur, inquit, ficus arbor in foro ipſo, ac comitio Romæ nata. Tectum autem fuiſſe comitium ſcribit Liuius decad. 3. lib. 7. eóque populum conuenire ſolitum apparet ex Ciceronis verbis.

Veſtro Marte. Veſtra ſponte. Tranſlatum ab Imperatoribus, qui ſuis ipſorum auſpiciis & copiis bellum gerunt.

Tuas manubias. Manubiæ prædam ſignificant de hoſtibus captam. Vult igitur hæc Verris furta in Siculos, quaſi in hoſtes facta videri, & ſocios in loco ac numero hoſtium à Verre habitos fuiſſe.

Non minùs religioni. Non minùs propter rationem officij veſtri, quàm propter fructum iucunditatis & oblectationis attendere.

Inter Sicilia. Siciliæ quædam ciuitates prouinciales ſunt, quædam liberæ. Liberarum quædam fœderatæ, quædam non fœderatæ.

Vita victúque. Rebus quibus populus R. alitur ac ſuſtinetur.

Vectigal eſt certum. Certa & definita non frumenti, ſed pecuniæ ſumma, quam populo R. quotannis in frugum ſiue copia, ſiue inopia perA ſoluant. Ac de toto hoc genere vt breuiter dicamus, hoc intelligi oportet, Ciuitatum, alias vectigales fuiſſe, alias liberas atque immunes. Vectigalium autem alias certum (aut in pecunia ſcilicet, aut in frumento) vectigal ſoluiſſe: quæ ſtipendiariæ dicebantur. alias decumanas fuiſſe, quæ decimam frugum partem ſoluebant. quod vectigal, quia ex annorum ratione, & frugum copia aut inopia modò minus, modò amplius eſt, non certum appellatur. Harum vtrarumque Li- B uius mentionem facit lib. XXXVI, his verbis, Cæteræ ciuitates Aſiæ quæ Attali ſtipendiariæ fuiſſent, eædem Eumeni vectigal penderent: quæ vectigales Antiochi fuiſſent, eæ liberæ atque immunes eſſent. Decumanarum autem agri aratoribus Romæ à Cenſoribus locari ſolebant, vt eos ſuis ciuitatibus colerent, ea lege vt decimam frugum partem populo R. penderent. Eas porrò decumas Publicani à populo R. emebãt certo pretio, quod Quæſtoribus ærarij repræ- C ſentabant. Decumas autem poſtea qui in operis erant, ab aratoribus exigebant. Hæc de vectigalibus. Liberarum ciuitatum aliæ fœderatæ ſunt, quæ ſcilicet hoſtes nunquam fuerunt, ſed ad amicitiam ſociali fœdere iungendam coeunt. Exteri populi omnes aut prouinciales populi R. ſunt aut liberi. Liberorum alij fœderati ac ſocij, alij non fœderati. Liber populus, inquit Proculus, eſt is qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubiectus, ſiue is fœderatus eſt, item ſiue æquo D fœdere in amicitiam venit, ſiue fœdere comprehenſus eſt, vt is populus alterius maieſtatem comiter obſeruaret. Hoc enim adiicitur vt intelligatur, alterum populum ſuperiorem eſſe, non vt intelligatur alterum non eſſe liberum L.7. capt. & popl. Exteras ſic vocat Cicero Verrina 4. primùm quòd omnium nationum exterarum princeps Sicilia ſe ad amicitiam populi R. applicuit. Et Ver. 6. Mihi credite iudices, cùm multas acceperint per hoſce annos ſocij, atque E exteræ nationes calamitates & iniurias, &c. Hoc ita eſt, cùm duo tamen fœderis genera numeramus vt Proculus. Quòd ſi tria, vt Liuius: & vt videtur Cicero qui blanditiæ cauſa ſocios appellat prouinciales: tum erit aliud. Iam prouinciales alij ſunt Vectigales: alij ſtipendiarij. Vectigales qui incertum, Stipendiarij qui certum. At enim iccirco nauem Mamertinis non imperaſti, quòd ſunt fœderati. Et Suetonius in Auguſto ſic ſcribit Vrbium quaſdam fœde- F ratas, ſed ad exitium licentia præcipites libertate priuauit. Aliæ ſine fœdere, & ſuis legibus, & ſuis vectigalibus vti permittitur. ſed alij liberi populi dicuntur. Ac de hoc triplici vectigalij genere videndus Appianus lib. de bell. ciuil. 1.

Cenſoria locatio vt Aſia. Agri enim earum ciuitatum publicari, id eſt populi R. facti, Romæ à Cenſoribus locari ſolebant aratoribus, qui eos ciuitatibus illis colerent, ea lege vt certum fru- E menti numerum quotannis populo R. penderent. Quod etiam in quibuſdam Siciliæ ciuitatum agris factum eſt, vt modò oſtendet: & Verrina VII, declarat his verbis, Qui publicos agros arant, certum eſt quid ex lege Cenſoria dare debeant. Cur iis quicquam præterea ex alio genere imperauiſti? Ex quibus intelligi volumus

Certi vectigalis genera duo fuiſſe, alterum pecu- A
niæ, alterum frumenti.

Perpaucæ Siciliæ ciuitates. Septẽdecim. Vide ſup.

Vt Aſia lege Sempronia. Corrige, Aſiæ, quod ſententia perſpicuè flagitat. Legem autem Semproniam, quam Tib. Sempronius Gracchus tulit, vt iis qui agrum acciperent, pecunia quæ Regis Attali fuiſſet diuideretur. Hæredem autem pnpulum R. relinquat Attalus Rex Pergami. C. Florus Epiſt. 58.

Quarum ager. Non omnium priuatorum, ſed B
tantùm ipſius ciuitatis.

Illis eſt redditus. Itaque paulo pòſt ſic ſcribit, Voluerunt eos in ſuis rebus intereſſe. Nam Hiſpanis, Aſianis, Pœnis non eſt redditus, ſed ciues R. eò migrarunt, qui agros illos conduxerunt.
Hoc primum genus procubus in l. 7. de capt. & propt. non numerat. Cicero tamen Ver. 6.
ſocios videtur pro omnibus appellare. Maiores noſtri facilè patiebantur, hæc eſſe quamplurima
apud ſocios, vt imperio noſtro, quàm ornatiſſimi C
florentiſſimique eſſent, apud eos autem quos vectigales aut ſtipendiarios fecerant, tamen hæc relinquebant.

Fœderatæ ciuitates. Fœderis tria ſunt genera. Vnum quo bello victis leges dicuntur. vbi enim omnia ei qui armis plus poſſet dedita eſſent, quæ ex iis habere victos, quibus multari eos velit, ipſius ius atque arbitrium eſt. Alterum cùm pares bello æquo fœdere in pacem atque amici-
tiam venirent. Tunc enim repeti, reddíque per D
conuentionem res, & ſi quarum turbata bello poſſeſſio ſit, eas aut ex æquo ſimul, aut ex formula iuris antiqui, aut ex partis vtriuſque commodo componi. Tertium genus eſt, cùm qui hoſtes nunquam fuerint, ad amicitiam ſociali fœdere iungendam coeunt. Ij neque dicunt, neque accipiunt leges. id enim victoris & victi eſt. Hæc Liuius libro bell. Maced. IIII.

Immunes ciui. Quæ nihil penſitant. ſic Verrina
V II, Qui ſunt immunes, ij certè nihil debent. E

Præterea omnis ager. Id eſt præter ſeptemdecim, quæ certum frumenti vectigal lege Cenſoria pendunt: & liberas fœdere, aut ſine fœdere.

Decumanus eſt. Decimam partem ſuarum frugum pendit populo R. & à Cenſoribus locari ſolet.

Venditionis decumarum. Cenſores haſta in foro poſita decumas Siciliæ, auctione vendebant. Eas Publicani redimebant, & pecuniam populo R.
repræſentabant. F

Vt ibidem in Si. Id ante Verrem Prætorem factum eſt. at poſtea Cenſoribus, vt Romæ venderent permiſſum.

Muneris illius functio. Penſionis illius ſolutio. ſic infrà. Tamen hoc vobis eſt ſtatuendum, quid aratorem ipſum arationis nomine muneris in Rem. fungi ac ſuſtinere velitis. Vlpianus in Titulis, Dos quæ ſemel functa eſt, amplius fungi non poteſt: niſi aliud matrimonium. Sic Paulus dixit eas
res quæ pondere, numero & menſura conſtant, G
functionem in ſua ſpecie recipere: id eſt ſolutionem.

Scio te Romæ. Dicta hæc ſunt, & explanata libro Accuſ. primo, ſuprà. & alibi.

Exiguam diem præfiniri. Pręfinire, melius opinor legeretur.

Ipſe in tuo redemptore. Apertius eſſet, Cùm ipſe: vt in impreſſis quibuſdam.

Frugum minutarum. Frumenti & leguminum.

Ante te. Antequam venderes, antequam Prętor Siciliam obtineres.

Quam ipſis videretur. Nonnulli ſic correxerunt, Quæ ipſis videretur: imperitè, cùm alibi hac ipſa locutione ſit vſus: vt in Orat. pro C. Rabirio perd. Fit, inquit, S-C. vt C. Marius, L. Valerius COSS. adhiberent Tribunos pl. & Prętores quos eis videretur. Et Liuius, Mitterétque cum imperio, quem ipſi videretur, qui rem gereret quoad Manutius conualuiſſet.

A Cenſoriis legibus. Quæ ſunt in aliis prouinciis de vectigalibus conſtitutæ.

Cenſoriis cæteris legibus. An perplexè loquitur, Cenſorias leges nunc appellans, quas modò à Conſulibus datas dicebat? Quid verò illud eſt quod dicit, Quæſtores ante Prætorem Verrem decumas vendidiſſe, cùm biennio ante Præturam Verris Sicilienſem Conſules illi fuerint à quibus venditas fuiſſe declarat? Ego quid reſponderi poſſit, non intelligo. niſi & hic & paulo pòſt pro COSS. reſtituendum ſit CESS. qua nota verbum Cenſoribus ſignificatur. Nam præterquàm quòd conuenire hæc non poſſunt cum illorum Conſulatu, ſicuti oſtendimus: tum illud affirmare liquidò poſſumus, nuſquam nos legiſſe decumas à Conſulibus, ne extra ordinem quidem venditas fuiſſe. Cenſorum enim hæc eſſe cura conſueuerat. Et cùm ante Verrem Prætorem (quemadmodum paulo antè dixit) Quæſtores in Sicilia vectigalia vendere ſolerent, tum hanc curam Cenſoribus impoſitam fuiſſe eo veriſimilius videtur, quòd Cicero in Orat. contra Rullum ſic ſcribit, Cenſoribus vectigalia locare, niſi in conſpectu populi R. non licet. Et altera rurſus oratione, Vectigalia locare nuſquam licet, niſi in hac vrbe hoc ex loco, hac veſtrum frequentia.

Omnibus cuſtodibus. Quæ tantam facit Decumano poteſtatem ſpeculandi & obſeruandi oratorem, vt neque, &c.

Non haberet. Eóque accuratius de iis retinendis, & amplificandis cogitaret.

Ita acutè vt Siculum. Gentem Siculam acutam natura & controuerſam fuiſſe, ſcribit Cicero de Clar. orat.

Diligenter conſtituta. Ita Decumanis rationibus conſultum ac prouiſum eſt.

Ad ſuos. i. q. conuerteret. Veteres omnes, Conuerterit. quod cum ſuperioribus verbis concordat.

Ex ea contumacia. Iuriſconſulti à contendendo, Grammatici à tumendo dictam eſſe Contumaciam putant: quibus hic locus & ſuperior, quæ eſt infrà, ſuffragari videtur: vt Contumacia nihil aliud ſit quàm habitus oris, ſuperbia & arrogantia quadam inflati atque intumeſcentis.

Non res, non ratio. Non quòd negotia inter ſe communia haberent.

Studiorum ſimilitudo. In Orat. pro Cluent. Magnam, inquit, vim habet ad coniungendas amicitias, ſtudiorum ac naturæ ſimilitudo.

In omnibus iſtis rebus. Iſti, legendum: vt in multis impreſſis.

Sed etiam corpore. Statura fuiſſe ſignificat Apronium vaſta, & ingenti, habitúque corporis opimo atque obeſo.

In cu-

In cubiculo ſolus. In manuſcripto Socius: quod valde placet.

Prætextato Prætextam pueri togam ad annum XVII geſtabant: quo tempore puram, quæ etiam virilis dicebatur, ſumebant.

Saltare nudus cœperat. Græcorum hic mos erat in conuiuiis, apud Romanos turpis. itaque in Piſonem id ipſum Gabinio: in ſecunda Catilinaria, Catilinæ ſociis crimini dedit.

Addictos fuiſſe. Eius poteſtati atque arbitrio permiſſos. Tranſlatum ex addictis, quorum conditio non multum diſſimilis ſeruorum conditionis eſſe videbatur.

Decumanus edidiſſet. Profeſſus eſſet. Vulgus, Per ſcriptum & declarationem dediſſet.

Ego tantundem. In manuſcripto, Etio tantundem? Alij, Ego tantum dem? diſiunctis verbis. quæ lectio recta eſt: cùm hæc vulgata, vitiata ac deprauata ſit.

Quantum exarauero. Exarare hoc loco, non Arare, vt ſæpe aliàs: ſed ex aratione percipere, & ſata colligere ſignificat. vt infra, Quòd iis plus frumenti imperabatur, quàm quantum exararat.

Per deos immortales quid eſt hoc? Veteres & impreſſi nonnulli. Quid, quid eſt hoc? quod non improbo.

Dicis enim. Satius putarem, Edicis enim.

In octuplum. In quo ſimplum, opinor, continetur: vt in furti manifeſti actione. Petebant igitur ſepties tanto amplius, quàm quantum eis ablatum eſſet.

Quæ vectigalia ſunt. Legendum putarem, Quà vectigalia ſunt: vt ſit, Ex qua parte, vel Quibus in locis vectigalia ſunt in Italia.

Petitor ac pignerator. Prætoris auctoritate pignus pro ſecuritate rei accipiat, poſſeſſorem nihil in ea re deterius facturum.

Integra re. Nondum erepta re.

Digito licitus ſit. In auctione qui licitabantur, id eſt pretium augebant, digitum tollere ſolebant, vt dictum eſt Ver. III. ſupra.

Qui in ſingulis iugis. Hunc locum intelligimus ex Varronis & Plinij verbis, quæ ſubiiciam. Varro de re ruſtica lib. 1, In Hiſpania vlteriore metiuntur iugis, in Campania verſibus, apud nos in agro Romano ac Latino iugeris. Iugum vocant quod iuncti boues vno die exarare poſſint. Plinius autem lib. XVIII. cap. III. Iugerum, inquit, vocabatur, quod vno iugo boum in die exarari poſſet.

Recuperatorum reiicere decurias. Erant item vt Romæ, Senatorum: ſic in prouinciis, ciuium R. (ex quibus conuentus conſtabant) decuriæ. Dabat autem actor iudices: dabat & reus. tum omnia nomina iudicum ſcribebantur, vt & actor quos vellet, reiiceret ex rei Iudicibus: reus ex actoris.

Iubet Recuperatorum reiicere decurias. Omnes alij etiam impreſſi libri, Recuperatores. & ſic poſtea perſæpe legimus, Reiicere Recuperatores. Quare putarem ſic corrigendum, & locum interpungendum Iubet Recuperatores reiicere. Decurias ſcribamus. Quas decurias? de cohorte mea reiicies, inquit. vt illa verba Decurias ſcribamus, aratorum verba ſint. quod verò ſequitur, in Verris perſona dicatur. Similiter ferè hac ipſa oratione locutus eſt. Recuperationes reiice: quod aduerſum edictum feceris ex quo numero? ex eadem cohorte.

A *Horum canum.* Verba ſunt Verris. Canes autem dicit ſuos aſſeclas, omnia vbique ad prædam & rapinam peruestigantes. ſic Ver. 3. ſupra. Multa ſibi opus eſſe, multa canibus ſuis, quos circa ſe haberet. At lambere dicuntur tribunal, quòd eò alantur, & illud quaſi alumnam ac nutriculam ſugant. Hæc cùm ita ſint, tamen Ammianus Marcellinus libro XV de fratribus Cybiratis hunc locum intelligit, qui cùm ciues R. non eſſent, de Prætoris cohorte eſſe non poterant, & Lambere

B idem ipſe in malam partem pro Lacerare, ſumere videtur.

Crapulam exhalaſſent. Quorum nondum ebrietas vinolentiaque deferbuerat.

Impudentia accipere. Vt cui lege atque edicto liceat. & hæc ſcriptura aperta eſt: cùm alij plerique vetus mendum retineant, Imprudentia accidere.

Vllum iudicium reperietur. Nullus extitit, qui Iudicio Decumanum ſit perſequutus.

Sine vlla dubitatione commiſſam. Commiſſa pœ-

C na, multa, hæreditas dicitur, cùm quid quamobrem peti poſſit, commiſſum eſt.

Illuſos & irritos. Irriſos, non dubito quin ſit legendum: quam ſcripturam etiam in impreſſis veteribus nonnullis reperio.

Res agi videretur. Simularent ſe colloqui & conferre de aratoris controuerſia.

Noua dignitas publicani. Habitu & ornatu multo magis exculto & nitenti, quàm quo ſolent eſſe publicani.

D *Apronio permiſiſſent.* Suſpicor de mendo. ſenſum enim video aut nullum, aut ineptum. Quòd ſi Permitterent, legamus, nihil erit apertius.

Ad iudicium tuum. Ad hanc accuſationem.

Habuiſſe te edictum. Id eſt, in edicto. niſi fortè ita ſit legendum vt paucis verſibus interiectis, Idem habuit in edicto, &c.

Tecum tuos omnes. Secunda perſona poſita exempli cauſa. quaſi dicat Aratorem aliquem. nota locutionem.

E *Tum bona tua repetere ac perſequi.* Terentius in Eunucho,

Sed tu quod cauere poſſis, ſtultũ admittere eſt.
Malo ego nos proſpicere, quàm hunc vlciſci accepta iniuria.

Colluſio. Neque Siculi dentur Iudices, neque alij: qui nomine, Iudices: reuera, ſocij & prædæ & furtis eſſent.

Procuratoribus. Qui tibi in prædando operam ſuam nauarent.

F *Non modò factum iudicium.* Non, Conſtitutum, ſed Habitum, vel exercitum. vt ſi diceret, Non modò nunquam de ea re Iudices cognouerunt, &c. Conſtitui verò iudicium à Prætore dicitur in priuatis cauſis, cùm Iudicibus ſumptis imperat vt de controuerſia cognoſcant: quod cùm facilè ac perſpicuè ex Ciceronis locis innumeris intelligatur, ſanè mirum eſt has à Budæo locutiones ad forenſia noſtra vocabula ita tranſlatas in Prioribus annotationibus fuiſſe, vt quod vulgo dici-

G mus Facere ſuper aliqua re proceſſum aut inſtantiam, Conſtituere iudicium interpretetur. & in cauſis publicis, Euacuare finem non procedendi, Conſtituere quæſtionem. cuiuſmodi alia ſunt in iiſdem annotationibus permulta, quæ Latinæ linguæ ſtudioſus facilè animaduertet.

In quadruplum. Si minus arator dediſſet, quàm

poſciſſet Apronius,infrà.

Magiſtratus Siculus. In eo autem iniuria eſt, quòd ſi plus quàm debeat, arator dederit, idque velit repetere, ad magiſtratum Siculum petere non poſſit: ſcilicet à quo tantundem ſoluere coactus eſt. ſed ad Verris aſſeclas: à quibus iterum damnabitur. nam dubitatio damnationis, illis Recuperatoribus, quæ poterat eſſe? vt ipſe ait infrà.

Quid dereliquit iudicij. i. Quos iudices? Siculos enim relinquere iudices in condictionis cauſa debebat.

A me vis exigere. Verba ſunt Decumani. Si vis id, quod plus quàm debebas ſoluiſti, iudicio condicere.

Si vter velit. Ita ſe edicti iniuriam poſſe tegere putabat, ſi iudicium hoc Recuperatorum in vtrius arbitrio reliquiſſet. Atqui non erat dubium quin hos decumani iudices poſtularent. Sed paulo infrà ſemel atque iterum ſic ſcriptum eſt, Si vter volet. quo modo quidem ſcripſiſſe hoc loco Tullium ſuſpicamur.

Homo lynceus. In Aldino & aliis quammultis, Luteus: quæ lectio melior eſt ſine controuerſia. Nam quid hoc ſignificat? Homo cùm ſit lynceus, tamen vult videri callidus. Ecquinam enim callidi ac verſuti ſunt, niſi lyncei? At lutei dicuntur, hebetes & tardi, vt apud Plautum in truculento, Blittea, & lutea eſt meretrix, niſi quæ ſapit in vino Ad rem ſuam. Talem autem fuiſſe Verrem cùm ſæpè alibi, tum hoc loco declarat, quem ſubiiciam ex ſuperioribus. Itaq; excogitat quid? nihil ingenioſè, nihil quod quiſquam poſſit dicere improbè, vel callidè: nihil ab ipſo tectum, nihil veteratorium expectaueritis: omnia aperta ac perſpicua reperientur, impudentia, amentia, audacia.

Cum Decumano pactus eſſet. Tranſegiſſet de ſumma decumæ nomine perſoluenda.

Ad aquam. Ad litus freti Siculi, vnde Romam auehantur decumæ. ſic infrà. Coge vt ad aquam tibi (id quod ſummi iuris eſt) frumentum Ennenſes metiantur, &c.

Sed illi ipſi. Omnes ad vnum libri veteres, Sed iſti ipſi. quod non video cùr temerè ſit mutandum cùm præſertim eos demonſtret quos in iudicium produxerat.

Extra ſuum forum. Moris erat vt in certis prouinciæ ſuæ oppidibus, Magiſtratus R. conuentum temporibus haberent, vbi ius dicerent: & quo qui in vicinia erant vadimonia conſtituerent Hoc forum dicitur, & cùm Magiſtratis conuentum egit, forum agere dicebatur. Ciuitas autem illa Territorium à Iuriſconſultis appellatur. l. de verborum ſig.

Potius quàm paciſcar. Malo in area relinquere, quàm iniquè tranſigere. Sic enim, vt in aliis propè omnibus corrigendum, Non tollam, p. q. paciſcar.

Vim adhibebat. Cogebat inuitum decidere aratorem, & iniquè tranſigere.

Quod vellet Decumanus. Quò vellet, ſine dubio, item vt in impreſſis pleriſque libris, corrigendum, vt infrà, Quocunque is vellet, &c. Quid ſit autem Vadimonium, in Quinctiana explicauimus.

Ex Leontino. Agro. Vrbs enim, Leontini, vt ſu-
A prà diximus, appellatur.

Ex miſ. ar. calumniandi quæſtus. Calumniandis, in patiendi ſignificatione rectiùs, opinor, legeretur. Multa ſunt apud Ciceronem generis eiuſdem ac ſignificationis, vt illud pro Cælio, Magnum crimen vel in legatis inſidiandis, vel in ſeruis ad hoſpitem necandum ſolicitandis.

Iugera ſationum ſuarum. Plinius lib. XVIII. Iugerum, inquit, vocabatur quod vno iugo boum in die exarari poſſet. Columella ſcribit
B ſemiiugerum Gallos Arepennum vocare.

Quid enim in eo periculi. Non enim ex iugerum numero, ſed ex fructibus perceptis decumæ pendebantur.

Cauſa erat iudicij poſtulandi. Apronio & cæteris decumanis. Quòd ſi pro Poſtulandi, Formidandi vetus liber aliquis haberet, lubentiſſimo animo eam lectionem comprobarem. Rationem enim non cur Decumani iudicium poſtularint, ſed cur aratores formidarint, exponi oportebat. Et
C ſic ferè loquitur infrà. Iſte, æquiſſimus homo, formidinem illam ſuam miſeris Agyrinenſibus iniiciebat, Recuperatores ſe de cohorte ſua daturum.

Quod vos lex commonet. Quæ de pecuniis repetundis lata, de pecuniis ereptis quæri iubet.

Sui quæſtus cauſa irrupiſſe. Alij, Conſtituiſſe. quæ coniectura longius à verbo remota videtur omnino. Ego veteris ſcripturæ veſtigia ſecutus, Repeꝛiſſe legendum arbitrarer.

D *Magno, inquit, decumas vendidi.* Altera hypophora. Decumani, quòd magnam vim eis Verres in aratorum bona permiſerat, quamplurimo decumas emerant. quod quia ad ærarij commodum & vtilitatem maximè pertinebat, ob eam rem Verres ſe populi R. gratiam, & in hoc iudicio defenſionem conciliari poſſe ſperabat.

Aedem Caſtoru. In cuius ſartis tectis exigendis ſine vlla religione prædatus es.

Diligentiaq. Corrige, Diligentia? cum inter-
E rogandi nota. vt in Aldino, & in multis impreſſis.

Codicis lituras. In quo coram delatum facis nomen Sthenij, cùm abſens reus eſſet factus.

Teſtes interrogari. Non fuit defenſus priore actione C. Verres, neque interrogati teſtes: adempta conſilio accuſatoris ea facultate Hortenſio: dum in teſtium interrogatione Cicero primam actionem conſumit.

Ingenioſos eſſe dicito. Conceſſio Ironica. Præbuit
F enim hoc ſilentium occaſionem exiſtimandi populo, nihil eſſe quod poſſent dicere atque defendere.

Trilus decumis pro vna defungeretur. Nonnulli impreſſi, Defrugeretur. Vtra ſit melior, ſtatuere equidem facilè non poſſum. Nam fieri poteſt vt hoc verbo facetè Cicero ſit vſus: quod ad frugum iacturam & amiſſionem indicandam non malè accommodatum eſt. Id ego, vt verè dicam, neque negare, neque affirmare auſim. Quare do-
G ctioribus iudicium relinquo, quibus antiquorum codicum maior facultas erit.

Temporibus Reipub. Difficultate rei frumentariæ.

Vnius anni ratio. Vt vectigal eo anno quammaximè amplificares: in poſterum nihil vnde ſolui poſſet, relinqueretur.

Tibi

Tibi enim conſulatus. Populi ſumma erat poteſtas in creandis magiſtratibus. itaque inire omnes à populo gratiam ſtudebant, ad quam aditus iis facillimus patebat qui ærarium locupletaſſe putarentur. Eſt autem ironia, Minúſne Metellus locupletare ſtuderet ærarium, vt paternum auitúmque honorem conſequeretur.

Serant in beneficio populi R. In iis agris qui cùm eſſent publicati, tamen illis ſunt redditi. infrà.

In alienam prouinciam. Nondum enim Verres deceſſerat.

Frumenti hornotini. Hnrnum & Hornotinum, quod ipſius anni eſſet, veteres dicebant.

Quod quidem iudicium. Quæ teſtificatio exiſtimationis, quam de ſuo Prætore prouinciales haberent.

Nulla ex parte exequi. Efficere vt tantum agri ſereretur, quantum antea ſolebat.

Oculis animóque ſenſum. Quid mihi agros deſertos intuenti in mentem venerit: quid mihi de iis rebus cogitanti viſum ſit.

Affecta viſa ſunt. Adeò inculta erant omnia, & horrida: tanta erat vaſtitas & ſolitudo.

Sed etiam dominorum. Quaſi pro derelictis haberentur.

Cuius antea ſpecies. Alij omnes veteres, Cuius antea ſpes. abſurdè, cùm de ſpecie, ac viriditate, luxuriáque agrorum loquatur. Mendum natum eſt ex linea impoſita Spês.

Siciliam quæreremus. Adeò diſſimilis erat ab illa quam antea videramus, vt non agnoſceremus.

Populare putabis habere. Quo gratioſus eſſe apud populum poſſis, qnaſi eius vectigalia amplificaris.

Partem tuæ prædæ. Si ex tuis furtis partem aliquam tibi detraheres, quam ad decumas adiungeres.

Vt aliquis ſumma dec. vinceret. Vt pluris, quàm alij Prætores, vectigalia venderet.

Ceruiculam iactaturum. In Hortenſio frequenter actionem & geſtum (cuius, vt ſcribit Val. Maxim. ille perſtudioſus fuit) reprehenſum fuiſſe, Gellius & Quintilianus teſtantur.

Et populo ſe ad coronam daturum. Difficilis locus. Nam Coronam pro multitndine populi (quæ, quia circum ſubſellia rotundum facit ambitum, & quaſi circum, Corona interdum nominatur) non video qui commodè hoc loco accipere poſſimus. tum quòd Dare ſe populo, & coniunctè Dare ſe ad coronam, eadem ſententia, tam continenter, mihi non eſt veriſimile dixiſſe Ciceronem: tum quia nulla huic locutioni Dare ſe populo, vel ad coronam, quæ quidem huic loco conueniat, ſubeſſe ſententia videtur. Coronari autem Oratores Romæ ſolitos, quaſi qui ciuem ſeruaſſent, ciuica corona eis deberetur, nuſquam legiſſe memini. niſi fortè hoc ſignificet Cornelius Gallus his verſibus quos ſubſcribemus,

Sæpe perorata percepi lite coronam:
Et data ſunt linguæ præmia digna meæ.

Apud Donatum autem in Terentij commentariis locum hunc ſic deſcriptum reperio, Ceruiculam iactare, & populo ſe accommodare. Vidi qui reponendum putarent, AC CORONÆ: pro Multitudini populi, quæ (vt dixi) coronam facit. ſed hanc ſententiam iam ante refellimus.

A Neque iam dubitamus, quin coniectura noſtra vera ſit, Hortenſio ab Oratore obiici, quòd caput popnlo ad coronam recipiendam quaſi re bene geſta, & ciue ſeruato præbiturus eſſet.

Auctorem rumorem haberetis. Notanda locutio. in lib. de Officiis 1. dixit in eandem ſententiam, Nihil præter auditum habere.

Vno quæſtu decumarum. Sola ea pecunia quam ex decumarum venditione conciliauit.

B *Omnia ſua pericula.* Id eſt, Siquando in iudicium vocaretur, ſe Iudices largitione corrupturum, & damnationis periculum euaſurum.

Quomodo ex locatione. Argumentum ex conſentaneis. Nemo gratis eſt improbus. Non peruertit igitur iura & leges Siculorum Verres, ſine quæſtu.

Iniquam legem, nouámque. Ne pupillus Iunius à redemptoribus ſocius admitteretur, itáque is excluderetur cuia res eſſet.

C *Iniqua lege vendebas.* Erat iniqua lex, vt tantum arator daret, quantum ſibi deberi Decumanus edidiſſet.

Hæc omnia venditis decumis. Vetus, & quidam impreſſi, Hæc omnia iam venditis. placet.

Tempore admonitus. Quòd ita emolumenti tui ratio poſtularet.

Cui probari poteſt. Cui fidem facies, quis poterit perſuaderi.

Arationes magnas conductas. Cùm multos agros
D aratorios colendos ſuſcepiſſet: ex quorum fructibus decumam ſolueret.

Magno inſtrumento. Iis rebus omnibus, quæ fructus quærendi, cogendi, & conſeruandi gratia paratæ ſunt. Sed inſtrumenti nomine quæ res intelligantur, cognoſce ex Vlpiano in l. inſtrumento, & l. quæſitum eſt, D. de inſtructo, vel inſtr. leg.

Æquo iudicio defendere. Æquis iudicibus.

Pergamenus. Non ex Pergamo minoris Aſiæ
E vrbe, ſed Perga Pamphiliæ oppido, vt apparet, ſuprà. Περγαίους tamen Strabo appellat: vt fortaſſe Pergæus, aut per irriſionem Perganus à Cicerone dictum ſit. Veteres quidem omnes libri Pergameus habent.

Planè conſtituit. An profeſſus numerum iugerum non eſſet.

Edicta pœna. Corrigendum putarem, Edicti, in ſecundo caſu, vt modò paulò antè. quid enim Edicta pœna ſignificat?

F *Redemptionis.* Decumarum, vectigalium.

Fundum eum locatum eſſe. Omnes alij veteres, Fundum elocatum eſſe: quam lectionem tantiſper conſeruabo, dnm mihi auctoritate alicuius antiqui codicis euincatur. Nam cùm proba ſit, & probam habeat ſententiam, eam ſine cauſa immutare, petulantis eſſe arbitror, & facilitate ſtudioſorum abutentis. Diſſimilis eſt eius loci ratio qui proximè ſequitur, Dabat teſtes, iudicium: quæ lectio tametſi omninm, quos vidi librorum,
G auctoritate nitatur, cùm tamen apertè vitiata & corrupta ſit, leuem & infirmam reddit illorum auctoritatem. quod eodem modo de loco illo indicari volumus, in quo ſcriptum eſt, Quod in ſatis erat. cùm in aliis, Quod ſatis erat, deminutè & vitioſè legatur.

Si pateret iugera. Hoc & in Diuinatione expoſui, & in Ora. pro Q. Roſcio. Dicitur & SI PA-

RET, vt apud Vlpianum l.inter hæc verba.D. A
de verb. ſig. & apud Paulum l.hæc verba, ſub
eod.tit.

H-S LXXX.Coronatorum duum millium.Nam
ſubauditur vox Millium.

Pœnas damnationis contemneret. Nihilomagis
decumanis,quantum vellent exſolueret.

*Tres fratres conſortes.*Nihil muto.fortaſſe tamen
moueri hæc verba ſuo loco potuerunt: & poſt
vocem Nymphodorus temerè collocari: cum eo
tamen vt ſingulis articulis ſingulæ diſtinctiones B
apponantur: Tres fratres, conſortes, eiuſdem ci-
uitatis, &c. Sunt autem Conſortes, qui agrum
eundem ſortiti ſunt, & inter ſe poſtea regionibus
diuiſerunt.

Quantum exararant. Collegerant. Vide in-
frà.

Hominibus coactis. Probo lectionem vetuſti co-
dicis, Hominibus exactis: id eſt, expulſis, e-
iectis.

Singulis nominibus. In vnoquoque eorum quos C
nominaui.

Iſte ciues R.? at nullus inimicior. Nullis, in ter-
tio caſu,non dubito quin ſit legendum.

Hæc eiuſmodi. Hæc quoniam huiuſmodi: vt in
aliis.

Huiuſmodi caſus affuit. Quoniam hæc fuit
quaſi quædam communis fortuna, atque cala-
mitas.

In publico biduum tenuit. Id eſt, in via, ſub dio. D
vt infrà. Senator populi Rom.quod in vobis fuit,
in veſtro oppido iacuit, & pernoctauit in pu-
blico.

Cuſtodiis Apronij retentum. Cuſtodiis, cuſto-
dibus, apparitoribus. Plautus in Captiueis, I-
ta vinculis, cuſtodiiſque circummuniti ſumus.

Depactus eſt. Cùm quibus vellet Apronius con-
ditionibus tranſegiſſet.

Is ager in Apronio. Particula IN, vt otioſa, &
in hunc locum importunè coniecta, tollenda de E
libris, ac repudianda eſt,auctoribus omnibus ve-
teribus etiam impreſſis.

*Mittit ad hominem Venerios.*De Venerüs dictum
eſt ſuprà.

Apparitores. Miniſtri dicebantur Magiſtratu-
um,deriuata ex eo appellatione, quòd iis perpe-
tuò apparere, eorúmque imperio præſto eſſe ſo-
lebant. itaque etiam Statores appellabantur.
Sed de apparitoribus vide quæ dixi Verr. III.
ſuprà.

Mediocre argumentum. Neque enim apparito- F
res niſi à Prætore iuſſi, Decumanis paruiſſent:
non iubebat autem Prætor, niſi ſui quæſtus & e-
molumenti cauſa.

Præter oculos Lollij hæc omnia ferebantur. Præter
oculos, Ante oculos. & ſic locutus eſt Liuius li-
bro belli Maced. VIII. An non præter omnium
oculos tantum auri árgentique in triumpho L.
Scipionis,&c. Sic Varro Eumenidibus,apud No.
Marcellum, qui etiam hunc locum citat, Præter
matris Deûm ædem exaudio cymbalorum ſo- G
nitum.

Eodem genere ac loco nati. Infrà, ſeruum Apro-
nium appellat.Erat autem Verris libertus.

*Nemo tuorum amicorum, nemo abs te interroga-
tus.* Nonius Mar. in dictione producere,ita hunc
locum citat,Nemo tuorum amicorum,nemo abs
te productus, nemo interrogatus. Probat, in-
quam, ex hoc loco, vſum eſſe Producendi verbo
Tullium. Mihi autem quare hoc repudiemus,
cauſa eſſe nulla videtur: cùm præſertim Orato-
ris conſilio mirificè conueniat. Hoc enim idem
valet ac ſi diceret, Neminem poſſis producere,
atque interrogare,&c.

Cauſam fugitiui ſuſtinent. E Græcis fontibus de-
riuata locutio. Nam αἰτίαν ὑπέχειν. Græcè dici-
mus. Similiter Epiſt.ad Att.libro XIII, Nunc ve-
rò cùm de Magno conſtet, nonne furor eius
omnem cauſam ſuſtinet? Fugitiuos autem dicit,
qui in Sicilia Athenione duce graſſabantur.

Clauſa ſua conſilia. Celare non potuerit,ſe teſti-
monium contra Verrem dicturum.

Studio adductus. Cùm nullas ſuas iniurias per-
ſequeretur.

Iam videtis. Omnes alij, Iámne videtis: & ſic e-
menda.

Non potuerit nouum. Hoc non potuerit,vt in o-
mnibus.

Cuius iſte fidei. Suam in accuſando indu-
ſtriam commendat, quòd non Verris tantùm,
ſed etiam Apronij crimina nota & perſpecta
habeat.

Stipatorios Venereos. Omnes alij libri, Stipato-
res. quod quamobrem immutari debuerit, con-
iectura aſſequi non queo. Stipatores autem di-
cit, qui eum aſſectarentur, qui latus eius cin-
gerent.

Eò vocari. Eò conuocari, corrige vt in aliis li-
bris.

Nemo vnquam niſi turpis. Propter odorem te-
terrimum oris & corporis.

Et blanditia flagitioſa. Fœminis, inquit Aſco-
nius, & maximè meretricibus blanditiæ conue-
niunt. Ergo hoc ad Apronij infamiam ac turpi-
tudinem pertinere voluit.

*Curatuarum fortunarum.*Nunquam tibi in men-
tem veniret, tempus fore cùm abs te horum ra-
tio repoſceretur. Apud Nonium Marcellum
locus hic corruptè legitur hoc modo, Nunquam
tua me cura, tuarúmve fortunarum cogitatio
tangeret.

Deſtitui alios in conuiuio. Deſtitui pro Conſti-
tui: vt libro Accuſat. V. Qui quia Cleomenem
in defendendo filio læſerat, nudus penè eſt de-
ſtitutus. Q.autem Lollium intelligit. Sic apud
Plautum. Hoc Herculis eſt iam fanum Veneris
quod fit: ita duo deſtituit ſigna hic cum cla-
uis ſenex. Sic in Oratione C. Gracchi apud A.
Gellium,Iccirco palus deſtitutus eſt in foro,veſti-
menta detracta ſunt. Item apud Liuium lib. VII,
vbi de Galli & Manlij Torquati duello loquitur,
Duo,inquit,in medio armati deſtituuntur.

Si Athenio viciſſet. De Athenione cognoſce
infrà.

Cùm emiſſet idem. Verres agrorum Siciliæ de-
cumas, auctione pluris licitanti vendebat. Eme-
re quamplurimo ſolebat Apronius, quòd quan-
tum aratores poſceret, tantum ab iis auferret.
Ipſis tamen poſtea ciuitatibus, & aratoribus
decumas nonnunquam remittebat, pretium
quanti emerat, exigens, & lucri præterea non-
nihil.

Aliam ciuitatem occurrere. Vtrum, Accurrere
corrigendum eſt, vt nonnulli putant: an Occur-

rere

tere ſic dictum eſt, vt Græci dicunt κατασῖαν? quod Lucas in eo libro, in quo res geſtas ſcribit Apoſtolorum cap. XVI vſurpat, Κατλύσαντες δὲ εἰς Δέρβην καὶ Λύστραν.

Cùm ille magno præſertim emiſſet. Et eodem pretio remittere decumas aratoribus vellet. Nam Lucrum, vt infrà conſtabit, ſumma erat pecuniæ aut frumenti, quam Apronius, decumas aratoribus remittens, ab iis vnà cum pretio, quanti decimas emerat, exigebat. Vnde illud in Diuinatione, ſuprà. Mancipes à ciuitatibus pro frumento pecuniam exegerunt. Non tamen in pecunia numerata perpetuò dabatur. quin ne decumas quidem Decumani pecunia numerata perpetuò coemebant: vt apparet multis ex locis. Cùm autem magno emiſſet Apronius, nolebant Agyrinenſes, ſi tantidem acciperent, quanti ille emerat, inſuper aliquid adiungere. Atque hoc eſt quod ſuprà dixit, Poſcere grandem pecuniam cœpit, vt accepto lucro diſcederet. Nonnulli hoc loco corrigere voluerũt, Cùm illi emiſſét: quod abſurdũ eſt.

Iſtum cui res erat. C. Verrem.

Ad recuperatorem. In quo ipſo paratiſſimum ſibi exitium videbant.

Pictorem Tlepolemum. In manuſcripto, Præconem: quod eo mihi probabilius videtur, quia ſæpe antea præconem in Recuperatoribus nominauit. ex cohorte enim Iudices à Verre dabantur. At pictor Tlepolemus, de quo infrà, ex cohorte non erat.

Repente Cornelij. L. Sylla victor, proſcriptorum ſeruis, qui firmis corporis viribus, & ætate integra eſſent, amplius decem millibus libertatem dedit: eoſque ciues Romanos eſſe, & Corneliorum nomine appellari voluit: vt ex plebe perpetuò decem hominum millia, qui ad ſua mandata præſto eſſent, haberet. Appianus. Ergo cùm dixit Artemidorum medicum Cornelium, Cornelij nomen, vtpote inuiſum, de induſtria inculcauit.

Quæ in verba Recuperatores daret. Dixit pro Quinctio ſuprà.

Aduerſus edictum feciſſe. Aratores.

Quæ in iudicio dicturum eſſe dicebat. Si pateret Recuperatoribus, aratores ea feciſſe quæ Apronius dicebat ſe in iudicio dicturum. Oſtendit iniquitatem iudicij. Nam verba formulæ edenda ſunt, vt proinde ſciat reus, cedere an contendere vltrà debeat.

Quid ergo? Timarchidis verba, ſuadentis Agyrinenſibus vt mallent tranſigere, quàm iudicio contendere.

H-S *quinquagenis millibus.* Mille ducentis quinquaginta coronatis.

Decumas accipiant. Quas emerat Apronius.

Lucrum dent. Et pretium quanti emerat, & aliquam præterea pecuniam.

Si magno emerant. Ab Apronio, cui pecuniam tantam, quanta primùm emerat, rependerant. Iubet enim Verres habere eos ſibi decumas, & pretium reddere. vt infrà. Iubet Segeſtenſes à Docimo tantidem publicè accipere.

Pretium exquiſiſti. In auctione.

Emptori lucrum. Apronio, qui magnum iam commodum ſentiebat, cùm illi pretium eſt redditum, quòd nimio decumas emerat.

Quamobrem imperabas. Nam ſiquando Prouinciales decumas ab ipſis Decumanis accipiunt, & pretium rependunt, & ſua voluntate nonnunquam lucrum Decumano dant, tantum puta, quantum facere deductis operis & impendiis potuiſſet, ſi Romæ aut alibi frumentum vendidiſſet. At lucrum hoc imperare, rapere eſt: quod legibus vindicatur.

Apronio dent lucrum. Lucri, putarem corrigendum: vt ſæpe poſtea.

Medimna XXXIIII. Huius notæ ignoratione multa in hac Oratione deprauata ſunt, quæ caſtigare facile eſt ſi legamus, MED. & intelligamus medimnum: vt perpetuò vox Millia ſubaudiatur: item vt H-S, id eſt ſeſtertiûm millia, & huius ipſius & ſuperioris Orationis locis innumeris. Hanc autem notam etiam in manuſcripto libro ſæpe offendi. ex cuius ignorantia etiam alius error, qui infinitis locis huius Orationis tenebras offudit. Cùm enim Modium numerum librarij ſcriberent, hanc notam frequenter exarabant, MOD. quæ vix credi poteſt quàm crebrò cum alia ſuperiore commutata ſit. Nos Dei benignitate, quem in Chriſto Ieſu, Deo & Domino noſtro colimus, magnam harum macularum partem, quæ hos pulcherrimos libros inquinarant, ac turpiſſimè contaminarant, eluiſſe ſtudio ac labore noſtro arbitramur. XXX autem & III hoc loco ſimiliter legendum eſt, vt paulo infrà pagina inſequenti.

Plebs Romana. Vetus liber, Plebis: & ſic emenda.

Decumas vendidiſti. Tolle notam interrogationis, & colloca poſt illa verba, SIT DATVM.

X *medimna.* Corrigendum eodem modo putarem, X med. id eſt Medimnum millia.

H-S DC. Subauditur millia. id eſt, coronatorum quindecim millia.

Vt probares hoc triticum. Cùm enim frumentum non ſatis probum dari diceret, aliquid inſuper pecuniæ poſcebat: quam Cicero ſæpe poſtea acceſſionem appellat.

Apronio H-S III. Id eſt, Numi ſeſtertij tres. Sed quoniam de millibus perpetuò loquitur, legendum potius putarem, Vti in medimnum ſingula, dentur Apronio H-S tria. vt vtrobique vox Millia ſubaudiatur. vt infrà, Neque multum. bina, aut terna millia addebat. vbi de hac ipſa re loquitur.

H-S XXX. Subaudi millia. id eſt coronatos ſeptingentos & quinquaginta.

Medimna XXXIII. Emendo, Medimnũ: vt ſuprà.

H-S LX. Error manifeſtus. Nam III millia H-S, in ſingula medimnum millia, ſi medimnum ſint XXXIII millia, efficiunt XCIX millia ſeſtertium. Iam pro decumis hordei XXX millia exacta ſunt, quæ omnia, ſummam efficiunt CXXIX millium H-S: id eſt coronatorum CIↃ CIↃ CIↃ CC XXV. Emenda ergo, H-S CXXIX.

Recita literas publicas. Locus ſic poſtulat, Recita. LITERÆ PVBLICÆ.

Cui Pyragri cognomen eſt. Aut Pyrager legendũ eſt, aut in tertio caſu Pyragro. Hanc enim locutionem conſuetudo Latini ſermonis repudiat.

Tritici medimna XVIII. Corrige Medimnum: & ſubaudi, millibus. Emerat enim non pecunia numerata Decumanus, ſed certa pactione frumenti. omnium frugũ cuiuſuis generis decumas.

Tritici modium XXXVII. Legendum puto, Medimnum. Nam in lucro (vt antè dixi) & ipſum pre

ſium,id eſt tritici medimnum x v i i i, & incrementum continetur. quod eò probabilius videtur,quia continuò poſt idem eſt mendum,vbi tritici modium x v i i i legimus:cùm medimnum(vt paulò antè) legendum conſtet. & rurſus paulò pòſt, Tritici modium x x v & x x v i, pro Medimnum. Error ſanè (vt paulò antè poſui) natus eſt ex notis Med. & Mod. quas librarij, non ſatis ad negotium ſuum intenti,plerunque cõmutarunt.

B *Cùm illa prædonis copia*. Accenſum prædonem ſignificat:Copiam & manum Veneriorum.

Prædonis copia. Prædonis,Accenſi Timarchidis. Copia, Veneriis & apparitoribus. magis tamen placeret vt Prædonum legeremus.

H-S M. M.Quinquaginta coronatos:ſed pro hac nota ſcribe c i ɔ c i ɔ.

An Apronio ipſi data ſit. Vtpote non magna. Acceſſio autem, pecunia numerata conſtat,quæ, cùm in frumento lucrum datur, præter lucrum additur:opinor vt frumentum probetur.

C *Redimiculum præbeat*. Quid ita non i n redimiculum legamus,item vt poſtea, in collum,in crines:&c. Huius autem conſuetudinis Plato in Alcibiade priore mentionem facit his verbis. ἐπεὶ ποτ' ἐγὼ ἤκουσα ἀνδρὸς ἀξιοπίστου, τῶν ἀναβεβηκότων παρὰ βασιλέα, ὃς ἔφη παρελθεῖν χώραν πάνυ πολλὴν καὶ ἀγαθὴν ὀλίγου ἡμερησίαν ὁδόν, ἣν καλεῖν τοὺς ἐπιχωρίους ζώνην τῆς βασιλέως γυναικός. εἶναι δὲ καὶ ἄλλην, ἣν αὖ καλεῖσθαι καλύπτραν. καὶ ἄλλους πολλοὺς τόπους καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς εἰς τὸν κόσμον ἐξῃρημένους τὸν D τῆς γυναικός· καὶ ὀνόματα ἔχειν ἑκάστους τῶν τόπων, ἀπὸ ἑκάστου τῶν κόσμων. Audiui enim ex vno eorum qui ad Regem ierant fide digno, cùm ſe regionem planè amplam & fructuoſam prætεriſſe diceret, vnius propè diei iter longum,quam incolæ Reginæ zonam vocitarent. Eſſe aliam præterea, quam rurſus Calyptram nominarent,itémque alia loca eſſe quamplurima, eáque amœna ac fructuoſa, quæ mundi Reginæ Attribulæ eſſent, & E quorum ſingula ex ſingulis ornamentis nomen adepta eſſent. Id ſcribit Athenius lib. 1. Videte eum. Probus in Themiſtocle,magnis muneribus ab Artaxerxe donatus in Aſiam rediit, domiciliúmque Magneſiæ ſibi conſtituit: namque hanc vrbem ei Rex donarat cum duabus aliis, quæ panem præberet, ex qua regione quinquaginta talenta quotannis redibant. Lampſacum item vnde vinum ſumeret & Myrtam ex qua obſonium haberet.

F *Pippa vir adumbratus* Tranſlatum à pictoribus, qui adumbrare dicuntur cùm leuiter informant, vt quaſi vmbra duntaxat eius rei, quam picturi ſunt,appareat. Nam exprimere poſtea dicuntur, cùm adhibent colores. Itaque ſæpe hæc quaſi contraria inter ſe Cicero opponit. vt Tuſcul. 1 1. Eſt enim gloria, ſolida quædam res & expreſſa, non adumbrata.Similiter actores in ſcena,veluti qui Priami aut Achillis perſonam ſuſtinent, adumbrati dicuntur. & hoc loco vir adumbratus, G qui mariti nomen ac perſonam ſuſtinebat, cùm eſſent alij reuera Pippæ mariti.

Pretium rediſſet. Si decumæ illi addicerentur in auctione.

Quoad efficere ſe poſſe. Quoad videbatur ferri aliquo modo poſſe.

Dimidio ferè pluris, quàm ſuperiore anno. Non igitur Medimnis M M aut c i ɔ c i ɔ ſed Medimnûm x x x v millibus legendum omnino eſt.

Amplius ab Herbitenſibus exprimi. Lucri nomine,vt annis ſuperioribus.

Demit de capite. Caput ſumma erat principalis: cui reſpondet Lucrum,& Acceſſio.Summam autem intelligo pretij, quo decumæ à publicanis emuntur, velut in hac auctione Med. x x x v. millia.

Medimna D C. Emenda vt paulo pòſt c i ɔ c i ɔ c i ɔ i ɔ c. & pro Medimna, lege Medimnûm. Reſtabant igitur x x x i millia,& præterea c c c c.

Pro medimnis M M M V I I I, *referri* D M M D I I I I. Nemo eſt qui, ex iis quæ modò diximus, non facilè intelligat legendum eſſe, Medimnûm x x x v,referri x x x i & c c c c. Conſideret autem lector ſtudioſus veſtigia veteris ſcripturæ. M M M V I I I,pro x x x v M. & D M M D,pro x x x i M. facilè enim pro x, M ſupponi potuit. item i i i i, pro c c c c.

Vt abductam ab Rhodio tibicine. Donatus in illud Terentij, Multæ ſunt cauſæ quamobrem cupio abducere: Abducere, inquit, dixit tanquam ab ſtulto: nec per verum meritum, ſed per fraudem. Cicero, Per vim atque dolum abducta ab Rhodio tibicine.ſcriptum eſt,Perducta.

Aemuli non moleſti. Æmulum dicit pro Riuali,qui eandem amat. vt in illo Terentij,Et iſtum æmulum, quod poteris, ab ea pellito. Æſchrionem autem, propter vxorem: & Docimum propter Tertiam ſignificat.

Improbiſſimi cognitores. Cognitores (vt alibi declarauimus) præſentium dicuntur, qui Procuratores abſentium. Contumelioſè autem Cognitores appellat, quaſi non ſuum ipſi ius perſequerentur,ſed mulierum: vtpote quibus id Verres libidinis cauſa conceſſerat. itaque paulò infrà, Coguntur, inquit, Æſchrioni, id eſt Pippæ dare tantum,&c.In Ora.pro Cæcina,Ebutium viduarum cognitorem contumeliæ loco appellat: quòd alendis earum litibus & controuerſiis ipſe aleretur.

Tritici modios. Lege Medimnûm, vt ſuprà: & ſcribe ſic, Medimnum c i ɔ c i ɔ c i ɔ i ɔ c.

H-S X V. Subaudi, Millia. id eſt, trecentos ſeptuaginta quinque coronatos.

De capite ipſi dempſit. Ipſe, aut Ipſo, legendum potiùs arbitrarer.

Nec vitam retinere poſſet. In hanc ſententiam Salluſtius in coniuratione ſic ſcribit, Nam vti quiſque aut domum,aut villam,poſtremò vas aut veſtimentum alicuius concupiuerat, dabat operam vt is in proſcriptorum numero eſſet. neque prius finis iugulandi fuit,quàm Sylla omnes ſuos diuitiis expleuit.

Vt dicere in concione non dubitaret. Bona proſcriptorum pro Roſtris à Sylla vendita oſtendit in Orat. contra Rullum, his verbis, L. Sylla cùm bona indemnatorum ciuium funeſta illa auctione ſua venderet, & ſe prædam ſuam diceret, tamen ex hoc loco vendidit. locum autem, in quo eam habebat orationem, dicit: id eſt, Roſtra. & in eandem ſententiam ſic ſcribit lib.2. de Offi. Eſt enim auſus dicere, haſta poſita, cùm bona in foro venderet, & bonorum virorum,& locupletum,& certè ciuium,prædam ſuam ſe vendere.

Publica auctoritate. Carbone occiſo, totam ſe A Syllæ arbitrio Reſpubl. tradidit: comitiorum, creandorúmque Magiſtratuum ſummam ei poteſtatem permiſit. quinetiam lex à L. Flacco Interrege lata eſt, vt quæcunq; Sylla, aut tanquam Conſul, aut tanquam Proconſule geſſiſſet, rata & fixa manerent. Euſdémque præterea ſtatua aurea Equeſtris in palatio pro Roſtris publicè poſita eſt, in cuius baſi grandioribus literis inciſum eſt, L. Syllæ Imperatori fauſto. Plutarchus, Ap- B pianus, & Cicero in Rullum.

Vnum hoc ſolum. Subaudi, Factum: vel Decretum, Senatuſconſulto reprehenſum eſt.

De capite dempſiſſet. Summas imminuiſſet pretij, quo decumas coëmiſſent. Nos lingua noſtra Demptionem capitis nominamus, *Le rabais.*

A populo factarum. Quid ſi, Ab ipſo factarum? vt paulo pòſt, Quod ex ea pecunia remiſerit, quam ipſe quæſierat. nam etiam ad amplificatio- C nem hoc pertinet. vt cùm ipſe Sylla eas res quæſierit, de capite tamen in iis diminuere non potuerit. Quinetiam hoc eo probabilius videtur, quia in libris manuſcriptis ſæpe hac nota vſos tonnat librarios. P O. pro I P S O, hac verò P O. pro P O P V L O, quod, ne longiùs abeamus, etiam proximum locum corruperat, quem quinto ab hinc verſu ſcriptum in aliis libris hoc modo reperies, P O S S E T pro lege. cùm re vera legendum ita ſit, po. eſſet, id eſt populo eſſet pro le- D ge. Res autem factas dicit, pro Quæſitas, & paratas. vt alibi frequenter Pecuniam facere. vt ſuprà.

Illum viris fortiſſimis. Contentio: in qua trium ex rerum comparatione crimen augetur: perſona decumanorum, remittentis poteſtate, & qualitate vectigalium.

Veterum religione legum. Auctoritate legum, quę quicquam remitti vetant. Dicit autem Religionem, quòd magiſtratus omnes, quinque die- E bus quibus creati erant, in leges iurare cogebantur.

In decumis Segeſtenſium. Suprà inter liberas & immunes ciuitates Segeſtanam nominauit. Ex quo de mendo ſum ſuſpicatus. quod tamen quomodo ſit corrigendum, non video. niſi fortè Eceltenſium legamus: quos Plinius libro tertio capite de Sicilia, inter ſtipendiarios nominat.

Hoc eſt, tritici modium quinque millia. Quin- F que millibus, legendum eſſe dubium nemini eſt. ſed quod dixit H O C E S T, deeſſe aliquid oſtendit.

H-S M D. Coronatos trecentos ſeptuaginta duos: Nam hæc nota ſeſtertios nummos ſignificat mille quingentos.

Tantidem publicè accipere. Apertus locus, & qui diluci dè id quod antè de lucro diximus, ac perſpicuè confirmat.

Quinque millia & acceſſionem. Corrige, Quinq; G millibus, & acceſſione.

M M M *de capite eſſe dempta.* Duobus igitur millibus vendidiſſe ſe decumas, in tabulas retulerat. atque hoc eſt quod ſtatim dicet, An audacius tabulas publicas commutauit.

Non intelligis. Non intelligis, poſtulat ſententia: vt interrogatione periodus claudatur.

A Valentium. Vetus liber, Aldinus, & quidam alij, Valentius. & ſic poſtea legitur.

Quo iſte interprete. Dialogia ludit in voce Interpres. Is enim dicitur Interpres, cuius opera ad alterius linguam intelligendam vtimur. Sed interpretem dicit, cuius opera ac miniſterio in furtis & flagitiis vſus eſt.

Medimnis O C. Nihil muto. Nam cùm agrum miſerum & ieiunum appellet, O C. medimnum millibus eius decumas veniſſe, non eſt veriſimile.

H-S X X X. Septingentos & quinquaginta aureos.

Vtrum tibi ad defenſionem. Vtraque defenſio inanis eſt. itaque teneri Verrem, neque elabi poſſe oſtendit. Erat enim relatum in tabulas dediſſe Liparenſes H-S X X X: id eſt medimnum duo millia: quæ ſumma pro agri tenuitate maior eſt, & iniquior quàm ferre poſſit. Quærit igitur an ſua voluntate ciuitas tantum dedit: quod non eſt veriſimile: an ab inuitis potiùs expreſſerit, in quo tum lex tenet. Vtrum igitur horum dixerit, in eo culpa & crimen hærebit.

Tibi, Decumas vendidiſſe. Aut Te decumas vendidiſſe, legendum eſt: aut Veniſſe, prò Vendidiſſe: quod mihi veriſimilius videtur.

Vt ad medimna O C. Non quò & hæc tritici, & illa pecuniæ numeratæ ſumma daretur, huiuſque illa eſſet acceſſio. dictum eſt enim iam antea, & apertè commonſtratum, lucri nomine & caput, & lucrum præterea contineri. quod etiam ex eo intelligi licet, quòd modò X X X ſeſtertiûm millibus medimnum duo millia æſtimat; id eſt ſingula medimna ſeſtertiis nummis quindecim: quæ & vulgata etiam hoc tempore æſtimatio eſt, & cum aliis huius Orationis locis conueniens. Ad medimna igitur D C ita accipio, quaſi diceret, pro medimnis O C. præſertim cùm veriſimile non ſit, ad O C medimna, duo millia inſuper addita fuiſſe.

Medimna I I *millia.* Medimnum, ſecundo caſu, corrigendum: vt ſtatim Vendidiſſes, pro Vendidiſſet, vt in multis impreſſis.

Solutum ſit literis. Omnes alij, Ex literis.

Seiuncta à Sicilia. Lipara inſula eſt cum oppido, dicta à Liparo rege Siciliæ: citra Siciliam eſt, abéſtque ab Italia X I I paſſuum millibus, Plinius.

Cuidam tuorum ſodalium. Sodalium, per contemptum. nam comites Magiſtratuum, miniſtri imperij ſunt. Sodalium igitur, id eſt ſociorum prædæ & furtorum.

A Tiſſenſibus. Plinius Tiſſinenſium mentionem facit, non Tiſſenſium. lib. I I I, cap. V I I I.

Diognetum. Diognotum, opinor, antiqua & vera lectio eſt: nam illa nihil ſignificat.

Cur hoc auctore. Si iſtius exemplum & auctoritatem ſequi volumus.

Serui publici ad vectigalia accedant. Apparitores, Lictores, Accenſi, aliique Magiſtratuum Statores, quales in Sicilia ſunt Venerij. Vlpianus in Titulis, Seruus publicus, Prætoriſve, partē dimidia teſtamenti faciendi habet ius. Cicero Philippica 13. Quos Antonius deliciarum cauſa loris in conuiuio cædi iubebat à ſeruis publicis.

H-S XXI. Subaudi, Millia: id eſt, Quingentos viginti quinque coronatos.

H-S MM *modium.* Corrige, MMM medimnum. nam H-S nota nihil ſignificat ſine numero. Numerum autem duorum millium ad frumenti ſummam pertinere manifeſtum eſt. Modiorum verò minor omnino ſumma eſt, quàm vt de ea tantũ quereretur. & in medimnis, non in modiis æſtimatio fiebat.

Vicarium nullum habet. Vicarius & Ordinarius relata ſunt. Vterque ſeruus: ſed ille in huius, quaſi domini peculio ſeruus. Peculium autem eſt, quicquid permiſſu domini ſeruus in bonis habet. Martialis, Eſſe ſat eſt ſeruum, iam nolo vicarius eſſe. Ordinarium Iulianus diſpenſatorem appellat l. & ideo D. de inſt. act.

H-S XXVII. Quingentos quinquaginta coronatos.

Med. DCCC. Scribe plenè Medimnis: nequis imperitus medimnum millia ſignificari putet: quæ ſumma hominibus quidem tenuibus nimiũ immenſa eſt.

Cornoſiſſime nomina publicanorum. Ironia. Latina enim eſſe debebant: Banobalis verò Græcum. Publicani enim ciues R. at qui ciuitate donabantur, ij in aliquam Romanam familiam tráſibant. hoc eſt quod dixit, Serui, in publicanorum numero eſſent. Nunc hoc addidit, vt doceat Græcos homines, ſeruos publicos, non ciues R. decumas emiſſe. quod ſoli publicanis, id eſt ciuibus R. legibus licebat.

Plus lucri addere, quàm quanti venierant. Hoc falſum eſt, ſi luctum à capite ſeparemus. nam H-S CIↃ IↃ, quæ lucri ſolius nomine data ſunt, pretium efficiunt non amplius centum medimnorum, ducta æſtimatione qua ſuprà vſus eſt. Verum igitur apparet quod antè diximus, in lucro ſummam quoque principalem numerari: vt non pluris eſſe lucri ſolius ſummam hoc loco affirmet, quàm capitis: ſed in eo iniuria ſit, quòd cùm ingens atque iniqua eſſet ſumma capitis, nimioque decumæ veniſſent, eam etiam auxerit in lucro imperando.

Med. DCCC. Scribe plene Medimnis: vt ſuprá.

Quàm Prætori. Vetus, Populo R. rectè, & ſic emenda. Error natus eſt ex notæ ignorantia. cùm librarij grandioribus literis ſcripſiſſent P. R. ſignificantes, Populo Romano: alius Prætori interpretatus eſt. Errore contrario peccatum eſt in libro Cæſaris de bello ciuili 1, Dent operam Conſules, populus R. Tribuni pleb. nequid detrimenti, &c. Nam pro Populus R. ſcribendum eſt Prætores: vt cuiuis licet vel ex ipſo loco, vel ex Orat. Ciceronis pro Deiotaro facilè intelligere.

H-S VII *dare coacti ſunt.* Totus hic locus ita corruptè legitur in hoc libro, & aliis quos vidi, omnibus, vt diutiſſime ſpem eius reſtituendi omnem abiecerim. Aliquando tamen Dei benignitate, qui mihi ſemper omnibus in rebus præſto eſt, mihi viſus ſum ita illum commodè ſanare poſſe, ſi quod modò dixi meminerimus, æſtimari ſcilicet medimna ſingula quindecim nummis: & ſingula medimnum millia, H-S quindecim millibus. Quod apertiſſimè conuenit cum duabus ſummis inferioribus, H-S XLV: & Med. MMM. vbi tamen corruptè H-S legitur pro Med. nam ſupradicta æſtimatione medimnũ tria millia cum H-S XLV millibus quadrant. Vbi verò legitur Medimnum XV millibus, ſi pro Medimnum, Modium reponamus: efficient Medimnum MMD: hoc eſt (eadem ſcilicet æſtimatione) H-S XXXVII millia & præterea quingentos. Cùm igitur MMD medimnum millia H-S efficiant XXXVII millia & quingentos, atque hæc capitis, ſine lucro, ſumma fuerit: ſatis conſtat, in lucro ſolo medimna fuiſſe duntaxat quingenta, id eſt H-S VII millia & D. cùm quidem in vniuerſo medimnum ponat tria millia, nummûm verò XLV: vt appareat non ita deprauatum fuiſſe locum, quin veræ tamen & germanæ lectionis quædam quaſi veſtigia ſuperſint. Vbi enim H-S VII legitur, ſcribendum oſtendimus XXXVII millia, & D. vbi verò Medimnum XV, Modium. In quo perfacilè fuit errare, præſertim cùm Mod. & Med. vt dixi, notis ſcriberentur. Quod autem ſcriptum eſt H-S MMM, ſi ante hæc verba HOC EST H-S, ita ponatur Medimnum MMM, hoc eſt H-S XLV: locum integrum ac ſanatum ſic habebimus. Petrini cum eorum decumæ magno addictæ eſſent, tamen inuitiſſimi H-S XXXVII millia, & D dare coacti ſunt. Itáne diſſolutè decumas vendidiſti, vt cùm modium XV millibus veniſſent, medimnum MMM, hoc eſt H-S XLV lucri Decumano darentur? Nam VT poſtremum tollendum eſt.

Permagno decumas eius agri vendidi. Modium XV millibus. id eſt Medimnum MMD.

Non Turpioni lucrum datũ. Nam medimnum habuit duntaxat D, hoc eſt H-S VII millia, & D.

Sed Petrinis pecunia erepta. In manuſcripto & impreſſi quibuſdam, Pecuniam ereptam. & ſic emenda. Ridet autem Verris amentiam, quòd nõ minus iniquum ſit contra leges à Petrinis auferre, quàm eodem modò Turpioni tradere. Itaque vtrum dicat, teneri tamen, & nihil defenſionis habere.

Quum Decuma C med. veniſſent, H-S XV dare coacti ſunt. Deprauatus locus, qui quomodo reſtitui poſſit, coniectura aſſequi non queo. Etenim ſiue de medimnis tantùm intelligamus, & ſeſtertiis nummis, leuior ſumma eſt, quàm vt eius mentionẽ facere voluerit. ſiue de medimnum & H-S millibus, multo maior, quàm vt ſoli Halicyenſium incolæ tantas decumas penderent.

Liberorúmque tuorum. Publicatis enim tuis bonis, inopia & egeſtate laborabunt.

Illis emiſſariis. Emiſſarij dicuntur furtorũ conciliatores, qui in ſingulas ciuitates ad prædam & rapinam immittuntur.

Commercium in eo agro. Id eſt, in eo agro res cõtrahere & quærere poſſunt. Commercium enim eſt rei contrahendæ & quærendæ facultas.

H-S *ſex millibus.* Centum quinquaginta coronatis.

H-S *ſexdecim millia &* DCLIV. Coronatos paulominus quingentos ſexaginta tres.

Cùm Equeſter ordo iudicaret. Ante Syllæ legem: ante decennium.

In operis erant Qui ſocietati operam dabant aut in portoriis, aut in ſcriptura, aut in decumis exigendis, vide infrà.

Iudices reiicere. Imperfecta ſententia. Quod enim ſequitur, pendet à tribus illis particulis SIC

nota igitur interrogans nulla niſi poſt verbum VENTVRVM: membrum autem poſt REIICERE ponatur: articulus, poſt TAMEN.

Prudentes, ac viri boni. Vetus codex, Pudentes: & ſic puto corrigendum.

Inuiti enim Romam. Locus hic meam de negotiatoribus ſententiam, confirmat. Eos nimirum in prouincia ſedes fortunarum ſuarum ac domicilium habuiſſe.

Equitem R. Equites in numero multitudinis, & oratio & ſententia poſtulat: niſi fortè enallage numeri poſita intelligatur.

Nomen Senatorum. Senatoriũ, rectius putarem.

Conſul eſſet. Cum M. Licinio Lucullo.

Ne haberes, prouidiſti. Iudicem enim reiecisti.

Legum ac iudiciorum. Quod & iudicia ſoli hoc tempore exercent & lege de pecuniis ob rem iudicandam captis tenentur. cum ea ſoluti equites fuerint, cum ad eos iudicia tranſlata ſunt. Vt patet ex Orat. pro poſthumo.

Temporum. Quorũ ex inclinatione modò aliis atq; aliis gratificandũ, atque inſeruiendum eſt.

Omnibus ventis inuidiæ. Nulla res ſit, ex qua inuidia naſcatur, quæ inuidiam huic ordini non conciliet.

In hac miſera. Omnes alij, In hac tã miſera. quod ſine cauſa reiiciendum non putamus.

Mod. VII C. Mod. VII M, id eſt, Millibus, legendum potius putarem. Verbum tamen Millibus integrè ſcribendum.

H-S MM *millia.* Aut Tria millia legendum: aut verbum Millia inducendum. Efficit autem illa ſumma coronatos LXXV: hæc, quinquaginta.

Merces Decumani. Pecuniæ videlicet numeratæ.

Prætoris præda. Modiũ videlicet ſex milliũ: id eſt, H-S XV millium coronatorum vero CCCLXXV.

H-S XX *millia.* Quingentos coronatos.

LXXMMM. Inperitè ſcriptũ pro Tribus & ſeptuaginta millibus. Corrige ſic ↀ ↀ ↀ CCIↃↃ CCIↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ. vel ſic, LXXIII millia: & H-S III millia.

H-S III *millia.* Coronatos ſeptuagintaquinq;.

Sigillatim aratores. Rectius puto, quod nonnulli ſcribunt, Singulatim. vt continuò poſt, Sed in quo publicè, &c.

In agrum Muticenſem. Mutyenſem putarem corrigendum. Mutyenſes enim, non Muticenſes, & Plinius & Strabo vocant.

Cognoſcite pactiones Menenorum. Perturbatus planè locus. Vetus codex hoc modo, & rectius, Ex literis publicis pactiones Hyblenſium cum Cn. Sergio. Cognoſcite item profeſſiones ſationum, & pactiones Menenorum. Recita ex literis publicis. Pactiones Menenorum cum Venerio ſeruo.

Ciratarinos. Veteres libri, Citarinos. quæ ſcriptura ex Plinio & aliis confirmatur.

Ex omni reliquo vectigales fuiſſe. Quod ſuperat ex decumis, id totum C. Verri ſoluiſſe.

L. Medimna. Quinquaginta medimnum millia, cum trecentis modium millibus aptiſſimè conueniunt. Medimnum igitur legendum. Addendum autem etiam videtur de pecunia numerata, de qua poſtea commemorat, H-S L. id eſt, coronatos CIↃ CCL. vt ſic legamus, L. medimnum, L H-S.

Et præterea L. millia. Lego H-S L. millia. quod

A infrà de pecunia numerata ſe dixiſſe affirmat.

Maximus honeſtiſſimorum. Hoc amplius omnes libri veteres, Maximus hominum honeſtiſſimorum. quod non improbo.

In omnibus finibus. Omnium finibus, ſententia poſtulat: cùm dicat eos arare tota Sicilia.

Penſum magis exigendum. Spectandum eſt quantam diligentiam in eo adhibuerim: quàm accuratè meum officium fecerim. Tranſlatio ab operis diurnis muliercularum deducta, quibus penſa

B lanea, aut linea nenda traduntur. Similis figura libro de Orat. III. Nunc ad reliqua progrediar: méque ad meum munus penſũmque reuocabo.

Medimnis XXXVI. Corrige Medimnum, vt infrà: & ſubaudi millibus.

Hoc eſt tritici. Nam ſepties triginta ſex efficiunt CCXVI. ſunt autem in Medimno ſex modij.

Tritici modios. C. Corrige Modium, vt infrà: & ſubaudi Millia.

C *Ratio decimarum.* Alij libri decumanorũ quod probo.

Perpetua atque æquabili ſatione. Plana & integra; cùm pars nulla eſt quæ non ſeratur.

Cum octauo. Cùm octo pro vno medimna colliguntur.

Ex iugere ararent. An potius EXARARENT; vt alibi ſæpe. vide infrà.

Non eſt plus XXX. Subaudi, Millium. ſed quid dico ſubaudiendum? Nam & Baſileæ, & Lutetiæ

D multis antè annis excuſi libri vocem illam conſeruant. Cenſeo igitur reponendam.

XXXVI. *Medimnum.* Subaudi, millibus.

Tum inſaniſſet. Quippe qui pluris emiſſet, quàm quanti eſſent decumæ.

Vt cum decumo. Alij Decumano, ineptè: cùm paulo antè hoc modo ſit locutus. & ſenſus eſt, Etiam ſi cum decumo, id eſt decies tantundem quantum eſſet ſatum, perceptum eſſet. Nam plerunque cum octauo, raro cum decumo fructus

E percipiebatur.

Atque hic. Vetus, Atqui. quod magis placet.

Vt iugera ſingula. Corrigendum putarem, Vt In iugera ſingula: vt etiam paulo pòſt loquitur. Alioqui ſenſum non video.

Ad iugera XXX. Corrige, Iugerum: vt ſuprà.

Medimna XC. Corrige Medimnum: & ſubaudi Millia. nimirum cùm ternæ decumæ exiguntur. Cùm enim triginta ſunt iugerum millia, decumæ non amplius medimnum XXX millium eſſe de-

F bebant. At ternæ exactæ ſunt, id eſt XC medimnum.

Quanti decumæ venierunt. Ipſius capitis.

Totius ſumma DXL *millia mod.* Emenda Millium: & quod dicit Adde, intellige ad ſuperiorem ſummam CCCXXIIII.

Tritici mod. XXXII CCCC. Id eſt Tritici modium triginta duo millia, & præterea quadringentos. Tot enim efficiunt ternæ quinquageſimæ ſuperioris illius ſummæ. Quod verò ſequitur, AB O-

G MNIAVS, parentheſi includendum eſt. pendet enim ſententia, quæ abſoluitur his verbis, Sunt hæc iam ad H-S, &c.

Ab omnibus enim terna. Tolle notam articuli, ſeu virgulæ, vt vulgò vocãt, & accipe ternas quinquageſimas, quæ ſummam, vt dixit, efficiunt XXXII millium & CCCC.

Ad H-S CCCXL. Tolle notam H-S, quæ nihil
ſignificat: & repone M, quæ nota eſt millium. Sed
ne ſic quidem locus eſt integer. Nam proxima
ſumma ad ſuperiorem adiecta, modium efficit tre
centa quinquaginta ſex millia, & præterea qua-
dringentos. quo modo legendum eſt hoc loco, ſi-
ne dubio.

At ego CCCC. Nam ad hanc ſummam deſide-
rantur adhuc modium XLIII millia, & præterea
ſexcenti.

Quibus ternis medimnis. Multi enim quaterna &
quina ſoluerunt.

Ad ſingula medimna multi H-S *duo.* Corrige Me-
dimnum: quod ex ſumma intelligitur: & accipe
Seſtertium duo millia, vt ex loco patet. Georgius
Agricola Duorum legendum putat, opinor, pro-
pter nomen Acceſſionem. ſed hæc locutio fre-
quens eſt in hac oratione. quod ſemel dictum vo-
lui, ne ſi in multis ab eo diſſentiam, nonnulli eius
librum à me non lectum putent. Sed niſi quis to-
tam hanc Orationem accuratè legerit ac perpen-
derit, non facilè de vno aliquo aut altero loco iu-
dicare poterit.

Singulos numos. Emendo, Singula numum: vt ſu-
prà, Singula medimnum. & ſubaudi, millia. quæ
fortaſſe cùm eſſent addita, deprauata nota ∞ pro
CIↃ, ab imperitis librariis omiſſa ſunt.

Quoniam XC *medimna duximus.* Atqui medim-
num XC millia duxerat. ſic igitur legendum.

H-S XC *millia.* Coronatorum duo millia: ſupra
ducentos quinquaginta. hac autem ſumma, qua-
dringentorum millium numerus completus eſt.
ad quam XLIII millia, & ſexcenti præterea deſi-
derabãtur. Ducta enim æſtimatione ſingulorum
modium ad binos H-S, & aliquanto amplius, fiet
idem numerus modium quadraginta trium mil-
lium, & præterea ſexcentorum.

CCXVI *decumas.* Legendum vt ſuprà, CCXVI
modium millibus, decumas agri Leontini vendi-
diſti.

Paruo. Exigua enim ex tam ingenti ſumma pars
ad populum R. peruenit.

De modo iugerum. Ni aratores numerum inge-
rum eſſent profeſſi. infra.

Artemidorus Cornelius. Inuidioſè addidit Cor-
nelius: nomen à Sylla cum ciuitate Græcis & ſer-
uis quamplurimis ſuæ factionis hominibus con-
ceſſum. vide infrà.

Si largiſſimus eſſe velles. Liberaliſſimus in popu-
lum R.

De vino reſecandum. Id eſt, de eo quod pro ara-
tionis impenſa perceperant: præter quod vnum
nihil erat omnino reliquum factum aratoribus.
purum ac reliquum appellat. Tranſlatio autem
ſumpta eſt ab imperitis medicis, qui non modò
redundantia, & quæ reliquo corpori nocent, vre-
re, & ad viuum amputare ſolent, ſed etiam de vi-
uo aliquid reſecare.

Aliquid reſecandum. Vt quemadmodum inco-
lumitatem integritatémque ſanitatis retinere,
qui ita ſecantur, non poſſunt: eodem modo ſalui
eſſe aratores non poſſint.

Hoc corollarium nummorum. Corollarium, in-
quit Varro, dicitur, quod additum, præterquam
quod debitum. Eius vocabulum fictum à corol-
lis: quòd hæ, cùm placuerant actores, in ſcena da-
ri ſolitæ.

A *Homo amentiſſimus.* Auaritia & cupiditate.

H-S D millia. Coronatorum duodecim millia
ſupra quingentos. Sed hæc ſumma neque binis,
neque ternis H-S millibus conuenit: quin potiùs,
vt bina tantùm ducamus, fiunt per triennium
DXL millia: ſi terna, octingenta & decem millia.
Quare & minorem ſummam eum duxiſſe appa-
ret, & ſuo more ſummam integram quingento-
rum potiùs dixiſſe.

B *Si quis villicus.* Villicus, agri colendi cauſa con-
ſtitutus, atque appellatus à villa, quòd ab eo in
eam conuehuntur fructus, & euehuntur cùm ve-
neunt. A quo ruſtici etiam nunc quoque viam,
veam appellant, propter vecturas: & veſlam, non
villam, quò vehunt, & vnde vehunt. Varro de re
Ruſt. 1.

Ex fundo cui H-S *dena merces eſſet.* Omnes alij li-
bri, Ex eo fundo. ſed in eo quod ſequitur, legen-
dum potiùs putarem, Cuius H-S denum merces
C eſſet: vt ordo ſit, Cuius merces, id eſt prouentus,
ſeu vectigal, eſſet denum millium H-S, id eſt co-
ronatorum CCL.

Demptis tegulas, inſtrumento. Inſtrumento fundi
ea continentur, quæ fructus, quærendi, cogendi,
conſeruandi gratia parata ſunt.

Viginti millia nummûm. Coronatos IↃ.

Vt hi minus multis iugis arent. In minus multis:
apertius, opinor, legeretur. Iugum autem, vt ſu-
prà dixi, vocant, quod iuncti boues vno die exa-
D rare poſſunt.

Atque hoc peræquè. Magis placeret, Atqui.

Minus multis iugis. Alij omnes, Minus multis lo-
cis. ſed ſic proxima pagina locutus eſt, vt hoc lo-
co legitur: vt nihil putem corrigendum.

Dicit quanti. Vetus, Dicit dein quanti. Vox au-
tem DEINDE quæ ſequitur, abeſt à manuſcripto:
& rectè, opinor.

Ait ſe miſiſſe & confirmaſſe. Hoc amplius liber
optimus & perantiquus, Præſentem confirmaſſe.
E quod eo mihi rectius videtur, quia paulò infrà
ita ſcribit, Niſi præſens confirmaſſem.

Tantum quod. Inſolens locutio, cuius tamen ge-
minam reperio in libro Epiſtolarum ad Atticum,
XV, in ea cuius initium eſt, IIII Cal. Hæc cùm
ſcriberem, tantum quod exiſtimabam ad te ora-
tionem eſſe perlatam. Senſus eſt non obſcurus.
hîc enim ſignificat quod alibi dicit, Nihil propius
factum eſt quam: vel Tantum non. quod cùm alij
non intellexiſſent, hunc locum immutare volue-
F runt, At Suetonius in Auguſto pro Paulo ante v-
ſurpaſſe videtur, loquens enim de Auguſto, Iube-
re, inquit, primum Marcello Octauiæ ſororis ſuæ
filio, tantùm quod pueritiâ egreſſo nuptũ dedit.

Noſtram patrúmque memoriam. Sine dubio pro-
babilior veteris libri ſcriptura, Noſtra patrúm-
que memoria. Athenionem autem dicit, de quo
nos ſæpe anteà: & bellum illud ſeruile, quod
bello Punico ſecundo exortum eſt, quod cùm
opprimi à Prætoribus non potuiſſet, C. Fuluio
G Conſuli mandatum eſt. cuius belli initium fuit
Eunus ſeruus, natione Syrus, qui contracta agre-
ſtium ſeruorum manu, & ſolutis ergaſtulis, iuſti
exercitus numerum impleuit. Cleon quoque al-
ter ſeruus ad LXX millia ſeruorum contraxit, &
copiis iunctis contra populum R. exercitúm-
que eius, bellum ſæpenumero geſſerunt. Florus
in Epit. lib. LVI.

Bis

Bis in ea prouincia. Nonius Marc. in dictione Interitus, Bis in eadem, ſed nihil muto.

Verſatæ ſint. Vetus, Verſatæ ſunt, quod Nonius confirmat.

Aratorum internecio. Nonius Marc. ex hoc loco, Interitio verbum à Cicerone vſurpatum eſſe probat. mihi tamen quicquam immutare religio eſt.

Iugulatum ſentis? Vetus, Non ſentis? placet.

Hoc eum diſertè ſcribere. Græci διαῤῥήδην ἐναργῶς: id eſt, planè, apertè, dilucidè, definitè, nominatim. Liuius Decadis IIII, libro ſexto, Tum decretũ Phaneas, in quo id diſertè ſcriptum erat: oſtendit. Et lib. V, Alteram ex duabus conditionibus, quæ modò diſertè à Quinctio datæ ſunt, legit. Plautus in Amphytrione.

Satin' hoc planè, ſatin' diſertè here nunc videor tibi locutus eſſe?

Deiectos, eiectos. Deiectus, qui de loco, in quo erat, pulſus eſt: Eiectus, qui prohibitus eſt accedere. Sed in Orat. pro Cæcina, dum Orator ſuæ cauſæ ac tempori ſeruit, hanc ſubtilem differentiam eludit.

Interiit: ſaltem commoda. In manuſcripto, Aldino, & veteribus impreſſis, Interierit: ſaltem populi R. commoda reſpicite. quæ lectio mihi rectior, & probabilior videtur.

Non ſolum id, quod commune eſt propter imperium, ſed etiam id quod ipſius præcipuum eſt. Malè interpũcta oratio ſenſum reddit ineptum. Ego ſic legendũ cenſeo, Non ſolum (id quod commune eſt) propter imperium, ſed etiam (id quod ipſius præcipuũ eſt) propter crudelitatem.

Id quod commune eſt. Omnium Magiſtratuum.

Quod ipſius præcipuum. Id eſt, proprium, peculiare.

Illa Salus ſeruare. Deam intelligit, quam populus R. colun, cui ædes vota in bello Samnitium à C. Iunio Bubulco COS. Romæ extructa eſt. Terentius in Adelphis.

-Ipſa ſi cupiat Salus
Seruare prorſus non poteſt hanc familiam.

Inſtituta legis. Legendum putarem, vt ſæpe aliâs, Contra inſtituta, leges, conſuetudinem, &c.

Sponſione laceſſiuit. De ſponſione, cognoſce ex Orat. pro Quinctio, ſuprà.

Non aliqua ſe ſimulatione exiſtimationi hominum vindicaſſet? Veteres libri hoc modo, Non aliqua ſe ſimulatione populi R. exiſtimationi vindicaſſet? quod ſine cauſa immutare non auſim. Nonnulli tamen ex iis, Non aliqua re. quod apertè falſum eſt. vt illud Aldinum, Populi Romani exiſtimationi hominum.

Quicquid dixiſſes. Dixiſſent, legendum potius arbitrarer. ſententia quidem apertè poſtulat.

Sed ne animam quidem. Teterrimum enim odorẽ ſpirabat, vt dixit infrà.

Neque apud te. Ineptus ſenſus: vt mihi non ſit dubium quin pro Neque, reponi oporteat: Atque & legi ſine interrogatione, εἰρωνικῶς. vox enim Profectò, ironiam ſignificat, vt Credo, vt Scilicet.

Tui capitis. Tuæ exiſtimationis.

H-S V *millium.* Hic eſt locus qui Budæo propè ſolus errorem obiecit, vt Seſtertia in neutro genere mille valere ſeſtertios exiſtimaret. Eum enim ita citauit, Facta eſt ſponſio ſeſtertiis quinque. Quare cùm paulo poſt, hanc eandem ſummam ita repetitam videret, Cogit Scandilium quinque illa millia nummũ dare Apronio: ratiocinatus eſt Seſtertiũ in

A neutro genere mille Seſtertios valuiſſe. Quod mihi ſanè permirũ videtur. Primùm quia neque in Aldino, neque in aliis libris aliter hic locus legitur, quàm in hoc noſtro exẽplari ſcriptus eſt. deinde quia eadẽ ipſa ſumma ita repetita eſt, vt vox Millia, adderetur. Cogit, inquit, Scandilium Apronio H-S V millia mercedis nomine, ac præmij dare. vt Budæus nulla ratione diuinare potuerit, illam ſuperiorem notam H-S, in neutro genere, potius quàm hanc poſteriorem accipiendam eſſe. Præterea non Lati-

B nè, opinor, Ciceronem loquentem facit, cùm illum dixiſſe contendit, Facta eſt ſponſio Seſtertiis. neque enim Seſtertiis, ſed Seſtertium ſolet dicere. vt pro Q. Roſcio, ſuprà. Legitimæ partis ſponſio facta eſt. niſi fortè particulam CVM adiungat: vt ſuprà, Cum tertia parte ſponſio facta eſt. Sed quid attinet plura? cùm Tullius ipſe paulò pòſt de nummis Seſtertiis loqui ſe manifeſtiſſimè doceat.

Recuperatores aut iudicem. Vide quæ dixi in Ora. pro Cæcina, infrà.

C *Circundati cancelli videntur.* Id eſt, Satiſne vobis teneri videtur, neque elabi poſſe, quin horum alterutrum fateatur. Cancelli ſunt ſepta ex ferro, in modum retis facta. Tranſlatio ſumpta eſt à beſtiis, quæ ſeptis & cancellis continentur, vt effugere non poſſint.

Qui erunt tantis ceruicibus. Ceruices pro audacia, vt ſæpe alibi: tranſlatione à bubus ſumpta, quorum ij valentiſſimi iudicantur qui ceruicibus ſunt duriſſimis. quaſi dicat, quis tantum onus inuidiæ ſuſti-

D nere poſſit?

Recuperatores reijci. Moris erat vt cùm primùm actor, deinde Reus aliquot Recuperatores dediſſet, vterque quos ſibi ſuſpectos haberet, reiiceret. Nomina autem in libello ſcribebantur, vt ſuperius intellectum eſt.

Cum cognitore tuo Apronio. Cognitor præſentis dicitur, qui procurator abſentis. Hoc igitur dixit εἰρωνικῶς, vt ſuprà Procurator. & infrà, Cur tu Apronium malebas, quem omnes tuum procurare in de-

E cumis negotium loquebantur?

Ni ſocium tibi in decumis. Probabilior eſſet ſententia & apertior, Ni ſocium te ſibi in decumis. quomodo in Aldino & aliis propè omnibus impreſſum eſt.

Caſſianum iudicem. Vide Orat. pro Sex. Roſcio ſuprà, & Aſconium in Milonianam.

Auget atque ornate. Legendum ornat: vt in quibuſdam impreſſum.

Vt Romam reijcias. Sponſionis factæ iudicium, &

F diſceptationem.

Suo tempore eſſe redditurum. Suum tempus dixit, ſibi commodum & opportunum. vt Actione prima, Suum iudicium: quod ita interpretatur Aſconius. Contrarium eſt in eadem oratione, Alienum tempus offenderat.

Sponſionem acceptam facere. Acceptam miſſam facere, legendum videtur. Nam ſi accepta eſſet, non eſſet ſublatum de Verre iudicium, ſed factum. Niſi fortè acceptam facere, dictum putamus, vt alibi ſæ-

G pe, pro acceptum ferre.

H-S V *millia.* Centum & viginti quinque aureos.

Crimen domeſticum ac vernaculum. Verna ſeruus eſt domi noſtræ ex ancilla natus. Crimen vernaculum, domi natum & confictum ab accuſatore.

Ex tempore periculi. Ex eo tempore quo in iudicium vocatus es.

Excogitatum iam. Aldinus.& alij libri veteres, Cogitatum. quod magis arridet: cùm Excogitare fingere potius, & cōminiſci ſignificet. tametſi, vt verū dicam, neutra ſatis huius loci ſententiæ congruit. Exiſtimarem ita potius corrigendum, Cognitum iam, & te Prætore iactatum, niſi fortè melius ſic fuerit, Cognitum iam te Prætore & iactatum.

Sedentem in faucibus Macelli. Vide pro Quinctio, ſuprà.

H-S CCCC *millibus.* Coronatorum decem millibus.

H-S II. Subaudi, millibus. id eſt duodecim millibus coronatorum, ſupra quingentos.

Qui minimo CCC. Septem coronatorum millib. & prætetea quingentis.

In illo niſi ita res. Vetus codex. In illum. & ſic puto corrigendum.

Literas manifeſtas quæris. Deprauatus apertè locus. Nam & literas protulit ac recitauit anteà maniſeſtiſſimas: & poſtea cùm Albæ conditionem recipit, non literas, ſed res allaturum ſe oſtendit. Sic igitur legendum exiſtimarem, Nihil ciuitatum auctoritates, teſtimonia, literas: res manifeſtas quæris. Nā voculam RES omittere præſertim RAS ſyllabæ tā proximam, facillimum fuit ſcriptoribus, non valde ad negotium ſuum attentis.

Gladiator, quàm ſcurra. Nam ſcurræ, liberi: gladiatores, ſerui viliſſimi: vt ſuprà oſtendi. Sic in Orat. pro Quinctio, Næuium ſcurram appellat, & libertate vium dicit, quo impunius dicax eſſet.

Aratoris autem intereſt. Quanto enim plus habet frumenti, tanto pluris ſunt decumæ.

Decumam eſſe quàm maximam. Longè melior lectio quæ eſt in manuſcripto codice, Decumam eſſe quàm maximi. & ita ſenſus poſtulat.

Tritici mod. CC VI. Corrige, CCXVI, vt infrà.

Amicus, verum etiam amator. Amicus, inquit Donatus, interpres Terentij, animi eſt: amator verò corporis.

Tritici mod. XXX. Id eſt Tritici modium triginta millia.

Nam ſi DXXX. *mod.* Deceptum puto librariū notę ſimilitudine: cùm CIↃ, quæ nota eſt mille ſignificans, ſcriptum eſſet. Nam & modò paulo antè, & paulo pòſt præciſè modium triginta dixit, millia ſubaudiens: vt hoc loco legendum appareat, Millibus triginta modium tritici.

XXX. *mod. minoris.* Subaudi Millibus, vt ſuperiores loci declarant, niſi forte potius addi oporteat.

Panchreſto medicamento. Ad verbum, Medicamento ad omnia vtili & accommodato: qualis eſt herba, quam Panacem ſiue Panacæam indidem ſumpto nomine Græci vocant, vt Plinius ſcribit. Pecuniam autem ſignificat, qua vna ſuos ſibi omnes amicos deuinxerat.

Eductus eſt Apronius. In ius. Et ſic loquutus eſt Aſconius in Orat. in toga candida. Deinde Græci, quos ſpoliauerat, eduxerunt Antonium in ius ad M. Lucullum prætorem, qui ius inter peregrinos dicebat. Sic noſter paulo ſuprà, Et cùm in ius ipſum eduxi, expreſſi, &c. Sumptum videtur de Græcorum conſuetudine, qui εἰσάγειν interdum omnino dicunt, interdum εἰσάγειν τὴν δίκην. Plato in Apol. Τὸν μὲν γὰρ διαφθείροντα ἐξηῦρες, ὥς φῄς, ἐμὲ εἰσάγεις τουτοισὶ καὶ κατηγορεῖς. Demoſthenes. περὶ στεφάνου φθόνου δίκην εἰσάγειν, οὐκ ἀδικήματος οὐδενός.

Quod per vim aut metum abſtuliſſet. Formula iudicij, grandioribus literis ſcribenda. Verba Vlpiani ſubiiciam, quæ ad hunc locum faciunt. Ait Prætor, Quod metus cauſa geſtum erit, ratum non habebo. Olim ita dicebatur, Quod vi metúſve cauſa. Vis enim fiebat mentio, propter neceſſitatem impoſitam, contrariam voluntati. Metus autem propter inſtantis, vel futuri periculi cauſa, mentis trepidationem. Sed poſtea detracta eſt vis mentio: quia quodcunq; vi atroci fit, id metu quoq; fieri videtur.

Formulam Octauianam. Quam L. Octauius, Prætor cùm eſſet, inſtituerat. Et hoc conſultò addidit, ad laudem præſentis L. Octauij iudicis: vt ſuperiore Orat. Formulam autem modò Actionem dicit, vt locus oſtendit: & Octauianam ab auctore nominat, quo modo Publicianam, Paulianam, Fauianā, Caluiſianā, & cæteras Iuriſcōſulti nominānt. Prętores.n. in certa tribu ſe iudicium ex ratione damni & iniuriæ actoris edicebant. Cicero pro Comœdo, ſunt iura, ſunt formulæ, de omnibus rebus conſtitutæ, ne quis aut in genera iniuriæ aut in ratione actionis errare poſſit, expreſſæ ſunt enim ex vniuſcuiuſque damno, dolore, incommodo, calamitate, iniuria, publicæ à Prætore formulæ, ad quas priuata lis accommodatur.

Et Romæ Metellus habuerat. In Pratura. Hoc autē amplificandi cauſa ſubiunxit, vt oſtenderet ſe ius æquiſſimum impetrare non potuiſſe.

Cur enim ſibi hoc Scribæ ſoli ſumant? Non obſcurè ſignificat Accenſi munus non omnibus apparitoribus, ſed Scribis tātùm cōcedi ſolitum fuiſſe. tametſi κατ' ὑπόκρισιν dicat, ſe non reprehendere quòd libertus Timarchides nomen illud ſibi ſumpſerit, opinor cùm viator tātùm, ſtatórve eſſet. Suprà tamē permultis locis Timarchidem hoc nomine appellauit, vt ſuprà. Interea iſtius libertus & accenſus idē Timarchides. Et ſuprà, Crebrò dimittebat ſe accēſus ad aurem Timarchides. Erat autem nomen ordinis & promotionis in militia, vt Aſconius ſcribit: inde dicti, quòd ad neceſſarias res ſæpius accirētur. quemadmodum ex Varronis verbis, quæ Nonius refert, intelligimus. Cùm ergo honeſta eſſet Accenſorum procuratio, quippe quorum opera vicaria Imperatores multas ad res vterentur: credibile eſt hoc Ciceronem ſignificare huic viatori, indignum fuiſſe eum honorem noménque mandare. De accenſo etiam dictum eſt ſuprà.

L. Papirius Scriba. Hoc quorſum pertineat, fateor mihi obſcurum eſſe: ſuſpectumq; omnino locum, tanquam mendo & vitio alicui affinem.

Commune Accenſorum. Verbū Accenſorū abundat: niſi vehemēter me animus fallit. irrepſiſſe autē opinor ex adnotatione alicuius ſtudioſi viri, cuius in libro ſubſcriptū hoc gloſſema inuentum eſt, ſub illis verbis, Hoc eſſe cōmune. vt HOC particulā ita declararet, non Scribarum, ſed Accenſorum.

Apparitores recentes. Qui nuper cum L. Metello venerunt. Hoc autem nomine & accenſi, & interpretes, & lictores, & viatores, & alij denique omnes Imperatoris miniſtri intelliguntur.

Cede, concede. Impartire aliquid de præda cohorti Metelli. Sic enim paulo pòſt hoc ipſum interpretatur, Vulteium corrumpat, Scribas accenſúmque pretio deliniat.

Gemino

Gemino & ſimillimo. Tranſlatum à geminis, qui inter ſe ſolēt eſſe ſimillimi. in Orat. pro Q. Roſcio, Simillima, & maximè gemina ſocietas hæreditatis eſt.

Oppone. Vetus codex & quidam impreſſi, Appone.

Dare, profundere, opponere. Da, profunde, Appone.

Non ipſo Metello. Alij omnes, Non hoc ipſo Metello.

Quibus rebus inſinuet. Quibus ſe rebus, legendū potius videtur.

Scribas, accenſumq́. Vulteium, opinor, ſignificat: cùm eum Timarchides illo in loco in quo Scribarum mentionem fecit, nominarit.

Sum iratus Metello. Quòd teſtes retinuit.

Non ſermone incauto atque improbo. Incauto, qui non cauetur. Inſolens locutiò, cuius ſimilem reperio apud Cornelium Tacitum libro primo, Conſultát que ex duobus itineribus breue & ſolitum ſequatur, an impeditius & intentatum, eóque hoſtibus incautum.

Quod ſcribit Metelli filium. Ex his verbis cōiecturam ducamus, deeſſe locum epiſtolæ Timarchidis: in quo de Metelli filio mentio fiebat.

Veſter ille puer prætextatus. Prætexta pueri toga vtebantur adúſque annum ætatis decimum ſeptimum. quo tempore puram, quæ Virilis dicebatur, ſumebant.

C. Lælij, M. Catonis maternem. Qui ſapientes habiti & nominati ſunt. Cicero de Amic. & lib. de Off. III. Hic eſt M. Cato, qui puer apud M. Druſum auunculum educatus, metu mortis adduci non potuit vt Latinos ciuitatem petentes apud auunculum adiuuaret. ille ipſe qui ad Syllam à pædagogo deductus, cùm proſcriptorum capita in atrio aſpexiſſet, gladium petiit vt ſua manu crudeliſſimum tyrannum interficeret.

Quid ex eo boni ſperari. Hæc in Verris filium, qui in iudicio ſedebat cum patre atratus, eo conſilio dicuntur, ne in epilogo, vt mos erat, productus ab Hortenſio conciliet miſericordiam iudicum patri. Hac enim commiſeratione vti mos erat: vt Cicero in Orat. pro Sylla, pro Flacco, & aliis.

Cuſtodes amicorum eum ſectabuntur. Hoc velim aliquis eruditior interpretetur: cui ego magnā gratiam ſum habiturus, ſtudioſus lector infirmitatem ingenij mei excuſabit, quam fateri malui, quàm (quod plerique faciunt) quenquam in fraudem inducere. Cuſtodes quidem, vt ex Cicerone docet Seruius in lib. Æneid. v, dicebantur quaſi magiſtri militiæ, qui ad militiam euntibus dari ſolebāt, quibus primo anno regerentur. videndum etiam cum omnia in hunc puerum acerrimè dicantur, & niſi hoc loco turpitudo lateat, orationis cauſa vehemēter lædatur, an cuſtodes amicorum perductores ſignificet, de quo tamen dubitur, aliquis iudicabit.

Frumentum emere in Sicilia. Altera pars cauſæ frumentariæ, in qua de frumento empto breuiter commemorat. Lege Rupilia tenebantur populi Siciliæ vectigales populo R. frumenti quantum vellet, certo pretio vendere. Ea pecunia Prætori ex vectigalibus attribui ſolebat, qui populo frumenti numerum quem is poſceret curabat. Id frumentum, Emptum dicebatur.

Certarum decumarum. Alterarum decumarum, ex

A iis quæ ſequuntur, legendum apparet. & ita legitur in codice manuſcripto perantiquo. Alteras autem decumas ſignificat, quæ præter primas à Siculis dabantur, accepta tamen pecunia.

Quantum ex primis decumis fuiſſet Nimirum modium tricies: quantum ex ſumma pecuniæ, quæ eſt in annos ſingulos, ad nonagies exiſtimare licet. Nā deſiderari aliquid hoc loco certum eſt ante hoc verbum Tritici mod. DCCC. nimirum HVIVS, vt ſubaudiatur, Imperati. Fuit enim hæc ſumma impe-

B rati, vt mox dicemus. & apparet ex eo quod dicit, infrà. Nam vt illud miſſum faciam permultos aratores in alteras decumas, & in hæc DCCC millia modium, quod emptum populo R. darent, &c. Sic igitur ſcribamus, vt poſt FVISSET, ea nota ponatur quam Græci κόμμα, Latini membrum appellant, poſt κόμμα, vox HVIVS. vt ſit, Huius tritici mod. ꟷ DCCC millia.

H-S *ternos.* Terni, vetus codex. & ſic emenda. Illud autem animaduerſione dignum eſt hoc loco,

C quòd frumentum, quod præter decumas Siculi dabant, populus R. carius emeret, quàm vulgò veniret. Nā ſæpe antea medimnum, id eſt ſex modios, XV ſeſtertiis nummis fuiſſe oſtendit. cùm hic pro alteris decumis XVIII ſeſtertios in medimnum, imperato verò XXIIIS attributos dicit.

H-S *duodetricies.* Falſum. & hoc vidit Budæus, qui hunc locum, vt ait, mendoſum maluit relinquere, quàm quicquam aſſerere. Nos parua immutatione ita hunc locum emendauimus, vt cuiuis

D noſtram hanc ſententiam probatum iri confidamus. Sic igitur legimus, II & tricies: quod ſic interpretamur, bis & tricies. Nam in annos ſingulos tantundem ſine vllo errore efficitur. Mendi autem occaſionem hoc attulit, quòd cùm hic locus notis ita ſcriptus eſſet, H-S II & tricies: & alij poſtea imperiti librarij ſic eum deſcripſiſſent, Duo & tricies: alius tandem corruptam locutionem animaduertens, deterius in duodetricies corrupit. niſi fortè Duo & tricies Latinè dictum putemus, ſimili figura

E qua Fabium in annalibus duo & triceſimo anno dixiſſe Agellius teſtatur, lib. V, cap. XV. Mortuus eſt, inquit, Fabius, anno duo & viceſimo, Rex fuit anno viceſimoprimo. Et qua Cornelium Tacitum vſum plerunque, Budæus obſeruauit, cùm diceret, Vna & viceſimanorū principes, Sextadecimanos duodeuiceſimanóſq; læuū cornu cōpleſſe, Abduxit Alexandria Duodeuiceſimanos, tertianóſq;. Plinius lib. II, Quantas enim dimetiens habet ſeptimas, tātas habere circulum duo & viceſimas. Sed ſuperior

F coniectura magis arridet, vt Bis & tricies ſimiliter dictum ſit, ac Bis & vicies in Epiſtola prima lib. ad Att. XI. Ego in ciſtophoro in Aſia habeo ad H-S bis & vicies. Et Sueton. in Cæſare, Galliam quæ patet ad bis & tricies centum millia paſſuum.

Duodetricies decernebatur. De hoc dicendi genere, quo centena millia non ſubaudiuntur, & aduerbium Decies cum ſingulari numero conſtruitur, cognoſce ſuprà.

Sic per triennium ad hanc frumenti emptionem Sici-

G *lienſem propè centies & tricies erogatum eſt.* Per triēniū, ſic accipe. Per ſingulos annos triēnij. Nam etſi ex nonagies & bis ac tricies non integrā hanc ſummam efficiamus, ſed tātùm Centies & bis ac vicies: tamen hæc eſt conſuetudo Ciceronis, vt plerunque numerum denariū inchoatum efferat pro perfecto. quod & alibi plerunq; obſeruauimus, & Aſconius

quodam loco admonuit. Et ſi Triennium integrum A
ſumamus, efficiemus H-S ter & centies ſexagies ſexies. Similis locutio infrà, Quod Antunius vno aduentu; & vix menſtruis cibarijs fecerit, id iſtum per triennium feciſſe. Mitto inquam hęc omnia quæ ab iſto per triennium perfecta ſunt. id eſt, per ſingulos annos trienni.

Datam tibi ex Aerario inopi. Tum tamen poſita adhuc erat apud eas ſocietates, vnde erat attributa: vt nunc dicet. ſed quod debetur Ærario, id in Ærario eſſe intelligitur. & eſt Rhetorica amplificatio. B

Non agam tecum accuſatoriè. Elatoriè ſuperlatis verbis, cum criminis augenda cauſa odioſa, quæ per ſe læuia ſunt exagerantur. Sic in oratione ſequenti. Latine me ſcitote non accuſatorie loqui.

Binis centeſimis fœneratus eſt. Centeſimæ dicuntur, cùm ſingulis Calendis pars ſortis centeſima vſuræ nomine perſoluitur. vt ſi in centū H-S millia ſingulis mēſibus mille ſeſtertij ſoluantur. Binæ, cum duo millia. de quo latè dixi in Diſput. De vſuris. C

Nihil dicet ex tempore. Id eſt, Nihil fictum, nihil ad tempus accommodatum. vt infrà.

Magiſter ſcripturæ. In Sicilia qui tamen non tam Magiſter erat, quàm pro magiſtro. vide infrà.

Et ſex publicanorum. Corruptus locus. Vetus o liber, Et eius ſocietatis publicanorum.

Ad ærarium referas. Magiſtratus, qui pecuniam publicam adminiſtraſſent, Romæ ad Quæſtores ærarios rationem referebant.

Reddas ſocietati. Fœnus enim alienæ ſortis capere niſi iniuria non poſſet. D

Fœneratio eſt appellanda. Deeſt aliquid huiuſmodi, Ferendum non putat, tolerare non potuit. niſi fortè ἀναπόδοτον eſſe dicamus, quale alibi non vno loco notauimus.

Perſcriptorem fœnerationis. In tabulas debitorum nomina retuliſſe, literis conſignaſſe. De præſcriptione dictum eſt Verrina III, & antiquorum conſuetudine, in obligationibus quæ nominibus fiebant.

Et caſu ſcribæ tum duo fuerunt. In manuſcripto, Etenim caſu ſcribæ tum duo magiſtri affuerunt. quod valde arridet. E

Ferendum non putant. Præſertim cùm grauiores & acerbiores eſſent. Nam vnas centeſimas vel acerbiſſimis fœneratoribus ſatis videri, idem ſcribit libro epiſt. ad Att. IIII.

Vſura ſæpe muiſſet. Obſerua, Vſura, pro vſu & cōmodo pecuniæ. quæ propria eſt huius verbi ſignificatio. Similiter in libro Tuſc. diſput. I, Natura dedit vſuram vitæ tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die. quid eſt igitur quod querare, ſi repetit cùm vult? F
Sed poſtea recepta loquendi conſuetudine factum eſt, vt quemadmodum Locatio pro Locationis mercede accipitur, eodem modo Vſura, pro Vſuræ mercede & pretio diceretur: de quo fuſius in libris de Vſuris explicauimus.

Effugere non poſſes. Similiter Modeſtinus Iuriſconſultus libro Digeſtorum XII, tit. Si certum pet. Principalibus, inquit, conſtitutionibus cauetur, ne ij qui prouinciam regunt, quíve circa eos ſunt, negotientur, mutuam pecuniam dent, fœnúſve exerceant. G

Iſti annos ſingulos. Corrigendum putarem, Iſte in annos ſingulos.

Senatus dederat publicè cauſam. Cauſam dare, pro Negotium dare, notanda locutio, cuius nullam adhuc ſimilem reperire potui.

Mihi fratriq; meo. L. Tullium fratrem dicit patruelem, qui cum Cicerone profectus erat in Siciliam, inquirendorum Verris criminum cauſa. Idem libro de finib. V. Vnáque nobiſcum Q. Frater & T. Pomponius, & L. Cicero frater noſter, cognatione patruelis, amore germanus.

Decumarum nomine. Alterarum.

Progredi iſte non poſſet. Hoc quid ſignificet, non diſpicio: Effugere quidem & elabi hoc iudicio, verbum Progredi non declarat. quòd ſi, IPSE NON POSSEM legeremus, nihil eſſet apertius. niſi fortè hoc ſignificet, Singula peccata tanta ſunt, vt ſi pluribus verbis eorum indignitatem explicare vellem, ſumma & maxima viderentur: neque maiori indignitate ac ſcelera poſſe ſuperari. Mihi tamen correctio magis arrideret.

Mancipes admoniſſent. Mancipes hoc loco appellat publicanorum principes, Romanos homines, qui vectigalia quæſtus ſui cauſa redimebant.

Lex Terentia. Frumentaria, de qua ſuprà.

H-S XV. Id eſt, Seſtertios quinos denos.

Tanti enim eſt illo tempore medimnum. Subaudi, Venditum. niſi fortè à librario prætermiſſum eſt.

Retines H-S XII. Et paulo antè, & modò paulo infrà, Modios ſingulos ſeſtertiis ternis æſtimatos dicit: vt hoc loco, non XII, ſed XVIII, reponendum eſſe videatur.

Cæteris temporibus. Cùm alij Prætores eſſent, & frumentum Siculis ſuum relinquerent.

Vt in multis. Omnes alij, Vt tu in multis.

Ad amicos tuos gloriaris. Nam annonam vilem fuiſſe Magiſtratus geſti tempore, glorioſum erat Magiſtratibus. Epiſtolæ autem ad Hortenſium miſſæ, in qua hoc idem ſcriptum erat, mentionē facit.

Non interpoſitis. Non refertis nominibus quibuſdam intermiſſis atque interiectis.

Vapat te Volcatius. Quod pecuniam ipſe ab aratoribus extorſit.

Premis fauces defenſionis tuæ. Tollit & infirmat. nullum relinquit iſti defenſioni locum. Ducta eſt tranſlatio ab iis, quibus ſi, cùm aliquid dicturi ſunt, premantur fauces, loquendi facultas adimitur.

Cùm pœna abſuit. Sic in Orat. pro Milone, Magna eſt illecebra peccandi, impunitatis ſpes.

In illa caligine ac tenebris. Oppreſſa dominatione Syllæ Republica. Similiter in Orat. quam habuit in Senatu poſt reditum, In Rep. caliginem & tenebras fuiſſe dicit, cùm eſſet Gabinij & Piſonis oppreſſa Conſulatu.

Tum occupauerat. Occupauerant, numero multitudinis, poſtulat (opinor) ſententia.

Lucra ligurientem. Senſim carpentem & delibantem. nam Ligurire tenuiter, & quaſi faſtidioſè cibum capere ſignificat. Terentius in Eunucho.

Quæ dum foris ſunt nihil videtur mundius,
Nec magis compoſitum quicquam, nec magis elegans:
Quæ, cum amatore ſuo cùm ſunt, liguriunt.
Harum videre ingluuiem, ſordes, inopiam,
Quàm inhoneſtæ ſolæ ſint domi, atque auidæ cibi.

DCCC *millia.* Imperata, & ciuitatibus æquabiliter diſtributa.

H-S XV. Seſtertios quinos denos, vt infrà.

H-S XII. Corruptè, item vt illud in Aldi libro XXI. ſed dixi paulo ſuprà quamobrem hoc quoque loco H-S XVIII legendum arbitrarer.

Spe-

Spectatione & collybo. Spectatione, probatione pecuniæ, quæ à numulariis ſpectabatur. Spectator, inquit Donatus, probator. vt Spectatores pecuniæ dicuntur. Plautus in Perſa, Toxilus, Numi ſexcenti hic erunt, probi, numerati. Dorpalus, Non hercle, qui nunc hoc dem ſpectandum ſcio. Collybus autem propriè minuta eſt moneta. ſed ferè pro permutatione nummorum ſumitur, qui in alienam regionem, in qua diuerſi generis nummorum vſus eſt, deportantur. Cicero permutationem appellat in Epiſto. ad Appium Pulchrum, cuius initium eſt, Tralleis veni: Puto, inquit, me Laodiceæ fore, vbi perpaucos dies dum pecunia accipitur, quæ mihi ex publica permutatione debetur, commorabor. Etiã pro rerum omnium permutatione cum pecunia, quæ fit ab argentariis, Collybus dicitur. vt apud Ciceronem Ep. v. libri ad Att. xii, Cùm omnia quæ haberet, cum argentario Celio permutare vellet, & in auream pecuniam redigere.

Non rerum certarum. Certas res dicit, quaſi probatas ac receptas: vt pro Quinctio, certum patrem familias, probatum & cognitum.

Cerarium quid vocas? Vtrùm Cerarium eum appellat, qui ex cera tabulas cõficiebat? Ceratas enim tabulas fuiſſe conſtat: vt quoniam aratoris rationibus hæ tabulæ ſeruiebant, deduci aliquid iuberet Verres, quod pro ærarij mercede diſſolueretur. An Cerarium dicit locum, in quo cera reconditur: vt Tabularium, in quo tabulæ? Scribæ autem daretur hæc deductio, quaſi pro cera quæ ex cerario promebatur. Nam Scribarum hanc fuiſſe tertiam deductionem ſignificare videtur.

Parua mercede populi. Populus R. Magiſtratuum miniſtris, ſcribis, accenſis, præconibus, lictoribus, interpretibus, cæteriſque apparitoribus, mercedem miniſterij perſoluebat. Apparitorem autem Scribã hoc loco appellat, vt pagina inſequenti, de quo paulo antè diximus.

Mecum duos frugaliſſimos. Omnes alij, Et mecũ.

Mulio qui adduxerit. Vetus, Multò qui aduexerit. Corrigo ſic, Mulio qui aduexerit.

Adeſſe iuſſit. Omnes alij, Abire. Ego, Adire.

Qui fiſcum ſuſtulit. Fiſcus eſt, in quo pecunia publica deportatur. vt patet infrà.

Patribusfamilias, viris bonis. Priſcianus lib. vt, ex hoc loco docet Latinè dici patribusfamiliis, item vt ex aliis, familiæ, & familiarum.

Noli hos colligere, qui numulis corrogatis. Scribam Verris ſcenicum fuiſſe ſignificat, & ab iis qui ſuas opes in ludos profundebant, ſceniciſque corollaria præbebant, locupletatum, locum in aliqua Scribarum decuria coemiſſe: cùm tamen ex eorum eſſet numero qui artem ſcenicam tam ineptè factitarent vt ex omnibus maximè & potiſſimè eſploderentur.

De nepotum donis, ac de ſcenicorum corollariis. Nepotes dicuntur qui temere & inconſulte largiendo patrimonia effundunt. Hi epulis, viſcerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum venationúmque apparatu ſuas opes profundebant. Dona autem dicit, quæ hiſtrionibus ludis ſcenicis fiebant. Corollaria autem (vt ſcribit Varro) dicebantur, quæ addita, præter quàm quæ debita. Eſtque vocabulum fictum à corollis, quòd hæ cùm placuerant actores, in ſcena dari ſolebant. Tranquillus in Auguſto, Itaque corollaria, & præmia, alienis quoque muneribus ac ludis, & crebra & grandia de ſuo aſ-

A ferebat. Plinius libro xxi, Sic coronis è floribus receptis, paulo mox ſubiere, quæ vocantur Ægyptiæ: ac deinde hybernæ, cùm terra flores negat, ramento è cornibus tincto, paulatímque & Romæ ſubrepſit appellatio, coronis inter initia propter gracilitatem nominatis: mox & corollariis, poſtquã è lamina ærea tenui inaurata aut inargentata dabantur. Plutarchus autem in Catonis Vtic. vita, ſcribit eum ludis Ædilitiis Fauonij, coronas non ex auro,

B ſed ex oleaſtro certantibus dediſſe.

Cùm decuriam emerunt. Locum in aliqua Scribarum decuria. Liuius de L. Petilio loquens, cuius in agro Numæ libri reperti ſunt, Q. inquit, Petilius Prætor vrbanus ſtudioſus legẽdi, eos libros à L. Petilio ſumpſit, & erat familiaris vſus, quòd Scribã eũ Quæſtor Q. Petilius in decuriam legerat.

In ſecundum ordinem ciuitatis Equeſtrem.

Eos Scribas tecum diſceptatores huius criminis habebo. In iudicio peculatus. Nam hoc crimen pecu-

C latus eſt. Sed cur in eo iudicio Scribæ iudices ſedebunt? Hoc intelligitur ex prima & II. Verrina, in quibus ſæpe oſtendi M. Aurelium Cottam Prætorem vrbanum nũc legem ferre, vt iudicia, quæ modò penes ſolos Senatores erant, cum equitibus, & tribunis ærariis communicentur. Scribæ autem ordinis erant equeſtris. Iudicium autem peculatus apertè Verri denuntiat, ſuprà.

Induſtriæ propoſitum. Ordo Senatorius.

Pretio peruenire. Ad ordinem Scribarum.

D H-S *terdecies.* Atqui binæ quinquageſimæ totius ſummæ, id eſt H-S trecenties & ſexageſies ſexies, efficiunt quatuordecies & ſexagies ſupra quadringenta millia. Terdecies verò ſumma eſt eadem ac Tricies. vt non Terdecies hoc loco legendum eſſe videatur, ſed potius Tredecies. & ſumma illa binarum quinquageſimarum minimè plena ſit: quòd nõ æquabiliter ab omnibus eas ciuitatibus abſtulerit. Et profectò ita eſt, vt maior hæc ſumma eſſe videatur, quàm vt eam Scribæ permiſſam fuiſſe veriſimi-

E le ſit. Efficit enim autcorum ſeptuaginta quinque millia. at H-S tredecies, XXXII millia & quingentos. Sed nihil attinebat hunc laborem ſumere, ſi Aldinum aut alios libros in tempore vidiſſem: in quibus, non Terdecies, ſed Tredecies legitur. Sic igitur corrigendum.

C. Catoni clariſſimo viro. Vide Orat. ſeq. De litis autem æſtimatione dictum eſt ſupra.

H-S XVIII *millibus.* Coronatis CCCCL. & ſic malo legere, quàm vt in aliis nonnullis, VIII. mil-

F libus, quæ ſumma ducentis aureis noſtratis pecuniæ reſpondet. Sed quid attinet argumentari, cùm hanc ſcripturam omnes libri retineant in Oration. inſequenti,

Annulus aureus. Plinius lib. XXXIII, Annuli, inquit, diſtinxere alterum ordinem à plebe. Et paulo pòſt, Annuli planè medium ordinem tertiúmq; plebi, & patribus inſeruere: ac quod antea militares equi nomen dederant, hoc nunc pecuniæ iudices tribuunt.

G *Corona & phaleris & torque donaſti.* Coronæ ciuicæ ciui dabantur ob ciuem in prælio ſeruatum. Dabantur & vallares, muraléſque coronæ. Phaleris autem equitum nobilium equos ornari ſolitos, conſtat ex Liuio & Plinio. De Torquatis autem militibus Vegetius lib. II. ſic ſcribit, Torquati inquit, duplares, torquati ſimplares erant, quibus torquis aureus ſolidus, virtutis præmium fuit:

A quem qui meruiſſet, præter laudem, interdum duas conſequebatur annonas, duplares duas, ſimplares vnam. De hiſce omnibus Suetonius in Auguſto ſic ſcribit, Dona militaria aliquanto facilius, phaleras & torques, quidquid auro, argentóque conſtaret, quàm vallares ac murales coronas, quæ honore præcederent, dabat. Has quàm parciſſimè & ſine ambitione, ac ſæpe etiam caligatis tribuit.

Ingenio, gloria præditum. Impreſſi multi, Gratia præditum. quod magis arridet.

B *Piratarum manibus incenſa eſt.* Vide Verr. VII. infrà.

Prædonum incendiis. Hqc alibi dictum non memini.

Vt eſſet vnde Scriba tuus hoc tuum munus, ac beneficium tueretur. Cenſus equeſtris ſeſtertium erat quadringentorum millium. auctor Suetonius. Hunc cenſum Equites tueri oportebat: alioqui equo publico à Cenſoribus multabantur.

In prælio, in bello. Inter bellum & prælium quid interſit, declarat Liuius his verbis libro x belli Punici, C Faſſus in curia eſt, non prælio modò ſe eſſe, ſed bello victum.

Ita eundem annulum. Ita, pro itaque: vt lib. De na. deor. I, Virtus autem actuoſa eſt, & deus veſter nihil agens: expers virtutis igitur: ita ne beatus quidem eſt.

De æſtimato. Æſtimatum frumentum eſt, quod ex S. C. & legibus Prætori in cellam certo pretio impe D ratum, æſtimare ipſi, & pecuniam pro frumento accipere licebat. Dabat igitur Senatus Quæſtori ex ærario pecuniam, quam aratoribus ac ciuitatibus pro frumento ſolueret. Prætor eam pecuniam aratoribus vel ciuitatibus adnumerabat: ac tum frumẽtum quò vellet vehi imperabat: aut ſi aratores ciuitatéſve mallent pro frumento pecuniam, quanti frumentum & vectura erat.

Te verò eo magis. Te, quò referatur, non video. Nam de Verre nunc in tertia perſona loquitur. Cor E rigendum putarem. Tum verò.

Ad ſummam tritici adiecto. Maiore tritici numero, quàm legibus liceret, imperato: vt infrà, Reperietis quinquies tanto iudices amplius iſtum, quàm quantum ei in cellam ſumere licitum ſit, ciuitatibus imperaſſe.

Denariis ternis. Denarius, inquit Varro, decem aſſes valebat. Seſtertius autem aſſes duos cum ſemiſſe. Ita denarius ſeſtertios quatuor valebat. Quod igitur binis, aut ſummùm ternis erat ſeſtertiis, id Verres F duodenis æſtimauit. infrà, & in Diuin.

Non ex æſtimatione, neque ex ternis denariis. Æſtimare ſiquidem licebat, etiam ternis, quaternisq; denariis; ſi modò tanti & frumentum & vectura eſſet, patet igitur prius adnumeratam Aratorij pecuniam à Quæſtore fuiſſe, quam ſenatus attribuerat. Poſt cum Prætor frumentum poſceret, aratorem acceptam pecuniam ei reddidiſſe, & hoc amplius aliquid acceſſionis nomine ne procul aliquo deportare illud cogeretur: vel quod iam frumentum non habe G ret, aut in id tempus ſeruare vellet quo pluris poſſet id vendere.

Ex coauctione annonæ atque æſtimationis. Hoc eſt quod ſuprà dixit, Iſte numero ad ſummam tritici adiecto, &c. & infrà, Atque iſto Prætore Iudices, non ſolùm æſtimandi frumenti modus non fuit, ſed ne imperandi quidem: neque enim id quod debebatur, ſed quantum commodum fuit, imperauit. Annona autem pro frumento Prætoris annuo, ſumitur hoc loco: vt cùm ſcribit Aſconius in Diuinat. Annonas Prætoris dicit, quæ in frumenti certo numero præbebantur ab Siculis. Et Vegetius eo, quem modo protulimus, loco.

Accommodatione magiſtratuum. Facilitate Prætorũ, qui ſe ad illorum voluntatem accõmodabãt.

Philomelióne Epheſum. Philomelióne corrigendum putarem. Eſt autem Philomelium Phrygiæ ciuitas. eius quæ παρώρειος dicitur, id eſt vltra montes iaciens, Strabo, Ptolemæus, Plinius. Vecturam autem à Philomelio Epheſum difficilẽ anfractus, opinor, flexúſque Mæandri faciunt: qui, vt Plinius ſcribit, ad decimum à Mileto ſtadium illabitur mari. Paſſuum autem à Philomelio Epheſum vſque, ducenta trigi[n]ta millia numeramus.

Inter annonam intereſſe. Cùm carior ſit Epheſi, quàm Philomelij.

Mediterranea eſt. In media Sicilia ſita eſt.

Coge vt ad aquam. Ad aquam, vide ſuprà.

Poteſt eſſe controuerſia. Hoc dicit, Si fateri cogeris neque varium fuiſſe annonæ pretium, neque tãti abs te æſtimandum.

Qui legem de pecuniis repet. primus tulit. In libro de Officiis II, Nondum, inquit, centum & decem anni ſunt, cùm de pecuniis repetundis à L. Piſone lata eſt lex, nulla antea cùm fuiſſet. at verò poſtea tot leges, & proximæ quæque duriores: tot rei, tot damnati: tantum Italicum bellum propter iudiciorum metum excitatum: tanta ſublatis legibus & iudiciis expilatio direptióque ſociorum: vt imbecillitate aliorum, non noſtra virtute valeamus.

Ambitioſi homines. Qui gratiam & beneuolentiam prouincialium ambiunt, & conſectantur. ſic j.

Non ex annonæratione. Quanti frumentum eſſet: binis videlicet aut ſummum ternis ſeſtertiis.

His honeſtus. Corrige, Is honeſtus.

Venit Prætor. Huius elegantiſſimæ conformationis hæc fere ſententia eſt. Senatus attribuerat Verri pecuniam, qua frumentũ in vſum ac cibaria ſua coemeret: denarium in ſingulos modios. Is ſi frumenti ſatis haberet, poterat pecuniam illam ſibi attributam ſeruare: cum ab aratoribus nihil peteret. At non modo illam retinuit, verum etiam aratoribus vt pecuniam darent, imperauit. Qua de cauſa? nulla prorſus, verùm ea fuit furandi occaſio, cogi poterant aratores frumentum metiri Prætori in cellam accepta tamen pecunia, quaſi ergo ſine pecunia dare frumentum deberent, ita illis æſtimationem pro frumento imperabat: eámque grauiſſimam & prorſus immodicam: cum bis tanto plus, quàm quanti frumentum vendi poterat, æſtimaſſet.

Non ſperaueram. Nonnulli impreſſi codices antiqui, in his Aldinus, Nam ſperaueram. quæ lectio mihi maiorem in modum arridet. Hæc enim particula NAM interdum pro Atqui ponitur, vt ſuprà. Nam Hercule, inquit Q. Minutius, me quoque Petilius, vt ſibi in conſilio adeſſem, rogauit. Et apud Plautum in Aulularia.

Euclio, Exi inquãm age, exi exeundum hercle tibi hinc eſt foras,
Circunſpectatrix cum oculis emiſſitiis.
Staphyla, Nam cur me miſeram verberas?
Eu. Vt miſera ſis,
Atque vt te dignam mala malam ætatem exigat.

Staph.

Staph. Nam qua nunc cauſa me extruſiſti ex ædibus? Item in Caſina act. 3. ſcen. 5. & Menæhmis, act. 2. ſcen. 3, & aliis locis ſexcentis.

Quaternos numos dederit. Eóſque ſumere & retinere poſſis, cùm frumentum ſit vilius.

Senatus dare volnit. Rectius putarem, Dari voluit.

Quantum reliqui ſcriba fecerat. Ablatis binis illis quinquageſimis.

Vrbanis prædiis. Vrbana prædia Iuriſconſulti appellant, omnia ædificia, quanuis in villa ſint.

Puri ac reliqui. Quod impendiis omnibus deductis ſolum ſupereſt. Sic lucra & damna in ſocietatibus æſtimanda Paulus tradit in L. mutius, 30, D. pro ſorte.

Non ad æquitatis conditionem. Non quia hoc ferat æquitatis ratio.

Minima malorum. Plautus in Sticho, E malis multis, malum quod minimum eſt, id minimum eſt malum.

Certo fructu ſuo. Id eſt etiamſi per triennium certum ac liquidum, purúmque ab omni impendio fructum habuerit.

Id ſi facere non poſſunt. Facere pro ſoluere. Item vt in XII. tab. iudicatum facere.

Perinde quaſi. Nonnulli correxerunt, Proinde quaſi. ſed vtrumque frequentiſſimè dicitur.

Genera iniuria non magnitudine pecuniæ. Non differunt iniuriæ genera vtrumque enim iniurioſum eſt ſiue tuum ſiue publicum frumentum tanti æſtimes. Differunt autem pecuniæ magnitudine, quia multis partibus maior erit publici quam tui frumenti æſtimatio ac ſumma verum hoc nihil ad ius iſtius tui facti. Nam ſi publicum tanti æſtimare iniuria eſt, æque in tui æſtimatione magna iniuria conſiſtit.

Vt omnia remittantur. Si maximè etiam ſi omnia remittantur.

Comitatus exilio quæritur. Quæritur is, qui Verri in exilium eunti, ſimiliter damnatus, ſit comes.

Status iudiciorum. Acerbe in ordinem ſenatoriũ: vt eos terreat atque ad ſeueritatem adducat. Finis enim accuſatori iudicum ſeueritas proponitur vt ipſe in partitionibus demonſtrat.

Ob iudicandam rem. Mire crimen hoc eſt è multis ſingularibus data opera delegit ad iudices offenſionis inuidiæque quam apud populum propter iudiciorum corruptionem ſuſtinebant leniter admonendos. & animaduertendum quæmadmodum aperte hæc opponat. Pecuniam ob ius dicendum accipere, & ob rem iudicandam. Nam illo ſuperiori totam eius præturam vrbanam ſignificat, hoc verò Sopatri & Athenij damnationem ex quo intelligi licet, tametſi ius dicere nonnunquam Prætores dicantur, quin publica iudicia exercent: proprie tamen tum demum ius dicere prætorem vrbanum aut prouincialem cum priuata iudicia data decernit.

Vt ego aſſentiar orationi. Etſi fatear verum eſſe multos ob rem iudicandam pecunias rapere. Tangit iterum conteſſum hunc iudicum.

Relinquetur. Mihi placet relinquatur. Reſpondet enim Exiſtimentur.

Queruntur omnes liberi populi. Liberi populi ſunt, qui neque vectigal pendunt, & ſuis legibus vtuntur. Magiſtratibus enim Populi R. ius in iis dicere non licet.

Quod reſtat. Id eſt quòd neceſſariò conſequitur,

A ſi magiſtratus ita gerantur, impune in ſocios graſſabantur.

Opera conſumitur. Ex lege Cornelia repetundarum accuſandi.

Quid ſedetis. Cur hoc iudicium lege ſociali conſtitutum exercetis?

Hos recentes. Hoc amplius duo libri veteres, Profero hos recentes. quod ſine dubio rectum eſt.

Auctorem iſtius æſtimationis. Auctor dicitur cuius exemplum & factum imitamur. Tranſlatione ab
B iis qui rem aliquam nobis mancipio tradiderunt ſumpta. Nam vt illi rem tradunt, ſic iſti exemplum: vt illos in rei controuerſia laudamus, hoc eſt nominamus, ſic hos in repræhenſione facti noſtri commotamus.

Defenſionis exempla quæris? Ex accepti ſignificatione vocabuli contraria contrariis oppoſuit. Nam Exemplum dicitur, & quod imitandum, & quòd fugiendũ eſt. Nam graues pœnæ poſſunt quæ cæteris documento eſſe, ne delinquant, exempla dicuntur.

C *P. Seruilium, Q. Catulum.* Q. Catulum Lutatium dicit, eius, quem paulò ſuprà patrem appellauit, filium. Conſul hic M. Lepidum collegam, qui cùm acta Syllæ reſcindere tentaret, bellum excitarat, prælio vicit. P. autem Seruilium dicit Iſauricum, de quo libro Accuſ. 1, copioſè diximus.

In Sicilia factitatum eſt. Hoc dicit propter M. Lepidum & Antonium: de quibus ſupra. & item C. Sacerdotem, de quo tamen reſpondet pagina inſequenti.

D *Huic præcipua lex iniuriæ definitur.* Apertius eſſet, Huic præcipuè. ſic interpretor, Cur quaſi lege permittente, liceat huic vni iniuriam facere, & ea lex vna hac prouincia definiatur, quaſique circunſcribatur? Cur potius in hac licet quàm in cæteris? an priuilegium de ea latum eſt.

Aut Lepidus quidem fecerat. Ne Lepidus quidem fecerat, ex iis quæ ſequuntur legendum eſſe apparet. Et vide de Lepido Aſconium initio Ver.
E III. Sic etiam legitur in veteribus Lutetiæ impreſſis.

M. Antonium delegiſti. De hoc quoque Aſcon. in Diuinat. & Ver. III.

Quod imitarere? & hic verum. Suſpectus mihi locus. hiare enim aliquid videtur. Omnes tamen libri conſentiunt.

Quàm ſe poſſit. Poſtulare ſententia videtur, Quàm ſi poſſet.

Sed quid probarint. Quid probatum, & laudatum fecerint, quid fecerint, quod aliis probetur. Proba-
F rit tamen in ſingulari numero, rectius & apertius exiſtimarem.

Contra voluntatem. Antiquus codex, Vtilitatem, quod perſpicuè rectum eſt.

Mors oppreſſit. Indicto Cretenſibus bello, malè re geſta ibidem periit, inquit Aſconius.

Populúſque R. Iudices. Legendum putarem, Populique R. in ſecundo caſu: ſicuti legitur in Ald. & multis impreſſis codicibus.

Si eodem conſilio fecit. Non enim factum ipſum
G exiſtimationis per ſe eſt improbum: niſi cum illud etiam accedit vt cùm aratorum incommodo ac detrimento fiat. Ergo EODEM CONSILIO, id eſt vt ex aratorum prædetur incommodo.

Tritici mod. H-S. X V. id eſt tritici modius ſeſtertiis quindecim: vt numos ſeſtertios intelligamus.

Denariis III. Id eſt duodecim ſeſtertiis numis. nã in denario quaterni ſeſtertij ſunt.

Eodem tempore. Id eſt, eodem anno.

Dare gratis malebant. Nunquam igitur gratis frumentum dabant: ſed cùm decretum à ſenatu pecuniam accepiſſent, poſt prætori frumentum poſcenti, vel frumentum vel pecuniam dabant. Malebant igitur gratis frumentum dare quàm iſtius pecuniæ nomine quæſito dici illud vendere: cum multo plus illis imponeretur, quàm quanti frumentum eſſet.

Populo R. in capita deſcripſiſſes. Populo R. in tertio caſu, alij libri rectius: & ſic emenda. Deſcribere autem, diſtribuere & diſpertiri ſignificat.

Simili fecit anno. Annona, reponendum cenſeo, vt modò paulo antè, Niſi frumenti ratio ex temporibus eſſet, & annona.

Lex ſociorum cauſa rogata. Hoc idem in Diuinatione dixit, ſuprà, Nam ciuibus cùm ſunt ereptæ pecuniæ, ciuili ferè actione, inquit, & priuato iure repetuntur. hæc lex ſocialis eſt, hoc iusnationum exterarum.

Sociorum quarimonias non audire. Senſus eſt, Lex bipartita eſt, primum enim iubet quæri de pecunia, contra leges capta: deinde ſociorum cauſa id iubet vtramuis partem negligentis, in vtramuis tamen peccatis: Non poteſtis vnam in partem peccare quin ſimul in aliam delinquatis.

Occultis itineribus. Nam auaritiæ ſuæ ſpecioſam aliquam cauſam prætexebant, exitum ac rationem aliquam defenſionis comparabant.

Atque anguſtis. Anguſtis, corrigendum videtur. nam contraria contrarijs retulit, cùm dixit Occultis itineribus, & Viam illuſtrem: Anguſtis, & Latam.

Non enim vobis ſumma. Id eſt nullum certum æſtimationis frumentariæ modum conſtituiſtis ſed indefinite æſtimationem comprobaſtis.

Ab aratorum voluntate. Non enim ex annonæ ratione ſemper modus æſtimationi præſtituendus eſt: quid enim ſi vectura ſimul æſtimanda ſit? vt malit arator multo maiorem pecuniam quanti frumentum ſit numerare.

Conſul es deſignatus: prouinciam ſortitus es. Senatus, priuſquam comitia Conſularia fierent, Conſulibus futuris prouincias decernebat, vt apparet ex Orat. de prou. conſul. his verbis, Itaque ego idem, qui nunc Conſulibus iis, qui deſignati erunt, Syriam Macedoniámque decerno. Deſignati autem Conſules ſortiebantur prouincias: ſicuti ex hoc loco intelligitur, & ex Salluſtij verbis ex bello Iugurthino, quæ ſubiiciam, Sed vbi Senatus delicti conſcientia populum timet, lege Sempronia, prouinciæ futuris COSS. Numidia atque Italia decretæ ſunt. Conſules declarati ſunt P. Scipio Naſica, L. Beſtia Calpurnius. Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obuenit. Prætorum autem alia ratio eſt, vt ſuprà dixi.

Percella nomen. Vulgus prætextu cellæ. Alibi Cicero cellę quæſito nomine, cellæ nomen, per cellæ ſimulationem ac ſpeciem.

Pertinere hoc ad commodum Senatorium. Quòd nonniſi ex eodem ordine Senatorio aut cum poteſtate, aut cum legatione in prouincias mittuntur.

Eorum qui iudicent. Soli enim nunc iudicant Senatores.

Cum poteſtate, aut cum legatione. Cum poteſtate dicuntur eſſe magiſtratus, qui imperium à populo

A R. acceperunt: vt Prætores, & Conſules. Legatorum verò varia erant genera: quemadmodùm ex his Ciceronis verbis intelligitur, ex in Oratione Vatinium, Legati, id eſt nuntij pacis ac belli, curatores, interpretes, bellici conſilij auctores, miniſtri muneris prouincialis, deligebantur à Senatu, more maiorum. Miniſtros autem dicit prouincialis muneris, qui cum Prætore, aut Conſule mittuntur in prouincias, & in conſilio cum Prætore conſident. Salluſtius in Iugurthino, Rogationem ad populum B promulgat vti quæreretur in eos qui à Iugurtha in legationibus, aut imperiis pecunias accepiſſent.

Alienis peccatis conceſſuros. Concedere pro Ignoſcere, vt in Orat. pro Sex. Roſcio, Deinde quòd cæterorum neque dictum obſcurum poteſt eſſe propter nobilitatem, & amplitudinem, neque temere dicto concedi propter ætatem & prudentiam.

Prætorem, qui quotidie templum tenet. C. Aure- C lium Cottam, qui pro Roſtris conciones habebat. de quo in Diuin. dictum eſt. Nauium Antiatium roſtris ſuggeſtum in foro ad ornatum extructum eſt, Roſtráque id templum appellatum. Varro, Liuius, & alibi dictum eſt.

Rempub. ſiſtere negat poſſe. Siſtere, id eſt ſtare, conſiſtere.

Senatoriis iudiciis. Quoniam ij iudicant, qui magiſtratus, prouinciales ſoli capere poſſunt nec eas res in aliis damnabunt quas ipſi committere poſtea D cogitant.

Minore periculo prouinciarum. Quoniam ij qui deinceps in prouinciam profecturi ſunt, eorum exempla, imitabuntur, quorum facta hoc iudicio comprobari viderint. Hinc illud periculoſum prouinciis genus iniuriæ confirmari iudicio.

Ne id quidem licebit dicere. Licet dicere, alij, opinor, omnes. quod puto retinendum, cùm ſuprà in eodem tempore ſic loquutus ſit. Quod ſicut læuis hæc videtur caſtigatio, id quod fuerit noſtrum E conſilium conſideret. Ciceronis orationes cum duodecim plus minus tum ſcriptis tum impreſſis libris collatas (qua in re nobis pueri aliquot honeſti ſuam operam nauarunt) adhibito iudicio à typographorum recentiorum audacia vindicare voluimus.

Qui ipſi legibus teneantur. Nam ſoli ſenatores repetundarum legibus tenentur, quippe qui ſoli prouincias obtineant SENSVS EST. ergo ſi qui vindices & cuſtodes lege repetundarum à populo poſiti F ſunt, & quaſi in præſidio collocati, tenere ac defendere illam non poſſunt, aliorum hominum præſidium quæratur.

Quapropter cognita tota re. Concludit per indignationem ex prouinciæ calamitate & miſeria: & in extremo, quæ de tribus frumenti generibus diſperſè dicta ſunt, eorum breuiter per enumerationem memoriam reuocat.

Pecunia deberetur. Tum dupli tum æſtimati frumenti nomine.

G *Inſtrumenta agrorum.* Etenim non modo attributam ſibi à Senatu pecuniam non acceperant verum etiam multo maiorem pecuniam æſtimationis nomine dare coacti ſunt, quam quanti frumenti eſſet. De fructu enim eam ſoluere non poterant, inſtramentum ad pecuniam conficiendam coacti ſunt.

Ad in-

Ad incertum caſum & euentum. In hanc ſententiam Theophraſti locum ex lib. de plantis octauo ſubſcribemus πρὸς αὔξησιν Id eſt ad incrementum autem atque alimentum aeris temperies multum refert, ac omnino anni ratio atque conſtitutio quippe cum pluuiæ, ſerenitates, hiemes, cõmode accidũt, vberiora omnia, ac fœcundiora ſunt, quamuis arida terra, & macra ieiunáq. ſit, eoq. prouerbio dici ſolet, non rectè tamen annus fert, non ager. Magni enim intereſt, qualis quæq. terra ſit.

Lege & conditione. Ea lege & pactione, qua Siculi in amicitiam populi R. recepti ſunt. Conditio pactionem ſignificat Cicero in Topic. Si quæratur A an natura ne ius profectum ſit, an ab aliqua quaſi conditione & pactione hominum.

Alteræ nouis inſtitutis. Decumæ quæ non gratis neque ex lege debentur: ſed conſtituto pretio imperantur.

Magiſtratibus & legatis. Ergo Magiſtratuum nomine etiam quæſtores ipſos comprehendit.

Cum cupiunt gratis dare. Non accipere pecuniam Quæſtoribus à ſenatu attributam, quoniam eius pecuniæ nomine prętores audacius frumentũ ęſtimãt.

Me duce atque auctore. Meo ductu atque auctoritate. Auctor illis redeundi Cicero erit, cùm illos ſua fide ac periculo redire iubebit.

ACCVSATIONIS IN C. VERREM

LIBER SEXTVS, ORATIO IX.

COMMENTARIVS.

IN hoc quarto accuſationis libro quem alij ſine cauſa ſextum nominant, furta Verris recenſetur in ſignis & ornamentis Siciliæ: falſámque Tullius eſſe demonſtrat Hortenſij defenſionem, cùm diceret, empta, non ablata eſſe hæc ſigna: primùm quòd Magiſtratibus populi R. nihil in ſua prouincia mercari liceat: deinde quòd ea Verres eo pretio per potestatem abſtulerat, vt nihilo turpius facturus fuiſſet, ſi ea palàm atque apertè diripuiſſet. Hac autem prima D parte propoſitio continetur eorum quæ mox ſingulatim commemoraturus eſt: & attentionem comparauit cum demonſtrauit ſe magna, noua, incredibilia dicturum: quæ cùm ad ſummam Reip. tum ad Deos immortales pertinerent.

Quemadmodum ipſe appellat ſtudium. Studium pro voluptate & delectatione, ſępe apud hunc eundem ſcriptorem. In libro de Senect. Ignoſcetis autem. nam & ſtudio rerum ruſticarum prouectus, & ſenectus eſt natura loquacior. Terentius in Adelphis, Dij voſtram fidem,

Vtrùm ſtudióne id ſibi habet, an tanti putat
Fore, ſi perdiderit gnatum?

Morbum & inſaniam. Nunquid dubium eſt, quin vitia mentis humanæ inueterata cadu ea, quæ morbos vocamus, immoderata ſint? ait Seneca epiſt. lib. 12. Nam vt qui alicuius rei cupiditate, & impotenti quadam appetentia tenentur, ij plerunque in inſaniam incidunt: eodem modo tam perditè Verres hæc amare viſus eſt, vt in poteſtate mentis eſſe F videretur. Et profectò ita eſt, vt Plinius & Lactantius iterum proſcriptum ab Antonio Verrem affirment, quòd ei ſe vaſis Corinthiis ceſſurum negaſſet.

Suo nominis pondere penditote. Id eſt, Ei nomen illud imponite, quod rei grauitatem æquare poſſit. Nam etiamſi grauiſſimo latrocinij verbo eã appellemus, verbo tamen huic præponderare videbitur.

Gemmam aut Margaritam. Quid inter vtranque interſit, vide apud Iuriſconſultos ſub titulo. D. de G aur. & arg. legat.

Picturam textilem. Lana contextam. veſtes ſtragulas dicit, quæ vulgo Tapetia dicuntur.

Latinè non accuſatoriè. Hoc eſt ſimpliciter & a- C pertè, omnium Latinè loquentium more, nulla ſuperlatione vtens vocabuli, vt ſolent accuſatores. Alibi dixit, More Romano, in epiſt. quadam ad Trebatium, cuius initium, In equo Troiano. Balbus, inquit, mihi confirmauit, te diuitem futurum. id vtrum Romano more loquutus ſit, bene nummatum te futurum: an quomodo Stoici dicunt, omnes eſſe diuites, qui cælo & terra frui poſſunt, poſtea videro. Et eodem rurſus libro, epiſtola, Vide quam D mihi. Item Philipp. VII, Quem gladiatorem non ita appellaui vt interdum etiam M. Antonius gladiator appellari ſolet: ſed vt appellant ij qui planè & Latinè loquuntur.

Ne in oppidis quidem. Infra, contra ſic ſcripſit: Non modo oppidum nullum, ſed ne domus quidẽ expers huius iniuriæ reperiretur.

Vna in amore ac delitiis. Meſſanam dixit, quam paſſim, ita perſtringit, vt eius de Verre teſtimonium eleuet. Miſerant enim Mamertini Id eſt, Meſſanen- E ſes ciues, legatos Romam, qui Verrem laudarent.

In quo ſigna. Videtur deeſſe INERANT: aut tale quippiam. ſed nihil muto de meo.

Idiotas appellat. Sic aliis præterea locis non paucis. Idiotas autem idcirco imperitos appellabant, quòd priuati & plebej homines, viu magnarum rerum carentes, earum iudicium nullũ adipiſcuntur.

Nimirum didici etiam. Nam veteres Romani Græcorum hanc leuitatem exiſtimabant. Itaque plerunque ſe orator, quod pictorum ſculptorúmque nomina pronunciet, excuſat.

Propter quem Theſpia. Plinius lib. XXXVI, cap. V. de Praxitile loquens: Eiuſdem eſt, inquit, Cupido obiectus à Cicerone Verri: ille propter quem Theſpiæ viſebantur: nunc in Octauiæ ſcholis poſitus.

Myronis vt opinor, & certè. In manu ſcripto, & nonnullis impreſſis, Et certè ita eſt. Myron autem inſignis fuit ſtatuarius, de quo meminit Cicero lib. de Orat. II. Buculam ex ære fecit, propter quam nobilitatus eſt: cuius ſupra mentio fit. Sed intelligendum eſt, Myrones duos fuiſſe, alterum Lycium: alterum Eleutheris natum, Græcum: Ille Polycleti hic Atladis diſcipulus, polycleti condiſcipulus fuit. Itaque Plinij tres locos explico qui obſcuriores videntur: in lib. XXXIIII cap. II. & VIII.

Quæ cuiuis. Videntur tabulæ ante ſigna occultan A
di poſitæ, quo maior illorum religio haberetur.

Canephoræ ipſæ vocabantur. Canephoræ virgines erant Athenis Cereris miniſtræ, quæ in pompis & ſupplicationibus manibus ſublatis ſacra deæ repoſita in capitibus portabant. de quibus Suidas ſic ſeribit. *κανηφόροι ἐν ταῖς πομπαῖς αἱ ἐν ἀξιώματι παρθένοι ἐκανηφόρουν, ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς παναθηναίοις. ἡ πάσαις δὲ ἐφεῖτο κανηφορεῖν. φιλόχορός φησιν ὡς ἐριχθόνιος βασιλεύοντος πρῶτον κατέστησαν, αἱ ἐν ἀξιώματι παρθένοι φέρειν τὰ κανᾶ τῇ θεῷ. ἐφ᾽ οἷς ἐπέκειτο τὰ πρὸς τὴν θυσίαν τοῖς τε παναθηναίοις, καὶ ταῖς ἄλλαις πομπαῖς.* B

Sed earum artificem quemnam? Apud Quintilianum, Sed earum rerum artificem, quem? quemnam? quod valde placet. vt vox Rerum, non Canephoras tantùm, ſed etiam tabulas ſignificet. Repetitio quidem illa, Quem? quemnam? etiam alterius auctoritate confirmatur, Iulij Rufiniani, in libro de figuris: & Donati in illud Terentij, Quid? quid aliud volui dicere? *In epiſtola tamen Plinij Secundi lib. 1, ep. frequens mihi: non reperio. Sed deeſſe facile mihi perſuadeo.* C

C. Claudius, cuius Ædilitatem magnificentiſſimam ſcimus fuiſſe. C. Claudius Pulcher, Appij F. Ædilis ſcenam varietate colorum adumbrauit, vacuis ante pictura tabulis extentam. Valerius.

Forum ac Baſilicas. Olim, inquit Aſconius, cùm in foro ludi populo darentur, ſignis ac tabulis pictis partim ab amicis, partim è Græcia commodatis, vtebantur ad ſcenæ ſpeciem, quia adhuc theatra non fuerant. D

Commodis hoſpitum. Commoda, pro Commodata. Etenim re vera Commodatum inde dictum eſt, non, vt nonnulli putarunt, quòd cum modo vtendum aliquid concedatur, ſed quòd qui vtendum dat, amico commodet, eiúſque vtilitati ſeruiat.

Aliud illum tamen. Vetus aliquis liber conſulendus eſt: ecquid pro TAMEN ſcriptum habeat OMNINO alioqui locum non intelligo. E

Tam vehemens. Tam excellens vt in Quinctiana: Homines nobiles, ſeu rectè, ſeu perperam facere cœperunt, ita in vtroque excellunt, vt nemo noſtro loco natus aſſequi poſſet.

Ad hæreditatem ſacrorum non quærebant meretricis hæredem. Romæ vnaquæque familia ſua ſacra, gentis ſuæ propria, habebat: quæ gentilitia vocabantur, & perpetua eſſe iubebantur lege XII tabularum. Itaque bonorum hæredem, ſacrorum quoque hæredem eſſe oportebat. Cicero libro de Legibus II. Fuit autem à Chelidone meretrice hęres inſtitutus Verres. F

Pateſieri. Oſtendi: vt Orat. inſeq. Sed quædam mihi magnifica & præclara eius defenſio oſtenditur.

Si tibi hoc quenquam. Senſus eſt: Si maximè tibi hoc largiar, & concedam, te emiſſe: tamen non vſque eo iudices nulla mente ac nullo iudicio ſunt vt id confeſtim credant tibíque concedant.

Nihil dum etiam. Temporibus nimirum optimis & nondum corruptis ac deprauatis. Vt Verrina III. Ita enim æquabiliter omnes erant eiuſmodi, vt hæc laus eximiæ virtutis & innocentiæ non ſolum hominum, verum etiam temporum eſſe videatur. G

Tam amentem. Id eſt, ad inſaniam vſque auarum & cupidum: vt cùm argenteam ſuppellectilem à populo R. accepiſſet, tamen incontinentia & impotentia quadam animi aliam coëmeret.

Debetur enim de publico. Vaſarium appellabant, quicquid magiſtratus ſibi in prouinciam euntibus, ex ærario ad vſus ſuos attriburum. ſecum aſportabant. Vt in Piſoniana: nonne ſeſtertium centies & octogies, quod quaſi Vaſarij nomine in venditione mei capitis aſcripſeras, ex ęrario tibi attributum Romæ in quæſtu reliquiſſe?

Immò ſi quis ibidem, Athenæus lib. *δειπνοσοφ.* 5, Romanorum continentiam colludens, de Scipione Africano ſic ſcribit, *σώφρονες δ᾽ ἦσαν καὶ πάντα ἄριστοι οἱ ἀρχαῖοι Ρωμαῖοι. Σκιπίων γοῦν ὁ Αφρικανὸς ἐπικαλούμενος, ἐκπεμπόμενος ὑπὸ τῆς συγκλήτου ἐπὶ τὸ καταστήσασθαι τὰς κατὰ τὴν οἰκουμένην βασιλείας, ἵνα τοῖς προσήκουσιν ἐγχειρισθῶσι, πέντε μόνους ἐπήγετο οἰκέτας, ὡς ἱστορεῖ Πολύβιος καὶ Ποσειδώνιος. καὶ ἑνὸς ἀποθανόντος κατὰ τὴν ὁδοιπορίαν, ἐπέστειλε τοῖς οἰκείοις ἄλλον ἀντ᾽ ἐκείνου πριαμένους πέμψαι αὐτῷ.* Id eſt, Romani veteres omnibus in rebus prudentes & optimi viri fuere. Scipio Africanus qui dictus eſt, à Senatu ad conſtituenda orbis terrarum regna legatus, vt idoneis viris cummitterentur, quinque ſolos ſeruos ſecum eduxit: quemadmodum in hiſtoria Polybius & Poſidonius commemorant. cúmque vnus in itinere eſſet mortuus, ad ſuos miſit, vt alium pro illo emerent, ad ſéque mitterent. Lampridius in Seuero: Iudices cùm promoueret, exemplo veterum (vt & Cicero docet) & argento, & neceſſariis inſtruebat: ita vt præſides prouinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas ſenas, mulos binos, equos binos, veſtes forenſes binas, domeſticas ſingulas, balneares ſingulas, aureos centenos, cocos ſingulos. Et ſi vxores non haberent, ſingulas concubinas, quod ſine his eſſe non poſſent: reddituri depoſita adminiſtratione, mulas, mulos, equos, muliones, & cocos: cætera ſibi habituri, ſi bene egiſſent: in quadruplum reddituri, ſi male. Zonaras autem lib. 11. *διὰ τοῦτο,* inquit, *τοῖς τε ἄρχουσι τοῖς ἐκδημοῦσι καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς κατά τι πρᾶγμα τῶν πολιτικῶν ἀποδημοῦσιν ἐξ ἴσου τά τε ἄλλα τὰ ἀναγκαῖα καὶ δακτύλιος ἐκ τοῦ δημοσίου ἐδίδοτο.* Id eſt, apud Romanos magiſtratibus ſuis exeuntibus aliiſque Reip. cauſa peregre proficiſcentibus, cùm aliæ res omnes neceſſariæ, tum etiam annulus ex ærario ſuppeditatur. De prohibita autẽ emptione idẽ traditur à Iuriſc. in l. non licet, 46. & l. qui officij 62. D. de cont. empt.

Antiqua religionis. Religio pro continentia, temperantia, modeſtia, quod metus numinis audaciam & cupiditatem reprimat atque coerceat.

Cur emeres. Quo iure emeres, vel qua fronte, cùm id tibi non licere intelligeres.

In ſuis nummis multis eſſe. Perſpicuè rectum: cùm in aliis vitioſè Multos, in accuſandi caſu legatur. & hanc ſcripturam ſimilis loquutio confirmat in Ora. pro Q. Roſcio, ſuprà. quam Vlpianus explicat ſub tit. de verb. ſignific. his verbis, AEs alienum eſt, quod nos aliis debemus: Æs ſuum, quod nobis alij debent. Ergo hoc Tullius ſignificat, multos in illius ære fuiſſe.

Abducuntur homines nonnunquam. Nihil eſt quod non emi poſſit, ſi tantum des, quantum velit venditor: inquit idem in Oratione contra Rullum in Senatu.

Ab humanitate, & pietate. Conſuetudo poſtulare videtur, A PIETATE, multóque ita concinnior erit oratio.

A

H-S VI mill. Ex ſequentibus legendum apparet VI millibus & D. Hoc autem tabularum nomen grandioribus literis ſcribendum eſt, vſque ab illo verbo HÆC OMNIA.

Malo emere, quàm rogare. Prouerbium natum ab iis, qui grauatè & illibenter precibus vtuntur, vt malint quamuis carò emere, quàm precibus impetrare. Eſt igitur [illegible]: quia viliſſimè Verres emerit, vt emere tam vili pretio maluerit, quàm rogare.

B

H-S CXX millibus. Tribus millibus aureorum.

Qui modus eſt. Tanti quæque res eſt, quanti ab eo qui concupiſcit, æſtimatur.

Neque voluntate, neque difficultate. Enumerat ea tria, quæ hominem ad vendendum inducunt. Nam aut vtilis res eſt, aut inutilis. Si eſt inutilis, voluntas ad vendendum impellit: non enim fere quiſquã rem quæ domi ſuæ nulli vſui eſt, & corrumpitur, ſeruat. Sin vtilis eſt, tamen aut propter rei numariæ difficultatem, aut propter ingens lucrum venditur.

C

Ne forte. Apparet deeſſe quippiam.

Ennenſi, Agyrinenſi. Alij omnes, AEtnenſi, Agyrinenſi.

Prædarum ac furtorum. Hoc dicit propter Cybeam, nauim onerariam permagnam quam Verri Mamertinos ædificaſſe poſtea dicet, qua furta ſua Romam veheret.

D

Rogatus de Cybea. Sic appellat nauem onerariam non omnem tamen, ſed, vt opinor, quadratam. Nã à cuborum ſimilitudine dictam opinor. Eſt autem [illegible], figura omni ex parte quadrata. vt Cubeas naues dictas putem, quæ in omnes partes æque pateant. Et de hac Cybea illud Iuuenalis Sat. VIII. intelligendum eſt: Inde Dolabella eſt: atque hinc Antonius: inde Sacrilegi Verres referrebant manibus albis Occulta ſpolia, & plures de pace triumphos.

E

Communis & priuatæ rei. Id eſt, qua conſtitutum eſt vt de pecuniis quæratur, non modò quæ ciuitatibus, ſed & quæ ſingulis quibuſque ciuibus eſſent ereptæ.

Sacra ſenatorum. Animaduertendum, appellatione pecuniæ res omnes contineri: vti permultis locis Iuriſconſulti tradunt. Verum eas res tantum quæ in hominum commercio eſſe dicuntur. Itaque rerum ſacrarum & religioſarum ad pecuniarum repetundarum iudicium, non pertinere, perſpicuè Cicero demonſtrat.

F

Apud deos. Alii omnes, Apud eos deos.

Ingratis. Omnes veteres, Gratis. contra quorum omnium auctoritatem hæc ſe ſcriptura manifeſtiſſimè tuetur.

Quæ malo integra reſeruare. Iidem libri, Quæ modò integra reſeruare volui, vt quàm minimum dem illis, &c. quod cùm ſenſum habeat minimè abſurdum, immutare non auſi ſumus.

G

Procedat in numerum. Legationum quæ laudandi cauſa mittebantur, numerum vſitatum & quaſi legitimum fuiſſe, decem ciuitatum, ſuo loco dictum eſt.

Multas familias totas. Vox Totas abeſt ab iiſdem libris.

Publice commodaſti. Si minus ſingulis ciuibus, tamen vniuerſis profuiſti. Rempub. enim eorum adiuuiſti cum ei quod populo debebat remiſiſti.

Communes hoſtes omnium. Sic lib. Off. III. Pirata, inquit, non eſt ex perduellium numero definitus, ſed communis hoſtis omnium.

Inſtituunt amicos. Inſtituere ergo eſt, parare & conciliare: vnde inſtituere hæredem docui eſſe, in ſede collocare: ſed tanto ante parare, & tanquam deſignare.

Phaſelis illa. Vrbs eſt Pamphyliæ nobilis, olim piratarum receptrix, quam Strabo lib. Geograph. XIV, Zeniceti piratæ fuiſſe ſcribit: qui, cùm Olympum montem Seruilius Iſauricus cepiſſet, ſeſe cum vniuerſa domo cremauit.

Vrbs ante Cilicum, atque prædonum. Initio belli Mithridatici piratæ ex Cilicia orti, vnà cum proſcriptis & fugitiuis prouincias populi Ro. Italiámq; omnem vexarunt. hi tum ob eam cauſam, quòd primi ex Cilicia deſcenderant, tum quia ferè in Ciliciam ſe recipiebant, Cilices, vt ſcribit Appianus, appellati ſunt. aduerſus quos Cn. Pompeius lege Gabinia Imperator factus, bellum incredibili celeritate confecit. Plutarchus in Pomp. & Appianus in Mith.

Ita proiecta in altum. Hoc Liuius eleganter deſcribit lib. XXXVIII, his verbis, In confinio Lyciæ & Pamphyliæ Phaſelis eſt: prominet penitus in altum, conſpiciturque prima terrarum Rhodum à Cilicia petentibus, & procul nauium præbet proſpectum.

C. Cato duorum hominum clariſſimorum nepos, L. Pauli, & M. Catonis, & P. Africani ſororis filius. Deeſſe tale quippiam videtur, Inimicos habuit Mamertinos. C. autem Catonem dicit ex M. Catone, M. filio, & L. Pauli Æmylij filia ſuſceptum. Eiuſdem L. Pauli filius erat Africanus minor, quem Maior Africanus à L. Paulo adoptauerat. Et de hoc ipſo ſcribit Velleius Paterculus his verbis, Mandetur deinde memoriæ ſeueritas iudiciorum. quippe C. Cato Conſularis, M. Catonis nepos, Africani ſororis filius, repetundarum ex Macedonia damnatus eſt: cum lis eius IIII æſtimaretur. vbi corrigendum tum ex hoc, tum ex ſimili loco infrà videtur, Cùm lis ei H-S XVIII æſtimaretur.

H-S XVIII millibus. Quadringentis & quinquaginta coronatis.

Laboris. Videtur eas intelligere quas poſteriores Angarias appellarunt: mox dicturus moleſtiam, munus.

His quidem in temporibus. Aldinus & omnes libri veteres, His quidem temporibus. quos ſequor.

Hinc illa Verrea. Diem feſtum, Verris memoriæ ſacrum.

Hinc illa crux. Vide infrà.

Vtrum quam apud. Occaſionem inuidiæ captat, & apud ordinem ſenatorium (quo ex ordine hi iudices ſunt) & apud populum, qui circum ſubſellia coronam faciebat.

Nunc item Pompeij. Id eſt, ciues R. facti, & in Põpeiorum familiam aſciti. Moris erat, vt qui peregrini ciuitatem R. adipiſcerentur, ij nomen eius familiæ ſumerent, cuius opera ac beneficio in ciuitatem aſciti erant, ac meo iudicio gentiles eorum fiebant: ſic vt ius inter eos gentis, non ſtirpis eſſet.

Quia L. Frater meus. Quò, vt paucis antè verſibus, crederem corrigendum. quem autem L. fratrem dicat, expoſui infrà.

Priuatim negotij geram. Publice quidem Cicero negotium hoc gerebat. Literas enim à Glabrione prætore acceperat, ſed ita locutus eſt, quoniam vniuerſum ordinem ſenatorium ſibi ſoli oppoſuit. A

Per enim ordinem agetur. Per ordinem ſenatorum.

Ad quam cùm adirent. Qui adirent, melius opinor legeretur.

Illa Attalica. Ordo eſt, Illa peripetaſmata, quæ tota Sicilia nominabantur Attalica. Dicuntur autē peripetaſmata παρὰ τὸ περιπίπτειν: quòd armariis appenſa decidant. B Attalica verò auro intertexta, qualia ſolebant eſſe Regis Attali. Plinius lib. VIII, capite de generibus veſtium, Aurum, inquit, intexere, in eadem Aſia inuenit Attalus rex, vnde nomen Attalicis.

An literis pepercisti? Non illum in tabulas referre iuſſiſti, item vt de ſignis ſacrarij. Hinc illud in Piſonem, Quas rationes ſi cognoueris, intelliges nemini plus, quàm mihi literas profuiſſe. C Ludit enim ancipiti ſignificatione vocabuli: quia literas intelligit tabularum, in quibus ipſius iuſſu Scriba quæ ipſe vellet & quomodo vellet ſcribebat: cùm cæteroqui prodeſſe literæ dicantur hominibus doctrina & eruditione præditis. Ipſe in hac Oratione nec ita multo pòſt, Dicat ſe emiſſe. Etenim hic propter magnitudinem furti ſunt, vt opinor, literæ factæ.

Scilicet dicto. Nihil muto. Sed cum hæc vox SCILICET perſæpe ſola prima litera adiecto puncto D ſcribatur: haud ſcio, an melius eam in pronomen SE, mutaremus. nam illud, I D. quod neceſſe erat, multo rectius ad inſequentia referretur. quaſi dixiſſet Reſpondit ſe dicto audientem fuiſſe prætori, vt neceſſe erat.

Quæſiui an domum reuertiſſent. Alij omnes, Quēadmodum, pro Quæſiui an domum. quorum omnium auctoritatem huius ſcripturæ ſynceritas apertè repudiat.

H-S D ſe tibi vendidiſſe. Emenda vt proximè, H-S E VI millibus & D.

Fuit tanti, mihi crede. Id referre ſcilicet. Id eſt, Tantum tibi valuiſſet, vel hoc tibi profuiſſet, quòd eo pacto defenſionem tibi comparaſſes. niſi fortè tale aliquid aut deeſt, aut ſubaudiendum eſt, Si me hercule hæc duo verba ſcribi iuſſiſſes, FVIT TANTI, mihi crede haberes, quod defenderes. vt infrà. Emi, pecuniam ſolui: credo, etiam tabulæ proferentur. Eſt tanti. Sed melius erit hoc modo: tanti tua interfuit tantum tibi commodi in eo poſitum F fuit, nam ſi retuliſſes haberes vnde factum tuum defenderes.

Quid à Philarcho. Tertia orationis pars in qua furta Verris minutiora enumerat, de phaleris, Hydriis Syphis, vaſis argenteis, toreumatis, equuleis, argenteis, emblematis, patellis, pateris, thuribulis: officina, in qua vaſa aurea, textrina, in qua veſtes ſtragulæ conficiuntur: item de annulis aureis, lectis æratis, candelabris.

Alias ita nobiles. Iidem libri, Alias item. cuius ſcri G pturæ ſenſus, librorum auctoritatem confirmat.

Te minus habiturum. Idē libri, Te minus inuidiæ habiturū. Mihi noſtra valde arridet: eiúſq; ſententia multo concinnior & elegātior videtur. ſed cùm alterius lectionis ſententia non abſurda ſit, diſcedere ab auctoritate librorū non eſt mei pudoris, ne plus ipſe mihi ſumam, quàm quantum aliis concedi patior.

Appellant, cupiſſe. Iidē libri, Appellāt ſtudiū, cupiſſe. Et verſu proximo, Celaſſe pro Celare: quorū alterum, initium orationis, alterū, ſenſus ipſe repudiat.

Abs te appellatus eſſet. Inuidioſè. Nam & appellare vt Aſconius auctor eſt inferioris eſt ad ſuperiorem: voluit igitur videri vſq; eo flagraſſe cupiditate Verrem vt ſuæ dignitatis oblitus accedere ad illum voluerit.

Cum inanibus ſyngraphis. Miſſus eſt Verres in Aſiā legatus cum Cn. Dolabella proconſule. Legati verò nonnunquam ij aſciſcebant, quibus negotia erant in prouincia. Tum enim ſuas ſyngraphas perſequi poterāt: quarū cauſa etiam certæ legationes, quæ (vt alibi diximus) Liberæ appellabantur, inſtitutæ ſunt. Inanes autē ſyngraphas dicit, in quibus numeratam fuiſſe pecuniam ſcriptum erat, cùm tamen numerata non eſſet. nam in ſyngraphis contra fidem veritatis pactio venit, vt ſcribit Aſconius. De ſyngraphis diximus lib. I. ſuprà.

Retulit ſeſe Q. Tadius dediſſe. Publium Tadiū Verris legatū fuiſſe cōſtat ex Verrina III. meminit & Q. Tadij ſuprà: & videtur hic Verris quæſtor fuiſſe.

Mirandum in modum canes venaticos diceres. Alludit ad Cybiratarū mores, qui venandi ſtudio erant, diditi. Sunt enim Cybiratæ in montuoſa & aſpera regione. vide infra. Notanda autē figura hæc quam abſciſſionem vocant, nam cum eſſet dicturus mirandum in modū odorabuntur, præciſe orationem repreſſit & ſic extulit, Canes Venaticos diceres ita odorabuntur.

Vbi quicquid eſſet. Rectius putarem, Quidque.

Boeti manu facta. Boetus ſculptor nobilis, de cuius operibus Plinius libro XXXIII, cap. XII. & libro inſequenti, cap. VIII.

Scyphos ſigillatos. In quibus ſigilla quædam inſculpta ſunt, vt deorum, aut animalium.

H-S C C me popoſcerunt. Lege ſeſtertios ducentos: quæ ſumma eſt coronatorum quinque. nam ſeſtertiûm ducenta millia, aureorum quinque millia efficiunt. Alij codices hoc loco deprauati ſunt.

Luteum negotium eſſe. Artificium luto, non argento dignum.

Ad eam rem iſtos fratres Cybiratas fuiſſe. Locutio eſt idē ſignificās vt ſi plenè dixiſſet, viui fuiſſe. Sic & Cato plerunq; loquitur, vt dicat, Id eſt ad aluum crudam, latetū dolorem: pro emolumento, vel vſui eſt.

Comperendinatus. Vide Verrinā ſecundā extremā.

Ludis Circenſibus. Qui dabantur in circo maximo Dabantur autē certamina equeſtria, de quibus Oui.

Circa erat pompa celeber, numeróque Deorum:
Primáque ventoſis palma petetur equis.

Dabantur item curulia, de quibus Plinius libro VIII. cap. XLII. Gellius lib. III, cap. I, curricula ludorum Circenſium ſolennia ſeptem fuiſſe ſcribit. De iiſdem ludis diximus, in Verrina II.

In donatione hiſtrionum. Significat, opinor, largitiones quæ hiſtrionibus fieri ſolebant: ſi qui præter cæteros populo placuiſſent.

Vtrum emeris. Locus animaduerſione dignus, in quo Vtrum ſimpliciter, ſine particula AN, poſitum eſt: vt ſuprà.

Compone hoc. Confice, explica: quod vulgus dicit reſoluere.

Me enim tabulas. Ex lege Prætoris Glabrionis, qui Ciceroni poteſtatem fecerat omnia quæ ad accuſationem inſtruendam pertinerent, conquirendi. quemadmodum Verrina III. dictum eſt.

Q. Lu-

Q. Lutadio Catulo. Lutatio quin ſit legendum, non eſt dubium. quod fuit nomen Q. Catuli, cuius in ſimiliam ciuitate donatus, erat aſcitus.

H-S M. Id eſt, mille nummis ſeſtertiis: xxv. coronatis.

Scaphia cum emblematis. Scaphia, ſunt ſcyphi inſtar ſcaphæ facti. Emblemata verò παρὰ τὸ ἐμβάλλεσθαι, dicuntur cruſtę & ornamenta exemptilia, quæ ſcyphis vbi cõmodum eſt, apponi, adimiq; poſſunt.

Perbona toreumata. Toreumata dicuntur opera ſculpta & cælata, παρὰ τὸ τορεύεσθαι. Mentorem autem in vaſis cælandis mirum artificem fuiſſe teſtis eſt Plinius, lib. xii.

Homines certos. Data opera, non alia de cauſa, miſſos, niſi vt nnotium illud deferrent. Sæpe alibi ſic locutus eſt.

Eriphylam accepimus in fabulis. Vxor fuiſſe traditur Amphiarai vatis, qui cùm ab Adraſto rege ad bellum magna contentione vocaretur, neque tamen parere vellet, quòd ſe nunquam inde reditarum tanto antè præuideret, ſeſéque ideò abdidiſſet, tandem ab vxore aureo mõnili à rege corrupta proditus eſt, & in bellum proficiſci coactus: vbi hiatu terræ abſorptus eſt. Plato de Rep. i x, οὐκ ἄρα ἄθλιος δεῖ καὶ πολὺ ἔτι δεινοτέρω ὀλέθρῳ χρυσὸν δωροδοκεῖ ὁ Ἐριφύλη, ἐπὶ τῇ τοῦ ἀνδρὸς ψυχῇ τὸν ὅρμον δεξαμένη. Nónne miſer eſt, multóque graniorem ſibi perniciem quærit dum aurum accipit; quàm Eriphyla, quæ vt ſalutem viri proderet, monile accepit? Monile autem dictum, inquit Feſtus, eſt ornatus mulieris qualem habuiſſe Eriphylam fabulæ ferunt. Ex eo etiam equis dependens à collo ornamentum monile appellatur.

Caſtra iam mouerat, & vaſa collegerat. Tranſlatum à re militari. Vaſa enim impedimenta Latinè dicuntur, vt Græcè τὰ σκεύη.

Reos fieri rerum capitalium. Apparet igitur Reos fieri, dici eos, quorum nomen defertur, atque in reorum aliorum numerum recipitur: hoc eſt in tabulis publicis perſcribitur.

Ad iudicium. Subaudi corrumpendum. Nam ad eam ſe rem inſtruebat, vt ſæpe alias dictum eſt.

Abſentem de reis eximit. Eximere de reis, eſt nomen alicuius in reorum album relatum inducere: vt in Commentario verbatim expoſuimus.

In hoc equitabit equuleus. Iactabit ſe, quaſi idoneam defenſionem nactus: & Iactabit ſe vt agitatores, qui in equis deſultoriis equitant, ſeſéque oſtentant.

Eſt tanti. Tanti ſunt venditi, hoc pretium eſt quo empti ſunt. Et ſic locutus eſt ſuperiore oratione: Accipis H-S xv. pro Medimno: tanti eſt enim illo tempore medimnum retinere H-S xii. tanti enim eſt &c. Poteſt igitur ſic accipi: poteſt & illo modo quem expoſuimus paulo ſuprà. Tanti tua intereſt tanti tua refert tabulas proferri: ſi proferas, dilutum crimen concedam.

Veruntamen. Argumentum eſt ex repugnantibus Non & emiſti, & quæſtus eſt te ſpoliatum. Non & ſponte vendiderat, & venditum repetere volebat.

Cæterorum cauſam. A quibus argentum factum abſtuleras. ET cautam difficiliorem, id eſt conditionem duriorem.

Aliquem ſuperiorem inuitaſſet. Notanda vocabuli ſignificatio: vt Superior in eo dicatur, qui præſtantior eſt dignitate, veluti magiſtratus. Auctor Rhetoricorum ad Herennium ſic loquutus eſt, In

A ſuperiores contumax, in æquos & pares faſtidioſus, in inferiores crudelis.

Non ferendum. Nam ſiue ciuis, vt Calidius: ſiue ſocius eſt honore dignus habendus eſt.

Quo tu te ſuperiorem fingis. Quòd videlicet honores in ciuitate adeptus es: cùm ille priuatus in equeſtri gradu permanſerit. Itaque docet illum non dignitate, ſed pretio & largitione eos honores adeptum fuiſſe.

H-S LXSS. Coronatorum duo millia. De diuiſoribus autem dictum eſt Ver. II.
B

Accuſatori. Qui te ambitus accuſare inſtituerat: Et H-S trecenta millia, id eſt aureorum ſeptem millia, & præterea quingentos.

Equeſtrem ordinem Cui aditus ad patricios honores non patebat.

Auulſo emblemate. Suprà docuimus quæ appellarentur emblemata.

Vt intelligatis. Argumentum ex repugnantibus: Nam & auaritia ducebatur ad aliquid auferendum
C & maximam thuribuli partem relinquebat.

Cybiratici canes. Duos fratres Cybiratas dicit, & Canes per metaphoram appellat, quòd omnia ſagaciter odorabantur. Etiam hac de cauſa, quòd cùm Cybiratæ in regione aſpera ac montuoſa ſint, propè ab Tauro monte, venandi ſtudio dediti fuerunt: Itaque Celius ad Ciceronem Aſiæ Proconſulem ſcribens, lib. Epiſt. Famil. viii, Item, inquit, de Pantheris, vt Cybiratas acceſſas, eaſéque mihi vt
D vehantur.

Lepuſculis. Iocans perſtat in metaphora de canibus: & lepuſculos appellat furta paruula.

Agam oſtiatim. Perſequar enumerando vnamquamque domum in qua aliquid expilauit.

Qui cùm in conuiuium. Vetus, Quin cùm in conuiuium. & ſic emenda.

Cœnam iſti dabat apud villam in Tindaritano. Apud villam, in villa, inquit Non. Marcellus. Sic Terentius, Apud forum modò è Dauo audiui.

E *Inſigne pœnatium.* Ornamentum ſacrarij, in quo pœnates collocabantur.

Qui nunc apud exercitum cum L. Lucullo eſt. Bello Mithridatico, cui annos propè ſeptem Lucullus præfuit.

Cœnabat apud eum. Verres ſcilicet.

Argentum illi cæterum purum appoſuerat. Obſcurus locus, & corruptus, niſi me animus fallit. Purum autem argentum appellat ſine emblematis. vt paulo infrà, Emblemata detrahuntur. ſic Saluntini, excuſ-
F ſis deliciis, cum argento puro domum reuertuntur. Ego hoc modo legendum potius arbitrarer, Argentum ille cæterum, purum, ne purus ipſe relinqueretur: duo pocula non magna, veruntamen cum emblematis appoſuerat. Primùm enim cùm de Eupolemo intelligat, Ille, non Illi dicendum fuit, ne ad eum qui cœnabat hæc oratio referatur. Purum autẽ relinqui hoſpitem ſic accipio, quaſi diceret, nudum & inanem. Ludit enim ancipiti ſignificatione vocabuli. Et quod initio poſuit Cæterum, ne cui mirum
G videatur, intelligendum eſt ſic eum loquutũ eſſe cũ alibi, tum in Epiſt. ad Trebatium, cuius initium eſt, Accepi à te, lib. Epiſt. vii Verbum autem Apponebat, quomodo ſuperiore in loco conſiſteret, coniectura aſſequi non poſſum. Gloſſema ſanè ex ſuo, id eſt extremo loco ſumptum fuiſſe res ipſa non obſcurè ſignificat. Purum autem Cælato Paulus opponit in L. ſi in rem, D. de rei vindicatione.

Quaſi feſtiuum acroama. Acroama Græcè auditionem ſignificat. Latini pro Feſtiua narratione, & pro eo item qui feſtiua narratione auditorum animos exhilarat, vſurpant. Tales plerunque adhiberi ſolebant locupletum conuiuiis, qui conuiuarum animos exhilararent: iiſque dari corollaria ſolebant.

Pardiorum, hoc eſt ſummum magiſtratum. Pro Pardiorum corrigendum putarem Proagorum. vt hac eadem oratione, Diſcedens mandat Proagro Sopatro, vt demoliatur. Proagorus refert rem ad Senatum. Et paulo pòſt, pagina inſequenti, C. Marcelli ſtatuam delegit. in ea Sopatrum, hominem tū domi nobilem, tum ſummo magiſtratu præditum, diuaricari ac deligari iubet.

Illa verò optima. Repetendum, & ſubaudiendum verbum ſuperius, Indicia atque argumenta iſtius improbitatis ſunt.

Cùm Haluntium veniſſet. Omnes libri veteres, Cùm ad Haluntium. quo modo ſine dubio corrigendum putarem. cùm ex iis quæ ſequuntur, non Haluntium veniſſe, id eſt in oppidum ingreſſum eſſe, ſed ad oppidum tantùm acceſſiſſe appareat. & ſic loquitur, infrà.

Vt omne ſtatim. Vetus liber, Id omne. & ſic puto corrigendum.

Qui viderent. Pro, qui hoc vidiſſet, vrbem captam exiſtimaſſet.

Equum Troianum introductum. Prouerbiali figura dictum, pro calamitatem ingentem. Sic in ea pro Muræna, Intus intus eſt inquam, equus Troianus, à quo nunquam me conſule dormientes opprimemini.

Vlla in prouincia fuit? Omnes veteres & manuſcripti & impreſſi libri, In illa prouincia fuit? quod ſine cauſa, & planè temerè, ac petulanter immutatum eſt. Nam ſi aliter legeremus, quæ ſententia proximis verbis ſubeſſet, Auertere aliquid ſolebant, Etiam aliquid occultè auferebant? Quos enim ſignificari diceemus? Hac autem antiqua lectione repoſita, nemini quod ſignificet, obſcurum erit, cùm apertè magiſtratus eos demonſtret, qui hanc ipſam prouinciam auaro & iniquo imperio adminiſtrarant, qui etiam repetundarum iudicio damnati fuerant, vt oſtendit, ſuprà, cùm ait ex ea prouincia Prætores condemnatos eſſe complures, duos tantùm abſolutos. Sed video quid corrigendi cauſam huic importuno emendatori præbuerit. Nonius Marcellus in dictione Euerriculum, hoc modo hunc locum profert. Quaſi verò religioſe Nonius auctorum locos deſcripſerit: ac non ſatis habuerit, eos eatenus attingere atque indicare, quatenus propoſita vocabula notari intelligique poſſent. Cuius rei documenta ſunt innumera, ſed exempli cauſa vide in dictione Tangere, locum Verrinæ, v, quem teſtem citauit.

Per Magiſtratum. Siculum: cuius opera in furtis vtebantur.

Vt egomet mihi detraham. Omnes veteres impreſſi Vt ipſe de me detraham. quam lectione & manuſcriptus tuetur, & Nonius Marcellus in dictione Detraho. ſic igitur corrigendum.

Aliquod leuiter preſſo veſtigio. Libri veteres, Aliquid. Ego, Aliquo. quo genere loquendi vſus eſt in his ipſis Orationibus non ſemel.

Per præſtigia. Quod paulo ante dixit occultè.

Aliquid nummorum dicis cauſa daret. Hæc locu-
A tio quid ſignificet, non ita obſcurum, aut difficile eſt ad intelligendum. Apparet enim tum apud Iuriſconſultos, tum apud alios item auctores idem ſignificare quod Cicero plerunq; dicit, Simulandi cauſa, vel Per ſimulationē, aut Per ſpeciem. vt cùm ſcribit Vlpianus in Pandectis, titulo de s.c. Silaniano, Si ſeruus finxit ſe domino auxiliū ferre, vel dicis gratia tulit: nihil hoc commentum illi proderit. id eſt per ſimulationē officij, atq; vt falſam viſionem & ſpeciē defenſionis obiiceret. Sic Plinius li. xxviii.
B Si Pontifici accidat dicis cauſa epulanti. id eſt cùm reuera non epularetur, ſed ceremoniæ cauſa epulari ſe fingeret. Similiter igitur hoc loco, Aliquid nummorum dicis cauſa dare, nihil aliud eſſe patet, quàm per ſimulationē ſolutionis dare, vel falſam ſpeciem ſolutionis obiicere. Sed huius vocabuli origo, perdifficilis eſſe videtur ad inueſtigandū: niſi fortè deprauatū conſuetudine loquentium verbum ΔΙΚΤΙΣ exiſtimemus, de verbo ΔΙΞΙΣ: quo vocabulo Græ-
C ci ſpeciē & oſtentationē ſignificant, præſertim cùm ſatis conſtet, Dicis cauſa apud Latinos nihil aliud ſignificare, quàm apud Græcos δείξεως ἕνεκα. Quanquam de voce δίκη deriuata quoq; videri poſſit. vt non Dicis, ſed Dices cauſa ſcribamus, cùm δίκη plerunq; ritū modúmq; ſignificet: vt Dices cauſa, ritus tātùm obſeruādi cauſa. ac nō reuera fieri aliquid dicatur. vnde δίκην etiā aduerbiū pro Inſtar Græci vſurpant. Latinas in hoc genere locutiones apud Cæſarē iſtas obſeruauimus, Ad ſpeciē, Per cauſam, Simula-
D tione, Speciem atq; opinionē præbere. In libro de Bello Gal. i, Omnes alarios in conſpectu hoſtiū poſuit, vt ad ſpeciē alariis vteretur. Item de Bello Ciuili, Qua re animaduerſa Varus, & terrore exercitus cognito, buccinatore in caſtris, & paucis ad ſpeciem tabernaculis relictis, de tertia vigilia ſilētio exercitū in oppidū reducit. Eodē rurſus lib. i, Retineri legiones duas, quæ ab ſe ſimulatione Parthici belli ſint [illegible]ductæ. Et Lib. iii, Speciē atq; opinionē pugnan[illegible]ū præberēt. Et li. vii, Mulionéſq; cùm caſſidibus e-
E quitū ſpecie ac ſimulatione collibus circunuehi iubet. Eodē rurſus libro, Per cauſam ſupplementi, equitatúſq; cogēdi, ab exercitu diſcedit. Quē Liuius imitatus lib. ii, Per cauſā, inquit, renouati ab Æquis belli. Cicero ſuprà. Per ſimulationē ædilitatis dixit, quod vulgò dicimus, Prætextu ædilitatis, Signa ablata ex vrbibus, quatridui cauſa, per ſimulationē ædilitatis. Per nomen: Quantā quiſq; concupierit pecuniam tantam licebit per cellæ nomen æſtimationis magnitudine conſequatur, atque hæc quidem de ve-
F tuſta locutione olim ſcripſeram: ſed poſtea in commentario verborū iuris originē eius alterā iudicaui.

Cn. Lentulus Marcellinus. Apparet ex Marcellorū familia fuiſſe, à Lentulo verò adoptatum. nam hic mos erat adoptantium, de quo alio loco explicauimus.

Cum tunica pulla, & pallio. Pullus color, ater, terræ ſimilis. Ipſe in Vatinium, Atque illud etiam ſcire ex te cupio, quo conſilio aut qua mente feceris, vt in epulo Q. Arrij familiaris mei cum toga pulla ac-
G cumberes. Et paulo pòſt, Quis vnquam cœnauit atratus? Eo colore ferè plebs infima in tunicis, & togis vti ſolebat. Quintilianus in v, Non poſſum togam prætextam ſperare, cùm exordium pullum videam. Et lib. ii, Iam collidere manus, terræ pedem incutere, femur, pectus, frontem cædere, mirè ad pullatū circulum facit. Et lib. vi, Pugnam illā decertatoriā imperitis ac ſæpe pullatæ turbæ relinquunt.

quῦt. Hoc igitur in Verre reprehendit, quòd Imperator Populi R. qui cæſis victimis paludatus ex vrbe exiſſet, in prouincia ſua non modo ſine paludamento, ſed etiam cum tunica pulla, quæ infimæ plæbis & artificum propria eſt, in publicum prodiret. Pallium autem, notum eſt Græcorum hominū fuiſſe, ciuibus R. alienum. Valerius Max. In mali ominis numero poſuit, quòd M. Craſſo, qui à Parthis cæſus eſt, pullum paludamentū ſit traditū, cùm in prælium exeuntibus album aut purpureum dari ſoleret. A

Ad Sellam. Prope tribunal: ad Sellam Prætoris eburneam. B

Roma in iudicium audiret. Audiretur, rectius putarem. Sententia quidem ſic poſtulat.

Nomen ſuum comprobaunt. Alludit ad nomen Verris, vt ſuprà cognomen autem Frugi.

Hic modo me commonuit. Omnes alij, Hoc modò. Sed hanc ſcripturam, cum ipſius elegantia, tum etiã Quintiliani auctoritas tuetur, apud quem ita ſcriptum reperio libro IX, cap. II.

Agrigenti allata eſſet. Agrigento, poſtulat Latini ſermonis conſuetudo: & ita legitur in veteribus etiam impreſſis. C

In cretula. Creta veteres vti ſolitos tum in publicis, tum in priuatis literis auctor eſt Cicero, in Ora. pro Flacco, his verbis, Hæc quæ eſt à nobis prolata laudatio, obſignata erat creta illa Aſiatica, quæ ferè eſt omnibus nota nobis, qua vtuntur omnes, non modò in publicis, ſed etiam in priuatis literis, quas quotidie videmus mitti à publicanis, ſæpe vnicuique noſtrum. D

Ad quos ſolebat. Quorum opera in conquirendis rebus inſignibus vtebatur.

Iſtius patrſamiliâs. Error typographi. Emenda, Patrſamiliâs.

In ſingula conclauia. Conclauia, pro Tricliniis: Latino verbo.

Conchylio tinctum. Ex conchylij concha inciſa colligitur ſuccus, tingendis veſtibus expetitus ex eo enim inficitur purpura. Plinius libro X, cap. XXXVI. E

Purpuram tantum. Alij ſic interpungunt, Ipſe dabat purpuram: Tantum amici operas. ineptè. Eſt enim defenſorum obiectio. At enim non tam multos ſumptus faciebat in ſtragulas, quàm tu dicis. Et hoc apparet ex eo, quod continuò ſequitur.

Quaſi hoc mihi. Omnes alij, Quaſi verò hoc mihi.

Lectos æratos, & candelabra ænea. Ex ære Syracuſano ſcilicet. quod nobile & pretioſum fuiſſe, vtpote auro vel argento temperatum, auctor eſt Plinius libro XXXIV, cap. III. F

Venio nunc non ad furtum. Aldinus & alij omnes, Non iam ad furtum. quod ſine cauſa corrigendum non putarem. Eſt autem hæc quarta Orationis pars in qua facinus Verris atrocius commemorat, de candelabro admirabili opere è gemmis auróque confecto, quod cum Syriæ Rex in Capitolio ponere ſtatuiſſet, Verres ei partim per fraudem partim per vim abſtulit.

Reges Syriæ. Regnum igitur inter ſe partiti erant: non vt multis in locis fieri mos fuit primus filius ſolus Regis nomen obtinuit. Biennium autem Romæ, illos conſtitiſſe, poſterius dicet cum per ſenatum Ægypti, regnum ſibi reſtitui poſtularent. G

Regnum Ægypti ad ſe & ad Selenem matrem ſuam pertinere arbitrabantur. Dicit, puto, Antiochum, cui cognomē Euſebij, Syrij per ludum ac iocum impoſuerunt: quaſi à lupa adamatus, eã in vxorē duxiſſet. is enim à Tigrane Armeniæ Rege victus, & regno ſpoliatus eſt. verū Lucullus deuicto Mithridate Antiochū eius filiū in regnū patrium reſtituit. Sed quod Lucullus dederat, pòſt ademit Pōpeius, qui poſcenti regnū, reſpondit, ne volēti quidē Syriæ, nedum recuſanti daturū ſe regem, qui XVIII annos, quibus Tigranes Syriã tenuit, in angulo Ciliciæ latuerit: victo autem eodem Tigrane, à Romanis alieni operis præmia poſtulet. Appianus, Iuſtinus.

In eius regnum. Odioſè in Verrem, quaſi Regem ſe in Sicilia, non Populi R. magiſtratū haberi vellet.

Hic decumis. De quibus modò tam multa diximus ternis videlicet, & quaternis, quas à Siculis extorquebat.

Trulla excauata cum manubrio aureo. Trulla à ſimilitudine truæ, diminuto verbo. Truæ autem, vt Varro ſcribit, è culina in lauatrinã aquam fundunt. Trullæ figuram eandem eſſe quæ Trulli, idem eodem loco auctor eſt. Vas autem vinarium fuiſſe, nō (vt quidam putant) aquarium, cum ex hoc loco intelligitur, tum ex his Horatij verſibus,

Qui Vcientanum feſtis potare diebus
Campana ſolitus trulla, vappámque profeſtis.

Niſi quemadmodum. Alterutrum abundat, aut QVAM, aut NISI.

Perfectum templum offenderant. Capitoliū, quod ante annos amplius quadringentos à Tarquinio cōſtructum erat, Syllanis temporibus de cælo tactum, incendio conflagrauit. Id Sylla mortuo, Q. Catulus reſtituendum perficiendúmque curauit.

Suo tempore. Tempeſtiue: templo ſcilicet perfecto, & Iouis ſigno dedicato.

Quo metueret. Nam quo quiſque melior eſt, eo minus eſſe alios improbos ſuſpicatur.

In prætorium. Domum publicam, in qua Prætores populi R. diuerſari ſolebant.

Regno Syriæ. Quod paulo poſt opulentiſſimum & maximum appellat.

Qui eſſe debebat. Id eſt, qualem tot, clariſſimæ gemmæ ſolent efficere.

Certare videretur. Dici non poſſet vtra maior eſſet ars, an operum varietas.

Hominem apparatum. Nonnulli libri hominum, in ſecundo plurali, quod mihi placet: tametſi rerum apparatus non hominum vulgo dicatur. ERGO ad hominum apparatum: id eſt ad apparatum, qui hominum cauſa fieret.

Dies vnus alter. Sic omnes libri. neque ego quicquã mutare auſim, fieri tamen potuit vt vox ABIIT in hoc ſermonis genere vſitata, ex hoc loco propter inſequentis affinitatem effluxerit, Dies vnus abiit, alter, plures. Verum, vt iam teſtificatus ſum, nihil de conſenſu librorum immuto.

Si ſibi videatur. Formula loquendi honorifica: vt illa: Si vobis videatur, diſcedite Quirites. Item illa, aſſurge, niſi moleſtum eſt.

Religione Iouis. Pietate erga Iouem Capitolinum. Nam religionē fere in delubris ornãdis cōſtituebãt.

Maximo conuentu. Paulo poſt ciuium R. conuentum fuiſſe dicit.

Societatis amicitiaq. Nã ſocium hunc atq; amicum populi R. appellatum fuiſſe, poſterius conſtabit.

Violatum Regem. Nam iis qui viuunt in regno, regale nomen magnum & ſanctum eſſe videtur: vt ipſe in Mahuiana ſcribit.

Qui approbarint. Id eſt, ſenatus. Iudices enim omnes hi ex ordine ſenatorio fuerunt.

Liberæ ciuitates. Liberæ ciuitates, immunes, & quæ ſuis vtuntur legibus, in quibus magiſtratui Populi R. ius dicere non licet.

Q. Catule te appello. L. Scipione, C. Norbano coſſ. Capitolium conflagraſſe, eiúſque reſtituendi curam, L. Syllam ſuſcepiſſe neque tamen dedicaſſe, Cornelius Tacitus lib. XIX. memoriæ prodidit. Hoc ſolum, inquit, fœlicitati negatum. Q. igitur Catulus dedicauit, eiúſque nomen inter tanta Cæſarum opera vſque ad Vitellium manſit. Hinc illa inſcriptio Romæ Capitolij ruinis effoſſa Q. Lutatius Q. F. Catulus Coſ. ſubſtructionem & tabularium de S. C. faciendum curauit. Capitoliũ Q. Catulus dedicauit, quod Sylla, qui reſtituere cœperat, morte interceptus perficere non potuit.

Illa flamma diuinitus excitata. Lactantius lib. de falſa ſap. 3. cap. 7. Capitolium inquit, quod eſt Romanæ vrbis, & religionis caput ſummum, non ſemel, ſed ſæpius fulmine ictũ conflagrauit. Homines autem ingenioſi quid de hoc exiſtimauerint, ex dicto Ciceronis apparet: qui ait diuinitus extitiſſe illam flammam; cùm quæ terreſtre illud domicilium Iouis deleret, ſed quę ſublimius magnificentiúſque depoſceret.

Omni è conuentu Syracuſano. Alij libri, Omnes, accuſandi caſu. quod non puto immutandum.

Hereditariis ornamentis. Dictum eſt iam aliquoties Verrem à Chelidone clientela ſua & amica hæredem inſtitutum fuiſſe.

Quid huic ſacri. Argumentum eſt ex cauſa remota. Nam cauſſa rem aliquam aut ſacram aut religioſam habendi, eſt metus diuini numinis: hoc eſt, pietas. Quare quo in homine metus Dei nullus eſt, is nihil neque ſacri neque religioſi quicquam ducit.

Athenis mineruam. Quibus omnibus de rebus libro accuſationis primo dictum, & commemoratum eſt.

Segeſta. Quinta pars huius Orationis, quæ furta Verris continet, in ſimulacro Dianæ Segeſtanæ quod cum religioſiſſime colebatur à P. Africano, Carthagine capta Segeſtanis reſtitutum fuerat: eiuſque beneficij monumentum atque indicium in baſi conſtitutum.

Ab Aenea fugiente. Nam Æneæ & Antenori ſolis, Achiui Troia capta pepercerũt: qua de cauſa Æneas domo profugus, in Siciliam, ſedes quærẽs, delatus eſt: vbi oppida quædam condidiſſe dicitur. Strabo tamen libro VI. à Philoctetæ comitibus, qui Crotonem commigrarunt, conditam Segeſtam putat: quos Philoctetã vnã cum Ægeſto Troiano trãſmiſerat in Siciliam. Thucydides autem omnino à Troianis conditam ſcribit, neque nominatim quenquam auctorem commemorat. Eius verba ex libro VI. ſubiiciam. Ἰλίου δὲ ἁλισκομένου, τῶν τρώων τινὲς διαφυγόντες ἀχαιοὺς, πλοίοις ἀφικνοῦνται πρὸς τὴν σικελίαν, καὶ ὅμοροι τοῖς Σικανοῖς οἰκήσαντες, ξύμπαντες μὲν ἔλυμοι ἐκλήθησαν· πόλεις δ' αὐτῶν ἔρυξ τε καὶ ἔγεστα.

Perinmetiam cognatione. Nam, vt ſcribit Virgilius, Romanæ ſtirpis origo Æneas.

Tranſlatum Carthagine. Alij libri, Carthaginem: & ſic emenda. De Scipione autem idem Appianus teſtatur libro extremo ἐς δὲ Σικελίαν ἔπεμπεν, ὅσα Καρχηδόνιοι σφῶν ἀναθήματα κοινὰ πολεμοῦντες ἔλαβον ἐλθόντας ἐπιγινώσκειν καὶ κομίζεσθαι. ὃ καὶ

μάλιστα αὐτὸν ἐδημαγώγησεν, ὡς μετὰ τοῦ δυνατοῦ φιλάνθρωπον.

Propter eximiam pulchritudinem. Notandum ὀξύμωρον, religionem ſimulacro, propter pulchritudinem & artificium attributam.

P. Scipio. Pauli Æmylij filius, à Scipionis Africani maioris filio adoptatus.

Eo maiori odio. Nam contrariorum vis ex contentione & comparatione facilius intelligitur.

Himera. Quã dixit Verrem vi diripuiſſe.

Phalaris. Tyrannus apud eoſdem crudelis & immanis in quem vniuerſa illa ciuitas impetum fecit.

Metu terreri. Prohiberi, impediri ne facerent.

Domum populi R. Tot librorũ conſenſus ſequendus eſt. Fieri tamen poteſt vt nota rei P. effluxerit, atque ita Cicero ſcripſerit, Donum Imperatoris populi R. illud eſſe dicebant, nuſquã enim niſi ex Africani nomine inuidia quæritur, ſic. I. Cum Imperator populi R. vir clariſſimus &c. Item, Certiorem te faciunt P. Africanum Carthagine deleta ſimulacrum Dianæ maiorib. ſuis reſtituiſſe, idque apud Segeſtanos eius Imperatoris nomine poſitum ac dedicatum fuiſſe.

Omnia prouinciæ fora. Dictũ eſt iam aliquoties in quibuſdã prouinciis oppida certa fuiſſe, vbi Magiſtratus ius dicerent: & quò promitti vadimonia ſolebant. Ea Fora Latinè dicebantur.

Barbaros operarios. Operarij, ſerui, ſed valentes & robuſti, & nati ad onera ferenda. Eos in re ruſtica non minores annis XXII parandos eſſe, Varro lib. I. teſtatur.

Vnxiſſe vnguentis. Mos Græcorum, vt honoris cauſa vnguentis vngerent. Hinc Plato repertum in ciuitate ſua poetam, ita iubet accipi, vt vas vnguento plenum in ipſius caput effundatur, & lana capiti imponatur, ita extra vrbem honore illo affectus educatur.

Liberorum aeſtimationem. Propter damnationem & æſtimationem litis.

Iratis diis. Iratis & propter religionem eorum violatam infeſtis.

In pace. Quaſi ij religioſius in pace, quàm in bello colantur: qua de cauſa milites impij à Poetis appellantur.

Recuperauit. Quomodo recuperauit, quam non amiſerat, Reſpõdetur, religionem ſimul cũ loco, id eſt, eã quæ illo in loco ei tribuebatur. Nã colebatur quidem ab hoſtibus, neque omnino religionẽ amiſerat: ſed eius tantum loci cultum amiſerat.

Verumetiam P. Africani. Videtur maius crimen facere, Africani memoriã, quã Deorũ religionem violatam, ſed propterea, quia Deorũ vltio tardior eſt, Scipionũ verò, qui Romæ opibus & copiis florebãt, multo paratior, vt veriſimile ſit Verrẽ magis hominum quàm Deorum offenſum pertimuiſſe.

Te nunc P. Scipio. Apoſtrophe ad P. Scipionem, non iudicẽ, ſed aduocatum Verris, in ſubſelliis vna cum aliis illius defenſoribus ac patronis ſedentem, nobiles enim complures Verri aduocatos fuiſſe pro locis intelligitur.

Qui non obtruſit aliqua ex parte. Obtriuit, opinor, melius legeretur.

Aut fortuna hominibus, aut natura. Fortunæ bona externa: naturæ corporis & animi bona (vt opinor) attribuit.

Non præcerpo fructum officij tui. Non præripio tibi laudem, quàm mereri iſto officij genere poteras.

Ne iſta

Ne iſta præclara nobilitas. Ironicè ſimul & acerbè dictum. Nam planè & Latinè dixiſſet VT ISTA. Senſus eſt igitur: Hominis nobilis partes ſubibo, quaſi ignaui & inertis: & non modo Rempub. verum etiam familiæ generiſq; ſui dignitatem negligentis. Ita præclara illa nobilitas cauſam de populo R. querendi habebit, quod hominibus nouis induſtriis honores mandet, eum tamen nobiles inertes prætereat.

Sit apud alios. Senſus eſt: ſi Scipiones vſque eò maiorum ſuorum virtutem ac memoriam aſpernantur, eſtu: erit apud eos maiorum ſuorum imago quæ in illorum atriis conteruabitur. At alij qui virtutem eorum defendunt, ipſorum laude & gloria tanquam imitatores ornabuntur. Amara exprobatio eſt in P. Scipionem, Verris aduocatum.

Eſt aliqua mea pars virilis. Partem illi aliquam debeo gratiæ, eam videlicet quam vnus aliquis ex ciuibus deberet. Græci καθ' ὅσον ἐπιβάλλει μερίδ ἑκάστῳ.

In his artibus pro mea parte verſor. Artibus dixit pro virtutibus: veteres enim ſic loquebantur: ac propterea Inertes eos vocabant, qui virtutibus carebant Cicero de Finib. lib. II. Sed induſtriemus animo non has maximas artes, quibus qui carebant, inertes à maioribus nominabantur.

Quæ cognatio. Hoc dicit, Homines virtutem colentes ſub maiori cognatione inter ſe deuincti ſunt, quàm qui eiuſdem ſunt nominis ac generis.

Carthagine captum. Omnes alij libri conſentiunt. Locus tamen poſtulare ſic videtur, Carthagine capta recuperatum.

P. Seruilio. Iſaurico de cuius rebus geſtis Verrina actione dictum eſt.

Cuius ampliſſimum in orbe terrarum. Syllanis temporibus templum Iouis in Capitolio igne conſumptum, à Q. Catulo refectum, ac dedicatum eſt Florus, Plutarchus, Appianus.

Et quidem. Fortaſſe in aliquo manuſcripto reperiretur Equidem.

Tantum dolore afficior. Tanto dolore, ſcriptum habebat codex manuſcriptus: & ſic puto emendandū.

At hoc ſolum. Sexta Orationis pars, de ſigno Mercurij Tindaritanis per vim erepto, & eius ciuitatis Magiſtratu ſummo in ære C. Marcelli ſtatua equeſtri deligato.

Meſſanam deportaret. Vbi eam nauim habuiſſe dixit, in quam omnia importanda & exportanda curabat.

Proagoro. Paulo poſt ſummum eius ciuitatis Magiſtratum appellat.

Prætoris acceſſitus nuntio. A Prætoris acceſſitus: vetus codex, & ſic emenda.

In conuentu palam. In foro Tindaritano, vbi forum agere prætor & ius dicere cum ſolitus eſſet, negotiatores ciueſque conuenerant. ſed dictum eſt hac de re alijs iſtis multis locis.

Recentiſſima erant. Nam paulò antè Prætor in ea prouincia fuerat.

Diuaricari ac deligari. Nonius Marcellus, Diuaricare, inquit, diducere. ductum ab his, qui vitio naturæ ita ſunt pedibus diſcretis, vt eos in diuerſum habeant ſeparatos. & hunc locum citat.

Vinctum in ære. Ære, legendum eſſe locus ipſe ſua ſponte declarat.

Diſpoſitè iſtum accuſare. Id eſt, Diſtinctè, atque diſtributè. Hoc dicit, quia pertinere hoc crimen ad

A librum ſequentem videbatur.

Hoc crimine. De homine innocenti tanto cruciatu affecto.

Eſt peculatus. Locus oſtendit quid inter peculatus & repetundarum iudicium interſit. Illo tenetur qui rem populi R. hoc, qui rem ſociorum & prouincialium auerterit.

Marcello huic Æſernino. Æſernia, vrbs Samnitium in Italia: vnde hunc C. Marcellum fuiſſe opinor, & ob eam cauſam, vt ab alio C. Marcello diB ſcerni poſſet, Æſerninum appellatum. Huius in Bruto mentio fit his verbis, M. Marcellus Æſernini pater, non ille quidem in patronis, &c. Plinius libr. XII. Marcelli Æſernini libertum quendam ſpadonem Theſſalicum prædiuitem fuiſſe ait, qui platanum in ſuburbana ſua tranſtulerit.

Publicè legatum. Delectum vt vulgus loquitur, deputatum vel commiſſarium. nam hac quoque in re legati nomen ponitur.

Dixit hoc. Non memini me ſimilem locutionem
C animaduertiſſe. Dixit ille & illi homines nobiliſſimi. Obſeruanda eſt igitur, & conſulendi libri veteres ecquis reperiatur in quo DIXERE ſcriptum inueniatur. Ecce tamen in Bruto locum iam video non ex diſſimili admodum genere: in quo ſcriptum ita eſt. Tum etiam Magiſtri dicendi multi ſubito extiterunt. tum Leontinus Gorgias Thraſimachus Calchedonius, Protagoras, Abderites, Prodicus Cius, Hippius Elæus, in honore maD gno fuit.

Quid Agrigento. Septima huius libri pars, de Apollinis & Herculis ſimulacris, quæ apud Agrigentinos religioſiſſimè colebantur per vim à Verre ſublatis.

Nomen Myronis. De Myrone dictum eſt initio huius orationis, Plinius eo quem citauimus loco ſcribit hunc Apollinem feciſſe quem à Triumuiro Antonio ſublatum reſtituit Epheſiis, Diuus Auguſt. admonitus in quiete.

Improbos. Hoc nomen quo pertineat non ſatis di-
E ſpicio: niſi forte hoc amplius ATQVE IMPROBOS Cicero ſcripſerit, aut fortè NEFARIVM ſingulari numero legendum ſit, neutrum tamen ſatis placet. Siquis Codex vocem illam abiudicaret, facile me adſtipulatorem haberet.

Etenim iſte Agrigenti. Tota hæc periodus neque cum ſuperioribus, neque cum inſequentibus verbis congruere videtur. denique quorſum iſtud ETENIM pertineat, dici non poteſt. Ego, vt liberè quod ſentio, exponam, totum hunc verborum ambitum à
F priore librario prætermiſſum, poſt ad marginem adſcriptum, arbitrarer ab altero deſcriptore alieno loco poſitum fuiſſe: & aliquanto ſuperius, ad illa ſcilicet verba, QVOD ISTE IVDICES CVM CLAM FECISSET, attexendum eſſe, eumque integrum parentheſis nota includendum: vt mox poſt verbum PLACEBANT, illud ſubiungatur: CVM AD SVVM SCELVS, &c. Coniecturam adiuuat quod narratio inſequens de nocturna Herculis oppugnatione aptiſſimè cum illo vigiliarū agendarū præcepto cōgruit.

G *Rictus eius ac mentum paulò ſit attritius.* Nonius Marcellus. Rict, inquit, neutri generis. Lucretius, Mollia ricta fremunt duros nudantia dentes. Marc. Tull. De ſignis, Vt rictum mentumq; eius paulò ſit attritius. Ego nihil muto. tantum eos quæro, quibus antiquorum codicum facultas erit, vt hanc ſcripturam ratione aliqua confirment, aut repudient.

Non ſolum id venerari, verumetiam oſculari ſolerēt.

A Hunc in precando oſculandi morem expreſſit Homerus Ἰλιαδ. α. vbi Iunonem Iouem precantem inducit.

Καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων.
Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα,
Λισσομένη προσέειπε Δία Κρονίωνα ἄνακτα.

De contrectatione quoque Arnob. cont. gent. lib. v i. Ita enim, inquit, non videtis ſpirantia hæc ſigna, quorum plantas & genua contingitis, & contrectatis orantes. De mento Plinius lib. xi. cap. B x l v. Antiquis Græciæ in ſupplicandis mentum attingere mos erat.

Conuulſis repagulis. Repagula ſunt (vt Verrius ait) quæ patefaciendi gratia ita figuntur, vt ex contrario quæ oppangantur. Hæc Feſtus lib. x v i. vbi hunc locum citat.

Homines moliebantur. A monendo moliri dictum inquit Feſtus. Itaque verbum eſt magnum conatum vimq; ſignificans. Sic Verrina iii, Hic Verres quod moliare nihil habes.

C *Hunc immaniſſimum Verrem.* Ludit in nomen Verris, cùm in Apri mentionem incidiſſet. De Apro Erymanthio nota eſt fabula.

Chryſas eſt. Octaua pars orationis, de tentato Aſſorinorum templo, ſpoliata æde matris magnæ apud Enguinos, Cereris ſigno religioſiſſimo è fano Catinenſium & altero Iunonis Militenſium ſublato.

Æditui cuſtodéſque maturè ſentiunt. Gellius lib. x i i. cap. x, In Verrem, inquit, M. Tullij, in exemD plaribus fideliſſimis, ita inueni ſcriptum, Æditimi cuſtodéſque mature ſentiunt. In libris autèm vulgariis, Æditui ſcriptum eſt. M. Varro in lib. i i. ad Marcellum, de Latino ſermone, Æditumum dici oportere cenſet, magis quàm Æditumum. quòd alterum ſit recenti nomine fictum, alterum antiqua origine incorruptum. hæc Gellius. Eiuſdem Varronia verba hæc ſunt ex lib. i. de Re ruſt. Sementinis feriis in ædem Telluris veneram rogatus ab ÆE ditimo, vt dicere didicimus à patribus noſtris: vt corrigimur à recentibus vrbanis, ab Ædituo.

Hac Scipio ille non intelligebat, homo doctiſſimus atque humaniſſimus. Gellius lib. xiii, cap. x v, Humanitatem, inquit, veteres appellauerunt ad propemodum quod Græci παιδείαν vocant, nos eruditionem inſtitutionémque in bonas artes dicimus: quas qui ſinceriter cupiunt appetuntque, ij ſunt vel maximè humaniſſimi. Eius rei Nonius Marcellus teſtimonium hoc protulit ex Varronis rerum humanarum lib. i, Praxiteles qui propter artificium egregium, nemini eſt paulum modo humaniori ignotus.

F *Cereris apud Catinenſes.* Hunc locum Lactantius protulit lib. de Origin. erroris i, cap. iiii. vbi ait, huius Cereris tantam fuiſſe religionem, vt adire templi eius ſecreta penetralia viris nefas eſſet.

Illius fani antiſtites. Omnes libri veteres, Antiſtitæ. quod Gellius & Priſcianus verum eſſe confirmant. Plautus etiam in Rud. ſic loquutus eſt, Qui propè hic adeſtis, quíque auditis clamorem meum, Ferte ſuppetias, qui Veneri Veneriæque antiſtitæ.

G *Catinenſium legibus.* Inſtituto Catinenſium, ſenatus Coniunctus rerum Capitalium iudicia exercebat. Hoc addidit propter inuſitatam Romæ iudiciorum rationem. Nam vt infrà ſcribit, Orat. inſeq. ad ſenatum deuenies qui de Verre ſupplicium ſumat? non eſt vſitatum non ſenatorium.

Rem indicas. Aduertendum indicare rem pro cognoſcere & conſilio iudicum quærere.

Virorum ac mulierum. Non dubito quin VIRGINVM priore loco reponendum ſit, nam (vt ſuprà dixit) ſacrum hoc per Virgines ac mulieres confici ſolebat.

Inſula eſt Melita. Diodorus lib. v i, eam à Syracuſis ſubeſſe ait ſtadia octoginta, eius incolas fortunatos haberi, quoniam & varij generis exercent artes, & optimas faciunt lineas telas, tum tenuitate, tum mollitie inſignes.

Maſiniſſa Regis. Hæc eadem Valerius Maximus, lib. i. cap. i.

Certos homines. Locutio Ciceroni ſimiliaris, pro vnius huius rei cauſa delectos: data opera paratos.

Sententiam per tabellam feretis? Quid opus fuit addere, Per tabellam? vt ſi minus hominum exiſtimatione, ſaltem criminis atrocitate ab rei tam nocentis abſolutione deterrerentur.

Earum rerum inficiandi. Notanda locutio, Facultatem earum rerum inficiandi, pro Eas res, cuius locutionis ſimiles aliis quibuſdā locis obſeruauimus.

Vetus eſt. Nona pars orationis, de Cereris ſigno, (quod omnium longè ſanctiſſimum habebatur, & ab Ennenſibus ſumma religione colebatur) ex eorum templo ſublato. Vide Lactantium lib. de orig. er. i. cap. 4.

Vetus eſt hæc opinio. Cum hoc loco iuuabit conferre Diodori Siculi principium lib. v i. vbi hæc eadem ferè ad verbum commemorantur.

Inſitum atque innatum. Id eſt, vt ad id credendum non tam opinione, & maiorum inſtitutis, quàm ipſa natura duce veherentur.

Quam eandem Proſerpinam. Terrena via omnis atque natura Diti patri dedicata eſt, quis Dis, vt apud Græcos πλούτων quia & recedant omnia in terras, & oriantur à terris. Is rapuit Proſerpinam quod Græcorum nomen eſt. Ea enim eſt quæ περσεφόνη Græce nominatur: quam frugum ſemen eſſe volūt, abſconditamque quæri à matre fingunt. Mater autem eſt à gerendis frugibus Ceres tanquam Geres. Hæc noſter ii. de nat. Deor.

Vmbilicum Siciliæ. Var. hac ipſa de re li. de lin. Lat. vi. Ennius, ò ſancte Apollo, qui vmbilicum certum terrarum obtines. Vide apud Varronē cætera.

Lectiſſimi flores omni tempore anni. Ea de re Strabo his verbis in ſexto, *ἔστι δὲ τὸ ἐν λειμῶσι εἶναι τὰ ἀνθηρὰ χωρία, καὶ ἀνθηρά, τὴν κόρην ἐκ σικελίας παραγίνεσθαι ἀφικνεῖσθαι, δεῦρο ἀνθολογήσουσαν. ἐκ δὲ τούτου ταῖς γυναιξὶν ἐν ἔθει γεγονέναι, ἀνθολογεῖν τε καὶ στεφανηπλοκεῖν, ὥστε ταῖς ἑορταῖς αἰσχρὸν εἶναι στεφάνους ὠνητοὺς φορεῖν.* Nonnulli autem ex vetuſtis libris reponunt LÆTISSIMI. quod non diſplicet.

Cum inſulis ac verbenis. Infulæ, ſacerdotum inſignia dicebantur, quibus ornati ſacra diis faciebant. De verbenis Plinius lib. x x ii. cap. ii, Verbena, inquit, gramē eſt, ex arce cū ſua terra euulſum: ac ſemper & Legati cùm ad hoſtes, clarigatúmque mitterētur, id eſt res raptas clarè repetitū, vnus vtiq, Verbenarius vocabatur. hæc ille. Sed poſtea tranſlatum verbū eſt ad omnes herbas ex loco puro collectas quæ ſacris rebus adhiberentur.

Non illi decumarum imperia. i. decumæ imperatæ.

Vt mihi non ciues illius ciuitatis, ſed omnes ſacerdotes, omnes accolæ, atq. antiſtites Cereris eſſe videantur. Accolæ dictū puto pro Populares, ſiue Cōciues, id eſt δημόται. Eſt enim ſenſus, Quemadmodum vrbs,

non

non videtur vrbs, ſed fanum: ſic ciues non videntur ciues Ennæ, ſed ſacerdotes & conciues Cereris, quę vrbem illam inhabitat. Sic Liuius libro x, qui eundem agrum, nempe Hetruſcum, colerent, accolas vocauit. Loquitur de Hetruſcis, qui Gallos in agri partem accipere recuſabant. Non tam, inquit, quia imminui agrum, quàm quia accolas ſibi quiſque adiungere tam efferatę gentis homines horrebat. Et paulo pòſt, Samnites, inquit, Hetruriæ populis demonſtrabant habere accolas Gallos inter ferrum & arma natos, &c.

Hæc conſtituta. Nihil muto, vetuſti libri auctoritatem expecto. in quo ſi INSTITVTA reperiant, lubenter eam locutionem cum hac recepta commutabo.

Sancire nos velle oporteret. Sancire, (inquit Seruius) eſt ſanguine fuſo confirmare. Hinc noſter in orat. pro Balb. ſanctiones ait ſacrandas aut genere ipſo, vt obteſtatione & conſecratione legis: aut pœna, cum caput eius qui contra fecit conſecratur.

Appellari Græca voluerunt. Noſter in ea pro Balbo, Sacra Cereris, iudices, ſumma maiores noſtri religione confici ceremoniáque voluerunt. Quæ cum eſſent aſſumpta de Græcia, & per Græcas item procurata ſunt ſacerdotes, & Græca nominata.

Vnum etiam Vrbis omnium pulcherrima. Legendum putarem, Græcarum omnium pulcherrimæ. vt paulò infra, Vrbem Syracuſas maximam eſſe Græcarum omnium. Eſt autem hæc orationis pars decima in qua de Syracuſorum vrbis templis compluribus ſpoliatis & direptis commemorat. & M. Marcelli qui vrbem cępit victoriam temperantiam cum Verris aduentu & latrocinio comparat.

A M. Marcello Syracuſæ. Hæc apud Liuium lib. xxv. & nos initio Verrinæ atiæ ſummatim expoſuimus.

Conſtitutas. Diuturna pace & Siculorum fidelitate fundatas & conſtabilitas.

Forum Syracuſanorum. Verrina vii, infrà & de portu Syracuſanorum eodem lib.

Noſtris claſſibus. Quo neque Carthaginienſium neque noſtræ claſſes vi & armis adire potuerant.

Cilicum myoparonis. Quos dicat Cilices, dixi ſuprà.

Cui nomen Arethuſa. Amnes quidam odio maris ipſa ſubeunt vada, ſicut Arethuſa, fons Syracuſanus, in quo redduntur iacta in Alfeū. Hęc Plinius lib. ii. cap. ciii. Poetæ fingunt virginem ab Alfeo adamatam, cum eius vim effugere non poſſet, à Diana in fontem commutatam eſſe: qui ne amatoriis aquis miſceretur, cuniculis in Siciliam profugit. Hæc Ouid. Metamorph. v.

Ornatiſſimum Prytaneum. Athenis πρυτανεῖον dicebatur locus, in quo οἱ πρυτάνεις iudicia exercebant, & de Rep. benemeriti publicis ſumptibus alebantur. Ad eius ſimilitudinem alterum fuiſſe Syracuſis Prytaneum apparet.

Qui Theſmotes vocatur. Aldinus liber, & alij nonnulli, Themiſtes. Ego aut Theſmotetes legendum putarem, aut Themiſtes. Theſmotetis autem nomé qua de cauſa tributum eſſet Apollini, coniectura aſſequi non poſſum. neque enim legum lator Apollo vſquam, quòd ſciam, fingitur. quare Themiſtes ſatius putarem: cum Themis, vt Suidas auctor eſt, quondam ante Apollinem vaticinandi munus obierit. ὅτι δὲ θέμιστες αἱ μόνον δίκαι, ἀλλὰ καὶ μαντεῖαι, ἐκ Σουλαὶ δ' ἄλλον ἐν τῷ παλαιῷ, inquit Euſtha-

A tius in lib. Odyſſ. x. quod etiam Ammianus Marcel. à Poetis fictum teſtatur lib. xxi. Sunt tamen qui Temenites legant: de quo eſt apud Suetonium in Tiberio.

Partitione ornatus. Nam neque pro victore egiſſet, ſi plane omnia reliquiſſet, neque pro humano ſi omnia ſuſtuliſſet. vtriuſque igitur rationem habuit & victoriæ & humanitatis.

Ad ædem Honoris atque Virtutis. Ædem Honoris ad portam Collinam ſitam eſſe, ipſe in libro de
B legib. ii. declarat. De vtraque idem lib. de nat. deor. ii, ſcribit his verbis, Vides Virtutis templum, vides Honoris à M. Marcello renouatum, quod multis antè annis erat bello Liguſtico à Q. Maximo dedicatum? Et Liuius lib. vii tertiæ decadis, Marcellum aliæ atque aliæ obiectæ religiones tenebant: in quibus, quod cum bello Gallico ad Claſtidium ædem Honori & Virtuti vouiſſet, dedicatio eius à Pontificibus impediebatur, quòd negabant vnam cellam amplius quàm vni deo rectè dedicari. Ita ad-
C dita Virtutis ædes, approperato opere.

Domum ſuam. Nam illa domus inanitas ſummæ continentiæ & temperantiæ argumentum fuit. Cuius autem tanta continentia præditus, maiori vrbi ſuæ, quàm cætera ornamenta omnia ſplendori & gloriæ eſſe ſolet.

Forum & iuriſdictionem. Hoc loco, Item vt aliis non paucis, iuriſdictionis nomen generaliter pro iure, quod à prætoribus Magiſtratibusue omnibus redditur vſurpatur.

D *Qui tamen in bello religionum iura.* Quæ ſunt in bello iura religionum cum paulo poſt dicat, ſacra omnia, adepta victoria, profana fieri? Sed ita locutus eſt, cum præter rei militaris inſtituta, & conſuetudinem quæ in pace religionum iura habentur, ea ab hoſte victore conſeruantur.

Pugna erat equeſtris Agathoclis regis. Vide Iuſtinum lib. xxii.

Commemoratione. Modò Commemorationem
E pro agnitione & memoria vſurpauit: vt ſit quia eos ſe viuos ac tyrannidem obtinentes vidiſſe memorarent.

Quid de valuis. Fores in liminibus profanarum ædium, ianuæ nominantur, inquit hic ipſe lib. ii. de natura Deor. valuæ ergo ſacrarum ædium ſunt.

Vllo tempore fuiſſe. Sunt qui ex antiquis libris VLLO TEMPLO corrigant. Ego, vllo in templo, potius reponerem.

Honeſtius eſt. Nam victores non modò quod ſibi
F emolumento eſt diripiunt, ſed etiam quod victis hoſtibus voluptati fuit diſperdunt.

Argumenta erant in valuis. Argumenta eodem modo dicuntur vt ſigna: quibus res aliqua ſignificatur, & de re quapiam fit exiſtimatio. Virgilius libr. vii. qua Turni arma deſcribit.

At leuem clypeum ſublatis cornibus Io
Auro inſignibat, iam ſetis obſita, iam bos,
Argumentum ingens, & cuſtos virginis Argus.

Quem in locum Seruius interpres, Argumentum, ait, fabula. vt Cicero, Argumenta erant in valuis, &c.

Gorgonis os pulcherrimum, crinitum anguibus. Perſpicuè rectum. cum in alijs omnibus aliter & mendoſè, opinor, ſcriptum ſit, Cinctum anguibus: quod ex fine libri quarti Metamorph. intelligitur.

Bullas omnes aureas. Bullas dicit, clauorum capi-

ta: quòd inſtar, opinor, bullæ haberent. Plautus in Aſinaria, Iuſſine in ſplendorem dari bullas has foribus noſtras?

Etiámne gramineas haſtas? Fraxineas legendum putarem. Cùm enim procera ſit fraxinus, & teres, haſtis accommodata eſt. vnde Achillis haſta fraxinea apud Homerum Iliad. π. πηλιάδα μελίην, τὴν πατρὶ φίλῳ πόρε χείρων. Mirum eſt tamen Seruium (ſi quidem illa verba ſunt Seruij) hunc locum ſic protuliſſe; Gramineum in campum, id eſt graminoſum. Cicero De ſignis. Etiámne gramineas haſtas?

M. Syllanionis. Probabilior quorundam ſcriptura, Annei, pro Maiei: quod Romanum nomen eſt. Fuit autem Syllanion inſignis ſtatuarius, in quo hoc Plinius ſcribit memorabile fuiſſe, quòd nullo doctore nobilis fuit.

Homo elegantiſſimus. Qui operum liniamenta ſolertiſſimè perſpicit: eáque ſubtiliter iudicat.

Si quando aliquid. Corrigendum putarem, Si quando quis aliquid.

Aedem Felicitatis. In ea Praxitelis ex ære pulcherrima ſigna fuiſſe Plinius ſcribit: in quibus & Veneris, quæ cum ipſa æde incendio conflagrauit, Claudij principatu. Item alibi, Fuere, inquit, & Theſpiades ad ædem Felicitatis, quarum vnam adamauit eques R. Iunius Piſciculus.

Monumentum Catuli. Capitolium.

In alueum iſtorum Tuſculanum. Plinius lib. xxxv, De Hortenſij Tuſculano loquitur, in quo ædem illum feciſſe ſcribit tabulæ Argonautarum à Cydia factæ, quam H-S CXLIIII emerat. Ædes enim hæ quoque appellabantur: vt mihi non Ædilibus, proximo verſu, ſed Ædibus potius legendum eſſe videatur. nam de hoc more veterum apparet ex æde Apollinis, in qua Lucullus Pompeio & Ciceroni cœnam apparauit. Tuſculum autem, oppidum eſt vrbi proximum, & vt Strabo ſcribit, in ipſius vrbis conſpectu. Eius ager Tuſculanus dicitur, in quo ciues R. complures villas habebant. De Tuſculano agro, Strabonis verba quæ de Græco expreſſi, ſubijciam. In Albano colle, inquit, ſitum eſt Tuſculum, oppidum non paruis ornamentis inſtructum. Ornatum eſt autem vndique conſitionibus & ædificiis: ſed multo maximè iis quæ ſunt verſus Romam. Nam ibi Tuſculanus eſt collis, vbertate agrorum, & aquationibus inſignis, pluribus in locis ſenſim & leuiter aſſurgens, villáſque complectens magnificentiſſimas. Huic Albano monti continentia atque adiuncta ſubſunt eadem bonitate & magnifico ornatu prædia. Hinc campi ſunt, quorum partim Romæ eiúſque ſuburbiis, partim verò mari adiuncti ſunt. ſed qui cum mari continentes ſunt, minus ſunt ſalubres. Hæc Strabo.

Spectet eorum ornatum. Nonnulli FORVM ex ingenio corrigunt. nam forum ab ædilibus ornari ſolere, ſignis commodatis, aliis locis dictum eſt. Víitatám tamen lectionem retineo: ſi modò ædibus pro ædilibus legatur. nam forum ornari ſolere ſignis à ciuitatibus Græcis commodatis, ſæpe antea dictum eſt. Itaque vnde apportata eſſent, ſolas fori ornatus non indicabat. vide infrà.

Ad deferenda quàm ad auferenda. Deferre igitur eſſe vult, hîc illud deportare, quod baiulorum & operariorum eſt. Auferre verò, ſemel ſuam in domum, id quod emptum, aut alio quouis modo paratum eſt, aſportandum locare & ſibi auferre.

A Sic paulo ſuperius dixit, Quod iſte ſi portare potuiſſet, non dubitaſſet auferre.

Vrion nominant. Templum Διὸς Οὐρίου inter Boſphorum Thracium & vrbem Trapezontem fuiſſe, auctores ſunt Arrianus ἐν περίπλῳ Ponti Euxini, & Stephanus in libro de vrbibus.

In Capitolio videmus. Haud ſcio an potius VIDIMVS in præterito tempore legendum ſit: quippe cùm nuper Capitolium deflagraſſet, ſ qua de B cauſa modo paulo ante dixi. Si recordari voluerit iſto quanta religione fuerit, quod in Capitolio poſuerat Flaminius.

Flaminius ita ex æde ſua ſuſtulit. Sua, id eſt, Iouis. Plutarchus in vita Syllæ, Flaminium ſubacta Macedonia non modò à Græcorum templis temperaſſe ſcribit, ſed etiam donariis & ornamenta complura addidiſſe.

Etiam Archimedem illum. Archimedes Geome- C tra nobiliſſimus, de quo vide Liuium libro Decadis tertiæ quinto, Ciceronem lib. de finib. v, & Val. Max. lib. VIII.

Nullum denique ornamentum. Omnes libri veteres. Vllum denique, à quorum auctoritate non diſcedimus.

Niſi fortè exiſtimatis. Ironia. Non enim iudiciorum ſeueritas ad Græcos homines à vendendo aut emendo deterrendos pertinebat: ſed ad Romanos, qui eam iudiciorum metu Græcis hominibus D relinquebant.

Turpitudinem ſummam. Quaſi pluris paucos aliquot nummulos, quam deos patrios & religionem à maioribus traditam faciant.

Hæc eſſe quamplurima apud ſocios. Socij, ſunt fœderati populi & immunes. Vectigales, qui vectigal incertum, vt decumas: Stipendiarij, qui certum vectigal, quod ſtipendium dicitur, veluti certam pecuniam, quotannis populo R. pendunt. vide infrà.

E *Vt imperio noſtro.* Nam illa patientia, quàm benignè ac liberaliter à nobis haberentur, æſtimandi copiam præbebat.

Marmoream Venerem illam ne auferatur. Omnes, quos vidi, codices conſentiunt. Video tamen, qui NE particulam tùm ex hoc, tum ex proximo loco tollendam putent: ſed qua ratione adducti in eam opinionem venerint, non explicarunt. itaque dum illi cauſas huius correctionis afferant, receptam lectionem conſeruabimus. Etenim niſi planè nihil vide- F mus, non alia ſententia dixit Plautus, Quem quidem ego vt non excruciem; alterum tantum auri non meream. Non alia hic noſter in lib. de Finibus. Quid mereamis, vt te dicas in eo magiſtratu omnia voluptatis cauſa facturum eſſe?

Illa ne auferatur? Placet merere vt ILLA auferatur: quod ab aliis ex antiquo libro annotatum eſt. item vt mox: Vt Europam amittant. Nam vetus locutio eſt. Merere vt auferatur: pro eo quod vulgo dicimus, Lucrari.

G *Iacchum aut Paralum.* Iacchus, Bacchus dicebatur, ἀπὸ τοῦ ἰαχεῖν. & vox initiatorum erat ἴακχ' ὦ ἴακχε. Paralum autem vt adis in libris, non Parthalum legendum eſt. Fuit autem Paralus nauis longæ, vt ſcribit Plin. inuentor. & Plut. ac Thucyd. ſacram nauim incredibilis celeritatis παραλὸν dictā tradunt: quâ Athenienſes, cùm grauior aliquis caſus vrgeret, vti ſolebant.

Atque

Atque vt cæteros. Vndecima & poſtrema orationis pars, de Senatu Syracuſarum vrbis, quem Verri propter acceptas ab eo iniurias infeſtum fuiſſe oſtendit, vt laudationem ab iis Verris cauſæ miſſam eleuet, ſimúlque Mamertinæ ciuitatis legationem, quæ pro Verre ſola propugnabat, acriter excogitat.

Si nobis videretur. Comiter & honorifice hoc dicitur: vt in formula dimittendæ concionis: Si vobis videtur, diſcedite Quirites. Plinius lib. 11.

Primo fuit dubium. Ne populi R. ſenatores nimiam de ſua dignitate & amplitudine decedere viderentur.

Quid ſalutis. Salus erat prouinciæ, qui eam iniquo & auaro imperio vexaſſet legibus damnari, vt qui poſteà ſuccederent exemplo edocti, moderati & continentes eſſe diſcerent.

Inauratam ſtatuam. Hac de re dictum eſt Verrina 1111.

Quantum dicendo aſſequi poterat. Vult intelligi Latinè Siculos loqui conatos: cùm paulò pòſt eidem ipſi, quòd Græcè in eo Senatu loquutus eſſet, Metellus obiecerit.

Inuentorem olei deum. Ariſteum, de quo paulo antea. Et eſt argumentum ex repugnantibus: Non & ille palæſtram diligit, in qua oleum & vnctiones neceſſariæ ſunt: & olei inuentorem Deum ſuſtulit. Sed reſpondere poterat, non oleí ſe odio Ariſteum, ſed quo ipſe vnctior eſſet, in ædes ſuas abſtuliſſe.

Tum meum animum in illos. Multi alij, Tum ego meum animum: & ſic emenda.

Quæ in ærario ſanctiore conditas habebant. Romæ fuit ærarium ſanctius, quod ferè nunquam, nec niſi ſumma & propè extrema neceſſitate Reip. poſtulante aperiebant. Syracuſarum igitur ærarium, in quo quæ ſanctius aſſeruanda erant, recondebantur, ſanctius ad Romani ſimilitudinem appellat. Liuius Lib. VII ſecundi belli Punici, Cætera expedientibus, quæ ad bellum opus erant coss. aurum viceſimarium, quod in ſanctiore ærario ad vltimos caſus ſeruabatur, promi placuit.

Eum qui ſummam poteſtatem haberet. L. Metellum, quem ſatis acriter hoc loco pungit.

Dicat ſententiam qui velit. Hoc eo dicit, quia Romæ diſſimilis erat ratio ſententiarum in Senatu dicendarum. Nam poſt comitia Conſularia Conſules deſignati primi rogabantur, & eorum is prior, qui priore loco declaratus eſſet. Ante comitia, is qui è Cenſoribus princeps Senatus lectus erat. ij deinde quos Conſulibus videbatur, ita tamen vt ne Prætorium Conſulari, Ædilitium Prætorio, Tribunitium Ædilitio anteferrent. auctores Salluſtius, & Gellius. At in Augurum collegio Romæ, ferè eadem quæ in Senatu Syracuſis Sic enim Cicero in Catone, In collegio noſtro vt quiſque ætate antecellit, ita ſententiæ principatum tenet, neque ſolum honore antecedentibus, ſed iis etiam qui cum imperio ſunt, maiores natu Augures anteponuntur.

Vt aliquid eſſet moræ, Vt eum diem interpellatione eximerent.

Principium ſententiæ præſcribi ſolet. Valde arridet quod ab aliis annotatum eſt, ex libro veteri: PRINCIPVM. id eſt primariorum.

Cùm ſurgeret nemo, neque ſententiam diceret. Ergo Syracuſis item vt Romæ, ſtantes Senatores ſententiam dicebant. Cicero ad Att. lib. 1. epiſtola, Vereor ne putidum, Locutus ita eſt in Senatu, vt omnia il-

A ius ordinis conſulta ... laudaret; mihíque vt aſſedit, dixit ſe putare ſatis ab ſe etiam de iſtis rebus reſponſum.

Inire à prætore gratiam. A L. Metello proprætore Siciliæ.

Ne nudus quidem filius. Allegoricè, cùm de nuda ſtatua intelligatur, nudum filium appellat, quaſi neceſſarij veſtitus indigentem, & miſerandum.

Commonefaceret. In memoriam reuocaret, demonſtraret, commemoraret.

B *Prohibuiſſet Verres.* Verris nomen tollendum omnino, & pro eo vocem VER reponendam eſſe non dubito: quæ ad irriſionem pertinet. vt apud hunc noſtrum pro C. Rabirio: popularis verò Tribunus plebis cuſtos defenſórque iuris & libertatis. & apud Virgil. Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis.

Intra Syracuſanam inſulam. Vide lib. ſeq.

In ære inciſum. Hoſpitij publici teſſeram ſignificat.

Diſceſſio facta eſſet. Item vt Romæ, ſic in Sicilia C Senatuſconſulta per diſceſſionem fiebant.

Sed etiam perſcriptum. Non dubito, quin totum hoc deſit SENATVSCONSVLTVM: ſed vſitatis notis S.C. à librario non animaduerſis. vt ſit, ſed etiam perſcriptum S.C. atque in tabulis relatum.

Prætor appellatur. Vt Senatuſconſulto intercederet. Nam ſicuti Romæ Tribunos plebis, eodem modo in prouinciis Populi R. magiſtratus appellari, ad eóſque prouocari ius erat.

Qui Quæſtor iſtius fuerat Cæcilius. Hic eſt Quæ- D ſtor Cæcilius in quem facta eſt diuinatio, vter potius accuſaret, ... Tullius. Fuiſſe autem Quæſtorem dixit, quandem per ſingulos annos Verri Quæſtores mutati ſunt.

Quòd ego in Senatu Græca verba feciſſem. Valerius Maximus libro II. capite De inſtitutis antiquis, Magiſtratus, inquit, priſci, quantopere ſuam Populique R. maieſtatem retinentes ſe geſſerint, hinc cognoſci poteſt: quòd inter cætera obtinendæ grauitatis E indicia, illud quoque magna cum perſeuerantia cuſtodiebant, ne Græcis vnquam niſi Latinè reſponſa darent: quin etiam ipſa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, excuſſa, per interpretem loqui cogebant, non in vrbe tantum noſtra, ſed etiam in Græcia & Aſia, quo ſcilicet Latinæ vocis honos, per omnes gentes venerabilior diffunderetur: nec illis deerant ſtudia doctrinæ, ſed nulla in re pallium togæ ſubiici debere arbitrabantur: indignum eſſe exiſtimantes, illecebris & ſuauitati literarum imperij F pondus & auctoritatem donari. hæc ille. Ab eadem etiam, opinor, ratione falſam credidit Plutarchus, & adulterinam orationem quandam Græcis literis conſcriptam, quam Athenis pronuntiaſſe Catonem nonnulli affirmabant, Nam per interpretem, inquit, omnia loquutus eſt: quanquam ita Græcè ſciret, vt interpretis opera minimè indigeret. Scribit tamen Fabius Quintilianus libro XI, M. Craſſum, Diues qui dictus eſt, cum Aſiæ præeſſet, quinque Græci ſermonis differentias ſic tenuiſſe, vt qua G quiſque apud eum lingua poſtulaſſet, eadem ſibi ius redditum ferret.

Illum Numidicum verum. Q. Cæcilius Metellus Conſul, duobus prælijs Iugurtham fudit, & vniuerſam Numidiam vaſtauit: inde Numidicus appellatus. Eius ſororem habuit in matrimonio L. Lucullus, pater L. Luculli, cuius vitam ſcripſit Plutarchus. qua de cauſa idem Plutarchus ipſius auunculum

appellat Metellum Numidicum. quo in loco eundem Metelli ſororis virum L. Luculli patrem à Seruilio augure furti conuictum & damnatum ſcribit. De Numidico verò & germano Metello, vide Orat. pro Balbo, Gellij lib. I, cap. VI, Salluſtium item in bello Iugurth. & Valerij librum III, capite De conſtantia.

Recentes nuntios. Lætilium ſignificat: de quo vide lib. accuſat. II.

Non commendatitias, ſed tributarias. Solent prouincialibus magiſtratibus mitti ab amicis commendatitiæ literæ, eorum cauſa quibus negotia ſunt in prouincia, extántque Ciceronis eius argumenti Epiſtolæ complures. ſolent etiam à Senatu mitti, ſiquando prouincialibus aliquod tributum ſit imperandum. quæ tabulæ, tributariæ dicuntur. Dicit igitur translata ſignificatione vocabuli non commendatitias, ſed tributarias literas ad Prætorem miſſas: id eſt, quæ illi tribuerent, & promitterent.

Quem Syracuſani Theoractum vocant. Per contumeliam. nam Theomnaſtus, qui dei memor eſt: Theoractus, a verbo ῥάσσω: quem Deus feriit, ac furore perculit.

Omnium literarum fieri poteſtatem. Lege Cornelia repetundarum quæ iubebat accuſatori poteſtatem fieri, omnia quæ ad ipſius accuſationem inſtituendam pertinere poſſent, præter publicanorum

A literas, Romam deportare vel exſcribere.

Quod S.C. ratum eſſe non deberet. Propter interceſſionem.

Legum ſanctionem. Legum eas partes, quibus pœnas conſtituimus aduerſus eos, qui contra leges fecerint, ſanctiones vocamus, inquit Iuſtin. lib. Inſtitut. II. cap. I

Qui ex tanta prouincia. Sunt qui ex antiquo libro ſic reſtituunt: Quoniam ex tota. Quod mihi non diſplicet.

B *Vt ea qua.* Rectè ex eodem libro, vt ad ea.

Nauem debeamne. Vide librum ſeq.

Verrea illa flagitioſa. Vide lib. Accuſat. II.

Minime conueniebat. Subeſt vis argumenti ex repugnantibus. Non & Dij nulli ſunt, & honores diuini cuiquam tribuendi ſunt. Primum autem ex eo confirmat, quod ſimulacra Deorum Verres tollens, Deos ipſos hoc eſt numen & mentem diuinam tollere videtur.

C *Etiam mehercule.* Dixit, pro quia etiam.

Suſtuliſſent. Rectè cùm in alijs quibuſdam ſuſtuliſſet, ſingulari numero legatur. nam ad vocem IIDEM, hoc refertur. Suſtulerant tamen Verris prætoris vſu atque imperio.

Dies reliquerit. Quaſi diem feſtum Marcelli nomine icirco agerent, quòd iis tam multa contra belli & victoriæ conſuetudinem reliquiſſet.

ACCVSATIONIS IN C. VERREM

LIBER SEPTIMVS, ORATIO X.

COMMENTARIVS.

HÆc oratio tripartita eſt. Nam primo loco de bello fugitiuorum tractat, ex Spartaci reliquiis conflato. tum de maritimo aduerſus prædones & piratas, quorum latrociniis mare tum infeſtum habebat Siciliam. poſtremò de ciuium R. ſupplicijs. Ac primos quidem duos locos de bello ſuſcepiſſe ſe dicit, è re nata, aduerſus defenſionem Hortenſij, qui omnia Verris crimina virtute ac laude rei militaris tegere atque obſcurare volebat. At de ſupplicijs, dicit ſe non cuiuſquam rogatu, ſed ſua voluntate, reíque indignitate adductum, ad accuſandum deſcendiſſe. Continet autem hic poſtremus locus minorem orationis partem, ex quo mirum alicui videri poſſit, quòd cùm ex maiore parte res nominandæ ſint, tamen hunc poſtremum librum De ſupplicijs veteres nominarint: cùm de bello maritimo ex maiore parte inſcribendus eſſe videatur, niſi fortè hæc cauſa eſt, quòd maritimi belli tractatio nō accuſandi cauſa inſtituta eſt, vt modò demonſtrauimus: ſed querela de ſupplicijs ad crimē repetundarum quodammodo pertinet, propterea quod imperij crudeliter & contra leges adminiſtrati accuſationem cōtinet.

Et priuatim, & publicè. Tum vt priuatus, furtiui vt magiſtratus, & pro imperio ac poteſtate,

E quam Prætor habuit palàm.

Religione. Nunc promiſcuè tum Deorum tū hominum metum ac pudorem ſignificat.

Cauſa conſtituitur Ita parant, meditantúrque defenſionem. Cauſæ tamen conſtitutionem, ſiue ſtatum ſignificat: cum ita colligitur, Verres pecunias contra leges cepit: at prouinciam virtute ſua ſeruauit. Vtrum æquius ſit Verrem propter repetundarum crimen damnari quàm propter prouinciam conſeruatam abſolui. Diſceptatio eſt ex iuris & æ-

F quitatis contentione.

Pro ſuo iure contendet. Vulgò dicimus, Pro eo quod ſua intereſt, Pro ſua virili parte. vel Pro ea parte, quatenus ſua intereſt; cùm ſit ciuis R. & permagni ſua interſit, bonos eſſe imperatores in hac Rep.

Siculorum teſtimoniis. Contemptim, Siculorum teſtimoniis, vtpote Græcorum, quorum leuis auctoritas in teſtimoniis. Vt in Oratione pro Flac-

G co copiosè.

Virtutem eximiam. Feſtiue. Poſterius enim oſtendit neminem vnquam ignauiorem fuiſſe.

Sed etiam fortis. Vehemens & qui in commouendis iudicibus iis ipſis ſenſibus ad quos illos addu-

A addacere vellet, permoueretur. Qua de re huius ipſius Antonij præcepta extant in II. de Oratore.

Ipſe arripuit M. Aquilium. Scribit idem Cicero libro de Orat. II, & Quintilianus libro 2. Florus autem in epitome, his verbis, Marcus inquit, Aquilius Conſul in Sicilia bellum ſeruile concitatum confecit. Cùm de pecuniis repetundis cauſam diceret, ipſe rogare iudices noluit. M. Antonius qui pro eo perorabat, tunicam à pectore eius diſcidit,

B vt honeſtas cicatrices oſtenderet, quibus conſpectis indubitanter abſolutus eſt. In Oratione pro Flacco M. Aquilium patres noſtri, multis auaritiæ criminibus teſtimoniis conuictum, quia eum fugitiuis fortiter bellum geſſerat, iudicio liberarunt.

A pectore abſcidit. Alibi, diloricauit, & iudicibus cicatrices aduerſas ſenis Imperatoris oſtendit.

Et ad dubia Reipub. tempora reſeruandus. Verba ſunt Quintiliani in libr. XII, quæ quia ad hunc lo-

C cum vehementer pertinere videntur, ſubiicere volumus. Ad hoc, inquit, nemo dubitabit quin ſi nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo poſſint, ſicut poſſe interdum conceditur, ſaluos eſſe eos magis è Republ. ſit, quàm puniri. Si liqueat igitur Oratori futurum bonum virum, cui verba obiicientur, non id aget, vt ſaluus ſit? Da nunc vt crimine manifeſto prematur dux bonus, & ſine quo vincere honeſtè ciuitas non poſſit: nón-

D ne ei communis vtilitas Oratorem aduocabit? Certè Fabritius Cornelium Rufinum, alioqui & malum ciuem, & ſibi inimicum, tamen quia vtilem ſciebat ducem, imminente bello palàm Conſulem ſuffragio ſuo fecit: atque id mirantibus quibuſdam reſpondit, A ciue ſe ſpoliari malle, quàm ab hoſte vænire. Ita hic ſi fuiſſet Orator, non defendiſſet eundem Rufinum vel manifeſti peculatus reum? hæc Fabius.

Non agam ſummo iure tecum: non dicam id, quod

E *debeam forſitan obtinere.* Apud Quintilianum libro IX, cap. II, hunc locum ita ſcriptum reperio, Non agam tecum iure ſummo: non dicam, quod forſitan obtinerem. Nihil muto tamen, cùm ſatis conſtet multa illum nõ accuratè de libro ſumpſiſſe: ſed ex memoria, quantum ad propoſitum ſatis eſſe putabat, prompſiſſe.

Certa lege conſtitutum. De pecuniis repetundis.

Abſtinuerit. Qua de re agitur: quod vrgere accu-

F ſatoris officium eſt primum ac ſummum.

An bello fugitiuorum. In Triochalino primùm excitatum eſt: vbi fugitiui duce Euno, fractis ergaſtulis ad LX. millia coniurauerunt: Prætorum caſtra ſuperata, Manilij, Piſonis, Lentuli, Hypſei. M. Perpenna vicit, & obſeſſos Ennæ fame conſumpſit. Hic ouans, vrbem ingreſſus. Pòſt paulo, idem incendium excitauit Athenio Cilix paſtor: qui interfecto domino ergaſtula aperuit. Prætoriana caſtra Seruilij & Luculli ſuccubuere. M. Aquilius exem-

G plo Perpennæ, & ferro & fame maceratos cepiſſet, niſi metus ſupplicij fuiſſet. Itaque magna ex parte mortem ſibi conſciuere. dux aufugit. hæc ferè ad ſummam Florus lib. hiſtoriarum III. Athenæus libro Δειπνοσοφ. ϛ. Seruorum in bellis quæ in Sicilia excitarant, ſcribit interfecta amplius decies centena millia.

A *An bello fugitiuorum*, Secunda Orationis pars, quæ refutationem continet. Nam Prætore in Sicilia Verre, fugitiui bellum in Italia excitarant: quos eum in Siciliam tranſire conarentur, vt ſe cum Siculo ſeruitio coniungerent dicebat Hortenſius à Verre interclusos aditu fuiſſe.

Magna laus, & honeſta oratio. In manuſcripto ſine coniunctione legitur, Magna laus, honeſta oratio. Terentius,

Quæ ſeſe voluit in ignem iniicere, prohibui:

B Seruaui. honeſta oratio eſt.

Cicero in lib. de Off. II. Itaque, inquit, vulgo loquuntur ſeſe in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam ſequi. honeſta oratio eſt.

In Italia fuit. Duce Spartaco gladiatore nobili, qui eum aliis ſeptuaginta qui Capuæ in ludo Lentuli exercebantur, fugitiuorum magna coacta manu, comparatiſque copiis, bellum aduerſus Romanos magnum & periculoſum prope quadriennium geſſit. ſed à Craſſo poſtea & Pompeio confectum

C hoc bellum eſt. Appianus, Plutarchus. De Spartaco Athenæus lib. Δειπνοσοφ. ϛ. ſic ſcribit: Σπάρτακος ὁ μονομάχος ἐκ Καπύης πόλεως Ἰταλικῆς ἀποδρὰς κατὰ τὰ Μιθριδατικὰ, πολὺ πλῆθος ἀποστήσας οἰκετῶν, ἦν δὲ καὶ αὐτὸς οἰκέτης Θρᾷξ γένος, κατέδραμε πᾶσαν Ἰταλίαν χρόνον οὐκ ὀλίγον, πολλῶν δούλων καθ' ἡμέραν συρρεόντων ὡς αὐτόν. καὶ εἰ μὴ ἀπέθανεν ἐν τῇ πρὸς Λικίννιον Κράσσον παρατάξει, οὐ τὸν τυχόντα ἂν ἱδρῶτα τοῖς ἡμεδαποῖς παρεσχήκει, ὡς ὁ κατὰ τὴν Σικελίαν Εὔνους. Id eſt, Spartacus gladiator ex Capua

D vrbe Italiæ, cùm in Athenienſium fines profugiſſet, magnum ſeruorum numerum ſecum abduxit. Erat autem ipſe quoque ſeruus, Thrax genere, ac per vniuerſam Italiam breui ſpatio peruagatus eſt, multique in dies ſerui ad eum confluebant. Quòd niſi in bello quod cum Licinio Craſſo geſſit interfectus fuiſſet, non vulgare negotiũ noſtris hominib. præbuiſſet, quemadmodum in Sicilia Eunus fecerat.

Aut ratibus. Rates, inquit Feſtus, vocant ligna

E colligata, quæ per aquam aguntur: quo vocabulo interdum etiam naues intelliguntur.

Vlla præſidia. Diligentia atque opera Verris comparata.

At cum in Italia. Tum in Italia: Vetus codex: & ſic emenda. Obiectio eſt Verris: quaſi bellum tam prope Siciliam eſſe non potuerit, quin ſimul in Siciliam peruaderet.

Eodem interuallo. Pro eodem tempore.

Ad vtram partem. Imo ad vtranque. nam Itali ſuas cum Siculis copias coniungere conabantur.

F *Hoſtibus.* Seruis fugitiuis, qui ex Italia tranſire in Siciliam, vt ſe cum Siculis fugitiuis coniungerent, conabantur.

Quam ad Peloridem accedere. Pelorum Siciliæ promontorium, verſus Italiam.

Minimo in periculo. A fugitiuis. Nam quod infrà ſcribit. Tantum fuiſſe prouinciæ periculum: de prædonibus loquitur. Et hoc eſt quod dici ſolebat: bonas leges ex malis moribus naſci.

Seueritatem exempli. Hoc eſt, quod Iuriſconſulti

G tradunt: nonnunquam euenire, vt aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur quoties nimium multis graſſantibus exemplo opus ſit.

Vocari iuſſiſſe. Hoc tenor orationis poſtulat: tametſi aliis in libris omnibus ſcriptum ita ſit, Vocari iuſſit. Valerius autem Maximus hanc cauſam affert, quòd Domitius ad exturbanda latrocinia, quibus

prouincia vaſtabatur, nequis telum haberet edixerat.

Crudelem in animaduertendo. In cauendis, item vt in adeundis periculis, conſuetudo imitanda medicorum eſt: qui leuiter ægrotantes leuiter curant: grauioribus autem morbis periculoſas curationes & ancipites adhibere coguntur.

Cn. Norbanus. Prætor in Sicilia.

Vſu. Conſuetudine, cùm alij ad alios plerumque commeent.

Publicè conſcripſeris. Qui cum imperio in prouinciis erãt, cùm ad Senatum ſcribebant, publicè ſcribere dicebantur.

Tricalino. Triochalino, Vetus codex manu ſcriptus, & impreſſi Florentiæ vetuſtiſſimi. Et ita legit Volaterranus in libro VI. Triochala, inquit, vbi ſeruile bellum concitatum eſt. Silius,

Et mox ſeruili vaſtata Triochala bello.

Cicero in Verrem libro VII, In Triochalino, quem locum fugitiui antè tenuere. hæc ille.

Nominati erant. Sic dicebantur qui rei criminum poſtulati erant. Tranquill. Caligula Quæſtorem ſuum in coniuratione nominatum flagellant. Plinius in Epiſt. Inductus eſt nominatus. Egit ipſe pro ſe. Sic apud Iuriſconſultos vt in Comment. de verbis Iuris expoſui.

Tum potuit. Quod conſcius fortaſſe coniurationis dominus fuiſſet.

Nundinatio. Vſitata ratio quæſtus faciendi, qualis in nundinis eſſe ſolet.

In conſilio. Nimirum ipſi Iudices.

Publica tabula. Acta Magiſtratuum.

Ad Palum. Vt virgis cæſi cruci poſtea ſuffigerentur.

Exitus exitiales. Sic in Oratione contra Rullum ad Quir. Neque verò illa popularia ſunt æſtimãda, iudiciorum perturbationes, rerum iudicatarum infirmationes, reſtitutio damnatorum, qui ciuitatum afflictarum perditis iam rebus extremi exitiorum ſolent eſſe exitus.

Hac vbi veniunt. Eueniunt, poſtulare videtur oratio.

Vt non ab iis. Vetus codex, At pro Vt, tribus in locis proximis, quod ſine dubio rectũ eſt. Et vt quamlibet occaſionẽ arripiamus Ciceronis libros adiuuandi, idẽ propè mendum eſt in Partitionibus oratoriis, eo loco vbi de inſitis cõmemorat. Nam pro, Aut ea quæ ſunt quaſi coniuncta, Aut ea quæ ſunt quaſi pugnantia inter ſe, Aut earum rerum de quibus agitur, cauſæ, Aut cauſarũ euentus: pro quatuor, inquam, illis particulis AVT, reponendã ſingulis in locis VT, facilè demonſtraremus, niſi hoc breuiter monuiſſe ſatis eſſe putaremus. In eadem pagina locum infimũ ſic diſtinguo, & emendo, Habeo communia præcepta fidem faciendi, & commouendi. Quoniã fides eſt f.o. m.a.a.a.a.a.v.a.a. m.a.m.m.a.a. cupiditatẽ (tot enim [illegible] ſingulorum) omnem collocationẽ ad finẽ accõmodo definitæ quæſtionis. In impreſſis enim libris & praua interpunctione omnia peruerſa ſunt, & vox DEFINITÆ deſideratur. nam cùm duplex collocatio ſit, eorũ ſcilicet quæ ad fidem, & eorum præterea quæ ad motũ pertinent, non omnis ſanè collocatio ad quæſtionẽ omnino accommodanda eſt, ſed ad finitam. nam ad infinitam fides tantum pertinet, ad finitã & fides & motus. quare cùm de finita dixero, inquit, de vtraque dixero.

Cum M. Aquilio. Hunc dicit, quod eius exẽplo, ſperabat Hortenſius Caium quoque Verrem ob laudem imperatoriam abſolutum iri.

Cum Paulus. In Paulo, diſciplinam: in ſuperiore Africano, celeritatem: in altero, conſilium: in Mario, vim atque virtutem ſingulariter notat: vt aliquanto poſterius conſtabit.

Suſpenſos. Excitatos, & in ſpem coniungendarum copiarum erectos.

Cauſam dicere dominos. Elatoriè cùm ſuperius tantum dixerit, iis denunciatum, vt cum cauſa diceretur, adeſſent.

Vt ab eo ſeruorum ſceleris. Vox Seruorum, abeſt à libris veteribus etiam impreſſis: in queis Aldinum numeramus. Et rectè abeſt, vt ex ſententia & loco perſpicitur.

Carnifice internuntio. Qui cum iam carnifici ad ſupplicium traditi fuiſſent, tranſigi de illorum miſſione ſine carnificis opera non potuit.

H-S LX, Coronatos mille quingentos.

Nuper iuratus. In priore actione, cum teſtes producti ſunt.

H-S *centum abſtuliſti.* Coronatorum duo millia & quingentos.

Diocli filio. Dioclis, contra librorum omnium auctoritatem, corrigendum putarem.

De tribunali citari. Vt cauſam diceret, coniurationis accuſatus.

Tam diu maneret integer. Plagam aliquam pecuniariã nõ acciperet: nõ aliqua pecunia emũgeretur.

In nominibus. Id eſt, deberi. Sic in Topic. Non ſi vxori vir legauit omne argentũ, quod ſuũ eſſet: ſecirco quæ in nominibus fuerũt legata ſunt. multum enim differt in arcáne poſitum ſit argentum, an in tabulis debeatur. Quem in locum videtur vox Debeatur è gloſſa interpretis obrepſiſſe.

Conſtantiam. Nam quæ nunc cõmemorabit, ſummam in illius actis repugnantiam oſtendunt.

Belli fugitiuorum nomine. Quaſi conſcius ſeruorum conſpirationis fuiſſet.

Cum conſilio Referendum ad verbum EVOCAVIT, vt ſit, Cum conſilio iudicum, qui reorum cauſas cognouerant.

Quid ſi. Obiectio tacita Hortenſij: quaſi Cicero accuſatoria conſuetudine, ex eo quod ſeuerius iudicatum eſſet, inuidiam in Reum concitaret.

Factum clementer. In ſeruis abſolutis.

Reſcindere. Mox docebit hunc ipſum anno & ſex menſibus pòſt, accepta pecunia carcere dimiſſum & abſolutum.

Suo iudicio. Nam cuiuſque iudicium ſolet in re ſua eſſe grauiſſimum.

Ita conſtituas. Quominus veriſimile eſt eum ſeruorũ conſpirationis conſcium aut participem fuiſſe.

Salutem prouinciæ. Vt cæteris formidines ſimilium periculorum proponerentur.

Faſces Prætoribus Proprætoribus in prouinciaſ lictores præferebant ſex ſecures, quarum in ſummo faſces virgarum erant.

Vt iatera. Pecunioſis hominibus. Itaque mirabantur homines hunc Apollonium tam diu à Verre integrum manſiſſe.

Inuidioſi criminis. Quod cum ſeruis conſpiraſſet.

Redemiſſe. Periculum, ne in iſtiuſmodi calumniã raperentur. & ſic malo quàm MVLTO in quibuſdã.

Haſiſſe. Cõcinna tráſlatio à feris quę decipulis & laqueis adhęreſcũt: quaſi hos laqueos Verr. per totã prouin-

prouinciam pecunioſis hominibus poſuiſſet, in quos ſolus Apollonius incidiſſet: cùm cæteri metu perterriti, periculum pecunia vitaſſent.

Vitaredimi. Quæ tam grauia atque acerba ſunt, vt mori multis ſatius atque optabilius videatur.

Occurrere. Pecunia ſe à tantis incommodis liberare.

Iniectum ad crimen. Mirè dixit, pro In crimen: hoc eſt, ſine ſpe quæſtus atque prædæ, tantum crimen tanto homini obiectum.

Omnibus pecunioſis. Artificioſè ex vnius calamitate exiſtimari vult, ſimilem aliorũ complurium fortunam conditionémque fuiſſe.

Cupio mihi. Tertia pars orationis, in qua continetur digreſſio de vita Verris flagitioſa ac diſſoluta, atque à diſciplina militari diſiunctiſſima, vt intelligatur, nihil minus ad eius defenſionem, quàm rei militaris commemorationẽ conuenire.

Retinendum & conſeruandum, quaſo cognoſcite. Deprauatus locus, & aſteriſci nota inſigniendus.

Ad tempeſtatum vim ac fluminum. Vetus, Ac imbrium. itaque legitur in quibuſdam impreſſis.

Hac natura loci, cœlique dicitur. Sic Seneca in conſolat. ad Martiam: Videbis lepidiſſima hyberna & nullum diem ſine interuentu ſolis. vbi de Syracuſis loquitur. Idem autem de Rhodo inſulâ tradunt Plinius, & alij.

Non à Fauonio. Nam is ventus plurimum flat veris initio. Horatius libro tertio Carm.

Quid fles Aſterie, quem tibi candidi
Primo reſtituent Vere Fauonij.

Aut ab aliquo aſtro. Aquario. Aſtra enim hæc appellantur. Varro libro de re Ruſtica primo, Dies primus eſt veris in Aquario: æſtatis, in Tauro: Autumni, in Leone: Hyemis, in Scorpione. Et ibidem de Fauonio.

Meletenſe. Henricus Memmius vir clariſſimus, ex ingenio reponebat MELITENSIS ſecundo caſu: Nam in deliciis Melitenſe linum fuit: de roſa Melitenſi, nobis non conſtat.

Reticulúmque ad nares ſibi apponebat. Apud Nonium Marcellum, in dictione Minutum, Ad nares admouebat. Nihil muto. ſed tamen hoc modo locutum potiùs Ciceronem reperio. vt Tuſc. III. Faſciculum ad nares admouebis? incendes odores? Etiam aliud argumentum. Iterum idem Nonius in dictione Reticulus, M. inquit, Tullius in Verrinis, Reticulúmque ſibi ad nares admonebat. Et rurſus in dictione Macula. poſtremò etiã in dictione Tenuis.

Iura deſcripſerat. Deſcribere plerunque eſt diſtribuere ac diſpertiri. Ius igitur reddebat cuique pro rata pretij accepti. reddebat autem decretis interponendis.

In quibus Prætores conſiſtere, & conuentum agere ſolent. Conuentus ciuium R. erat, qui in prouinciis negotiabantur, & à Prætore, cùm forum agere vellet, aduocabantur. Ex quo quid ſit Conuentum agere, intelligitur. Lucas in Actis, cap. 19. οἱ μὲν οὖν Δημήτριος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ τεχνῖται, πρός τινα λόγον ἔχουσιν, ἀγοραῖοι ἄγονται, καὶ ἀνθύπατοί εἰσιν. Ad illa autem oppida in quibus conuentus agebantur, promitti vadimonia ſolebãt: vt ex Verrina v. intellectum eſt.

Prætorum. Codex Memmianus hoc amplius Prætorum populi R.

Verſari ſolet. Nihil muto. ſi quis tamen codex SERVARI haberet, eam lectionem non repudiarem.

Clamore atque conuicio. Hic quoque locus argumento eſſe poterit, conuicium à multis vocibus dictum eſſe: quod Vlpiano Iuriſconſulto videbatur: & ex oratione pro Sextio, quodam inſigni loco intelligitur.

Legibus qua in poculis. A magiſtro conuiuij, à quo magiſteria nominata ſunt: de quibus in Catone Maiore.

Vt Cannenſem pugnam. Æmylio Paulo, & Terentio Varrone COSS. & ducibus, cum maxima clade aduerſus Annibalem ad Cannas pugnatum eſt, cæſaque eo prælio Romanorum XLV millia cum Paulo COS. & Senatoribus LXXX, Conſularibus, atque Prætoriis, aut Ædilitiis XXX. Liuius.

Aeſtus ſumma. Id eſt extrema: de hac ipſa conſuetudine paulo infrà.

Et labor operis maximè offenditur. Senſus (niſi locus ſit corruptus) hic eſt, Labores operariorum facillimè perſpiciuntur: perſpicuè deprehenditur quantũ ſuo labore operarij perficere poſſint: Virgilius Æneidos 1,

dum quæ fortuna ſit vrbi,
Artificúmq; manus inter ſe, operúmq; labores
Miratur.

Pulcherrimo Syracuſarum loco. Alij nonnulli Luco: & rectius. vt paulò infrà, Lucum illum litoris percrepare totum. Hæc autem infrà ferè totidem verbis inculcat.

Carbaſeis intenta velis. Plinius libro XXX, cap. I. Hiſpania citerior habet ſplendorem lini præcipuum, torrentis in quo politur natura, qui alluit Tarraconem. Et tenuitas mira, ibi primùm Carbaſis repertis.

Virtute, non genere. Alludit ad illud Ennij, quò Annibalem loquentem facit: Hoſtem qui feriet, mihi erit Carthaginenſis, Quiſquis erit.

Cum pallio purpureo, tunicáque talari. Pallium Græcorum erat: Talaris Tunica mulierum. quæ geſtare indignum Romanis hominibus exiſtimabatur: idémque ipſum & Catilinæ & Antonio Tullius obiecit: & rurſus huic ipſi paulo poſt. Hoc didicimus ex Gellio, apud quem tamen mendum eſſe ſuſpicamur. Is libro VII, cap. XII, ſcribit his verbis, Tunicis vti virum prolixis vltra brachia, & vſque in primores manus, ac propè in digitos Romæ atque omni in Latio indecorum fuit. fœminiſque ſolis veſtem longè latéque diffuſam indecere exiſtimauerunt, ad vlnas cruráque aduerſus oculos protegenda. Indecere autem pro Decere nouè dixit. in Aldino enim libro ſic legitur. Et poſtea, Viri autem Romani primò quidem ſine tunicis, toga ſola amicti fuerunt: poſtea ſubſtrictas, & breues tunicas citra humerum deſinentes habebant. Liuius lib. XXXIX. Ipſius etiam Imperatoris (de Scipione loquitur) non Romanus modò, ſed ne militaris quidem cultus iactabatur. cum pallio, crepidiſque, libellis etiam palæſtræque operam dare, æquè ſegniter molliterque cohortem totam Syracuſarum amœnitate frui.

Percrepare totum mulierum vocibus. Apud Nonium Marcellum, in dictione Crepare, ſcriptum reperio, Muliebribus vocibus. Alij nunc antiquorum codicum auctoritate hanc Lectionem aut

tueti,aut refutare poterunt.

Vetus Antoniana. De qua proximè locutus eſt.

Omnia illius æra illa vetera. Adoleſcentibus Romanis moris fuit ad bellum vnà cum Imperatoribus proficiſci: & æra, id eſt ſtipendia merere, quæ militibus ſemeſtria, aut annua dabantur.

Abduci non perduci. Tota ironica eſt oratio. Perduci enim ad libidinem pueri dicebantur, vt Verrina III. docuimus: Verres autem dicebat ſe abduci: id eſt ſubduci, & pudicitiam ſuam attentari: ſed non perduci, id eſt, peruinci.

Tamen ære dirutus eſt. Ære diruti dicebantur, quibus ſtipendium propter ignominiam non dabatur, quòd Æs diruebatur in fiſcum, non in militis ſacculum. Varro, Nonius, & Feſtus. Senſus eſt autem per tranſlationem, Tametſi frequens eſſet in caſtris aleatoriis, vt ſtipendio priuandus non eſſet, tamen ære dirutus eſt, id eſt omnia alea perdidit. Et vide ſupra, lib. I.

Ab iſto ætatis fructu. Dum ætatis & corporis fructu vendendo pecuniam conficeret.

L. Lucullo, M. Cotta COSS. Quo anno Romæ Præturam geſſit.

Vadimonij cauſa. Nam ex proximis municipiis vadimonium Romam promittebatur.

Iura omnia populi R. Codex Memnianus, Prætoris vrbani, quod ſine dubio rectum eſt.

Chelidonis. De qua Verrina III. coploſè locutus eſt.

Cùm paludatus exiſſet, votáque pro imperio ſuo, communique Populi R. nuncupaſſet. Paludamenta (vt Varro in VI de lingua ſcribit) ſunt inſignia & ornamenta militaria. Ideo ad bellum cùm exit Imperator, ac lictores mutant veſtem, & ſigna incinuerunt: paludatus dicitur proficiſci: quæ, propterea quòd conſpiciuntur qui ea habent, ac fiunt palam, paludamenta dicta. Imperatoris autem ad bellum ituri ceremoniæ declarantur his Liuij verbis, quæ ſubiiciam, Per hos fortè dies P. Licinius COS. votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab vrbe profectus eſt. Semper quidem ea res cum magna dignitate ac maieſtate geritur, præcipuè conuertit oculos animoſque, cùm ad magnum nobilémque aut virtute aut fortuna hoſtem, euntem COS. proſequuntur. Contrahit enim non officij modò cura, ſed etiam ſtudium ſpectaculi, vt videant ducem ſuum, cuius imperio conſilioque ſummam R.P. tuendam permiſerunt. Et libro eiuſdem Decadis V, Conſul proficiſcens Prætorve paludatis lictoribus in prouinciam & ad bellum, vota in Capitolio nuncupat: victor perpetrato eodem, in Capitolio triumphans, ad eoſdem deos quibus vota nuncupauit, merita dona Populi R. traducit. Ex hoc autem Ciceronis loco intelligi poteſt, qua de cauſa magiſtratus quidam Ad vrbem dicerentur. Nam ex vrbe paludati exibant, ſed dum ad vrbem eſſent, ita dicebantur. de quo latius diſputaui in Verrina Oratione II.

Votáque nuncupaſſet. Vota nuncupata dicuntur, inquit Feſtus, quæ Conſules Prætores cùm in prouinciam proficiſcuntur faciunt: ea in tabulas præſentibus multis referuntur.

Sed etiam creditum, ac commiſſum. Quorum hæc differentia eſt, quod rebus datis abuti licet: commiſſis ac creditis non licet.

His extraordinariis cupiditatibus. Extraordinariæ

A cupiditates dicuntur, quæ contrà atque modus & ordo vitæ flagitat, intemperanter & immoderatè conquiruntur: vt cùm quis rebus Venereis vtitur, non vt naturæ neceſſitatique pareat, ſed voluptatem nouam excogitat: vt Xerxes, qui præmium ei propoſuiſſe dicitur qui nouam voluptatem inueniſſet.

Nunc ſum deſignatus Ædilis. Prior, vt in Orat. in Piſonem gloriatur. Erant enim duo Ædiles, B Curules ex Curia dicti: quòd hi ex Patribus, id eſt Senatoribus erant. de quibus in tertio de Legibus ſic ſcribit, Suntoque Ædiles curatores vrbis, annonæ, ludorúmque ſolennium: olliſque ad honoris amplioris gradum is primus aſcenſus eſto. Hi iuriſdictionem quidem habebant. imperium verò non habebant. ex minoribus enim magiſtratibus erant, vt ex Liuio & Gellio intelligitur: quorum alter prehendi, ducique à maioribus magiſtratibus Ædilem ſcribit, alter à priuato in C ius vocari. itáque Verrina II, ſic ſcribit, Erit tum Conſul Hortenſius cum ſummo imperio & poteſtate: ego autem Ædilis, hoc eſt paulo amplius quàm priuatus.

Maxima cum cerimonia. Codex Memnianus, Cùm cura, tum ceremonia. quod non diſplicet.

Qui primi Romani ſunt nominati. Hos L. Tarquinius inſtituit, primoſque in Circo qui Maximus dicitur, dedit: bello cum Latinis fœliciter geſto, & Appiolis captis. Solennes deinde annui manſe D re ludi, primique Romani ſunt nominati. auctor Liuius.

Antiquiorem in Senatu ſententia dicendæ locum. Non quo Ædiles ſententiam primi rogarentur: ſed Antiquiorem, quàm alij ſcilicet Senatores, priuati homines: ita tamen priuati, vt pedarij non eſſent, ſed curulem aliquem magiſtratum antea geſſiſſent. nam Pedarij ſententiam in Senatu verbis non dicebant, ſed in alienam ſententiam pedibus ibant.

E *Sellam curulem.* At Ædiles erant in minoribus Magiſtratibus. Pedianus autem minores Magiſtratus non è tribunali, ſed ex ſubſelliis ius dixiſſe ſcribit. Cogitandum igitur, an in ſenatu tantùm curuli ſella, vterentur: cùm autem ius dicerent, in ſubſelliis conſiderent.

Ius, imagines. Ius enim dicebant Ædiles de certis rebus. Sic enim legere malo: quàm vt alij quidam, Ius imaginis. De imaginibus autem Polyb. lib. VI, ſic ſcribit, moris fuiſſe, vt cùm aliquis è no F bilibus eſſet mortuus, deferretur in roſtra, nonnunquam ſtans ante omnium oculos, rarò autem recubans. dein oratione de ipſius laudibus pronunciata, eoque ſepulto & iuſtis factis, mortui imago in clariſſimo aliquo domus loco poneretur in cellula lignea condita: ἡ δ᾽ εἰκών ἐστι πρόσωπον εἰς ὁμοιότητα διαφερόντως ἐξειργασμένον καὶ κατὰ τὴν πλάσιν, καὶ κατὰ τὴν ὑπογραφήν. Eſt autem imago perſona ad ſimilitudinem inſigniter & forma & lineamentis expreſſa. Eas autem imagines feſtis G publicis aperiebant, ornabántque: cúmque aliquis ex ea familia mortuus efferretur, imagines illæ ſimul efferebantur. Hæc ille: quibus verba Plinij conſentanea ex lib. XXXV. cap. II. ſubſcribam. Expreſſi, inquit, cera vultus, ſingulis diſponebantur armariis, vt eſſent imagines quę comitarentur gentilitia funera, ſempérque defuncto aliquo, totus aderat familiæ eius, qui vnquam fuerat, populus.

Cicero

Cicero initio Agrariæ ſecundæ. Eſt hoc in more A
poſitum Quirites, inſtitutoque maiorum, vt ij qui beneficio veſtro imagines familiæ ſuæ conſecuti ſunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficij veſtri cum ſuorum laude coniungant.

Imagines, ad memoriam poſteritatémque prodendam. Dura oratio, Prodere poſteritatem. Nonius Marcellus ſic interpretatur, vt ſit prætendere, propagare. citátque & hunc locum, & illud Virgilij, Æneidos IIII, B

Italiam regeret, genus alto à ſanguine Teucri
Proderet.

Seniorum, iuniorúmque centuriis. Nam quibus in comitiis Prætores & Conſules creabantur, in iis comitiis populus non per tribus, ſed ex cenſu, ordinibus, & ætate per centurias diuiſus ſuffragium ferebat. vnde Centuriata comitia appellata ſunt. Locus autem notatione dignus eſt: ex quo intelligitur præconem in comitiis centuriatis non ſemel vniuerſæ claſſis, ſed ordine cuiuſque C
centuriæ ſententiam pronunciare ſolitum fuiſſe.

Sorte obtigiſſet vt ius diceres. Creati à populo Prætores, prouincias, id eſt procurationes inter ſe ſortiebantur: cui Iuriſdictio obuenerat, Prætor is vrbanus appellabatur: cæteri Quæſitores. Eam procurationem paulo pòſt Prouinciam tranſlato verbo appellat. Nam prouincias quoque Prætores olim inter ſe ſortiebantur, antequam magi- D
ſtratum inirent, vt alio loco declarauimus. Sic ſuprà. Nam vt Prætor factus eſt, qui auſpicatò à Chelidone ſurrexiſſet, ſortem nactus eſt vrbanæ prouinciæ.

Ad ſummam ſtultitiam nequitiámque veniſſe. Obſcurus mihi locus. Fortaſſe ſic ſcriptum erat, Ad ſumma ſtultitia nequitiáque hominem veniſſe. Cùm autem vox Hominem, omiſſa eſſet, ablatiuus in accuſandi caſum facilè mutatus eſt. Sed nihil affirmo, videtur enim ſtultitiæ ſapientiam nequitiæ integritatem ſimpliciter opponere. E

Ad bellum confugias. Vt ex eo tibi defenſionis facultatem aliquam compares.

Illud Thempſanum incommodum. Strabo & Plinius Temeſſam ab Lao primam eſſe vrbem Brutiæ tradunt, ſua ætate dictam Tempſam. In eam Scipione & Sempronio coss. deductam eſſe coloniam Liuius auctor eſt, libro IIII Decadis tertiæ. Eam autem à fugitiuis qui poſt Spartaci necem reliqui facti ſunt, populatam fuiſſe Cicero ſignificat.

Cùm ad te Valentini veniſſent. Hipponem eſſe F
non longè à Tempſa ſcribunt iidem, quos antè nominaui: quæ ipſorum ætate Vibona Valentia nominata ſit. Hos Valentinos eſſe puto, Tempſanorum vicinos, de quibus loquitur.

Cum tunica pulla. Tunica ſolebant vti purpurea cum lato clauo. Pulla autem amictos tunica, Cicero in Vatiniana interrogatione atratos appellat. Pallium Græcorum hominum erat.

In æde Bellonæ. Exterarum nationum legatis, quos in vrbem admittere nolebant, Senatus da- G
batur in æde Bellonæ. Sex. Pompeius. Animaduerti tamen etiam magiſtratibus qui ad Vrbem dicebantur, datum in eo tẽplo Senatum. Liuius enim libro Decadis III octauo, de P. Scipione loquens. Ipſe, inquit, decem nauibus Romam rediit. Et Senatu extra vrbem dato in æde Bellonæ, quas res in Hiſpania geſſiſſet, diſſeruit. Et libro IX inſequentis Decadis, Lucius, inquit, Manlius Proconſul ex Hiſpania redierat: cui poſtulanti ab Senatu in æde Bellonæ triumphum, rerum geſtarum magnitudo impenetrabilem faciebat.

In eorum tabellis ſpem ſibi aliquam pones. Tabellas iudiciales dicit, quibus damnaturi erant Verrem iidem ipſi qui eum voce tum damnarant. Iudicabant enim Senatores lege Cornelia L. Syllæ.

Eſto nihil ex fugitiuorum. Quarta pars Orationis, quæ refutationem continet aduerſus Hortenſium, qui nauale bellum contra pyratas ſumma virtute à Verre adminiſtratum, pyratáſque complures, in his Archiparatum ipſum, captos ab eo defendebat.

Diligentiámque in eo ſingularem. Subaudiendum verbum, adhibuit. Nam habere diligentiam, nõ memini me legiſſe.

Poſt videbatur. Senſus concinnior videretur, ſi ſic legeremus: Poſt, ſi videatur, & ipſum literis & teſtibus quæreremus. Codex Mennianus meam hanc ſententiam confirmat.

Simul cùm iſte decederet. Legendum fortaſſe, Et ſimul cum iſto decederet. Vt particula ET quæ mox ſequitur REAVS, ET IIS hunc in locum transferretur, nihil tamen affirmo.

Antiqua ſunt iſta leges. Legem Claudiam intelligit, de qua Liuius lib. XXI. ſic ſcribit. Inuiſus etiam Senatui ob nouam legem, quam iniquè Q. Claudius Tribunus pl. vno patrum, adiuuante C. Flaminio tulerat: ne quis Senator, quive Senatoris pater fuiſſet, maritimam nauem, quæ plus quàm trecentarum amphorarum eſſet, haberet: id ſatis habitum ad fructus ex agris vectandos. Quæſtus omnis indecorus patribus viſus eſt.

Mercari nihil. Lex enim fuit de qua ſuperiore Oratione dictum eſt, vt qui cum imperio ac poteſtate in prouinciis eſſẽt, ne quid emere eis liceret.

Nauicularium factiturum. Facere nauiculariam, vt alibi, Facere mercaturam facere argẽtariam: pro quæſtum, ex arte nautica facere, artem nauticam exercere.

Tuis Mamertinis laudatoribus. Scriptum opinor, Mamertinis tuis laudatoribus. De Mamertinorum legatione quæ Verrem laudabat, priore actione dictum eſt.

In tabulis nihil habent. Scriptum non habent, ſe tibi in ſumptum pecunias dediſſe.

Etenim vel Capitolium. In hanc ſententiam Liuius libro primo his verbis, Tarquinius, inquit, intentus perficiendo templo, fabris vndique ex Hetruria accitis, non pecunia ſolùm ad id publica eſt vſus, ſed operis etiam ex plebe. qui cùm haud paruus & ipſe militum adderetur labor, minus tamen plebs grauabatur, ſe templa Deum exædificare manibus ſuis.

Deinde id quod perſpicio & quod oſtendam. Vetus, Deinde id quoque perſpicio, quod & oſtendam. itáque arbitror emendandum.

Eſſe perſcriptas. Perſcribi ei pecuniæ dicuntur, cui expenſæ latæ ſunt: id eſt, cui ſcriptum eſt in tabulis, eas pecunias expenſas, ſiue adnumeratas fuiſſe. Scriptum igitur fuerat in Mamertinorum tabulis publicis pecunias Verris in falſas quaſdã & ementitas operum locationes erogatas fuiſſe, quas in illam triremem ædificandã impenderat.

Quid emeris, aut quid locaueris. Attingit differen-

tiam apud Iuriſconſultos nobilem emptionem A
eſſe,cùm artifex & rem & operas præbet.locatio-
nem,cùm rei materia ſubminiſtratur, ipſe ſolum
ſuas operas præbet.

Scriptum proferre. Nam moris erat vt ſinguli pa-
treſfam.omnia & expēſa & accepta in tabulas re-
ferrent; atq; ex iis fidem expenſarum ſuarum fa-
cerent vt dictum eſt in ea pro Comædo.

In Fecialium manibus educatum. Fecialium col-
legium à Numa Pompilio inſtitutum eſt, qui de
belli paciſq; & fœderū iure conſulerentur:itáque B
& ad eos de bello indicendo referebatur, & bel-
lum ipſi pium verbis conceptis indicebant:fœde-
raque etiam ſanciebant,in quibus ſiquid de quo
ambigeretur, ortum eſſet, referri ad eos cōſueue-
rat. Varro de vita Populi R. Itaque bella & tardè,
& nulla licentia ſuſcipiebant: quòd bellum nul-
lum,niſi pium, putabant geri oportere: & prius,
quàm indicerent bellum iis, à quibus iniurias fa-
ctas ſciebant, Feciales Legatos repetitum mitte-
bant quatuor,quos Oratores vocabant C

Dedantur Mamertinis. Appoſitè Dedātur: verbo
Fecialibus vſitato. Nam qui fœdus violarant,ii vt
populo,cuius fœdus violarant,dederentur,Fecia-
les poſtulabant. Varro de vita P.R. Si cuius Legati
violati eſſent,quid feciſſent, quamuis nobiles eſ-
ſent,vt dederentur ciuitati ſtatuerunt: Fecialéſq;
x x qui de his rebus cognoſcerent, iudicarent &
ſtatuerent,conſtituerunt.

Plus Mamertinis Cybea. Id eſt, quadrata. vide
ſuprà. D

Pretio abs te ius fœderis. Legendum putarē CON-
TRA ius fœderis:non enim ius fœderis emerunt,
ſed ne in naues ſumptus facerent pretiū dederūt.

Ex lege Terentia & Caßia. De ea libro III co-
pioſe dictum eſt.

Ex eo genere. Ex genere decumani, quod ab a-
ratoribus ſine prætio exigebatur.

Quod emeretur. Siciliæ ciuitates ea conditione
in fœdus receptæ fuerant, vt cum vſus ferret, fru-
mentum populo R. certo pretio darent:quod ge- E
nus emptum vocabatur,pro quo ex S. C. pecunia
ſoluebatur.

Qui publicos agros arant. Septemdecim Siciliæ
ciuitatum,quæ bellum cum populo R. geſſerunt,
agri publicati ſunt,iiſq; tamen redditi. Hi à Cen-
ſoribus locari ſolebant aratoribus,tum Siculis,tū
ciuibus R. qui certum frumenti numerum quot-
annis populo R. ſoluerent:reliquum ſibi haberēt:
id eſt,ſuis ciuitatibus colerent.

Quid Decumani Decumanos appellat,non ipſos F
Publicanos qui Decumas emebant, ſed aratores
qui debebant.

Et vt hoc beneficium. Vetus codex, At vt hoc,&c.

Trabali clauo figeret. Ingēti & valido,quales ſunt,
quibus trabes coniunguntur. Nam per ridiculū
transfertur ad ea quæ vehementer firmantur ac
ſtabiliuntur. Horatius Carminum I.

Te ſemper anteit ſæua neceſſitas,
Clauos trabaleis,& cuneos manu
Geſtans ahena:nec ſeuerus
Vncus abeſt,liquidúmque plumbum.

A malo auctore emiſſent. Auctor dicitur is,à quo
quis ius in rem quampiā titulo aliquo nactus eſt:
vt pro empto, pro donato, & ſiqui ſunt generis
eiuſdē. Quod nomē ab auctionibus deductū opi-
nor,in quibus is rem aufert,qui maximè pretium

A auxit. vnde etiā Auctoritas verbum declinatū eſt,
de quo in orat. pro Cæcina explicauimus. Nam
quod vtrunque verbum ſine c pleriq; ſcribunt,
id eos præter veterum cōſuetudinem facere tum
ex antiquis monimentis intelligitur, in quibus c
litera ſemper adiecta eſt:tū ex Valerii Probi notis
antiquis,qui AVC. pro Auctor notari ſolitum te-
ſtatur Hoc igitur Orator dixit ἀλληγορικῶς. Nam
quæ res à malo auctore accepta eſt, ea iure ciuili
per verum dominum nullo negotio aufertur.

B *Decretarum & frumenti.* Codex Mennianus,de-
cretarum frumenti. quod ſine dubio verum eſt.

Primum vt in iudiciis. Vt, particula meo iudicio
vacat.

Legitimum numerum. Hoc loco intelligimus vſi-
tatum numerum non legatorum ſed legatio-
num,quæ ex prouincia mitterentur, ad eius lau-
dationem qui cum imperio in ea fuerat,fuiſſe de-
cem. Vide quæ diximus Verrina II.

Spoliatos, expoliatóſque. Expilatóſque legendum,
C vt in aliis omnibus.

Omnia eſſe largitum. Nam & biremem quam de-
bebant, & frumenti numerū quod pro ſua por-
tione dare debebant,eis remiſerat.

Contra legem. Claudiam, de qua ex Liuio ſupe-
rius diximus. Mennianus codex LEGES, quod à
conſuetudine Ciceronis non abhorret.

Auaritia & nequitia tua. Mire duo contraria
coniunxit. Nequitia enim eorum eſt,qui tum ne-
potes,tum diſſoluti appellātur, qui rem ſuam diſ-
D perdunt. Itaq; prætor prodigo rerum ſuarū cō-
mercio his verbis interdicebat: Quando tu bona
patria auitaque nequitia tua diſperdis. Sed auari-
tiam notauit,vt militum remigúmque pecuniam
propterquam ea nauis amiſſa eſt,iudicibus reno-
uaret. Nequitiam autē,vt Verris in populi R. re-
bus adminiſtrandis negligentiam oſtenderet. Er-
go auaritiam in re ſua nequitiam in publica. Et
vide infra. prædonū dux Heracleo non ſua virtu-
te,ſed iſtius auaritia nequitiaq; victor,quod infra
E ſic interpretatur: Miſſione remigum; famæ reli-
quorum.

Precario eſſent rogandi. Inſolens locutio: Rogare
aliquem precario, videndum igitur an Eſſet RO-
GANDA, potius legendum ſit:vt ad nauem refer-
retur. Quaſi dictum eſſet,vt etiamſi non pro iure
fœderis, ac pro imperio poſceretur,ſed precario
rogaretur.

Merces imperij auxilium iuris. Vetus, Auxilij,iu-
ris:& ſic puto legendum. nam per irriſionem lo-
F quitur cum indignatione. quaſi diceret,Mamer-
tini hanc tibi Cybeam perſoluerunt, quaſi mer-
cedem imperij populi R. & auxilij, quod ei ex
fœdere præſtare debent. hoc apparet infrà,
vnde etiam intelligitur non TVI merces, vt in
aliis: ſed FVIT merces, vt in hoc noſtro corrigē-
dum eſſe,

Etiam in ſociorum & Latinorum ſtipendio. De Lati-
narum ciuitatū iure ac conditione, quo tempore
Latium in populi R. ditionem ſubactum eſt,
G quoniā nonniſi pluribus verbis explicari poteſt,
melius eſt ex Liuio cognoſcere, eo loco quē indi-
cabo, libro ſcilicet Decadis I, octauo: paucis pagi-
nis poſt libri initium.

Poſt imperium conſtitutum. Eodem modo dici-
tur,vt,poſt vrbem conditam.

Deſcribere. Poſteriores dixerunt Taxare.

Certo

Certo pretio ſexcentenos numos nautarum miſſione conſtituere. Apertius ita legeretur, & (vt opinio mea fert) rectius, certum pretium, ſexcentenos numos, nautarum miſſioni conſtituere.

Quod & nautæ. Codex Mennianus, Quod eius nautæ. Placet.

Nomine claſſis, eſſent in Sicilia re quidem vera naues manes. Confuſa locutio: concinnior erit ſententia, ſi ſic legamus, & verba interpungamus, Nomine, claſſis eſſet in Sicilia: re quidem vera, &c. vt ſit, Verbo & ſimulatione claſſis erat in Sicilia: at reuera, &c.

P. Ceſetius, & P. Tadius. Verris legati, vt conſtat ex ſuperioribus.

Ex claſſe noſtra. A claſſe, antiquus liber. quod perſpicuè verum eſt.

Tametſi noctu. Mennianus codex, in Acta, quod valde arridet.

Cuſtodes miſit. Id eſt, obſeruatores & explotatores: qui ſtationes quoque perſcriberent, atque conficerent, ἀντιγραφεῖς à Græcis appellabantur.

Cohortique. Coborti Prætoriæ, qua pro præſidio Prætores vtebantur.

Symphoniacos ſex. Omnes & manuſcripti & impreſſi veteres, Symphoniacos homines ſex. à quorum auctoritate ſine cauſa diſcedere non auſim.

Coniectura bona eſt. Sic omnes antiqui. nunc ſunt qui reponant, coniectura eſt, quod antiquandum puto. Nam coniecturam bonam dixiſſe videtur: pro bona copia æſtimandi datur: bona facultas eſt coniecturæ faciendæ.

Vt mos eſt, vt ſolet fieri. Poſtremum è margine ſumptum videtur, & ab indoctis librariis cum veris germaniſque verbis contextum.

Homines maritimi. Alij, opinor, omnes, Homines Mamertini: quod perſpicuè falſum eſt. cùm de Mamertinis nunquam niſi inuidioſè & maledicè loquatur. nam Mamertini legationem, quemadmodum ſæpe antea dictum eſt, laudandi Verris cauſa miſerant.

Seruilius. Iſauricus: de quo Verrina III dictum eſt: qui phaſelin, Olympum, & Iſaurum Ciliciæ vrbes quibus ſe piratæ tuebantur cepit. Cicero poſtea Niconem nobiliſſimum piratam nominat à Seruilio captum, & cùm fugiſſet, recuperatum.

Ante currum. Nam moris fuit, vt qui triumphãtes vrbem inirent, vinctos hoſtium duces ante currum ſuum ducerent, eoſque cùm de foro in Capitolium currum flectere inciperent, duci in carcerem, ſecurique feriri iuberent.

Lautumias Syracuſanas omnes audiſtis. Latomias, legendum potius exiſtimarem, παρὰ τὸ λᾶας καὶ τέμνειν. vnde Latomi etiam nominati, qui lapides excidunt. Et ſic apud Varronem ſcriptum reperio, libro de Lingua IIII, Quod, inquit, Syracuſis vocantur Latomiæ, & de Latomia tranſlatum, quòd hic quoque in eo loco lapidicinæ fuerunt. Et apud Sex. Pompeium, Latumias, inquit, ex Græco, & maximè à Syracuſanis, qui Latomias & appellant, & habent ad inſtar carceris, ex quibus locis exciſi ſunt lapides ad extruendam vrbem. Itaque λιθοτομίας Thucydides appellat, libro VII extremo, ſic ſcribens, καὶ τοὺς μὲν ἄλλους ἀθηναίους, καὶ τῶν ξυμμάχων ὁπόσους ἔλαβον, κατεβίβασαν ἐς τὰς λιθοτομίας, ἀσφαλεστάτην εἶναι νομίσαντες τ

A τήρησιν. Paucis autem pòſt verſibus locum deſcribit his verbis, quæ non inutile fuerit ſubiicere. τοὺς δ' ἐν ταῖς λιθοτομίαις οἱ συρακούσιοι χαλεπῶς τοὺς πρώτους χρόνους μετεχείρισαν. ἐν γὰρ κοίλῳ χωρίῳ ὄντας, πολλοὺς οἵ τε ἥλιοι τὸ πρῶτον καὶ τὸ πνῖγος ἔτι ἐλύπει, διὰ τὸ ἀστέγαστον. καὶ αἱ νύκτες ἐπιγιγνόμεναι τοὐναντίον μετοπωριναί, καὶ ψυχραὶ τῇ μεταβολῇ ἐς ἀσθένειαν ἐνεωτέριζον. πάντα τε ποιούντων αὐτῶν διὰ στενοχωρίαν ἐν τῷ αὐτῷ. καὶ προσέτι τῶν νεκρῶν ὁμοῦ ἐπ' B ἀλλήλοις ξυννενημένων οἳ ἔκ τε τῶν τραυμάτων, καὶ διὰ τὴν μεταβολὴν, καὶ τὸ τοιοῦτον ἀπέθνησκον. καὶ ὀσμαὶ ἦσαν, οὐκ ἀνεκτοί. quem locum ſic conuertimus, Eos verò qui in Latomiis erant, Syracuſani primùm duriter & acerbè tractabant. Cùm enim illo in loco concauo frequentes eſſent, primùm quidem ſol & æſtus eos offendebant, quòd locus apertus eſſet, ac ſine tecto. Noctes autem inſequentes, quæ Autumnales erant & frigidæ, noua & contraria ratione propter mutationem morC bos inducebant. Eò accedebat, quòd propter loci anguſtias ibidem omnia facere, & naturæ neceſſitati parere cogebantur. quinetiam cadauera eorum qui aut ex vulneribus, aut propter illam aeris mutationem, aut ſimili quapiam de cauſa mortem obierant, ſimul congeſta & coaceruata erant. Ex quo quidem odoris intolerabilis fœditas conſequebatur.

Periti & humani. Animaduertendum, humanos dici pro acutis & ingenioſis: quales ſunt SiD culi. quod Gellius lib. XIII huius verbi vim exquirens, prætermiſiſſe videtur.

Ex nauigio quod erat factum ſex remorum numero. Pagina inſequenti Mioparonem pyraticum appellat. Itaq; non dubium eſt quin Menniani codicis ſcriptura melior ſit, quod erat captum, & ex remotum &c. puto tamen etiam particulam EX ſuperius deeſſe, vt ſit: Oporteret & ex ipſo.

Cùm tanto plures. Obſcura mihi locutio. quod ſi quis liber ALTERO TANTO ſcriptum habeE ret, eam lectionem non grauatè, cum hac noſtra commutarem.

Alios Sertorianos milites. Q. Sertorius à Sylla proſcriptus, in vlteriore Hiſpania bellum ingens excitauit, plurimáſque ciuitates in poteſtatem ſuam redegit. Metellum & Perpennam cum duobus exercitibus prœlio fudit, tandem octaue ducatus ſui anno à M. Antonio & M. Perpenna aliiſque coniuratis in conuiuio interfectus eſt, magnus dux, & aduerſus duos Imperatores, F ſæpe par. Liuius, Plutarchus, Appianus.

Aut aliquam ob cauſam nauigarent. Vetus, Aliquam aliam ob cauſam. & puto rectius.

Quemadmodum ſeſe induit. Irretiuit, illaqueauit. Similiter libro Accuſat. II, Videte porro aliam dementiam: videte, vt, dum expedire ſeſe vult, induat. Locutio à feris tranſlata eſt, quæ plagis ſibi à venatoribus poſitis quo magis expedire ſe conantur eo magis impediunt.

Securi non percuſſiſſe. Sed domi ad iudicium G ſuum conſeruaſſe, quo facilius crimen inimicorum diluere poſſet.

Non ita vixeras. Hæc quaſi ironicè dicta accipienda ſunt: cùm toties in ſuperioribus orationibus docuerit, eum multa in ſe ſcelera admiſiſſe, propter quæ aliquando in iudiciũ vocãdus eſſet.

Quid igitur cùm eſſes in imperio. Qui igitur, cùm eſſes in imperio: alij, opinor, omnes. In imperio

autem; vt Cum imperio Latinè dicimus. Cicero de Finib. II, Virginem filiam ſua manu occidit, potiùs quàm ea P. Clodij libidini, qui tum erat ſummo in imperio, dederetur.

Producere ad ignotos. Dixi iā anteà priore actione, Notos & Ignoros, de vtriſque dici: & qui norūt, & qui noti ſunt: qui ignorant, & qui ignorantur.

Quod cum imperio. Quo cum imperio, legendum puto; & ſic conſuetudo poſtulat. Locus autem oſtendit, priuatum, & cum imperio eſſe, ab antiquis opponi: de quo tamen à quibuſdam reprehendi me temerè animaduerti. Mennianus Codex QVOAD.

M. Actilium. Huius iudicij Prætorem, penes quē ea poteſtas erat.

Seu potius. Nam hoſtes propriè ſunt, qui nobis, aut quibus nos bellum decreuimus: cæteri latrūculi vel prædones ſunt. l. 118. D. de verb. ſignif. l. 24. D. de Captiu.

Duci in carcerem. Idē ſcribit Zonaras lib. II, moris fuiſſe vt triumphans in forum R. curru inſigni deuectus captiuos in carcerem duci, ac necari iuberet, ac tum in Capitolium aſcenderet, ibique ſacrificium quoddam faceret.

Eſt nunc, tres denique iam dubium. Omnes libri veteres, Et nunc credo eſſe dubium. quod ſi ſine antiqui auctoritate codicis immutandum putarem, impudens viderer.

Quæſo cui probares. Ita placet. Sed ſi quo in libro veteri legeretur QVÆSO, magis aliquāto placeret.

Taménne id credi poteſt. Hanc ſcripturam quāuis nullius, quem quidē viderim, codicis auctoritate confirmatam, ſententia tamē apertè comprobat. cùm in aliis libris vitioſè ſic legatur, Tamē te dedideri vides: quo nihil abſurdius dici poteſt.

Hac tanta præda. Quinta pars orationis in qua de Siculorum claſſe, cui Verres Syracuſanum hominem Cleomenem præfecerat ab Heracleone archipyrata fugata atque inflammata exponit.

Aeſtate ſumma. Id eſt extrema, vt apparet, ex inferioribus. vbi hanc orator conſuetudinem exponit.

Quod iam demonſtraui. Hac ipſa Oratione infrà. vbi hæc ipſa totidem ferè verbis dicta ſunt.

In littore. Hoc littus & vulgo Syracuſis Acta dicebatur, & ita Cicero paucis poſt verſibus illud appellat.

Tot in acta dies. Id eſt, in littore: vt apud Virg. lib. Æneid. V.

Ar procul in ſola ſecretæ Troados acta,
Amiſſum Anchiſen flebant.

Alij reponunt TOT NOCTES AC DIES, quod non opinor ex antiquo libro ſumptum: præſertim cùm ſexaginta dies Cicero modò nominarit. Actam autem vulgo Syracuſani littus illud appellabant. Vide Seruium in V. Æneid. Strabo. lib. IX. dictum putat ἀπὸ τοῦ ἄγνυσθαι.

Atque imperat. Mennianus codex, Imperare: quod valdo placet.

Legatis poteſtatem. Dixi iam ſemel ac ſæpius, Legatos cum poteſtate eos eſſe, qui ab Imperatore cum poteſtate imperatoria alicui prouinciæ ac negotio præfecti ſunt.

Prætoris denique poteſtatem. Ita probo: cùm in aliis corruptè ſcriptum ſit, Populi R. Error autem ex notæ ignorantia natus eſt: cùm P.R. pro vtroque vocabulo ſcriberentur. Idem apud Cæſarem

A libro de bello ciuili I, acciderat: vt diximus infrà.

Ternis denariis. Inſignis locus ex quo intelligitur, frumentum illud quod legatis & Quæſtorib. in cella dabatur, tribus tantùm denariis æſtimatum fuiſſe.

Vbi muli? Vbi tabernacula? Liuius lib. XII, Ante L. Poſthumium COS. nemo vnquam ſociis in vlla re ſumptui aut oneri fuit: ideo magiſtratus mulis tabernaculiſque, & omni alio inſtrumento

B militari ornabantur, nequid tale imperarent ſociis. priuata hoſpitia habebant, ea benignè comitérque colebant: domúſque eorum Romæ hoſpitibus patebant, apud quos ipſis diuerti mos eſſet.

Tum etiam cognatione. De hoc ſuperiore libro dictum eſt infrà.

Habitare in ea parte. Quod, vt infra dicet, qui illam partem vrbis tenerent in eorum poteſtatem vrbem futuram intelligebant.

C *Habitari in eo loco Syracuſanum.* Vetus, Habitare. & ſic puto corrigendum: vt infrà.

Soleatus Prætor. Soleæ, crepidæ ſunt muliebres, quibus plantarum calces tantùm infimè teguntur: cæteris propè nudis & teretibus habenis vinctis. Gerebantur in ipſo feruore æſtatis: at viros, præſertim belli duces atque Imperatores tales mulierum deliciæ minus decere exiſtimabantur. Vide Gellium libro XIII, cap. XX. De pallio & tunica paulo ante explicatum eſt. Plutarchus in

D Antonio Φαικάσια ſoleas videtur appellare. διὰ τούτους εἰς τὰ τοὺς Ἕλληνας, ἐγυμνασιάρχει δὲ Ἀθηναίοις, καὶ τὰ τῆς ἡγεμονίας παράσημα καταλιπὼν οἴκοι μετὰ τῶν γυμνασιαρχικῶν ῥάβδων, ἐν ἱματίῳ καὶ φαικασίοις προῄει. Id eſt, Ob eas cauſas Græcos conuiuio excepit, & Athenis gymnaſij magiſtrum egit: relictíſque domi Magiſtratus inſignibus, & acceptis gymnaſiarchatum virgis, cum pallio & ſoleis in publicum prodiit.

Quod erat terreſtre præſidium. Sententia poſtulare

E videtur, Quod ibi erat.

Præcidi ancoras imperauit. Ancoræ, inquit Nonius, vincula quibus antennæ tenentur. quod ex Lucilio comprobat.

Moliebantur. Propter remigum paucitatē, nam moliri propriè dicimur in re difficili & laborioſa, quaſi molem mouere.

Quod reliquum vita virúmque fames fecerat. Omnes alij, Viriúmque. & ſic emenda.

Erat enim ſola illa nauis conſtrata. Id eſt, tecta.

F quod infrà intelligitur his verbis, Poterône in eos eſſe vehemens, qui naues inanes non modò habuerunt, ſed etiam apertas? In eum diſſolutius, qui ſolus habuerit conſtratam nauem, & minus exinanitam? Sic Hircius de bello Alexandrino, Magnoque impetu quatuor ad eam conſtratæ naues, & complures apertæ contenderunt, cui coactus eſt Cæſar ferre ſubſidium.

Illius auaritia nequitiáque. Vide quæ diximus paulo ſupra hac ipſa oratione.

G *Prætorium* Domum regiam, quæ regis Hieronis fuerat, qua Prætores vti ſolebant.

Ignis è ſpecula ſublatus. Φρυκτωρία, quæ Græci appellant, ſignificat, faces quæ prædonibus aduētantibus, ab iis, qui in ſpecula & cuſtodia collocati erant accendebantur.

Ex Timarchide. Liberto ſuo & accenſo: cuius opera Verres familiarius vtebatur, in eum locum aditus

ditus erat nemini, niſi qui aut ſocius, aut miniſter libidinis eſſe poſſet.

Lampſaceni periculi ſimilitudo. Vide librum Accuſat. 1. vbi & illud de Adriano dictum eſt.

Iſtius acta commemorabantur. Ita placet. neq; mutandum quicquam cenſeo. Tantum hoc modeſte aſcribo, conſiderari poſſe, ecquid de acta illa, de qua ſuperius toties commemorauit, hoc loco ſignificet. Vt ſit ſenſus: Tum iſtius acta illa in qua iſte dies ſexaginta commorabatur, in qua conuiuia mulierum agitabat, in qua tabernacula collocarat, quæ cantu & Symphonia perſtrepabat, ab omnibus probri cauſa commemorabatur.

Duo ſepulcra. Animaduertendum ſepulcra dici hoc loco, pro Buſtis: cum in lib. de legib. II. notet ex duodecim tabulis non qui vratur, ſepeliri: ſed qui humetur. Tametſi Plinius ſepultos quoquomodo conditos dici teſtetur.

Habita eſt tumulum. Id eſt, eius terroris quem prædonum aduentus & victoria Syracuſanis attulerat.

Ciuium R. Qui in Sicilia negotiabantur: qua de cauſa dixit Exiſtimationem communem. quia cum Verres ciuis R. eſſet, communis exiſtimatio agebatur.

Ad illa æſtiua. Nam cum æſtas ſumma eſſe iam cœperat, ibi tabernacula collocabat. Sic enim ſupra. Tabernacula quemadmodum conſueuerat, temporibus æſtiuis collocari iuſſit.

Commouiſſe caſtra. Ironia eſt: quaſi propter militiam illam muliebrem prædones ab aditu territi fuiſſent.

Heracleo archipirata. Hunc Pergamenonē Oroſius nominat: niſi forte Pergamenus Heracleo fuerit, & pergameno, corrigendum ſit. Metellus, inquit, prætor Siciliæ, cum fœdiſſima illa C. Verris prætura Siciliam afflictā inueniſſet, maxime Pergamenone Archipirata, nefariis prædis ac cædibus dilacerantur; qui pulſa claſſe Romanorum, Syracuſanorū portum obtinuerat. mox eum nauali terreſtrique prælio cōiunctum Sicilia decedere coegit.

Quatuor myoparonibus. paucis poſt verſibus, prædonum nauiculas appellat.

Crepidines. Sunt quaſi aggeres quibus fluctus coercentur: ita dicti, quod fluctus illas alluens aſſidue crepitare videntur.

Carthaginenſium. Imperium Siciliæ etiam Carthaginenſes tentauere: diuq; varia victoria cum tyrannis dimicatum, ad poſtremum amiſſo Hamilcare Imp. cum exercitu aliquantiſper quieuere victi. Iuſtinus.

Quò Athenienſium claſſis ſola poſt hominum memoriam ccc. nauibus vi ac multitudine inuaſit. Athenienſium cum Syracuſanis bellū ſcribit Thucydides lib. VI. & VII. Sed Cicero nauium numerum oratoriè protulit: etiam Thucydides lib. VII extremo, vbi nauale prælīū deſcribit, quod extremū in portu Syracuſarum commiſſum eſt, & quo Athenienſiū claſſis victa ac ſuperata eſt, vtriuſq; claſſis numerū paulo minus ducentarum nauium fuiſſe affirmet.

Opes ipſius ciuitatis victæ. Illius ciuitatis, vetus & quidam impreſſi. quod valde probo, vt ciuitatē Athenienſium demonſtret. Lubet autem hoc loco verba Senecæ ex lib. de conſolatione ad Marciam aſcribere, quæ magnopere huc pertinēt. Vi-

A debis celebratiſſimum carminibus fontem Arethuſam nitidiſſimi & perlucidiſſimi ad imum ſtagni, gelidiſſimas aquas profundentē: ſiue illas ibi primum naſcens inuenit, ſiue immerſum terris flumen integrum ſubter tot maria, & à confuſione peioris vnde ſeruatum reddidit. Videbis portum quietiſſimū omniū, quos aut natura poſuit in tutelam claſſium, aut adiuuit manus, ſic tutum, vt ne maximarum quidem tempeſtatū furori ſit locus. Videbis vbi Athenarum potentia

B fracta, vbi tot millia captiuorū, ille excisis in infinitam altitudinem ſaxis Lautumius carcer incluſerat, & ipſam ingentem ciuitatem, & latius territorium quàm multarum vrbium fines ſint: lepidiſſima hyberna, & nullum diem ſine interuentu ſolis: ſed cum omnia iſta cognoueris, grauis & inſalubris æſtas hyberni cæli beneficia corrumpit.

Radices iaciebant Ludibrij & periuriç atque inediæ, exprobrandæ cauſa.

Tantum exarabat. Exarare pro ſata colligere.

C *Suppeditare poſſent*. Legendum opinor POSSET, numero ſingulari: vt ſit ſufficere & ſatis eſſe poſſet. Idem lib. 1. Off. ob eaſq; cauſas ſtudeat parare ea quæ ſuppeditant, & ad cultum & ad victum.

Hominum conuentu atque multitudine. Meo iudicio alterutrum deeſt, vel TANTO vel IN vt ſit; Tanto hominum cōuentu, quod auribus ſuauiſſimum, & ſententiæ accommodatiſſimū videtur.

Reſpergerent. Elatorie: pro, In Prætoris conſpectu atque oculis, ſic vt ſpectare eas prætor poſſit.

D *Remigibus dimiſſis*. Qua de re ſuperius dictū eſt.

Nauibus præpoſiti. Hos nauarchos itentidem appellat.

Iſtius audacia An non potius nequitia, aut inertia, aut tale quippiam? Sed audaciam dixit pro temeritate & amentia: quod nullo legum metu afficiebatur.

Hanc rationem habere. Hoc conſilij capere: ita ſuæ cauſæ defenſionem meditari.

Quàm hoc vſu venerit. Veniret, ſentētia poſtulat.

E Hoc autem Aſconius Verrina quarta interpretatur, contingeret.

Illi enimuero. Significationem habet prompti & parati animi. Itaq; ſæpe iratis accommodatur.

Teſtificatione vteretur. Obſeruanda conſuetudo, cuius ſimile exemplū extat in Quinctiana ſuprà vnde intelligitur, teſtificationem ſcripturam fuiſſe illius rei, propterquam aduocati teſtes eſſent, ipſorum teſtium annulis obſignatam. Quam cōſuetudinem Venuleius ſignificās in L. curent, 22,

F D. de teſtib. curent, inquit, Magiſtratus cuiuſque loci teſtari volentibus & ſe ipſos & alios teſtes vel ſignatores præbere: quo facilius negotia explicētur, & probatio rerum ſalua ſit.

Deriſum credo. Quia ſtatim conſilium mutauit, & aliam defenſionis rationem inſtituit.

A ſuis Conſiliariis. Non qui ſuperius illud conſilium ei dederant: ipſe enim Verres ſua ſponte illud ceperat. Sic aliis locis ſæpe oſtēdit, eum nullius neq; ingenij eſſe, neque conſilij.

G *Nimia prætoris diligentia*. Non eſt otioſum verbū PRÆTORIS, nam eorum qui in ſummo imperio ſunt, acta omnia publica ſunt, neque teſtificatione vlla priuata iuuari poſſunt. Hæc igitur nimia diligentia, ſuſpicionem potius quàm defenſionis facultatem prætori afferebat.

Iam iſte erat. Id eſt, Non modo falſas illas teſtifi-

cationes priuatas confingebat: verum etiam publicas ipſas ciuitatum literas corrumpebat. Id quod Verrina IIII dictum eſt. A

Vbi hoc vides. Non incõmode fortaſſe ſexta hæc orationis pars numerari poterit, in qua de crudelitate Verris exponit, qui Syculorum ciuitatũ nauarchos falſo proditionis crimine damnatos, acerbiſſimis ſupplicijs affecit.

Verum etiã apertas. Conſtratas naues (vt ſuperius docui) oppertis apponit: quę cum tectæ nõ eſſent, hoſtium telis patebant; quominus prædonibus reſiſtere potuerunt. B

Vbi execrationes. Pactiones iureiurando & deuotione capitis ſancitæ, atq; confirmatæ.

Contubernium. Qui in militia ſub iiſdem tabernaculis ſunt, contubernales appellantur. Irridet illa Verris caſtra æſtiua Veneria.

Inconſtantia. Quod in pari cauſa diſſimilia iura conſtituam.

Secum fuiſſet vna. Poſterius dicit, propterea quod in eius quadriremi Cleomenes vectus eſſet. C

E prætorio. Non è loco quo ius reddebatur, vt nonnulli verbum hoc interpretãtur, ſed è domo prætoria, in qua re cum Cleomene deliberata, conſilium de nauarchis necandis inierat.

Iniici catenas. Collo & ceruicib᷒, vt poſteri᷒ dicet.

Eidem populi R. Vt ſocij & fœderati, cum à Verre pro hoſtibus ac prædonibus haberentur.

Prædonum ſocius. Quaſi cum prædonibus colluſiſſet, & claſſem illis per illam apparatus & pugnę ſpeciem prodidiſſet. D

Cuiuſmodi eſſet. Cuiuſmodi, pro Cuiuſcunq; modi: vt in Epiſt. ad Marcellũ, Cogitandum tibi tamẽ eſſet, Romæne & domi tuæ, cuiuſmodi res eſſet, an Mitylenis aut Rhodi malles viuere.

Quid, inquam, magnopere potuit Cleomenes facere. Quid potuit dici cõcinnius: At ſi Quintiliani verba ſpectemus, alium ordinem conſeruauit. Sic enim libro Inſtit. IX ſcribit, Interim ſententia quidem repetitur, ſed eodem verborũ ordine. Quid Cleomenes facere potuit, (non enim poſſũ q.i.f.) quid inquã Cleomenes magnopere facere potuit? E

Atque eum vident. Dictũ videtur pro ſtatim: vt in illo Virgilij, Atque illum in preceps prono rapit alueus amni. de quo Gell. lib. X. cap. vlt.

Electos ex ſuis ciuitatibus. Qui nauibus pponerẽt.

Societatem flagitiorum. Quod ſuperius militiæ muliebris contubernium appellauit.

Iniuriarum damnatus. Significat illũ infamẽ fuiſſe: ac propterea ad accuſationẽ non admittendũ. F

In decumis. In decumanis territandis, vt ſe calũniæ metu certa pecunia liberarent.

Proclamant. Teſtãtur ſe paratos eſſe iudicio ſuos liberos & propinquos defendere.

Hoſpitem. Videtur ſignificare ius hoſpitij nõ ſolo facto, id eſt diuerſando contrahi ſolitũ, ſed certis quibuſdam & ſolennibus verbis vti ſolitos fuiſſe.

Per hoſpitium. Per cauſam hoſpitij. De Athenio Thermetano dictum eſt Verr. IIII.

Patrem domi reliquiſſes. Nam patre viuo ſenatore Verres in Siciliam profectus erat. G

Cleomenem læſerat. In eum enim culpam fugæ contulerat.

Deſtitutus. Dixi ſuperius de hoc verbo: & ab exemplis docui, vſurpari ſolitum pro conſtitutus.

Cleomenem nominare. Qui cùm eſſet Imperator à Verre præpoſitus, ſecum omnes fugere & ſe conſequi iuſſerat.

Prætoris æmulum. Videtur iam imitatorem ſignificare, hoc eſt, qui poteſtate atque imperio Verrem referret. Superius tamen de eo ipſo ſic locutus eſt: ſi eum non tanquam virum, at tanquam æmulum remouiſſet.

In ea cauſa. Paulo poſt dicet: In eadem cauſa, id eſt iiſdem criminibus appetitum.

Eius qui poteſtatem habuit. Cleomenis, Imperatoris à Verre præpoſiti.

In commeatu. Vetus liber, cum commeatu: quod probabilius videtur.

Hoc animaduerſum. Mirè addidit pronomen HOC: quod nullo pacto huic loco congruit. Longius ergo κατ᾽ ἔνδειαν refertur: nimirum, Vtrum in naui aliqua eſſet, an non.

Domi ſua. In ciuitate ſua, in patria. Viuus notus erat in patria: mortuus tota Sicilia.

Defenſionem cauſæ ſuæ. Sic Latinè ἀπολογίαν interpretatur.

Quot & quanti. Quo pretio à Verre definito & conſtituto.

Iam illa præclara. Subaudi, quæ in eadem apologia conſequebantur.

Sceleratorùmque furias. Quibus Verres pepercerat, niſi fortè ſcelerum potius legendum ſit, quod conſuetudo poſtulat.

Seſtiúsque ſuus carnifex. Obſeruandũ, vnũ aliquem de lictoribus carnificis munus præcipuè obiiſſe. nam in ſequenti pagina hunc lictorẽ appellat.

Hac ille eſt abuſus. Abuſus ad extremum vſus, vt nihil reliqui fecerit quaſi diceret vniuerſam illam libertatem conſumpſit, ea quoad licuit eſt vſus, nihil prætermiſit. Similiter Verrina 3. Niſi omni tempore, quod mihi lege conceſſum eſt, abuſus ero, quærere.

In eius quadriremi. Ei enim Phalargus præpoſitus à ſua ciuitate fuerat. Summum tamen in ea imperium Cleomenes obtinebat.

Humanum. aliud, ne condemnaretur. Apud Quintilianum libro IX, Humanum eſt.

Obſoletis. Tritis & vſitatis: quorũ alij ante ipſum accuſati, condemnatique fuerant.

Sumitur de parentibus. Vehemens amplificatio, ſupplicium in liberos conſtituitur, de parentibus ſumitur. Parẽtum enim dolor & cruciatus quem ex eo ſuſcipiebant, quod adire ad ſuos filios prohiberentur, mortis illis inſtar erat.

Veſtitúmque ferre liceat. Alij libri Introferre. Veruntamen apud Nonium Marcellum in dictione Ferrè, hanc lectionem offendimus.

Niſi vt filiorum extremum ſpiritum excipere ſibi liceret. Quinctil. lib. IX, cap. extremo, Sicut illud. Ore ſpiritũ excipere liceret: ſi iungas, laſciui carminis eſt: ſed interpunctis quibuſdam, & tribus quaſi initis, fit plenũ auctoritatis. Quib᷒ ex verbis pſpicuũ eſt, ita illum hũc locũ legiſſe, vt vocem Ore, interponeret, quo in loco diu multumq; addubitauimus, donec apud Noniũ Marcellũ in dictione Excipere, ſic ſcriptũ offendimus, Filiorum extremũ ſpiritũ ore excipere liceret: & poſt ea apud Seruium in quartũ Æneid. Significat autẽ Fabius laſciuum carmen hoc futurũ ſine illis interpũctis fuiſſe: q ſpiritus alterius ore oſculando excipitur.

Vt cibum tibi introferre liceat, tantum. nemo recuſabat. Apud Quintilianũ hoc modo, Vt cibum veſtitúmque introferre liceat, tantum. recuſabat nemo

nemo. Et ſanè ſic antea locutus eſt, vt de veſtitu etiam mentionem faceret.

Aderat ianitor carceris, carnifex Prætoris. In eodem libro, eodem cap. legitur cum coniunctione, Et carnifex. ſed hoc, cùm ad rem nihil pertineret, negligentius ex memoria deprompſit. In lib. verò VIII, cap. IV, hunc locũ integrum ita deſcripſit, vt cum recepta lectione conſentiat.

Mortis celeritatem. Sine diuturno cruciatu & ſenſu doloris.

Redimat pretio. Ita ex hoc quoque parentum gemitu & dolore certa merces comparabatur.

Heracly nauarchi. Quem ſuperius Furium latino nomine appellari dixit,

Patres enim veniunt. Senſus eſt. Dico de eo qui non filij, ſed alieni corporis ſepeliendi poteſtatem redemit. Pretio enim tibi cauillãdi occaſionem, ac dicendi credendum patribus non eſſe: quaſi huc teſtes veniũt irati propter amiſſos filios. Itaq; totum hoc NE poſſis d. p. e. u. l. a irati) parenteſi includenda ſunt.

Viuorum funera locabantur. Locari funus propriè dicitur cùm de funeris ſumptibus tranſagitur. itaque tranſlato hoc verbo vſus eſt, pro ſepeliendi poteſtatem redimere.

Periculum commune. Nam cùm ſemel fœderum & ſocietatis iura violata eſſent, idem poſtea ſociis omnibus accidere poſſe cogitabant.

Auaritia vulnera. Quia propter Verris auaritiam, calamitas illa naualis accepta erat: cùm neque militum neque remigum in nauibus ſatis eſſet. certum enim pretium ab cuiuſque miſſionem acceperat.

Neque tibi. Qui te non auaritiæ, ſed crudelitatis arguant, & propinquorum ſuorum necem vlciſcantur.

Fortuna reſeruauit. Sæpe vſurpatur pro Dei prouidentia, vt apud Virg.

Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum.

Locus hic perſpicuè pro prouidentia dici oſtendit, vt ea quam Græci Nemeſim appellant.

Phalargus Centuripinus. Quem ſuperius dixit pecuniam Timarchidi ob virgarum metum dinumeraſſe.

Plus quàm ſatis opus eſt. Non memini me conconiunctim vtrumque alibi legiſſe. Veteres tamen omnes libri etiam impreſſi conſentiunt.

Spe noſtri imperij. Sperantibus fore vt libertatem innatam ſub imperio veſtro retinerent.

Spoliis hoſtium. Qua de re ſuperiore Oratione dictum eſt.

Septemdecim populis Siciliæ. Qui à fide atque amicitia populi R. defecerunt, & arma pro Carthaginenſibus tulerunt.

Veſtros quondam nautas. Verba ſunt Verris, Siculorum orationem irridentis, vnde deeſſe quidam ſuſpicari licet, in quibus Verrem boc modo reſpondere orator admonebat.

Naue abducta. Non igitur Haluntinorum tantùm & Apollonienſium, ſed etiam Tindaritanorum nauis capta eſt.

Apud te. Hoc mirè implicatum eſt & ad illud inſequens referendum. Nec hoc quidem iuris apud te obtinuit.

Non eſt vſitatum, non Senatorium. Non enim in curia, ſed in foro iudicia exercebantur: quippe quæ non S.C. ſed populi lege conſtituta eſſent.

A *Cauſa populi.* Populus enim nullis aliis de criminibus, niſi de perduellione iudicabat. Cæterarum quæſtionum lege certa iudicia conſtituerat.

Sociorum cauſa. Legẽ de pecuniis repetundis, totam eſſe ſociorũ cauſa conſtitutã, etiam in diuinatione docuit. Nã ciuibus cùm ſint ereptæ pecuniæ, ciuili ferè actione, & priuato iure eas repeti.

Hac arx ſociorum. In qua præſidium ſuis fortunis conſtitutum eſſe arbitrantur.

Populus R. concedat. Cùm furandi cõſuetudnõm
B ita vulgarem, & cõmunem, & ab omnibus populi R. magiſtratibus vſurpatã animaduertant, putant id lege aliqua populi R. pmiſſũ, & cõceſſum eſſe.

Ad paucos. Hoc eſt quod dicebatur Romam eſſe ἐπιτομὴν τῆς οἰκουμένης.

Nemo iſtorum. Qui cum imperio aut poteſtate in prouincias mittuntur.

Obſcura cupiditas. Ita ſine vlla non modò religione, verùm etiam diſſimulatione in omni genere furandi ac prædandi verſantur.

C *Publicè ſpoliarentur.* Quaſi pro hoſtibus habiti & prædæ obiecti.

Sufficere aliquo modo. Materiam tuis direptionibus ſuppeditare: cùm haberent quod diriperes, quod auferres: quod nunc ſpoliati & exinaniti non habent.

Quo nomine. Locus hic oſtendit repetundarum iudicium inde dictum eſſe, quòd eo iudicio ſocij pecunias ſibi contra leges ereptas repetebant, quas ex condemnatorum litibus æſtimatis do-
D mum reportarent.

Hoc ornatu. Moris fuit in epilogo vel miſericordiæ captandæ cauſa, vel indignationis commonendæ producere ſordidatos, qui ſe ſupplices ad iudicum pedes abiicerent.

Hoc capillo. Sordidati enim & barbam & capillos dimittebant, vt corpore inculto atque horrido miſericordiam mouerent.

Princeps fuit. Omnes alij, Princeps floruit, à quibus cur diſſentiam, cauſa nulla eſt.

E *Ex litibus æſtimatis.* Inter litem & rem quantum intereſſet, ferè non videbant. Itaque lites æſtimare Pedianus interpretatur res ſiue pecunias propter quas damnatus quis fuit in ſummam redigere: quæ ſumma de ipſius bonis exigeretur. Duæ res enim, inquit, damnationem conſequebantur: altera redditio pecuniæ iis ad quos pertinebat, altera exilium.

Cineri atque oſsibus. Poſteaquam combuſtũ cadauer erat, oſſa legebantur, & in vrnam conde-
F bantur. exiſtimabant autem ſenſum aliquem iis ineſſe: quapropter ſolatiũ ſe dicit iis oſſib. quærere.

Itineris. Cũ huc ex Sicilia ad iudiciũ Verris venit.

Non vt aliquid ex huius bonis. Ex ſuis bonis multi veteres impreſſi & ſic emenda.

L. Metellum. Hac ipſa de re quarta oratione quæſtus eſt, quod aliquot teſtes Romam venire prohibuerit.

Laborẽ & induſtriã. In agẽdo & exponẽdis crimin.

Hanc querimoniam. De crudelitate Verris & ſup-
G pliciis in miſeros & innocentes conſtitutis.

Corpora mortuorũ. Quorum ob ſepulturam merces dabatur.

Officio meo. Qui totius Siciliæ rogatu hanc accuſandi prouinciam ſuſcepi.

Quapropter. Concuſio eſt huius criminis de claſſe amiſſa & à prædonibus capta atque incenſa.

Iſta defendat. Nonnulli libri IS ITA defendat. A
Ego ſic probaram: IS ITA defendat vt illa communia, &c.

Culpam fortunæ aßignare. Videtur legendum culpam fortunę homini aſſignare. Itaque mox ita loquitur. Nullam tibi obiicio fortunam.

Intercludere perfugium fortunæ. Defenſionis ex fortuna petendæ facultatem præcidere.

Martem communem. Sic Philipp. XI. Sed vt concedam incertos exitus eſſe belli, Martem communem, tamen pro libertate vitæ periculo de- B
cernendum. Hinc ἀλλοπρόσαλλος Mars Græcis dictus. Hinc illud Iliad. Σ. Ξυνὸς ἐνυάλιος καί τε κτανέοντα κατέκτα. Idem Νίκη δ' ἐπαμείβεται ἄνδρας.

Quòd ſi fortunam obiici tibi non oportet. Omnes alij, Fortunam tibi obiicere non oportet.

Illorum innocentium. Qui ſe in fugam contulerunt, neque prædonum impetum ſuſtinere potuerunt. Eos enim Verres quaſi exercitus deſertores & claſſis proditores ſecuri percuti iuſſerat.

Iccirco à me. Videtur legendum, Iccirco te à me. C
Erat autem inuidioſum crimen, propterea quòd non iis tantùm de quibus ſumptum erat ſupplicium iniuria facta, ſed fœderum cum Siculis & ſocietatis fides violata videbatur.

Seueritatem imperij. Rectè. quod autem ſecuritatem quidam repoſueruut, abſurdum eſt.

In eo maximam fuiſſe. Cleomenem ſignificat, & Centuripinam nauem, in qua eſt vectus.

Vulneris atque plagæ. Vt vno ictu ſecuris mors D
afferretur.

Tenebere. Tam multorũ teſtimoniis conuictus.

Eſt paternus amicus ille? non vt quiſque. Vetus liber, Eſt paternus amicus. imò verò vt quiſque. & ſic puto corrigendum. M. autem Marcellum ſignificari arbitror, Prætorẽ deſignatum, iudicem à Cicerone retentum.

Ipſe pater ſi iudicaret, per deos immortales, quid facere poſſet, cùm hæc tibi diceret? Apud Quintilianum lib. VI cap. I. locus hic multo aliter legitur: hoc E
modo, Si pater ipſe iudicaret, quæ diceret, cùm hæc probarentur? quod, opinor, ex memoria depromſit: vt in iis locis conſueuit, quorum ſatis habet ſententiam proferre: neque verba ſpectare neceſſe eſt. Nam in fine huius enumerationis, hæc eadem verba repetuntur ab Oratore, Hæc ſi tibi tuus parens diceret, &c. quaſi dixiſſet, Hæc, inquam, ſi tibi tuus pater diceret. quo in loco verbum POSSES bis poſitum, meam ſententiam mirificè confirmat: vt hoc loco non POSSET in F
tertia perſona, ſed item vt illo loco, in ſecunda POSSES corrigatur.

Tu in prouincia. Ἀνακεφαλαίωσις omnium, quæ de bello maritimo dicta ſunt.

Tum in prouincia. Sequitur Proſopopeia qua pater Verris inducitur omnia ſuperiora flagitia ſtrictim enumerans, vt ea figura Orationis ſubiit quam συναθροισμὸν Græci, Latini frequentationem appellant.

Nauis oneraria. Cybea, qua ſua furta Romam G
deportauit. Quod autem eſt PRIVATIM & mox PVBLICE, diuerſa reſpicit. Nam priuatim, id eſt propriè Verri contra leges ædificata eſt: & præſertim contra legem Claudiam, de qua ſuperiùs dictum eſt. Publicè autem, id eſt à ciuitate, cui vniuerſæ Verres ſumptus in nauem quam ex fœdere debebant, remiſerat.

A Quæſtore & ab legato. P. Ceſetio, & P. Tadio, qui prædonum nauum ceperunt.

Satis promiſſo muneri ac recepto. Alij, Satis promiſſo noſtro, ac muneri recepto. quod cur improbemus, cauſa nulla eſt.

Reliqua eſt ea cauſa. Septima huiuſce libri pars, De ſuppliciis ciuium R. ex qua huic libro nomen impoſitum eſt ab Aſconio, Nonio Marcello, & aliis quibuſdam, De ſuppliciis. tametſi de fugitiuorum bello & de maritimo latius fuſiúſque tractet: opinor, quia hæc magis attributa ſuut negotio, & crimini repetundarũ: vt ſuprà demõſtraui.

In conuictos ſeruos. Seruis maleficij conuictis virgæ & extrema ſupplicia conſtituta erant: quæ apud Triumviros capitales ad columnam Mœniam luebant.

Nullũ diſcrimen. inter ſeruos & ciues Romanos.

Communi cauſa. Quia nullum præter Perduellionem crimen eſt, propter quod ciui R. adimi vita poſſit. Lex enim Porcia, itémque Sempronia virgas à ciuium R. corporibus remouerunt.

Quaſi enim poſſit eſſe vlla cauſa cur hoc cuiquam ciui R. iure accidat. Verba ſunt Ciceronis in Oratione pro C. Rabirio, ex quib. intelligi hoc poſſit: Porcia lex virgas ab omnium ciuium R. corpore amouit. Porcia lex libertatem ciuium lictori eripuit. C. Gracchus legẽ tulit, ne de capite ciuium R. iniuſſu populi iudicaretur. hæc ille. Da populi verò iudicio dictum eſt in actione prima ex Polybio, & in Orat. pro Cæcina. Nota autem parentheſis inducenda eſt.

Venerio ſeruo. De his dictum eſt Verrina IIII. qoemadmodum eorum opera, vulgò Verres in huiuſmodi negotiis vteretur.

Vadimonium promittere. Nã certę ciuitates erant, in quibus Prætores forum agere & conuentum habere ſolebãt: ad quas vadimonia ꝓmittebãtur.

Cùm ageret nemo, nemo poſtularet. Cùm eum nemo ſponſione laceſſeret, Ni hoc dixiſſet. Sponſionẽ enim ipſe facere nolebat. Ergo apparet, quod meminimus alibi dicere, Sponſionem ex eo appellatam, quòd prius eum qui ageret, ſpondere, quàm ſtipulari oporteret.

H-S duobus mil. Coronatis quinquaginta. De ſpõſione verò dixi copioſè in Orat. pro Quinctio.

Ni furtis quæſtum faceret. Præciſa oratio, pro, Ni dixiſſet Verrem furtis quæſtum facere.

De cohorte ſua. Prætoria, ex qua nemo contra ipſius voluntatem iudicare auderet.

Iudicium capitis. Elatoriè. vt in Oratione pro Quinctio. nam rei pecuniariæ ſponſio erat, ſed tamen actioni iniuriarum præiudicium fiebat.

In æde Veneris. Erycinæ, de qua in Diuinatione dictum eſt.

Nocturna vita. Significat Verrem nota Veneri Erycinæ nũcupaſſe, ſi libidinẽ ſuã explere liceret.

Vbi Tribuni pl. ſunt. Qui libertatis retinendæ cauſa creati ſunt. cùm eam Conſularis poteſtas nimia labefactaret. Nam exactis regibus plebi non re, ſed verbo (vt alibi Cicero teſtatur) permiſſa libertas erat.

Nunquam concionis. Cùm Magiſtratus ad populum de ciuitatis & libertatis iure abs te violato, quererentur, & populum rogarent vt Centuriatis comitiis perduellionem tibi iudicarent.

Tantæ frequentia. Quę circum iudicum ſubſellia coronam faciebat.

A *Prædandi rationem.* Nam ciues illi Romani, mercatores erant: quibus necatis naues illorum exinaniebantur.

Nam Vt illi, quos à Poetis accipimus, ſinus quoſdam obſediſſe maritimos. Vt Leſtrygones, qui Capuæ portum obſidebant: de quibus Homerus in Odyſſea.

Alter, non Dionyſius. Apud Quintilianum libro VIII, capite extremo, ita hunc locum ſcriptum reperio, vt ab hac vſitata lectione nonnihil diſ- B crepet. primùm enim vox ALTER abeſt: deinde pro Quoddam nouum, Nouum quoddam, immutato ordine: poſtremò pro In iiſdem locis verſata eſſe dicitur, ſic ſcriptum eſt, In iiſdem verſata locis dicitur. Nunc vtrum ſit verius, eruditi viri cognoſcent. Nam mihi quidem ſine maximis grauiſſimiſque cauſis quicquam immutare religio eſt. Quòd ſi cuique ſuam ſententiam teſtificari licet, omnino vox illa quam dixi abeſſe, iacere atque otioſa eſſe videtur. In C aliis quidem locis, ſine dubio immutato ordine multo lenius fluit ipſa comprehenſio.

Pluribus & maioribus canibus. De Scylla media parte corporis, Circes opera & veneficiis in canes ac lupos mutata, nota eſt omnibus fabula ex libro Metamorph. XIIII, & Æneidos III. Reuera autem ſaxum eſt, eminus humanam figuram, ſed fluctuum colliſione latratus canum, luporúmque vlulatus referens. Canes autem Verris comites appellat, vt ex ſimilibus locis D intelligitur, & ex Iulio Rufiniano, in libro de figuris.

Quæ nunc in defenſione. Præmonitio eſt aduerſus Hortenſij defenſionem, qui dicturus erat non de ciuibus R. ſed de Sertorianis proſcriptis ſumptum ſupplicium fuiſſe.

Eos Sertorianos milites eſſe, atque à Dianio fugere. De Sertorio, & Dianio dixi Verr. III.

Quibus adiumentis ſe ad ſalutem. Alij, Quibus argumentis. Cenſeo nihil immutandum. E

Supplicium maturius. Ne ſi diutius in Latumiis haberentur, pro ciuibus R. agnoſcerentur.

Literas Syracuſanorum. Syracuſani enim Verri ſuffragati, literas ad Senatum miſerant, quibus de ipſius integritate & abſtinentia teſtificabantur: ſimul etiam de eorum ſuppliciis, qui in Latumiis necati fuerant, rationem reddebant.

Omnes ne mortui. Morbo extincti, non ſupplicio affecti.

Ἐδικαώθησαν. Fortaſſe legendum ἐδικαιώθησαν. Herodot. in Clio de Deioce loquens: εἴ τινα πυνθάνοιτο, ὑβρίζοντα, τοῦτον ὅκως μεταπέμψαιτο κατ' ἀξίην ἑκάστου, ἀδικήματος ἐδικαίευ. Id eſt, ſi quem comperiſſet iniuriam cuiquam facere, in eum prout acerſiuiſſet, pro delicti ratione animaduertebat. F Dixit autem ἐδικαίευ Ionicè, pro ἐδικαίου. videndum tamen ecquid hoc Siculorum loquendi genus fuerit. Præſertim cùm dicat, Verrem nunquam illud intellexiſſe, & ſimul ſubiungat, vt SICVLI loquuntur: Siculos autem Græcè perpe- G ram locutos, in diuinatione ex Plauto docuimus.

Quot bella maiores. Idem quoque in ea pro lege Manilia commemorat.

Apud Senatores. Nam hoc tempore ſolus ordo Senatorius lege Cornelia L. Syllæ dictatoris iudicabat. Lectiſſimos autem dicit, quoniam ab accuſatore & reo reiectio facta erat.

Frequentia populi. Qui hæc ad communem cauſam libertatis ac dignitatis ſtatuit pertinere.

Ex his laqueis. Ex hoc iudicio de pecuniis repetundis conſtituto.

Maiores plagas. Crimen imminutæ maieſtatis: ob ciues indemnatos ſupplicio affectos.

Superiore ex loco. Significat centuriata comitia in quibus de perduellione iudicium ab vniuerſo populo fiebat. Qua de re Verrina III. coposè dictum eſt. Vnde & ex hoc loco intelligi poteſt in campo Martio centuriatis comitiis, æquè vt in foro tributis, locum aliquem ſuperiorem fuiſſe, vnde Magiſtratus ad populum verba faciebant.

Cui ſi etiam. Abruptus videtur locus, & fortaſſe deſit quippiam. Nam apoſtrophe ad populum abruptior (vt dixi) videtur.

Baſilicas. Quas circa forum fuiſſe conſtat.

Proditor Conſulis His de rebus Verrina III. dictum eſt.

Fidem porrexit. Dextram fidei inſigne apud veteres fuiſſe, nemo neſcit. Itaque qui alterius fidem implorabant, eius manum apprehendere ſolebãt: vt ex fine Quinctianæ orationis intelligitur.

Nullum in Repub. monimentum. Id eſt, Nulla res geſta memoratu digna. Rara & (vt opinor) inſolens locutio.

Illi generi hominum. Sartorianorum, qui nunc armis poſitis in foro & cõſpectu omniũ versãtor.

Nouæ proſcriptionis. Quaſi dicat, Syllanæ proſcriptionis renouatæ, cuius recens erat memoria.

Puteoli toti. Pro, cuncti Puteolani: vt ſæpe antea. Adeſt tota Sicilia.

Priore actione. Hac de re ſatis dictum eſt in Verrinam ſecundam extremam: vnde quæ ad hunc locum pertinebunt, aſſumentur.

Capitibus inuolutis. Ne pro ciuibus R. agnoſcerentur.

Prædonum numerum. Potius eorum qui pro prædonibus capti atque in Latumias abducti fuerãt.

Negotij gerendi. Ergo etiam qui mercaturam faciunt generaliter negotium gerere dicuntur. Quid autem inter mercatores & negotiatores intersit, alio loco explicauimus.

Capitis Vitaque diſcrimen. Quod cum negotij gerendi cauſa nauigant, & peregrinantur, ſubire cogantur.

Has formidines. Vt pro piratis & prædonibus habiti ſupplicio afficiantur.

Prouincia Sicilia. Nihil muto: tantùm hoc dico, facile me antiqui libri auctoritati aſſenſurum, in quo vox SICILIA abſit, quæ ex gloſſa irrepſiſſe videtur, cùm toties iã Cicero Siciliam nominarit.

Propter togæ nomen. Ciues Romanos togam in prouinciis geſtare leges iubebant: qui non geſtabant, ciuitatis ius imminuebant, vt ex Orat. pro Poſthumo intelligitur. At quibus aqua & ignis interdicebatur, iis togæ ius adimebatur: quemadmodum Plinius in quarto Epiſtolarum teſtatur.

Iam domum Veniſſe. Propter Italiæ vicinitatem.

Dolor me non deficit. Hoc ex artis præcepto: ſi vis me flere, dolendum eſt, q. d. ſatis habeo doloris: cætera tanto dolore explicando neceſſaria, deficiunt.

Valentinorum. Ex Vibona Valentia, de qua initio huius Orationis dictum eſt.

Vim Verborum Quæ ad inflammandos iudicum animos requiritur.

A

De tanta re dicam. Nec hîc quidem quicquam muto: niſi fortè DICEREM aliquo in antiquo libro legeretur.

Cum illo numero. Deſiderari videtur IN: vt ſit, Cùm illo in numero. & ſic puto corrigendum.

Verri ſe praſto. Vt enim imminutæ maieſtatis, in ciuitatis iure violando, accuſaret.

In prætorio. Non in iure, ſed in ea domo in qua diuerſari prætores ſolent.

B

Toto ex ore crudelitas eminebat. Apud Agellium lib. x, cap. III, Emanabat. apud Quintilianum, lib. IX, cap. II, Emicabat. quod ἐναργέστερον, videtur, & ad crudelitatem oſtentandam accommodatius.

Expectabant quo progreſſurus. Cùm animaduertendi in illum cauſa eſſet nulla, mirabantur quidnam acturus eſſet.

Cruciatum à corpore. Omnes alij libri, quibuſcum Agellius conſentit, Cruciatúmque.

C

Iſtam poteſtatem viderat. Vt ciues R. præſertim indemnati ad ſolum Prætoris nutum atque arbitrium ſecori ferirentur.

Libertatis. Quæ Regibus exactis, à quibus ſimilis crudelitas exercebatur, adepta eſt.

O lex Porcia, legéſque Semproniæ. De his legibus dictum eſt paulo ſuprà.

Reddita plebi R. Tribunitia poteſtas. Tribunitiam poteſtatem à Sylla ſublatam Pompeius populo R. reſtituit: vt diximus in Diuinat.

D

Ignes, candentéſque laminæ. Omnes libri veteres, Ardenteſque laminæ: quibuſcum Agellij liber conſentit, lib. x, cap. III.

Non inhibebat. Codex Agellij, Lenibat. quod reiicio, vt ab ea crudelitate quam intelligi in Verre voluit, planè alienum.

C. Numitorio equiti R. primario homini. Libri veteres, in his Aldinus. Primo homini. quorum auctoritatem, ſine cauſa nunquam repudiabimus. præſertim cùm ſuperiore libro ſic locutus ſit, A Liſone verò Lilybætano, primo homine, &c.

E

Conſilio in medio. Conſilium in medio teſtimonio dimittere, quid ſignificet intelligo. Teſtem in medio conſilio dimittere, non intelligo. Fuiſſe autem in poteſtate Prætoris conſilium, cùm ei commodum videretur, dimittere, nemo ignorat.

Repentinum ſpeculatorem. Id eſt, De quo antea nihil eiuſmodi auditum, de quo nulla prius eiuſmodi ſuſpicio fuerat.

F

Ex literis. Id eſt, actis publicis: vt mox, Quia ſit aliquis in literis grauius: id eſt, in actis Syracuſanorum, in quibus eorum nomina qui in lautumias coniecti erant, perſcripta fuerant.

Tempore ſerò doceant. Quod priùs diſcere noluiſti: & SERO, quoniam remedij locus eſt nullus.

Tuis proximis. Iis qui te quaſi propinquum ac neceſſarium ſuum defendunt, & eo nomine tam ſtudioſè pro te pugnant.

Quod mihi datur. Clamitaſſe illum, ſe ciuem eſſe Romanum.

Quid enim nuper. Priore actione.

G

Sua confeſſione induatur. Iam ſuperius dictum eſt, vſurpari hoc verbum pro irretiatur.

Apud omnes. Mira frequentatio & mihi ſuſpecta: cùm in eadem comprehenſione toties vocem Apud inculcarit.

Cum cognitoribus. Non procuratoribus, vt Aſconius putauit: ſed cum iis quibus noti eſſent.

A

Hac vna tamen. Apud Agellium, Hac vna tantùm, lib. I, cap. VII. Ego vulgatam ſequor, quam omnes libri veteres confirmant.

Sperant eſſe futurum. De hac locutione vide Agellium eo ipſo capite quod modò citauimus exemplum etiam obſeruauimus in Orat. pro Roſcio.

Quod quis ignoret iam omnes prouincias. Id eſt, De quo quis ignoret: vel quæ res ignoretur: ciuem ſcilicet illum Romanum eſſe.

B

Qui tum in Sicilia nominabat. Deeſſe opinor verbum Negotiabatur: quod tamen in Florentina editione ſola reperio. vt ſit, Qui tum in Sicilia negotiabatur.

Cognoſceret hominem. Subauditur SI: niſi fortè vt in parte dilemmatis altera appoſitum videatur.

Domum ſuam proſpicere. Potuit hoc à Verre non contumeliæ in Italiam, ſed irridendi hominis gratia, dici. vt quia ciuem ſe Romanum iactabat, in ſublimem locum tolleretur, vnde ſuam domum poſſet proſpicere.

C

Perangusto freto diuiſa. Agellius lib. XIII, cap. XIX, non Freto, ſed Fretu ſcripſiſſe Ciceronem affirmat. in quo tamen vis nulla eſt. Quantum autem hoc fretum, & quàm latum ſit, ex Thucydidis verbis ſuperius expoſui.

D

Summóque ſupplicio affectum. Nihil muto: aliorum tamen omnium librorum lectionem teſtatam relinquere volui: vt ſtudioſi argumento aliquo eam aut confirment, aut repudient. Sic igitur ſcriptum eſt, Summóque ſupplicio affixum. Et vt dicam quod ſentio, valde vereor vt purior & ſyncerior hæc ſcriptura ſit. nam in libris Nonij Marcelli, in dictione Alumnus, ita hunc locum citatum reperio, vt hanc ſcripturam apertè tueatur.

E

Non in foro, non in comitio, non in roſtris. In foro, & Comitium & Roſtra: ſed quo quique locus celebrior erat & frequentior, eo illum ſuperiore loco poſuit. In Comitio autem Equitibus & Senatoribus conuenire mos erat, vt ſcribit Aſconius: pro Roſtris, conciones habebantur.

Quod enim bis locus. Locutio inſolens & noua vt opinor. Nam etſi locis, in neutro genere accipias, tamen quòd locum nullus, opinor, dicit.

Hæc conqueri & deplorare. Vetus liber conſulendus, an pronomen HÆC inculcatum habeat.

Legum iudiciorúmque & iuris auctores. Subaudi legum iudiciorúmque conſeruandorum: item iuris conſeruandi. Nam Auctores iuris propriè Iuriſconſulti dicuntur, vt alio loco docuimus.

F

Et veritas omnium poſtulat. Abundat, opinor, vox OMNIVM. Niſi fortè SECVRITAS potiùs pro VERITAS legendum videtur.

Hoc loco Hoc tempore, quo ciuitatis Romanæ tam indigna vexatio commemorata, & audita eſt.

In veſtris ſilentiis. Hoc enim Verris ſcelere inulto nemo qui ciuium R. libertatē violare timeat, reperietur: nam impunitate propoſita, facilè quiuis ad maleficium ſuſcipiendum aggreditur.

G

Si res aliter acciderit. Quaſi ominis cauſa, quod intelligi voluit, reticuit. nam hoc ſignificat, ſi Verres ab hoc iudicio veſtro diſceſſerit.

Quoniam mihi poteſtatem apud ſe agendi dedit. Nemini enim, niſi qui Magiſtratum gereret, concionem aduocandi, & cum populo agendi poteſtas erat. Ædilis autem Cicero proximis comitiis ædilitiis deſignatus erat: vt iam ſæpè diximus. Significat igi-

cœgitur: id quod ſæpe iam ante dixit, Verrem à ſe perduellionis accerſitum iri: quod iudicium centuriatis comitiis apud populum vniuerſum exercebatur. Perduellionis autē propter ius ciuitatis violatū.

Ante Kal. Feb. Huc eſt, ſimulatque Ædilis eſſe cœpero. Initurus autem Ædilitatem erat proximis Kal. Ianuarij.

De vno iſto voluiſſe creſcere. Nam ex accuſatione aliqua nobili adoleſcentes homines eloquentiæ & ingenij gloriam conſequebantur.

De multis mihi creſcere licebit. Amarè, nec tamen obſcurè, iudicibus qui ſe Verris largitione conſpiſſinent, minitatur. Itaque paulo poſt apertè ſic loquitur, non omnes qui tanto ſe ſcelere obſtrinxerint, vt fidem ſuam corrumpi paterentur, in diſcrimen ac iudicium vocandi.

Delecto conſilio. Id eſt, quod iudicib. totius Senatus lectiſſimis cōſtat. Sic delecta manus dicitur eorum, qui egregij & tanquam eximij habentur.

Probarim atque delegerim. Alterum ad eos quos à reo datos non reiecit, alterum ad eos quos ipſe dedit refertur.

Non cera, ſed cœno obliti. Notam dicit Cenſoriā, qua Cenſores quos Senatu mouerant, aut equo publico multarant, notare conſueuerant. Ceram autē ceratas Cenſorum tabulas modo ſignificat.

Extra iudicium. In corrūpēdis largitione iudicib.

Exiſtimationis metu. Extra periculum exiſtimationis amittendæ.

Deſignatum conſulem. Proximis conſularibus comitiis: vt in Verrina 1. dictum eſt.

Non minore negotio. Vnde notus ille verſiculus: Non minor eſt virtus, quàm quærere parta tueri.

Tribuni pl. reſtituti. Qua de re in Diuinat. dictū eſt.

Tanta exiſtimatio. Cum Magiſtratus per quē agi liceret, in Repub. deeſſet.

Tua fiducia. Fretum artificio tuo, & vſitata in iudiciis corrumpendis induſtria.

Rationem officij perſolutam. Noue dixit Perſoluere rationem officij, pro officio ſuo ſatisfacere.

Paucis horis prima actionis. ὑπερβολικῶς, pro paucis diebus. Dies autem nouem in illa actione conſumpti ſunt.

Inclinatio temporum. Sic Philip. v. Minimis momentis P.E. maximè inclinationes temporum fiāt. & in 11. de l. agr. Temporis inclinatione & perleui ſæpe fortunæ momento vectigalia po. R. pendere.

Ea lege promulgata. Dictū eſt actione priore de lege, quā tulit Aurel. Cotta Prætor, vt iudicia cum equeſtri ordine & Tribunis ærariis cōmunicarētur.

Iudicibuſq; nobis. Alij nonnulli Codices NOVIS. quod mihi rectius videtur.

Proſcriptam videtis. Id eſt, propoſitā. Proſcriptæ leges dicuntur, dū inſcripto Latoris nomine. palam in foro ſpectandæ ac legendæ proponuntur.

Recreari ac confirmari. Poſt conſularia comitia, quib. Hortēſius & Metellus Cōſules deſignati ſunt.

Vehementer aduerſaretur. Vetus liber, Aduerſetur: quod magis placet.

Iam antea iudiciis indignum putauit. Priore actione cum ab illo manus vix abſtinuit, quo tempore Prętor Glabrio conſilio in medio teſtē dimiſit: veritus ne Pop. R. præſentes pœnas ab illo repeteret. Indignum igitur iudicauit Verrem de quo iudiciū exerceretur, cùm tam apertus perduellio eſſet, in præſentia mactandum exiſtimauit.

De veteribus iudicibus. Hanc ſcripturam ſenten-

A tia confirmat, tametſi non Iudicibus in aliis, ſed Iudiciis legatur, Eſt enim ſenſus, Equites R. qui ex veterum iudicum numero conſtituti erunt noui iudices. Nam annis ab hinc decem equites R. iudicabāt: vt ſæpe antea demonſtrauimus.

Me actore. Cum mihi eorum criminum perſequēdorum prouincia data eſſet.

Hominum potentiſſimorum ſuſcepit inimicitias. Hoc ipſum ſuperius in diuinatione poſuit. Multa autem in hanc eandem rationem dixit Liuius, libro

B decadis quartæ nono, quem vide.

Ac doloribus. Occiſus quidem hic Q. Pōpeius in Conſulatu fuit, nam milites illum ſacrificare incipientem in modum hoſtiæ mactauerunt. Sed hōc nihil ad honorum contentionem pertinet. Videndū igitur ecquid LABORIBVS rectius legeremus.

Oculos deiecerimus. Tranſlatum à ſomniculoſis: & ſimiliter videtur dixiſſe in ea pro Sext. Roſcio, Cùm præſertim tam multi occupationem eius obſeruent, tempuſque aucupentur: vt ſimulatque ille

C deſpexerit, aliquid huiuſcemodi moliantur.

Tacita magis & occulta. De hac ſententia dictum eſt libro Accuſat. 1. ſuprà. Quemadmodum autem huic loco & Oratoris inſtituto conueniat nondum, vere vt dicam diſpicere potui. videtúrque à librariis ac ſcriptoribus prætermiſſa & in recognoſcendo ad marginem poſita, tandem ab eo qui ſententiam non ſatis attenderet, alieno loco poſita fuiſſe. Eius autem ſedem eſſe arbitrarer poſt illam interrogationem. Quare quid habent, &c. Neque du-

D bito ſiquis attentius vtriuſque loci ſententiam conſiderarit, quin veriſſimam meam eſſe coniecturam agnoſcat.

Artifices ad corrumpendum. Superiore actione nominauit eos, qui deponere aut accipere, aut polliceri, aut ſequeſtres, aut interpretes corrumpendi iudicij ſolent eſſe.

Populi R. ſalutis cauſa. Honeſtius ita locutus eſt, cùm ſi contraria contrariis retuliſſet dicturus fuiſſet, mea ſponte.

E *Nunc te Iupiter.* Concluſio vniuerſæ accuſationis: in qua Deos deaſque omnes quorum religionem Verres violarat, obſecrat atque obteſtatur, vt quam ipſi fidem in ſuſcipienda atque augenda cauſa dederant, eandem iudicibus in iudicando diſceptandóque præbeant. vbi ſimul memoria violatarum omnium religionum, de quibus libro ſuperiore dictum eſt, curſim ſtrictímque renouatur.

Cuius iſte domū. Et hac de re, & cæteris omnib. ſuperiore oratione dictum eſt à Cicerone à quo nunc

F ſtrictim & acceruatim hæc commemorantur.

Dignum regio munere. Obſeruanda locutio, donum regale, dignum regio munere, Quaſi donum ſit res, Munus verò ipſa donatio & liberalitas.

Celeberrimo in loco Prætorij. Obſeruandum locū aliquem in foro fuiſſe, quod prætorium diceretur: nimirum in quo prætores cùm iudicia exercerent, ſedere ſolebant. Prætores autem rerum capitalium Quæſitores dico: nam vrbanum in Comitio ius dixiſſe, multis ex locis intelligitur.

Deinde vti C. Verrem. Omnes alij libri, Denique. vtrunque rectè. ſed hoc tamen tam multorum auctoritate librorum præponderat.

Vtq; Reſp. meaq; fides vna hac accuſatione mea contenta ſit. Suſpicor de mendo: legendúmque potius arbitrarer. Mea fide, vnáque hac accuſatione. Qualis autem huius iudicij exitus fuerit, Aſconius ex-

ponit: qui poſt priorem actionem Verrem in exilium ſua ſponte profectum eſſe ſcribit, neque ſententiam iudicum expectaſſe. Hortenſium autem nouo accuſandi genere ita perculſum fuiſſe, vt rationem defenſionis omitteret: quod etiam Tullius in Bruto declarat. Hortenſium tamen Verris defenſionem ſcripſiſſe, Quintilianus multis in locis teſtatur. De Verris autem exitu, Lactantius ita loquitur lib. de orig. error. II. cap. IIII. Atenim Verres ob hæc facinora damnatus eſt. Apud ipſum Verrem non fuit illa damnatio: ſed vacatio. vt quemadmodum Dionyſio deorum ſpolia geſtanti, Dij immortales bonam dederunt nauigationem: ſic etiam Verri bonam quietem tribuiſſe videantur, in qua

A ſacrilegiis ſuis tranquillè frui poſſet. Nam frementibus poſtea ciuilibus bellis, ſub obtentu damnationis ab omni periculo & metu remotus, aliorum graues caſus & miſerabiles exitus audiebat: & qui cecidiſſe ſolus omnibus ſtantibus videbatur, is verò vniuerſis cadentibus ſolus ſtetit: donec illum & opibus ſacrilegio partis, & vita ſatiatum, ac ſenectute confectum proſcriptio triumuiralis auferret, eadẽ ſcilicet quæ Tullium violatæ Deorũ maieſtatis vltorẽ. Quinetiã felix in eo ipſo fuit, quod ante

B ſuam mortẽ crudeliſſimũ exitũ ſui accuſatoris audiuit: Diis videlicet prouidentibus, vt ſacrilegus ac prædo religionum ſuarum non ante moreretur, quàm ſolatium de vltione cepiſſet.

PRO M. FONTEIO, ORATIO XI.

ARGVMENTVM.

M. Fonteius M. F. eius qui Sulpitio Prætori bello ſociali legatus, Aſculi interfectus eſt, perfunctus Quæſtura, legatione in Macedonia & Hiſpania, Prætor Galliam prouinciam obtinuit, eique triennium præfuit: quo tempore Cn. Pompeius Hiſpanienſe bellum aduerſus Sertorium adminiſtrauit. Romam reuerſus repetundarum reus factus eſt, poſtulantibus Gallis, in his Induciomaro Treuirorum duce, claro & nobili. & accuſatus à M. Pletorio, ſubſcriptore M. Fabio. Ex multis criminibus tria hæc ſuperſunt: oppreſſam ære alieno Galliam fuiße: quæſtum ex viarum munitione factum, vt aut ne cogeret munire, aut id quod munitum eſſet, ne improbaret: denique portorium vini inſtituiſſe. Duabus autem actionibus accuſatus eſt: idq́ ob legem, vt mea quidem opinio eſt, Seruiliam repetundarum, quæ comperendinari reum iubebat, quemadmodum ex Verrina accuſatione intelligitur. Fonteij defenſionem Cicero ſuſcepit: quam ferè derogandæ fide & auctoritate teſtibus Gallis hominibus, conſumpſit: quibus, quia nulla religione ac metu Deorum immortalium teneantur, credi negat oportere. Nomen autem neque Quæſtoris, ad cuius tribunal cauſa hac acta eſt, neque Conſulum, quibus habita eſt oratio, reperire potui. Apparet tamen poſt legem Aureliam, quia iudicia inter tres ordines communicata ſunt, cauſam actam fuiſſe. Deſiderantur autem in hac oratione permulta. Quæ recuperare legendis auctoribus potuimus, ea deſcripſimus. Ex Ammiani quidem Marcellini lib. XV. hic locus eſt, vbi Gallorum mores expoſuit. Vini, inquit, auidum genus, affectans ad vini ſimilitudinem: multiplices potus: & inter eos humiles quidam obtuſis ebrietate continua ſenſibus, quã furoris voluntariam ſpeciem eſſe Catoniana ſententia definiuit, raptantur diſcurſibus vagis: vt verum illud videatur, quod ait defendens Fonteium Tullius, Gallos poſthac dilutius eſſe poturos, quod illi venenum eſſe arbitrabantur. Ex Aquila autem Romano alter hic eſt: Frumenti maximus numerus è Gallia: peditatus ampliſſimæ copiæ è Gallia: equites numero plurimi è Gallia.

COMMENTARIVS.

A quibus verſuras tantarum pecuniarum factas eſſe dicunt. Verſura fieri propriè dicitur, cùm creditoris conuerſio quædam & mutatio fit. nimirum cùm quis alij vt ſoluat, ab alio pecuniam mutuatur. nam vt Vertere ſolum, pro mutare veteres dicebant, ſic etiam Vertere creditorem pro mutare dictum ab illis videtur. Sed modò Verſuram facere, ſimpliciter G ſignificat æs alienum contrahere. ſic Verrina IIII, Inſpiciebamus Syracuſis à Carpinatio confectas tabulas ſocietatis, quæ ſignificabant multis nominib. eos homines verſuram à Carpinatio feciſſe, qui pecuniam Verri dediſſent. ſic in Orat. pro Celio. Tabulas qui in patris poteſtate eſt, nullas conficit: verſuram nunquam omnino fecit vllam. Senſus ergo hic eſt, A quibus illos tantum æris alieni contraxiſſe dicunt? à quibus tantam pecuniam fœnore ſumpſiſſe? & , VERSVRAS FACTAS: vt pecuniam M. Fonteio imperanti & exigenti darent.

A ciuibus R. qui negotiantur. Patet igitur verum eſſe quod alibi docuimus, literarum obligationem, ita ciuium R. propriam fuiſſe, vt in prouinciis, tamen vbi Romani magiſtratus copia erat, ea peregrini quoque homines aſtringerentur. Alioqui rẽ inter ſe rationémq; cõmunẽ habere nõ potuiſſent. Quare idẽ quoq; Romę factitatũ eſſe non dubito.

Cicero pro Flacco ius ex hac obligatione dictum oſtendit, Repente teſtimoniis Fuſtorum, nominibúſque recitatis, Recuperatores contra iſtam rem minimè dubiam iudicauerunt.

Qui negotiantur in Gallia. Non à mercatoribus. aliud eſt enim mercatorem eſſe, alud negotiatoreṁ vt ſupra oſtendiſſe memini: quod tamen hodie vulgo ignoratur. A negotiatoribus ergo, id eſt, à publicanis aratoribus, pecuariis, vt infrà, Omnes illius prouinciæ publicani, agricolæ, pecuarij, cæteri negotiatores, &c.

Tabulæ nullæ proferuntur. De tabulis cognoſce ex Orat. pro Q. Roſcio.

Sine ciuium R. tabulis. Vt non pecuniæ rationem cum ciuibus Ro. contrahunt: quam rationem ciues R. in ſuis tabulis perſcribunt.

Negotiatorum, colonorum pub. De hiſce omnibus multa multis in locis Verrinæ accuſationis explicauimus. Colonos tamen accipio hoc loco, qui in coloniam Narbonenſem miſſi ſunt: de qua paucis pòſt verſibus, & pagina inſequenti, Vtrum colonis veſtris, negotiatoribus veſtris, &c.

Partim noſtra memoria bella cum populo R. Memoria Ciceronis nullum cum Gallis bellum nobile geſtum memoriæ mandatum eſt: niſi quis Cimbricū bellum Gallicū interpretetur. Florus quidem in Epitome de C. Cæcilio meminit: quem in Gallia tranſalpina Saluios rebellantes belli Italici tempore viciſſe ſcribit.

Partim modò ab noſtris Imperatoribus. Loquitur de iis quæ ipſius memoria geſta ſunt, de quibus nihil ſcriptum reperio. In Ora. pro Quinctio, C. Flaccum imperatorem nominat, qui bellum in Gallia adminiſtrabat.

Narbo Martius. Narbo, nota ciuitas. Martiū autem dictum eſſe quidam putant, quòd C. Cæſar Dictator colonos ex Martia legione milites eò deduxiſſet. Sed cùm Velleius Paterculus banc coloniam deductam ſcribat Porcio & Martio COSS. veriſimilius videtur ex Martii nomine appellationem ſumpſiſſe. In libro tamen Velleij priore, mendosè Marco legitur pro Martio.

Populo R. copiis armiſque. Alij prope omnes, Copiis ſuiſque. in libris manu ſcriptis PO. RO. Ego ſic caſtigarem. Qui Gallicorum bellorum pericula à Populo R. copiis armiſque propulſarunt. nam ſi copiis populi R. ac non ſuis id feciſſent, minorem multò gratiam apud populum Rom. iniuiſſent.

Atque honeſtiſſimorum hominum. Vox ATQVE otioſa eſt. Sententia autem ad vocem Numerus requirere Maximus videtur. quare ſic corrigendum putarem, Eſt præterea numerus ciuium Ro. maximus, hominum honeſtiſſimorum. Itaque pagina inſequenti ſic ſcribit, Quid? ciuium R. quæ voluntas eſt? nemo eſt ex tanto numero, &c.

Qui proximi fuerant. Emendo, Proximè: vt ſit, Qui proximè, id eſt, paulo antè hoſtes fuerant.

In toto orbe terrarum. Bellum hoc tempore Populus R. gerebat cum Sertorio in Hiſpania, duce Pompeio: cum Iſauris & piratis in Cilicia, duce Seruilio: cum Dardanis in Thracia, duce Curione: cum Mithridate in Aſia, duce Lucullo: cum Spartaco in Italia, duce Vareno.

Ad Hiſpanienſe bellum. Quod Pompeio duce aduerſus Sertorium gerebatur.

Cauſam vnà cum populo R. cognoſcitis. Non quò **A** Populus Ro. quaſi ſententiam laturus cognoſceret: vt in certis criminibus, quorum quæſtiones ad Populum Ro. pertinere dicuntur, de quibus diximus Verrina III. hoc enim iudicium eſt repetundarum, lege populi conſtitutum: cui legi cuſtodes ac vindices præpoſiti ſunt: vt Verrina VII, Quò confugient ſocij? ad Senatum deuenient, qui de Verre ſupplicium ſumat? non eſt vſitatum, non Senatorium. ad Populum Ro. confugient? facilis eſt cauſa populi. **B** Legem enim ſociorum cauſa iuſſiſſe, & ei legi cuſtodes ac vindices præpoſuiſſe dicet, hic locus eſt igitur vnus, quo perfugiant, &c. Sed CVM POPVLO R. id eſt, præſente & inſpectante populo R. qui circum ſubſellia Iudicum coronam faciebat. Iudices autem hoc iudicio Senatores, Equites & Tribunos ærarios fuiſſe patet ex ſequentibus. Neque tamen diſplicet, quod Gab. Faernus ex antiquo libro repoſuit PR. vt Prætorem interpretemur.

Ex Cn. Pompeij decreto. Proximè dixerat M Fonteii. Eos, inquit, ex iis agris, quibus erant mulctati, **C** decedere coegit. Et ſanè quorſum attinebat Pompeij mentionem facere, non diſpicio: cùm ipſius Fonteij mentio magnopere ad cauſam ſententiámque pertineat. præterea quomodo Cn. Pompeij decreto: cùm id aut S. C. aut Prætoris Gallici decreto factum dici oporteat? nam neque dum Pompeius Conſul tum fuerat: neque, vt opinor, imperium in Gallia geſſerat. Quare M. Fonteij, non dubito quin ſit corrigendum: de quo tamen ex **D** integra & non contaminata oratione planius conſtaret.

Religio, laudatio, auctoritas. De laudationibus prouincialium cognoſce ex Verr. II.

Qui oppugnent. Faernianus liber OPPVGNATVM quod recipimus: & COGNOSTIS pro Cognoſcitis.

Copiam affert. Corrige, Copiam affero: vt in omnibus antiquis.

Gallorum conſenſio. Conſenſio, in malam partē: quaſi conſpiratio, coniuratio, ſic Verrina VII, Quid **E** igitur? nulline motus in Sicilia ſeruorum Verre Prætore? nullæne conſenſiones factæ?

Summa auctoritas. In antiquo Faerni, Summæ auctoritatis hominum, quod valde arridet.

In duabus Hiſpaniis. Ea quæ cis, & altera quę vltra Iberum flumen poſita eſt.

Clariſſimóſque Imperatores. Pompeium, Metellum, Perpennam.

Auctor placeat. Auctor, teſtis cuius auctoritatem ſequimur.

F *Optimis hominibus delegare.* Faernus rectè ex antiquo, Nominibus: id eſt, debitoribus. Sic in ea pro domo, Delegarem amico locupletiori: non quo illi onus illud imponerem. Cælius ad Ciceronem ſcribens lib. VIII, Tamen in hoc deprecor, ne meū hoc officium arrogantiæ condemnes, quòd hunc laborem alteri delegaui.

Viam Domitiam munire. Dictam, opinor, & munitam à Cn. Domitio, qui Proconſul cum Gallis & Allobrogibus bellum geſſit. Vide Florum in Epit. **G** libr. LXI. Rectè autem Faernus admonuit, Muniri legendum eſſe.

Legatis ſuis. De legatis ſcripſi Verrina III.

Ex literis quidem veſtris. Cùm in hoc conſilio Iudices ſedeant, vt ante dixi, ex Senatu, equitibus, & Tribunis ærariis: hæc ad Senatores tantùm pertinet oratio. Senatus enim de vectigalibus & ſumma Reipub. conſulebatur.

De iis rebus. De literis à Senatu ad Fonteium A miſſis.

Portorium vini. Portorium, vectigal quod in portu pro exportandis mercibus ſoluitur. vnde qui hoc vectigal publicani redemerunt, Portitores dicuntur.

Crodimum Porcium. Crodimi, opinor, legendum eſt, vt paucis pòſt verſibus. Totus autem hic locus valde corruptus eſt. Faernianus liber ita reſtituit: Crodeum, Porcium, & Manium ternos victoriatos: Vulchalore Seruæum binos. B

Ternos victoriatos. De Victoriatis Plinius lib. XXXIII ſcribit his verbis, Qui nunc Victoriatus appellatur, lege Clodia percuſſus eſt. antea enim hic nummus ex Illyrico aduectus, mercis loco habebatur. eſt autem ſignatus Victoria, & inde nomen. Eſt autem Victoriatus ſemis denarij: & nunc, inquit Voluſius Metianus, tantundem valet quantum olim quinarius. Varro libro de analogia III, Nam quam rationem, inquit, duo ad vnum habent, eandem habent XX ad decem. in nummis, in ſimilibus ſi C eſt ad vnum victoriatum denarius, ſic ad alterum victoriatum alter denarius. Ita enim locum illum corrigendum eſſe arbitramur.

Quid æquo quæſitore? Prætor qui capitis iudicio præeſt, & cum conſilio de cauſa cognoſcit, Quæſitor dicitur: & ipſum iudicium, Quæſtio: quòd eo iudicio is qui accuſatus eſt, nocens néene ſit, cum conſilio quæritur.

Actio rerum. Locum hunc Faernus ope libri veteris adiutus, ſic reſtituit: At ratio rerum & vis ar- D gumentorum coarguit. poteſt igitur teſtibus iudex non credere? Cupidis & iratis & coniuratis, & ab religione remotis non ſolum poteſt, ſed etiam debet.

Salus ipſa virorum fortium innocentiam. Dicit deam ſalutem, cui templum in Quirinali dedicatum eſt: Sic Terent. in Adelphis,

-ipſa ſi cupiat Salus.

Seruare prorſus non poteſt hanc familiam.

Non ſolum ſemel, ſed etiam breuiter interrogandus. E Fortaſſe, Breuiter eſt interrogandus. Teſtes autem & ab ipſis accuſatoribus & à defenſoribus interrogari ſolitos, notum eſt omnibus ex ſcriptis Aſconij.

Vnoquoque de teſte. Rectè Faernianus codex, vno de teſte. vt ſuprà, eandem rem: & mox, Nolumusq; itémq; Iudici, pro Iudices.

Simplex aurium iudicium. Hinc illud Hadriani præclare dictum. Teſtibus ſic non teſtimoniis credituros, apud Calliſt. l. 3. D. de teſtib.

Coniectura & cogitatione traduntur. Corrigen- F dum ſic putarem, Coniecturæ & cogitationi traduntur. Nam locus erit hoc modo perſpicuus: & eandem habebit ſententiam quam ille in Orat. pro Sex. Roſcio Quæ poſita ſunt in ſuſpicionibus, ea veſtris ingeniis coniecturæq; committo.

Cn. & Q. Cepionibus. Valerius Max. Caium & Quintum appellat libro VIII, cap. de teſtibus. vbi hæc omnia exempla paulo dilucidius commemorat.

Hominem nouum. Homines noui nobilibus oppo G nuntur. qua de re nobis alio loco explicatum eſt.

M. Aemylio Scauro. Hic eſt M. Scaurus, cuius pater, quanuis patritius, propter paupertatem carbonariam exercuit. qui nullo præſidio fortunæ, ſed eloquentia & labore ſummos quoſque magiſtratus adeptus eſt: princeps etiam Senatus fuit.

In C. Fimbriam. Valerius eó quem ſuprà dixi loco, C. Flauium.

Quantus in L. Craſſo. Hæc eadem eodem loco Valerius.

Si quicquid. Rectius in Faerniano: Si vt quidque.

Illi equites R. quos nos vidimus. Senatores Romuli inſtituto ſoli ſemper iudicauerant. C. Gracchus poſtea legem tulit, vt ad equeſtrem ordinem iudicia transferrentur. Iudicarunt annos amplius XL. deinde L. Sylla victor ſolis Senatoribus iudicia reſtituit. Poſtremò L. Aurelius Cotta Hortenſio Metello coss. id eſt decem poſt legem à Sylla latam annis iudicia inter tres ordines communicauit, Senatum ſcilicet, Equites, & Tribunos ærarios, Florus, Appianus, Plutarchus, Aſconius.

Belgarum. Faernus ex codice reſtituit Vulgarum: partim quia Cæſar Volgas lib. 1. nominat, Allobrogum vicinos: partim quia Belgæ hoc tépore nihil ad Imperium populi R. pertinebant.

Qui optima in cauſa ſunt. Qui optima conditione ſub imperium ditionémque populi R. ſubiuncti ſunt.

Scit Induciomarus quid ſit. Hic eſt Induciomarus princeps Treuirorum, qui à C. Cæſare bello victus atque interfectus eſt.

Primùm illud verbum, Arbitror. Hoc idem lib. Acad. quæſt. II, teſtatur his verbis, Quam rationem maiorum etiam comprobat diligentia: qui primùm iuraſe ex ſui animi ſententia quenque voluerunt: deinde ita teneri, ſi ſciens falleret, quòd inſcitia multa verſaretur in vita: tum qui teſtimonium diceret, vt arbitrari ſe diceret etiā quod ipſe vidiſſet: quæq; iurati iudices cognouiſſent, vt ea non eſſe facta, ſed vt videri pronuntiarent.

Religione iuſiurandi. Corrige Iuriſiurandi, vt ahis in libris omnibus.

Delphos vſque ad Apollinem Pythium. Nota eſt hiſtoria ex Pauſania in Phocicis, & Iuſtini libro XXIV extremo: quam & Strabo attigit lib. IV, & Liuius lib. XXIX.

Sanctam teſtimoniorum fidem. Ipſe in libr. de Off. III, in hanc ſententiam, Qui igitur iuſiurandum violat, is fidem violat: quam in Capitolio vicinam Iouis Opt. Max. vt in Catonis oratione eſt, maiores noſtri eſſe voluerunt.

Humanis hoſtiis. Hunc Gallorum morem cognoſce ex Comment. Cæſaris libro de bello Gall. VI, Plinius libro XXX. ſcribit vſque ad ſuam memoriam eum morem à Gallis retentum, ac conſeruatum fuiſſe: ſed Tiberij Cæſaris principatum Druidas eorū ſuſtuliſſe. hoc amplius, DCLVII demum anno vrbis Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Craſſo coss. Senatuſconſultum factum eſſe, ne homo immolaretur, palamque ad illud vſque tempus ſacra prodigioſa celebrata. Multa etiam hac de re ſcribit Euſebius libro de Præparat. Euang. IV.

Illo triennio in Galliam venerunt. Quo Fonteius Galliæ præfuit. Prætoriæ prouinciæ annum vnum obtinebantur: ſed plerunque prorogabátur, vt Verri, vt Piſoni, vt aliis innumeris.

Gallis credere. Faernus ex libro ſuo reponit: Cum Gallis iurare. quod abſurdum puto.

Sagatos brachatóſque verſari. Sagum, opinor, non militarem veſtem Romanorum ſimilem ſignificat, ſed ſtragulæ veſtis genus, non abſimile cilicio. Suetonius in Othone iuiuſmodi ſagi mentionem

tionem facit his verbis, Ferebatur & vagari noſti-
bus ſolitus, & in validum quemque obuiorum vel
potulentum corripere, ac diſtento ſago impoſitum
in ſublime iactare. Tacitus de moribus Germano-
rum. Nudi aut ſagulo leues, nulla cultus iactatio. Et
paulo pòſt, Tegmen omnibus ſagum, fibula, aut ſi
deſit, ſpina conſertum. De brachis autem & ſagis
Diodorus lib. vi ſic ſcribit, Veſtes autem ad terro-
rem intonſas, ac coloris varij ferunt, quas illi vocāt
brachas. Sagula gerunt virgata: hyeme quidem craſ-
ſiora, æſtate ſubtilia.

Conuictus virorum bonorum teſtimoniis. Conui-
ctus, alij nonnulli: & ſic puto emendandum. ſed v-
troeunque modo, mendum tamen ſubeſt. nam ver-
bum Magiſtratibus, quò ſe referat, non habet, quare
haud ſcio an ſic potius ſit legendum, Magiſtratibus
quos ante oculos veſtros geſſit, legationibus flagi-
tioſè obitis, conuictus virorum bonorum teſtimo-
niis, inuiſus tuis omnibus. Nihil tamen affirmo: tan-
tùm ſententiam meam teſtificor.

Qui maximè gloria & laude ducuntur. Qui ma-
ximè ignominiam oderunt, quam ex damnatione
Fonteij ciuis ſui & multis honoribus affecti conſe-
quentur.

Senatum Equiteſque. Apparet quod ſuprà dixi,
ſediſſe in hoc conſilio Iudices ex tribus ordinibus:
nam Ordinem cum Aſconio Tribunorum ærario-
rum dignitatem appello. Tribunos enim ærarios,
cùm Senatum appellat, præter eos Senatores qui ſi-
ne poteſtate tum erant, intelligi voluit. Magis ta-
men placeret vt ex Faerni ſententia legeremus, Se-
natores.

Excitandus nobis erit ab inferis C. Marius. Marius
IIII COS. Ambronum Teutonúmque gentem fe-
rociſſimam, quæ cum exercitu numeroſiſſimo in
Italiam inuaſerat, prælio vicit: qua victoria Romam
nondum ita v cos. abſens creatus eſt. Quintum Con-
ſul Catulo cum Cimbris difficile bellum gerenti
præſidio fuit, hoſtéſque ſuperauit.

Cn. Domitius & Maximus. Q. Fabius Max. cum
Allobrogibus, Cn. Domitius cùm Aruernis, acerba
& diuturna bella geſſerunt. vt ipſe alibi ſcribit, &
Cæſar lib. I. de quorum victoriis cognoſce ex Flo-
ro in Epit. lib. LXI. itaque placet Faerni coniectura,
vt Q. Maximus ſcribatur.

M. Pletorius. Hic eſt M. Pletorius Fonteii accuſa-
tor, in quem Ciceronis iocus memoratur à Quin-
tiliano libro VI, Eius, inquit, matrem dixit dum vi-
xiſſet, ludum habuiſſe. dicebantur autem dum vixit
infames fœminæ ad eā conuenire ſolitæ: poſt mor-
tem eius bona venibant. quanquam hic Ludus per
tranſlationem dictus eſt: Magiſtri, per ambiguita-
tem. hæc Fabius.

M. Fabium ſubſcriptorem. De ſubſcriptoribus ſatis
multa diximus in Diuinat. in C. Verrem.

Cauſa duabus actionibus perorata. Hunc locum &
alium ſimillimum qui ſequitur, explicauimus in
Comment. Verrinæ II, vnde ea aſſumentur, quæ
huc pertinebunt.

In poteſtatibus, in imperiis gerendis. Cum pote-
ſtate eſſe dicuntur, qui è populo alicui negotio præ-
ficiuntur: cum imperio, quibus nominatim à popu-
lo dabatur imperium. vt illi quidem, Minores ma-
giſtratus fuerint: qui videlicet minoribus auſpi-
ciis creabantur: veluti Quæſtores, Ædiles, Tribuni
ærarij, Tribuni militares, Triumuiri capitales, Tre-
uiri ære, auro, argento. Maiores verò, qui maioribus

A auſpiciis, qui in imperio, & item cum Imperio eſſe
dicuntur, Tribuni plebis Conſules, Prætores, Dicta-
tores.

M. Aemylium Scaurum accuſatum à M. Bruto. Ter
accuſatum Scaurum reperio, primùm à Cn. Domi-
tio Trib. pleb. quòd eius opera ſacra multa Populi
R. deminuta eſſe diceret. iterum à Q. Seruilio Cæ-
pione lege Seruilia repetundarum: tertiò à Q. Va-
rio Tribuno pleb. lege Varia proditionis. quæ om-
nia ex Aſconio didicimus. ſed M. Bruti qualis ac-
B cuſatio fuerit, legiſſe non memini.

M. Aquilius. Repetundarum à P. Lentulo accu-
ſatus, vt Verrina I, Is eſt qui cùm cauſam diceret,
Iudices rogare noluit. cuius patronus M. Antonius
cùm pro eo peroraret, tunicam diſcidit, vt honeſtas
cicatrices oſtenderet. teſtis Cicero lib. de Orat. II, &
Ver. VII.

L. Cotta. Quem P. Africanus poſteaquam bis Cō-
ſul & Cenſor fuiſſet, in iudicium vocauit. in Diui-
nat. abſolutus eſt tamen, ne nimiis aduerſarij viribus
C abiectus videretur. vt in Orat. pro Muræna, & apud
Valerium Max. libro VIII.

P. Rutilius. Cognomento Rufus, de quo perſæ-
pe Tullius commemorat. vt in Bruto, Qui quan-
quam, inquit, innocentiſſimus in iudicium vocatus
eſſet, quo iudicio conuulſam eſſe penitus ſcimus
Rempubl. cùm eſſent eo tempore eloquentiſſimi
viri L. Craſſus & M. Antonius Conſulares, eorum
adhibere neutrum voluit, dixit ipſe pro ſeſe. Et in
Piſonem, Damnatio iſta quæ in te flagitatur, obti-
D git P. Rutilio, quod ſpecimen habuit hæc ciuitas
innocentiæ, maior mihi iudicum & Reipubl. pœna
illa viſa eſt, quàm Rutilij. De eodem Florus in E-
pit. ſic ſcribit, P. Rutilius vir ſummæ innocentiæ,
qui Legatus C. Marii Proconſulis à publicanorum
iniuriis Aſiam defenderat, inuiſos Equeſtri ordini,
penes quem iudicia erant, repetundarum damna-
tus, in exilium miſſus eſt.

Eloquentiſſimi C. Gracchi. Idem ſcribit in Bruto,
& in Oratore multis locis.

E *Cùm hominem inuenire nequam neminem poſſes,
ſolus tamen Frugi nominaretur.* Ergo Frugi homi-
nem cum homine nequam, quaſi contraria inter ſe,
opponit. in Tuſcul. III, hoc modo: Frugalitas, vt o-
pinor, à fruge: qua nihil melius è terra oritur. ne-
quitia ab eo, quòd nequicquam eſt in tali homine
ex quo idem nihili dicitur. Hæc Cicero. feréque
nequitiæ verbum ita propriè vſurpatur, vt ponatur
in hominibus luxu diffluentibus. quos nepotes e-
tiam vulgò appellamus, ex quo Prætoris bonis ali-
F cui interdicentis formula concepta eſt: quemadmo
dū Paulus Iuriſconſultus teſtatur. Quandoquidem
tibi bona paterna auitáque nequitia tua diſperdis,
liberóſque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem
tibi ea re commercióque interdico.

Viator quæreret, Viatoribus enim Tribuni pleb.
vtebantur: Conſules & Prætores Lictoribus.

Ad probra nunc audienda. Rectè Faernus ex lib.
antiquo Non audienda. non enim bona fortuna in
audiendis, ſed in non audiendis probris apparet.

G *In monimentis rerum geſtarum.* In ſtatuis.

Aſculanorum manus à qua interfectus eſt. Cùm
Italiæ populi ſeſe ad bellum populo R. inferen-
dum compararent, obſidéſque inter ſe ciuitates da-
rent, Seruilius ea de re admonitus Aſculum pro-
fectus cùm Aſculanos vehementius obiurgare in-
ſtituiſſet, qui tum diem feſtum celebrabant, ab iis

vnà cum Fonteio Legato ſuo, omnibúſque ciuibus R. qui in eo oppido erant, interfectus eſt. Appianus.

Totum illud ſociale bellum. Quod propter negatam Italicis populis ciuitatem exortum eſt. nota eſt hiſtoria ex Appiano, & aliis.

Exercitus. Rectè Faernianus codex: Exercitatus. & mox: A me iudices, quod non eſtis.

Partim ciuitatis diſcordiis. Ciuilibus bellis. Appianus auctor eſt amplius centum millia hominum Syllæ victoria cæſa eſſe, & præterea Senatores nonaginta: eorum autem qui cum imperio aut poteſtate eſſent, xv, Equitum duo millia ſupra D C. Quod enim ſcribit ὑπάτους πεντεκαίδεκα, ſic interpretor, qui cum imperio aut poteſtate eſſent. nam Conſules quinque tantùm interfecti ſunt. Valerius Max. ſcribit quatuor millia & ſeptingentos diræ proſcriptionis edicto iugulatos Syllam in tabulas publicas retuliſſe.

Hac calamitate. Ac Reip. calamitate, ſine aſpiratione: corrigendum ex libro Faerni.

Quos legatos nuper in bello. Legendum videtur In bello ſociali. nam eo bello omnes illi interiêrunt.

Quos L. Iulius, P. Rutilius. Horum omnium & poteſtatem, & cædem cognoſcet lector ſtudioſus ex vna aut altera pagina libri primi περὶ τῶν ἐμφυλ. apud Appianum cap. de Bello ſociali. nam neque longam interpretationem hic locus poſtulat: & ſi poſtularet, locum illum Appiani totum hunc in locum adſcribi oporteret.

Tradere & condemnare. Placet Faerni coniectura, vt condonare reſtituamus.

Et multis & firmis. Vetus codex, & aliquot impreſſi, Non & multis, quod placet: vt cum interrogatione legatur.

Obiicitur contra iſtorum impetus Macedonia. In Macedonia & Hiſpania Legatum fuiſſe ex eo loco coniecturam capio, vbi paulò antè dixerat, Legationibus flagitiosè obitis: ab vtraque autem ſignificat miſſas publicè Legationes, quæ Fonteium, vt moris erat, laudarent.

Vt oportet bello Gallico. Appianus ἐμφυλ. β, ſic ſcribit. οὕτω δή τι Ῥωμαίους ἐπεφόβει, ὡς νόμῳ τῷ περὶ ἀστρατείας ἱερέων καὶ γερόντων ἐγγραφῆναι, πλὴν εἰ μὴ κελτικὸς πόλεμος ἐπίοι, τότε δὲ καὶ γέροντας καὶ ἱερέας στρατεύεσθαι. Vſque eo, inquit, Galli Romanis terribiles & formidoloſi ſunt, vt in lege de vacatione militiæ, quæ ſacerdotibus & ſenibus permittitur, illud aſcriptum ſit, niſi ſi bellum Gallicum exoriatur. tum enim & ſenes & ſacerdotes in militiam proficiſci. Liuius quoque lib. VIII tradit, exorto tumultu Gallico, Mamercum COS. iuſſum ſcribere exercitum ſine vlla vacationis veniâ. quin opificum quoque vulgus, & ſellularij, minimè militiæ idoneum genus, exciti dicuntur. Idem præterea lib. x, vbi de eodem nuntio commemorat, Senatus, inquit, iuſtitium indici, delectum omnis generis hominũ haberi iuſſit, nec ingenui modò, aut iuniores ſacramento adacti ſunt: ſed ſeniorum etiam cohortes factæ, Libertiníque centuriati. Plutarchus præterea in vita M. Marcelli, de Gallis loquens: Οὓς μάλιστα, inquit, Ῥωμαῖοι δεῖσαι δοκοῦσιν. ἅτε δὴ καὶ τὴν πόλιν ὑπ' αὐτῶν ἀποβαλόντες. ἐξ ἐκείνου δὲ καὶ θέμενοι νόμον, ἀτελεῖς εἶναι στρατείας τοὺς ἱερέας, πλὴν εἰ μὴ γαλατικὸς πάλιν ἐπέλθοι πόλεμος. id eſt, Quos maximè Romani metuiſſe videntur, quippe a quibus vrbe pulſi aliquando fuerant. ac iam tum legem tulerant, vt vacatio militiæ ſacerdotibus eſſet, præterquam ſi rurſus Gallicum bellum exoriretur. Item in Camillo, οὕτω δ' ἦν ὁ φόβος ἰσχυρὸς, ὥστε θέσθαι νόμον ἀφεῖσθαι τοὺς ἱερεῖς στρατείας χωρὶς ἂν μὴ γαλατικὸς ᾖ πόλεμος. id eſt, Tantus erat Gallorum metus, vt legem Romani tulerint, vt ſacerdotes militiæ vacationem haberent, præterquam ſi bellum Gallicum exoriretur. Tumultu tamen, non bello Gallico, hãc fuiſſe conſuetudinem. Cicero Philippica octaua docet his verbis: Grauius autem eſſe tumultum, quàm bellũ hinc intelligi poteſt, quòd bello Gallico vacationes valent, tumultu non valent. Appian. ἐμφυλ. β. loquens de Cæſare vrbem ingreſſo. τὰ δὲ κλεῖθρα τῶν δημοσίων ταμιείων ἐξέκοπτε, καὶ τῶν δημάρχων ἑνὶ Μετέλλῳ κωλύοντι θάνατον ἐπηπείλει: τῶν δὲ ἀψαύστων ἐκίνει χρημάτων ἅ φασιν ἐπὶ κελτοῖς πάλαι σὺν ἀρᾷ δημοσίᾳ τεθῆναι μὴ κινεῖν ἐς μηδὲν εἰ μὴ κελτικὸς πόλεμος ἐπίοι.

De matris hunc complexu. Vtranque & matrem ſcilicet, & ſororem in epilogo productas eſſe, & locus demonſtrat, & patet ex more qui ex his verbis Verr. III. cognoſcitur, quæ j. ſubſcribã: Cur cogis ſodalis vxorẽ, ſodalis ſocrũ, domũ denique totã ſodalis mortui cõtra te teſtimoniũ dicere? prudẽtiſſimas lectiſſimáſq; fœminas in tantum virorum conuentum inſolitas inuitáſque prodire cogis?

Cæteræ fœminæ gignere ipſe præſidia. Sex erãt Veſtales, vt ſcribit Dionyſius Hal. quas annos XXX. cœlibes eſſe oportebat. ac primo quidem decennio religionẽ diſcebãt, altero ſacra faciebãt, tertio alias docebant. quo exacto licebat illis, relictis ſacerdotij inſignibus, nubere. ſed hoc, inquit, & perpaucæ fecerunt, & quibus hoc accidit, exitus vitæ infelices euenerunt. hæc ex Dionyſio & Plutarcho.

Commoueri. Rectius in Faerni libro. Cõmoneri.

Sacerdotis Veſtæ. Rectius in Faerniano Veſtræ: & mox tradit in præſenti.

PRO

PRO A. CAECINA,

ORATIO XII.

ARGVMENTVM.

M. Fulcinius Tarquinienſis vxori Ceſenniæ moriens omnium ſuorum bonorum vſumfructum reliquit, vt frueretur vnà cum filio hærede inſtituto. Mortuo filio, & auctione bonorum conſtituta, Sex. Ebutius, eius mulieris cognitor, fundum ex iis quendam mercatus eſt: eique fundus ille ab argentario ad cuius tabulam auctio fiebat, venditus addictúſque in tabulas relatus eſt. Non ita multo pòſt Ceſennia A. Cæcinæ Volaterrano nupſit: quo hærede inſtituto, deceſſit. Ebutius continuò in eum fundum quem emerat, proficiſcitur, ſuum eſſe illum affirmans, ſibique emiſſe: idque etiam ex argentarij tabulis demonſtrans: & hoc amplius, non poſſe hæredem eſſe Ceſenniæ Cæcinam, quod Volaterranis adempta eſſet à Sylla victore ciuitas. Itaque cùm in illum Cæcina fundum ingredi vellet, coactis armatiſque hominibus per vim eum ab eius fundi aditu ingreſſúque prohibuit. Repulſus Cæcina interdictum de armatis hominibus à Prætore impetrat: vt vnde deiectus eſſet, eò reſtitueretur, Ebutius reſtituiſſe ſe defendebat, id eſt, imperio Prætoris paruiſſe: (hæc enim veterum iudiciorum ratio fuit) quamuis reuera non reſtituiſſet: ſed quia Prætor non aliter reſtitui iuſſerat, niſi ſi deieciſſet. Deiectum autem Cæcinam non fuiſſe, cum in eo fundo non eſſet: ſed tantùm repulſum: ac prohibitum: deiici enim eum duntaxat, qui ex eo, in quo erat, loco depellitur. Quibus omnibus reſpondet Cicero mea ſententia, calumnioſè, & ad tempus cauſámque nimis accommodatè. Cùm enim id quod de loco dicebat Ebutius; deiectum videlicet à Prætore neminem intelligi, niſi qui cum in loco eſſet, ex eo depulſus eſt; hoc tantùm ſignificet, neminem deiici, niſi qui locùm illum aut poſſideat aut teneat, id eſt, niſi in eo ſit: tamen callidiſſimè verba ipſa Non deieci, ſed eieci, quæ frigidiſſima prima ſpecie videntur eſſe, vrget, atque inſectatur: ſententiam illorum calumnioſè diſſimulans, & defenſionem illam, quaſi perridiculam ac planè nugatoriam pluribus verbis exagitans. etiam ad extremum vtens illa calumnia: cum Prætores vim armis factam, etiam ſi deiectus non poſſideat, reſtitui iubeant, alia ratione non iubeant: non eſſe quærendum, poſſideátne Cæcina: an non: quia vis armatis hominibus facta ſit. Nam reſponderi nullo negotio poterat; in vi armis facta, etiam ſi is qui deiicitur non poſſideat, in loco tamen eſſe illum oportere. quòd ſi, cum iuris in eam rem nihil habeat, neque eam poſſideat, in loco tamen eſſe illum oportere. quòd ſi cùm iuris in eam rem nihil habeat, neque eam poſſideat, tamen ingredi velit, ſine vlla iniuria prohiberi ac repelli poſſe. Secundo loco reſpondet Cæcinam poſſediſſe. quod ex eo confirmat, quia ſit hæres vſufructuariæ, quæ ſine controuerſia poſſidebat. quod apertè falſum ac nugatorium eſt: vt vel iis qui primoribus labris ius ciuile deguſtarunt, facilè intellectu eſt, In extremo de Volaterranorum iure ſic reſpondet: ius non fuiſſe populo R. ciuitatem adimere Volaterranis. & neminem inuitum ciuitatem aut libertatem amittere. Genus cauſæ iudiciale eſt. ſtatus definitionis. Intentio eſt, Deieciſti Cæcinam, quòd eum in fundum Fulcinianum ingredi prohibuiſti. depulſio, Non deieci. Quæſtio eſt, An deiecerit. Ratio, In fundo enim non erat. Firmamentum, Deiici etiam qui ingreſſu tantum prohibetur: tametſi de loco non depellatur ſed hoc firmamento ad ſpeciem vtitur, non ad veritatem: infirmat enim rationis verba, non rationis ſententiam. nam reuera ratio hæc erat. Neque poſſidebat Cæcina, neque tenebat. deiici non dicitur, niſi qui ſaltem in loco eſt. quare deiectus non eſt. Indicatio igitur nulla

eſt, quæ ex conflictione rationis ac firmamenti naſcitur: cùm firmamentum cum ratione non committatur. Quibus COSS. *acta ſit, nondum reperi. apparet tamen diu poſt Syllæ mortem actam eſſe. P. Dolabella Prætore vrbano. Agitur autem ad Recuperatores ab eo dates, cùm bis iam ampliata fuiſſet. Et hic fuit, opinor, Cæcina Volaterranus, equeſtris ordinis, quadrigarum dominus, quem Plinius ſcribit lib. x, comprehenſas hirundines in vrbem ſecum auferentem, victoriæ nuntias amicis miſiſſe, in eundem nidum remeantes illito victoriæ colore. quòd niſi mendum eſt apud Gell. lib.* VI, *cap. 16, vbi hæc oratio Pro A. Licinio nominatur, nomen habuit Cæcina Licinij. de quo tamen affirmare non auſim. De hac oratione Cicero in Bruto ſic ſcribit: Tota mihi cauſa pro Cæcina de verbis interdicti fuit: res inuolutas definiendo explicauimus, ius ciuile laudauimus, verba ambigua diſtinximus.*

COMMENTARIVS.

Siqn antum. Hoc initio beneuolentiam à clientis pariter & aduerſarij perſona conciliat: cùm huius audaciam, & impudentiam, vnà cum illius moderatione & conſtantia comparat.

Tantum in foro atque in iudiciis impudentia valeret. Romæ in foro iudicia exercebantur: priuata plurimùm in comitio: vt apparet ex lib. Macrobij Saturn. III, Plauto in Pœnulo, & Varrone de lingua latina IV. Comitium autem in foro fuiſſe Plinius lib. XV. demonſtrat his verbis, Colitur ficus arbor in foro ipſo atque comitio Romæ nata, ſacra fulguribus ibi conditis. & ſic accipio locum libri Rhetor. ad Her. II, In foro aut in comitio cauſam conicito. quem locum poſtea explicabimus.

Non minus in cauſa ſederet. Aquila R. & Fab. Quintilianus, Non minus nunc in cauſa: quod particula TVM quæ proximè ſequitur, rectum eſſe oſtendit.

Conſiderati hominis eſſe putauit. Cùm illius ceſſit audaciæ, & ſe in fugam coniecit. Hoc enim dicit vt conſideratione & prudentia adductus, non autem ignauia & inani metu perculſus fugiſſe Cæcina videatur.

Et hoc conſtantis. In propoſito ſuſceptóque conſilio permanentis. non temerè deſerentis eam controuerſiam, quam prudenter & conſideratè ſuſceperat.

Iure iudicióq; ſuperare. Ius, quod Prætor decreuit, cùm iudicium conſtituit: Iudicium, iudicum ſiue Recuperatorum à Prætore datorum cognitio atque diſceptatio.

Non dubitauit idipſum quod arguitur confiteri. Cõuocatos à ſe homines, & armatos fuiſſe: ſed diſſimulat Cicero defenſionem Ebutij. Defendebat enim, quantum ego exiſtimare poſſum, ſe ob eam cauſam armaſſe, ne vis ſibi afferretur, ac de ſuo fundo vi à Cæcina deiiceretur. quinetiam non modò id confitebatur, ſed etiam profitebatur, ac præ ſe ferebat. teſtes enim eos ipſe ſumpſerat, quemadmodum Cæcina in ipſius fundum per vim armatis hominibus ingredi conatus eſſet: & cum prohibuiſſet, non deieciſſet. Atque hoc videlicet quaſi grauiſſimo in ſua cauſa firmamento vtebatur, infrà.

Hoc rationis habuit Cùm in iudicium venire auſus eſt.

Quoniam ſi facta vis non eſſet moribus. Tolle negationem, quæ in hoc vno (vt opinor) libro legitur, ab imperito aliquo & temerario correctore, ſine cauſa poſita. nam ſæpe poſtea in hac ipſa Oratione

A de vi quæ moribus fiebat, loquitur: infrà, Placuit Cæcinæ de amicorum ſententia conſtituere, quo die in rem præſentem veniretur, & de fundo Cæcina moribus deduceretur. Ad eum fundum profectus eſt, ex quo ex cõuentu vim fieri oportebat. Cũ ad vim faciendam veniretur, Ipſe porrò Cæcina cur ſe moribus deduci volebat? Sed ingenioſi quidã homines locum ſic interpretantur, vt poſt ESSET notam diſtinctionis quaſi ſpiritus ſuſtineatur, adhibeant & vocem moribus ad vocem ſuperior referunt: vt ſit, Non fuiſſet ſuperior moribus, id eſt, more inſtitutóq; maiorum. Quorum ego ſententiam refellerẽt: ſi cuiquã paulo acutiori placere poſſe exiſtimarem. Quid ſit igitur Vim fieri moribus, videamus. Ex his ſanè locis, quos commemorauimus, & ſiqui ſunt præterea ſimiles, illud manifeſtò intelligitur, moris fuiſſe, vt cùm de agro quopiam controuerſia inſtitueretur, quia propter commoda poſſeſſionis magna iurgia, & pugnæ, interdum ac cædes oriebantur, litigatores de amicorum ſententia diem inter ſe ſumerent, qua die in rem præſentem, id eſt, in agrum illũ vnà venirent, & in eo agro vim aliquam alter alteri faceret, non veram & ſolidam, ſed fictam & ſimulatam. Ex tota autem oratione illud apertè conſtat, quòd is qui detruſus erat, à Prætore ex edicto poſtulabat, vt vnde vi deiectus eſſet cùm poſſideret, eò reſtitueretur. Prætor decernebat. Cùm reſtitui iuſſus ab aduerſario peteret vt ſe reſtitueret, reſpondebat aduerſarius ſe reſtituiſſe. altero igitur reſtitutum ſe negante, ſponſio fiebat. Recuperatores ſumebantur: apud quos quærebatur, reſtitutúſne eſſet, qui fuerat deiectus, annon: id eſt, paruiſſétne deiector edicto atque imperio Prætoris, annon. Hoc autem iudicio (vt ſæpe poſtea docebimus) reuera nihil aliud quærebatur, quàm vter poſſideret. nam ſi non poſſidere aduerſarium deiector probaret, vincebat: & edicto Prætoris paruiſſe iudicabatur. non enim aliter erat reſtituere iuſſus, niſi ſi poſſeſſorem deieciſſet. Deiectionis enim inuidia probationis onus in deiectorẽ reiiciebat. vt patet infrà, Oſtendo, ſi ſine armatis coactiſve hominibus deiectus quiſquam ſit, eum qui fateatur ſe deieciſſe, vincere ſponſionem, ſi oſtendat eum non poſſediſſe. Atque hæc quidem mea quondam fuit propter illum Ciceronis locum ſententia, qui non modo mihi adoleſcenti vt tum eram, verumetiam cuiuis exercitato errorem obiicere facile potuit, quid enim clarius dici potuit, quàm Deiectori onus incumbere probandi deiectum non poſſediſſe? Sed poſtea partim maiore attentione

tẽtione adhibita,partim aliis Ciceronis locis excita- A
tus,ſtatui probandæ poſſeſſionis onus Deiecto non
deiectori incumbere.vt infra docebimus.Hæc autẽ
vis eſt,& deiectio quã morib.fieri dicit: quam infrà.
Vim quotidianã appellat : quã A.Gel.li.x x,cap.1 x
vim ciuilẽ ac feſtucariam appellat:quam veræ vi ac
ſolidæ opponit.de qua Ennius dixerat,Non ex iure
manuconſertum,ſed mage ferro.Rem repetunt,re-
gnúmque petunt,vadunt ſolida vi.Vt etiã perſpicuè
appareat conſertionem illam manuum,de qua toto
illo capite diſputat,nihil aliud fuiſſe,quàm vim hãc, B
ac deductionem,quæ moribus(vt Cicero dicit) fie-
bat : & quam dicit olim præſente Prætore fieri ſo-
litam,qui ipſe in rem præſentem,agrúmque litigio-
ſum proficiſcebatur. Verba autem Iuriſconſulti,
quæ Gellius protulit , quæ in vulgatis libris valde
corrupta ſunt , ſic legenda ac reſtituenda putamus:
Manum conſerere,eſt qua de re diſceptabatur in re
præſenti(ſiue ager,ſiue quid aliud eſt) cùm aduer-
ſarius aduerſarium ſimul manu prenderet , in ea re
omnibus verbis vindicare,id eſt, vindicia correpta C
(Vindiciam autem hic ſurculum ſiue feſtucam,opi-
nor,appellat:quæ aliter Vindicta dicitur,vt cùm ſer
ui Vindicta id eſt virga manumitti dicuntur : pro-
pius enim ad Vindicij nomen, vnde Vindicta dedu-
cta eſt,accedit) manus in re atque in loco præſenti
conſerere:quod apud Prætorem(id eſt,præſente in
agro Prætore) ex x11 tabulis fiebat. in quibus ita
ſcriptum eſt: Siqui in iure manum conſerunt. Sed
poſtquam Prætores propagatis Italiæ finibus , latis
Iuriſdictionibus,negotiis occupati, proficiſci vin- D
diciarum dicendarum cauſa longinquas in res gra-
uabantur : inſtitutum eſt contra x11 tabulas tacito
conſenſu , vt litigantes non in iure apud Prætorem
manum conſererent , ſed ex iure manuconſertum
vocarent, id eſt, alter alterum ex iure ad conſeren-
dam manum in rem , de qua ageretur , vocaret. at-
que profecti ſimul in agrum de quo litigabatur,
terræ aliquid ex eo , veluti vnam glebam , in ius in
vrbem ad Prætorem deferrent: & in ea gleba , tan- E
quam in toto agro,vindicarent.hæc Gellius.In qui-
bus illud obſeruandum eſt , hanc manuum conſer-
tionem etiam tum fieri ſolitam cùm de poſſeſſore
conſtaret:& actor vindicatione,id eſt, in rem actio-
ne vti vellet.quod etiam Cicero demonſtrat in O-
rat.pro Murena,& lib.de Orat.1,Multíque, inquit,
præeſſem , qui aut interdicto tecum contenderent,
aut te ex iure manuconſertum vocarent, quod in a-
lienas poſſeſſiones tam temerè irruiſſes. agerent e-
nim tecum lege Pythagorei omnes , vindicarént- F
que,&c.Interdictum autem eo in loco non hoc de
vi quotidiana & feſtucaria ſignificat:ſed de vi homi
nibus armatis coactiſque:in qua ſcilicet non ex iure
manuconſertum vocari ſolet:ſed vis reuera adhibi-
ta eſt. Quare duabus de cauſis manuconſertum vo-
cabatur : primùm cùm de poſſeſſione agendum eſ-
ſet:& interdictum VNDE vi ſimplici & ciuili,poſtu-
landum : deinde cum in rem actione, ſiue vindica-
tione vtendum eſſet. eo enim conſertio fiebat , vt
in re præſenti vindicari poſſet. Superioris exemplũ G
eſt in Epiſto.ad Trebatium, lib.v1 : Tantum me-
tuo,inquit , ne artificium tuum tibi parum proſit.
nam vt audio , iſtic Non ex iure manuconſertum,
ſed mage ferro Rem repetunt.Et tu ſoles ad vim fa
ciendam adhiberi?& quę ſequuntur.Eſt autem Ma-
nuconſertum confictum vocabulum, coniunctúm-
que ex manus & conſerere qua de re in Comment.
verb.iur.copioſè diximus.

Si cauſa more inſtitutóque omnium defendatur. Si
nobis permittatur vti hoc interdicto, & ex eo reſti-
tuamur. Dicit hunc eſſe morem maiorum,vt domi-
nus de ſuo fundo depulſus & in eum ingredi prohi-
bitus(quamuis reuera deiectus non ſit, ſi verba con-
ſectemur)vti poſſit hoc interdicto. Ebutius qui Cę-
cinam neque dominum neque poſſeſſorem eſſe di
ceret,negabat ei vti hoc interdicto licere,quod do-
minis aut poſſeſſoribus tantum datur.

Itaque longe alia. Beneuolentiam,à re ipſa conci-
liat,cùm eam ſe cauſſam agere oſtendit , quæ cum
aduerſarij,tum etiam eiuſdem teſtium confeſſione
comprobata ſit.

Recuperatores. In priuatis iudiciis arbitratu Præ-
toris aut Iudex dabatur vnus , qui de facto cognoſ-
ceret:aut Recuperatores tres.neque verò certas fuiſ
ſe cauſas exiſtimandum eſt,in quibus modò Iudex,
modò Recuperatores darentur: vt plerique putant,
in controuerſiis poſſeſſionum Recuperatores dari
ſolitos.nam & de iniuriarum cauſa ad Recuperato
res acta mentio fit apud Gel. lib. x x, cap.1 .& lib.
de Inuent.11,& de corona murali apud Liuium lib.
x x v 1,de pecunia credita apud Plautũ in Bacchid.
Poſtquam quidem Prætor Recuperatores dedit:
Damnatus demum:vi coactus reddidit
Ducentos & mille Philippum,
de furto item apud Plautum in Rud. cùm temere
virginem quam Pleſidippo adoleſcenti tradiderat
eiuſque nomine arrabonem acceperat, abduxiſſet.
Quis me eſt(inquit)mortalium miſerior quem mo
do damnauit ad Recuperatores Pleſidippus?
Item de eorum cauſa, qui iugerum numerum ex e-
dicto Prætoris profeſſi non eſſent, Verrina v,his ver
bis:Iudicium in aratorem in quadruplũ. ex quo iu-
dicum numero?ex cohorte Prætoris,præclara hone
ſtiſſimorum.quid amplius? minus te iugerum pro-
feſſum eſſe dico:Recuperatores reiice,quòd aduer-
ſum edictum feceris,Denique hoc planum eſt ex his
eiuſdem Orationis verbis. Cœpit Scandilius Recu-
peratores,aut iudicem poſtulare. A recuperando ve
rò dictos apparet,quòd per eos ſuum ius priuati ho-
mines recuperarent. vt infrà dicitur , Si alia ratione
ius noſtrum recuperare poſſemus.

Quanti ea res erit,tanti pecuniæ, iudicium Recu
peratorium dabo teſtibuſque publicè duntaxat de-
cem denunciandi poteſtatem facio. Q. E. R. Chæ.
Crinitus.

Hac actione. Tertia.nunc enim tertium agitur hęc
cauſa cũ Iudices anteà bis ſibi non liquere dixiſſent,
& amplius cognoſcendũ pronuntiaſſent. Hęc enim
fuit iudiciorũ conſuetudo, de qua diximus in Ver-
rina 11 & 111,& paulo pòſt latius explicabimus.

In confeſſione aduerſarij. Qui conuocatos & arma-
tos à ſe fuiſſe homines fatetur. hoc enim non modò
non negabat,ſed etiam profitebatur, ac præ ſe fere-
bat:vt ſuprà diximus.

Hoc ipſum quod nos arguimus. Obſcurus mihi lo-
cus,& vt arbitror mutilatus. deeſſe autem verbum
aliquod opinor,vt ſic legatur , Hoc ipſum quod nos
arguimus,confitentur.

Illorum cauſa actionem. Quomodo ſuam cauſam
agant:qua ratione defenſionem ſuam inſtituant.

Veſtram in iudicando dubitationem. Bis enim ſibi
de hac cauſa non liquere reſponderant.

Sperarunt ſe. Ab aduerſariorum improbitate &
malitia beneuolentiam aucupatur : quos dicit inſi-
dioſe in hoc iudicio egiſſe,vt cauſa ampliaretur.

De iure ciuili iudicium fieri videretur. Ius ciuile, ius ciuium interpretor. Quod enim Cęcina Volaterranus eſſet, cui municipio Sylla victor, item vt cæteris Italiæ municipiis, ciuitatem ademerat, iure Quiritium ac ciuium vti eum poſſe negabat: veluti hæreditatem à ciue R. accipere. ſolis enim ciuibus R. hæreditatum aditio permittebatur. Cæcina autem ab vxore ſua Cęſennia hæres fuerat inſtitutus. ergo De iure ciuili ſic accipio, de iure ciuium, vel de iure ciuitatis.

Quod videtur ad ſummam illius exiſtimationem. Quippe, cùm hoc iudicio quæſtioni publicæ de vi & coactis armatiſque hominibus præiudicium fiat.

Moram acquiſiſſe. Id eſt lubentiſſimè arripuiſſe occaſionem differendæ & producendæ damnationis. Apparet duabus de cauſis ampliationem interponi ſolitam. primùm cùm reuera non liquebat iudicibus, & obſcura erat cauſa. deinde ſi graue erat iudicium, vtpote quod exiſtimationem lædebat. nam ſi abſoluendus eſſet reus, prima actione iudicabatur. ſi videretur condemnandus, Amplius pronuntiabatur: non ex iure ſcripto, ſed ex conſuetudine, vt modò declarat. & in hanc eandem rationem atq; ſententiam ſic loquitur Aſconius in iii Verrina: Et omnino, inquit, ſi videbatur iudicibus bona cauſa, abſoluebant reum: ſi mala, non ſtatim damnabant, ſed hac excuſatione parcebant.

Spatium ad ſeſe colligendum dediſſe. Seſe colligere non illud ſignificat hoc loco quod Cicero dicit in Tuſculana diſputatione i v, diſſipatas animi partes rurſum in vnum locum cogere. ſed hoc εἰρωνικῶς accipiendum eſt, quaſi diceret, Ne tam celeriter damnetur poſt ſuſceptum iudicium, ſed aliquod ei reſpondendi ſpatium inter ſuſceptum iudicium & condemnationem daretur.

Diſceptatore domeſtico diiudicatur. Dixi de hac cõſuetudine pro Quinctio, in illum locum, Si quid in controuerſiam veniret, aut intra parietes, aut ſummo iure experiretur. Et putidum eſt eadem iterare.

Seueritatem iudicii. Nam illæ priuatorum cauſæ ſunt, qui de ſuo negotio pro ſuo arbitratu tranſigere conſtituereque poſſunt. hæ verò Reipublicæ: cuius ratio ſcriptis legibus conſtituta eſt. vt omnino eam in perſequendo ipſius iure rationem tenere neceſſe ſit, quæ certis ſcriptiſque legibus præſcripta & definita ſit.

Quod eſt grauius. Quod puniendorum maleficiorum cauſa repertum eſt.

Cuius rei cauſa maximè iudicia conſtituta ſunt, id iam diſſolutum eſt. Locutionem huic ſimilem obſeruaſſe me in Verrinis, & annotaſſe memini: cuius neque hæc diſſimilis eſt, qua vſum Varronem animaduerti initio lib. 1, de re Ruſt. Hoc libro, circumciſis rebus quæ non arbitror pertinere ad agriculturam. Cicero de diuin. 2. Nunquid igitur in iis rebus eſt quod prouiſione aut permotione mentis magis quam natura ipſa ſentiamus? Sed hæc planè gemina eſt quam in lege Atinia reperio apud Gell. li. 17. cap. 7. Quod ſubreptum erit, eius rei æterna auctoritas eſto.

Diſſolutum eſt. Tardiſſimè, & poſt multas ampliationes dilationeſque iudicatur.

At ea, in qua exiſtimationis periculum eſt. Ita probo: cùm in aliis partim De qua, partim At ea qua, vitioſè legatur.

Exiſtimationis periculum eſt, tardiſſimè iudicatur. A Vt in publicis omnibus iudiciis, & priuatis præterea quibuſdam: ex quibus videlicet damnatio affert ignominiam, quæ modò commemorabo. nam illa tardiſſimè iudicantur, dũ ſæpius ampliatur cauſa, & pronuntiatur non liquere. Valerius Max. lib. viii, de cauſa quadam mentionem facit, quam ſepties ampliatam fuiſſe ſcribit.

Quæ cauſa fuerit ad conſtituendum iudicium. Videlicet grauitas criminis. nam propter illam, & vt maleficium in pœnam vocetur, iudicium conſtituitur. B At propter eandem ſententia differtur. Eſt autem argumentum ex repugnantibus. Non & aliqua de re quàm celerrimè iudicium cõſtituendum eſt, & eiuſdem rei diſceptatio differenda. Sed facilis, vt quiuis intelligit, ad id afferri reſponſio poterat. Nam in conſtituendo iudicio, periculi nihil eſt: at in re iudicanda quamplurimum. Conſtituere iudicium vel quæſtionem (vtrunque enim dicimus) in publicis duntaxat iudiciis, dicitur Quæſitor, qui iudicum C reiectione vtrinq; facta, certos conſtituit Iudices, qui ſibi iurati in conſilio adſint, & ſecum cauſam cognoſcant. In priuatis verò iudiciis, cùm Prætor vrbanus iudici aut Recuperatoribus à litigatoribus acceptis poteſtatem de cauſa cognoſcendi & iudicandi facit, Iudicium conſtituere dicitur.

Qua in re. Qua in ſponſione. nam hoc quaſi per parentheſim dictum intelligendum eſt.

Maturo iudicio. Prima actione, non ampliata cauſa.

D *Qui per tutelam.* Quatuor hęc ſunt priuata iudicia, quorum damnatio affert ignominiam. de tribus Cicero in Orat. pro Q. Roſcio, de quarto in Orat. pro Sext. Roſcio & vniuerſis Iulianus ex Prætoris edicto in Pandectis, Qui Pro ſocio tutelæ, mandati, depoſiti, ſuo nomine non contrario iudicio dãnatus erit, &c. Quibus verbis eum duntaxat infamia notari ſignificat, qui directa actione, non qui contraria damnatus erit. Eſt autem Directa actio, ea formula quæ cùm certam ob cauſam inuenta atq; in-E ſtituta ſit, ad eandem ipſam cauſam accommodatur. veluti Lex xii tab. Pro ſocio actionem inſtituit, aut ea ex lege ſcilicet inſtituta eſt. Quoniam vtriuſque ſocij cauſa inſtituta hęc actio eſt, Directa vtrinque nominatur. At in tribus cæteris negotiis inuenta primùm eſt actio tantum pupillo in tutorem, mandatori in mandatarium, & deponenti in depoſitarium. quare quæ his in cauſis dantur actiones, quia illæ ipſæ ſunt maximè, quæ primum inſtitutæ ſunt, Directæ nominantur. Et quoniam vſu rerum poſtu-F lante intellectum eſt viciſſim quoque dandas eſſe tutori in pupillum, mandatario in mandatorem, depoſitario in deponentem certis de cauſis actiones: conceſſæ quoque ſunt eædem ipſæ antiquitus inſtitutæ conceptæque formulæ, quas Directas, cùm ad ſua negotia referuntur, nominamus. ſed quia non ad ſuam cauſam propriè accõmodãtur, Contrariæ nominantur: quaſi dicas, Eædem ipſæ actiones, ſed ad contrariam partem accommodatæ. Ex quibus illud quoq; intelligi facile eſt, quam ob cauſam qui con-G trario iudicio damnati ſunt, infamia non notentur. Cùm enim Lex x i i tabul. de tutore tantum, mandatario, ac depoſitario mentionem feciſſet, cùm infamiam damnatis infligeret, Prætor qui formulas contrariis in cauſis accommodauit, pœnæ grauitatem longius propagandam non putauit. ſiue quòd lege id cautum non eſſet, ſiue quòd non tanto odio hi contrario iudi-

cio

A cio damnati, digni viderentur: vt Vlpianus oſtendit. Atque hæc quidem hactenus. Quid ſit autẽ fiducia, diximus in eum locum Orat. pro Q. Roſcio, quem ſuprà notauimus.

In eo, quo delictum maius eſt, eo pœna eſt tardior. Indignè, inquit, cùm in actione ex ſtipulatu, & verbi vnius obligatione, ſententia ſtatim pronuntietur (in qua tamen minor culpa eſt) hîc vbi graue delictum eſt, & ſcelus planè nefarium, differri ac procraſtinari iudicium.

B *Eſt enim turpe iudicium: & facto quidem turpe.* Vitioſa & praua diſtinctio ſententiam elegantiſſimam funditus euertit. Sermocinatio enim hæc eſt: in qua primùm contrà diſputantium verba ponuntur: deinde reſponſio ſequitur. hoc ſenſu, At enim, (dicet aliquis) iudicium turpe eſt: & lædit exiſtimationem: ob eámque cauſam tardius & ſerius tranſigendum. non enim parua res eſt, neque leui momento æſtimanda ciuis R. exiſtimatio cui Cicero obiectioni continuò ſic refert, Et factam quidem turpe. Sanè, inquit, turpe hoc iudicium eſt: & ignominiam C affert, nec iniuria, cùm factum turpe ſit, quò dignius eſt celeri & matura condemnatione. Lambino enim FACTVM reponenti lubenter aſſentior.

Eſt enim turpe iudicium. Obiectio eſt, vt dixi: cui particula ENIM frequenter accommodatur. exempla crebra ſunt apud hunc auctorem. vt Verrina III, Cauſam enim, inquit, cognoſci oportet. ea re quidem, quòd aliter condemnari reus non poteſt. & hac D ipſa oratione, Vſus enim, inquit, eius & fructus fundi fuerat Ceſenniæ.

Non iudicari. Sic libri veteres nonnulli in aliis Vindicari: quod ſententiæ ratio non obſcurè repudiat.

Leniore actione confligere. Quàm hac, quæ eſt de vi armata & iniuria, vnde turpis exiſtimatio ſequitur.

Tamen is aut timidior. Vſitata defectio, quam alibi notaſſe meminimus. ſubauditur autem, Etſi E fortis & ſapientis hominis perſonam ſuſtineat.

Aut cupidior. Cupiditatis verbum ferè in vitio ponitur. hoc loco cupidum dicit iudicem, qui alteri faueat.

Quod ad ſe delatum ſit. De quo iudicandi poteſtas illi à Prætore facta eſt.

Si Prætor is, qui iudicia dat. Multi enim Romæ Prætores: ſed alij quæſtiones exercebant capitales eum verò intelligit, qui iuri dicundo præerat, qui F Vrbanus dicebatur. Hic enim iudicia priuata conſtituebat, id eſt, agendi poteſtatem litigatoribus iudicandi verò priuatis hominibus iudicibus ſumptis permittebat. Quod autem ait, Prætorem nemini præſcribere, qua formula actionis vti debeat, ex eo facile conuincitur nullam eſſe actionem præſcriptis verbis. quemadmodum in aliis libris noſtris probauimus.

Conſtituta iam re. Accepto à Prætore iudicio, & re ad Iudicem delata.

G *Veſtra benignitas.* Humanitati, comitati, qua erga aduerſarios vtimini. & hanc reprehendit, cùm dicit Nimiæ.

Vel iniuriarum, vel capitis iudicia. Hoc eſt quod ſcribit Vlpianus ſub tit. de iniuriis: Lex Cornelia de iniuriis competit ei, qui iniuriarum agere volet ob eam rem, quòd domum ſuam vi introitam eſſe dicat: Sed & criminale poſtea iudicium legib. Iuliis

A conſtitutum eſt. Nam Martianus ad legem Iul. de vi pub. Hac, inquit, lege tenetur, qui hominibus armatis poſſeſſorem domo agróve ſuo deiecerit, excuſſerit, expugnauerit. & ſub tit. ſequenti, Siquis aliquem deiecerit ex agro ſuo hominibus congregatis ſine armis, vis priuatæ poſtulari poterit.

Per interdictum. Decreta quædam Prætoris, quibus ille aliquid fieri iubebat aut vetabat, Interdicta dicebantur, præſertim in poſſeſſionum controuerſiis. Vnde autem dicta ſint, diu quæſitum eſt. nam B ab Interdicere deductum vocabulum non videtur, quòd cùm Interdicere verbũ Prohibere ſignificet, & denuntiare nequid fiat: pleraque interdicta iubeant, non prohibeant. Ego ex eo deriuatam appellationem puto, quòd inter hoc Prætoris decretum & principalis negotij controuerſiæve diſceptationẽ aliquid fieri aut iuberetur, aut vetaretur: quaſi hoc decretum interea dictum atque interpoſitum eſſet, dum actionem principalis cauſæ aliquando litigator poſtularet. Itaque puto ſenſiſſe ac diſputaſſe Iu- C riſconſultos, quorum obtinuiſſe ſententiam Tribonianus ſcribit: non autem, quod ille neſcio quo auctore tradidit, quòd inter duos dicantur. niſi fortè non DVOS, ſed DVO ſcribendum ſit. Exempli cauſa, Cùm in fundo eſſem, deieciſti tu me ex eo, vi armatis aut non armatis hominibus, quòd tuum eſſe illum fundum diceres. Prætor me per interdictum reſtitui iubet: hoc eſt dicere, Iubet me poſſidere interea, dum ille conſtituto iudicio planum fecerit, ac D docuerit, ſe illius eſſe fundi dominum. hoc ita eſſe, ex iis quæ pòſt dicentur, facile ac dilucidè conſtabit. Sed quoniam vbi non conſtat vter poſſeſſor ſit, petitoria actio inſtitui non poteſt, quia & ciuilis & naturalis ratio poſtulat (inquit Iuſtinianus) vt alius poſſideat, alius à poſſidente petat: propterea inter hanc de poſſeſſione contentionem & principalis cauſæ diſceptationem hæc quaſi actio ac iudicium à Prætore dabatur, quo vter eſſet poſſeſſor conſtitueretur. Hæc ergo inter Actionem & Interdictum E ſimilitudo eſt, quòd vtrunque à Prætore datur vt l. 35. §. non ſolùm, D. de Procur. vtrunque certa cõceptáque verborum formula conſtituitur, in vtroque ſponſiones fiunt, vtroque Iudex aut Recuperatores dantur: Sublatis autem iudiciis ordinariis, ab illis poſtulari actiones deſierunt, tum interdicta quoque (vt Iuſtinianus ait) vnà cum cæteris formulis interciderunt. Sic enim intelligendum eſt, quod apud Iuriſconſultos paſſim legimus, iudiciorum alia eſſe ordinaria, alia extraordinaria. Ordinaria e- F nim dicebantur, cùm ordine prius ad Prætorem in ius adibatur, ac formula ab eo conceptióque actionis poſtulabatur: deinde ad iudicem diſceptabatur. Extraordinaria verò, cùm omiſſa Prætorum iuriſdictione rectà ad iudicem aditur. quamobrem Vlpianus in l. pecuniæ, D. de verb. ſig. actionum nomine formulas intelligi ſcribit, quæ in ordinariis iudiciis in vſu erant. Perſecutionis autem verbo (inquit) extraordinarias perſecutiones puto contineri: vtputa Fideicommiſſorum, & ſiquæ aliæ ſunt, quæ non G habent iuris ordinarij executionem. Paulus autem in l. actio, D. de negot. geſt. Nec refert, ait, directa quis an vtili actione agat, vel conueniatur. planè in extraordinariis iudiciis vbi conceptio formularum non obſeruatur, hæc ſubtilitas ſuperuacua eſt. Quæ omnia iuris ſtudioſus ex Orat. pro Q. Roſcio, facilius intelliget.

Ratio iuris. Huiuſce cauſæ difficultas atq; obſcuri-

tas.vt Ius de quo iudicium eſt, Ius Cæcinæ de quo in hoc iudicio quæritur.

Ne ſummo iure egiſſe. Hoc quid ſit, diximus in Orat.pro Quinctio.Summo autem egiſſet iure Cęcina,ſi cùm actione leuiore confligere potuiſſet,vti tamen odio & maleuolentia animi inductus, iſta actione voluiſſet.

Ne certum ius non obt. Certum ius, bonam cauſam,veram & iuſtam cauſam.

E municipio Tarquinienſi. De municipiis,dixi in orat.pro Sex.Roſcio.

Argentariam non ignobilem fecit. Argentarij Latinè dicti ſunt,qui Græcè Trapezitæ dicebantur: apud quos pecuniæ deponi ſolebant, quas occupare aliquis atque exercere vellet. inde enim fœnore vulgò ſumebantur.præerant etiam auctionibus faciendis. nam ad eorum tabernam plerunque fiebant, & in tabulas quod cuique expenſum aut acceptum eſſet,referebant.

Fundum vendidit. Hæc à Iuriſconſultis permutatio dicitur.l.ſi mulier,re,D.de pact.dot.l. 25. l.26.l. 27.l.50,D.de iur.dot.

Temporibus illis difficillimis ſolutionis. Sic omnes libri veteres. Magis tamen placeret, Solutionibus. Quod ſi Solutionis legimus,ordo hic erit,Temporibus ſolutionis, difficillimis. id eſt, quo tempore argentarij difficultate rei nummariæ laborabant,neque ſine maxima difficultate æs alienum diſſoluere poterant. Tempora autem Syllana ſignificat,quibus ciuitatem ille multis Italiæ municipiis ademit, eáq; omnibus iniuriis cumulauit.Hoc autem ideo ſubiecit,vt ſignificaret non magno illum fundum Ceſenniæ venditum: ſed eo tempore, quo propter bellorum ciuilium calamitates prædiorũ pretia iacebãt.

Vna cum filio. Stultè,qui hoc loco ſcribit, niſi hoc additum fuiſſet futurum fuiſſe,vt ex vſufructu triens detraheretur. ex Nouel.Iuſtin. lib.4. Ridiculum caput. Cum alicui Patauino Doctorculo locum hunc oſtendiſſet,admonitus eſt legitimam deberi filio ex Nouella Iuſtiniani prima, trientem, quaſi verò vel Falcidia lex,vel legitimæ detractio ad illius exẽplũ inducta hoc tempore fuiſſet: nedum trientis portio ex Iuſtiniani iure. Legitum igitur partitionis intelligit.

Magnus honos viri. Honorificum fuiſſe aliquid amici teſtamento accipere,dictum eſt in Orat. pro Quinctio copioſè: vnde aſſumi poterunt, quæ ad hunc locum pertinere videbuntur.

Ex quo maximum fructum. Alludit ad vſumfructum bonorum. Multò maiorem,inquit,ex filio, quàm ex mariti bonis fructum capiebat.

In partem vocata ſunt. Siue re & verbis, ſiue re tantum coniunctæ fuerunt, in ſolidum quidem iuris interpretatione ab initio vocatæ ſunt: concurſu autem partes fecerunt.

Auctio hæreditaria. Cum à communione diſcedere cuperẽt,neque id facilè & commode res inter ſe partiri poſſent, placuit auctionem conſtitui, vt pecuniæ redactæ partitio fieret.

Cognitoris viduarum. Cognitor, qui præſentis negotium cauſámque ſuſcepit, Procurator, qui abſentis. Hoc dictum eſt, & demonſtratum alibi frequentiſſime. De cognitoribus extant ſententiæ apud Paulum iuriſconſultum: lib. 1. vbi tamen titulus corruptè legitur De curatoribus & cognitoribus, pro De procuratoribus, &c. Cognitorem autem Ebutium Cicero viduarum per contem-

A ptionem appellat, quaſi viduarum tantùm negotia ſuſciperet, inter quas ſolus peritus iuris & callidus exiſtimaretur. vt ſi diceret, neminem eius opera vti velle, præter viduas mulieres imperitas,& quæ hominem ignorarent.

Fundo antiquo continens. Fundo dotali, quem maritus cum dote numerata permutarat.

Nullam eſſe rationem amittere eiuſmodi occaſionem. Vſitata locutio, pro Quamobrem amitti debeat. ſic in Lucullo,Nec verò eſſe vllam rationem
B diſputare cum iis qui nihil probarent.

Adeſt ad tabulam. Olim ad argentariorum tabernas auctiones fieri in foro ſolebant, vt cui quæque res addicta eſſet, ei argentarius expenſam pecuniam in tabulas referret. vt modò oſtendit, cùm ait, Pecuniam argentario promittit. & paulo pòſt, Se autem habere argentarij tabulas, in quibus ſibi expenſa pecunia lata ſit, acceptáque relata. & Quintil. lib. XI, Hortenſius, inquit, auctione dimiſſa, quod cuique vendidiſſet, te-
C ſtibus argentariorum tabulis reddidit. quod Seneca in prologo Declamationum commemorat his verbis, Hortenſius à Sileniha prouocatus in auctione perſedit diem totum, & omnes res, & pretia, & emptores, ordine ſuo recenſuit argentariis recognoſcentibus, ita vt in nullo falleretur. & Suetonius in Nerone, Perfidiæ verò tantæ,vt non modò argentarios pretiis rerum coemptarum fraudaret, &c. itémque Vlpianus in l. item videndum, D. de petit. hæred. & aliis locis ſexcentis. Ad
D eaſdem tabernas tabulæ figebantur, in quibus quarum rerum auctio futura eſſet, perſcriptum erat. atque illæ tabulæ ſcilicet, Auctionariæ dicebantur. Cicero in Catil. Meo beneficio tabulæ nouæ proferentur, ſed auctionariæ. Hinc Tabula Valeriana in epiſtola ad Terentiam, id eſt Valerij argentarij, ad cuius tabernam bona Ciceronis auctione vendebantur. Nam ad me, inquit, P. Valerius homo perofficioſus ſcripſit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum à Veſta
E ad tabulam Valeriam ducta eſſes. & in epiſt. ad Att. lib. XII, vbi de Scapulanis hortis loquitur, quos emere cogitabat, vt in iis fanum defunctæ Tulliolæ ædificaret: De hortis, inquit, Scapulanis hoc videtur effici poſſe, vt præconi ſubiiciantur, id niſi fit, excludemur ſin ad tabulam venimus, vincemus facultatem Othonis noſtra cupiditate. & libro ſequenti, Quid vis? inquam At ego ad tabulam. vt ſi rectè poſſem, Scapulanos hortos. id eſt, Properabam ad tabulam, ad quam Scapulanorum horto-
F rum auctio futura eſt.

Id pleriſque ſcirent. Emi Ceſenniæ.

Pecunia ſoluitur à Ceſennia. Nota locutio: pro Ex numis Ceſenniæ. idem lib.epiſt. ad Att. IV, Homines, non modò non recuſare, ſed etiam hoc dicere, ſe à me ſoluere. & lib. VII, Frater laborat, vt tibi quod debet, ab Egnatio ſoluat. Plautus in Captiuis: Sequere me: viaticum vt dem ab Trapezita tibi. Græci παρ' ἐμοῦ τὰ χρήματα ἐκτίνειν. Quantum autem ad ius attinet ſatis conſtat ei rem emi, cuius
G nomine emitur,non cuius pecunia ſoluitur. l.I.C.ſi quis alter. vel ſi Paulus ſent. 2. tit. 5. fundus eius eſſe videtur, cuius nomine comparatus eſt, non à quo pecunia numerata eſt,ſi tamen fundus comparatori ſit traditus.

Tabulas auertit. Ceſenniæ, in quibus expenſa Ebutio pecunia relata erat, quam ipſe Ceſenniæ nomine

nomine argentario ſoluerat.

Sibi expenſa pecunia lata ſit, acceptáque relata. Expenſa pecunia refertur, etiam quæ adnumerata non eſt vt cùm alicui res addicta eſt certo pretio, argentarius expenſam illi tantam pecuniam refert. cùm hoc tantùm ſignificet, ab illo deberi. Senſus nunc qui ſit, opinor non obſcurũ eſt. niſi ei qui ſcribit, accepto relatam tanquam creditori. Nam etiam ei qui ſoluta pecunia liberata accepta refertur.

Fundum poſſedit. Iuriſconſulti traditionem requirunt: vt modo dictum eſt. ſed cum Ceſennia fundum illum naturaliter vt pote vſufructuaria poſſideret, nihil traditione opus fuit: l. 3. §. 9. nihil, D. de acq. rer. dom. in l. 62. De euict. §. interdum, De rer. diuiſ.

Locauitque. Vt Cicero contendit, tanquam pleno iure domina: vt Abutius, tanquam vſufructuaria quod verum crede.

Propter incommodum Volaterranorum. L. Sylla rerum potitus Italiæ municipiis ciuitatem ademit. Cicero in Orat. pro domo ſ. Liuius, Appianus, & alij. hoc præter alia eam vim habebat, vt nemo ex iis municipiis hæreditatem à populo R. poſſet accipere. Volaterras autem biennium obſeſſas, & omnibus iniuriis à Sylla Dictatore affectas, notum eſt ex hiſtoria. Sed huic loco reſpondet poſtea Cicero copioſè.

In poſſeſſione cum eſſet. Mortua igitur fructuaria confeſtim tanquam conſolidationem facta & pleno iure dominus eius fundi poſſeſſionẽ naturalem apprehenderat. nam antea ciuiliter tantum poſſidebat, cùm vſusfructus poſſeſſionem non impediat. l. pen. D. de acq. poſſ.

Nomine hæredis. Ambiguè dictum. Nam hæredis nomine dicimus, pro Quaſi hæres eſſet. & ridiculè hoc ſignificat, quaſi qui tam parua ex parte hæres eſſet, indignus hæredis nomine videretur.

Homini Romæ in foro denuntiat. Ex hoc loco, & illo altero, intelligi poteſt, moris fuiſſe, vt qui litem inſtituere & aliquid petere vellet, prius de ea re debitori denuntiaret. id eſt, tanto antè prædiceret, litem ſe & controuerſiam ei velle intendere, niſi cedendum putaret.

Quid ais? iſtius ille fundus eſt. Sic omnes quos vidi, & ſcripti, & impreſſi. Ego contra omnium auctoritatem ſic reſtituo, Tuus ille fundus eſt? neque eſt cur meam ſententiam quæ aperta eſt, pluribus confirmem. Verba ſunt Cæcinæ, vt apparet, quibus Ebutij reſponſio ſubiecta eſt.

Poſſedit Ceſennia. Hoc loco nota interrogationis ponenda eſt: & intelligendum ſermocinationem eſſe Cæcinæ & Ebutij.

Teſtamento viri fuerat Ceſennia. Quare mortua fructuaria redit ad fundi proprietarium vſusfructus. nam vſumfructum, ſimul cum vſufructuario extingui atque interire, nemo ignorat.

Tam malitioſè intenderet. Hoc loco Intenderet, dictum putemus pro Strueret, aut Compararet. Lis enim tum propriè, cùm iudicium poſtulatur, intenditur. hæc autem ante vllum vadimonium facta ſunt. Vlpianus in l. ſed & ſi, par. etiam ſi, D. de petit. hæred. Mouere controuerſiam pro eodem dixit, quod hoc loco Tullius Litem intendere. Hoc, inquit, ideo adiectum eſt, quoniam poſt litem conteſtatam omnes incipiunt malæ fidei poſſeſſores eſſe: quinimo poſt controuerſiam motam. quanquam enim litis conteſtatæ mentio fiat in Senatuſconſulto, tamen & poſt motam controuerſiam omnes poſſeſſores pares fiunt: & quaſi prædones tenentur, & hoc iure hodie vtimur. cœpit enim ſcire rem ad ſe non pertinentem poſſideri is, qui non interpellatur. hæc ille. Conuenire autem hoc propriè dicitur: quo verbo Iuriſconſulti plurimùm vtuntur. ſed pro Mouere controuerſiam Caius in l. ſi quo tempore, ſub eod. tit. ſic vſurpat: Si quo tempore conueniebatur poſſeſſor hæreditatis, pauciores res poſſidebat, deinde aliarum quoque rerum poſſeſſionem aſſumpſit, ſiue ante iudicium acceptum, ſiue poſtea acquiſierit actionem, eam quoque victus reſtituere debebit.

Conſtituere quotidie. Lambinus, diem conſtituere. Non placet. nam hæc vſitata locutio eſt.

In rem præſentem veniretur. Dictum eſt iam antea moris fuiſſe, vt in poſſeſſionum controuerſiis vterque aduerſarius aliquot homines aduocaret, cum quibus in fundum, de quo controuerſia eſſet, proficiſceretur: ibíque illis præſentibus vis ſine armis per ſimulationem fieret: vt alter ex iis, qui ſcilicet naturaliter non poſſidebat, iiſdem poſtea teſtibus vti poſſet de fundo ſe deiectum: & interdictum poſtularet. Hanc conſuetudinem ſignificat in libr. de Offic. 1, his verbis, Vt ſi conſtitueris te cuipiam aduocatum in rem præſentem eſſe venturum, atque interim grauiter filius ægrotare cœperit, non ſit contra officium non facere quod dixeris.

Quam verbis nuntiabatur. Nuntiabat, magis arrideret.

Armatos homines opponit. Vt ſi ſe inuito ingredi conetur, eum prohibeat. quo iure permiſſum eſt. l. 3. D. de acqu. rer. domin. l. 13. §. vltim. D. de iniur. neque eo nomine interdictum datur quia deiicitur, qui poſſeſſionem amittit, non qui non accipit. l. 1. §. eum qui D. de vi & vi arm. quid verò ſi etiam cum armis Cæcina veniſſet? tum enim etiam armis eum depellere licuiſſet neque illi eo nomine datum interdictum fuiſſet. l. 3. § cum igitur. D. eod.

Ad eum fundum profectus. Sic omnes veteres. Corrigendum putarem, Profectus eſt. Hoc autem loco mea ſententia cauſæ ſeruit Orator, vt non modò prohibitus, ſed etiam deiectus Cæcina videatur. item vt in illo qui proximè ſequitur: Ingrediens iam intra finem eius loci, &c.

Ex conuentu vim fieri. Vim illam vſitatam, quæ dicis cauſa & per ſimulationem fiebat.

Plus animi, quàm conſilij. Plus animi, plus audaciæ: ſed hoc frequentius in vitio: illud, quia in laude plerunque ponitur, maluit dicere.

Sine vlla exceptione. Id eſt purè ac ſimpliciter decreuit vt reſtitueret, neque addidit Cùm Cæcina poſſideret. ſed ſiue poſſideret, ſiue non poſſideret, reſtitui iuſſit. quod planum eſt vbi ſi vis ſimpliciter & ſine armatis hominibus facta eſt, addi hanc exceptionem ſolere oſtendit, Cùm is qui deiectus eſt, poſſideret: ſi per eiuſmodi rationem ac vim, non ſolere: ſed purum dari interdictum, vt ſiue poſſideret, ſiue non poſſideret, tamen reſtituatur. idémq; Vlp. tradit in l. 1. §. 1. & §. interdictum autem hanc exceptionem, quia de ea Cicero

poſtea copioſiſſimè diſputat, ſignificat Cornelius Tacitus in dialogo de Oratore his verbis: Quis de exceptione & formula perpetietur illa immenſa volumina, quæ pro M. Tullio, aut A. Cæcina legimus? Notandum igitur, interdictum de vi armata purè dari ſolitum: at de vi priuata, cum hac exceptione, ſi quo tempore deiectus eſt, poſſidebat d. §. Interdictum. Fuit & illa differentia, quod hoc interdictum annuũ erat. d. l. 1. in pr. illud autem perpetuum: vt Cicero Famil. 15. ſignificat. Tertia hæc fuit, quòd in illo dari ſolebat exceptio, Niſi qui deiectus eſt, prior vi hominibus armatis conuenerit. Cicero in epiſt. ad Trebatium: cuius initium eſt Adeóne, libro VII. Et tu ſoles, inquit, ad vim faciundam adhiberi? Neque eſt quòd vllam exceptionem in interdicto pertimeſcas, quòd tu prior vi hominibus armatis conueneris. ſcio enim te non eſſe procacem in laceſſendo. Quarta hæc fuit, quod quotidianum ei tantum dabatur, qui à deiectore nec vi nec clam nec precario poſſidebat. vt poſterius Cicero demonſtrat. Alterum autem etiam ei qui à me illis modis poſſideb. l. 14. eod.

Reſtituiſſe ſe dixit. Quod reſtituiſſe ſe dixit, non ſic accipiendum eſt, quaſi reuera ſe in fundum litigioſum reduxiſſe Cæcinam contenderet. hoc enim falſum eſſe ea Oratione intelligitur. Sed hoc eam vim habet, quaſi diceret Reſtituere non debere. Hic enim mos fuit in iſtis ſponſionibus, vt reſtituere iuſſus ſtatim ſe reſtituiſſe diceret. quod ita intelligi volebat, quaſi edicto atque imperio Prætoris, cui ciuem modeſtè parere oportebat, paruiſſet. Cùm enim ſub ea conditione eſſet reſtituere iuſſus, Si deieciſſet, non deieciſſe ſe contendebat: eóque Prætoris imperio & interdicto morem geſſiſſe. hoc cõfirmatur apertiſſimè, infrà.

Sponſio facta eſt. De ſponſione abundè explicatum eſt in Orat. pro Quinctio: & abſurdum eſt eadem ſæpius inculcare.

Vt controuerſia nihil haberet. Nihil dico. ſed ſi vetus aliquis codex reperiretur, in quo ſic ſcriptum eſſet, Primùm vt controuerſiæ: valde hanc lectionem comprobarem.

In eas ipſas res quas improbiſſimè fecit, teſtimonium ſumpſit. Oratoriè quæ aduerſarius iuuandæ ac ſubleuandæ ſuæ cauſæ gratia fecerat, & ſecum facere magnopere videbantur, in illum, tanquam ei aduerſaria, retorquet. Teſtimonium autem Ebutius duabus de rebus ſumpſerat. primùm in ſuum fundum Cæcinam per vim ingredi conatum eſſe: deinde (quia interdicto illum vſurum intelligebat) non deiectum, ſed prohibitum duntaxat eſſe illum, ne ingrederetur. & quos Orator criminatur conuocatos & armatos homines fuiſſe, eos in eam rem aduocatos, vt teſtes eſſent, à ſe fuiſſe defendebat.

Quòd ex illa parte id dicit. Sic accipio, Quod, cùm ex illa parte ſit, id eſt, ſtet à parte aduerſarij, tamen hoc dicit, quod illius cauſæ maximè eſt aduerſariũ.

P. Ceſennius auctor fundi. Hic eſt P. Ceſennius, quem ſuprà hæredem à M. Fulcinio inſtitutum dixit. & Auctor fundi, quia auctione hæreditaria conſtituta, Ceſennia (vt Cicero dicebat) fundum de eo ſibi per Ebutium cognitorem emerat. Auctor enim is dicitur, à quo quis auctoritatem, id eſt, ius dominij in rem quampiam accepit. Ipſe Verrina VII, Tum illi intellexerunt ſe id quod à malo auctore emiſſent, diutius obtinere non poſſe: id eſt

A ab eo, qui vendendi auctoritatem nullam habebat. Declinatum autem vocabulum arbitror ab auctionibus, in quibus ei qui plurimum auget, res addicitur: & ex ea auctione atque adiectione ſua auctoritatem ſibi in rem emptam comparat. Nam ab Augendo deductum Grammatici veteres teſtantur: & nota illa oſtendit quæ eſt apud Valerium Probum, qua veteres vtebantur A V C. quæ Auctor ſignificat: & in antiquis monimentis ſic ſcriptum eſſe plerique teſtantur. Cùm ergo Auctor is propriè

B diceretur, cui propter ſummam auctionem & licitationem, res addicta eſſet, & Auctoritas ius ex ea auctione quæſitum: tranſlatum poſtea fuiſſe vocabulum putamus ad eos, qui rem quoquomodo abalienarent. vt cùm quæreretur ex eo qui rem acceperat, vnde ſibi ius in eam comparaſſet, ſuum illum quaſi auctorem nominaret, qui ſibi ſuam auctoritatem tradidiſſet. vnde ſenſim in eos quoque quorum ſententiam & conſilium ſequimur, quaſi ius quoddam ita ſentiendi certum & con-

C ſtitutum haberent, conſuetudine ſermonis tranſlatum eſt. Nam verbi gratia, cùm inſtitutum eſt, vt legum quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum ſuffragium patres auctores fierent, id eſt, vt s. c. prius aliquid decerneretur, poſtea illud idem à populo iuberetur: ea lex hanc vim habebat, vt quaſi in euictionibus, poſſeſſionúmque controuerſiis poſſeſſor ſuum auctorem à quo ius ſuum adeptus eſt laudat, ita populus conſilij ſui auctorem ac ſuaſorem Senatum laudare poſſet. Auctorem

D rem autem Galli *Guarend.* appellant. Quòd ſi quis vel αὐθέντης vel αὐτός vocabula nobis obiiciat, indéque propter literarum ſimilitudinem Auctoritatem dictam putet, is Dionis verba audiat, qui libro LV ſic ſcribit: ἐβουλεύοντο μὲν, καὶ ὅ,τι γνώμαι συνεγράφοντο, οὐ μέντοι καὶ τέλος τι αὐταῖς κεκυρωμένον ἐλάμβανον, ἀλλὰ αὐκτώριτας ἐγίγνετο, ὅπως φανερὸν τὸ βούλημα αὐτῶν ᾖ. τοιοῦτον γάρ τι ἡ δύναμις τοῦ ὀνόματος τούτου δηλοῖ. ἑλληνίσαι γὰρ αὐτὸ καθάπαξ ἀδύνατόν ἐστι. id eſt, Conſultabant autem Senato-

E res (abſente Cæſare ſcilicet) & eorum ſententia perſcribebatur. non tamen, quaſi rata, effectum habebat: ſed erat Auctoritas, vt eorum ſententia nota eſſet. Tale enim quiddã vis huius verbi declarat: quod vno verbo Græcè exprimi non poteſt. Hæc Dion. Sed de Auctoritatis verbo poſteà diſputabimus.

Cui nomen eſt Phormio. Nomen hoc loco dixit pro cognomen.

Nec minus niger, nec minus confidens. Verba ſunt Getæ ſerui, act. 1, ſcena VI.

F Eſt paraſitus quidam Phormio,
Homo confidens: qui, illum di omnes perduint.

Sed Niger, opinor, ex hiſtrionis, quem illas partes agentem viderat, colore dixit: tametſi improbitatis quoq; argumentũ videri hoc voluit. Athenæus quidem libro Δειπνοσοφιστῶν VI, verba paraſiti cuiuſdã profert, ex quibus exiſtimari poteſt moris fuiſſe, vt nigri paraſiti in ſcenã producerentur. Αἱ δ' ἐπὶ Ναυσινίκου συσσίτων γίνονται μὲν, τὸ κοινὸν καὶ κεκωμῳδημένον. Οἱ μέλανες ὑμεῖς θᾶττον ἐκ τοῦ γένους. Σεμνοπαρα-

G σίτους ἐκ μέσου κεκλημένον χιλιοταλάντους. Verba ſunt Alexis comici, in Gubernatore.

Minus abeſſe LIII. Subaudi paſſuum millibus. & apparet hoc dicto ſignificare Tullium tot millia ſeſtertiûm, pro pretio corruptionis, Falculam accepiſſe. quod ſi ita eſt, ſcutatos accepit CIↃ CCCXXV. Sed in Orat. pro Cluentio longè maiorẽ

ſummam

ſummam reperio. Video enim accepta dictum H-S A quadringenta millia. Fidiculanius, inquit, quid feciſſe dicebatur? accepiſſe à Cluentio H-S CCCC. nimirum vt Oppianicum quem Cluentius accuſabat, damnaret. Quare aut hoc, aut illo loco mendum omnino eſt. Vtro autem in loco ſit, obſcurum eſt. tametſi aliarum pecuniarum ſummam reputanti, quæ ad Iunianum iudicium corrumpendum Staleno datæ ſunt, maior illa pecunia videtur quadringentorum H-S. nam XL tantùm in ſingulos Iudices B diſtribuenda data dicitur: quæ ſumma noſtratiũ aureorum efficit mille duntaxat. cùm quadraginta H-S, decem millia ſcutatorum efficiant. vt ex hoc loco ille potius Cluentianæ corrigendus, & pro CCCC, LIII, reponendum eſſe videatur.

In Albiano iudicio. In iudicio Statij Albiani Oppianici, quem A. Cluentius Habitus veneficij accuſabat.

Cùm eius concilij iudex non eſſet. Cùm ex ipſius decuria Iudices eo tempore non darentur. de decuriis C iudicũ dixi in Verrinis Orationibus, non vno loco. Facilè autem (vt ſcribit Aſconius) pro veris iudicibus improbi ſupponi poterant, volente hoc iudice quæſtionis, & illis patientibus, qui veri Iudices erãt: quia niſi citati non conſidebant, & graue onus erat, & incõmodum iudicare. Cæſar quoq; initio libri de bello ciuili III, iudiciorum quorundam mentionem facit, quibus nõnulli ambitus dãnati erant: quæ iudicia, inquit, aliis audientibus iudicibus, aliis ſententiã ferentibus ſingulis diebus erant perfecta. D

Cùm cauſam non audiſſet. Vide Aſconium in Ver. III, ferè in extremo.

Si vno minus damnarent. Erant Iudices XXXII, vt ex Cluentiana intelligitur: & ſexdecim corrumpendos Ælius Stalenus iudex ipſe decimus ſeptimus ſuſceperat. cùm vnus deeſſet, C. Fidiculanius Falcula ad cõplendam Oppianici damnationẽ dicebatur eſſe ſuppoſitus. Hæc autem ad tempus dicuntur vt cauſæ ſeruiat, nam in Cluentiana Fidiculanium excuſat.

Non abfuiſſe animo Aldus, & omnes, quos vidi, ve E teres & ſcripti, & impreſſi, Affuiſſe. quod cùm perſpicuè rectum ſit, non ſatis ſanum oportet hominẽ fuiſſe, qui hanc nouam lectionem induxit.

Tantiſper de aliquo reo cogitaſſe. Facetè dictum. nõ attendebat, inquit, dum alij teſtimonium dicerent: ſed interea cogitabat an vnquam ſimili fortuna vti poſſet, quali in Oppianici aut Safinij iudicio vſus erat.

Intelligere præclarè quid cauſa optaret. Mirè inuertit aduerſarij defenſionẽ. Armatos enim & conuo- F catos à ſe homines fuiſſe prædicabat Ebutius. ſed ita, vt propterea armatos fuiſſe diceret, quia per vim Cæcina in ipſius fundum ingredi conaretur: & ſecũ præclarè actum eſſe, quòd eũ comitatum ſecum habuerit. At hanc Orator defenſionem aduerſarij cauſæ maximè aduerſariam videri vult. Qua de cauſa dicit, exiſtimaſſe ſe primò ex verbis Falculæ, præclarè illum intelligere, quid cauſa optaret, cùm armatos eum Ebutio vllos fuiſſe negaret.

Cùm ſubitò ecce idem qui ſolet. Terentius Redire ad G ingenium dixit in Adelphis act. 1, ſcen. 2 Parmeno, Si mihi fidem das taciturum, dicam. Philotis, Ad ingenium redis. Cicero in Diuin. Redit ad ſe, atque ad mores ſuos.

Cùm quid liqueret non habuiſtis. Cùm duabus iam actionibus reſpondiſtis vobis non liquere, & Amplius pronuntiaſtis.

An controuerſia non erat. Cùm & ego petitor, & Ebutius reus ea de re contenderemus.

Non deieci. ſed obſtiti. Defenſio Ebutij: non tam, opinor, nugatoria, quàm Cicero vult videri. nã quo minus Ebutius obſtaret, ne in ipſius fundũ ipſo inuito Cæcina ingrederetur, & vim vi repelleret, nulla lege prohibebatur. hæc enim erat illius oratio, Non te ſum paſſus in fundum meũ ingredi: ſed armatos oppoſui, qui periculum, quod mihi tu intentabas, à me meiſq; fortunis propulſarent. Sed cùm deieciſſe ſe fateri nolit, illud intelligi poteſt, quod paulo infrà apertius oſtendit, prohibere quidẽ aditu ingredi volentem licere, ingreſſum verò deiicere, vi quidẽ armatis hominibus, non licere. Et hoc ipſum quod modò dicebamus confirmat Vlpianus his verbis ſub tit. de vi & vi arm. Eum, inquit, qui neq; animo neq; corpore poſſidebat, ingredi autem incipere poſſidere prohibeatur: verius eſt non videri deiectum. Deiicitur enim qui amittit poſſeſſionem, non qui accipit. vim vi repellere licere, Caſſius ſcribit, idque ius natura comparatur. Apparet autem, inquit, ex eo, arma armis repellere licere.

Non enim te ſum paſſus in fundum ingredi. Vera defenſio & probabilis, cùm Cæcina dominus non eſſet. Quòd ſi eſſet dominus, vt Cicero defendit, tum quid iuris ſit oſtendit Vlpianus in l. 3. D. de vi & vi arm. Si autem cùm dominus veniret in poſſeſſionem, armati eum prohibuerunt, qui inuaſerant poſſeſſionem: videri eum armis deiectum.

Vt ius ac deductio moribus fieret. Sic legitur in omnibus libris, quos quidẽ adhuc viderim. ſed ex compluribus locis vis non ius legendum eſſe manifeſtò intelligitur. neq; hæc noſtra ſententia indiget vllius confirmationis. ſic in Ora. pro Quinctio, Ius non auferatur: pro Vis non afferatur, ſcriptum erat, errore manifeſto: vt in eum locum diximus.

Ego homo imperitus iuris. Hæc dicuntur non εἰρωνικῶς: ſed in imperiti hominis perſona, qui de hoc negotio conſilium exquireret.

Iuris retinendi cauſa non conuenit. Niſi vt vi vis repellatur. Armaſſe autẽ defendebat ſe homines Ebutius, vt vim Cæcinæ & eius cõuocatorũ repelleret.

A magiſtratibus animaduertenda. Magiſtratus dicit, Quæſitores rerum capitalium, qui à quærendo, id eſt cognoſcendo, atque animaduertendo Quæſitores dicuntur. Ergo hoc dicit eſſe crimen publicũ, & quod ab iis, qui cũ imperio ſunt animaduerti debeat. nam priuatarum rerum Iudices, priuati homines erant, & ſine Magiſtratu atque imperio.

Ad conſtitutum experiundi iuris gratia. Conſtitutum, vocabulum ad ius ciuile pertinens. & ſignificat diem tempúſque litigatoribus indictum, quo ſe in loco certo ac conſtituto ſiſtant. Ipſe in Orat. pro Cælio, Cùm ſit iis confitendum, nunquam ſe ne congreſſu quidem & conſtituto cœpiſſe de tantis iniuriis experiri. Et in epiſt. ad Att. lib. XI. ep. 5, Atque eo die cogitabam in Anagnino, poſtero autem die in Tuſculano, ibi vnum diem V. Cal. igitur ad Conſtitutum. Et eleganter tranſtulit in epiſt. ad Marium, Si quod conſtitutum habes cum podagra, fac in alium diem differas. Varro de re ruſt. lib. II, Seroſim enim mane ſalutaui: cùm alius eum ſalutaſſet, alius conuitiatus eſſet, qui tam ſerò veniſſet ad conſtitutum.

Ex iure ciuili ac Prætorio non habes. Actiones primùm à Iuriſconſultis ex legibus XII tabularum conſtitutæ ſunt: quę Ciuiles iccirco in libris Pande-

A ctrum ſppellantur, quòd iure ciuili comparſtæ ſint. ſed cùm multis in cauſis deeſſe ſctiones, Prætores animaduerterent, ſlias item pro ſuo ipſi iure atque imperio conſtituerunt: quæ ideo Prætoriæ in iiſdem libris nominsntur. Vtriuſque tsmen generis actiones Prætor vrbanus, qui iuri dicundo præerst, litigatoribus, qui eas poſtulabant, dare ſolebat, & agendi poteſtatem petitoribus permittere.

Vt hoc genus vnum vel maximum prætermitterent. Hoc cum exclamstione pronuntiandum & magns admiratione: ſlioqui enim deeſſe quippiam vide- B retur. & particula VT vim habet interrogationis: acſi diceret, Tsmen vſque eò imperitos exiſtimabimus, vt &c.

Si qui introire prohibuiſſent. Sed huic loco facile reſpondere poterat Ebutius, ſumere pro vero & confeſſo Ciceronem, quod erst in controuerſis. non in ſuum fundum introire Cæcinam prohibui, ſed in meum.

Primo aditu veſtibulóque. His verbis confirmatur C Cæcilij Galli iuriſconſulti ſententia, quam Gellius & Macrobius commemorant, Veſtibulum eſſe non in ipſis ædibus, neque ædium partem: ſed locum ante ianuam domus vacuum, per quem de vis sditus acceſſúſque ad fores ædium ſit. Ipſs enim ianua procul à via fiebst, area interſita quæ vacaret.

Iniuriarum quid ad cauſſam. Iterandum illud verbum, INIVRIARVM? Cum interrogationis nota. D

Quem oporteret reſtitui. Omnes slij Oportet. quod cur immutemus, causa nulla eſt.

Quid denique ad ius ciuile, aut ad actoris actionem, & ad animaduerſionem ages? iniuriarum? Obſcurus locus, &, vt opinor, deprsuatus. nam etiam in aliis propè omnibus pro ACTIONAM reperio NOTIONAM. Ego ſic legendum potius exiſtimarem, Quid denique ad ius ciuile? Cùm ad actoris vltionem & animaduerſionem agatur iniurisrum quod notum eſt ex l.2.§.emancipatus, D.de collat.bon.l.7.§.1.D. E de iniur. & animaduerſionem agens iniuriarum.

Actio enim iniuriarum non ius poſſeſſionis aſſequitur. Ea tamen vis eſt illius, & efficientis. nsm cùm qui deiecit iniuriarum dsmnatus eſt, nunquam ſe iudicio à deiecto sbſoluet, niſi poſſeſſionem ei reſtituat. & profectò ſic eſt, vt deiecto & iniuriarum sctio dari ſoleat, vt paulo sntè ex Vlpiano docuimus, & hoc ipſum interdictum. ita tamen vt iniuriarum sctio interdictum extinguat. F

Aut vim fieri vetat. Hæc genera interdictorum Iuriſconſulti perſecuti ſunt lib. Pandect. XLIII.

Vnde vi prohibitus ſis, nemo vnquam interdixit. Ita eſt. & ſuprà diximus, hoc ipſum Vlpiani tempore ſine controuerſia fuiſſe, vt ſi cùm dominus veniret in poſſeſſionem, armati eum probiberent, qui inuaſerant poſſeſſionem: ei tanquam armis deiecto interdictum Vnde vi competeret. neque hoc diſputaſſe arbitror aut Piſonem, aut Calphurnium, ſed illud tantùm, non eſſe dominum G prohibitum: id eſt, non eſſe Cæcinæ fundum à quo depulſus eſt.

Deiicior enim, inquit, ſi quis meorum deiectus eſt. Quid ſi pars familiæ deiecta eſt, pars relicta? Vlpianus in l.1, De vi & vi atm. reſpondit, ſi ſerui quidam deiecti ſunt, alij detenti & vincti, aut etism eis imperatum, vi me deiectū intelligi. deſiiſſe enim A te poſſidere, cùm ſerui ab alio poſſideantur. Quid ergo ſi non ſit imperatum? ego per eos retineri poſſeſſionem puto, eóque deiectum dominum non videri. quod ſanè ex ſuperiori eiuſdē Vlpiani reſponſo confirmatur, his verbis: Apud Viuianum relatum eſt, Si quis me vi deiecerit, meos non deiecerit, nō poſſe me hoc interdicto experiri: quis per eos retineo poſſeſſionem, qui vi deiecti non ſunt.

Omnes in ædibus adſeruati ac retenti. Si retentis imperatum eſſet, quo tempore Vlpianus ſcripſit dari B ſolere interdictum, ex eius verbis ſuprà ſcriptis intelligitur: ſi non imperstum, non dari.

Ius armatorum hominum iudicio approbatum. Vis approbata, ſententis poſtulat. quod enim ius tandem eſt armatorum hominum? quare legendum ita eſſe, non eſt dubium.

Non in æquitate defenſionis. Apud Aquilam R. Æquitate iuris. omnes tamen alij libri cum hac receptа conſentiunt.

Quod obſtiteris armatis hominibus. Si obſtitit ne C dominus introiret, iam ſuprà competere diximus interdictum. ſed in illo controuerſia eſt: quod Tullius orstoriè diſſimulat.

Qui multitudine coacta. Obſcurus locus: ſed, vt opinor, ſic explicandus, vt illa duo verba ſubaudiantur, ADVERSVS EVM. vt ſit, nullam eſſe sctionem, nullum ius conſtitutum sduerſus eum, qui multitudine coacts aditu quempiam prohiberet: actionē, inquam, de eo, quòd armatis hominibus obſtiterit.

D *Quid ergo? hoc quam habet vim?* Prior interrogatio aperta eſt: ea quippe Cicero vtitur, cū hoc ſignificat, Si ita eſt, ſi tibi hoc concedam & largiar, quid ad hæc reſpondebis? vt ſtatim obiectionem quampiam ſubiiciat: vti hoc loco ſubiectam ab eo fuiſſe exiſtimamus. Sed poſterioris ſententia quæ ſit, non diſpicio, quid enim pronomen HOC ſignificet, coniectura aſſequi non poſſum. nam vt nota tollatur interrogationis, vt in quibuſdam libris ſublata eſt, tamen interrogatio illa ſuperior, Quid ergo? E nihilo magis quò pertineat, habitura eſt. Cùm animi penderem, libros veteres conſului. nihil adiumenti. In vno tantùm poſt illa verba, Hoc quam habet vim? inane ſpatium non longum relictum erst. ex quo deſiderari nonnulla facile ſum ſuſpicatus, cùm etiam proxima particula VT ſimiliter abeſſet. Deſiderari autem interdicti verba grandioribus olim conſcripta literis exiſtimaui, eóque magis, quòd in vetuſtis codicibus animaduertebam, quæ literis grandioribus ſcribenda eſſent, notis ferè F omnia exarata eſſe. & præciſis verbis atque incboatis. vt cùm ita ſcriptum interdictum librarius animaduerteret, neque eas notas intelligeret, qua tum plerique ignorsntia atque adeò negligentia præditi erant, conſultò prætermiſerit. quod ipſum in hac eadem rurſus Oratione factum eſt, in illa ſcilicet lacuna quæ aſteriſco notata eſt infià, & Verrina IIII, Ver. v. & alibi frequenter. Meo igitur iudicio tale quippiam prætermiſſum eſt: Quid ergo? hoc quam habet vim? VNDE VI TV ILLVM DEIECISTI, G EO TV ILLVM RESTITVAS. nam vt illa res, &c. Vt poſt Aſpirare poſſim, non interrogandi, ſed mēbri nota ponatur, nondum videlicet abſoluta, ſed pendente adhuc ſententia: & illa verba, Qui hoc ab illo differt? ſic exponamus, quaſi diceret, Si maximè res illæ duo facto inter ſe differrent, ac diſſiderent, tamen cūr in eo diſcreparent, vt in altera æquum ſit reſtitui, in altera minimè.

An in

Digitized by Google

An in eadem vi. Veteres libri, An eum eadem.

Quam conditionem vobiſmetipſis. Quibus hæc, itidem vt Cæcinæ, vſu venire poſſunt.

Quod vis Cæcinæ facta non eſt. Quippe qui non poſſidebat. hoc enim eſt Ebutij cauſæ firmamentum: vt infrà oſtendam. ſcribit autem Labeo, eum qui per vim poſſeſſionem ſuam retinuit, vi non poſſidere. l. 1, D. de vi & vi arm. Quare hæc mihi Ebutij defenſio probatur, vt in poſſeſſione retinenda non videatur eſſe vis facta, ſi qui non poſſidebat prohibitus eſt introitu.

B

Nemo, inquit, occiſus eſt, neque ſaucius. Tum enim aut iniuriarum actio daretur, aut quæſtio de vi publica decerneretur. Locus autem non eſt iſtis actionibus, niſi cùm res ad manus & ad pugnam venerit.

Tu vim negabis eſſe factam. Negari certè non poſſet, ſi ei qui poſſideret, vis eſſet allata. ſed quia non poſſidere Cæcinam contendebat Ebutius, bona ratione hac defenſione vtebatur. alioqui verum eſſet, quod Tullius oratoriè vociferatur. & hoc eſt quod ſcribit Vlpianus in l. 3. De vi & vi arm. Qui armati venerunt, etſi armis non vſi ſunt ad deiiciendum, ſi deiecerint, armata vis facta eſſe videtur. ſufficit enim terror armorum, vt videantur armis deieciſſe.

C

Cùm ad vim faciundam veniretur. Ex conuentu, vt vis fieret moribus. de quo ſuprà.

Si quos armatos, quamuis procul conſpexiſſent. Hûc tamen morem ſic interpretatur Vlpianus in l. 3. ſupradicta. Si quis, ait, viſis armatis, qui alio tendebant, metu hoc deterritus profugerit, non videtur vi deiectus: quia non hoc animo fuerunt, qui armati erant, ſed aliò tendebant. proinde etſi cùm armatos audiſſet venire, metu poſſeſſione deceſſerit: ſiue verum, ſiue falſum audiſſet, dicendum eſt non armis eſſe eum deiectum: niſi poſſeſſio ab his fuerit occupata. Et in l. metum, D. de eo quod metus cauſa: Si fundum, inquit, meum dereliquero, audito quòd quis cum armis veniret, an huic edicto locus ſit. Et Pomponius refert, Labeonem exiſtimare edicto locum non eſſe, ſed & VNDE VI interdictum ceſſare: quoniam non videar neque vi deiectus, qui deiici non expectaui, ſed profugi. aliter atque ſi poſteaquam armati ingreſſi ſunt, tunc diſceſſi huic enim edicto locum fore.

D

E

Non modò non erit, cur depugnare quiſquam poſthac poſſeſſionis cauſa velit ſed ne illud quidem cur repugnare. Vlpianus tamen in eadem lege ſic ſcribit, Eũ, inquit, qui cum armis venit, poſſumus armis repellere: ſed hoc confeſtim, non ex interuallo: dummodo ſciamus non ſolum reſiſtere permiſſum, ne deiiciatur: ſed etſi deiectus quis fuerit, eundem deiicere, non ex interuallo, ſed ex continenti poſſe. Et Iulianus l. qui poſſeſſionem, eod. Qui poſſeſſionem vi ereptam vi in ipſo congreſſu recipit: in priſtinam cauſam reuerti potius, quàm vi poſſidere intelligendus eſt.

F

Poſſeſſionis cupidiores, quàm vitæ. Vt non prius poſſeſſionem, quàm vitam relinquant: id eſt, quàm cædes aut vulnera facta ſint.

G

Quod ſi fuiſſet, & ex eo. Alij, Quid? ſi fuiſſet, &c. quod magis arridet.

An tu, qui tam diligenter, &c. poteriſne dicere. Anne, coniunctim perſæpe dicitur. Terent. in And. Anne eſt intus Pamphilus? Interdum tamen aliquot

A interiectis verbis, vt hoc loco, & lib. de finib. 1, An partus ancillæ ſitne in fructu habendus, diſſeretur inter principes ciuitatis.

Si ad verbum rem volumus attingere. Aſtringere, magis placeret. vt Ver. vi. Quis hic eſt? qui ad ſtatuam adſtrictus eſt.

Quod fœdus aut pactio. Pactiones publicas modò dicit, quæ fiunt cum hoſtibus, vt induciarum, vt de reddendis captiuis. quam Conuentionem publicam Vlpianus appellat in l. conuentionem, D. de pactis.

B *Iudicia aut ſtipulationes.* Iudicia Iudiciorum formulas, quæ à prætore præſcribebantur. Nam iudicia pro contractibus interpretari nulla ratio eſt.

Aut pacti & conuenti formula. Sic Cicero appellare ſolet, quos Contractus Iuriſconſulti nominãt. qua tota de re diximus abundè in Diſput. de pact.

Ornatè & copiosè L. Craſſus. De Curiana controuerſia Cicero pluribus verbis & locis commemorat, ex quibus quæ ad hunc locum pertinebunt, ſumere licebit.

C

Lex vſum & auctoritatem fundi iubet eſſe bienniũ. Budæus locum ſic explanat, Id eſt biennio fundum vſucapi. Aſſentior eruditiſſimo viro, & omnium qui ſua ætate fuerunt, mea quidem opinione diligentiſſimo. Quare ſententiam meam teſtatus, verendum, credo, non erit ne quid pudore meo & obſeruantia, qua ſemper ſummi viri auctoritatem ſingulariter colui, alienum faciam, ſi quæ mihi in mentem venerunt huiuſce loci ſententiam accura-**D**tius perpendenti, breuiter exponam. primùm igitur vt Auctoritatis vocabulo Vſucapionem intelligamus, quemadmodum quidem ipſe voluit, tametſi teſtimonio in eam rem vtatur non admodum idoneo, prius illud verbum VSVS quorſum pertineat, conſideremus. Cui nanque probari poterit ita loquutum fuiſſe Ciceronem, vt diceret, Biennium eſſe vſum & vſucapionem fundi? quid enim illo dicendi genere inſolentius, ne dicam ineptius? Quòd ſi huic quoque vocabulo eandem vim ac **E** ſignificationem tribuamus, qualis illa tandem enuntiatio, aut quæ ſub illa ſententia ſubiecta eſt? Biennium eſt vſucapio fundi: vel illa, Vſucapio fundi eſt biennium. Quid ſi tamen hoc exponamus modo? Lex iubet vſum eſſe, id eſt durare biennium. Primùm noua locutio, Vſus eſto biennium: pro Biennis. deinde abſurda ſententia, Vſus & auctoritas eſto biennium. Quid enim? an auctoritas, id eſt ius ex vſucapione comparatum biennio circumſcriptum eſt? Nam Auctoritatis verbo ius illud **F** intelligitur, quo rem aliquam iure ciuili acquiſitam, noſtram eſſe affirmamus. vt cùm in lege Atinia ſcriptum eſt, Si quid ſurreptum erit, eius rei æterna auctoritas eſto: hæc, opinor, ſententia ſub illis verbis ſubiecta eſt, In rem furtiuam ius domini æternum eſſe, neque vlla alterius quamuis diuturna poſſeſſione labefactari poſſe. & illud in Officiorum primo, Aduerſus hoſtem æterna auctoritas eſto: id eſt, vt ne peregrinus ciuis Rom. bona quantumuis diutur-**G**no vſu acquirere & vſucapere poſſit: ſed ius domini integrum & inuiolatum ſemper permaneat. Scæuola ſimiliter in l. vltim. D. de pig. act. Cùm controuerſia de latitudine ei moueretur, quòd aliàs probare non poterat, petiit à creditore, vt inſtrumentum à ſe traditum auctoritatis exhiberet. Ex quibus locis, & aliis præterea innumeris hanc eſſe huius legis, de qua meminit Cicero, ſenten-

tiam exiſtimamus, vt cùm aliarum rerum vſus annuus auctoritatem, id eſt ius dominij bona fide poſſidenti afferat, fundi nonniſi biennis vſus afferre poſſit. vt mihi quidem hoc in loco non BIENNIVM ſed BIENNEM potius legendum eſſe videatur, & in illo Topicorum perſimili, BIENNIS: quaſi in Lege ſcriptum hoc modo fuiſſet, VSVS, AVCTORITAS FVNDI, BIENNIS ESTO. CÆTERARVM RERVM, ANNVVS ESTO. Quorum verborum ſenſus hic eſt apertiſſimus: Vſus biennis, eſto auctoritas fundi. cæterarum rerum, annuus. vt ſi quæratur, quod ius ſit in eam rem poſſeſſori: &, vt modò loquimur, quis titulus: reſpondere poſſit, Quia bona fide annum aut biennium ea re vſus ſit. quam coniecturam Venuleij verba confirmant, qui Auctoritatis verbo, pro iure ex vſucapione quæſito, perſpicuè vſus eſt in l. vlt. D. de euictionib. Si alienam rem mihi tradideris, & eandem pro derelicto habuero, amitti auctoritatem placet: Et Ciceronis paulo infrà. Aquæductus, hauſtus, iter, actus à patre: ſed rata auctoritas harum rerum omnium à iure ciuili ſumitur. Et item in Orat. pro domo ſ. Multæ ſunt domus in hac vrbe, atque haud ſcio an penè cunctæ iure optimo, ſed iure priuato, iure hæreditario, iure auctoritatis, iure mancipij, iure nexi. Nam Auctoritatis verbum ipſe etiam Budæus eo in loco ſimiliter interpretatur. Confirmat præterea noſtram opinionem quòd in Topicis, in libris quidem omnibus quos adhuc viderim, ſine coniunctione locus ſic legitur, quemadmodum hunc noſtrum legendum eſſe ſuſpicamur, Quoniam vſus auctoritas fundi biennium eſt. Item illud, Et ſunt cæterarum rerum omniom, quarum annuus eſt vſus. Subauditur enim verbum antecedens, Auctoritas. vt ordo & ſenſus hic ſit, Quoniam vſus biennis fundi, eſt rata ipſius auctoritas: ſit etiam ædium. at in lege ædes non appellantor. & ſunt cæterarum rerum omnium quarum annuus vſus, eſt rata auctoritas: id eſt, quarum annua poſſeſſio ratam auctoritatem, hoc eſt, ius dominij fixum & firmum afferre ſolet. nam Annuus & Biennis comparare atque opponere videtur. vt Plinius lib. 11, ca. 82, Vtpote, inquit, cùm quidam annuo & bienni ſpatio durauerint. Quæ quanuis ita ſeſe habeant, nihil tamen affirmare volumus, ſed aſſenſionem noſtrâm ſuſtinebimus, dum alij maioris auctoritatis viri coniecturam hanc noſtram bona aliqua & probabili ratione aut confirment, aut repudient. Nos diſputandi finem faciemus, ſi vnum illud addiderimus, non videri abſurdam oportere verborum implicationem, qua vſum eſſe Tullium ſuſpicamur, cum ſic diceret, Lex vſum, auctoritatem fundi iubet eſſe, biennem. quod videlicet Legis verborum notiſſimum ordinem ſequeretur, in qua, vt diximus, ſcriptum hoc modo fuiſſe arbitramur, Vſus, auctoritas fundi, biennis eſto. Cæterarum rerum, annuus eſto. Ac de hoc quidem verbo Auctoritas, quæ ſit ipſius origo ac notatio, paolò ſuprà in hanc ipſam Orationem explicauimus: itémque in Fragment. XII. tab.

Vtimur eodem iure in ædibus. Rationem exponit in Topicis, ſuprà dicto loco.

Quæ in lege non appellantur. Quarum in Lege non fit mentio.

Quà velit. Is cui ſeruitus debetur.

Si via ſit in Brutiis immunita. Brutij, Italiæ populi, ad fretum Siculum ſiti. Tuſculum verò oppidum proxime vrbem: atque, vt Strabo ſcribit, in ipſius vrbis conſpectu. Eius ager Tuſculanus: in quo, vt alibi diximus, Romani ciues villas habebant amœniſſimas. in his M. Scaurus, M. Cicero, Q. Hortenſius, L. Lucullus, & alij quàm multi. Porrò autem qui viam, hoc eſt ſeruitutem debet, munire viam debet, munitámque & paratam præſtare. Quod ſi non fecerit, tum ei cui ſeruitus debetur, lex XII. tab. poteſtatem facit, quà velit iumentum, quod vehiculum trahit, agere. Senſus ergo eſt apertiſſimus, Si verba, inquit, ſequeremur, quæ poteſtatem faciunt, vt quà velit is cui ſeruitus debetur, ſi via vbi illa debetur imminuta eſt, iumentum agat: agere liceret vel per amœniſſimum & ornatiſſimum quemuis agrum, qualis eſt ager M. Scauri: quam ille grauiſſimam contumeliam ſibi factam interpretaretur. cùm agro illo ſuo nihil neque iucundius neque ſuauius quicquam habeat. Cùm autem id lex dicit de eius ſolius agro ſentit, qui ſeruitutem delibat, quam non muniuerat.

Actio eſt in actorem præſentem. Auctorem, omnes libri veteres: & rectum eſt, opinor, ſic emendari. nam quam actionem Cicero nominat, eam his conceptam fuiſſe verbis ex Valerio Probo didicimus, Quando in iure te conſpicio, poſtulo anne fias auctor.

Quàm rem, cuius cauſa verba ſunt, non conſiderarent. Inſolens locutio: cuius ſimilem non memini me legiſſe: Quàm non conſiderarent. pro Vt non conſiderarent.

Pupillus Cornelius. Cum teſtamenti ſcripti tempore, pupillus eſſet, adeundæ hæreditatis tempore pubes eſſet.

Amitteret hæreditatem. Quippe qui pupillus non eſſet, vtpote non impubes. nam pubertatis primus annus, quartuſdecimus.

Intelligitis enim. Alij intelligetis. & ſic emenda.

Rectè igitur diceres te reſtituiſſe? Notetur locus, cui ſimiles ſunt alij quammulti: ex quibus verum eſſe intelligitur quod antea diximus, ſponſionis verbis quibus quis Reſtituiſſe ſe dicit, non factum ipſum comprehendi: hoc eſt, non facto ipſo ac reuera dicere ſponſorem ſe reſtituiſſe. quippe qui nullo modo reſtituerit. nam hoc ipſo in loco qui reſtituiſſe ſe dicit, non reſtituit. & ſi hoc aliis verbis efferret, ſic diceret, Reſtituere non debeo: quippe qui non deiecerim. Sed quòd Magiſtratus imperio parere ciuem neceſſe eſt, vti hac illi oratione non licet, Non reſtituam, aut Reſtituere non debeo. Quocirca reſtituiſſe ſe contendit: id eſt, Magiſtratus edicto atque imperio morem geſſiſſe: ſed ſub ea tamen conditione qua & reſtituere iubebat. Iubebat autem reſtituere, ſi deieciſſet. non deiecerat, quare magiſtratus imperio paruerat: & hoc modo reſtituerat. Similis locus infrà, Si glebis aliquem deieceris, iuſſúſque ſis quem hominibus armatis deieceris, reſtituere: reſtituiſſe te dices?

In vno ſeruulo familiæ nomen non valere. Vlpianus eodem modo in l. 40. §. 2. D. de verb. ſignificat.

Hominum prudentium conſilium & auctoritas reſpuat hanc defenſionem, & pro nihilo putet. In hãc rationẽ reſpondit Vlpian. hoc modo in l. 1. D. de vi & vi arm. Familiæ autem appellatio ſeruos continet. ſed quæritur, quem numerum ſeruorum contineat: vtrum plurium, an verò duorum, vel trium. ſed

verius eſt, in hoc interdicto, etiam ſi vnus ſeruus vi deiecerit, familiam videri vi deieciſſe.

Qui legitimè procurator dicitur omnium rerum eius. Hoc eſt, quod ſcribit Vlpianus in l. 1, D. de procur. quoſdam non putare, vnius rei mandatum ſuſcipientem procuratorem eſſe: ſicuti nec is quidem, qui rem perferendam, vel epiſtolam vel nuntium perferendum ſuſcepit, propriè procurator appellatur. ſed verius eſt, inquit, eum quoque procuratorem eſſe, qui ad vnam rem datus ſit. Cicero igitur Procuratoris nomen propriè ad eum reſtringit, qui vel ad lites, vel vniuerſorum negotiorum procurator eſt. Reliquos Mandatarios eſſe vult.

Eius qui in Italia non ſit. Nam qui, vt ſæpe antea diximus, præſentis negotium ſuſcipiebat, Cognitor dicebatur. & ita ſcripſiſſe arbitramur Aſconium: tametſi verbum ABSENTIS deſit. vt alibi oſtendimus ex Feſto Pompeio: & hic locus manifeſtò demonſtrat.

Qui in Italia non ſit. Nam cum quis eſſet in Italia, cogi ipſe poterat vadimonium promittere. Suetonius in Caligula, Comprehendit, inquit, meritoria vehicula, adeò vt plerique litigatorum, quòd occurrere abſentes ad vadimonium non poſſent, cauſa caderent.

Aut cliens aut libertus. De Clientibus cognoſce ex Orat. pro Sex. Roſcio.

Si tuus me libertus deiecerit, nulli tuo præpoſitus negotio. Modò vel mandato tuo id fecerit, vel ratum habueris. Rectius enim, ait Vlpianus, dicitur Ratihabitionem in maleficio mandato comparari l. 1, parag. deieciſſe, & l. 3. parag. cùm procurator, D. de vi & vi arm.

Si vnus ſeruulus. Idem in l. 1, Sed verius eſt, in hoc interdicto, etiam ſi vnus ſeruus me deiecerit, familiam videri deieciſſe.

Omnes alieni ac mercenarij. Idem, Si filiusfa. vel mercenarius vi deiecerit, vtile interdictum competit.

Armatiſve. Nihil muto: ſed magis placeret Armatiſque: vt infrà. Ea fit plerunque per homines coactos armatóſque.

Sed perinde valebit, quaſi armatiſſimi fuerint. In hanc ſententiam Vlpianus in l. 3. ſic ſcribit: Armis deiectum, quomodo accipimus? Arma ſunt omnia tela: hoc eſt, & fuſtes, & lapides, non ſolùm gladij, haſtæ, & frameæ, id eſt romphææ. planè & ſi vnus vel alter fuſtes vel gladium tenuit, armis poſſeſſor deiectus videtur. plus dicitur. Etſi inermes venerūt; ſi in ipſa contrectatione, qui inermes venerant, eò proceſſerunt, vt fuſtes aut lapides ſumerent: vis erit armata. Qui armati venerunt, etſi non armis vſi ſunt ad deijciendum: ſi deiecerint, armata vis facta eſſe videtur. ſufficit enim terror armorum, vt videantur armis deieciſſe.

Inermes armati. Lambinus reſtituit, Armatus armati. quod mihi non placet. Nam Orator perſpicuè loquitur de pluribus, in quibus vnus tantum armatus erat, reliqui inermes: vt mox oſtendet.

Vim quæ ad caput, & ad vitam pertinet, reſtitui ſine vlla exceptione voluerunt. Exceptionem ſignificat, quemadmodum ſuprà demonſtrauimus, adſcriptionem quæ in interdicto ſubijcitur, CVM QVI DEIECTVS EST POSSIDERET.

Non deieci, ſi non ſiui accedere. Firmiſſima defenſio, vt ſuprà oſtendi. nam ſi ingreſſum deieciſſet; omnino reſtitui oporteret. vt Paulus ſcribit in l.
A Fulcinius, eod. tit. & clarius poſtea Cicero infrà vbi ſiue poſſideat, ſiue non poſſideat, qui armis deiectus eſt, reſtituēdum dicit. at qui per vim (inquit Labeo) poſſeſſionem ſuam retinuit, vi non poſſidet. d. l. 1, parag. cum qui.

Iuriſconſultorum auctoritati obtemperari non oportere. De iuriſconſultorum auctoritate Iuſtinianus ſic loquitur in lib. Inſtit. iuris 1, Reſponſa prudentum ſunt ſententiæ & opiniones eorum, quibus permiſſum erat iura condere. nam antiquitus conſtitu-
B tum erat, vt eſſent qui iura publicè interpretarentur: quibus à Cæſare ius reſpondendi datum eſt, qui Iuriſconſulti appellabantur. quorum omnium ſententiæ & opiniones eam auctoritatem tenebant, vt iudici recedere à reſponſo eorum non liceret: vt eſt conſtitutum. hæc ille. Neque hoc mirum cuiquam videri debet, cùm præſertim homines plerunque (vt Quintilianus ſcribit) indocti, ſæpe etiam ruſtici, iudices darentur: &, vt alibi teſtatur, rure etiam plerunque arceſſerentur. cuiuſmodi tres iſti fortaſ-
C ſe Recuperatores fuerunt; quos Cicero, nunquam ſanè valde honorificè appellauit. Iudices ergo iſtius generis imperiti homines ferè ad Iuriſconſultos confugiebant, qui ſua eis reſponſa ſcripta dabant. Pomponius ſub tit. de Origine iuris, Ante tempora Auguſti, publicè reſpondendi ius, non à Principibus dabatur: ſed qui fiduciam ſtudiorum ſuorum habebant, conſulentibus reſpondebant: neque reſponſa vtique ſignata dabant, ſed plerunque iudicibus ipſis ſcribebant aut teſtabantur: qui illos conſu-
D luerant. primus D. Auguſtus, vt maior iuris auctoritas haberetur, conſtituit vt ex auctoritate eius reſpōderent. Porrò autem vt totam Iuriſconſultorum rationem breuiter explicemus, illud intelligi oportet cùm ius (vt idem Quintilianus ſcribit) aliud certum eſſet, nimirum quod ſcripto aut moribus conſtaret: aliud dubium, quod æquitatis regula examinandum eſſet: Iuriſconſultos in hoc vno genere reſponſa dediſſe, iúſque conſtituiſſe. Iuris autem om-
E nis quæſtio, vt idem alibi oſtendit, aut verborum proprietate, aut æqui diſputatione, aut voluntatis coniectura continebatur. veluti cùm in hac cauſa quæreretur, An Deiecti verbo etiam is, qui prohibitus eſſet accedere, contineatur, conſulti Iuriſperiti ſunt. Sed ad rem. Ex hac diſputatione facile eſt exiſtimare, Iuriſperitos à Cæcina conſultos, eius cauſam probaſſe. quod etiam in peroratione oſtendit his verbis, Auctoritatem ſapientiſſimorum hominum facere nobiſcum: opinor, quòd Cæcinam poſ-
F ſeſſorem fuiſſe cùm deiiceretur, exiſtimarent. ſcribit enim Paulus in l. Fulcinius, D. eod. vi poſſideri, & ob eam cauſam interdictum competere, etiam ſi non dominus (cùm tamen poſſideret) vi deiectus eſſet. Veritum igitur Piſonem Ebutij patronum ne illorum auctoritas iudicibus errorem obijceret, hanc diſputationem inſtituiſſe, vt diceret, non ſemper Iuriſconſultorum reſponſa ſequi oportere. Quod cōtrà Cicero callidè & aſtutè defendens, ius ciuile vniuerſum collaudat. & eius auctoritatem confir-
G mat. cùm contra vnam illius partem, eámque infirmam aduerſarius diceret: ſed hoc ſcilicet habuit rationis, quòd omnia iura ciuilia per Iuriſperitos deſcriberentur: vt in vniuerſo iure ciuili Iuriſperitorū nomen valere poſſe videatur.

Vt dici ſolet ſummo iure. Hoc quid ſit, explicauimus in Orat. pro Quintio.

Tum illud quod dicitur derident.* In lacuna, ſic li-

bri veteres, Si veni be. Locus eſt mutilus: quem reſtituere ſine melioris ope codicis, non poſſumus. Quòd ſi tamen vllus coniecturæ locus eſt: fortaſſe ipſa illa verba deſiderantur, quæ eadem in re ad diſputatione Antonius ex XII tabulis protulit in libro de Orat. I. VTI LINGVA NVNCVPASSIT. Tu ſi, inquit, cauſam ageres militis, patrem eius, vt ſoles, dicendo à mortuis excitaſſes, &c. vt totum illud VTI LINGVA NVNCVPASSIT, non in XII. tab. ſed in magiſtri carmine ſcriptũ videretur. B

Aucupia verborum, & literarum tendiculas. Græcè ſimiliter dicitur: vt apud Platonem in Theæteto, *εἰ δὲ ὀνομάτων γε καὶ αὐτὸς θηρεύεις, ἀνυλαβεῖν ἀλλήλων.*

Cùm tua ſint ea partes. Partes dicuntur perſonarum, quæ comœdias agunt: ad quas hoc loco alludit. Et paulo pòſt idem dicit aliis verbis. Cùm tua ſit hæc oratio. nam VNDE DEIECTVS ES. A. I. Q. P. E. A. E. N. DEIECTVS: verba ſunt Ebutij. Gallicè ſimili metaphora dicimus, *le rolle que vous iouez.* C

Eiectus, non deiectus. Libri veteres, Eiectus es, non deiectus. Et ſic emenda.

Cùm tua ſit hæc oratio. Subauditur, inquam: vt ſit, Cùm inquam, hæ tuæ ſint partes, atque oratio.

Eos qui conſuluntur. Iuris peritos.

Antea commemoraui. quod idem faceret. Omnes propè alij libri, Antea non commemoraui. quod perſpicuè falſum eſt, vt patet ex ſequentib. ſed pro Quòd idẽ, valde placeret vt reſtitueremus Cùm idẽ. D

Tamen probaſſe nemini, quod defendis. Ita placet. cùm in aliis pleriſque partim Non probaſſe, partim Probaſſe memini quod defendis, legamus. quæ ſententia perabſurda eſt. nam cum verbo Commemoraui hæc ſententia manifeſtò contexitur.

Nec ius ciuile in cauſis ſemper valere oportere. Ius ciuile *συνεκδοχικῶς* (quod adhuc neminem animaduertiſſe valde miror) cùm partem eius vnam ſignificet: nimirum Reſponſa prudentum. nam ius ciuile dicitur, quod in legibus, ſenatuſconſultis, rebus iudicatis, iuriſperitorum auctoritate, edictis magiſtratuum, more, æquitate conſiſtit: vt ipſe ſcribit in Topicis. ſed Pomponius Iuriſconſultus in l. 2. D. de orig. iuris, ius illud quod ſine ſcripto in ſola prudentium interpretatione conſiſtit, propriè ius ciuile appellari ſcribit, & generis nomen proprium ac peculiare ſibi facere. E

Non hoc debent dicere iure ciuili. Hoc dicit, Iuriſperitorum reſponſis iuris nomen, niſi cum æquitati conſentanea ſunt, non tribuitur. Aliter tamen ſenſiſſe videtur Paulus Iuriſconſultus ſub tit. de iuſt. & iure. Prætor, inquit, ius reddere dicitur, etiam cùm iniquè decernit, relatione ſcilicet facta non ad id quod ita Prætor fecit, ſed ad illud quod Prætorem facere conuenit. Et profectò ita eſt, vt Iuris nomine, his quidem locis, non tam illa æqui verique regula intelligatur, quàm vis à populo data & permiſſa, cui ſua voluntate ciues obtemperant. F

Iuris numeretur peritus. *ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον.* nam vt interdũ fallatur, non tamen Iuriſconſulti nomen ac dignitatẽ amittit. Iuriſconſultus autem, vt eſt in libro de Orat. I. dicitur, qui legum & conſuetudinis eius, qua priuati in ciuitate vtuntur, & ad reſpondẽdum & ad agendum, & ad cauendum peritus eſt. G

Id fuit ius, quod iudicatum eſt. Non illud quod conſulti reſpondebant. quare contra ius ciuile iudicatum non eſt.

A *Si de iure vario.* Id eſt, cùm alij aliter reſpondiſſent. nam, vt ſcribit Quintilianus, Iuriſconſultis diuerſas inter ſe opiniones tueri conceſſum erat.

Si aliter pronuntiatum eſt, ac Mutio placuit. Hoc loco duos Mutios patrem & filium ſignificat, qui ambo Pontifices fuerunt, & iidem iuriſperitiſſimi: vt ipſe ſcribit in libro de Legib. I. quorum alter P. Mutius Scæuola pater, quo coſ. C. Gracchus cæſus eſt: alter Q. Mutius, de quo Cicero ius ciuile didicit, B ſocer L. Craſſi Oratoris: vt & paulo pòſt, & in libris de Orat. oſtendit. nam L. Craſſus Liciniam, Scæuolæ & Læliæ filiam, in vxorem duxit.

Vt Manilius ſtatuebat. M. Manlius ſummus Iuriſconſultus. vt Cicero teſtatur in I. de Oratore & de Finibus libro. Pomponius ſub tit. de orig. iuris, Poſt hos, inquit, P. Mutius, & Brutus, & Manilius, qui fundauerunt ius ciuile. ex his P. Mutius decẽ libellos reliquit, Brutus ſeptem, Manilius tres. extant & volumina inſcripta Manilij monumenta.

C *Qui ius ciuile contemnendum putat.* Oratoriè, cùm de iuris ciuilis particula, nimirum de Iuriſconſultorum reſponſis agatur, vniuerſi iuris ciuilis laudationem inſtituit: quaſi de toto ciuili iure aduerſarij detrahant.

Leges ac iura labefactat. Quorũ illi ſunt interpretes. populi conſenſu ac voluntate conſtituti.

Aequabile inter omnes. Hoc ad ius certum pertinet, quod aut ſcripto cõſtare, aut moribus, ex Quintiliano docuimus. at Iuriſconſulti de iure dubio reD ſpondent.

Imponi falſa tabula. Sic omnes ſcripti & impreſſi: haud ſcio tamen annon potius INTERPONI ſcriptum fuerit. præſertim cùm ab hoc in illud facilis ſit lapſus: cùm ſyllabam ter pleriq; ſic ſcribant vt apicem in capite literæ appingant, t'. ſic in Orat. pro Pompeio, memini Intencionem in omnibus antiquis libris pro Internecionem ſcriptum fuiſſe.

Teſtamentum aut tabulas. Omnes manuſcripti E Teſtam̃, linea ſuperimpoſita. vt mihi non Teſtamentum, ſed Teſtimonium legendum eſſe videatur. primùm quòd cùm de teſtibus ac de tabulis & modò paulo antè, & vno præterea interiecto verſu ſit loquutus: vtrunque hoc verbum eleganter & commodè ad vtrunque illud referri poteſt. deinde quòd cùm in tabulis teſtamenta ſcribantur, & Tabulę pro Teſtamento plerunque vſurpentur, ineptè Teſtamentum aut Tabulas coniunctè ac ſine cauſa poſuiſſet.

F *Quæ dominatur in ciuitate potentia.* De potentia, cognoſce ex Orat. pro Quinctio.

Cui filius agnatus ſit, eius teſtamentum non eſſe ruptum. Nam agnatione poſthumi rumpitur teſtamentum. Vlpianus in l. 3. D. de iniuſt. rupt. irrito fact. teſt. Poſthumi per virilem ſexum deſcendentes ad ſimilitudinem filiorum nominatim exhæredandi ſunt, ne teſtamentum agnaſcendo rumpant. Cicero de Orat. I, Num quis eo teſtamento, quod paterfa. antè fecit quàm ei filius natus eſt, hæreditatem G fecit? nemo. quia conſtat agnaſcendo rumpi teſtamentum.

Quod mulier ſine tutore auctore promiſerit. Olim mulieres ſub tutoris poteſtate atque auctoritate perpetuò fuerunt. Cicero pro Muræna, Nam cùm multa præclarè legibus eſſent conſtituta, ea Iuriſconſultorum ingeniis pleraque corrupta ac deprauata ſunt. Mulieres omnes propter infirmitatem

conſilij

conſilij maiores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt. hi inuenerunt genera tutorum quæ poteſtate mulierum continerentur, Vlpianus in Titulis, capite de Tutelis: Tutores, inquit, conſtituuntur tam maſculis, quàm fœminis. Sed maſculis quidem impuberibus duntaxat propter ætatis infirmitatem; fœminis autem tam impuberibus, quàm puberibus, & propter ſexus infirmitatem, & propter forenſium rerum ignorantiam. M. Cato pro Lege Oppia diſſerens apud Liuium, ſic loquitur: Maiores noſtri nullam ne priuatam quidem rem agere fœminas ſine auctore voluerunt: in manu eſſe parentum, fratrum, virorum. Et L. Valerius Tribunus pl. in oratione cõtraria, in extremo: Nunquam, inquit, ſaluis ſuis exuitur ſeruitus muliebris. Quædam tamen inter mulierum & pupillorum tutelam interfuiſſe & Cicero in Topicis ſignificat his verbis, Non quemadmodum quod mulieri debeas, rectè ipſi mulieri ſine tutore auctore ſoluas, ita quod aut pupillæ aut pupillo debeas, rectè poſſis eodem modo ſoluere. Et Vlpianus in Titulis, capite de Tutelis, cuius verba ſubijciam: Moribus tutor datur mulieri, pupillóve, qui cum tutore ſuo lege aut legitimo iudicio agere vult, vt auctore eo agat (ipſe enim tutor in rem ſuam auctor fieri non poteſt) qui Prætorianus tutor dicitur, qui à Prætore vrbis dari conſueuit. Pupillorum pupillarúmque tutores & negotia gerunt, & auctoritatem interponunt, mulierum autem tutores auctoritatem duntaxat interponunt. Tutoris auctoritas neceſſaria eſt, mulieribus quidem in his rebus, ſi lege aut legitimo iudicio agant, ſi ſe obligent, ſi ciuile negotium gerant, ſi libertæ ſuæ permittant in contubernio alieni ſerui morari, ſi mancipia alienent: pupillis autem hoc amplius, etiam in rerum nec mancipi alienatione, tutoris auctoritate opus eſt.

Deberi viro dotem, quam mulier nullo auctore dixiſſet. Nam, vt modò diximus, ſub tutorum poteſtate mulieres perpetuò fuerunt.

Quod enim eſt ius ciuile. Mirè iuris ſcripti & certi laudatione iuriſconſultorum reſponſis auctoritatem conciliat. nam vtrunque hoc caput, de quo modò explicauimus, ex duodecim, vt arbitramur, tabulis exſcriptum eſt.

Neque inflecti gratia, neque perfringi potentia. Ex hoc loco intelligitur quod alibi diximus, Gratiam hoc differre à potentia, quod illa cum ſuperioribus, hæc cum inferioribus rationem habet. vt ſi quem priuatum hominem apud Conſules, cæteróſque magiſtratus, & primos ciuitatis gratioſum eſſe dicamus: horum verò magnam eſſe potentiam in iſtos Recuperatores.

Quæ cum omnia tua iure mancipij ſint. Sic omnes libri veteres. Ego contra omnium auctoritatem paucis immutatis, ſic puto corrigendum: Quæ tua communi iure mancipij ſint, &c. Mancipi autem res ſunt, vt Vlpianus in Titulis exponit, prædia in Italico ſolo, tam ruſtica, qualis eſt fundus, quàm vrbana qualis domus: item iura prædiorum ruſticorum: velut via, iter, actus, & aquæ ductus: item ſerui & quadrupedes, quæ dorſo, collóve domantur, velut boues, muli, equi, aſini, cæteræ res nec mancipi ſunt. Mancipatio propria ſpecies alienationis eſt rerum mancipi: eáque fit certis verbis, libripende & quinque teſtibus præſentibus. res mobiles non niſi præſentes mancipari poſſunt, & non plures, quàm quæ manu capi poſſunt. immobiles autem etiam plures ſimul, & quæ diuerſis locis ſunt, mancipari poſſunt. Hæc Vlpianus. In capite proximo mendum eſt apertiſſimum: Traditio propria eſt rerum. addendum eſt enim Nec mancipi: quod propter inſequens ſimile verbum (vt alibi perſæpe) omiſſum eſt. nam Vlpianus Mancipationem dicit eſſe propriam alienationem rerum mancipi: Traditionem rerum nec mancipi: Vſucapionem & In iure ceſſionem vtrarúmque communem. Eſt ergo ius mancipij, ius dominij in iis rebus quæ mancipi ſunt quæſitum (eo more quem Caius explicat in libro I Inſtitutionum) quarum rerum nomine euictio præſtatur, vt ab eo qui emiſſet, repeti non poſſent. Plautus in Curculio.

Cappadox, Memini, & Mancupio tibi dabo.
Curculio, Egóne ab lenone quicquam
Mancupio accipiam, quibus ſui nihil eſt, niſi vna lingua,
Qui abiurant, ſiquid creditum eſt? alienos mancupatis,
Alienos manumittitis, alieníſque imperatis.
Nec vobis auctor vllus eſt, nec voſmet eſtis vlli.

Vnde Manceps etiam dicitur in eadem Scena, vt Auctor: qui cum in auctione emerit, & manu rem venditam ceperit, alteri poſtea mancipium ſuum, id eſt ius dominij atque auctoritatem tradit.

Curculio, Ego mancupem nihil moror, nec lenonum alium quenquam.

Idem in Perſa,

Dorpalus, Iſte qui tabellas affert, adduxit ſimul
Forma expetenda liberalem mulierem
Furtiuam, abductam ex Arabia penitiſſima:
Eam te volo accurare, vt iſtic veneat:
Ac ſuo periculo is emat, qui eam mercabitur.
Mancipio neq. promittet, neque quiſquã dabit.

Si ciuili ac publica lege. Id eſt, ſi ciuium ac populi lege.

Vt retineam quod meum factum ſit. Hoc enim vim habet, vt ciuis teſtamento alicuius hæreditatem poſſit accipere, peregrinus non poſſit: vt ſæpe in hac Oratione oſtẽditur. nam cùm hæreditatis aditio per in iure ceſſionem fieret, hæc autem inter ciues R. tantùm valeret, vt ipſe docet in Topicis: ſequitur, vt peregrinus hæres à ciue R. inſtitui non poſſit.

Vſucapio fundi. Id eſt, ius dominij, atque auctoritas, quam vſus fundi biennis affert. & hoc verè dicitur. nam ciuium hoc ius erat proprium: peregrini vſucapere non poterant. vt in lege XII tab. quam ipſe memorat lib. Off. I. Aduerſus hoſtem æterna auctoritas eſto. Hoſtis enim, inquit, apud maiores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus.

Aquaductus, hauſtus, iter. Harum ſeruitutum explicationem imperiti iuris cognoſcẽt ex libro Pandect. VIII, vel Inſtitut. II.

Rata auctoritas. Ius dominij firmum ac fixum. & vide ſuprà.

A iure ciuili ſumitur. At non ex iuriſconſultorum reſponſis. ex quo quàm religioſè cauſæ ſeruiat intelligitur.

Sin autem ingredienti cum armata multitudine obuius fueris. Iam ſuprà dictum eſt, verum hoc eſſe, vt qui non poſſidentem prohibuit, non reſtituat. at qui poſſidentem, quamuis dominus non eſſet, repulit, reſtituere debere, l. Fulcinius, De vi & vi arm.

Tum ſtatueritis vim in cæde ſolùm, non in animo libidinis. Omnes libri veteres, Tu res ſi equos, veſtes, ſi vim non in cæde ſolùm ſed animo libidinis. Qui

locus quemadmodum reſtitui poſſit, diuinare non A
poſſum: ſed huius rei lectores admonere volui, ne lacunoſum & hiantem locum in integri & ſynceri loco numerarent.

Niſi cruor appareat, vim non eſſe factam. Quod contra iure ciuili conſtitutum eſt, vt ſi quis aliquem deiecerit ex agro ſuo hominibus etiam ſine armis congregatis, vis priuatæ poſtulari poſſit. l. ſi quis, D. de vi priuata. & l. pen. Tu vim putas eſſe ſolum, ſi homines vulnerentur? Vis enim eſt & tunc, quoties
quis id quod ſibi deberi putat, non per iudicem re- B
poſcit. Sed hac defenſione vtebatur Ebutius, In retinenda poſſeſſione vim factam non intelligi, ſi qui prohibitus eſt, non poſſidebat. Quod ſi aliter vim factam eſſe contenderet, quæ aut iniuriarum actione, aut publica quæſtione de vi publica aut priuata vindicanda eſſet, tum vim factam non putari, niſi res ad manus & ad pugnam veniſſet.

Iniuriarum delictum eſſe. Ne hic quidem locus eſt integer.

Vir ornatiſſimus C. Aquilius. Hic eſt, opinor, idē C
ipſe Aquilius, qui in Quinctiana cauſa Iudex fuit, de quo in primæ Orationis initium explicauimus.

In cauendo. In vadimoniis concipiendis, in litium actionibus, exceptionibúſve conſtituendis, id eſt iudiciorum formulis concipiendis, quæ à Prætore litigatores poſtularent. hæc enim tum erat Iuriſconſultorum procuratio.

Qui iuris ciuilis rationē nunquam ab æquitate ſeiunxeris. Eandem ipſius diſcipulo Ser. Sulpitio laudem
hic ipſe tribuit, Philippica IX extrema: quem ego D
ſanè Seruium non ea tantùm in re, verumetiam in cauendo reſpondendóque præceptoris veſtigia ingreſſum ac perſequutum eſſe, animaduerti. Quæ mihi res in memoriam reuocat opinionem, quam duos ab hinc annos amplexus, ac nuper Franciſci Duareni Iuriſconſulti doctiſſimi literis atque aſſenſione confirmatus, nunc vix poſſum ex animo dimittere. verſum videlicet illum integrum, qui apud Vlpianum legitur in l. 1, De dolo malo, MA-
CHINATIONEM QVANDAM ALTE- E
RIVS DECIPIENDI CAVSA, non Labeonis, aut Vlpiani, ſed vel ſtudioſi alicuius, vel fortaſſe Triboniani fuiſſe. alioqui enim ſtultiſſimè à Labeone Seruium reprehendi, cùm ipſius definitio nihil aliud contineat, quàm hoc ipſum, quod Seruium dixiſſe locus hoc modo ſcriptus ſignificat. Probabile autem eſſe Sulpitium præceptoris ſui ſententiam amplexum, dolum malum ita definiſſe, vt permultis in locis Aquilium Cicero feciſſe te-
ſtatur: nimirum Cùm aliud agitur, aliud ſimulatur: F
neque differentiam ac proprietatem illam quam adhibere Labeo voluit, adiicere voluiſſe: non dialecticæ imperitia, qua in arte excelluiſſe illum Cicero teſtatur: ſed quòd (vt videtur) in negotiis rebuſque contrahendis nemo aliud agere, aliud ſimulare, niſi animo alterius inducendi fraudandíque poſſit. Quòd ſi mihi pace Dei Opt. Max. quod inſtitui opus abſoluere aliquando liceat, ſpero fore, vt Pandectarum libri multis mendis & fœdis maculis,
itémque alienis notis repurgati in lucem edantur. G
Notas autem intelligo qualis illa eſt Triboniani in l. 1. D. de interrogat. in iure faciendis: quam ſeptē verſibus conſtantem aut literarum varietate, aut ſanè ſignificatione aliqua diſtingui, vt à Calliſtrati verbis internoſceretur, oportuit. Sed hæc hactenus. nunc quod inſtat agamus.

Purum liquidúmque te haurire ſentias. Nulla calliditate, aut aſtutia admixtum, nihil non ſyncerum & purum.

Veſtra defenſionis eſſe dicitis. Noſtræ defenſionis Aldus, & omnes libri veteres. quod qui corrigendum putauit, hallucinatus eſt. Significat enim Cicero ſuam cauſam C. Aquilio probatam eſſe. ideirco dicit, Magnam à nobis initis gratiam, cùm cauſam noſtram tanto viro probari dicitis.

Contra me ſentire. C. Aquilium.

Veſtrum nominetis. Noſtrum nominetis, Aldus & omnes tum ſcripti, tum impreſſi veteres. Et ſic ſine controuerſia corrigendum.

Quid ait iſte veſter auctor. Noſter auctor, iidem omnes, vno Aldino excepto. quam ſcripturam, vt germanam & incorruptam retineo.

Omnibus, quicquid verbis actum pronuntiatúmque ſit conuenit Deeſt quiddam: vt tamen ſenſum conſicere poſſimus. hoc enim dixiſſe videtur, Placet, inquis, hoc omnibus: (& ſubaudi Conſultis) Quibus quidque verbis actum pronuntiatúmque ſit, ſpectari conuenit. Niſi fortè QVIBVS pro OMNIBVS ſit reponendum. Et hoc eſt quod dicit infrà, Id verum, id æquum, id vtile omnibus eſſe, ſpectari quo conſilio & qua ſententia, non quibus quidque verbis eſſet actum. Huic autem illius obiectioni ſic reſpondet, Ego in iſtum numerum conſultorum, qui ſcilicet hoc reſponderunt, non aſcribam, opinor, illum, qui tam diſſimili ratione vſus eſt. & mox Aquilij reſponſum ſubiicit: qui rem & ſententiam interdicti cum Cæcina facere dicebat. Coniecturam adiuuat locus infrà, Quia non quibus quidque verbis dicatur, quæritur: ſed quæ res agatur.

Iſtum ipſum. C. Aquilium.

Quo vos auctore. Aut Nos corrigendum neceſſariò eſt, vt in libris quibuſdam impreſſis legitur: aut verſu inſequenti ſic reponendum, vt veterum codicum auctoritas poſtulat, Cauſæ nos conſtituere dicitis.

In quo fuiſſet. Sic accipio, Quem poſſediſſet. Et ſic puto aut dixiſſe, aut certè intellexiſſe Aquilium. ſed artificioſè & oratoriè verba Tullius ad ſuum commodum vtilitatémque deflectit.

Etiam illa materia æquitatis Etiam illa me tuerer æquitate: corrigendum putarem. Omnino enim locus mendo non caret.

Ius æqui boniq́; Vocem IVS ex ſuo remotam loco in hunc poſtea irrepſiſſe alienum, arbitror: & proximo in verſu reponēdum, vt ſic legamus, Sempérque id ius valuiſſe plurimum.

Is quo modo ſe reſtituiſſe dixit, neceſſe eſt malè fecerit ſponſionem. Hoc ipſum eſt, quod paulo antè nominauit Iuscallidum & verſutum. nam, vt ſuprà oſtendimus, ſponſionis ſententia non eſt ex verbis & ſyllabis æſtimanda. cùm hac ſponſione vulgò vterentur, & ſe reſtituiſſe contenderent, qui hoc ſignificabant Reſtituere non debere. Sed quia apertè hoc dicere non audebant, ne viderentur magiſtratui nec obedientes eſſe, reſtituiſſe ſe dicebant. quaſi quis diceret, Parui Prætoris imperio: non enim me reſtituere iuſſit, niſi ſi deiecíſſem: non deieci: non iuſſit igitur reſtituere. & profectò ita eſt, vt hanc quoque calliditatem Cicero non probet: quemadmodum pagina inſequenti oſtendit in illo loco, Velim Recuperatores, &c.

Ita me reſtitui iuſſiſſet. Omnes ferè veteres, etiam impreſſi, Iuſſit. quod ſine dubio rectum eſt. hæc enim

enim verba SI EX EO FVNDO ESSEM DEIECTVS: & illa EO VNDE DEIECTVS ESSEM, Prætoris verba ſunt, & grandioribus literis ſcribenda. Senſus eſt tamen ſubobſcurus, ſed qui facilè ſic efferatur: Quoniam verbis & ſyllabis decertandum putas mihi placet conditio. Iam cùm Prætor ſic dixit, Eò vnde deiectus ſum: non Fulcinianum fundum ſignificauit. vnde (hoc enim tibi huius temporis cauſa concedam & largiar) deiectus non ſum: ſed proximum. Tu verò qui de Fulciniano fundo intelligens exceptione vſus es, Reſtitui, ſi deieci: & non deieciſſe te defendis: malè ſponſionē feciſti. Decretum enim Prætoris non eſt ſub exceptione conceptum, Si deiectus ſum: vt de Fulciniano fundo diſputandum ſit: ſed purè & ſimpliciter, EO VNDE. Quare cùm omnino nullum in locum me reſtitueris: cauſam amiſeris neceſſe eſt. Hoc ex iis quæ ſuprà diximus nullo negotio intelligetur. Qui defendebat, & ſe reſtituiſſe dicebat, hoc (vt diximus) duntaxat ſignificabat, Non deieci: eū ſcilicet locum intelligens, de quo erat controuerſia. Iam ſi Iudex non mentem Prætoris, ſed verba & ſyllabas ſpectaret, qui non certū fundum nominauit: reum ſine dubio condemnaret. Nam cùm fateatur aliquo ex loco eiectum eſſe aduerſarium, neque eum vllum in locum reſtituerit, neceſſe eſt malè fecerit ſponſionem. & hoc eſt quod dicit pag. inſequenti, Si Prætor non diſtinxit locum, quò me reſtitui iuberet. & reſtitui iuſſit, non ſum ex decreto reſtitutus.

Ex proximi vicini fundo. Plerique alij, Proximo. quod magis placet.

Ex edicto Prætoris. Aldus & omnes propè alij libri, Ex decreto Prætoris. quomodo legendum videtur. niſi fortè iccirco hanc ſcripturam malimus, quod Interdicta Edicto & albo prætoris continebantur. l. 1. C. de interdict.

Ego enim tibi refero. Referre, contradicere, ad defenſionem alterius afferre, & contra alterius reſponſionem opponere. Greci ἀντωφορεῖν dicunt, Iuriſconſulti Replicare. Hic ipſe in Partition. Denique vnicuique rationi opponendum eſt ab accuſatore id, quod ſi non eſſet in accuſatione, cauſa omnino eſſe non poſſet. itaque ea quæ ſic referuntur, Continentia cauſarum vocentur. Et paulo pòſt, Firmamentum autem, quod contrà ad labefactandam rationem refertur, ſine quo accuſatio ſtare nō poteſt. Et in Orat. pro Quinctio, Quid à nobis autem C. Aquili refertur?

Ex edicto reſtitutus. Aldus, & omnes, puto, alij Ex decreto. ſed hanc ſcripturam retineri poſſe, paulo antè docuimus.

Duo genera cauſarum eſſe intelligebant. Notanda locutio, nobis præſertim iuris ciuilis ſtudioſis, qui in hoc genere vulgò ſic loquimur, Duos caſus, & duobus caſibus contingere.

Vnde deiectus eſt Cacina? ex Vrbe. Vnde deiecisti? ab Vrbe. Complures tum impreſſi, tum manuſcripti, Vnde deiectus eſt Cinna? ex vrbe: vnde deiectus Carbo? ab vrbe. Quod mihi maiorem in modum arridet. nam illud quid valeat, aut quorſum pertineat, difficillimè intelligitur. Cùm autem exempla hæc afferri intelligamus, quibus id quod proximè dixit cōfirmet: veriſimile eſt ex hiſtoria ſumpta eſſe potius, quàm ineptè & abſurdè conficta: vt illa de Gallis & Graccho, quæ proximè ſequuntur. De Cinna autem nota eſt hiſtoria. cùm Conſul eſſet, &

A legem, quam Marius de nouis ciuibus promulgarat, per vim ferret, ab Octauio collega cum Sextio Tribuno ple. pulſum eſſe, in eiúſque locum L. Merulam creatum. pulſus eſt poſtea ſimiliter vnà cum Mario. cùm ope Appij Claudij Tribuni ple. cui Ianiculi cuſtodia mandata erat, in vrbem ingreſſus, Ianiculum occupaſſet. Sed de Carbone exemplum eſt obſcurius. nam hic eodem tempore ſimul cum aliis omnib. ex vrbe deiectus eſt, hoc eſt cū Cinna,
B Mario & Sertorio, eùm, vt dixi, Ianiculum occupaſſent. ab vrbe verò deiectum non memini.

Vnde deiecti Galli? à Capitolio. Nota eſt hiſtoria. Galli vrbe capta & incenſa, cùm arcem vnam Capitolij reliqui ex Romanis tenerent, nocte ſubluſtri alij aliis innixi, ſubleuantéſque inuicem, in ſummū euaſere. Clangore anſerum M. Manlius excitatus primum, qui iam in ſummo conſtiterat, deturbat, cuius caſus prolapſi cùm proximos ſterneret, tota prolapſa acies in præceps delata eſt. Hæc Liuius,
C Plut. & alij.

Vnde qui cum Graccho fuerunt? ex Capitolio. Cum Tyberio Graccho. nam, vt Appianus & Plutarchus ſcribunt, P. Scipio Naſica Pont. Max. in Capitoliū, quò Gracchus cum multitudine conuenerat, vt leges ciuitati maximè ſalutares ferret, cum Senatu profectus impetum in Gracchi comites fecit: eóſq; non modò ex Capitolio deiecit, ſed etiam ex rupe præcipites exturbauit.

In cuniculum. Cuniculum egiſſe Gallos in Capi-
D tolium iterum Philippi. III, ſignificat his verbis: Adeſſe in Capitolio iuſſit. quod in templum ipſe neſcioquà, per Gallorum cuniculum aſcendit. Ea tamen de re nullus, quod ſciam, alius ſcriptor commemorauit.

Sed in Capitolium reſtitus oportere. Oporteret, omnes libri veteres. quod perſpicuè rectum eſt, & per ſe intelligitur.

Optaret, vt cùm eſſet à patria deiectus, eò reſtitueretur. Conſideretur locus, & cogitetur quorſum illud
E pertineat membrum ſuperius. nam ſiue CVM pro Quoniam, ſiue pro Poſtquam poſitum dicamus, ſententia tamen non admodum apta videbitur: deinde vt hæc verba ſic maneant, apparet tamē, vt diſputationi ſeruiant, tale quiddam deſiderari. Vnde eſſet deiectus. Nam in his verbis omnis verſatur diſquiſitio, quippe illa ſunt, quæ confictis exemplis declarat. vt mihi veniat in mentē ſuſpicari, non hoc modo ſcripſiſſe Ciceronem, ſed illo potius, Optaret, vt vnde eſſet deiectus, eò reſtitueretur. quod niſi eſſet,
F verba quæ conſequuntur, omnino quò referrentur non haberent.

Qui poſtulat, vt à qua loco deiectus eſt, hoc eſt vnde deiectus eſt reſtituatur. Mutilatum eſſe locum & ex verbis intelligitur, & ex litura librorum veterū perſpicitur: in quibus hoc amplius legitur, Hoc poſtulat, vt vnde deiectus eſt, eò reſtituatur. Ex quibus verbis reſtitui locus minimo negotio poterit, ſi ſic legamus. Qui poſtulat, vt à quo loco deiectus eſt, eò reſtituatur: hoc poſtulat, vt vnde deiectus eſt, eò re-
G ſtituatur. Nam hæc eò pertinent, vt quemadmodū hoc verbo VNDE duo illa A QVO intelligi docuit, & in eam rem exemplum de deiecto à tempeſtate protulit: ſic viciſſim duo hæc A QVO, hoc vno & ſingulari VNDE contineri demōſtret. in quam rem etiam proximè exemplum de Piſone à ſuis ædibus deiecto proferet.

Res ipſa eo hoc ſentire. Corrige, Res ipſa hoc ſētire

In vtranque rem valeat. Et à quo, & ex quo loco.

Eoq; in reſtitui. EO'QVE, verbo ſcilicet: vt ſit pronomen, & referatur ad verbum VNDE.

Vt verò iam Recuperatores. Hæc ſunt quæ appellantur μυςήεια Rhetorum: quæ melius fuiſſet ſempiterna obliuione deleri, quàm cum ſummo omnium incommodo à tam multis artis magiſtris enuntiari. Firmiſſimam & primam Ebutij defenſionem in poſtremum locum, quaſi iam eneruata & afflicta eius cauſa, coniieit: eámque leuiter & negligenter, quaſi ad rem minus pertinentem percurrit, cùm in illa vna totius cauſæ firmamentum ſtatúſq; verſetur. Qua de re lubet huius ipſius verba ex Oratione Pro Cluentio ſubſcribere, ex quibus ipſius in agendo fides atque integritas intelligatur. Errat, inquit, vehemẽter, ſiquis in orationib. noſtris, quas in iudiciis habuimus, auctoritates noſtras conſignatas ſe habere arbitratur. omnes enim illæ orationes cauſarum & tẽporum ſunt, non hominũ ipſorũ, ac patronorum. nã ſi cauſæ ipſæ pro ſe loqui poſſent, nemo adhiberet oratorem: nunc adhibemur, vt ea dicamus, non quæ noſtra auctoritate conſtituantur, ſed quæ ex re ipſa cauſáque ducantur.

Eum deiici poſſe, qui tum poſſideat. Quod veriſſimum & rectiſſimum eſſe, quis non videt? itaque ſine controuerſia ſcribit ſic Vlpianus in l. 1. D. de vi & vi arma. Interdictum, inquit, hoc nulli competit, niſi ei, qui tunc cùm deiiceretur, poſſidebat: nec alius deiici viſus eſt, quàm qui poſſidet. Siue autem corpore, ſiue animo poſſidens quis deiectus eſt: palàm eſt eum vi deiectum videri. ideircòque ſiquis de agro ſuo vel de domo proceſſiſſet, nemine ſeruorum relicto: mox reuertens prohibitus ſit ingredi ad ipſum prædium: vel ſiquis eum in medio itinere detinuerit, & ipſe poſſederit: vi deiectus videtur. ademiſti enim ei poſſeſſionem, quam animo retinebat, etſi non corpore.

Quòd negabas quenquam deiici poſſe, niſi qui in eo loco eſſet. Non hoc præciſè Piſo negabat, quod planè frigidum ac nugatorium fuiſſet: ſed hoc defendebat, ſi in fundum Cæcina ingreſſus poſtea vi armatis hominibus deiectus eſſet, hoc quidem illum vti potuiſſe interdicto: quia verò tantùm prohibitus eſt ingredi, deiectũ nullo modo fuiſſe. id quod ſine controuerſia verum eſt.

Niſi qui in eo loco eſſet: nunc iam poſſe concedis eum qui non poſſideat, negas deiici poſſe. Sic Aldi liber. Alij, opinor, omnes, Niſi qui in eo loco fuerit: nunc qui poſſideat, eum, etiam ſi non fuerit in eo loco, deiici poſſe concedis. Quam lectionem haud ſcio qua de cauſa librarius cum hac corrupta & contaminata commutarit. ſenſus eſt enim illius apertiſſimus, Anteà ſemper negauit Ebutius deiectum Cæcinam ex fundo Fulciniano, quod in eo non fuiſſet: nunc hoc dicit: deiectum tantùm qui poſſidet. cui Cicero ſic refert: Poſſeſſio duplex eſt: aut animi ſcilicet aut corporis. abſens enim corpore, animo tamen retinere poſſeſſionem poteſt. Finge nunc eius qui animo tantùm poſſidebat, familiam deiectam eſſe: ſi nemo poteſt deiici, niſi qui in loco eſt, deiectus non dicetur: itaque ſentire anteà videbatur Ebutius. ſin deiicitur quicunque poſſidet, vt modò defendit: deiectum quoque hunc dici neceſſe eſt: quare pugnantia loquitur Ebutius. Sed huic calumniæ facillimè reſpondetur. nam quæ anteà dixit Ebutius, de eo qui non poſſidet intelligenda ſunt: vt copioſè ſuprà multis in locis oſtendimus, Siquis enim quamuis non poſſideret, cùm tamen in loco eſſet, ex eo vi armatis hominibus deiectus eſt, decreto Prætoris reſtituendus eſt.

A *Cur ergo aut in illud quotidianum.* Summa hæc eſt: Hoc interdictum datur ei qui armatis hominibus depulſus eſt, quamuis non poſſideat: ergo etiam is, qui non poſſidet, deiectus dicitur. Sed facile reſponderi poterat, tenere ſaltem eum debuiſſe, qui deiectus dicatur, ſi non poſſideret: id eſt in loco eſſe debuiſſe: alioqui deiectum eum non dici poſſe.

B *Illud quotidianum interdictum.* Quod Prætor interpoſuit in vi quotidiana & ſimulata, cùm deductio moribus facta eſt.

Cùm ego poſſiderem. Hæc eſt exceptio de qua ſuprà loquutus eſt.

Vincere ſponſionem. Hanc ſponſionem Ni ex edicto reſtituerit. vt ſuprà & paulò pòſt.

Si oſtendat eum non poſſediſſe. At negantis factum probatio nulla eſt. denique perſæpe poſtea demonſtrat, Deiecti, non Deiectoris partes fuiſſe, probandæ poſſeſſionis onus in ſe ſuſcipere, quod & naturali & ciuili æquitati conſentaneum eſt, vt qui excipit, qui intendit probet. l. 19. D. de probat.

C *Niſi qui poſſideat.* Non enim deiicitur, niſi cui poſſeſſio adimitur. non adimitur autem niſi ei qui habet. titul. 1, §. cum qui, D. de vi & vi armat.

Qui poſſit oſtendere. Id eſt, eum qui vi armata deiecit, etiam ſi probare poſſit ſe poſſediſſe, tamen propter odium armorum condemnari.

D *Per eiuſmodi rationem aut vim.* Et vim, quin ſit legendum, nemo mea ſententia dubitabit, qui loci ſententiam diligenter animaduerterit.

Deuincta interdicta. Eodem edicti capite coniuncta ſunt, duo ſub illo titulo interdicta ſunt. Sic ſcripſerat Vlp. l. 2. §. vlt. D. de interd. vbi Tribonianus repoſuit ALIQVA.

In illa vi quotidiana. Vim quotidianam appellat, quam ſuprà multis in locis, Quæ moribus fit, & deiectionem, vel deductionem moribus, vel quæ

E ex conuentu fit, nominauit. Gellius ciuilem & feſtucariam, ex feſtuca, opinor, qua in conſictione vtebantur, appellat.

Niſi oſtendere poſſit, cùm poſſideres, vi deiectum. Non quòd ei qui deiectus eſt, probationis onus incumbat. alioqui enim deiici nemo vellet: & aperta eſſet audacibus hominibus feneſtra vim poſſeſſoribus afferendi, eóſque deiiciendi. ſed cùm is qui deiecit, quod potuit probauit, tum contrà deiectus pugnat: & ſe poſſediſſe, ſi poteſt, oſtendit.

F *Nec vi, nec clam, nec precario.* Vi poſſidere quis dicatur, facilè ex ſuperioribus intelligitur. Clàm poſſidere Vlpianus ſic definit in l. vi, D. de acquirend. poſſeſſ. Clàm poſſidere eum dicimus, qui furtiuè ingreſſus eſt poſſeſſionem eo ignorante, quem ſibi controuerſiam facturum ſuſpicabatur, & ne faceret, timebat. Et paulo pòſt, Itaque clam nanciſcitur poſſeſſionem, qui futuram controuerſiam metuens, ignorante eo quem metuit, furtiuè poſſeſſionem ingreditur. Precariò verò

G poſſidemus (ait Vlpianus) quod precibus petenti vtendum conceditur tandiu, quandiu is qui conceſſerit, patitur.

Qui ſe reſtituere dixit. Dicit, in præſenti, magis arrideret. Omnes tamen libri veteres cum hac ſcriptura conſentiunt. Senſum autem explicauimus infrà.

Ad-

Additum non eſt tamen oportebit. Apparet cum interrogandi nota pronuntiandum.

Tametſi extra cauſam eſt. At contrà, in hoc ſumma iudicij cauſáque tota conſiſtit: quemadmodum vel leuiter cauſam intuenti perſpicuum eſt.

Poſſediſſe propter vſumfr. Rectiſſimè. naturaliter enim vſufructuarius poſſidet, ſiquidem corpore fundo incumbat. ſi per colonum, ciuiliter, vel potiùs quaſi ciuiliter. l. 12. l. pen. D. de acquir. poſſ. Quod cùm Lambinus non intelligeret, reponendum putauit, PER COLONVM.

Hæres eodem iure poſſederit. Non, opinor, tam fuit Cicero imperitus, vt quod æquiſſimum eſſet non videret: ſed, vt in Cluětiana teſtatur, cauſæ ſeruit. De iure vero Vlpianus ſic ſcribit in l. ſiquis domum, D. locati. Si fructuarius, inquit, locauerit fundum in quinquennium, & deceſſerit, hæredem eius non teneri, vt frui præſtaret. & hoc perſpicuè verum eſt: vt cuiuis vel mediocriter erudito licet intelligere. Iuſtinianus ſub titul. de rerum diuiſi. Licet vſufructuarius maturis fructibus, nondum tamen perceptis deceſſerit: ad hæredes eius non pertinent, ſed domino proprietatis acquiruntur. Cùm autem ita perſpicuè Cicero calumnietur, quid eſt quod Lambinus ſcribit, non eſſe credibile, illum ita cauſæ ſeruiſſe, vt impudentiſſimè mentiretur? Poteſt-ne quicquam repugnantius fingi quàm illud eſt Ciceronis, cum illo Vlpiani? Non igitur debuit ſutor vltra crepidam: vt in vetere prouerbio eſt.

Poſtea cur Ebuti. Poſtea pro Præterea. vt apud Plautum in Mercatore.

Neſcio quid animo meo ægrè eſt pater.

Poſtea nocte hac quieui non ſatis ex ſententia.

Hic ipſe pro Roſcio Amer. Nónne cogitas, te à ſectoribus huc adductum eſſe? quid poſtea? neſcimus per iſta tempora, &c.

Cæcina denunciabat ſi Cæcina non poßidebat? Denuntiare, vt alibi diximus, aliud nihil eſt, quàm litem & iudicium oſtentare, niſi petitioni ſatisfiat. Cùm igitur denuntiare ſit petitoris, poſſeſſori autem, vt ſcribit Vlpianus, ſatis ſit quod poſſidet, rectè & probabiliter concludit, quia denuntiauit Ebutius, poſſeſſorem fateri fuiſſe Cæcinam. Quid ad hæc reſpondere potuit Ebutius? denuntiatione non amitti ius poſſeſſionis, item vt actione.

Cur ſe moribus deduci volebat. Etenim, vt proxima pagina oſtendit, deducuntur ij ſoli, qui poſſident, aut certè qui in fundo ſunt: & ob eam cauſam deduci ſe patiebatur, quòd confideret ſibi facilem poſſeſſionis probationem futuram.

Sententia reſponderat? Hoc amplius alij tum impreſſi, tum antiqui libri, Et ad eam * Vt inane ſpatium relinquatur. quod aliqua ex parte repleri facilè poterit ex iis, quæ ſuprà dixit, vt ſic legamus, Et ad eam rem diem conſtituerat, amicos conuocarat. Sed alia multo plura deeſſe abrupta ſententia quæ proximè conſequitur, manifeſtò declarat. itémq; illud quod ſcribit inſequenti pagina, Deinde nihil rationis afferſ, quamobrem ſi libertas adimi nullo modo poſſit, ciuitas poſſit.

At enim Sylla legem tulit. Dicit legē, qua victor Sylla ciuitatem Volaterranis ademerat.

Si quid ius non eſſet rogari, eius ea lege nihilum rogatum. Legum principium hoc erat: Conſul, vel Prætor, vel alius magiſtratus, qui cum populo egerat, populum iure rogauit: populuſq; iure ſci-

A uit. Extremum illud, Si quid ius non fuit rogari, eius ea lege nihilum rogatum: conſtat ex prima in Antonium, & lege quadam apud Frontinum de aquæ ductibus, & libro Valerij Probi, De notis antiquis, in quo tamen quædam corrupta ſunt: itémque ex Orat. pro domo ſua, his verbis, Quæ tua fuit conſecratio? Tuleram, inquit, vt mihi liceret. quid non exceperas, vt ſi quod ius non eſſet rogare, ne eſſet rogatum? Etiam in Epiſto. ad Atticum, libro III, Epiſtola Ad V Cal. vbi rogationem

B de ſe reſtituendo ſcriptam commemorauit, his notis vtitur, quæ hoc ſignificant, E. H. L. N. R. vbi tamen I pro L. corruptè legitur. Verùm vt ad rem reuertamur, quid ita Syllæ non fuit ius id rogare? hoc intelligitur ex eadem Oratione, Cùm hoc, inquit, iuris à maioribus proditum ſit, vt nemo ciuis R. aut libertatem, aut ciuitatem poſſit amittere, niſi ipſe auctor factus ſit. Et paulo pòſt, Ius à maioribus noſtris ita comparatum eſt, vt ciuis R. libertatem nemo poſſit inuitus amittere.

C Et pro Balbo, Iure noſtro neque mutare ciuitatem quiſquam inuitus poteſt, neque, ſi velit, mutare non poteſt. Et eadem rurſus Orat. O iura præclara, atque diuinitus iam inde à principio Romani nominis à maioribus noſtris comparata: nequis inuitus ciuitate mutetur, néve in ciuitate maneat inuitus. hæc ſunt enim fundamenta firmiſſima noſtræ libertatis, ſui quenque iuris & retinendi & dimittendi eſſe dominum. Et multa in hanc ſententiam.

D *Perſpicis hoc nihil eſſe vt in cæteris quæ rogaui.* Scripti libri pro Vt in cæteris, ET ea terris, quæ inter. Melior aliquis quærendus: & tantiſper aſteriſci nota in margine relinquenda.

Nihil rationis affers. Apparet de eo ſuperius Tullium diſputaſſe: & multa omnino deeſſe.

Hominem diſertißimum noſtræ ciuitatis Cottam. Dicit C. Cottam, quem in Bruto dilaudat, & ex omnibus ætatis ſuæ oratoribus cum P. Sulpitio primas tuliſſe ſcribit.

E *Arretinæ mulieris.* Ex Arretio, Tuſciæ oppido. Ciuitas eſt, inquit Strabo, mediterranea, montuoſis locis proxima, ſtadia mille ac ducenta ab vrbe Romana diſtans. Municipiis ademptam à Sylla victore ciuitatem dictum eſt. infrà.

Decemviris religionem iniecißet. Ex hoc loco & alio præterea ſimillimo in Oratione pro domo ſua coniecturam capio Decemviros Romæ creatos fuiſſe, qui de cauſis ciuitatis ac libertatis cognoſcerent: item vt de cauſis capitalibus Trium-

F viros, & de certis item cauſis Centumviros. Verba illius Orat. hæc ſunt: Si Decemviri ſacramentum in libertatem iniuſtum iudicaſſent, tamen quotieſcunque vellet quis, hoc in genere ſe rem iudicatam referre poſſe voluerunt.

Sacramentum noſtrum iuſtum iudicari. De ſacramento vide quæ diximus in Orat. pro Quinctio. Nam abſurdum ſit eadem inculcare.

Prima actione non iudicauerunt. Hunc locum alibi quoque explicauimus initio Verrinæ II, & hu-

G ius Orationis.

Et Sylla vivo. Idem pro domo ſua, Populus R. L. Sylla Dictatore ferente, comitiis centuriatis, municipiis ciuitatem ademit, ademit iiſdem agros. de agris ratum fuit: fuit enim populi poteſtas. de ciuitate, ne tandiu quidem valuit, quandiu illa Syllani temporis arma valuerunt.

A *Et lege agant, & ſuum ius perſequantur.* Lege agere, modò nihil aliud ſignificat, quàm litem intendere. vnde Legis actiones dictæ ſunt: quas Pomponius in l. 2. De orig. iuris, ex legibus XII tabularum à Iuriſconſultis conceptas & conſtitutas eſſe ſcribit. Ergo Lege agere hoc ſignificat, Actionem intendere, quæ lege XII tabularum ciuibus populoque concedatur. Terentius in Phor. Vna iniuria eſt tecum. D. Lege agito ergo. Cicero Verr. IV: Quis vnquam iſto Prætore Chelidone inuita B lege agere potuit? Et libro de Orat. 1. Alter plus lege agendo petebat, quàm quantum lex in XII tabulis permiſerat.

Et omnes iure ciuili. Exemplum apparet in Vſucapione, quæ vſque eò iuris ciuilis eſt, vt ea ſoli ciues vtantur: peregrini vſucapere non poſſint. vt ſuprà demonſtrauimus.

Ea qua tibi in mentem non veniunt. Obſcurus locus, cùm infrà dicat, Qui hæc commemorant: & rurſus, Vt hæc ex iure ciuili protulerunt.

C *Si ciuitas adimi non poßit.* Nam eorum qui in colonias deducebantur, partim rerum capitalium damnati erant, vt mox dicemus. quare multi ciuitatem amittere videbantur.

In colonias Latinas ſæpe noſtri ciues profecti ſunt. Qua profectione media capitis diminutio contingebat: vt ſcribit Boetius. ciuitas enim amittebatur: vt ex ſimili loco intelligitur, quem ex Orat. pro domo ſua ſubſcribemus: Qui ciues R. inquit, in colonias Latinas proficiſcebantur, fieri D non poterant Latini, qui non erant auctores facti, noménque dederant. qui erant rerum capitalium damnati, non priùs hanc ciuitatem amittebant, quàm erant in eam recepti, quò vertendi, hoc eſt mutandi ſoli cauſa venerant. Id autem vt eſſet faciendum, non ademptione ciuitatis, ſed tecti & aquæ & ignis interdictione faciebant. Hæc ille. Deducebantur igitur Coloniæ eorum hominum, qui aut ſua voluntate nomen dederant, ciuitatémque mutabant: aut quibus tecto, E aqua, & igni interdictum erat. nam (vt ſcribit Polybius) qui erant rerum capitalium damnati, in colonias Latinas, vt Præneſte, Tybur, Neapolim in exilium proficiſcebantur. Sunt autem coloniæ Latinæ, coloniæ in Latium deductæ, quibus tum quidem ius ciuitatis Romanæ conceſſum non erat. Nam antiquitus Latini neque ſuffragia ferebant, neque magiſtratus petere poterant. vnde etiam liberti alij dicuntur Ciues Ro. alij Latini Iuniani: veluti qui inter amicos manumiſſi erát, F aut ab iis manumiſſi, qui tantùm in bonis, non etiam ex Iure Quiritium ſeruum illum habebát. Latini autem quibus modis ius Quiritium conſequerentur, tradit Vlpianus in Titulis, capite tertio.

Aut ſua voluntate. Ante hæc verba nota puncti deſideratur. ſua autem voluntate proficiſcebantur, qui auctores erant, ſuúmque nomen profitebantur.

Legis multa. Cùm eis tecto, aqua, & igni eſſet G interdictum.

Quam multam ſi ſufferre voluiſſent, tamen manere in ciuitate potuiſſent. Alij nonnulli Noluiſſent, tum manere. quod falſum eſt, vt ex ſimili loco intelligitur hac ipſa pagina: Qui ſi in ciuitate legis vim ſubire vellent, non prius ciuitatem, quam vitam amitterent. Nam tecto illis, & aqua, & igni interdicebatur: ac certa pœna ſanciebatur, ſi quis eos tecto recepiſſet, aquáve & igni iuuiſſet. quòd ſi de ciuitate exire nollent, quandiu aere & veſci & tegi poſſent, tádiu eis in ciuitate manere licebat.

Quem Paterpatratus dedidit. Paterpatratus, Fecialium princeps, qui, ſi quid cum hoſtibus patrandum, id eſt, aut belli aut pacis cauſa tranſigendum eſſet, populi Romani nomine patrabat. Dedebatur autem hoſtibus, qui cum eis pacem fecerat, quam populus Roma. ratam habere nollet. Eam deditionem Paterpatratus, ex Fecialium collegio creatus, patrabat. De deditione exemplum eſt notum omnibus de T. Veturio, & Sp. Poſthumio, qui à Samnitibus dediti, repudiati ſunt: apud Liuium libro IX. De Mancino etiam nota eſt hiſtoria ex Plutarcho in Gracchorum vita, Liuio libro LV, & LVI: Valerio libro 1, capite VI, & Cicerone libro de Offic. III, in Topicis, & libro de Oratore 1, his verbis, Si C. Mancinum nobiliſſimum atque optimum virum, ac conſularem, cùm propter inuidiam Numantini fœderis Paterpatratus ex S.C. Numantinis dediſſet, eúmq; illi non recepiſſent, poſteáq; Mancinus domum reueniſſet, neque in Senatum introire dubitaſſet, P. Rutilius M. F. Tribunus pleb. de Senatu iuſſit educi, quòd eum ciuem negaret eſſe: quia memoria ſic eſſet proditum, quem pater ſuus aut populus vendidiſſet, aut Paterpatratus dedidiſſet, ei nullum eſſe poſtliminium. Et apud Pomponium Iuriſconſultum l. vlti. D. de Legat. Eum, inquit, qui Legatum pulſaſſet, Q. Mutius dedi hoſtibus, quorum erant Legati, vtilius eſſe ſolitus eſt reſpondere. quem hoſtes ſi non recepiſſent, quæſitum eſt an ciuis R. remaneret: quibuſdam exiſtimantibus remanere, aliis contrà: quia quem ſemel populus iuſſiſſet dedi, ex ciuitate expuliſſe videretur, ſicut faceret, cùm aqua & igni interdiceret. in qua ſententia videtur P. Mutius fuiſſe. Id autem maximè quæſitum eſt in Hoſtilio Mancino, quem Numantini ſibi deditum non acceperunt: de quo tamen lex poſtea lata eſt, vt eſſet ciuis R. & Præturam quoque geſſiſſe dicitur.

Si pater vendidit eum. Hæc erat non vera, ſed ſimulata, & ficta venditio. nam venditionem in emancipationibus aut adoptionibus fieri ſolitam ſignificat. de qua Caius ſic ſcribit libro Inſt. 1. Emancipatio autem, hoc eſt manus traditio, quædam ſimilitudo venditionis eſt: quia & in emancipationibus præter certum patrem alius pater adhibetur, qui Fiduciarius nominatur. ergo iſte naturalis pater filium ſuum Fiduciario patri mâcipat, hoc eſt manu tradit: à quo Fiduciario patre naturalis pater vnum aut duos numos quaſi in ſimilitudinem pretij accipit, & iterum eum acceptis numis Fiduciario patri tradit. hoc ſecundò & tertiò fit, eum Fiduciario patri mancipat ac tradit: & ſic de patris poteſtate exit. Tamen cùm tertiò mancipatus fuerit filius à patre naturali Fiduciario patri, hoc agere debet naturalis pater, vt ei à Fiduciario patre mancipetur, & à naturali patre manumittatur: vt ſi filius ille mortuus fuerit, ei in hæreditate naturalis pater, non Fiduciarius ſuccedat. Hæc Caius. Vlpianus autem in Titulis, capite X, Liberi, inquit, parentum poteſtate liberantur emancipatione: id eſt, ſi poſteaquam mancipati fuerint, manumiſſi ſint. Sed

filius

filius quidem ter mancipatus, ter manumiſſus, ſui iuris fit. id enim Lex XII tabularum iubet his verbis, Si pater filium ter venundauit, filius à patre liber eſto. Cæteri autem liberi, præter filium tam maſculi, quàm fœminæ, vna mancipatione manumiſſioneque ſui iuris fiunt. Hæc cùm ita ſe habeant, videndum annon commodius locus hic ſic legatur, Si pater ter vendidit eum, &c. Nam hoc mendo nihil eſſe in libris antiquis frequentius, nemo in iis verſatus ignorat.

B *Quem in ſuam poteſtatem ſuſceperat.* Ex legitimis nuptiis.

Ex poteſtate dimittit. Quare, cùm iuris illum ſui ac poteſtatis facit, non inuitus in illa venditione libertatem amittit. & hoc eſt quod dicit in Oratione pro domo ſua, Quod tu ipſe potuiſti in tua cauſa diſcere: credo enim, quanquam in illa adoptione legitimè factum eſt nihil, tamen te eſſe interrogatum, auctórne eſſes, vt in te P. Fonteius vitæ necíſque poteſtatem haberet, vt in filio.

C *Cùm eum vendidit, qui miles factus non eſt.* Moris erat, vt conſcripto exercitu, qui citatus non reſponderet, vnà cum bonis ſuis omnibus venderetur. Valerius Max. libro ſexto exemplum de C. Vatieno protulit, qui, quòd ſiniſtræ manus digitos, ne bello Italico militaret, abſciderat, publicatis eius bonis, in perpetua vincula damnatus eſt. Et de alio rurſus, quem M. Curius Conſul vnà cum omnibus eius bonis vendidit. de quo etiam meminit Florus in Epit. libro XIV. Suetonius in

D Auguſto, cùm eum in re militari multa ad antiquum morē reuocaſſe dixiſſet, Equitem, inquit, R. quòd duobus filiis adoleſcentibus cauſa detrectandi ſacramenti pollices amputaſſet, ipſum bonáque ſubiecit haſtæ: quem tamen quòd imminere emptioni publicanos videbat, liberto ſuo addixit, vt relegatum in agros pro libero eſſe ſineret.

E *Cùm autem incenſum vendidit.* Dionyſius Halicar. libro IV Antiquit. pœnam incenſis conſtitutam ſcribit, vt bona primùm eorum publicarentur, deinde virgis cæſi venderentur. Vlpianus autem in Titulis ſic ſcribit: Maxima capitis diminutio eſt, per quam & ciuitas & libertas amittitur: veluti cùm incenſus aliquis venierit, &c.

Cùm ij qui in ſeruitute iuſta fuerint. Seruitus iuſta, id eſt, ſeruitus iure gentium ac iure ciuili comprobata. nam, vt ſcribit Paulus Iuriſconſul. in l. Poſtliminium, & Vlpianus in l. hoſtes, D. de capt.

F & poſtl. ciu. liberi, qui à piratis aut latronibus capti venundantur, ſerui non ſunt. vnde quæſitum eſt, ſi meus ſeruus à latronibus captus ad hoſtes peruenerit, inde in bello victis hoſtibus ſeruus venierit, an poſſit vſucapi. & Iabolenus in l. latrones, D. eod. Labeoni, Ofilio, & Trebatio placere reſpondit, vſucapi non poſſe.

Cenſu liberentur. Serui, qui in peculio H-S centum millia haberent, aut quibus eas facultates domini impartirent, ſi eos domini in cenſum ciuium à Cenſoribus adſcribi iuberent, libertatem

G conſequebantur. Nam, vt ſcribit Aſconius, more veterum Cenſi dicebantur, qui centum millia profeſſione detuliſſent. & ſic accipio quod veteres tradunt, Seruos, qui voluntate domini cenſebantur, libertatē conſequutos eſſe. Cicero de Orat. I. Quid de libertate, quo iudicium grauius eſſe

A nullum poteſt, nonne ex iure ciuili poteſt eſſe contentio, cùm quæritur is qui domini voluntate cenſus ſit, ſi luſtrum non ſit conditum, ſitne liber?

Quibus lege aut Romana ciuitas, aut libertas erepta ſit. Cur ergo priuilegia de Cicerone & Clodio lata ſunt, vt exularent? Reſponſio ex more & inſtituto intelligitur. Nam primùm reo dies à Tribuno pleb. ad populum dicebatur: deinde citabatur, & ter antè intermiſſa die accuſabatur, quàm multa irrogaretur: itaque trinundino accuſa-

B tus à populo aut morte, aut alia pœna damnabatur: cum eo tamen vt ne pœna capitis cum pecunia coniugeretur: ideſt, ne ſimul pecuniæ & capitis multa eâ Tribuno diceretur. Magiſtratus autem ſic populum rogabat, Velitis, iubeatis Quirites, vt Clodio, puta, aut M. Tullio, aqua & igni interdicatur. Si populus iuberet, pœna etiam ſanciebatur, ſi quis M. Tullium tecto recepiſſet, & aqua aut igni cæteriſve rebus, quibus vita continetur, iuuaret. non ergo ferebatur vt exirent: ſed

C tantùm, ne quis reciperet. quòd ſi minus verbo eſſet ciuitatem adimere, re quidem vera nihil aliud erat. Hoc autem primùm in eam rem valebat, vt ipſis manere in ciuitate liceret, ſiquidem aere ſolo viuere ac tegi vellet. deinde vt ne prius ciuitatem R. amiſiſſe viderentur, quàm eſſent in eam recepti, quò vertendi, hoc eſt mutandi ſoli cauſa venerant. Hæc Cicero diſpersè in Orat. pro domo ſ.

Exilium enim non ſupplicium eſt. Hoc eſt quod

D dicit in eadem Oratione. Exilium per ſe ipſum calamitatis nomen eſſe, non turpitudinis. quando igitur eſt turpe? re vera, quando eſt pœna peccati: opinione autem hominum, etiam ſi eſt pœna damnati. Ex quibus verbis intelligimus duo fuiſſe exilij genera: primùm ſi quis ſibi conſcius antè damnationem ſua ſponte in exilium proficiſceretur, vt C. Verres, & L. Tubulus, de quo mentio fit in libro de Finib. II: aut poſt damnationem, cùm lex ferretur, vt aqua & igni damnato

E interdiceretur. vt Cn. Dolabellæ Verr. III. Prius exilij genus etiam Athenis vſurpari ſolitum apparet ex his Demoſthenis verbis in Orat. κατ' ἀριστοκρ. τῷ δ' φεύγοντι τὸν πρότερον ἔξεστιν εἰπόντα λόγον μεταστῆναι, καὶ οὔθ' οἱ δικάζοντες, οὔτ' ἄλλος ἀνθρώπων οὐδεὶς κύριος κωλῦσαι. Et de Romanorum lege ac conſuetudine verba Polybij ſubiicienda ſunt. quæ hunc locum apertè ac dilucidè declarant. κρίνει μὲν οὖν ὁ δῆμος καὶ διαφόρου πολλάκις, ὅταν ἀξιόχρεων ᾖ τὸ τίμημα τῆς ἀδικίας, καὶ μάλιστα

F τοὺς τὰς ἐπιφανεῖς ἐσχηκότας ἀρχάς. θανάτου δὲ κρίνει μόνος, καὶ γίνεταί τι περὶ ταύτην τὴν χρείαν παρ' αὐτοῖς ἄξιον ἐπαίνου καὶ μνήμης. τοῖς γὰρ θανάτου κρινομένοις ἐπὰν καταδικάζωνται, δίδωσι τὴν ἐξουσίαν τὸ παρ' αὐτοῖς ἔθος ἀπαλλάττεσθαι φανερῶς, κἂν ἔτι μία λείπηται φυλὴ τῶν ἐπικυρουσῶν τὴν κρίσιν ἀψηφοφόρητος, ἑκούσιον ἑαυτοῦ καταγνόντα φυγαδείαν. ἔστι δ' ἀσφάλεια τοῖς φεύγουσιν ἔν τε τῇ Νεαπολιτῶν καὶ Πραινεστίνων, ἔτι δὲ Τιβουρίνων πόλει, καὶ ταῖς ἄλλαις πρὸς ἃς ἔχουσιν ὅρκια. Huc etiam illud Lactantij

G pertinet, ex lib. de orig. erroris II. cap. X: exſulibus quoq; ignis & aqua interdici ſolebat. adhuc enim videbatur nefas, quamuis malos, tamen homines ſupplicio capitis afficere.

Nulla in lege noſtra reperietur. Poſterioribus temporibus, cùm vnius dominatu Reſpub. teneretur, diſſimillima fuit legum ratio: vt conſtat ex

A verbis Vlpiani in l. ſi quis fortè, D. de pœnis. Et ſunt, inquit, pœnæ quidem quæ aut vitam adimant, aut ſeruitutem adiungant, aut ciuitatem auferant, aut exilium, aut coertionem corporis contineant.

Cùm ex noſtro iure duarum ciuitatum nemo eſſe poßit Rationem attulit in Orat. pro Balbo. O iura, inquit, præclara atque diuinitus, iam inde à principio Romani nominis à maioribus noſtris comparata: nequis noſtrum plus, quàm vnius ciuitatis eſſe poſſit. B diſſimilitudo enim ciuitatum varietatem iuris habeat neceſſe eſt.

Nec ademptam cuiquam ciuitatem eſſe, nec adimi poſſe. De Volaterranis ipſe idem ſic loquitur in Orat. pro domo ſ. Populus R. L. Sylla Dictatore ferente, comitiis centuriatis municipiis ciuitatem ademit, ademit iiſdem agros. de agris ratum eſt: fuit enim populi poteſtas de ciuitate ne tandiu quidem valuit, quandiu illa Syllani temporis arma valuerunt. Hanc verò Volaterranis cùm etiamtum eſſent in armis L. Sylla victor Repub. C recuperata comitiis centuriatis ciuitatem eripere non potuit: hodiéque Volaterrani non modò ciues, ſed etiam optimi ciues fruuntur nobiſcum ſimul hac ciuitate.

Non omnibus antiquißimis ciuibus poßit. Hoc amplius omnes ad vnum & ſcripti & impreſſi libri, Non omnibus patriciis, omnibus antiquiſſimis ciuibus. Quod ſine vlla dubitatione retinendum ac reponendum eſt. nam Patricios pro antiquiſſimis ciuibus poſuit. D cùm (vt ſcribit Liuius) Patricij dicerentur, qui progenies ſenatorum eſſent, quos Romulus crearat. hac ætate antiquiſſimæ cuiuſque ſenatoriæ familiæ liberi.

Iudicare non debetis. Priuatis enim iudicibus iudicare, niſi ea de re de qua definitè iudicandi poteſtatem à Prætore acceperant, licebat: vt copioſè diximus in Orat. pro Q. Roſcio.

Vt non ſuſtulerit horum nexa atque hæreditates. Ipſe lib. de Orat. 3. & Varro de lingua v 1, nexum E ſcribunt eſſe, omne id quod per libram & æs geritur. Gerebatur autem hoc modo, vt Caius in Inſtitut. teſtatur, Adhibitis non minùs quàm quinque teſtibus, ciuibus R. puberibus, & præterea alio eiuſdem conditionis, qui libram æneam tenebat, qui appellabatur Libripens, is qui mancipiũ accipit, æs tenens ita dicebat: Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio: iſque mihi emptus eſt hoc ære, æneáque libra. deinde ære percutiebat libram, idque æs dabat ei, à quo mancipium accipiebat, quaſi pretij loco. F Nexu igitur abalienationes & commercia fiebant. Ex his autem intelligitur ſolos ciues R. hoc iure nexus vſos eſſe: quippe cùm is qui emebat iure Quiritium, mancipium, id eſt rem quamlibet, quam manu caperet, ſuam eſſe diceret. Et hoc eſt quod ipſe apertè oſtendit in Topicis, Abalienatio, inquiens, eſt eius rei quæ mancipi eſt, aut traditio alteri nexu, aut in iure ceſſio, inter quos ea iure fieri poſſunt. Quare cùm ciuitas adimeretur, nexa quoque G & ſimiles abalienationes atque commercia adempta eſſe intelligebantur. nam iure ciuili, vt ſcribit Boëtius, fieri aliquid non inter alios, niſi inter ciues R. poteſt: quorum eſt etiam ius ciuile.

A *Atque hæreditates.* Id eſt, ius adeundarum hæreditatum. nam hæreditatis aditio per alterum illum abalienationis modum fiebat, id eſt per in iure ceſſionem. hæres enim apud Prætorem rem tenens ita vindicabat: Hanc ego rem ex iure Quiritium meam eſſe aio. deinde poſtquam is vindicaſſet, Prætor interrogabat eum qui cedebat, an contrà vindicaret, quo negante, aut tacente, tunc ei qui vindicauerat, eam rem addicebat.

Illius audaciæ petulantiaque concepit. Deeſſe quid- B dam poſt hæc verba & ſententia oſtendit mutila & contaminata, & relicta in vetere codice lacunula. deeſſe autem tale quippiam videtur, Nunc in ciuitatis controuerſiam vocatur.

Derelinquo iam communem cauſam. Locus apertè mutilatus. hoc amplius, veteres libri, pro COMMVNEM, OMNEM.

Non minus in hac cauſa laborares, Etiam poſt hæc verba deeſſe quippiam apparet.

De eo contemptus. Fortaſſe Ab eo. Libri tamen C alicuius auctoritatem expectamus.

Etruria nomine totius in vtraque fortuna cognitum. Hoc quid ſit, diſpicere non poſſum. quamobrem explicandum aliis eruditioribus relinquam. Aperiam tamen quod mihi in mentem venit, & quibuſdam probaui amicis meis, eruditis hominibus. Vereor vt vocabulum Hominem alieno loco repoſitum in illud quod nunc legimus NOMINE ſit mutatum: itáque ſcribi hunc totum locum oporteat. Habetis h. ſ. p. v. c. & ſpectata fi- D de, ampliſſimum Etruriæ totius, hominem in vtraque fortuna cognitum, &c. Vtranque autem fortunam ſignificat: tum ſecundam, quæ ciuile bellum anteceſſit, quo tempore & ciuitas & ſuffragij ius Italiæ populis datum eſt: tum aduerſam, quæ Syllæ victoriam conſecuta eſt, cùm Sylla municipiis omnibus ciuitatem ademit, atque omnes (vt Valerius Max. ſcribit) Italiæ partes ciuilis ſanguinis fluminibus inundauit.

Cùm iudicium de re ſit. Enumeratio.

E *Auctoritatem ſapientißimorum hominum.* Iuriſperitorum. ſuprà.

Cæcina fundus ſit, néc ne. Lambinus ſcribit Bucananum virum omnium iudicio planè ſingularem legendum putare, CÆCINA. vt fundus dicatur pro colonus: ea ratione qua populus dicebatur fundus. Bucanani iudicio nemo plus tribuit, quàm ego. ſed quominus ei aſſentiri poſſim, hæc obſtant, primum quòd Fundum hominem dici, pro Ciue, nuſquam legi. Docui quidem Obſer. 2. F c. 5. Fundum eum dici, qui alicui rei auctor eſt. multáque in eam ſententiam diſputaui. ſed fundum pro ciue, pro eo qui iuris ciuilis particeps eſt, nuſquam legi. præterea præcipua totius iſtius cauſæ vis in eo vertitur, vtrum Æbutius an Cæcina fundi iſtius controuerſi ſit dominus. Nam ſi Æbutius dominus non fuit, certè iniuſtè dominum aditu ſui fundi prohibuit. Quod verò Bucananus ait, nuſquam niſi perleuiter tactum fuiſſe, Cæcinam fundi dominum G eſſe, videamus ne mendum ſit memoriæ: quid enim aliud ſuperius actum eſt, vbi Cicero multis verbis contendit, Æbutium non ſibi, nec ſua pecunia fundum illum emiſſe: ſed Ceſenniæ, & de ipſius pecunia.

PRO

PRO LEGE MANILIA AD POPVLVM,

ORATIO XIII.

ARGVMENTVM.

M. Æmylio, L. Volcatio COSS. *L. Lucullus qui bellum aduerſus regem Mithridatem annos iam propè ſeptem Proconſulari imperio adminiſtrarat, à Senatu reuocatus eſt. cùm repentè C. Manilius Tribunus pl. rogationem ad populum tulit, vti eius belli adminiſtratio Cn. Pompeio, qui tum ſummo cum imperio bello maritimo præfectus erat, tranſmitteretur. Rogationis capita Plutarchus in Pompeio hæc enumerat. Vt prouincia vniuerſa cui Lucullus præfuerat, omnéque ipſius imperium, exercitus, & copiæ Pompeio mandarentur: & hoc amplius Bithynia adiungeretur, cui Glabrio præerat: claſſis item & copiæ omnes maritimæ quas ipſe initio belli piratici habuerat. omnéſque præterea prouinciæ, quibus ſolis ſuperiore lege non præfuerat, Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis ſuperior, & Armenia. Eam legem Cicero creatus Prætor hac Oratione ſuadet. Genus ergo deliberationis eſt, exornatione mixtum. Habita eſt iis* COSS. *quos nominaui. quod vt putem, facit, quòd hanc Orationem Prætor habuit, vt ſæpe in ea oſtendit. Præturam autem eum geſſiſſe Lepido, Volcatio* COSS. *Aſconius apertè ſcribit in Orat. pro Cornelio: tametſi paucis pòſt verſibus in loco deprauato ſcriptum ſit, anno inſequenti, L. Cotta, L. Torquato* COSS. *& apparet ex duorum annorum ratione, quos ab Aedilitate vacuos ordinariis magiſtratibus intercedere oportebat. Aedilitatem enim geſſit Q. Hortenſio, Q. Metello* COSS. *itémque ex eo, quòd hic annus eſt, ex quo ipſe natus eſt, vnus & quadrageſimus: qui annus eſt Præturæ legitimus. anno autem ſuo, omnibus functus honoribus: vt ipſe dicit in libro de Offic.* II. *Legem autem hanc appellat, ſuo more: cùm plebiſcitum ſit potiùs. Tribuno enim plebis rogationem ferente, & tributis comitiis, plebe ſola per tribus fusè conuocata, Plebiſcitum dicitur. cùm ex Centuriatis comitiis feratur, & à Conſule, aut Prætore. vide Gel. lib.* V, *cap.* XXVII.

COMMENTARIVS.

Frequens conſpectus veſter. Magiſtratus, quibus ſolis cum populo agendi ius erat, legem trinundino per præconem promulgari in foro iubebant, vt tertia die comitia haberentur, & populus ſuffragia ferret: id eſt legem latam aut iuberet, aut antiquaret. Eam, vt ſcribit Quinctilianus libro II, pro concione ſuadere aut diſſuadere moris fuit. Lucius ergo Manilius Tribunus pl. comitia in foro habebat conuocatis tribubus, legémque ferebat, quam Cicero Prætor frequenti populo hac oratione ſuadet.

Hic autem locus. Templum in foro, roſtris, vt Liuius ſcribit, nauium Antiatium exornatum. hic ipſe paulo pòſt, Et his temporibus non pudebat magiſtratus populi R. in hunc ipſum locum aſcendere, cùm eum vobis maiores veſtri exuuiis nauticis & claſſium ſpoliis ornatum reliquiſſent. Teſtórque omnes deos, & eos maximè qui huic loco temploque præſident. Ex roſtris igitur haberi ſolebant ad populum conciones à magiſtratibus: vt infrà dicemus. nam de ſu-

A periore loco, Magiſtratus cum populo: ex æquo & plano, patroni in iudiciis cauſas agebant. Roſtra autem tum ante curiam Hoſtiliam fuiſſe Varro teſtatur, quorum inde vocabulum fictum tradit, quòd ibi Roſtra ex hoſtibus capta, fixa eſſent.

Ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus. Ex Meſſalæ libro De minoribus magiſtratibus Gellius lib. noct. Att. XIII, docet aliud eſſe Agere cum populo, aliud Concionem habere. Nam, cum populo agere, inquit, eſt rogare quid

B populum, quod ſuffragiis ſuis aut iubeat, aut vetet. Concionem autem habere, eſt verba facere ad populum, ſine vlla rogatione. Ergo ad agendũ ampliſſimum appellat, quòd nullis niſi amplitudine præditis viris, magiſtratum ſcilicet gerentibus, agere cum populo liceret: ad concionandum autem ſiue ad dicendum ornatiſſimum, quòd ornamento eſſet iis, qui concionabantur, vt adoleſcentibus qui de laude alicuius pro Roſtris Orationes ad populum habebant.

Optimo cuique maximè patuit. Licebat enim, etiã

priuatis hominibus, quibus dicendi copiam magiſtratus fecerant, in ſuperiorem locum aſcendere, & concionari. Cicero in Vatinium, In illo augurato templo ac loco collocatis, quò auctoritatis exquirendæ cauſa cæteri Tribuni pl. principes ciuitatis producere conſueuerunt. Idem lib. epiſt. ad Attic. IV. epiſt. 1. Habui, inquit, concionem: omnes magiſtratus præſentes, præter vnum Prætorem, & duos Tribunos pl. dederunt. Et epiſtola inſequenti, de Clodio Tribunitio ac priuato loquens, Tum ſubito, inquit, ille in concionem aſcendit, quam Appius ei dedit. Appius autem Præturam tum gerebat. Aſconius autem in Milonianæ argumento, Concionem, inquit, Miloni poſt aliquot dies dedit M. Celius Tribunus pl: & Manilius Canianus, eius collega.

Mea vitæ rationes. Quas proximè declarat, cùm ait, Omne meum tempus amicorum temporibus, &c.

Nam cùm anteà per ætatem. Nondum cognita & perttactata Repub. nam Queſturam quidem geſſerat, & Ædilitatem: ſed illam in Sicilia: hanc ætate minore, quàm vt perfectum quidquam ingenio & huius loci auctoritate dignum afferre poſſet.

Huius auctoritatem loci. In quem non niſi magiſtratibus licebat aſcendere. Itaque Verrina VII, quam Orationem Ædilis creatus habuit, Populus quidem R. inquit, quoniam mihi poteſtatem apud ſe agendi dedit, ius ſuum me agente ante Cal. Feb. recuperabit. & Verrina III, Hanc ego cauſam cùm agam beneficio populi R. de loco ſuperiore.

Omne meum tempus amicorum temporibus tranſmittendum putaui. Tranſmittendum, id eſt tribuendum, addicendum. nam temporibus in tertio caſu poſuit, quaſi diceret, dedere & conſectare. Similis locutio in hac eadem Orat. Et quiſquam dubitabit, quin huic tantum bellum tranſmittendum ſit? id eſt, committendum. Statius, Operi tranſmittere noctem. Tempora autem negotia, pericula, neceſſitates, vt vulgus loquitur, ſignificant. vt lib. De offi. II. Tantum erat philoſophiæ loci, quantum ſuperfuerat amicorum & Reipub. temporibus: id eſt negotiis, neceſſitatibus.

Ita neque hic locus. Senſus eſt, Eo pacto dum priuatis ſeruio, veſtram mihi beneuolentiam conciliaui: cùm interea tamen deſertus hic locus non eſſet.

In priuatorum periculis. Eis enim qui in magiſtratu erant, diem dicere non licebat. loquitur enim de publicis iudiciis, cùm dicit Pericula. nam in cauſis priuatis quæ conſuetudo fuerit, dixi Verrina III.

Caſtè integrèque verſatus. Propter legem Cinciam hoc dicit, quæ donum pecuniámve ob cauſam orandam accipere vetabat. Liuius lib. 34. Tacitus XI, & XIII, Cicero in Catone, & de Oratore II. In hanc autem ſententiam ſcribit in Oratione pro Muræna his verbis, Neque enim iam mihi licet, neq; eſt integrum, vt meum laborem hominum periculis ſubleuandis non impertiam. nam cùm præmia mihi tanta pro hac induſtria ſint data, quanta antea nemini: labores, per quos ea ceperis, cùm adeptus ſis, deponere, eſſet hominis & aſtuti & ingrati.

A *Propter dilationem comitiorum.* Differebantur plerunque propter obnuntiationes. nam ſi dum comitia haberentur, Augur aliquis de cœlo ſeruaſſet, Magiſtratus obnuntiare poterat, & comitia in alium diem differre. Cicero ad Q. Fratrem, lib. 3. Comitiorum quotidie ſinguli dies tolluntur obnuntiationibus, magna voluntate bonorum omnium. Plutarchus in Catone Vtic. ἤτο πρώτα κληθεῖσα τῶν φυλῶν ἐκεῖνον ἀπέδειξεν, ἐξαίφνης ὁ Πομ-
B πήϊος βροντῆς ἀκηκοέναι ψευσάμενος, αἴσχιστα διέλυσε τὴν ἐκκλησίαν, εἰθισμένων ἀφοσιοῦσθαι τὰ τοιαῦτα, καὶ μηδὲν ἐπικυροῦν διοσημείας γενομένης. Tribus Prima nominata Prætorem illum declarauit, cùm repente Pompeius mentitus ſe tonitru audiſſe, comitia turpiſſimè diſſoluit. Solebant enim ſigno à Ioue dato arbitrari fas non eſſe cum populo agere, & quicquam ratum habere. Differebantur præterea per Tribunorum interceſſionem: vt ibidem Plutarchus oſtendit, Catonem cùm in co-
C mitiis Ædilitiis fraudem in tabellis factam animaduertiſſet, τῶν δημάρχων ἐπικλήσει τὴν ἀνάδειξιν λῦσαι. id eſt per Tribunorum appellationem comitia deſignationémque Ædilis Fauonij dirimiſſe. Has autem obnuntiationes, dilationéſque comitiorum, candidatorum ſcilicet gratia faciebant: cùm aliqui ſibi paratam repulſam videbant.

Prætor primus. Prætorum certus numerus non fuit. nam pro eo ac tempus Reipub. poſtulabat,
D numerus auctus eſt, vt docet Pomponius Iuriſc. ſub T. de orig. iuris. Ætate Ciceronis octo fuerũt: vt ex Piſoniana intelligitur. Primum autem ſe declaratum fuiſſe docet etiam in eadem Orat. his verbis, Ædilem priorem, Prętorem primum cunctis ſuffragiis populus R. faciebat: homini ille honorem, nõ generi: moribus, non maioribus meis: virtuti perſpectæ, non auditæ nobilitati deferebat. Docet præterea in Bruto: vt poſtea dicemus. & item Plutarchus in eius vita his verbis, στρατη-
E γίαν μετιόντων ἅμα σὺν αὐτῷ πολλῶν καὶ μεγάλων, πρῶτος ἁπάντων ἀνηγορεύθη, καὶ τὰς κρίσεις ἔδοξε καθαρῶς καὶ καλῶς βραβεῦσαι. id eſt, Cùm multi, iique ſummi viri Præturam ſimul cum eo peterent, primus omnium renuntiatus eſt: dicitúrque iudicia purè & incorruptè exercuiſſe. Qualem autem Prætor quæſtionem exercuerit, notum eſt ex Cluentiana, & fragmentis Orationis pro Cornelio apud Aſconium: vbi ſic ſcriptum eſt, Poſtulatur apud me Prætorem de pecuniis repe-
F tundis. & ex Orat. pro Rab. Poſth. De pecuniis repetundis iudex ſedi, Prætor quæſiui. Ex quibus locis error interpretis Plutarchi intelligitur, qui Licinium Macrum peculatus reum apud Ciceronem Prætorem poſtulatum fuiſſe ſcribit: cùm apud Plutarchum ſcriptum ſit, κρινόμενος κλοπῆς: id eſt, vt Valerius Maximus exponit, repetundarum reus.

Centuriis cunctis. Maiores enim Magiſtratus, vtpote Cenſores, Conſules, Prætores, iis comi-
G tiis fiebant quæ Centuriata dicebantur: quòd in iis populus non tributim, id eſt per XXXV tribus deſcriptus, neque ex generibus hominum: ſed centuriatim, id eſt per centenas turmas ex cenſu, ordinibus, & ætate diuiſus ſuffragia ferret.

Quid de me iudicaretis. Hoc demonſtrat in Bruto his verbis, Nos autem non deſiſtebamus cum

omni

A omni genere exercitationis, tum maximè ſtylo noſtrum illud quod erat, augere, quantuncunque erat. Atque (vt multa omittam) in hoc ſpatio, & in iis poſt Ædilitatem annis & Prætor primus, & incredibili populari voluntate ſum factus. nam cum propter aſſiduitatem in cauſis & induſtriam tum propter exquiſitius & minimè vulgare orationis genus, animos hominum ad me dicendi nouitate conuerteram.

Quod aliis præſcriberetis. Quam vitæ rationē probaretis, & aliis ciuibus exemplo meo præſtitue- B retis.

Nam cùm & auctoritatis. Omnes alij, Nunc cùm. & ſic emenda.

Honoribus mandandū. Nihil muto. magis tamen placeret, MANOANOIS, in ſexto caſu: ſed ita, ſi modo libri veteris auctoritas accedat. Eius autem mutationis ſententiam quiuis facillime perſpicit: auctoritatem ſcilicet Ciceroni tribui per honores ei maodatos.

C *Ei quoque rei.* Dicendi facultati.

Duobus potentiſſimis regibus. Ipſe in Lucullo Mithridatem regem poſt Alexandrum, maximum appellat.

Mithridate & Tigrane. Altero Ponti, Altero Armeniæ rege, & ſuperioris ſocero, vt Appianus: genero, vt Plutarchus ſcribit.

Alter relictus, alter laceſſitus Relictus, inuidiosè in Lucullum. Cæſis Mithridatis equitibus ad Galorum, quò ſe paulò antè Mithridares clade accepta receperat (quæ ciuitas hodie Garipo dicitur, D ad Halym fluuium ſita, in Galatia, non procul ab Amiſo) Lucullus Mithridatem perſecutus à militibus (vt hiſtorici ſcribunt) deſertus eſt: qui cùm nihil propius eſſet, quàm vt Rex caperetur, effuſis de ipſius regis ſententia theſauris & pecuniis omnibus, in eas ſeſe relicto Rege proiecerūt. ita Rex in Armeniam ad ſocerum Tigranem profugit. Eam fugam Cicero Luculli culpæ atque auaritiæ tacitè adſcribit. nam cum eo Lucullus ad huiuſce belli mandandam adminiſtrationē com- E parabatur.

Alter laceſſitus. Hoc verbo res à L. Lucullo aduerſus Tigranem geſtas extenuat, eadē de cauſa: cùm reuera non tam paruæ eſſent, quàm eas videri vult Etenim parua admodùm manu Tigranis ingentes copias prælio fuderat: vt ſcribit Appianus: & Tigrano certam vrbem regiam & opulentiſſimam occuparat. iterúmque non ita multo pòſt eundem Tigranem profligarat, vt in extremā Armeniam relicto Mithridate profugerit. F

Ad occupandam Aſiam. Quam annos ab hinc centū & XXVI Cornelius Scipio ſub imperium populi R. victo Antiocho rege ſubiunxerat.

Magna res aguntur. Magnæ opes, magnæ facultates, & Magnæ res occupatæ, non à Mithridate: ſed occupatæ & impenſæ in vectigalibus exercendis.

In veſtris vectigalibus exercendis. Equitum R. ſocietates quinto quoque anno menſe Martio auctione in foro conſtituta à Cenſoribus vectigalia populi R. conducebant. hi quòd publica conducerent, Publicani nominati ſunt. Cùm autem ſocietatem, vt dixi, earum rerum coiſſent: alij in operis erant, allij Romæ manebāt. & quæcunque ſocietatis ſcire intereſſet: qui in operis erant, ad vnū quempiam de iis, qui Romæ eſſent, qui Magiſter ſocietatis dicebatur, perſcribebāt: ac viciſſim qui in vrbe manſerant, ad eum qui in prouincia Promagiſter dicebatur, literas mittebant.

Vectigalibus exercendis. Quid eſt exercere vectigalia: decumas ab aratoribus exigere, ſcripturam à pecuariis, portorium à mercatoribus. hæc enim ſunt populi R. vectigalia. Sic infrà. Quo tandem animo eſſe exiſtimatis aut eos, qui vectigalia nobis penſitant, aut eos qui exercent atque exigūt? De triplici genere vectigalium, in eum locum explicauimus.

B *Pro neceſſitudine, quæ mihi eſt cum illo ordine.* Nam ex equeſtri ordine publicano patre ortus, eum ordinem ſemper complexus eſt: vt teſtatur in Orat. pro Rabirio Poſthumo. Plinius lib. XXXIII. M. Cicero demum ſtabiliuit equeſtre nomen in Cōſulatu ſuo, ei ſenatum concilians, ex eo ſe ordine profectum eſſe celebrans, & eius vires peculiari popularitate quærens.

Cauſam Reipub. Cauſa: negotium, procuratio. Idē in epiſt. ad Lentulum, Itaque, inquit, Alexandrina C cauſa, quæ nobis adhuc integra eſt, videtur ab illo planè eſſe depoſita. & Philipp. V, Cæſar autē eam complexus eſt cauſam, quæ eſſet Senatui, quæ populo, quæ cunctæ Italiæ gratiſſima. & Verrrina V. Cui Senatus dederat publicè cauſam, vt mihi fratrique meo gratias ageret.

Bithynia, quæ nunc veſtra prouincia eſt Nicomedes cognomento Philopater, Nicomedis filius, qui patre Pruſia necato Bithyniæ regnum occuparat, regno à Mithridate pulſus à Sylla reſtitutus eſt. D hac de cauſa paucis poſt annis, hoc eſt, Octauo & Cotta Coſſ. moriens populū R. regni ſui hæredem fecit, regnúmq; eius in prouinciæ formam redactū eſt. Eutrop. App. in Mithridatico, Flor. in epit.

Veſtra prouincia eſt. Regiones extra Italiam quæ po. R. imperio parerent, & ad quas adminiſtrandas magiſtratus mitterentur, qui in iis ius dicerēt, Prouinciæ dicebantur: qui non parebant, ſed comiter populi R. maieſtatem tuerentur, Liberi populi appellabantur. vt ſæpe alibi docuimus.

E *Regnum Ariobarzanis.* Cappadociam, ex qua ipſum bis antea pulſum & bis à Romanis reſtitutum Mithridates, Lucullo à Senatu reuocato, tertiò deiecit: & tandiu eo regno potitus eſt, dum Pompeius ipſo & Tigrane deuictis, Ariobarzanē tertio loco reſtituit.

Huic qui ſuccurrerit. Fuit tēpus cùm Succeſſerit legendum arbitrarer: ſed librorum omnium tum ſcriptorum tum impreſſorū ſumma conſenſio in hanc me opinionem deduxit, vt exiſtimem hoc F verbo vſum de induſtria Tullium, vt Glabrionis ſtudium & cupiditatem notaret, atque obſcurè perſtringeret. tanquam ſi diceret, Qui cucurrerit vt huic ſuccederet: qui tam cupidè in eam prouinciam profectus ſit. Græci hoc eodem modo. ἀναδιδράσκειν dicunt, & ὑποδιδράσκειν. Plat. πολιτ. η. ψευδεῖς δὴ καὶ ἀλαζόνες οἶμαι λόγοι τε καὶ δόξαι ἀντ' ἐκείνων ἀναδραμόντες κατέσχον τὸν αὐτὸν τόπον τοῦ τοιούτου. Glabrionem autem intelligi & ex eo coniicio quod infrà dicit. L. Lucullū partem militum G Glabrione tradidiſſe; & ex Plutarcho in vita Pōpeij prope media hiſtoria: & ex Dione, cuius in fragmento lib. XXXV. hæc ſunt verba, ἐταράχθησαν δὲ καὶ τότε ἄλλως τε καὶ ἐπειδὰν τὸν Ἀκίλιον τὸν ὕπατον, ὅς τῷ Λουκούλλῳ διάδοχος δι' ἅπερ εἶπον ἐξεπέμφθη πλησιάζοντα ἐπύθοντο. id eſt, Cōturbati autē ſunt tū aliis de cauſis, tum poſtquam Acilū Conſulē, qui

Lucullo ſucceſſor miſſus erat, appropinquare ſinxerunt. Glabrionem autem ex Aciliorum familia fuiſſe, nemini obſcurum eſt. Fuerat autem anno proximo Conſul M. Acilius, cum C. Piſone: vt idē auctor paulo ſuperius oſtendit: & initio eius fragmenti Conſulem eius anni ſucceſſorem Lucullo miſſum teſtatur.

Cauſa quæ ſit videtis. Cauſa, negotium, quæſtio, conſultatio.

Fruſtra requiretis. Abeſt vox prior à vetuſtis libris omnibus quos quidem viderim, & impreſſis quammultis. abeſt autem, vt dixi, non deeſt. nam Requirere modò ſignificat carere, & ex alicuius rei abſentia laborare, item vt aliis locis cōplurib⁹. Quare locum illū in Diuinat. Nihil de ſuis veteribus ornamentis requiret, Aſconius ſic interpretatur, Amiſſum ſentiet: hoc eſt enim, nihil requiret: non ſentiet ſibi deeſſe aliquid ex iis rebus, quas nunquam habuit.

Et ab imperatoribus Reipub. Moderatoribus, ſuſpicor eſſe corrigendum. nam Imperatores Reipub. qui dicuntur? Magiſtratus autem Reipublicæ moderatores appellari rectè poſſunt. itaq; magiſtratū Tullius lib. de Orat. 1, definiēs ſic inquit. Si autem quæreretur, quis eſſet qui ad Remp. moderandam vſum & ſcientiam & ſtudium ſuum cōtuliſſet, &c. hunc & Reipub. rectorem, & conſilij publici auctorem eſſe habendū. Item lib. de Rep. 5. Sic huic moderatori Reip. beata ciuiū vita propoſita eſt, &c.

Appetentes gloriæ præter cæteras gentes. Quàm præclara hæc laudatio ſit, intelligi licebit ex his Simonidis poetæ verbis apud Xenophontē in Tyranno, quæ propter ſententiæ & ſermonis elegātiam ſubſcribemus Καὶ γὰρ μοι δοκεῖ, ὦ Ἱέρων, τούτῳ διαφέρειν ἀνὴρ τῶν ἄλλων ζώων, τῷ τιμῆς ὀρέγεσθαι. ἐπεὶ σιτίοις τε καὶ ποτοῖς, καὶ ὕπνοις, καὶ ἀφροδισίοις πάντα ὁμοίως ἥδεσθαι ἔοικε τὰ ζῶα. ἡ δὲ φιλοτιμία οὔτ' ἐν τοῖς ἀλόγοις ζώοις ἐμφύεται, οὔτ' ἐν ἅπασιν ἀνθρώποις. οἷς δ' ἂν ἐμφυῇ τιμῆς τε καὶ ἐπαίνου ἔρως, οὗτοι εἰσὶν ἤδη οἱ πλεῖστον μὲν τῶν βοσκημάτων διαφέροντες, ἄνδρες δὲ καὶ οὐκέτι ἄνθρωποι μόνον νομιζόμενοι. & paulo poſt, καὶ γὰρ οὐδεμία ἀνθρωπίνη ἡδονὴ τοῦ θείου ἐγγυτέρω δοκεῖ εἶναι, ἢ ἡ περὶ τὰς τιμὰς εὐφροσύνη. id eſt, Etenim mihi quidem ea re videtur homines cæteris animantibus antecellere, quòd honoris ſunt appetentes. quippe cibo, & potu, & ſomno, & rebus venereis æquabiliter omnia animantia fruuntur: at honoris & gloriæ ſtudium neque in beſtiis innatum eſt, neque adeò omnibus in hominibus. quibus verò honoris & laudis amor eſt ingenitus, hi ſunt iā multo quàm pecudes & beſtiæ præſtantiores: iam verò non homines modò, ſed viri exiſtimandi. Et paulò pòſt, Neque enim vlla eſt humana iucunditas, quæ propius ad deorum voluptatem accedat, quàm lætitia quæ ex gloria percipitur.

Mithridatico bello ſuperiore. Quod inſtauratum eſt Q. Pompeio L. Sylla COSS. nam initio eius belli Mithridates Q. Oppium, vt Florus appellat, Proconſulem, vt Appianus (cui potius aſſentior) Proprætorem cepit, & in vincula coniecit: Manium Attilium aſino inſidentem Pergamum vſque deduci iuſſit, præeunte præcone, & proclamante adeſſe Manium Attilium: eique vt Pergamum venit, aurum liquefactū in os infundi iuſſit. præfectis deinde Aſiæ vniuerſis mandauit, vt intra diem trigeſimum Romanos & Italos omnes ad vnum,

A viros, mulieres, pueros, qui in Aſia eſſent, trucidarent, & necatos ne ſepelirent, ſed eorum corpora feris obiicerēt: vt auctor eſt Appianus. Occiſa autē ciuiū R. centū quinquaginta millia Plutarchus in vita Sylla ſcribit: Val. Maxi. octoginta millia.

Inſignia victoriæ. Triumphos.

Laus eſt tribuenda, quòd egerunt. Quòd, coniūctio, pro Quantū ad illud attinet quod egerūt. vt paulo pòſt, Quòd reliquerunt, pro Quantū ad illud attinet quod reliquerunt. vt apud Terent. Vt id oſtē-
B derem; quòd te iſti facilē & feſtiuū putant, id non fieri ex vera vita Et in Eunucho: Sanè quòd tibi nunc vir videatur eſſe, hic nebulo magnus eſt.

Syllam in Italiam Reſp. Oppreſſa à Mario, & Cinna, & Carbone, qui nobilitatem quæ in vrbe māſerat, ferè totam trucidarunt, Sylla Reipub. hoſte à Senatu iudicato. Pacem igitur, inquit Liuius, cū Mithridate fecit, ita vt his cederet prouinciis, Aſia, Bithynia, Cappadocia.

Murænam Sylla reuocauit. Propter pacem, quam
C ipſe cum Mithridate fecerat. nam ille in Aſia legatus à Sylla relictus cum duabus legionibus, vt Aſiæ negotia cōſtitueret, triumphi cupiditate incenſus Regi bellum facere non deſiſtebat, vſquedum per A. Gabiniū à L. Sylla reuocatus eſt. Hac de re ſcribit idē in Orat. pro Muræna his verbis: Mithridatem L. Sylla maximo & fortiſſimo exercitu, pugna excitatum, non rudis imperator, vt aliud nihil dicam, cum bello inuectū totam in Aſiam cum pace dimiſit: quem L. Muræna pater
D huiuſce vehemētiſſimè vigilantiſſiméq; vexatū, repreſſū magna ex parte, nō oppreſſum reliquit.

Boſphoranis finitimis ſuis bellum inferre ſimulaſſet. Qui Boſphorum Thracium incolunt, nam Ponti ab occaſu finis eſt Boſphorus Thracius. His, vt Appianus ſcribit, Mithridates reuerſo Sylla, quòd ab ipſo deſciuiſſent, bellum intulit, eiſque ſub imperium redactis Macharem filiū ſuum regem impoſuit. Tantas autem copias paraſſe dicitur, vt in ſuſpicionem populo R. venerit, aduerſus ſe bellum
E illud moliri: eo magis quòd nondum integrum Cappadociæ regnum Ariobazani reſtituiſſet.

Vſque in Hiſpaniam legatos Ecbatanis miſit. Strabo Mediam duas in partes diuidit: quarum alteram, inquit, maiorē vocant: cuius metropolis fuit Ecbarana ciuitas, & Medici imperij caput. Media autem in Tigranis imperio, ad quē ipſe profugerat. Legatos ipſe nominat Oratione Verr. III. L. Magium & L. Fanniū: qui à Mariano exercitu ad Mithridatem profugerant: vt Aſconius auctor eſt.

F *Ad eos duces.* Sertorium. & vide quæ dixi Verr. III. nam ineptum eſt eadem iterare.

Duobus in locis diſiunctiſſimis. In Aſia & Hiſpania. ab illa enim quā eſt hęc, nihil poteſt eſſe diſiūcti⁹.

Vno conſilio, ab vnis hoſtium copiis. Sertorij enim copias cum ſuis coniuncturum ſe putabat: vt ſcribit hic ipſe in Mureniana his verbis, Qui Rex tibi aliquot annis ſumptis ad confirmandas rationes & copias belli tantum ipſe opibus conatúque inualuit, vt ſe Oceanum cum ponto, Sertorij copias
G cum ſuis coniuncturum putaret.

De imperio dimicaretis. Id eſt, non de aliqua imperij parte, ſed omnino in imperij totius certamē ac diſcrimen deueniretis. & ANCIPITI, quoniam vtrinque bellum inferebatur, ab Aſia ſcilicet, & Hiſpania.

Sertoriana atque Hiſpanienſis. Q. Sertorius dux partium

partium Marianarum, à L. Sylla victore proſcriptus, in vlteriore Hiſpania ingens bellum aduerſus populum R. excitauit, plurimáſque ciuitates in poteſtatem ſuam redegit. Octauo ducatus ſui anno Cn. Pompeio bellum ei inferente à M. Antonio & M. Perpenna aliiſque coniuratis proditus, & in conuiuio interfectus eſt. Florus, Appianus, Plutarchus.

Initia illa geſtarum rerum. Mithridatẽ enim prælio fudit in Ponto: vt ille in extremam Armeniã profugerit ad Tigranem. quorum vtrunque poſtea vno conſilio, vnis copiis in ſe inuadentem repulit ac profligauit. Florus, Plut. Appian.

Hæc autem extrema. Clades accepta primùm à Fabio, deinde à L. Triario: Mithridatis reditus in Põtum & magnã ſui regni partẽ: multarum nationũ contracta belli ſocietas cũ Tigrano & Mithridate aduerſus populum R. de quibus infrà.

Tot ciuium R. millibus. Centum & quinquaginta, vt Plutarchus teſtatur.

Legati quòd erant appellati ſuperbius. Liuius & Aſconius, quòd pulſati ac violati eſſent. Strabo quòd ſordes ex tectis in eos prætereuntes coniectæ dicerentur. ipſe in II Orat. contra Rullum ſic, Corinthi veſtigiũ vix relictum eſt. Erat enim polita in anguſtiis atque in faucibus Græciæ ſic, vt terra clauſtra locorũ teneret, & duo maria maximè nauigatione diuerſa penè coniungeret, cùm pertenui diſcrimine ſepararentur. De legatorum verò corporibus quæ ſancta dicebantur, præter ea quæ ſcripſimus Verr. III, Martianus in l. ſanctã D. de rer. diuiſ. ſic inquit, Sagmina herbæ quædã ſunt, quas Legati populi R. ferre ſolebant: ne quis eos violaret: ſicuti Græcorum ferunt ea quæ vocantur κηρυκεῖα.

Extinctum eſſe voluerint. Libri veteres Extinctã: vt ad Corinthum referatur. nihil muto tamen: poteſt enim ad verbum LVMEN reſpondere. quod vſurpauit alludens, opinor, ad Leptinis dictum, qui Corinthum alterum Græciæ oculum, Athenas alterum appellabat.

Legatum populi R. conſularem. Florus legatum ſine prænomine Aquilium nominat, & in vincula coniectum ſcribit. Cùm autem Conſularem Tullius appellet, non video quem alium intelligamus, niſi M. Aquilium, C. Mariį ſextùm Conſulis collegam, qui ſeruile bellum in Sicilia confecit: & cuius tunicam Antonius orator diloricauit. Attilium tamẽ Appianus vbique nominat. ſed menda ſunt apud Græcos hiſtoricos in Romanorum nominibus innumera. De Attilij contumelia dixi paulò antè ex Appiano.

Regno expulſus eſt Ariobarzanes. Hoc dictum eſt in enarratione infrà.

Socius populi R. atque amicus. Hoc quanti fuerit, ex his Liuij verbis intelligitur ex libro XXXI: Itaque pacem illi prius petendam à populo R. eſſe, quàm vt Rex, ſociúſque & amicus appelletur. nominis eius honorem pro magnis erga ſe Regum meritis dare populum R. conſueſſe. Præterea ex verbis Cæſaris, qui lib. I de bello Gall. ſic ſcribit. Vbi eò ventum eſt, Cæſar initio orationis ſua Senatúſque in eum (de Arioviſto loquitur) beneficia commemorauit, quòd Rex appellatus eſſet à Senatu, quòd amicus, quòd munera ampliſſimè miſſa. Quam rem & paucis contigiſſe & à Romanis pro maximis hominum officijs cunſue-

A uiſſe tribui dicebat. Illud autem animaduerſione dignum, quod Dionyſius Halicar. Liuius, Appianus, & Tacitus teſtantur Regibus appellatis Senatum dono mittere ſolitum auream coronam, auream pateram, ſellam curulem eburneã, & ſcipionem eburneum, togam pictã, & palmatam tunicã. Salluſtius autem in Iugurthino Plutarch⁹ in Pompeio demonſtrant, Regibus à Senatu appellatis moris fuiſſe, vt in exteris regionibus ſolium B ſuum iuxta Imperatorum populi R. ſellam ponerent, & cuſtodię cauſa turmam equitum R. haberent. Et alio loco, Amicos, inquit Salluſtius, populi R. qui amicitiã diligenter colerent, nullum laborem ſuſcipere: cæterùm ex omnibus maximè tutos eſſe. Valerius Maximus lib. V. cap. VII. conſuetudinem Imperatorum qui Regem aliquem appellabant, fuiſſe docet, vt eum in ſuo tribunali ac ſella curuli collocarent.

Vos alium miſeritis. Glabrionem, opinor: ac ne il- C lum quidem Appianus nominat: ſed tantummodò à quodam reuocatum eſſe Lucullum ſcribit, quem populus R. Aſiæ præfecerat.

Summo iure periculo Ne Glabrionẽ offendãt. qui cũ ſummo imperio prouinciam adminiſtrabat.

Vnum virum eſſe. Significat Cn. Pompeium.

Et eum propè eſſe. In bello maritimo aduerſus prędones & piratas, quos toto mari mediterraneo perſequebatur. Ergo maris mediterranei partem ſignificat Aſiæ finitimam. illud enim ad vſque Ci- D liciæ fines & Amanum montem diffunditur.

Eiuſmodi in prouinciam homines. Prætorem illum deſignat, quiſquis is fuit, qui Aſiam prouinciam adminiſtrabat: & non obſcurè rapacem & improbum magiſtratum fuiſſe ſignificat.

Diutiſſimè commoraretur. Commoratur, omnes antiqui libri: & ſic emenda.

Cum Antiocho, cum Ætolis, cum Pœnis. Hoc amplius libri omnes alij, cum Antiocho, cum Philippo, cum Ætolis &c. quod ſine cauſa omittendum E non putamus. Antiocho rege Syriæ, qui cũ Ætolis ſocietate facta Græciæ ciuitates fœderatas bello vexabat, & Lyſimachiam vrbẽ in litore Thracio ſitam repetebat, populus R. Attilio Glabrione duce bellum intulit: Philippo Macedoniæ regi, quòd Athenas ſociorum vrbem obſideret. Pœnis autem Appio Claudio duce primùm bellum fecit propter ciuitatem Meſſanam fœderatam, quam illi, ſocietate cum Hierone Syracuſarum tyranno facta, oppugnabant. Polybius, Liuius, F Appianus.

Vbertate agrorum. Genera vectigalium tria complexus eſt. Decumas, quæ ex frumento, vino, oleo, & frugibus minutis: Scripturam, quæ ex paſcuis: & Portoriũ, quod ex mercium exportatione recipitur. Hæc omnia Cenſores publicanis vendere cõſtituta auctione ſolebant: qui quanti mancipes redemerant, tantum Quæſtoribus Vrb. ad ærariũ populi R. repræſentabant: id eſt, ante perceptos fructus perſoluebant. Nam poſtea qui in operis G erant Decumani, pecuarij, Portitores, ea legibus Cenſoriis à prouincialibus exigebant: ſuiſque cõmodis & rationibus in ea cõductione conſulebãt.

Neque ex ſcriptura vectigal conſeruari poteſt. Ex Scriptura, id eſt, ex publicis paſcuis. vt in orat. pro Flacco, Mirandũ verò eſt, homines eos, quibus odio ſunt noſtræ ſecures, nomẽ acerbitati, ſcriptura, decumæ, portoriũ morti, libenter arripere fa-

cultatem lædédi. Vnde Scripturarius ager, vt ſcribit Feſtus, in quo vt pecora paſcantur, certum æs eſt, quòd Publicanus ſcribendo conficit rationem cum paſtore. nam propriè Scriptura pecuariorum ratio dicitur.

Publicani maximas familias, quas in ſalinis habent. Vectigal ex ſalinis in Aſia aut alia vlla prouincia fuiſſe, nõ memini me legiſſe. nã quod Liuius, Salinator qui dictus eſt, inuenit, id in prouincia non fuit. & omnino cùm hic locus ſuperiori reſpondeat, in quo de portu, decumis, & ſcriptura mentio facta eſt, iiſque tribus reſpondere debeant: non video quorſum Salinarum mentio hic pertineat: aut non potius SALICTIS aut SALTIBVS quàm Salinis legendum eſſe videatur. Salictorum enim nomine paſcua, quæ plerunque ſalicibus conſita ſunt, non difficile eſt intelligi. Pomponius autem in l. Siquis, D. de vſufructu, ex multis ſaltibus paſtione fructus percipi teſtatur.

Suas rationes & copias in illã prouinciã contulerunt. Rationes pro facultatibus & rebus omnibus ad quæſtũ pertinentibus dictũ puto. vnde Conſulere, proſpicere, prouidere ſuis rationibus, pro Suis commodis, apud hunc ipſum frequẽtiſſimè. nam Rationes pro literis & tabulis rationum, quæ calculis ſubducuntur, non video quemadmodum exponere poſſimus: cùm ſatis conſtet Magiſtrum ſocietatis in vrbe manere ſolitum, & omnium tabularum, rationum, ac literarum quæ vndique ab iis qui operas dabant Romam mittebantur, curam habuiſſe. de qua conſuetudine dictum eſt Verrina III.

Firmamentum cæterorum ordinum. Similiter in Orat. pro Plancio, Flos equitum R. ornamentum ciuitatis, firmamentum Reip. publicanorum ordine continetur.

Cæteris ex ordinibus Diuerſos igitur facit negotiatores à publicanis: item vt. In epiſt. ad Quint. frat. negotiatores enim Aratores, & pecuarios præſertim appellant. In orat. pro Fonteio. Notandum etiam hoc loco Argentarios à Negotiatoribus diſtingui. In illa autem pro Fonteio non diſtingui.

Partim ſuas & ſuorum in ea prouincia pecunias collocatas habent. Innumeros tum in Aſia publicanos ác fœneratores fuiſſe, totámque prouinciam omnibus incommodis vexaſſe, Plutarchus auctor eſt in vita Luculli.

A Repub. ſeiunctam eſſe non poſſe. Hoc eſt quod dicit lib. De officiis III, Singulorum enim facultates & copiæ, diuitiæ ſunt ciuitatis.

Etenim illud primùm parui refert. Poteſt per ironiam dictum intelligi, magis tamen placeret, vt pro ETENIM, Nec enim reponeremus.

Iiſdem redimẽdi facultas erit. Eidem ſocietati, quę hoc tempore vectigalia conduxit. Redimere, conducere eſt: vnde Redemptores, publicani mancipes, qui auctione cõſtituta vectigalia redemerũt, & pecuniam pro iis repræſentarunt ſed de hoc vocabulo fuſius explicauimus in Verrinam III.

Id quod certè calamitate docti. Quod, abundat. & ſine controuerſia ita legendum eſt: Id certè calamitate docti &c.

Permulti amiſerunt. Mithridatis imperio trucidatis C L ciuium Romanorum millibus.

Fidem concidiſſe. His temporibus, quibus erat opus pecunia, ex argentariorum menſis ſumere

A ſolebant, non modò, qui ſuas pecunias apud eos collocarant: verùm etiam alij, qui modò ſoluendo eſſe viderentur. Sed de Romanorum conſuetudine dixi copioſè Verrina. III. Fidei autem anceps eſt ambiguúmque vocabulum. tam enim ad eum qui fidem habet refertur, nimirum argentariũ, quàm ad eum qui fidem ſeruat, pecuniámque diſſoluit. Priorem ſententiam hæc continet loquutio apud Plautum frequens, Et rem & fidem
B perdidi: quòd Gallicè dicimus *Creditum*. Poſteriorem hic locus Cæſaris, ex libri de bello ciuili tertij principio, His rebus confectis, cùm fides tota Italia eſſet anguſtior, neque creditæ pecuniæ ſoluerentur, Cæſar conſtituit, vt arbitri darentur: per eos fierent æſtimationes poſſeſſionum & rerum, quanti quæque earum ante bellum fuiſſent, atq; eæ creditoribus traderentur. Sic apud Ciceronẽ nonnullis locis Fidem ſuam tueri, id eſt, debitam pecuniam perſoluere. vt libro epiſt. ad Att. XI, E-
C go in ciſtophoro in Aſia habeo ad HS bis & vicies. huius pecuniæ permutatione fidem noſtram facilè tuebere.

Qui in foro verſatur. Apud Argentarior. nam qui argentariam faciebant, ſuas circa forum tabernas habebant. vnde Circunforaneum æs Cicero appellat epiſtola 1. lib ad Att. II. Liuius libro VI tertiæ decadis, Annibal, inquit, vocato præcone tabernas agentarias, quæ circa forum Romanum tunc eſſent, iuſſit venire. id eſt, eas quæ
D tum erant: nam aliæ poſtea ſunt addıtę. Has à Tarquinio rege in foro poſitas Dionyſius Hal. lib. III, docet his verbis: τήν τε ἀγορὰν ἐν ᾗ δικάζουσι καὶ ἐκκλησιάζουσι καὶ τὰς ἄλλας ἐπιτελοῦσι πολιτικὰς πράξεις, ἐκεῖνος ἐκόσμησεν, ἐργαστηρίοις τε καὶ ταῖς ἄλλοις κόσμοις περιλαβών. id eſt, Forum in quo ius dicitur, & conciones fiunt, aliáque ad Remp. pertinentia tranſiguntur, ille tabernis & aliis ornamẽtis circundatum exornauit.

Impleta eſt tum illis pecuniis Aſiaticis. Societate
E negotiatorum.

Quare videte. Concinna frequentatio, qua hoc primo capite quæ dicta ſunt curſim enumerat.

Ne forte à vobis. Satis aptus elicitur ſenſus. ſed fortaſſe ſine præpoſitione A, concinnior ſententia videretur.

Me L. Lucullo tantum impertiri laudis. De eiuſdem laude in libro qui Lucullus inſcribitur, ſcribit his verbis. Poſt ad Mithridaticum bellum miſſus à Senatu, non modò opinionem vicit omnium,
F quæ de virtute eius erat, ſed etiam gloriam ſuperiorum: idque eo fuit mirabilius, quod ab eo laus imperatoria non admodum expectabatur qui adoleſcentiam in forenſi opera, Quæſturæ diuturnum tempus, Muræna bellum in Ponto gerente, in Aſiæ pace conſumpſerat. ſed incredibilis quædam ingenij magnitudo non deſiderauit indocilem vſus diſciplinam. Et pag. inſequenti, Tantus ergo imperator in omni genere belli fuit, prælis, oppugnationibus, naualibus pu-
G gnis, totiúſque belli inſtrumentis & apparatu, vt ille rex poſt Alexandrum maximus (de Mithridate loquitur) hunc à ſe maiorem ducem cognitum, quàm quempiam eorum quos legiſſet fateretur.

Maximas Mithridatis copias. Appianus ad trecẽta hominũ millia fuiſſe ſcribit: Plutarchus peditum centũ & viginti millia, equitũ decẽ & ſex millia.

Vrbem-

A *Vrbémque Aſia clariſsimam.* Florus in epit. lib. xcv, L. Lucullus, inquit, Proconſul ad Cyzicum vrbem exercitum Mithridatis fame ferróque deleuit, pulſúmque à Bithynia Regem variis belli ac naufragiorum caſibus fractum coegit in Pontum profugere. De eadem obſidione Appianus pluribus verbis in Mithridatico, & Plutarchus in Lucullo. Cicero autem in Muræniana his verbis, L. Luculli verò res tantæ extiterunt, vt neque maius bellum commemorari poſſit, neque maiore conſilio & virtute geſtum. nam cùm totius impetus belli ad Cyzicenorum mœnia conſtitiſſet, eámque vrbem ſibi Mithridates Aſiæ ianuam fore putauiſſet, qua affracta & reuulſa, tota pateret prouincia: perfecta ab Lucullo hæc ſunt omnia, vt vrbs fideliſſimorum ſociorum defenderetur, vt omnes copiæ Regis diuturnitate obſidionis cõſumerentur. In Oratione autem pro Archia poëta, Populi, inquit, Romani laus eſt, vrbem amiciſſimam Cyzicenorum eiuſdem conſilio ex omni impetu regio, ac totius belli ore ac faucibus ereptam eſſe atque conſeruatam.

Ducibus Sertorianis ad Italiã ſtudio inflammato raperetur. Hæc eſt, opinor, de qua in Oratione pro Muræna ſic ſcribit: Quid illam pugnam naualem ad Tenedum, cùm contento curſu, acerrimis ducibus, hoſtium claſſis Italiam ſpe atque animis inflata peteret, mediocri certamine & parua dimicatione commiſſam arbitraris? Et in Orat. pro Archia, Noſtra ſemper feretur & prædicabitur L. Lucullo dimicante cum interfectis ducibus depreſſa hoſtium claſſis, & incredibilis apud Tenedum pugna illa naualis: noſtra ſunt trophæa, noſtra monumenta, noſtri triumphi. Sed apud Plutarchum & Appianum non ad Tenedum, ſed ad Lemnum (quæ non magno interuallo diſiuncta eſt) prælium cum Sertorij duce commiſſum dicitur. neq; claſſem illam in Italiam profectam ſcribunt, ſed à Mithridate aduerſus Lucullum miſſam, qui magnam partem exercitus regij Lampſacum obſidione ſoluta profugientis perſequebatur. nam ei claſſi M. Varum Sertorij legatum Mithridates, vt Appianus ſcribit, præfecerat: eique Alexandrum quendam Paphlagonium, & Dionyſium Eunuchum adiunxerat. Plutarchus autem Marium nominat Sertorij legatum ἑτερόφθαλμον quem in eo bello captum fuiſſe teſtatur.

Studio inflammato raperetur. Rapidè & ſummo impetu ferretur, infeſtiſſimis ducum animis & nocendi cupiditate incenſiſſimis.

F *Patefactúmque noſtris legionibus eſſe Pontum.* Fugato Rege, & in Armeniam profecto, Lucullus maritimo itinere in Pontum profectus, omnes ferè vrbes occupauit. in his Amaſtrim & Heracleam, Sinopen & Amiſum.

Medea illa quondam profugiſſe dicitur. Hanc Æetæ Colchorum regis filiam fuiſſe ſcribit lib. De natura deorum III. quo in libro hi verſus ex vetere poëta recitantur.

Poſtquam propter appropinquat, iámque pene vt comprehendatur parat,
Puerum interea obtruncat, membráque articulatim diuidit,
Pérq; agros paſſim diſpergit corpus: id ea gratia:
Vt dum nati diſſipatos artus captaret parens,
Ipſa interea effugeret: illum vt mœror tardaret ſequi,

Sibi ſalutem vt familiari pareret parricidio.
Cætera lege apud Ouidium lib. Metam. VII.

In ponto omnem reliquit. Plutarchus & Appianus retardatos Luculli milites ſcribunt aſtutia & calliditate Mithridatis, qui cùm propius nihil eſſe uideret, quàm vt in fuga caperetur, mulum illis onuſtum auro oppoſuit, pecuniaſq; omnes effudit, quibus colligendis ac diripiendis dum milites intenti eſſent, ab illorum manibus effugit.

B *Ita illum in per.* ILLVM, Æetam, Medeæ patrem. ISTOS, Luculli milites. ſed in illorum numero tacitè etiam Lucullum ipſum vult intelligi. nam his illum verberat verbis, vt cauſæ ſeruiat, & eum ab exiſtimatione boni imperatoris remoueat.

Plures etiam gentes contra imperatorem noſtrum cõcitatæ ſunt. Plutarchus numerat Medos, Adiabenos, Arabes, Albanos, Ibaros, & qui circa Araxen ſine rege ſunt.

C *Fani locupletiſsimi.* Fanum, opinor, Cumarũ vrbis ſignificat, quod à Muræna impulſu Archelai, qui à Mithridate ad illum deſciuerat, direptũ & ſpoliarum eſt. Appianus in Mithr. Μουρήνας μὲν δὴ ἐκ Καππαδοκίας αὐτίκα ἐσβαλὼν ἐς Κόμανα, πόλιν ὑπὸ τῷ Μιθριδάτῃ μεγίστην, σεβάσμιον ἱερὸν καὶ πλούσιον ἔχουσαν, ἱππέας τινὰς ἔκτεινε τοῦ Μιθριδάτου. καὶ πρέσβεσιν αὐτοῦ τὰς συνθήκας προτείνουσιν, οὐχ ὁρᾶν ἔφη συνθήκας· οὐ γὰρ συνεγέγραπτο Σύλλας. ἀλλ' ἔργῳ τὰ λεχθέντα βεβαιώσας, ἀπήλλακτο. ταῦτα δὲ εἰπὼν ὁ Μουρήνας, εὐθέως ἐλεηλάτει, καὶ οὐδὲ τῶν ἱερῶν χρημάτων ἀπεχόμενος, ἐχείμαζεν ἐν Καππαδοκίᾳ. id eſt, Muræna per Cappadociam continuò Cumas aggreſſus, (vrbem earum quæ Mithridati parerent maximã, in qua religioſum fanum & opulentum erat) equites quoſdam Mithridatis interfecit, & legatis ipſius fœdus proferentibus, reſpondit ſe fœdus non videre: neque enim Sylla conſcripſerat, ſed reipſa quæ inter eos conuenerant confirmans, diſceſſerat. quæ cùm Muræna dixiſſet, ſtatim regionem populatus eſt, neque à rebus ſacris abſtinuit, deinde in Cappadocia hyemauit. Hæc E Appianus, cuius hiſtoriam, quòd eam ex Plutarchi παραλλήλοις magna ex parte ad verbum deſcriptam animaduertimus, Latinam facere deſtitimus.

Etſi vrbem ex Tigranis regno ceperat. Tigranocerta, ſiue Tigranocartã (vtrunq; enim dicitur) quam Tigranes ex ſuo nomine appellarat, in quã copioſiſſimos quoſq; & locupletiſſimos totius imperij ſui ciues quaſi in coloniã deduxerat: quã omnes vt Regi gratificarentur, certatim donis ac muneribus pretioſiſſimiſq; quibuſq; rebus ornarãt, atque inſtruxerant: in qua (inquit Plutarchus) præter alias opes immẽſas, talentorũ octo millia Lucullum reperiſſe conſtat. Etſi ergo, inquit, noſter exercitus vrbem opulentiſſimã ceperat, eámq; (vt idem ſcribit) exceptis theſauris militi diripiendã Lucullus conceſſerat, & octingentas præterea drachmas ſingulis militibus ex hoſtiũ ſpoliis dederat: tamẽ &c. Pungit Lucullum non obſcurè.

G *Nimia longinquitate locorum.* Confert in milites, quod vult tamen ad Lucullum pertinere intelligi. Dionis autem verba ad hunc locum pertinentia hæc ſunt ex reliquiis libri XXXV. Λούκουλλος δὲ Τιγράνην μὲν οὐκ ἐπεδίωξεν, ἀλλὰ καὶ πάνυ κατὰ σχολὴν σωθῆναι εἴασε, καὶ ἀπ' αὐτοῦ καὶ αἰτίαν ὡς οὐκ ἐθελήσας τὸν πόλεμον, ὅπως ἐπὶ πλεῖον ἄρχῃ καταλῦσαι, παρά τε τοῖς ἄλλοις. καὶ παρὰ τοῖς

A πολίταις ἔχει. καὶ διὰ τοῦτο τότε ἐς τοὺς στρατηγοὺς τὴν ἀρχὴν τῆς Ἀσίας ἐπανήγαγον, καὶ μετὰ ταῦθ' ὡς καὶ αὖθις τὸ αὐτὸ τοῦτο πεποιηκέναι ἔδοξε, τὸν ὕπατον αὐτῷ τὸν κατ' ἐκεῖνον χρόνον ὄντα, διάδοχον ἔπεμψαν. id eſt, Lucullus autem Tigranem non eſt perſequutus, eique longiſſimum ſpatium ſaluti ſuæ conſulendi permiſit. qua de cauſa, cum ab alijs, tum à ſuis ciuibus inſimulatus eſt, prorogandi imperij ſtudio bellum, dirimi noluiſſe. ob eámque cauſam tunc Aſiæ imperium ad Prætores tranſtulerunt, ac poſtea cùm hoc ipſum rurſus facere B videretur, eum qui tum erat Conſul, ſucceſſorem ei miſerunt.

Mithridates autem & ſuam manũ iam confirmarat. Appianus manum ait fuiſſe militũ quatuor millium: & totidem illi regem Tigranem tradidiſſe.

Regum afflictæ fortunæ. Hoc eſt quod dicit in Epiſtolis famil. Nihil tam miſerabile, quàm ex beato miſer.

Clarum atque victorem. Primùm in L. Flaccum, C quem in Ponto Lucullus reliquerat. nam & illũ fugauit, & quingentos ex illius militibus interfecit. deinde in C. Triarium Luculli legatum, qui in Flacci locum cum exercitu nouo miſſus eſt. nã hic Lucullum aduentare ſentiens, triumphi cupiditate impulſus prælium cum Mithridate commiſit: quo in prælio cæſi ſunt Tribuni quatuor & viginti, centuriones centum quinquaginta, ciuiũ ſupra ſeptem millia interfecta. vt Appianus & Plutarchus ſcribunt.

D *Sinite ho. loco.* Simulata præteritio: quam Græci παράλειψιν appellant. cùm id obliquè dicimus, quod velle tacere videbamur.

Non ex prælio nuntius. Acerbè dictum. ſignificat enim ex eo prælio neminẽ omnino ſuperfuiſſe.

Veſtro iuſſu coactus. Maieſtatis populi R. hæc pars erat, vt & imperium daret, & adimeret. Tota autẽ in hiſce tribus verſabatur, in dando ſcilicet adimendóque imperio, iubendis & abrogandis legibus, bellis inferendis aut diſſoluendis.

E *Imperij diuturnitas.* Conſul cum Aurelio Cotta prouinciam Aſiam (vt Plutarchus ſcribit) ſortitus eſt: in eámque eſt anno inſequenti cum exercitu aduerſus Mithridatem profectus. Annos ergo ſeptem totos in imperio permanſit. nam totidem anni ſunt ad Lepidi & Tulli conſulatum, quo anno Prætor Cicero hanc legem ſuaſit. Et de imperij diuturnitate Mamercus Æmylius Dictator cùm de minuenda cenſura cum populo ageret, apud Liuium lib. IV, ſic inquit, Maximam libertatis populi R. cuſtodiam eſſe, ſi magna imperia F diuturna non eſſent: & temporis modus imponeretur, quibus iuris imponi non poſſet.

Qui iam ſtipendijs confectis erant. Id eſt, Veterani, qui iam emeritis ſtipendiis erant. Ciues Romani ab anno XVII ætatis, ad annum XLV annos nouẽ militare & ſtipendia facere iubebantur: vt patet ex Liuij libro XXIII, & Dionyſij Hal. libro III. Hos autem Plutarchus Fimbrianos milites fuiſſe tradit: id eſt, eos qui duce C. Fimbria cùm L. Valerium Flaccum Conſulem occidiſſent, eum im- G peratorem delegerunt.

Partem Glabrioni tradidit. Opinor, qui Conſul anno ſuperiore fuerat cum C. Calpurnio Piſone. nam, vt ſuprà diximus, Dion ſucceſſorem hunc Lucullo miſſum teſtatur. Appianus autem nomen reticuit, & tantummodo dicit Lucullum ab

A eo, qui miſſus erat in Aſiam vt Lucullo ſuccederet, reuocatum: & præconem in eius exercitum miſſum, qui abrogatum eſſe Lucullo imperium militibus renuntiaret.

Quantum illud bellum futurum putetis. Deeſſe aliquid apparet, & (opinor tale quiddam eſt, Tantũ cogitate Quirites, quinetiam pro Futurum, Factũ vitioſè legitur in alijs codicibus.

Coniungunt reges potentiſſimi. Mithridates & Tigranes.

B *Agitatæ nationes.* Quæ vtriuſque regis imperio parent.

Integræ gentes. Nondum bello à nobis laceſſitæ. dixit ſuprà magnas aduentitias multorum regum & nationum copias.

Bello maximo, atque acerrimis hoſtibus. Cinnâ Carbone, Sertorio, ciuili bello aduerſus L. Syllam.

Ad patris exercitum. Cn. Pompei Strabonis, Catonis in Cõſulatu collegæ. Is bello Italico Proconſul, cùm ſatis feliciter Remp. geſſiſſet, anno inſe- C quenti Q. Pompeium Syllæ in conſulatu collegã, qui ad capiendum iuſſu populi à Cn. Pompeio exercitũ profectus erat, in tribunali interficiendum curauit. Itáque in Italia Cinnano bello exercitum habuit, in quo exercitu hunc quoque Cn. Pompeium ipſius filium adoleſcẽtem fuiſſe Plutarchus auctor eſt. Eundẽ Cneum, Cnei Pompeii patrem, anno vertente, cùm Cinnâ ab vrbis mœnus depelleret, fulgure ſimul cum aliis quammultis interemptum ex hiſtoria conſtat.

D *Extrema pueritia miles fuit.* Similis locus in Ora. pro Balbo, Quid enim abeſt huic homini, &c. vſúſne rerum? qui pueritiæ tempus extremum, principium habuit bellorum atque imperiorum maximorum: cuius plerique æquales minus ſæpe caſtra viderunt, quàm hic triumphauit: qui tot habet triumphos, quot oræ ſunt partéſque terrarum: tot victorias bellicas, quot ſunt in rerum natura genera bellorum. Et lubet hoc loco particulam eius orationis, quam ipſe Pompeius ad popu- E lum habuit, dum lex Gabinia de bello maritimo ferretur, deſcribere. extat apud Dionem in hanc ferè ſententiam. Magna me profectò Quirites, ij quos mihi mandatis honores lætitia afficiunt. natura enim omnes homines beneficiis ſibi à ſuis ciuibus tributis maiorem in modum delectãtur. iiſque acceptis exultant. ego verò qui honoribus à vobis atque ornamẽtis omnibus tam ſæpe ſum affectus, ſanè quàm ſatis magnam pro recentibus veſtris in me beneficiis voluptatem animo capiã, F conſtituere non poſſum: tametſi neque vos decere arbitror, ita in me affectos eſſe, vt ſatiari deferendis mihi honoribus non poſſitis: neque mihi conuenire, in continuis imperiis ac magiſtratibus verſari. Etenim ſic ſe res habet Quirites, vt mihi ſemper ab ineunte ætate Reſpub. gerenda fuerit: vobis verò aliorum quoque ratio habenda eſt. Ecquid memoria tenetis, quàm exercitus bello Cinnano puer adhuc, neque dum ineunte adoleſcentia, fuerim? quantos labores in Sici- G lia, in Africa vixdum in iuniorum cenſum relatus ſubierim? quanta in Hiſpania pericula nondum in Senatum cooptatus ſuſceperim: Quæ non eò dico Quirites, quaſi in me. ingrati atque immemores fueritis: nihil, nihil profectò minus. etenim præter ea ornamenta, quibus à vobis ſum effectus, quæ & magna & multa ſunt, cõ-

miſſa

miſſa mihi Sertoriani belli adminiſtratio tum, cùm alius qui eam aut vellet, aut poſſet ſuſcipere, nemo reperiretur: & hoc amplius, triumphus contra leges decretus, ſummum planè & eximium quendam mihi honorem ornamentúmq; attulerunt. Hæc Dio. Lubet etiam alterum A. Hircij locum deſcribere, ex lib. de bello Africano: in quo ita loquitur. M. Cato interim, qui Vticæ præerat Cn. Pompeium filium multis verbis aſſiduéq; obiurgare non deſiſtebat: Tuus, inquit, pater, iſtius ætatis, cùm eſſet, & animaduertiſſet Rempub. ab audacibus ſceleratiſque ciuibus oppreſſam, bonóſque aut interfectos, aut exilio multatos patria ciuitatéq; carere: gloria & animi magnitudine elatus priuatus atque adoleſcentulus, paterni exercitus reliquiis collectis penè oppreſſam funditus & deletam Italiam vrbémque Romanam in libertatem vindicauit. idémque Siciliam Africam, Numidiam, Mauritaniam mirabili celeritate armis recepit: quibus ex rebus ſibi eam dignitatem, quæ eſt per gentes clariſſima notiſſimaque, conciliauit: adoleſcentuluſque atque eques Romanus triumphauit.

Miles fuit ſummi imperatoris. L. Syllæ ex Aſia in Italiam victorem exercitum reportantis.

Maximi ipſe exercitus imperator. Plutarchus & Florus eum in agro Piceno priuatum hominem, annus tres & viginti natum, voluntarium exercitum conſcripſiſſe tradunt, & cum tribus legionibus ad L. Syllam veniſſe, ad eúmque ſe nobilitatem omnem contuliſſe: vt deſerta vrbe ad caſtra veniretur, complures in itinere Italiæ ciuitates ſollicitaſſe: Scipionem & Carbonem aduerſæ partis duces prælio laceſſiſſe: mox ad Syllam cum exercitu inſtructiſſimo & paratiſſimo profectum, Imperatorem ab ipſo Sylla ſalutatum: ſtatímque in Celtiberiam miſſum eſſe.

Sæpius cum hoſte conflixit. Hoſtes publicè tantùm dicuntur, ſcilicet quibus bellum populi R. iuſſu à collegio Fecialium indictum eſt: Inimici priuatim, à quibus animo alienati & diſiuncti ſumus.

Plura bella geſſit. Quæ ante hoc tempus bella geſſerit, quas prouincias confecerit, ex pagina ſequenti cognoſces.

Ciuile, Africanum. De quibus omnibus mox dicetur.

Virtutes imperatoriæ. De quibus lege Xenophontem lib. de Cyri vita & diſciplina 1.

Teſtis eſt Italia. Italico bello extremo, ciuile exortum eſt: quo tempore diuiſa Italia diuerſas partes ſecuta eſt. In eo bello iam ſupra dictum eſt Cn. Pōpeium voluntarium exercitum conſcripſiſſe, & proſperè rem geſſiſſe.

Huius virtute & conſilio. Alij prope omnes, Subſidio. quod rectum eſſe patet ex iis, quæ modò diximus. Annos enim tres & viginti natus ſubſidium L. Syllæ in Italiam attulit, & veriſimile eſt hoc potius ſignificaſſe Tullium, quàm à conſilio hominem per adoleſcentem laudare voluiſſe.

Teſtis eſt Sicilia. Quam Perpenna & Carbo ex Italia pulſi vt occuparant ea ſpe, vt hoc propugnaculo aduerſus Syllam vterentur. Ergo Senatuſconſultum factum eſt, vt Pompeius eò cum imperio proficiſceretur. Cuius audito aduentu Perpenna profugit. at Carbo captus, & à Pompeio damnatus, interfectus eſt. eius caput ad Syllam miſſum Appianus ſcribit. Hæc ex Plutarcho, Floro, & Appiano.

Teſtis eſt Africa. In quam poſtea miſſus eſt ad- A uerſus Cn. Domitium proſcriptum, & Hiarbam Numidiæ regem, bellum aduerſus Syllam molientes, quos prælio victos interemit. Quo bello intra dies XL confecto Romam rediit, & quatuor ac XX annos natus adhuc eques R. quod quidem nemini antea contigerat, ex Africa triumphauit, Magnúſq; à L. Sylla appellatus eſt. Florus & Plutarchus.

Ipſorum ſanguine redundauit. Plutarchus ex viginti hoſtium millibus tria tantum millia effugiſſe B tradit.

Teſtis eſt Gallia. De bello tranſalpino apud Plutarchum in Pompeij quidem vita verbum nullum. Scribit autē Florus in epitome, & Plutarch. in Sertorij vita, Metellum & Pompeium ab obſidione Calagurij oppidi (quod in Hiſpania eſt) depulſos, ac coactos in diuerſas regiones petere: Metellum vlteriorem Hiſpaniam, Pompeium Galliam. quo tempore bellum hoc geſſiſſe illum arbitramur. ſcribit enim ſic Plinius lib. VII, Et ſta- C tim ad ſolis occaſum tranſgreſſus, excitatis in Pyreneo trophæis, oppida DCCCLXXVI ab Alpibus ad fines Hiſpaniæ vlterioris in ditionem redacta victoriæ ſuæ adſcripſit. Libro tamen tertio capite de Hiſpania citeriore, oppida DCCCXLVI, ſcriptum legimus.

Gallorum internecione. Omnes libri veteres Intenſione: ex quo corrupto aliud corruptius natum eſt in impreſſis omnibus, Interemptione. quorum vtrunque repudio.

D *Teſtis eſt Hiſpania.* In qua Sertorium octauum iam annum cum populo R. bellum gerentem deuicit. de Sertorio ſuprà.

Teſtis eſt iterum & ſæpius Italia. Seruili bello, quod à Spartaco gladiatore conflatum eſt. de Spartaco plenæ ſunt hiſtoriæ. de Pompeio autem hoc dicit Tullius ad tempus. nam de Spartaco Craſſus victoriam reportauit, & ouans in vrbem ingreſſus eſt. Atque hoc eſt, quod Craſſum in hac Oratione grauiter tuliſſe Tullius ſignificat ad Atticum ſcri- E bens, lib. 1 epiſt. Vereor, Proximus Pompeio ſedebam: intellexi hominem moueri, vtrum Craſſum inire eam gratiam quam ipſe prætermiſiſſet, an eſſe tantas res noſtras, quæ tam libenti Senatu laudarentur ab eo præſertim, qui mihi laudē eo minus deberet, quòd meis omnibus literis in Pōpeiana laude perſtrictus eſſet. Scribit tamen Plutarchus miſſum tandem ad id bellum Cn. Pompeiū fuiſſe: opinor, qui Craſſo ſuccederet, eóque Craſſum ea re audita cōtinuò triumphi cupiditate prælium cum Spartaco F commiſiſſe: proſperéque rem geſſiſſe, cæſis hoſtiū XII millibus, & præterea trecentis. fortunam tamen eius victoriæ expertem eſſe Pompeium non ſiuiſſe: hoſtium enim quinque millia, qui ex eo prælio euaſerant, illi profliganda reſeruaſſe. Cæſis autem illis ſcripſiſſe Pompeium ad ſenatum, Craſſum in acie gladiatores quidem fudiſſe, ſe verò bellum funditus euelliſſe.

Teſtes verò iam omnes oræ. Maritimo bello, aduerſus piratas ortos ex Cilicia. de quibus late ſcribit G Appian. in Mithri. & Plutar. in Pompeio.

Tam turpe, tam vetus. Nam Octauio & Cinna COSS. cœptum eſt, vt ex Appiano intelligitur, qui Proconſule Sylla in Aſiam miſſo hoc bellum initium habuiſſe ſcribit. Confectum eſt autem hoc ipſo anno Lepido & Tullo COSS. Vetus ergo, ad hinc annis videlicet tribus & viginti, exortis è Cilicia prædonibus: vnde Cilicium bellū in

Verrinis Orationibus appellatur.

Aut ab omnibus annis. Bellum intra quadrageſimum diem à Pompeio confectum tradunt Florus, Appianus, Plutarchus.

A prædonibus raptas vrbes. Quadraginta, vt ſcribit Plutarchus.

Brunduſio nunquam niſi ſumma hyeme tranſmiſerint. Quare nominatim Brunduſio? quia per hoſce annos, quibus aduerſus piratas & Mithridatem bellum geſtum eſt, exercitus populi R. Brunduſio trãſmittebant. quæ ciuitas eſt in Calabria, portu nobili, vnde in Græciã iter eſt. ſic infrà. Pompeium Brunduſio profectũ dicit ad bellũ contra piratas. Piratas maritimam oram circa Brunduſiũ inuaſiſſe ſcribit Appianus in libro qui Mithridaticus inſcribitur.

Legati populi R. redempti ſint. Hac de re nihil adhuc ſcriptum reperi.

Duodecim ſecures. Duos, inquit Plutarchus, Prętores, Sextilium & Bilinum in ipſis prætextis cum miniſtris lictoribúſque ac cæteris eius magiſtratus inſignibus captiuos abduxerunt. Prætoribus autem ſenos lictores præire ſolitos, alibi ſæpenumero dictum eſt. In vrbe autem faſces tantùm & Prætoribus & Conſulibus præferebantur: in prouinciis, etiam ſecures.

Colophonem aut Samum. Vrbes Ioniæ.

Veſtros portus. Caietæ, Miſeni, & Hoſtiæ.

Vitam & ſpiritum ducitis. Id eſt, eas res quibus vita & ſpiritus continetur. Frumentũ enim ex Aſia, Africa, Sicilia, Sardinia eò comportabatur.

In prædonum fuiſſe poteſtatem. Sic Gellius libri I, cap. 14. Ipſe in Diuinat. Ab exteris nationibus, quæ in amicitiam populi R. ditionémque eſſent. Apud Terentium, Ille vbi miſer famelicus videt me eſſe in tantum honorem.

Portum Caieta. Portus eſt Campaniæ, de quo Virgilius initio libri VII,

Tu quoque litoribus noſtris Æneia nutrix,
Æternam moriens famam Caieta dediſti.

Inſpectante Prætore. Quem Prætorem dicat, neq; ex Plutarcho, neque ex Appiano, neque ex Dione cognoſcere poſſumus. Fortaſſe tamen M. Antoniũ ſignificat, qui ante Pompeium contra piratas miſſus malè rem geſſit, & indicto Cretenſibus bello ibidem interut: vt Aſconius tradit, & Florus in Epit. Coniecturam iuuat quod ſcribit Plutarchus, eius filiam à prædonibus captam fuiſſe.

Ex Miſeno autem. Italiæ promontorio, à Miſeno Æneæ tibicine: de quo Virgilius libro Æneidos III, & VI.

Eius ipſius liberos. Eius Antonij filiam: quam tamen magna pecunia redemptam poſtea reddiderunt.

Hoſtienſe incommodum. Hoſtiam vrbem ab Anco (vt Liuius ſcribit) Martio conditam Strabo libro Geog. V. vrbis Romæ nauale appellat, quò Tyberis erumpit, eam præterlabens. extenditur autem in longum in Campaniam vſque & Samnitium montes. Hac autem ipſa de re Dion libro XXXVI ſic ſcribit: Προχωρούντων δὲ αὐτοῖς τούτων, καὶ ἐς τὴν ἤπειρον ἐνέβαλον, καὶ πολλὰ καὶ ἐκείνους τοὺς μηδὲ χρωμένους τῇ θαλάσσῃ ἐλύπουν· καὶ ταῦτα οὐ τὴν ἔξω συμμαχίδα αὐτῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν Ἰταλίαν αὐτὴν ἐποίουν. τά τε γὰρ κέρδη τὰ αὐτόθεν μείζω χρήσειν, καὶ πάντας τοὺς λοιποὺς ἔτι πλεῖον ἐκφοβήσειν, ἂν μηδ᾽ ἐκείνης ἀπέχωνται, νομίζοντες, ἔς τε τὰς ἄλλας τὰς πόλεις, καὶ ἐς αὐτὰ τὰ Ὄστια ἐσέπλεον, καὶ τάς τε ναῦς ἔκαιον, καὶ πάντ᾽ ἥρπαζον, καὶ τέλος, ὡς οὐδεμία σφίσιν ἐπιστροφὴ ἐγίγνετο, τάς τε διατριβὰς ἐν τῇ γῇ ἐποιοῦντο, καὶ τοὺς ἀνθρώπους ὅσους μὴ διώλλυσαν, τά τε σκῦλα ὅσα ἐλάμβανον, ἀδεῶς ὥσπερ ἐν οἰκείᾳ διετίθεντο. Id eſt, Prædones cùm illi ſe ad ipſorum amicitiam adiunxiſſent, in continentem etiam ſe intulerunt, multiſque incommodis etiam eos qui nauigare non ſolebant, affecerũt. ídque non extra ſociorum ſuorum fines duntaxat, verùm in ipſa etiam Italia. nam & quòd maiores quæſtus illinc ſe conſequuturos, & aliis maiorem terrorem iniectum iri ſperabant, ſi ne ab ea quidem abſtinerent: cùm in alias eius vrbes, tum in ipſam Hoſtiam ſuas naues appulerunt: ibíque Romanorum naues incenderunt: omniáque diripuerunt: & tandem quaſi de reditione non cogitarent, & in terra morabantur, & eos omnes quos non interfecerant, prædámque vniuerſam ſecurè tanquam in ſuis finibus depoſuerunt. Hæc, Dion. Hoſtiæ porrò ſitum & Tiberis curſus ab vrbe Roma vſque in mare deſcriptionem nemo, quod ſciam, elegantius deſcripſit Procopio, lib. de bello Gottorum I.

Conſul populi Ro. Hic quis fuerit, adhuc reperire non potui.

Tantáne vnius hominis. Tantámne, ſine controuerſia reponendũ, vt ad vocabulũ Lucẽ referatur.

Intra Oceani oſtium. A freto Herculeo, vnde Oceanus in mediam terram influit.

Prætereunda non ſunt. Sic omnes alij libri. quare nihil auſim immutare. planius tamen ſingulari numero legeretur, Prætereundum non eſt.

Aut obeundi negotij, aut conſequendi quæſtus. Altero negotiatores ſignificat, altero mercatores. quorum illi, ſunt qui negotia in prouinciis obeunt, veluti publicanorum ſocietates: Senatores etiam qui hæreditates, legata, aut nomina ſua perſequuntur: hi, qui Romam merces ab exteris nationibus important.

Belli impetus. Pompeij claſſis, in qua bellum impetu & violenta quadam incurſione ferebatur.

Qui Siciliam adijt, Africam explorauit, inde Sardiniam cum claſſe venit. Hæc omnia prædonum bello in mari mediterraneo geſta ſunt. Sed SARDINIAM VENIT, pro IN SARDINIAM locutio ſuſpecta eſt, quam tamen omnes ad vnum tum ſcripti tum impreſſi libri conſeruant.

Duabus Hiſpaniis. Eam quæ eſt cis, & alterã, quæ eſt vltra Iberum flumen.

Gallia Ciſalpina. Italiæ parte ab Alpibus ad Rubiconem flumen, quæ Gallia dicta eſt ab iis Gallis, qui Tarquinio Priſco (vt Liuius libro quinto demonſtrat) regnante, ducentis ante vrbem captam annis, Alpes tranſgreſſi, mediam prope Italiam occuparunt. Hanc igitur Romani Ciſalpinam, alteram verò vnde venerant, Tranſalpinam vocarunt. Cæſar hanc Vlteriorem, illam Citeriorem perpetuò appellat.

Italiæ duo maria. Adriaticum & Tyrrhenum.

Vndequinquageſimo die. Florus in Epitome, intra quadrageſimum diem.

Idem Cretenſibus. Prædonibus, qui Cretam inſulam occuparant: quos Q. Metellus eò cum imperio miſſus, oppugnabat. Florus in Epit.

Legatos deprecatoreſq; miſiſſent. Oppugnati à Metello legatos ad Cn. Pompeium miſerunt, vt ſi facultas eſſet, inſulam ei potius quàm Metello dederent, quem ſatis intelligebant acerrimum de ipſis ſupplicium ſumpturum eſſe. Pompeius vt fructum

eius

ſius laudis Metello præterperet, L. Octauium Legatum ad Metellum miſit: vt ab oppugnatione deſiſteret: ipſeque Legatus in vrbem ingreſſus piratis contra Metellum præſidium tulit: ſed Metellus nihilominus obſeſſos in deditionem compulit, & in eos pro ſuo iure animaduertit. Hæc cùm ita ſe habeant, tamen oratoriè Tullius quæ ſumma vituperatione digna ſunt, laudi & gloriæ vertit.

Ineunte hyeme apparauit. Plutarchus confectum bellum ſcribit ſpatio trium menſium. Appianus ſic, Intra ſeptuaginta dies omnes piratarum naues, id eſt, amplius trecentæ in eius poteſtatem venère, partim vi captæ, partim ipſis deditæ: centum autem & xx, diebus cunctas illorum vrbes, arces, perfugia, caſtella, receptacula in ditionem populi R. ſubiunxit, cæſis ipſorum plus minus decem millibus.

Multa ſunt artes eximiæ. Artes eximiæ, virtutes: vt libro de Finib. II, vbi maximas artes appellat: & contrà, inertes, nulla virtute præditos. Sed luſtremus, inquit, animo non has maximas artes quibus qui carebant, inertes à maioribus nominabantur.

Quanta facilitate. Sic permulti antiqui & impreſſi libri: alij Felicitate. quod perſpicuè falſum eſt, cùm de virtutibus loquatur: & Facilitatis nomine comitatem & humanitatem Pompeij ſignificet. De qua Valerius Max. commemorans ſcribit, regem Armeniæ Tigranem, qui & per ſe magna cum populo Ro. bella geſſerat, & infeſtiſſimum vrbi Mithridatem Ponto pulſum, viribus ſuis protexerat, in conſpectu ſuo diutius iacere ſupplicem paſſum non eſſe: ſed benignis verbis recreatum, diadema quod abiecerat, capiti reponere iuſſiſſe: certiſque rebus imperatis in priſtinum fortunæ habitum reſtituiſſe: æquè pulchrum eſſe iudicantem & vincere reges, & facere. quod idem Plutarchus etiam in ipſius vita teſtatur.

Qualia ſint in Cn. Pompeio. Quanta ſint, plerique libri veteres, & rectius omnino, meo iudicio.

Quem enim poſſumus. Apparet hæc dici in Lucullum, cùm contra eum ſolum pugnet, qui ſibi rerum geſtarum gloriam eripi querebatur.

Pecuniam ex ærario depromptam. Imperatoribus in prouinciam ituris pecunia Senatusconſulto, ex ærario attribuebatur, quam Quæſtores ærarij adnumerabant. patet ex Verrina III, Aſconio & alijs. Hæc pecunia, Attributa dicebatur: vt Varro demonſtrat.

Propter cupiditatem prouinciæ. Magiſtratus populi R. propter auaritiã, prouinciarũ cupidiſſimos fuiſſe, nemo mediocriter quidem eruditus ignorat.

Romæ in quæſtu reliquerit. Apud argentarios.

Veſtra admurmuratio. De admurmuratione populi, & clamoribus cognoſce ex Verr. II.

Noſtri exercitus ferant. Id eſt, efferant.

Per hoſce annos in Italia. Cùm aduerſus Mithridatem, Cilices, Sertorium, Spartacum exercitus ducebant. nam cum his hoſtibus per hoſce annos bellum geſtum eſt.

Per agros atq; oppida ciuium R. Nã Italicis populis ciuitas data eſt annis ab hinc circiter XVIII.

Qui alios in ſe ſeueros eſſe iudices non vult. Leuiter, opinor, id perſtringit quod tum notum fuiſſe omnibus videtur paratum ſcilicet in Lucullum repetundarum iudicium fuiſſe, ſed eum ne id fieret omni ſtudio prohibuiſſe. Sanè inimicos Lucullo fuiſſe, vel ex his Ciceronis verbis intelligitur in eo A libro quem ipſius nomine inſcripſit: Quinetiam, inquit, cùm victor à Mithridatico bello reuertiſſet, inimicorum calumnia triennio tardiùs quàm debuerat, triumphauit. nos enim Conſules introduximus penè in vrbem currum clariſſimi viri.

Hic miramur hunc hominem. Cn. Pompeium.

Sic in Aſiam peruenerunt. Bello maritimo in Ciliciam & Pamphyliam.

Non modò manus. Non modò nihil rapuiſſe, ſed ne pedem quidem vbi non licebat poſuiſſe dicatur. B

Incredibilem curſum inuentum. Rectius putarem Inuentum: vt in alijs codicibus quammultis. vt ſit ſenſus, Quanam arte tanta celeritas reperta eſt? quę res tantæ celeritati cauſam præbuit? nam vnde inuentus ſit curſus, quærimus pro, Ex quo loco cœpit quis currere. quæ ſententia huic loco nulla ratione conuenit.

Ab inſtituto curſu. Tangit Luculli factum, quem auaritia à perſequendo Mithridate retardatum diximus C ſuprà.

Non nobilitas vrbis. Athenas, opinor, ſignificat: quò ingreſſum Pompeium Plutarchus ſcribit rem ſacram feciſſe, & habita concione continuò deceſſiſſe.

Quæ cæteri tollenda eſſe arbitrantur. Ipſe de ea re in Verrina VI ſic ſcribit: At iſtorum villæ ſociorum fideliſſimorum & plurimorum pulcherrimis ſpolijs ornatæ refertæque ſunt. vbi pecunias exterarum nationum eſſe arbitramini, quibus nunc om- D nes egent. cùm Athenas, Pergamum, Cyzicum, Miletum, Chion, Samum, totam denique Aſiam, Achaiam, Græciam, Siciliam iam in paucis villis incluſas eſſe videtis?

Homines R. hac quondam abſtinentia. Exempla veteris continentiæ vide apud Valerium Max. libro IV, cap. III, & quod ſ. ex Athenæo memorauimus.

Tantum bellum hoc tranſmittendum. Id eſt, cõmittendum, mandandum: vt ſuprà ab initio, Omne meum tempus amicorum temporib. tranſmittendum putaui, id eſt tribuendum & impendendum. E

Quoniam auctoritas multum in bellis. Auctoritatem dicit grauem & vehementem opinionem de alicuius ſingulari virtute ac magnitudine conceptam.

Tanta & tam præclara iudicia feciſti. Cùm eques adhuc Romanus ante ætatem ſenatoriam triumphauit: adhuc Quæſtor: tamen proconſulari imperio aduerſus Sertorium miſſus ſit: iterum eques triumphauit: conſulatum ante alios magiſtratus F geſſerit: vt infrà.

Repletiſq; omnibus templis. Quæ circum forum ſunt. auctor libri de optimo genere Orat. & Aſconius in Milonianam.

Ad commune omnium gentium. Maritimum.

Tanta repente vilitas annonæ. Quippe mercatores ſimul vt Pompeium maritimo bello præpoſitũ audierunt, confiſi fore vt prædones ex maritimis locis profugerent, & libera eſſet nauigatio, magnũ frumenti numerum Romam aduexerunt. Appia- G nus, Plutarchus.

Accepta in Ponto calamitate. C. Triario deuicto.

Ad eas regiones. Maritimo bello, ad Pamphiliam & Ciliciam. huius rei nulla in hiſtoriis mentio.

In vltimas prope terras. Elatè, pro In Pamphiliam.

Vſque in Hiſpaniam. Cùm quæſtor aduerſus Sertorium pro Conſule miſſus eſt.

A *Ad eum potiſſimum eſſe miſſum.* Cùm ipſe Quæſtor tantùm: alij qui idem bellum adminiſtrabant Q. Metellus, M. Perpenna, Conſulares eſſent.

Maximo, Marcello, Scipioni, Mario. Horum omniũ vitæ & res geſtæ à Plutarcho & aliis cõſcriptæ ſunt, ex quibus quæ ad hunc locum pertinebunt, deligere eſt melius. nobis enim non hiſtoriam ſcribere propoſitum eſt, ſed quaſi digitos ad fontes intendere.

Vt in his ipſis locis adſit. In prædonum bello. nam Appianus in Mithridatico ſic ſcribit, ἐπεὶ δὲ τοῦτο B ὀξέως τε οὕτω καὶ παρὰ δόξαν ἐγεγένητο, οἱ Ῥωμαῖοι τὸν Πομπήιον μέγα ἐπαίροντες ἔτι ὄντα περὶ Κιλικίαν, εἵλοντο τοῦ πρὸς Μιθριδάτην πολέμου στρατηγὸν, ἐπὶ τῆς ὁμοίας ἐξουσίας αὐτοκράτορα ὄντα, ὅποι θέλοι, συντίθεσθαί τε καὶ πολεμεῖν, καὶ φίλους ἢ πολεμίους Ῥωμαίοις οὓς δοκιμάσειε ποιεῖσθαι. στρατιᾶς τε πάσης ὅση πέραν ἐστὶ τῆς Ἰταλίας, ἄρχειν ἔδωκαν· ἅπερ οὐδ' ἑνὶ πω πάντα πρὸ τοῦδε ὁμοῦ πάντα ἐδόθη. καὶ ἴσως αὐτὸν καὶ διὰ τοῦτο Μέγαν στρατηγὸν ὀνομάζουσιν. id eſt, His ita celeriter & præter omnium opinionem confectis, Ro- C mani Pompeium, qui tum adhuc erat proximè Ciliciam, maiorem in modum efferentes, elegerunt ducem belli Mithridatici, cum eodem ſummo imperio ac poteſtate: vt quicunque ratione vellet & paciſceretur, & bellum gereret, & amicos aut hoſtes Romanis, quos illi videretur, faceret. exercitúſque omnis qui extra Italiam eſſet, imperium ei dederũt. quæ nemini adhuc omnino antea ſimul omnia data fuerant. & fortaſſe eum etiam ob eam cauſam Magnum Imperatorem appellant.

D *Veſtris ampliſſimis beneficiis affectus Q. Catulus.* Omnibus functus honoribus. Conſulatu quidem XII ab hinc annis, collega M. Æmylio Lepido. nam hæc ſunt populi beneficia, vt ſæpe dixi.

Summis ornamentis honoris. Omnes adepti magiſtratus. Conſulatum autem ante annos tres, collega C. Cæcilio Metello.

Omiſſis auctoritatibus, ipſa re ac ratione. Similiter lib. 1. De nat. deo. Non tam, inquit, auctoritatis in di- E ſputando, quàm rationum momẽta quærenda ſunt. cuius ferè conſimilis eſt apud Platonem ſententia, in dialogo qui Laches inſcribitur, ἐπιστήμῃ γὰρ οἶμαι δεῖ κρίνεσθαι, ἀλλ' οὐ πλήθει, τὸ μέλλον καλῶς κρίνεσθαι.

Ad vnum tamen omnia deferri non oportere. Deferri hac lege ad Pompeium omnia Plutarchus docet in eius vita, his verbis, quæ quia ad hunc locum intelligendum magnopere conducunt, ſubſcribemus. γράφει νόμον εἰς τὴν δημαρχίαν Μάλλιος (Μάλ- F λιος legitur in libris quos vidi omnibus) ὅσης Λεύκολλος ἄρχει χώρας καὶ δυνάμεως, Πομπήιον παραλαβόντα πᾶσαν. προσλαβόντα δὲ καὶ Βιθυνίαν ἣν ἔχει Γλαβρίων, πολεμεῖν Μιθριδάτῃ καὶ Τιγράνῃ τοῖς βασιλεῦσιν. ἔχοντα καὶ τὴν ναυτικὴν δύναμιν, καὶ τὸ κράτος τῆς θαλάσσης, ἐφ' οἷς ἔλαβεν ἐξ ἀρχῆς. τοῦτο δὲ ἦν ὑφ' ἑνὶ συλλαβόντα γενέσθαι τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν· ὧν γὰρ ἐδόκει μόνων ἐπαρχιῶν μὴ ἀφικνεῖσθαι τῷ προτέρῳ νόμῳ, Φρυγίας, Λυκαονίας, Γαλατίας, Καππαδοκίας, Κιλικίας, τῆς ἄνω Κολχίδος, Ἀρμενίας, αὗται προσετί- G θεντο μετὰ στρατοπέδων, καὶ δυνάμεων, αἷς Λεύκολλος κατεπολέμησε Μιθριδάτην καὶ Τιγράνην. Manilius, inquit, vnus e Tribunis pl. legem fert, vt prouincia tota cui Lucullus præfuiſſet, omnéque illius imperium Pompeio tranſmitteretur: adiungeretur etiam Bithynia, quæ Glabrioni obuenerat: itáque bellum aduerſus reges Mithridatem & Tigranem adminiſtraret. hoc amplius, claſſem quoque & copias omnes nauales haberet, quas initio belli maritimi habuerat. quod quidem aliud nihil erat, quàm ad vnum vniuerſum planè Romanorum imperium deferri. quas enim ſolas ſuperiore lege prouincias non videbatur habuiſſe, Phrygiam, Lycaoniam, Galatiam, Cappadociam, Ciliciam, Colchidem ſuperiorem, Armeniam, hæ omnes adiunctæ atque attributæ ſunt, vnà cum exercitu & copiis, quibus Lucullus Mithridatem & Tigranem reges deuicerat.

Obſoleuit iam iſta oratio. Reiecta ac repudiata eſt. tranſlatè dicitur ab iis, quæ ex vſu remota reiiciuntur.

Contra virum fortem A. Gabinium. Tribunum pleb. qui legem tulit de adminiſtratione belli maritimi Pompeio mendanda. Extant apud Dionem Gabinij & Catuli orationes contrariæ. idémque Dion & præterea Plutarchus auctores ſunt, legem magna Senatus diſſenſione latã eſſe: & alterũ Conſulem cùm vehementius legi refragaretur, propè à plebe diſcerptum fuiſſe. Catulum quidem ſumma contentione primùm repugnaſſe: ſed poſtea cognito tanto populi ſtudio atque voluntate, deſtitiſſe. Cicero autẽ in Orat. pro Cornelio, apud Asconium, & ipſe quoque Asconius L. Trebellium Tribunum pleb. pertinaciter interceſſiſſe ſcribunt, Senatuíq; promiſiſſe, moriturum ſe antè, quàm illa lex perferretur: cùm Aulus Gabinius introuocare tribus cœpit, vt Trebellio magiſtratum abrogaret: & aliquandiu Trebellium ea re non perterritum adfuiſſe, perſtitiſſéque in interceſſione, quòd omnia magis, quàm perſeueraturũ eſſe Gabiniũ, arbitrabatur. ſed poſtquã X & VII tribus rogationem acceperũt, & vna mens eſſet populi qui ſupererat. vt iuſſum cõficeret, remiſit interceſſionẽ Trebellius: atq; legem Gabinius de piratis perſequendis pertulit. Qua de re etiam Dion eodem loco meminit.

Ex hoc ipſo loco. Ex ſuperiore loco, ex Roſtris.

Legati, Prætores, Quæſtoreſq; capiebantur. De Legatis & Prætoribus ſuprà dictum eſt. de Quæſtoribus nihil compertum habeo.

Commeatu & publico & priuato. Puto me iam ſ. dixiſſe tũ ex Plutarcho, tũ ex Appiano, ante conſtitutũ Pompeij imperiũ ſummã Romæ fuiſſe rei frumẽtariæ caritatẽ & inopiam. Dion autẽ li. XXXVI. ſic ſcribit, ἅτε γὰρ ἄλλο τι τῶν ἐπακτῶν ἐσπλέοντος οὐδενὸς, καὶ ἡ σιτοπομπία παντελῶς ἀπεκέκλειστο.

Vt neque priuatam rem. Mercatores nauigare non auderent.

Neque publicam iam obire. Magiſtratus qui in prouincias mittebantur, proficiſci non auderent.

Satis latè quondam mare tenuiſſe dicitur. Quàm latè docet Dionyſius Hal. lib. 1. Antiquit. R. his verbis, Ἀθηναῖοι μὲν γὰρ αὐτῆς μόνον ἦρξαν τῆς παραλίου, δυοῖν δέοντα ἑβδομήκοντα ἔτη, καὶ οὐδὲ ταύτης ἁπάσης, ἀλλὰ τῆς ἐντὸς Εὐξείνου τε πόντου, καὶ τοῦ Παμφυλίου πελάγους, ὅτε μάλιστα ἐν θαλάσσῃ ἐκράτουν. i. Athenienſes enim ipſius tantùm oræ maritimæ dominatum annos duodeſeptuaginta tenuerunt: ac ne illius quidem totius, ſed intra Euxinum Pontum & Pamphilum pelagus: quo tempore maximè maritimis viribus pollerent.

Permultum claſſe maritimiſque rebus. De Carthaginenſibus Appianus in Libyco ſic ſcribit: καὶ δυναστεύοντες ὅση ἄλλοις ἐκράτουν, καὶ πολλῆς θαλάσσης, ἀνδράσι τε πολλοῖς ἐστράτευον ἐς Σικελίαν, καὶ Σαρ-

A Σαρδόνα καὶ οἴσους ἄλλας, ὅσαι τῆσδε τῆς θαλάσσης εἰσί, καὶ ἐς Ἰβηρίαν. πολλαχοῦ δὲ καὶ ἀποικίας ἐξέπεμπον. ὥστε ἀρχὴ αὐτοῖς ὑπῆρξε δυνάμει μὲν ἀξιόμαχος τῇ Ἑλληνικῇ, πλουσίᾳ δὲ μετὰ τὴν Περσικήν. Id eſt, Cùmque iam magnam potentiam adepti eſſent, Libyam ſubiugarunt, mariſque magnam partem & longinqua bella gerebant in Sicilia, Sardinia, aliiſque inſulis quæ ſunt in illo mari, etiam in Hiſpania, multáque in loca colonias mittebant. ac potentia quidem hæc illorum fuit: vt cùm viribus quidem Græ- B corum potentiam æquarent, opibus ſecundū Perſas excellerent. Hæc ex verſione noſtra, quàm magno ſtudio inſtitutam reliquimus; quòd Appiani libros & mendis refertos, & magna ex parte ex Plutarchi παραλλήλοις deſcriptos perſpeximus. Quod ſanè vehementer admirati ſumus, cùm eadem ætate ambo fuerint: neque Plutarchi vllam Appianus mentionem faciat.

Non Rhodiorum. De Rhodiis Strabo lib. XIV his C verbis: θαυμαστὴ δὲ καὶ ἡ εὐνομία, καὶ ἡ ἐπιμέλεια πρός τε τὴν ἄλλην πολιτείαν καὶ τὰ ναυτικά, ἀφ' ὧν ἐθαλαττοκράτησε πολὺν χρόνον, καὶ τὰ λῃστήρια καθεῖλε. id eſt, Mirifica autem iuris legúmque conſtitutio, & cura tum de aliis quibuſque Reip. partibus, tum de rebus maritimis: ex quo factum eſt, vt diu maris imperium tenuerit, & piratas profligarit.

Non modò vtilitatem. Interceptis vectigalibus.

Sed etiam dignitatem. Ereptis XII. ſecuribus, captis quibuſdam Legatis, Quæſtoribus, & Prætoribus. D

Antiochum regem claſſe Perſenque ſuperarunt. Antiocho apud Thermopylas victo & Græcia expulſo, C. Liuius præfectus Romanæ claſſis adiuuante Eumene rege Aſiæ Polyxenidam Antiochi præfectum ad Corycum portum nauali prælio vicerunt, tredecim naues ceperunt cum milite ac remige, X demerſerunt. Anno inſequente L. Æmylius Regillus, qui Liuio ſucceſſerat, eundem Polyxenidam ad Myoneſum nauali prælio vicit, XLII nauibus in ea pugna potitus: quarum XIII captæ in E poteſtatem ipſius venerunt, cæteræ incenſæ aut demerſæ. Hæc ex Liuio libro XXXVI & XXXVII. De Perſe nauali pugna ſuperato apud Plutarchum nulla ſuſpicio. quin potius ſcribit Perſen apud Oreum cum Romanis prælio nauali proſperè decertaſſe, & XX naues onerarias cepiſſe, alias merſiſſe quæ frumento onuſtæ erant: & hoc amplius quatuor quinqueremibus potitum eſſe.

Omnibúſque naualibus pugnis Carthaginenſes. Annis à Carthagine condita ſeptingentis Romani Si- F ciliam eis ademerunt: pòſt Sardiniam: ſecundo bello Punico Hiſpaniam: & cum maximis copiis inter ſe bellarent, Pœni duce Annibale Italiam annos quindecim perpetuos: Romani duce P. Scipione maiore Libyam populati ſunt. donec Carthaginenſibus imperij ſummam, naues, elephantos ademerunt, & ſtipendium ipſis imperarunt. Secundæ induciæ inter Romanos & Carthaginenſes ad L. annos durarunt: donec illis diſſolutis tertium & poſtremum bellum inter ſe geſſerunt: quo bello Ro- G mani Carthaginem euerterunt duce Scipione minore: eámque ſacram eſſe voluerunt. Hæc ex Appiano, quem Latinum facere inſtituebamus.

Cum mercibus atque oneribus commeabant. Deli portus ſummam eſſe opportunitatem, Strabo libro Geog. X ſcribit. ſitam enim eſſe percommodè in Aſiam ex Italia & Græcia nauigantibus: nauigantium autem frequentiam ibi mercatum quendam efficere.

Nihil timebat. Propter populi R. ſocietatem. nā paulo antè fuerat Athenienſium. at hoc tempore capta fuerat à Mithridatis ducibus, vt idem eodem libro ſcribit.

Appia iam via carebamus. M. Valerio Maximo, P. Decio Muræna coſs. anno viceſimo poſt initiū Samnitici belli Appius Claudius Craſſus Cenſor, cui poſtea Cæco fuit cognomen, Appiam viam à porta Capena vſque ad vrbem Capuam muniendam curauit. Hoc ex Iulio Frontino. inde Brunduſium vſque munita eſt, vt Strabo docet lib. V, qui ad Tarracinam ſcribit Viam Appiam mare contingere: ἐστρωμένην μὲν ἀπὸ τῆς Ῥώμης μέχρι Βρεντεσίου. Prædones verò vniuerſum mare occuparant. quare Appiæ viæ pars maritima infeſta.

Non pudebat magiſtratus populi R. Quibus ſolis licebat in concionem aſcendere.

In hunc ipſum locum: Locum ſuperiorem, qui dicebatur Roſtra. de quibus Liuius libro VIII. Naues, inquit, Antiatium partim in naualia Romę ſubductæ, partim incenſæ: roſtriſque earum ſuggeſtum in foro extructum adornari placuit: Roſtráque id templum appellatum. Ex quo loco, & altero Plinij, quem modò proferemus, intelligitur, locum ipſum in quem concionatores aſcendebant, Roſtris ornatū fuiſſe: id eſt oratores ſuper ipſis roſtris ſtetiſſe, & ex iis, de loco ſcilicet ſuperiore, concionatos eſſe. Plinius enim li. XVI de coronis roſtratis loquēs, Anteà, inquit, Roſtra nauium tribunali præfixa fori decus erant: veluti populo Rom. corona impoſita. poſtquam verò Tribunitiis ſeditionibus calcari ac polluī cœpere: poſtquam vires ex publico in priuatum magis ſinguliſq; ciuium quæri, & ſacroſancta omnia profana fecere: tum à pedibus eorum ſubiere in capita ciuium Roſtra. Liuius lib. VIII, docet ſub Roſtris partē inferiorem fuiſſe, vnde & priuati vocem mittere poterant. & lib. XXXVIII, vbi de P. Scipionis Africani iudicio commemorat, Tribuni, inquit, in Roſtris prima luce conſederunt. Scipio reus citatus ad Roſtra ſubiit: ſilentióque facto, Hoc inquit, die cum Annibale pugnaui. Et paulo pòſt, ſub Roſtris & ſub Tribunorum pedibus reos ſtetiſſe oſtendit. Et hoc ipſum eſt, quod ſignificat Cicero ſcribens ad Atticum libro II, Poſtero autē die Cæſar, is qui olim, Prætor cùm eſſet, Q. Catulum ex inferiore loco iuſſerat dicere, Vectium in Roſtra produxit, eúmque in eo loco conſtituit, quò Bibulo coſ. aſpirare non liceret.

Dolori ſuo, quàm auctoritati veſtræ. Rectius dolori, quàm voluntati aut cupiditati. nam dolorem ęgritudinem modo dicit ex iniuria aliqua conceptam. De iniuria autem dictum eſt iam ſuprà multis locis.

Ne legaretur A. Gabinius. Legationem eius generis intelligit, quæ non à Senatu tantùm, ſed à populo etiā mittebatur omniū maximè honorifica, ſumptu publico, vt Legatus quaſi Imperatoris vicarius eſſet. ſed de generibus Legationū diximus in Verrina Orat. III. vnde cætera intelligentur.

Cùm cæteri ad expilandos ſocios. Lucullum, puto ſignificat, quem ſæpe in hac Oratione latenter pungit.

Qui conſilio ipſius atque periculo. Nam ſi quam exercitus offenſionem accepiſſet, eius offenſionis culpa Legiſlatori & auctori adſcripta fuiſſet.

A *Anno proximo Legati eſſe potuerunt.* Significat hūc morem fuiſſe, vt ne ij qui Tribuni pl. fuiſſent, Legati anno proximo iis eſſent Imperatoribus, qui Tribunis illis conſtituti fuiſſent.

Sunt tam diligentes. In retinendo more maiorum, quo Tribunis pleb. Legatis anno pòſt eſſe non licebat.

Etiam præcipuo iure eſſe deberet. Notanda locutio. nam hoc ipſum eſt, quod vulgò dicimus, Priuilegiū aliquod habere.

B *Ego me relaturum eſſe profiteor.* Quomodo? cùm Conſules in vrbe eſſent; & ei qui cum maiore poteſtate eſſet potiſſimum Senatus conſulēdi ius eſſet: vt ſcribit Varro apud Gellium libro XIV. Hoc eſt quod modò ſignificat, cùm ait, Neque me impediet cuiuſquam Quirites inimicum edictum. Oſtendit enim edicturos Conſules, ne quis minore cum imperio Senatum habeat. Prætores autem abſentibus Conſulibus Senatum habuiſſe Cicero declarat in C Epiſtola ad Plancum libro X: Placuit nobis vt ſtatim ad Cornutum Prætorem vrbis literas deferremus, qui quòd Conſules aberant, Conſulare munus ſuſtinebant more maiorum. Senatus eſt continuò cōuocatus, frequénſque conuenit, &c.

Veſtrum ius beneficiúmque defendam. Ius Præturæ ſignificat, & beneficium magiſtratus à populo accepti. nam Prætoribus quoque ius erat ad Senatum referendi, vt modò diximus.

D *Præter interceſſionem.* Varro apud Gellium eo quē ſuprà dixi loco ſcribit intercedendi ne Senatuſconſultum fieret ius fuiſſe iis ſolis, qui eadem poteſtate, qua ij qui Senatuſconſultum facere vellent, maióſve eſſent.

Si quid de eo factum eſſet. Valerius Maximus eodem prorſus modo, in lib. VIII, cap. XVI. Plutarchus ſic, Κάτλου δὲ κατὰ τοῦ νόμου προελθόντος πολλὴν μὲν αἰδούμενος ὁ δῆμος ἡσυχίαν παρέσχεν, ἐπεὶ δὲ πολλὰ μετὰ τιμῆς ἀνεπιφθόνως ὑπὲρ τοῦ Πομπηίου διελθὼν, συνεβούλευε φείδεσθαι, καὶ μὴ προβάλλειν τὸν E τοιοῦτον ἄνδρα κινδύνοις ἐπαλλήλοις καὶ πολέμοις. ἢ τίνα εἶπεν ἕξετε ἄλλον, ἂν ἀπολέσητε τοῦτον, ἐκ μιᾶς γνώμης ὑπεφώνησαν ἅπαντες, σεαυτόν. ὁ μὲν οὖν Κάτλος, ὡς οὐκ ἔπειθεν, ἀπέστη. id eſt, Cùm autem Catulus contra legem diceret, populus ipſum reueritus diu eum ſilentio attendit. Vbi verò multa largè & honorificè de Pompeio loquutus ſententiam dixit, Conſeruandum, neque obiiciendum periculis ac bellis continentibus talem virum: alioqui Quem, inquit, alium habituri eſtis, illum ſi amiſeritis? omnes vna voce acclamarunt, Teipſum. Catulus igi- F tur, cùm perſuadere non poſſet, deſtitit.

Semper in pace conſuetudini, in bello vtilitati. Huius rei exemplum ſuppeditat hiſtoria de C. Mario apud Valerium Max. Duas, inquit, Camertium cohortes, mira virtute vim Cimbrorum ſuſtinentes in ipſa acie aduerſus conditionem fœderis ciuitate donauit: quod quidem factum & verè & egregiè excuſauit, dicendo inter armorum ſtrepitum verba ſe iuris ciuilis exaudire non potuiſſe. Lege eundem Vale- G rium libro VII, cap. De neceſſitate.

Duo bella maxima, Punicum & Hiſpanienſe ab vno Imperatore eſſe confecta. Dicit P. Scipionem Æmylianum, qui cùm Ædilitatem peteret, & per decem annos Conſul fieri non poſſet, legibus ſolutus eſt: & Conſul creatus, extra ſortem in Africam miſſus, Carthaginem vrbem expugnauit ſeptingenteſimo anno, quàm erat condita. poſtea cùm vitio A ducum bellum Numantinum non ſine publico pudore duraret, delatus eſt vltrò Scipioni Africano à Senatu populóque Romano Conſulatus: quem cùm ille capere, ob legem quæ vetabat quenquam intra decem annos iterum Conſulem fieri licere, minimè vellet: ſicuti priori Conſulatu legibus ſolutus eſt. & quarto decimo anno poſt Carthaginem deletam Numantiam cepit, captámque deleuit.

B *Idem cum Iugurtha, idem cum Cimbris, idem cum Theutonis bellum adminiſtraret.* De bello Iugurthino confecto à C. Mario Conſule, & Iugurtha vincto L. Syllæ Quæſtori tradito, nota eſt hiſtoria ex Iugurthino Salluſtij. Liuius tradit, Iugurta in C. Marij triumpho ducto, & cum duobus filiis in carcere necato, decretam ei prouinciam Galliam fuiſſe propter Cimbrici belli metum, qui bellicoſis ſe Teuthonis cōiunxerant. duobus deinde prœliis eos C hoſtes deleuiſſe, in quibus cæſa traduntur hoſtium ducenta millia, capta nonaginta: Marium abſentem quintùm Conſulem creatum, triumphum oblatū, donec Cimbros viciſſet, diſtuliſſe: deinde iuncto Q. Catuli Proconſulis exercitu, prœlio eos viciſſe, in quo cæſa traduntur hominum centum quadraginta millia, capta ſexaginta. Cæſar Commenta. de bello Gal. I, ſcribit Cimbris & Theutonis à C. Mario pulſis, exercitum non minorem laudem, quàm ipſum imperatorem meritum fuiſſe.

D *Adoleſcentulum priuatum.* Annos tres & viginti natum. de hiſce omnibus cognoſce infrà.

Cùm à ſenatorio gradu ætas longè abeſſet. In hanc ſententiam Plutarchus ita ſcribit. Δῆλον δ' ἦν, ὅτι καὶ βουλῆς ἂν ἐθελήσας τότε ῥᾳδίως ἔτυχεν. ἀλλ' ἐσπούδασεν ὥς λέγουσι, τὸ ἔνδοξον ἐκ τοῦ παραδόξου θηρώμενος. οὐ γὰρ ἦν θαυμαστὸν, εἰ πρὸ ἡλικίας ἐβούλευε Πομπήιος, ἀλλ' ὑπέρλαμπρον, ὅτι μηδέπω βουλεύων ἐθριάμβευε. τοῦτο δ' αὐτῷ καὶ πρὸς εὔνοιαν ὑπῆρχε τῶν πολλῶν οὐ μέτριον. id eſt, Conſtat eum, ſi voluiſſet, facilè in Senatum legi potuiſſe. ſed id non ſtuduit (vt aiūt) E quippe rem glorioſam ex minus glorioſa captans. neque enim magnum erat, ſi Pompeius ante ætatē in Senatum legeretur: ſed hoc perinſigne fuit, quòd nondum in Senatum lectus triumphabat. Hoc autem ei ad populi beneuolentiam conciliandam non parum conduxit. Quæ verò legitima hæc ætas fuerit, mihi non ſatis conſtat. niſi fortè cum ſenatores ex magiſtratibus legerentur. primus autem magiſtratus Quæſtura fuerit, annum poſt F Quæſturam, dicamus fuiſſe Senatorium. Cicero Philipp. V. C. Cæſarem C. F. Pontif. Proprӕt. Senatorem eſſe, ſententiámque loco Prætorio dicere, eiúſque rationem, quæcunque appetet, ita haberi, prout haberi lege liceret, ſi anno ſuperiore quæſtor fuiſſet.

Equitem R. triumphare. Florus in Epit. Cn. Pompeius, inquit, in Africa Cn. Domitium proſcriptum & Hieram regem Numidarum bellum molientes victos interemit: & XXIV annos natus adhuc Eques R. quod quidem nemini contigerat, ex G Africa triumphauit. quod idem ſcribit Plinius libro VII.

Duo Conſules clariſſimi. Lepidus & Catulus. patet ex Floro & Appiano.

Ad bellum maximum. Sertorianum. infrà. Sed Cicero plerunque ad tempus loquitur, vt Philippica XI, De Cn. Pompeij imperiis, ſummi viri atque omnium principis, Tribuni pleb. turbulenti

tu lerunt

tulerunt. nam Sertorianum bellum à Senatu priuato datum eſt, quia Conſules recuſabant: cùm L. Philippus pro Conſulibus ſe eum mittere dixit, non pro Conſule.

L. Philippus. Orator, de quo Cicero cum multis locis, tum in Bruto his verbis, Duobus igitur ſummis Craſſo & Antonio L. Philippus proximus accedebat, ſed longo interuallo tamen proximus. Et paulo pòſt, Sed tamen erant ea in Philippo, quæ qui ſine comparatione illorum ſpectaret, ſatis magna diceret, &c.

Pro Conſule, ſed pro Conſulibus mittere. Hac de re Plutarchus in Pompeij vita ſic ſcribit, ὅτε δὲ φασὶν ἐν συγκλήτῳ πυθομένου τινὸς καὶ θαυμάζοντος, εἰ Πομπήϊον ἀνθύπατον οἴεται δεῖν ἐκπέμψαι Φίλιππος, οὐκ ἔγωγε φάναι τὸν Φίλιππον, ἀλλ' ἀνθ' ὑπάτων, ὡς ἀμφοτέρους τοὺς τότε ὑπατεύοντας οὐδενὸς ἀξίους ὄντας. id eſt, Quo tempore etiam aiunt in Senatu quærente quopiam & admirante, ſi Philippus Pompeium Proconſule mittendum exiſtimaret: reſpondiſſe Philippum, ſe non pro Conſule, ſed pro Conſulibus mittere: quaſi vtrunque eorum qui tum Cõſules erant, pro nihilo haberet. Ex hoc autem loco intelligi poteſt, quod puto me alibi dixiſſe, Proconſules non eos dici tantum qui ex Conſulatu in prouinciam cum imperio Conſulari mittuntur: ſed eos omnes qui quamuis Conſules non fuerint, tamen cum eo imperio mittuntur. vt in libro de Legibus I, L. Gellius ex Prætura Proconſule in Græciam miſſus dicitur. Athenis, inquit, audire ex Phædro meo memini Gellium familiarem tuum, cùm Proconſule ex Prætura in Græciam veniſſet, Athenis philoſophos in locum vnum conuocaſſe, &c. Atque vt noſtram ſemel de Proconſulibus & Proprætoribus ſententiam exponamus, ſic arbitramur: cùm antiquitus auctis imperij finibus Prætores crearentur, qui in prouincias ſummo cum imperio mitterentur (de quibus apud Liuium frequens eſt mentio) inſtitutum tandem fuiſſe, vt qui Romæ Conſulatum aut Præturam geſſiſſent, ij anno inſequenti in prouincias eodem cum ſummo imperio mitterentur: quæ iecirco Conſulares & Prætoriæ vocabantur. quarum illæ biennium obtinebantur, hæ annum vnum: vt teſtis eſt hic ipſe in prima Philippica. qui verò ex Conſulatu prouinciam obtinebant, Proconſules, ſiue Proconſule: qui ex Prætura, Proprætores, ſiue Proprætore dicebantur. De Proconſulibus quidem nemini dubium id eſſe arbitramur: de Proprætoribus verò quoniam dubitare nonnullos animaduertimus, teſtimoniis confirmandum videtur. Cicero lib. De diuina. II, Bellicam rem adminiſtrari maiores noſtri niſi auſpicato noluerunt: quam multi anni ſunt, cùm bella à Proprætoribus & Proconſulibus adminiſtrantur, qui auſpicia non habent? Quin igitur Gabinius qui ex Conſulatu Syriam obtinuit, Proconſul: quin Verres qui ex Prætura Siciliam, Proprętor dici poſſet, dubitaturum neminem exiſtimamus. Atenim Prætor hic perpetuò nominatur. Ita eſt: ſed aut Pręturam magiſtratum eſſe annuum negemus, aut per abuſionem id dici fateamur, neceſſe eſt. Repugnant enim Præturam Verris eſſe annuam, & Verrem Pręţorio imperio tum Romæ, tum in Sicilia quadriennium præfuiſſe. Ac ne cui mirum videatur, verbum Prætoris pro Proprætoris vſurpari, locum ex Verrina IIII, ſubiicribemus, in quo & Conſul pro Proconſul, & Prætor pro Proprætor perſpicuè vſurpatur: Cùm id quod omnes intelligebant diceret Heraclius, legem eſſe Rupiliam, quam Prætor Rupilius ex s.c. de decem Legatorum ſententia dediſſet, hoc omnes ſemper in Sicilia Conſules Prætoreſque ſeruaſſe, &c. Sententiam noſtram nunc ita perſpicuè confirmabimus, vt quod amplius dubitetur, nihil futurum ſit. Celius ad hunc noſtrum ſcribens libro Epiſt. VIII, ſic ait, Itémque Senatui placere, in Ciliciam prouinciam inque VIII reliquas prouincias quas Prætorij pro Prætore obtinerent, eos qui Prętores fuerunt, neque in prouincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex s.c. cum imperio in prouincias pro Præture mitti oporteret, eos ſortito in prouincias mitti placere: & quæ ſequuntur. Videmus, opinor, apertè nunc eos ipſos qui Prætorij erant, Prætorio imperio in prouincias mitti moris fuiſſe. In quo tamen illud intelligendum eſt, tametſi more id inſtitutóque fieret, vt qui ex Prætura Conſulatúve exirent, in prouincias Proprætorio Proconſularive imperio mitterentur, eóque hi magiſtratus eſſent ordinarij: nunnunquam tamen extra ordinem tum Proprætores, tum Proconſules mitti conſueuiſſe, quorum imperium extraordinarium appellabatur. velut in his duobus, de quibus modò commemoratum eſt, Cn. Pompeio, & L. Gellio, quorum vterque cùm Conſul anteà nunquam fuiſſet, pro Conſule tamen in prouinciam eſt miſſus. nam de Pompeio quidem apertè id Cicero vndecima Philippica teſtatur: cuius verba paulo antè deſcripſimus. quod eodem modo intelligendum eſt in iis, qui cùm Conſules quidem fuiſſent, non tamen ſtatim ex Conſulatu in prouinciam proficiſcebantur: quẽadmodum Ciceroni viuuenit, qui quia aliquot poſt Conſulatum annis in Ciliciam Proconſul profectus eſt, propterea extraordinarium ſuum imperium appellat, in Epiſtolas x libri ad Atticum v. Faciam, inquit, vt ſumma modeſtia & ſumma abſtinentia munus hoc extraordinarium traducamus. Atque hæc quidem de Proconſulum imperio extraordinario. A quo Proprætorum extraordinarium imperium nihil omnino differre hinc intelligi poteſt, quòd Cicero Philippica XI imperium à Senatu in ſuam ſententiam C. Cæſari adoleſcenti, neque vllo vnquam magiſtratu functo, delatum vt Proprætor eſſet, extraordinarium appellat. Atenim (ait) C. Cæſari adoleſcenti imperium extraordinarium mea ſententia dedi. Significat autem s.c. quod in Oratione v perſcriptum eſt. Eiuſdemmodi fuit Cn. Piſonis imperium, de quo Salluſtius in Coniuratione Catilinæ ſic ſcribit: Poſtea Piſo in citeriorem Hiſpaniam Quæſtor pro Prætore miſſus eſt, adnitente Craſſo, &c. Non igitur aut Proconſulum aut Proprætorum perpetuò extraordinarium imperium fuit: quemadmodum placere quibuſdam video: ſed tum demum cùm in prouinciam aut ante Conſulatum Præturámve, aut non ſtatim ex Conſulatu Pręturáve, cum imperio mitterentur. Hæc cùm ita ſe habeant, illud tamen minimè ſilentio prætermittendum videtur, quoniam Prætoris vocabulo veteres pro eo qui exercitui præeſſet vtebantur (quemadmodum ex Aſconio notum eſt) eos qui Ducis exercitus vicarij relicti eſſent, (quos Locumtenentes generales Gallicè nominamus) Proprætore etiam appellari conſueuiſſe: quod vel ex eo intelligi licebit, quia Salluſtius in bello Iugurthino ſcribit Albinum Conſulem ad comitia profectum, Aulum fratrem in caſtris Proprætore reliquiſſe: quem paucis

A pòſt verſibus Legatum appellat. & in eodem, C. Marium in expeditionem profectum, L. Syllam Quæſtorem ſuum in caſtris pro Prætore reliquiſſe. Valerius autem Max. lib. II, cap. De diſciplina militari, L. inquit, Martius Tribunus militum, cùm reliquias duorum exercituum P. & Cn. Scipionum, quos arma Punica in Hiſpania abſumpſerant, diſperſas mira virtute collegiſſet, eorúmque ſuffragiis dux eſſet creatus, Senatui de rebus actis à ſe ſeribens, in hunc modum orſus eſt: L. MARTIVS B PROPRÆTOR. Cuius honoris vſurpatione vti eum Patribus conſcriptis non placuit, quia duces à populo, non à militibus ſolerent creari. Hæc Valerius. De Proconſulum autem & Proprætorum ordinario imperio lubet Appiani verba ex libro Syriaco ſubſcribere. καὶ στρατηγοὺς, inquit, ἐπὶ τὰ στρατεύματα ἔπεμπον, ὡς αὐτοὶ καλοῦσιν ἑξαπελέκεας, ὅτι τῶν ὑπάτων δυώδεκα πελέκεσι καὶ δυώδεκα ῥάβδοις, ὥσπερ οἱ πάλαι βασιλεῖς χρωμένων, τὸ ἥμισυ τῆς ἀξιώσεως καὶ τοῖς δὲ τοῖς στρατηγοῖς, καὶ τὰ ἡμίσεα τῶν σημείων. Quæ C nos cùm Appianum Latinum faceremus, ſic conuertimus: Imperatores cum exercitu miſerunt, quos ipſi Sex ſecurium magiſtratus (id eſt Proconſules aut Prætores) vocant: nam cùm vtantur Conſules duodecim ſecuribus, totidémque faſcibus, quemadmodum priſci Reges: dimidium autem poteſtatis illorum magiſtratus iſti habeant: inſignium etiã partem duntaxat habent dimidiam. Atque hæc quidem vſque ad Auguſti imperium ita ſe, quemadmodum diximus, habuerunt. Hic verò prouin- D cias ita diuiſit, vt aliæ Cæſaris, aliæ Populi dicerentur. Cæſaris, quæ validiores erant, & quas annuis (vt Suetonius ſcribit) magiſtratuum imperiis regi nec facile nec tutum erat. Has igitur ipſe ſuſcepit, in eáſque rectores mittere inſtituit viros (vt ait Strabo) tum Conſulares, tum Prætorios, tum etiam Equites. quos & ille generali nomine ἡγεμόνας, & Iuriſconſulti in Pandectis Præſides appellant. Nomen (inquit Macer) Præſidis generale eſt, eo quòd & Proconſules, & Legati Cæſaris, & o- E mnes prouincias regentes licet Senatores ſint, Præſides appellantur. Vbi tamen SENATORES NON SINT cum negatione legendum videtur: vt Equites ſignificet, de quibus hoc ipſum Strabo teſtatur. Populi autem prouinciis qui præerant, Proconſules (vt ait Suetonius) dicebantur. vnde caput eſt in libro Pandectarum I, De officio Proconſulis: quod ad populi prouinciarum ſolos rectores pertinet. Nã etſi Populus in ſuas prouincias στρατηγοὺς ἢ ὑπάτους (vt Strabo appellat) id eſt, Prætores & Conſules F (quibus nominibus abuſus eſt pro Proprætores & Proconſules, vt continuò pòſt demonſtrat) tamen vtróſque Proconſulum nomine appellari ſolitos & Suetonius teſtatur, & ex Pandectarum libris facile intellectu eſt. cùm ſcilicet extraordinarium eſſet eo tempore propè omnium in prouinciis imperium. eóque generali nomine (vt paulo antè moris fuiſſe oſtendimus) Rectores omnes appellarentur. Nam, vt in eiuſdem Imperatoris vita Suetonius ſcribit, Auguſtus auctor Senatui fuit, ne magiſtratus depo- G ſito honore ſtatim in prouincias mitterentur: & vt cura ærarij à Quæſtoribus vrbanis ad Prætorios Prætoréſve tranſiret.

Ex S.C. legibus ſolutus. Solui legibus dicuntur, quibus præcipuo iure vt ſint, neque legibus teneantur, Senatuſconſulto permittitur.

Conſul antè fieret, quàm vllum magiſtratum per A *leges capere licuiſſet*. Annos natus XXXIII plus minus vt conſtabit computanti annos à Sertorio & Pulchro COSS. quo tempore annum agebat ætatis XXIV, vt ſcribit Florus in Epitome. Licebat autem primum honorem gerere, Quæſturam ſcilicet, qui minor eſt magiſtratus, anno XXVII. ſed curulis magiſtratus is non erat. primus erat Ædilitas, cuius annus legitimus erat XXXVII. itáque Valerij locum interpretor, quem modò ſubiiciam, Initia magiſtra- B tuum à ſummo imperio cepit. At P. Scipio Africanus Ædilitatem capere poterat. Prætura gerebatur anno XL. Conſulatus anno XLIII.

Iterum Eques R. ex S.C. triumpharet? Victo Sertorio. & ita Plinius libro VII, capite De laude Cn. Pompeij, & Valerius Max. libro VIII, Eques R. inquit, Proconſul in Hiſpaniam aduerſus Sertorium pari imperio cum P. Metello principe ciuitatis miſſus eſt: nondum illum honorem auſpicatus, bis triumphauit: initia magiſtratuum à ſummo imperio ce- C pit. Sed quomodo Equitem R. appellat. cùm Florus in Epitome Quæſtorem dicat miſſum aduerſus Sertorium, Quæſtura autem prima Senatoria adminiſtratio dicatur ab Aſconio & aliis? Huic ego quæſtioni ſic reſpondeo: non omnes qui magiſtratus gerebant, etiam curules ac maiores, Senatores fuiſſe: ſententiam tamen in Senatu eis dicere licuiſſe. nam, vt ſcribit Feſtus Pompeius, ij qui poſt luſtrum conditum ex iunioribus magiſtratum cepere, in Senatu ſententiam dicunt: non tamen Senatores vocã- D tur antequam in ſenioribus ſint cenſi. Itaque Valerius Max. libro II, P. Craſſum triennio antè Quæſtorem factum ſcribit, quàm in Senatorum ordinem à Cenſoribus conſcriptum. quo vno modo, inquit, etiam iis qui honores geſſerant aditus in curiam dabatur. Sed melius eſt A. Gellij verba ſubſcribere, quæ ad hunc locum magnoperè pertinent. Videtur, inquit, eos ſignificare, qui nondum à CESS. in Senatum lecti, Senatores quidem non erant: ſed quia honoribus populi vſi quidem erant, in Sena- E tum veniebant, & ſententiæ ius habebant. nam & curulibus magiſtratibus functi qui nondum à Cenſoribus in Senatum lecti erant, Senatores non erant. & quia in poſtremis ſcripti erant, non rogabantur ſententias: ſed quas principes dixerant, in eas deſcendebant. Hoc ſignificabat edictum, quo nunc quoque COSS. cùm Senatores in curiam vocant, ſeruandæ conſuetudinis cauſa tranſlatitio vtuntur: Senatores, quibuſque in Senatu ſententiam dicere licet. hæc Gellius. Huius autem edicti mentionem F Liuius facit in lib. XXIII. Conſules, inquit, edixerunt, quoties Senatum vocaſſent, vti Senatores, quibuſq; in Senatu dicere ſententiam liceret, ad portam Capenam conuenirent. Quo in libro, paulo ſuprà, ea quæ modò dicebamus planiſſimè confirmat. Dictator, inquit, recitato vetere Senatu, inde primum in demortuorum locum legit, qui poſt L. Æmylium & C. Flaminium Cenſores curulem magiſtratum cepiſſent, necdum in Senatum lecti eſſent, vt quiſq; eorum Senator primus creatus erat. Tum legit, qui G Ædiles, Tribuni, & Prætores, Quæſtoréſve fuerant. Idem lib. XXXVI, P. Cornelius COS. edixit, qui Senatores eſſent, quibúſque in Senatu ſententiam dicere liceret, quíque minores magiſtratus eſſent, ne quis eorum ab vrbe abiret, &c.

A Nobis cõprobatam ſemper eſſe. Vos ſemper illorũ conſilium ſequutos, cùm hæc in illo pater conſuetudinem & maiorum inſtituta conſtituebant.

Præſertim

A *Præſertim cùm iam ſuo iure.* Suo iure, ſine illorum auctoritate: & quaſi iam iſtorum auctoritati minus eſſet obnoxius, æquum leuem euentus eſſe iudicat.

Difficile eſt in Aſia. Cùm & procul à vobis remoti ſint, & in locis verſentur opulentiſſimis.

Cilicia, Syria. Hoc amplius veteres, & impreſſi nonnulli. Cilicia, Lycia Syria: quod non reiicio. nam facilè ob ſimiles propinquasque ſyllabas prætermitti potuit.

B *Veſtrum imperatorem.* Enallage, pro Veſtros imperatores.

Propter multitudinem. Quales enim plerique ſunt tales eſſe omnes exiſtimantur.

Nemo arbitrabatur. Arbitratur, omnes alij libri: & ſic emenda.

Hoc anno cum imperio miſimus, Glabrionem ſignificare videtur, qui ſucceſſor Lucullo miſſus fuerat.

Vrbes iam locupletes. Senſus eſt, Vrbes iam locu- C pletes omni ſtudio à rapacibus & auaris magiſtratibus requiruntur, quæ bello laceſſantur, & quibus detur occaſio belli aduerſus nos excitandi, vt poſtea feneſtram apertam habeant ad eas vrbes, vt pote hoſtiles, expilandas ac diripiendas.

Tribuni militum. Singulis legionibus, quæ ſex millium militum erant, ſeni præficiebantur: qui interdum populi ſuffragiis interdum Imperatorum beneficio creabantur.

Manus, oculos, animum. Alludere videtur ad Sophoclis præceptum, de quo lib. De offic. I ſic com- D memorat, Pericles cùm haberet collegam in Prætura Sophoclem poetam, hique de communi officio conueniſſent, & caſu formoſus puer præteriret, dixiſſétque Sophocles, O puerum pulchrum Pericle. ait, At enim Prætorem Pericle decet non ſolùm manus, ſed etiam oculos abſtinentes habere.

Videbat enim populus R. Reſtituo, Populum Romanum. eſt enim ſenſus, Ora maritima videbat pecuniam publicam & vectigalem non referri in æ- E rarium, vt populi R. vniuerſi fieret, ſed à paucis ciuibus potentioribus interuerti: cùm alij Imperatores ante Pompeium in maritimas regiones mitterentur.

P. Seruilius. Cognomento Iſauricus: qui annos ab hinc XIII Conſul cum Appio Claudio fuit: quo anno Sylla Dictaturam depoſuit, vt Appianus auctor eſt. Is Proconſul in Cilicia, Iſauros domuit, cum Prædonibus aliquoties conflixit, arces eorum validiſſimas Phaſelim & Olympũ euertit: Iſaurúmque ipſam Ciliciæ arcem ſuſtulit: vnde Iſauricus B cognominatus eſt. Strabo libro XVI, & Florus in Epit.

Eſt C. Curio. C. Scribonius Curio, qui cum Cn. Octauio Conſul fuit annis ab hinc decem. Proconſul Dardanos in Thracia domuit. Florus.

Cn. Lentulus. Qui cum L. Lucullo Conſulatum geſſit ſex ab hinc annis. Conſul cum Spartaco pugnauit. Plutarchus.

Hac poteſtate Prætoria. Quæſtura de pecuniis repet.

C *Qui huic loco templóque præſident.* Plinius libr. XXXIV, cap. De ſtatuis, tres Sibyllæ ſtatuas iuxta Roſtra fuiſſe tradit: vnam quam Sex. Pacuuius Taurus AEdilis pl. reſtituit: duæ, quas M Meſſala. Et eodem rurſus lib. aliquanto pòſt Herculis ſtatuam nominat, tunicati, Eleo habitu, toruæ facie, &c. Suetonius autem in Iulio ſimulachrum Veneris genitricis pro Roſtris fuiſſe teſtatur.

Noſtra illa laborioſiſſima vitæ ratione. In priuatorũ periculis propulſandis. Idcirco initio dialogi De D oratore hãc vitæ rationem in cauſis agendis occupatam, ambitionem appellat. Si infinitus, inquit, forenſium rerum labor, & ambitionis occupatio decurſu honorum etiam ætatis flexu conſtitiſſet.

Mihi nõ neceſſarias, vobis non inutiles. Quid ſignificat? Tacitè, opinor, Lucullo & aliis, qui hoc anno vel cum imperio, vel cum Legatione in Aſiam miſſi ſunt, quorumque ſimultates ſubiturum ſe ob hanc cauſam intelligit, denũtiat fore: vt per earum ſimul- E tatum cauſam, eos in iudicium adducat, & plurimas res ab iis minus honeſtè geſtas patefaciat.

M. T. CICERONIS.

PRO C. RABIRIO PERDVELLIONIS REO, ORATIO XVIII.

Argumentum huius orationis petendum eſt ex Obſeruationum noſtrarum lib. II. Cap. VIII.

COMMENTARIVS.

QVIRITES. Hoc vocabulo vtebantur oratores in Comitiis vel tributis vel cẽturiatis, in quibus iudex populus ſuffragia ferebat.

Periculis. Hoc verbum vſque eò vſitatum erat in iudiciis, vt etiam pro inſtrumentis cauſſarum, hoc eſt literis, tabulis & quibuſuis ſcripturis vſurparetur. Vnde Cic. Verr. IV. pericula magiſtratuum dixit committi ſcribis.

Capitis, famæ, fortunarum. Perduellionis damnati virgis cæſi & vnco per vrbis vias tracti, ad extremũ cruci, ſeruorum inſtar, ſuffigebantur.

Dignitas hominis. Rabirium Senatorij ordinis fuiſſe, teſtatur Dio lib. XXXVII.

Perpetua conſuetudo. Semper Cicero defendere ſolitus eſt. Vnicum C. Verrem, qui Prætor Siciliam expilarat, accuſauit. Maxima autem & gloria paritur & gratia defenſionibus, eóque maior ſi quando accidit vt ei ſubueniatur qui potentis alicuius opibur circumueniri vrgerſque videatur, inquit Cic. de Off. II.

Conſulatus ipſe. Egit hanc cauſam Cicero Conſul, egit & aliquanto poſt L. Murenæ cauſſam: prætor A. Cluentium defendit. Ædilis deſignatus Verrem accuſauit. Notanda conſuetudo, vt quamuis ſummis magiſtratib. fungentes tamen priuatorum cauſſas agerent.

Iuſtæ inimicitiæ. Nam Labienus eius accuſator iniuſta de cauſa Rabirio inimicus erat, quaſi Saturninum ipſius patruum interfeciſſet.

Summum auxilium. Significat S. C. extremæ neceſſitatis: de quo in libello de Senatuſconſultis abundè diximus.

Conſenſu bonorum. Significat conſenſionem eorum qui Conſulum imperio armati Saturninum è Capitolio egredientem oppreſſerunt.

Senectus. Annis abhinc XXXVI. Saturninum interfecerat. Si iam tum Senatur erat, annum nunc agit ſexageſimum ſextum nam Senatoria ætas annorum fuit XXX. Sed ſolitudinis verbum addidit oratoriè ad inflectendos populi animos, ad miſerationem quaſi afflicti & innocentis rei, cum tamen à Principib. ciuitatis defenderetur. Nam ſolitudo dicitur eorum qui ab omnibus derelicti ſunt.

Suam ſalutem. Callidè ſuſpicionem iniicit inſidiarum à Labieno accuſatore.

Seditionum vias. Qualis illa ſeditio fuit, quam Saturninus tribunus pl. ſeditioſus ac turbulentus annis abhinc ſex & triginta excitauit.

Summum in COSS. imperium Fuere quidem Conſules cum ſummo imperio ſi reliquos magiſtratus

A ſpectemus, ſed ſumma imperij vis fuit penes populum: quia reſp. R. ex tribus generibus temperata erat, plurimumque omnium democratia valebat. Fuit quidem in Conſulib. monarchiæ ſpecies, in ſenatu, Ariſtocratiæ, ſed penes populum ſumma vis imperij manebat. nam vt Dionyſ. Halic. ſcribit lib. IV. Vetus lex fuit, vt populus magiſtratus crearet, leges iuberet, bellum aut pacem decerneret. Sed vbi S. C. vltimæ neceſſitatis factum erat, vniuerſa populi poteſtas ad COSS. transferebatur. Cic. in ea poſt

B redit. in Senatu: Maiores noſtri cùm Regum poteſtatem non tuliſſent, ita magiſtratus annuos crearũt vt conſilium ſenatus Reip. præponerent ſempiternum. Huius ordinis auctoritate vti magiſtratus & quaſi miniſtrus grauiſſimi conſilij eſſe voluerunt.

Poſt hominum memoriam. Id eſt, hac hominum memoria, vel quantum huius ætatis homines meminiſſe poſſunt. Vetus locutio eſt illarum ſimillima,

C poſt homines natus, poſt vrbem conditam, poſt ſacra conſtituta.

Dimicatione capitis. Quod ſuperius dixerat, Periculo capitis. Capitale iudicium dicebatur, quo damnatus vel ciuitatem vel libertatem amittebat. ſed nunc propriè & Latinè dicitur quia perduellionis & parricidij damnatis vita adimebatur, alio crimine damnatis vita concedebatur.

Pacem ac veniam. Formula precationis Pontificialis, vt Seruius teſtatur. Pax petitur à Diis vt ſint

D placati, venia vt ſint propitij. Virgil. lib. I. Orantes veniam templum clamore petebant. Plautus in Trinumo: Larem corona noſtrum decorari volo. Vxor venerare vti nobis hæc habitatio bona, fauſta, felix, fortunatáque eueniat. Qui placare volebant Deos, limina templorum oſculabantur, interdum poſte caput tundebant. Tibullus lib. I. eleg. 2.

Non ego ſi merui dubitem procumbere tẽplis
Et dare ſacratis oſcula liminibus.
Non ego tellurem pedibus perrepere ſupplex

E Et miſerum ſancto tundere poſte caput.

Cic. pro Fonteio: Illi in bellis gerendis à Diis immortalibus pacem ac veniam petunt. Liuius li. I. vnã opem ægris corporibus relictam ſi pax & venia à Diis immortalibus impetrata eſſet.

Opt. Max. Cic. I. de nat. Deor. Iupiter antè optimus id eſt beneficentiſſimus quàm maximus dicebatur quia maius eſt certéque gratius omnibus prodeſſe quàm opes maximas habere.

Ad Deorum numen. Sic in ea poſt red. ad Quir.

F Vobis qui apud me Deorum immortalium numen ac vim teneris.

Mani-

Manibus ſuffragiiſque. Caſſia lex tabellaria dicitur à Cicerone vindex tacita libertatis, principium iuſtiſſimæ libertatis. Permiſit enim populus vt in iudiciis omnibus perduellione excepto, ne voce vt antea, ſed per tabellam ſuffragium ferret, atque ita quod ſentiret liberè declararet. Poſtea lata lex Cornelia eſt, quæ idem quoq; in perduellionis iudicio permiſit.

Curriculum. Iampridem reponendum cenſui, circulum, tranſlatè ab agitatoribus qui ex campo in gyrum equos in verſuras adigunt.

Semihora. Dies naturalis eſt tempus ab exoriente ſole ad occaſum ſolem: Nox tempus ab Occidente ſole vſque ad Orientem. Dies ciuilis eſt tempus vno cœli ambitu peractum, diem & noctem naturalem continens, hunc Romani mediis noctibus definiebāt. Ita ſemper æqualis apud illos fuit à media nocte ad mediam inſequentem. Dies itémq; nox naturalis diuiſa eſt antiquiſſimis temporibus in partes æquales duodenas, quas Horas appellarunt: vnde accidebat vt æſtiuorum dierum horæ longiores eſſent, noctium verò contractiores, viciſſimq; hybernorum dierum breuiores, noctium verò longiores ſolo excepto æquinoctio, in quo æquales ſunt horæ quales XXIV, ciuilem diem complent. Ciuilium enim dierũ ſemper XXIV. horæ fuerunt à media nocte ad mediam inſequentem. Agell. lib. III. cap. II. Macrob. Satur. I. c. III. & Cenſorin. de die nat.

De locis religioſis ac lucis. In lucis erant, vt ait Plinius, numinum templa, priſcóq; ritu Deo præcellētem arborem dicabant, nec magis auro fulgentia atque ebore ſimulacra quàm lucos & in iis ſilentia ipſa adoramus. Cic. de legib. II. ſcribit, moris fuiſſe vt in fundi villæq; conſpectu lucus eſſet, in eóq; larum religio, quos certis diebus Domini & famuli colebant.

Iurati iudices. Moris erat vt Iudices, antequàm tabellam ferrent iurarent ſe ex animi ſui ſententia iudicaturos. Prætor qui eos cogebat, non iurabat, quoniam quo die magiſtratum inierat in leges iurauerat.

Peculatu facto. Peculatus eſt crimen pecuniæ publicæ expilatæ.

Tabulario. Locus in quo tabulæ publicæ recondebantur Liuius XLIII. Cenſores ex templo in atrium libertatis adſcenderunt, & ibi ſignatis tabulis publicis, clauſóq; tabulario, & dimiſſis publicis ſeruis. Tacitus lib. XIII. Princeps curam tabularum publicarũ à Quæſtoribus ad præfectos tranſtulit.

C. Curtius. Legendum, Curius. nam C. Curius Rabiriã huius ſororem in matrimonio habuit, ex qua Curius natus eſt qui ab hoc Rabirio auunculo ſuo adoptatus dictus eſt, C. Rabirius Curianus.

Familiaris funeris. Prætoris edictum fuit, ne in ius vocare liceret eũ qui funus familiare duceret, iuſtáve mortuo faceret. l. 2. D. de in ius voc.

Legem Fabiam. Ne quis ſeruum alienum inuito vel inſciente domino celaret, vinctum haberet, emeret ſciens dolo malo. l. pen. & vlt. D. ad leg. Fab. de plagiar.

In iudicium vocarit. Ordo accuſationis hic fuit postulabatur aliquis, legibus interrogabatur, reus fiebat, in iudicium vocabatur, accuſabatur. Sed diē dicere Tribunorum pl. erat proprium qui ad populum accuſabant: quod priuatis hominibus nõ licuit.

Lex Porcia. Porcia lex memorabilis à M. Porcio Catone lata eſt, ne quis magiſtratus ciuem R. virgis

A cæderet, nec aréťve: cùm anteà nudatorũ ceruix inſereretur furcæ, corpus virgis ad necē cæderetur. Itaq; pœna damnatorum puſtica fuit, vel bonorum multatio, vel omnium publicatio, vel aqua & igni interdictio: nulla enim lex ciuē exſulio multabat, ſed interdicto vſu earũ rerum quibus vita conſtabat, vt ipſa exſulij neceſſitas impoſita dānatis intelligebatur.

Multæ irrogatione. Multarum ratio hæc fuit: Magiſtratus reo ad populum diem dicebat: ter eum accuſabat: poſt ei multam irrogabat, id eſt rogabat populum vt certa bonorum parte multaretur. Hæc irrogatio trinundinum vt ceteræ leges durabat: poſt per trinundinum quartò reus accuſabatur. ſi defenderetur, ea multæ irrogatio dicebatur: ſi damnabatur, multæ iudicatio.

Perduellionis. Perduelles ab antiquis dicebantur qui à nobis hoſtes. l. 234. De verb. ſignif. qui hoſtili animo in Remp. armati ſunt. l. vlt. D. ad leg. Iul. maieſt. Cùm quis ius libertatis populi R. violaſſet ive luti, ſi quis regnum adfectaſſet, ſi Tribunum pl. qui ſacroſanctus erat pulſaſſet, ſi ciuem R. virgis cæcidiſſet ſecuríve percuſſiſſet aut vllo ſeruili ſupplicio adfeciſſet.

Popularis eſt. Romæ alij Optimates dicebantur principes ciuitatis qui Senatus potentiam quibus poterant modis amplificabant: alij Populares qui plebis libertatem aduerſus Principum opes tuebantur. Horũ duces ac principes ſemper Tribuni pl. fuerũt.

In Campo Martio. Exactis Regibus ager Tarquiniorum qui inter vrbem & Tyberim fuit, conſecratus Marti Martius deinde campus fuit. In eo centuriata ſemper habita ſunt comitia, quia nonniſi imperato exercitu haberi non poterant: idque præſidij cauſſa dum populus erat in ſuffragiis ferendis occupatus. Agell. lib. XV. cap. XXVII. Liu. lib. XXIX. Maiores veſtri ne vos quidem niſi cum vexillo in arce poſito comitiorum cauſſa exercitus edictus eſſet, &c. In eo etiam luſitare adoleſcentes ſolebant vnde illud Off. I. Suppeditat autem campus noſter honeſta exempla ludendi.

Auſpicato in loco. Lex fuit vetus, Ioue fulgente tonante agi cum populo nefas eſto. Itaque neq; tributa neque centuriata comitia ſine auſpice nec niſi in loco inaugurato haberi licebat, hoc eſt ab Auguribus ad eam dicato & conſecrato: vt Liuius lib. III.

Cuſtos libertatis. Regibus exactis cùm patricij & nobiles nimia ſua potentia in tenuiores ciues abuterentur, plebs armata in montem ſacrum, qui tria ab vrbe paſſ. millia diſtat, ſeceſſit. Ibi à Senatu impetrauit, primùm vt quinque, deinde vt alij totidem libertatis ſuę cuſtodes defenſoréſq; crearetur, qui Trib. pl. dicti ſunt. Hiſtoria nota eſt ex Liuio & aliis.

Virgas, flagella, carnificem. Notandum diſcrimen inter virgas & flagella: inter lictorem & carnificem. Omnes lictores in vrbe domicilium habebant, & virgarũ faſces Conſulibus & Prętoribus pręferebāt. Carnifex extra vrbē habitabat, ne ciuitatē funeſtaret. Idem euocabatur ſi quis perduellionis dānatus eſſet, ſi quis vel ſeruus vel ex infima plebe à Triũuiris capitalibus dānatus eſſet: nolam & flagellũ geſtabat, præſertim cùm in damnatũ animaduerſurus eſſet, vt Zonaras teſtatur: nolā, vt omnes ab ipſius cōtagione cauerent: flagellum, quo damnatum cædebat. Sunt autem flagella ſummę arborũ partes, vt Seruius definit. Virgis autem lictores vtebantur ex arbore betulla. Betulla, inquit Plinius, terribilis magiſtratuum Virgis. Faſces autem ex bacillis & virgis conſtrictis

faſces conſtabant ſecuri inſerta vt eius acies exſtaret. Eas Magiſtratus, ſi quando cum populo ageret, ſtatim populo lictores ſubmittere iubebat, cùm Reges eas ſemper erectas geſtare permitterent.

C. Gracchus. Significat legem Semproniam à C. Sempronio Graccho latam. Leges enim ex familiæ nomine appellabantur.

Duumuiris. De hoc Regum inſtituto dictum eſt d. lib. II. Obſer. cap. VIII. Duumuiri hi ſunt, quos vulgus appellat Commiſſarios, quibus commiſſa eſt cura aliqua à Repub.

I lictor, colliga manus. Lex horrendi carminis erat, inquit Liuius. Duumuiri perduellionem iudicanto. ſi à Duumuiris iudicatum erit, prouocatione certato. ſi vincent, caput obnubito, infelici arbori reſte ſuſpendito: verberato vel intra pomœriũ vel extra pomœrium. Hac lege Duumuiri creati. cùm condemnaſſent, tum alter ex his, P. Horati te perduellionem iudico, inquit. Lictor colliga manus. &c. Inde lictorum nomen, vti Agellius teſtatur. Eſt autem Infelix arbor quæ fructum non fert, & in Deorum inferorũ tutela eſt, vt Macrobius & Plinius ſcripſerunt. Liuius li. II. Conſules ſpoliari hominem & virgas expediri iubent. Idẽ li. III. Lictores voca, virgas & ſecures expedi. Lib. IX. Tunc Papirius ſpoliari magiſtrum equitum, & virgas ac ſecures expediri iuſſit.

Caput obnubito. Moris erat vt Carnifices & lictores capita damnatorum inuoluerent. Cic. Verr. VII. Quid de illis dicemus qui capitibus inuolutis in pyratarum numero producebantur vt ſecuri ferirentur. Et mox: Capitibus inuolutis ciues R. ad necem producere inſtituit. Quinetiam deſperati ſibi caput inuoluebant. Horat. Sat. III. lib. II.

Nam malè re geſta cùm vellem mittere operto
Me capite in flumen.

Plaut. Moſtell. Fuge atque operi caput.

Patruus tuus. Saturninus è Capitolio egreſſus cum ducibus factionis, in his T. Labieno venit, ibiq. fuſtib. & ſaxis à populo trucidatus eſt, & in ipſa morte laceratus. Plin. iunior ſcribit, Caput Saturnini à Rabirio Senatore per quadriuia in ludibrium circumlatum.

Eius fratris. Duo fuerunt Gracchi eloquentiſſimi, Tiberius & Caius Sempronij. Vterq. Tribunus pl. fuit, vterque ſeditioſus ac turbulentus & Senatui infeſtus, vterque in ſeditione populi interfectus. Tiberius cùm iterum Tribunus pl. creari vellet auctore P. Naſica in Capitolio à primatibus occiſus eſt, ictus primùm fragmentis ſubſelliorum, & inter alios qui in eadem ſeditione interierunt inſepultus eſt in flumen proiectus. Caius autem ſeditioſo tribunatu acto cùm Auentinum montem armata multitudine occupaſſet à L. Opimio Cos. ex S. C. vocato ad arma populo pulſus atque interemtus eſt. Liu. lib. LVIII. & LXI.

Vrbis domicilio. Notandus locus, ex quo intelligitur primùm carnificem intra vrbem domicilium non habuiſſe, vt paullo antè diximus: deinde cenſorum notionem & iudicium fuiſſe quibus habitare in vrbe vel liceret vel non liceret.

Annalium. Cic. de Orat. II. Annales appellari ſcribit res ſingulorum annorum litteris mandatas. Commentarios autem regum ſignificat tabulas in quibus acta Regum perſcripta erant, & quæ in tabulario publico aſſeruabantur.

Obductio. Placet aliorum coniectura, vt Obnuptio A legatur, ex illis verbis: Caput obnubito.

Condicio. Sic legendum hoc ſenſu: Ea condicione quiſquam viuat vt in eum cadere ſeruilis ſupplicij cruciatus poſſit.

Vindicta. Hæc erat virga quam Prętor aut lictor manumittendi ſerui capiti imponens hæc verba pronunciabat: Hunc hominem liberum eſſe aio. ſimul dominus hęc dicebat, Abito quo voles, nihil te moror. Plaut. in Sticho: In hunc diem nihil te moror, abi quo lubet. Liu. X. Tu verò abeas neque te quiſquam B moretur.

Ab vnco. Quorundam criminum damnatis vncus in mentum impingebatur, atque ita per vrbis vias tracti in Tyberim deiiciebãtur. Sueton. Nemo punitorum non in Gemonias abiectus vncóque tractus in Tyberim. Ouid. in Ibin:

Pérque vias vrbis populo plaudente traheris,
Infixuſque tuis dentibus vncus erit.

Clamor iſte. Apparet populum vocem illam indignè tuliſſe, Saturninum hoſtem populi R. appellari. C Moris fuit in concionibus ſiquid Magiſtratus diceret quod populo placeret vt id acclamationibus exciperent, ſi quid diſpliceret, ad murmurarent & obſtreperent. Sic in Agrar. III. Video quoſdam Quirites, ſtrepitu ſignificare neſcio quid.

Cum telo Nemini ciui R licuit cum telo intra vrbem cum gladio cum cultro eſſe. Plaut. in Aulular. vbi Euclio Congrionem coquum increpat: Ad tres viros, inquit, iam deferam tuum nomen. quamobrem? quia cultrum habes. coquum decet.

D *Intereſſe aliquid*. Ius ciuile ita comparatum fuit, vt conſilium delinquendi æquè vt delictum ipſum vindicaretur. Cicer. pro Mil. Quaſi exitus rerum non hominum conſilia legibus vindicentur. Lex non minus eum qui hominis occidendi cauſſa cum telo fuerit quàm eum qui occiderit, punit. l. aut facta, 17. §. euentus, D. de pœn. Idem traditur in l. 7. C. de ſicar. In maleficiis voluntas ſpectatur non exitus l. 14. D. de ſicar. Hinc Paullus lib. Sent. 5. tit. 23. Qui E hominem occiderit aliquandò abſoluitur, & qui non occidit damnatur. Conſilium enim cuiuſque non factum puniendum eſt.

Fit S.C Hæc fuit grauiſſimi S.C. ſententia, quod in atrocioribus negociis atque extremis reip. periculis fieri ſolebat: Viderent coss. ne quid &c. darent operam &c. curarent &c. Eo S. C. dicebatur reſp. Conſulib. commendari, permitti, vt eam defenderent. Cic. Phil. V. Conſulib. totam remp. commendandam cenſeo, iiſque permitti, vt remp. defen- F dant, prouideantque nequid reſp. detrimenti capiat. Idem Phil. VIII: De ea re ita cenſuerunt vti Opimius Cos. remp. defenderet.

Qui remp. Qui exercitum ducturus erat ibat in Capitolium, inquit Seruius: inde vexilla duo ſumebat, vnum quo equites, alterum quo pedites euocabat, his verbis, Qui vult remp. ſaluam eſſe me ſequatur. Cic. pro C. Cornelio, apud Aſcon. At enim extremi ac difficillimi temporis vocem illam C. Corneli Conſulem mittere coegiſti, Qui remp. ſaluam G eſſe vellent vt ij ad legem accipiendam adeſſent. Liuius XXII: Audendum atque agendum non conſultandum in tanto malo eſſe. Irent ſecum extemplò armati qui remp. ſaluam vellent. Cic. Tuſc. IV. de Scipione loquẽs: Iratus fuiſſe videtur Tiberio Graccho tum cum Conſulem languentem reliquit, atque ipſe priuatus vt ſi eſſet Conſul qui remp. ſaluam eſſe vellet ſe ſequi iuſſit.

Ex

Ex compedibus Gracchus. L. Saturninus quendam libertini ordinis ſubornauit, qui ſe T. Gracchi filium fingeret. ad hoc teſtimonium Sempronia Gracchorum ſoror inducta, nec precibus nec minis adduci potuit vt dedecus familiæ adgnoſceret. artibus tamen ſuis effecit vt Tribunus pl. crearetur, quo in magiſtratu vnà cum Saturnino interfectus eſt. Val. Max. auctor lib. de vir. illuſtr. & Cic. multis locis.

Dignitatem iudiciorum. Soli Senatores perquandiu iudicia Romæ exercuerunt, poſtea lege C. Gracchi tranſlata ſunt in Equites. tum Sulla victor rurſus ea Senatoribus reſtituit. poſtremò C. Aur. Cotta Prætor legem tulit, vt inter ordines tres communicarent, Senatorum, equitum, & tribunorum ærarij.

Princeps Senatus. Vous è Senatoribus qui è Cenſoriis natu maior erat & multis præclaris rebus gloriam atque auctoritatem adeptus fuerat, princeps Senatus dicebatur, ac primus in ſenatu ſententiam rogabat. Liu. & Plutarch.

Meruiſti. Militaris ætas fuit ab anno ætatis XVII. quo Iuniores dicebantur ad annum XLVI. quo ſeniores dici incipiebant. Nulli autem, vt Polyb. & Plutarch. ſcribunt, magiſtratum gerere licuit niſi qui annos x. militaſſet & ſtipendium meruiſſet. Vnde merere & mereri ſtipendium dicebantur. Veterani erant emeriti qui annos xx. meruerant.

Præfectura. Præfecturæ dicebantur quædam regiones in Italia quibus propter defectionem & perfidiam ſuæ leges ſuíque magiſtratus ademti fuerant. Itaque Roma mittebãtur in eas quotannis præfecti qui in iis ius dicerent. Feſtus earum duo genera conſtituit. vnum earum in quas ſolebant quatuor ſéxve mitti qui populi R. ſuffragiis creati erant. alterum earum in quas Prætor vrbanus quotannis mittere ſolebat qui ius dicerent. Falſum eſt ergò quod nonnulli ſcribunt, præfecturas ius ciuitatis habuiſſe, Liu. XXVI. Habitari tantum tanquam vrbem Capuam frequentarique placuit. corpus nullum ciuitatis, nec ſenatus nec plebis concilium, nec magiſtratus eſſe ſine publico conſilio, ſine imperio multitudinem nullius rei inter ſe ſociam ad conſenſum inhabilem fore. Præfectum ad iura reddenda ab Roma quotannis miſſuros. Idem Cic. Agrar. II.

Coire ſocietatem ſalutis. Communi ſtudio non modò ſuæ ſaluti conſulere, verumetiam imminens à ſedibus periculum propulſare. Cùm periculum nominat, ſignificat magnam populi Romani multitudinem arma duce Saturnino ſumſiſſe.

Domeſticis vulneribus. Significat vulnera rei familiaris, hoc eſt æs alienum, vt deſperatione rei familiaris ad res nouas, ad conturbandum reip. ſtatum perfugerit.

C. Decianus. Valer. lib. VIII. c. I. C. Deciano ſpectatæ integritatis viro vox ſua exitium adtulit. nam cùm Publium Furium inquinatiſſimæ vitæ pro roſtris accuſaret, quia quadam in parte actionis de morte L. Saturnini queri auſus fuerat, nec reum damnauit, & inſuper adiectas ei pœnas pependit.

L. Titius. Valer. eodem loco: Erat innocens agraria lege lata, gratioſus apud populum. tandémque quia Saturnini imaginem domi habuerat ſuffragiis eum tota concio oppreſſit. Ambroſ. Off. I. Si tyranni aliquis habeat imaginem, nónne obnoxius eſt damnationi? Memini legiſſe me quoſdam capitali iudicio damnatos, quia Bruti & Caſſij interfectorum Cæſaris imagines adſeruaſſent.

Roſtra. Naues Antiatum partim in naualia Romæ ſubductæ partim incenſæ, roſtríſque earum ſuggeſtum in foro exſtructum adornari placuit. Roſtra id templum appellatum. Liu. lib. VIII. qui locum illum, vt Cicero perſæpe Templum vocat, quia veteres loca omnia auſpicata, inaugurata, auguriis conſtitura Templa vocabant. Ex illo ſuggeſtu, quod in foro fuiſſe diximus, conciones haberi ſolebant à magiſtratibus ad populum comitiis tributis, legéſque eodem ex loco ferebantur.

Natus eſſet. Significat Labienum iuuenem etiamnum fuiſſe. Tribunatus quidem pl. anno ætatis XXX. gerebatur: Quæſtura, XXXVII. Prætura XL. Conſulatus XLIII. Id legibus conſtitutum erat quæ propterea vocabantur Annales.

In periculum capitis arceſſas. Vetus locutio eſt pro Accuſare, vocare in iudicium vbi reus de capite & fortunis ſuis periclitetur.

Fraudem capitalem. Vlp. interpretatur, tale aliquid delinquere propter quod capite puniendus ſit. Veteres enim, inquit, fraudem pro pœna ponere ſolebant. l. 23. §. 2. D. de ædil. edict. Sed Fraudis verbum video à veteribus tribus modis vſurpatum. primum pro dolo, idque frequenter apud Iuriſconſultos. vnde fraus vulpecula apud Cic. deinde pro culpa, velut in formula, Ne illi fraudi ſit, id eſt, Ne illi culpæ imputetur. Poſtremò pro pœna, velut in formula, Se fraude eſto, id eſt ſine pœna.

Ætas illa. Significat C. Rabirium admodum adoleſcentem illo tempore fuiſſe quo Saturninum interfecit. Equitem tamen in fine orationis appellat. ergò annis XVII. maiorem: nam illo militare ſolebant. Sed mirè de ætate dicit, cùm ætas nulla criminis excuſationem adferat, niſi quæ à pubertate abſit. l. 3. D. de reg. iur. Agell. lib. XI. cap. XVIII.

Tribun. ærarij. Ærarium, locus in foro, in æde Saturnini, in quo publicæ pecuniæ deponebantur. Eius procuratio Quæſtoribus vrbanis & Tribunis ærarij mandabatur. Illi pecuniam publicam expenſam & acceptam in tabulas referebant: his pecunia, quam militibus in ſtipendium darent, adtribuebatur. Hæc Varro & Aſcon.

Parricidij. Scribendum cum vno R. Paricida eſt idem qui homicida, qui parem hoc eſt ciuem R. interfecit. At Parricida cum gemino R. is eſt qui patrem aut propinquos interfecit.

C. Marius. Hunc Cicero patrem patriæ hoc loco eo lubentius appellat, vt populo gratum faceret, pro quo Marius contra Senatum & nobilitatem pugnarat. vel etiam quòd Cimbros & Teutones, qui fuſo Q. Catulo COS. in Italiam irrumpebant, prœlio ſuperauit: pro qua victoria duo illi triumphi decreti ſunt, ſed vno contentus fuit.

Fides data. Conſules fidem publicam Glauciæ & Saturnino dederant, fore vt cum eis non vi ſed iure ageretur.

Siue S.C. Credo fidem publicam ordinario iure ſine S.C. dari non potuiſſe. ſed cùm reſpub. per S.C. vltimæ neceſſitatis conſulum fidei ac poteſtati per-

miſſa eſſet, credo etiam dandæ fidei publicæ poteſtatem iiſdem permiſſam fuiſſe. ergò hæc oratoriè dicuntur potiùs quàm verè. A

Magiſtratum gerere. Plutarch. in problem. ſcribit, Tribunatum pl. magiſtratum non fuiſſe, cùm Tribuni neque purpuram haberent neque lictores, neque in ſella curuli ſedentes ius dicerent, neque poteſtatem creato Dictatore deponerent more omnium magiſtratuum. Cic. tamen tribunatum pl. ſexcentis locis Magiſtratum appellat.

Scæua. Liu. epit. LXIX. indicat, manu Scænæ ſerui interfectum: ſed Rabirij manu conſtabat interemtum Saturninum adiutore Scæna. B

Fiſtulas. Florus lib. III. Tubos quibus aqua in Capitolium ducebatur præciſos ſcribit. Plutarch. in Mario. Appian. ciuil. I. Saturninus aquæ penuria coactus deditionem fecit.

Euentus. Plut. in Gracchis: Moris fuit, cùm de ciue capitale iudicium conſtitutum erat, ſi non adeſſet, vt claſſicum per vrbem ad concionem euocandam caneret, & ad extremum antè damnati ædes. Varro de ling. v. Quo die comitia erant, in arce claſſicum canat, endo circúmque mœros & antè priuati huiuſce T. Quinctij Trogi ſceleroſi hominis hoſtium canat, & vt in campo cum primo luce adſit.

PRO A. LICINIO ARCHIA POETA.

ORATIO XXVI.

ARGVMENTVM.

M PVPPIO, *M. Valerio* COSS. *Gracchus quidam Archiam Græcum hominem Antiochiæ natum, lege Plautia Papiria de ciuitate reum fecit, quòd falsò ſe pro ciue R. gereret. Hanc Cicero ita defendit, quaſi eadem lege ciuis eſſet. nam cùm ea lege cautum eſſet, vt qui fœderatis ciuitatibus, adſcripti erant, ſi tum cùm lex ferebatur in Italia domicilium haberent, & LX. diebus apud Prætorem eſſent profeſſi, contendit eum in ciuitatem Heracleam, de cuius fœdere conſtabat, adſcriptum fuiſſe, domicilium in Italia habuiſſe, & apud Q. Metellum Prætorem profeſſum eſſe. Ad Gracchi autem obiectionem qui Heracleinſium tabulas adſcriptionis teſtes poſtulabat, reſpondet eas Italico bello interiiſſe. ſed de domicilio leuiter admodum & perfunctoriè reſpondet: profeſſionis tamen tabulas edit. Reſtabat de Cenſu: nam qui à Cenſoribus in luſtro condendo cenſi non erant, ciues dici non poterant. Reſpondet igitur Archiam eo tempore in bello Aſiatico cum L. Lucullo adfuiſſe. Denique ſatis patet, maximam defenſionis partem non tam in æquitate cauſſæ, quàm in Archiæ commendatione conſumi: qui eum, quod poeta excellenti ingenio res Romanas ſcribat, ciuitate R. dignum & pro ciue R. retinendum eſſe contendit.*

COMMENTARIVS.

In qua me non. Mirum eſt ſtatim in ipſo exorſu hexametrum imprudenti excidiſſe. Sed hoc magis notandum eſt, moris fuiſſe, vt qui peregrini in ciuitatem R. recipiebantur, prænomen & nomen aliquod familiæ R. haberent, id eſt eius cuius beneficio vel auctoritate ciues R. fiebant. A

Huiuſce rei ratio. Rationem pro Arte poſuit, & illam adiungit nobilem diſputationem, de qua lib. de Orat. I. vtrum arte ac præceptis eloquentia paratur, an tota in quodam ingenij atque exercitationis genere ponenda ſit. Tria igitur complexus, naturam, artem & exercitationem, ex partium enumeratione docet, ſe Archiæ hoc defenſionis officium debere. B

Hunc principem. Auctorem, hortatorem, ducem.

Suſcipiendam & ingrediendam. Suſcepit, capto ab Archia conſilio: ingreſſus eſt, labore & exercitatione.

Cunctis penitus. Bis idem dixit: vt aliquis de gloſſa ſuſpicari poſſit. Alij *Vni* pro *cunctis* reponunt.

Commune vinculum. Hæc eſt illa Græcis ἐγκυκλοπαιδεία nominata: de qua Vitruuius initio lib. I. Fab. lib. I. & Cic. in III. de Orat.

Sed ne cui. Opportuna & planè neceſſaria excuſatio, cùm in foro exorſus eſſet tractare locum communem philoſophiæ περὶ ἐγκυκλοπαιδείας.

Quæſtione legitima. Legibus conſtituta. lege aliqua publicorum iudiciorum conſtituta.

Prætore exercente iudicium. Notanda locutio iudiciorum publicorum propria. nam in priuatis cauſſis

cauſſis iudex cognoſcere dicitur, & eius iudicium, cognitio. In publicis iudicium exercere & quærere.

Tanto conuentu hominum. Qui circum iudicum ſubſellia ſtantes coronam faciebant.

Erat Italia. Perſpicuè Latium ab Italia ſeparat. nam vniuerſa Italia ſic diuiditur, vt eius pars propriè Latium dicatur à Tiberi vſque L. millium paſſ. longitudine, qua in parte Roma fuit. tam tenues primordio imperij fuere radices (ait Plin.) Altera pars vniuerſale nomen retinuit Italiá que dicta eſt. Hinc alij Latini, alij Italici. Tertia, Gallia citerior in prouinciæ formam redacta. Hinc iura quatuor, Prouincialium, Italicorum, Latinorum, Quiritium ſiue ciuium R. nam cùm ex illis populis quidam bellum cum populo R. geſſiſſent, alij in pace manſiſſent, victor populus R. aliam atque aliam conditionem iuris ac libertatis iis permiſit. Hinc iuris gradus quatuor fuerunt. Optima conditio fuit Quiritium, incommodior Latinorum, infrà Latinos Italicorum, duriſſima prouincialium, deterior etiam peregrinorum & exterorum. At anno vrbis DCLXII. bello Italico confecto vniuerſa Italia in ciuitatem R. & XXXV. tribus recepta eſt. Tum autem eadem illa iuris varietas exteris populis tribui cœpta, vt aliis ciuitas, aliis ius Latij, aliis ius Italicum concederetur.

Ciuitate donarunt. Nota licuiſſe quidem in aliis gentibus plurium ciuitatum ciuem eſſe. at de ciuitate R. Cicero in ea pro Cæcina ſic ſcribit: Nam cùm ex noſtro iure nemo duarum eſſe ciuitatum poſſit, tum amittitur hæc ciuitas cùm is qui profugit receptus eſt in aliam ciuitatem. Item in ea pro Balbo: O iura præclara atque diuinitus iam inde à principiò R. nominis à maioribus noſtris comparata, ne quis noſtrum plus quàm vnius ciuitatis eſſe poſſit. Diſſimilitudo enim ciuitatum varietatem iuris habeat neceſſe eſt.

Hoſpitio. Moris fuit veterum vt quos amicitia dignos iudicarent, cum iis ius priuati hoſpitij contraherent.

Prætextatum. Artificioſè ſic loquitur pro, cùm adhuc eius eſſet ætatis qua ſunt noſtri prætextati: neque enim niſi firmata ætate Archias ciuis R. factus eſt.

Fortè ſimulabant. Cùm reuera à politioribus literis abhorrerent; tamen ne indocti haberentur, diſſimulabant.

Data eſt ciuitas. Lex Plautia Papyria lata eſt à M. Plautio Siluano. C. Papirio Carbone Tribunis pl. neque dubitandum eſt quin hoc loco Siluani reſtituendum ſit. Hi autem fuerunt Tribuni pl. Cn. Pompeio, L. Catone COSS. anno DCLXIV. Sed quæri poteſt, cur non lege Iulia potius quæ biennio antè lata eſt, ciuis R. factus dicatur. nam in ea pro Balbo ita ſcribit: Lege Iulia, qua ciuitas ſociis & Latinis data eſt, magna contentio Heracleinſium & Neapolitanorum fuit, cùm magna pars in iis ciuitatibus iuris ſui libertatem ciuitati anteferrent. Reſpondendum igitur, Archiam nondum illo tempore in eam ciuitatem adſcriptum fuiſſe.

Heracleam. In Orat. pro Balbo ſcribit, cum hac ciuitate propè ſingulare fœdus Pyrrhi temporibus C. Fabricio COS. ictum fuiſſe.

Si qui adſcripti. Idem valet ac ſi dixiſſet, iis qui adſcripti: & puto huc pertinere illud quod lib. Fam. XIII. ſcribit his verbis: L. Manlius eſt Soſis.

A is fuit Catinenſis: ſed eſt vnà cum reliquis Neapolitanis ciuis R. factus, decuriòque Neapoli. erat enim adſcriptus in id municipium, antè ciuitatem ſociis & Latinis datam.

Profeſſi eſſent. Suum nomen: id eſt, profeſſi eſſent velle ſe ciues R. eſſe.

Sexaginta diebus. Tria legis capita fuerunt, Si quis fœderatæ ciuitati adſcriptus eſſet, ſi in Italia domicilium haberet, ſi LX. diebus ceuſum apud Prætorem profeſſus eſſet; id eſt, intra diem ſexageſimum

B poſt latam legem.

De ciuitate ac lege. Cl. Puteanus vir doctiſſ. cenſet legendum, Hac ciuitate. quod Lambinus improbat, ego probo: nam hac lege reus erat Archias. deinde non de Heracleinſi ſed de Ro. ciuitate loquitur.

Italico bello. Latini, hoc eſt Italiæ populi ciuitatis R. multos annos expetiuerunt. tandem facta conſpiratione populo R. bellum intulerunt, quod modò Sociale dictum eſt, modò Marſicum, quòd à

C Marſis primùm ſit excitatum.

Tabulario. Locus in quo tabulæ publicæ adſeruabantur. Iuriſconſulti Archiua nominant l. 9. §. nonnunquam, D. de pœn.

Sedem fortunarum. Sic I.C. Domicilium ibi quis habere intelligitur, vbi larem rerúmque ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit. l. 7. C. de incol. l. in lege, 203. De verb. ſig.

In tabulis. Q. Metelli Prætoris, vt ſup. dixit.

Appij Gabinij. Hi Prætores fuerunt, apud quos

D incolæ domicilium profitebantur.

Papiam. Quam C. Papius Tribunus pl. tulit, vt peregrini vrbe expellerentur.

Cenſus noſtros. Cenſores à cenſu agendo, Liuius dictos ſcribit. Varro, Cenſorem dictum ad cuius cenſionem, id eſt, arbitrium populus cenſebatur.

Iulio & Craſſo. L. Iulius Cæſar, P. Licinius Craſſus Cenſores fuerunt Cn. Pompeio, L. Porcio Ca-

E tone COSS. anno DCLXIV.

Superioribus. L. Marius Philippus, M. Perpenna tertio poſt anni luſtrum LXVI. fecerunt. quo tempore in Aſia fuit Archias cum Lucullo quæſtore. Cenſura deinde intermiſſa fuit vſque ad annum DCLXXIII. quo L. Gellius Cn. Lentulus CESS. luſtrum LXVII. fecerunt. cùm Lucullus in Aſia bellum contra Mithridatem adminiſtrabat. Hi ſunt quos Cic. proximos appellat.

Teſtamentum fecit. Teſtamenti factio ciuium

F Ro. propria eſt. Itaque neque teſtamentum quiſquam facere neque teſtamento capere poterat, niſi qui ciuis R. eſſet, peregrinus non poterat. l. 8. D. de teſtam. Militare quoque in legione Ro. non aliis quàm ciuibus licebat. Ideóque ſoli ciues ad ærarium in beneficio deferri ab Impp. & beneficiarij milites fieri poterant. Qui enim cum imperio è prouinciis veniebant, ſi cuius militis fortis egregiáque opera in bello aut prœlio vſi erant, eius nomen ad ærarium deferebant, vt ex

G præda beneficium ei aliquod tribueretur. Porrò cùm de teſtamento loquitur, ius Quiritium ſignificat, quod Varro lib. de re ruſt. II. Sex hiſce partibus conſtare ſcribit: aditione hæreditatis, mancipatione, in iure ceſſione, vſucapione, emptione è præda ſub corona, & emtione in bonis ſectionéve. Ergò cùm teſtamenta per æs & libram fierent, id eſt per nexum & mancipationem,

qui teſtamentum illo ritu faciebat, ciuem ſe R. eſſe A oſtendebat.

In beneficiis. Locum hunc in Comment. de verb. iur. ſub voce BENEFICIVM interpretati ſumus.

Conuicio defeſſa. Patet igitur conuicium à vocum multitudine dictum eſſe. qua de re dictum in eod. comm. de verb. iur.

Creſcat oratio. Poëtarum lectionem oratoribus conferre docet Quinctil. lib. x. cap. I.

Pericula exilij. Omen de calamitate quàm paucis B poſt diebus accepit.

Profligatorum. Intelligit Catilinarios.

Roſcij morte. Quem Q. Catulus etſi eſſet oculis peruerſiſſimis, tamen oriente ſole pulcriorem eſſe iudicabat. Porrò Macrob. ſcribit, Ciceronem Roſcio hiſtrione tam familiariter vti ſolitum, vt res rationéſque ipſius ſua ſolertia tueretur. Satis conſtat, inquit, eum contendere cum illo ſolitum, vtrum ille ſæpius eandem ſententiam variis geſtibus efficeret, an ipſe per eloquentiæ copiam ſermone diuerſo C pronunciaret.

Poetam natura valere. Multa exſtant in hanc ſententiam: ſed illa præclara quæ ſcribit Horatius ſub finem libri de arte poet.

Homerum Colophonij. Vide Agell. lib. III. cap. II. Natura fieret laudabile carmen, &c.

Delubrum eius. Inſania hæc Græcorum fuit, vt delubra viris inſignibus ædificarent. non tantum: verum etiam Romanis magiſtratibus qui prouincias adminiſtrabant: feſtúmque diem illis conſecra- D rent. Vnde Verrea feſtus dies in Verris honorem, ſæpè in Verrin.

Lucullo imperante. Hæc omnia latè expoſita ſunt in Maniliana.

Carus Africano Ennius. Sic Val. Max. lib. VIII. cap. I. Superior Africanus Ennij poetæ effigiem in monimentis Corneliæ gentis collocari voluit, quòd ingenio eius opera ſua illuſtrata iudicaret.

Huius proauus Cato. Hic eſt M. Cato maior, cuius hoc elogium eſt apud Liuium: In hoc viro tanta vis E animi ingeniique fuit, vt quocunque loco natus eſſet fortunam ſibi ipſe facturus videbatur. nulla ars neque priuatæ neque publicæ rei gerendæ ei defuit. Vrbanas ruſticáſque res pariter callebat. ad ſummos honores alios ſcientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris prouexit. huic verſatile ingenium ſic pariter ad omnia fuit, vt natum ad id vnum diceres quodcunque ageret. in bello manu fortiſſimus, multíſque inſignibus clarus pugnis. Idem poſteaquàm ad magnos honores peruenit ſummus Impe- F rator. Idem in pace, ſi ius conſuleres, peritiſſimus: ſi A cauſſa oranda eſſet, eloquentiſſimus.

Rudium hominem. Rudiæ, vetus Calabriæ opidum. Silius Ital. Rudiæ genuere vetuſtæ, Nunc Rudiæ ſolo memorabile nomen alumno.

Latina ſunt. At Plinij tempore alia ratio, nam lib. III. cap. V. Italia, inquit, tot populorum diſcordes feráſque linguas ſermonis commercio contraxit ad commercia, & humanitatem, homini dedit, breuitérque vna cunctarum gentium in toto orbe patria B facta eſt.

Eodem gloriam. Deſiderari videtur quippiam eiuſmodi: eodem nominis noſtri gloriam.

Theophanem Mitylenæum. Strabo lib. XIII. hunc ſcribit Pompeio familiariſſimum fuiſſe, eiúſque res geſtas verſibus mandaſſe.

Corduba. Opido Hiſpaniæ, Senecæ & Lucani patria: quam tamen Martialis Facundam appellat: Duóſque Senecas vnicúmque Lucanum Facunda loquitur Corduba.

C *Trahimur laudis ſtudio.* Inſignem hac de re Xenophontis locum ex Tyranno deſcripſimus in Manilianæ commentariis.

Nomen inſcribunt. Sic Tuſc. I. Quid noſtri philoſophi? nónne in iis ipſis libris, quos ſcribunt de contemnenda gloria, ſua nomina inſcribunt?

Decimus Brutus. D. Iunius Brutus COS. cum Scipione anno DCXVI. in Hiſpaniam cum imperio profectus LX. Galleciorum millia oppreſſit, vnde Gallecius dictus eſt. Oroſius, Paterculus, Strabo.

D *Templorum ſuorum.* Valer. lib. VIII. cap. I. hac de re ſcribens, templa ſua interpretatur quæ ex manubiis ſuis conſecrauerat.

Fuluius. Hic eſt Q. Fuluius Nobilior appellatus, de quo in I. Tuſcul. Honorem tamen huic generi non fuiſſe declarat oratio Catonis, in qua obiecit vt probrum M. Nobiliori, quod is in prouinciam poëtas duxiſſet. duxerat autem Conſul ille in Ætoliam, vt ſcimus, Ennium. Item in lib. declar. Orat. Q. Nobiliorem M. F. iam patrio inſtituto deditum ſtudio E literarum, qui etiam Q. Ennium, qui cum patre eius in Ætolia militauerat, ciuitate donauit.

Qua detracta. Sic de Offic. I. vix inueniri qui laboribus ſuſceptis periculíſque aditis, non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam.

Præſentiret in poſterum. Sic in ea pro C. Rabirio: Itaque cùm multis aliis de cauſſis virorum bonorum mentes diuinæ mihi atque æternæ videntur eſſe, tum maximè quòd optimi & ſapientiſſimi cuiuſque animus ita præſentit in po- F ſterum, vt nihil niſi ſempiternum ſpectare videatur.

AD QVI-

AD QVIRITES POST REDITVM SVVM.

ORATIO XXVIII.

ARGVMENTVM.

HÆc oratio eiuſdem ferè argumenti eſt, cuius & ſequens: nam vt in illa gratias agit in Senatu Patribus conſcriptis, pro ſuo reditu: ſic in hac gratias agit populo R. in foro ex roſtris, de re eadem. Eſt autem tripartita. Nam poſt exordium, inſtitutionis ſuæ beneficium triplici comparatione amplificat, vt eius magnitudinem verbis augeat: ſiquidem cuiuſque rei magnitudo ex aliarum inferiorum collatione deprehenditur. Ergo primo loco ſuperiorem ſuam fortunam cum ea comparat, quam hoc tempore recuperauit: & hanc longè præſtabiliorem illa eſſe diſputat, propterea quod vt valetudo, ita etiam dignitas reſtituta, magis quàm adſiduè percepta, delectat. altero, comparat ea beneficia quæ antea vel à diis, vel à parentibus, vel ab ipſo populo R. ſingulatim acceperat, cum eo quod iam adeptus eſt: & hoc vnum illis omnibus ea re anteponit, quòd illa ſingulatim & diuerſis temporibus acceperat: hoc verò vno, ſuperiora omnia vniuersè, vnóque tempore receperit. Poſtremò ſuum reditum confert cum trium aliorum Conſularium, qui olim fortunam eandem ſubierant, reditu: & ſuum ea re præſtantiorem ac magnificentiorem eſſe diſputat: quòd illi aut multorum propinquorum adſiduis precibus, aut oppreſſo ſenatu, ac nullis conſulibus deprecantibus, reſtituti fuerint: pro ſe verò nulli propinqui, præter vnum generum & Q. Fratrem, ſed ipſe ſenatus & magiſtratus propè omnes, Italiáque vniuerſa deprecata ſit. Hac amplificatione abſoluta, vt diſceſſus ſui ignominiam eleuet, quem ignauia & timiditate tanquam fugam ſuſcepiſſe videri poterat, quale tum Reipub. tempus fuerit exponit: & quemadmodum Clodianorum armis oppreſſa ciuitate, obſiſtere illis niſi grauiſſimo excitato ciuili motu, non potuerit. itaque tantiſper declinandum fuiſſe, dum nouis magiſtratibus Rempub. ſuſcipientibus, ipſe vna cum illa reſtitueretur: quo loco Lentuli Conſulis, cæterorúmque huius anni magiſtratuum, ac præcipuè Cn. Pompeij ſingulare in ipſo reſtituendo ſtudium ita laudibus in cœlum tollit, vt in ſuperioris etiam anni conſules, & Clodium ipſum acerrimè vehementiſſimeq; inuehatur. Ad extremum, poſteaquam quantum à populo Rom. acceperit oſtendit, deinceps quantum eius cauſſa præſtiturus ſit, commemorat: ídque ſe primum in ipſius numine colendo, deinde in Repub. benè ac fortiter gerenda, poſtremò in referenda populo Rom. gratia, potius quàm vlciſcendis inimicorum iniuriis declaraturum pollicetur.

IN EANDEM COMMENTARIVS.

A *A Ioue Opt. Max.* Quẽ propter beneficia popul⁹ Ro. Optimum, propter vim Maximũ nominauit, vt in ea pro Domo, & lib. de natura deorum II.

Deuoui. Diſcedens in exilium. Nam eo tempore dicit ſe votum diis nuncupaſſe, vt ſi ſua cõmoda Reipub. ſaluti anteponeret, in exilio periret: ſin ſecus, tuus in patriam ſaluus rediret. De hoc voto dicit etiam in Epilogo orat. pro domo.

Meas rationes. Mea cõmoda. Frequens locutio. Vnde, Cõſulere ſuis rationibus. Itaq; in Orat. pro domo dixit. Commodis omnibus, emolumentis, B præmiis prætermiſſis.

Mea voluntate. Lubenter, non coactus.

Quæ antè geſſeram. In coniuratione opprimẽda.

Miſeram profectionem. Sic maluit quàm exilium nominare.

Veſtræ ſalutis. Ne propter me ciuile aliquod bellum exoriretur.

Deflecterent. Antiqui omnes libri, *Deficerẽt*: qood ſine dubio vitioſum eſt. Magis placet, *Deflecterent*. Videndum tamen an, *defigerent*, admitti poſſit.

* *Hoc ſi animo.* Sobaudiendum, Inquam: propter hyperbaton, & ad vocẽ SVSCEPISSEM referẽdũ.

Deuotionis conuictum. Id eſt reum, vt apud Virg. Æneid. 5.

Cadentem in littore taurum,
Conſtituam antè aras, voti reus.

Nam vt in iure ciuili, qui ſub conditione ſpo-

pondit,impleta conditione, obligatus & debendi A
reus eſt: ſic vota diis re perfecta debentur & rei
debendi meritò dicuntur. In ea pro domo ſic ex-
tulit. Hanc ego deuotionem capitis mei, tum de-
nique conuictam eſſe & commiſſam putabo.

Iudicio deorum. Quorum erga me beneuolen-
tiam euentus declarauit. Nam homines ex euen-
tu Dei voluntatem æſtimant.

Etſi homini. Videtur legendũ, *etſi enim homini.* Eſt
enim argumentũ ex cõparatione minoris: ex quo
tantæ lætitiæ cauſam oſtendit. Orditur autem B
hoc loco beneficij accepti magnitudinem verbis
augère: quem locum comparatione crebra id-
circò perſequitur, quia magnitudo cuiuſque rei
ex aliarum inferiorum collatione oſtenditur.
Comparat igitur hoc principiò præſentem hanc
fortunam ſuam cùm ea quam antè exilium ha-
buit: quam hac multo inferiorem fuiſſe diſputat
ex eo, quòd minus, quæ aſſiduè percepta ſint,
quàm quæ ſunt reſtituta delectant. Hic porrò lo-
cus eſt quem Ammianus Marcellinus lib. 15. de C
memoria ita extulit: Mirabamur illam ſenten-
tiam Tullianam ex æternis veritatis ipſius ady-
tis promulgatam, quæ eſt talis: Et quanquam o-
ptatiſſimum eſt, perpetuò fortunam quam flo-
rentiſſimá permanere, illa tamen æqualitas vitæ
non tantũ habet ſenſum, quantũ cum ex ſæuis &
perditis rebus ad meliorẽ ſtatũ fortunæ reuocat.

Indulgentiam. Verbum in parentibus proprium,
quo præcipuè illorũ in liberos caritas ſignificat.

Excellens ingenium. Hoc amori paterno facilè D
conceditur: & præſertim eius, cui reſtituti ſunt
liberi, vel potius qui liberis reſtitutus eſt.

Meus frater. Coniugis mentionem prætermit-
tit, vel propter eam cauſam, quam in commenta-
riis orationis ad Senatum expoſui. Vel potiùs,
quòd illa aut ſe domi in luctu & tenebris conti-
nebat, aut neceſſariis itineribus detinebatur: ſo-
lus frater in vrbe & foro, populu ſupplicabat: vt
poſterius oſtendit.

Reliquæ fortunæ. Non enim omnes, ſed partem E
duntaxat ex Clodij præda & direptione recupe-
rarat. Vt autem paria paribus referantur, viden-
dum an non poſtea vox INCOLVMES requi-
ratur, vt ſit quàm tunc incolumes incolumi affe-
rebant, niſi fortè ſola vox precor retinenda ſit:
cùm in antiquo libro vocem INCOLVMITATES
ſolam animaduertam.

Cauendo magis quàm fruendo. Sic Plautus in ca-
ptiueis:

Tum deniq; omnes noſtra intelligimus bona, F
cùm quæ in poteſtate habuimus ea amiſimus.

Celebritas oppidorum. Incolarum frequentia.

Tanta eloquentia. Hanc eandem ſententiam aliis
verbis inſignitè commutatá, vide initio Orat. ad
Senatum.

A parentibus. Sequitur altera comparatio, in
qua ſuperiora, Deorum, parentum, & populi R.
beneficia cum hoc beneficio conferens, recens
hoc multo præſtantius eſſe oſtendit, ex eo, quòd
illa ſingulatim & cum aliquo interuallo accepe- G
rat: in hoc verò omnia illa vniuersè & vno tem-
pore adeptus eſt.

Id quod neceſſe erat. Refertur ad vocem, paruus,
quaſi diceret, ab illis paruus à vobis magnus ſum
natus.

Natus ſum conſularis. Nam ab exilio in ciuitatẽ

A reſtitutus, quaſi à morte ad vitã reuocatus videor.

Rempub. accepi. Accipere Rempub. Capeſſere
Remp. Accedere ad Remp. crebrò vſurpat, pro
Magiſtratus adipiſci, & Reip. procurationes ſuſci-
pere. de ſuo tamen Conſulatu ſuo loquitur.

Vnius opera ſeruatam. Significat illud S.C. quo ei
togato, non vt nonnullis, bene geſtæ, ſed vt nemi-
ni conſeruatæ Reipub. ſingulari genere ſupplica-
tionis, deorum immortalium templa patefacta
ſunt. Itaq; videndũ ecquid pronomen MEA deſi-
B deretur: vt ſit mea vnius opera.

Veſtra voluntas. In me reſtituendo.

Gradatim ſingulos. Omnes honores ordine, &
ſuo quemq; anno ſeſe adeptũ. lib. 2. de offi. teſtat.

Vniuerſo cuncta. Sic in omnibus antiquis, quæ
quidem adhuc legere contigit. Ego niſi vox CVN-
CTA, tollatur, fateor me locum non intelligere.
Ac meo iudicio & VNIVERSE aduerbialiter le-
gendum eſt, & vox CVNCTA, vt gloſſa ſub illo
aduerbio ſubiecta, expungenda in manuſcripto
C legitur ITA.

P. Popilij. Quæ ad hunc totum locum pertinent
dixi in Orat. ad Senatum, vnde quæ neceſſaria vi-
debuntur, adſumi poterunt.

Q. Metello. Qui cùm L. Saturninum Cenſor no-
taſſet, cúmque inſitiuum Gracchum contrà vim
multitudinis incitatæ cenſu prohibuiſſet, cúmq;
in eam legem, quam non iure rogatam iudicarat,
iurare vnus noluiſſet, de ciuitate maluit, quàm de
ſententia dimoueri. Pro Sextio. Et plura diximus
D orat. ſuperiore.

Spectata ætate filius. Qui etiam pius propterea
nominatus eſt, quòd pietate ſua & adſiduis preci-
bus patrem reſtituit. Velleius lib. II.

L. Dalmaticus De quo Epitome LXII. & Plutar-
chus in Coriolano.

Aut Metellarum liberi. Legendum puto: Tum
Metelli tum Metellarum liberi. nam vtroſque &
in hac & in ſuperiore orat. coniunxit.

Tertius Conſularis. Poſt Popillium & Metellum.

E *Indigniſſimam fortunam.* Cùm poſt ſextum con-
ſulatum à Sylla in exiliũ vnà cum filio eiectus eſt.

Diſſenſu. Rectè. cùm in aliis legatur DISCESSV.
Bellum enim illud ciuile ſæpè leniore vocabulo
Diſſenſionem adpellat.

Nudum à propinquis. Cùm poſterius hoc addat,
quos ego parare mihi non potui; ſignificare vide-
tur, perpaucos ſe propinquos habuiſſe, ac ferè
nullos. Hæc autem ipſa verba aliquanto poſt ite-
rat in hac eadem oratione.

F *C. Piſonis.* Hæc eadem ſuperiore orat. dicta ſunt.

Viginti millia. Idem in Orat. pro domo. Plutar-
chus, Appianus, Dio.

Pro me præſente. Nam antè Ciceronis diſceſſum
hoc factum eſt, cùm P. Clodius de promulganda
lege ageret.

Qui in foro poſſet eſſe. Manutius rectè hunc locũ
diſtinxit, cùm aliis in libris omnibus longè diſſi-
milem propter interpunctionem ſententiam ha-
beret. Sed ex ſuperiore oratione, in qua eadem
G planè verba reperiũtur, facile eſt, vtra ſit rectior,
iudicare. Ergo verba hæc, *qui domi, qui in foro poſſet
eſſe*, cum altera proxima ſententia comparanda
ſunt; hoc modo: ſolus frater inuentus eſt, qui do-
mi, id eſt in vrbe Roma, quique in foro, ſuppli-
cando & orando meam cauſam ageret. Nam v-
xor & liberi vel peregrè mea cauſa proficiſcebã-
tur,

tur,vel parietibus ſe in luctu & lacrymis incluſos continebant. vt verbum, *eſſe*, per ſe poſitum intelligatur, pro filij, parentis, fratris munus obire: non autem ad vocem FILIVS referatur.

Magna parte. Omnes antiqui, Magnam partem: in accuſandi caſu, quod ſine dubio rectum eſt: & ab iis qui veterem locutionem non intellegebãt, immutatum. Figura eſt è Græcorum fontibus deriuata, qui vocem κατὰ crebrò ſubaudiunt.

Parare non potui. Significare videtur ſibi perpaucos ac ferè nullos propinquos fuiſſe: vt paullo ante dictum eſt.

Cuſtode ciuitatis atque imperij. Cum alias res fortiter geſtas, tum præcipue propter innumerabiles Cimbrorum Teutorúmque copias ab illo ſuperatas. Liuius in epit. lib. LXVIII. Primores, inquit, ciuitatis qui aliquantulum vt nouo homini ad tantos honores euecto inuiderant, conſeruatã ab eo Remp. fatebantur.

Tribunitiis. De his omnibus dixi in ſuperiore Orat.

Cumprimum licuit. Per vim Clodianorum: quæ tandem ſummo Magiſtratuum conſenſu ſuperata eſt.

Motus municipiorũ. Omnibus enim è municipiis & coloniis ciues ad comitia de Cicerone reuocando concurrerunt.

Inimicis interfectis Graccho & Saturnino.

Prouincias obtinentibus. Piſone Macedoniam, Gabinio Syriam.

Inimico autem. Q. Metello Conſule, qui cum prius ſummas cum Cicerone inimicitias exercuiſſet, dixit in Senatum, eas ſe temporibus & Reip. permittere. Itáque paulò poſt, illum dicit, primò non aduerſatum eſſe, pòſt etiam adiuuiſſe; & paucis poſt verſibus, idem quod hoc loco adſcribit, illum ad Senatum retuliſſe. Totum hoc igitur ad Q. Metellum pertinet.

Is inimicus. P. Clodius.

Communibus hoſtibus. Piſoni & Gabinio. Nam iis ſuam vocem præbuit, cum legem de Cicerone in exilium eiiciendo pertulit.

Spiritu dumtaxat. Alibi ſemper duo hæc apponit, NOMINE & REIPSA profectò autem reuera viuit qui ſpiritu viuit. Vtrum igitur SPECIE legẽdum ſit vt nota SPV ſumta ſit pro SPE, an potius ſignificat Clodium debilitatione & abiectione animi cõſternatum nihil præter ſpiritum reliqui habuiſſe. ſic opinor.

L. Opimius. Qui cõſul cum Q. Fabio. C. Gracchũ interfecit. In quo huius loci poſita vis eſt. nã cum Popilius ob eam cauſam quia Tiberium interfecerat, exſularet, rectum erat eum ab eo reuocari, qui ipſe ſimilem ob cauſam Caium fratrem ſuſtulerat.

Qui erat inimicus. Ipſe lib. de officiis III. cauſam inimicitiarum hiſce exponit verbis. C. Marius cùm à ſpe Conſulatus longe abeſſet, & ſeptimũ annum poſt Præturam iaceret, Q. Metellum, cuius legatus erat, cum ab eo imperatore ſuo Romã miſſus eſſet, apud populum R. criminatus eſt, bellum illum producere: ſi ſe conſulem feciſſent, breui tempore aut viuum aut mortuum Iugurtham ſe in poteſtatem populi R. redacturum. Itaque factus eſt ille quidem Conſul, &c.

M. Antonius. Orator, qui C. Mario ſextum Conſuli vnà cum A. Poſtumio Albino ſucceſſit, anno

A ab V.C.D.LVIII.

Ne gratia cauſa. παρωνυμον Græci hanc figuram appellant: cùm acerba irriſio ſub ſpecioſis verbis ſubiicitur. Vterque autem infeſtiſſimus Ciceroni hoſtis fuit.

Adfinis C. Piſo Conſul C. Piſonis Ciceronis generi cognatus erat. Adfinis autem nomen abuſiuè vſurpat.

Cauſam capitis. Non dixit, Egeram, ſed recepe-
B ram. De Gabinio tamen à Cicerone defenſo, locus eſt in lib. Epiſt. ad Q. Frat. II.

Fœdere. Notum eſt P. Clodium Tribunum pl. prouinciam Syriam Gabinio, Macedoniam Piſone ſpopondiſſe, ea lege, vt ſe in Cicerone in exilium eiiciendo adiuuarent.

Calendis Ian. Cum P. Lentulus, Q. Metellus, noui conſules magiſtratum inierunt.

Tamquam legitimi Tutoris. Legitimi tutores ſunt agnati proximi lege XII tab. inſtituti. Hos autem
C potius quàm teſtamẽtarios nominauit, quia propter eiuſdem ſanguinis communionem & fidelius & ſtudioſius pupillorum rationibus conſulere exiſtimantur. Quod contra tamen Solon credidit, vt alio loco diximus: ſed certũ eſt orbos pueros agnatorum proximorum opem potiſſimum implorare.

De ſolemni religione. Patet etiam ex Liuio primã Conſulum relationem de religionibus fuiſſe.

Tribunus Pl. Sex. Attilius quem in Sextiana ſcri-
D bit, cùm omnes in ſenatu, aliúſque alio grauius & ornatius de ſua ſalute dixiſſent, fierétque ſine vlla varietate diſceſſio, ſurrexiſſe: nec auſum eſſe, cum eſſet emtus intercedere: ſed noctem ſibi ad deliberandum poſtulaſſe.

In augenda. In Sextiana dixit in duplicanda.

Variis rationibus. Omni mora ludificatione, calumnia.

Cn. Oppius ſocer. Hunc Cornicinum appellat lib. ad Att. 4. epiſt. 2. & hoc ipſum in ea pro Sextio at-
E tingit.

Ad vos. Significat autem diem VIII, Kal. Febr. quo die in forum ventum eſt, ad legem de Cicerone reuocando, rogandam. id quod in ſenatu Cn. Põpeius ſuaſerat: cùm diceret, ſeſe otij ipſius cauſſa vt omni populari concitatione defungeretur, cenſere vt ad Senatus auctoritatem populi quoque beneficium adiungeretur.

Hic tantum interfuit. Sequitur ſecunda pars orationis in qua diſceſſus ſui cauſas exponens, ne vi-
F deretur ignauia & timidate profugiſſe, Reipublicæ ruinas oſtendit: eamq; Clodianorum vi atque armis oppreſſam tamdiu nullam fuiſſe diſputat, dum ſingulari Conſulum, cæterorúmque magiſtratuum ſtudio. Cn. verò Pompeij virtute, tota denique Italia incumbentẽ, ipſe cum illa ſimul reſtitutus eſt.

In Tribunali Aurelio centuriari. In Sextiana hoc ſic extulit: pro tribunali Aurelio decuriari: ex quo intelligitur, & PRO idem valere quod IN &
G DECVRIARI idem quod centuriari.

Ex ea parte. Qui pro Rep. ſtabant.

Centuriari vidiſſem. Anno ſuperiore, cũ in exilium eiectus ſum.

Proditores deſertores. Hortenſium præcipuè ſignificat, à quo ſceleratiſſimè inſidioſiſſiméque ſe tractatum ſcribit ad Quinct. frat. lib. epiſt. 1.

Domeſticis hoſtibus. Hoſtibus Reipub. qui domi

& intus graſſabantur.

Flumine ſanguinis. Quod in ſuperiore oratione expoſuimus.

Æque me & illam. Néque enim ea Reſpub: eſt vbi non ius valet, quo inter ciues æquitas conſetuatur. ſed vis, qua, qui potentiores ſunt, dominantur.

Vulnerarentur. P. Sextium ſignificat, quem in ea oratione, qua illum defendit, plus x x. vulneribus adfectum dicit.

Conſulis faſces. A. Gabinij, vt & ipſe in Piſoniana, & Dio. lib. 38. apertè teſtatur.

Ædilis curulis. Similiter Salluſtius ſcribit, P. Lẽtulum Suram, Catilinæ ſocium, P. Lentulo Spintheri, qui tum Ædilis erat, traditum, vt eum in libera cuſtodia haberet.

Collega. Q. Metello, vt ſuperius dictum eſt.

Ponè omnes. Vno excepto Prætore Appio, & duobus tribunis Pl.

Auctoritate præſidio. Vetus codex hoc amplius, præſidio copiis: quod non diſplicet.

Vno diſſentiente. P. Clodio.

Nudum à propinquis. Superius his iiſdem verbis eſt vſus.

Producti ad vos. Conſules enim, quos ex priuatis volebant, ad populum in roſtra, ſuadendæ aut diſſuadendæ legis cauſſa producebant.

Auctores teſtes. Verſus hexameter, qui imprudenti excidit. In Sextiana minus vna ſyllaba ſimile quiddam vidimus. præſentes fluctus tempeſtatémque fugiſſe. In Verrina VI. Cùm loqueter tãti fluctus gemituſque fiebant.

Cn. Pompeius. Qui vnus ex productis fuit. vt in Sextiana oſtendit. Tum enim ſine vllo magiſtratu erat. Productus eſt ab eo, inquit, Cn. Põpeius qui ſe non ſolum auctorem meæ ſalutis, ſed etiam ſupplicem populo R. exhibuit.

Vniuerſa Reſpub. Iis bellis, quæ ille in tribus orbis partibus ſua virtute confecit, victo in Africa Carbone, in Hiſpania Sertorio, in Aſia Mithridate.

Seruatam. A coniuratione Catilinæ.

Auctoritatẽ ſenatus. Quia Cicero nihil in coniuratione opprimẽda niſi auctore Senatu geſſerat.

In eo me loco. Elatoriè, quamquam poſitus eſt in Conſulatu, nunc reſtitutus eſt Conſularis, vt bis in conſulari dignitate collocatus dici poſſit.

Iiſdem Centuriis. Conſul, comitiis centuriatis vtpote è maioribus magiſtratibus creatus fuerat. Lex etiam de eo reuocando in Comitiis Centuriatis, in campo Martio lata eſt, vt in ſuperiore orat. docuimus & ipſe prima epi. lib. ad Atticum IIII. his oſtendit verbis. Antè diem VI. Id. Sextil. cognoui litteris Q. fratris mirifico ſtudio omniũ ætatum, atque ordinum, incredibili concurſu Italiæ, legem Comitiis Centuriatis eſſe perlatam.

P. Seruilius. De quo ſuperiore orat. dictum eſt.

L. Gellij. Qui conſul cum Cn. Lentulo fuit, & in ſenatu dixit ciuicam coronam Ciceroni à Rep. deberi: vt ipſe in Piſoniana teſtatur.

En ego tot teſtimoniis. Hæc tertia & poſtrema orationis pars eſt: in qua poſteaquam quantum à populo R. acceperit, expoſuit, quemadmodum deinceps illi gratiam relaturus ſit, & maiorem in remuneranda gratia quam vlciſcendis inimicorum iniutiis operam poſiturus, oſtendit.

Frugum vbertate. Reuerſo Cicerone, cùm eſſet annonæ ſumma caritas S. C. in eius ſententiam

A factum, léxque lata eſt, vt Pompeio per quinquẽnium omnis poteſtas rei frumentariæ toto orbe terrarum daretur. Eò propè momento frumenti vilitas conſecuta eſt. Itaque in ea pro domo cum de mea, inquit, dignitate in templo Iouis Opt. Max. Senatus frequentiſſimus decreuiſſet, ſubito illo ipſo die cariſſimam annonam nec opinata vilitas conſecuta eſt. Erant qui Deos immortales (id quod ego ſentio) numine ſuo reditum meum dicerent comprobaſſe.

B *Tum ſe fuiſſe miſerum.* Hoc quid ſit, & quemadmodum Oratoris inſtituto conueniat, fateor me non intelligere. Repugnant enim Marium forti & confirmato animo fuiſſe, virtutem animi nunquam perdidiſſe, & ſimul miſerum ſe eſſe dixiſſe. Præterea Ciceronis diſputatio ad Marij fortitudinem cum ſua virtute comparandam pertinet. Vt mihi mirum videatur, ſi non hoc loco negatio deſit: vt ſic legatur: Tum ſe non fuiſſe miſerum.

Viro forti adimi. Animi virtus, & fides in Remp.

C *Municipem meum.* E municipio Arpinati: notum eſt & Ciceronem & Marium Arpini natos fuiſſe.

Delere voluiſſent. L. Syllam qui ſemper à populi partibus alieniſſimus fuerat, apud Quirites grata oratione exagitat.

Cum fortuna. A qua victi patria expulſi fuimus.

Obſidione liberauiſſet. Oratoriè. Significat enim tempus illud cùm ipſe Quinctius Conſul Cimbros, & qui iam in Italiam peruenerant ingenti prælio cecidit, in quo cæſa traduntur hominum

D centum XL millia. capta LX. Liuius lib. LXVIII.

Adoleſcentem filium. Nam is quóque à Sylla victore vrbe pulſus & exſilio damnatus, in Africã traiecit. Velleius, Liuius, Appianus.

In paludibus demerſus. Hoc idem in Sextiana, & apud Plutarchum Appianum & Epitomen Liuij LXVII. Velleius autem ſic: Marius poſt ſextum conſulatum, annumque LXX. nudus ac limo obrutus, oculis tantummodò ac naribus eminentibus, extractus arundineto circà paludem Maricę,

E in quam ſe fugiens conſectantes Syllæ equites, abdiderat, iniecto in collum loro in carcerem Minturnenſium, iuſſu Duumviri perductus eſt, &c.

Quatuor genera. Plura in Sextiana, ſed minus ſubtiliter & accuratè numerat: Cùm inquit, alij me ſuſpicione periculi ſui non defenderent, alij vetere odio bonorum incitarentur, alij inuiderent, alij obſtare ſibi me arbitrarentur, alij vlciſci dolorem ſuum aliquem vellent, alij rem ipſam publicam atque hunc bonorum ſtatum ociũmq;

F odiſſent.

Vnum eorum. Qui Catilinæ latenter & obſcurè fauebant, eiũſq; conatus oppreſſos dolebant.

Conſeruans. Patefacta & oppreſſa coniuratione,

Perſimulationem. Q. Hortenſium vt ſuperius dixi deſignat.

Nunquam perdidiſſet. Quod certè non diceret, ſi ſe in illa calamitate miſerum fuiſſe fateretur.

Quartum. Piſonem & Gabinium Conſules ſignificat.

G *Quod erat.* Quippe cùm Conſulatum, quod ſummum imperium eſt, obtinerent.

Vendiderunt. Acceptis à P. Clodio prouinciis.

Reuocando domum. Hoc egit poſtea cum orationem in Senatu haberet: quæ eſt de prouinciis Cõſularibus: qua futuris Conſulibus Syriam Macedoniámque decernit, vt Gabinio & Piſoni ſucceſſores

ceſſores ſubmittantur.

Neque id Reip. vt cumq; neceſſe eſt. Hoc quid ſit, diuinare nunquam potui. Cum autem paria paribus referat, & ſuperius de odio, quod temporibus Reip. poſtulantibus deponitur, ſit locutus, cogitandum eſt, ecquid rectius ita legeretur: *Reip. temporibus vnquam neceſſe eſt*: vel tale quippiam.

Diſſimilis eſt ratio. Hoc idẽ & in Orat. pro Plancio & lib. de Off. II. vbi alterius cuiuſdam dictũ hoc eſſe ſignificat. Commodè, inquit, quicumque dixit, pecuniam qui habeat non reddidiſſe, & qui reddiderit, non habere: gratiam autem & qui reddiderit habere, & qui habeat retuliſſe.

A *Cum mortuo.* Satiſne rectè colere aliquis hoc modo memoriam dicatur, alij viderint. Ego cùm in antiquo libro M O R T V V S caſu recto ſcriptũ animaduertam, deeſſe potius quędam exiſtimo, quibus ea res planius explicaretur.

Sententia ſimpliciter referenda. Quid ſit ſententiam referre non intelligo. Et animaduerto Verrinæ IIII. ferri quoque in Senatu ſententiam dictum pro dici. Retinete, retinete hominẽ in ciuitate Iudices, parcite & conſeruate, vt ſit qui vobiſcum res iudicet. B qui in ſenatu ſine vlla cupiditate de bello & pace ſententiam ferat.

IN SENATV POST REDITVM,

ORATIO XXIX.

ARGVMENTVM.

M. Tullius poſtridie quam ab exilio in patriam reuerſus eſt, hoc eſt Nonis Septemb. in Senatum profectus, orationem hanc habuit, qua nominatim vtrique Conſuli, dein, octo Tribunis pl. poſt ſeptem Prætoribus, dein Cn. Pompeio tum temporis priuato, poſtremò Senatui vniuerſo pro reditu impetrato gratias agit. Conſules ſunt P. Lentulus Q. Metellus: quorum ita beneficia commemorat, vt illis reſtitutionis ſuæ laudem attribuit. huic quod aduerſatus non ſit, ſimpliciter gratias agat: ſimulq; duos ſuperioris anni Conſules, quorum opera P. Clodius in ipſo eiiciendo precipuè vſus fuerat, vehementer exagitat. Tribuni ſunt T. Annius Milo, P. Sextius, C. Seſtilius, M. Cuſpius, T. Fadius, M. Curtius, C. Meſſinius, Q. Fabritius: in quibus duo primi nominati, vt principes in Ciceronis ſalute recuperanda fuerunt, ita potiſſimam in hac gratiarum actione partem obtinent. duos reliquos Sex. Attilium, & Numerium Quintium, à quibus læſus potius, quã adiutus fuerat, ita prætermittit, vt tamen non obſcurè perſtringat. P. autem Clodium, qui Tribunus anno ſuperiore fuerat, & lege lata Ciceronem in exiliũ eiecerat, multis verbis paſſim diuexat. Prætores ſunt L. Cæcilius, M. Calidius, C. Septimius, Q. Valerius, P. Craſſus, Sex. Quintilius, C. Cornutus, quorum nulli eximiè ac præter ceteros gratias agit. Octauum autem Prætorem App. Claudium, P. Clodij fratrem, qui à reliquis diſſenſerat, pretermittit, Nõ eſt autẽ mirandũ Tribunos pl. antè Prætores nominari: quia multò maiores illorũ quàm prætorũ in comitiis, & legibus, vel ferẽdis vel abrogandis partes fuerunt. Poſtea Cicero Cn. Põpeio qui tum priuatus, id eſt ſine vllo magiſtratu fuit, nominatim ſingularibus verbis gratias agit, quòd pro ipſius ſalute, municipia, coloniáſque adiiſſet, & præſtantiſſimam de eo in Senatu ſententiam dixiſſet. Diximus autem hanc orationem habitam eſſe Non: Sextilib. poſtridie quàm reuerſus eſt. Cuius rei auctorem habemus Ciceronem ipſum, qui in epiſt. I. lib. ad Attic. IIII. his ſcribit verbis. Poſtridie in ſenatu, qui fuit dies Non. Septemb. ſenatui gratias egimus. Unde perſpicuè intelligitur, primam fuiſſe hanc, quam poſt reditum ſuum habuit, ac propterea orationem ad Quirites poſteriore loco collocandam fuiſſe. Quod enim nonnulli diſputant, de altera quadam oratione locum illum epiſtola accipiendum eſſe, qua ſingulis Senatoribus gratias egerit, ridiculum eſt, nam illa huius orationis verba, quibus hæc illorum coniectura nititur: Vobis vero P. C. ſingulis & egi & ago gratias vniuerſis: ego initio quantum potui, &c. Hæc, inquam verba, non ad aliam orationem ſed ad huius ipſius exordium referenda ſunt: & ſtultum eſt exiſtimare Ciceronem in Senatu prius egiſſe gratias ſingulis ſena-

toribus, id eſt priuatis, quàm conſulibus & magiſtratibus & vniuerſo ſenatui. Præterea, cum ſatis conſtet, ipſe etiam in vtraque oratione pluribus verbis teſtificetur, Senatum principem in ipſius reditu conficiendo fuiſſe, ac prius in Senatu quam ad populum actum ea de re fuiſſe. imò verò Senatum auctorem fuiſſe, vt ea de re cum populo ageretur, nemo non videt, rationẽ poſtulaſſe vt prius ſenatui quàm populo, gratiæ agerentur.

COMMENTARIVS.

Fratremque meum. Qui propter meum exilium, magno ſemper in luctu, mœrore ac ſqualore iacuerat: qui niſi me per vos recuperaſſet, eandem fortunam ſubire, idem ſibi domicilium & vitæ & mortis depoſcere ſtatuerat: qui incredibili pietate, amore inaudito, maximo in ſqualore volutatus eſt ad pedes inimiciſſimorum vt fratri, reditum conficeret. In Sextiana, in oratione ſeq. & alibi.

Parum cumulate. Minus quam par fuerit, verbis rei magnitudinem non æquantibus.

Mea natura. Quaſi aut minus quàm debeam, beneficiorum magnitudinem expendam: aut illorum obliuiſcar, aut in agendis gratiis natura ſim tardior.

Vbertas ingenij. Primum in recordandis, deinde in ponderandis & æſtimandis beneficiis.

Dicendi copia. In iis commemorandis, & pro dignitate explicandis.

Genus orationis. In conquirendis verbis, quæ rei magnitudini ſatis faciant: Nam hæc tria ſingulatim propoſuit: conſiderationem beneficiorum, quæ ad ingenium; commemorationem, quæ ad facultatem dicendi; & prædicationem, quæ ad orationis lumen pertinet.

Vniuerſa. Nam hic locus eſt, non de ſingulis, ſed de omnibus quæ vnquam à vobis accepimus, commemorandi.

Liberis noſtris parentes. Nam etſi fratris liberi reuera orbati ſuo parente non eſſent, tamen ille propter luctum & mœrorem, parentis ergà illos officium præſtare non poterat.

Dignitatem, ordinem. Dignitatem intelligit eam amplitudinem quam ex honoribus præclare geſtis ſibi in ciuitate maximam pepererat: ordinem verò ſuum, in ſenatu locum: nam vna cum ciuitate ordo illi reſtitutus fuit.

Qui fortunas. Omnia enim per ſuos iniquos erepta, per Conſules æſtimata & reſtituta ſunt. Vide epiſt. 2. lib. ad Att. quarti.

Nihil iucundius. Quippe cùm omnes omnium caritate, patria vna complectatur: vt idem in primo de Offic. ſcribit.

Noſmet ipſos nobis. Perditi enim dicuntur, qui rebus iis omnibus quas habebant chariſſimas ſpoliati ſunt. Cicero autem & fortunas & vxorem, & liberos & cognatos, omnes poſtremò dignitates, patriã deniq; ipſam amiſerat. Itaq; lib. 1. ad Att. 3. Deſidero, inquit, non mea ſolum, neque meos, ſed me ipſum. quid enim ſum.

Libertas ciuitas. Hoc de ingenuis, & ciuium liberis dici ſatis intelligitur.

Ceteris rebus. Opibus & honoribus.

Honoribus. Notandum bonoris verbum in eo poni, qui honeſtat, non qui honeſtatur: vt paucis pòſt verſibus pop. Rom. honores. Ergò CVIVS HONORIBVS, id eſt, cuius muneribus, in quibus ſummi honores ſunt, nam honores, id eſt procurationes ad miniſtrandæ Reip. omnes à populo mandabantur.

A *Ampliſſimo conſilio.* Senatu. Quæri tamen poſſet, cùm ſenatores non à populo crearẽtur, ſed à cenſoribus legerentur, quid eſt, quod populi beneficio ſe in ſenatu collocatum dicit? poſſet autem ſubtiliter reſponderi, nonnullos qui magiſtratum adepti eſſent, quamuis ſenatores non eſſent, tamen ius in Senatu dicendæ ſententiæ habuiſſe. Qua de re diximus in libello de ſenato, cap. 1. ſed hæc pinguius & quaſi oratorio more dicta accipienda ſunt.

Altiſſimo gradu. Conſulatu: quem illi cuncta Italia, B omnes ordines vniuerſa ciuitas, non prius tabella, quam voce detulerat: vt de ſe ipſe teſtatur.

Omnium terrarum arce. Ad quam præſidij cauſſa gentes omnes confugiunt. Nam præter prouincias, quæ ſua omnia ad ſummam ſenatus poteſtatem referebant, Reges etiam & liberi populi complures ſæpe ad ſenatum auxilij cauſſa confugiebant.

Magnificentiſſimis decretis. In ea pro Sextio, diuina Senatus conſulta hæc appellat: & quattuor enu- C merat: primum, vt cuncta ex Italia omnes qui Rempub. ſaluam vellent, ad ſuffragia de Cicerone reuocando ferenda, conuocarentur: alterum, quod de ipſo reuocando factum eſt in capitolio, vtróque referente Conſule, cum Pompeius illi vni teſtimoniũ patriæ conſeruatæ dedit: tertium, nequis, dum lex de ipſo reuocãdo ferretur, de cælo ſeruaret, nequis moram vllam afferret: quartum, vt iis qui ex tota Italia ipſius ſalutis cauſa conuenerant, agerentur gratiæ, atque vt iidem ad res redeuntes, vt venirent, roga- D tentur.

Studio atque conſenſu. Nam ex CCCCX. ſenatoribus & magiſtratibus omnibus vnus diſſentit P. Clodius.

Quod hac anteà. Subeſt mendum. neq; enim plena ſententia eſt, quin etiam particula, QVOD, ab omnibus vetuſtis libris, quam plurimis etiam impreſſis abeſt. Quòd ſi coniecturæ locus poteſt eſſe, fortaſſe particula TAMEN, illius, QVOD locum ſubſtituta, ſententiam impleret: vt ſenſus ſit: Etſi hæc olim ac- E cepimus tamen cum anteà ſingulatim, hoc tempore vniuerſè recuperauerimus, multò maius hoc recens beneficium eſt, quàm alia ſuperiorum temporum vniuerſa.

Immortalitatem quandam. Rectè addidit, QVANDAM. nunc enim non de vitæ, ſed de famæ & nominis immortalitate ſe loqui oſtendet.

Cùm vi ferro. Significat eam ſeditionem quæ facta eſt VIII. Kal. Febr. de qua in Orat. pro domo, & ea pro Sextio pluribus verbis exponit.

F *Non multo poſt diſceſſum.* Paucis poſt menſibus. In Sextiana tamen cum de totis ſeptemdecim menſibus loqueretur, dixit, breuis temporis dolore interiecto.

L. Minnio. Quadrato Tribuno plebis, qui Kal. Iunij ad Senatum de Cicerone reuocando retulit: viro incredibili fide, magnitudine animi, conſtantia: qui & ſenatui perſuaſit (vt in Sextiana Cicero ſignificat)

cat)& populo(vt Dio.lib.38.teſtatur) vt tanquam in A publica calamitate Ciceronis cauſa veſtitus mutaretur.

Minime timidum. Itaque in Sextiana: Cuius, inquit, in mea cauſſa nunquam fidex virtúſque contremuit.

Decernendi. Senatus conſulti faciendi.

Eum Tribunum pl. Ælium Ligurem, qui interceſſit. Pro Sext. Interceſſit Ligur iſti neſcio quis, additamentum, &c.

Sub alieno ſcelere. Amborum Conſulum Piſonis B & Gabinij: quorum opibus & auctoritate ad quærendam mihi perniciem eſt vſus P. Clodius.

Vendiderant. Acceptis à P. Clodio prouinciis, Piſo Macedonia, Gabinius Syria.

Flagitauiſtis. Tamquam veſtro iure, & debitam: nam flagitare propriè eſt debitorem acrius & vehementius appellare.

Ille ipſe annus. Quo Piſo & Gabinius Conſules fuerunt.

Fatalem. Fatalis & in bona & in mala re dicitur: C quaſi fato & certo Dei decreto vel ſalutaris vel exitioſus. Itaq; in Catilinam IIII. Meus, inquit, conſulatus ad ſalutem Reipub. propè fatalis fuit. Sed quomodo Cicero MALVERAM cum illo verbo coniunxit? Cum fatalis & voluntarius contraria ſint: vt ipſe quoque in Philipp. oſtendit: vtrum quia exitioſi verbo vti noluit, cum ipſe non periiſſet? an potius hæc ſententia: in illum annum decretum erat quoddam à Diis exitium: idque malui ipſe me quã Rempub. ſubire. D

Octo Tribunos. Totidem habuit anno inſequenti, vt poſterius oſtendit.

Conſules modeſti. εἰρωνικῶς. hoc enim legis nomine cupiditatem ſuam tegebant. Itaque in Sextiana ſic ſcribit: Qui cum in Senatu priuatim vt de me ſentẽtias dicerent flagitabantur, legẽ illi ſe Clodia timere dicebant. Sed in ea pro domo apertius: Homines legum metuentes, tum frequentiſſimus ſenatus eos vt de me referent, quotidie flagitaret, nõ ſe rem improbare dicebant, ſed legẽ iſtius impediri. E

Impediebantur lege. Quam Clodius tulerat, nequis ad ſenatum de reuocando Cicerone referret; néve ſententiam diceret, vt paulò infrà & libr. ad Attic. III. Tu te ſcripſiſti ad me, quoddam caput legis Clodium in Curiæ poſtte fixiſſe, ne referri, neuè dici liceret.

Quæ de me. Nam illa lex nihil me facere vetabat: ſed Conſules ipſos, & eos qui ius ad ſenatum referendi habebant.

Inimicus. P. Clodius qui lege lata Ciceronem in F exilium eiecit.

Si reuixiſſent. Elatoriè. Clodia lex aqua & igni interdicebat eis qui ciues R. in dicta cauſſa indemnatos necaſſent. ſignificabantur autem Catilinarij.

Magno in periculo. Feſtiuè eum ſarcaſmo legis ſententiam immutat: quaſi Clodius ſignificaſſet, ſi Catilinarij reuixiſſent, illico reuocandum Ciceronem, vt illorum conatibus iterum obſiſteret.

Princeps ciuitatis. Cn. Pompeius, de quo ſic in Sextiana: Initur conſilium de interitu Cn. Pompeij, quo G patefacto ferróque deprehenſo, ille incluſus domi tam diu fuit, quam diu inimicus meus in Tribunatu. Item in ea pro Milone: Comprehenſus eſt in templo Caſtoris ſeruus P. Clodij; quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat, extorta eſt confitenti ſica de manibus: Caruit foro poſtea Põpeius, caruit ſenatu, caruit publico, ianua ſe ac parietibus, non iure legum iudiciorúmque texit.

Sine conſulibus. Sic in Sextiana: quid dicam conſules? hoccine & ego appellem nomine euerſores huius imperij? proditores veſtræ dignitatis? hoſtes bonorum omnium? & alibi ſi appellandi ſunt Conſules, quos nemo eſt qui non modo ex memoria, ſed ex faſtis euellendos non putet.

Tutoribus annus. Minus eſt tutorem quàm parentem habere: ille tanquam alienam, hic quaſi Communem rem adminiſtrat, qua de cauſa liberi ſui heredes à Iuris conſultis appellantur. Et Terent. dixit, Meus particeps. Ergò plus eſt cum Remp. dixit, non modo parentes, ſed ne tutores quidem habuiſſe.

Caput meæ proſcriptionis. Caput illud legis, ne quis referret, neue ſententiam de Cicerone reuocando diceret. Cur autem proſcriptionem hanc, non legẽ nominet poſterius exponet.

P. Lentuli Conſulis. Qui poſt annum Piſonis & Gabinij, Conſulatum vna cum Q. Metello adeptus eſt. Cuius vim omnem, ad Ciceronem patriæ recuperandum, omni ſtudio contulit.

Q. Metelli. Qui etſi P. Clodij frater eſſet, & inimicitias eum Cicerone exercuiſſet, tamen eas ſe inimicitias dixit patribus conſcriptis & temporibus & Reipub. permittere.

Pænè omnium. Nam è prætoribus ſolus aduerſatus eſt App. Claudius P. Clodij frater: è tribunis duo tantum Sex. Attilius Serrarius & Q. Numerius, Cic. in Piſonem, & in eandem Aſconius.

Tuto ſe in Senatum. Aliis Conſulibus Magiſtratũ adeptis, & iam gerentibus.

Dignitas iam. Cum omnes æquè liberè atq; honorifice de me in ſenatu loquerentur, ac ſi ipſe nulla vnquam ignominia adfectus fuiſſem.

Ne propter me. Sic in ea pro Sextio multis verbis exponit, ſe neque mortis terrore, neque victoriæ, ſi dimicare placuiſſet, diffidentia, ex vrbe eceſſiſſe: ſed ne propter ſe ciuile aliquod bellum & cruentum exoriretur. Itaq; ſeruaui, inquit, Rempublicam diſceſſu meo iudices, cædem à vobis, liberiſque veſtris, vaſtitatem, incendia, rapinas, meo dolore luctuque depuli. Et in Piſoniana: Itaque diſceſſu meo, inquit, omnes illi nefarij gladij de manibus crudeliſſimis exciderunt.

Populi ſuffragiis. Lege per pacatum populum ordine & bono modo ferenda.

Flumine ſanguinis. Significat eam ſeditionem, quę in foro VIII. Cal. Feb. facta eſt: eum corporibus ciuium Tiberis compleretur, cloacæ refercirentur, è foro ſpongiis ſanguis effingeretur, vt ipſe in Sextiana loquitur: & hoc ipſum totidem verbis in orat. ad Quirites inculcat.

Sociis Regibus. Qui legationes ad Senatum pro cõſuetudine mittebant.

Nihil iudices, Non exercebantur iudicia, Comitia non habebantur, non cogebatur ſenatus.

Cum is exceſſiſſet. De ſe loquitur, cum is in exiliũ abiiſſet, qui non priuato conſilio, ſed auctore Senatu ſupplicium de coniuratis ſumpſerat.

Faſces fractos clariſſimi Conſulis. Apparet P. Lentulum ſignificari, & eius quoque faſces hoc tempore fractos. ſicuti anno ſuperiore A. Gabinij fuerant, vt patet ex Piſoniana & ſeq.

Tribuni pl. P. Sextij, qui omnem magiſtratus ſui vim ad conficiendum Ciceronis reditum contulit: vt ſæpè iam dictum eſt.

Digitized by Google

Sanctiſſimum corpus. Corpora Tribunorum pl. legibus ſacratis ſaero ſancta fuiſſe, nemo neſcit.

Vulneratum ferro. In Sextiana, vbi hæc copioſiua narrat, ait illū plus viginti vulneribus, in illa ſeditione, de qua modò dixi, confectum, exanimatum concidiſſe, & pro occiſo à Clodianis relictum.

Deus noſtræ vitæ. Quippe, qui me à morte ad vitam, à deſperatione ad ſpem, ab exilio ad ſalutem reuocauit: vt ipſe poſterius loquitur. Sic in ea pro Sextio: Quem ego Deum ac parentem ſtatuo fortunæ ac nominis mei, & fratris rerumque noſtrarum.

Lumen conſolatus ſui. Hoc facinus omnium, quæ in conſolatu ſuo gereret, maxime memorabile: quódq; inter alia ipſius acta, tamquam clariſſimum lumen eluceret.

Vt eſt deſignatus. Simulatque deſignatus fuit, multò antequam magiſtratum gereret, cùm ad gloriam ſuam, atque ad ampliſſimi beneficij gratiam magis pertinere videret, cauſſam illam integram ad ſuum conſulatum reſeruari, tamen rem talen, per alios quàm per ſe tardius confici maluit. In Sextiana.

Vt eſt deſignatus. Significat eum morem, quem Agellius commemorat, vt poſt comitia conſularia Conſules deſignati primi ſententias rogarentur, & eorum is prior, qui priore loco declaratus eſſet.

Pedibus iret. Quomodo per diſceſſionem S.C. fieret, docuimus in libello de Senatu.

Scribendo adeſſet. Hac quoque de re in eodem libello diximus.

Vt antè dixi. Paulò ſupra his verbis: Caput meæ proſcriptionis recitaretur. Lex autem à pacato populo & ordine ac more maiorum fertur: proſcriptio à victore Tyranno, pro imperio, ciuitate oppreſſa promulgatur. Sic quoque in ea de prouinciis conſ. locutus eſt: Iidem illam proſcriptionem capitis mei, contra ſalutem Reipub. ſed ſaluis auſpiciis rogatam eſſe dicebant.

Nominatim. Hoc dicit propter leges ſacratas, & duodecim tabulas, quibus ſancitum erat, vt ne priuilegium irrogari liceret, néve de capite ciuis, niſi comitiis centuriatis rogaretur.

Sanciret. Confirmaret. Nam quę Cicero aduerſus coniuratos geſſerat, auctore Senatu geſſerat. Violata igitur erat Senatus auctoritas, cum ob eam cauſſam, quia Senatui paruerat ipſe violatus eſt.

Conſulari vulnere. Piſonis & Gabinij.

Q. Catulo. Filio eius, qui cum C. Mario Conſul fuit, nam hoc ipſum illi in Orat. pro domo adtribuit.

Cinnano tempore. Cùm L. Cinna & C. Octauius Conſules Rempub. mutuis diſcordiis, bellóque ciuili labefactarūt. Nota eſt hiſtoria ex Appiano, Plutarcho, Floro & aliis.

Q. Metellus. Hoc addit ad obiectionem tacitam, Nam cum Q. Metellus P. Clodij frater adfinis eſſet, & cum Cicerone inimicitias exercuiſſet videbatur, ſi ſolus Conſul fuiſſet, Ciceronem non admodum adiuturus. Hic eſt Q. Metellus Nepos ad Q. Metellū Celerem Galliæ proconſulem, ipſius fratem exſtāt epiſt. Ciceronis lib. fam. v.

Auctorem adſcriptorémque. Auctor fuit, cum eius ſententiā alij ſecuti ſunt. Adſcriptor, cum pro more nomen eius in perſcribendo S.C. apponeretur. De quo more dixi in libello de ſenatu.

Mercatores prouinciarum. Nam Piſo & Gabinius conſules cum P. Clodio Tribuno pl. pepigerant, vt ſi Ciceronem in exilium eiicerent, ille Macedoniam, hic Syriam prouinciam pro coſs. obtinerent.

Venditores veſtræ dignitatis. Erat enim non conſulum, ſed Senatus vniuerſi munus prouincias decernere: vti patet ex orat. de prouinc. conſular.

Quorum alter. A. Gabinius, qui in pueritia malè ob Catilinæ conſuetudinem audierat: qua de cauſſa Catilinam ipſius virum poſtea appellat.

Alter Cethegū. L. Piſo, nam C. Cornelius Cethegus, ordinis ſenatorij, vnus è coniuratis & inter primos fuerat, ei enim prouincia data erat, vt ianuā Cic. Conſulis obſideret, eúmque vi aggrederetur. Itaque damnato gula in carcere per vindices rerum capitalium fracta eſt. Appianus eum prætorem fuiſſe dicit de quo propterea diffido, quia Salluſtius ſimpliciter eum ſenatorem appellat; qui non videtur id in integra hiſtoria prætermiſſurus fuiſſe.

Quorum alter. A. Gabinius.

Sanctiſſima parte. Myſteria ea maximè ſancta exiſtimantur, quæ maxime occultantur: quæ aut rarò aut nunquam vel attiguntur vel aſpiciuntur, Pſeudothyron poſtea nominat.

Et Gabinij. Obſcœnam infamiam ſignificat.

Poſtea publicam. Nam equitatum in Syria & cohortes optimas pérdidit.

In aram tribunatus. Ad aram aſyli cauſſa cōfugitur. Tribunatus vt antè diximus, magiſtratus eſt ſacro ſanctus. Itaq; Tribunis nihilo magis quàm maioribus magiſtratibus, moleſtus eſſe priuatæ rei cauſſa nemo poterat. Geſſit autem Gabinius tribunatū Metello & Marcio Coſs.

Vim prætoris. Vrbani, qui ius de pecuniis creditis reddebant.

Bonorum proſcriptionem. Prætor Vrbanus ex edicto mittebat in bonorum poſſeſſionem eorum debitorum, qui abſentes iudicio defenſi non fuerant. Cum dies xxx poſſeſſa eſſent, proſcribebantur: id eſt libellis palam fixis denunciabatur: ea bona auctione conſtituta venditum iri.

Quo in magiſtratu. Tribunatum per ſæpe magiſtratum appellari, alio quodam loco docuimus.

Rogationem de piratico bello. Tulit enim Gabinius, vt bellum aduerſus piratas Cn. Pompeio in trienniū mandaretur. Pædianus in Cornel. Velleius lib. 2. & Plutarchus in Pompeio.

Tribunus pl. P. Clodius.

Ne auſpiciis. Tulit, nequis per eos dies quibus cū populo agi liceret, de cœlo ſeruaret: ſed inuidioſè hæc ita efferuntur.

Obnunciare. Quidam hæc tanquā diuerſa notarūt & interdum ſine obnunciatione per auſpicia legū lationem impediri putant. Sed Pedianus in Piſoniano vnū idémque hic notari oſtendit. Tulit legem, inquit, nequia per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo ſeruaret. propterquam rogationē ait legem Fuſiam & Æliam propugnacula & muros tranquillitatis & otij euerſam eſſe. Obnunciatio enim, qua pernicioſis legibus reſiſtebatur, quam Ælia lex confirmauerat, erat ſublata.

Concilio aut comitiis. Conciliū populi dicitur propriè intrà vrbem, in foro, cum de legibus ſciſcendis ciuibusve iudicandis agitur. Comitia vero cū in cāpo Martio pop. ad creandos magiſtratus conuenit.

Ne legi intercedere. Nouem tribunis legem ferentibus, decimus qui intercederet, obſiſtere poterat. Tulit ergo P. Clodius vt Tribuno pl. legem ferenti nemo intercederet.

Certiſſi-

Certiſſima ſubſidia Reſpub. Sic in Piſoniana leges illas appellat, propugnacula muróſque tranquillitatis & otij. vt paulo antè dictum eſt.

De Capitolio venißet. Hominum enim viginti millia veſtem pro ſalute Ciceronis mutarunt. Hac de re & ipſe in Sextiana, & Dio. lib. 38.

Cincinnatus ganeo. Qui ſibi calamiſtro, id eſt, ferro calefacto, capillos in cincinnos, quaſi ſemicirculos intorquet. Acerbè in Gabinij nequitiam.

Nonarum Decemb. Quo die S.C. de coniuratis plectendis factum eſt, quod indicatur lib. Fam. 1. in Epiſtola, Periucundæ: & ſupplicium de iis ſumtum, vnde illud in orat. pro Flacco. ô Nonæ illæ Decembres, quæ me conſule fuiſtis: quem ego diem verè natalem huius vrbis aut certè ſalutarem appellare poſſum. Hinc illud Bruti, qui Cæſarem occidit ad Atticum: an quia non omnibus horis iactamus idus Martias, ſimiliter atque ille nonas Decembres ſuas in ore habet & meliore conditione &c. Erant autem illo die, item vt aliis nonnullis antea fuerant, armati equites R. in cliuo Capitolino, circa templū concordiæ. Qua de re Salluſtius ſic ſcribit: Nonnulli equites R. qui præſidij cauſa cum telis erant circum ædē concordiæ, ſeu animi mobilitate, &c: Scribit etiam eadem de re Cicero in Seſtiana, & Phil. 11. Et Suetonius præclarè in C. Cæſare.

Compellauit. Acrius obiurgauit, increpuit, male accepit verbis. ſic infra: nominatim alij compellabantur.

L. Lamiam. Sic in Sextiana: L. Lamiam in concione relegauit; ediſitque vt ab vrbe abeſſet millia paſſuum ducēta, quod eſſet auſus pro amico deprecari.

Cenſuiſſetis. Senatusconſulto propriè de ea re facto, quòd pro me vno poſt hominum memoriam publico cōſilio ſuſceptum eſt: vt ipſe ſcribit in oratione pro Cn. Plancio.

Prætexta. Qua maiores magiſtratus vtebantur; & quam tum quaſi in publica calamitate ob veſtis mutationem abiecerant.

Grauiſſima Ciuitatis. Rectius in manu ſcripto libro: GRATISSIMÆ magis enim amici luctus ad grati animi memoriam, quàm ad grauitatem pertinet.

Tyrannus. Sic in Sextiana: quis vnquam conſul Senatū ipſius decretis parere prohibuit: quis Tyrannus miſeros lugere vetuit? Item: ſiue illa mutatio ad luctum ipſorum, ſiue ad deprecandum valebat, quis vnquam tam crudelis fuit, qui prohiberet quenquā aut ſibi mœrere, aut ceteris ſupplicare? Et in Piſoni. Quis hoc fecit vlla in Scythia Tyrannus, vt eos quos luctu adficeret, lugere non ſineret?

Circo Flaminio. In foro non longe à Roſtris fuit & Circus maximus, & Circus Neronis. in Sextiana hoc ipſum commemorat.

Madenti coma. Vnguentis pro conſuetudine, de qua apud Plautum in Caſina.

Grauis auctor. Auctores dicuntur in legibus ferendis, ſenatores primarij, qui ad eas ſuadendas aut diſuadendas adhibentur: quorum alij poſtea ſententiam ſequuntur. Sic in Piſon: Productus in concionem ab eo, cùm eſſes interrogatus quid ſentires de conſulatu meo, grauis auctor, Calatinius credo aliquis, aut Africanus, aut Maximus &c. Liuius lib. 45. traditum fuiſſe ſcribit, nequis prius intercederet legi, quam priuatis ſuadendi diſuadendíque legem poteſtas facta eſſet: eóque perſæpe euenisse, vt qui non profeſſi eſſent, ſe interceſſuros, animaduerſis vitiis legis ex ratione diſuadentium intercederent, & qui

A ad intercedendum veniſſent, deſiſterent, victi auctoritatibus ſuadentium legem.

Saltatoris. Patet ex orat: pro Deiotaro, ſaltationem apud Romanos probro fuiſſe: ſiue propter leuitatem, ſiue propter obſcœnitatem motus, qua ſaltantes vtebantur.

Cæſoninus Caluentius. Caluentius homo Gallus è patria in Italiam venit, Placentiæ conſedit. vbi in ciuitatem receptus eſt. Inde Romam cum filia profectus,

B eam Piſoni Cæſonino huius L. Piſonis patri collocauit. Cic. in Piſoniana, & in eandem Aſco.

Conſulis ſtudium. Hoc quid ſit non facile diuinarim. Cogitandum ecquid.

Conſulendi. Melius quadraret. nam adoleſcentes ſeſe ad iurisconſultos iuris diſcendi cauſſa conferre ſolitos, nemo eſt qui neſciat. Denique hoc ipſum ſignificare videtur, cum in Piſo. ſic loquitur: Nunquam erat audita vox in foro, nunquam periculum factum conſilij.

C *Non diſcendi initia rei militaris.* Nihil muto, velim tamen antiquos libros conſuli ſi quis forte ſcriptum ſic haberet: Non dicendi initia, non rei militaris &c.

Cognoſcendorum hominum. Inſinuandi ſe in hominum notitiam & familiaritatem.

Cappadocem. E Cappadocia magnum ſeruorum venalium numerum, Romam adduci ſolere, teſtis eſt Strabo lib. XIII.

De grege venalium. Fabius lib. 8. ca. 2. Quod commune eſt & aliis nouum intellectu alicui rei pecu-

D liariter tribuitur: vt vrbem Romam accipimus & venales nouitios: cùm ſint vrbes aliæ quóq;, & venalia multa. Itaq; Cicero in Piſoniana, Nouitios appellauit, quos hic Venales. Nemo, inquit, queritur, Syrum neſcio quem de grege nouitiorū factū eſſe conſulē.

Pſeudothyro. Quod ſuperius ſignificauit his verbis: qui ne à ſanctiſſima quidē parte corporis potuiſſet hominum impuram temperantiam propulſare.

Cum Græculis. Eadem ferè & in Sextiana & in Piſoniana commemorat.

E *Penitus illi diſciplinæ.* Epicuri enim quædam ſunt dogmata à recto Philoſophandi genere, non aliena quæ Piſo contemnebat.

Ex iſtis ineptiis. εἰρωνικῶς. nam quaſi in Piſonis perſona loquitur.

Prudentiſſimam ciuitatem. Quam qui primi fundarunt, alieniſſimi ab otio & voluptatibus, virtuti autem & induſtriæ deditiſſimi fuerunt.

Vultum importunum. In Sextiana & Piſoniana copioſè vultus iſte Piſonis ſuis coloribus depingitur.

F *Latere poſſe.* Populum enim ſuis rugis & ſupercilio decepit: vt mos inferet.

Piſonum adfinitatem. Senſus hic videtur: Ne quidem ille nunquā fefellit, quamquam cum nobiliſſimæ gentis nomen ferret, & ex iis eſſet, qui Frugi cognomen haberent, nō ſtatim hominem penitus cognouit. Dixit autē ADFINITATEM κατὰ μείωσιν, κατὰ χαριεντισμὸν: ne ſi cognationem dixiſſet, omninò videretur illi Piſonum familiæ gentilitatem concedere.

Quem longè hinc. Legendum opinor in muliebri

G genere *Quam*: vt ad verbum *adfinitatem* referatur & ſit ſenſus, quam adfinitatem cognati eius materni, qui Galli ſunt, longè hinc ab hac Piſonū ſtirpe, vſq; trans alpes, ad ſuos tranſtulerunt. Quid autem ſignificet, ex iis quæ de Caluentio & Cæſonino ſuperius diximus, facile eſt intelligi. Cùm hæc ſcripſiſſem manu ſcriptum librū conſului, vbi QVAM apertiſſimè legitur.

Notata. Cum forte per impudentiam ab eo qui capillos intorquet, attingitur.

Prouinciarum fœdere. Syria & Macedonia vt ſuperius dictum eſt.

Senatus populóque. Nam antè ſenatum ordines reliqui iam fecerant. In Piſonian.

Sententiis. Nam ſenatus veſtem mutandã cenſuetát. Conſules autem cõtra quàm ſenatus cenſuiſſet, vt ciues ad veſtitum redirent, edixerunt.

Domicilium ſuperbiæ. Capua inter tres maximas, Romam, Carthaginémq; olim numerata: vt ait Flo. lib. 1. Itaq; noſter in prima contra Rullũ. Qui locus, inquit, propter vbertatem agrorũm, abundãtiámq; rerũ omniũ ſuberbiã & crudelitatem genuiſſe dicitur, qua de cauſſa Plin. lib. 3. felicem eam appellat: & (vt veteres dixerũt) ſummum liberi patris cum Cerere certamen, De companotum ſuperbia Liu. lib. 9. & Valerius lib. 9. cap. 5.

Sicut eras eo tempore. Hoc quid ſit fateor me non intelligere. alius fortaſſè acutior videbit. Incidebat tamen ſuſpicio, an non tale quiddam deeſſet. Qvo *Duumviratum gerebas.* Nam Capuæ Duumvir Piſo fuit. Sed nihil huiuſmodi adfirmo.

Cum tuo illo pari. Sic in Piſoniana: Cum illo ſuo pari, quem tamen omnibus vitiis ſuperare cupiebat.

Miſericordiam. Sic in Piſoniana: Productus in cõcionem cùm eſſes interrogatus, quid ſentires de conſulatu meo, reſpondes crudelitatem tibi nõ placere.

Peſtem. Coniuratos catilinarios.

Ad finem tuum. Cicero Tulliolam filiam ſuam Piſoni huius propinquo collocarat.

Comitiis prærogatiuæ. Quæ fuerit prærogatiua tribus, diice ex Ascon. in Diuin.

Primum cuſtodem. In Piſoniana paulò aliter, cui primam inquit, comitiis tuis dederas tabulam prærogatiuæ. Quod vir doctiſſimus N. Gracchius ſic interpretatur, quaſi ſinguli candidati ſingulis amicis ſuis tabulã darent, in qua numerum ſuffragiorũ, quibus à prærogatiua creati ſui candidati eſſent, punctis notarent, quòd cum maximi momenti eſſet, munus hoc cuſtodiendi, id eſt ſuffragiorum numerũ obſeruandi, non niſi fideliſſimo & certiſſimo amico mandabatur, cuſtodem autem cum dici, qui quid obſeruet nemini ignotum eſt.

Tertio loco. Nam & honori & amicitiæ tribuebatur, inter primos ſententiam rogari. Idem in Piſon.

Meum generum. L. Calpurnium Piſonẽ. ſic in Sext. Gener & Piſo gener à Piſonis Conſulis pedibus ſupplex reiiciebantur.

Vnam quidem horam. Hoc pluribus verbis in Sext. exponit: vbi ait, Conſules ne noctem quidem inter ſuum diſcrimen & eorum prædam intereſſe paſſos fuiſſe. Et alibi: Illo, inquam, ipſo die, die dico? imo hora, atque etiã puncto temporis eodem mihi Reiq; publicæ pernicies Gabinio & Piſoni prouincia rogata eſt.

Concidiſſe Remp. Ciceronem exilio damnatũ eſſe.

Arbitria funeris. Sic in Piſoniana: Eodem & loci veſtigio & temporis, arbitria, non mei ſolum, ſed patriæ funeris abſtuliſti. Et in ea pro domo: videre præreſtatos inimicos, nondum morte complorata arbitria petentis funeris. Vt facile appareat, arbitria in funeribus dici ſolita, pro mercede libitinariorum veſpillonum, pollinctorum: eorum deniq; omnium qui mercede funera iurabant.

Vicinum Conſulem. Piſonem. Nam in Piſoniana ſcribit, cum ſocrus ſuæ domum, ad ſuam domum A exhauriendam pateſeciſſe.

Vicinum alterum Conſulem Gabinium: ſic pro domo: cùm domus in palatio, villa in Tuſculano, altera ad alterum Conſulem trãſferebatur: columnæ marmoreæ ex ædibus meis &c. In fundum autem Vicini Conſulis non inſtrumentum, aut fundamenta aulæ, ſed etiam arbores traſferebantur.

Ærarium prouinciæ. Clodius in lege qua prouincias illis attribuit, adſcripſit, vt iis magna pecunia ex ærario, quaſi ad prouincias adminiſtrandas neceſſa- B ria daretur, quam tamen poſteà cum ipſis partitus eſt, vt in orat. pro domo: & in Sextiana legimus.

T. Annio. Milone, qui cùm hoc anno Tribunus pl. eſſet, omne ſuum ſtudium, ad Ciceronem reuocandum cõtulit, vt hic & in Sextiana & Miloniana multis verbis teſtatur.

Iudicio frangendum. Milo enim Clodium de vi reum fecit, quod ipſius domum oppugnaſſet, & cædem in foro cum gladiatoribus feciſſet. Dio. lib. 39. Cicero. lib. ad Attic. 4. Nam Milonis do- C mum meamq; in Ceramio expugnare, & incendere ita conatus eſt, vt palam hora quinta cum ſcutis homines, eductis gladiis, alios cum accenſis facibus adduxerit.

P. Sextius. Alter tribunus pl. pro quo exſtat Ciceronis oratio, in qua hæc fuſius explicantur.

Tam populare. Cum Senatores ferè optimates ſint.

In priuato iudicio. Cùm Cicero iudex eſſet in iudicio quodam additus, in quo de re ipſorum ageretur.

D *Cuius patri.* Cicero Sex. Peduceo Prætori in Sicilia quæſtor fuit, Videndum igitur cui adoptatus hic ab illo fuerit.

Q. Fabritius. Princeps rogationis, qui octauo Kal. Febr. roſtra maturè occupauit, vt de me cum populo ageret. In Sextiana.

Ianuario. Illo die 8. Kal. Februarij.

Iam verò prætores. Hactenus octo Tribunos pl. enumerauit, qui ipſius reditum adiuuerunt, duo reliqui non conſenſerunt: Numerius Quintius & E & Sex. Attilius Serranus, non interceſſerunt tamen: cum tantum & Senatus & omnium magiſtratuum conſenſum viderent.

L. Cæcilius. Prætor Vrbanus.

Penè omnibus. Præter vnum App. Claudium. P. Clodij fratrem.

In ius adeundi. Iudicio diſceptandi. Nam prætoris Vrbani poteſtas erat iudicium dare, vel denegare. Puto autem de ipſis Ciceronis bonis controuerſiam fuiſſe. nam de aliis rebus actionem, quo iu- F re denegaſſet.

Non iudicem. Vetus liber VINDICEM: quod meo quidem iudicio, multo rectius eſt.

Huic homini. P. Lentulum conſulem in ſella curuli ſedentem vultu oſtendit.

Vt cuncti. Sic in Sextiana: In mea vna cauſſa poſt Romam conditam factum eſt, vt literis conſularibus ex S. C. cuncta ex Italia omnes, qui Rempublicam ſaluam vellent, conuocarentur. Et pro domo. Senatus decreuit vt omnes qui Rempublicam G ſaluam eſſe vellent, ad me me vnum defendendum venirent.

A te Romule. Nunquam poſt te, id eſt poſt ea quàm id inſtituiſti, ea vox alibi quam in exercitu apud præſentes & audientes milites vſurpata eſt: niſi hoc tempore cùm Romæ à cuncto Senatu pronunciata etiam per vniuerſam Italiam valuit.

Conſul

Conſul vſus. Duo notat quæ verborũ illorum ſollennium propria ſunt, vt & apud præſentes atq; audientes, & ab vno conſule pronuncientur eámque conſuetudinem ſemper vſque à Romulo obſeruatam dicit. at nunc & ad abſentes miſſa ſunt, & ab vniuerſo Senatu pronunciata. Verba autem illa ſignificat, quæ in tumultu, eductis è Capitolio vexillis, is qui exercitum ducturus erat, dicere ſolebat: Qui Rem. ſaluam eſſe vult, me ſequatur. Auctor Seruius in lib. Æneid. 8.

Q. Metellus. Nepos: qui Conſul erat cum Lentulo.

Frater inimici. Sic in oratione pro Cælio: fratrẽ patruelem Clodij Metellum hunc appellat, oratoriè potius, quàm ex Iuriſconſultorum ſubtilitate: qui cõſobrinum potius dixiſſent, quia P. Clodius Cæciliæ filius erat, quæ huius Metelli Nepotis amita fuerat.

Priuata odia. Sic in Sextiana ſcribit, ex magnis cõtentionibus Reip. maximè ſibi inimicum fuiſſe. Et de prouin. Conſul. Quid? Q. Metellus Nepos nonne conſul in templo Iouis opt. max. permotus cum auctoritate veſtra, tum illius P. Seruilij incredibili grauitate dicendi, abſens mecum ſummo ſuo beneficio, rediit in gratiam.

P. Seruilius. Iſauricus, qui & conſulatum & cenſuram geſſit, & de Iſauris, quos in Cilicia domuit, triumphauit. Flo. lib. 3. Eut. lib. 6. Velleius lib. 2.

Communis ſanguinis. Nam Iſauricus Q. Metelli Macedonici nepos erat ex filia: quod ex orat. pro domo intelligitur: vbi Cicero eum alloquens, Macedonicum eius proauum appellat.

Fratrem ab inferis. Significat Q. Metellũ Celerem, qui Cicerone conſule Prætor cum eſſet, ei in opprimenda coniuratione adiutor ac ſocius extitit.

Numidicum illum. Qui poſt conſulatum Numidiã ſortitus, duobus prœliis Iugurtham fudit & Numidiã vniuerſam domuit. Sall. in Iugurtha. Epit. Liuij LXV. & plenè auctor libelli de viris illuſtribus.

De patria diſceſſus. C. Saturninus Tribunus pl. cùm legem Agrariam per vim tuliſſet, Numidico iurare in illam recuſanti diem dixit, qui cùm à bonis ciuibus defenderetur, ne cauſſa malorum certaminum eſſet, in voluntarium exilium Rhodum profectus eſt. Qua de re multa Cicero in Sextiana, in Piſonem pro Balbo. & Epit. 69. Appian. lib. 1. Plut. in Mario. auctor lib. de viris illuſtrib.

Adſcriptor. Nam ſcripto S. C. eorum omniũ nomina, quorum de ſententia factum fuerat, adſcribebantur: qui ſcribendo etiam adeſſe ſolebant, vt in libello de ſenatu docuimus.

CCCCX. ſenatores eſſetis. Antiquus liber apertè: cùm quadringenti nonaginta eſſetis vt vna litera, c. in fine deſideretur, & vox SENATORES, gloſſam ſuboleat.

Diſſenſit vnus. P. Clodius. Nã in ea pro domo: cũ loquit, de mea dignitate in templo Iouis opt. Max. ſenat⁹ frequẽtiſſim⁹, vno iſto diſſentiẽte decreuiſſet.

In concione. Paulo poſt de oratione quam Pompeius ad populum habuit commemorat.

Vocem acerbam. Nam populus, ſi quid ab eo qui concionẽ habebat, dictũ eſſet, quod improbaret, admurmurare ſolebat. quod accidit Ciceroni dũ pro C. Rab. perduellionis reo ad popul. orat. quæ extat haberet.

Decreuiſtis. De hoc S. C. ſuperius dictum eſt. Et hac tota de re meminit etiam in ea pro Sextio.

Calumniarentur. Malitioſè moras necterent. Sic in epiſt. ad Lentulum: Res ab aduerſariis noſtris ex-

A tracta eſt variis calumniis.

Res cùm rediſſet. Legendum vt in antiquis: Ad res cùm rediſſent. Nam in Sext. Atq; inquit, vt iidem ad res redeuntes, vt venirent rogarentur.

Natalẽ conſtituit. Alio quoq; loco idẽ dicit. natalẽ appellat quia eo die à morte ad vitã reuocatus eſt.

Comitiis centuriatis. Quæ extra pomœriũ in Cãpo Martio à popolo per claſſium cẽturias diuiſo ſic habebantur, vt & centuriatim ſuffragia colligerẽtur, & quod plures centuriæ iuſſiſſent, id ratũ haberetur.
B Hoc autem ipſum de ſe ipſe ad Lentulũ ſcribens. lib. Fam. 1. confirmat his verbis. Me vniuerſa reſpub. duce ſenatu, comitante Italia, referente conſule, comitiis centuriatis, cunctis ordinibus hominibúſque incũbentibus, omnibus deniq; ſuis virib⁹ recuperauit.

Maxime iuſta. Id eſt, ſumma & maxima: Erant enim & populi vniuerſi, & à maioribus tantum magiſtratibus & maximis auſpiciis habebantur.

Conſulem fecerant. Conſul enim vtpote ex maioribus magiſtratibus comitiis centuriatis creabatur.

C *In Campo.* Martio, vbi centuriata comitia habebãtur: & Lex de Cicerone reuocando à Lentulo coſ. lata eſt: quemadmodũ in ea pro domo legimus. Ille verò dies quis fuit, cũ te P. Lentule, legẽ de me ferẽtem populus. R. ipſe vidit, ſenſitque quantus & quãta dignitate eſſes? conſtat enim nullis vnquam comitiis Campum Martium tanta celebritate, tanto ſplendore, omnis generis hominum, ætatum, ordinum floruiſſe.

Illa dignitate. Hi ferè Senatores erant, eius amici
D de quo in comitiis agebatur. Ergò, vt quiſq; ſumma dignitate amicum habebat ab eo, iſto munere obeundo ornabatur. Itaq; hac ipſa de re in Piſoniana ſic ſcribit. Quæ lex quemadmodũ accepta ſit, quid me attinet dicere? ex vobis audio, nemini ciui vllam quo minus adeſſet, iuſtam excuſationem eſſe viſam, nullis comitiis vnquam multitudinem hominum tantam, neque ſplendidiorem fuiſſe. hoc certè video quod indicant tabulæ publicæ, vos rogatores, vos
E diribitores, vos cuſtodes fuiſſe tabularum, & quod in honoribus veſtrorum propinquorum non facitis, vel ætatis excuſatione, vel honoris, id in ſalute mea, nullo rogante, vos veſtra ſponte feciſſe.

Rogatores. Instituti ſunt olim in comitiis, quo tempore ſuffragia non tabella ſed voce ferebantur, qui cẽturias ſingulas ſuum ſuffragium rogarent. poſtea latis legibus tabellariis retenta ſunt, vt ciſtam per cẽturias ferrent, in quã ſuffragij tabul. pop. coniiceret.

Diribitores. Qui tabellas ſuffragiorum populo per
F centurias diriberent, id eſt, diſtribuerent.

Cuſtodes. Qui & ne quid in ſuffragiis fraudis admitteretur, obſeruabant, & cuiúſque centuriæ educta è ciſta ſuffragia punctis notabant.

Propter metũ. De inſidiis Põpeio poſitis, & quemadmodum domi ſe proptereà tenuerit, ſuperius dictum eſt.

Superioribus Tribunis. Superioris anni.

Promulgarent & referrent. Promulgarẽt ad populum, referrent ad Senatum.

G *Coloniæ nuper conſtituta.* Capuam ſignificat, quam C. Cæſar in primo conſulatu deduxerat.

Gereret magiſtratum. Cæſar deductæ Capuam Coloniæ duumviros præfecit L. Piſonem ſocerum & Cneum Pompeium generum, in Sext. Piſon.

Interceſſorum. Legendum videtur, interceſſor, Nemo, inquit, repertus eſt mercenarius interceſſor Ca-

puæ, ſicuti fuit ille Ælius Ligur, qui Senatus decreto, quod de me, referente L. Mummio, factum erat, intereeſſit, vt in Seſt. oratione legimus, nam illum hoc loco perſtringit.

Princepsque. id eſt primus.

Italiæ præſidium. Sic in ea pro domo: Hic municipia Coloniáſq; adiit, hic Italiæ totius auxilium cupientis implorauit.

Priuilegij. Cicero legem Clodiam de ſe latam inuidioſè priuilegium multis locis appellat. Pro domo: vetant leges ſacratæ, vetant leges XII. leges priuatas hominibus irrogare, id enim eſt priuilegium.

Conſignauit. Sub obſcurus locus. videtur autem ſignificare Campanos in decreto quod de Cicerone adiuuando fecerunt, legem Clodiam & priuilegium appellaſſe; & tamquam violentam & crudelem notaſſe. Nam in ea pro Milone, de Pompeio loquens. Qui cum de me inquit, decretum Capuæ feciſſet, ipſe cunctæ Italiæ cupienti & eius fidem imploranti ſignum dedit, vt ad me reſtituendum Romam concurrerent.

Corporis vulneribus. Superius ex oratione Sextiana dictum eſt, illum vulneribus plus viginti adfectum fuiſſe.

Deorum numero. A quibus enim ſumma in hominum genus beneficia promanarant, eos antiqui in Deorum numerum reponebant.

Sic in omnibus. Vetus codex HOMINIBVS: quòd ſine dubiò multò eſt rectius.

De priuatis vnus. Patet Cn. Pompeium ſignificari, qui tum magiſtratum nullum gerebat.

Quod licuit. Per Conſulum interdictum.

Suis periculis. Cùm in capitis iudicium vocati eſſent.

Mihi priuato. Depoſito conſulatu.

Dixerat Conſul. Gabinius.

Cliuus Capitolinus. De hoc ſuperius eſt dictum.

Compellabantur. Acerbius obiurgabantur.

Citabantur. Rei, vt in Sextiana.

Relegabantur. L. Lamiam ſignificat.

Aditus templorum. Significat gradus templi Caſtoris, quos Clodius poſteaquam in illud aſcendit, vt legem per vim ferret; euellendos tollendóſque curauit; niſi qui ei aduerſarentur, ingredi in templum & eum deturbare poſſent: vt ex Sextiana intelligitur & ex his Piſonianæ verbis: Id autem templum ſublato aditu, reuulſis gradibus, à coniuratorũ reliquiis armis teneretur. Pro domo: Cùm verò gradus Caſtoris conuelliſti ac remouiſti, tum vt modeſte tibi agere liceret, homines audaces ab eius templi aditu atque adſcenſu repuliſti.

Ad portas. C. Cæſarem ſignificat, qui (teſte Plutarcho) cum Galliam vtrãque cum imperio & exercitu obtineret, tamen non prius ad bellum profectus eſt, quàm Cicero ex Italia pulſus eſſet. Clodij enim beneuolentiã ſibi retinere voluit, ne ea quæ conſul cõtrà leges & auſpicia geſſerat, à Tribuno pl. reſcinderentur: vt in Piſoniana Cicero ſignificat.

Magnóque exercitu. Legionibus quatuor præter auxiliares, vt Plutarchus ſcribit in Cæſare.

In multos annos. In quinquennium lege Vatinia & contrà legem Semproniam. Cic. in Vatin. Sueto. in Iulio: Plutarchus in eodem.

Nunquam inficiando. Alludit ad illum verſum

A Accij Poëtæ, quem Aſconius notat in Piſoniana: vbi ſic loquitur: Quamquam quod ad me attinet nunquam iſtam imminuam curam inficiando tibi.

Simulatione collegiorum. Legem Clodij ſignificat, vt collegia id eſt conuentus artificum à Numa inſtituti & magna ex parte tum à legibus, tum à S.C. ſublati, multique alij reſtituerentur. Cicero in Piſo. collegia non ea ſolum quæ Senatus ſuſtulerat, reſtituta, ſed innumerabilia quædam ex omni fece vrbis

B ac ſeruitiorum conſtituta. Hac de re Dio. lib. 38.

Tribuniti ſanguinis. P. Clodij. Similiter in Planciana, cadente in hexametrum periodo: victoriæ noſtræ graues aduerſarios paratos, interitus nullos victores eſſe videbam.

Sine ferro. Quia ſola Senatus auctoritate, laqueo gulam condemnatis in carcere frangi iuſſit.

Quæſtiones. Sic appellantur iudicia publica.

Cn. Plancius. Qui tũ quæſtor fuit in Macedonia. Is eſt pro quo exſtat oratio, cuius in epilogo Plancij

C erga ſe patria exſulantem officia commemorat.

In filij loco. De hac quæſtoris cum prætore neceſſitudine, diximus in diuinatione.

P. Popillio. Totum hunc locum totidem penè verbis inculcat in orat. ad Quirites poſt reditũ: Hic eſt P. Popillius, qui cum in conſulatu in eos qui cum T. Graccho conſenſerant, iuſſu ſenatus animaduertiſſet, poſtea C. Graccho legem aduerſus eos ferente, qui ciues R. indicta cauſſa ex vrbe eieciſſent, in exilium abiit: & aliquanto poſt à L. Beſtia Tribuno pl.

D reſtitutus eſt. Plutarch. in Gracchis: Valer. lib. 4. c. 7. Cicero in Bruto, & in oratione pro domo.

Q. Metello. De quo ſatis copioſè ſuperi' dictũ eſt.

Filius. Metellus Pius, qui ex adſiduetate, quam in populo pro patre orando, adhibuit, hoc cognomen adeptus eſt. Velleius lib. II.

L. & C. Metelli. L. & Q. Metelli in ſeq. orat.

Pontum & Bithyniam. cùm Quæſtor pro conſuli, vt in Pontum & Bithyniam iret obueniſſet.

Tribunitiis rogationibus. Popillius, rogatione L. Be-

E ſtiæ. Hæc eadẽ totidẽ verbis in oratione pro domo.

Interfectis inimicis. Nam & Gracchus & Saturninus interfecti ſunt.

Cum alter. Locus requirere vocem TAMEN videtur: vt ſit, cùm tamen alter. Nam hoc ſignificat poſtulatu ſenatus non ſunt reſtituti, cùm tamen, &c.

Senatus paruiſſet. Popillius, cui cõſuli ſenatus mãdarat, vt in eos qui cum Ti. Graccho conſenſerant, more maiorum animaduerteret. Valerius lib. 4. c. 7.

Vim cædémq. Dictum eſt ſuperius de Numidici

F diceſſu.

Tertius antè me conſularis. Primus fuit Popillius, alter Metellus.

Suis humeris reportauit. Vocem hanc crebro in orationibus vſurpat. Vnde illud Vatinij apud Macro. lib. Satur. II. qui Ciceroni humeris ſe reportatũ glorianti dixit. Inde ergo tibi per varices. ſic enim legendum, non, *Vnde*. Plutarchus autem hac de re ita loquitur: καὶ τοσοῦτο τὰς πόλεις χαρᾷ καὶ σπουδῇ τοὺς ἀνθρώπους περὶ τὴν ἄνοδον αὐτοῦ ἔσχεν, ὥς τε τὸ ῥηθὲν

G ὑπὸ Κικέρωνος ὕστερον ἐνδεέστερον εἶναι τῆς ἀληθείας. ἔφη γὰρ αὑτὸν ἐπὶ τῶν ὤμων τὴν Ἰταλίαν φέρουσαν εἰς τὴν Ῥώμην εἰσενεγκεῖν.

Præſtare poſſim. Virtutem & vitam.

PRO

PRO DOMO SVA AD PONTIFICES.

ORATIO XXX.

COMMENTARIVS.

PRO domo. Poſt profectionem Ciceronis ex vrbe, bona eius P. Clodius publicauit, poſteà direpta ſunt omnia, quę aut in domo aut in villis fuerunt. domus direpta primum, deinde inflammata ac diruta. Hæc Aſcon. in Piſon. Ipſe verò ep. II. ad Att. lib. IV. Diximus apud Pontifices prid. Kal. Oct. acta res eſt accuratè à nobis. & ſi vnquam in dicendo fuimus aliquid aut etiam ſi nunquã alias fuimus, tum profectò magnitudo doloris vim quandam nobis dicendi dedit.

Summa Reip. Nam qui Pontifices eorũ pleriq; etiã Senatores, atq; adeo publici conſilij principes erant. non omnes autẽ Põtifices ſenatores fuiſſe, locus hic ex lib. ad Att. IV. demonſtrat: Kal. Oct. habetur ſenatus frequens adhibentur omnes pontifices qui erant ſenatores. Et hanc ipſam illorum cognitionem bipartitam quoq; fuiſſe, infra demonſtrat: Quæ cum ſit in ius religionis & in ius reip. diſtributa &c.

Ciuiũ ſalu. Conſuetudo Ciceronis, vt ex ea cauſſa quam agit, totius reip. pendere ſalutem adfirmet cauſſam autem in extrema orat. oſtendit: ne ſi iſta Clodij dedicatio in ciuitate probetur, idem poſtea omnes ſeditioſi Tribuni pl. audeant.

Perditos magiſtratus. Magiſtratus modò dicit Tribunos. pl. nam P. Clodius in tribunatu Ciceronis domũ euerterat, & in area Libertatis atrium ędificarat.

Sceleratorum ciuium. Quorũ opera Clodius omnia illa in tribunatu geſſerat.

De rep. ſenſi. Quo tempore Cicero ab exſulio rediit hoc eſt prid. non. Sept. Lentulo Metello coss. cùm eſſet annonæ ſumma caritas, & ad eam procurationem bonorũ omniũ ſermone Pompeius vocaretur, Cic. ſententiam dixit, in eiúſq; ſententiã S. C. factum eſt, vt cum Pompeio ageretur vt eam rẽ ſuſciperet, lexque ferretur. poſtridie Cicero concionẽ habuit, lex conſcripta eſt, qua Pompeio per quinquenniũ omnis poteſtas rei frumentariæ toto orbe terrarum daretur.

Sed conuicio. Conuicium dicitur de multis vocibus aut multorum ſimul, aut vnius frequentatis.

Summa religione. De conſecrata Ciceronis domo à Clodio nam Cicerone nec dum reuerſo eam conſecrationem improbarant. Dicitur autem ſumma religio vt ſumma reſp.

Fuiſti tu. Puto legendum, FVISTI TVM. & mox: SED IAM. Pontifices optimates erant. Cicero autẽ quod populus expetebat, ſuaſerat, vt frumentaria procuratio Pompeio mandaretur.

Exercitus terrore. Cæſar tum propter Galliæ proconſulatum exercitum habebat: cuius metu, quaſi ei Cæſar ſubfragaretur, Clodius aduerſarius terrebat.

Obſeßione templorum. Hæc omnia Clodij & in Sextiana & aliis locis innumeris inculcantur.

Turbulento die. Eo biduo (inquit ad Att.) cum eſſet annonę ſumma caritas, & homines ad theatrum primò, deinde ad ſenatum concurriſſent impulſu A Clodij, mea opera frumenti inopiam eſſe clamarẽt, accurate ſententiam dixi &c.

Cedere curaſti. pro *coegiſti*, non memini me ſimilem apud hunc locutionem animaduertiſſe.

Turbulento illo die. Quo multitudo, vt dixi, propter annonæ caritatem concitata in Capitolium conuenerat. Itaq; cùm L. Cæcilius prætor ludos Appollinares faceret, ita infima coacta multitudo annonæ caritate tumultuata eſt, vt omnes qui in theatro ſpectãdi gratia conſiderant pellerentur. Hæc Pædianus B in Milo. in qua ipſa Cicero ſcribit, huius Cecilij prætoris domũ ob eãdem cauſſam oppugnatam fuiſſe.

Lentulus, Metellus. Quibus cõſulibus & adiutoribus Cicero reſtitutus eſt. Metellus verò quas inimicitias cum Cicerone gerebat, eas reip. condonauit.

Frater tuus. Nam Clodij ſororem in matrimonio habebat, vt in ea pro Cœlio: Non deniq; modò te Q. Metelli matrimonium tenuiſſe ſciebas. Sic infra: A Q Metello fratre tuo, conſule.

Diſcenſioni. Rectè, cùm in manu ſcripto, *Diſceßioni* C vitioſè legatur.

De qua agebatur. Abeſt hoc totum à libro antiquo vitioſè. nam & rem qua de agebatur, & conſules qui agebant, coniunxit.

Nonnulli. Omnes Conſulares, præter Miſſalam & Afranium, quod tutò ſe negarent poſſe ſententiam dicere.

Quorum lege. Nam lege Cornelia & Cæcilia duorum iſtorum conſulum reuocatus eſt.

Populi ſermo. Cùm per eos dies ſenatus de annona D haberetur, & ad eius procurationem ſermone nõ ſolum plebis, verumetiam bonorum Pompeius vocaretur, multitudóq; à me nominatim vt id decernerẽ poſtularet, feci & accuratè ſententiam dixi.

Diſcerni. Decerni legendum nemo non videt.

Prouinciæ frumentaria. Quæ vectigal potius quam ſtipendium quotannis pendunt: vt Aſia, Sicilia.

Varietatem venditorum. Qui alias merces ex iis locis quò frumentum miſerant, vehendas curabant, quàm cuiuſmodi Romæ eſſent qui aliis in locis ne- E gociabantur.

Stimulator. Vulgus ſic dixiſſet, Si finalis, hoc eſt rationatiua cauſſa fuit annona, impulſiua, Clodius. Rectius tamen putarem, *Sin caſſa.* Poteſt etiam ſic intelligi, vt cauſſam pro ſpeciem & prætextum, interpretemur: vt paullo antè, Ob annonæ cauſſam.

Natiuum, delatum. Inſitum, aduentitium: quod intus eſſet, quod extrinſecus obueniſſet. alibi dicitur inteſtinum oblatum.

Decuriatos. Decuriare & centuriare paſſim vſur- F patur pro conſcribere.

Annonam præſtare. Caritatis euentum & periculũ in ſe recipere.

Puerorum. Adpoſita puerorum multitudo fuerat, qui de caritate quiritarentur, & Ciceroni inuidiam crearent.

Operis. Conductis ad cædem tanquã operariis. Edi derat autem, quia tãta vndiq; multitudo ad comitia & legem de Cicerone reuocando iubendam confluxerat vt annona multo grauior facta ſit.

In templo Iouis. Paullo antè templum concordiæ nominauit.

Vno diſſentiente. P. Clodio.

Amico locupletiori. Cn. Põpeio: & adludit ad verbũ iuris. nã Delegare dicuntur debitores: qui præſentẽ pecuniã non habent, eũm alium debitorẽ quendã ſuum à pecunia paratiorẽ creditori ſuo adſignant.

Id quod omnes. Abundat pronomen Id.

Rem maximam. Rem frumentariã. ſic infrà: Nos quod rei maximę ſummum virum perfecimus, &c.

Populi R. pœnitere. Vetus liber hoc amplius, Neceſſe eſt pœnitere, quod mihi non placet.

Cn. Pompeio. De extraordinariis eius imperiis dictũ eſt in Manilianæ comment.

Quo auctore. Cùm enim lex Manilia de bello Mithridatico ferretur, Cicero eam ſuaſit. Hi propriè auctores legum dicebantur, & exſtat oratio.

Vendum. Tum enim Lucullum & alios complures Pompei obtrectatores habuit.

Diſputare. Cũ iis qui probabiles & ſpecioſas quaſdam rationes adferunt, diſputare poſſum: Clodij verò impudentiam ferre non poſſum.

Publicaſſes. Clodius legem tulerat, vt Cypri regnũ vniuerſaq; Gaza regia publicaretur: in Sextian. & apud Dionem lib. XXXVIII.

Eodem iure. Hereditario, ex paterna ſucceſſione ſocius autem à ſenatu nondum erat appellatus.

Huius imperij. Fortaſſè deeſt, nomine.

Produxeras. Productionem pro roſtris, non puto hic intelligi. Fortaſſè producere nunc dixit, pro euehere, promouere, ornare, augere illo extraordinario imperio. Sic de finib. III. vt nemo dicit in regia regem ipſum quaſi productum eſſe ad dignitatẽ. &c.

Subduxeras. In Sextiana: Non illi ornandum M. Catonem, ſed relegandum putarunt.

Carnificem. Significat eius ſententiam in ſenatu de necandis Catilinariis dictam.

Nominibus. Abuſiuè, pro cognominibus.

Libertatem. Nõ intelligo, niſi aut ſubaudiatur aut addatur INTERCEDENDI. nam Cæſarem extraordinaria imperia concupiſſe, notum eſt.

Conſilium. De Catone per honoris ſpeciem relegando.

Ciciliam dediſſes. In Sextiana: Vt Gabinio pro illa ſua Cilicia, quam ſibi, ſi remp. prodidiſſet, pactus erat, Syria daretur.

Lege generi. C. Cæſaris. Vide in Indice noſtro legũ R. Lex Iulia de prouinc. & in orat. de prouincus conſular.

C. Gracchus. Vide in eod. Indice Lex Sempronia de prouinciis.

Decreta lege. Mendoſus locus. nam aut verbum DECRETA tollendum eſt, aut legendum vt ſæpè apud hunc ipſum. *Rogata lege.*

Helluoni præguſtatori. Non dubium eſt quin eam fœditatem ſignificet, quam & mox & aliquanto poſt notabit.

Lege tua. Vide Clodiã de annona, in Indice legũ R.

Priuilegium. Contra XII. tab. & ſacratas leges.

Iiſdem machinis. Serendis inter me & Pompeium inimicitiis, excitandis apud illũ ſuſpicionibus. Satis enim conſtat Ciceronẽ à Pompeio deſertum fuiſſe.

Quis ſenatus. pro, Quis apud ſenatum. ſimile lo-

A quendi genus non memini.

Vtile reip. fuit. Propter nouorum motuum formidinem.

Potuiſſe iure pub. Ius publicum modò ſpeciatim poſuit, pro eo quod propriè ad magiſtratus pertinet, nam à pontificio iure id ſeiungit. Generaliter autẽ ius publicum eſt, quod, vt ait Vlpianus, ad ſtatum rei R. ſpectat: id eſt, quod in ſacris, in ſacerdotibus, in magiſtratibus conſiſtit.

Iudicio ſenatus. Quomodo ſenatus? cùm in Verr.
B VI. ita ſcribat: Quo confugient ſocij? ad ſenatum deuenient, qui de Verre ſupplicium ſumat? non eſt vſitatum, non ſenatorium. ergò de ſuperiorum temporum ratione hæc intelligenda ſunt: cùm, vt Polyb. VI. ſcribit, ſenatus de rebus capitalibus cognoſcebat.

Aut populi. Tantum in crimine perduellionis.

De quaque re. De priuata cuiuſque re vnde priuati iudices appellabantur.

Eſſe parricidium. Nihil immuto, tantum dico ma-
C gis ESSE TE TE PATRICIVM ad hunc locum pertinere, quam ESSE parricidium.

Ratio generum. Agell. V. cap. XIX. Sed ad rogationes non temerè nec inexploratè cõmittuntur. nam comitia arbitris etiam pontificibus præbentur, quæ curiata appellantur.

Exheredabit. Exheredare poſuit pro Emancipare propterea quod emancipatio ius omne & ſuitatis & adgnationis, id eſt (vt paullo poſt loquitur) ius omne legitimum & hereditatum & tutelarum exſtinguit.
D Reſponſio eſt Clodij, q. d. non diu illum in filiorum numero retinebit, ſtatim emancipabit.

Cur intereunt. Sacra patriciæ gentis propria ab homine nunc plebeio facto, retineri non poterant.

Hereditates nominis. Triplex adoptionis ius notat: qui enim adoptabatur, adoptiui patris prænomen, nomen & cognomen ſic adſumebat, vt ſuum duntaxat nomen idq; inflexum atque immutatum retineret: vt apud Dion. lib. XL. & XLVI.

E *Neque patris heres.* Cùm iam emancipatus & propterea exheredatus ſis. Cogitandum tamen ecquid potius PARTIS ſit legendum, vt veteres dicebant participem. Terent. Donec ſaluos redierit meus particeps. Et Verr. III. Quibuſcum viui bona noſtra partimur. partis heres, id eſt particeps, ſuus heres. nam pars ad patrem refertur, non ad fratres.

Et quam deſeruiſti. Refertur ad vocem GENTIBVS, perturbatis ambabus gentibus, & quas. &c.

Emancipari. Emancipatio, vt modò dictum eſt &
F ſuitatis & adgnationis ius exſtinguit. quo modò ergò plebeius manebat, cùm adgnatio nihil aliud eſſe videatur, quàm gens? Patet nimirum aliud eſſe gentem, aliud adgnationem: vt Gens ad patriciorum & plebeiorum qualitatem referatur: Adgnatio ad propinquitatem.

Anguſtiorem. Mutilus locus, & ſine vetuſti libri ſubſidio plane deſperatus.

Flamines, ſalios. Quos omnes è patriciis creari oportet.

G *Auctores centuriatorum & curiatorum.* Idem intelligitur ex Liuius VI. horum comitiorum auctores, patricios fuiſſe.

In concionibus reſponſa. Moris fuit, vt qui quid per auſpicia improbare vellet, is augures & eum qui cũ auguribus de cœlo ſeruarat, in concionem productos interrogaret, ecquid ſigni animaduertiſſent.

Lex Curiata. Iulius Cæſar legem comitiis curiatis tulerat,

Digitized by Google

tulerat, vt Clodium à plebeio adoptari liceret. Sic de prouinc.conſul. Oblitíne erant tum cùm ille qui id egerat, plebeius eſt lege curiata factus, dici de cœlo eſſe ſeruatum.

Infirma ſunt. Obiectio Clodij, qua Ciceroni Cæſaris inuidiam conciliat.

Exceptis telis. Id eſt, cùm iam exceperim, cùm iam mihi impoſita ſint vulnera.

Auſpiciorum patronus. Vt quæ Cæſar contra auſpicia egiſſet, reſcinderes. Huius autem rei cauſſam exponit in ea de aruſp. reſp. cùm Senatus ſeſe nimiæ Cæſaris potentię opponere cœpiſſet, tum Clodium ſubitò ſe ei venditaſſe, & in concionibus leges Iulias oppugnare cœpiſſe.

Viros fortes. Suetonius in Iulio: Cicerone in iudicio quodam deplorante temporum ſtatum, P. Clodium inimicum eius fruſtrà iampridem à patribus ad plebem tranſire nitentem, eodem die horáque nona tranſduxit.

Trinum nundinum. Hac de re dixi in comment. ad XII. tab.

M. Druſi legibus. M. Liuius Druſus tribunus pl. multas leges tulerat. Philippus COS. qui ei inimicus erat, obtinuit à ſenatu vt leges eius omnes vno S.C. tollerentur. decretum eſt enim contra auſpicia eſſe latas, neque iis teneri populum. Hæc Pædianus in Cornel. Cic. de legib. II. Quid leges non iure rogatas tollere? vt etiam decreto collegij, vt Liuius conſilio Philippi Conſulis & Auguris?

Cæciliam Didiam. In hac caput hoc fuiſſe apparet, vt in legibus ferendis trinundinum ſeruaretur. vt Philipp. V. Quid promulgata fuit? nónne antè lata quàm ſcripta? nónne ante factam vidimus, quàm futuram quiſquam eſt ſuſpicatus? vbi lex Cæcilia & Didia? vbi promulgatio trinundinum?

Iure agere. Quaſi tum de cœlo ſeruatum non fuiſſet.

Tua rogatione. De me in exilium eiiciendo.

Tam iure, tam lege. Alludit ad formulam adrogationis.

De capite ciuis. Hac de re dixi in comment. XII. tab. Idem iteratur in ea pro Sextio.

Prædicta die. Videtur idem eſſe, diem dicere, & diem prodicere. Magiſtratus diem dicere dicuntur reo, cùm ei certam diem præſtituunt, qua die eum ad populum accuſaturum denunciant.

Vt antè. Rectè in aliis, *Vt ter antè.* nam accuſatio trinundinum durabat. id eſt accuſator primo nundino, ſemel: altero, iterùm: tertio, poſtremum. Ergò intermiſſam diem, pro intermiſſum tempus poſuit: id eſt, intermiſſis atque interpoſitis aliquot diebus.

Illum diem. Vltimum trinundini.

Aut auſpiciis. Auſpicia populi iudicium tollebant, ſi quis obnunciaſſet: quia ſic quoque cum populo agebatur.

Excuſatione. Pædianus ſcribit, moris fuiſſe, vt Reipub. ſæpe vel morbi vel alterius rei excuſatio permitteretur. ſed difficile dictu eſt hoc loco tales excuſationes intelligi, cùm tantùm in iſta poſtremo die momenti ſit: niſi fortè de morbo ſontico planè conſtet. Erat autem etiam excuſationis genus aliud, de quo Liu. lib. III. Cæſo Quinctius iudicij die cùm excuſaretur ſolum vertiſſe exilij cauſſa, nihilominus Virginio comitia habente, collegæ appellati diuiſere concilium.

Tota cauſſa. Id eſt, nihil eo iudicio & illa tota accuſatione actum videbatur, ſi accuſatori nouum de

A integro iudicium altero trinundino inſtituendum erat.

Pecunia non expetebatur. Propter tenuitatem.

Hoc iure firmato. Si conſtitutum ſit hoc iuris eſſe.

Liguris. Deguſtas. Ligurire dicuntur qui non vno ſe cibo ſatiant, ſed ex variis paullulum delibant. Significatur Sex. Clodium varias diſciplinas primoribus labris deguſtaſſe.

Quadrupedum impuriſſimo. Et hic quoque fœditatem illius ſignificat.

B *Mancipem.* Alludit ad publicanorum ſocietates quorum quidam Mancipes erant, qui publica à Cenſoribus redimebant: alij Prædes, qui pro illis fideiubebant.

Populo commiſerant. Qui honores in comitiis petebant.

Damnabantur. Sic in Sextiana: Quocunque venerant, quod iudicium cumque ſubierant, damnabantur.

Nouicius Ligur. Sex. Ælium tribunum pl. ſignifi-
C cat, qui cognomen Liguris ſibi quaſi ex antiqua Æliorum gente eſſet, adripuerat.

Teſtamento improbatus. Non ſubſtitutus heres. exheredatus inter ceteros. Probro dabatur fratribus præſertim, cùm præteriti in teſtamentis fuiſſent.

Damnationis ſocius. Significat illum cædis fraternæ conſcium & participem fuiſſe.

Se ipſa diſſoluat. Ipſo iure nulla ſit. non aliunde reſcindatur, ſed in ipſa vitium inſit.

Satiſne tibi videtur. Puto quædam deeſſe, ex qui-
D bus iſtud quod iam infert, conſequebatur. Fortaſſè autem hoc deeſt, RECITA S.C. quod quia notis ſcriptum erat, effluxit.

Vno ſortitu. Contrà legem Cæciliam Didiam, ne vna rogatione diuerſis de rebus ad populũ ferretur.

Stuprorum omnium. Suſpicor de mendo. nam pro altero OMNIVM deſiderari videtur PRINCIPEM, aut tale quidpiam.

Decumis & Clodiis. Significat iſtos legem Clo-
E diam ſuaſiſſe.

Ne reciperer. Ne quis me tecto reciperet: ſi quis recepiſſet, is pœnam ſubiret.

Legem Licinium. Ne ei qui legem de curatione poteſtatéve aliqua tulerit, eius collegis, cognatis, adfinibus ea poteſtas curatióve mandaretur.

Exſules. Byzantini ciues rerum capitalium à ſuis condemnati, per Piſonis legatos reducti ſunt.

Eidem negotium dedi. M. Catoni, cuius nominis auctoritate facinus iſtud tegebat.

F *In Aſia ciſtophorum.* Ciſtophorus, numus Aſiaticus. Patet hæc omnia de Gabinio dici, non quo Clodius iſtis de rebus legem tulerit: ſed oſtendit quàm abſurdum ſit dici vna de re populum rogari, quia vno de homine multæ res rogentur.

Gradus Caſtoris. Quos ligneos & exemtitios fuiſſe multis ex locis intelligitur.

Aduocationem. Amicos, à quibus comitati eò venerant.

Ampliſſimum ordinem. Similem iterationem nuſ-
G quam me animaduertiſſe memini. Itaque ſi quis vetus codex reperiretur, in quo ſic legeretur, Ampliſſimum ordinem pro me non modò, &c. eam ſcripturam lubenter cum hac commutarem: vt vox *Senatus* ex gloſſa adſcita videatur.

Nemo intercederet. Magiſtratibus multam inrogantibus alios intercedere potuiſſe, patet ex aliis Ciceronis locis.

Ex prouincia. Cilicia, in qua proprætor triennium fuerat. A

Campanum Conſulem. Inuidioſè pro Duũvirum. qua de re dixi in Piſon. & in ea poſt redit. in ſenatu.

Inteſtinum bellum. Inteſtinum bellum dici notandum eſt, non tantum domeſticum, verumetiam inſitum & penitus in animis infixum.

Senatum Conſules vetabant. Hoc quid ſit, non intelligo: niſi verbum HABERI, aut ſubaudiendum ſit, aut potius adhibendum.

Domus ardebat. Hæc ipſa totidem verbis in Sextiana. B

Catilinæ delicias. Gabinium ſignificat.

Cethegi conſobrinum. Piſonem.

Clariſſimos. Vtrumque Decium.

Vt qui modo. Vetus liber: Quid ageres, non erat: niſi vt qui mihi dux in omnibus meis rebus fuerat, ſocius idem eſſet iniuriæ, quid? eiicere poſſes? non. quid ergo? extrudere ad Cypriam pecuniam? præda perierit. alia non deerit. hic modo amandatus ſit.

Eiiciuntur duo. Cato & Cicero. C

Quo auctore. Sic multis locis, & præſertim in Sextiana: omnibus in concionibus illa furia clamabat, ſe, quæ faceret, contra ſalutem meam facere auctore Cn. Pompeio.

Fregit fœdus. Conſpirationi de necando Pompeio renunciauit, conſilium mutauit.

Domum concecerit. Incluſus domi tamdiu fuit, quamdiu inimicus meus in tribunatu. in Sext.

Nihil eſſe inſcriptum. Hoc quid ſit, non intelligo: niſi fortè IVRE SCRIPTVM potiùs legendum ſit. D vt in Sextian. vbi hac ipſa de re loquens: ita de me, inquit, ſcripſiſſe illum quæ ſcripſerat, iis verbis, rebus, ſententiis, vt etiam ſi iure eſſet rogatum, tamen vim habere non poſſet.

Nec referre ad Senatum. Nam quoddam legis caput Clodius in curiæ poſte fixerat, ne referri néve dici liceret. ad Att. III. ep. XV. & in ea poſt redit. in ſenat.

Interdictum ſceleris. Puto interdictum hoc loco vſurpari antiquè pro ſeuero & imperioſo edicto: vt in comment. ad Inſtit. diximus. E

Scripto illo iſtius. Quod ad curiæ poſtem, vt dixi, fixerat.

De Macedonia. Id eſt, prouinciis, quas pro præmio acceperant.

Tribunipl. Poſt IV. idus Decemb. quibus T. Annius, P. Sextius, & alij tribunatum inierunt.

Felicem Catilinam. Qui quod Catilina non potuit, Ciceronem eiecerit.

Decreuit. De hoc decreto in ea poſt reditum in ſenatu. F

Publicanorum. Qui omnes equeſtris erant ordinis.

Conuenticula. A Numa rege inſtituta, vt Plutarchus, Plinius & Florus teſtantur.

A porta in Capitolium. Hæc pluribus ſcribit ad Attic. IIII. ep. I.

Legem ferentem. Vide in Indice noſtro, lex Cornelia de reditu Ciceronis.

Lege interrogauit. Interrogare legibus quid ſit, expoſui in Comment. verb. iur. G

Pro populo feciſti. In arcanum bonæ deæ muliebri habitu ingreſſus es.

Auctor factus ſit. Locum hunc in Comment. orat. pro Cæcina interpretati ſumus.

Vt in filio. Vti patri endo filio eſt: vt in formula quam Agellius prodit lib. V. cap. XIX.

XXX. *Curia.* Curiata lex quẽadmodum ferretur vide in Indice, Lex curiata.

Decemviri. Decemviri ſtlitibus iudicandis à centumvirorum numero: apud quos ſacramento certabatur de certis cauſſis, & in his de cauſſis liberalibus. quod iudicium tribus ſemper actionibus conſtitiſſe patet ex l. 2. C. de adſert. toll. vnde adſertiones ſecundæ apud Fab. lib. V. cap. II. lib. II. cap. I. quod hoc loco Cicero ſignificat, cùm ait hoc in genere ſolo rem iudicatam referri potuiſſe.

Referri. retractari. Sic referri myſteria dixit in lib. de Orat. II. pro iterari.

L. Sylla. Vide, lex Cornelia de ciuitate, & in orat. pro Cæcin. quem nos expoſuimus. Appianus quoq; Ciu. II. ſcribit, eum poſteaquàm in ſingulis hominibus crudelitatem exercuiſſet, opida adortum ea aut mœnibus nudaſſe aut tributis adflixiſſe, aut ciuitatem paulo antè à ſenatu datam eripuiſſe. Hinc illud Salluſtij in Catilinario: *Etruriam nouarum rerum cupidam conſule Cicerone fuiſſe, quod Syllæ dominatione agros bonáque omnia amiſerat.*

Concilio aduocato. Concilium ſolius plebis eſſe, ſæpe à nobis dictum eſt. Itaque centuriata comitia concilio aduocato nunc opponit.

Qui in eius nomen inciderit. Vtrum hoc ſignificat, Qui eum imprudens & incautus nominariſ: an fortaſſe ſic legendum: Qui in tabulis eius nomen inciderit: vt tabulas æreas ſignificet, in quibus ſuam legem Clodius auctore laudato inciderat.

Interamnæ. Nam P. Clodius de inceſtu accuſatus, iurauit ſe illo die Interamnæ fuiſſe.

De iniuriis publicis. Videtur, cùm Menulæ cuidam ciui Anagnino iniuria publicè facta eſſet, P. Clodius in eius gratiam legem aliquam de iniuriis publicis tuliſſe, qua grauem pœnam conſtituerat.

Ne ſcriptum quidem. Etiam pag. inſequenti negat pœnam interdictionis in ipſa rogatione perſcriptam fuiſſe.

Gracchus de Popillio. Vide, Lex Sempronia de iure ciuitatis, in Indice. Item, Apuleia & Metello.

Capite demiſſo. Significat eam obſcœnitatem quã ſuperius aliquotiens iam notauit.

Iudicem ſubdidit. Erant iudicum decuriæ perſcriptæ ex ſenatorum numero. in demortui autem locum alter ſufficiebatur.

Deſceſſu meo. Notanda locutio pro, Me abſente.

Quinctius Furius. Hiſtoriæ notæ ſunt ex Liuio & aliis.

Mihi ſine illo. Mihi pro, in me poſitum videtur.

Popillius. Et de Popillio & de Metello dictum eſt in extremo orat. poſt red. in ſenatu.

Frequentare. Cogere, congregare.

Lentidios. Hunc nominat in Sextiana: Accuſa Lentidium, non percuſſit locum.

Vis vltima. Cùm T. Gracchum priuatus, & P. Mutij ſegnitiem deteſtans ſua manu interfecit. Vide Valer. lib. III. cap. II.

Illius temporis. Quo Catilinæ coniurationem oppreſſit.

Demiſſè. Lentè, non acriter, non vehementer.

Audiente populo. Significat inſimulandum illud, de quo famil. lib. V. ep. II. & in Piſon.

Concidere, quàm occidere. Plus ergò hoc quàm illud eſt: quaſi Concidere, cadere ſit cum dolore: occidere, cum interitu.

Prætextatos. Quod magiſtratuum eſt inſigne.

Arbitria funeris. Dixi in ea poſt reditum, Arbi-

tria

tria aliquot locis diei, pro mercede libitinariorum. A

Id quod in omni. Sic in extrema orat. Quæſo obteſtórque vos Pontifices, vt ne quem auctoritate, ſtudio, ſententiis reſtituiſtis, nunc manibus veſtris collocetis. Significat eos cùm in ſenatu ſententias dicerent, ſibi perpetuò ſuffragatos fuiſſe.

In conſpectu. In palatino colle, loco edito & celebri. vt paulo poſt: In palatio atque in pulcerrimo vrbis loco.

B *Ab eodem extructam.* Sic in extremo: per religionis vim ſceleratius ædificata.

Sp. Melij. Nota eſt hiſtoria ex Liuij lib. IV. & Valer. lib. VI. cap. III. vbi hæc omnia commemorantur.

Nomine ipſo. Domum deinde, inquit Liuius, vt monumento area eſſet, oppreſſæ nefariæ ſpei, dirui extemplo iuſſit. id æquimelium appellatum eſt.

C *Stultitia pœna.* Puto legendum ſtultitiæ in ſecundo caſu.

Ecquid aliud æquum. Puto æquum dictum pro planiciem. vt hic noſter alibi dixit, æquora camporum. & prius Æquum Melij pro planiciem & aream Melij dictum, poſt verò coniunctè Æquimelium.

Ex Pontificis Max. domo. C. Cæſaris, cùm in opertum bonæ Deæ ingreſſus eſt.

Anili ſuperſtitione. Iterum eius in opertum bonæ deæ ingreſſum ſignificat.

D *Cæcus factus.* Appius Claudius, qui annos quamplurimos luminibus orbatus, tamen Senatus principatum tenuit.

Exceperas. Significat caput tranſlatitium Si quid non fuit ius rogari, eius hac lege nihilum rogatum. de quo in orat. pro Cæcina.

Negares liberos eſſe. Elatoriè, pro negares intercedendi ius habere.

E *Aedilitatis ſuæ.* Notum eſt Ædiles ad ludorum ſuorum ornatum ſigna in prouinciis conquirere & Romam deportare ſolitos.

Duos conſules. Plura in ea poſt redit. in ſenat.

Q. Seio. Qui ædes continenter habuit.

Adſignauit genti Clodiæ. Adſignabantur in teſtamento liberti certis hæredibus. Sic puto Clodij teſtamentum ſignificari, quo quendam ex Clodiis heredem ex iſta ædium parte inſtituerat, & proximum quemque ei ſuccedere iuſſerat, ne ea res è ſua familia exiret. Videtur autem moris fuiſſe, vt quibus teſtamentum illud non diſpliceret, ij nomen ſuum profiterentur.

Cogere. Obſeruanda Tribunorum poteſtas, vt Pontificum collegium captis pignoribus cogere poſſent certo in loco adeſſe.

Prouidiſti. Videtur ſignificare veneno ſublatum.

Recuſares. Legendum puto, vti recuſates.

Legem tribunciam. Vide in Indice, Lex Papiria de conſecratione.

Ipſo ſi loco. Mendoſus locus ex veteri aliqua ſcriptura reſtituendus.

Abſentis exercitus. Cæſaris, cuius nomine terrorem imperitis obiiciebat.

Materna temeritatis. Superius dixit hunc à matre coactum id feciſſe.

Muranam. Pro quo exſtat oratio, qua illum ambitus defendit: quod illis verbis ſignificat, Separatim ſemel.

In templo inaugurato. Notum eſt ſenatum niſi in augurato loco haberi fas non fuiſſe.

Loco publico. Modò locum publicum aliquoties appellauit.

Te Capitoline. Deeſſe poteſt vox, Iuppiter.

Ea conditione deuoui. De hac ipſa deuotione dicit etiam in exorſu orationis ad Quir. poſt red.

Auctoritate, ſtudio. Similis locus ſupra, ex quo intelligitur. Pontifices extra collegium, cùm in ſenatu ſententias dicebant, Ciceroni ſuffragatos fuiſſe. Ad Attic. ep. 11. cùm Pontifices decreſſent ita: Si neque populi iuſſu, neque plebiſciuo qui ſe dedicaſſe diceret, nominatim ei rei præfectus eſſet, videri poſſe ſine religione eam partem areæ mihi reſtitui. Poſt factum eſt S.C. Videri Ciceronis domum iudicio Pontificum religione liberatam: & vt magiſtratus curarent, vt ei ſine vi ædificare liceret. in ea de aruſp. reſponſ.

PRO P. SEXTIO.

ORATIO XXXIII.

Argumentum ex narratione Ciceronis ſumtum.

P LENTVLO *Q. Metello* COSS. *cùm Q. Fabricius tribunuspl.* VIII. Kal. *Feb. templum, hoc eſt roſtra maturè occupaſſet, vt ad populum de Cicerone reuocando ferret, Clodiani ſeditione excitata obſtiterunt. repentè Q. Metellus* COSS. *in roſtra conſcendit & cum populo agere cœpit. qua de re Cicero non adſcripſit. Deſcendit P. Sextius tribunuspl. vt ei, quæ cùm de cœlo ſeruaret ſenſerat, obnunciaret. fit in illum impetus à Clodianis, pugna armatis vtrimque hominibus committitur. Ob hanc cauſſam anno inſequenti Marcellino & Philippo* COSS. *M. Tullius Albinouanus reum de vi P. Sextilium fecit, lege Lutatia. Prætor eſt M. Aemilius Scaurus.*

Pro tantis opibus. Cùm tantæ ſint opes Reip. cùm A Reſp. poſſit in tantis ſuis opibus benè de ſe meritis gratiam referre.

Cogitando recordari. Prius verbum abeſſe potuit: ſed bina cum binis compatauit, cogitando recordati, & vno adſpectu intueri.

De ciuitate. Oratoriè geminauit, cùm ſatis dixiſſet, de capite.

De liberis. De liberorum mendicitate, propter bonorum publicationem hoc addidit.

Voluntarios. Nulla vel minima cauſſa impulſos, B ſola ſua voluntate adductos. vt apud Terent. Mala mens, malus animus. Gallicè dicimus, De gayeté de cœur.

Qua voce. Vetus libet, *quia qua voce*. & ſic omninò legendum eſt.

Perorata. Perfectè orata & acta diligenter.

Confuſa atque vniuerſa. Non huius criminis propria, ſed generatim ad omnem eius vitam pertinente.

Eo auctore. Ad ius hoc pertinet, & filij obſeruan- C tiam in patrem demonſtrat.

C. Albini filiam. Senatoris, cuius ex filia natus eſt L. Sextius. ep. VIII. lib. Fam. XIII.

Grauiſſimi antiquitatis viris. Vetus liber GRAVISSIMÆ. quod non diſplicet. Infra: Nec illam diuinam grauitatem, plenam antiquitatis potuit ſuſtinere.

Ademit ſoceri nomen. Falſum hoc videtur. nam, vt ipſe quoque in Quinctiana ſcribit, Adfinitas liberis viuis nunquam diuellitur. denique adfinitatis iura D permanent. Ergò propter nouas Sextij nuptias hoc dicit, Lucium enim Scipionem ſocerum habere cœpit.

Adſiduitate. Quam huic ſuo noſtro quôdam genero in hac cauſſa & iudicio præſtat.

Hic eſt puer. Prætextatus, quem in epilogo flentem excitabit.

Patre viuo. Hoc quorſum pertineat, non intelligo. niſi forte ex aliquo libro veteri addi poſſit, ATQVE AVCTORE.

Fluctibus Reipub. Bello ciuili Mariano. E

Quæſtor ſorte. Quæſtores in comitiis creabantur. Et hunc Sextium eunctis ſuffragiis creatum in Vatin. teſtatur. Poſteaquam autem creati Quæſtores erant, prouincias ſortiebantur. Hunc obtigit Cõſularis, vt cum L. Antonio in Macedoniam proficiſceretur.

Religione. De neceſſitudine Quæſtoris & Proconſulis multa diximus in I. & III. Verrinam.

Communem metum. Plutarch. ſcribit eum propter F æris alieni magnitudinem ad Catilinaria conſilia propenſum fuiſſe.

Inficiando. Adludit ad illum Accij ſenarium: Nunquàm iſtam imminuam curam inficiando tibi.

Suum Conſulem. Hic exoritur quæſtio: Cùm P. Sextij quæſtura prouincialis eſſet, vt in Macedoniam cum Antonio proficiſceretur, quomodo toties Cicero in iſtis vrbanis negotiis & Catilinariis temporibus nominat ſuum Conſulem & Quæſto- G rem bonum? Reſpondendum, coniurationem patefactam poſt illa comitia ſub anni finem. Antonio imperium & exercitum per S. C. vltimæ neceſſitatis commiſſum. In eo extraordinario imperio extraordinaria quoque Sextij quæſtura viſum fuiſſe.

Nunc tamen κατ' ἀνάληψιν ita loquitur, & conſentaneum eſt Quæſtores deſignatos eos quibuſcum in prouinciam profecturi erant, tantiſper obſeruaſſe.

Cum exercitu. Salluſt. ſcribit Q. Pompeium prætorem Capuam ſenatus decreto miſſum, vti pro tempore atque periculo exercitum compararet. Cicero autem paullo poſt perſpicuè teſtatur Sextium habuiſſe exercitum. Putarem igitur aut Q. Pompeium comparatas à ſe copias Antonij Conſulis iuſſu P. Sextio tradidiſſe.

Nomine commutato. Anteà præfectura erat, & quotannis Roma mittebantur in eam præfecti, qui ius in conuentu dicerent. Nunc Cæſaris Conſulis lege ius Coloniæ poſt anno circiter CLII. receperauerat, ſuum ſenatum, decuriones ſcilicet & magiſtratus, duumuiros quaſi binos conſules habebat. Velleius, Appianus, Dio.

Deprecantur. Vetus liber TESTANTVR. Et fieri certe potuit, vt illud ſuperius TESTIMONIO DECLARANT, pro gloſſa ſubiectum tandem in contextum irrepſerit. nam ſubiecta verba perſpicuè demonſtrant, decretum iſtius non deprecandi huius præſentis periculi Sextiani cauſſa factum fuiſſe, ſed eius teſtandi, in quo tum verſati ſunt cùm ad eos Sextius exercitum duxit.

P. Sexti. Cùm in epiſt. ad Brutum Lucius nominetur, neceſſe eſt aut alterum filium fuiſſe, aut in alterutro loco mendum eſſe. primi ſanè filij patrum ſuorum prænomen ferè habebant.

Recita Sexti. Moris fuit, vt ſcribæ darentur recitanda quæ proprie ad iudicium pertinebant. Puto iſtud filio traditum, quod à cauſſa remotius videretur.

Vicem officij. Viciſſitudinem officij, relationem gratiæ.

Tribunorum pl. nouorum. Qui tribunatum V. idus Sept. inierant, in quibus Q. Metellum nepotem fuiſſe, & Ciceroni concionandi poteſtatem ademiſſe, ſatis conſtat. Plutarchus L. Beſtiam adiungit. id quod argumento eſt, eum quoque vnum ex decem nouis fuiſſe. Salluſtius: Conſtituerat vt L. Beſtia tribunuspl. concione habita quereretur de actionibus Ciceronis, bellique grauiſſimi inuidiam optimo Conſuli imponeret.

Summa celeritate. Vetus liber, eadem celeritate.

Communem Martem. Perpetua conſuetudo Ciceronis, vt ἀλληγορικῶς communem appellet. Cicero timiditati Antonij tribuit, quod Salluſtius pedum ægrotationi.

M. Petrey. C. Antonius pedibus æger, quod prælio adeſſe nequibat, M. Petreio legato exercitum permittit. Salluſt.

Mirificus vſus. Quod amplius annis XXX. tribun' aut præfectus, aut legatus, aut prætor cum magna gloria in exercitu fuerat. Salluſt.

Suſtinuit. Placet veteris codicis ſcriptura, CONTINVIT.

Sed vt agam. Vetus, ſed agam, placet.

Offerunt. Idem, efferunt. quod valdè arridet. nam inſequens *obtulerit*, ad proximum *offendere*, refertur.

Fœdere. Frequentiſſima conſuetudo Ciceronis, vt fœdus pro pactione priuata vſurpet. Plena eſt Piſoniana.

Legum Conſul. Turnebus ex antiquo libro in quo

LEGVM

LEGVM CVRIA legitur, reſtituendum putat: *lege curiata Conſul.* quod mihi non diſplieet.

Felix. Vt non Clodij contentioni acerrimæ, ſed fortunæ & fato Reipub. ruinam adtribuat.

Puteali. Fœneratores, inquit Cornutus, ad puteal Scribonis Licinij, quod eſt in porticu Iulia ad Fabianum areum, conſiſtere ſolebant. Puteal autem dictum eſt, in quo fœneratores deambulabant.

Atque perculſus. Hæc duo verba perſpicuè ab antiquo libro abiunt; neque ſatis aptè ad hunc locum conueniunt. niſi fortè ſic corrigantur: *A quibus perculſus olim.* & tota hæc periodus vſque ad *Perfugerat* parentheſi ineludatur. Sententiam autem rectiſſimè Manutius expoſuit.

Veſtitus aſper. Legendum, Aſperè. nam ad ablatiuum purpura refertur.

Imaginis formandæ. Turnebus, ORNANDÆ: quoniam imaginibus honores & magiſtratus ſubieribebantur. Verùm an etiam ex municipalibus magiſtratibus ornamenta imaginibus quærerentur, fateor mihi compertum non eſſe. Quare eùm de Capua & Campana grauitate loquatur, putarem ad ipſius vultum, ſtatum & inceſſum hoc referri oportere.

Maximo curſu. Curſum alibi ſolet dicere, pro nauigatione. ſed hoc loco Altum mare videtur ſignificare.

Hominum opinioni. Opinione, caſu ſexto: & libri veteris auctoritas & inſequens periodus flagitat. Falſa opinione, errore hominum commendatum.

Illum ſanciri. Id eſt, ſi taceretur, ſanciri poſſe. Adludit ad ſanctionem fœderum, de qua in Orat. pro Balbo.

De prouinciis Conſulum. Id eſt, de prouinciis quæ Conſulibus obuenerant, exercitu & pecunia ornandis. Comitiis curiatis lex ferebatur.

Sed etiam. Vetus, ſed eam. vtrumque rectè. ſed hoc libri auctoritas confirmat.

Et ſenerus conſultò. Sic placet. ſi tamen in libro aliqoo veteri CONSVL CONSVLTO reperiſſem, magis placeret. neque vſqoam eſt ab antiquis librariis peccatum frequentius. vt initio libri de Orat. Maximè moleſtiarum, pro Mole, moleſtiarũ, quod mihi primùm in mentem venerat, poſtea repertum in libris veteribus & ab aliis obſeruatum audio.

Relegauit. Graui & inuidioſo verbo vſus eſt. non enim id Conſul potuit. vnde illud in Catilin. Ex vrbe vel eiecimus, vel emiſimus, vel ipſum egredientem proſecuti ſumus.

Aut edicto. Manifeſtum mendum. Manutius reponit, *ſuo* edicto. ego, *vno.* Libri veteres conſulendi ſunt.

Tam longa. Non dubito quin *tam longè* reponendum ſit.

Quod tantum homines fefelliſti. Vetus, Tam homines. Locum vitio carere non arbitror.

Ceteris ſupplicare. Id eſt, pro ceteris. nam ad ſuperius illud DEPRECARI refertur.

Iiſdem COSS. Addendum eſſe verbum, Inſpectantibus, nemo opinor qui locum adtenderit, infitiabitur.

Gradus Caſtoris. Satis conſtat gradus iſtos excmtitios fuiſſe, vt alibi notauimus.

Gloriam commutaret. Conſtantiæ gloriam patriæ caritati anteponeret: mallet conſtantiæ gloriam adipiſci quàm in patria manere. Sic in ea pro Balbo: Q. Metellus, cui patriæ ſalus dulcior quàm A conſpectus fuit: qui de ciuitate diſcedere quàm de ſententia maluit.

Abſtinenter. Quid eſt hoc, Non moderatè ſed abſtinenter? Illud ad remp. hoc ad priuatam vitæ illius rationem pertinet. Manut. rem explicat.

Non auctor ſed dux. Hoc quoque obſcurum eſt. nam auctor idem qui dux videtur. ſed Ducem modò dicit, quem vulgò exſecutorem. Senatus auctor fuit, ego ſum exſecutus.

Quæſtore Oſtienſi. Opidum quà Tiberis influit in B mare. Itaque ad eum portum naues quibus frumenta Romam importabantur, adpellebant.

Principem Senatus. Princeps ſenatus dicebatur quem Cenſores in recitando ſenatu primum legerant. hic primus ſententiam rogabatur, vt alibi diximus.

Scurrarum. Scurræ adhiberi in conuiuijs ſolebant qui flagitiis quantumuis flagitioſis & impudicis conuiuatores exhilararent.

Stuprorum ſacerdoti. De Clodio intelligit, qui C cùm vt ſæpè dictum eſt, in opertum bonæ deæ muliebri habitu eſſet ingreſſus, per ancillarum manus ſeruatus eſt.

Cauſſæ dictionem. Sic in Quinctiana: Cauſſæ meæ dictionem certas in partes diſtribuam. Proprie tamen cauſſæ dictio eſt cauſſæ dicendæ ius atque poteſtas. vt Teſtimonij dictio, apud Terent. Iuridictio, legis actio, teſtamenti factio, & ſimilia.

Ob aliam cauſſam. Cæſar verebatur ne quæ anno ſuperiore Conſul contra auſpicia peregerat, à D Prætoribus infirmarentur. Itaque tribunum pl. Clodium ſibi adiungere voluit.

Propiora pericula. Sic in Piſon. Cæſar ſibi amicior quàm mihi.

Publicè ſuſcepta. Se contra tribunum pl. armatum decertare nolle ſine conſilio publico: Conſulibus ex S. C. Rempub. defendentibus, ſe arma ſuſcepturum.

Domi mea. Vatinium ſignificat, vt infra conſtabit. Sic in Piſoniana: Qui familiaritatis licentia E ſuorum improbiſſimorum ſermonum domicilium in auribus eius impulſu veſtro collocauerunt.

Hanc ſuſpicionem. Suſpicionem ſæpe pro metu vſurpat. vt infra: cùm alij me ſuſpicione periculi ſui non defenderent.

Ad portas. Qui cùm imperio in prouincias miſſi fuerant, ſimulatque portam Romæ ingrediebantur imperium deponebant. l. vlt. C. de offic. procunſ. Itaque ſi quid negotij haberent ad vrbem manebant. Ergò ad vrbem & ad portas pro eodem F promiſcue vſurpantur.

Bis vincere. Nam victo cum ſua manu Clodio, Conſulum factio ſupererat. Ita ſine duplici ciuium ſtrage vincere non potuiſſem: Conſulum autem cæde peſſimum in ciuitatem exemplum inducebatur.

Veſtrarum ſedium, templorúmque. Ne homines impij ac nefarij è pugna ciuium occaſione ſumta veſtris ſedibus ac templis ſceleratas faces inferrent.

G *Vectores.* Vſitatum eſt vectores dici non qui vehunt, ſed qui vehuntur paſſiua ſignificatione.

Proſcriptio. Proſcribere eſt tabulam proponere, in qua notentur eorum nomina quos interfici oporteat, præmio interfectorib. propoſito.

At ciues. Sic pro domo: Viciſſes cum magna internecione improborum, ſed tamen ciuium.

Omnibus definita mors. Pro decreta, deſtinata, præfinita.

Non mihi mors, non exſulium. Nihil muto. ſed profectò conſtat & totum hunc locum, & verò negocium ipſum potiùs ad Exitij quàm ad Exſilij verbum pertinere.

Fata continebantur. Vt à vate fata pronunciantur. nam Canere verbum de vatibus vſurpari ſolitum. vt in Catil. vt hæc quæ nunc fiunt canere Dij immortales videantur.

Sapientiß. Socrates apud Platonem diſputat, aut vigere animos poſt mortem, aut ſtatim exſtingui atque interire. Ita nullum eſſe in morte periculum.

Erechthei filia. Cic. III. de nat. deor. In pleriſq; ciuitatibus intelligi poteſt augendæ virtutis cauſſa, quo liberius Reipub. cauſſa periculum adiret optimus quiſque virorum fortium memoriam honore Deorum immortalium conſecratam. ob eam enim ipſam cauſſam Erechtheus Athenis filiæque eius in numero Deorum ſunt.

Deuouiſſet. Deuotionis formulam, cùm is qui deuouebat capite velato in inſtructam hoſtium aciem irrumperet: retulimus in Indicem formularum antiquarum. Lactant. lib. de falſ. ſap. III. cap. XII. Denique nemo vnquam exſtitiſſet qui hanc ipſam breuem contemneret aut ſubiret mortem, niſi ſpe vitæ longioris. nam illi qui propter ſalutem ciuium voluntariæ ſe neci obtulerunt, vt Thebis Menoeceus, Athenis Codrus, Romæ Curtius & duo Decij, nunquam mortem vitæ commodis prætuliſſent, niſi ſe immortalitatem opinione ciuium conſequi putauiſſent.

Vitam exhauſiſſe. Bello Cinnano, ne viuus capta vrbe in manus incideret, ſeipſum interemit.

Iiſdem radicibus. Vterque Arpini natus erat. hanc autem miſeriam ſuſtinuit Marius poſt VI. conſulatum anno ætatis LXX. Profugit autem in parietinas Carthaginis, vbi vitam inopem in tugurio tollerauit.

Minturnis. In Planciana ſcribit Minturnenſes feſſum inedia & fluctibus recreaſſe, viaticum congeſſiſſe, eámque ob cauſſam in laude verſari.

Ad Reipub. ſtatum. Profectò videtur aliquid eiuſmodi deeſſe, Ad turbulentiſſimum, aut perditiſſimum, aut tale quidpiam.

Periculo Reipub. viuebam. Viuere periculo Reipub. dicitur, cuius caſus Remp. potiſſimùm damno futurus eſt. Cic. in Vatin. Omnes hoc ciues iudicare, ciuitatis ſalutẽ cum mea vnius ſalute eſſe coniunctã.

Conſularibus literis. Cùm toties miſſas illas à ſenatu literas dicat, demiror cur Manilius potiùs à Conſularibus quàm à Conſulibus eas ſcriptas putet. Sic infra: In mea cauſſa factum eſt, vt literis conſularibus ex S. C. cuncta ex Italia omnes qui Remp. ſaluam vellent, conuocarentur. At in Paradox. Ergò ego ſemper ciuis eram: & tum maximè cùm meam ſalutem ſenatus exteris nationibus vt ciuis optimi commendabat.

Exemplum fidei publica. Vt meo exemplo fidem Reip. præſtent.

Auxilio bonorum. Cæſaris, Craſſi, Pompeij.

Breui temporis dolore. BREVIS caſu ſecundo corrigendum puto.

Furori hominis. Iampridem de iſto homine nihil dixit. profectò, ſi vetus liber habuiſſet, FVRIOSI, lubenter hoc cum illo commutaſſem.

Siue iudicio. Contra legem XII. tab. quæ ciuem

A R. ſine populi iudicio damnari vetat.

Gratulationes. Conſules epulabantur, & in coniuratorum gratulatione verſabantur. Pro dom.

Partitionem ærarij. Clodius legem tulerat de maximis pecuniis Piſoni & Gabinio quaſi in prouinciam euntibus attribuendis; quas cum ipſis deinde partitus eſt.

Semiſſibus ac trientibus. Vt frumentum quod antea ſemis æris ac trientibus in ſingulos modios da-
B batur, gratis daretur. Aliquot fuere ciuium millia, quibus frumentariæ teſſeræ dabantur, vt iis aut nullo aut perexiguo precio frumentum de publico habere liceret.

Cilicia. Sic pro domo: Cui quidem cùm Ciliciã dediſſes, mutaſti pactionem, & Ciliciam ad Prætorem ita extra ordinem transtuliſti: Gabinio precio amplificat, Suriam nominatim dediſti.

Vni helluoni. Manut. de Vatinio interpretatur. quod cuiuſmodi ſit, non intelligo. putarem de Ga-
C binio ipſo intelligendum. quod locus ille pro Domo ſatis oſtendit.

Peſſinuntius. Vt hic Matris magnæ ſacerdos ſuo ſacerdotio ſpoliaretur, fanúmque illud Brogitaro Gallogræco attribueretur. De aruſp. reſp.

Lege tribunitia. Plebiſcito. Ad contemtum hoc dicit; cùm de religionibus ageretur.

Venditum. Vt rex ſacerdotium illud gereret.

Appellati reges. Moris fuit, vt Reges exteri in ſummi honoris ac beneficij numero ponerent, ſi à
D ſenatu populóque R. Rege, ſocij atque amici appellarentur. Tum aurea corona, aurea patera, ſella curulis eburnea, ſcipio eburneus, toga picta, & palmata illis dono à ſenatu mittebãtur. Cæſar, Liuius alij.

Byzantium. Obſcura traiectio. Ordo eſt: Exſules condemnati, reducti Byzantium, tum cùm indemnati ciues eiiciebantur. Auget inuidiam ex contentione. Hoc poſterius ſignificat, cùm ait: Rerum capitalium condemnatus in liberas ciuitates per lega-
E tos noſtros reduceret?

Rex Ptolemæus. Rex Cypri. nam pulſo ex Italia Cicerone Clodius legem tulit vt huius regnum in prouinciæ formam redigeretur, eiúſque bona in foro haſta poſita, inſtituta auctione diuenderentur.

Illum magnum. Sic pro Deiotaro: Antiochus magnus ille rex Aſiæ, cùm poſteaquàm à Scipione deuictus Tauro tenus regnare iuſſus eſſet, omnémque hanc Aſiam amiſiſſet, dicere ſolitus eſt, benignè ſibi à populo R. factum eſſe, quod nimis magna procu-
F ratione liberatus, modicis regni terminis vteretur.

Tigrane. Mithridatis genero. & hac de re dictum eſt in Maniliana.

M. Catonis. Clodius legem tulit, vt Catoni prouincia daretur regiæ gazæ vendendæ & pecuniæ deportandæ, partim vt virum fortiſſimum & improbis ciuibus infenſum à Repub. remoueret, partim vt eum ſocium ac defenſorem haberet ſi quis legem de Cypro publicata criminari vellet.

Dixit eam ſententiam. Exſtat apud Salluſt.

G *Templo occupato.* Sæpè dictum eſt, roſtra paſſim appellari templum. Collega autem is eſt. Q. Metellus Nepos, qui vt iniquam legem ferret, templum occupauit: non tulit autem, Catone eum vitæ periculo reſiſtente.

Nominatim. Vt ſi ille recuſaſſet, facilè lex de altero ferri potuiſſet.

Quod ex malis boni. Malum fuit inſonti regi ſine

cauſſa

cauſſa ſuum eripere. bonum, de bonis illius coactam pecuniam in ærarium inferre. quod à Catone potius integerrimo viro, quàm à quouis alio fieri è repub. fuit.

Sententia ſua. Cùm enim pulſus eſt Cicero, tunc damnari & ſenatus viſus eſt & ſententia Catonis. Pulſus enim eſt ob coniuratorum necem: illi autem ex S.C. in Catonis ſententiam facto necati ſunt.

Ceſſeram pactione. Coitionem propriè alibi appellat.

Tribunipl. conſilio. Puto legendum, Concilio. nam concilium plebis diei Agellius monet, cùm plebiſcitum rogatur. vnde illud in Vatiniana: Numquando tibi moram adtulerit, quominus concilium aduocares, legémque ferres, quod eo die ſcires de cœlo eſſe ſeruatum.

Quæ verò promulgata. Hactenus paginas totas quatuor in legibus perlatis enumerandis conſumſit.

Populari ſacerdoti. In Piſoniana quoque ſic appellatur; vbi cauſſam expoſuimus. Senſus eſt, non tantum improbiſſimè abſolutus eſt, ſed etiam honos illi paratus. Stuprorum quoque ſacerdotem in hac eadem illum appellat.

Cn. Pompeius. Excuſat Pompeium quod à principio nefariis Clodij conſiliis & actis obuiam non eat. voluiſſe enim obſiſtere: ſed vt Cæſari ſatisfaceret ſuorum actorum diſſolutionem metuenti, hominem nefarium furere in Ciceronem atque in ipſam remp. paſſus eſt.

Sceleratiſſimos. Paucis verbis omnia bella Pompeij virtute confecta complectitur. vnum aduerſus Carbonem in Sicilia, Sertorium in Hiſpania. Item aduerſus Gallos, Afros & Hiſpanos qui odio quodam in populum R. impulſi Carbonis & Sertorij partibus hæſerant. Item aduerſus reges Hiarbum, Mithridatem, Tigranem. Item aduerſus pyratas. de ſeruili, teſtis eſt Italia, quæ cùm ſeruili bello tetro periculoſóque premeretur, ab hoc auxilium abſente expetiuit, quod bellum exſpectatione Pompeij attenuatum atque imminutum eſt, aduentu ſublatum ac ſepultum.

Omnibus bellis. De tribus orbis partibus Pompeius triumphauit: victo in Africa Carbone, in Hiſpania Sertorio, in Aſia Mithridate. non autem vniuerſus terrarum orbis, ſed & maior & nobilior pars imperio populi R. tenebatur. Et notandum Auctoritatis verbum: quia priuatus tum Pompeius erat. eſt enim magiſtratus, poteſtas: priuati verò hominis, auctoritas.

Diſſentiente nullo. Kal. Iuniis referente L. Mummio trib. diſſenſit nemo. Kal. Ianuar. referente P. Lentulo COS. diſſenſit vnus, P. Clodius, qui tum ſenator & priuatus fuit. Ex vtraque poſt redit.

Ligus iſte. Ælium Ligurem deſignat. nam hoc Æliæ gentis cognomen fuit.

Damnabatur. Probo Manutij coniecturam, vt ſit, Repellebatur, damnabatur.

Cui fructum. Nam hic antè reditum Ciceronis eſt mortuus.

In ſenatu priuatim. Non publico conſilio, ſed priuato alicuius ſtudio.

Sententias dicerent. Mirum eſt non potius dictum, Rogarent.

Legem Clodiam. In qua caput hoc fuit, ne quis de Ciceronis reditu referret, ne quis decerneret, ne diſputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret in ſenten-

A tiam, néve ſcribendo adeſſet.

Ferro deprehenſo. Sic in Miloniana: Comprehenſus eſt in templo Caſtoris ſeruus P. Clodij quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat. extorta eſt confitenti ſica de manibus. caruit foro Pompeius poſtea, caruit ſenatu, caruit publico. Ianua ſe ac parietibus, non iure legum iudiciorúmque texit.

Imaginibus. Ælia gens nobilis imagines habuit. Erant ſimulacra maiorum cerea quæ in atrio in ar-
B mariis ſeruabantur, & feſtis diebus coronata & ornata in conuiuiis oſtentabantur.

Nationis eius. Sic Cornelius Fronto: Natio ſolum patrium quærit. Gens, ſeriem maiorum. Hac autem de cauſſa hunc eundem in orat. pro domo, nouitium Ligurem appellat.

Referentibus. Notandum ius fuiſſe tribunispl. ad ſenatum referre de repub.

Iratior. Cæſar Ciceroni iratus fuerat, quod in iudicio quodam ſtatum reip. deplorans Cæſarem per-
C ſtrinxerat.

Non multum. Reſpondet tacitis multorum cogitationibus, qui profectionem illam fruſtra ſuſceptã, ac propterea ſuperuacaneam illius mentionem intelligebant, q.d. ſi nihil illa profectio profuit, certè nihil obfuit: Sextij tamen ſedulitas apparuit.

Malis ominibus. Exeuntibus in prouincias omnes bona omina precabantur. nam moris fuit, vt qui cum imperio in prouincias mittebantur paludati in capitolio vota pro repub. & ſuo imperio nuncupa-
D rent: & cùm vrbe exirent, amici eos quamplurimi vſque ad portas fauſtis ominibus atque declamationibus proſequerentur. Inimici verò precibus eos deteſtabantur. hæ preces Diræ dicebantur. quod accidit in M. Craſſo. Vultures autem aues mali auſpicij.

Vulturij paludati. Sic in Piſon. Appellatus eſt hic Vulturius, illius prouinciæ, ſi diis placet, imperator. Sic vocat direptorem & expilatorem prouinciæ.
E *Cohortes.* Perſpicuè cohors de peditibus, cùm turma de equitibus dicatur.

Ineunt magiſtratum. IIII. idus Decembres.

In luctu irridentibus. Ridere in luctu alienum. cauſſam inuidendi magnam eſſe oportet. Sic in Verrinis nunquam tam malè eſt Siculis, quin aliquid commodè & facetè dicant.

Gracchum. Vt Ti. Gracchus Tribunuſpl. ſeditionibus rempub. euertit: ſic iſte Numerius Quinctius tribunuſpl. euertere conatus eſt. Et hoc ſignificat il-
F lud poſterius, FATVM ciuitatis.

Nitedula. Muſculi ſpecies: facete dictum de infimæ ſortis homine qui virum dignitate inſignem lædere conatur, vt nitedulæ arbores adrodunt.

Serranus. Notum eſt C. Attilium Serranum dictum ex eo quod ſerentem (ait Cicero) inuenerunt. At iſtius in horreo tam pauca erant grana, vt calari id eſt numerari poſſent: vnde Calatinus dictus. Simile illud Virgil. Pauperis eſt numerare pecus.

At Lælios. Probo Manutij coniecturam, vt lega-
G tur ATTILIOS, vt infra: Attilius hic Calatinus.

Nominibus in tabulas. Qui in familiam nouam adoptabantur, nomina ſua in Cenſorum tabulas referebant. Vt primùm igitur per hanc adoptionem locuples factus eſt, nomen ſuum de creditorum tabula ſuſtulit & expunxit, ære alieno diſſoluto: niſi forte tabulam auctionariam potius ſignificet, quæ de illius proſcriptis bonis fixa erat.

Actum eſſe iure. Significat illam clauſulam tranſlatitiam, Si quid hac lege non iure rogatum, eius hac lege nihilum rogatum. A

Centuriatis. Ex lege XII. tab.

Flammam quaſſata. Tranſlatum ab arboribus, ex quarum quaſſatione oritur incendium.

Fugiſſe. Sine prima ſyllaba verſus extitiſſet.

Hoſtem pudoris. P. Clodium.

Vim habere. Quod iure rogatum eſt, quomodo vim habere non poſſet? iure rogatum ſignificat, quod ſaluis auſpiciis rogatum eſt. ſed verba & ſententiæ inuſitatæ fuerunt. B

Otij cauſſa. Ad maiorem cautionem, vt omnis periculi expers eſſem. Et notandum, auctoritatem propriè dici ſenatus, iuſſum populi.

Socer abiectus. Poſt reditum ad Quir. Cùm Cn. Oppius ſocer optimus vir ad pedes eius flens iaceret, noctem ſibi ad deliberandum poſtulaſſet.

Conſilij de me agendi. Fortaſsè Concilij. nam cõcilium de plebe dici, paulò antè docuimus. Agi ergò concilium pro haberi concionem dictũ videtur. C

Senatus auctoritas. Nota eſt differentia inter Senatus decretum & auctoritatem. Cæterùm comitialibus diebus ſenatus non habebantur, vt ſenatoribus adeſſe in comitiis & ſuffragia ferre liceret.

Repugnandi. Vetus Depugnandi, quod ſine dubio verum eſt.

Seruorum & libertorum. Suorum libertorum & ſeruorum, qui pro Comitij foribus pernoctarunt, vt illum latentem ſuis corporibus, nudi ſcilicet à gladijs, tegerent. D

Effingi ſanguinem. Sic rectè non effundi. Similis apud Caton. locutio. Fuſcinas ſpongia effingat. quod nos iam olim docuimus. etſi hæc poſtea tacitè à quibuſdam pro ſuis edita ſunt.

Patritio Prætori. Appium Pulcrum deſignat qui & patriciæ gentis erat & præturam eo anno gerebat. hic enim gladiatores eos quos in funere Marci propinqui ſui daturus erat, P. Clodio fratri ſuo commodauit.

Cinnano duce. Cùm inter Cinnam & Octauium coss. in vrbe depugnatum eſt. E

Auſpicijs, ſuffragijs. Obnunciatione, cùm quis de cœlo ſeruaſſet: & numero ſuffragiorum.

Aedilitate. Moris enim fuit, vt Ædiles ludos ederent & munus darent: hoc eſt, gladiatorum paria complura in forum inducerent.

Forum purges. Manutij coniectura bona eſt, vt SPVRCES legatur, ſed veteris codicis auctoritatem expecto.

A ſuis munitus. Suorum comitatu & præſidio ſeptus. F

Magiſtratum gereret. Faceret quæ ſui eſſent officij: legum lationem obſeruaret. ſi vtile videret, obnunciaret.

Contra verba atque interceſſionem. Rectè diſputat Manutius, interceſſionem nulla lege prohibitam. fieri poteſt, vt *Inſectationem* aut aliud quidpiam eiuſmodi ſcriptum fuerit.

Venit in templum. Vide quàm artificioſè Sextij aduentus cauſſam diſſimulet. Fingit illum non vt Fabricio opem ferret, ſed vt Metello Conſuli nouam neſcio quam rogationem ferenti, in forum veniſſe. G

Spiritum exhauſiſſet. Plaga illa ſcilicet. Videndum tamen an EXHALASSET in aliquo veteri reperiri poſſet, vt ad ipſum Sextium referretur.

Accuſa Lentidium. Vnum ex iis quorum opera mercenaria Clodius in concilio plebis aduocando vtebatur. Lollium, Sergium, alios nominat in ea pro domo.

Imperari. In Tuſc. II. Gladiatores aut perditi homines aut barbari, quas plagas perferunt? quomodo illi qui benè inſtituti ſunt, accipere plagam malunt quàm turpiter vitare? quàm ſæpe apparet nihil eos malle quàm domino ſatisfacere vel populo? mittunt etiam vulneribus confecti ad dominos, qui quærant quid velint, ſi ſatisfactum iis ſit, ſe velle decumbere. quis mediocris gladiator ingemuit? quis vultum mutauit vnquam? quis non modò ſtetit verum etiam decubuit turpiter? quis cùm decubuiſſet, ferrum recipere iuſſus collum contraxit?

Hac ipſa vis eſt. De qua accuſatus & ad hoc iudicium vocatus eſt.

Templum cruentauit. Suo ſanguine.

Reſpiraſſet. Huic oppoſuit, Exanimatum eſſe. Quòd ſi RESPIRASSET vetus aliquis liber haberet, non illubenter iſtud retinerem.

Gens iſta Clodia. Acerbè in Appium Clodium, cuius illi gladiatores fuerunt.

Rerum capitalium. Significat illud ſuperius: Reducti exſules Byzantium condemnati, &c.

Ad comitia. Luſtrum quinto quoque anno fiebat, vt omnibus notum eſt. In eo ciues cenſebantur à Cenſoribus. tum qui vrbe aberant ſub luſtrum veniebant cenſendi cauſſa. Significat hunc ex aliquo municipio infimæ ſortis hominum fuiſſe qui in cenſum irrepſerit.

Statua. Moris fuit, vt qui pro repub. mortem obierant, iis ſtatua in foro prope roſtra poneretur.

Obnunciaret quod ſenſerat. Conſuli Metello rogationem aliquam ferenti nunciaſſet quod de cœlo ſeruans viderat.

Templa deorum. Clodius templum nympharum incendit, vt publicæ recenſitionis memoriam tolleret.

Anno ſuperiore. Lentulo Metello coss. VIII. Kal. Febr. nam tum demum Milo & Serranus Tribuni.

Noua quæſtio. Propter caſum aliquem inſignem, qualis tum fuit tanta in foro pugna facta, ſolebat ferri ad populum, vt certus eius criminis Quæſitor extra ordinem crearetur: quemadmodum in cauſſa Miloniana factum eſt. Vide extraordinaria iudicia, in Comment. verb. iur.

Oportere. Inſignis differentia inter Oportere & Neceſſe eſſe. Oportet tantum quod eſt legitimum. Neceſſe eſt interdum etiam quod præter leges eſt.

Simplex cauſſa. Si locus eſt integer, ſignificat tumultu illo reſtincto ſummam multo maximæ magiſtratuum partis conſenſionem fuiſſe.

Collegas. Septem duntaxat.

Penè placatus. Sic ad Quir. poſt red. Hoc duce Lentulo, collega autem eius clementiſſ. atque optimo viro primò non aduerſante poſt etiam adiuuante reliqui magiſtratus penè omnes fuerunt defenſores ſalutis meæ.

Auctoritate. Auctoritas eſt in iis quorum exſtant in Remp. merita ſingularia.

Si moribus ageret. Vſitatũ eſt pro, ſi legib. ageret: hoc eſt, ſi more inſtitutóque ciuitatis ei reſiſteret.

Priſtini iudicij. Turpitudinem iudicum ſignificat, à quibus Clodius de ſacris Bonæ deæ violatis reus,

turpi-

turpiter abſolutus eſt. Dixit autem HOC ACCVSANTE, acerrimum eius in accuſando ſtudium ſignificans.

Legibus iudiciiſque. Sic ad Lentulum: Qui cùm tribunuſpl. (inquit) pœnas à ſeditioſo ciue per bonos viros iudicio perſequi vellet, exemplum præclariſſimum in poſterum vindicandæ ſeditionis de repub. ſuſtulerunt.

Naturali iure. Multa enim in legibus ex naturæ & gentium iure ſcripta ſunt: quale illud eſt, vt vim vi repellere liceat. l. 2. & l. 3. D. de inſt. & iur.

Fuſi ac diſperſi. Cic. de Inuent. 1. & Lucretius hoc eleganter deſcribunt.

Quas Vrbes. Sic de repub. 1. Quam cùm locis manúque ſepſiſſent, huiuſmodi coniunctionem tectorum oppidum vel vrbem appellarunt, delubris diſtinctam, ſpatiis communibus ornatam. Omnis ergò populus qui eſt talis cœtus multitudinis, ciuitas eſt, omnis ciuitas quæ eſt conſtitutio populi, reſpub.

Ius experiretur. Experiri præciſè & coniunctè Experiri ius dicunt qui in iudicium vocat, quoniam iudiciorum euentus incertus eſt.

Pictam olim. Lucullus villas habuit complures magnificè extructas. Hunc cùm Gabinius tribunuſpl. in inuidiam populi vocaret, tabulam pro concione explicauit ad populum, in qua villa quædam Luculli picta erat.

Conficere. Inuidioſè & oratoriè, Piſo pecunia pro pace accepta, bello nihilominus illos laceſſiuit. Illi vt iniuriam vlciſcerentur, Macedoniam excurſionibus depopulati ſunt. Vide in Piſon.

Creditorum. Ciues R. complures paſſim in prouinciis negociabantur, miſeris prouincialibus pecunias credebant, eóſque fœnore trucidabant. At Piſoni lege Clodia permiſſum eſt, vt ius in liberos populos de creditis pecuniis diceret. deinde, aut ius non dixit, aut ita dixit vt bonis ciues R. euerteret.

De ædile ipſo. Patet P. Clodium hoc tempore ædilitatem geſſiſſe.

De vi Milonem. Tribunipl. ſi quis accuſare vellēt diem dicebant, mulctámque inrogabant: vt ſup. iam aliquoties dictum eſt.

Per ſenatus auctoritatem. Puto ironiam hanc eſſe: cùm ſuperiùs dixerit: Ecce tibi Conſul, Prætor, tribunuſpl. noua noui generis edicta proponunt.

Optimates. Appius Cæcus Cenſor (ait Liuius) primus ſenatum libertinorum filiis inquinauit: & poſteaquam eam lectionem nemo ratam habuit, nec in curia adeptus erat quas petierat opes vrbanas humilibus per omnes tribus diuiſis forum & campum corrupit. quæ forenſis factio dicta eſt, quæ cùm Cn. Flauium patre libertino humili fortuna ortum Ædilem Curulem dixiſſet, id adeò nobiles ægrè tulerunt vt plerique anulos aureos & phaleras deponerent. Ex eo tempore in duas partes diſceſſit ciuitas. aliud integer populus fautor & cultor bonorum, aliud forenſis factio tenebat, donec Q. Fabius Cenſor, ſimul concordiæ cauſſa, ſimul ne humillimorum in manu comitia eſſent, omnem forenſem turbam in quattuor tribus coniecit, &c.

Cum dignitate otium. Hoc fuit ſummum bonum Ciceronis opinione, vt in 1. de Orat. teſtatur: Perbeatos eſſe, qui cum & honoribus & rerum geſtarum gloria florerent, eum vitæ curſum tenere potuerunt, vt vel in negocio ſine periculo, vel in ocio cum dignitate eſſe poſſent.

Omni ſcientia. Sēper veritus ſum, ne OMNISTVDIO potius legēdum eſſet. qua de re nihil adfirmo.

A *Propter metum pœnæ.* Cauſſam ſignificat quæ Tib. Gracchum ab optimatibus alienauit. nulla enim alia de cauſſa quàm iudicij de ſe futuri formidine ab optimatibus, quorum pater ſuus princeps ac defenſor perpetuò fuerat, defecit.

Pater tuus Scaure. M. Scaurus princeps Senatus ſemper in rep. defendenda conſtans. Itaq; Saturnini tumultu armatus in comitio conſtitit, cùm ingredi vix poſſet, non ad inſequendum ſibi tarditatem pedum, ſed ad fugiendum impedimento fore putauit.

B *Ad C. Marium.* Quem ſeptimum Conſulatum gerentem hortatus eſt vt contra Saturninum tribunumpl. libertatem legéſq; manu defenderet, protinúſque arma ſibi adferri iuſſit. quibus adlatis vltima ſenectute confectum corpus induit, ſpiculóque innixus antè fores curiæ conſtitit.

Inſitiuum Gracchum. C. Quinctius Gracchus Tib. ſe Gracchi filium mentitus eſt. quo mendacio plebem vſq; eò decepit atq; induxit, vt tribunuſpl. deC ſignaretur.

Iurauit. Moris fuit, poſteaquam lex trinundinum promulgata ad extremum perlata erat vt ciues omnes in eius verba iurarent.

Inuideant. Antiqua locutio, quæ idem quod illa inſequens valet: Multique expectant. Tuſcul. 3. Ab inuidendo inuidentia rectè dici poteſt, vt effugiamus ambiguum nomen inuidiæ, quod verbum dictum eſt à nimis intuendo fortunam alterius. vt eſt in Menalippo: Florem quiſquam liberum inuidit D meum? malè Latinè videtur, ſed præclarè Accius: vt enim Videre ſic Inuidere florem rectius quàm flori dicitur.

Tabellaria lex. T. Sempronius Gracchus Tribunuſpl. cùm Agrariam legem ferret aduerſus voluntatem ſenatus & equeſtris ordinis nequis ex publico agro plus quàm D. iugera poſſideret, in eum furorem exarſit, vt M. Octauio collegæ cauſſam diuerſæ partis defendenti poteſtatem lege lata abrogaret, ſéque & C. fratrem & Appium Clodium ſocerum E triumviros ad diuidendum agrum crearet. Promulgauit & aliam legem Agrariam qua ſi quis Latinus agrum patefaceret vt iidem triumviri iudicarent quà publicus ager, quà publicus eſſet. deinde cùm minus agri eſſet quàm quod diuidi poſſet ſine offēſa etiam plebis, quoniam eos ad cupiditatem ampla ſperandi incitauerat, legē ſe promulgaturum oſtendit, vt iis qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia quæ Regis Attali fuiſſet diuideretur. heredem autem populum R. reliquerat Attalus rex F Pergami. Tot indignitatibus commotus grauiter ſenatus, antè omnes P. Mutius COS. qui cùm in ſenatu in Gracchum peroraſſet, raptus ab eo ad populum delatúſque plebi rurſus in eum pro roſtris concionatus eſt. Cùm iterum tribunus pl. creari Gracchus vellet, auctore P. Cor. Naſica in Capitolio ab optimatibus occiſus eſt, ictúſque primum fragmētis ſubſelliorum, & in flumē proiectus. C. Gracchus frater Tribunuſpl. cùm pernicioſas leges tuliſſet, & Auentinum montem armata multitudine occupaſG ſet, à L. Opimio COS. populo ad arma ex S. C. vocato pulſus & interemtus eſt. Hæc ex Liuio, Plutarcho & ipſo Cicer.

Antè Saturninum. Hiſtoria Saturnini ex Rabiriana petenda eſt.

Niſi me fallit. Alibi ſic legiſſe non memini: ſemper ſic: Niſi me animus fallit.

Tribus lotis. Hanc diſtributionem ad ſuam cauſſam & rei tempus adcommodat. Itaque in Vatiniana. Duo, inquit, ſunt tempora quibus noſtrorum ciuium ſpectentur iudicia de nobis: vnum honoris, alterum ſalutis.

Illum fædum vultum. Conſtat Clodium Pulchellum fuiſſe. itaque de hominum adfectu intelligendum eſt, quibus fœdi & turpes videntur quos oderunt.

Ad aures. In Vatin. Non putas fas eſſe verbum ex ore exire cuiuſquam quod non iucundum & honorificum ad aures tuas accedat: vt fortaſſis ACCESSISSE verius ſit.

Productus eſt ab eo. Priuato nemini agere cum populo, id eſt concionem habere licebat. ſed magiſtratus aliquis eum ad populum producebat. Producere ergò eſt concionandi poteſtatem alicui permittere.

Iucunditate maiorem. Legendum videtur, Maiore, in caſu ſexto: vt ſit, Nullam vnquam Pompeij ſententiam fuiſſe maiore cum auctoritate dictam, nullam vnquam eius eloquentiam maiore cum iucunditate auditam.

In campo Martio. In hoc campo haberi centuriata comitia ſolebant, armatorum præſidio in arce poſito. Lex verò Clodij neque ex S. C. neque comitiis centuriatis lata erat, ſed contra voluntatem ſenatus tributis comitiis in foro. ea verò quam de reuocando Cicerone P. Lentulus COS. tulit, ex S. C. comitiis centuriatis in campo Martio lata eſt.

Ornamenta confecit. Cenſus equitis R. fuit HS. quadringentorum millium. qui minus habebat ei locus in equeſtri ordine non erat.

Idiotarum. Hominum imperitorum, qui vulgarem quandam ſine modo viuendi rationem ſequũtur. At Philoſophi doctrina inſtructi & temperati exquiſitum quoddam vitæ genus accuratè ſeruant.

Plebicola. Valerius primi Conſulis collega Plebicola dictus eſt quòd faſces & imperium populo ſubmiſit. Sic Gellium ridiculè Publicolam appellat qui contemtis nobilibus mulieribus ex infima plebe vxorem duxerit.

Meo periculo helluare. Cum helluationis tuæ periculum in me redundet.

Duo populares. Reliqui quinque neutri ſtudio vehementius dediti, moderati.

Q. Anchary fidem. Quia quamuis quotidie de cœlo ſeruarent, vt Vatinio leges ferenti impedimẽto eſſent, ille tamen auſpiciis neglectis, & multas & reipub. exitioſas pro Cæſaris potentia leges pertulit.

Gratum fuiſſe. GRATAM Ciceronis conſuetudo poſtulat.

Nihil putares. Fortaſſe NIHILI.

Tribum ſuam non tulit. Ferre tribum ſuam, id eſt obtinere ſuffragia tribus. non tulit ergò, id eſt aduerſariam illam ſibi habuit. Erat autem ignominiæ maximæ ſi quis candidatus in honoris petitione ſuam tribum non ferret.

Veni ad ludos. Ludorum alij theatrales erant, quibus tragœdiæ & comœdiæ agebantur: alij gladiatorij, quibus aliquot gladiatorum paria inter ſe committebantur: alij venationes, quibus homines cum beſtiis depugnabant, qui propterea beſtiarij dicebantur. Cic. Fam. VII. Reliquæ ſunt venationes binæ per dies quinque magnificæ, nemo negat: ſed quæ poteſt eſſe homini politico delectatio, cùm aut homo imbecillus à valentiſſima beſtia

A laniatur, aut præclara beſtia venabulo tranſuerberatur. Elephantorum extremus dies fuit, in quo admiratio magna vulgi atq; turba. quinetiam miſericordia quædam conſecuta eſt atque opinio eiuſmodi eſſe quãdam illi belluæ cum genere humano ſocietatẽ. Fuerunt autẽ Elephanti plerumq; funambuli. Hos ludos omnes Ædiles publica impẽſa curabãt, præter Apollinares qui à Prætore vrbano fiebant.

Plauſum, ſibilum. Moris fuit in conſeſſu ludorum, ſi quis è ſummis ciuitatis viris ingrederetur, vt ſi po-
B pulo gratus eſſet, ei plauſus daretur: ſin minus, ſibilis exciperetur.

Acroama. Acroamata, feſtiui homines qui vrbanis dictis delectant.

Emboliа. Quorum hoc, opinor, cùm ſignificare vellet Clodium ludium modò viri modò mulieris partes agere, duo turpiſſima eius facinora commemorauit. Sententia certè perobſcura eſt.

Pſaltria. Clodius enim pſaltriæ habitu in operti bonæ deæ ingreſſus erat libidinis cauſſa.

C *Equi gladiatorum.* De munere gladiatorum equitum cognoſce ex Iſidoro in Etymolog.

Palmarum intentus. Significat opinor eam conſuetudinem, qua vulgus in ſibilis faciendis vtitur, vt manum ſimul porrigant. Sic Pædianus in Corneliana: cùm ille eos qui ſibi intentabant manus prendi à lictore iuſſiſſet.

Simulans caterua. Simulans concionata eſt: Clodij geſtus effingens concionata eſt.

Cantorum conuicio. Conuicium quaſi conuocium
D dictũ eſſe Vlpianus quoque teſtatur. Cicero pro Archia: Suppeditat nobis vbi & animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur, & aures conuicio defeſſæ conquieſcant. Ergò CONVICIO hoc loco dictum interpretor, pro eo quod modò dixit CONCENTIONE: hoc eſt, pro adclamatione qua conductę aliquot operæ in Clodij concionibus vti ſolebant, cùm illa vſitata pronunciarẽt: Benè & præclarè: bellè & feſtiuè. de quo more in lib. de Orat. III. & apud Quinct.

De illo S. C. Significat decretum ſenatus de reuo-
E cando Cicerone.

Omiſſo geſtu. Omiſſo actore: omiſſa cõſideratione actoris, cùm animus in cogitando occupatus eſſet.

Vidi inflammari. Pulſo Cicerone bona eius omnia repente publicata, domus incẽſa, area libertati conſecrata, prædia direpta ſunt: lex de eius exſulio per lata, eiq; aqua & igni interdictũ, & ne quis ei tectum intra XL. millia paſſuum ab Italia præberet.

Equidẽ audiebamus. Pro, Nos quidẽ abſẽtes auditu accepimus. vos q adfuiſtis, melius iudicare poteſtis.

F *Millies reuocatũ.* Moris fuit, ſi quid hiſtrio diceret quod populo gratũ eſſet, vt à populo eadem iterare iuberetur.

Munus Scipionis. Manutios hoc in loco meã quãdã in Verrinas huius vocis explicationem reprehenderat: ſed ſpero illi ſatisfactum in Comment. verb. iuris, ſub voce MVNVS.

Maximè delectatur. Notandum, ex omnibus ludorum generibus nullũ fuiſſe quo populus magis quàm gladiatoribus delectaretur.

G *Columnam Meniam.* Vetus, A columna Menia. quod non puto contemnendum, cùm paulò antè dixerit, Sextium veniſſe in populi conſeſſum. Erat autem proiectum columnæ impoſitum, vnde gladiatorum certamina in foro ſpectabantur.

Concionum moderatores. Pag. ſeq. concionum dominos appellat.

Graculorum

Gratulorum inſtituto. Significat nō philoſophorū qui quæſtionem in conuentu poſcebant, ſed eorum conſuetudinem qui concionantes populū interrogabant, ecquid lex quam ferebant probaretur. qua de re Cicero pro Flacco.

Mater te appello. Attilius ne à populo conſpectus ſibilis exciperetur ſub tabulas occultè ſubrepebat, quaſi verba illa in tragœdia pronunciaturus.

Regulus. Nota eſt Reguli hiſtoria ex Valerio, Cicer. & aliis: qui cùm fidem hoſti datam fallere nollet ad hoſtes reuerſus reſectis palpebris vigilando necatus eſt.

Sociis populi R. Sic dicebantur omnes exteræ nationes quæ fœdere aliquo æquo vel iniquo populo R. coniunctæ erant. l. non dubito, 7. D. de capt. & poſtlim. reuerſ. Notandum præterea Quæſtores & Legatos imperium non habuiſſe; ſuum ſcilicet ſibique proprium. nam Impp. plerumque illis imperium & lictores ac faſces adtribuebant.

Diuina S.C. Quatuor de ſe reſtituendo S.C. enumerat in orat. poſt red. in ſenat.

Ad res redeuntes. Feriis & ludis indictis dicebantur Res prolatæ. poſt ferias dicebatur Rediri ad res. Hinc illud ſcurræ apud Plautum: Res ſunt prolatæ meis dentibus.

Aduentus mei. Sic in Piſon. Vnus ille dies mihi quidem immortalitatis inſtar fuit, quo in patriam redij: cùm ſenatum egreſſum vidi populúmque R. vniuerſum, cùm mihi ipſa Roma propè conuulſa ſedibus ſuis ad complectendum conſeruatorem ſuū procedere viſa eſt. Porrò cùm veniſſet ad portam Capenam gradus templorum ab infima plebe completi ſunt: à qua plauſu maximo cùm eſſet Ciceroni gratulatio facta ſimilis & frequentia & plauſus cùm in Capitolium celebrauit. ep. 1. lib. IV. ad Att.

Aliquid deſecti. Legendum puto, DETECTI: quaſi ſpeculator & explorator fuerit. Sic in Acad. Quia poſſit fieri vt patefacta & detecta mutentur. Manutius autem, EFFICTI, de me ficti.

Mea proſcriptionis. Odioſo verbo eſt vſus, & quo funeſta ciuilium proſcriptionum memoria renouatur, qua Marius primùm tum etiam Sylla vſus eſt cum ſua potentia leges oppreſſiſſent. Fuit autem Sex. Clodius peritus pragmaticus & artifex legum ſcribendarum: iſque legem de Ciceronis exſilio perſcripſit.

Tabulam, ſe ſcriptorem. P. Clodius erat tabula, quia apud illum concipiebatur & ſcribebatur lex. Vatinius autem & Sex. Clodius eò ventitabant, vt operas conferrent.

Legē contemnat. Vide in Indice, Tullia de ambitu.

Nimia gloria cupiditate. φιλοτιμίας. nam gloriæ cupiditas laudi vertebatur.

De venalibus. De grege nouitiorum.

Samnites. Gladiatorum alij prouocatores dicebantur, quod aduerſarium acriter laceſſebant: alij Samnites qui lentius pugnabant: rurſus alij Retiani, alij Mirmillones.

Habitura ſit exitum. Veretur vt impunè non euadat. Facinus habet exitum, cùm pœnam effugit.

Tribunos appellare. Appellare Tribunos ſolebant priuati homines ſi quid cōtra populi R. libertatem, ſi quid contra ius ab aliquo magiſtratu decretum putarent. ac tum Tribuni intercedebant. ſed appellare eſt compellere, poſtulare à tribunis vt ciui oppreſſo auxilium ferant.

Iudicium diſturbare. Vatinius lege Licinia & Iulia A reus factus, cùm Tribunos appellaſſet, & quidam interceſſiſſent, Prætor autem Memmius quod ea appellatio contra morem maiorum eſſet, iudicium nihilominus exerceret, in eius tribunal adſcendit, ſubſellia diſſipauit, iudicium vi ſuſtulit.

Socero eius. C. Cæſar Conſul filiam vxorem duxit, ipſe ſuam filiam Cn. Pompeio vxorem dedit, vt ſuam potentiam augeret. Vtinam Cn. Pompeij adfinitatem cum Cæſare nunquam contraxiſſes, aut nunquam diremiſſes.

B *Ab vniuerſo populo.* De hoc inſtituto, vt populus vniuerſus Senatores deligeret, nihil equidem memini me legiſſe. Quare A B pro E X poſitum putarem: vt ſit, Deligerentur ex quouis ordine & genere ciuium: & idem bis aliis atque aliis verbis dictum eſſet. vt ſæpè alibi, & in Vatiniana: adeóne tibi ſordidum conſilium publicum viſum eſt, adeò adflictus ſenatus? Porrò notandum eſt, antè creatos Cenſores Conſule vno nominante creari à populo Senatores ſolitos. poſteà Cenſores cooptare in ſe- C natum inſtituerunt qui ætate & rerum vſu prudentiáque idonei viderentur. at poſterius, inquit, deplorans Plinius laxitas mundi & rerum amplitudo damno fuit: poſtquam ſenator cenſu legi cœptus, iudex fieri cenſu magiſtratum ducémque nihil magis exornaret, &c.

Suis ceruicibus. Ceruices pro humeris paſſim à Cicerone vſurpantur.

Laborum patientes. Certiſſimum eſt in quibuſdam antiquis & manuſcriptis ita legi. In quibuſ- D dam etiam ſic: Labore, ſe ocio ſuo perfrui. quod ſine dubio recipiendum eſt. nam ſenſus eſt, viris fortibus laborem relinquant, ſibi ocium habeant.

L. Opimius. Qui Conſul C. Gracchum & vna cum eo circiter tria millia ciuium R. occidit. Monimentum autem eius fuit baſilica, quæ ex eius nomine Opimia dicta eſt. In baſilicis iudicia centumuiralia exercebantur. Hic damnatus eſt ob Gracchum interfectum, quaſi regia poteſtate in ciues R. vſus eſſet.

E *Alia quadam.* Video in antiquo libro ita ſcriptum: Et ſi quos eorum aut iniqui iudicij quædam procella aut aliqua repentina vis aut tempeſtas perculit popularis: per populum tamen ipſum & creati ſunt atque reuocati, aut animo inuulnerati atque inuiolati vixerunt.

Milciades. Hic accuſatus eſt quòd à rege Perſarum corruptus infectis rebus à pugna diſceſſerat: In vincula publica coniectus miſera & indigniſſima morte periit.

F *Ariſtidis fuga.* Græco verbo φυγῆς vſus eſt pro Latino. nam exſulio damnatum Ariſtidem & patria pulſum, ſatis conſtat.

Oppugnantem rerum potiri. Obſcurus mihi locus: parem eſſe gloriam, ſi quis Remp. defendens occidat; ac ſi quis eam oppugnans ſuperior diſcedat & rerum potiatur. nam ex repub. oppreſſa gloriam quæri non memini.

Defenſorem, propugnatorem, auctorem. Nihil video aut iterari aut augeri: ſed ſingulis ſingula referen- G da & reddenda. Meæ ſalutis defenſorem, veſtræ auctoritatis propugnatorē, publicæ cauſſæ auctorem.

Prætextatum. Vide in Iuriſconſulto noſtro quæ de prætexta diximus.

Superior annus. Imò honorem aliquem à populo adeptus fuerat, nimirum vt Augur eſſet: nam pater ipſius Cōſulatū adeptus Augur creatus fuerat,

IN VATINIVM INTERROGATIO,

SIVE ORATIO XXXIII.

ARGVMENTVM.

VATINIVS in Sextij iudicio teſtis productus ab accuſatore, acerbum in illum teſtimonium dixerat. Moris autem fuit, vt teſtis primùm ab accuſatore, tum etiam à defenſore interrogaretur. idcircò hæc oratio inſcribitur Interrogatio. ſed in interrogando licuit oratoribus extra rem multa dicere. Itaque perpetua oratione Cicero grauiter & acerbè in Vatinium inuehitur. Cic. Fam IX. Tota verò interrogatio mea nihil habuit aliud niſi reprehenſionem illius tribunatus, in quo omnia dicta ſunt libertate animóque maximo de vi, de auſpiciis, de donatione regnorum.

COMMENTARIVS.

A

Sordes domeſticas. Propter nequitiam in re familiari. Opuleotos (vt alibi ſcribit) dignos quibus credatur putant. Vnde locupletes teſtes dicti ſunt.

Etſi omnes. Vnde prouerbium natum de odio Vatiniano.

Suffragio. Indignum qui cum ciuibus ſuffragium ferat.

Albinouano. M. Tullius Albinouanus Sextij accuſator.

B

Præuaricator. Accuſator qui cum reo concludit. Qui varices habent dilatatis tibiis modò huc modò illuc ambulando feruntur. Sic præuaricatores modò in reum, modò pro reo faciunt. Præuaricator, ait Cicero, qui in contrariis cauſſis quaſi variè poſitus eſſe videatur. Vide l.1. D. ad ſenat. Turpill. l.4.§.1. D. de his qui not. infam. l.1. D. de præuaric.

Libros. Scriptas P. Sextij conciones.

Inflato collo. Iocatur in ſtrumam Vatinij.

C

Defenſio nunquam. Leges enim quæ damnari neminem cauſſa indicta volunt, nemini deeſſe defenſorem volunt.

Oppugnatio. Sic Verrina 11. accuſatorum nomen odioſum, defenſorũ contra gratum & iucundũ eſſe.

D

Cornelium. C. Cornelius tribunus pl. retulerat ad ſenatum, vt quoniam exterarum nationum legatis mutua pecunia daretur viura, turpiáque & famoſa ex eo lucra facerent, ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expenſam ferret. Hanc relationem ſenatus repudiauit. ea re offenſus Cornelius quæſtus eſt in concione exhauriri pecuniis vſuris; legémque ferre cœpit, ne quis niſi per populum legibus ſolueretur. Emtus eſt alter tribunus pl. P. Seruilius Globulus, qui Cornelio obſiſteret. Is, vbi legis ferendæ dies venit, & præco ſubiiciente ſcriba verba legis recitare populo cœpit, & ſcribam ſubiicere & præconem pronunciare paſſus non eſt. tum Cornelius ipſe codicem recitauit. quod cùm improbè fieri C. Piſo COS. vehementer quereretur, tollique ea re tribunitiam interceſſionem diceret, graui conuicio à populo exceptus eſt. & cùm ille eos qui ſibi manus intentabant prehendi à lictore

E

iuſſiſſet, fracti eius faſces cuncti, lapideſque etiam ex vltima concione in Conſulem iacti: quo tumultu Cornelius perturbatus concilium dimiſit.

Contra auſpicia. Hæc omnia in P. Sextium dicuntur. nam P. Clodium legem contra auſpicia tuliſſe, ſæpè in Sextiana dictum eſt.

Conſuli. Cùm Gabinij faſces fracti ſunt.

Concilium dimiſiſſe. Sic Pædianus: Quo tumultu Cornelius perturbatus concilium dimiſit.

Impudenter Vaticinando. Alludit ad nomen Vatinij, qui de altero Conſulatu gerendo ſe dicebat cogitare.

Patriæ pepercerim. Nam ſi Clodianorum furori reſiſtere voluiſſem, ſeditio in vrbe orta maxima fuiſſet.

Omnia illa S. C. Quattuor, vt dixi, de Cicerone reſtituendo S. C. recenſentur in orat. poſt red. ad quir.

Societatum. Publicani complures vectigalium ſocietatem coibant: id eſt prouinciæ alicuius vectigalia ſimul conducebant, ſic vt corpus id eſt conuentum eis habere liceret. l.1. D. quod cuiuſq; vniuerſit.

Cùm mea vnius ſalute. Hoc eſt quod ſcribit in Sextiana, multos ſe abſente dixiſſe, illum reip. periculo viuere.

Reddo tuum. Viciſſim tibi dictum volo. ſi tamen MVLTVM aliquo in antiquo libro reperiretur, fortaſſè repudiandum non eſſet.

Duo ſunt tempora. Huius rei partitionem ad ſuum tempus accommodat. Nam in illa pro Sextio, cùm ſibi commodum videret, Tribus locis, inquit, ſignificari maximè populi R. iudicium ac voluntas poteſt: concione, comitiis, ludorum gladiatoriúmque conſeſſu.

Experti ſumus. Cùm in quæſtura poſtremus renunciatus es, in ædilitate repulſam tuliſti.

Exſpectamus. Duo tum parati erant illius nomen deferre, Æmilius & Licinius.

Memoriter. Sæpè pro paratè & promptè, vt in Lælio: Is multa narrare de ſocero ſuo C. Lælio memoriter & iucundè ſolebat. Et in lib. de fin. 1. Næ tu iſta potuiſti tam multa memoriter.

Extremum adhæſiſſe. Poſtremum omnium renunciatum eſſe. Contra gloriatur Cicero ſe primum Ædilem, primum Prætorem declaratum.

Eo magiſtratu. Sic in Sextiana Tribunatum militarem abuſiuè magiſtratum appellauit.

Aquaria prouincia. Apparet præfecturam fuiſſe & procuratione ad mercium quæ aqua vehebantur vel im-

vel importationem vel exportationem. nam ad aquam ſæpè pro Ad littus in Verrin. poſuit.

Negocia gerentes. Notetur differentia inter Negociatores & Mercatores. nam illi in prouinciis, hi Romæ domicilium habebant. Illi aratores præſertim & pecuarij fuerunt. qua de re diximus in Comment. verb. iur.

In conuentu. Conuentus præfecturarum dicitur: Ordo coloniarum & municipiorum.

Pedibus confici. Vſitatum Ciceroni pro terreſtri itinere.

Hiempſalis. Hi duo reges Numidiæ fuerunt.

Sine S.C. Nemini qui cum imperio aut poteſtate eſſet extra populi R. ditionem ſine S.C. exire licuiſſe, dictum eſt in Piſon. & in ea pro Poſthum.

Ad fretum. Herculeum.

Iam inde. Iamnunc, ex hoc tempore.

Tribunuspl. Notentur honorum gradus: Quæſtura, legatio, Tribunatuſpl. Ædilitas, Prætura, Conſulatus.

Clariſſimorum. Cæterorum tribunorum nouem, quos ſcelerum ſuorum ſocios fuiſſe dicebat.

Ampliſſimi. C. Iulij Cæſaris, quem ait per Vatinij nomen a Cicerone oppugnari.

Puerorum extis. Haruſpicina hæc erat, vt pecudum extis inſpectis coniectura de rebus futuris fieret: ſi iecur amplum erat, bonum ſignum; ſin minus, infauſtum. At Pythagorei puerorum exta inſpiciebant.

Deos mactare. Doctiſſimus vir in ſuis in Catilin. commentariis locutionem hanc veterem obſeruauit: item vt apud Plautum: Quia enim te macto infortunio. Ego ſimilem apud Arnob. contr. gent. lib. VII. animaduerti. Primum, inquit, quod Dij boni malè non queant facere, etiamſi nullo fuerint honore mactati. Verbi autem notationem vetus illa formula oſtendit, de qua idem Arnobius aliquanto poſt commemorat: MACTVS HOC VINO inferior eſto. Deos igitur mactare, eſt cultum præſtare.

Concilium aduocares. Proprium hoc erat magiſtratuum plebeiorum: nam concilium de ſola plebe dicitur: concio de populo vniuerſo.

Cum Cæſare Cæſar enim Bibulo de cœlo ſeruante nihilominus leges ferebat.

Quæ ſit auctoritas. Quaſi dicat, nulla. nam auctores dicuntur qui aliis ita cauſſam præbent, vt eius rei periculum præſtent. Vatinius autem ſe non ſua ſed Cæſaris auctoritate defendebat, & eum quaſi auctorem laudabat.

Contentionis. Quam cum Bibulo collega de agro Campano ſuſceperat.

Tres erant. Non enim Augures ſoli, ſed etiam Tribuni & Conſules obnunciabant. De Tribunis locus hic documento eſt, vt ille alter in Sextiana: Qui cùm cauſſam reipub. ſuſcepiſſet, cúmque auſpiciis religioníque parens obnunciaret, quod ſenſerat, &c. Loquitur de Sextio tribunopl. qui quod viderat de cœlo ſeruans, Q. Metello Conſuli legem neſcio quam ferenti, obnunciarat.

Prætextatos ſedentes. Qui magiſtratum gerebant iudices eſſe non poterant. Duo ergò iſti Ædiles & prætextati ſedebant, ſed non in iudicum ſubſelliis & conſeſſu.

Quam fruſtrà confeceras. Vatinius candidatus ædilitatem petens cùm confideret ſe creatum iri prætextam purpura togam pararat. Simile illud ad Att. *Διφαπον* cogitat: ſed tinctor eum moratur.

Tribunuspl. Notandus locus, vbi Tribunatus magiſtratus appellatur: quod ſup. attigimus. cùm tamen Plutarchus ſic ſcribat: Cur tribunuspl. purpura non vtitur, cùm cæteri magiſtratus vtantur? an quod magiſtratus non eſt: nam nec in ſella ius dicunt, nec Dictatore creato ſe abdicant.

Sedentibus in templo COSS. Piſone & Gabinio ad roſtra ſedentibus, ſpectantibus, quieſcentibus. Notum eſt hæc dici propter P. Clodij leges.

Quibus eras in deliciis. C. Cæſar, quem infra quoque Vatinij amiciſſimum appellat.

Conſulem in vincula. Vis tanta Tribunorum hæc fuit, vt etiam Conſules obtorto collo in carcerem ducerent: quod Liu. lib. IV. ſcribit, & lib. IX. idem de Cenſoribus teſtatur, quos Tribunus in carcerem coniecit.

Tabula Valeria. Valerij argentarij. vt nos in ea pro Cæcina expoſuimus.

Continuatis tribunalibus. Et gradus templorum circum forum, vti ſup. diximus, & tribunalia exemtilia erant: hæc coniunxit Vatinius, vt per editum locum Conſulem in vincula duceret, ne quis ex collegis eum abduceret.

M. Bibulum. Cæſar collegam in Conſulatu habuit Bibulum. ſed ipſe vnus omnia ad ſuum arbitrium geſſit. vnde iocus, vt non adſcriberetur Cæſare & Bibulo COSS. ſed Iulio & Cæſare COSS. Non Bibulo quidquam nuper, ſed Cæſare factum eſt, Nam Bibulo fieri Conſule nil memini.

In priuatas. Sic in l. plerique, 18. D. de in ius voc. Plerique putauerunt nullum de domo ſua in ius vocari licere, quia domus tutiſſimum cuique refugium atque receptaculum ſit, eúmque qui inde in ius vocaret vim inferre videri.

Producere. Priuati ius adſcendendi in roſtra non habebant, vt alibi diximus: ſed ab aliquo magiſtratu producebantur. qui legem ſuadebant, auctores legis dicebantur. hoc eſt quod ait, principes ciuitatis auctoritatis exquirendæ cauſſa produci ſolitos.

Quæſtor Macedoniam. Proconſules & Proprætores qui de prouincia decedebant, ſi ſucceſſor tardabat, Quæſtorē cum imperio relinquebant. quod Cicero de Cilicia decedens fecit.

Promulgaris quæſtionem. Eſt ferre legem ad populum, vt quæſtionem id eſt iudicium extra ordinem conſtitui liceret, cui Quæſitor certus cum conſilio iudicum præficiebatur.

De alternis conſiliis. Vatinia lex de repetundis hæc fuit, vt qui repetundarum reus eſſet, ei alterna conſilia reiicere liceret: hoc eſt, vt accuſator & reus alternis vicibus non ſingulos iudices, ſed integram decuriam reiicerent, Hanc legem æquiſſimam & optimam ab initio quidem magiſtratus promulgauit, ſed tamdiu ferre diſtulit, dum C. Antonius reus eſſet factus, ne ſcilicet huius legis æquitate frui poſſet, ſimul atque reus factus eſt, tulit. Leges autem in futurum tempus valent, non in præteritum.

Æliam & Fuſiam Vide in Indice legum.

Druſi, Sulpitij. De Gracchis dictum eſt ſup. M. Liuius Druſus tribunuſpl. Latinis ciuitatem, plebi agros, equitibus curiam, ſenatui iudicia permiſit. adeò profuſus fuit, vt diceret ſe nemini ad largiendum præter cœlum & cœnum reliquiſſe. Conſuli legibus eius obſiſtenti ita collum in comitio obtorſit vt multus ſanguis naribus efflueret. tandem immiſſo inter turbam percuſſore interfectus eſt L. Apuleius Saturninus tribunuſpl. legem quoque Agra-

riam tulit.cùm aliam legem ferret : iam, inquit, niſi quieſcitis grandinabis. tandem profugit in Capitolium. inciſis fiſtulis deditionem fecit. nihilominus lapidibus & tegulis deſuper interfectus eſt. P.Sulpicius tribunus pl. cùm auctore C.Mario pernicioſas leges promulgaſſet vt exſules reuocarentur & noui ciues libertiniq; diſtribuerentur in tribus, & aduerſantib. Coss. vim intuliſſet, L.Sylla cùm exercitu in vrbem ingreſſus eſt. Cùm Sulpitius in villa quadam lateret, indicio ſerui ſui retractus & occiſus eſt. ſeruus ob indicium manumiſſus, ſed ob proditionem de ſaxo tarpeio deiectus eſt. Liuius, Plutarchus, alij.

Quæſtio flagitaretur. Sup. dictum eſt, quid ſit petere quæſtionem ſiue iudicium.

Reus fieret. Quid eſt reum fieri? apud Prætorem legibus interrogari. cùm enim in ius ventum eſſet, dicebat accuſator apud Prætorem reo, aio te illud feciſſe, ſi tacuiſſet, lis ei conſtituebatur vt victo: ſi negaſſet, petebatur à magiſtratu dies inquirendorũ eius Criminum, & inſtituebatur accuſatio.

Lentulum Claudium. Cùm duos prætores nominet, videtur hoc iudicium extraordinarium fuiſſe, niſi fortè eùm poſterius ſingulari numero dixerit.

Quæſitore. Alterum quæſtionis principem fuiſſe intelligamus.

Qui tuam poſt legem. Verba formulæ: Quicumque poſt hanc legem: vt in ea pro Poſtumio.

Q. Maximo. Antonij accuſatore.

Contentionum reiectionis. Iam XX. vt opinor, anni abierunt, ex quo monui in Indice legum R. videri legendum CONDICIONEM, hoc ſenſu: vt condicionem reiiciendi commodiorem haberet ex lege Vatinia, quàm anteà liceret.

Miſericordia. Miſericors erat lex Vatinij in reoa quia commodiorem, vt dixi, reiectionis condicionẽ iis dabat.

Imagines. Significat Vatinium tres iſtas imagines ex atrio ædium Antonij in carceris locum aliquem contumeliæ cauſſa ferri iuſſiſſe. Nam *fratris filia* ſine dubio legendum eſt.

Feceriſne fœdera. Fœderati immunes erant, itaque accepta à vectigalib. aut ſtipendiariis pecunia, eos fœderatos fecerunt. quæ ſolius populi Rom. poteſtas erat.

Erogaris. Vatinius in ſua lege qua Cæſari prouincia Gallia mandabatur adſcripſerat, vt ei ſumtus ex ærario adtribueretur.

Partim à Cæſare. Iampridem in Indice legũ oſtendi, locum eſſe obſcurum, & legendum videri. *A Senatu*: ortumque mendum ex nota S E. nam penes Senatum diſpenſatio ærarij erat, Publicani quoq; per ſæpe pecunia remp. iuuabãt. Vatinius ergò lege ſua eripuit & ſenatui & publicanis partes illis cariſſimas ornandi Cæſaris, quam enim gratiam à Cęſare inire potuiſſẽt, Vatinius præcipuit. Sic infra: Eripueras Senatui prouinciæ decernendæ poteſtatem, ærarij diſpenſationem.

Acerrima. Legem Iuliam omniom acerrimam fuiſſe, patet etiam ex orat. pro Poſtumo, & lib. III. de offic.

Amiciſſimi. C.Cæſaris, quem tu tibi amiciſſimũ ſoles dicere.

Epulo. In ciuium potentiorum funerib. epulum

A populo dabatur; iſq; dies populo & conuiuis feſtus
erat. Itaq; togam pullam ſiue atram quę lugubris eſt,
eò inferre abſurdum erat.

Supplicationes. Moris fuit cùm litterę ab imperatoribus de victoria miſſæ in Senatu recitatæ fuiſſent, gratulatio fieret (quæ ſupplicatio dicebatur) ad omnia Deorum puluinaria.

Fauſti adoleſcentis. L. Syllæ filij, qui Fauſtus dictus eſt, cùm pater Felix appellatus eſſet.

Lege Licinia & Iulia. De legibus vt trinundino an-
B tè promulgarentur quàm ferrentur.

Edixeris. Edicta modò dicit programmata ad certum tempus & certi negotij cauſſa propoſita.

Die trigeſimo. Nam certa quaque lege dies præfiniebatur reis, intra quã cauſſam dicerent. Sic Cornelia de maieſtate decimum præfinierat.

Ne cauſſam diceres. Nam appellatio in vrbe non erat niſi poſt decretum. Dixi in vrbe: quia in prouinciis ciues R. appellabant tribunos ne cauſſam capitis dicerent, vt in Verr. V. expoſuimus.

C *Vrnas deleueris*. Fortaſſè *Deieceris*. Proximè tribu-
nal Prætoris habebantur vrnæ, in quas cauſſa vtrim-
que perorata & cognita iudices tabellas defere-
bant: vnde illud Virgil. Quæſitor Minos Vrnam
mouet.

C. Cæſaris. Cæſar adiutore Vatinio Bibulum col-
legam ſibi obnunciantem armis foro expulit. ac po-
ſtero die conqueſtum in ſenatu, cùm nemo qui ea
de re ad ſenatum referret reperiretur, in eam coe-
git deſperationem, vt quoad poteſtate abiret domi
D abditus, nihil aliud quàm per edicta obnunciaret.
M.Catonem interpellantem extrahi curia per licto-
rem, duciq, iuſſit in carcerem.

In quo ne quid. Veretur ne ſi quid falſò iracundius dixerit, iniuriarum à Vatinio poſtuletur.

Ex iſto loco. Minitatur accuſationem. Stans autem in foro, eo loco vbi cauſſæ aguntur, hæc dicebat.

Iudices quæſtionis. Vide in Comment. verb. iuris.

Quo S.C. legatus. Patet ex orat. de prouinciis con-
E ſul. prouincias omnes in ſenatus poteſtate fuiſſe. hoc
eſt, eius iudicium arbitriúmque fuiſſe quæ procon-
ſulibus aut proprætoribus decernerentur, & quantũ
imperij iis qui mittebantur tribuendum, quantum
pecuniæ ex ærario adnumerandum eſſet. Polyb.
lib. VI.

Tua lege. Nam de ſe tulit, vt C. Cæſari agrum Cãpanum diuidenti legatus eſſet.

Duobus prodigiis. Videtur dicere de legatis à Clo-
dio lege ſine S.C. lata miſſis: de quibus nihil iam me
F mini. Si poſſet ad illud prius referri, nemo neſcit Ga-
binio & Piſoni imperium lege lata ampliſſimum ad
tributum.

Ex teſtamento. Id eſt, niſi aliquis heres inſtitutus iuſſus à teſtatore ſit certa die populo gladiatores dare. nam munera eiuſmodi teſtamento legari Populo ſolita, ſatis planè conſtat.

Diem dicere. Vide in Comment. verb. iuris.

Mactandus. Vetus, Multandus.

Petiturúſne. Biennio antè adeptum, biennio poſt
G adeptum.

Certiſſimi. Id eſt, notiſſimi: de quo cuique certum & exploratum eſt. ſic in Quinctiana, certum patremfam. dixit.

PRO M. COELIO.

ORATIO XXXIIII.

ARGVMENTVM.

M. Cœlius eques R. duabus iam accuſationibus nobilis, vna maieſtatis qua C. Antonium peregerat, altera ambitus qua L. Atratinum iterum perſequebatur. Lege Lutalia de vi accuſatus eſt a L. Atratino adoleſcente L.F. quod legatos Alexandrinorum atque in his Dionem legationis principem interfeciſſet. Hi miſſi fuerant centum numero (vt Dio lib. XXXIX. teſtatur) à populo Alexandrino, qui ſenatum docerent, quibus cauſſis impulſi Ptolemeum regem ſuum expuliſſent. Fuit is Ptolemeus Auletes cognominatus, de quo in orat. pro Poſtumo. Accuſationi argumentum cauſſámque præbuit Clodia P. Clodij ſoror, flagitioſa & libidinoſa vita infamis. nam cùm Cœlius ab illa ornamenta quædam aurea de ipſius armario commodato ſumſiſſet, dedit ea Cœlius ſeruis L. Luceij apud quem Dio pro hoſpitio habitabat, vt illum necarent. Cùm aurum ſuum Clodia repeteret, eóque nomine exorta inter illos ſimultas fuiſſet, dicebatur Clodius iniſſe conſilium eius necandæ, venenúmque paraſſe quod ei in balneis è pyxide præberetur. Multa etiã accuſatores dixerunt aduerſus mores Cœlij, quem Cicero non inficiatur in adoleſcentia malè audiſſe. Dicta eſt apud Cn. Domitium Prætorem, vt patet ex orat. Cn. Lentulo, L. Martio Coſs. vt exiſtimare licet ex eo quod Dio ſcribit legatos illos interfectos. Abſolutum hoc iudicio Cœlium fuiſſe conſtat, Prætorémque poſtea fuiſſe, interfectúmq; ciuili bello inter Cæſarem & Pompeium. Scribit enim Cæſar lib. ciu. III. eum ſenatus decreto in Repub. remotum, à conſule ſenatu prohibitum, & de roſtris cùm concionari vellet deductum: Turios ſeſe contuliſſe, vbi ab equitib. Gallis & Hiſpanis, qui eò miſſi fuerant, interfectus eſt. De legibus ab illo latis Cæſar eod. lib. & Cic. ep. XVII. lib. VIII. De iracundia ſingulari Seneca lib. III. de ira. de eloquentia & variis ipſius actionibus Cicero in Bruto multis verbis.

COMMENTARIVS.

Conſuetudinis noſtræ. In ſeditionib. primò quoque A tempore vindicandis. nam alioqui contra conſuetudinem iudicia ludorum dieb. exerceri.

Intermiſſis. Propter ludorũ dies feſtos. nam clauſis tabernis exornari vndique forum ſolebat.

Eſſe legem. Lutatiam. Vide, lex Lutatia de vi, in Indice noſtro legum R.

Ab eius filio. M. Cœlius L. Atratinum ſemel accuſatum atq; abſolutum iterum iam accuſabat. L. Atratinus L.F. Adoleſcens paternum dolorem hac M. Cœli accuſatione vleiſcebatur.

Opibus meretriciis. Clodiam deſignat P. Clodij ſororem, quæ hanc Cœlio accuſationem conflarat.

Laborioſis. Idem Tuſc. II. Induſtrios homines Græci ſtudioſos vel potius amantes doloris appellant: nos commodius, laborioſos. Idem tamen Philip. XI. Qui magnos dolores perferunt, hos non miſeros ſed laborioſos dicere ſolemus.

Exiſtimare verò. Legendum VERE, vt in aliis omnibus.

Vtrum vellet. Significat Atratinum patris impe- C rio ad hanc ſuſcipiendam accuſationem impulſum fuiſſe.

Hic introitus. Non ſuperiorem orationem ſignificat, ſed eam quæ mox ſequetur.

Parum ſplendidus. Significat eum propter vitę ſordes tarò cum inluſtribus ciuib. verſatum eſſe.

Criminis loco. Non criminis loco ponebatur, ſed cùm equeſtri loco natus eſſet & patre ignobili, minus tolerabilem eius videri audaciam volebant.

Noſtra exiſtimatio., ſed iudicium. Exiſtimatio eſt opinatio & coniectura: iudicium verò, ſententia quę re cognita pronunciatur.

Quid nos opinemur. Ex teſtibus & patris & matris B ipſius familiaribus qui Puteolis ad teſtimonium dicendum aduocati à nobis producentur, quid nobis exiſtimare liceat, audietis.

Præſens mæſtitia. Sedebant in ſubſelliis ſordidati & atrati ad miſericordiam iudicum commouendã.

Ampliſſimum ordinem. In Curiam. nam qui Romę ſenatus, idem in municipiis, curia: & qui ſenatores ij decuriones dicebantur.

Ea noſtri ordinis. Obſeruandum ſenatores R. qui municipiis vnde orti fuerant, fortè aliqua de cauſſa erant, legatos Decurionum decreto Romam mitti ſolitos.

Si nitantur. Reſtituo, *Nitatur*, & ad vocem defenſionis refero. Si iudicio ſuorum municipum Cœlij

defenſio nitatur, firmiſſima eius fundamenta ſunt.

Ab his fontibus. Commendatione Tuſculanorũ municipum.

Sed vocibus. Id eſt, conuiciis. nam conuicia & voces idem, vt ſæpè antea dictum eſt.

Pœniteat. Hunc locum reprehenderunt quidam, vt Agell. lib. XVII. quod Pœnitere verbum niſi in voluntariis rebus non probè dicatur: non fuiſſe autẽ in arbitrio Cœlij qua forma naſceretur. Mirum eſt autem tam frigidè Agellium reſpondiſſe, cùm dicere potuerat, Pœnitet pro dolet, tædet, piget, ægrè eſt diſplicet, frequenter vſurpari: vt apud Terent. Noſtri nosmet pœnitet. Me quantum hic operis fiat pœnitet. Noſter in offic. Quo ad te quantum proficias nõ pœniteat. Infamiam autem Cœlio ex ætate obiectã ſignificat.

Rem vt definiat. Hinc κατηγορεῖν Græci dicunt: & inde κατηγορίας, apud Dialecticos. nomen certum maleficij, quod lege aliqua publicorum iudiciorum vindicetur, proferendum eſt.

Petulantius iactatur. IACIATVR, quibuſdam eruditis magis placet.

His iudicibus. Hoc tempore lege Vatinia ſoli equites iudicabant.

Falſo Reſponſa. Mirè Reſponſa pro Relata poſuit, niſi fortè alterum cum altero commutando.

Virilem togam. Ineuntes annum ætatis XVII. prætextam & bullam deponebãt, puram virilem togam ſumebant.

Si acceſſit. Petentibus magiſtratum adoleſcentes ſe quamplurimi adiungere ſolebant, vt eos honoris cauſſa adſectarentur. Liu. lib. XXV. P. Scipio & L. Flaminius candidati circunducunt fratres ſuos.

Africam Prætor obtinebat. Pedianus in orat. in tog. candid. Catilina ex prætura Africam obtinuit, quam cùm grauiter vexaſſet, legati Afri. in ſenatu iam tũ abſente illo queſti ſunt, multęq; graues ſententiæ in ſenatu de eo dictæ ſunt. Item in ead. Antè annum quàm hæc dicerentur, Catilina cùm rediſſet ex Africa Torquato & Cotta Coss. accuſatus eſt repetundarum à P. Clodio adoleſcente qui poſtea inimicus fuit Ciceronis. Defenſus eſt Catilina, vt Feneſtella tradit, à M. Cicerone.

Sequeſtrum. Apud quem tantiſper deponerentur pecunię quę ſi quis magiſtratus deſignatus eſſet promiſſæ fuerant.

Ne aduocatus quidem. Aduocatus qui reo ſuam præſentiam commodat. Pro Sylla: Parens tuus, Torquate, conſul reo de pecuniis repetundis Catilinæ fuit aduocatus.

Iterum petenti. Bis enim conſulatum petiit, & bis repulſam paſſus eſt. vt in Liu. epitom.

Ad cohibendum brachium. Sic Seneca lib. declam. V. Apud patres noſtros qui forenſia ſtipendia auſpicabantur nefas putabãt brachium extra togam exerere, nam in toga pars quædam in dextra parte excurrebat quæ ſinus dicebatur, & in dextra humerum ita reiiciebatur vt illud obuolueret. Quinctil. lib. X. Illud verò refellendum quod quidam reiecta in humerum toga cum dextera ſinum vſque ad lumbos reduxerunt. Item Sinum verò in dextrum humerum ab imo reiicere ſolutum ac delicatum. Suetonius de Cæſare acceptis vulneribus occumbente, Toga caput obuoluit, ſimul ſiniſtra manu ſinum ad ima crura reduxit.

Mereri ſtipendia. Ser. Honoratus teſtatur à Tullio ſcriptum, cuſtodes dari ſolitos adoleſcẽtibus ad militiam euntibus, quibus primo anno regerentur. vnde illud Virgilij.

Cuſtodem ad ſeſe comitémque impubis Iuli
Epytidem vocat. Hinc Plaut. in Moſtell.
Ad legionem cùm ibant adminiculum.
Eis donant tuum aliquem cognatum ſuum.

Induſtria quidem ſtimulus. Corpus patiens inediæ, vigiliæ, algoris, ſupra quam cuiquam credibile eſt. Salluſt.

Participem coniuratione. Paulo poſt dicet, Sociũ coniurationis. promiſcue cum inter illa multum interſit.

Coniurationis accuſatione. C. Antonium Ciceronis in conſulatu collegam accuſarat & peregerat.

Iterum arceſſeret. Iam ſup. dictum eſt Cœlium ambitus crimine L. Atratinum ſemel accuſaſſe, eundémq; abſolutum iterum accuſaſſe. Hæ ſunt tres Cœlij accuſationes, quas Cic. in Brut. ſignificat.

Tabulas conficit. Filiusfa. tabulas non conficit. quia præter peculium nihil habet. Peculij tamẽ rationes conficere ſolitos & filiusfa. & ſeruos ſatis conſtat ex tit. Digeſt. de pecul.

Verſuram fecit. Credo verſuram facere non modò pro creditorem mutare vſurpari, verumetiam pro Mutuam pecuniam accipere. nam qui Mutuum facit, verſuram facit, & aliud pro alio rependit. Sic autem neceſſario illud intelligendum eſt infra in hac orat. Quid ſigni? nulli ſumtus, nulla iactura, nulla verſura. Noſter pro Font. A quibus verſuras tantarum pecuniarum factas eſſe dicunt. Vide vocem verſura, in comment. noſtro de verb. iur.

A patre ſemigraret. Notanda conſuetudo, vt filiifa. adoleſcentes ſimul cum parentibus habitarent, neque ab iis ſine probro ſemigrarent.

Victoriam conſecutus. Nam vt ſup. dictum eſt. C. Antonium Ciceronis in conſulatu collegam coniurationis peregerat.

A ſuis coli. Habere quos in petitione circum duceret.

Vtinam ne in nemore. Noti verſus Ennij de Medæa quibus Clodiam deſignat. Plures proferuntur lib. ad Heren. III.

Comitiis pontificiis. Lege Domitia Pontifices à populo comitiis creabantur.

Nocturnorum teſtium. Ridicule, quia noctu videre commodè non poterant.

Congreſſu & conſtituto. Moris fuit antequam in ius iretur, vt domi apud amicos communes experirentur, ſi fortè ſedari ab iis controuerſia poſſet. Cic. pro Cæcin.

P. Aſicius. Apparet hunc inter ſicarios accuſatũ & iudicio abſolutum fuiſſe.

Lupercos. Vetus inſtitutum vt nudi ſubligaculis ſubcincti Februario menſe per vrbem vagarentur, quaſi lupos arcerent. Varro, Plinius, Seruius.

Timere videatur. Legendum, *Videantur*, in plurali: probabile eſt lupercos vultus tinctos habuiſſe ne adgnoſcerentur, & ita bacchatos eſſe. quod ſi quis è ſodalib. eorum diem illum feſtum non obiiſſet, eum ab aliis accuſari ſolitum. ita ſodalitatem commemoratum.

Amicus meus. Ironia. nunc enim inimicum ſuum P. Clodium dicit.

Precario. Nunc ſignificat venia petita, quaſi dicat, bona tua venia.

Aurum ſumtum à Clodia. Aurum factum: id eſt, aureum aliquod ornamentum & mundo Clodiæ,

vel ex

vel ex armario in quo Deæ Veneris ſimulacrum colebat. nam aliquanto poſt dicet, Aurum commodatum, quod ſi ſignatum fuiſſet, creditum aut mutuo datum dixiſſet.

Sequeſter. Nunc cum ſignificat, apud quem impudicæ mulieres tantiſper collocantur.

Certum nomen. Crimen de quo lex aliqua publicorum iudiciorum perlata erat, certum nomen habere dicebatur: de quo lata nulla erat lex incertum. Cic. de inuent. II. Inſcriptũ quoque maleficium dicebatur, de quo lex lata non erat: quod à Iuriſconſultis extraordinarium dicitur.

Mulieris viro. P. Clodium deſignat, quem Plutarchus inceſtam cum tribus ſororib. conſuetudinem habuiſſe ſcribit. Hinc illud Ciceronis lib. Fam. I. Clodium non pluris Bonam deam quàm tres ſorores feciſſe.

Ex barbatis. Tonſoribus non vſos Romanos antè annum CCCCLIV. Plinius teſtatur: primúmq; omnium radi Africanum inſtituiſſe. Cic. pro Muræna: Hęc iam tum barbatis illis ridicula videbantur.

Cæcus ille. Appium Clodium Craſſum, cui Cæco cognomen fuit, vt Frontinus teſtatur: de quo apud eund. Frontinum & Cicer. de ſeneƈt. Pompo. de ori. iur. Eutrop. lib. II. Epit. Liu. XIII. Sueton. in Tib. & Auƈtorem de vir. inluſt.

Q. Metelli matrimonium. κλωδίαν μέτελλος ὁ κέλερ εἶχεν ἣν κουαδραντάριαν ἐκάλουν: ut Plut. in Cic. Idem Cic. ep. II. lib. Fam. V. & ep. I. lib. II. ad Attic.

In familiam nupſiſſes. Nubere in familiam dicebantur quæ in manum conueniebant, & matresfa. fiebant. Genus loquendi crebrò in Pandeƈtis vſurpatum.

Q. illa Clodia. Quæ in pudicitiæ iudicium vocata nauem cum ſacris matris Deum Tiberino vado adhæreſcentem cingulo ſuo adligatam extraxit. Suet. Valer. alij.

Virgo veſtalis. De hac Suet in Tib. & Valer. V.

Pacem Pyrrhi. Non diremit, ſed ne fieret diſſuaſit: vt in Cat. maior. & apud Suet. in lib. Cic. Philipp. I. Annibal credo erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur: ad quam cauſſam etiam Appium illum & cæcum & ſenem delatum eſſe memoriæ proditum eſt. Vide Vlp. in l. I. §. 4. D. de poſtul. & Liu. epit. XIII.

Aquam adduxi. Frontin. & auƈt. de vir. inluſt.

Viam muniui. A porta Capena vſque ad vrbem Capuam, vt Front. ſcribit.

Imagines viriles. Quæ in atrio in armariis ſeruabantur, cùm quis curulem magiſtratum geſſiſſet.

Baias aƈta conuiuia. Baias amœnum eſſe litus Campaniæ nemo neſcit. ſed credo ciues R. delicatos lacus in hortis ſuis habuiſſe ex aquæduƈtibus deriuatos, in quib. animi & deliciarum cauſſa natabant, eáſq; Baias appellabant, vt paullo poſt, cuius in hortum, domum, baias iure ſuo libidines omnium conuenirent.

Dedete ac diſiice. Placet acutiſſima viri doƈti coniectura: vt ſit, *Dide ac diſſice*. Vt illud Verr. V. Cæce, concide. hoc eſt, diſſipa, diſperde rem familiarem. per me licebit.

Triſti ac decrepito ſeni. Lambinus ex antiq. lib. reponit, *Direƈto*: opinor pro ſeuero. cuius locutionis exẽpla requiro.

Domum, baias. Dixi ſup. Baias dici ſolitas etiam Romæ lacus natandi cauſſa in hortis potentiorum comparatos.

Alij voluptatis cauſſa. Notum eſt Epicureos ſi- A gnificari.

Cum voluptatem dignitatem. Stoicos intelligit.

Genus orationis. Cic. in Bruto: Quam eius aƈtionẽ multum tamen & ſplendida & grandis eadem tamen in primis faceta & perurbana commendabat oratio. Grandes eius conciones aliquot fuerunt: acres accuſationes tres, eæq; omnes ex reip. contentione ſuſceptæ. defenſiones, etſi illa erant in eo meliora quæ dixi, non contemnendæ tamen ſæpèq; tolerabiles.

B *Conſularem*. C. Antonium, vt ſup. diƈtum eſt.

Subiret periculum capitis. Obſcurum: niſi fortè ſubiise periculum capitis dicatur accuſator qui calumniæ periculum ſubit: nam calumniæ damnatos ſequitur infamia.

Baiæ ipſæ. Nauigationes in hortis, vt ſup. diƈtũ eſt.

Palam in meretricia vita. Nemini mulieri corpore quæſtum facere licuit, niſi quæ licentiam ſtupri apud ædiles vulgaſſet, more, inquit Tacitus, inter veteres recepto, quo ſatis pœnarum inter impudicas in C ipſa profeſſione flagitij credebant. Sueton. in Tib. Fœminæ famoſæ vt ad euitandas legum pœnas iure ac dignitate matronali exſoluerentur, lenocinium profiteri cœperunt.

Necandæ cauſſam paraſſe. Nam in pœnam quoque conſilium vocatur. l. I. §. I. D. de ſicar. & venef.

Hoſpites domi necandi. Placet Lambini coniectura, vt legatur *Hoſpitem domini*.

Alexandrinus Dio. Cùm Ptolemeus rex ab Alexandrinis pulſus Romam quæſtum de Alexandri- D norũ iniuriis veniſſet, Alexandrini legatos centũ ad ſenatum miſerunt. princeps legationis fuit Dio. Legati partim in itinere partim Romæ interfeƈti ab iis quos rex ſua pecunia induxerat.

Venerem ſpoliatricem. Adoleſcentium, à quibus Clodia munera rapiebat, venerémque in armario exornabat.

Illis ſtudiis, illis artibus. Mox etiam eruditum illũ appellat: vt ſuſpicari liceat, illum eſſe Lucilium hiſtoriæ ſcriptorem, ad quem exſtat illa nobilis Cice- E ronis epiſtola, cuius initium eſt, coram me tecum.

Metellus abſtraheretur. Significat hunc à Clodia vxore veneno ſublatũ. qua de cauſſa Clytemneſtra diƈta eſt, ait Fab. libro VIII. cap. VI. quod vt illa ferro virum Agamemnonem, ſic hæc Metellum interfecerit.

Fratri ſuo patrueli conſulari. Non dubium eſt quin Q. Cæcilium Metellum Nepotem conſularẽ ſignificet. nam is Conſul cum P. Cornelio Lentulo fuit anno DCXCVII.

F *Conſtitutum factum*. Sic legendum arbitror. nam ſup. diƈtum eſt, conſtitutum verbum eſſe iuris, cùm & dies & locus inter quoſdam præſtitutus eſt in quẽ conueniant. Cicero pro Cæcina: Qui ad conſtitutum experiundi iuris gratia veniſſent. Et in ep. I. ad Attic. lib. XII. Poſtero die in Tuſculano. ibi vnum diem V. Kal. igitur ad conſtitutum. Vid. in Epitomatis noſtris ad tit. Dig. de Conſtit. pecun. & in comm. de verb. iur.

Quadrantaria permutatione. Fab. d. lib. VIII. cap. G VI. Vt Cœlius Quadrantariam Clytemneſtram in triclinio Coam, in cubiculo Nolam. Plutarchus in Cicer. Quadrantariam diƈtam ſcribit. ὅτι τῶν ἐραστῶν τις αὐτῇ χαλκοῦς ἐμβαλὼν εἰς βαλάντιον, ὡς ἀργύρεον εἰσέπεμψε. quod vnus ex amatoribus quadrantes (qui erant ærei) coniecerit in illius crumenam pro numis argenteis. Coam autem in triclinio diƈtam puto & Nolam in cubiculo, quod illic ſepa-

ratam fore oſtenderet, ſed in cubiculo recuſaret, niſi A mercedem acciperet. Nolarum enim vſus illo tempore non fuit.

Mimi non fabulæ. Mimus, actio hiſtrionica turpiſſimorum facinorum imitatrix. Ouid.

Sribere ſi fas eſt imitantes turpia mimos.

Horum clauſula nulla erat vt in comœdiis, ſed abrumpi ſtrepitu & tumultu aliquo ſolebant.

De cognatorũ ſententia manumiſſi. Significatur mulieri non licuiſſe ſeruos ſine cognatorũm ſententia manumittere. manumiſerat autem ne de iis quæſtio B haberetur, quoniam liberi non torquebantur apud Rom. vt apud Athæn. & Cic. in partit. Eiuſdemque rei exemplum exſtat in Milon. & apud Ascon. in eiuſd. comment.

Camurti & Ceſerni. Patet hos duos de vi damnatos, quod in eorum numero fuiſſent qui Alexandrinos legatos interfecerant.

Vetere inſtituto. Sic in Diuinat ſignificat vetus inſtitutum fuiſſe vt adoleſcentes rerum capitalium accuſationes ſuſciperent. quod etiam Plutarchus in C Cicer. teſtatur.

A *Flexu ætatis.* Sic initio dialogi de orat. Si infinitus forenſium rerum labor vt ambicionis occupatio, de curſu honorum etiam ætatis flexu conſtitiſſet.

Nomen amici mei. Atratini, quem initio orationis neceſſarium ſuum appellauit.

Interpoſitus ſermo moreretur. Mori ſermo dicitur, cum rumor diſſipatus ſedatur.

A noſtris rationib. ſeiunctum. A noſtris inſtitutis, ſtudiis, diſciplina, à bonorum virorum partibus.

Remp. violatã. Significat C. Antoniũ, de quo ſup.

B *Obſides periculi.* Obſcurus locus. niſi fortè hoc ſignificet, ſi quid periculi timeretur à Cœlio, accuſationes illas tamquam obſides vel prædes eſſe quibus reip. caueretur.

Sex. Clodius. Is fuit familiariſſimus P. Clodij & operarum Clodianarum dux: quo auctore poſtea in lato ab iis corpore Clodij curia cum eo incenſa eſt. Ascon. in Piſon. De hoc etiam Sex. Clodio aliquoties in Milon. mentio fit.

Huius miſeri. Patrem M. Cœlij demonſtrat qui C atratus & ſordidatus in iudicium mouendæ miſericordiæ cauſſa venerat.

DE PROVINCIIS CONSVLARIBVS. ORATIO XXXVII.

ARGVMENTVM.

HABETVR *hæc oratio in ſenatu Cn. Lentulo, L. Philippo* coss. *cùm M. Tullius rogatus eſſet ſententiam de prouinciis futuris conſularib. decernendis. Decernit autem Syriam in qua Gabinius & Macedoniam in qua Piſo imperium tenebant. Prouinciarum autem duplex diuiſio eſt nam ſtante Rep. aliæ conſulares aliæ Prætoriæ fuerunt. Imperio conſtituto aliæ populi Rom. aliæ Cæſaris factæ ſunt. Conſulares erant, quæ ab iis qui conſulatum geſſerant imperio conſulari, id eſt,* XII. *lictoribus & faſcibus obtinebantur. Prætoriæ fuerunt, quas qui Prætores in vrbe anno proximo fuerant Prætorio imperio obtinebant. Neque enim certæ fuerunt prouinciæ in quas ſemper viri conſulares, & alij in quas ſemper Prætorij mitterentur, ſed ex magiſtratuum qui eas obtinebant nomine nomen ſumebant. Vtraque autem prouinciæ in ſenatus quidem poteſtate fuerunt, ſed diſſimilis in iis decernendis illius poteſtas fuit. nam lege Sempronia vtræque à Senatu decernebantur, ſed Conſulares & conſulibus anno proximò futuris antè comitia mandabantur vt eas poſt menſes demum* XVII. *obtinerent, & in ſenatus poteſtate ſic erant vt Tribuni pl. intercedere decretis quæ de ijs fecerat non poſſent, & in incertum tempus, quamdiu ſcilicet, Senatus non alios ſubmitteret, obtinerentur. Prætoriæ verò prætorib. anni præſentis mandabantur, vt eas proximis Kal. Ianuarij depoſita prætura ſtatim obtinerent. In populi autem poteſtate idcircò erant, quia Tribuni pl. decreto à ſenatu de iis facto intercedere poterant, & annuo tantum imperio obtinebantur. Ius quoque ſenatui fuit, quæ prouinciæ conſulares erant eas prætorias facere, hoc eſt anni præſentis prætoribus mandare. qua mutatione ſimul illæ prouinciæ è poteſtate ſenatus in populi poteſtatem tranſibant.*

De prouincijs. Prouinciæ regiones erant extra Italiam ita populi R. imperio ſubiectæ vt & magiſtratibus qui ad eas adminiſtrandas mittebantur parerent, & eædem ſtipendiariæ ac vectigales eſſent. Itaque in eas ſemper cũ prætore qui ius dicebat Quæſtor qui ſtipendia & vectigalia exigeret, mittebatur. Porrò Redigere in formam prouinciæ eſt incolis & leges ſuas & iuris dicendi poteſtatẽ adimere, magiſtratus in eas cum imperio mittere, & in ſingulos annos vectigal imponere. Critognatus apud Cæſarem: Reſpicite finitimam Galliam quæ in prouinciæ formam redacta iure & legib. commutatis ſecuribus ſubiecta perpetua premitur ſeruitute.

P.C. Centum quos Romulus ſenatores creauit præciſe, patres appellati ſunt, quod hi ſoli patres ciere potuerant, vt ait Liu. lib. I. Dicebãtur etiam omnes patricij. Poſtea Tarquinius Priſcus centũ adlegit qui patricij minorum gentium dicti ſunt. Exactis regibus, ex primoribus equeſtris gradus auctus eſt numerus ad trecentos. Inde formula vocandi per præconẽ ſenatus, qui patres quique conſcripti eſſent, ad curiã adirent. Conſcriptos videlicet in nouum ſenatum appellabant lectos. Liu. lib. II.

Dolori meo. Iuſto dolori veniam dari ſolere teſtis eſt etiam Vlp. ſub tit. de adult. Iuſtus erat Ciceronis dolor expulſi ex vrbe à Piſone & Gabinio Coſs. quorum ille Macedoniam, hic Syriam prouinciam obtinebat.

Habeo auctorem. Auctor dicitur cuius ſententiam propter conſilium & grauitatem & exiſtimationem rebus egregiè geſtis partam ſequimur: non tãtum in legibus, verum etiam in ſententiis dicendis. velut in Piſon. Auctore. N. eius ſententiæ principe.

P. Seruilium. Qui quod Iſauros domuerat Iſauricus dictus eſt. Idcircò in eo vigor, auctoritas & exiſtimatio.

Portenta ac penè funera. Quaſi in ſuo conſulatu remp. occidiſſent nam his conſulatum obtinentibus Cicero eiectus in exilium fuerat.

Pro pignore. Cum hoſtib. meis pactionem fecerũt, vt ſi prouincias eis tribuerent, ipſi meã illis ſalutem proderent & quaſi pignus in manus darent.

Galliæ duæ. Citerior, vlterior: quas C. Cæſar vno imperio coniunctas obtinebat.

Lege Sempronia. Hanc tulit C. Sempr. Gracchus trib. pl. vt ſenatus quotannis conſulib. & Prætoribus futuris prouincias decerneret: vt prætoriarum decreto interdici liceret, Conſularium non liceret. Pro domo: Tu prouincias conſulares quas C. Gracchus non modò non abſtulit à ſenatu, ſed etiam vt neceſſe eſſet quotannis cõſtitui per ſenatum lege ſanxit, eas lege Sempronia per ſenatum decretas reſcidiſti. extra ordinẽ ſine ſorte nominatim dediſti conſulib.

Condemnarunt. Nam qui Ciceronem condemnarunt qui nihil niſi auctore ſenatu geſſerat, ſenatum ipſum condemnaſſe intelliguntur.

Annibal. Qui annis XV. Italiam vexauit.

Pax erepta. Prouinciarum rectores plerumque quaſuis belli finitimis gentibus inferendi occaſiones captabant vt ex iis triumphandi materiam quærerẽt.

Militares. Viæ militares ſunt quæ exitum ad mare aut in vrbes aut in flumina publica aut ad aliam viã militarem habent. l. vlt. D. de loc. & itin. pub. quidã prætorias aut conſulares appellant l. 2. §. ait prætor, D. ne quid in loc. pub.

A *Delectu & conquiſitione*. Is cui belli adminiſtratio permiſſa erat, conquiſitores per Italiam mittebat qui iuuentutem ad arma vocarent, & diem qua in capitolium conuenirent præſtituebant. Tum tribuni militum delectum habebant: poſtea ſedente in tribunali conſole delecti ſacramento militiæ adigebãtur. Vbi tumultus erat, ſubitarij milites ſine delectu conſcribebantur. Liu. lib. XXIX.

Sine imperio. Notandus locus ex quo intelligitur Legatos cum poteſtate quidem ſed ſine imperio

B fuiſſe. Lictoribus tamen interdum honoris cauſſa iis vti permittebantur. Cic. Verr. III. In Achaiam ſumtu publico & legationis nomine cum imperio & ſecurib. miſſus eſt. loquitur de Verre Dolabellæ proconſulis legato. Appian. lib. ciu. I. Legatos Romani appellãt quos prouinciarum rectorib. addunt, vt iis adiumento ſint.

Cohortes in hyberna miſit. Statiua caſtra duorum generum fuerunt. Æſtiua & hyberna, quæ poſtrema ſub pellib. habebantur. qua de re ſatis à nobis dictũ

C eſt in notis ad Cæſ. lib. IV. Gall.

Omitto iuriſdictionem. Inſignis locus: vnde intelligitur ex iis ciuitatibus quas populus R. in ſuam poteſtatem redegerat alias fuiſſe in prouinciæ formam redactas in quib. magiſtratus populi R. iuriſdictionem exercebat, vt ſup. dictum eſt, alias liberas quæ ſuis legibus & magiſtratibus vtebantur. Cic. Off. III. Quas ciuitates L. Sulla pecunia accepta ex S. C. liberaſſet, vt hæ rurſus vectigales eſſent, neque his pecuniam quã pro libertate dederant redderemus. Tac.

D lib. XII. Redditur Rhodiis libertas ademta ſæpè aut firmata prout bellis externis meruerant. qua de re videnda etiam l. 7. D. de capt. & poſtl. reuerſ.

Refertiſſimam ſignis. Græcarum omnium ciuitatũ ſtudium in ſignis & ſimulacris Deorum fingendis ſummum ac præcipuum fuiſſe, planiſſimè ex Verr. VI. intelligitur.

Mithridaticos impetus. Mithridates rex Ponti, quẽ Cicero poſt Alexandrum Maximum appellat, annos XL. bellum geſſit cum Romanis.

E *Cæſonine Caluenti*. Contumelioſè Piſonem multis locis ſic appellat. Caluentius quidam homo inſuber patris Piſonis ſocer, idem mercator & præco Romam venit cum filia, quam Cæſonino cuidam furaciſſimi hominis filio collocauit Cic. in Piſon. Cæſoninus ſemiplacentinus Caluentius.

Qui lucus. Notandum igitur non modò lucos ſacros fuiſſe, verum etiam ſimulacra quædam Deorum in iis fuiſſe, quæ Græci venerari ſolebant. qua de re plura dixi in Rabir. perd.

F *Liberos populos*. Iterum notandum eſt, non licuiſſe magiſtratibus Rom. ius in liberis ciuitatibus dicere.

Generi tui. C. Iulij Cæſaris, qui legem tulerat vt Achæi, Theſſali. Græci liberi & immunes eſſent. qua de re in ea pro dom. & in Piſ.

De Pecuniis creditis. Sic veteres loquebantur, poſtea Iuriſconſulti generalius de reb. creditis dixerunt.

Fronte & ſupercilio. Grauitatem & triſtitiam vul-

G tus Piſonis Cicero multis locis exagitat velut in illo: cuius ſupercilio tamquam Atlante cœlum niti videbatur. Pro domo præter ſimulatam verſutámq; triſtitiam nihil commendaret.

Semiramis illa. Hactenus de Piſone: iam de Ga-

binio, effeminato & molle homine, & libidinoſiſſi- A mo, qualis quondam Semiramis illa Syriæ regina.

Ariobarzanes. Rex fuit Cappadociæ primùm à Mithridate regno pulſus, poſt rex & amicus populi R. appellatus.

Thracem. Gladiatorum varia fuerunt nomina, Thraces, Mirmillones, Samnites, Prouocatores, Retiarij. Cic. Philipp. v i. & Ammian. Sed vir doctiſſi. Iuſtus Lipſius hac tota de re copioſè ſcripſit & erudite in lib. de Gladiatorib.

Cum tyrannis. Olim tyranni dicebantur in Græcia B homines potentes & opulenti, quos Perſæ Satrapas appellabant. Hi cum Gabinio certa pecunia paciſcebantur vt ipſo agente reges & ſocij populi R. à Senatu appellarentur.

Dexteram tendens. Notandus locus. nam alludit ad conſuetudinẽ illorum qui in auctionibus ſi quid liceri vellent digitum tollebant. Cic. Verr. I I I. Solebant tamen etiam Imperatores ex acie inſtructa in cohortandis militibus dexteram tẽdere quod ex Suet. in Cæſare animaduerti poteſt. C

Publicanos. Publicani dicebantur qui præſenti pecunia vectigalia populi R. à cenſoribus redimebant. vt poſtea ſuis commodis ſeruirent. quo in quæſtu rapaciſſimi reperiebantur. Liuius L V. Vbi publicanus eſt ibi aut ius publicum nullum, aut libertatem ſocijs nullam eſſe.

Iudæis & Syris. Oratoriè hæc dicit, quia Gabinius non ſinit Iudæos & Syros à publicanis diripi.

Cuſtodias ſuſtulit. Vetuit ne qui publicanis debeſet cuſtodiæ traderetur. Lictores interdum & appa D ritores publicanis adtribuebantur quorum opera in exigẽdis vectigalibus vterentur. Carceres trium generum fuere: Vrbani, quales ſunt turres. Ruſtici, vt ergaſtula & compedes. Caſtrenſes, cùm captiui trahuntur catenati. Cuſtodia militaris dicebatur cùm is qui in nexu erat catenam manui dextræ adlig tã habebat, quę eadem manu militis ſiniſtræ erat adſtricta.

Stipendiarios ac Vectigales. Vectigal aliud certum dicebatur, aliud incertũ. Certũ propriè Tributũ eſt, E vnde ſtipendiũ dari militibus ſolebat. Tacit. lib. x x. Nam neq; quies gentium ſine armis, neq; arma ſine ſtipendijs, neq; ſtipẽdia ſine tributis haberi queunt. Incertum, quod fructibus agrorũ & paſcuis & portorijs penditur, cuius certus eſſe modus nõ poteſt. Ver. v. & Iuſtinian. §. per traditionem de rer. diuiſ.

Eius ordinis. Publicani omnes equeſtris ordinis fuerunt. Cic. in Plan. Flos equitum R. ornamentum ciuitatis, firmamentum reip. publicanorum ordine continetur. F

Temeritate redemtionis. Redimere veteres ſæpe vſurpabant pro conducere. Vnde Publicani redemtores vectigalium dicebantur.

Auguſtias ærarij. Ærarium Romæ triplex fuit. duo ſemper clauſa & ad extrema reip. tempora reſeruata: tertium, quò vectigalia & tributa inferri ſolebant, apertum ſemper fuit; vnde pecuniæ quotidie ab ærarij quæſtoribus ad vſus reipubl. promebantur.

Frui publico. Publicani prohibentur frui publico; G id eſt, vectigalia exigere quæ redemerunt cùm hoſtium excurſiones audiuntur, ac tum ſenatus iis remittere aliquid ſolebat.

Lege cenſoria. Lex apud Iuriſc. ſæpè pro pactione vſurpatur. Cenſores autem quincto quoque anno auctione conſtituta publicanis vectigalia certis pactionibus locabant. Ea dicebatur lex cenſoria, id eſt pactio, pactum conuentum, contractus enim ũ cum publicanis.

Ferri auxilium non oportet. Delenda vox N O N. nã huius enthymematis, cui ſubeſt argumentum ex comparatione minoris hic ſenſus eſt. Si publicano cui frui publico propter hoſtium incurſus non licet, cautum eſt ipſa lege & pactione cenſoria, ei ne qui ſi minus verbo at certè re ipſa hoſtis eſt & publicanos euertit, ferri auxilium oportet? Videtur ſignificare Gabinium ſubſidium aut ſupplementum aliquod vt militum vel frumenti à ſenatu petiſſe.

Supplicationem. Moris fuit cùm Imperatores publicè litteras ad ſenatum de re bene geſta & cæſis hoſtibus dediſſent, vt ſenatus ſupplicationes id eſt gratiarum actiones dijs decerneret quæ magna pompa & celebritate pro templis omnibus victimis fiebat. itaq; dicebatur dijs ſeriati populus olebat.

Græcos. Piſonẽ Græcos eruditos homines aliquot ſecum habuiſſe & litteris Græcis delectatum apertè ex Piſon. intelligitur.

Orcheſtra. Turnebus *Exoſtra* repoſuit: id eſt, machina qua quæ intus geruntur rotis circumactis ſpectatoribus patefiunt. Siparum autem eſt velum quod extrema parte ſcenæ tendebatur poſtquam hiſtriones interdum comiſſabant. Ergò ſenſus eſt, qui prius velut eum hiſtrionibus & mimis retro velum helluabatur id iam pro palam factitat.

Ne imperator appelletur. Ironia, quaſi iam philoſophari & gloriam contemnere didicerit. Porrò belli duces qui rem benè geſſerant Imperatores vocabantur, primum in prouincia militum adclamatione, deinde Romæ ex S. C. quemadmodum in initio comment. ad Inſtit. à nobis iampridem dictum eſt. Appellatum autem in prouincia Piſonem Imperatorem locus hic in Vatin. declarat. Appellatus eſt hic vulturius illius prouinciæ ſi dijs placet Imperator.

T. Albutio. Hic Sardiniam prouinciam proprætor obtinebat.

Maſtrucatis. Maſtruca viliſſimum veſtis genus è villis quorumlibet animalium quo Sardi montani vtebantur.

Exitum. Albutius ex Sardinia pecuniarum repetundarum damnatus in exilium eiectus eſt. Tuſc. v. Quid? T. Albutius nonne animo æquiſſimo Athenis exſul philoſophabatur? cui tamẽ illud ipſum non accidiſſet ſi in rep. quieſcens epicuri legib. paruiſſet.

Faciam prætorias. Vt non conſules ſed Prætores eas obtineant; ac proinde duo Prætores confeſtim in illas mittantur, atque Piſo & Gabinius reuocentur.

Scribe ſenat. Demonſtrat Tribunum aliquem qui Gabinio & Piſoni fauebat, ſeq; illi decreto interceſſurum minabatur. nam lege Sempronia decretis de prætorijs prouincijs intercedi licebat. Locus eſt inſignis ex quo intelligitur, mutatam fuiſſe priſtinã conſuetudinem, quam Valer. lib. 11. his tradit verbis: Tribunis pl. intrare curiam non licebat. antè valuas poſitis ſubſellijs decreta patrum examinabant. Poſtea lex Atinia lata eſt vt qui tribunus pl. eſſet, idem vi ipſa tribunatus ſenatorij eſſet ordinis, dicundęq; in ſenatu ſententiæ ius haberet. Agell. lib. xiv. cap. vlt. Suet. Auguſto: In locũ demortui tribuni pl. candidatum ſe petitorem oſtendit, quamquam patricius needum ſenator. Et infra: comitijs tribunitijs ſi deeſſent candidati ſenatores, ex equitibus R. creauit, ita vt po-

vt poteſtate tranſacta in vero vellent ordine manerent.

Tribunus intercedere. Cicero de legib. III. Plebes quos pro ſe contra vim auxilij ergo creaſſit, Tribuni eius ſunto. quódq; ij prohibeſſint, quódq; plebē rogaſſint, ratum eſto. ſanctíque ſunto. Intercedēdi formula fuit vox VETO. Liu. lib. VI. Faxo, ne iuuet vox iſta VETO, qua nunc continentes collegas noſtros auditis.

Qui deſignati erunt. Prouinciæ conſulares decernebantur à ſenatu non iam conſulatum gerentibus ſed iis qui proximis comitiis conſules deſignarentur, vt eas poſt menſes XVII. obtinerent, vt antea dictum eſt. Salluſt. Iugurth.

Ea lege referetur. Sempronia nimirum, nam duæ fuerunt leges. Sempronia, vt prætoriatū decreto intercedi liceret, conſularium non liceret: & Cornelia, vt qui prouinciam ex S. C. obtineret is imperium tamdiu haberet quoad in vrbem rediſſet.

Interpellationem. L. Philippi Cos.

Cæſare impulſore. Cæſar offenſus dicto quodam Ciceronis in quadam oratione adiutor fuit P. Clodio vt tribunus pl. fieret.

Adfectum confectum. Bellum adfectum eſt propè iam ad exitum perductum; confectum, hoſtibus domitis & ſubactis. Salluſtius dicere ſolet, Patratum. Sic infra: Ipſe Cæſar quid eſt quod in Gallia commorari velit, niſi vt ea quæ per eum adfecta ſunt, perfecta reip. tradantur.

M. Lepidus. De hac inimicorum reconciliatione Val. max. lib. IV. cap. II.

Pontifex, max. Pontifices hoc tempore fuere, VIII maiores, VII. minores. Vnus fuit olim à Numa rege creatus Maximus, quod maximarum rerum quæ ad ſacra & religionem pertinebant iudex eſſet, & vindex priuatorum & magiſtratuum qui religionum leges non obſeruabant. Dionyſ. lib. II. Cic. pro dom.

Non degeneraſſent. Satis notum eſt huius duos fuiſſe filios, Tiberium & Caium, homines populares, à ſenatu alienos, qui ſuis conſiliis & legibus pernicioſis remp. labefactarunt.

Quo duces eſſent ducti. Hæc Valer. lib. IV. cap. I. Ante triumphantis currum capti hoſtium duces vincti ducebantur. Imperator auratis quadrigis laurea coronatus dextra ramum lauri tenens vehebatur: cúmq; in capitolium adſcendere inciperet necare iubebat. Cic. in Piſ. Differis de triumpho? quid tandem habet iſte currus? quem vinctum antè currum duces? Idem Verr. VII. at etiam qui triumphant eóq; diutius hoſtium duces ſeruant vt his per triumphum ductis pulcherrimum ſpectaculum fructúmque victoriæ populus R. percipere poſſit: tamen cum de foro in capitolium currum flectere incipiunt illos duci in capitolium iubent, idémque dies & victoribus imperij & victis vitæ finem facit.

Vnum pro vniuerſis. Paſſim hoc idem Cicero prędicat ſe cum Clodianorum factionē videret ad arma & cędes paratā ſponte ceſſiſſe atq; in exſuliū abiiſſe.

Religionem & pudicitiam. Notiſſima eſt hiſtoria de P. Clodio in ſacrum bonæ deæ noctu ingreſſo.

Numero vt nemini. Cæſar in fi. lib. II. Ob eáſque res ex litteris Cæſaris dies XV. ſupplicatio decreta eſt, quod antè id tempus acciderat nulli: Idem Plutar. in ipſius vita & Suet. tradunt.

C. Mario. Sex aut ſeptem dierum.

Quindecim dierum. Emendo DECEM, cùm dixerit duplicatum ordinarium numerum fuiſſe.

A *Relatum ad nos eſt.* Locus hic declarat ius fuiſſe ſenatus & ſtipendium & legatorum numerum & ſupplicationem ſine populi ſuffragio decernendi. Cic. pro Balbo: C. Cæſarem ſenatus & genere ſupplicationis ampliſſimo ornauit & numero dierum nouo. Idem in anguſtiis ærarij victorem exercitum ſtipendio adfecit, Imperatori decem legatos decreuit, lege Sempronia ſuccedendum non cenſuit. harum ego ſententiarum & auctor & princeps fui.

Scribendo adfui. Summæ beneuolentiæ argumen-
B tum hoc erat, cùm ſenator S. C. de alicuius honore ſcribendo quaſi teſtis adeſſet. Cic. ad Catonem epi. VI. lib. XV. Fuiſſe iucundum quod ſcribendo adfuiſti: hæc enim S. C. non ignoro ab amiciſſimis eius cuius de honore agitur ſcribi ſolere.

Præda antè parta. Quæ parta victoria hoſtib. eripiebantur, ea plerumque Quæſtori cōmittebantur, vt Romam ad ærariū & Quæſtores ærarij referret. Interdum tamen vbi milites benè rem geſſerant, ea Imperatores illis præmij loco concedebant. Rarò
C igitur, vbi præda Quæſtoribus adtributa erat, ſtipendium à ſenatu mittebatur.

Actum eſt de decem legatis. Cæſar decem habuit in Gallia legiones. His ſingulis ſinguli præfecti erāt legati, vt ex Cæſaris commentariis intelligitur.

Amittit viriditatem. Dux belli iuſta victoria potitus laureatas litteras ad ſenatum per tabellarios victoriæ nuncios mittebat. ſimul laurea lictorum faſces exornabat. Videtur inſuper hic locus iudicare corona laurea donatum à militibus donatum vt
D eam in capite geſtaret. In triumpho quidem laurea inſigni exornari ſolitos paullo poſterius intelligitur.

Tribus prouinciis cingatur. Bythinia, Ponto, Syria, quas Pompeius bello Mithridatico ſubiugarat.

Gallorum copias. Cæſ. lib. I. Cimbros & Teutonas appellat. ſed probabile eſt eos à Gallis conductos & in Italiæ fauces perductos fuiſſe.

Cn. Pomtinium. Prætor hic erat Cicerone Con-
E ſulatum gerente, cui optimam in opprimenda Catilinæ coniuratione operam nauauit. Cic. Catil. III.

Galliam timendam. Appian. ciuil. II. Galli adeo Romanis terribiles ſunt ac formidoloſi, vt in lege de vacatione militiæ quæ ſacerdotibus & ſenibus permittitur illud adſcriptum ſit, niſi ſi bellum Gallicum exoriatur. tum enim & ſacerdotes & ſenes in militiam proficiſci.

Abſciſſa. Manutius, *Acciſa.* nihil muto. nam tranſlatio eſt ab arboribus, quarum rami & propa-
F gines abſcinduntur, ſed poſtea nihilo minus reuireſcunt.

In capitolium. Moris fuit, vt paullo antè dixi, triumphantib. curru aurato, quadrigis albis, corona in capite laurea, lauro in manu dextera, os minio oblitis vehi, ibíque cæſis victimis gratias diis agere. Zonaras lib. II. Plin. de minio teſtatur: opinor, quaſi os ſanguine hoſtium tinctum adhuc & madidum haberent. nam ſanguinolentis ex acie redeuntibus adclamari ſolebat, Macte virtute eſto: vt Seneca me-
G moriæ prodidit.

Eam legem ſciſcere. Id eſt, legem Vatiniam probare. Vatinius tribunus pl. tulerat, vt Cæſari ciſalpina Gallia cum Illyrico & tribus legionibus mandaretur, ei denique legendorum ſibi legatorum poteſtatem dederat. Hanc legem

multi contra auſpicia latam contendebant: quia Bibulus Coſ. de cœlo tum ſeruabat, cùm Vatinius tribunus pl. leges ſuas ferebat. Vlteriorem Galliam ſenatus Cæſari mandauerat.

Quo defenſorem habeat. Id eſt, quæ tribunum habeat qui eam in Cæſaris poteſtate retineat. ſignificat exteriorem Galliam quæ à populo mandata fuerat.

Belli Gallici rationem habet. Reliquis vlteriorem Galliam in qua ſola Cæſar bellum gerit.

Præfinit diem. Intra quam in prouinciã exeat, nempe Kal. Martiis.

Kal. Iannar. Coſſ. & Præt. Kal. Ian. magiſtratus ineunt.

Deſponſam. Adludit ad ſponſalia quæ nuptias in diem differunt, eá que incertas redduut: quia perſæpè leuib. ex cauſſis repudia mittuntur.

Fuerit Hoc ſignificat fore abſurdiſſimum. nam Kal. Ian. deſignati proconſules & proprætores prouincias inter ſe aut ſortiebantur aut comparabant, id eſt conueniebant in qua proficiſci mallent. Liu. de bell. pun. Decreuerunt patres vt conſules compararent ſortirentúrve prouincias. Item de bello Maced. Decreuerunt patres vt prouincias Macedoniam atque Italiam conſules compararent inter ſe ſortirentúrve.

Paludatus. Paludamentum veſtis propria ducum ad rem militarem proficiſcentium. Coccinei coloris erat, opinor quod is color ſanguinis ſimilis eſt. Itaque Plin. lib. x x vii. Imperatoris paludamentis dicatum Coccũ teſtatur. Silius Italicus de Scipione.

At contra ardenti radiabat Scipio Cocco.

Moris igitur fuit vt qui in prouincias exituri erant prius in capitolium adſcenderent, ibique certa Deo alicui vota nuncuparẽt, ſe, ſi victores redirent, aram verbi gratia honori & virtuti dicaturos. Liu. de bell. Perſ. conſul proficiſcens prætereà paludatis lictoribus in prouinciam & ad bellum vota in capitolio nuncupat. Item lib. xxi. cùm is more maiorum ſecundum vota in capitolio nuncupata lictoribus paludatis profectus eſſet ab vrbe.

Popularis. Populares dicebantur qui populi partibus fauebant: Optimates, qui ſenatui. Multa Cic. pro Sext.

A fortiſſ. viro. L. Philippo Coſ.

Nobis inuitis. Ergo & à populo & alicui populari. Sueton. Iulio: Galliam ciſalpinam Illyrico adiecto lege Vatinia accepit. mox per ſenatum comatam quóque, veritis patribus ne ſi ipſi negaſſent, populus & hanc daret.

Fratri meo. Q. Ciceroni, qui vnus è legatis Cæſaris erat in Gallia.

Quinqueuiratum. Cæſar coſ. legem tulit vt ager Campanus iis qui tres pluresve liberos haberent diuideretur: ſimul curatores qui agros diuiderent vigintiuiros conſtituit. ad hanc curationem Cicero à Cæſare inuitatus eam repudiauit. quare neceſſe eſt xv. ad æſtimandum, v. ad diuidendum comparatos fuiſſe. Sunt tamen quibus placeret ſcribi *Vigintiuiratum*: quorum iudicium, modò libri veteris auctoritas accederet, magnoperè probarem.

Tribus conſularib. Pompeio, ſuo genero, & Piſone ſuo ſocero.

Legationem quam vellem. Quam Marcus recuſauit hanc Quinctus frater accepit. Porrò Legationum non vna forma erat: ſed maior interdum aut minor legatis poteſtas à præſidib. mandabatur.

A *Decere me non putabam.* Mox tamen dicet non alienum à ſua dignitate viſum eſſe.

Terror iniectus Cæſari. Timuit Cæſar ne quæ anno ſuperiore geſſerat à prætoribus infirmarentur. Ideirco P. Clodium audacem hominem & tribunum pl. ſua opera factum ſibi adiunxerat, qui prætorib. obſiſteret. Cicero in Piſo. Adducta res in certamen te conſule petebatur vtrum quæ ſuperiore anno ille geſſiſſet manerent an reſcinderentur. Et

B pro domo. Tua denique omnis actio poſterioribus menſibus fuit, omnia quæ C. Cæſar egiſſet quæ contra auſpicia eſſent acta per ſenatum reſcindi oportere.

In capitolio. Vbi tum ſenatus ſemper habitus eſt.

Funus iuſtum atque indictum Idem ſcribit in ea pro dom. quibus ex locis ſuſpicari licet iure pontificio conſtitutum fuiſſe, vt ea demum iuſta funera putarentur quæ à familia indicta atque promulgata fuiſſent.

C *Lege curiata.* Hac de re aliis locis abundè dictum eſt. P. Clodius patricius à C. Fonteio plebeio homine adoptatus eſt. Adoptiones autẽ pro collegio Põtificum in comitiis curiatis fiebant propter ſacrorũ commutationem.

Cuius tribunatus ſi ratus eſt. Emendo, *Si ratus non eſt*, libris omnibus inuitis. non tantum: verum etiam in verbis proximis ita legendum cenſeo, vt Lambinus animaduertit. *Nihil eſt quod ratum ex actis Cæſaris poſſit eſſe.* Etiã hoc amplius, pro illis verbis: *Au-*

D *ſpiciorum religione conſeruata*, ſcribendum arbitror, *Non ſeruata.* In pari cauſſa, inquit, paria iura ſtatuenda ſunt. Si Cæſaris acta idcirco irrita eſſe non debẽt, quia tum de cœlo ſeruatum eſt, neque auſpiciorum religio ſeruata eſt (vt Bibulus contendebat) neque etiam adoptio & tribunatus P. Clodij irritus fuiſſe iudicandus eſt, cùm eodem die de cœlo ſeruatũ ſit nec in illa traductione auſpiciorũ religio ſeruata ſit.

Legem Æliam. Vt quo die de cœlo ſeruatum eſſet agere cum populo non liceret.

E *Legem Fuſiam.* Ne omnib. faſtis diebus legem ferri liceret. nam Clodius legem tulerat contrariam vt omnes dies faſti comitiales eſſent. cùm antea comitialibus omnib. legem ferri liceret, non omnes autem faſti vtique comitiales eſſent. Qui autem dies faſti ſint & nefaſti, vide in comm. verb. iur.

Obnunciari. Magiſtratus qui de cœlo ſeruabat obnunciare poterat: Augur ſolam ſpectationẽ, ius obnunciandi non habebat. qua de re in obſeruat. noſtris cap de Augur. & auſp.

F *Intercedi.* Ab aliquo tribuno pl. Duo legitima impedimenta genera coniunxit, Obnunciationem & Interceſſionem.

Cenſorum iudicium. Clodius legem tulerat, ne quis ab vno cenſorum iure damnari poſſet. Vtriuſq; notionem & iudicium requirebat. Cic. in Piſ. ab eodẽ homine vetus illa magiſtra pudoris & modeſtiæ cẽſoria ſeueritas ſublata eſt. quo loco videndus Aſco.

Leges ſacratas. Cic. pro Corn. Tanta igitur in illis virtus fuit, vt anno xvi. poſt reges exactos propter

G nimiã dominationem potentium ſecederent, leges ſacratas ipſi ſibi reſtituerent (lego *Inſtituerent*) duos tribunos crearent, montẽ illũ trans Anienem qui hodie mons ſacer nominatur, in quo armati cõſederãt æternæ memoriæ cauſſa cõſecrarẽt. Itaq; auſpicato poſtero an. x. tribuni pl. comitiis curiatis creati ſunt.

Contra auſpicia. Cùm lex à Cæſare in curiatis comitiis ferebatur, vt P. Clodio trãſire ad plebẽ liceret

eo die

eo die Lentulus de cœlo ſeruarat.

Texerunt. Nam cùm Milo P. Clodium accuſaturus eſſet, complures primarij ſenatores obſtiterunt.

Aut in rebus. Placet Lambini iudicium, vt particula *aut* hoc ex loco tollatur. Res autem bonas modò ſignificat acta Cæſaris, hoc ſenſu: Si negligunt legum ſeueritatem in actis Clodij, negligamus etiam in actis Cæſaris.

Auſpiciorum ratio ſit eadem. Duas res notat auſpicia & leges. In auſpiciis negligendis par Clodij &

A Cæſaris ratio fuit. in legibus autem diſſimilis. nam illius leges ſunt euerſæ & perditæ ciuitatis: huius verò etiam ab inimicis comprobatæ ſunt.

Si dignitas. Si in dubium vocaretur vtrum dignus an indignus ſit Cæſar qui tantam prouinciam & tantis finib. obtineat, non feram illius dignitatem imminui.

Si honos. Si quæratur an etiam honorib. nouis ſit augendus, proſpiciam ne huic ordini infenſus ab eo alienetur.

IN L. CALPVRNIVM PISONEM, ORATIO XXXVII.

ARGVMENTVM.

H ABITA *ſuperiore oratione, L. Piſo ex S.C. de prouincia reuocatus eſt, Pompeio II. & Craſſo II. Coss. Reuerſus grauiter queſtus eſt in ſenatu de Cicerone, & in eum acriter inuectus. Ei ſtatim Cicero hac oratione reſpondit. nam illis Coss. habitam, præter id quod Pædianus profert, argumento eſt etiam quod extrema ferè oratione ſcribitur legem iudiciariam promulgari, quam eſſe legẽ Pompeiam ab ipſo ſecundo hoc ſuo conſulatu latam, ſatis conſtat.*

COMMENTARIVS.

Syrum. Seruis nomina ex natione imponebant, vt Lydo & Syro: inquit Strabo lib. VII. & Donat. in Terent.

Nouiciorum. Poſt red. in ſen. Cappadocem modò abreptum de grege venalium.

Periculum Conſilij. Ex hoc loco putaui in ea poſt red. in ſen. legendum, Non conſulendi ſtudium, non diſcendi initia rei militaris.

Omnes .n. honores. Omnes cunctis ſuffragiis adepti ſumus, noſtro quidem animo: inquit, Offi. II.

Ædilem prætorem. E duobus curulibus.

Cunctis ſuffragiis. Initio Manilianæ, cunctis centuriis. quod verius eſt.

Cum hac me. Puto corrigendũ, Qui cum hoc me.

Niſi nequior. Significare videtur, cum in hæc verba ſponſionem feciſſe.

Tabella quàm voce. Omnes ſuam ſententiam præ ſe ferebant.

XL. annis. Dio, XXXVI. ſed Pædianus ſatiſfacit.

Melioribus auctoribus. C. Cæſari qui poſtea diuiſit.

Adoleſcentes. Significat proſcriptorum liberos. L. Sulla eos lege lata petendorum honorum poteſtate priuarat. Cùm nihilominus petere vellent, Cicero contra eos orationem habuit. de qua Plinius lib. VII. Te orante Cicero proſcriptorum liberos honores petere puduit. Et Quinctil. lib. XI. ex ea hæc profert. Quid enim crudelius quàm homines honeſtis parentibus ac maiorib. natos à rep. ſubmoueri.

Senatus auctoritate. Nam prouinciarum ornamẽta in ſenatus erant poteſtate.

A *Cum Antonio communicaui.* Videtur legendum, *Commutaui.* Macedoniam. n. ſortitus fuerat, quam cum Gallia, quæ Antonio obuenerat, commutauit: vt Dio ſcribit. Salluſtius autem: Collegam, inquit, ſuum Antonium pactione prouinciæ perpulerat, ne contra remp. diſſentiret. Plutarchus autem obſcurè rem ita narrat. καὶ τοῦτο πρῶτον θεραπεύων ὁ Κικέρων, ἐκείνῳ μὲν ἐψηφίσατο τῶν ἐπαρχιῶν Μακεδονίαν, αὐτῷ δὲ τὴν γαλατίαν διδομένην, παρῃτήσατο. Vt primo quoque tempore huic malo

B mederetur, illi quidem Macedoniam è duabus prouinciis conſularib. decreuit: (hoc excuſari non poteſt) deſponſam autem ſibi Galliam recuſauit & in concione depoſuit.

Tempora reip. ferre. Vid. epiſt. II. libro Fam. V. Meæ enim, inquit, rationes ita tribuerunt. atque eius mei conſilij maiorem in dies ſingulos fructum voluptatémque capio. Illud dico, me vt primum in concione prouinciam depoſuerim, ſtatim quem-

C admodum eam tibi traderem cogitare cœpiſſe. Plutarchus cauſſam exponit, quòd Antonius propter æris alieni magnitudinem Catilinariis conſiliis implicabatur.

Iuſſi. Non pro imperio conſulari, ſed auctoritatẽ S.C. extremæ neceſſitatis.

Extremo menſe. Non Decemb. de quib. dixi in orat. poſt red.

Q. Catulus. Sic & in Sextiana, & in ea poſt red. Plutarchus autem & Appianus Catonem nomi-

D nant.

Tribuno pl. Q. Metello. Vide epiſt. II. lib. Famil. V.

A *Iuraui*. Plut. ſcribit, cum Cicero concionem habiturus eſſet, Metellum & Beſtiam tribunos pl. obſtitiſſe, & pro roſtris ſubſellia collocaſſe ne conſcēderet, neq; aliud ei permiſiſſe quàm vt ex inferiore loco magiſtratum eiuraret. Ciceronem autem non vſitatum ſed nouum iuſiurandum iuraſſe.

L. Metellum. Q. Martium Coſſ. Nouem ab hinc annis. Olim legebatur Lucellium, vt fortaſſe L. Cæcilium legendum ſit.

Magnos ludos. Legendùm eſſe *Magiſtros* ſcripſi olim in Aſconio meo.

B *Quidam tribunus pl.* L. Mummius.

Priuatus. Conſul tamen deſignatus.

Incidiſſent. Aſconius, *Incidiſſet.* quod probo, cùm vnus tantum dies eorum ludorum eſſet Adr. Turnebus vir ſummus reponit ex aliquo lib. IN III. KAL. non rectè. nullam enim tum ciuiſmodi poteſtatem Piſo habebat. Itaque modò Q. Metellum deſignatum conſulem Piſoni iam conſuli & imperium obtinenti & poteſtatem in Sex. Clodium habenti oppoſuit.

C *Cum illo coniuraſſes Coniunxiſſes*, corrige vt aliis in libris omnibus.

A ſenatu deſperaſſe. Non fuit in poteſtate ſenatus ei prouinciam denegare: nam legib. populi Roma. conſulibus deſignatis decernendæ erant prouinciæ. Puto igitur hoc potius ad ornamenta prouinciarum pertinere: veluti ad exercitum & pecuniam. Sic ſupra: Ego prouinciā Galliam ſenatus auctoritate, exercitu & pecunia inſtructam & ornatam &c.

D *Gurguſtio.* Genus habitationis anguſtum, à gurguſtione dictum, vt Feſtus.

Quinta ferè hora. Cùm ſub meridiem nondum pridianam crapulam exhalaſſet.

Sic æquatum præbebas conſulatum tuum. Vtrum æquatum dixit, quod conſulare imperium tribuniciæ poteſtati æquaret, id eſt maius & grauius eſſe non ſineret, qua in re imminuti magiſtratus tenebatur: an potius quod ſuum magiſtratum ei tanquam viam planam & æquatam ad omnia ſua conſilia perficienda præberet? quod magis puto.

E *Relatio illa* Cùm ad ſenatum conſul de cauſſa Catilinaria retulit.

His ſtantibus. Non parietes ſignificat, ſed patres conſcriptos. q. d. quamdiu tales conſules & ſenatores quales iſti ſunt, permanebūt. Sic mox. Me ſtante & manente.

Praſtaret, Videtur dictum, pro optaret, aut præoptaret. In orat. de prouinciis conſ. locum huius non abſimilem, notaſſe memini.

F *Inter mortuis Catilinæ reliquiis.* Videtur nunc ſignificare, ſemimortuis. cùm alibi particula INTER augendi vim habeat. Vt interbibere pro ebibere. Fuſas autem ac ſuperatas Catilinæ copias Petreij pugna, nemo ignorat. Hæc eadem in Sextiana.

Saltatrice tonſa. A. Gabinium ſignificat, quem infra quoque ſaltatorem appellat.

Aduocato aut adſtipulatore. Aduocatum modò teſtem dicit. Adſtipulator autem dicebatur

G adſtipulandi correus: hoc eſt, qui cautionis cauſa adhibebatur, vt idem quod alter ſtipularetur. Vide in comment. de verb. iur.

Buſtuario gladiatore. P. Clodio certum eſt gladiatores in buſto & funeribus dari ſolitos.

Putida carnis. Putridæ, vt in aliis.

Eiecto cadauere. Puto de iis accipiendum quæ fluctib. eiiciebantur, vt in ea pro Sex. Roſcio.

In hoc animali. Turnebus ex Iſidoro *Maiali.* Repoſuit, quaſi ſue caſtrato. Satis confidenter. nam vt Ciceronis conſuetudinem omittam, quæ ab iſto dicendi genere aliena eſt, quàm aptè, quæſo, cùm caſtrati mentione congruunt quæ tam ſæpè & tam acriter de ipſius ſcortationibus dicuntur; vt cùm in ea de prouinc. conſul. narratur virgines nobiliſſimas ſe in puteos abieciſſe & morte voluntaria nefariam illius turpitudinem depuliſſe. Sic autem in Sextiana ſæpè Animalis verbo eſt vſus, cùm de Piſone loqueretur.

Barbato Epicuro. L. Piſone Epicureo, vt poſt. docebit.

Catilina laternario. A. Gabinio, comite nocturno Catilinæ ad ſtupra eunti. Sic Catil. I. Cui tu adoleſcētulo, quem corruptelarum illecebris irretiſſes, non aut ad audaciam ferrū, aut ad libidinem facem prætuliſti? Alibi Gabinij virum Catilinam appellauit. Videtúrque hoc quoque loco eandem obſcœnitatem ſignificare. quid igitur ſi Gabinium dici putemus, puerum Catilinæ laternarium, quod vt heri pueros qui laternas geſtant à tergo ſequuntur, ſic Catilina Gabinio adoleſcenti quaſi laternario perpetuo à tergo adfixus eſſet. Turnebus ex manuſcripto, vt ait, libro, *lauturniarum* repoſuit. quod cuiuſmodi ſit, diuinare non poſſum.

Contaminatum ſpiritum. Fortaſſè obſcœnitatem quoque turpiſſimæ libinis ſignificat.

Funeſtum animal. P. Clodium.

Arbitria funeris. Dixi in ea poſt red. in ſen.

Campanum Conſulem. C. Cæſar cùm in ſuo conſulatu coloniam Capuam deduxiſſet. duumviros ei L. Piſonem ſocerum & Cn. Pompeium generum præfecit. vnde illud in Sextiana: Capillo ita horrido vt Capua, in qua ipſe tum imaginis formandæ cauſſa duumviratum gerebat, Seplaſiam ſublaturus videbatur. Inuidioſè igitur Campanum conſulem dixit, pro Duumvirum: quaſi Piſo Duumviri nomen dedignaretur, Conſulis adrogaret. Superioribus autem temporibus Prætores appellabantur: vt noſter in Rulliana II. teſtatur. Senſus ergo eſt, vt primum te Seplaſia Duumvirum adſpexit, repudiauit aſpernatáque eſt, quaſi honore illo indignum. Prætexta autem vſos in coloniis ſummos magiſtratus conſtat ex Liu. lib. XXXIV.

Decios Magios. De hiſce omnibus vide Valer. lib. V. cap. VI. & Plin. lib. XXII. cap. V.

Citius agnouiſſent. Lubentius vidiſſent.

Fluentes bucca. Propter obſcœnitatem.

Inaurata ſtatua. Hac de re Plutarchus in Cicer.

Experrecta tandem. Nam Pompeius diu muginatus erat.

Fracti faſces. Dio quoque Gabinij faſces fractos ſcribit. & idem in ea poſt red. ad quir. ſignificatur.

Diprehenſus. In Milon. planius, & in eam Aſconius.

Senatus auctoritate. Hoc ad Cicer. pertinet. cætera, ad Pompeium. puto non minus vno verſu intercidiſſe.

Fœdere obſtricti. Fœdus pro priuata pactione multis locis quibus hac de re loquitur, vſurpat. Paulo poſterius tamen pactione obſtrictos dicet.

Legi impediri. Sic in ea poſt red. Homines modeſti lege ſe impediri dicebant.

Integri capitis. Verbum è iure ſumtum. nam caput integrū modò dicit quod deminutū non eſt.

Omini-

Ominibus bonis. Alibi dictum eſt moris fuiſſe, vt qui paludati in prouincias cum imperio proficiſcebantur, eos populus frequens fauſta omnia illis imprecans, ad portam vſque proſequeretur.

Loco pones, quæ meus diſceſſus. Sic continuato ſpiritu legendum eſt, vt ordo ſit: Cætera illa vulnera quæ meus diſceſſus &c. Sũt enim illa omnia reipub. quidem vulnera, quæ diſceſſus Ciceronis impoſuit; ſed agente & feriente Conſule Piſone.

Vnum Pratorem. Appium Clodium, P. fratrem.

De lapide emtos. Præcones in lapide ſtantes auctionem prædicabant. Tribunos Aſconius nominat. Cicero autem ſæpè in Sextiana & in vtraque poſt red.

Ex hara. Locum hunc Nonius profert, vbi haram porcorum ſtabulum interpretatur.

Populi liberi. Obſcurus locus. populi liberi erant liberi.

Hic Vulturius. Direptor, depopulator. Sic in Sext. Eſſerunt malis ominibus duo Vulturij paludati.

Munitio Theſſalonica. Theſſalonicenſes poſiti in gremio imperij noſtri, relinquere oppidum & arcem munire coacti ſunt: inquit noſter in ea de prouin. conſ. vnde ſuſpicari liceret, ARCIS vocem hoc loco deeſſe.

Obſeſſio militaris via. Obſeſſam nunc dixit, cùm ibid. barbarorum excurſionibus infeſtam & caſtris Thraciis notatam dixiſſet.

In præſepibus. Præſepia, inquit Nonius, omnia loca clauſa & recondita. Varro de repub. I. Is habebat culinam ruſticam, vnam præſepiam latam, cellam vinariam. Olim de hac ſcriptura diffidens, ſuſpicabar legendum *Paropſidibus.*

Phalaridis tauro. Hæc eadem Tuſcul. diſput. II.

M. Regulus. Hæc nota ſunt ex lib. Off. III.

Non cognoſcere homines. Eſſe homines qui eius rei rationem legibus maieſtatis poſſint repoſcere.

Cruentare. Putas furere, eſſe cruentare ſuum corpus? maior eſt furor in ſuam famam & ſalutem, quàm in ſuum corpus ſæuire.

Familiam dimiſiſſes. Familiæ nomine ſerui intelliguntur. partem ergò pro toto poſuit. ſi omnes hos ſeruos manumiſiſſes: pro, ſi bona tua omnia dilapidaſſes.

Conſtringendum. Elatoriè, pro Bonis tibi à prætore interdicendum, ad agnatos & gentiles deducendum, curatorem tibi creandum.

Partim eius præda. Rara & notanda locutio: pro cùm eam prædam deuoraſſent, partim profundæ libidines, partim &c. Sæpè alibi *partim* cum genitiuo coniungitur. vt Off. II. horum ipſorum partim eiuſmodi ſunt, partim &c. Sed nuſquam ſimilem iſtius locutionem animaduertiſſe me recordor.

Vbi omnia diripuit. Puto deeſſe negationem: vt ſit, Vbi non omnia diripuit. Alioqui quorſum vox *Emtiones* pertineret?

Permutationes. Permutationes pecuniarum dicuntur, cùm pecunias quæ certo in loco adnumerantur alio loco curari volumus. Vulgus Cambium iſtud appellat. qua de re in Diction. noſtro feudali.

Tuſculanum montem. Excelſam ædificationem.

Numen deorum. Quia Sybillini libri vetabant Ptolemæum regem reſtitui. Orat. pro Rabir. poſt. & Fam. lib. I.

P. Lentulus. Conſul huius anni.

Pracidit. Veritus pœnas legum maieſtatis & de pecuniis repetundis.

A *Brachata.* Sic dicta eſt Gallia, quòd brachis vteretur, quas nos Brayes appellamus, Germani Brach vel Broch. Gallorum autem nomine Germanos plerumque veteres comprehendebant.

Ferente ſuffragium libero Oratoriè, cùm paucos dicat legi curiatæ ferendæ interfuiſſe.

Manuprecium. Per contemtum, vt hominis mercenarij auctoramentum.

Redderetur. Fortaſſè, *Traderetur.* niſi ad mercedis & manuprecij rationem ſpectarit, quod operis præ-
B ſtitis quaſi redditur.

Orbabas Italiam iuuentute. De prouinc. conſ. Exercitus ille noſter ſuperbiſſimo delectu & duriſſima conquiſitione collectus.

Craſſè. Dicit M. Craſſum, qui bellum Spartacum confecit. Qua de cauſſa Plutarch. ſcribit, ei permiſſum vt ouans vrbem iniret: quaſi indignum eſſet de ſeruis ſubactis triumphare. Agell. lib. V. Myrteam coronam M. Craſſus, cùm bello fugitiuorum confecto, ouans iniret, inſolenter adſper-
C natus eſt. S. C. faciendum per gratiam curauit, vt lauro non myrto coronaretur. Plin. lib. XV. Myrtea ouantium fuit corona, excepto M. Craſſo, qui de fugitiuis & Spartaco laurea coronatus inceſſit.

Tot dierum. Quindecim: vt diximus ad eam de prouinc. conſ.

Malè veſtitis. Sic in lib. de fato: Viator benè veſtitus cauſſa graſſatori fuiſſe dicitur, cur ab eo ſpoliaretur.

In campo Martio. Qui tum extra vrbem erat.

D *Litteras profuiſſe.* Nam pro argento litteras reddidi.

L. Craſſus. De hoc Craſſo & Cotta Pædianus.

Themiſta ſapientior. Patet non vnum aut alterum verbum deeſſe, ſed fortaſſe verſum vnum. Themiſta autem mulier philoſophiæ ſtudio nobilis. Lactant. de falſ. ſap. III. cap. XXV. Denique nullas vnquam mulieres philoſophari docuerunt, præter vnam ex omni memoria Themiſtam; neque ſeruos præter vnum Phædonem. Hieronymus in prol. cõ-
E ment. in Sophon. prophetam: Plato inducit Aſpaſiam diſputantem: Sappho cum Pindaro ſcribitur: & Alcæo Themiſta inter ſapientiſſimos Græciæ philoſophatur.

L. Ælius. Cognomento Lamia, de quo in Sext.

In cuius infamiam. Culpam legis Clodiæ contulit in plebem. Plebiſcitum enim appellauit.

Veſtra ſchola. Diſciplina Epicurea, quæ dedecus pro nihilo haberi ſuadet.

Cum amoribus. Vt pares cum paribus: quod eſt in
F veteri prouerbio.

Luxuriam. Luxa membra, inquit Feſtus, è ſuis locis mota & ſoluta. à quo luxurioſus in re familiari ſolutus.

Conchyliis aut piſcibus. Quibus delicatiſſimæ menſæ inſtruuntur. Plin. Athenæus.

Eodem de ſolio. Turnebus ex antiquo libro: Bibitur vſque dum de ſolio miniſtretur. Solium autem in quo lauabatur. Liu. lib. XLIIII. Lauanti Regi dicitur, nunciatum hoſtes adeſſe. quo nuncio cùm pa-
G uidus exſiluiſſet è ſolio, victum ſe ſine prœlio clamitans proripuit.

Tabulas obſignare. Vt in teſtationibus quæ ob alicuius dictum fiunt. Notarat illud Philodemi dictum, voluptatem ſummum eſſe bonum. mordicus illud retinebat.

Diſertum decernere. Eodem modo dixit, vt Præ-

tores dicuntur decernere ingenuum, ſeruum, aut filium.

Ad iſtum de iſto. Cùm iſti ſuos libellos in quibus de iſtius vita ſcribebat, inſeriberet.

Mihi penè turpis. Nam pulchrum eſt laudari, ſed à laudato viro.

Elogio. Et elogia & tituli ſepulcrorum inſcriptiones dicebantur.

Vindicarit. Coniurationem vindicarit, ei aqua & igni interdici.

Summum imperatorem. Cn. Pompeium.

Laurea lingua. Rectè ſic: cùm in aliis LAVDI ſit ſcriptum.

Cruentis faſcibus. Sanguine ciuium R. & ſociorum innocentium.

In hominis. Particula SED aut ſubaudienda aut addenda. vt ſit, ſed in cuiuſmodi hominis caput.

Complecteris viros. Adiungis, vt videantur fuiſſe participes.

Qui plus poſſent. Pompeium & Cæſarem ſignificat.

Criminationes. Cùm me ad illum deferebatis quaſi vitæ ipſius inſidias poſuiſſem.

In Albanum. Fundum Cn. Pompeij. Plut. ſcribit eum data opera eò receſſiſſe & cùm ad eum Cicero veniſſet per poſticum ſe ſubduxiſſe.

Eadem ſenſiſſe. Cenſuerat enim coniuratos non vltimo ſupplicio adficiendos.

Honorum ſocios. Cùm mihi quinqueviratum agro Campano diuidendo detulit. vide quæ hac de re in Orat. de prouinc. adſcripſi.

Sententiam præſtaret. Id eſt, nunquam ſuo loco deeſſet, paratum ſe ſemper ad ſententiam liberè dicendam præſtaret.

Alter ſibi amicior. C. Cæſar, qui, vt modò dixit, ſuam ſalutem antepoſuit meæ. Sic in Sextiana: Suáque ſibi propiora pericula quàm mea, loquebantur.

Præterita facta refricatis. Mendoſus ſine dubio locus: & in quo vox: *Vulnera* deſideratur. ſed ſine ope vetuſti codicis nihil remedij.

Tibi nomen non deferrem. Cur tuum nomen non deferrem, cur te reum non facerem? Significabat Ciceronem à deferendo Piſonis nomine, metu Cæſaris generi deterritum fuiſſe.

Nunquam iſtam. Verſus Accij, vt Pædianus auctor eſt: ad quem adludit quoque in ea poſt reditum, vt ibi notaui.

Sollicitudinis atque oneris. Cùm antea dixerit coniunctionem meam & Cæſaris, videtur ſignificare Cæſarem non alienum ab illa accuſatione futurum. quam coniecturam vox ONERIS adauget. verbum tamen ſollicitudinis ad curam de ſocero accuſato potius pertinere videtur.

Languet iuuentus. Ad iuuenes enim accuſandi onera transferebantur: vt in I. & II. Verr. docuimus.

Conſularibus ſpoliis nudare. Per iudicium repetundarum opima ſpolia quæ ex conſulari imperio detraxit, eripere.

Beneficio. Prouincia, quam tibi P. Clodius, à quo miſſus es beneficij loco tradidit.

Inueſtigatas. Ad comparandam & inſtruendam accuſationem.

Fide tua. Cùm incolumem eum domum reuerſurum ſpopondiſſes.

More maiorum. Mos maiorum fuit, vt damnati virgis ad necem cæderentur, ad extremum eo-

A rum ceruix ſecuri abſcinderetur. Liuius, alij.

Eduxeras Propriè vſurpatur de iis qui in prouincias educuntur.

Regi Cotto. Beſſorum regi.

Denſeletis. Qui cùm initio pacem grandi pecunia emiſſent, poſtea bello laceſſiti acerrimè ſeſe vlti ſunt. de prouinc. conſul.

Arripuerunt. Puto legendum, *Abripuerunt.* & *Familias* magis placet quam vt in Turnebi libro, *Matreſa.* Familias enim cum pecoribus coniungit.

B *Iouis Velſuri.* Iupiter Velſurius quis, nondum legi quod ſciam. De Vrio dixi in Verrin. ſed nihil ad iſtum.

Vaſarij nomine. Apparet ſic appellari ſolita, quæ magiſtratibus in prouinciam ituris ad eorum vſus domeſticos ex ærario adtribuebantur. Galli dicunt, *L'emmeublement*, vbi de legatis agitur. Cicero Verr. VI. paulo poſt initium, & nos ex Athenæo, Zonara, Lampridio quædam in eum locum notauimus.

C *In venditione mei capitis.* Cùm pactionem vnà cum Clodio feciſti, vt ſi tua cum illo conſilia ad meam perniciem coniunxiſſes, tantum tibi ex ærario in ſumtum exercitus adtribuerent.

In quæſtu. In fœnore. Idem quoque Verri obiecit.

Fuſidium. Turnebus Fuſidium. rectè. hæc enim Ro. familia eſt. Q. Fuſidium tribunum militum ſecum habuit Cicero in Cilicia.

Addixiſti. Oratoriè, cùm debitores damnati creditoribus addicerentur nexi, dicit contrà creditorem debitoribus addictum, quia milites ad eius
D domum, ad hyberna miſſi ſunt.

Honorarij. De hoc nuſquam in Verrinis fit mentio. patet autem prouinciales gratis dediſſe Prætoribus in cellam.

Redemtiones. Cùm ſe pecunia à calumniis redimerent.

Pellium nomine. Turnebus admonuit, ad tentoria & papiliones hoc pertinere. non enim conquiſitas pelles ad arma facienda ſignificat, ſed potius ad of-
E ficinam tegendam in qua arma fierent. Seruius tamen in illud Georg. Vſum in caſtrorum & miſeris velamina nautis: In vſum, inquit, caſtrorum ideo dixit, & quia de ciliciis poliuntur loricæ, & teguntur tabulata turrium. De pellibus autem vide quid notaui in Cæſar. comment. & in ſup. orat. ad vocem Sub pellibus.

Vectigalem prouinciam. Cùm eſſet libera & immunis, eam vectigalem feciſti.

Seruis tuis. Quos quaſi publicanos habebas in
F prouincia. Cicer. Verr. V. Hæc æquitas in tuo imperio fuit, vt ſeruos Venerios Siculorum dominos eſſe velles; vt aratores in ſeruorum numero eſſent, ſerui in publicanorum. Putaui aliquando legendum, *Seruis tuis publicis*, quos ſcilicet in portubus ad exigenda portoria collocabat. vt cùm in ead. Verr. dixit, Cur hoc auctore non Romæ ſerui publici ad vectigalia accedant.

Centuriatus vendito. Puto me aliquid dixiſſe in Epiſtolam ad Q. fratr.

G *Menſis propoſitis.* Menſis argentariorum, quos ciuitates publicè in foris & locis publicis collocabant vt militibus ſtipendium adnumerarent.

Prætoria nunciata. Cùm tibi nunciatum eſt, Macedoniam quam proconſulari imperio tenebas, prætoriam eſſe factam: vt ſtatim Prætores anni illius in eam proficiſcerentur. Eò pertinebat ſup. oratio

ratio de prouinc.conſul.patétque hoc ex loco de ſo- A
lo Piſone eam ſententiam obtinuiſſe.

Quæſtor. Reieciſti quæſtorem qui ædilis fuerat: prætuliſti ei vnum ex legatis tuis omnium turpiſſimum: & eum tibi quæſtorem eſſe quàm illum ædilitium maluiſti. Etſi autem ſorte quæſtores obueniebant, tamen ſi grati proconſulibus non eſſent, reiici facilè poterant.

Ad beſtias. Significat miſſos qui cum beſtiis pugnarent, in iis ludis quos P. Clodij amici ac ſocij populo præberent. Beſtiæ ſanè Romam ad amicos B
& eorum ludos mittebantur. ſed hoc criminis loco non poſuiſſet.

Samothracium, idem Tharſum. Rectè in libro Turnebi, *Thaſum*. Dionyſius: αἰσυγίντι θιάσος δημήτερος ἁγνὸν. ἵμβροι, θρηίκη τε σάμος, κορυβάντιον ἄστυ.

Aurum coronarium. Dixi in comm.verb.iur.

Vtinachorum. Turnebi liber: vt in Achæorum centum talentis. Ceteroqui locus eſt αἰνιγματώδης, vt Oedipo opus ſit, non Dauo.

Vocabula. Non enim aurum coronarium, ſed a- C
lio nomine appellabas.

Diplomata. Dixi in comm.verb.iur.

Totæ in prouincia. Conſuetudo Ciceronis interiectionem repudiat, vt ſit, Tota prouincia.

Arſinoam, Thracum, Neopactum. Turneb. liber antiquus, *Stratum, Naupactum*, quarum vtramque Strabo lib. x. in Acarnania collocat. ſed de Arſinoa nihil reperio.

Aggrinarum atque Dolopum. Idem, *Agrianum*. Agræos Strabo eodem loco in Ætolia numerat; D
Dolopes autem in Acarnania.

Crepidatus. Hac de re dixi in orat. pro Poſtum.

Me hortere. Ad tuum nomen deferendum.

Lege iudiciaria. Vide Pædianum.

Non æquè. Turnebus dicit ſibi videri, *Non enim*, fore commodius. Sed nunc ſignificat, Non promiſcuè, vt vulgus loquitur, indifferenter.

Coniicientur in ordinem. Quia ex ampliſſimo cenſu deligentur.

Ad ſimulationem coniicietur. Tranſlatum ab eo more, quo lecti per gratiam aut probitatis ſimulationem iudices coniiciebantur in numerum, id eſt decuriabantur. Studium ambitioſorum hominum per gratiam & amicorum copiam non efficiet vt in decurias ſcribantur. Improborum hominum iniquitas nihil per ſimulationem, id eſt adumbratam pietatem valebit. Ceterum bis peccat qui prætextu pietatis peccat.

Neminem inuitum. Putarem legendum *Inuitum*, nam præter adoleſcentes quos facilius erat eludere, alij inuitiſſimi ad accuſandum adducebantur: vt in Diuin at. dictum eſt.

Dehortabitur. Fortaſſè reipub. tempora diſſuadebunt.

P. Rutilio. Ruffo. de quo Valer. & Cic. pro Poſt. & paſſim.

Emiſſus. Abſolutus tranſlatum ab iis qui è carceribus emittuntur.

Quinque & ſeptuaginta. Patet lege Pompeia iudiciaria cautum fuiſſe, vt quinque & ſeptuaginta iudices cauſſam cognoſcerent, & tabella ſententiam ferrent.

Diribeantur. Diribendi ergò verbum non tantum in Comitiis, ſed etiam in iudiciis vſurpabatur.

Sententiam tuliſſe. Turnebus ait ſe in manuſcripto ita legiſſe: Tum tu ipſe de te, Feciſſe videri, pronunciaſti. quod mihi mirandum in modum arridet. alioquin ſenſus hic nullus eſt.

Vbi exercitus. Id eſt, quamobrem exercitum retinuiſti, tot tumultus de ærario feciſti?

Non euentis. Præclara ſententia, quam in ea pro Poſt. planius exponit.

Semper ſordidum. Semper in ſordibus, lamentis & luctu iacentem, quàm obſoletis veſtibus, dum reus erit, amictum.

PRO T. ANNIO MILONE.

ORATIO XXXVIII.

ARGVMENTVM.

AGITVR in foro ad tribunal L. Domitij prætoris. Iudicium eſt extraordinarium. nam cùm eſſent leges, eſſent quæſtiones de cæde, vel de vi, quibus ſummi Prætores ſiue Quæſitores præerant, quibúſque reus poſtulari Milo poterat, Pompeius tamen Conſul creatus legem de vi promulgauit, quæ nominatim cædem in Appia via factam comprehendit. in qua id quoque ſcriptum erat, vt Quæſitor ſuffragio populi crearetur: creatúſq; eſt Cn. Domitius Ahenobarbus, apud quem Milonis cauſſa extra ordinem acta dicitur: quod non veteribus legibus apud ſummum Prætorem, ſed noua lege data opera perlata apud certum Prætorem, id eſt de induſtria creatum acta ſit. quæ quidem lex pœnam grauiorem & formam iudiciorum breuiorem damnato conſtituebat, quàm illa vetus & vſitata. quinetiam quas tabulas aliis legibus Quæſitores ipſi ſuis iudicibus dabant, eas non Domitius Quæſitor, ſed Pompeius COS. *diſtribuit. Itaque nouum iudicium Cicero illud appellat, & obſcurè Pompeij factum accuſans, Quantum, inquit, luctum fuiſſe in hac vrbe à noſtris patribus accepimus, cùm P. Africano domi ſuæ quieſcenti illa nocturna vis eſſet adlata? quis tum non inge-*

muit? quis non arſit dolore? num igitur vlla quæſtio de Africani morte lata eſt? certè nulla. quid ita? quia non alio facinore clari homines alio obſcuri necantur. Id eſt, qua lege pœna conſtituta eſt in eos qui cædem fecerint, ea lege quicumque vel clarum vel obſcurum hominem interfecerit, tenetur. neque noua lex, nouum iudicium, noua pœna extra ordinem ſtatuenda eſt. ſua enim vnicuique crimini ordinaria perpetuáque quæſtio lege conſtituta erat, vt ait idem in Bruto, perpetuæq; ob eam cauſſam quæſtiones dicebantur, quia forma iis per leges publicorum iudiciorum præſcripta atque conſtituta perpetuò ſeruabatur. nec quemadmodum antea fiebat, vt quodque crimen admittebatur, Quæſitor nouus nouáque iudicij forma conſtituebatur.

COMMENTARIVS.

A *Noua forma.* Nam Pompeius exercitum in foro & omnibus in templis quæ circum forum ſunt, collocarat.

Corona. Populi ſtantis, & circum iudicum ſubſellia coronam facientis.

Exitum. Conſuetudo Ciceronis, quam & alibi notauimus, vt eius cauſſæ quam ſuſcepit exitum ad vniuerſam Rempub. adſumet pertinere.

Heſterna concione. Pridiè quàm hæc oratio haberetur, Munatius Plancus tribunus pl. pro concione populum adhortatus eſt ne Milonem elabi pateretur. Aſcon. B

Quorum clamor. De hac populi conſuetudine alijs locis dictum eſt.

Contempſit. Cùm tribunus pl. eſſet, concionéſque de rep. pro roſtris haberet.

Ampliſſimorum ordinum. Hoc tempore lege Aurelia facti iudices numero quinque & ſeptuaginta ex tribus ordinibus, ſenatorio, equeſtri, & tribunis ærarij. Sederunt autem in hoc iudicio vnus & quinquaginta. C

Veſtræ quæſtionis. Quæſtio eſt iudicium publicum: quoniam in eo reus in iudicium vocatus, nocens ſit an innocens quæritur.

M. Hor. ty. Hic cum in duello Curiatios tres occidiſſet, ſororem lugentem mortem vnius cui deſpõſa erat, ſua manu interfecit. Nota hiſtoria ex Liu.

Nondum libera. Nondum exactis regibus.

Patris vlciſcendi. Oreſtes matrem Clytemneſtram occiderat, quæ patrem ipſius Agamemnonem necarat. Cùm in iudicium adductus eſſet, variatis iudicum ſententiis, deorum quæſtio conſtituta eſt. Eum Minerua abſoluendum iudicauit. Notiſſima vel fabula vel hiſtoria eſt. D

XII. tab. Verba legis hæc ſunt: Si nox furtiua faxit, & im aliquis occiſit, iure cæſus eſto. Fuit & aliud caput in hanc ſententiam: vt ſi qui luci furtum faceret, ſéque telo defenderet, domino cum clamore teſtificanti, eum occidere ius eſſet. Idem traditur in l. ſi pignori, 54. D. de furt. l. 9. D. ad leg. Corn. de ſicar. & vide quæ dixi in Fragment. XII. tab. E

Eſt enim hæc non ſcripta. Deſcriptio eſt iuris gentium: quod & ius naturale paſſim appellatur. nam vim atque iniuriam propulſare, vi vim defendere, iuris gentium eſſe dicitur in l. 3. D. de iuſt. & iur. l. 4. D. ad leg. Aquil. & noſ tit. 1. Epitom.

Eſſe cum telo. Fuit enim lex in XII. tab. Ne cui hominis occidendi cauſſa cum telo eſſe liceret. l. aut facta, 16. §. euentus, D. de pœn. l. 7. C. de ſicar. Itaque Romani ciues omnes cùm domi erant togati ac ſine telo eſſe cogebantur. Vnde illud ioculare Plauti: Ad tres viros iam ego deferã tuum nomẽ. F Quamobrem? quia cultrum habes. coquum decet.

A *Cauſſa non telum.* Lex non ſimpliciter vetat eſſe cum telo; ſed coniunctè, hominis occidendi cauſſa.

Huius ambuſti. Munatius Plancus & Pompeius Rufus tribuni pl. concionibus ſuis plebem in Milonem accenderunt. Itaq; orta ſeditione cùm Clodij corpus cremaretur, curia incenſa eſt: nec prius deſtiterunt quàm eius incendij flamma è concione fugati ſunt.

Officioſos labores. Suſceptos ad innocentium defenſionem.

B *Erant leges.* Dixi in argum. huius orat.

Incendium curiæ. Poſt biduum quàm Clodius occiſus eſt, interrex proditus eſt M. Æmilius Lepidus. Cùm factio aduerſaria poſtularet, vt ad comitia Conſulum creandorum deſcenderet, idq; ipſe non faceret, domum eius per omnes interregni dies (fuerunt autem ex more quinque) obſederunt: deinde omni vi expugnata & imagines maiorum deiecerunt, & lectulum vxoris eius Corneliæ fregerunt, itémque telas, quæ ex more veterum in atrio texe-

C bantur, diruerunt. Poſt ſuperuenit Milonis manus, cuius aduentus ſaluti fuit Lepido. in ſe enim ipſæ conuerſæ ſunt factiones inimicæ, atque ita oppugnatio domus interregis omiſſa eſt.

Diuiſa ſententia. Cùm aliquis in dicenda ſententia duas pluréſve res complexus eſſet, & ſi non omnes probarent, poſtulari ſolebat à quouis ſedente vt diuideret, id eſt vt de rebus ſingulis ſeparatim referret. qua de re Aſcon. Cic. ep. 11. lib. Fam. 1. & nos in libello de Senatuſconſultis. Pridie autẽ Kal.

D Mart. S.C. factum eſt, P. Clodij cædem & incendium curiæ & oppugnationem ædium M. Lepidi contra remp. factam.

Salutarem litteram. Vide litteram A. in Commen. verbi iur.

Populus conſultus. Vetus locutio, Conſulere populum, pro Rogare, in legibus ferendis, hac ſcilicet formula, velitis iubeatis Quirites.

In ſuis monimentis. Monimentum igitur eſt non tantum ſepulcrum, ſed quidquid monendi, id eſt

E memoriæ conſeruandæ cauſſa extructum eſt.

Exitus rerum non hominum conſilia. Notanda ſententia, cuius illa ſimilis: In maleficiis voluntas ſpectatur non exitus. l. diuus, 14. D. de ſicar. Itaque qui hominem vulnerarit vt occidat, pro homicida damnatur. l. 1. eod.

Infirmior fides reconciliata gratia. Apparet inimicitias inter Pompeium & Clodium fuiſſe: ſed eas reconciliatione gratiæ ſopitas.

Conſuetudines victus. Patet Familiares eos dici

F propriè inter quos victus conſuetudo intercedit.

Dictator Lanuuij Milo. Municipiorum magiſtratus interdum duo erant, ac tum Duumviri; interdum

vnus

vnus, ac tum ille interdum Prætor interdum Dicta- A tor dicebatur.

Quo facilius argumentis perſpicere. Fortaſſe corrigendum, SINE ARGVMENTSS. nam argumentis non perſpicitur, ſed conicitur.

Calceos & veſtimenta. Senatores calceis vtebantur auratis. Penula autem veſtimentum eſt itinerarium aut frigoris & pluuiæ: quo Alex. Imp. ſenatores aliter vti vetuit, vt ſcribit Lamprid.

Neque præſente domino. Præſens erat corpore, at non animo. Verum autem quis abſit an non atten- B dat; nihil intereſt.

Illud Caſſianum. L. Caſſius fuit ſummæ vir ſeueritatis quotiens quæſitor iudicij alicuius eſſet in quo quæreretur de homine occiſo, ſuadebat atque etiam præibat iudicibus, vt quærerent cui bono fuiſſet perire eum de cuius morte quæreretur.

Adſpexit me illis oculis. Hunc diximus corpus Clodij in curiam adtuliſſe, & ibi cremaſſe, eóque incenſo curiam conflagraſſe. Ideo lumen curiæ C dicit.

Coloniam nouam. Sunt qui *Collinam* ex V.C. reſtituant, & tribum Collinam intelligant. quod mihi perabſurdum videtur. nam quid argumenti aut rationis hoc habet, vt ciuis priuatus tribum remouet & nouos tribules conſcribat? Valere autem ad perditos ciues conciliandos ſpes deducendæ coloniæ & agri diuidendi.

Lege Plautia. De vi publica armatis hominibus in lata. Vide in Indice noſtro. D

Septa. In comitiis repagula quædam erant tum in campo tum in foro, quibus multitudo arcebatur. Suffragium autem laturi intromittebantur.

Diuina quadam ſors. Ex magno iudicum numero prior reus, tum accuſator reiiciebat quos ſibi iniquos eierabat. reliquorum nomina in vrnam conniciebantur: deinde ſortitio vſque ad legitimum numerum fiebat.

Mercenario tribunopl. Q. Pompeius, qui quo die P. Clodius occiſus eſt, turbulentam concionem ha- E buerat.

Interamna. Quo loco Clodius in operto bonæ deæ deprehenſus probauit corruptis teſtibus ſe fuiſſe. Pragmatici noſtri dicunt, *Il a prouué ſon alibi.*

A *Teſtamentum obſignaui.* Ad teſtamentum per æs & libram heres ſecretò tamen tabulis ſcriptus olim adhiberi poterat; non etiam familiæ emtor. §. ſed neque, Inſt. de teſtam. & nos ad illum §. Atque ita M. Tullius & P. Clodius à Cyro architecto heredes ſcripti eius teſtamentum iure ciuili factum obſignauerunt. rectè. at in eo quod per ſcripturam fit prætorio iure adhiberi non poteſt.

Niſi de inceſtu. Cic. in partit. Homines noſtri cùm de ſeruis in dominos quæri noluiſſent, de in- B ceſtu tamen & coniuratione quærendum putauerunt.

In arcas. In foſſas ſeparatas, quas Iuriſconſulti Malas manſiones appellant. Tormentorum autem ad exprimendam veritatem genera hæc fuerunt: Ignis, rota, flagella, equuleus, aculeus. l. 8. C. de malefic. item Fidiculæ. l. 4. D. ad leg. Iul. maieſt.

Penes accuſatorem. Teſtes quos accuſator de domo produxit interrogari non placet. l. 24. D. de te- C ſtib. hoc eſt, qui in accuſatoris poteſtate ſunt. l. 1. §. 1. l. 10. §. 2. D. de quæſtion.

Sp. Melium, Tib. Gracchum. Ex Liuio, Plutarcho, Cicer. hiſtoria hæc nota eſt.

Aedem nympharum. Pro Cœlio, & in Paradox. IV. Ædes nympharum manu tua deflagrarunt. In æde nympharum tabulæ publicæ adſeruabantur.

Latialis Iupiter. Lucanus.

Et reſidens celſa Latialis Iupiter Alba.

Hic humanis hoſtiis colebatur. Hæ fuerunt Latinæ D feriæ celebres.

Sine cantu. In funeribus cereæ nobilium imagines ferebantur: næuiæ ſiue cantus adhibebantur: ludi quoque gladiatorum: item lamenta mulierum genas dilacerantium. ſerui autem teſtamento manumiſſi partim funus pileati antecedebant, partim cadauer in lecto poſitum ventilabant. vide l. 1. C. de lat. lib. toll.

Prætorem circumſcripſiſſet. Vetus & notanda locutio. Circumſcribere aliquem eſt ab repub. remo- E uere & ei curia foróq; interdicere. qua de re in not. ad Cæſar.

In pugnis gladiatoriis. Dixi in Sextiana.

In me offendiſtis. Vetus locutio: pro A. me offendiſtis. Verr. III. Hoſpes veritus ne quid in ipſo ſe offenderit.

PRO C. RABIRIO POSTVMO.

ORATIO XXXIX.

ARGVMENTVM.

CUm Ptolemæus rex Aegypti, qui Auletes dictus eſt, regno eſſet ab Alexandrinis pulſus, ea re (vt ſcribit Dio.) quia & ab Aegyptiis tributa multa exigeret, & iis petentibus vt Cyprum à Romanis repeteret, aut eorum amicitiæ renunciaret, diu multumq; recuſaſſet, Romam profectus eſt: eóſque grauiter in Senatu accuſauit, ac tandem impetrauit, vt à COS. *P. Lentulo, qui Ciliciam tum proconſulari imperio adminiſtrabat, reduceretur. Quod ſimul atque Alexandrinis nunciatum eſt, legatos Romam miſerunt, cauſſam cur eum expuliſſent, Senatui dicturos. Hos verò Ptolemæus in itinere partim interficiendos curauit, partim etiam pecunia corrupit. De quo cùm accuſatus Ro-*

mæ fuiſſet, pecunia à C. Rabirio Poſtumo, publicano potenti inprimis & pernicioſo mutuo ſumta, Senatores corrupit, itáque iudicium effugit. Aliquanto poſt Iouis ſtatua, qua in Albano erat, de cælo tacta. conſulti Sibyllini libri ſunt, in quibus ſcriptum erat, Ne rex Aegypti cum multitudine reduceretur. Miratus populus eorum verſuum cum iis quæ acciderant, conſenſum, abrogauit ea quæ de regis reductione decreta erant. Atque hæc ferè Dio. Ptolemæus itaque in Syriam ad A. Gabinium, qui cum exercitu Imperator erat, profectus eſt, eumq́ tum precibus, tum decem millium talentum pollicitatione adduxit, vt ſe in regnum reduceret. Ibi aderant equites Romani nonnulli, qui eum cum equis proſecuti ſunt. In iis erat Poſtumus, ſperans fore, vt ſuam pecuniam rege reſtituto reciperet, quæ ſpes paulo poſt etiam multo magis aucta eſt, cùm rex Alexandria potitus, eum Dioecetem creauit, ſuæq́ pecuniæ curationem ei commiſit. At Rabirius cùm eo munere fungeretur, & pallio vſus eſt, quod Græcorum veſtimentum erat: quo facto ciuitatis Ro. ius imminuit, & pecuniam à Rege ad abſoluendum Gabinium imperatè coëgit: eiuſque partem ipſe pro ſoluto accepit. Reuerſus Romam Gabinius lege Iulia repetundarum accuſatus facilè condemnatus eſt. Sed quoniam nec prædes dedit, nec tantum ex eius bonis quanta ſumma litium æſtimatarum fuerat, redigi potuit, Rabirius legis Iuliæ ſecundo capite accuſatus eſt, quo caueatur, vt quod à Deo ſeruari non potuerat, id ab eo peteretur, ad quem pecunia peruenerat. Accuſationis capita ferè hæc fuerunt: Quòd pecuniam corrumpendi Senatus cauſſa credidiſſet, quòd Gabinio vt regem reduceret, perſuaſiſſet: quòd cum ipſo in equo Alexandriam profectus eſſet: quòd dioecetes ac præſertim palliatus fuiſſet, regique extero ſeruiiſſet: quòd partem peculatus accepiſſet.

COMMENTARIVS.

Pro c. Rabirio. C. Rabirius Poſtumus, patre natus C. Curio equeſtris ordinis, maximo publicano: adoptatus à C. Rabirio eiuſdem ordinis, auunculo ſuo, in familiam & nomen eius tranſiit. Verba ſunt Ciceronis Oratione extrema: Hem Poſtume, túne es Curij filius, C. Rabirij iudicio & voluntate filius, natura ſororis filius? Eū autem eſſe arbitror C. Rabirium huius auunculum, pro quo exſtat Ciceronis oratio, quæ pro C. Rabirio perduellionis reo inſcripta eſt, vt paulo poſt dicturi ſum*.

Poſtumo. Poſtumi dicuntur qui patre mortuo nati ſunt. Solebant hæc cognomina imponi interdum à fortuna, vt docet Plutarchus in vita Coriolani: ſiquidem Proculus ſimiliter dictus eſt, qui patre procul abſente natus eſt. Cicero initio narrationis: Hoc illo natus, quamuis patrem ſuum nunquam viderat, &c.

Si quis eſt. Cùm exordiorum genera duo ſint, Principium & Inſinuatio, vtitur eo Cicero, quod huic cauſſæ proprium eſt, cui & rei & perſonæ turpitudo offenſionem contraxerat: nimirum inſinuatione, quemadmodum notat Quintilianus lib. 4. cap. 1. Remouet igitur criminis memoriam & recordationem, quæ odioſum reddebat Rabirium: & ad rei probabilis cogitationem iudicum animos traducit. Commemorat enim Rabirij calamitatem & miſeriam, qui cùm regi Ptolemæo magnam auri vim credidiſſet, ab eo non modò fraudatus, ſed etiam vexatus egens ac nudus aufugerat. Idq; eo cōſilio facit, vt miſeratione mentes iudicum permoueat. Siquidem ſui finis propoſitus eſt Oratori, quemadmodum ex peroratione intelligi poteſt.

Poteſtati Regiæ. Ptolemæo Alexandrino regi, quod ex narratione perſpicuum erit.

Opes ſua fortuna. Facultates ſibi à fortuna ſua commiſſas. Et conſultò fortunam nominat, vt o- A pum & diuitiarum inſtabilitatem notet, ne quis temeritati & culpæ Rabirij patrimonij ſui iacturam adſcribat. Fateor tamen nunquam me vſque adhuc genus iſtud dicendi vſquam obſeruaſſe. Itaque fuit tempus, cùm mihi neſcio quid in mentem de gloſſemate veniret. ſed tantus veterum librorum conſenſus plus apud me quàm ſuſpicio vlla valuit.

Quanquam. Conſultò diſputat hoc loco Cicero, an iure vituperetur is, cuius benè & prudenter ſuſcepta conſilia fortuna eluſit. eò nimirum vt maio- B re miſericordia dignam Rabirij calamitatem eſſe oſtendat: ſiquidem non eius temeritate, aut inconſulta ratione contigit, ſed vi atque iniuria fortunæ: Non enim eorum ſolemus miſereri, qui ſua culpa & præcipiti ac cæco conſilio in calamitatem aliquam incurrerunt.

Conſilia euentu. Sæpè hanc eandem ſententiam commemorat Cicero aliis libris. Scribens ad Lentulum famil. epiſt. lib. 1. Sed hæc, ait, ſententia ſic & illi & nobis probabatur, vt ex euentu homines C de tuo conſilio exiſtimaturos videremus. ſi cecidiſſet vt volumus & optamus, omnes te & ſapienter & fortiter: ſin aliquid eſſet offenſum, eoſdem illos & cupidè & temerè feciſſe dicturos. Et paulò poſt, Redeóque ad illud, quod initio ſcripſi, totius facti tui iudicium, non tam ex conſilio tuo, quàm ex euentu homines eſſe facturos. Idem lib. ep. ad Att. 1x: Ne dùm hominum humilium, ſed etiam ampliſſimorum virorum conſilia ex euentu non ex voluntate à pleriſque probari ſolent. Eſt et- D iam ſimilis ſententia apud Polybium lib. Hiſtor. 11. Et vbertas orationis, conſilia euentis ponderare. De conſilio ex euentu exiſtimate, & iudicium facere, conſilia ex euentu non ex voluntate probare.

Vt iam nihil. Oſtendit quàm abſurdum ſit eorum hominum iudicium, qui de conſiliis ex euentu exiſti-

eſtimant. Si ſoli ſapientes ſunt, qui ea quæ euentura ſunt præſentiunt, neceſſe eſt ſolos diuinos & hariolos ſapientes eſſe, propterea quod ij ſoli futura præſagiunt.

Inanem ſpem. Sperabat autem Rabirius ſi regem pecunia mutua iuuiſſet, fore vt rex in regnum reſtitutus veterem illi debitam pecuniam perſolueret.

Illud tamen deprecor. Callida & occulta inſinuatio eſt: eò pertinens, vt iudices admoniti humanitatis ſatis habeant adflictum & calamitoſum Rabirium non erigere: ab accuſatoribus verò opprimi non patiatur. q. d. Satis miſeriarum habet, nihil eſt quod eum præterea Memmius perſequatur.

Ad eas ruinas. Tranſlatio ſumta ab iis qui caſu ruinoſæ domus obruti & oppreſſi iacent, quorum oneri incumbere & inſultare, hominum eſt fera & agreſti natura & planè barbara præditorum. Miſerorum fortunas inſectari, & aliorum incommodis illudere, multis aliis locis à Cicerone dicitur.

Satis eſt. Obſcurè notat Memmium inhumanitatis: eúmque ita conatur iudicibus odioſum reddere. Erigere lapſos, eſt recreare & excitare iacentes, itémque releuare & reſtituere.

Quod ſermone hominum. Notandus locus, in quo rationem exponit cur plerumque ſoleant poſteri maiorum virtutem imitari. Plato libro de legib. primo, ad diſciplinam & educationem id refert. Plutarchus in libro de nobilitate putat latentia quædam principia & ſemina virtutis in generatione cum liberis communicari, vt Homerus ſcribit de Telemacho, ὀτρύνανται μένος σῦ.

P. Decium. Hæc hiſtoria nota omnibus ex Val. Max. Liuio & aliis. Quid vltra (inquit filius patrem P. Decium nomine compellans) moror familiare fatum? datum hoc noſtro generi eſt, vt luendis periculis publicis piacula ſimus. itáque cum Pontifice verba præeunte ſeſe deuouiſſet, quà confertiſſimam cernebat Gallorum aciem concitat equum: inferénſque ſe ipſe infeſtis telis interfectus eſt. hæc ferè Liuius. Cicero præterea in ea pro Sextio; & in Paradox.

Inſtrumentum bonitati. Facultatem liberalitatis exercendæ. Pecuniam bonis & honeſtis rationibus quærebat, quam in liberalitatem & beneficentiam conferret.

Hoc ille natus. Initium narrationis: Etſi enim ſummam criminis, de quo iudicium eſt, non continet. qua de cauſſa quidam exiſtimant in defenſionem cauſſæ repetundarum & ambitus non incidere narrationem, tamen genera duo exiſtere narrationum Fabius libri quarti capite ſecundo teſtatur: vbi diſertè ſententiam illam repudiat, & ait aliud genus narrationum cauſſam exponere, aliud verò eas res quæ ad cauſſam ſpectant: vt in hac ipſa Ciceronis oratione, quam ille teſtem eo loco citat.

Quamuis patrem ſuum nunquam videras. Vnde Poſtumus appellatus eſt, vt antè dixi.

In paterna culpa ſimilitudinem. Quomodo CVLPÆ? cùm eodem modo paulo antè laudem appellarit, & animi magnitudinem in patre nominarit. Videndum igitur, an potius VITÆ legendum ſit: vt mox, cum magnitudine animi tum liberalitate vitam patris & conſuetudinem expreſſerat.

Multa geſſit, multa contraxit. Iuriſconſulti gerere & contrahere ſic diſtinguunt, vt illud ad ea pro-

A priè negotia pertinere dicant, quæ non verbis, ſed re conſtant. quo in numero mutuatio pecuniæ in publicanis præſertim principem facilè locum obtinet: hoc autem propriè ad ea vnde vltro citróque obligatio naſcitur: veluti emtionem & locationem.

Magnas partes hab. pub. Suſtinuit ea onera, quæ ſunt maxima publicanorum: obiit eas partes quas maximi publicani obire ſolent, quales ſunt qui ſocietatum magiſtri dicebantur.

B *Alexandrino.* Alexandria vrbs eſt Ægypti primaria, ab Alexandro condita, in qua Ægypti reges plurimum verſabantur.

Mittere in negotium. Ad obeunda ſocietatum negotia: ad deportandas pecunias, quæ à ſocietate credebantur; aut ad eas exigendas.

Fide ſuſtentas. Fidem pro illis interponit.

Pulſus intereà regno Ptolem. Verba ſunt Dionis libro 39. quæ nos de Græco expreſſimus: cùm Ptolemæus grandem pecuniam tum ſuam tum mutuò
C acceptam Romanis quibuſdam elargitus eſſet, vt regnum ſuum confirmaret, & amicus ac ſocius appellaretur, eámque poſtea vi ab Ægyptiis exigeret; à quibus aliam etiam ob cauſſam vexatus fuerat (iubebant enim illum aut Cyprum à Romanis repetere, aut ipſorum amicitiæ renunciare) eúmque ſuos comprimere nullis copiis inſtructus poſſet, ex Ægypto profugit, Romámque profectus illos accuſauit, quod regno eum expuliſſent.

Senſit Poſtumus. Reipſa comperit quàm vafer &
D aſtutus eſſet, quando pecuniam illi creditam recipere non potuit.

Dixit Sibylla. Cùm à Senatu decretum eſſet, vt Lentulus qui tum proconſul Ciliciam obtinebat Regem reduceret: Rex autem legatos Alexandrinorum qui Romam cauſſam expulſionis dicturi veniebant partim interficiendos partim corrumpendos curaſſet, Iouis ſtatua in Albano poſita de cœlo tacta eſt. ob eam cauſſam Sibyllini libri conſulti ſunt, in quibus ita ſcriptum fuit: Ἄν ὁ τῆς Αἰ-
E γύπτου βασιλεὺς βοηθείας τινὸς δεόμενος ἔλθῃ, τὴν μὲν φιλίαν οἱ μὴ ἀπαρνήσασθαι, μὴ μέντοι καὶ πλήθει τινὶ ἐπικουρήσητε, εἰ δὲ μή, καὶ πόνους καὶ κινδύνους ἕξετε. id eſt: Si Aegypti rex venerit, opis indigens, amicitiam quidem ne recuſetis, exercitu autem ne illum adiuuetis, alioquin in labores & diſcrimina incurretis. Quæ verba Senatus cum iis quæ acciderant conferens, ea quæ prius decreuerat religionis cauſſa (vt dicebant) abrogauit. Hæc Dio. Iraque Cicero ad Q. frat. epiſt. 2. De rege (inquit)
F Alexandrino factum eſt S.C. cum multitudine reduci periculoſum Reipub. videri. Sed tamen idem ad Lentulum ſcribens lib. Epiſt. famil. 1. ficta & ſimulata hæc fuiſſe omnia confirmat. Hæc, ait, opinio eſt populi Ro. à tuis inuidis atque obtrectatoribus nomen inductum fictæ religionis, non tam vt te impedirent, quàm vt ne quis propter exercitus cupiditatem Alexandriam vellet ire. Item epiſt. 2. Senatus religionis calumniam non religione, ſed maleuolentia & illius regiæ largi-
G tionis inuidia comprobat. Item alibi, Nihil tibi detraxit Senatus, niſi id quod per eandem religionem dari alteri non poteſt. Quinetiam Dio, eo quem diximus loco: Hæc, ait, Sibylla vaticinata eſt. promulgata ſunt autem à Catone, quamuis nihil ex Sibyllinis libris populo indicare fas eſſet niſi id Senatus decreuiſſet. Cùm enim

repente(vt ferè fit)eorum verſuum ſententia ſermone omnium celebraretur, timuit Cato ne celaretur, & religioſos homines in concionem adduxit, ibiq; nulla expectata Senatus auctoritate, coegit illos oraculum enuntiare.

Quod malè cecidit, bene conſultum putares. Cum interrogatione legendum, vt ſit Ironia, qua ſequi iudicium eorum videtur, qui conſilia euentis ponderant. q. d. Nemo negat ſtultè Rabirium feciſſe. B Cùm enim conſilia ex euentis probemus, & malè euenerit, malè ac ſtultè cõſultum fuiſſe dicendũ eſt.

Multa rogabat. Nomen pro aduerbio, inquit Seruius in illud Æneid. v. Multa gemens: & eſt Græca figura: vt idem ait in illud vndecimi,

Multáque ſe incuſat qui non acceperit vltrò.

Hinc primum exoritur. Propoſitio eſt quæ vnum accuſationis caput continet. Tranſlatione autem crimen hoc defendit, quaſi illi non Rabirium, ſed Senatores accuſent.

C *Exoptata ſeueritas.* Hoc tempore Senatores vnà cum equitibus iudicabant, lege Aurelia.

Corruptores noſtri. Cauſſam dicere eſt in iudicio reſpondere, vel pro ſe, vel pro alio. Sumit perſonam Senatorum, qui mirari poſſent ſi corruptores pro eis in iudicio reſponderent. Corruptorem autem fuiſſe Rabirium dicere non poſſumus, ſed materiam tantum & inſtrumentum dediſſe corrumpendi.

Quanquam ad ſumtum. Lego: quanquam enim ad ſumtum. Reddit enim rationem cur Senatus corruptio nihil ad Rabirij cauſſam pertineat. D

Cùm ille Roma profe. Emendo, Cum illõ, nimirùm in Albanum, Pompeij villam non longè ab vrbe. Mentionem Pompeij interponit, qui magna auctoritate & dignitate Romæ pollebat, vt gratiam quærat facto Rabirij: quaſi id Pompeius ſua præſentia comprobarit. Quod ſi *ille* legeremus intelligi non poſſet, quo profectus Pompeius fuiſſet. Verùm hoc contendit, In Albano Pompeij numeratam eſſe pecuniam, non abſente Pompeio, hoc enim cauſſæ E noceret potius, ſed præſente, ſuáque præſentia factum quodammodo comprobante.

Reditum conſuli datum. Nimirum P. Cornelio Lentulo Spintheri: Verba ſunt Dionis lib. Romanæ hiſt. 39. καὶ ἔτυχεν ὥστε ὑπάτου ... ἐπεὶ ... καταχθῆναι.

Fœdus in Capitolio. In vertice Capitolini collis Iouis Feretrij templum erat, vnde ſceptrum ſumebatur; per quod in fœdere faciendo iurabant, & lapidem ſiliceem, quo fœdus ferirent. Feſtus Pompeius. Fiebant igitur in Capitolio fœdera: ſicuti Li- F uius ſcribit lib. decad. iv. ſeptimo, cum Antiocho factum fuiſſe.

Quòd ſi creditor. Locus eſt ex comparatione parium, vt quod in pari valet, valeat etiam in eo quod par eſt. Si conſilio iuuare ciues & auxilio æqua in laude ponendum eſt, pari gloria debent eſſe ij qui conſulunt, & ij qui defendunt. at quod primum eſt, erit igitur & ſecundum Item ſi qui gladium vendidit, ei ſimilis eſt, qui mutuam pecuniam dedit: pari G iure debet eſſe creditor, cuius pecunia debitor abuſus eſt, & faber cuius gladio ciuis interfectus eſt. Verùm eſt autem primum, verum igitur ſecundum.

Neque tu C. Memmi. C. Memmius tribunus erat plebis, qui A. Gabinium, poſteaquam L. Lentulo Flaminis filio accuſatore maieſtatis abſolutus eſt, reum fecit lege Iulia repetundarum. Et quia ex bonis condemnati Gabinij redigi ea ſumma, in quam A condemnatus erat, non potuerat; eiúſque pecuniæ pars aliqua ad Rabirium perueniſſe dicebatur, accuſatus quoque ab eodem Memmio fuit Rabirius, vt quod ex bonis Gabinij ſeruare non potuerat, ab eo ſeruaretur.

Eſt enim hæc cauſſa quo ea. Verba hæc: Quo ea pecunia peruenerit, maiuſculis literis ſcribi oportet: ſunt enim legis Iuliæ repetundarum verba. Senſus autem (vt arbitror) eſt huiuſmodi. Nunquam quiſ- B quam ad quem ea pecunia peruenerit cauſſam dicere cogitur, niſi ex cauſſa principali damnata reus redundet, vtpote in ea nominatus.

Sunt lites æſtimatæ. Ciuis Romani damnatio, pecunia erat & exſilium. Omnia enim furta æſtimabantur, & ea pecunia quam accepiſſe dicebatur, in ſummam redigi ſolebat, quæ ex eius bonis auctione venditis ſoluebatur. Inde lis æſtimata dicitur, id eſt, ea pecunia, de qua lis & controuerſia facta eſt.

A populo recipi, lex æqua eſt. Sententia aut nulla, C aut inepta. Reſtituo ex codice peruetuſto, A populo recepta eſt: at nec ex Poſtumij bonis ſeruari legem æquum eſt.

Si eſt hoc nouum. Si prima lex Iulia nouiſſime id conſtituit, tanè ſit vel maneat hæc noua iudicij conſuetudo, vt qui non adpellatus eſt in litibus æſtimandis cauſſæ principalis, cauſſam poſteà dicere cogatur.

Cornelia. A L. Cornelio Sylla lata: ſicuti Seruilia à C. Seruilio Glaucia: ſiquidem à nomine familiæ D leges adpellabantur. Cicerò Philip. 1. Quære acta Gracchi: leges Semproniæ proferentur. quære Syllæ, Corneliæ. Sylla autem (vt Appianus auctor eſt) Cornelius adpellari voluit. Porro illud mihi prætermittendum nõ videtur, quod ſcribit Cicero lib. de officiis 2. accuſationis 3. & de claris oratoribus: cùm de pecuniis repetundis à L. Piſone Tribuno pleb. Cenſorino & Manlio coss. lata eſt lex, nulla antea cùm fuiſſet: & quod in Diuinatione, & omnibus Verrinis ſæpè commemorat: eam legem E ſociorum atque amicorum populi Romani cauſſa comparatam eſſe.

Seuerius ſcripta. In eandem ſententiam ſcribit Cicero libro de officiis ſecundo, ferè in extremo, poſteaquam ea lex à L. Piſone lata eſt, latas eſſe quamplurimas & proximas quaſque duriores. Item lib. accuſationis primo, Aciliam repetundarum legum molliorem poſteriore illa fuiſſe, quæ à Glaucia lata eſt. nam per Aciliam iudicari primo licuiſſe: Glauciam autem tuliſſe vt perendinaretur reus.

F *Qua aliquam facultatem dicendi.* Facultas dicendi à Cicerone dicitur quæ à Græcis δεινότης, à Latinis eloquẽtia, vt in Oratione pro Quinctio, cùm ait Hortenſio elargitam eſſe naturã, copiam & facultatẽ dicendi. At enim hoc loco de Ciceronis eloquẽtia nulla ſuſpicio eſt; de peritia nãque vſu atq; exercitatione in publicis tractandis iudiciis agitur. Hac enim argumentatione cùm vſus eſſet. Nemo ad quẽ ea pecunia peruenerit in crimen vocandus eſt, niſi qui in litibus principalis cauſſæ adpellatus eſt: Ra- G birius non eſt adpellatus: Ergo Rabirius non eſt in crimen vocandus. Propoſitionem confirmat ex vſu & exercitatione, quam habuit, in foro & iudiciis repetundarum: quaſi diceret, cùm in cauſſis repetundarum vel pluimum ætatis meę verſatus ſim, ſatis commodè mihi videor earum conſuetudinem vſu tractandóque cognouiſſe. De dicendi copia & facultate nihil attinet hoc loco commemorare.

Quo

A Quo modo eam fori conſuetudinem Cicero didicerit, id probandum eſt. Præterea neque Quæſtoris, neque iudicis partes quidquam ad dicendum adiumenti adferebant. non enim voce, ſed tabella ſententiæ ferebãtur. Emendo igitur *Diſcẽdi*, à verbo diſco, quod cognoſcere & percipere declarat. Quo quidẽ dicendi genere libro de Oratore primo vſus eſt. Ego, inquit, non deſpero fore aliquem aliquando, qui & ſtudio acriore quàm nos ſumus, & ocio ac facultate diſcendi maiore ac maturiore, &c. Atque hic videlicet erit huius loci ſenſus: Obiri omnia B munera, quæ ad diſcendum legis Iuliæ vſum, adiumentum adferre poſſunt.

Tabulis priuatorum. In quibus priuati perſcribere ſolebant quæ ſingulis diebus expendiſſent, vnde expenſi tabulæ dicebantur: cuiuſmodi rationes ac tabulas ciuitates quoque habebant. De tabulis Cicero ita ſcribit oratione pro Cluentio: Hæc autem res habet hoc certè, vt nihil poſſit neque additum neque detractum de re familiari latere.

C *In ferendis litibus.* Conciſa oratio, quæ plena ita efferri poſſet in ferendis ſeu ſubducendis rationibus litium.

Quæ in iudicio à Gabinio recitata non ſunt. Lego: *in iudicio A. Gabinij*: vt infrà, In Iudicio Gabinij tertio quoque verbo excitabantur: Non enim ſolebant à reis contra ſe tabulæ recitari, & facilis lapſus videtur fuiſſe librarij, vt pro A. maiuſcula litera minutam ſcriberet.

Quæ adpellatione litium. Pro Adpellatione quæ D fit in litibus æſtimandis: non enim lites ſed homines adpellabantur.

Quæ non tenetur. Alia tranſlatio eſt, quia lege, quæ non oportuit, actum eſt.

Quid deceat. Totum hunc locum copioſè ac luculenter perſequitur Cicero oratione pro A. Cluẽtio, his verbis: Eſt enim ſapientia iudicis, &c.

Cuius conſcientia. Magis placeret conſcientiam, vt ſit ſenſus, Nihil eſt quod quiſquam vereatur, vt E tabula conſcia, & teſtis ſuæ libidinis eſſe poſſit.

Quantum ſibi permiſſum. Hanc eandem differentiam notat in Oratione pro Cluentio, & item pro Fonteio. Permittimus quæ toleramus, & aliorum poteſtati atque licentiæ concedimus. Committimus, quæ commendamus, & fidei aliorum credimus. Eſt ſapientis iudicis, ait, meminiſſe ſe hominem, cogitare ſibi tantum eſſe permiſſum, quantum commiſſum ſit & creditum: & non ſolum ſibi poteſtatem eſſe datam, verùm etiam fidem habi-F tam eſſe. In oratione pro Fonteio: Frugi hominem, Iudices, videtis poſitum in veſtra fide ac poteſtate: atque ita vt commiſſus ſit fidei, permiſſus poteſtati.

Quod in Gabinium iudex eſſes, nihil Gabinio datum. Corruptus locus ſententiam habens aut nullam aut ineptam. Legendum puto, Quid? cùm in G.i.c. nihil à Gabinio dictum cùm in eum lites æſtimarentur.

Non priùs vos equites, quàm Senatores. Sedebant G enim Iudices tum equites, tùm Senatores, lege iudiciaria, quam tulit Aurelios Cotta Prætor.

Conſule de hac ipſa quæſtione referente. Nimirum ad Senatum. Conſul autem referre dicebatur, cùm rem aliquam Senatoribus conſiderandam ac decernendam proponeret, vt Senatuſconſultum fieret.

Glaucia. C. Seruilius Glaucia is fuit, quo prætore Saturninus maximè vſus eſt in ſeditione illa neſaria, ob quam in Curia vnà cum coniuratis omnibus Marij c o s. opera interfectus eſt. Eum Cicero lib. de oratore III. per ſimilitudinem ſtercus Curiæ adpellari poſſe adfirmat, niſi deformis eſſet cogitatio ſimilitudinis. Idem in Orat. de reſp. aruſp. ſcribit, C. Marium ſplendidiorem fuiſſe, cùm eum iratus Glaucia vituperaret, quàm cùm eum laudaret. In libro qui Brutus inſcriptus eſt, Longè autem, inquit, poſt natos homines improbiſſimus C. Serui-B lius Glaucia, ſed peracutus, & callidus, cumprimíſque ridiculus. Is ex ſummis & fortunæ & vitæ ſordibus in Prætura c o s. factus eſſet, ſi rationem eius haberi licere iudicatum eſſet. Nam & plebem tenebat, & equeſtrem ordinem beneficio legis deuinxerat.

Cùm lex aliqua rec. Solebat enim trinundino promulgari lex, vt qui vellet intercederet: nemine intercedente ad populum ferretur. Macrobius lib. Saturn. 3. cap. 17. Cicero pro domo ſua, & Philip. v. C Quint. lib. 2. cap. 1. Quibus ex locis & aliis præterea quamplurimis quæ ſit inter Promulgare & Ferre legem differentia non difficile eſt intelligi. Cicero Philip. 1. Ac de iis tamen legibus quæ promulgatæ ſunt, ſaltem queri poſſumus, de iis quæ iam latæ dicuntur, non illud quidem licuit. In oratione pro Seſtio: Legum multitudinem, cùm earum quæ latæ ſunt, tum verò quæ promulgatæ fuerunt dicam. Pro P. Sylla: Lex dies fuit propoſita paucos ferri cœpta nunquam.

D *Quicunque poſt hanc legem.* Maiuſculis literis ſcribendum, verba enim ſunt legis recitatæ.

Omnia ſemper ſenſiſſe pro verbis. Multa erant Ciceronis in equites beneficia, quæ notare maluit, quàm commemorando quodammodò exprobrare videri. Sed in quarta Catilinaria fuſiùs ea commemorat. Quid ego hic equites Romanos commemorem? qui vobis ita ſummam ordinis conſilíſque concedunt, vt vobiſcum de amore Reipub. conſtẽt: E quos ex multorum annorum diſſenſione huius ordinis, ad ſocietatem concordiámque reuocatos hodiernus dies vobiſcum, atque hęc cauſſa coniungit: quam coniunctionem ſi in conſulatu confirmatam meo, perpetuam in Rep. tenuerimus, confirmo vobis poſthac malum ciuile ac domeſticum ad nullam Reip. eſſe venturum partem.

Apertè equites R. reſtiterunt. Cicero lib. ep. ad Attic. 1. epiſtola Magna mihi. Credo, inquit, te audiſſe, noſtros equites penè à Senatu eſſe diſiunctos, qui F primum illud valdè grauiter tulerant, promulgatum ex S. C. fuiſſe, vt de iis qui ob iudicandam pecuniam accepiſſent, quæreretur.

Si quis pecuniam cepiſſet. Subaudiendum eſt, in iudicium lege Iulia vocetur.

Equites Romani. C. Flauius Puſio, Cn. Titinius, C. Mæcenas.

Suo iudicio. Cicero in prætura vrbana graue & incommodum fuiſſe ſcribit iudicandi munus. Veruntamen hoc erat equitum officiũ, quod recuſare, G non poterant, niſi cùm ad Senatorium ordinẽ tranſibant: Tranſlatis enim à Senatu ad equites iudiciis, non cogebantur Senatores iudicandi munus ſuſcipere. Atque id eſt quod ſcribit eos lege Iulia teneri oportere, qui eſſent illam vitæ condicionem ſuo iudicio ſequuti: id eſt, cùm in illorum eſſet poteſtate, iudicarent vel nè. Quoniam autem adeò incommodum erat id iudicandi munus, non dubium eſt,

quin equites, quibus licebat honores petere, non eo ſeſe expedire conati eſſent: itaque vacua ſubſellia remanſiſſent, aut plebs ipſa iudicaſſet, niſi beneficio ac priuilegio & fauore quodam ſingulari à Senatu equites adfecti fuiſſent. Placuit igitur Senatui equeſtrem ordinem lege Iulia ſoluere ac liberare. Sed ſubiiciam locum Epiſtolarum Ciceronis ad Atticum lib. 2. vnde hæc facilius intelligantur: Cato (inquit) noſter optimo animo vtens & ſumma fide nocet interdum Reipub. dicit enim tanquam in Platonis πολιτείᾳ, non tanquam in Romuli fæce ſententiam. Quid verius? quàm in iudicium venire qui ob rem iudicandam pecuniam acceperit? Cenſuit hoc Cato, adſenſit Senatus, equites curiæ bellum, non mihi. & paulò pòſt: Quid ergo iſtos, inquies, mercede conductos habebimus? Quid faciemus? ſi aliter non poſſumus? an libertinis atque etiam ſeruis ſeruiamus? hæc ille. Præterea nemini dubium eſt, quin Equitum iudicia propter integritatem admodum probarentur, contrà Senatorum iudicia odio toti populo propter ſordes erant: quemadmodum ex prima in Verrem actione intelligi poteſt. Omnia (inquit) commemorabuntur, quæ intra decem annos poſteaquam iudicia ad Senatum tranſlata ſunt, in rebus iudicandis nefariè flagitioſeque facta ſunt: cognoſcet ex me Pop. Ro. quid ſit quamobrē cùm equeſter ordo iudicaret annos propè quinquaginta continuos, nullo iudice equite Ro. iudicante, ne tenuiſſima quidem ſuſpicio acceptæ pecuniæ ob rem iudicandam conſtituta ſit.

Et ſimul etiam ſolicitudo. Senſus eſt, Iſtis honoribus & ornamentis aliqua etiam ſolicitudo atq; moleſtia, nimirum ob maiorum iudiciorum pericula, immixta eſt (*maiorum* enim lego, non *maior*) vnde in Cluentiana, Senatorem hoc queri non poſſe, (de periculis loquitur) propterea quod ea conditione propoſita petere cœpiſſet, quódque permulta eſſent ornamenta, quibus eam mitigare moleſtiam poſſet, locus, auctoritas, domi ſplendor, apud exteras nationes nomen & gratia, toga prætexta, ſella curulis, inſignia, faſces, exercitus, imperia, prouinciæ: quibus in rebus ſummis rectè factis maiores noſtri præmia tum plura peccatis pericula propoſita eſſe voluiſſe.

Tàm es tu iudex, quàm ego Senator. Budæus ita hūc locum citat in adnot. in Pand. Tu tamen es iudex, vt ego Senator, ita eſt, Ego legenda & interpungenda verba ita eſſe arbitror, Tàm es tu iudex quàm ego Senator, vt in vocādi caſu Senator eſſe intelligatur: & EGO pronomen ad Poſtumum non ad Senatorem referatur: vt paulò pòſt, Ego hoc cogor. Senſus autem eſt; Tu Senator non minus iudex es, id eſt, non minus iudicandi moleſto & graui munere premeris, quàm ego, qui eques ſum. Quare fortaſſè æquum eſſe dices, vt quemadmodum tributum nobis eſt illud beneficium ad moleſtiam iudiciorum mitigandam, ita tibi quoque, ius par onus eſt, tribuatur. Nam ſi Senatoris verba dicamus eſſe, vt ſit ſenſus, Tu eques tàm es iudex, quàm ego ſum Senator, inepta ſententia eſt. Quid autem ſi ad hunc modum explanemus? Tu eques tàm es iudex quàm ego, qui ſum Senator, ſum iudex. Senſus erit optimus & integerrimus, ſed abruptam neque ſatis congruam reddit orationem. Vbi enim ita vnquam extulit Cicero, aduerſariorum obiectionem? Præterea pronomen EGO quod proximè conſequitur, huic ſententiæ apertiſſimè aduerſatur.

Petiiſti, ego hoc cogor. Ita in Cluentiana, Senatorem hoc queri non poſſe, propterea quòd hac conditione propoſita petere cœpiſſet.

Legem lege Senatoria. Legem Iuliam intelligit. Legem verò Senatoriam Senatusconſultum adpellat, quo ſolutus ordo equeſtris lege Iulia fuerat: vt paulò pòſt, Vos Senatus liberos hac lege eſſe voluit.

Inuidia, ſed ſermone maleu. Ex inuidia maleuolorum, ſermones & obtrectationes maledicæ & contumelioſæ proficiſcuntur. Refero igitur Inuidia ad Maleuolorum, non minus quàm Sermone. Sed grauius verbum eſt inuidiæ, quoniam ſtudium & voluntas nocendi ineſt in ea: cùm plerumque maleuoli de nobis garriant & loquantur, non alio conſilio, ſola tantum detrahendi conſuetudine.

Ad curiam putaretis. Hæc oratio in foro habita eſt, vbi rerum capitalium iudicia exercebantur. In Curia Senatus cogebatur, populus pro roſtris. Eſt autem à ſimili ſumta reprehenſio. Quid intereſt in foro an in Curia, an pro roſtris hoc tantum iugum ceruicibus veſtris imponatur? Cur igitur potius id in foro quàm in curia patramini?

Non patitur mea etiam fides. Non poſſum, quæ mea eſt fides in Gabinium, loqui de eo acerbius. Acerbius enim loqueretur de Gabinio & grauius, ſi (quod poterat) ita Rabirium defenderet, vt ſola auaritia & pecuniæ promiſſæ cupiditate inductum eum fuiſſe diceret, non Poſtumij ſermonibus.

Ex tantis inimicitiis. De Gabinij & Ciceronis inimicitiis dicetur paulò poſt, vnde adſumi poterunt, quæ ad hunc locum pertinere videbuntur.

Quo cum ſtante. Accuſatus tamen ambitus à P. Sylla: maieſtatis (quod regem contra S.C. & religionem reduxiſſet) à Memmio: ſed incredibili Pōpeij contentione, & accuſatorum ſuorum infantia abſolutus eſt. Vide ep. 1. 2. 3. & 4. lib. ep. ad Q. Fr. III. Ex quibus ipſis illud præterea intelligi poteſt falſum eſſe quod ſcribit Dio, à Cicerone accuſatum fuiſſe Gabinium, his præſertim verbis ep. 2. Ego tamen teneo ab accuſando vix mehercule, ſed tamen teneo, vel quod nolo cum Pompeio pugnare, vel quod Iudices nullos habemus, addo etiam maleuolentiam hominum: & timeo, ne illi me accuſanti accidat: nec deſpero rem & ſine me, & non nihil per me confici poſſe. Item ep. 4. quæ paulò poſt ſcripta eſt, quàm fuit abſolutus. Aiunt nonnulli Saluſtius item me oportuiſſe accuſare, iis ergo Iudicibus committerē: quid eſſem ſi me agente erat elapſus? & quæ ſequuntur. Quinimò Val. Max. lib. 4. cap. 2. Ciceronem reccōciliata gratia Gabinium defendiſſe dicit his verbis: Sed huiuſce generis humanitas in M. Cicerone præcipua apparuit: A. namque Gabinium repetundarum reum ſummo ſtudio defendit, qui eum in Conſulatu ſuo vrbe expulerat.

Si defenſioni Gabinij. Oſtendit accuſatoris criminationem inter ſe pugnare: quæ defenſio magnam habet vim atque grauitatem, vt oſtendit Fabius lib. 5. cap. 13. Eſt (inquit) interim Oratoris efficere, vt quid contrarium eſſe videatur. Obiicitur Oppio, quod de militum cibariis detraxerit: aſperum crimen, ſed contrarium eſſe oſtendit Cicero, quia iidem accuſatores obiecerunt Oppio, quòd is voluerit largiendo corrumpere exercitum.

Gabinius ſe id. Longè alia eſt Ciceronis oratio cùm in Piſonem inuehitur: eam enim tum temporis habuit, cùm adhuc inimicitiæ permanerent. Seipſum ait, faſces ſuos, exercitum populi Ro. numen interdictúmque Deorum immortalium, reſponſa ſacer-

ſacerdotum, auctoritatem Senatus, iuſſa populi, nomen ac dignitatem imperij regi Ægyptio vendidit. Et paulò pòſt: Exercitum eduxit è Syria. qui licuit extrà prouinciam? præbuit ſe (ita lege ex codice manu ſcripto, cùm in impreſſis *Tribuit* legatur) mercenarium comitem regi Alexandrino. quid hoc turpius? in Ægyptum venit, ſigna contulit cum Alexandrinis. quando hoc bellum aut hic ordo aut populus ſuſceperat? & quæ ſequuntur. Item Philipp. 2. Inde itur Alexandriam cōtra Senatus auctoritatem, contrà religionem. ſed habebat ducem Gabinium, quicum quiduis facillimè facere poſſet.

Claſſem Archelai. Verba ſunt Dionis ex libro Rom. hiſt. 39. ἐν ᾧ δὲ ταῦτα, οἱ ἀλεξανδρεῖς τινὰς μὲν ἀγνοήσαντες ὅτι ἐς τὴν ἰταλίαν ἀπηρκὼς ἦν, ἢ τεθνηκέναι αὐτὸν νομίσαντες, βερενίκην τὴν θυγατέρα αὐτοῦ ἐς τὴν βασιλείαν ἀντικατέστησαν. Et eodem libro. ἦρχε δὲ τότε τῶν αἰγυπτίων ἡ βερενίκη, καὶ ἐπιεικὲς μὲν οὐδὲν πρὸς αὐτόν, καίτοι φοβουμένη τοὺς ῥωμαίους ἔπραξε. σέλευκον δέ τινα ὡς καὶ ἐκ τοῦ βασιλείου γένους τοῦ ποτε ἐν τῇ συρίᾳ ἀνθήσαντος ὄντα μεταπεμψαμένη, ἄνδρα τε ἐπεγράψατο καὶ κοινωνὸν τῆς τε βασιλείας καὶ τοῦ πολέμου ἐποιήσατο. ὡς δὲ οὐδένος ἐν οὐδενὸς μοίρᾳ ὢν ἐφαίνετο, τοῦτον μὲν ἀπέκτεινεν. ἀρχέλαον δὲ τὸν τοῦ ἀρχελάου τοῦ πρὸς τὸν σύλλαν αὐτομολήσαντος, δραστήριον τε ὄντα καὶ ἐν τῇ συρίᾳ τὴν δίαιταν ἔχοντα, ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ὑπηγάγετο. Dum hæc, inquit, gererentur, ignorantes Alexandrini Ptolemæum perrexiſſe in Italiam, aut ipſum mortuum exiſtimantes, Berenicem eius filiam in regnum conſtituerunt. Et eodem libro: Tum autem Ægyptiis Berenice imperabat, & quanquam Romanos metueret, tamen nullam in Ptolemæum humanitatem exercuit: ſed Seleucum quendam qui genere regio, quod aliquando in Syria floruerat, ortus erat, in regni & belli ſocietatem cooptauit: hūc autem cùm nullo loco eſſe videretur, interfecit, atque Archelaum Archelai filium eius, qui ad Syllam confugerat, nauum hominem & induſtrium, qui tum erat in Syria, eadem conditione ad ſe euocauit. Strabo hæc eadem paulo aliter libro Geographiæ XVII. Hoc igitur contendebat Gabinius, Archelaum Regem Ægypti, eum à Senatu decretum eſſe audiſſet, vt à P. Lentulo Ptolemæus reduceretur, exercitum paraſſe: quem vti repelleret, ait ſe copias Romanorum eò duxiſſe. Verùm autem ſi quærimus ex his Dionis verbis, non difficile eſt intelligi. Ἐπεὶ μέντοι ὁ Πτολεμαῖος μετὰ τῶν τοῦ Πομπηίου γραμμάτων ἦλθε, καὶ πολλὰ μὲν αὐτῷ, πολλὰ δὲ καὶ τῷ στρατῷ χρήματα τὰ μὲν ἤδη παρέξειν, τὰ δ' ἂν καταχθῇ δώσειν ὑπέσχετο, τούς τε πάρθους εἴασε, καὶ ἐπὶ τὴν αἴγυπτον ἠπείχθη, καίπερ ἀπαγορεύοντος μὲν τοῦ νόμου μήτε ἐς τὴν ὑπερορίαν τοὺς ἄρχοντας τινῶν ἀποδημεῖν, μήτε πολέμους ἀφ' ἑαυτῶν ἀναιρεῖσθαι· ἀπειρηκότος δὲ καὶ τοῦ δήμου, τοῦ τε σιβύλλης, μὴ καταχθῆναι τὸν ἄνδρα. ἀλλ' ὅσῳ γὰρ ἐκεκώλυτο ταῦτα, τόσῳ πλείονος αὐτὰ ἀπημπόλησε. Καταλιπὼν οὖν ἐν τῇ συρίᾳ σισένναν τε τὸν υἱὸν κομιδῇ νέον, ὄντα καὶ στρατιώτας μετ' αὐτοῦ πάνυ ὀλίγους, τὴν μὲν ἀρχὴν ἐφ' ἧς ἐτέτακτο, τοῖς λῃσταῖς ἔτι καὶ μᾶλλον ἐξέδωκεν. Poſtquam, inquit, Ptolemæus cum literis Pompeij venit, ac multas tùm ipſi, tum verò etiam exercitui pecunias partim in præſentia, partim ſi reductus eſſet daturum ſe pollicitus eſt, Gabinius & Parthos reliquit, & in Ægyptum profectus eſt. tametſi neque copias extrà fines educere, neque bella per ſe ſuſcipere magiſtratibus liceret. A populo præterea

A & Sibylla prohibitum eſſet, ne reduceretur; ſed quo illa magis magiſque vetabantur, eas ipſe magis pluriſque vendidit. Relicto igitur in Syria Siſenna filio admodum adoleſcente, & cum eo perpaucis militibus, imperium cui præerat latronibus etiam magis prodidit.

Huic videlicet perblandus. Emendo ex Codice manu ſcripto; *Perſuaſor blandus*, quo verbo magnoperè hic locus illuſtratur.

Seſtertium bis millies. Quoniam hunc locum dili-
B genter explanat Budæus in libro de Aſſe, cenſeo inde petendam eſſe interpretationem, ne maximos & grauiſſimos labores, quos homo eruditiſſimus noſtra cauſſa ſuſcepit, aut parui facere, aut prorſus contemnere videamur.

Num Gabinij comes vel ſectator? negat, non ad Gabinij. Qui hunc locum mutilatum eſſe neget, arbitror fore neminem. Quem enim comitem intelligi dicemus? aut quem verò antè nominauit, ad quem referri hæc verba poſſint? Quæ deeſſe certum eſt, talia
C quædam fuiſſe ſuſpicamur: At profectus Alexandriam eſt Poſtumus, Num Gabinij comes? &c. Quod autem ſequitur, *negat non ad Gabinij* ita emēdanda cenſeo, *negas, non enim ad Gabinij, &c.* Reddit cauſſam cur illi crimini eſſe non oporteat, quòd ſit Alexandriam profectus: Si in exercitu cum Gabinio fuiſſet, fortaſsè culpari poſſet. Sed cùm Roma profectus eſt in Ciliciam, vnde & in Syriam, & paulò pòſt Alexandriam perrexit, P. Lētulo proconſuli data erat regem reducendi prouincia. Te-
D nuiſſima autem hæc defenſio eſt, qua non cur Alexandriam ſit profectus, ſed cur Roma exceſſerit, rationem reddit. Huius porrò criminis mentionem facit Suetonius Claudio, his verbis: Quendam verò & quòd comes Regis in prouincia fuiſſet, referens maiorum temporibus Rabirio Poſtumo Ptolemęū Alexandriam creditur ſeruandi cauſſa ſecuto, crimen maieſtatis apud Iudicem motum.

Cuius id negotium non erat. Cui non erat prouincia Regem reducendi data. Lentulo enim data fue-
E rat, ad quem tum Ciliciæ proconſulem ita ſcribit Cicero, epiſtola LEGI TVAS LITERAS: Quoniam S. C. nullum exſtat, quo reductio Regis Alexandrini tibi adempta ſit, &c. te poſſe perſpicere, qui Ciliciam Cyprúmque teneas, quid efficere, & quid conſequi poſſis: & ſi res facultatem habitura videatur, vt Alexandriam atque Ægyptum tenere poſſis, eſſe & tuæ & noſtri imperij dignitatis. Ptolemaide aut aliquo propinquo loco rege collocato: te cum claſſe atque exercitu proficiſci
F Alexandriam, vt cùm eam pace præſidiiſque firmaris, Ptolemæus redeat in regnum: ita fore, vt per te reſtituatur, quemadmodum Senatus initio cenſuit. Item: Quare quid adſequi poſſis, non tam facile eſt nobis quàm tibi, cui propè in conſpectu Ægyptus eſt, id iudicare.

Romam contenderat. Romæ legendum cenſeo, vt eſt in quibuſdam codicibus impreſſis: erat etiam in manuſcripto: quoniam Roma profectum eſſe Poſtumum in Ciliciam auctore Lentulo contendit.
G Adſeuerat autem ſibi Lentuli prouinciam Gabinius, quemadmodum ex his Ciceronis verbis apparet in Orat. in Piſonem: Ille ſi non acerrimè fureret (de Gabinio loquitur) auderet quam prouinciam P. Lentulus, amiciſſimis huic ordini, cùm & auctoritate Senatus & ſorte haberet, interpoſita religione, ſine vlla dubitatione depoſuiſſet, eam

ſibi tum adſciſcere, cùm etiam ſi religio non impediret, mos maiorum tamen, & exempla, & grauiſſimæ legum pœnæ vetarent?

Vita eius oblata pœna ex. Non video quid adportet hic ſenſus. Neque enim pœnam à Poſtumo repetitam eſſe vſquam oſtendit. Legendum igitur arbitror: ET VITA EI ABLATA PENE EST, qua locutione vſus ipſe quoque eſt in libro de Senectute.

Verùm ſi quærimus, ſtultè. Callidiſſimo conſilio multis verbis ſtultum fuiſſe perſuadere conatur Rabirium: Cùm enim eò contendiſſe diceretur, vt pecuniam à Rege ſimul cum Gabinio promiſſam acciperet, contrà adfirmat Cicero non malitia aut improbitate iter ingreſſum eſſe Rabirium, ſed imprudentia potius & inconſulta ratione, nimirum vt pecuniam mutuo datam reciperet. Multo enim Poſtumo ſatius eſt ſtultum atque imprudentem, quàm improbum atque aſtutum exiſtimari.

Sed ego hoc tandem Poſtumo non ignoſcam. Hoc in loco vetuſtus codex manuſcriptus, quem ſæpè commemoro, ſcriptum habebat; Sed in hoc tamen Poſtumo ignoſcam: quæ lectio mihi probabilior eſſe videtur.

Doctiſſimum Platonem. Ter profectus eſt in Ciciliam Plato, ſed prima profectione neque ſe magnoperè Dionyſio commiſit, neque in inſidiis verſatus eſt; quod vtrumque notat hoc loco Cicero. Etſi enim venundari iuſſus eſt, hoc tamen ad periculum non ad inſidias pertinet. Secunda profectione cùm perpetuò de reditu cogitaret, Tyrannus in arcem eum deduxit, ibíque habitare iuſſit, prohibuit etiam ne quis nauicularius eum niſi mandato ſuo auderet educere. De qua cuſtodia loqui Oratorem quidam exiſtimant: Sed Plato in epiſtola ſeptima, vbi copioſè profectiones illas tres exequitur, apertè ſcribit Tyrannum id amore non maleuolentia feciſſe, quod eum apud ſe retinere cuperet. Sic enim loquitur: Ἄλλως τε καὶ διηγγελμένον ἤδη πάντη τοὐναντίον ἢ τὸ πρότερον πάλιν, ὡς Πλάτωνα Διονύσιος θαυμαστῶς ὡς ἀσπάζεται: τὸ δὲ εἶχε δήπου. τὸ γὰρ ἀληθὲς δεῖ φράζειν, ἠσπάζετο μὲν ἀεὶ προϊόντος τοῦ χρόνου. De tertia igitur & poſtrema profectione loqui Ciceronem exiſtimo, qua & tyranno ſe commiſit, quem perfidioſum nouerat, & in ſummis inſidiis periculiſque verſatus eſt. Cùm enim, vt ipſe ſcribit, Dionyſius ſe odio eſſe Platoni intelligeret, quod bona Dionis vendidiſſet, ſibique ea ſumpſiſſet, eum extra regiam inter milites habitare iuſſit, ſperans fore vt à militibus, quibus odio erat, interficeretur. Id quod apertè oſtendit Plutarchus in Dione his verbis: Πλάτωνα δὲ ἐν τῷ περὶ τὴν οἰκίαν κήπῳ διαιτώμενον, εἰς τοὺς μισθοφόρους μετέστησεν πάλαι μισοῦντας αὐτὸν καὶ ζητοῦντας ἀνελεῖν, ὡς πείθοντα Διονύσιον ἀφεῖναι τὴν τυραννίδα, καὶ ζῆν ἀδορυφόρητον. Platonem verò in horto ædibus proximo agentem inter milites mercenarios collocauit, qui & eum iampridem oderant, & è medio tollere ſtudebant: quòd Dionyſio ſuaſiſſet vt tyrannidem abiiceret, & ſine ſtipatoribus & ſatellitibus viueret.

Calliſthenem doctum hominem. Hanc hiſtoriam attingit Iuſtinus, lib. XII. & XV. & item P. Curtius lib. VIII. Commiſerat ſe Alexandro Magno, à quo accerſitus erat, vt geſta eius memoriæ proderet. Cùm autem victor bello Perſico Alexander adorari vellet, apertè recuſauit Calliſthenes. Quam ob cauſſam

A truncatis imperio tyranni membris, abſciſſiſque auribus & naſo & labiis vnà cum cane in cauea incluſus eſt, & ad metum ceterorum circumgeſtatus. Strabo eum ſcribit Cariatæ in Bactriana comprehenſum eſſe, & in vincula coniectum, quam poſtea Alexander inuerterit.

Demetrium & ex Republica. Idem à Strabone memoriæ proditum lib. Geographiæ nono; verba eius ſubiiciam, vt quærendi labor abſit: οὗτος γὰρ ὁ ἀνὴρ πρὸς μὲν τὰ ἄλλα (de Caſſandro loquitur) δοκεῖ
B τυραννικώτερος γενέσθαι. πρὸς Ἀθηναίους δὲ εὐγνωμονήσε λαβὼν ὑπήκοον τὴν πόλιν. ἐπέστησε γὰρ τῶν πολιτῶν, Δημήτριον τὸν Φαληρέα, τὸν Θεοφράστου τοῦ φιλοσόφου γνώριμον. ὃς οὐ μόνον οὐ κατέλυσε τὴν δημοκρατίαν, ἀλλὰ καὶ ἐπηνώρθωσε. δηλοῖ δὲ τὰ ὑπομνήματα ἃ συνέγραψε περὶ τῆς πολιτείας ταύτης ἐκεῖνος. ἀλλ᾽ οὕτως ὁ φθόνος ἴσχυσε, καὶ ἡ πρὸς ὀλίγους ἀπέχθεια ὥστε μετὰ τὴν Κασσάνδρου τελευτὴν ἠναγκάσθη φυγεῖν εἰς Αἴγυπτον. τὰς δὲ εἰκόνας αὐτοῦ πλείους ἢ τριακοσίας κατέσπασαν οἱ ἐπαναστάντες, καὶ κα-
C τεχώνευσαν. ἔνιοι δὲ προστιθέασιν, ὅτι καὶ εἰς ἀμίδας. id quod ego ita interpretor: Caſſander enim aliis quidem in rebus tyrannus fuiſſe videtur, in Athenienſes verò facilem & benignum extitiſſe, vnde obſequentem habuit ciuitatem. Siquidem è ciuibus Demetrium Phalereum Theophraſti philoſophi familiarem, præfecit: qui non ſolum ſtatum popularem non euertit, ſed etiam reſtituit. id quod ex Commentariis, quæ ille de ea Rep. conſcripſit, intelligi poteſt. Attamen adeò valuit inuidia, & ad-
D uerſus paucos ſuſceptum odium, vt poſt Caſſandri mortem coactus ſit in Ægyptum fugere. Itaque inſurgentes ſtatuas eius plusquam trecentas detraxerunt & fuderunt.

In eodem iſto Ægypti regno. Diogenes Laertius lib. V. de vitis Philoſophorum, ſcribit Demetrium poſt Caſſandri mortem Antigoni metu ſe ad Ptolemæum Soterem contuliſſe, multúmque illic temporis moratum, inter cetera conſuluiſſe regi, vt fi-
E liis, quos ex Euridice ſuſceperat, impartiretur regnum. Illo non obtemperante, ſed ei quem ex Beronice genuerat diadema tradente, ab hoc ipſo poſt patris mortem fuiſſe adſeruatum in prouincia, quoad aliquid de illo ſtatuiſſet. Hic ille mœſtior vixit, ac veluti dormitans ab aſpide manu morſus ex vita migrauit, ſepultúſque eſt in Buſirite, regione propè Dioſpolim. De eo ita ſcribit Cicero in oratore: Phalerei Demetrij oratio, cùm ſedatè placidéque loquitur, tum illuſtrant eam quaſi ſtellæ quædam
F tranſlata verba atque immutata.

Nihil fieri poſſe dementius. Cur igitur & Platoni, & Calliſtheni, & Demetrio ignoſcendum eſt? eorúmque præterea exemplo Rabirio Poſtumo? Reddit eius rei rationem Plato, ea quam ſupra diximus epiſtola, ferè in extremo: ὅπως γὰρ ἄνθρωπος ἀγαθὸς ὢν καὶ σώφρων τε καὶ ἔμφρων τὸ μὲν ὅλον, οὐκ ἄν ποτε διαψευσθείη τῆς ψυχῆς τῶν τοιούτων πέρι. κυβερνήτου δὲ ἀγαθοῦ πάθος ἂν ἴσως οὐ θαυμαστὸν εἰ πάθοι, ὃν χειμῶνος μὲν ἐσομένου, οὐκ ἂν πάνυ λάθοι. χειμώνων δὲ ἐξαίσιον
G καὶ ἀπροσδόκητον μέγεθος, λάθοι τ᾽ ἂν καὶ λαθὸν κατακλύσειε βίᾳ. Vir enim ſanctus, temperans, & prudens nunquam in rebus facinoroſis viſque quaque animi fallitur. ſed fortaſſè minimè mirum videri debet, ſi boni gubernatoris inſtar fallatur, quem futura tempeſtas non omninò latere, fluctuum autem inuſitata & improuiſa magnitudo latere poteſt, ſuáque vi imprudentem obruere.

Maior

Maior iam ſuperior. Cùm pecuniam expulſo regi & egenti non modo ſuam, ſed etiam amicorum credidit.

Siquidem tam ſemper ſtulti. Emendo ex codice manuſcripto, Si quidem non tam ſemper ſtulti. Cùm enim ſapienter non ſtulte factum eſſe à Poſtumo probare velit, tamen ſtultum eſſe Poſtumum hæc oratio ſi negationem tollas, potius oſtendit.

Quam ob rem illud maneat. Difficilis locus & qui me valdè torſit. Eſt autem obſcuritas non in verbis, ſed in ſententia. Quid enim refert relatiuum illud? nam illa verba, *Quod ſuam* &c. pendent à verbo *inſaniſſe.* Puto igitur immutationem eſſe temporis & modorum: & vocem *illud* ad proximum *quod neque* referendam. *Maneat & fixum ſit*, futurum tempus demonſtrant. Conatur autē hoc loco perſuadere Cicero, tam fixum fuiſſe Rabirij factum, vt infectū fieri non poſſet, nimirum tempore iam elapſo quo pallium ſumſerat. Quare ita hunc locum interpretor, vt *maneat* pro manebat dictum ſit, & *fixum ſit* pro fixum erat, & item *quod neque mutari poteſt.* pro mutari poterat, vt paulò infrà: *Mutari factum iam nullo modo poterat.* Nam interdum hac temporis mutatione vtitur Cicero, vt in orat. pro Cluen. At tum ſi dicerem, non audirer, non quod alia res eſſet, imò eadē, ſed tempus aliud, pro dixiſſem auditus eſſem: & ſtatim, quis tam auderet dicere, quis tam poſſet arguere.

Chlamydatum illum L. Syllam imperatorem. Emendo ex codice manu ſcripto. *Chlamydatam illam L. Syllæ imperatoris:* quod cùm omnis ſententia, tum illa particula *verò* poſtulare videtur. Nota eſt enim diſcrimini ſeruiens, ac ſi dixerit, Syllæ ſtatua Chlamydata modò eſt, Scipionis verò non ſolum cum Clamyde, ſed etiam cum crepidis.

L. verò Scipionis. Fuit hic P. Scipionis Africani frater, & proconſule in Aſiam miſſus Antiochū Syriæ Regem dicieit, cæſis hominum quinquaginta millibus captis duobus. Cicero libro accuſationis primo. Quid de L. Scipione, qui bellum in Aſia geſſit, Antiocúmque regem potentiſſimum vicit?

Cum chlamyde ſtatuam. Plerumq; enim togatæ dicari ſtatuæ ſolebant, quemadmodum ſcribit Plinius lib. xxxiii. cap. v. Atque horum quidem mentionem facit. Valerius Max. libro tertio: ſed cum hunc Ciceronis locum inſerere in ſuam ille hiſtoriam cogitaret, verborum obliuione Neopoli Syllam cum Chlamyde ambulaſſe ſcribit.

In Capitolium ſtatuam. Solebant in foro ſtatui complurimæ: vnde fori ornamenta à Plinio dicuntur. Locus tamen in roſtris erat clarior, vt ſcribit Cicero in orat. pro Deiotaro. Huius L. Scipionis fratri Africano poſitas fuiſſe in Opis, in Pollucis, in Capitolio ſtatuas idē Cicero ſcriptum reliquit epiſt. ad Attic. lib. 6. epiſtol. 1.

P. Rutilium Rufum. Huius Rutilij frequens mentio eſt in Ciceronis libris. Panetij auditor fuit, itaq; dicere ſolebat, vt nemo pictor eſſet inuentus, qui Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquiſſet, abſolueret: ſic ea quæ Panætius prætermiſiſſet, & non perfeciſſet, propter eorum quæ perfeciſſet præſtantiam, neminem eſſe perſecutum. Hæc Cicero libro de Offic. iii. Idem in libro de oratore i. eum hominem doctum & Philoſophiæ deditum appellat. In Bruto ſunt, inquit, eius orationes ieiunæ, multa præclara de iure, doctus vir, & Græcis literis eruditus. Panætij auditor, propè per-

A fectus in Stoicis, & paulo poſt. Qui quamquam innocentiſſimus in iudicium vocatus eſſet, quo iudicio conuulſam eſſe penitus ſcimus Remp. cùm eſſent eo tempore eloquentiſſimi viri L. Craſſus, & M. Antonius conſulares, eorum adhibere neutrum voluit, dixit ipſe pro ſeſe. Idem pro Fonteio: Quam multa audiuit in ſuo iudicio P. Rutilius? qui etſi dānatus eſt. mihi videtur tamen inter viros optimos atque innocentiſſimos eſſe numerandus. Porrò au-
B tem oppreſſum Rutilium fuiſſe ſignificat, quo tempore Mithridates poſtquam Aſiam occupauit, ad omnium Aſiæ vrbium primores literas ſcripſit, vt triceſimo die quam ſcriptæ erant literæ, omnes Romanos Italóſque cum vxoribus & liberis interficerent, atque in ſepultos abiicerent: id facientibus pręmium, contrà verò pœnam propoſuit. Auctor Cic. in orat. pro lege Manilia, Appianus in Mithridatico; Liu. lib. 78. Plut. in vita Syllæ.

Tempori adſignandum. Tempus plerumque à Ci-
C cerone pro neceſſitate ponitur, vt hoc loco & ep. fam. lib. vii. Tempori cedere, id eſt, neceſſitati parere ſemper ſapientis eſt habitum.

Nā vt ventū eſt Al. Aletes Strabo lib. geographię 17. de Ptolemæo loquens: ὃς χωρὶς τῆς ἄλλης ἀσελγείας χοραύλην ἤσκησε, καὶ ἐπ' αὐτῷ γε ἐσεμνύνετο ἐπὶ τοσοῦτον ὥστ' οὐκ ὤκνει συντελεῖν ἀγῶνας ἐν τοῖς βασιλείοις, εἰς οὓς παρῄει διαμιλλησόμενος τοῖς ἀνταγωνισταῖς. Id eſt, qui, vt ceteram illius intemperantiam atque incontinentiam omittam, Tibicinum artem exercuit,
D in quo ipſo tantoperè gloriabatur, vt non vereretur certamina in regia inſtituere, ad quæ ipſe quoque vt cum aliis certaret accedebat.

Hoc enim nomine vtitur. Inſolens locutio, cuius tamen haud abſimilis illa eſt Iuſtiniani tit. de verborum oblig. lib. Inſt. 3. Stipulatio quæ hoc nomine inde vtitur, quod ſtipulum apud veteres firmum appellabatur.

Id ſequitur. Nimirum ex tanta fortunarum ſuarum iactura & naufragio.

E *Niſi fortè.* Locus ex comparatione parium, vnde abſurdam aduerſariorum criminationem eſſe demonſtrat.

Præter rogitatum ſi querare. Ineptus ſenſus. Reſtitui ex eodē codice, *ſi loquare.* Dauus ſimiliter apud Terent. in Andr. verbum ſi mihi vnum præterquam quod te rogo, faxis, caue.

Si te ſecundo lumine. id eſt, die, vt apud Virgilium lib. Æneid. 4.

Tres Notus hybernas immenſa per æquora noctes, Vexit me violentus aqua.
F
Vix lumine quarto proſpexi Italiam.

Cic. epiſt. ad Att. lib. 7. ep. extrema: Cæſaris interdicta ſi te ſecundo lumine hic offendere, reſpuentur.

Ex decumis imperatorum. id eſt, tributorum, quæ Ptolemæus Alexandrinus imperarat, vt paulo poſt intelligetur.

Acceſſionem fecit centeſima. Significat moris fuiſſe vt coactores qui decimas exigebant pro mercede centeſimas ſibi ſumerent: quos acceſſionem appel-
G lat, vt Verr. v. multis locis: cùm igitur centum puta tritici medimnos populo admenſi eſſent, vnum ſibi ſumebant.

Vt noſtri facere coactores. Hoc loco Publicanos, opinor, temporis cauſſa coactores appellat.

Deceſſionem de ſumma. id eſt, detractionem de ea ſumma quæ Gabinij nomine cogebatur.

Vndecim millia talentum. Nam ſi ex centum quæ

A cogi quærebantur, decumam Gabinio ſibi centeſimam coegit, relinquitur ſi decem millia Gabinio debita ſunt, mille ad eum rediſſe. Cùm enim decē millia pro decuma Gabinio coacta ſunt, centum millia regi coacta fuiſſe intelligitur, quorum centeſima pars ſunt mille. Demonſtrat igitur acceſſionem Rabirium non feciſſe: nam ſi fecit, ſequitur vndecim millia coacta fuiſſe. At teſtes de x. tantum millib. loquuntur.

Ad Gabinium peruenerunt. Auget more oratorū. B Dicendum enim potius fuerat, Gabinij nomine exacta ſunt.

Sed etiam ab his. Iudicibus qui in vtriuſque, id eſt, tam eius qui cœperit, quàm eius quo peruenerit iudicio iidem ſedebant.

Qui tandem conuenit. Quomodo non repugnat illud ipſum ſibi: Pro Flacco, in ædem ſacram reficiēdam ſe præſcripſiſſe dicunt, quod minimè conuenit: nam aut omnia occultè referenda fuerunt, aut apertè omnia.

C *Imponere tantum pati ſuis.* Emendo ex meo codice quem ſæpè commemoro, imponere tanto plus ſuis, vt ſit ſenſus: Non fuit Regi facile imponere ſuis plus tributi, acceſſionis nomine, tanta illa ac tā ingēti ſumma decem millium talentorum exacta. Cic. lib. accuſat. 3. Quid ad hanc impudentiam addi poteſt, ſi & æſtimauit tanti, vt homines ferre non poſſent, & tanto plus quàm erat ei conceſſum legibus imperauit.

Aderunt teſtes legati Alexandrini. Deeſſe appa- D ret ea verba, quibus C. Memmium interrogabat vnde Poſtumum probaret pecuniam ſibi Gabinij nomine coegiſſe. Legatos autem Alexandrinos intelligit eos, qui Alexandria euocati à Quæſtore fuerant, vt in C. Rabirium teſtimonium dicerent. Legati enim illi vocabantur, qui ex nationibus exteris vel ad laudandum vel ad accuſandum mittebantur, quoniam à ſuis ciuibus legationem accipiebant, quemadmodum ex orat. pro Flacco & libro Accuſ. ſecundo intelligi poteſt. Pro Flacco: Hermippus qui E hanc ipſam legationem quam habet non accepit à ſuis ciuibus, ſed ab vſque Tmolo petiuit: cui nullus honos in ſua ciuitate habitus eſt vnquam. Actione in Verr. 1. Videt etiam tot graues ab amiciſſimis ciuitatibus legationes cum publicis auctoritatibus ac teſtimoniis conueniſſe.

Soletne is dicere. Cùm à coactoribus imperatorū nomine pecunia redigeretur, ſolebat imperatoris nomen in tabulas expenſi & accepti, id eſt, Alexandrinorum & coactorum referri. qua de cauſſa ſi F poſtea quærendum ciuibus videretur, primum in eum cuius nomine redacta erat pecunia, accuſatio intendebatur, vt ſi furtum factū appareret, tum is quoque qui coegerat & acceſſionem receperat, in crimē ſimiliter vocaretur, vt eius cauſſa tamquam appendicula quædam cauſſæ iudicatæ & damnatę fuiſſe videatur. Pendet enim eius cauſſæ veritas, à prioris cauſſæ bonitate, nam ſi furtum decuma factum eſt, reddi quoque furti acceſſionem oportet. Neque prius intelligi poteſt furtúmne fecerit coactor, & in- G iuria corollarium acceperit, quàm iudicatum ſit furtum in ſorte ac principali factum eſſe. Cicero libro accuſationis ſecundo: Sed cùm ob tua decreta, ob imperata, ob iudicata pecuniæ dabantur, non erat quærendum, cuius manu numerarentur, ſed cuius iniuria quererentur.

Quæ mihi fuerit cur eundem defenderem. Nimirum A Pompeij beneficio adductus, cùm tamen diu multumque repugnaſſet. In epiſt. 2. earum quæ ad Q. frat. lib. 11. ſcriptę ſunt. Pompeius inquit, à me valde contendit de reditu in gratiam, ſed adhuc nihil profecit, nec ſi vllam partē libertatis tenebo, proficiet. Et epiſt. xv. defendiſſes, inquit, Salluſtius, idq; Pompeio contendenti dediſſes, etenim vehementer orabat. Sed præſtat ipſius Dionis verba ponere, ex quibus quemadmodum ſe res habeat, non eſt difficile intelligi: οἱ γὰρ (inquit) λαχόντες περὶ αὐτοῦ κρῖναι τό, B τε πλῆθος ἅμα φοβηθέντες, καὶ μηδὲν μέγα ἀπὸ τοῦ Γαβινίου λαβόντες (ὁ γὰρ ἅτε βραχυτέροις εὐθυνόμενος, καὶ προσδοκῶν καὶ τότε κρατήσειν, οὐ πολλὰ ἐδαπάνησε) κατεψηφίσαντο αὐτοῦ, καίτοι τοῦ πομπηίου πλησίον ὄντος, καὶ τοῦ κικέρωνος ἀγορεύοντος αὐτῷ. ὁ γὰρ πομπήιος κατὰ τὴν τοῦ σίτου πρόνοιαν, ἐπειδὴ πολὺς ὑπὸ τοῦ ποταμοῦ διέφθαρτο, ἐκδημήσας, ἅμα μὲν ὡς καὶ ἐς τὸ πρότερον δικαστήριον ἀπαντήσων (ἐν γὰρ τῇ Ἰταλίᾳ ἦν) ὑστερήσας δὲ αὐτοῦ οὐκ ἀπεχώρησεν ἐκ τοῦ προαστείου, πρὶν καὶ ἐκεῖνο τελεσθῆναι. Καὶ μέντοι, καὶ τοῦ δήμου ἔξω τοῦ πω- C μηρίου (τὴν γὰρ ἀρχὴν οὐδ' ἣν τὴν τοῦ ἀνθυπάτου ἔχοντι οὐκ ἐξῆν αὐτῷ ἐς τὴν πόλιν ἐσελθεῖν) ἀθροισθέντος, πολλὰ ὑπὲρ τοῦ γαβινίου ἐδημηγόρησε, καὶ γράμματά τε τινὰ παρὰ τοῦ Καίσαρος πρὸς ἑαυτὸν ὑπὲρ αὐτοῦ πεμφθέντα ἀνέγνω, καὶ τοὺς δικαστὰς ἱκέτευσε, τόν τε Κικέρωνα οὐχ ὅπως κατηγορῆσαι ἔτι αὐτοῦ ἐκώλυσεν, ἀλλὰ καὶ ὑπεραπολογήσασθαι ἔπεισεν· ὥστε καὶ ἐκ τούτου τό τε τοῦ αὐτομόλου ἔγκλημα καὶ ὄνομα ἐπὶ πλεῖον οἱ αὐξηθῆναι, οὐ μέντοι καὶ ὠφέλησέ τι τὸν γαβίνιον, ἀλλὰ τότε μὲν ἔφυγεν ἁλούς, ὥσπερ εἶπον, ὕστερον δ' ὑπὸ τοῦ Καίσαρος κατήχθη. Id eſt D Quibus enim ſorte obtigerat id iudicium ij, ſimul populum timentes, ſimul quod nullum a Gabinio munus acceperant (is enim leuioribus de cauſis in ius vocatus, nullos ſumtus iam faciebat, haud dubius cauſſa ſe tum quoque ſtaturum) reum damnauerunt: quamuis & Pompeius prope adeſſet, & Cic. pro Gabinio diceret. Pompeius qui ad rem frumentariam explicandā profectus vrbe erat (nam frumēti permultum exundatione Tiberis corruptum fuerat) ac tum in Italia verſabatur, ad hoc quoq; iudicium E vt veniret, ſicuti in priore adfuerat, properauit. Sed cùm ſerius veniſſet, ex ſuburbanis non ante receſſit quàm id conſummatum eſſet. Idemque populo extra pomœrium congregato, quia ipſi proconſulare imperium iam gerēti in vrbem venire non licebat, multa pro Gabinio verba fecit, recitatis etiam litteris, ad ſe pro Gabinij ſalute à Cæſare miſſis: iudicēſque deprecatus eſt. Ciceronemq; non modò à Gabinio accuſando auertit, ſed vt eiuſdem cauſſam ageret effecit: atque hinc Ciceronis nomen crimenq; F præfugæ auctum vehementius eſt. Nihil tamen ea Gabinio profuerunt: ſed exilio damnatus tum eſt, eumque Cæſar poſtea temporis reduxit. Itaque libro epiſtolarum ad Marium, ep. 1. cogor ait, nonnunquam homines non optimè de me meritos, rogatu eorum qui benè meriti ſunt defendere. Et apertius lib. ad Att. ix. epiſt. v1. Beneficium ſequor (mihi crede) non cauſſam, vt in Milone, vt in. ſed hactenus. Gabinium autem intelligit, cuius cauſſam ſicuti Milonis beneficio adductus non æquitate defenſionis G ſuſceperat: ſic enim ſcribit epiſt. ad Q. fratrem ſecūda, lib. 11. Ego tamen teneo ab accuſando (de Gabinio loquitur) vix me herelè, ſed tamen teneo, vel quod nolo cum Pompeio pugnare (ſatis eſt quod inſtat de Milone) vel quod iudices nullos habemus.

Mortales inimicitias. Dignitas & ornamentum huius orationis in verbi ambiguitate verſatur, quam ambi-

Dilogiam figuram appellari ſcribit Aſconius, cùm ambiguum dictũ duas res ſignificat. Mortales enim inimicitiæ dicuntur, quæ tantæ ſunt vt ſui quiſque inimici mortem exoptet, ſed mortalis præterea ſempiternis amicitiis opponens intelligi voluit, etſi grauiſſimæ eſſent inimicitiæ, & planè capitales, non tamen in omne tempus ſuſceptas ſed fragiles ac diſſolubiles fuiſſe, atque vt ita dicam temporales. In eandem rationem illud eſt Q. Cęcilij Metelli apud Liuium, vulgatum illud quia verum erat in prouerbiũ venit. Amicitias immortales, inimicitias mortales eſſe debere.

Cauſſam & illum & me vehementer ignoras. In orat. pro Roſcio Amer. Quod ſi quis eſt qui & ſi & cauſſam lædi putet, cùm Chryſogonus vituperetur, is cauſſam ignorat, ſeipſum prope non nouit.

Inimiciſſimus Gabinio fui. Cauſſa tantæ ſimultatis ex oratione pro Seſtio, & in Piſonem, & poſt reditũ intelligi poteſt. Erant eo anno Conſules L. Piſo & A. Gabinius, cùm Roma Cicero expulſus eſt; & eius cauſſæ vehementer obfuerunt. Luctum enim & deprecationem prohibuerunt: edixerunt etiam vt ad ſuum veſtitum ſenatores redirent, & cùm princeps P. Lentulus auctoritate & ſententia ſua cauſſam Ciceronis exulis ſuſcepiſſet, ambo ei Conſules vehementer etiam atque etiam reſtiterunt.

Me ſcilicet maximè. Propter infamiam, quòd homines, qui me in Gabinium teſtem fuiſſe intelligãt, ſi nunc auctoritate Pompeij eum defendam, fidem fallere putabunt. Sic enim ep. quadam ad Q. fr. Accuſaſſes, inquit Salluſtius, aut defendiſſes. Lepidum amicum Salluſtium, qui mihi aut inimicitias putet periculoſas ſubeundãs fuiſſe, aut (ſi defendiſſem) infamiam ſempiternam.

Quid? poſtea creditum? Emendo ex codice manu ſcripto *poſtea credendum?* vt paulò pòſt, quod legi ſolet, At ſi verum tum cum veriſſima fronte, ita emendo, *Tum dixerunt, cùm ſeueriſſima fronte dixerunt.*

Doceat nos verum, quid vultu? ſileant? Deprauatus apertè locus, emendo ex eodem codice: *Doceãt nunc verum eſſe quod vultu, aut ſileant?* Dici audiebamus de Alexandria, nunc cognoſcimus omnes illius pręſtigias, illinc, inquã, omnes fallacias, omnia deniq; ab iis malorum argumenta nata ſunt.

Audiebamus de Alexandria. Iam antea audiebamus ſolos Alexandrinos iſtas in nos ſtruere calumnias, nunc reipſa verum eſſe comperimus.

Malorum argumenta. In veteribus impreſſis *Minorum* legebatur corruptum ſcilicet à *malorum*: poſtea factum eſt alicuius emendatione qui de Numis mẽtionem factam eſſe meminerat, vt *Numerorum* ſcriberetur, vtrúmq; corruptè. *Malorum* igitur ex eodẽ libro correximus. Sunt autem argumenta malorum cauſſæ & fontes malorum in qua eadem ſignificatione vſurpaſſe videtur Tullius hoc verbum libro accuſationis quarto; Vidi, inquit, argenteum cupidinem cum lampade, quid tandem habuit argumenti, aut rationis res? quamobrem in eo potiſſimum Sthenianum præmium poneretur. Ouid. lib. 4. de Ponto.

Erroris nam tu vix eſt diſcernere noſtri
Sis argumentum maius, an auxilium.

Nobiſcum. Cùm pro Gabinio diceremus: Gabiniũ enim defenderat Cicero, ſicuti paullò ſuprà dictum eſt.

Quibus ſuperciliis. Quàm compoſito vultu ad ſeueritatem, & grauitatem.

Humeris geſtum agebant. Sublatis videlicet & e- A rectis, capitéque in humeros depreſſo. qui geſtus eſt eorum qui negant habere quod de alio querantur. Nam qui accuſant, neruos intendunt, & caput quoad poſſunt erigunt atq; extollunt.

Vbi ſemel quis. Vetus codex: *At vbi ſemel.*

Ei credi non oportet. Nam vt ex Apologia Socratis à Platone ſcripta intelligi poteſt, ij ſoli peierare exiſtimantur, qui nullos eſſe Deos credunt. Quamobrem cùm deeſſe putent, qui periurium vlciſcantur, iis fides nulla adiungenda eſſe videtur.

B *Iudices qui fuerint de reo.* Codex ſcriptus, *Qui ſederint*, vtrúmque rectè: ſed hoc Ciceroni familiarius.

Lites quò ea. Idem, *Lites enim quo ea*: id eſt, lites quę ex capite ſecundo legis Iuliæ ordebantur.

Qui damnatus eſt. Auget oratorio more, pro eo quod ſuprà dixerat, Qui ex cauſſa iudicata redundat reus.

Ergò is Gabinio. Deeſſe quædam apparet, ex quibus & iudicij peruerſitatem planius oſtendebat, & C Poſtumo nullam à rege ſolutam eſſe pecuniam inde probabat, quod nihil haberet, id quod ex iis verbis aduerſariorum apparet, quæ poſt ſequuntur; At habet, & celat.

Condemnato Gabinio. Tenebricoſus & perdifficilis locus, quem puto explanari niſi ſuperiore reſtituto non poſſe. Primùm enim cur cõdemnato Gabinio? cùm pauciſſimis antè diebus condemnatus eſſet: quemadmodũ inde apparet, quod ſupra dixit. Modò vobis inſpectantibus. & item. Dixerunt hic D modo. Præterea cur potius condemnato, quàm antè? an quia repetita pecunia regi redderetur? at ne Alexandrinis quidem à quibus accepta erat, ſed P. Romano addicebatur, vt paullo antè *Populus accepiſſet.* Cogitabunt igitur alij niſi moleſtum erit. Ego niſi reſtituto plenè loco nihil me adfirmare poſſe non inficior.

Duo lauta patrimonia. Patris Curij, cuius patrimonio & hereditate locuples in lucem ingreſſus eſt: & C. Rabirij à quo adoptatus & nomen & heredi- E tatem acceperat.

At permutata aliquando. Alicunde alij, alij *item aliunde.* Meus manuſcriptus, *Aliunde.* quod magis probo: Fiebant autem pecuniæ permutationes non vno modo: Nam ſi abs te certo loco pecuniam accipiam, & alibi procuratori ſuo ſoluam permutatio pecuniæ fieri intelligitur Eiúſque generis mentio fit ſæpè in epiſtolis ad Attic. vt epiſtola LAODICEAM, lib. v. epiſt. DE CÆLIO libro XII. epiſt. ANTEA lib. XV. epiſt. penult. lib. XI. Fieri quoque F permutatio tum dicitur, cùm non pecuniam, ſed alias quaſdam res, veluti merces mihi in ſolutum alio quodã loco adſignas, ſicut in hac ſpecie. Cùm enim exhauſtum eſſet Regis ærarium, tãtis imperatorum à quibus reductus erat ſolutionibus, ac propè exinaniti ciues tributis & vectigalibus, pecuniam Poſtumo debitam Alexandriæ ſoluere non poterat. Merces igitur ac pecunias quas Puteolis habebat ei adſignauit, quas Romam rediens acciperet.

Ductæ naues Puteolis ſunt. Puteoli eſt opidum in G Campania ſitum ad mare Thyrrenum, eo itinere quod Roma tritum eſt Alexandriam. Plinius in procemio lib. XIX. ſcribit Valerium Marianum à Puteolis nono die leniſſimo flatũ Alexandriam perductum eſſe.

Fallaces quidem & fucoſæ. Id eſt, quæ longè aliud erant, ac præ ſe ferebant. Obductæ namq; & opertæ

fuerant charta, vitro & linteis, quæ tria ſunt merciũ A
genera, quæ Alexandriâ Romam vehebantur. quẽadmodum ſcribit Plin. lib. xiii. cap. xi. & lib. xxxvi. cap. xxvi. Latebant autem ſub iis mercibus aliæ precioſæ, in quibus erat & pars aliqua pecuniæ.

Parua arctata plus. Emendo ex meliore codice: *parua atque arcta: quid amplius*? Eſt etiam in multis impreſſis: *quid amplius*? Cicero lib. Accuſ. iii. Quid amplius? minus te iugerum profeſſum eſſe dico.

In foro non haberemus. His verbis intelligi voluit
Orator minutum eſſe C. Rabirij cenſum, qui quadringentorum ſeſtertiûm eſſe debebat, vtpote equitis Romani. Tanta, inquit, illius paupertas eſſet, niſi C. Cæſaris liberalitate iuuaretur, vt annulum aureũ tueri non poſſet, & in forum vna cum ſui ordinis equitibus ingredi. Id quod extrema oratione clarius exponit: Atque in hoc foro veſtigium facere liceat, quod ipſum fortuna eripuerat, niſi vnius amici opes ſubueniſſent. B

Deſcripta ſuſtinuerunt. Deſcribere hoc loco partiri ſignificat & diſtinguere, quaſi diuerſè & ſeorſim C
ſcribere. Sumta ab exactoribus tributorum dicendi forma, à quibus partitè & ſeparatim ſingulorum nomina ciuium deſcribi ſolent, atque vt vulgò loquuntur, taxari. Cicero pro Flacco: in quo igitur Prætoris eſt diligentia requirenda? in numero nauium, & in deſcriptione æquabili ſumtus? & item: Deſcripſit autem pecuniam ad Pompeij rationem, quæ fuit accommodata L. Syllæ deſcriptioni, qui cum omnes Aſiæ ciuitates proportione in prouincias deſcripſiſſet. &c. Item de pet. conſul. fac vt planè iis in rebus D
deſcriptum ac diſpoſitum ſuum cuique munus ſit. Quod igitur hoc loco Cicero adfirmat, quæ multi homines neceſſarij deſcripta ſuſtinuerũt, ea vniuerſa ſuſtinere Cęſarem, hũc habet ſenſum: Cùm ſuum quiſq; partitũ & certum onus haberet, (onus autem officij intelligit, quo C. Poſtumum iuuabant) Cæſar ea omnia ſuſcepit ſolus, ac tàm eſt officioſus vnus & ſingularis amicus, quàm alij omnes ſimul antea officioſi fuerant. Id quod eo conſilio latè commemorat, quaſi iudices admonens ne committãt vt C. E
Cæſaris fauor, & in Rabirium voluntas atq; auctoritas nihil apud illorum animos momenti habuiſſe videatur.

Niſi verò mediocri virtute. Senſus eſt, Non tam amaſſet Poſtumum C. Cæſar, præſertim tam florenti & proſpera fortuna vtens, tantiſq; occupationibus diſtrictus, niſi ſingularem quandam miniméq; mediocrem in eo virtutem animaduertiſſet.

Adflictum & abſentem. A Cæſare videlicet qui F
tum erat cum imperio in Gallia: Romæ namque Poſtumum fuiſſe certum eſt. Vnde paulò poſt: Amiciſſimum hominem ſi honeſtate ſpoliatum audierit, nec ſine magno dolore feret. &c. quin etiam ſcribit Dion. lib. xxxix. extremo, Pompeium cùm ad vrbem commendandi Rabirij cauſſa veniſſet literas C. Cæſaris ad ſe ſcriptas pro muris recitaſſe, quibus eum vt Rabirio quibuſcumq; in rebus poſſet, ſubueniret, multis precibus rogabat.

Oblitum eſſe facile poſſit probare. Probare hoc loco nihil aliud eſt, quam efficere vt probum rectumque aliud videatur. In oratione pro Murena, Cuius G
reprehenſio me vehementer monet, vt vobis iudices, rationem facti mei probet. Erit igitur ſenſus, Tanta ſunt C. Cæſaris negotia vt ſi amicorum abſentium obliuiſcatur, nemini mirum videri debeat, ſi meminerit, & ſe tamen oblitum eſſe velit, ſimulare, improbari à nemine eius obliuio poſſit.

Pene populares. Id eſt multitudini iucundæ: cùm illa bonitas qua ſolet miſeris & adflictis ſubuenire à paucis ſpectetur & cognoſcatur. Vtramque enim cõfert inter ſe, vt maior eius bonitas videatur, quod eo conſilio latè diſputat, vt obſcurè ſignificet, ſi Rabirium iudices condemnent, itaque ſummam illam Cæſaris virtutem adſpernentur, ac parui ducant, fore vt Cæſar maxima adficiatur iniuria, ciuſque dignitas violetur, atque labefactetur.

Splendor ſui nominis. Sumta eſt tranſlatio ab iis, quorum oculi ſplẽdore Solis præſtricti, cernere poſtea commodè non poſſunt. Quod autem ſequitur LVMINIBVS officit, ab iis ſumtum eſt, quorum vicini ſublatis in ſummam altitudinem ædibus ſuis, luminibus obſtruere dicuntur & officere, quo minus aperto & libero adſpectu fruant.

Aſpernari ac refutari. Quoniã ea quæ refellimus & confutauimus pro nihilo ducuntur, factum eſſe arbitror, vt refutare interdum pro aſpernari & contemnere ſumatur Cic. de prouin. conſul. Semper illas gentes noſtri imperatores refutandas potius quã bello laceſſendos putauerunt.

Labefactandam illius dignitatem. Nimirũ C. Cęſaris. Nam ſi eius in Rabirium beneuolentiam, fauorem, ac ſtudium ſpernatis, imminuetur eius dignitas, fides atque auctoritas violabitur. Idem Cicero Epiſt. quadam ad Q. fr. de ſe & Cn. Pompeio ſcribit, cùm de accuſando Gabinio vrgeretur: Non putaſſet ſibi Pompeius de illius ſalute, ſed de ſua dignitate mecum eſſe certamen.

Iudicio & voluntate filius. Quem vulgò adoptiuum filium appellamus. Adoptatus enim fuerat ab eo Rabirius, ex quo & nomen ipſum, & patrimoniũ ampliſſimum acceperat.

Numo ſeſtertio addici. Figura dicendi, qua veteres vtebantur in auctione vel nullo vel viliſſimo pretio rem addictam ſignificabant. Valerius lib 5. de Gratis loquens, M. inquit, Cornuto prætore funus Hircij & Panſæ iuſſu Senatus locante, qui tum Libitinam exercebant, tum rerum ſuarum vſum, tum miniſteriũ ſuum gratuito polliciti ſunt, quia ij pro Rep. dimicantes occiderant: perſeuerantíque poſtulatione extuderunt vt exſequiarum apparatus ſeſtertio numo ipſis præſentibus addiceretur, quorum laudem adiecta lege conditio auget magis quàm extenuat.

At hoc etiam optat miſer vt condemnetur à vobis. Suſpicor mendoſum ac mutilatum eſſe locum. Neque etiam adduci poſſum vt credam dicere Oratorem C. Rabirium optare, vt peculatus damnetur: à quo eum quàm alieniſſimum eſſe docere conatus eſt. Præterea non cohæret quod de fide creditoribus præſtanda ſequitur, nam ſi reliqua Gabinianæ pecuniæ ſeruentur, ex eius bonis (id quod ex condemnatione ſequitur) tam exigua ſunt eius bona, vt nihil ſuperfuturum ſit, quo eius creditores abſoluãtur. Locum igitur ad hunc modũ emendandũ eſſe arbitror: *At hoc tamen optat miſer, vt ſi cõdemnetur à vobis, ita bona veneãt, &c.* Et ſanè cõtinuo ſubiungit nihil aliud niſi fidem curat: quod & cum ea lectione conuenientiſſimum videtur, & ad noſtram tuendam ſententiam vehementiſſimum.

Vt ſolidum ſuum cuique ſoluatur. Creditoribus nẽpe, à quibus pecuniam ſumſerat mutuo, quam Alexandrino Regi crederet. Sed hoc tamen loco quæri illud poteſt, cùm ſupra numum ſeſtertium in bonis Poſtumi fuiſſe neget, quomodo ex iiſdem bonis abſolui

ſolui creditores poterunt? Nec me latet hanc multis impedita videri poſſe quæſtionem, quo lubentius quid de ea ſentiã explicabo. Arbitror autem equidem intelligendũ hoc loco ac ſubaudiendum eſſe regulam, quæ ſæpè in libris noſtris ciuilibus vſurpatur & ſermone iuriſconſultorum trita eſt, ea dumtaxat in bonis cuiuſque eſſe videri, quæ deducto ære alieno ſuperſunt. Tanta autem fuiſſe Rabirij debita, vt ijs exſolutis ac deductis, ne vnus quidem ſeſtertius in eius bonis ſupereſſet.

Aduentitia pecunia. Id eſt quæ acceſſione aliqua adiecta eſt. Legitimam autem acceſſionem vt donationis, legati, hereditatis appellat Aſconius, Cicero pro L. Manilia: Mithridates autem & ſuam manũ iam confirmarat & eorum qui ſe ex eius regno collegerant, & magnis aduentitijs multorum regum & nationum copijs iuuabatur, quo tamen loco ſuũ animum legitur in meo codice manu ſcripto. Idem lib. ep. ad Att. 1. Vnam rationem non reiiciebam, vt ager hac aduentitia pecunia emeretur, quæ ex nouis vectigalibus per quinquennium reciperetur. Acceſſionem autem ſignificat vectigalium, quæ à Pompeio multis partib. aucta fuerant. Hoc autem propo-

A ſitum eſt oratori dicere, Tantum abeſt vt aduentitia illa pecunia quam petitis, ad poſtumũ peruenerit, vt ne ſua quidem illi ſit reddita.

Quod ſæpè audiui patri tuo. C. Curio: ſic enim duob. locis ſuperius eum appellat in orat. pro C. Rabirio perduellionis reo, mentionem facit Cicero eiuſdem C. Curtij, propinqui C. Rabirij qui iudicio clariſſimo peculatus crimine accuſatus, pro virtute ſua, honeſtiſſimè liberatus eſt. Ex quibus verbis adductus ſum in opinionẽ, & eum fuiſſe C. Rabiriũ B à quo Poſtumus adoptatus eſt, quem ea oratione defendit Cicero, & pro Curtij, *Curij* reponendum eſſe, de quo tamen eruditi & ingenioſi viri iudicare poterunt.

Rectis oculis hanc vrbem intueri. Nam ij qui ab vrbe expulſi ſunt ægritudine & dolore impulſi, ſæpè in eam oculos reflectunt: vt Catilina quem aiebat Cicero retorquere oculos ſæpe ad vrbem: & Cicero ipſe qui cum in exilium pulſus eſſet: τὰ πολλὰ (vt Plutarchus ſcribit) πρὸς τὴν Ἰταλίαν ὥσπερ οἱ δυσέρωτες C ἀφορῶν. Petit igitur ne reflexis & retortis oculis vrbem intueri cogatur, quemadmodum ij faciunt qui ſolum vertere coacti ſunt.

FINIS.

Q. ASCONII PEDIANI PATAVINI COMMENTAtiones in aliquot orationes M. Tullij Ciceronis.

In treis Verrinas, & quartæ initium.	*In Orationem contra L. Piſonem.*
In Orationem pro C. Cornelio.	*In Oratione pro M. Scauro.*
In Orationẽ contra C. Antoniũ, & L. Catelinam.	*In Orationem pro Milone.*

Franc. Hotmani in eaſdem notæ: primùm æditæ Anno. 1551.

FRANC. HOTMANVS I. C. STVDIOSIS.

QVAM ſit excellens ſcriptor Aſconius, nemo eſt eorum qui in eius libris verſati ſunt, qui non intelligat. Quòd ſi alij probatis & magnis auctoribus auctoritatem velint adiungere, non difficulter ij quoque de ea re tum ex Plinij tum ex Quinctiliani teſtimonio exiſtimare poterunt. quorũ alter inter ſuos auctores libro primo refert Aſconium, alter ei Latini ſermonis laudem & auctoritatem tribuit libro primo & tertio inſtitutionis oratoriæ. Fuit autem Aſconius, quemadmodum Euſebius ſcriptum reliquit, Neronis tempore, ætatémque ad annum quintum & octogeſimum perduxit, captus luminibus annum agens ætatis tertium & ſeptuageſimum. quo poſt tempore magno apud omnes in honore & gratia propter admirabilem doctrinam fuiſſe traditur. Scripſit in multas Ciceronis orationes commentarios ſanè doctos, in quibus, non, quod pleriq; hodie faciunt inepti homines, artificium modò tropotum & ſche-

matum perſecutus eſt: ſed cum obſcuros locos perſpicuè, & mira tamen breuitate illuſtrauit, tum quæ ad hiſtoriæ cognitionem pertinebant, ita diligenter & accuratè complexus eſt, vt, niſi dei benignitate extarent hæc illius præclara monimenta, profectò reip. Romanæ hiſtoriam magis mutilam & contaminatam haberemus. Scripſit autem ſuis filiis, ſicuti in Milonianæ commentariis oſtendit his verbis, Quid ſit diuidere ſententiam vt enarrandum ſit, veſtra ætas, filij, facit. Sed quemadmodum in vita magnum vulnus accepit Aſconius, orbatus videlicet vſu præſtantiſſimæ, & nobiliſſimæ partis ſui corporis; eodẽ modo ingenti profectò calamitate poſt mortem affectus eſt, amiſſa hominum ac temporum vitio maxima & pulcherrima parte eorum quæ literis mandauerat: eáque inſuper ipſa quę nobis reliqua facta eſt multis mendis & quaſi maculis inquinata. Quòd niſi aliquod ætatis noſtræ eruditi homines in iis repurgandis operam ſuam collocaſſent, iacuiſſet profectò Aſconius nullo numero & planè ad nullam rem vtilis. Fuere autem qui Aſconium emendare conati ſunt primùm Budęus, & Aluarus quidam, vt teſtatur Tiletanus Pariſienſis Typographus, homo non indoctus: quos ſecuti ſunt magna cum laude duo ætatis noſtræ doctiſſimi & clariſſimi viri, Petrus Danęſius, & Paulus Manutius. Verùm hanc illorum fuiſſe in hoc præclaro & laudabili inſtituto rationem atque voluntatem, vt alios præterea ab hoc eodem ſtudij genere omnes repellerent, minimè equidẽ arbitror. Præſertim verò ſi ea quis præſidia ſe afferre oſtẽderet, quibus nos inſtructos ad hoc negotium deſcendiſſe profiteri poſſumus: auctoritatem videlicet antiqui & manu ſcripti codicis, & aſſiduitatem lectionis Aſconij, cum ſumma & accurata diligentia coniunctam: quæ duo vel maxima adiumenta eſſe homini ad iſtam ſe ſtudiorum rationem comparanti, ſatis conſtat. Mihi enim & antiqui libri fuit facultas, quod cùm ſit in hoc genere præcipuum, ſibi tamen hoc ſubſidij defuiſſe alij minimè diſſimularunt. Et cùm earum orationum Ciceronis, quas Aſconius interpretatur: partem maximam exponendam ſuſcepiſſem, equidem ſummam operam adhibui, vt illius interpretationem, quam alij adhuc locis propè innumeris laceram & mutilatam reliquerant, quoad eius facere poſſem, correctam & emendatam illis traderem. Sed illud quidquid eſt, quod nos in hoc opere præſtitiſſe profitemur, operæ precium eſt exponere. Mea quidem ſemper in hac re fuit ratio atq; ſententia, primùm vt quid eſſet Aſconij re vera, & ſine dubio: tum quid eſſet eiuſdẽ aliorum iudicio & coniectura clariſſimè & apertiſſimè notaretur. Neque enim eorum vnquam libertatem, ne dicam audaciam probauimus, qui cùm dixiſſe aliquid auctorem quempiam ſuſpicantur, repente illud vulgata lectione ſublata reponendũ putant. Ex quo quidẽ illud mali accidit neceſſariò, vt apud multos auctores multa hodie perperam ſcripta reperiantur: quæ tamen ne ab exercitatiſſimis quidem hominibus emendari poſſint. Quo ſanè incommodo nuper ipſe quoque Aſconius affectus eſt, dum, ſublata ac profligata ſcriptura vetere, quidam impreſſores librorum ſuas nobis coniecturas pro verbis Aſconij venditarunt, nullam antiquæ lectionis mentionem facientes: quam tamen nouis illis coniecturis nonnunquã meliorem, certè ad veritatem indicandam accommodatiorem fuiſſe non difficile erat intelligi. Hanc igitur illorũ audaciam prorſus fugiendam putauimus, & deſcriptum ex noſtro codice exemplar imprimendum Typographo tradidimus: ita tamen vt ſi quid vſpiam corruptum aliquis eorum quos nominauimus emendaſſet, id quemadmodum factum eſſet, extremo volumine notaremus. In quo ſanè minimè quorũdam exemplum ſecuti ſumus: qui cùm aliorum inuentis plerunque pro ſuis vterentur, nominare tamen neminem voluerunt: ſibi videlicet alienę induſtriæ laudem & gloriam vindicantes. Nam & quid ab ipſo eſſet Budæo collatum, & quid Petri Danæſij fateretur eſſe Manutius, & quæ denique ipſe quoq; Manutius præſtitiſſet, quæ ſane & multa ſunt, & perquam acutè ac prudenter excogitata, ea ſuo cuique auctori aſcribenda curauimus. Quem laborem quia publicæ vtilitatis cauſſa ſuſcepimus, ſtudioſis probatum iri confidimus, ſperamus quidem certe æſtimatoribus non iniquis. Quod ſi hæc alij tanquam minuta & ieiuna repudient, proferant modò illi aliquid ſplendidius atque vtilius, magnam profectò ijs gratiam pro beneficio accepto habebimus.

Q. ASCO-

Q. ASCONII PEDIANI PATAVINI

COMMENTATIO LOCORVM OBSCVRORVM EX oratione M. Tullij Ciceronis in Qu. Cęcilium, de accuſatore in Verrem coſtituendo, quæ Diuinatio dicitur.

ARGVMENTVM.

CN. Pompeio primum & M. Craſſo Coſs. C. Verres perfunctus Quæſtura, Legatione, & Prætura vrbana, viuo patre C. Verre, & prætextato filio, ac filia nupta, vxorem habens, cum ſucceßiſſet in Sicilia C. Sacerdoti Prætori, eámq; non ſibi ſuccedente Arrio, per triennium tenuiſſet, atque in ea fuiſſet libidinoſe auare, crudeliterque verſatus, ſuccedente tandem in eadem prouincia L. Metello, repetundarũ reus ab Siculis poſtulatus eſt: qui omnes, præter Syracuſanos, & Mamertinos, M. Tullium, illo tempore florentem defenſionibus amicorum ad accuſandum deſcendere compulerunt, iam pridem illis neceßitudine copulatum, quòd Quæſtor in Sicilia fuiſſet Prætore Sex. Peduceo, & quòd, cum decederet, in illa oratione, quam Lilybæi habuit, multa iis benigne promiſiſſet. Acceßit his, non ignobilis futura de Verre victoria, quia à Metellis, Scipionibus, & multis aliis nobilibus viris, & præcipue ab Hortenſio ipſo defenderetur, facile & principe in ſenatu propter nobilitatem, & in foro ab eloquentiam rege cauſarum, & eodem Conſule deſignato cum Q. Metello fratre Metellorum, alterius Prætoris Siculi, alterius Prætoris vrbani. His ita conſtitutis, extitit Q. Cæcilius Niger, homo Siculus, & Quæſtor Verris, & eiuſdem, vt ipſe dicebat, inimicus, qui ſe potius accuſatorem contenderet conſtitui oportere, has afferens cauſſas: vnam, quod ab eo læſus, & ob hoc iure illi ſit inimicus, quare preuaricator eſſe non poßit: alteram, quòd, cum Quæſtor ei tum fuerit, etiam ipſe in quæſtione crimina nouerit Verris: tertiam, quòd Siculus pro Siculis agat. Huiuſcemodi propoſitionibus Cicero deſignatus Aedilis his ſex capitibus reſpondet: accuſatorem eum eſſe oportere, qui inuitus cogitur religione officij, rogatus ab omnibus Siculis, qui pro Republica agat, quem volunt, qui accuſant, quem metuit, qui accuſatur, qui idoneus eſt facundia & innocentia, qui hoc facit imitatione maiorum. Diuiſio principalis vna de ſe ipſo, altera de contentione ſui & Cæcilij. Diuinatio dicitur hæc oratio, quia non de facto quæritur & coniectura, ſed de futuro, quæ eſt diuinatio, vter debeat accuſare. alij ideo putant diuinationem dici, quòd iniurati iudices in hac cauſa ſedeant, vt, quod velint, præſentire de vtroque poßint. alij, quòd res agatur ſine teſtibus, & ſine tabulis, & his remotis argumenta ſola ſequantur iudices, & quaſi diuinent. agitur autem cauſa ſenatoriis iudiciis in inuidia apud populum conſtitutis corruptione multorum, vexatis prouinciis omnibus, ac ſociis populi Romani feßis toto orbe terrarum, libidine & iniquitate Romanorum magiſtratuum, accuſatoribus præuaricatione infamibus, flagitante plebe iudicia equeſtris ordinis, quæ ferè ante annos x. victor Sylla ſuſtulerat, cognoſcente de pecuniis repetundis M. Glabrione Prætore, & amplißimis quibuſque ſenatorij ordinis iudicantibus, ſumma expectatione cunctorum. Genus cauſæ honeſtum. Status, qualitas negotialis comparatiua de conſtituendo accuſatore, qui potißimum de duobus, aut qui ſolus accuſet. dicit enim Cæcilius, aut à ſe accuſandum eſſe Verrem, aut à ſe quoque.

Initium expoſitionis.

SI QVIS *veſtrum iudices.* Hoc toto capite ſolœciſmi ſpecies continetur, niſi addas ET, aut IDEM: vt ſit, ET ſubito nunc mutata voluntate ad accuſandum deſcenderim: quare multi non, deſcenderim, legunt ſed Deſcendere.

Eorum qui adſunt. Coronam populi dicit, circum ſubſellia ſtantem.

Cauſis, iudiciiſque publicis. Iam hoc contra Cæcilium eſt, qui nunquã ſui periculum fecit. Cauſę autẽ etiam priuatæ ſunt: ſed repetundarum, ambitus, maieſtatis: & cæteræ, Reipublicę cauſa conſtitutæ ſunt.

Vnà & id, quod facio, probabit. Principalis diuiſio huius cauſæ bipartita eſt, vtrum recte Cicero accuſet, & vtrum Cæcilio ſit anteponendus.

Cum Quæſtor. Elatorie. cum enim à duobus Quęſtorib' Sicilia regi ſoleat, vno Lilybætano, altero Syracuſano, ipſe verò Lilybætan' Quæſtor fuerit. Sex. Peduceo Prætore: omnibus tamẽ ſe placuiſſe dixit.

Siculis omnibus. Narrationem in exordio multi admirantur, ac reprehendunt, ſed nõ recte, eſt enim argumentalis narratio ad priorẽ diuiſionẽ: in qua quaeritur, an recte Cicero ex defẽſore accuſator effect' ſit.

Veteribus patronis multis. Siculi veteres patronos habebant: in quibus Marcellus, à Marcello ortus, qui Syracuſas victor ſeruauit incolumes. Scipiones, quorum auctor P. Scipio Africanus, Carthagine exciſa, Siciliæ ornamenta retulit ſua, quibus quondã à Pœnis victoribus ſpoliata erat: Metelli, quorum familia proxime Siculis patrocinium præbuit, cum fuit reus M. Lepidus in ea prouincia Prætor, inſtãtibus ad accuſandũ eum Metellis duobus, Celere, & Nepote.

Populati, atque vexati. Populati auaritia, vexati libidine & crudelitate.

Cuncti. Simul omnes quaſi coniuncti.

Cauſam defenſionémque. Cauſa genus eſt ad accuſationem, & defenſionem. & mire defenſionem vult eſſe, non accuſationem.

Sæpe eſſe pollicitum. In ea oratione, quam decedẽs Lilybæi habuit.

Veniſſe tempus aiebant. Vt Terentius: Hoc hercle factum eſt: fac, vt promiſſa appareant.

Seſe iam ne deos quidem in ſuis. Mire imitatus eſt: verba Siculorum, dolore oxymora, & inania: quaſi deos non habeant, qui ſimulacra perdiderunt. Delubra verò templa eſſe hic aliter oſtendit Tullius, aliter eum dicit templis atque delubris, & ſunt qui tẽpla eſſe dicant ſingulorum diis attributorum locorum, delubra multarum ædium ſub vno tecto à diluuio pluuiæ munitarum. alij delubra dicunt ea templa, in quibus ſunt labra corporum abluendorum, mortuorum, vt Dodonæi Iouis, aut Apollinis Delphici, in quorum delubris lebetes tripodéſque viſuntur. ſunt etiam, qui delubra ligna delibrata, id eſt, decorticata, pro ſimulacris deorum more veterum poſita exiſtiment, ſed male.

Per triennium. Expectabat Arrium prouincia Siciliã ſucceſſurum Verri, qui non ſucceſſit. hinc triennium Verris Prætura durauit.

Rogare & orare. Rogare vt hominẽ, orare vt deos. iam enim, quibus id facerent non habebant.

Quos me incolumi nemini ſupplices eſſe opporteret. Superbiſſimum videretur, ſi addidiſſet Alteri: vt eſſet, Nemini alteri. Nunc hoc non addidit: quaſi nec ipſi Tullio ſupplicare debere intelligatur. quanquã

A eum anaphora ſit ad perſonam Siculorum non videretur inuidioſe orator dicere, quæ Siculos dixiſſe commemorat.

Grauiter, & acerbe. Grauiter quod accuſare volebam: acerbe, quod Siculorum iniuriis affligebar.

Multorum bonorum exemplo. Ipſe mox dicet, quo exemplo optimorum virorum.

Vetere conſuetudine. Quia viri robuſtiores accuſare conſueuerant, non, vt nunc, adoleſcentuli.

Non ex meo. Vt Cæcilius, qui inimicitias perſequi-
B tur ſuas.

In Achaia, Aſia. In his prouinciis Legatus & Proquęſtore Dolabellę C. Verres flagitia multa cõmiſit.

Romæ denique. In Prætura vrbana.

Populata, vexata. Non à Verre tantum, ſed ab omnibus. hoc enim vult intelligi, prodeſſe ſe velle Reip. accuſationis exemplo.

Socij. Non Siculi tantũ, ſed per omnes prouincias.

Accuſatores ſe idoneos non habere. Cæcilium tangit.

Populus Romanus interea, tametſi multis incommo-
C *dis.* His enim x. annis victore Sylla ciuilibus bellis ſpoliatus eſt populus Romanus poteſtate tribunitia, iudicandi iure, quod habuit: per equites Romanos, militaris arbitrio creandorum ſacerdotum ſenatus aut iudicium.

Difficultatibus. Propter plebem ruſticam, quæ partim agros, partim ius ciuitatis amiſit, partim omnino proſcripta eſt victore Sylla, quod plebs Romana de Marianis partibus fuerat. difficultatem enim paupertatem ſignificat. Terẽtius è contrario:

D Quàm vos facillime agitis. & ipſe alibi,

In ſumma difficultate eſſe nummaria.

Iudiciorum deſiderio tribunitia poteſtas efflagitata. Primus Sicinius Tribuns pl. nec multo poſt Quintius, & poſtremo Palicanus, perfecerant, vt tribunitiam poteſtatem populo redderent Coss. Cn. Pompeius Magnus, & M. Licinius Craſſus.

Ordo quoque alius ad res iudicandas poſtulatur. C. Gracchus legem tulerat, vt equites Romani iudicarent. iudicauerunt per annos x l. ſine infamia. poſt
E victor Sylla leges tulerat, vt ſenatorius ordo iudicaret: & iudicauit per x. annos turpiter. nunc Aurelius Cotta legem fert, vt ſenatores, & equites Romani, ac tribuni ærarij ſimul iudicent. hoc eſt, quod Tullius dicit offenſione ſenatorij ordinis fieri. & bene addit, QVOQVE, vt, ſimul iudicaturos alios eſſe, monſtraret.

Etiam cenſorium nomen. Regendis moribus ciuitatis Cenſores quinto quoque anno creari ſolebant. hi prorſus ciues ſic notabant, vt qui ſenator eſſet,
F eiiceretur ſenatu, qui eques Romanus, equum publicum perderet, qui plebeius, in Cæritum tabulas referretur, & ærarius fieret, ac per hoc non eſſet in albo centurię ſuæ, ſed ad hoc eſſet ciuis tantum, vt pro capite ſuo tributi nomine æra penderet. iidem completo quinquennio vrbem luſtrabant, & Soli taurilia ſacrificia de ſue, oue, tauro faciebant. eorum notam ſucceſſores plerunque ſoluebant. hoc igitur tam triſte ſeuerúmque nomen populus Romanus ſic oderat, vt intermiſſum eſſet per plurimos annos, quos
G nunc orator propter infamiam corruptorum iudicũ dicit plebem ipſam, quæ ante recuſabat, expoſcere.

In hac libidine hominum nocentiſſimorum. Qui prædantur ſocios populi Romani.

Totius ordinis Senatorij ſcilicet.

Cogni-

Cognitorem iuris ſui. Qui defendit alterum in iudicio, aut patronus dicitur, ſi orator eſt, aut aduocatus, ſi aut ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico, aut procurator, ſi negotium ſuſcipit, aut cognitor, ſi preſentis cauſam nouit, & ſic tuetur, vt ſuã. ergo cognitorem dixit modo, familiariſſimum defenſorem.

De quo non præiudicium, ſed planè iudicium. Præiudicium dicitur res, quæ cum ſtatuta fuerit, affert iudicaturis exemplum, quod ſequantur. iudicium autẽ res, quæ cauſam litémque determinat.

Non præiudicium. De Verre iam factum eſt à populo R. iudicium, eum ſpoliauiſſe prouinciam, & contra leges predatum eſſe: quòd Siculi, qui antea legati publice, teſtimonium dixerãt, actoré cauſæ ſuæ contra Verrem Tullium quæſiſſent.

Ne nimium familiariter inimicitias. Senſus eſt per iocum hæc ſignificans quaſi dicat, videto Cæcili, ne nimium amice inimicitias exerceeas, hoc eſt, ne inimicum fingas, vt præuaricari poſſis.

Deinde ſunt teſtes viri clariſſimi. Ordo, & ſenſus hic eſt primũ cauſam inimici tui ſubleuando non videberis accuſator: deinde teſtimoniis conuinceris in eo, quòd negas me à Siculis eſſe delectum.

Scit is, qui eſt in conſilio, C. Marcellus: ſcit, is, quem adeſſe video. Cn. Lentulus Marcellinus. Et Marcellus, & Marcellinus inter ſe gentiles ſunt. qua re reddidit rationem, cur iſti Siculorum patroni ſunt: ſcilicet, quia à M. Marcello originem ducant, qui Syracuſas cœpit, nec tamen deleuit.

Veſtrum iudicium ab ſuo iudicio. Non dixit, ab ſua voluntate, vt præſcribat iudicibus, ſequendum eſſe Siculos: quod paulò antè tentauit.

Duo crimina vel maxima. Per vnã furatus eſt, Syracuſanam: per alteram furta exportauit, hoc eſt Mamertinam. ſed leuiter hoc præterit, quòd illos quoq; conatur à laudatione Verris abducere. Syracuſanorum autem crimina alij etiam de Heraclij bonis, quę cum palæſtritis partitus Verres eſt: & de Cleomenis Nauarchi flagitio, & de aliis multis rebus interpretantur. Mamertinorũ, de naui quam Verri fecerunt, & quam pop. R. ex fœdere non exhibuerunt, multis aliis immunitatibus contra fas remunerati. &, Duo crimina, generaliter, nam multa ſunt.

Vt oculis iudicare poſſitis. Hoc quidã leuiter à Cicerone dictũ & neoterice putant. ſed aptum eſt aſſeuerationi.

Cur hoc mihi detrimento eſſe debeat. Cur hoc me in hac cauſa debeat impedire.

Temporis, valetudinis, facultatis. Tẽporis, Marcelli iudicantis tunc: valetudinis, Marcellini, quod erat tũc infirmior valetudine corporis: facultatis, alterius Marcelli, iuris magis ſtudioſi, quàm eloquentiæ.

Quàm neminem. Ac per hoc neminem Cæcilium significat.

Ciuili ferè actione priuato iure repetuntur. Recte: hoc enim iudicium pecuniarum repetundarum publicum eſt.

Hanc habent arcem. Arx vel ſedes tyranni dicitur, vt ſæpe alibi, vel editus in ciuitate & munitior ad ſalutem ciuium locus, vt Verg.

Quo res ſumma loco Panthu, quã prendimus arcẽ. ergo prima ſpes in muris eſt, ſecunda in arce, ſi muros hoſtis irruperit.

Non modo à populo Romano. Cur à populo Romano, ſi ſocialis eſt? quia ipſi ſocij populi Romani ſunt.

A *Quod in vnaquaque re.* Leges Hieronicas, Rupiliáque dicit, aut regis ſui, aut Rupilij de x. Legatorum ſententia conſtitutas.

Eripuiſti, atque abſtuliſti. Eripuiſti, quidquid auri & gemmarum: abſtuliſti, quod in vnaquaque re beneficio ſenatus populique Romani iuris habui.

Seſtertium millies ex lege repeto. Fruſtra calumniãtur Ciceronem homines, & modo eum ſeſtertium millies dicunt repetere, modo quadringenties: cum primum non ſuo ore, ſed Siculorum loquatur accu-
B ſatorie vociferantium: deinde, ſi maxime ad eum ſunt referenda quæ dicit, adhuc non inſtructus ſit contra Verrem, nec ad plenum nouerit cauſam: Tertio, cur aut calumniatoris, aut præuaricatoris perſonam ſubeat, cum aliud iam agatur? non enim de cõdemnando Verre, ſed de conſtituendo accuſatore confligitur. poſtremo, cur id fraudi ſit Ciceroni, cũ ad tempus oratorum dicta proferantur; nam eodem modo erit contrarium præſenti actioni, quod alibi dicit, (oratione ſcilicet tertia) victum à ſe Cęcilium,
C Quæſtorem fuiſſe, qui idoneas cauſas ad accuſandũ Verrem multas protuliſſet.

Accedere, aut aſpirare. Accedere, eſt proximum fieri: aſpirare, in eam partem, qua quid quęſitum eſt, vultum & oculos ac ſpiritum oris aduertere.

Etiam ſi tacent, ſatis dicunt. Tale illud eſt: Cum tacent, clamant. &, Victoriam ipſam viciſſe videris. &, Philoſophandum eſt, etiamſi non eſt philoſophandum. hæc in loco nec oxymora nec cacozela iudicanda ſunt: aut enim inferioribus dictis, aut ſupra
D poſitis leniuntur: vt eſt illud: Vereor, vt hoc, quod dicam, perinde intelligi poſſit auditu, atque ego ipſe cogitans ſentio. & illud quod ſequitur, Verum non tacent.

Te ipſum vlciſcantur. Vlciſcor & punio ſignificat, & vindico: nunc ergo, puniant, intelligemus.

Ecquis vnquam tam palàm de honore, tam vehemẽter de ſalute ſua contendit. Bene diſtribuit: omnis enim ſtudioſa contentio aut de honore, aut de ſalute præcipuè eſt.

E *Non enim, inquit, illud peto, quod ſoleo, cum vehementius contendi impetrare.* Acriter ipſum inducit Hortenſium confiteri conſuetudinem ſuam in corrumpendis iudiciis peruagatam. & addit, videri ſibi tantundem ſe impetraturum à iudicibus corruptis, ſi Cæcilius conſtituatur, quantum ſi planè abſoluatur Verres. & eſt ordo & ſenſus. Non enim, inquit, illud peto, quod ſoleo impetrare à iudicibus, cum vehementius contendi. quid? hoc ſcilicet, reus vt abſoluatur: non id peto. CVM VEHEMENTIVS CON-
F TENDI: cum pecuniam iudicibus dedi. ſignificat iudicium corrumpi. ſed quare non aperte dicit? quia ipſum Hortenſium inducit loquentẽ: & omnes homines facinora ſua honeſtius leuiúſq; pronunciant.

Quod facile eſt, quod honeſtum, quod non inuidioſum. Scilicet vt à Cæcilio Verres accuſetur, quo facto & non damnabitur reus: &, cùm hoc egerint iudices, tamen non videbuntur eſſe corrupti, cum tantundem fecerint.

Cuius ego cauſa laboro. Inepti ſunt homines, qui
G hanc clauſulã notant, vt malam: cum ſit ex Spondeo & Bacchio de induſtria durior ad exprimendam ſententiam poſitam, more Ciceronis, vt alibi idem: Non tu eum patria priuare, qua caret, ſed vita vis.

Aliquis metus adiunctus ſit ad gratiam. Id agit corruptor, vt gratioſus iudex non ſolum velit ſeruare corruptori ſuo fidem, verum etiam aliquid

habeat, cur vel inuitus cogatur ad cuſtodiendam pactionem promiſſæ à ſe gratiæ. quid autem eſt, quòd metum adiungat ad gratiam? ſcilicet aut cuſtos, aut ſignum, aut aliquid eiuſmodi.

Certos. Aut ob hoc, quòd ſententiam ſuam, cur quiſque damnaret, aut cur quiſque abſolueret, priua dixiſſet: aut ideo certos, quaſi ſequeſtres huius rei inter iudices ſe habere dicit Hortenſius, quibus, antequam tabulas in vnũ omnes coniiciant, atque confundant, furtim oſtendant, quam quiſq; ſententiam conſtituendo accuſatori conſcripſerit.

Non enim ſingulos ferre ſententiam, ſed vniuerſos cõſtituere. In diuinationibus & in aliis cauſis maioribus vniuerſi iudices in ciſtam tabulas ſimul coniiciebãt ſuas, eáſque inſculptas literas habentes, A abſolutionis, C condemnationis: cùm de alicuius capite agebatur, N L, ampliationis: his enim literis ſignificabãt non liquere. Vult ergo corruptionis tantã ſolicitudinem circa iudices eſſe Tullius, vt hac religione iniecta pro ſe iudicent. ſinguli autem ſententiam de tabula pronunciabãt in leuioribus cauſis, & ob id ipſum neq; nota, neq; cuſtode op' fuit, cur corruptor iudicum adiungeret metum ad gratiam iudicantis. Conſtituere autem, tabulas in ciſta ponere, ſignificat magis, quàm decernere.

Ceratã vnicuique tabellã dari cera legitima. Terẽtius Varro frater C. Varronis conſobrini M. Tullij, reus ex Aſia apud L. Furium Prætorẽ primò de pecuniis repetundis, deinde apud P. Lentulum Suram eſt accuſatus, abſolutúſq; eſt à Qu. Hortenſio, qui corruptis iudicibus hunc metum adiunxit ad gratiã, vt diſcoloribus ceris inſignitas iudices tabellas acciperent, vt timeret vnuſquiſque eorum ne fidem pactionis non ſeruaſſe videretur, ſi non in tabula, quã vnicuique datam meminiſſet Hortenſius, ex nota ceræ ſcilicet diſcoloria, abſolutũ Varronẽ reperiret.

Non illa infamis ac nefaria. Mire ex ipſius Hortenſij perſona hoc dicitur. quæ ſæpe virtus maxima Ciceronis in huiuſmodi allocutionibus inuenitur.

A pueris nobilibus. Appio Claudio adoleſcẽte nobili: qui cùm accuſaret Terentium Varronẽ repetũdarum reum ex Aſia, victus ab Hortenſio eſt: in quo iudicio diſcoloribus ceris ſigna ſententiarum notabantur. ſignificat & Cæſarem, item adoleſcentẽ, in Dolabella reo ex Sicilia, qui quidem damnatus non eſt quantũ oportuit, per Hortenſij gratiam, nã ſi non damnatus eſt Dolabella, quo modo poſtea dicit Tullius: Iamiam Dolabellæ neque me tui, neq; tuorũ liberum, quos tu miſeros in egeſtate ac ſolitudine reliquiſti, miſeret. ſignificare poteſt ſanè etiam Scaurũ, qui alterum Dolabellam conſularem triumphalémq; accuſauit: & potuit eidẽ Hortenſius reſiſtere.

Si à quadruplatoribus. Quadruplatores delatores erant criminũ publicorũ: in quare quartã partem de proſcriptorum bonis, quos detulerãt, aſſequebãtur. Alij dicunt quadruplatores eſſe eorum reorũ accuſatores, qui conuicti quadrupli dãmnari ſoleant, vt aleæ, aut pecuniæ grauioribus viuris fœneratæ, quã pro conſuetudine: aut eiuſmodi aliorum criminum.

Ad viros fortes. Quàm graue futurum erat, ſi, Ad me, diceret, cùm de illo ſpecialiter, nominatímq; dicat. & viros contra pueros nobiles ponit, ſpectatos contra ſordidum quadruplatorum genus.

Totã eſſe mutandã. Amarè totã dixit: quaſi ex nulla parte bonam rationẽ defendendi habeat Hortenſius.

Meliore conditione ſit. Id eſt, meliorem conditionem habeat, meliórq; ſit: quippe qui & poſſit, & de-

A beat honeſte agere: & hoc ſit facilius, quàm corrumpere iudices.

Homines eos quos ipſe vidit. Bene, ipſe vidit, maior enim eſt Hortenſius Tullio: adeo, vt in libris, qui de oratore ſcribuntur, etiam laudetur Hortenſius à L. Craſſo, & M. Antonio. hos ante ſe Cicero, Catonémq; veneratur, & multos alios, quos & de Oratore, & in Oratore, & Bruto collegit. ſed Craſſum & Antonium vidit Hortenſius: alij vetuſtiores ſunt.

Sine magno multorum periculo poſſe corrumpi. Bona

B occaſione ſubtiliter & iudicibus comminatur, & Siculis acrimoniam ſuam in accuſando demonſtrat.

Suſceptam. Suſcipitur totum: recipitur pars. ſuſcipitur, quod principale eſt: recipitur, quod hinc pendet. ſuſcipitur ſolum aliquid propter ſe: recipitur etiam propter aliud.

Vt mihi non vnus improbus. Verres.

Omnis improbitas. Et corrupti iudices, & corruptores eorum, & ſequeſtres, & interpretes, & emiſ-

C ſarij, & omne quod vitij eſt.

Tu te tui periculum. ἀπὸ τῆς πείρας, tentamentum dicit. hoc eſt quando tu te ipſe tentaſti? quando vel exercuiſti, vel protuliſti.

Vitam alterius totam explicare. Præſtruit ad illud quod dicturus eſt, multa eſſe crimina in Verre, quæ conſcius ſocietatis Cæcilius nõ audebit attingere. & hoc innocentiæ eſt, Vitam alterius totam explicare, illud eloquentiæ. Atque ea non modo in animis iudicum, & quod ſequitur.

D *Sociorum ſalutem, commoda prouinciarum.* Hoc eſt cauſſam patriæ ſuſcipere: vt recepiſſe ſingulorum.

Rationem vita repoſcere. Accuſatorem eſſe.

Sua reddere. Defenſorem.

Niſi à Siculis potuiſſe cognoſci. Aut quia Siculus ipſe eſt: aut quia, niſi Quæſtor in Sicilia nihil aliud fuit Cæcilius, in quo noſceretur quid hominis eſſet.

Vt eſt hominum genus. Amariora dicturus ad Siculorum perſonam contulit dicta.

Deportare literas. Aſportare aliquid, vt intereat: deportare, vt mutet locum.

E *Deinde accuſatorem firmum, verúmque eſſe.* Firmũ, vt poſſit: verum, vt velit.

Potamonem ſcribam & familiarem. Hæc omnia ſigna ſunt falſi accuſatoris.

Lectiſſimum adoleſcentem. Vera laudatio. vult enim illum non vt inimicum fratris contra germanitatis officium eſſe cum Verre, ſed ideo quod Cæcilius quoque Verri carior ſit.

Quæritur Sicilia tota. Inepte quidam mirantur, cur

F hæc Tullius in accuſando Verre non obiecerit Cæcilio, & multa alia: & non intelligunt hæc ad tempus commode adiungi, quæ victo Cæcilio non ſunt neceſſaria.

Frumentum in cellam. Annonas prętoris dicit, quę in frumenti certo numero præbebãtur ab Siculis: in quibus Verres & pecuniam pro frumento exegit, & eo pretio, vt pro duobus ſeſtertiis duodenos in modios ſingulos exegerit, ſexies plus, quàm emebatur.

Emptum eſt ex S. C. frumentum ab Siculis. Sicilia da-

G bat decumanum frumentum, quod ab aratoribus exigebatur ſine pretio. dabat emptum, pro quo ex S. C. pecunia ſoluebatur. dabat æſtimatum quod decretum Prætor in cellam, hoc eſt in vſus cellæ æſtimare ſolebat, accipiens: cum interdum pro frumento pecuniam ſumeret.

Pecuniam publicam tu tractabas. Hæc erat prima

ſenato-

Digitized by Google

ſenatoris adminiſtratio, Quæſtorem fieri, & in prouincia curam gerere pecuniæ publicæ in vſus diuerſos erogandæ.

Ne qua deductio fieret. Modo deductio diſpendium ſignificat, aliàs deductio immunitio eſt etiam iuſta.

Mancipes à ciuitatibus. Mancipes ſunt publicanorũ principes, Romani homines: qui quæſtus ſui cauſſa ſi decumas redimunt, decumani appellantur: ſi portũ aut paſcua publica, portitores aut pecuarij: quorum ratio ſcriptura dicitur. hi omnes exigẽda à ſociis ſuo periculo exigunt, & Reipublicæ repræſentant, prouidentes etiam in illa redemptione commodis ſuis. licet autem, ſi moderate fiat, æſtimare in cellam Prętori frumentum. mancipi pro frumento ab aratoribus pecunias accipere non licet.

Quod cùm faciebat. Eſt vera defenſio, eſt & inanis: vt tamen aliquid dici videatur. neutram harum habuit Verres: & tamen ita faciebat, mire oſtendit auaritiæ cæcitatem.

Sunt alia magis occulta furta. Inepte à quibuſdam quæritur, quę ſint: nulla ſunt enim: ſed oratorum eſt, neq; minuere laudes, vel crimina, neque oſtendere.

Benigniſſime cum Quæſtore ſuo communicauit. Iocularitei irriſit, fures deſignans: vt tota iſta Quæſtura ad ſocietatem furtorum valeat, non ad accuſationem.

Si tibi indicium poſtulas. Certa ſunt, in quibus impunitas indici datur, vt in cauſſa proditionis, maieſtatis, & ſi quid huiuſmodi eſt. Certæ etiam perſonę ſunt, quæ indices fieri poſſint. itaque neque repetũdarum cauſſa per indices agi ſolet, neque ſenatoria perſona poteſt indicium profiteri ſaluis legibus. Index eſt autem, qui facinoris, cuius ipſe eſt conſcius, latebras indicat impunitate propoſita. eſt autem ſenſus: index potes eſſe, ſi tibi hoc licet: accuſator, de qua re agimus, eſſe non potes. Satis contumelioſe tanquam leuem hominem exagitauit Cæcilium.

Ego etiam quæ tu ſine Verre commiſiſti. Quæ iſta? nulla ſcilicet. hæc enim vim comminationis, non veritatis habent.

Et qui ſis. Non in nomine tantum, & in genere eſt, ſed in omnibus attributis perſonæ. ergo, qui ſis, & quòd Siculus, continet, & quòd indoctus, & quòd non intelligeret, & quòd nullo ingenio.

Putabas ne te poſſe. Proprium oratoris eſt in omni qualitate comparatiua, ſic agere, vt eum cui præferri velit, occaſionem ſibi ſumat oſtendendi, quàm peritè poſſit tractare id ipſum, de quo agitur, ergo quia de conſtituendo accuſatore ambigitur, oſtendit Cicero qualis accuſatio eſſe debeat: vt proinde, ac dicit, videatur actutus.

Athenis, non Lilybei, Romæ, non in Sicilia. Dicit illũ Græcas literas ſimul & Latinas in Sicilia didiciſſe, in ea inſula, quæ neutra lingua bene vtatur: ita enim Plautus in Perſa. Dabuntur dotis inde ſexcenti tibi. Logi, atq; Attici omnes: nullum Siculum acceperis,

Quod mihi ab amicorum negotiis datur. Quod mihi licet per amicorum negotia quibus occupamur.

Ita mihi deos velim propitios. Genus iuriſiurandi id eſt, quod dicimus: Tantum mihi diuinitas faueat, quantum verũ eſt illud, quod dico tibi. ſic igitur, Ita mihi deos velim propitios, vt commoueor animo, ac toto corpore perhorreſco, cum mihi illius diei venit in mentem, quo die citato reo, &c.

Magnitudo iudicij. Repetundarum. iudicium ſine dubio magnũ eſt & ex perſona Verris, qui poſt præturam de fortunis omnibus dimicat: & amplitudine

A iudicum: ſunt enim clariſſimi & autoritatis contemplatione, & multarum rerum huiuſmodi.

Tu horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil laboras. Metum ad offenſionem inimicorum Verris retulit, cogitationem ad exſpectationem hominum, laborem ad magnitudinem rerum.

Iouem ego Optimum Maximum. Hæc capita ſolent vſitata eſſe cauſidicis imperitis. quod genus vitij in primo libro Rhetoricon vulgare nominat. Incipiebant autẽ veteres, vt Virgilius oſtendit, aut ab inuo-
B catione deorum, quale eſt.

Præfatus diuos ſolio Rex infit ab alto:

aut ab reprehenſione ſuperioris temporis, vt ait Lucilius.

Vellem cum primis, fieri ſi fors potuiſſet,

vitioſe ambo cola. & Virgilius,

Ante equidem ſumma de re ſtatuiſſe Latini
Et vellem, & fuerat melius.

Cuius ego ingenium ita laudo. Cur hoc Tullius dicit? ſcilicet, ne terreantur Siculi laude patroni aduer-
C ſarij ſui.

Factum eſſe, nec'ne. Factum eſt, non eſt factum: calumniationes, & hoc genus argumẽti complexio dicitur quæ, ſi probabilis eſt, vincitur: ſi neceſſaria, ſolui non poteſt.

Quid, cum accuſationis tuæ membra diuidere cœperis? Hic irridet Hortenſij conſuetudinem, vt ſæpe aliàs,

Tranſigere? Quod manifeſtum eſt.

Expedire. Definiendum.

D *Abſoluere.* Diuidendum. an tranſigere eſt, quod aut confiteri non timeat, aut negotiatione excludat: expedire, quod diffinitione ſoluatur: abſoluere, quod per qualitatem licitum eſſe monſtretur?

Ipſe profecto metuere incipies. Mire deſcripſit imperitum, cui perſuaderi poſſit, verum dicere aduerſarium ſuum.

Ex illius inuidia deonerare aliquid. Hoc plus eſt, quàm ſocium criminis reddere.

E *Poteriſne eius orationis ſubire inuidia?* Quaſi Latine dixit, vt, Magno ponderi ſubire.

Præſtringat aciem. Vel à prętigiatoribus tranſtulit verbũ, vel à tironibus, qui ignari & rudes pugnæ etiã vano armorũ ſonitu terrentur pręſtrictis luminibus. Plautus in Milite Glorioſo:

Vt, vbi vſus veniat, contra conſerta manu
Oculorum præſtringat aciem in acie hoſtibus.

Magiſter ludi. Literarij ludi magiſter. omnẽ enim ſcholam ludum dixere Romani. & magiſtri ludi di-
F cuntur, qui primas literas docent. ergo libellum veterem vult intelligi attuliſſe Cæcilium, vnde magiſter dictata pueris præbere conueuiſſet.

Cum ſubſcriptoribus exercitatis, & diſertis. Ironia ſubſcriptores autem dicuntur, qui adiuuare accuſatorem cauſidici ſolent: quos oportet ſummiſſius agere, quàm dicat ille, quem ſequuntur.

In omnibus enim rebus. Hic ratio redditur, quare dixerit, Tametſi non eſt ſatis, nam ſuprà ideo poſuit, Eſt aliquid hoc, vt oſtenderet, quod ſine his nihil ſit
G Cæcilius.

Proximum ſubſcriptorem. Secundum ab accuſatore Cæcilio.

Habet Alienum. Cæcilius ſcilicet. Alienum autem volunt intelligi proprium nomen eſſe quaſi ab Allia, vt Virgilius.

Quosque ſecans infauſtũ interuenit Allia nomẽ.

alij alienum non nomen propriũ putãt eſſe, ſed alie-

nium, & alterius iudicij, & nõ ex auditorio Prætoris maiorúmque cauſſarum, ſed à ſubſelliis, hoc eſt non à tribunalibus. ſunt enim ſubſellia Tribunorum, Triumuirorum, Quæſtorum, & huiuſcemodi minora iudicia exercentium, qui non in ſellis curulibus, nec tribunalibus, ſed in ſubſelliis conſidedant.

Hunc tamen ab ſubſelliis. Vtrum hoc ad contemtum, an ad genus laudis pertinet? ego quaſi ad laudem dictum accipio: vt maior irriſio ſit Cæcilij, qui nec à ſubſelliis fuerit aliquando.

In clamando quidem. Huiuſmodi homines in libris de Oratore non declamatores, ſed clamatores idem Tullius vocat.

Totum iudicium ſuſtinebit. Quia tu nec partem iudicij ſuſtinebis. hoc eſt enim totum iudicium, & ſpes omnis.

Actoribus Græcis. Palliatarum ſcilicet fabularum. in his enim, etiamſi Latinæ ſunt, Græca omnia ſeruantur. nam Latinæ fabulæ per pauciores agebantur perſonas, vt atellanæ, togatæ, & huiuſmodi aliæ. An ideo actores Græcos dixit.

Sæpe illum qui eſt ſecundarum, aut tertiarum. Comœdia quinque actus habet, hoc eſt quinquies ducitur in ſcenam. Eſt ergo perſona primarum partium, quæ ſæpius actu regreditur, ſecundarum, & tertiarum, quæ minus minúſque procedunt. Terentius in Phormione:

Quia, primas partes qui aget, is erit Phormio.

Quàm ille primarum. Subaudi, partium.

Multum ſubmittere. Subaudi, vocem, vel geſtum.

Quartum quem ſit habiturus. Duos dixit, quomodo quartum nominat? ſcilicet ab accuſatore: cum ipſo Cæcilio numerans proximum Allienum.

Quartum ex illo gregre oratorum. Obturbatores quoſdam ſordidóſque cauſidicos ſignificat, qui adhibebantur ad moram faciendam, dum meliores aduocati recrearentur, & ſe denuo compararent ad dicendum. & non receſſit à tranſlatione ſcenicorum, qui ſunt tragici & comici, dicendo quartum actorem, & gregem.

Cuicunque. Siue mihi, ſiue Cæcilio.

Alieniſſimus hominibus. Hinc apparet, etiam ſupra alienum alieni iudicij hominem ſignificari. & ideo de alienis, quaſi exteris per iocum dicit tanquam peregrinantibus & aduenis aliquem hoſpitio eſſe recipiendum Cæcilio.

Quaſi præteriens ſatisfaciam vniuerſis. Sufficiet, inquit, omnibus, quod ego vel præteriens breuiter dixero, pro leuitate eorum, quibus reſpõdendum eſt. oblique autem Cicero remouere conatur Cæcilium etiam à ſubſcribendi ſpe, quòd poſtea ille popoſcerat ſecundarum munus. ſed inhumaniſſimum erat dicere; ne ſubſcriptorem quidem idoneum poſſe eſſe Cæcilium. quare in ſumma ſibi ſubſcriptorem neceſſarium nõ eſſe dicit. alibi (tri. orat.) ait, Sed ne ſubſcribendi quidem, cum id poſtularet, facerent poteſtatem.

De populo ſubſcriptor addatur? Amarè, ſubſcriptor de populo: quaſi iſti in vulgo numerandi ſint. &, addatur, proprie, quaſi inuito, & ſuperbo, quòd huiuſmodi res additæ dicuntur.

Veſtri ordinis reos. Reos veſtra defenſione condignos. vt fures & ſeruos nequam, qui apud Triumuiros capitales apud columnam Meniam puniri ſolet.

Ad columnam Meniam. Menius, cum domum ſuam venderet Catoni & Flacco Cenſoribus, vt ibi Baſilica ædificaretur, exceperat ius ſibi vnius columnæ. ſuper quam tectum proiiceret ex prouolantibus tabulatis; vnde ipſe & poſteri eius ſpectare munus gladiatorum poſſent, quod etiam tum in foro dabatur. ex illo igitur columna Menia vocitata eſt. cauſis eiuſmodi ſoliti aderant autem his rebus moratores apti talibus negociis.

Cuſtodem inquit Tullio me apponite. Subſcriptorem non dixit, ſed cuſtodem: vt quia acerbe reſponſurus erat, laceſſitus conuitium facere videatur. nam ſubſcriptores non ſolum chartarum cauſſa, neque iuuandi accuſatoris adhiberi ſolent, ſed etiam vt non facile corrumpatur.

De iſto cuſtode toto. Hoc eſt, de omni genere ſubſcriptorũ, id eſt, etiam ſi Cæcilius ſubſcriptorem ſe eſſe depoſcat.

Nunquam tales viros commiſſuros. Male facturos, praue, & iniqua ratione. nam committi fraus dicitur, atq; peccatum. ſum enim & fidelis, & diligẽs: & ideo nec cuſtode indigeo, & ſpeculatorem eſſe inter mea ſecreta non patior.

Verum, vt ad te Cæcili redeam. Recte, quia in ſubſcriptores παρέκβασιν fecerat.

Sed cæteri Siculi. Sæpe in Cæcilium vtitur hoc cõuitio, vt illum non Romanum, ſed Siculum dicat.

Præfectus Antonij. Antonius curator tuendę totius oræ maritimæ, quà Romanum erat imperium, non ſolum ipſe nequam, verum etiã comitibus peſſimis, rem inauditam inuaſit, & indicto Cretenſibus bello male re geſta ibidẽ perit, antequã Põpeius contra piratas miſſus eſt. de hoc alibi ait Tullius, Poſt Marci Antonij infinitum illud imperium ſenſerant.

Quibus ſe in claſſe vti velle dicebat. Cani remigibus celeuma per ſymphoniacos ſolebat, & per aſſam vocem, id eſt ore prolatam, &, vt in Argo naui, per citharam: ſed quia hic, in claſſe, dixit, poſſumus intelligere, ad hoc ſymphoniacos capi ſolere, vt in claſſe pugnantibus claſſicum canant, vnde ipſi tubæ claſſis nomen eſt poſitum claſſicum.

Non Verres, ſed Q. Mutius. Scæuolam ſignificat. huius Quæſtor Rutilius Ruffus damnatus eſt, quòd cum Prætore conſenſerit ſuo, ne publicani aliquid agerent in prouincia ſua. quo cognito, equites Romani (nam tum ante Syllana tempora iudicabant) damnarunt eum. hic eſt Mutius, in honorem cuius Aſiani diem feſtum Mutia nominabant.

Circeo poculo. Illa enim ſues ex hominibus faciebat. Redit autem iam ad argumentum, non ad ſimilitudinem, pertinet, vult enim innuere, quod rectè fecit, alienum eſſe, & paruiſſimi temporis, proprium verò, & perpetuum, quod admiſit.

Redit ad ſe atque ad mores ſuos. Nota redire ad ſe homines.

Hic tu ſi læſum te à Verre dicis. Iniuria ſemper iniuſta eſt: lædi etiã aliquis iuſte poteſt: nam & qui iure damnantur, læduntur, ſed non iniuria. & recte cõtra patiar, defendam, potuit: contra concedam, negabo. & bene addit, negabo: potuit enim aliter atque aliter intelligi defenſio: eſt enim hic finis, quid ſit iniuria.

Quam ne in alio quidem probarent. Qui & idoneus orator, & integer Quæſtor accuſandi Verris fuiſſet.

Quamobrem eum, cui Quæſtor fueris, accuſes. Accuſes, pro eo quod eſt accuſare velis. an apud nos modo accuſes, cum dicas ab illo tibi iniuriã factam.

Itaque neque L. Philoni. Omnia exempla ſunt Quæſtorum, qui Prætores ſuos non permiſſi ſunt accuſare.

Atque

Atque ille Cn. Pompeius. Propiora exempla & magis ſimilia, poſteriora ponenda ſunt. Strabonem autem dicit Pompeium, Cn. Pompeij patrem.

Etenim cùm lex ipſa. Vide, firmamenta argumentorum quoties in oratione ſine metu faſtidij reperiri ſolent.

Clariſſimi viri noſtræ ciuitatis. Hoc rurſum extra contentionem, quam ante eum Cæcilio habuit, de ſuo officio, quemadmodum cœperat, repetit, ne ipſe videretur ex defenſore repente accuſator factus.

M. Catonem illum ſapientem. Cato hic accuſauit Ser. Galbam pro direptis Luſitanis, & P. Furium pro iiſdem, pro iniquiſſima æſtimatione frumenti.

Accuſauit M. Aquilium. Hic M. Aquilius de pecuniis repetundis accuſatus eſt. hic eſt igitur Lentuli Suræ pater, in carcere ſtrangulati propter coniurationem.

Lucium Cottam in iudicium vocauit. Hunc P. Africanus poſt ſecundum Conſulatum & Cenſuram dicitur accuſaſſe.

Iudiciiſque corruptis, & contaminatis. Corrupta iudicia ſunt in iis, qui acceperunt pecuniam: contaminata in iis, qui offenſione ordinis infamantur.

Requiret. Amiſſum ſentiet, hoc eſt enim, nihil requiret. non ſentiet ſibi deeſſe aliquid ex iis rebus, quas nunquam habuit.

Ego me dignitate ſuperatum non arbitrabor. Ero enim defenſor, vt fui: & neceſſitatem accuſationis euadam. hoc quidem videtur planè dicere, ſed latenter hoc ſignificat, prauo de ſe iudicio magis iudicibus facturam turpitudinem, quàm ſibi.

Q. ASCONII PEDIANI COMMENTATIO IN ORATIONEM M. TVLLII CICERONIS contra C. Verrem, quæ priore actione habita eſt.

VICTO Cæcilio, & accuſatione ad ſe delata, Cicero, cùm inquiſitionis tempus in Siciliam poſtulaſſet dies cx. & cum filio patrui ſui Tullij totam prouinciam colligendis literis in Verrem, & denunciandis teſtimoniis peragraſſet diebus L. quia pedeſtre iter ex Sicilia & propter fugitiuos & propter Verris inſidias dubitabat, à Vibone tranſiit. tum repente adueniens, cùm videret id agi, vt à M. Glabrione Prætore, & ab iis iudicibus, qui tunc erant, ad alium annum, aliúmque Prætorem res tota transferet, eriperetúrque ſibi reus patrocinio Hortenſij ac Metelli, qui tunc Conſules futuri erant, (per hos enim Verres eludendi iudicij fiduciam ſumpſerat) hoc commentus eſt rationis, vt orationem longam prætermitteret, neque in criminibus declamatione cumulandis tempus abſumeret, ſed tantummodo citaret teſtes ad vnumquodque crimen expoſitum, & eos Hortenſio interrogandos daret. qua arte ita eſt fatigatus Hortenſius, vt nihil, contra quod diceret, inueniret, ipſe etiam Verres, deſperato patrocinio, ſua ſponte diſcederet in exilium. hoc igitur laborat in oratione hac tota Tullius, vt oſtendat, non dolo, nec aſtutia, ſed neceſſitate facere id, quod fecit: & magis aduerſariorū fraudibus occurrat, quàm vt ipſe ſit captioſus. vult enim, vt diximus, omne hoc tempus, quod eſt ante Calen. Ian. diſpenſare in totius cauſę actionem, ne ad alium Prætorem alióſque iudices nouis Conſulibus veniendum ſit. Toto igitur hoc libro exhortatio iudicum continetur, ad verè iudicandum: minæ in aduerſarios diriguntur, omnia tentantes ad corrumpendum iudicium: & expoſitiones Ciceronis conſilij ſui iudicibus exhibentur, quaſi inter eos tractentur communiter: vbi breuitas quoque obiiciendorum criminum mira arte conficitur. Status, quantum ad crimina cauſæ repetundarum pertinet, coniecturæ multiplex ineſt omnibus libris. quantùm ad ſpecialem intentionē libri huius refertur, qualitas negotialis extra ſcriptum in particula iuris eſt conſtituta. inducitur enim poſtulatio de agendi nouo genere: ſiquidem petit permitti ſibi non vti oratione perpetua, ſed breuiter crimina proponere, & ad ſingula teſtes dare. Sunt autem capita orationis hæc: an talis reus, cuius damnatio proſit Reipublicæ: an talia eius conſilia ad corrumpendum iudicium: an talia & tam manifeſta crimina ad patrocinium deſperandū: an huiuſmodi ab eo & ab eius ſuffragatoribus & dicta & facta ad eludendam accuſationem, vt nouo genere ſit agendum Tullio. quarum rerum quaſi per narrationem facit demonſtrationem. expoſitio conſilij ſui, vt cum iudicibus deliberatio, videtur inducta. in qua oſtenditur certandum eſſe Hortenſio aſtutia, non vtendo horis omnibus ad dicendum, id tollendam, ſi fieri poſſit, comperendinationem, per teſtes crimina comprobando. facit hoc Cicero, vt hæc res non ſolùm compendio ac breuitate moram temporis tollat, ſed etiam circa artificium dicendi breuiter etiam in hac parte vim oratoris oſtendat.

Qui concionibus & legibus. Concionibus Quinctium dicit Tribunum pl. qui veneficij reum Oppianicum Cluentio accuſatore defendens, victus erat illo damnato. legibus autem L. Aurelium Cottam Prætorem ſignificat, qui legem promulgarat de reſtituendis iudiciis equeſtri ordini.

Depeculatorem ærarij. Sub Carbone Conſule, cum Quæſtor eſſet. Peculator autem, qui furtum facit pecuniæ publicæ.

Vexatorem Aſiæ atque Pamphyliæ. Sub Dolabella, cùm Legatus ei, & pro Quæſtore eſſet, mortuo Malleolo.

Prædonem iuris vrbani. In Prætura vrbana, quam Sicilienſis ſecuta eſt, de qua nunc accuſatur.

Cùm multæ mihi à C. Verre terra marique inſidiæ. Alias ſignificat inſidias, quæ vitæ eius factæ ſunt, alias, quæ integritati & exiſtimationi. nam VNO TEMPORE MIHI, vult intelligi etiam præ-

mia ſibi prævaricationis oſtentauiſſe Verrem: ſed TERRA MARIQVE, inſidias ſactas ſuæ vitæ ſignificat?

Ordini, nomini denique ſenatorio. Ordini inſidiatur, ne dignitas iudicandi ordinem ſequatur, deceptis in corruptione iudicantibus: nomini, ne ſenatorium nomen honori ſit, ſed potius ignominiæ. ſenatorio enim bis ſubauditur, & ſenatorio ordini, & nomini ſenatorio.

Semel ait ſe in vita pertimuiſſe. Contumaciam Verris præcipitem. nam ſemel vicinum eſt ad penè nunquam. ea eodem ſenſu eſt, quòd ſemel in vita riſiſſe Craſſum ſcribit Lucilius. vnde Virgilius mihi videtur dixiſſe.

Tum primum noſtri Cacum videre timentem.

Tum cum à me reus factus ſit. Quid eſt reum fieri, niſi apud Prætorem legibus interrogari? Cùm enim in ius ventum eſſet, dicebat accuſator apud Prætorem reo, Aio te Siculos ſpoliaſſe. ſi tacuiſſet, lis ei æſtimabatur, vt victo: ſi negaſſet, petebatur à magiſtratu dies inquirendorum eius criminum, & inſtituebatur accuſatio.

Diem. Dies fœminino genere tempus: & ideo diminutiuè diecula dicitur breue tēpus & mora. dies horarum XII. generis maſculini eſt: vnde hodie dicimus, quaſi hoc die. petiit autem Tullius c & x. dies: Rupilius, ſiue Oppius, ſuppoſitus à Verre, c & VIII petiit.

Iuuenis iſte, qui ſibi in Achaiam. Alij hunc Rupilium, alij Oppium putant. ſunt, qui Rupilium dicunt accuſatorem, Oppium reum. alij Q. Metellum nepotem accuſatorem, Curionem reum. moris autem fuerat, vt agendi dies priori prior ordinaretur. itaque, ſi omni tempore poſtulato vſus eſſet ad inquiſitionem Tullius, futurum erat, vt prior locus ad agendum daretur ei, qui biduo breuiorem diem poſtulauerat. cuius accuſationis interpoſita de induſtria mora, cum Verres ad alios Conſules diſtuliſſet.

Cum publicis auctoritatibus. Publicis literis.

Perdita, profligatáque. Peius voluit eſſe profligata, quàm perdita. eſt enim perditum, quod inueniri non poteſt: profligatum, quod poteſt.

Tempus emiſſe. Id eſt, dilationem temporis impetraſſe. iudicium autem ſuum debemus intelligere ſibi aptum. & è contrario ait, alienum tempus offenderat.

Quod ſi non modò in cauſa. Per innocentiam.

Honeſto præſidio. Per compenſationem criminum auctoritate dicentis.

Aut in alicuius eloquentia. Acerbè in Hortenſium, quem corruptione iudicum, non eloquentia ſui, dicit eſſe confiſum.

Gratia. Amicorum plurimorum, quibus defenſoribus vteretur.

Deligeretur ex ſenatu, qui reus fieret. Oppius, vel Curio.

Hoc Prætore. Glabrione ſcilicet.

Hoc conſilio. Lectiſſimorum ex omni numero ſenatus iudicum.

Quod populus R. in reiectione iudicum iudicauit. Ex iis, quos renuit, intellectum eſt, eos iudices habere velle, quos corrumpi poſſe confideret.

Niſi Cn. Carbonem. Carbo, Marianæ partis dux, idémque Conſul, deſertus Arimini eſt à Quæſtore ſuo Verre, ſpoliatus pecunia publica, quam Quæſtor in exercitu de ærario ſumpſerat, cum ad Syllam

A ille tranſiret proditor partium Marianarum.

Cuius legatio. Legatus per has prouincias Dolabellæ Proconſulis fuit, & pro Quæſtore, Malleolo mortuo: eiuſdémque in iudicio, cùm accuſaretur, proditor fuit.

In inuidiam ſuis maleficiis adduxit. Propter ſua ſcelera, inquit, tum fecit inuidioſum reum.

Oppugnauit & prodidit. Peius prodere, quàm oppugnare: propterea quòd, oppugnare inimici & hoſtis officium eſt, prodere, grauius, cùm ad eos, qui a-

B mici eſſe debent, referatur hoc verbum.

Cuius Prætura vrbana ædium ſacrarum. Quemadmodum hic dicit, ſic diuiſa ſunt crimina huius Præturæ vrbanæ, ſcilicet iuris dicundi, ſartorúmque tectorum.

Contra omnium inſtituta. Qui Prætores vrbani ante ſe fuerunt. ſunt autem inſtituta Prætorum in decretis interponendis, diiudicandíſque cauſis.

Ita vexauit, ac perdidit. Nimium, vexauit, ingentis calamitatis vſum ſignificat. nam & ipſe ſuprà ſic

C ait, Populatæ, vexatæ, funditus euerſæ prouinciæ. Virgilius,

Candida ſuccinctā latrantibus inguina monſtris.
Dulichias vexaſſe rates.

Ex aratorum bonis. Aratores frumenti decimam dare populo Romano ſolent. hos non vna atque altera, ſed tribus amplis decimis per mancipes, à ſe ſubornatos, id eſt publicanos, qui decumani vocantur, Verres exhauſit.

Socij fideliſſimi in hoſtium numero exiſtimati. Hic

D locus crimina continet expoſita in ea oratione, quæ inſcribitur de ſuppliciis.

Abſentes rei facti. Vt Sthenius, & Heraclius.

Partim regum locupletiſſimorum. Agathoclis, aut Hieronis, Siciliæ regum.

Noſtrorum imperatorum. Scipionis, & Marcelli. dedit Marcellus, reddidit ex Africa Scipio.

In ſtupris verò, & flagitiis. De Cleomenis vxore dicit.

Proponit inania mihi nobilitatis. Vt Curionis, &

E Metellorum trium, Hortenſij, & Scipionis. hi enim Verri palàm ſuffragabantur.

Aliud quiddam diu machinetur. Dilationem accuſationis, & corruptionem iudicij.

Redemptio eſt huius iudicij facta. Sic quidam accipiunt, quaſi hoc dicat Cicero, corrupti ſunt iſti iudices. nō hoc dicit, ſed ait artifices quoſdam corrumpendorum iudicum pactos eſſe cum Verre, & redemiſſe ſemel omnem procurationem iudicij corrumpendi ſuo periculo, abſolutioniſq; præſtandæ.

F *Ea manſit in conditione atque pacto.* Hic eſt ſenſus. de pacto, inquit, & promiſſione corrumpendorum iudicum non eſt receſſum. ſed poſtquam reiecti ſunt iudices, diſplicuit totum negotium redemptoribus, & reſilierunt à conditione ac pacto.

Renunciata eſt tota conductio. Renunciatio dicitur recuſatio eius rei, quæ in pactum & promiſſionem venerat.

Libelli nominum veſtrorum. Moris erat, celebrata iudicum reiectione, & haberi in officio Prætoris,

G & in arca reponi nomina iudicum ſelectorum. reiectio autem idcirco dicitur, quia, cum multi iudices in conſilio cum Prætore ſuo iudicaturi eſſent, qui quæſitor fuiſſet in publica cauſa, verbi gratia repetundarum, ambitus, maieſtatis, neceſſe fuerat eos primum de decuria ſenatoria conſcribi, cum ſenatus iudicaret, deinde in vrnam ſortito mitti, vt de pluribus

pluribus neceſſarius numerus edaſci poſſet: tertio, id eſt poſt vrnam, permitti accuſatori ac reo, vt ex illo numero reiiciant, quos putauerint ſibi aut iniquos, aut ex aliqua re incommodos fore. ſolet autem ex moribus ac fama iudicum illorum, quos aut reiiciebant, aut retinebant, voluntatis coniecturam facere populus, quis cauſæ ſuæ confideret, quis corrumpere iudices vellet. reiectione celebrata, in eorum locum, qui reiecti fuerant, ſubſortiebatur Prætor alios, quibus ille iudicum legitimus numerus compleretur. prima enim ſortitio dicebatur. his perfectis, iurabant in leges iudices, vt obſtricti religione iudicarent. cùm iuraſſent omnes præter ipſum Prætorem, nomina eorum libellis, vt ſuprà diximus, continebantur, & vbique habebantur, ne pro ſelectis iudicibus, vt fit in multitudine, aliqui ſuppoſiti corruptiſſimè iudicarent, itáque ad Prætoris tribunal conſiderent vt iudicaturi cum Prætore ſuo.

Nulla nota, nullus color, nulla ſordes. Etſi hæc Cicero, quia contra Hortenſium proſunt, ſæpiſſimè repetat: tamen, in qua cauſa, & à quo, & quo modo hæc facta ſint, meminimus in Diuinatione narraſſe. illud factum tamen animaduertendum, quòd albini ſordes non tabulis, ſed ſententiis, figuratè dixit.

Ex alacri, atque læto. Alacris ſiue alacer (vtrumq; enim dicimus) dicitur, is qui intentis eſt ſenſibus vniuerſis: quod eſt indicium erecti animi, atque ſublimis. nam è contrario lacer dicitur amputatis à corpore ſenſuum membris, hoc eſt auribus, oculiſue, quæ ſignificatio ad animum ſæpe transfertur: vt enim plerunque afflicto animo ſenſibus non vtimur erectis, ſic alacer dicitur is, cui omnes ſenſus in loco quiſque ſuo vegeti ſunt & intenti. Læti verò qui vultu indicant adeſſe animum ſyncerum ſenſibus ſuis: qua re cognita, illud quoque intelligitur, aliud eſſe alacrem, aliud lætum. ſunt, qui alacrem feſtinantem & properum dici putant, quaſi alis acrem.

Ecce autem. Proprium hoc Ciceronis eſt in rebus improuiſis. quod enim cura Virgilius & legit, & tranſtulit, vt,

-Ecce autem gemini à Tenedo.

Comitiis conſularibus. Sunt etiam ædilitia, & prætoria, & tribunitia comitia.

Eadem illa vetera conſilia. Corrumpendi iudicij.

Per eoſdem. Per ſuprà dictos redemptores conductoréſque facinoris iſtius.

C. Curio, quem ego. Quæri ſolet, cur hoc de Hortenſio, cur de aliis non dicat. quia nemo ſolebat precari veniam apud veteres de eorum compellatione nuda, quos negotium tangeret. Curionem autem patrem dicit.

Tam apertè, palámque dixiſſet. Apertè, ad verba pertinet non obſcura: palàm, ad præſentium multitudinem, & qualitatem frequentis loci.

Ad ipſum fornicem Fabianum. Fornix Fabianus arcus eſt iuxta Regiam, in Sacra via, à Fabio Cenſore conſtructus, qui à deuictis Allobrogibus Allobrox cognominatus eſt, ibíque ſtatua eius poſita propterea eſt.

Apertè iam, ac perſpicuè nulla. Non ex ſua perſona hoc dicit Tullius: nam oſſet offenſum.

Quòd tota Sicilia, omnes Siculi, omnes negotiatores. [illegible]: vt, quidquid ſubiectum eſt, intelligatur eius eſſe, quod dixit, tota Sicilia.

In vnius poteſtate. Hortenſij ſcilicet.

Non tenebimus iudicia. Finxit ſenatores dicere, Non tenebimus iudicia, mollius ſcilicet, quàm ſi

A populares fingeret dicentes, Auferemus à ſenatu iudicia.

Iſtius perditi lætitia. Verris.

Hominis ampliſſimi gratulatio. C. Curionis.

His diebus paucis, cùm Prætores deſignati ſortirentur. Accuſatio cœpta eſt Nonis Auguſti: & comitia conſularia fuerunt VI. Cal. Auguſti. nec multo poſt ſortitio Prætorum fuit, celebratis eorundem comitiis.

B *Et M. Metello obtigiſſet, vt is de pecuniis repetundis.* Sorte obueniebat vnicuique Prætori. hic ergo M. Metellus amicus Verris ſucceſſurus Glabrioni fuerat.

Fiſcos complures. Sportæ, ſportulæ, ſportellæ, nummûm ſunt receptacula: & ſacci, ſacculi, ſacelli, & crumenæ & vellereæ, & ſcorteæ, & manticæ, & marſupia. ita fiſci, fiſcinæ, fiſcellæ, ſpartea ſunt vtenſilia ad maioris ſummæ pecunias capiendas. Vnde quia maior ſumma eſt pecuniæ publicæ, quàm C priuatæ, vt pro cenſu priuato loculos & arcam & ſacellos dicimus, ſic pro publico theſauro ærarij dicitur fiſcus.

A quodam ſenatore ad equitem Roma. Horum nomina quidam ineptè quærunt: quaſi certum ſit, quod dicitur, & non de induſtria fingatur à Tullio ad inuidiam aduerſariorum, & ſui defenſionẽ, quia cogitur nouo modo cauſã agere horis breuioribus, quàm mos eſt accuſatoribus: itaque ſuſpicantur ſenatorem alij Craſſum, alij Horten- D ſium.

Equitem Rom. Alij neminem proferunt, alij Publicium quendam, temporibus illis in diuidenda pecunia populo famoſiſſimum. pecunia Sicilienſis eſt ex Siciliæ prædationibus capta.

Comitiorum meorum nomine. Vt ego Ædilitate deiicerer, quam petebam. poſt conſularia enim & prætoria comitia ædilitia ſequebantur. comitiorum autem meorum nomine, addidit, vt oſtenderet, exceptam hac pecunia totam ad corruptionem iudicij E deſtinatam eſſe.

Diuiſores omnium tribuum. Vtrum legitimos habent omnes tribus diuiſores ſuos, quos Plautus magiſtros curiarum in Aulularia vocat his verbis,

Nam noſter, noſtræ qui eſt magiſter curiæ,
Diuidere argenti nummos dixit in viros: an diuiſores criminis nomen eſt? ſed ſi hoc eſſet, non ſibi vnum ex iis earum eſſe dixiſſet.

Qui ſe omnia mea cauſa debere arbitrabantur. Locutio pro plena habetur: ſed ſi quæras, quod inte- F grum eſt, deeſt, facere, vt ſit, omnia facere. & bene, omnia protulit, vt hæc proditio ſecreto actæ rei propter amicitiam videatur eſſe ſuſcepta.

Cùm ipſe Præturam petiſſet. Oſtendit Verrem non gratis factum fuiſſe Prætorem vrbanum, & alterum Metellum. Prætorem vrbanum, alterum. Prætorem Siciliæ, pecunia Verris ſimiliter meruiſſe Præturã.

C. Verrem Romilia. C. Verrem nomen eſt proprium, Romilia nomen eſt tribus, ablatiui caſus, vt ſit, ex Romilia. tribus enim vrbanę ruſticęq; omnes G XXXV. numerantur: ex quibus aliquam neceſſe eſt, cuiuſque ordinis fuerit, ciuis Romanus obtineat. moris autem fuit, vt cum aliquis ciuis Romanus oſtendendus eſſet, ſignificaretur aut à prænomine ſuo, aut à nomine, aut à cognomine, aut à cognatione, aut à tribu in qua cenſeretur, aut à curia, aut à cenſu, vt, ſi erat ſenator, equéſve Romanus. ſic alibi ait L. Claudium Palatina.

Ex optima. Ironia eſt.

Patris iſtius diſcipulum. Tanquam diuiſorum magiſtri.

Iſtius. Verris ſcilicet.

Vrgebant comitia. Hæ ſunt res maximæ.

Vrgebant comitia: inſtabat iudicium: fiſci minabantur. Exquiſitè dictum.

Agere, quod ad iudicium pertinebat, liberè. Vel occupatione in petendo honore: vel quia accuſatio libertatem & minas exigat, petitio blandimenta & preces.

Minari denique diuiſoribus, ratio non erat. Cur enim minarer, inquit, corruptoribus, vel diuiſoribus, quos accuſatione Verris impeditus accuſare non poſſem, id ipſúmque illi callidi homines intelligerent?

Diſtrictum, atque obligatum. Diſtrictus poteſt & ſine vinculis in diuerſum manu ducentium ferri: obligatus etiam nodis vinculorum in loco intelligitur. plus eſt ergo obligatum eſſe quàm diſtrictum.

Qui quamobrem arceſſerentur. Bene interpoſuit hæc ad cauſam non veniendi. nam, ſine hac ad deſignatum Conſulem Siculos non veniſſe, contumaciæ videretur. ſanè & hic, & in primo capite Verrinarum animaduertitur inconſequens locutio, ſimiliſque ſolœciſmi, ſiquidem, non veniſſe, legeris: nam ſi, non veniſſent, legeris, error non erit.

Cæterorum hoc anno. Criminosè, vt ſuprà diximus, in Hortenſium, Metellóque.

Cum filio blando & gratioſo. Fœminis, ac maximè meretricibus blanditiæ conueniunt, gratia verò quę poteſt in adoleſcentibus eſſe ſine infamia? gratiam enim amicorum copiam modo dicit.

Appellare. Quaſi familiares.

Et conuenire. Quaſi de promiſſorum debito.

Intellectum & animaduerſum. Intelligitur aliquid argumentis: animaduertitur ſenſibus præſenti animo vtentibus: plerunq; enim animaduertimus rem aliquam oculis, aut quouis ſenſu corporis ſine animi intentione. ergo plus eſt animaduerſum, quàm intellectum. an, ab aliis intellectum, ab aliis animaduerſum, intelligi poſſit? quod ſi eſt, rurſus plus erit quàm intelligere, animaduertere.

Vt cuius diuitia me. Magna emphaſi diuitias dixit. & ſignificat breuiter, etiam ſi præmia præuaricationis oblata, ſed fruſtra.

Sed etiam Q. Metellum. Subaudi, Conſulem. & ne error ſit in nominibus, tenere vos oportet, tres Metellos eſſe, vnum Conſulem cum Hortenſio, alterum in vrbe Quæſitorem de pecuniis repetundis, tertium Siciliæ Prætorem.

Dedit enim prærogatiuam ſuæ voluntatis eiuſmodi. Dilogia dicitur figura, cum ambiguū dictum duas res ſignificat. nam prærogatiua præter iuſtum integrúmque beneficium aut dictū, aut factum aliquid ſignificat liberalius ab eo, qui nobis bene facturus eſt. & rurſus, prærogatiuæ ſunt tribus, quæ primæ ſuffragium ferunt ante iure vocatas. mos enim fuerat, quo facilius in comitiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iiſdem candidatis comitia fieri: quorum tribus primæ prærogatiuæ dicebantur, quòd primæ rogarentur, quos vellent Conſules fieri: ſecundæ, iure vocatæ, quòd in his, ſequente populo, vt ſæpe contigit, prærogatiuarum voluntatem, iure omnia complerentur. hoc igitur dicit Cicero, Metellum vocando ad ſe Siculos, & eos minis deterrendo ab accuſatione Verris, propè o-

A mne beneficium, corruptarum à ſe tribuum Verris pecunia, perſoluiſſe. Vult enim, illum Verris pecunia Conſulem factum intelligi.

An me taciturum. Eſt hic epitherapeuſis: vbi non emendatio dicti atrociſſimi, ſed confirmatio ponitur rectè dixiſſe, cauſa ſubiecta cum quadam acrimonia.

Arceſſit alter Conſul deſignatus Siculos. Hæc eſt prærogatiua, quam Metellus Verri pro prærogatiuis reddidit. nam huius rei fuerat dilata narratio.

B *Promiſſum.* Quomodo, ſi comitiorum ſors atque fortuna eſt? ſed vult totum pecunia Sicilienſi, hoc eſt corruptis à Verre tribubus, eſſe confectum.

Te non fato, vt cæteros ex veſtra familia. Dictum facetè & contumeliosè in Metellos. antiquum Næuij eſt Fato Metelli Romæ fiunt Conſules. cui tunc Metellus Conſul iratus verſu reſponderat ſenario hypercatalecto, qui & Saturnius dicitur. Dabunt malum Metelli Næuio poëtæ: de qua parodia ſubtiliter Cicero dixit, te non fato, vt cæteros ex veſtra

C familia.

Quæſitor. Prætor de pecuniis repetundis quæſtionem exercens. nam propriè Quæſitores dicuntur criminalium quæſtionum, vt Virgilius,

Quæſitor Minos vrnam mouet.

Duo igitur Conſules. Q. Hortenſius, Q. Metellus. *Quæſitor.* M. Metellus.

Nimium diligentem. Hæc eſt artificioſa laudatio iudicis ſine ſuſpicione aſſentationis, & tamen efficax ad beneuolentiam. qui autem diligentem vitu-

D perare non poterat, pro crimine addidit Nimium. Terentius, Ne quid nimis.

M. Cæſonius. Deſignatus Ædilis cum Tullio, & ideo non iudicaturus, quia & Ædilis & iudicis partes ſuſtinere non poterat vno tempore. vt autem ſagacem integritatem eius oſtēderet, non dixit, Quod corrumpamus, ſed conemur corrumpere, & non aperta & plana corruptione, ſed Aliqua, id eſt vel exigua.

E *Iunii ſuo conſilio.* Iunius Quæſitor fuit in Cluentij cauſa Verre Prætore, in qua cùm Oppianicus damnatus eſſet, defenſor Oppianici Tribunuſpl. Quinctius rem in inuidiam adduxit, cùm diceret pecuniam in iudicio fuiſſe verſatam: & cùm incertum eſſet, ex qua parte eſſet profecta, populus Romanus non credidit ab Oppianico datam, quia damnatus erat, & errore multorum in falſo crimine Cluentius fuit. hic ergo Cæſonius, damnatis aliis iudicibus, non modo innocens pronunciatus eſt,

F ſed etiam ex iis fuit, qui illa crimina Staleni, & Bulbi, & Guttæ, & cæterorum iudicum detexerunt, cum Verres quoque turbatus ſubiectos iudices eſſe diceret, & interpolatos libellos ſortitionis iudicum, quos libellos ipſe obſignauerat.

Magiſtratum incat neceſſe eſt nonis Decembribus. Eo die Tribunuſpl. futurus.

Ex acerrima equeſtri illa familia. Nouo modo laudem ab ignobilitate quæſiuit, more ſuo laudans equites Romanos, & maximè quia, cùm iudicarent,

G ſine infamia ſe geſſerunt.

L. Caßius cùm ad cæteras res. Inde ſunt leges Caſſiæ tabellariæ de ſuffragiis liberè ferendis non voce, ſed tabula. ille ille Caſſius, qui cognoſcendis criminalibus cauſis in primis quærendum eſſe dicebat, cui bono.

Homines veteres. Graues, & ſeueri. & vide figurate ſingulis additam laudem ex ore aduerſarij, veluti oſten-

oſtendentis, cur ſibi iſti omnes diſpliceant.

Tribuni militares. Tribunorum militarium duo ſunt genera, primum eorum, qui Ruſuli dicuntur. hi in exercitu creari ſolent, alij ſunt Comitiati, qui Romæ comitiis deſignantur.

Subſortiemur etiam. Mirè oſtēdit ſecuritatem rei, tanquam ipſe ſit omnia facturus.

Nona Sextiles. Sextiles, Auguſtæ: Quinctiles, Iuliæ: nōdum enim nomina de Imperatoribus ſumpſerant: propter quam mutationem nominum Virgilius ait,

Et incipient magni procedere menſes.

Hac tota argumentatione ſignificat Cicero bis accuſare ſe non poſſe, ſi accuſandi conſuetudinem ſeruare noluerit, non ſeruire breuitati.

Ludos votiuos. Hos Pompeius vouerat, ſi Sertorium ſuperaſſet.

Deinde continuo Romani conſequentur. Romani ludi ſub regibus instituti ſunt magnique appellati, quòd magnis impenſis dati ſunt: tunc enim primum ludis impenſa ſunt ducenta millia nummûm. alij id eo magnos ludos dictos putant, quòd Conſo, conſiliorum ſecretorum deo, id eſt Neptuno Liticum regi & rerum conditarum, & dijs magnis, id eſt Laribus vrbis Romæ, dati ſunt: quibus aiunt raptas Sabinas eſſe, vt videatur propter hoc dicere Virgilius,

-Magnis Circenſibus actis

nam & Magni & Circenſes iidem ſunt.

Deinde ſe duct. ros. Dilaturos, moram facturos.

Dicendo. Longa oratione.

Excuſando. Cur interdum non dicant. admittebantur enim excuſationes multæ etiam pro reo, aut occupationis alicuius, aut malæ valetudinis.

Ad ludos Victoria. Hos Sylla inſtituit bello ciuili victor.

Secundum quos. Plebeios ludos, quos exactis regibus pro libertate plebis fecerunt, aut pro reconciliatione plebis poſt ſeceſſionem in Auentinum.

Quem ego hominem. M. Metellum ſcilicet: in cuius locum ſubſortiendum iudicem, ex perſona Verris ſuprà dixerat: qui Prætor futurus ſit ex Cal. Ian. qui nunc in iudicum numero eſt.

Malim & iurato ſuam. Cùm iudex ſit Metellus, tabellam iudiciariam iuratus accipiet. cùm Prætor fuerit, & non iurabit, quia non eſt moris, & in poteſtate habebit tabellas omnium iudicum.

Id enim conſilij mihi profecto taciti dabitis. Sermocinatio iſta non decet iudicum grauitatem: ideo, Taciti, dixit. ſic agit autem, vt oſtendat ſe non debere horis legitimis abuti ad bis accuſandum Verrem, cum poſſit pro vna actione teſtimoniis vti tantum.

Perficiam vt nemo. Nunc illud eſt quod poſtea dicet: ET NE aliter quàm ego velim, meum laudet ingenium.

In alia tempora reſeruemus. In ſecundam actionem.

Autoritatibus. Cōfirmationib. eloquētiæ ſcilicet.

Ex iſtius tempore, & cauſa. Senſus eſt: non ingenij tui eſt, quòd contra me malitioſe exis: ſed hoc ita expetit tempus huius, hoc eſt periculum Verris, & mala cauſa, quam ſuſcepiſti.

Secundum binos ludos. Poſt binos ludos, votiuos, ac Romanos.

Ante primos ludos comperendinem. Id eſt, me & te dixiſſe profitens, comperendinationis iudicibus faciam poteſtatem.

Aſtuta. Vrbana: etenim vrbs ἄστυ dicitur. Teren. An in aſtu venit?

A *Cupiditas.* Corruptionem iudicum ſignificat.

In quibuſdam iudiciis. Terentij Varronis: vbi diſcoloribus ceris vſus eſt, & vbi, vt ſuprà diximus, eluſit nobiles pueros.

Aſſiduum. Moleſtum addictum.

Ex eo loco, ex quo. De Roſtris ſcilicet.

Hoc munus. Aedilitatis. Alluſit ad ambiguitatem muneris, & Verris nomen beſtiæ præferentis.

Qui aut deponere, &c. Deponitur in ſequeſtri: accipitur ab eo, qui corrumpitur, recipitur: id eſt promittitur ab eo, qui pro iudicaturo ſpondet: pollice-
B tur, qui apud ſe dicit aut præmiū, aut ſententiæ poteſtatem eſſe. ſequeſtres ſunt, apud quos pecunia deponitur; interpretes, per quos inducitur pactio.

Inter decem annos. Rectè dixit. hoc enim tempus, quo ſenatus iudicat, victore Sylla ab ordine equitū transferente iudicia.

Annos propè quinquaginta. Tanto enim ferè tempore equeſter ordo iudicauit lege Sempronia.

Sublata populi Romani poteſtate. Scilicet ſublata
C prouocatione ad populum, hoc eſt ad Tribunos pl.

Q. Calidius damnatus dixerit, minoris ſeſtertium triceS honeſtè n. p. d. Q. Calidius, M. Calidij oratoris pater, ex Prætura Hiſpanienſi accuſatus à Gallio, pro quo poſtea Cicero dixit, atque damnatus, cum ſenſiſſet iudicibus pecuniam contra ſe datam, in eos iudices, qui paruo pretio corrupti ſe damnauerant, exclamauit: Vel idoneam, inquit, mercedem pro meo capite paciſci debuiſtis. hoc ſaltem honeſtatis eſſet in vobis, vt hominem præ-
D torium non vili pretio venderetis. &, Honeſtè, ironicè dictum eſt.

Lis aſtimata ſit. Hoc eſt pecunia, de qua lis fuit, & propter quam condemnatus eſt, in ſummam redacta, quæ de eius rebus exigeretur. Duæ res enim conſequebantur damnationem: altera redditio pecuniæ iis ad quos pertinebat: in quo vel ſimpli, vel dupli, vel quadrupli ratio ducebatur, altera exſilium.

Qui ambo peculatus damnati ſunt. Quid hoc, in-
E quiet quiſpiam, ad iudicium corruptum pertinet? reſpondebimus, litis æſtimationem fieri non ſolum ex titulo propoſiti criminis, ſed etiam ex aliis probationibus, quæ ex antè actis rebus apud iudices conſtiterint. hi, peculatus crimine propoſito, etiam quas iudicando pecunias ceperant, reddiderunt. Similiter ſoluitur etiam illud, quod ſuprà de pecuniis repetundis poſitum eſt.

Qui C. Verre Pratore Vrbano ſortiente. Sic hoc criminosè dicit, quemadmodum ſuprà, Hortenſio
F Prætore. & totum hoc magis inuidioſe, quàm verè, dicitur: nam ipſe Verres pro teſtimonio dixit, in Iuniano iudicio adulteratas fuiſſe tabellas ſuas, in quibus ſuppoſiti iudices eſſent ad ſententiam corruptam ferendam.

Quem incognita cauſa condemnarent. Cùm cauſam antè non audiſſent. ſignificat autem C. Fidiculanium Falcuculam, qui ad cōplendam Oppianici damnationem dicebatur eſſe ſuppoſitus.

Quòd inuentus eſt ſenator. Stalenum dicit ab v-
G traque parte fuiſſe corruptum. quod aduerſus eum recitatum poſtea, in Cluentiana oratione vix purgat, vbi dicit à ſolo Oppianico ſeſtertium DCXL. Caio Ælio Staleno iudici data pro numero iudicum, qui corrumpendi eſſent.

Vt diſcoloribus ſignis. Iam ſuprà dictum eſt. Signa autem alij ceratas diuerſo colore tabulas, alij ab

Digitized by Google

indicibus appoſitas tabulis ceras, diuerſi coloris aiũt, vt hoc ſignum eſſet ad voluntatem rei ſententiæ ſcriptæ.

Iuratorum hominum. Iudicum ſcilicet, qui in leges antè, quàm iudicarent, iurare conſueuerant.

Se habere hominem potentem. Hortenſium vult intelligi: ſcit enim hoc nimia valere ad minuendam eius autoritatem.

Apud M. Glabrionem. Prætorem præſentis anni, quíque præeſſet huic iudicio.

Neque enim vllam aliam ob cauſam populus Romanus. Per annos continuos tres populus Romanus illo tempore tribunitiam poteſtatem flagitabat. hoc Cicero vtitur ad inuidiam iudiciorum & infamiam ſenatu iudicante.

Qui Cn. Pompeio. In inuidia tunc Pompeius fuit, quòd Conſul redderet populo tribunitiam poteſtatem: ſed totum Tullius ad ſui temporis commodum refert, vt etiam Catuli ſententiam in ſenatu demonſtret.

Cùm primùm concionem ad vrbem Conſul deſignatus. Ad vrbem, in vrbe. & ſic dici ſolet de iis, qui cum poteſtate prouinciali aut nuper è prouincia reuertiſſent, aut nondum in prouinciam profecti eſſent. Pompeius autem pro conſule de Hiſpania, Sertorio victo, nuper venerat, & ſtatim habuerat concionem de reſtituenda tribunitia poteſtate, Palicano Tribuno pl.

Homines in ſpeculis ſunt. Scilicet equeſter ordo, & vrbana plebs, & omnes, qui fauent tribunitiæ poteſtati.

Obſeruant. Modò ſpeculantur, aliàs venerantur, Virgilius,

Præterea regem non ſic Aegyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes
Obſeruant.

Poſt legem tribunitiam. Ex quo lex fertur de tribunitia poteſtate reſtituenda.

Vnum hominem vel tenuiſſimum. Pauperem, qui, vnde iudices corrumperet, non haberet, Dolabellam autem ſignificat.

Quod tametſi non reprehendunt. Potuit enim dici, Quid ergo? noxius ſi pauper ſit, non eſt damnandus?

Non gratia. Non vult amicum videri Hortenſij Verrem, ſed tantummodo prædæ participatione ſociatum.

Non cognatione. Hoc ad Metellum collegam Hortenſij pertinet, qui illum, tanquam ſi ſit cognatus, defendit.

Mediocri vitio. Mediocria vitia ſuſtinebit, ſi quis nimia ſeruitute patrocinium meruerit, aut aſſentatione aliqua defendi meruerit.

Inueſtigare. Ratione.

Conſequi. Via. hoc totum ad terrendos à corruptione iudices dicitur.

Poſthac conſtituta iudicia. Senatoria iudicia dicit, per hos x annos Syllæ legibus conſtituta.

Qui iampridem inuentus eſt. Verrem dicit.

Quo loco ſis. In tribunali.

Fac tibi paternæ legis Aciliæ. M. Acilius Glabrio legem Aciliam tulit, de pecuniis repetundis, ſeueriſſimam, vt qua ne comperendinari quidem liceret reum.

Fortiſſimum patrem. M. Acilium Glabrionem.

Sapientiſſimum auum. Scæuolam dicit, iuris periciſſimum, qui cum Cn. Piſone Conſul fuit quo an-

A no Tib. Gracchus occiſus eſt.

Grauiſſimum ſocerum fuiſſe. Scaurum ſignificat.

Scauri conſtantiam. Inde ſubiecit quid ſit conſtantia. & animaduertendum, hanc eſſe artificioſam laudationem iudicum ad beneuolentiam, quæ tamen ab aſſentationis ſuſpicione ſemota eſt.

Ad ſuſpicionem criminis. Quòd multum rapuit.

Ad rationem ſalutis. Vt corruptis iudicibus reus reſeruetur.

Serui deſignatorum Conſulum. Mentionem facit
B illius rei, quam de Metello ſuprà monſtrauerat, quòd Siculos domum arceſſitos iam antè conterruit.

Quadraginta diebus interpoſitis. Iis, qui ſunt per binos ludos, votiuos, atque Romanos: quos alij bini conſecuturi erant, Victoriæ, atque plebeij.

Cùm hac frequentia totius Italiæ Roma diſceſſerit. Frequentiam dicit plebis ruſticæ, cui voluit iudicij exitu notam eſſe integritatem ſuam. conuenerat autem ex municipiis cuiuſcunque modi multitu-
C do, aut propter comitia ſuffragiorum cauſa, aut ludorum votiuorum, Romanorum, Victoriæ, plebeiorum, aut vt cenſeretur apud Cenſores Gellium & Lentulum, qui tunc erant.

Huius iudicij, & laudis fructum, & offenſionis periculum veſtrum. Figura Zeugma: ad ſingula enim ſubaudiendum eſt, puto eſſe oportere.

Faciam hoc non nouum, ſed ab iis, qui nunc principes noſtræ ciuitatis ſunt, ante factum. Verum dicit. etenim L. Licinius, & item M. Licinius, ambo con-
D ſulares: Marcus verò etiam triumphalis fuit. hi cùm accuſarent L. Cottam, non vſi ſunt oratione perpetua, ſed interrogatione teſtium cauſam peregerunt.

Illud à me nouum cognoſcetis. In eo ſe dicit noui aliquid allaturum, in quo diligentius crimen expoſiturus eſt, quàm qui antè ipſum breuiter accuſauerunt.

Vt vbi id interrogando. Apparet ex hoc dicto, teſtes ſuos etiam ipſum accuſatorem interrogare
E conſueſſe.

Argumentandi, dicendique ſit. Argumentari, eſt argumentis vti ad rem probandam: dicere, amplificatione vti ad rem dilatandam, & ad delectandum commouendúmque auditorem oratione perpetua.

Si quis erit, qui perpetuam orationem. Vides quòd argumentis ſe vſurum non negat iam modo, quanquam perpetuam orationem ſe neget habiturum in hac actione, quæ prima eſt.

F *Si quis erit, qui perpetuam orationem accuſationémque.* Bene hæc ſeparauit: vt oſtenderet, etiam ſine perpetua oratione accuſationem tamen eſſe: & intelligi poſſet vt res non vna, ſed vt duæ ſunt.

Nunc id, quod facimus, ea ratione facimus. Inconſequens locutio, & obſcura non minus eſt, quàm illa in fine orationis pro Ligario. niſi fortè, facimus ſemel ponitur.

Cùm multa libidinosè, multa crudeliter, in ciues, atque ſocios. A ſpecie cœpit, & ſubiunxit genus,
G dicendo poſtea, In deos, atque homines. ſed non eſt vitium, quòd pro auxeſi poſitum, non pro ratiocinatione eſt.

Seſtertium quadringenties. Diximus de hac quæſtione ſummæ variæ. in Diuinatione enim ſeſtertium millies dixit. quod ſoluimus, quod adhuc non erat inſinuata criminum ratio Ciceroni: & quòd ex perſona

perſona Siciliæ loquebatur, agere voluit veritatem: A & quoniam, ſpe dupli vel quadrupli repetitionis, quantumuis accuſatori progredi licuit. nam quamuis ſeſtertium octingenties dupli nomine exigi viſus eſt, ſeſtertium tamen quadringenties tantummodo repetitum eſt: ad gratiamne Hortenſij, an tuam, an etiam conniuentia Ciceronis ipſius, parum comperimus.

Dixi. Moris veterum fuit, cum ſatis viſum eſſet dixiſſe verborum, hanc ſibi neceſſitatem finiendæ orationis imponere, vt dicerent ad vltimum, Dixi: B quòd etiam, ab vtraque parte oratione conſumpta, vt in conſilium dimitterentur, Prætor ſoleret pronunciare, Dixerunt. bene ergo Tullius denuncians aduerſariis compendium breuitatis, hoc verbo viſus eſt, Dixi. Non autem ibi finitur prima actio: inducentur enim dehinc à Tullio teſtes: quorum verba in oratione conſcribere, nullius elegantiæ fuit. multis autem diebus prima actio celebrata eſt, dum teſtes Verris producuntur criminum diuerſorum, dum recitantur publicæ priuatæque literæ: quibus rebus adeo ſtupefactus Hortenſius dicitur, vt rationem defenſionis omitteret: adeo perculſus Verres, vt abiret in exilium ſua ſponte. nec quid amplius in iudicio geſtum eſt, niſi quòd Tullius metuens ne tantum negocium penè tacitum præteriret, finxit Verrem cōperendinationi præſto fuiſſe, vt bis defenſus accuſaretur iterum. & quemadmodum victoriæ cōſuluerat breuitate dicendi, ita laudem eloquentiæ tanquam repetita accuſatione eſt conſecutus reliquorum conſcriptione librorum, qui cæteros conſequuntur.

Q. ASCONII PEDIANI COMMENTATIO IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM CONTRA C. VERREM, QVÆ EST DE PRÆTVRA VRBANA.

ARGVMENTVM.

DEINCEPS *hæc omnia non dicta, ſed ſcripta ſunt contra eum. quod ita factum eſt. Fingit Cicero adeſſe in iudicio Verrem comperendinatum, & reſpondere citatum, & defendi. in cæteris enim orationibus defenſor futurus, accuſationis officium his libris, qui Verrinarum nomine nuncupantur, compenſare decreuit, & quoniam accuſare multos indecorum Tullio videbatur, in vna cauſa vim huius artis & eloquentiæ demonſtrare. nam & bene intelligentes omnem virtutem oratoriam, quæcunque in criminationibus conſtituta eſt, hic expreſſam vident: & contra ex hoc defenſionum vim in cæteris orationibus & neruos eius ex hac virtute cognoſcunt, qua in opprimendo exprimitur reo. Igitur rerum ſcena ſic facta eſt, vt dicit Tullius, non autem acta res eſt.* ADEST, *inquit, Verres, reſpondet, defenditur. ergo cum prima actione accuſatus ſit, ac defenſus Verres: nunc, velut defenſus iterum (ſic enim mos erat) in altera actione, accuſatur ad vltimum rurſus oratione perpetua. crimina repetundarum, & alia pleraque ex anteacta vita ſæpe firmantur. ſumitur etiam hinc ſæpe defenſio. omnis enim confirmatio ab attributis perſonæ, & negotio ſumi ſolet. ergo attributa perſonæ maxime in anteacta vita quæri ſolent: negocio, in ipſo crimine. Libros igitur pro qualitate criminum Tullius diuidens, anteactis vnum dedit, hunc ſcilicet ſolum: crimini ipſi repetundarum quatuor, vnum de iure dicendo, alterum de re frumentaria, tertium de ſignis, quartum de ſuppliciis. ad hanc enim ſimilitudinem poëta Virgilius Minoëm iudicem apud inferos, tanquam ſi Prætor ſit rerum capitalium, Quæſitorem appellat dat ibi ſortitionem, vbi vrnam nominat: dat electionem iudicum, cùm dicit, Conſiliúmque vocat: dat cognitionem facinorum, cùm dicit, Vitáſque & crimina diſcit. Ergo hic liber, qui de anteacta vita eſt, ſtatum neceſſe eſt coniecturalem habeat. Capita autem quæ ipſe Tullius fecit, diuidendo totam hanc accuſationem ſunt hæc: primum in Quæſturam, deinde in Legationem & vicequæſturam, tertiò in Præturam vrbanam, quartò in præturam Sicilienſem. Nam quum omnes eius actus Quæſturæ nomine, Legationis, Præturæ vrbanæ, Sicilienſiſq́ quadripartita librorum diuiſione cognoſcantur. anteacta eius omnia hoc libro comprehenſa ſunt ad eorum fidem, quæ poſt dicentur. Proœmia ſanè huius libri in ſimulatione conſtituta ſunt, quaſi veræ accuſationis in Ver-*

Digitized by Google

rem audentem adeſſe, atque defenſum: in exhortatione iudicum ad rectè iudicandum: tum in minis contra aduerſarios: & in exhibenda ratione officij ſui, cur ita maluerit accuſare, vt prima actione tantum teſtibus vteretur. quæ omnia eiuſmodi ſunt, vt non tam noua dicere, quàm dicta libri ſuperioris inſtaurare videatur. Poſt hæc omnia ipſius Ciceronis per honores Verris cum criminibus iunctos diuiſio per ordinem temporum currit.

A NEMINEM *veſtrum ignorare arbitror iud.* Hoc totum figmentum eſt Ciceronis, vt ſequentium librorum vera actio videatur. nam Verres iam ſua ſponte elegit exilium.

Reſpondet. Rectè dictum eſt, reſpondet. nam apud veteres & iudices, & rei, & accuſatores, & defenſores citabantur à præcone Prætoris.

Patior iudices. Cum dolere debuerit, reſtitit ſibi, pati ſe, & æquo animo ferre dicit, vt pugnam victoria conſequatur.

B *Neque enim ſalus vlla Reipub. maior eſt.* Eadem repetit, quæ in prima actione dicta ſunt, è Republica eſſe damnari Verrem.

Diligenter reiectis. Reiectos iudices pro electis intelligi conuenit. ibi enim reiectio iudicum, vbi & retentio, continetur. in reiectione autem accuſatoris, vel fides accuſationis, vel præuaricationis perfidia, vt ſuprà dixi, apparet.

C *Et propè depoſitam.* Deſperatæ ſalutis. ſic & Virgilius.

Ille vt depoſiti proferret fata parentis.

Poſtremò vt eſſet hoc iudicatum. Subauditur, acceſſi, ἀπὸ κοινοῦ ad omnia, quibus hoc verbum in hac ſententia conuenit.

Homo eſt enim nocentiſſimus. Terentius: Et habet, quod det: & dat nemo largius. & de perſona: Fatuus, inſulſus, tardus ſtertit.

D *Impie, nefarièque commiſit.* Nefandum, eſt nõ fandum: nefarium, quod ſacra polluit, farre pio ſolita celebrari: ergo nefarij ſacrilegi.

Agunt eum præcipitem. Proprium Ciceronis & in orationibus, & in dialogis, & in epiſtolis ſæpius eandem ſententiam dicere, & vti eloquentia diuerſis modis, in iiſdem ſententiis, tamen ab aliqua occaſione repetitis. nam & hic repetitio furoris, in qua videtur inſaniæ Verris cauſam velle monſtrare. eſt enim hic locus de ſuppliciis irrogatis: vbi oſtendit, ciues Romanos Verrem pro prædonibus occidiſſe.

E *Religiones verò, cerimoniaque.* De ſignis & furtis tacet modò, quaſi minus idoneis ad furorem auaritiæ.

Supplicio communi. Æſtimatione litis, & exilio.

Cui damnari expediret. Quia minor in damnatione pœna, quàm in concione populi Romani, & in eorum animaduerſione.

F *Non iſtum maius in ſeſe ſcelus &c.* Non iſtum modò terret, ſed ſubtiliter etiam iudicibus comminatur.

Non is reus. Qui eſt nocentiſſimus.

Non id tempus. Quod inuidioſum ſenatui eſt.

Non id conſilium. Quod ex optimis viris lectum tale eſt, vt, ſi quid in ipſo culpæ fuerit, ſperari melius ex ſenatu non poſſit.

Ne actor quidem. Tullius ſcilicet, in quo omnia ad vincendum parata.

Ad aliud iudicium. Populi ſcilicet, & equitum Romanorum.

Alieno nomine à Quæſtoribus vrbanis. Quæſtores vrbani ærarium curabant, eiuſque pecunias expenſas & acceptas in tabulas publicas referre conſueuerant. alieno autem nomine dicit, Carbonis nomine, & exercitus eius: nam Conſulis & militum eius nomine pecunias ex ærario ſumptas auertit, conuerſus ad Syllam bellis ciuilibus. vel alieno nomine, ad frumenti emptionem, quod Siculis non perſoluit.

De capite. Hoc in Silicia fecit gratioſus in decumanos, vt frumentum in auctione promiſſum ab decumanis, vſibus populi Romani (cùm illi freti Verris gratia licerentur quamplurimo) de ſumma detraxit, minúſque eos inferre paſſus ſit annonæ populo Romano. quod illicitum probatur multis documentis.

M. Marcelli, & P. Africani monumenta. Signa conceſſa & reportata Siculis à M. Marcello & Scipione Africano. nam Marcellus donauit, quæ victis Syracuſis aſportare iure belli potuerat: Africanus victa Carthagine reportauit, quæ victis Siculis ademerant Pœni.

Meditetur de ducibus hoſtium. Hic crimen de ſuppliciis eſſe cognoſcitur: in hoc enim libro hæc latius explicantur.

Quos in eorum locum ſubdidos. Captis prædonum ducibus, Verres illos quidem remiſit accepto præmio: pro illis autem mercatores innocentiſſimos partim trucidauit, partim domi ſuæ priuatim reſeruauit, quòd diceret timuiſſe ſe, ne ſibi crimini daretur, eos ipſos à ſe pecunia liberatos eſſe.

Vſque dum per me licuerit. Quantum in ipſo fuerit. An hoc? domi ſuæ priuatus, quod eſt maieſtatis crimen, hoſtes publicos habere non dubitauit: ſed finem fecit huius audaciæ me cogente, qui inſtiti vt de eius domo in publicam cuſtodiam ducerentur.

Quò me iampridem vocat populus R. Se dicit, quia Ædilis eſt factus, vt defendat libertatem populi Romani.

Qui cognitores homines. Hoc genus defenſoris in iure cognitor dicitur, maximè cùm de alicuius ſtatu agitur. ipſe alibi, Cognitorem iuris ſui.

Quinque & xxs. Ac per has totus populus Romanus. Tribus principio tres fuerunt, Tatienſis vna à Tatio rege, Ramnenſis altera à Romulo, Luceres altera à Lucumone, ſiue Lucretino, ſiue à Luco, quem lucum Aſylum vocauerat Romulus. poſt de nominibus Sabinarum plures factæ, quibus deprecatricibus parentum bellum maritorúmq; finitum eſt. ad poſtremum xxs. & v. factæ. Obtinuerunt autem nomen aut à tributo dando, aut quia primo tres fuerunt, vnde etiam Tribuni dicti.

Religionem. Quia iurati teſtes dicebant.

Latumias. Latumiæ carcer Syracuſis. Latomiæ autem lingua Siculorum lapicidinæ dicuntur, id eſt loca cæſis lapidibus excecta.

De loco ſuperiore. De Roſtris, quippe qui Ædilis ſum factus.

Quo in numero è vobis complures fuerunt. Alia enim ſortitio-

ſortitione nunc ſedent: alia in diuinatione conſtituendi accuſatoris fuit.

Inimicitias iuſtas. Ad aliud argumentum victoriã ſuam interpretatus. ſimpliciter fatetur quod in diuinatione expugnauerat, non idoneam fuiſſe cauſam accuſandi Verris Cæcilio commentitiam ſimultatem. an iuſtas inimicitias magnas dicit? vt è contrario Virgilius.

Iniuſto ſub faſce viam dum carpit.

Cùm id poſtularet. Bene addidit, quia in Diuinatione huiuſce rei mentio facta non erat.

Vim in inquirendo tantam habui. Dicit plura crimina inuenire potuiſſe, quàm inuenta ſunt, ſi vellet Tullius non ad legem repetundarum inquiſitionem facere, ſed ad vniuerſa, quæ commiſerat Verres. nam certè quantum abſtulerit ex Sicilia Verres, non quantum flagitij commiſerit, dicere accuſatorem cauſa compellit.

Ne quis de mea fide. Et Verris pecunioſi rapinis inuidioſum: & apud iudices plurimum valet: vt non ſine cauſa de eorum conſtantia Cicero dubitare videatur. & valet ad ſuſpicionem magnopere, immo opinionem, vel potius fidem redempti Hortenſij & fautorum Verris ad defenſionem eius: quo ſe quoque è ſuſpicione hominum non excepit Tullius.

Sciebam, in reiiciendis iudicibus. Multi, inquit, ita ſubtiles fuerunt præuaricatores, vt in tota actione fideles actores eſſe viderentur, qui tamen non effugerunt ſuſpiciones hominum, cum in reiiciendis iudicibus verſarentur. reiiciens enim malos, & retinens bonos, verus accuſator intelligitur. qui verò contra facit, vt ſit impedimento cæteris, & ſi rem aſtu tegat, facilè tamen de hoc intelligitur quòd præuaricator exiſtat. Et eſt bona occaſio cum cauſa laudandi iudices oratoris.

Poſt hunc ſtatum Reip. quo nunc vtimur. Qui eſt per x. annos ex quo Sylla vicit, ex quo iudicat ſenatus.

Quam iſte laudem. Vitat argumentum, quod ipſe rhetoricorum primo reprehendit, & commune appellauit.

Qui cùm P. Galbam iudicem reieciſſet. Bonum.

M Lucretium retinuit. Malum ſcilicet. ſed tamen ſcire vos conuenit, hunc Lucretium à Cicerone eſſe reiectum. neque enim præſentem iudicem vituperare fas fuit.

Reiici paſſus eſſet. Ac per hoc reieciſſet ipſe.

Contra honorem meum nihil poſſe. Quia non ſum Ædilitate deiectus.

Deinde reliquis diebus. Apparet, multis diebus prima actione accuſatum productis teſtibus Verrẽ.

Non enim ſpolia C. Verris. Vt quadruplator, qui de condemnati bonis ipſe aliquid ſumam.

Sed exiſtimationem. Vt bonus ciuis exiſtimarer.

Cum cauſa. Cui rei contrarium eſt, ſine cauſa.

Reipub. conſulere. Subaudiendum eſt ad omnia, meum fuit.

Abſtulerit. Pro certo habuerit, perſuaſum ſibi crediderit.

Quanto periculo venturi ſimus ad eos iudices. Vult intelligi, metuendum eſſe ſenatui, ne equites Romani iudicent: quos non ſolum pro integris, ſed etiam pro inimicis nobilitatis vult populus Romanus iudices eſſe.

A porta ſubitò retraxiſſet. Hoc comminiſcitur Cicero, vt credamus veram fuiſſe ſecundam actionem: quæ ſecundùm veram geſtorum fidem non

A dicta, ſed ſcripta eſt.

Non ſine cauſa. Corruptis iudicibus ſcilicet.

Nunc ne nouo querimoniæ genere. Aſtutia Ciceronis hæc fuit, vtendo teſtibus: vt nihil reliqui eſſet Hortenſio, niſi vt eos interrogare poſſet. dicendi autem facultatem nullam ei dedit, nihil ipſe dicendo. etenim metuebat, ne ſi locum dicendi inueniſſet Hortenſius, breuitatem temporis longa oratione conſumeret: vt ſecunda actio ad alios iudices, qui corrumpi poſſent, aliúmque Prætorem poſt

B Cal. Ian. perueniret, Conſulibus futuris ſe & Metello, fautoribus Verris. hæc ita ſunt, quemadmodum dicimus. ſed Cicero ſic proponit querelam Hortenſij, vt & iniuſta, & ridicula eſſe videatur. & eſt ordo. nunc ne nouo querimoniæ genere vti poſſit Hortenſius, morem illi geram.

Hic tu fortaſſe eris diligens. Apoſtropha ad ipſum Hortenſium: qua oſtendit, non poſſe ſe cogi vti oratione perpetua, & omnibus horis ſuis, ſi nolit vti. & mirè horis dixit, cùm dies ſint plurimi: vt oſten-

C dat nimiam diligentiam, & eas horas dicẽtis dictione eſſe complendas. veteres præterea horas generaliter dicebant more Græcorum.

Quod mihi lex mea cauſa dedit. De commodo proprio licet vnicuique detrahere, præſertim cùm inde aduerſario nihil poſſit eſſe incommodi.

Ea re quidem. Vt quæſtionem propoſitam infirmaret, cauſam propoſitionis affinxit, quæ ſibi ſolutionem propoſiti, quam volebat, afferret.

Adimo enim comperendinatum. Comperendina-

D tum pro comperendinatione poſuit. & eſt ſenſus. aufero vobis moleſtiam bis dicendi. ſed quid? dices vtile eſſe bis dicere? & mihi ego denego hanc vtilitatem: in qua re cur me accuſes, non habes. aut enim comperẽdinatio propter me magis, quàm propter te, eſt inſtituta: aut non magis propter te, quàm propter me. ſi enim numerum dicendi conſideres, ex æquo res eſt: ſi ordinem, ego ſum prior & vltimus. nam ſimul accuſator dixerit, reſpondet prima actione defenſor: & rurſum compe-

E rendinato iudicio dicit prior defenſor, & defenſionem tanquam duplicem in medio poſitam obruit vltimus accuſator.

Glaucia primus tulit. Ante legem Glauciam de comperendinatione, aut ſtatim ſententia dicebatur, ſi abſoluendus eſſet reus: aut, Amplius, pronunciabatur, ſi videretur eſſe damnandus, cum dixiſſent iudices, Non liquet, hoc eſt, obſcura cauſa eſt. itaque ea pars interpoſita dilatione dicebat, in cuius peroratione videbatur obſcuritas. comperendinatio ve-

F rò vtriuſque partis recitatio eſt. Alij ſic adnotant. comperendinatio eſt ſecunda actio. item comperendinatio eſt ab vtriſque litigatoribus inuicem ſibi denunciatio in perendinum diem. nanque cùm in rem aliquam agerent litigatores, & pœna ſe ſacramenti peterent, poſcebant iudicem: qui dabatur poſt tertium diem: quo dato, deinde inter ſe in perendinum diem, vt ad iudicium venirent, denunciabant. quò cum eſſet ventum, antequam cauſa ageretur, quaſi per indicem rem exponebant. quod ipſum

G dicebatur cauſæ coniectio, quaſi cauſæ ſuæ in breue coactio. Alij ſic. inter comperendinationem & ampliationem hoc intereſt, quòd comperendinatio ex vna tantum re dabatur, cùm cauſam iudex non intelligeret. & omnino, ſi videbatur iudicibus bona cauſa, abſoluebant reum: ſi mala, non ſtatim damnabant, ſed hac excuſatione parcebant.

nam cùm condemnandi nota eſſet c litera, abſoluendi A, ampliandi ſignum N L dabant, quo ſignificabant non liquere: vnde ampliatio naſcebatur.

Iudicari. Diei ſententia abſolutionis. hoc ſignificat id, quod ſequitur.

Cito abſolui. Iudicari.

Tardè condemnari. Ampliari.

Aciliam legem. Acilij Glabrionis, patris huiuſce Prætoris: de quo etiam ſuprà dixit, quæ lex neque comperendinationem, neque ampliationem habet.

Mittam in conſilium. Id eſt, perorabo. nam mittere iudices in conſilium, eſt dimittere iudices ad ſententiam dicendam, vbi allegatis omnibus argumētis, orator dixerit, Dixi.

In hoc quidem genere cauſarū. Coniecturali ſcilicet.

Seſtertium quadringenties. In Diuinatione, millies, dixit. ſed cur ita variauerit fidem ſummæ, iam in ſuperioribus diximus.

Nomina ſua exegiſſe. Tituli debitorum nomina dicuntur, præſertim in iis debitis, in quibus hominum nomina ſcripta ſunt, quibus pecuniæ commodatæ ſunt. cui rei contrarium eſt, mutuas accepiſſe, ergo nomina, debita, vel debitores.

Hæc eadem ſe audiſſe dicerent. Apud antiquos & de auditione teſtimonium dicebatur.

Vt in teſtibus interrogandis. Tenere debemus, interrogationes teſtium & accuſatoris, & defenſoris eſſe, & eius, qui producit, & eius, contra quem producuntur.

Sed etiam populus R. Qui circum ſubſellia coronam fecit.

Interpoſuiſtis accuſatorem. Qui iſte ſit accuſator, vel quem accuſet, in priore libro iam notauimus. quòd autem dicit, menſes mihi tres cum eripuiſſetis, hoc dicit: c. & x. dies inquirendi in Sicilia poſtulam. conſequens erat, vt, etiam ſi quinquageſimo die rediſſem, vt redij, ſtatim accuſarem. quòd ne poſſem facere, interpoſuiſtis accuſatorem quendam cuiuſdam ex Achaia rei, qui ſibi c. & VIII. peteret. ita factum eſt, vt, quamuis ego feſtinato rediiſſem, ille adhuc proficiſceretur, nō potuerim tamen agere, donec complerentur illo abſente c. & VIII. dies. Sic enim erat à Prætore legibus ordinatum, vt, ſi intra centum & octo dies ille inquiſitor Achaicus aduenisſet, priore loco ageret. ita factum eſt, vt propè tres menſes ſine ludorum impedimento ad agendum appoſitos ſine cauſa Tullius amiſerit aduerſariorum dolo. centum enim & octo dies plus, quàm tres menſes, ſunt.

Vt cum horis noſtris. x x. diebus ſcilicet. hi enim dabantur ad accuſandum legitimi, totidémque defenſori ad reſpondendum.

Ne, quem nemo prima actione defendere auſus eſſet. Teſtes tabulæque facti dari ſolent: itaque ab accuſatore dantur: non facti non dantur teſtes: ergo nihil proſunt à parte defenſoris. quid ergo facit pro defenſore? oratio ſcilicet: cuius poteſtatem Hortenſius non habuit tacente accuſatore. non ergo defendere Verrem non auſus eſt, ſed, quia non poterat vt volebat, in totum prætermiſit Hortenſius.

Si, quam diem qui iſtum eripiendum redemerunt. Fingit Tullius perueniſſe ad ſe pactionem eorum, qui in ſe ſuſceperant procurationē corrumpendorū iudicum, & liberādi Verris. quos ita in cauendo ſcripſiſſe dicit, pro eo ſe promittere corrupturos eſſe iudicium, ſi poſt Cal. Ian. de Verre iudicarent.

In eam diem. Quam ego eſſem ſtultus, inquit, ſi A quam diem illi in promittendo elegerant, ego in accuſando non effugiſſem, præſertim cùm poſſem effugere, ſi imprudens non eſſem.

Nunc mihi temporis eius, quod mihi ad dicendū datur. Alij fecerunt hoc dies x x. alij pauciores, alij plures.

Aut ex iſto, quem ſui ſimillimum produxit. Reprehendunt homines ſtultiſſimi Tullium, quòd in filio Verris innoxiam lædat ætatem, ignorantes illum accuſatoria arte prouidere, ne in epilogis productus ab Hortenſio conciliet miſericordiam iudi-B cum patri.

Lenonum, aleatorum, perductorum. Lenones ſunt ſcortorū, perductores etiam inuitarum perſonarum, & in quibus ſtupra exercita legibus vindicantur.

Quæſtor Cn. Papirio Conſule fuiſti. Vno nomine Cn. Papirij Carbonis & tempus criminis ſignificauit, & crimen. legitur tamen & Conſuli.

Obtigit tibi conſularis. Prouincia, ſubauditur.

Diſſenſio ciuium. Leuiter dixit bellum ciuile grauiſſimum Syllæ cum Marianis.

C *Quid ſentire debueris.* Cum quibus facere.

Ac ſorte. Potuiſti enim, & debuiſti, ſi nolles, repudiare illam ſortem, aut ſuſceptam tueri.

Pecunia attributa. Quæ in ſtipendium militum de ærario à tribunis ærariis adnumerari Quæſtori ſolet. ergo Verri adnumerata intelligitur.

Voluntatis aſſenſioniſque eorum. Syllanorū ſcilicet.

Compilarit. Pilos peruellerit: ſic fraudauerit furto, vt ne pilos quidē in corpore ſpoliatis reliquerit.

Ad nobilitatem, hoc eſt ad ſuos. Totum hoc per i-D roniam dicitur in Verrem, & Verris defenſores.

Accepi, inquit. Referri ad ærarium ratio ſolet pecuniæ publicæ à Quæſtoribus. Verres igitur retulit. ſed Tullius hoc reprehendit, primò falſam hanc breuem relationem eſſe, deinde idcirco acceptam, quia proditor Carbonis fauorem ſibi apud Syllam comparauerat. nam paucis verbis, quid acceperat, quid reliquerat, dixit.

Dedi ſtipendio, frumento, Legatis. Hæc omnia no-E mina ſunt erogationum: quibus, aut ſtipendium militibus dediſſe ſe, dicit Verres: aut frumentum coëmiſſe in annonam exercitus: aut Legatis, & pro Quæſtori in ſumptum dediſſe: eis enim alimenta de publico dabantur.

Pro Quæſtore. Id eſt, pro officio quæſtorio. ſignificat autem Quæſtoris annonas. ſibi imputat pecunias publicas datas Verres. accepi, inquit, vicies ducenta triginta quinque millia, quadringentos decem & ſeptem nummos.

F *Cohortis Prætoriæ.* Comitibus conſularibus. Veteres enim omnem magiſtratum, cui pareret exercitus, Prætorem appellauerunt. Vnde & prætorium tabernaculum eius dicitur, & in caſtris porta prætoria, & hodie quoque præfectus prætorio.

Reliqui Arimini ſexcenta millia. Hæc ſumma cum ratione conſentit.

Hoc modo aut tu Hortenſi, aut ego. Ambo enim Quæſtores fuerant.

Qua ne falſo quidem potuit. Non enim veriſimile G eſt, tantæ pecuniæ rationem duobus verſiculis confici potuiſſe.

Oppidum ſibi elegit Ariminum. Hoc oppidum Albinouanus Syllæ prodiderat, dux ipſe Marianus.

Recita denuo. P. Lentulo, L. Triario Quæſtoribus. Hoc eſt caput lectionis relatarum à Verre rationum ad ærarium totius Quæſturæ eius.

Non vt honos, & dignitas. Pro nobilitate pugnante

te Syllæ contra Marianos, hac enim de cauſa ſe tranſfugiſſe aiebat Verres, vt dignitas & ſalus nobilitati reſtitueretur.

Idem feciſſes, quod anno poſt M. Piſo. Exemplo vrget Verrem, vt oſtendat, quid facere potuiſſet, niſi furtum pararet.

Beneuenti eſſe iuſſit. Beneuentani plerique Syllani erant.

Non modo non extitit. Emergit, exoritur, exurgit.

Malleolo occiſo. Oratorie pro mortuo occiſũ dixit.

B *Quæ in iſtum valebant crimina.* Apertius hoc poſtea dicturus eſt Tullius, etenim accuſator Dolabellæ volens iudice Verre vti contra Dolabellam, librum criminum communium Verris & Dolabellæ Verri oſtendit, & promiſit hæc ſe crimina non obiecturum, ſi ſibi Verres & cauſam omnem Dolabellæ proderet, & teſtimonium aduerſus eum diceret. quare Verres Dolabellam, cui Legatus, & pro Quæſtore fuerat, oppugnare compulſus eſt. Inimicos autem accuſatoréſque Dolabellæ, Cæſarem dicit, nam Scaurus Dolabellam alium accuſauit, nec damnare potuit.

C *Miſer non eſſet.* Miſerum pro innocente Tullius ponit. ſic alibi: Et erunt, qui illum, ſi hoc fecerit, non improbum, ſed miſerum, me non diligentiſſimum Conſulem, ſed crudeliſſimum tyrannum exiſtimari velint.

Ex communi calamitate. Ex Syllanis temporibus ſcilicet: Defenſionem de Sylla excluſit, ne liceret illi dicere, Sylla mihi iuſſit, Sylla hoc fecit.

D *Circumſcripto.* Sublato, circunducto, ac prætermiſſo, alias dece, pro ſignificat.

Poſteaquam Cn. Dolabella ἀνακεφαλαίωσις de Dolabella, nam ſuprà de eius damnatione dicebat.

Eſt alius mihi locus. De ſignis ſcilicet, an peculatus, ſi hinc euaſerit Verres?

Aeſtimatum. Impoſito pretio exactum, ſecundum legem repetundarum.

E *Ita magnis fluctus eiiciebantur.* Extra fines littoris exibant.

Temporibus exactis. Menſibus exactis.

Sacra putatur. Sic Virgilius,

Sacra mari colitur medio.

elegerunt potiùs ſacra dicere, quàm, id quod in conſuetudine eſt, ſacrata.

Vt ne Perſæ quidem. Cyro, Dario, Xerxéque duce.

F *Diis hominibúſq;.* Quia non ſolùm hoſtes erant, vtpote, barbari, verum etiam more gentis ſuæ nulla diis in terris templa condenda eſſe credebant, præſertim cum vni Soli, quem venerarentur, vix mundus ipſe ſufficeret. Erant ergo & ædium ſacrarum & ſimulacrorum euerſores.

Equos, muneráque. Quærendum cur equos à cæteris muneribus ſeparauit. an, quia Aſiani magno pretio æſtimant equos?

G *Quem quondam in Comitio vidiſtis.* Licebat enim mutua hæc ſigna deportare Romam Ædilibus ad ornatum ludorum, & rurſum ſociis reportare. nec hoc crimen diſtulit in orationem, quæ eſt de ſignis: quia ſpecialiter crimẽ & breue eſt, nec habet, quod adiici poſſit.

Iunonis Samia. Hinc Virgilius,

Poſthabita coluiſſe Samo.

Non ad Prætorem, ſed Romam deferri oportere. Atqui legimus, de Oppio & de Procilio non apud populum Romanum depoſitas eſſe querelas, ſed apud

A eos, ſub quibus agebant aut Quæſturam, aut legationem, Legatus autem Verres non Neronis, ſed Dolabellæ erat.

Cum obſignandi gratia veniſſem. Moris fuit, vt accuſator obſignaret domum, & clauſa omnia eius, quem accuſaturus erat, ne qua furtorum indicia aut in vaſis, aut in ſignis, aut in literis conſtituta, ab eo remouerentur.

Ad omnes columnas. Locus intercolumniũ dicitur.

B *In ſylua.* In viridario.

Sub dio. Id eſt, ſub cœlo, cœlum Græci τὸν Δία dicunt: ſed ita declinatur, hoc diũ, huius dij, huic dio, hoc dium, ô dium, ab hoc dio.

Quandiu alium Prætorem. Metellum ſcilicet, cum iudicibus, quos in horum locum, quemadmodum ſuprà dixit, ſubſortiturum ſe Verres eſſe credebat.

Noſtris teſtibus, quàm horis. Vſus eſt enim prima actione Cicero magis teſtibus ſuis, quàm temporibus, id eſt ſibi ad dicendum lege datis.

C *Quæſitorem.* Legitur & Quæſtorem. ſi Quæſitorem, illum ipſum Glabrionem, cuius cura eſt vt ſociis omnia rapta reddantur. ſi Quæſtorem, eum ad quem rediguntur pecuniæ ex proſcripti bonis, & à quo ſociis adnumerantur. Sectorem autem dicit æſtimatorem redemptorémque bonorum damnati, atque proſcripti, qui ſpem ſectans lucri ſui, id eſt ſecutus ſpem æſtimationis ſuæ, bona omnia auctione vendit, & ſemel infert pecuniam vel ærario, vel ſociis. contra hos igitur iam pugnat Verres, inquit

D Tullius, ſubtrahens omnia ſigna, non contra me, qui illum, etiam ſubtractis ſignis, teſtimoniis tamen poſſum conuincere.

Trierarchus. Naui triremi præpoſitus. Triremis ternos remorum ordines habet. ita & biremis, & quadriremis, & deinceps dicuntur.

Quem omnia intus canere dicebant. Cùm canunt citharistæ, vtriuſque manus funguntur officio. dextra plectro vtitur: & hoc eſt foris canere. ſiniſtra digitis chordas carpit: & hoc eſt intus canere. diffi-

E cile autem, quod Aſpendius cithariſta faciebat, vt non vteretur cantu vtraque manu, ſed omnia, id eſt vniuerſam cantionem, intus & ſiniſtra tantum manu complecteretur. vnde omnes quotquot fures erant, à Græcis Aſpendij cithariſtæ in prouerbio dicebantur, quòd, vt ille carminis, ita iſti furtorum occultatores erant. valet hoc prouerbium & in eos, qui multum inteſtinis ſuis commodis conſulunt præter honeſtatem.

Artificio ſuperaſſe. Vt interius poſitus eſſet, qui

F intus cantare conſueuerat.

Pergæ fanum antiquiſſimum. Apparet oppidum Pergam vocari, cuius nominatiuus caſus Perga eſt: ergo aduerbium loci Pergæ. Fanum, religioſiſſimum templum vnde fata petuntur.

Quid de L. Scipione? De quo cùm ſenatus ambigeret, vtrum idoneus eſſet, qui in Aſiam contra Antiochum mitteretur, P. Scipio Africanus, frater eius, Legatum ſe ei obtulit ad id bellum gerendum, & victoriam reportauit.

G *Quid de L. Mummio?* Legatorum populi Romani violatorum cauſa bellum aduerſus Corinthũ Græcam vrbem geſſit populus Romanus, eámque deleuit duce Mummio. cur autem Græcorum triumphorum ponit exempla? quia de ſignis loquitur, quorum copia apud Græcos eſt conſtituta.

Omnes erant eiuſmodi. Boni ſcilicet.

P. Seruilius. Bona occaſio promerendi iudicis eũ

obteſtatione coniuncta. hic enim bellum in Cilicia geſſit, déque ea triumphauit captis Coryco, Olympo, Phaſylide, tribus magnis eius terræ vrbibus.

Legatus Quæſtorius. Legatum ex Quæſtore agens.

Per triumphum vexit. Ferculis enim ſigna ante triumphantem vehi per pompam ſolebant.

Ad ærarium perſcribenda. Hæc fuit veterum diligentia, vt, quod quiſque de ſubiugata prouincia per triumphum apportauiſſet, perſcriptum in tabulis in ærario reponendis conſeruaretur.

Figuram, ſtatum. Figura eſt circa geſtum ſitúmq; membrorum: ſtatus circa ornatum & habitum veſtis, inſignium, & armorum.

Certè maior eſt. Non video, quid apportet hic ſenſus. nihil enim mirum, diligentiorem eſſe Seruilium, quàm Verrem, ſi ita eſt. niſi fortè, quod ait, Certè maior eſt, ſic accipiamus, quaſi dicat, Verè maior eſt: & quod ſubiunxit, argumentum ſit, virtutis, quàm voluptatis, maiorem eſſe fructum.

Dices tua quoque ſigna. Oratoria plaſi hanc ſibi obiecit quæſtionem, quæ genus confeſſionis in ſe habet: nam Aedili atque Prætori Hortenſio, & item Metellis, rapta ex prouinciis ſigna ad ornandum forum & Comitium commodauerat Verres. olim enim, cùm in foro ludi populo darentur, ſignis ac tabulis pictis partim ab amicis, partim è Græcia commodatis vtebantur ad ſcenæ ſpeciem, quia adhuc theatra non fuerant.

Comitium. Locus propter ſenatum, quò coire equitibus, & populo Romano licet.

Qui ſe iudiciorum dominos. Hortenſium, cæteróſque nobiles.

Ex Aſia, atque Achaia. Vnde fuerant iſta ſigna per furtum ſublata.

Non arbitror illum negaturum. Nam ſolebant magiſtratibus commodari reddenda.

Quoniam quidem cum imperio ac ſecuribus. ἐξουσίᾳ μετὰ συγχωρήσεως. Cum imperio ac ſecuribus, bene: quia licet negotiari equitibus & priuatis.

Habeo & ipſius, & patris eius accepti tabulas. Id eſt, acceptarum pecuniarum. legitur & Abeo, & Accepi. moris autem fuit, vnumquenque domeſticam rationem ſibi totius vitæ ſuæ per dies ſingulos ſcribere, ex quo appareret quid quiſque de redditibus ſuis, quid de arte, fœnore, lucróve ſepoſuiſſet quoque die, & quid item ſumptus damnive feciſſet. ſed poſtquam obſignandis literis reorum ex ſuis quiſq; tabulis damnari cœpit, ad noſtram memoriam tota hæc vetus conſuetudo ceſſauit. dicit igitur Tullius, habere ſe & patris eius tabulas, quoad vixit, & ipſius Verris, quoad confeciſſe dixit. ex quibus proditur, quàm multæ tabulæ pictæ, quot ſigna apud eum nulla emptionis origine furto capta noſcantur. remoratúrque in eo, quòd ſe dicat Verres non ex aliquo tempore cœpiſſe literas domeſticæ rationis facere, ſed ex aliquo tempore deſtitiſſe: quod factū nullo exemplo defendi poteſt.

De M. Antonio. Hic eſt M. Antonius diſſolutiſſimus curator totius oræ maritimæ, Cretæ mortuus: de quo ipſe dicet, Et poſt M. Antonij infinitum illud imperium ſenſerant: & quem Saluſtius ait perdundæ pecuniæ genitum, & vacuum à curis niſi inſtantibus.

Eſt aliqua etiam huiuſce rei ratio. Vel mala, vel bona. dicit ergo, etſi non bonam, apparet tamen eſſe aliquam rationem. Aut ipſe hoc dicit. bona ratio nunquam ſcribendi, iudicium perſeuerans de tabulis non conficiendis: aliquando cœpiſſe, correctio

A erroris in melius: deſtitiſſe cum cœperis, mala ratio: eſt enim inconſtantia, & mutatio quædam in deterius.

Vſque ad M. Terentium, & C. Caßium coss. Ab horum Conſulatu videtur tabulas Verres rationum ſuarum deſtitiſſe conſignare: quamuis à præſenti tempore non longè abeſt.

Alio loco, cuiuſmodi ſit, conſiderabimus. Scilicet ad tegenda furta pertinet iſta prætermiſſio rationum, ne conſcriptis iis, quæ ante habuit: & iis, quæ nunc

B habet, extraordinaria rerum poſſeſſio cerneretur.

Atque vtinam neges. Cum enim confiteris, etſi improbe, videris tamen aliquid dicere, cum dicis, emi, non rapui. ſi autem negaueris, & conuinceris, & huiuſmodi defenſione nudaberis.

Impluuium. Locus ſine tecto in ædibus, quo impluere imber in domum poſſit.

Quæ ſectorem expectant. Repetundarum cauſa ita ſe habet, vt, ſi conuictus reus ſit, atque damnatus, pecuniam reddat æſtimata lite, hoc eſt in pretium

C redactis omnibus furtis: quam ſummam pecuniæ proſcriptis eius bonis ſectores exſoluebant. Sectores autem dicti ſunt, qui ſpem lucri ſui ſecuti, bona condemnatorum ſemel auctionabantur, próque iis pecunias penſitabant ſingulis: ac poſtea pro compendio ſuo ſingulas quaſque res pecunia populo venditabant. ſola ergo hæc duo ſigna dicit apud Verrem relicta, aſportatis ad amicos cæteris ſignis.

At credo. Tranſitus ad aliam criminum ſpeciem. non enim hæc, quæ ante acta ſunt, ſic dicit, tanquam

D Siculienſia crimina, propria huius cognitionis, quæ per ſingulos libros conſtat eſſe diuiſa, vt de iure dicundo, de re frumentaria, de ſignis, de ſuppliciis.

Ad ſummum Græcorum otium. Dixit hoc ſecundum illam ſententiam de Græcis habitam, quos otioſos & leues eſſe conſenſum eſt.

Cum iſte à Cn. Dolabella efflagitaſſet. Ergo non è republica ire coactus eſt, ſed, vt mitteretur, ambitione perfecit. Nicomedes autem Bithyniæ rex eſt, Sadala Thraciæ, ambo ſocij populi Romani.

E *Ianitorem quendam.* Ianitorem cùm dixiſſet, addidit Quendam, vt oſtenderet non appellatiuum nomen eſſe, ſed proprium.

Videant. Si in promptu res eſt.

Inueſtigent. Quam non videant. & ideo poſterius poſitum.

Homo factus ad iſtius libidines. In naſcendo ſors eſt, in fiendo induſtria. bene ergo non natum, ſed factum dixit. non enim naturam perductores procreare Verri, ſed ipſum ſibi docendo poſt eos fin-

F gere.

Cùm ſuæ partes eſſent. Id eſt, viciſſitudo tangeret. ſimul enim oſtendere vult, nec ſuſcipiendum ſibi eſſe nunc hoſpitem, &, cùm ſuſcipiat, condignum ſolere ſuſcipere.

Vna cupiditate. Vna vel præcipua: vel vere vna, extra quam non iure, non more, non honeſtate moueretur.

Ius ſuum. Ne Rubrium pateretur.

Laborabat. Bene, quia inuitus ſuſceperat hoſpitem

G ſe indignum.

Quid opus eſſet. Vt mulieri ſcilicet vis afferretur.

Græco more biberetur. Grandibus, inquiunt, poculis, & meracis potionibus, qui non intelligunt dicta Ciceronis: & hoc putant Græco more potare. Eſt autem Græcus mos (vt Græci dicunt) *συμπίνειν χυαθιζομένους*, cum merum cyathis libant, ſalutantes primo deos,

modeos, deinde amicos ſuos nominatim. nam toties merum bibunt, quoties & deos & caros ſuos nominatim vocant.

Poſcunt maioribus. Sunt, qui producta ſcilicet O litera poſcunt legunt; quaſi ſæpe potant. ſed poſcunt prouocant intelligendum eſt: vt ſit ſenſus: prouocant ſe inuicem maioribus autem Poculis poſcunt à pincerna id eſt petunt; vt ſubaudiatur bibere.

Quærunt, quid optimum factu ſit. Adeo non Græca leuitate res geſtæ ſunt, ſed agitato conſilio defenſa libertas.

Lenius eorum peccatum. Magna vi oratoria, etiam patere peccatum eſſe dicebant, inquit, quia Verri patebatur, ſed tamen leue, quia Legato.

Sic iſte multo ſceleratior, & nequior, quàm ille Adrianus. Cinnanis temporibus cum C. Fabius Adrianus, vt alij aiunt, Legatus, vt alij putant, pro Prætore, vel Prætor, prouinciam obtineret Africam, Vticę in prætorio ſuo viuus vſtus eſt, quòd corrupto ſeruitio ciuitatis illius de principum nece conſpiraſſe diceretur. ſed opportune Tullius cauſam tacet illatæ necis in Adriano, & multam mortem eius oſtendit: quem dicit oratoric non in hoſpitio, ſed domi ſuæ viuum crematum. & ille, ſic dixit, vt de notiſſimo videretur loqui.

Accenſus Neroni. Accenſus nomen eſt ordinis, & promotionis in militia, vt nunc dicitur princeps, vel commentarienſis, aut cornicularius. hæc enim nomina de legionaria militia ſumpta ſunt.

Interpellauit. Interpellare, eſt mediam alterius orationem interrumpere, vel actioni ſe alterius interponere. Apparet ergo Hortenſium, quamuis diu multúmq; tacuerit, Teſtium in medio teſtimonio perſtrinxiſſe, quòd diceret Philodamum adeo malam cauſſam habuiſſe, vt à C Nerone damnatus ſit.

Putaſſe non oportere. Reprehenſio iudicati ab ea parte, qua cauſæ deriuatio facit, ne nobis iudicata obſint. non enim cauſam Verris releuatam eſſe, ſed illos damnatos, quod, quoquo modo, occiſum hominem eſſe conſtaret.

Pertimuit iſte. Mire orator, non Verrem vindicare mortem Cornelij damnatione Philodami, ſed crimen ſuum releuare voluiſſe: quorum alterum iniuriam paſſi eſt, alterum male ſibi conſcij.

Contendit ab eo. Extorſit ei.

Togatis creditores Græcorum. Noluit dicere equites Romanos, ſed togatos dixit, & Creditores Græcorum, vt oſtenderet cauſas gratificationis in Verrē.

Accuſator apponitur. Non dicit accedit, ſed à Verre ſcilicet ſubornatur.

Et ex creditoribus Lampſacenorum. Et hic cauſa gratiæ in perſona oſtenditur accuſantis.

Vt de Philodamo amplius pronunciaretur. Mos veterum hic fuerat, vt, ſi abſoluendus quis eſſet, ſtatim abſolueretur: ſi damnandus, ſtatim damnaretur: ſi cauſa non eſſet idonea ad damnationem, abſolui tamen non poſſet, amplius pronunciaretur.

Quid ego nunc in altera actione. Hic apparet, etiam in ampliatione ſic alteram actionem diei, quemadmodum in comperendinatione.

Cn. Dolabellæ ſpiritus? Plus ſignificauit dicendo ſpiritus, quàm ſi animoſitatem contentionem ve diceret.

Perpaucis ſententiis. Per nimium paucis ſententiis autem cum dixit damnatum, vt oſtenderet vix paucos inuentos, qui ad opprimendum eum, numerum damnationis implerent poſt ampliationem.

A *Idcirco ne exercitum, atque hoſtem relinquebas?* Recte dixit: bellum enim à Dolabella gerebatur in Cilicia.

Sed etiam ſpoliatum auxiliis. Auxiliis pro auxilio, Quæſtoris ſcilicet. aut Auxiliis ipſius pecuniæ, quæ auertebatur. Sic Virgilius:

Auxiliumque viæ veteres tellure recludit
Theſauros.

Ad inimicos tuos. Accuſatores ſcilicet Scaurum.

Niſi damnato. Non poſſet enim rationes falſas

B ad ærarium referre Verres, niſi damnato Dolabella, qui redarguere mentientem præſens valeret.

Teſtimonium publicum tuum, quod apud Neronem dixiſti. Contra Philodamum.

Bellum ne populo R. Sic enim ad Neronem ſcripſerat Verres.

Niſi publice ſatis factum ſit. Niſi decreto publico traditi ad pœnam ſint culpæ auctores. ſatisfacere eſt enim, tantum facere, quantum ſatis ſit irato ad vindictam.

C *Ei ciuitati bellum indici.* Vt Corinthiis, vt Tarentinis.

Lictorem tuum. Cornelium ſcilicet.

Legitimum tempus ad vlciſcendum. An vitio magiſtratus? accepto enim ſucceſſore ad magiſtratum accuſari poſſunt.

Et ait, iudicium eſſe factum. Locus reprehenſionis contra iudicatum, ne proſit Verri, Philodamum eſſe damnatum.

In alios contuliſſe. Non in Philodamum.

D *Neq; in eos, quos tu inſimulares.* Dixeris, vel accuſaris. ſenſus hic eſt. & alios, inquit, non Philodamum, accuſaſti: & ij ipſi, quos accuſaſti, damnati non ſunt.

Vbi hos perſequeris. Subauditur, nuſquam, *& ... .*

Ab accuſatore interrogatus. Verres ſcilicet, productus in cauſa Philodami, & interrogatus. loqui enim niſi interrogato, teſti non licebat. interrogatur autem & ab eo, contra quem productus.

E *Cur imminuiſti ius legationis?* Qui poteſtatem ſuā in adminiſtrando non defenderit, imminuti magiſtratus, veluti maieſtatis læſæ, reus eſt.

Quòd is Epheſi. Epheſus ciuitas, in qua Dianæ numen peculiariter colitur.

Sed etiam inter hoſtium tela. Inuidioſe orator hoc addidit, cū de magiſtratu dicat, non Legato: nam Legatorum, in fœderibus faciundis, vel legibus pacis belliſque dicendis, ſancta corpora iure gentium atq; inuiolata ſeruantur.

F *De ſua claſſe.* Habent enim Mileſij præſidiariam claſſem, ex fœdere prębendam populo Romano maritimis neceſſitatibus. Myoparo nauigij nomen eſt.

L. Magio, & L. Phannio. Hi transfugæ facti à Mariano exercitu apud Mithridatem agentes, ab eodem Rege ad Sertorium miſſi erant de paciſcenda ſocietate belli aduerſus Romanos: quos in Italia iam poſitos, & ad Sertorium feſtinantes, & hoſtes iudicauerat, & inquirendos mandauerat ſenatus. hi tamen ad vltimum ad Romanos, prodito ex magna

G parte Mithridate, redierunt.

Vſque à Dianio ad Synopem. Dianium Hiſpaniæ maritima ciuitas, Sinope Ponti eſt, vbi Rex Mithridates erat.

Renunciationémque eius. Quia renunciauerat, nauē à Verre L. Magio venditam fuiſſe.

Non ſolum illud perſcribūt, quod tum prohibiti ſunt, ſed etiam cauſam adſcribunt. Senſus hic eſt, non, ſolū

probibitos ſe ſcribunt, ſed cur ſe magiſtratus ipſe prohibere curauerit, ne, cum oporteret, in literas publicas referrent quod geſtum eſſet.

Qui tametſi Februarium menſem. Hic eſt menſis, quo frequens ſenatus poſtulatis prouinciarum, & legationibus audiendis datur.

Et Conſulum deſignatorum nomen expectant. Et, Eſtimeſcunt, legitur. nam vtroque verbo idem ſignificatur. Hortenſij autem & Metelli opibus dicit Legatos Mileſios poſſe terreri, ne de myoparone dicant, præſertim cum ad beneficia petenda venturi ſint Februario menſe, & in manu ſit conſulum, quando, & quemadmodum referant ad Senatum. & bene Nomen Conſulum dixit, vt potentiam demonſtraret eorum, quorū etiam nomen, formidinem efficit.

Religione adducti. Quia iurati teſtes produci ſolēt, non ſolum, ne falſa dicant, verum etiam, ne, quæ vera ſunt, taceant.

Legum domeſticarum metu. Patriæ ſuæ legum, quibus coguntur de incommodis patriæ non tacere.

C. Malleolo Quæſtore Cn. Dolabellæ occiſo. Suſpicioſo verbo vſus eſt: nam non inſiſtit, vt probet à Verre occiſum eſſe: ſed ita vult videri, quia Verri mors eius lucro fuit.

Alteram tutela. Filij Malleoli tutor factus eſt Verres.

Syngraphas fecerat. Inter ſyngraphas & cætera chirographa hoc intereſt: quòd in cæteris tantum, quæ geſta ſunt, ſcribi ſolent, in ſyngraphis etiam cōtra fidem veritatis pactio venit, & nō numerata quoque pecunia, aut non integre numerata, pro temporaria voluntate hominum ſcribi ſolent more inſtitutóque Græcorum: & cæteræ tabulæ ab vna parte ſeruari ſolent, ſyngraphæ ſignatæ vtriuſque manu, vtrique parti ſeruandæ traduntur.

Extrema cera. Vltima tabula, vltima parte tabulæ.

Nomen infimum. Vltimum titulum. Infimum autem, vt appareat falſum eſſe.

Expenſa Chryſogono ſeruo. Quæritur, cuius ſeruo. Verris ſcilicet, non Malleoli.

Quadrarent. Solida facta ſint, vt neque plus quidquam, neque minus inueniatur in ſumma. vbi enim ratio ſine fraude eſt, difficile eſt ſexcenta, detractis quadringentis, quadrare, & ſolidari, vel ſolida fieri, quin aut minus, aut plus aliquid reperiatur.

Vt illa de Cn. Carbonis pecunia. Et, ibi enim ſexcenta ſuperfuiſſe, mentitus eſt.

Commune Miliadum. Mire, Commune, rempublicam.

Frumento imperando, æſtimando. Licebat enim magiſtratibus in vſus ſuos frumentum accipere, ſi vellent, aut pro frumento pretium: quæ æſtimatio dicebatur: in qua re auariſſimi quique infinitā pecuniā contrahebant, iniquum pretium ſociis imperando.

Coria, cilicia, ſaccos. Cilicia texta de pilis in caſtrorum vſum atque nautarum.

Dolabella æſtimatam. Sub quo hæc Quæſtor Verres admiſit.

Conſiſtam in vno nomine. Perſeuerabo, inquit, in eodem titulo quæſtorij criminis.

Ex eodem genere. Furtorum ſcilicet Verris.

In ſua poteſtate ac ditione tenuit. Obnoxium criminum conſcientia, & ſocietate cum reo Dolabella, cui pro Quæſtore fuerat, & legatus,

Homo adoleſcens. Quia cupidius accuſauit, quàm grauiorem virum decebat & doloſius: ſed excuſatur ætate.

A *Eorum omnium voluntatem repudiaui.* Quia non, vt Scaurus, adoleſcens accuſo.

Non accuſatorem maxime laudari volo. Accuſatorium nomen ita viro bono fugiendum eſt vt aut dici omnino ſe accuſatorem nolit, aut velit ſe non ſatia accuſatorem videri. tale eſt illud Terentianum,

Eia, ne parum leno ſies.

Rationes ad ærarium. Quia redargui potuit earum falſitas, ſi ante damnationem Dolabellæ more Quæſtorum rationes ad ærarium retuliſſet. ſic enim fie-

B bat ſimul vt de prouinciis Quæſtores Romam rediiſſent.

Proinde quaſi exſcribendi. Etſi occupaſſet accuſator tabulas rei, aut amicorum eius, tamen ad neceſſarios vſus licebat exſcribere, id eſt exempla transferre.

Qui nunquam rationes ad ærarium referat. Hoc ideo, quia nec ſuperioris Quæſturæ, quæ cum Carbone fuit, rationes ad ærarium retuliſſet.

Tribus verſiculis. Ait enim, Accepi, dedi, reliqui.

C *Quæſtorem ſe expectare.* Bini Quæſtores in Sicilia quotannis erant ſingulis Prætoribus, Lilybetanus, & Syracuſanus.

Omen magis, quam cauſa. Omen, auſpicium: cauſa, excuſatio. Omen autem ideo dixit, quia eius exemplum attulit Verres, qui pecuniarum repetundarum damnatus eſt.

Ecce. Reſiduis ſordibus.

Nomina. Tituli, & capita criminum.

Quòd minus Dolabella. In hoc capite, vt oſtendat

D falſitatem rationum Verris, dicit, non conueniſſe ſummas Dolabellæ cum ipſius ſummis: in qua re vult credi, non Dolabellam, ſed Verrem fuiſſe mentitum.

Hinc ille extraordinaria pecunia. Sordida lucra, & furta ſignificat. nam eæ ſunt, quæ neq; de redditibus, neque de annonis, neque de aliqua legitima acceſſione, vt donationis, aut hæreditatis, verbi gratia, videntur adiectæ.

Hinc ratio cum Q. & Cn. Poſthumiis Curtiis. Hi

E ſunt qui extraordinarias pecunias Verris tractabant: quæ in tabulis Verris nunquam ſcriptæ ſunt, ne ſe ipſe proderet, ac pecunias tantas ſuis literis indicaret.

Hinc ſeſtertium quater decies P. Tadio. Et hic extraordinariarum Verris pecuniarum ſuſceptor eſſe oſtenditur Græcorum teſtimonio.

Cui ſit data, nihil ad me. Oratorie, quæ probari nō poſſunt, fingit ſe voluntate negligere. Terentius.

En, non dico, quaſi non noris, tentatum aduenis.

Tabulas cum conficeres. Quo modo ergo dicit, Ver-

F rem tabulas non habere, ſed aliquo tempore cœpiſſe non ſcribere? hæc ergo tempora rationis tabulas confectas habent.

His expenſum non ferres. Expenſum ferre, eſt ſcribere, te pecuniam dediſſe.

Acceptum Curtij referrent? Accepiſſe à te ſe ſcriberent, expenſum tuliſſe te ſibi ſcriberent.

Vt ex vtroque genere. Summa diuiſio accuſationis Præturæ vrbanæ & criminum C. Verris, in duobus cōſtituta, iuris dictione, & ſartis tectis,

G *Qui auſpicato à Chelidone.* Auſpicari dicuntur ineuntes magiſtratus. & quia chelidon, id eſt hirundo, vrbem frequentat, facete vrbanam prouinciam Chelidonis auſpicio meretricis dicit eſſe ſuſceptam.

Neque cenſus eſſet. Neque centum millia ſeſtertiū poſſideret. nam more veterum cenſi dicebantur, qui centum milia profeſſione detuliſſent. huiuſmodi

adeo

adeo facultates cenſus vocabantur. Alij ſic intelligunt, Neque cenſus eſſet, hoc eſt neque cenſus eius in quinquennium illud eſſet factus, quorum annorũ ſpatio inſtaurari cenſus ſolet apud Cenſores quorum adminiſtratio per luſtrum, hoc eſt quinquennium, extenditur.

An tentatus. Tanquam ſcire quis vellet, qualem ſe Prætorem fuerit præbiturus.

Appellat hæredem. Iniurioſum verbum in perſona prætoris. appellatio enim eſt inferioris ad potiorem.

Cum intelligam, legem Voconiam. Voconius legem tulerat, ne quis cenſus, hoc eſt pecunioſus, hæredem relinqueret filiam. hoc ergo caput edicti eſt legem Voconiam probantis prætoris.

Non improbum, non inofficioſum, non inhumanum. Hæc enim teſtamenta nõ ſolent valere. nam improbum, contra leges: inofficioſum, contra merita: inhumanum, contra pietatem.

Sua ſponte ſcelerata, ac nefaria eſt. Maleficia ſponte & non diſputatione iuris conſultorum, ſed naturali interpretatione fugienda ſunt, vt veneficium, parricidium, & cætera, quæ etiam nullo prohibente euitanda ſunt.

Cornelia teſtamentaria, nummaria. Lex Cornelia, nummaria, quæ de moneta, ne quis priuatus pecuniam faceret.

Ex certo tempore. Vt & quod ſemper reprehenſum eſt, tamen à certo tempore in iudicium veniat, & à certo tempore plecti poſſit.

Rata eſſe non patietur? Hoc totum ἐν ἐκπλήξει, vt quaſi per indignationem dici videatur, & interrogatiuè.

Cedò mihi leges Atinias, Furias, Fuſias. Iſte omnes de iure ciuili ſunt, nihil continent criminum capitalium, publicique iudicij.

Bona, fortunáſque. Bona in ipſis poſſeſſionibus, fortunæ in fructibus earum.

Eripies igitur pupillæ togam prætextam? Toga cõmunis habitus fuit & marium, & fœminarum: ſed prætexta honeſtorum, toga viliorum: quod etiam circa mulieres ſeruabatur.

Hoc populus Romanus non manu vindicaſſet. Confuſa locutio: abundare enim videtur Non.

Poſteaquam ius Prætorium conſtitutum eſt. Ex quo ius prætorium ſtabilitum eſt. ſi hoc dixit, quaſi diceret, poſt conditam vrbem Romam, aut poſt hominũ memoriam, ex quo ius prætorium.

Tum vti proximum quenque potiſſimum hæredem eſſe oporteret. Vt ſi is inteſtatus mortuus eſſet.

Ita ſecundum eum poſſeſſio daretur. Quaſi ab inteſtato agnati eius ſuccederent, quamuis diceretur teſtamentum feciſſe, ſi tamen tabulæ non proferrentur.

Et hoc vetus edictum. tranſlatitiúmque eſt. Tranſlatitia veteres dixerunt non noua, nec nuper inuenta, ſed aliunde tranſlata.

Si habuiſſet iſte edictum. Quale ſuprà tranſlatitium dixit eſſe.

Lege ageret in hæreditatem. Experiretur iure, quẽadmodum probaret ſe hæredem ſcriptum eſſe: & poſſeſſionem à Prætore peteret.

Aut pro præde litis vindiciarum, cum ſatis accepiſſet, ſponſionem faceret. ita de hæreditate certaret. Aut peteret, inquit, vt poſſeſſor eſſet: aut acciperet ab aduerſario ſatis pro præde litis vindiciarum, & ipſe ſponſionem faceret: & ita de hæreditate certaret. Lis vindiciarũ eſt, cum litigatur de ea re apud Prætorẽ,

A cuius incertũ eſt quis debeat eſſe poſſeſſor. & ideo, qui eam tenet, ſatisdat pro præde litis vindiciarum aduerſario ſuo, quo illi ſatisfaciat, nihil ſe deterius in poſſeſſione facturum, de qua iurgium eſſet. Rurſus ſponſione ipſe prouocatur ab aduerſario certæ pecuniæ, aut æſtimationis: quam amittat, ni ſua ſit hæreditas, de qua contendit. Prædes ergo dicuntur ſatiſdatores locupletes pro re, de qua apud iudicem lis eſt: ne interea, qui tenet, diffidens cauſæ, poſſeſſionem deteriorem faciat, tecta diſſipet, excidat arbo-
B res, & culta deterat.

Si poſſeſſor, ſponſionem non faciet. Subauditur, eſt: hoc eſt, ſi poſſeſſor eſt, ſponſionem non faciet.

Quid id ad Prætorem? Bene dixit. cùm enim incertum ſit, cuius debeat eſſe poſſeſſio: cur Prætor dicat ſi poſſeſſor eſt, quaſi iam probauerit poſſeſſorem eſſe eum, qui incubauit? ergo, à quo pretium accepit, poſſeſſorem illum vocat, & vetat eum facere ſponſionem: & eum in poſſeſſionem mittere Prætor ipſe deberet: quem nondum miſit, iam poſſeſſo-
C rem appellat.

Ergo quia poſſeſſor eſt, non moues poſſeſſione: ſi poſſeſſor non eſſet, non dares. Contrariũ potuit, vt oſtenderet improbitatem gratificati Prætoris: Ergo nec adimere tibi licet poſſeſſionem incubanti, nec dare iure poſcenti: quod cum vtrunque fieri oporteat, cur hunc poſſeſſorem nominas, à quo corruptus es, quaſi eum, quia poſſeſſor dicitur, mouere de poſſeſſione non poſſes?

Si de hæreditate ambigitur. Caput eſt edicti Verris.
D *Hoc tranſlatitium eſt.* Ciceronis verba ſunt.

Qui ſe dicat hæredem eſſe. Verba Verris iniuſta. dabo, inquit, ſi quis tabulas teſtamenti bene obſignatas protulerit. Sequitur, Non dabo, inquit, ſi ſe tantum hæredem factum eſſe dixerit, quamuis ille teſtamentum non proferat. Apparet, Verrem contra Minutiam gentem fuiſſe corruptum ab eo, quem ante poſſeſſorem appellat in edicto, quam ei poſſeſſionẽ paratus eſt dare.

Ipſe in Sicilienſi edicto. Figura prolepſis, non enim
E adhuc peruenimus ad Siciliam: cuius crimina, in accuſatione futura ſunt: in tempore præterita.

Capite Anniano. Propriè iuris capita dicuntur.

In quibus ita interceſſit. Intercedere, vt vides, etiam Prætor Prætori ſolet, vt Piſo Verri, appellatione cauſæ ad collegam facta.

Quàm plena ac referta Chelidonis. Plebeia quædã clientula Verris Chelido fuit, quæ illum etiam moriens fecit hæredem: qua cauſa impune illã meretricem appellat orator.

F *Tribunus pleb.* M. Lollius Palicanus.

Cuius rei. Non in eodem negocio, ſed generaliter, cuius criminis, id eſt crudelitatis.

Suo tempore. Cum agetur de ſupplicijs.

Viros bonos, & honeſtos. Quo modo igitur fallunt mortui voluntatem, cum ad Verrem adeunt? an vetuſte bonos pro magnis, honeſtos pro diuitibus poſuit? an bonos & honeſtos, vt ipſe crediderat?

Dat eis poſſeſſionem. Iniuſte. aut enim ſolui potius debuit teſtamentum, quod contra legem Corneliã
G factum fuerat: aut integrum cum voluntate mortui permanere.

Lex eſt: pœna eſt. Accuſetur, inquit, cum fecerit, & damnetur: hoc Prætoris eſt: non, prohibere ne faciat. qui enim ius dicit, factorum iudex eſt, non futurorum duntaxat in ciuilibus cauſis.

O modeſtum ordinem. Quia ordinem dixit, equitum

Romanorum ordinem dici quidam putant:ſed libertinos ſignificat:quorum non conditionem,ſed more ſuo,quaſi honeſtorum,ordinem vocat.

C.Sulpitius Olympus fuit. Vetus locutio.eminus eſt Vulturnus Capua tria millia paſſuum.

Ex edicto iſtius, quod edictum Sacerdos non habuerat. Edictum in cauſa veteri nouum adhuc oſtendit, vt nummarium probet. nam ex ipſo negocio videtur edixiſſe Verres, vt omnis libertus non patrono tantum,ſed etiam patroni filiæ ſextam relinquat hæreditatis.

L.Gellius. Sine ornamentis nomen poſuit,quia per ſe clarum eſt conſularis & nobilis viri.

Aduentitia. Quia ab alieniore hæreditas veniebat.

Non alienus à matris eius genere, & nomine. Qui putant εἰπὼν μῶς pronunciandum,non vident contra teſtis ſuæ dignitatem nunquam dicturum Ciceronem fuiſſe.ergo ſimpliciter accipiendum eſt.vult enim patrem Vetris diuitiorem fuiſſe,matrem honeſtiorem intelligi.

Tabulas protulit. Per quas probauit abiſſe à ſe pecunias certis nominibus inſcriptas. non enim Verres ſcripſerat ſe accepiſſe:ſed illo tempore, vnde, & quo modo,& per quos dederit, ſcriptum in tabulis oſtendit.

Quo maximarum rerum frequentiſſima quotidie aduocationes fiunt. Vel vt conſulatur conuenientibus aduocatis,vel vt alterutri parti apud arbitros adſint, vel vt ipſi iudices in rem aliquam capiantur.

Quibus de ſartu tectis. Harum rerum cura propria Cenſoribus datur,id eſt ſartorum tectorum exigendorum.verùm hæc tueri & procurare, cum cæteris item tum publicis tum priuatis operibus ædilium cura eſt annua.Prætores,niſi ſenatus decreuerit, de hac re minus laborant.

Sine vllo intertrimento. Detrimentum vel vnius partis dici poteſt: intertrimentum non ad vnius partis ſpectat ſed dantis & accipientis.

Nullam eſſe columnam, quæ ad perpendiculum eſſe poſſit. Perpendiculum, linea laterum æqualitatem à ſummo ad imum latitudine probans. hoc autem cũ in columnis omnibus, tum maximè in ſtructilibus vetuſtis,vbi tumoris eſt aliquid, euenit, in quibus aut media,aut ima craſſiora ſunt.

Sartis tectiſque dominata eſt. Addidit,que, vt eſſet plenum dictum:nam ſarta tecta dicuntur.

Eques R. publicanus. Aut potius parcus & attentus, quo magis indignum ſit ad meretricem veniſſe.

Etenim iudicium id, quod propè omnium fortunarũ. Cauſam Muſtius pecuniariam habuit Tullio defendente:cuius oratio non eſt edita.

Foro ornato. Hoc fieri ludis ſolebat, qui in foro etiam tum dabantur.

Renunciat Rabonius. Renuntiat,irritam nuntiat.

Ab eo mancipe,quem ipſe appoſuiſſet. Rabonio ſcilicet fabro.

Veteratorium Acutum, callidum.

Quod eſt igitur remedium?quod? Repetit Quod, vt deliberantis cunctatio videatur ineſſe verbis eius.

In bonis prædibus,prædiſque vendundis. Bona prędia dicuntur bona ſatiſdationibus obnoxia,ſiue ſint in mancipiis,ſiue in pecunia numerata : prædia verò domus,agri,hæc omnia venduntur, ſi rationi publicæ locator ſartorum tectorum non reſponderit.Ad hoc autem hæc omnia ſunt obnoxia, vt pro ſua voluntate agat redemptor operis,quidquid ſuo periculo facit.tu autem Verres,cùm ego populo Romano ſim obnoxius & prædibus, id eſt fideiuſſoribus, & prædiis appoſitis,tu mihi non exactor ſis operis, ſed dominus voluntatis?

A

Vt optima conditione ſit. Ad hoc, inquit, aſtrictus redemptor tenetur populo Romano,vt optima cõditione,quod vult, de redemptione ſua agat.& tu eũ excludis, quem ſolum admitti oportuit: vt ad eius pecuniam, ie ſumptum operis, quem illi imperaturus es,alius accedat.

B

Prædibus, & prædiis. Prædia ſunt res ipſæ:prædes homines,id eſt,fideiuſſores, quorum res bona prædia vno nomine dicuntur.

Populo cautum eſt. Ærario ſcilicet.

Corriguntur leges cenſoriæ.quod enim video. Non εἰπὼν μῶς pronunciandum.

Socium ne admittito. Eum qui tradere ædem debebat.

Ne ve partem dato. Aliud enim ſocius,aliud particeps.nam particeps qui certam habet partem,& non

C

indiuiſe agit,vt ſocius.

Ne ve redimito. Ne ipſe iterum à ſe redimat, aut per ſuppoſitam perſonam,vt alter ei redimat.

Cuius prædia ſubierant periculum. Satiſdatorem dicit fuiſſe D.Brutum.

Si quid operis cauſa reſciderit. Satiſdet damni infecti redemptor nouus veteri, ſi quid pro neceſſitate operis in æde læſerit.

Qui redemerit. Rabonium ſignificat.

Quæ à vetere redemptore acceperis. Pupillum dicit.

D

huic iubet ſatiſdare Rabonium, hoc eſt ipſum ſibi. nam cùm ſit tutor pupilli,vtrobique res eius agitur.

Hoc opus bonum ſuo cuique. Verbum eſt res diuerſas ſimul comprehendens,hoc eſt bono latere,integris menſuris, apta arena,vtili calce, machinis idoneis,proba materie.

Manupretij machina. Manupretium dicitur, vbi non tam materiæ ratio, quàm manus atque artis ducitur.

De populo accedere. Huc vſque à capite quod eſt, At

E

enim, interrogatiue pronunciandum eſt. & contra reſponſiue,Omnes reiecti ſunt,Omnia,inquit,facta ſunt, ne quis de populo redemptor fieret, qui aut pupillo parceret,aut conſcius prædæ Prætoris eſſet. Sed quæritur,qui fieri potuit, vt, cum ex Idibus Septembribus in calendas Decembres diem operi faciundo præſtituerit, omnes anguſtiis temporis excluderentur,in tanta facilitate operis faciendi,quantam ipſe oſtendit,cum diceret,minus eſſe operis illas quatuor columnas reponere, quàm vnam ab in-

F

tegro nouam efficere. Reſpondetur, Ciceronem impenſam operis paruam putare,non moram. ſed has, inquit, anguſtias temporis nõ timuit Rabonius propter conniuentiam Verris.

Neque Calendis Decembribus, neq; Nonis, neq; Idibus. Religioſe in me * nominat vultu*diuo*nouit Idus Calen.*Cicero Nonas addidit, quamuis hoc pronuntiatione ſoluatur. Et eum irriſione hoc dici videre poſſumus.

Iſtam diem quo modo aſſequitur. Quo modo accur-

G

rit ad diem?

Putabat ſe aliquid defenſionis habiturum. Vt diceret,adeo nullum appoſui redemptorem, vt poſt diẽ præſtitutum operi non ab eo ſuſceperim opus, nec in acceptum retulerim.

Vt vno minus teſte haberet. Vt de tot, qui contra ſe ſunt,teſtibus vnum Rabonium detraheret. Cum

die

die cæteris excluſiſſet, tum in eius arbitrium ac poteſtatem venire volebat. Præſtituendo diem anguſtiſſimam operi, duas res aſſecutus eſt Verres, inquit: & cæteros excluſit conditione temporis, & ipſum Rabonium in ſua poteſtate habuit: qui videbat quidem ſibi prædam eripi à Verre, ſed non ſe commouebat metu temporis præfiniti.

Qui ſibi ereptam prædam arbitraretur. Rabonius ſcilicet qui à Verre ſibi arbitraretur lucrum redemtionis ereptum.

Quòd nam iſte referre non poterat. Nimis enim erat inuidioſum.

Rabonij tabulæ. In quibus ſcriptum eſt, ad Verrem pecuniam perueniſſe, quàm Rabonius tutor pupilli nomine dedit Verri, tanquam ſi ipſe à pupillo accepiſſet.

Gracchi credo, aut Saturnini. Seditioſorum Tribunorum pl.

Sine bulla. Simul cum prætexta etiam bulla ſuſpēdi in collo infantibus ingenuis ſolet aurea, libertinis ſcortea, quaſi bullientis aquæ ſinus communiens pectúſque puerile.

Dolabellam, quid iſte in hoſtium præda molitus ſit. Scilicet, cum piratarum nauem cepit, & prædam omnem ad ſe auertit.

Ex L. Metelli manubiis. Ex æde Caſtoris, quam de manubiis L. Metellus extruxerat: qui Metellus ſubactis Dalmatis Dalmaticus appellatus eſt. Manubiæ autem ſunt præda imperatoris pro portione de hoſtibus capta.

A ſigno Vertumni in Circum maximum. Signum Vortumni in vltimo vico Thurario eſt, ſub baſilicæ angulo flectentibus ſe ad poſtremam dexteram partem. Vortumnus autem Deus inuertendarum rerum eſt, id eſt Mercaturæ. Circus autem maximus eſt idē, in quo nunc Circenſes ſpectantur.

Quam tu viam thenſarum, atque pompæ eiuſmodi exegiſti. Sic exegiſti. Exigere viam dicitur magiſtratus, cùm viciniam cogunt munire quàm diligentiſſimè ſumptu facto. Thenſæ autem ſunt ſacra vehicula pompæ ordinū & hoſtiarum. Thenſas alij à deuinitate dici putant, alij, quòd ante ipſas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere & tangere qui eas deducunt. Orbita autē duas res ſignificat. nam orbita & rota ipſa intelligitur, & veſtigiū rotæ in molli ſolo.

Interceſſiſſet contra legem Corneliam. Vt Tribuni pl. aliorum quoque magiſtratuū capeſſendorū poteſtatem haberent. perſuaſiſſe dicitur hāc legē Opimius.

A *Contra alicuius hominis nobilis voluntatem.* Catulū ſignificat, qui tūc princeps fuit Syllanæ factionis.

Paucos homines, vt leuiſſimè dicam arrogantes. Catulum, Hortenſium, Curionémque ſignificat.

Manubias detrahere conatus ſit. Spolia quæſita de viuo hoſte nobili per deditionem Manubias veteres dicebant: & erat imperatorum hæc præda, ex qua, quod vellent, facerent.

Nam de ſubſortitione illa Iuniana iudices nihil dico. Sortitus erat iudices Prætor Verres in iudicio, quo B Oppianicus accuſatus eſt à Cluentio. reiectione vtrinque facta, ſubſortitus eſt in eorū locum Verres, vt mos eſt, alios. damnato Oppianico, cùm in inuidia res eſſet, quòd pecunia reus videretur oppreſſus & princeps illorum iudicum damnatus eſſet Iunius, quòd diceretur alios ſuppoſuiſſe, qui reum damnarent, non eos, quos Prætor fuerat ſubſortitus: etiam Verres ipſe, vt hęc inuidia aduerſus Iunium vera videretur, ſuſtulit, quos in ſuis tabulis habebat, & alios C in litura ſcripſit, & obſignauit annulo non ſolum ſuo, ſed etiam ſcribæ ſui, quem furtorum participē ſuorū & diuitē fecerat, & annulo donauerat aureo.

Euſdem modi ſubſortitionem homo amentiſſimus ſuorum quoq; iudicum fore putauit. Obſcurus locus, ſed, vt opinor, hic ſenſus eſt. putauit, inquit, Verres eodem loco ſupponi potuiſſe iudices, qui ſe corrupti abſoluerent, quemadmodum ſuppoſiti erant, qui Oppianicum condemnarant. nam Q. Curtius, ſodalis eius, iudex quæſtionis, ſubſortiebatur in locum D reiectorum, quos iſte redemerat, improbos iudices, quibus ad venales ſententias proferendas vltimo die ſubiectis vteretur. Facilè autem pro veris iudicibus improbi ſupponi poterant volente hoc iudice quæſtionis, & illis patientibus, qui veri iudices erāt: quia niſi citati non conſidebant, & graue onus erat, & incommodum iudicare.

Q. Curtium iudicem quæſtionis. Apparet hunc poſt hoc factum à Cicerone eſſe reiectum conuitio populi, qui in corona aderat.

E *Ex hac decuria noſtra.* Decuriam modò ordinem, ac per hoc ex vobis: quia honeſtiorum decuriæ, inferiorum centuriæ dicebantur.

Cuius mihi poteſtatem largiſſimam fieri oportebat. Quæ ſcilicet nō fieret, ſi pro vobis alij ſubijcerētur.

Quos iſte annuerat. Quaſi diceret, ſuggereret.

Sine cauſa. Non reiectis ſcilicet iis, in quorum locum alios ſubſortiebatur. hoc eſt vnoquoque veſtrum nobis manente neque reiecto.

Q. ASCONII PEDIANI COMMENTATIO IN M. TVLLII CICERONIS CONTRA C. VERREM ORATIONEM, DE PRÆTURA SICILIENſI, & primum de iuris dictione.

ARGVMENTVM.

HÆC ſine dubio ad accuſationem propoſiti criminis ſpectat oratio. nam in ſuperiore anteacta res ſunt expoſitæ: quæ quia magis adiuuant accuſationem, quàm ipſæ ſint principales, in vnum librum coactæ ſunt iudicio Ciceronis curſim enumerantis, quæ Verres Quæſtor, quæ pro Quæſtore, quæ Legatus, quæ denique Prætor vrbanus

admiſerit.vbi ventum eſt ad cauſam ipſam,& Sicilienſia crimina, quatuor libros edidit,vnũ de iuris dictione,alterum de frumento,tertium de ſignis, quartum de ſuppliciis:in qua diſtributione non ordo temporis, ſed facinorum genera, & momenta ſeruata ſunt. Incipit autem à laude Siciliæ,& egreditur ad crimen Dionis,deinde Soſippi,& Epicratis. Sed de iure Siculorum euerſo fruſtra quidam Ciceronem reprehendũt, quòd nõ inde cœperit:cum ſuperiora crimina non egeant eiuſmodi tractatu, qui ad ſequentia pertinet: & oratoris conſilio à magnis iiſdémque clarioribus ſumendum eſſet exordium.itaque poſt hoc, duo criminum genera perſequitur ad extremum, primùm de Heraclio, de expreſſis honoribus ab inuitis,de Epicrate Bideno,déque rebus capitalibus,vbi de Sopatre,de Sthenio: quæ omnia ſunt de iure dicundo.alterum de ſenatoribus,de ſacerdotibus,de Cenſoribus pretio à Verre factis,de collatione in ſtatuas, de publicanorum cum Verre conuenientia in furtis, de tabulis Carpinatij pecunias Verris extraordinarias continentibus.Genus cauſæ in omnibus Verrinarum libris admirabile.ſtatus principaliter coniectura.

Ea me ad hoc negocium prouincia attraxit. Hoc verò plus eſt,quàm quod in Diuinatione dixit.Suſcepi cauſam reip.

Princeps Siciliæ. Tum cum Meſſina ciuitas ſeditione diuiſa auxilium contra Hieronem per legatos à populo Rom. petiit: quod initium fuit diſcordiæ.

Nunquam poſtea deficerent. Apparet,quia poſt ſocietates & amicitiã firmatã nihil tale commiſerant.

In amicitia perpetua manerent. Quæ nunquam defecerant.

Signis,monumentiſque pulcherrimis. Præparatio ad librum de ſignis.

Denique ille ipſe M.Marcellus. Hic imperator cum eſſet,vicit,cepitque Syracuſas,& victis pepercit.

Quæ cum manu munitiſſima eſſet. Ne quis diceret, Non fuit quod timeret.

Cum vi conſilioque cepiſſet. Ne quis diceret, Non potuit hoſtium vrbem Syracuſas.

Quando illa frumentum. Omne genus penſitationis in hoc capite poſitum eſt,canonis,oblationis,indictionis.

Italico bello. Sociali.

Quæ forſitan ne ſentimus quidem iudices. Quædam commoda ita,vt non ſentiantur,alia conſequuntur, vt ſanitatem integritas virium. ſentimus autem, ſi illa ſubtrahantur:cuiuſmodi eſt,quod nunc dicit,negociatores Romani lucra faciunt,& locupletes ſunt de opportunitate Siciliæ.

Illam veterem. Bonam conſuetudinem.

Non hanc,quæ nunc increbruit. Malam.

Neque publicanus, neque negociator. Odioſiſſima hæc ſunt Romanorum hominum per prouincias nomina.

Aram legum. Tribunal Prætoris, ac ſubſellia iudicum.

Publico conſilio. Quia non poteſt negari, fuiſſe illos accuſatores M.Lepidi:addidit,publico conſilio: quaſi illud non omnes tunc fecerint.

Tametſi illum annum. M. Lepidi Prætoris, qui accuſari cœperat à duob' Metellis,Celere,& Nepote: qui cum legibus interrogaſſent, victi eius apud populum gratia deſtiterunt.

Vt bis ex ea familia. Semel,quòd proauus conſeruauit victor Syracuſas:iterum, hic pronepos magiſtratu ſuo Siculos recreauit.

Et poſtea M. Antonij. Hic eſt M. Antoni',qui gratia Cottæ Conſulis,& Cethegi factione in ſenatu, curationem infinitam nactus totius oræ maritimæ,Si-

A ciliam & prouincias omnes depopulatus eſt, & ad poſtremum inferens Cretenſibus bellum, morbo interiit.

In neminem ante hunc. Rectè:quia Lepidus legibus tantũ interrogatus, nec dum etiã cœperat accuſari.

Poſtulata conſulibus, quæ non poſtulata. Ne ipſe in Verrem cõcitaſſe Siculos videatur, voluntatem eorum contra Verrem cum multis aliis rebus eſſe mõſtratam dicit, tum etiam quia petitiones ad ſenatum per Legatos Siculi tales miſerunt,vt non tã beneficia

B poſtulare, quã huius iniurias deſcribere viderentur, vt puta cum petiũ', ne rei fiant abſentes,quia Stheni' apud Verrem hoc paſſus fuerat: & alia huiuſmodi.

A quo mea longiſſime ratio. A quo,à qua re,à quo negocio,accuſationis ſcilicet.

Publice,priuatéq́. Aut legati,aut ſuas iniurias perſequentes.

At quemadmodum iudices venerint. Obſcurus ſenſus,& per hyperbaton cũ parentheſi,figura,& nouo modo,in ſententia magis, quàm in verbis explica-

C tur. eſt enim ſenſus hic, at quemadmodum iudices venerint, id eſt quàm animosè contra Verrem, ex hoc cognoſcite. & docet, quoties deterriti, & per quos,& quibus minis, accuſandi tamen Verris non depoſuerint voluntatem.

Saluti enim potius illorum conſulam, quàm voluntati. Hoc ideo, quia contra Metellum dicturus eſt Siciliæ nunc Prætorem.

Quæſtores vtriuſque prouinciæ. Duos Quæſtores habet Sicilia, Lilybætanum & Syracuſanum. nam

D Prætori vna prouincia eſt,Quæſtori duæ.

Præſto fuerunt. Vt impedirent ſcilicet meam inquiſitionem.ſequitur enim, Non minus acres cõtra me fuerũt.apparet, cum triennio Siciliam tenuerit vnus Verres, Quæſtores tamen per annos ſingulos huic eſſe mutatos.

Prætorem verò. Ipſum Metellum, ſucceſſorem Verris.

Vna opera. Quòd Romam venerunt,aut quòd proceſſerunt in conſpectum iudicum.

E *In laudando atque repetendo.* Accuſando repetundarum.

Qua ratione iſti amica ſit. Ob remiſſa munera, ſocietatémque prædarum.

Alia ciuitas nulla iudices publico conſilio. Scilicet laudant aliæ, ſed non publico conſilio, per priuatos teſtes: ſuprà enim dixit, Præter duas ciuitates, Mamertinam ſcilicet,& Syracuſanam.

Vn illa

A *Vis illa ſummi imperij.* Metelli Prætoris in Sicilia, & Romæ fratris eius Metelli, alterius Prætoris vrbani, alterius Conſulis cum Hortenſio.

Iniuſſu populi ac ſenatus. Magnifice cùm de miſerrimis & tenuiſſimis oppidis Siciliæ loquatur, tamen dicit & populum, & ſenatum.

Teſtimonium publicum, mandatáque acceperant. A ſuis ciuitatibus ſcilicet:

Vſu venisse. Contigiſſe.

B *Statim Romam, & ad vrbem.* Præturæ ius. omnis enim magiſtratus, qui intramuranus non eſt, nec vrbanus, etiamſi adminiſtrator eius Romæ eſt, ad vrbem dicitur. Salluſtius.

Ii vtrique ad vrbem imperatores erant.

Maximam vno anno pecuniam facere poſſet. Cur vno anno? an quia diuinabat, Arrium ſibi non ſucceſſurum per triennium ſe fuiſſe in Sicilia futurum?

Cum videret in foro latrocinia. Furta in æde Caſtoris, ac pro Roſtris.

C *In quarto actu improbitatis.* Fabula, ſiue tragica, ſiue comica, quinq; actus habere debet. ergo & mire tranſtulit: & ſignificatur, adminiſtrationes in republica Verris infames tanquam ſcenicos actus ſpectaculo omnibus fuiſſe.

Non ſolum genera furandi, ſed etiam nomina. Species negociorum hominúmque ſignificat.

Quas ego iſtum in italia ſcripſiſſe arbitror. Quaſi in naui ſcribere non potuerit. ſed hoc eo dicit, quia cõſtat Verrem negocia Siciliæ extra Siciliam didiciſſe.

D *Sacerdote Prætore.* Hic & temporis admonitio eſt, & argumentum calumniæ Verris, de qua Sacerdos nihil contra hæredem ſtatuerit.

Quadruplatores. Accuſatores, ſiue delatores criminum publicorum ſub pœna quadrupli: ſiue, quòd ipſi ex damnatorum bonis, quos accuſauerant, quartam partem conſequebantur.

Ad vrbem. Iam ſuprà diximus, quid interſit ad vrbem, & in vrbe.

E *Is qui Ericynum montem obtinebat.* Lilybætanus ſcilicet Quæſtor, non Syracuſanus. nam hos binos Quæſtores annuos habuit Sicilia.

Excurſor & emiſſarius. Sic vocantur conciliatores furtorum, quæ à magiſtratibus committuntur, atq; internuncij.

Paulo tamen conſideratiorem. Si conſideratiorem, inquit, aliquatenus calumniatorem quæreret, reperire non poſſet.

F *Veneri abſoluit, ſibi condemnat.* Senſus hic eſt: ita Verrem in cauſa bona tamen prædatum, quaſi minus damni eſſet, ſi Dionem Erycinæ Veneri addicere voluiſſet.

Quod non debebatur. Mire perſeuerauit in cauſa, vt oſtenderet calumniam fuiſſe Prætoris.

Quid ipſius Q. Cæcilij Dionis. Ipſius, honorifice poſitum eſt, quaſi alicuius magni hominis.

Qui tunc in Macedonia fuit. Prò Conſule ſcilicet: nam, vt opinor, Curioni ſucceſſerat.

Sed legis exceptio? Qua non licet vt teſtimonium defenſori denunciet accuſator.

G *E Chelidonis ſinu.* Alludit ad nomen, quòd hirundo, quam Chelidona Græci vocant, veri, id eſt tempori veris, ſit amica.

Si commiſſum quid eſſet. Commiſſa dicuntur, quæ contra teſtatoris voluntatem facta, aut non facta ab hærede, mulcta aliqua pœnáque plectuntur.

Ipſo vigeſimo anno. Præſcripto temporis.

Cognoſcit. Iam primum hoc peccatum.

A *Ab duobus fratribus.* Pares voluntate, videri vult, in pari damno: & non vnam partem hæreditatis ablatam, ſed duas partes

At enim ad Verrem pecunia iſta non peruenit. Coniecturæ ſtatus.

Tentatur. Mire contra Hortenſium, qui improbos ſæpe defendit.

Verres calumniatores apponebat. A ſummo ad imũ, hoc eſt à primis ad poſtrema.

B *Volcatio ſeſe dicunt dediſſe.* Tollit coniecturam, cauſam quærit.

Ecquis Volcatio. A perſona.

Veniat nunc. A conſequentibus.

Sed cum ob tua decreta. Collectio.

Centum cohortes fugitiuorũ fuiſſent. Propter Athenionem dicit, qui dux fugitiuorum per Siciliã fuit.

Sed in tua manu numeratum. Diffinitiue.

Nam ſi hanc defenſionem probabitis. Admittetis, accipietis.

Non accepit ipſe. Sed non accepit ipſe.

C *Licet tollatis.* Pro eo quod eſt, iam tollite.

Ad Q. Mutij innocentiam referatur. Q. Mutius Aſiam ſingulariter rexerat, adeo vt dies feſtus à Græcis in honorem eius conſtitueretur, qui diceretur Mutia.

Miſſos faciamus. Dimittamus à nobis de prouincia, eorumque opera non vtamur.

Rationem reddendam nobis arbitremur. Accuſari nos poſſe credamus.

D *Et eos in concione.* Quædam præmia & honori, & lucro ſunt, vt haſtæ, vexilla, faleræ, coronæ ciuicæ. at annoli aurei ingenuitatis ſigna & liberationis à cura inuictæ publicarum.

Qui iudicia dant. Prætorum.

Si, cùm hæc à quopiam veſtrum petita ſunt, Prætor improbus, cui nemo intercedere poſſit. In prouincia ſcilicet: nam Romæ appellari Tribuni poſſunt contra omnem poteſtatem.

E *L. Octauius.* Verbi gratia hunc dicit, qui nunc in numero iudicum ſedet, ſubtilitérque laudat.

Vt prætor in ea verba iudicium det. In verba litis iure compoſito.

L. Octauius Balbus iudex, homo &c. Hæc ſunt exempla verborum, quæ in verba iudicium dare fingit Prætorem improbum.

Iuris & officij. Ius ad doctrinam pertinet, officium ad virtutem.

L. Octauius Balbus iudex eſto. Iudicio ſuo fungatur Balbus in Seruilium.

F *Si conſtat, fundum Capenatem P. Seruilij eſſe, neque is fundus reſtituetur Catulo.* Cuius non eſt. Memento autem, iudices præſentes eſſe, quorum nominibus vtitur ad exemplum.

Neque is fundus reſtituatur. Hoc ſignificat, coge, vt reſtituat.

Aut condemnare eum quem non oporteat. Quia de fundo exemplum dederat, ſubiecit clauſulam etiam de condemnatione.

G *Si non accipit, quod te debere dicis, accuſes: ſi petitur ducas.* Senſus hic eſt. ſi non acceperit creditor quod ſe debere debitor dicit, accuſetur: ſi patitur, condemnetur: idem ſcilicet.

Duci iuſſit. Vel reum fieri, & accuſari eum qui petitor eſſet, vel etiam damnari. Melius autem, duci iuſſit, in vincula vel in carcerem, intelligimus, quàm duci iuſſit, damnauit.

Qui ciues Romani erant. Subauditur, dabantur.

Si Siculi eſſent. Subauditur, rei.

Tum ſi eorum legibus dari oporteret. Subauditur, iudicia.

Qui Siculi. Subauditur, erant iudices.

Si ciues Romani eſſent. Subauditur, rei. ſic Terentius: Hic in noxa eſt, hic ad defendendam cauſam adeſt: cum ille eſt, hic præſtò eſt: tradunt operas mutuas.

Verum vt totum genus complectamini iudiciorum, prius iura Siculorum. Explanationem ſubiecit obſcuræ rei.

Domi certet. Apud ciues ſuos.

Suis legibus Siculis etenim apud veteres non Romano tantum iure, ſed & ſuæ cuiuſque ciuitatis legibus agebatur.

Ex P. Rupilij decreto Hic eſt P. Rupilius, qui quondam ex publicano factus conſul, poſtea de decem Legatorum ſententia leges Siculis conſcripſit.

Cum alterna ciuitates reiectæ ſunt. Apparet ex hoc dicto, primum petitoris ac rei ciuitatem ad iudicandum proponi, poſtremo in ad aliam quālibet, vtriuſ- C

A que facta reiectione.

Quod ciuis Romanus. Deeſt, in eo vt ſit, in eo quod ciuis Romanus.

Ex ciuium Romanorum conuentu. Ex iis ciuitatibus, ad quas ciues Romani conuenire ſolent agendæ ſuæ aut publicæ rei cauſa.

Aut eum iudicem, quem commodum erat. Vetuſte poſuit pro eo, quem volebat. ſic Terentius: Amat, dabitur à me argentum, dum erit commodum: nam meretrici dare quando eſt commodum? ſed eſt poſitum pro eo, quàm diu libuerit. B

Si quod perperam iudicarit ſenatus. Multi ſubdiſtingunt, & ſeparatim addunt, ſenatus, vt quaſi per interrogationem oſtendat, ne ſenatui quidem cuiuſquam ciuitatis in poteſtate fuiſſe iudicare quod ſenſerat.

Niſi cum nihil intererat iſtius. Niſi, cum, quid iuſſu ederet, non habebat.

Stragulæ veſtis. Stragula veſtis eſt picta.

Inſanias. Noue, ſed proprie.

C Reliqua deſiderantur in Verrinas accuſationes.

Q. ASCONII PEDIANI COMMENTATIO IN M. TVLLII CICERONIS orationem pro C. Cornelio, maieſtatis reo.

ARGVMENTVM.

HANC orationem dixit L. Cotta. L. Torquato Coſs. poſt annum quàm ſuperiores. Cornelius homo non improbus vita habitus eſt. fuerat Quæſtor Cn. Pompeij, dein Tribunus pl. C. Piſone Conſule, biennio ante, quàm hæc dicta ſunt. in eo magiſtratu ita ſe geſſit, vt iuſtior, ſed pertinacior videretur. alienatus autem à ſenatu ex hac cauſa. Retulerat ad ſenatum, vt quoniam exterarũ nationum Legatis pecunia mutua magna daretur vſura, turpiaq́ & famoſa ex eo lucra fierent, ne quis Legatis exterarum nationum pecuniam expenſam ferret. cuius relationem repudiauit ſenatus, & decreuit ſatisfactum videri eo S.C. quod ante annos aliquot Cn. Domitio C. Cælio Coſs. factum erat, cum ſenatus ante pauculos annos illo S.C. decreuiſſet, ne quis Cretenſibus pecuniam mutuam daret. Cornelius ea re offenſus ſenatui, queſtus eſt de ea re in concione exhauriri prouincias vſuris, prouidendum vt haberent Legati vnde in præſentia pecuniam creditoribus darent: promulgáuitq; legem, qua auctoritatem ſenatus minuebat, ne quis, niſi per populum, legibus ſolueretur: quod antiquo quoque iure erat cautum. itaq́ in omnibus S.C. quibus tũ aliquem legibus ſolui placebat, adiici erat ſolitum, vt de ea re ad populum ferretur: ſed paulatim ferri erat deſitum, réſque iam in eam conſuetudinem venerat, vt poſtremo ne adiiceretur quidem in S.C. de rogatione ad populum ferenda, eáque ipſa S.C. per pauculos admodum fiebant. Indigne eam Cornelij rogationem tulerant potentiſſimi quique ex Senatoribus, quorum gratia magnopere minuebatur. itaque P. Seruilius Globulus Tribunus pl. inuentus erat, qui C. Cornelio obſiſteret, is, vbi legis ferundæ dies venit, & præco ſubiiciente ſcriba verba legis recitare populo cœpit, & ſcribam ſubiicere, & præconem pronunciare paſſus non eſt, tum Cornelius ipſe codicem recitauit. quod cum improbe fieri C. Piſo Conſul vehementer quereretur, colliq́ue ea re tribunitiam interceſſionem diceret, graui conuitio à populo exceptus eſt. & cum ille eos, qui ſibi intentabant manus, prendi à lictore iuſſiſſet, fracti eius faſces cuncti, lapidéſque etiam ex vltima concione in Conſulem iacti. quo tumultu Cornelius per-

*lius perturbatus Concilium dimiſit. Actum deinde eadem de re in ſenatu eſt magnis contentionibus. cum Cornelius ita ferre rurſus cœpit, ne quis in ſenatu legibus ſolueretur, niſi CC affuiſſent, neve quis cum ſolutus eſſet, intercederet; cum de ea re ad populum ferretur. hæc ſine tumultu res acta eſt. nemo enim negare poterat, pro auctoritate ſenatus eſſe eam legem: ſed tamen eam tulit inuitis optimatibus, qui vel pauci ſenatuſconſultum facere ſolebant. Aliam deinde legem Cornelius, etſi nemo repugnare auſus eſt, multis tamen inuitis tulit, vt Prætores ex edictis ſuis perpetuis ius dicerent, quæ res tum gratiam ambitioſis Prætoribus, qui varie ius dicere aſſueuerant, ſuſtulit. alias quoque complures leges Cornelius promulgauit: quibus plerique collegæ interceſſerunt. per quas contentiones totus prope Tribunatus eius peractus eſt. Sequenti deinde anno M. Lepido L. Volcatio Coſs. quo anno Prætor Cicero fuit, reum Cornelium duo fratres Cominij lege Cornelia de maieſtate fecerunt. detulit nomen Publius, ſubſcripſit Caius. & cum P. Caßius Prætor decimo die, vt mos eſt, adeſſe iuſſiſſet, eóque die ipſe non affuiſſet, ſeu auocatus propter publici frumenti curam, ſeu gratificans reo: circumuenti ſunt ante tribunal eius accuſatores à notis operarum ducibus, ita vt mors intentaretur, ſi mox non deſiſterent quam perniciem vix effugerunt interuentu Conſulum, qui aduocati reo deſcenderant. & cum in ſcalas quaſdam Cominij fugiſſent, clauſi in noctem ibi ſe occultauerunt, deinde per tecta vicinarum ædium profugerunt ex vrbe. poſtero die, cum P. Caßius aſſediſſet, & citati accuſatores non adeſſent, exemptum nomen eſt de reis Cornelij. Cominij autem magna infamia flagrauerunt vendidiſſe ſilentium magna pecunia. Sequente deinde anno L. Cotta L. Torquato Coſs. quo hæc oratio à Cicerone Prætore dicta eſt, cum prima pars M. Manilius, qui iudicium per operarum duces turbauerat, deinde quòd ex S.C. anno Coſ. præſidebant, & iudicio non reſpondiſſet, atque eſſet damnatus recreauiſſet iam accepta pecunia tollere, ait Cornelium lege maieſtatis. Res acta eſt magna expectatione paucos ante me: ergo Cornelius perterritus Manlij exitu in iudicium adhibuit, vt ne clamor quidem illius ab aduocatis eius oriretur. Dixerunt in eum infeſti teſtimonia principes ciuitatis, qui plurimum in ſenatu poterant, Q. Hortenſius, Q. Catulus, Q. Metellus pius, L. Lucullus, M. Lepidus. dixerunt autem hoc, vidiſſe ſe, cum Cornelius in Tribunatu codicem pro Roſtris ipſe recitaret: quod ante Cornelium nemo feciſſe exiſtimaretur. volebant videri, ſe iudicare eam rem magnopere ad crimen imminutæ maieſtatis tribunitiæ pertinere. etenim prope tollebatur interceßio, ſi id Tribunis permitteretur. Cicero, quia non poterat negare id factum eſſe, eò confugit, vt diceret, non ideo, quòd lectus ſit codex à Tribuno, imminutam eſſe tribunitiam poteſtatem. Qua verò arte & ſcientia orationis: ita vt & dignitatem clarißimorum ciuium, contra quos dicebat, non violaret, & tamen auctoritate eorum lædi reum non pateretur, quantáque moderatione rem tam difficilem aliis tractauerit, lectio ipſa declarabit. adiumentum autem habuit, quòd ſicut diximus, Cornelius, præter diſtrictum propoſitum aduerſus principum voluntatem, cætera vita nihil fecerat, quo magnopere improbaretur. Præterea quòd ipſe Globulus, qui interceſſerat, aderat Cornelio, & quod ipſum quoque diximus, quòd Cornelius Pompeij Magni Quæſtor fuerat apud duas præfecturas equitum Roman. & tribuno & ex tertia quoque parte * apud pleroſque exceptis iis familiaris principum ciuitates. Res acta eſt magno conuentu, magnáque expectatione, quis euentus iudicij futurus eſſet. A ſummis viris dici teſtimonium, & id, quod ij dicerent, confiteri reum animaduertebant. Extat oratio hominis accuſatoris: quam ſumere in manus, eſt aliquod operæpretium, non ſolum propter Ciceronis orationes, quas pro Cornelio habemus, ſed etiam propter ſemetipſam. Cicero ipſe ſignificat quatriduo Cornelium defendiſſe, quas actiones contuliſſe eum in duas orationes apparet. iudicium id exercuit Q. Gallius Prætor.*

Initium expoſitionis.

A POSTVLATVR *apud me Prætorem primũ de pecuniis repetundis. Proſpectat videlicet Cominius,quid agatur. videlicet homines fœneos in medium ad tentandum periculũ proiectos.* Simulacra effigieſq; hominũ ex fœno fieri ſolebant,quibus obiectis ad ſpectaculum præbendum tauri irritarentur.

Quid Metellus, ſumma nobilitate, ac virtute, cum bis iuraſſit,ſemel priuatim. Priuatum parte publica legis,deiectus eſt ratione,an vi an vers ſuſpicionem animi tollit C.Curionis virtus,ac dignitas,& Q. Metelli adoB leſcentia ad ſummã laudem omnibus rebus ornata. Hoc exemplum affert hoc loco, quòd vult probare, deſiſtere eum debere ab accuſatione, quanquam neq; accuſauerit, neq; fecerit pactionẽ. nam Metellus & poſtulauerat Curionem,& deſtiterat. Confugit autẽ orator ad Metelli nobilitatem,& ad C.Curionis induſtriam,vt legeret id,quod illi vtilius,quàm honeſtius,fecerant. Res autẽ tota ſe ſic habet: in qua quidem illud primum explicandum eſt,de quo Metello hoc dicit. fuerunt enim tunc plures Q. Metelli. ex qui C bus duo conſulares,Pius,& Creticus, de quibus apparet eum non dicere: duo autem adoleſcentes, Nepos,& Celer,ex quibus nunc Nepotẽ ſignificat,eius enim patrem. Q.Metellum Nepotem, Balearici filiũ,Macedonici nepotem qui Conſul fuit cũ T. Didio,Curionis,de quo loquitur, accuſauit, iſq; Metellus moriens petiit ab hoc filio ſuo Metello,vt Curionem accuſatorẽ ſuum accuſaret,&,id facturum eſſe, iureiurando adegit. Metellus fecit reum Curionem. D eúmq; interim quendã ciuem idem Metellus, ſeruũ eſſe contendens,vt arripuiſſet,ac verberibus affeciſſet,Curio aſſertorem ei comparauit,dein,cum appareret cum exitum iudicij illius futurũ, vt liber is iudicaretur. quem Metellus verberibus affectum à ſe negare nõ poterat: inter Metellum & Curionem facta pactio eſt, vt neque arbitrium de libertate vrgeret in Metellum Curio, neque Metellus perſtaret in accuſatione Curionis: eáq; pactio ab vtroque iuramento firmata eſt huc ergo illud pertinet,eũ iuraſſe dixit,ſemel priuatim,&iterum legatum,ſcilicet cum E in Curionem calumniam iurauit. Cum hoc autem Metello poſtea Cicero ſimultates geſſit: euaſit enim Metellus malus atque improbus ciuis.

Legem, inquit, de libertinorum ſuffragiis Cornelius cum Manlio dedit. quid eſt hoc? DEDIT. *an tulit,an rogauit,an hortatus eſt? nam tuliſſe ridiculum eſt, quaſi legem aliquam aut ad ſcribendum difficilem, aut ad excogitandum reconditam, quæ lex paucis his annis non modo ſcripta,ſed etiam lata eſſet.* P. Sulpitium in Tribunatu hanc eandem legem tuliſſe ſignificauimus. F Tulit autem L. Sylla, qui poſtea Felix appellatus, Q. Pompeio Coss. ante XVI annos,quàm hęc dicta ſunt, cum per vim remp. poſſediſſet, ab initiis bonarum actionum ad perditas progreſſus quod & initiũ bellorum ciuilium fuit, & propter quod ipſe Sulpitius Cos. armis ire oppreſſus eſſe viſus eſt.

In quo cum multa reprehenſa ſint,tum in primis celeritas actionis. Celeritatem actionis ſignificat, quia Manilius,ſicut iam oſtẽdimus, poſt pauculos ſtatim G dies, quàm inierat Tribunatum,legem eandem cõpitalibus pertulit.

Petiuit tamen à me Prætore maxima conteſtatione, vt cauſam Manilij defenderem. C. Cornelium ſignificat,ſicut iam ante dictum eſt.

A VERSV A PRIMO DCCCCL.

Dicit de eodem Manilij tribunatu, Nam cum is Tribunus pl. duas leges tuliſſet in eo magiſtratu, vnam perniciofam,alteram egregiam, quod ſumma republica nõ baſit,ſed ab illo ipſo Tribuno abiectum eſt,bonum autem quod ſumma rep. manet in veſtri ordinis fuit. Dictũ eſt enim ſuprà de his legibus: quarum vna de libertinorum ſuffragiis,quæ cum S.C. damnata eſſet, ab ipſo quoque Manilio abiecta eſt:altera autem defenſa eſt de bello Mithridatico Cn. Pompeio extra ordinem B mandando, ex qua lege tum Magnus Pompeius bellum gerebat. Dicit de diſturbato iudicio Manliano.

Aliis ille in illum furorem magnis hominibus auctoribus impulſus eſt, qui aliquod inſtitui exemplum diſturbandorum iudiciorum pernicioſiſſimum,temporibus ſuis accommodatiſſimum,meis alieniſſimum rationibus,cupierunt. L. Catilinam & Cn. Piſonem videtur ſignificare. Fuit autem Catilina patritius,& eodẽ illo tempore erat reus repetundarum, cum prouin C ciam Africam obtinuiſſet, & Conſulatus candidatũ ſe oſtendiſſet. accuſator erat eius P. Clodius adoleſcens,ipſe quoque perditus, qui poſtea cũ Cicerone inimicitias geſſit. Cneus quoque Piſo adoleſcens, potens & turbulentus,familiaris erat Catilinæ, omniúmq; conſiliorũ eius particeps,& turbarũ auctor.

VER. CIX. SXI.

Poſſum dicere,hominem ſumma prudentia clarum C. Cottam de ſuis legibus abrogandis ipſum ad ſenatum re D tuliſſe. Hic eſt Cotta,de quo iam ſæpe diximus,magnus orator habitus, & compar in ea gloria. P. Sulpitio, & C. Cæſari, Videntur autem in rebus paruis fuiſſe leges illæ,quas cum tuliſſet, retuliſſe de iis abrogandis ad ſenatum. nam neque apud Salluſtium, neque apud Liuium,neque apud Feneſtellam vllius alterius latæ ab eo legis mentio,præter eam, quam in concione tulit repugnãte nobilitate magno populi ſtudio,vt iis qui Tribuni pl. fuiſſent, alios quoque magiſtratus capere liceret. quod lex à Dictatore L. E Sylla paucis ante annis lata prohibebat. neque eam Cottæ legem abrogatam eſſe ſignificat.

SEQVITVR.

Poſſum & eiuſdem Cottæ legem de iudiciis priuatis anno poſt, quàm lata ſit,à fratre eius. M. Cottam ſignificat. fuerunt autem tres, duo hi, C. & M. tertius L. Cotta, qui lege ſua iudicia inter tres ordines communicauit,ſenatum,equites,tribunos ærarios,adeptique ſunt omnes conſulatum.

F STATIM.

Legem Liciniam & Mutiam de ciuibus regundis quam duo Conſules omnium, quos vidimus, ſapientiſſimi tuliſſent; video conſtare inter omnes,non modo inutilem ſed pernicioſam reip. fuiſſe. L. Licinium Craſſum oratorem,& Q. Mutium Scæuolam Pont. Max. eundémq; & oratorem,& Iuriſconſultum, ſignificat. hi enim legem eam,de qua loquitur,de regendis in ſua ciuitate ſociis, in ſuo conſulatu tulerunt. cum enim G ſumma cupiditate ciuitatis Romanæ Italici populi tenerentur, & ob id magna pars eorum pro ciuibus Romanis ſe gereret, neceſſaria lex viſa eſt, vt in ſuæ quiſque ciuitatis ius redigeretur. verum ea lege ita alienati animi ſunt principum Italicorum populorũ,

vt ea

vt ea vel maxima cauſa belli Italici, quod poſt trien-nium exortum eſt, fuerit.

Quatuor omnino genera ſunt, iudices, in quibus per ſenatum more maiorum ſtatuatur aliquid de legibus. Vnum eſt eiuſmodi, placere legem abrogari, vt Q. Cæcilio, M. Iunio Coſs. quæ leges rem militarem impedirent, vt abrogarentur. Q. Cæcilius Metellus Numidicus, M. Iunius Syllanus, de quibus facit mentionem, Cõſules fuerunt bello Cimbrico, quod diu praue ſimul & infeliciter geſtum eſt. atque ipſe quoque hic Iunius male rem aduerſus Cimbros geſſit, ac plures leges, quæ per eos annos, quibus hæc ſic gerebãtur, populo latæ erant, quibus militiæ ſtipendia minuebantur, abrogauit. Alterum, quæ lex lata eſſe dicatur, ea non videri populum teneri, vt L. Marcio, Sex. Iulio Coſs.

De legibus Liuiis. Puto vos reminiſci, has eſſe leges Liuias, quas illis Conſulibus M. Liuius Druius Tribunus pl. tulerit: qui cum ſenatus partes tuendas ſuſcepiſſet, & leges pro optimatibus tuliſſet, poſtea eò licentiæ eſt progreſſus, vt nullum in iis morem ſeruaret. itaque Philippus Conſul, qui ei inimicus erat, obtinuit à ſenatu, vt leges eius omnes vno S.C. tollerentur. decretum eſt enim, contra auſpicia eſſe latas, neque iis teneri populum.

Tertium eſt de legum abrogationibus, quo de genere perſæpe S.C. fiunt, vt nuper de ipſa lege Calpurnia, quæ derogaretur. Lex hæc Calpurnia, de ambitu erat. tulerat eam ante biennium C. Calpurnius Piſo Conſul, in qua præter alias pœnas pecuniaria quoq; pœna erat adiecta.

P. Africanus ille ſuperior, vt dicitur, non ſolùm à ſapientiſſimis hominibus, qui tum erant, verum etiam à ſe ipſo ſæpe accuſatus eſt, quòd, cum Conſul eſſet, cum T. Longo, paſſus eſſet tum primum à Populari conſeſſu ſenatoria ſubſellia ſeparari. Hoc factum eſt ſecundo Conſulatu Scipionis, poſt ſeptimum annum quàm Carthaginẽſibus bello ſecũdo data eſt pax. factũ id eſſe aute Antias tradidit ludis Romanis, quos fecerũt Ædiles curules Attilius Serranus, T. Scribonius Libo: ad eos feciſſe iuſſu Cenſorum Sex. Ælij Peti, C. Cornelij Chetegi, & videtur in hac oratione hunc quidem auctorem ſecutus Cicero dixiſſe, paſſum eſſe Scipionem ſecerni à cætero conſeſſu ſpectacula ſenatorum. in ea autem, quam poſt aliquot annos habuit, de aruſpicum reſponſo, non paſſum eſſe Scipionem, ſed ipſum auctorem fuiſſe dandi eum locum ſenatoribus, videtur ſignificare. verba eius hęc ſunt. Nam quid ego de illis ludis loquar quos in Palatio noſtri maiores ante templum matris magnę fieri celebrarſque voluerunt: quibus primum ludis ante populi conſeſſum ſenatui locum P. Africanus. II. Cos. & collega eius Sempronius Longus, hoc tributum eſſe ſenatui ſcribit, ſed ſine mentione Megaleſium: Ædiles enim eos ludos facere ſoliti erant. votiuis ludis factum tradit, quos Scipio & Longus Coſs. fecerunt. Non præterire autem vos volo, eſſe oratoriæ calliditatis, vt, cum opus ſit, eiſdem rebus ab vtráque parte vel à contrariis vtantur. nam cum ſecundum Ciceronis opinionem auctore Scipione Conſule Ædiles ſecretum ante omnes locum ſpectandi ſenatoribus dederint, eodem illo facto Scipionis in hac quidem oratione, quia cauſa popularis erat, premebatúrque ſenatus auctoritate, atq; ob id dignitatem eius ordinis quàm poſſit maxime eleuari cauſæ expediebat, pœnituiſſe ait Scipionem, quòd paſſus eſſet id fieri. in ea oratione de aruſpicum re-

A ſponſo, quia in ſenatu habebatur, cuius auribus erat blandiendum, & magnopere illum laudat, & non auctorem fuiſſe dandi, nam id erat leuius, ſed ipſum etiam dediſſe dicit.

Csaca medivm.

Quo loco numerant cum lex feratur, quot loca interceſſionis ſunt iubeas dicere. Eſt vtique ius vetandi, cum ea feratur quandiu ferundæ tranſferuntur id eſt lex. dũ priuati dicunt, dum ſitella defertur, dum æquantur ſortes, dum ſortitio fit, & ſi quæ ſunt huius generis alia.*

B His peractis, cum id ſolum ſupereſt, vt populus ſententiam ferat, iubet vnumquemque is, qui fert legẽ, diſcedere. qood verbum non hoc ſignificat, quod in communi conſuetudine eſt, de eo loco, vbi lex fertur, ſed in ſuã quiſq; tribum diſcedat, in qua eſt ſuffragium laturus. populus enim confuſus, vt ſemper aliàs, ita & in concione.

Pavlo post.

Vnum tamen. quod hoc ipſo Tribuno pleb. factum

C *eſt prætermittendum non videtur, neque enim maius eſt legere codicem, cum intercedatur, quàm ſitellam ipſam cum ipſo interceſſore deferre, nec grauius incipere ferre quàm perferre, nec vehementius oſtendere ſe laturum in iuito collega, quàm ipſi collegæ magiſtratum abrogare, nec crimínoſius tribus ad legem accipiendam, quàm ad collegam reddendum priuatum intronocare. quæ vir fortis huius collega Aulus Gabinius in re optima fecit omnia: neque, cum ſalutem populo R. atque omnibus gentibus finem diuturnæ captiuitatis, turpitudinis, &*

D *ſeruitutis afferret paſſus eſt plus vnius collegæ ſui quàm vniuerſæ ciuitatis vocem valere, & voluntatem.* Manifeſtum eſt, de ea lege Ciceronem nunc dicere, qua Cn. Pompeio bellum aduerſus piratas datum eſt. L. autem Trebellius Tribunus pl. quem non nominat: quo perſeuerante intercedere, (nam ſenatui promiſerat, moriturum ſe ante, quàm illa lex perferretur) introuocare tribus Gabinius cœpit, vt Trebellio magiſtratum abrogaret, ſicut quondam T. Gracchus Tribunus M. Octauio collegæ ſuo magiſtratũ

E abrogauit. & aliquandiu Trebellius ea re non perterritus aderat, perſtabátque in interceſſione, quod omnia magis, quàm perſeueraturum eſſe Gabiniũ arbitrabatur. ſed poſtquam x. & vii. tribus rogationem acceperunt, & vna mens eſſet populi, qui ſuperat, vt iuſſum conficeret, remiſit interceſſionem Trebellius: atque ita legem Gabinius de piratis perſequendis pertulit.

At enim de corrigenda lege retulerunt. Diximus iam in principio, Cornelium primo legem promul-

F gaſſe, ne quis per ſenatum lege ſolueretur: deinde tuliſſe, vt tum denique de ea re S.C. fieret, cum adeſſent in ſenatu non minus CC. hæc eſt illa, quam appellat, correctio.

Idem, niſi hæc ipſa lex, quam C. Cornelius tulit, obſtitiſſet, decreuiſſem id, quòd palam iam iſti defenſores iudiciorum pugnauerunt, ſenatui non placere id iudiciũ de Sylla bonis fieri. quam ego cauſam longe aliter Prætor in concione defendi, cum id dicerem, quod idem iudices poſtea ſtatuerunt, iudiciũ æquiore tempore fieri oportere.

G Quia defuerat ſuperioribus temporibus in ærario pecunia publica, multa & ſæpe eius rei remedia erant quæſita, in quibus hoc quoque vt pecuniæ publicæ, quæ reſiduæ apud quenque eſſent, exigerentur. id autem maxime pertinebat ad Cornelium Fauſtum Dictatoris filium, quia Sylla per multos annos, quibus exercitibus præfuerat, &

A Rempub. tenuerat, ſumpſerat pecunias ex vectigalibus, & ex ærario populi Romani: eáque res ſæpe erat agitata, ſæpe omiſſa, partim propter Syllanarum partium potentiam, partim quòd iniquum videbatur, poſt tot annos, quam quis pecuniam acceperat, eius reddere rationem.

Statim.

Antea verò quàm multarū rerum iudicia ſublata ſint, & quid ſectū, prætereo, & ne quem in iudicium oratio mea renocare videatur. B Bello Italico, quod fuit adoleſcentibus illis, qui tum in Rep. vigebant, cum multi Varia lege iniquè damnarentur, quaſi id bellū illis auctoribus conflatum eſſet, crebræque defectiones Italicorum nunciarentur, tunc ob eius triſtitiæ occaſionem ſenatus decreuit, ne iudicia, dum tumultus Italicus eſſet, exercerentur. quod decretum eorū in concionibus populi ſæpe agitatum erat. ſupererāt autem ex iis, qui illa iudicia metuerunt, vigentes multi, maxime C. Curio, Curionis adoleſcentis pater, eius, qui bello ciuili Cæſaris fuit partium. C

Pavlo post.

Non Cn. Dolabellā C. Volcatium, honeſtiſſimum virum, communi & quotidiano iure priuaſſet. Duo fuerunt eo tempore Dolabellæ, quorum alterum C. Cæſar accuſauit, alterum M. Scaurus.

Non denique homo illorū & vita & prudentia longe diſſimilis, ſed tamen nimis in gratificando iure liber, L. Siſenna bonorum Cn. Cornelij poſſeſſionē ex edicto ſuo P. Scipioni, adoleſcenti ſumma nobilitate, eximia virtute prædito, dediſſet. D Hoc ſolum hic annotandum eſt, hunc eſſe L. Siſennam, qui Res Romanas ſcripſit.

Quare cum ambitum populus Romanus videret, & cum a Tribunis pl. doceretur, niſi pœna acceſſiſſet in diuiſores, extingui nullo modo poſſe, legem hanc Cornelij flagitabat, illam quæ ex S.C. ferebatur, repudiabat. Iſque vir is doctiſſimus duorum Conſulum deſignatorum calamitate.

Et eadem de re pav-lo post.

Vt ſpectaculum illud duorum deſignatorum Conſulum calamitate, re & tempore ſalubre ac neceſſarium genere & exemplo miſerum ac funeſtum, videremus. P. Syllam & L. Antronium ſignificat: quorum alterum L. Torquatus, qui, cum hæc Cicero dicebat, Conſules erant, ambitus damnarabt, & in eorum locum creati erant.

Quid ego nunc tibi argumentis reſpondeam, poſſe fieri vt alius aliquis Cornelius ſit, qui habeat Philerotem, res vulgare nomen eſſe Philerotis, Cornelios verò ita multos, vt iam etiam collegium conſtitutum ſit? F Frequenter tum etiam cœtus factioſorum hominum ſine publica auctoritate malo publico fiebant: propter quod poſtea collegia S.C. & pluribus legibus ſunt ſublata, præter pauca atque certa, quæ vtilitas ciuitatis deſideraſſet, vt fabrorum lictorumque.

At enim extremi ac difficillimi temporis vocem illam C. Corneli Conſulem mittere coëgiſti, qui Rempublicam ſaluam eſſe vellent, vt ad legem accipiendam adeſſent. G C. Piſo, qui Conſul eodem anno fuit, quo Cornelius Tribunus pl. erat, cum legem de ambitu ex S.C. grauiorem, quàm fuerat antea, ferret & propter multitudinem diuiſorum, qui per vim aduerſabantur, è foro eiectus eſſet: edixerat id, quod Cicero ſignificat, & maiore manu ſtipatus ad legem perferendam deſcenderat.

A *Plebem ex Maniliana offenſione victam & domitam eſſe dicit, ante veſtros annos propter illum Tribunis pl. temeritatem poſſe adduci, vt omnino ne illius poteſtate abalienemur* * *reſtituerunt eam poteſtatem, alterum nihil vnum poſſe contra multos, alterum longe abeſſe.* Manifeſtum puto eſſe vobis, M. Craſſum, & Cn. Pompeiū ſignificari: è quibus Craſſus iudex tum ſedebat in Cornelium, Pompeius in Aſia bellum Mithridaticū gerebat.

B *Tanta igitur in illis virtus fuit, vt anno XVI. poſt reges exactos propter nimiam dominationem potentium ſecederent, leges ſacratas ipſi ſibi reſtituerent, duos Tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons Sacer nominatur, in quo armati conſederant, æterna memoria cauſa conſecrarent. itaque auſpicato poſtero anno X. Tribuni pl. comitiis curiatis creati ſunt.* Inducor magis librariorum hoc loco eſſe mendam, quàm vt Ciceronem parum proprio verbo vſum eſſe credam. illo enim tempore, de quo loquitur, C quod fuit poſt XVI. annos quàm reges exacti ſunt, plebs ſibi leges ſacratas non reſtituit, (nunquam enim Tribunos pl. habuerat.) ſed tum primum eas conſtituit. Numerum quidem annorum poſt reges exactos quàm id factum eſt, diligenter poſuit, qui fuit A. Verginio Tricoſto, L. Veturio Cicurino coſs. Cæterum quidam non duos Tribunos pleb. vt Cicero dicit, ſed quinque tradunt creatos tum eſſe, ſingulos ex ſingulis claſſibus. ſunt tamen, qui eundem illum duorum numerum, quem Cicero, ponant: D inter duos Tuditanus, & Pomponius Atticus, Liuiúſque noſter. idem hic & Tuditanus adiiciunt, tris præterea ab illis duobus collegas creatos eſſe. nomina duorum qui primi creati ſunt, hæc traduntur, L. Sicinius L.F. Velutus, L. Iunius C.F. Paterculus. Reliqua pars huius loci, quæ pertinet ad ſecundam conſtitutionem Tribunorū, & Decemuirorum finitum imperium, & breuiter & aperte ab ipſo dicitur. nomina ſola non adiicit, quis ille ex Decemuiris fuerit, E qui contra libertatem vindicias dederit, & quis ille pater, contra cuius filiam id decreuit: ſcilicet, quòd notiſſimum eſt, Decemuirum illum Appium Claudium fuiſſe, patrem autem virginis L. Virginiū. vnum hoc tātummodo explicandum, quo loco primum de ſecunda ſeceſſione plebis, deinde de concordia facta, ſic dicit.

Tum interpoſita fide per tres legatos, ampliſſimos viros, Romam armati reuertuntur: in Auentino conſederunt: inde armati in Capitolium venerunt: decem Tribunos pl. per Pontificem. F *quòd magiſtratus nullus erat, creauerunt.* Legati tres, quorū nomina non ponit, ij fuerunt, Sp. Tarpeius, C. Iulius. P. Sulpitius, omnes conſulares: Pontifex maximus fuit M. Papyrius.

Etiam hæc recentiora prætereo: ponam principium iuſtiſſimæ libertatis, Caſſiam, qua lege ſuffragiorum vis poteſtáſque conualuit, alteram Caſſiam quæ populi iudicia firmauit. Quæ ſit iſta lex Caſſia, qua ſuffragiorum poteſtas conualuit, manifeſtum eſt. nam ipſe quoque paulò antè dixit, legem Caſſium tuliſſe, vt G populus per tabellā ſuffragium ferret. altera Caſſia lex, quæ populi iudicia firmauit, quæ ſit, poteſt quæri eſt autē hæc, L. Caſſius, L.F. Longinus Tribunus pl. C. Mario, C. Flacco Coſs. plures leges ad minuendā nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, vt, quē populus damnaſſet, cuive imperiū abrogaſſet, in ſenatu nec eſſet, tulerat autem eam maxime propter ſimultates cum Q. Cæcilio, qui ante biennū conſul fuerat

fuerat: & cui populus, quia malè aduerſus Cimbros rē geſſerat, imperiū abrogauit. Dicit de nobilibus.

Qui non modò cum Sylla, verum etiam, illo mortuo, ſemper hoc per ſe ſummis opibus retinendum putauerunt inimiciſſimi, C. Cotta fuerunt, quòd is Conſul paulum Tribunis pl. non poteſtatis, ſed dignatis addidit. Hic Cotta, vt puto, legem tulit, vt Tribunis pl. liceret poſtea alios magiſtratus capere: quod lege Syllæ iis erat ademptum.

Quandiu quidem hoc animo erga vos illa plebs erit, quo ſe oſtendit eſſe cùm legem Aureliam, cùm Roſciam non modò accepit, ſed etiam efflagitauit. Aurelia lege communicata iudicia inter ſenatores, & equeſtrem ordinem, & tribunos ærarios. Roſcia eſt, quam L. Roſcius Otho biennio ante COS. firmauit, vt in theatro equitibus Romanis XIIII. ordines ſpectandi gratia darentur.

Memoria teneo, cum primum ſenatores cum equitibus Romanis lege Plotia iudicarent, hominem diis ac nobilitati perinuiſum, Cn. Pompeium cauſam lege Varia de maieſtate dixiſſe. M. Plautius Silanus Tribunus pl. Cn. Pōpeio Strabone, L. Porcio Catone Coss: ſecundo anno belli Italici, cum equeſter ordo in iudiciis dominaretur, legem tulit adiuuantibus nobilibus, quæ lex vim eam habuit, quam Cicero ſignificat: nam ex ea lege tribus ſingulæ ex eo numero quinos denos ſuffragio creabant, qui eo anno iudicarent. ex eo factum eſt, vt ſenatores quoque in eo numero eſſent, & quidam etiam ex ipſa plebe.

PRO CORNELIO.

Num in eo qui ſint hi teſtes, hæſitatis? ego vobis edam duos. reliqui ſunt de conſularibus, inimici tribunitiæ poteſtatis. pauci præterea aſſentatores eorum atque aſſeclæ ſubſequuntur. M. Lucullum, & M. Lepidum ſignificat. quinque enim conſulares, vt iam diximus, in Cornelium teſtimonium dixerunt, Qu. Catulus, Qu. Hortenſius, Qu. Metellus Pius Pont. Max. quos A hac ſecunda oratione tractat: & duo, qui non dixerunt, quos nunc ſignificat, Lucullus & Lepidus.

Quid auunculus tuus, clariſſimus vir, clariſſimo patre, auo, maioribus, credo ſilentio, fauente nobilitate, nullo interceſſore comparato, populo R. dedit, & potentiſſimorum hominum collegiis eripuit cooptandorum ſacerdotum poteſtatem. Hoc eget enarratione, quia hoc loco nomen non ponit, quis fecerit, ei demum videri poteſt, qui oblitus ſit, minus ante XX. verſus hæc de eo ipſo Ciceronem dixiſſe: Sed ſi familiariter B ex Q. Catulo ſapientiſſimo viro atque humaniſſimo velim quærere, vtrius tandem tibi Tribunatus minus probari poteſt, C. Cornelij, an, non dicam P. Sulpitij, non L. Saturnini, non C. Gracchi, non Tiberij: neminem, quem iſti ſeditioſum exiſtimant, nominabo: ſed auunculi tui Q. Catuli, clariſſimi patriæque amantiſſimi viri: quid mihi tandem reſponſurum putatis?

Quid? idem Domitius M. Syllanum, conſularem hominem, quemadmodum Tribunus pl. vexauit? M. Syl- C lanus quinquennio ante conſul fuerat, quàm Domitius Tribunus pl. atque ipſe quoque aduerſus Cimbros rem malè geſſerat. quam ob cauſam Domitius eum apud populum accuſabat: criminabatur bellū cum Cimbris iniuſſu populi geſſiſſe, idque principium fuiſſe calamitatum, quas eo bello populus accepiſſet: ac de eo tabellam quoque dedit: ſed pleniſſimè Silanus abſolutus eſt: nam duæ ſolæ tribus eum, Sergia, & Quirina, damnauerunt.

Hæc eſt controuerſia eiuſmodi, vt mihi Trib. pl. D *Cn. Domitius Catulo. M. Terpolius contemptiſſimum nomen eiectum eſſe ex iis qui Tribuni pl. fuerunt.* Poſt infractam tribunitiam poteſtatem à Sylla, ante reſtitutam à Cn. Pompeio, apparet. fuit autem is Tribunus pl. ante XII. annos, D. Bruto, & M. Lepido coss. Cn. Domitius Tribunus fuerat ante III. de XL. annos, C. Mario II. C. Fimbria coss. Magno numero ſententiarum Cornelius abſolutus eſt.

Q. ASCONII PEDIANI COMMENTATIO IN M. TVLLII CICERONIS orationem in toga candida contra C. Antonium & L. Catilinam competitores in ſenatu.

ARGVMENTVM.

HÆC oratio dicta eſt L. Cæſare, C. Figulo coss. *poſt annum quàm pro Cornelio dixerat. Sex. competitores in Conſulatus petitione Cicero habuit, duos patritios, P. Sulpitium Galbam, L. Sergium Catilinam: quatuor plebeios, ex quibus duo nobiles, Cn. Antonium, M. Antonij oratoris filium, L. Caſſium Longinum, duos, qui tantum non primi ex familiis ſuis magiſtratum adepti erant, Q. Cornificium, & C. Licinium Sacerdotem. ſolus Cicero ex competitoribus equeſtri erat loco natus, atque in petitione patrem amiſit. cæteri eius competitores modeſtè ſe geſſere, viſiq; ſunt Q. Cornificius & P. Galba ſobrij ac ſancti viri: Sacerdos nulla improbitate notus. Caſſium, qui iners ac ſtolidus tum magis quàm improbus videretur, ſed poſt paucos menſes in coniuratione Catilinæ eſſe apparuit, ac cruen-*

tiſsimarum ſententiarum fuiſſe autorem: itaque hi quatuor pro re iacebant. Catilina autem & Antonius, quanquam omnibus maximè infamis eorum vita eſſet, tamen multum poterãt. coierant enim ambo, vt Ciceronem Conſulatu deiicerent, adiutoribus vſi firmiſsimis, M. Craſſo, & C. Cæſare. itaque hæc oratio contra ſolos Catilinam & Antonium eſt. Cauſa orationis huiuſmodi in ſenatu habendæ Ciceroni fuit, quòd, cùm in dies licentia ambitus augeretur propter præcipuam Catilinæ & Antonij audaciam, cenſuerat ſenatus, vt lex ambitus aucta etiam cum pœna ferretur: ei quoque rei Q. Mutius Oreſtinus Tribunus pl. interceſſerat. cùm Cicero, grauiter ſenatu interceſsionem ferente, ſurrexit, atque in coitionem Catilinæ & Antonij inuectus eſt ante dies comitiorum paucos.

ENARRATIO.

Dico P.C. ſuperiore nocte cuiuſdam hominis nobilis, & valdè in hoc largitionis quæſtu noti & cogniti domum Catilinam & Antonium cum ſequeſtribus ſuis conueniſſe. A Aut C. Cæſaris, aut M. Craſſi domum ſignificat. etenim acerrimi ac potentiſſimi fuerunt Ciceronis refragatores, cùm petiit Conſulatum, quòd eius in dies eiuſdem creſcere dignitatem animaduertebant. & hoc ipſe Cicero in expoſitione ſuorum conſiliorum ſignificat. eius quoque coniurationis, quæ Cotta & Torquato c o ss. ante annum quàm hęc dicerentur facta eſt à Catilina & Piſone, B arguit M. Craſſum autorem fuiſſe.

Quem enim aut amicum habere poteſt is, qui tot ciues trucidauit: aut clientem qui in ſua ciuitate cum peregrino negauit ſe iudicio æquo certare poſſe. Catilinã, cùm in Syllanis partibus fuiſſet, crudeliter feciſſe, nominatim etiam poſtea Cicero dicit, quòd occiderit Q. Cæcilium, M. Volumnium, L. Tantaſium: M. etiam Marij Gratidiani, ſummè popularis hominis, qui ob id bis Prætor fuit, caput abſciſſum per Vrbem ſua manu Catilina tulerat: quod crimen ſæ- C pius ei tota oratione obiicit. fuerat verò hic Gratidianus arcta neceſſitudine Ciceroni coniunctus. Clientem autem negat habere poſſe C. Antonium. nam is multos in Achaia ſpoliauerat, nactus de exercitu Syllano equitum turmas. deinde Gręci, quos ſpoliauerat, eduxerunt Antonium in ius ad M. Lucullum Prætorem, qui ius inter peregrinos dicebat. egit pro Græcis etiam tum adoleſcentulus, de quo paulò antè mentionem fecimus. & cùm Lucullus id, quod Græci poſtulabãt, decreuiſſet, appellauit Tri- D bunos Antonius, iurauítque ſe ideo recuſare, quòd æquo iure vti non poſſet. hunc Antonium Gellius & Lentulus Cenſores ſexennio, quo hæc dicerentur, ſenatu mouerant, cauſáſq; ſubſcripſerunt, quòd ſocios diripuerit, quòd iudicium recuſarit, quòd propter æris alieni magnitudinem prædia mancipârit, bonáque ſua in poteſtate non haberet.

Ne ſe iam tum reſpexit, cum grauiſsimis veſtris decretis abſens notatus eſt. Catilina ex Prætura Africam prouinciam obtinuit. quam cùm grauiter vexaſſet, E Legati Afri in ſenatu iam tum abſente illo queſti ſunt, multæque graues ſententiæ in ſenatu de eo dictæ ſunt.

In iudiciis quanta vis eſſet, didicit cùm eſt abſolutus: ſi, aut illud iudicium, aut illa abſolutio nominanda eſt. Ante annum quàm hæc dicerentur, Catilina cùm rediſſet ex Africa, Torquato, & Cotta c o ss. accuſatus eſt repetundarum à P. Clodio adoleſcente, qui poſtea inimicus Ciceroni fuit. defenſus eſt Catilina, vt Feneſtella tradit, à M. Cicerone. quod ego vt ad- F dubitem, hæc ipſa Ciceronis oratio facit, maximè

A quòd is nullam mentionem huius rei habet, cùm potuerit inuidiam facere competitori tam turpiter aduerſus ſe coeunti: præſertim cùm alterum competitorem ſuum Antonium in eadem hac oratione ſua admoneat, ſuo beneficio eum ex vltimo loco Præturæ candidatum ad tertium perueniſſe. Neſcis, me Prætorem primum eſſe factum, te conceſſione competitorum, & collatione centuriarum, & meo maximè beneficio è poſtremo in tertium locum eſſe ſubiectum? qui igitur Antonio ſuffragationem B ſuam imputandam putat, is, ſi defendiſſet Catilinam, caput eius protectum à ſe non ei imputaret? quòd ita eſſe, manifeſtum eſt ex eo, quod ſtatim dicit. Qu. enim Mutius Tribunus pl. intercedebat, ne lex ambitus ferretur: quod facere pro Catilina videbatur. hunc Mutium in hac oratione appellans Cicero ſic ait. Te tamen Qu. Muti tam malè de Rep. exiſtimare, moleſtè fero, qui heſterno die me eſſe dignum Conſulatu negabas. quid? populus Romanus minus diligenter ſcit ſibi conſtituere defenſo- C rem, quàm tu tibi? qui, cùm te furti L. Calenus ageret, me potiſſimum fortunarum tuarum patronum eſſe voluiſti. & cuius tu conſilium in tua turpiſſima cauſa delegiſti, hunc honeſtiſſimarum rerum defenſorem populus Romanus autore te repudiare poteſt? niſi fortè hoc dicturus es, quo tempore à L. Caleno furti delatus ſis, eo tempore in me tibi parum auxilij eſſe vidiſſe. Verùm, vt egerit Mutij cauſam Cicero, ſicut Catilinæ egiſſe eum videri vult Feneſtella, cur, cùm, quamuis malè exiſtimet de D cauſa Mutij, tamen ei exprobret patrocinium ſuum, non idem in Catilina faciat, ſi modò pro eo dixit? & cur ipſum illud iudicium ſæpius in infamiam vocat? quod parcius videretur fuiſſe facturus, ſi in eo iudicio fuiſſet patronus. Atque vt alia omittam, hoc certè vix videtur dicturus fuiſſe, ſi illo patrono Catilina repetundarum abſolutus eſſet. Stupris ſe omnibus, ac flagitiis contaminauit: cæde nefaria cruentauit: diripuit ſocios: leges, quæſtiones, iudicia violauit. & poſtea. Quid ego, vt violaueris prouinciam, E prædicem? nam, vt ibi illic geſſeris, non audeo dicere, quoniam abſolutus es. mentitos eſſe equites Romanos, falſas fuiſſe tabellas honeſtiſſimæ ciuitatis exiſtimo: mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam. vidiſſe puto neſcio quid illos iudices, qui te innocentem iudicarunt. O miſer, qui non ſentias illo iudicio te non abſolutum, verum ad aliquod ſeuerius iudicium ac maius ſupplicium reſeruatum. Veríne ergo ſimile eſt, hæc eum Catilinæ obiicere, ſi illo defendente abſolutus eſt? Præterea mouet F me, quòd, cum ſint commentarij Ciceronis ſuarum etiam defenſionum commentarium tamen huius

defen-

defenſionis aut principium nullum inueniam. Itaq; puto non defendiſſe, ſed tantùm de defendendo cogitaſſe: quod per hæc ipſa negari non poteſt. Hoc autem iudicio abſolutus eſt Catilina, infamia iudicum. Vt & Clodius infamis fuerit, quippe qui præuaricatus eſt. nam & reiectio iudicum ad arbitrium rei videbatur eſſe facta.

Populum verò, cùm inſpectante populo collum ſecuit hominis maximè popularis, quanti faceret, oſtendit. Diximus & paulò antè, Marij caput Catilinam per vrbem tuliſſe.

Me qua amentia inductus eſt, vt contemneret, conſtituere non poſſum. verum æquo animo laturum putauit? an in ſuo familiariſſimo non viderat, me ne alterum quidem iniurias mediocriter poſſe ferre? Manifeſtum eſt C. Verrem ſignificari.

Alter, pecore omni vendito, & ſaltibus propè addictis, paſtores retinet, ex quibus ait ſe, cùm velit, ſubitò fugitiuorum bellum excitaturum. C. Antonium ſignificat.

Alter induxit eum, quem potuit, vt repente gladiatores populo non debitos polliceretur, quos ipſe conſulatus candidatus perſpexit, & legit, & emit, præſente populo Romano factum eſt. Q. Gallium, quem poſtea reum ambitus defendit, ſignificare videtur. hic enim cùm eſſet præturæ candidatus, quòd in Ædilitate, quàm ante annum geſſerat, beſtias non habuerat, dedit gladiatorium, ſub titulo, patri ſe id dare.

Quamobrem augere etiam mercedes ſi vultis, Q. Mutium peruerti legem impedire vt cœpit ſenten. cos. ſed ego ea lege contentus ſum, qua duos Conſules deſignatos vno tempore damnari vidimus. Legem Calpurniam ſignificat, quam C. Calpurnius Piſo ante triennium de ambitu tulerat. Quòd autem dicit damnatos eſſe deſignatos Conſules, P. Syllam, & P. Antonium, de quibus iam diximus, vult intelligi. Cognomen autem Q. Mutio Tribuno, quem nominat, fuit Oreſtinus.

Atque vt iſtum omittam, in exercitu Syllano prædonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium. De Antonio dici manifeſtum eſt. ſed dicit eum in exercitu Syllæ prædonem propter equitum turmas, quibus Achaiam ab eo vexatam eſſe ſignificauimus. in introitu gladiatorem, pertinet ad inuidiã proſcriptionis, quæ tum facta eſt. In victoria quadrigarium, quòd, cum Sylla poſt victoriam Circenſes faceret, ita vt honeſti homines quadrigas agitarent, fuit inter eos C. Antonius.

Te verò Catilina Conſulatum ſperare, aut cogitare, non prodigium atque portentum eſt? à quibus enim petis? à principibus ciuitatis? qui tibi, cum L. Volcatius COS. *in conſilio fuiſſet, ne petendi quidem poteſtatem eſſe voluerunt.* Paulo ante diximus, Catilinam, cum de prouincia Africa decederet, petiturus Conſulatum, & legati Afri queſti de eo in ſenatu fuiſſent, graues multas ſententias de eo dictas eſſe. Itaq; cùm profeſſus deinde eſſet, Catilina petere ſe Conſulatum. L. Volcatius Tullus Conſul conſilium publicum habuit, an rationem Catilinæ habere deberet, ſi peteret Conſulatum. nam quærebatur repetundarum. Catilina ob eam cauſam deſtitit à petitione.

A ſenatoribus? qui te autoritate ſua, ſpoliatum ornamentis omnibus, vinctum penè Africanis oratoribus tradiderunt. Diximus modo de hoc. nam iudicium quoque ſecutum repetundarum, à quo ipſe per infamiam liberatus eſt Catilina, ſed ita, vt eum ſenatorum vrna damnaret, equitum & tribunorum abſolueret.

A *Ab equeſtri ordine, quem trucidaſti?* Equeſter ordo pro Cinnanis partibus contra Syllam ſteterat, multáque pecunias abſtulerant: ex quo ſæcularij erant appellati: multíque ob eius rei inuidiam poſt Syllanam victoriam erant interfecti.

A plebe? cui ſpectaculum eiuſmodi tua crudelitas præbuit, vt nemo ſine luctu aſpicere, ſine gemitu recordari poſſet. Eiuſdem illius Marij Gratidiani quod caput geſtarit, obiicit. quo loco dicit Catilinam caput M. Marij geſtaſſe, quod caput etiam tum plenũ B animæ & ſpiritus ad Syllam vſque ab Ianiculo ad ædem Apollinis manibus ipſe ſuis detulit. omnia ſunt manifeſta. ne tamen erretis, quòd his temporibus ædes Apollinis in Palatio ſit nobiliſſima, admonendi eſtis, non hanc à Cicerone ſignificari, vt puto, quàm poſt mortem etiam Ciceronis multis annis Imp. Cæſar, quem nunc diuum Auguſtum dicimus, poſt Actiacam victoriam fecerit: ſed illam demonſtrari, quæ eſt extra portam Carmentalem, inter forum Olitorium, & circum Flaminium. ea enim ſola C tum demum Romæ Apollinis ædes. Quid tu potes in defenſione tua dicere, quod illi non dixerunt? quæ tibi dicere non licebit. & paulo poſt.

Denique illi negare potuerunt, & negauerunt: tu tibi ne infitiandi quidem impudentia locum reliquiſti, quare præclara dicentur iudicia tuliſſe, ſi, qui infitiantem Luſcium condemnarunt, Catilinam abſoluerint confitentem. Hic, quem nominat, L. Luſcius notus centurio Syllanus, diuéſque è victoria factus, (nam amplius HS. centies poſſederat) damnatus erat non D multo antè, quàm Cicero dixit. obiectæ ſunt ei tres cædes proſcriptorum circa eoſdem dies. L. quoque Bellienus damnatus eſt: quem Cicero auunculum eſſe Catilinæ, hic autem Lucretium Afellam, Conſulatum contra voluntatem Syllæ ad turbandum ſtatum ciuitatis petentem, occiderat, iuſſu Syllæ tunc Dictatoris.

Is ergo negat ignarum eſſe: cum etiam illi, imperitos ſe homines eſſe, & ſi quem etiam interfeciſſent, Impe- E *ratori ac Dictatori paruiſſe dicerent: ac negare quoque poſſe: Catilinam verò infitiari non poſſe.* Huius autem criminis periculum, quod obiicit Cicero, paucos poſt menſes Catilina ſubiit. poſt perfecta enim comitia conſularia, & Catilinæ repulſam, fecit eum reum inter ſicarios L. Lucullus paratus eruditúſque, qui poſtea Conſulatum quoque petiit.

Hanc tu habes dignitatem, qua fretus me contemnis & deſpicis? an eam, quam reliqua vita es conſecutus? tùm ita vixiſti, vt non eſſet locus tam ſanctus, quò non F *aduentus tuus, etiam cum culpa nulla ſubeſſet, crimen afferret.* Fabia virgo Veſtalis cauſam inceſti dixerat, cùm ei Catilina obiiceretur: erátque abſoluta hæc Fabia, quia ſoror erat Terentiæ Ciceronis. ideo ſic dixit, Etiam ſi culpa nulla ſubeſſet. ita & ſuis pepercit, & nihilo leuius inimico ſummi opprobrij turpitudinem obiecit.

Cum deprehendebare in adulteriis: cùm deprehendebas adulteros ipſe: cum ex eodem ſtupro tibi & vxorem, & filiam inueniſti. Dicitur, Catilinam adulte- G rium commiſiſſe cum ea, quæ ei poſtea ſocrus fuit: & ex eo ſtupro duxiſſe vxorem, cum filia eius eſſet. hæc Lucceius quoque Catilinæ obiicit in orationibus, quas in eum ſcripſit. nomina harum mulierum nondum inueni.

Quid ego, vt violaueris prouinciam, prædicem, cuncto populo Romano clamante, ac reſiſtente? nam, vt te illic geſſeris, non audeo dicere, quoniam abſolutus es.

Dictum eſt iam ſæpius, Catilinam ex Prætura Africam obtinuiſſe, & accuſante eum repetundarum P. Clodio abſolutum eſſe.

Prætereo illum nefarium conatum tuum, & penè acerbum, & luctuoſum populo Romano diem, cum, Cn. Piſone ſocio, neque alio nemine, cædem optimatum facere voluiſti. Quos nominat, intelligitis. fuit enim opinio, Catilinam, & Cn. Piſonem adoleſcentem perditum, coniuraſſe ad cædem ſenatus faciendam ante annum quàm hæc dicta ſunt, Cotta & Torquato Coſſ. eámque cædem ideo non eſſe factam, quòd prius, quàm parati eſſent, coniuratis ſignum dediſſet Catilina. Piſo autem, cùm hæc dicerentur, perierat in Hiſpania, miſſus à ſenatu per honorem legationis, vt auus ſuus ablegaretur. ibíque, dum iniurias prouincialibus facit, occiſus erat, vt quidam credebant, à Cn. Pompeij clientibus Pompeio non inuito.

An oblitus es, te ex me, cùm Præturam peteremus, petiſſe, vt tibi primum locum concederem? quod cùm ſæpius ageres, & impudentius à me contenderes: meminiſti, me tibi reſpondere, impudenter te facere, qui id à me peteres, quod auunculus nunquam impetraſſet? Diximus iam ſuprà, Syllæ ludis, quos hic propter victoriam fecerit, quadrigas C. Antonium & alios quoſdam nobiles homines agitaſſe. præterea Antonius

A redemptas habebat ab ærario vectigales quadrigas, quam redemptionem ſenatori habere licet per legem. fuit autem notiſſimus in circo quadrigarum agitator Boculus. Dicit de malis ciuibus.

Qui poſteaquam illo, vt conati erant, Hiſpanienſi pugiunculo neruos incidere ciuium Romanorum non potuerunt, duas vno tempore conantur in repub. ſicas diſtringere. Hiſpanienſem pugiunculum Cn. Piſonem appellat: quem in Hiſpania occiſum eſſe dixi. Duas ſicas, Catilinam & Antonium appellari manifeſtum eſt.

B *Hunc vos ſcitote Licinium gladiatorem iam immiſiſſe cupidum Catilinæ iudices, Quintúmque Curium hominem quæſtorium.* Curius hic notiſſimus fuit aleator, damnatúſque poſtea eſt. in hunc eſt endecaſyllabus Calui elegans: Et talis Curius pereruditus. Huic orationi Ciceronis & Catilina & Antonius contumelioſè reſponderunt: quod ſolùm poterant, inuecti in nouitatem eius. feruntur quoque orationes nomine illorum editæ, non ab ipſis ſcriptæ, ſed ab

C Ciceronis obtrectatoribus: quas neſcio an ſatius ſit ignorare. cæterùm Cicero Conſul omnium conſenſu factus eſt: Antonius paucculis centuriis Catilinam ſuperauit, cum ei propter patris nomen paulo ſpecioſior manus ſuffragata eſſet, quàm Catilinæ.

Q. ASCONII PEDIANI COMMENTATIO IN M. TVLLII CICERONIS orationem contra L. Piſonem.

*

HÆc oratio dicta eſt Cn. Pompeio Magno II. M. Craſſo II. coss. ante paucos dies quàm Cn. Pompeius ludos faceret, quibus theatrum à ſe factum dedicauit. hoc intelligi ex ipſius Ciceronis verbis poteſt, quæ in hac oratione poſuit: dixit enim ſic: Inſtant poſt hominum memoriam apparatiſſimi, magnificentiſſimique ludi. Feneſtella quidem poſuit hanc inter eas orationes, quas dixit Cicero L. Domitio Appio Claudio coss. vltimam. ſed, vt ego ab eo diſſentiam, facit primùm, quòd Piſo reuerſus eſt ex prouincia Pompeio & Craſſo Coss. Gabinius Domitio & Appio: hanc autem orationem dictam ante Gabinij reditum, ex ipſa manifeſtum eſt: deinde, quòd magis naturale eſt vt in ipſo recenti reditu inuectus ſit in Ciceronem, reſponderítque inſectationi eius, qua reuocatus erat ex prouincia, prius quàm poſt anni interuallum. apparet autem Ciceronem reſpondiſſe Piſoni. in ſumma, cùm dicat in ipſa oratione Cicero inſtare magnificentiſſimos apparatiſſimóſque ludos, non video quo modo hoc magis Domitio & Appio coss. dictum ſit, quibus Conſulibus nulli notabiliores ludi fuerunt, quàm Pompeio & Craſſo: quo anno Pompeius exquiſitiſſimis magnificentiſſimiſque omnis generis ludis theatrum dedicauit.

ARGVMENTVM.

Argumentum huius orationis breue admodum eſt. nam cum reuocati eſſent ex prouinciis Piſo & Gabinius ſententia Ciceronis, quàm dixerat de prouinciis conſularibus Lentulo & Philippo Coss. reuerſus in ciuitatem Piſo de inſectatione Ciceronis in ſenatu conqueſtus eſt, & in eum inuectus, fiducia maximè Cæſaris generi, qui tum Gallias obtinebat. Piſoni Cicero reſpondit hac oratione.

INITIVM EXPOSITIONIS.

CIRCA VER. A PRIMO.

Quod minimum ſpecimen in te ingenij, ingenij autem? immo ingenui hominis, ac liberi? qui colore ipſo patriam aſpernaris, oratione genus, moribus nomen. Tametſi hæc oratio ſic inſcribitur. In L. Piſonem: tamen non puto vos ignorare, hunc Piſonem ex ea familia eſſe, quæ Frugi appellata ſit: & ideo dicit aſpernari eum moribus nomen.

CIRCA

Circa Ver. a primo lxxx.

Hoc non ad contemnendam Placentiam pertinet, vnde ſe is ortum gloriari ſolet, neque enim hoc mea natura fert; nec municipij, præſertim de me optimè meriti, dignitas patitur. Magnoperè me hæſitare confiteor, quid ſit, quare Cicero Placentiam municipium eſſe dicat. video enim in annalibus eorum, qui Punicum bellum ſecundum ſcripſerunt, tradi, Placentiam coloniam deductã pridie Cal. Ian. primo anno eius belli, P. Cornelio Scipione patre Africani, T. Sempronio Longo coss. Neque illud dici poteſt, ſic eam coloniam eſſe deductam, quemadmodum poſt plures ætates Cn. Pompeius Strabo, pater Cn. Põpeij Magni, transpadanas colonias deduxerat. Pompeius enim non nouis coloniis eas conſtituit, ſed veteribus incolis manentibus ius dedit Latij, vt poſſent habere ius, quod cæteræ Latinæ coloniæ, id eſt, vt petendi magiſtratus gratia ciuitatem Romanam adipiſcerentur. Placentiam autem ſex millia hominum noui coloni deducti ſunt: in quibus equites deducendi fuit cauſa, vt opponerentur Gallis, qui eam partem Italiæ tenebant. deduxerunt Triumviri P. Cornelius Aſina, P. Papirius Maſo, Cn. Pompeius ſiue Cn. Cornelius Scipio. eámque coloniam LIII deductam eſſe inuenimus. Deducta eſt autem Latina. duo porrò genera earum coloniarum, quæ à populo Romano deductæ ſunt, fuerunt. Erant enim aliæ quibus ius Italiæ dabatur, aliæ item quę Latinorum eſſent. De ſe autem optimè meritos Placentinos ait, quòd illi quoque honoratiſſima decreta erga Ciceronem fecerant certauerántq; in ea re cum tota Italia, cum de reditu eius actum eſt.

Pavlo post.

De auo Piſonis materno. Hic cùm ad Padum Placentia fortè conſediſſet, pauci in eam ciuitatem (nam tum erat ciuitas) aſcendit. Primus enim Gallus, dein Gallicanus, extremo ſemiplacentinus haberi cæptus eſt. Hic quoque dicit ciuitatem fuiſſe. ab eadem perſuaſione ponit Placentiam municipium fuiſſe. Auum autem Piſonis primo Gallum fuiſſe ideo ait, quòd veniſſe eum in Italiam dicit trans Alpeis, quòd in Italia conſederit, Placentiæ poſtquam aſſitus ſit à Placenti auus multo poſt ea tempora fuit, quibus Placentia colonia deducta eſt.

Circa Ver. a primo*

Lautiorem pater tuus ſocerum, quàm C. Piſo in illo luctu non es filiam meam collocaui, quem ego poteſtas cum omnium fuiſſet, vnum potiſſimum delegiſſem. Quis fuerit ſocer Piſonis patris, ſuprà dixit his verbis. Inſuber quidam fuit, idem mercator, & præco. is cum Romam cum filia veniſſet, adoleſcentem nobilem Cæſonium, hominis furaciſſimi filium auſus eſt appellare, filiam collocauit. Caluentium aiunt eum appellatum, patris Piſonis, contra quem hæc oratio eſt, ſocerum. Rutilium Attilium Nudum Feneſtella tradit. Cicero filiam poſt mortem Piſonis generi P. Lentulo collocauit, apud quem illa ex partu deceſſit.

Ego in C. Rabirio perduellionis reo XL annis ante me Conſulem interpoſitam ſenatus auctoritatem ſuſtinui contra inuidiam, atque defendi. Poſſit aliquis credere, lapſum memoria Ciceronem, qui dicat, XL annis ante ſe Conſulem factum eſſe S. C. aduerſus

A L. Apuleium Saturninum Tribunum plebis: cum XXXVI anni à C. Mario & L. Valerio Flacco Conſulibus numerentur. ſed hic non ſubtilis computatio annorum facta eſt, verum ſummatim tempus comprehenſum eſt: & perinde accipiendum, ac ſi dixerit propè XL annis. hæc enim conſuetudo eſt ipſius Ciceronis: itaque idem in ea quoque, quam habuit in Catilinã in ſenatu, cùm octauus decimus dies eſſet, poſteaquàm factum S.C. vt viderent Cõſules, ne quid Reſpublica detrimenti caperet, dixit:
B Vigeſimum iam diem patimur hebeſcere aciem horum auctoritatis. habemus enim S.C. veruntamen incluſum in tabulis, tanquam gladium in vagina reconditum.

Ego, cum in concione abiens magiſtratu à Tribuno pl. dicere prohiberer ea, quæ conſtitueram, cùm is mihi tantummodo iurare permitteret, ſine vlla dubitatione iuraui, rempublicam, atque hanc vrbem mea vnius opera eſſe ſaluam. Diximus iam antea, à Q. Metello Nepote Tribuno pl. Ciceronem Conſulatu abeun-
C tem prohibitum eſſe concionari de rebus, quas in eo magiſtratu geſſit.

Dicit de ludis compitalitiis, quos Q. Metellus fieri vetuit. Qu. Metellus (facio iniuriam fortiſſimo viro mortuo, qui illum, cuius paucos pares hæc ciuitas tulit, cum hac importuna belua conferam) ſed ille deſignatus Conſul, cum quidam Tribunus pl. ſuo auxilio ludos contra S.C facere iuſſiſſet, priuatus fieri vetuit: atque id, quod nondum poteſtate poterat, obtinuit auctoritate. Tu, cum calendis Ian. compitalitiorum dies incidiſſet,
D *Sex. Clodium, qui nunquam antea prætextatus fuiſſet, ludos facere, & prætextatum volitare paſſus es.* L. Cæcilio Q. Marcio coss. quos & ipſe Cicero ſuprà memorauit, S. C. collegia ſublata ſunt, quæ aduerſus remp. videbantur eſſe. ſolebant autem magiſtri collegiorum ludos facere, ſicut magiſtri vicorum faciebant compitalitios prætextati, qui ludi ſublatis collegiis diſcuſſi ſunt. poſt nouem deinde annos, quàm ſublata erant, P. Clodius Tribunus pl. lege lata reſtituit collegia. inuidiam ergo & crimen reſti-
E tutorum confert in Piſonem, quòd, cum Conſul eſſet, paſſus ſit ante, quàm lex ferretur, facere prætextatum ludos Sex. Clodium. is fuit familiariſſimus Clodij, & operarum Clodianarum dux: quo auctore poſtea illato ab iis corpore Clodij, curia cum eo incenſa eſt. quos ludos tunc quoque fieri prohibere tentauit L. Mumius Tribunus pl. ante biennium autem, quàm reſtituerentur collegia, Q. Metellus Celer Conſul deſignatus magiſtros vicorum ludos cõpitalitios facere prohibuerat, vt Cicero tradit,
F quamuis auctore Tribuno pl. fierent: cuius Tribuni nomen adhuc non inueni.

Pavlo post.

Ergo his fundamentis poſitis Conſulatus tui, triduo poſt inſpectante & tacente te, à P. Clodio fatali portento prodigióque reip. lex Aelia & Fuſia euerſa eſt, propugnacula, muriq; tranquillitatis, atque otij collegia, non ea ſolum, quæ ſenatus ſuſtulerat, reſtituta, ſed innu-
G *merabilia quædam ex omni fæce vrbis ac ſeruitiorum conſtituta. ab eodem homine in ſtupris inaudita, nefariiſque verſato, vetus illa magiſtra pudoris & modeſtia cenſoria ſeueritas ſublata eſt.* Diximus. L. Piſone, & A. Gabinio Coss. P. Clodium Tribunum pl. quatuor leges pernicioſas reip. tuliſſe, annonariam, de qua Cicero hoc loco mentionem non facit, (fuit

A enim ſumme popularis) vt frumẽtum populo, quod antea ſemis æris ac trientibus in ſingulos modios dabatur, gratis daretur: alteram, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo ſeruaret. propter quam rogationem ait legem Fuſiam & Æliam, propugnacula & muros tranquillitatis atque otij, euerſam eſſe: obnunciatio enim, qua pernicioſis legibus reſiſtebatur, quam Ælia lex confirmauerat, erat ſublata. tertiam de collegiis reſtituendis, B nouíſque inſtituendis, quæ ait ex ſeruitiorum fece conſtituta: quartam, ne quem Cenſores in ſenatu legendo præterirent, néve qua ignominia afficerẽt, niſi qui apud eos accuſatus, & vtriuſque Cenſoris ſententia damnatus eſſet. hac ergo eius lege Cenſuram, quæ magiſtra pudoris & modeſtiæ eſt, ſublatam ait.

PAVLO POST.

C *Perſequere connexos his funeribus dies. pro Aurelio tribunali, ne coniuente quidem te, quod ipſum eſſet ſcelus, ſed etiam hilarioribus oculis, quàm ſolitus eras, intuente, delectus ſeruorum habebatur ab eo, qui nihil ſibi vnquam nec facere, nec pati turpe ducit.* Profectò intelligitur, P. Clodium ſignificari.

Dicit de Caſtoris templo. Id autem templum, ſublato aditu, reuulſis gradibus, à coniuratorum reliquiis, atq; à Catilinæ præuaricatore quondam, tum vltore, armis teneretur. Catilinam lege repetundarum abſolutum eſſe accuſante P. Clodio, iam dictum eſt.

D STATIM.

Cum equites Rom. relegarentur, viri boni lapidibus è foro pellerentur. L. Lamiam à Gabinio Conſule edicto relegatum eſſe, iam diximus.

Seplaſia mehercule, vt dici audiebam, te vt primum aſpexit, Campanum Conſulem repudiauit. Dictum eſt in diſſuaſione legis agrariæ ad populum, plateam eſſe Capuæ, quæ Seplaſia appellatur, in qua vnguen- E tarij negotiari ſint ſoliti. ergo eos quoque, qui in ea platea negotiarentur, dicit inuitos Piſonem vidiſſe, cum Capuam Conſul venit, quòd eos, à quibus ille expulſus erat, adiuuiſſet.

Ecquod in hac vrbe maius vnquam incendium fuit, cui non Conſul ſubuenerit? at tu illo ipſo tempore apud ſocrum tuam propè à meis ædibus cuius domum ad meam exhauriendam patefeceras, ſedebas. Poſt profectionem ex vrbe Ciceronis, bona eius P. Clodius publicauit. poſtea direpta ſunt omnia, quæ aut in F domo, aut in villis fuerunt, & ex eis ad ipſos Conſules lata complura. domus direpta primum, deinde inflammata, ac diruta eſt. Socrus Piſonis quæ fuerit, inuenire non potui, videlicet quòd auctores rerum non perinde in domibus ac familiis fœminarum, niſi illuſtrium, ac virorum nomina tradiderunt.

At ne tum quidem emerſiſti lutulente Cæſonine è miſerrimis naturæ tuæ ſordibus, cum experrecta tandem virtus celeriter & verum amicum, & optime meritum ciuem, & ſuum priſtinum morem requiſiuit. G Profectò, Cn. Pompeium ſignificari intelligitur.

De me cùm omnes magiſtratus promulgaſſent præter vnum Prætorem, à quo non fuit poſtulandum, fratrem inimici mei, prætérque duos de lapide emptos Tribunos pl. legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus COS. P. Clodij App. Claudius, ſicut iam ſæpe ſignificauimus, fuit frater. Duos tribunos, de quibus ipſis ſæpe iam diximus, quos de lapide emptos ait, quia mer- A cede id faciebant, Sex. Attilium Serranum, & Q. Numerium ſignificat.

Appellatus eſt hic Vulturius illius prouinciæ, ſi dis placet, imperator. ne tum quidem Paule noſter tabellas cum laurea Romam mittere audebas? Confido vos intelligere, L. Paulum hunc ſignificari, qui fuit pater naturalis Africani poſterioris, quíque de Macedonia atque vltimo eius conſulatu de rege triumphauit: Macedoniam autem Piſo, in quem hæc oratio B eſt, obtinuit: propter quod Paulum eum appellat: irridens eum, quòd ibi ſe non proſperè geſſit.

M. Marcellus, qui ter Conſul fuit, ſumma virtute, pietate, gloria militari, periit in mari: qui tamen ob virtutem, gloria & laude viuit. Fortaſſe quæratis, quem dicat Marcellum. fuit autẽ nepos M. Marcelli eius, qui bello Punico ſecundo Syracuſas vicit, & quinque Conſulatus adeptus eſt. hic autem Marcellus, de quo Cicero dicit, naufragio ad ipſam Africam periit, paulò antè cœptum bellũ Punicum tertium. C idem, cum ſtatuas ſibi, ac patri, itémque auo poneret in monumentis aui ſui ad Honoris & Virtutis ædem, ſubſcripſit, III. Marcelli nouies COSS. fuerat autem auus quinquies, pater ſemel, ipſe ter. itaque neque mentitus eſt, & apud imperitiores patris ſui ſplendorem auxit.

Me conſequentibus diebus in ea ipſa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, Pontifices, Conſules, Prætores collocarunt, mihíque quod ante me nemini, pecunia publica ædificandam domum D *cenſuerunt.* Hæc Cicero oratorio more, non hiſtorico, videtur poſuiſſe. nam multis ætatibus ante Ciceronem nulli id contigiſſe verum eſt. nemini verò vnquam antea, videamus, ne parum caute dicamus. antiquis enim temporibus pluribus idem contigit. nam Valerio Maximo, vt Antias tradidit, inter alios honores domus quoque publice ædificata eſt in Palatio: cuius exitus, quo magis inſignis eſſet, in publicum verſus declinaretur, hoc eſt extra priuatum aperiretur. Varronem autem tradere M. Valerio, E quia ſæpius vicerat, ædes in Palatio tributas, L. Higinius dicit in libro priore de viris claris: P. Valerio Voleſi filio Publicolæ ædes publicas ſub Velia, vbi nunc ædes Victoriæ eſt populum ex lege, quam ipſe tulerat, conceſſiſſe. tradunt & Antiochi regis filio obſidi domum publice ædificatam, inter quos Atticus in annalibus, quæ poſtea dicitur Lucilij poetæ fuiſſe. Varro quoque in lib. III. de vita populi Romani, quo loco refert quàm gratus fuerit erga benemeritos, dicit Mutini, quòd in Sicilia cum equita- F tu ſuo tranſierat ad nos, ciuitatem Romæ datam, ædéſque, & pecuniam ex ærario. Videamus tamen, num ideo Cicero dicat ſibi, quod antea nulli, domum pecunia publica ex ærario ædificatam, quia illis aut locus publice datus ſit, aut domus quæ non fuerat eorum, neque propter illos publicò ſumptu ædificata: Ciceroni domus, quæ fuerat ipſius, & diruta atque incenſa erat & conſecrata, publico ſumptu ædificata ſit: quod nouum & huic primo, & adhuc etiam ſoli contigit.

G *O ſtultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos: O amentem Paulum, ruſticum Marium, nullius conſilij patres horum Conſulum, qui triumpharunt.* Diximus hanc orationem eſſe dictam Cn. Pompeio Magno II. M. Craſſo II. Coss. Pompeij pater bello Italico de Picentibus, M. Craſſi pater P. Craſſus ante bellum Italicum de Hiſpanis triumphauit.

Eadem

Eadem cupiditate vir ſummo ingenio præditus C. Cotta, nullo certo hoſte, flagrauit. eorum neuter triumphauit, quòd alteri illum honorem collega, alteri mors ademit. Credo vos quærere, & quis hic Cotta, & quis ille collega Craſſi fuerit. fuit autem C. Cotta orator ille compar P. Sulpitij, qui eſt in dialogis Ciceronis de Oratore ſcriptis, qui, cum decretus illi eſſet triumphus, mortuus eſt ante diem triumphi, cum cicatrix vulneris eius, quod ante plures annos in prælio acceperat, reciſſa eſſet repente. Craſſo autem collega fuit Q. Scæuola Pontifex: qui cum animaduerteret Craſſo, propter ſummam eius in rep. potentiam ac dignitatem, ſenatum in decernendo triumpho gratificari, nō dubitauit reip. magis quàm collegæ habere rationem: ac, ne fieret S.C. interceſſit. ſed idem prouinciam, cuius cupiditate plerique etiam boni viri delinquebant, depoſuerat, ne ſumptui eſſet ærario.

Irriſa eſt à te paulo ante M. Piſonis cupiditas triumphandi: à qua te longè dixiſti abhorrere. qui etiam ſi minus magnum bellum geſſerat, vt abs te dictum eſt: tamen iſtum honorem contemnendum non putauit. tu eruditior, quàm Piſo? Quis hic M. Piſo fuerit, credo vos ignorare. fuit autem, vt puto iam nos dixiſſe, Pupius Piſo eiſdem temporibus, quibus Cicero, ſed tanto ætate maior, vt adoleſcentulum Ciceronem pater ad eum deduceret, quòd in eo & antiquæ vitæ ſimilitudo, & multæ erant literæ. orator quoq; melior, quàm frequentior, habitus eſt. biennio tamen ſeriùs, quàm Cicero, Conſul fuit. triumphauit pro Conſule de Hiſpanis, Q. Hortenſio, Q. Metello Cretico coss. ante Ciceronis Conſulatum.

Inſtant poſt hominum memoriã apparatiſſimi, magnificentiſſimiq́ ludi: quales non modo nunquam fuerunt, ſed ne quo modo quidem fieri poſthac poſſint, poſ-

A *ſum vllo modo ſuſpicari.* Cn. Pompeij ludos ſignificat, quibus theatrum à ſe factum dedicauit, quibus ludis elephantorum pugnam primus omnium dedit in Circo.

Eſt quidam Græcus, qui cum iſto viuit, homo vere vt dicam, ſic enim cognoui, humanus, ſed tam diu quàm diu cum aliis eſt, aut ipſe ſecum. Philodemum ſignificat, qui fuit Epicureus illa ætate nobiliſſimus, cuius & poëmata ſunt laſciua.

Quanquam, quod ad me attinet, nunquam iſtam imminuam curam inficiãdo tibi. Propè notius eſt, quàm B vt indicandum ſit, hunc verſum eſſe L. Accij poëtæ, & dici à Thyeſte in Atreo.

Quod populari illi ſacerdoti ſexcentos ad beſtias amicos ſociósque, ſtipendiariósque miſiſti. Manifeſtum eſt, P. Clodium ſignificari.

Ecquid vides, ecquid ſentis, lege iudiciaria latã quos poſthac iudices ſimus habituri? Legem iudiciariam ante aliquot annos quibus temporibus accuſatus eſt C Verres à Cicerone tulit Aurelius Cotta Prætor: qua communicata ſunt iudicia ſenatui, & equitibus Romanis, & tribunis ærariis, rurſus deinde Pompeius in conſulatu ſecundo, quo hæc oratio dicta eſt promulgauit, vt ampliſſimo ex cenſu ex centuriis aliter quàm antea, lecti iudices, æquè tamen ex illis tribus ordinibus, res iudicarent.

L. Opimius eiectus patria eſt, is, qui & Prætor, & Conſul maximis periculis Rempublicam liberarat, nõ in eo, cui facta iniuria eſt, ſed in eis, qui fecerunt, ſceleris & D *conſcientia pœna remanſit.* Notum eſt, Opimium in Prætura Fregellas cepiſſe: quo pacto viſus eſt cæteros quoq; nominis Latini ſocios male animatos repreſſiſſe. eũdémq; in Cõſulatu Fuluiũ Flaccũ cõſularẽ, & C. Gracchũ tribunitiũ oppreſſiſſe: ob quã inuidiã poſtea iudicio circũuẽtus eſt, & in exiliũ actus.

Q. ASCONII PEDIANI COMMENTATIO IN M. TVLLII CICERONIS orationem pro M. Scauro.

Hanc quoque orationem eiſdem Conſulibus dixit, quibus pro Vatinio, L. Domitio Ænobarbo, & Appio Claudio Pulchro coss. ſummus iudicij dies fuit ad IIII. Nonas Septembris.

ARGVMENTVM HOC EST.

M. Scaurus M. Scauri filius, qui princeps ſenatus fuit, vitricum habuit Syllam: quo victore, & munifico in ſocios victoriæ, ita abſtinens fuit, vt nihil neque donari ſibi voluerit, neq; ab haſta emerit. Aedilitatẽ ſumma magnificentia geſſit, adeo vt in eius impẽſas opes ſuas abſumpſerit, magnumq; æs alienũ contraxerit. Ex Prætura prouinciam Sardiniã obtinuit: in qua neque ſatis abſtinẽter ſe geſſiſſe exiſtimatus eſt, & valde arrogãter. quod genus morũ in eo paternũ videbatur, cũ cætera induſtria nequaquã eſſet par. orauerat tamẽ aliquando inter patronos cauſarũ: ſed poſtquàm ex prouincia redierat, dixerat pro C. Catone, iſq; erat abſolutus ad III. nonas Quint. inde, cũ ad Cõſulatus petitionẽ ad III. Cal. Quint. Romã rediſſet, querentibus de eo Sardis à P. Valerio Triario, adoleſcente parato ad dicendũ & notæ induſtriæ, filio eius qui in Sardinia cõtra M. Lepidũ arma tulerat. & poſt in Aſia Pontóq; Legatus L. Luculli fuerat, cum is bellũ contra Mithridatẽ gereret, poſtulatus apud M. Catonẽ Prætorẽ repetundarũ, vt in actis ſcriptũ eſt, poſtridie Nonas Quint. poſt diẽ tertiũ, quàm Cato erat abſolutus. Subſcripſerunt Triario in Scaurum L.

Marius L. F. M. & Q. Pacuuij fratres, cognomine Claudi, qui ad inquiſitionem in Sardiniam, itémque in Corſicam inſulas dies tricenos acceperunt, neque profecti ſunt ad inquirendum. cuius rei hanc cauſam reddebant, quòd interea comitia conſularia futura erant: timere ergo ſe, ne Scaurus ea pecunia, quam ab ſociis abſtuliſſet, emeret Conſulatum, & ſicut pater eius feciſſet, ante, quàm de eo iudicari poſſet, magiſtratum iniret. ac rurſus ante alias prouincias ſpoliaret, quàm rationem prioris adminiſtrationis redderet. Scaurus ſummam fiduciam in paterni nominis dignitate, magnam in Cn. Pompeij Magni reponebat. habebat enim filium liberorum Cn. Pompeij fratrem: nam Tertiam Scæuolæ filiam, dimiſſam à Pompeio, in matrimonium duxerat. M. Catonem autem, qui id iudicium, vt diximus, exercebat, metuebat admodum propter amicitiam, quæ erat illi cum Triario. nam Flaminia Triarij mater, & ipſe Triarius ſororem Catonis Seruiliam, quæ mater M. Bruti fuit, familiariter diligebat. ea porrò ad Catonem maternam obtinebat auctoritatem, ſed in eo iudicio neq; Pompeius propenſum adiutorium præbuit, (videbatur enim apud animum eius non minus offenſionis contraxiſſe, quod iudicium eius in Mutiam, crimine impudicitiæ ab eo dimiſſam, leuius feciſſe exiſtimaretur, cum eam ipſe probaſſet, quàm gratiæ acquiſiuiſſe neceſſitudinis iure, quòd ex eadem vterque liberos haberet) neque Cato ab æquitate ea, quæ & vitam eius, & magiſtratum illum decebat, quoquam deflexit. Poſt diem autem quartum, quàm poſtulatus erat Scaurus, Fauſtus Sylla tum Quæſtor, filius Syllæ Felicis, frater ex eadem matre Scauri, ſeruus eius vulneratus proſiliit ex lecticis, & queſtus eſt pro interempto eſſe competitoribus Scauri, & ambulare cum trecentis armatis, ſeque, ſi neceſſe eſſet, vim vi repulſurum. Defenderunt Scaurum ſex patroni, cum ad id tempus raro quiſquam pluribus quàm quatuor vteretur: at poſt bella ciuilia ante legem Iuliam ad duodenos patronos eſt peruentum. fuerunt autem hi ſex P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cicero, M. Meſſala Niger, Q. Hortenſius. ipſe quoque Scaurus dixit pro ſe, ac magnopere iudices mouit & ſqualore, & lacrymis, & Aedilitatis effuſa memoria, ac fauore populari, ac præcipue paternæ auctoritatis recordatione.

ENARRATIO.

CIRCA VER. A PRIMO XL.

Cum enumeraret iudicia, quæ pater Scauri expertus eſt. Subiit etiam populi iudicium inquirente Cn. Domitio Tribuno pl. Cn. Domitius, qui Conſul fuit cum Caſſio, cum eſſet Tribunus pl. iratus Scauro quod eum in Augurum collegium nō cooptauerat, diem ei dixit ad populum & mulctam irrogauit, quòd eius opera ſacra multa populi Romani deminuta eſſe diceret. crimini dabat, ſacra publica populi Romani deum penatiū, quæ Lauinij fierēt. opera eius minus recte caſte fieri, quo crimine abſolutus eſt Scaurus quidem, ſed ita, vt à tribus tribubus damnaretur, à XXXII. abſolueretur, & in eis pauca puncta inter damnationem & abſolutionē intereſſent. Ibidem.

Reus eſt factus à Q. Seruilio Cepione lege Seruilia, cum iudicia penes equeſtrem ordinem eſſent, & P. Rutilio damnato nemo tam innocens videretur, vt non timeret illa. Q. Seruilius Cepio Scaurum ob legationis Aſiaticæ inuidiam & aduerſus leges pecuniarum captarum, reum fecit repetundarū, lege, quam tulit Seruilius Glaucia. Scaurus tāta fuit cōſtantia, & animi magnitudine, vt Cepionem contra reum detulerit, & breuiore die inquiſitionis accepta effecerit, vt ille prior cauſam diceret, M. quoq; Druſum Tribunum pl. cohortatus ſit, vt iudicia cōmutaret. Ibidem.

Ab eodem etiam lege Varia cuſtos ille Reipub. proditionis eſt in crimen vocatus: vexatus à Q. Vario Tribuno pl. eſt non multò antè. Italico bello exorto, cum ob ſociis negatam ciuitatem nobilitas in inuidia eſ-

A ſet, Q. Varius Tribunus pl. legē tulit, vt quæreretur de iis, quorum opera conſiliōve ſocij contra populum Romanum arma ſumpſiſſent. tum Q. Cepio, vetus inimicus Scauri, ſperans inueniſſe ſe occaſionem opprimendi eius, egit vt Q. Varius Tribunus pl. belli concitati crimine adeſſe apud ſe Scaurum iuberet annorū LXXII. ille per viatorem acceſitus, cum iam ex morbo male ſolueretur, diſſuadentibus amicis, ne ſe in illa valetudine & ætate inuidiæ populi obiiceret, innixus nobiliſſimis iuuenibus pro-

B ceſſit in forū: deinde, accepto reſpondendi loco, dixit. Q. Varius Hiſpanus M. Scaurum principem ſenatus ſocios in arma ait concitaſſe: M. Scaurus princeps ſenatus negat: teſtis nemo eſt: vtri vos Quirites conuenit credere? qua voce ita omnium cōmutauit animos, vt ab ipſo etiam Tribuno dimitteretur. Dicit iterū de patre M. Scauri. Non enim tantum admiratus ſum ego illū virū. ſicut omnes, ſed etiā præcipue dilexi. primus enim me flagrantē ſtudio laudis in ſpem impulit poſſe virtutē ſine præſidio fortunæ,

C quò cōtēdiſſet, labore & cōſtantia peruenire. Poſſit aliquis quærere, cur hoc dixerit Cicero, cū Scaurus patricius fuerit: quæ generis claritas etiā inertes homines ad ſummos honores prouexit. verū Scaurus ita fuit patritius, vt tribus ſuprà eum ætatibus iacuerit domus eius fortuna. nam neque pater, neque auus, neque etiam proauus, vt puto, propter tenues opes, & nullā vitæ induſtriam, honores adepti ſunt: itaq; Scauro æquè ac nouo homini laborandū fuit.

Si

Si mehercule iudices pro L. Tubulo dicerem, quem vnum ex omni memoria ſceleratiſſimum & audaciſſimum fuiſſe accepimus, tamen non timerem, venenum biſſet, aut conuiuæ ſi diceretur cœnantes ab illo datum, cui neque heres: neque iratus fuiſſet. L. hic Tubulus prætorius fuit ætate patrum Ciceronis is propter multa flagitia, cum de exilio acceſſitus eſſet, ne in carcere necaretur, venenum bibit.

Circa tertiam partem a primo.

Illa audiuimus, hoc verò meminimus, ac penè vidimus, eiuſdem ſtirpis & nominis P. Craſſum, ne in manus incideret inimicorum, ſe ipſum interemiſſe. Hic Craſſus fuit pater Craſſi eius, qui æmulus potentiæ Cn. Pompeij fuit. periit autem in dominatione L. Cinnæ, cum ille & alios principes optimatum, & collegam ſuum Cn. Octauium occidit.

Statim.

At neque illius Craſſi factum ſuperioris, iiſdem honoribus vſus, qui fortiſſimus in bellis fuiſſet, M. Aquilius potuit imitari. Hæc verba, quibus Cicero nunc vtitur, AC NEQVE, eam videntur habere naturam, vt ſemel poni non ſoleant: quia NEQVE eſt coniunctio diſiunctiua, & ſemper poſtulat vt iterius inferatur, vt cum dicimus, neque hoc, neque illud. quo autem caſu acciderit, quáve ratione, vt hoc loco Cicero hoc verbo ita vſus ſit, præſertim cum adiecerit illam appoſitionem, & nomen intulerit poſtea alterum, neque perſpicere potui, & attendendum eſſe valde puto. moueor enim merito viri auctoritate: neque, ignoro aliquando hoc verbum, Neque, vel ſemel poni, vt in eadem hac oratione ante ipſe Cicero potuit: Sic inquam ſe iudices res habet, neque hoc à me nouum diſputatur, ſed quæſitum ab aliis eſt. ſed hoc loco & ſine præpoſitione illius verbi videmus eſſe poſitum, & tamen poſt ſecundum aliquid inferri. nam cum dixit, Neque hoc à me nouum diſputatur, infert, Sed quæſitum ab aliis eſt.

Paulo post.

Quid verò alterum Craſſum temporibus eiſdem, num aut clariſſimi viri Iulij, aut ſummo ingenio præditus M. Antonius potuit imitari? Hic alter Craſſus idem eſt de quo ſuprà diximus. alterum autem eum appellat, quia ante mentionem fecit P. Craſſi, qui fuit Pontifex Maximus, & bello Ariſtonici in Aſia dedit operam vt occideretur. Iulios autem cum dicit, duos Cæſares fratres Caium & Lucium ſignificat: ex quibus Lucius & Prætor & Conſul fuit, Caius ædilitius quidem occiſus eſt, ſed tantum in ciuitate potuit, vt cauſa belli ciuilis contentio eius cum Sulpitio Tribuno fuerit. nam & ſperabat, & id agebat Cæſar, vt omiſſa Prætura Conſul fieret cui cum primis temporibus iure Sulpitius reſiſteret, poſtea nimia cõtentione ad ferrum & ad arma proceſſit. idem inter primos temporis ſui oratores, & tragicus poeta bonus admodum habitus eſt. huius ſunt enim tragœdiæ, quæ inſcribuntur Iulij, & hi autem Iulij & Antonius, à ſatellitibus Marij ſunt occiſi, cum Craſſus, vt ſuprà diximus, eundem caſum ſua manu præueniſſet.

Circa medium.

Neque verò hæc ipſa quotidiana res Appium Clau-

A *dium, illa humanitate & ſapientia præditum, per ſe ipſa mouiſſet, niſi hunc Claudij fratris ſui competitorem fore putaſſet: qui ſiue patritius, ſiue plebeius eſſet, (nondum enim certum conſtitutum erat) cum illo ſibi contentionem fore putabat.* Fuerunt enim duæ familiæ Claudiæ: earum quæ Marcellorum appellata eſt, plebeia: quæ Pulchrorum, patritia. ſed hoc loco vrbane Cicero luſit in Claudium, cum quo in gratiam non redierat. nam quia is P. Clodij erat frater, qui ex patritia in plebeiam familiam tranſierat, B per ſummam infamiam ſe quoque dubitare adhuc dixit.

Post duas partes orationis.

Dicit de Scauro quem defendit. Nam cum ex multis vnus ei reſtaret Dolabella paternus inimicus, qui cum Q. Cepione propinquo ſuo contra Scaurum patrem ſuum obſignauerat ſtateras, eas ſibi inimicitias non ſuſceptas, C *ſed relatas &c.* Ne forte erretis, & eundem huc Cn. Dolabellam putetis eſſe, in quem C. Cæſaris orationes legitis, ſcire vos oportet, duos eodem tempore fuiſſe, & prænomine, & nomine, & cognomine, Dolobellas. horum igitur alterum Cæſar accuſauit, nec damnauit, alterum M. Scaurus accuſauit, & damnauit.

Post tres partes.

Quo primo loco defendit quòd tam magnificam do- D *mum Scaurus haberet. Præſertim cum propinquitas & celebritas loci ſuſpicionem deſidiæ tollat, aut cupiditatis.* Demonſtrare vobis memini me, hanc domum in ea parte Palatij eſſe, quæ, cum ab Sacra via deſcẽderis, & per proximum vicum, qui eſt ab ſiniſtra parte, prodieris, poſita eſt. poſſidet eam nunc Longus Cæcina, qui Conſul fuit cum Claudio. in huius domus atrio fuerunt quatuor columnæ marmoreæ inſigni magnitudine, quæ nunc eſſe in regia theatri Marcelli dicuntur vſus erat is Ædilis, vt ipſe quoque E ſignificat, in ornatu theatri, quod ad tempus perquam ampla magnitudine magnum fecerat.

Hæc cum tu effugere non potuiſſes, contendis tamen & poſtulabis, vt M. Aemilius cũ ſua dignitate omni, cum patris memoria, cum aui gloria, ſordidiſſimæ, leuiſſimæ, vaniſſimæ genti, ac, propè dicam, pellitis teſtibus condonetur. Auum hunc Scauri maternum ſignificat L. Metellum Pontificem Max. quem poſtea quoque nominat. nam paternus auus proauúſq; Scauri humiles atque obſcuri fuerunt.

F

Ver. a novissimo CLX.

Vndique mihi ſuppeditat, quod pro M. Scauro dicam, quocunque non modo mens, verum etiam oculi inciderunt. curia illa de grauiſſimo principatu patris fortiſſimóque teſtatur. L. ipſe Metellus, auus huius, ſanctiſſimos deos illo conſtituiſſe in templo videtur in veſtro conſpectu iudices, vt ſalutem à vobis nepotis ſui deprecarentur. Caſtoris & Pollucis templum Metellus, quem nominat, refecit. Laudauerunt G Scaurum conſulares nouem, L. Piſo, L. Volcatius, Q. Metellus Nepos, M. Perpenna, L. Philippus, M. Cicero, Q. Hortenſius, P. Seruilius Iſauricus pater, Cn. Pompeius Magnus. horum magna pars per tabulas laudauerunt, quia aberant inter quos Pompeius quoque: nam quòd erat pro Conſule, extra vrbem morabatur, vnus præterea adoleſcens

laudauit frater eius Fauſtus Cornelius Syllæ filius. is in laudatione multa humiliter & cum lacrymis locutus, non minus audientes permouit, quàm Scaurus ipſe permouerat. ad genua iudicum, cum ſententiæ ferrentur, bifariam ſe diuiſerunt qui pro eo rogabant: ab vno latere Scaurus ipſe, & M. Glabrio ſororis filius, & Paulus, & P. Lentulus Lentuli Nigri Flaminis filius, & L. Æmilius Bucca filius, & C. Memmius Fauſtæ natus ſupplicauerunt: ex altera parte Sylla Fauſtus frater Scauri, & C. Apronius Limo, cui Fauſta ante paucos menſes nupſerat dimiſſa à Memmio, & T. Peduceus, & C. Cato, & M. Olenas Cuttianus. Sententias tulerunt ſenatores duo & XX, equites tres & XX, tribuni ærarij XXV. ex quiA bus damnauerunt ſenatores XIII, equites XI, tribuni III. Cato prætor, cum vellet de accuſatoribus in cõſilium mittere, multique è populo manus in accuſatores intenderent, ceſſit imperitæ multitudini, ac poſtero die in conſilium de calumnia accuſatorum miſit. C. Triarius nullam grauem ſententiam habuit: ſubſcriptores eius M. & Q. Pacuuij fratres denas, & L. Marius tres graues habuerunt. Cato Prætor iudicium, quia æſtate agebatur, ſine tunica exercuit campeſtri ſub toga cinctus. in forum quoque B ſic deſcenderat, iuſque dicebat, idque repererat ex vetere conſuetudine, ſecundum quam & Romuli ætatis ſtatuæ in Capitolio, & in Roſtris Camilli fuerunt, togatæ ſine tunicis.

Q. ASCONII PEDIANI COMMENTATIO IN M. TVLLII CICERONIS orationem pro Milone.

*

Hanc dixit Cn. Pompeio III. Conſule, ad VI. Idus Apr. quod iudicium cum ageretur, exercitum in foro & omnibus in templis, quæ circum forum ſunt, collocatum à Cn. Pompeio fuiſſe, non tantum ex hac oratione, & annalibus, ſed etiam ex libro apparet, qui Ciceronis nomine inſcribitur De optimo genere oratorum.

T ANNIVS Milo, & P. Plautius Hypſæus, & Q. Metellus Scipio Conſulatum petierunt, non ſolum largitione B palàm profuſa, ſed etiam factionibus, armatorum ſuccincti. Miloni, & Clodio ſummæ erant inimicitiæ, quòd & Milo Ciceronis erat amiciſſimus, in reducendóq; eo enixe operam reip. dederat, & P. Clodius reſtituto Ciceroni erat infeſtiſſimus, ideóque ſumme ſtudebat Hypſæo, & Scipioni contra Milonem. ac ſæpe inter ſe Milo & Clodius cũm ſuis factionibus Romæ depugnauerant: & erat vterque audacia par: ſed Milo pro melioribus partibus ſtabat. præterea in eundem annum Conſu- C latum Milo, Clodius Præturam petebat: quam debilem futuram Conſule Milone, intelligebat. deinde, cum diu tracta eſſent comitia conſularia, perficique ob eas ipſas perditas candidatorum contentiones non poſſent, & ob id menſe Ianuario nulli dum neque Conſules, neque Prætores eſſent, traherentúrque dies eódem quo antea modo, dum Milo quamprimum comitia confici vellet, conficerétq; cum bonorum ſtudiis, qui obſiſtebant Clodio, tum etiam populo, propter effuſas largitiones, impenſas D quoque ludorum ſcenicorum ac gladiatorij muneris maximas, in quas tria patrimonia effudiſſe eum Cicero ſignificat, competitores verò eius trahere vellent, ideóque Pompeius gener Scipionis, & T. Munatius Tribonus pl. referri ad ſenatum de patritiis conuocandis, qui interregem proderent, non eſſent paſſi, cum Interregem prodere moris eſſet ad XIII. Cal. Feb. (acta etenim magis ſequenda, & ipſam orationem, quæ actis congruit, puto quàm Feneſtellam, qui ad XIIII. Cal. Feb. tradit) Milo E

A Lanuuium, ex quo erat municipio, & ibi tum Dictator, profectus eſt ad Flaminem prodendum poſtera die. occurrit ei circa horam nonam Clodius paulo vltra Bouillas, rediens ab Aricia, propè eum locum, in quo Bonæ deæ ſacellum eſt. erat autem allocutus Decuriones Aricinorum. vehebatur Clodius equo. ſerui XXX. ferè expediti, vt illo tempore mos erat iter facientibus, gladiis cincti ſequebãtur. erant cum Clodio præterea tres comites eius, ex quibus eques Romanus vnus C. Caſſinius Schola, duo de plebe B noui homines, P. Pomponius, C. Clodius. Milo rheda vehebatur cum vxore Fauſta filia L. Syllæ Dictatoris, & M. Fufio familiari ſuo. ſequebatur eos magnum ſeruorum agmen: inter quos gladiatores quoque erant, ex quibus duo noti. Eudamus, & Birria. hi in vltimo agmine tardius euntes, cum ſeruis P. Clodij rixam commiſerunt. ad quem tumultum cum reſpexiſſet Clodius minitabundus, humerum eius Birria romphea traiecit. inde cum orta eſſet pugna, plures Miloniani accurrerunt. Clodius vul- C neratus in tabernam proximam Bouillano delatus eſt. Milo vt cognouit vulneratum Clodium, cum ſibi periculoſius illud etiam viuo eo futurum intelligeret, occiſo autem magnum ſolatium eſſet habiturus, etiam ſi ſubeunda eſſet pœna, exturbari tabernam iuſſit. fuit anteſignanus ſeruorum eius M. Fuſtenus atque ita Clodius latens extractus eſt, multiſque vulneribus confectus. cadauer eius in via relictum, quia ſerui Clodij aut occiſi erant, aut grauiter ſaucij latebant. Sex. Tedius ſenator, qui forte ex ru- D re in vrbem reuertebatur, ſuſtulit, & lectica ſua Romam ferri iuſſit. ipſe rurſus eodem, vnde venerat, greſſum recepit. perlatum eſt corpus Clodij ante primam noctis horam: infimæque plebis & ſeruorum maxima multitudo magno luctu corpus in atrio domus poſitum circumſtetit. augebat autem facti inuidiam vxor Clodij Fuluia, quæ cum effuſa lamentatione vulnera eius oſtendebat. maior poſtera die luce prima multitudo eiuſdẽ generis confluxit, compluréſque noti homines eliſi ſunt, inter E quos C. Vibienus ſenator. erat domus Clodij ante

paucos

paucos menſes empta de M. Scauro, in Palatio. eo-
dem Munatius Plancus frater L. Planci oratoris, &
Q. Pompeius Rufus Syllę Dictatoris ex filia nepos,
Tribuni pl. accurrerunt: eiſque hortantibus vulgus
imperitum corpus nudum calciatum, ſicut in lecto
erat poſitum, vt vulnera videri poſſent, in forum
detulit, & in Roſtris poſuit. ibi pro concione
Plancus, & Pompeius, qui competitoribus Milo-
nis ſtudebant, inuidiam Miloni fecerunt. populus
duce Sex. Clodio ſcriba corpus P. Clodij in cu-
riam intulit, cremauitque ſubſelliis, & tribunali-
bus, & menſis, & codicibus librariorum. quo igne
& ipſa quoque curia flagrauit, & item Porcia baſi-
lica, quæ erat ei iuncta, ambuſta eſt. domum quo-
que M. Lepidi Interregis, (is enim magiſtratus cu-
rulis erat creatus) & abſentis Milonis eadem illa
Clodiana multitudo oppugnauit. deinde ſagittis
repulſa eſt. tum faſces ex lecto libitinæ raptos at-
tulit ad domum Scipionis & Hypſæi, deinde ad
hortos Cn. Pompeij, clamitans eum modo Con-
ſulem, modo Dictatorem. incendium curiæ ma-
iorem aliquanto indignationem ciuitatis mouerat,
quàm interfectio Clodij. itaque Milo, quem opinio
fuerat iuiſſe in voluntarium exilium, inuidia aduer-
ſariorum recreatus, nocte ea redierat Romam, qua
incenſa erat curia, petebátque nihilo deterius Con-
ſulatum, aperte quoque tributim in ſingulos millia
aſſium dederat. concionem enim ei poſt aliquot
dies dedit M. Celius Tribunus pl. & Manilius Ca-
nianus eius collega: ipſiúſque cauſam etiam ad
populum probabant. dicebant vtrique Miloni à
Clodio factas eſſe inſidias. fiebãt interea alij ex aliis
Interreges, qui comitia conſularia propter eorum
candidatorum tumultus & eaſdem manus armatas
habere non poterant. itaq; primo factum erat S.C.
vt Interrex & Tribuni pl. & Cn. Pompeius, qui pro
Conſule ad vrbem erat, viderent ne quid detri-
menti reip. caperet: delectus autem Pompeius to-
ta Italia haberet. qui cum ſumma celeritate præſi-
dium comparaſſet, poſtulauerunt apud eum fami-
liam Milonis, item Fauſtæ vxoris eius exhiben-
dam duo adoleſcentuli, qui Appij Claudij ambo
appellabantur, qui erant C. Claudij filij, qui frater
fuerat Clodij, & ob id illi patrui ſui mortem velut
auctore fratre perſequebantur. eaſdem Fauſtæ &
Milonis familias poſtulauerunt duo Valerij, Ne-
pos, & Leo, & L. Herennius Balbus. P. Clodij quo-
que familiam, & comitum eius poſtulauit eodem
tempore Celius, familiam Hypſæi, & Q. Metelli
Manilius Canianus eius collega. Affuerunt Miloni
Q. Hortenſius, M. Cicero, M. Marcellus, M. Ca-
lidius, M. Cato, Fauſtus Sylla. verba pauca Q. Hor-
tenſius dixit, quæ ſunt, liberos eſſe eos, qui pro ſer-
uis poſtularentur. nam poſt recentem cædem manu-
miſerat eos Milo ſub hoc titulo, quòd caput ſuum
vlti eſſent. Hæc agebantur menſe intercalari, poſt
diem trigeſimum ferè, quàm erat Clodius occiſus.
Q. Metellus Scipio in ſenatu contra M. Cepionem
conqueſtus eſt, ac de cæde P. Clodij falſum eſſe di-
xit quòd Milo ſic ſe defenderet, & Clodium Arici-
nos Decuriones alloquendi gratia abiiſſe, profe-
ctum cum ſex ac xx. ſeruis: Milonem ſubito poſt
horam quartam, ſenatu dimiſſo, cum ſeruis amplius
ccc. armatis obuiam ei contendiſſe, & ſupra Bouil-
las inopinantem in itinere aggreſſum: ibi P. Clo-
dium tribus vulneribus acceptis, Bouillas perla-
tum: tabernam, in quam profugerat, expugnatam

A à Milone: ſemianimem Clodium extractum, in via
Appia occiſum eſſe, annulúmque eius ei morienti
extractum: deinde Milonem, cùm ſciret in Albano
paruulum filium Clodij veniſſe ad villam, & cum
puer ante ſubtractus eſſet, de ſeruo Halicore quæ-
ſtionem ita habuiſſe, vt eum articulatim conſeca-
rent: villicum & duos præterea ſeruos iugulaſſe: ex
ſeruis Clodij, qui dominum defenderint, vndecim
eſſe interfectos: Miloni duos ſolos ſaucios factos
eſſe: ob quæ Milonem poſtero die xii. ſeruos, qui
B ei maxime operam nauaſſent, manumiſiſſe, populó-
que tributim ſingula millia æris ad defendendos de
ſe rumores dediſſe. Milo miſiſſe ad Cn. Pompeium
dicebatur, quòd Hypſæo ſummæ ſtudebat, quòd
fuerat eius Quæſtor, deſiſtere ſe petitione Conſula-
tus, ſi ita ei videretur: Pompeium reſpondiſſe, nemi-
ni ſe neque petendi, neq; deſiſtendi auctorem eſſe,
neque populi Romani poteſtatem, aut conſilium,
aut ſententiam interpellaturum. deinde per C. Lu-
cilium, qui propter M. Ciceronis familiaritatem a-
C micus erat Miloni, egiſſe quoque dicebatur, ne ſe de
hac re conſulendo inuidia oneraret. Inter hæc cùm
crebreſceret rumor, Cn. Pompeium creari Dicta-
torem, neque opportune aliter mala ciuitatis ſedari
poſſe: viſum eſt optimatibus tutius eſſe, eum Con-
ſulem ſine collega creari: & cùm tractata ea res eſſet
in ſenatu, facto in M. Bibuli ſententiam S.C. Pom-
peius ab Interrege Ser. Sulpitio v. Cal. Mart. menſe
intercalario Conſul creatus eſt, ſtatímque Conſula-
tum iniit: deinde poſt diem tertium de legibus no-
D uis ferendis retulit: duas ex S.C. promulgauit: alte-
ram de vi, qua nominatim cædem in Appia via fa-
ctam, & incendium curiæ, & domum M. Lepidi In-
terregis oppugnatam comprehẽdit: alteram de am-
bitu, qua pœnam grauiorem, & formam iudiciorum
breuiorem. vtraque enim lex prius teſtes dari per
triduum, deinde vno die atque eodem & ab accu-
ſatore & ab reo perorari iubebat, ita vt duæ horæ
accuſatori, tres reo darentur. his legibus obſiſtere
M. Celius Tribunus pl. ſtudioſiſſimus Milonis co-
E natus eſt, quòd & priuilegium diceret in Milonem
ferri, & iudicia præcipitari: & cum pertinacius le-
gem Celius vituperaret, eò proceſſit iræ Pompeius,
vt diceret, ſi coactus eſſet armis ſe rempub. de-
fenſurum. timebat autem Pompeius Milonem,
ſeu timere ſe ſimulabat. plerunque non domi ſuæ
ſed in hortis manebat, idque ipſum in ſuperiori-
bus, circa quos etiam magna manus militom ex-
cubabat. Senatum quoque ſemel in porticu ſua ha-
buerat Pompeius, quòd diceret timere ſe aduen-
F tum Milonis. dein proximo ſenatu P. Cornificius
ferrum Milonem intra tunicam habere ad femur
alligatum dixerat. poſtulauerat, vt femor nudaret,
& ille ſine mora tunicam leuauerat, tum M. Cicero
exclamauerat, omnia illi ſimilia crimina eſſe, quæ
in Milonem dicerentur, alia. deinde Munatius Plan-
cus Tribunus pl. produxerat in concionem M. Æ-
milium Philemonem, notum hominem, libertum
M. Lepidi. is ſe dicebat, paritérq; ſecum quatuor li-
beros homines iter faciẽtes ſuperueniſſe, cum Clo-
G dius occideretur, &, ob id cum proclamaſſent, abre-
ptos, & perductos in villam Milonis ibíq; per duos
menſes præcluſos fuiſſe: eáq; res, ſeu vera, ſeu falſa
magnã inuidiã Miloni cõtraxerat. idémq; Munatius
& Põpeius Tribuni pl. in Roſtris produxerãt Trium-
virum capitalẽ, eúmq; interrogauerant, an Galatam
Milonis ſeruum cædes faciẽtẽ deprehendiſſet, ille

dormientem in taberna pro fugitiuo deprehenſum,
& ad ſe perductum eſſe reſponderat. denunciaue-
rant tamen Triumviro, ne ſeruum remitteret. ſed
poſtera die Celius Tribunus pl. & Manilius Cania-
nus collega eius ereptũ è domo Triumviri ſeruum
Miloni reddiderunt. Etſi nullam de his criminibus
mentionem fecit Cicero: tamen, quia ita compere-
ram, putaui exponenda. inter primos & Q. Pom-
peius, & C. Salluſtius, & T. Munatius Plancus Tri-
buni pl. inimiciſſimas conciones de Milone habe-
bant, inuidioſas etiam de Cicerone, quòd Milo-
nem tanto ſtudio defenderet. erátque maxima pars
multitudinis infenſa non ſolum Miloni, ſed ipſi etiã
propter inuiſum patrocinium Ciceroni. poſtea Põ-
peius & Salluſtius in ſuſpicione fuerunt, in gratiam
rediſſe cum Milone, ac Cicerone. Plancus autem
infeſtiſsimè perſtitit, atque in Ciceronem quoque
multitudinem inueſtigauit. Pompeio autem ſuſpe-
ctum faciebat Milonem, ad perniciem eius compa-
rari vim vociferatus: Pompeiúſque ob ea ſæpius
querebatur, fieri ſibi quoque inſidias, & id palam:
ac maiore manu ſe armabat. dicturum quoq; diem
Ciceroni Plancus oſtendebat, poſtea autem Q.
Pompeius idem minitatus erat. tanta tamen con-
ſtantia ac fides fuit Ciceronis, vt non populi à ſe a-
lienatione, non Cn. Pompeij ſuſpicionibus, non pe-
riculi futuri metu, ſi ſibi dies ad populum diceretur,
non armis, quæ palàm in Milonem ſumpta erant,
deterreri potuerit à defenſione eius, cùm poſſet o-
mne periculum ſuum & offenſionem inimicæ mul-
titudinis declinare, redimere etiam Cn. Pompeij a-
nimum, ſi paulum ex ſtudio defenſionis remiſiſſet.
Perlata deinde lege Pompeij, in qua id quoque ſcri-
ptum erat, vt Quæſitor ſuffragio populi ex iis, qui
Conſules fuerant, crearetur, ſtatim comitia habuit,
creatúſq; erat Cn. Domitius Ænobarbus Quæſitor.
aliorum quoque iudicum, qui de ea re iudicarent,
Pompeius tales propoſuit, vt nunquam neq; clario-
res viros, neq; ſanctiores propoſitos eſſe conſtaret.
poſt quod ſtatim noua lege Milo poſtulatus à duo-
bus Appiis Clodiis adoleſcentibus, iiſdẽ, à quibus
antea familia eius fuerat poſtulata. itémq; de ambi-
tu ab iiſdem Appiis, & præterea de vi à Q. Petulcio,
& L. Cornificio, de ſodalitiis à P. Fuluio Nerato.
poſtulatus autem erat & de ſodalitiis, & de ambitu
ea ſpe, quòd primum iudicium de vi futurum appa-
rebat, quo eum damnatum iri cõfidebant, nec poſt-
ea reſponſurum. Diuinatio de ambitu accuſatorum
facta eſt, Quæſitore A. Torquato: atq; ambo Quæ-
ſitores Torquatus & Domitius pridie Nonas Apr.
reum adeſſe iuſſerunt: quo die Milo ad Domitij tri-
bunal venit, ad Torquati amicos miſit. ibi poſtulan-
te pro eo M. Marcello obtinuit, ne prius cauſam de
ambitu diceret, quàm de vi iudicium eſſet perfectũ.
apud Domitium autem Quæſitorem maior Appius
poſtulauit à Milone ſeruos exhiberi numero IIII.
& L. & cùm ille negaret, eos, qui nominabantur, in
ſua poteſtate eſſe, Domitius ex ſententia iudicum
pronunciauit, vt ex ſeruorum eorum numero accu-
ſator quot vellet ederet. citati deinde teſtes ſecun-
dum legem, quæ, vt ſuprà diximus, iubebat, vt prius,
quàm cauſa ageretur, teſtes per triduum audirentur,
dicta eorum iudices conſignarent, quarta die adeſſe
omnes in diem poſterum iuberentur, ac coràm ac-
cuſatore ac reo pilæ, in quibus nomina iudicum in-
ſcripta eſſent, æquarẽtur: dein rurſus poſtera die ſor-
titio iudicum fieret vnius & L X X X. qui numerus

A eum ſorte obtigiſſet, ipſi protinus ſeſſum irent: tum
ad dicendum accuſator duas horas, reus tres habe-
ret, reúſque eodem die illo iudicaretur: prius autem
quàm ſententiæ ferrentur quinos ex ſingulis ordini-
bus accuſator, totidem reus reiiceret, ita vt numerus
iudicum relinqueretur, qui ſententias ferrent, quin-
quaginta & vnus. primo die datus erat in Milonem
teſtis Caſſinius Schola, qui ſe cum P. Clodio fuiſſe,
cũ is occiſus eſt, dixit, atrocitatémq; rei factæ quàm
maxime potuit auxit. quem cum interrogare M.
B Marcellus cœpiſſet, tanto tumultu Clodianæ mul-
titudinis circunſtãtis exterritus eſt, vt vim vltimam
timens in tribunal à Domitio reciperetur. quam ob
cauſam M. Marcellus, & ipſe Milo à Domitio præ-
ſidium implorauerunt. ſedebat eo tempore Cn. Põ-
peius ad ærarium, perturbatúſque erat eodẽ illo cla-
more: itaque Domitio promiſit, ſe poſtero die cum
præſidio deſceſurum ídque fecit: quare territi Clo-
diani ſilentio verba teſtium per biduum audiri paſſi
ſunt. interrogauerunt eos M. Cicero M. Marcellus,
C & Milo ipſe. multi ex iis, qui Bouillis habitabant,
teſtimonium dixerunt de iis, quæ ibi facta erãt, cau-
ponem occiſum, tabernã expugnatam, corpus Clo-
dij in publicum extractum eſſe. virgines quoq; Ve-
ſtales dixerunt, mulierem ignotam veniſſe ad ſe, quę
Milonis mandato votum ſolueret, quòd Clodius
occiſus eſſet. vltimæ teſtimonium dixerunt Sem-
pronia Tuditani filia, ſocrus P. Clodij, & vxor Ful-
uia: & fletu ſuo magnopere eos, qui adſtabant, com-
mouerunt. Dimiſſo circa horam decimam iudicio,
D T. Munatius pro concione populum adhortatus eſt,
vt poſtero die frequens adeſſet, & elabi Milonem
non pateretur, iudiciúmq; & dolorem ſuum oſten-
deret. euntibus ad tabellam ferendam poſtero die
iudicibus, qui fuit iudicij primus ad III. Idus apr.
clauſæ fuerunt tota vrbe tabernæ: pręſidia in foro &
circa omnes fori aditus Põpeius diſpoſuit: ipſe pro
ærario, vt pridie, conſedit, ſeptus delecta manu mi-
litum, ſortitio deinde iudicum, vt primo die facta
E eſt. poſt tantum ſilentium toto foro fuit, quantum
eſſe in aliquo foro poſſet. tum intra horam ſecun-
dam accuſatores cœperunt dicere, Appius maior, &
M. Antonius. & P. Valerius Nepos. vſi ſunt ex lege
horis duabus. reſpondit his vnus M. Cicero: & cum
quibuſdam placuiſſet ita defendi crimen, interfici
Clodium pro republica fuiſſe, quam formam M.
Brutus ſecutus eſt in ea oratione, quam pro Milone
compoſuit, & edidit, quamuis non egiſſet, Cicero-
ni id non placuit, quòd, non qui bono publico da-
F mnari, idem etiam occidi indemnatus poſſet. itaq;
cum inſidias Milonem Clodio feciſſe poſuiſſent
accuſatores, quia falſum id erat, (nam forte illa rixa
commiſſa fuerat) Cicero apprehendit, & contrà
Clodiũ Miloni feciſſe inſidias diſputauit: eóq; tota
oratio eius ſpectauit, ſed ita cõſtitit, vt diximus, neu-
trius cõſilio pugnatum eſſe eo die, verum forte oc-
curriſſe: ex ea rixa ſeruorum ad eam cædem peruen-
tum. notum tamen erat, vtrunq; mortem alteri ſæpe
minatum eſſe: & ſicut ſuſpectum Milonem maior,
G quàm Clodij, familia faciebat. ita expeditior & pa-
ratior ad pugnam Clodianorum quàm Milonis fue-
rat. Cicero cum inciperet dicere, exceptus eſt accla-
matione Clodianorum, qui ſe continere ne metu
quidem circunſtantium militum potuerunt: itaque
non ea, qua ſolitus erat cõſtantia dixit. manet autem
illa quoque excepta eius oratio. ſcripſit verò hanc,
quã legimus, ita perfectè, vt iure prima haberi poſſit.

ENAR-

ENARRATIO.

VNum *genus eſt aduerſum, infeſtumq́ nobis, &c.* Ita vt in expoſitione argumenti diximus. Munatius Plancux pridie pro concione populum adhortatus erat, ne pateretur elabi Milonem.

Declarant huius ambuſti Tribuni pl. illa intermortua conciones, quibus quotidie meam potentiam inuidiæ criminabatur, T. Munatius Plancus, & Q. Pompeius Rufus Tribuni pl. de quibus in argumento huius orationis diximus, cum contra Milonem Scipioni & Hypſæo ſtuderent, concionati ſunt eo ipſo tēpore, plebémque in Milonem accenderunt. quo propter Clodij corpus curia incenſa eſt: nec prius deſtiterunt, quàm flamma eius incēdij fugati ſunt è concione. erant enim tunc Roſtra non eo loco, quo nunc ſunt, ſed ad Comitium, prope iuncta curiæ. ob hoc T. Munatium ambuſtum Tribunum appellat. fuit autem paratus ad dicendum.

Cur igitur incendium curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi, cædem hanc ipſam contra remp. ſenatus factā eſſe decreuit? Poſt biduum medium, quàm Clodius occiſus erat, Interrex primus proditus eſt M. Æmilius Lepidus. non fuit autem moris, ab eo, qui primus Interrex proditus erat, comitia haberi. ſed Scipionis & Hypſæi factiones, quia recens inuidia Milonis erat, cum contra ius poſtularent, vt interrex ad comitia Conſulum creandorum deſcenderet, idq́ue ipſe non faceret, domum eius per omnes interregni dies (fuerant autem ex more quinque) obſederunt: deinde omni vi ianua expugnata, & imagines maiorū deiecerunt, & lectulū aduerſum vxoris eius Corneliæ, cuius caſtitas pro exemplo habita eſt, fregerūt itemq; telas, quæ ex vetere more in atrio texebantur, diruerūt. poſtq; ſuperuenit Milonis manus & ipſa poſtulans comitia, cuius aduentus fuit ſaluti Lepido: in ſe enim ipſæ conuerſæ ſunt factiones inimicæ, atque ita oppugnatio domus Interregis omiſſa eſt.

Quòd ſi per furioſum illum Tribunū pl. ſenatui, quòd ſentiebat, perficere licuiſſet: nouam quæſtionem nunc nullam haberemus. decernebat enim, vt veteribus legibus tantummodo extra ordinem quæreretur. diuiſa ſententia eſt poſtulante neſcio quo. (nihil enim neceſſe eſt omnium flagitia proferre) ſic reliqua auctoritas ſenatus empta interceſſione ſublata eſt. Quid ſit diuidere ſententiam, vt enarrandum ſit, veſtra ætas filij facit. Cū aliquis in dicendenda ſententia duas pluresve res complectitur, eæ ſi non omnes probantur, poſtulatur vt diuidat, id eſt vt de rebus ſingulis referatur. Forſitan nunc hoc quoq; velitis ſcire, qui fuerit, qui poſtulauerit, quod non ferat auditor. non eſt ei, qui hoc poſtulat, oratione longa vtendum, ac ne conſurgendum quidem vtique eſt. multi enim ſedentes hoc vnum verbum pronunciant, diuide. quod cum auditum eſt liberum ei, qui facit orationem, diuidere. ſed ego, vt curioſius ætati veſtræ ſatisfaciam, acta etiam totius illius temporis perſecutus ſum: in quibus cognoui pridie Cal. Mart. S.C. eſſe factum, P. Clodij cædem, & incendium curiæ, & oppugnationem ædium M. Lepidi contra remp. factam: vltra relatum in acta illo die nihil: poſtero die, id eſt Cal. Mart. Munatium in concione expoſuiſſe populo, quæ pridie acta erant in ſenatu: in qua concione hæc dixit ad verbum. Q. Hortenſium dixiſſe, vt extra ordinem quæreretur apud Quæſitorem æſtimare futurum, vt cum puſillum ediſſet dulcedinis, largiter acerbitatis, deuoraret. aduerſus hominem ingenioſum ingenio vſi ſumus: inuenimus Fuſium, qui diceret, diuideret

A ſententiam. reliquæ parti ego & Salluſtius interceſſimus. Hæc concio, vt puto, explicat, & quid ſenatus decernere voluerit, & quis diuiſionem poſtulauerit, & quis interceſſerit, & cur. illud vox meminiſſe non dubito, per Q. Fuſium illo quoque tempore, quo de inceſtu P. Clodij actum eſt, factum, ne à ſenatu aſperius decerneretur.

Dederas enim, quàm contemneres populares inſanias, iam ab adoleſcentia documenta maxima. Conſtantiam L. Domitij, quam in Prætura præſtitit, ſignificat. nā
B eo tempore, cum Cn. Manlius Tribunus pl. ſubnixus libertinorum & ſeruorum manu, perditiſſimam legem ferret, vt libertinis in omnibus tribubus ſuffragium eſſet, idq́; per tumultum ageret, & cliuum Capitolinum obſideret, diſcuſſerat perruperátque cœtum Domitius, ita vt multi Manlianorum interficerentur. quo facto & plebem infimam offenderat & ſenatus magnam gratiam inierat.

Itaque illud Caſſianū iudiciū in his perſonis valeat. L. Caſſius fuit, ſicut iam ſæpe diximus, ſummæ vir
C ſeueritatis. quoties Quæſitor iudicij alicuius eſſet, in quo quæreretur de homine occiſo, ſuadebat, atque etiam præibat iudicibus, hoc quod Cicero nunc admonet, vt quæreretur, cui bono fuiſſet perire eū, de cuius morte quæreretur. ob quam ſeueritatem, quo tempore Sex. Peduceus Tribunus pl. criminatus eſt. L. Metellum Pont. Max. totúmq; collegium Pontificum male iudicaſſe de inceſtu virginum Veſtaliū, quòd vnam modo Æmiliam damnauerat, abſoluerat autem duas, Martiam & Liciniam, populus hunc
D Caſſium creauit, qui de eiſdem virginibus quæreret. itq́; & vtraſq; eas, & præterea cōplures alias, nimia etiam, vt eſtimatio eſt, aſperitate vſus, damnauit.

Et aſpexit me illis quidem oculis, quibus tunc ſolebat, cum omnibus omnia minabatur. mouet me quippe lumē curiæ. Hic eſt Sex. Clodius, quem in argumēto huius orationis diximus corpus Clodij in curiam attuliſſe, & ibi cremaſſe, eóq; incenſo curiam conflagraſſe ideo lumen curię dicit.

Quando illius poſtea ſica illa, quam à Catilina acce
E *perat, conquieuit? hæc intentata nobis eſt: huic ego obiici vos pro me paſſus non ſum: hac inſidiata Pompeio eſt.* Manifeſtum eſt pertinere ad id tempus, quo poſt rogationem à P. Clodio in eum promulgatam vrbe ceſſit. Quare dicat Inſidiata Pompeio eſt, fortaſſis quæratis. Piſone & Gabinio Coſs. pulſu Cicerone in exilium, cum III. Idus Sext. Pompeius in ſenatum venit, dicitur ſeruo P. Clodij ſicam excidiſſe, eáque ad Gabinium Conſulem delata, dictum eſt, ſeruo imperatum à P. Clodio, vt Pompeius occideretur.
F Pompeius ſtatim domum rediit. ex eo domi tenus. obſeſſus eſt etiam à liberto Clodij Damione, vt ex actis eius temporis cognouiin quibus xv. Cal. Sep. L. Nouius Tribunus pl. collega Clodij, cum Damio aduerſum Flauium Prætorem appellaret Tribunos, & Tribuni de appellatione cognoſcerent, ita ſententiam dixit: Et hoc apparitore P. Clodij vulneratus ſum: & hominibus armatis præſidiis diſpoſitis à republica remotus ſum. Cneus Pompeius obſeſſus eſt. cum appeller, non vtar eius exemplo, quem vitu-
G pero: & iudiciū tollam, & reliqua de interceſſione.

Hac iſtam Appiam viam. monumentum nominis ſui, nece Papirii cruentauit. Pompeius poſt triumphum Mithridaticū Tigranis filium in cathenis depoſuerat apud Flauium ſenatorem: qui poſtea cum eſſet Prætor eodē anno, quo Tribunus pl. Clodius,

petit ab eo Clodius, ſuper cœnam, vt Tigranem adduci iuberet, vt eum videret. adductum collocauit in conuiuium, dein Flauio non reddidit: Tigranem dimiſit, & habuit extra eathenas, nec repetẽti Pompeio reddidit: poſtea in nauem depoſuit: & cum profugeret ille, tempeſtate delatus eſt Antium. illico, vt deduceretur ad ſe, Clodius Sex. Clodium, de quo ſuprà dixi, miſit, qui eum reduceret. Flauius quoque re cognita ad diripiendum Tigranem profectus eſt. ad quartum lapidem ab Vrbe pugna facta eſt: in qua multi ex vtraque parte ceciderunt, plures tamen ex Flauij, inter quos & M. Papirius eques Romanus publicanus, familiaris Pompeio. Flauius ſine comite Romam vix perfugit.

Hac eadem longo interuallo conuerſa rurſus eſt in me. nuper quidem, vt ſcitis, me ad Regiam penè confecit. Quo die periculum hoc adierit, vt Clodius eum ad Regiam penè confecerit, nuſquam planè inueni. nõ tamen adducor, vt putem Ciceronem mentitum, præſertim cum adiiciat, vt ſcitis. ſed videtur mihi loqui de eo die, quo Conſulibus Domitio & Meſſala, qui præceſſerant eum annum, cum hæc oratio dicta eſt, inter candidatorum Hypſæi, & Milonis manus in via Sacra pugnatum eſt, multique ex Milonianis ex improuiſo ceciderunt. de cuius diei cedæ & periculo ſuo vt putem loqui eum, facit & locus pugnæ, nam in Sacra via traditur commiſſa, in qua eſt Regia, & quòd affuerunt cum candidatis ſuffragatores Milonis Cicero, Hypſæi Clodius.

Potuit ne L. Cacily, iuſtiſſimi fortiſſimique Prætoris, oppugnata domo. L. Cæcilius Rufus, de quo dicitur, Prætor fuit P. L. Spinthere, Q. Metello Nepote Coſs. quo anno Cicero reſtitutus eſt. is cum faceret ludos Apollinares, ita infima concitata multitudo annonæ caritate tumultuata eſt, vt omnes, qui in theathro ſpectandi cauſa conſederant, pellerentur. de oppugnata domo nuſquam adhuc legi. Pompeius tamen, cum defenderet Milonem apud populum, de vi accuſante Clodio, obſtitit. & legimus apud Tironem libertum Ciceronis in libro quarto de vita eius, oppreſſum à Clodio L. Cæcilium prætorẽ.

At quo die? quo, vt ante dixi, fuit inſaniſſima concio ab ipſius mercenario Tribuno pl. concitata. Hoc ſignificat, eo die, quo Clodius occiſus eſt, concionatum eſſe mercenarium eius Tribunum pl. ſunt autem cõcionati eo die, vt ex actis apparet, C. Salluſtius, & Q. Pompeius, vtriq; & inimici Milonis, & ſatis inquietĩ. ſed videtur mihi. Q. Pompeium ſignificare. nam eius ſeditioſior fuit concio.

Dixit C. Caßinius Interamnas, familiariſſimus, & idem comes Clody, P. Clodium illo die Alba manſurũ. Fuit hic Caſſinius, apud quem Clodius manſiſſe Interamnæ videri volebat, qua nocte deprehenſus eſt in Cæſaris domo, cum ibi in operto virgines pro populo Ro... no ſacra facerent.

Scitis iudices, fuiſſe qui in hac rogatione ſuadenda dicerent, Milonis manu cadem eſſe factam, conſilio verò maioris alicuius. me videlicet latronem & ſicarium abiecti homines & perditi deſcribebant. Q. Pompeius Rufus, & C. Salluſtius Tribuni fuerunt, quos ſignificat. hi enim primi de ea lege ferenda populum hortati ſunt, & dixerunt, manu Milonis occiſum eſſe Clodium, conſilio verò maioris alicuius.

Atqui vt illi nocturnus aduẽtus vitandus fuit, ſic Miloni cum inſidiator eſſet, ſi illum ad Vrbem noctu acceſſurum ſciebat, ſubſiſtendum. &c. Via Appia eſt prope Vrbem monumentum Baſilij: qui locus latrocinijs A fuit perquam infamis: quod ex aliis quoque multis intelligi poteſt.

Comites Graculi, quocunque ibat, etiam cum in caſtra Hetruſca properabat. Sæpe obiicit Clodio Cicero, ſocium eum coniurationis Catilinę fuiſſe. quam rem nunc quoq; reticens oſtendit. fuerat enim opinio, vt Catilina ex Vrbe profugerat in caſtra Manlij centurionis, qui tum in Hetruria ad Feſulas exercitũ ei comparabat, Clodium ſubſequi eum voluiſſe, & cœpiſſe, tum dein mutato cõſilio in vrbem rediſſe.

B *Non iam hoc Clodianum crimen timemus, ſed tuas Cn. Pompei (te enim iam appello, & ea voce, vt me exaudire poßis) tuas inquam ſuſpiciones perhorreſcimus.* Diximus in argumento orationis huius, Cn. Pompeium ſimulaſſe ſe timere, ſeu planè timuiſſe Milonem, & ideo ne domi quidem ſuæ, ſed in hortis ſuperioribus ante iudicium manſiſſe, ita vt villam quoque præſidio militum circundaret. Q. Pompeius Tribunus pl. qui fuerat familiariſſimus omnium P. Clodio. & ſectam ſuam ſequi ſe palàm profitebaC tur, dixerat in concione paucis poſt diebus, quàm Clodius erat occiſus: Milo dedit, quem in curia cremaretis: dabo, quem in Capitolio ſepeliatis. in eadẽ concione idem dixerat (habuit enim eam ad VIII. Cal. Feb. cum Milo pridie, id eſt, VII. Cal. Feb. venire ad Pompeium in hortos eius voluiſſet) Pompeiũ et per hominem propinquum miſiſſe, ne ad ſe veniret. prius etiam quàm Põpeius tertium Conſul crearetur, tres Tribuni, Q. Pompeius Rufus, C. Salluſtius Criſpus, T. Munatius Plancus, cum quotidiaD nis concionibus ſuis magnam inuidiam Miloni propter Clodiũ excitarent, produxerant ad populũ Cn. Pompeium, & ab eo quæſierant, num ad eum delatum eſſet illud quoque indicium, ſuæ vitæ inſidiari Milonem. reſponderat Pompeius, Licinium quendã de plebe, ſacrificulum, qui ſolitus eſſet familias purgare, ad ſe detuliſſe, ſeruos quoſdam Milonis, itémq; liberos comparatos eſſe ad cædem ſuam: nomina quoque ſeruorum edidiſſe: ad Milonem miſiſſe, vt eos in poteſtate ſua haberet: à Milone reſpõſum eſſe E ex iis ſeruis, quos nominaſſet, partim neminẽ ſe vnquam habuiſſe, partim manumiſiſſe: dein, cum Licinium apud ſe haberet, Lucium quendam de plebe ad corrumpendum indicem veniſſe: qua re cognita, in vincla cum publica à ſe coniectum. decreuerat enim ſenatus, vt cũ Interrege & Tribunis pl. Pompeius daret operã, ne quid reſpublica detrimẽti caperet. Ob has ſuſpiciones Põpeius in ſuperioribus hortis ſe continuerat. deinde, ex S. C. delectu per Italiam habito cum rediſſet, venientem ad ſe Milonem vnũ F omniũ non admiſerat. item, cum ſenatus in porticu Põpeij haberetur, vt Põpeius poſſet intereſſe, vnum tũ excuti prius, quàm in ſenatũ intraret, iuſſerat. hæ ſunt ſuſpiciones, quas dicit ſe Cicero pertimeſcere.

Contra heſternam concionem illam. Idem T. Munatius Plancus, vt ſæpe diximus, poſt audita & obſignata teſtium verba, dimiſſóſque interim iudices, vocata concione cohortatus erat populum, vt clauſis tabernis poſtero die ad iudicium adeſſet, nec pateretur elabi Milonem.

G *Incidebantur iam domi leges, qua nos noſtris ſeruis addicerent.* Significaſſe iam puto nos, fuiſſe inter leges P. Clodij, quas ferre propoſuerat, eam quoque, qua libertini, qui non plus quàm in vrbanis tribubus ſuffragium ferebant, poſſent in ruſticis quoque tribubus, quæ propriæ ingenuorum ſunt, ferre.

Senatus, credo, prætorem eum circunſcripſiſſet. ne

cum

tum ſolebat quidem id facere, in priuato eodem hoc aliquid profecerat. Significat id tempus, quo P. Clodius, cum adhuc Quæſtor deſignatus eſſet, intrauit eò, vbi ſacrificium pro populo Romano fiebat. quod factũ notatum erat à ſenatu, decretúmque, vt extra ordinem iudicium fieret.

Quo loco induxit loquentem Milonem cum bonarum partium hominibus, de meritis ſuis.

Plebem, & infimam multitudinem, quæ P. Clodio duce fortunis veſtris imminebat, eam, quo tutior eſſet veſtra vita ſe feciſſe commemorat vt non modo virtute flecteret, ſed etiam tribus ſuis patrimoniis deliniret. Puto iam ſupra eſſe dictum, Milonem ex familia fuiſſe Papia, deinde adoptatum fuiſſe à C. Annio auo ſuó materno. tertium patrimonium videtur ſignificare matris. aliud enim quod fuerit, non inuenio. Peracta vtrinque cauſa, ſinguli quinos accuſator & reus ſenatores, totidem equites, & tribunos ærarios reiecerunt, ita vt vnus & quinquaginta ſententias tulerint. ſenatores condemnauerũt XII. abſoluerunt VI. equites condemnauerunt XIII. abſoluerunt IIII. tribuni ærarij condemnauerunt XIII. abſoluerunt III. Videbãtur non ignorasse iudices, inſcio Milone initio vulneratũ eſſe Clodium: ſed compererãt, poſtquam vulneratus eſſet, iuſſu Milonis occiſum. fuerunt, qui crederent, M. Catonis ſententia eum eſſe abſolutum, nam & bene cum republica actum eſſe morte P. Clodij non diſſimulauerat, & ſtudebat in petitione Conſulatus Miloni, & reo affuerat. nominauerat quoque eum Cicero præſentem, & teſtatus erat audiſſe eum à M. Fauonio ante diem tertium quàm D cædes facta erat, Clodium dixiſſe periturum eſſe eo triduo Milonem. ſed Milonis quoque notam audaciam vindicare R. P. vtile viſum eſt. vnde ſciri nunquam potuit vtram ſententiam tuliſſet. damnatum autẽ opera maxime Appij Claudij, pronunciatũ eſt. Milo poſtero die factus reus ambitus apud M. Torquatum abſens damnatus eſt illa quoque lege accuſator fuit eius Appius Claudius. & cum ei præmium lege daretur, negauit ei. ſubſcripſerunt & in ambi-

A tus iudicio P. Valerius Leo, & Cn. Domitius Cn. F. poſt paucos dies quoque Milo apud Fauonium Quæſtorem de ſodalitiis damnatus eſt accuſante P. Fuluio Nerato, cui lege præmium datum eſt. deinde apud L. Fabium Quæſtorem iterum abſens damnatus eſt de vi. accuſauit L. Cornificius, & Q. Patulcius. Milo in exilium Maſſiliã intra pauciſſimos dies profectus eſt. bona eius propter alieni æris magnitudinem ſemuncia venierunt. Poſt Milonem eadem lege Pompeia primus eſt accuſatus M. Saufeius B M. F. qui dux fuerat in expugnanda taberna Bouilis & Clodio occidendo. accuſauerunt eum L. Caſſius, L. Fulcinius C. F. C. Valerius. defenderunt M. Cicero, M. Celius: obtinuerũntque, vt vna ſententia abſolueretur. condemnauerunt ſenatores X. abſoluerunt VIII. condemnauerunt equites Romani IX. abſoluerunt VIII. ſed ex tribunis ærariis decem abſoluerunt: VI. condemnauerunt: manifeſtúmque odium Clodij ſaluti Saufeio fuit, cum eius vel peior cauſa quàm Milonis fuiſſet, qui aperte dux fuerat C expugnandæ tabernæ repertus. deinde poſt paucos dies apud Conſidium Quæſtorem lege Plautia de vi, ſubſcriptione eadem accuſatus eſt, quòd loca occupaſſet, & cum telo fuiſſet anteſignanus operarum Milonis. accuſauerunt C. Fidius, Cn. Aponius Cn. F. M. Seius Sex. F. defenderunt M. Cicero, M. Terentius Varro Gibba. abſolutus eſt ſententiis plenius, quàm prius. graues habuit XIX. abſolutorias II. & XXX. ſed è contrario hoc, ac priore iudicio accidit. equites enim, ac ſenatores eum abſoluerũt, D tribuni ærarij damnauerunt. Sex. autem Clodius, quo auctore corpus Clodij in curiam illatum fuit, accuſantibus, C. Ceſennio Philone, M. Aufidio, L. Aponio. Defenderunt. Magno conſenſu damnatus eſt ſententiis VI. & XL. abſolutorias V. omnino habuit, duas ſenatorum, tres equitum. multi præterea & præſentes, & cum citati non reſpondiſſent, damnati ſunt, ex quibus maxima pars fuit Clodianorum.

FINIS.

FRANC. HOTMANI IN ASCONIVM NOTÆ, AVCTIORES.

A QVÆ ex codice correximus, lector ex collatione perſpicies; quæ ſunt ex ingenio, alia deſcripſimus.

Pag 1322. Libidine & iniquitate R.M. His verbis lacunam repleri poſſe putaui antiqui codicis: cùm etiam antea mutilatū eſſe hunc locum ſatis intelligi poſſet ex verbo Feſſis. ſumpta autem à nobis hæc ſunt ex illo Ciceronis loco, qui eſt in oratione quinta Verrina, ad quem reſpexiſſe videtur Asconius. Locus intra Oceanū iam nullus eſt, neque tam longinquus, neque tam recon- B ditus, quò non per hæc tempora noſtrorum hominū libido iniquitasque peruaſerit.

Pag ead. In quæſtione c. miti... Aut quæſtura legēdum: aut pro quæſtore quæſtionem potuit.

Pag.1323. Cauſa genus eſt. Daneſij. Vetus, Cauſæ ingerunt quas iuſte defenſionem & mirè &c.

Pag.1325. Non præiudicium. Sic reperi lacunas libri veteris, in quo ita ſcriptum eſt. Non præiudiciū d.v.i.l.eſt * u dicium cum ſp. prouinciam * quod Siculi q..ntea * publice &c.

C *Pag.1325. Iuris magis.* Budæi: vetus codex, viri magis ſtud.q.c.cauſa.

Pag.1326. (oratione tertia.) Verba hæc ex margine in contextum irrepſiſſe arbitror. Erat autem in manuſcripto, Orationes tri. quod ita emendauimus. Locum autem dicit illum ex Ver.3. Quod meum factum lectiſſimi viri &c.

Pag 1327. Damnatus non eſt. Sic legitur cum negatione in libro veteri: ſed quum eſſet, Hortenſium, repoſui Hortenſij: hoc ſenſu, Dolabella quidem D damnatus eſt, ſed non tanti, quantum oportuit, idq; per Hortenſij gratiam. in quo tamen latini ſermonis regula nutat.

Eadem. Iam iam. Mutarat hunc locum Manutius, & ſcripturam aliam ex ipſa orat. poſuerat. Ego cur hoc Asconio repugnante facerem, cauſam eſſe nullam putaui. præſertim quum ita hunc locum citet Fabius, & figuram in iterata particula iam iam notandam putet.

E *Ead. Terentius Varro* Sic reſtitui locum ex Bruto, & orat. de prou. conſul. Legebatur antea, Varro cōſobrinus frater huic cenſi, &c.

Pag.1327. Pro conſuetudine. Lacunam Aldini codicis repleuit hoc verbo Budæus, aut Alueus.

Pag.1328. Principale eſt. Daneſij. Vetus, ſuſcipitur quod hinc pendet, * ſuſcipitur ſolum aliquid propter ſe recipitur.

Ead. Pratuliſti? Rectius putaui, protuliſti. Nam proferre pro ſpectandum & cognoſcendum præbere, dixere & Plin. iunior, & Fabius. & cæteri.

F *Pag.1329 Et tamen ita faciebat: mirè &c.* Daneſij. Vetus, & lamenta faciebat mulier.

Pag.1331. Ducitur in ſcenam. Daneſij. Vetus, dicitur in ſcena.

Eadem. Numerans proximum Apuleium. Manutius pro Alienum. Apuleium impreſſerat. ſed proximum dicit, puto, vltimum, & cuius de quo proxime meminerat.

A *Pag. Ead. Alibi (III orat.) ait.* Similiter corrigendum putaui vt ſupra: quum in vetere ſcriptum eſſet, mox: hallucinante, puto, librario, quum in margine repoſuiſſet, III. or. Nā ex tertia Verrina eſt hic locus.

Ead. Quaſi inuito & ſuperbo. Malim, Inuitò & ſuperfluò, duobus aduerbiis.

Pag.1334. Videtur planè dicere. Budæi. Vetus, placere.

Pag. 1333. Quaſi inter eos. Sic repoſui, coniecturam capiens ex eo, quod dicit paulò pòſt, Expoſitio B conſilij ſui, vt cum iudicibus deliberatio &c. Vetus, Quaſi inter tracta.ns communiter * breſitas &c.

Pag.1334. Nam vno tempore. Locus hic nullo ſenſu ſic antea legebatur, Nam vult intelligi c.p.t.p.o. Verrinis, ſed terra marique inſidias factas, ſignificat: quem ex ipſius Oratoris verbis reſtitutum ad hunc modum edidimus.

Pag.1335. Profligatum quod poteſt. Præſtat autem eſſe nulla omnino iudicia, quam diſſoluta & nummaria. Obſcurus locus.

C *Pag.1336. De decuria.* Vetus, de decuria. Sic reſtitui ex multis locis, ſed præſertim ex orat. pro Cluent.

Pag.1337. Continebantur. Hoc maluimus veterum librorum auctoritatem ſecuti, quàm Conſignabantur, quod repoſuit Manutius, tum propter verbum, VT DIXI, tum quod nomina libellis conſignari, latine, vt mea fert opinio, non dicitur.

Ead. Itaque ad Prætoris. Vetus, itaque & Prætoris tribunal vt conſiderent, iudicaturi prætori ſuo. Hoc D autem & ut quæ modò dixit, correximus.

Pag. 1337. Veniam veteres. Apud veteres, rectius legeretur, & aperitur.

Ead Ibiq; ſtatua. Budæi. Vetus, Ibíque ſcuta eius poſita propter eſt.

P.1338. Priuato loculos. Locum ſic caſtigauimus, vt & veſtigiis hæreremus antiquæ lectionis, & ſententiam idoneam locus haberet. Eſt autem ſenſus, Vaſa pecuniæ priuatæ loculi dicuntur, & arcæ: publicæ verò, fiſci. Cicero Ver. 5. Quadringenta HS quos mihi E ſenatus decreuit, & ex ærario dedit, ego habeo, & in ciſtam transferam ex fiſco. Vetus codex ſcriptum ita habebat, Vt pro cenſu priuato ærarium dicitur: pro loculis & arca theſaurus, pro ſacello fiſcus, vnde &c.

Pag. 1338. Prætorem Vrbanum, alterum. Deſiderantur in aliis hæc verba, quæ ex argumento diuinationis ſumpta ſunt, & à nobis hoc loco reſtituta.

Ead Vt ſi ſenator. Daneſij. Vetus, Aut ſi e.ſ.e. Romanus a curia ſua.

F *Pag.1339. Meretricibus amicitia conueniunt.* Blanditiæ legendum videtur eſſe potius, vt ad Ciceronis vtrunque verbum vtraque interpretatio referatur.

Ead. Plus erit intelligere, quàm animaduertere. Loqui videtur pugnantia. ſe puto poſitam non ſuo loco particulam. Quàm: atque ita potius legendum vt correximus, Plus erit quàm intelligere, animaduertere.

Ead.

Ead. in Vrbe Quæſtorem. Daneſij. Vetus, Conſtitutum. A

Ead. Nam prærogatiua. Daneſij, Vetus, Nam prærogatiua ſi præter eius integrum b. aut dicto aut ſicto al. ſ. lib.

Ead. Bina omnino. Vetus, Bina domo. Item Quod primæ rogarentur. Eiuſdem. *

Pag. 1340. Populus R. non credit. Daneſij. Vetus, Corruptionem credidit.

Pag. 1341. Perficiam vt nemo. Vetus, Conficiam vt nemo contra alter quàm ego velim, nunc illud eſt quod poſtea docet. quod mendum ex illo loco orationis tertiæ ſuſtulimus. Et ne alter quàm ego &c. Hortenſius enim abſtinuiſſe Ciceronem ab accuſatione perpetua dicebat, alio conſilio nullo, niſi vt nullam ei dicendi facultatem relinqueret. B

Pag. 1342. Moleſtum, addictum. Vetus, Additum. Sic reſtituendum putauimus.

Nec Teucris addita Iuno. Æneid. VI.

Ead. Duæ res enim. Hoc modo lacunam repleuimus, & locum correximus, qui in antiquo libro ſic ſcriptus eſt: Duæ. r. e. c. damnationem * pertinebat, in qua, &c. C

Ead. HS. D. C. Ex oratione pro Cluentio reſtitui, DCXL.

Ead. Tabulis cerat. Daneſij. Vetus, Tabulas ceratas.

Pag. 1342. Nuper è p. r. Eiuſdem quum eſſet in manuſcripto lacuna.

Pag. 1344. L. Licinius & item. Budæi: quum in manu ſcripto Lucilius legatur. Fuit autem L. Licinius, M. Aurelij Cottæ in conſulatu collega. Plut. Lucullo. D

Ead. Ad rem dilatandam. Deerat antea omnibus in libris verbum dilatandam.

Ead. hac actione. Daneſij. Vetus, Oratione.

Ead. HS. *octingenties.* Sententia ita legi poſtulat, ſi ad dupli rationem ſpectemus, & ad mentem Aſconij, qui minus exactum eſſe apertè ſignificat. Vetus, Nam quamuis HS. ſeptuagies d. n. c. u. eſt ad gratiam &c. E

Pag. 1345. Prætor ſoleret. Præco legendum potius exiſtimem, ex hoc præſertim Ciceronis loco, lib. accuſat. 2. Dicit vnus & alter breuiter. Nihil interrogatur. Præco dixiſſe pronunciat. Malim tamen, Dimitterentur iudices à prætore, præco ſoleret.

Pag. 1348 Freti Verris gratia liberentur quamplurimo. Diuinatio hæc quidem eſt: nam in manuſcripto ita legitur, Refragratularentur à plurito. ſed cui notus erit totus ille quartæ orationis locus, is ſi non videat veſtigia nos huius lectionis ſecutos, errorem in ipſo, vt dicitur, cubili deprehendiſſe, magnopere nos opinione noſtra falli atque indueſ fatebimur. F

Pag. 1348. Timuiſſe n ſ. c. d. Budæi. Vetus. Timuiſſe & ic tibi nec criminaretur eos ab ſe p. l. e.

Pag. 1353. Defenſionem. Sic reſtitui, quum in antiquo ita ſcriptum eſſet, Ne diceret de Sylla clauſit vt diceret Sylla m. i.

Pag 1354. Auctione vendit. Mendum videtur. Emit enim publicè in auctione lectos bona omnia vno pretio: vendit poſtea priuatim res ſingulas ſuo commodo. ſed & aliter loquitur Aſconius paucis paginis interiectis. Quare, aut vendita redimit, aut auctione vna redimit, legendum cenſeo. G

Pag. 1355 Olympo. Manutij. Vetus, Olyntho.

Pag. 1356. Venditabant. Daneſij. Vetus, Pecunias populo venditum.

Ead. Non enim naturam. Doctiſſimi viri P. Daneſij. Vetus, Non natum, ſed tantum naturam, dixit perductorem fingere Verri non dicendum poſtea procreare.

Ead. συμπόσιον κυαθ. Daneſij. Ex Athenæo ſumptum videtur.

Pag. 1357. Mortem c. d. p. Vetus, Vindicare morte Philodami, ſ. e. l. r. potuiſſe. Quæ verba longè abeſſe à mente atque conſilio Ciceronis, ex ipſa oratione facile eſt intelligi. Locum igitur paulo aliter ex Oratoris, vt putauimus, ſententia deſcripſimus.

Pag. 1358. Accuſatores ſcilicet Seanrum. Vetus, & Aldus ſcriptum ita habebant: Accuſatores ſ. eorum. Daneſius ergo ſcilicet cauſarum. Ego, ſcilicet Seaurum. nunc vtra ſit melior, eruditi homines æſtimabunt.

Pag. 1358. Corinthiis & Tur. Doctiſſimi viri Pauli Manutij. Vetus, Corneliis & tertiis.

Pag. 1359. Detractis quadringentis. Daneſij. Vetus, quadraginta quadrare.

Pag. 1360. Dici omnino. His duobus verbis inane ſpatium manuſcripti repleuimus.

Ead. ſumma diuiſio. Vetus, ſumma diuiſionis & actionis. quæ ſententia inepta eſt.

Pag. 1361. Cornelia nummaria. Deeſſe quædam in meo codice aſcripta aſteriſci nota ſignificat. Illud verò deeſt, quo lege teſtamentaria quid ſanctum eſſet, expoſuit Aſconius.

Pag. 1363. Tectorum exigendorum. Deeſt exigendorum, in omnibus, quod autem ſequitur, ſcriptum ita erat, Verum hæc tum in publicis tum priuatis operibus ædilitium c. e. a. Quod nos ex hiſtoria correximus.

Pag. 1364. Imperaturus es. Vetus, Imputaturus es.

Ead. Aliud particeps. Vetus, Aliud, p. q. c. h. p. non diuisè agit. Quod cur correximus, minimè obſcurum eſt.

Ead. Sed quæritur. Sex hi verſus deſiderantur in manuſcripto, & Aldi libro: à Daneſio ex antiquo, vt putamus, codice reſtituti.

Pag. 1365. Metellus extruxerat. Mallm, Inſtruxerat. Ornarat. n. quatuor columnis. Votam autem à patre Poſthumio Latino bello dedicauerat filius, auctore Liuio: inſtruxerat Metellus, Plutarcho & Aſcon.

Ead. Vt Tribuni. Id probibebat lex à Sylla lata. Idem Aſconius, Appianus, & alij. Intercedebat igitur Opimius vt liceret. Quod ſi ita eſt, aut diſſuaſiſſe profectò legendum eſt pro perſuaſiſſe: aut L. Sylla, pro Opimius.

Pag. 1366. Vnoquoque. Ita reſtitui, quum in aliis legatur, hoc eſt veſtro nobis &c.

Pag. 1367. Per legatos. Ex Polybio. Vetus, per alios. ſimiliter autem etiam paulò infrà locutus eſt.

Ead. Quaſi illud omnes tunc fecerint. Aut, non omnes, ſententia poſtulat: aut, Nō fecerint, pro Tunc fecerint legendum omnino eſt.

Pag. 1369. Magnificè. Sic repoſui ex ipſius Ciceronis verbis. Vetus, Magnificè quidem ſiculum tamen dicit &c.

Ead. De qua ſacerdos. Senſus, opinor, nullus. Corrigendum putarem, Quando ſacerdos nihil contra hæredem ſtatuerit.

Pag. 1370. Pares voluntate. Hoc eodem loco reponendum putauimus ex ipſius auctoris verbis. Vetus, pares voluntate videri in patris damno. & vnam patris hæreditatem ablatam, & duos fratres.

Pag.1371.Iuſtior ſed pert. Vetus, Iuſtior pertinacior.

Pag.Ead. De ea re in concione. Vetus, de ea * ne.

Pag. Ead. Pecuniam creditoribus. Hæc duo verba deſiderabantur in manu ſcripto.

Pag.1373. Vel pauci s.c. fac. Manutij. Vetus, vel paucos gratificari.

Pag.1374 L.Gallus. Manutius, L. Gallius.

Pag.Ead.Vt neque arbitrium. Locus integer & ſanus ſic legitur in impreſſis Manutij, reſtitutus modò eſſet ex vetere aliquo manuſcripto, & lector in ſcholiis admonitus, Meus antiquus, Peregerunt * ſed tamen iſte in libertatem, de qua neque Met. perſtaret.

Pag.1376. A fratre eius. Manutius addendum putat, Abrogatam.

Pag.1378. Non minus ce. Manutij.

Pag.1380. L. Iunius. Eiuſdem. Vetus, Lauinius.

Pag.Ead.Scilicet quod notiſſimum. In meo manuſcripto nihil eſſe aliud, duo doctiſſimi viri, & mihi ſingulari amicitia cõiunctiſſimi, quibus tum ex hoc loco, tum ex aliis nonnullis, fidem mei codicis probare volui: liquidò confirmare poſſunt. In aliis autẽ impreſſis ſic legitur, Quòd ſcilicet, vt ipſe Pomponius latiſſimè refert in l.2. verſ. virgin. de orig. iuris notiſſimum eſt. Quæ verba ad Asconij marginem à quodam iuris ſtudioſo annotata cùm eſſent, librariorum imperitia in contextum vocata ſunt.

Pag.1382. Populo R. dedit. Eiuſdẽ. Vetus, proderit.

Eadem. Ante duos de x x. Eiuſdem. Vetus, ante duos & x x.

Pag.1383. Iurauitque ſe ideo iurare. Recuſare puto legendum, vt paucis poſt verſibus.

Pag.1384. Commentarium aut principium. Ne eſſet obſcurum quid hoc loco vellit Asconius, qui ferè totus in aliis libris deſideratur, adſcribam Fabij Quinctiliani locum ex libro decimo extremo Inſt. or. Plerunque (ait) multa agentibus accidit, vt maximè neceſſaria & vbique initia ſcribant, cætera quæ domo afferunt, cogitatione complectantur. quod feciſſe M. Tullium ex commentariis ipſius apparet: quos ad præſens modo tempus aptatos libertus Tyro contraxit.

Pag.1386. Ad ædem Apollinis. In forum ad Syllam delatum ſcribit Plutarchus, manus autem in æde Apollinis Catilinam abluiſſe.

Pag 1388. Tamen non puto vos ignorare. Quid ergo? An multo id minus ignorarent, ſi hæc non eſſet inſcriptio? Nam hæc, particulæ Tametſi, vis eſt. Forſitan ergo rectius, tamen hoc puto. ſibi enim ſcribit & adoleſcentibus & imperitis: ſic infrà, Quis hic M. Piſo fuerit, credo vos ignorare. & ſæpe alibi.

Pag.1389. Ius Italia dabatur. Deerant hæc in manu ſcripto. puto tamen ſcribendum, ius Latij.

Pag.1390. L. Cæcilio. Manutij. Vetus, L. Iulio, C. Mario.

Ead. Compitalitiorum dies incidiſſet. Notetur locus, quem ita ſcriptum in libro veteri oſtendi amiciſſimo meo Ioanni Morelio. At in vulgatis & Asconij & Ciceronis libris incidiſſent: errore manifeſto. cùm vnum Compitalitiorum diem fuiſſe teſtẽtur Varro & Macrobius.

Pag.1392. iii. Marcelli. Manutij. Vetus, hi Marcelli.

Ead. Mutini. Eiuſdem. Vetus, Murrhinæ.

Pag.1393. Pupius Eiuſdem. Vetus, Publius.

Pag.1400. Caldatum. Manutius, Calciatum.

Pag.1401. Q. Metellus, Scipio. Dicit. Q. Metellum, quem, cùm eſſet ex gente Cornelia, Q. Cæcilius Metellus Pius adoptauit.

Pag.1402. In porticu ſua habuerat. Sic repoſui ex iis quæ dicit extremo commentario. Vetus, Repetundus erat.

Ead. Magnanimus multum excuſabat. Manutius, Magna manus militum excubabat.

Pag.1403. Inuidioſus. Manutij. Vetus inuidiam.

Ead. Sed ipſi etiam. Vetus, ſed etiam propter inuiſum Ciceroni patrocinium. Corrigendum hoc modo putauimus.

Ead. Comparauit eum. Manutius, comparari vim.

Ead. Meditatus erat. Manutius, minitatus erat.

Pag.1404. Iud Confirmarẽt. Manutius. cõſignarẽt.

Ead. A. Q. Patulcio. Vetus, Q. Patcio. Sic correxi, ſecutus alibi Asconium.

Pag 1404 Vt primo die. Vetus, A primo facta eſt. Quod cur ita mutandum putarim, ex iis quæ ſupra dicta ſunt, facile eſt intelligi. Manutius à veſtigiis antiquæ lectionis recedens, A quæſitore, repoſuit.

Ead. Quòd qui bono. Ego, niſi, Non qui bono, cum negatione legatur, ſenſum niſi abſurdum & ineptum non video.

Pag.1405. Expoſitione diximus. Aut argumento legendum eſt, vt ſæpe poſtea: aut expoſitione argumenti, quod mihi veriſimilius videtur.

Ead Quo incenſa eſt. Manutij. Vetus, Quod incenſa eſſet.

Ead. Sic eſſe factum. Manutius, s.c. eſſe factum.

Pag.1407. Delatus eſt Antium. Pro Antiũ, & Vetus & Aldi codex, tantum pro illico, illic, habebat: & pro dixi miſit, diximus: ſententia mutila & contaminata. Antium autem in via eſſe Appia ſatis intelligi licet ex Strabonis lib. v. Geogr. & Plinij lib. iii.

Ead. Infima coacta multitudo. Malus, concitata: ex orat. pro domo ſua, & pro Milone.

Pag.1408. Sacrificorum. Manutius, ſacrificulum.

FINIS.

FRANC. HOTMANI IN EPISTOLAM CICERONIS AD Q. FRAT. DE prouincia rectè adminiſtranda.

QVinctus Cicero ex pratura prouinciam Aſiam ſortitus, annos iam duos continuos parum ſecunda fama eam adminiſtrarat. Cùm in annum tertium prorogatum illi imperium fuiſſet, Marcus frater inde occaſionem eum ad laudem cohortandi ſumpſit, quod de acceſſione hac annua facere illum certiorem vellet. Eſt autem bipartita cohortatio: prior enim pars ad ea quæ Rempub. attingunt, altera ad ea quæ priuata & Quincti ferè præcipua ſunt, pertinet: nam in priore parte ea perſequitur, quæ ad Quincti imperium, ac prouincialem adminiſtrationem ſpectant de quibus quadripartitò diſputat. Placet enim, quoniam id primum ac ſummum boni interpretis officium eſſe duximus, huius epiſtolæ partitionem, ordinem ac diſpoſitionem, & (vt Cicero ipſe ſæpe appellat) οἰκονομίαν, quæ ſanè in hoc libello ſingularis eſt, paulò attentius conſiderare. Primo igitur loco de Quincto ipſo præcepta dat: ſed non ita quaſi de Quincto, ac ciue Romano: verùm vt de ampliſſimo populi R. magiſtratu, Aſiam prouinciam cum ſummo imperio adminiſtrante: altero loco de iis comitibus præcipit, quos ſecum in prouinciam imperij ſui miniſtros, publicorumque negociorum adiutores eduxerat: poſteà de vitandis Græcorum & publicanorum nimiis familiaritatibus, illum monet, vt pote quibus imperij ſui dignitas labefactari facilè conuellíque poſſit. Poſtremò etiam de ſeruis cautionem adhibet, eiuſque caput hoc eſſe voluit: ne quid iis quod ad Remp. vlla ex parte pertineat, committatur. Itaque ſummatim hæc omnia in Epilogo enumerans, quatuor hæc dignitatis Quincti fundamenta nominat: integritatem ipſius, & cōtinentiam, omnium qui cum ipſo erant, pudorem: delectum in familiaritatibus & prouincialium & Græcorum: poſtremò familiæ grauē & conſtantem diſciplinam. Altera pars ea, vt antè dixi, quæ priuata magis ſunt, id eſt, quæ Quincti perſonam atque officium precipuè attingunt, complectitur, nam primo loco de moderanda acerbitate, qua vſus in ſuppliciis antea fuerat, deque retinenda in iuredicendo æquabilitate præcipit: ſecundo de ſubleuādis prouinciæ oneribus, minuendiſque ſumptibus & iacturis: tertio de conciliandis cum publicanorū ordine ſociis, conſtituendáque inter illos cōcordia: poſtremò de coercenda iracundia & naturæ impetu moderando ita luculenter ac propè diuinitus diſputat, vt hanc epiſtolam non Quincto fratri ſcripſiſſe, potius quàm omnibus prouinciarum gubernatoribus, præclaram quandam imperij rectè adminiſtrandi normam ac regulam preſcripſiſſe videatur.

MARCVS QVINCTO FRATRI S.

ETSI *non dubitabam, quin hanc epiſtolā, multi nuntij, fama deniq; eſſet ipſa ſua celeritate ſuperatura, tuq; ante ab aliis auditurus eſſes, annū tertium acceſſiſſe deſiderio noſtro, & labori tuo: tamen exiſtimaui à me quoque tibi huius moleſtiæ nuntium perferri oportere. Nā ſuperioribus literis, non vnis ſed pluribus, cùm iam ab aliis deſperata res eſſet, tamen ego tibi ſpem maturæ deceſſionis afferebam, non ſolum vt quàm diutiſſimè te iucunda opinione oblectarem, ſed etiā quia tāta adhibebatur &* A *à nobis, & à prætoribus contentio, vt rem poſſe confici nō diffiderem, nunc quoniam ita accidit, vt neque Prætores ſuis opibus, neque nos noſtro ſtudio quidquam proficere* B

A *poſſemus, eſt omnino difficile non grauiter id ferre, ſed tamē noſtros animos, maximis in rebus gerendis, & ſuſtinendis exercitatos frangi, & debilitari moleſtia non oportet. Et quoniā ferre ea moleſtiſſimè homines debent, quæ ipſorum culpa contracta ſunt: eſt quiddam in hac re mihi moleſtius ferendum, quàm tibi: factum eſt enim mea culpa, cōtra quàm tu mecum & proficiſcens, & per literas egeras, vt priore anno non ſuccederetur: quod ego dum ſociorum ſaluti conſulo dum impudentiæ nonnullorum negotiatorum reſiſto, noſtram gloriam tua virtute augeri expeto, feci non ſapienter: præſertim cum id com-* B *miſerim, vt ille alter annus etiam tertium poſſet adducere, quod quoniam peccatum meum eſſe confiteor, eſt ſa-*

pientia, atque humanitatis tua, curare, & perficere, vt A *hoc minus ſapienter à me prouiſum, diligentia tua corrigatur.*

COMMENTARIVS.

Et ſi non dubitabam. Quinctus Cicero ex prætura prouinciā Aſiam ſortitus, eam bienniū iam obtinuerat. Cùm iterum, hoc eſt in annum tertiū prorogatū ei imperium fuiſſet, Marcus frater ita hanc epiſtolā orditur, vt quaſi moleſtum id illi nunciū futurū intelligeret, eum & hortetur vt æquo animo hanc acceſſionē ferat, quæ non Quincti, ſed ſua culpa acci- B derit: & cōſoletur, quòd ex hac prorogatione ſperet vtriuſque gloriam illius virtute amplificatum iri.

Superatura. Quia etſi nullum æque vt fratrem decuit, eius rei fratrē ſuum quàm primum certiorē facere: tamen cùm longiuſcula epiſtola ſcribēda eſſet, aliquantum effluxit temporis. Deinde cùm Græci diligenter ad eam rem animum aduerterent, celeriter ea fama volabat: itaq; in primo ad Attic. Aſiam, inquit, Quincto obtigiſſe audiſti, non enim dubito, quin celerius tibi hoc rumor, quàm vllius noſtrûm C literę nuntiarint.

Deſiderio noſtro. Deſiderātur quæ abſunt, quibus caremus, quæ expectamus. Itaq; deſideriū ſæpè pro eo dolore vſurpamus, quē ex eo quod re aliqua caremus, percipimus: vt in epi. fam. lib. 6. Neceſſe eſt minore deſiderio perdita Repub. carere, quàm bona. Id enim eſt, dolere: vt infra: Perfice, vt lætitia prouinciæ deſideriū noſtrum leniatur. Et in V. ad Atti. vbi de ſua prouincia loquitur: Erit tibi videndum, vt hoc noſtrum deſiderium ne plus ſit annuum. D

Laboris tuo. Auaris ſenatoribus nihil fuit prouinciarum adminiſtratione optabilius: quippe, in quibus dominatū & quaſi regnum obtinerent, vt autē, quęque longiſſima erat, ita gratiſſima & iucundiſſima eſſe ſolebat. Hinc illud Marci ad Attic. lib. v. cum de ſua prouincia ſcriberet: Noli, inquit, putare, mihi aliam cōſolationem eſſe huius ingentis moleſtiæ, niſi quòd ſpero nō longiorē annua fore, hoc me ita velle multi non credunt ex conſuetudine aliorum. Sed E Marcus hoc loco artificioſè ita ſcribit, quaſi Quinctus id ſibi non quæſtui, ſed labori duceret. Itaque ſtatim etiam, HVIVS MOLESTIÆ, intulit.

Maturæ deceſſionis. Fore, vt maturè de prouincia decederes, & in vrbem redires.

Opinione. Mirè dixit, Opinione, pro ſpe: quaſi eam temporis cauſſa finxiſſet.

Cōtentio. Tantopere à conſulibus contēdebamus, vt ad ſenatum de prouinciis decernendis referrent.

A Prætoribus. Qui prouinciarum cupidi ſucceſſo- F res tibi mitti ſtudebant. Nā lex Sempronia quæ prouincias ante comitia deſignationē magiſtratuum decerni iubebat, non ad Prætorias, ſed ad Conſulares prouincias pertinebat. Prætores autē antiquo more ſub anni ſui exitū aut ſortiebantur, aut comparabāt.

Suis opibus. Opes latine dicuntur, quibus quiſque poteſt plurimum: ſiue gratia, ſiue auctoritas, ſiue poteſtas, ſiue etiam diuitiæ.

Et gerendis & ſuſtinendis. Geri dicuntur res ab iis qui cum imperio ſunt: ſuſtineri ab aliis. Varro de lin- G gua V. Contra imperator quod dicitur res gerere: in eo neque agit, neque facit, ſed gerit, id eſt ſuſtinet tranſlatum ab his, qui onera gerunt, quòd ſuſtinent.

Priore anno. Pro, ſuperiore: ſed ſic locutus eſt, ad hunc alterum prorogationis annum reſpiciens.

Salutis ſociorum. Quorum tum commodis vtilitatique in iſta adminiſtratione conſulis.

A *Impudentia negotiatorum.* Poſterius Paconium & item Tuſcenium quendā nominat, qui cùm acerbius à Quincto tractati eſſent, non tantum in prouincia cōtumelioſè de ipſo locuti erant: verum etiam Romam ad Senatum queſtū venerant. Cùm igitur Marcus animaduertiſſet, aliquid ex ea re offenſionis cōtractum eſſe, operam dederat, vt primo anno alter adderetur: quo poſſet Quinctus conceptam ex animia ſeueritate maculam eluere, & iucundiſſimā ſui nominis memoriam in prouincia relinquere. Atque B hinc illud eſt, quod circa extremū ſcribit: Sed quoniam primus annus habuit de hac reprehēſione plurimum ſermonis, ſecundus autem multo leuior, &c.

Reſiſto. Qui poſtulabant, vt tibi ſucceſſor mitteretur, & propter nimiā crudelitatem reuocareris: quod tibi dedecori fuiſſet.

Ac ſi te ipſe vehementius ad omnem partem bene audiendi excitaris, non vt cum aliis, ſed vt tecum iam ipſe certes: ſi omnem tuam mentem, curam, cogitationem & excellentem omnibus in rebus cupiditatem incitaris, mi- C *hi crede, vnus annus additus labori tuo, multorum annorum lætitiam nobis, gloriam verò etiam poſteris noſtris afferet: quapropter hoc te primùm rogo, ne cōtrahas aut demittas animum, ne ve te obrui, tanquam fluctu, ſic magnitudine negotij ſinas: contráque erigas, ac reſiſtas, ſiue etiam vltrò occurras negotiis: neque enim eiuſmodi partem Reſp. geris, in qua fortuna dominetur, ſed in qua plurimum ratio poßit, & diligentia. Quòd ſi tibi bellum aliquod magnum & periculoſum adminiſtranti prorogatum imperium viderem, tremerem animo, quòd eodē* D *tempore eſſe intelligerem etiam fortunæ poteſtatem in nos prorogatam. nunc verò ea pars tibi Reſp. commiſſa eſt in qua aut nullam, aut perexiguam partem fortuna tenet. & quæ mihi tota in tua virtute, ac moderatione animi poſita eſſe videatur. nullas, vt opinor, inſidias hoſtium, nullam prælij dimicationem, nullam defectionem ſociorum, nullam inopiam ſtipendij, aut rei frumentariæ, nullam ſeditionem exercitus pertimeſcimus: quæ perſæpe ſapientiſſimis viris acciderunt: vt quemadmodum gu-* E *bernatores optimi vim tempeſtatis, ſic illi fortunæ impetum ſuperare non poſſent: tibi data eſt ſumma pax, ſumma tranquillitas, ita tamen, vt ea dormientem gubernatorem vel obruere, vigilantem etiam delectare poßit: conſtat enim ea prouincia primum ex eo genere Sociorū, quod eſt ex hominum omni genere humaniſſimum, deinde ex eo genere ciuium, qui aut quod publicani ſunt, nos ſumma neceßitudine attingunt, aut, quod ita negotiantur, vt locupletes ſint, noſtri conſulatus beneficio ſe incolumes fortunas habere arbitrantur. At enim inter hos* F *ipſos exiſtunt graues controuerſiæ, multæ naſcuntur iniuriæ, magnæ contentiones conſequuntur. quaſi verò ego id putem, non te aliquantum negotij ſuſtinere. Intelligo permagnū eſſe negotiū, & maximi conſilij. ſed memento, conſilij me hoc negotium eſſe magis aliquanto, quàm fortunæ putare, quid eſt enim negotij, continere eos, quibus præſis te ipſe cōtineas? id autē ſit magnū, & difficile cæteris ſicut eſt difficilimū: tibi & fuit hoc ſemper facillimum, & verò eſſe debuit: cuius natura talis eſt, vt etiā ſine doctrina videatur moderata eſſe potuiſſe, ea autem* G *adhibita doctrina eſt, quæ vel vitioſißimam naturam excolere poßit. Tu cùm pecuniæ, cum voluptati, cùm omnium rerum cupiditati reſiſtes, vt facis: erit credo, periculum, ne improbum negociatorem, paulo cupidiorem publicanum comprimere non poßis. nam Græci quidem ſic te ita viuentem intuebuntur, vt quendam ex annalium memoria, aut etiam è cœlo diuinum hominem eſſe in prouinciam delapſum putent. Atq; hæc nunc, non vt faciat,*

factas, ſed id te facere, & feciſſe gaudeam, ſcribo. præclarum eſt enim ſummo cum imperio fuiſſe in Aſia triennium, ſic, vt nullum te ſignum, nulla pictura, nullũ vas, nulla veſtis, nullum mancipium, nulla forma cuiuſquam, nulla conditio pecuniæ, quibus rebus abundat iſta prouincia, ab ſumma integritate continentiáque deduxerit. quid autem reperiri tam eximium, aut tam expetendum poteſt, quàm iſtam virtutem, moderationem animi, temperantiam non latere in tenebris, neque eſſe abditam, ſed in luce Aſiæ, in oculis clariſſimæ prouinciæ, atque in auribus omnium gentium ac nationum eſſe poſitam? non itineribus tuis perterreri homines, non ſumptu exhauriri, non aduentu commoueri, eſſe, quocunque veneris & publicè & priuatim maximam lætitiam, cũ vrbs cuſtodem, non tyrannum, domus hoſpitem, non expilatorem recepiſſe videatur?

COMMENTARIVS.

At ſi te ipſe. Initium cohortationis, quæ quadripartita eſt: nam primum præceptũ propriè ad Quinctum ipſum pertinet: alterum ad ſuos comites: tertium ad prouinciales & Græcos: quartum ad ſeruos: quemadmodum ipſe poſterius in ἀνακεφαλαιώσει oſtendit. Hoc igitur initium ad illa verba pertinet: TVA PRIMVM INTEGRITAS ET CONTINENTIA.

Ad omnes partes bene audiendi. Ad laudem & famam virtute & rectè factis conciliandam. ET BENE AVDIENDI: quia (vt in Epiſt. ſequenti ſcribit) ratio ſalúſque omnium eorum qui ad Remp. accedunt, non veritate ſolum, ſed etiam fama nititur.

Tecum ipſe certes. Qua victoria nulla præclarior. Itaque Plato in 1. de legib. τὸ νικᾶν αὐτὸν, πασῶν νικῶν πρώτη τε καὶ ἀρίστη. τὸ δ᾽ ἡττᾶσθαι αὐτὸν ὑφ᾽ ἑαυτοῦ, πάντων αἴσχιστόν τε ἅμα καὶ κάκιστον.

Laudis cupiditatem. Quæ vt propria hominum eſt ita in quo maxima eſt, cum maximè ac præter cæteros excellentẽ efficit: vt Xenophon in Tyranno eleganter ſcripſit.

Contrahas, aut demittas animum. Tranſlatũ à nauigantibus, qui orta tempeſtate vela contrahunt, eáq; demittunt. itaque in hac metaphora perſtat, cum poſtea dicit, contráque erigas. Sic ad Attic. lib. 1. Contraxi vela, perſpiciens inopiam iudicum.

Contráq; erigas, ſiue etiam vltro occurras. Ex eodẽ genere aliud eſt Virgilij: Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.

Fortuna dominetur. Vt in bellis: nam bellorum rationem in fortuna poſitam veteres crediderunt, qua de cauſa Homerus ἐνυάλιον Martem vocat.

Inſidias hoſtium. Tum enim Aſia Cn. Põpeij virtute non modò pacata, verùm etiam tribus aliis prouinciis, quaſi propugnaculis cincta erat. De Prouin. conſul.

Gubernatores. Redit ad illam tranſlationem de nauigantibus.

Dormientem. Quemadmodum de Palinuro Virgilius cecinit lib. 5. extremo.

Humaniſſimum. Sic aliquanto pòſt: cùm verò ei generi hominum præſimus, non modò in quo ipſa ſit, ſed etiam à quo ad alios perueniſſe putetur humanitas, certè iis eam potiſſimum tribuere debemus, à quibus accepimus.

Neceſſitudine. Hoc ad vtrumque Ciceronẽ referturi: qui orti ex publicanorũ ordine, ſemper eos officiis omnibus complexi erant. Sic in ea pro Poſtumo: cùm ortum è vobis, omnia ſemper ſenſiſſe pro vobis, alius alios ordines, & homines: ego vos

A ſemper complexus ſum. plura poſteriùs hac de re.

Aut ita negociantur. Eorum ergo ciuium qui in prouinciis verſabantur, duo erant genera: publicani & negociatores: Publicani in vectigalibus exigendis occupabantur: Negociatores in pecuniis fœnerandis & mercaturis faciendis.

Noſtri conſulatus. In quo ſpem nouarũ tabularũ & χρεωκοπίας oppreſſa coniuratione reſtinximus.

At enim. Particula in tacitis obiectionib' vſitata.

Si te ipſe contineas. Sic in Maniliana: Neque enim

B poteſt exercitũ is continere imperator, qui ſeipſum non continet: &c. Et eodem illud pertinet, quod aliquot ipſe poſt annis de ſe Ciliciæ Proconſule, & ſuis comitibus ad Atticum ſcripſit: εἶπα τ᾽ ἂν ἀδαπανώτεροι καὶ θεραπευτικώτεροι.

Excolere. Nam vt in ea pro Archia ſcribit. Cum ad naturã eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quædam, confirmatióq; doctrinæ: tum illud neſcio quid præclarum ac ſingulare ſolet exiſtere.

Græci quidem. Id eſt, quicunq; in Aſia minore ſunt

C quæ Quincti erat prouincia. nam plerique omnes Græcè loquebantur. Quantum autem inter veram Græciam, veramque Aſiam intereſſet, ipſe in Orat. pro Flacco expoſuit.

Annalium. Similiter in Maniliana: Itaq; (inquit) omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium ſicut aliquem non ex hac vrbe miſſum, ſed de cœlo delapſo intuentur. nunc deniq; incipiunt credere, fuiſſe homines Romanos hac quondã abſtinentia: quod iam nationibus exteris incredibile ac falſò memo-

D riæ proditum videbatur.

Feciſſe gaudeam. Laudem in cohortando ſæpe permiſcet: quoniam (vt ipſe idem ad Trebonium ſcribit) in excitando & acuendo plurimum valet, ſi laudes eum quem cohortère.

Summo cum imperio. Nam æquè qui pro prætore vt qui pro conſule prouincias obtinebant, ſummum imperium lege curiata habebant.

His autem in rebus iam te vſus ipſe profectò erudiuit, nequaquam ſatis eſſe, ipſum haſce habere virtutes,

E *ſed eſſe circumſpiciendum diligenter, vt in hac cuſtodia prouinciæ non te vnum, ſed omnes miniſtros imperij tui ſocijs, & ciuibus, & Reip. præſtare videare: quamquã legatos habes eos, qui ipſi per ſe habituri ſint rationem dignitatis ſuæ: de quibus honore & dignitate, & ætate præſtat Tubero: quem ego arbitror, præſertim cum ſcribat hiſtoriam, multos ex ſuis annalibus poſſe deligere, quos velit, & poſſit imitari. Alienus autem noſter cùm animo, & beneuolẽtia, tum verò etiam imitatione viuendi. nam quid ego de Gratidio dicam? quem certò ſcio*

F *ita laborare de exiſtimatione ſua, vt propter amorem in nos fraternum etiam de noſtra laboret. Quæſtorem habes non tuo iudicio delectum, ſed eum, quem ſors dedit. hunc oportet & ſua ſponte eſſe moderatum, & tuis inſtitutis, & præceptis obtemperare: quorum ſi quis forte eſſet ſordidior, ferres eatenus, quoad per ſe negligeret eas leges, quibus eſt adſtrictus, non vt ea poteſtate, quã tu ad dignitatem permiſiſſes, ad quæſtum abuteretur. neque enim mihi ſanè placet, præſertim cùm hi mores tantum iam ad nimiam lenitatem, & ambitionem incu-*

G *buerint, ſcrutari te omnes ſordes, excutere vnum quenque eorum; ſed, quanta ſit in quoque fides, tantum cuiq; committere. Atque inter hos, eos, quos tibi comites & adiutores negotiorum publicorum dedit ipſa Reſpub. duntaxat finibus iis præſtabis, quos ante præſcripſi: quos verò aut ex domeſticis conuictionibus, aut ex neceſſariis apparitionibus tecum eſſe voluiſti, qui quaſi ex cohorte*

Prætoris appellari ſolent, horum non modò facta, ſed etiã dicta omnia præſtanda nobis ſunt. Sed habes eos tecum, quos poßis rectè facientes facilè diligere, minùs conſulentes exiſtimationi tuæ, facillimè coercere. A quibus rudis cum eſſes, videtur potuiſſe tua liberalitas decipi: nam vt quiſque eſt vir optimus, ita difficillimè eſſe alios improbos ſuſpicatur. nunc verò tertius hic annus habeat integritatem eandem, quam ſuperiores: cautiorem etiam, ac diligentiorem. Sint aures tuæ, quæ id, quod audiunt, exiſtimentur audire: non in quas fictè, aut ſimulatè quæſtus cauſa inſuſurretur: ſit annulus tuus, non vt vas aliquod, ſed tanquam ipſe tu, non miniſter alienæ voluntatis, ſed teſtis tuæ: accenſus ſit eo etiam numero, quo eum maiores noſtri eſſe voluerunt: qui hoc, non in beneficij loco, ſed in laboris, ac muneris, non temere, niſi libertis ſuis deferebant: quibus illi quidẽ non multò ſecus ac ſeruis, imperabant. Sit lictor, non ſuæ, ſed tuæ lenitatis apparitor: maioráque præferant faſces illi, ac ſecures dignitatis inſignia, quàm poteſtatis. Toti denique ſit prouinciæ cognitum, tibi omnium quibus præſis, ſalutem, liberos, famam, fortunas eſſe chariſsimas. Denique hæc opinio ſit, non modò iis, qui aliquid acceperint, ſed iis etiam qui dederint, te inimicum ſi id cognoueris, futurum. Neque verò quiſquam dubitabit cum erit hoc perſpectum, nihil per eos qui ſimulant ſe apud te multum poſſe, abs te ſolere impetrari. Nec tamen eſt hæc oratio mea huiuſmodi, vt te in tuos aut durum eſſe nimiũ, aut ſuſpicioſum velim. Nam ſi quis eſt eorum, qui tibi bienni ſpatio nunquam in ſuſpicionem auaritiæ venerit vt ego Cæſium & Chærippum, & Labeonem audio, & quia cognoui, exiſtimo: nihil eſt quod non & iis, & ſi quis eſt alius eiuſmodi, & committi & credi rectiſsimè putem. Sed ſi quis eſt in quo iam offenderis, de quo aliquid ſenſeris, huic nihil credideris: nullam partem exiſtimationis tuæ commiſeris.

COMMENTARIVS.

His autem in rebus. Secunda pars cohortationis, in qua præcepta traduntur de iis in officio continendis, quos ſecum Quinctus ex vrbe Roma in prouinciam imperij ſui miniſtros, & negotiorum publicorum adiutores abduxerat.

Miniſtros imperij. Quos tibi comites & adiutores publicorum negotiorum dedit ipſa Reſpub. quibus quemadmodum exteræ nationes terreantur, ipſe in Agraria ſecunda his oſtendit verbis: Graue eſt enim nomen imperij, atque id etiam in leui perſona pertimeſcitur: propterea quod veſtro (Quirites alloquitur) non ſuo nomine, cũ hinc egreſſi ſint, abutuntur.

Aduentu commoueri. Quanta autem inde formido naſci conſueuerit, vel ex his Manilianæ verbis intelligi poteſt: vbi ſic ſcribit: Eiuſmodi in prouinciam homines cum imperio mittimus, vt etiam ſi ab hoſte defendant, tamen ipſorum aduentus in vrbes ſociorum, non multum ab hoſtili expugnatione differant. Quod verò maiorum in his rebus inſtitutum fuerit Liuius. libr. XLI. his tradit verbis: Ante hunc conſulem nemo vnquam ſociis in vlla re oneri aut ſumptui fuit. Ideo magiſtratus mulis, tabernaculíſque, & omni alio inſtrumento militari ornabantur: ne quid tale imperarent ſociis, priuata hoſpitia habebant: ea benignè comitérque, colebant: domúſq; eorum Romæ hoſpitibus patebant, apud quos ipſis diuerti mos eſſet. Legati qui repentè aliquo mitterentur, ſingula iumenta per oppida iter qua faciendum erat, imperabant: aliam impenſam ſocij in magiſtratus non faciebant. Itaque Cicero ipſe quemadmodum ſe hoc in genere cùm Ciliciæ proconſul

A eſſet, geſſerit, his verbis ad Att. ſcribit: leuantur miſeræ ciuitates, quòd nullus ſit ſumptus in nos, neque in legatos, neque in Quæſtorem, neque in quenquam. Scito non modò nos fœnum, aut quod lege Iulia dari ſolet, non accipere, ſed ne ligna quidem: nec præter quatuor lectos & tectum, quenquam accipere quicquam. Multis locis ne tectum quidem, & in tabernaculo manere plerunque.

Præſtare. Verbum eſt iuris. Præſtare aliquem, eſt prædem eſſe pro aliquo, & periculũ quod ex eo timetur in ſe recipere. In eandem autem ſententiam
B Verrina III. dixit: ſi innocentes exiſtimari volumus, non ſolum nos abſtinentes, ſed etiam noſtros comites præſtare debemus. Quanta autem, illius obligationis vis ſit, nemo vnquam melius quàm hic idem noſter ad Brutum in epiſtolis ſcripſit: Eſt, inquit, grauior & difficilior animi & ſententiæ, maximis præſertim in rebus, pro altero, quàm pecuniæ, obligatio. Hæc enim ſolui poteſt: & eſt rei familiaris iactura tolerabilis: Reipub. quod ſpoponderis, quemad-
C modum ſoluas, niſi is dependi facile patitur, pro quo ſpoponderis.

Legatos. Legati dicebantur, qui lecti publicè, quorum opera conſilióque vteretur peregrè magiſtratus, Varro.

Ex ſuis annalibus. Ex antiquorum monimentis, qui non hiſtoricorum more res omnes copioſè narrabant, ſed Annales tantùm ſcribebant: id eſt, breuiter quid in repub. geſtum, & quid quoque anno factum eſſet, perſtringebant. Quales Cicero in primo
D de legib. Pictorem, Piſonem & Fannium nominat. Differt ergo Hiſtoria ab Annalibus, quod hi ſummatim & breuiter tantùm rerum capita perſtringunt, & quaſi digitos ad fontes intendunt: illa verò quo quæque res conſilio & modo geſta ſit, copioſius explicat.

Alienus autem noſter. Ludere videtur in voce ALIENVS: quaſi diceret, nomine eſſe Alienum: re, verò tuum.

E *Quem ſors dedit.* Quæſtores comitiis tributis creabãtur: poſtea ſenatus decernebat, vt prouincias ſortirentur: ſorte igitur huic obtigerat, vt in Aſiã Quæſtor iret.

Quorum ſi quis. Vox QVORVM, cùm de vnico quæſtore ſit locutus, quo referatur, non video, niſi forte etiam ad legatos referenda ſit. Velim tamen antiquum aliquem codicem conſulere, & videre ecquid de Tribunis militarib. & præfectis ante hanc vocem interpoſitum fuerit.

Eatenus quoad. Tantiſper conniueres, dum ea ad-
F mitteret, quorum ipſe per ſe culpam præſtare deberet: quod ſi præter proprium ipſius & definitum legibus Quæſturæ munus, poteſtatem ei aliquam cõmiſiſſet, qua turpiter abuteretur, quia hoc ad dignitatem & exiſtimationem tuam pertineret, tum diſſimulare non deberes.

Aſtrictus. Quibus quæſtorum poteſtas quaſi cancellis quibuſdam & finibus circumſcripta eſt.

Ad dignitatem permiſiſſes. Etenim ius fuit, iis, qui cum ſummo imperio prouincias obtinebant, multa
G ſuis Quæſtoribus præter propriã ipſorũ, & legitimã poteſtatẽ permittere: vt ex Verrina III. intelligitur.

Cum hi mores. Aliquid interdum deprauatæ conſuetudini permittendum eſt: non omnia ad viuum reſecanda.

Vnumquenque eorum. Apparet non de vno Quæſtore hoc dici.

Comites

Comites. Miniſtros imperij publici.

Finibus tu. Dum ex poteſtate quam abs te ad dignitatem adepti fuerint, abutantur.

Apparitionibus. Locus oſtendit, Apparitores prætorum iudicio deligi ſolitos fuiſſe: non à Senatu attributos.

Quaſi ex cohorte. Cohors prætoria manus dicebatur partim euocatorũ militum, partim adoleſcentium nobilium, quæ & in caſtris, & in agmine atque acie præſtò imperatori eſſe ſolebat. Accenſi autem & lictores non ex cohorte, ſed quia ſemper prætoris latus cingunt, quaſi ex cohorte appellari ſolent.

Præſtanda. Quo verbo quid ſignificetur, ſuperius oſtendimus.

Rudis cum eſſes. Cum recens in prouinciam veniſſes: ſic alibi, Prouinciæ rudis dixit.

Tua liberalitas. Facilitas, comitas: vt Verrina III. Africani eſt hoc, hominis liberaliſſimi Veruntamen ea liberalitas eſt probanda, quæ ſine periculo exiſtimationis eſt, vt in illo fuit. In Lælio: Quid dicam de moribus facillimis, de pietate in matrem, liberalitate in ſorores, bonitate in ſuos, iuſtitia in omnes?

Suſpicatur. Quippe, qui alios ſui eſſe ſimiles exiſtimet.

Exiſtimentur audire. Sub obſcurus locus: cuius tamen arbitror hanc eſſe ſententiam. Plerunque cùm multis præſentibus inſuſurratur, is qui monetur, ſe audire diſſimulat: ita qui adſunt, exiſtimant illum nihil audire Monet igitur Q. Fratrem ne ad ſuas aures quenquam inſuſurrare patiatur: ſed omnes palàm atq; apertè loqui iubeat, vt quod audiuit, id exiſtimetur audiſſe. Neque tamen de occultis conſiliis quæ ad Rempub. pertinere poſſunt, id ſignificat: ſed de inſuſurrationibus, qualis illa eſt quam in Verrina IIII reprehendit: Crebrò dimittebat ſe accenſus ad aurem Timarchides. Item Verrina VII. Atque eum vident ſedere ad latus prætoris, & ad aurem familiariter, vt ſolitus erat, inſuſurrare.

Annulus tuus. Quo literæ publicæ cõſignabãtur.

Vt vas aliquod. Quod perpetuò huc illuc circumfertur.

Tanquam ipſe tu. Qui grauitatem dignitatẽq; retines, neque temere ac leuiter circumcurſas.

Miniſter. Vt id quod cuiuis apud te gratioſo videbitur obſignet.

Accenſus. Accenſus, inquit Aſconius, nomen eſt ordinis, & promotionis in militia. Varro lib. de ling. V. ſignificat eum ab Accendo dictum: & in militia ſolitum milites ciere, in foro apud prætorem litigatores, & horas inclamare.

Lenitatis. Mirè dixit, pro ſeueritatis. Et eſt ſenſus: Adhibeat eam ſeueritatem, non quæ ipſi, ſed quæ tibi videbitur.

Faſces ac ſecures. Proprætores in prouinciis lictores ſex habebant, qui faſces ipſis præferebant, quarum in ſummo ſecuris extabat. Hoc magiſtratus R. inſigne in prouinciis eſſe ſolebat. Itaque à Polybio ἑξαπέλεκυς Prætor appellatur.

In prouincia verò ipſa ſi quem es nactus, qui in tuam familiaritatem penitus intrarit, qui nobis antè fuerit ignotus: huic quantum credendum ſit, vide: non quin poſſint multi eſſe prouinciales viri boni: ſed hoc ſperare licet, iudicare periculoſum eſt: multis enim ſimulationũ inuolucris tegitur, & quaſi velis quibuſdam obtenditur vniuſcuiuſque natura: frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur: oratio verò ſæpiſſime. Quamobrem qui potes reperire ex eo genere hominum, qui pecuniæ cupiditate adducti, careant iis rebus omnibus, à quibus nos diuulſi eſſe non poſſumus; te autem alienum hominem ament ex animo, ac non ſui commodi cauſa ſimulent. Mihi quidem permagnum videtur, præſertim ſi iidem homines priuatim non ferè quenquam, Prætores ſemper omnes amant: quo ex genere ſi quem forte tui cognoſti amantiorem (fieri enim potuit) quàm temporis: hunc ad tuum numerum libenter adſcribito. Sin autem id non perſpicies nullum erit genus in familiaritate cauendum magis, propterea quod, & omnes vias pecuniæ norunt, & omnia pecuniæ cauſa faciunt: &, quicum victuri non ſunt, eius exiſtimationi conſulere non curant. Atque etiam è Græcis ipſis diligenter cauendæ ſunt quædam familiaritates, præter hominum perpaucorum, ſi qui ſunt vetere Græcia digni. Sic verò fallaces ſunt permulti, & leues & diuturna ſeruitute ad nimiam aſſentationem eruditi. quos ego vniuerſos adhiberi liberaliter, optimum quemque hoſpitio amicitiaque coniungi dico oportere: nimiæ familiaritates eorum neque tam fideles ſunt (non enim audent aduerſari noſtris voluntatibus) & verò inuident non noſtris ſolum, ſed etiam ſuis.

COMMENTARIVS.

In prouincia verò. Hactenus de iis, quos Quinctus in prouinciam ſecum eduxerat, præcepta tradidit. Deinceps de ciuibus Romanis, qui in prouincia negociabantur, & ipſis Aſianis præcipere inſtituit, ne illos nimia conſuetudine ac familiaritate implicatos habeat, eáque tertia huiuſce cohortationis pars eſt.

Qui nobis ante. Quem Romæ non nouerimus.

Prouinciales. Verbum animaduerſione dignum. Nam prouinciales hoc loco perſpicue appellantur, ciues R. qui in prouincia ſic negociabantur, vt in iis ſedem ac domicilium fortunarum ſuarum conſtituerent. Sic infrà: delectus in familiaritatibus & prouincialium hominum, & Græcorum.

Periculoſum. Propter hominum occultas voluntates, multiplicéſque naturas: vt ad Lentulum ſcribit. Sunt enim (vt in ea pro Marcello dixit) multæ in animis hominum latebræ multique receſſus.

Genere hominum. Negotiatorum.

Adducti. E patria, præſertim Italia, in exteras regiones tranſlati.

His rebus omnibus. Patria, cognatis, amicis, neceſſariis, vrbe ipſa Roma: nonnulli etiam coniugibus & liberis.

Diuulſi eſſe. Ægrè, nec fere niſi coacti, diuellimur.

Te autem alienum. Enthymema ex repugnantibus Non & illi præ auaritia ſunt vſque eo ἄστοργοι, vt æquo animo rebus omnibus dulciſſimis careant: ſuos denique ſic deſerant, quaſi illos præ pecunia non diligant: & te qui alienus es (id eſt nulla cognatione iunctus) ex animo amabunt. Alienum autem cognatis opponi, nemo fere qui Ciceronem attigerit, ignorat.

Semper ament. Non re vera, ſed quia illorum operâ ſperant ſe ſuis commodis ſeruire poſſe. Ergo non officiis, ſed temporibus ſeruiunt.

Omnes vias. Quippe cùm illorum plerique omnes in exercendis pecuniis occupati ſint.

Victuri. Diu victuri.

Atque etiam. Sequitur pars III. de Aſianis ipſis, quos Græcos ſuo more, ea de cauſa quam ſuperius expoſui appellat.

Cauenda. Propter hominum ingenia ad fallendũ parata: vt ſcribit inſeq. epiſtola.

Eruditi. Videtur aliquid ad implendam ſenten-

tiam deſiderari, niſi forte ſit locutio (vt Pædiani verbis vtar) inconſequens.

Iam qui in eiuſmodi rebus, in quibus vereor etiam ne durior ſim, cautus eſſe velim, ac diligens: quo me animo in ſeruos eſſe cenſes? Quos quidem cum omnibus in locis, tum præcipue in prouinciis regere debemus, quo de genere multa præcipi poſſunt: ſed hoc & breuiſſimũ eſt & faciſſime teneri poteſt: vt ita ſe gerant in iſtis Aſiaticis itineribus, vt ſi iter Appia via faceres, ne vt intereſſe quidquam putent, vtrum Tralleis, an Formias venerint: Ac ſi quis eſt ex ſeruis, egregiè fidelis, ſit in domeſticis rebus & priuatis: quæ res ad officium imperij tui, atque ad aliquam partem Reip. pertinebunt, de iis rebus ne quid attingat: multa enim quæ rectè committi ſeruis fidelibus poſſunt, tamẽ ſermonis & vituperationis vitandæ cauſa committenda non ſunt. Sed neſcio quo pacto ad præcipiendi rationem delapſa eſt oratio mea, cùm id mihi propoſitum initio non fuiſſet. Quid enim ei præcipiam, quem ego, in hoc præſertim genere, intelligo prudentia non eſſe inferiorem, quàm me: vſu verò etiam ſuperiorem? Sed tamen ſi ad ea, quæ faceres, auctoritas accederet mea, tibi ipſi illa putaui fore iucundiora.

COMMENTARIVS.

Iam qui. Pars quarta in qua de ſeruis præcepta tradit, quos, vt in graui & conſtanti diſciplina contineat hortatur.

Cautus eſſe. Leniter in ſua perſona poſuit, pro Cautum te ac diligentem eſſe.

Appia via. Omniũ celeberrima, & in ipſius Italiæ luce: vbi per Ciuium Ro. ἀυλὰς ſeruis inſanire non licet.

Vtrum Tralleis, an Formias. Illa Cariæ, hæc Campaniæ vrbs fuit.

Vſu ſuperiorem. Neque enim tum Marcus prouinciam vllam adminiſtrarat.

Quare ſint hæc fundamenta dignitatis tuæ, tua primum integritas, & continentia, deinde omnium, qui tecum ſunt, pudor, delectus in familiaritatibus & prouincialium hominum, & Græcorum percautus, & diligens: familiæ grauis, & conſtans diſciplina. Quæ, cum honeſta ſint in his priuatis noſtris quotidianiſque rationibus: in tanto imperio, tam deprauatis moribus, tam corruptrice prouincia, diuina videantur neceſſe eſt.

COMMENTARIVS.

Quare ſint hæc. Enumeratio, quam ἀνακεφαλαίωσιν Græci vocant: ex qua id quod ſuperius monui, perſpicuè intelligitur: quadripartitam ſuperiorem cohortationem fuiſſe: quæ quidem cohortatio ad ea quæ publica ſunt, hoc eſt quæ ad imperij Quinctij dignitatem ſpectant, præcipuè pertinent.

Hæc inſtitutio, atque diſciplina poteſt ſuſtinere in rebus ſtatuendis, decernendiſque eam ſeueritatem, qua tu in iis rebus vſus es, ex quibus nonnullas ſimultates cum magna mea lætitia ſuſceptas habemus: niſi fortè me Paconij neſcio cuius, hominis ne Græci quidem, at Myſi, aut Phrygis potius, querelis moueri putas, aut Tuſcenij hominis furioſi, ac ſordidi vocibus: cuius tu ex impuriſſimis faucibus inhoneſtiſſimam cupiditatem eripuiſti ſumma cum æquitate: hæc & cætera plena ſeueritatis, quæ ſtatuiſti in iſta prouincia, non facile ſine ſumma integritate ſuſtineremus. Quare ſit ſumma in iure dicendo ſeueritas, dum modo ea ne varietur gratia, ſed conſeruetur æquabilis: ſed tamen parui refert, abs te ipſo ius dici æqualiter, & diligenter, niſi idem ab iis fiet, quibus tu eius muneris aliquam partem conceſſeris. Ac mihi quidem videtur non ſanè magna varietas eſſe negotiorum in adminiſtranda Aſia, ſed ea tota iuriſdictione maxime ſuſtineri, in qua, ſcientia præſertim prouincialis, ratio ipſa expedita eſt: conſtantia eſt adhibenda, & grauitas, quæ reſiſtat non ſolùm gratiæ, verum etiam ſuſpicioni. Adiungenda etiam eſt facilitas in audiendo, lenitas in diſcernendo, in ſatiſfaciendo ac diſputando diligentia: his rebus nuper Cn. Octauius iucundiſſimus fuit: apud quem primus lictor quieuit: tacuit accenſus: quoties quiſque voluit, dixit, & quàm voluit diu, quibus ille rebus fortaſſe nimis lenis videretur, niſi hæc lenitas illam ſeueritatem tueretur. Cogebantur Syllani homines, quæ per vim & metum abſtulerant, reddere: qui in magiſtratibus iniurioſè decreuerant, eodem ipſis priuatis erat iure parendum. Hæc illius ſeueritas acerba videretur, niſi multis condimentis humanitatis mitigaretur. Quod ſi hæc lenitas grata Romæ eſt, vbi tanta arrogantia eſt, tam immoderata libertas, tam infinita hominum licentia, denique tot magiſtratus, tot auxilia, tanta vis, tanta ſenatus auctoritas: quàm iucunda tandem Prætoris comitas in Aſia poteſt eſſe? in qua tanta multitudo ciuium, tanta ſociorum, tot vrbes, tot ciuitates vnius hominis nutum intuentur: vbi nullum auxilium eſt, nulla conqueſtio, nullus ſenatus, nulla concio. quare permagni hominis eſt, & cùm ipſa natura moderati, tum vero etiam doctrina atque optimarum artium ſtudiis eruditi ſic ſe adhibere in tanta poteſtate, vt nulla alia poteſtas ab iis, quibus is præſit, deſideretur. Cyrus ille à Xenophonte non ad hiſtoriæ fidem ſcriptus, ſed ad effigiem iuſti imperij: cuius ſumma grauitas ab illo philoſopho cum ſingulari comitate coniungitur. quos quidem libros non ſine cauſa noſter ille Africanus de manibus ponere non ſolebat: nullum eſt enim prætermiſſum in iis officium diligentis & moderati imperij, eaq; ſi ſic coluit ille, qui priuatus futurus nunquam fuit: quonam modo retinenda ſunt iis, quibus imperium ita datum eſt, vt redderent, & ab iis legibus datum eſt, ad quas reuertendum eſt.

COMMENTARIVS.

Hæc inſtitutio. Sequitur altera cohortatio, quam ad priuata præcipuè pertinere diximus. Eius autem totidem, quot ſuperioris partes ſunt. Hoc autem initio de Iuriſdictione quidem diſputat, ſed non quatenus ad Rempub. pertinet: verum quatenus ad ipſius Quincti perſonam. Cùm enim nimia eius in ſuppliciis acerbitas, atq; etiam crudelitas ab omnibus reprehenderetur, præcipit hoc loco vt ſeueritatem cum lenitate atque clementia coniungat.

Suſtinere. Neque enim in eo ſeueritas toleratur, qui cum ipſe ſit diſſolutus, aſperius in alios animaduertit, quod contra ſuperius dixit: Quid eſt enim negotij, continere eos quibus præſis, ſi te ipſe contineas?

Myſi aut Phrygis. In Oratione pro Flacco quam contemptæ gentes hæ fuerint, ex illis prouerbiis oſtendit: Phrygem plagis fieri ſolere meliorem. Et ſi quis deſpicatui ducitur, vt Myſorum vltimus eſſe dicatur.

In iure dicendo. Iuriſdicendi nomine, cùm de prouinciarum rectoribus agitur, non tantùm priuatarũ cauſſarum diſceptationes: verùm etiam rerum capitalium quæſtiones contineri: ſæpè aliis in libris noſtris probauimus.

Ne va-

Ne variet ur gratia. Quod in eo qui ius dicit, potiſſimum exquiritur, vt iuris æquabilitatem inter omnes ſeruet, neue illud inflecti gratia, aut perfringi potentia, aut adulterari pecunia patiatur. Qua de re locus eſt in Orat. pro Muræna inſignis.

Partem conceſſeris. Prætores in prouinciis ſolitos ſuis Queſtorib. & legatis iuriſdictioně mãdare, patet ex Verrina prima, & Quarta, & ex lib. Pand. primo.

Præſertim prouincialis. Nam & Romæ & in prouinciis ex edicto ius redditur. Sed Romæ longè & grauiores cauſæ & litigatores potentiores. In prouincia vel Græci ſunt, vel negotiatores & mercatores. Hinc in ea pro Muræna: In iuris dicendi ſorte, inquit, gloriã conciliat magnitudo negotij, gratiã æquitatis largitio. Et pro Flacco: Prętur ę iuriſdictio, res varia & multiplex ad ſuſpiciones & ſimultates.

Facilitas in audiendo. Vt pro Muræna: Sapiẽs Prætor offenſioně vitat æquabilitate decernendi, beneuolentiã adiungit lenitate audiendi. Itaq; hoc ipſum poſterius his verbis inculcat: iuris æquabilem tenere rationem, facilem te in rebus cognoſcendis, in hominibus audiendis, admittendiſque præbere.

In diſcernendo. Omnes quos vidi antiqui, DECERNENDO, quod ſine dubio rectũ eſt: nam Diſcernere pro diiudicare, nunquam me, vbi de iure dicendo ageretur, legiſſe memini. Qualem autem in decernẽdo lenitatem ſignificet, ex ea pro Quinctio facile intelligitur: vbi de Dolabella Prætore queritur, qui cum aduocati Quinctij de iure ſui decreti diſputarẽt, eos acerrimè per lictores ſummoueri iuſſerat.

Satisfaciendo ac diſputando. Hoc idem ex eodem Quinctianæ loco faciliime intelligitur: vbi litigatores Prætori decernenti obſtrepebant, ac tergiuerſabantur, & contra eum de ſui decreti iure diſputabãt. Recuſabant (inquit) qui aderant tum Quinctio: demonſtrabant, de re iudicium prius fieri oportere: clamabat porro ipſe Quinctius, &c. Eiuſdemmodi præterea diſputationis exemplum extat apud Liuiũ lib. II. Vbi Appius Decemvir, detrectantibus litigatoribus ſatisfacere conatur, & quaſi cum ipſis diſputat. In cauſa, inquit, & perſona variat: & quæ ſequũtur. Rectè igitur, DISPVTANDO: vt in libris omnibus, nam DISCERNENDO reponere, & negare id ad prætores aut iudices pertinere, ſed totum litigatorum eſſe, nulla ratio eſt: cum vbique diſceptandi verbum in Prętoribus vſurpetur: vt in illo lib. III. de legib. Iuris diſceptator, qui priuata iudicet, iudicariue iubeat, Prætor eſto.

Cn. Octauius. Tranquillus Auguſto: Octauius pater ex Prætura Macedoniã ſortitus, prouinciæ præfuit, non minore iuſtitia quàm fortitudine. Namq; Beſſis ac Thracibus magno prælio fuſis, ita ſocios tractauit, vt epiſtolæ M. Ciceronis extent, quibus Q. Fratrem eodem tempore parum ſecunda fama Proconſulatum Aſiæ adminiſtrantem hortatur & monet, imitetur in promerendis ſociis, vicinum ſuum Octauium. Locum autem Tranquillus ſignificat tũ hunc ipſum, tum etiam alterum in epiſtola inſequẽti. Quod cum ita ſit, & Suetonius, Auguſti maiores omnes ſcribat Caios non Cneos appellatos eſſe, patet hoc loco non Cneus, ſed Caius legendum eſſe.

Primus lictor quieuit. Rectè: cùm antea QVIEVIT vitioſè legeretur, vitium autem alij doctiſſimi viri animaduerterunt: quibus hoc nomine gratiã debemus. Quieſcere autem eſt, moleſtum diſputantibus litigatoribus non eſſe: neque eos ſummouere: qua de cõſuetudine ſuperius ex Quinctiana expoſuimus.

A *Tacuit Accenſus.* Patet igitur Accẽſi munus fuiſſe non tantum vt milites ad imperatorem cieret, vnde illum dictum ſcribit Varro: vel vt ad Prætorem acciret, qui ius poſtularent: verùm etiam vt importunis interpellatoribus ſilentium imperaret.

Quam voluit, diu. Nam ius fuit apparitoribus & in his (vt ex hoc loco licet conijcere) primo lictori & accenſo ſilentium imperare, ac moleſtos interpellatores ſummouere. Id quod opinor, fieri ſolebat ſimul atque is, qui poſteriore loco orationem B habuerat, pronũciarat, DIXI. de quo vide Aſconium in Verrin. & Donatum in Terent.

Tueretur. Excuſaret: facilè compenſabatur ſeueritas illius hac lenitate, quod cùm Syllani, &c.

Quæ per vim & metum. Quam formulã Cicero Verrina quinta Octauianã appellat: id eſt à Prætore aliquo qui ex Octauiorũm genere eſſet, inſtitutam.

Eodem iure parendum. Quod etiam edicto Prætoris cautum fuit: cuius hæc verba Vlpianus lib. Pãdect. II. cõmemorat. Qui magiſtratũ poteſtatẽmve C babebit, ſi quid in aliquem noui iuris ſtatuerit: ipſe quandoq; aduerſario poſtulãte eodẽ iure vti debet: ſcilicet vt quod ipſe quis in alteri' perſona æquũ eſſe credidiſſet, & in ipſi' quoq; perſona valere patiatur.

Seueritas acerba. Quia quæ ciuilis belli vis cõturbarat, ea cum pacatis rebus mouebantur, refricari obducta Reip. cicatrix videbatur.

Grata Romæ eſt. Quod ſuperius ex orat. pro Muræna oſtendi.

Tanta arrogantia. Hæc omnia non ad Prætores, D ſed ad litigatores ipſos referẽda ſunt. Nam argumẽtum eſt ex cõparatione minoris, id eſt minus veriſimilis. Hoc modo: Ciues Romani qui in vrbe litigant, tanta ſunt arrogantia, vt ea vix ferenda: imò verò ſeueritate aliqua potius compeſcenda videatur. Et tamen Prętorum lenitas ac facilitas laudatur. Quantò magis in prouinciis, vbi litigatores prouinciales homines diuturna ſeruitute fracti ac domiti, metu faſcium ac poteſtatis & magiſtratuum facile E perterrentur? Arrogantiores autem ij qui Romæ litigant, propterea ſunt, quia & ciues Romani ſunt, & cognationibus, neceſſitudine, amicitiis potentium, tenentur: ſæpe etiam hominum audacium & facinoroſorum libertate atque impunitate freti ſunt. Atque hoc quidem, quod ad integræ periodi argumentationem attinet. Illa autem verba: Quod ſi lenitas grata Romæ eſt, vbi tanta arrogãtia eſt: paulò ſecus atque alij accipienda exiſtimarem: vt vis argumenti ex repugnantibus ſubeſſet: hoc modo: Non F & magna in pacata ciuitate priuatorum inſolentia atque arrogantia eſt: & lenitas in magiſtratibus laudanda.

Tot magiſtratus. Qui appellati poſſunt intercedere: vt in legibus: Par, maiórue poteſtas, plus valeto.

Auxilia. Licebat enim ab iniurioſo Prætoris decreto, ad parem maiorémue magiſtratum auxilij ergò confugere.

In Aſia. Vbi litigatores, ſi prouinciales ſunt G diuturno imperij Romani iugo fracti ac domiti ſunt: ſi ciues Romani, ſui commodi cauſa magiſtratibus aſſentari ſolent, vt ſuperius dictum eſt. Vtrique autem Magiſtratus ad quos auxilij ergò confugiant, nullos habent.

Vnius hominis nutum. Voluntatem, arbitrium, vt alibi: Iuta omnia nutu atque arbitrio vnius Gubernari.

A *Nullum auxilium.* Sic Verrina IIII. Dubium nemini eſt, quin omnes omnium pecuniæ poſitæ ſint in eorum poteſtate, qui iudicia dant, & eorum qui iudicant: quin nemo noſtrum poſſit ędes ſuas, nemo fundum, nemo bona patria obtinere, ſi cùm hæc à quopiam petita ſunt, Prætor improbus, cui nemo intercedere poſſit, det quem velit iudicem, iudex nequam & leuis, quod Prætor iuſſerit, iudicet.

Nulla conqueſtio. Nullus conqueſtioni locus: nullus magiſtratus, qui contra iniurioſum decretum B auxilij ergò appelletur.

Doctrina erudiri. Quæ tanta eſt, vt vel vitioſiſſimam naturam èxcolere poſſit.

Sic ſe adhibere. Pro, ſic ſe gerere.

Nulla alia poteſtas. Ad quam auxilij cauſa confugiant.

Cyrus ille. Videtur profectò particula VT, hoc ex loco effluxiſſe: nam cùm prius ita dixiſſet: permagni hominis eſt, &c. rectè inferetur, VT CYRVS ille &c. & facile propter proximam ſyllabam, TVR, elidi C potuit.

Ad hiſtoriæ fidē. Nā & multa de eo apud Herodotū, ſecus quàm apud Xenophontē ſcripta ſunt: neq; videtur tanta in hominē cadere ſapientia potuiſſe.

Ad effigiē. Quomodo à poëtis Achilles, Æneas, & Vliſſes ſcribuntur.

Grauitas cū comitate. Quātū tamē ſocietas eſt difficillima: vt in lib. de leg. III. Cuius & vita & oratio conſecuta mihi videtur difficilimam illam ſocietatem grauitatis cum humanitate. Et Brut. Quid enim D tam diſtans, quàm à ſeueritate comitas? Quis tamen vnquam te aut ſanctior eſt habitus, aut dulcior.

Noſter ille Africanus. Æmilianus, quem in lib. de Rep. de optimo imperij genere diſſerentem facit: Remp. enim quo tēpore florētiſſima fuerat, geſſerat.

Priuatum futurus. Quippe qui regnum perpetuum obtinebat.

Ac mihi quidem videntur huc omnia eſſe referenda iis, qui præſunt aliis, vt ij, qui eorum in imperio erunt, ſint quam beatiſſimi: quod tibi & eſſe antiquiſſimum, & ab initio fuiſſe, vt primum Aſiam attigiſti, E *conſtante fama, atque omnium ſermone celebratum eſt. Eſt autem non modò eius, qui ſociis & ciuibus, ſed etiā eius qui ſeruis, qui mutis pecudibus præſit, eorum, quibus præſit, commodis, vtilitatiq; ſeruire. Cuius quidem generis, conſtare inter omneis video, abs te ſummam adhiberi diligentiam, nullum æs alienum nouum contrahi ciuitatibus, vetere autem magno, & graui multas abs te eſſe liberatas: vrbes complures dirutas, ac pene* F *deſertas, in quibus vnam Ioniæ nobiliſſimam, alteram Cariæ, Samum, & Halicarnaſſum per te eſſe recreatas: nullas eſſe in oppidis ſeditiones, nullas diſcordias: prouideri abs te, vt ciuitates optimatum conſiliis adminiſtrētur: ſublata Myſiæ latrocinia, cædes multis locis repreſſas, pacem tota prouincia conſtitutam, neque ſolùm illa itinerum, atque agrorum, ſed multò etiam plura, & maiora oppidorum & furta, & latrocinia eſſe depulſa: remotam à fama & à fortunis, ab otio locupletum illam acerbiſſimam miniſtram Prætorum auaritiæ calu-* G *mniam, ſumptus, & tributa ciuitatum ab omnibus, qui earum ciuitatum fineis incolant, tolerari æquabiliter, facillimos eſſe aditus ad te: patere aures tuas querelis omnium: nullius inopiam, ac ſolitudinem non modò illo populari acceſſu, ac tribunali, ſed ne domo quidem & cubiculo eſſe excluſam tuo: toto denique in imperio nihil acerbum eſſe, nihil crudele, atque omnia plena clementiæ, manſuetudinis, humanitatis. Quantum verò*

A *illud eſt beneficium tuum, quòd iniquo & graui vectigali Ædilitiorum magnis noſtris ſimultatibus, Aſiā liberaſti? Enimuero ſi vnus homo nobilis queritur palàm, te, quod edixeris, ne ad ludos pecuniæ decernerentur, HS CC ſibi eripuiſſe: quanta tandem pecunia penderetur, ſi omnium nomine, quicunque Romæ ludos facerent, quod erat iam inſtitutum, erogaretur? Quanquā has querelas hominum noſtrorum illo conſilio oppreſſimus, quod in Aſia neſcio quonam modo, Romæ quidem* B *non mediocri cum admiratione laudatur: quòd cùm ad templum, monimentúmque noſtrum ciuitates pecunias decreuiſſent, cúmque id & pro magnis meis meritis, & pro tuis maximis beneficiis ſumma ſua voluntate feciſſent, nominatímque lex exciperet, vt ad templum, monimentúmque capere liceret, cúmque id quod dabatur, non eſſet interiturum, ſed in ornamentis templi futurū, vt non mihi potius, quam populo Rom. ac diis immortalibus datum videretur: tamen, in quo erat dignitas erat lex, erat eorum, qui faciebant, voluntas accipiendū non* C *putaui, tum aliis de cauſis, tum etiam vt animo æquiore ferrent ij, quibus nec deberetur, nec liceret. Quapropter incumbe toto animo, & ſtudio omni in eam rationem, qua adhuc vſus es, vt eos quos tuæ fidei. poteſtatiq; ſenatus, populúſque R. commiſit, & credidit, diligas, & omni ratione tueare, vt eſſe quam beatiſſimos velis. Quòd ſi te ſors Afris, aut Hiſpanis, aut Gallis præfeciſſet, immanibus, ac barbaris nationibus: tamen eſſet humanitatis tuæ, conſulere eorum commodis, & vtilitati ſalutique ſeruire. Cum verò ei hominum generi præſi-* D *mus, non modò in quo ipſa ſit, ſed etiam à quo ad alios perueniſſe putetur humanitas: certè iis eam potiſſimum tribuere debemus, à quibus accepimus: non enim me iam hoc dicere pudebit, præſertim in ea vita, atque iis rebus geſtis, in quibus non poteſt reſidere inertiæ, aut leuitatis vlla ſuſpicio, nos ea, quæ conſecuti ſumus, iis ſtudiis & artibus eſſe adeptos, quæ ſint nobis Græciæ monimētis, diſciplinisque tradita. Quare præter communem fidem, quæ omnibus debetur, præterea nos isti hominum generi præcipuè debere videmur: vt, quorum præceptis* E *ſimus eruditi, apud eos ipſos, quod ab iis didicerimus, velimus expromere. Atque ille quidem princeps ingenij & doctrinæ Plato tum denique fore beatas Reſpub. putauit, ſi aut docti & ſapientes homines eas regere cœpiſſent, aut, qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrina, ac ſapientia collocaſſent. Hanc coniunctionem videlicet poteſtatis, & ſapientiæ, ſaluti cenſuit ciuitatibus eſſe poſſe: quod fortaſſe aliquando vniuerſæ Reip. noſtræ, nunc quidem profectò isti prouinciæ contigit, vt is in ea ſummam poteſtatem haberet, cui in doctrina,* F *cui in virtute atque humanitate percipienda plurimùm à pueritia ſtudij fuiſſet, & temporis. Quare cura vt hic annus, qui ad laborem tuum acceſſit, idem ad ſalutem Aſiæ prorogatus eſſe videatur: quoniam in te retinendo fuit Aſia felicior, quàm nos in deducendo: perfice, vt lætitia prouinciæ deſiderium noſtrū leniatur: etenim ſi in promerendo vt tibi tāti honores haberentur, quanti haud ſcio an nemini, fuiſti omnium diligentiſſimus, multò maiorem in his honoribus tuendis adhibere diligentiam debes. Equidem de iſto genere honorum quid* G *ſentirem, ſcripſi ad te ante: ſemper eos putaui ſi vulgares eſſent, viles: ſi temporis cauſa conſtituerentur, leueis: ſi verò, id quod ita factum eſt, meritis tuis tribuerentur, exiſtimabā multā tibi in iis tuendis operā eſſe ponendā. Quare quoniam in iſtis vrbibus cū ſummo imperio, & poteſtate verſaris, in quibus tuas virtutes cōſecratas, & in deorum numero collocatas vides: in omnibus rebus, quas ſtatues, quas decernes, quas ages, quid tantis hominum*

hominū opinionibus, tantis de te iudiciis, tantis honoribus debeas, cogitabis. Id autem erit eiuſmodi, vt cōſulas omnibus, vt medeare incommodis hominum, prouideas ſaluti, vt te parentem Aſiæ & dici, & haberi velis.

COMMENTARIVS.

Ac mihi quidem. Altera huius ſecundæ cohortationis pars: in qua de prouinciæ ſalute & commodis præcipit, veluti de ære alieno ciuitarum, de ſeditionibus, latrociniis, tributis, pecuniis in Ædilium ludos & Quincti honores exigendis.

Huc referenda. Quod Platonis præceptū eſſe ipſe lib. Off. I. ſcribit: Omnino, inquit, qui Reip. præfuturi ſunt, vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt quicquid agunt ad eam referant, obliti commodorum ſuorū. Vt enim tutela, ſic procuratio Reip. ad vtilitatē eorū qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus cōmiſſa, gerenda eſt. Platonis autem locum in Eutyphrone, ſignificat: quem ipſe quoque in quinto de Repub. imitatus eſt: vbi ſe ſic ſcripſiſſe lib. epiſt. ad Attic. VIII. teſtatur: Vt enim gubernatori curſus ſecūdus, medico ſalus, imperatori victoria: ſic huic moderatori Reipub. beata ciuium vita propoſita eſt, vt opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit: huius enim operis maximi inter homines atque optimi, illum eſſe effectorem volo.

Optimatum conſilio. Nō imperitæ multitudinis, & concitatæ cōcionis pſephiſmatis: Sed Senatus auctoritate, qua de re multa præclarè in orat. pro Flacco.

A fama, fortunis, otio. Gradatim à ſūmo ad infimū deſcēdit: nā calumniæ aut famā lędunt, quod eſt grauiſſimū: aut ſi rei priuatæ lis eſt, fortunas imminuūt: deniq; ſi nihil aliud, otiū & quietē ciuiū perturbant.

Calumniā. Subornabantur enim ab auaris Prætoribus calūniatores: vt de Verre legimus, libro Accuſationis ſecūdo: vbi de Heraclio, Epicrate, Soſtrato, & Sthenio in iudiciū per calumniā adductis multa narrātur. Ea propriè Coitio in litē alienam vocatur.

Toto in imperio. In vniuerſa prouinciæ tuæ adminiſtratione.

Vectigali Aedilitiorum. Locus oſtendit conſuetudinē in prouinciis ſenſim iā inſtitutā ab iis qui Romæ ludos facerēt, vt pecuniā ſociis ad illos ſumptus exigerēt. Hāc pecuniā quia quotannis pendebatur, propterea vectigal appellat. Sed AEDILITIORVM, cur potius quā AEDILITIO legendū ſit, nō diſpicio.

Ad templum noſtrum. Sic lib. V. ad Atticum: Ob hæc beneficia, quibus illi obſtupeſcunt, nullos honores mihi, niſi verborum, decerni ſino, ſtatuas, fana, τέθριππα prohibeo.

Lex exciperet. De repetundis: ne cui qui in prouincia cum imperio, vel poteſtate eſſet, capere, aut conciliare pecuniam liceret.

Nec deberetur. Ædiles quos ſuperius nominauit, ſignificat: quibus nulla lex vt illam pecuniam exigerent, permiſerat.

Barbaris nationibus. In quibus literarum ſtudia nunquam ſic, vt in Græcia, viguerunt.

Ad alios perueniſſe. Qua de cauſa lib. de orat. primo, Athenas omniū doctrinarū inuētrices appellat: in iiſq; ſummā dicēdi vim & inuētā eſſe, & perfectā. Greciam autem omnis Philoſophiæ parentē fuiſſe, cùm multis aliis locis fatetur, tum etiam lib. Tuſc. I.

His artibus adeptus. Idem multis verbis teſtatur in Bruto, vbi ſe Romæ à Diodoto Stoico, & Molone: Athenis poſtea ab Antiocho, & Demetrio, in Aſia item à multis ſeſe inſtitutum: tandem verò etiam

A Rhodi à Molone perpolitum ſcribit. Itaq; in orat. pro Flacco. Si quis vnquam, inquit, de noſtris hominibus à genere iſto ſtudio ac voluntate non abhorrens fuit (de Græcis loquitur) me & eſſe arbitror, & magis etiam cùm plus erat otij, fuiſſe.

Beatas Reſpub. Libro de Rep. V. vbi ſic Socrates loquitur: ἐὰν μὴ ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν, ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς, καὶ τοῦτο εἰς ταὐτὸν ξυμπέσῃ δύναμίς τε πολιτικὴ καὶ φιλοσοφία, τῶν δὲ νῦν πορευομένων χωρὶς ἐπὶ ἑκάτερον, αἱ πολλαὶ B φύσεις ἐξ ἀνάγκης ἀποκλεισθῶσιν, οὐκ ἔστι κακῶν παῦλα ταῖς πόλεσιν. Id eſt, Niſi vel philoſophi regnum in ciuitatibus obtineant, vel ij qui nunc Reges & Dynaſtæ appellantur, verè & idoneè philoſophentur, atque in idem ciuilis facultas & philoſophia concurrant: & contrà quam hoc tempore in vtroque fit, ingenia multa neceſſariò diuerſa in ſtudia diſtrahantur, nunquam malorum finis reperietur.

Haud ſcio an nemini. Locus indicat ſūmos quoſdā honores tributos Quincto à Gręcis hominib. fuiſſe: C ſed obſcurè quoq; ſignificatur, eos ab ipſo appetitos.

Temporis cauſa. Aſſentationis cauſa.

Conſecratos. Et Græcis & Romanis mos fuit, illa propter quæ datur homini aſcenſus in cœlum; mētem, pietatem, virtutem, fidem colere, earúmq; laudum delubra habere. Vt ipſe libro de leg. II. & de natura deorum II. teſtatur. Græci autē etiam certi hominis virtuti monimentū ponebāt, idq; cōſecrabant. Quin etiam feſtos dies in Proconſulū ſuorum honorem dicabant: Vnde Mutia, Marcellea, Verrea.

D *Parentem Aſiæ.* Qui vt bonus parens ſuis potius liberis, quàm commodis conſulit: ita ſocios quos tuæ fidei S. P. Q. R. commiſit diligas, omni ratione tueare, eorum vtilitati ſalutíque ſeruias.

Atque huic tuæ voluntati, ac diligentiæ difficultatem magnam afferunt publicani: quibus ſi aduerſamur ordinē de nobis optime meritum, & per nos cum Repub. coniunctum & à nobis, & à Repub. diſiungemus: ſin autem omnibus in rebus obſequemur, funditus eos perire patiemur, quorum non modò ſaluti, ſed etiam commodis E *conſulere debemus. Hæc eſt vna, ſi vere cogitare volumus, in toto imperio tuo difficultas. Nam eſſe abſtinentem, continere omnes cupiditates, ſuos coercere, & iuris æquabilem tenere rationem, facilem te in rebus cognoſcendis, in hominibus audiendis, admittendiſq; præbere, præclarum magis eſt, quam difficile: non eſt enim poſitum in labore aliquo, ſed in quadam inductione animi, atque voluntate. Illa cauſa publicanorum quantam acerbitatem afferat ſociis, intelleximus ex ciuibus, qui nuper in portoriis Italiæ tollendis non tam de portorio,* F *quàm de nonnullis iniuriis portitorum querebantur. quare non ignoro quid ſociis accidat in vltimis terris, cùm audiuerim in Italia querelas ciuiū. Hic te ita verſari, vt & publicanis ſatisfacias, præſertim publicis male redemptis, & ſocios perire non ſinas, diuinæ cuiuſdam virtutis eſſe videtur, id eſt tuæ. Ac primùm Græcis id, quod acerbiſſimum eſt, quòd ſunt vectigales, non ita acerbum videri debet: propterea quod ſine imperio populi R. ſuis inſtitutis per ſe ipſi ita fuerunt: nomen autem publicani aſpernari non poſſunt, qui pendere ipſi vecti-* G *gal ſine publicano nō potuerunt quod iis æqualiter Sylla deſcripſerat. Non eſſe autem leniores in exigendis vectigalibus Græcos, quàm noſtros publicanos, hinc intelligi poteſt, quod Caunij nuper omnes ex inſulis, quæ erant ab Sylla Rhodiis attributa, confugerunt ad ſenatū, nobis vt potius vectigal, quàm Rhodiis penderent. Qua-*

re nomen Publicani neque ij debent horrere, qui ſemper vectigales fuerunt, neque ij aſpernari, qui per ſe pendere vectigal non potuerunt: neque ij recuſare, qui poſtulauerunt. Simul & illud Aſia cogitet, nullam à ſe neque belli externi, neque diſcordiarum domeſticarum calamitatem abfuturam fuiſſe, ſi hoc imperio non teneretur. Id autem imperium cùm retineri ſine vectigalibus nullo modo poſſit, æquo animo parte aliqua ſuorum fructuum pacem ſibi ſempiternam redimat, atque otiũ. Quod ſi genus ipſum, & nomen publicani non iniquo animo ſuſtinebunt: poterunt iis conſilio, & prudentia tua reliqua videri mitiora. Poſſunt in pactionibus faciendis non legem ſpectare Cenſoriam, ſed potius commoditatem conficiendi negotij, & liberationem moleſtiæ. Potes etiam tu id facere, quod & feciſti egregiè, & facis, vt commemores quanta ſit in publicanis dignitas, quantum nos illi ordini debeamus, vt remoto imperio, ac vi poteſtatis & faſcium, publicanos cum Græcis gratia, atque auctoritate coniungas. Sed ab iis, de quibus optimè tu meritus es, & qui tibi omnia debent, hoc petas, vt facilitate ſua nos eam neceſſitudinẽ, quæ eſt nobis cum publicanis, obtinere, & conſeruare patiantur. Sed quid ego te hæc hortor, quæ tu non modo facere potes tua ſponte, ſine cuiuſquam præceptis, ſed etiam magna iam ex parte perfeciſti? Non enim deſiſtũt nobis agere quotidie gratias honeſtiſſimæ & maximæ ſocietates: quod quidem mihi idcirco iucundius eſt, quod idem faciunt Græci. Difficile eſt autem, ea, quæ commodis, vtilitate, & propè natura diuerſa ſunt, voluntate coniungere.

COMMENTARIVS.

Atque huic tuæ. Sequitur pars cohortationis tertia, quæ de conciliandis cum publicanorum ordine ſociis præcipit: quæ ſumma in toto ipſius imperio difficultas erat. Suadet igitur, vt remoto imperio ac vi poteſtatis, & publicanos in officio contineat, & Græcis, vt moderatè publicanos ferre velint, gratia atque autoritate perſuadeat.

Difficile autem. Nam inter ſocios & publicanos exiſtunt graues controuerſiæ: multæ naſcuntur iniuriæ: magnæ contentiones conſequuntur. Nihil autẽ difficilius quàm ea, quæ commodis & vtilitate ac prope natura diuerſa ſunt, voluntate coniungere.

Optimè meritum. Nonis enim decembribus, quo die S. C. de plectendis cõiuratis factũ eſt, Equites in cliuo Capitolino circa templum Concordię cũ armis fuerũt: vt Saluſtius tradit in Catil. Suet. in Cæſare, noſter in Sextiana, Philipp. II. & orat. poſt redit.

Cum Repub. coniunctum. Nam in Ora. quã illo ipſo die in ſenatu habuit, quæ eſt in Catilinam quarta: Quid ego, inquit, hic Equites R. cõmemorem? Qui vobis ita ſummam ordinis conſilijq; concedunt, vt vobiſcum de amore Reipub. certent: quos ex multorumq; annorum diſſenſione ad huius ordinis ſocietatem cõcordiamq; reuocatos, hodiernus dies vobiſcum atque hæc cauſa coniungit. Sic Plinius lib. XXXIII. M. Cicero demum ſtabiliuit equeſtre nomen in conſulatu ſuo: ei ſenatum concilians, ex eo ſe ordine profectum eſſe celebrans, & eius vires peculiari popularitate quærens. Vetus autẽ illa Equitũ cum ſenatu diſcordia, magnam partem ex Sempronijs & Cornelijs legibus nata erat: quæ, à ſenatu in Equites iudicia tranſtulerunt.

Eos perire. Socios, à quibus Publicani impudenter exigunt.

Hæc vna difficultas. Hæc autem eò maior eſt, quo maiora in ea prouincia, quàm in cæteris vectigalia

A fuerũt: nã in Maniliana: Aſia, inquit, tam opima eſt & fertilis, vt & vbertate agrorum, & varietate fructuũ, & magnitudine paſtionis, & multitudine earũ rerũ quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat.

Præclarum magis. Difficilia tamen, quæ pulchra ſunt. Neq; verò quicquã difficilius, quàm ſe & ſuos cõtinere, præſertim in tã corruptrice prouincia: ſed in cohortando difficultas verbis extenuanda eſt.

In labore. Imò vel hoc vnum eſt laborioſiſſimũ, ſuos coercere. Difficultatem igitur obſcurat: vt ſu-

B perius cũ dixit, nihil eſſe negotij continere eos quibus præſis, ſi te ipſe contineas.

Illa cauſa publicanorum. Modicè dixit, pro, Auaritia & rapacitas.

Portoriis Italiæ. Portorium erat vectigal quod in portu pro exportandis mercibus ſoluebatur. Vnde, qui hoc Vectigal publicani redimebant, portitores dicebantur. Italiæ autem portoria Cæſar vt ab Italis gratiã iniret, & viã ſibi ad tyrannidẽ muniret, nuper ſuſtulerat. Qua de re hic noſter. II. ad Att. ep. XVI.

C *De portorio.* De pecunia illa ſoluenda.

Publicis malè redemptis. Publica dicebantur, quæ eadem & vectigalia. Ea cenſores publicanis cõſtituta auctione vendebant: qui ſæpè cupiditate adducti nimio licitabantur. Suetonius in Iulio: Publicanos remiſſionẽ petentes tertia mercedũ parte releuauit: ac ne in locatione nouorũ vectigaliũ immoderatius licerentur, propalàm monuit. Ipſe ad Att. lib. I. Publicani Aſiam, qui de Cẽſoribus conduxerãt, queſti ſunt in Senatu ſe cupiditate prolapſos, nimiũ magno

D cõduxiſſe, vt induceretur locatio, poſtulauerunt.

Socios perire. Publicanorum auaritia, qui præter debitum exigebant.

Vectigales. Quòd vectigalia penſitent.

Caunij. Opidum Caunos liberum, Plinius in Caria numerat. lib. V. cap. XXVIII. à quo Rhodum inſulam non procul diſtare, ſignificat.

Retineri ſine vectigalibus. Vnde illud in Maniliana, de publicanis: Etenim ſi vectigalia neruos eſſe Reip.

E ſemper duximus, eũ certè ordinem qui exercet illa, firmamentũ cæterorũ ordinum, rectè eſſe dicemus.

In pactionibus faciendis. Pactionum nomine quid ſignificet, cognoſcere ex Verrina V. poſſumus: in qua de toto hoc genere multa commemorantur. Pertinent autem hæc præcipuè ad Decumas: nam cum hoc vectigal ex annorũ ratione, & frugũ copia aut inopia, modò minus modò amplius eſſet, paciſci publicanos cũ aratoribus oportebat. Vnde illa ſunt in eadem orat. Ne quis frumentum ex area tolleret,

F antequam cum decumano pactus eſſet. Ne tollam potius quàm paciſcor. Niſi pactus eris, non cõmouebis. Atque hoc quidem pactionis genus æquum ſemper fuit. Sed illud de quo ſæpè in Verrinis, cum mancipes à ciuitatibus pro frumento pecuniã exigebant, minus honeſtum fuit. Quinetiam ſolebant interdum prouinciales decumas ab ipſis Decumanis accipere: & pretium rependere, & ſua voluntate aliquid lucri decumano dare: tantum puta, quantum facere deductis operis & impendiis potuiſſent, ſi

G Romæ aut alibi frumentum vendidiſſent.

Legem Cenſoriam. Legem appellat, non quæ à populo aut plebe iuberetur: ſed conditiones: hoc eſt, capita earum rerum, quæ tum vectigalium redemptoribus concederentur, tum etiam ab illis exigerentur. Has conditiones Cenſores primùm abditis in conſilium aliquot Senatoribus conſcribebant: deinde promulgabant: vt qui ad auctio-

ctionem accederent, & qui expectaturi à cenſoribus A eſſent, & qui illis viciſſim debituri, intelligerent, quæ omnia ex Verrinis orationibus obſeruauimus. Vt ex illo ſeptimæ: Qui publicos agros arant, certum eſt quid ex lege Cenſoria dare debeant; cur iis quicquam prætetea ex alio genere imperauiſti? Itẽ in quinta: cẽſoribus ſenatus permiſit, Vt vini & olei decumas Romæ venderent, legémq; his rebus, quã ipſi videretur, edicerent. Cũ locatio fieret, publicani poſtularunt, quaſdam res vt ad legem adderẽt: neq; B tamen à Cenſoriis cæteris legibus recederent. Quibus ex verbis perſpicuum eſt, legem Cenſoriam & locationem, res eſſe disiunctiſsimas. Sim ihter autem Verrina III. mentio fit legis Cenſoriæ, qua ſarcta tecta erant vẽdita. Rabonius, inquit, qui legẽ noſſet, qua in lege numerus tantum columnarum traditus, &c. Sic in vetuſtis marmorib. reperta lex eſt Puteolis his verbis: Lex parieti faciundo in area, &c. Prædes dato, prædiáq; ſubſignato duũ virum arbitratu, &c. Sic in Pandectis ſub tit. de verb. ſignif. caput hoc C ex Alfeni libris refertur: In lege Cenſoria portus Siciliæ ita ſcriptum erat: ſeruos quos domo quis ducet ſuo viu, pro his portorium ne dato.

Non legem ſpectare. Perſpicuum eſt agi de Aſianis, & iis qui vectigalia pendebant: non autẽ de publicanis. Ergo ſenſus hic eſt: Poſſunt Aſiani, cùm pactiones vnà cũ publicanis facient, nõ quid lex Cenſoria ſtrictè & definitè præſcripſerit, ſpectare: ſere enim leges Cenſoriæ, vt emptores alliciant publicanorũ potius, quàm ſociorum commodis conſulunt. D

In publicanis dignitas. Quod paulò ſupra ex Maniliana expoſui.

Debeamus. Hoc etiam ſuperius eſt expoſitum.

Eam neceſſitudinem. De qua aliquanto ante commemorauimus.

Societates. Moris fuit publicanis, vt aliquam multi ſocietatem inter ſe coirent, qui communiter Vectigal aliquod conducerent: aut decumarum, aut portorij, aut paſcuorum.

Prope natura. Nam publicani ad ſe rapere, Græci E contrà tueri & conſeruare conantur.

Ac ea quidem, quæ ſuprà ſcripta ſunt, non vt te inſtituerem, ſcripſi (neque enim prudentia tua cuiuſquam præcepta deſiderat) ſed me in ſcribendo commemoratio tuæ virtutis delectauit. Quãquam in his literis longior fui, quàm aut vellem, aut me putaui fore. Vnũ eſt, quod tibi ego præcipere non deſinam: neque te patiar, quantũ in me erit, cum exceptione laudari. Omnes enim, qui iſtinc veniunt, ita de tua virtute, integritate, humanitate commemorãt, vt in tuis ſummis laudibus excipiant F vnam iracundiam: quod vitium cum in hac priuata, quotidianáque vita leuis eſſe animi, atque infirmi videtur, tum verò nihil eſt tam deforme, quàm ad ſummũ imperium etiam acerbitatem naturæ adiungere. Quare illud non ſuſcipiam, vt, quæ de iracundia dici ſolent à doctiſsimis hominibus, ea tibi nunc exponam: cùm & nimis longus eſſe nolim, & ex multorum ſcriptis ea facilè poſsis cognoſcere. Illud, quod eſt epiſtolæ propriũ, vt is, ad quem ſcribitur, de iis rebus quas ignorat, certior fiat, prætermittendum eſſe non putaui. ſic ad nos omnes ferè deferunt, nihil, cum abſit iracundia, te fieri poſſe iucundius, ſed, cum te alicuius improbitas, peruerſitáſque cõmouerit, ſic te animo incitari, vt ab omnibus tua deſideretur humanitas. Quare, quoniam in eam rationem vitæ nos non tam cupiditas quædam gloriæ, quàm res ipſa, ac fortuna deduxit, vt ſempiternus ſermo hominũ de nobis futurus ſit: caueamus quantum efficere & cõ- G *ſequi poſſumus, ne quod in nobis inſigne vitium fuiſſe dicatur. Neque ego hoc nũc contendo, quod fortaſſe cùm in omni natura, tum iam in noſtra ætate difficile eſt, mutare animum, &, ſi quid eſt penitus inſitum moribus, id ſubitò euellere. Sed te illud admoneo, vt ſi hoc plenè vitare non potes, quod ante occupatur animus ab iracundia, quàm prouidere ratio potuit, ne occuparetur, te ante compares quotidiéque meditere reſiſtendum eſſe iracundiæ: cumq; ea maximè animum moueat, tum tibi eſſe diligentiſsimè linguam continendam: quæ quidem mihi virtus non interdum minor videtur, quàm omnino non iraſci: nam illud non ſolum eſt grauitatis, ſed nonnunquam etiam lentitudinis: moderari verò & animo, & orationi cum ſis iratus, aut etiam tacere, & tenere in ſua poteſtate motum animi, & dolorem, etſi non eſt perfectæ ſapientiæ, tamen eſt non mediocris ingenij. Atque in hoc genere multò te eſſe iam cõmodiorem, mitioremq; nuntiant. Nullæ tuæ vehementiores animi concitationes, nulla maledicta ad nos, nullæ contumeliæ perferuntur: quæ cùm abhorrent à literis, ab humanitate, tum vero contraria ſunt imperio, & dignitati. Nam ſi implacabiles ſunt iracundiæ ſumma eſt acerbitas: ſin autem exorabiles, ſumma lenitas: quæ tamen, vt in malis, acerbitati anteponenda eſt. Sed quoniam primus annus habuit de hac reprehenſione plurimum ſermonis, credo propterea, quod tibi hominum iniuria, quòd auaritia, quòd inſolentia præter opinionem accidebat, & intolerabilis videbatur: ſecundus autem multò lenior, quòd & conſuetudo & ratio, &, vt ego arbitror, meæ quoque literæ te patientiorem, leniorem-que fecerunt: tertius annus ita eſſe debet emendatus, vt ne minimam quidem rem quiſquam poſsit vllam reprehendere.*

COMMENTARIVS.

Ac ea quidem. Quarta cohortationis pars, in qua fratrem de iracundia & acerbitate naturæ caſtigat: eúmque vt ſe ad lenitatem animi, patientiámq; conuertat, hortatur.

Cum exceptione laudari. Feſtiuè. Alludit enim ad exceptionum Prætoriarum formulas, in quibus ſcribi ſolet: NISI SI, VEL EXTRA QVAM. Ergo cũ exceptione laudari dicitur, qui ſic laudatur: vir omni laude perfectus, niſi ſi iracundus aut niſi ſi auarus eſſet: vel, ex tanquã ſi iracundus aut auarus non eſſet.

Leuis animi, atque infirmi. Cuius rei rationem non facile quiſquam concinnius Terentio, aut & elegãtius expreſſerit: qui in Hecyra Parmenonem ita loquentem facit:

Non maximas, quæ maximæ ſunt interdum iræ, iniurias

Faciunt, nam ſæpe eſt, quibus in rebus alius ne iratus quidem eſt,

Cum de eadem cauſa eſt iracundus factus mitiſſimus.

Pueri inter ſeſe quam pro leuibus noxis iras gerunt?

Quapropter? quia enim qui eos gubernat animus, infirmum gerunt?

Epiſtolæ proprium. Sic in epiſtola ad Curionem: Epiſtolarum multa eſſe genera, nõ ignoras. Sed vnum illud certiſsimum, cuius cauſa inuenta res ipſa eſt, vt certiores faceremus abſentes, ſi quid eſſet, quod eos ſcire, aut noſtrà, aut ipſorum intereſſet.

Res ipſa, ac fortuna. Coniurationem ſine dubio ſignificat: cuius oppreſſę laudẽ cũ fratre cõmunicat. Ad eam igitur laudẽ quæ ſempiterna futura eſt, non gloriæ cupiditas nos, ſed caſus & fortuna deduxit.

In noſtra ætate. Vnde illud Theognidis laudatur: φιμὶ δ' ἐλαχὶ ὕτοι τηλίκος εἰμὶ μαθεῖν. Et illud Diogenis: τεκρὸν ἰατρεύειν, καὶ γέροντα νουθετεῖν, ταυτὸν ἐστι.

Nam illud. Non iraſci, non commoueri animo.

Lentitudinis. Sic Tuſc. IIII. Peripatetici inquit, virũ videri negãt, qui iraſci neſciat: eãq; quã lenitatẽ nos dicimus, vitioſo Lentitudinis nomine appellãt.

Commodiorem. Commodus, facilis, comis, manſuetus: cui contrarium eſt δυσκολότος.

Habuit plurimum ſermonis. Multorum ſermone ac vituperatione reprehenſus eſt.

Ac iam hoc loco non hortatione, neque præceptis, ſed precibus tecum fraternis ago, totum vt animũ, curam, cogitationemq; tuam ponas in omnium laude vndique colligenda. Quod ſi in mediocri ſtatu ſermonis ac prædicationis noſtræ res eſſent, nihil abs te eximiũ, nihil præter aliorum conſuetudinẽ poſtularetur. Nunc verò propter earum rerum in quibus verſati ſumus, ſplendorem & magnitudinem, niſi ſummam laudem ex iſta prouincia aſſequimur, vix videmur ſummã vituperationem poſſe vitare. ea noſtra ratio eſt: vt omnes boni cùm fauéant, tum etiã à nobis omnem diligentiã, virtutemq; & poſtulent & expectent: omnes autem improbi, quod cum iis bellum ſuſcepimus ſempiternum, vel minima re ad reprehendẽdum contenti eſſe videantur: quare quoniã eiuſmodi Theatrum eſt totius Aſiæ, celebritate refertiſſimum, magnitudine ampliſſimum, iudicio eruditiſſimum, natura autem ita reſonans, vt vſque Romam ſignificationes, voceſq; referantur: contende quæſo atque elabora, non modò vt his rebus dignus fuiſſe, ſed etiam vt illa omnia tuis artibus ſuperaſſe videare. Et quoniam mihi caſus vrbanam in magiſtratibus adminiſtrationẽ Reip. tibi prouincialem dedit, & ſi mea pars nemini cedit, fac, vt tua cæteros vincat. Simul & illud cogita, nos non de reliqua, & ſperata gloria iam laborare, ſed de parta dimicare; quæ quidem non tam expetenda fuit, quàm tuenda nobis eſt. Ac ſi mihi quidquam eſſet abs te ſeparatum, nihil amplius deſiderarem hoc ſtatu, qui mihi iam partus eſt: nunc verò res ſic ſeſe habet, vt, niſi omnia tua facta, atque dicta noſtris rebus iſtinc reſpondeant, ego me meis tantis laboribus, tantiſque periculis, quorum tu omnium particeps fuiſti, nihil conſecutum putem. Quòd ſi, vt ampliſſimum nomen conſequeremur, vnus præter cæteros adiuuiſti; certè idem, vt id retineamus, præter cæteros elaborabis. Non eſt tibi his ſolis vtendum exiſtimationibus ac iudiciis, qui nunc ſunt, hominum; ſed iis etiam, qui futuri ſunt. Quanquam illorum erit verius iudicium, obtrectatione, & maleuolentia liberatum. Denique illud etiã debes cogitare, non te tibi ſoli gloriam quærere: quod ſi eſſet, tamen nõ negligeres, præſertim cùm ampliſſimis monumentis conſecrare voluiſſes memoriam nominis tui. Sed ea tibi eſt communicanda mecum, prodenda liberis noſtris. In qua cauendũ eſt, ne, ſi negligentior fueris, non ſolum tibi parũ conſuluiſſe, ſed tuis etiam inuidiſſe videaris. Atque hæc non eò dicuntur, vt te oratio mea dormiẽtem excitaſſe, ſed potius vt currentem incitaſſe videatur (facies enim perpetuò, quæ feciſti, vt omnes æquitatem tuam, temperantiam, ſeueritatem, integritatemq; laudent) ſed me quadã tenet, propter ſingularem amorem, infinita in te auiditas gloriæ. Quanquam illud exiſtimo, cùm iam tibi Aſia, ſicuti vniſcuique ſua domus, nota eſſe debeat, cùm ad tuã ſummam prudentiam tantus vſus acceſſerit, nihil eſſe quod ad laudem attineat, quod tu non optimè perſpicias, & tibi non, ſine cuiuſquam hortatione, in mentem veniat quotidie. Sed ego, qui cùm tua lego, te audire, & qui, cum ad te ſcribo tecum loqui videor, idcirco & tua longiſſima quaque epiſtola maximè delector, & ipſe in ſcribendo ſæpè ſum longior. Illud te ad extremum oro & hortor, vt, tanquam poetæ boni, & actores induſtrij ſolent, ſic tu in extrema parte, & concluſione muneris, ac negotij tui diligentiſſimus ſis: vt hic tertius annus imperij tui tanquam tertius actus perfectiſſimus, atque ornatiſſimus fuiſſe videatur. Id facilimè facies, ſi me cui ſemper vni magis, quàm vniuerſis, placere voluiſti, tecum ſemper eſſe putabis, & omnibus iis rebus, quas dices, ac facies, intereſſe. Reliquum eſt, vt te orem, vt valetudini tuæ, ſi me & omnes tuos valere vis, diligentiſſimè ſeruias.

COMMENTARIVS.

Ac iam hoc. Sequitur Epilogus: in quo eum ſtudiosè ad laudem vndiq; colligendam acuit: præſertim hoc poſtremo ſui muneris anno. In quo tanquam boni poetæ in actu extremo ſolent, eum hortatur, vt elaborare, ita diligentiam ſummam adhibeat.

In mediocri ſtatu ſermonis. Non ſummè, & perfectè, ſed mediocriter tantum laudarentur.

Verſati ſumus. Quod fuit in rebus ſuis præclarè geſtis ſummum, id ſignificat: oppreſſam videlicet Catilinæ coniurationẽ (nam vt ipſe in I. de Offic. ſcribit) quæ res geſta eſt vnquam in bello tanta? Quis triumphus conferendus?

Vix videmur. Ex quo intelligitur, quàm verum illud ſit Bruti: Deteriorem eſſe cognitæ, quam incognitæ virtutis conditionem.

Theatrum totius Aſiæ. Vt ſuperius: Iſtam tuam virtutem non latere in tenebris, ſed in luce Aſiæ, in oculis clariſſimæ prouinciæ, atque in auribus omnium gentium eſſe poſitam.

Significationes voceſq;. Has in primo Epiſtolarum ad Att. ἐπισημασίας vocat. Et alludit ad conſuetudinem ludorum theatraliũ, quibus applaudi ſolebat, atque hac eadẽ ſignificatione iſto verbo in Sextiana eſt vſus. Nec diſſimiliter ad Curionem ſcribens, ita loquitur: Quod excelſo & illuſtri loco ſita ſit laus tua, in plurimorum & ſociorum & ciuium conſpectu: quæ ad nos nec obſcuro, nec vario ſermone, ſed & clariſſima, & vna omnium voce perfertur.

Tuis artibus. Vetuſtè, pro virtutibus: vnde in II. de finib. Sed luſtremus animo, inquit, non has maximas artes, quibus qui carebant, inertes à maiorib. iudicabantur. Et ſic in ſecund. famil. ſi hoc ſtatueris, quarum laudum gloriam admiraris, quibus artibus eæ laudes comparantur, in iis eſſe elaborandum.

Caſus. Hæc non ad præſentis temporis rationem ſpectant: Sed generatim, ad eam laudem quã vterq; ſperare ex benegeſta Rep. debebat. Tulit ergo caſus, vt Marcus ex vrbana adminiſtratione laudẽ adipiſceretur: nã in vrbe coniurationẽ oppreſſit. Tulit idem, vt Quinctus poſſit ex prouinciali adminiſtratione gloriam conſequi: Quæ omnia nihil ad Marci prouinciam, quã non caſu, ſed conſilio depoſuerat.

Verius iudicium. Nam & ſine amore, & ſine cupiditate, & rurſus ſine odio & ſine inuidia iudicabunt: vt in ea pro Marcello.

Tanquam poetæ boni. Hac eadẽ ſimilitudine vtitur & in Catone Maiore, & in ea pro Marcello, & alibi.

Tanquã tertius actus. Quinq; in comedijs ſũt actus. Quare hoc dixit nõ ad comœdias reſpiciẽs, ſed quaſi Quinctus fabulã ageret, quæ tribus tantũ actibus conſtaret: ſingulos actus, ſingulis annis attribuens.

FINIS.

FRANC. HOTMANI I.C.

In C. Iulij Cæſaris

COMMENTARIOS

DE BELLO GALLICO ET CIVILI,

NOTÆ RENOVATÆ.

LIBER I.

COmmentariorum.] Plutarchus ἐφημερίδας appellat. καῖσαρ, inquit, ἐν ταῖς ἐφημερίσι γέγραφεν. melius Strabo ὑπομνήμασι, lib. 4. Nam Cicero in epiſtola quadã ad Atticũ, quod ſui Cõſulatus cõmentarium initio appellarat, idem, paulò pòſt ὑπόμνημα nominat. Eſt autem Commentarius, ſiue Commentarium, (nam vtrunque promiſcuè dicitur) propriè ſcriptum, quod domi continetur, nec in vulgus effertur. Itaque Cicero in ea pro Sylla, vbi de ſui Conſulatus commentariis loquitur, ait eos priuata ſua cuſtodia contineri. Sic Commentarij Pontificum ſæpe: Commentarij Cęſaris de Repub. interdum in Philippicis appellantur, in quibus quæ ad magiſtratus ſui & Reip. rationem pertinebant, perſcripſerat. Cic. Verr. vii: Audite decretum mercenarij Prætoris ex ipſius commentario. Recita commentarium. Idem v. de finibus: Duo genera librorum ſunt: vnum populariter ſcriptum, quod ἐξωτερικόν appellabant: alterum limatius, quod in commentariis reliquerunt. Poſtea verò conſuetudine ſenſim factum eſt, vt libri omnes Commentarij dicerentur: quaſi qui ab initio inſtituti eſſent, vt domi continerentur, neque in vulgus ederentur. Cuius rei exempla paſſim apud Ciceronem extant.

CAP. I.

GAllia omnis.] Imò, non omnis certè. Nam omnis in partes quatuor diuiditur, quartaque pars quæ ab Allobrogibus ad Pyrenæum mõtem extenditur, & Narbonenſis appellatur, prætermiſſa eſt. Quinetiam Cæſar Heluetios Gallorum nomine aliquoties appellat. vt mox: Heluetij, inquit, reliquos Gallos virtute præcedunt. Item: Non eſſe dubium, quin totius Galliæ plurimum Heluetij poſſent. Partem quoque Italiæ propè mediam Galliæ nomine appellatam; & à Gallis Regum Romanorum tempore occupatam, nemo neſcit. Sed intelligendum eſt, Cæſarem eam ſolam Galliam, quæ ipſius tempore verè Gallia erat, id eſt A Gallis parebat, hoc loco deſcripſiſſe: quæ verò in populi R. poteſtatem venerat, prætermiſiſſe, quam modò præciſè *Prouinciam*, modò coniunctè *Galliam prouinciam* (item vt Cic.) appellat. Sic Plin. Gallia, inquit, omnis, Comata vno nomine appellata, in tria populorum genera diuiditur: amnibus maximè diſtincta. à Scalde ad Sequanam, Belgica: ab ea ad Garumnam, Celtica, eademque Lugdunenſis: inde ad Pyrenæi montis excurſum, Aquitania. Quinetiam in lib. Aimoini Monachi, i. cap. 5. B locus hic ita exſcriptus eſt: Gallia igitur omnis, ſed ea Comata, diuiditur in partes tres. Neque enim Ammiano aſſentior lib. xv ita ſcribenti: Temporibus priſcis, cum laterent hæ partes, vt barbaræ, tripartitæ fuiſſe creduntur: in Celtas, eoſdem Gallos, diuiſæ, & Aquitanos & Belgas: lingua, inſtitutis, legibuſque diſcrepantes. Quaſi verò vel Cæſar, vel Plinius propter obſcuritatẽ partem illam Narbonenſem prætermiſerit. Neque prætermittendum eſt, quod Galli de prouincia, quaſi de alia C quadam Gallia loquebantur. velut Critognatus, lib. 7. cap. 14. Reſpicite finitimam Galliam, quæ in prouinciam redacta, iure & legibus commutatis, ſecuribus ſubiecta, perpetua premitur ſeruitute.

Aliam Aquitani.] Magis placeret, *Alteram*: vt eſt apud Aimoinum.

Ipſorum lingua Celtæ.] Dio lib. 39. ſcribit, nationes quæ cis & trans Rhenum incolunt, antiquitus vno Celtarum nomine appellatas. poſtea verò, qui ad dextram habitarunt, Gallos: qui ad læuam, Ger- D manos eſſe nuncupatos.

Lingua, inſtitutis.] Idẽ Ammianus lib. xv. Non eadem igitur omnes Galli lingua vtebantur. Treuiros quidem Germanica vſos lingua, intelligitur ex præfatione Hieronymi in Epiſt. ad Galatas. Præterea Belgæ à Germanis erant orti, & nonnulli inter eos adhuc Germani vocabantur, vt infrà lib. 2. cap. 1. Aduatici autem ex Cimbris & Theutonis lib. 2. cap. 8. Strabo lib. 4. οἱ δ᾽ ἀκουιτανοὶ διαφέρουσι τοῦ γαλατικοῦ φύλου κατά τε τὰς τῶν σωμάτων κατασκευὰς E καὶ κατὰ τὴν γλῶτταν. Sed & Strabo & Cæſare linguis diuerſis vſos eſſe Gallos dixerũt, ſiue dialectis: quam varietatẽ etiam in Græcia fuiſſe nemo ignorat. Itaque Strabo eiuſdem libri initio de iiſdem

Aquitanis loquens τοὺς δὲ λοιποὺς, Γαλατικὴν μὲν τὴν ὄψιν, ὁμογλώττους δ' οὐ πάντας, ἀλλ' ἐνίους μικρὸν παραλλάττοντας ταῖς γλώτταις.

Fortiſſimi Belgæ.] Infrà lib.2.ſcribit, pleroſque Belgas à Germanis eſſe ortos, Rhenúmque antiquitus traductos.

Humanitate prouinciæ.] Sic omnes libri, in queis etiam Aimoinieus. Videri tamen poſſet vox *Prouinciæ* ſuperare. Nam Ammianus locum ſic exſcripſit: Horum omnium apud veteres Belgæ dicebantur eſſe fortiſſimi, ea propter quod ab humaniore cultu longe diſcreti, nec aduentitiis effœminati delitiis, diu eum Tranſrhenanis certauere Germanis. Sed conferendus alter & Cæſaris & Ammiani locus, vbi ex contrario ſcribunt, Aquitanos propter propinquitatem prouinciæ moribus ad mollitiem lapſus ſuperari. aſſuefactos tandem, ſub Romanorum imperium redactos fuiſſe. Denique veterum hæc opinio fuit, propter Maſſiliæ præſertim ciuitatis cultum. Nam Iuſtin. lib. 43. Ab his, inquit, (de Maſſilienſibus loquitur) Galli & vſum vitæ cultioris, depoſita & manſuefacta barbaria, & agrorum cultus, & vrbes mœnibus cingere didicerunt.

Qua de cauſſa.] Inſignis locus: Germanos virtutis militaris cauſſam & Belgis, & Heluetiis præbuiſſe. quod etiam de Heluetiis P. Oroſius teſtatur. Totus autem hic locus nota parentheſis includendus eſt: ne deſcriptionem Aimoini ſequamur: qui paginæ propè vnius locum immutauit: in quo tamen non tam rerum fortaſſe, quàm auctoris huius ordinem conturbauit.

Eorum vna pars.] Huius pronominis ratio erat, vt ad proximos, id eſt Belgas referretur. Itaque rectiſſimè locum Aimoinus ſic interpretatur: Eorum vna pars, qui ſpecialiter Galli dicuntur, &c.

Inferiorem partem Rheni.] Sic Aimoinus. nonnulli *Interiorem* quod abſurdum eſt. Nam inferiorem appellat, quæ in mare influit. Itaque Strabo, inquit μέχρι, inquit, τῶν ἐκβολῶν τοῦ ῥήνου

Et eam partem.] Aimoinus: *Et ad eam.* quod placet.

Ad Pyrenæos. Aimoinus: *Vſque ad Pyrenæos,* quod abiudico.

Partem Oceani.] Ita placet, cùm apud Aimoinum vox *Oceani* deſit.

Ciuitati perſuaſit.] Obſcuriſſimus locus. nam ſi ciuitati Helueticorum perſuaſit, regula iuris eſt, vt referatur ad vniuerſos, quod publicè fit per maiorem partem. Quomodo igitur, quod ciuitas probauit, poſtea in crimẽ & ſupplicium vocaſſet? Hoc mihi obſcurum eſſe fateor: cogitandúmque arbitror, ecquid potius legendum ſit, *Et*, vel *Eis*, vel *Ebritiis*: præſertim cùm in antiquis libris mox ſequatur, *Cum omnibus ſuis copiis.* vt de nobilitate tantùm & eorum clientelis coniuratio intelligatur. Dio tamen lib. 38. & alij complures hanc migrationem vniuerſæ gentis Helueticæ communi concilio ſuſceptam exiſtimant. Verùm id poſt Orgetorigis mortem publico concilio factum oportet. Ciuitas autem nomẽ eſt ex eorum numero (vt ait Gellius) quæ πολύσημα & multiplicia ſunt. nam & vrbẽ, & ciuium multitudinẽ, & ius ciuitatis ſignificat. Apud Cæſarem autem plerunq. ponitur pro gente, quæ cum eadem lingua, tum etiam eodem iure iiſdémque legibus vtitur, & vnum imperium, vnúmque magiſtratum habet. vt cùm in-

A frà nominatur Ciuitas Biturigum, Sueſſionum Æduorum, Aruernorum. Sic libr. Ciuil. 1. cap 2. Ciuitatem eſſe in armis: cùm Populum R. ſignificet.

Virtute præſtarent.] Notandum etiam quod infrà Cæſar ſcribit, Heluetios florentiſſimis rebus domos ſuas reliquiſſe: ne quis eos putet inopia coactos ad hoc conſilium deſcendiſſe.

Tuti continentur.] Vox *Tuti*, abeſt tum à noſtro exemplari veteri, tum ab eo codice antiquiſſimo,
B quem mihi Henricus Stephanus vir longè doctiſſimus commodauit. Rectè autem abeſt. non enim iccircò illos emigraſſe ſcribit, quòd tuti continerentur: ſed iccircò vagari & graſſari bellicoſos homines non potuiſſe, quod vndique natura loci, tanquam feræ carceribus, continerentur. Nam *Continerentur* legendum arbitror. Sic infrà cap. 9. Idque natura loci ſic muniebatur, &c. Et lib. 3. cap. 1. Qui vicus altiſſimis montibus vndique continetur. Et li. 6. cap. 1, Perpetuis paludibus ſyluiſque mu-
C niti. Vox igitur *Tuti* ſub verbo *Munitis* pro gloſſa ſubſcripta in contextum irrepſit. Et hoc idem nunc video Faernum & Vrſinum obſeruaſſe.

Prouinciam noſtram ab Heluetiis.] Nunc Allobroges ſignificat. Itaque perperam Aimoinus locum hunc de ora maritima, & vetere prouincia interpretatur.

Lege confirmant.] Legem hoc loco publicè totius ciuitatis conſilio, & ex ciuitatis auctoritate ſancitam, intelligere non poſſumus. alioqui fa-
D ctum lege probatum in crimen non vocaretur. Legem igitur modò pactionem & fœdus coniuratorum dicit.

Cum proximis ciuitatibus. [Hæc clandeſtinò fieri potuiſſe, mirum eſt. nam fœdera ciuitatum nomine non niſi publico conſilio fiunt. Sed tamen cùm in crimen vocatum ſit, priuata hæc conſilia fuiſſe neceſſe eſt.

Lege confirmant.] Rurſus Legem pro fœdere & pactionibus clandeſtinis intelligi oportet.

E *Amicus appellatus.*] Mirum eſt, tantam Senatus populique Romani potentiam apud exteras gentes fuiſſe, vt Reges ſatis ſtabilem ſuam fortunam non putarent, niſi Senatum R. ſui imperij auctorem haberent. Itaque magnis iacturis & largitionibus eam ſibi auctoritatem comparabant: De more autem appellandorum Regum, ſcripſi in Manilianam Ciceronis.

Vt idem conaretur perſuadet.] Et hoc *Perſuadet*, & illa quæ mox ſequuntur *Filiæ probat*, è gloſſa in-
F terpretum ſumpta arbitramur.

Fratris Diuitiaci.] De hoc Diuitiaco meminit Cicero li. de Diuin. his verbis: ſiquidem & in Gallia Druydes ſunt, è quibus ipſe Diuitiacum Heduũ cognoui: qui & naturæ rationem, quam phyſiologiam Græci appellant, notam eſſe ſibi profitebatur, & partim auguriis, partim coniectura, quæ eſſent futura, dicebat.

Sua ciuitatis imperium.] Imò *Exercitus*, qui ex
G Heluetiis exceſſurus erat.

Regno occupato.] Videri poſſent abundare. ſed Regnum modò non pro regionibus, ſed pro imperio & regia dignitate poſuit: quaſi dixiſſet. Si Regiam dignitatem occupent.

Potentiſſimos ac firmiſſimos.] Noſter antiquus, *Fortiſſimos.* quod idem video in libro Romæ centum abhinc annis impreſſo. Sic ſup. Horum om-

nium

nium fortiſſimi ſunt Belgæ. Tres autem populos dicit, Heluetios, Æduos, & Sequanos: quorum hi duo totius Galliæ principatum obtinebant. de principatu certè omnibus annis inter ſe contendebant. vt lib. 6. cap. 4. Sequanos enim pro Aruernis, & viciſſim hos pro illis, Cæſar interdum appellat: vt alibi diximus.

Omnem ſuam familiam.] Qui vel in poſſeſſionibus ipſius, ac ruſticis rebus, vel in vectigalibus exercendis operas dabant. Nam hunc Heluetiorum vectigalia eodem modo redempta habuiſſe, vt Dumnorigem apud Æduos, conſentaneum videtur.

Clientes obæratóſque ſuos.] Liber Henric. Stephani: Oberratoréſque ſuos. quod etſi abſurdum videtur, tamen teſtari nihil fuit incommodi. Tacitus lib. 3: Aliud vulgus, obæratorum aut clientium arma cepit.

Per eos.] Cùm Iudicibus arma intentarent.

CAP. II.

POſt eius mortem.] Mirum eſt plus Orgetorigis mortui quàm viui conſilium apud Heluetios potuiſſe. Nunc enim publicum conſilium ad illam priuatorum coniurationem acceſſiſſe, intelligendum eſt.

Sibi vnumquenque.] Codex Henr. Stephani eruditiſſimi viri, *ſibi quenque*. Sic etiam Aldinus.

Oppida ſua omnia.] His adducti verbis, omnes quos videre licuit, hiſtorici, Plutarchus, Appianus, Dio, Tacitus, Florus, Oroſius confidenter affirmarunt, vniuerſam gentem Heluetiam publico conſilio, vaſtatis agris, patriíſque ſedibus relictis, in Galliam cum vxoribus ac liberis demigraſſe: vacuámque totam illam regionem reliquiſſe. Ego dubitandi cauſſas habeo non paucas. Primùm enim ſi verum hoc fuiſſet, cui dubium eſt, quin Romani, qui pauculis antè annis Geneuā & vniuerſam finitimam Allobrogū regionem occuparant, cōfeſtim in illam vacuam poſſeſſionē inuaſiſſent? Deinde ſuperius Cæſar dixit, migrationis iſtius conſilium à nobilitate tantùm, & clàm atque arcano captum fuiſſe: partémque plebis aliquam bellandi cupidam clandeſtinis conſiliis concitaſſe. Præterea cui probabitur in tantis Heluetiorum finibus oppida tantummodò fuiſſe XII: indigenáſque omnes patriæ deſerendæ animum habuiſſe? cùm in permultis regionis illius partibus agros feraciſſimos maximéque frumentarios eſſe conſtet: ac paulò pòſt cap. 7. Cæſar dilucidè ſcribat, res Heluetiorum hoc tempore florentiſſimas fuiſſe. Cauſſæ igitur ſuæ Cæſar ſeruit, quem Suetonius ſcribit, in hoc Gallico imperio, nulla quantumuis iniuſti ac periculoſi belli occaſione abſtinuiſſe: gentéſque feras vltrò laceſſiſſe: adeò vt nonnulli in Senatu Gallis eum dedendum cenſuerint. Veritatis tamē indicia multis ſuperſunt horum librorum locis: ſed præſertim apud Ciceronem lib. Epiſt. ad Att. 1. ep. 17. Atque, inquit, in Rep. nunc quidem maximè Gallici belli verſatur metus. nam Ædui fratres noſtri pugnant, Sequani malè pugnarunt: & Heluetij ſine dubio ſunt in armis, excurſionéſque in prouinciam (*id eſt Allobrogas*) faciunt. Senatus decreuit, vt Conſules duas Gallias ſortirentur: delectus haberetur: vacationes ne valerent: legati cum auctoritate mitterentur,

A qui adirent Galliæ ciuitates: daréntque operam, ne eæ cū Heluetiis ſe iungerent. Quibus ex verbis perſpicuum eſt, primum inter Æduos Sequanóſque (qui in ditione & fide Aruernorū erant) bellum fuiſſe: quod Cæſar planius exponit, hoc ipſo lib. cap 7. & lib. 6. cap. 4. Idque adeò diuturnum fuiſſe, vt Ariouiſtus qui à Sequanis conductus, ſubſidio eis venerat, quatuordecim iam annos in iis locis conſediſſet. Deinde cùm Allobrogum fines Romani per vim nuper occupaſſent, quorum Æ-
B dui amici ſocij ac fratres erāt, Heluetios tam propinqua latronū vicinitate permotos, ſeſe Aruernis iunxiſſe, excurſionéſq; in Allobrogicam prouinciam aduerſus Romanorum præſidia facere cœpiſſe. Quo tumultu Romam nuntiato, perterritum Senatum, ea quæ Cicero ſcribit, & ſummi terroris indicia fuerunt, decreuiſſe. Iam verò cùm idem addit Senatum metuiſſe, ne Galliæ ciuitates ſeſe cum Heluetiis coniungerent, annon perſpicuè oſtendit, Heluetios non patriæ deſerendæ,
C ſed belli Romanis inferendi conſilio manus illas coegiſſe? Quod autem Cæſar aliquoties ſcribit, Heluetios in animo habuiſſe in Santonum fines proficiſci: intelligendum eſt, Santones Aruernorum clientes, ac proinde Sequanorum ſocios fuiſſe: eúmque ab Æduis premerentur, idem quod Sequanos feciſſe: externáque auxilia ex Heluetiis conduxiſſe, qui partim bonitate agrorum illecti, partim à Santonibus inuitati vxores ac liberos ſecum eduxerant: vt quemad-
D modum Germani in Sequanorum finibus ſedes fixerant, ſic illi in Santonum agros emigrarent: ibíque ſuas ſedes, domiciliáque collocarent. Nam incolis vaſtatam Galliam fuiſſe, etiam illud argumento eſt, quòd Heluetico bello confecto, Ædui tamen Boios deuictos retinuerunt, eóſque in ſuis finibus aduerſus Aruernorum potentiam præſidio ſibi collocauerunt. Quod autem de incenſis oppidis, vicis & frumentis Cæſar ſcribit: primum veriſimile
E non videtur, propter illam cauſam quam ſuperiùs expoſui: quòd Romani celeriter in illam regionem irruiſſent: deinde ſi quid incendiorum fuit, probabile eſt id à nobilibus & præfectis militaribus accidiſſe: qui cùm à magiſtratibus ſuis prohiberentur timidis, conſideratis, & Romanos crabrones irritare metuentibus, vti è finibus ſuis perruperunt, & in oppida ædificiáque aduerſariorum graſſati ſunt. Denique multis ex locis poſterius intelligetur, Heluetios Æ-
F duorum agros populatos eſſe: Sequanos nulla re violaſſe: Cæſarem commeatu & frumento ab Æduis ſubleuatum: magnáque ex parte eorum precibus adductum, bellum ſuſcepiſſe: itáque Sequanorum opes fregiſſe, eóſque domitos ac ſubactos in Æduorū ditionem redegiſſe. quod lib. 6. cap 4. dilucide teſtatur. Quam occupandæ Galliæ occaſionem Romani viuam & opportuniſſimam habuerunt.

G *Boios qui trans Rhenum.*] Satis conſtat, Boiorum gentem multas terrarum oras peruagatam, multis in locis memoriam ſui nominis reliquiſſe. Sed & hoc quoque loco Boios eos intelligi apparet, qui Heluetiis vicini erant. Omnis enim iſte exercitus ex finitimis Heluetiorum coactus eſt quanquam trans Rhenum incolebant, vt ſcrib Cæſar. Tacitus lib. de morib. Germ. Inter Hel

ciniam ſyluam Rhenúmque & Mœnum Heluetij, vlteriora Boij, Gallica vtraque gens, tenuere. Dicit autem, Incoluerant: quaſi tunc non incolerent. Tunc enim erant in Gallia, & in Noricum vſque agrum profecti, Noriciam vrbem opugnarant: eóſque ſibi ſocios Heluetij adiunxerant.

Vix quò ſinguli carri.] Non dubito quin ſit corrigendum Quà. Cicero pro Cæcina: Omnes introitus, quà adiri poterat in eum fundum.

Nuper pacati.] Corrigendum, vt in aliis pleriſque antiquis, & in Aldino: *Nuper Populo R. pacati erant.* Erroris cauſſam notæ præbuerunt. *Nuper p. r. pacati, &c.* Deeſt tamen in lib. Henr. Stephani.

Inter fines Heluetiorum.] V.C. Heluetiorum inter fines & Allobrogum.

Per prouinciam noſtram.] Non veterem prouinciam: quæ propriè Galliæ prouincia dicitur. ſed per fines Allobrogum, qui (vt modò dixit) nuper pacati Populo. R. fuerant.

Quàm maximum poteſt militum.] Vox *Poteſt* abeſt à noſtro antiquo & à Romano, centum abhinc annis edito. ídque mihi probabilius videtur.

Maximis itineribus] Plutarchus octo dierum ſpatio tantum itineris confectum ſcribit.

Rogarénque vt eius.] Quantò concinnior antiqui noſtri & Romani lectio, *Rogare vt eius*?

Nullum aliud iter haberent.] V.C. Aliud iter haberent nullum. Aldus, Iter haberent nullum aliud. Vetus placet.

L. Caßium.] Appian. in Celtico ſcribit, hoc idem à Claudio Paulo relatum in ſuis Annalibus. Extat hiſtoria in Epit. Liu. 65. & apud Oroſ. lib. 5. cap. 17.

Ad idus Apr.] Faernus: *Ante diem iduum Aprilium*: quam locutionem antiquam & vſitatam eſſe fateor: ſed tum, opinor, vſurpari ſolitam, cùm is diem præfinit, qui eam infecta re abire nollet. Dies autem ad mediam noctem producebatur. Sic lib. Ciu. 3. cap. 1. Vt ante certam diem Cæſar exercitum dimittat. Et eod. lib. Polliceri ſe in prouinciam iturum, neque ante quam diem iturus ſit, definire. Salluſt. in Catil. Ceteræ multitudini diem ſtatuit, ante quam ſine fraude liceret ab armis diſcedere. Et noſter lib. 7. Imperat certum militum numerum ciuitatibus, quem & quam ante diem in caſtra adduci velit. Et cap. 1. Armorum quantum quæque ciuitas domi quódque ante tempus efficiat, conſtituit. At Cæſar hoc loco ita diem præfinit, vt intelligatur, nihil ad illum pertinere, vtrum ea obeatur, nécne. Quinetiam vſitata hæc locutio eſt: vt lib. ciu. 2. cap. 4. Edictúmque præmittit, ad quam diem magiſtratus ſibi præſto eſſe vellet. Item lib. 7. cap. Labienum Treboniúmq; hortatur, ſi Reip. commodo facere poſſint, ad eam diem reuertantur.

Qui in flumen Rhodanum.] Hoc dictum indefinitè falſum eſt, non enim lacus in Rhodanum, ſed contra Rhodanus in locum influit. Ab inferiore tamen parte lacus in Rhodanum influit, vel potius confluit. Itaque legendum arbitror *Quà*: præſertim vt locus vnde perduci murus cœpit, notetur. nō enim à ſuperiore, ſed inferiore lacus parte opus inſtitui cœpit: propè à ponte Geneuæ vrbis. Nam quod Glareanus legendum putabat, *Quem flumen Rhodanum influit*, primùm à Cæſaris con-

A ſuetudine alienum eſt: qui ſexcentis locis Rhodanum virili genere pronuntiat, neutro nunquam ſexcentis locis *Influere in*, Influere Rhodanum nunquam. Deinde hiſtoriæ rationem conturbat, vt non intelligatur, qua lacus parte duci maceria cœpta ſit: ſumma, media, an infima. Cæſar lib. 7. Perpetuam eſſe paludem quæ influeret in Sequanam. Sic inf. Flumen Arar in Rhodanum influit. Et lib. 3. In flumine Ligeri, quod influit in Oceanum. Et lib. 4. Rhenus in Oceanum influit. Et mox:

B Rhodanus multis capitibus influit in Oceanum. Iam de *Quà* hæc exempla ſunt. infrà ca. 9. Quà flumen intermittit. & cap. 3. Quà proximum iter erat per Alpes. & lib. 2. in fi. Quà minimè arduus aſcenſus videbatur. Mirum eſt autem, quod Ammianus lib. 15. ſcribit, & accolæ confirmant, Rhodanum aquis illius paludis non miſceri: ſed altrinſecus, inquit, ſummitates vndæ præterlabentem ſegniores, viam ſibi impetu moliri. Quod idem Pompon. Mela lib. 2. affirmat. Sunt etiam hoc tempore

C qui hoc idem credant: ſed mihi nondum perſuadere potuerunt.

Alius vadis.] Mendum perſpicuum. nuſquam enim aliorum meminit. Itaque in Antiquo noſtro & Romano & Steph. perſpicuè legitur *Alij*. vt facilè appareat ſimilem vocem paulò ſuperius deeſſe, locúmque ita corrigendum: Heluetij ea ſpe deiecti, alij nauibus iunctis ratibúſque factis, alij vadis Rhodani, &c. Placet etiam Antiquus noſter & Romanus, *Ratibúſque compluribus factis.*

D *Murum perducit.*] Mirum eſt, tam multos eruditos illius muri veſtigia etiam nunc propè Geneuam inueſtigare. Nam murum Cæſar, pro maceria poſuit, quæ ſine cemento eſt. Sic lib. 7. cap. 8. A medio colle ex grandibus ſaxis ſex pedum murum perduxerant Galli. At eod. lib. cap. 13. Foſſámque, inquit, & maceriam ſex in altitudinem pedum perduxerant. Sic inf. lib. 2. cap. 8. Quem locum duplici altiſſimo muro munierant, tum magni ponderis ſaxa & præacutas trabes in muro collocarant.

E Et lib. 6. cap. pen. Præſidij tantum eſt, vt ne muri quidem cingi poſſit. vbi de vallo caſtrorum loquitur.

Exemplo populi. R.] Frequens locutio eſt, More & exemplo. ſed Exemplo Populi R. non memini me legiſſe. Cicero pro Cæcina: Prætor quemadmodum more & exemplo opitulari poſſit, non habebit. Et Verr. 5. Hoc iniecto metu iudicibus, nullo more, nullo exemplo, ecquam rem putatis eſſe, &c. Præterea ſi populus iuſſiſſet, quid

F fuiſſet à moribus populi R. alienum? Videndum igitur, ecquid verbum *Iniuſſu* deſit: vt ſic legatur: Negat ſe more & exemplo, populi R. iniuſſu poſſe, &c. Cicero in Piſonem: Bellum ſua ſponte gerere, in regnum iniuſſu populi ac ſenatus accedere. Item: Præſidium tu populi R. cuſtodia prouinciæ, iniuſſu populi ſenatúſque dimiſiſſes, ſi tuæ mentis compos fuiſſes? Salluſt. Iugurt. Senatus decernit, ſuo atque populi iniuſſu nullum potuiſſe fœdus fieri.

G *Eo deprecatore.*] Atqui hoc tempore Sequani Æduorum hoſtes erant, eóſque de principatu Galliæ deiecerant. lib. 6. cap. 4. Intelligendum eſt igitur, Dumnorigem Æduum ſuis infidelem fuiſſe, Sequanorúmque partes clanculum ſecutum eſſe: vt aliquantò pòſt cognoſcetur. Itaque Hel-

uetij cùm in Æduorum fines peruenerunt, eorum A agros populati ſunt.

In Santonum fines.] De quibus non prætermittendum eſt, quod Cæſar ſcribit paulò pòſt: Heluetios delegiſſe locum ex omni Gallia opportuniſſimum, ac fructuoſiſſimum. Nam hæc nunc quoque ſolo Santonico laus tribuitur.

CAP. III.

IN Sebuſianos.] Apud Cicer. Ptolemæum, Plinium, Strabonem, Seguſiani dicuntur. itémque B apud noſtrum infrà lib. 7. cap. 12. Æduorum autem clientes appellantur lib. 7. cap. 14.

Ita ſe de Populo R. meritos.] Cauſſam Strabo exponit lib. 4. οἱ δ' ἔδυοι καὶ συγγενεῖς ῥωμαίων ὠνομάζοντο, καὶ πρῶτοι τῶν ταύτῃ προσῆλθον πρὸς τὴν φιλίαν καὶ συμμαχίαν.

Incredibili lenitate.] Vidi qui *Leuitate* mallent, propter verſum Lucretij: Quod ſupereſt vbi tam voluceri hæc leuitate feruntur: & quia nimia leuita- C te fit, vt viſus fallatur. quaſi verò non etiam lentitudine nimia fallatur. vt in vmbra ſolarij, & in gnomone horologij. Aimoinus quoque hanc ſcripturam retinens, ita ſubiunxit: Quod nos quoque perſpeximus, ac admirati ſumus tantæ magnitudinis fluuium tam tardo motu profluentem.

Inopinantes aggreſſus.] Paucis quoque pòſt verſibus ſcribit, ſe hoc prælio priuatas iniurias vltum eſſe. vt mirum ſit Plutarchum ſcripſiſſe, non Cæ- D ſarem, ſed Labienum ipſius legatum hoc primo prælio cum Heluetiis decertaſſe. Idem tamen video ab Appiano relatum in ſuo Celtico.

Ciuitas Heluetia.] Infrà tamen dixit Bellum Heluéticum. Salluſt. apud Nonium: Duæ Galliæ mulieres conuentum vitantes: pro Gallicæ.

In quatuor pagos.] Pagus duo ſignificat. nam modò pro præfectura, regione & vicinitate ponitur, vt lib. 6. cap. 5. vbi de Sueuis loquitur: Principes regionum atque pagorum inter ſuos ius di- E cunt. Eodem lib. cap. 4. In Gallia non ſolùm in omnibus ciuitatibus atque pagis partibúſque. Modò pro parte ciuitatis & hominum multitudine. vt hoc lib. cap. 8. Pagos centum Sueuorum ad ripam Rheni conſediſſe. Item lib. 4. cap. 1. Sueuorum centum pagos nominat. Mirum autem videtur, quatuor tantùm Heluetiæ, centum Sueuiæ pagos numerari. niſi fortè *Quatuordecim* legendum ſit, aut alio loco mendum ſubſit. Sic Strabo lib. 4. ſcribit, Belgas eſſe εἰς πεντεκαίδεκα ἔθνη διῃρημένους. F Tacit. de morib. Germ. Nullas Germanorum populis vrbes habitari, ſatis notum eſt: ne pati quidem inter ſe iunctas ſedes. Colunt diſcreti ac diuerſi, vt fons, vt campus, vt nemus placuit.

Cæſarem vno die feciſſe.] Pro *Cæſarem* antiquus noſter & Steph. & Romanus *Illum*. quod magis probo.

De tertia vigilia.] Vigillias ad clepſydram in partes quatuor diuidebant: vt non amplius tribus horis ſtandum eſſet. Eas circuitores crebri obſer- G uabant. Tubicines autem locabant: Cornicines reuocabant. Plura Veget. lib. 3. cap. 8.

Virtute quàm dolo.] Sic de Gallis apud Hircium de bello Afric. Bellare conſuetos contra Gallos, homines apertos, miniméque inſidioſos, qui per virtutem, non per dolum dimicare conſueuerunt.

Aut memoriam proderet.] Sic V. C. Dum autem *Ac* pro *Aut* legatur, omnia quadrabunt: Nomen loci memoriam prodet. Faernus, & ſecundum eum Vrſinus corrigebant, Memoriæ proderetur. Sed non loca ipſa, verùm res in iis geſtæ produntur. Cic. Verr. 6. Imagines ad memoriam poſteritati prodendam. Et lib. de Offic. 2. Vt hos beneficiis afficiamus, quorum memoria liberis poſteriſque prodatur. Et in Epiſt. Cœlij ad Cic. lib. Fam. 8. Aliquot ex tam multis tuis monimentis extare, quod noſtræ amicitiæ memoriam poſteris quoque prodat, velim.

L. Piſonis auum.] Sueton. in Iulio: Sub idem tempus Calpurniam L. Piſonis filiam, ſucceſſuri ſibi in Conſulatu duxit vxorem.

Conſueſſe Deos.] Sumptum videtur ex vetere Poeta, cuius verſus Ariſtot. profert Rhet. 2.

» πολλοῖς ὁ δαίμων οὐ κατ' εὔνοιαν φέρων
» μεγάλα δίδωσιν εὐτυχήματ' ἀλλ' ἵνα
» τὰς συμφορὰς λάβωσιν ἐπιφανεστέρας.

Eandem ſententiam eleganter Claudianus verſibus eſt perſecutus, lib. 1. Ex quo illud eſt peruulgatum. Tolluntur in altum. vt lapſu grauiore ruant.

Populum R. eſſe teſtem.] Milites enim qui Caſſiano prælio ſuperauerant, obſidibus datis dimidia rerum omnium parte pacti ſunt. Liu. epit. 65.

Rapinis populationibúſque.] Liber Henr. Steph. & noſter & Romanus hoc amplius: Rapinis, pabulationibus, populationibúſque. Magis tamen hæc vulgata placet.

CAP. IIII.

MAgiſtratui præerant.] Mirum eſt duos nominari, qui hunc Magiſtratum gerant, cùm lib. 7. cap. 6. ſcribat, ſummo in periculo Æduorum ciuitatem fuiſſe, quòd cùm ſinguli magiſtratus antiquitus creari conſueſſent, duo tum Magiſtratum gererent. Itaque *Præerat* ſingulari numero, legendum putarem: vt ſolus Liſcus ei Magiſtratui præfuerit. Cùm hæc multis ab hinc annis ſcripſiſſem, vidi Manutij doctiſſimi adoleſcentis ſcholia, in quibus teſtatur idem Nicaſio Ellebodio placuiſſe.

Vergobretum.] Germani notionem Germanici nominis obſeruât. *Obereſt*, primus, princeps. *Verg*, opera. quaſi Magiſter operum. Locus oſtendit, hanc Galliæ partem magnam cum Germanis linguæ affinitatem habuiſſe. Huius autem Magiſtratus etiam nunc veſtigia Auguſtoduni manent: vbi qui ſummum in ciuitate honorem gerit, Vverg appellatur.

Obtinere non poſſent.] Videtur legendum *Poſſint*: vt ſit ſenſus: Et ſi ſine Cæſare contra Sequanos tueri principatum non poſſint, quem beneficio Cæſaris adepti erant, tamen ſatius eſſe Gallis Sequanis, quàm exteris Romanis parere. Sequanis autem ademptum principatum, & Aeduis à Cæſare traditum, patet ex lib. 6. cap. 4.

Portoria.] Notandum Principes viros in Gallia publicanorum munus exercuiſſe.

Siquid accidat Romanis.] Vidi qui nomen *Grauius* interponerent: vt paulò pòſt, Quod ſiquid ei à Cæſare grauius accidiſſet. Sed hæc præciſio eſt antiquis vſitata, & ominis cauſſa ita loquebantur, vt in Comment. de verb. aur. docuimus.

Obtinendi per Heluetios.] Codex H. Stephani, Per Heluetios regni obtinendi. Faerni, Regni per Heluet. obt.

Quod prælium equeſtre.] Non abeſt ſuſpicio A mendi. Sunt qui ex vetuſto libro ſic reſtituant: Reperiebátque inquirendo Cæſar, initium fugæ prælij equeſtris aduerſi paucis antè diebus à Dumnorige atque eius equitibus factum eſſe. Sed & immodica mutatio eſt, neque Cæſar ſuperiùs fugæ mentionem fecerat. Valde ſic placeret: Reperiebat etiam Cæſar inquirendo, prælio equeſtri aduerſo, quod paucis antè diebus eſſet factum, initium fugæ factum à Dumnorige, &c. Sed ſatius eſt melioris Codicis auctoritatem expectare. Vul- B gata certè lectio non omnino improbanda eſt. Vetus quidem H. Steph. codex ſic habuit, vt eſt in vulgatis: ſed noſter Antiquus & Romanus hoc modo: Quod prælium equeſtre aduerſum paucis antè diebus eſſet factum, initium eius fugæ factum à Dumnorige atque eius equitibus. nam equitatui, &c.

Non modò iniuſſu ſuo.] Quæri poteſt cur eius rei veniam Dumnorix à Cæſare petere debuerit: cùm neque Ædui in prouinciam redacti eſſent, neque C Cæſar imperium in eos haberet. opinor, quia S.C. factum erat, vti quicunque Galliam prouinciam obtineret, Æduos ceteróſque amicos populi R. defenderet. lib. 1. cap. 13, deinde, quia Cæſar Æduos in principatum Galliæ reſtituerat, ac propterea illorum Patronus erat lib. 6. cap. 4.

Condonare dicit.] Verbum *Dicit* gloſſema eſſe non dubitaturos arbitror, qui in antiquis auctoribus verſati ſunt. D

CAP. V.

L*Abienum legatum propere.*] Qui ex veteri libro *Propretorem* reſtituunt, vel hoc vno quantum ipſis credendum ſit, declarant. Sic tamen in Stephanico quoque legebatur: ſed perſpicuè abſurdum eſt.

Quique in exercitu.] Steph. codex, *Et in exercitu.*

A galicis armis atque inſignibus.] Inſignia militum dicebantur, quibus ornati erant, vt à ceteris in- E ternoſci poſſent: vt dicetur lib. 2. cap. 6. Placet autem Romani, & Faernini & Stephanici libri ſcriptura, Gallicis armis, ſine particula A.

Heluetios caſtra mouiſſe.] Noſter antiquus, Romanus & Steph. *Hoſtes.* quod non diſplicet.

Decurionis equitum.] In turma equites ſunt duo & triginta: qui iis præeſt, Decurio dicitur. Vegetius.

Primum ſuo.] Ancipiti prælio, inquit Suetonius, equos dimittebat, & in primis ſuum, quo maior F permanendi neceſſitas imponeretur, auxilio fugæ erepto. Et de Catilina eodem modo Salluſt. Dein remotis omnium equis, quo militibus exæquato periculo animus amplior eſſet: ipſe pedes exercitum pro loco atque copiis inſtituit.

Phalange facta.] Phalangem paulò pòſt demonſtrat à ſe dici, cùm acies conferta ita ſublatis in caput ſcutis, iiſque inter ſe contingentibus tegitur, vt pilis ab hoſtibus emiſſis offendi non poſſit: vt dicetur infrà cap. vl. Sed hanc rem optimè G Oroſius deſcribit, lib. 6. Hinc illud Iuuenalis, Iunctæque vmbone phalanges. Hanc Romani Teſtudinem appellabant. Itaque Dio Nicæus in Octauio, vbi Teſtudinem deſcribit, φάλαγγα & χελώνην pro eodem poſuit. Mirum eſt autem quod ſcribit, ſupra eam teſtudinem non modò homines aut equos incedere, verùm etiam vehicula: Indéque Teſtudinis nomen ſumptum. Græci dicunt συνασπίζειν. Liuius lib. 34. Sublatis deinde ſupra capita ſcutis, continuatiſque ita inter ſe, vt non modò ad cæcos ictus, ſed ne ad inferendum quidem ex propinquo telum loci quicquam eſſet, teſtudine facta ſubibant.

Ictu pilorum transfixis.] Sic quoque Polybius pilum quo Romani vtebantur bicubitali longitudine deſcribit, craſſitudine digitali, ſpiculo ita præacuto, vt primo iactu inflecteretur, nec euelli poſſet.

Gallis magno ad pugnam.] Iterum notandum, Gallorum nomine Heluetios appellari.

Bipartitò intulerunt.] Locus oſtendit legendum eſſe *Tripartitò*. nam triplex acies inſtructa eſt.

Victis ac ſummotis reſiſteret.] Ne regredi in Romanos poſſent. Paulò pòſt autem noſter antiquus & Romanus pro *ſuſtineret*, apertè ſcriptum habent *Exciperet.*

Ad veſperum.] Faernus & Romanus Ad veſperam. vtrumque dici fateor. ſed illud Cæſari familiarius: vt infrà cap. vlt Acriter vtrinque ad veſperum pugnatum eſt. Et de bel. ciu. 2. Magiſtris imperat nauium, vt primo veſpere ſcaphas ad litus impulſas habeant.

Mazaras ac tragulas.] Nonnulli, *Materas.* Vrſini & Stephani codex, *Mataras.* quod Gallici teli genus fuiſſe docuerunt alij ex ſcriptoribus antiquis. Itaque vnum addam ab illis prætermiſſum locum ex lib. ad Her. 4. Vt ſiquis Macedones appellaret, hoc modo: Non tam citò Sariſſæ Græcia potiti ſunt: aut idem Gallos ſignificans, dicat: Nec tam facilè ex Italia Materis tranſalpina depulſa eſt.

In nullam partem noctis.] Faernus & Vrſinus, *Nulla parte.* Mendoſè omnes. legendum vt in veteribus noſtris libris, Nullam partem. Nam hęc vetus locutio eſt, nota eruditis omnibus. Sic lib. 4. cap. 1. Sed maximam partem lacte atque pecore viuunt. Sed exemplorum plena ſunt omnia.

CAP. VI.

N*Octe intermiſſa.*] Mirè dictum pro Nocte interueniente, vel Noctis interuentu. nam Intermittere, omittere eſt. vt modò paulò antè, Nullam partem noctis itinere intermiſſo. Inf. dixit, Solis occaſu, cap. vlt. Acriter vtrinque vſque ad veſperum pugnatum eſt: Solis occaſu ſuas copias Arioniſtus in caſtra reduxit.

Millia perterritis, inducti.] Notanda locutio, cùm ad ſenſum, non ad verba res referatur.

Prima nocte.] Sic noſter Antiq. & Steph. Faerninus tamen & Romanus, Prima noctis vigilia. Sed quemadmodum Cęſar Prima luce dicere conſueuit, pro Diluculo, quidni etiam Prima nocte, dictum ab illo putemus, pro Crepuſculo? vt apud Plaut. in Curcul. Prima veſpera. Siue, inquit, media nox eſt, ſiue prima veſpera. Et apud hunc noſtrum, Primo veſpere: De bell. ciu. 2. Magiſtris imperat nauium, vt primo veſpere ſcaphas ad litus impulſas habeant. Denique ſic loquitur Aemilius Probus in Eumene: Hiſque præcipit, vt prima nocte quàm latiſſimè poſſint, ignes faciant. Sic noſter li. Ciu. 3. Poſtero die Cæſar ſimiliter, præmiſſis prima nocte impedimentis, &c.

Boios.] Boij vt Cęſar ſuperiùs dixit, trans Rhenum

num incoluerant: nunc cùm Rhenum omnibus copiis tranſiſſent, bello confecto ſedes in Gallia intra Aeduorum fines ponunt. Itaque Ciuitas illorum appellatur à Cæſare lib. 7. cap. 4.

Petentibus Æduis.] Opinor, vt eos Germanis, qui in Sequanis ſedes Arioviſto duce fixerant, opponerent. nam ſine graui cauſſa pauci tanta liberalitate non vtuntur.

In parem libertatis conditionem.] Libertatem quidem Boiis reliquerunt, quæ ad eorum perſonam pertinebat. At quantum ad fortunas, ſtipendium illis annuum impoſuerunt. lib. 7 cap. 2. Quod autem ſequitur *Acceperunt*, in omnibus noſtris antiquis rectiùs legitur *Receperunt*.

Literis Græcis confecta.] Id eſt forma Græcarum literarum, ſed Heluetio ſermone: vt omnes de quibus adhuc audire licuit, interpretantur. Sed veterum auctorum omnium atque adeò noſtri huius conſuetudo reclamat. Hinc (inquit lib. 5. cap. 12.) Græcis conſcriptam literis mittit, ne intercepta epiſtola, noſtra ab hoſtibus conſilia cognoſcantur. Aut igitur locum aliquem eruditi viri proferant, in quo Græcis literis conſcribere, vſurpatum ſit, pro literarum formas exarare: aut fateantur hunc locum eodem vt illum modo interpretandum Cic. de fin. 1. Cùm quæ Philoſophi Græco ſermone tractauiſſent, ea Latinis literis mandaremus. Tacitus de morib. Germ. Monummenta & tumulos quoſdam Græcis literis inſcriptos in confinio Germaniæ Rhetiæque adhuc extare. Salluſt. Catil. Literis Græcis & Latinis docta, pſallere & ſaltare elegantiùs quàm neceſſe eſt probæ. Liu. lib. 9. Vulgò tum Romanos pueros, ſicut nunc Græcis, ita Hetruſcis literis erudiri ſolitos. Idem in fi lib. 28. propter Iunonis Laciniæ templum æſtatem Annibal egit: ibíque aram condidit; dedicauítque eum ingenti rerum ab ſe geſtarum titulo Punicis Græcíſque literis inſculpto. Idem lib. 40. Literis Latinis Græcíſque vtraque arca inſcripta erat. Cic. de Diuin. 1. Tarutius in primis Chaldaicis literis eruditus. Interdum tamen literæ pro literarum notis vſurpantur, vt apud eundem Verr. 5. Quòd iſte ſi vnam Græcam literam ſciſſet, non ſuſtuliſſet. Item de nat. deor. 3. alter traditur Nilo natus, Ægyptius: quem aiunt Phrygius literas conſcripſiſſe. Ne multis morer, quemadmodum & noſtra, & patrum maiorumque memoria innumeri fuerunt in Heluetia qui Latinè ſcriberent: ita non dubito, quin Cæſaris tempore nonnulli fuerint aut nobiles, aut ſacerdotes, qui in adoleſcentia Græcam linguam, Maſſiliæ fortaſſe, didiciſſent: eáque maiores atque illuſtriores res ad ſuum vſum priuatum conſcripſiſſent. Denique iſto ſenſu veteres non dixiſſent Græcis literis ſcribere: ſed Græcarum literarum forma, vel notis vt apud Tacit. lib. 11. Nouas literarum formas addidit: comperto Græcam literaturam non ſimul cœptam abſolutámque Et mox: Et formæ literis Latinis quæ veterrimis Græcorum. Cicero Tuſcul. 5. aut qui ſonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis literarum notis terminauit. Atque hæc quidem hactenus. Quod autem Strabo lib. 4 ſcribit Gallos vſque adeò φιλέλληνας fuiſſe, vt etiam pacta & conuenta Græcè ſcriberent: nihil planè huc pertinet. primùm quia de Gallis, iiſque Maſſiliæ finitimis disertè loquitur: deinde quia rẽ illam tãquam nouã & ſuo tempore vſurpari cœptam commemorat

Ex his qui arma.] Summa omnium eſt ad trecenta ſexaginta octo millia: in quibus erant duntaxat nonaginta duo millia, qui arma ferre poſſent.

Millium C. & X.] Superfuerunt ex prælio C X X X millia. Rebellarunt atque in hoſtium numero habiti ſunt ad ſex millia. Reliqui omnes in deditionẽ accepti ſunt. Remiſſi ſunt ergo CXXIIII millia. Ponamus in itinere quatuor millia deperiiſſe: tamen ſupererant C X X millia. quomodo ſcripſiſſe Cæſarem arbitramur. Verùm, vt vt ſit, iſta vulgata ratione perierunt ad C C L V I I I millia. At Strabo lib. 4. τετταράκοντα inquit, μυριάδες σωμάτων διεφθάρησαν. τοὺς δὲ λοιποὺς σώζεσθαι μεθῆκεν εἰς ὀκτακισχιλίους, ὅπως μὴ τοῖς Γερμανοῖς, ὁμόροις οὖσιν, ἔρημον τὴν χώραν ἀνιῇ. Circiter quadraginta millia perierunt: reliquos incolumes domum remiſit ad octo millia, ne Germanis qui illorum finitimi ſunt, vacuos agros relinquerent. Oroſius quoque non amplius C L V I I millibus numerat, qui domo exierant. qui bello occubuerint, X L V I I millibus. Neque aliam ſoluendi nodi rationem video, niſi culpam in librarios, potiùs quàm in ſummum ac diligentiſſimum auctorem conferamus.

Millia nonagintaduo.] Plutarchus hoc amplius, Millia centum nonaginta: quod mihi ſanè probabilius videtur. καὶ πλῆθος ὁμαλῶς, τριάκοντα μὲν αἱ πᾶσαι μυριάδες ὄντες, εἴκοσι δὲ αἱ μαχόμεναι μιᾶς δέουσαι. Malè autem qui ſic verterunt: Atque ex his X I X millia ad pugnam apti. Nam vox μυριάδες repetenda erat.

CAP. VII.

Secretò atque in occulto.] Tres poſtremæ voces abſunt à noſtro & Faerni atq: Vrſini lib. & item Romano. Stephanicus autem eas retinet. Poteſt certè & prima tolli: vt ceteræ relinquantur. vt paulò pòſt, Quod ſoli ne in occulto quidem queri auderent. Et ſuprà cap. 4. Eadem ſecretò ab aliis quærit.

Ex vſu terræ Galliæ.] Vidi, qui vocem *Terræ* tollendam exiſtimabant, imperitè. Sic enim veteres loquebantur. Liuius lib. 39. Siquis eorum qui tum extra terram Italiam eſſent, nominaretur, &c.

Vnos ex omnibus Sequanos.] Hoc planè incredibile videtur: Sequanos, qui diuturna bella cum Æduis geſſerant, & Arioviſtum ſubſidio euocarant, in illo Æduorum cõſilio interfuiſſe, & de Arioviſto expellendo Cæſarem rogaſſe. Quare neceſſe eſt, vnum aut alterum tantùm è Sequanis eóſque perfugas interfuiſſe: quemadmodum ſuperiùs dictum eſt Dumnorigem Æduum tamen Sequanorum partibus ſtuduiſſe: ſuorúmque ciuium conſiliis aduerſatum eſſe.

Alterius Aruernos.] Infrà libro 6. cap 4. Sequanos nominat: mox coniunctim vtroſque Aruernos & Sequanos. Quantum autem ex Cæſaris hiſtoria licet intelligi, Aruerni alterius quidem factionis principatum tenebant, ſed Sequani in fide & clientela Aruernorum erant, & non ſuo, ſed Aruernorum nomine bellum contra Æduos gerebant. Mirus autem erat Sequanorum principatus: qui cùm Germanorum ope dominatum illum obtinuiſſent, nunc illorum ſeruitutem perferrent: vt mox ſequetur.

Amicitia Populi R.] De Æduorum fraternitate ſuprà dictum eſt.cap.3.

Romam veniſſe.] Idem lib.6.cap.4.Quia neceſſitate adductus Diuitiacus auxilij petendi cauſſa Romam ad Senatum profectus, infecta re redierat.

Cimbri Teutoniqúe.] Cimbrorum arma primùm audita ſunt anno DCXL. Cæcilio Metello, & Papyrio Carbone Coss. inquit Tacitus lib. de morib.Germ.Poſtea crebrò in Galliam venerunt, ac tandem à C. Mario quartùm & item quintùm Conſule in Italia ad flumen Atheſin ſuperati ſunt anno DCLII. Valer. lib.5. Plutarchus in Mario. Epit. LXVIII. Iul. Obſequens & Oroſius.

Reliquis tamen fuga.] Rectiſſimè Manutius, cùm in aliis impreſſis propè omnibus legatur. *Tantum.* quanuis in noſtro antiquo, atque adeò in Romano ſcriptum ſit *Tamen.* quod cùm huic noſtro, tum etiam Ciceroni vſitatiſſimum eſſe conſtat.

Obtemperaturos.]Sic Stephan.& alij complures: vt pronomen *Sibi* ad Cæſarem referatur. Magis tamen aliorum lib. ſcriptura placet: *Temperaturós*: vt pronomen ad Germanos pertineat. Sic enim ſup.cap.2. Temperaturos ab iniuria & maleficio exiſtimabat.

CAP. VIII.

LOcum deligeret.] Comiter hæc ſua mandata Cæſar narrat. Longè aliter Florus lib.3. Cùm legati,inquit,dicerent, Veni ad Cæſarem. Quis eſt autem Cæſar?& ſi vult,veniat,inquit:& quid ad illum quid agat noſtra Germania?non ego me interpono Romanis.

Siquid à ſe velit]Rectè Faern.Siquid ſe velit:& ita eſt in noſtro antiq. & Romano, & Stephanico.

Atque emolumento.] Fœdus error: & quem tandiu in his libris hæſiſſe planè indignum eſt. Corrigendum, *Molimento*: quo verbo Liuius & alij vtuntur,pro magno labore,opera & molitione.Hęc me ante decenniũ ſcripſiſſe teſtes habeo innumeros.Pòſt verò Faerni editę ſunt notę,in quibus hoc idem ab illo animaduerſum cognoui. Itaque ab exemplis proferendis ſuperſedebo.

Rex atque amicus.] De hac populi R.conſuetudine ſcripſimus in Manilianam Ciceronis.Nunc illud obſeruandum eſt,cùm Ædui fratres & conſanguinei toties à Senatu R. appellati eſſent, tamen Ariouiſtum,qui armis illos oppreſſerat,Regem & amicum ab eodem Senatu appellatum fuiſſe. Qua ex re de fideli Romanorum amicitia exiſtimari poteſt, quibus nihil iucundius erat, quàm gentes exteras armis inter ſe conflictari,& diuturnis bellis atteri.

Senatus ſenſuiſſet.]Ex hoc igitur S.C.belli huius gerendi auctoritatem Cæſar ſumpſit,eámque πρόφασιν habuit:quod tamen Dio lib.38.non attendit: cum facit milites Cæſari obiicientes, bellum,ſine lege, aut S.C.inferri: Cæſarem autem reſpondentem,bella quædam lege lata, quædam ſine lege ex tempore & ſubita neceſſitate geri.

Cæteróſque amicos.] At obiici Cæſari potuit, Ariouiſtum in hoc numero fuiſſe, & aliquot antè annis Regem, amicum ac ſocium appellatum fuiſſe.

Dicendum ſibi & cognoſcendum.] Faernus, *Di-*
A *ſcendum.* Sed ſic locutus eſt,quaſi dixiſſet: Dicendum & audiendum. Nam colloquium & communicatio quam Cęſar poſtulabat,dicendo & audiendo,id eſt ſermonibus vltrò citróque habendis,conſumitur.

Longè ab his fraternum.] Sic noſter, & Steph. Faernus & Vrſinus:Longè futurum fraternum nomen populi R.Sed vſitata placet.

CAP. IX.

B *IN eo manerent, quod conueniſſent.*] Sine dubio corrigendum eſt *conueniſſet*: ſingulari numero: vt in aliis quos vidi omnibus. Nam Conueniſſet: pro conuentum eſſet,modò dixit. Et locutio eſt vſitatiſſima:neque exemplorum res indiget.

Intra annos XIIII.] Placet ſcriptura lib. Stephanici, *Inter.* nam Inter annos Antiqui dicebant pro *Per annos.* vt in Verr.2. iampridem notauimus. Cicero in Quintiana: Qui inter tot annos ne appellarit quidem Quintium, &c. Titinnius apud
C Non. Marcellum: Quæ inter decem annos nequiſti vnam togam detexere.

Naſuam & Cimberium.] Noſter antiquus & Roman. Cimbreum, Nõ dubito quin Naſuam dicat, qui nunc Naſouius: & Cimbreum, qui nunc Zimber. Sic alio loco Duracium in Pictonibus numerat:quæ familia hodiéque viget.

In eo oppido difficultas.]Sic noſter & Stephan.& Romanus. Sed *Facultas* iampridem in multis impreſſis rectiſſimè reſtitutum eſt. Nunc enim pro
D copia vſurpatur.vt infrà lib.6. Tantas Italiæ facultates.

Alduaſdalis.] Placet noſtri Antiq. & Romani ſcriptura, Alduaſduſius.

Hunc murus circundatus arcem efficit.] Notandum,pro *Hic muro circundatus.*

Dicebant ferre potuiſſe] Placet Faerni ſententia, vt *Dicebant* tollatur. præſertim libris antiquis auctoribus.

Nõ magnum in re militari.]Ante hęc verba Co-
E dex Stephan.habuit, Magnum periculum miſerabantur.quę tamen in multis impreſſis rectè prætermiſſa fuiſſe,cùm ex loci ſententia, tum ex Vaticani libri auctoritate,quam Vrſinus protulit, intelligitur.

Æquitate conditionis.] Placet Faerni emendatio: vt *Conditionum* legatur.

Teſtamenta obſignabantur.] Florus ſic: Vt teſtamenta paſſim & in principiis ſcriberentur: id eſt etiam à primorum ordinum militibus.

F *Ad id concilium adhibitis.*] Nam in concilium adhibebãtur tantùm,qui in exercitu imperium, aut poteſtatem habebant: Concio ad milites habebatur.Noſter Ciuil.libr.2.Dimiſſo concilio,concionem aduocat militum.

A.C.Mario pulſis.] Auctores paulò ſuperiùs produximus. Quod autem exercitui C. Marij partem atque ipſi Imperatori laudem tribuit,ea cauſſa eſt, quod die pugnæ inter ipſum & hoſtes con-
G ſtituto, cæſa ſint hoſtium centum quadraginta millia: capta, ſexaginta. Notandum eſt autem Ciceronem Gallorum nomine Cimbros & Teutonos appellaſſe. Nam in Orat. de prou. conſul. Ipſe ille, inquit, C. Marius, cuius diuina atque eximia virtus magnis populi R. luctibus funeribúſque ſubuenit, influentes in Italiam Gallorum maximas copias repreſſit.

Quam

Quam ipſe imperator.] C. Marius. vt quiuis Latinè peritus, facilè perſpiciet. Sed Plutarchus vel imperito vtens interprete, vel ipſe minùs peritus, ita Cæſaris ſententiam peruertit: μήτε κρείττοσι μᾶλλον κίμβρων μάχεσθαι πολεμίοις, μήτε αὐτὸς ἂν μαρίου χείρων στρατηγός.

Seruili tumultu.] De quo Epitom. Liu. 97. M. Craſſus Prætor primum cum parte fugitiuorum quæ ex Gallis Germaniſque conſtabat, feliciter pugnauit: cæſis inimicorum XXXV millibus: & duce eorum Granico. Quod idem Plutarchus in Craſſo ſcribit. Tumultus autem initium ex gladiatorum familiis natum eſt: quorum complures Germanos fuiſſe locus hic apertè oſtendit. De Germanis etiam beſtiariis memorabile eſt quod Seneca lib. Epiſt. 10. ita ſcribit: Nuper in ludo beſtiariorum vnus è Germanis cùm ad matutina ſpectacula pararetur, ſeceſſit ad exonerandum corpus. nullum aliud illi dabitur ſine cuſtode ſecretum. ibi lignum id quod ad emungenda obſcœna adherente ſpongia poſitum eſt, totum in gulam farſit, & præcluſis faucibus ſpiritum eliſit.

Quos tamen.] Subaudiendum, Seruos, & hoc Cęſari familiare eſt.

Denique Germanos.] Probo ſcripturam quam in libro Stephani reperio: Denique hos eſſe eoſdem, quibuſcum ſæpenumero, &c.

Ac Victores.] Claudio legato, & Varinio prætore, & Lentulo & C. Craſſo Coſs. ſuperatus. Flor. lib. 3. Epit. 95.

Inermes.] Videndus Flor. lib. 3.

Hos ſi quærerent, reperiri poſſe.] Sic Aldus. ſed rectiùs Stephani liber & multi peruulgati: Hos, ſi quærerent, reperire poſſe.

Defatigatis Gallis.] Nihil mutandum, tametſi Defatigatus Gallos in quarto caſu poſtulare conſuetudo videatur. Sed aliis locis non paucis ita locutus eſt, vt paulò infrà: Committendum non putabat, vt pulſis hoſtibus dici poſſet eos à ſe circumuentus.

Ratione ac conſilio.] Dolo & inſidiis.

Cui rationi.] Mendosè in peruulgatis à ſuperiore ſeiungitur. nam ſenſus eſt, Dolo & arte ſuperatos Gallos: quo dolo capi quidem Galli barbari & imperiti potuerint, at Romani viri periti & callidi, tanto præſertim ductore, non poſſint.

Rei frumentariæ ſimulationem.] Nihil muto: neque obſcura ſententia eſt: ſimulationem hāc à militibus quæſitam frumentariæ difficultatis. Sed tamen ſiquis vetus liber DIFFICVLTATEM ſcriptum haberet, facile comprobarem.

Præſcribere auderent.] Ita placet: quamuis in Romano & Aldi & Faerni libris ſcriptū ſit, *Viderētur*.

Perpetua vitæ felicitate.] Neque vtrique ſuperiori reſpondet, neque felicitatis perpetuitas in omni vita ad bellicam fortunam pertinet. Sic igitur legendum arbitramur: Suam innocentiam, perpetua vita: felicitatem, bello Heluetiorum eſſe perſpectam. Innocentiam autem auaritiæ oppoſuit. Sed benè habet video nunc Manutium in ſuo libro ita emendaſſe: & impreſſiſſe.

Repræſentaturum.] Sunt qui *Tentaturum* corrigendum putant: & Beroaldum auctorem laudant. Imperitè. Nam Repræſentare verbum eſt Iuris, pro Ante diem præſtare, aut facere, aut ſoluere. Cuius rei exempla multa in Comment. verb.

A Iur. expoſuimus. Itaque mihi dubium non eſt, quin apud Hircium de bell. Alex. mendum ſit eo loco vbi ſic legitur: Cæſar reſpondit ſe fore æquiſſimum Pharnaci, ſi quæ polliceretur, repræſentaturus eſſet. Legendum enim arbitror, *Re præſtaturus* eſſet.

Decima legione.] Hunc locum Dio lib. 38. explicans ſubiungit, moris fuiſſe, vt Romanæ legiones ex delectuum ordine appellarentur. Frontinus autem lib. Stratag. 1. C. Cęſar, inquit, aduerſus Germa-B nos & Arioviſtum pugnaturus, confuſis ſuorum animis, pro concione dixit, nullius ſe eo die opera, niſi decimæ legionis vſurum: quo conſecutus eſt, vt decimam tanquam præcipuæ fortitudinis teſtimonio cogeret, & ceteros puderet, ne penes alios gloria virtutis eſſet.

Prætoriam cohortem.] Cohors prætoria dicebatur manus peditum, quos Dux belli, ſui præſidij cauſſa, circum ſe habebat.

Primorum ordinum centuriones.] Hi ſunt Centu-C rio primipili, Primus princeps, Primus haſtatus, quorum maxima erat dignitas in legione.

CAP. X.

Arioviſti copias à noſtris.] Ita legendum eſt auctoribus omnibus antiquis. nam mendosè quidam nuper *Caſtris* repoſuerunt.

In eos legionarios milites.] Veteres lib. in queis Steph. *Legionarios eo milites.* quod ſine dubio re-D ctum eſt.

Ad equum reſcribere.] In omnibus antiquis, Nunc ad equum reſcribere. Eſt autem militare hoc verbum. Nam ſcribi legiones dicuntur, cùm inſtituuntur. Reſcribi verò cùm ordo earum mutatur: vt ſi ex pedeſtribus copiis equeſtres fiunt. Liuius lib. 8. Scribebantur autem quatuor ferè legiones quinis millibus peditum, equitibus in ſingulas legiones trecenis. Idem lib. 9. Delectus propè omnium voluntariorum fuit: reſcriptæ ex E eodem milite nouæ legiones: ductúſque ad Candium exercitus. Valer. Max. lib. 2. cap. 7. Decreuerunt, vt ex iis qui equo meruerunt, peditum numero militarent; qui pedites fuerant, in funditorum auxilia tranſcriberentur.

A caſtris Arioviſti & Cæſaris.] Video eſſe qui reponant *A Caſtris vtriuſque.* quod ſi codicem antiquum auctorem haberemus, non diſpliceret. Sed Stephan. & alij vulgatam retinent.

Munera ampliſſimè miſſa.] Dixi de hoc more in F Manilianam.

Et à Romanis pro maximis.] Liber antiquus Henrici Stephani: Et pro magnis hominum, &c. Sic Liuius libro 40. Nominis eius honorem pro magnis erga ſe Regum meritis dare populum Romanum conſueſſe.

Auctores velis eſſe.] *Auctos* reponit Faernus ex antiquo libro: quod idem & de meo teſtificor.

Omnes Galliæ ciuitates.] Elatoriè & militariter G dictum, cùm ab iis demum oppugnatus ſit, quæ in fide & clientela Æduorum erant.

Fines ingreſſum.] Emendo, *Finibus egreſſum*: vt in noſtro antiquo & Stephanico & Aldino, & Romano, quamuis in quamplurimis peruulgatis ita legatur, quaſi Galliam bracchatam dicat: quo nihil ineptius fingi poteſt. nam Galliam prouinciam veteres coniunctè dicebant, cum

eam partem quæ Populo Romano pacata erat, ſignificabant, vt ſuperius dictum eſt.

Quod ex SC. Æduos.] Deeſſe arbitror verbum CÆSAR: aut admodum longe repetendum.

Bello Allobrogum proximo.] De quo in Epit. 60.

Quos Ædui ſecum.] Vocem *Ædui* ex gloſſa in contextum irrepſiſſe arbitror.

Debere ſe ſuſpicari.] Verbum *Debere*, Faernus auctoribus antiquis libris tollendum putabat. Ego ex *Eare* conflatum arbitror. quo modo reſtituendum locum putarem. Vſitatam autem eſſe hanc locutionem pro *Iccirco*, nemo eruditus ignorat.

Eius mortem redimere.] Pro *Emere*. vt, Verrina 5. Hæc verò quæ vel vita redimi rectè poſſent, pecunia æſtimare non queo.

Fabio Maximo.] Vnde Allobrogicus dictus. qua de re cognoſce ex Epit. 61. Strabone lib. 4. Plinio libro ſeptimo, Velleio libro 2.

In prouinciam.] In prouinciæ formam redigi dicebantur, quæ vectigal pendere iubebantur, quibuſque ſuæ leges adimebantur, vt in eas iuriſdicendi cauſſa quotannis Magiſtratus à populo Romano cum ſummo imperio mitterentur: vt eodem illo anno de Narbonenſi prouincia factum eſt. Quæ verò ſuis legibus vtebantur, Liberæ dicebantur: vt mox tribus verſibus interiectis.

Aruernos.] rectè Aruernos nominat. nam eorũ in fide clientela erant Sequani. quorum in finib. Arioviſtus conſederat.

Ad noſtros adequitare.] Placet Vrſiniani libri ſcriptura, vt vox, *Ad*, deleatur. Sic enim antiqui dicebant, Arbitrum adigere.

CAP. XI.

COmmiſſum cum equitatu prælium.] Faernus & Vrſinus vocem *Commiſſum*, vt ſuperuacaneã, reiecerunt: quibus Stephanius & Romanus aſtipulantur. Et ſane inſolens locutio eſt, Commiſſum fore, pro commiſſum iri. Poſſet quidem ita defendi, quaſi ordo hic eſſet: Nam etſi videbat prælium legionis delectæ cum equitatu commiſſum, fore ſine periculo. Sed deterius mendum ſubeſſe arbitror, ſub illis vocibus, *Cum equitatu*. Nam legio quoque in equos impoſita fuerat: atque vtrinque prælium equeſtre futurum erat. Itaque cogitandum videtur, ecquid particula *Cum* ſublata, loco ſua ſententia conſtare poſſit. Nam equeſtre prælium ſine dubio rectiſſimè conueniret. Sic autem infrà cap. 12. Reliquos omnes equitatu conſecuti noſtri, &c. Et lib. 4. cap. 1. Omni hoc itinere equitatu vna nocte confecto.

Per fidem in colloquio circumuentos.] Vetus Codex: Perfidè. quod vt non facile repudiandum, ita nec temere recipiendum eſt. Quid ſi, Per fidem colloquij? vt lib. Ciuil. 2. Homines imperitos, & per colloquium deceptos crudeliſſimè interfeciſſe. Salluſt. in Iugurth. Quod ei per maximam amicitiam maxima copia fallendi erat. Seneca de diuin. prou. Multa millia ciuium R. vno loco poſt fidem, imo per ipſam fidem trucidata. Plaut. Moſtellar. per fidem deceptus ſum. hoſpes hic me necauit. Eſt autem locus communis de fide hoſti ſeruanda. Non ſeruauit tamen Labienus, Cæſaris legatus, cùm per colloquij ſimulationem Comium Atrebatem interficere conatus eſt, vt infrà lib. 8. cap. 3. Non ſeruauit Cn. Domitius, qui Bituitum Aruernorum Regem per colloquij ſimulationem accerſitum vinxit, & Romam naui deportandum curauit. Valerius lib. 9. cap. 6.

In vulgus militum relatum.] Noſter antiquus, & Romanus *Elatum*. quod magis placet. Cicer. de Orat. 1. Peto à vobis, ne has meas ineptias efferatis.

Peccandi locus.] Id eſt, nullo prætextu lædi poterat: nulla eius lædendi occaſio prætexi poterat. Sic Cic. Verr. 111. Non eſt, non eſt in hoc homine cuiquam peccandi locus. Id eſt, Qui Verrem abſoluerit, nulla præſcriptione ſuum crimen tegere poterit: vt Cæſar alibi loquitur.

Arioviſtus vtebatur.] Propter annorum XIIII. conſuetudinem. Locus hic eorum errorem coarguit, qui tradunt, Gallicam linguam eandem cum Germanica fuiſſe. Qua tamen in diſputatione ſemper meminiſſe oportet, quod Cæſar de principio tradidit, trium Galliæ partium ſingulas ſua ac propria lingua & ſermone vſas fuiſſe.

Pedites velociſſimi.] Sic Tacitus? Eóque mixti prœliabantur apta & congruente ad equeſtrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuuentute delectos ante aciem locant. Hanc Germanicam induſtriam Cæſar poſtea imitatus eſt in bello ciuili: vt patet libro 3. cap. 16. Adoleſcentes expeditos electos ad pernicitatem armis inter equites præliari iubebat, &c. Item libr. 8. cap. 3.

Noſtros deterrerent.] Omnes antiqui *Perterrerent*. quod rectum puto.

Velociſſimi ac fortiſſimi.] Fortitudo plerunque ad animum, ſed hoc loco ad vires & robur corporis refertur. vt fortiſſimos dixerit. pro valentiſſimis ac robuſtiſſimis. Sic Cic. Offi. 1. Neque vlla re longius abſumus à natura ferarum: in quibus ineſſe fortitudinem ſæpe dicimus, vt in equis, in leonibus. Sic noſter ligna fortiſſima dixit. lib. de Bell ciuil. 2.

Sortibus ac vaticinationibus.] Quis non miretur Plutarchum legiſſe *vorticibus*. ἔτι δὲ μᾶλλον αὐτοὺς ἤμβλυνε τὰ μαντεύματα τῶν ἱερῶν γυναικῶν, αἳ ποταμῶν δίναις προσβλέπουσαι, καὶ ῥευμάτων ἑλιγμοῖς καὶ ψόφοις τεκμαιρόμεναι προεθέσπιζον οὐκ ἐῶσαι μάχην τιθέναι. Ego tamen *Sortibus* retineo. de quibus Corn. Tacitus in lib. de mor. German. Ex hoc autem ſortilegarum genere fuit illa Velleda. de qua in eod. Taciti libro. & lib. XX. Ea virgo nationis Bructeræ latè imperitabat, vetere apud Germanos more: quo pleraſque fœminarum fatidicas, & augeſcente ſuperſtitione arbitrentur Deas. Vorticibus tamen vſos Germanos in quibuſdam diuinationibus & ſortilegiis, docuimus in Diſputat. Feud. cap. penult.

CAP. XII.

POſtridie eius diei.] Ergo, vt Plutarchus quoque obſeruauit, ex Germanorum ſuperſtitione pugnandi occaſionem Cæſar arripuit. Itaque Frontinus ſtratagematis loco factum hoc numerat, lib. 2. cap. 1.

Generatímque conſtiterunt.] Non permixtis & confuſis gentibus, ſed ſuo cuique genti ordine conſtituto: vt Harudes à Marcomannis, & deinceps alij ab aliis diſtincti eſſent. Sic lib. 7. Hoc ſe colle Galli continebant, generatímque di-

ſtributi

ſtributi in ciuitates,omnia vada,&c.

Singulos legatos.] Sex igitur legatos hoc bello Cæſar habuit. Nam ſuperius ſex legiones nominauit.

Paſſis manibus flentes.] Noſter antiquus *Crinibus*, cui Romanus codex aſtipulatur. Vtra melior ſit, ſatis conſtituere non poſſum. Gallicis quidem mulieribus vtrunque hunc morem vſitatum fuiſſe, patet ex lib. 7. cap. 8. & cap. 9. Et pectore nudo prominentes paſſis manibus obteſtabantur Romanos. Et mox: Matresfa. quæ paulò antè Romanis de muro manus tendebant, ſuos obteſtari, & more Gallico paſſum capillum oſtentare cœperunt. Videtur conſuetudo fuiſſe vt in exteris rogandis, paſſis manibus: in ſuis, paſſis crinibus vterentur. Tacit. in libell. de mor. Germ. Quódque præcipuum, inquit, fortitudinis incitamentum eſt, non caſus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit. ſed familiæ & propinquitates, & in proxima pignora. vnde fœminarum vlulatus audiri, vnde vagitus infantium. Memoriæ proditur quaſdam acies inclinatas iam & labantes à fœminis reſtitutas conſtantia precum, & obiectu pectorum, & mõſtrata cominus captiuitate, quam longè impatientiùs fœminarum ſuarum nomine timent.

Pila in hoſtes coniiciendi.] Nihil ſine vetuſti libri auctoritate mutandum cenſeo. Planius tamen *Noſtros* pro *In hoſtes* legeretur.

Phalange facta.) Quam coacto in vnum agmine (ait Oroſius) ſcutiſque ſupra capita contextis ad rumpendam Romanorum aciem tuti vndique præſtrinxerunt. Sed poſtquam aliqui Romanorum militum ſupra obductam ſalire teſtudinem, ſcutiſque ſigillatim velut ſquamis reuulſis deſuper nudos deprehenſorum delectorúmque humeros perfoderunt, &c.

Circiter quinque.) Ego, *Quinquaginta* libris omnibus repugnantibus corrigendum arbitror. primùm quoniam hunc numerum vetus Oroſij impreſſus liber prodit. deinde quia Plutar. τετρακοσίους σταδίους poſuit. Nam cùm octo ſtadia milliariũ vnum conficiant, ſequitur vt quadringenta efficiant milliaria quinquaginta. Neque me mouet, quòd in vulgatis Plutarchi libris legitur, τριακοσίους. Nam & vetus interpres Quadringenta poſuit, & Henr. Stephan. Græcæ linguæ peritiſſimus, & harum rerum obſeruator diligentiſſimus, τετρακοσίους in alijs libris legi teſtatus eſt. Itaque Beato Rhenano ſummo ac ſingulari viro aſſentiri non poſſum, qui prælium hoc commiſſum putat ad ædem Apollinaris, quæ milliare vnum Germanicum à Baſilea & Rheno diſtat. Nam paulò ſuperiùs Cæſar ſcribit ea ſe loco caſtra habuiſſe, quo à Sequanis & Heduis commeatus ſupportaretur. Neque mirum videri oportet, ſi quinquaginta paſſuum millia fugientes fecerint: cùm Cæſaris exercitus interdum vno die xx. interdum xxv millia confeciſſe conſtet. vt lib. 5. cap. 12. & lib. 7. cap 6. Vegetius autem lib. 1. ſcribit, tyrones horis quinque æſtiuis viginti aut viginti quatuor paſſuum millia ambulare aut pleno gradu conficere.

Scuta reuellerent.] Locus hic oſtendit, phalangem dici, cùm milites ſcutis in caput ſubleuatis confertam aciem ita contegunt, vt propè teſtudo videatur. Idque Florus lib. 3. de hac pugna loquens, oſtendit: Qui calor (inquit) in præliando militum R. fuerit, nullo magis exprimi poteſt, quàm quòd elatis ſuper caput ſcutis, cùm ſe veluti teſtudine barbarus tegeret, ſuper ipſa Romani ſcuta ſalierunt, & inde in iugulos gladiis deſcendebant. Idémque ſcribit Dio lib. 38. extremo.

In his fuit Arioniſtus.] At hunc lib. 5. cap 9. mortuum ſcribit. Vel igitur accepto vulnere, vel animi mœrore paucis pòſt diebus interiit.

Reliquos omnes.] Plutarchus ſcribit, cæſa hoc prœlio non minùs octoginta millia. quod idem tradit Appian. in Celtico.

Quos vbi qui proximi.] Ex lib. 4. & locis aliis innumeris reſtituendum arbitror, *Quos cùm Vbij qui proximè Rhenum incolunt.* Nam & hi proximè Rhenum incolebant, & veteres inimicitias cum Sueuis gerebant. Hæc cùm multis antè annis ſcripſiſſem, animaduerti nunc Beatum Rhenanum virum doctiſſimum lib. 3. Rer. Germ. in eadem ſententia fuiſſe.

Ad conuentus agendos.] Verbum iuris, de quo in commentario noſtro dictum eſt Liu. lib. 41. Siculorum ciuitatibus Syracuſas, aut Meſſanam, aut Lilybæum indicitur concilium. Prætor Romanus conuentus agit. eò imperio euocati conueniunt. excelſo in ſuggeſtu ſuperba iura reddentem ſtipatum lictoribus vident. virgæ tergo, ſecures ceruicibus imminent, & quotannis alium atque alium hominum ſortiuntur.

Qui ripas Rheni incolunt.] Nonnulli Codices: *Qui cis Rhenum incolunt.* de quibus lib. 6. cap. 6.

Vnum imperium.] Paucis pòſt verſibus, Regium imperium nominat, ſub Rege Galba.

Liber II.

CAP. I.

A*B nonnullis etiam quòd in Gallia à potentioribus.*] Legendum arbitror, *Ab nonnullis etiam potentioribus.* Nam qui nouis imperiis ſtudebant, potentioribus qui regna occupare conabantur, ſuam operam nauare cupiebant.

Regna occupabantur.] Regna ergo tum dicebantur quæ in Perſide Satrapiæ: poſtea Ducatus, Comitatus, Marchiæ dictæ ſunt.

Imperio noſtro conſequi.] Cod. Stephanicus, *In imperio.* quod placet. nam & in Aldina eſt.

Ineunte æſtate.] Idem liber & alij complures *Inita* de quo nihil affirmo.

Qui ripas Rheni incolunt.] Noſter & Romanus, & Stephanicus, *Qui cis Rhenum incolunt*, quod verum eſſe poſtea conſtabit.

Et vnum imperium.] *Et* à Steph. libro abeſt: rectè, meo iudicio.

Ingredi prohibuiſſent.] Idem liber, *Prohibuerint*, quod non improbo.

Proximi Galliæ.] Ei parti quæ propriè Gallia dicitur.

Regem Galbam.] Ergo apud Dionem lib. 39. mendum eſt, vbi Adra Rex iſte nominatur.

Summam totius Belli.] Stephan. & Romanus, Prudentiámque ſuam totius belli ſummam. Aldin. & noſter, Suam ſummam totius belli. Sed pronomen *ſuam* delendum arbitror.

Aquitanis loquens τοὺς δὲ λοιποὺς, Γαλατικὴν μὲν τὴν ὄψιν, ὁμογλώττους δ' οὐ πάντας, ἀλλ' ἐνίους μικρὸν παραλλάττοντας ταῖς γλώτταις.

Fortiſſimi Belgæ.] Infrà lib. 2. ſcribit, pleroſque Belgas à Germanis eſſe ortos, Rhenúmque antiquitus traductos.

Humanitate prouinciæ.] Sic omnes libri, in queis etiam Aimoinicus. Videri tamen poſſet vox *Prouinciæ* ſuperare. Nam Ammianus locum ſic exſcripſit: Horum omnium apud veteres Belgæ dicebantur eſſe fortiſſimi, ea propter quod ab humaniore cultu longe diſcreti, nec aduentitiis effœminati delitiis, diu cum Tranſrhenanis certauêre Germanis. Sed conferendus alter & Cæſaris & Ammiani locus, vbi ex contrario ſcribunt, Aquitanos propter propinquitatem prouinciæ moribus ad mollitiem lapſis ſuperari. aſſuefactos tandem, ſub Romanorum imperium redactos fuiſſe. Denique veterum hæc opinio fuit, propter Maſſiliæ præſertim ciuitatis cultum. Nam Iuſtin. lib. 43. Ab his, inquit, (de Maſſilienſibus loquitur) Galli & vſum vitæ cultioris, depoſita & manſuefacta barbaria, & agrorum cultus, & vrbes mœnibus cingere didicerunt.

Qua de cauſſa.] Inſignis locus: Germanos virtutis militaris cauſſam & Belgis, & Heluetiis præbuiſſe. quod etiam de Heluetiis P. Oroſius teſtatur. Totus autem hic locus nota parentheſis includendus eſt: ne deſcriptionem Aimoini ſequamur: qui paginæ propè vnius locum immutauit: in quo tamen non tam rerum fortaſſe, quàm auctoris huius ordinem conturbauit.

Eorum vna pars.] Huius pronominis ratio erat, vt ad proximos, id eſt Belgas referretur. Itaque rectiſſimè locum Aimoinus ſic interpretatur: Eorum vna pars, qui ſpecialiter Galli dicuntur, &c.

Inferiorem partem Rheni.] Sic Aimoinus. nonnulli *Interiorem* quod abſurdum eſt. Nam inferiorem appellat, quæ in mare influit. Itaque Strabo, inquit μέχρι, inquit, τῶν ἐκβολῶν τοῦ ῥήνου

Et eam partem.] Aimoinus: *Et ad eam.* quod placet.

Ad Pyrenæos. Aimoinus: *Vſque ad Pyrenæos,* quod abſurde eſt.

Partem Oceani.] Ita placet, cùm apud Aimoinum vox *Oceani* deſit.

Ciuitati perſuaſit.] Obſcuriſſimus locus. nam ſi ciuitati Heluetiorum perſuaſit, regula iuris eſt, vt referatur ad vniuerſos, quod publicè fit per maiorem partem. Quomodo igitur, quod ciuitas probauit, poſtea in crimē & ſupplicium vocaſſet? Hoc mihi obſcurum eſſe fateor: cogitandúmque arbitror, ecquid potius legendum ſit, *Et,* vel *Eis,* vel *Eis iam.* præſertim cùm in antiquis libris mox ſequatur, *Cum omnibus ſuis copiis.* vt de nobilitate tantùm & eorum clientelis coniuratio intelligatur. Dio tamen lib. 38. & alij complures hanc migrationem vniuerſæ gentis Heluetiæ communi concilio ſuſceptam exiſtimant. Verùm id poſt Orgetorigis mortem publico concilio factum oportet. Ciuitas autem nomē eſt ex eorum numero (vt ait Gellius) quæ πολύσημα & multiplicia ſunt. nam & vrbē, & ciuium multitudinē, & ius ciuitatis ſignificat. Apud Cæſarem autem plerunq. ponitur pro gente, quæ cum eadem lingua, tum etiam eodem iure iiſdémque legibus vtitur, & vnum imperium, vnúmque magiſtratum habet. vt cùm in-

A frà nominatur Ciuitas Biturigum, Sueſſionum Æduorum, Aruernorum. Sic libr. Ciuil. 1. cap. 2. Ciuitatem eſſe in armis: cùm Populum R. ſignificet.

Virtute præſtarent.] Notandum etiam quod infrà Cæſar ſcribit, Heluetios florentiſſimis rebus domos ſuas reliquiſſe: ne quis eos putet inopia coactos ad hoc conſilium deſcendiſſe.

Tuti continentur.] Vox *Tuti,* abeſt tum à noſtro exemplari veteri, tum ab eo codice antiquiſſimo,
B quem mihi Henricus Stephanus vir longè doctiſſimus eommodauit. Rectè autem abeſt. non enim idcircò illos emigraſſe ſcribit, quòd tuti continerentur: ſed idcircò vagari & graſſari bellicoſos homines non potuiſſe, quod vndique natura loci, tanquam ferè carceribus, continerentur. Nam *Continerentur* legendum arbitror. Sic infrà cap. 9. Idque natura loci ſic muniebatur, &c. Et lib. 3. cap. 1. Qui vicus altiſſimis montibus vndique continetur. Et li. 6. cap. 1. Perpetuis paludibus ſyluiſque mu-
C niti. Vox igitur *Tuti* ſub verbo *Muniti* pro gloſſa ſubſcripta in contextum irrepſit. Et hoc idem nunc video Faernum & Vrſinum obſeruaſſe.

Prouinciam noſtram ab Heluetiis.] Nunc Allobroges ſignificat. Itaque perperam Aimoinus locum hunc de ora maritima, & vetere prouincia interpretatur.

Lege confirmant.] Legem hoc loco publici totius ciuitatis conſilio, & ex ciuitatis auctoritate ſancitam, intelligere non poſſumus. alioqui fa-
D ctum lege probatum in crimen non vocaretur. Legem igitur modò pactionem & fœdus coniuratorum dicit.

Cum proximis ciuitatibus. [Hæc clandeſtinò fieri potuiſſe, mirum eſt. nam fœdera ciuitatum nomine non niſi publico conſilio fiunt. Sed tamen cùm in crimen vocatum ſit, priuata hæc conſilia fuiſſe neceſſe eſt.

Lege confirmant.] Rurſus Legem pro fœdere & pactionibus clandeſtinis intelligi oportet.

E *Amicus appellatus.*] Mirum eſt, tantam Senatus populíque Romani potentiam apud exteras gentes fuiſſe, vt Reges ſatis ſtabilem ſuam fortunam non putarent, niſi Senatum R. ſui imperij auctorem haberent. Itaque magnis iacturis & largitionibus eam ſibi auctoritatem comparabant. De more autem appellandorum Regum, ſcripſi in Manilianam Ciceronis.

Vt idem conaretur perſuadet.] Et hoc *Perſuadet,* & illa quæ mox ſequuntur *filiis probas,* è gloſſa in-
F terpretum ſumpta arbitramur.

Fratri Diuitiaci.] De hoc Diuitiaco meminit Cicero li. de Diuin. his verbis: ſiquidem & in Gallia Druydes ſunt, è quibus ipſe Diuitiacum Heduū cognoui: qui & naturæ rationem, quam phyſiologiam Græci appellant, notam eſſe ſibi profitebatur, & partim auguriis, partim coniectura, quæ eſſent futura, dicebat.

Sua ciuitatis imperium.] Imò *Exercitus,* qui ex
G Heluetiis exceſſurus erat.

Regno occupato.] Videri poſſent abundare. ſed Regnum modò non pro regionibus, ſed pro imperio & regia dignitate poſuit: quaſi dixiſſet, Si Regiam dignitatem occupent.

Potentiſſimos ac firmiſſimos.] Noſter antiquus, *Fortiſſimos.* quod idem video in libro Romæ centum abhinc annis impreſſo. Sic ſup. Horum omnium

nium fortiſſimi ſunt Belgæ. Tres autem populos dicit, Heluetios, Æduos, & Sequanos: quorum hi duo totius Galliæ principatum obtinebant. de principatu certè omnibus annis inter ſe contenderant. vt lib. 6. cap. 4. Sequanos enim pro Aruernis, & viciſſim hos pro illis, Cæſar interdum appellat: vt alibi diximus.

Omnem ſuam familiam.] Qui vel in poſſeſſionibus ipſius, ac ruſticis rebus, vel in vectigalibus exercendis operas dabant. Nam hunc Heluetiorum vectigalia eodem modo redempta habuiſſe, vt Dumnorigem apud Æduos, conſentaneum videtur.

Clientes obæratóſque ſuos.] Liber Henric. Stephani: Oberratoréſque ſuos. quod etſi abſurdum videtur, tamen teſtari nihil fuit incommodi. Tacitus lib. 3: Aliud vulgus, obæratorum aut clientium arma cepit.

Per eos.] Cùm iudicibus arma intentarent.

CAP. II.

P*Oſt eius mortem.*] Mirum eſt plus Orgetorigis mortui quàm viui conſilium apud Heluetios potuiſſe. Nunc enim publicum conſilium ad illam priuatorum coniurationem acceſſiſſe, intelligendum eſt.

Sibi vnumquenque.] Codex Henr. Stephani eruditiſſimi viri, *Sibi quenque.* Sic etiam Aldinus.

Oppida ſua omnia.] His adducti verbis, omnes quos videre licuit, hiſtorici, Plutarchus, Appianus, Dio, Tacitus, Florus, Oroſius confidenter affirmarunt, vniuerſam gentem Heluetiam publico conſilio, vaſtatis agris, patriiſque ſedibus relictis, in Galliam cum vxoribus ac liberis demigraſſe: vacuámque totam illam regionem reliquiſſe. Ego dubitandi cauſſas habeo non paucas. Primùm enim ſi verum hoc fuiſſet, cui dubium eſt, quin Romani, qui paucis antè annis Geneuã & vniuerſam finitimam Allobrogũ regionem occuparant, cõfeſtim in illam vacuam poſſeſſionẽ inuaſiſſent? Deinde ſuperiùs Cæſar dixit, migrationis iſtius conſilium à nobilitate tantùm, & clàm atque arcano captum fuiſſe: partémque plebis aliquam bellandi cupidam clandeſtinis conſiliis concitaſſe. Præterea cui probabitur in tantis Heluetiorum finibus oppida tantummodò fuiſſe XII: indigenáſque omnes patriæ deſerendæ animum habuiſſe? cùm in permultis regionis illius partibus agros feraciſſimos maximéque frumentarios eſſe conſtet: ac paulò pòſt cap. 7. Cæſar dilucidè ſcribat, res Heluetiorum hoc tempore florentiſſimas fuiſſe. Cauſſæ igitur ſuæ Cæſar ſeruit, quèm Suetonius ſcribit, in hoc Gallico imperio, nulla quantumuis iniuſti ac periculoſi belli occaſione abſtinuiſſe: gentéſque feras vltrò laceſſiſſe: adeò vt nonnulli in Senatu Gallis eum dedendum cenſuerint. Veritatis tamẽ indicia multis ſuperſunt horum librorum locis: ſed præſertim apud Ciceronem lib. Epiſt. ad Att. 1. ep. 17. Atque, inquit, in Rep. nunc quidem maximè Gallici belli verſatur metus. nam Ædui fratres noſtri pugnant, Sequani malè pugnarunt: & Heluetij ſine dubio ſunt in armis, excurſionéſque in prouinciam (*id eſt Allobrogas*) faciunt. Senatus decreuit, vt Conſules duas Gallias ſortirentur: delectus haberetur: vacationes ne valerent: legati cum auctoritate mitterentur, A qui adirent Galliæ ciuitates: daréntque operam, ne eæ cũ Heluetis ſe iungerent. Quibus ex verbis perſpicuum eſt, primum inter Æduos Sequanóſque (qui in ditione & fide Aruernorũ erant) bellum fuiſſe: quod Cæſar planius exponit, hoc ipſo lib. cap 7. & lib. 6. cap. 4. Idque adeò diuturnum fuiſſe, vt Arioviſtus qui à Sequanis conductus, ſubſidio eis venerat, quatuordecim iam annos in iis locis conſediſſet. Deinde cùm Allobrogum fines Romani per vim nuper occupaſſent, quorum Æ- B dui amici ſocij ac fratres erãt, Heluetios tam propinqua latronũ vicinitate permotos, ſeſe Aruernis iunxiſſe, excurſionéſq; in Allobrogicam prouinciam aduerſus Romanorum præſidia facere cœpiſſe. Quo tumultu Romam nuntiato, perterritum Senatum, ea quæ Cicero ſcribit, & ſummi terroris indicia fuerunt, decreuiſſe. Iam verò cùm idem addit Senatum metuiſſe, ne Galliæ ciuitates ſeſe cum Heluetiis coniungerent, annon perſpicuè oſtendit, Heluetios non patriæ deſerendæ, C ſed belli Romanis inferendi conſilio manus illas coegiſſe? Quod autem Cæſar aliquoties ſcribit, Heluetios in animo habuiſſe in Santonum fines proficiſci: intelligendum eſt, Santones Aruernorum clientes, ac proinde Sequanorum ſocios fuiſſe: cúmque ab Æduis premerentur, idem quod Sequanos feciſſe: externáque auxilia ex Heluetiis conduxiſſe, qui partim bonitate agrorum illecti, partim à Santõnibus inuitati vxores ac liberos ſecum eduxerant: vt quemad- D modum Germani in Sequanorum finibus ſedes fixerant, ſic illi in Santonum agros emigrarent: ibíque ſuas ſedes, domiciliáque collocarent. Nam incolis vaſtatam Galliam fuiſſe, etiam illud argumento eſt, quòd Heluetico bello confecto, Ædui tamen Boios deuictos retinuerunt, eóſque in ſuis finibus aduerſus Aruernorum potentiam præſidio ſibi collocauerunt. Quod autem de incenſis oppidis, vicis & frumentis Cæſar ſcribit: primum veriſimile E non videtur, propter illam cauſam quam ſuperiùs expoſui: quòd Romani celeriter in illam regionem irruiſſent: deinde ſi quid incendiorum fuit, probabile eſt id à nobilibus & præfectis militaribus accidiſſe: qui cùm à magiſtratibus ſuis prohiberentur timidis, conſideratis, & Romanos crabrones irritare metuentibus, vti è finibus ſuis perruperunt, & in oppida ædificiáque aduerſariorum graſſati ſunt. Denique multis ex locis poſterius intelligetur, Heluetios Æ- F duorum agros populatos eſſe: Sequanos nulla re violaſſe: Cæſarem commeatu & frumento ab Æduis ſubleuatum: magnáque ex parte eorum precibus adductum, bellum ſuſcepiſſe: itáque Sequanorum opes fregiſſe, eóſque domitos ac ſubactos in Æduorũ ditionem redegiſſe. quod lib. 6. cap. 4. dilucidè teſtatur. Quam occupandæ Galliæ occaſionem Romani vincam & opportuniſſimam habuerunt.

Boios qui trans Rhenum.] Satis conſtat, Boio- G rum gentem multas terrarum oras peruagatam, multis in locis memoriam ſui nominis reliquiſſe. Sed & hoc quoque loco Boios eos intelligi apparet, qui Heluetiis vicini erant. Omnis enim iſte exercitus ex finitimis Heluetiorum coactus eſt quanquam trans Rhenum incolebant, vt ſcrib Cæſar. Tacitus lib. de morib. Germ. Inter Hel

ciniam ſyluam Rhenúmque & Mœnum Heluetij, vlteriora Boij, Gallica vtraque gens, tenuere. Dicit autem, Incoluerant: quaſi tunc non incolerent. Tunc enim erant in Gallia, & in Noricum vſque agrum profecti, Noriciam vrbem opugnarant: eóſque ſibi ſocios Heluetij adiunxerant.

Vix quò ſinguli carri.] Non dubito quin ſit corrigendum Quà. Cicero pro Cæcina: Omnes introitus, quà adiri poterat in eum fundum.

Nuper pacati.] Corrigendum, vt in alijs pleriſque antiquis, & in Aldino: *Nuper Populo R. pacati erant.* Erroris cauſſam notæ præbuerunt. *Nuper p. r. pacati, &c.* Deeſt tamen in lib. Henr. Stephani.

Inter fines Heluetiorum.] V.C. Heluetiorum inter fines & Allobrogum.

Per prouinciam noſtram.] Non veterem prouinciam: quæ propriè Gallia prouincia dicitur. ſed per fines Allobrogum, qui (vt modò dixit) nuper pacati Populo R. fuerant.

Quàm maximum poteſt militum.] Vox *Poteſt* abeſt à noſtro antiquo & à Romano, centum abhinc annis edito. idque mihi probabilius videtur.

Maximis itineribus] Plutarchus octo dierum ſpatio tantum itineris confectum ſcribit.

Rogarénique vt eius.] Quantò concinnior antiqui noſtri & Romani lectio, *Rogare vt eius?*

Nullum aliud iter haberent.] V. C. Aliud iter haberent nullum. Aldus, Iter haberent nullum aliud. Vetus placet.

L. Caßium.] Appian. in Celtico ſcribit, hoc idem à Claudio Paulo relatum in ſuis Annalibus. Extat hiſtoria in Epit. Liu. 65. & apud Oroſ. lib. 5. cap. 17.

Ad idus Apr.] Faernus: *Ante diem iduum Aprilium*: quam locutionem antiquam & vſitatam eſſe fateor: ſed tum, opinor, vſurpari ſolitam, cùm is diem præfinit, qui eam infecta re abire nollet. Dies autem ad mediam noctem producebatur. Sic lib. Ciu. 1. cap. 1. Vt ante certam diem Cæſar exercitum dimittat. Et eod. lib. Polliceri ſe in prouinciam iturum, neque ante quam diem iturus ſit, definire. Salluſt. in Catil. Ceteræ multitudini diem ſtatuit, ante quam ſine fraude liceret ab armis diſcedere. Et noſter lib. 7. Imperat certum militum numerum ciuitatibus, quem & quam ante diem in caſtra adduci velit. Et cap. 1. Armorum quantum quæque ciuitas domi quódque ante tempus efficiat, conſtituit. At Cæſar hoc loco ita diem præfinit, vt intelligatur, nihil ad illum pertinere, vtrum ca obeatur, nécne. Quinetiam vſitata hæc locutio eſt: vt lib. ciu. 2. cap. 4. Edictúmque præmittit, ad quam diem magiſtratus ſibi præſto eſſe vellet. Item lib. 7. cap. Labienum Treboniúmq; hortatur, ſi Reip. commodo facere poſſint, ad eam diem reuertantur.

Qua in flumen Rhodanum.] Hoc dictum indefinitè falſum eſt, non enim lacus in Rhodanum, ſed contra Rhodanus in locum influit. Ab inferiore tamen parte lacus in Rhodanum influit, vel potius confluit. Itaque legendum arbitror *Quà*: præſertim vt locus vnde perduci murus cœpit, notetur. nõ enim à ſuperiore, ſed inferiore lacus parte opus inſtitui cœpit: propè à ponte Geneuæ vrbis. Nam quod Glareanus legendum putabat, *Quem flumen Rhodanum influit*, primùm à Cæſaris con-

A ſuetudine alienum eſt: qui ſexcentis locis Rhodanum virili genere pronuntiat, neutro nunquam ſexcentis locis *Influere in*, Influere Rhodanum nunquam. Deinde hiſtoriæ rationem conturbat, vt non intelligatur, qua lacus parte duci maceria cœpta ſit: ſumma, media, an infima. Cæſar lib. 7. Perpetuam eſſe paludem quæ influeret in Sequanam. Sic inf. Flumen Arar in Rhodanum influit. Et lib. 3. In flumine Ligeri, quod influit in Oceanum. Et lib. 4. Rhenus in Oceanum influit. Et mox:
B Rhodanus multis capitibus influit in Oceanum. Iam de *Quà* hæc exempla ſunt. infrà ca. 9. Quà flumen intermittit. & cap. 3. Quà proximum iter erat per Alpes. & lib. 2. in fi. Quà minimè arduus aſcenſus videbatur. Mirum eſt autem, quod Ammianus lib. 15. ſcribit, & accolæ confirmant, Rhodanum aquis illius paludis non miſceri: ſed alluuie eus, inquit, ſummitates vndæ præterlabentem ſegniores, viam ſibi impetu moliri. Quod idem Pompon. Mela lib. 2. affirmat. Sunt etiam hoc tempore
C qui hoc idem credant: ſed mihi nondum perſuadere potuerunt.

Alius vadis.] Mendum perſpicuum. nuſquam enim aliorum meminit. Itaque in Antiquo noſtro & Romano & Steph. perſpicuè legitur *Alij*. vt facilè appareat ſimilem vocem paulò ſuperius deeſſe, locúmque ita corrigendum: Heluetij ea ſpe deiecti, alij nauibus iunctis ratibúſque factis, alij vadis Rhodani, &c. Placet etiam Antiquus noſter & Romanus, *Ratibúſque compluribus factis*.

D *Murum perducit.*] Mirum eſt, tam multos eruditos illius muri veſtigia etiam nunc propè Geneuam inueſtigare. Nam murum Cæſar, pro maceria poſuit, quæ ſine cemento eſt. Sic lib. 7. cap. 8. A medio colle ex grandibus ſaxis ſex pedum murum perduxerant Galli. At eod. lib. cap. 13. Foſſámque, inquit, & maceriam ſex in altitudinem pedum perduxerant. Sic inf. lib. 2. cap. 8. Quem locum duplici altiſſimo muro munierant, tum magni ponderis ſaxa & præacutas trabes in muro collocarant.
E Et lib. 6. cap. pen. Præſidij tantum eſt, vt ne muris quidem cingi poſſit. vbi de vallo caſtrorum loquitur.

Exemplo populi. R.] Frequens locutio eſt, More & exemplo. ſed Exemplo Populi R. non memini me legiſſe. Cicero pro Cæcina: Prætor quemadmodum more & exemplo opitulari poſſit, non habebat. Et Verr. 5. Hoc iniecto metu iudicibus, nullo more, nullo exemplo, ecquam rem putatis eſſe, &c. Præterea ſi populus iuſſiſſet, quid
F fuiſſet à moribus populi R. alienum? Videndum igitur, ecquid verbum *Iniuſſu* deſit: vt ſic legatur: Negat ſe more & exemplo, populi R. iniuſſu poſſe, &c. Cicero in Piſonem: Bellum ſua ſponte gerere, in regnum iniuſſu populi ac ſenatus accedere. Item: Præſidium tu populi R. cuſtodia prouinciæ, iniuſſu populi ſenatúſque dimiſiſſes, ſi tuæ mentis compos fuiſſes? Salluſt. Iugurt. Senatus decernit, ſuo atque populi iniuſſu nullum potuiſſe foedus fieri.

G *Eo deprecatore.*] Atqui hoc tempore Sequani Æduorum hoſtes erant, eóſque de principatu Galliæ deiecerant. lib. 6. cap. 4. Intelligendum eſt igitur, Dumnorigem Æduum ſuis infidelem fuiſſe, Sequanorúmque partes clanculum ſecutum eſſe: vt aliquantò pòſt cognoſcetur. Itaque Hel-

uetij cùm in Æduorum fines peruenerunt, eorum A agros populati ſunt.

In Santonum fines.] De quibus non prætermittendum eſt, quod Cæſar ſcribit paulò pòſt: Heluetios delegiſſe locum ex omni Gallia opportuniſſimum, ac fructuoſiſſimum. Nam hæc nunc quoque ſolo Santonico laus tribuitur.

CAP. III.

IN *Sebuſianos.*] Apud Cicer. Ptolemæum, Plinium, Strabonem, Seguſiani dicuntur. B itémque apud noſtrum infrà lib. 7. cap. 12. Æduorum autem clientes appellantur lib. 7. cap. 14.

Ita ſe de Populo R. meritos.] Cauſſam Strabo exponit lib. 4. οἱ δὲ Ἐδοῦοι καὶ συγγενεῖς Ῥωμαίων ὠνομάζοντο, καὶ πρῶτοι τῶν ταύτῃ προσῆλθον πρὸς τὴν φιλίαν καὶ συμμαχίαν.

Incredibili lenitate.] Vidi qui *Leuitate* mallent, propter verſum Lucretij: Quod ſupereſt vbi tam voluceri hæc leuitate feruntur: & quia nimia leuitate C fit, vt viſus fallatur. quaſi verò non etiam lentitudine nimia fallatur. vt in vmbra ſolarij, & in gnomone horologij. Aimoinus quoque hanc ſcripturam retinens, ita ſubiunxit: Quod nos quoque perſpeximus, ac admirati ſumus tantæ magnitudinis fluuium tam tardo motu profluentem.

Inopinantes aggreſſus] Paucis quoque pòſt verſibus ſcribit, ſe hoc prælio priuatas iniurias vltum eſſe. vt mirum ſit Plutarchum ſcripſiſſe, non Cæ- D ſarem, ſed Labienum ipſius legatum hoc primo prælio cum Heluetiis decertaſſe. Idem tamen video ab Appiano relatum in ſuo Celtico.

Ciuitas Heluetia.] Infrà tamen dixit Bellum Heluetieum. Salluſt. apud Nonium: Duæ Galliæ mulieres conuentum vitantes: pro Gallicæ.

In quatuor pagos.] Pagus duo ſignificat. nam modò pro præfectura, regione & vicinitate ponitur. vt lib. 6. cap. 5. vbi de Sueuis loquitur: Principes regionum atque pagorum inter ſuos ius di- E cunt. Eodem lib. cap. 4. In Gallia non ſolùm in omnibus ciuitatibus atque pagis partibúſque. Modò pro parte ciuitatis & hominum multitudine. vt hoc lib. cap. 8. Pagos centum Sueuorum ad ripam Rheni conſediſſe. Item lib. 4. cap. 1. Sueuorum centum pagos nominat. Mirum autem videtur, quatuor tantùm Heluetiæ, centum Sueuiæ pagos numerari. niſi fortè *Quatuordecim* legendum ſit, aut alio loco mendum ſubſit. Sic Strabo lib. 4. ſcribit, Belgas eſſe εἰς πεντεκαίδεκα ἔθνη διῃρημένους. F Tacit. de morib. Germ. Nullas Germanorum populis vrbes habitari, ſatis notum eſt: ne pati quidem inter ſe iunctas ſedes. Colunt diſcreti ac diuerſi, vt fons, vt campus, vt nemus placuit.

Cæſarem vno die feciſſe.] Pro *Cæſarem* antiquus noſter & Steph. & Romanus *Illum*. quod magis probo.

De tertia vigilia.] Vigilias ad clepſydram in partes quatuor diuidebant: vt non amplius tribus horis ſtandum eſſet. Eas circuitores crebri obſer- G uabant. Tubicines autem locabant: Cornicines reuocabant. Plura Veget. lib. 3. cap. 8.

Virtute quàm dolo.] Sic de Gallis apud Hircium de bello Afric. Bellare conſuetos contra Gallos, homines apertos, minimé que inſidioſos, qui per virtutem, non per dolum dimicare conſueuerunt.

Aut memoriam proderet.] Sic V. C. Dum autem *Ac* pro *Aut* legatur, omnia quadrabunt: Nomen loci memoriam prodet. Faernus, & ſecundum eum Vrſinus corrigebant, Memoriæ proderetur. Sed non loca ipſa, verùm res in iis geſtæ produntur. Cic. Verr. 6. Imagines ad memoriam poſteritati prodendam. Et lib. de Offic. 2. Vt hos beneficiis afficiamus, quorum memoria liberis poſteriſque prodatur. Et in Epiſt. Cœlij ad Cic. lib. Fam. 8. Aliquot ex tam multis tuis monimentis extare, quod noſtræ amicitiæ memoriam poſteris quoque prodat, velim.

L. Piſonis auum.] Sueton. in Iulio: Sub idem tempus Calpurniam L. Piſonis filiam, ſucceſſuri ſibi in Conſulatu duxit vxorem.

Conſueſſe Deos.] Sumptum videtur ex vetere Poeta, cuius verſus Ariſtot. profert Rhet. 2.

» πολλοῖς ὁ δαίμων οὐ κατ' εὔνοιαν φέρων
» μεγάλα δίδωσιν εὐτυχήματ' ἀλλ' ἵνα
» τὰς συμφορὰς λάβωσιν ἐπιφανεστέρας.

Eandem ſententiam eleganter Claudianus verſibus eſt perſecutus, lib. 1. Ex quo illud eſt peruulgatum. Tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant.

Populum R. eſſe teſtem.] Milites enim qui Caſſiano prælio ſuperauerant, obſidibus datis dimidia rerum omnium parte pacti ſunt. Liu. epit. 65.

Rapinis populationibúſque.] Liber Henr. Steph. & noſter & Romanus hoc amplius: Rapinis, pabulationibus, populationibúſque. Magis tamen hæc vulgata placet.

CAP. IIII.

M*Agiſtratui præerant.*] Mirum eſt duos nominari, qui hunc Magiſtratum gerant, cùm lib. 7. cap. 6. ſcribat, ſummo in periculo Æduorum ciuitatem fuiſſe, quòd cùm ſinguli magiſtratus antiquitus creari conſueſſent, duo tum Magiſtratum gererent. Itaque *Præerat* ſingulari numero, legendum putarem: vt ſolus Liſcus ei Magiſtratui præfuerit. Cùm hæc multis ab hinc annis ſcripſiſſem, vidi Manutij doctiſſimi adoleſcentis ſcholia, in quibus teſtatur idem Nicaſio Ellebodio placuiſſe.

Vergobretum.] Germani notionem Germanici nominis obſeruāt. *Obereſt*, primus, princeps. *Verg*, opera. quaſi Magiſter operum. Locus oſtendit, hanc Galliæ partem magnam cum Germanis linguæ affinitatem habuiſſe. Huius autem Magiſtratus etiam nunc veſtigia Auguſtoduni manent: vbi qui ſummum in ciuitate honorem gerit, Vverg appellatur.

Obtinere non poſſent.] Videtur legendum *Poſſint*: vt ſit ſenſus: Et ſi ſine Cæſare contra Sequanos tueri principatum non poſſint, quem beneficio Cæſaris adepti erant, tamen ſatius eſſe Gallis Sequanis, quàm exteris Romanis parere. Sequanis autem ademptum principatum, & Aeduis à Cæſare traditum, patet ex lib. 6. cap. 4.

Portoria.] Notandum Principes viros in Gallia publicanorum munus exercuiſſe.

Siquid accidat Romanis.] Vidi qui nomen *Grauius* interponerent: vt paulò pòſt, Quod ſiquid ei à Cæſare grauius accidiſſet. Sed hæc præciſio eſt antiquis vſitata, & ominis cauſſa ita loquebantur, vt in Comment. de verb. iur. docuimus.

Obtinendi per Heluetios.] Codex H. Stephani, Per Heluetios regni obtinendi. Faerni, Regni per Heluet. obt.

Quod prælium equeſtre.] Non abeſt ſuſpicio mendi. Sunt qui ex vetuſto libro ſic reſtituant: Reperiebátque inquirendo Cæſar, initium fugæ prælij equeſtris aduerſi paucis antè diebus à Dumnorige atque eius equitibus factum eſſe. Sed & immodica mutatio eſt, neque Cæſar ſuperiùs fugæ mentionem fecerat. Valde ſic placeret: Reperiebat etiam Cæſar inquirendo, prælio equeſtri aduerſo, quod paucis antè diebus eſſet factum, initium fugæ factum à Dumnorige, &c. Sed ſatius eſt melioris Codicis auctoritatem expectare. Vulgata certè lectio non omnino improbanda eſt. Vetus quidem H. Steph. codex ſic habuit, vt eſt in vulgatis: ſed noſter Antiquus & Romanus hoc modo: Quod prælium equeſtre aduerſum paucis antè diebus eſſet factum, initium eius fugæ factum à Dumnorige atque eius equitibus. nam equitatui, &c.

Non modò iniuſſu ſuo.] Quæri poteſt cur eius rei veniam Dumnorix à Cæſare petere debuerit: cùm neque Ædui in prouinciam redacti eſſent, neque Cæſar imperium in eos haberet. opinor, quia S.C. factum erat, vti quicunque Galliam prouinciam obtineret, Æduos ceteróſque amicos populi R. defenderet. lib. 1. cap. 13. deinde, quia Cæſar Æduos in principatum Galliæ reſtituerat, ac propterea illorum Patronus erat. lib. 6. cap. 4.

Condonare dicit.] Verbum *Dicit* gloſſema eſſe non dubitaturos arbitror, qui in antiquis auctoribus verſati ſunt.

CAP. V.

LAbienum legatum propere.] Qui ex veteri libro *Proprætorem* reſtituunt, vel hoc vno quantum ipſis credendum ſit, declarant. Sic tamen in Stephanico quoque legebatur; ſed perſpicuè abſurdum eſt.

Quique in exercitu.] Steph. codex, *Et in exercitu.*

A gallicis armis atque inſignibus.] Inſignia militum dicebantur, quibus ornati erant, vt à ceteris internoſci poſſent: vt dicetur lib. 2. cap. 6. Placet autem Romani, & Faernini & Stephanici libri ſcriptura, Gallicis armis, ſine particula A.

Heluetios caſtra mouiſſe.] Noſter antiquus, Romanus & Steph. *Hoſtes.* quod non diſplicet.

Decurionis equitum.] In turma equites ſunt duo & triginta: qui iis præeſt, Decurio dicitur. Vegetius.

Primum ſuo.] Ancipiti prælio, inquit Suetonius, equos dimittebat, & in primis ſuum, quo maior permanendi neceſſitas imponeretur, auxilio fugæ erepto. Et de Catilina eodem modo Salluſt. Dein remotis omnium equis, quo militibus exæquato periculo animus amplior eſſet: ipſe pedes exercitum pro loco atque copiis inſtituit.

Phalange facta.] Phalangem paulò pòſt demonſtrat à ſe dici, cùm acies conferta ita ſublatis in caput ſcutis, iiſque inter ſe contingentibus tegitur, vt pilis ab hoſtibus emiſſis offendi non poſſit: vt dicetur infrà cap. vl. Sed hanc rem optimè Oroſius deſcribit, lib. 6. Hinc illud Iuuenalis, Iunctæque vmbone phalanges. Hanc Romani Teſtudinem appellabant. Itaque Dio Nicæus in Octauio, vbi Teſtudinem deſcribit, φάλαγγα & χελώνην pro eodem poſuit. Mirum eſt autem quod ſcribit, ſupra eam teſtudinem non modò homines aut equos incedere, verùm etiam vehicula: Indéque Teſtudinis nomen ſumptum. Græci dicunt συνασπίζειν. Liuius lib. 34. Sublatis deinde ſupra capita ſcutis, continuatiſque ita inter ſe, vt non modò ad cæcos ictus, ſed ne ad inſerendum quidem ex propinquo telum loci quicquam eſſet, teſtudine facta ſubibant.

Ictu pilorum tranſfixis.] Sic quoque Polybius pilum quo Romani vtebantur bicubitali longitudine deſcribit, craſſitudine digitali, ſpiculo ita præacuto, vt primo iactu inflecteretur, nec euelli poſſet.

Gallis magno ad pugnam.] Iterum notandum, Gallorum nomine Heluetios appellari.

Bipartitò intulerunt.] Locus oſtendit legendum eſſe *Tripartitò.* nam triplex acies inſtructa eſt.

Victis ac ſummotis reſiſteret.] Ne regredi in Romanos poſſent. Paulò pòſt autem noſter antiquus & Romanus pro *ſuſtineret*, apertè ſcriptum habent *Exciperet.*

Ad veſperum.] Faernus & Romanus Ad veſperam. vtrumque dici fateor. ſed illud Cæſari familiarius: vt infrà cap. vlt Acriter vtrinque ad veſperum pugnatum eſt. Et de bel. ciu. 2. Magiſtris imperat nauium, vt primo veſpere ſcaphas ad litus impulſas habeant.

Mazaras ac tragulas.] Nonnulli, *Materas.* Vrſini & Stephani codex, *Mataras.* quod Gallici teli genus fuiſſe docuerunt alij ex ſcriptoribus antiquis. Itaque vnum addam ab illis prætermiſſum locum ex lib. ad Her. 4. Vt ſiquis Macedones appellaret, hoc modo: Non tam citò Sariſſæ Græcia potiti ſunt: aut idem Gallos ſignificans, dicat: Nec tam facilè ex Italia Materis tranſalpina depulſa eſt.

In nullam partem noctis.] Faernus & Vrſinus, *Nulla parte.* Mendoſè omnes. legendum vt in veteribus noſtris libris, Nullam partem. Nam hęc vetus locutio eſt, nota eruditis omnibus. Sic lib. 4. cap. 1. Sed maximam partem lacte atque pecore viuunt. Sed exemplorum plena ſunt omnia.

CAP. VI.

NOcte intermiſſa.] Mirè dictum pro Nocte interueniente, vel Noctis interuentu. nam Intermittere, omittere eſt. vt modò paulò antè, Nullam partem noctis itinere intermiſſo. Inf. dixit, Solis occaſu, cap. vlt. Acriter vtrinque vſque ad veſperum pugnatum eſt: Solis occaſu ſuas copias Ariouiſtus in caſtra reduxit.

Multa perterritis, inducti.] Notanda locutio, cùm ad ſenſum, non ad verba res referatur.

Prima nocte.] Sic noſter Antiq. & Steph. Faerninus tamen & Romanus, Prima noctis vigilia. Sed quemadmodum Cęſar Prima luce dicere conſueuit, pro Diluculo, quidni etiam Prima nocte, dictum ab illo putemus, pro Crepuſculo? vt apud Plaut. in Curcul. Prima veſpera. Siue, inquit, media nox eſt, ſiue prima veſpera. Et apud hunc noſtrum, Primo veſpere: De bell. ciu. 2. Magiſtris imperat nauium, vt primo veſpere ſcaphas ad litus impulſas habeant. Denique ſic loquitur Aemilius Probus in Eumene: Hiſque præcipit, vt prima nocte quàm latiſſimè poſsint, ignes faciant. Sic noſter li. Ciu. 3. Poſtero die Cæſar ſimiliter, præmiſſis prima nocte impedimentis, &c.

Boios.] Boij vt Cęſar ſuperiùs dixit, trans Rhe-

num incoluerant: nunc cùm Rhenum omnibus A copiis tranſiſſent, bello confecto ſedes in Gallia intra Aeduorum fines ponunt. Itaque Ciuitas illorum appellatur à Cæſare lib. 7. cap. 4.

Petentibus Æduis.] Opinor, vt eos Germanis, qui in Sequanis ſedes Arioviſto duce fixerant, opponerent. nam ſine graui cauſſa pauci tanta liberalitate non vtuntur.

In parem libertatis conditionem.] Libertatem quidem Boiis reliquerunt, quæ ad eorum perſonam pertinebat. At quantum ad fortunas, ſtipendium B illis annuum impoſuerunt. lib. 7 cap. 2. Quod autem ſequitur *Acceperunt*, in omnibus noſtris antiquis rectiùs legitur *Receperunt*.

Literis Græcis confecta.] Id eſt forma Græcarum literarum, ſed Heluetio ſermone: vt omnes de quibus adhuc audire licuit, interpretantur. Sed veterum auctorum omnium atque adeò noſtri huius conſuetudo reclamat. Hanc (inquit lib. 5. cap. 12.) Græcis conſcriptam literis mittit, ne intercepta epiſtola, noſtra ab hoſtibus conſilia cogno- C ſcantur. Aut igitur locum aliquem eruditi viri proferant, in quo Græcis literis conſcribere, vſurpatum ſit, pro literarum formas exarare: aut fateantur hunc locum eodem vt illum modo interpretandum Cic. de fin. 1. Cùm quæ Philoſophi Græco ſermone tractauiſſent, ea Latinis literis mandaremus. Tacitus de morib. Germ. Monummenta & tumulos quoſdam Græcis literis inſcriptos in confinio Germaniæ Rhetiæque adhuc extare. Salluſt. Catil. Literis Græcis & Latinis docta, pſallere D & ſaltare elegantiùs quàm neceſſe eſt probæ. Liu. lib. 9. Vulgò tum Romanos pueros, ſicut nunc Græcis, ita Hetruſcis literis erudiri ſolitos. Idem in fi. lib. 28. propter Iunonis Laciniæ templum æſtatem Annibal egit: ibíque aram condidit: dedicauítque eum ingenti rerum ab ſe geſtatum titulo Punicis Græcíſque literis inſculpto. Idem lib. 40. Literis Latinis Græcíſque vtraque area inſcripta erat. Cic. de Diuin. 1. Tarutius in primis Chaldaicis literis eruditus. Interdum tamen literæ pro lite- E rarum notis vſurpantur, vt apud eundem Verr. 5. Quòd iſte ſi vnam Græcam literam ſciſſet, non ſuſtuliſſet. Item de nat. deor. 3. alter traditur Nilo natus, Ægyptius: quem aiunt Phrygius literas conſcripſiſſe. Ne multis morer, quemadmodum & noſtra, & patrum maiorúmque memoria innumeri fuerunt in Heluetia qui Latinè ſcriberent: ita non dubito, quin Cæſaris tempore nonnulli fuerint aut nobiles, aut ſacerdotes, qui in adoleſcentia Græcam linguam, Maſſiliæ fortaſſe, didiciſ- F ſent: eáque maiores atque illuſtriores res ad ſuum vſum priuatum conſcripſiſſent. Denique iſto ſenſu veteres non dixiſſent Græcis literis ſcribere: ſed Græcarum literarum forma. vel notis vt apud Tacit. lib. 11. Nouas literarum formas addidit: comperto Græcam literaturam non ſimul cœptam abſolutámque. Et mox: Et formæ literis Latinis quæ veterrimis Græcorum. Cicero Tuſcul. 5. aut qui ſonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis litera- G rum notis terminauit. Atque hæc quidem hactenus. Quod autem Strabo lib. 4 ſcribit Gallos vſque adeò φιλέλληνας fuiſſe, vt etiam pacta & conuenta Græcè ſcriberent: nihil planè huc pertinet. primùm quia de Gallis, iíſque Maſſiliæ finitimis diſertè loquitur: deinde quia rē illam tãquam nouã & ſuo tempore vſurpari cœptam commemorat.

Ex his qui arma.] Summa omnium eſt ad trecenta ſexaginta octo millia: in quibus erant duntaxat nonaginta duo millia, qui arma ferre poſſent.

Millium C. & X.] Superfuerunt ex prælio c x x x millia. Rebellarunt atque in hoſtium numero habiti ſunt ad ſex millia. Reliqui omnes in deditionē accepti ſunt. Remiſſi ſunt ergo c x x i i i i millia. Ponamus in itinere quatuor millia deperiſſe: tamen ſupererant c x x millia. quomodo ſcripſiſſe Cæſarem arbitramur. Verùm, vt vt ſit, iſta vulgata ratione perierunt ad c c l v i i i millia. At Strabo lib. 4. Ἐν τετταράκοντα inquit, μυριάδες σωμάτων δ' ὑπὸ διαφθαρέντων· τοὺς δὲ λοιποὺς σώζεσθαι μεθῆναι εἰς ὀκτακισχιλίους, ὅπως μὴ τοῖς γερμανοῖς, ὁμόροις οὖσιν, ἔρημον τὴν χώραν ἀναφῇ. Circiter quadraginta millia perierunt: reliquos incolumes domum remiſit ad octo millia, ne Germanis qui illorum finitimi ſunt, vacuos agros relinquerent. Oroſius quoque non amplius c l v i i millibus numerat, qui domo exierant. qui bello occubuerint, x l v i i millibus. Neque aliam ſoluendi nodi rationem video, niſi culpam in librarios, potiùs quàm in ſummum ac diligentiſſimum auctorem conferamus.

Millia nonagintaduo.] Plutarchus hoc ampliùs, Millia centum nonaginta: quod mihi ſanè probabilius videtur. καὶ πλῆθος ὁμαλῶς, τριάκοντα μὲν αἱ πᾶσαι μυριάδες ὄντες εἴκοσι δ' αἱ μαχόμεναι μιᾶς δέουσαι. Malè autem qui ſic verterunt: Atque ex his x i x millia ad pugnam apti. Nam vox μυριάδες repetenda erat.

CAP. VII.

Secretè atque in occulto.] Tres poſtremæ voces abſunt à noſtro & Faerni atq; Vrſini lib. & item Romano. Stephanicus autem eas retinet. Poteſt certè & prima tolli: vt ceteræ relinquantur. vt paulò pôſt, Quod ſoli ne in occulto quidem queri auderent. Et ſuprà cap. 4. Eadem ſecretò ab aliis quærit.

Ex vſu terra Galliæ.] Vidi, qui vocem *Terra* tollendam exiſtimabant. imperitè. Sic enim veteres loquebantur. Liuius lib. 39. Siquis eorum qui tum extra terram Italiam eſſent, nominaretur, &c.

Vnos ex omnibus Sequanos.] Hoc planè incredibile videtur: Sequanos, qui diuturna bella cum Æduis geſſerant, & Ariouiſtum ſubſidio euocarant, in illo Æduorum cōſilio interfuiſſe, & de Ariouiſto expellendo Cæſarem rogaſſe. Quare neceſſe eſt, vnum aut alterum tantùm è Sequanis eóſque perfugas interfuiſſe: quemadmodum ſuperiùs dictum eſt Dumnorigem Æduum tamen Sequanorum partibus ſtuduiſſe: ſuorúmque ciuium conſiliis aduerſatum eſſe.

Alterius Aruernos.] Infrà libro 6. cap 4. Sequanos nominat: mox coniunctim vtroſque Aruernos & Sequanos. Quantum autem ex Cæſaris hiſtoria licet intelligi, Aruerni alterius quidem factionis principatum tenebant, ſed Sequani in fide & clientela Aruernorum erant, & non ſuo, ſed Aruernorum nomine bellum contra Æduos gerebant. Mirus autem erat Sequanorum principatus: qui cùm Germanorum ope dominatum illum obtinuiſſent, nunc illorum ſeruitutem perferrent: vt mox ſequetur.

Amicitia Populi R.] De Æduorum fraternitate ſuprà dictum eſt.cap.3.

Romam veniſſe.] Idem lib.6.cap.4.Quia neceſſitate adductus Diuitiacus auxilij petendi cauſſa Romam ad Senatum profectus, infecta re redierat.

Cimbri Teutoniq́ue.] Cimbrorum arma primum audita ſunt anno DCXL. Cæcilio Metello, & Papyrio Carbone Coss. inquit Tacitus lib. de morib.Germ.Poſtea crebrò in Galliam venerunt, ac tandem à C. Mario quartùm & item quintùm Conſule in Italia ad flumen Atheſin ſuperati ſunt anno DCLII. Valer. lib. 5. Plutarchus in Mario. Epit. LXVIII. Iul. Obſequens & Oroſius.

Reliquis tamen fuga.] Rectiſſimè Manutius, cùm in aliis impreſſis propè omnibus legatur. *Tantum.* quamuis in noſtro antiquo, atque adeò in Romano ſcriptum ſit *Tamen.* quod cùm huic noſtro, tum etiam Ciceroni vſitatiſſimum eſſe conſtat.

Obtemperaturos.]Sic Stephan.& alij complures: vt pronomen *Sibi* ad Cæſarem referatur. Magis tamen aliorum lib. ſcriptura placet: *Temperaturos*: vt pronomen ad Germanos pertineat. Sic enim ſup.cap.x. Temperaturos ab iniuria & maleficio exiſtimabat.

CAP. VIII.

LOcum deligeret.] Comiter hæc ſua mandata Cæſar narrat. Longè aliter Florus lib. 3. Cùm legati,inquit,dicerent, Veni ad Cæſarem. Quis eſt autem Cæſar?& ſi vult,veniat,inquit:& quid ad illum quid agat noſtra Germania?non ego me interpono Romanis.

Siquid à ſe velit]Rectè Faern.Siquid ſe velit.& ita eſt in noſtro antiq. & Romano, & Stephanien.

Atque emolumento.] Fœdus error: & quem tandiu in his libris hæſiſſe planè indignum eſt. Corrigendum, *Molimento*: quo verbo Liuius & alij vtuntur,pro magno labore,opera & molitione.Hęc me ante decenniū ſcripſiſſe teſtes habeo innumeros.Pòſt verò Faerni editę ſunt notę,in quibus hoc idem ab illo animaduerſum cognoui. Itaque ab exemplis proferendis ſuperſedebo.

Rex atque amicus.] De hac populi R.conſuetudine ſcripſimus in Manilianam Ciceronis.Nunc illud obſeruandum eſt,cum Ædui fratres & conſanguinei toties à Senatu R. appellati eſſent, tamen Arioniſtum,qui armis illos oppreſſerat,Regem & amicum ab eodem Senatu appellatum fuiſſe. Qua ex re de fideli Romanorum amicitia exiſtimari poteſt, quibus nihil iucundius erat, quàm gentes exteras armis inter ſe conflictari,& diuturnis bellis atteri.

Senatus ſenſuiſſet.]Ex hoc igitur S.C.belli huius gerendi auctoritatem Cæſar ſumpſit,eámque *πρόφασιν* habuit:quod tamen Dio lib.38.non attendit: cum facit milites Cæſari obiicientes, bellum ſine lege, aut S.C.inferri: Cæſarem autem reſpondentem,bella quædam lege lata, quædam ſine lege ex tempore & ſubita neceſſitate geri.

Ceteróſque amicos.] At obiici Cæſari potuit, Arionistum in hoc numero fuiſſe, & aliquot antè annis Regem, amicum ac ſocium appellatum fuiſſe.

Dicendum ſibi & cognoſcendum.] Faernus, *Di-* A *ſcendum.* Sed ſic locutus eſt,quaſi dixiſſet: Dicendum & audiendum. Nam colloquium & communicatio quam Cęſar poſtulabat,dicendo & audiendo,id eſt ſermonibus vltrò citróque habendis,conſumitur.

Longè ab his fraternum.] Sic noſter, & Steph. Faernus & Vrſinus:Longè futurum fraternum nomen populi R.Sed vſitata placet.

CAP. IX.

B *IN eo manerent, quod conueniſſent.*] Sine dubio corrigendum eſt *conueniſſet*: ſingulari numero: vt in aliis quos vidi omnibus. Nam Conueniſſet: pro conuentum eſſet,modò dixit. Et locutio eſt vſitatiſſima:neque exemplorum res indiget.

Intra annos XIIII.] Placet ſcriptura lib. Stephanici, *Inter.* nam Inter annos Antiqui dicebant pro *Per annos.* vt in Verr. 2. iampridem notauimus. Cicero in Quintiana: Qui inter tot annos ne appellarit quidem Quintium, &c. Titinnius apud C Non. Marcellum: Quæ inter decem annos nequiſti vnam togam detexere.

Naſuam & Cimberium.] Noſter antiquus & Roman. Cimbreum, Nō dubito quin Naſuam dicat, qui nunc Naſouius: & Cimbreum, qui nunc Zimber. Sic alio loco Duracium in Pictonibus numerat:quæ familia hodiéque viget.

In eo oppido difficultas.]Sic noſter & Stephan.& Romanus. Sed *Facultas* iampridem in multis impreſſis rectiſſimè reſtitutum eſt. Nunc enim pro D copia vſurpatur.vt infrà.lib.6. Tantas Italiæ facultates.

Alduaſdalis.] Placet noſtri Antiq. & Romani ſcriptura, Alduaſduſius.

Hunc murus circundatus arcem efficit.] Notandum,pro *Hic muro circundatus.*

Dicebant ferre potuiſſe] Placet Faerni ſententia, vt *Dicebant* tollatur. præſertim libris antiquis auctoribus.

Nō magnum in re militari.]Ante hęc verba Co- E dex Stephan.habuit, Magnum periculum miſerabantur. quę tamen in multis impreſſis rectè prætermiſſa fuiſſe,cùm ex loci ſententia, tum ex Vaticani libri auctoritate,quam Vrſinus protulit, intelligitur.

Æquitate conditionis.] Placet Faerni emendatio: vt *Conditionum* legatur.

Teſtamenta obſignabantur.] Florus ſic: Vt teſtamenta paſſim & in principiis ſcriberentur: id eſt etiam à primorum ordinum militibus.

F *Ad id concilium adhibitis.*] Nam in concilium adhibebātur tantùm,qui in exercitu imperium, aut poteſtatem habebant: Concio ad milites habebatur. Noſter Ciuil.libr.x.Dimiſſo concilio,concionem aduocat militum.

A.C.Mario pulſis.] Auctores paulò ſuperiùs produximus. Quod autem exercitui C. Marij parem atque ipſi Imperatori laudem tribuit,ea cauſſa eſt, quod die pugnæ inter ipſum & hoſtes conG ſtituto, cæſa ſint hoſtium centum quadraginta millia, capta, ſexaginta. Notandum eſt autem Ciceronem Gallorum nomine Cimbros & Teutonos appellaſſe. Nam in Orat. de prou. conſul. Ipſe ille, inquit, C. Marius, cuius diuina atque eximia virtus magnis populi R. luctibus funeribúſque ſubuenit, influentes in Italiam Gallorum maximas copias repreſſit.

Quam

Quam ipſe imperator.] C. Marius. vt quiuis Latinè peritus, facilè perſpicit. Sed Plutarchus vel imperito vtens interprete, vel ipſe minùs peritus, ita Cæſaris ſententiam peruertit: μήτε κρείττοσι μᾶλλον Κίμβρων μαχεσάμενος πολεμίοις, μήτε αὐτὸς ὢν Μαρίου χείρων στρατηγός.

Seruili tumultu.] De quo Epitom. Liu. 97. M. Craſſus Prætor primum cum parte fugitiuorum quæ ex Gallis Germaniſque conſtabat, feliciter pugnauit: cæſis inimicorum x x x v millibus: & duce eorum Granico. Quod idem Plutarchus in Craſſo ſcribit. Tumultus autem initium ex gladiatorum familiis natum eſt: quorum complures Germanos fuiſſe locus hic apertè oſtendit. De Germanis etiam beſtiariis memorabile eſt quod Seneca lib. Epiſt. 10. ita ſcribit: Nuper in ludo beſtiariorum vnus è Germanis cùm ad matutina ſpectacula pararetur, ſeceſſit ad exonerandum corpus. nullum aliud illi dabitur ſine cuſtode ſecretum. ibi lignum id quod ad emungenda obſcœna adhærente ſpongia poſitum eſt, totum in gulam farſit, & præcluſis faucibus ſpiritum eliſit.

Quos tamen.] Subaudiendum, Seruos, & hoc Cæſari familiare eſt.

Denique Germanos.] Probo ſcripturam quam in libro Stephani reperio: Denique hos eſſe eoſdem, quibuſcum ſæpenumero, &c.

Ac Victores.] Claudio legato, & Varinio prætore, & Lentulo & C. Craſſo Coſs. ſuperatis. Flor. lib. 3. Epit. 95.

Inermes.] Videndus Flor. lib. 3.

Hoc ſi quærerent, reperiri poſſe.] Sic Aldus. ſed rectiùs Stephani liber & multi peruulgati: Hos, ſi quærerent, reperire poſſe.

Defatigatis Gallis.] Nihil mutandum. tametſi Defatigatos Gallos in quarto caſu poſtulare conſuetudo videatur. Sed aliis locis non paucis ita locutus eſt. vt paulò infrà: Committendum non putabat, vt pulſis hoſtibus dici poſſet eos à ſe circumuentos.

Ratione ac conſilio.] Dolo & inſidiis.

Cui rationi.] Mendosè in peruulgatis à ſuperiore ſeiungitur. nam ſenſus eſt, Dolo & arte ſuperatos Gallos: quo dolo capi quidem Galli barbari & imperiti potuerint. at Romani viri periti & callidi, tanto præſertim ductore, non poſſint.

Res frumentaria ſimulationem.] Nihil muto: neque obſcura ſententia eſt: ſimulationem hãc à militibus quæſitam frumentariæ difficultatis. Sed tamen ſiquis vetus liber DIFFICVLTATEM ſcriptum haberet. facile comprobarem.

Præſcribere auderent.] Ita placet: quamuis in Romano & Aldi & Faerni libris ſcriptũ ſit, *Videretur.*

Perpetua vitæ felicitate.] Neque vtrique ſuperiori reſpondet, neque felicitatis perpetuitas in omni vita ad bellicam fortunam pertinet. Sic igitur legendum arbitramur: Suam innocentiam, perpetua vita: felicitatem, bello Heluetiorum eſſe perſpectam. Innocentiam autem auaritiæ oppoſuit. Sed benè habet video nunc Manutium in ſuo libro ita emendaſſe: & impreſſiſſe.

Repræſentaturum.] Sunt qui *Tentaturum* corrigendum putant: & Beroaldum auctorem laudant. Imperitè. Nam Repræſentare verbum eſt Iuris, pro Ante diem præſtare, aut facere, aut ſoluere. Cuius rei exempla multa in Comment. verb.

A Iur. expoſuimus. Itaque mihi dubium non eſt, quin apud Hircium de bell. Alex. mendum ſit eo loco vbi ſic legitur: Cæſar reſpondit ſe fore æquiſſimum Pharnaci, ſi quæ pollicebetur, repræſentaturus eſſet. Legendum enim arbitror, *Et præſtaturus* eſſet.

Decima legione.] Hunc locum Dio lib. 38. explicans ſubiungit, moris fuiſſe, vt Romanæ legiones ex delectuum ordine appellarentur. Frontinus autem lib. Stratag. 1. C. Cæſar, inquit, aduerſus Germanos & Ariouiſtum pugnaturus, confuſis ſuorum animis, pro concione dixit, nullius ſe eo die opera, niſi decimæ legionis vſurum: quo conſecutus eſt, vt decimam tanquam præcipuæ fortitudinis teſtimonio cogeret, & ceteros puderet, ne penes alios gloria virtutis eſſet.

B

Prætoriam cohortem.] Cohors prætoria dicebatur manus peditum, quos Dux belli, ſui præſidij cauſſa, circum ſe habebat.

Primorum ordinum centuriones.] Hi ſunt Centurio primipili, Primus princeps, Primus haſtatus, quorum maxima erat dignitas in legione.

C

CAP. X.

ARiouiſti copias à noſtris.] Ita legendum eſt auctoribus omnibus antiquis. nam mendosè quidam nuper *Caſtris* repoſuerunt.

In eos legionarios milites.] Veteres lib. in queis Steph. *Legionarios eos milites.* quod ſine dubio rectum eſt.

D

Ad equum reſcribere.] In omnibus antiquis, Nunc ad equum reſcribere. Eſt autem militare hoc verbum. Nam ſcribi legiones dicuntur, cùm inſtituuntur. Reſcribi verò cùm ordo earum mutatur: vt ſi ex pedeſtribus copiis equeſtres fiunt. Liuius lib. 8. Scribebantur autem quatuor ferè legiones quinis millibus peditum, equitibus in ſingulas legiones trecenis. Idem lib. 9. Delectus propè omnium voluntariorum fuit: reſcriptæ ex eodem milite nouæ legiones: ductúſque ad Candium exercitus. Valer. Max. lib. 2. cap. 7. Decreuerunt, vt ex iis qui equo meruerunt, peditum numero militarent: qui pedites fuerant, in funditorum auxilia tranſcriberentur.

E

A caſtris Ariouiſti & Cæſaris.] Video eſſe qui reponant *A Caſtris vtriuſque.* quod ſi codicem antiquum auctorem haberemus, non diſpliceret. Sed Stephan. & alij vulgatam retinent.

Munera ampliſſimè miſſa.] Dixi de hoc more in Manilianam.

F

Et à Romanis pro maximis.] Liber antiquus Henrici Stephani: Et pro magnis hominum, &c. Sic Liuius libro 40. Nominis eius honorem pro magnis erga ſe Regum meritis dare populum Romanum conſueſſe.

Auctores velit eſſe.] *Auctos* reponit Faernus ex antiquo libro: quod idem & de meo teſtificor.

Omnes Galliæ ciuitates.] Elatoriè & militariter dictum, cùm ab iis demum oppugnatus ſit, quæ in fide & clientela Æduorum erant.

G

Fines ingreſſum.] Emendo, *Finibus egreſſum*: vt in noſtro antiquo & Stephanico & Aldino, & Romano. quamuis in quampluribus peruulgatis ita legatur, quaſi Galliam braccatam dicat: quo nihil ineptius fingi poteſt. nam Galliam prouinciam veteres communitè dicebant, cum

ſtributi in ciuitates,omnia vada,&c.

Singulos legatos.] Sex igitur legatos hoc bello Cæſar habuit. Nam ſuperius ſex legiones nominauit.

Paſſis manibus flentes.] Noſter antiquus *Crinibus*, cui Romanus codex aſſipulatur. Vtra melior ſit, ſatis conſtituere non poſſum. Gallicis quidem mulieribus vtrunque hunc morem vſitatum fuiſſe, patet ex lib.7.cap.8.& cap.9. Et pectore nudo prominentes paſſis manibus obteſtabantur Romanos. Et mox: Matresfa. quæ paulò antè Romanis de muro manus tendebant, ſuos obteſtari, & more Gallico paſſum capillum oſtentare cœperunt. Videtur conſuetudo fuiſſe vt in exteris rogandis, paſſis manibus: in ſuis, paſſis crinibus vterentur. Tacit. in libell. de mor.Germ. Quódque præcipuum, inquit, fortitudinis incitamentum eſt, non caſus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit. ſed familiæ & propinquitates, & in proxima pignora. vnde fœminarum vlulatus audiri, vnde vagitus infantium. Memoriæ proditur quaſdam acies inclinatas iam & labantes à fœminis reſtitutas conſtantia precum,& obiectu pectorum, & mõſtrata cominus captiuitate, quam longè impatientius fœminarum ſuarum nomine timent.

Pila in hoſtes conuciendi.]Nihil ſine vetuſti libri auctoritate mutandum cenſeo. Planius tamen *Noſtros* pro *In hoſtes* legeretur.

Phalange facta.)Quam coacto in vnum agmine (ait Oroſius) ſcutiſque ſupra capita contextis ad rumpendam Romanorum aciem tuti vndique præſtrinxerunt Sed poſtquam aliqui Romanorum militum ſupra obductam ſalîere teſtudinem, ſcutiſque ſigillatim veluti ſquamis reuulſis deſuper nudos deprehenſorum delectorúmque humeros perfoderunt,&c.

Circiter quinque.)Ego, *Quinquaginta* libris omnibus repugnantibus corrigendum arbitror. primùm quoniam hunc numerum vetus Oroſij impreſſus liber prodit.deinde quia Plutar. τετρακοσίους σταδίους poſuit. Nam cũocto ſtadia milliariũ vnum conficiant, ſequitur vt quadringenta efficiant milliaria quinquaginta. Neque me mouet, quòd in vulgatis Plutarchi libris legitur, τριακοσίους. Nam & vetus interpres Quadringenta poſuit, & Henr. Stephan. Græcæ linguæ peritiſſimus, & harum rerum obſeruator diligentiſſimus, τετρακοσίους in aliis libris legi teſtatus eſt. Itaque Beato Rhenano ſummo ac ſingulari viro aſſentiri non poſſum, qui prælium hoc commiſſum putat ad ædem Apollinaris, quæ milliare vnum Germanicum à Baſilea & Rheno diſtat. Nam paulò ſuperius Cæſar ſcribit ea ſe loco caſtra habuiſſe; quo à Sequanis & Heduis commeatus ſupportaretur. Neque mirum videri oportet, ſi quinquaginta paſſuum millia fugientes fecerint: cùm Cæſaris exercitus interdum vno die xx. interdum xxv millia confeciſſe conſtet. vt lib. 5. cap. 12. & lib. 7. cap 6. Vegetius autem lib. 1. ſcribat,tyrones horis quinque æſtiuis vinginti aut viginti quatuor paſſuum millia ambulare aut pleno gradu conficere.

Scuta reuellerent.] Locus hic oſtendit, phalangem dici, cùm milites ſcutis in caput ſubleuatis confertam aciem ita contegunt, vt propè teſtudo videatur. Idque Florus lib. 3. de hac pugna loquens,oſtendit:Qui calor(inquit)in præliando militum R.fuerit, nullo magis exprimi poteſt, quàm quòd elatis ſuper caput ſcutis, cùm ſe veluti teſtudine barbarus tegeret, ſuper ipſa Romani ſcuta ſalierunt,& inde in iugulos gladiis deſcendebant. Idémque ſcribit Dio lib.38.extremo.

In his fuit Arioniſtus.] At hunc lib 5.cap 9. mortuum ſcribit. Vel igitur accepto vulnere,vel animi mœrore paucis pòſt diebus interiit.

Reliquos omnes.] Plutarchus ſcribit, cæſa hoc prœlio non minùs octoginta millia.quod idem tradit Appian.in Celtico.

Quos vbi qui proximi.] Ex lib. 4.& locis aliis innumeris reſtituendum arbitror, *Quos cùm Vbij qui proximè Rhenum incolunt.* Nam & hi proximè Rhenum incolebant,& veteres inimicitias cum Sueuis gerebant. Hæc cùm multis antè annis ſcripſiſſem, animaduerti nunc Beatum Rhenanum virum doctiſſimum lib. 3. Rer. Germ. in eadem ſententia fuiſſe.

Ad conuentus agendos.] Verbum iuris,de quo in commentario noſtro dictum eſt Liu.lib. 41. Siculorum ciuitatibus Syracuſas,aut Meſſanam, aut Lilybæum indicitur concilium. Prætor Romanus conuentus agit. eò imperio euocati conueniunt. excelſo in ſuggeſtu ſuperba iura reddentem ſtipatum lictoribus vident. virgæ tergo, ſecures ceruicibus imminent, & quotannis alium atque alium hominum ſortiuntur.

Qui ripas Rheni incolunt.] Nonnulli Codices: *Qui cis Rhenum incolunt.* de quibus lib.6.cap.6.

Vnum imperium.]Paucis pòſt verſibus,Regium imperium nominat,ſub Rege Galba.

Liber II.

CAP. I.

A*B nonnullis etiam quòd in Gallia à potentioribus.*] Legendum arbitror, *Ab nonnullis etiam potentioribus.* Nam qui nouis imperiis ſtudebant, potentioribus qui regna occupare conabantur, ſuam operam nauare cupiebant.

Regna occupabantur.] Regna ergo tum dicebantur quæ in Perſide Satrapiæ: poſtea Ducatus, Comitatus,Marchiæ dictæ ſunt.

Imperio noſtro conſequi.] Cod.Stephanicus, In imperio.quod placet.nam & in Ald.ita eſt.

Ineunte æſtate.] Idem liber & alij complures Inita de quo nihil affirmo.

Qui ripas Rheni incolunt.]Noſter & Romanus, & Stephanicus, *Qui cis Rhenum incolunt*.quod verum eſſe poſtea conſtabit.

Et vnum imperium.] *Et* à Steph. libro abeſt: rectè, meo iudicio.

Ingredi prohibuiſſent.] Idem liber, *Prohibuerint*. quod non improbo.

Proximi Galliæ.] Ei parti quæ propriè Gallia dicitur.

Regem Galbam.] Ergo apud Dionem lib. 39. mendum eſt, vbi Adra Rex iſte nominatur.

Summam totius Belli.] Stephan.& Romanus, Prudentiamque ſuam totius belli ſummam. Aldin. & noſter, Suam ſummam totius belli. Sed pronomen *ſuam* delendum arbitror.

Morinos x v.] Steph. x x v. Quod Paul. Oroſius confirmat: qui in ſuperioribus numerum vbique ſeruat.

Menapy v i i. *millia*. Oroſius, i x. ∞.

Catuacos x i x. *millia*.] Legendum Atuaticos, vt apud Oroſium & mox, *Cercoſos Cenomanos*. Summa autem apud Oroſium non conuenit, c c l x x x v millium. Nam iſto modo conficiuntur, c c x c v i millia.

Obſides adduci.] Legendum *Obſides ad ſe adduci*: vt in Steph. & Ald.

Caſar Rhemos.] Ad ſummam igitur Belgę conficiunt hominum c c x c v i. millia.

Suas copias introduxerint.] Vidi qui *Induxerint* corrigendum putarent. imperité. nam & paulò pòſt ita locutus eſt: Et quorum in fines primùm Romani exercitum introduxerint, &c.

Gallorum eadem atque Belgarum.] Ordinis ratio poſtulare videtur, Belgarum eadem atque Gallorum. Nam de Belgis nunc loquitur.

CAP. II.

AD ſe venire] In Steph. Rom. & noſtro: Ad ſe venire vidit. quod propter librorum contentionem retinuimus. Et iam idem in Manutianis videmus: quos nunc typographo imitandos dedimus.

Nam tanta multitudo.] Stephan. Nam cùm tanta multitudo lapides ac tela conniecrent, in muro cõſiſtendi poteſtas erat nulli. Sed Ald. & vſitata probabiliores videntur.

Oppido praerat.] Steph. Oppidò proceſſerat, vnum ex iis, &c. nuntium ad eos mittit. Sed vſitatá melior eſt.

Teſtudine facta.] Obſcurus locus. Nam Teſtudinem hoc loco accipere pro machina ſubruendis muris accommodata, locus alter lib. 5. cap. prohibet: vbi ſic ſcribit: Turres ad altitudinem valli, falces, teſtudineſque, quas idem captiui docuerant, parare ac facere cœperunt. Quo ex loco intelligitur, Gallos tum demum cœpiſſe teſtudines inſtituere. deinde ad murum ſubruendum, cur portis ſucceſſiſſent? id eſt, ad portas concutiſſent. Locus (vt dixi) obſcurus eſt. Quòd ſi de teſtudine, quam alio loco Phalangem appellari docuimus, locum accipiamus; cùm milites denſatis ſuper capita ſcutis conſtipantur: tuſus illud aduerſabitur, quòd ſubitam muri deiectionem Cæſaris ſententia poſtulat: quam effoſſio manufacta non patitur. neque hodie qui mantelletis vtuntur, tam celeriter muros ſubruunt. Quamobrem cogitandum, an miram Cæſar Gallorum agilitatem & induſtriam in muris ſubeundis hoc loco deſcribat; & pro *Subruunt* legendum ſit, *Subeunt*. vt Teſtudinem intelligat phalangem faſtigiatam, in quam agiliores milites aſcendant, & vel ipſi murum ſubeant, vel aſcendentibus ſubiectis humeris aſcenſum præbeant. Nam de hoc Teſtudinis faſtigiatæ genere Liuius lib. 44. Quadrato agmine facto, inquit, ſcutis ſuper capita denſatis, ſtantibus primis, ſecundis ſummiſſioribus, tertiis magis & quartis, poſtremis etiam genu nixis, faſtigiatam, ſicut tecta ædificiorum ſunt, teſtudinem faciebant. Hinc quinquaginta fermè pedum ſpatio diſtantes duo armati procurrebant, cõminatique inter ſe, ab ima in ſummam teſtudinem per denſata ſcuta, cùm euaſiſſent: nunc velut propugnantes per oras extrem[illegible]tudinis, nunc in

A media inter ſe concurrentes, haud ſecus quàm ſtabili ſolo, inter ſe perſultabant. Amm. Marcell. lib. 26 Coniunctis tribus nauigiis, teſtudinem hac ſpecie ſuperſtruxit. Denſatis cohærentes ſupra capita ſcutis, primis tranſtris inſtabant armati: alij poſt hos ſemet curuantes humiliùs, tertiis gradatim inclinatis ſummiſſe, ita vt nouiſſimi ſuffraginibus inſidentes formam ædificij fornicati monſtrarent. Quod machinę genus contra murales pugnas ideo figuratur hac ſpecie, vt miſſilium ictus atque ſaxo-

B rum per decurſus cadentes labiles inſtar imbrium euaneſcant. Hæc ille. Quòd autem ad portas ſubeundi muti cauſſa concurrebant, argumento eſt, foſſam ante portas non fuiſſe. quod etiam alter locus oſtendit lib. 7. cap. 9. M. Petreius eiuſdem legionis centurio, cum portas excindere conatus eſſet, à multitudine oppreſſus, &c. Cùm hæc iampridem ſcripſiſſem, nunc animaduerti locum in lib 7. cap. 14. qui noſtram coniecturam adiuuat. Nam vbi de Gallis qui partem quandam caſtrorum Ro-

C manorum oppugnabant, loquitur, Alij, inquit, tela coniiciunt, alij teſtudine facta ſubeunt.

Eo de media nocte.] Vox *Eò* mihi ſuſpecta eſt. Veteres libri conſulendi.

Cum omnibus copiis.] *Cum*, auctore Steph. tollendum. Sic infrà cap. 5. Subſequebatur omnibus copiis.

CAP. III.

D *QVid noſtri auderent, periclitabatur*.] Vrſi. & alij teſtãtur in ſuis libris ſcriptum ita eſſe: Sollicitationibus exquirebat. Quod imperiti interpretis ſcholium eſſe nemo nõ videt. Sic locutus eſt li. 7: Neque vllum ferè diem intermittebat, quin equeſtri prælio, quid in quoque eſſet animi periclitaretur.

Leniter faſtigiatus.] Ald. & aliquot veteres, *Faſtigatus*. Apud Liuium legitur etiam, *Faſtigatus*. Faſtigare quidem poetæ dixerunt: vt Faſtigatus re-

E tinendum videatur. Nam Caſtigatus, quod nonnulli obtrudunt, planè abſurdum eſt. In Stephan. tamen legitur, *Leniter caſtigatus*: quorum prius vehementer arridet.

Vt ſiquo opus eſſet ſubſidio.] Corrigendum arbitror, *Vt ſi quid opus eſſet, ſubſidio duci poſſent*.

Sin minus poſſent.] Verbum, *poſſent*, gloſſema eſſe non dubito. In Stephan. legitur, *Potuiſſent*.

Commeatúſque noſtros ſuſtinebant.] Sic Aldin.

F Noſter autem & Steph. & Romanus: Commeatúſque noſtros prohiberent. Aldina probabilior eſt: nam de agris loquitur, non de Rhemis.

Vndique conuenirent.] Conuenire, in infinitiuo, magis placeret. quam ſcripturam video etiam quoſdam ſecutos. Et omnino Manutianus ſic habet.

Diuitiacum quoque.] Vox *Quoque* tollenda eſt, auctoribus Faerni & Stephani codicibus. nam planè ſuperuacanea eſt.

G *Quò non modo non intrari*.] Fortaſſe *Quà* rectius legeretur.

Non omittendum ſibi conſilium.] Conſulendi libri veteres, ſicubi vel *occaſionem*, vel Rei gerendæ conſilium, vel tale aliquid inſuper legatur.

Poſt eas.] Hanc eandem agminis rationem Hirtius exponit lib. 8. cap 2.

Ab ex-

Ab extremo agmine.] Ald. & alij complures: Ad extremum agmen.

Sibi ſubſidium poſuerunt.] Omnes veteres & ſcripti & impreſſi, *Præſidium*. quod cur mutetur, cauſſam non video.

CAP. IIII.

EX *pauore ac fuga.*] Noſter *Terrore*. cui Stephanicus, Fernius & Romanus aſtipulantur.

Ex itinere oppugnare.] Ex itinere oppugnare, eſt cùm ſine machinis celeriter, ſcalis tantum admotis aſcenſus tentatur. vt ſup cap. 2. Id ex itinere magno impetu Belgæ oppugnare cœperunt.

Vineas agere.] Non dubito legendum eſſe *Aggerem*, quo foſſas replerent: vt ſuo loco docuimus. Sic lib. 7. cap. 3. Aggerem apparare, vineas agere, turres duas conſtituere cœpit.

Caſtra munire.] Caſtrorum munitio ſic fiebat: Ceſpitibus è terra exciſis à fronte foſſa fiebat. à tergo murus ex lignis, & iiſdem glebis ac ceſpitibus: valliſque, id eſt ſtipites interiiciebantur, & frondes ne terra laberetur. Is propriè Agger & vallum dicebatur, ſupráque lorica & pinnę ad ſimilitudinem muri ſtruebantur. Plura Veget. lib. 1. cap. 24. & lib. 3. cap. 8.

Exercitum duxit.] Stephanicus, *Deduxit*: quod placet.

CAP. V.

SVb *ſarcinis adoriri.*] Sub ſarcinis adoriri, eſt cùm milites præter arma, vallo & cibariis ſuis onerati ſunt. Nam cùm ſine his ſarcinis ſunt, Expediti appellantur. vt paulò infrà hoc capite. Cicero Tuſcul. 2. Noſtri exercitus primùm vnde nomen habeant, vides. deinde qui labor, quantus agminis, ferre plus dimidiati menſis cibaria, ferre, ſi quid ad vſum velint: ferre vallum. nam ſcutum, gladium, galeam in onere noſtri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. Sic inf. lib. 3. cap. vlt. Impeditos in agmine, & ſub ſarcinis infirmiore animo adoriri cogitabant. Sic lib. Ciuil. 1. Veriti ne noctu impediti ſub onere cõfligere cogerentur. Et de bell. Afric. Milites ſub onere ac ſub ſarcinis defatigatos pugnare non poſſe. Et ſic lib. Ciuil. 1. Sub armis morari: ſub armis conquieſcere. Virgil.

» *Non ſecus ac patriis acer Romanus in armis,*
» *Iniuſto ſub faſce, viam dum carpit, & hoſtem*
» *Antè expectatum poſitis ſtat in agmine caſtris.*

Teneris arboribus.] Hæc eadem Strabo lib. 4. generatim Morinis, Atrebatibus, Eburonibus & Menapiis attribuit. κατὰ τὰς πολεμικὰς ἐφόδους συμπλέκοντες τὰς τῶν θάμνων λύγους, βατώδεις ὄντας, ἀπέφραττον τὰς εἰσόδους· ἔστι δ' ὅπου καὶ σκόλοπας κατέπηττον. αὐτοὶ δὲ κατέδυνον εἰς τὰ βάθη πανοικίοις, νησίδια ἔχοντες ἐν τοῖς ἕλεσι.

Porrecta ac loca aperta.] In quibuſdam *Ad* pro *Ac*; mendoſè. Suſpicor tamen *Aperta* gloſſam eſſe verbi Porrecta.

CAP. VI.

VExillum *proponendum.*] Sic Ciuil. 3. Ne iniuſſu ſuo concurrent. ſc, cum id fieri vellet, vexillo ſignum datutum. Et de bell. Alexand. Demittiſque antemnas iubet, & milites armati, & vexillo ſublato, quo pugnandi dabat ſignum, i-

A dem vt facerent, ſignificabat. Item in lib. de bell. Hiſpan. Hoc nuntio allato vexillum propoſuit. Hoc autem ex antiqua conſuetudine: de qua eſt apud Virgil.

» *Vt belli ſignum Laurenti Turnus ab arce*
» *Extulit.* Seruius quoque: Si eſſet tumultus, inquit, qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla, vnum Roſeum, quo peditea: alterum Cæruleum, quo equites: dicebat, Qui Rempub. ſaluam eſſe vult, me

B ſequatur. Ammianus autem lib. 20. Flammeum hoc vexillum fuiſſe oſtendit. Signo, inquit, per flammeum erecto vexillum, circumuaditur ciuitas. Purpureum quoque ſagum pugnandi ſignum Romanis fuiſſe, Plutarchus in Pompeio teſtatur. Etiam illud addendum: Cohortes in centurias diuidebantur: Earum vnicuique ſuum attribuebatur vexillum. id numerorum literis notabatur: vt milites in tumultu ad eas intuentes ad ſuum quiſque vexillum protinus reciperet. Plura Veget.

C lib. 2. cap. 13.

Signum dandum.] Eſt quidem, vt opinor, ſuperuacaneum: cùm modò dixerit: *Signum tuba dãdum.* Sed hoc fortaſſe argumentum eſſe voluit tumultuariæ ſcriptionis, cuiuſmodi multa paſſim argumenta extant. Cogitandum tamen an Signum hoc loco non de Tuba, ſed de Aquila potiùs ſit intelligendum. Neque enim verum eſt, quod vulgò tradunt, idem eſſe ſignum, quod vexillum. Signum erat ſimulacrum Aquilæ aureum, vnum vni legioni

D attributum. Vexillum verò, velum literis notatum & centuriæ cuique aſſignatum.

Galeas induendas.] Ita placet: quamuis in Faerni & Stephani libris legatur *Inducendas*.

Fors obtulit, decurrit.] Decucurrit, vt aliàs ſæpe, habent meus, Stephanicus, & Romanus.

Pugnantibus tanta fuit.] Stephan. Pugnantibus occurrit. Temporis tanta fuit exiguitas, &c. Quæ ſcriptura probabilis eſt: ſed multo probabilior hoc modo: His pugnantibus occurrit. Temporis enim

E tanta, &c.

Inſignia accommodanda.] Locus eſt in lib. 7. vnde intelligitur alia fuiſſe inſignia, alia ſigna. Vacua caſtra hoſtium Cæſar conſpicatus, tectis inſignibus ſuorum, occultatiſque ſignis militaribus, &c. Ergò Inſignia dicebantur ornamenta, quibus Duces, præfecti, ceterique inſigniores notabantur, vt internoſci poſſent. veluti, cùm Centuriones trãſuerſis & argentatis galearum criſtis vtebantur: item ſigniferi galeis vrſinis pellibus tectis. Veget. lib. 2.

F cap. 13. & cap. 17.

Quam quiſque in partem ab opere.] Stephan. Quam quiſque ab opere in partem. quòd valde arridet.

CAP. VII.

RVrſus *regreſſos & reſiſtentes.*] Ita placet: quãuis in Faerni & Stephani libris duæ voces *Regreſſos &* abſint.

G *Caſtris nudatis.*] Sic lib. 3. cap. 1. Vt quæque pars caſtrorum nudata defenſoribus.

P. Sextio Baculo.] *Bibaculo* Codex meus antiquus: quod melius eſſe arbitror. Fuit & Furius Bibaculus, de quo Valerius Maximus lib. 1. ca. 1. Itémque Furius Bibaculus, poeta nobilis. Poſteriùs etiã Romanus liber Bibaculi nomen perpetuò retinet.

Fremitúſque exaudiebantur.]Faerninus,Stepha-
hieus,& Vrſinus,Oriebatur.ſed nihil muro.
Eſſe impedimento:quarta.] Stephanicus & Aldi-
nus, *Impedimento vidit,quarta, &c.* quod tamen
verbum poſterius occurret: vt vulgatam improba-
re,hanc repudiare facilè non poſſim.
Vbi ſuos vrgeri.] Omnia hæc pendent à verbo
Vidit, ſatis longinquo, niſi fortè aliud eiuſmodi a-
liquod abſit.
Scuto vni militum detracto.] Florus libro 3.hunc
fugientem appellat. Hic cùm multa Romanorum
militum inſignia,tum illud egregium ipſius Ducis:
quòd nutante in fugam exercitu, rapto fugientis è
manu ſcuto,in primam volitans aciem, manu præ-
lium reſtituit.
Pro ſe quiſque.] *Per ſe*,reponebat amicus quidam
meus. ſed vetus locutio eſt,quæ idem valet,vt Pro
ſua virili parte. Liuius lib.2. Cum hoſtes adeſſent,
pro ſe quiſque in vrbem ex agris demigrauit. Sic
noſter lib. Ciuil. 1. cap. Maximéque timoris cauſ-
ſa pro ſe quiſque id munus legationis recuſabat.
Curſu incitato.] Forſan,Incitati, legendum:niſi
quid aliud vitij ſubſit. Nam incitato curſu collem
petere videbantur.
Vt ex tumulo.] Quaſi ex tumulo: vt in coaceer-
uatis cadaueribus inſiſtentes pugnarent. Malim ta-
men Et bis deiectis.
Auſi quod eſſent.] Omnes antiqui: *Auſos eſſe.*
Quorum auctoritatem ſequor: repudiatam ab iis,
qui loci elegantiam non viderunt. Nam illinc ad-
mirationis initium exorditur. Cicero Verrina 3.
Auſum eſſe in æde Caſtoris audaciæ ſuæ monimē-
tum ſempiternum relinquere.Idem pro Sex.Roſc.
auſum autem eſſe quenquam,ſe in id conclaue cō-
mittere,&c. Quod cum ita ſit, arbitror iis abunde
ſatisfactum, qui *Deberet* ſingulari caſu reponen-
dum putabant.
Ex ſexcentis ad tres.] Plutarchus;Ex quadringentis. In aliis, numerus conuenit. Ad Epit.104. i-
ta loquitur. Donec ex ſexaginta millibus arma-
E torum, trecenti ſuperesſent: ex nonaginta quin-
que Senatoribus, tres tantummodo euade-
rent.

CAP. VIII.

TEutoniſque procreati.] Omnes ad vnum & ve-
teres & impreſſi *Prognati.* quod retinendum
cenſeo.
Per prouinciam noſtram.] Corrigendum arbi-
F tror, In prouinciam. quod loci ſententia declarat.
De iis autem dictum eſt lib. 1. Sed iam ita video in
Manutiano libro impreſſum.
Cuſtodia ex ſuis ac præſidio.] Liber Stephan.
Cuſtodiam ex ſuis ac præſidium. quod repudian-
dum non videtur.
In circuitu xv.millium] Deeſt vox *Paſſuum.* Mo-
ris fuit,vt qui obſeſſionem inſtituerent,circum op-
pidum foſſam ducerent, paulo longiùs à mœnibus
quàm quò adigi telum poſſet. Vnde Circumual-
G landi verbum. Veget.lib.4.cap.28.Et hoc frequen-
ter apud hunc noſtrum occurrit.
Plerunque omnibus Gallis.] Sic loquutus eſt in
fin.lib.5. Equites plerunque omnes intra vallum
tela coniiciebant. Vtrobiq. autem, Plerique om-
nes,magis placeret.
Magnitudine corporum ſuorum.] Sic Hircius
A lib.de bell. Afric.cap 5.Cæſar campo purgato ani-
maduertit mirifica corpora Gallorum Germano-
rúmque. Et paulò pòſt: Horum corpora mirifica
ſpecie cæſa toto campo iacebant. Multa Liuius in
eandem ſententiam multis locis.
*Sine ope deorum.*Steph.Ope diuina.
Facere dixerunt.] Fortaſſe *Facturos* meliùs le-
geretur.
*Quàm aries murum attigiſſet.*Hoc videtur ex Fe-
ciali iure ſumptum, quo (vt Cic. in Offic.teſtatur)
B belli æquitas deſcripta erat.Et cùm iis,inquit,quos
deuiceris,conſulendum eſt:tum ij qui armis poſitis
ad Imperatoris fidem confugiunt, quamuis mu-
rum aries percuſſerit,recipiendi ſunt.
Sectionem vendidit.] Verbum hoc in Com-
mentar.de verb.iur.expoſuimus. Cic. de Inuent.1.
Hoc commode reprehenditur, ſi dici poſſit ex ho-
ſtibus equus eſſe captus,cuius prædæ ſectio non ve-
nierit:id eſt,quam Quæſtor non vendiderit.
Dies quindecim ſupplicatio decreta.] Hoc idem
C Plutarch. ſcribit in huius vita: & Suetonius: Pro-
ſperè (inquit) cedentibus rebus & ſæpius & plu-
rium quàm quiſquam vnquam dierum ſupplica-
tiones impetrauit. Cicero de prou.conſul. C. Cæ-
ſari ſupplicationem decreuiſtis, numero,vt nemi-
ni vllo ex bello:honore,vt omnino nemini. Decer-
nebantur autem ſupplicationes ad Deorum pul-
uinaria,feriis indictis,magna totius populi celebri-
tate & lætitia.Cic.Catil.3.Quamobrem,Quirites,
quoniam ad omnia puluinaria ſupplicatio decreta
D eſt,celebratote illos dies cum coniugibus & liberis
veſtris.
In deditionem poteſtatémque.] In ditionem,po-
teſtatémque multis locis legi: hoc modo legere
non memini.

Liber III.

CAP. I.

VEragros Sedunóſque. Oroſius,Vera-
grados Edunóſque. mendoſe, vt ex
Plinio & Strabone conſtat.
Ser.Galbam.] Hic eſt Ser. Galba,
Cæſaris legatus, cui Hircius libro
octauo extremo ſcribit,ereptum Cōſulatum,quòd
Cæſari coniunctus & familiaritate & neceſſitudine
legationis eſſet.
Gallis ad hiemandum conceſſit.] Mendum certiſ-
F ſimum, nam duæ voces poſtremæ in verſiculum
inſequentem reſtituendæ ſunt,vt ſit,cohortibus ad
hiemandum attribuit.
Sigillatim,qui.] Præpoſtere. Repono,Qui ſigil-
latim.
Itineris cauſſa.] Steph.Itinerum: quod placet.
His rebus colloquendis.] Sic omnes quos vidi:
præter Romanum in quo legitur *Collocandis* nullo
ſenſu.Rara eſt & notanda locutio.
Geſa.] Geſum fuit genus teli Gallici. Itaque
G Virg.li.8. Gallis illud attribuit,Duo quiſque Alpi-
na coruſcant, Geſa manu.Seruius:Id eſt,Haſtas vi-
riles. nam etiam viros fortes Galli Geſos vocant.
Hinc fortaſſe,quod vulgo dicimus,Gue,vel Guay:
pro alacri,& ſtrenuo.
Ex loco ſuperiore mittere.] Poſtulare locus vide-
tur *Inferiore*.nam hoſtes ſuperiora loca occupaſſe,
& at-

& armatis compleſſe dixit. Et ſic malim, quam quod viro cuidam erudito placere video, vt totus hic verſiculus poſt verbum CONIICERE reponatur, nam procliuior ille, quàm hic, librarij error videtur. Coniectura tamen & ingenioſa eſt & valde probabilis.

Sex. baculus.] Bibaculus reſtituendum. vt dictum eſt lib. 2. cap. 7. Pacuuius autem legitur apud Oroſium.

CAP. II.

IN *Andibus hiemabat.*] Lib. Steph. Hiemarat quod ſine dubio rectum eſt.

Cæteros antecedunt.] Idem lib. Reliquos.

Frumenti commeatúſque petendi.] Duo poſteriora deſunt in noſtro, Stephan. & Romano; vt ſuſpicari aliquis poſſit, *Frumentandi* ſcriptum fuiſſe, & ſubſcriptum Id eſt, commeatus petendi.

Perferre malint.] Noſter, & Stephan. & Roman. *Mallent.*

Reliquaque ciuitates.] Iidem omnes, Reliquæque item ciuitates.

Vaſtiſſimo ac apertiſſimo.] Duæ poſteriores voces abſunt à lib. Stephan. ſed quoque aliquanto pòſt locutus eſt cap. ſeq.

Frumenta in Venetiam] Nihil muto; præſertim quia ſic ſcriptum eſt in omnibus, quos vidi. Scio tamen conſuetudinem Cæſaris poſtulare *Venetos.* Et idem alibi diximus de Belgio, pro Belgis.

CAP. III.

EXtremis linguis.] Lib. Steph. Lingulis, vt Romanus & alij complures. Linguam tamen apud Plin. reperimus.

Magna parte æſtatis.] Nihil muto, ſed propter conſuetudinem Cæſaris, ſi quis vetus codex ſcriptum haberet, Magnam partem, facilè hanc ſcripturam cum illa commutarem. Sed iam nihil dubitandum video. Nam codex Stephanicus & impreſſus Manutianus perſpicuè ita ſcriptum habebant. Cicero pro Sylla: Totum illum annum querelas ſenatus, luctum bonorum, Italiæ gemitum pertulerunt. Noſter lib. 5: Quòd Corus ventus nauigationem impediebat, qui magnam partem omnis temporis in his locis flare conſueuit.

Ipſorum naues.] Operæpretium eſt Strabonis verba cum his Cæſaris conferre. οὐ γὰρ παχέα τὰ ξύλα. ἀλλ' ἀνέμῳ φερομένων ἐπ' αὐτὸν κατέσυρον οἱ ῥωμαῖοι τὰ ἱστία δορυδρεπάνοις. οὐ γὰρ σκύτινα, διὰ τὴν βίαν τῶν ἀνέμων, ἀλύσεις δ' ἔτεινον ἀντὶ κάλων πλατυπύγα δὲ ποιοῦσι, καὶ ὑψίπρυμνα καὶ ὑψόπρωρα διὰ τὰς ἀμπώτεις, δρυΐνης ὕλης, ἧς ἐστιν εὐπορία. διόπερ οὐ συνάγουσι τὰς ἁρμονίας τῶν σανίδων, ἀλλ' ἀραιώματα καταλείπουσι. ταῦτα δὲ βρύοις διαβύζουσι, τοῦ μὴ κατὰ τὰς νεωλκίας καπυροῦσθαι τὴν ὕλην, ἀνοτιζομένην, τοῦ μὲν βρύου νοτιωτέρου ὄντος τῇ φύσει τῆς δὲ δρυὸς ξηρᾶς καὶ ἀλιποῦς.

Vim contumeliámque.] Contumeliam dixit pro ictu quo nauis affliguntur.

Poſſe arbitrabuntur.] Arbitrantur, videtur rectius. verbum autem *poſſe* quod ab omnibus antiquis retineri video, deeſt in Manutiano.

Telum adiiciebatur.] Nonnulli, *Adigebatur.* Sed Cęſar vtrunque vſurpat, vt mox: Satis commodè tela adiici poſſent.

Roſtro nocere non poſſe.] Quia barbarorum naues (inquit Oroſius) ſolido robore intextæ ſaxorum

A rum modo adactos roſtratarum ictus retundebant.

Muralium falcium.] Sic Stephan. Aldin. & plerique omnes. Sunt quibus *Ruralium* magis placeret. quaſi verò non etiam murales, æquè vt nauales, propter ruſticarum falcium ſimilitudinem ita nominentur. præterea non animaduertunt ſimilitudinem de qua Cæſar ſcribit, non ad ipſa falcium ferramenta, ſed ad longuria & affixionem pertinere, quaſi dixiſſet, nauales iſtas falces ea re muralium ſimiles fuiſſe, quòd vt illæ longis trabibus,

B ita hæ longioribus contis inſertæ affixæque eſſent. Dio hanc hiſtoriam lib. 49. commemorans δορυδρέπανα nominat. δορυδρέπανα πόῤῥωθεν σφίσιν οἱ ῥωμαῖοι ἐπέφερον, καὶ τὰ σχοινία αὐτῶν διέτεμνον, ἔ τὰ ἱστία διέσχιζον. Veget. lib. 4. cap. vlt. Falx (de nauali loquitur) dicitur acutiſſimum ferrum, curuatum ad ſimilitudinem falcis, quod contis longioribus inditum, collatorios funes, quibus antemna ſuſpenditur, repente præcidit, collapſiſque velis, liburnam pigriorem & inutilem reddit. De murali-

C bus autem, noſter infrà lib. 7. cap. 5. Laqueis falces auertebant. & cap. 14. Longurios, muſculos, falces. Item, Falcibus vallum ac loricam reſcindunt. Et Veget. lib. 4. cap. 14 & aliis multis locis. Hunc autem locum Oroſius ſic exſcripſit: Falces acutiſſimas non pertinaciter cōtis præfixas funibus autem ſubnexas parauerat: quibus, cùm opus eſſet, apprehenſos eminus rudentes, ſubductis hoſtibus per funem falcem ſubtrahendo ſuccideret. His celeriter expeditis, dirrumpi hoſtilium antemnarum

D armamenta præcepit. Ita antemnis ruentibus complures illico naues velut captas immobiles reddidit. De falcibus muralibus locus eſt inſignis etiam apud Liuium lib. 38.

Minùs incommodè ſcopulis continebantur.] Sic vnus Manutianus habebat: cùm in aliis omnibus ſcriptum ſit, Minùs commodè. Vtrocumque modo locus mihi obſcurus eſt. vidi qui legendum putabat, Scalis conſcendebantur. Ego *Copulis* legendum ſuſpicor. vt Copulæ ſint ferramenta quæ

E in proximam nauim retinendi cauſſa iniiciuntur. Variis tamen nominibus appellantur. Liuius lib. 26. Itaque ex vtraque parte ſigno dato, cùm roſtris concurriſſent, neque retro nauem inhiberent, nec dirimi ab ſe hoſtem paterentur quem quis indeptus nauem erat, ferrea iniecta manu ita conſerebant ex propinquo pugnam, &c. Item lib. 30. Poſtremò aſſeres ferreo vnco præfixi (harpagones vocant milites) ex Punicis nauibus iniici in

F Romanas cœpti. Item lib. 37. Nam eum roſtro percuſſiſſet Sidoniam nauem, anchora ictu ipſo excuſſa è naue ſua, vnco dente velut manu ferrea iniecta alligauit alterius proram. At noſter lib. de bell. ciuil. 2. Et ſiquando noſtri facultatem nacti, ferreis iniectis manibus nauem religauerant, vndique ſuis laborantibus ſuccurrebant.

Statuit expectare claſſem.] Noſter, & Steph. & Rom. Expectandam.

Quam rationem pugnæ inſiſterent.] Sic omnes

G præter Romanum: in quo Qua ratione ſcriptum eſt. magis placet, quod in eo mox ita legitur, *Tantum tamen has, &c.*

Abſente, qui ſummam.] C. Cæſare.

Legato.] Qui exercitum ab Imperatore fidei commiſſum accepit: vt alibi loquitur.

Tanta malacia.] Plus tamen malaciam eſſe, quàm tranquillitatem. Senecæ illud indicat. lib. e-

piſt.9: Sed in otio inconcuſſo iacere, non eſt tranquillitas: malacia eſt. Nauticum vocabulum videtur, tractum es *μαλακία*, quæ Græcis animi mollitiam & remiſsionem ſignificat. quanquam obſeruatum eſt Malacos etiam à Latinis dictos, molles: & à Plauto in Bacchidib. Malacum pallium. Pellaciam tamen Lucretius dixit libro 2. Subdola cùm ridet placidi pellacia ponti. & lib.5. Nec poterat quenquam placidi pellacia ponti Subdola pellicere in fraudem ridentibus vndis.

Sub corona.] Vide Gell. li.7.ca.4. Ego diſpoſitos fuiſſe ſeruos arbitror in orbem, coronæque in modum: quo faciliùs ab emptoribus conſiderari poſſent. Hircius de bell. Afric. Coronęque in modum cingere multitudine ſua Cæſaris copias, &c. Sic Pedianus Coronam populi in cauſsis audiendis interpretatur, quod circum ſubſellia iudicum coronam faceret. Sic Corona oppidum cingere frequenter legimus apud Liuium. Captiui ergo interdum ſub haſta vendebantur, conferti: interdum ſub corona, in orbem diſpoſiti.

CAP. IIII

S*Armentis virgultiſque.*] Hic eſt locus, in quo Hircius lib. 8. cap.3. ſcribit, Cæſarem dixiſſe, Gallos in acie ſedere ſolitos in fatcibus ſtramentorum ac virgultorum. Quod tamen non facilè quiſquam præter Hircium diuinaſſet. Dio verò lib. 39. locum hunc nihilo magis quàm alios complures intellexit: ac mirum alicui videri poſsit, & illum & Plutarchum toties allucinatos. Frontinus autem lib. Stratag.3. cap. 17. Barbari, inquit, oblata victoriæ ſpe concitati, lignis farmentiſque ſe onerauerunt, quibus foſſas complerent: ingentique curſu caſtra noſtra in colle poſita petiuerunt: vnde in eos Titurius vniuerſas immiſit copias, multiſque Gallorum cæſis, plurimos in deditionem accepit.

CAP. V.

Q*Va pars.*] Suſpectus mihi locus. nam vox *Pars* quorſum pertineat, non diſpicio.

L. Valerius Legatus.] Neque L. Valerij, neque L. Manlij in Gallia cæſi recordor. Video tantum in hiſt. anni DCLVIII, Rutilio & Manlio Coſs. M. Aurelium legatum in Gallia captum & interfectum: Manilium Cos. & Q. Seruilium procos. prælio victos, biniſque caſtris exutos eſſe. De quibus ſi Cæſar loqueretur, pro *Valerius* reponendum eſſet *Aurelius*: & pro *L. Manlius procos. C. Manlius Conſul.* Rem in medio relinquam. Hiſtoriam tantùm ex Oroſio ſubſcribam. Anno ab V.C. DCXLII C. Manlius, & Q. Cæpio proconſ. aduerſus Cimbros, Teutones, Tigurinos, Ambrones, Gallorum gentes miſsi, prouincias ſibi Rhodano flumine medio diuiſerunt. Ibi dum inter ſe grauiſsima inuidia & contentione diſceptant, cum magna ignominia & periculo Romani nominis victi ſunt. Siquidem in ea pugna M. Aurelius Conſularis captus atque interfectus eſt. Duo filij Conſulis cæſi. LXXX millia Romanorum ſociorúmque ea tempeſtate trucidata. LX millia calonum atque lixarum interfecta, Antias ſcribit. Ita ex omni penitus exercitu decem tantummodo homines, qui mi-

A ſerum nuntium reportarent, ſuperfuiſſe referuntur. Eandem biſtoriam attingit Salluſt. in Iugurth. extremo.

Cuniculis.] Locum hunc Florus lib.3. ſic interpretatur, vt id commemorare propemodum me pudeat. Aquitani inquit, callidum genus in ſpeluncas ſe recipiebant: iuſsit includi: Mox dilabebantur in ſyluas: iuſsit incendi. nemo tantùm feroces dixerit Gollos. fraudibus agunt. Intelligendum eſt igitur, Aquitanos cuniculos egiſſe, vt aggerem ſubtra-

B herent. Sic enim noſter hic idem lib. 7. cap.5. Et aggerem cuniculis ſubtrahebant, eò ſcientiùs, quòd apud eos magnæ ſunt ferrariæ, atque omne genus cuniculorum notum atque vſitatum eſt.

Soldurii.] Vox Germanis & Gallis veteribus communis: quæ vſque ad hanc diem à noſtris retinetur. Radeuicus lib. 3. cap. 20. Vt largitione pecuniæ milites qui Soldarij vocantur, colligeret. Cæſar Latinè Clienteis appellat lib. 7. cap.8. Athenæus autem hæc eadem fere ex Nicol. Damaſ.

C commemorat. vt iam video ab aliis eſſe proditum.

Quid ſine Imperatore.] Aliæ ſunt legati partes aliæ Imperatoris. alter omnia agere ad præſcriptum, alter liberè ad ſummam rei conſulere debet. lib. de bell. ciuil.3. cap.11.

Mors recuſaret.] Sic lib.7. cap.8. Clientibus Gallorum nefas eſſe, etiam in extrema fortuna deſerere patronos. Valerius idem tribuit Celtiberis, vt pote è Gallia tranſlatum lib. 2. cap.1. & Tacitus

D Germanis, in lib. de mor. Germ.

CAP. VI.

Q*. Sertorio.*] Cui ea pars Aquitaniæ fauebat. Vnde illud Cicer. in Maniliana: Cn. Pompeius Gallis iter in Hiſpaniam legionibus R. prohibentibus eorum internecione patefecit.

Duplici acie inſtructa.] Steph. Inſtituta.

Obſeſſis vos.] Sic Aldinus. In ceteris omnibus

E abeſt vos, *Obſeſsis.*

Cunctatione atque opinione.] Vidi qui *Oſtentatione* reponendum diſputarent. Sed intelligendum eſt, Opinionem paſsim à Cæſare vſurpari, pro auctoritate & exiſtimatione. Craſſus autem illa repetita productione auctoritatem ſibi pepererat. Sic lib. 4. Tantum eſſe nomen atque opinionem exercitus R. Ariouiſto pulſo, & nouiſsimo prælio facto vt etiam ad vltimas Germanorum nationes opinione & amicitia populi R. tuti eſſe poſsint. Ci-

F cero pro Sylla: Non ſolùm ſtudium ad defendendas cauſſas, verùm opinionis aliquid & auctoritatis afferre. Subauditur autem *Virtutis*, quod etiam interdum additur, vt infrà lib. 7. cap. Bellouaci, quæ ciuitas in Gallia maximam habet opinionem virtutis.

Vix quarta parte relicta.] Itaque Oroſius cæſa numerat XXXVIII millia.

CAP. VII.

G

S*Vb pellibus.*] Vetus locutio, pro Sub tentoriis, quæ pellibus conſtabant. Valer. lib.2. ca.7. Néve tentorium ex pellibus haberet. Tacitus lib. 13. Retentúſque omnis exercitus ſub pellibus, quãuis hieme ſæua, adeò, vt obducta glacie, niſi effoſſa

effoſſa humus tentoriis locum non præberet. Hircius de bell. Africo: Perquam. pauci ſub pellibus acquieſcebant. Liuius lib. 23. Vbi primùm ſub pellibus habert cœpti ſunt.

CAP. VIII.

Syluas cadere.] Hæ ſunt quas Coocędes dici a- ſio loco docuimus.

Liber IIII.

CAP. I.

CEntum pagos.] Pagi ſunt conuentus hominum non oppidatim, ſed pagatim habitantium. id eſt in ædificiis non coniunctis, ſed magno ſpatio intermiſſo ſeparatis: quales fuiſſe Germanorum habitationes, Tacitus lib. de moribus eorum teſtatur. Plura diximus in lib. 1. cap. 2.

Singula millia.] Ac proinde quotannis centena millia.

Se atque illos alunt.] Vrſinus ex Antiquo libro: Reliqui qui domi manent, pro ſe atque illis colunt. Quod mihi vehementer arridet. eſque quod mox ſequitur magnopere congruit: Sic neq; agricultura deſeritur. *Manſerunt* tamen reperio in libro Stephanico. quod placet.

Prater pelles habeant.] Noſter, & Faernic. & Stephanicus. & Romanus hoc amplius: Præter pelles habeant quicquam. quod ſine dubio rectum eſt.

Nullo officio aut diſciplina.] In eandem ſententiam Procopius lib. 1. ſcribit Gottos noluiſſe ſuos liberos literis & magiſtris operam dare: quòd qui ferulæ metu affecti eſſent, lanceas & gladios nunquam contemnerent.

Priuati agri.] Hæc eadem de vniuerſo Germanorum genere propè totidem verbis ſcribit lib. 6. cap. 5.

Impenſo parant pretio.] Vrſinus, *Immenſo.* quod non placet. Sic enim etiam Liuius locutus lib. 11. Salis quoque vendendi arbitrium, quia impenſo pretio venibat, in publicum omni ſumptu ademptum priuatis.

Non amplius octingentos.] Vrſinus, ∞ DCCC. Sed hunc numerum Plutarchus ſeruat.

Parua atque deformia.] Noſter, Steph. & Rom. *Praua.* Tacitus quoque: Equi, inquit, non forma, non velocitate perſpicui: ſed nec variare gyros in morem noſtrum docentur.

Millia ſexcenta.] Hoc planè abſurdem. Itaque ſexaginta reſtituendum arbitror.

Et ceteris humaniores] Legendum ſic arbitrarer: Qui paulò ſunt ceteris eiuſdem gentis humaniores.

Propter prouincia propinquitatem.] Delenda vox Prouinciæ, auctoribus antiquis libris, in his etiam Romano, & rei veritate poſtulante. Non enim prouinciæ, ſed Galliæ propinquitatem dicit.

Infirmioréſque redegerunt.] Faernus, *Reddiderunt.* ſed nihil muto, Aldini & Stephanici & Ro-

A mani libri auctoritate confirmatus.

Quod Galliæ.] Particula Quod, videtur redundare.

Sueuorum vim ſuſtinuerint.] Legendum arbitror, ſuſtinuiſſent. Stephan. codex Suſtinuerunt.

Infirmitatem Gallorum.] Infirmitatem paſſim pro Leuitate & perfidia vſurpat. Sic infrà capite 3. Cognita Gallorum infirmitate.

Quod quiſque.] Aimoinus, *Quid quiſque.* quod magis placet. Et mox *Quibuſque.* Item,

B *Quaſque* ibi res.

His rumoribus.] Rectè ſic: cùm in Aimoini libro corruptè legatur, His rebus. vt mox, Moribus, pro Rumoribus: lib. 1, cap. 9.

CAP. II.

LEgati ad eum venerunt.] Corrigendum ex Stephanico & aliis: Legati ab iis venerunt.

C *Inſulam Batauorum.*] De quibus legendus Tacitus Annal. lib. 20. & de bis omnibus Plin. lib. 4.

In Rhenum tranſit.] Demiror ita impreſſum à Manutio: cum in omnibus quos videre licuit, legatur *In Oceanũ influit.* Tacitus lib. 2: Nã Rhenus vno alueo continuus, aut modicas inſulas circuens, apud principium agri Bataui, velut in duos amnes diuiditur: ſeruátque nomen & violentiam curſus, quà Germaniam præteruehitur, donec

D Oceano miſceatur: ad Gallicam ripam latior & placidior affluens, verſo cognomento Vahalem Accolæ dicunt: mox id quoque vocabulum mutat Moſa flumine, eiuſque immenſo ore eundem in Oceanum effunditur. Quibus etiam ex verbis non *Vacalo*, ſed *Vahalis* hoc loco legendum, intelligimus.

Piſcibus.] Placet Aimoini lectio, Solis piſcibus, atque ouis. Et ex illis inſulis, Carthuſianorum coloniæ.

E *Fidem feciſſent.* Notanda locutio, Fidem facere, pro, Fidem dare, niſi fortè Dediſſent, vetus aliquis codex baberet.

Inducie dictus erat ab his petitus.] Vox Dictus, abeſt à noſtro antiquo, itémque à Steph. & Aldi libris. Et iam video Manutium quoque illam omiſiſſe. quod probo.

Suffoſſiſque equis.] Non ſuis, ſed Romanorum.

Ipſo equo vulnerato.] Video in Vrſini & Ma-

F nutij libris editum *Seruo* vulneratò. cõtra omnium lib. auctoritatem, & hiſtoriæ rationem.

Priſtinus dies.] Priſtinus dies pro eo qui proximè antecedit, quem vulgus Pridianum diceret. Hoc idem animaderti apud Ciceronem lib. de Orat. 1. Ibi vt ex priſtino ſermone relaxarentur animi omnium, ſolebat Cotta narrare, &c. Nam ibi pridianum ſine dubio ſignificat.

CCCCXXX.] Plutarchus CCCC. tantùm ponit.

G

CAP. III.

COnditiones accipiendas. Codex Stephani, cui multi conſentiunt, Legationes. vitioſè vt cuiuis perſpicuum eſt.

Communicato, ne quem.] Subaudiendum eſt, *Et capto.* nam ita inter ſe deliberauerant, vt primo quoque tempore hoſtes adorirentur.

Simul, vt dicebatur.] Non memini me vocem *Simul* iſto modo, ante omnia poſitam vidiſſe. Præterea quarto poſt verſu quorſum vox *Ipſo* pertineat, cum modò Cęſarem nominarit, non diſpicio. Quare videndum eſt, an in illius prouocabuli locum noſtrum iſtud *Simul* reponendum ſit. nam quadrare quidem, nemo non videt.

B *Oblatos gauiſus eos retineri iuſſit.*] Stephan. liber, & alij complures: *Grauius.* Sed vulgata probabilior eſt, & Aldino libro confirmatur. Pertinet autem hic locus ad quæſtionem, An perfidia in perfidum vti ius ſit. quod Labienum quoque feciſſe ſcribit Hircius lib. 8. cap. 3. Plutarchus quidem ſcribit Catonem vehementer hanc in Senatu Cæſaris perfidiam accuſaſſe, ac cenſuiſſe illum Germanis dedendum eſſe, vt ciuitas ſcelere liberaretur.

C *Acie triplici inſtructa.*] Steph. Inſtituta, vt ſuprà lib. 3. cap. 5.

Germani ſentire.] Vox *Germani,* planè ſuperuacanea eſt, meóque iudicio adulterina.

Diſceſſu ſuorum.] Mirè dixit, pro Retentione ſuorum.

Salutem petere præſtaret.] Sic liber Steph. Aldus & alij complures hoc amplius: Salutem petere neſcirent, quid præſtaret. quod abiudico.

D *Ad quos conſectandos.*] *Conſeruandos* aliquando legendum exiſtimaui, ne Cæſar de ſua ipſe in pueros & mulieres ſæuitia teſtaretur. vt tamen Conſeruari dixiſſet ea ſententia, qua Cicero pro Flacco dixit Iudæorum gentem victam & ſeruatam.

Diſcedendi poteſtatem fecit.] Hoc puto ſcripſiſſe Cæſarem ſui purgandi cauſſa: cùm hac de re à Catone accuſatus fuiſſet, vt ſuperiùs dictum eſt.

CAP. IIII.

Rhenum transeundum.] Quod primus Romanorum fecit, vt Suetonius & Plutarchus in eius vita teſtatur. Et de Britannia, idem ſcribit Tacitus in Agric.

Exercitus Romani.] Stephanicus, Eius exercitus.

F *Rationem pontis.*] Quæ cum attentè legenti, valdè perſpicua ſit, tamen vix dici poteſt, quantum ab ea Iucundus, Budæus, Cardanus, Buteo, & Turnebus diſceſſerint. Illud autem in primis attendi oportet, Cæſarem vnius duntaxat arcus ſiue iugi figuram exponere. cùm amplius viginti fuiſſe conſtet.

In flumine defixerat.] Faerni & Stephani libri, In flumen.

G *Fiſtucis.*] Fiſtuca interdum dicitur inſtrumentum ligneum in imo ferratum, & vtrinque in medio anſatum, quo vulgò pauitores, aut qui palos in terram defigunt, vtuntur. Interdum verò inſtrumentum quo tigillum ferratum & fune ſuſpenſum, atque ab aliquot operariis in ſublime tractum, in caput infixi tigni demittitur: vt crebris ictibus impulſum adigatur. Illud ſuperius qui putant hoc loco à Cæſare ſignificari, ridendi nobis materiam præbuerunt. Quod verò Buteo Fiſtucas interpretatur, palos præacutos, qui in Rheni vado ad imam tignorum partem infigebantur, vt tigna conſtipata firmiora eſſent, primùm abſurdum eſt: quia tanta Rheni altitudo eſt, vt pali ſub illo adigi non poſſint: deinde Latina Cæſaris oratio ab illo ſenſu abhorret. Nam Adigere tigna, eſt impellere, & penitus in vadum infigere. Alioqui dicendum fuiſſet, Fiſtucis, & palis conſtipatas. Sed hoc planè abſurdum eſt. Fiſtucæ autem figuram initio huius voluminis propoſuimus.

Non ſublicæ modo.] Sublica tignum ab imò præacutum, & directo ad perpendiculum in vadum fluminis adactum. vt lib. 7. cap. 7: Iiſdem ſublicis, quarum pars remanebat, pontem reficere cœpit. vnde Pons ſublicius. quod ex Vitruuij locis intelligitur.

Directa ad perp. ſed prona ac faſtigiata.] Ita legendum: eſt vt in noſtro & Aldino: quanuis in Stephan. & Romano legatur directæ, pronæ, faſtigiatæ.

Faſtigiata.] Inclinata, procumbentia, paululum accliuia. vt lib. 2 cap. 3. Leuiter faſtigiatus paulatim ad planitiem redibat.

Secundum naturam fluminis.] Cæſar perſpicuè has locutiones opponit. Secundum naturam, & Contra vim & impetum fluminis. Cùm autem vis & impetus fluminis ſit in parte ſuperiore, relinquitur priora duo tigna in inferiore fluminis parte defixa fuiſſe.

Ab inferiore parte.] Id eſt in ipſo ſolo atque vado fluminis.

Iunctura diſtabat.] Interuallo duorum pedum, vt ſuprà dixit.

In contrariam partem.] Nam trabs bipedalis vi in commiſſuras (quas nos *Morteſias* appellamus) adacta impellebat tigna, & ab iis conſtringebatur.

E *Binis vtrinque fibulis.*] Fibulas appellat, clauos trabales, quibus trabes quinquepedales tranſuerſariæ figebantur. Quod autem Buteo ex quaternis trabibus quadratum efficit, quo extrema tignorum & trabis immiſſæ pars, quaſi fibula ferrea quadrata coercentur, hoc quid ſit, ne diuinando quidem aſſequi potui. Et verò, vt ita ſit, tamen vbi erit axiculus?

Bipedalibus trabibus immiſſis diſtinebantur.] Vetuſtiſſimus Codex, Bipedales trabes immiſſæ diſtinebant. Sed vtriuſque lectionis eadem ſententia eſt. Vna autem trabs quatuor illis tignis imponebatur. quod cùm Turnebus non videret, ita ſcripſit: Inter tigna immiſſæ erant trabes quæ tignorum interuallum ab imo fluminis vado vltra ſummam altitudinem eius implebant. At Cæſar non dicit Ab imo ad ſummum, ſed *Inſuper immiſſa.*

Diſtinebantur.] Verbum vim quandam ſignificans. nam bipedalis trabs vtroque ſuo cauo contraria tigna diſtinebat: id eſt vtrique incumbens, quodammodo propellebat. Sic de bell. ciuil. lib. 1. Has quaternis anchoris ex quatuor angulis diſtinebat, ne fluctibus mouerentur.

Diſcluſis.] Binis tignis contrariis diſcludere, eſt quod modò dixit, Diſtinere.

Reuinctis.] Cauum enim cauo iniunctum, iuncturam faciebat: eóque complexu coercebat.

Rerum

Rerum natura.] Id eſt, compactura. Naturaliter accidebat, vt quæ vis atque impetus Rheni infimas priorum tignorum partes, ac proinde ſuperimpoſitam trabem impelleret, eadem vis altera quoque bina tigna contraria propelleret: quæ quòd prona ac faſtigiata erant, contra impulſum illum nitebantur.

Obliquè adigebantur.] Volo eſſe aduerbium, vt hæ ſublicæ directæ ad perpendiculum infixæ eſſent, ſed earum ordo arcuatus & obliquus eſſet. ita tamen vt contra vim fluminis acies ſiue cuneus extaret, qui vim illam perrumperet. Qua de cauſſa Arietem ex ſimilitudine nominat. Plutarch. ζεῦγμα προβόλων appellat. ἀλλὰ ταῦτα προβόλοις ξύλων μεγάλων διὰ τοῦ πόρου καταπεπηγότων ἀναδεχόμενος καὶ γαληνιάσας τὸ προσπῖπτον ῥεῦμα τοῦ ζεύγματι, &c.

Ad inferiorem partem.] Hoc à me non intelligi ingenuè fateor. niſi *ſuperiorem* reponamus, vnde vis fluminis exoriebatur. quid enim aries ad inferiorem fluminis partem?

Pro ariete.] Faernus, *Pro pariete.* Sed puto dictum eſſe pro, loco arietis. Nam vt aries ad trianguli figuram accedebat, ita hæc propugnacula triquetra eſſe ſolent. vt aries impetu ſuo murum frangit, ita hæc propugnacula Rhenum findebant. cuiuſmodi ferè ratione Roſtrum Cicero dixit. Nam lib. de Leg. 2: Vt enim hoc quaſi roſtro finditur Fibrenus, & diuiſus æqualiter, &c. Buteo verò abſurdiſſimè interpretatur pro ariete, id eſt, ante arietem. Nam vt aries murum oppoſitum, ſic roſtrum iſtud vim fluminis irrumpentem findit ac perrumpit. Denique quem hic Arietem, mox Defenſorem appellat. Hoc idem in pontibus lapideis fieri ſolere, nemo neſcit. Galli *Sperones* appellant. Formam tamen non triangulr, ſed ſemicirculi hos arietes habuiſſe, ſuperiùs dictum eſt.

Supra pontem.] Contra fluminis impetum, circiter decem pedes ſupra locum pontis.

His defenſoribus.] Defenſor in fœminino, ſæpe apud Iuriſconſultos. Plutarchus dixit προβόλοις.

Diebus decem.] Magnum opus. ſed tamen hæc Cæſarem adiuuerunt: primùm, tempus æſtatis, quo Rhenus eſt multo anguſtior. deinde aggerum & riparum ſecturæ, foſſæque ingentes, quas Cæſaris milites auertendi & minuendi fluminis cauſſa effecerant. tertiò magnus ſublicarum & palorum numerus tranſuerſo flumine in vadum defixus, qua obſtructione & quaſi repagulis reiecta via fluminis in illas foſſas reſtagnabat. quartò innumerabilis fabrorum multitudo, quos in exercitu Cæſar habebat. nam milites omnes aut in fodiendo, cùm vſus eſſet, aut in fabricando, aut in remigando, aut in demetendo frumento, aliiſve operibus faciendis laborem nullum recuſabant. deinde fabros & fabrûm præfectos habebat. Eò accedebat multitudo nauium, quarum ædificatio, quàm facilis militibus Romanis fuerit, ex aliis Cæſaris locis intelligitur.

Liberaliter reſpondit.] Blandè & comiter: vt verborum quoque liberalitas dicatur. vnde locus ille Ciceronis. Plenum modium verborum.

Frumentiſque ſuccenſis.] Ita legitur in Stephanico & Aldino, & ceteris propè omnibus. Sed cur dixiſſet Ædificiis incenſis, frumentis ſuccenſis? Itaque *Succiſis* ſine dubio legendum eſt, vt hoc ipſo lib. in fine: Omnibus eorum agris vaſtatis, frumentis ſuccenſis, ædificiiſque incenſis, &c. Virgil. At rubicunda Ceres medio ſuccidi tur æſtu. Paulòpòſt, Demeſſa frumenta dixit. Sed iam video ita eſſe in Manutiatino emendatum. quod placet.

CAP. V.

QVod omnibus bellis.] At longè aliam Suetonius rationem affert. Britanniam, inquit, petiiſſe ſpe margaritarum, quarum amplitudinem conferentem interdum ſua manu exegiſſe pondus.

Priùs quàm periculum faceret.] Lego *Priùs, qui.* Non enim Voluſenum miſit, vt ipſe poſtea periculum faceret. Itaque ordo eſt: Arbitratus C. Voluſenum idoneum eſſe, qui priùs periculum faceret. Sic alibi ſæpe locutus eſt.

Breuiſſimus in Britanniam traiectus.] Dio lib. 39. numerat ſtadia CCCCL. id eſt, millia paſſuum ſex & quinquaginta.

Regem ibi conſtituerat.] Cæſar ergo ſuperatis quibuſdam ciuitatibus Regem imponebat. Sic lib. 5. cap. 3. Dumnorix Aeduus regnum ſuæ ciuitatis ſibi à Cæſare deferri dictitabat. Sed huic loco aduerſari videtur, quod inf. lib. 7. cap. 4. ſcribit, ſe in huius Commij gratiam ipſius ciuitati, iura legéſque reddidiſſe, eamque immunem eſſe iuſſiſſe. Reſpondendum igitur, ita Regem ex ſuis impoſitum, vt illos ſuis legibus & recepto iure gubernaret.

Sibi fidelem arbitrabatur.] Ita loquitur, quia plus apud Commium charitas patriæ, quàm Cæſaris beneficium potuit. Rebellauit enim contra Cæſarem, ſed victus poſteà ſe dedidit. lib. 8. cap. 7.

Tantarum rerum occupationes.] Aldinus, Tantularum: quod ſine dubio rectum eſt.

Nauibus circiter LXXX.] Steph. DCCCLXXX. mendoſé. Nam illum numerum Oroſius retinet.

Vt quàm celerem.] Locus perſpicuè mendoſus, qui commodiſſimè ſic legeretur: Monuítque vt quoniam rei militaris ratio, maximéque res maritimæ celerem atque inſtabilem motum haberent, &c. Sed ne tanta mutatio temeritatem habere videatur, vocem *Quàm* tantummodo in *Quoniam* mutemus: & ſic corrigamus: Monuitque (vt rei militaris ratio, maximéque res maritimæ poſtulabant) vt quoniam celerem, &c. Nam iſto modo Poſtulabant, corrigendum erit.

Ad nutum & ad tempus.] Puta dictum, pro Ad punctum temporis.

Eſſedariis.] Vnde iocus Ciceronis in Epiſtola ad Trebatium Iuriſc. Tu qui ceteris cauere didiciſti, in Britannia ne ab eſſedariis capiaris, caueto. Pomp. Mela lib. 3. Dimicant non equitatu modò, & pedite: verùm & bigis & curribus, Gallicè armati. Couinos vocant, quorum falcatis axibus vtuntur.

Aſſuefactos.] Noſter & Romanus, Inſuefactos.

Quo in pedeſtribus præliis vti cõſueuerant.] Nihil muto, tantum dico, ſi quem vetuſtum codicem nactus eſſem, à quo vox VTI abeſſet, tollendam eam arbitrarer.

Aquilam prodere.] Hoc pertinet ad inſignem Romanorum militum conſuetudinem: de qua ſic Liuius lib. 34. Q. Victorius primipili centurio, & C. Atinius Tribunus militũ (rẽ in aſperis præliis ſæpe

(A) tentatam) ſigna adempta ſigniferis in hoſtes iniecerunt. Et rurſus lib. 6. Emiſſum etiam ſignum Camilli iuſſu in aciem hoſtium ferunt: idque vt teperetur, concitatos anteſignanos.

Ex proximis primis nauibus.] Alij, Ex primis proximis. Alij, in primo caſu, Proximi. neutra placet. putóque vocem *Primis* ſuperuacaneam & adulterinam eſſe.

Curſum tenere.] Id eſt, rectè nauigare, & in portum appellere. nam ab illis paulò tardiùs admini- (B) ſtrata res eſt, vt paulò antè dixit.

Inſulam capere.] Portum in inſula capere, paulò pòſt dicturus eſt.

CAP. VI.

O*Ratoris modo Cæſaris mandata deferret.*] Sic noſter & Stephanicus, & Romanus, aliique impreſſi complures. ſed Aldina magis arridet, quàm multi ſecuti ſunt: Cùm ad eos Imperatoris mandata perferret. (C) Nuſquam enim illo modo locutum Cæſarem animaduerti. Et nunc ſic video Manutium Aldi nepotem hunc locum edidiſſe.

Paucis poſt diebus.] Demiror ita Manutium edidiſſe: quum vox *Poſt* in nullo vel antiquo, vel impreſſo reperiatur. Sic lib. 4. cap. 1. Neque multum abeſſe ab eo, quin paucis diebus deduci poſſent.

Cæſari commendarunt.] Ita placet, vt eſt in Aldino: quanuis in noſtro, & Stephanico, & Romano (D) legatur, Commendare cœperunt.

Ad reficiendas eas vſus ſunt.] Et hoc quoque demiror: cùm alij omnes conſtanter ſic habeant, Ad reficiendas naues eſſent vſui.

Ad eas quæ iuſſerat Cæſar facienda conuenerat] Sanè magnum mihi ſcrupulum hæc Manutiana editio exemit. Nam quod in aliis ad vnum omnibus legebatur, *Ad Cæſarem conuenerant*, valde vitioſum eſſe animaduertebam. Vtrum autem ex libro (E) vetere, an ex ingenio hanc emendationem Manutius habeat, magni intereſſe arbitror. Nam in ſcholiis nullam eius mentionem facit.

Reditu interclußis.] Imò *Aditu*. Non enim reditum in Galliam intercludere, ſed aditu in ſuam inſulam prohibere conabantur.

In metendo occupatos.] Et hoc quoque alibi notatum eſt: Cæſaris milites frumentum demetere, naues facere, ceteráque munia omnia obire ſolitos.

Et pedites prælıantur.] *Pedibus* corrigendum: vt (F) eſt in Steph. Sic enim ſuprà cap. 1. Sæpe ex equis deſiliunt, ac pedibus prælıantur.

Ita ſe collocant.] Alij *Currus collocant*. Fortaſſe vtrunque coniungendum: ſic, Ita ſe & currus collocant. Nam certè currus ſecum ex acie ſubducebant.

Expeditum ad ſuos receptum.] Imò *Ad eos*, id eſt ad aurigas.

Circiter triginta.] Valde mirum, equos ſolos (G) triginta nactum prælium committere voluiſſe. Fortaſſe x x x. ſcriptum fuit, pro c c c. vel potiùs 30. pro 300.

Hiemis nauigationem ſubeundam.] Vrſini liber, Hiemi nauigationem ſubiiciendam, quod eodem modo Stephanicus codex ſcriptum habebat: & ſanè rectius videtur. Nam Subire nauigationem hiemis, eſt hieme nauigationem inſtituere. quod à (A) Cæſaris inſtituto fuit alieniſſimum. At Subiicere hiemi nauigationem, eſt claſſem ſuam tandiu in ora Britanniæ retinere, dum hiems veniat. Hoc Cæſar facere nolebat. itaque obſides poſt ſe abduci iuſſit. ipſe continuò pòſt naues ſoluit.

Orbe facto.] Orbem facere dicebantur, cùm vndique circumuenti confertim ſe conglomerabant, & denſatis ſcutis in orbem cōſiſtebant. quod non tam oppugnandi, quàm reſiſtendi ac propugnandi conſilio fiebat. Sic lib. 5. cap. 10. Iuſſerunt (B) pronuntiari, vt impedimenta relinquerent, atque in orbem conſiſterent. Liu. lib. 42. Ibi cùm in orbem milites coegiſſet, vt denſatis ſcutis ab iactu ſagittarum & iaculorum ſeſe tuerentur. Idem lib. 2. Quo magis ſe hoſtis inferebat, cogebantur breuiore ſpatio & ipſi orbem colligere.

Propter ſiccitates paludum.] Quia Romani ab iis conſectandis paludum limo oon prohibebantur.

(C)

Liber V.

CAP. I.

S*Vbductionéſque paulò.*] Ita eſt in noſtro & Stephan. & Romano. Alij *Subductiores paulóque*. Quod non (D) intelligo. cùm Subduci naues frequentiſſimè dicantur, quæ in interiorem portus partem, interdum etiam in aridum, vel refectionis vel munitionis cauſſa propelluntur. vt lib. 4. cap. 6. Et longas naues quas in aridum ſubduxerat, æſtus complebat. Et lib. Ciuil. 3. Naues reliquas ſi vellet, ſubduci & refici iuberet. Item hoc ipſo lib. cap. 4. Commodiſſimum eſſe ſtatuit, omnes naues ſubduci, & cum caſtris vna munitione coniungi. Liuius lib. 23. Caſtris communitis, naui- (E) búſque ſubductis, & vallo circundatis, &c.

Magis magnos.] Aldinus, *Minus magnos*. Itáque Vrſinus reſtituit: & locus Cæſaris apertè poſtulat.

In reliquis vtimur maribus.] Ita ſcriptum eſt in noſtro, & Romano, itemque in Sthephan. & Faern. vt ipſe teſtatur: docétque Priſcianum ita hunc locum protuliſſe, lib. 7. Aldinus & ceteri hoc modo: Quibus in alio mari vti aſſueuerunt. quam lectionem Manutium ſecutum miror.

(F) *Accepta oratione.*] Liber Steph. & Romanus, *Percepta*. Vrſinus autem, *Ratione*. neutrum placet. Et legatorum oratio propriè dicitur.

Vt is imperauerat.] Has duas voces adulterinas eſſe arbitror. ſuperuacaneas quidem eſſe, nemo in huius auctoris libris verſatus negauerit. Nam ſatis fuit dixiſſe, Ad diem.

Qui litem æſtiment.] Qui æſtiment, quanti ſit damnum, quod quiſque acceperat, vt tanti, qui de- (G) derit, damnetur.

Collaudatis militibus] Notandum, quod aliis locis monuimus, Cæſarianos milites fabriles artes, cùm vſus poſcebat, exercuiſſe: & naues ædificaſſe. Sic Ciuil. 1. cap. 5. Imperat militibus Cæſar, vt naues faciant.

Ad portum Icium.] Starbo lib. 4. de Morinis loquens: παρ' οἷς inquit, ἐν ᾧ καὶ τὸ Ἴτιον ᾧ ἐχρήσατο ναυστάθμῳ

A νεωρολκήσας ἀπῆρε ὁ Θεὸς διαίρων εἰς τὴν νῆσον.

Tranſmiſſum à continenti.] Traiectus & Tranſmiſſus in eadem re ponuntur à Cæſare: vt infrà ca. 5. Pari ſpatio tranſmiſſus, atque ex Gallia eſt in Britanniam. Quare perſpicuum eſſe arbitror, hoc loco alterutrum duorum redundare, vocemque *Traiectum* ſub hac altera pro gloſſa ſubiectam tandem in contextum irrepſiſſe. Hæc cùm multis antè annis ſcripſiſſem, animaduerti Faernum teſtari in ſuo libro abeſſe vocem *Tranſmiſſum*.

B *Ab eo petere cæperunt.*] Obſcurus mihi locus. Fortaſſe hic ſenſus eſt. Quoniam in commune conſulere non poterant, ſuis quiſque priuatim rationibus conſulebat: & à Cęſare, vt ſuis agris atque ædificiis parceret, petebant.

CAP. II.

C *INduciomarus.*] Hoc eodem nomine appellatur apud Ciceronem in Orat. pro Fonteio, is qui ſuo teſtimonio maximè omnium Fonteium lædebat, à Gallis quibuſdam miſſus. Verum is Allobrogum Dux nominatur. Quòd ſi, inquit, tantas auxiliorum noſtrorum copias Induciomarus ipſe deſpexerit, dux Allobrogum, ceterorúmque Gallorum, &c.

Quæ in Meldis erant.] Imò *In Belgis*. vt habent libri nonnulli, & ex ſuperioribus planè intelligitur.

CAP III.

D *DUmnorix Æduus.*] Lib. 1. cap. 3.

Grauiter ferebant.] Nam Ædui retinere libertatem cupiebant, vt ſuo loco diximus.

Religionibus impediri.] Fortaſſe, quòd vel votum obeundum eſſe, vel iuſta ſoluenda.

Impeditis animis.] Notanda locutio, pro Occupatis.

E *Pro ſano facturum.*] Tanquam ſanum, vel, vt ſanum & prudentem facere par erat. Sic de bell. ciuil. 3. Itque maximè vellet pro communi amico atque arbitro controuerſias Regum componere. plaut. Menęch. Hoc quidē ædepol haud pro inſano verbum reſpondit mihi. Et mox: Satin' hoc pro ſano maledicta maledictis reſpōdeo. Et multis ante pag. pro ſano loqueris, cum me meo appellas nomine. vbi tamen mendoſe legitur *pro ſane*.

F *Illa autem*] Faerni liber, *Ille enim*: cui liber Steph. aſtipulatur. Et rectè Vrſinus docuit aſſertionis eſſe iam, non rationis. Plautus in Perſa, Enim non ibis nunc viciſſim, niſi ſcio.

Liberum liberaq; ciuitatis.] Liberum ſibi eſſe Cæſarem ſequi, aut non ſequi. Æduorum ciuitatem neque Regi parere, neque à Romanis in prouinciæ formam redactam eſſe.

G *Rei frumentariæ prouideret.*] Noſter, & Steph. & Romanus, Rem frumentariam. quod propter Cæſaris conſuetudinem probabilius videtur. Sic lib. 6. cap. 3: His cognitis rebus, rem frumentariam prouidet.

CAP. IIII.

AD ſolis occaſum.] Strab. lib. 4 νύκτωρ δ' ἀνήχθη, καὶ τῇ ὑστεραίᾳ κατῆρε περὶ τετάρτην ὥραν τ' καὶ εἴκοσι σταδίους τοῦ διάπλου τελέσας.

Eam partem inſulæ caperet.] Nihil muto. nam

A ſuperiùs quoque dixit, In ſulam capere. Quanquam ſiquis verus codex ſcriptum haberet *Eam partem*, non dubitarem hanc cum illa ſcripturam commutare. nam ſic quoque ſuperiùs locutus eſt.

Meridiano ferè tempore.] Florus lib. 1. In Britanniam tranſit mira celeritate: quippe qui tertia vigilia Morino ſoluiſſet à portu, minus quam medio die inſulam ingreſſus eſt. Videtur legendum *Menino*, vt eius inſulæ portum ſignificet, quam Cæſar paulò pòſt Monam appellat.

B *Ex captiuis comperit.*] Steph. Cognouit.

Vno erant viſa tempore.] Sic omnes quos vidi & manuſcripti, & impreſſi libri. Faernus, Vnà erant vitæ, timore. quod propter librorum diſſenſionem non recipio: etſi per ſe non diſplicet.

Crebris arboribus ſucciſis.] Has Concædes nominant Auctores. Tacit. lib. 1. Frontem ac tergum, vallo, latera concædibus munitus. Grægor. Turon. lib. 2. cap. 9. Franci enim ſimulato metu ſe in remotiores ſaltus receperant, concædibus per extrema ſyluarum procuratis. C Mendoſè legitur Concidibus.

In litus eiectas.] Faerni lib. In litore. quod idem in Stephani codice reperio.

Itinere deſiſtere.] Stephan. In itinere reſiſtere. quod veriſſimum eſſe paucis pòſt verſibus cognoſcetur.

Quamplurimas poſſet.] *Peſſit*, ratio ſermonis poſtulat.

D *Multa opera.*] Sic placet: propter conſenſionem noſtri antiqui, & Stephanici, & Aldini: cùm in aliis ſit, Multi operis.

Eaſdem copias, quæ antea præſidio nauibus fuerāt reliquit.] Ineptè. quanto illa Stephanici & Aldini librorum concinnior: Eaſdem copias, quas antè, præſidio nauibus relinquit.

Memoria proditum.] Sic omnes lib. Memoriæ tamen, caſu tertio, video & apud hunc, & apud alios, vbique.

E *Ex Belgio tranſierant.*] Sic omnes lib. Ego tamen Cæſaris conſuetudinem attendens, *Belgis* legendum eſſe non dubitarem. Nam vbique & de ſingulis populis ita loquitur. Quinetiam lib. Ciuil. 1. Cęſaris, inquit, erat in Barbaris nomen obſcurius.

Bello illato ibi remanſerant.] Stephan. Eo permanſerant. Neutrum placet. Non enim illato bello, ſed confecto potiùs permanſerunt. Obſcurus mihi locus. ac vereor ne multa ſint adulterina; ac Cæſar ita ſcripſerit: Quibus orti ex ciuitatibus bello illato eo peruaſerunt. F Sed ſine veteris auctoritate libri nihil mutandum eſt.

Minores obiecta inſula.] Sic quoque Aldinus, ſed noſtri & Stephanici & Romani & vulgarium conſenſus præponderat, vbi legitur *Subiecta*.

CAP. V.

G *NVmo æreo.*] Codex Steph. Minimo ære, aut aut auro, auro, aut aliis ferreis. Ego legendum ſic putarem: Minimo ære aut auro aut laminis ferreis ad certum pondus examinatis pro numo. Nam Tacitus in Agricola ita ſcribit: Fert Britannia aurum, & argentum, & alia metalla.

Quam in Gallia.] Belgica, ſubaudiendum arbitror.

Leporem & Gallinam.] Longè his diſſimilia,

Dio Nicæus,& Herodianus in Seuero

Inſula natura triquetra.] Strabo lib. 4: ἡ δ᾽ Βρεττανικὴ τρίγωνος μὲν ἐστὶ τῷ σχήματι. & multa in Cæſaris ſententiam. Legendus etiam Tacitus in vita Iulij Agricolæ.

Ibernia dimidio minor.] At Mela lib.3. Super Britanniam, inquit, Ibernia eſt penè par ſpatio, ſed vtrinque æqualis. Videtur exſcriptus hic locus, & apud Melam corruptus.

Dies x x x.] Mela eodem loco: In ea, inquit, quòd ſol longè occaſurus exurgit, breues vtique noctes ſunt. Sed per hyemem, ſicut alibi obſcuræ, æſtate lucidæ. quòd per id tempus iam ſe altius euehens, quanquam ipſe non cernatur; vicino tamen ſpendore, proxima illuſtrat: per ſolſtitium verò nullæ: quòd tum iam manifeſtior non fulgorem modò, ſed ſui quoque partem maximam oſtentat. Tacitus in vita Agricolæ: Dierum ſpatia noſtri orbis menſuram, & nox clara, & extrema Britanniæ parte breuis, vt finem atque initium lucis exiguo diſcrimine internoſcas. Quòd ſi nubes non officiant, aſpici per noctem ſolis fulgorem, nec occidere & exurgere: ſed tranſire affirmant.

Eſſe arbitrantur] Steph. Exiſtimatur. cui video Faerni librum ſuffragari.

DCC millium paſſuum.] Non congruit numerus Dionis Nicæi in Seuero, quem conferre qui volet, poterit.

Vicies centena.] Legendum, *Contenum* in ſecundo caſu.

Glaſto inficiunt.] Noſter antiquus, itémque Stephanicus, *Vltro inficiunt.* Quod etiam apud Pomp. Melam ſeruatum eſt. Incertum, inquit, ob decorem, an quid aliud, vltro corpora infecti. vbi de Britannis loquitur. Romanus, & alij nonnulli, *Vltro glaſto inficiunt.* Incredibile dictu eſt, quàm variæ doctiſsimorum hominum coniecturæ proferantur: cùm alij Vitro, alij Nitro, alij Glaſto, alij Luteo, alij Glauco, alij alio modo emendent. Mouet me Pomponij Melæ & veterum librorum conſenſus, in quibus *Vltrò* conſtanter ſcriptum eſt, vt contra omnium ſententiam reponendum arbitrer, *Lutro*, mutatione perexigua. propterea quod Dioſcorides Lyſimachiam ſcribit à nonnullis Lytron appellari. Valere autem Lyſimachiam ad cęruleum colorem, Ruellius & alij confirmant: vt dubitari etiam poſsit: an pro Luteum, quod eſt apud Plinium & Vitruuium, fortaſſe legendum ſit, Lutrum. de quo tamen nihil affirmo. Vitruuius lib.7.cap. 14. Qui non poſſunt chryſocolla propter raritatem vti, herba quæ luteum appellatur, cæruleum inficiunt. Plin.lib.33 cap.5. Luteam putant à Lutea herba dictam, quum ipſam cæruleo ſubtritam, pro chryſocolla inducunt. Tantam autem de Lyſimachia & Luteo vel Lutea herba diſſenſionem animaduerti inter Ruellium, Fuſchium, & alios eruditos viros, vt vetuſtus ille Dioſcoridis locus variis ipſorum diſputationibus facilè præponderet. Nitrum quidem ad cæruleum colorem valere, Vitruuius ſcribit lib.7 cap.11. ſed neque ſolum, verùm arena contuſum, & æri cyprio mixtum: neque ad corpus hominis inficiendum, quod vſus oſtendit: ſed ad opera, de quibus apertè Vitruuius ibi loquitur. Luteum autem hoc loco Victorius reponebat Variar.lib.19.cap 3. Nitrum. Turneb. Aduerſ. 6.cap.17.

Horribiliore adſpectu.] Sic Aldinus: & ita ma-
A gis placet: cùm in aliis omnibus legatur *Horridiore.* Nam ſic idem hic noſter infrà lib.7: Qua deſpici poterat, horribilem ſpeciem præbebat.

Virgines ducta.] Steph. Quo primùm virgo deducta eſt. Noſter & Romanus, Adducta eſt. Quod valde arridet. Nam vna tantùm ſignificatur. Quid igitur ſi plures eadem pepererit? cuius erit ſecundus, aut tertius, aut quartus? Sanè ex verbis Cæſaris reſponderet aliquis, fore omnium communem: & hanc eſſe Platonicam confuſionem.

B *Inter ſe conſtitiſſent.*] Non dubito duas primas voces ex gloſſa ſumptas, & tollendas eſſe. nam legiones propter terrorem intermiſſo aliquanto ſpatio conſtiterant.

Per medios audaciſſimè.] Scripſiſſe Cæſarem arbitror, Per medios hoſtes audaciſsimè.

CAP. VI.

C *CVm periculo dimicare.*] Noſter, Steph. & Romanus, Cum periculo prælio dimicare.

Pedibus tranſiri.] Notandum, pro Vado tranſiri.

In agros effunderent.] Steph. Eiicerent. quod non æquè placet. Nam terroris cauſſa latè vagabantur.

In continentem Galliam venerat.] Vocem Galliam propter Cæſaris conſuetudinem ſuſpicor ex Gloſſa ſumptam fuiſſe.

Pecorúmque numerus.] Faernus *Pecoris.* Idem
D noſter, & Steph. & Aldin. & Romanus.

Noſtri acriter.] Praua interpunctio locum corruperat. nam hinc periodi initium eſt.

CAP. VII.

OPpidum Britanni vocant.] Strabo lib. 4. πόλεις δ᾽ αὐτῶν εἰσὶν οἱ δρυμοί. περιφράξαντες γὰρ δένδρεσι καταβεβλημένοις εὐρυχωρῆ κύκλον καὶ αὐτοὶ ἐνταῦθα καλυβοποιοῦνται, καὶ τὰ βοσκήματα καταστα-
E θμεύουσιν, οὐ πρὸς πολὺν χρόνον.

Numerus pecorum repertus.] Noſter & Steph. *Pecoris.*

Nobili duce Cingetorige.] Stephan. *Lugotorige.* nam Cingetorigem paulò antè Regem nominarat.

Facilè extrahi poſſe.] Id eſt, Caſſiuellaunum facilè morarum cauſſas poſſe fingere, & diem ex die ducere.

Et prioris.] Particula, *Et*, ſententiam deprauat, ac
F ſine dubio delenda eſt.

Locum caperent.] Obſcura mihi ſententia, niſi fortè locum capere dicantur naues, quæ curſum tenent.

Per atrebatem Comium.] At hic in exercitu Cæſaris erat anno ſuperiore, à Britannis remiſſus. lib. 4.cap.5. Priùs ergo Comium fide publica euocarant, & eius opera in hac compoſitione vſi erant.

CAP. VIII.

G *Q. Ciceroni.*] Marci fratri, & Cæſaris legato. Dio lib.40.

His militibus.] Vox *Militibus* ſuperuacanea eſt: ac Cęſar ſuperiùs ſęper Legionibus pręfectos dixit.

Tres in Belgio.] Steph. Belgis: quod ſine dubio rectum eſt. Et vbique hoc puto ſeruandum. Nam

hæc

hæc Cæſaris conſuetudo eſt in populis omnibus. A

Ambiorige & Catiuulco.] Hi Reges quiſque dimidiæ partis Eburonum nominantur. li. 6. cap. 6.

Sabino Cottaq.] Eodem loco, Caſtellum Vatuca nominatur, in mediis Eburonum finibus: vbi duo iſti legati hyemandi cauſſa conſederant.

In Gallia morari.] Hoc eſt, ſuam in Italiam profectionem differre. Morabatur autem in Belgis, &, vt opinor, Samarobrinæ.

Inimici palàm multis etiam ex ciuitate auctoribus.] Steph. & Faern. lib. Inimicis iam multis palàm ex ciuitate, & his auctoribus. Legendum arbitror, vnica tranſpoſita vocula: Inimici multis etiam ex ciuitate palàm auctoribus, interfecerunt. Nam alioqui poſtremum hoc verbum quò referatur non habebit. B

Ex Belgio.] Iterum reſtituendum arbitror, Ex Belgis: propter aſsiduam Cæſaris conſuetudinem.

Ad caſtra oppugnanda.] Noſter & Faernius & Romanus, & Steph. Caſtra oppugnatū. quod placet. C

Controuerſias minui.] Minuere controuerſias, pro Tollere, & extinguere. Sic lib. 6. cap. 5. Principes regionum inter ſuos ius dicunt, controuerſiáſque minunt. Sic Cicero Offic. 1. Sed cùm plerique arbitrentur res bellicas maiores eſſe quàm vrbanas, minuenda eſt hæc opinio: id eſt, tollenda. Sic Academ. 2. Sed vt minuam controuerſiam, videte quieto, &c.

Non minùs haberet in ſe iuris multitudo.] Hanc veſam ac ſtabilem eſſe Principatus formam, multi diſputant. Nam aut vi, & in inuitos occupatus eſt, aut multitudinis voluntate delatus. prior confeſsione omnium eſt Tyrannicus. alter certis legibus & conditionibus delatus: vnde vltrò citróque obligatio naſcitur. Eiuſmodi Feudorum iura fuerunt, vt quibus de cauſsis a Vaſallo feudum, iiſdem à Patrono amitteretur. D

Humilitate ſua.] Nota Humilitatem non virtutem eſſe, quę vulgò modeſtia dicitur, ſed tenuitatem & infirmitatem. E

Subſidio venire.] Faern. & Stephan. *Subuenire.*

Ipſorum eſſe conſilium.] Id eſt, licere illis conſilium capere, ac deliberare vtrum mallt. Sic Cicero: Veſtrum iam conſilium eſt, quid vobis ſit faciendum.

CAP. IX.

INter eos exiſtit controuerſia.] Sic noſter Stephan. & Romanus. Aldinus, Inter eos ex his tot cauſsis controuerſia orta eſt. Vetus placet. nam ex verbo *Exiſtit* mendoſè factum eſt, *Ex his tot.* deinde à ſciolo quopiam ſubiectum, *cauſſis, & Orta eſt.* F

Ariouiſti mortem.] At hunc lib. 1. cap. vlt. fuga ſibi ſalutem reperiſſe ſcripſit. vel igitur ex vulnere accepto, vel ex animi mœrore Arioviſtum mortuum eſſe oportet.

Vltrò illatis] Non citrò acceptis.

Vnam eſſe in celeritate.]. Magis placeret, *Vna* ſexto caſu: Vna eſſe in celeritate poſitam ſalutem. G

Amplius ab iis abſit.] Sic Stephanicus. Placet tamen Faerni liber: Amplius abſit.

Quantaſuis magnas] Sic omnes lib. Vſitatum tamen puto, Quantumuis magnas. vel, Quantaſuis copias.

Quem haberet exitum.] Inſignis locus: ex quo intelligitur, Conſilium dici exitum habere, cùm in alterutram partem tutum habet euentum: non habere verò, cùm neutram in partem habet: & eſt vt Dialectici loquuntur, ἐκ τῶν ἀπόρων. itaque Titurius ſuum, in vtranque partem tutum eſſe diſputat: Cottæ verò, in neutram. Cicero ad Attic. 7. ep. 11. Videtur hoc conſilium exitum habiturum. Hircius de bell. Alexandrino, Neque vllum exitum conſilij ſui reperiret, ſi permaneret in ſententia, &c.

Vincite.] Diſputando & altercando, ſcilicet. quaſi dicat, Diutius non contendam. Valeat veſtra ſententia.

Hi ſapienter ſiquid.] Placet Stephan. & Ald. & aliorum ſcriptura: Hi ſapient: & ſiquid Pro, Hi milites conſilium capient. Horum erit iudicium.

Communem cum reliquis belli caſum.] vox *Belli* abeſt ab omnibus quos vidi & antiquis, & recentioribus. quorum conſenſum huic ſingulari antepono.

Dat manus.] Dare manus, cedere, victum ſe fateri. Tranſlatum ab iis qui bello capti ſeſe dedunt. Cic. de Amicitiis: Qui litigare ſe ſimulans blandiatur, atque ad extremum det manus. Sic ad Att. 2. ep. 22. Primo ſanè die multa contrà: ad extremum autem manus dediſſe.

Impedimentis. at hoſtes.] In aliis omnibus poſt vocem *Impedimentis*, ſubiectum eſt verbum *Incendunt.* vtraque placet. ſed librorum contenſionem potiorem arbitror.

CAP. X.

IN orbem conſiſterent.] Dixi ſub finem lib. 4. In orbem conſiſtere dici milites, qui non hoſtem adoriendi, ſed ſui tantùm defendendi conſilio denſi cuneis ſe quiſque coactis agglomerant: vt Vergilius cecinit. Idque paucis verſibus inſequentibus apparebit. Saluſtius dicere videtur Grege facto. Nam in Iugurt. Ex omni, inquit, multitudine non amplius XL. memores nominis Romani grege facto locum cepere, &c.

Id factum.] De impedimentis, & auro relictis: vt Florus loquitur.

Et numero pugnandi pares noſtri.] Faernus ex ingenio reponit, *Pugnantium.* quod placet. Simul ex Stephanico lib. ita locus diſtinguendus eſt, vt poſt *pares* punctum notetur. Tum alterius ſententiæ initium hoc ſit: Noſtri tametſi à Duce & à fortuna deſerebantur, &c. Nonnulli autem pro *numero* repoſuerunt *animo*: quod eorum temeritatem ſimul & inſcitiam coarguit.

Tela à confertis vitare poterant.] Sic Aldus. At Stephanicus & noſter multò rectiùs, Tela conferti vitare poterant.

Se ſuámq; fidem interponere.] Sic Aldus & vulgati mendoſiſsimè. Nam ſine coniunctione legendum eſt, vt in Steph. Se ſuam fidem interponere. Et ſic alibi, Fidem interponere, Iuſiurandum interponere.

Suam ac militum ſalutem.] Sic Ald. Rectiùs Faerni & Steph. libri: De ſua ac militum ſalute.

CAP. XI.

HVic quoque accidit.] Corrigendum videtur, *Hic.*

Virtuti locus relinquebatur.] Id eſt, pugnandi.

Hanc adepti victoriam.] Ita placet: neque ſine libri veteris auctoritate quicquam mutari paterer. ſed tamen ſcripſiſſe Cæſarē *Hac adepta victoria, in*

ſexto caſu, ex Latinæ linguæ conſuetudine ſuſpicarer.

Turres c x x.] In Steph. & Romano, & multis aliis: Turres admodum c x x. Suſpicor de mendo. Nam neque tam magno turrium numero vſquam legi vel Romanos ipſos eſſe vſos, præterea vna nocte tot ædificari turres potuiſſe, non puto, denique poſteriùs turres excitatas fuiſſe, mox intelligetur. Non placet diuinare. ſed probabilius eſt de aggere ex materia extructo Cæſarem ſcripſiſſe. vt aliis multis locis.

Oppugnationem apus ſunt.] Cùm de Romanis perſpicuè loquatur, corrigendum putarem *Propugnationem.*

Pinna, loricaq.] Loricas dicit, quas vulgò *Parappettos* appellamus, quaſi pectoris tegumenta. vt lib. 7. docebimus.

Mittuntur ad Cæſarem literæ.] Qui tum erat in Belgis, Samarobrinæ.

Seſe tamen ſcire] Vox *Scire* tollenda eſt, auctore Stephan. lib. & loci ſententia poſtulante.

Manibus ſagulíſque.] Video eſſe qui *Furculis* vel *Sarculis* reponant. Sed vſitata lectio in veteribus omnibus reperitur: & ad Neruiorum imperitiam demonſtrandam aptiſſima eſt: & (quod caput eſt) Paulum Oroſium auctorem habet. denique modò dixit eos ferramentis deſtitutos fuiſſe: hoc eſt, bidentibus, ligonibus, palis, raſtris alueis, cophinis, qualis. vt eſt apud Veget. li. 1. cap. 24. & lib. 3. cap. vlt.

Exhaurire cogebantur.] Sic noſter & Aldin. At Stephan. Videbantur: pro Nitebantur, quod in Romano eſt.

Minus horis tribus decem millium paſſuum.] Legendum x v. vt in lib. Steph. & apud Oroſium. Valli autem & foſſæ ſpatium ſuperiùs Cæſar expoſuit: & Oroſij numerus congruit.

Copia quæ eſſet.] Non dubito quin legendum ſit. *Cum eſſet.*

Fuſili ex argilla.] Quid ſit Argilla fuſilis, ignorare me fateor. Quid ſi *Aruina* legeretur, vt pro ſeuo poneretur? Oroſius locum ſic expreſsit. Teſtas fundis feruentes intorſere, flammatáque rela focis: ac mox concepto igne rutilantia intra caſtra iecerunt. Pſeudeutropius autem ſic: Teſtas feruentes intorſere fundis. Sed neceſſe eſt, in teſtis picem; aut ſeuum, aut aliquid eiuſmodi fuiſſe, quo ignis excitari ſolet. vt libro 7. cap. 4. Picem, reliquáſque res, quibus ignis excitari poteſt, fundebant. Item: Quidam Gallus per manus ſeui ac picis traditas glebas in ignem proiiciebat. Salluſt. in Iugurth. Contra ea oppidani in proximos ſaxa voluere, ſudes, pila, preterea picem ſulphure & tæda miſtam ardenti mittere. Tacitus lib. 18. Dum faces, & glandes, & miſſilem ignem in obſeſſos iaculantur. Cogitandum etiam, ecquid ita emendari poſſit: Feruentes ſulphure ex argilla glandes. Vel ſic: Feruentes fictili ex argilla. Vel ſic: Fuſiles feruenti ex argilla glandes. Hirc. li. de bel. Afr. Officinas ferrarias inſtruere, ſagittáſque & tela, vti fierent, complura curare, glandes fundere, ſudes comparare.

Demigrandi cauſſa.] Loci deſerendi, & ad impedimenta currendi. Demigrare, eſt de loco decedere cum animo non reuertendi.

Vt ſe ſub ipſo.] Legendum puto Ita ſe. Nam tot cædium & vulnerum cauſſam hanc affert: quòd A hoſtes tam cupidè ad vallum accedebant: ita conferti ac ſtipati erant, vt nullum fruſtrà telum adiiceretus.

In eam erumpit.] Omnes alij, *Irrumpit.* quorum conſenſionem probo.

Turri adacta.] Turri Gallorum ad Romanorum vallum admota. Nam de Turri, non de flamma verbum Adigendi intelligendum eſt.

Turris ſucenſa eſt.] Turris Gallorum ambulatoria ignibus in eam à Romanis militibus coniectis B ſucenſa eſt.

Illum veruto transfixum.] Noſter, Stephan. & Romanus, pro hoc verſu ſcriptum habent: Illi verò occurſat ocyùs gladio, comminúſque rem gerit Varenus. Ego non dubito vtrunque retinendum: & poſt verbum *Arbitrantur* hæc ſubiungenda.

Vtrunque verſauit.] Sic Stephan. & Ald. & alij complures. Nonnulli *Seruauit*, quod abiudico.

C *Vnus inter Neruios.*] Stephan. & Aldin. *Inter*, quod ſine dubio rectum eſt.

Cuidam ex equitibus Gallis.] Dio lib. 40. locum hunc obſeruans, notat Cæſarem non putaſſe hoc negotium Verticonis ſeruo committendum, ne patriæ charitate adductus magnum Romanis detrimentum afferret. & obſeſſorum calamitatem & pericola exponere potuiſſet. Sed tamen hunc equitem Gallum fuiſſe, Cæſar teſtatus. An pro Dione reſpondendum eſt, hunc alterius ciuitatis fuiſſe, D non Neruium? Ego non hanc cauſſam Cæſari fuiſſe crederem: nam eundem quoque Neruium ſeruum remiſit, vt paulò poſt intelligetur. Sed quo tutius res eſſet, duos Cæſar mittendos putauit.

CAP. XII.

G*Ræcis literis.*] Hoc idem totidem verbis Dio commemorat. Docet hic locus, quàm abſurdum ſit, exiſtimare, Gallos Græca lingua E vulgò vſos eſſe. Sed tamen negare nonnullos literarũ ſtudio deditos, eius linguæ peritos fuiſſe, æquè abſurdum eſt. Idem Dio & Suetonius ſcribunt, ahis in negotiis eum per notas ſcripſiſſe, ita ſtructo literarum ordine, vt nullum verbum effici poſſet. quæ ſi quis inueſtigare vellet, quartam Elementorum literam id eſt D. pro A permutaret.

Periculum veritus.] Tela Romanorum veritus. Itaque quaſi vnus ex hoſtibus eminus pugnans tragulam adiecit: vt Dio ſcribit. ſed non dedita opera F turri infixit: vt idem affirmat. Nam caſu id factum Cæſar teſtatus.

In cõuentu militum recitat.] Obſeruandum arbitror verbum *Conuentu.* non enim dixit In concione: quia Græcè non omnes milites intelligebant. Sed aliquammultis familiaribus, & Græcæ linguæ peritis coactis, qui deinceps cæteris exponerent. Erat ergo Conſilium, Concio & Conuentus. Ad conſilium adhibebantur, legati, tribuni, quæ- G ſtores. ad concionem, omnes: ad conuentum, proximus quiſque.

Fumi incendiorum.] Significat Cæſaris conſuetudinem, vt quà exercitum duceret, ædificia omnia incenderet: quæ tamen hoſtium eſſent. Sic lib. 8. cap. 1. Nanque etiã illud vulgare incurſionis ſignũ hoſtium, quod incendiis ædificiorum intelligi cõſueuit, Cæſaris id erat interdicto ſublatum.

Cum

Cum tantis copiis.] Steph. *Tatulis.* & mox, *Tum,* pro *Tamen.* quod ſine dubio rectum eſt.

Si forte timoris ſimulatione.] Factum hoc Cæſaris Frontinus laudat, & ſtratagematis loco numerat, lib. 3. cap. 17.

Trans vallem magnam & riuum.] Vox *Magnam* abeſt ab omnibus aliis. Ac ſæpe iam dixi conſenſionem librorum ſine magna cauſſa non repudiandam.

Relictum eſſe militem.] Omnes alij præter Aldinum, *Relinquum.*

Illum locum relinqui.] Præclarè hunc locum Dionyſ. Lambinus vir doctiſsimus reſtituit: *Vllum* locum relinqui volebat. Steph. & Aldin. *Illorum* pro *Illum* ſcriptum habebant. Sed Lambini emendatio ſine dubio probanda eſt.

Expiato incōmodo.] Memorabile eſt, quod Suetonius ſcribit, Cæſarem audita clade Tituriana, barbam capillúmque ſummiſiſſe: nec antè demp ſiſſe, quàm vindicaſſet: quod nunc accidit.

Diutina lætitia.] Faern. codex, *Lætatio.* quod idem in Steph. reperi.

Millia paſſuum L.] Omnes alij, Millia paſſuum abeſſet circiter LX.

CAP. XIII.

L. *Roſcio Legato.*] Omnes præter Aldin. *Quæſtore.* ſed perſpicua veritas omnium lib. contentioni præponderat. Hunc autem legatum Cæſaris fuiſſe conſtat ex hoc ipſo lib. cap. 8.

Aliàs territando, aliàs cohortando.] Rectè ſic, vt in Ald. & Steph. noſtro, & Romono, cùm in vulgatis legatur *Alios.*

Recentibus officiis.] De quib. inf. lib. 6. cap. 4.

Omnibus gentibus.] Notandus locus, Gallorum gentem virtute belli gentibus omnibus præcelluiſſe. Sic lib. 6. cap. 6. Ac fuit antea tempus cùm Germanos Galli virtute ſuperarent.

Exercere.] Placet Faerni & Stephanici libri ſcriptura: Exigere à finitimis, equos parare, exules damnatóſque tota Gallia, &c.

Alterius factionis.] Nam de principatu Treuirorum cum ſuo ſocero contendens, ſtatim ſe Cæſari dediderat. lib. 5. cap. 2.

Hoſtem iudicandum curat.] Omnes ad vnum, Hoſtem iudicat.

Neu quis quenque.] Legendum arbitror, Quenquam.

Armatum concilium.] Liuius lib. XXI. In his (de Gallis loquitur) noua terribilíſque ſpecies viſa eſt, quòd armati (ita mos gentis erat) in concilium venerunt.

Liber VI.

CAP. I.

CN. *Pompeio*] Sic Pedian. in Milon. Senatuſconſultum factum erat, vt Interrex & Tribuni pl. & Cn. Pompeius, qui Proconſule ad vrbem erat, viderent, ne quid detrimenti Reip. caperet, delectus autem Pompeius tota Ita-

A lia haberet. Quid ſit autem Ad vrbem, & Aſconius & ego in Verr. 2. expoſuimus. Qui cum imperio erant, ſi quid publicè aut priuatim agere vellent, extra vrbem manebant: ingredi in vrbem iis non licebat. Sic lib. Ciuil. 2. In ſe noui generis imperia conſtitui: vt idem ad portas vrbanis præſideat rebus, &c.

Conſulis ſacramento rogaſſet.] Primùm mittebantur Conquiſitores. Tum delectus habebatur. pòſt Conſules ſacramento rogabant: Milites ſacramento dicebant.

B *Ad opinionem Galliæ.*] Vocem *Galliæ* non dubito ex gloſſa imperiti hominis ſumptam eſſe. Nam ſuperiùs dictum eſt, Opinionem à Cæſare paſsim dici pro auctoritate & exiſtimatione. Itaque non *Galliæ* ſubſcribendum fuit, ſed potiùs *Populi R.* vt mox: Docuit quid Populi R. diſciplina atque opes poſſent. Sed hoc niſi qui in Cæſaris libris admodum verſatus fuerit, non videbit.

Cum Q. Titurio amiſerat.] Mendum perſpicuum.
C Legendum eſt, *Cotta & Titurius amiſerant.* lib. 5. cap. 9.

Tribus legionibus.] Idem infrà hoc ipſo lib. cap. 6.

Finitimos atque Germanos.] Vox *atque* non eſt in Faerni & Steph. libris, & meo iudicio delenda eſt.

Nonnullis ciuitatibus.] Apparet eſſe mendum. Itaque fuere qui *Ciuitates* corrigerent. quod non diſpliceret, niſi viderem Cæſarem de vna tantùm
D Treuirorum ciuitate verba feciſſe. Veteris igitur codicis auctoritas expectanda eſt: Siquis fortè ſcriptum haberet *Societatem.* quod huic loco aptiſſimè conueniret.

Obſidibus de pecunia cauent. Conſentiunt noſter, Stephan. Ald. & Romanus: quos probo. Nam de pecunia, in bello, obſidibus cauebant: in pace, prædibus. Indeque natum prædum dandorum initium arbitror. alij vulgari, Obſidibus & pecunia.

Nondum hieme confecta.], Sic infrà lib. 7. Iam
E propè hieme confecta, &c.

Ab hoc concilio abfuiſſe exiſtimabantur.] Nonnulli, Ab hoc concilio eximebantur. quod non placet. Legendum puto *Conſilio* per ſ. vt non concilium à Cæſare indictum ſignificet: ſed conſilium pro coniuratione & conſpiratione dixerit: vt alibi perſæpe. vt mox: Acco qui princeps eius conſilij fuerat.

Pro ſuggeſtu.] Pro tribunali. Liuius lib. 31. Excelſo in ſuggeſtu ſuperba iura reddentem ſtipa-
F tum lictoribus vident.

Æſtiuum tempus inſtantis belli.] Puto legendum *Inſtans.* neque obſcuram coniecturę cauſſam eſſe arbitror.

Ex eo quod meruerat odio.] Sic Aldinus. Faernus autem, Quod in eum erat: ex ingenio: vt ſignificat Vrſin. Steph. Meruerat, quod etiam in quibuſdam impreſsis video. Et rectè. Cauarinus hic Rex quondam Senonum, regno & domo à ſuis expulſus fuerat. Hunc Cæſar reſtituerat. lib. 5. cap.
G 9. Cæſar igitur aut ipſius in Senones iracundiam, aut iuſtum Senonum in illum odium pertimeſcebat.

Germanos in amicitiam.] Sic Steph. & Ald. & alij. Ego *Germanis.* caſu tertio non dubito quin ſit corrigendum.

Cum tranſrhenanis congredi.] Se cum Germa-

nis, qui auxilio Treuiris veniebant, coniungere. A

His confirmatis rebus.] *Conſtitutis*, ſexcentis locis dixit. ſed hoc tum vſurpat, cùm aliqua pollicitatio facta eſt. vt Ciuil. 1. Quibus confirmatis rebus, ſe ſtatim ſigna tranſlaturos confirmant.

Cuſtodis loco.] Obſeruatoris, ſpeculatoris.

CAP. II.

A*B eis millibus paſſuum* XV.] Duæ illæ voces *Ab eis* abſunt à noſtro & Aldino & Stepha- B nico & Romano. Et rectè abſunt. quanuis nonnulli reſtituerint, A millibus.

Cum XXV.] Locus hic demonſtrat per id tempus decem in legione cohortes fuiſſe.

Bacenis.] Pars Herciniæ Syluæ: quam nunc Nigram Germani appellant: *Der ſchvuartz vuald*, à Neehari amne ad Mœnum.

Habebat in animo.] Frontinus lib. Stratag. 2. factum hoc Labieni commemorat. T. Labienus, inquit, C. Cæſaris legatus aduerſus Gallos ante ad- C uentum Germanorum, quos auxilio his venturos ſciebat, confligere cupiens, diffidentiam ſimulauit, poſitiſque in diuerſa ripa caſtris, profectionem edixit in poſterum diem. Galli credentes eum fugere, flumen quod medium erat, inſtituerunt tranſmittere. Labienus circumacto exercitu inter ipſas ſuperandi amnis difficultates eos cecidit.

Nonnullos Gallos.] Sic Steph. & multi impreſſi. Rectiùs Aldinus, Nonnullos Gallicis rebus. D

Promiſque ordinibus.] Mirum eſt, neque, vt opinor, probabile, totos ordines euocatos: Itaque alibi perſæpe, primorum ordinum centuriones cõuocatos ſcribit. Quomodo tamen reſtituendum ſit, veterum lib. ope deſtitutus affirmare nõ audeo.

Ciuitatem recipit.] Id eſt, ex rebellione ac defectione recuperat.

CAP. III.

Q*Vod auxilia.*] Deeſt vox *Germani*: vel certè E ſubaudienda eſt. niſi quia in Sueuos præcipuè proficiſcebatur, potiùs ita legendum ſit, Quod auxilia contra ſe Sueui Treueris miſerant. Sed ſuperior magis arridet.

Dare pollicentur.] Faernus, *Dari*. Sed ita eſt in lib. Stephani, & meo, & Aldino, & reliquis omnibus. neque mutandi cauſſam video idoneam.

Sub eorum imperio.] Notetur Cæſarem promiſcuè pro eodem vſurpare: In fide, in clientela, & Sub imperio eſſe. F

Barbaros atque imperitos.] Hoc dicit, quia cibaria ſibi non prouidetant.

Ad iniquam pugnandi conditionem.] Nihil muto. ſed ſi quis vetus codex haberet *aliquam*, magis placeret. vt aliis multis locis: vt paulo ſupra: Sperans temeritate eorum fore aliquam dimicandi facultatem.

Poſteaquam venerant.] *Venerint*, legendum arbitror.

Ac longè introrſum.] Nonnulli *Hanc*: quod G magis placet.

Cheruſcos à Sueuis.] Mirum eſt & contra Cæſaris conſuetudinem, de Cheruſcis mentionem hic fieri, quaſi de potentiſſimis populis: neque tamen vllam eorum vel minimam deſcriptionem vllo loco adhiberi. De hac autem Cheruſcorum & Sueuorum vicinitate, Tacitus lib. Annal. 2.

CAP. IIII

C*Iuitatibus atque pagis.*] Ciuitates dicit Reſpublicas, quæ vel liberæ & ſui iuris erant: vt Bellouacorum, Venetorum: vel in alterius potentioris fide & clientela: vt Biturigum, Senonum, qui Aeduorum fidem ſequebantur. Pagos verò earum Rerump. fines, ſiue territoria.

Factiones ſunt.] Hic notetur memorabilis illa vox Cornelij Taciti in Agric. vita: Non aliud aduerſus validiſſimas gentes pro nobis vtilius, quàm quòd in commune non conſulunt: ſed per Principes factionibus & ſtudiis trahuntur. Ita dum ſinguli pugnant, vniuerſi vincuntur. Itaque cùm diuturnis ciuilibus bellis Galli inter ſe conflictati eſſent, Cæſar hanc occupandæ Galliæ occaſionem ſumpſit. Sic tranſitum in Germaniam, bella Vbiorum, Vſipetum, Tenchtherorum, & Sueuorum ciuilia eidem præbuerunt: vt libro 4. & lib. 5. dictum eſt. Tranſitum in Britanniam, Caſſiuellauni & Trinobantum contentiones. Et has eaſdem artes poſtea qui Magnæ beſtiæ ſimulachrum appellatus eſt, ſtudio ſe retinuit.

Singulis domibus.] Hoc à me non intelligi, ingenuè fateor: ſi quis interpretetur ſingulas ciuitates ac familias duas in partes diuiſas fuiſſe: vt alteri Aeduis, alteri Sequanis fauerent. Nam hic parricidarum culeus potiùs, quàm patriſf. quietum domicilium fuiſſet. Locum igitur, ſic interpretor: vt cùm in Gallia duæ factiones eſſent, nullæ ciuitates, nullæque domus non alterutri parti ſtuderent: nullæ verò (vt vulgò loquimur) neutræ eſſent. Atque hunc eundem morbum in Italia graſſatum, cùm alij Guelphi, alij Gibellini dicerentur, nemo eſt qui neſciat.

Principes.] Aedui, aut Sequani.

Contra potentiorem.] Non dicit contra Aeduos, aut Sequanos: quorum erat ſumma poteſtas. ſed contra Principem, aut ciuitatem: ſuperiorem ea, quæ afficeretur iniuria, inferiorem autem Aeduis aut Sequanis.

Omnes ciuitates.] Non dicit, ſingulæ. ſed omnes, cunctæ, vniuerſæ: vt ex tota Gallia bipartita diuiſio fiat, non ex ſingulis ciuitatibus aut domibus. quaſi diceret, omnes Galliæ totius ciuitates, ſi genus vniuerſum ſpectemus, duas in partes diuiſæ ſunt.

Alterius Sequani.] Aruernos ſuperiùs poſuit: lib. 1. cap. 12 aliiſque locis ſcribit, Sequanos in Aruernorum fide & clientela fuiſſe. Sed quòd Sequani ſuis ſumptibus bellum illud proximum geſſerant, ſuáque pecunia Germanos conduxerant, & eorum auxiliis Aeduos vicerant, ita loquitur.

Diuitiacus.] Vide lib. 1. cap. 12.

Commutatione rerum.] Pulſis Germanis, eorúmque Rege Arioviſto.

Amplificata.] Forſan, *Amplificatis*, commodiùs legeretur. Hac autem ipſa de re vide lib. 7. cap. 10.

Adæquare intelligebant.] Steph. & Ald. Adæquare intelligebatur. quod magis placet. nam ſenſus eſt: Vulgò intelligebatur Rhemos adæquari Aeduis gratia & beneuolentia apud Cæſarem. Neque moueat quod mox dicet, longè principes tum Aeduos fuiſſe. Nam potentia & opibus & dignitate antecellebant. gratia pares erant.

Qui in aliquo ſunt numero. Sic Ald. Corrigendum:

dum: Aliquo ſunt numero, vt in Steph. & Aimoini monachi libris.

Per ſe nihil habet.] Aimoinus, Nihil habet per ſe. quod ſine dubio deprauatum eſt.

In ſeruitutem dicant.] Aimoinus, Addicunt, quod magis ad iuris conſuetudinem accedit.

Altera Druydum.] Plin. lib. 16. cap. vlt. Nihil habent Druydæ (ita ſuos appellant Magos) viſco & arbore in qua gignatur, (ſi modò ſit robur) ſacratius. Iam per ſe roborum eligunt lucos, nec vlla ſacra, ſine vlla fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione Græca poſsint Druydæ videri. Hæc Plinius. Dryadas tamen nymphas Græci dixerunt, non Druydas. De eorum autem ſuperſtitione idem lib. 24. cap. 11. Nonnulli eruditi viri obſeruarunt veterem illam Gallorum conſuetudinem etiamnunc multis Galliæ locis retineri, cùm anni initio clamitant, *Auguy, l'an neuf.* Id eſt, ad viſcum: annus nouus. Vnde illud Ouidij:

Ad viſcum Druydæ, Druydæ clamare ſolebant.

De his etiam in hanc ſententiam Lucanus lib. 1. ita ſcribit:

Et vos barbaricos ritus moréinque ſiniſtrum.
Sacrorum, Druydæ, poſitis repetiſtis ab armis.
Solis noſſe Deos, & cæli numina vobis.
Aut ſolis neſcire datum. nemora alta remotis.

Incolitis lucis. Ammianus autem lib. 15 tria ſapientum genera nominat, Bardos, Eubages, ac Druydas: & hos Pythagareos numerat.

Rebus diuinis interſunt.] Atqui omnibus intereſſe licebat, niſi quibus ſacrificiis interdictum erat. Planiùs ergo Præſunt, dixiſſet. quanquam nihil muto. nam & huic ſcripturæ liber Aimoini ſuffragatur, & poſteriùs dicet, Sacrificiis priuatis Druydas adhiberi.

De controuerſiis.] Strabo lib. 4. δρυΐδαι δὲ πρὸς τῇ φυσιολογίᾳ, καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι. δικαιότατοι δὲ νομίζονται, καὶ διὰ τοῦτο πιστεύονται, τάς τε ἰδιωτικὰς κρίσεις καὶ τὰς κοινάς.

Iidem decernunt.] Mirum eſt ita conſtanter legi in Aimoini, & Aldi, & Stephani libris nam Latinæ quidem linguæ conſuetudo perſpicuè flagitat *Decernunt.* quod modo emendandum eſſe non dubito.

Aut priuatus, aut populus.] Sic Stephan. Ald. & Aimoin. Multi autem impreſsi, *Publicus*: ex Græcæ linguæ conſuetudine, apud quos δημοτικὸς dici ſolet. quamquam Latinam hanc eſſe conſuetudinem non memini. Fortaſſe populum nominat, quòd ciuitates quoque, quę Druydum decretis non parebant, à ſacris arcerentur.

Ab iis omnes decedunt.] Et Aimoin. & Steph. particulam *Ab*, remouent: quorum auctoritatem ſequor. Plaut. in Trinumm.

Decedam ego illi de via, & ſemita, &c.

Aditum eorum.] Aldinus. At Aimoinus & Stephan. Aditum, ſermonémque defugiunt.

His præeſt vnus.] Antiſtes, ſummus Pontifex Itaque & Romani Pontificis, & Cardinalium, & contentionum in creandis Pontificibus imago planiſsimè perſpicitur.

Media habetur.] Nam in Gallia totam prouinciam quæ trans Rhodanum erat, non numerat: vt ab initio dictum eſt.

In Britannia reperta.] Plin. lib. 30. cap. 1. Britannia, inquit, hodiéq; Magiam attonitè celebrat, tantis ceremoniis, vt eam Perſis dediſſe videri poſsit.

A *Illo proficiſcuntur.*] Id quod argumento eſſe volumus, eandem Gallorum atque Britannorum linguam fuiſſe. Tacitus in Agricola. In vniuerſum æſtimanti, Gallos vicinum ſolum (de Britanniæ ſolo loquitur) occupaſſe credibile eſt. Eorum ſacra deprehendas ſuperſtitionum perſuaſione. Sermo haud multum diuerſus.

Verſuum.] Non iam (opinor) dicit carmina: ſed ambitus orationis. qua in re vocabulum hoc vſurpari ſolitum, nemo ignorat.

B *Græcis literis.*] Sic Aimoinus & noſter, vt Steph. & Ald. & Roman. & omnes ad vnum quos vidi libri. Attamen remota voce *Græcis*, idonea & integra huic loco ſententia conſtabit: hoc modò: In ſola Druydum diſciplina literis & ſcriptione non vtuntur. ceteris in rebus omnibus, vtuntur. Deinde ſi in priuatis ac domeſticis rationibus, & accepti expenſique codicibus patresfam. omnes Græcis literis vtebantur: quid eſt quod ſuperius dixit, lib. 5. cap. 12. Cæſarem Græcis conſcriptam literis
C epiſtolam ad Q. Ciceronem miſiſſe, ne intercepta epiſtola, ſua à Gallis conſilia cognoſcerentur? Itaque mihi perſuaſum eſt, vocem *Græcis* adulterinam eſſe: & ab eo fortaſſe interiectam, qui apud Strabonem lib. 4. legerat Gallos exemplo Maſsilienſium inductos præceptores inde ſuæ iuuentuti ſumpſiſſe, & adeò φιλέλληνας fuiſſe, vt etiam pactiones & contractus Græcè ſcriberent. Sed Strabo præcitè de Maſsilienſi vicinia tantùm id commemorat. deinde ſua demum memoria id
D fieri inſtituiſſe. Plura autem hac de re ſcripſimus in in Francogallia, cap. 2. Illud prætermittendum non videtur, vti literis interdum idem eſſe, quod Frui ſtudio literarum. Cicero Famil. 5. Quod enim mihi poterat eſſe perfugium? &c. Literæ, credo: quibus vtor aſsiduè. Et mox: Itaque ſic literis vtor, in quibus conſumo omne tempus, &c. Et in Catone Maiore: Ius augurum, pontificium, ciuile tracto: multum etiam Græcis literis vtor.

Non interire animas.] Vnde ille feſtiuus mos
E Gallorum, pecunias mutuò accipiendi, quæ apud inferos reddantur: vt ſcribit Valerius lib. 2. cap. 1.

Ea literis mandare.] Ergo diſciplinæ myſteria ſcriptionis abſtinentia occultabant. At Pom. Mela eam occultationem imperitè meo iudicio ad locum retulit. Docent, inquit, clam & diu vicenis annis in ſpecu, aut in abditis ſaltibus.

Memoriam remittant.] Hoc idem Plato tum in Phædro, tum in Timæo. Quintil. lib. 11. Quan-
F quam, inquit, inuenio apud Platonem, obſtare memoriæ vſum literarum. videlicet, quòd illa quæ ſcriptis repoſuimus, velut cuſtodire deſinimus, & ipſa ſecuritate dimittimus.

De ſyderibus atque eorum motu.] Vbi ſunt inepti, qui dixerunt Plinium ſcripſiſſe, Gallos aſtrologiæ ſtudioſos non fuiſſe? propterea quod lib. 18. cap. 25. his verbis vtitur: Africam, Hiſpaniam, Galliam ſileri, non erit mirum. nemo enim obſeruauit in iis, qui ſyderum proderet exortus. Quaſi
G verò Plinius non meminiſſet quod Cæſar mox ſubiungit, Gallos nihil eorum quæ de hiſce rebus tradebant, literis mandaſſe.

Alterum genus eſt equitum.] An igitur pedites nullo numero habebantur? quod ex ſuperiore diuiſione ſequi videtur.

Ambactos.] Feſtus ſic, Ambactus apud En-

nium linguâ Gallica ſeruus dicitur.

Natio eſt omnium.] Sic omnes quos vidi. Faernus teſtatur in ſuo ſcriptum, *Omnis*. quod magis placet.

Homines immolant] Idem Cicero pro Fonteio. Sueton. in Claudio, Pomp. Mela. Plinius lib. 30. ca. 1. Euſebius autem lib. 4. de præp. Euag. cap. 17. docet, hanc innumerarum gentium & præſertim Occidentalium conſuetudinem fuiſſe. Patet autem huius doctrinæ initia ex Iudæorum religionibus, & Prophetarum præceptis eſſe nata: qui de Chriſti ſacrificio multa prædicere ſolebant. Sed hanc doctrinam Sathanæ præſtigiis apud Gallos ſtultiſſimè corruptam fuiſſe. Quid enim nocentis ſupplicium ad alterius æquè noxij abſolutionem pertinet? An duobus captis & damnatis latronibus, alter alterius ſupplicio liberabitur? Innocentem eum igitur fuiſſe oportet, qui pro nocentibus & maleficis pœnas lueret. B

Simulachra.] Strab. lib. 4. καὶ κατασκευάσαντες κολοσσὸν χόρτου, καὶ ξύλον ἐμβάλλοντες εἰς τοῦτον, βοσκήματα καὶ παντοῖα θηρία, καὶ ἀνθρώπους ὁλοκαυτοῦσι.

Numero nocentium.] Hoc idem Tacitus Germanis attribuit. Nec dierum, inquit, numerum, vt nos, ſed noctium computant. ſic conſtituunt. ſic condicunt. nox ducere diem videtur.

Imperium cæleſtium.] Aimoinus, Cœleſte. Martem bellagerere. quod poſterius in multis impreſſis ſeruatum eſt. Meliùs Aldinus, Steph. & alij, Bella regere.

Ant poſita] In templo, aut conſecrato loco.

Publico conſpectu] Sic legendum, vt eſt apud Aimoin. Filiúmque puerili ætate in publico in conſpectu.

Tantas ex ſuis bonis.] Hęc videtur Antidos fuiſſe, quam Iuſtinianus in ius ciuile induxit, & Græco nomine ἀντίφερνον appellauit. cuius tamen inſtitutum propterea videtur abſurdum fuiſſe, quia dos datur propter onera matrimonij. Turpe eſt autem dicere, maritum vxori eſſe oneri, aut vxorem onera matrimonij ſuſtinere. Sed hæc ab hiſtoriæ interpretatione aliena ſunt. Nam etiam Tacit. ſcribit in moribus Germanorum fuiſſe, vt non mulieres viris, ſed contrà viri mulieribus dotes darent. Quem etiam veterum noſtræ Religionis Patriarcharum conſuetudinem fuiſſe, patet ex libro qui de Rerum originibus inſcriptus eſt.

Pecunia coniunctim.] Placet Aimoini lectio, Coniunctim pecuniæ.

Ad eum pars vtriuſque.] Nimirum eo caſu quo liberi ex eo matrimonio nulli extarent. alioqui iniquiſſima eſſet conditio.

Iuſtis funeribus.] Sic Aimoinus. Steph. Ald. & cęteri omnes. Ego iampridem *Funeribus* delendum putaui: cùm Iuſta pro funeribus veteres vſurparint: quę Græci τὰ νομιζόμενα dicebãt, vt in Com. verb. iur. docuimus. Ac iam hoc idem Vrſino placuiſſe video.

Vnà cremabantur.] Non tamen, vt opinor, viui. Priùs ergo ſacrificabantur.

Suam Remp.] Nã (vt Strabo ſcribit) ἀριστοκρατικαὶ ἦσαν αἱ πλείους τῶν πολιτειῶν.

Legibus ſancitum.] Aimoin. *ſcriptum*. quod abiudico.

Per concilium.] Sic Aimoin. Steph. & Aldinus. *Per concilium* tamen *licere*, idem valere videbatur

A quod Auctore cõcilio, vel Senatũ. cùm hic, opinor, perſpicuè vſurpetur pro *In concilio*. Conſulendos tamen plures veteres codices putarem, ſiquis ſcriptum haberet, *Pro conſilio*: vt paulò ſupra, *Pro ſuggeſtu*. id eſt in concilio, in ſuggeſtu: & apud Salluſt. Iugurth Sed, vti pro concilio imperatum erat, Elephanti traduntur. niſi fortè *Per concilia* ſcriptum dicamus, pro, In conciliis.

CAP. V.

GErmani.] Hoc quoque caput in Aimoini libro deſcriptum eſt, ſed multis locis vitiatę.

In ſtudiis rei militaris.] Senec. lib. de Ira, Germanis quid eſt animoſius? quid ad incurſum acrius? quid armorum cupidius? quibus innaſcuntur, innutriuntúrque, quorum vna illis cura eſt, in alia negligentibus.

Impuberes permanſerunt] Sic Tacitus in lib. de

C morib. German. Sera iuuenum Venus: eóque inexhauſta pubertas. Quaſi non antè pubertas exſtat, quàm habita fœminæ notitia. Alioqui exiſtimaſſet aliquis, Impuberes honeſto nomine à Cæſare appellatos, qui fœminæ notitiam nondum habuerunt. nam illa temperantia, & ſtatura & vires aluntur, non lanuginis vacuitate. Mela autem locum ſic exſcripſit, Maximo frigore nudi agunt, antequam puberes ſint: & longiſſima apud eos pueritia eſt. Hanc autem nuditatem etiamnunc in

D Americis gentibus conſpicari licet. ac ſuperiùs Cæſar initio libr. 4 eandem in Sueuis commemorat.

Rhenonum] Steph. *Rhenorum*. Aimoin. *Rhenonum*. vbi de ſuo aſcripſit: Et id animalis nomen. Eáque opinio in vulgus recepta eſt. Quale tamen illud animal ſit, nemo, quod ſciam, explicat. Verum vt animal fuerit, tamen non Tegumentis Cæſar dixiſſet: ſed Pellibus Rhenonum, pro tegumento. deinde, an feræ ignotæ nomen ſine interpretatio-

E ne aliqua poſuiſſet? Renones tamen aut Rhenones, veſtes de pellibus factas, dici ſolitas, Salluſtius apud Seruium teſtatur lib. Georg. 3. Sed & Varro Gallicã voce eſſe ſcribit. Quod ſi ſequamur, haud ſcio quam commodè Cæſar dixiſſet, Paruis Renonum tegumentis, pro paruis Rænonibus. Nihilo fortaſſe concinnius, quàm Paruis Sagorum tegumentis, pro. Paruis ſagis. Huc accedit inſtituti à Cæſare ſermonis ratio: nimirum, vt probet, non fuiſſe impudicitiæ tributum Germanis adoleſcen-

F tulis, quod illam corporis partem nudam eſſe ſinerent, quam ceteri mortales ſtudioſe contegebant. Ego *Renum* reſtituendum eſſe iampridem exiſtimaram. ſed affirmare ſine doctioris alicuius auctoritate non audebam. Vbi autem meam hanc opinionem Th. B. clariſſimo viro probari animaduerti, cuius ſincerum ac ſubtile iudicium omnes docti admirantur, in ea permanendum exiſtimaui. præſertim his Corn. Taciti verbis confirmatus, in lib. de morib. Germ. Tegumen, omnibus

G ſagum, fibula conſertum. Cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignes agunt. Locupletiſſimi veſte diſtinguuntur, non fluitante, ſed ſingulos artus exprimente. Gerunt & ferarum pelles. Sed & Seneca lib. de Ira: Quid, inquit, Germanis induratius ad omnem patientiam, vt quibus magna ex parte non tegumenta corporum

porum prouiſa ſunt: non ſuffugia aduerſus perpetem cœli rigorem? Item lib. epiſt. 14. epiſt. 90. Nunc hodiéque magna Scytharum pars tergis vulpium induitur ac muriũ, quæ tactu mollia, & impenetrabilia vẽtis ſunt? Paruis igitur dorſi & renum tegumentis adoleſcentes germani vtebantur: ventris & pudentorum, nullis.

Agricultura non ſtudent.] Eadem ferè omnia de Sueuis ſuperiùs dixit. vt facilè intelligatur, maximam Germaniæ partem eo nomine appellari. Quare cùm illo loco ſcribat, rei militaris ſtudio agriculturam non deſeri, crederem hoc loco vocem Omnes, deſiderari. vt ſit: Agriculturæ non omnes ſtudent. Idque eo magis quòd paulò infrà ſic loquitur: Quod vt ſuprà demonſtrauimus, minimè omnes Germani agriculturæ ſtudent.

Agri modum.] Idem lib. 4.

Alio tranſire.] Extra ſuos fines, bellandi cauſſa.

Æquari poſſe videat.] Verbum *Poſſe* delendum eſt, auctoribus libris Aldi, Stephani, & Aimoini: tametſi apud hunc multa ſint, quæ adhibito iudicio repudianda ſunt. Et nunc idem Manutio probatum video.

Quam latiſſimis.] Noſter, & Steph. & Aimoin. & Rom. *Quàm latiſſimè.* quod valde placet Sic enim lib. 4. cap. 1. Maximam putant eſſe laudem, quàm latiſſimè à ſuis finibus vacare agros.

Prope ſe audero.] Idẽ liber, *Propo audere.* quod forſitan æquè probandum eſt.

Pecuniæ cupiditas.] At non tam ex pecuniæ, vt opinor, quàm ex honoris & imperij cupiditate factiones diſſenſionéſque naſcuntur. Itaque videndum ecquis liber inueniri poſſit, in quo *Potentiæ* ſcriptum ſit.

Controuerſias minuunt. Minuere controuerſias, tollere & diſceptare: vt dictum eſt. lib. 5. cap. 8. Et hoc idem ſcribit Tacitus de mor. Germ. Eliguntur, inquit, principes, qui iura per pagos vicóſque reddant.

Atque extra fines.] Mendum operarum hoc puto. Nam pro *Atque* reponendum *Quæ* vt in aliis omnibus.

Qui ſequi velint profiteantur.] Verba ſunt formulæ.

Fides abrogatur.] Alij omnes *Derogatur.*

Germanos Gallis ſuperarẽt.] Tacit. de mor. Germ. Validiores, inquit, olim Gallorũ res fuiſſe, ſummus auctorum diuus Iulius tradit. eóque credibile eſt, etiam Gallos in Germaniam tranſgreſſos. Quantulum enim amnis obſtabat, quo minus quæque gẽs eualuerat, occuparet, permutarétque ſedes promiſcuas adhuc & nulla regnorum potentia diuerſas. Idem in Vita Agric. Nam Gallos quoque in bellis floruiſſe accepimus. mox ſegnitia cum otio intrauit, amiſſa pariter virtute ac libertate. Sed diligenter notandum eſt, non generaliter de Gallis omnibus Cæſarem hæc ſcripſiſſe, ſed propriè de iis qui proximè Rhenum incolunt, id eſt de Belgis.

Agri inopiam.] Hoc vix Cæſar cuiquam, qui vtriuſque naturam regionis norit, perſuaſerit. Et ſatis multis aliis de cauſſis bella ſuſcipiuntur. Liuius tamen lib. 5. in hanc ſententiam ſcribit, Ambigatum Biturigum Regem Sigoueſum ſororis filium in ſaltus Hercinios miſiſſe. cùm exonerare prægrauante turba regnum cuperet: quòd ea gens populis abundabat.

Vulgò Tectoſages.] Sic Ald. & Steph. & alij quàm

A plurimi. Aimoin. *Peruolgæ.* Faernus & Vrſinus, *Volſca*: vt in pleriſque impreſſis. quod ſine dubio rectum eſt.

Nunc quod] Locus hic ex Aimoini & Steph. libris ita corrigendus eſt: Núncque in eadem inopia, egeſtate, patientia, qua Germani, permanent.

Gallos autem propinquitas.] Perſpicuum eſt aliquid deeſſe. quinetiam in Aim. & Steph. & Romano ita legitur: Gallis autem prouinciarum propinquitas. Ammianus autem locum hunc Cæſaris lib.
B 15. excribens, ad Aquitanos hæc refert. Aquitani, inquit, ad quorum litora, vt proxima, placidáque merces aduentitiæ conuehuntur, moribus ad mollitiem lapſis, facilè in ditionem venere Romanam. Itaque locum hunc reſtituendum ſic putarem: Galli autem quibus prouinciæ propinquitas, &c. Nam etiam vocem Prouinciæ in quibuſdam impreſſis reſtitutam videmus.

Nometum & Rauracorum.] Beat. Rhenanus, docuit legendum eſſe, *Venetum, & Tauracorum,*
C qui ſunt Rhetiæ populi, quorum hi nunc *Tragai* vocantur, hi ad lacum *Collenſem* accolunt. Pompon. Mela: Rhenus ab Alpibus decidens propè à capite duos lacus efficit, Venetum & Acromum.

Aut audiſſe, aut adiſſe.] Mendum perſpicuum. nam Audiſſe & Accepiſſe, idem ſunt. Itaque Faernus ex ingenio reſtituebat, Qui ſe aut adiſſe ad initium. quod magis probo. niſi fortè rectiùs ſic videretur. Qui ſe aut vidiſſe initium, &c. Poſtea tamen adiit & vidit Iulianus imp. vt Suidas teſtatur, a-
D pud quem hæc illius verba proferuntur: πρὸς τὴν ἑρκυνίαν ὕλην ἤδη ἰόμην. καὶ οἶδεν ἐγὼ χρῆμα ἐξαίσιον, ἰδοὺ γοῦν θαῤῥῶν ἐγὼ ἐγγυῶμαι μή πω ὦφθαι τοιοῦτον, μὴ δ' ὅσα πάντοτε ἡμεῖς ἴσμεν ἐν τῇ ῥωμαίων. ἀλλ' εἴτε τὰ θετταλικὰ τέμπη δύσβατα νομίζει τίς, εἴτε τὰς ἐν θερμοπύλαις, εἴτε τὸν μέγαν καὶ πολυλύγιον ταῦρον, ἐλάχιστα ἴστω χαλεπότητος ἕνεκα πρὸς τὸ ἑρκύνιον τοῦτο μέρος.

Differant ab ceteris.] Ab aliis, lib. Aimoin. quod magis placet. Atque apud eundem alia nonnulla
E ſunt à noſtra lectione differentia. ſed iudicium & delectum adhibuimus.

Eſt bos cerui figura.] Puto legendum *Biſons.* primùm quia probabile eſt Cæſarem æquè huius belluæ, vt ceterarum, nomen prodidiſſe. deinde quoniam abſurdum videretur, ita ſcribere: Eſt bos cerui figura. Cur enim potiùs bos, quàm Ceruus appelletur? præſertim tantis & tam erectis cornibus. Præterea Plinius, & Solinus Biſontes huic eidem Hercyniæ ſyluę attribuunt. Atenim deſcrip-
F tiones huius Cæſarianæ non conueniunt. Primùm ſi decem Pliniis, & totidem Solinis vnius Cæſaris auctoritatem anteponam, iniuriam illis me facturum non putabo. Fuit enim in Germania Cæſar: & bis Rhenum tranſmiſit. Vbios, & Vſipetes, & Tenchtheros ſibi fœderatos habuit. nec dubium eſt has illi belluas ab illis demonſtratas fuiſſe: quæ etſi hoc tempore iis fortaſſe in locis non reperiantur, tamen intelligendum eſt, eas propter
G incolarum multitudinem, & crebras venationes in remotiores partes diffugiſſe. Poſtremò in Biſontis deſcriptione, neque veteres Plinius, Solinus, Pauſanias, neque recentes Munſterus, Geſnerus, Olaus. Sigiſmundus inter ſe conueniunt. Itaque Biſontis figuram ad Cæſaris exemplar exprimendam curauimus. Albertus quidem magnus lib. hiſt. animal. x. Alcis nomen (quem E-

quiceruum nominat) huic Cæſarianæ figuræ apertè attribuit. Equiceruus, inquit, nobis cognitus, equo ſimilis eſt: ſed altior: vulgò *Elent*, & ad equitandi vſum eicuratur: tantundem enim vno die ſpatij, quantum equus triduò perficit. Cornua eius ſolida, & ramoſa ſunt: colore quo cerui. Ab initio vbi enaſcuntur, ad tres, vel quatuor digitos rotunda ſunt: deinceps lata & tenuia, aſſeris inſtar, & circa finem multos producunt ramos. facit hæc latitudo, vt ſcabellis idonea ſint. pondus cornuum ingens. magnus horum animalium numerus eſt in ſyluis Pruſſiæ, Vngariæ, & Illyriæ. Maiora ſunt ceruis, & hirſutiora, ſimili tamen pilo. in ceteris cauda ſolùm ceruis ſimilia. Frontis latitudo ad duas palmas. Hæc Albertus de Equiceruo, quem Briontem hunc Cæſarianum eſſe, nemo non videt. Itaque figuram ad illa præcepta ſuperiùs poſitam accommodauimus.

Sicut palma ramique.] Vel *Que* partic. delenda eſt, vel Faerni liber probandus, in quo ſcriptum eſt. *Quàm latè.*

Mariſque natura] De Biſontis natura Pauſan. lib. 10.

Appellantur Alces.] At huic Cæſaris deſcriptioni Plinius, & Solinus nō Alces, ſed Machlis nomē attribuunt. Pauſanias autem lib 9. alteri diuerſiſſimæ belluæ Alces nomen imponit: quę media inter ceruum & camelum ſpecie, neque inueſtigari, neque præuideri poteſt. Eadem recentiorum omnium diſcrepantia eſt: quorundam etiam ridicula & abſurda. Itaque huius vnius noſtri auctoritatem & exemplar ſecuti, Alcem ea figura quam ſuperiùs poſuimus exprimendam curauimus.

Paulum modò acclinatæ.] Stephan. & Aldinus Reclinatæ, & paulò pòſt. Cùm ſe conſuetudine acclinauerint, &c. Et hoc Manutius ſecutus eſt.

Vri appellantur.] In huius deſcriptione Solinus conuenit. Figuram quoque ad Cæſaris exemplar aptiſſimam Sigiſmundus Liber ex Moſcouitis protulit: quam ſuperiùs poſuimus. Nam vſum quoque cornuum in poculis commemorat. Macrob. lib. Saturn. 6. cap. 4: Vri, inquit, Gallica vox eſt, qua feri boues ſignificantur. Seruius autem Georg. 2. in illud Virgil. Syluestres vri, &c. Sunt, inquit, boues agreſtes, qui in Pirenæo monte naſcuntur: exceptis elephantis, maiores animalibus ceteris. dicti Vri ἀπὸ τῶν ὄρων, id eſt à montibus.

CAP. VI.

E*Orum auxilia tardaret.*] Auxilia quæ ab iis Galli expectabant.

Ad bellum Ambiorigis profectus.] Aſſentior Faerno, vt verbum Profectus tollatur. neque enim tum Cæſar profectus eſt: vt modò teſtatur.

Atque etiam imparatum.] Vox *etiam* tollenda eſt, auctoribus libris Faerni & Stephani.

Sed hoc quoque factum eſt.] Sic Ald. Steph. & alij quamplurimi. Nonnulli, Sed hoc eo factum eſt. quod valde arridet.

An ſuas copias.] Meliùs Faerni & Steph. libri, Ambiorix copias ſuas iudicióue non conduxerit, &c.

Æſtus efficere.] Idem Plin. lib. 2. cap. 85.

Taxo exanimauit.] Plin. lib. 16. cap. 11. Et qui eā regionem incolunt, affirmant etiamnunc inter Hoium & Namurcam magnam taxorum copiam reperiri.

Ad Vatucam.] Steph. *Ratucam.* Faern. *Atuatucam.* Hubertus Thomas in lib. quem de Tungris & Eburonibus inſcripſit, *Varucam* reſtituit. Eſt, inquit. Varuca etiamnunc eius nominis caſtellum, haud ampliùs medio milliari Germanico, ab vrbe Leodio diſtans, in medijs Eburonum finibus, in ſumma planitie. Addit etiam ſe Vatucam in antiquo Cæſaris libro reperiſſe. Item alio loco ſcribit Lamberto Pateali cuidam placere *Ratucam* legi, vt eſt in lib. Steph. atque eſſe oppidulum Rodt, vel Hertzos Rodt: quod eſt inter Aquiſgranum & Iuliacum. Huiuſmodi eruditorum hominum contentiones ab horum nominum & locorum inueſtigatione nos deterruerunt.

Tuturius.] Cladem ſignificat, de qua ſcripſit ſuprà lib. 5. cap. 8.

Ex his tribus.] Suprà huius ipſius lib. initio.

Aut locus ſylueſtris, aut palus impedita.] Faerni lib. Aut locis ſylueſtribus palus impedita. quod magnoperè arridet. nam ſine ſylua palus non multum præſidij attuliſſet. Et crebrò Cæſar ita loquitur, Sylueſtribus locis: aut, Sylueſtribus ac remotis locis.

Ad flumen Scalden.] Idem Hubertus in libello de Eburonibus reponit *Sabin.* Non enim, inquit, Aſcaldis in Moſam influit, ſed Sabis iuxta Namurcam, & in finibus Arduennæ percurrit. At Suetonius in Germania eum collocat. Obſeſſione caſtrorum, inquit, in Germania nuntiata, per ſtationes hoſtium Gallico habitu penetrauit ad ſuos.

Vbicunque.] Sic Aldus. magis tamen vſitata & Stephanica placent, Vbicunque.

Diſperſis periculum.] Videtur deeſſe verbum Hoſtibus. vt ſit, Diſperſis hoſtibus. ſicut initio capitis inſequentis, Diſſipatis ac perterritis hoſtibus, vt demonſtrauimus. Nam Vniuerſis in dandi caſu poſitum, & de Cæſarianis dictum videtur: vt & ad ſummam exercitus referatur, & cum voce Singulis ex aduerſo conferatur. vt apud Tacitum in Agric. Ita dum ſinguli pugnant, vniuerſi vincuntur.

Nam & præda.] Refertur ad militum conſeruationem.

Interfici vellet.] Vox, Cæſar, aut abeſt, aut duriùs ſubaudienda eſt.

Præſidio barbaris.] Propter ſyluarum denſitatem & iniquitatem locorum.

Quàm legionariorum vita.] Sic Aldinus. meliùs Faerni & Stephan. Quàm legionarius miles.

Pro tali facinore.] Et huic quoque loco medicinam ex aliquo vetuſto codice deberi, quiuis in Cæſarianis ſcriptis exercitatus facilè animaduertit.

CAP. VII.

T*Ranſeuntes Rhenum.*] Tranſeunt aliquantò rectius videretur: & ita eſſe video in lib. Steph.

Infra eum locum.] Verſus mare. vel propius à mari. nam ex Gueldria tranſmittunt, pons imperfectus erat proximè Coloniam.

Ab oppugnatione deſiſtunt.] Particula *Ab* deeſt in omnib. antiquis. vt infrà lib. 7. Vercingetorix, vbi de

bi de Cæſaris aduentū cognouit, oppugnatione deſtitit.

Sub vexillo.] Adr. Turneb. vir doctiſs. lib. 3 cap. 3. & lib. 4. cap. 11. ſcribit, Vexillum fuiſſe proprium Veteranorum, & eorum qui poſt annum XVI exauctorabantur. Nam Veterani dicebantur, qui annos XX ſtipendia fecerant. Milites, inquit, confectis ſtipendiis exauctorata legione ſub vexillis habebantur, dum præmia emerita acciperent, aut in agros deducerentur. Tacitus enim lib. 1. ita ſcribit: Miſſionem dari vicena ſtipenda meritis, exauctorari qui ſena dena feciſſent, ac retinendi ſub vexillo: ceterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis. Sed videamus, ne locus Taciti ad imperium Tiberij & illorum temporum rationem ſit reſtringendus. Nam etſi alia eſſent Signa, alia Vexilla, tamen in ſingulis centuriis ſingula vexilla fuiſſe Vegetius auctor eſt: quibus cohortis & centuriæ numerus literis deſignabatur. Itaque Liuius ſcribit, Ordinem ſexagenos milites, duos centuriones, vexillarium vnum habuiſſe. Denique Sub vexillo cum dicebant, idem, opinor, ſignificabant, quod nunc Signis explicatis. Liuius lib. 26. Milites ſub vexillis in ſupplementum Hiſpaniæ profectos audiuit. Sueton. Auguſto: Eoſque ſeruos adhuc viris fœminiſque pernicioſioribus indictos, ac ſine mora manumiſſos, ſub priore vexillo habuit. Tacitus lib. 1. Vt denarius diurnum ſtipendium foret: ne veterani ſub vexillo haberentur. Et quanquam aliud erat Signum, aliud Vexillum, aliud Aquila, tamen æque Sub ſignis dicebant, vt Sub vexillo. vtriuſque teſtimonia proferam. Sueton. Nerone; Cuculi reſidens apud Roſtra triumphantis habitu, inter ſigna militaria atque vexilla. Item in Vitellio: Vrbem introiit ferro ſuccinctus inter ſigna, atque vexilla. Tacit. lib. 3. Quatuor legionum aquilæ per frontem, totidemque circa è legionibus aliis vexilla, mox duodecim alarum ſigna. Et ſi ergo Signum generis nomen eſt, tamen interdum proprie & ſpeciatim vſurpatur: veluti pro draconibus. Hinc Subſignis duci, & Sub ſignis militare. Liuius de bell. Pun. Nocte ad Hipponem cum acceſſiſſet, luce prima ad populandum agrum ſub ſignis milites, ſocioſque nauales duxit. Item: Et noſtra iuuentus quæ, ſi domi eſſet, tutaretur, omnis ſub ſignis militat tuis. Item lib. 23. Annibali ſub ſignis ad multum diei in acie ſtanti. Signum autem etiam pro vexillo generali nomine vſurpari, vel ille locus qui apud hunc noſtrum paulò pòſt ſequitur, argumento eſt. Nam cum de militibus iſtis qui ſub vexillo profecti erant loquitur, tamen ita ſubiungit, Barbari ſigna procul conſpicati, oppugnatione deſiſtunt. Paucis autem verſibus intermiſſis, & tyrones & veteres milites ſimul ſub vexillo profectos oſtendit. Hoc, inquit, veteres non probant milites, quos ſub vexillo vnà profectos docuimus.

Quibus iam licet eſſe fortunatiſſimis.] Sic legendum. nam in quibuſdam *Libet*, mendoſè ſcriptum eſt.

Sub vallo tenderent.] Sic Liuius lib. X: Edictóque vt quicunque ad vallum tenderet, pro hoſte haberetur. Et eadem loquendi forma etiam nunc apud Gallos manet. Abſurde autem in Romano & Aldino legitur, Sub valle.

Nouas religiones.] Quaſi locus ille populo R. fatalis atque exitioſus eſſet.

Ne murumquidem cingi.] Video eſſe qui reponant Numerus, aut neſcio quæ alia. Sed ſenſus eſt. Tantam eſſe paucitatem militum, vt in defenſione caſtrorum ne murum quidem ac vallum cingere poſſint.

P. Sextius Baculus.] Iam ſæpe dictum eſt, *Bibaculus* reſtituendum eſſe. Quinetiam illud quod mox ſequitur mihi ſuſpectum eſt: Cuius mentionem ſuperioribus prælius fecimus. Bis mentionem eius fecit, prælio Neruieo, lib. 2 cap. 7. & Seduni-co, lib. 3. cap. 1. Poſtea multa prælia facta, & in his libris commemorata ſunt. Itaque ſi quis vetus Codex adiuuaret, crederem Cæſarem ſcripſiſſe: Superioribus libris: vel, Commentariis. vt infrà lib. 8: Nam in acie ſedere Gallos conſueſſe, ſuperioribus commentariis declaratum eſt.

Deficiēs ægrè per manus ſeruatur.] Vox Deficiēs, gloſſa eſt eius, quod ſuperius dixit, Relinquit animus Sextium. Itaque recte abeſt à noſtro antiquo, itémque à Faerni & Vrſini libris. Dixit autem *Per manus*, vt & aliis locis, quod alij *Inter manus*. Cicero Verrina 7. Itaque erant exitus eiuſmodi, vt alius inter manus è prælio auferretur. Liuius lib. 3. Cecidiſſe ſemianimem: inter manus domum allatum. Plaut. Moſtell. Amabo, abripere hunc intro acutum inter manus.

Qui non rei nouitate.] Steph. Faern. Quin rei. quod placet.

CAP. VIII.

F*Idem non haberent.*] Steph. & Vrſin. Fidem non faceret. quod magis placet.

Cæſaris aduentu] Memorabile eſt quod Suetonius ſcribit, eum habitu Gallico, vt ad Ciceronem properaret, per ſtationes hoſtium iter feciſſe.

Ne minimo quidem caſu.] Sic omnes quos vidi. Vrſin. teſtatur in ſuo & Vaticano ſcriptum eſſe, *Cauſu.* quod longè rectius eſt: niſi fortè melius ita eſſet: Ne minimo quidem auſu locum relinqui debuiſſe. Id eſt, caſtris egredi, ne ob minimum quidem factum audacius, oportuiſſe. vt mox lib. 7. ca. 1. Quod neque legiones abſente Imperatore audeant ex hybernis egredi. Et Auſu ac ductu alicuius aliquid fieri, video Latine dici ab Hircio in lib. de bell. Alex. Sed illa ſuperior mihi probabilior videtur.

In fuga circumſpicerent captiui.] Ita eſt in Steph. Ald. & aliis quamplurimis. vitioſé. nam verbum *Circumſpicerent* omnino delendum eſt. quod etiam video in quibuſdam Lugdunenſibus obſeruatum.

Durocortum Rhemorum.] Steph. Durocortorū. quod idem Vrſin. in Vaticano & ſuo eſſe teſtatur. Strab. lib. 4. ἀξιόλογον ὄντα δ' ἐστὶν ἔθνος τῶν ταύτῃ, Ῥῆμοι, καὶ ἡ μητρόπολις αὐτῶν Δουρικόρτορα.

Sequi ſe occultaſſent.] Ex barbaris.

Deducto.] Reducto à Cæſare.

More maiorum ſupplicium.] Vt verberibus exanimatum corpus ſecuri feriretur. quod in Guturnato poſtea factum eſt libro 8. cap. 6.

Aqua & igni] Non igitur aquæ & ignis interdictio ſemper in damnatorum gratiam exercetur: tametſi ciuibus quidem R. ex lege Porcia ſemper fauorabilem fuiſſe, patet ex Orat. Cæſaris apud Saluſt. & Ciceronis pro Cæcinna.

Ad conuentus.] Dictum eſt in fine lib. 1.

A

Liber VII.

CAP. I.

AD *conuentus peragendos.*] Sic Vrſinus. At Steph. Ald. & alij complures: B Ad conuentus agendos. quod placet. vt modò in ſuperiori, & aliis multis locis.

Senatuſconſulto.] Pædianus in arg. Milonian. hiſtoriam hanc explicat. vbi ſcribit, tantum in vrbe tumultum propter Clodij cædem, & Milonis factiones fuiſſe, vt S.C. factum ſit, vt interrex, & Tribuni pl. & Cn. Pompeius, qui pro Conſule ad Vrbem erat, viderent, nequid detrimenti Reſp. caperet. delectus autem Pompeius tota Italia haberet. C Vide etiam Epit. 107.

Coniurarent.] Seruius Honoratus ſcribit, Coniurationem eſſe, cum orto tumultu, quia ſingulos ſacramento rogare non vacabat, qui exercitum ducturus eſſet, vexillum proferret, atque ita diceret: Qui Remp. vult ſaluam eſſe, me ſequatur. Qui ad eum conuenerant, vniuerſi ſimul iurabant.

Tota prouincia.] Gallia Ciſalpina.

A maioribus acceperant.]. Nam pleræque ciuitates D erant (vt Strab. ſcribit) ἀριστοκρατικαί.

A maioribus acceperant.] Vrſin. & Steph. Acceperint. quod placet.

De obſidibus cauere.] Sic Ald. Mendoſé. nam ſine dubio *De* particula tollenda eſt, Steph. & Vrſ. lib. auctoribus. Et quia, vt ſuperiore libro notauimus, eodem modo dicimus, De pecunia obſidibus cauere: vt in pace, prædibus.

Clamore per agros.] Non multorum conclamatione, ſed vnius quaſi præconis. Vereor tamen E ne Pagos Cæſar potius ſcripſerit. vt lib. 6. cap. 5. Principes regionum atque pagorum inter ſuos ius dicunt.

Hunc alij.] Steph. Hanc alij. Ego Hunc, vt ad clamorem referatur.

Collatis ſignis.] Nam armatum habere concilium ſolebant. lib. 5. cap. 13.

Regnum appetebat.] Nam hac tempeſtate Aruerni Optimatum dominatu regebantur. Olim tamen Reges habuiſſe, alio loco demonſtrauimus. F

Expellit ex ciuitate.] Opinior non ex vrbe, ſed Aruernorum finibus. Nam Ciuitatem in his libris nuſquam pro vrbe oppidóve poſitum animaduerti. Sic inf. de Auarico: Pulcherrimam vrbem, quæ ornamento & præſidio ſit ciuitati. Verumtamen in lib. Ciuil. 1. Ex ciuitate expelli dixit, pro Ex vrbe Roma. Vt Tribunos pl. ea re ex ciuitate expulſos ad ſuam dignitatem reſtitueret.

Certum numerum militum,] Mirum eſt, quod Strab. ſcribit li. 4 Vercingetorigem hoc bello qua G dringenta hominum millia coēgiſſe.

Qui morati.] Et aliis locis dictum eſt, Cæſaris orationem ſæpe ad mentem, non ad verba reſpicere. Alioqui legendum fuiſſet, *Quæ morata.* vel, Copias equitum peditúmque.

Se cum Aruernis coniungunt.] Steph. & Rom. Statim cum Aruernis iunguntur.

CAP. II.

VIrtute *Cn. Pompeij.*] Turbata cæde Clodij ciuitate, cum ſeditiones inter candidatos conſulatus Hipſæum, Scipionem, & Milonem eſſent, qui armis ac vi contendebant, ad comprimendas eas Cn. Pompeius à Senatu Conſul III factus eſt abſens & ſolus: quod nulli alij vnquam. Epit. CVII.

B *Eo tempore pacati.*] Suſpectus mihi locus. Fortaſſe, Non ſatis pacati. ſed ſine codicis auctoritate nihil mutabo. In Romano eſt *Quieti.*

Volcis, Arecomicis.] Vetus *Locis.* quod abſurdum eſt. Liuius lib. 25. Iam in Volcarum peruenerat agrum (de Annibale loquitur) gentis validæ. colunt autem circa vtranque ripam Rhodani.

Summo militum labore.] Steph. Sudore. quod tamen non æque placet. Ita etiam in Romano ſcriptum eſt.

C *Omnibus ſuis inopinantibus.*] Vox *Omnibus*, non eſt in Faerni, Vrſini, & Stephani libris: & planè ſuperuacanea eſt.

Heluetico prælio victos.] Sic omnes libri. ſupra tamen lib. 1. cap. 3, Omnis, inquit, ciuitas Heluetia in quatuor pagos diuiſa eſt. Et tamen lib. 3. cap. 1. Neruicum prælium dixit.

Stipendiarios Æduorum.] Nam etſi libertatem eorum perſonis reliquerat, tamen ita in fidem D receperat, vt ſtipendium penderent. lib. 1. cap. 21.

Voluntates alienare.] Commodius videretur Alienari, in patiendi verbo.

Genabum Carnutum.] Aimoi. lib. 1. cap. 5. Genabum interpretatur, vbi nunc, inquit, Aurelianis. Eſt tamen oppidum, Gianum vulgò dictū, cuius incolæ hoc ſibi nomen vindicant: quòd iter hoc à Carnutibus ad Bituriges ſit rectius: deinde, quòd eius quoddam ſuburbium etiam nunc vetus nomen retineat. Vitioſe autem apud Oroſium *Cenapum* E pro Genabum legitur.

Pons fluminis Ligeris contingebat.] Continebat melius in quibuſdam impreſsis legitur. Ci. Ver. 6. Eorum coniunctione pars oppidi, quæ appellatur Inſula, mari diſiuncta anguſto, ponte rurſum adiungitur & continetur.

Nouiodunum.] Non dubito eſſe vicum, qui hodie appellatur Neuui. neque mihi diſpliceret hoc loco reponi, Neuidunum. quem Aimoinus Biturigibus coniungit. Nam quod aſcribit, Quam qui F dem Niuernas eſſe putant: ex itineris iſtius ratione falſum apparet. tametſi hoc eodem nomine alterum quoque appellari potuerit.

Significatione Gallorum.] Nam cum ſermonem non intelligerent, ex ſignificationibus, quibus inter ſe Galli vtebantur, coniecturam fecerunt.

Prælium equeſtre committit.] Sic Steph. Magis placet Ald. Præliúmque equeſtre committi. Nondum enim Cæſar pugnabat, ſed peditatum continebat. Itaque modò dicet, cum Germanos equi G tes ſummiſiſſe.

Oppidum Auaricum.] Auaricum eſſe, quod *Burges* lingua Gallica dicimus, illud argumento eſt, primùm quòd vrbis ſitus cum hac Cæſaris deſcriptione aptiſsime conuenit. Nam ab vna parte flumine alluitur, ab altera paludibus clauditur. Anguſtus autem aditus in ſuperiore vrbis parte eſt, vbi Arx poſita eſt. deinde quòd flumen Auaronis

nomen

nomen hodiéque retinet. tum, quòd Oroſius hanc A ipſam hiſtoriam & Cæſaris orationem exſcribens, Biturigam pro Auarico poſuit. quo eodem verbo Gregorius Turonenſis & Aimoinus Monachus eadem in re vtuntur. poſtremò, quòd ceteris omnibus oppidis incenſis, ſolum Auaricum Biturigum nomen retinuiſſe videtur. Itaque Ammianus lib. 15. Lugdunenſem, inquit, Lugdunus ornat, & Cabillones, & Senones & Biturigæ. Vbi tamen legendum videtur Bituriges. Antonius quoque in Itinerario Betur icum, vel potius Bituricum B in Aquitania prima numerat.

Ciuitatem Biturigum.] Ridicule Bituriges non nulli hoc tempore Ciuitatem hoc loco poni putant, pro vrbe: cùm, vt aliis locis omnibus, pro ea regione vſurpetur, quæ vni magiſtratui paret, vniſque legibus vtitur. Ciuitatis nomen his ſeptem libris Cæſar nuſquam pro oppido vſurpat.

CAP. III.

G*Ermanos equites.*] Notandum equitibus C Germanis & ab initio belli Cæſarem eſſe vſum, & multo poſtea plures euocaſſe. vt infrà hoc ipſo lib. cap. 12.

Ex adificiis.] Vicis, pagis, & villis, in quas conditum erat pabulum.

Deleri poſſe.] Sic legendum vt in Ald. Steph. Diligi, alij, Diripi. quod abiudico.

Neu ſuus ſint.] Hoc loco non dubito legendum eſſe, *Ne*.

Pradámq; tollendam.] Locus mihi ſuſpectus: D nam vox *Tollendam* ſuperuacanea videtur.

Grauiora exiſtimari.] Steph. & Ald. Grauius exiſtimari. de quo nihil affirmo.

Deliberatur de Auarico.] Ita placet, quanuis in Steph. & nonnullis legatur, *Dicebatur*.

Impedimentis exuant.] Impedimenta hoc loco Cæſar pro mulis & eiuſmodi iumentis vſurpat. Sic infrà cap. 8. Prima luce magnum numerum impedimentorum ex caſtris detrahi, mulionéſque circumuehi iubet. E

Flumine & palude.] Flumen incolæ *Auron* vocant, vnde fictum vrbis videtur nomen. Dio lib. 40. rapidum appellat: vt aliquid videlicet inepto Græcorum more affingeret.

Pecore ex longinquioribus vicis adacto.] Nihil muto. Vulgò tamen Abigi pecus dicitur, potius quam adigi. Sed iam video in libro Romæ centum ab hinc annis edito impreſſum eſſe *Abacto*: quomodo reſtituendum arbitror.

Praſtare quàm non parentarent.] Suſpectus mi- F hi locus. Nam Parentare, legendum videretur. Malim igitur *praeoptare*, quàm illud *praſtare*: ſi modus antiqui libri accederet auctoritas.

CAP. IIII.

G*Eneratim distributa*] Sic lib. 1. cap. pen. locutus eſt, pro Diſtinctis quibuſq; ſecundum ſuam cuiuſque ciuitatem.

Propè aquo Marte.] Sæpenumero, æquo Marte G pugnare, eſt pari certamine dimicare. Nunc verò ad loci naturam refertur. quaſi dixiſſet, Pari natura loci, nulla iniquitate.

Edocet quanto detrimento.] Hoc idem ſuis aliquanto poſt ad Gergouiam in memoriam reuocat cap. 9.

A *Munitione defenderet.*] Natiua ſcilicet.

Virtutem deſpicere.] Ironicè Virtutem appellat pro Ignauia.

Turpiter ſe ex fuga recipientem.] Nihil muto, Tantum dico, non ſatis meminiſſe me ſimilem locutionem legiſſe: Recipere ſe ex fuga. Nam Recipere ex fuga dicitur, qui fugientem recipit. vt lib. 6. ca. 7. A quibus receptos ex fuga Tencteros docuimus. Fortaſſe vacat particula *Ex*. ſed, vt dixi, nihil affirmo.

B *Armis concrepant.*] Similiter Tacit. de Germanis: Si diſplicuit ſententia, fremitu aſpernantur. ſin placuit, frameas concutiunt.

CAP. V.

L*Aqueis falces auertebant.*] Laqueis etiam arietes auertere ſolitos, Liu. lib. 36. teſtatur. Nam cùm ariete, inquit, quaterentur muri, non laqueis, vt ſolet, exceptos declinabant ictus.

C *Diſtinauerant.*] Sic Ald. & Steph. Alij nonnulli, Diſtinuerant. quod ſine dubio verius eſt: pro Auerterant, contrariam in partem attraxerant.

Aggerem cuniculis ſubtrahebant.] Oppidani foſſas ſubterraneas ſub mœnibus aperiebant, vſque ad aggerem Romanorum. hinc terram ſubtrahebant, vt turris in aggerem promota ſubuerteretur.

Turribus contabulauerant.] Has etiam pontibus traiectis conſtratiſque coniungebant. lib. 8. D cap. 2.

Agger expreſſerat.] Exprimere, opinor, dixit, pro Extollere: vt Exprimere & Deprimere contraria ſunt.

Commiſſis malis.] Locum à me non intelligi, ingenuè fateor. niſi Malos pro ſcalis dixerit: & Scalæ fuerint mali, multis bacillis, quaſi fibulis traiectis inſtructi. nam ſcalas in turribus ſummæ altitudinis adhiberi ſolitas, cum ex aliis multis conſtat, cum verò ex Procopio lib. Gott. belli, E & li. 2. vbi turres à Vittige Gotto extructas deſcribit.

Apertos cuniculos.] A Romanis. Nam oppidani intra mœnia contrarios aperiebant, quas Gallicè *Contramines* vulgò appellamus. Tum in os cuniculi ſaxa, & ignes iaciebant: & trabibus præuſtis foſſores depellebant.

Expreſſerat.] Subleuarat.

Muri Gallici forma.] Huius loci interpretationem debemus Th. B. magno & claro viro, qui muF ri Gallici ſpeciem primus animaduertit eandem eſſe à fronte, quæ eſt Teſſularij operis, ſiue ſcacarij, quem *Eſchiquierum* vulgò appellamus.

Binos pedes.] Non refertur ad Collocantur, ſed ad verbum Diſtantes. quaſi dixiſſet: binos pedes inter ſe diſtantes. vel ſic: Interuallis binum pedum diſtantes inter ſe.

In ſolo collocantur.] Non intra ſolum, ſed humi. Sic. Ciuil. 2. Duæ primùm trabes in ſolo æquè longæ, diſtantes inter ſe pedes quatuor colG locantur.

Interualla.] Binum pedum.

Reuinciuntur extrorſus.] Imò, *Introrſus*. Reuinciri autem dicit, quia tranſuerſaria trabs pedes quadragenos longa ſuperimponitur: eáque commiſſuris & fibulis iungitur: hoc eſt, vt noſtri loquuntur, morteſiis & cheuillis. Id introrſus neceſſa-

riò faciendum fuit. In fronte nullus eiuſmodi re- uinctioni locus erat. Sic igitur emendandum.

Paribus intermiſſa ſpatiis.] Non dubito quin ſit legendum *Intermiſſis*. & ita Cæſaris conſuetudo poſtulat.

Hoc enim in ſpeciem.] Ald. & Steph. Hoc eum in ſpeciem. Fortaſſe, Ob ſpeciem.

Pedes quadragenos.] Vel Pedum quadragenũ, legendum eſt, vel addendum, Longis. vel eiuſmodi aliquid ſubaudiendum.

Rectis lineis ſuos ordines ſeruat.] Eadem ſpecie & figura, qua ſunt Scacarij, quæ vulgò *Eſchiquiers* appellamus: vt ille vir præſtantiſſimo ingenio, & ſingulari iudicio præditus animaduertit.

Imbribus traderentur.] Steph. & Ald. Tradarentur. Nonnulli impreſſi, *Turbarentur*. quod magis placet. Magis etiam Vrſini liber: Milites cum toto tempore luto, frigore, & aſſiduis imbribus turbarentur.

Picem reliquáſque res. Hic perſpicuè deeſt, vox *Alij*: vt ſit, Alij picem, &c.

Pluríſque partitis temporibus.] Sic Stephan. & nonnulli impreſſi. Melius Ald. *Duæque*. nam alternatim excubabant, & opus faciebant.

Aggerem interſcinderent.] Ne longiùs ignis manaret.

Gallus per manus.] Vel *Qui* interponendum eſt: vt ſit, Quidam Gallus, qui per manus, &c. quod Faerno & Vrſino placere video vel paulo inferiùs *Hic*. nimirum illo loco: Hic ſcorpione à latere dextro traiectus.

A propugnatoribus vacaret.]. Non ſatis video, quorum Propugnatorum mentio pertineat: vbi de Proiectoribus apertè loquitur. Et fieri poteſt, vt qui Protectoribus, vitiosè legerit, hoc reponendum verbum putarit.

Omni ea parte.] Alij, Omni parte. Placeret, Omni ex parte.

Perfectiſque operibus.] Sanè ita eſt in lib. Stephan. vt Faernus de ſuo teſtatur, Derectiſque operibus. Fortaſſe legendum Erectis. ſed nihil affirmo.

Legiones intra vineas.] Stephan. Extra vineas, quod ſine dubio rectum eſt. non enim vineis contineri legiones poterant. niſi fortè *Citra vineas* cõmodiùs legeretur. eum modò dicat; In occulto. quaſi poſt vineas laterent: vnde ſubitò, ſigno dato, ſcalis admotis in muros prouolarent. Sed ſic quoque Salluſtius locutus eſt in Iugurth: Tum verò, inquit, cohortatus milites, & ipſe extra vineas egreſſus, teſtudine acta ſuccedere, &c.

Obuiam contraueniretur. Sic Steph. Ald. & omnes. Faernus delebat, Contrà: Ego potiùs vocem *Obuiam* gloſſema eſſe iudicarem.

Continenti impetu petiuerunt.] Sic Steph. Faernus autem, Continuò petiuerunt. Ego nihil mutandum cenſeo.

Silentio excepit.] Vrſinus. Silentio ſic ex fuga recepit. neque aliter ſenſum putat elici poſſe idoneum. Ego animaduerti aliud eſſe, Recipere ex fuga: aliud, Excipere ex fuga. Illud eſt, cùm qui fugiebant, ad locum deſtinatum peruenerunt. hoc verò, cùm in ipſa via & fuga intercipiuntur. vt ſuprà lib. 6. cap. 7. A quibus receptos ex fuga Tenchtheros atque Vſipetes ſupra docuimus. Et mox: Primos Eburonum fines adeunt. multos ex fuga diſperſos excipiunt. Vercingetorix ergo de illorum fuga certior factus, celeriter familiares ſuos principes

A ciuitatum obuiam illis miſit, qui ſilentio ipſos ad amicos ſuos deducerent.

Vt procul.] Puto legendum eſſe *Et procul*. Ac mox, *Curauit: qua cuique*, non autem *Qua*. in quo ſenſus nullus eſt.

Diſparandos.] Separandos, ſeiungendos.

Concurſu & miſericordia.] Steph. Miſeria. rectiùs multo, vt cuiuis perſpicuum eſt.

Cuique ciuitati.] Nam omnes generatim in ciuitates diſtribuerat.

B

CAP. VI.

NOn virtute neque acie.] Placet Vrſini liber, *In acie*. nam idem video nũc in illo Stephani.

Caſtra munire inſtituerent.] Priùs tamen dictum eſt lib. 5. cap. 11. Neruios Romanorum exemplum & diſciplinam imitatos cœpiſſe illorum caſtra circumuallare.

Suſtinere poſſent.] Suſtinerent, ſcriptum eſt in C noſtro, & Stephan. & Roman.

Auctoritatem minuunt.] Sic lib. Ciuil. 2 cap. Quaſi nun & felicitas rerum geſtarum, exercitus beneuolentiam Imperatoribus, & res aduerſę odia concilient.

Patienda & perferenda.] Faern. ex veteris codicis auctoritate, duo illa, Et perferenda, reiiciebat. Ego de Steph. lib. idem affirmo.

Singuli magiſtratus.] Quos lingua Gallica Vergobretos appellabant. lib. 1. cap. 7.

D *Regiam poteſtatem.*] Superiùs eodem illo loco Regiam poteſtatem interpretatur, ius vitæ & necis. Quo loco nonnulla quæ huc pertinent expoſita ſunt.

Suos cuiuſque eorum.] Locus de mendo ſuſpectus. Legendum videtur, Suas cuique eorum eſſe, &c.

Etiam ad ſe euocant.] Sic Ald. At Steph. Ad ſe Decetiam euocauit. quod idem de ſuo Vrſinus teſtatur. qui oppidũ ignobile illud fuiſſe putat. Quod E non diſplicet, cùm mox ſic inferat, Eò conueniſſet.

Fratrem à fratre.] Cotum à Vedeliaco.

Duos ex vna familia.] Hanc eandem in Augurum R. collegio legem fuiſſe, ſcribit Dio lib. 39.

Intermiſſis magiſtratibus.] Non cõtinuatis in eadem aut perſona, aut familia, vt in Coto acciderat.

Cotum magiſtratum deponere.] Sic Ald. at Steph. Imperium, cuius illam gloſſam fuiſſe arbitror.

In magnis Cæſaris difficultatibus res.] Sic Steph. Ald. & cet. At Faern. & Vrſin. ſic: Erat in magnis F Cæſari difficultatibus. ne &c.

Quartis quibuſq; cohortibus.] Sic Ald. Quod qui non intelligunt, ſic immutant: Demptis quibuſdam cohortibus. Quod eruditis viris indignum fuit. Nam ſenſus eſt apertiſſimus: Cæſarem quartam quanque cohortem de quaque legione detraxiſſe. atque hoc pacto è quatuor legionibus quas præmittebat, vnius numerum detraxerat. Nam ſic quadraginta cohortibus (quibus legiones quatuor conſtabant) quartam quanque cohortem detrahas, G efficies numerum decem cohortium. id eſt vnius legionis, ſiue hominum quinque millium.

Iiſdem ſublicis.] Falsò igitur ſcribit Dio lib. 40. Cæſarem ratibus ſuum exercitum traduxiſſe.

Pars inferior.] Nam Vercingetorix ſuperiorem partem, quoad ſecuris adigi potuerat, reſcindendam curarat.

CAP.

CAP. VII.

Caſtris pro oppido.] Noſter, Steph. & Rom. Propè oppidum.quod idem Vrſin.de ſuo teſtatur.

Horribilem ſpeciem præbebat.]Strab.lib.4.ſcribit, Aruernos hoc in bello habuiſſe hominum quadringenta millia,duce Vercingetorige.

Virtutis ſuorum periclitaretur.] Sic Ald. At Stephan.Perſpiceret.

Tenebatur tamen.] Sic omnes lib. Ego ſic probarem: Non nimis tamen firmo tenebatur. Nam quod *non minus* quidam reponebant: cui tandem probari poterit?

Subſidium ex oppido venire.] Placet Steph.lib. ſcriptura:Subſidio ex oppido veniri.

Cum his præmium communicat.]Steph. Præmium. quod idem Vrſ. de ſuo teſtatur. Præmium autem pecuniam,qua ſolicitatus fuerat,intelligit.

Ad Cæſarē diſceptatori.] Vrſino & Faer.placet ex antiquo lib. *Diſceptatorem.* Ego idem video in lib.Steph.Neque tamen acquieſco. Nam vtrocunque modo addendum eſſet, De ſuo. hoc modo: Quam Romani de ſuo ad Æduos. Itaque vocem *Romani*, tollendam arbitror,vt ſit ſenſus: Cum de iure & legibus Æduorum ageretur, quid ita iudicium eius rei potiùs penes Cæſarem, quàm penes ipſos Æduos fuiſſet? Significat Cæſarem ea de re iudicaſſe, quæ non fuerat ipſius iudicij: ac propterea ei acceptum magiſtratum ferre non debere.

Et præmio deductis.] Placet Faerni coniectura, Adductis.

Omnis noſtra nobilitas.] Noſter,& Steph.& Aldin.& Rom.Nobilitas omnis interit.

Omnes equites Æduorum.] Steph. Rom.& noſter,Multos equites.

Præſidij fiducia vnà erant.] Commeatúmque in Cæſaris caſtra deportabant.

In eodem mendacio permanet.] Probabilius videtur,vt eſt in Steph. & Ald. Eodem mendacio permouet.

CAP. VIII.

AD cōtrahenda caſtra.] Anguſtioribus finibus circumuallanda.Nam quòd pauci relicti fuerant,contractior eſſe circummunitio debebat.Cuius rei prætermiſſio magnum vt pòſt intelligetur, caſtris periculum attulit.

Suis clientibus.]Hos lib.3.cap.6. Gallica lingua Soldurios, Latina Deuotos appellauit. atque hanc mirificam in patronos fidem prædicauit.

Iiſdem in vallo.] Qui locum hunc non intelligebant,ita mutarunt, Iidem eodem in vallo. Imperitè. nam *quibus iiſdem*, hoc ſenſu dixit, Cùm propter paucitatem ſemper iidem pugnarent, neque defeſſis integri ſubmitti poſſent.

Fuiſſe tormenta.] Legendum arbitror, *Tomenta*,quibus milites incubabant,quæ pilis ciliciis plerunque conſtant. vtraque appellatione lanæ tomētum non connectebatur, inquit Iuriſconſultus. his tomentis infarciuntur culcitæ, quas Galli Materata nominant. Et hanc cōiecturam locus ille perſpicuè confirmat,quem ſubiiciam ex lib.de bell.ciu.3.ca. 9 Magnúſque inceſſerat timor ſagittarum. atque omnes ferè milites aut ex ſubcoactis,aut ex centonibus,aut ex coriis tegmenta fecerant, quibus tela vitarent.

A. *Pluteos vallo addere.*] Pluteos,opinor,dicit iam aſſeres craſſiores,quos pro lorica ſupra vallum ponebat.

Ad cognoſcendum ſpacium] Quaſi in re liquida & perſpicua deliberandi locum eſſe nullum putaret.Hæc eſt illa temeritas,quam in Gallis Cęſar reprehendit:quam Cic. lib. Offic.1. ſic explicat: Ne incognita pro cognitis habeamus, hiſque temere aſſentiamus. quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debebunt) adhibebit ad conſide-
B randas res & tempus & diligentiam.

Quæſtionem decernunt.] Apparet, Quæſtionis nomine, non tantùm iudicium,& cognitionem ipſam iudicum ſignificari: verumetiam inquiſitionē criminum, quæ iudicium antecedit: quā Pragmatici noſtri vulgò Informationem appellant.

Rurſus exercitum contraheret.] Subobſcurus locus.nam antea neque exercitum contraxerat, & de contrahendis tantùm caſtris erat locutus. Exercitum autem diſtraxerat. Nam è ſex legionibus qua-
C tuor ſecum abduxerat. Verùm hoc non eſt omnem exercitum diſtrahere, ſed partem duntaxat. Contrahere ergo dixit,pro Reuocare.

Si alterum amiſiſſet, quin penè.] Vrſin. affirmat in ſuo lib.ita ſcriptum: Si alterum amiſiſſent, non dubitari quin penè, &c. Nihil in meis iſtiuſmodi reperio:nec videtur rectè vox *Quin*, cum illis ſuperioribus, *Non aliter*,

Mulionéſque.] Præclarè hunc locum ex ſuo lib. reſtituiſſe,ſibi Vrſinus videtur: hoc modo: Magnū
D numerum impedimentorum ex caſtris,mulorúmque produci, neque iis ferramenta detrahi,mulionéſque, &c. Sed neque in vllo meorum quicquam eiuſmodi video,neque quorſum ferramenta mulis detraherentur, ſatis intelligo. Illud ſcio,Impedimentorum nomine crebrò mulos,& eiuſmodi ſarcinaria iumenta ſignificari. Front.in Stratag.Petreius in magna aquarum & pabuli inopia impedimenta interfecit.Quod Cęſar lib. Ciu.1.cōmemorans:illi,inquit,& inopia pabuli adducti, & quo eſ-
E ſent ad id expeditiores, omnia ſarcinaria iumenta interfici iubent. Et alio loco: Cùm legiones duæ flumen trāſiſſent, impedimentáque & omnis equitatus ſequeretur,ſubito iumentorum, & aquæ magnitudine pons eſt interruptus. Et aliquanto pòſt: Deſiderati ſunt eo die equites pauci, calonum atque impedimentorum non magnus numerus.Hæc cùm ita ſint, non tamen omnino liber Vrſini repudiandus eſt:potiúſque hic locus ita corrigendus videtur: Magnum numerum impedimentorum ex
F caſtris produci, iiſque ſtrata detrahi, mulionéſque, &c. Nam Liuius lib. 7. de Dictatore C. Sulpitio loquens, Rem, inquit, nouam excogitat: qua deinde multi noſtri atque externi. Imperatores, noſtra quoque quidam ætate vſi ſunt. mulis ſtrata detrahi iubet: biniſque tantùm centunculis relictis agaſones partim captiuis, partim ægrorum armis ornatos imponit.

Spatium itineris augebat.] Non puto Cæſarem
G adeò ieiunè de re perſpicua ſcripſiſſe: ſed aliquid ad ſpatium deſignandum addidiſſe, veluti Altero tanto,vel Vehementer,vel aliquid eiuſmodi.

Produxerant Galli.] Fortaſſe Perduxerant,rectiùs legeretur.

Denſiſſimis caſtris.] Confertiſſimis tentoriis & tabernaculis.

Corporis parte nudata.] Thorace depoſito,

A

quod pectoris munimentum erat.

Qua cum erat concionatus.] Lib Steph. Conceronatus. Non dubito mendum ſubeſſe, nam concionandi tempus certè non fuit. Reponendum igitur, Commoratus. Nam paulò pòſt ita ſcribit: Ipſe paulùm ex eo loco cum legione progreſſus, vbi conſtiterat, euentum pugnæ expectabat.

CAP. IX.

B

S*Patio pugnæ.*] Id eſt, longinquitate, diuturnitate.

Ad Auaricum.]Sup. hoc ipſo lib. cap. 4.

M. Petroius.]Noſter & Stephan. M. Petronius.

Nihilo magis in aequum locum.] Rectiſſimè ſic emendatum eſt in librie recentioribue: cùm in antiquis noſtris omnibus ſcriptum eſſet Nihilominus.

Retinendos eos non cenſuit.] Ita placet, vt eſt in Aldino. quamuis veteres noſtri omnec habeant Conſtituit.

C

Quos & quàm humiles.] Hac de re lib. 6. cap. 4.

Omnibus ereptis focis.]Sic noſter, & Aldinus rectiſſimè: cùm in Steph. & aliis antiquitus impreſſie vitioſè legatur, *Copiis*.

CAP. X.

N*Oniodunum oppidum Æduorum.*] Has eſſe, quas nunc Niuernas vocant, nemo dubitat. Aimoinus tamen lib. 1. cap. 5. Niuedunum ſic interpretatur: Quam quidam, inquir, Niuernis eſſe putant. Sed de Biturigum Niueduno loquebatur, quem falſò Niuernas eſſe putauit. Dio verò lib. 40. Nouioduni nomen retinuit.

D

Ex prouincia expellere.] In prouinciam, reſtituendum arbitror, vt de Gallia prouincia Romanorum intelligatur. Hanc opinionem ſequens pagina duobus locis perſpicuè confirmat. Ibi, Iter in prouinciam conuerrret. Itē, Cæſarem in prouinciam contendiſſe confirmabant. Et hoc quoque à Nicaſio Ellebodio animaduerſum Manutius teſtatur.

E

Adiungi Labieno.] Quem in Senonum fines cum quatuor legionibus miſerat.

Vim fluminis refringeret.] Eadem ſe ratione vſum ſcribit in Sicori tranſmittendo. lib. de bell. ciu. 1. cap. 13. Rationem Vegetius exponit lib. 3. his verbis: Explorato vado, duæ acies equitum ordinantur, interuallis competentibue ſeparatæ, vt per medium equites & impedimenta tranſeant. Nam acies ſuperior aquarum impetum frangit: Inferior, qui rapti ſubmerſique fuerint, colligit atque tranſponit.

F

Repleto exercitu.] Replere exercitum dixit pro Reficere, & recreare: an potiùs, pro Commeatus defectum ſupplere?

CAP. XI.

G

S*Ecundo flumine.*] His tribus, quatuórve locis Secundo & Aduerſo flumine Cæſar dixit, pro Iuxta flumen, vel Secundum, vel Aduerſum & ad ripas fluminis, Velut inf. Magnum ire agmen aduerſo flumine, pro, Ad ripam amnis, ſed contra fluminis naturam. Planius igitur fuiſſet, Secundum flumen. Plaut. Rud. Quid illuc eſt hominum ſecundum litus.

A

Secundo Galliæ motu.] Nunc ſecundum motum Galliæ dicere videtur, non numero & ordine: ſed euentu & ſucceſſu. Nam multò plures Galliæ motus, & rebelliones fuerant:

Quinque reliquas.]Hic locus oſtendit quod alio loco diximus, in legione decem cohortes fuiſſe.

Equitatus peditatúſque.]Noſter, & Romanus & Stephan. Exercitus, equitatúſque. nihil muto. tantùm profiteor aliis non paucis locis ita Cæſarem locutum. vt infrà cap. 13. Quòd equitatus quo maxima parte exercitus confidebat. Et nunc idem video Manutium ſecutum.

B

Præſentem adeſſe exiſtimarent.] Sic noſter & Steph. & multi impreſſi. Sed in Aldino & Manutiano vox Præſentem ſublata eſt. mendoſé. Nam vetus hæc locutio eſt, à Terentio & Cicerone vſurpata.

Transfixi pilis.] Stephan. & Rom. Confixi telis. quod non placet. Nam pila ante congreſſum coniiciebantur.

C

Contra caſtra labieni.] Sic noſter. Stephan. autem & Romanus & multi impreſſi, *Contra Labienum*. quod non placet. Nam modò dixit, è regione caſtrorum Labieni præſidium in ſtatione relictum.

Victorúmque impetum.]Placet Faerni coniectura, vt particula *Que* deleatur.

CAP. XII.

D

H*Orū ſupplicio.*]Durum ac propè incredibile hoc videur: Æduos in obſides Gallos, ad eorum ciuitates terrendas, ſæuiiſſe.

Frequentes multitudines ſuffragiis.] Rectiſſimè hunc locum emendauit Vrſinus, ex Faerni lib. Eò conueniunt vndique frequentes. Multitudinis ſuffragiis res permittitur.

Illi quod amicitiam.] Illi, hoc eſt, Rhemi & Lingones.

E

Indulgentiam requirunt.] Id eſt, Amiſſam ſentiunt, vt Pedianus interpretatur. Galliceè dicimus, *Regretter*. Fruſtrà deſiderant: eius deſiderio laborant.

Suum conſilium.] Rectè. cum in aliis ſit *Concilium*: per c. Nam ſuum conſilium ab reliquis ſeparare, modò dixit, quod alibi, Sibi conſilium capere.

Denique ei rei conſtituit diem.]Sic omnes lib. Ego magis ita probarem, ſiquis liber adiuuaret, Diémque ei rei conſtitui. Nam vox *Denique* ſuperuacanea videtur.

XV millia numero.] Millium, ſecundo caſu legendum arbitror: vt aliis pleriſque locis.

F

Finitimi ei prouinciæ.]Pronomen *Ei* tollendum arbitror. Nam prouinciam modò Allobroges dicit: vt ſuprà lib. 1. pag. 1, & aliis locis. Seguſianos autem Allobrogum eſſe finitimos, & extra prouinciam trans Rhodanum primos, idem docuit lib. 1. cap. 5.

A ſuperiore bello.] De quo dictum eſt lib. 1. cap. 16.

G

Imperium totius prouinciæ.] Non regionis Allobrogum, ſed prouinciæ Narbonenſis, quàm ſe Romanis erepturos ſperabant.

Superioribus annis.]Lib. 4. cap. 3.

Prælbari conſueuerunt.] Lib. 1. cap. 17.

Minùs idoneis equis.] Lib. 4. cap. 1.

Equos ſumit.] Opinor, non eos, quibus vti ſolebant: ſed quos præterea paratos habebant.

Atque Euocatis.]Locus hic oſtendit, quod alibi dixi-

diximus, Euocatos non modò in peditum, ſed etiam in equitum numero fuiſſe. Quales autem Euocati eſſent, alio loco docuimus.

Conuocatiſque ad concilium.] Corrigendum *Conſilium* per ſ. nam conuentum modò dicit præfectorum & magiſtrorum rei militaris.

Si pedites ſuis auxilium ferant.] Sic Ald. Steph. & alij complures. Nonnulli Suis rebus. quod veriſsimum eſſe non dubito. Nam Suas res impedimenta modò appellat: vt id quod ſequitur oſtendit.

Bis per hoſtium agmen] Sic Ald. & omnes, vt opinor, impreſsi. A Steph. tamẽ abeſt vox Bis. quod non puto negligendum.

Ad iuſiurandum adactis.] Idem optimus liber, Iureiurando adactis: quo modo ſæpe locutus eſt.

Pugnatur vnà omnibus in partibus.] *Vnà*, id eſt, vno tempore. Plutarch. in vita ſcribit, Cæſarem in hoc prælio gladium amiſiſſe, quem Aruerni in fano oſtentationis cauſſa ſuſpenderunt. Eum poſtea à Cæſare conſpectum, neque paſſum eſſe tolli, cùm id amici ſuaderent.

Noſtros ſpe auxilij confirmabat.] Sic omnes lib. Fateor tamen non videre me, quorſum illę duæ voces Spe auxilij, pertineant. Nam vbi res ipſa erat, ſpei locus eſſe non poterat.

Tandem Germani.] Huius quoque victoriæ gloriam Dio Germanis tribuit lib. 40.

Controuerſiam.] Sup. cap. 6.

CAP. XIII.

Copias ſuas vt pro caſtris.] Non intelligo quorſum particula, *Vt*, pertineat: ac non potius *Quas*, pro *Suas* legatur. niſi fortè vtrunque retinendum eſt. Nam aliquantò ſup. Copias, inquit, ſe omnes pro caſtris habiturum, &c. Et multò pòſt: Copias omnes quas pro oppido collocauerat, in oppidum recipit.

Alexiam oppidum Mandubiorum.] Aleſiam, noſter, itemque Steph. atq; ita rectè Faernus emendauit. Sed & Velleius Paterc. Circa Aleſiam, inquit, tantæ res quantas audere vix hominis, perficerè penè nullius niſi Dei fuerit. De ea Strabo ita ſcribit: καὶ ὁ περὶ ἀλησίαν μανδιβύλων ἔθνος ὁμόρου τοῖς ἀρυέρνοις, καὶ ταύτην ἐφ᾽ ὑψηλοῦ λόφου κειμένην, περιεχομένην δ᾽ ὄρεσι, καὶ ποταμοῖς δυσίν. Legendum igitur apparet, ἀλεσίαν μανδουβίων ἔθνος ὁμόρου τοῖς αἰδούοις. Diodorus autem lib. 5. ſcribit, eam ab Hercule conditam, ac fuiſſe totius Galliæ metropolim, & liberam ac ſui iuris permanſiſſe, vſque ad C. Cæſarem, à quo vi capta, & in populi R. poteſtatem redacta eſt.

Quà maxima parte.] Steph. & Vrſ. lib. multo veriùs, Quo maxima.

Neque ſubito irruptio.] Steph. Eruptio. ſed illud verius puto. Non enim ex vrbe, ſed ex caſtris hoſtium irruptiones fieri ſignificat: vt paucis poſt verſibus.

Trium millium paſſuum.] Legendum, Tria millia, vt ſuprà.

Millia hominum octoginta delecta.] Ex quo de oppidi magnitudine exiſtimari poteſt. Plutarch. autem numerat ἐν Ἀλησίᾳ ὀκτὼ μυριάδας.

Coarctantur.] Stephan. Coaceruantur. quod placet.

Germani acrius.] Placet Steph. *Cum Germani.*

Ad ſe referri.] Intra oppidum.

Foſſam pedum xx. latam.] Pedes, ex conſuetudine Latinæ linguæ reponebam. Sed pòſt animaduerti, vocem *Latam* à Steph. lib. abeſſe. quod magis probo. Denique Petrus Victorius vir doctiſsimus ita hunc locum reſtituit ex libro antiquo, vt cum Stephanico planiſsimè conſentiat. Variar. 24. cap. 17. Quod autem *Totum corpus* pro Totum opus, idem Victorius reponendum putabat, vt Corpus munitionis Cæſar dicit: quanuis ita in Romano codice ſcriptum ſit, tamen propterea probare non poſſum, quia verbum *Opus* video hac in re ſexcentis locis à Cæſare vſurpatum fuiſſe: vt mox: Et turres toto opere circundedit. Sic enim legendum eſt, non *Operi*. Hanc autem *prior foſſa* paulò pòſt appellatur.

Qui ſi indiligentiores.] Steph. Quod ſi. neque cur mutetur, vlla cauſſa eſt.

Pedibus CCCC *reduxit.*] Sic Steph. Faernus autem Deduxit. Superiorem quidem munitionem XI millium pedum in circuitu, quam Cæſar inſtituerat, neceſſe eſt ſublatam fuiſſe, & longiùs ab vrbe remotam.

Ne facilè. Legendum *Nec.* vt in Stephan. & hæc omnia parentheſi claudenda (*Quoniam* vſque ad *Cingeretur*).

Neve de improuiſo.] Mendum apertiſsimum. Legendũ, Ne de improuiſo. vt in Steph. & Ald. Et ita Victorius hæc omnia ex ſuo libro reſtituit.

Duas foſſas.] Locum ſic intelligo, vt non binas foſſas præter illam primam circum omnes collis partes duxerit, ſed cùm eius radices duo duabus ex partibus flumina ſubluerent, vnam vtrinque foſſam à flumine ad flumen duxerit. quarum altera, quòd paulo altiore loco facta erat, repleri aqua non poterat: alteram cùm eſſet demiſsiore loco facta, fluminis aqua compleuerat. Itaque pro *Interiorem* non dubito quin ſit corrigendum *Inferiorem*. Binas autem duntaxat foſſas ſpatio quadringentorum pedum intermiſſo factas, etiam inferiùs oſtendit: vbi ſic loquitur, Priores foſſas explent.

Directis lateribus] Th. B. vir ſummi ingenij & doctrinæ admirabilis, foſſam directis lateribus interpretabatur, quæ ad perpendiculum excauata eſt: & (vt Cæſar infert) cuius ſolum tantundem patet quantum ſumma labra. Gallicè dicimus, Ad inſtar fundi cupæ. Hircius lib. 8. Foſſam duplicem pedum quinum denum lateribus directis deprimi, &c.

Erat eo tempore.] Valde placeret, Eodem tempore: ſi quis liber adiuuaret.

Haud admodum firmis.] Steph. & alij nonnulli, *Aut.* mendoſé. abſcindebantur enim trunci arborum non grandium, vel potiùs (vt mox dicet) ſtipites, quorum in ſummo rami aliquot eminebant. Hi quoque ita reſcindebantur, vt aculei ſempedem, longi relinquerentur.

Grandibus ceruis] Vergil. atque humiles habitare caſas, & figere ceruos: vbi Seruius: aut furcas, inquit, dicit, quæ figantur ad caſæ ſuſtentationem, quæ dictæ ſunt Cerui ad ſimilitudinem eorum ceruorum.

Singuli ab infimo ſolo pedes tres terra occultabantur.] Mendum apertum. Itaque Steph. Ald. & plerique alij habent: Pedes terra exculcabantur. Ego *pedes terra* delendum cenſeo. Nam cum *Exculca-*

bantur Cæſar poſuiſſet, interpres ſubſcripſit, id eſt Pede terra calcabatur.

Pares munitiones.] Nam binas foſſas circunduxit, & quod inter illas ſpatium intercedebat, tribus illis defenſionum generibus, cippis, liliis & taleis muniuit. tum poſt interiorem foſſam aggerem cum loricis, pinnis, & ceruis extruxit: turres præterea & caſtella crebris locis poſuit: in quibus milites collocabantur: cùm ſatis multos non haberet, vt aggerem integrum circunfunderent.

Vt ne magna quidem.] Nam turres frequentes & caſtella toto opere circundedit: quæ cùm ab latere hoſtes vulneraret, quãtumuis magna multitudo (ducẽtorũ ſcilicet XLI milliũ) accederet, tamen circunfundi hoſtes impediebat. Suus autem cuique legato & legioni locus erat in illis turribus attributus.

Neu cum periculo.] Hoc loco particula *Neu* pro *Et ne* poſita eſt.

CAP. XIIII.

IMperat Æduis.] Locus inſignis: ex quo de cuiuſque ciuitatis potentia æſtimari poterit.

Nec frumenti rationem.] Sic Ald. Steph. verò Frumentationem. Magis placet Vrſini & Faerni lib. Frumentandi rationem.

Eorum clientibus.] Subaudiendum, Vicinis, ac finitimis. nam alios multo plures in Aeduorum fide & clientela fuiſſe, alibi demonſtratum eſt. Itaque quatuor iſtos populos pro vna regione poſuit: & quoniam tenues erant, quaſi pro vna tantùm Aeduorum ciuitate. Nam inter hos quinque nominatos æquabiliter numerum iſtum triginta quinque millium diſpartiri, nulla ratio eſt. Sic ſuperiùs cap. 12. Aeduis & Seguſianis imperata ſunt decem millia. Sic infrà Aruernis parem numerum attribuit, adiunctis ſimiliter quatuor tenuibus ciuitatibus. Propterea autem hos coniunctim numerat, quia deinceps ordinem in numeris ſeruat, à maioribus ad minores gradatim progrediens.

Aulercis Brannouicibus.] Ego non duos facio populos, ſed vnicum duntaxat, vt alibi: Aulerci Eburones, Aulerci Cenomanni, Aulerci Diablintres.

Duodena millia.] Hoc in loco error ex notæ numero natus erat. Nam cum Cæſar XII. ſcripſiſſet, (quem numerum etiam Steph. ſeruauit) librarius XXII, (vt in Aldino eſt) exſcripſerat. Hoc modo quadrabit ratio ſummæ, quam infra Cæſar colligit: & ordo ab eo inſtitutus ſeruabitur, vt à maioribus numeris ad minores procedat.

Bellouaci x.] Quæri poteſt, cùm tanta huius ciuitatis potentia fuerit, quantam Cæſar identidem prædicat, quo modo minus illi, quàm ſuperioribus proximis ſit imperatum. Sed veriſimile eſt ei propter dignitatem gratificatum. Itaque mox ſubiungit, ne hunc quidem numerum miſiſſe: ſed duo tantùm millia.

Heluetiis Sueſſionibus.] Abſurdé. Legendum eſt Heleuteris: vt in Steph. & nonnullis impreſsis.

Sueſſionibus.] In Ald. Steph. & antiquis omnibus impreſsis legebatur, Senonibus: in recentioribus, Bis Sena millia. Vtrunq; corruptè. Nam vocem Senonibus ſuperior eorum enumeratio perſpicuè repudiat. Hæc autem poſterior impudens & manifeſta corruptela eſt. vt illud omittam, quod

A nulla ratione Bis ſena in hunc numerum contuliſſet, cùm ſuperiùs Duodena enumerarit.

Rauracis & Boiis triginta.] Ita eſt in Steph. & Ald. ſed neque harum ciuitatum tenuitas tantum recipit oneris, neque ordo à Cæſare inſtitutus à maioribus numeris ad minores, aut ſumma inferius ab ipſo collecta hunc numerum patitur. Quare aſſentior iis, qui *Bina* hoc loco reſtituunt. nam (vt hic noſter ſuperius dixit cap. 3.) Boiorum ciuitas erat exigua & infirma.

B *Vniuerſis ciuitatibus.*] Non ſingulis, ſed generatim vniuerſis.

Non contulerunt] Steph. Non compleuerunt.

Huius Commy] De hoc ſuprà lib. 4. cap. 5.

Duo millia miſerant.] Steph. Vna. reſtituendum eſt *Bina*.

Ciuitatem eius.] Atrebates. Significat eos non redactos in prouinciam.

Priſtinæ belli laudis.] De qua lib. 6.

Circiter CCXL.] Legendum eſt CCXLI. ſiquidem

C ad numerum omnes miſsi ſunt. ſic enim ratio quadrabit.

Natus loco.] Steph. Ortus loco.

Omnium noſtram priſtinæ.] Placet Steph. & Ald. Omnium veſtrum conſenſu priſtinæ.

Animi eſt iſta mollities.] Ita probo. Stephan. tamen, Moleſtia.

Ex oppido.] In quo millia erant hominum octoginta delecta.

D *In ipſis cadaueribus.*] Nam de facienda extra oppidum eruptione agebatur.

Seruituti addicere.] Sic Ald. Steph. verò *ſubiicere*. quod non æque probandum puto.

Romanos &c. animi ne cauſſa.] Sic Aldin. quod planè retinendum cenſeo. Steph. eorum animus in illis vlterioribus munitionibus ſine cauſſa quotidie exerceri putatis?

Cimbrorum & Teutonum.] De quibus ſuprà lib. 1. cap. 13.

E *Iure & legibus commutatis.*] Nam hæc erat Prouinciarum ratio, vt in eas magiſtratus Roma mitterentur, qui in iis ius dicerent.

Hoc Cæſar.] Stephan. Tunc Cæſar. quod magis placet,

Diſpoſitis cuſtodibus.] Ald. Cuſtodiis. ſed nihil muto.

Recipi prohibebat.] Sapiens ἀποσιώπησις, cum id quod dictu erat grauius, occiſos à Cæſarianis, reticuit. Dio tamen lib. 40. quod à neutris recipie-

F bantur, miſerrima morte interiiſſe.

Omnes milites.] Aldus, Omnium militum intenti animi. Steph. Omnes milites intenti pugnæ euentum expectabant. Quod ſine cauſſa mutandum non eſt.

Vno die intermiſſo Galli.] Hoc de Gallis exterioribus intelligendum eſt: vt mox oſtendet.

Fundis libralibus.] Opinor, quibus libralia ſaxa iactantur. Veget. lib. 2. cap. 23. Sed & manu ſola omnes milites meditabantur libralia ſaxa

G iactare. qui vſus paratior creditur: quia non deſiderat fundam.

A munitione aberant Galli.] Rurſus de Gallis exterioribus locus intelligendus eſt.

Stimulis induebat] Patet igitur, Cæſarem eodem illo triplici defenſionum genere aduerſus exteriores hoſtes vſum fuiſſe: vt paulò ante dixit: nimirum cippis, taleis, & liliis.

Ex

Ex ſuperioribus caſtris.] Ex ſuperioribus caſtrorum locis. nam loca erant inæqualia, vt ſæpe dictum eſt.

At interiores.] Nunc de Gallis quos in oppido Vercingetorix habebat, loquitur.

Priores foſſas.] Duas igitur tantum foſſas Cæſar duxerat. Nam ſi tres feciſſet, nunc dixiſſet Primas.

In ſcrobes delapſi.] Steph. Delati.

Cum lux appareret.] Steph. multo concinnius, Cum lux appeteret. Vt aliis locis.

At interiores.] Qui ex oppidu eruperant.

Vergaſilaunum.] Stephan. vbique *Vercaſiuellaunum.*

A caſtris.] Sunt qui Raſtros reponant. quod cuiuſmodi ſit, non intelligo. Fortaſſe *Cenios* aliquanto melius conueniret,

In aliena virtute.] Stephan. Salute: quod abiu dico.

Plerunque quæ abſunt.] Cum duobus locis pugnatur, qui in vno pugnant, aliorum periculo commouentur. Eodem illud pertinet in lib. de bell. ciuil. 1. cap. 5. Communi fit vitio naturæ, vt inuiſis, latitantibus atque incognitis rebus magis confidamus, vehementiúſque exterreamur.

Vtriſque ad omnia occurrat.] Sic Ald. Sed propter inſequentia Steph. libri ſcriptura probabilior eſt: quam etiam in quibuſdam impreſsis videmus: Vtriſque ad animum occurrit, vnum eſſe illud tempus, quo maximè contendi conueniret: id eſt, Et Gallis & Romanis in mentem veniebat.

Si rem obtinuerint.] Si in iis defendendis ſuperiores euaſerint.

Iniquum loci ad decliuitatem.] Sic Steph. Ald. verò & plerique impreſsi, Exiguum. quod valde probo: ſed multo magis, ſi pro *Ad*, legeretur *In.* vt ſit ſenſus: Exiguum loci faſtigium magnum habet in decliuitatem momentum.

Agger ab vniuerſis.] Aggerem hoc loco pro glebis, & frondibus ac virgultis, quibus agger extruebatur, poſuit. vt aliis locis.

Aggere & cratibus aditus expediunt.] Sic Ald. Steph. verò Aggere & cratibus foſſas implent. Ego vtrunque coniungendum cenieu: Foſſas implent, Aditus expediunt.

Ex colore veſtitus.] Purpureo, vt opinor. Plut. in Bruto: τὸν δὲ Βροῦτον ὁ ἀντώνιος ἀνευρὼν τεθνηκότα, τὸ μὲν σῶμα τῇ πολυτελεστάτῃ τῶν ἑαυτοῦ φοινικίδων περιβάλλειν ἐκέλευσεν. ὕστερον δὲ τὴν φοινικίδα κεκλεμμένην αἰσθόμενος, ἀπέκτεινε τὸν ὑφῃρημένον Hircius de bello Africo. Cum Scipio ſagulo purpureo ante Regis aduentum vti ſolitus eſſet, dicitur Iuba cum eo egiſſe, non oportere illum eodem vti veſtitu atque ipſe vteretur. Itaque factum eſſe illico, vt Scipio ad album ſeſe veſtitum transferret.

Noſtri emiſſis pilis Sic Steph. Magis placet *Emiſſis*, vt eſt in Ald.

Hoſtes terga verterunt.] Steph. Hoſtes ergo terga verterunt. Liu. lib. 1. Nec manere ergo nec tranſire auſus, &c.

Duces producuntur.] Plutarch. in hoc Producendi verbo, vt in aliis non paucis, ab interprete deceptus, putauit idem eſſe quod pompæ cauſſa trantuehi. Scribit enim Vercingetorigem armis pulcherrimè indutum, equo ornato vectum, circircum Cæſaris tribunal obequitaſſe, deinde proiectis armis Cæſari ad pedes procubuiſſe: Sed ecce alias

A ſurſus fabulas. Nam Dio lib. 40. ſcribit, Vercingetorigem, nullo antea miſſo internuntio repentè ad Cæſarem veniſſe, multóſque illu inopinato aduentu perturbatos fuiſſe. Addit autem illum à Cæſare in triumphum ductum ac necatum.

Ciuitates recuperare.] Aeduorum & Aruernorum Remp. conciliare: in gratiam & amicitiam cũ Cæſare reducere. nam reliquarum ciuitatum milites præter illas duas in hoſtium numero habuit.

Harum rerum literis] Ald. Huius anni rebus B cognitis. Steph. His literis cognitis. Placet Faerni liber: His rebus Cæſaris literis cognitis.

Supplicatio indicitur.] Stephan. & alter antiquiſſ. *Redditur.* Poſt hæc autem miniatis literis ſcriptum in Stephanico ita erat: *Iulius Celſus Conſtantinus legi commentarios Cæſaris.*

C

Liber VIII.

CAP. I.

SVetonius in Iulio: Reliquit & rerũ ſuarum Commentarios Gallici, ciuiliſque belli Pompeiani. Nam Alexandrini, Africique, & Hiſpanienſis incertus auctor eſt. Alij enim Oppium putant, alij Hircium, qui etiam Gallici belli D nouiſſimum, imperfectúmque librum ſuppleuerit.

Inertiæ deprecationem.] Vt mihi per te inerti eſſe liceret.

Rerum geſtarum Galliæ.] Sic locutus eſt, pro In Gallia, infrà capit. 8. Sed multo durior illa verborum traiectio eſt: huic tamen ſcriptori familiaris. Nam quod Compatentibus, nonnulli reſtituunt, pro Comparandis, planè abſurdum eſt.

Præcepta facultas.] Cicer. in Brut. Commentarios quoſdam ſcripſit rerum ſuarum, valde quiE dem probandos: nudi enim ſunt, recti & venuſti, omni ornatu orationis, tanquam veſte detracta. ſed dum voluit alios habere parata, vnde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam: ineptis gratum fortaſſe fecit, qui volunt illa calamiſtris inurere: ſanos quidem homines à ſcribendo deterruit. nihil enim eſt in hiſtoria pura & illuſtri breuitate dulcius.

Aliter audimus.] Minus attentè.

Pro teſtimonio.] Vt in hiſtoria ſcribenda. nam F qui ſcribit hiſtoriam, quaſi pro teſtimonio dicit ea, quæ narrat: & quaſi ex viſu ea percepta habuerit. nam [illegible] τὸ ἱςορεῖν dicta putatur.

Coniurationes facere.] Initium belli inferendi communi totius Galliæ conſilio certam in diem conferre.

Reſiſti poſſe Romanis.] Hoc cum aliis locis, tum prætertim apud Aleſiam eſt cognitum: vbi ducenta quadraginta millia exteriorum hoſtium, G octoginta delecta interiorum profligauit.

Non poterant continere.] Vt intelligi poſsit magnam admodum Biturigum potentiam fuiſſe: prætertim amplius, x x oppidis vno die incendio abſumptis.

Vulgare incurſionis ſignum.] Sic lib. 5. cap. 12. Tom fumi incendiorum procul videbantur, &c.

Quantum in ratione eſſet.] Quantum humana
ratione prouideri poterat.

Imparatis deiectiſque.] Steph. & nonnulli ve-
teres impreſsi, Defectiſque. quomodo ſine dubio
legendum eſt. Nam Defectum, pro eo cui quid
deficit, Veteres dixiſſe, nemo mediocriter erudi-
tus ignorat.

Expeditionum munus iniungebat.] Stephan. &
Ald. *Onus.*

CAP. II.

AVlercos.] Aulercos Eburones (vt opinor)
ſignificat.

Impedita circundatum palude.] Melius Steph.
& Ald. Locum caſtris excelſum in ſylua circundata
palude. nam mox vlteriorem ſyluam nominat.

Veterrimas legiones.] Sic Steph. & Ald. Alij im-
preſsi *Veteranas.* quod magis placet. quoniam in
lib.1.cap 10. quatuor veteranorum legiones ſeſe ha
buiſſe ſcribit.

Agminis ratio.] Hunc eundem ordinem Cæ-
ſar ſe tenere ſolitum ſcribit, cum hoſtes propin-
quarent. lib.2.cap.5.

Quæ legiones.] Sic Ald. & multi impreſsi. At
Steph. ſic, Cum repentè inſtructas velut in acie cer-
to gradu legiones accedere Galli vident, &c. Quæ
lectio, cum auctorem tam bonum librum habeat,
cauſſáque cur mutetur, nulla ſit, à nobis ſine dubio
retinenda eſt.

Loriculámq.] Sic Steph. & Ald. & alij innume
ri. Faern. & Vrſinus reſtituunt Coronis. ſed dictum
eſt ſuperiore libro, Loricam eſſe ſtructuram in mu
ris, quam vulgus hodie Parapettum appellat, quod
pectus vt lorica muniat.

Lateribus directis.] Dixi eod. lib. foſſam late-
ribus directis eſſe, quæ ad perpendiculum exca-
uata eſt.

Quo propior hoſtium valle.] Placet conſenſus
Faernini, Vrſini, & Stephanici: Alter qui propior
hoſtem in ipſo vallo collocatus eſſet.

Barbari nitebantur.] Steph. Ald. Inflabantur.
quod etiam propter huius ſcriptoris, & Cæſaris
conſuetudinem retinendum eſt.

Locis natura munitis.] Sic Steph. & Ald. Alij,
Loci, in ſecundo caſu. quod ſine dubio rectum eſt

Inflammantur atque incitantur.] Sic Steph. Al-
dinus verò Inflantur. vtrunque rectè.

Equitibus interpoſitis.] Hac de re dictum eſt lib.
1.cap.17, & lib.3.cap.16.

Paucíſque in reſiſtendo.] Steph. & Ald. Paucíſ-
que reſiſtentibus interfectis.

An aduerſis mediocribus timidiores.] Sic Ald.
At Steph. An aduerſo mediocri caſu. quod æquè
placet.

CAP. III.

CAſtrorum vias inſtruunt.] Steph. multo
melius, Copias armatorum in ſuis inſtruunt
caſtris. Quod etiam video quoſdam ſcribere ſe in
manuſcriptis aliis codicibus reperiſſe.

Aſcenſu laceſſendos.] Stephan. Cæſar neque
reſiſtentes aggrediendos tanto collis aſcenſu iu-
dicabat.

Diutius permanere ſine periculo.] Sic Stephan.
Aldin tamen, Sine cibariis. quam controuerſiam
veterum librorum numerus diſceptabit.

A *Superioribus commentariis*] Non ſanè declara-
tum, ſed leuiter tantummodo ſignificatum eſt lib.
3.cap.5. vbi locum annotauimus.

Per manus frumentorum.] Faernus verborum
ordinem immutat. ſed qui Cæſaris in traiiciendis
verbis conſuetudinem, & huius imitatoris atten-
det, nihil ſine veteris auctoritate Codicis immu-
tabit.

Equorum inſidias veriti.] Hæc traiectionum
importunitas qua Hirtius delectatur, cum huic lo-
B co, tum aliis compluribus obſcuritatem attulit. Or
do eſt: Vix priores partes equorum ſuorum aduer-
terent. Tum deinde inſidias veriti, &c.

Qua conſuetudine.] Sanè in Steph. ita legitur,
vt in multis impreſsis. Qua conſuetudine pabula-
toribus mittere præſidio conſueuerat. Sed abſur-
dior locutio videtur: & Aldina lectio probabilior:
Equitatúmque quem ipſe pabulatoribus mittere
præſidio conſueuerat, &c.

Velut indagine.] Apta ſimilitudo, & ad loci na-
C turam & ad hoſtium conſilium, qui Romanis eaſ-
dem inſidias tendebant, quas venatores explicata
indagine feris ponere conſueuerunt.

Primus cum paucis ſe oſtendit.] Placet Steph. &
Faern. Primum.

Propter aliquem timorem.] Inſignis ſententia
ſyllabæ vnius vitio deprauata. Reſtituendum *Ti-
mor* in primo caſu. neque in re perſpicua vllo argu-
mento eſt opus.

Pari marte.] Pari certamine, ancipiti prælio,
D vario certamine. Alibi Cæſar vſurpauit de loco.

Haud inuitantibus noſtris.] Sic Ald. Melius Ste
phan. Aut.

Abeſſe quam octo millibus.] Vox *Quam* ſine
dubio delenda eſt. Eius autem loco in Ald. & Ste-
ph. ita reperio: Non longius ab ea cæde abeſſe plus
minus octo millibus paſſuum, &c.

Cognita calamitate.] Vrſin. hoc delet. Ego in
illum locum reſtituo: Cognita calamitate omni-
bus aduerſis. Nam ex illis paucis ex fuga receptis
E calamitatem cognitam ſignificat. Et paulò poſt
perturbationem notabimus.

Sine vlla perfidia.] Inſignis philoſophiæ locus:
An contra perfidum vti perfidia liceat. ſimpliciter
deteſtandam eſſe perfidiam, ſatis multis locis Cæ-
ſar oſtendit.

Permotus celeriter.] Locus ſine dubio deprauа-
tus. In Steph. legitur, Permotus vel celeriter. Vrſi-
nus ex ſuo commodiſsimè locum reſtituit: modò
particula, *Et*, addatur hoc modo: Et centurio, velut
F inſueta re permotus vellet hominem conficere, ce-
leriter à familiaribus prohibitus Comij, non
potuit.

In conſpectum cuiuſquam Romani.] Nunquam
Romano cuiquam fidem habiturum.

CAP. IIII.

AD præſens imperium.] Sic Steph. & Ald.
Nonnulli ad præſens periculum, quod non
G placet. Nam ſenſus eſt: Ad victorum inſolentiam
euitandam.

Inſiſtu regionibus præerat.] Erat, legendum eſt,
vt in Steph. Faern. & Vrſin.

Togatam Galliam.] Quam eandem & citerio
rem & Ciſalpinam, Cæſar appellat.

Impetu illorum.] Steph. & Ald. Quia repenti-
no latrocinio atque impetu incolæ illorum erant
oppreſſi

oppreſsi. Probabilior tamen vſitata videtur.

Proximum ſuæ dignitatis.] Duas poſtremas voces Faernus tollit. Si ex libri veteris auctoritate, probo. ſin minus, nihil muto.

Vaſtare ciuibus.] Sic omnes lib. Et poteſt eſſe ſenſus, Regionem vaſtari ciuibus, cum multi interficiuntur. Itaque Oroſius: Horrenda (inquit) hominum ſtrage vaſtauit. magis tamen placeret, *Vicis.* ſi modò vetus aliquis liber adiuuaret.

Dumnaco duce Andium.] Steph. Adimmaco. ſed neque aliis locis ſibi conſtat, & Oroſius nomen hoc prodit.

In omnes partes finium.] Sic Steph. Mendoſé. Ald. In omnes fines partium.

C. Caniny certior.] Stephan. C. Caninij Rebili certior.

Et Romanum & externum.] Nonnulli reponebant: Et Romanum exercitum ſuſtinere hoſtem. quod non placet. Nam externum hoſtem appellat, quem Cæſar ſuperiore libro Exteriorem dixit. Interiores enim Cæſar hoſtes appellauit eos, qui ſunt in oppido. Quare ſublata particula *Et*, locus erit integerrimus.

Propter magnitudinem conſtratum.] Sic Ald. *Tranſeundum.* quod ſine veteris auctoritate codicis mutandum non eſt.

Sub ſarcinis.] Dixi ſuperius quodam loco.

Omne agmen morarentur] Sic Steph. Vrſinus ex ſuo & Faern. libro tollebat, *Agmen.* Sed puto illum ita ſcripſiſſe pro *Omne.*

Confligit audacius.] Sic Steph. Aldinus verò, Conſiſtit.

Subſiſtentes equitibus.] Ita placet, cum in Steph. legatur, Subſiſtentibus.

CAP. V.

Exulibus omnium ciuitatum receptis.] Steph. Aſcitis. Aldin. Accitis. vulgata magis placet.

Millibus ex fuga quinque.] Steph. & Ald. Non amplius hominum duobus millibus ex fuga collectis, &c.

Liberam vagandi.] Placet. Steph. Libere vagandi.

Circundare moratur.] Sic Steph. & multi impreſsi. Aldinus verò *Conatur.* quod ab imperitiſsimo confictum facilè paulò pòſt intelligetur.

Diſpoſita præſidio habeat.] Sic valde placet. quamuis in Steph. Diſponat.

Intra millia paſſuum x.] Sic Ald. Steph. tamen A millibus non amplius XII.

Summa velocitatis.] Rectiſsimé. vti patet ex lib. 1. cap. 17 Stephanicus mendoſiſsimè, Felicitatis.

Intra caſtra diſtribuit.] Faern. ex ſuo lib. In terna caſtra. quod valde placet, cum infrà dicat, eum præſidia dimiſiſſe.

CAP. VI.

Concurſu maximo militum.] Sic Stephan. rectiſsimè, cum in Ald. vitioſiſsimè legatur *Conſenſu.* Nam coactum Cæſarem concurſatione & flagitatione ſignificat.

Verberibus exanimatum.] Hoc erat, more maiorum ſupplicium de damnato ſumere. lib. 6. cap. vlt.

Vnam æſtatem.] Nam hic erat annus imperij Cæſaris octauus: Ser. Sulpitio, M. Marcello Coss.

Magna etiam.] Præclarè hunc locum Faernus A & Vrſin. ex ſuis lib. reſtituerunt: Etiam magna parte ſuorum ſiti amiſſa, in ſententia permanerent.

In Belgio.] Permaneo in ſententia, & Belgis, vbique legendum arbitror. nuſquam enim iſtiuſmodi nomen in aliis gentibus Cæſar finxit. Sic paulò pòſt: In Belgas, pro, In Belgium.

Vulnera per fidem interpoſitam.] Steph. & Ald. Perfidia interpoſita. quod non placet.

L. Paulo, C. Marcello Coss. [Pantagathus & Vrſinus reponunt, L. Lentulo. Sed aduertatur ordo B annorum ac faſtorum, quem initio poſui. Nam is annus quem inſequentem appellat, eſt ipſius imperij & belli Gallici nonus.

Aqua prohibere hoſtem.] Frontin. lib. Stratag. 3. cap. 7. C. Cæſar, inquit, in Gallia, Caducorum ciuitatem amne cinctam & fontibus abundantem ad inopiam aquæ redegit, cum fontes cuniculis auertiſſet, & fluminis vſum per ſagittarios arcuiſſet.

In infimis.] Steph. Sic enim imis radicibus mon C tis ferebatur.

Dimicationis periculo.] Placet Vrſin. Dimicatione & periculo.

Agger in altitudinem pedum nouem.] Stephan. Pedum ſex. Sed illud veriſimilius eſt. nam Oroſius ſcribit aggerem & turrim pedum LX fuiſſe. Cum autem tabulata x eſſent, oportet ſingula quinque pedes alta fuiſſe.

Fortiſſimo ſuſtinebant animo.] Ita eſt in Steph. & Lugdunenſibus, quamuis in Ald. legatur, Para D tiſsimo. ſed hoc parui refert.

Vt quiſque.] Vrſin. ex ſuo, Quem quiſque. Idem eſt in Steph. Sed nihil mutandum arbitror.

CAP. VII.

Sacerdotij petitionem.] Vt in Augurum collegium allegeretur.

Cæſaris decedentis.] Ald. Recedentis. Neutrum magnoperè placet. Commodius legeretur, Abſentis, ſi à vetere quopiam adiuuaremur. Alioqui, De E cedentem interpretaremur de prouincia & Gallia. Nunc vidéo in editione Vrſini, *Intercedentis.* opinor ex vulgata conſuetudine, qua Intercedere dicimus pro deprecari. ſed Vrſino Latinæ linguæ ratio aduerſatur.

Anni commendaret petitione.] Sic Stephan. & Ald. & alij innumeri. nonnulli Lugdunẽſes ſuſtulerunt *Petitione.* Sed commodius ita emendabitur: Et honorem ſuum in inſequentis anni commendaret petitionem. Ac nunc video idem Faerno F & Vrſino placuiſſe, apud quos tamen Petitione pro Petitionem ſcriptum eſt.

Conſules creatos.] Obſcurè loquitur. niſi fortè vel Creatos dixerit, pro Deſignatos. quod fiebat menſe Sextili, comitiis conſularibus: vel Creandos legendum ſit. Sed illud probabilius eſt.

Sibi coniunctus.] Dura locutio, pro Ipſi. & ſubauditur, Cæſari.

Neceſſitudine legationis.] Ser. Galbam legatum quoque numerat Cæſar initio libri 3. Malè in G Steph. & quibuſdam legitur, Conſuetudine.

T. Labienum.] Hic eſt T. Labienus, qui cum Cæſaris legatus in Gallia decem annos fuiſſet, tamẽ ab eo diſceſsit: & Pompeij ſe partibus adiunxit.

Propter ſalubritatem.] Nam huius autumni peſtilentia tentatum ſuum exercitum fuiſſe, poſterius lib. 1. teſtatur.

C. Curio Tribunus pl.] Hic eſt C. Curio, Tribunorum, vt Suetonius ſcribit, violentiſſimus qui de principio Cæſari aduerſatus, pòſt tamen in eius partes tranſiit. Cœlius in epiſt. ad Cic. Quod tibi ſuprà ſcripſi, Curionem frigere: iam calet. nam feruentiſſimè concerpitur. belliſſimè enim, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum & pro Cæſare loqui cœpit. Itaque Epit. 109. C. Curionis, inquit, Tribuni pl. primum aduerſus Cæſarem, deinde pro Cæſare actiones continet. Plutarch. in Pomp. ſcribit, Curionem hunc à Cæſare magno ære alieno liberatum, atque ita in ipſius partes adductum. Hoc autem illius poſtulatum totidem propè verbis commemorat. Et in eandem ſententiam ſcribit Dio lib. 40. & Velleius lib. 2. B

Fore eo facto.] Valde placet Vrſin. & Faern. librorum ſcriptura, Fore eo pacto.

Diſceſſionem facere.] Faern. & Vrſin. & Manut. Per ſe Senatus. quibus non aſſentior: quanuis per diſceſſionem fieri S C. ſoleret. Senſus eſt: Curio diſceſſionem fecit, vt qui ſuam ſententiam ſequerentur, iidem pedibus in ſuam partem diſcederent. C Plutarch. ſcribit, cùm ij qui ſolum Cæſarem arma deponere, Pompeium magiſtratum retinere cenſerent, diſceſſionem feciſſent, pleroſque omnes in eorum ſententiam pedibus iiſſe. cum iterum diſceſſio facta eſſet ab iis qui dimiſſo exercitu priuatum vtrunque eſſe cenſerent, pro Pompeio viginti duos ſolum, pro Curione reliquos omnes ſtetiſſe. D Appianus autem lib. de bell. ciuil. 2. in hoc numero CCCLXX. poſuit.

Conſules.] L. Paulus, C. Marcellus.

Iuſſerunt.] In quibuſdam annotatum video *ſuaſerunt*. quod probabilius videtur. Valdè placeret Interceſſerunt. vt Octau. Pantagathus reſtituit: ſi modò libris auctoribus id fecit.

Nam Marcellus.] M. Marcellus, qui proximo ſuperiori anno cum Ser. Sulpitio Coſ. fuerat. Huius autem rei totius hiſtoria extat in Epiſt. Cœlij ad E Cic. lib. fam. 8. ep. 8. & 13.

Contra Legem Pompeij & Craſſi.] Liu. Epit. 107. Lex lata eſt, vt ratio abſentis Cæſaris in petitione conſulatus haberetur, inuito & contradicente M. Catone, Locus hic oſtendit, Cn. Pompeium, C. Licinium Craſſum Coſs. legem hanc tuliſſe: de qua tamen operæ pretium eſt audire quod Suet. ſcribit in Iul. Acciderat autem, vt Pompeius legem de iure Magiſtratuum ferẽs, eo capite quod à petitione honorum abſentes ſummouebat, ne Cæſarem exciperet, per obliuionem: ac mox, lege iam in æs inciſa & in ærarium condita corrigeret errorem: Ciceronis autem lib. ad Att. c. 8. hæc verba ſunt. Idem etiam (de Pompeio loquitur) contendit: vt x. Tribuni pl. ferrent, vt abſentis ratio haberetur, quod idem ipſe ſanxit, lege quadam ſua: M. que Marcello Coſs. finienti prouincias Gallias Kal. Martiis reſtitit.

Retuleras de Cæſaris prouincijs.] Liu. Epit. 108. Præterea contentiones inter Coſs. de ſucceſſore C. Cæſari mittendo agente in Senatu C. Marcello. Cos. vt Cæſar ad petitionem Cõſulatus veniret, cum is lege lata in id tempus Conſulatus prouincias obtinere deberet.

Cæſari eam dedit.] Verbum *Cæſari* tollendum videtur. nam Pompeius eam legionem quam Cæſari miſerat, Reip. quaſi de ſuo numero ad bellum Parthicum attribuit. Plutarch. in Pompeij vita ſcribit, eum belli Parthici prætextu eos milites repetiiſſe, quos ei commodarat. quos Cæſar, etſi cauſſam non ignoraret, viritim CCL. denariis donatos ei remiſit. Idem ſcribit Dio lib. 40.

V·m Cæſari detrahuntur.] Pompeius, inquit Dio lib. 40. ex his quas ſecum habebat nullam dedit: ſed eos qui huic negotio præfecti erant, iuſſit eam legionem à Cæſare petere, quam ei commodarat. Ita cum vterque videretur vnam legionem dare, re ipſa Cæſar ambas dedit.

Ad bellum Parthicum.] In quo M. Craſſus interierat. Dio ſcribit, Bibulo id bellum mandatum fuiſſe, lib. 40.

Fit deinde S.C.] De hoc meminit Cæſar lib. ciu. 3. cap. 17.

Se expoliari.] Legendum videtur, Ea ſe expoliari.

Ex ſuo numero.] Rectè ſic: Cùm in aliis quibuſdam legatur, Et ſuo nomine. Numerum autem intelligit x. Legionum, quæ attributæ illi fuerant.

Per M. Marcellum.] Corrigatur, vt in aliis nonnullis: C. Paulo & Marcello Coſs.

Ab ſe miſſas]. Primam, quam à Pompeio: & decimamquintam.

EX ITINERARIO ANTONINI AVGVSTI,

Galliarum prouinciæ XVI.

Viennenſis. Narbonenſis I. Narbonenſis II.
Aquitanica I. Aquitanica II.
Nouem Populania. Alpes maritimæ.
Bellica I. Bellica II. in qua tranſitus ad Britanniã, id eſt, Remus.
Germania prima ſuper Renum in qua eſt Magontia.
Germania II. in qua eſt Agrippina.
Prouincia maxima Sequanorum in qua eſt Veſontiacenſis.
Prouincia Alpium gratarum & Penninarum in qua eſt Tarantaſia.
Aquitania Viennenſis idem Metropolis. Aquitania I. in qua eſt Beturicum.
Prouincia II. in qua eſt Burdigala.
Nouem Populania in qua eſt Auſſua.
Narbonenſis I. in qua eſt idem Metropolis.
Narbonenſis II. in qua eſt Aquenſis
Lugdunenſis I. in qua eſt Lugdunum.
Lugdunenſis II. ſuper Oceanum in qua eſt Rotomagus. Lug. III. in qua eſt Turonis.
Lug. IIII. in qua eſt Sennis.

METROP. PROVIN. LVGD.

I. CIVI. LVGD. *Numero* IIII.

Ciu. Eduorum
Ciu. Lingonum
Caſtrum Caballionenſis
Caſt. Matiſconenſe.

METROP. PROVIN. LVGD. II.
Numero VII.

Ciu. Rotomago
Ciu. Baiocaſſium
Ciu. Abrieantum
Ciu. Ebroicorum
Ciu. Salarum, id eſt Saiorum
Ciu. Lexouiorum
Ciu. Conſtantia.

PROVIN. LVGD. III. CIVI.
Numero IX.

Metrop. Ciu. Turonum
Ciu. Cennomanorum
Ciu. Redonum
Ciu. Andieauorum
Ciu. Namnetum
Ciu. Coriſopitum
Ciu. Cianctium. id eſt, Venetum
Ciu. Oiſiſmorum
Ciu. Diablintum

PROVIN. LVGD. IIII. CIVI.
Numero VII.

Metr. Ciu. Senonum
Ciu. Carnorum
Ciu. Antiſioderum
Ciu. Trieaſſium
Ciu. Aurelianorum
Ciu. Pariſiorum
Ciu. Melduorum.

BELLICA. I. CIVI. *Num.* IIII.

Metr. Ciu. Treuerorum
Ciu. Mediomatricorum, id eſt Metris
Ciu. Leucorum, id eſt, Tullo
Ciu. Veredonenſium.

BELLICA. II. CIVI. *Num.* XII.

Metr. Ciu. Remorum
Ciu. Sueſſionum.
Ciu. Catalaunorum
Ciu. Veromannorum
Ciu. Atrauatum
Ciu. Camaraeenſium
Ciu. Turnacenſium
Ciu. Siluanectum
Ciu. Bellouacorum
Ciu. Ambianenſis
Ciu. Morinum, id eſt, Ponticum
Ciu. Bononenſium.

PROVINC. GERM. I. CIVI.
Numero IIII.

Metr. Ciu. Magontmeenſis
Ciu. Argentoracenſium
Ciu. Nemetum, id eſt, Spira
Ciu. Vangionen. id eſt, Vuormer

PROVINC. GERM. II. CIVI.
Numero II.

Metr Ciu. Agrippinenſis, id eſt, Colonia
Ciu. Tungrorum.

PROVIN. MAXIMA SEQVANORVM CIVI. *Numero* X.

Metr. Ciu. Veſontienſis

A Ciu. Equeſtrium, id eſt, Neuiduno
Ciu. Eluntiorum, id eſt, Auenticum
Ciu. Noidenolex Auenticus
Ciu. Baſilienſium, id eſt, Baſilia
Caſt. Vindoniſe
Caſt. Ebrodunenſe
Caſt. Argentarienſe
Caſt. Rauracinſe, id eſt, portus Abucina.

PROVINC. ALPIVM GRATIArum, & Penninarum CIVI. *Num.* II.

B

Metr. Ciu. Centronium, id eſt, Tarantaſia
Ciu. Valenſium, id eſt, Octodorus.

ITEM IN PROVINCIA
Prouinc. Viennenſis CIVI. *Num.* XIIII.

Metr. Ciu. Viennienſium
Ciu. Gennauenſium
Ciu. Gratianopolitano
Ciu. Albenſium. Ciu. Viuario
C Ciu. Decenſium
Ciu. Valentinorum
Ciu. Auenicorum
Ciu. Arelatenſium
Ciu. Carpentoratenſis *Num.* VI. Ndauſea
Ciu. Maſilienſium
Ciu. Rieartinorum
Ciu. Vaſionenſium
Ciu. Arauſinorum
D Ciu. Cabellicorum.

PROVINC. AQVITANIA I. CIVI.
Numero IX.

Metr. Ciu. Bituricum
Ciu. Aruernorum
Ciu. Rotenorum
Ciu. Abigenſium
Ciu. Cadoreorum
Ciu. Lemauieum
E Ciu. Gabalum
Ciu. Vellauorum.

PROVIN. AQVITANIA II. CIVI.
Numero VI.

Metr. Ciu. Bardegalenſium
Ciu. Agennenſium
Ciu. Etoliſnenſium
Ciu. Santonum
Ciu. Pictauorum
F Ciu. Petrogoriorum.

PROVINC. NOVEM POPOLONIA, CIVI. *Num.* XII.

Metr. Ciu. Auſciorum
Ciu. Aquenſium
Ciu. Laſtoracium
Ciu. Conuenarum
Ciu. Conſantanorum
Ciu. Boarum quod eſt Bor.
G Ciu. Beranenſium, id eſt. Benainas
Ciu. Aturenſium
Ciu. Vaſatica
Ciu. Turſaubica Tralugorra
Ciu. Elloronenſium Ciu. Elloſatieum.

PROVIN. NARBONEN. CIVI.
Num. VIII.

Metr. Ciu. Narbonenſium

Ciu. Toloſatum, id eſt, Toloſa.
Ciu. Beterrenſium
Ciu. Agatenſium
Ciu. Nemauſenſium
Ciu. Magalonenſium
Ciu. Lutuenſium, id eſt, Lutaua Caſtrum
Caſt. Veetienſe.

PROVIN. NARBONEN. II. CIVI. *Numero* VII.

Metr. Ciu. Aquenſium
Ciu. Abtenſium
Ciu. Retenſium, id eſt, Reias
Ciu. Foroiulienſium
Ciu. Appenicenſium
Ciu. Segeſterorum
Ciu. Antipolitana.

PROVINC. ALPIVM MARITIMARVM CIVI. *Num.* VIII.

Metr. Ciu. Ebreduno
Ciu. Dinienſium, id eſt, Dina
Ciu. Rigomagenſium
Ciu. Sollinienſium
Ciu. Sanicienſium, id eſt, Sanicio
Ciu. Glannatenna
Ciu. Cemelenenſium
Ciu. Venſicienſium, id eſt, Ventio.

Nomina Regum & principum barbarorum.

ADcantuannus, Aquitanus, bello Sontiatum ſummam imperij tenebat, & oppidum à Cæſare oppugnatum defendebat, lib. 3. cap. 6.

Ægus & Roſcillus, Allobroges, duo fratres, Abducilli filij, qui principatum in ciuitate multis annis obtinuerat, ſingulari virtute homines, quorum opera Cæſar omnibus Gallicis bellis optima fortiſſimáque vſus erat, à Cæſare ad Pompeium defecerunt. lib. ciuil. 3.

Ambiorix, rex dimidiæ partis Eburonum. lib. 5. ca. 8. & lib. 6. cap. 6. Imperia erant eiuſmodi, vt non minus haberet in ſe iuris multitudo, quam ipſe in multitudinem, libro 5. cap. 8.

Antebroſius, Rhemus, primus ſuæ ciuitatis, legatus ad Cæſarem à ſuis miſſus. lib. 2. cap. 1.

Ariouiſtus, Rex Germanorũ, à Sequanis mercede conductus aduerſus Æduos, in illorum finibus annos quatuordecim conſederat. lib. 1. cap. 12. Rex atque amicus à Senatu appellatus fuerat Cæſare Conſule. cap. 13. & 15. Galliæ ciuitates quę aduerſus ipſum coniurarant, vno prælio fuderat, ſtipendiariáſque ſibi reddiderat. lib. 1. cap. 16.

BElloueſus Tarquinio regnante ab auunculo Ambigato Celtarum Rege delectus, qui Italiam occuparet. à Cæſare non nominatur: ſed à Liuio lib. 5.

Boduognatus, Dux Neruiorum, qui ſummam imperij tenebat, cum illi aduerſus Cęſarem pugnarent. lib. 2. cap. 7.

CAburus, princeps ciuitatis Heluiorum, cuius filius C. Valerius Donotaurus ãno belli Gallici ſeptimo interfectus eſt. lib. 7 cap. 12.

Camulogenus, Aulercus, ſingulari ſcietia rei militaris, ad eum eſt honorẽ euocatus, vt Pariſij & finitimæ ciuitates ei ſummam imperij deferrent, anno belli ſeptimo. lib. 7. cap. 11.

A Caſſiuellaunus, Britannus, cui, cùm Cæſar in Britanniam exercitum traduxiſſet, ſumma imperij belliſque adminiſtrandi communi Britannorum conſilio permiſſa eſt. lib. 5. ca. 5.

Caruilius, rex in ea parte Britanniæ quæ eſt ad Cantium, & tota maritima eſt, Caſſiuellaunum imperio caſtra naualia Cæſaris improuiſo adoritur. lib. 5. cap. 7.

Caſticus Catamantaledis filius, Sequanus. lib. 1 cap. 2.

B Catamantales regnum in Sequanis multos annos obtinuerat, & à Senatu, populóque R. amicus appellatus erat. lib. 1. cap. 2.

Catiuulcus, Rex dimidiæ partis Eburonum frater Ambiorigis. lib. 5. cap. 7. & libro 6. cap 6.

Cauarillus, Æduus, pedeſtribus illorum copijs quæ ad Cæſarem miſſæ fuerant, præfectus. lib. 7. cap. 12.

Cauarinus, Seno, quem Cæſar apud Senonas Regem conſtituerat, regno domóque à ſuis expul- C ſus, ad Cæſarem confugit. lib. 5. cap. 13. Eum Cæſar Senonum equitatui præfecit. lib. 6. cap. 1.

Cimbertus. Dux Sueuorum, frater Naſuæ, qui centum Sueuorum pagos primo Gallici belli anno ad Rheni ripas ſubſidio Sequanis adduxerat, Rhenumque tranſire conabatur. lib. 1. cap. 8.

Cingetorix de Treuirorum principatu contendebat cum Induciomaro. lib. 5. cap. 2. cuius erat gener, manſitque in fide Cæſaris, lib. 5. cap. 13. Alter fuit Britannus, rex in ea parte quæ eſt ad Cantium, D qui Caſſiuellauni imperio caſtra Cæſaris improuiſo adortus eſt. lib. 5. cap. 7.

Comius, Attrebas, quem Cæſar Attrebatibus Regem conſtituerat. lib 4. cap. 5.

Conetodunus, & Cotuatus, Carnutes, deſperati homines, quibus ducibus Carnutes anno ſeptimo arma ſumpſerunt. libro. 7. cap. 1.

Conuictolitanis, Æduus, florens & illuſtris adoleſcens, qui ſummum magiſtratum, quem illi Vergobretum appellant, in ſua ciuitate obtinebat. lib. E 7. cap. 6.

Corbeus, Bellouacus, dux ſuæ gentis, in bello aduerſus Romanos, anno octauo, vnà cum Commio Attrebate. Ei populi R. nomen odio ſummo erat. lib. 8. cap. 2.

Cotus, Æduus, antiquiſſima familia natus, homo ſummæ potentiæ & magnæ cognationis. Vergobretus in ſua ciuitate renuntiatus libro 7. cap 6.

Critognatus, ſummo in Aruernis natus loco, & magnæ habitus auctoritatis. Aleſiæ ſummam im- F perij tenebat. ſuaſit, vt qui ad bellũ inutiles eſſent, eorum corporibus oppidani vitam tolerarent. lib. 7. cap. 14.

DIuico, Heluetius, Princeps legationis ad Cæſarem miſſus. lib. 1. cap. 2.

Diuitiacus, Æduus, principatum in ciuitate ſua obtinebat, cui Cæſar ex alijs Gallis maximam fidem habebat, Romanorum aduentu in antiquum locum gratiæ atque honoris reſtitutus eſt. Eius ſummum erat in Populum R. ſtudium. Itaque ip- G ſius ſuaſu Cæſar de Gallia occupanda conſilium ſumpſit. lib 1 cap. 3.

Drapes, Seno, vt primum Gallia defecit, collectis vndique perditis hominibus, impedimenta & commeatus Romanorum intercepit. lib. 8. cap. 4. Captus à Caninio, paucis dieb. ſeſe cibo abſtinuit, atque ita interijt lib. 8. cap. 7.

Dum-

Dumnacus, Dux Andium, anno octauo Lemouicum oppugnauit. lib. 8. cap. 4.

Dumnorix, Æduus, frater Diuitiaci Ædorum Principis, gratia & largitione apud Sequanos plurimum poterat. lib. 1. cap. 4. Equitatui Æduorum præerat. In Cęſarem perfidus, ca. 7. ob rebellionem interfectus, lib. 5. cap. 3.

Duracius. Picto, qui perpetuò in amicitia R. permanſit. lib. 8. cap 4.

EPaſnactus, Aruernus, amiciſſimus Populi R. qui Lucterium Cadurcum cepit, & vinctum ad Cæſarem adduxit. lib. 8. cap. 7.

Eporedorix, Æduus, ſummo loco natus adoleſcens, & ſummæ domi potentiæ: qui de principatu cum Viridomaro contendebat. lib. 7. cap. 7. quo duce ante aduentum Cæſaris Ædui cum Sequanis bello contenderant. lib. 7. cap. 12.

GAlba, Rex Sueſſionum, XII. oppidorum dominus, ad quem Belgæ anno belli Gallici ſecundo propter iuſtitiam prudentiámque ſummam totius belli detulerãt, & ad id bellum millia armata quinquaginta pollicebatur. lib. 2. cap. 1. Eius duo filij Nouioduno capto Cæſari obſides dati ſunt. libro. 2. cap. 4.

Gobanitio, Aruernus, Vercingetorigis patruus, Aruernorum princeps. lib. 7. cap. 1.

Guturnatus, princeps Carnutum, rebellione & bello concitato, captus, & verberibus exanimatus, ſecuri percuſſus eſt. lib. 8. cap. 6.

ICcius, Rhemus, primus ſuæ ciuitatis, legatus ad Cæſarem à ſuis miſſus. lib. 2. cap. 1.

Immanuentius, Britannus, qui in ciuitate Trinobantium regnum obtinuerat. lib. 5. cap. 7.

Induciomarus de Treuirorum principatu cum Cingetorige contendebat. lib. 5. cap. 2.

LIſcus, Æduus, ſummo magiſtratui in ſua ciuitate præerat. lib. 1. cap. 7.

Litauicus, Æduus, ampliſſima familia natus, pręfectus decem millium militum, quæ Cęſari ad bellum ab Aeduis miſſa ſunt. lib. 7. cap. 7. 8. & 10.

Lucterius, Cadurcus, homo ſummæ audaciæ, à Vercingetorige impetatore in Ruthenos miſſus. lib. 7. cap. 2. eam ciuitatem Aruernis conciliauit. lib. 7. cap. 2.

MAndubratius, Britannus adoleſcens, qui Cęſaris fidem ſecutus, ad eum in continentem Galliam venerat: cuius pater Imanuentius regnum in Trinobantium ciuitate obtinuerat, interfectúſque erat à Caſſiuellauno. lib. 5. cap. 7.

Moritaſgus aduentu in Galliam Cęſaris regnum in Senonibus obtinebat: huius fratrem Cauarinum Cæſar, illo, vt credi par eſt, mortuo, regem conſtituerat. lib. 5. cap. 13.

NAſua, Dux Sueuorum, frater Cimberij: qui primo belli Gallici anno centum Sueuorum pagos ad Rheni ripas Sequanorum ſubſidio adduxerat: & Rhenũ tranſire conabatur. lib. 1. cap. 3.

Numeius, Heluetius, nobiliſſimus ſuæ ciuitatis princeps eius legationis quam primam Heluetij ad Cæſarem miſerunt. lib. 1. cap. 4.

OLlouico, Rex Nitiobrigum, qui à Senatu R. amicus erat appellatus libro 7. cap. 6.

Orgetorix apud Heluetios lõgè nobiliſſimus, & ditiſſimus fuit, regni cupiditate inductus, coniurationem nobilitatis fecit, de Gallia occupanda. Cuius rei accuſatus mortem ſibi conſciuit. lib. 1. cap. 1.

PIſo, Aquitanus, ampliſſimo genere ortus, cuius auus in ciuitate ſua regnum obtinuerat, amicus ab Senatu appellatus. lib. 4 cap. 3.

SEgonax, Rex in ea Britanniæ parte, quæ tota, maritima eſt, & Galliam ſpectat: qui à Caſſiuellauno caſtra Cæſaris adoriri iuſſus eſt. lib. 5. capite 7.

Sedulius, Dux & Princeps Lemouicum, poſtremo Galliæ motu. lib. 7. cap. 15.

Sigoueſus, Tarquinio regnante, ab auunculo ſuo Ambigato Celtarum Rege miſſus, qui agros ad Hercinium ſaltum occuparet Liu. lib. 5.

Surus, Æduus, qui & virtutis & generis ſummã nobilitatem habebat: ſolúſque ex Æduis vſque ad annum octauum in armis permanſit, captus in Treuiris à Labieno. lib. 8.

TAſgetius, Carnutus, cuius maiores in ſua ciuitate regnum obtinuerant. Hunc Cæſar in maiorum locum reſtituerat. lib. 5. cap. 8.

Taximagulus, Rex in ea Britanniæ parte, quę eſt ad Rantium, quæ tota maritima eſt. lib. 5. cap. 7.

Teutomatus, Rex Nitiobrigum, cuius pater ab Senatu R. amicus appellatus erat. lib. 7. cap. 6. & cap. 8.

VErcingetorix, Celtilli filius, Aruernus, ſummæ potentiæ adoleſcens, cuius pater principatum Galliæ totius obtinuerat. auctor defectionis & belli contra Cæſarem gerendi. Rex à ſuis appellatus. lib. 7. cap. 1.

Verodoctius, Heluetius, nobiliſſimus ſuæ ciuitatis, princeps eius legationis quàm Heluetij primam ad Cæſarem miſerunt. lib. 1. cap. 3.

Vedeliacus, Æduus, qui Vergobretus in ſua ciuitate fuerat. lib. 7. cap. 6.

Vergaſillaunus, Aruernus, Vercingetorigis conſobrinus, poſtremo Galliæ motu vnus è quatuor ſummis ducibus deligitur, quibus ſumma imperij tradita eſt. libro 7. cap. 14.

Vertiſcus, Rhemus, ſuę ciuitatis princeps, & pręfectus eorum equitum, quos Rhemi Cæſari auxilio miſerunt, anno belli octauo. lib. 8. cap. 2.

Viridouix præerat Vnellis, ac ſummam imperij tenebat earum omnium ciuitatum quæ defecerant. lib. 3. cap. 5.

Viridomarus, Æduus, adoleſcens ſummæ domi potentiæ, quem Cæſar ex humili loco ad ſummam dignitatem perduxerat: & cum Eporedorige de principatu contendebat. lib. 7. cap. 7. Poſtremo Galliæ motu vnus è quatuor ducibus fuit aduerſus Cæſarem. lib. 7. cap. 14.

Voccio, Germanię Rex, cuius ſororem Ariouiſtus ab ipſo in Galliam miſſam, vxorem duxerat. in Ariouiſti fuga periit. libro 1. cap. vlt.

FINIS.

FRANC. HOTMANI
IVRISC. IN LIBROS C. IVLII Cæſaris de Bello Ciuili Notæ.

LIB. I. CAP. I.

DE bello ciuili. Vetus lib. ſic, Commentariorum belli ciuilis Pompeiani lib. primus. quod non diſplicet.

A C. Fabio Cæſaris.] Sic vetus lib. & Aldin. alij exemplures, A Fabio C. Cæſaris. Sed conſuetudo Cæſaris perpetua hæc eſt, vt prænomine non vtatur. A retro.

Literis Cæſaris.] Literarum argumentum hoc fuit, vt ſibi abſenti alter Conſulatus mandaretur. Nam, vt libro 8 diximus, lege Pompeia Licinia latum erat, vt eius abſentis ratio comitiis Conſularibus haberetur. Sueton. Senatum, inquit, literis deprecatus eſt, ne ſibi populi beneficium adimeretur: aut vt ceteri quoque Imperatores ab exercitibus diſcederent. Plutarch. in Pomp. & item in Cæſ. ſcribit, Antonium inuito Senatu Cæſaris literas ad populum recitaſſe, quibus poſtulabat, vt prouinciis exercitúque dimiſſis vterque apud populum actionum ſuarum rationes redderet. Item in Cæſ. Alteras ab eodem literas allatas quibus petebat, vt citerior ſaltem Gallia & Illyricum, ſibi cum duabus legionibus concederetur, vſque ad alterius Conſulatus petitionem. Hæc eadem Dio lib 41. & Appia. Ciu. 2. & Oroſius. De his autem Cæſaris poſtulatis Cicero lib. ad Att 7. ep. 6. De Rep (inquit) valde timeo. nec adhuc ferè inueni, qui non concedendum putaret Cæſari, quod poſtularet, potius quàm depugnandum. Cur autem nunc primum ei reſiſtam, quam cum quinquennium prorogabamus? aut cùm vt abſentis ratio haberetur, ferebamus? Contrà tamen ep. 8. Nam quid impudentius? tenuiſti prouinciam per decem annos, non tibi à Senatu, ſed à te ipſo per vim & per factionem datos. præteriit tempus non legis, ſed libidinis tuæ. fac tamen legis. vt ſuccedatur. decernitur. impedis, & ais: Habe mei rationem. habe tu noſtrûm. exercitum tu habeas diutius, quàm populus iuſſit, inuito Senatu? Hæc perterritæ ac perturbatæ Ciceronis mentis argumenta ſunt. Legenda etiam Famili. lib. 16. epiſt. 12.

Significatur autem C. Fabius] Curio: de quo ſuperiore libro extremo: qui Tribunus anno proximo fuerat. Quem enim hic Cæſar Fabium, Dio lib. 41. Curionem appellat. Appianus quoque lib. Ciu bell 2. Curionem literarum latorem nominat: & triduo MCCC ſtadia ab exercitu Cæſaris Romam confeciſſe ſcribit.

Conſulibus] C. Claudio Marcello, L. Corn. Lentulo, qui paucis antè diebus Conſulatum inierant. Hæc enim hiſtoria omnis ad Ianuar. menſem pertinet.

Tribunorum pl.] Tribunos Dio nominat, M. Antonium, Q. Caſſium, quos Cæſaris partium ſtu-A dioſos fuiſſe conſtat. C. tamen Caſſium, & M Lepidum, & L. Torquatum Pompeianos Cicero nominat, ad Att. lib. 7. ep. 21. Plutarchus in Pomp. Metellum Cæſarianis adiungit. At ipſe Cæſar paulò pòſt, in fin. cap. 7. apertè L. Metellum in ſuis aduerſariis numerat.

Scipio.] Q. Cæcilius Metellus, Pius, Scipio: qui triennio ante Conſul fuerat cum Pompeio: cuius filiam morte P. Craſſi viduam vxorem duxerat Pompeius. Plutarch. in Pompeio. vbi tamen legi-B tur *Corneliam.*

In ciuitate] Magnoperè aſſentior Faerno & Vrſino, verba duo hæc abundare. Nam in vrbe quidem id factum eſſe, mox dicetur. Sed In ciuitate, pro Intra mœnia vrbis, durius videtur. Et cum ita loquebantur, velut in Quintiana: Quæ res in ciuitate, &c. hoc ſignificabant, id eſt In populo R. & ſic paulò infrà: Ciuitatem eſſe in armis. Et apud Liu. lib. 21. Ciuitatem omnem in expectationem belli erectam inuenerunt. Item lib. de legib. 3. Qui C illa vrbe pulſi, carere ingrata ciuitate, quàm manere in improba, maluerunt. Durius tamen videtur id gloſſæ attribui. Quòd ſi vetus aliquis Codex haberet *Infinitè*, valde arrideret. Nã, vt ait Varro, qui ſenatum habiturus erat, eum referre oportebat aut infinitè de Republica, aut de ſingulis rebus finitè, teſte Gellio li. 14. c. 7. ac planè mihi perſuadeo, id ex gloſſa ſumptum: cũ eruditus aliquis veterem formulam eſſe ſciret, Referre de Rep. pro Referre de ſumma Reip. infinitè, non de ſingulari aliquo D negotio. Cicero Philipp. 3. Quamobrem Tribuni pl. quamquam vox nihil aliud niſi de præſidio retuliſtis, tamen mihi videmini magno conſilio poteſtatem nobis de tota Rep. feciſſe dicendi. Idem Catil. 3. Senatum conſului de ſumma Reip. quid fieri placeret. Sueton. in Iul. M. Marcellus Coss. edicto præfatus, de ſumma ſe Rep. acturum, retulit ad Senatum vt ei ſuccederetur. Liu. lib. 40. Secundum rem diuinam, vt de Repub. Senatum conſulerent. Et lib. 26. De Rep. tamen primum, ac de prouinciis E ambo Coss ad Senatum retulere.

De ea re ad Senatum referri.] Aldin. De repub. quod ſine dubio rectum eſt.

Senatus in vrbe habebatur.] Hæc non cohærent: Senatum in vrbe habitum: & Pompeium adfuiſſe. Nam Pompeio cui Proconſuli decreta Hiſpania fuerat, in vrbe adeſſe ius non erat. Qui enim cum imperio erant, iis intra vrbem eſſe non licebat: eóque Senatus eis extra vrbem dabatur in æde Bellonæ: vt in libell. de Senatu expoſuimus. Itaque ſub F finem huius lib. Vt idem, inquit, ad portas vrbanis præſideat rebus, & duas bellicoſiſſimas prouincias abſens tot annos obtineat. Itaque lib. 8. cap. vlt Proximis, inquit, diebus habetur Senatus extra vrbem.

& Dio

& Dio lib. 41. Tum, inquit, Pompeius in ſuburbio cum exercitu erat. Quæ cum ita ſint, P. Victorius diſputabat legendum eſſe *Aberat*. quod Faernus & Vrſinus rectiſſimè improbarunt. Nam quo ſenſu dixiſſet, quòd Senatus in vrbe habebatur; Pompeiúſque aberat, Scipionis orationem ex ore Pompeij mitti viſam fuiſſe? Rurſus autem abſurdum videtur, admoneri Senatum in vrbe habitum. Itaque non dubito ſcriptum à Cęſare fuiſſe *Ad vrbem*: & ab imperito quopiam vel in gloſſa, vel in textu, repoſitum *In vrbe*. Cum autem hæc ſcripſiſſem circiter octauo pòſt anno admonitus ſum virum quendam doctiſſimum reperiſſe in libro manuſcripto, Pompeiúſque ad vrbem erat: quod ſine controuerſia probandum puto.

Sibi conſilium capturum.] Conſilium ſibi capere dicebantur honeſto verbo, qui ab aliis diſceſſionem faciebant, ſibique ſeparatim conſulebant. Sic hoc ipſo libro, non procul ab extremo: Vt iurent omnes, ſe exercitum ducéſque non deſerturos, neque ſibi ſeparatim à reliquis conſilium capturos. Et lib. 2. in ſeq. cap. Si id non feciſſet, ſibi conſilium capturos.

Antè de ea re.] Sic vetus, & alij complures. melius Ald. & nonnulli impreſſi, *De republica*: id eſt de ſumma Reipubl. vt paulò antè.

Dixerat aliquis.] Nihil muto. magis tamen placuiſſet numero plurali: Dixerant aliqui. Nam poſt parentheſim ſic infert: Hi omnes, &c.

Primò M. Marcellus. Qui biennio antè Conſul cum Ser. Sulpitio fuerat.

Tutò & liberè.] Nam eo præſidio tutus Senatus aduerſus Cæſaris & Pompeij exercitus fuiſſet.

In ſuas prouincias.] Obtinebat (inquit in Cæſare Plutarch.) duas prouincias Pompeius: Hiſpaniam & Africam vniuerſam: quas per legatos adminiſtrabat. Sic infrà cap. 17. Duas bellicoſiſſimas prouincias abſens tot annos obtineat.

Abreptis duabus legionibus.] Vetus, & alij nonnulli, Correptis. Vitioſe. Nam primam & decimam quintam legionem Cæſari Pompeius abripuerat: vt dictum eſt ſuperiore lib. extremo. Neque hanc legionum duarum adductionem videtur Cicero probaſſe, ſcribens ad Att. lib. 7. ep. 12. Spes omnis (de Pompeianis loquitur) in duabus inuidioſè retentis penè alienis legionibus. Habebat autem hoc tempore Cæſar legiones xi. vt ſcribit idem ad Att. lib. 7. ep. 7.

Pronuntiaturum.] Moris erat, dictis ſententiis, vt eas Conſul pronuntiaret: id eſt, commemoraret: vt, ſi videretur, diſceſſio fieret: cuius rei exemplum eſt in epiſt. Cicer. ad Lentul. lib. 1.

Sententiæ graues.] Acerbæ, & vehementes in Cæſarem.

Miſſo ad veſperum ſen.] Apparet verum eſſe, quod alio loco ſcripſi contra Vrſini ſententiam, vtrunque vſitatum fuiſſe, Ad veſperam, & Ad veſperum.

Omnes qui ſunt eius ordinis.] Notanda locutio. Nō enim ſenatorium ordinem hic ſignificat, cum eſſent hoc tempore propè mille Senatores, quos omnes non eſt veriſimile à Pompeio domum euocatos. Sed ſecretè ordinem vſurpauit, pro numero eorum, qui inimici Pompeij erant.

Laudat Pompeius.] Sic omnes lib. Pantagathus tamen Promptos, ex ingenio reſtituebat: quod mihi non probatur. Nam vniuerſè laudauit, pòſt

A qui reprehendendi videbantur, ſingulatim reprehendit.

M. Antonius, Q. Caſſius.] Liuius Epit. c i x. Cùm S. C. factum eſſet, vt ſucceſſor Cæſari mitteretur, M. Antonio & Q. Caſſio Tribunis pl. quoniam interceſſionibus id S. C. impediebant, vrbe pulſis, mandatum à Senatu Conſulibus, & Cn. Pompeio, vt viderent, nequid detrimenti Reſpub. caperet.

Ad ius comitiorum.] Poſtulat, vt ius comitiorum
B ſeruetur. diebus autem comitialibus Senatum haberi non licebat ex lege Pupia: vt poſterius dicetur. Curio ſuperiore proximo Decembri menſe Tribunatu abierat, quem anno proximo geſſerat. Dio lib. 40. ſcribit, eum Pontificem fuiſſe, & poſtulaſſe, vt menſis vnius intercalatio fieret, nequid noui in Rep. decerneretur.

Atque eorum.] Magis placeret, *Atque ij*: ſi modò vetus liber adiuuaret.

C. Curio.] De hoc diximus lib. ſuperiore. Bel-
C lo ciuili, (inquit Velleius lib. 2.) non alius maiorem flagrantioremque quàm C. Curio Tribunus pl. ſubiecit facem: vir nobilis, eloquens, audax, ſuæ alienæque & fortunæ & pudicitiæ prodigus, homo ingenioſiſſimè nequam, & facundus malo publico,

L. Piſo Cenſor.] Cenſuram enim hoc anno geſſerunt Appius Claudius Pulcher, L. Piſo Cæſonius, Cæſaris ſocer. vt ait Dio. lib. 40

Dolor repulſæ.] M. Cato in petitione præturæ,
D prælato Vatinio repulſam tulit. Idem cum legem impediret, qua prouinciæ Conſulibus in quinquenium, Pompeio Hiſpaniæ, Gallo Syria, & Parthicum bellum: Cæſari Gallia & Germania dabātur: à C. Trebonio Tribuno pl. auctore in vincula ductus eſt. Epit. 105. Dio verò lib. 40. ſcribit, eum Cæſaris & Pompeij opera Conſulatu deiectum fuiſſe: factóſque Marcellum & Sulpitium.

Regum appellandorum largitionibus.] Satis oſtendit, Reges exteros, qui à Senatu amici & Reges
E appellabantur, magnis id largitionibus ab eius anni Conſulibus redemiſſe. Qua ex re vel exterarum gentium ſtultitia, vel Romani nominis terror cognoſci poteſt.

Pro neceſſitudine] Nam Pompeij filiam in matrimonio habebat. Plutarch.

Oſtentatio ſui.] Legendum arbitror, *Aſſentatio ſui*, vt alibi locutus eſt. nam quorſum ad hanc rem potentium oſtentatio pertinuiſſet?

Ille affinitatis tempore.] Ad retinendam Pom-
F peij neceſſitudinem ac voluntatem, Octauiam ſororis ſuæ neptem, quæ C. Marcello nupta erat, conditione ei detulit: ſibique filiam eius in matrimonium petiit, Fauſto Syllæ deſtinatam. Sueton.

Infamia duarum legionum.] Infamia propter duas legiones abductas.

CAP. II.

R Aptim atque turbatè.] Faern. Vrſin. & meus
G vetus, *Ruptim*. quod valde placet. Nam, vt opinor, Ruptim agere, & Ordine agere: opponūtur.

Extremi iuris interceſſionem.] Vox Interceſſionem otioſa hoc loco videtur, & ex gloſſa in contextum irrepſiſſe. Cum plebs Romana ciuili bello à Marianis partibus ſtetiſſet, Sylla victor multa ei ademit, in his Tribunitiæ poteſtatis partem

maximum. Intereceſſionem tamen reliquerat, vt infrà cap. 3. Cicero de leg. 3. Quamobrem in iſta quidem re Syllam vehementer probo, qui Tribunis pl. ſua lege iniuriæ faciendæ poteſtatem ademerit: auxilij ferendi reliquerit. Extremum autem ius appellat, minimum & poſtremum. Hæc olim ita ſcripſeram. Et video nunc idem Manutio doctiſs. viro placuiſſe.

Octano denique menſe.] Locus mihi obſcurus. niſi fortè Saturninum, Gracchos, & ſimiles intelligat, atque ita rem exponamus: Tribuni magiſtratum nonis Decemb. inibant. Octouo pòſt menſe Conſularia comitia habebantur. Tum igitur nouis Conſulibus deſignatis, de ſuis ſuperiorum octo menſium actionibus cogitare conſueuerant, quomodo accuſationem anni inſequentis effugerent.

Extremum atque vltimum.] Malè, qui alterutrum tollendum putant. Sic enim Cicero diuin. 2. Cœlum extremum atque vltimum dicit. Hoc autem S.C. quale eſſet, copiosè expoſui in lib. de Senatu, ſub voce S.C. vltimæ neceſſitatis.

Dent operam Coss. Populi R. Tribuni.] Rectè iampridem emendatus ab aliis hic locus eſt, vt pro Populi R. reponatur, Prætores. & hæc eadem Cic. Famil. 16. epiſt. 11.

Quiq; Coss ſunt ad vrbem.] Proconſules legendum eſſe non dubium eſt. Significat autem Pompeium Hiſpaniæ Proconſ. item Scipionem, cui Syria, L. Domitium, cui Gallia, decretæ fuerant. Ciceronem quoque qui è Cilicia reuerſus ad vrbem erat. Fam. 16. epiſt. 11.

Bidue excepto comitiali.] Lege Pupia cauebatur, ne diebus comitialibus Senatum haberi liceret. Sic in epiſt. ad Q. Frat. Conſecuti ſunt dies comitiales, per quos Senatus haberi non poterat. Et ad Lent. Senatus haberi ante Kal. Feb. per legem Pupiam (id quod ſcis) non poteſt.

Profugiunt ex vrbe.] Antonius, Caſſius, Curio. Fam. 16. epiſt. 11.

Erat Rauenna.] Sic Sueton. Tranſiit, inquit, in citeriorem Galliam, conuentibúſque peractis Rauennæ ſubſtitit, bello vindicaturus, ſiquid de Tribunis pl. intercedentibus pro ſe grauius à Senatu conſtitutum eſſet.

Aut ſequantur ſaltem.] Delenda vox *Saltem*, auctore antiquo lib. pro qua video pleriſque in libris reſtitutum *Statim*. ſed illa ex gloſſa erat: vt cuiuis perſpicuum eſt.

Suis leniſſimis poſtulatis.] Sic rectè: cum in pleriſque antiquis & ſcriptum & impreſſum ſit *Leuiſſimis*. Nam Cæſar Pompeij poſtulata, acerba: ſua, lenia & placida vult videri. Sed longe aliter Cic. Fam. 16. epiſt. 11. Omnino & ipſe Cæſar amicus noſter, minaces ad Senatum & acerbas literas miſit.

L. Domitio Gallia.] Sueton. ſcribit, hunc per tumultum ſucceſſorem Cæſari nominatum. Vlterior autem huic, citerior Conſidio obuenit. Fam. 16. epiſt. 12.

S.C. perſcribuntur.] Perſcribi S. C. dicebantur, quæ quapiam de cauſſa rata non erant: veluti cum aut Tribuni intercesſerant, aut non legitimo loco habitus Senatus fuerat. Ea Auctoritas dicebatur. Dio lib. 55.

Prouinciæ priuatis decernuntur.] Hoc eſt quod in huius libri fine queritur, in ſe iura magiſtratuum

A cómutari, ne ex pretura & conſulatu, vt ſemper, ſed per paucos probati & electi in prouincias mittantur. Plutarchus in Pompeio ſcribit, Catonem in Siciliam abiſſe, quæ prouincia ei obuenerat.

Scipioni obuenit Syria.] Plutarch. ſcribit, Pompeium miſiſſe Scipionem ſuum ſocerum, & Cn. filium ſuum in Syriam, claſſis parandæ cauſſa.

Philippus & Marcellus.] L. Martius Philippus, qui VII abhinc annis Conſul cum Cn. Lentulo fuerat, alter ab illo Tribuno pl.

B *Sortes deiiciuntur.*] Quorum ratio in decernendis prouinciis habebatur, eorum nomina in ſortibus ſcripta, in vrnam coniiciebantur. dein vrna cómota deiiciebantur. id erat prouincias ſortiri. Cic. in Lig. Tuberonis ſors coniecta eſt ex S. C. cum ipſe non adeſſet.

Paludati votis nuncupatis.] Hac de re dictum eſt in Verr. 7.

Quod ante id tempus acciderat nunquam.] Cicero tamen hac ipſa de re ſcribens ad Attic. lib. 8.
C epiſt. 23. Ipſi Coss. inquit, quibus more maiorum conceſſum eſt, vel omnes adire prouincias, aut legati ſunt eorum, &c.

Lictores habent priuatum.] Scribatur, *Priuati*, vt in aliis quibuſdam. nihil obſcuri relinquetur. Sed nunc video in Manutiano ita impreſſum. quod placet.

Et è fanis tolluntur.] De hoc more commendandarum fanis pecuniarum, Cicero de Legibus 2.

Cæſar concionatur.] Sic Sueton. Atque ita traie-
D cto Rubiconem exercitu adhibitis Tribunis pl. qui pulſi ſuperuenerant, pro concione fidem militum flens, ac veſte à pectore diſciſſa inuocauit.

A quibus deductum.] Vetus *Diductum*. Aldin. *Inductum*. Vetus placet. Nam Diducere, pro Diſtrahere vſitatum eſt: vt hic noſter: Diducendíque erant milites.

Armis reſtituta.] Hoc vt verè dicam, non intelligo. nó enim armis, ſed lege Pompeius Tribunitiam poteſtatem reſtituit Conſul cum M. Craſſo. vt
E Plutarch. in eius vita, & Pedian. in Diuin. demonſtrant: Quare aut vox *Armis* delenda eſt, aut potius, *ſine armis* legendum. Cicero quidem lib. de legib. 3. ſcribit, Pompeium ſenſiſſe, neceſſarium id fuiſſe, neque potuiſſe ciuitati diutius eam poteſtatem deberi. At iam video Vrſini teſtimonium de Ant. Auguſt, qui vocem *Armis* tollendam cenſebat.

Dona etiam quæ antè habuerit.] Sic meus codex: quod idem Vrſinus de ſuo teſtatur. Placet ta-
F men P. Victorij coniectura, lib. Varr. 10. cap. 24. vt *Bona* legatur. quam vſitatam eſſe locutionem omnes eruditi norunt. *Habuerat*, autem paulò infrà legitur in meo antiquo: melius quàm in vulgatis, *Habuerit*.

Hanc enim euocauerat.] Liuius tamen dimidiatam tantum legionem numerat. Cæſar, inquit Oroſius, Rubicone flumine tranſmeato, mox vt Ariminum venit, v. cohortes quas túc ſolas habebat, cum quibus (vt ait Liuius) orbem terrarum ador-
G tus eſt, quid facto opus eſſet, edocuit. niſi fortè x. pro v. apud Oroſium reponamus.

CAP. III.

AD arma ſit vocatum.] Sic apud Salluſt. in Catil. & Cicer. in Mil. Videret, nequid Reſp. detri-

detrimenti caperet: quo vno verſiculo ſatis armati ſemper Conſules fuerunt, etiam nullis armis datis.

Lociſque editoribus occupatis.] Nihil affirmo. tantum dico, veteres libros Ciceronis de leg. conſulendos, ſiqui reperiri poſsint, in quibus vox *Editis*, vel (vt hic) *Editoribus* aſcripta ſit. Nam vulgò lib. 3. ita legitur: Cuius primum ortum ſi recordari volumus, inter arma ciuium, & occupatis & obſeſſis vrbis locis, procreatum videmus.

L. Cæſar.] Cicero ad Att. lib. 7. epiſt. 12 L. Cæſarem vidi Minturnis ad VIII. Kal. Feb. mane cum abſurdiſsimis mandatis non hominem, ſed ſcopas ſolutas: vt idipſum mihi ille videatur irridendi cauſſa feciſſe, qui tantis de rebus huic mandata dederit: niſi fortè non dedit: & hic ſermone aliquo arrepto pro mandatis abuſus eſt. At epiſt. ſeq. L. Cæſar mandata Cæſaris ad Pompeium detulit ad VIII. Kal. cùm is eſſet cum Coss. Theani. Probata conditio eſt, ſed ita, vt ille de his oppidis quæ extra ſuam prouinciam occupauiſſet, præſidia deduceret. Id ſi feciſſet, reſponſum eſt, ad vrbem nos redituros eſſe, & rem per Senatum confecturos. Spero etiam in præſentia pacem nos habere: nam & illum furoris, & hunc noſtrum copiarum ſuppœnitet.

Cæſaris legatus.] Nominatur lib. 7. cap. 12.

Priuatis neceſſitudinibus.] Meus antiquus, *Neceſſitatibus*. quod idem Faern. de ſuo teſtatur. & ita ſine dubio corrigendum eſt.

Eadem ferè atque eiſdem de rebus.] Nihil ſine veteris libri ſubſidio temere mutandum puto. Attamen idem eſſe arbitror, Agere eadem, & Agere iiſdem de rebus. præterea verbum commemoraſſe, per ſe non ſatis conſtat. Itaque videndum, ecquis vetus ita ſcriptum haberet, Eiſdem de rebus commemoraſſe.

Liberare poſſint.] Meus & Ald. *Poſſent*. quod verius arbitror.

Semper Reip. primum.] Deleo *Reip.* nam de ſua, non de Reip. dignitate loquitur. Et rectius fuit in lib. Vrſini, quàm ipſe exiſtimet.

Populi R. beneficium.] Rectè ſic iampridem in Ald. emendatum eſt: cum in meo ant. & reliquis ita legatur: Quod pro beneficio ſibi contumelia ab inimicis extorqueretur. Error natus eſt ex nota P. R. ac beneficium intelligit, vt eius abſentis ratio in Conſulatus petitione haberetur. Populi autem beneficium appellat, quia lege id ſancitum fuerat pugnante Cn. Pompeio iii Coss. Epiſt. 3. lib. 8. Att. & Fam. lib. 6. epiſt. 6.

Semeſtri imperio.] Tantum enim adhuc Cæſari reſtabat.

Hæc omnia tandem.] Vox *Tandem*, abeſt à meo, & Ald. & antiqnis.

Ipſi exercitus dimittantur.] Auguſt. tollebat vocem *Ipſi*, quod non probo. Nam in meo & Faerni & Vrſini libris ita eſt rectè: Ipſi exercitus dimittant. Hoc eſt, ipſi Pomp. & Cæſ. de quibus agitur. omnes reliqui diſcedant ab armis. Sic Cœlius Fam. 8. epiſt. 14. Cn. Pompeius conſtituit non pati C. Cæſarem Conſulem aliter fieri, niſi exercitum & prouincias tradiderit: Cæſari autem perſuaſum eſt, ſe ſaluum eſſe non poſſe, ſi ab exercitu receſſerit: fert illam tamen conditionem, vt ambo exercitus tradant.

In Italia] Sic Fam. 16. epiſt. 12 Feruntur omnino conditiones ab illo, vt Pompeius eat in Hiſpaniam, delectus qui ſunt habiti, & præſidia noſtra di-

A mittantur.

Capuam peruenit.] Cicero tamen (vt modò dixi) Theanum nominat.

Illis deliberata reſpondent.] Sic omnes antiq. Placet tamen peruulgata: Illis re deliberata reſpondent. vt Gall. bell. 4. cap. 2. Legati hæc ſe ad ſuos relaturos dixerunt, & re deliberata poſt diem tertium ad Cæſarem reuerſuros.

Per eos remittunt.] Fortè *Eoſdem*.

Si peracto Cæſaris conſulatu.] Nam Cæſar ad
B Conſulatus petitionem ſe venturum pollicebatur: & ſe præſentem trinundinum petiturum. Fam. 16. epiſt. 12.

Mendacij religione obſtrictus.] Honeſtè, pro Periurus.

CAP. IIII.

PIſaurum, Fanum.] Omnes hæ nominantur Fam. 16. epi. 12. præter Fanum. vbi ſcribit illis
C occupatis Pompeium & Coss. vrbem reliquiſſe.

Tignium Thermum prætorem] Obſeruatum ſuit ab Eugubino Steucho legendum & hic & in epiſt. ad Att. lib. 7. ep. 13. *Inguium*, vel potius *Iguuium* qua de re cum P. Manutius ſcribit, tum præſertim Malaſpina vir doctiſſimus in comment. in epiſt. ad Attic.

Tigniorum.] Legendum ergo Inguiorum. & mox, Inguium recipit.

Aperto ſanctiore ærario.] Sanctius ærarium fuiſ-
D ſe videtur, in quo pecuniæ ad vltimos caſus reſeruabantur. Liu. lib. 27. Cetera expedientibus quæ ad bellum opus erant Conſulibus, aurum viceſimarium, quod in ſanctiore ærario ad vltimos caſus ſeruaretur, promi placuit. Cic. Att. 7. epiſt. 20. Hoc eiuſmodi eſt? VII. Id. Feb. Capuam C. Caſsius Tribunus pl. venit. attulit mandata ad Coss. vt Romam venirent: pecuniam de ſanctiore ærario auferrent, ſtatim exirent vrbe relicta? Appian. de bel. ciu. 2. ſcribit ærarium fuiſſe, in quo pecuniæ bellici tan-
E tum tumultus cauſſa aſſeruabantur. ſi quis attigiſſet, eius caput ſacrum fuiſſe.

Citra Capuam.] Quæ Ciceroni Procoſ. attributa fuerat, vt eam aduerſus Cæſarem tueretur. Fam. 16. epiſt. 11.

Lege Iulia.] De coloniis, quam in lib. de legib. expoſuimus.

Libertate confirmat.] Mirè dictum, pro Liberos eſſe iubet.

Circum familiares conuentus.] Cic. Att. 7. epiſt.
F 13. Gladiatores Cæſaris, qui Capuæ ſunt, ſanè commodè Pompeius diſtribuit, binos ſingulis patribusfa. Secutorum in ludo IↃↃ. fuerunt. Eruptionem facturi fuiſſe dicebantur.

Labienus.] Hic eſt T. Labienus, cuius Legati opera fortiſsima & fideliſsima Cæſar annos nouem vſus erat in Gallia, qui nunc à Cæſare deſciuit. Fam. 16. epiſt. 10. Maximam autem plagam accepit, quod is qui ſummam auctoritatem in illius
G exercitu habebat, T. Labienus ſceleris ſocius eſſe noluit. reliquit illum, & nobiſcum eſt. Sic Attic. 7. epiſt. 11.

CAP. V.

QVadraginta in ſingulos iugera.] Summa immenſa. nam XX fuiſſe cohortes, modò dixit. Itaque Manutius, Quaterna repoſuit. Sed quid

illud eſt quod infert, Pro rata parte Centurionibus euocatiſque? Sciendum eſt centurionis ſtipendium duplo maius peditis ſtipendium fuiſſe: equitis, triplo. id quod Polyb. lib. 6 & Liuius multis locis demonſtrant. Quæ autem in ſtipendio proportio ſeruabatur, eandem in donatione quoque ſeruari ſolitam, cum ex hoc loco, tum ex quamplurimis & Liuij, & Plutarchi, & Appiani locis facilè intelligitur. Notandum eſt autem quod ait Domitium agros è ſuis poſſeſsionibus eſſe pollicitum militibus. primum vt intelligatur, eiuſmodi fuiſſe Colonos Domitij de quibus poſterius commemorabit. deinde vocem Poſſeſsiones. hoc loco non propriè vſurpari, pro iis quæ vſu tantùm, non proprietatis iure habebantur: de quibus in Feudali Dictionario diximus: ſed pro Lati fundiis impropriè.

Centurionibus euocatiſque.] Euocati dicebantur, qui legitimo militiæ tempore perfuncti, cum emeritis & confectis ſtipendiis eſſent, tamen propter rei militaris ſcientiam, & quòd plerique beneficiis affecti fuerant, nominatim literis ac nuntiis ab Imperatore, magis officij & amicitiæ cauſſa, quàm pro imperio euocabantur: iiſq; plerunque præfectus aliquis attribuebatur. Dio lib. 55. *ἐν τούτῳ δ' ἤδη τῶν ἀνδρῶν, καὶ τὸ τῶν ἠυοκάτων σύστημα (οὓς ἀνακλήτους αὐτοὺς ἑλληνίσας, ὅτι πεπαυμένοι τῆς στρατείας ἐπ' αὐτὴν αὖθις ἀνεκλήθησαν, ὀνομάσειεν) ἐνομίσθη.* Cæſar ſup. cap. 1. Multi vndique ex veteribus Pompeij exercitibus, ſpe præmiorum atque ordinum, euocantur. Idem infrà lib. 3. Euocatorum circiter duo millia, quæ ex beneficiariis ſuperiorum exercituum ad eum conuenerant, quæ tota acie diſperſerat. Item: Erat Craſtinus euocatus in exercitu Cæſaris, qui apud eum primum pilum in legione decima duxerat. Hic ſigno dato, Sequimini me, inquit, manipulares mei qui fuiſtis. Cicero in epiſt. ad Appium: Antonium præfectum euocatorum miſi ad te, cui ſi videbitur, cohortes traderes. Salluſt. in Iugurth. Præterea ex Latio fortiſsimum quenque, pleroſque militia, paucos fama cognitos accire, & ambiendo cogere homines emeritis ſtipendiis ſecum proficiſci. Hinc etiam in exteros tranſlatum. Cæſar Gall. 3. cap. 5. Multis præterea viris fortibus Toloſa & Narbone nominatim euocatis, &c. Euocati autem modò peditibus, modò equitibus admiſcebantur. De peditibus, Craſtinus, de quo modò diximus, teſtimonio eſt. de equitibus Cæſ. lib. 7. cap. 12. Eorum aduentu (de Germanis loquitur) quòd minus idoneis equis vtebantur, à Tribunis militum, reliquiſque equitibus R. atque euocatis equos ſumit, Germaniſque diſtribuit.

Auximo Cæſar progreſſus.] P. Victorius vir doctiſſ. Varr 4. cap. 15. contra omnium lib. conſenſionem reponendum putat, Maximo Cæſar progreſſu: id eſt, magnis itineribus. Sed Victorius animaduertere debuit, primùm Cæſarem itinerum ſuorum ſeriem contexere. ſuperius autem dixerat, ſe Auximum veniſſe, atque illud recepiſſe. deinde cum dicat, Percurrit, nunquid ſatis celeritatem in itinere faciendo demonſtrat?

Ibi in præſidio habuerat.] Antiq. Ibi præſidio, quod magis probo.

Finitimis regionibus coegerat.] Legendum vt in antiq. & Aldin. Finitimis ab regionibus.

Cohorteſque amplius xxx.] Oroſius ſimiliter

A legiones tres numerat.

Sulmonenſes.] Malè ergo apud Oroſ. legitur, *Apud Salonem.* corrigendúmque *Sulmonem*, auct. Plin. 3. 12.

A Q. Lucretio.] Huius Lucretij crebra mentio eſt in epiſt. ad Att. vt eorum temeritas qui *Luctatio* mutarunt dilucide appareat.

Et oppid. & milites.] Sic Aldin. De militibus tamen nihil noſter antiq. vbi ſcriptum ita eſt: Vniuerſique oppidani obuiam, &c. quod ſane verius
B eſſe arbitror. Nam modò dixit Sulmonenſes à cohortibus coerceri. Deſerti autem à ſuis Ducibus milites Antonio ſe dediderunt: vt modò ſubiunget.

A Rege Norico.] Agrum Noricum in Gallia nominat lib. 1. Gall. cap. 3. à Boiis occupatum. ſed Regem Noricum ex Germania, eod. lib. extremo. Non puto Regem vllum Boiorum a Cæſare in Gallia relictum. Itaque ad Germanum id referendum arbitror.

C *Circummunire inſtituit.*] Meus antiq. & Aldin. *Circumuenire.* Et infrà lib. 2. Curio Vticam obſidere & vallo circumuenire inſtituit. Multi tamen hoc ipſum mutant.

Domitius diſſimulans.] Meus antiq. *Simulans.* quod magis probo. Nam iſta pronuntians, non diſsimulat, ſed ſimulat, & fingit. Hanc autem Pompeij deſertionem Cicero mirificè exagitat. Att. 8. epiſt 7. & 8. Culpam tamen omnem Pompeius in Domitium conferebat. quod ipſius literis
D cognoſci poteſt, quarum exemplum extat eod. lib. epiſt. 17. 18. 19. 20. Summa autem hæc erat, ſe neque pares cum Cæſare copias habere, neque iis duabus quas habebat, legionibus ſatis confidere, vt iis Reip. fortunas committeret. Itaque cenſere, vt Domitius oppido relicto ſuas copias cum ipſius copiis coniungeret.

Conſultandi cauſſa.] Hoc puto è gloſſa ſumptũ, eò magis quod Faerninus & meus antiq. habent *Conſiliandi.* quam vocem Langobardicam eſſe,
E facilè ex lib. legum Barbaricarum intelligitur. Memorabile eſt autem quod de hoc Domitij terrore Seneca ſcribit lib. de benef. 3. Corfinium, inquit, Cæſar obſidebat. Tenebatur incluſus Domitius. Imperauit medico, eidémque ſeruo ſuo, vt ſibi venenum daret. Cum tergiuerſantem videret, Quid cunctaris, inquit, tanquam in tua poteſtate totum iſtud ſit? mortem rogo armatus. Tum ille promiſit, & medicamentum innoxium bibendum illi dedit. quo cum ſopitus eſſet, acceſsit ad filium eius.
F Iube me, inquit, adſeruari, dum ex euentu intelligis, an venenum patri tuo dederim. vixit Domitius, & ſeruatus à Cæſare eſt: prior tamen illum ſeruus ſeruauerat.

Prima veſpera. [Meus antiq. & Aldin. Prima veſperi. Sed ita puto illum locutum, vt alibi prima nocte, pro Ineunte nocte.

Paruis momentis] Cic Phil. 5. Minimis momentis maximæ inclinationes temporum fiunt, cum in omni caſu Reip. tum in bello & maxi-
G mè ciuili, quod opinione plerunque & fama gubernatur.

Exitus obſeruent.] Meus antiq. & Ald. *Aſſeruent.*

Neque eorum.] Meus & Aldin. *Neque eo.* Placet Faerni, Neque verò.

Tanta erat ſumma expectatio] Mirè dixit, Tanta ſumma erat: pro Tanta erat. Cicero de offic. 1.

Adeò

Adeò ſumma erat obſeruatio in bello mouendo.

Vt alius in aliam.] Sic valde arridet: cum in meo & Ald.& aliis pmultis legatur *Nullus*.

Ea re ex ciuitate expulſos.] Meus lib. In ea re. Faernus ex ingenio, Ex iniuria. Sed *Ea re*, apud Cicer. vſitatum eſt, pro Hac de cauſſa. Cauſſam autem ſignificat, Cæſaris in Italiam aduentum. Notanda etiam locutio Ex ciuitate expelli, pro Ex vrbe. Nam ſuperius, Profugiunt, inquit, ex vrbe Tribunipl. Cic. Att.10. epiſt. 4. Hi ſunt, qui niſi me ciuitate expuliſſent, obtinere ſe non poſſe, &c.

Dimittit omnes incolumes.] De hac Corfinienſi clementia extat Cæſaris ad Ciceronem epiſtola. Att.9. epiſt.19.

Pauca apud eos locutus.] Ita ſine dubio legendum, quamuis in Antiq.& Aldin. legatur, *Loquitur*.

Apertè eorum.] Sic Aldin. meus Antiq. & alij permulti. Legendum *A parte*, vt in aliis nonnullis.

H-S. LX.] Scribatur plenè Sexagies. ne pro Sexaginta ea nota ſumatur.

Quod aduexerat Domitius.] Vetus Cod.& Ald. Quod aurum adduxerat, &c.

Sacramentum dicere.] Alio loco expoſuimus.

CAP. VI.

R*Eprehenſus in itinere.*] Deprehenſus in itin. Vetus: Dep. ex itinere. quod probo.

Præfectus fabrum Cn. Pompeij.] Liu. lib.1. vbi de claſsibus à Seruio Rege deſcriptis commemorat: Additæ, inquit, huic claſsi duæ fabrum centuriæ, quæ ſine armis ſtipendia facerent. datum munus, vt machinas in bello ferrent. Sed de Præfecto fabrum Veget. lib.2. cap.11.

Cn. Magius.] Hac de re extat Cæſaris ipſius epiſt. Att.9. epiſt. 8. Cn. Magium Pompeij præfectum deprehendi ſcilicet, & meo inſtituto vſus ſum, & eum ſtatim miſſum feci. Iam duo præfecti fabrum Pompeij in meam poteſtatem venerunt, & à me miſsi ſunt.

Ad ſuam dignitatem.] Meus, In ſuam. quod magis probo.

Atque ad ſe Brunduſium.] Sic Ald. Meus verò, Atque ad eum. Legendum opinor, Atque ad Brunduſium. quæ vetus locutio eſt.

Communis ſalutis.] Aldin. Salutis cauſſa. quod apertè mendoſum eſt: etiam Antiquo meo lib. auctore.

Idem perficit.] Pro Tantum, vel Tantundem.

Cum cohortib. xx.] Id eſt, duabus legionibus, ſiue decem hominum millibus. Meus codex, *Decem* habebat: quod magis placet, cum modò dixerit Coss. ſecum magnam exercitus partem abduxiſſe. Et Cic. Att.9. epiſt. 11. ſcribit Claudium dimidio plus ſcripſiſſe Pompeium habere, quàm reuera habuerit. Scripſerat autem de triginta millib. epiſt. 4.

Ibi reſtitiſſet.] Vetus, *Remanſiſſet*. Sed parui refert.

Adminiſtrationeſque.] Id eſt, vias, commeatum, itiones & reditiones. Qua de re ſcribit Cic. Att.9. epiſt. 14. Epiſtola mihi affertur à Lepta, circumuallatum eſſe Pompeium, ratibus etiam exitus portus teneri. Sed & ipſe Cæſar epiſt. 17. eiuſd. lib. Pōpeius, inquit, ſe oppido tenet. nos ad portas caſtra habemus. conamur opus magnum, & multorum dierum propter altitudinem maris. ſed ta-

A men nihil eſt quod potius faciamus. ab vtroque portus cornu moles iacimus. vt aut illum quamprimum traiicere, quod habet Brunduſij copiarum cogamus, aut exitu prohibeamus.

Magium non remittit.] Quid igitur eſt, quod Cæſar ipſe ſcribit lib. Att.9. ep.16. Ad vii. Id. Mart. Brunduſium veni. ad murum caſtra poſui. Pompeius eſt Brunduſij. miſit ad me Cn. Magium de pace. quæ viſa ſunt, reſpondi. Hoc vos ſtatim ſcire volui. Cum in ſpem venero de compoſitione

B aliquid me conficere, ſtatim vos certiores faciam. Niſi fortè eum cum Caninio Rebilo, de quo mox dicetur, remiſit. Sed hæc mera diuinatio eſt. Ac plane hoc aliquid argumenti eſt, contra auctorem Commentariorum Cæſaris.

Pedes xxx.] Noſter, Pedibus xxx. Vtrumque mendoſè. melius Aldin. Pedum. nam latitudinem & longitudinem oſtendit, vt paulò pòſt conſtabit: cum ait alias pari magnitudine adiectas.

Multis tormentis.] Vox Multis abeſt à meo

C Antiq.& rectè abeſt, meo quidem iudicio. Satis eſt enim dixiſſe completas.

Telis pugnabatur.] Vet. *Pugnabant*. quod probo.

Etſi impetus erat.] Vocem, *Etſi*, redundare ac planè tollendam eſſe arbitror.

Vt ipſe colloqueretur.] Ipſe autem erat non Pythagoras, ſed Pythagora callidior Cæſar. cuius hæc fuit perpetua ratio, etiam cum Arioviſto Germanorum duce.

Ab armis diſcedatur.] Placet lectio noſtri An-

D tiq. à quo duæ primæ voces abſunt. nam & ſæpe Diſcedi, ſimpliciter ita vſurpatur: & iam non de diſceſsione ab armis, ſed à colloquio agitur.

Nihil ſine illis.] Vetus *Nec ſine*. quod magnoperè probo. Nam illud proximum, Renuntiat quod Conſules abſint, vetuſtè dixit, pro Renuntiat Conſules abeſſe. Cuius locutionis exempla eruditis nota ſunt. Plau. in Aſin. Equidem iam ſcio, filius quòd amet meus.

E *Vicos plateáſque.*] Hic notandus error Fl. Soſipatri, qui dixit, vicos eſſe humiles domos. & qua incedimus, non vicos, ſed vias eſſe vicorum.

Plateas inædificat.] Hæc ead. Plutar. in Pomp. & Veget. lib.4. cap.5.

Quòd Coss abſint.] Nam ſuperioribus proximis diebus Dyrrachiū profectos modò dixit: quantis Cic. epiſt. 4. Att.9. vnà cum Pompeio profectos ſcribit.

Diebus nouem.] Cæſar vii. Id. Mart. Brun-

F duſium venit vt ipſe ſcribit epiſt.16. Pompeius fugit ad xvi. Kal. Apr. vti patet ex epiſt.18. qua ratione numerus quadrat. Mutius & Trebatius Ciceroni Imp. S. Cum Capua exiſſemus, ex itinere audiuimus, Pompeium Brundiſio ad xvi. Kal. Apr. cum omnib. copiis quas habuerat, profectum eſſe. Cæſarem poſtero die in oppidum introiſſe. concionatum eſſe. inde Romam contendiſſe. velle ante Kal. eſſe ad vrbem: & paucos ibi dies commora-

G ri. deinde in Hiſpanias proficiſci.

CAP. VII.

M*Aximè pertinebat.*] Noſter, Aldin. & alij complures, *Probabat*.

Naues conſcendiſſent.] In ead. epiſt. conſcendiſſe Pompeius dicitur ad 4. Non. Mart.

Facultatem ademerat.] Idem ſcribit Plutarch.

Cæſarem nauium penuria impeditum, quominus Pompeium perſequeretur. Ac memorabile eſt, quod eodem loco ſcribit, Italiam iſto modo à Cæſare dierum LX ſpatio in ſuam poteſtatem redactam, ſine vllo prælio & ſanguine. Atque hæc quidem Plutar. in Cæſ. In Pompeio verò ſcribit hiſtoricos omnes hanc ex Italia Pompeij diſceſſionem in ſummi ſtratagematis numero poſuiſſe. Quorum quantus error ſit, licet ex Cic. ad Att. epi. cognoſcere.

Proprætorem Romæ.] In meo Anti. *Romanum.* Vtrunque ab Ald. abeſt. quod magis probo.

Africam ſorte Tubero.] Cic. in Ligar. Tuberonis ſors coniecta eſt ex S.C. cum ipſe non adeſſet.

Ex prætura.] Sic Cicero in eadem: Interim P. Actius Varus, qui Prætor Africam obtinuerat. Vticam venit. ad eum ſtatim concurſum eſt, atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium: ſi illud imperium eſſe potuit, quod ad priuatum clamore multitudinis imperitæ nullo publico conſilio deferebatur.

Ex prouincia fugit.] Cic. Att. 10. epiſt. 14. Cato, qui Siciliam tenere nullo negotio potuit, &, ſi tenuiſſet, omnes boni ad eum ſe contuliſſent, Syracuſis profectus eſt ante diem VIII. Kal. Maij.

Vacuas ab imperijs.] Sic Aldin. Noſter verò, Vacuas prouincias ab imperiis. vtraque placet.

Filium exponere in terram.] Cicero in Ligar. Prohibiti eſtis in prouincia veſtra pedem ponere, vt perhibetis, ſumma cum iniuria.

Ad vrbem proficiſcitur.] Trebat. ad Cicer. lib. ad Attic. 9. epiſt. 14. Pompeium Brunduſio profectum: Cæſarem poſtero die in oppidum introiſſe. concionatum eſſe. inde Romam contendiſſe. velle ante Kal. eſſe ad vrbem.

Expectato legitimo tempore.] Decem enim anni inter ſuperiorem Cæſaris Conſulatum interceſſerant.

Quod ab omnibus.] Corrigendum vt in aliis quammultis: Quod omnibus pateret. Atque ibi puncto interpoſito, noua ineunda ſententia. quaſi repetita verbo *Docet.*

Latum ab decem Trib. pl.] Sic Cic. Att. 7. epiſt. 3. Cur imperium illi, aut illo modo prorogatum eſt? cur tantoperè pugnatum eſt, vt de eius abſentis ratione habenda X. Tribuni pl. ferrent?

Priſtina conſuetudine.] C. Cæſar Coſs. M. Catonem ſententiam rogauit. Cato rem quæ conſulebatur, quoniam non è Republ. videbatur, perfici nolebat. Eius rei gratia ducendæ, longa oratione vtebatur, eximebátque dicendo diem. Erat enim ius Senatori, vt ſententiam rogatus, diceret antè, quicquid vellet alius rei: & quoad vellet. Cæſar Coſ. viatorem vocauit: eúmque cum finem non faceret, prehendi loquentem, & in carcerem duci iuſſit. Senatus conſurrexit: & proſequebatur Catonem in carcerem. Hac inuidia facta, Cæſar deſtitit, & mitti Catonem iuſſit. Hæc ex Capitonis hiſtoria Gell. lib. 4. cap. 10.

Ipſo Cos. Pompeio.] III. Conſule, atque adeò pugnante. Fam. 6. epiſt. 6. lib. 8. epiſt. 3. ad Attic.

Cur fieri paſſus eſſet.] Sic noſter & Aldin. & alij permulti. Video tamen in quibuſdam impreſſis, Ferri. quod verius puto.

Circumſcribendis Trib. pl.] Hanc eandem belli cauſſam Cicero Philipp. 2. commemorat. Quam cauſſam, inquit, de Cæſare ſignificans, dementiſſimi ſui conſilij & facti afferebat, niſi quòd interceſſio neglecta, ius tribunitium ſublatum, circumſcriptus à Senatu eſſet Antonius? Eſt autem Circumſcribere aliquem, Ab Rep. remouere, & curia foróq; prohibere. Nam ſuperius hac ipſa de re loquens cap. 2. Nec tribunis pl. inquit, ſpatium datur ſui periculi deprecandi: ſed de ſua ſalute die ſeptimo cogitare coguntur. & Cicero hac ipſa de re ad Att. 7. epiſt. 9. Si fortè Tribunus pl. Senatum impediens, aut populum incitans notatus, aut S. C. circumſcriptus, aut ſublatus, aut expulſus ſit, dicénſve ſe expulſum, ad illum confugerit. Et Oroſius: M. Antonius & P. Caſsius Tribuni pl. pro Cæſare intercedentes, intercedente Lentulo Conſule, curia foróque prohibiti, ad Cæſarem profecti ſunt. Sic vſurpatur in Miloniana: Nunquam illum Reſp. ſuo iure eſſet vſa. Senatus, credo, Prætorem eum circumſcripſiſſet. Ne cum ſolebat quidem id facere in priuato, eodem hoc, aliquid profecerat. Exemplum infrà extat lib. 3. cap. 5. vbi ita ſcribitur: De quibus rebus Seruilius ad Senatum retulit: Senatúſque Cœlium ab Repub. remouendum cenſuit. Hoc decreto eum Conſul Senatu prohibuit: & concionari conantem de roſtris deduxit. Sic Philipp. 13. Senatus in Capitolium. Parata de circumſcribendo adoleſcente ſententia conſularis. Loquitur de C. Cæſare, quem Conſul ab Repub. remouere conabatur. Hæc cum iampridem ſcripſiſſem, animaduerti poſtea Manutium doctiſſ. virum locos eiuſdemmodi multos protuliſſe.

Illis ſe honori defuturum.] Sunt qui ſic emendent: Sin timore defugiant, illis ſuo honori non defuturum, ſed per ſe Remp. adminiſtraturum. Quanto melius noſter antiq. Sin timore defugiant, illis ſe oneri non futurum, & per ſe Remp. adminiſtraturum. Neque diſputatione, aut argumentis opus eſſe arbitror. Sed iam ita video à Manutio hunc impreſſum locum.

Vt operibus antè ſtuduerit.] Sic noſter vetus & Ald. opinor, pro, Rebus geſtis. quæ ſententia proba eſt, ſi locutio exemplum haberet. Alioqui corrigendum videretur, Vt opibus ille ſtuduerit. vt de Pompeio intelligatur. Sunt autem qui *Autem* hoc loco reponant: quod ſine vetuſtorum librorum auctoritate fieri certè non debuit. Sed vetus lectio retinenda eſt. Nam Cicero pro Marcello: vt quantum, inquit, operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus.

Timoris cauſſa.] Quod Pompeium ab ſe deſertum metuerent: vt Plutarch. quoque in Cæſ. commemorat.

Reliquáſque res.] Aſtutè reticet quod Plutarchus ſcribit cum Cæſar ad ærarium veniſſet, vt pecunias inde auferret, Metellum hunc grauiter interceſsiſſe: Cæſarem ei atrociter minatum eſſe: & cum claues nuſquam inuenirentur, accitis fabris fores effregiſſe. quod etiam Oroſ. memoriæ prodidit.

CAP. VIII.

E*X Sicilia & Sardinia.*] P. Victorius Variarum 1. cap. 2. hunc locum ex anti. libro ita reſtituit: Quas Sicilia & in Coſano à priuatis coactas, ſeruis, libertis, colonìſque ſuis compleuerat. Docet autem Coſanum Domitij villam fuiſſe. Colonos autē dicit Cæſar, quibus Domitius agros ex ſuis

ſuis poſſeſsionibus & latifundiis attribuerat. vt A ſuperius dictum eſt. Et de huiuſmodi colonis locus eſt inſignis apud Appianum ἐμφυλ. β. Et nunc video Manutium Victorij ſententiam ſecutum, & vocem *Coſano* impreſsiſſe.

Noua Caſaris officia.] Vtriuſque merita paucis poſt verſib. exponet.

In eorum fide.] Hæc vniuerſæ Galliæ fuit ratio, quemadodum ſuperioribus lib. intellectum eſt: vt tenues aliquot, vel pagi, vel ciuitates in potentiorum fide & clientela eſſent: hoc eſt, vt & ab his B illæ defenderentur, & illæ his, cum vſus veniret, ſubſidium ferrent.

Maſſilienſium x v. primos.] Vetus lib. Maſſilia. quod magis probo. Decuriones autem erant aliis in vrbibus, iidem qui Romæ Senatores. Ex eorum ordine certus virorum numerus deligebatur, cui primorum nomen imponebatur modò x. modò xv. quibus certa muneris publici procuratio mandabatur.

C *Ex auctoritate.*] Ex decreto Decurionum.

Victas Gallias attribuerit.] Suſpectus mihi locus. Corrigendum videtur, vel hoc modo: Victa Gallia, in ſexto caſu, vt quos Pompeius ſimpliciter fruendos conceſſerat, eos Cæſar abſolutè donn dederit. vel, Gallias attriuerit. quod beneficium, nihilomagis ad Maſsilienſes, quàm ad vniuerſam prouinciam Galliam pertinebat. Sed ſuperior coniectura eo magis probatur, quòd paria vtriuſque beneficia mox appellantur.

D *Neutrum eorum.*] Valet ad quæſtionem Feudiſticam, de Vaſſallo duorum patronorum, ſi illi inter ſe contendant, quod Vaſſalli officium ſit.

CAP. IX.

L. *Afranio Legato.*] Difficile dictu eſt, non potius ſcriptum ſic fuiſſe, L. Afranio Pompeij legato. præſertim cum illum vſque adhuc nuſquam nominarit.

Totius Luſitania.] Sic omnes antiqui. Legendum arbitror *Toti*, caſu tertio. nam ſenſus eſt, To- E ti Luſitaniæ auxilia imperantur à Petreio: Celtiberis, & reliquis, ab Afranio.

Scutata, cetrata.] Videntur hæc nomina his prouinciis ex cetris & ſcutis impoſita.

Quem ipſe petiuerat.] Sic Ald. Faernus, Quam ipſe pacauerat. Quaſi verò eius rei commemorandæ, vel tempus vel cauſſa vlla fuerit. Meum igitur antiq. ſequor, vbi *Parauerat* legitur. Nam ita paraſſe dicit, vt nobiliſſimum & fortiſſimum quemque nominatim euocaret. F

Conſuetudine congreſſa.] Progreſſæ corrigendum putarem. atque hoc ad Cæſaris conſuetudinem magis accedit.

Pignore deuinxit.] Nam Centurionum pecunia, quaſi pro pignore tenebatur à Cęſare, ne ab illo ad Pompeium propinquantem deficerent. Præclarum ſtratagema.

Subitò iumentorum.] Acutiſſimè Oct. Pantagathus animaduertit, legendum *Vi ventorum.* ei- G que magnopere aſſentior. non enim pondere iumentorum, ſed tempeſtate pons interruptus eſt, vt mox dicet.

Aggere atque cratibus.] Agger hoc loco perſpicuè pro trabibus & lõguriis, quibus pons cõſtabat.

Sub caſtris Afranij conſtiut.] Antiq. *Conſiſtit*: quod magis probo.

A *Contra hoſtem.*] Notandus locus, in quo ciues, non tam Aduerſarij vt ſæpe alias, ſed Hoſtium nomine appellantur.

Prima & ſecunda acies.] Hoc Cæſaris facinus retulit Veget. in numerum ſtratagematum. ſed tamen, non ſatis, vt videtur, intellectum. C. Cæſar, inquit, cum aduerſus Afranium copias educeret, & recipiendi ſe ſine periculo facultatem non haberet, ſicut conſtituerat, prima & ſecunda acie furtim à tergo ad opus applicata, x v pedum foſſam fecit, B intra quam ſub occaſum Solis armati ſe milites eius receperunt.

Longius agger petendus.] Aggeris nomine materiem, & vimina, & faſces virgultorum nunc intelligit.

CAP. X.

E*X primo haſtato.*] Sic antiq. & Ald. nonnulli impreſſi, *Primus haſtatus.*

Decliui faſtigio.] Vetus ſic, Editus locus tenui C faſtigio. quod non placet. ſed pro Decliui legendum arbitror, vt ſæpè aliàs, Leni. Nam inter Decliuitatem & Faſtigium apud hunc noſtrum nihil intereſt. Similis locus infrà lib. 2: Id autem eſt iugum directum, eminens in mare, vtraque ex parte præruptum, atque aſperum, ſed paulo tamen leniore faſtigio ab ea parte, &c.

Impetum aduerſus montem] Magis placet antiqua: Aduerſus montem impetum in cohortes faciunt.

D *Nonnulla parte compulſis.*] Ad ſenſum, non ad verba relatio fit perſæpe. vt aliis locis annotauimus.

Primipili centurio.] De quo alio loco commemoratum eſt.

Vtrique ſuperiores.] Vetus, *Vtrinque.* ſed vulgata placet.

Noſtrorum impetum.] Vetus, Noſtrorum diu impetum.

Numero eſſent quod.] Verbum *Eſſent*, abeſt ab E Ald. Sanè ſi particula quoque inſequens deleretur, concinnior ſententia videretur.

Hoſtes terga vertere.[Mirum eſt in Aldin. non eſſe *Hoſtes*, ſed hoc modo: Terga vertere aduerſarios coegiſſent.

Nix profluit.] Sic Ald. Noſter verò *Proluit*, quod etiam habent impreſsi quidam. Magis placet Faerni coniectura, Profluxit. ac fortaſſe etiam *Flumen* pro *Fluminis* melius legeretur. Nam ſic Cic. in lib. de Clar. Orat. dixit, Fluuium extra ripas F diffluere.

Maximi comitatus.] Sic Antiq. Aldin. & quidam impreſſi. Alij *Commeatus.* vitio é. nam Comitatum pro parte exercitus veteres dixerunt. vt paulò infra, Magnos comitatus, qui ad Cæſarem iter habebant.

Pecora ſecundum ſubſidium] Animaduerte, primum commeatus genus fuiſſe frumentarium: alterum, pecuarium. Et ſic cap. inſeq. Cæſar ciuita- G tibus quo minor erat frumenti copia, pecus imperabat.

Vſus Britannia.] Sup. lib. Gall. 4 cap. 5.

Imperat militibus.] Milites Cæſaris munia omnia obibant: pontes extruebant: frumenta demetebant: naues ædificabant. Sic Gall. 5. cap. 1. & alibi perſæpe.

Demonſtratum eſt.] Sup. cap. 8.

Colonis paſtoribúſque. De quibus dictum eſt eod. A
lib. ſed legendus Appianus ἐμφυλ. β. ſub initium.

Tempus erat autem.] In meo vox *autem* abeſt. Placet Faerni lectio: Tempus autem erat anni. Puto Cæſarem ſcripſiſſe, Tempus erat anni difficillimum.

CAP. XI.

VT *fert Gallia conſuetudo.*] Noſter & Ald. Gallica conſuetudo.

B
Millia ſex cum ſeruis liberíſque.] Legendum arbitror, Libertis. nam hæc vſitata locutio eſt, pro In his ſerui libertíſque. Quod vulgò dicitur, Computando ſeruos libertóſque. Sic paulò pòſt: Eo die naues Maſſilienſium, cum iis quæ ſunt captæ, intereunt nouem.

De nocte proficiſcitur.] Rectè: & ſic in Ald. cum in meo ſit, Diu noctúque. vitioſe.

His tamen omnibus.] Legendum arbitror Tum pro Tamen: cui locus hic eſſe non videtur.
C

Quæ forè res.] Cum modò dixerit *Annona*, non video quemadmodum voci *Res* locus eſſe poſſit. Eadem autem ſententia vſurpatur, à Cic. in ea pro Pom.

Magni domum concurſus.] Non placet. Faernus reſtituit, *Demum*, quod etiam video in meo antiq. Videtur legendum, *Magni ad domum Afranij concurſus, magnæ gratulationes fiebant.* Nam Romæ videntur hæ gratulationes factæ.

Carinæ ac ſtatumina.] Nonnulli *Stramine.* quod D
planè abſurdum eſt. nam infimam nauis partem ex tabulis conficiebat: tum viminibus reliquum corpus aptabat. Lucan. in 4.

Primùm cana ſalix madefacto vimine, paruam
Texitur in puppim, cæſóque induta iuuenco
Vectoris patiens tumidum ſuperenatat amnem.
Sic Venetus ſtagnante Pado, fuſóque Britannus
Nauigat Oceano. &c.

CAP. XII.

COgnito *hoſtium.*] Hoſtium nomine vtitur, opinor, quòd non tam Romani erant aduerſarij, quàm Galli, Albici & paſtores: vt modò dixit.

Paſtoréſque indomiti.] Hoc ſignificat, opinor, quod dixit initio Gall. 4. de Sueuis. Libertate vitæ, quòd à pueris nullo officio aut diſciplina aſſuefacti, nihil omnino contra voluntatem faciunt, vires ali, & immani corporum magnitudine homines effici.

Spe libertatis incitati.] In antiq. & Ald. *Excitati.* F
quod magis probo.

Sub oculis Domitij.] Sic omnes lib. præter ſolum Aldinum. vbi ſcriptum eſt, *Domini.* quod magnoperè arridet, atque ad ſeruorum nomen valde accommodatum eſt.

Remos tranſcurrentes detergere.] Detergere remos dicebant veteres, cum obiecta nauis tranſuerſæ hoſtili, eius remos impetu ſuo perfringeret. ridiculo fortaſſe nautico: quaſi tranſcurrentibus remis fœdaretur. Itaque nauem remis detergi dicebant. G
Hirc. de bell. Alex. Ac tantum doctrina potuit, vt in diſpari numero nulla tranſuerſa hoſti obiiceretur: nullæque remis detergerentur: ſed ſemper venientibus aduerſæ occurrerent. Liuius lib. 36. Duæ regiæ vnam circunſiſtunt, & ab vtroque latere remos detergunt. Hinc Detergere pinnas muri apud eundem lib. 38. Aſſeribus falcatis detergebat pinnas. Idem lib. 37. Siqua concurrerat roſtro cum hoſtium naui, aut proram lacerabat remos detergebat.

Atque artificio.] Sic Antiq. & Ald. Sed *Artificij* probo: vt eſt in vulgatis.

CAP. XIII.

DIuerſi *pugnabant.*] Vna naue inter duas interpoſita.

Alias non longe.] Noſter *Alij.* & mox *Alij longiore.* quod non improbo.

Cum Oſcenſibus contributi.] Propter viciniam.

Triginta in latitudinem.] Sic vetus codex & Ald. & multi impreſſi. Vrſini lib. *Altitudinem.* quod non probo nam quòd erat fluuius auertendus, maior latitudinis quàm altitudinis ratio habenda erat.

Partem aliquam Sicoris auerteret.] Antiq. Parte aliqua Sicorim auerteret. quod valde arridet.

Duobus contrarijs generibus.] Sertorianorum & Pompeianorum.

Abſentis.] Pompeij, qui Sertorianos vicerat, cuiuíſque nomine & auſpiciis nunc bellum gerebatur.

In barbaris.] Non dixit infinitè, *In Hiſpanis.* ſed In barbaris: quaſi vulgus & plebem ſignificet.

Naues conquiri] Sic placet: quanuis in Antiq. & Aldin. ſit, Conquirere.

Suſtinere extremum agmen.] Sic Antiq. & Aldin. Suſtinere, hoc loco eſt, Subſiſtere & morari, iter ſupprimere. In quibuſdam vulgatis eſt, Subſiſtere.

Totis verò caſtris milites circulari.] P. Victorius ex ſuo libro reſtituit *Circulari.* quod mihi vehementer placet. nam cum palam de Cæſare queri non auderent, in circulis querebantur. Legendus Victor. Variar. 8. cap. 13.

Suprà atque infrà.] Cæſaris inſtitutum alio loco notauimus, vt pediatu per flumen tranſportando, equites ſupra atque infra conſtitueret. vt patet lib. 7. cap. 11. vbi inſtituti huius rationem expoſuimus ex Veget. lib. 3. cap. 7.

Interiit tamen nemo.] Nihil muto. atque ita legi placet. verumtamē ſi quo in vetuſto & bono libro ita legeretur: *Tamen non nemo*, libenter eam ſcripturam cum hac commutarem. Quorſum enim vox *Tamen?* neque vero eò minus traductus incolumis exercitus dici poteſt.

Huc iam reduxerat rem.] Antiq. & Aldin. Huc iam rem duxerat. Faern. Huc iam adduxerat rem. Fortaſſe, Huc iam rem perduxerat.

Ad tranſeundum impedirentur.] Noſter, Non impedirentur. Et modò dixit eos tranſire potuiſſe.

CAP. XIIII.

PRocul *viſos conſpexit.*] Sic omnes lib. Neque vllum inuenire licuit, in quo non verbum *Viſos* legeretur.

Vaſa militari more conclamari.] In ſtratagematis loco Frontinus hoc numerat lib. 1. C. Cęſar, inquit, per exceptum quendam aquatorem, cum comperiſſet Afranium, Petreiúmque caſtra noctu moturos, vt citra vexationem ſuorum, hoſtilia impediret conſilia, in initio ſtatim noctis, vaſa conclamare milites, & præter aduerſariorum caſtra agi mulos cum fremitu, & ſonum iuſſit continuare quos retētos volebat, & arbitrari caſtra Cæſarem mouere.

Timori

Timori magis quàm religioni.] Maiorem ſui timoris, quàm ſacramẽti rationem ducere. Cauſſam autem eſſe arbitror, animorum ardorem, qui in ciuili diſſenſione multo maiore odio inflammantur: vt nulla ſalutis ſpes ſit. Niſi hæc ſit potius, quòd in bellis ciuilibus remiſſior eſſe militaris diſciplina ſolet, ne milites abalienati in aduerſariorum partem diſcedãt. Id enim proximè ſignificare videtur. A

Lucem multum per ſe pudorem.] Sic lib. 2. cap. 6. Nanque huiuſmodi res, aut pudore, aut metu tenentur: quibus rebus nox maximè aduerſaria eſt. B

Atque ad Ilerdam reuerti.] Hoc Cæſaris factũ Frontinus laudat, & in ſtratagematis loco numerat. lib. Stratag. 2.

Nos neceſſarij victus.] Ita eſt in meo & Faerni lib. vt ipſe teſtatur.

Difficultas tardabat.] Noſter & Ald. Difficultates tardabant.

Excelſiſſimus.] Abeſt ab antiq. lib. &, ſi retinendum videtur, Excelſiſſimum, legendum erit.

Iugis Octogeſam peruenirét.] Per iuga montium. C

CAP. XV.

CÆſar in eam ſpem venerat.*] Front. li. Stratag. 1. factum Cæſaris aliter interpretatur. Cæſar (inquit) cum exercitum Afranij & Petreij circumuallatum ſiti angeret, iſque ob hoc exaſperatus, interfectis omnibus impedimentis ad pugnam deſcendiſſet, continuit ſuos, arbitratus alienum dimicationi tempus: quòd aduerſarios & ira & deſperatio incenderat. D

Et quod non ab initio.] Duos verſus deeſſe arbitror, quibus Cæſarianorum querelas & ſermones exponebat. Nam verbum *Conqueruntur* ad Cæſarianos pertinere puto. Itémque illud, His prouocati ſermonibus: Cæſarianorum ſcilicet. Arma autem conferre, modò dixit pro Coniungere.

Cum Cæſare per Sulpicium.] Hæ duæ voces, *Cum Cæſare*, abſunt à noſtro antiq. & meo iudicio abſunt, non deſunt. E

Armat familiam.] Familiæ nomine intelligit, opinor, quos Proconſules ex domeſticis conuictionibus, aut neceſſariis apparitionibus ſecum habere conſueuerant: qui quaſi ex cohorte prætoria appellari ſolent: vt ait Cic. Epiſt. ad Q. Fr. in qua nullum aliud genus animaduerto, quod ex Familia dici poſſit. Nam ſeruos certè ad arma non vocaret. Colonos quidem, de quibus ſuperius diximus, poteſt etiam hoc verbo ſignificare. F

Beneficiariis ſuis.] Suo aliquo beneficio obligatis.

Aduerſarijs tradunt.] Aduerſario, habet V.C. quod valde probo.

Conſilium capturos.] Iam antè dictum eſt, Sibi conſilium capere, vocem eſſe ſeditioſam: cum defectio fit à maiore parte.

Ad idem iuſiurandum.] Vetus placet, Ipſe idem iuſiurandum adigit Afranium. Nam ſæpe præpoſitionem verbo adiungebãt. vt Arbitrum adigere: pro Ad arbitrum. Sic Rhodanum exercitum tranſiicere dixit Plancus ad Cicer. epiſt. 9. lib. 10. Et puto Ciceronem de Fin. 3. ſic ſcripſiſſe, Si Annibal ad portas veniſſet, murúmque iaculum tranſieciſſet: vbi vulgò legitur *Iacule*. G

Vt producatur.] Noſter producant. quod non minus arridet.

Quos ceperant.] Non dubito, quin *Receperant* legendum ſit: vt in noſtro antiquo. Vrſinus reſtituebat, *Pleroſque*. quod non probo.

Vana religio iuriſiurandi.] Sic Ald. ſed multo verius Antiquus, vbi *Noua* ſcriptum eſt. vt renouatum ſuperioris dici ſacramentum ſignificet. Sic enim poſterius lib. 2. cap. 6. Relinquitur noua religio, vt eo neglecto ſacramento, quo nunc tenemini, &c. Vrſinus quoque idem de ſuo teſtatur.

Inſueta ad onera portanda.] Diximus alio loco ex Tuſcul. Cicer. magnum fuiſſe cuiſque Romani militis ſarcinam: cum præter arma & vallum, etiam dimidiati menſis cibaria portarent.

CAP. XVI.

COnſilium explicaturos.*] Sic legitur in impreſſis permultis. Aldinus tamen & noſter vetus, Expleturos. quod non æquè probatur.

In locis campeſtribus ſubſiſtebant.] Noſter, *ſuſtinebant*, vt aliquanto ſuperius: ac nonnunquam, Suſtinere extremum agmen.

Deſuper protegebant.] Vox prior abeſt à noſtro & Aldino.

In aduerſarios tela coniiciebant.] Sic noſter, itémque Aldinus. nonnulli Aduerſos. placet Faerni coniectura. *Auerſos*.

Tum inquirebant.] Fort. *Requirebant*.

Sexta eius diei.] Aldinus, & noſter, *Eiuſdem diei*.

Relictis religionibus.] Sic noſter & Aldin. Placet, Faernini lib. lectio, *Eductis legionibus*.

Munitiones proferunt.] Longius vallum & foſſam producunt.

Præſenti malo aliis malis remedia dabantur.] Vt minore incommodo maius vitaretur.

Ad id expeditiores.] Ad crebras eruptiones. quanquam Faernini lib. ſcriptura non diſplicet, vt *Ad iter*, legamus. Et hac de re Frontin. lib. Strat. 2. Cæſar, inquit, cum exercitum Afranij & Petreij circumuallatum ſiti angeret, iſque ob hoc exaſperatus, interfectis omnibus impedimentis ad pugnã deſcendiſſet, continuit ſuos: arbitratus alienum dimicationi tempus: quòd aduerſarios & ira & deſperatio incenderat.

Prælio diffugiſſe.] Sic omnes lib. Ego tamen cõtra omnium auctoritatem legendum eſſe arbitror, Prælium defugiſſe.

CAP. XVII.

VT fœminas circummunitos.*] Sic Ald. & omnes reliqui. Noſter, *Circumuenientes*. quod magis placet.

Minus conueniſſe.] Quàm Afranio, qui modò verba fecerat.

Se qui etiam.] Se, nimirum Cæſarem.

Quam integerrima.] Quaſi verò prælio, non alia de cauſſa, quàm vt paci conſuleretur, ſuperſederit.

Exercitum ſuum.] Totus hic locus interpunctionis vitio ſententiam obſcurauit. Zeugma figura eſt. Officium ſuum Cæſar præſtitit. Exercitus Cæſaris præſtitit. Itaque Exercitum ſuum, id eſt Cæſaris.

Suiſque interfectis.] Hoc eod. lib. cap. 16. Quos deprehendit, interfecit. & cap. 17. Productos palam in prætorio interficiunt.

Quos in ſua poteſtate habuit.] Noſter, Habuerit. quod ſine dubio verum eſt. idémque de ſuo Vrſinus teſtatur. Sed voce *Tamen* interpoſita multo commodior ſententia videretur: ibi, Tamen quos in ſua poteſtate, &c.

Conſeruarit & texerit.] Hoc lib. cap. 17. Summa diligentia conquiri & remitti iubet.

Illius denique.[Afranij.

Illorum humilitate.] Sunt qui reponant, *Humanitate*: quos facere imperitè, cum loci ſententia, tum Cæſaris conſuetudo conuincit, qui Humilitatem crebrò vſurpat, pro infima & abiecta conditione ac fortuna. Cicero in Cluent. Arrogantiam eius deridendam magis arbitrarentur propter humilitatem hominis.

Iura magiſtratuum commutari.] Non ſeruari vetera Magiſtratuum iura, ſed induci noua.

Ex pratura & conſulatu.] Poſt præturam & Conſulatum.

Per paucos probati & electi.] Hi ſunt Scipio & Domitius priuati, de quibus ſup. cap. 2.

Ætatis excuſationem.] Quid hoc loco ſignificet, aperuit ſup. cap. 1: Multi vndique ex veteribus Pompeij exercitibus, ſpe præmiorum atque ordinum euocantur. nam Obtinere exercitus modò dixit, pro Ducere ordines & præfecturas habere.

Firmum eſſe poſſe.] Quod promiſiſſent. id eſt, quanuis fidem Afranio darent, atque in eius verba iurarent, tamen ſe fidem non ſeruaturos.

Æqua facta æſtimatione.] Pretio cuiuſque rei facto.

Introduxerunt.] Quaſi controuerſiarum introductio, ſignum ſit imperij approbati.

Liber II.

CAP. I.

ADigit ad oſtium Rhodani.] Sic omnes antiq. Nonnulli autem *Attingit* repoſuerunt. Sed Adigere præcisè dixiſſe videtur, pro Naues adigere. quæ fuit vſitata veterum locutio.

Materiámque.] Trabes, ad aggeris latera firmanda; Vimina, ad vineas contexendas.

Aſſeres enim.] Aſſeres hoc loco non pro tabulis vſurpat, ſed pro validis ſudibus, & palis cuſpide præacutis. vt alibi pro trabibus. interdum pro contis: etiam pro longuriis vſurpantur. Liuius lib. 44. Per procliue ſumpto faſtigio, longi duo validi aſſeres ex inferiore parte in terra defigebantur. in eos tranſuerſi incumbentes tigni, vt pons eſſet, iniungebantur, humúſque inſuper iniiciebatur. Solidò præcedebat Elephas in pontem; cuius priuſquam in extremum procederet, ſuccisis aſſeribus collapſus pons prolabi eum leuiter cogebat. Tacitus lib. 20. Eduxerant turrim duplici tabulato: quam prætoriæ portæ propinquitatem promoti contra validi aſſeres & incuſſæ trabes perfregere. Pro contis verò apud eundem lib. 30. Poſtremò aſſeres ferreo vnco præfixi (harpagones vocant milites) ex Punicis nauibus iniici in Rhomanas cœpti. Et lib. 38. Arietibus muros quatiebat, aſſe-

A ribus falcatis detergebat pinnas. Et mox: Falces anchoris ferreis iniectis in interiorem partem muri trahentes aſſerem præfringebant.

Inter manus proferebatur.] Quod vulgus dicit de manu in manum. vt alio loco diximus. Seneca de breuit. vit. Cum ex balneo inter manus elatus, & in ſella poſitus eſſet, &c. Noſter aliis pleriſque locis, per manus, dixit.

Fortiſſimis lignis. Equi fortitudinem Cicero dici teſtatur. Ligni fortitudinem anteà non legeram. Ci-
B cero dixiſſet. Firmiſſimis. Vegetius tamen crebrò ita loquitur.

Æquandi loci cauſſa facta.] Vitioſa interpunctio loci ſententiam deprauat. Nam vox Facta cum inſequentibus coniungenda eſt, hoc ſenſu: Teſtudo facta ex fortiſſimis lignis antecedebat, æquandi loci cauſſa. Niſi fortè *Soli* potius quàm *Loci* legendum videtur.

Euoluta.] Dictum eſt pro *Inuoluta*. Cicero tamē in contraria ſignificatione poſuit. lib. de Orat. 2. Lu-
C benter enim te cognitum iam artificem, aliquandóque euolutum illius integumentis diſſimulationis tuæ, nudatúmque perſpicio.

Ignis iactus.] Poſterius lutum, coria, centones, tomenta, & crates in hoc numero reponit.

Per Albicos.] Homines aſperos, montoſos, indomitos: de quibus dictum eſt ſuperiore lib. cap. 8.

Pauca erant ærata.] Hoc eſt, roſtratæ. Vergil.

Quot prius æratæ ſteterant in litore puppes.

D nam ab æreis roſtris ſic appellantur.

Inopinante Curione.] Quem proprætorem cum tribus legionibus in Siciliam Cæſar miſerat. lib. 1. cap. 7.

Vehementiúſque exterreamur] Sic lib. 7. cap. 16. Omnia, inquit, plerunque quę abſunt, vehementius hominum mentes perturbant.

Ex publicis cuſtodiis. Sic noſter antiquus. Magis tamen Ald. lectio probatur: Publicíſque cuſtodiis. Nam ſtationes intelligit eorum qui præſidio vrbi
E relicti fuerant.

Vt æteriam ab diis.] Vetus *Ab his.* vt Ver. 1. Seſe iam ne Deos quidem habere, &c.

Vel externis auxiliis.] Si domeſticæ copiæ non ſufficerent.

Quibus in pugna.] Vetus: *In pugnando.* quod æquè arridet.

Magna vis eminus.] Legendum vt in noſtro antiquo, *Magna vi*: & vt in ceteris omnibus antiquis, *Inferebant.* nam ad coniunctos Albicis hoc
F refertur.

De improuiſo imprudentibus.] Suſpectus mihi locus: qui tamen in omnibus libris ita legitur.

Tanta re prouiſa.] Noſter *Præmiſſa*: & mox pro *Emiſſus*, Vius: quod magis placet. niſi *Tantum* vt in Ald. corrigamus.

Reſpectu patriæ.] Sic noſter antiq. Aldus tamen, *Conſpectu.* quod magis placet.

G

CAP. II.

PLutei ac vinearum.] Pluteus nunc pro machina vſurpatur: quæ vnà cum vineis oppoſita erat ante milites, qui opus faciebant, ne telis ex oppido miſſis vulnerarentur. Plutei & vinearum formam ſub exitum libelli adſcribemus.

Velut-

Vel externis auxiliis.] Si domeſticæ copiæ non A ſufficerent.

Vita periculum cederet.] Manifeſtum mendum. Legendum vt in aliis *Accideret.*

Lateredo.] Lateribus minoribus & luto Lateres autem crudos non coctos fuiſſe, poſterius ex muſculi deſcriptione intelligetur.

Suſpenderent.]Suſtinerent tectum.

Supra eum locum tigna tranſuerſa.] Sic Aldin.& plerique. Noſter verò & nonnulli impreſſi, *Duo tigna.*quo modo ſine dubio legendum eſt. Nam hæc B duo tigna tranſuerſa crucis figuram (vt vulgò loquimur) habebant. Nihil ad huius turris intelligentiam æquè notandum eſt.

Directò tranſuerſas.] Planum igitur & ſubtenſum fuit tectum, non faſtigiatum.

Aſſeribus religauerunt.] Aſſeres impoſuerunt, eóſque clauis defixerunt. *Axibus* tamen legitur in quibuſdam: quod non diſplicet.

Tegumenta perpendere. Sic omnes antiqui. nonnulli impreſſi Præpendere, vt paulò pòſt. quod ma- C gis probo. Quanquam *Vnde* pro *Vbi* planius fuiſſet. Tegumenta autem intelligit ſtoreas quæ inde præpendebant, dum in contignatione ſuperiore parietes fiebant: nimirũ quia pluteorum & vinearum tectis ſatis muniti non erant.

Contabulationem.] Tectum illud planum ex aſſeribus factum.

Pluteos ad alia opera.] Nunc machinas intelligit. D

Vt eſt rerum omnium magiſter vſus.] Sic Cicer. 1. de Orat. Vſus qui magiſtrorum omnium præcepta ſuperat. Sed initio Luculli, quantum in re militari valeat, oſtendit: & Vegetius initio lib. 1.

Storias autem.] Storeas, legendum putarem. Liuius lib. 30. Numidæ præcipuè arundine textis ſtoreáque pars maxima tectis paſſim nullo ordine, &c. Tres autem iccirco tantum fecit, quia tres tantum turris partes iis ſtoreis obtexit.

Latas quatuor pedes.] Id eſt, craſſas. Nam latitu- E do cuiuſq; pedum erat triginta: quantum erat turris ſpatium, quoquouerſus.

Tractus poſſe.] Quia teli impetum molliùs ſuſtinebant.

Ea pars turris.] Quantum altitudo pluteorum & vinearum paſſa eſt.

Pluteos abduxerunt.] Pluteorum nomine latius etiam vineas comprehendit: vt ex ſuperioribus intelligitur.

Turris tectum per ſe ipſum. Nihil in hac ſtructura F æque notandum eſt, vt quod de tecto dicitur. Intelligendum eſt enim, illud coniunctum operi ab initio non fuiſſe: ſed tantiſper per ſe conſtitiſſe, ſenſimque cochlea ſubleuatum fuiſſe, dum opus fieret, ſextáque contabulatio poneretur.

Prehenſionibus.] Prehenſionem hoc loco accipere cogimur pro machina, qua tigna ædificiorum adhibita cochlea ſubleuantur: vel potius pro ipſa ſubleuatione, & inſtrumenti opere. Credo prehenſionem à Cæſare dici, quod alio nomine Pegma G dicebant, tabulata quædam tacite & ex occulto quaſi per ſe aſſurgentia. Seneca lib. 13. epiſtol. 89. Artes ludicræ ſunt, quæ ad voluptates oculorum atque aurium tendunt. iis annumeres licet machinationes, qui pegmata per ſe ſurgentia excogitant, & tabulata tacitè in ſublime creſcentia. Martial. li. 1. Epigramm. Et creſcunt media pegmata celſa via. Cum hæc iampridem ſcripſiſſem, animaduerti Ad. Turnebum virum eruditiſſimum libro Aduerſ. 11. capite 24. in hunc Cæſaris locum multa ſcripſiſſe, ab his notis noſtris valde diſſentanea. In iis autem illud præter cetera mirum videri poteſt, quod ait milites hoc tectum ſine vinea & pluteis prehendiſſe, & leuaſſe. quaſi verò vel nunc manibus, vel antea vineis & pluteis ad prehendendum vſi fuerint. Sed integrum lectoribus iudicium relinquemus.

Aliam prehenſionem]. Sic impreſſi complures. Melius noſter & Ald. Alia prehenſione. Nam ordo eſt: Alia prehenſione & ſubleuatione expediebant ſibi locum ad ædificandum. Tectum enim ita ſubleuabant, vt deſuper eo tegumento muniti aduerſus ſaxa & tela eſſe poſſent. à fronte verò, ſtoreis.

Vt primo.] Vt extrema parietum ſtructura capita tignorum tegerentur.

Summam contabulationem.] Tectum contabulatum, penſile, nec dum operi coniunctum.

Aeque longe.] Pedum ſexaginta: intus autem latebant

Columella.] Inter quas intercolumnium, id eſt ſpatium relictum erat: cuius ab vna parte milites opus facere, & murum ſubruere poſſent: ab altera parte, ſi qui vulnerati eſſent, excedere: & alij recentes atque integri ſuccedere. Hæc poſtea latera nominabit.

In altitudinem quinque.] Quantum hominum, qui intus latebant, altitudo poſcebat.

Capreolis.] Capreoli dicuntur ab architectis ligna, quæ proclinata capitibus inter ſe iunguntur, interiecta trabe oblonga, quam iidem Canterium appellant. His vtraque ex parte tecti faſtigium ſuſtinetur. Legendus Vitruuius lib. 10. cap. 20: vbi Teſtudinis formam deſcribit

Vbi tigna.] Si trabs fuiſſet, Canterium, vt modò dixi, appellaſſet.

Tigna bipedalia:] Plurali numero eſt vſus. quòd non tam facilè vnum ſexaginta pedes longum reperiretur, quàm duo tricenum pedum.

Laminis clauiſque religabant.] Laminam ſuperimponebant, eámque clauis in tigna & capreolos adactis deuinciebant.

Lateres diluere.] Locus hic oſtendit, Laterem non eſſe glebam ex argilla igne decoctam: vt tegulam, vel imbricem. nam argilla cocta Teſta dicitur, opinor, quaſi toſta: ſed eſſe maſſam ex argilla vel luto, quæ tecto iſti impoſita ſole induratur. quæ quia ſi lauetur, liqueſcit, & defluit, atque in cœnum reſoluitur: inde natum Terentianum illud in Phormione prouerbium videtur, Laterem lauare, pro laborem inanem ſumere, operam perdere.

Ad extremum.] Id eſt, in extrema inferiore parte.

Lateres qui ſuper.] Nequid ignis hoſtium nocere poſſet.

Contineant.] Id eſt, Suſtineant.

Tectum vineis.] Vineæ antecedebant, ſecundùm quas muſculus ſenſim adigebatur.

Machinatione nauali phalangis.] Id eſt Phalangis eodem modo ſubiectis, quo in machinatione nauali, id eſt, in nauibus vel ex arido propellendis, vel in aridum ſubducendis ſubijci ſolent. Phalãgas autem Cæſar Latino nomine ſcutulas interpretatur

Digitized by Google

in li.3. Ligna ſcz. oblonga & rotunda, inſtar cylindri, quæ oneri ſubiecta vectibus impelluntur. Biremes, inquit, ſubiectis ſcutulis impulſas vectibus in interiorem partem traduxit. Interdum Phalanges pro fuſtibus teretibus vſurpãtur. Plin. lib. 7. cap. 56. Prælium, inquit, Afri contra Ægyptios, primum fecere fuſtibus, quos vocant Phalangas.

Inuoluta labuntur.] Nõ intelligo, cur non Euolutæ, potius legendum ſit.

A lateribus.] Non lateres dicit tecto impoſitos: ſed latera vtrinque ex muſculi parte: quæ nos ſuperius intercolumnia diximus.

Ab opere.] Inter milites, qui intus opus faciebãt, quidam interiecti erant, qui furcis & longuriis eupas illas à pedibus militum remouerent.

CAP. III.

AVt vis militibus aut ignis eis noceret.] Antiquus noſter multo concinnius: Qua aut vi militibus, aut igni operibus noceri poſſet.

Turribúſque circummire.] Melius idem Antiquus, *Circumuenire.* Nam Circumuenire. pro Circummunire, aliis multis locis notauimus.

Propinquitatis interire.] ſic omnes alij. Noſter multo verius, Interirent.

Inermes cum infulis.] Liu. 29 Legati Locrenſium velamenta ſupplicum, ramos oleæ (vt Græcis mos eſt) porrigentes antè tribunal, &c. Idem lib. 44. Sordidati, barba & capillo promiſſo, cum ramis oleæ ingreſſi curiam procubuerunt. Loquitur de legatis Alexandrinis. Item lib. 45. vbi de Rhodiis loquitur: Vniuerſi rurſus prociderunt: ramóſque oleæ ſupplices iactantes tandem excitati curia exceſſerunt.

Euiſdem generis complura.] Nihil muto. Tantum teſtificor in noſtro antiquo ſcriptum eſſe: Eiuſmodi complura, quod æquè placet.

Ab hominibus doctis.] Non iam literarum doctrinam ſignificat, vt quibuſdã placere video. Sed Doctos dixit, pro Inſtructis vt lib. Gall. 4. cap. 4. Hi iam ante edocti quid interrogati pronunciarent. Cicero dixit, Factos ad Attic. 2. Vt, qui illuc factus inſtitutúſque veniſſet.

Portis ſe foras erumpunt.] Libri conſentiunt. vt vetus illa fuiſſe locutio videatur. Et ſane ita eſt nam ſic locutus eſt Cicero multis locis.

Superioris temporis.] Hoc à me non intelligi fateor, niſi legamus *Superiori die:* vel potius vtrunque relinquamus. Nam quod nonnulli de Cõtemptione dicunt, planè abſurdum eſt.

Agger comportari.] Sic Ald. Noſter verò *Comparari.* quod æque placet.

Et conſectis.] Noſter, & multi impreſſi, Conuectis. nimirum, in vrbem.

Eadem ferè altitudine.] Omnes veteres Latitudine. Ego non dubito quin vtrunque verum ſit, atque hoc modo legendum: Latitudine atque altitudine.

Fit in hoſtes impetus eorum.] Vox *Eorum* ſuperuacanea eſt: & à libris quibuſdam rectè ſublata.

CAP. IIII.

FIduciaria opera.] Fiduciarius dicitur, cuius quid fidei & poteſtati ita committitur, vt nullo iuris A vinculo, ſed ſola fide ſit obligatus. Sic, Pater fiduciarius, Heres fiduciarius, Tutor fiduciarius, in iure appellantur, vt in Comm. verb. iur. expoſuimus, & in eandem ſententiam infrà cap. vlt. Curio Cæſaris legatus ita loquitur: Nunquam amiſſo exercitu, quem à Cæſare fideicommiſſum acceperit: ſe in eius conſpectum reuerſurum confirmat. Sed Hircius bell. Alex. cap. 4. hoc verbo eſt abuſus: Nam Fiduciarium regnum dixit, pro Vſurpatum & occupatum. Locum autem vulgatis in libris vitioſè interpunctum à nobis emendatum ſubſcribemus. B Paratam enim omnem multitudinem eſſe, confectam tædio, & puellę fiduciario regno, dominatione que crudeliſſima Ganimedis, facere id quod Rex imperaſſet: nam Arſinoe teſtamento vacuam Regni poſſeſſionem occuparat, &c. Liuius lib. 34. Optimum ratus Nabidi & eam Lacedæmoniorum tyranno, velut fiduciariam dare.

Omnibus ferebat.] Ita placet: itaque in meis omnibus conſtanter ſcriptum eſt. Vrſinus tamen, C Ferebat, quod non æque arridet.

Ad Maſſiliam diſtineri.] Non video cur veterum omnium ſcripturam repudiemus, in quibus legitur, *Detineri.*

Procurandæ hereditatis.] Moris erat, vt Senatores quibus hereditas in prouincia relicta teſtamento fuerat, legationem liberam à Senatu hereditatis perſequendæ cauſſa impetrarent. Cicero Agr. 2. Hereditatum obeundarum cauſſa, quibus vos legationes dediſtis, qui & priuati & priuatum ad ne- D gotium exierunt, non maximis opibus, neque ſumma auctoritate præditi: tamen auditis profectò, quàm graues eorum aduentus ſociis veſtris eſſe ſoleant. Idem Fam. lib. 2. ep. ad Cornif. ſcribit, eos qui cum libera legatione proficiſcebantur, lictores à prouincialibus magiſtratibus, & inſignia ceterorum legatorum accepiſſe.

Perterritus ciuibus R.] Sic Ald. & multi impreſſi. Noſter multo verius, Perterritos ciues R.

H-S. CXC. mill.] Id eſt, quatuor millia coronatorum, E ſeptingentos quinquaginta: quæ pertenuis ad Varronis negotium ſumma eſt. Quare legendum cenſeo: H-S centies nongies: & vocem *Millia* tollendam, vt efficiatur ſumma coronatorum quadringentorum ſeptuaginta quinque milium.

Tritici modios CXX. mill.] Modium in caſu ſecundo, quin ſit legendum, dubitaturum neminem arbitror.

Iudicia in priuatos reddebat.] Iudicia de priuatorum rebus conſtituere, non modò iniquum non F eſt, ſed etiam prætorium. Quare nihilo probabilior Vrſini aut Octauij Pantagathi emendatio eſt: demiróque hoc ab illis non obſeruatum. Locus enim ſic emendandus eſt, vt ſine interpunctione continenter legatur: quaſi ſcriptum ita eſſet, Et iudicia in priuatos, qui verba atque orationem aduerſus Remp. habuiſſent, reddebat: eorúmque bona in publicum addicebat. Edictum ſcilicet propoſuerat: Siquis aduerſus Remp. (id eſt, aduerſus Pompeium) verba feciſſet, ſe iudicium eo nomi- G ne daturum: damnatíque bona in publicum addicturum. Quare, qui partic. Verò, interiecerunt, ibi, Qui verò verba, ſtultiſſimè illos feciſſe apparet. Et ſimilis iudicij formula extat apud Liuium lib. 24: Pronuntiarunt, verba orationémque eos aduerſus Remp. habuiſſe, quò coniuratio deſerendæ Italiæ cauſſa fieret. Totus autem locus, qui variè

cor-

conturbatus eſt, ita reſtituendus eſt : Quas Cæſa- A
ri eſſe amicas ciuitates arbitrabatur, iis grauiora onera iniungebat, pręſidiáque eò deducebat, & iudicia in priuatos reddebat, qui verba atque orationem aduerſus Remp. habuiſſent, eorúmque bona in publicum addicebat. Quod autem ſequitur: Prouinciam omnem in ſua & Pompeij verba per iuſiurandum adigebat : fateor in meis omnibus ita ſcriptum eſſe : ac teſtificor nihil à me immutari. Tantum dico videri poſſe ex aliorum locorum comparatione, vocem Per, abundare. vt ſup.lib.1. B
In hæc verba iurat ipſe : idem iuſiurandum adigit Afranium. Vt hoc modo ſimiliter dictum ſit, Prouinciam iuſiurandum adigere. Cum hæc iampridem ſcripſiſſem, animaduerti Manutium ex Nicaſij doctiſſ. viri cõiectura reponere, Aduerſus Pompeium. quam coniecturã primùm Liuij locus refellit: deinde quis neſcit eos qui rerum potiuntur, ſemper Reip. nomine abuti?

Pompeij beneficia.] Inſignis locus: ex quo intelligitur, quæ Langobardi Feuda nominarunt, ea Ro- C
mano more Beneficia dici conſueuiſſe: & quos illi Vaſſallos, hos Clientes appellatos.

Ad ſtatutum diem.] Vox *Statutum* abeſt à meo antiquò, Aldino, & aliis nonnullis: planéque repudianda eſt.

Per ſe portas Varroni clauſit.] Priuato conſilio, nulla expectata auctoritate.

Deductis tribus.] Id eſt, cum Varro tres in arcem cohortes præſidij cauſſa induxiſſet. D

Voluntate prouincia reperiebantur.] Noſter & Aldin. Voluntas prou. reperiebatur: quod probo.

In Italiam venturum promiſiſſet.] Italicam rectè iampridem Rhellicanus reſtituit : Faernus nuper, Pronuntiaſſet. Plin. lib. 3. cap. 1. Oppida Hiſpalenſis conuentus, Celtiaca, Vacumana, Acna, Ilipa, cognomine Italica.

Pedibúſque Narbonam peruenit.] Pedibus & Pedeſtri itinere dicebant veteres, pro eo quod iam dicimus Terreſtri. Sic infrà cap. 6. Eóque illos com- E
pulerim, vt neque pedeſtri itinere, neque nauibus commeatu iuuari poſſint?

Legem de Dictatore.] Dio lib. 41. ſcribit, M. Æmilium Lepidum, eum qui poſtea Triumuir factus eſt, huius anni Prętorem populo perſuaſiſſe, vt Cęſarem Dictatorem facerent. Plutarchus à Senatu dictum, & dies XI. geſſiſſe.

CAP. V.

P*Anico vetere.*] Frugis genus, de quo Plin. lib. 18. cap. 7. & 10. Panico Galliæ quædam, præcipuè Aquitania vtitur.

Dedere ſine fraude.] Antiqua locutio, pro Verè & ex animo. Liu. 41. Vt prætor ſine fraude, cum de bello aut pace agere velit, aduocet concilium. Idem 24. Nihil præterea cum Conſule pacti, quàm vt ſine fraude Punicum emitteretur præſidium.

Qua miſſu Bruti. Sic Aldinus & complures impreſſi. Noſter *Iuſſu.* quod etiam in quibuſdam im- G
preſſis rectiſſimè legitur.

Pro nomine & vetuſtate.] Noſter, Pro nomine vetuſtatis. De Maſſiliæ autem antiquitate Strabo multa præclarè, itémque Cicero Orat. pro Flac. Quemadmodum autem conſeruarit, docet Oroſius his verbis: Cæſar Maſſiliam rediens obſidione domitam, vita tantum & libertate conceſſa, ceteris rebus abraſit. Plutarchus in Solone Maſſiliam à mercatore conditam, memoriæ prodidit.

Remulco abſtraxit.] Laz. Bayfius putat fictum verbum ex Græco ῥυμουλκεῖν, quaſi ῥύμασι ἑλκεῖν, funibus trahere: cum funibus illigata nauis è ſcapha trahitur. Sic infrà lib. 3. Submerſam nauem remulco, multis contendens funibus, eduxit. Sed ſi hoc verum eſt, inflexam fuiſſe conſuetudine pronuntiationem oportet. alioqui Rymuleare, vel Rumulcare ſcribendum fuiſſet. Sext. Pompeius: Remulco (inquit) eſt cum nauis magna ſcaphæ remis trahitur. Itaque Nonius à Rhemis & Mulcendo deduxit; quaſi nauis leni tractu ad progreſſum mulceatur. Liu. lib. 25. Marcellus nocte nauim onerariam cum armatis remulco quadriremis trahi ad Actradinam iuſſit. Idem lib. 32: Tarde inde ad Maleam trahendis plerunque remulco nauibus peruenit. Video ſanè pro fune vſurpatum, quo deligata nauis trahitur. vt apud Valgium poetam veterem:

Hic mea me longo ſuccedens prora remulco
Lætantem gratis ſiſtit in hoſpitiis.

Regnum Iuba publicauerat.] Iuba Hiempſalis filius, Rex Numidiæ, Pompeij partes ſecutus eſt. Curio cum Tribunus pl. eſſet, legem tulerat, eius regnum vt populo R. addiceretur. A Pompeio Rex appellatus, à Cæſare hoſtis iudicatus. Dio lib. 41.

Exercitus conclamatione.] De hoc more Imperatoris appellandi, abundè dixi in Præf. Inſtit. Iuris. Appianus quidem lib. de bell. ciuil. 2. hanc eandem hiſtoriam commemorans, ſubiungit, honorem hunc olim tribus ſolitum ducibus, ob quoduis pręclarum facinus militare. ſua autem ætate nemini concedi, niſi qui X. hoſtium millia vno prælio cæcidiſſet.

Auribus Vari ſeruiunt.] Seruire auribus, idem eſt, quod loqui ad gratiam.

Suprà demonſtratum eſt.] Suprà lib. 1. cap. 5. extremo.

Traduxerat Curio.] Sic Ald. & aliquot impreſſi. Video tamen eſſe qui vocem *Curio* ſuis in libris ſuſtulerunt: quos facere perperam & huius loci ſententiam corrumpere, non difficile intellectu eſt. Cęſar enim cohortes amplius XXX. Corfinio capto receperat. & ſacramentum apud ſe dicere iuſſerat. Suprà lib. 1. cap. 5. Eas igitur tres legiones Curio ſecum in Africam traduxerat. Planior tamen eſſet ſententia, ſi pro *Legionéſque* vetus liber emendaret. *Quo legiones.*

Apud Domitium.] Quem Corfinij præfuiſſe dictum illo lib. cap. 5.

Magnus omnium inceſſit timor.] Sic omnes lib. Legendũ tamẽ putarẽ, *Omnes*, vel *Omnium mentes.*

Alius alij tradiderat.] Sic Ald. Noſter tamen, *Atque illi aliis ediderant.* quod non minus arridet.

Atque in caſtris Curionis.] Ante hæc verba deſiderari quippiam neceſſe eſt. Ac planè tota hęc ferè pagina mendoſè deſcripta eſt.

Ciuile bellum.] Locus ſine dubio mendoſus: atque, vt opinor, ſine veteris ope codicis, inſanabilis.

Commiliteſque.] Alterum item mendum, & opis eiuſdem indigens.

CAP. VI.

H*Vinſmodi militum.*] Noſter, *Hi militum.* Locus hic eiuſdem opis indiget.

Digitized by Google

A *Circumuentos à ſuis.*] A tribus legionibus Domitianis, quas Cæſar ſacramentum apud ſe dicere iuſſerat.

Aut pudore aut metu.] Similis propè ſententia ſup.lib.1.cap.14: Perterritus miles in ciuili diſſenſione timori magis, quàm religioni conſulere conſueuit.

Dimiſſo concilio, concionem aduocat.] Puto me alibi docuiſſe Concilium eſſe, cum Legati & ceteri qui cum poteſtate aut imperio ſunt, in conſi- B lium adhibentur: Concionem, cum ad omnes milites oratio habetur. Sic ad Herenn. 3: Si quam rem in concione, aut in concilio faciendam cenſebimus.

Veſtri facti praiudicio.]Modò dixit, *Auctoritate.* Vtrunque tum dicitur, cum alicuius factum alij pro exemplo ſequuntur.

Incerta victoria.] Ita legendum eſt ſine dubio: quanuis in nonnullis legatur *Certa.*

Capitis minutione.] Acerbè, quaſi Domitius qui C in Cæſaris poteſtatem venerat, ſeruus aut certè dedititius eius factus ſit. Sed hoc elatoriè dictum eſt. Nam, vt ait Vlpianus, in ciuilibus diſſenſionibus, quamuis ſæpè per eas Reſp. lædatur, non tamen in exitium Reip. contenditur. Quare qui in alterutras partes diſcedunt, vice hoſtium non ſunt, inter quos iura captiuitatum & poſtliminiorum ſunt. Liuius lib.22. Imo deſiderate, dum patria eſt, dum ciues eius eſtis. ſero nunc deſideratis diminuti capite, abalienati iure ciuium, ſerui Carthaginenſium D facti.

Neque pedeſtri itinere, neque nauibus.]Locus hic oſtendit, quod ſuperius aliquoties diximus, Iter pedeſtre dici ab antiquis ſolitum, pro eo quod vulgus dicit, *Terreſtre.*

Conſenſu ſuo. Faernus, Suorum. Ego, Summo, legendum arbitrabar: ſed Faernum locus duabus paginis interiectis adiuuat, in quo ita legitur: Itaque ſuorum omnium conſenſu Curio reliquas copias expectare parabat E

CAP. VII.

A *Miſſis equis.*] Mendum quidem turpe, ſed multo turpius eſt, à nullo adhuc emendatũ. Corrigendum eſt, *Admiſſis.* qua locutione & hic noſter alibi eſt vſus. neque vlla propè apud auctores frequentior eſt, pro Incitatis. Hæc cum ante annos decem ſcripſiſſem, animaduerti poſtea in quibuſdam nouis impreſſis locum hunc emenda- F tum fuiſſe.

Praeoccupatis animis.]Vrſinus, *Praeoccupatus animus.* & mox: *Cogitabat.* cui propterea non aſſentior, quia multis locis Cęſarem ita locutum animaduertimus, nonnullos etiam notauimus.

Afugientium.] Omnes antiqui *Ac*: quod rectiſſimè Vrſinus commutauit in *Hac* cum aſpiratione.

Atque iter impeditur.]Nonnulli, *Atque impediũtur*: quod perſpicuè rectum eſt. Significat enim G cum hominum multitudine receptus impediretur, turba oppreſſos interiiſſe.

Caſtris expellerentur.] Vetus, *Pellerentur.* quod magis placet.

Atque vulneratis.] Vrſinus affirmat legi in ſuo libro, *Ac mille vulneratis.* Ego ſcripſiſſe Cæſarem arbitror, Aut vulneratis.

A *Vallo circummunire.*] Omnes antiq. & Aldin. *Circumuenire.* quo verbo quamplurimis aliis locis vſum Cæſarem adnotauimus.

Conuentus qui conſtaret.]Rectè ſic: cum alij Cõſtarent repoſuerint. Nam conuentum ciuium oppidi ſignificat. Ex variis autem generibus, id eſt, vel ex variis municipiis, vel ex variis hominum ingeniis, quorum alij Cæſaris rebus fauebant: alij aduerſabantur.

Equites conuenit.] Sic omnes antiq: Video ta- B men in quibuſdam recentioribus *Inuenit.* quod magis probo.

Inſolenter quidem, ſed libẽter.] Sic plerique. Magis tamen Aldina probatur: *Vt de ſuis homines laudibus libenter prædicant.*

Spolia praeferebantur.] Legendum putarem: *Proferebantur.*

Homines equiteſque producebantur.] Fortaſſe *Equique.*

Curionem ab ſpe morabatur.] Noſter Antiq. Al- C dinus, multi impreſſi, *Ad ſpem.* quod cur mutetur, cauſſam nõ video. Nam idem eſt, ac ſi dixiſſet, Curionis ſpem morabatur.

CAP. VIII.

I *N aciem immitit.*]Iidem libri, *Mittit.* quod ſine dubio rectum eſt.

Parentes ſuos commendabant.] Commendare, verbum extremo vitæ tempore vſitatum. Cicero de Orat.1. Filios ſuos paruos tutelæ populi R. cõmendaret. Et de fin.2. Nam iſta commendatio pue- D rorum, memoria & charitas patriæ. Loquitur de teſtamento Epicuri, quo Metrodori liberos commendarat. Item lib.3. Quorum vterque ſibi teſtamento liberos ſuos commendauit. Hirc. de bell. Afr. Ipſe omnibus rebus diligentiſſimè conſtitutis, liberis ſuis L. Cæſari commendatis, ferrum in cubiculum tulit, atque ita ſe traiecit. Cicero Offic.3. Et is qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies commendandorum ſuorum cauſſa poſtulauiſſet.

Siquos ex eo periculo.] Si quos amicos, notos, E commilitones.

Vt in reliquis rebus.] Sic omnes antiqui, quos mihi videre licuit. Vrſinus teſtatur in ſuo ſcriptum: Vt miſeris in rebus. quod Vaſcoſanus Luteriæ impreſſerat x x x abhinc annis.

Paucis lemunculis.]Hos etiam Lemunculos appellant Grammatici, & eoſdem eſſe dicunt, qui & Lembi appellantur: hoc eſt, nauiculis piſcatorias. Nonius exempla profert. Tacitus lib.14. vbi de Agrippina Neronis matre loquitur: Nando, inquit, F deinde occurſu lemunculorum Lucrinum in lacum vectam villæ ſuæ inferunt. Ammianus lib. 16. Audo, inquit, flatu ventorum lemnũculo ſe commiſiſſe piſcantis.

Legatis cum Centurionibus.] Sic noſter vetus. Aldin. tamen: Legatorum numero centurionibus. quod magis placet, quaſi dixiſſet, Pro legatis, vel Legatorum loco.

G

Liber III.

CAP. I.

D *Ictatore Caeſare.*]Dictum enim à M. Æmilio Legato prætore, ſuperius oſtendit. lib.1. cap 4.

Per leges.] Per legem Corneliam, à L. Sylla

L. Sylla latam, ne cui eundem magiſtratum, niſi de- A cennium interceſſiſſet, petere liceret. Appianus de bello ciu. Tantum autem à primo ipſius Conſulatu interceſſerat.

Fides eſſet anguſtior.] Ipſe interpretationem ſubiecit. Cicero in Manil. ſic ferè locutus eſt. Nam tum cum in Aſia res magnas permulti amiſerunt, ſcimus Romæ ſolutione impedita fidem concidiſſe.

Arbitri darentur.] Dio lib. 41. Sorte deligerentur. B

Æſtimationes poſſeſſionum.] Planius hæc Sueton. De pecuniis mutuis, inquit, disiecta nouarum tabularum expectatione (quæ crebro mouebatur) decreuit tandem, vt debitores creditoribus ſatisfacerent per æſtimationem poſſeſſionum, quanti, quáſque ante ciuile bellum comparaſſent, deducta ſumma æris alieni, ſiquid vſuræ nomine numeratum, aut perſcriptum fuiſſet, qua conditione quarta pars ferè crediti deperibat. Atque hoc nimirum eſt, quod Plutarchus ſignificat in vita Cæſaris, cum C ita ſcribit: καὶ σπλαγχνίᾳ τινὶ τέχνῃ τὰς χρεωφειλέτας ἐκούφισεν. Quod autem Dio. 41. ſcribit, Cæſarem tuliſſe, ne quis vel in argento, vel auro plus pecuniæ poſſideret, quàm LX ſeſtertium, non intelligo. Multo commodius Appianus, qui belli ciuil. 2. ſic ſcribit: τὰς μὲν ἀποκοπὰς οὐκ ἔδωκε, τιμητὰς δὲ τῶν ὠνίων ἀπέφηνεν. αἷς ἔδει τοὺς χρήστας. τὰς δ' ἀνειτάσαι κατὰ τὴν χρημάτων ἀξίαν. Nouas quidem tabulas non conceſſit, æſtimatores verò poſſeſſionum conſtituit, quibus oportebat debitores creditoribus D pro pecuniis ſatisfacere. De ſimili ratione Æſtimationis, Liuius libro 7.

Ambitus Pompeia lege.] Huius capitis expoſui in indice Legum Rom. vbi Pompeiam de Ambitu nominaui.

Rogationes ferentibus.] Ipſo auctore & impulſore Cæſare: qui ea ratione gratificari populo volebat: vt mox dicet.

Singulis diebus.] Vna actione, non pluribus.

Initio ciuilis belli.] Sic Aldinus, vitioſè, ſine du- E bio. Legendum *Initu*, vt in multis impreſſis.

Suffeciſſent] Turpe mendum parua litura corrigitur: *Sui feciſſent*. Et ita video iam in multis impreſſis.

Iudicio populi.] Qua de cauſa leges illas rogandas curauerat.

Ferys Latinis.] Celebrabantur à Latinis ciuitatibus XLVII, quæ cum populo R. in Albanum montem quotannis conueniebant. Dyonyſ. lib. 4.

XI. dies tribuit.] Idem ſcribunt Plutarchus & F Appianus.

Hoc vnum inopia nauium.] Totum hoc, *Inopia nauium*, ex gloſſa videtur in contextum arrepſiſſe. Tametſi non inopia fuit, ſed copia.

Vacuum atque otioſum.] Suſpicor de mendo. Non enim tempus aut ſpatium temporis otioſum, vt opinor, dicitur. Quare videndum, an *Vacuum & otioſus* potius legendum ſit.

Societates earum prouinciarum.] Societates publicanorum, qui in illis prouinciis negotiabantur, G & Vectigalia exercebant.

Mercenarias duas.] Noui libri, *Sexcenarias*. quo verbo neceſſe eſt ſignificari ſexcentos in cohorte fuiſſe: cum legitimus vulgarium numerus quingentorum eſſet. qua de cauſſa Quingentariæ dicebantur. quanquam prima Milliaria ex numero vocaretur. Paucis tamen pòſt verſibus Mercenarios ab iis, qui vel imperio, vel gratia comparati fuerant, diſtinguit.

A. Gabinius.] Cui Ptolemæi Regis reducendi poteſtas data fuerat.

CAP. II.

Terram attingit Grae.] Duo lib. veteres, Germanorum. ſed P. Victorius vir doctiſſimus Variar. 13. cap. 1. docuit legẽdum eſſe *Ceraunorum*.

Iuſſu D. Lælij praeerat.] Hic ſpiritus ſuſtinendus, & puncto diſtinguendus locus. vt intelligatur Minutium Rufum iuſſu D. Lælij præfuiſſe.

Iracundia erupit.] Poteſt diſputari pronomen *Sua*, poſitum eſſe pro *Ipſius*: ſed tamen relinquetur nomen *Nactus*, cui verbum nullum reſpondebit. Nam ad verbum *Erupit* referre, nulla ratio eſt. Conſulendus igitur liber aliquis antiquus: ecquis meam hanc coniecturam confirmet. Nam cum Cæſar hoc loco Bibulum, diſſimulanter, tamen, perſtringat: fieri poteſt, vt Iracundiam expuit, facetè dixerit. Quo verbo Terentius eſt vſus, Quaſi vbi illam expueret miſeriam ex animo. De Bibuli autem iracundia paulò pòſt cap. 4. iterum mentio fit. *Indiligentia* verò pro *Diligentia* quod Vrſinus ex ſuo lib. reſtituit, incredibile dictu eſt, quàm mihi probetur. Serius enim Bibulus eis occurrerat. Videndum etiam an Iracundiam in quarto caſu legi poſſit, retento verbo. erupit. vt apud Terent. in Eunucho: Iamne erumpere hoc licet mihi gaudiũ? pro exprimere, & quaſi diu cohibitũ emittere.

Complexum veniret.] Sic noſter & Aldin. Facetè autem Bibulum eludit. pro, In Cæſaris manus, aut poteſtatem. Itaque mendoſè in multis libris legitur: Si in conſpectum Cæſaris venire poſſet. Duabus igitur de cauſſis excubabat, primùm vt Cæſaris, ſi poſſet, nauem aliquam interciperet: deinde ne ipſe interciperetur. Nam vitę ſubſidium ac miſericordiam à Cæſare nullam expectabat.

Seſe munierunt.] Noſter, His ſeſe munierunt. quod placet.

Re frumentaria laborabant.] Noſter, *A Re*. quam veterem eſſe locutionem, nemo ignorat.

Præfectis mulierum crinibus.] In neruorum inopia ſubſidium hoc fuit, vt obſeſſi mulierum capillis tormenta efficerent: quod in Capitolij obſidione factitatum Vegetius ſcribit lib. 3. cap. 9. Et de re eadem eſt apud Iul. Capitolinum in vita Maxim. & Plutarchum in lib. de fœnore.

Hiems appropinquabat.] Nihil mutandum. nam hæc fuit orationis ἐκβολὴ, à capite: Sed poſt diſceſſum Lyburnarum. Domitius enim prius hoc incommodum accepit, quàm ad Pompeium cum Lyburnis nauibus veniret

CAP. III.

Vibullium Rufum præfectum. Hunc, opinor, ſignificat præfectum fabrum. quem Attic. 9. epiſtola 8. ſcribit cum Cn. Magio altero præfecto in ſuam poteſtatem veniſſe.

Ad Corfinium.] Lib. 1. cap. 5.

Iterum in Hiſpania.] Hoc nominatim quidem demonſtratum non fuit, ſed in Hiſpaniã à Pompeio miſſum ad tres ipſius legatos, Afranium, Petreium & Varronem, lib. 1. c. 8. Cum autem Afra-

nius & Petreius in Cæſaris poteſtatem cum ſuis omnibus copiis venerunt, vult intelligi, in eo numero hunc quoque fuiſſe.

Africani exercitus.] Sanè *Afraniani* ſcriptum eſt in meo antiquo: vti de ſuo Vrſinus teſtatur. ſed mendoſè, vt opinor. Nam etſi Cæſari ſe Afraniani milites dediderant, tamen non hoc incommodum Cæſaris, ſed lucrum numerabitur. Rectè igitur Africanum exercitum præter Curionem numerat. quia præter Curionem, qui Imperator appellatus fuerat, multò maxima pars ipſius exercitus in Africa interierat.

Roma à Senatu & à pop.] Non videtur æqua conditio, cum Cæſar in Senatu, & planè in populo dominaretur.

Et Resp. & ipſis.] Totus hic locus ita mendoſus eſt, vt ſine veterum codicum auctoritate ſanari facilè non poſſit. Faernus reſtituebat, Expedire. ſed quàm conſentaneum illud videtur, Placere ſi vterque: pro Vt vterque. deinde illud Neceſſario iudicio, quid ſignificat? Etiam illud, Si vterque iuraviſſet, fore vtrunque contentum.

Triduo proximo.] Paulò aliter Plutarch. Si inter ſe congreſſi exercitibus intra diem tertium dimiſſis reconciliata gratia & iureiurando dato, in Italiam redirent.

Græcos murum aſcendere.] Locus mihi integerrimus videtur, neque Vrſini emendatione indigere.

Contra imperium Populi R.] Primum nulla lege id erat prohibitum. deinde non Imperium, ſed Imperatorem dixiſſet. Quare non dubito quin Imperatorem legendum ſit.

Sentiebat Cæſar.] Vrſini emendatio nondum mihi ſatisfacit: potius enim ſcripſiſſet. *Dictum eſt*, quàm Dicebatur. Itaque quod iam aliquot locis obſeruatum eſt, verſum hunc ſuo loco motum arbitror, ibique collocandum: Cognitis iis rebus quæ erant Orici atque Apolloniæ geſtæ, ſimul quòd Cæſar appropinquare dicebatur, Dyrrachio timens, &c. Placet autem quod Vrſinus reſtituit *Terrâque.*

Princeps Labienus.] Hic eſt T. Labienus, qui cum Cæſaris legatus in Gallia fuiſſet, & res magnas geſſiſſet, initio ciuilis belli à Cæſare deſciuit, ſeſeque Pompeio adiunxit. Cicero Att. 7. epiſt. 11. Labienum ab illo diſceſſiſſe, propemodum conſtat. Si ita factum eſſet, vt ille Romam veniens magiſtratum & Senatum Romæ offenderet, magno vſui cauſſæ noſtræ fuiſſet. damnaſſe enim ſceleris huius amicum Reipublicæ cauſſa videretur. Et epiſt. ſeq. Labienum ἥρωα iudico. facinus iamdiu ciuile nullum præclarius. qui vt aliud nihil, hoc tamen profecit. dedit illi dolorem. Dio lib. 41. ſcribit, eum diſceſſionis cauſſam hanc habuiſſe, quòd cum opibus & gloria creuiſſet, maiores ſibi ſpiritus ſumpſerat. qua de cauſſa Cæſari ſuſpectus atque inuiſus eſſe cœperat.

CAP. IIII.

P*Erfecto occupato itinere.*] Vet. noſter & Ald. *Profecto.* Vrſi. ſcribit reſtitui à Statio *Profectus.* quod non diſplicet. magis tamen placeret, Profectionis occupato itinere. Nam ſignificat anteuertente Pompeio iter ad Dyrrachium præoccupatum fuiſſe.

Sub pellibus.] Dixi lib. Gall. 3. cap. 7.

Benemerita ciuitates tuta eſſent præſidio.] Ita eſt in omnibus, quos vidi, libris. Faernus reſtituit, Ciuitati eſſet præſidio: quaſi verò de vnica Apollonia, ac non de finibus Apolloniatium loquatur. Plin. lib. 3. cap. 23. Cuius in finibus celebre Nymphæum accolunt Barbari, Amantes, ac Bulliones.

Quantum nauium.] Id eſt, quantum quod nauium habebat, paſſum eſt. nam Faerni emendationem non intelligo.

Nudanda litora.] Nudari litora dicuntur, ſiue ab hominibus relinquantur, ſiue ab aqua. Tacitus lib. 5. Flatibus Eteſiarum implentur vada, hybernus Auſter reuoluit fluctus, pulſóque introrſus freto, breuia litorum nudantur.

Profectum aliquid Bibuli mandatis.] Antiq. noſter, & Ald. Perfecturum aliquid de Bibuli mandatis. Iampridem credidi reponendum eſſe Vibullij: quem ſuperioris capitis initio dictum eſt, à Cæſare legatum de pace ad Pomp. miſſum. In eaque ſententia video quoque nonnulos eſſe. Sed poſtea veritus ſum ne non ſatis commodè Legati mandata dicerentur. nam & ſuprà & infrà vbique Cæſaris ipſius mandata hæc appellantur. Eò accedit, quòd nondum expoſita hæc fuiſſe à Vibullio mandata videntur. Nam pag. ſeq. Vibullius, inquit, ſedato tumultu de mandatis Cæſaris agere inſtituit. Perexigua fortaſſe mutatio integritatem huic loco reſtitueret: ſi *Perfectum iri* aliquid Bibuli mandatis legeremus. Vt mox: Miſſuros ad Pompeium, atque illum reliqua perfecturum, hortantibus ipſis. Sic infra cap. 12. vbi ſimili de negotio agitur: Scipionem, inquit, ea auctoritate eſſe, vt magna ex parte compellere, atque errantem regere poſſet. Sperabant ergo fore, vt ſi Bibulus, cuius tanta erat auctoritas, aliquem è ſuo numero ad Pompeium mitteret, multum ipſius mandatis proficeretur. Nam Pompeius imperij partem Bibulo conceſſerat: neque quiſquam erat, qui maiore odio Cæſarem proſequeretur.

Buthrotum oppidum Corcyræ.] Sic Aldinus, Corrigendum *Oppoſitum*. Plin. lib. 4. cap. 12. Inſulæ autem ex aduerſo Theſprotiæ Corcyra à Buthroto XII. millibus paſſuum.

Reliqua perfecturum.] Noſter antiq. Reliqua per ſe acturum. quod placet, cum modò dixerit, ſummam omnium rerum ad illum delatam.

Nihilominus tamen.] Vox *Tamen* abeſt à meo antiquo, & rectè abeſt, ſententiáque manet integerrima.

Periculum præſtare.] Promittere legatos ad Pompeium ſine periculo ituros, & ad Cæſarem redituros.

A fugitiuis ab ſaltu Pyrenæo.] Sertorianos ſignificat. Docet autem hic locus etiam inter fugitiuos & ciues iuriſgentium communionem intercedere.

Auditus.] Ita eſt in Ald. mendoſè, vt cuiuis perſpicuum eſt. Legendum, vt in noſtro antiquo, & aliquot impreſſis: Militibus facto, auditum reſponſum eſt.

Beneficio Cæſaris.] Idem de Rege Alexandrino ſcribit Seneca, lib. de conſolat. ad Marc. Quid erat, inquit, turpius, quàm Pompeium viuere beneficio Regis?

Niſi cum in Italiam.] Placet Vrſini emendatio, vt vox *Niſi* tollatur: ſi modò vetuſtum librum auctorem habet. Alioqui legendum putarem, Si cum exer-

exercitu in Italiam ex qua profectus ſum reductus A exiſtimabor. Nam Lucanus aliud in tempux hanc Pompeij orationem conferens, & aliquantum inflectens ſenteutiam, ita loquentem eum facit:

—Nunquam me Cæſaris, inquit,
Exemplo reddam patriæ, nunquámque videbit
Me, niſi dimiſſo redeuntem milite Roma, &c.

Sed hic aliam ſecutus ſententiam Pompeius videtur.

Admodum tuto.] Ne hoc quidem admodum placet videtúrque deſiderari verbum Impetratu- B rum.

Summiſſa oratione.] Non video quomodo vel flumine interiecto loqui ſummiſſa oratione poſſet: vel Altercandi verbum cum oratione ſummiſſa aut exitu colloquij turbulento conueniat.

Orationem interrumpunt.] Noſter antiquus, *Intercipiunt.* Quintil. lib. 6. cap 4.

Pax eſſe nulla.] Noſter antiq. Pax eſſe non poteſt.

Cauſſa debitorum ſuſcepta.] De quibus dictum C eſt ſup. cap. 1.

Initio magiſtratus.] Legendum arbitror, Inito magiſtratu.

CAP. V.

R*Vfus Prætor.*] Liuius Epit. 3. C. Cæcilius Rufus prætor cùm ſeditiones in vrbe quam maxime concitaret, nouarum tabularum ſpe plebe ſolicita- D ta, abrogato magiſtratu, pulſus vrbe Miloni exuli, qui fugitiuorum exercitum contraxerat, ſe coniunxit. Vterque cum bellum mollirentur, interempti ſunt. Hæc ille. Fuit autem hic Rufus, prætor, vt opinor, peregrinus. Erat enim ius inter ſe collegis intercedendi. Simillimúmque video in Verr. 3. locum, ad quem etiam hunc noſtrum in Commentariis accommodaui. Itaque L. Piſo, inquit, multos codices impleuit earum rerum, in quibus ita interceſſit, quòd iſte aliter, vt edixerat, E decreuiſſet. quod vos oblitos eſſe non arbitror, quæ multitudo, qui ordo, ad Piſonis ſellam iſto prætore ſolitus ſit conuenire. quem iſte collegam niſi habuiſſet, lapidibus coopertus eſſet in foro.

Per arbitrum fierent.] Noſter, *Per arbitrum.* quod idem Vrſinus de ſuo affirmat. Sed plures adhibitos arbitros ſuperius dictum eſt.

Præſens conſtituerat.] Huius lib. 7. cap. 1.

Sexies ſeni dies.] Obſcurus mihi locus. Videndum an ita emendari poſſit: Sexies ſenis Idibus. F primum quia conſtat Idibus ſolui penſiones ſolitas, vnde illud Horatij,

Omnem relegit Idibus pecuniam. Deinde quia ſpatium hoc eſſet triennij, vt menſtruæ penſiones eſſent. Cœlius ergo legem tulit, vt creditæ pecuniæ ſoluerentur ſine vſuris: non ſemel, ſed penſionibus ita diuiſis, vt intra triennium perſoluerentur: quæ ferè illorum temporum conſuetudo fuit. Liu. lib. 6. Creatique Tribuni C. Licinius, & L. Sextius pro- G mulgauere legem de ære alieno, vt deducto eo de capite, quod vſuris pernumeratum eſſet, id quod ſupereſſet triennio æquis portionibus perſolueretur. Hircius de bell. Afr. Itaque bis mille H-S his impoſito, vt per triennium ex penſionibus populo R. ſoluerent, &c. Liuius. lib. 7. Semunciarium tantum ex vnciario fœnus factum, & in penſiones æquas triennij. Nunc video Manutium mendum quoque animaduertiſſe: & pro Sexies ſeni dies, repoſuiſſe Sex penſionibus. Longe à veſtigiis vſitatæ lectionis. ſed integrum Lectoribus iudicium relinquo.

Ab Rep. remouendum] Diximus lib. 1. hoc eſſe, antiqui Circunſcribere dicebant: cum alicui curia & foro interdicerent.

Eo in Italiam euocato.] Scripſiſſe Cæſarem arbitror, Eum euocatum: niſi vocem Quod, tollamus: & vt in meo libro eſt, legamus, Reliquias quas habebat.

Viſáque proditione oppidi apparere.] Nonnulli impreſſi: Et familia Neapoli viſa, atque proditio oppidi appareret. Quo melius nihil ſine ope librorum veterum afferre poſſumus.

Per Bibulum delata.] Sunt qui *Vibullium* reponant: quem à Cæſare legatum de pace ad Pompeium miſſum, dictum eſt initio cap. 3. Sed hoc nemo probabit, qui meminerit Vibullium non Pompeij, ſed Cæſaris legatum fuiſſe. deinde non paucis illis diebus hæc ſignificare Milonem ſibi à Pompeio per Bibulum nuntiata, ſed iam tum eum per Italiam Bibulus copias cogebat.

Ea quæ faceret.] Subauditur: Quibus ſcribebat ea quæ faceret, &c.

Eò cum à Q. Pedio.]Legendum videtur, *Et* pro *Eo* Prætorem autem cum legione cur dicat, non intelligo, niſi fortè illum ei oppido cum legione vna præfuiſſe ſignificet.

CAP. VI.

O*Mnium litora.*] Omnia litora legendum arbitrarer.

Clauſos tueri.] Ald. *Teneri.* noſter, *Tenere.* quod probo.

Siue ad litora.] Ald. Et ad Oricum, ſiue Ad litora Vetus noſter valde placet: Ne occaſionem nauigandi dimitterent: ſi vel ad litora Apolloniatium curſum dirigere, atque eò naues eiicere poſſent.

A noſtris diſtraheretur.] An pro Subleuaretur, è naufragio eriperetur?

Q. Coponius.] Hunc Cicero Caium appellat lib. de Diuin. vbi quædam ad hunc locum pertinentia ſubiungit, quæ ſubſcribemus. C. Coponium ad te veniſſe Dyrrachio cum prætorio imperio claſſi Rhodiæ præeſſet, cum primis hominem prudentem atque doctum: eúmque dixiſſe, remigem quendam ex quinqueremi Rhodiorum vaticinatum, madefactum iri minus x x x. diebus Græciam ſanguine: rapinas Dyrrachij, & conſcenſionem in naues cum fuga, fugientibus miſerabilem reſpectum incendiorum fore: ſed Rhodiorum claſſi propinquum reditum ac domum itionem dari: tum neque ipſum non eſſe commotum: M. que Varronem & M. Catonem qui tum ibi erant, doctos homines vehementer eſſe perterritos: paucis ſanè pòſt diebus ex Pharſalica fuga veniſſe Labienum: qui cum interitum exercitus nuntiauiſſet, reliqua vaticinationis breui eſſe confecta. nam & ex horreis direptum effuſúmque frumentum, vias omnes, angiportúſque conſtrauerat, & vos naues ſubitò perterriti conſcendiſtis, & nocte ad oppidum reſpicientes flagrantes onerarias, quas incenderant milites, quia ſequi noluerant, videbatis: poſtremò à Rhodia claſſe deſerti, verum vatem fuiſſe ſenſiſtis.

Pontones quod eſt genus.] Naues traiiciendis fluminibus idoneæ, quos, opinor, Baccos hodie appellamus. Auſon. in monoſyll. Lintribus in geminis conſtratus ponto ſit, an pons. Iſidorus Pontonium appellat. Gell. lib. 10. cap. 25. Pontones.

CAP. VII.

M. *Craſſum interfecerant.*] De quo eſt apud Flor. & in Epit. Liuij.

Columnaria, hoſtiaria.] Tributũ in ſingulas columnas, in ſingula hoſtia, Cic. Attic. 13. Columnarium vide vt nullum debeamus. Idem lib. Fam. 3. epiſt. 8. Ne in venditionem tributorum, & illam acerbiſſimam exactionem, quam tu non ignoras, capitum atque hoſtiorum inducerentur ſumptus minimè neceſſarij.

Singulis cum imperio perficiebatur.] Sine dubio legendum, Singuli cum imperio præficiebantur: quanuis ita ſit in omnibus, quos vidi antiquis.

Suo etiam priuato imperio compendio ſeruiebant.] Sic Aldin. & multi impreſſi. Ac diſputari poſſet ſẽſum hunc eſſe, vt ſuo compendio ſeruirent: idque priuato imperio. Sed aſſentior iis qui in nonnullis impreſſis vocem Imperio ſuſtulerunt, niſi fortè veteris mei libri ſcripturam probemus: Imperio compendióque. Vt facetè ita locutus ſit. pro, Non modò publico imperio, quod eis mandatum fuerat, ſed etiam ſuo priuato ſeruiebant.

Honeſta præſcriptione.] Cicero dicere ſolet: Nomine. Alij, Prætextu, aut Colore.

Vniuerſis imperatis.] Cùm pecuniæ non ſingulis, ſed vno nomine vniuerſitati imperãtur. Hirc. de bell. Afr. Petierúntque à Cæſare, vt vniuerſis trecẽtis vno nomine pecuniam imperaret.

Donationem eſſe dicebant.] Prolatio diei ſpecies donationis eſt: quia vt plus petit, qui ante diem petit, ita minus ſoluit, qui tardius ſoluit.

Cetera'ſque eius Deæ ſtatuas.] Vrſinus corrigendum putat: Certáque ei rei die conſtituta. ſed mox dicet Præſentem exactam, neque diem conſtitutam. Legendum puto Certáque: vt aureę & argenteæ intelligantur.

Vectigal pro mutuo.] Prius pecunias exegerant: nunc vectigal ipſum, id eſt decumas. Videndum tamen an *Promutuum* vno verbo legendum ſit: quod eſſe verbum Iuris in Comment. eorum verborum docuimus: cùm pecunia repræſentatur, id eſt antequam debeatur, perſoluitur. Sic paulò ſuprà: Debitam biennij pecuniam exegerat: & ab eiſdem inſequentis anni mutuam præceperat. Ex quo intelligitur Promutuum eſſe, cum mutua pecunia præcipitur, quæ nondum debebatur. Quod Gallicè dicimus, *Aduancer*.

Nam pacto relictis.] Sic Aldini & antiqui. Corrigendum, Reiectis, vt in quibuſdam impreſſis.

CAP. VIII.

D*Vobus amiſſis.*] Sic omnes quos videre licuit, tum manuſcripti, tum impreſſi. Corrigẽdum vt in noſtro antiquo: Noſtri duobus amiſſis, &c.

Ab Acilio.] Rectè ab aliis notatum eſt vel *Caninio*, hîc, vel ſuperius, *Acilio* legendum eſſe.

Ad libram turres.] Facere turres ad libram, opinor, eſt facere turres eadem altitudine qua ſunt aliæ cum quibus conferuntur. Vnde Librare aquam veteres dicebant, cum altitudo loci vnde ducebatur, cum eo quò ducebatur, quaſi libra imaginaria conferebatur. Turres enim in nauibus extruebant, quibus milites per machinationes quaſdã in oppida maritima inferebant. Vnde illud Vergilij:

—Credas innare reuulſas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos,
Tanta mole viri turritis puppibus inſtant.

CAP. IX.

P*Arua parte noctis itinere intermiſſo.*] Nihil muto. ſed ſcio Cæſaris conſuetudinem eſſe, vt *Paruam partem* dicat, velut de bello Gall. 5. Qui magnam partem omnis temporis in his locis flare conſueuit.

Secundo vſus conſilio] Cepit conſilium, quod erat ordine ſecundum.

Noſtri perpet. mun. videbant.] Noſter antiq. Habebant, quod multo certius eſt, quàm ea Faerni coniectura lungebant. ſed præterea vox Qui, vt in quibuſdam impreſſis, neceſſariò interponenda eſt: hoc modo, Noſtri qui, &c.

Illo interiore ſpatio.] Sic Ald. Noſter, In minore, quod minus placet.

Ex ſubcoactis.] Laz. Bayfius Subcoactas interpretatur, quę apud Vlpianum Coactilia: ſermone Gallico *Feltra* dicuntur. de quibus Plinij locum hunc profert ex lib. 8. cap. 48. Lanæ & per ſe coactæ veſtem faciunt: &, ſi addatur acetum, etiam ferro reſiſtunt: imò verò etiam ignibus nouiſſimo ſui purgamento. quippe ahenis polientium extracta, in tomenti vſum veniunt.

Occupandis præſidijs.] Occupare præſidia eſt locum caſtello faciendo, & præſidio imponendo idoneum capere, & in ea re celeriter hoſtibus anteuertere. Alibi dicitur, Occupari locus præſidiis. Hirc. bell. Afr. Locáque idonea opportunáque complura præſidiis occupare.

Recipere ſe iuſſit.] Noſter, Statuit. quod idem de ſuo Faernus teſtatur.

Subitò conſpectis.] Faern. Conſtipati. quod valde probo.

CAP. X.

S*Uperiore anno in Hiſpania.*] Libro 1. cap. 14. 15. &c.

Aduerſus pilum.] Manut. *Clunem*. quod verum arbitror.

Ad Aleſiam.] Lib. 7. cap. 12.

Ad Auaricum.] Lib. 7. cap. 3.

Appellatur Chara.] Sunt qui Carius reponant: & *κάρον* deſignari putent, de quo Dioſcorides lib. 3. cap. 66. quaſi verò Carij aut Cari & nomen & vſus Romanis ante hoc Valerij inuentum incognitus fuiſſet. Præterea Plin. lib. 19. cap. 8: vbi hanc Dyrrachini cibi hiſtoriam narrat, aliquanto pòſt Careum ab illo diuerſum commemorat. Charam igitur Cæſar appellatam hanc radicem ſcribit, nimirum ab incolis & Dyrrachinis. alioqui non dubium eſt, quin Carium & Tranquillus & Lucanus, *κάρον* autem Plutarchus & Appianus nominaſſent. Famem (inquit Tranq.) & ceteras neceſſitates, non, cum obſideretur modò, ſed etiam ſi alios ipſi obſiderent, tantopere tolerabant, vt Dyrrachina munitione Pompeius, viſo genere panis ex herba, quo ſuſtinebantur: cum feris ſibi rem eſſe dixerit: amouerique ocyus, nec cuiquam oſtẽdi iuſſerit: ne patientia & pertinacia hoſtis, animi ſuorum frangerentur. Lucanus autem lib. 6.

Sedpe;

Sed patitur ſæuam veluti circundatus arcta
Obſidione famem: nondum ſurgentibus altam
In ſegetem culmis, cernit miſerabile vulgus
In pecudum cecidiſſe cibos, & carpere dumos:
Et morſu ſpoliare nemus lethúmque minantes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas.
Quæ mollire queunt flamma, quæ frangere morſu,
Quæque per abraſas vtero demittere fauces.
Plurimáque humanis antehac incognita menſis
Diripiens miles, ſaturum tamen obſidet hoſtem.

Equos tolerari.] Aegrè ſuſtentari. vt infr. lib. 3. cap. 12. Quóque erat eius rei minor copia, hordeo adaugere, atque his rationibus equitatum tolerare.

Vniuerſas in multitudinem ſagittas.] Noſter antiq. Vniuerſam, quod non dubitamus eſſe veriſſimum.

CAP. XI.

IGnes facerent interim.] Video in recentibus impreſſis: Alio loco ignes facerent, alio excubarent: quod vt meo iudicio veriſſimum eſt; ita perabſurdum eſſet putare, nihil aliud hoc loco deſiderari. Verſus enim multos, fortaſſe etiam paginam integram deeſſe, facilè cum ex ſequentibus, tum etiam ex Lucano & Suetonio intelligitur. Vna, inquit, ſextæ legionis cohors, præpoſita caſtello, quatuor Pompeij legiones per aliquot horas ſuſtinuit: penè omnis confixa multitudine hoſtilium ſagittarum. Lucanus autem rem geſtam narrat lib. 6. ab illo verſu: *Vt primum libuit. &c.*

Sed in caſtello.] Vbi vna cohors quatuor Pompeij legiones ſuſtinuit. Sueton.

Foramina CXXX.] Sic Plutarch. Apud Suetonium tamen c x x. leguntur. Vterque autem addit excuſſum eidem oculum, fœmoréque & humero transfixum fuiſſe. quod idem Lucanus ſcribit. & Valer. Maximus 3. cap 2.

Aſiam obtinuerat.] Pro quo extat Ciceronis oratio.

Sceuæ centurionis.] Appian. de bell ciu. 2. Minutium præfectum annumerat, cuius ſcutum c x x. telis confixum fuerat: ipſe ſex vulneribus affectus oculum etiam amiſerat.

Ad primipilum.] De hoc promotionis genere vide Veget. 2. cap. 21.

Frumentóve & ſpeciariis.] Apparet eſſe mendum. & placeret Ant. Auguſtini emendatio: Frumento, veſte, pecunia, aliíſque militaribus donis: ſi vel auctoritate libri veteris niteretur: vel cum Cæſar duplex iam ſtipendium dixiſſet, non fruſtra nūc pecuniam iteraret. P. Victorius reſtituebat, Veſte, diariis. Var. 1. cap. 23. Sed ad militaria dona Diaria non pertinent. Ego reſtituendem ſic putarem, Frumento, veſtiario, militaribúſque donis &c. Tacitus Donatiua paſſim appellat.

CAP. XII.

AMicitia Cæſaris conciliare.] Faernus, Amicitiæ. Ego Cæſari in tertio caſu legendum arbitror. vt contraria contrariis referantur. Quiſdam per vim expugnabat: alias amicitia conciliabat. Notanda etiam differentia inter Vrbem & Ciuitatem.

Fructus ex arboribus.] Modò paulò antè dixit. Folia. Itaque cogitandum videtur rectiúſne Fron-

A des legi & reſtitui poſſet. Hæc cùm multis abhinc annis ſcripſiſſem, exierunt Vrſini notæ, quibus idem Faerno placere teſtatur.

Monuítque equites.] Placet Vrſini liber, vt vox Equites tollatur.

Vera diligentia.] Varia diligentia legitur in nostris libris: quod magis placet.

CAP. XIII.

B PRima cohortis centurionibus.] Veget. lib. 2. cap. 8. ſignificat. in prima cohorte quatuor centurias ſiue quadringentos milites fuiſſe. Principem autem primæ cohortis gubernaſſe centuriam & ſemis: hoc eſt c L. homines, ad cúmque propè omnia quæ in legione ordinanda erant, pertinuiſſe.

CAP. XIIII.

C OBiectus portis Ericius] Quem Græci ἐχῖνον, hunc Varro Ericium appellat. Itaque militarem Ericium interpretor, truncum arboris ramoſæ; cuius ex ramis aculei bipedales fiebant: vbi naturales deerant, inſerebantur, vt echini animalis inſtar omnibus ex partibus aculeis horreret. Truncum autem illum aliquanto antè caſtrorum portas intermiſſo ſpatio pro repagulo & clauſtro collocabant, qui ianuæ modo aperiebatur. In Gallia truncis quidem arborum paſſim in pleriſque pagis pro clauſtris & repagulis vtuntur: ſed non hirſutis. In
D Germania Romanorum conſuetudinem multis locis retinuerunt. Salluſt. apud Non. Saxáque ingentia & axe iunctæ trabes per pronum incitabantur, axibúſque eminebant in modum Ericij militaris veruta binum pedum. Adr. Turnebus Aduerſ. 4. cap 8. præclarè reſtituit: Axe vincti orbes. Sed quòd Ericium definit Machinam infeſtis vndique telis horrentem, ieciceò non probo, quia Ericius non machina eſt, ſed Repagulum: neque Telis horret, (nam tela miſſilia ſunt) ſed aculeis. Minus etiam
E placet quod P. Victorius ſcribit, genus munitionis fuiſſe, cum humi tela palive defigebantur. Var. 24. ca. 1. Denique Ericius eſt repagulum ex arboris trūco aculeato factum, ne vel aſcenſu, vel ſucceſſu introiri poſſit. Liuius videtur Obicem appellaſſe. Nā lib. 6. Nec Romanos, inquit, ſubeuntes mœnia, molientéſque obices portarum arcere poſſunt. Verum aliud eſt Ericius, aliud Cataracta, quæ in ipſa porta eſt. Idem lib. 27. Porta cataracta deiecta clauſa erat, eam partem vectibus leuant, partim funibus ſub-
F ducunt, in tantam altitudinem, vt ſubire recti poſſent. Et mox. Remiſſo fune quo ſuſpenſa erat cataracta magno ſonitu cecidit.

Fortuna quæ plurimum poteſt.] Sic ſup. lib. 6. cap. 6. Sic Liuius lib. 9. Fortuna per omnia humana, maximè in res bellicas potens.

Eodem quo venerant receptu conſulebant.] Vetus Noſter: Eodem quo venerant receſſu ſibi conſulebant. Faern. Eadem qua venerant, receptui cōſulebant. Quod ſi eſt ex libris antiquis, magis probo.

G *Signa fugientium.*] Plutarchus ſcribit: Signa tum à ſigniferis abiecta, & duodetriginta ab hoſtibus capta fuiſſe. Cæſarem autem à quodam ſuo milite, quem apprehenderat, propè interfectum fuiſſe: ſed ipſius armigerum manum ei amputaſſe. Suetonius ait, Aquiliferum moranti cuſpide eſſe comminatum.

Alij dimiſſis equis.] Alter hic locus eſt, in quo A iterum reſtituo *Admiſſis*.

Pompeius inſidias timens.] Hoc prælium eſt, quo Cæſar Pompeium ſcire vincere negauit: vt Suet. & Plutarch. traduot.

Pompeius imperator eſt appellatus.] Ex quo intellitur, non ſolum hoc nomen tribui ſolitum, ſed quoties maior victoria adepta eſſet.

In literis.] Patet etiam ex Ciceronis Orat. in Piſ. & aliis locis ſexcentis moris fuiſſe, vt qui Imperatores appellati eſſent, in literis quas ad Senatum ſcribebant, & in lictorum ſuorum faſcib. laurea adhiberent. B

Laurea pratulit.] Dio lib. 41. cauſſam hanc affert, quod indignum cenſeret, ob ciues victos iis inſignibus gloriari.

CAP. XV.

Concionem habuit.] Quanta fortitudine, (ioquit Sueton.) Cæſaris milites dimicauerint, teſtimonio eſt, quod aduerſo ſemel apud Dyrrhachium prælio, pœnam in ſe vltro depoſcerent: vt conſolandos eos magis, quàm puniendos habuerit. C

Ad Gergouiam accidiſſet.] Lib. Gall. 9. cap. 9.

CAP. XVI.

Paucis ante diebus.] Quod Faernus & Vrſinus de ſuis libris teſtantur, idem ego de meo teſtor, ſcriptum habere *Menſibus*.

Pleno atque opulento.] Plutarch. in Cæſ. ſcribit, D milites ipſius vino in ea ciuitate reperto recreatos corporis habitum meliorem in modum immutaſſe. Appianus autem de Germanis hoc addit: ἐγμαλιστα αὐτῶν οἱ Γερμανοὶ γελοιότατοι καὶ πλὴν μεθύοντων.

Caſu ciuitatis comprehenſis.] Non dubito reponendum eſſe, *Gomphenſis*. Poſtremam quidem vocem ſuperuacaneam eſſe, nemo (vt opinor) negauerit.

Debellari imperio.] Agamemnonem (inquit in E Cæſ. Plutarch.) & Regem Regum Pompeium appellabant, quòd tot principes viros à ſe pendere, atque ad prætorium ſuum ventitare gauderet.

De ſacerdotio Cæſaris.] De pontificatu maximo: vt ſcribit Plutarch. in Cæſ. & Dio lib. 41. & huc pertinet fabula de venatoribus, qui vrſi nondum capti pellem vendiderant. de qua eſt apud Phil. Cominium Gallicum hiſtoricum. quanquam argumentum ſumptum videtur ex fabulis Aniani, quæ cum Æſopicis coniunctæ ſunt. F

Cùm ipſis interfuiſſent.] Sic Ald. & multi impreſſi, Noſter antiq. *Non interfuiſſent*. quo modo ſine dubio corrigendum eſt.

Ternas tabulas dari.] De more tabularum cognoſce ex Aſconio. Ternas autem ſic interpretor, vt in prima, A. nota eſſet abſolutionis. in ſecunda. C. nota condemnationis. In tertia, M. nota multæ.

Satis perſpectum habere.] Magnopère Faerno & Vrſino aſſentior emendantibus ex ſuis libris: Perſpectum militum animum habere. Nam mutilatum eſſe locum dubitari non poteſt. G

Armis inter equites.] Obſeruatu dignum, Cæſarem Germanorum inſtitutum imitatum fuiſſe, vt pedites velociſſimos & fortiſſimos equitibus admiſceret, qui eorum curſum ferè adæquarent. de quo inſtituto dictum eſt Gall. 1. cap. 17.

A *Commeatu frumentario.*] Noſter, Commodiore paſſim frumentaria re vteretur.

CAP. XVII.

In eo loco Pompeius.] Loquitur de ſiniſtro cornu. At Plutarch. & in Cæſ. & in Pompeio dextrum Pompeio cornu diſertè attribuit: eumq. Antonio, quem Cæſar ſiniſtro in cornu locat, opponit. Rurſus Cæſar ipſe paulò poſt ſcribit, ſe e contra Pompeium conſtituiſſe. At Plutarchus Cæſari perinde B dextrum cornu attribuit. Rurſus Appian. lib. 2. in parte Pompeij Scipioni medium aciem attribuit, L. Domitio ſiniſtrum cornu, Lentulo dextrum. In Cæſaris verò Syllam, Antonium, & Cn. Domitium ſimpliciter numerat. Itaque obſcura tota hæc ratio eſt. Nam quod idem ſubiungit, Afranium cũ Pompeio in caſtrorum præſidio fuiſſe, ex Cæſaris teſtimonio falſum eſſe apparet: neque veriſimile eſt. C Frontinus autem lib. Stratag. 2. de hac tota re, & exercitum inſtructorum forma legendus.

Tradita à Cæſare.] De quibus dictum eſt lib. 8. cap. vult.

Millia. LV.] Faernus emendat x l v. quod abſurdum eſt. nam aliis multis locis docuimus in cohorte quingentos milites fuiſſe. Vndecim igitur legiones Pompeius habebat. Hæc tamen cum Plutarchi & Appiani numero non conſentiunt: qui ſcribunt Cæſarem hominum x x ii. millia oppo- D ſuiſſe Pompeianorum x l v. millibus. Sanè paulò pòſt Cæſar ipſe Pompeianorum numerat occiſorum x v millia, captorum verò x x i i i i. millia.

Euocatorum circiter duo millia.] Circiter duę quę diſperſę erant, ſcriptum eſt in meo & Faerni & Vrſini libro reſtiſſimè. De Euocatis alibi dictum eſt.

Summa erat m. x x i i.] Vitioſa ſumma. nam cohortes octoginta, millia quadraginta efficiunt. Quadrat tamen cum Plutarchi, Dionis & Appiani ratione, qui x x i i. millia Cæſari tribuunt. Vt le- E gendum videatur. Cohortes in acie. x l i i i i. Appian. autem fatetur hunc numerum variè ab auctoribus traditum: alios enim in vtroque exercitu numerare l x x millia, quoſdam l x. alios verò cccc.

Ipſe contra Pompeium.] In dextro cornu, vt Plutarchus ſcribit: decimamque legionem pro cohorte prætoria habebat.

Vexillo ſignum daturum.] Plutarch. in Pompeio ſcribit, Cæſarem ante prætorium purpureum ſagum ſuſpendiſſe, idque pugnæ ſignum Romanis F fuiſſe. πρὸ τῆς σκηνῆς ἐκκρεμασθῆναι τὸν φοινικοῦν χιτῶνα. τοῦτο γὰρ μάχης Ῥωμαίοις ἐστι σύμβολον.

Primum pilum duxerat.] De primipilo aliis locis dictum eſt.

Quæ ſtudio pugnæ incenditur.] Plutarchus & Appian. ſic interpretantur: quaſi dixiſſet, quæ curſu incenditur: quaſi cum ignis motu inflammatur, quæ ſententia præclara eſt. Καίτοι δὲ (inquit Plutarch.) καὶ περὶ τοῦτο διαμαρτεῖν φασὶν αὐτόν, ἀγνοήσαντα τὸν μετὰ δρόμου καὶ φορᾶς ἐν ἀρχῇ γινομένην σύρραξιν ὡς G ὅτι ταῖς πληγαῖς βίαν προστίθησι καὶ συνεκκαίει τὸν θυμὸν ἐκ πάντων ἀναρριπιζόμενον.

Externa acie.] Feliciſſimè Latinus Latinius hunc locum emendauit) quod Vrſinus in ſcholiis teſtatur) vt *Extrema* potius quam *Externa* legeretur. nam & in Cæſ. Plutarch. ita ſcribit: ἀπὸ τῆς ἐσχάτης τάξεως αὐτὸς ὅλως ἐπέλευσε ἀπελθεῖν πρὸς ἑαυτὸν ἐξ παι-

ἓξ σπεῖρας. Sed neque Detrahere extrema acie ſatis placet. neque Ex extrema: neque illud Singulas ex acie, pro Sex. Nam cum triplex eſſet acies, ſi ſingulas cuique detraxiſſe, tres tantum confeciſſet. Puto igitur ita corrigendum, Extremæ aciei ſex cohortes detraxit.

Hodie laudabis.] Ἐμὲ γὰρ ἢ ζῶντα τήμερον, ἢ τεθνηκότα ἐπαινέσεις, ait Plutarchus in Cæſ.

Sed augere imperatores debent.] Hinc illud Cicer. Philip. 4. Faciam igitur, vt Imperatores inſtructa acie ſolent; quanquam paratiſſimos milites ad prælıandum videant, vt eos tamen adhortentur, ſic ego vos erectos & ardentes ad libertatem recuperandam adhortabor.

Signa concinuerunt.] Quintil. 1. c. 10: Quid autem aliud in noſtris legionibus cornua ac tubæ faciunt? quorum concentus quanto eſt vehementer, tanto Romana in bello gloria ceteris præſtat.

CAP. XVIII.

EX *cohortium numero.*] Sex, Faernus & Vrſinus rectiſſimè reſtituerunt: de quo ſuperius dictum eſt.

Omnéſque conuerſi.] Plutarchus & Appian. conuerſionis cauſam ſcribunt hanc fuiſſe, quòd Cæſariani Pompeianorum ora & vultus tantum peterent. Iuuenes autem forma florentes, huiuſmodi vulnerum metu territos, ceſſiſſe. Frontinus quoque lib. Stratag. 4. C. Cæſar, inquit, cum in partibus Pompeianis magna equitum R. eſſet manus, eaque armorum ſcientia milites conficeret, ora oculóſque eorum gladiis peti iuſſit, & ſic aduerſam faciem cedere coegit. Sic Lucanus 7,

Aduerſóſque iubet ferro confundere vultus.

In os aduerſum.] Sic, vt acies gladij, ſupra occiput exiret: vt ait Plutarch.

Triclinia ſtrata.] Noſter *Trichilas ſtratas*. quod eodem modo impreſſum videre licet in libro Romę edito à Petro de maximis, anno M.CCCCLXXII. Sunt qui affirment, in quibuſdam legi Triclinia menſis inſtrata. quod nullis adhuc me in libris, aut noſtra, aut patrum memoria impreſſis reperire potuiſſe, confirmo: quantumuis multos inueſtigarim. Quod autem ex manuſcriptis (vt aiunt) exemplaribus reſtituunt Trichilas menſis inſtratas: ſanè propter illorum doctrinæ præſtantiam non contemnendum arbitror, ſed ſcrupulos aliquot proponam. Trichilas autem interpretantur vitium aut cucurbitarum iugamentum & vmbraculum, quod lingua noſtra *Treillas* appellamus. Videamus igitur primum cum Cęſar luxuriem & delicias Pompeianis obiectet, ſatíſne conueniat trichilas & iſtiuſmodi vmbracula in eo genere numerare, quorum vſum ne lixis quidem aut calonibus quiſquam inuideret. Liu. lib. 35. Cum ibi ſtatiua eſſent, & pauci tabernacula haberent, multitudo alia caſas ex arundinibus textis, fronde, quæ vmbram modo præberet, texiſſent, &c. Deinde cum Sternendi verbum abſolutè non vſurpetur, non magis quàm Tegendi, dubitare me fateor, ſatíſne Latinè dicantur Trichilæ ſterni, pro Erigi vel inſtitui. nam vocem Menſis, vt iam teſtatus ſum, nuſquam reperire potui. Iam verò cui probari poterit, tot in illis Pharſalicis campis vitium, aut cucurbitarum trichilas fuiſſe? Præterea quod Cæſar ſcripſit, Triclinia ſtrata, magnum argenti pondus expoſitum, id Plutarchus in Pomp. Græcè ſic expreſſit: καὶ σκηνὰς ἐστεμμένας μυρσίναις, καὶ κρατῆρας οἴνου προκειμένους. Quinetiam Lucan. 7. de lectis diſertè commemorat:

—Capit improba plebes
Ceſpite patricio ſomnos, vacuúmque cubile
Regibus infandus miles premit.

Eòdem accedit, quod Sternere triclinium & argentum exponere, quę Cæſar hoc loco coniunxit, viſitatè ab aliis auctoribus coniunguntur, item vt Conuiuium apparare: vt Rhetor ad Herenn. 4: Perſpicit argentum quod erat expoſitum, viſit triclinium ſtratum. Item in Verr. 6. Cum eſſent triclinia ſtrata, argentumque expoſitum in ędibus. Item Verrina 5. Cum Apronius è palęſtra rediſſet, & in triclinio, quod in foro ſtrauerat, decubuiſſet, ſtatuitur Lollius in illo gladiatorum conuiuio. Et mox: Publicè ſibi conuiuia parari, ſterni triclinia etiam in foro iubebat. Idem in Muræn. Rogatus eſt à Maximo, vt triclinium ſterneret. Et mox: Strauit pelliculis hœdinis lectulos Puniceos, expoſuit vaſa Samia. Poſtremò video genus hoc ipſum deliciarum, Triclinij ſcilicet in caſtris parati, ſimiliter à Liuio vitio verti Romanis quibuſdam. Nam lib. 40. Prætorio, inquit, deiecto, direptis quæ ibi fuerunt, ad quæſtorium forum, quintanámque hoſtes peruenerunt. Ibi cum omnium rerum paratam expoſitamque copiam, & ſtratos lectos in quæſtorio inueniſſent, Regulus accubans epulari cœpit. Cœlius autem Rhodig. lib. 18. cap. 11. Trichilas, inquit, apud Cæſarem ſtragulæ veſtis prætenuis genus, ſunt qui putent. nimirum, (vt arbitror) quam vulgò *Trellis* alemanicum appellamus. quod quàm ineptum ſit, quiuis, vt opinor, intelligit. Ad extremum autem prętereundum non videtur, quod multi de Cæſaris moderatione teſtantur. in quibus Seneca lib. de ira 2: Cum ſarcinam, inquit, deprehēdiſſet epiſtolarum ad Pompeium miſſarum, ab his qui videbantur aut in aduerſis, aut in neutris fuiſſe partibus, combuſſit. quamuis enim moderatè ſoleret iraſci, maluit tamen non poſſe. Gratiſſimum putauit genus veniæ, neſcire quid quiſque peccaſſet. Memorabile eſt etiam quod Gellius lib. 15. cap. 18. ſcribit de Cornelij cuiuſdam ſacerdotis vaticinatione, qui eo ipſo die quo hæc pugna facta eſt vıciſſe Cæſarem exclamauit.

Circiter mill. xv.] Plutarch. tamen & Appian. Aſinium Pollionem auctorem laudant, qui in eo prælio à Cæſaris partibus ſteterit, ſcripſeritque non amplius ſex hominum millia cecidiſſe.

CAP. XIX.

CAſſius cum claſſe.]. Memorabile eſt, quod Plutarch. in Pomp. ſcribit: cum Pompeius tantum naualibus copiis valeret, non aliud ipſius grauius peccatum fuiſſe, aut callidius Cæſaris conſilium, quàm quòd tam procul à claſſis auxilio prælium abſtraxerit.

G *Pari atque antea ratione egerunt.*] Noſter, Pari vt antea ratione egit. quod probo.

Pecunia ſocietatis.] Societatem publicanorum intelligit. Nam qui in prouinciis publica exercebant, Romæ ſocietatem contraxerant.

Bello confecto.] Quo Ptolemæum Ægypti Regem huius pueri patrem reduxerat.

Rex erat Ptolemæus.] Ptolemæi Auletis filius,

quem regno à ſuis pulſum Pompeius per Gabinium reſtituerat. Dio lib. 42. A

Duobus temporibus.] Hoc ipſo lib. cap. 7.

Vniuerſi ſimul Lariſſam.] Sic noſtri omnes. P. Victorius Varr. 9. cap. vult. ſcribit ſe in optimo libro legiſſe: Vniuerſi iuris eius Lariſſam, quod video quibuſdam eruditis placuiſſe: cum tamen ſenſus in eiuſmodi verbis nullus ſit. Cum autem dixerit, Vniuerſi, placet repudiari vocem Simul, quaſi planè ſuperuacaneam. ſed pro Iuris eius, videndum an Curſim, vel aliud quiddam commodè reſtitui poſſit. B Verùm bene habet. Nam Manutius ab homine doctiſſimo reſtitutum teſtatur Viris equis, quo nihil acutius, nihil commodius excogitari potuit. Et locutio vetus doctis iampridem cognita eſt.

Comitum equitum triginta.] Ex quo licet varietatem rerum humanarum perſpicere, cum is qui XXXIIII. annorum ſpatio gentes omnes terra & mari ſuperare ſolitus eſſet, tum demum in ſenectute quid eſſet vinci & fugere condiſceret: vt ait Plutarch. in Pompeio. C

Amici Regis.] Epit. 112. Cn. Pompeius cum Ægyptum petiſſet, iuſſu Ptolemæi Regis pupilli, auctore Theodoro præceptore, cuius apud Regem maxima erat auctoritas, & Photino, occiſus eſt ab Achilla, cui delegatum id facinus erat, in nauicula.

Ab Achilla & Septimio interficitur.] Plutarch. ſcribit, Septimium primùm enſem in eum auerſum adegiſſe: ſecundum Saluium, qui centurio ipſius fuerat: tertium Achillam vulneraſſe. Pompeium nihil ſe indignum elocutum, vtraque manu vultum D ſua toga texiſſe, atque ita concidiſſe, annos natum vnde ſexaginta. tum deinde præciſum caput ad Regem allatum, cadauer autem in litore abiectum, ac diu relictum, donec Philippus quidam Pompeij libertus fragmentis nauiculæ piſcatoriæ pro rogo congeſtis, ipſum combuſſit. Qua de re Cicero lib. de Diuin. II. ita ſcribit: An Cn. Pompeium cenſes tribus ſuis Conſulatibus, tribus triumphis maximarum rerum gloria lætaturum fuiſſe, ſi ſciſſet ſe in ſolitudine Ægyptiorum trucidatum iri, amiſſo E exercitu: poſt mortem verò ea conſecutura, quæ ſine lachrimis non poſſumus dicere? Item lib. Tuſc. 3. Conſtabat eos qui concidentem vulneribus Cn. Pompeium vidiſſent, cum in illo ipſo acerbiſſimo miſerrimóque ſpectaculo ſibi timerent, quòd ſe claſſe hoſtium circumfuſos viderent, nihil tum egiſſe, niſi vt remiges hortarentur, & vt ſalutem adipiſcerentur fuga: poſteaquam Tyrum veniſſent, tum afflictari, lamentaríque cœpiſſe. F

CAP. XX.

S*Imulachrum victoriæ.* Hæc eadem Valerius lib. 1. cap. 6.

Antiochiæ in Syria.] Idem Obſequens in lib. de prodig.

Ex pauimento.] [illegible] τοῦ ἀνδριάντος, ait Plutarch. in Cæſ.

Ac remotis templis.] Lambinus reponebat, Templi, caſu ſecundo, Faernus ex ſuo lib. Reconditis templis: quod magis placet: cum veriſimile ſit plura templa fuiſſe: & Valerius illo loco ita hæc edat: Sonum Tympanorum Pergami abditis delubris editum.

Tympana ſonuerunt.] In templo Bacchi, vt ſcribit Dio.

Ad valuas ſe templi.] Dio lib. 41. ad Cæſaris ſimulachrum. Sed hæc omnia Dionis ex hoc loco corrigenda ſunt. Mirum eſt autem, nullam à Cæſare mentionem eius Cornelij auſpicis fieri, de quo mira Liuius ſcripſerat, quę Plutarchus in Cęſare, & Dio eod. lib. commemorant. Plin. etiam lib. 5. ca. 9. ſcribit, Nilum quinque tantum cubitorum fuiſſe, veluti, inquit, necem Magni prodigio quodam flumine auerſante.

In tecto.] Mirè ergo & Valerius & obſequens ſcribunt, ſub Cæſaris ſtatua palmam enatam. Nam Cæſar in templo ſuam ſtatuam fuiſſe narrat: in tecto palmam enatam.

Quod faſces anteferrentur.] Hoc quid ſit, verba Trebellij Pollionis in Æmiliani Tyranni vita, quæ ſubſcribam, declarant. Qui cum Theodoto vellet imperium proconſulare decernere, à ſacerdotibus eſt prohibitus: qui dixerunt faſces conſulares ingredi Alexandriam non licere. Cuius rei etiam Ciceronem cum contra Gabinium loquitur, meminiſſe ſatis nouimus. denique non extat memoria rei frequentatæ. Quare ſcire oportet, Herennium Celſum veſtrum parentem, dum conſulatum cupit, hoc quod deſiderat non licere. Fertur enim apud Memphim in aurea columna Ægyptiis literis ſcriptum, tunc demum Ægyptum liberam fore, cum in eam veniſſent Romani faſces & prætexta Romanorum: quod apud Proculum Grammaticum doctiſſimum ſui temporis virum, cum de peregrinis regionibus loquitur, inuenitur.

Nutritius eius.] κορυφαιότατοι γὰρ ἦσαν ἐν κατευναστῆς καὶ τιθηνοῖς τοῖς ἄλλοις οὗτοι σύμβουλοι, inquit Plut. de Photino & Achilla.

CAP. XXI.

P*Harus eſt in inſula.*] De Pharo & eius turribus Plin. lib. 36. cap. 12. & aliis locis. item Ioſeph. bell. Iudaic. 5. Ammian. lib. 22. Strab. lib. 17. Eo eam noſter Dictator coloniam duxit. Solinus: Eſt & Pharos, inquit, colonia à Cæſare Dictatore deducta, ex qua facibus accenſis nocturna dirigitur nauigatio. Nam Alexandria inſidioſo acceſſu aditur, fallacibus vadis, cæco mari.

EIVSDEM HOTMANI DE ALIquot rei bellicæ inſtrumentis Obſeruatio.

QVoniam in his Cæſaris commentariis paſſim quorundam inſtrumentorum militarium mẽtio fit, de quorum interpretatione mihi neque cum Valturino viro doctiſſimo, neque cum aliis recentioribus, G ac ne cum veteribus quidem Grammaticis ſatis conuenit, optimum factu exiſtimaui, noſtram de iis obſeruationẽ ſubiicere. Primũ autẽ dicemus

De aggere.

AGgeris nomen tripliciter ab antiquis vſurpari video: primùm pro mole ad mœnia oppidorum,

pidorum, deinde pro munitione caſtrorum, poſtre- A mò pro materia qua moles munitióve extruitur. Molem intelligimus tumulum ex lignis & glebis ac ceſpitibus extructum, vt in vrbium aut caſtrorum muros vel militibus, vel turribus mobilibus aſcenſus præbeatur. Cæſ. lib. ciu. 2. cap. 1. Magnam iumẽtorum atque hominum multitudinem ex omni prouincia vocat: vimina materiámque comportari iubet, quibus comparatis rebus, aggerem in altitudinem pedum octoginta extruit. Lucanus 3, B

--tunc omnia latè
Procumbunt nemora, & ſpoliantur robore ſyluæ:
Vt cum terra leuis mediam virgultáque molem
Suſpendant ſtructa laterum compage ligatam
Arctet humum, preſſus ne cedat turribus agger.

Ex quibus intelligitur, trabes à lateribus adhiberi ſolitas, quæ latera firmarent, ne terra difflueret: interiorem autem partem viminibus, virgultis & terra repleri atque infarciri ſolitam. Liu. lib. 10. Fortè C quodam loco malè denſatus agger, pondere ſupraſtantium in foſſam procubuit. Tanta autem aggeris interdum altitudo erat, vt propè mœnia adæquaret. vt bell. Gall. 2. cap. vlt. Armorum magna multitudine de muro in foſſam, quæ erat ante oppidum iacta, ſic vt propè ſummam muri aggeriſque altitudinem acerui armorum adæquarent, &c. Liu. lib. 5. Nam eum agger promotus ad vrbem, vineæque tantum non iam iniunctæ mœnib. eſſent, &c. Salluſt. in Iugurth. Vineas agere, ſupérque aggerem iacere, impoſitis & ſuper aggerem turribus, D opus & adminiſtros tutari. Cæſar lib. 7. cap. 5. Aggerem latum pedes CCCXXX, altum pedes LXXX extruxerunt. Cum is murum hoſtium penè contingeret, &c. Itaque plerunque obſeſſi cuniculos ſub mœnibus agebant, iiſque vel aggeris terram ſubtrahebant, vt adacta turris corrueret, vel viminibus ignem ſubiiciebant, vt lib. Gall. 3. cap. 5. Cuniculis ad aggerem vineíſque actis, cuius rei longè ſunt peritiſſimi Aquitani, propterea quòd multis locis apud eos ærariæ ſecturæ ſunt. Item lib. 7. cap. E 4. Et aggerem cuniculis ſubtrahebant, eo ſcientius, quòd apud eos magnæ ſunt ferrariæ. Item cap. 5. eod. lib. Eſt animaduerſum fumare aggerem, quem cuniculo hoſtes ſuccenderant. Et mox: Alij faces atque aridam materiam de muro in aggerem eminus iaciebant. Atque hæc quidem de mole, ad quam extruendam non modò fabri, verumetiam milites his ferramentis inſtructi erant: bidentibus, ligonibus, raſtris, alueis, cophinis, qualis: vt Vegetius F ſcribit lib. 1. cap. 24. & lib. 3. cap. vlt. Iam verò Aggerem pro muro & munitione caſtrorum vſurpari, ex his intelligitur locis. Cæſar Ciu. 3. cap. 13. Erat eo loco foſſa pedum XV, & vallus in altitudinem pedum X: tantundémque eius valli agger in latitudinem patebat. Item lib. 7. cap. 13. Poſt eas foſſas aggerem & vallum XII pedum extruxit. Quibus ex locis patere arbitror, cum caſtra foſſa & vallo munirentur, inferiorem valli partem, & quaſi baſim Aggerem appellatam fuiſſe. Poſtremò Aggerem pro ipſa materia poni ſolere, multis Cæ- G ſaris locis cognoſci licet. Triplex autem erat materia: trabium, quæ, vt dixi, latera firmabant, frondium, & ceſpitum. veluti Ciu. 2. cap. 3. Quòd vnde agger omnino comportari poſſet, nihil erat reliquum: omnibus arboribus longe latéque in finibus Maſſilienſium excisis, &c. & mox: Atque ille congeſtus ex materia fuerat agger. Item Gall. 5. cap. 6. A Lapidibus teliſque ſubminiſtrandis & ad aggerem ceſpitibus comportandis. vbi Ceſpites ſine dubio pro glebis poſuit. Ioſephus lib. bell. Iudaic. 7. cap. 1. ſcribit in obſidenda Hieroſolima arbores omnes quoquouerſus ad ſtadia XC. defrondatas fuiſſe. Cæſar lib. 7. cap. 5. Hi reuinciuntur introrſus, & multo aggere veſtiuntur. & cap. 11. Cratibus atque aggere paludem explere, atque iter munire conabantur. & cap. 14. Agger ab vniuerſis in munitionem conie- B ctus, & aſcenſum dat Gallis. & ea quæ in terra occultauerant Romani, contegit. & cap. 15. Aggere & cratibus foſſas explent.

De turribus mobilibus.

TVrris mobilis, ſiue (vt Vegetius appellat) ambulatoria, erat machina, inſtar ædificij ex trabibus & tabulis interdum decem contignationibus C extructa. Intus erat aries, quem ſuſpenſum milites in hoſtium murum impellebant. ex ſuperiore parte pons demittebatur in eundem murum, & ſcalæ confeſtim iniiciebantur. Tota autem machinatio ſubiectis rotis a militibus iterſter quinquaginta introrſus promouebatur, cùm muſculus aut vineæ præcederent, ſub quibus foſſores raſtris & ligonibus viam muniebant: aggerémque, de quo diximus, ſolidabant: vt mœnibus Turris propinquari poſſet. In eandem ſententiam ſcribit Veget. lib. 4. D cap. 27. Eius ædificandæ rationem tradit Vitruuius lib. 10. cap. 19. & de illius forma locus eſt inſignis apud Cæſarem lib. Gall. 2. cap. 8. Liu. lib. 21. Ipſe Annibal, qua turris mobilis omnia munimenta vrbis ſuperans altitudine agebatur, hortator aderat. Eius autem altitudo tanta fuit, vt plerunque denum tabulatorum eſſet. velut lib. Gall. 8. cap. 6. Extruitur agger in altitudinem pedum nouem. collocatur in eo turris decem tabulatorum. Et bell. Alex. Has altiſſimis turribus denum tabulatorum munierant. E præterea alias ambulatorias totidem tabulatorum conſtruxerant, ſubiectiſque eas rotis, funibus iumentiſque obiectis, directis plateis, in quancunque erat viſum partem, mouebant. Ioſephus quidem bell. Iud. lib. 6. cap. 8. tres Romanorum turres in Hieroſolymitana obſidione teſtatur quinquagenum cubitorum fuiſſe. De pontibus verò, quos iniungi ſolere diximus, inſignis extat locus apud Hircium Gall. 8. ca. 2. Turres, inquit, crebras excitari in altitudinem trium tabulatorum, pontibus F traiectis, conſtratiſque coniungi: quorum frontes viminea loricula munirentur. Lucanus 3,

--Stellatis axibus agger
Erigitur, geminaſque æquantes mœnia turres
Accipit. has nullo fixerunt robore terram.
Sed pariter longum cauſſa repſere latenti.
Illinc tela cadunt excelſas vrbis in arces.

Multa etiam in eandem ſententiam ſcribit Pro- G copius lib. Gott. 1. vbi turrim deſcribit à Vittige Gottorum duce factam in oppugnatione vrbis Romæ. nam cum Romani quinquaginta milites introrſus adhiberent, qui turrim rotis in quatuor angulis ſubiectis propellerent, Vittiges bobus extrorſus erat vſus, quibus ab oppidanis interfectis, Gottorum inſania & ſtoliditas ridendi ma-

teriam præbuit. Aliam quoque lib.2. deſcribit ab A
eodem Vittige in Arimini oppugnatione factam,
cuius altitudo vrbis mœnia ſuperabat, & quatuor
rotis ſuſtinebatur: ſed caſu illo edoctus, non boues
ad trahendum adhibuerat: verum intra vineas ho-
mines collocarat, qui machinam traherent. Vtro-
bique autem ſcribit, ſcalas ſummæ altitudinis in
turribus adhibitas, quibus ad murum admotis, con-
ſcenderetur. Liuius lib.32. Nam cum turris per ag-
gerem parum denſati ſoli ageretur, rota vna in al-
tiorem orbitam depreſſa, ita turrim inclinauit, vt B
ſpeciem ruentis hoſtibus, trepidationémque inſa-
nam ſuperſtantibus armatis præbuerit. Ioſeph. au-
tem eodem lib. ſcribit, vnam ex illis turribus co-
dem aggeris vitio concidiſſe.

De teſtudine.

TEſtudo (inquit Veget. lib.4. cap.14.) à ſimili-
tudine veræ teſtudinis vocabulum ſumpſit:
quia ſicut illa modò reducit, modò profert caput, C
ita machinamentum interdum reducit trabem, in-
terdum exerit, vt fortius cædat. Liu. lib.34: Iam te-
ſtudinibus admotis, murus ſubruebatur: iam arieti-
bus quatiebatur. Exiſtimabam autem Teſtudinem
ex eo dictam, partim quòd teſtudinis figura facta
eſſet, partim quòd non rotulis, vt vinea & turris,
ſed ſubiectis ſcutulis, & vectibus impelleretur: qua-
ſi teſtudineo gradu incederet. Sed Amm. Marcelli-
nus lib. 23. ei rotas attribuit: vbi eius formam his
deſcribit verbis: Teſtudo compaginatur immanis, D
axibus roborata longiſſimis, ferreiſque clauis ap-
tata, & contegitur coriis bubulis, virgarúmque re-
centi textura, atque limo aſperguntur eius ſupre-
ma, vt flammeos detrectet & miſſiles caſus. Con-
ſeruntur autem eius frontalibus triſulcæ cuſpides,
præacutæ, ponderibus ferreis graues, qualia nobis
pictores oſtendunt fulmina, vt quicquid petierit
aculeis exertis abrumpat. Hanc ita validam molem
rotis & funibus regens numeroſus intrinſecus mi-
les, languidiori murorum parti viribus admonet E
concitis: & niſi deſuper propugnantium valuerint
vires, colliſis parietibus aditus patefacit ingentes.
Hæc Marcellinus. Plura autem Vitruuius lib.10. ca.
19. & 20. Ex quibus, multíſque Cæſaris locis intel-
ligitur, Teſtudinem ex trabibus ac pluteis, fieri ſo-
litam: coriíſque ac ciliciis contegi: ſub eáque la-
tuiſſe qui viam turribus aut vineis muniebant, &
ſaxa de via remouerent, ac ſolum æquarent. Cæſ.
ciu.2. cap.1. Antecedebat teſtudo pedum ſexagin-
ta, æquandi loci cauſſa facta, ex fortiſſimis lignis, F
euoluta omnibus rebus, quibus ignis iactus & lapi-
des defendi poſſent.

De muſculo.

MVſculos Veget. lib. 4. cap.16. interpretatur
machinas, quibus tecti milites apportatis la-
pidibus, lignis & terra foſſas complebant, vt turri
ambulatoriæ viam muoirent. At Cæſar Muſculo- G
rum tecto vſum tribuit, non viæ aggere ſupporta-
to muniendæ, ſed muri ſubruendi, lapidéſque ve-
ctibus ſubducendi: quos *Mantelletes* vulgò appel-
lamus: quamuis interdum Muſculi ſubiectis rotulis
impellerentur: cum mãtelleti plutei ſint, quaſi ſcu-
ta grandiora, quæ capiti ſuperimpoſita, ictus oppi-
danorum defendunt. Cæſ. Gall.7. cap.14. Vercinge-
torix ex oppido egreditur: longurios, muſculos, fal-
ces, reliquáque quæ eruptionis cauſſa parauerat,
profert. quo loco muſculos pro pluteis tantum po-
ſuit. Itémque Ciu.3. cap.14. Cæſar caſtris munitis
ſcalas muſculóſque ad repentinam oppugnationem
fieri, & crates parari iuſſit. Sed eorum qui rotulis
agebantur, formam inſignem Cæſar deſcribit lib.
Ciu.2. cap. 2. vbi muſculum pedes ſexaginta lon-
gum à Trebonio factum exponit: cuius inter co-
lumnas ſpatiáque vacua milites vectibus muros
ſubruebant. Interim, inquit, ſub muros milites ve-
ctibus infima ſaxa turri hoſtium, quibus fundamen-
ta continebantur, conuellunt.

De vineis.

VIneas Veget. lib.4. cap.15, interpretatur ma-
chinationem tabulatis cratibúſque conſtra-
tam, quæ ſubiectis rotulis impellitur, cuius tecto
muniti obſidentes, murorum fundamenta ſub-
ruunt. Opinor autem inde dictas, quòd, vt pleríſ-
que locis vineæ ſepibus vimineis, ita illæ rectis vi-
mineis muniri ſolebant. velut apud Cæſ. lib. ciu.2.
cap.1. Tantáque multitudo tormentorum, vt eo-
rum vim nullæ contextæ viminibus vineæ ſuſti-
nere poſſent, &c. Vſum autem vinearum Lucan. lib.
3. his deſcribit verbis:

Tunc adoperta leui procedit vinea terra,
Sub cuius pluteis & tecta fronte latentes
Moliri nunc ima parant, & vertere ferro
Mœnia, nunc aries ſuſpenſo fortior ictu,
Incuſſus denſi compagem ſoluere muri
Tentat, impoſitis vnum ſubducere ſaxũ.

Alium
præterea vſum vinearum eſſe video, vt cum plures
ordine impellerentur, milites poſt eas occulti ſe-
querentur, adeò magno numero, vt legionem Cæ-
ſar numeret. velut lib.7. cap.5. Legiones extra vi-
neas in occulto expeditas cohortatus, & c Salluſt.
in Iugurth. Tum verò cohortatus milites, & ipſe
extra vineas egreſſus, teſtudine acta ſuccedere, &
ſimul hoſtem tormentis ſagittariíſque & fundito-
ribus eminus terrere. At Numidæ ſæpe antea vi-
neis Romanorum ſubuerſis, item incenſis. Et non
multò antè: Vineæ cum ingenti periculo fruſtra a-
gebantur. nam cum hę paululum proceſſerant, igni
aut lapidibus corrumpebantur. milites, neque pro
opere conſiſterę, propter iniquitatem loci, neque
inter vineas, ſine periculo adminiſtrare. Hinc Sub
vitem præliari dicebantur milites, cum ſub vinea
militari pugnabant, inquit Feſtus. vnde illud Luci-
lij: Neque prodire in altum: pręliari procul ſub
vite. Quæ cum ita ſint, quis non miretur Ad. Tur-
nebum, tandiu in Cæſaris & veterum ſcripto-
rum libris verſatum, vineas tamen crediidiſſe ge-
ſtabiles fuiſſe, & quinque perticis corio & cili-
ciis tectis conſtitiſſe? Nam lib. Aduerſ.11. cap.24.
Apollodorus, inquit, in Poliorceticis Vineas ap-
pellat minores & leues teſtudines. quaſi verò Ro-
manas Vineas aut Teſtudines Apollodorus deſcri-
bat: ac non alias potius, quibus Romanum no-
men attribui ſolebat: aut quaſi non Apollodori
deſcriptio apertiſſime ab illa Marcellini ac Vitru-
uij diſcrepet. Sed Apollodori locum quem Græce
Turnebus propoſuit, Latinè ſic exſcribemus. Mi-
lites leuibus teſtudinibus tegendi ſunt, quæ Vi-
neæ

ncæ appellantur, aduerſus ſagittarum & lapidum ictus. Sunt autem huiuſmodi: Milites perticas longas & directas habent circiter quinque, fibula inter ſe coniunctas: vt quinque interuallum ſeruetur. Hæ ab imo præacutæ ſunt, vt & ipſæ figi in terram poſſint, & qui eas ferunt, quieſcere. Iam pelles, ſiue cilicia extrorſus atque à fronte, appenduntur. Supra autem perticis erectis imponuntur inſtipatæ, non contentæ, ſed laxæ vt miſſilium impetus frangatur. Fiunt autem hæ perticæ non pari altitudine, ſed omnes inter ſe diſpares, vt figuram efficiant teſtudinis.

De pluteis.

PLutei, inquit Turnebus, vir doctiſſimus, erant ſimiles illis appendicibus, quas ædificiis applicamus: & tectum in vnam partem deuexum habebant: vt & plutei, in quibus ſcribimus. Hæc ille lib. Aduerſ. 11. cap. 24. Quis hæc tanto excidiſſe viro non miretur? cum ex Latinis omnibus hiſtoricis, ac præſertim ex Vegetio conſtet pluteum mobilem & ambulatoriam machinam fuiſſe, ex tabulis, vimine, & corio conſtratam, triniſque rotulis adigi ſolitam ad muros, vt qui in iis conſiſtebant, ſagittis & miſſilibus deturbari poſſent; vt ait idem Veget. lib. 4. cap. 15. Hinc illud Cæſaris ciuil. lib. 2. cap. 2. Hanc inſuper contignationem, quantum tectum plutei ac vinearum paſſum eſt, laterculo adſtruxerunt. Et mox: Pluteos ad alia opera abduxerunt. Loquitur de iis, qui ante Maſſiliã turrim latericiam extruebant: & ne telis oppidanorum vulnerarentur, pluteos ac vineas ante vrbis mœnia promouebant, quæ tela miſſa exciperent, dum opifices iis machinis tecti turrim ædificabant. Neque verò illud prætermittendum videtur, Pluteos crebro vſurpari ſolitos pro tabulis, ſiue aſſeribus: velut apud Cæſ. bell. ciuil. 1. A fronte, atque ab vtroque latere, cratibus ac pluteis protegebat. & lib. 3. Scaphas magnarum nauium circiter LX cratib. pluteiſque contexit. Sic Gall. 7. cap. 8. Pluteóſque vallo addere, id eſt aſſeres pro lorica, quam vulgò *Parapetum* appellamus fortaſſe, à Græco *παραπηγμα*, nam *παραπήγνυμι* pro affigo, & attexo vſurpant. Item cap. 5. Eo magis quòd deuſtos pluteos turrium videbant, &c. Item cap. 13. Grandibus ceruis eminentibus ad commiſſuras pluteorum atque aggeris, id eſt aſſerum.

De vallo.

VAllus, ſiue Vallum dicebatur ſtipes ramoſus in aggeris ſumma parte defigi ſolitus, ad aggerem confirmandum, & loricas extruendas. Hunc vallum legionarij milites vnà cum armis in itinere ferebant, vnde illud Horatij: Romanus, eheu poſteri negabitis, Emancipatus fœminæ, Fert vallum, & arma miles, Epitom. Liu. 58: Et triginta dierum frumentum, ad ſeptenos vallos ferre cogebat. ægrè propter onus incedenti dicebat, Cùm gladio rectè vallare ſcieris, vallum ferre deſinito. de Scipione Africano loquitur. Cic. Tuſc. 2. Noſtri exercitus primùm vnde nomen habeant, vides. deinde qui labor, quantus agminis, ferre plus dimidiati menſis cibaria, ferre ſiquid ad vſum velint, ferre vallum. Nam ſcutum, gladium, galeam, in onere noſtri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. Arma enim membra militis eſſe dicunt.

A Liu. lib. 3. Imperant vt militem cum armis vallóque redire in ordines ſuos iubeant. Et mox: Clamore ſublato ante ſe quenque ducere foſſam, & facere vallum. Quinetiam vallum dici video pro ſudibus & ſtipitibus præacutis confertiſque. Nam cum Cæſar lib. Ciuil. 1. cap. 7. ita ſcripſiſſet: Foſſas tranſuerſas viis perducit, atque ibi ſudes, ſtipitéſque præacutos defigit: mox ita ſubiungit: Moniti à Brundiſinis, vt vallum cæcum, foſſáſque caueant, ſubſiſtunt. Item lib. 7. cap. 13. Quò qui intrauerant,
B ſe ipſi acutiſſimis vallis induebant. Vallum autem & Vallus (nam vtrunque Cæſar vſurpat) ſuperior pars aggeris ex illis vallis & viminibus interiectis conſtans. Cæſ. lib. Ciuil. 1. cap. 8. Vallo muniri vetuit, quod eminere, & procul videri neceſſe erat. Item Ciu. 3. cap. 13. Erat eo loco foſſa pedum XV. & vallus contra hoſtem in altitudinem pedum decem tantundémque eius valli agger in latitudinem patebat. Hirc. bell. Hiſp. cap. 4. Noſtri cogebantur neceſſario eos circumuallare ex hoſtium armis. Pro
C ceſpite cadauera collocabantur: ſcuta & pila pro vallo inſuper occiſis & gladij & mucrones & capita, &c. Plin. lib. 35. cap. 14. Hinc & Ceſpitum natura, caſtrorum vallis accommodata, contra fluminum impetus, aggeribus. Sed quoniam Valli, ſiue ludis militaris, inſignis extat deſcriptio apud Polyb. lib. 17, melius fore arbitror locum exſcribere, & Latinam interpretationem ſubſcribere. ὁ δὲ Τίτος οὐ δυνάμενος ἐπιγνῶναι τοὺς πολεμίους ποῦ στρα-
D τοπεδεύουσι, τοῦτο δὲ σαφῶς εἰδὼς, ὅτι πάρεισιν εἰς Θετταλίαν, προσέταξε κόπτειν χάρακα πᾶσιν ἕνεκα τοῦ κομίζειν μεθ' ἑαυτῶν πρὸς τὰς ἐκ τοῦ καιροῦ χρείας. τοῦτο δὲ κατὰ μὲν τὴν ἑλληνικὴν ἀγωγὴν, ἀδύνατον εἶναι δοκεῖ, κατὰ δὲ τὴν τῶν ῥωμαίων, εὔκοπον. οἱ μὲν γὰρ ἕλληνες μόλις αὑτῶν κρατοῦσι τῶν σαρισῶν ἐν ταῖς πορείαις, καὶ μόλις ὑπομένουσι τὸν ἀπὸ τούτων κόπον. ῥωμαῖοι δὲ τοὺς μὲν θυρεοὺς τοῖς ὀχεῦσι τοῖς σκυτίνοις ἐκ τῶν ὤμων ἐξηρτηκότες, ταῖς δὲ χερσὶν αὐτοὺς τοὺς γαίσους φέροντες ἐπιδέχονται τὴν παρακομιδὴν τοῦ χάρακος. ἅμα δὲ καὶ μεγάλην
E εἶναι συμβαίνει τὴν διαφορὰν τούτων. οἱ μὲν γὰρ ἕλληνες τοῦτον ἡγοῦνται χάρακα βέλτιστον, ὃς ἂν ἔχοι πλείστας ἐκφύσεις καὶ μεγίστας πέριξ τοῦ πρέμνου, παρὰ δὲ ῥωμαίοις δύο κεραίας ἢ τρεῖς ἔχουσιν οἱ χάρακες, ὁ δὲ πλεῖστος τέτταρας. καὶ ταύτας * ἔχοντας λαμβάνονται * ἐναλλάξ. * ἐκ δὲ τούτου συμβαίνει τὴν μὲν κομιδὴν εὐχερῆ γίγνεσθαι τελέως. εἷς γὰρ ἀνὴρ φέρει τρεῖς καὶ τέτταρας συνθεὶς ἐπ' ἀλλήλους. τὴν δὲ χρείαν ἀσφαλῆ διαφερόντως. ὁ μὲν τῶν ἑλλήνων ὅταν τεθῇ πρὸ τῆς παρεμβολῆς, πρῶτον μὲν ἐστὶν εὐδιάσπαστος. ὅταν γὰρ τὸ μὲν
F κρατοῦν καὶ πιεζόμενον ὑπὸ τῆς γῆς ἓν ὑπάρχῃ μόνον, αἱ δ' ἀποφύσεις τούτου πολλαὶ καὶ μεγάλαι, κἄπειτα δύο παραστάντες ἢ τρεῖς ἐκ τῶν ἀποφύσεων ἐπισπάσωνται τὸν αὐτὸν χάρακα, ῥᾳδίως ἐκσπᾶται. τούτου δὲ συμβαίνοντος, εὐθέως πύλη γίγνεται διὰ τὸ μέγεθος, καὶ τὰ παρακείμενα λέλυται. τῷ βραχείας τὰς εἰς ἀλλήλους ἐμπλοκὰς καὶ τὰς ἐπάλξεις γίγνεσθαι τοῦ τοιούτου χάρακος. παρὰ δὲ ῥωμαίοις συμβαίνει τοὐναντίον. τιθέασι γὰρ εὐθέως ἐμπλέκοντες εἰς ἀλλήλους οὕτως, ὡς τε μήτε τὰς κεραίας εὐχερῶς ἐπιγνῶναι ποίας εἰσὶν ἐκφύσεως τῶν ἐν
G τῇ γῇ καθωρυγμένων, μήτε τὰς ἐκφύσεις ποίων κεραιῶν. λοιπὸν οὔτ' ἐπιβαλέσθαι παρείραντα τὴν χεῖρα δυνατὸν, ἅτε πυκνῶν ὄντων καὶ προσπιπτόντων αὐτοῖς. ἔτι δὲ φιλοπόνως ἀποξυμμένων τῶν κεραιῶν, οὔτ' ἐπιλαβόμενον ἐκσπάσαι ῥᾴδιον. τὸ πρῶτον μὲν πάσας τὰς προσβολὰς σχεδὸν αὐτοκράτορα τὴν ἐκ τῆς γῆς δύναμιν ἔχειν. δεύτερον δὲ τὸ τὴν μίαν ἐπισπώμενον κεραίαν, πολλοὺς ἀναγκάζεσθαι πυθμένας ἅμα βαστάζειν διὰ τὴν εἰς ἀλλή-

λως ἐμπολεμῶν. δύο γὰρ ἢ τρεῖς ἐπιλαβόμενοι ταύτης χάρακος, οὐδ' ὅλως εἰκός. ἐὰν δ' ἤ που καὶ κατακρατήσας ἐκσπάσῃ τις ἕνα καὶ δεύτερον, ἀνεπιγνώστως γίγνεται τὸ διάστημα. διὸ καὶ μεγάλης διαφορᾶς τοῦ καὶ τὴν εὕρεσιν ἰδίαν εἶναι τοῦ τοιούτου χάρακος, καὶ τὴν κομιδὴν εὐχερῆ· ἔτι δὲ τὴν χρείαν ἀσφαλῆ, καὶ μόνιμον, φανερὸν ὡς εἴπερ τι τῶν ἄλλων πολεμικῶν ἔργων ἄξιον ζήλου καὶ μιμήσεως ὑπάρχει παρὰ Ῥωμαίοις, καὶ τοῦτο κατά γε τὴν ἡμετέραν γνώμην. Locum autem ita Latinè reddi poſſe arbitramur. Cum Titus, vbi caſtra hoſtes facerent, ſcire non poſſet, illud verò certum ſciret, eos ad Theſſaliam B aduentare, imperat, vt omnes vallum excindāt, ſecúmque ad vſum & opportunitatem efferant. Hoc Græcorum inſtituto plane difficile videtur. Romanorum moribus, perfacile eſt. nam Græci eum iter faciunt, non libenter grauant ſua corpora, neque labores huiuſmodi niſi admodum ægrè ſuſcipiunt. At Romani etſi ſcuta loris coriaceis appendunt ex humeris, manibúſque galeas ferunt, inſuper tamen valli ferendi laborem ſuſtinent. Quin hocquoque inter illos magnoperè intereſt, quòd Græci opti- C mum illud vallum iudicant, quod eſt maximè ramoſum, & magnam circum baculi corpus habet propaginem. apud Romanos verò vallum duos, tréſve, aut ſummum quatuor habet ſurculos: * & hos * habentes accipiunt * non alternatim. ex quo accidit vt perfacilis eius geſtatio ſit. Itaque vnus tria atque etiam quatuor ſimul ferre conſueuit. Iam verò certus eorum vſus apud illos differt. nam vallum Græcorum cùm in munitione defixum eſt, primùm facilè reuellitur. cùm enim pars D

A eius firmior in terram impacta eſt, ſurculi autem eminent magni & plurimi, ſi duo tréſve accedant, qui ſurculos illius extrahant, nullo negotio reuellitur. ita facile aditus propter latitudinem aperitur, quæque compacta erant, diſſoluuntur: quippe cùm implicationes & compacturæ huiuſmodi valli ſint perexiguæ. Apud Romanos diſſimillima ratio eſt. Primùm enim ita valla inter ſe circumplicant, vt neque facilè quorum ramorum in terram impactorum ſint virgulta, neque quorum virgultorum B ſint rami, ignoſcas. præterea difficile eſt, ſiquis euellere conetur, manum admouere: quoniam denſiſſime inter ſe contexta & conſerta ſunt. Eò accedit, quòd virgulta ita accuratè inflexa & intertexta ſunt, vt reuelli ab eo qui prehenderit facilè non poſſint. primùm quia eminentiæ & ſurculi omnes ſuam & propriam in terra firmitudinem obtinent. Deinde cum vnum è virgultis trahitur, neceſſe eſt propter mutuam contexturam, magnam ſimul propaginem educi. neque verò fieri poteſt, C vt duo tréſve vnum idémque vallum prehendere poſſint. Quod ſiquis vnum aut alterum commoueat ac reuellat, exiguum tamen interuallum patefiet. Magna igitur inter Græcorum & Romanorum inſtitutum differentia eſt. quod hi & huiuſmodi vallum repererint, & perfacilem eius geſtationem & vſum certiſſimum ac firmiſſimum excogitarint. Ex quo intelligi poteſt, ſiquod aliud è militari Romanorum opere imitatu dignum ſit, hoc (meo quidem iudicio) in eo numero habendum eſſe.

FIGVRA

FIGVRA PONTIS A CÆSARE DECEM diebus ad Rhenum traiiciendum effecti. lib.4.cap.v.



Primùm illud ſcire oportet, Cæſarem vnius ſolius iugi opus ac figuram exponere, cùm amplius xx. fuiſſe conſtet. deinde vnamquanque operis partem literis deſignari. Nam

AA ſunt bina tigna ab imo præacuta, machinationibus in flumen impacta: quibus alia item bina è regione reſpondent. AA.

B Trabes tranſuerſariæ bipedales, quibus ea tigna iungebantur interuallo pedum duorum, ab vtroque latere fibulis infixis.

C Aries, ſiue roſtrum ſublicis in flumen impactis triquetra figura factum, quo fluminis impetus diffindebatur, ne pontem labefaceret.

D Aliæ ſublicæ ſupra pontem mediocri ſpatio in flumen adactæ, quibus tigna vel naues ab hoſtibus immiſſæ ſiſterentur, ne ponti nocerent.

E Trabs bipedalis inter binas tignorum iuncturas immiſſa, quam tranſuerſariæ bipedales trabes commiſſura ſuſtinent.

F Fiſtuca, id eſt machinatio qua tigillum ferratum & fune ſuſpenſum, atque ab aliquot operariis in ſublime tractum, in caput impacti tigni demittitur, vt crebris ictibus impulſum adigatur.

FIGVRA BISONTIS, Lib.6.cap.5.



Biſontis figuram non ad aliorum ſcriptorum aut veterum aut recentium qui mirificè inter ſe diſcrepant, ſed ad ſolius noſtri Cæſaris exemplar exprimendam curauimus. Eſt Biſons (inquit: ſic enim legendum in Notis oſtendimus) cerui figura: cuius à media fronte inter aures vnum cornu exiſtit excelſum: cuius è ſummo rami tanquam palmæ diffunduntur.

ALCIS FIGVRA Lib.6.cap.5.



In Alcis quoque deſcriptione ſolius Cæſaris auctoritatem ſecuti ſumus, repudiatis aliorum omnium commentis. Alcium, inquit, conſimilis capris figura eſt: magnitudine paulo antecedunt: mutilæ cornibus, & crura ſine nodis articuliſque habent. itaque cùm ad arbores ſuccisas acclinatæ vnà cum iis conciderunt, quòd ſeſe erigere non poſſunt, capiuntur.


VRI FIGVRA eodem lib. & cap.



Vros deſcribit Cæſar paulo minores elephantis: ſpecie, colore, & figura tauri: feritate tanta, vt ne paruuli quidem excepti manſueſierent. cornuum ea figura & amplitudine, vt Germani eorum labris argento circunlitis pro poculis vterentur.

FIGVRA


FIGVRA MVRORVM GALLICORVM.



Murorum Gallicorum figuram Cæſar à fronte deſcribit , eadem ſpecie qua opus quod Teſſularium appellant,eſſe ſolet,quod lingua noſtra Eſchiquierium nominamus. nam

A ſaxum eſt quadratum. B extremum tigni quadrati,eiuſdem magnitudinis: alternáque ſaxa & tigna ita iungebantur,vt ſingula ſaxa tignis quaternis , ſingula tigna quaternis ſaxis concluderentur; omniáque rectis lineis ſuos ordines ſeruarent. Tignum autem cuius vnum extremum verſus foſſam oppidi B litera notauimus , partem teliquam directam intra oppidum habebat. vbi verò complura eodem modo in ſolo poſita & directa fuerant,tum ſuperiniecta verſus alteram extremam eorum partem trabe tranſuerſaria commiſſuris & fibulis introrſus reuinciebantur. Has trabes D litera notauimus. Poſt ſaxum quadratum inttorſus agger poſitus erat,inter ſaxa in longitudinem directa interiectus , quem C littera deſignauimus. Vt autem vnicum duntaxat pontis iugum Cæſar lib. IIII.deſcripſerat,ita nunc primam huius muri contexturam ac baſim tantùm expoſuit.ſed huius præclari operis interpreti magno & excellenti viro,cui huius inuentionis laus debetur,placuit integram muri ſpeciem proponere.


ALESIÆ ET OPERVM AD IPSIVS oppugnationem figura ex lib.7.cap.14.



A Aleſia in colle ſummo, admodum edito loco.
B Collis ſummus.
C Duo duabus ex partibus flumina, quibus collis radices alluuntur.
D Prior foſſa pedum xx. circiter medium montem contra oppidanorum eruptiones circunducta.
E Spatium pedum cccc. inter duas foſſas, vbi trium generum defenſiones poſitæ ſunt, cippi, lilia, & ſtimuli.
F Altera foſſa xv. pedum à duobus montis lateribus, quorum pars inferior ac demiſſior aqua ex flumine completur. Ita mons duabus foſſis manufactis, duabus natiuis quadrati figura circummunitur.
G Agger cum loricis & pinnis & ceruis, quorum figuram ſeparatim expoſuimus.
H Turres frequentes toto opere circundatæ.
I Caſtra Cæſaris, in quibus menſtrua ſibi cibaria prouidit.
K Agger cum loricis, pinnis & ceruis.
L Foſſa xv pedum circunducta.
M Spatium quadringentorum pedum inter duas foſſas, vbi trium generum defenſiones poſitæ ſunt: cippi, lilia, & ſtimuli.
N Foſſa pedum xx. contra hoſtes exteriores.

AGGERIS

AGGERIS ET LORICÆ FIGVRA.




G Agger XII. pedes altus.

O Lorica & pinnæ Loricam appellat, muri ſummam partem, qua pectus, & latera, quaſi lorica teguntur, Pinnus. Loricæ autem plerunque ex cratibus & viminibus fiebant; interdum ex pluteis; id eſt craſſis aſſeribus, & tabulis. Noſter lib. 5. cap. 11. Turres contabulantur. pinnæ loricæque ex cratibus attexuntur. Interdum etiam Loricula eſt ſtructura, qualis in pontibus aut tectis planis fieri ſolet: ne qui deſpicit, labatur. Sic Hirtius lib. VIII: Loriculámque pro hac ratione eius altitudinis inædificari. Et mox: Quorum frontes viminea loricula munirentur. Et lib. 7. cap. 8. Pluteóſque vallo addere.

P Cerui eminentes ex commiſſuris pluteorum & aggeris: id eſt tanquam furcæ tricipites aut quadricipites, inſtar cornus ceruini, ex ferro, vt opinor, ad impediendum aſcenſum.


LILIORVM ET TALEARVM FIGVRA.



Q Lilium,id eſt ſtipes fœminis craſſitudine ab ſummo præacutus. Ex ſimilitudine autem floris ſic appellatur,non aperti (nam eſſet diſſimillimum)ſed adhuc compreſſi. Viminibus autem & virgultis tegebatur.

T Taleæ pedem longæ,ferreis hamis infixis, quos Stimulos appellabant. Hodie muricibus vtuntur.

CIPPORVM FIGVRA.




R Cippi,hoc eſt ſtipites tricipites,aut quadricipites', delibratis & præacutis cacuminibus;ab infimo reuincti longurio tranſuerſario.

S Longurius commiſſuris & fibulis iniunctus:quo ſtipites in imo reuinciuntur, ne auelli poſſint.

FIGVRA

FIGVRA TVRRIS AD MASSILIAM
ex lib. Ciuil. 2. cap. 2.



A Turris quadrata, cuius ſingula latera pedes tricenos quinos patebant.

B Prima. C ſecunda. D tertia. E quarta. F quinta. G ſexta contignatio.

H Feneſtræ ſub ſingulis contignationibus in ſtruendo relictæ.

I Locus tecti, quod erat planum, factum primò ex duobus tignis tranſuerſis, crucis figura: tum ex impoſitis trabibus: quibus primùm aſſeres, tum lateres, poſtremò centones iniecti ſunt.

K Tectum penſile, quoe literis diſtinctum à nobis fuit: ſed à fabro prætermiſſæ ſunt.

L Crux, duo ſunt tigna tranſuerſa craſſiora, ſub quorum centro tignum ſubiicitur, quo cochleæ opera ſubleuantur. quinquies autem ſubleuatum eſt.

M Trabes directæ tranſuerſæ cruci impoſitæ: aliquanto longiores & eminentiores parietibus quarum ex proiectis ſtoreæ præpendebant.


N Storeæ quatuor pedum craſſitudine, & triginta quinque pedes latæ ex anchorariis funibus factæ.

O Significaret aſſeres, ſiue tabulas trabibus illis infixas.

P Significaret lateres, & lutum aſſeribus impoſitum.

Q Significaret centones lateribus ſuperimpoſitos.

FIGVRA PREHENSIONIS.



Prehenſio, quæ cochlea fiebat: qua hodiéque fabri in ſubleuãdis ædificiorum tignis vtuntur. Hæc ſub centrum duorum tranſuerſorum tignorum ſubiecta totam tecti contignationem ſubleuabat. Noſtra lingua vocatur Guindal.

FRANC. HOTMANI
I.C. CONSOLATIO E Sacris litteris.

Altera editio melior.

PRÆFATIO.

QVOD *boni viri & amici factitant, vt cùm ex grauiſſimi morbi longinquitate recreati ſunt, ſuis amicis, qui in parem morbum inciderunt, quam rationem recuperandæ valetudinis tenuerint, exponant: idem mihi ex acerbiſſimis animi perturbationibus releuato faciendum puto: vt vnde ſuis malis adleuamentum quærere debeant, aperiam. Quadrageſimus propè iam annus agitur, ex quo ſurſum ac deorſum agi, ferri, iactari, vexaríque non deſino: ſed maiorem mihi nullam ægritudinem vno ferè temporis momento contigiſſe recordor, quàm cùm ex latrocinio & cruentis hoſtium manibus ereptus, amiſſa ſuppellectili, bibliotheca direpta, ſeptem liberis onuſtus, nudus, inops, naufragus in quoddam Galliæ non ita munitum opidulum profugus, tamen paucis diebus ſenſi ac præuidi fore, propediem vt ab iiſdem hoſtibus oppugnaremur. Itaque nihil propius factum eſt, quàm vt ab iis interciperemur: cum diluculo, mentita veſte, ad opidi portas acceſſerunt, magnáque collocata in inſidiis manu irrumpere conati paucorum ciuium virtute repulſi & profligati ſunt, & nos viſitata Dei benignitate ab hac ſubita atque improuiſa formidine liberati ſumus. qua ipſa hora atque adeò puncto temporis vxor puerpera domi ſola in lectulo cum infante puerulo, quem octiduo antè enixa erat, relicta & metu perculſa atque exanimata, conuerſis in illum oculis, repentè ipſum animam exhalantem animaduertit: ipſa verò in grauiſſimum periculoſiſſimúmque morbum incidit, ex quo non niſi multis poſt menſibus ægrè tamen euaſit. Accedebat illa belli ciuilis flamma fatalis, quæ Galliam vniuerſam dulciſſimam patriam meam peruaſerat, & quæ triennio poſt tecta potius quàm oppreſſa dici potuit, cùm iam tum præſagiret animus fore, vt incendium hoc non niſi ipſius regni ruina reſtingueretur. In his igitur tot ærumnis, quæ quantumuis conſtantem virum ſine Dei miſericordia confeciſſent, quo me ſolatio ſuſtentarim, aperire meis liberis atque amicis ſtatui, vt ſi quando poſthac in eiuſmodi tempeſtates incidant, (quod Deus omen in ſui Nominis hoſteis auertat) vnde remedium petere debeant, monitis exemplóque meo cognoſcant. Sacram igitur ſcripturam in manus ſumſi, quam etſi ſæpenumerò percurreram, nunquam tamen ita diligenter atque attentè vel legeram, vel etiam obſeruaueram: atque vt earum rerum memoriam altius in animo meo defigerem, quæ mihi maximè memorabiles & ad leniendum animi mœrorem idoneæ videbantur, ſummam earum mihi quotidie arbitratu meo conſcripſi: ac præſertim quæ ad eccleſiæ morbos crebrò recurrentes, & quaſi religionum viciſſitudines notandas pertinebant: cùm quæ pietas paullo antè in populo Dei viguerat, ea breui tempore impuris & contaminatis ſuperſtitionibus inquinata, propè obruta atque exſtincta videretur. A capite igitur & prima rerum origine ſic ſumus exorſi.*

DE CREATIONE MVNDI.

MVNDVM ſex dierum ſpacio à Deo conditum fuiſſe, ex eo cœleſti volumine didicimus, quod vulgò Biblia nuncupatur. Eius voluminis qui ſcriptores fuerunt, ſpiritu atque adflatu diuino edocti, ſeſe ad ſcribendi munus contulerunt: eorumque ſcriptioni vim quandam diuinam Deus indidit: qua de cauſſa θεόπνευστος appellatur. ex quo accidit neceſſariò, vt neque qui diuino ſpiritu adflati non ſunt, eius libri lectione magnopere adficiantur; neque quibus Deus propitius eſt, non eiuſdem auctoritate ac maieſtate promoueantur. Sex igitur illius feciſſe Deum interualla opificij, Moſes huius ſcriptor hiſtoriæ memoriæ prodidit. Nam à principio confuſam naturarum molem creauit, futuri operis materiam, quam nonnulli Chaos dixere: tum deinde lucem. iſque propterea dies primus numeratus eſt. Quinque autem in ſequentibus diebus molis illius partes ſecreuit, ordinéque diſpoſuit. Nam die ſecundo congeriem aquarum ita diſtinxit, vt earum partem ſupernè ſtatueret, partem infernè, terræ circumfuſam relinqueret: tum deinde medium inter vtraſque partes aërem diffudit. Quam bipartitam diuiſionem aquarum ita dilucide ſcriptura ſacra multis locis tradidit, vt eius auctoritas facilè Aſtrologorum & Phyſicorum omnium diſputationibus præponderet: præſertim qui ſummæ ſæpe inconſtantiæ atque ignorationis arguantur. Secutus eſt dies tertius, quo Deus terræ molem aquis circumfuſam locis quibuſdam detexit. Ea interualla littoribus quaſi clauſtris obſtruxit, vt futurorum hominum ſedes eſſent. Quapropter eodem illo die ſpacia hæc atque interualla herbis, floribus, arboribus, & frugibus veſtiuit. Iam quarto die cœleſtem orbem creauit, in quo Solem, Lunam, reliquaque ſydera omnia diſpoſuit, quorum vnicuique certum eius lucis modum impertiuit, quã primo die creârat, vt ex eorum ratis curſibus, annorum, menſium, ac dierum ratio conſtaret. Die quinto mare flumináque piſcibus referſit: ac tum deinde alites in aëre diſperſit. At ſexto die primùm beſtias tum gradientes, tum etiam ſerpentes in terra creauit: ac tùm denique animal illud ceteris omnibus naturis longè præſtantiſſimum, quod Homo adpellatur: cuius cauſſa cùm illud ampliſſimum domicilium, tùm etiam reliquas animantes pararat: quas ipſius imperio, ac ditioni ſubiecit: Virum autem Deus primùm creauit, tum deinde vxorem ei adiunxit.

1. Tim. 3. 16. — Gen. 1. 31. — Gen. 1. 2. & 2. Gen. 3. — Gen. 1. 6. — Gen. 7. 11. Pſal. 104. 3. Pſal. 148. 4. Dan 3. 80. Gen. 1. 13. Ier. 5. 22. Iob. 83. 11. Ieſ. 104. 9. — Gen. 1. 19. Pſal. 104. 25. Gen. 1. 23. Gen. 2. 24.

DE CREATIONE HOMINIS: ET DISTINCTIS IN Deo tribus perſonis.

AC virum quidem Deus duabus ex rebus coagmentauit: nam corpus ex terra & luto finxit, vnde nomen reperit: (Adamus enim Hebręis ex Adama, item vt homo ex humo Latinis dictus eſt) corpus autem illud non vt pecudum, ceterarúmque animantium infirmum & caducum effe-

Gen. 3. 19.

A cit, verum immortale, ſempiternum, nulli neque mutationi neque perpeſſioni ſi in iuſtitia perſtitiſſet obnoxium. Huic corpori Deus animam indidit, tum vitalem, tum etiam rationalem, hoc eſt, conſilio, mente, cogitatione, prudentia prędıtam: partim vt vitæ ſuæ auctorem coleret: partim vt hanc rerum vniuerſitatem, mundíque ornatum cõtemplaretur, cœlíque conuerſionem & motuum ęquabilitatem ac ordinem ſuum ad vſum notaret: partim vt deinceps cum reliquis hominibus vitæ ſocietatem

B placidè & quietè coleret. Eidem diuini ſui ſpiritus, hoc eſt, diuinitatis imaginem Deus impreſſit: Faciamus, inquiens, hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, hoc eſt, inſtar noſtri, beatum, immortalem, alterum quaſi quodammodo (vt ita dicam) Deum: iuſtitia, probitate, ſanctimonia, ceteríſque diuinis virtutibus præditum. Sic enim EXSTAR illud atque imaginem Dei, ſcriptura interpretatur: piorúmque corpora, Spiritus ſancti templum adpellat. Quinetiam alio loco naturæ diuinæ

C participes illos nominat. Cùm autem illa Dei oratio multitudinis numero pronuntiata ſit, rectè plerique veteres argumentati ſunt, plures eo in concilio adfuiſſe, nam (vt quaſi rudibus & integris hæc tradantur, ac ſemel ad hiſtoriæ præmunitionem dicantur) intelligendum eſt, Æternum numen, qué Hebræa lingua Iehouam nominamus, ita ſe patefeciſſe, quòd ſit trinus in perſonis: quarum prima eſt Pater, altera Filius, tertia Spiritus ſanctus. Pater autem idcircò dicitur, tum quia Filium ex ſe ab æ-

D terno genuit: tum quia omnia condidit, ac procreauit: qua de cauſſa creatoris, opificis, & conſtructoris nomen ei paſſim in ſcriptura tribuitur. quamquam Filij ratione facilius Patris perſona intelligatur: nam vt parentes omnia liberorum cauſſa parant, ſic Filij cauſſa naturæ omnes & viſibiles & inuiſibiles conditæ ſunt. Vnde illud Ioannis de Chriſto loquentis, Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. Item illud Pauli, τὰ πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται: quod ſic interpretor, quaſi dixiſſet, propter ipſum & in ipſius gra-

E tiam, omnia eſſe condita. Itaque Paulus eodem loco ſic infert: In ipſo (hoc eſt in ipſius gratiam) creata ſunt omnia, tum quæ in cœlis tum quæ in terris ſunt: item quæ videri à nobis poſſunt, aut non poſſunt: atque in his ipſis tum tribunalia, tum dominatus, tum præfecturæ, tum poteſtates, omnia denique in ipſius gratiam condita ſunt: quibus verbis cùm admirabilem eſſe cœleſtium ac ſuperatum rerum ſtatum, ordinem, deſcriptionem, tum etiam illas omnes in Dei Chriſti gratiam con-

F ditas perſpicuè declarat. Secunda autem perſona Deitatis Filius dicitur, quia eſt ab æterno genitus à Patre: & quidem ſolus vnde vnigenitus & naturalis Dei Filius vocatur. Per ipſum (nam hoc etiam modo vocem δι' αὐτοῦ alij rectè interpretantur) omnia ſunt condita, tum quæ in cœlis, tum quæ in terris ſunt: item quæ videri à nobis poſſunt, aut non poſſunt, atque in his ipſis tum tribunalia, tum dominatus, tum præfecturæ, tum poteſtates. Tertia autem Deitatis perſona Spiritus dicitur, & quoniam à

G Patre & Filio ſpiratur ac procedit; & quoniam, vt animantes omnes ſpiritu ac flatu continentur, ſic naturæ omnes tum viſibiles, tum inuiſibiles vi ac ſpiritu diuino ſuſtinentur: quippe, qui à principio confuſam, (vt ſcriptura teſtatur) naturarum molem foueret atque agitaret. Vnde illud Pſalmi XXXIII.

Col. 3. 10. Eph. 5. 4. 25. Cor. 3. 16. Cor. 6. 19. 2. Pet. 1. 4. — Pſal. 33. Pſal. 104.

XXXIII. Verbo Iehouæ cœli facti ſunt, & ſpiritu oris eius omnis exercitus eorum: item, cùm ſpiritum tuum emittis, animantia creantur, & terræ faciem renouas. Atque hæc quidem de tribus in vno Deo perſonis, quarũ eadẽ eſt eſſentia, æqualis beatitudo, & æternitas & potentia, ſemel dicta ſint.

DE PRIMA RELIGIONIS INSTITVTIONE.

ATQVE tempus quidem quo principia hæc rerum effecta ſunt, complures eruditi viri Autumnum eſſe arbitrantur: locum autem ſic exponemus. Gen.1.26. Terræ quidem ambitus omnis Adamo fruendus datus eſt: verùm ad habitandum & colendum certus ei hortus eſt adtributus, omnium (vt Moſes huius ſcriptor hiſtoriæ teſtatur) amœniſſimus: Gen.2.8. qua de cauſſa Eden Hebræorum lingua ab amœnitate ac ſalubritate dictus eſt. Nominatim autem Moſes ſcribit, Adamum ibi collocatum, vt ſe in eo colendo exerceret, non vt ocio vaníſque artibus ſeſe dederet: tametſi, cum ab initio Gen.1.14. teſtatus ſit, aſtra conſultò à Deo conſtituta, vt eſſent ſigna & indicia hominibus, hoc eſt, vt maturitates temporum, & varietates, mutationéſque ſignificarent, dubium eſſe non poteſt, quin Aſtrologiæ ſtudium præclarum, & naturæ hominis maximè conſentaneum ſit, ac præſertim ad notandam in hac vita, & tanta tum religionum, tum imperiorum viciſſitudine, temporis rationem. Eleganter enim & peritè Græci Philoſophi tempus definierunt, menſuram motus, qui cœleſti orbe conficitur. neque dubium eſt, quin illa ſignorum & cœleſtium motuum obſeruatio, medicis, nautis, agricolis neceſſaria ſit: ſed exiſtimare ſe Solis ſolius ſpectandi, & de cœlo ſeruandi cauſſâ in hoc mundo collocatum eſſe, quemadmodum Anaxagoram dixiſſe ferunt, extremæ amentiæ eſt, cùm cœlum ipſum hominis, non hic illius cauſſa ſit creatus: quamquam immanior multo illa Ciceronis oratio eſt: luendorum ſcelerum cauſſa homines eſſe natos, hoc eſt, vt Lactantius interpretatur, malorum ac ſuppliciorum perferendorum cauſſa: cùm ex contrario ſcriptura teſtetur, eum in amœniſſimo pulcerrimo, delicatiſſimo viridario Gen.2.8. collocatum fuiſſe: hortum autem illum eum Moſes ad orientem ſtatuat, & Tygri atque Euphrate adlui ſcribat, probabile eſt eo loco fuiſſe, vbi poſtea Babylonia condita eſt: quandoquidem omnes ei regioni veteres hiſtorici ſummam amœnitatem ac ſuauitatem tribuunt. Spacium autem quantum illius horti fuerit, incertum eſt: mihi quidem tantum fuiſſe videtur, quantum ad familiam Adami ſatis eſſet. hortum enim propriè & data opera conſitum, Moſes ſcribit. *Inſtituerat, inquit, Iehoua Deus hortum*: qui locus eorum ſententiam, qui totam ei Palæſtinam tribuunt, refellit; ſed multò magis eorum, qui Tygris & Euphratis confluentem, & rurſum diuortium, antequàm in mare Perſicum influant, interpretantur quatuor illa capita, de quibus Moſes loquitur. nam apertè diuortium illud aquarum ſub horti exitum fieri adfirmat. neque dubium eſt, quin eius loci natura omnis, & ſuperficies poſtea per diluuium, de quo poſterius dicetur, deleta ſit. Vtrumque ſit, humano huic & terreſtri (vt ita dicam) Deo, vita beata & immortalis data eſt, eiuſque ſoboli, ac poſteris in ſempiternum, vt nullis neque vitiis, neque morbis, aut caſibus ac perpeſſionibus eſſent obnoxij. Vnam hanc ei parens & procreator Deus legem impoſuit, ne beatam illam vitam ſuam ac propriam duceret, ſed ipſius beneficio vtendam ac perfruendam datam exiſtimaret: ac proinde in fide atque imperio ipſius maneret, omniáque illi accepta ferret, eóque nomine, pietatem, cultum, ac venerationem præſtaret. quo tempore prima religionis inſtitutio notanda eſt, *Religionis Inſtitutio.* quam fiducia, inuocatione, & certis præſcriptíſque cerimoniis conſtare, multis ſcripturæ locis traditur. *Pſal.50. Gen.22.5.* Eſt autem fiducia, perſuaſio de omnipotentia, ſapientia, & benignitate Dei, propter Chriſtum. Certos autem religionis, & ceremoniarum ritus iam tum à Deo inſtitutos fuiſſe, hoc eſt, certarum belluarum ſacrificia, vel hinc licet intelligatur, quod Apoſtolus ſcribit, Abelem fide ſacrificaſſe: *Hebr.11.4* fides autem ſine verbo Dei nulla eſt: itemque Nohai ſacrificium, qui mundorum & immundorum animalium delectum habuerat, Deo placuiſſe. Neque vnquam Deus gentem ſuam ſine certis ſui colendi legibus, ac præſcriptis ritibus reliquit, *Gen.7.2. 8.20.* ſumméque ſemper commentitiam atque arbitrariam religionem deteſtatus eſt: *Act.14. 16.* quam Apoſtolus *ἐθελοθρησκείαν* appellat. Binæ autem Adamo arbores in horto illo Edenico, religionis huius *Gen.2.16. 3.22.* notæ atque indices adſignatæ ſunt: vna quæ arbos vitæ dicta eſt, vt cùm illius fructum certis diebus ederet, (eſum enim illum ſollemnem fuiſſe conſentaneum eſt) reputaret ſe humanum quidem ac terreſtrem eſſe deum, at non æternum, & per ſe exiſtentem: præterea vitam quidem in ſe habere, at non ex ſeſe, ſed à Deo Iehoua creditam & commiſſam, non per ſe ſempiternam, ſed eſui ac potui obnoxiam; non deſidem atque ocioſam, ſed honeſtis occupationibus ac præſertim agriculturæ addictam: proinde nihil ſibi proprium tribueret, ſed totus ab omnipotente Iehoua penderet. denique quæ ſumma laus à Philoſophis, & huius mundi ſapientibus credita eſt, quam illi *αὐτάρκειαν* vocant, cùm quis totus aptus eſt ex ſeſe, & in ſe vno ſua ponit omnia, eam Deus ſummè deteſtatus eſt: neque ex contrario quidquam ei tantoperè commendauit, vt animi demiſſionem, & lenitatem, quam & Apoſtoli *ταπεινοφροσύνην* appellant, cùm quis abiectè & demiſſè de ſua humilitate ſentit. *Epheſ.4. Col.3.* Iam arbor altera, Boni & mali notitia dicta eſt. huius poma Deus ſacroſancta eſſe duxit, grauitérque Adamo interminatus eſt, ne quod illorum adtingeret: ſi aduerſus ſuum interdictum faceret, morte moriturum. Huius interdicti cauſſa hæc fuit, vt Adamus ſapientiam, id eſt boni & mali notitiam ſolius Dei propriam eſſe condiſceret, qui ſolus & quid expetendum & quid fugiendum ſit, compertum habet. ob eamque cauſſam deinceps Adamus non ex ſua ſed ſolius Dei ſapientia ſaperet. Hæc eſt enim altera (vt dixi) piæ fiduciæ pars; nihil vt ſibi homines proprium adrogent, ſed humilitatis ſuæ memores modeſtè de ſe ſentiant, ac ſeſe totos demiſſiſſimis ac ſubiectiſſimis animis Dei ſapientiæ, conſilio ac prouidentiæ committant.

DE PRIMA HOMINIS A DEO DEFECTIONE.

CVM hac florente & beata vita noſter Adamus frueretur, tum Satanæ inuidia interuenit.

A Hic eſt Satanas, eorum angelorum princeps, qui à Deo creati, vt beata immortalitate fruentes, maieſtatis ipſius adminiſtri & apparitores eſſent, ferociter in Deum ſuperbientes, de cœlo deiecti, ac dignitate ſua ſpoliati ſunt. Hic ille auctor eſt ac parens mali; qua de cauſſa paſſim in litteris ſanctis πονηρός, id eſt, improbus ac ſceleratus appellatur. Idem hoſtis filij Dei ſempiternus, quocirca Satan ab Hebræis; id eſt aduerſarius dictus eſt: quippe,

Ioh. 8. 44. & pet. 2. 4. Iud. 5. Math. 6. 53. Luc. 51. 4. Zachar. 3. 1. 1. Chr. 21. 1. Iob. 5. 16.

B qui abductis ab ipſius religione hominibus, diuinos ſibi cultus atque honores, modò ſub Deorum modò ſub Diuorum nominibus, omnibus ætatibus, per vniuerſum terrarum orbem inſtituit. quapropter modò Deus huius ſeculi, modò princeps huius mundi, modò princeps aëris in litteris ſanctis nominatur. Eidem præterea Diaboli nomen tributum eſt, quod homines pietati ac ſanctimoniæ deditos, apud Dei tribunal ſuis calumniis ac mendaciis inſectetur. Idem quoque Serpentis nomine appellatur,

2. Corinth. 4. 4. Ioh. 12. 31. & 14. 15. Eph. 6. 12. Eph. 2. 2. Iob. 1.

C ea figura, quam Latini permutationem, Græci ἀλληγορίαν vocant, cum alio nomine res per ſimilitudinem appellatur: vt cùm Tyrannis luporum aut canum nomen tribuitur: proptereà quòd inſidiando ſerpētis ingenium naturámque imitatur: magnáque eſt in nocendo ſpargendóque veneno ipſius calliditas. Sed quod exagitatis in hac vita piis hominibus, tandem filij Dei virtute opprimetur, idcircò fore prædicitur, vt hominis quidem calcibus inſidietur, attamen iisdē calcibus certo tēpore illiſus conteratur.

Gen. 3. 5.

D Hic igitur ſerpens odio Dei Adamū ab ipſius fide atque obſequio abducere inſtituit: eíq; perſuaſit, fore, ſi arboris illius interdictæ baccis veſceretur, vt quaſi Iehoua Deus eſſet: neque Iehouam, cùm illo cibo eū interdiceret, aliud quidquam veritum fuiſſe: proinde libertate vteretur, ſuóque ſibi arbitratu ſaperet. Ea perſuaſione miſer inductus, atque in perditam arrogantiam delapſus, contemnere ſummum illud Dei interdictum cœpit, vetitóque arboris fructu veſci.

Gen. 3. 15. Gen. 3. 4. 5.

E Quo facinore admiſſo, poſteritatem omnem ſuam in ſempiternum exitium induxit. Primùm enim Spiritus ille diuinus (quem ſuperius demonſtratum eſt homini à Deo impertitum) qui animæ rationalis rector, ac moderator erat, ei ademtus eſt. Tum deinde, corpori firmitas ac ſempiternitas erepta: vnde tot malorum ac miſeriarum origo fluxit: nam ex animæ corruptela, perturbationes, vitioſíque adfectus nati ſunt: inde effrenatæ libidines, iræ, iurgia, diſcordiæ, ſeditiones, bella.

F Ex corporis autem corruptela tanta, propter humorum prauitatem, morborum lues, etiam in minimis quibuſque corporis partibus nata eſt, vt de iis cogitare ſine lacrymis vix quiſquam poſſit. Hac eadem de cauſſa terram quoque & aerem terræ circumfuſam, animantiúmque genus omne Iehoua deteſtatus eſt, loliumque ac tribulos, carduos, lappas, dumos, ceteróſque frugum morbos naſci è terra iuſſit, eámque ipſam aſperam & cultoribus ingratam eſſe voluit. hinc præterea eluuiones, peſtilentiæ, ac vaſtitates ortæ ſunt:

Gen. 3. 17. 18.

G terrarum item motus, ac fragores, qui totas interdum vrbes abſorbent. Iam ex aëris corruptela tempeſtates ortæ ſunt, & nimbi, procellæ, turbines, imbres, grandines, vredines, fulminum ac tonitruum ictus, naufragia, ruinæ, incendia. Eóque ipſo tempore prima defectio à religione, & generis humani perfidia notanda eſt: propter quam homo ab horto Edenico præceps exturbatus, quaſique ex familia Dei abdicatus, eiectus, atque exterminatus eſt.

1. Defectio à religione.

A Vnde illa conſecuta miſeria, vt cùm in hac vita perpetuis ærumnis adflictaretur, tum verò morte obita ſempiternis cruciatibus vexaretur. Quæ condicio beſtiarum condicione longè miſerior, ac deteſtabilior eſt: veruntamen hæc pœna diuinæ Iuſtitiæ debebatur. At Filius Dei, quem Hebræi Meſſiam, Græci Chriſtum adpellant, tantorum ſe malorum

B deprecatorem, Deique & hominum reconciliatorem interpoſuit, pœnā enim diuinæ Iuſtitiæ debitam, ſeſe humano corpore adſumpto, pro genere humano luiturum conſtituit. qua de cauſſa, ſcriptura modò eum Emanuelem, hoc eſt, Deum nobiſcum, modò μεσίτην θεοῦ καὶ ἀνθρώπων appellat, hoc eſt, quaſi ſequeſtrem, interpretem, ac tranſactorem reconciliationis cum Deo factæ. Hic eſt Chriſtus, quem ſuperius demonſtratum eſt, Iehouæ Dei æterni, Filium æternum eſſe, cuius in gratiam

Dan. 9. 25. 26. Ioh. 1. 42. Ioh. 4. 25. Pſa. 2. 1. 89. 52. Iſ. 7. 14. Math. 1. 23. 1. Tim. 2. 8.

C Pater ex generis humani colluuie, ſuam Eccleſiam colligit, quam eccleſiam idem Chriſtus, quaſi ſuam ſponſam amat, atque in perpetua Dei Patris gratia, & beneuolentia retinet. ſemper ei ab origine mundi præſtò fuit, ſæpè illam ſuo colloquio dignatus eſt. nam quoties cum hominibus collocutus Deus dicitur, toties Filius Deus intelligendus eſt: qua de cauſſa λόγος à Ioanne dictus eſt. Itaque Ioannes eodem loco ſcribit, Deum quidem à nemine vnquam eſſe viſum, at Filium vnicum arcana

Cant. 4. 8. 9.

Iud. 6. & 7. & 13. 1. Cor. 10. 4. Ioh. 1. 1. 1. Ioh. 18. Exod. 3.

D nobis ſui patris enunciaſſe. Hic eſt Chriſtus, qui multis antè ſeculis, quàm humanum corpus adſumeret, traditur eccleſiam ſuam è variis periculis liberaſſe: eidem eiectæ ac vaganti præſtò fuiſſe: eidem religionis ac reip. conſtituendæ formam præſcripſiſſe. Quemadmodum autem homines animo ſpirabili ſuſtinentur, ita Deus Spiritu ſancto eccleſiam fouet, alit ac ſuſtinet, atque in pectoribus piorum æternæ fœlicitatis pignus atque arrabonem immittit: vnde illud Pauli: Nos quidem non mun-

1. Cor. 10. 4. 1. Cor. 10. 9. Sal. 2. 19.

E di ſpiritum, ſed ſpiritum qui à Deo eſt, accepimus. qua de cauſſa piorum corpora ſpiritus ſancti templum (vt ſuperius dicebamus) appellantur.

Rom. 8. 12. Rom. 8. 15. Eph. 1. 13. 1. Cor. 2. 12.

DE PRIMA ECCLESIÆ INSTAVRATIONE.

AD rem autem vt redeam, cum iſto ſe modo Chriſtus pacificatorem & reconciliatorem Dei & delectorum aliquot hominum interpoſuiſ-

F ſet (delectos autem appellamus, quos Deus in ipſo Chriſto ſibi ante mundum conditum delegerat) tum prima eccleſiæ inſtauratio facta eſt, quæ poſtea per omnes ſeculorum ætates illo ſingulari Chriſti beneficio in genere humano collecta fuit: cuius eccleſiæ ipſe perpetuum ſe cuſtodem, patronum, propugnatorem, ac paſtorem præſtitit. Eodem beneficio electis eſt Spiritus ſanctus redditus (hoc enim eos nomine appellamus, qui in Dei gratiam reconciliati ſunt) ſed tamen ita, vt aſſiduè

1. Religionis inſtauratio.

Epheſ. 1. 4. Math. 18. 20.

G cum deprauata corporis & animæ natura pugnent. nam etſi ærumnis & cruciatibus multis, morti denique, piorum corpora ſunt obnoxia, tamen Chriſtus eorundem animis ſpiritus diuini conſolationem immittit. qua de cauſſa παράκλητος ille Spiritus appellatur. Eiuſdem beneficij inuidia implacabile illud odiū exarſit inter reiectos, & Chriſti eccleſiam, hoc eſt, inter homines abalienatos,

Rom. 5.

Ioh. 15. 19. Ioh. 14. 26.

& in ne-

& in nequitia, atque impuritate ſua derelictos, &
eos qui arcano Dei conſilio ex ea damnatione in
Gen. 4. gratiam reſtituti ſunt. Eodem denique beneficio
cultus Dei in eccleſia cœpit inſtitui per ſacrificia:
nam cùm Chriſtus victimam ſe pro genere huma-
no fore conſtituiſſet ſacrificia inſtituta ſunt, quaſi
futuri in Chriſto ſacrificij prænuntia: neque enim
in horto Edenico, & antè defectionem Adami,
inſtitutam immolationem puto, ſed tum demùm
cùm in Adami familia, doctrina de ipſius perfidia
expianda & Chriſti immolatione tradi cœpta eſt:
Apoc. 13. de qua Ioannes in Apocalypſi teſtatur, Agnum ab
origine mundi mactatum fuiſſe. Fuit autem per id
tempus Adami & Heuæ coniugis condicio eiuſ-
modi, vt niſi adſidua conſolatoris ſpiritus ope ſu-
ſtentati fuiſſent, in perpetuo luctu, mœrore & la-
crymis ætatem egiſſent, cùm propter admiſſi faci-
noris, turpiſſimæque defectionis conſcientiam,
propter Dei Iehouæ offenſionem, propter recor-
dationem fœlicitatis amiſſæ, & perpetuam incom-
modorum perpeſſionem, tùm etiam ob religionis
veræ deprauationem, & adſidua bella impiorum
aduerſus eccleſiam, quorum primordium in duo-
bus filiis viderunt, cùm Abelus piè Deum vene-
Gen. 4. 8. rans à Caino fratre impio ac ſuperbo trucidatus
eſt. Nam in Caino morbus ille ſuperbiæ atque im-
pietatis animaduertendus eſt, qui Adamo eiuſque
generi perniciem adtulit, cùm Satanæ ſpiritu ad-
flatu Dei imperium adſpernari, & inſtitutas à Sata-
na ſuperſtitiones ſectari cœpit. Iam tum enim ea-
rum ſuperſtitionum fundamenta iacta ſunt, qua-
rum poſtea per vniuerſum ferè terrarum orbem
abſolutam ab architecto Satana exædificationem
vidimus. Atque hæc vt planiùs intelligatur, veriſſi-
mè id illi hoſtile nomen impoſitum: quemadmo-
dum Iehoua lenitatis ac modeſtiæ ſpiritum ſuis
impertit, ſic alter de ſuo ſuperbiæ & crudelitatis
ſpiritu ſuis largitur. vt ille ſolus coli, & parens,
conſeruatórque omnium haberi vult: ſic alter ſe
ſuique imperij ſatellites pro Diis venerari, ac diui-
nis honoribus adfici: qua de cauſſa paſſim in Scri-
ptura mundi ac profanarum gentium Deus adpel-
2. Cor. 4. 4. Ioh. 12. 31. 14. 30. latur: quamquam quò plura Satan miſcet, tantò
magis eccleſia Dei in dies conualeſcit. Quemad-
modum Iehouæ ſpiritu adflati ſummo animi do-
lore religionis deprauationem, & dæmonum cul-
tum intuentur, obnixéque operam dant, vt miſero-
rum hominum mentes, ad ſanitatem conuertant,
atque ad Dei cultum reuocent: ita Satanæ clientes
Dei cultores & veræ pietatis ſtudioſos ferre nullo
modo poſſunt, eóſque non ſecus ac lupi ouiculas
crudeliter ac furenter inſectantur: quod iam tum
in Caino & Abelo viſuuenit, in quibus tamquam
in ſpeculo licet veræ & adulterinę religionis initia
perſpicere, cùm vterque mactandis victimis exter-
Heb. 11. 4. nos quidem cultus Deo pręberet: ſed alter toto
pectore pietatem & animi ſtudium intimum adhi-
beret, alter verò ad ſpeciem & oſtentationem ri-
tibus & cerimoniis perfungeretur: vt non ſit du-
bium quin Adamus & Heua, neque tantam animi
ægritudinem, neque tam diuturnam miſeri tem-
poris propagationem ferre potuiſſent, niſi beni-
gnitate Chriſti, & præſidio conſolatoris Spiritus,
qui tantas illorum miſerias leniret, ſubinde re-
creati confirmatíque fuiſſent. Cum autem annum
iam ætatis centeſimum ac trigeſimum agerent,
Sethus illis in illius filij, quo orbati fuerant, locum

A à Deo datus eſt. Sethum enim Hebræi Repoſi-
tum, vel potius ſubſectum interpretantur. Hic
pietatem coluit, veramque in Adami familia re- Gen. 4. 25
ligionis doctrinam retinuit. Cùm autem Enos
calamitoſum Hebræis ſignificet, probabile eſt,
pium virum adſiduis calamitatibus adflictatum
fuiſſe. Ac memorabile eſt, quod ſcriptura de ab-
nepote Sethi, Enocho, eiúſque ſumma inte-
gritate teſtatur. nam cùm integerrimè, ſanctiſ- Gen. 5. 24
B ſiméque vitam egiſſet, proditum eſt, eum à Hebr. 11. 5.
Deo repente de medio ſublatum, atque adic-
tum fuiſſe: hoc eſt, ita ex hac vita migraſſe, vt
vim morbi ac mortis nullam ſenſerit: quod quaſi
futuræ immortalitatis ſpecimen Deus miſeris ho-
minibus eſſe voluit.

DE DILVVIO.

C PEr id tempus ſecunda eccleſiæ calamitas, 11. Religionis deprauatio.
vel potius religionis vaſtitas accidit: nam
homines pij, & (vt ſcripturæ verbis vtamur) Ie-
houæ filij, diligenter vſque ad eam diem ab im- Gen. 6. 2.
piorum & profanorum conſuetudine abhorrue-
rant. Etenim cùm omnibus in rebus, tùm præci-
puè in religione magna quædam propter huma-
næ mentis imbecillitatem, contagionis vis eſt:
tum autem miſceri inter illos non modò conui-
ctus & familiaritates, verumetiam connubia cœ-
perunt; quo ſcelere non aliud Deo viſum eſſe a-
D trocius, vel ipſa ſupplicij grauitas, & magnitudo
declarat. namque ex eiuſmodi connubiis, ſenſim
religionis profanatio, & impiorum cultuum cō-
munitas nata eſt: deinde qui ex illis orti ſunt, li-
beri ac nepotes varias vtriuſque parentis religio-
nes adſpernari cœperunt. Ita Dei metu ſublato, li-
berè latrocinari, ac tyrannidem exercere inſtitue- Gen. 6. 4.
runt: qua de cauſſa Gigantes eos ſcriptura nomi-
nat, ſiue potius tyrannos, hoc eſt, barbaros, tru-
culentos, temerarios. denique omnis propè per id
E tempus & religio & caritas, quæ generi humano
debetur, extincta erat. Florebat tamen eo tem-
pore Noha vir pietate & ſanctimonia inſignis: eum Gen. 6. 6.
Deus ſuæ Iuſtitiæ præconem (ſic enim Petrus lo- 2. Pet. 2. 5.
quitur) inſtituit, hoc eſt, eius exempli, quod in 1. Pet. 3. 20.
humani generis perfidiam editurus erat etenim
publicè per eum pronunciari iuſſit, fore, vt niſi Heb. 11. 7
homines antè certam diem ad ſanitatem redirent,
& abiectis ſuperſtitionibus, quas à Satana inſtitu-
tas ſuprà demonſtratum eſt, ſolam Dei religio-
F nem colerent, tum omnes immiſſa aquarum elu- Gen. 6. 6.
uione, delerentur. Diem autem ſatis laxam conſti-
tuit, intrà centum & viginti annos: idque pœni-
tendi & ad ſanitatem redeundi, non autem viuen-
di ſpacium eſſe voluit; neque enim ad definiendam
futurorum hominum ætatem illud pertinere, re-
ctè veteres aliquot Theologi, in his Auguſtinus a-
nimaduerterunt: cùm abſurdiſſimè & Lactantius
& nonnulli alij, tum veteres tum ætatis noſtræ
ſcriptores, ad hominum vitę ſpacium ea verba
G retulerint; quorum tamen complures poſteà,
longè diutius vixiſſe ſatis inter omnes conſtat.
Hoc edictum promulgatum eſt anno mundi mil-
leſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto. Noha au-
tem tum ętatis annum agebat quadringenteſi-
mum & octogeſimum. Cum anni viginti abfuiſ- Gen. 6. 14
ſent, neque tamen vlla in hominibus deſperatis
emendatio vitę animaduerteretur, tum Deus

Noham ſibi materiem ſumere, ac nauem ædificare iubet: quæ, quòd vndique conſtrata erat, Area nominata eſt. Hanc ædificationem ad annos centum produxit: vt qui aſſiduis ipſius concionibus & monitis non mouerentur, tanti ſaltem periculi denunciatione, quod illa diuturna molitio perpetuò ob oculos ponebat, deterrerentur. Neque verò mediocri cum animi mœrore opus illud effecit, vt cuius venire in mentem neceſſe eſt, ſiue ſeculi illius impietatem cogitemus, cùm homi- B nes perditi, pia ipſius monita & conſilia tanquam deliri ſenis in ſomnia ludibrio haberent (qua de re & Petrus & Lucas teſtantur) ſiue tot ipſius amicorum & propinquorum interitum, ~~quæ~~ tantos in paranda materie, & tanti operis molitione labores ſiue moleſtias, in anni vnius annona & pabulo conquirendo ſecum enim vxorem abducere iubebatur, vnáque tres filios, nurus totidem, atque inſuper de ſingulis animantium generibus aliquot capita. Annis cen- C tum exactis, cùm neque morum neque religionis emendatio illa fieret, iubetur Noha ſuam familiā in Aream introducere: is annos tum ſexcentos (vt ſcriptura teſtatur) natus erat. Operæpretium eſt autem, fluctuationis illius tempus accuratiùs exponere, quam annum vnum, ac præterea decem & ſeptem dies duraſſe, animaduerto: cum interea vir ſanctus in arca illa tamquam in carcere deliteſcens, non modo iucundo cœli lumine orbatus eſſet, verum etiam in pecudum D foetore tam diu iacere cogeretur. Menſes autem, ne quis neſciat, ita definio, vt in ſingulos dies tricenos adnumerem: cuius rei ratio ſic facilè conſtabit. Noha ſexcentos natus annos ac præterea menſem vnum & dies decem, in arcam ingreſſus eſt. eius enim introitum Moſes confert in decimum ſecundi menſis diem, quem introitum ad dies ſeptem duraſſe ſignificat. iam decimoſeptimo die magni imbres exorti ſunt, qui dies quadraginta totos non intermiſerunt, hoc eſt, ad E menſis tertij diem ſeptimum ac viceſimum. dehinc per tres inſequentes menſes arca fluctuat, quæ ſeptimi demum menſis die, decimoſeptimo, in excelſiſſimo Armeniæ monte ſubſedit. Vbi tamen hæſit ad primum diem menſis decimi, quo die aquis diffluentib. exſtare montium cacumina cœperunt: decimo inſequenti menſis die. Noha feneſtram aperuit, columbámque, quæ ſiccitatem aliquam exploraret, emiſit: ea reuerſa, ſeptimo poſt die iterum emiſſa eſt, ad extremum ſe- F ptimo iterum poſt die (qui fuit dies vndecimi menſis quartus & viceſimus) ~~poſt~~ [illegible] emiſſa, non reuolauit. hoc vnicum ariditatis indicium miſeris fluctuantibus fuit. itaque primo anni vertentis die, tectum ab arca ſublatum eſt, quo die Solis lumen tanto interuallo conſpicati, reuixiſſe ſibi videbantur. tandem aliquando, hoc eſt, ſecundi menſis die ſeptimo ac viceſimo, omnes ad vnum incolumes in continentem expoſiti ſunt. ſic vnius anni ac præterea decem & ſeptem G dierum numerus perſpicuè congruit. Neque tamen ſum neſcius, eſſe, qui Nuhæ in arcam introitum conferre malint in decimum ſeptimum menſis ſecundi diem qua ratiocinatione vno anno & decem tantum diebus fluctuationis tempus conſtabit. Sed vtra probabilior enumeratio ſit, piorum ac bonorum virorum arbitrio permitto: ad inſti- A tutum certè noſtrum non valdè pertinet.

Luc. 17. 26. 1. Pet. 3. 20.

Gen. 7. 6.

Gen. 7. 10. 11. 12.

Gen. 8. 4.

Gen. 8. 6.

Gen. 8. 10

Gen. 8. 13. 14.

DE RENOVATIONE GENERIS HVMANI poſt diluuium.

ILLA maioris multò momenti notandâ potius atque obſeruanda ſunt. Primùm quod eluuionis illius memoria paſſim etiam à profanis ſcriptoribus celebrata eſt: in quibus Beroſus ſacerdos Chaldæus nobilis hiſtoricus primas tenet: cu- B ius librorum Latina quædam exſtat epitome, quæ, non video, quamobrem ab eruditis viris tanquam adulterina reſpuatur: præſertim cùm Ioſephus & in ſuarum Antiquitatum libris, & in eo quem contra grammaticum Appionem ſcripſit, eius nõnulla prope ad verbum proferat. Veterum autem Poetarum (qui tamen certiſſimi ſycophantæ ac ludiones Satanæ fuerunt) nullus omnino eſt, qui non eius diluuij, quod imperante (vt aiunt) Deucalione accidit, mentionem faciat. aliquid enim ex C libris Moſis propter hiſtoriæ vetuſtatem, deguſtarant. Quin etiam video Plutarchum (quod mihi interdum mirari ſubit) in libello de animalium induſtria, vbi de Deucalionis diluuio loquitur, nominatim de columbæ miſſu, & reuolatu mentionem facere. Marcus autem Varro Romanorum doctiſſimus, prioris etiam diluuij mentionem facit, quod refert ad ea tempora, quibus Ogoges Thebarum rex rerum potitus eſt. Vtcumque ſit, hoc eodem loco ſecunda eccleſiæ inſtauratio notādā eſt: D tum enim ſacrificia renouata ſunt, quæ cùm eſſent futuri in Chriſto ſacrificij prænuncia (quemadmodum ſuperius dictum eſt) tanto illo fluctuationis ſpacio intermiſſa fuerant. ſcribit enim Moſes, Noham ſimulatque ex arca egreſſus eſt, victimas Deo mactaſſe, eíque pro conſeruata familia gratias egiſſe. Tùm verò ſingularis Dei benignitas in Iride ſiue arcu cœleſti conſtituendo, notanda eſt: nam cùm in aere ſurſum aquarum ſuſpenſa moles hæreat (quemadmodum à principio dictum eſt) credibi- E le eſt, miſeros mortales, ſimulatque magnos aliquos ac routinatos imbres videbant, formidine adfectos, ac propè exanimatos fuiſſe. hac de cauſſa Deus ſignum illud arcuatum ſtatuit, quo quaſi fornice moles illa cœleſtium aquarum fulta ſuſtineretur: mihique pietati magnopere conſentaneum videtur, ſtatuere, & Iridem tum primum à Deo conſtitutam, neque vnquam maiores è cœlo imbres cadere, quin illa vſpiam appareat. Sic eueniet (inquit Iehoua) quoties obduxero cœli nubibus, F tum apparebit arcus. At Poetę fabularum architecti, cùm animaduerterent, Iridem indicium eſſe permutationis aurę, aut in pluuiam, aut in ſerenitatem, ſuorum illam Deorum internunciam fecerunt, quæ tum emitti ſoleret, cum inſignis aliqua præſentis ſtatus immutatio fieret. Præter hoc omnium prima magiſtratus inſtitutio notanda eſt: nã cum hoc tempore noua fieret humani generis propagatio, quaſique nouæ Reipublicæ inſtitutio, deſcribi iura, creatique magiſtratus oportuit. Pri- G mùm autem ac ſummum iuris ciuilis caput hoc fuit: Vt qui ſanguinem humanum funderet, eius ſanguis effunderetur: quippe cum homo (inquit Legiſlator) ad effigiem Dei creatus ſit, qua lege ſignificatur, violari hominem non poſſe, vt non ſimul effigies Dei violetur. Sanguinis autem effuſione iniuriam omnem contineri, non difficile eſt intelligi. Iam miſerabilis ille Nohæ caſus animaduer-

II. Eccleſiæ inſtauratio.

Gen. 8. 20

Gen. 9. 12

Gen. 9. 6.

Gen. 9. 20 21.

adiertendus eſt, qui cùm vites ſeuiſſet, neque A
dum inuſitatam vini vim expertus eſſet, in obſcœ-
nam temulentiam, nuditatemque corporis incidit:
qua de cauſſa petulanter à filio Chamo deriſus,
eum reliquis ſuis filiis in ſeruitutem addixit. Vn-
de illa veterum obſeruatio, primam ſeruitutis ex
ebrietate originem fluxiſſe. Videtur autem Deus
parens optimus, tantum illud in homine ſanctiſſi-
mo flagitium conſultò permiſiſſe, vt ſempiterna
Gen. 10. deinceps piis hominibus cautio ipſius exemplo B
conſtitueretur, ne vini ſuauitate & dulcedine abu-
terentur: quod malorum omnium metropolim ve-
teres quidam non illepidè nominarunt. Poſtremò
mirifica generis humani propagatio notanda eſt,
ex tribus Nohæ filiis perexiguo tempore progna-
ta: quorum primus Semus, alter Chamus, tertius
Iaphetus nominatur. Nam annorum circiter cen-
tum ſpatio (vt Beroſi ratio, quæ ceteris probabi-
lior eſt, demonſtrat) ita Nohæ ſoboles multiplica-
ta eſt, vt tres & ſeptuaginta colonias in totidem C
propinquas regiones emiſerit. ſiquidem ex Cha-
mo triginta, ex Semo ſeptem & viginti, ex Iaphe-
to quindecim prognatos Moſes enumerat, à qui-
Aug. de Ciu. l. 16. c. 3. bus ſeptuaginta tres (vt Auguſtinus ſcribit) gentes
diſſeminatæ ſunt: non tantùm homines. Neque
verò probabile eſt, orbis vniuerſi partitionem eo
loco à Moſe deſcribi, ac non potius earum dum-
taxat regionũ, quæ orientales ſunt: præſertim cùm
notiſſima quarundam vocabula nominatim edi-
derit. ceterarum autem notionẽ ſubtilius indaga- D
re, atque ad patriũ cuiuſque noſtrum ſermonẽ re-
uocare, quàm ineptum videtur? Itaque tanta inter
Beroſum, Philonem, Euſebium, Hieronymũ, ce-
terósque huiuſmodi peruestigatores varietas eſt,
ac præſertim inter ætatis noſtræ Chronographos,
vt eius me plerumque pudeat. Quod ſi coniecturæ
locus eſſet, haud ſcio, quamobrem plus cuiquam
alteri quàm Beroſo, ſcriptori antiquiſsimo, ei-
démque Chaldæo tribueretur. Verùm hæc de re
plus ſatis. E

DE ARCE BABYLONICA.

111 Religionis depravatio. Gen. 11. 2.
IN hæc tempora tertia religionis calamitas in-
currit, cùm ad terram Sinharem homines im-
pij conſilium inierunt, de peragrandis regionibus,
in quibus Dei religio colebatur, vt bonos ac pios
viros malis omnibus vexarent, eorúmque reli-
gionem, ſi, quo modo poſſent, extinguerent. An-
tequam eam profectionem ſuſciperent, arcem ex- F
ſtruere inſtituerunt longè excelſiſsimam, cùm
perpetuum (vt ſperabant) ſuperſtitionum ſuarum
domicilium, tum etiam ſempiternum nominis
ſui monimentum. Cùm enim ſcriptura teſtetur, &
ædificationem & expeditionem impio conſilio
ſuſceptam, facilè intellectu eſt, vtramque in pio-
rum hominum perniciem inſtitutam fuiſſe: ædifi-
Gen. 11. 4. Gen. 10. 8. 10. cemus (inquibant) arcem, cuius caput ad cœlum
pertingat, ita pariemus nobis nomen, ſi fortè poſt-
hac per orbem terrarum diſpergamur. Huius cõ- G
ſilij princeps fuit Nimrodus tyrannus potens, tru-
culentus, audax, facinoroſus: cæteroqui maximis
corporis viribus: vnde natum de audaci & facino-
roſo prouerbium, Alter Nimrodus, robuſtus ve-
nator coram Domino. at Deus ſceleratos illorum
Gen. 11. 10. conatus, ſic eluſit, Cùm vſque ad id tempus genus
omne mortalium vna eadémque lingua vteretur,

A repetè noua quædam linguarum genera inter eos
exorta ſunt, vt alter alterius ſermonem non intel-
ligeret. vnde Babel arx dicta eſt; quo verbo cõfu-
ſionem Hebræi ſignificant. Eo pacto & principũ
conſilia, & fabrorum opera cõturbata ſunt, homi-
númque ſempiternum ſibi nomen in mũdo quæ-
rentium, vanitas iuſtiſsimo Dei iudicio damnata
eſt: quod etiam profani ſcriptores in non diſsimili
inſaniæ genere obſeruarunt. Inter omnes eos (in-
B quit Plinius) qui ſcripſerunt de pyramidibus, non
cõſtat à quibus facta ſint, iuſtiſsimo caſu oblitte-
ratis tantæ vanitatis auctoribus. Porrò hæc illa eſt
Babylon clara & nobilis, caput Aſſyriæ, & Nim-
rodi regia, veterum omnium & piorum & profa-
norum litteris celebrata: perpetuum omnis ſuper-
ſtitionis, idololatriæ, atque impietatis domicilium:
ac proinde hoſtis eccleſiæ ſempiterna. Itaque vide-
tur tum Deus nouum quodammodo diluuij ge-
nus humanis mentibus immiſiſſe: cùm omni ſer-
C monis communicatione ſublata, propè cuncta vi-
tæ ſuauitas, generíſque humani communitas ex-
ſtincta eſt. Huius autem hiſtoriæ Babylonicæ argu-
mentũ præſtigiatores poſtea Poetæ, Diaboli ad-
flatu impulſi, in Gigantum ac Titanum fabulam
conuerterunt; quos coaceruatis montibus in cælũ
conſcẽdere, ac Deum deturbare conatos, fabulati
ſunt: quin etiam Iaphetum nominatim adpellant.

Tum partu terra nefando
Cœúmque Iapetúmque creat, ſæuúmque Typhoea,
D *Et coniuratos cælum reſcindere fratres.*
Ter ſunt conati imponere Pelion Oſſæ,
Scilicet atque Oſſæ frondoſum inuoluere Olympum:
Ter pater exſtructos, diſiecit fulmine montes.

Durauit autem hæc tertia Eccleſiæ vaſtitas an-
nos prope trecentos ſexaginta tres. totidem enim
à diluuio ad Abrahami vocationem anni nume-
rantur. de quo Abrahamo deinceps dicendum eſt.

DE ABRAHAMO.

E
FVIT quidem in Semi familia (quem Nohæ
filium fuiſſe ſuprà demonſtratum eſt) conſer-
uata pietas: nam & Arphaxadium ipſius filium, &
Selam nepotem, & Ebertum pronepotem in fide
manſiſſe, & veram religionem coluiſſe, ſcripturæ
teſtatur. verum vbi ad Nahorem & Thareum
ventum eſt, quorum hic pater, ille auus Abrahami
fuit, omnis propè religio intercíderat. Dæmones Ioſ. 24. 2.
enim, hoc eſt, alienos illum & commentitios Deos
F coluiſſe memoriæ proditum eſt. Cúmque annum
Abrahamus ageret ætatis 70. vnáque cum patre Gen. 12. 4.
Thareo in vrbe Chaldæorum Vra ſuperſtitioni
longè deditiſſima, viueret, tum Deus in Filij ſui
Chriſti gratiam Eccleſiam ſibi colligere, ſuæque
religionis cultum inſtaurare inſtituit; itaque A-
brahamum ex illis profanis locis migrare, atque
alias ſedes quærere iuſsit, vbi Eccleſia inſtitui, ac
veræ pietatis diſciplina celebrari poſſet: vt iam per 111. Religionis inſtauratio.
id tempus tertia eccleſiæ inſtauratio notari poſ-
G ſit. Hæc eſt celebris illa, quæ prædicatur A-
brahami vocatio, cùm Deus illum è patria & Gen. 12. 1. 2. 3. 7.
cognatis ac propinquis omnibus in terram Cha-
nanæam abduxit: quam ei ſe ac poſteris ipſius Gen. 13. 15
propriam traditurum promiſit: vt ſuum numen Gen. 15. 18. Gen. 22. 17. 18. 19. Gen. 26. 4
ſanctiſsimum, & quam eis deinceps præſcriberet
religionem, in ea colerent, Abrahamíque familia
florens ac beata in perpetuum maneret, atque in

Act.7.3. tantam ſobolem excreſceret, vt eius numerus ſtel-
larum multitudinem adæquaret: fore præterea vt
ex ipſius Abrahami prole naſceretur is, qui futu-
rus erat Emanuel, id eſt, nobiſcum Deus: nimirum
Chriſtus Ieſus, pacificator Dei & hominum, in-
terpres ac conciliator pacis cum Deo factæ. Du-
plex autem huius pollicitationis modificatio no-
tanda eſt, quarũ prior hæc fuit: poſteros Abraha-
mi, antequam promiſſa regione fruerentur, vaga-
Gen.15.13 turos ſine certis ſedibus per annos quadringentos:
Act.7.6. altera autem huiuſmodi, eoſdem poſteros duram
ac tyrannicam ſeruitutem ſeruituros. Hæc ferè à
primordio mundi perpetua eccleſiæ condicio
fuit: vt vaga & exul erraret, neque vnquam certas
ad multum tempus ſedes haberet. quam vitæ cõ-
dicionem Abrahamus ſenſit: nam (vt modo de-
monſtratum eſt, primùm è patris & cognatorum
complexu abreptus fuit: deinde cùm in Meſopo-
tamiæ vrbe Haram vnà cum patre migraſſet (hæ
Gen. 11.32 Charræ Græcorũ litteris & M. Craſſi clade nobi-
Act. 7. 4. les) ibíque cum illo vnà annos quinque cõmora-
tus eſſet, patrem amiſit. Vt primũ illinc mouit, pe-
démque in terra Chananæa poſuit, tanta repentè
fames exorta eſt, vt neceſſarij victus inopia coa-
Gen. 12. ctus ſeſe in Ægyptum cõferret. Ibi vxor eius Sara
10.12. propter formæ pulcritudinem a rege Pharaone
abducta, in ſummum pudicitiæ diſcrimen venit.
Gen. 13. 3. poſt in terram Chananæam reuerſus, propter pa-
ſtorum ac ſeruulorũ diſſenſiones à fratre Lotho,
quo cum ſemper antea concordiſſimè vixerat, ſe-
Gen.14. migrare coactus eſt. quod diuortium acerbũ qui-
12. dem ipſi fuit: verùm illud multò acerbius, quod a-
liquanto poſt eundem à finitimis regulis captum
audiuit. qua de cauſſa bellum illis intulit, cúmque
Gen.20.1. ferro atque armis recepit. Non longo tempore in-
2.3. termiſſo, vxor eius denuò ab Geraræorum rege
Abimelecho abducta, atque iterum in ſummo
Gen. 22. pudicitiæ periculo verſata eſt. Ad extremum,
cùm ætate ac ſenio confectus, vnicum filium ha-
beret, nomine Iſaacum, ſenectutis ſuæ ſolatium,
ecce Dei Iehouæ oraculum, quo iubetur pue-
rum ſua manu quaſi pecudem immolare. Hæc
fuit Abrahami vitæ condicio, quem cùm Deus in
perpetuum vna cum familia & poſteris in ſuam fi-
dem accepiſſet, fœdus cum illo facere voluit, an-
nis poſt ipſius vocationem 29. hoc eſt ætatis i-
Gen. 17. ipſius XCIX. Fœdera autem vetere hominum inſti-
10. Act. tuto, ſanguinis ferè miſſione ſanciuntur. hanc hu-
7.8. Rom. manæ conſuetudinis rationem Deus pro ſua cle-
4.11. Le- mentia imitatus, circumciſionem inſtituit: hoc eſt,
uit.12... pelliculæ de natura maſculorum propendentis ſe-
Luc.2. 21. ctionem, eamque in Abrahami poſteris perpe-
Ioh.7. 22. tuam huius familiæ & clientelæ notam exſtare vo
luit: primum vt ſigillum iuſtitiæ fidei eſſet: deinde
vt hoc myſterio intelligerent, quidquid ex homi-
ne naſcitur, vitioſum, ac propterea reſecandum
eſſe: adhæc hominem, quatenus homo eſt, id eſt,
quatenus ſpiritus Dei expers eſt, nihilo pluris quã
illam præſectam pelliculam æſtimandum eſſe. ſic
enim ex parte totum, nota inter omnes figura, ple-
runque intelligitur. poſtremò vt hæc quædam in-
ter eiuſdem religionis conſcios & cultores quaſi
nota, & ſymbolum arcanum eſſet. Per id ferè tẽ-
pus Deus iuris ac iuſtitiæ moderator, horribile in
Sodomæos finitimóſque populos ſupplicij ex-
emplum edidit. Anni tum effluxerant à diluuio
trecenti circiter & nonaginta, viuebátque etiam

A tum Semus Nohæ filius, eius diluuij teſtis: cùm il-
lius regionis incolæ, quam propheta Ezechiel v- Ezec. 16.
bertate agrorum, frugúmque omnium copia flo- 4.
ruiſſe teſtatur, diuini illius ſupplicij immemores,
in fœdiſſima turpiſſimaque libidine cõtra naturã Gen.19.
volutabantur. hac nefaria turpitudine Deus offen- 24.
ſus, ſulphureum ignem cælitùs immiſit, quo tota
illa imperata regio conflagrauit: cum igne &
flamma libidinis ardorem, ſulphure flagitij fœto-
rem ac turpitudinem notaret. Ex eo tempore ex-
B ortus eſt iis in locis lacus ille ſulphureus, teterri-
mum odorem exhalans: & apud Tacitum, Pli-
nium; alióſque ſcriptores profanos celebris, cui
nomen eſt, Aſphaltites, ſempiternus ſupplicij di-
uini teſtis. nam olet adhuc (vt in Apologetico
Tertullianus ſcribit) incendio terra, & ſi qua illic
arborum poma enitantur oculis tenus: ceterum
contacta cineraſcunt. Strabo quidem lib. XVI.
memoriæ prodidit, ſuo tempore loci illius indi-
genas de tredecim oppidis igne cæleſti conſumtis
C teſtatos eſſe, quorum metropolis Sodoma fuiſ-
ſet: lacúmque illum amplius ducenta ſtadia lon-
gum eſſe. Memorabile autem eſt, quod cùm Lo-
thus Dei monitu atque oraculo ex iis locis vnà
cum vxore profugeret, vxor ipſius, quia de verita-
te interminationis diuinæ diffidens patriæ deſide-
rio, ac bonorum ſuorum iactura vehementius ad-
ficiebatur: propter eam diffidentiam in ſtatuam
ſalinam conuerſa eſt. vnde ficta Satanæ & Poeta- Gen. 19.
rum commento vulgata Græcorum fabula de 26.
D Niobe in ſaxum verſa, propter contemtum ab i-
pſa Deæ cuiuſdam imperium.

DE ISAACO ET IACOBO.

VT autem patris Abrahami religionem Iſaa- Gen.26.
cus eius filius imitatus eſt, ita parem vitæ
condicionem ſenſit: nam primùm omnium inopia
neceſſarij victus è Cananæa pulſus, in Palæſtino-
E rum regnum profectus eſt. ibi Rebecca vxor ipſius
à rege Abimelecho abducta, atque in ſummum
pudicitiæ diſcrimen adducta eſt. Iam verò ſic Pa-
læſtinorum iniuriis exagitatus eſt, vt interdum
propter puteos & aquationem in dimicationem
veniret. Domi porrò non modò ſimultatibus ac
iurgiis ſuarum nuruum adflictatus eſt, ſed (quod
longè acerbius erat) filiorum ſuorum diſſidiis,
quorum maior natu Eſauus impius ac truculen- Gen.28.
tus, Iacobũ frugi ac modeſtum ita immitè inſecta-
F batur, vt Iſaacus hũc natu minorẽ neceſſe habue-
rit de domo ſua excludere. Ad eas miſerias ac-
ceſſit, quòd familiã vanis & commentitiis religio-
nibus infectã vidit. eius enim vxor Rebecca ſuper-
ſtitione, quã ex domeſtica patris diſciplina hauſe-
rat, imbuta, dæmonum quorundam imagunculas
ſecum abſtulerat, quibus honores, cultúſque clã-
culum præſtabat. Non diſsimilis filij Iacobi ratio Gen. 25.4
& vita memoratur. nam (vt modo dictũ eſt) ſem-
per ab ineunte ætate ab Eſauo fratre vexatus, do-
G móque patria cedere eſt coactus. cúmque ad La- Gen 29.
banum auunculum profugiſſet, ita duriter habitus 18.
ab illo eſt, vt filiæ ipſius coniugis habendæ cauſſa
ſeptem illi annos ſeruiendum fuerit. vbi nuptiaſi
dies venit, altera in alterius locum ſubpoſita eſt: Gen. 29.
itaque totidẽ rurſus ſeruire annos, alterius habẽ- 23.
dæ cauſſa, eſt coactus, denique totos viginti an-
nos

nos patria profugus, duriſſimam apud illum ſerui-
tutem pertulit. Solet autem Chriſtus Emanuel, ec-
cleſiæ ſuæ cuſtos fideliſſimus, inſignem in inſigni-
bus ſuorum angoribus & calamitatibus conſola-
Gen. 28. 13. tionem adferre. quapropter vt Iacobus Dei præ-
ſidium ſibi præſtò eſſe animaduerteret, ingentes et
ſcalas Deus in ſomnis oſtendit, ad cœlum vſque
pertingentes, quarum in ſummo Deus adſtabat.
per eas autem ſurſum & deorſum angeli inter-
nuntij commeabant: quo viſo Iacobus intellexit,
Chriſtum Deum, eius myſterij magiſtrum eſſe;
Gen. 32. quod angeli eccleſiæ adflictæ vltro citróque adſi-
duè commeantes præſtare ſolent. Huic conſolatio-
ni Deus alteram aliquanto poſt adiunxit. nam
cùm Iacobus in patriam tanto interuallo reuerſus,
quodam die fratrem aduentare, ac iam propè adeſ-
ſe intellexiſſet, veteris ipſius acerbitatis ac trucu-
lentiæ memor, ſummo horrore perfundi cœpit.
eo terrore adfectum Angelus, viri valentis habi-
tu, congreſſus eſt, & tam diu cum eo luctatus, dum
Gen. 32. 24. in ea luctatione victum ſe ſentiens, palam et femo-
ris luxaret, ac poplitem perſtringeret. vnde Iacobo
perpetua claudicatio contigit. Fuit hoc ſcilicet
cum Deo Iehoua, hoc eſt cum iuſtitia & ſeuerita-
te iudicij diuini infirmi hominis certamen, quam
iuſtitiam Iacobus ope Chriſti reconciliatoris ad-
iutus, ſuperauit: vnde Iſrael dictus eſt, hoc eſt, Deo
potentior, indidémque deinceps Iſraeliticus popu-
lus denominatus. Hæc enim ſingularis fuit Ieho-
uæ in Iacobum indulgentia, vt ex eius ſobole pro-
pagaretur ea gens, in qua ſuam Remp. inſtituturus
erat: atque vt eadem ipſius nomine generatim
appellaretur: & cum duodecim in tribus ſiue
præfecturas diuiſa eſſet, ſingulæ tribus ſingulo-
rum ipſius filiorum nominibus deſignarentur. No-
mina autem ipſius filiorum hæc fuerunt: Rube-
nius, Simeo, Leuius, Iuda, Iſſacharius, Zabulo,
Ioſephus, Beniaminus, Danus, Nephthalius, Ga-
Gen. 49. 4. 1. Chro. 5. 1. 2. dus, Azerius. quamquam cum Rubenius propter
inceſtum abdicatus eſſet, Ephramius, & Manaſſes
ex Ioſepho nepotes in eius locum adoptati ſunt.
ex quo intelligi poteſt, Iacobi familiam ciuitatis
ſacræ ſeminarium fuiſſe. Idem tamen aliquanto
Gen. 34. poſt Satanæ opera in acerbiſſimas ærumnas inci-
dit: nam & filiam Dinam vi raptam & conſtupra-
tam audiuit, ac Rubeni filij adulterium cum ſua
Gen. 35. concubina. poſtremò filiolum ſuum Ioſephum, ſe-
nectutis ſuæ ſolatium, ad reliquos filios qui gregis
cuſtodiæ præerant miſſum, à fera dilaniatum cre-
Gen. 37. 41. didit: hoc enim fratres ipſius, qui vetere odio inci-
tati, prætereuntibus quibuſdam mercatoribus il-
lum vendiderant, apud patrem ementiti erant, te-
ſtémque mendacij ſui pueri tunicam hædi ſangui-
ne cruentatam, ad eum pertulerant. Sed inſtituti
noſtri ratio poſtulat, vt ipſius hiſtoriam attin-
gamus.

DE IOSEPHO.

ANNO igitur ab orbe condito 2252. cùm an-
num ætatis XVI. Ioſephus ageret, crudeliter
à fratribus, tantæ ipſius apud patrem gratiæ ob-
Gen. 34. 24. 28. trectatoribus, in ciſternam deiectus eſt, ac mox
mercatoribus in Ægyptum euntibus pro manci-
pio venditus: cum poſteà mercatores regis Pha-
raonis agronomo vendiderunt. Hac in ſeruitute,
ita ſe frugaliter fideliterque geſſit, vt maximam
A ab hero gratiam iniret: nam illius familiam Deus
in Ioſephi gratiam mirandum in modum locuple- Gen. 39.
tabat. verùm hanc eius felicitatem noua & inopi-
nata calamitas obpreſſit: nam hera Potipharis v-
xor, flagitioſo ipſius amore capta cùm adoleſcen-
tis caſtum ac pudicum animum permouere non
poſſet, crudeliter eum apud virum de vi & adten-
tata pudicitia inſimulauit. Hac de cauſſa Ioſephus
in vincula & carcerem abreptus eſt, ibíque annos
B tres concluſus. Quo tamen tempore ita carceris
magiſtro carus atque acceptus fuit, vt ei ſummam
rerum ſuarum omnium fidem haberet, ſuáque
propè negocia omnia concrederet. tandem hac æ-
rumna ita liberatus eſt. Cùm Ioſephus diuinitus e- Gen. 41. 25
doctus, ſomnium quoddam regis Pharaonis per-
commodè interpretatus eſſet, omnéſque iam in re-
gia ſapientiæ ipſius admiratio cepiſſet, Rex ei an-
num tum agenti trigeſimum ampliſſimos hono-
res habuit, totiúſque regni ſui procurationem cō-
C miſit, vt iam primus à Rege tota Ægypto habere- Gen. 41.
tur. cum in tantum honorem euectus eſſet, accidit,
vt ſenex Iacobus, ipſius parens, annonæ penuria
coactus, vna cum reliquis filiis, patria excederet, Gen. 45.
atque in Ægyptum veniret. ab eo Ioſephus de prin
cipio cognoſci noluit: verum aliquanto poſt, mul-
tis cum lacrymis & patrem & fratres amplexatus,
perhonorificè illos ac perliberaliter accepit: annóſ-
que XVII. ſecum habuit. quo toto ſpacio ſuis opi-
bus illorum calamitatem ſubleuauit: diligēterque Gen. 46.
D nobis ad reliquam hiſtoriam huius familiæ migra-
tio notanda eſt: nam (vt paulò antè diximus) à duo-
decim Iacobi filiis, duodecim Iſraeliæ gentis tri- Gen. 48.
bus, de quibus poſterius dicetur, denominatæ ſunt.
Cùm Iacobus ætate confectus, non procul ſe à
morte abeſſe ſentiret, filios ad ſe ſuos omnes con-
uocauit, iiſque ordine, quale cuiuſque fatum eſſet, Gen. 49.
& qualis quemque vitæ conditio maneret, prædi-
xit præſertim autem de Chriſto Emmanuele vati-
cinatus eſt: quem Hebræa lingua SILO nomina- Gen. 49. 10.
E uit, quaſi quis dicat mittendum. Neque ſceptrum
(inquit) à Iuda tolletur, neque Scriba à pedibus i-
pſius, vſque dum Silo venerit, ad quem gentium
erit acceſſio: quo vaticinio perſpicuè ſignificat Iu-
daicæ gentis gubernationem ſemper penes Iudæ
filij ſui poſteros futuram: donec Emmanuel veni-
ret, ſub cuius imperium gentes ac nationes exteræ
ſeſe adgregaturæ eſſent. Etſi autem maieſtatis re-
giæ dignitas quingentis ferè ante Chriſtum annis à
Nebucadnezāre ſublata eſt, tamen reip. admini-
F ſtratio penes eos manſit, qui è Iudæ & Dauidis
ſtirpe prognati erant. Itaque ſceptrum quidem &
coronæ dignitas ademta eſt: Scribæ verò qui ad pe
des regis in ſolio conſidentis adparere ſolebāt, hoc
eſt, ſeptuaginta ſeniores, penes quos ſumma rerum
poteſtas fuit, è ſtirpe Iudæ & Dauidis fuerunt. At-
que hæc quidem ad vaticinij illius intelligentiam
vtiliter fortaſſe, ad hiſtoriæ ordinem præpoſterè
diſputata videri poſſunt. itaque deinceps ad inſti-
tutum redeundum eſt.

G

DE SERVITVTE HEBRÆORVM IN Ægypto.

IN hæc tempora quarta religionis deprauatio IV. Religionis deprauatio.
incurrit: nam etſi Iacobi proles (quam migratio-
nis tempore ſeptuaginta, dumtaxat capitum fuiſſe

A memoriæ proditum eſt)puram de vero Dei cul-
tu conſeruauit doctrinam, tamen Ægyptiorum
contagione,ſenſim infici & corrumpi cœpit: at-
que in illorum vitæ ac licentiæ conſuetudinem
deuenit. Erant Ægyptij naturæ rerum cognoſ-
cendæ ſtudio mirificè ac planè præter cæteros
dediti.itaque dici vix poteſt, quàm periti aſtro-
logiæ rerumque omnium naturalium fuerint.
Qui verò artes illas apud eos profitebantur , &
ſapientiæ ſtudio ceteris antecellebant, populari
B lingua Magi dicebantur:quorum plerique, Sata
nę inſtinctu, pręſtigiis ſe ac maleficis artibus de-
debãt.inde magicæ artes poſtea nominatæ ſunt,
à deſertoribus angelis(vt Tertullianus ſcribit)
repertæ.nam aſtrorũ quidem , motuúmque cœ-
leſtiũ obſeruatio ſummè laudabilis, hominúm-
que ingeniis vel maximè adcommodata vide-
tur.ſed qui ei ſtudio ita dediti ſunt,vt auctorem
atque opificem ipſum obliuiſcantur, & quæ vix
Dei ſolius propria eſt , eam vim aſtris & ſideri-
C bus,tribuunt, ij plerumque in ſummam amen-
tiam &vecordiam incurrunt. Itaque cùm Ægy-
ptij præter ceteros mortales cœleſtium rerum
periti,ac iam quaſi ſemicœleſtes haberi vellent,
iuſto Dei iudicio ita dementati ſunt,atque infra
ſtupidiſſimorum hominum genus abiecti,vt et-
iam beſtias aliáſque res turpiſſimas pro diis ve-
nerati ſint.qua de cauſſa ceteris omnibus genti-
bus (vel Cicerone teſte) ludibrio ac deſpectui
fuerunt.nam vt idem teſtatur,omne ferè beſtia-
D rum genus conſecrauerunt,Boues , equos , ibes,
accipitres,aſpidas,crocodilos, piſces,canes , lu-
pos,feles,ſcarabeos.his cultibus feſtos dies adhi-
bebant , quibus tibiarum ac neruorum cantus,
ludi,cõuiuia,ſaltationes,aliáque publicæ lætitiæ
genera interponebantur : quæ omnia leuium a-
duleſcentulorũ ac muliercularum lenocinia,&
quaſi quædã ad illos cultus illecebræ eſſe ſolẽt.
Itaque mortuo Ioſepho, ſingulari eccleſiæ illius
Gen. 50. 26. doctore ac magiſtro,paulatim Iſraelij conſuetu-
E dine illa imbuti,degenerare cœperũt:præſertim
cùm ab Iacobi migratione ad hanc quartam re-
ligionis deprauatioñe anni circiter ducenti nu-
merẽtur.Euſebius quidem certè annos quinde-
cim ac ducentos numerat,Iudæi vero 210. Cùm
interea puram religionis doctrinam Leuius Ia-
cobi filius & Cahatius nepos & Amramius pro-
nepos,Moſis pater,in ſuis familiolis retinerent.
Gen. 50. 22. Eodem accedebat tyrannis regis Ægyptij. nã cũ
Ioſephus mortem obiiſſet (quod accidit anno
F ætatis ipſius centeſimo decimo:)tum rex nouus
exortus eſt,qui Ioſephũ (vt ſcriptura loquitur)
ignorabat:hoc eſt, Iſraeliæ gentis religionem à
Ioſepho conſeruatam, & à ſuperiore Pharaone
permiſſam, repudiabat. itaque omnibus qui eã
profitebantur tributa imponere inſtituit, & cal
cis & laterum coquendorum operas imperare.
Quin etiam magnam eorum partem in compe-
dibus atque ergaſtulo habuit. Hæc eſt grauis il-
la Ægypti ſeruitus & ærũna,innumeris ſcriptu-
G ræ locis celebrata:quæ tamen Iſraëliis pleriſque
ita non modò tollerabilis, verum etiam ſuauis
videbatur,vt cùm de relinquenda Ægypto & re
ligione alio loco inſtauranda monerentur,iube-
rent ſuos monitores quieſcere, eóſque rogarẽt,
vt ſe Ægyptiis ſeruire ſinerent· tantum iam im-
pietas Ægyptia in illorũ animis inualuerat. Ad

A eã porrò ſeruitutẽ altera Tyranni ſæuitia & cru-
delitas accedebat:nã cùm Iſraëlia gens incredi-
biliter ac planè præter hominũ fidẽ augeſceret,
Pharao grauiter interdixit , ne obſtetrices marẽ
vllum tollerent, ſed in puerperio eos omnes ex-
ſtinguerent.Mirum eſt enim quod ſcriptura te-
ſtatur,cùm Iacobus haud plures ſeptuaginta ſe-
cũ in Ægyptũ abduxiſſet,tamen annorũ circiter Gen. 46.
decẽ ac ducentorum ſpacio nata eſſe non minus 27. Exod.
ſexcenta virorũ millia:neque tamen eo numero 12.17.
B mulieres,marẽſve annis xx. minores contineri. Deut. 20. 22.

DE MOSE.

Ergò vt Moſes natus eſt,mater ipſius tyráni-
cũ illud edictũ verita,tres eum apud ſe mẽ-
ſes clanculũ habuit cùm celari diutius nõpoſſet,
puerum in arculã pice illitã condidit, eúmque
in flumінis ripa ſubpoſuit.neque ita multò poſt Exod. 2.
regis filia lauãdi cauſſa venit , arculámque ani-
maduertit , ac ſimul infantuli pulcritudinẽ ad-
C mirata,educari ſibi illum iuſſit.adultũ poſteà in
filij adoptauit locum,ingenuíſque artibus omni
bus excolendum inſtituendúmque curauit.Erat
Moſes ex abiecta patris Hebræi familia & arcu-
la in fluuium eiectus , in ſummũ honoris gradũ
euectus,ſed longè maior dignitas ei à Deo tribu
ta eſt.nam oraculo Dei totius ei ciuitatis Iſraelię
procuratio mandata eſt, vt eam quaſi coloniã ex
Ægypto abduceret,legitimũque religionis cul-
tum in ea reſtitueret. hic enim eductionis illius
D finis fuit,quemadmodum Deus Exodi v i. teſta-
tur:Eripiam,inquiens,vos ex ærumnis Ægyptiis,
brachioque exerto magnis editis miraculis, li-
berabo.Vos tũ mihi populus eritis:ego vobis vi- Exod. 6.
ciſſim Deus,perſpicietiſque me Iehouam Deum 6.17.
eſſe veſtrum.Hoc magiſtratu. Moſes fretus,quẽ
ſibi à Deo mandatum acceperat , non ita multo Exo. 2.11.
poſt Ægyptium quendam cum Iſraelio rixan- Heb. 11.
tem interfecit. Cùm id notum eſſe quibuſdã in- 24.
tellexiſſet,Ægyptiorum animaduerſionem veri-
E tus,in regionẽ Madianicam profugit, ſeſéque ad Exod. 2.
Iethrouẽ,virũ primarium adplicuit : à quo cùm 15. Heb.
eſſet benignè acceptus ; paſtor illius factus eſt, 11.27.
gregéſque illius in ſyluis ac nemoribus annos Exod. 3.1.
cõplures ductauit.nã eius exilij tempus non mi
nus annorũ quadringentorum numeratur. Vbi Exod. 21.
Iethro Moſis induſtriam ac probitatẽ expertus
eſt,ſuam ei filiã in matrimoniũ collocat. Anno
exilij quadrageſimo exacto,ecce Deus iterum ei
in ſyluis apparuit:iubet vt ſuæ delectę gẽtis prę-
F fecturam ſuſcipiat,eámque coloniã ex Ægypto Exod. 3.
in terram Chananæã traducat: ſimul eidem mã- 10.
dat,vt regi Pharaoni ſua hæc mandata perferat:
ne diutius gentẽ Iſraelitam apud ſe retineat , ſed
eã miſſam faciat , vt Deo ſuo Iehouæ liberè cul- Exod. 4.
tus legitimos præſtare poſſit. Cùm de linguę tar 10.
ditate Moſes quereretur,frater ei Aarõ legatio-
nis ſocius adiectus eſt,triẽnio natu maior.Memo
rabile autem eſt,neque hoc loco prætermitten-
dũ,elogiũ illud quod Apoſtolus his de Moſe cõ- Heb. 11.
G ſcripſit verbis:Per fidẽ(inquit)Moſes iam grãdis 23.
filiæ Pharaonis filius dici recuſauit,vnáque cum
populo Dei vexari maluit,quàm tẽporariis pec-
cati cõmodis frui:probrũ Chriſti maiores eſſe o-
pes arbitratus,Quàm Ægyptiorũ theſauros:futu
ri quippe pręmij remunerationẽ ſpectabat.Cùm
autem fore Deus videret , vt præſtigiatores ma-
gi Moſis

A gi Moſis ſtudium ac pietatem illuderent, omniáque in ſuis veneficiis atque vſitatis artibus poſita eſſe contenderent: Deus Moſem Aaronémque inſtruxit, denunciauitque fore, vt ſummos quoſque magos ac veteratores Ægyptios ſuis artificiis & commutationibus ſuperarent. *[Exod. 4.2. Exod. 7. 10.11.12.]* Itaque vt primùm in Regis conſpectum ambo venerunt, virgam ſibi datâ operâ à Deo traditam in colubrum verterunt, eundémque rurſus in virgam. tum deinde aquas in ſanguinem commutarunt: *[Exod. 7. 17.]* poſt etiam ranis Ægypti vrbes repleuerunt. B quæ tamen omnia Magi quoque ſuis veneficiis atque artibus effecerunt. Magorum quippe ars atque potentia omnis (vt rectè Lactantius ſcribit) Dæmonum adſpirationibus conſtat: *[Lib. de Orig. error. 2.c.15.]* à quibus inuocati viſus hominum præſtigiis obcæcantibus fallunt: vt non videant ea quæ ſunt, & videre ſe putent illa quæ non ſunt. Itaque cùm his miraculis Regis animus non moueretur, grauiores ei Deus ſtimulos admouit. *[Exod. capit. 8. 9. 10.12.]* Nam primum pediculis, tum deinde alio multiplici noxiarum beſtiarum gene- C re, Moſis operâ, vniuerſa Ægyptus repleta eſt: poſt etiam peſtilentia immiſſa: tum vlcera, grando, locuſtæ, tenebræque propè palpabiles: ac poſtremò primogenitorum omnium interitus acceſſit. Hæ ſunt decem Ægypti plagæ celebres: quæ ſimul atque acciderant, ita Tyranni animum permouebant; vt continuò Moſi, quæcunque ab ſe petere vellet, ſeſe facturum promitteret: ſi modò pacem ac veniam ab Iehoua Deo ſuo precaretur. D Verùm vt primùm ærumnæ intermittebant, celeriter ad ingenium Tyrannus redibat: tanta illius proteruitas erat atque pertinacia, cuius obfirmandæ poteſtatem conſultò (vt ſcriptura teſtatur) Deus Satanæ permiſerat, *[Rom. 9. 16 Exo. 9. 17.]* vt glorioſior ex hoſte ſuperbo ac truculento ad eccleſiam victoria rediret.

DE DECESSIONE
EX ÆGYPTO.

[SV. Religionis inſtauratio.] TANDEM Iſraelis Moſes imperat, vt ſeſe ad profectionem, & veræ pietatis inſtaurationem pararent: ſimúlque vt quidquid apud Ægyptios auri atque argenti facti erat, id quaſi ad paucorum dierum vſu commodatò ſumerent. ea laborum ſuorum mercede accepta atque opimis *[Exod. 12.]* crudeliſſimorum hoſtium ſpoliis onuſti, ſeſe ad iter accingerent. Demonſtratum eſt ſuperiùs, virorum fuiſſe ad millia ſexcenta. hi noctis ſilentio egreſſi, furtim ſe ex Ægypto ſubduxerunt, eaq; tota nocte continenter ierunt. F Non longè hinc ecce mirabili Dei beneficio repentè columna illis flammea præire, atque in tenebris prælucere cœpit. interdiu verò ne nimis æſtu conficerentur, altera columna nubila & opaca anteceſſit: *[Exod. 13. 21.]* quæ ſolis ardorem æſtúmque frangeret. Vbi Pharao de hac illorum fuga certior factus eſt, protinus magno *[Exod. 14.]* comitatu ac copiis eos inſectari cœpit. at Iſraelij cùm ad mare rubrum perueniſſent, tum verò admirandam ac planè prodigioſam Dei beni- G gnitatem perſpexerunt. nam mare ſeſe medium illis iter facientibus patefecit, atque ita ſupra infráque conſtitit, vt paries vtrimque directus videretur. ita Moſes per alueum ſiccum copias ſuas traduxit. Cùm Tyrannus iiſdem illos veſtigiis cōſectaretur, aquis ilico coeuntibus obrutus, vnáque

A cum Ægyptiis omnibus deletus eſt. Atque hæc quidem omnia mirabilia fuerunt. verum haud ſcio an illud æquè prodigioſum, quod cùm hæc natio ex illo crudeli ac barbaro ſeruitutis iugo tam admirandis Dei facinoribus liberata, ſingularem et fidem præſtare, ac pietatem deberet: tamen hoc tempore quintæ nobis in eccleſia vaſtitatis notandæ cauſſam præbeat. *[v. Religionis deprauatio.]* tanta quippe illorum immanitas fuit, tā crebræ ac tumultuoſæ obtrectationes, modò ob ſolitudinis vaſtitatem, modò ob diffidē- B tiā pollicitationis diuinæ, modò ob Ægyptiarum frugum recordationem ac deſiderium, vt Deus ea inſania permotus, ſtatuerit eos in illa ſolitudine annos quadraginta totos retinere, vt in perpetuo errore vagarentur; *[Exod. 16. 2. Exod 17. 2. Nū 20.34. Num. 14. 30. Ioſ 5. 8.38.]* neque tamen quiſquam illorum in promiſſam regionem ingrederetur, præter duos ſolos, Chalebum & Ioſuam: quorum egregiam fidem ac temperantiā cognouerat. In hac ſolitudine (inquibat Iehoua) corpora veſtra corruent: omnéſque cenſi ab anno ætatis viceſimo concident.

C

DE MIRACVLIS IN
SOLITVDINE.

LONGVM autem eſſet commemorare, quàm multa miranda facinora Dei in ea ſolitudine extiterint. *[Exod. 17. 6.]* nam ſiue aquæ penuria populus laboraret, Moſes ictu virgæ fontem è rupe percuſſa eliciebat: ſiue delicatiores epulas expoſceret, *[Exod. 16. 13. Num. 11.31.]* tum coturnices de cœlo imbris inſtar pluebant. D Verùm ex his prodigiis omnibus, tria nobis inſigniter, ac præter cætera, notanda ſunt. *[v. Religionis inſtauratio.]* quorum primum fuit diuina legiſlatio, quæ ad quintam religionis inſtaurationem, rempub. benè beatéque conſtituendam, non modò Dei Iehouæ voce pronunciata eſt, *[Exod. 20. Deut. 5. 22.]* verum etiam duabus in tabulis eiuſdem manu perſcripta: *[Exod, 19. 16.]* fuit enim legiſlationis illius adparatus horribilis. tanta quippe paulo ante toto in aere tempeſtas, tot fulgura, tot fremitus, atque horriſoni tonitruum ſonitus E paſſim exorti ſunt, vt mons, ex quo Iehoua loquebatur, cohorreſceret: tum deinde buccinarum clangores vehementiſſimi paſſim auditi ſunt, *[Exod. 19. 19.]* qui populum vniuerſum (erant autem, vt ſæpe iam dictum eſt, armatorum non minus ſexcenta millia) in concionem euocabant. In altera autem legum illarum tabula ſummatim quæcunque ad Dei cultum pertinebant perſcripta ſunt: in altera e quibus humani generis ſocietas & caritas retineretur. Alterum inſigne miraculum hoc fuit, quòd cùm F illa ſolitudo inculta & vaſta, atque ab omnibus frugibus deſerta eſſet, tamen per annos quadraginta totos cibaria populo cælitus adminiſtrata ſunt. Hic eſt cibus ille cœleſtis, qui manna dictus eſt, *[Exod. 16. 14.]* forma non diſsimili (vt ſcriptura teſtatur) à coriandro. eum patres iam, molitum coquebant, placentáſque ex eo ſubcinericias parabant: neque alio cibi genere toto illo (vt ante dixi) quadraginta annorum ſpacio ſunt vſi. Ad hoc porrò miraculum illud accedebat, quod nemini cuiquam G amplius ex ea manna colligere licebat, quàm quātum ad vſum vnius diei domeſticum opus eſſet: ſi quid amplius collectum eſſet noctu computreſcebat: de poſtero quippe die ſolicitos eſſe illos Pater benigniſſimus nolebat. vnde illa nobis ab ipſius Filio præſcripta precationis formula, vt ſibi quiſque diarium, hoc eſt, quotidianum alimentū petat. *[Deut. 15. 2. & 19. 5.]*

Tertium illuſtre miraculum hoc fuit, quod in illo
tam diuturno quadraginta annorum errore nun-
quam cuiuſquam aut veſtis aut calceamentum vſu
aut vetuſtate detritum ſit: ſed omnia integra vſque
ad ingreſſum in terram Cananæam permanſerunt.

DE LEGISLATIONE MOSAICA.

A Tque hæc quidem de miraculis: illud de B
legiſlatione, propter eas quæ poſt ſequun-
tur narrationes accuratius explicandum eſt. nam
bipartito nobis diſtribuenda videtur: vt prior pars
ad religionem, & Dei cultum; altera ad Remp. &
ciuilem ſocietatem pertineat. Vetus enim diuiſio
in Moralem, Cerimonialem, ac Iudicialem, minus
idcircò probanda videtur, quia neque pietas, (quæ
prima & ſumma moralis virtus eſt) vel à cerimo-
niali, vel à morali commodè ſecernitur: neque
C leges vel de ciuitatis ordinibus, vel de agrorum di-
uiſionibus, vel de re militari ſatis aptè ſub illarum
trium partium aliquam referri poſſunt. Religioſa
autem Legiſlatio, partim in interiore & ſpirituali
Deut. 6. 5. cultu verſatur: cuius hoc ſummatim præceptum
Matth. 22. 37. eſt: vt Deus toto pectore, mente, animo, cogitatio-
ne, colatur: partim in exteriore, qui cerimonias, &
ritus continet. Cerimoniæ quadruplices fuerunt:
nam aliæ ad tabernaculum, aliæ ad ſacerdotes, aliæ
ad ciues priuatos, aliæ denique ad victimas pertine-
D bant. Tabernaculum fuit templum mobile, atque
(vt ita dicam) geſtatorium: ea tabularum ſtructura,
vt ab oriente qua patebat aditus, velo tantum &
columnis octo clauderetur: ab occidente octo aſ-
ſeribus: à dextra verò & læua, vicenis: ſic vt latitu-
do duodecim cubitorum eſſet, longitudo triginta.
Exod. 26. 24. In templo interiore penetralis locus erat, velo oc-
cluſus, quod ſummum ſacrarium vocabatur, & Iu-
Heb. 9. 2. dæorum lingua, Sanctum ſanctorum. In eo pene-
trali condita erat arca inaurata: quæ arca fœderis
E proptereà dicebatur, quia fœderis inter Deum &
gentem Iſraëliam ſancti leges in ea recondeban-
tur: nam & binæ in ea tabulæ lapideæ, de quibus ſu
prà demonſtratum eſt, adſeruabantur: ſimúlque
legiſlationis reliquæ omnis volumen. prætereà
mannæ aliquantum ad ipſam arcam aptatum erat,
vnáque Aaronis virga, de qua ſuo loco dictum eſt.
Exod. 26. 34. In hoc interius ſacrarium, nemini omninò niſi ſum
Nu. 13. 10. mo pontifici, & ſemel in anno introire fas erat,
Reg. 8. 9. facto prius ſollemni ad populum ſacrificio, vt cum
F *Heb. 9. 7.* victimæ ſanguine in illud adytum ingrederetur: nã
Exod. 29. 13. 30. 1. illa certiſſima Dei ſedes habebatur. In primo ta-
bernaculi aditu, quod atrium dicebatur, erant aræ
Luc. 1. 10. 11. duæ, quarum altera ſuffitoria, altera victimaria vo-
Exod. 27. 1. 31. 9. cabatur: ſimúlque candelabrum aureum, columel-
lis ſeptem, ſummo artificio elaboratum, & menſa,
Exod. 28. quæ placentas aliquot ſuſtinebat. Ad eius taberna-
culi tectum duplex tentorium, contrà vim imbriũ
ac tempeſtatum paratum erat: quorum interitus lin
teis, ſuperius ſtragulis conſtabat. Iam verò Sacerdo
G tales cerimoniæ dicebantur, quæ ad ſacerdotum
munus, numerum, ętatem, ornatum, annonas: item
quæ ad vaſa & inſtrumenta omnia pertinebant. Ci-
uiles autem ac priuatorum, quæ de cuiuſque ciuis
& priuati religione conſtitutæ fuerant, veluti de ci-
borum generibus, quibus veſci fas eſſet, de morbis
Leuit. 11. 15. 13. 2. de mortuorum cadaueribus. Victimariæ verò, qui-
bus ſancitum erat de ſceleribus expiandis, quæ pro

A quaq; noxia victima cæderetur: de hoſtiis peruſtis, *Exod. 20. 24. 14. 20. 28.*
aut ſemiuſtis, aliiſque generis eiuſdem propè innu
merabilibus: vt non mirum ſit tam anxiè quæſitum
à multis fuiſſe, cùm Deus animo potiſſimum, ac *Leuit. 3. 2. 7. 11. 9. 11.*
ſupplici mente colatur, quorſum iſta vel cerimo-
niarum infinitas, vel cruentorum ſacrificiorum fœ
ditas pertineret? ſed reſpondetur, etſi non eſt hu-
militatis noſtræ rationem exquirere, qua quidque
de cauſſa Deus inſtituerit, tamen nihil alienum, ne
B ab humana quidem conſuetudine videri, ſi Deus ei
genti, quam ex omnibus orbis terræ nationibus ſi-
bi propriam adſciuerat, peculiarem aliquem reli-
gionis modum præſcripſerit, ne vel aliarum gentiũ
impios ac barbaros ritus vſurparet, vel nouos ipſa
ſibi & commentitios fingeret. Deinde cum He-
bræorum natio in oris Arabię deſertis, atque in Æ-
gyptiorum ſuperſtitionibus educata, ſæuitatem na-
turæ quandam à vera pietate alienam imbibiſſet,
rectum fuiſſe illam varia & multiplici rituum ob-
C ſeruatione, quaſi repagulis quibuſdam in Dei cul-
tu occupatam, teneri: præſertim cùm victimarum
ſacrificia idcircò inſtituta videantur, vt miſeri mor
tales eo ſpectaculo commonefierent, totius huma
ni generis mactationem cruciatúſque ſempiternos
propter adſidua ipſius ſcelera, diuinæ iuſtitiæ de-
beri, eiúſque rei documento eſſe tantas ac tam cre
bras humani generis clades, quæ modò ex peſti-
lentia, modò aquarum eluuionibus, ex vaſtitate,
fame, repentinis belluarum eruptionibus, maxime
D verò bellis aut externis, aut ciuilibus, aliiſque fata-
libus accidunt caſibus: neque vnquam earum ma-
ctationum finem futurum fuiſſe, niſi Chriſtus Em- *Heb. 9. & 10.*
manuel ſuorum electorum mactationem ſupplicio
& cruciatu ſuo redemiſſet, cuius quaſi prænuncia
erant illa pecudum ſacrificia. Denique, ne longa cir
cuitione vtamur, verus ille Dei cultus, qui adflictæ
mentis ſupplici veneratione conſtat, cadere in hu-
manum ingenium ſine ſummo diuini ſpiritus adfla
tu non poteſt. tanta autem diuini ſpiritus largitio,
E etſi per ea tempora in priuatos aliquot ac ſingula-
res viros effuſa eſt, tamen non priùs in vniuerſum
eccleſiæ corpus facta eſt, quàm Chriſtus ſupplicio *Ioel. 2. 28.*
illo defunctus, in cœleſte Patris Iehouæ regnum *Ioh. 7. 8.*
adſcendit: vnde nobis conſolatorem ſpiritum (vt *Ioh. 15. 26.*
ipſe loquitur) largè ac liberaliter effudit. Supereſt *Luc. 14. 49.*
vt de ea legiſlationis Moſaicæ parte dicamus, quæ *Act. 2. 2. & 17.*
ad reip. temperationem pertinebat: cuius potiſſi-
ma pars in magiſtratibus conſtituendis poſita fuit, *Deut. 1. & 17. & 21.*
velut in regibus, & cuiuſque tribus præfectis, cu-
F iúſque etiam vrbis prætoribus, qui ius in portis red *Num. 11.*
debant. Reliqua pars in priuatorum perſonis ver- *Exod. 19.* *Ioſue. 14.*
ſabatur: velut in libris, ſeruis, nuptiis, diuortiis; in
agrorum diuiſionibus, qui cuíque tribui in perpe-
tuum adſignabantur: itemque in hereditatibus in
pactis conuentis, in tabulis nouis, quæ quinquage-
ſimo quoque anno fiebant: denique in delictis aut
priuatis aut publicis: cuiuſmodi fuere periuria, *Leuit. 25.*
contumeliæ, in Deum, defectiones à religione, præ *Deut. 13.*
ſtigiæ diuinationum: itémque cędes, adulteria, ſtu- *& 19. & 21. & 25.*
G pra, inceſtus, & quæ ſunt in eodem genere. ſed iam
ad noſtram hiſtoriam redeundum eſt. Huic igitur
deducendæ coloniæ muneri ac labori annos qua-
draginta Moſes præfuit: cui tamen optata regione
frui non licuit, ac ne illius quidem fines continge-
re: nam quod populo inſolentius die quodam pro-
pter aquæ penuriam tumultuante, meritam Deo *Deut. 32. 51.*
gloriam non tribuerat, aliquanto antè populi in
Palæ-

Digitized by Google

Pſal. 105. Palæſtinam aduentum, anno ætatis ſuæ centeſimo viceſimo, vita eum defecit: cùm iam antè ſuperiore anno frater ipſius Aaron extremum quoque vitæ diem morte confeciſſet. Illius cadauer Dei conſilio repentè ex hominum conſpectu remotum eſt, neque vllo vnquam poſtea loco viſum ac repertum fuit: videlicet, ne quod ex eo ſuperſtitionis & cadauerum colendorum initium propter ipſius vitæ ſanctimoniam & ſingularem in ſuo munere fungendo patientiam, naſceretur. Neque verò de Moſe illud ſilentio prætermittendum videtur, multa profanos ſcriptores quamplurimos de ipſius inſtitutis tradidiſſe, quæ ab huius hiſtoriæ veritate abhorreant. nam Strabo lib. XVI. & Tacitus lib. XXI. teſtantur, ſummum eius doctrinæ ac religionis caput hoc fuiſſe, vt homines à ſimulacris omnibus, quibus aut numen aut vis aliqua diuina repræſentaretur, modis omnibus auerteret: nulla enim Deum aut humana aut beluina ſpecie adſimilari poſſe. Iudæi (inquit Tacitus) mente ſola vnúmque numen intelligunt: profanos, qui Deum imagines mortalibus materiis, in ſpeciem hominum effingant. ſummum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum. igitur nulla ſimulachra vrbibus, ne dum templis ſiſtunt. Sed de Moſis & ipſius librorum antiquitate, quænam à profanis auctoribus tradita ſint, copioſè Philo, Ioſephus, Euſebius, Iuſtinus Martyr, itémque Tertullianus, *Lib. 1. 17.* Lactantius, & Auguſtinus expoſuerũt. Itaque deinceps ad inſtitutum redeundum eſt: Deóque im- *Diod. Sic. lib. 1. cap. 12.* mortali gratiæ agendæ immortales, qui ſuis legibus per Moſem traditis, tam benignè nobis, & qualis eſſet, & qualem à nobis cultum exigeret, oſtendit: cùm cæteras gentes profanas in tantis tenebris ac tam fœda ſui numinis ignoratione relinqueret, vt doctiſſimos earum ſcriptores ſuæ amentiæ pudeat. Matrimonia (inquit Plinius) inter deos credi, tantóque æuo ex his neminem naſci, & alios eſſe grandæuos, ſempérque canos, alios iuuenes atque pueros, atricolores, aligeros, claudos, ouo editos, & alternis diebus viuentes, morientéſque, puerilium propè deliramentorum eſt. ſed ſuper omnem impudentiam eſt, adulteria inter ipſos fingi, mox iurgia & odia, atque etiam furtorum eſſe ac ſcelerum numina. Hæc Plinius: cuius ex teſtimonio, non modò de profanarum gentium miſeria, verum etiam de noſtra felicitate ac beatitudine exiſtimare poſſumus: qui legibus iis vtamur, quarum non nugator aliquis & poeta, ſed Deus pater in filio ſuo Ieſu Chriſto per Spiritum ſanctum auctor & promulgator fuit.

DE FORMA REIP. MOSAICÆ.

QValis autem forma fuerit Reip. dum ei Moſes præfuit, paulisper conſiderandum eſt: in quo illud primum ſcire oportet: ciuitatem om- *Gen. 49. 28 Exod. 24. 4.* nem in tribus, ſiue ſatrapias XII. diuiſam fuiſſe: cuiuſque autem tribus fuiſſe opida quamplura: agróſque ac pagos certis regionibus circumſcriptos. præterea ciues incolaſque illarũ deſcriptos *Exod. 18. 25. Deut. 1. 15.* fuiſſe in milliarias, centurias, quinquagenarias, & decimas, quibus, qui præerant Milliarij, Centuriones, Quinquagenarij & Decuriones dicebantur. Poſtremò è ſeniorum numero ſeptuaginta lectos, qui commodè ſenatores dici poſſunt. Illorum porrò quatuor iuriſdictio in leuioribus cauſis diſ- A ceptandis verſabatur: horum ſenatorum in grauioribus, vt de ſumma reip. potiſſimum ad eos referretur. Cùm autem iis conſiliis plærunque Mo- *Num. 33. 16.* ſes præerat, vt illis in conſilium adhibitis reip. conſuleret: tum vero ſi qua cauſſa grauior extra ordinem inciderat, ſolus ipſe ad Deum referebat: at- *Num. 15. 24. & 16. 25. & 17. 21.* que ex ipſius oraculo decernebat. vbi nihil inuſitatum ac præter ciuitatis conſuetudinem acciderat, grauior tamen cauſſa videbatur, tunc publicum populi concilium habebatur, quod Hebræi B agmen populi, nos Comitia ſeu Concilium pu- *Exod. 16. 6. & 19. Leuit. 24. 14.* blicum dicere poſſumus. vt facilè intelligatur eam rempu. ſub Moſis ductu atque imperio fuiſſe, quæ ex tribus generibus regali, optimo, & populari conſtaret: quandoquidem Moſes Dei regis præfectus ac tamquam legatus vicariúſque erat. non enim regis, vel domini nomine illum appellare licebat: nam id ſibi ſoli Deus proprium reſeruabat, *Exod. 18. Iud. 8.* in eóque ſolo totius nitebatur ciuitatis ſalus. dominatum autem & principatum ſibi in eccleſia & C populo Dei, neque Moſes, neque quiſquam Moſi ſimilis, fidelis Dei ſeruus, adrogauit.

DE IEHOSVA.

MOſe mortuo Iehoſuam Deus deligit principatus ac muneris illius ſucceſſorem: eique imperat, vt coloniam illam in terræ Chananææ fines introducat: docet ſe feraciſſimos, ac fructuoſiſſimos illius agros huic ſuæ genti perpetuæ D cauſſa poſſeſſionis adtribuiſſe: & cùm regionis incolæ ſuis ſedibus cedere, atque ipſius imperiis parere detrectarent, ne dubitaret eos vi atque armis cogere, ſuáque poteſtate ſeuerè in illos vti. atque vt ea teſtatior poteſtas eſſet, iubet cum vniuerſo populo inſpectante Iordanem omnem medium intercidere, populúmque per aridum ipſius alueum traducere: quo miraculi genere Moſi quoque (vt *Ioſ. 3.* ſupra demonſtratum eſt) fidem atque auctoritatem, in maris rubri tranſmiſſu, quæſierat. Vt pri- E mum populus tranſmiſſo Iordanis alueo introductus eſt, tum Iehoſua continuò legitimum Iehouæ cultum ac religionem inſtaurare cœpit: nam illo toto quadraginta annorum ſpacio, quibus populus per ſolitudinem aberrarat, intermiſſa circumciſio fuerat. Edixit igitur, vt qui nati in illo errore fuerant, diuinæ clientelæ notam deinceps adiumerent, omnéſque ad vnum circumciderentur: quo tempore ſexta religionis inſtauratio notanda eſt. Breui tempore intermiſſo, cùm ad Hie- *Ioſ. 5. VI. Religionis depranatio: ſimul & inſtauratio.* F richuntem ventum eſſet, vrbem totius regionis longè munitiſſimam: tum idem princeps diuinæ poteſtatis ſuæ documentum huiuſmodi præbuit. buccinatores circum opidi mœnia dimiſit: eóſque in orbem euntes inflare ſuas tubas iuſſit. quo facto, repentè vrbis mœnia, quaſi vi tormentorum diſiecta, corruerunt. At eius regionis principes eorum aduentu permoti, communi conſilio fines ſuos tueri, bellúmque parare inſtituunt. Iehoſua contrà, etſi neque robore militum, neque nume- G ro par eſſet, tamen Dei pollicitatione fretus, vbicumque ſe rei gerendæ occaſio præbuit, paratum ſe ad dimicandum oſtendit. atque vt ſuis demonſtraret, non illud hominum, ſed Iehouæ bellum eſſe, prælio cum Amorrhæis ſuſcepto, prodigium hoc addidit. cum videret ſatis ad pugnam diei tempus non futurum, clata voce Deum Ieho- *Ioſ. 10.*

Ioſ.10. uam obteſtatus, inſpectantibus atque audientibus
omnibus, ſolem eo loco, vbi tum erat (erat autem
meridiei tempus) iuſſit conſiſtere. quo imperio
ſol inhibitus, medio cœlo toto eo die conſtitit.
Hac eadem fiducia poſteà fretus, etſi nondum re-
gionem omnem occuparat, tamen agros eius di-
Ioſ.13.8. uidere cœpit. Erat autem colonia duodecim in na-
tiones ſiue tribus diuiſa, quot ſcilicet Iacobi pa-
triarchæ filios fuiſſe ſuperius dictum eſt, eorúm-
que nominibus appellabantur. Simeonica, Leuia-
na, Iudaica, Iſſachariana, Zabulonica, Beniamini-
Gen.49. ca, Danica, Nephtaliana, Hadica, Azeriana, Eph-
rainica, & Manaſſea: quamquam cum Leuianis ſa-
crorum procuratio mandata eſſet, ac propterea
nullam aut exiguam in agrorum diuiſione partem
Ioſ.14.4. haberent, Manaſſea tribus in Leuianæ locum ſub-
fecta eſt, à Manaſſe Ioſephi filio denominata, quē
Iacobus in Rubeni locum vnà cum Ephraimo
Gen.48.5. fratre adoptarat. Itáque vniuerſam illam terræ
Chananeæ regionem XII. in partes diuiſit, ſingu-
guláſque partes ſingulis tribubus ſortitò adtribuit
Hæc fuit rerum ab Iehoſua geſtarum ſumma, qui
quamdiu principatum tenuit, tamdiu pacem ſuis
ciuibus aut victoriam peperit. durauítque ipſius
Iehoſ. 21. 44 & 24. 31. imperium annos XXXII. quo tempore toto legi-
timæ religionis forma in ciuitate retenta eſt. vbi
annos vitæ centum ac decem compleuiſſet, vita
deceſſit: cùm annus ab orbe condito ageretur cir-
citer MM.D.LXXI.

DE VARIA CONDICIONE RELIGIONIS.

HOc loco eſt operæpretium diuinæ religio-
nis condicionem animaduertere. nam vel
ex hac re ſola, quàm non humanitus regatur, lice-
bit intelligi. A primordio generis humani nulli ei
fines in orbe terrarum circumſcripti fuerant, per-
paucíſque cerimoniis continebatur. poſt, vbi pro-
pter Adami perfidiam ſtirps ac progenies ipſius,
quaſi quodam modo abdicata eſt, tum pauculis
admodum in familiis reſtituta, perangustis earum
finibus continebatur, ſed tamen ſine certæ regio-
nis aut loci alicuius definitione: durauítque hæc
ſecunda illius condicio ad annum mundi MM.
CCCCL. hoc eſt, vſque ad migrationem populi ex
Ægypto: quo toto temporis ſpacio, vera religio
in paucorum hominum familiis retenta eſt, quos
ſcriptura Patriarchas appellat. Verum eo tempore
exacto, tertia religionis conditio ſucceſſit: vt ab
vniuerſa quidem Hebræorum gente teneretur,
ſed certo ac definito loco: nimirum in terræ Cha-
naneæ finibus: quæ conditio per annos M.D.L.
durauit, hoc eſt, vſque ad Chriſti aduentum, qui
incurrit in annum mundi prope MMMM. quo
tempore rurſus prima illa & antiquiſſima reli-
gionis condicio renouata eſt, vt neque familia-
rum, neque gentis, neque loci vllius finibus cir-
cumſcriberetur, ſed paſſim à gentibus nationibúſ-
que omnibus per vniuerſum terrarum orbem,
perexiguis cerimoniis ac ritibus obſeruaretur. E-
ius ergò quadruplicis condicionis tertia ſpecies in
hoc, de quo iam agimus, tempus incurrit: vt in gen
te populoſiſſima, certo ac definito loco, certíſque
ritibus religio coleretur. Sed cùm hanc tantam
religionis propagationem profanæ gentes Sata-
næ furiis incitatæ ferre non poſſent, eiúſque cul-

A tores iniuriis contumeliíſque vexarent omnibus,
Deus principes bellatores huic ſuæ genti adtri-
buit, qui vulgò recepta conſuetudine, Iudices ap-
pellantur: cùm multò commodius liberatores,
aut defenſores dici poſſent: propterea quod ciui-
tatem Hebræorum gentibus finitimis exagita-
tam ſubſidio ſuo liberabant. Neque vero is prin-
cipatus aut hereditate ad quempiam redibat, aut
tribuum ſuffragiis deligebatur: ſed oraculo & cer-
B to Iehouæ mandatu, tenuiſſimis interdum atque
infimæ conditionis hominibus mandabatur. Eo-
rum liberatorum munus hoc erat: primum vt ci-
uitatem in legitimæ religionis præſcripto retine-
rēt: deinde vt finitimorum iniurias ferro atque ar-
mis propulſarent. Principes (inquit ſcriptura) Deus
illis dabat, qui de manibus hoſtium illos eriperēt.
& mox, Vbi Deus illis principem adtribuerat,
ſemper illi præſtò erat, ac ciuitatem toto vitæ *Iud.2.*
principis ſpacio liberabat.
C

DE FORMA REIP. IN TERRA CHANANÆA conſtitutæ.

QVod ſi de forma reip. in Chananæa conſti-
tutæ nonnihil dicendum eſt, non diſſimilem
fuiſſe reperio ab ea, cui Moſes præpoſitus à Deo
magiſtratus fuerat. nam & ſeptuaginta Senatores,
qui de grauioribus cauſſis cognoſcebant, & Mil-
D liarios, Centuriones, Quinquagenarios, Decurio- *Deut.16.*
nes, qui de leuioribus ius dicebant video: atque i- *17.18 19.*
tem cuiuſque tribus ſiue ſatrapiæ præſidem, quem *Iehoſ. 23.*
perpetuo vnum è milliariis fuiſſe, comperio. Sum *& 24.*
mum verò populi ius fuiſſe, hoc eſt, penes publicū
gentis concilium ſummam rerum omnium pote-
ſtatem fuiſſe, cùm multis rebus intelligi poteſt,
tum præſertim ex ea hiſtoria, quam aliquantò po-
ſterius exponemus, de iudicio mulieris impudicæ
à viro in duodecim partes diſſectæ. Nam cuiuſ-
E que tribus ſenatores, hoc eſt, ſeptuaginta viri rem
ad ſuos ciues retulerunt. Ibi placuit vt Publicum
gentis concilium in vrbem Mitſpam indiceretur:
vbi cùm ad ciuium quadraginta millia conueniſ-
ſent, ſancitum eſt vt bellum inferretur. Iudicia au- *Leuit. 25.*
tem in cuiuſque vrbis portis exercebantur, vt pri- *Deut. 21. 8.*
mo quiſque aditu intelligeret, non anarchiā, hoc
eſt, liberè viuendi licentiam in ea vrbe permitti: *1. Chron. 23.*
nam anarchia nominatim lege damnata erat: ſed *Leuit. 25.*
nulli cuiquam in ea commercium dari, niſi qui ſi- *Malach. 2.*
F bi ciuitatis legibus parendum eſſe ſtatuiſſet. Præ-
ter illos ordines, Principis, optimatū, & plebis, qui *Deut. 17. 9.*
de ſumma rerum decernebant, erat alius ordo Le-
uitarum, in quibus ſacerdotes erant, qui ſacrificia *Malach. 2.7.*
obibant, thura Deo adolebant, populo fauſta om *Paral.19. 10.*
nia precabantur, vt diſciplinæ puritatem perpetuò
conſeruarent, & ſi quæ de religione controuerſiæ
naſcerentur, eas eorum principes ex oraculo Dei
diſceptarent. Leuitæ autem cæteri ſacerdotibus
miniſtrabant, leuiora ſanctuarij munia obibant.
G Porrò in ſacrarum rerū numero ne illud quidem *1. Sam. 9. 9.*
prætermittendum eſt: Moſe mortuo alterum *1. Sam. 8.*
quoddam religionis miniſtrorum genus à Deo
inſtitutum fuiſſe, qui primo (vt ſcriptura teſtatur)
Videntes, poſteà verò Prophetæ, ſiue vates ap- *Num. 12.*
pellati ſunt, quorum primus fuit Moſes: hi præter *vt apud*
interpretandæ religionis ac Moſaicæ legis expla- *Ezechiel*
nandæ curam, quæ illis erat cum reliquis ſacerdo- *Zachar &*
tibus *alios.*

tibus communis, proprium hoc & peculiare munus habebant, vt oſtento ac ſpectro aliquo diuino impendentia ciuitati pericula, euidémque liberationes præuiderent, ac tum deinde populo pro concione denunciarent: vt eum ira diuina perculſum, in fide atque officio continerent. Hæc oſtenta vates illi noctu interdum atque in ſomnis, interdum etiam luce, neque tantum mentis, verũ etiam (id quod raró tamen accidebat) corporis oculis cernebant, quod vi quadam diuina ac præter naturæ ordinem accidiſſe neceſſe eſt. ſummæque amentiæ videtur eſſe, certam quandam eiuſmodi ſpectrorum rationem in rerum natura peruestigare. Porrò in concionibus, quas ad populos habebant, diuinę iræ cauſſas exponebant, quas aut in corrupti populi mores, aut in religionis deprauationem conferebant. nam vt præclare ab Ieremia dictum eſt, Deus non ſtudio in mortales ſæuit; ſed eorum ſceleribus ad vlciſcendum impellitur. Poſtcà iidem prophetæ, magna orationis libertate, modò in plebem, modò in ſacerdotes, modò in principes ac reges inuehebantur: ſuarúmque concionum omnium propoſitum hunc finé habebant, vt populum ab anteactæ vitæ turpitudine ad pietatem ac ſanctimoniam reuocarent: eique ad ſanitatem redeunti ſalutem in venturi Chriſti benignitate proponerent. Vbi eas conciones habuerant, tum illarum ſumma capita litteris mandabant, eáque palàm in templi valuis proponebant: vt ea populo cognoſcendi ac recognoſcendi, deſcribendi etiam ac meditandi poteſtatem facerent. Quod cùm ab illis factum eſſet, tum quibus templi cura commiſſa erat, ſcriptas tabulas in templi theſaurum recondebant: vt, cùm vſus veniret, cuiuis depoſcenti eas vel legendi, vel deſcribendi copiam facerent. Qua ex re quantum inter diuinæ religionis adminiſtros, & impiarum ſuperſtitionum pontifices interſit, cuiuis licet animaduertere: cùm hi ſacra ſua occultis atque arcanis myſteriis contineant, quæ in vulgus efferri nefas duci volunt. vnde illa apud Romanos, quæ dicebantur, Fida ſilentia. Propheta verò quidquid ad Dei Iehouę cultum, quidquid ad eum placandum, quidquid ad eius lenitatem, clementiam, miſericordiam eliciendam, aut eiuſdem religionem, ſacra, cerimonias pertinebat, id non modò palàm atque apertè pronuntiabant; verum etiam ſcriptis conſignatum, cognoſci promulgari, ac deſcribi ab omnibus, etiam infimæ condicionis hominibus, volebant. Atque hæc quidem de Repub. Hebræorum hactenus. Sed quanto temporis ſpacio Liberatorum gubernatio durarit, conſiderandum eſt. nam Auguſtinus in ſua ciuitate, annos numerat trecentos viginti nouem, quibus liberatores ei genti præfuerunt. ſed ſi Moſis ac Iehoſuæ principatum addamus, quorum ille annos quadraginta, hic duos & triginta imperium tenuit, ſummam efficiemus vnius & quadringentorum annorum, vſque ad Saulis primi regis imperium. Etſi autem ſtatus ille populi ceteris felicior eſt viſus, ſuas tamen ſæpenumero calamitates habuit.

Lament. 3.

Eſai. paſſim.

Lib. de Ciuit. Dei 18. cap. 20.

Sam. 10. 1.

DE IEHOSVÆ SVCCESSORIBVS.

NAM exiguo poſt Iehoſuæ obitum ſpacio interiecto, iiſque mortuis qui teſtes ac ſpectatores ſummorum in ſolitudine miraculorum fuerant, qui ei ætati ſuccreuerunt, non educati in illis ingentibus Dei miraculis, degenerare cœperunt, ſeſeque variis exterarum gentium ſuperſtitionibus, atque etiam connubiis commiſcere. vnde ſeptima hoc tempore vaſtitas Eccleſiæ nata eſt. Tum enim Meſopotamiæ rex Chuſanius diuinitus excitatus eſt, qui perfidiam illã ferro atque armis coërceret: durauítque hæc Syriaca vexatio, annos octo. Iis exactis, magníſque exhauſtis calamitatibus, Deus gentem ſuam miſertus Othonielem ei liberatorem tertium adtribuit: cuius principatu ciuitas tot malis adflicta, magnoperè recreata eſt. nam cùm veræ religionis cultum Othoniel reſtituit, tum etiam quietem atque otium reipublicæ ad annos quadraginta peperit: quo tempore ſeptima eccleſiæ inſtauratio numerari poteſt. Othoniele vita functo, populus denuò ad ſuos mores, veterémque inſaniam, & vicinarum gentium ſuperſtitionem rediit. tãta tũ humani ingenij in legitimo Dei cultu retinendo imbecillitas fuit. Itaque rex Moabitarũ Eglon impulſore Deo exortus eſt, qui duodeviginti annorum ſpacio impietatem illã acerrimè vehementiſſiméque caſtigauit. Eas tandem miſerias leuait Ehudij liberatoris quarti principatus: qui etſi dextra manu mancus erat, tamen hoc artificio magnum ac memorabile facinus edidit. Erat Eglon vaſto ac ventroſo corpore. venit ad eum Ehudius, ſignificans ſe Dei mandatũ habere, quod illi ſe cretò atque in occulto enunciare vellet. Tyrãnus remotis omnibus ſeſe in cõclaue cum illo ſolo recepit. ibi tum Ehudius ſiniſtra gladiũ arripuit, atque in obeſum Tyranni ventrẽ adegit: quo facinore octauam eccleſiæ inſtaurationem peperit: quam annos octoginta durasse, ſcriptura teſtatur: in quibus tamen vnus ille annus memorandus eſt quo Sangarius liberatoris quincti munere eſt functus. eius Sangarij mirificũ facinus illud memoratur, cùm ſexcentos Palæſtinos hoſtes Hebræorum perpetuos arrepto lingurio, ſiue ſtimulo boario, profligauit. ex quo intelligi debet, gentis illius liberationes, non militum virtuti ac numero, ſed vnius Dei benignitati & miſericordiæ tribuendas eſſe. Horum liberatorum mortem nona vaſtitas eccleſiæ conſecuta eſt. nam Hebræi rurſus abiecta Dei religione vanas finitimarum gentium ſuperſtitiones amplexi ſunt. tanta eſt (vt modò dicebamus) naturæ humanæ ad ſuperſtitionem & idololatriam procliuitas. Hac de cauſſa Iabinum Chananæorum regẽ Deus excitauit, qui eam inſaniam caſtigaret, gentémque perfidam annorum viginti ſeruitute oppreſſam teneret: à qua tandem principatu Deboræ matronæ, quam Deus ſextam populi liberatricem creauit, erepti ſunt. Fuit hoc videlicet arcanum Dei cõſilium: vt iſti liberandi muneri nonnunquam viros fortes ac ſtrenuos, interdum homines infimos ac humiles, nunnunquam etiam mulieres præficeret. Quo ex conſilio perabſurdum eſſet, regẽdarũ rerumpublicarum regulam ac diſciplinam inducere: cùm ſatis conſtet, Hebræorum remp. non hominum ratione atque conſilio, verum Dei ſolius arbitratu ac ſapientia gubernatã fuiſſe. ſed multo abſurdius eſſet, ex hoc Deboræ argumento, de mulierum principatu ratiocinari. Nam etſi mulieres virorum ſuorum poteſtati ac imperio omnino ſubiectæ ſint: tamen ſi quarundam gentium inſti-

Iud. 2. 10.

VII. religionis deprauatio.

Iud. 3.

VII. religionis inſtauratio.

VIII. religionis deprauatio.

VIII. religionis inſtauratio.

IX. religionis deprauatio.

tutis ac moribus comparatum eſt, *vt mulierum imperio regantur, id eſt, ſi qua natio ſua voluntate ſummam imperij ad mulierem aliquã detulit, nihil eſt quod contrà ex hoc argumento diſputari poſſit. Huius igitur Deboræ principatu religionis diſciplina redintegrata eſt, vt iam hoc tempore nona Eccleſiæ inſtauratio numerari poſſit. Nam cùm bellum Hebræis Chananæi inferrent, Debora Barachum fortem & magni conſilij virum delegit, eúmque exercitui præfecit, cuius ductu atque imperio magnæ Chananæorum copiæ cæſæ ac profligatæ ſunt. inchoatam à fœmina victoriam, altera cumulauit: nam cùm dux hoſtium Siſſara à prælio fugiens, animóque perterritus, ac laſſitudine confectus, ſeſe in caſam Hebræi cuiuſdam latitãdi cauſſa recepiſſet, vxor Hebræi Iahela, lacte illũ ſopitum ac iacentem, clauo in tempus adacto, confodit: ſimúlque præciſum ipſius caput, & in cruore volutatum Baracho fugientes hoſtes proſequẽti victoriam, ei gratulans obtulit. Tenuit autem Debora principatum, annos quadraginta, quibus interiectis redit denuò populus ad ingenium, & nefarios dæmonum cultus. ſed eius defectionis ſultrò vindices exorti ſunt, Madianici, Amelechij, & Iſmaelitæ, qui grauiſſimum de illa perfidia ſupplicium annorum ſeptem ſpacio ſumſerunt, ſceleratæque gentis vecordiam omni acerbitatum genere multarunt.

xx. religionis inſtauratio. *Iud. 4. 6.* *Iud. 4. 17.* *Iud. 5. 31.* *Iud. 6.*

DE PRINCIPATV GEDEONIS.

QVA de cauſſa decima hoc loco eccleſiæ vaſtitas numeranda eſt; cui finem attulit Gedeonis virtus: qui tum à Deo ſeptimus populi liberator eſt datus, cùm rei ruſticæ ſtudio intentus fortè tum in area frumentum excuteret. Primùm enim Baalis ſimulacrum, aram, ac ſacellum euertit, tum Iehouæ aram ſtatuit, in qua victimas legis præſcripto mactauit, legitimóque religionis cultus reſtitui: vt eo tempore decima religionis inſtauratio numerari poſſit. Sed cum multa in Gedeonis hiſtoria memoratu digna ſunt, tum illud in primis, quòd innumerabiles Madianicorum copias, non vi ac virtute militum, ſed arte & ratione deleuit. Erant amplius triginta armatorum millia, quos in aciem Gedeon aduerſus Madianicos eduxerat. hos omnes Iehoua iuſſit è caſtris excedere, præter trecentos, ne forte (inquibat) victoriæ laudem Hebræi ſuo robori ac numero acceptam ferant. Simul edixit, vt ex hoc numero ſinguli buccinam dextra caperent, ſiniſtra vrceolum, in quo lychnus ineſſet. hos quid fieri vellet edocet. Nocte intempeſta, vbi ex ſpeculatoribus intellectum eſt, quieti ſe hoſtes ac ſomno dediſſe, tum buccinatores illi trecenti ſilentio ad caſtrorum portas accedere, ſuáſque de repente buccinas vehementer inflare: comminutíſque amphoris lychnos ſiniſtra manu agitare cœperunt, clamorémque ingentem repentè variis in partibus tollere, atque his verbis vociferari: gladius Iehouæ, gladius Gedeonis. Eo repentino tumultu ingens totis hoſtium caſtris terror iniectus eſt. cùm iam permixtos hoſtes exiſtimarent, & neque cognoſcendi quid fieret, neque ſui colligendi facultas eſſet, vt gladiis ſubitò diſtrictis alij in alios irruerent, neque prius cædendi, concidendíque finem facerent, quàm centum

x. Religionis calamitas: & x. eiuſdem inſtauratio. *Iud. 6.* *Iud. 7. 2.* *Iud. 7. 16.* *Iud. 7. 9.*

A ac viginti eorum millia interirent. Principatum autem Gedeon annos quadraginta tenuit, ſenióque confectus è vita migrauit anno mundi M. M. DC. L X X X V I I I. Eius mortem vndecima eccleſiæ vaſtitas excepit: rurſus enim populus a legitima religione ad dæmonum cultus deiecit, ſuæque inſaniæ ducem ac principem Abimelechum habuit, Gedeonis ex concubina filium, qui communicato cum Sichemitis conſilio ſexaginta no- B uem Gedeonis filios fratres ſuos obtruncauit: regnúmque gentis Hebrææ occupauit. Verum haud ita multò poſt graue inter Abimelechum & Sichemitas diſſidium exarſit: quo incendio ſcelerati omnes illorum conatus conciderunt. Tyrannus arcem quandam oppugnans fragmento mulæ à muliercula in ipſius caput adacto ſauciatus, mox à ſatellite ipſius rogatu trucidatus eſt. neque triennio amplius Abimelechi tyrannus durauit: à qua ciuitatem liberator nonus Thola eripuit. nam iu- C ſtorum cauſſa, pſeudoliberatori Abimelecho locus octauus adſcribitur. Hic ſaluam (vt ſcriptura loquitur) ciuitatem fecit, hoc eſt, ab ærumnis & hoſtium iniuriis liberatã ad pietatem, rectúmque Dei colendi ſtudium traduxit: vt rectè ſub illius principatum, qui annos X X I I I. durauit, vndecimã eccleſiæ reſtaurationem referre poſſimus. Ei ſucceſſit decimus populi liberator, ſiue potius cuſtos & conſeruator Iairus. Etenim cũ in ſumma pace atque ocio ciuitatem annos viginti duos habuit, D tum etiam in vero legitimóque Dei cultu continuit. Iſque reip. ſtatus fuit adúſque annum ab orbe condito circiter M M O. C C X X X V I. quo tempore noua calamitas exorta eſt. nam ciuitas ocio illo vitæque proſperitate abutens, denuo ad impuras vicinarum gentiũ ſuperſtitiones relapſa eſt. qua de cauſſa Palæſtinis atque Ammonitis in ſeruitutem eſt tradita: quę ſeruitus annos X V I I I. durauit: quibus ciuitas legitimo principe ac liberatore orbata miſerandũ in modum exagitata eſt: vt eo tem- E pore duodecima eccleſiæ vaſtitas numerari poſſit.

Iud. 8. 28. *xi. Religionis corruptela.* *Iud. 9. 23.* *Iud. 9. 53.* *Iud. 10.* *xi. reſtaurata.* *Iud. 10. 6.* *xii. Eccleſiæ calamitas.*

DE IEPHTA ET EIVS VOTO.

EAM calamitatem ſedauit liberator vndecimus Iephta, homo tenuis, nothus, itque à ſuis deſpectus: cùm enim ea ſeruitute fractus ac domitus populus ſeſe à ſuperiorum annorum impuritate ad Dei clementiam implorandam traduxiſſet, F Iephta conſcripto exercitu bellum Ammonitis intulit, quos breui tempore ingenti prælio fractos profligauit. vt in id tempus X I I. religionis inſtauratio conferri poſſit. Verum hanc victoriam duplex interpellauit calamitas, quarũ prior hæc fuit. Iephta conſcripta exercitu vouerat, ſe, quod primum ſibi à victoria redeunti domo egreſſum occurreret, Deo bellipotenti mactaturum. prælio ſecundo facto domum redeunti, prima gratulans ei venit obuiam vnica filia, virgo eximia. hæc com- G miſſa deuotio, mœrore ac lacrymis omnia compleuit: vicit tamen voti ſanctitas, aut potius ſuperſtitio. nam (vt ſcriptura loquitur) fecit ei ſecundum votum quod vouerat: quibus ex verbis immolatã virginem fuiſſe Ioſephus, Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, aliíque complures exiſtimarunt: non quo parentis factum comprobent: Nam voti temeritatem, exſoluendi temeritas duplicauit.

Iud. 11. *xii inſtauratio.* *Iud. 11. 39.*

Hoc

Hoc autem argumento poetæ fabularum archite-
cti, celebrem illam fabulam confinxerunt, de Iphi
genia, quam à patre Agamemnone immolatam
tradunt: quo loco Lucretius exclamat:

Lucret. li. 1. *Tantum religio potuit ſuadere malorum.*

quaſi verò nihil inter religionem & ſuperſtitio-
nem inter ſit: cùm illa Dei lege & præſcripto con-
ſtet, hæc verò hominum conſilio & fraudibus ex-
cogitata ſit: quorum arbitrio cultum & obſequiũ
Deo fingi præſertim ab illius præſcripto alienum,
annon ſummæ ac planè deſperatæ amentiæ eſt. Al-
tera maior multò ac tætrior calamitas fuit, belli ci-
Iud. 12. uilis diſcordia: nam Ephraimica tribus repudiato
Iephtæ imperio ab eo defecit, armaque aduerſus
illum comparauit. neque ita multò poſt acerrimũ
inter ipſas conſanguineas tribus prælium commiſ-
ſum eſt; quo prælio cæſa ſunt Ephraimitarum qua-
Iud. 12. 7. draginta duo millia. Tenuit autẽ principatũ Ieph-
ta ſex annos: ac moriens ſucceſſorem Ibzanium re-
liquit, quem Abeſſam Latini nominarunt, qui duo-
decimi Liberatoris munere annos ſeptem functus,
ſucceſſorem habuit Elonem: qui cùm annos de-
Iud. 12. 8. cem principatum tenuiſſet, decimum quartum Li-
Iud. 12. 12 13. beratorem reliquit Abdonem, à quo ciuitas octo
annorum ſpacio adminiſtrata eſt. Neque aliud
quicquam de illorum trium principatu ſcriptura
commemorat: vt iudicari coniectura poſſit, pla-
cidum per illos quinque & viginti annos ciuitatis
ſtatum fuiſſe. At iis tranſactis populus denuò ad
priſtinam inſaniam relapſus, & in nefario commẽ-
Iud. 13. titiorum Deorum cultu volutatus eſt. quæ tanta
vanitas, non mirum eſt ſi eui admiranda, monſtri-
que ſimilis videatur. neque dubito quin ægrè fi-
dem apud multos reperiret, niſi ſimillimam hoc tẽ-
pore pluribus in locis Chriſtianæ religionis cõdi-
cionem videremus, quæ vix ſine incredibili acerbi-
tate hominum & iracundia ferri poteſt: tametſi piis
quidem hominibus ac Deum timentibus nihil ea
ſuauius videatur: quemadmodum nos Chriſtus ad-
monuit, ſuaue ſuum eſſe iugum atque onus leue.
Ioh. 4. 24. Quidnam igitur eſſe dicemus cauſſæ, niſi quod
ceteris religionibus ſpecie & oſtentatione defun-
gi licet: huic ſatisfieri, niſi caſta & pura mente at-
que intimo animi adfectu non poteſt. quæ tanta
ſinceritas in naturam humanam, quæ fuco, ſimula-
tione, & mendacio tota ferè conſtat, non cadit. Ad
rem autem vt redeam, ea perfidia intolerabili Deus
commotus, Palæſtinos excitauit, qui vanitatem il-
lam impiam ac nefariam acerbiſſimè diutiſſiméq;
mulctarunt: neq; ea vexatione lõginquior vlla toto
hoc reip. ſtatu, hoc eſt, ſub liberatorum imperio
Iud. 13. 1. memoratur: annos enim quadraginta durauit;
quos ab hoc tempore ineundos, ſatis dilucidè ſcri-
XIII. Eccleſia calamitas. ptura oſtendit. qua de cauſſa huc in locum XIII.
eccleſiæ vaſtitas referenda eſt: cui tamen magna
Iud. 13. 25 ex parte Samſonis principatus, qui decimus quin-
tus Liberator fuit, remedium adtulit.

DE SAMSONIS PRINCIPATV.

Iud. 13. FVIT autem Samſon præter vſitatam hominum
conſuetudinem genitus: eius enim ſterilis antè
mater naturæ vitio fuerat: multique in ſcripturis
hoc extraordinario modo geniti memorantur, qui
ſingulares viri, ac planè eximij Dei Iehouæ mini-
ſtri fuerunt: velut Iſaacus, Samuel, Iohannes Ba-
ptiſta. itaque magnum quendam naſciturum he-
roëm, iam tum matris grauiditas portendit. Ac
principio illud de Samſone obſeruãdum eſt, quod Num. 6.
Nazaræorum ſectam ac diſciplinam eſt ſecutus:
quorum hoc triplex votum atque inſtitutum erat:
vt ne quid quod inebriandi vim haberet, biberent:
vt capite intonſo eſſent: denique vt nullis ſe exſe-
quiis, ne paternis quidem, funeſtarent. Hanc illi vi-
tæ conditionem ſollemni voto, ſibi ad certum tẽ-
pus indicebant. Fuit præterea Samſon diuino con-
ſilio ſummis corporis viribus pręditus. itaque puer Iud. 14.
ſpiritu Dei adflatus, leonem, qui ei in via forte oc- Iud. 16. 3.
currerat, laniauit: poſt grandior factus, cùm in vr-
be Gaza incluſus atque ab hoſtibus obſeſſus tene-
retur, noctu portæ vnius valuas humeris ſublatas,
in proximum montem deportauit. Huic robori Iud. 15.
adiunctam quoque ſolertiam habuit. itaque cum
iniuria quadam à Palæſtinis adfectus eſſet, trecen-
tas vulpes (quarum illa regio ferax) caudis inter ſe
funiculo deuinctis adligauit, mediámque caudis ſti-
pulam inuoluit. poſt eductas vulpes in hoſtium ſe-
getes immiſit, quæ incendio excitato, conflagra-
runt. Videntúrque poetæ, Satanici illius auctoris
ſui adflatu incitati, Carſeolanæ vulpis fabulam ex
eo argumento confinxiſſe; de qua eſt apud Oui- Lib. faſt. 4
dium:

Is capit extremi vulpem conualle ſalicti
(Abſtulerat multas illa cohortis aues.)
Captiuam ſtipula, fœnóque inuoluit, & ignes
Admouet: vrentes effugit illa manus.
Quà fugit, incendit veſtitos meſſibus agros:
Damnoſis vires ignibus aura dabat.

Porrò aliud quoque Samſonis virium ſpeci- Iud. 15. 14 15.
men traditur: quòd cùm ab aduerſariis noctu in-
quieto funibus duobus recentibus reuinctus eſſet,
nullo negocio ſeſe inde extricauit: atque in hoſtes
irruens, aſini maxilla fortè arrepta, mille ex iis tru-
cidauit. Obſeruandum eſt autem, quod ſcriptura Iud. 16. 17
tradit, vim iſtam tantam in ipſius capillitio fuiſſe,
ſic eſſe intelligendum, quaſi dictum eſſet, in illo in-
ſtituto Nazaræo: cuius inſigne & nota erat, demiſ-
ſa cæſaries. Nam robur à Deo concedebatur, ſed
concedebatur pietati ac ſacro inſtituto, cuius inſi-
gne fuit, capillitium. eiúſque rei argumentum fuit,
quod ſimulatque Samſon ſeſe, voti ſui oblitus, libi-
dini, ac ſcortationi tradidit, meretrix Dalila co- Iud. 16. 20.
mam ei dormienti totondit, ſimúlq; vinctum illũ
& comprehenſum Palæſtinis præbuit: ei vincto Pa-
læſtini vtrumque oculum effoderunt, ac mox in
conuiuiis eo cæco pro ludione ſunt vſi; vſque dũ
renaſcentibus capillis, & vnà cum capillis voti at-
que officij ſui recordatione, robur ei benignita-
te Dei reſtitui cœpit. Itaque cum in quoddam prin-
cipum conuiuium, quo frequens populus ſpectan-
di cauſſa conuenerat, pro ridiculo ac delectamen- Iud. 16. 28
to adhibitus fuiſſet, ludibundus ad columnas ac-
ceſſit: quibus arreptis domũ euertit, atque hoc pa-
cto nihilo magis ſibi quàm hoſtibus parcens, om-
nibus ſimul exitium adtulit: qua ex hiſtoria intelle-
ctum eſt, liberationem populi nihilo magis ex
robore & viribus hominum, quam ex eorundem
tenuitate, qualis in ſuperioribus aliquot principi-
bus fuerat, verùm ex Dei ſolius clementia & be- Heb. 11.
nignitate pẽdere. Ceterum cùm Samſon inter bo-
nos ac ſalutares principes in epiſtola ad Hebræos
ſcripta numeratur, non dubitarem ſub eius magi- XIIII. Eccleſia quies
ſtratum XIIII. quietem eccleſiæ referre. Durauit

autem ipſius principatus annos XX. cui finem ea, quam modo expoſuimus, mors attulit, cùm annus ageretur mundi MM.D.CC.VI. al. 2810.

DE STATV REIP. DISSOLVTO, ET ANARchiæ non abſimili.

Iud. 17. 6. Qvo anno miſerrimum ac planè luctuoſiſſimum tempus exortum eſt: nam in ciuitate B ſummus magiſtratus, publicique concilij rector eſſe deſiit: cœpitque ferè is tum eſſe ſtatus, qui à Græcis ἀναρχία dicitur: cùm ſuo quiſque arbitrio liberè ſine ſummi magiſtratus metu viuit: quæ li-
Deut. 17. bertas vitæ, ac potius confuſio, ne vnquam in ciuitate toleraretur, nominatim in legibus ciuitatis ſancitum fuerat. nam etſi ſuos quæque tribus ſena-
Iud. 9. 6. & 10. 18. tores, & milliarios, ac centuriones habebat, ſummus tamen publici concilij princeps, quales anteà Deus conſtituerat, per id tempus deerat, C vt mirum non ſit, ſi, vt in defectione ſolis omnia tenebris op-
Iud. 18. 19 plentur, ſic in principis à Deo conſtituti defectione, perdita viuendi licentia, quaſi in cæca noctis caligine, dominaretur. itaque vaſtitatem in eccleſia
XIIII. Religionis deprauatio. decimam quartam in hoc tempus referre poſſumus. E multis autem flagitiis, quibus tum ciuitas contaminata eſt, vnum propter atrocitatem commemorabimus. Vxor Leuitæ cuiuſdam malis iam
Iud. 19. anteà morata moribus, neque ſatis ſuę famæ ac pudicitiæ conſulens, die quodam vi à Gabaitis com- D pluribus compreſſa, ac toties conſtuprata eſt, vt in ea fœditate examinaretur. Leuita, qui magiſtratũ, ad quem auxilij ergò confugeret, non habebat, cadauer vxoris duodecim in partes diſſecuit: earum ſingulas in ſingulos ciuitatis pagos ac tribus miſit: neque aliud quidquam nunciari iuſſit, ſatis ea re in-
Iud. 19. 8. tellectum iri ſperans, ſe Dei atque hominum fidẽ implorare. hoc ſpectaculo permotæ tribus gentis totius concilium indicunt. eò cùm veniſſent omnes, præter vnam Beniaminicam, communi conſi- E lio decernunt, vt niſi ſceleris auctores dedãtur, bello atque armis tantum facinus vindicetur. vbi condicio repudiata eſt, repentè Iſraelij coactis copiis, quadringenta hominum millia in aciem educunt. Beniaminij contrà viginti ſex millia & ſexcentos. primo prælio victa bona cauſſa eſt: ceciderе ex Iſraelitis vigintiduo millia. breui tempore interiecto, alterum denuò prælium committitur: pereunt ex iiſdem millia duodeuiginti, cùm tamen è Beniaminitis vix mille vtroque prælio deſideraren- F tur. Ex quo intellectum eſt, nequaquam ex præliorum euentu de cauſſæ bonitate iudicandum eſſe, quod perſæpè bona cauſſa vel ferocitate militum, qui victoriam in ſuis armis poſitam arbitrantur, vel aliis vitiis læditur. His tot fracti cladibus Hebræi, animóque conſternati, pacem ac veniam à Deo Iehoua petierunt; quo placato freti miſericordia ipſius, rurſus ſe ad dimicandum animo cõfirmant. itaque tanta eorum virtus, atque alacritas fuit, vt hoſtium interfecerint viginti quinque G millia octingentos. neque vlla interpoſita mora, priuſquam ſe hoſtes ex pauore & fuga reciperent, eorum opida atque agros latè incendio vaſtarunt. hic anarchiæ fructus fuit: tametſi non eſt Iſraelia ciuitas, ſic etiam eccleſia magiſterio ac præfectura caruit. nam per id tempus Helius ei ſacerdos
1. Sam. 1. 9. ſummus præfuit, qui propterea populum iudi-

A caſſe dicitur, cum tamen ſolius religionis procurationem haberet. Veruntamen ea ex re intellectum eſt, quàm vtilis atque opportuna ſit eccleſię, quantumuis bonâ doctrinâ inſtitutæ, magiſtratus auctoritas: quod eccleſiaſticæ diſciplinæ vinculum eſſe firmiſſimum, multis ſæpè experimentis compertum eſt. Durauit autem Helij pontificatus annos quadraginta: quo ſpacio non admodum florens eccleſiæ ſtatus fuit. nam & rarò tum oracu- *1 Sam. 4. 10.*
B la edebantur, magnáque prophetarum erat paucitas: quinetiam Helij filij qui propter domeſticæ *1. Sam. 3.* diſciplinæ rationem vitę ſanctimonia prælucere aliis debebant, perditis ac profligatis moribus exemplo peccabant. Itaque cum Hebræi bellum in Palæſtinos mouiſſent, atque arcam fœderis ſanctitate ipſius confiſi, ſecum in aciem eduxiſſent, duobus acerbiſſimis præliis grauiſſimè offenderunt. non enim arcam idcircò Deus inſtituerat, quaſi ex tabulæ quibus compacta erat, per ſe ſa-
C cro ſanctæ eſſent, ac vi ſua cladem aut terrorẽ hoſtibus adferre poſſent: verum vt nota quædam eſſet diuinæ præſentiæ, tantiſper dum Hebræi pro *1. Sam. 6. 1.* ſua parte fœderis ſanctitatem ſeruarent. itaque violato fœdere, omnis repentè vis arcæ concidit: captaque à barbaris, & ſeptem menſes retenta eſt: ſimulq; duo Helij filij trucidati ſunt. eo nuntio miſer parens accepto, repentè de ſella reſupinus con- *1. Sam. 4. 17.* cidit, fractáque ceruice examinatus eſt. Miſerũ ac ſempiternum parentibus documentum præbens,
D quantoperè nimia in liberos lenitas atque indulgẽtia vtrique periculoſa ſit. ſed de arcæ ſacrario illud memoria dignum eſt, quod cùm Palæſtini gaudio & lætitia elati ac iam triumphantes, eam in Dagonis dealtri ſui fanum, quaſi victoriæ ſuæ tro- *1. Sam. 5. 2 & 3.* phæum ac monimentum collocaſſent, confeſtim *1. Sam. 5. 6. 7. 8. 9. & 6. 19.* Dagonis ſimulacrum de ſua ſede collapſum corruit, & quamcumque in vrbem arca deferretur, tanta repentè morboſum lues exardeſcebatur, vt his tot repentinis malis barbari conterriti, conſilium ce-
E perint eam ſuis remittere. tanta tum diuinitus ei ſacrario tributa vis eſt, ſimulatque populus animo commutato, fœderis ſanctitatem religioſius colere inſtituit.

DE SAMVELIS PRINCIPATV.

Samsoni mortuo Samuel ſucceſſit, deci- *1. Sam. 7. 6.* mus ſextus populi liberator, cuius principatu
F eccleſia ſuperioribus malis adflicta, maiorem in modum recreata eſt: vt iam in hoc tempus XIIII. religionis inſtauratio referri poſſit. ſuperſtitio- *XIIII. Religionis inſtauratio.* nes enim, ſacráque dæmonum omnia ſuſtulit, veræque religionis diſciplinam reſtituit. tum deinde arma in Palæſtinos mouit, quos tamen acie iam vtrinque inſtructa ad pugnam accinctos ac paratos, cùm repentino tonitru diuinitus immiſſo *1. Sam. 7. 10. 14.* perterritos animaduertiſſet, nullo negocio deleuit, amiſſáſque ſuperioribus bellis vrbes virtute
G recuperauit. Hanc tamen illius victoriam ac felici- *1. Sam. 8. 3. 5.* tatem liberorum infamia conturbauit. Cùm enim ætate adfecta eſſet, Iohelem & Abiam filios populi Liberatores conſtituit. at ij longè à parentis probitate ac iuſticia degenerantes, acceptis (vt ſcriptura teſtatur) in magiſtratu donis, omnia diuina & humana iura peruerterunt. ea de cauſſa Hebræi conſilium ceperunt de ſtatu reipub.

commu-

commutando, vt quemadmodum finitimę gentes A
regum imperio regebantur, ſic ipſi ſuum regem
ſummo cum imperio ac poteſtate, regali maieſta-
te ac ſplendore, haberent. Ea nimirum hominum
ingeniis innata eſt immanitas, vt conſilio ſe putent
& ſapientia plus ſcire ac prouidere, quàm Deum
ipſum. Sibi inſitum illud à natura vitium acuit fi-
nitimarum, hoc eſt, profanarum ac barbarum gē-
1. Sam. 8. tium exemplum, quemadmodum ſcriptura per-
6.7. ſpicuè teſtatur: quo grauius atque acerbius hanc B
populi inſaniam Samuel tuliſſe dicitur, quod ea
reip. forma, quam Deus pro ſua ſapientia conſti-
tuerat, non contentus, profanarum gētium mores
diuinis inſtitutis anteferret. itaq; hac illorum in-
ſolentia Deus permotus, principio regum exte-
rorum, hoc eſt, tyrannorum iura eis proponi impe-
rauit: nam quod iam longinqua conſuetudine in
gentibus exteris inueterauerat, vulgato nomine,
Iura appellat: cùm id demum in litteris ſanctis ius
dici conſtet, quod nominatim Dei voce pronun- C
ciatum eſt. Hanc tamen populi proteruitatem lō-
go antè tempore proſpiciens Deus, remedium
tanto ante pararat. nam lege in ſolitudine lata
Deut. 17. ſanxerat, vt ſi quando populus regem ſibi vi-
14.18. cinarum gentium exemplo poſceret, tum his
legibus crearetur. Primùm, vt ſacrarū litterarum
volumen, ſacerdotum manibus deſcriptū, atq; ab
iiſdem ſolemniter ei traditum, quotidie in mani-
bus haberet, néve vllū diē ſine ipſius lectione in-
termitteret: deinde, vt leges in eo libro, tū ad reli- D
gionē, tum ad ciuitatis adminiſtrationē pertinētes
ſeruaret: tertiò, vt in equitatu cōparando modum
adhiberet, ne fortè illo confiſus animū ad repetē-
dam Ægyptum adiiceret. quartò ne plures vxores,
concubinásve haberet: poſtremò, vt in pecuniis
cogendis mediocritatem ſeruaret.

DE REGIO IMPERIO: ET SAVLO PRIMO Hebræorum Rege.

1. Sam. 10.
1.14. VBI Samuel populi pertinaciam in rege de-
poſcendo cognouit, oraculo Dei monitus,
Saulum à tribu Beniaminica Kiſſo patre natum,
regem conſtituit: cùm ipſe annos iam triginta li-
beratoris munere functus eſſet. nam cùm Petrus
Apoſtolus annos quadraginta Samuelis & Sauli
imperio tribuat, probabilius videtur, illi triginta,
huic autē reliquos decem adtribuere. Incidit hæc
1. Sam. 9.2. inſignis in repub. mutatio in annum mundi M. M. F
DCCC.LXXVI. delatúmque regnum eſt ad Saulū:
cuius ea fuit corporis felicitas, vt cùm formæ pul-
critudine, tum etiam magnitudine ſtaturæ, lon-
gè ciuibus omnibus antecelleret. Creandi regis
hæc à Samuele forma ex Dei præſcripto, ſeorſim
primò & in occulto ſeruata eſt: olei ampullam in
Sauli verticem effudit, eúmque deoſculatus, re-
gem gentis à Deo adamatę conſecrauit. quo facto
repentè Saulus eo ſpiritus diuini genere afflatus
1. Sam. 10 eſt, quod Deus ſuis prophetis ac vatibus imperti- G
tur: vt iam omnibus inſpectantibus in conuentu &
1. Sam. 10. concilio prophetarum vaticinaretur. Dehinc Sa-
17. muel totius populi comitia indixit, atque in iis
ſortitiò creari regem iuſſit. ea ſortitio ita diuinitus
adminiſtrata eſt, vt ex duodecim tribubus ſoli
1. Sam. 11. Beniaminicæ ſors obueniret; in hac adoleſcenti
Saulo. Adeptus regnum Saulus continuò de ſuo-

A rum ſententia bellum Ammonitis, acerrimis He-
bræi nominis hoſtibus inferre inſtituit: magnas e-
nim reſpubl. crebris illorum incurſionibus, cala-
mitates acceperat. Vbi ſecundis aliquot prælis
cum eis decertaſſet, mox aduerſus Palæſtinos ar-
ma conuertit, quos maximis copiis in aciem edu-
ctos, mirando Dei prodigio, ſolis rei ruſticæ in- 1. Sam. 13.
ſtrumentis profligauit, cùm præter ipſum, eiúſq;
filium Ionathan, nemo quiſquā gladium haberet. 1. Sam. 13.
B Hoc miraculo Deus intelligi voluit, deinceps ſuā 22.
gētē ſub regum imperio nihilo magis armis ac ro-
bore militū ſeruatū iri, quàm antè ſub liberatorū
principatu cōſeruata fuerat: quo principatu ſalutē
eccleſiæ ſolius Dei præſidio deberi, multis ſæpè
rebus cōpertum eſt. Fuit autē adoleſcēs Ionathas 1. Sam. 14.
cū pietate ac ſanctimonia, tū etiam virtute ac for-
titudine animi inſignis: eóque Deus pro eximio ac
ſingulari omnipotētiæ ſuæ miniſtro eſt vſus. cùm
enim Palæſtini redintegratis copiis denuò bellum
C reparaſſent, ſolus Ionathas armigero ſuo comita-
tus, impetum in illos fecit, omnéſq; metu ac for-
midine diuinitus adfectos, in fugam vertit. At Sau
lus ea filij virtute, populariſque laude indignatus,
cùm eius victoriæ Deum auctorem fuiſſe non re-
putaret, ſeſéque paulatim à pietate & ſanctimo-
nia vitæ abduceret, ſpiritu diuino, quem in conſe-
cratione acceperat, ſpoliatus eſt, ſimúlque à tur- 1. Sam. 16.
bulento Satanę ſpiritu occupatus: quo furore ani- 14.
mi, atque intemperie perquamdiu miſerandum in
D modum adflictatus eſt. tandem miſericordia Dei
in eam mentem eſt adductus, vt cytharœdum ſibi
quæri iuberet, cuius cantu ac ſymphonia furor il-
le mentis ſedaretur.

DE DAVIDE ET EIVS ÆRVMNIS.

ERAT tum in tribu Iudaica, vico Bethlemi- 1. Sam. 16.
co, puer, facie eximia, Ieſſæi filius paterni gre 11.12.
E gis cuſtos, arte muſica, vt temporis illius captus fe-
rebat, præter ceteros eruditus: nomē huic erat Da-
uid. hunc in illa paſtoritia vita quietum ac placitū
liberaliter Iehoua Deus ſpiritu ſuo donauit, atque
à Samuele ad Hebræi regni ſpem inungi iuſſit. cū
ad Regem de ipſius arte atque induſtria perlatum
eſſet, continuò ad ſe adduci, ac cithara canere im-
perauit. neque mora vlla interceſſit, quin turbu- 1. Sam. 17.
lentus ſpiritus à rege abſcederet, eíque priſtina
mentis tranquillitas reſtitueretur. Aliquanto poſt
F Palæſtini bellum aduerſus Hebræos ſummis opi-
bus renouarunt. horum erat princeps Goliathus,
vaſto atque immani corpore tyrannus: Saulus
coactis omnibus copiis, ad id bellum profectus
eſt. vbi Palæſtini propinquarunt, tum Goliathus
vnum ſibi ex hoſtibus aliquem dari popoſcit, quo
cum de ſumma rei ſingulari certamine decerne-
ret, Dauid indignatus ſacram Dei gentem ab ho-
ſte barbaro contumelioſè deſpici, fretus fiducia
pollicitationis diuinæ, fortiter ſeſe in certamen
G offert: ſtabant inſtructæ vtrimque acies, imparis
concertationis ſpectatrices. nam præter ſtaturæ
ac virium imparitatem, Dauid aliis nullis armis
telóve præter vnicam paſtoritiam fundam inſtru-
ctus erat. attamen Dei præſidio confiſus, alacri-
ter in certamen deſcendit, fundámque intorquēs,
acriter Gigantis frontem ferit, quo vulnere
proſtratus gigas concidit, celeritérque Dauid in

eum itruens, caput ei præcidit, regíque Saulo gra-
tulans ac lætitiæ plenus obtulit. eam ob cauſſam
Rex, cùm alios ei honores habuit, tum filiam ſuã
Micholem in matrimoniũ dedit. Sed vbi eũ pau-
1.Sam.18.27. latim apud populum gratia atque auctoritate flo-
rere animaduertit, réique ipſius geſtas ſuis longè
anteferri, ſuamque iſto modo potentiã imminui,
tum verò tanto erga illũ odio exarſit, vt etiam bo-
nos viros, qui ei ſtudebant, inſectaretur, Deſque
1.Sam.18.11. ſacerdotes amplius octoginta interficeret. Hãc il-
lius ſæuitiã permultorum bonorum ſeceſsio cõ-
1.Sam.20.30. ſecuta eſt. tanta enim Regis interdum erat imma-
nitas, vt modò de illo clam necando conſiliũ ini-
1.Sam.22.8. ret, modò ſuũ in illum iaculũ vibraret, neq; quid-
1.Sam.19.10. quam die quodã propius fuit, quã vt Dauid nefa-
riis iſtis conſiliis in ſuo lectulo necaretur. ſed re
1.Sam.19.12. per amicos cognita, celeriter ſeſe per feneſtram di
1.Sam.22. miſit, ſalutíque ſuæ fuga conſuluit. Dauidis fugam
viri boni quamplures, tennes tamen, atque inopes
(cuiuſmodi tamen ferè pietatis ſectatores eſſe ſo-
lent) comitati ſunt, cùm apud regem locupletes
plerique & opulenti, ac palpatores aulici perma-
nerẽt. In ea fuga Dauid fame atq; inedia coactus,
Nobũ, vbi tũ tabernaculũ Iehouæ erat, ingreſſus
eſt, ſacríſq; panibus, quos nemini præter ſacerdo-
tes attingere, fas erat, famem tollerauit, & cũ ean-
1.Sam.21. dẽ fugam proſequẽs in Achidis Gathici regis ma-
nus incidiſſet, ſimulatione ſtultitiæ ſeſe inde eri-
1.Sam.21.10. puit. Neq; tamen tot Dauidis miſeriis, Saulis ani-
mus ſatiatus eſt: tantũ enim Dauidis comitatũ in-
dignè ferẽs manũ aliquot ſceleratorũ coegit, quos
ferro atq; armis Dauidem inſectari iuſſit. qua re
Dauid cõperta denuo ſeſe fugæ mandauit. Hac in
fuga cũ ſe in antrũ quoddam latitãdi cauſſa rece-
piſſet, Saulúſque illac fortè iter faciẽs, ventris exo-
1.Sam.24 nerãdi cauſſa eò deſcendiſſet, tũ qui cũ Dauide v-
nà deliteſcebãt impellere hominẽ cœperunt, ne tã
præclarã ſui in perpetuũ liberandi oblatã occaſio-
nẽ de manibus amitteret. At ille ſcelus exiſtimãs,
Regẽ diuinitus cõſecratum violare, veſtis tantum
ipſius laciniã abſcidit, quæ deinceps ſuæ in Regẽ
fidei atque obſeruãtiæ teſtis eſſet. vbi Rex ſpelũca
egreſſus aliquãtũ itineris proceſſit, Dauid eũ incla
mare, & manu laciniã oſtentare cœpit, ſuámq; er-
ga ipſum fidẽ teſtari. Hæc animi ſinceritas ita cru-
1.Sam.24.17. delẽ Regis animũ ad miſericordiã inflexit, vt Da-
1.Sam.25.44. uidis innocentiã ac temperantiã admiratus ſummã
ipſius fidelitatẽ prædicaret. neque tamẽ ita multò
poſt, ad ingeniũ rediit, ſuámq; filiã Micholem à
Dauide abduxit. eámq; alteri in matrimoniũ col-
locauit. Elapſo breui temporis ſpacio, rurſus co-
pias in Dauidem eduxit: qua in expeditione ecce
altera denuo interficiendi Regis facultas Dauidi
offertur. Nam cùm Saulus ſuis in caſtris, intẽpeſta
nocte quieſceret, atque arctiore ſomno teneretur,
1.Sam.26.51. Dauid certior factus omnes quoq; ipſius excubi-
tores ſomno ſopitos eſſe, placidè in ipſius præto-
rium ingreſſus eſt, ſpiculúmq; propter ipſius cer-
uical poſitũ, ſimúlque phialam abſtulit. vbi è ca-
ſtris deceſſit, ſtatim clamore ſublato, cuſtodes e-
uocare, ac procul ſpolia illa oſtẽtare cœpit, ſuám-
que erga Regem fidẽ teſtificari. Hac Dauidis in-
tegritate, denuò Regis animus ita permotus eſt, vt
multis cum lacrymis profiteretur, ſuæ ſe in illum
acerbitatis pœnitere, magnoperéque ipſius fidem
atque innocentiam collaudare. breui tamen poſt
tempore iterum ad inueteratam animi rabiem ac

A ſæuitiam relapſus eſt: qua de cauſſa Dauid ad A- 1.Sam.27.
chidem Palæſtinorum regem profugit: qui opidũ
ei quoddam, vbi ab Sauli iniuria tutus eſſet, con- 1.Sam.30.
ceſſit. ſed cum opidum abſente forte Dauide ca-
ptum ab hoſtibus ac direptum fuiſſet, tum opida-
ni tanta in Dauidem iracundia incitati ſunt, vt eũ
ad necem quærerent: quo tamen periculo Dauid
benignitate Dei ereptus ac liberatus eſt. Atque 1.Sam.29.
hunc ferè adoleſcens optimus tot cum Saulo cer-
taminum atque ærumnarum habuit exitum: nam
B aliquanto poſt, Saulus aduerſo cum Palæſtinis 1.Sam 31.
prælio, maxima clade adfectus, tribúſque amiſſis 1.Chron.
filiis, cùm ſe ab hoſtibus circumuentum videret, 10.2.4.
ne viuus in illorum poteſtatem veniret, mortem
ſibi ſuis manibus conſciuit: atque hunc Satanici
ſpiritus fructum tulit anno ab orbe condito circi- xv. cala-
ter MM.DCCC.LXXXV. quod in tempus xv. reli- mitas eccle-
gionis & eccleſiæ calamitas incidiſſe videtur. ſiæ.

DE REGNO DAVIDIS.

C SAVLO mortuo confeſtim Iudaicæ tribus po- 2.Sam.5.1.
pulares, Dauidem multis ante annis à Deo de- 1.Chro.11.
ſignatum Regem ſibi conſtituunt. Verùm Abne- 1.
rus qui Sauli Regis præfectus fuerat, coniuratio-
ne facta, conſilióque cum reliquis tribubus vnde-
cim communicato perfecit, vt Sauli filius Iboſe-
thus Rex ab iis crearetur. Ita ſolius Iudaicæ tribus
regnum Dauid annos ſeptẽ & ſex menſes tenuit:
quibus exactis, atque Iboſetho Abneróque inter-
D fectis, reliquæ tribus vndecim Dauidi regnum Iſ- 2.Sam.2.
raelium detulerunt, quod annos tres & triginta 8.
obtinuit. Pacato regno conſtitutáque religione,
nullum Dauid prius gerendum bellum exiſtima-
uit, quàm Palæſtinicum. Nam ex magno hoſtium 2.Sam.5.
numero, Palæſtini ſemper omnium acerrimè atq; 7.
infeſtiſſimè nationem Hebræorum oppugnarũt.
Hoc ille bellum, Dei præſidio feliciter admini-
ſtrauit, vrbemque in illorum finibus nobiliſſimã,
E quæ antiquitus Sion, poſt Hieroſolyma dicta eſt, 1.Sam.7.
in ſuam poteſtatem redegit: atque in ea tẽmplum 12.
extrui, diuinique fœderis arcam, de qua ſuperius
dictum eſt, eò deferri iuſſit: totúſque mente atque
animo in eam curam incubuit, vt recta & legitima
Dei Iehouæ religio, ſublatis ſuperſtitionibus, dæ-
monúmque cultibus, inſtitueretur: vt iam hoc tẽ-
porẽ xv. religionis inſtauratio facta dici poſsit. E- xv. reli-
rant Dauidi filij duo, Ammon & Abſalon, variis gionis in-
ex coniugibus ſuſcepti: huic erat ſoror conſangui- ſtauratio.
F nea Thamar, cui per vim Ammon ſtuprum intulit: 2.Sam 15.
poſt eam, contumelioſè exegit. his iniuriis Abſa-
lon incenſus fratrem interfecit. quo fratricidio ac
ſimul domeſticis illis flagitiis, quantopere pij pa-
rentis animus ſit perculſus, venire cuiuis facilè in
mentem poteſt. nam improbis hominibus & re-
ligionis calumniandæ, & domeſticæ ipſius diſci-
plinæ vituperãdæ præberi occaſio videbatur. Ve- 2.Sam.15.
rũ alia multa, neque minus grauia atq; acerba cõ-
ſecuta ſunt. nam Abſalon deprauatis moribus a-
G doleſcẽs, perditorum ac ſceleratorũ quorundam
conſiliis impulſus, de regno patri eripiẽdo conſi- 2.Sam.15.
liũ iniit. Huius cõſilij auctor fuit Achitophelus, au 31.
licis artibus ac ſycophãtiis inſigniter ac præter cæ-
teros eruditus. Itaque tanta per id tẽpus, tũ in Da- 2.Sam.16.
uidis, tũ in filij regis eius erat auctoritas, vt (quem- 23.
admodum ſcriptura teſtatur, ipſius conſiliũ propè
tã pro Dei oraculo haberetur. Hac re per amicos
Dauid

Dauid cognita,inſidias veritus,ſimul quod ab reb. A
omnibus imparatus erat, maturè ſeſe ex regia ſub-
1. Sam.15. ducit, celeriter ad eum magnus fidorum ſubdi-
24. torum numerus,deſperatis rebus confluxit. Cum
2.Sam.17. ea coacta iam manus eſſet,vt prelio decertare cum
aduerſariis poſſe viderentur, protinus ſe ad dimi-
candum animo confirmant. At regis Dauidis ea
2. Sam.18. fuit in filium indulgentia,tãtáque animi lenitas, vt
ſuis omnibus grauiter interdiceret,ne telum vllum
in ipſum adigerent. Eo prælio cæſa ſunt Abſalon- B
tarum viginti millia. ipſe deſperata re prælio ex-
2.Sam.18. ceſſit, & fugiens in patulæ quercus propaginem
7.9. incidit,cuius ramis ita caput implicuit,vt mulo ſe,
quo tum vehebatur, ſubducente directus ex ar-
bore penderet: quem vbi Dauidici victoriam pro-
ſequentes animaduerterunt, confeſtim adacto ia-
culo confoderunt. Dauid igitur regno recuperato
& rerũ felici ſucceſſu inſolentior factus(vt eſt pro-
ſperitas natura inſolens,homines autem quantum-
uis bene ac piè inſtituti,procliuiùs euentus ſecun- C
2.Sam.11. dos virtuti ſuæ, quàm Dei beneficentiæ acceptos
3. ferunt) duobus ſeſe grauiſſimis ſceleribus conta-
1.Chro. minauit:quorum hoc prius fuit. Cùm Berſabæam
20. Vriæ fideliſſimi clientis ſui coniugem, forma ac
pulcritudine inſignem conſpexiſſet,non modò a-
dulterium cum ea commiſit, verum etiam quo li-
berius libidini ſuæ in poſterum indulgeret,Vriam
interficiẽdum curauit. Hoc flagitium altero etiam
atrociore cumulauit.cùm militum ſuorum nume-
2.Sam. ro ac robore magis aliquanto,quàm Dei benigni- D
24.1. tate confideret, cenſum eorum haberi imperauit.
Hoc fuit genus ſceleris, quod ab origine mundi
1.Chro.21. miſeris mortalibus exitium adtulit: inſolentia &
2. animi elatio in rebus ſecundis, Deique Iehouæ fa-
2.Sam.24. ſtidium,atque ipſius beneficiorum obliuio.Itaque
13. hac Dauidis ferocia Deus grauiter indignatus,miſ-
ſo propheta Nathanio,iuſſit eum è tribus ſupplicij
generibus,peſtilentia,bello,& fame optare,ecquó-
nam potiſſimum plecti mallet. Peſtilentiam miſer
1.Reg.2. optauit,cum diceret,ſatius fore ſibi in Dei, quàm E
12. in hominum manus incidere. neque multis inter-
1.Chro.19. iectis diebus tanta paſſim lues exorta eſt,vt triduo
23. ſeptuaginta hominum millia interierint. Vbi ad
ſummam ſenectutem Dauid peruenit, vt valetu-
dine adfectæ reip. ſupereſſe non poſſet, Salomo-
nem filium ex Berſabea poſt Vriç mortem ſuſcep-
tum Regem deſignauit:qui patre mortuo Hebræ-
cæ gentis rex tertius conſecratus eſt.

DE REGNO SALOMONIS.

1. Reg.1. HVivs ſingulare ſtudium in religionem de
30. principio extitit:quinetiam cum ei poteſta-
tem Deus feciſſet optandi,quod ſibi fore primum
ac ſummum exiſtimaret,Sapientiam delegit. Tan-
1.Reg.3.5. táque à Deo prudentia donatus eſt, quanta neque
anteà in homine vllo fuerat, neque vnquam vllis
ætatibus extitit. huius ſapientiæ documentum il-
lud memoratur, quod omnibus ſeculis ſumma G
2.Reg.5. omnium admiratione celebratum eſt. Erant mu-
16. lierculæ duæ tenues, quarum vtraque filiolum in-
fantem ſuo lacte alebat. cùm ambæ eodem cubi-
culo quieſcerent, earum altera ſuo ſeſe in lectulo
fortè peruoluens ori infantuli incubuit, eúmque
ſuffocauit. vbi ſenſit, placidè infantuli cadauer in
alterius locum ſuppoſuit, viuumque alterum ſuo

A ſibi lateri adiunxit. expergefacta mater, cognito
facinore, ſcelerare ſuum inſtituit.res ad Salomonem
delata eſt. Salomon qui materni adfectus vim non
ignoraret, decreuit vt infantis ſuperſtitis corpus
medium gladio ſecaretur, & (vt rebus dubiis fieri
conſueuit)vtrique mulieri dimidiam controuerſi
corporis partem adiudicauit.hac pronunciata ſen-
tentia, repentè quæ vera mater erat exclamare in-
cepit, malle ſe integrum alteri puellum adtribui,
B vehementérque recuſare ne diuideretur. cùm ea
ſecuſatione facile maternum animum aperuiſſet,
integrum ei puerum Salomon adiudicauit. Huius
eiuſdem ſapientiæ ac multiplicis doctrinæ argu-
mento multas per ætates fuerunt volumina illa au-
rea, quæ de naturis animantium ac ſtirpium om-
nium generibus conſcripſit; quæ volumina pro-
babile eſt ad vſque Alexandri Magni ætatem ex-
titiſſe:atque ab Ariſtotele & Theophraſto, aliiſ- 1.Reg.4.
que Græcis ſcriptoribus per interpretem cognita, 33.
C eo termine atque ordine explicata fuiſſe, quæ tan-
tam illis laudem ac gloriam peperit. Ex eadem ſa-
pientia natum illud Salomonis conſilium eſt, de
templo Iehouæ inſtituendo:quod ędificatum ſcri- 1.Reg.6.
ptura teſtatur,anno à migratione ex Ægypto qua- & 7.
dringenteſimo & octogeſimo Hoc templum tan-
to artificio, tantáque magnificentia & ſplendore
per vndecim annorum ſpacium exædificatum eſt,
vt maxima gentium exterarum admiratione lau-
daretur. Vrbes prætereà Salomon plurimas condi- 1.Reg.7.
D dit, & complura vrbium ornamenta, palatia, por-
ticus,baſilicas, Regale item tribunal inſtituit tan-
ta dignitate, vt illa ſapientia atque opulento im-
perio dignum videretur. Imperabat autem Salo-
mon (vt ſcriptura teſtatur) regnis omnibus quæ
ſunt ab Euphrate ad Palæſtinam & Ægyptum vſ-
que. Verum hanc ipſius diuturnam felicitatem,
quæ annos circiter triginta durauerat, ingraueſ-
centis ætatis infirmia oppreſſit. vt iam per id tem-
pus XVI. eccleſiæ vaſtitas numerari poſſit. nam XVI. eccleſiæ calamitas.
E cùm otio atque inertia langueret, animum ad
libidinem adiecit: vxores enim ſeptingentas du-
xit: neque illa intemperantia contentus, trecen-
tas quoque inſuper concubinas adiunxit: in his
complures,cum à vera Dei religione alienas,tùm
etiam impiis ſuperſtitionibus deditas. qua ex re,
continuò ea conſecuta eſt calamitas, quæ talium
eſſe connubiorum fructus ſolet: vt impiæ mulier-
culæ Regis animum ad peruerſas & contaminatas
ſuperſtitiones abducerent.vſque eo vt,& fana dæ-
F monibus ædificaret, & ipſe vna cum illis mulier- 1. Reg. 11.
culis eorum ſacris intereſſet. Hac barbara libidi- 7.
num inſania atque impietate Deus indignatus, cõ-
tinuò reges ac tyrannos finitimos excitauit, qui
Salomoni tamdiu alta pace diuturnóque ocio
fruenti bellum inferrent.quinetiam fore denũcia- 1.Reg.9.
uit, vt prope diem ipſius regnum duas in partes di- 10.11.
ſtraheretur.hãc enim funeſtæ diſtractionis, de qua
poſterius dicetur, cauſſam fuiſſe, ſcriptura perſpi-
cuè cõfirmat. Neque ita multò poſt Princeps om-
G nibus,qui vnquam anteà fuerant,felicior dicam an
infelicior, poſtremum vitæ diem morte cõfecit,
cũ annus ab orbe condito ageretur MMM.C.LXV.

DE ROBOAMO, ET BIPARTITA REGNI DISTRACTIONE.

IN eius demortui locum Roboamus ipſius fi- 1.Reg 12.
lius,annus vnum & quadraginta natus, ſumma 1.

populi voluntate creatus eſt. Cùm rex Salomon
grauia populo tributa in illos immenſos ædifica-
tionum ſumtus imperaſſet, operibus effectis plebs
onerum illorum leuationem poſtulat: Rex ado-
leſcentum quorundam principum conſilio ea
plebis poſtulata faſtidioſe ac ſuperbè repudiat.
qua repulſa ita ciuitas indignata eſt, ſimúlque fla-
gitioſis Regis moribus irritata, vt decem ex ea tri-
bus communi conſilio ſeceſſionem facerent. nam
huic ſeceſſioni Salomonis quidem (vt modò
1. Reg. 11. dictum eſt) perfidia cauſſam præbuit. Roboa-
20. mi vero ſuperbia occaſionem. defectionis auctor
& princeps fuit Ieroboamus quidam, Ephraimicæ
tribus popularis, qui cùm Salomonis regis ſuc-
ceſſor fuiſſet, atque illo viuo ſolum exſilij cauſſa
vertiſſet, cognita ipſius morte continuò reuerſua
eſt, atque ab illis decem tribubus nouo & ſeditio-
ſo nomine Rex Iſraelius appellatus. Alter enim,
cuius in fide Iudaica & Beniaminica tribus manſe-
runt, Iudaici nomen retinuit, eáque nomina dein-
ceps ad vtriuſque Regis ſucceſſores, quaſi here-
ditaria, manarunt. Regni ſedem Iudaicus in vrbe
1. Reg. 12. Hieroſolyma poſuit. Iſraelius autem primum
21. in arce Tirza, tum deinde in vrbe Samaria: qua
1. Reg. 14. de cauſſa Samaritanum regnum appellatum eſt.
17. Incidit hæc regni diſtractio in annum mundi M M.
2. Reg. 15. DCCCCLX. totíque huic genti funeſta atque e-
14. xitialis fuit. Ac regni quidem Iudaici condicio
1. Reg. 16. fuit huiuſmodi, vt quamuis magna ſæpe in eo
17. 18. morum deprauatio exſiſteret, tamen ſacrorum
forma & ritus lege præſcriptus ſeruaretur, ſem-
pérque imperium ab iis qui Dauidis ſanguine
prognati eſſent, teneretur. eadémque ex ſtirpe
naſciturus Emmanuel ſperaretur. At in Iſraelio
regno protinus noua & commentitia religio pu-
blicitus inſtituta eſt, tantáque morum ac vitæ
communis deprauatio, ſcelerum licentia graſſata,
vt interdum ab impiarum ac profanarum gen-
tium inſtitutis non abhorreret: ſæpenumero ta-
men religionis doctrina inter eos excitabatur,
ſummíque à Deo prophetæ ad illos docendos in-
2. Chro. 11. ſtituendóſque mittebantur. Etſi autem Roboa-
17. 13. mus primis tribus annis Dauidis aui pietatem i-
2. Chr. 12. mitatus eſt, veræque religionis miniſtros à Iero-
1. boamo pulſos perbenignè excepit, poſterius ta-
men ſacra & cultus dæmonum a patre Salomo-
ne inſtitutos retinuit. Et cùm die quodam recu-
perandi regni conſilium iniiſſet; atque hac de
cauſſa bellum aduerſus Ieroboamum antiregem
1. Reg. 12. pararet, Vates eum quidam, Semeia nomine, in-
21. crepuit, demonſtrauitque ſeceſſionem illam diui-
no conſilio factam eſſe: ac proinde inanes ipſius
conatus futuros. Sub hoc Rege magnis calami-
2. Chro. 12. tatibus ciuitas adfecta eſt. nam & Seſaccus, Æ-
4. gypti rex, grauiſſimum ei bellum intulit, vrbém-
que Hieroſolymam cepit, eámque ſimul, om-
niáque templi ornamenta, inſignia, quæ paucis
1. Reg. 14. annis Salomon conſecrarat, expilauit. Vbi Ro-
31. boamus imperium annos decem ſeptem obti-
2. Chro. 12. nuiſſet, vita exceſſit, ſucceſſorémque filium A-
16. biam reliquit. de quo Abia poſteriùs ſuo loco
diſſeretur: nam de antirege Ieroboamo prius
dicendum eſt. hic multo nequior tyrannus, te-
1. Reg. 12. trior etiam atque infelicior fuit. Primum enim
26. nouam (vt modò dicebamus) religionis for-
mam inſtituit: quo ſcelere nullum videri Deo de-
teſtabilius, multis ex ſcripturæ locis conſtat. Vitu-

A los enim aureos conflauit, quales in Ægyptiorum
ſacris Hebræi viderant: non quo vel vnum in iis
numen aut vim diuinam eſſe ſtatueret: neque quò
populum à Dei Iehouæ cultu & pietate (vt qui-
dem ipſe loquebatur) vellet abducere: ſemper
enim verbo Iehouam vnicũ & verum eſſe Deum
prædicabat: ſed cùm ſuæ tyrannidi pertimeſceret,
ac vereretur ne cognitis Hieroſolymæ, quæ Deus
de ſtirpe Dauidica decreuerat, paulatim ſui ab ſe
abalienati, animum ad Iudaicum regnum adiice-
B rent, diſputabat, Iehouam Deum æquè ſub aureo-
rum vitulorum imagine coli poſſe, atque arcam
illam fœderis, quam ſuperius demonſtratum eſt in
templo Hieroſolymitano poſitam, diuinæ præ-
ſentiæ teſtem atque indicem fuiſſe. quod eo faci-
lius ipſis perſuaſit, quia mirificam quandam de ſa-
cris Ægyptiis opinionem ei nationi inſitam vide-
bat: tanta tum eius ac tam inſana fuit ad ſuperſti-
tionem procliuitas. Itaque quandiu regnum iſtud
Ieroboamicum, ac decem tribuum ſeditio dura-
C uit (durauit autem annos circiter CCLXII.) tandiu
beſtiaria illa & vitulina religio publicitus culta ac
retenta eſt: tametſi verbo eundem cum Iudæis Deũ
Iehouam profiterentur: vt mihi planè par eadém-
que ſeculis omnibus pſeudochriſtianorum atque
hæreticorum ratio fuiſſe videatur, quæ olim fuit
Ieroboamicæ religionis: cùm in vtraque & veri
Dei nomen primoribus labris ſanctum haberetur,
& complures veræ pietatis ſtudioſi latuerint, qui à
publicis cultibus abhorrentes, conſtanter, in fide
D Dei Iehouæ permanſerunt. Edixit igitur Ieroboa-
mus, ne quis è ſuis Hieroſolymam proficiſcere-
tur, néue vllus Iehouæ Dei ſacerdos intra regni
ſui fines conſiſteret. Ac tanta per eius ditionem
morum barbaries atque immanitas graſſata eſt, vt
Deus tandem indignatus, acerrimum de ipſo ſup-
plicium ſumſerit: nam cùm innumerabiles pro-
pè copias aduerſus Abiam Roboami filium an-
tiregem eduxiſſet, vno prælio delectorum Iſ- 2. Chro. 13.
raeliorum quingenta millia deſiderauit. Ne- 18.
E que vnquam poſteà non inuiſa Deo atque infeſta
ipſius gubernatio fuit: in qua cùm annos duos ac
viginti graſſatus eſſet, vnà cum omnibus liberis
ac poſteris à Deo (vt ſcripturæ verbis vtar) eradi-
catus eſt.

DE REGIBVS IVDAICIS.

DEINCEPS ad regni Iudaici memoriam re- 1. Reg. 15.
F deundum eſt. cùm enim hoc verum ac legi- 1.
timum regnum fuerit, Iſraelium vero tyranni- 2. Chro. 13.
cum, & vi ac ſeditione occupatum, conſentaneum 1.
eſt, priorem locum illius hiſtoriæ tribuere. Ro-
boamo igitur Abia filius ſucceſſit, Macha matre
genitus, quæ mulier adeò monſtroſo ingenio
fuit, vt portenti ſimile videatur beſtiam tam im-
puram, in illa ſacra & religioſa gente reperiri po-
tuiſſe. nam memoriæ proditum eſt, eam Miplo- 1. Reg. 15.
zethi ſimulacrum in populi ſuperſtitionem inue- 13.
G xiſſe: quo nomine ſignificari traditur is qui
obſcœnus Hebræorum Deus à Romanis ap-
pellatus eſt. Hac igitur materna diſciplina mere-
tricia, rex Abia inſtitutus, non mirum eſt, ſi ſuper-
ſtitiones impias, paterno exemplo in ſua gente
permiſerit: tametſi vt erat religionis omnis con-
temtor, rectos ac legitimos ritus Hieroſolymæ
eſſe

1. Reg. 15. 8. eſſe paſſus eſt, perpetuúmque cum Ieroboamo A
bellum geſſit, atque etiam illa memorabili cla-
2. Chro. 14. 2. de adſecit, de qua paulo ante dictum eſt: exactó-
que anno regni ſui tertio diem obiit. Eius in lo-
cum Aſa creatus eſt, Rex duarum tribuum ter-
tius: cuius longè feliciſſimus principatus fuit: vt
XVI. religionis inſtauratio. ſub illius regno XVI. eccleſiæ reſtauratio nota-
ri poſſit. nam cùm omni mente atque animo in
religionis ſtudium incubuit, tùm vero ſapien-
1. Reg. 15. 13. ter rempubl. adminiſtrauit: auiámque Macham, B
2. Chro. 15. 16. quæ partem ſibi gubernationis aliquam ſum-
ſerat, quod impia ſacra in lucis ac delubris cole-
bat, omni gubernatione priuauit, eiúſque ſigna
& ſimulachra Deorum in ignem coniecit. Ce-
lebratur etiam eiuſdem in bellis adminiſtrandis
2. Chro. 14. 9. felicitas, quod cùm Zera rex Æthiopum decies
centena hominum millia in aciem aduerſus ip-
ſum eduxiſſet, Aſa, Deo fretus, ita fortiter ac
ſtrenuè dimicauit, vt omnes illius copias deleue-
rit. Verum vt nihil omni ex parte beatum, ne- C
que quiſquam verè antè obitum felix dicitur,
hanc illius glorioſam victoriam, nonnulla poſteà
eiuſdem flagitia contaminarunt. Nam cùm Iſ-
1. Reg. 15. 17. raelij regni recuperandi ſtudio arderet, Benada-
2. Chro. 16. 2. bum, regẽ Syrum, hominem impurum, & nefariis
ſuperſtitionibus deditum, in fœdus ac ſocietatem
adſciuit, quaſi regnum Iſraelium humano con-
ſilio cõtra Dei decretum recuperari poſſet. Dein-
1. Reg. 20. 32. de Prophetam Hananiam, qui eum ab hoc con-
ſilio deducere ſtudebat, in vincula coniecit. D
2. Chr. 16. 17. Notatur etiam hoc illius facinus, quod cùm in
morbum incidiſſet, maiorem in medicis, quàm
in Deo fiduciam poſuerit, qui locus nobis ac-
curatè in hac tanta malorum ac morborum lue
obſeruandus eſt. Cùm autem Aſa regnum an-
nos XLI. obtinuiſſet, vita eſt functus, anno ab or-
be condito MMM. XXVI.

DE PIETATE REGIS IOSAPHATI.

1. Reg. 15. 24. EI filius Ioſaphatus ſucceſſit, Rex duarum tri-
2. Chro. 17. 1. buum quartus, qui parentis veſtigia ſecutus,
religionis integritatem ſummo ſtudio ſeruauit:
quinetiam regni proceres paſſim adiunctis ſacer-
dotibus per omnes ditionis ſuæ fines miſit, qui
ſacrum legis volumen circumferrent, verámque
2. Chro. 17. 7. 8. 9. ex ipſius præſcripto Dei colendi rationem ciuibus
traderent. Neque vero in gerenda rep. minore fe-
licitate eſt vſus. nam cùm rei militaris diſciplinam F
inſtituit, tum etiam magnis partis opibus non-
nullas vrbes condidit ac muniuit, multiſque orna-
2. Reg. 8. 18. mentis & inſignibus adfecit. Neque tamen vt
ſunt humana, ſuis vitiis caruit. nam Achabi re-
2. Chro. 18. 1. 3. gis profani filiam Athaliam filio ſuo Ioramo v-
xorem adſciuit: ſeſéque cum illo rege ſocietate
ac fœdere coniunxit: qua de cauſſa bello Syriaco
in magnum vitæ diſcrimen eſt adductus: à quo ta-
men cùm ſeſe Dei benignitate liberatum ſenſiſ-
ſet, vehementius in eam curam incubuit, vt G
2. Chro. 19. vera Dei religio paſſim totó ſuo regno inſtau-
raretur. quinetiam eius rei cauſſa profectionem
in omnes regni ſui partes ſuſcepit. Qua pie-
tate ac ſtudio ita ſibi Deum propitium reddi-
dit, vt paulo poſt, cùm formidoloſiſſimo Moa-
bitarum & Ammonitarum bello premeretur, hoc
mirabili Dei præſidio fit conſeruatus. nam vbi ſuos

A ad implorandum Dei præſidium cohortatus eſt, 2. Chro. 20.
eiſque pia ac longa oratione demonſtrauit, præ-
liorum exitus non ex militum virtute, ſed ex ſo-
lius Dei nutu pendere, tum inſtructa acie, Leuitas 2. Chro. 20. 21.
paruo interiecto ſpacio anteire iuſſit, magnáque
voce carmen illud Deo canere, qui nunc CXXXVI.
Pſalmus numeratur. ſimul vt canendi initium fa-
ctum eſt, barbari quoſdam è ſuis conſpicati, qui
collem propinquum occuparant, hoſtes eſſe rati,
B curſu incitato, aduerſus illos ire contenderunt,
impetúmque in eos fecerunt: illi contrà inſtare ac
fortiter reſiſtere. cum in eam partem omnes vn-
dique copiæ inflammatis animis concurriſſent,
tantus perturbatis ordinibus dimicandi ardor in-
ceſſit, vt mutuis ſeſe vulneribus trucidarent: ne-
que prius pugnandi finem facerent, quàm omnes
ea cæca dimicatione conciderent. Hanc victoriam
pax diuturna conſecuta eſt, durauit enim ad vſque
annum eius regni octauum ac viceſimum Mundi
C vero MMMX.

DE IORAMO ET MISERA RELIGIONVM viciſſitudine.

EO ipſo anno Ioſaphatus moriens, Ioramum
filium ſucceſſorem reliquit. hic longe à pater- 2. Reg. 22. 51.
na virtute degenerans, veram Dei religionem op-
preſſit; vanaſque exterarum gentium ſuperſtitio-
nes in regnum Iudaicum induxit: Fratres etiam
D omnes ſuos regníque proceres interfecit. Neque
dubium eſt, quin hic profani illius coniugij, de
quo ſuperius dictum eſt, fructus fuerit, vt iam in
hoc tempus XVII. eccleſiæ vaſtitas referenda vi- XVII. eccleſiæ calamitas.
deatur. Itaque ciuitas Lobna, quæ Leuitarum &
paſtorum eccleſiæ ſedes erat, ab illo rege, tam-
quam à certiſſimo tyranno, defecit. Quinetiam
Arabes & Paleſtini Iudaicum regnum bello ador- 2. Chro. 21. 10. 16.
ti, luctuoſiſſimam ac calamitoſiſſimam ei genti
cladem intulerunt. Neque ita multo poſt, rex Iora-
E mus diuturno morbo cruciatus, anno regni ſui o-
ctauo miſerè interiit. Ei filius Ochozias ſucceſ-
ſit, tùm paternæ improbitatis, tùm etiam Achabi-
cæ impietatis æmulus. itaque anno poſt interfectus
eſt. confeſtimque mater ipſius Athalia regni ad- 2. Chro. 21. 19. 20.
miniſtrationem arripuit, quæ domeſticæ impie- 2. Reg. 8. 24.
tati crudelitatem etiam adiunxit. omnes enim qui
regiæ ſtirpis erant, trucidari iuſſit. ſolus puer Ioas 2. Chro. 22. 10.
Iſboſethæ amitæ magnæ opera, ſeruatus eſt: qui
cùm annos ſex clanculum habitus fuiſſet, tandem 2. Reg. 11.
F ineunte anno ſeptimo, interfecta populi concur- 2. Chro. 23
ſu tyranna, ſacerdotis Ioiadæ ſumma contentione 1. 2. Chro. 24.
ac ſingulari populi ſtudio regnum recuperauit.
Huius octaui regis Ioaſi principatu, religionis diſ-
ciplina ſuperioribus annis vndecim grauiter adfli-
ctata, maiorem in modum recreata eſt. itaque per
id tempus, XVII. Eccleſię inſtauratio numerari po- XVII. Eccleſiæ inſtauratio.
teſt. Tum enim fœdus inter Deum & regem & po-
pulum renouatum & redintegratum eſt, delubrá-
que & ſimulacra deaſtrorum omnia funditus e-
G uerſa, ſacrificuliſque omnes interfecti. Quarum re-
rum omnium laus præcipuè ſacerdoti Ioiadæ de-
betur; cuius optimis monitis atque conſiliis Rex 2. Chro. 24. 17.
puer obtemperans, ſummam feliciter adminiſtrati
regni gloriam adeptus eſt. Verũ illo ſumma in ſe-
nectu e mortuo, Ioaſus ſycophãticis aulicorũ quo-
rũdam cõſiliis impulſus, ſublatas dæmonũ ſuper-
ſtitiones reſtituit ſimul prophetã Zachariã Ioiadæ

filium, qui reuocare illum ab impio conſilio co-
nabatur, lapidibus obrui ac necari iuſſit. Itaque
breui poſt tempore impietatis illius vltores exſti-
terunt Syri, qui bellum Regi acerrimum intule-
runt: quo bello proceres ad vnum omnes, qui ma-
li illius conſilij auctores fuerant, exſtincti ſunt. Rex
ipſe morbo adfectus, à ſuis ſuo in lectulo interfe-
2. Chro. 25. 12. ctus eſt, anno regni ſui XL. Ei mortuo filius ipſius
Amazias ſucceſſit, bonus rex Iudaicus: qui etſi ve-
ræ religionis diſciplinam reſtituit, dæmonum ta-
men cultus à patre inſtitutos reliquit, & cùm inſi-
gnem de Idumæis victoriam ſingulari Dei bene-
ficio adeptus eſſet, (eorum decem millia vno præ-
lio ceciderat, totidémque ſeſe de ſaxo præcipitare
coëgerat) ſimulacra quædam Deaſtrorum in illo-
rum caſtris reperta, palam inſtitutis ſacrificiis co-
luit, deorúmque honore ac religione adfecit. Quã
ob cauſſam bello ab Iſraëliorum rege Ioaſio ad-
petitus, magnáque clade adfectus, poſt etiam com-
prehenſus, & captiuus abductus eſt. tandem cùm
2. Chro. 25. 27. annos XXIX. regnaſſet, à ſuis eſt interfectus. Huius
ſucceſſor nominatur quidem Ozias ipſius filius;
ſed tamen ex ordine annalium Iſraelij regni, & ho-
rum Iudaicorum contentione deprehenditur XI.
annorum inter regnum, poſt Amaziæ mortem, in-
2. Chro. 26. 1. terceſſiſſe. Decimus igitur Iudaicus Rex Ozias a-
doleſcens annos natus XVI. creatus eſt: qui etſi Za-
chariæ prophetæ monitis & conſiliis obtempe-
rans, religionis diſciplinam ſtudioſiſſimè coluit, in
tollendis tamen ſuperſtitionibus aliquanto remiſ-
ſior fuit. At rempub. ita proſperè domi militiáque
geſſit, vt non modo Palæſtinos, Arabes, Ammo-
nitas, in ſuam poteſtatem redegerit, verùm etiam
maximis partis opibus vrbes ſui regni compluſes
inſignibus ædificiis ornarit. Hanc tamen felicita-
2. Chro. 26. 16. tem ſumma tandem calamitas oppreſſit. nam his
tot ſecundis rebus inſolentior factus, tantos ſibi
ſpiritus, tantámque arrogantiam ſumſit, vt ſacer-
dotis munus obire, atque in templi ſacrarium (quo
præter Pontificem adire fas non erat) introire, têm-
que diuinam in ara ſuffitoria facere auderet. qua
de re, cùm ab Azaria põtifice & ſacerdotibus quã-
plurimis caſtigatus eſſet, neque tamen ea temerita-
te deſiſteret, repente inſpectantibus omnibus le-
2. Reg. 15. 5. pra correptus eſt. qua de cauſſa protinus inſtituto
2. Chro. 26. 20. ciuitatis de templo pulſus, ſeorſim, in priuatis ac
ſeparatis ædibus in reliquum vitæ tempus habita-
re iuſſus eſt. Cum autem annos quinquaginta duos
Reg. 15. 2. imperium tenuiſſet, vita eſt functus, anno ab orbe
condito MMM.CXCIII.

DE CREBRA DEFECTIONE REGVM, ET VARIA RELIgionum commutatione.

2. Reg. 15. 5. EI ſucceſſit Ioathamus ipſius filius rex XI. anno
2. Chro. 27. 1. ætatis ſuæ quincto & viceſimo, cuius de impe-
rio ſummatim illud traditur: veram quidem ab eo
cultam ac retentam religionem fuiſſe, populum ta-
2. Reg. 16. 1. mẽ à deaſtrorũ cultu minus, quàm par erat, abhor-
ruiſſe, duraſſéque ipſius regnum annos XVI. In de-
2. Chro. 28. 1. mortui locum filius ipſius Achaz rex XII. creatus
eſt, homo perditus ac tanta impietate, vt non modo
contaminatas ſuperſtitiones paſſim inſtitueret, ve-
rum etiam neſariam quarundam gentium religio-
2. Reg. 16. 3. 4. 5. nem obiret, vt ignibus ſuccenſis ſuos liberos per
flammam expiandi cauſſa traduceret. Huius impie-
tatis vltores continuò exſtitere Syrij & Iſraelij reges,
quorum vterque armis illum oppreſſit, magnóque
incommodo adfecit: ſimol maximum ex ipſius di-
tione captiuorum numerum abduxit. Rex eo malo
accepto nihilo ſanior effectus, impium ſibi Aſſy-
riorum regem Teglatphalazarem fœdere ac ſo- 2. Reg. 16. 7.
cietate adiunxit. Eo fœdere non modò peruerſas
& impias Syriæ ſuperſtitiones in Iudæam inuexit, 2. Chro. 27. 16.
verum etiam Hieroſolymarum templum obcluſit, XVIII. Eccleſia vaſtata.
ne cui in eo ſacra obire, néve rem diuinam facere
liceret. tandem annos in ea tyrannide XVI. graſ-
ſatus, mortem obiit. Eius regnum filius Eze- 2. Reg. 18. 1.
chias excepit, patri longè diſſimillimus. tanta e- 2. Chro. 29. 1.
nim eius pietas ac ſanctimonia memoratur, quan-
tam nullius Iudaici regis, neque antè illud tempus, Eſa. 36. 37. 38.
neque poſterius fuiſſe conſtat. itaque ſub eius im-
perio XVIII. eccleſiæ inſtaurationem notare poſ- XVIII. Eccleſia reſtituta.
ſumus. Nam primum omnium templum à patre
clauſum aperuit, omnibúſque in eo Leuitis ac ſa- 2. Chro. 29. 4.
cerdotibus colendi Iehouæ poteſtatem fecit. Poſt
eorundem conuentum habuit, in quo de religionis
diſciplina inſtauranda retulit: ſimul dæmonum
templa delubráque omnia funditus euertit: quód-
que in ipſius hiſtoria ſingulari memoria dignum 2. Reg. 18. 4.
eſt, ſerpentem æneum, quem Dei monitu Moſes Num. 21. 9.
in ſolitudine ſtatuerat, vt qui ſerpentum morſu
vlcerati eſſent, eo conſpecto ſanarentur, excidit at-
que diſſecit: cùm animaduertiſſet, populum ſuper-
ſtitione imbutum diuinos ſtatuæ honores tribue-
re. non enim ei ſimulacro vis vlla diuinitus ine-
rat: ſed cum hæc diuinæ religionis eſſet pueritia,
Moſes gentis Hebrææ pædagogus, eo ſimulacro
futurum Chriſti de ſerpente deuicto tropæum de-
ſignabat, cùm ſerpentis nomine callidum (vt à prin-
cipio dictum eſt) humani generis hoſtem ſignifi-
caret. Neque verò minor Ezechiæ regis in re mi- 2. Reg. 18. 8.
litari virtus exſtitit: nam ita Palæſtinos domuit, vt
reliquos omnes barbaros terrore adfectos compeſ-
ceret: ſuiſque ciuibus pacem atque ocium pararet:
vſque dum Iſraelitis à Salmanazare Aſſyriorum re-
ge oppreſſis, magnus ciuium numerus in ſeruitu-
tem Medorum abductus eſt. Et cùm Ezechias à
Dei ſapientia atque omnipotentia ad opes homi-
num confugiſſe videretur, Deus ei peſtem immi- 2. Reg. 18. 21.
ſit, deinde regnum ipſius Sennacheribo populan- XIX. calamitas in Eccleſia.
dum ac diripiendum tradidit. ex quo XIX. Iu-
daicæ genti ac religioni calamitas accidit. Hiero-
ſolymam enim vrbem Rex impius oppugnare in-
ſtituit. Qua obſidione perterriti Iudæi prophetæ
monitu clementiam Dei implorare cœperunt: re-
motiſque regum impiorum auxiliis, ſuas omnes 2. Reg. 19. 35.
ſpes in vnico Iehoua collocarunt. itaque Deus il-
lorum incommoda miſeratus, angelum emiſit, qui
gladio diſtricto centum & octoginta Aſſyriorum
millia trucidauit. neque ita multò pôſt Sennacheri-
bus fuga elapſus, in vrbe Niniue, in Deorum ſuo-
rum templo, filiorum ſuorum manibus trunca-
tus eſt.

DE REGE MANASSE, ET ESAIA, ET MIchæa Prophetis.

EZECHIAS autem, cùm annos XXIX. regnaſſet, 2. Reg. 21.
vita eſt functus; heredémque filium Manaſſen 2. Chro. 33.
reliquit: cuius in perſona quàm varia & mutabilis 1. 2. 3. 4. 5. 6.
religionis diuinæ condicio ſit quámque ea non hu-
manitus,

Digitized by Google

manitus, ſed Dei conſilio regatur, licet animaduertere. A nam ex patre optimo ac ſanctiſſimo ſceleratiſſimus filius, diuinæque religionis hoſtis infeſtiſſimus natus eſt: qui præter ceteras impietates nefarias, quibus ſe gentémque Iudaicam contaminauit, ſceleratam illam puerorum per flammam traducendorum conſuetudinem, de qua ſuperius diximus, reduxit; nationéſque barbaras omni ſuperſtitionis genere ſuperauit. Huic ſuperſtitioni crudelitatem adiunxit: neque vlla vnquam ætate ſecus accidit, vt non odium religionis crudelitas B comitaretur.

4. Reg. 31. 16.

Itaque complures pios ac religioſos viros, omni cruciatus genere adfectos necauit: in his Iſaiam prophetam, quem vulgo tradunt huius tyranni imperio crudeliſſimo ſerra diſſectum fuiſſe. Fuit autem Iſaias regis conſanguinitate illuſtris: quippe Amoſi Amaſiæ regis fratris filius: vt Hebræi tradiderunt. nam vt infimo loco natos plerumque Deus deligit, quorum opera in gente ſua docenda & inſtituenda vtatur, (cuiuſmodi Eliſeus & Amos fuerunt, quorum ille arator, hic C bubulcus fuit) eodem modo claris interdum ortos natalibus huic eidem muneri præficit. Etſi autem Iſaias cum Iudæis, atque in Iudaico regno vixit, déque gentis illius fatis præcipuè vaticinatus eſt, ſæpe tamen ad Iſraelitas tribus orationem conuertit: præcipuéque de ſalute ex Emanuelis aduentu exſpectanda concionatus eſt: ac præter cetera ſumma laude dignum illud in Iſaia videtur, quod iſto laborioſiſſimo munendi docendíque populi D munere annos amplius quatuor & ſexaginta functus eſt: nam eius miniſterij tempus confertur in

Iſai. cap. 1. & cap. 38. & ſeqq.

principatum Azariæ, Ioathamij, Achazis, Ezechiæ, & Manaſſis. Ac memorabile eſt, quod cùm rex Ezechias mortifero morbo vrgeretur, Iſaias ad eum venit, eúmque admonuit vt ſuis rebus proſpiceret: poſtero namque die moriturum. qua re cognita Rex multis cum lacrymis ad Deum cõuerſus, ſuppliciter eius miſericordiam implorauit: neque ita multo poſt Iſaias ad eum rediit, conſolatúſque hominem, renunciauit, Deum ipſius preci- E bus placatum, vitam et ad annos quindecim producturum: eiuſque rei ſignum fore, quod in ſuo ſolario vmbram gnomonis videret, gradus decem

Iſai. 45. 5.

retro & contrario motu regredi quo miraculo Ezechias confiſus cõualuit, ac Deo gratias egit. Illud etiam ſingulare in eo videtur, quod non modo de Iudæorum in patriam reſtitutione annis antè circiter C L X X X. vaticinatus eſt: verùm etiam Cyrum Perſarum regem diſertè nominauit, cuius imperio F populus ex hoſtiũ ſeruitute dimitteretur, atq; vrbs Hieroſolyma & tẽplũ inſtaurarẽtur. Deus (inquit) Cyrum appellans ita dicet; Hic paſtor meus eſt, mandata mea omnia obibit. dicet Hieroſolymæ, ædificator ab integro, & templo, exſtruitor ab integro. Huic eidem prophetæ Deus aliquanto poſt, alterum eiuſdem muneris ſocium ſubſidio miſit,

Mich. 1.

Michæam: qui, cum ſua diligentia labores illius ſubleuaret, tum etiam teſtimonio atque auctoritate ſua doctrinam illius confirmaret. Cùm autem G prophetarum ratio hæc fuerit, vt malorum omniũ remedium in futuri Emanuelis aduentum conſtituerent, tum verò proprium hoc Michæus habuit,

Mich. 5. 2.

quod vicum Bethleemicum, in quo naſciturus erat, nominatim deſignauit, quemadmodum eo nato ſacerdotes Iudæi Herodi regi (vt Mathæus te-

Math. 2.

ſtatur) expoſuerunt. Docuit autem Michæas ſub

A regibus Iothamo, Achazo, & Ezechia, vt appareat eum, munere hoc annos minimum ſex & triginta eſſe functum. Cùm his ſe flagitiis ac ſceleribus rex Manaſſes contaminaſſet, ac repudiatis prophetarum monitis nihil iam pro ſano facturus videretur, tum iuſtiſſimo Dei decreto tantorum vltor ſcelerum rex Babylonius Merodacus exſtitit, qui eum grauiſſimi belli offenſione fractum, & ad extremũ captum, atque comprehenſum in Babyloniam deportari iuſſit. Quo tamen in exſilio cùm ſuã amẽ- B tiam deteſtatus, animum ad Dei miſericordiã cõuertiſſet, ſumma ipſius benignitate in regnum reſtitutus eſt: qua de cauſſa, ſublatis dæmonum cultibus, veram Dei religionem reſtituit. eúmque annos quinque & quinquaginta regnaſſet, è vita exceſſit. Ei ſucceſſit Amon ipſius filius rex X V: qui cùm oppreſſa religione denuo dæmonũ cultus inſtauraſſet, antè confectum imperij ſui biennium à ſuis interfectus eſt. Hunc ſecutus eſt Ioſias ipſius, filius, rex X V I. qui cùm anno ætatis octauo regnum C adeptus eſſet, religionẽ à patre oppreſſam ſummo ſtudio reſtituit: dæmonumq; ſacra delubráque omnia exſcindi iuſſit. In eius hiſtoria illud eximiũ eſt, quod ſub ipſius regni initium legum diuinarũ nomen, quod longo antè tempore neglectum fuerat, ab Helcia ſacerdote in templo repertum eſt. confeſtimque coram Rege regníque proceribus à Saphano ſcriba recitatum. qua lectione ita Regis animus incenſus, atque ad colendam Dei religionẽ incitatus eſt, vt continuo ſe populúmque omnem D ſanctiſſimo fœdere Deo Iehouæ conſecrarit, ſuperiorúmq; regum bonorum pietatem ac ſanctimoniam adæquarit. Veruntamen, vt non facilè mortales viquequaque beati ſunt, hanc illius felicitatẽ noua interpellauit calamitas. nã cùm Ægyptio regi tranſitũ fortè per ipſius fines peteti, pertinacius denegaſſet, atque adeo illius intercludendi cauſſa copias armatorum hominum obieciſſet, prælio ab eo ſuperatus, atque interfectus eſt; cum annus regnaſſet X X X I.

2. Chro. 33. 11.

2. Chro. 33. 15.

XIX. religionis redintegratio.

2. Reg. 31. 1.

2. Reg. 31. 19.

2. Chro. 33. 21.

XX. religionis deprauatio.

XX. reſtitutio

2. Reg. 32.

2. Chr. 34.

2. Reg. 35. 8.

2. Chr. 34. 30.

E

DE REGIBVS IVDAICIS
REGVM BARBARORVM
arbitrio creatis.

2. Reg. 23. 30.

2. Chro. 35.

HVIVS autem quatuor diſſimillimi filij fuere: atque is inprimis, qui in ipſius locũ à populo Rex X V I I. creatus eſt, Ioachazus; qui ſublata Iehouæ religione, nefarios exterarum gentium cultus inſtituit. Verùm huius impietatis, vix tertio F interiecto menſe, pœnas luit. nam ab Ægyptio rege Pharaone armis oppreſſus, regnóque patrio ſpoliatus eſt. eiuſque in locum Ioakimus (qui & Eliakim) ipſius frater ſuffectus eſt Rex X V I I I. Quo facinore grauiſſimum Iudaico regno vulnus eſt impoſitum: cùm exteri ac barbari tyranni arbitrio rex ſacratæ gentis abdicatus, atque alter in ipſius locum ſuffectus eſt. Fuit autem Ioakimus defuncto fratre nihilo melior, eo etiam improbior G habitus, quod cùm ab Ieremia propheta ſeuerius & priuatim & publicè pro concionibus admoneretur, conciones ipſius ſcriptas, ac litteris mandatas ad ſe adferri iuſſit, eaſque in ignem conieciт. Eius petulantiæ vindex aliquanto poſt exſtitit rex Babylonius Nebucadnezar. Nam cùm Ægypto ſuam in poteſtatem redacta, victorem exercitum propè ab Iudææ finibus reportaret, belli oc-

XXI. calamitas eccleſiæ.

2. Reg. 23.

2. Chro. 36. 15.

Ierem. 27. 9.

Ier. 36. 32.

2. Reg. 34. 10.

caſione arrepta, in Ioakimi fines irruptionem fecit. Ioakimus eius aduentu perterritus, ſe ſuáque omnia in fidem ipſius ac poteſtatem permiſit; eíque ſtipendiarius factus eſt. Verum aliquanto intermiſſo tempore, contrà deditionis fidem de rebellando conſilium init, Ægyptióſque ad defectionem ſolicitauit. [2. Reg. 24. 3.] Hac illius perfidia Deus indignatus, qui nouum illud regum exterorum imperium mediocrem deprauatæ religionis animaduerſionem eſſe ſtatuerat, iterum Nebucadnezarem adpoſuit, qui violati fœderis pœnas expeteret. [2. Reg. 25. 7.] neque ita multo poſt, Ioakimus bello ſuperatus, comprehenſus, duabúſque catenis vinctus in Babylonium deportatus eſt. Eius in locum Iechonias [2. Chro. 36. 3.] (qui & Ioakinus) ipſius filius, eiuſdem Babylonij regis imperio ſuffectus eſt; Rexque Iudaicus XIX. Nebucadnezaris cliens, & ſtipendiarius conſtitutus: qui cùm paternam impietatem imitaretur, vix anni ſpacio principatum obtinuit. Nebucadnezaris enim imperio in Babyloniam tranſlatus C eſt. Eius in locum Zedechias Zoſiæ filius, Iechoniæ patruus, eiuſdem Babylonij tyranni iuſſu ac voluntate ſubrogatus eſt, vt ei populo, quem in Iudæa Nebucadnezar reliquerat, præeſſet. [Ierem. 52. 3.] Verum hic præter impia dæmonum ſacra, quæ vndecim annorum ſpacio coluit, maiorum ſuorum exemplo conſilium de rebellando inire, & arma contrà Nebucadnezarem comparare inſtituit: quam ad rem Ægyptios ſibi & vicinos regulos fœdere ac iureiurando deuinxit. Erat tum D Ieremias propheta, de quo propter ſingularem ſanctimoniam dicendum videtur. [Ierem. 2. 36.] Hic è ſacerdotum genere prognatus, annos quadraginta [2. Chr. 36. 21.] monitoris & concionatoris munere in hac gente eſt functus: cùm iam tot antè annis Iſraeliæ tribus decem ab Aſſyrio rege ſuis ſedibus pulſæ, atque in Medorum ſeruitutem deportatæ fuiſſent. neque tamen ea fratrum calamitate Iudæi condocefacti, ab inueterata inſania deduci potuerunt. Itaque ſæpenumerò Prophetæ denuntiabant fore, vt hæc E [Ierem. 27. 9 10.] quoque Iudæorum natio propediem in ſimilem Babyloniorum regum ſeruitutem abduceretur: in eáque ſeruitute annos ſeptuaginta maneret: quibus exactis denuò in patriam atq; ad vrbem Hieroſolymam reuerteretur. Ac mirum fuit, quod nominatim profeſſus eſt, ſe captiuitatis illius imaginem non modò mentis, ſed oculorum acie conſpexiſſe. [Ierem. 39. 12.] Ac paullo poſt vrbs Hieroſolyma capta eſt, vti ſupra demonſtrauimus, cùm ipſe Sedeciæ regis imperio carcere & vinculis teneretur. In F magno captiuorum numero ipſe quoque cum reliquis vna abreptus, neque tamen ita multo poſt Nebucadnezaris imperio, ad quem de ipſius pietate atque integritate fama peruenerat, eſt ſolutus, factáque illi poteſtas eſt, vel in Babylonia, cum ſuis in libertate manendi, vel in patriam ad eum egen- [2. Reg. 24.] tium numerum, quem Rex in Iudæa reliquerat, reuertendi. Nam infimæ condicionis Iudæos, Nebucadnezar reliquerat: iiſque agri aliquantum incolendi cauſſa conceſſerat: Godoliámque ex ipſo- G rum genere iis præfecerat, qui inter ipſos ius redderet. At Ieremias quo maiore Dei ſui colendi libertate vteretur, neque Babyloniorum ſuperſtitiones impias videre atque audire cogeretur, redire ad illum egentium numerum maluit, ibique [XXI. reſtitutio.] denuo priſtinum concionandi & cohortandæ plebis munus exercere: vt in hoc tempus XXI. pietatis

A redintegrationem referre poſſimus. Iudæi verò ſiue Nebucadnezaris imperium pertæſi, ſiue deliciarum Ægyptiarum deſiderio, clandeſtina inter ſe de reditu in Ægyptum conſilia inierunt, interfe- [Ierem. 34. 2. & 43. 7.] ctóque Godolia è ſuis finibus exceſſerunt, atque in Ægyptum proficiſci contenderunt. [Ierem. 44. 17.] Cùm hanc illorum inſaniam Ieremias acriter ac vehementer improbaret, comprehenſum illum ſecum abduxerunt, & ſe ſequi compulerũt. Vbi eò ventum eſt, B tum innata huic hominum generi immanitas ſeſe oſtendit: protinus enim ſeſe in Ægyptiorum ſacra [XXII. calamitas.] ac ſuperſtitiones immerſerunt, & cùm hanc illorum amentiam Ieremias ferre nõ poſſet, omnibus cruciatibus adfectum interfecerunt. Cùm igitur Zedechias rex occulta de defectione conſilia cum Ægyptiis iniret, acriter de hac perfidia ab Ieremia Vate obiurgabatur: cùm vir ſanctus demonſtraret, ſeruitutem illam maximo ipſius merito inſtitutã fuiſſe, ac tot ſuperiorum ſcelerum, periurij atque C impietatum pœnam eſſe. Quamuis enim profanus ac dæmonum cultor Nebucadnezar eſſet, tamen cùm belli ac victoriæ iure Iudaicos reges in deditionem accepiſſet, quæcumque deditionis condicio pacta inter ipſos ac iureiurando ſancita fuerat, eam ſeruari oportuit. nam aut fides danda victori non fuit, potiúſque honeſta mors oppetenda: aut vbi ſemel data eſt, ac iureiurãdo firmata, eam violari nefas eſt: cogitandúmque ſeruitutem illam Dei conſilio & iudicio eueniſſe. His de cauſſis D Nebucadnezar permittente Deo Iudaicum regnũ [2. Reg. 25. Ierem. 34. & 52. 4. Lament. Ierem. 4. 10.] denuò armis bellóque adortus, maximis copiis vrbem Hieroſolymam obſedit, atque ita fame oppreſſam mẽſes vndeuiginti tenuit, vt Ieremias ſcriptum reliquerit, miſeras matres inedia coactas, infantulorum corporibus vitam toleraſſe. Atque is eũ Zedechiam regem multis verbis vt ad ſanitatẽ rediret, ciuéſque miſeros reſpiceret, neque diutius [Ierem. 38. 5.] Dei voluntati reſiſteret, hortaretur, crudeli ipſius imperio in carcerẽ abreptus eſt. Ad extremũ opi- E dani peſtilentia, fame, ærũmq. omniũ inopia coacti, partim ſe noctis ſilentio, itineribus occultis fu- [Ierem. 52. 6. 78.] gæ mandarũt, partim ſe ſuáq. omnia in hoſtiũ po- [Ierem. 39. 5.] teſtatẽ dediderunt. At rex Zedechias cũ ſeſe proceribus atq. amicis fugientib⁹ adiũxiſſet, interceptus ab hoſtib⁹, atq. ad Nebucadnezarem eſt deductus. Apud eũ iuſſus cauſſam è vinculis dicere, dãnatus, hãc ſententiã tulit, vt omnes ipſius filij, ſimúlq. regni proceres in eius cõſpectu necarentur: pòſt ipſe oculis effoſſis, catenis vinctus, Babylonem depor- F taretur. Atque hic Iudaici regni miſerabilis ac luctuoſus finis fuit.

DE SEPTEM PRIMIS REGIBVS ISRAELIIS.

DEINCEPS ad Iſraelij & ſeditioſarum decem [1. Reg. 13.] tribuum hiſtoriam reuertendum eſt. Annus ab orbe condito agebatur MM. DCCCCLXXXVII. cùm Ieroboamus Iudaici regni aduerſarius de- G cem factioſarum tribuum Rex primus poſtremum vitæ diem morte confecit. Nouam hic (vt [1. Reg. 13. 22.] ſuperius demonſtratum eſt) religionis formam regni ſui conſtabiliendi cauſſa commentus erat; hanc ipſius poſteri propè omnes tenuerunt: qua de cauſſa magnis ac perpetuis ferè calamitatibus Iſraelium regnum exagitatum eſt. Nã qui Ieroboami in locum Rex creatus eſt, Nadabus ipſius filius,

cum

eum paternam illam vitulorum aureorum religio- A
nem ſequeretur, annum modo vnum, ac paucos
inſuper menſes regnauit. bellum enim cum Palæ-
ſtinis gerens, à Baaſa tribuno militum ſuis in ca-
ſtris interfectus eſt; neque multis diebus intermiſſis
omnes ipſius ſanguine creati, coniuratorum con-
ſilio trucidati ſunt. Interfecti regnum continuò
1. Reg. 15. Baaſa percuſſor occupat, qui ſuperiorum regum
27. 29. inſanas ſuperſtitiones ſecutus, perpetuum cum Iu-
daico rege bellũ geſſit, communitáq; vrbe Rama
1. Reg. 15. grauiter interdixit, ne quis è ſuo regno in Iudæam B
17. 32. exiret: cúmque annos viginti quatuor regnaſſet,
moriens Elam filium ſucceſſorẽ reliquit. Hic ea-
dem maiorum veſtigia ſecutus, cum ad annum &
1. Reg. 16. menſes perpaucos regnum obtinuiſſet, in conui-
8. 10. 15. uio, vbi ſe largius vino ingurgitarat à Zimrio quo
dam regiæ ſuæ ſatellite necatus eſt: qui quod inſi-
gnia nomenque regium vſurpauit, etſi ſeptem om
nino dies ea tenuit, tamen res quintus Iſraelius, fa-
ſtorum cauſſa, numeratur. Cùm enim Iſraelij bel-
lum aduerſus Palæſtinos gererent, Amrius, qui tũ C
exercitui præerat, militũ adclamatione, Rex ſextus
creatus eſt; qua de cauſſa cõfeſtim ad arcẽ Tirzam,
quæ regum ſedes vſque ad eum diem fuerat, con-
tendit. vbi Zimrius in rerum omnium deſperatio
nem adductus, ne viuus in hoſtium poteſtatem ve
niret, arcem inflammari iuſſit: in qua & ipſe, & om
nes ipſius furoris ſocij cremati ſunt. Cùm autem
Amrij creatio non omnibus decem tribubus pla-
ceret, ſeceſſio facta eſt: creatúſque alter Tibnius
nomine. qua ex ſeditione ciuile bellum exarſit: D
quod cum annos quinque duraſſet, tandem Amrij
regis victoria reſtinctum eſt. Hic Amrius arce Tir
za, quæ regum ſuperiorum domicilium fuerat, in-
cenſa, vrbem Samariã condidit, quæ deinceps ho-
rũ regũ ſedes ac domiciliũ fuit. Vnde Samaritani
regni appellatio quemadmodum ſuperius demõ-
1. Reg. 16. ſtratum eſt. Cum autẽ in Ieroboamica ſuperſtitio-
22. ne annos XII. perſtitiſſet, neque quidquam me-
moria dignum geſſiſſet, è vita migrauit. Ei ſucceſ-
1. Reg. 16. ſit Achabus ipſius filius, rex factionis Iſraeliæ ſep- E
29. timus, qui tametſi maiorum veſtigia ſecutus, vitu-
1. Reg. 20. lina ſacra retinuit, tamen cùm à Syriç regibus gra-
13. 28. uiſſimo bello appetitus eſſet, præclara victoria cæ
ſis hoſtium amplius ducentis millibus potitus eſt.
Cuius victoriæ laus non ipſius religioni, quæ Sy-
riaca ſuperſtitione non multum præſtabat, verum
Iſraeliç gentis nomini cuius Deus curam gerebat,
dicíſque Deus volebat, tribuenda eſt: quippe cum
intelligi Deus vellet, ſe, cui Syriæ reges ſub Iſrae-
liorum nomine bellum inferebant, vnum atque F
ſummum eſſe Deum, belli, armorum, ac victoria-
rum dominum. Etenim Achabus ad maiorum
ſuorum ſuperſtitiones, in quibus tamen (vt antè
1. Reg. 16. dictum eſt) Iehouæ nomẽ ſanctum habebatur: ne-
31. faria gentium exterarum ſacra inſuper adiunxit:
Ieſabelem enim regis Sidoniorum filiam vxorem
duxit, cuius matrimonij idem fuit exitus, qui ſem
per anteà ſuperioribus ętatibus iſtiuſmodi connu-
biorum eſſe conſueuerat. nam in coniugis gratiam G
ſacra, quæ Baalica dicebantur, ſuum in regnum re
cepit, iiſque templa diéſque feſtos inſtituit. Hunc
Baalem eundem quem & Belum fuiſſe putant,
qui Reginæ Semiramidis inſtituto à Babylonijs
colebatur. Tanta tamen Dei manſuetudo & clemẽ
tia ergà hanc ſuam gentem extitit, vt hoc ipſo cor
ruptiſſimo tẽpore, in hac ipſa teterrima ſuperſti-
tionum colluuie duos ſummos ac planè ſingulares
prophetas excitaret, qui ſuis præceptis ac monitis
regem populúmque vniuerſum ad pietatis ſtudium
adducerent, crebríſque concionibus, quæcunque
ad eorum ſanandas mentes pertinere arbitrarẽtur,
proponerent. Hi fuerunt Helias, & Heliſæus: quo-
rum ille annos quinque & viginti, alter amplius
quinquaginta diuinæ religionis diſciplinam publi
cè in ea gente tradidit.

DE HELIA PRO-
PHETA.

TANTA autem Heliæ virtus, atque animi 1. Reg. 17.
magnitudo fuit, vt regem ipſum acriter
interdum ac liberè coargueret, ſeueréque ipſius
impietatem caſtigaret. qua de cauſſa quibuſdam 1. Reg. 18. 18.
ab aulicis ad necem quæſitus, in ſyluam ac ſolitu- 1. Reg. 17.
dinem profugit. Hic cùm inedia premeretur, diui- 4.
nitùs accidit, vt ei à duobus coruis cibus adferre-
tur. Breui ſpatio interiecto, denuò in regiam re-
uerſus eſt. Erat tum annonæ caritas, reique frumẽ-
tariæ difficultas ſumma, vt propè ad tumultum ac
ſeditionem res deueniret. quo tempore mira Pro-
phetæ in rege caſtigando libertas fuit. nam cùm in
religionis nouationem, tantorum malorum cauſ-
ſam Rex conferret, Heliámque regni perturba-
torem contumeliosè vocaret: tum propheta for-
titer atque audacter eum ipſum regni perturbato-
rem, calamitatúmque omnium auctorem eſſe re-
ſpondit. Tandem vt omnis religionum controuer- 1. Reg. 18.
ſia diuino aliquo miraculo diſceptaretur, prophe- 18.
ta ſacerdotes Baalicos amplius octingentos in hu
iuſmodi ſponſionem prouocauit, poſtulauit, vt ſin-
guli boues ambarum religionum nomine cæſi in
ara porrigerentur: cuius religionis bos flamma cœ
litùs immiſſa cremaretur, ea deinceps ſola & vera
religio haberetur. Placuit condicio. vbi ſponſio-
nis dies venit, tum Baalici omnes, à prima luce ad
meridiem vſque, magnis clamoribus Baalem ſuũ
inuocant. nihil illo reſpondente, neque vllam ex-
auditæ vociferationis ſignificationem edente, ſa-
crifici ſeſe flagris concidere, ac miſerè cruentare
cœperunt: ſi eo fortè cruciatu eliei dæmonis miſe-
ricordia poſſet. quod cùm maximè in oculis om-
nium fieret, neque tamen illi aut litare, aut rem o-
mninò vllam impetrare poſſent, non irridiculè pro
pheta cohortari illos cœpit, vt clamorem vehemẽ
tius intenderent: tum enim aut ſomno fortaſſe
Baalim teneri, aut certis occupationibus diſtineri.
At vbi ad Heliam ventum eſt, tanta ilicò de cœlo
flamma exarſit, vt non modò cæſam & porrectam
victimam, verum etiam aram ipſam (in quam ta-
men aquæ magnam copiam propheta, Dei fiducia
fretus, effuderat) concremaret. Hoc miraculi e-
uentu conuicti Baalici, confeſtim ab irritata plebe
comprehenſi, & apud torrentem Kiſonem iugula-
ti ſunt. quam ob cauſſam Ieſabella furore inflam-
mata, Heliam quæri & interfici iuſſit. Qua re co-
gnita, Propheta rurſus in ſolitudinem profugit, ty
rannæ minis aliquanto grauius, quàm ipſius digni-
tas atque auctoritas poſtulabat, exterrefactus. Ita-
que Deus illum obiurgatum Samariam reuerti
iubet: qui vbi nullis neque apud Regem, neque a-
pud Reginam, monitis locum eſſe reliquum ani- 1. Reg. 19.
maduertit: tum verò vehementius atque acrius 4.
vtrique minitari cœpit, ac denunciare, futurum 1. Reg. 21. 18. 19.

A propediem, vt Reginæ corpus à canibus lanietur;
Rex vero cum vniuerſa ſtirpe ac ſobole funditus
eradicetur. neque ita multo poſt vir ſanctus igneo
curru in cœlum, Heliſæo inſpectante, vectus, at-
que à Deo ſublatus eſt.

DE DVOBVS REGIBVS ISRAELIIS: ET HELIſæo Propheta.

B
QVod de Achabo rege propheta prædixerat,
1. Reg. 22. 38. paruo intermiſſo tempore, viuuenit. nam
prælio Syriaco pugnans, iaculo eſt transfixus, anno
regni ſui XXII. ac mox omnes, ipſius ſatu editi,
1. Reg. 22. 52. funditus interierunt. Filius ipſius, idémque regni
heres Achazias, rex octauus, paternæque impieta-
tis æmulus, qui biennio ante in regni ſocietatem à
patre cooptatus fuerat, paucis poſt diebus per pa-
2. Reg. 1. 2 latij cancellos collapſus interiit. Eius in locum Io
C 2. Reg. 3. 3 ramus ipſius frater rex nonus ſucceſſit, qui etſi tot
exemplis, ac diuinis ſuppliciis exterritus, Baalicа
ſacra ſuſtulit, Vitulinam tamé ſuperſtitionem, quæ
2. Reg. 6. 29. in ea ciuitate inueterauerat, retinuit. qua de cauſ-
ſa, grauiſſimo bello à Syriæ rege Benhadabo ve-
xatus eſt, qui Samariam vrbem, tam diuturna ob-
ſidione oppreſſam, tenuit, vt miſeræ matres ine-
dia coactæ, ſuorum infantulorum corporibus fa-
2. Reg 7. mem tolerarent. Erat tum in opido propheta He-
liſæus, qui clementia Dei confiſus, Regem à de-
D ditione, quam alij ſuadebant, vehementiſſimè de-
terrebat. Erat etiam princeps quidam, omnium,
ſecundum Regem, potentiſſimus, qui tanta ciba-
riorum penuria maiorem in modum, ac planè præ
ter ceteros commouebatur. hic cum Heliſæus ve-
hementius indignaretur, multiſque conuiciis ma-
lediceret, tum vir ſanctus diuino ſpiritu incitatus,
palàm ei denunciare cœpit, fore, vt poſtridie eius
diei, ſoluta obſidione, tanta repentè frugum om-
nium copia conſequeretur, quanta nunquam ante
E in ciuitate fuerat. eius tamen annonæ vbertate ma
ledicum illum temerarium non fruiturum. Hanc
denunciationem princeps deſpexit, ac ludibrio ha
buit. at nocte proxima diuino prodigio accidit, vt
hoſtes in ſuis caſtris magnum equorum ac cur-
ruum ſtrepitum audire viderentur, qui in oppidū
intromiſſi, ciuitati ſubſidio venirent. qua ex re
tantus ſubito timor totis caſtris exortus eſt, vt pro-
iectis rebus omnibus vna in fuga ſalutem ſibi reli-
quam exiſtimarent: ſuaque caſtra omni commea-
F tus genere refertiſſima deſererent. hac re per le-
proſos quoſdam in opidum nunciata, tanta repen-
tè ciuium eruptio facta eſt, vt princeps ille, qui
præter cætera Heliſæi vaticinium irriſerat, con-
curſu multitudinis obtritus, in porta interiret. At
2. Reg. 8. 28. rex Ioramus cùm imperium annos XII. obtinuiſ-
ſet, in prælio quod cum Haſaele Syrorum rege
commiſit, vulneratus eſt. ac paullo poſt, ab Iehu,
qui eius principatum excepit, eſt obtruncatus. de
quo Iehu proximè diſſeremus: ſi prius admiranda
G quædam & ſingularia Heliſæi prophetæ prodigia
expoſuerimus. Hunc enim Deus per id tempus
Iſraeliæ nationi propè iam perditæ ac deploratæ
miſerat, qui ſuis eam præceptis, & concionibus ad
aliquam mentis ſanitatem conuerteret. neque vl-
la dubitatio eſt, quin quod Heliſæi monitis,
præſertim tanto miraculorum numero confir-
matis, non paruerit, idcircò breui poſt tem-

A pore ſuis finibus pulſa, atque in Babyloniorum
ſeruitutem deportata eſt. Eum autem Deus ab ara 1. Reg. 19.
tro ad hoc ſacroſanctum eccleſiaſtici doctoris
munus euexerat, vt facilè intelligatur, Sapientiam
Dei non in regiis principum, aut philoſopho-
rum ſcholis, ſed in ſolius diuini ſpiritus adflatu
eſſe poſitam. Eius igitur hæc ferè miracula com-
memorantur: quod Iordanem flumen obuolu- 2. Reg. 2.
to Heliæ pallio percuſſum interſciderit: quòd 14.
B acerbas Hierichuntis vrbis aquas ſuaues ac ſalu-
bres reddiderit: quòd pueros XLII. qui contu- 2. Reg. 2.
melioſè caluitiem, ac potius præfecturam ipſius 19. 23.
irridebant, vrſis immiſſis, dilaniandos obiece-
rit: quòd exercitui laboranti magnam aquæ co- 2. Reg. 3.
piam ſuppeditarit: quòd inopi viduæ, quæ à fla- 9. 4. 9.
gitantibus creditoribus vrgebatur, tantam olei
vim è veſtigio ex ipſius lecytho elicuerit, vt fa-
cile domeſticæ difficultati ſubueniret quòd ma-
tronæ cuidam Sunamitidi locupleti & copioſæ, 2. Reg. 4. 8.
C quæ iam in matrimonio ſterili inueterauerat, fi-
lium à Deo impetrarit, eundémque filium ali-
quanto poſt morbo extinctum in vitam reuo-
carit: quòd acerbius quorundam adoleſcentum
pulmentum iniecta farinula ſuaue reddiderit: 2. Reg. 4.
quod adoleſcentes numero centum panibus vi- 41.
ginti ita ſatiarit, vt etiam multum reliquiarum
ſupereſſet: quod Nahaman quendam è Syriæ 2. Reg. 5. 1.
proceribus lepra infectum, in Iordane abluturn
ſanarit: quod eam lepram in ſeruulum ſuum
D Githium, qui Nahamæ illius munus ab hero re-
pudiatum auarius acceperat, tranſtulerit: quod
ſecurim, quæ fabro cuidam in flumen proſi-
mum exciderat, proiecto ligni fruſto in ripam
elicuerit: quod equites aliquot ab rege Syro ad 2. Reg. 66
ipſum comprehendendum miſſos, cæcitate ad- 1. Reg. 6. 20.
fecerit, eóſque in opidum Samariam abduxerit.
Atque hæc quidem admirabilia, & planè pro-
digioſa fuerunt: verum illud aliquanto etiam
diuinius, quod poſt ipſius obitum ac ſepultu-
E ram accidit. nam cum in idem ſepulchrum mor-
tuus quidam efferretur, veſpillones repentino
Syrorum aliquot equitum interuentu perterriti,
celeriter ſuum mortuum in Heliſæi ſepulcrum
proiecerunt: at cadauer contactis Heliſæi oſſi- 2. Reg. 13. 20.
bus confeſtim, anima recuperata, in pedes ex-
iliit. Hic igitur Heliſæus, cùm Ioramus rex ac- 2. Reg. 9.
ceptis iis, quæ ſuprà diximus vulneribus, morbo
ac lecto teneretur, vnum è diſcipulorum ſuo-
rum numero ad eum, quem anteà nominauimus,
F Iehu miſit, qui eum Samariæ Regem ſollem-
ni vnctione conſecraret. quo negocio confecto,
repente Iehu cum equitatu ad opidum Iſraelem
contendit: cui cùm obuiam Ioramus, quan- 2. Reg. 9.
tumuis æger, honoris cauſſa proceſſiſſet, Iehu 24.
illum iaculo transfixum interfecit: eodémque ex
itinere vrbem ingreſſus, Ieſabelem animaduer-
tit è feneſtra proſpectantem, eique de mariti
nece acriter atque acerbè conuiciantem. hanc 2. Reg. 9.
ille continuo è feneſtra præcipitem exturbari 33.
G iuſſit, in eamque exanimem incitatum equum
adegit, canéſque, qui cadauer ipſius lania-
rent, immiſit: quo ſupplicio Heliæ commiſ- 1. Reg 17.
ſa vaticinatio eſt. Neque tamen hac acer-
bitate Iehu contentus omnes Achabi filios
numero ſeptuaginta trucidari iuſsit. Qui-
bus confectis rebus, ſacerdotibus Baa-
licis nunciari ſuis verbis iubet, ſibi eſſe
in

2.Reg.10. 19. in animo, diem feſtum in Baalis fano cum ipſis vnà celebrare; ibíque rem diuinam ſollemniter facere, eiq; rei ac negotio diē dixit. Cùm omnes ad diem ſacerdotes cum infulis, ſollemnique ornatu conueniſſent, Rex immiſſis ſpiculatoribus omnes ad vnum medio in fano mactari imperauit; ſimulque Baalis templum exſcindi, atque in ipſius area 2.Reg.10. 29. latrinam publicam inſtitui. Huiuſmodi regis Iehu fortia facinora fuerunt: quamquam ne à ſuperiorum quidem regum vitulinaria ſuperſtitione & Ieroboamieis ſacris abſtinuit. tanta Iudaeæ nationis in iſtiuſmodi ſordibus venerandis fuit inſa- 2.Reg.10. 32. nia. Qua de cauſſa, Deus Syrorum arma in illum incitauit, eámque ipſius leuitatem & perfidiam graui bello eſt vltus. quo ille confectus, annis in regno XXIII. exactis, mortuus eſt: ſucceſſorémque filium Ioachazium, regem XI. reliquit: qui 2.Reg.13. 1. cùm eandem illam belluinam ſuperſtitionem denuò amplexus eſſet, magna Syrorum bello calamitate adfectus, omnes propè ciues ſuos amiſit. Hic cum annos XVII. regnaſſet, neque quidquam magnopere memoria dignum geſſiſſet, diem obiit. Mortui regnum Ioaſius filius excepit, qui tametſi maiorum veſtigia & ſuperſtitio- 2.Reg.13. 23.25. nes ſecutus eſt, tamen vt hoſtes Iſraeliæ gentis intelligerent, bellum ſe non illi generi hominum, ſed ipſi Iehouæ Iſraeliorum Deo intuliſſe, beneficio ipſius præclaras admodum victorias de rege Syro reportauit. tribus enim prælijs eum fudit, vrbéſque ſuperioribus bellis amiſſas recuperauit. Hac in armis felicitate cum eſſet, Iudæorum quoque nationi bellum intulit. Ibi tum Amaſias regnabat, de quo ſuo loco dictum eſt. 2.Reg.14. 15. Cum gentis perfidiam Deus vlciſci vellet, Ioaſium ad id bellum impulit: quo bello victum atque oppreſſum Amaſiam cepit, vrbémque Hieroſolymam oppugnans, magnam eius murorum partem exſcidit. Regis etiam ac templi theſauros, atque vrbis ærarium diripuit. Hic cum annos XVI. regnaſſet, Ieroboamum filium ſucceſſorem reliquit, regem Iſraeliæ factionis XIII. qui patrias quidem ſuperſtitiones coluit: verum ea, qua di- 2.Reg.14. ximus cauſſa, parem cum patre felicitatem in bello gerendo adeptus eſt. Syris enim reliquiſque hoſtibus ſuperatis, antiquos Iſraelij regni fines reſtituit. neque vnquam regnum illud, magis amplum ac florens, quàm illo imperante, fuiſſe exiſtimatur. Sub eodem Rege duo prophetæ, ſummi ac ſingulares viri, monitores Iſraeliorum nationi dati ſunt, Oſeas & Amoſius: quorum vterque concionibus adſiduis gentem illam ab inueterata ſuperſtitione ad veram Dei religionem reducere conatus eſt. Nam Oſeas qui munus illud concionatoris annos propè octoginta ſuſtinuit, Regem hunc ſecundis ſuis rebus inſoleſcentem acerrimè ſæpè coercuit: cùm ei fore denunciaret, vt ſi in veteri inſania perſeueraret, in barbarorum regum ſeruitutem abduceretur. Amoſius autem natione Iudæus e paſtoritia vita humili atque abiecta, ad hoc idem Iſraeliæ gentis docendæ munus adſcitus eſt, biennio (vt ſcriptura teſtatur) antè terræmotum, quem Iſraelijs horribilem incidiſſe, memoriæ proditum eſt. Hic cùm exterarum gentium Amos.1. à quib. Iſraelij vexabantur, exitium renunciabat, Zach.14. tum præcipuè corruptos Iſraeliorum mores ac perfidiam coarguebat: annonæ prætcrea penuriam, peſtilentiam, aliáſque impendentes calamitates prædicebat: potiſſimum tamen Samaritani regni occaſum, & crudelem Aſſyriorum dominatum quibus ex cauſſis gentem Iſraeliam, ab anteactæ vitæ flagitijs ad morum emendationem & pietatis ſtudium retrahebat. Ieroboamo mortuo, tanta Iſraeliæ gentis corruptela, & religionis peruerſitas, morúmq; deprauatio excepit, vt Deus omnem propè ex animo illius curam abiecerit. Itaque tanta deinceps rerum omnium confuſio cōſecuta eſt, vt regnum illud verius aliquanto latrocinij, quam legitimi imperij nomine appellari poſ- 2.Reg.15. 10.20. ſit. nam qui Ieroboamo ſucceſſit, Zacharias eius filius, vix ſex menſes regnum obtinuit, quin à Sellumio interficeretur, qui XV. quidem rex Iſraelius in faſtis numeratur: ed [illegible] menſem omninò vnū imperaſſet, rurſus à Manahemo eſt interfectus, qui 2.Reg.15. 23.27. non modò vetere in ſuperſtitione regnum annos X. obtinuit, verum etiā Aſſyrio regi ſeſe Samaritanúmq; regnū dedidit, atq; in eius poteſtatē permiſit. Ei ſucceſſit XVII. Phacea, qui biennium in omni ſcelere graſſatus à Petra interfectus eſt. Hic Iudaico regi Achazio, totique regno exitialis fuit, 2.Chron. 28.6. quemadmodum in Iudæorū hiſtoria demōſtratū eſt. vno enim prælio centū ac viginti Iudæorū millia deleuit: mulierūq; & puerorum millia ducenta Samariā abduxit: quumquā in illa deductione eū ei propheta Obedius obuiā veniſſet, ab eóque deprecatus eſſet, vt in miſeros illos captiuos Iſraeliorū cōſanguineos miſericordia vteretur, eóſq; miſſos faceret, ſingulari māſuetudine hoc illi cōceſſit. tandē vbi annos XX. regnaſſet, ab Hoſea interfectus eſt: 2.Reg.17. 5. qui XIX. idémque poſtremus rex Samariæ numeratur: minus aliquāto quā ſuperiores Ieroboamicæ ſuperſtitioni deditus. Hunc Salmanaſſar Aſſyriorū rex armis oppreſſum in ſuam poteſtatē redegit, eíque tributum impoſuit. poſt vbi de ipſius perfidia certior factus comperit eum clandeſtina de rebellando cōſilia inire, coactis copijs Samariam ador- 2.Reg.17. 4. tus eſt: eámque captam incendi atque inflammari iuſſit: Hoſeam ipſum comprehenſum atque in car- 2.Reg.18. 10.11. ceres coniectum, vniuerſúmque populum Iſraeliū in Mediam abduxit. ſimul Aſſyriorum colonias in Samaritanorum fines deduci imperauit. Sed cùm 2.Reg.17. 24. eò dæmonū cultus coloni noui importaſſent, magnis incommodis adfecti, atque à leonibus aliíſq; belluis diuinitus immiſſis vexati ſunt. Ad hæc auertenda mala, ſacerdotem ſibi aliquem, religionis Iſraeliæ peritum dari poſtularunt, à quo Iehouæ Dei ſacra edocerentur. Verum intermixtis cum vera religione Dæmonum ſuorum cultibus, ſpuriā quandam ſacrorum formam inſtituerunt. Hic Samaritani regni exitus exitialis fuit, cùm annus ab orbe condito ageretur circiter MMM. CCXXXI. cùm Ezechias Iudaicus rex annos quinque imperaſſet: cùm denique Iſraelium regnum annos plus minus trecentos duraſſet. Quantum autem Iudæi veræ pietatis ſtudioſi dolorem ex illa fratrum & conſanguineorum ſuorum calamitate conceperint, venire cuiuis in mentem poteſt: ſed optandum fuiſſet, tanta illos ægritudine animique mœrore adfici, vt exemplum ex tot fratrum ſupplicijs caperent, & cauſſam à ſe ſimilium calamitatum remouerent. quod quia facere neglexerunt, accidit centeſimo & trigeſimo poſt anno, vt in conſimiles pœnas ruerent, ſuíſque ſedibus pulſi in Babyloniorum ſeruitutem (vt ſuperius demonſtratū eſt) abducerentur.

DE CAPTIVITATE BABYLONICA.

DE qua ſeruitute deinceps diſſerendum eſt: atque ad captiuam Iudæorum gentem, quam paulo ſuperius in Babylonia reliquimus, reuertendum. Eius autem captiuitatis ac deportationis, qui diligentius horum temporum rationem inierunt, initium in eam diem conferunt, qua rex Iechonias à Babylonus captus atque abductus eſt, ſub finem anni octaui, regni Nebucadnezaris. B Quantas autem Iudæorum natio in illa ſeruitute acerbitates perpeſſa ſit, vel hinc licet exiſtimare, quod pergentes profanas diſſipata, paſſim tota Babylonia, Perſide & Media vagari cogebantur: veterúmq; hoſtium Ammonitarum, Idumæorum, Moabitarum ac Palæſtinorum ludibria & contumelias audire, qui crudeliſſimè illorum miſeriis inſultabant.

Pſal. 137. Ez. ch. 25 12. Ierem. 49 1.

Fit autem communi naturæ vitio, vt homines de religione ex rerum humanarum euentu iudicent. Iudæorum gens, C inquit M. Tullius, quàm cara Dijs immortalibus eſſet, docuit, quòd eſt victa, quòd elocata, quòd ſeruata. Itaq; cum eo tempore: ſacris Iudæorum ſublatis, ſolæ profanorũ cultuũ ſuperſtitiones vigerent, homines impij tantarũ rerũ gubernationem ſuis dæmonibus tribuebant: Deuſq; Iehoua omnẽ rerum humanarum curam abiecisse videbatur. Veruntamẽ hæc Iudæorũ vecordiæ atque impietati ſuppliciorum acerbitas debebatur. At Chriſtus eccleſiã ſuam miſeratus, monitores ei & conſolatores aliquot miſit, qui electorũ ſuorum D animos confirmarẽt, eóſque in fide & officio cõtinerent; ne abiecto Dei Iehouę metu ad Babyloniorũ ſuperſtitiones animũ adiicerent. In his fuere Ieremias, Ezechiel, Daniel: quorũ primus maturè ac diligenter eos monuerat, vt ſiquando à Babylonijs de ſuis ſuperſtitionibus colẽdis ſolicitarentur, iis ita reſponderent: Dij qui cælũ & terrã non condiderũt, è terra excindentur.

Ierem. 10.

Itaque memoriæ proditũ eſt, eos nõ modò priuatis in ædibus ac familijs ſuis Deum inuocaſſe, & Iehouæ omnipoten- E tiã, ſapientiã & clementiã veneratos eſſe: verũ etiã magnũ ſua pietate, modeſtia, continẽtia, Babyloniorũ numerũ ad eiuſdem Dei notitiã, cultúmque perduxiſſe.

Ierem. 52. 2. Reg. 25.

Quinetiã memoriæ proditũ eſt, Euilmerodachũ Babyloniæ regẽ, Nebucadnezaris ſucceſſorẽ tanta in Iechoniã Iudæorũ regẽ, à Nebucadnezare vinctũ atque abductũ, clementia viſum eſſe, vt eum non modò vinculis & cuſtodia liberaret, verũ etiam ampliſſimis honoribus adficeret, ſuæque illũ menſæ & conuiuiis adhiberet. F Ad hæc ferè tẽpora referri video Eſteræ hiſtoriã, de qua nõ prætermittendũ videtur. Erat Mardochęus in Media, in eorũ Iudæorum numero, qui eo abducti in ſeruitutẽ fuerãt. Eius regionis imperium Aſſuerus tenebat, quẽ Aſtyagis nomine adpellatũ putãt quidã, eúmque Aſtyagis magni paternũ fuiſſe. Mardochęus cũ liberos non haberet, fratris ſui filiã Eſteram, indole eximia virginẽ, adoptauit. Hanc rex Aſſuerus, cũ ipſius indole adãnaſſet, habere in matrimonio voluit, nationis ac generis ignarus.

Eſter. 2. 18

G Non longo poſt tempore fortè accidit, vt Mardochæus aulicorum quorundã de Rege necando coniurationẽ cognoſceret. Hanc ille continuò Eſteræ, Eſtera Regi renuntiat. re comperta, ſupplicium de coniuratis ſumitur, eaque res mãdatu Regis in annales refertur.

Eſter. 2. 21

Erat tũ in regia præter ceteros gra- A tia & potentia florẽs Haman, quem Medi omnes præcipuè, ſecundũ Regẽ venerabantur. At Mardochæus, qui ſolus è Iudæorũ numero Eſteræ gratia fretus, in regiæ veſtibulo frequens erat, honorẽ ei nullum habebat. qua re grauiter Haman indignatus, ſuadere Aſſuero, ab eóque cõtendere inſtituit, vt Iudæorum nationem tamquam factioſam atq; à communibus gentis ſuæ inſtitutis abhorrentem tolli de medio iuberet. ea re impetrata, celeriter B Mardochæo crucẽ figi imperauit: eúmque poſtridie in illam tollere cõſtituit.

Eſter. 4. 5

Verũ haud ita multo poſt accidit, cum proxima inſequente nocte, Rex capere ſomnum non poſſet, vt ſibi annales adferri eóſque recitari iuberet. ibi Mardochæi indicium repertum eſt. Cùm à Rege quæſitum eſſet, ecquid ei præmij atque honoris tributum pro tanto merito fuiſſet, comperiſſetq; nullam omninò gratiam relatam, continuò imperauit, vt ei ſummi honores, tamquam optimè de ſe merito, deferrentur.

Eſter. 6.

C hac oblata occaſione ſimul Eſtera conſilium Hamanis, de Mardochæo in crucem tollendo, regi Aſſuero renuntiat. Rex vxoris oratione incenſus, confeſtim Hamanem abripi, atque in eam ipſam crucem tolli iubet: ſimul edictum de Iudæis exterminandis reſcidit, poteſtatémque ipſis fecit omnes Medos à quibus vexati fuerant, opprimendi. atque hic fuit eorum conſiliorum exitus.

Eſter. 7. 8. 9. ſeqq.

Nunc de prophetis, quos huic captiuæ genti Deus conſolatores dedit, dicendum aliquid videtur. Ezechiel è ſa- D cerdotum Iudæorũ numero, quinto poſt deportationem anno, in Babyloniam Dei mandatu profectus eſt, partim vt exulũ animos in tãtis ærũnis conſolaretur; partim etiam vt eoſdem aduerſus veteratorum fraudes confirmaret, qui propheticum ſpiritum venditantes, migrationis conſilium maximè improbabãt, ac diſputabant, ſatius fuiſſe quoduis adire periculum, quàm regionem à Iehoua perpetuæ poſſeſſionis cauſſa donatam, ignauia relinquere.

Ezech. 1. 2.

Erat eodem tempore Ieremias in Iudæa, E cum iis, qui in patria remãſerant. huic magno fuit ſolatio intelligere, datum captiuis in Babylonia prophetam alterum, qui quę ille continuos quinque & triginta iam annos inculcarat, totidem prope verbis confirmaret.

Ierem. 40. 1. 2. Ezech. 25 2.

Itaque ſcriptis ad captiuos litteris, ſtudioſè illos ad ipſius doctrinam amplectẽdam cohortabatur, ac pręſtigiatorum calumnias, qui Ezechielem inſectabantur, acerrimè vehementiſſiméque refutabat. Ac mirum fuit, vtrumque, tãto locorum interuallo diſiunctũ, tamen eodem tẽ- F pore tanto conſenſu Iudæis, qui in patria remanſerant, eadem ſuppliciorum genera denunciare: vbique Hieroſolymæ vaſtitatem liberè atque apertè prędicere. ſimul exterorum tyrannorum interitus, gentiſque Iudaicæ reſtitutionem prænunciare, atque hanc reſtitutionem in ſeptuaginta annorum fidem conferre. nam Ezechiel certe tanta fiducia de templi inſtauratione populique reditu pronunciat, vt etiam eius ędificandi rationem, tamquã architectus deſignet, agróſque populo noua for- G tione, & à Moſaica aliquantum diſſimili adſignet.

Ezech. 40

DE DANIELE.

HIc è Iudęa tribu, regio prognatus ſanguine, annos natus circiter XII. eum reliqua familia

milia regia captiuus in Babyloniam abductus eſt. A
ibíque Nebucadnezaris tyrāni iuſſu eum aliquot
delectis indolis bonæ pueris educatus, iiſque arti-
bus quibus tum iuuentus informari ſolebat, libe-
raliter inſtitutus eſt. Cùm ingenij gloria præter ce-
teros floreret, tanta apud Regem in laude & gratia
eſſe cœpit, vt maximis honoribus dignus haberé-
tur. Itaq; Rex eum aliquot iam annos iis diſcipli-
Dan. 5.19 nis inſtitutum in maximarum rerum conſiliū ad-
hibuit, atque regni procurationem adſciuit. Neq; B
Dan. 2.3. ita multo poſt fato quodam accidit, vt Rex per
quietem ſtatuam ſe ingentem videre ſomniaret,
cuius caput eſſet aureum, pectus argenteum, ven-
ter æreus, tibiæ ferreæ, pedibus partim è ferro,
partim è luto fictis: protinúſque de cœlo lapſum
ingens delapſum eſt, quo tota illa ſtatua eſt com-
minuta. ſaxum autem in tanti montis magnitu-
dinem excreuit, vt totum fere terrarum or-
bem compleret. Plurimum illa Babyloniorum
natio ſuis ſomniis tribuebat, atque ariolos ac fa- C
tidicos præſtigiatores habebat: qui magna aucto-
ritate ſomniorum interpretationem vulgò profi-
tebantur. hos Rex ſibi conquiri mandat, &, quòd
ſomnij ſui oblitus erat, primum id in illos diuina-
re, ſibíque in memoriam reuocare iubet, ac tum
deinde interpretationem exponere. Vbi eos diu-
tius tergiuerſari, nihil excogitare poſſe animad-
Dan. 2.16 uertit, Danielem accerſit. is inuocato Dei nominė
ſimul & ſomnium & hanc eius interpretationem
edidit. Oſtento ſtatuæ quatuor orbis terræ impe- D
ria ſumma deſignantur, quæ ante Chriſti Ema-
nuelis aduentum principatum obtinebunt. Ho-
rum primum eſt Babylonicum: alterum ſuccedet
Perſicum: tertium Græcum: quartum Romanum.
hoc poſtremo florente venturus eſt è cœlo Chri-
ſtus Emanuel, qui deletis omnibus illis imperiis,
ſolus toto mundo regnum, ac principatum obti-
nebit. Materiæ autem idcircò inferiores quæque
deteriores ſunt, quoniam ex illis imperiis poſte-
rius quodque deterius futurum eſt: quod ego ſic E
interpretor, quaſi dixiſſet, religioni infeſtius. vt
metallorum precium ex religionis ratione æſti-
metur. nam cùm imperia omnia Chriſti aduentu
deletum iri pronunciet, dubitari meo iudicio non
debet, quin harum rerum omnium deſcriptio ad
religionem referenda ſit. eiúſque rei argumentū
hiſtoria ſuppeditat. nam Babylonij Hebræorum
certè gentem & religionem minus infeſtè quàm
ceteri, minúſque crudeliter inſectati ſunt, quine-
tiam illorum perfidiam aliquoties experti, mi- F
nus ſeuerè in eos animaduerterunt: ſed populi
partem in ſuos fines tranſportarunt, eóſque ſatis
clementer ac manſuetè habuerunt. at Perſæ mul-
to durius: acerbius etiam Macedones: omnium
autem infeſtiſſimè Romani cum iis egerunt. He-
bræorum enim gentem, tamquam impiorum ac
ſceleratorum hominum colluuiem: iniuriis con-
tumeliiſque omnibus vexarunt. Aliquot interie-
ctis annis Nebucadnezar, amicorum & familia-
rium ſuorum impulſu, qui tantam Iudæorum G
in ſua religione ac veteribus inſtitutis tuendis
conſtantiam iniquo animo ferebant, edictum
promulgari iuſſit, vt omnes qui ſuo imperio te-
nerentur, ante ſimulacrum aureum, quod data
opera ſtatui imperarat, procumberent, eíque di-
uinos honores tribuerent. Huic edicto tres pue-
ri nobiles Iudæi, Danielis familiares, Sadrach,

A Meſach, & Abednago, parere detrectarunt: cùm
dicerent ſatius eſſe Dei imperio, quàm regum
voluntatibus impiis obtemperare. ea de cauſſa in
ardentem fornacem coniecti, cum protinus cir-
cumuenti flamma, & iam conſumti putarentur,
horis aliquot interiectis conſpecti ſunt media in
fornace inambulantes, Deóque Iehouæ conſer-
uatori ſuo hymnum canentes. qua re Nebucadne-
zar cognita, exclamare ac Dei Iehouæ omnipo-
B tentiam agnoſcere cœpit: ac prædicare, certiſſimū
illum eſſe Deum, quem Iudæi colebant. Alterum Dan. 3.28.
Nebucadnezaris ſomnium huiuſmodi ferè me- 4.11.
moratur. Videre viſus eſt arborem ingentem,
maximéque frugiferam ramis ad cælum vſque &
vltimas propè terrarum oras diffuſis: hanc ſanctus
è cælo ſuccidi; radicem tamen terra relinqui iuſ-
ſit, ſimúlque magna voce exclamans addidit, Deus
regnis humanis dominatur, eáque, quibus ei vide-
tur, adtribuit. tum Daniel, Tu, inquit, ô Rex ma-
C gna illa es arbor. propagines, tuum ingens re-
gnum. id tibi Deus adimet: téque in ſortem pecu-
dum detrudet. ſeptem annos continuos in ſyluis Dan. 4.19
& paſcuis, bouis modo paſceris, vſque dum agno-
ſcas humana imperia diuinitus tribui, eáque ſolius
Dei beneficio poſſideri. Cōtinuò poſt Nebucad-
nezar animo obbruteſcens inter armenta tam diu
paſtus eſt, dum ipſius miſertus Iehoua, & hominis
ei naturam reſtituit, & mentem eiuſmodi largitus
eſt: vt verum illud eſſe verbum agnoſceret: Deus
D ſummus regnis humanis dominatur, eaque quibus
ei videtur, adtribuit. Nebucadnezare mortuo, Dan. 5.5.
cùm imperium Balthaſar obtineret, nullo in pre-
tio eſt Daniel habitus. Verùm eo interfecto, qui
regnum excepit. Darius Medus, tanto in honore Dan. 5.
Danielem habuit, vt & imperium & Satrapas & 29.6.2.3.
partem regni procurandam ei traderet. at regis
familiares, qui tantam Iudæi hominis dignitatem
iniquiſſimo animo ferebant, hoc artificio Danie-
li inſidias pararunt. Cœperunt regis potentiam Dan. 6.4.
E & opes apud ipſum regem prædicare, ſimúlque
dignitatis ſuæ cauſſa ſuadere, vt edici iuberet,
ne quis, cuiuſcumque gentis aut nationis eſſet,
quidquam ab vllo alio, præter ſolum regem.
per triginta dierum ſpacium precari ac petere au-
deret: ſi quis quid precibus adſequi ſtuderet, id ab
ipſo Rege peteret. Daniel eiuſmodi edictum ni-
hil veritus, ac pluris Dei, quàm regum imperium
faciens, nihil de quotidiana precatione domeſtica
remittebat. quo nomine accuſatus à proceribus,
F nequidquam contra adnitente rege & eum in-
demnem præſtare cupiente, in leonum caueam eſt
immiſſus, à quibus cùm integer atque incolumis
relictus eſſet, rex eo miraculo permotus, cele-
riter ſycophantas illos prehendi, atque in eandem
caueam abiici imperauit: vbi cōfeſtim à leonibus
dilaniati atque conſumti ſunt.

DE ORACVLO SEPTIMA-
NARVM DANIELIS.

G SVb finem anni à captiuitate Babylonica ſe-
ptuageſimi, Daniel memor diuinæ pollicita-
tionis & earum prophetiarum, quibus tot ſummi
viri prædixerant fore, vt eo tempore confecto, Iu-
dæi in patriam reuerterentur, ad inuocationem
Dei ſe contulit: cúmque obſecrare cœpit, vt fidem Dan. 9.2.
de hoc temporis ſpacio ſeruare vellet, néve lōgius

captiuitatis tempus produceret, ſed gentem ſuam
hiſtot ærumnis ac ſuppliciis defunctam. liberaret.
Precationem abſoluenti Gabriel Angelus adpa-
ruit:atque hoc ei oraculum edidit, quod propter
rei dignitatem prætermittendum non videtur. I.
Dan.9.24 Septuaginta ſeptimanæ ſuper gente tua, ſupérque
vrbe tua ſancta decretæ ſunt. hoc ſpacio finem
perfidia capiet, nequitia deſinet, improbitas
expiabitur: inducetur enim æterna iuſtitia: pro-
phetiæ implebuntur: ſanctiſſimus inungetur. II.
Attende atque animum aduerte. ab edicto de re-
ductione gentis, & inſtaurandis Hieroſolymis vſ-
que ad Chriſtum ducem, cedent ſeptimanæ ſe-
ptem, itémque ſeptimanæ ſexaginta duæ: tum in
patriam redibitur. Inædificabuntur aræ, mœnia
inſtaurabuntur: atque id tamen duris & aſperis
temporibus. III. At poſt ſeptimanas ſexaginta
duas deſertus Chriſtus de medio tolletur: ciuitas
& templum à populo venturi ducis diſſipabuntur,
& quaſi eluuione delebuntur, atque vſque ad bel-
li exitum depopulationibus vaſtabuntur, tum ſe-
ptimana vna fœdus confirmabit multis: qua dimi-
diata, victimæ & hoſtiæ tollentur, ac propter ſce-
lerum magnitudinem ſempiterna vaſtitas, & cala-
mitas inferetur. Cuius oraculi quatuor video eſ-
ſe partes, quarum prima reliquarum ſummam &
quaſi argumentum complectitur, Diuino, inquit,
conſilio decretum eſt, vt fata Iudaicæ gentis ſe-
ptuaginta ſeptimanis includantur, hoc eſt, qua-
dringentorum & nonaginta annorum ſpacio. nam
hæc Hebraicæ gentis conſuetudo fuit, vt in nume-
ris quammaximè ſeptenarium adhiberent. Hoc
igitur ſpacio finis adferetur inueteratæ Iudæorum
perfidiæ, & crebris defectionibus, quibus toties à
Dei imperio & religione deſciuit. Inducetur enim
in Iudæam Chriſtus æterna iuſtitia, ſanctitas, & in-
nocentia, qui humano corpore adſumpto, ſcelera
Iudæorum ſuo cruciatu & ſacrificio expiabit: ac
tum omnia quæ iam vſque ab Adami conſolatio-
ne de ipſo promiſſa & prædicta ſunt, implebűtur:
tum deinde idem Chriſtus è morte excitatus, inű-
getur Rex mundi naturæq; vniuerſæ, cùm inſpe-
ctantibus diſcipulis ſublimis in cælum, tamquã in
imperij ſui poſſeſſionem, euehetur. Hoc propoſi-
to argumento, deinceps ſpaciű illud tripertitò ita
diſtribuit: vt primű de ſeptem primis ſeptimanis
prædicat: tum de ſexaginta duabus: poſtremo de
duabus reliquæ ſeptimanæ partibus. Ergo ſecun-
do capite demonſtrat Deum anno captiuitatis ſe-
ptuageſimo exacto fidem ſeruaturum de libera-
tione Iudæorum. edictum enim à Cyro rege pro-
poſitű iri, vt Iudæi in ſuas ſedes remigrent, tem-
plum, vrbẽ, reliquáque ædificia inſtaurent. Cű au-
tem huic inſtaurationi non modo ſeptem primas
ſeptimanas, verum etiã ſexaginta duas inſuper ad-
Eſdr.7.25 tribuat, quod tempus ædificationis ſpacium lőgo
interuallo exceperat, perſpicuum eſſe arbitror, eã
dupliciter intelligendã eſſe, vt prior ad fabros, ar-
chitectos & operas; altera ad remp. conſtituendã,
& creandos magiſtratus referatur: quam verã in-
ſtaurationem fuiſſe, vel ex eo conſtat, quod prius
Iudæi alienis magiſtratibus parebant. Ædificiorű
autem inſtaurationi primas ſeptem ſeptimanas tri-
buit: hoc eſt, annorum XLIX. ſpacium. quod etiã
conuenit cum Iudæorum oratione, de qua eſt a-
Ioh.2.29. pud Ioannem Euangeliſtam, quadraginta & ſex
annis ædificatű eſt templum iſtud. Altaris autem,

A ſexaginta duas ſeptimanas, hoc eſt annorum
CCCCXXXIIII. ſpacium. Deinde pronuntiat,
vtramque illam inſtaurationem magnas temporű
difficultates habituram: nunquam enim defuturos
aduerſarios, qui Iudaicæ reip. reſtitutionem impe-
diãt. Tertio capite vaticinatur de Chriſto, Iudæo-
rum rege, quem prædicit de medio ſublatum iri, &
in illo cruciatu deſertum iri ab omnibus. Simul
vaticinatur de vaſtitate, quam Ducis venturi po-
pulus ciuitati ac templo ſit illaturus: quem locum
B omnes, opinor ad excidium vrbis Hieroſolymæ,
quod Veſpaſiani Cæſaris ductu atque imperio fa-
ctum eſt, referunt. Quam tamen ſententiam, quò
minus probem, illud in cauſſa eſt, quod tempus
oraculi perſpicuè ſeptuaginta ſeptimanarum fini-
bus continetur, ac circiter tempus ſacrificij Chri-
ſti terminatur: illa autem vrbis exciſio facta eſt an-
nis poſt mortem natalem Chriſti, LXXII. Quare
commodius nobis videtur, Ducis venturi nomen
ad Deű ipſum referre, quem modò tribus verſib.
C interiectis eodem nomine appellauit: hoc eſt, ad
Chriſtum Iudæorum regem. & quoniam eius re-
gnum non tectorum ac regionum fuit, ſed potius
animorum ac religionis, propterea ciuitatis & tẽ-
pli nomen hoc loco non ad tecta & ædificia refe-
rendum arbitramur, ſed potius ad remp. & ciuita-
tis ſtatum atque ad religionem, & vſitatas in tem-
plo cerimonias. Nam populus Chriſtianus, cuius
longè maxima pars ex gentibus exteris atque ad-
uenis conflata eſt, Iudæorum certè nationem fu-
D dit ac profligauit; eámque de vetere Dei gratia &
clientela deiecit: ſeſéq; in hanc poſſeſsionem im-
miſit. ſimul templi cerimonias & varias religionis
leges præſcriptas per Euangelij doctrinam abro-
gauit, atque ita funditus ſuſtulit, vt, quemadmodű
de ædificiis quæ eluuionibus delentur, nullű eo-
rum veſtigium ſupereſt, ſic nullum earum ceri-
moniarum ſimulacrum à Chriſtianis relictum ſit.
bellum enim tam acre cerimoniis illis intulerunt,
E vt eas ad internecionem deleuerint. Huiuſque
belli inferendi ſignum fuiſſe cőſtat, cùm in ipſius
necis Chriſti momento velum repente diſciſſum *Matt.27.*
ac diſiectum eſt, quod ante interius tẽpli ſacrariű *51.*
fuiſſe, ſuperius à nobis demonſtratum eſt. IIII. Su-
pereſt vltima ſeptimana, de qua Gabriel tertio ca-
pite vaticinatur, futurum denuncians, vt quamuis
populus ducis Chriſti magna ex parte nouis & ad-
uentitiis copiis conſtet, tamẽ multi ex natione Iu-
dæorum in fide & clientela Dei retineantur: ac
F fœdus antiquum, quod Deus inde vſque ab Abra-
hami colloquio cum iis fecerat, Chriſti ſanguine
confirmetur, & quaſi renouetur. Nam quod ple-
rique ad vniuerſi fœderis noui rationem hæc re-
ferunt (quo fœdere gentes exteræ in clientelam
receptæ ſunt) nobis propterea minus probandum
videtur: primùm quòd non de nouo conciliando
fœdere, ſed nominatim de confirmando & robo-
rando vaticinatur: deinde quod propriè oraculum
ad Iudæorum non ad Chriſtianorum nationem
G pertinet. Fœderis autem confirmatione, Chriſtia-
næ religionis ſectam, ſignificari, conſtat: & eam,
quam Scriptura vocationem, ſiue Euangelij co-
gnitionem appellat. Ad extremum hoc capite
prædicitur, inchoato & iam dimidiato huius ſe-
ptimanæ ſpacio, fore, vt ſacrificia & victimæ tol-
lantur: quibus verbis, veteres omnes cerimonias &
religiones deſignari, facilè intellectu eſt, ac poſtea

propter

propter nefariorum ſcelerum magnitudinem ſempiterna vaſtitas conſequatur, neque vllus vnquam in gratiam reditus pateat: ſed Iudæorum natio gentium omnium iniuriis & contumeliis obiecta ſit: quamquam harum miſeriarum exitum aliquem Chriſti ducis beneficio ſub finem mundi
Rom.11. 25. futurum, alio quodam oraculo ſingulari, & multis poſtea ſeculis edito, compertum eſt.

DE REDITV IVDÆORVM, ET CIVITATIS inſtauratione.

XXII. religionis Eccleſiaque redintegratio.

ANNO ab orbe condito M M M. C C C C. L X X I I I I Cyrus rex Perſarum Dei Iehouæ (vt ſcriptura teſtatur) inſtinctu, edictum toto ſuo imperio propoſuit, vt qui è Iudæa gente eſſent, primo quoque tempore finibus ſuis excederent, atque in patriam reuerterentur, templúmque Deo
Eſr.1.4.7. ſuo Iehouæ, cœli, terrarúmque domino, ædificarent. ſimul, vt omnes eorum populares, hanc illo-
1. Chro.3. 19. rum ædificationem fabris, operis, pecunia, iumen-
Ierem.22. 30. tis, reliquiſque rebus omnibus adiuuarent. ad eam rem vaſa Hieroſolymitani templi veteris, quæ Nebucadnezar in dæmonis ſui fano adſeruarat: ad numerum quinque millium & quadringentorum depromi, ac Saſbaſari, quem Chaldæi Zorobabelem appellant tradi iuſſit. Hunc enim, Iechonia liberis carente, ex Nathanis Salomonis fratris poſteritate ortum Iudææ prætorem conſtituerat. ac deinceps per annos aliquot, qui Iudaicæ nationi cum imperio ac poteſtate præfuerunt, hoc eodem nomine appellati ſunt, vſque ad id tempus quo Ariſtobulus princeps regium nomen ac diadema ſumſit. nam (vt ſuperius demonſtratum eſt) abducto Iechonia regium nomen interiit: ac deinceps regiæ poteſtatis inſigne, ac potius vmbra quædam, in his præfectis permanſit, quos Lucas Euangeliſta στρατηγοὺ appellat: ſemperque de Dauidis ſtirpe ac ſobole deligebantur: ac vetere inſtituto conſilium publicum ſeptuaginta hominum habe-
Luc.22.4. & 52. bant: quorum conſilio rempub. vſque ad illum
Act.4.1. 5.24.26. Ariſtobulum adminiſtrarunt. Hoc igitur duce Zerobabele Iudæi Babylonia excedunt: numero ad quadraginta duo millia trecentos ſexaginta, præ-
Eſr.2.54. ter ſeruos atque ancillas, ad numerum trecentorũ
Eſr.3.3.8. triginta ſeptem. Primo aduẽtu altare Deo ſtatuũt, in eóque victimas ex lege mactant: altero anno templum ædificare inſtituunt, cuius cùm ad iaciẽda fundamenta ventum eſſet, ſacerdotéſque ac Leuitæ hymnos magna voce Deo Iehouæ canere cœpiſſent, tanta ieiuniorũ lætitia & gratulatio, ſimul maiorum natu, qui ſuperius templum viderant, tãtus vndique fletus & vlulatus exortus eſt, vt earum vociferationem clamores internoſci ab aliis non poſſent. qua re cognita, qui Iudæam incolebant,
Eſr.4.2. nationi huic ac religioni infeſti, ſeſe ad operis ſo-
Eſr.4.12. cietatem offerunt. Reiecti à Iudęis conſilium inierunt, eos apud Aſſueri regis familiares & conſiliarios calumniari: ſuiſque artibus & ſycophãtiis effecerunt, vt Rex ædificationem inhiberet, quod idem in Aſſueri & Artaxerxis regum aulis impetrarant. opúſque intermiſſum eſt annorum circiter
Eſr.5.1. X V. ſpacio, hoc eſt, vſque ad annum regni Darij

A Hiſtaſpis filij ſecundum, eius qui Longimanus dictus eſt: quo tempore prophetæ Haggeus & Zacharias diuinitùs huic genti Iudæorũ dati ſunt. Erat tum populus in veteris naufragij ſui tabulis colligẽdis, ſanãdiſq; rei familiaris iacturis, & priuatis ædificiis reficiendis, quàm in templo inſtaurando occupatior. Hanc vecordiam grauiter ferens Aggeus, denunciat fore vt Deus omne illorum in re familiari amplificanda ſtudium eludat: quaſi num-
B mos in pertuſum marſupiũ recondant. De Chriſti Eſr.5.6.
autem aduentu multa perſpicuè pronunciat, quem gentium omnium exoptatum adpellat. Sed multo vberius Zacharias; nam eum & aſino inſidentem in vrbem Hieroſolymam introducit, & precium, quanti eum proditor ſit venditurus, definit. Horum etiam ſocius fuit Malachias, qui cùm plebis obmurmurationes, tum præſertim ſacerdotum auaritiam acerrimè caſtigauit. His igitur auctori- Eſr.6.
busdenuò populus ad intermiſſam templi ædifi-
C cationem reuerſus eſt: cuius rei poteſtatem à Da- Eſr.9.
rio rege impetrauit, eóque triennio templum exædificat. Non longo poſt tempore Iudæi talibus à
Deo beneficiis adfecti redire ad ingenium cœpe- XXIII. religionis corruptela in populo Iudaico.
runt, finitimarúmque gentium flagitia imitari, cõnubiáque cum illis & adfinitates contrahere. quo impietatis genere, quantoperè Deus indignetur, ex ſuperiorum ætatum omnium hiſtoria facilè intelligi potuit. Itaque Ezra qui inter Iudæos legum ac religionem peritiſſimus habebatur, cuíque rex
D Artaxerxes Iudæorum è ſuis finibus educendorũ curam commiſerat, multis verbis populum caſtigare, atque acriter obiurgare cœpit. tãtúmque ſtudio contendit, vt Iudæi omnes profanas ſe vxores
repudiaturos adpromitterent. Manſerant in Baby- Eſr.10.
lonia ex Iudæorum natione complures: in his Ne- Nehem.
hemias, quem rex Artaxerxes ex humili loco ad 28.2.17.
ſummam dignitatem perductum, prægustatorem ſuum fecerat. Hic anno illius regni viceſimo ab Rege ſuo impetrat, vt ſibi in patriam reuerti, vr-
E bémque Hieroſolymam inſtaurare liceat. facta poteſtate, cõductis vndique fabris, atque operis, mænia vrbis à Nebucadnezare diruta reparare inſtituit. Quo cognito finitimi conſilium illorum irridere cœperunt, & crebris eruptionibus eorum
opera interturbare. Iudæi nihilo ſecius operi inſi- Nehem. 4.16.
ſtunt. armatíſque hominibus partim in ſtatione pro opido, partim in ipſo muro collocatis, crebros illorum impetus propulſant. Nonnulli ipſo in opere occupati, altera manu opus faciunt, altera ſe di-
F ſtricto gladio defendunt: tantúmque omnium in opere vrgendo ſtudium atque alacritas fuit, vt muri ambitum omnem duorum & quinquaginta dierum ſpacio perficerent. His operibus effectis, cùm iam opidam tutos ſe ab hoſtium incurſione viderent, Ezra populi comitia indixit, ſuggeſtúque
media in platea effecto, volumen diuinæ legis à N.hem.8.
Moſe conſcriptum in manus ſumſit, vniuerſóque 1.9.35.
populo audiẽte recitauit. Ea recitatione tanta omnium gratulatio coorta eſt, atque ita ſunt ciuitatis
G mentes animíque ad pietatem conuerſi, vt fœdus XXIIII. redintegratio.
cum Deo Iehoua renouarint, fidémque publicè dederint, ſe legem ab Ezra recitatam ſeruaturos, neque vnquam à præſcripta religione diſceſſuros, aliúmve Deum præter ſummum Iehouam cœli & terræ conditorem adoraturos.

FORMVLA PRECATIONIS QVA FRANCISCVS HOTMANVS VTI plerumque ſolitus eſt.

PATER *cœleſtis, domine Iehoua, Deus omnipotens, creator & conſeruator mundi: Veneramur omnipotentiam & miſericordiam tuam: & quàm demiſiſſimis ac ſubiectiſſimis animis procumbimus ante ſanctiſſimum numen tuum, remotis ſimulacris omnibus, à quibus ex legum tuarum præſcripto abhorremus. deteſtamur omnes fabuloſos deos, quos homines impij, profani, epicurei commenti ſunt. ad te vnum confugimus, te vnum inuocamus, abs te vno pacem ac veniam ſupplici & mente & voce petimus. Veneramur omnipotentiam tuam, qua cælos condidiſti, & in iis innumerabiles angelorum copias, quos habes in tuo cæleſti regno certiſſimos tuorum imperiorum adminiſtros: condidiſti terrarum orbem, quem infinitis animantium ac frugum generibus exornaſti: eáque omnia tot iam ſeculorum ætatibus eadem potentia conſeruas ac ſuſtines. Veneramur ſapientiam tuam, qua nobis tuæ religionis formam & humanæ ſocietatis colendæ leges præſcripſiſti: qua eadem & præmia iis qui in fide manerent, & pœnas iis qui deficerent, conſtituiſti. Veneramur miſericordiam tuam, quod in gratiam filij tui Ieſu Chriſti, qui pro nobis factus Emmanuel, adſiduus apud te deprecator ac mediator noſter eſt: delegiſti nos ex vniuerſo genere humano, in quos paterna clementia, manſuetudine atque indulgentia tua vtere: voluiſti acerbiſſima ipſius nece & ſacrificio noſtra ſcelera expiari, ac propter eum propitius nobis factus ſupplicia noſtra mitigas, tueris nos aduerſus inſidias Satanæ, hoſtiúmque euangelij tui ac reliquorum tyrannorum minas. Prouides huic familiæ noſtræ, ne quid nobis ad vſum neceſſarium deſit, & immiſſo in pectora noſtra ſpiritu ſancto paraclero & conſolatore, lenis noſtras miſerias, nóſque ſub illarum onere labantes confirmas, in fide atque officio retines, eodémque pignore & arrabone nobis de tua paterna beneuolentia diffidentibus caues. Agnoſcimus tamen perfidiam ac leuitatem noſtram in violando fœdere, quod ſanguine filij tui* IESV CHRISTI *nobiſcum ſancire dignatus es. Deteſtamur infamiā ac turpitudinē vitæ noſtræ: ac ſupplices abs te petimus, & per mortem Filij tui domini noſtri Ieſu Chriſti obteſtamur, vt ſcelera anteacta vitæ nobis condones, neu patiaris nos acerbius ab huius mundi tyrannis vexari: ſed ſpiritu ſancto tuo noſtras acerbitates leuas, nóſque in fide, clientela atque religione tua contineas. Et quoniam eos demum beatos indicaſti, qui ad finem vſque perſeuerarint, ſuppliciter abs te petimus, vti familiam noſtram perpetuò in ſchola & eccleſia tua, intra ſepta ouilis tui, & iis locis quibus euangelij doctrina exercebitur, retineas, propter eundem dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. Amen.*

⁂

INDEX CAPITVM.

De creatione mundi 155

De creatione hominis: & diſtinctis in Deo tribus perſonis ibid.

De prima religionis inſtitutione 157

De prima defectione à Deo & hominum infidelitate 158

De prima Eccleſiæ inſtauratione 160

De diluuio 162

De renouatione generis humani poſt diluuium 164

De arce Babylonica 165

De Abrahamo 166

De Iſaaco & Iacobo 168

De Ioſepho 169

De ſeruitute Hebræorum in Ægypto 170

De Moſe 172

De deceſſione ex Ægypto 173

De miraculis in ſolitudine 174

De legiſlatione Moſaica 175

De forma Reip. Moſaica 177

De Iehoſua 178

De varia conditione religionis 179

De forma Reip. in terra Chananæa conſtituta 180

De Iehoſuæ ſucceſſoribus 181

De principatu Gedeonis 183

De Iephtha & eius voto 184

De Samſonis principatu 185

De ſtatu Reip. diſſoluto, & Anarchia non abſimili 187

De Samuelis principatu 188

De regio imperio: & Saule primo Hebræorum Rege 189

De Dauide & eius ærumnis 190

De regno Dauidis 192

De regno Salomonis 193

De Roboamo & bipartita regni diſtractione 194

De Regibus Iudaicis 196

De pietate Regis Ioſaphati 197

De Ieramo & miſera religionum viciſſitudine 198

De crebra defectione Regum & varia Religionum commutatione 199

De Rege Manaſſe, & Iſaia, & Michea Prophetis 200

De Regibus Iudaicis regum Barbarorum arbitrio creatis 202

De ſeptem primis regibus Iſraelis 204

De Helia Propheta 106

De duobus Regibus Iſraelis & Heliſæo Propheta 207

De captiuitate Babylonica 211

De Daniele 212

De oraculo ſeptimanarum Danielis 214

De reditu Iudæorum & ciuitatis inſtauratione 217

F I N I S.

Digitized by Google

FRANC. HOTMANI I. C. PRÆFATIONES;

QVAS LIBRIS A SE EDITIS præmiſit.

PETRO HOTMANO GERMINVILLEO;
Prætoris Pariſienſis adſeſſori regio: patrueli amiciſſ.
Io. HOTMANVS VILLERIVS S. D.

QVOD *à me, pro tua in patrem meum, patruum tuum Franciſcũ Hotmanum obſeruantia petiiſti, vti præfationes illius omnes, quas libris quondam ſuis præſcripſit, typographus verò, ne lectorem in lectione properantem interturbarent, conſultò prætermiſit in vnum ſparſas colligerem: feci eo etiam lubentius, vt videas tu, videat omnes quale quantúmque ſenſim hominis illius & doctrinæ, & prudentiæ, & latinæ linguæ facultas tulerit incrementum: quàm multis Princip. ac viris litteratis gratus fuerit, quorum etiam par erat beneuolentiam ac liberalitatem erga eum ſingularem poſteris teſtatam relinquere: quantos toto penè vitæ curriculo labores, quantas præterea ærumnas forti conſtantiáque animo pertulerit: quanto etiam antè præuiderit patriæ venturas calamitates, ac funeſtam illam flammam, qua nuper parum abfuit quin penitus abſorberetur. Porrò quàm incredibilis eius in illã ipſam patriã caritas, quantũ in iuris bonarumque omniũ artium, ac præſertim pietatis ſtudioſos ſtudium ac pietas extiterit, tu facilè animaduertes, vt opus alio non fuiſſe videatur Elogio ad dilaudandam viri illius diligentiam & innocentiam. Adieci nonnullas meas, quas poſtumis aliquot ſcriptis paternis epiſtolas præpoſueram: hoc tantum animo, ne quos mihi tum patronos adſciueram, mutata ſine cauſsâ ſententia, leuiter reieciſſe viderer. quod & ad familiæ noſtræ laudem aliqua ex parte pertinere arbitror. Vale patruelis amiciſs. diúque patrui fruere vigiliis & induſtria. Soloduri. Kal. Ian.* MDXCIX.

AD C. V. GABRIELEM MARILLACVM Regis aduocatum, In Libellum de Grad. cognat.

PRÆFATIO.

PRÆFATIO I.

CVM in Adnotationibus quæ nuper à viro doctiſſimo Franciſco Balduino in Inſtitutiones iuris editæ ſunt: nonnulla poſtulatu illius ex priuatis commentariis noſtris compendio inſerta eſſent: admonitus ſum à quibuſdam mei nominis ſtudioſis, grauiter à nonnullis accuſatum eſſe me, de iis quæ ita conciſè, miniméque (vt illi quidem dicebant) explanatè tradita minus intellexerant: præcipuè autem de gradibus cognationis, de quibus vellent à me copioſius eſſe tractatum: ne, ſi in iis accuſandis homines pergerent, poſſet mea bona cauſſa perire. Ego verò, qui minime omnium ignorarem, quantum & ſtudioſorum, & Reip. intereſſet, gradus cognationis & affinitatis rectè ab omnibus intelligi: libenter meam de iis ſententiam his libellis expoſui: non tanquam certum aliquid atque indubitatum proponens: Sed tuum duntaxat, ampliſſime tuique ſimilium doctorum & ingenioſorum virorum iudicium expoſcens, teque tantummodo, quaſi de re probabili & dubia verecundè conſulens: quod eò etiam facio libentius, vt Cenſores noſtri planius diſputationem noſtram de gradibus Canonicis intelligat, deque aliorũ ſcriptis poſthac modeſtius ac prudentius pronũcient: ſicuti modeſtè ſcripſiſſe me ac tẽperanter, ipſe vir clariſſime, pro tua ſingulari prudentia, cognoſcere poteris. Te enim profectò maximè omnium eligere volui, in cuius nomine appareret hoc quicquid eſt operæ induſtriæque meæ: nã ſi iudice vtendum nobis erit, ſumma eſt auctoritas tua, ſumma cauſſę intelligentia: tanta etiam prudentia & grauitas, vt non facilè quiſquam, iudice te ac diſceptatore in contentionem calumniæ cauſſa deſcendere audeat: ſin aduocato cauſſa indigere videatur, quanquam humiliora iſta ſanè ſunt, quàm vt in eorum patrocinium, grauitati ac amplitudini tuæ deſcendendum ſit, cognita tamen tua ſpectatáque in defendenda veritate præſtantia, propter quam ad iſtum dignitatis gradum euectus es, maleuolis hominibus formidabilis eſſe poterit. Nam cùm in hoc ſenatu Pariſienſi in priuatorum cauſſis agendis, ſumma cum hominum admiratione verſareris, vnum te omnium maximè dignum Rex iudicauit cui fiſci ſui patrocinium committeret. Dignum itaque amplitudine iſta tua feceris, vir ornatiſſime, dignum tua humanitate propè ſingulari, ſi munus hoc noſtrum exiguum quidem & tenue, ſed animi tamen voluntate, tum etiam adoleſcentiæ ſpe fortaſſis atque exſpectatione commendandum ſuſceperis. Vale. Lutetiæ. M D X L V I.

AD

AD ILLVSTREM VIRVM CLAVDIVM Baronem à Maura, dominum à Landal. In tit. de Action.

PRÆFATIO. PRÆFATIO II.

SCRIPSI has notas ante annos tres: quemadmodum in libros omnes quos accuratè lego facere conſueui: non alio certè conſilio, niſi vt mihi priuarim aut aliis quibuſdam perpaucis, quibus omnia mea libenter communico, prodeſſe poſſint: nam Franciſco etiam Balduino, quo cum mihi propter ſingulare animi mei de illius doctrina iudicium; vetus conſuetudo interceſſit, nonnullas ex iis oſtendi: quas ipſe in ſuis in Inſtitutiones adnotationibus vehemẽter ſibi probari ſignificauit. Poſtquam autem eas intellexi publicæ ſtudioſorum vtilitati prodeſſe poſſe, & à nonnullis flagitari, relegere ſtatui, atq; recognoſcere. quod cùm feciſſem, imprimi permiſi: ne ſi quid eſſet in quo publica ſtudia iuuare poſſe putaremur, in eo ſtudium aut diligentia noſtra diutius deſideraretur. Sentio enim ſi quid in me induſtriæ eſt, id eſſe tam exiguum, vt ſi multis id à me precibus efflagitari patiar, rem viliſſimam malitioſe magno ſim pretio venditurus. Quanquam autem ita ſe, vt dixi, res haberet, magnopere tamen Ornatiſſime domine cupiuſſem, has ipſas per breues explanationes, quicquid tandem exiſtimari poſſunt, in tuo tam illuſtri nomine apparere, ſed cùm earum exilitatem vnà cum iſta amplitudine tua, maximis generis ornamentis coniuncta compararem, equidem an hoc facerem diu multùmque dubitaui. donec me vt id auderem, doctiſſimis ſuis literis confirmauit honeſtiſſimus, & ſingulari quadam ac præſtantiſſima virtute vir Petrus Rochius tuus: vt qui conciliandæ tuæ mihi beneuolentiæ autor fuiſſet, idem etiam eiuſdem retinendæ confirmandæque exiſteret. Accipies igitur illuſtris Domine libellum hunc, quem ad te mittere tanto autore non erubui: tenue quidem atque exiguum munus, nec dignitati iſti tuæ ampliſſimæ conueniens: ſed tamen ita accipies, quaſi certam ac ſempiternam animi erga te mei teſtificationem. Vale. Calend. Auguſti. M D X L V I I I.

AD MAGNIFICVM CONSVLEM Senatúmque Bernenſem. In libros de vſuris.

PRÆFATIO. III.

MAGNA profectò ſapientiſſimis hominibus gratia debetur, quorum in legibus rogandis egregia opera induſtriáque magnam maioribus noſtris vtilitatem attulit. Cum enim nobis Deus maiore nihil ſtudio ac diligentia quam ciuilem ſocietatem commendarit, nulla certè res ſecundum religionem excogitari poteſt, quæ res communem vtilitatem continentes, quas publicas appellamus, perinde tueri valeat, aut earum dignitatem ſartam tectam ab omni periculo conſeruare. Eſt enim ſingularis quædam legi bene ac ſapienter conſtitutæ diuinitus adiuncta vis, atque auctoritas. Sed cùm nulla vnquan natio legibus atque inſtitutis caruerit, tum verò dubium nemini eſt, Romanos in eo genere longè multûmque ceteris omnibus præſtitiſſe. cuius quidem rei potiſſima mihi viſa ratio illa eſt, quòd etſi neque conſilij neque audaciæ vnquam eguerint, minimè tamen, id quod apud Saluſtium Cæſar dixit, ſuperbia illis obfuit, quominus aliena inſtituta, ſi modò proba erant, imitarentur. Igitur quod vbique (ait) apud ſocios aut hoſtes idoneum videbatur, cum ſummo ſtudio domi exſequeban-

tur. Ex quo enimuero legibus Romanis adeò tributum eſt, vt M. Cato apud eũdem ſcriptorem imperij Romani amplitudinem non bellicis artibus ſed legum ſanctitati, reique publicæ adminiſtrandæ peritiæ, acceptam ferat. Nolite (inquit) exiſtimare maiores noſtros armis Rempublicam ex parua magnam feciſſe. Si ita res eſſet, multo pulcherrimam eam non haberemus: quippe ſociorum atque ciuium, præterea armorum atque equorum maior nobis copia, quàm illis eſt. ſed alia fuere quæ illos magnos fecere: domi induſtria, foris iuſtum imperium. Præclarè igitur acer & verus rerum æſtimator Virgilius, cùm aliis gentibus ſuas laudes tribuiſſet, aut ſculpendi, aut pingendi, demetiendive cæli, Romanis gubernandi imperij quaſi peculiarem quandam prouinciam adſignauit.

Tu regere imperio populos Romane memento.

Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem.

Quamobrem T. Liuius cùm initio ſecundi libri populi Romani res præclarè geſtas ſcribere inſtituit, non dubitanter adfirmare auſus eſt, imperia legum potentiora quàm hominum exſtitiſſe. Quæ cum ita ſe habeant, magnam profectò veteribus Prudentibus gratiam debemus, qui eas nobis non modò incorruptas atque integras, verùm etiam pulcerrimis doctiſſimiſque ſuis ſcriptis illuſtratas tradere voluerunt. Atque vtinam quidem vtroque hoc eorum beneficio fruentes parem eis pro tantis in nos meritis gratiam habere poſſemus. Verùm cum iſtam nobis integram abſolutámque felicitatem caſus aliquis inuiderit, & ex tantis copiis & opibus, adflictis rebus, tam paruæ nobis reliquiæ ſuperſint, eas tamen quoad fieri à nobis poterit, ſummo ſtudio atque obſeruantia colemus, & memoriam diuini immortaliſq; beneficij piè inuiolatéque ſeruabimus. Itaque cum præter ſuperiorem illam calamitatem, quam equidem grauiter pro eo ac debeo moleſtéque fero, (etſi enim fateor nonnulla redundantia, atq; etiã ſupetuacanea, in tam multorum ſcriptorum monimentis exſtitiſſe: tamen quemadmodum in ſcribendo, ita etiam in reſcindendo modum adhiberi oportuit: & non, quod imperiti medici faciunt, de viuo etiam reſecari) illud adeò acceſſerit, quòd quæ nobis Iuſtiniani voluntate reliqua facta ſunt, ea ferè ſiue temporis vitio, ſiue quorundam hominum negligentia deſerta atque inculta ætati noſtræ tradita ſunt, ad meum officium pertinere exiſtimaui, etſi quod poſſum perexiguum eſt, tamen quod poſſum id omne in optimos auctores adiuuandos, & ab hominum iniuria vindicandos ſtudioſiſſimè libentiſſiméque conferre. Ac mihi quidem ſuperioribus annis nonnihil iſtiuſmodi præſtitiſſe videor, dum illuſtrem illum & nobilem locum de Gradibus cognationis & adfinitatis: & Actiones iuris ciuilis, quæ ſumma & obſcuriſſima quæque legum Romanarum capita continent, quantum quidem ingenio & labore contendere potuimus, commentariis illuſtrauimus. Nunc verò quando pulcerrimum quoque & facilè principem totius noſtræ diſciplinæ locum de viuris, & fœneratarum negociatione, non parùm opera induſtriáque noſtra adiuuiſſe putaremur, cœpimus etiam de noſtris edendis lucubrationibus, earúmque fructu cum ſtudioſis communicando cogitare. Et quoniam ad principes & primarios viros legum adminiſtratio, regendæque reip. cura pertinet, quos, vt à Platone diuiniſſimè ſcriptum eſt, ſicuti gubernatores vectorum & nauis ſaluti, ita ciuilis ſocietatis incolumitati certa opotter atque conſtituta lege conſulere: non erubui paruum hoc & tenue opuſculum ampl. tudini veſtræ dicare, non quòd quidquam Romanorum inſtitutis ac moribus aut prouiſum ſapientius, aut præclarius conſtitutum eſſe arbitrer, quàm quod optimè conſtitutæ ciuitatis veſtræ legibus comparatum eſt: ſed quòd partim ſingulare quoddam animi mei in vos ſtudium atque obſeruantiam ſignificati one aliqua reſtari vellem, qui in vrbe ditionis veſtræ nobili ac præclara, iſtis me ſtudiis exerceo: partim vt ſempiternum quoddam teſtimonium exſtaret veſtræ iſtius in litteras & litteratos homines beneuolentiæ atque liberalitatis. Nam hæc quoque particula quædam fructus erit illius, quem vobis iſta ſingularis munificentia ſine dubio adlatura eſt: cum ex hoc celeberrimo litterarum domicilio exibunt beneficio veſtro omnibus propè ingenuis artibus exculti atque perpoliti homines, qui ſempiternis monimentis teſtabuntur Senatum Bernenſem ad iſtam bellicæ virtutis, rerúmque fortiter & præclarè geſtarum laudem ac ſplendorem, amorem quoque in litteras maximè rarum & prope inauditum adiunxiſſe. Quare veſtræ erit humanitatis, munus hoc noſtrum amplitu-

amplitudini veſtræ dicatum beneuolo animo & benigno accipere: quæ quamuis ſua ſponte magnitudine rerum geſtarum nobilitata, alienæ commendationis non indigeat, nonnihil tamen etiam ſplendoris atque dignitatis huius quoque fortaſſe generis monimentis apud poſteros conſequetur. Quod reliquũ eſt, Optimo Max. rerúmque omnium præpotenti Deo vota facio ex animo, neque verò vnquam facere intermittam, vt Rempublicam veſtram optimis legibus fundatam, ad multas ſeculorum ætates florentem eſſe patiatur. Pridie nonas Ianuarij Anno M D L I.

AD T. B. V. C.
In Comment. ad Verrinas Cicer. Orationes
PRÆFATIO. IIII.

Verrinas Orationes, quæ vel ob ſcripturæ vitia, vel ob rerum difficultatem, (vel vt verius loquamur) ob vtrunque vſque ad hunc diem quaſi incultæ ac deſertæ iacuerunt: conati ſumus, doctiſſime Vir, & mendis expurgare, & commentariis illuſtrare breuiſſimis. Quid præſtiterimus, non modo nos, ad quos iudicium non pertinet, ſed ne eorum quidem quamplurimi, qui ſibi in primis eius rei iudicium ſument, exiſtimare poterunt. Quantum autem laborem, vt ſatis conatui & ſtudio noſtro faceremus, quantámque diligentiam adhibuerimus, quoniam quidem teſtari ſine pudore poſſumus, apertè ac planè profitemur, nos & contentionem animi, & laboris aſſiduitatem incredibilem in hoc negocio conſumpſiſſe. Quo maiore, vt par eſt, hominum irriſione ludemur, ſi minus id quod contendimus, adſecuti fuerimus. Veruntamen cùm tibi, cuius & acumen ingenij, & iudicium in hoc litterarum genere, exploratũ ac perſpectum eſt, has meas lucubrationes maiorem in modum probari intelligerem, & à me vehementer contenderes, vt in vulgus ederentur: non dubitaui te auctore, & tamquam duce, iudicio me hominum committere. Qua in te cùm exiſtimationi meæ conſulendum arbitrarer, faciendum putaui vt hæc noſtra commentatio, in tuo nomine apud omnes eruditos gratioſiſſime appareret. Cùm enim aut periti ad hoc noſtrum opus ſpectandum, aut imperiti, aut fortaſſe (id quod olim Apelli contigit) vtrique acceſſuri ſint, ab illis quidem redargui, mihi ſummo honori erit: ignari verò & inſcij homines, vt ſpero, auctoritate tua ab obtrectatione & maledicentia deterrebuntur. Vale idib. Feb. M D L I I I.

AD IOANNEM LVCANIVM VIRVM
Clariſſimum: In reliquas Ciceronis Orationes
PRÆFATIO. V.

Annus ferè agitur quartus, ex quo Ciceronis orationum interpretationem ſuſcepi. quod eo etiam lubentius feci, quia paulo antè (vt ſcis) codicem earum nactus eram peruetuſtum, in quo locis innumeris incredibilem ſcripturæ diſſimilitudinem ac varietatem offenderam, quam cum hac noſtra recepta & peruulgata lectione conferre atque comparare cupiebam. Hoc in negocio adhibui etiam aliorum quorundam manu ſcriptorum codicum, quorum mihi amici quidam

copiam fecerant,& eorum prætereà qui ex impreſſorum officinis exierant, numerum non paruum. Cognoui autem, quod turpiſſimum & miſerrimum eſſe iudicaui, in impreſſis libtis tantam tepugnantiam ac diſſenſionem, vt ipſe (opinor) Tullius ſi reuiuiſceret, ſua hæc ſcripta vix agniturus eſſe videatur Quo mihi ſanè mirabilior hominum quorundam ratio viſa eſt: qui dum commentarios in Ciceronis Orationes conficiunt, præclarè ſe id quod profitentut præſtitiſſe exiſtimant, ſi tropos quoſdam & figuras Græcè aliquot in locis nominarint: ſcripturam autem qnalemcumque offenderint, relinquant; neque de mendo vllo mentionem faciant. Qui mihi non diſſimiliter facere videntur, ac ſi quis in Apellis tabula, quæ cœno & maculis contaminata eſſet, pictoris ſollettiam atque artificium oſtentaret: neque prius labes ac maculas, quæ operis gratiam ae venuſtatem obſcurarent, elueret. Mihi quidem in hoc litterarum genere ſtudiorúmque eurrieulo verſanti pereommoda fore hæc ratio viſa eſt, vt non antè de ſetiptoris mente ac ſententia verbum facerem, quàm de ipſius verbis ac ſcripto conſtituiſſem. quam tamen ad rem nequaquam eorum, quos dixi, librorum eopiam ac facultatem ſatis eſſe putaui: ſed ſimul veterũ ſcriptorum anctoritatem iudiciúmque coniunxi, qui ſuis in libris diſpersè quoſdam ex his orationibus locos ptotulerunt. Primùm enim Aſconium, Rufinianum, Aquilam, Quinctilianum, tum prætereа Agellium, Nonium, Feſtum, & hoc amplius Donatum, Seruium, Priſcianum, reliquóſque generis eiuſdem ſcriptotes perluſtrandos petuolutandóſque putaui. quæ res quantum mihi ſubſidij atque adiumenti ad hoc negocium attulerit, malo alios ex re ipſa cognoſcere, quàm ipſe eotum, quorũ me cognitioni exiſtimationíque permiſi, iudicio anteuertere. His vatiis lectionibus vnum in locum collatis inter ſeque compatatis, eam quam optimam & ſinceriſſimam eſſe iudicaui, mentíque Ciceronis maximè adcommodatam, excerpſi. Sed quoniam nondum eam vel eruditionem vel auctoritatem adeptus eram, vt Cicetonis caſtigatas orationes in meo nomine ederem: librum Roberti Stephani typographi ptimarij, quem ipſe anno M D X L I I I edidit, & omnium optimum atque incorruptiſſimum eſſe conſtabat, delegi: ad cuius ſcripturam ac lectionem notas illas meas caſtigationum adhibetem. vt ſi quid fortè offendiſſem (quod mihi eertè quibuſdam in locis, fortaſſe etiam permultis accidere potuit) modeſtiam tamen ae pudorem quem mihi natura adtribuit, retinerem: neque eorum adrogantiam ae temeritatem imitarer, qui ſimulatque cotruptum aliquid eſſe ſuſpicantur, eontinuò delendum, & aliud quiddam in illius loeum reponendum putant. Et quoniam in his X I I I ptimis Orationibus, quas ea ratione caſtigatas eſſe volui, multa eſſe obſcura ac tenebricoſa intelligebam, & quæ ſtudioſos homines ab earum lectione deterrerent, operæpręcium me facturum putaui, ſi interpretationem difficilium loeorum adiungerem: præſertim cum adhue eommentarij in eas quidem orationes nulli, quod ſciam, ſcripti ſint niſi aut ab hominibus iutis eiuilis imperitis, aut ab iis qui præelarè ſuo ſe munere perfunctos arbitrantur, ſi aliquot in loeis figutas (vt dixi) Græeè nominarint. quaſi verò magna pars earum orationum explicari ab ignaro iuris eiuilis poſſit: eum in eauſſa quidem Q Roſcij hæc res in diſcrimen controuerſiámque vocetur, An ſeruo eommuni occiſo, & altero ex ſociis procuratore facto ad percuſſotem iudicio perſequendum, lite iam ab eo conteſtata, ſi alter ſine procuratione aliquid à percuſſore tranſactionis nomine abſtulerit, id quod abſtulit, vtriuſque eommune eſſe debeat: præſertim cum is, qui procurator eſſet, nunquam quidquam à peteuſſote potuerit conſequi. In oratione verò pro Cæcina quæratur, Deiicíne dicatur qui non poſſideat: item, Poſſideátne heres vſufructuariæ, quos fundos ea colono elocarat. In qua quidem otatione, cui vnquam noſtrorum interpretum in mentem venit ſuſpicari, quod nos apertè planéque docuimus, Ciceronem malam iniquámque eauſſam defendere? Mihi ergo hæc commentaria conſcribenti ſemper hæc duo propoſita fuerunt: primùm vt ſcripturam, quam veram & ineorruptam eſſe arbitrarer, notatis falſis atque adulterinis verbis, oſtenderem: tum prætereа quæ obſcura viderentur, ea breui aliqua & dilucida explicatione illuſtrarem. His tebus duabus interptetis officium quaſi quibuſdam terminis concluſum ac circumſcriptum eſſe exiſtimaui, in quo ſi me opinio fefellit, aliorum erit humaniter errorem homini verecundo, & diſcendi cupido commonſtrare. nam quòd aliorum (quemadmodum paulo antè poſui) interptetum ratio adhuc atque conſuetudo hæc

fui

fuit, vt Rhetoricæ artificium ac figuras in hiſce orationibus demonſtrarent: eorum ego exemplum vt imitarer, pluribus de cauſſis adduci non potui. primùm quia docere hoc tempore Rhetoricam non inſtitui: ſed aut menda (vt dixi) ex his libris tollere, aut locos obſcuros & difficiles aliqua interpretatione explicare, Deinde ſi maximè illud meum conſilium fuiſſet, modum tamen (opinor) aliquem in hocquoque genere tenere debuiſſem. non enim ita infinitum ſtudium eſt artis oratoriæ, vt non minus quinquaginta orationum artificiis notandis atque obſeruandis, eius præcepta tradi atque explicari poſſint. Quare cum in animo haberem in omnes Ciceronis orationes commentarios conſcribere, ſuſcipiendum ſine cauſſa tantum laborem non putaui: ſed hoc totum & Rhetoricæ & Dialecticæ tradendæ ſtudium aliis reſeruaui. Eò etiam accedebat, quòd cum hoc tempore forenſis illius diſciplinæ (quà quidem ad intimum illud artificium, atque, vt Cicero appellat, μυστήρια Rhetorum pertinebat, quales ſunt exordiorum & epilogorum præceptiones) aut nullus, aut certè pertenuis vſus eſſe videatur: nunquam equidem adoleſcentum ingenia tam multis obſoletarum præſertim & inutilium rerum præceptis condiſcendis occupanda eſſe iudicaui. idémque iis ſemper accidere exiſtimaui, qui in docendis iſtiuſmodi Hermogenis aut Quinctiliani præceptis conſeneſcunt, vt ſiqui hodie artē hiſtrionicā domi laborioſiſſimè traderent, diſcipuli verò quāuis lōgo & magno labore inſtituti, numquā in forū atq; in publicū proditēt: ſed & illi ſtultiſſimè docendo, & hi inutiliter perdiſcendo operā ſuam infeliciter inaniſſimis in rebus collocarent. Habeo præterea huiuſce conſilij mei auctorē Aſconiū: cuius neque doctus quiſquā eruditionē, neque intelligens auctoritatē & iudicium adſpernabitur. In iis quidem quæ ad nos peruenerūt ipſius cōmentariis, quā nullæ ſint iſtius generis obſeruationes, cuiuis licet intelligere. Tibi autem Lucani clariſſ. inſcribere hos meos labores volui: vt, qui me ex quo primùm die vidiſti, ſemper in filii loco ac numero habueris, intelligeres amorem tuum non infeliciter collocatum eſſe: ſed in eo homine poſitum, cui ſemper ingrati animi vitium fœdiſſimum eſſe viſum eſt. Cum enim referendi beneficij ratio multiplex ſit, grati certè & memoris animi ſignificatio, pars quædam remunerationis ſemper à prudentiſſimis hominibus exiſtimata eſt. Quare vt cùm tibi, tum aliis meæ erga te obſeruantiæ ac pietatis teſtimonium aliquod publicè extaret, hoc tibi munuſculum ex ingenio meo depromptum offerre volui: quod ſi tibi tam ab ipſarum rerum precio ac dignitate probabitur, quàm ab optima animi mei voluntate gratum ac iucundum fore, cum hæc ſcriberem, confidebam: tum verò fructum ero mearum vigiliarum ac laborum ex animi mei ſententia ampliſſimum, vberrimúmque conſequutus. Vale. Idib. Maij M D L I I I.

LVDOVICO GREMPIO, REIPVB. Argentinenſis Conſiliario & aduocato præſtantiſſimo: In aliquot Obſeruationes.

PRÆFATIO. VI.

IMPERATORIS Iuſtiniani vitam, Ludouice Grempi clariſſimè, typographorum quorundam rogatu anno ſuperiore conſcripſeram, quam cum ſtudioſis quibuſdam vnà cum aliquot noſtris in Pandectas obſeruationibus oſtendiſſem, admonitus ſum ad certorum iam hominum perueniſſe manus, qui nunc illam ſuo nomine typographis offerant. Etſi autem eo conſilio tum hæc tum alia quamplurima apud me continebam, vt cum iis pandectis coniungerentur, quæ propediem, vt ſpero, cum meis in ſingula ferè capita legum argumentis imprimentur: illorum tamen hominum importunitati ce-

currendum putaui, præſertim cum quædam vt fit, ex eo tempore immutarim, atque (vt mihi quidem viſus ſum) meliora quædam effecerim. Quamobrē typis hoc quid quid eſt deſcribi, tibíque dicari volui, qui cum beneuolentia me tua ſingulari ſemel complexus eſſes, nunquam me poſt ea charum & acceptum habere, nec vllam ornandi mei occaſionem vrgere deſtitiſti. Adieci autem duos noſtros De gradibus cognationis & adfinitatis inceſtiſque nuptiis libellos, quos à me penè mero Luteciæ olim editos nonnulli poſteà typographi multis in locis deprauarunt. quædam enim ex eo tempore in iis immutaui, magnámque illorum librorum partem recognoui. Noſtras autem obſeruationes etſi nunc iuris interpretandi munere præpeditus, quòd mihi ſenatus decreto mandatum eſt, non admodum illuſtrare ac locupletare poſſum, poſthac tamen eas quanta maxima potero diligentia pertexere conabor. Nam ex quo me à muſis manſuetioribus ad hæc ſeueriora & grauiora ſtudia retuli, & quaſi poſtliminio redij, ſemper operā quæ noſtris in libris emendandis ponitur, ita neceſſariam eſſe iudicaui, vt omnis ferè labor meus hoc in ſtudiorum genere ſit conſumptus. Quid enim tandem aliud agamus nos, quorum in libris tanta ſcripturæ varietas ac diſſimilitudo cernitur, vt Florentina exemplaria cùm vulgatis, hæc cum Haloandrinis, ſingula inter ſe vix decem continentes verſus congruentes neque conſentientes habeant: cum quod in his adfirmatur, id in illis negetur, quod in his Titio, id in illis Sempronio; quod in quibuſdam ſubſtitutioni, id in aliis inſtitutioni tribuatur: vt iam nobis in conſtituendo quid Iuriſconſulti reſponderint, laboris non multo minus capiendum eſſe videatur, quàm ſublatis eorum reſponſis in explicanda quauis quæſtione propoſita ſumendum eſſet. quos tamen labores quam ſuauiter quidam irrideant, haud obſcurum eſt. Eos dico qui dum editis magnis quibuſdam Repetitionum voluminibus Iuriſconſultorum ſibi nomen apud imperitos concilient, de recta legum noſtrarum interpretatione non magnopere laborant. qui ſi veram laudem vnquam vel pictam leuiter aſpexiſſent, nunquam in repetitionibus (ſic enim verè appellantur) & inculcationibus rerum quæ ab aliis multis pertractatæ ſunt, & maximis contentionibus vexatæ, gloriæ ſegetem ac materiem quæſiſſent: ſed cum adoleſcentibus viam ad Iuriſconſultorum ſcripta punire deberent, ſpinas & vepretulas quibus illa interſepta multos excellenti homines ingenio ab hoc aditum deterruit, euelliſſent. Nam etſi multi iique magna eruditione viri perſæpe in iſtis emendationum coniecturis magnopere fallantur, neque vllum hodie ſit magis lubricum ſtudiorum genus, eos tamen qui in eo elaborant, ſerio, ne quid nunc amplius dicatur, rem agere, & ſolidam nec adumbratam rerum intelligentiam quærere, negari, niſi ab impudente aut ſtolido non poteſt. Sed hæc hactenus. Meas quidem iſtas coniecturas ſi tibi, Ludouice Grempi doctiſſime, homini propter eximiam in iure ciuili doctrinam magnum in hac repub. munus ſuſtinenti probari ſenſero, dabo ego operam, vt quod mihi pace Dei opt. max. liceat, cum argumentis meis, quæ tibi iam abſoluta & parata oſtendi, Commentarius de verbis iuris, & reliquæ in pandectas obſeruationes breui cum aliquo fortaſſe ſtudioſorum fructu in manus hominum perueniant. Vale & me, vt facis, amare perge. V. Calend. Auguſti anno MDLVI.

WOLF-

WOLFGANGO WERTERO,

Spectatiſs. viro, & eximia generis nobilitate prædito: In Connani Commentarios,

PRÆFATIO. VII.

SVPERIORIB. diebus, clariſſ. atque ornatiſſ. Wertere, cùm ex Typographi litteris intellexiſſem nihil iam ad abſolutionem horum Connani commentariorum præter præfationem, quam à me poſtulabas deeſſe, & ſi mihi permoleſtum accideret, nomen meum alieno libro inſcribi: duabus tamen de cauſſis vt id fieri pateret amicorum ſuaſu ſum impulſus: primùm quod agi meam, vt paulo pòſt oſtendam, hac in re dicerent exiſtimatione: deinde quod hoc quidquid eſt, quod hac editione Baſilienſi præter ſuperiorem Pariſienſem eſt præſtitum, demonſtrari à me non modò typographi verum etiam ſtudioſorum intereſſe confirmarent. Huius igitur totius tibi rei rationem, in hac præfatione quam ego iis de cauſſis, quas poſterius commemorabo, ſplẽdidiſſ. tuo nomini dicare volui, breuiter aperiam. Nam cùm anno ſup. in animo haberem Connani commentarios euoluere, quos à multis iiſque doctiſs. viris mirandum in modum commendari, ac planè laudib. in cœlum ferri animaduerteram: accuratè operam dedi vt quando exemplaria Lutetiæ, vbi primùm edita & nata erant, nulla iampridem reperiebantur, Francofordicis autem in nundinis nulla ferè vnquam fuiſſe conſtaret, Antuerpia vbi quatuor adhuc latere dicebantur, vnum mihi curaretur. Quod vt primum in manus ſumſi, mihíque, quemadmodum dici de phidiæ ſignis ſolebat ſimul adſpectum & probatum eſſet, capita continuò primi libri auidiſſimè ſtudioſiſſiméque percurri. quo in ſtudio atque ardore meo, dicam autem ingenuè ac liberè, vt mea natura fert, animaduerti quaſdam eſſe diſputationes ita copioſè, ſubtiliter ac diffuſè ab hoc excellenti ac multiplici variáque doctrina prædito ſcriptore tractatas atque explicatas, vt capita, quibus illas erat complexus, ſæpè totas triginta, nonnunquam quadraginta paginas ipſas adimplerent: quam quidem vbertate & copia rerum ac verborum plerumque defeſſa mens mea, quaſi multum itineris emenſa, neque diutius lectionis laborem perferre poterat, & cùm ad capitis alicuius finem perueniſſet, rerum tot ac tantarum memoriam magna iam ex parte amiſerat. Quod tamen non Connani orationis vituperandi cauſſa dictum à me exiſtimari velim, memini enim ad illud Philemonis vulgatum, τὸν μὴ λέγοντα τῶν δεόντων μηδὲ ἓν μακρὸν νόμιζε κἂν δύ' εἴπῃ συλλαβάς, continenter adſcriptum eſſe, τὸν δ' εὖ λέγοντα μὴ νόμιζ' εἶναι μακρόν: eámque ſententiam Homeri exemplo atque autoritate ab eo confirmatam eſſe: Verùm quoquo modo ſe res habeat, equidem vt memoriæ hac in re meæ ſubſidij aliquid adferrem, cogitare cœpi, mihi agricolarum exemplum imitandum eſſe, qui cùm ingenti latóque in agro multifariam arborum quarundam glandes conſeuerint, tum quaſi memoriæ conſignandi cauſſa ſurculum ſatorum indicem iiſdem in locis pangunt. Itaque certis in locis ad mei libri margines verbo vno qua de re ageretur notaui, & quaſi digitum, vt aiunt, ad fontes intendi. Iam verò dum hoc in negocio, leges eas quarum autoritate Connanus vtitur, in Pandectis ceteríſque libris inueſtigatas ad ipſius diſputationem interpretationémque perpenderem: ſuſcipiendum etiam hunc laborẽ putaui, vt legis cuiúſque numerum atque ordinem ex libris Flor. quibus vti conſueui, deſignarẽ. quod eo etiam lubentius feci, quia properãti mihi plerumque difficillimum erat, locos quos Con. IX. Pandect. deſcripſerat, inuenire: cùm aut legis initiũ non poneret, aut ita poneret, vt difficulter tamen titulus cognoſci poſſet, niſi ab eo qui multa iam antè capita percurriſſet ac tanquam peragraſſet: præſertim cùm ita frequenter Iuriſconſultorum nomina perperam citata & commutata eſſent; cùm & Vlpianus pro Paulo, & Modeſtinus pro Papiniano, & alij pro aliis appellarentur, vt lituris & caſtigationibus propè innumeris opus ad eam rem emendandam fuerit.

Hæc igitur,cùm in libro,vt dixi,meo facerem,primum nemini me facere iniuriam neque mihi quemquam propterea nouum opus nunciaturum putabam ; quippe cùm in fundo,vt dixi,meo id facerem, neque vllam, vt id vnquam in vulgus ederetur,cogitationem ſuſcepiſſem;deinde propter eam quam natura popularib.& ciuib. inter ſe neceſſitudinem beneuolentiámque ingenerauit, lubenter mihi perſuadebam,Connanum ſi viueret,non modò non moleſtè meam in ſuis libris percurrendis adnotandiſque diligentiam laturum , verum etiam pro ſingulari quadam & eximia,quæ nobis omnibus nota erat,ipſius humanitate , adamaturum fuiſſe. qua eadem mente clariſſ. virum Bartholomæum Faium qui huiuſce libri , quaſi poſtumi, tutor quodammodo ab optimo parente eſt relictus,fore confido. Nam ſi quis eſt qui meum de Connano iudicium fortè exquirit ; quod tamen cuiuis licebit quantumuis leue exiſtimare: ſic ſtatuo , multis abhinc annis nullum in hoc genere ſcriptorem huic noſtro anteferendum exſtitiſſe:dicerem comparandum , niſi & verbi inuidiam apud eos qui Connani præſtantiam ignorant , pertimeſcendam putarem: & multa multis locis informata atque inſtituta tantum, non perfecta neque perpolita animaduertiſſem. Verùm illud addam,atque haud minus,vt ſpero , verè quàm liberè,nullum me Iuris interpretem meminiſſe, quem vel Iuſtiniani maieſtas , vel antiquorum Iuriſconſultorum auctoritas minus retardarit,ne illorum reſponſa atque ſententias ad æqui boníque artem,quaſi virgulam diuinam , exigeret : nullum qui magis ab eorum hominum ingenio abhorreret,qui cùm inueteratam in ſcholis opinionem, veluti Doctorum,vt appellant,deciſionem aliquam , quantumuis ſtultam,abſurdam atque inſulſam,legis vim obtinere iam videant: auriculis tamen vt iniquæ mentis aſelli,quomodo ille ait , demiſſis tranſeundum atque ratum habendum aiunt:quo in numero ij quidem qui Decretiſtæ vulgò nominantur , locum omnium confeſſione principem ac primarium obtinent.de quib.idem meo iudicio non incommodè dici poteſt, quod Catonem de haruſpicib.dixiſſe ferunt , mirandum eſſe quod non rideat Decretiſta Decretiſtam cùm adſpexerit.Sed de Connani laudib.plura mihi hoc tempore memoranda non arbitror , ne ſolem facib. vt aiunt,illuſtrare velle videar.tantum dicam,mihi hoc mirificum opus, imperfectum tamen, neque ab auctore perpolitum attentè conſideranti , ac ſæpe illius caſum aut noſtrum potius deploranti,frequenter id in mentem veniſſe dicitur,quod Apellem cùm tabulam protogenis mirabili artificio depictam , nondum tamen abſolutam, diu quaſi obſtupefactus aſpexiſſet, pronunciaſſe aiunt,opus eſſe admirandum illud quidem,gratias tamen quæ illud in cœlum efferrent ei deeſſe. Adhuc quantum ſtudij & diligentiæ in Connani libris euoluendis,obſeruandis, adnotandíſque poſuerim explicatum eſſe,meíque in iis ſtudij ac facti rationem cumulatè redditam arbitror. Reliquum eſt, vt de Nic. Epiſcopij facto,qui librum hunc ſanè diligenter & accuratè ſuis typis impreſſit,pauca dicam: qui multas mihi quidem cur id inſtitueret, cauſſas habuiſſe videtur. Primùm enim conſtat inter omnes eũ librũ tanta contẽtione tantáq; cupiditate ac ſtudio paſſim in Germania flagitatũ eſſe,vt diutius eius ferri non poſſe deſiderium facilè perſpiceres. Deinde futurum omnino, ídque propediem videbat , vt exemplum illud Pariſienſe non procul ab ſuis oculis imprimeretur.cùm autem meum illud iis , quas antè dixi, obſeruatiunculis ac notulis adſperſum eſſe audiſſet, è re ſtudioſorum omnium fore exiſtimauit,ſi Connani commentarios potius hiſce nonnullis annotatiunculis noſtris locupletatos atque auctos imprimeret,quàm exemplum alterum,cui deeſſent , à quibuſdam quos ad eam rem paratos videbat,iterum imprimi pateretur. Itaque non prius à me pro noſtra mutua amicitia flagitare meum librum deſtitit , quàm ego illum propediem ei me miſſurum recepiſſem. Meum verò nomen qua de cauſſa inſcribi ſim paſſus , paucis aperiam. Cùm enim multorum litteris ac ſermonib. ad me perlatum eſſet,fieri iam nullo modo poſſe,quin iſtarum me acceſſionum auctorem eſſe complures intelligerent, verendum amicis meis ac familiarib. videbatur,ne ſi auctoris nomen reticeretur,id vel culpæ vel negligentiæ,vel alicuius minus honeſtè facti conſcientia inſtitutum putaretur:itaque maledicis ac litigioſis hominibus iterum me calumniandi occaſio præberetur. Quæ cùm ita ſe habeant,neminem ita agreſti & inhumano ingenio futurum ſpero,vt meum hoc factum,cuius,vt opinor,prolixè à me ratio reddita eſt, arrogantiæ inſimulare ſtudeas, aut me quaſi ingenium in opere alieno oſtentan-

ſtentantem, laureolam ex muſtaceo quærere calumnietur: præſertim cùm hanc mei nominis alieno in lib. adſcriptionem non mea ſponte, ſed complurium, vt dixi, honeſtiſs. atque optimorum virorum conſilio atque hortatu planè victus, ac propemodùm coactus permiſcrim: quorum tu quoque ſpectatiſſ. ac ſplendidiſſ. Werte-re, numerum nuper adauxiſti: cuius & prudentia, ſplendore ac nobilitate generis coniuncta, & optimarum artium cognitio propè ſingulari, & veræ pietatis amor eximius magnum apud me pondus habuit: neque minus, vt ſpero, apud eos quibus tua eſt cognita & ſpectata verba, poſthac habiturus eſt. qua ſanè opinione ac potius fiducia fretus, è re atque exiſtimatione mea fore putaui, ſi tui ſplendorem eximij nominis inuidorum hominum obtrectationi tamquam propugnaculum aliquod obiicerem: idémque facere quod apud Homerum Teucer, qui ſe Aiacis, fratris clypeo cùm arcu ſagittã emiſiſſet, contegebat: ὁ δέμιν σάκεϊ κρύπτασκε φαεινῷ: vt te facturum confido, de animo præſertim ac ſtudio in te meo minimè dubitantem. mihi enim proximè non mediocriter ſanè ſum gratulatus, cui tam commodè oblata videretur occaſio meam ergà te hac in re teſtificandi beneuolentiam, quam ſi tibi hoc in negocio fuiſſe non iniucundam intellexero, dabo ego operam, ídque vt ſpero, & ſi Dei voluntas ferat, propediem, vt meum maiore aliquando in te veſtræ celebrandæ familiæ ſtudium & conatum planius animaduertas. Vale Argent. X. Kal. Feb: MDLVII.

AD GENEROSISSIMVM VIRVM IOANNEM PHILIPPVM WILDT, Rhenigrauium, Comitem in Salm. Equitem Auratum, In Legum Rom. Indicem.

PRÆFATIO. VIII.

RECENTI tuo ergà me beneficio, generoſe Comes, quemadmodum gratias agerem cum apud me cogitarem, cœpi, de amicorum ſententia, conſilium, hunc de legibus Populi R. libellum, quem nuper Typographo dederam, ampliſſimo tuo nomini dicare. Ea namque litteratorum hominum, quibus opes nullæ, facultates autem perexiguæ ſunt, ratio & conſuetudo eſſe conſueuit, vt animi ſui propenſionem hoc munuſculorum genere teſtentur. Fuit etiam, vt ſcis, antiquorum hæc ratio, vt ſtatuas iis, qui de ſe bene meriti eſſent, ponerent; cauſſamque in baſi *Benemerentibus* adſcriberent. Sed & opifices ſuo quiſque in opere, id prout ſe facultas dabat, factitabant. Acceptum autem ab amplitudine tua beneficium, quod ego non tam in propinquum meũ, quàm in meipſum collatum arbitror, tanti apud me eſt (qui non modo iucundum, ſed ne notum quidem tibi meum putabam nomen) vt multis partibus maius aliquod ornatiúſque munus à me ſuo quodam iure flagitet. Ita eſt, mea quidem ſententia. Non enim me hominum, quos noſti, iniuria, ſimul cum fortunis, iudicio animi ſpoliauit. Equidem & quantus ſit familiæ virtutiſque tuæ ſplendor, præclarè noui, quantúmque tibi magnis tuis rebus geſtis nomen apud nationes omnes pepereris: nec ignoro, quam tenue & exile munuſculum hoc ſit, quod tibi iam mitto: ſed aliud eſſe gratiam referre, aliud agere, tu pro tua ſingulari prudentia non ignoras. Illud vel ad pares pertinet, vel ad ſuperiores: hoc vnum reliquum iis factum eſt, qui amiſſis, iniquitate hominũ, fortunis omnibus, conſcientia ſe rectè factorum, honeſtarúmque artium ſtudio atque amore conſolantur. Accipies igitur æquo animo exiguum hoc meę ergà te obſeruantiæ ſpecimen, hoc libello teſtatum, quaſique conſignatum: quod ſi tibi non improbari intellexero, maiores deinceps ad pluſculum in hoc genere audendum animos, vt ſpero, adſumam. Ampliſſime vir, Comes generoſiſſime, benè ac feliciter Vale. Argentorato. XV. Kal. April. MDLVII.

FRANC. HOTMANI AD T. B. Epiſtola: quam Baronis Streinij de familiis Ro. Libello præpoſuit.

IX. NÆ TV mihi præclare Alfianum illud meminiſſe videris, Bona nomina non appellando fieri mala. Verum vſqueeóne tamen vt etiam me ſponſorem appelles? Mitto igitur quod tibi deberi diutius, vt video, non poteſt, Baronis noſtri, verè ſane (vt ſcribis) εὐγένης ἐξόχη, Familiarum Romanarum ſtemmata: quæ, ſi videtur, & vt plane te facturum confido, Apelli illi noſtro, Roberto Stephano, depingenda, ſuíſque ornamentis illuſtranda committes. Meminiſti. i.e. Alexandri edictum, ne quis eum præter Apellem pingeret, néue præter Lyſippum fingeret. Eadem Alexandri noſtri ratio eſt: qui cum antiquitatum Romanarum ſtudium his ſexdecim menſibus, quibus apud me fuit, ardore animi non minore aggreſſus ſit, quàm ille olim regnum Aſiæ, trophæum ſibi in iſto ætatis ſuæ flore quæ vix ad annum vigeſimum peruenit, perpetuum lucubrationum ſuarum monumentum ſic erigi cupit, vt illud etiam artificis ornetur induſtria. Spero autem equidem hanc futuri triumphi tantummodo prærogatiuam eſſe, quem ſi Dei voluntas ferat, aliquando ex magiſtratuum Romanorum accurata & ſubtili explicatione, fuſa fugatáque barbaria reportabit. Quod ſi adoleſcentis huius exemplum noſtri iuris ciuilis ſtudioſi imitarentur, non dubitárem fore, quin Germania noſtra breui luminibus Italiæ (quæ ſe principem in hoc genere laudis ſtatuit) officeret. Verum hæc multorum adoleſcentium, in Cicerone, quãuis aſſiduè, legendo, peruerſa quædam ratio eſt, vt πάρεργον (quemadmodum Græcis in prouerbio eſt) τὸ ἔργον faciant: & ſolas verborum Phaleras, ac flores orationis conſectentur: Romanæ verò Hiſtoriæ theſaurum, qui multifariam in ipſius ſcriptis ſparſus eſt, negligant, florem contempto fructu carperent: cum tamen, vt qui in Sole ambulant, neceſſariò colorantur, ſic nemo in eruenda ex Cicerone antiquitatis memoria elaborare poſſit, quin eadem opera ſermonis puritatem, & mediocrem ſaltem ſcribendi facultatem adipiſcatur. Verum hæc nimis fortaſſe multa, tibi præſertim, cui adoleſcentis huius nobiliſſimi virtus cognita & perſpecta eſt. Vnum hoc addam: tametſi οἴκοθεν ὁ μάρτυς vt dici ſolet, & cõtra Iuriſconſultorũ noſtrorum placita ſed nihil teſtificabor: augurari licet. Mihi namque Socratis in Phædro Platonis de Iſocrate augurium in mentem venit: Ineſſe natura Philoſophiam in huius adoleſcentis mente quandam, Et, ſi verum eſt, quod idem dixiſſe traditur, eſſe homines quibus cor aureum, alios quibus argenteum, alios quibus æreũ ſit datum: hunc certè noſtrum ſpero, pro ſua pietate atque modeſtia ſingulari firmata ętate, ampliſſimo viro parenti ſuo vniuerſæque Auſtriæ ſuæ, ornamento & præſidio futurum, Vale V. C. & amice omnium integerrime. Argento. Idib. Aug. M D L V I I.

T. B. FRANCISCO HOTMANO.

X. ETSI nihil niſi egregium ab excellenti noſtri Baronis ingenio exſpectabam, vicit tamen, fateor, exſpectationem meam & diligentia maxima, & iudicium in hac ætate profectò non mediocre. Itaque ſimul atque in hanc vrbem veni, nihil mihi fuit antiquius, quàm vt tuo deſiderio ſatisfacerem, & fidem meam liberarem. nam mihi quidem ipſe in iſtiuſmodi exornandis ingeniis nunquam ſatisfacio. Minimè autem vereor, ne quod illi auctor fuerim, vt hunc libellum ederet, vel exiſtimationi noſtræ, vel illius pudori ſatis cauiſſe videar. Imò verò

confido

confido fore, vt quicunque re ipſa ſenſerunt, quantoperè ad plenam hiſtoriæ Romanæ cognitionem iuuet illuſtrium familiarum ſtemmata in promtu habere, plurimùm ſeſe mihi hoc nomine debere profiteantur. Exteris autem illis (ſcis quos intelligam) certè non deerunt qui hæc requirant, de quibus non dubito, quin amplius queri poſſit, & ipſi quæſiuiſſemus ſi vna fuiſſemus. verum, vt ſpero, multo plura hic inuenient, quæ pro ſuo candore maximè commendabunt. Vale.

SERENISSIMO PRINCIPI
MAXIMILIANO, REGI BOHEMIÆ, Archiduci Auſtriæ: In Comment. de verb. iuris

PRÆFATIO. XI.

MAGNIFICA profectò, Maximiliane Rex ſereniſſime, & præclara quædam res eſt iuris ciuilis cognitio: quæ cùm in Republica benè ac feliciter conſtituenda principem locum obtinet, tùm verò ſui ſtudioſos magno ſæpè in honoris ac dignitatis gradu locare conſueuit. Itaque non minus multos qui Romani iuris diſciplinam magna cum gloria ac ſplendore profeſſi ſunt, quã qui in Græcia philoſophiæ ſtudia coluerunt, numerare poſſumus: ſiquidem à Sex. Papirio, qui Tarquinij Superbi tẽpore vixiſſe traditur, ad Põponiũ & Modeſtinũ, qui Alexandro Cæſare imperante floruere, ac propè poſtremi numerãtur, amplius ducenti quinquaginta Iuriſconſulti recenſentur qui Iuris diſciplinam per annos amplius ſeptingentos magna in hominum admiratione ac dignitate retinuerunt: cùm Græci Philoſophi, qui quidem aliquo in numero fuerint, vix centum, iique paruo temporis ſpacio memorentur. Veruntamen, vt omnium aliarum artium (quemadmodum Maieſtati tuæ notum eſt) ſic etiam huius noſtræ iuris ciuilis diſciplinæ ſplendor omnis, patrum noſtrorum memoria, barbarie longe lateque dominante, deletus eſt. Nam, vt indignum Iuſtiniani facinus, quod ſine lacrymis commemorari vix poteſt, ſilentio prætercam, cùm illius diſciplinæ, libri & ad Reipub. Romanæ rationem adcommodati, & Romano ſermone ſcripti fuiſſent, conſtat eos, qui Romanam hiſtoriam ne primoribus quidem labris, vt dici ſolet degustarant, & Latinis litteris malè tincti, ad illius ſtudium, quaſi manibus & pedibus, vt ita dicam, illotis, conferebant, nequaquã ſatis feliciter in ea verſari potuiſſe. Verùm hac ætate noſtra, qua Dei opt. max. benignitate bonæ artes omnes ab interitu vindicantur, non nulli extiterunt liberaliter eruditi homines, qui pro ſua virili parte vtrique illi malo remedium adhibere conati ſunt: in quibus, ſi Germaniam veſtram ſpectemus, Vdalricus Zaſius principem facilè locum obtinuiſſe meritò creditur: qui cùm reipub. Romanæ hiſtoriam, quatenus ad ius ciuile pertinebat, diligentiſſimè tradidit: tũ verba iuris, quoties res poſtulabat, accuratè, & ſubtiliter interpretatus eſt. Cùm enim, auctore Fabio, non exigua pars Iuriſconſultorũ muneris in vi ac proprietate verborum explicanda poſita ſit, tum verò, vt idem alibi teſtatur, fuere ſemper illi verborum proprietatis obſeruandæ animaduertendæque ſtudioſiſſimi. quippe cùm ex verbulo vno malè obſcuréue poſito, magnæ plerunque lites iurgiáque oriantur: & quemadmodum ille idem ſcribit, ſi quando vno in verbo erratum eſſet, lis tota perdebatur. qua de cauſſa tam multos veterum iuriſconſultorum videmus in verborum explicatione ſuſceptos labores: & C. Ælij Galli libros data opera De verborum, quę ad eius pertinet, ſignificatione, & conſcriptos & inſcriptos

fuiſſe legimus. Quòd ſi vlla vnquam ætate genus illud ſcriptionis magnas ſtudioſis opportunitates attulit, hoc certe tempore non modò fructuoſum, verum etiam magnoperè neceſſarium eſſe nemo non videt. Cùm ſatis conſtet, pleroſque illorum, qui ſe ad ius noſtrum ciuile perdiſcendum conferunt, & qui, cùm hunc meum de verbis iuris inſcriptum Commentarium adſpicient, verba me pro farina (vt in veteri prouerbio eſt) adferre clamitabunt, Latini propè ſermonis imperitos eſſe: magnámque ineptarum interpretationum partem, quæ non modò ſuperioribus, verũ etiam noſtris hiſce temporibus ad libros Pandectarum & Codicis adhibitæ ſunt, ex hac linguæ Latinæ ignoratione, tanquam ex fonte, fluxiſſe. Quòd cùm mihi iam pridem indignum ac miſerum videretur, facturum me rem ſtudioſis vtilem, liberali certè præditis ingenio adoleſcentibus gratam atque iucundam exiſtimaui, ſi verba iuris obſcuriora vnum in librum coaceruata, literarum ordine diſponerem, ſimúlq; breuem cuiuſque interpretationem adiungerem. Quem meum laborem cùm amici mei complures, homines eruditiſſimi, comprobaſſent, & ſcholis noſtris non inutilem confirmarent: feci non inuitus, iis præſertim rogantibus, vt opus hoc cuicuimodi eſſe poſſet, Typographo traditum in lucem conſpectúmque hominum perueniret, idque eo libentius, quia non pauca ex Antiquitatibus Romanis ad iuris intelligentiam maximè pertinentia, quæ ſuperioribus annis obſeruaram, paſſim, vt res poſtulare videbatur, illum in librum conieceri.

Cùm autem huius mei in ius Ciuile ſtudij patronum aliquem mihi adſciſcendum eſſe intelligerem, cuius auſpiciis ac præſidio inſtitutum hunc curſum abſoluerem: cepi Rex ſereniſſime, de amicorum ſententia conſilium iſtud quidquid eſt maieſtati tuæ dicare, adductus etiam auctoritate ampliſſimi ſpectatiſſimíque viri, omníque virtute ornatiſſimi, Ioannis Karlingi, Cæſareæ maieſtatis Conſiliarij, cuius Sororius Richardus Streinnius, magnæ ſpei adoleſcens, generoſiſſimi Baronis filius, qui mecum propè iam biennium vixit, à me ſæpe, vt tale aliquid auderem, contenderat. Eò magis quòd ex illuſtriſſimo Sileſiæ tuæ ducatu me oriundum intellexiſſet: vnde auus meus ex ea familia prognatus, cuius etiam nunc Vratiſlauiæ ornamenta ſuperſunt non minima, centum plus minus ab hinc annos Lutetiam Pariſiorum profectus, Otmannorum coloniam (vt ita loquar) eò deduxit. Nunc verò cùm in hoc naufragio meo, iis tempeſtatibus ac fluctibus eiectus, quibus vniuerſus propè terrarum orbis iactatur, iis locis mea ſponte ac voluntate caream, à quibus ſemper animo æquiſſimo, quamdiu boni mores exſulabunt; abero lubenter, ad antiquæ meæ patriæ Principem ac tutorem, tanquam ad portum confugio, & quaſi poſtliminio reuertor: cùm præſertim is tu ſis, cuius in pietate, iuſtitia, manſuetudine, ſapientia ſpes bonorum propè virorum omnium, ſecundum Deum, poſitæ ſunt: qui in iſto concuſſi orbis motu, ſolus ad benè de Chriſtiana republica conſtituenda ſperandum quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti: qui & literatorum hominum, quorum quidem ſtudia cum pietate coniuncta eſſent, & litterarum ipſarum patrocinium ſuſcepiſti, vt omninò præclarè mecum hoc tempore actum exiſtimem, cui hæc meę ergà maieſtatem tuam obſeruantiæ ac pietatis teſtificandæ opportunitas oblata ſit. Erit igitur, Maximiliane Princeps optime, benignitatis tuæ ſingularis, quæ ſemper in iſta Maieſtate ſumma tanquam ſidus aliquod clariſſimum ac ſplendidiſſimum enituit, munuſculum hoc, quantulumcunque, id eſt, æquo animo, bonáque cum venia tibi à me oblatum accipere, & litterarum ſtudia fauore ac beneuolentia tua ſingulari, quemadmodum ſemper vſque adhuc feciſti, perpetuò complecti. Deus opt. Max. Maieſtatem tuam quàm diutiſſimè incolumem ſeruet. Argen. XV. Kal. Septembr. M D L V I I I.

MAGNI-

MAGNIF. VIRO, THOMÆ VVROTHO, Anglo;equiti aurato,in tit.de action.

ALTERA PRÆFATIO. XII.

DECEM,vt opinor,iam anni ſunt,ampliſſime Wrorhe,ex quo tractatũ Inſtitutionum iuris De actionibus, omnium facilè tum vberrimum, tum etiam obſcuriſſimum, interpretatione quadam mea explicare ſum conatus. Hoc ſtudium meum ita vulgo probatum eſſe animaduerti,vt libellus noſter non modo in ſtudioſorum adoleſcentium manibus verſaretur, verùm etiam à quibuſdam doctoribus & publicis iuris interpretibus,ſic ediſceretur,vt cum poſtea tractatum eundem publico ſcripto explicare inſtituerent,non modo ſententiam omnem meam, ſed etiam verſus complures continuos,interdum paginas dimidiatas pro ſuis imprudentes exſcriberent. Cuius ſane rei me ſuperiore anno ſuppuduit: cum illas nugas à me pene puero Lutetiæ ſcriptas,tanti etiam à ſenibus, & in ſcholarum complurium ſuggeſtis magna cum ſua laude & gloria verſatis,fieri animaduerterem: quas(ita mihi Deus ſit propitius) vt cum adſpiciebam,ſempiterna obliuione deleri cupiiſſem. Itaque cùm iuris inſtitutiones nuper explanarem, & ad eum locum perductus eſſem, omni ſtudio mihi enitendum putaui,vt ſi quid hoc decem annorum adſiduo & improbo labore, tum in reipublicæ Romanæ,tum in iuris ciuilis cognitione conſecutus eſſem, id in hoc eodem capite iterum explicando demonſtrarem:cum præſertim inter omnes conſtet,nullum toto iure ciuili,vel vtilitate rerum vberius,vel antiquitate formularum obſcurius,vel varietate diſputationum copioſius exſiſtere. Nunc ecquid in me vetus illud verbum valuerit,quo poſteriores cogitationes ſapientiores eſſe dicuntur, & magiſter prioris poſterior dies, eruditi viri pro ſua prudentia iudicabunt. Tibi quidem clariſſime Wrorhe libellum hunc inſcribere, donóque mittere ſtatui: partim vt ornamenti aliquid ex nominis tui ſplendore meis hiſce tenuibus & ſcholaſticis ſcriptiunculis accederet: partim vt me de amplitudine tua perpetuo cogitare intelligeres: quem cum amicitia & beneuolentia quadam ſingulari complexus eſſe videare, feres vt ſpero non grauate,aliquam meæ erga te & obſeruantiæ & pietatis publicè teſtificationem exſtare. Vir ampliſſime,vale & ſalue,méque quã ſemel cœpiſti beneuolentia proſequi ne deſine. Antonium Cokum ſpectatiſſimum & grauiſſimum virum:itémque Chriſtophorum Pernam excellenti virtute & doctrina præditum hominem meis verbis quàm honorificentiſſimè ſaluta. Argentorati. X.Cal.Feb.MDLIX.

FRANCISCO RVSSELIO, ILLVSTRI Bedfordiæ Comiti; in Iuriſconſultorum

PRÆFATIO. XIII.

FVIT olim,FRANCISCE RVSSELLI Comes illuſtriſſ.prouerbium hoc tota Græcia celeberrimum, maximéque vſurpatum:Spartam nactus es,hanc ornato.cuius origo, vt opinio mea fert,ab ipſis Spartiatis ciuibus nata eſt, ſeſe inter ſe ad ciuitatis ſuæ dignitatem pro virili amplificandam, communi iſta & populari voce cohortantibus. Pòſt verò ita celebrata hæc eadem vox eſt,vt ad quaſuis honeſtas & probatas functiones ſocom-

modaretur. quam ego vocem cùm ad me quoque, quem Deus in hoc iuris ciuilis interpretandi munere collocauit, pertinere exiſtimarem, non committendum putaui, vt eam omnino neglexiſſe, ac pro nihilo habuiſſe viderer. Quaptopter & quale Iuriſconſultorum munus olim fuerit, quorum ego me in numerum atque ordinem aggregaui, & quanto illi in precio atque honore tum ſtante Republica, tum etiam apud principes Romanos habiti ſint, exquiſitis vndecunque teſtimoniis exponere volui. Neque enim mediocritet, vt opinor, ad huiuſce diſciplinæ noſtræ ornamentum pertinet, notum illud in vulgus eſſe, cum Traianus, Adrianus, Antonini duo, cæteríque complures Imperatores ſemper Iuriſconſultorum opera & conſilio ſuum Imperium præclarè & feliciter adminiſtrarint: tum verò Alexandrum, qui ſucceſſor illorum fuit, tanta Vlpianum iuriſconſultum obſeruantia dignatum eſſe, vt eum non modò pro tutore (quemadmodum ſcribit Lampridius) habuerit, verùm etiam in ſuis conſtitutionibus diſertè ac nominatim parentem ſuum appellet: neque iniuria, cum idem Lampridius teſtetur, eum Imperatorem idcirco ſummum fuiſſe, quòd Vlpiani præcipuè conſiliis ſuam rempub. adminiſtrarit. Adiunxi etiam eodem in libello controuerſiarum tractandarum rationem quandam artificioſam, olim ab Hermagora, rhetore & iuriſconſulto vetuſtiſſimo peracutè ſanè & perſubtiliter excogitatam: noſtris verò temporibus planè vel neglectam, vel ignoratam: quam ego tribus hiſce annis, quibus ſum in hac ſchola Ius ciuile interpretatus, in lucem ex tenebris longo interuallo educere ſum conatus: veriſſimum de ea Ciceronis eſſe teſtimonium re ipſa expertus, qui in Bruto diſciplinam Hermagoræ ad inueniendum expeditam eſſe ait, rationéſque certas dare, quæ ordinem habeant, & quaſdam errare in docendo non patientes vias. Vt mihi quidem minimè dubitandum eſſe videatur, quin eum idem Cicero in libello, quem (vt Agellius teſtatur) de Iure in artem redigendo ſcripſit, magnopere Iuriſconſultis ad ſummam controuerſiarum quæſtionem cognoſcendam commendarit: cum præſertim illam eandem ipſe in Partitionibus, ſenex iam factus, & vſu forenſi maximo præditus, tantopere ſit ſecutus. Cum autem huic ſtudio atque inſtituto meo patronum aliquem mihi quærendum eſſe intelligerem, fecit, Illuſtriſſime Comes, incredibilis quidam de ſumma virtute, pietate, & manſuetudine tua celebratus in his regionibus rumor, vt ad te confugerem meóque huic libello, parum alioqui ex nomine meo commendationem habituro, gratiam aliquam & auctoritatem ex dignitate iſta ſumma tua conciliarem. Cùm præſertim toties clariſſimos virtutum tuarum teſtes audierim, Antonium Cookum, & Thomam Wrothum, equites ornatiſſimos: alioſque complures, non minus comitatem & manſuetudinem animi tui, quàm familiæ ſplendorem & amplitudinem prædicare: vt mihi facilè perſuadeam, non ingratam tibi hanc qualemcunque animi erga illam mei ſignificationem fore. Vir ampliſſime, Comes illuſtriſſime, Vale, & ſalue. Deus Opt. Max. te diu nobis incolumem conſeruet, cuius me fidei & clientelæ ſtudioſiſſimè commendo.

Argentorati, X. Cal. Feb.

MDLIX.

ILLVS-

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
AVGVSTO ELECTORI SAXONIÆ Duci: In Comment. Inſtit.

PRÆFATIO. XIV.

IN diuulgandis hisce Commentariis meis, Electot AVGVSTE, tui nominis auguſtum auſpicium appellare conſtitui: motus cùm felicitate patriſque & familiæ veſtræ, tùm tuæ vitæ inſtituto. Duas enim artes in Repub. curanda, & impetio gerendo, nos qui Iuriſconſulti videri & appellari volumus, præ cæteris maximè ptobamus: vnam armorum, rei militaris ſcientiam: pacis alteram, iuris legúmque doctrinam. Sed alterius propter neceſſaria tempora neceſſitatem fatemur & agnoſcimus· alterius verò propter vitæ tranquillitatem, & omnium hominum ocium optamus, & amplectimur. Nam quoniam pacis cauſſa, vt eam retineamus, arma ſumuntur· & vt ad eandem teuertamur, eadem arma deponuntur: pacem bello anteponi, & iuris legúmque doctrinam quàm armorum peritiam optabiliorem ducimus. & quamquam hæ duæ virtutes inter ſe ita diſtinctæ ſunt, tamen omnis dux Imperatórque iuſtiſſimus, idem præclariſſimus ciuis haberi debet. Quæ igitur artes duæ præſtantiſſimę ſunt in getendis imperiis, earum altera domus veſt a ſuperioribus annis ptoximis floruit: altera adhuc floret, & eſt beatiot. Ea enim Electoris Mauritij fratris ad belli laudem natura, is armorum vſus, ea rerum geſtarum gloria fuit, vt ei ad perfectionem harum rerum nihil defuiſſe amicis videatur, idemque dicatur ab omnibus hominibus. Bella geſſit duo maxima: vnum pro ſocero, alterum pro ſuis & pro ſe: ſed tamen vtrumque ita ſuſcepit, ita adminiſtrauit, ita confecit, vt ſoceri cauſſam cum reipublicæ & Imperij vtilitate coniunxerit: & pro ſe ita pugnauit prælio Marchionico, vt magnum aliquid pto ſe & pro ſuis ſuſcepiſſe videretur. Et prioris quidem belli exitus lætiſſimus fuit, & illius claræ atque perpetuæ commoditates, pacis atque libertatis, alterius verò vtilitates quidem obſcuræ multis, ſed non ignoratæ prudentibus. quod prælium tametſi finem vitæ ei attulit, idem tamen immortalis gloriæ dedit principium. Non enim poteſt non & eſſe & haberi imperator glorioſus, qui & prudentiſſimè atque iuſtiſſimè bella ſuſcipit, & eadem gerit fortiſſimè: & has virtutes tres, prudentiæ, iuſtitiæ, fortitudinis, deuotione vitæ comprobat. Ergò quæ in domo tantus imperator exſtitit, ſub illius patrocinio, tanquam clypeo, hic meus Commentarius veluti miles emiſſis omnibus telis, poterit & ab aduerſariorum calumniis defendi, & in improborum inuidia deliteſcere, & in bonorum æquo iudicio conquieſcere. Sed de Mauritio Electore & ſuauiſſimo fratre tuo, princeps Auguſte, patieris me non tam multa dicere, quàm illius virtutes réſque geſtæ deſiderant: ſed quantum meus pudor in hoc meo mediocri Latinæ linguæ vſu ſinit, atque concedit. Audio Baronem Hedeccanum præfectum illius militarem, nobiliſſimum hominem, & fortiſſimum virum, in ſermonibus Mauritium Electotem Alexando Magno comparaſſe, in nonnullis etiam ante poſuiſſe: & credo vtrumque verum eſſe, & Hedeccanum locutum verè: ſed hanc ego explicationem Hiſtoricis & Rhetoribus relinquo: quorum vtrique poſſunt, quantum animis cogitant, tantum oratione explicare. neſcio tamen an tantum animo queant conſequi, quantum natura, vel potius naturę parens Deus in Mauritij fratris animo recondidit. Quas enim res geſſerit, & quam pręclaras, fortaſſis poterunt demonſtrare: quàm longè autem illius mens proſpexerit, & quæ

currendum putaui;præſertim cum quædam vt fit, ex eo tempore immutarim,atque (vt mihi quidem viſus ſum)meliora quædam effecerim. Quamobrẽ typis hoc quid quid eſt deſcribi,tibíque dicari volui,qui cum beneuolentia me tua ſingulari ſemel complexus eſſes,nunquàm me poſt ea charum & acceptum habere, nec vllam ornandi mei occaſionem vrgere deſtitiſti. Adieci autem duos noſtros De gradibus cognationis & adfinitatis inceſtiſque nuptiis libellos, quos à me penè mero Lutetiæ olim editos nonnulli poſteà typographi multis in locis deprauarunt. quædam enim ex eo tempore in iis immutaui, magnámque illorum librorum partem recognoui. Noſtras autem obſeruationes etſi nunc iuris interpretandi munere præpeditus,quòd mihi ſenatus decreto mandatum eſt, non admodum illuſtrare ac locupletare poſſum, poſthac tamen eas quanta maxima potero diligentia pertexere conabor. Nam ex quo me à muſis manſuetioribus ad hæc ſeueriora & grauiora ſtudia retuli,& quaſi poſtliminio redij,ſemper operã quæ noſtris in libris emendandis ponitur,ita neceſſariam eſſe iudicaui, vt omnis ferè labor meus hoc in ſtudiorum genere ſit conſumptus. Quid enim tandem aliud agamus nos, quorum in libris tanta ſcripturæ varietas ac diſſimilitudo cernitur, vt Florentina exemplaria cùm vulgatis, hæc cum Haloandrinis,ſingula inter ſe vix decem continentes verſus congruentes neque conſentientes habeant:cum quod in his adfirmatur,id in illis negetur, quod in his Titio,id in illis Sempronio;quod in quibuſdam ſubſtitutioni, id in aliis inſtitutioni tribuatur:vt iam nobis in conſtituendo quid Iuriſconſulti reſponderint, laboris non multo minus capiendum eſſe videatur,quàm ſublatis eorum reſponſis in explicanda quauis quæſtione propoſita ſumendum eſſet. quos tamen labores quam ſuauiter quidam irrideant,haud obſcurum eſt. Eos dico qui dum editis magnis quibuſdam Repetitionum voluminibus Iuriſconſultorum ſibi nomen apud imperitos concilient, de recta legum noſtrarum interpretatione non magnopere laborant. qui ſi veram laudem vnquam vel pictam leuiter aſpexiſſent,nunquam in repetitionibus(ſic enim verè appellantur) & inculcationibus rerum quæ ab aliis multis pertractatæ ſunt, & maximis contentionibus vexatæ, gloriæ ſegetem ac materiem quæſiſſent:ſed cum adoleſcentibus viam ad Iuriſconſultorum ſcripta munire deberent,ſpinas & vepretulas quibus illa interſepta multos excellenti homines ingenio ab hoc aditum deterruit,euelliſſent. Nam etſi multi iíque magna eruditione viri perſæpe in iſtis emendationum coniecturis magnopere fallantur, neque vllum hodie ſit magis lubricum ſtudiorum genus, eos tamen qui in eo elaborant, ſerio, ne quid nunc amplius dicatur,rem agere, & ſolidam nec adumbratam rerum intelligentiam quærere,negari,niſi ab impudente aut ſtolido non poteſt. Sed hæc hactenus. Meas quidem iſtas coniecturas ſi tibi, Ludouice Grempi doctiſſime, homini propter eximiam in iure ciuili doctrinam magnum in hac repub. munus ſuſtinenti probari ſenſero,dabo ego operam,vt quod mihi pace Dei opt.max.liceat, cum argumentis meis, quæ tibi iam abſoluta & parata oſtendi,Commentarius de verbis iuris,& reliquæ in pandectas obſeruationes breui cum aliquo fortaſſe ſtudioſorum fructu in manus hominum perueniant. Vale & me,vt facis, amare perge. V. Calend. Auguſti anno
MDLVI.

WOLF-

WOLFGANGO WERTERO,

Spectatiſs. viro, & eximia generis nobilitate prædito: In Connani Commentarios,

PRÆFATIO. VII.

SVPERIORIB. diebus, clariſſ. atque ornatiſſ. Wertere, cùm ex Typographi litteris intellexiſſem nihil iam ad abſolutionem horum Connani commentariorum præter præfationem, quam à me poſtulabas deeſſe, & ſi mihi permoleſtum accideret, nomen meum alieno libro inſcribi: duabus tamen de cauſſis vt id fieri paterer amicorum ſuaſu ſum impulſus: primùm quod agi meam, vt paulo poſt oſtendam, hac in re dicerent exiſtimationē: deinde quod hoc quidquid eſt, quod hac editione Baſilieñ præter ſuperiorem Pariſienſem eſt præſtitum, demonſtrari à me non modò typographi verum etiam ſtudioſorum intereſſe confirmarent. Huius igitur totius tibi rei rationem, in hac præfatione quam ego iis de cauſſis, quas poſterius commemorabo, ſplēdidiſſ. tuo nomini dicare volui, breuiter aperiam. Nam cùm anno ſup. in animo haberem Connani commentarios euoluere, quos à multis iiſque doctiſs. viris mirandum in modum commendari, ac planè laudib. in cœlum ferri animaduerteram: accuratè operam dedi vt quando exemplaria Lutetiæ, vbi primùm edita & nata erant, nulla iampridem reperiebantur, Francofordicis autem in nundinis nulla ferè vnquam fuiſſe conſtaret, Antuerpia vbi quatuor adhuc latere dicebantur, vnum mihi curaretur. Quod vt primum in manus ſumſi, mihíque, quemadmodum dici de phidiæ ſignis ſolebat ſimul adſpectum & probatum eſſet, capita continuò primi libri auidiſſimè ſtudioſiſſiméque percurri. quo in ſtudio atque ardore meo, dicam autem ingenuè ac liberè, vt mea natura fert, animaduerti quaſdam eſſe diſputationes ita copioſè, ſubtiliter ac diffusè ab hoc excellenti ac multiplici variáque doctrina prædito ſcriptore tractatas atque explicatas, vt capita, quibus illas erat complexus, ſæpè totas triginta, nonnunquam quadraginta paginas ipſas adimplerent: qua quidem vbertate & copia rerum ac verborum plerumque defeſſa mens mea, quaſi multum itineris emenſa, neque diutius lectionis laborem perferre poterat, & cùm ad capitis alicuius finem perueniſſet, rerum tot ac tantarum memoriam magna iam ex parte amiſerat. Quod tamen non Connani orationis vituperandi cauſſa dictum à me exiſtimari velim, memini enim ad illud Philemonis vulgatum, τὸν μὴ λέγοντα τῶν δεόντων μηδὲ ἓν μακρὸν νόμιζε κἂν δύ' εἴπῃ συλλαβάς; continenter adſcriptum eſſe, τὸν δ' εὖ λέγοντα μὴ νόμιζ' εἶναι μακρόν: eámque ſententiam Homeri exemplo atque autoritate ab eo confirmatam eſſe. Verùm quoquo modo ſe res habeat, equidem vt memoriæ hac in re meæ ſubſidij aliquid adferrem, cogitare cœpi, mihi agricolarum exemplum imitandum eſſe, qui cùm ingenti latóque in agro multifariam arborum quarundam glandes conſeuerint, tum quaſi memoriæ conſignandi cauſſa ſurculum ſatorum indicem iiſdem in locis pangunt. Itaque certis in locis ad mei libri margines verbo vno qua de re ageretur notaui, & quaſi digitum, vt aiunt, ad fontes intendi. Iam verò dum hoc in negocio, leges eas quarum auctoritate Connanus vtitur, in Pandectis ceteríſque libris inueſtigatas ad ipſius diſputationem interpretationémque perpenderem: ſuſcipiendum etiam hunc laborē putaui, vt legis cuiuſque numerum atque ordinem ex libris Flor. quibus vti conſueui, deſignarē. quod eo etiam lubentius feci, quia properāti mihi plerumque difficillimum erat, locos quos Con. IX. Pandect. deſcripſerat, inuenire: cùm aut legis initiū non poneret, aut ita poneret, vt difficulter tamen titulus cognoſci poſſet, niſi ab eo qui multa iam antè capita percurriſſet ac tanquam peragraſſet: præſertim cùm ita frequenter Iuriſconſultorum nomina perperam citata & commutata eſſent; cùm & Vlpianus pro Paulo, & Modeſtinus pro Papiniano, & alij pro aliis appellarentur; vt lituris & caſtigationibus propè innumeris opus ad eam rem emendandam fuerit:

Digitized by Google

Hæc igitur,cùm in libro,vt dixi,meo facerem,primum nemini me facere iniuriam neque mihi quemquam propterea nouum opus nunciaturum putabam ; quippe cùm in fundo,vt dixi,meo id facerem, neque vllam, vt id vnquam in vulgus ederetur,cogitationem ſuſcepiſſem;deinde propter eam quam natura popularib.&ciuib. inter ſe neceſſitudinem beneuolentiámque ingenerauit, lubenter mihi perſuadebam,Connanum ſi viueret,non modò non moleſtè meam in ſuis libris percurrendis adnotandíſque diligentiam laturum, verum etiam pro ſingulari quadam & eximia,quæ nobis omnibus nota erat,ipſius humanitate, adamaturum fuiſſe. qua eadem mente clariſſ. virum Bartholomæum Faium qui huiuſce libri, quaſi poſtumi, tutor quodammodo ab optimo parente eſt relictus,fore confido. Nam ſi quis eſt qui meum de Connano iudicium fortè exquirit ; quod tamen cuiuis licebit quantumuis leue exiſtimare: ſic ſtatuo, multis abhine annis nullum in hoc genere ſcriptorem huic noſtro anteferendum exſtitiſſe:dicerem comparandum, niſi & verbi inuidiam apud eos qui Connani præſtantiam ignorant, pertimeſcendam putarent: & multa multis locis informata atque inſtituta tantum, non perfecta neque perpolita animaduertiſſem. Verùm illud addam,atque haud minus,vt ſpero, verè quàm liberè,nullum me Iuris interpretem meminiſſe, quem vel Iuſtiniani maieſtas, vel antiquorum Iuriſconſultorum auctoritas minus retardarit,ne illorum reſponſa atque ſententias ad æqui boníque artem,quaſi virgulam diuinam, exigeret : nullum qui magis ab eorum hominum ingenio abhorreret,qui cùm inueteratam in ſcholis opinionem, veluti Doctorum,vt appellant,deciſionem aliquam, quantumuis ſtultam,abſurdam atque inſulſam,legis vim obtinere iam videant: auriculis tamen vt iniquæ mentis aſelli,quomodo ille ait, demiſſis tranſeundum atque ratum habendum aiunt:quo in numero ij quidem qui Decretiſtæ vulgò nominantur, locum omnium confeſſione principem ac primarium obtinent.de quib. idem meo iudicio non incommodè dici poteſt, quod Catonem de haruſpicib.dixiſſe ferunt, mirandum eſſe quod non rideat Decretiſta Decretiſtam cùm adſpexerit.Sed de Connani laudib.plura mihi hoc tempore memoranda non arbitror, ne ſolem facib. vt aiunt,illuſtrare velle videar.tantum dicam,mihi hoc mirificum opus, imperfectum tamen, neque ab auctore perpolitum attentè conſideranti, ac ſæpe illius caſum aut noſtrum potius deploranti,frequenter id in mentem veniſſe dicitur,quod Apellem cùm tabulam protogenis mirabili artificio depictam, nondum tamen abſolutam, diu quaſi obſtupefactus aſpexiſſet, pronunciaſſe aiunt,opus eſſe admirandum illud quidem,gratias tamen quæ illud in cœlum efferrent ei deeſſe. Adhuc quantum ſtudij & diligentiæ in Connani libris euoluendis,obſeruandis, adnotandíſque poſuerim explicatum eſſe,meíque in iis ſtudij ac facti rationem cumulatè redditam arbitror.Reliquum eſt,vt de Nic.Epiſcopij facto,qui librum hunc ſanè diligenter & accuratè ſuis typis impreſſit,pauca dicam: qui multas mihi quidem cur id inſtitueret, cauſſas habuiſſe videtur.Primùm enim conſtat inter omnes eũ librũ tanta contẽtione tantáq; cupiditate ac ſtudio paſſim in Germania flagitatũ eſſe,vt diutius eius ferri non poſſe deſiderium facilè perſpiceres. Deinde futurum omnino, idque propediem videbat, vt exemplum illud Pariſienſe non procul ab ſuis oculis imprimeretur.cùm autem meum illud iis, quas antè dixi, obſeruatiunculis ac notulis adſperſum eſſe audiſſet, è re ſtudioſorum omnium fore exiſtimauit,ſi Connani commentarios potius hiſce nonnullis annotatiunculis noſtris locupletatos atque auctos imprimeret,quàm exemplum alterum,cui deeſſent, à quibuſdam quos ad eam rem paratos videbat,iterum imprimi pateretur.Itaque non prius à me pro noſtra mutua amicitia flagitare meum librum deſtitit, quàm ego illum propediem ei me miſſurum recepiſſem. Meum verò nomen qua de cauſſa inſcribi ſim paſſus, paucis aperiam.Cùm enim multorum litteris ac ſermonib.ad me perlatum eſſet,fieri iam nullo modo poſſe,quin iſtarum me acceſſionum auctorem eſſe complures intelligerent,verendum amicis meis ac familiarib.videbatur,ne ſi auctoris nomen reticeretur,id vel culpæ vel negligentiæ,vel alicuius minus honeſtè facti conſcientia inſtitutum putaretur:itaque maledicis ac litigioſis hominibus iterum me calumniandi occaſio præberetur. Quæ cùm ita ſe habeant,neminem ita agreſti & inhumano ingenio futurum ſpero,vt meum hoc factum,cuius,vt opinor,prolixè à me ratio reddita eſt, arrogantiæ inſimulare ſtudeat, aut me quaſi ingenium in opere alieno oſtentan-

ſtentantem, laureolam ex muſtaceo quærere calumnietur: præſertim cùm hanc mei nominis alieno in lib. adſcriptionem non mea ſponte, ſed complurium, vt dixi, honeſtiſs. atque optimorum virorum conſilio atque hortatu planè victus, ac propemodùm coactus permiſerim: quorum tu quoque ſpectatiſſ. ac ſplendidiſſ. Wertere, numerum nuper adauxiſti: cuius & prudentia, ſplendore ac nobilitate generis coniuncta, & optimarum artium cognitio propè ſingulari, & veræ pietatis amor eximius magnum apud me pondus habuit: neque minus, vt ſpero, apud eos quibus tua eſt cognita & ſpectata verba, poſthac habiturus eſt. qua ſanè opinione ac potius fiducia fretus, è re atque exiſtimatione mea fore putaui, ſi tui ſplendorem eximij nominis inuidorum hominum obtrectationi tamquam propugnaculum aliquod obiicerem: idémque facerẽ quod apud Homerum Teucer, qui ſe Aiacis, fratris clypeo cùm arcu ſagittã emiſiſſet, contegebat: ὁ δέ μιν σάκεϊ κρύπτασκε φαεινῷ: vt te facturum confido, de animo præſertim ac ſtudio in te meo minimè dubitantem. mihi enim proximè non mediocriter ſanè ſum gratulatus, cui tam commodè oblata videretur occaſio meam ergà te hac in re teſtificandi beneuolentiam, quam ſi tibi hoc in negocio fuiſſe non iniucundam intellexero, dabo ego operam, ídque vt ſpero, & ſi Dei voluntas ferat, propediem, vt meum maiore aliquando in re veſtræ celebrandæ familiæ ſtudium & conatum planius animaduertas. Vale Argent. X. Kal. Feb: M D LVII.

AD GENEROSISSIMVM VIRVM IOANNEM PHILIPPVM WILDT, Rhenigrauium, Comitem in Salm. Equitem Auratum, In Legum Rom. Indicem.

PRÆFATIO. VIII.

RECENTI tuo ergà me beneficio, generoſe Comes, quemadmodum gratias agerem cum apud me cogitarem, cœpi, de amicorum ſententia, conſilium, hunc de legibus Populi R. libellum, quem nuper Typographo dederam, ampliſſimo tuo nomini dicare. Ea namque litteratorum hominum, quibus opes nullæ, facultates autem perexiguæ ſunt, ratio & conſuetudo eſſe conſueuit, vt animi ſui propenſionem hoc munuſculorum genere teſtentur. Fuit etiam, vt ſcis, antiquorum hæc ratio, vt ſtatuas iis, qui de ſe bene meriti eſſent, ponerent; cauſſamque in baſi *Benemerentibus* adſcriberent. Sed & opifices ſuo quiſque in opere, id, prout ſe facultas dabat, factitabant. Acceptum autem ab amplitudine tua beneficium, quod ego non tam in propinquum meũ, quàm in meipſum collatum arbitror, tanti apud me eſt (qui non modo iucundum, ſed ne notum quidem tibi meum putabam nomen) vt multis partibus maius aliquod ornatiúſque munus à me ſuo quodam iure flagitet. Ita eſt, mea quidem ſententia. Non enim me hominum, quos noſti, iniuria, ſimul cum fortunis, iudicio animi ſpoliauit. Equidem & quantus ſit familiæ virtutiſque tuæ ſplendore præclarè noui, quantúmque tibi magnis tuis rebus geſtis nomen apud nationes omnes pepereris: nec ignoro, quam tenue & exile munuſculum hoc ſit, quod tibi iam mitto: ſed aliud eſſe gratiam referre, aliud agere, tu pro tua ſingulari prudentia non ignoras. Illud vel ad pares pertinet, vel ad ſuperiores: hoc vnum reliquum iis factum eſt, qui amiſſis, iniquitate hominũ, fortunis omnibus, conſcientia ſe rectè factorum, honeſtarúmque artium ſtudio atque amore conſolantur. Accipies igitur æquo animo exiguum hoc meę ergà te obſeruantiæ ſpecimen, hoc libello teſtatum, quaſique conſignatum: quod ſi tibi non improbari intellexero, maiores deinceps ad pluſculum in hoc genere audendum animos, vt ſpero, adſumam. Ampliſſime vir, Comes generoſiſſime, benè ac feliciter Vale. Argentorato. X V. Kal. April. M D L V I I.

FRANC. HOTMANI AD T. B. Epiſtola: quam Baronis Streinij de familiis Ro. Libello præpoſuit.

IX. NÆ TV mihi præclare Alfianum illud meminiſſe videris, Bona nomina non appellando fieri mala. Verum vſque eóne tamen vt etiam me ſponſorem appelles? Mitto igitur quod tibi deberi diutius, vt video, non poteſt, Baronis noſtri, verè ſane (vt ſcribis) εὐγένης ἐξόχῃ, Familiarum Romanarum ſtemmata: quæ, ſi videtur, & vt plane te facturum confido, Apelli illi noſtro, Roberto Stephano, depingenda, ſuíſque ornamentis illuſtranda committes. Meminiſti .e. Alexandri edictum, ne quis eum præter Apellem pingeret, néue præter Lyſippum fingeret. Eadem Alexandri noſtri ratio eſt: qui cum antiquitatum Romanarum ſtudium his ſexdecim menſibus, quibus apud me fuit, ardore animi non minore aggreſſus ſit, quàm ille olim regnum Aſiæ, trophæum ſibi in iſto ætatis ſuæ flore quæ vix ad annum vigeſimum peruenit, perpetuum lucubrationum ſuarum monumentum ſic erigi cupit, vt illud etiam artificis ornetur induſtria. Spero autem equidem hanc futuri triumphi tantummodo prærogatiuam eſſe, quem ſi Dei voluntas ferat, aliquando ex magiſtratuum Romanorum accurata & ſubtili explicatione, fuſa fugatáque barbaria reportabit. Quod ſi adoleſcentis huius exemplum noſtri iuris ciuilis ſtudioſi imitarentur, non dubitarem fore, quin Germania noſtra breui luminibus Italiæ (quæ ſe principem in hoc genere laudis ſtatuit) officeret. Verum hæc multorum adoleſcentium, in Cicerone, quāuis aſſiduè, legendo, peruerſa quædam ratio eſt, vt πάρεργον (quemadmodum Græcis in prouerbio eſt) τὸ ἔργον faciant: & ſolas verborum Phaleras, ac flores orationis conſectentur: Romanæ verò Hiſtoriæ theſaurum, qui multifariam in ipſius ſcriptis ſparſus eſt, negligant, florem contempto fructu carpentes: cum tamen, vt qui in Sole ambulant, neceſſariò colorantur, ſic nemo in eruenda ex Cicerone antiquitatis memoria elaborare poſſit, quin eadem opera ſermonis puritatem, & mediocrem ſaltem ſcribendi facultatem adipiſcatur. Verum hæc nimis fortaſſe multa, tibi præſertim, cui adoleſcentis huius nobiliſſimi virtus cognita & perſpecta eſt. Vnum hoc addam: tametſi οἴκοθεν ὁ μάρτυς vt dici ſolet, & cōtra Iuriſconſultorū noſtrorum placita ſed nihil teſtificabor: augurari licet. Mihi namque Socratis in Phædro Platonis de Iſocrate augurium in mentem venit: Ineſſe natura Philoſophiam in huius adoleſcentis mente quandam, Et, ſi verum eſt, quod idem dixiſſe traditur, eſſe homines quibus cor aureum, alios quibus argenteum. alios quibus æreū ſit datum: hunc certè noſtrum ſpero, pro ſua pietate atque modeſtia ſingulari firmata ętate, ampliſſimo viro parenti ſuo vniuerſæque Auſtriæ ſuæ, ornamento & præſidio futurum, Vale V. C. & amice omnium integerrime. Argento. Idib. Aug. M D L V I I.

T. B. FRANCISCO HOTMANO.

X. ETSI nihil niſi egregium ab excellenti noſtri Baronis ingenio exſpectabam, vicit tamen, fateor, exſpectationem meam & diligentia maxima, & iudicium in hac ætate profectò non mediocre. Itaque ſimul atque in hanc vrbem veni, nihil mihi fuit antiquius; quàm vt tuo deſiderio ſatisfacerem, & fidem meam liberarem. nam mihi quidem ipſe in iſtiuſmodi exornandis ingeniis nunquam ſatisfacio. Minimè autem vereor, ne quod illi auctor fuerim, vt hunc libellum ederet, vel exiſtimationi noſtræ, vel illius pudori ſatis caviſſe videar. Imò verò

confido

confido fore, vt quicunque re ipſa ſenſerunt, quantoperè ad plenam hiſtoriæ Romanæ cognitionem iuuer illuſtrium familiarum ſtemmata in promtu habere, plurimùm ſeſe mihi hoc nomine debere profiteantur. Exteris autem illis (ſcis quos intelligam) certè non deerunt qui hæc requirant, de quibus non dubito, quin amplius queri poſſit, & ipſi quæſiuiſſemus ſi vna fuiſſemus. verum, vt ſpero, multo plura hic inuenient, quæ pro ſuo candore maximè commendabunt. Vale.

SERENISSIMO PRINCIPI
MAXIMILIANO, REGI BOHEMIÆ, Archiduci Auſtriæ: In Comment. de verb. iuris

PRÆFATIO. XI.

MAGNIFICA profectò, Maximiliane Rex ſereniſſime, & præclara quædam res eſt iuris ciuilis cognitio: quæ cùm in Republica benè ac feliciter conſtituenda principem locum obtinet, tùm verò ſui ſtudioſos magno ſæpè in honoris ac dignitatis gradu locare conſueuit. Itaque non minus multos qui Romanis iuris diſciplinam magna cum gloria ac ſplendore profeſſi ſunt, quā qui in Græcia philoſophiæ ſtudia coluerunt, numerare poſſumus: ſiquidem à Sex. Papirio, qui Tarquinij Superbi tēpore vixiſſe traditur, ad Pōponiū & Modeſtinū, qui Alexandro Cæſare imperante floruere, ac propè poſtremi numerātur, amplius ducenti quinquaginta Iuriſconſulti recenſentur qui Iuris diſciplinam per annos amplius ſeptingentos magna in hominum admiratione ac dignitate retinuerunt: cùm Græci Philoſophi, qui quidem aliquo in numero fuerint, vix centum, iíque paruo temporis ſpacio memorentur. Veruntamen, vt omnium aliarum artium (quemadmodum Maieſtati tuæ notum eſt) ſic etiam huius noſtræ iuris ciuilis diſciplinæ ſplendor omnis, patrum noſtrorum memoria, barbarie longe latéque dominante, deletus eſt. Nam, vt indignum Iuſtiniani facinus, quod ſine lacrymis commemorari vix poteſt, ſilentio prætercam, cùm illius diſciplinæ, libri & ad Reipub. Romanæ rationem adcommodati, & Romano ſermone ſcripti fuiſſent, conſtat eos, qui Romanam hiſtoriam ne primoribus quidem labris, vt dici ſolet degūſtarant, & Latinis litteris malè tincti, ad illius ſe ſtudium, quaſi manibus & pedibus, vt ita dicam, illotis, conferebant, nequaquā ſatis feliciter in ea verſari potuiſſe. Verum hac ætate noſtra, qua Dei opt. max. benignitate bonæ artes omnes ab interitu vindicantur, non nulli exſtiterunt liberaliter eruditi homines, qui pro ſua virili parte vtrique illi malo remedium adhibere conati ſunt: in quibus, ſi Germaniam veſtram ſpectemus, Vdalricus Zaſius principem facilè locum obtinuiſſe meritò creditur: qui cùm reipub. Romanæ hiſtoriam, quatenus ad ius ciuile pertinebat, diligentiſſimè tradidit, tū verba iuris, quoties res poſtulabat, accuratè, & ſubtiliter interpretatus eſt. Cùm enim, auctore Fabio, non exigua pars Iuriſconſultorū muneris in vi ac proprietate verborum explicanda poſita ſit, tum verò, vt idem alibi teſtatur, fuere ſemper illi verborum proprietatis obſeruandæ animaduertendæque ſtudioſiſſimi. quippe cùm ex verbulo vno malè obſcuréue poſito, magnæ plerunque lites iurgiáque oriantur: & quemadmodum ille idem ſcribit, ſi quando vno in verbo erratum eſſet, lis tota perdebatur. qua de cauſſa tam multos veterum iuriſconſultorum videmus in verborum explicatione ſuſceptos labores: & C. Ælij Galli libros data opera De verborum, quę ad eius pertinet, ſignificatione, & conſcriptos & inſcriptos

Digitized by Google

fuiſſe legimus. Quòd ſi vlla vnquam ætate genus illud ſcriptionis magnas ſtudioſis opportunitates attulit, hoc certè tempore non modò fructuoſum, verum etiam magnoperè neceſſarium eſſe nemo non videt. Cùm ſatis conſtet, pleroſque illorum, qui ſe ad ius noſtrum ciuile perdiſcendum conferunt, & qui, cùm hunc meum de verbis iuris inſcriptum Commentarium adſpicient, verba me pro farina (vt in veteri prouerbio eſt) adſerre clamitabunt, Latini propè ſermonis imperitos eſſe: magnámque ineptarum interpretationum partem, quæ non modò ſuperioribus, verũ etiam noſtris hiſce temporibus ad libros Pandectarum & Codicis adhibitæ ſunt, ex hac linguæ Latinæ ignoratione, tanquam ex fonte, fluxiſſe. Quòd cùm mihi iam pridem indignum ac miſerum videretur, facturum me rem ſtudioſis vtilem liberali certè præditis ingenio adoleſcentibus gratam atque iucundam exiſtimaui, ſi verba iuris obſcuriora vnum in librum coaceruata, literarum ordine diſponerem, ſimúlq; breuem cuiuſque interpretationem adiungerem. Quem meum laborem cùm amici mei complures, homines eruditiſſimi, comprobaſſent, & ſcholis noſtris non inutilem confirmarent: feci non inuitus, iis præſertim rogantibus, vt opus hoc cuicuimodi eſſe poſſet, Typographo traditum in lucem conſpectúmque hominum perueniret, idque eo lubentius, quia non pauca ex Antiquitatibus Romanis ad iuris intelligentiam maximè pertinentia, quæ ſuperioribus annis obſeruaram, paſſim, vt res poſtulare videbatur, illum in librum conieceri.

Cùm autem huius mei in ius Ciuile ſtudij patronum aliquem mihi adſciſcendum eſſe intelligerem, cuius auſpiciis ac præſidio inſtitutum hunc curſum abſoluerem: cepi Rex sereniſſime, de amicorum ſententia conſilium iſtud quidquid eſt maieſtati tuæ dicare, adductus etiam auctoritate ampliſſimi ſpectatiſſimíque viri, omníque virtute ornatiſſimi, Ioannis Karlingi, Cæſareæ maieſtatis Conſiliarij, cuius Sororius Richardus Streinnius, magnæ ſpei adoleſcens, generoſiſſimi Baronis filius, qui mecum propè iam bienuium vixit, à me ſæpe, vt tale aliquid auderem, contenderat. Eò magis quòd ex illuſtriſſimo Sileſiæ tuæ ducatu me oriundum intellexiſſet: vnde auus meus ex ea familia prognatus, cuius etiam nunc Vratiſlauiæ ornamenta ſuperſunt non minima, centum plus minus ab hinc annos Lutetiam Pariſiorum profectus, Otmannorum coloniam (vt ita loquar) eò deduxit. Nunc verò cùm in hoc naufragio meo, iis tempeſtatibus ac fluctibus eiectus, quibus vniuerſus propè terrarum orbis iactatur, iis locis mea ſponte ac voluntate caream, à quibus ſemper animo æquiſſimo, quamdiu boni mores exſulabunt; abero lubenter, ad antiquæ meæ patriæ Principem ac tutorem, tamquam ad portum confugio, & quaſi poſtliminio reuertor: cùm præſertim is tu ſis, cuius in pietate, iuſtitia, manſuetudine, ſapientia ſpes bonorum propè virorum omnium, ſecundum Deum, poſitæ ſunt: qui in iſto concuſſi orbis motu, ſolus ad benè de Chriſtiana republica conſtituenda ſperandum quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti: qui & litteratorum hominum, quorum quidem ſtudia cum pietate coniuncta eſſent, & litterarum ipſarum patrocinium ſuſcepiſti, vt omninò præclarè mecum hoc tempore actum exiſtimem, cui hæc meæ ergà maieſtatem tuam obſeruantiæ ac pietatis teſtificandæ opportunitas oblata ſit. Erit igitur, Maximiliane Princeps optime, benignitatis tuæ ſingularis, quæ ſemper in iſta Maieſtate ſumma tanquam ſidus aliquod clariſſimum ac ſplendidiſſimum enituit, munuſculum hoc, quantulumcunque, id eſt, æquo animo, bonáque cum venia tibi à me oblatum accipere, & litterarum ſtudia fauore ac beneuolentia tua ſingulari, quemadmodum ſemper vſque adhuc feciſti, perpetuò complecti. Deus opt. Max. Maieſtatem tuam quàm diutiſſimè incolumem ſeruet. Argen. XV. Kal. Septembr. MDLVIII.

MAGNI-

MAGNIF. VIRO, THOMÆ VVROTHO, Anglo;equiti aurato,in tit.de action.

ALTERA PRÆFATIO. XII.

DECEM,vt opinor,iam anni ſunt,ampliſſime Wrothe,ex quo tractatũ Inſtitutionum iuris De actionibus , omnium facilè tum vberrimum, tum etiam obſcuriſſimum , interpretatione quadam mea explicaré ſum conatus. Hoc ſtudium meum ita vulgo probatum eſſe animaduerti,vt libellus noſter non modo in ſtudioſorum adoleſcentium ma manibus verſaretur , verùm etiam à quibuſdam doctoribus & publicis iuris interpretibus,ſic ediſceretur,vt cum poſtea tractatum eundem publico ſcripto explicare inſtituerent,non modo ſententiam omnem meam , ſed etiam verſus complures continuos,interdum paginas dimidiatas pro ſuis imprudentes exſcriberent. Cuius ſane rei me ſuperiore anno ſuppuduit : cum illas nugas à me pene puero Lutetiæ ſcriptas,tanti etiam à ſenibus , & in ſcholarum complurium ſuggeſtis magna cum ſua laude & gloria verſatis,fieri animaduerterem : quas(ita mihi Deus ſit propitius) vt eum adſpiciebam,ſempiterna obliuione deleri cupiiſſem. Itaque cùm iuris inſtitutiones nuper explanarem , & ad eum locum perductus eſſem, omni ſtudio mihi enitendum putaui,vt ſi quid hoc decem annorum adſiduo & improbo labore, tum in reipublicæ Romanæ,tum in iuris ciuilis cognitione conſecutus eſſem , id in hoc eodem capite iterum explicando demonſtrarem:cum præſertim inter omnes conſtet,nullum toto iure ciuili,vel vtilitate rerum vberius,vel antiquitate formularum obſcurius,vel varietate diſputationum copioſius exſiſtere. Nunc ecquid in me vetus illud verbum valuerit,quo poſteriores cogitationes ſapientiores eſſe dicuntur, & magiſter prioris poſterior dies , eruditi viri pro ſua prudentia iudicabunt. Tibi quidem clariſſime Wrothe libellum hunc inſcribere, donóque mittere ſtatui : partim vt ornamenti aliquid ex nominis tui ſplendore meis hiſce tenuibus & ſcholaſticis ſcriptiunculis accederet : partim vt me de amplitudine tua perpetuo cogitare intelligeres : quem cum amicitia & beneuolentia quadam ſingulari complexus eſſe videare, feres vt ſpero non grauate,aliquam meæ erga te & obſeruantiæ & pietatis publicè teſtificationem exſtare. Vir ampliſſime,vale & ſalue,méque qua ſemel cœpiſti beneuolentia proſequi ne deſine. Antonium Cokum ſpectatiſſimum & grauiſſimum virum:itémque Chriſtophorum Pernam excellenti virtute & doctrina præditum hominem meis verbis quàm honorificentiſſimè ſaluta. Argentorati. X.Cal.Feb.MDLIX.

FRANCISCO RVSSELIO, ILLVSTRI Bedfordiæ Comiti; in Iuriſconſultoſſum

PRÆFATIO. XIII.

QVIT olim,FRANCISCE RVSSELLI Comes illuſtriſſ. prouerbium hoc tota Græcia celeberrimum , maximéque vſurpatum:Spartam nactus es,hanc ornato.cuius origo, vt opinio mea fert,ab ipſis Spartiatis ciuibus nata eſt , ſeſe inter ſe ad ciuitatis ſuæ dignitatem pro virili amplificandam , communi iſta & populari voce cohortantibus. Pòſt verò ita celebrata hæc eadem vox eſt,vt ad quaſuis honeſtas & probatas functiones ſocom-

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
AVGVSTO ELECTORI SAXONIÆ
Duci: In Comment. Inſtit.

PRÆFATIO. XIV.

IN diuulgandis hiſce Commentariis meis, Electot AVGVSTE, tui nominis auguſtum auſpicium appellare conſtitui: motus cùm felicitate patríſque & familiæ veſtræ, cùm tuæ vitæ inſtituto. Duas enim artes in Repub. curanda, & impetio gerendo, nos qui Iuriſconſulti víderi & appellari volumus, præ cæteris maximè probamus: vnam armorum, rei militaris ſcientiam: pacis alteram, iuris legúmque doctrinam. Sed alterius propter neceſſaria tempora neceſſitatem faremur & agnoſcimus: alterius verò propter vitæ tranquillitatem, & omnium hominum ocium optamos, & amplectimur. Nam quoniam pacis cauſſa, vt eam retineamus, arma ſumuntur: & vt ad eandem teuertamur, eadem arma deponuntur: pacem bello anteponi, & iuris legúmque doctrinam quàm armorum peritiam optabiliorem ducimus. & quamquam hæ duæ virtutes inter ſe ita diſtinctæ ſunt, tamen omnis dux Imperatórque iuſtiſſimus, idem præclariſſimus eius haberi debet. Quæ igitur artes duæ præſtantiſſimę ſunt in getendis imperiis, earum altera domus veſt. a ſuperioribus annis ptoximis floruit: altera adhuc floret, & eſt beatiot. Ea enim Electoris Mauritij fratris ad belli laudem natura, is armorum vſus, ea rerum geſtarum gloria fuit, vt ei ad perfectionem harum rerum nihil defuiſſe amicis videatur, idemque dicatur ab omnibus hominibus. Bella geſſit duo maxima: vnum pro ſocero, alterum pto ſuis & pro ſe: ſed tamen vtrumque ita ſuſcepit, ita adminiſtrauit, ita confecit, vt ſoceri cauſſam cum reipublicæ & Imperij vtilitate coniunxerit: & pro ſe ita pugnauit prælio Marchionico, vt magnum aliquid pro ſe & pro ſuis ſuſcepiſſe videretur. Et prioris quidem belli exitus lætiſſimus fuit, & illius claræ atque perpetuæ commoditates, pacis atque libertatis, alterius verò vtilitates quidem obſcuræ multis, ſed non ignoratæ prudentibus. quod prælium tametſi finem vitæ ei attulit, idem tamen immortalis gloriæ dedit principium. Non enim poteſt non & eſſe & haberi imperator glorioſus, qui & prudentiſſimè atque iuſtiſſimè bella ſuſcipit, & eadem getit fortiſſimè: & has virtutes tres, prudentiæ, iuſtitiæ, fortitudinis, deuotione vitæ comprobat. Ergò quæ in domo tantus imperator extitit, ſub illius patrocinio, tanquam clypeo, hic meus Commentarius veluti miles emiſſis omnibus telis, poterit & ab aduerſariorum calumniis defendi, & in improborum inuidia deliteſcere, & in bonorum æquo iudicio conquieſcere. Sed de Mauritio Electore & ſuauiſſimo fratre tuo, ptinceps Auguſte, patieris me non tam multa dicere, quàm illius virtutes réſque geſtæ deſiderant: ſed quantum meus pudor in hoc meo mediocri Latinæ linguæ vſu ſinit, atque concedit. Audio Baronem Hedeccanum præfectum illius militarem, nobiliſſimum hominem, & fortiſſimum virum, in ſermonibus Mauritium Electorem Alexando Magno comparaſſe, in nonnullis etiam ante poſuiſſe: & credo vtrumque verum eſſe, & Hedeccanum locutum verè: ſed hanc ego explicationem Hiſtoricis & Rhetoribus relinquo: quorum vtrique poſſunt, quantum animis cogitant, tantum oratione explicare. neſcio tamen an tantum animo queant conſequi, quantum natura, vel potius naturę parens Deus in Mauritij fratris animo recondidit. Quas enim res geſſerit, & quam pręclaras, fortaſſis poterunt demonſtrare: quàm longè autem illius mens proſpexerit, & quæ

eiuſmodique conſilia in hoc ſpacio collocarit, omnia illa vnà cum ipſo occubuiſſe arbitror. Felices igitur parentes, quibus huiuſmodi filius extitit: & glorioſa domus, in qua eiuſcemodi nepos: & beatus tu, Auguſte Elector, qui & fraternæ virtutis fuiſti & es particeps: & cui diuinitus datum eſt, vt meliorem rationem ſequi liceat, & pacis atque ocij artes colere. Non enim ego Mauritium fratrē laudans, nego eſſe in te ſimilē rei militaris ſcientiam atque virtutem. Feciſti enim aliquando eadē ſtipendia, iiſdemque ducibus quibus frater: & omnibus bellis atque prælijs interfuiſti. & in hac pace quæ partim adiutore te conſtituta eſt, partim te auctore colitur, oſtendis, pacem quidem conſtantiſſimè retinendam eſſe: parata tamen habere ſemper arma contra inimicorum iniurias. ita pacem colis, vt omnibus his carus: ita te contra vim inſtruis, vt neminem offendas: ita fratrem imitaris, vt illi bellorum quidem laudes concedas libenter, pacis tamen tempora militiæ temporibus anteponas. Itaque glorioſus certè frater, ſed etiam tua eſt laus, tuus honos, tua gloria ingens. Nam ſi Rerumpublicarum fortuna ex principis ſui fortuna maximè æſtimanda eſt: & ea demum beata eſt ciuitas, in qua connubia caſtitate, religio veritate, omnes ciues pace reguntur: & neceſſe eſt tuum populum, cuius princeps in matrimonio caſtiſſimus, idemque religionis ac pacis ſtudioſiſſimus eſt, & fortunatum eſſe, & proſperum, & beatum. Atque hæc altera cauſſa eſt, quamobrem hiſce meis Commētariis veſtram domum delegerim, & in veſtri patrocinij clientelis annumerari cupiam: idq. eo magis, quod vitæ tuæ inſtitutum, & hęc pax qua frueris, quæque tibi omnibus diuitiis carior eſt; noſtræ vitæ eſt conuenientiſſimum, & congruentiſſimum legibus. Silent enim leges inter arma: & vt poetæ fingunt Muſas non in prælijs verſari, ſed prælia canere, in illiſque explicandis Muſarum auſpiciis vtuntur: ſic etiam leges noſtræ bella componere, quàm mouere malunt: & tametſi dant aliquando iuſtas belligerandi cauſſas, tamen plus primùm in bello aduertendo, deinde cum illud auertere non poſſunt, in eodem deponendo operæ collocant. Huic iuriſconſultorum rationi video tuæ inſtitutæ vitæ, tuæque ſapientię rationem congruere. Nam ad deterrendos inimicos, & ad belli tempus inſtructiſſimus es ab omnibus belli neruis, pecuniæ, inſtrumentis, machinis, præfectis, militibus, omnique belli apparatu: ad conſilium vero capiendum, & ad pacis tempus, remque publicam gerendam, florens habes & firmum conſilij præſidium prudentiſſimorum hominum, quos partim ex fratris diſciplina reliquos retinuiſti, partim nouos addidiſti. Quamobrem tibi hos meos Commentarios dedico: vt & pacis tempore in amicorum negociis fructuoſi mortalibus ſint, & tui ciues aliquid habeant à me ſi non vtilitatis, tamen ſignificationis mei ſtudij & beneuolentiæ. In primis tamen probari eos cupio tui cōſilij cancellis, hoc eſt ſapientiſſimis & maximis viris: quorum patrocinio ſi nitantur, non dubito quin etiam duabus tuis Academiis Wittebergæ & Lipſiæ placituri ſint: neque dedecoraturi noſtram Stoam, quæ libenter illis magnis & eloquentibus gymnaſiis ancilla & adminiſtra eſt. Sed vt de iis non plura ſcribam quàm neceſſarium ſit, finem faciam huic epiſtolæ: & Deum optimum maximum precabor, vt huic tuo pacis ſtudio conſentaneos exitus largiatur, vitámq; tranquillam Celſitudini tuæ impertiat: qua & literæ ſuum ocium retineant, religióque floreat; & plus tu gloriæ ex pacis atque iuſtitiæ cultu conſequaris, quàm cæteri ex belli ac militiæ ſtudiis adſequuntur.

Argentorati Idib. Feb.

M D L X.

ILLVS-

ILLVSTRIS. PRINCIPI D. WILHELMO Landtgrauio Haſſiæ: In Partitiones Iuris,

PRÆFATIO. XV.

BOna exiſtimatio præclara quædam res eſt, Vvilhelme Princeps illuſtriſſime, cum apud omnes mortales, tum verò vel maximè apud Principes viros: ſed inprimis, ſi qui ſunt, quorum virtutes eximiæ laudem, & gloriam apud bonos & ſapientes adeptæ ſunt. Itaque pręclatè mecum actum, fortunatúmque me eſſe iudico, quòd immortali beneficio Dei optim. maxim. bona exiſtimatio mihi apud te quæſita ſit: Principem non tantùm generis & familiæ dignitate, verumetiam omni virtutum genere inter optimos & ſapientiſſimos quoſque præcellentem. Cùm enim me ad Marpurgenſis academię tuę celeberrimæ ſuggeſtum tam benignè ac liberaliter iterum iam inuites, cuiuſmodi Celſitudinis tuæ iudicium ſit de me, facilè perſpicio: mihíque & gaudeo & gratulor, cùm meos in hac ſtudiorum aſſiduitate per tot iam annos exantlatos labores, non prorſus inanes atque infructuoſos eſſe animaduerto. Nam mihi quidem, fructus homini ſtudioſo videtur, eſſe vel iucundiſſimus, videre ſuam induſtriam tanto Principi gratam & acceptam eſſe. Quapropter cùm ingrati animi eſſe putarem tantum ab illuſt. C.T. acceptum beneficium ſilere, ſtatui hoc munuſculum ex bibliotheca mea depromtum tibi offerre: teſtimonium ac monimentum mei erga te perpetuæ ac ſingularis obſeruantiæ: quam vt ſpero, omnib. in reb. tibi deditam ac paratam cognoſci. Bene vale Princeps illuſt. Deus C. T. pro ſua ſingulari beneuolentia perpetuò gubernet. Argentor. V. Kal. April. M D L X.

AMPLISS. VIRO, VLRICO MORDISEN Iuriſconſulto Illuſtriſſ. Electoris Auguſti conſiliario, In primum librum Obſeruat.

PRÆFATIO. XVI.

SPERABAM, vir ampliſſime, cùm ſuperioribus dieb. meos in Inſtitutiones commentarios illuſtriſſimo electori Auguſto mitterem, fore vt illi primum hunc Obſeruationum mearum libellum comitem ſibi haberent: quem iam tum tibi inſcribere, ac dicare conſtitueram. Cupiebam enim animum ac ſtudium meum non tantùm erga Principem potentiſſimum atque optimum illa inſcriptione ac præfatione mea teſtari, verumetiam erga te: quem & electoris Mauritij fortiſſimi Ducis Neſtorem fuiſſe; & huius illuſtriſſimi ac ſapientiſſimi Principis fratris ſui ſummum conſiliarium eſſe intellexeram. Verum hoc conſilium meum typographi occupationes propter nundinarum interuentum, interturbarunt: qui nunc operam egregiam in hoc meo munuſculo quod tibi paraui, exornando adhibuit. Itaque quod antea facere non potui, nunc tandem ſignificationem hanc meæ erga te obſeruantiæ tibi mitto, varias quaſdam meas diſputationes nonnullis de rebus, partim ad iuris ciuilis partim ad antiquitatum Romanarum cognitionem pertinentibus. Cùm enim vtroque in hoc ſtudio floreas, & tantum tibi bonæ artes dignitatis ac ſplendoris in hac veſtra Germania pepererint,

quantum, vt opinor, pauciſſimis ſpero te, quæ eſt tua humanitas, hæc miſcellanea ſcripta, quib. vti literati viti ſæpenumero coguntur, non neglecturum. nam etſi indigna eſſe certò ſcio, quæ ab eruditis tuis oculis legantur: tamen hos literatorum hominum in bonis artib. excolendis ſtudioſos conatus tibi placere audio: & vt hi noſtri non diſpliceant, fore confido. quod ſi accidat, & animum mihi ad reliquas Obſeruationes conſcribendas abs te datum interpretabor: & gratiam meis laboribus, quos tantus vir non improbarit, optimè relatam exiſtimabo. Vale Argentorati, decimo Kal. Iunij. M D L X.

ANTONIO HOTMANO FRATRI IN Elementa Antiquitatum Ro.

XVII.

PRÆFATIO.

OPeræprecium eſſe arbittor, tibi frater optime, ſcriptionis huiuſce meæ, conſiliique rationem omnem breuiter aperire: quod cum editione ſuperiore facere prætermiſiſſem, ſenſi meam mihi fraudi negligentiam fuiſſe. Cùm duobus ab hinc annis, poſt argumenta in ſingulas Pandectarum & Codicis leges abſolura, magnum & laborioſum opus De verborum quæ ad ius pertinent ſignificatione, ſcribere ioſtituiſſem, & quæ ad illud inſtitutum meum pertinerent, vndiq; apud Græcos & Latinos ſctiprores ſtudioſe conquirerent, non incommodè me facturum putaui, ſi legum quoq; Romanarum nomina, & breuem aliquam ſinificationem earum quas vel iubebant, vel vetabant, co ordine quem in opere vniuerſo ſequebar, colligerem: vt ea ſuum in locum, hoc eſt, ſub literam l referrentur. Quod idem & in ſenatuſconſultis, & in magiſtratibus, & in Iuriſconſultis factum ſtudioſi adoleſcentes breui, vt ſpero, cognoſcent. In hoc autem negocio quid officij mei fuerit, facile, vt opinor, quiuis intelligit ſummam ſcilicet cuiuſque rei leuiter attingere, & digitos, vt dici ſolet, ad fontes, hoc eſt ad auctores ipſos vnde planius intelligi cuncta poſſent, intendere. Ecce autem dum huic operi imcumbo mihi literæ à Paulo Manutio adferuntur: viro non modo eruditione admirabili, ſed etiam ingenio planè ſingulari prędito, in quibus, quemadmodum conſuetudo noſtra fert, propter eius erga me beneuolentiam, meúmque erga ipſum ſtudium inſtituta, mihi cùm de præſtantiſſimis aliis ſuis conſiliis, tum etiam de libro de legibus propediem edendo, ſcribebat. Qua re cognita, anceps me, iis de cauſis quas quiuis ſuapte ſponte intelligit, cogitatio ſuſpenſum incertumq́; tenuit: dum amicitiæ noſtræ nihil magis conſentaneum eſſe ſtatui, quàm humaniter ei dubitationem meam aperire, vt ſi ei videretur, ſcriptum illud meum extinguerem, neque vnquam in manus hominum peruenire ſinerem. Reſpondet ille pro ſua ſingulari humanitate comiter, ſibi non modò non ingratum, ſed etiam iucundiſſimum fore, ſi liber ederetur. multáque in hanc ſententiam, quæ non tam ex iudicio, quàm beneuolentia profecta eſſe facilè intelligebam. Ita liber typographo miſſus, feſtinanter, inſtanre nimirum Francfotdienſi mercatu, impreſſus, eóque deportatus, præſtantiſſimum Pauli Manutij & inſigne opus, iiſdem in comitiis honores iam omnes ſic adſecutum offendit, vt huic tamen noſtro gratiæ nonnihil relinqueret. Sic enim à pleriſque exceptus eſt, vt nulla propemodum exempla in alterum mercatum typographo ſupereſſent, nonnulliſque de illo imprimendo librarioli conſilium inirent. Qua de cauſſa faciendum iam putaui, vt alteram eiuſdem libri editionem his nundinis adornarem: quam tum ex diuturniore veterum auctorum obſeruatione, tum verò ex Manutiani libri lectione iucundiſſima meliorem aliquanto fore mihi quidem perſuadeo. rametſi ſi quid adhuc in ea deſiderabitur (multa autem eiuſmodi fore, non mediocriter pertimeſco) peto ab æquis lectoribus peto item abs te, mi frater,

ptimum

primum vt inſtituti mei quod ſuperius expoſui, conſiliique rationem meminerint: deinde vt cogitent vel me inuito atque ignorante ſuperiorem editionem renouari à quibuſdam typographis potuiſſe: illud quoque petere non verebor, vt aliqua huiuſce culpæ pars occupationibus iis tribuatur, quibus in multo maioribus, &c, vt ſpero, melioribus libris edendis dies iam & noctes diſtineor. Vale frater optime, & ſalue.

TIPOGRAPHI AD ADOLESCENTES IVRIS Studioſos in eadem Elementa,

PRÆFATIO. XVIII

SATIS conſtat ius ciuile veſtrum Romanorum eſſe, non Athenienſium, aut Carthaginienſium, aut Lacædemoniorum optimi & humaniſſ. adoleſcentes. quapropter qui in Reip. Ro. cognitione bene verſati ſunt, ij tanto faciliorem ad iuris veſtri prudentiam aditum habent, quanto Germanus facilius Italo, Cor. Taciti de morib. Germanorum libellum: aut Italus facilius Germano Italici belli hiſtoriam à Plutarcho vel Appiano deſcriptam intelliget. non enim totum ius veſtrum in philoſophando & acutè diſputando poſitum eſt: veluti de iure ſui, de iure accreſcendi, de toto & partibus, de diuiduo & indiuiduo: ſed maxima & potiſſima eius pars in Reip. R. practica, vt nunc loquitur, id eſt vſu forenſi verſatur: veluti de Prætorum iuriſdictione, aut Proconſulum ac Præſidum prouinciæ. Quotuſquiſque locus in Pandectis reperietur, in quo nō illius fiat mentio? Itaque Ciceronis, Liuij, Plutarchi, aliorúmque lectionem magnoperè ad iuris veſtri cognitionem prodeſſe, nemo niſi planè imperitus, non intelligit. Quod ſi contenti eſſe hoc tempore poſſe mus noſtræ quiſque ciuitatis ac patriæ inſtitutis, ridiculam ſanè operam in Pandectis veſtris cognoſcendis operam poneretis. Sed quoniam diſputatis, eſſe aliquid à Ro. Iuriſconſultis ita ſubtiliter & acutè excogitatum, vt in hominum noſtrorum ingenia cadere tanta ſubtilitas non poſſit: propterea in illorum libris peruoluendis ac pernoſcendis dies noctéſque conſumitis, quos tamen labores quàm inanitet maxima pars hominum ſuperiorib. ſeculis exantlarit, non difficile dictu eſt. Cauſſam autem illius (vt prætores veſtri loquebantur) nequitiæ, hoc eſt impendij fruſtrà & inutiliter conſumti, quæ iudicio bono prædití ſunt ignorantię Romanarũ antiquitatũ attribuunt. Quo cùm ita ſint, erit humanitatis veſtræ adoleſcentes optimi, conſilium noſtrum boni conſulere, qui ſtudiorum veſtrorum vtilitati inſeruientes, hunc in locum nonnulla quæ ad Reip. R. cognitionem pertinebant, coniecimus. Valete adoleſcentes humaniſſimi, & bonis conſiliis, dum ætas veſtra fert, obtemperate. Deus ſtudia veſtra gubernet.

AD SERENISSIMVM Romanorum Regem MAXIMILIANVM, Imperatorem deſignatum: altera in Commentarium de verbis Iuris

XIX.

PRÆFATIO.

ANNVS iam agitur quintus, Maximiliane potentiſſime, ex quo noſtrum hunc de verbis Iuris commentarium Maieſtati tuæ dicauimus: munus haudquaquam illi præſtanti ac ſummæ dignitati tuæ conſentaneum: quandoquidem neque quidquam diſputatione, quę de verbis inſtituitur, exilius; neque regali celſitudine quidquam inter homines auguſtius habetur. Vicit tamen hanc ſiue ruſticitatem meam, ſiue muneris inconuenientiam, illa, quæ ſemper inter clariſſimas virtutes tuas tanquam ſydus eluxit, naturæ tuæ benignitas, & comitas: & Maieſtate tua tantiſper in excelſo illo ſolio faſtigióque ſuo relicta, ſeſe ad infimi hominis acceſſionem demiſit. Munuſculum enim quamuis tenue, ab homine & tenui non bene noto tibi oblatum, benigna mente animóque beneuolo accepiſti. Præclara profecto, & tanto virtus digniſſima Principe: quæ Maieſtatem Regiam ſupra vulgatem hominum condicionem quodammodo locatam, etiam ad infimorum hominum acceſſionem traducit: vt cùm dignitate inter primos ſummus exſiſtas, comitate tamen & facilitate nihilo ſuperior infimis eſſe videaris. Habes igitur, eam, quæ difficillima putatur, grauitatis cum comitate; maieſtatis cum humanitate, ſocietatem; quibus tamen duabus rebus nihil diſiunctius, nihil remotius, ſummi ſemper philoſophi iudicarunt. Quo minus mirandum, (vt ſpero) videbitur, quod iterum iam ad te, cum eodem hoc munere aliquantum à me reconcinnato, ac tamquam interpollato accedere audeam. tametſi proximo ſuperiore anno longe maxima ad priſtinam illam dignitatem tuam acceſſio facta ſit: cum incredibili totius Germanię ſtudio, fauente Deo: cunctis hominibus plaudentibus, vnus è Septemuirorum principum collegio iudicatus es digniſſimus, ad quem Romanorum regnum, Germanicique imperij ſpes deferretur; cùm inquam, vnus tu ex omnibus, ſumma Principum ordinumque omnium voluntate, coniunctis ſententiis, concordibus ſuffragiis delectus es, ad quem ea dignitas deferretur: qua nulla maior hominum generi à Deo tributa eſt: vt Romanorum regno, quo nunquam vllum maius, nullum potentius exſtitit, auctus atque ornatus: tot tantiſque principibus ac ſatrapis, tot ciuitatibus, populis ac gentibus imperares. Summa plane hæc dignitas atque amplitudo eſt, ad quam merita te tua, & eximiæ in omni virtutum genere laudes extulerunt. nam, vt mea paulliſper hunc nacta campum euagetur oratio, & cætera regna, quæ quondam florentiſſima fuerunt, cum hoc tuo conferam: ecquod nam vnquam vel opum magnitudine, vel amplitudine regionum, vel militum virtute ac diſciplina, vel rerum terra marique geſtarum gloria, cum hoc tuo comparandum fuit? Etenim, vt ab eo quod omnium antiquiſſimum numeratur, quodque à Nimrotho & Belo duxiſſe originem traditur, initium ſumamus: fuit quidem Aſſyriórum regnum opibus florens: copiis locuples, gloria amplum, imperij autem longinquitate ſanè diuturnum: ſiquidem ad annos mille trecentos ſub regibus octo & triginta permanſit. Verumtamen Aſiæ maioris finibus circumſcriptum, & ab hominibus effeminatis ac mollibus, luxúque diffluentibus habitum, ecquid tandem habuit, quod cum poſtremo hoc valido & robuſto & (vt verè vates ſanctus Daniel nominauit) ferreo, comparari poſſit? quod & ad annorum iam duo millia trecentos conſtat, & eoſdem quos orbis ter-

bis terrarum terminos, eaſdem, inquam, quas ſolis curſus regiones fineſque habuit: muliebrémque iſtam Aſiam paucis prælijs paucorum annorum ſpacio fractam ac domitam, parere imperio ſuo coegit. Secuta eſt Medorum Monarchia. quid ſimile? cum illa & ad trecentos duntaxat annos ſub Regibus nouem durarit, nec ferè anguſtis Mediæ ſuæ finibus exceſſerit. Huic Perſarum dominatus ſucceſſit, qui Ægypto ad antiquam ſuam adiuncta ditionem, annos non amplius ducentos & triginta, ſub Regibus quatuordecim rerum potiti ſunt. Eorum Monarchiam Macedonum regnum excepit: quod Alexandri Magni virtute victoriiſque prope innumeris nobilitatum, neque tamen annos amplius centum quinquaginta conſtitit: & aſſiduis ſucceſſorum diſcordiis conflictatum, varias in partes diuulſum ac diſcerptum fuit. Secutum eſt igitur ferreum illud maiorum tuorum, Maximiliane, hoc eſt Romanorum regnum: quod per annos non minus ſeptingentos aſſiduas bellorum contentiones eluctatum, tandem ita ſe longè latéque diffudit, vt ab Occidentali Oceano ad Caucaſum montem, fluuiúmque Euphratem excreuerit: à Daciæ verò & Sarmatiæ finibus in vltimam ſe vſque Africam protendens, vtrámque ſimul Æthiopiam ac Mauritaniam comprehenderit: totúmque mediterraneum mare, omnéſque quæ in eo ſunt inſulas occuparit. Quam tantam potentiam annos ferè trecētos obtinuit: quo tempore nullo magis vitio, quā ſua mole & magnitudine nimia laboraſſe creditur. Ex quo illæ barbararum gentium eruptiones, & quaſi eluuiones extiterunt, cùm Heruli, Gothi, Vandali, Landgobardi, vniuerſam Italiam occuparunt. Romanorúmque regem Auguſtulum Odouacre duce, anno à Chriſto nato CCCCLXXVI. pepulerunt, ac per annos amplius trecentos Italiam Langobardorum dominatu oppreſſam tenuerunt, vſque dum Francorum ille rex, rerum geſtarum gloria præſtantiſſimus, Carolus Magnus, anno à Salute Chriſtiana DCCC. Romanorum regnum in priſtinam dignitatem reſtituit. Quo tamen extincto, partim ſucceſſorum quorundam inertia, partim malis domeſticis, belliſque ciuilibus idem illud regnum conuulſum ac labefactatum propemodum concidit: cum Otho ille primus Saxonicæ familiæ immortale decus, annis plus minus centum interiectis extitit, qui veterem eius gloriam ac dignitatem virtute victoriáque ſua recuperauit. Ac mihi quidem in illorum malorum cauſas accuratius inquirenti, duæ potiſſimum occurrunt: quarum vna eſt, quod tot fortiſſimi principes & ſatrapæ, immenſam vnius potentiam nullis certis legibus quaſique terminis circumſcriptam, & quæ facillimè in tyrannidem degenerat, ferre detrectabant: altera, quòd cùm potentiam illam tantam hereditariam eſſe nollent, ne fortè inerti alicui parere cogerentur: tum in eo qui omnibus æquè placeret, deligendo, quamplurimum ſæpe laborabant. Huic vtrique incommodo, ſalutares duæ leges, de ordinum ſententia, conſtitutæ remedium attulerunt: quarum prior hæc fuit, vt quæ præſtantiſſima Reip. forma creditur, ea deinceps vterentur: nimirum, quæ ex tribus rectis generibus, regio, optimatum, ac populari temperata eſſet: quod optimum reip. genus eſſe, cum Cicero in ſuis de repub. libris, tum etiam Polybius lib. VI. demonſtrat. Nam cùm Imperator monarchiam ac principatum obtinebat, tum Septemuiri principes, è ſummis primi conſtituti ſunt: quorum ille tanquam optimatum auctoritate conſilióque vteretur: qui verò popularis poteſtatis ſpeciem referrent, inſtitutum eſt, vt cæteri proceres, ciuitatúmque ac populorum legati dicendę in Comitiis Imperatoriis Sententiæ ius haberent. Altera lex fuit, vt iidem Septemuiri principes eſſent, quorum fidei ac iudicio illa legendi Romanorum regis poteſtas committeretur, qua ex poteſtate vſitatum illud Electorum nomen adepti ſunt: cuius inſtituti memoriam vix ante annum à ſalute Chriſtiana DCCLX reperire poſſumus. In hoc autem præclaro ac laudabili maiorū tuorum inſtituto, cum multa prudenter ac propè diuinitus ſancita ſunt, tum verò illud præter cætera commemoratione dignum eſt: quod in tuis, Maximiliane, hoc eſt, regis Romanorum Comitiis, palam ab Electoribus illis omnibus prædicatur: Populo Chriſtiano caput eligi: quod honorificentiſſimum præconium crebrò in lege veſtra ſacrata, quam vulgo Bullum auream nominant, inculcatur. Eius autem Præconij cum per magna quædam ac diligenter animaduertenda vis eſt, tum etiam magnam te, aliquando illius rationem habiturum, omnes qui animi tui præſtantiam norunt, augurantur: neque diutius paſſurum ſperant, vt auitæ dignitatis tuæ patrimonium ab eo prędone deripiatur: à quo & regni tui ſedes antiquiſſima, tot iam ę-

tates dolo atq; inſidiis occupata eſt: & honorificũ iſtud nomen tibi à tuis maioribus traditum,ac per tot annos ab iiſdem retentũ atq; vſurpatum,per ſummã fraudẽ atq; iniuriam obtinetur. Facultates tibi ad eam rem innumeras Deus largitus eſt: incredibilem quandam ingenij magnitudinem, quę vel ex iſta ſingulari tot exterarum linguarum ſcientia perſpicitur:corporis vires eximias:ætatis integritatem ; auctoritatem tantam,quanta in his ſummis virtutibus ac laudibus eſſe debet, tot præterea præſtantiſſimorum principum ſtudia atque voluntates:tum autem iſtas Germanici roboris fortiſſimas copias: familiæ denique tuæ ſummas opes ac ditiones ampliſſimas:qua in familia patrem habes Ferdinandum, Imperatorem clementiſſimum:patruum habuiſti Carolum V.Cæſarem fortiſſimum:auum item Maximilianum , cuius tu,nomen,bonis ominibus ita geris vt dignitatem ac ſpeciem referens, eius veſtigia ſumma cum laude perſequaris: proauum porrò Federicũ:à quibus ordine omnibus non tam Romanorum ad te regni atque imperij,quam earum laudum,quæ te imperio dignum efficiunt hereditas peruenit. Hunc animum, præclarúmque inſtitutum,eo magis omnes abs te boni viri ſuſcipi cupiunt,quod neque in tanta potentia inſolentiam,neque in tanta maieſtati ſuperbiam aut faſtidiũ vllum extimeſcunt. Eſt enim,quemadmodum iam antè poſui, ſumma tua amplitudo & grauitas , cum humanitate ac manſuetudine coniuncta;atque ita diuturna conſuetudine confirmata,vt quo maiorem poſthac potentiam adſequêre,eo maiorem omnes abs te comitatem ac facilitatem exſpectent. Quam admirandam ac propè inauditam duarum diſiunctiſſimarum rerum ſocietatem, cum ego ſimul cum aliis quamplurimis ſuſpicerem,feci libertius(iam enim ad inſtitutum reuertar meum)vt tibi,noſtras haſce in iure ciuili lucubrationes,noſtrum hunc,inquam , De verbis iuris Commentarium, iterum offerrem:auguſtique nominis tui commendatione ornatum,denuò ad ſcholas noſtras,& ſtudioſorum adoleſcentum cœtus cum amplificatione aliqua & accurata recognitione remitterem. Non enim bellicæ tantum artis apparatus & inſtrumenta regibus conſentanea ſunt:neque verò rei militaris tractatio ſub regibus bonis diuturna eſſe ſolet. Pacis illis & ocij ſtudia multo magis colenda atque amplectenda ſunt:quæ ſtare ſine iuris & legum noſtrarum diſciplina nullo modo poſſunt. Id quod ſapienter ille qui annos abhinc amplius quadringentos in maiorum tuorũ ordine ſummis laudibus celebratus floruit, Imperator Lotharius Saxo, iudicauit: cum iuris noſtri libros,quorum ad aliquam noſtra hæc ſtudia illuſtrationem pertinent,perquamdiu in Apulię tenebris abiectos,ſitúque penè perditos in lucem extulit:Piſanæque vrbis ciuibus,à quibus adiutus proximo bello fuerat,in magni muneris ac beneficij loco donauit: accuratéque deſcriptos paſſim tota Germania diuulgandos diſſeminandóſque curauit. Etſi autem exigua hæc noſtra ſunt,quæ nunc ad illorũ librorũ illuſtrationẽ adferimus quippe cùm artis verba dũtaxat perſequamur,res ipſas & recondita diſciplinæ myſteria non attingamus: tum eo fortaſſe minus inutilia videri poſſunt,quod & adoleſcentium induſtriam adiuuant: quorum in ſtudiis curſus atque alacritas verborum inuſitatorum occurſu, quaſi ſcopulis, quibuſdam,offenditur:& Triboniani ſegnitiem aliqua ex parte compenſant: qui quæ de verbis iuris paſſim erant à Iuriſconſultis noſtris tradita,ita negligêter collegit,vt non opem noſtris adoleſcentibus attuliſſe,ſed crucem potius eorum ingeniis fixiſſe videatur. Sed vtilitatis quidem & adiumenti ſiquid forte huius diſciplinæ ſtudioſis attulerimus,doctiſſimorum hominum qui Maieſtatem tuam adſiduè circumſtant, exiſtimatio futura eſt : quorum malo hac de re iudicium interponi, quàm meum. Quantum autem laboris ac moleſtiæ in hoc aſpero & ſalebroſo ſcriptionis genere ſuſceperimus,nos certè nondum pœniteret;neque verò vnquam,vt ſpero, pœnitebit: ſiquidem te,ſumme rex Maximiliane,pro ea quam omnes in te admirantur,ſingulari benignitate,noſtræ huic induſtriæ fauere,&munuſcula iſta litteraria beneuolo animo accepiſſe intelligamus. Deus te,quam diutiſſime nobis incolumem ſeruet. Argentorati,XI.Cal.Sept. MDLXII.

AMPLIS-

AMPLISSIMO VIRO, MICHAELI HOSPITALIO, Franciæ Cancellario, in Comment. XII. tab.

PRÆFATIO. XX.

HAnc meam de legib. xii. tab. commentationem, multę ſunt cauſſæ cur tibi inſcribam Vir ampliſſime. Nam ſi præſtantibus dignitate viris honos habendus eſt, nulla, tota Gallia, amplitudine tua maior, nulla inter togatos illuſtrior eſt. Si legum & iuris libri ad Iuriſconſultos deferendi ſunt, tu legum in patria noſtra cuſtos, tu iuris antiſtes, tu Iuſtitiæ (vt Vlpian. noſter loquitur) ſacerdos es ſummus. Si literatis viris litteraria munera mittenda ſunt, quis ætate hac noſtra principatum in omni litterarum genere teneat, nemini ignotum eſt. Si in ſumma grauitate iucunda eſt comitas, quanta ſit in iſta dignitate tua, manſuetudo, quanta humanitas, quanta naturæ benignitas, ſenſi ego nuper, cùm mihi longo interuallo in patriam reuertenti tam amanter reditum gratulatus es. Si benè merentibus habenda eſt gratia, quis te vno plus ex vrbanis magiſtratibus omnibus, nuper in tantis rerum motibus turbulētiſque temporibus, aut prudentiæ, aut conſilij ad patriam conſeruandam attulit? quis patriæ ſaluti diligentiùs, quis regni commodis ſapientiùs conſuluit? vt iam in tantis laudibus illa meritò principatum obtinere videatur, quæ te tuis cariſſimum ciuibus reddidit, Patriæ caritas: propter quam pleriq; nunc viri boni Patriæ te parentem appellant. His igitur de cauſſis, Vir preſtantiſſime, noſtram hanc de legibus xii. tab. commentationem in tuo nomine diuulgandam putauimus. cùm ſi ſumma ſummis aptanda ſint, quemadmodum ſummum tu in Gallia ciuilem magiſtratum obtines, ſic leges hæ (quod te minimè latet) ſummè inter leges omnes quæ ab hominum ingeniis vnquam excogitatæ ſunt, excellere iudicentur. Poteris autem ex huius libelli lectione, ſi fortè tantum ab re tua tibi ocij ſuppetat, quid ex Germania mercimonij mecum ad hunc bonarum artium mercatum, Valentinam, inquam, Academiam noſtram, attulerim, cognoſcere: quídque à nobis adoleſcentes ij, qui huc tamquam ad honeſtarum artium mercaturam mittuntur, exſpectare debeant. Erit igitur humanitatis tuæ, munuſculum hoc ex bibliotheca noſtra depromtum, benigna mente, tamquam mediocre meæ in te obſeruantiæ teſtimonium, accipere. cuius obſeruantiæ ſi quando periculum facere inſtitueris, neminem ex tuis clientibus tibi vel addictiorem, vel obſequentiorem eſſe cognoſces. Vale vir ampliſſi. Valentiæ Cauarum. VI. Kal. Ian.

M. D. LXIII.

AMPLISSIMO VIRO, IOANNI MONLVCIO, EPISCOPO Et Comiti Valentino Dienſi, in Comment. legum obſcuriſſ.

XXI

PRÆFATIO.

QVID his paucis proximis menſibus in hac Academia tua hoc eſt, in his tuis Iuſtitiæ ſcholis egerim, ampliſſime Monluci, quáue in te meum hoc litteriarum ocium conſumſerim, poteris ex hoc, quem ad te miſi, libello cognoſcere: in quo earum ſex legum, quæ in libris noſtris obſcuriſſimę numerantur interpretationem poſui. Etſi enim regia te negocia, in quibus tot iam annos, magna cum laude, perpetuáque nominis tui gloria, verſatus es, magnopere occupatum ac prope diſtrictum tenent, nunquam tamen academiæ tuæ memoriam ex animo deponis: nunquam optimarum artium ac litterarum ſtudia intermittis: nunquam tantis te occupationibus obrui ſinis, vt non ad doctrinæ ſtudium, tamquam ad ſuauiſſimum ingenij tui pabulum, oculos ſæpe animúmque referas. Itaque ornarunt te quidem ampliſſimæ, honorificentiſſimæque legationes quamplurimæ, quas iampridem in Græcia, Italia, Polonia, Anglia, Scotia, Belgica, fideliſſimè ſapientiſſiméque ſummis de rebus obiiſti præcipuum autem ſplendorem doctrina tibi & eloquentia largita eſt: quæ te non modò apud gentes illas exteras, cùm in omnibus prope orbis terrarum partibus Regum noſtrorum nomine verba faceres, admirabilem reddidit: verum etiam nunc in illo Regis ſacrario, cùm inter primos regni proceres de maximis quibuſque rebus ſententiam dicis, ſummam tibi apud Regem noſtrum gratiam; apud reliquos, dignitatem, auctoritatémque peperit. Quamquam autem noſtra hæc fere tota ludicra, ac plane ſcholaſtica ſunt, & à rebus illis magnis, quas vos in tantorum munerum procurationibus geritis, longè remotiſſima: delectaberis tamen, vt ſpero, commentationibus hiſce noſtris, ex quibus cuiuſmodi Valentinæ iuuentutis tuæ ſtudia ſint, & quantopere iam ab armis & gladiis abhorreant, exiſtimare poteris. Reſtat, vt hoc abs te, vir Ampliſſime, totius Academiæ noſtræ nomine petamus, vt, quod primum ac ſummum Regis noſtri optatum eſſe confidimus, tu pro ea, qua plurimum in hoc regno potes, auctoritate perficias, vt nobis ocio iſto litterario quam diutiſſimè frui liceat. Quod ſi beneficio tuo impetrauerimus, ſpondemus fore, vt academia hæc breui tempore noſtra docendi aſſiduitate, fide & accuratiſſima diligentia, cum iis quæ celeberrimæ, florentiſſimæque numerantur, comparari poſſit. Vale vir ampliſſime, & ſalue, Deus te ſingulari ſua beneuolentia complectatur. Valentiæ Idib. Aprilis.

M.D.LXIV.

ENIMVN-

ENIMVNDVS BONEFIDIVS IVRISC.
Academiæ Valentinæ Rector, adoleſcentibus iuris ſtudioſis: in Comment. tit. Dig. de teſtam.

PRÆFATIO. XXII.

QVOD eſt in veteri prouerbio (Adoleſcentes ſtudioſi) Infortunium nunquam ſolum euenire mortalibus : id nos in academia noſtra Valentina nuper ſumus experti. Nam vix dum fere funeſto noſtro ciuili bello defuncti eramus, cùm ecce tibi peſtilentia tanta toto Delphinatu noſtro exorta eſt, vt non modò ſcholam noſtram, ſed prope etiam ciuitatem omnem abſorbuerit. Verum tamen, eſt Deo gratia, quod enim nobis in infortunio, idem contrà in proſperitate vſuuenit: vt ea nobis conduplicaretur. Poſteaquam enim Franc. Hotmanum Iuriſconſultum clariſſimum, Academiæ noſtræ inſtauratorem nacti ſumus, tum ſingulari Regis noſtri benignitate nuper factum eſt, vt eiuſdem Academiæ dos altero tanto amplificaretur: ſublato Gratianopolitano impedimento, & illius ſcholæ auctoramento nobis per ſanctioris ſenatus Regij decretum attributo. Itaque magna iam nos ſpes tenet fore, vt collegis aliquot in ſocietatem noſtram adſcitis, breui academia noſtra cum iis, quæ celeberrimæ putantur, æquari poſſit: omnibus certatim in hoc ſtudium incumbentibus. ac præſertim eodem Doctore Homano: cuius ſcholas & commentarios, quia cuiuſmodi ſint in vulgus notum eſſe, permagni intereſſe arbitror: has illius in duos obſcuriſſimos & vtiliſſ. Pandectarum tractatus diuulgandas ſcholas curauimus. vt & quod nos biennio antè de ipſo vobis polliciti eramus, cumulatè ab eo præſtitum cognoſcatis: & quid in poſterum ab ipſius induſtria exſpectandum vobis ſit, exiſtimare poſſitis. Valete adoleſcentes ſtudioſi, & viri doctiſſimi laboribus, dum vobis facultas eſt, fruimini, Valentiæ XV. Kal. Septemb.

M. D. LXV.

ILLVSTRISSIMAE PRINCIPI MARGARITÆ Franciæ, Sabaudiæ ac Biturigum Duci: In Diſputationum volumen

PRÆFATIO. XXIV.

CVM omnes tibi Franci, Margarita princeps illuſtriſſima, naturæ quodam ac patrio iure, cultum atque obſeruantiam debeant: quippe, regis Franciſci magni filiæ, Henrici ſorori, noſtri huius amitæ: tum præcipuè ſtudioſi ac litterati viri: propterea quòd ex omnibus Franciſci regis liberis, ad te potiſſimum eius elogij rediſſe videtur hereditas, quod illi gentium propè omnium conſenſu tributum fuit, vt Parens litterarum diceretur. Ita enim & litterarum doctrinam ab ineunte ætate adamaſti, vt in ea doctorum omnium iudicio excellas; & litteratos homines beneficentia tua complecteris, vt iam inter tot Heroinas, quæ toti ferè Europæ dominantur, vnica propè illorum patrona numerere. Cuius præclari ac verè heroici tui ſtudij vel argumento eſſe antehac poterat academia illa tua Biturigica: in qua ſemper eruditiſſimos quoſque viros iuris profeſſioni ac diſciplinæ præeſſe voluiſti: amitæ nimirum illius tuæ Margaritæ Franciæ, Franciſci magni ſororis & Nauarrorum Reginæ, adſectum ac benignitatem imitata: cuius hoc feliciſſimæ memoriæ ac virtuti debetur, quòd academia illa tua inter tot celeberrima Europæ gymnaſia princeps exſtitit, quæ contra barbariem ſignum tollere, eique acerrimum, atque, vt ſpero, exitiale bellum inferre auderet. Cùm autem ego & vt Francus natura, &, vt litterarum ſtudio deditus, condicione ac voto, tibi ſtudium, obſeruantiam ac pietatem debeam: tum verò hanc ob cauſſam vel maximè, quòd me tibi à Michaele Hoſpitalio Franciæ noſtræ Cancellario, hoc eſt (ſi frui nobis diuino ipſius ingenio liceret) altero Solone oblatum, in illam tuam Academiam adſciuiſti: adſcitum litteris honorificentiſſimè ad Decuriones tuos ſcriptis commendaſti. Quemadmodum autem ingenuè fateor atque agnoſco, me ab illis primo aduentu perhonorificè exceptum, menſes etiam circiter octo, quibus Celſitudini tuæ operam nauaui, perofficioſè habitum ac tractatum fuiſſe: ita ſanè negare illi non poſſunt, me qui recèns in clientelam tuam receptus, mearum rerum ac ſtudiorum omnium curſum gubernaculis tuis commiſeram, neſcio qua repentina rectorum mutatione facta, inſignè fortunarum omnium naufragium feciſſe. Sed eius audaciſſimi facinoris quod in tuis regalibus ædibus, ac palatio admiſſum, cuius tu mihi, vltrò & benignè habitationem conceſſeras, longè magis ad Celſitudinis tuæ contumeliam, quàm ad priuatam iniuriam meam pertinet, neque in ordinem Decurionum culpam confero: quoſdam enim illi furioſæ audaciæ grauiter obſtitiſſe audio, & ſcio eius rei querelam tibi ab ampliſſimo Cancellario, aliiſque primariis viris perlatam eſſe. Itaque vt hanc expoſtulationem aliud in tempus differam, cùm iis de cauſſis, quas antè expoſui, meam erga te obſeruantiam teſtificari debeam, quod olim eiectis ac naufragis moris fuit vt aliquam naufragij ſui tabulam alicui ex deorum ſuorum numero dicarent, ac ſuſpenſam conſecrarent: id mihi nunc facere in mentem venit, vt quod vnum mihi ex naufragio meo, de tot annorum exantlatis laboribus ac vigiliis, ſuperfuit lucubrationum mearum volumen, tibi dicarem, in quos locos aliquot noſtri iuris illuſtres via quadam certa ac methodo tractare ſum conatus, vt homines neſcio qui intelligerent, noſtrum hoc ſtudium neque tam a-

greſte ac barbarum eſſe, vt non arte tractari; neque tam aſperum atque horridum, vt non aliquem ferre orationis cultum poſſit. Verùm hoc quidquid eſt, quod à nobis hoc libro eſt præſtitum, magnorum Iuriſconſultorum iudicium erit, quos illuſtriſſimi Sabaudiæ Ducis tuáque munificentia iſtic in Academia veſtra Taurinenſi iuris ciuilis interpretationi præfecit. Abs te verò, domina clementiſſima, peto quæſóque, primùm vt hanc pietatis erga te meę teſtificationem benigna mente recipias deinde, vt ne me qui auctore & ſponſore ampliſſimo Cancellario fortunas omnes meas tuæ fidei commiſi, ea ſpe, quam de benignitate tua conceperam, fruſtratum eſſe patiare. Vale princeps illuſtriſſima. Aureliæ X. Kal. Aug. MDLXIſX.

NOBILITATE ET VIRTVTE, Præſtanti viro, CASPARI à SEYDLITZ: In Comment. de Feudis,

XXV. PRÆFATIO.

HANE Mihi Feudiſticæ diſputationis editionem meditanti, Caſpar à Seydlitz, vir nobiliſſime, ſæpenumerò fatum eorum librorum, qui de ciuili iure variis in gentibus ſcripti ad hæc noſtra tempora peruenerunt, admirari ſubiit. nam vt à Romanis primùm ordiamur, Cornelius Tacitus grauis auctor inprimis teſtatur, tantos ſuo tempore aliarum ſuper alias aceruatarum legum cumulos fuiſſe, vt omnem propemodum æquitatis ſplendorem ſua multitudine obruerent: cùm inter omnes conſtet, nullum prope rebuſpublicis maius exitium legum multitudine ac varietate adferri poſſe. Pòſt tragicæ quædam Proculianorum & Caſſianorum ſectæ exortæ ſunt, qui infinitis concertationúmque plenis diſputationibus annos amplius centum noſtram hanc diſciplinam ita permiſcuerunt, vt Theodoſius Imp. maximus idémque optimus, multò maximæ Iuriſconſultorum parti auctoritatem abrogarit; & ex perpaucis, quos antecellere iudicabat, qui numero vincerent, eorum in iudiciis probari ſententiam imperarit. Per eadem tempora Romani Imperatores, vel potius (ſi maximam illorum partem ſpectemus) improbiſſimi & ſceleratiſſimi tyranni exſtiterunt, quorum quiſque ius Romanum nouis edictis, placitis, decretis, conſtitutionibus, itémque ſenatuſconſultis ſuo imperio factis ad ſuum arbitrium interpolauit Iam verò Romani imperij ſede in Græciam tranſlata, quid aliud Conſtantinopolitani Imperatores, (qui non rempub. ad leges, ſed has ad illam adcommodandas eſſe intelligebant) quid aliud, inquam, agerent, niſi vt maximam Romani iuris & Latinarum formularum partem abrogarent: nouáſque ſuas leges ad ſuæ Græciæ rationem adcommodatas in Latinarum locum ſubſtituerent? Vbi ad Iuſtiniani imperium ventũ eſt, tum verò planus noſter ac verè πανοῦργος, Tribonianus exſtitit, homo facinoroſus, qui coactis aliquot operis ita legum & iuriſconſultorum libros circumcidit, ac mutilos reddidit, vt ex copia illorũ innumerabili nihil nobis præter fragmenta quædam reliquerit, nullo ordine deſcripta: ſed ita confuſè ac perturbatè diſiecta, vt quaſi Sibillæ folia eſſe videantur. Annis pòſt amplius trecentis Baſilius Macedo Imperator Conſtantinopolitanus exortus eſt, ac rurſus eo mortuo Imperator Leo Philoſophus, ipſius filius, qui Iuſtinianicis pandectis non contenti, nouas & ipſi pandectas fabricati ſunt, ſexaginta libris diſtinctas: quas alij ἑξηκοντάβιβλον, alij βασιλικῶν libros, ex Baſilij, vt opinor, nomine appellarunt: in quibus Harmenopulus profitetur, ocioſa & ſuperuacanea multa ſcripta fuiſſe: quæ verò maximè neceſſaria erant, prætermiſſa. Vtcumque autem ea ſe res habeat, Iuſtinianici libri poſt illam Baſilicorum editionem contemti, annos amplius ducentos in ſitu ac tenebris iacuerunt, vſque ad Lotharij Saxonis, Imperatoris Germanici ætatem: cùm Irnerius quidam inuentus eſt, qui Imperatori ſuo auctor fuit,

fuit,vt eos in quadam Italiæ bibliotheca repertos in lucem edi , ac paſſim deſcribi
iuberet.quo tempore ita librariorum incuria dicam,an imperitia,contaminari , ita
multis mendis,& quaſi luroſis maculis adſperſi ac fœdati ſunt , vt doctiſſimus quiſq;
noſtræ huius ætatis interpres magnam ſtudiorum ſuorum partem in iis vel eluẽdis,
vel certè ſuſpicandis,&obſeruandis,conſumere cogatur. Ad extremum autem qua-
ſi quidam infelicitatis cumulus acceſſit , ſophiſtarum ac barbarorum interpretum
colluuies: qui bonarum artium memoria toto terrarum orbe funditus deleta, certa
tim lecturas,tractatus,gloſſas in illa Tribonianica fragmenta conſcripſerunt : quæ
tamen etiam nunc à neſcio quibus tabulis & pragmaticis maiore in precio,
quàm ipſæ Iuſtiniani leges habentur. Verum hæc quidem de Romanorum iure.ce-
tera videamus. nam poſt Germanicarum gentium in reliquam Europæ partem elu-
uiones,multarúmque nationum, ac præſertim Cibeles Italiæ,magnæ matris Deûm
vaſtitatem,dici vix poteſt,quàm abſurdæ atque inconditæ leges , victorum impe-
rio,ſubactis bello populis impoſitæ fuerint. Cuius rei documento eſſe poteſt volu-
men earum legum,quæ Burgundionum dicuntur,& Francorum, Salicorum , An-
gliorum,Ripuariorum,Saxonum , & Langobardorum:quarum ex lectione facilè
cuiuis intellectu eſt,legiſlatores illos magis in rei militaris & bellicæ laudis ſtudio,
quàm in æquitate interpretanda,diiudicandíſque ciuilibus controuerſiis exercita-
tos fuiſſe. Quid? poſteaquam Langobardi ſedes ſuas in Italiæ parte fixerunt , quibus
tandẽ inſtitutis Remp.ſuam conſtabiliuerunt? An non is libellus,qui Lombarda in-
ſcriptus eſt,declarat,quantum homines illi,inculto ac planè agreſti ingenio nati, à
vera iuris diſciplina,ciuilibúſque artibus abhorruerint? Itaque cùm adſidua ferè bel-
la cum vicinis Romicolis geſſiſſent , ac tandem Caroli Magni victoriis ſubacti eſ-
ſent,non multò poſt noui legiſlatores decrepitales exorti ſunt , qui obfuſa morta-
lium generi teterrima caligine , Cimmetiis ſuis leges de coloribus diiudicandis tra-
diderunt: vt qui etiam nunc in iis interpretandis tam laborioſè operam conſumunt,
non multo ſecus facere videantur , atque illi Lucianici philoſophi,quorum alij hir-
cos mulgebant,alij cribra ſupponebant. Iam verò quid de Francogallia noſtra dice-
mus? in qua non , vt in veteri prouerbio eſt , quot homines , tot ſententiæ ſunt;
ſed quot ciuitates ac regiones,tot leges,inſtituta,mores: vt iam probabiliter diſpu-
tari poſſe videatur,non vnam iuſtitiæ & æquitatis eſſe formam. certè non pluris ad
ſummam reip.referre,qua forma leges & iura populis tradantur , quàm qua forma
veſtes variarum gentium hominibus aptentur, aut ponderum ac menſurarum ratio
definiatur. quamquam ita multis locis inſtituta illa , quæ Conſuetudines appellan-
tur, ſcripta ſunt,vt facilè appareat , magnam eorum partem ex illorum quos antea
dixi ſophiſtarum fece hauſtam fuiſſe. Neque verò feliciores Siculos aut Neapolita-
nos fuiſſe,ſatis perſpicuè teſtantur Friderici ſecundi leges,vulgò Neapolitanæ Con
ſtitutiones appellatæ: atque ita conſcriptæ,vt etiam qui in eas commentarios & le-
cturas ediderunt,maximam illarum partem ludibrio habeant. Age vero. de Angli-
canis legibus,quidnam ipſi ſcriptores Anglici tradiderunt. Eiuſmodi (inquit Poly-
dorus Vergilius lib.hiſt.ix.) leges apud nos etiam nunc ſunt,quæ ab omnibus intel-
ligi deberent. Normanica lingua ſcriptę ſunt: quam neque Galli,neque Angli rectè
callent. Quamobrem vidiſſes iam inde à principio , quotidie partim iniquitate le-
gum,partim inſcitia eorum qui illas malè interpretabantur,hunc bonis auitis priua-
ri,illum iudicio imperitiſſimorum hominum criminis damnari, mortéque multari;
alium litibus inextricabilibus perpetuò irretiri, ac denique diuina humanáque miſ-
ceri,atque ea omnia publicè priuatéque mortales teſtari ac deteſtari. Sanè Normã-
nus pro ſuo inſtituto non potuit alias dare leges: quando non alia eſt natio,quę pe-
ritius ſciat calumniari,præuaricari,atque tergiuerſari: id eſt,per fraudem & cauilla-
tionem fruſtrationémque litigare,ſeu vexare litibus. Hæc Polydorus. quàm verè is
viderit. De Saxonia verò vicina veſtra,quid dicemus? Cuius inſtituta,Saxonico, vt
appellant,ſpeculo comprehenſa,facilè iampridem apud omnes bene ſanos declara-
runt , voluminis illius auctores ex eorum fuiſſe numero,de quibus vetus Ennij ver-
ſiculus celebratur : Bellipotentes ſunt magis , quàm ſapientipotentes. Quamquam
de Germanis lubenter vetus illud Taciti prędicare ſoleo,Plus apud illos bonos mo-
res valere,quàm apud alios bonas leges. Verùm vt iam ad inſtitutum de Feudiſtico
iure noſtrum accedamus , cùm omnes iuris ciuilis partes ad ſummam reip. vtilitatem

opportunitatémque pertinent: tùm verò nullum in iis locum hac de Feudis tractatione præſtantiorem eſſe arbitror: quippe, cùm aliæ partes in priuatorum hominum iure deſcribendo ferè conſumantur: hæc verò in Regnis, Imperiis, Poteſtatibus, quas Feudiſtæ noſtri, Ducatus, Comitatus, Marchias, Baronatus appellant, tota ferè poſita ſit: quarum rerum cognitio, quia propriè ad ſummam reip. pertinet, facilè, tu nobiliſſime Caſpar, pro tua prudentia perſpicis, hanc iuris partem tanto accuratius conſtitui ac litteris mandari debuiſſe. At verò illam nihilo feliciore quàm alias fato fuiſſe, iampridem eruditi complures conqueſti ſunt. nam Baldus horum librorum interpres copioſiſſimus, ſuo tempore multos exſtitiſſe ſcribit, qui liberè dictitarent, nullam in toto iure Feudiſtico ſapientiam ineſſe. Quinetiam idem Baldus alio quodam loco, iſtius iuris ſcriptores hoc verborum honore dignatus eſt, vt eos Pecudes appellaret. nimirum acerbè, mea quidem ſententia, nimiúmque vehementer. Sed quoquomodo ſeſe res habeat, cùm illos libros ſuperioribus annis accuratius euoluiſſem, aliquoties etiam publicè interpretatus eſſem, duplicem in iis operam collocare inſtitui. Primùm, vt quæ mihi vitioſè ſcripta videbantur, modeſtè, ſine cuiuſquam offenſione, nullum meum iudicium interponens, ſed eruditiorum ſententiam exquirens, exponerem: ſi fortè alios quibus maior doctrinæ copia eſt ad aliquam iſtius iuris emendationem excitare poſſem. Deinde vt quæ interpretatione digna videbantur, ea complurium aliorum exemplo pro mea quoque virili parte illuſtrarem. nam hoc idem in noſtra Biturigica ſchola non ita multis ab hinc annis luculenter fecit Eguinarius Baro, academiæ noſtræ clariſſimum decus: fecere item alij poſtea: facturóſque alios aliquãdo, mihi facilè perſuadeo: neque illos magis in Feudiſtarum, quàm in meis ipſius vitiis & peccatis demonſtrandis occupatos fore. quod tamen æquiſſimo mihi animo ferendum eſſe profiteor: neque illorum adrogantiam imitandam, qui humanæ fragilitatis immemores, nunquam ſe errare, nuſquam ſe in tantis tenebris caligare poſſe arbitrantur. Tibi verò, mi Seidlitz, noſtram hanc commentationem cur inſcribam, cauſſæ complures fuerunt. primùm familiaritas noſtra, vnde tantus amor, tantáque beneuolentia mutua effloruit. nam cùm ante quinquennium hic apud nos eſſes, de magno Germanorum adoleſcentum numero, nemo eorum fuit, qui vel nobilitate generis, vel ſuauitate naturæ, vel ingenij præſtantia tibi antecelleret. neque verò meum hoc ſolius iudicium fuit. Memoria teneo, cùm iter ad ampliſſimum virum Hoſpitalium, Franciæ noſtræ Cancellarium, ac potius Solonem alterum, inſtituiſſem, teque mihi comitem cum aliquot amicis communibus adiunxiſſes, vbi vir ille ſapientiſſimus ex colloquio tuo ingenij tui præſtantiam agnouit, quàm honorificè te ſit complexus: quámque amanter poſtea de te, atque ingenij tui ſuauitate, & ſenſerit, & prædicarit. Quamuis autem à maioribus tuis nobilitatem, opes, ac ſplendorem familiæ ſis adeptus, multóſque noſtra Sileſia tulerit Seydlizios, domi, bellíque præſtantes: in his Melchiorem, cuius virtus cùm in bellis compluribus, tum verò in captiuitate Turcica enituit: itémque Paullum patruum tuum, qui apud Pomeraniæ Principem conſilij prudentia, ſapientiæque laude floruit: tamen illa naturæ probitas quæ in ore tuo elucet, illud veræ pietatis ſtudium, & morum elegantia, quam in te ſemper mirificè adamaui, propriæ ac veræ tuæ ſunt laudes, animíque tui virtutes eximiæ. Eò acceſſit bonarum omnium artium cognitio propè ſingularis, quibus etiam iuris noſtri diſciplinam adiunxiſti: ad quam excellenti vir ingenio Iuſtus Reuberus, Iuriſconſultus, meus inquam ille, vel potius noſter Reuberus, te tua ſponte currentem partim exemplo, partim etiam ſtudiorũ communicatione incitauit, qui cùm tanto & tam acri ingenio ſit natus, vt maiore antehac neminem viderim, ad omnem prærerea laudem natura propenſus, dubitare non poſſum, quin patriæ ſuæ magnum ornamentum, magnámque dignitatem ſit allaturus. Cùm autem tantus vtriuſque veſtrum in me amor exſtaret, gratiam vobis vel referre, vel agere volui: viciſſimque hoc meæ erga præſtantiam tuam voluntatis ac ſtudij argumentum exſtare: vt intelligeres me, de tua dignitate adſiduè cogitantem, quæ ad illius amplificationem pertinere arbitror, cupidiſſimè ſtudioſiſſiméque præſtare. Vale: Auarici Biturigum, Idibus Iunij. M D L X X I I.

Digitized by Google

Altera ad V. C. IVSTVM REVBERVM Palatinatus Cancellarium, In eundem de feudis Commentarium,

PRÆFATIO. XXVI.

HABES tandem, quam expetiſti tandiu C. V. commentationem Feudiſticam: quæ ſi amicorum noſtrotum expectationi non reſpondeat, pattem culpæ aliquam hotum tempotum inſaniæ adſctibes. qua eadem volo apud illos excuſatione vtaris, quòd tardius promiſſa perſoluerim. Exemplar quidem typogtapho iampridem miſetam: ac mitaculo quodam accidit ſingulari, quod è tot lattonum bacchantium manibus euaſetit. Dialecticam ante menſes decem miſi typographo. Indicem hiſtoriæ ſanctæ ab Otbe condito, cui conſolationis titulum feci, puto eſſe ſaluum. Notas quidem in omnes Cæſatis commentatios nuper accepi, quas ſpero propediem exituras. Diſputationes contra Guidonem Papium & Paponium Arreſtographum, & aliquot eiuſmodi ptagmaticos, mihi iam pridem ſubripuit is, quem tu iocularitet Chriſtophorum Porcum appellabas. Sed adſiduis amicorum ptecibus adductus, nouas ab integro conficiam; quas ſpero tibi ad tuam forenſem exercitationem non inutiles fututas. De ſcholis in Pandectas & Codicem, & de Commentario in Regulas iuris, iubeo te bene ſperare. Hæc, benignitate Dei, mitabiliter è lattonum faucibus erepta ſunt. De Matpurgenſi condirione, non poſſum non tibi, & lectiſſimo adoleſcenti Wilhelmo Cornebergio, ceteríſque amicis, ac ptæſertim eruditiſſimo Giſanio, maximas & habete, & agete gratias. Vidi binas literas Illuſtriſſimi principis Landgrauij, quibus de mea ſalute mitificè ſollicitum illum fuiſſe animaduerti. Deum oto, vt heroem illum Germanicæ veſttæ teipublicæ quam diutiſſimè flotentem atque incolumem conſeruet. Habet multa quæ ſummis illum quibuſque otbis terratum proceribus adæquare poſſunt: ditiones ampliſſimas, dignitatem in Germanico imperio illuſtriſſimam, fortitudinem & virtutem in te militari eximiam; cuius præclara iam olim adoleſcens documenta præbuit. ſed illa, ptæter ceteras hetoicas ipſius virtutes inſigniter elucens, magnarum artium doctrina, ſuprà omnes otbis tetrarum ptoceres illum extollit. vt mirum non ſit, eruditiſſimum Principem ſtudioſi hominis ærumnas & calamitates miſetari. O beatam iſtis heroibus Germaniam! O diuinam maiorum veſtrorum in forma imperij conſtituenda, ſingularem, eorum qui nunc viuunt, in eadem conſeruanda ſapientiam! Sed hæc, mi Reubere, plus ſatis. nam huic veſtrorum Principum laudationi, ne Sulmoneus iſte neſcio quis inuideat, mihi cautio eſt. Valebis igitur, & me ſuauiſſimi ingenij tui amatorem ſummum tedamare, vt facis, perges. Kalend. Matt.

M. D. LXXIII.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM WILHELMVM, Landtgrauium Haſſiæ: Comitem in Katzenelbogen, Dietz, Zigenhain & Nidda, &c. in Quæſtionum illuſtr. librum,

XXVII.

PRÆFATIO.

QVOD à Platone quondã dictum eſt, illuſtriſſime Princeps, eas demũ beatas eſſe reſpublicas, in quibus vel principes ſapientiæ dediti ſunt, vel ſapientiæ dediti dominãtur, id Haſſi clientes tui ac ſubiecti, veriſſimè dictum fuiſſe experiũtur. Habes à patre Philippo, heroicæ quondã virtutis principe, ab auis item & proauis principatũ ſummũ: ditionem viris, armis, opibus florentem. Itaque magna toto terrarum orbe illuſtriſſimi tui nominis auctoritas atque amplitudo eſt: beatúſque inter mortales, qui humanitus humanis de rebus iudicant, eo nomine iudicaris. Verùm ad tuam felicitatem non mediocre momentum illud adfert, quòd clientes habes, cùm Platonis, ſapientiſſimi viri, tum etiam ſuo atque adeò gentium exterarum iudicio beatos. Primùm, quod ſummum in hac vita bonum eſt, vt piè ritéque Deum colere liceat, id illi ſingulari tua benignitate conſecuti ſunt. Quod ſecundum numeratur, vt ocio & pace fruantur, tranquilléque ac placidè vitam degant, neque ciuilibus diſſenſionibus conflictentur; id quoque tuo beneficio ſunt adepti. An verò quidquam ad eorum felicitatem amplius adferri poteſt? Facit clementia & manſuetudo tua vt poſſit. Nam vt eorum iuuentutem artibus optimis exerceri liceat, Academiam inſtituiſti doctiſſimis viris florentem ac nobilem: in qua ita multos ac præſtantes viros liberalitate tua ſuſtentas, vt meritiſſimo atque optimo iure bonarum artium domicilium dici poſſit. Neque verò multorum id Principum aliorum exemplo facis: qui litteris quidem & litteratis fauent, eóſque beneuolentia ſua dignos iudicant, ſed aliena tantùm fiducia id faciunt. Tanta enim tua in omni litterarum genere præſtantia eſt, tanta antiquitatis memoria, tanta bonarum omnium artium peritia, vt iam de doctis & eruditis præcipuum tuum eſſe iudicium exiſtimetur. Sciunt omnes qui in Germania verſati ſunt, te ita in omni philoſophiæ genere, ſed præſertim in Aſtrologiæ ſcientia excellere: vt ceteræ quidem artes tibi cum aliis communes, huius tua quaſi propria ac præcipua poſſeſſio videatur. Quæ vidi ego, cùm iſtic aliquamdiu apud te commorabar, mathematica inſtrumenta! quas machinas! qualem verò & quanto artificio elaboratam ſphæram! vt etiam Archimedeam illam propemodum ſuperare videretur. O beatos tali principe clientes! ô miſeros qui furioſis & agreſtibus dominis ſeruiũt. Iam verò quid dicam de fortitudine & virtute militari, cuius adoleſcens ac penè etiam puer tanta ac tam præclara orbi vniuerſo documenta præbuiſti? Ad tantas laudes acceſſit præterea incredibilis animi manſuetudo, & naturæ bonitas, qua literatos viros complecteris: & quamuis Deus te in altiſſimo dignitatis gradu collocarit, nunquam tamen ab eorum conſuetudine abhorres. Me quidem (ſi tamen in illo mihi numero aliquid loci relictum eſt) me, inquam, ſumma iam olim benignitate, fauore, & beneuolentia complexus es. Nuper verò vbi me propter fatalem patriæ tempeſtatem, extorrem eſſe audiſti, non modò condicionem in tua ditione honeſtiſſimam mihi detuliſti, verumetiam fortunam meam miſeratus, ſingulari munificentia muneratus es. Itaque valde me ingratum ac potius impium iudicari patiar, niſi tantam beneuolentiam non modò memori mente proſequar, verumetiam quibus poſſim modis prædicem. Qua de cauſſa cùm hunc Quæſtionum aliquot ciuilium libellum in manibus haberem, neque alia ratione mei erga te animi obſeruantiam teſtari poſſem, non alienum officio meo eſſe iudicaui, ſi eum ego illuſtriſſimo tuo nomini inſcriberem. Cùm enim earum quæſtionum tractationem in illum contuliſ-

tuliſſem, quæ in iure noſtro principem locum obtinent, multorúmque Iuriſconſultorum diſputationibus vexatæ, claræ in primis atque illuſtres habentur: commodiſſimè facturum me putaui, ſi tractationem omnium illuſtriſſimam Principi omnium illuſtriſſimo doctiſſimóque dicarem. Primùm vt munificentiæ tuæ gratias quibus poſſem modis agerem: deinde, vt ſi quam de meo erga te ſtudio & fide opinionem concepiſti, eam ego omni animi atque ingenij contentione confirmem; magnitudinémque meæ erga te obſeruantiæ qualicunque ratione poſſum, teſtificer. Vale illuſtriſſime Princeps, & ſalue. Deum oro vt C. T. quamdiutiſſimè beatam ac florentem eſſe patiatur. X. Kalend. Iulij. M. D. LXXII.

AD GENEROSISSIMVM COMITEM PHILIPPVM LVDOVICVM, Comitem in Hanavv & Rinek: in Dialecticæ Inſtitutionis libros,

PRÆFATIO. XXVIII.

ANNI ſunt ferè quatuor & viginti, generoſiſſime Comes Philippe, ex quo tantum in arte Dialectica præſidium ad Iuris ciuilis cognitionem eſſe animaduerti, vt ex eo tempore nunquam ferè deſtiterim, quæ ad illius artis vſum pertinere arbitrabar, priuato mihi ſtudio notare atque ſeponere. quinetiam omnes ferè Ariſtotelis de arte illa libros in Latinum ſermonem exercendi excolendíque ingenij mei cauſſa conuerti: quoniam incredibile quoddam illius Philoſophi acumen in tradendis artis illius præceptis mihi perſpicere videbar. Cum autem quatuor abhinc annis beneficio temporum an iniuria dicam, in eruditiſſimi viri Petri Montaurei Rondæi ſenatoris & bibliothecarij Regij conſuetudinem incidiſſem, otiúmque ex infelicitate publica feliciſſimum nactus eſſem, cœpi obſeruationes illas meas cum illo præſtanti & ſingulari viro communicare: quo certè neminem magis vel in Ariſtotelis libris exercitatum, vel bonis omnibus inſtructum diſciplinis, noſtra Gallia, noſtra inquam, cùm in alios complures, tum in illum ingrata Gallia, iampridem vidit. Sic autem ille obſeruationibus iſtis noſtris delectabatur, quinetiam ita libenter quæ non placebant meo rogatu emendabat, vt iam tum illarum à me promulgationem expoſceret: præſertim propter nouas hominum quorundam opiniones, qui iuuentutem ab Ariſtotelis præceptis reuocabant: quorum ille ſe rationibus atque inſtitutis infeſtiſſimum ſemper præbuit. Poſt verò intermiſſis ciuilibus latrocinijs cùm illas eaſdem obſeruationes meas Lutetiam ad exercitatiſſimos Dialecticos emendandi, ſiquid vellent, cauſſa miſiſſem, eáſque ipſis mirificè probari intellexiſſem: tandem conſilium cepi, quidquid iſtud erat, in vulgus edere: partim vt ſi iuuentuti prodeſſe poſſet, vtilitatem hanc illi ætati non inuiderem: cuius me ſtudiorum adiutorem atque adminiſtrum à Deo conſtitutum video: partim etiam quòd multas meas lucubrationes in illis latrocinijs ac turbulentis tempeſtatibus, crebríſque fortunarum mearum naufragiis, & binis bibliothecæ meæ direptionibus, magno cum animi mei luctu ac mœrore perdidi. verebárque ne poſthac idem fortaſſe (vt ſunt humana) in his Dialecticis noſtris lucubrationibus, cęteríſque aduerſariis & ſcriptionibus noſtris accideret. quod tamen Deus omen auertat. Eò accedebat noſtræ huius academiæ nouæ ratio: in qua etſi ex illis noſtris Dialecticis partim Montaurei conſilio, partim aliorum permultorum ſuaſu exempla è iure noſtro depromta, ne alios ſtudioſos deterrerent, magna

ex parte ſuſtuli) cupiebam legum noſtrarum candidatis guſtum huius ſuauiſſimæ diſciplinæ præbere,& Seruium illis Sulpitium ad imitandum proponere : quem M. Tullius teſtatur Iuriſprudentiæ principatum huius vnius artis præſidio adeptum fuiſſe;& cùm aliis Iuriſconſultis iuris vſum tribuat,illi vni artem concedit. qua laude haud ſcio an alia tribui Iuriſconſulto maior poſſit.nam ceteri,quid de quaque re iuris ſit,&(vt Ariſtoteles loquitur) τὸ ὅτι vſu tantùm,& tractatione cognoſcunt : hic etiam qua de cauſſa quidque iuris ſit;hoc eſt(vt idem loquitur) τὸ διότι animaduertit: ſiquidem Ars eſt,(vt idem luculenter definit)rei cuiuſque per ſuas cauſſas cognitio, quæ aliter ſe habere non poſſunt. Etenim (vt ex doctiſſimi viri Matthæi Delij præceptis atque ſermonibus eruditiſſimis iampridem cognouiſti) à Dialecticis certa quædam veri falſique in omnibus diſputationibus cognoſcendi ratio animaduerſa eſt. Iidem rem vniuerſam in partes diſtribuunt,latentes explicant definiendo, obſcuras explanant interpretando,ambiguas primum vident, deinde diſtinguunt ,tum quid cuique conſentaneum ſit , quid repugnans animaduertunt. Quæ tibi omnia, generoſiſsime Comes,nota(vt dixi) & perſpecta eſſe confido : neque vllam eſſe artem arbitror dignam adoleſcentis liberaliter educati ſtudio , quam non à pueritia deguſtaris: cui laudi tantum tribuo , vt ei ne nobilitatem quidem generis veſtri,aut vetuſtatem,aut potentiam ,anteponam. Sed cùm omnes animi, atque ingenij tui dotes ſunt eximiæ,tum verò mores illi aurei(vt illud Poetæ verbum vſurpem) tum illa comitas,facilitas,humanitas , ad quam te lectiſſimus vir Paulus à Velſperg ſuo exemplo à pueritia informauit:cuiúſque nuper nobis ſpecimen , cùm hic apud nos eſſes,edidiſti , vehementer me ad dignitatem tuam amandam atque obſeruandam incitauit:vt etiam cùm huic libro Patronus , ſcriptorum omnium conſuetudine, quærendus eſſet,primus mihi,cuius illum auctoritati ac patrocinio commendarem, in mentem venires: partim vt ſplendidiſſimi nominis tui præſidio tutior atque ornatior in manus hominum veniret : partim etiam vt aliquod iudicij mei de tuarum virtutum indole teſtimonium exſtaret:quam indolem Deum Opt. Max. oro,vt ad frugem & maturitatem perducat:téque generoſiſſ. Comes ita beneuolentia ſua cõplectatur,vt te quam primum inter ſummos Germaniæ proceres florentem,beatum atque illuſtrem videamus. Vale. Kal. Auguſt. M. D. LXXIII.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM FRIDERICVM,

Comitem Palatinum ad Rhenum , Bauariæ Ducem, &c, Romani imperij Electorem primarium : In Francogalliam

XXIX.

PRÆFATIO.

VETVS verbum eſt,illuſtriſſime Princeps, *Patria eſt vbicumque eſt bene*, Teucro Telamonis filio attributum : multíſque ſeculis comprobatum. nam fortis animi excelſíque videtur eſſe,vt cetera incommoda,ſic etiam exſilium,æquo animo ferre : ingratæque patriæ,tamquàm nouercæ,iniurias contemnere. Verùm, ego longè eſſe arbitror ſecus. nam ſi parentum mores, atque adeò aſperitatem iniquius ferre,ſceleratum, ac propè impium videtur: quanto magis patriæ? quam ſapientes omnes , vna & mente & voce , ſemper parentibus antepoſuerunt. Eſt quidem hominis ſecuri,& de ſuis tantùm commodis cogitantis,patriæ caritatem ſuis opportunitatib. metiri. ſed illa tanta ſecuritas , pars

quædam

quædam eius immanitatis videtur, quæ propria, vel Epicureorũ, vel Cynicorũ fuit: vnde vox illa furialis profecta eſt, Me mortuo, terra miſceatur incendio. à quane illud quidem vetus tyrannicum abhorret, Pereant amici, dùm vna inimici intercidant. Eſt in manſuetis ingenuis caritas quædam innata patriæ; quæ deleri, niſi cum reliquis humanitatis ſenſibus, non poteſt. qualem caritatem Homerus in Vlyſſe deſcribit, qui patriam Ithacam ſaxis præruptis & aſperis, tamquam nidulum, adfixam, omnibus tamen deliciis, atque adeo regno ſibi à Calypſone oblato antepoſuit.

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Adſicit, immemores nec ſinit eſſe ſui.

vt verè Poeta vetus cecinit: cùm & cœli, vnde primum ſpiritum duximus, & ſoli in quo prima veſtigia poſuimus; & cognatorum, propinquorum, æqualiúmque nobis in mentem venit. Verumenimuerò, dicet aliquis, delira interdum patria eſt, mentisque errore adficitur: vt Plato de ſua locutus eſt; interdum etiam furore amens crudeliter bacchatur, atque in ſua viſcera ſæuit. Primùm cautio eſt, ne alienam culpam innocenti patriæ adſcribamus. Multi Romæ, multi aliis in locis tyranni immanes fuerunt. hi non modò bonos viros, verumetiam benemeritos de patria ciues omnibus cruciatibus adficiebant. Continuóne verum fuit, illorum inſanias patriæ imputarem. Memoratur Imperatoris Macrini crudelitas: quem Iulius Capitolinus Macellinum nominatum ſcribit, propterea quòd domus eius, vt macellum ſanguine pecudũ, ſic illa hominũ ſanguine cruentabatur. Cõplures alij paſſim ab hiſtoricis commemorantur: quorum alius (vt idem Capitolinus ſcribit) ab eadem crudelitate Cyclops, alius Buſiris, alius Siron, alius Typhon, alius Gyges nominatus eſt: cùm illi ſic animũ induxiſſent, regna & imperia niſi crudelitate retineri non poſſe. Idcircó ne cura omnis & ſolicitudo patriæ, ciuibus bonis abiicienda fuit? imo verò tamquã oppreſſæ & miſeræ & natorũ opem implorãti ſuccurrendũ; remediáque modis omnibus cõquirenda. quamquã ô fortunatas bonis & manſuetis Principibus regiones: ô beatos ciues, quibus Principum ſuorum benignitate, tranquillè licet in patriis auitíſq; ſedibus, cum coniugibus & liberis conſeneſcere. nam plerumque certè vſuuenit, vt remedia malis ipſis, quibus ea quæruntur, deteriora ſint. Anni ſunt, vt opinor, ſexdecim, Princeps illuſtriſſime, ex quo Deus optimus maximus partem Germaniæ Rhænanæ non exiguam fidei ac poteſtati tuæ commendauit. vix dici poteſt, quantam ex eo tempore tranquillitatem, & tamquam in pacato mari malaciam toto Palatinatu videre licuerit: quàm pacata ſemper ſedatáque omnia, quàm piè, ſanctè, & religiosè conſtituta. Macte igitur iſta manſuetudine eſto, clementiſſime Princeps: quod ego, quantum & animi & corporis viribus contendere poſſum, iterum exclamo: Macte iſta virtute eſto, placida & manſueta: non quemadmodum Seneca memoriæ prodidit, moris apud Romanos fuiſſe, vt ſanguinolentis & ex acie redeuntibus, Macellinis denique cruore madentibus diceretur, Macte virtute eſto. Sed macte iſta manſuetudine animi, clementia, pietate, iuſtitia, facilitate, & imperij ac ditionis tuæ tranquillitate. Atque hic cùm ferè ſit veſtræ Germaniæ ſtatus, quemadmodum qui nauigationem inſtituunt, freta turbulenta, & tumultuoſa deuitant; ſedatos ac tranquillos curſus quærunt: ſimiliter quamplurimi hodie regiones latrociniis infeſtas fugiunt, tranquillas & pacatas quærunt. Ac fuit tempus, cùm in galliam noſtram vndique ex omnibus terrarum oris, ſeſe ſtudioſi adoleſcentes effunderent, & ad noſtras academias, tamquam ad bonarum artium mercaturam conferrent. nunc illas quaſi maria piratis infeſta horrent, neque ſecus quàm Cyclopicam barbariem exſecrantur. Cuius rei meum pectus memoria exulcerat: cùm cogito miſeram & infortunatam patriam duodecim iam ferè annorum ſpacio incendiis ciuilibus exarſiſſe. Sed multo me acerbior excruciat dolor, cum conſidero non modò tam multos eſſe ociosos incendiorum ſpectatores. (qualem olim Neronem Romæ conflagrantis fuiſſe memorant) verumetiam flammas illas impiorum quorumdam vocibus ac libellis, tamquam flabellis, excitari: ad eas autem exſtinguendas perpaucos ac ferè nullos adcurrere. Mea quidem quam ſit tenuis, quámque humilis condicio non ſum ignarus. ſed tamen vt in communi incendio ſi quis quantumuis abiecta fortuna ſitellam aquæ deferat, ſtudium credo eius nemo repudiet: ita ſpero nemi-

nem patriæ communis amantem meam hanc in quærendis remediis operam aſpernaturum. Superioribus quidem menſibus in tantarum calamitatum cogitatione defixus, veteres Francogalliæ noſtræ hiſtoricos & Gallos & Germanos euolui: ſummámque ex eorum ſcriptis confeci eius ſtatus, quem annos amplius mille in Republica noſtra viguiſſe teſtantur: ex qua incredibile dictu eſt quantam maiorum noſtrorum in conſtituenda Republica noſtra ſapientiam cognoſcere liceat. vt mihi quidem nequaquam dubium eſſe videatur, quin ab illa certiſſimum tantorum malorum remedium petendum ſit. nam mihi attentius in iſtarum calamitatum cauſſam inquirenti, ſic videbatur: ſicuti corpora noſtra vel externo impulſu atque ictu, vel inteſtinis humorum vitiis, vel ſenio intereunt: ita Rerumpublicarum alias hoſtili impetu, alias domeſticis diſſenſionibus, alias vetuſtate confici, noſtræ autem Reipublicæ incommoda etſi vulgò ex inteſtinis diſſidiis nata exiſtimantur, tamen hanc non cauſſam, ſed principium malorum eſſe animaduerti: quod principium à cauſſa plurimum diſcrepare, grauis auctor inprimis Polybius demonſtrat. Cauſſam autem confirmo eſſe plagam, quam annis abhinc circiter centum ab illo accepit, quem conſtat primum omnium præclara maiorum noſtrorum inſtituta labefactaſſe. Quemadmodum autem corpora noſtra externo aliquo ictu luxata ſanari, niſi membris ſuum quibuſque in locum & naturalem ſedem reſtitutis, non poſſunt: ita Rempublicam noſtram tum denique ſanatum iri confidimus, cùm in ſuum antiquum & tamquam naturalem ſtatum diuino aliquo beneficio reſtituetur. Et quia tu patriæ noſtræ ſemper te amiciſſimum præbuiſti, optimum factu iudicaui, ſummam hanc hiſtoriæ noſtræ illuſtriſſimo tuo nomini inſcribere, quaſiq; cõſecrare: vt eius patrocinio atque auctoritate tutior in hominum manus peruenire poſſit. Vale illuſtriſſime Princeps, & ſalue. Deũ opt max. oro, vt illuſtriſſimum genus veſtrum perpetuò florentiſſimum eſſe patiatur. XII. Kal. Sept. MDLXXIII.

AD ORNATISSIMVM VIRVM MICHAELEM VARRONEM: in III. lib. Obſeruat.

XXX.

PRÆFATIO.

Habes à me munus, doctiſſime Varro, non quale vel tua erga me beneuolentia, vel amicitiæ noſtræ ratio, vel expectatio fortaſſe tua poſtulabat: ſed quale in aduerſariis noſtris multos iam annos diſiectum, & propè de memoria mea depoſitum, nuper cum aliis bibliothecæ meæ reliquiis, (tãquam naufragij tabulis) recuperaui. nam etſi bis latronum iniuria bibliotheca mea direpta eſt (quo vulnere haud ſcio an vllum mihi grauius imponi potuerit) quædam tamen primùm Dei benignitate, tuũ verò ſingulari ſereniſſimæ & illuſtriſſimæ patronæ meæ Margaritæ beneficentia è faucibus latronum conſeruata ſunt. Ex iis depromſi nuper tertium Obſeruationum noſtrarum librum, quem alij quinque non ita multo poſt (ſi Dei voluntas ferat) conſequentur: & quem tibi, mi Varro, dicare atque inſcribere volui, partim vt comitati atque humanitati tuæ ſingulari, gratiam quo poſſem modo referam: partim vt aliquod teſtimonium exſtet, non modò amicitiæ noſtræ, verùetiam ſingularis mei de tua virtute iudicij. Natus es in ciuitate diuinis muneribus ac beneficiis cumulata: educatus in ſanctiſſima pietatis & religionis ſchola: vbi pluſculum roboris adſumſiſti, Germaniam, Poloniam, Italiã, Galliam peragraſti: mores hominum ac gentes vrbéſque quamplurimas perſpexiſti, neq; verò id tamquã ſpectator iners ocij conſumendi cauſſa feciſti: ſed quẽadmodum mercatores auidi quas quóque in opido merces ad rem ſuam amplificandam

dam idoneas reperiunt, eas ſtudioſè coemunt, ſecúmque in patriam aſportant: ſic tu in quæcumque præclara atque eximia in illa peregrinatione incurriſti, iis te ſummo ſtudio, cura & diligentia collocupletaſti; linguas gentium illarum didiciſti: diſciplinas, quæ propter excellentiam commune nomen ſuum fecerunt, & Mathematicæ appellantur, tanta cura imbibiſti, vt iam in iis omnium iudicio excellas. Medicinæ quoque inſignem operam nauaſti. In iuris autem noſtri diſciplina tantos paucis annis progreſſus feciſti, vt non modò æqualibus tuis antecelleres, inſignia & honorem Doctoratus adipiſcerere: verumetiam apud ciues tuos ſingularem de tua virtute ſpem concitâris. Itaque honorem eum in tua repub. iam adſecutus es, & ſumma cum omnium gratulatione adſecutus, quo maior iſtius ætatis hominibus mandari non ſolet. Perge igitur in hac pietate, doctrina, humanitate, integritate, mi Varro: Spartámque, quam nactus es, ornamentis omnibus augeto. Mihi quidem ſtudium bene tibi tuæque Reipub. precandi nunquam deerit: ac iam ex animo, totóque pectore, Deum oro, vt & illam quamdiutiſſimè beatam eſſe velit, téque ac tuam familiam ſingulari ſua beneuolentia complectatur. Vale. Kal. Januar. M. D. LXXIV.

AD GENEROSISSIMVM COMITEM GVIDONEM A LAVAL: in Cæſaris Commentarios,

PRÆFATIO. XXXI.

MVNVS tibi adſertur à me, generoſiſſime Comes, quod ſpero nõ huic tantùm ætati tuæ, & ſtudiis, in quibus nunc verſaris, ſed etiam in omne poſterum vitæ tuæ tempus magnas ad res peruti le tibi futurum eſſe. Commentarij videlicet rerum à C. Cęſare geſtarum; quas non teſtis aliquis ex viſu vel auditu commemorat: ſed auctor ipſe qua manu ſummas res geſſit, eadem res illas immortalitati commendauit: qui denique rebus poſt hominum memoriam maximis non modò interfuit, verùm etiam cum immortali laude & gloria præfuit. Quòd ſi magna ſemper à Sapientibus hiſtoriæ vtilitas, magnáſque ad res gerendas opportunitas eſſe iudicata eſt: tum verò quę huic noſtræ anteponenda ſit, nullam inter humanas hiſtorias exſtare arbitror. Etenim, ſi verè iudicare volumus, eadem hiſtoriæ quæ cęterorum operum omnium ratio eſt: quorum laus duabus cõſtat rebus, materia & artificio. Nam in annulo (vt tibi ex re peruulgata exemplum edam) quamuis ſplendida atque illuſtris gemma ſit, tamen niſi ſingularis quædam artificis acceſſerit ſolertia, detractum aliquid de ipſius ſplendore ac dignitate iudicamus. Simillima hiſtoriæ ratio eſt. Magnum eſt argumenti atque materiæ, in qua hiſtoricus verſatur, pondus; magnúmque in omnẽ partem momentum. Itaque quantumuis inculto atque agreſti ſermonis genere ſcripta ſit, tamen ſi res complexa eſt memoratu atque admiratione dignas, auidè illam arripimus. Hiſtoria enim, vt ait Plinius, quoquo modo ſcripta delectat. Cuius rei vel hiſtoriæ de Caroli Magni rebus geſtis, aliorúmque Germanorum Imperatorum, & Francorum Regum annales documento eſſe poſſunt; qui tametſi à barbaris & incultis hominibus cõſcripti ſunt, à nobis tamen propter vtilitatem rerum, ſemel in vita leguntur. Verùm vbi ad præſtantiam argumẽti ſcriptoris etiam acceſſit elegantia, quod apud Græcos in Herodoto & Thucydide, apud Latinos in Salluſtio, & Liuio vſuuenit, quanto admirabilius, quantóque præclarius ac magnificentius opus illud exiſtimatur, quanto maiore cum voluptate legitur? propè vt nunquàm è ſtudioſorum manibus dimittatur. In hunc numerum ſi Cæſaris commentarios referendos putem, neminem fore arbitror peritum in hoc genere æſtimatorem, à quo meum iudicium reprehendatur.

Nam,ſi argumentum ſpectemus,priore quidem parte diuturna fortiſſimæ & bellicoſiſſimæ gentis Gallicæ,hoc eſt maiorum noſtrorum bella,varióſque caſus,rerumque publicarum florentiſſimarum quondam & nobiliſſimarum interitus complectitur:quæ cùm aduerſus Romanorum opes,annos (vt Ioſephus teſtatur) amplius D C C C.de potentatu contendiſſent,ad extremum fato gentium propè omnium communi conciderunt,atque in illorum ſeruitutem redactæ ſunt.altera parte populi R.gentium propè omnium principis, victoris ac domini , potentiſſimæque Reipub.&nobilitatę illius maieſtatis occaſum deſcribit:cui cauſam duorum principum diſcordiæ & contentiones attulerunt: quemadmodum Galliæ quoque noſtræ vſuuenit,quæ cùm duas in partes diuiſa eſſet, quarum vni Ædui , alteri Aruerni præerant,veteratoriis Romani ſenatus artibus diſtractæ,tandémque per amicitiæ ſpeciē, & ſocietatis conſanguinitatíſque nomen oppreſſa eſt. nam cùm Ædui ab Aruernis & Sequanis diſſentirent , Romani qui tales exterarum gentium contentiones ad ſuas rationes accommodatiſſimas eſſe animaduertebant,controuerſias illas alere inſtituerunt,Æduíſque fratrum & conſanguineorum nomen honorificentiſſimis decretis detulerunt:quibus decretis atque artibus aditum ſibi in Galliam noſtram,per auxilij ferendi ſpeciem aperuerunt:auxilij,inquam,aduerſus eum ferendi,quem paucis antè annis ſplendidiſſimo Regis ſocij atque amici nomine affecerant. Iam verò ſi ſcriptoris artificium,hoc eſt grauitatem, prudentiam , ſplendorem denique orationis,attendere volumus:ecquis vnquam poſt hominum genus natum ad ſcribendam hiſtoriã animum appulit,qui cum hoc noſtro conferendus videatur? Prudētia in eo cernitur,quòd nō modò euenta,verùm etiam euentorum cauſſas aperit: nihil à propoſito alienum,nihil non ordine ac loco , nihil non magnopere neceſſarium admiſcet. Cuius laudis ſi quis vel Plutarchum , vel Liuium magnopere cupidum fuiſſe affirmet,cùm in illius quidē parallelis innumera ſint ad philoſophi ſcholã potius,quàm ad inſtitutam hiſtoriam pertinentia;in huius autem libris quamplurimæ ſint orationes fictæ & commentitiæ (quod figmenti genus grauiter Polybius inſectatur) haud ſcio an illorum exiſtimationis quàm ſuæ ipſius cupidior ſit futurus. Grauitas verò vel ex hoc cognoſci poteſt,quòd leuia quæque prætermittens , ſumma duntaxat(vt ille ait)faſtigia rerum perſequitur:neque vel mulatum partubus,vel eiuſmodi nugis atque ineptiis commemorandis lectoris auidum cognoſcendi animum defatigat. Tanta(inquit Quintilianus)in eo vis eſt,tantum acumen, ea concitatio,vt illum eodem animo dixiſſe,quo bellauit,appareat. Poſtremò,quanta orationis ſit dignitas,vel vnius Ciceronis acerrimi in hoc genere æſtimatoris teſtimonium ſatis eſſe poterit. Cōmentarios,inquit,ſcripſit rerum ſuarũ valde quidem probandos:nudi enim ſunt, recti & venuſti,omni ornatu orationis tanquam veſte detracta.ſed dum voluit alios habere parata,vnde ſumerent qui vellent ſcribere hiſtoriã,ineptis gratum fortaſſe fecit,qui volunt illa calamiſtris inurere: ſanos quidē homines à ſcribendo deterruit. Quæ cùm ita eſſe iampridem animaduertiſſem , tanto me huius præſtantiſſimi ſcriptoris ſtudio captum fuiſſe fateor , vt quod tempus ab artis meæ profeſſione laborioſiſſima ſubripere poteram , libentiſſimè in his libris, tanquam in porticu,vel ambulatione amœniſſima,relaxandi animi cauſſa,conſumerem:quo in ſtudio animum etiam ad menda quædam librariorum tollenda, & opera Cæſaris vel in fluminibus tranſmittendis,vel in oppidis oppugnandis , vel in caſtris muniendis,machináſque bellicas cognoſcendas adiunxi. Cuius ocij nimiam interdum facultatem ſuperioribus annis turbulenta mihi tempora præbuerunt: è quibus vt primùm tamquam è naufragio enatare , vel potius tanquam è tenebris teterrimis ſuauiſſimam lucem aſpicere potui , aliquantum in illis obſeruationibus recognoſcendis ſubſeciui temporis poſui: ne hic quoque noſter labor, vt alia non pauca, quæ ſenectuti meæ ſubſidio fore ſperabam,interiret:ſed huius ſcriptoris ſtudioſis prodeſſe poſſet. Quod opus cùm à typographo paratum,ac iam in publicum emittendum eſſet,multis de cauſis,vt tibi,Generoſiſſime comes,dicarem , atque inſcriberem,ſum adductus. Primum vt te ad inſtitutum ſtudiorum curriculum currentem quidem , vt ſpero , cohortarer ; in quibus præclaram vſque adhuc operam,ſumma cum præceptoris tui doctiſſimi Grellæi laude poſuiſti:deinde vt generoſum tuum animum ad magnorum euentorum conſiderationem,ad rerum humanarum viciſſitudines,regnorum & rerumpub. interitus, euerſionéſque obſeruandas exci-

das excitarem: In quibus certiſſima Dei potentia & in hominum perfidiam ſeueritas animaduerti poteſt: qui(vt ipſe in litteris ſanctis teſtatur)propter regum ſcelera,& perditos mores,regna è gente in gentem transfert. Quanta,quæſo, & quàm vehemens vis diuini numinis in illa toties decantata populi Romani maieſtate ſub vnius hominis ditionem ſubigenda apparuit? Cùm ille, ille populus, vt ait Cicero, dominus regum, victor atque imperator nationum omnium, qui gentium ferè omnium exterarum Reges, Tetrarchas, Dynaſtas ſibi ſeruire coegerat, nunc ſub vnius hominis dominatum ſubactus,miſerrimam ſuis poſteris eiuſdem ſeruitutis hereditatem reliquit? nam è Cæſaris ſucceſſoribus quotuſquiſque non immaniſſimi tyranni potius, quàm Imperatoris,aut patris patriæ nomine dignus fuit? Quinetiam ad infimæ atque abiectæ ſortis homines imperium illud perueniſſe conſtat: Commemorantur Pertinax & Macrinus, libertino patre nati: Maximinus terræ filius, miles gregarius è Thracia: Philippus latronum ducis filius: Probus patre agreſti genitus: Iuſtinus bubulci filius, ipſe pecoris ineunte ætate cuſtos. Atqui tantæ huic ac tam prodigioſæ viciſſitudini noſtri huius Cæſaris victoriæ, de quibus ipſe his in libris commemorat, viam muniuerunt. Quòd ſi nouem annorum hiſtoriam,quibus arma ipſius in Gallia noſtra verſata ſunt, ſummatim percurrere volumus? primus quidem annus ingentes Heluetiorum copias, quæ patriis ſedibus relictis in fines noſtros influebant, repreſſit: magnáque cæde fuſas ac diſiectas domum reuerti coegit: Arioviſtum Germanorum Regem, ac ſæpe iam victorem,qui magna ſuorum manu Sequanorum ſedes occuparat, ibique annos iam X I V. conſederat, prœlio ſuperatum è Galliæ finibus expulit. Alter bellicoſiſſimam Belgarum gentem armis oppreſſam, ſub Cæſaris poteſtatem redegit. Tertius Venetos, Antuates, Vnellos, Aquitanóſque eidem parere compulit. Quartus Vſipetes & Tencteros, qui è Germania in fines noſtros progreſſi Rhenum tranſierant,multis prœliis fractos,domum reuerti coegit. quo anno, victor Cæſar, ponte in Rheno decem diebus extructo in Germaniam, terroris iniiciendi cauſa,profectus eſt; pauloque pòſt reuerſus, & in alteram orbis partem digreſſus,Britannos ſibi & Morinos ſubegit. Quinto, Piruſtas & Britannos rebellantes domuit. Sexto, Neruios, Senones, Carnutes, Menapios, & Treuiros prœlis fractos conrudit; iterúmque in Germaniam, altero effecto ponte, tranſmiſit; Sicambros,qui eodem flumine traiecto,in Galliam inuaſerant,repulit. Septimo,totius ferè Galliæ rebellionem ſumma ciuitatum omnium conſenſione excitatam, compluribus factis prœliis ſedauit, vrbéſque quamplurimas,vi cepit. Octauo, nouos item alios multis Galliæ partibus excitatos fluctus compoſuit. Extremo autem conquaſſatam ac defeſſam tot malis Galliam pacauit, atque in prouinciæ formam redactam,ignauum, (vt ait Eutropius) tributum pendere coegit. Tantis rebus geſtis cùm in patriam victor reuerſus parta immortali gloria, quiete perfrui, domíſque ocium cum dignitate(quod ætas illa ſummum hominis bonum iudicabat) obtinere poſſet,in nouos,multóque maiores fluctus ac tempeſtates incidit:graui oblato aduerſario Cn.Pompeio Magno, qui nihilo minorem ſibi ſummis rebus terra mariq. geſtis gloriam pepererat. Itaque ciuile bellum ingreſſus, cùm biennii ſpatio Italiam,Siciliam,Sardiniam,vtramque Hiſpaniam ſuam in poteſtatem redegiſſet, compluribuſque prœliis victor,fuſis aduerſariorum copiis.ſuperato fugatóque Pompeio regiam poteſtatem ſub perpetuæ Dictaturæ nomine occupauit. neque ita multo poſt occulta Senatorum, amplius LX. coniuratione oppreſſus in curia, & viginti tribus vulneribus confoſſus eſt. Has tantarum rerum viciſſitudines, animus tuus, generoſiſſime Comes, contemplans, crebróque in his libris, tamquam in tabula conſiderans, ad Maieſtatem præpotentis Dei venerandam, admirandam, cogitandam, excitabitur: veræ præſertim & caſtæ religionis diſciplina iam imbutus, aſſiduíſque piorum & bonorum virorum conſiliis munitus, Neque verò, in hac humanarum rerum varietate conſideranda, lamentabilis ille Cn. Pompeij re & cognomento Magni caſus prætermittendus eſt: qui cùm tribus conſulatibus, tribúſque triumphis diuinos propè iam honores adeptus videretur,ac per annos quatuor & triginta ſemper vincere, ſemper de cæſis hoſtibus triumphare didiciſſet:nunc annos vnde ſexaginta natus,amiſſo florentiſſimo exercitu amiſſis caſtris victus,fugatus & ſolus in vltimis oris,in Ægyptiorum ſolitu-

dine,per hoſpitii atque amicitiæ ſpeciem trucidatus, miſerandum omnibus ſpectaculum præbuit:cum abiectum ipſius cadauer tamdiu in littore iacuit,dum à ſeruulo,congeſtis nauiculæ fragmentis cremaretur. Iam verò vt alteram tibi huius inſtituti noſtri rationem exponam, non mediocriter me ad hoc conſilium fortiſſimi & præſtantiſſimi viri Franciſci Colinij parentis tui recordatio cohortata eſt. Cuius, auíque tui Gaſpari Colinij Franciæ Mareſchalli,& Gaſpari patrui,eiuſdem Franciæ Amirallij,ceterorúmque maiorum tuorum tanta in rempubl.merita exſtiterunt, vt præter ampliſſimos honores, quibus olim à ſuperioribus noſtris Regibus adſecti ſunt,etiam quod tibi,ceteríſque illorum poſteris debeatur redundet. Quid dicam de Laualliorum Comitum maiorum tuorum illuſtri ac vetuſta familia, qui cum Franciæ Duces eſſent ac dicerentur,non modò ſummis quibuſq; atque ampliſſimis honoribus ab antiquis Regibus noſtris adfecti fuerunt, verumetiã neceſſitudine cũ iis coniuncti.regúmque Hiſpanorum,Arragonenſium,Neapolitanorũ, Anglorũ .& Scotorũ adfinitatibus honorati? Ex eadem antiquiſſima ſtirpe tot rei militaris duces, tot Galliæ Comeſtabuli,Mareſchalli,equeſtris ordinis magiſtri ac proreges fuerunt, vt tibi non tam imagines familiæ ſpectandæ atque admirãdæ, quàm quid maioribus tuis debeas,cogitandum eſſe videatur. Sed de illorum dignitate,ſummáque in pace iuſtitia,in bello,virtute; in omni fortuna,modetatione;aliud,vt ſpero,dicendi tempus dabitur. De patre quidem tuo,magni animi ſummíque conſilij viro.ſine vlla, vt ſpero,adſentationis ſuſpicione,liquido adfirmate poſſum,illum,ſiue rei militaris laudem,in qua ei deferre palmam etiam aduerſarij ſolebant, ſiue pacis tranquillitatíſque publicæ ſtudium ſpectemus,adiuuandæ,ornandæ,illuſtrandæque patrię natum fuiſſe. Cuius te veſtigiis incedentem,& cum generoſiſſimis patruelibus in iſta maiorum veſtrorum imitanda virtute conſociatum cum video, magnam in ſpem adducor ſore, vt procerum illorum loco atque amplitudine digniſſimus iudicere. Quod vt Deus opt.max.pro ſua perenni ac perpetua in te benignitate ſaxit, tuámque adoleſcentiam ornamentis omnibus fortunet,ex animo ab eo peto, quæſóque Vale. Generoſiſſime comes,& ſalue,X.Kalend.Mart.M. D. LXXIIII.

Altera ad IOANNEM HOTMANVM F. in eoſdem Cæſaris Commentarios.

XXXII. PRÆFATIO.

NON ſum neſcius(fili)operam me tibi ceteríſque omnibus perutilem nauaturum fuiſſe,ſi nomina gentium,regionum, vrbium, ac locorum,quibus his in libris Cęſar vtitur,cum iis,quibus hoc tempore vtimur nominibus contuliſſem:vt quo quidque loco geſtum eſſet,notari iam à quoque,& animaduerti poſſet:eamq. ſuauiſſimam animorum oblectationem futuram fuiſſe. Sed primum omnium affirmo,illud opus eſſe non priuati & tenuis alicuius hominis,præſertim in vmbraculo & bibliotheca ſua conſeneſcentis: ſed Regis ac Satrapæ cuiuſpiam,qui ſibi vetus illud Antonini aut Ptolomæi, præclarum exemplum imitandum proponeret. Non enim ſolis Gallis,ſed Germanis,Heluetiis, Allobrogibus,Hiſpanis,& Britannis danda opera fuiſſet. Neque vero in libris tantum de Bello Gallico opera illa ſumenda,verum etiam in iis,qui de bello ciuili conſcripti ſunt:qui ſine Italiæ,ac præſertim Hiſpaniæ totius cognitione & comparatione, plenè intelligi non poſſunt. Præterea quantum ad Germaniam attinet, video quidem eruditos viros complures, bonam piámque operam patriæ ſuæ nauaſſe. Henr. Glareanum, Ægidium Tſchudum, Altametum, Thomam Hubertum, Iohannem Rhellicanum, ſi qui longè reliquis omnibus antecellit, Beatum Rhenanum

num. Verum illi tam parum inter ſe conſtant, atque adeo tam multa perſpicuè pugnantia tradiderunt, vt nihil propemodum certi atque explorati reliquerint. In Gallia verò noſtra quis eſt, qui vel minimum in tam præclaro inſtituto laborem poſuerit? quod magno gentis noſtræ cum pudore fatendum eſt. Quæ vt olim Ægyptij à ſuis tyrannis, in molibus & pyramidibus exſtruẽdis occupati fuerunt, ne cui meliori cogitationi locum relinquerent: Sic tota propè in litibus ſectandis, & forenſibus ac tabulatiis negociis ætatem conſumit. Itaque Raymundi Marliani doctiſſimi viri libellum de Galliæ & Germaniæ regionibus conſcriptum relinquendum putaui tantiſper dum Heros aliquis exſiſtat, qui Cæſaris librorum ſtudioſus, vel potius virtutis æmulus: negocium eius rei conficiendæ quamplurimis doctis viris, magnis propoſitis præmiis, committat. Interea eam partem Itinerarij Antonini, quæ ad Galliã noſtram pertinet, adhibendum curauimus; ſimulque regum ac principum Gallorum, Germanorum ac Britannorum nomina, litterarum ordine, nuper abs te ipſo animi cauſa deſcripta, in hanc appendiculam retuli. Vale fili, & his fruere. Kal. Mart. M. D. LXXIV.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM OTTHONEM HENRICVM Ducem Brunſuuicenſem, & Luneburgenſem: in tit. C. de vſufr.

PRÆFATIO. XXXIII.

QVOD perſæpè ex me audiſti, Princeps illuſtriſſime, & ex priuatis ſcholis noſtris animaduertere potuiſti, multa ſunt in hac arte noſtra confragoſa, multa ſpinoſa, multa (vt verè dicam) inexplicabilia. nam præter eas obſcuritates, quas diſputationum ſubtilitas neceſſariò peperit, exortus eſt Tribonianus, qui ſi malè de Iuriſprudentia mereri voluiſſet, haud ſcio ecquid nam aliud quàm quod fecit, feciſſet. Eius rei titulus Codicis de Vſufructu argumento eſſe poteſt, in cuius interpretatione cùm ſuperioribus diebus elaboraſſem, exire hanc lucubratiunculã noſtram in tuo nomine volui: vt aliquod meæ ergo te obſeruantiæ documentum exſtaret. Nam cùm illuſtriſſimi Principis parentis tui conſilium ſapientiſſimum ſecutus, artis huius noſtræ ſtudium ſis amplexus, conſentaneum arbitror, cui diſciplinæ decus adfers, ab eadem viciſſim tibi ornamenti aliquid adferri. Pręclarum eſt vetus illud Liuij: Ad rempub. amplificandam vim legum maiorem quàm hominum eſſe. His pax & tranquillitas alitur; his ciuium concordia continetur; his tyrannorum inſania coercetur. nam cùm multa in Romanorum legibus atque inſtitutis laude digna fuiſſe conſtat; tum nihil magis, quàm quòd lex Regia primis temporibus lata eſt, qua regum poteſtas coerceretur. Nobis (inquit lib. III. Tacitus) Romulus vt libitum, imperitauerat. dein Numa religionibus & diuino iure populum deuinxit, repertáque quædam à Tullo & Anco. ſed præcipuus Ser. Tullius ſanctor legum fuit, queis etiam reges obtemperarent. O diuinum veteris pop. Rom. inſtitutum! O tetram, flagitioſam, fœdam eiuſdem poſterorum infamiam, cùm illa toties decantata maieſtate ex hominum mentibus deleta: non modò tyrannorum immanium ſacram purpuram adorarent, verumetiam Lautata (vt tum loquebantur) id eſt oris imagines in ciuitates dimiſſas obuij adirent populi, cum cereis incenſis, eáſque pro numinibus cœlitùs delapſis colerent: cuius rei teſtimonia in huius Codicis noſtri poſtremis libris exſtant. Perge igitur, illuſtriſſ. Prin-

ceps,leges,earúmque ſacroſanctam diſciplinam amplecti,ducem præſertim ſtudiorum tuorum nactus optimum & doctiſſimum,Petrum à Vuethe. Cogita quantum illuſtriſſimis maioribus tuis debeas:quantam,ſi eniti voles, ex doctrina dignitatem ad iſtam familiæ & generis amplitudinem poſſis adiungere. Perge artem illam condiſcere,quæ principum animis iuſtitiæ amorem inſtillat,eóſque condocefacit Agidis illius Spartani regis virtutem imitari,qui dicere ſolebat, tum demum reges facillimè ſine armatorum copiis pacem & concordiam inter ſuos populares conſeruaturos,cùm animum induxiſſent,iis,tamquam parentes liberis,imperare. Vale, illuſtriſſime Princeps,& ſalue. Deum oro vt te ſingulari ſua beneuolentia complectatur. I V. Kal. Februar. CIↃ IↃ LXXV.

AMPLISSIMO VIRO, NICOLAO RHEDINGERO,

Præfecto ordinis ſenatorij in inclyta Sileſiorum vrbe Wratiſlauia: in tit. Cod. de pact.

XXXIV. **PRÆFATIO.**

DVLCIS non multo ſecus eſt ea patria, quæ genuit, quam illa quæ excepit: inquit M. Tullius, de ſuo Tuſculo ſcribens: quam ille, cùm à puero ciuis R. ac iam Conſularis eſſet, tamen germanam ſuam patriam appellat: propterea quòd illinc ſtirpe antiqua ortus eſſet duáſque interdum eiuſdem hominis patrias eſſe diſputat. Et profectò ita eſt, ſpectatiſſime Rhedingere, vt non minus ſæpè quiſque vnde oriundus ſit, quàm vbi ſit ortus, cogitet. Ineſt enim in animo ac ſenſu cuiuſque dulce quiddam, de maiorum ſuorum ortu, de progenie, ac generis ſtirpe cogitantis. quod mihi plerumque vſuuenire fateor, de Sileſiis noſtris audienti: quos, vt mihi ſummus ille vir Philippus Melanchthon aliquando ſcripſit, Corn. Tacitus, amans dulcem ſonum Græcę linguæ Elyſios appellat. nam cùm ab iis maiores mei profluxiſſent, auus quidem meus Lambertus Lutetiæ conſedit: vbi ſtirpem reliquit numeroſiſſimam: & quantum ex Ortmannorum Pariſienſium multitudine, & diuturna erga nos Dei benignitate augurari licet, multas ad ætates permanſuram. Ac mihi quidem acerbum eſt, præſertim hac ætate, illa patria carere: vt Liuius ſcribit, Exſilium ſenibus eſſe miſerrimum. Iucundum enim eſt, vbi natus atque educatus ſis, vbi liberos ſuſceperis, vbi ſedem ac domicilium fortunarum collocaris, curſum vitæ conficere. quis negat? quinetiam optabile eſt, ſummæque felicitatis eſſe creditur, in ea ipſa domo, vbi natus, vbi educatus ſis, ætatem agere. ſed, quod olim Themiſtoclem ſuis liberis dixiſſe ferunt, non minoris felicitatis eſt ſi labantem illam domum, ſi præcipitantem, ſi ruinam minitantem animaduertetis, maturè te ab illa ſubducere. Sed redeo ad noſtros Sileſios. Vidi etiam aliquot ab hinc annos, cùm in viciniam veſtram, Karoli Regis miſſu, florentibus in Gallia rebus, profectus eſſem, aliam noſtrorum Otmannorum ſtirpem ex eodem fonte diductam, vt (quod idem ille Philippus, vir ſummus, eiúſque gener doctiſſimus mihi commemorabant) quædam quaſi Otmannorum coloniæ ex inclyta veſtra metropoli Wratiſlauia, varias in partes deductæ viderentur. quam vrbem etſi nondum mihi oculis videre licuit, animo tamen & cogitatione ſæpenumerò ſum contemplatus. quinetiam qualis, quantáque eſſet, quàm benè morata, quàm ſapienter inſtituta, quàm bonis legibus ac moribus temperata; ex iis, quos producit, hominibus, facilè mihi coniicere licuit. nam qualis quiſque ager ſit, ex fructibus, quos effer-

efferre conſueuit, exiſtimandi copia eſt. Vidi adoleſcentes Wratiſlauienſes non paucos, qui pacata & florente Gallia, ſtudiorum cauſſa, in eas ſe Academias conferebant, in quibus iuris ciuilis diſciplinam profitebar. Quorum in numero fuere duo fratres tui germani, Ioannes & Thomas Rhedingeri, lectiſſimi adoleſcentes, & rectiſſimis ſtudiis atque optimis artibus eruditiſſimi. Ac Ioannem quidem ſumma virtutis indole præditum, atque adeò firmata iam ſtirpe virtutis floreſcentem, cuius oris totiúſque corporis dignitas, omnium elegantiorum hominũm animos, primo ſtatim adſpectu ſibi conciliabat, nobis immatura mors ademit. Thomam incredibili in litteras, in litteratos viros, in optimos quoſque libros conquirendos, animi ardore flagrantem cùm videmus, decus ac lumen patriæ, totiúſque Sileſiæ ornamentum fore confidimus. Familiares etiam mihi fuerunt Sileſij duo nobiles, ac ſummo ſplendore præditi adoleſcentes, Caſparus à Seidlitz, & Caſparus à Danvuitz: quorum amicitiæ memoria iucundiſſimè perfruor. Iam verò quantum eiuſdem ciuitatis veſtræ ſplendorem, quantum decus, quàm clarũ lumen eſſe putamus, magnum illum Cratonem? Catonem ferè dixi; qui ſapientiæ & doctrinæ & grauitatis & conſilij gloria in primis apud Cæſaream Maieſtatem floret. cuius ego amore ac beneuolentia dici non poteſt, quantoperè delecter: Verùm ad illum adoleſcentium numerum, qui diſciplinam noſtram adamarunt, acceſſit ſuperioribus menſibus Iacobus Monauius, iuris ciuilis ſtudio deditus, & ſingulari quodam magnis in rebus iudicio, neque minore induſtria præditus: qui cùm ſuperiorum illorũ auctoritatem ſecutus, multa mihi de Wratiſlauienſis reipub. dignitate, copiis, amplitudine, multa de vrbis ac vicinitatis totius ſplendore atque amœnitate, ſumma cum voluptate narraſſet: multa etiam cum de ſingulari tuo erga litteras & litteratos viros ſtudio, tum de aliis multis & magnis virtutibus tuis commemoraſſet, animum certè meum, tale aliquid iam pridem meditantem induxit, vt ſub ornatiſſimo tuo nomine libellum aliquem è bibliotheca mea depromtum emitterem: in quo meam erga ampliſſimam atque florentiſſimam Rempub. veſtram obſeruantiam ac potius pietatem teſtarer. nam cùm te & Senatus Wratiſlauienſis principem, & veræ pietatis in primis ſtudioſum: & bonarum artium omnium patronum eſſe, non modò ex clariſſimi Cratonis litteris, verùm etiam ex eiuſdem doctiſſimi Monauij quotidiano ſermone intellexiſſem: filiúmque tuum excellenti adoleſcentem ingenio, mihi commendare decreuiſſes: officij mei eſſe putaui, qualecumque hoc meæ erga te obſeruantiæ, teſtimonium edere. quod ſi neque tibi, neque ampliſſimo Senatui iniucundum fore intellexero, ſpero me deinceps operam daturum, vt ſi mea erga miſeram atque oppreſſam Galliam pietas exſtitit, nequid eiuſdem pietatis atque animi erga beatiſſimam & florentiſſimam Wratiſlauiam defuiſſe videatur. Vale vir ampliſſime & ſalue. Deus te, tuamque nobiliſſ. familiam ſingulari ſua beneuolentia complectatur. Kal. Mart.

M. D. LXXV.

GENEROSO DOMINO
WOLFIO BARONI A SCHOENBVRG Glauchau & Vualdenburg, In lib. IV. Obſeruat. XXXV.

PRÆFATIO.

ARDVA, perdifficilis, & operoſa res eſt, iuris ciuilis interpretatio. Etiam antiquis illis Iuriſconſultis, qui non modò ſtante, verumetiam ad vnius dominatum tranſlata Repub. diſciplinam hanc certatim ſuis ſcriptis illuſtrarunt, laborioſiſſima ſemper viſa eſt. Neque enim de perſonarum tantùm ſtatu & condicione, de pactis conuentis, de teſtamentis, de hereditatibus, de tutelis, de matrimoniis, de diuortiis, de lite ordinanda diſputandum eſt, verumetiam de ſenatu, de magiſtratibus, de imperio, de iuriſdictione, de vectigalibus publicis: de iis denique rebus omnibus, quæ iuris publici partes numerantur. Verùm hoc tempore multo maiore cum labore atque negocio, & nomen & munus illud Iuriſconſulti tueri cogimur. nam illi antiqui leges, edicta: S. C. de quorum ſententia & interpretatione conſulebantur, habebant integra: nos leges ipſas quas interpretari cogimur, partim non habemus vlla ex parte, partim mutilas tantum habemus, & laceras, & truncatas, ac tanquam fragmenta quædam Edictorum Senatuſconſultorum ex quibus de illorum ſententia coniecturam facere, ne dicam ariolari, cogimur. Illi ſuperiorum, qui in eodem ſtudio verſati cum laude fuerant reſponſa, & commentarios integros habebant, & cùm diuerſæ ipſorum ſectæ ac diſciplinæ eſſent, quam quiſque ſectam ſecutus eſſet, cognoſcebant: vtrum ſcilicet Sabinianus, an Proculianus an Caſſianus aliquis fuiſſet. nobis fruſta quædam ex illis libris ſuperſunt, adeò confuſa, diſiecta, indigeſta, vt hos ſuos libros Tribonianus κατ' ἀντίφρασιν Digeſta inſcripſiſſe videatur. Sed cùm aliæ multæ in his libris noſtris obſcuritatis cauſſæ, ſunt tum illa præter cæteras exercitatiſſimum quemque fatigat, quod innumerabilia in iis menda eſſe conſtat, quæ partim temporis vitio, partim etiam deſcriptorum & librariorum inſcitia contigerunt. In quibus emendandis pauci eruditi viri noſtro hoc ſeculo ſumma cũ laude & ingenij gloria elaborarunt. Quorum tamen eximios labores à neſcio quibus rabulis, ſophiſtis, præſtigiatoribus contemni ac pro nihilo duci videmus; quos quia neq; ad litteras, ſed ad aratrũ natos: neq; bene de mẽte conſtitutos eſſe iudico: contẽnendos potius, quàm refellendos puto. me quidem illorũ inſanæ contumeliæ tantùm abeſt vt ab hoc ſtudij genere abſterreant, vt nullũ ſcriptionis genus eſſe arbitrer, in quo magis elaborandũ putem: nullũ in quo lumẽ ingenij clariùs, ac dilucidius eluceat; nullũ ex quo ſcriptoris acumen melius agnoſcatur: Nã verba fundere, & quæ iã ab aliis ſcripta ſunt, aliis cõmutatis verbis exſcribere, atq; (vt noſtri quondã loquebantur) eandẽ rẽ agere alio modo: cuiuſuis hominis eſt in latina lingua vel mediocriter exercitati, Baldus ipſe & Salicetus, (ne alios nominẽ) nihil ferè niſi quod Bartolus ſcripſerat, interdũ etiã totidẽ verbis in ſuos cõmentarios tranſtulerunt. Sed mendũ in aliquo ſcriptore animaduertere, & quemadmodum quodque ſit corrigendũ excogitare: hic opus hic labor eſt; hinc laureã ingenij, nõ (vt quondã dicebatur) ex muſtaceo quærendã arbitror. Nã etſi in tantis tenebris interdum caligamus, atque etiam offendimus: tamen vt aliæ res omnes, ſic ſi libelli noſtri ex maiore & potiore parte æſtimandi ſunt. Cùm autẽ quartũ hinc obſeruationum noſtrarũ librũ, cuius bona pars in illis animaduerſionib. conſumitur, in lucẽ editurus eſſẽ, officio erga te meo conuenienẽ putaui, eũ tibi (adoleſcẽs nobiliſſime) inſcribere: partim vt aliquod meũ de tua eximia indole teſtimoniũ publicè extaret: partim vt tuũ ad hanc diſciplinã noſtrã ſtudium incitarẽ, cùm id quod in publicis priuatiſq; ſcholis noſtris perſæpè ex me audieris, in hoc libello animaduertes multo veriùs, & caſtiùs, & integrius ius ciuile veterũ Iuriſconſultorũ more ac modo tractari, quã ab illo impuro, ſordido, barbaro, q circiter ducẽtis ab hinc ãnis in ſũmo

bonarum

bonarum omnium artium interitu, ab illis Sycophantis & vitilitigatoribus inſtitutus eſt, ſumma cum pernicie iuuentutis, & bonorum ingeniorum peſte: vt non ex limpidiſſimis Iuriſcõſultorum fontibus, ſed ex foediſſimis Sophiſtarum lacunis hãc diſciplinam hauriendam putent: & ex coacervatis multorum allegationibus laudem quærant, proinde quaſi tanti apud nos ſint, vt eorum etiam ſine ratione valeat auctoritas: aut quaſi non argumentis & rationibus, potiùs quàm teſtimoniis & auctoritatibus quærequidque iuris ſit, docere oporteat. Perge igitur, clariſſime adoleſcens, eam iuris noſtri viam, quam me auctore ingreſſus es, ad extremum tenere. Laborioſa & difficilis hęc diſciplina eſt. multa ſunt dumeta, multæ ſpinæ, multæ vepretulæ, quis neget?

Sed te id quod multi inuideant, multique expetant
Inſcitia ſit, poſtulare ſi tu laborem ſumma cum cura efferas nullum.

vt vetus Poeta eleganter ſcripſit. pare conſilio prudentiſſimi parentis tui: atque enitere, vt illius ceterorúmque propinquorum tuorum concepta de te exſpectationi reſpondeas. Habes domeſticum virtutis exemplum in tuis maioribus, in tuo parente fortiſſimo & ſapientiſſimo viro, quod imitere: non deeſt ingenium, non cuſtos & gubernator adoleſcentiæ tuę, non æqualium exemplum. A me certè, ne quid tibi deſit, quod ad te cohortandum impellendúmque pertineat, ſedulò ſtudioſéque curabitur. Vale nobiliſſime adoleſcens, & ſalue. Calend. Febr. CIƆ IƆ LXXV.

MAGNIFICO VIRO NICOLAO FIERLEY in Dambrouicza, Caſtellano Vuiſlicienſi, &c. regni Poloniæ ſenatori: in Comment. de Pignorib.

PRÆFATIO. XXXVI.

VERISSIME ſcriptum eſſe olim à M. Tullio, Nihil eſſe dulcius ocio litterato, cùm in omni vita ſenſi, magnificè & ampliſſimè FIERLEY: tum verò pręcipuè quatuor ferè abhinc annis quibus Gallia patria & parens mea, mortifera duo perfidiæ, & crudelitatis vulnera ſimul accepit, quorum memoriam boni omnes omnibus in gentibus non modò hac ætate deteſtantur, verum etiam ſeculis omnibus deteſtabuntur. Quinetiam hoc tempore, cùm illam funeſto fatalíque bello cõflagrare cogito, cùm mihi ciuium vexatio direptióque, pulcerrimarum regionum vaſtitas, cùm tot latrocinia, rapinæ, cædes, incendia mihi ob oculos verſantur, vt incredibilem animi mœrorem, quem ex tanta calamitate percipio, leniam; nullum paratius ſolatium atque alleuamentum reperio quàm libros & ſtudium meum litterarium, in quo ætas hæc mea ingraueſcens adquieſcit. Ad hoc & legendi libros veteres, & interpretandi iuris ſtudium, addo etiam interdum ſcribendi laborem: qui mihi tamen plerumque non labori ſed ſummę voluptati atque oblectationi eſſe ſolet. Itaque ſuperioribus menſibus locum delegi è medio iure ciuili noſtro præclariſſimum & cùm ad ingenij exercitationem, tũ etiam ad vſum vitæ & fori accommodatiſſimum *De pignoribus & hypothecis*: & quæ à Triboniano noſtro diſpersè atq; confusè tradita videbantur, ordine ac diſpoſitè tractaui. Cúmque pro recepta & inueterata omnium conſuetudine ſcriptum hoc meum edendum, & ſub inſignis alicuius viri nomine promulgãdum videretur: multis de de cauſſis vt illud ampliſſimo tuo nomini inſcriberé, ſum adductus. Nã ſi in Patrono nobilitas & generis amplitudo quæritur, FIERLEIORVM gens inter antiquiſſimas Polonici regni familias numeratur: ac iam tum opibus & dignitate floruit, cũ Vladiſlaus Lokietko Poloniæ regnum obtineret, circiter annum Chriſtianæ ſalutis CIƆ. CCC. quo tempore Oſtaſius, veſtri generis decus, ampliſſimum in regia Dapiferi munus ſuſtinebat: cuius cùm poſteri & virtuté imitati ſunt, & pari honore digniſſimi ſemper habiti fuerunt, tum verò præter cæteros gloria & laude pręſtitit Nico-

laus,qui(vt annales veſtti teſtantur)tègnante Caſimiro tertio in Bohemiam Vladiſlaum tegis filium ſecutus militari laude floruit. Vnde àd Baiazetem Turcarum Imperatorem profectus,tam fœlix pacis inter ipſum & Poloniæ regem auctor & conciliator fuit,vt omnes ei tam diuturni ocij ac tranquillitatis , qua Regnum veſtrum hucuſque vſum eſt, laudem acceptam fetant. Qua de cauſſa iterum ab Alexandro tege Iohannis Alberti fratre renouandarum pactionum cauſa miſſus , cùm re præclarè geſta rediſſet,præfectura & Palatinatu Lublinenſi ab eo donatus eſt. Poſt. etiam à Sigiſmundo ſummus copiarum dux creatus. Cùm Pruſſiam quæ pet ducentos & amplius annos à regno Poloniæ per nefas auulſa fuerat,imperata facere & Albertum ſeniorem Marchionem Brandenburgenſem qui ſummo cum magiſtratu Cruciferis prætetat abiurato ſuperſtitioſæ militiæ fœdere ſub luculento Ducatus titulo atque præmio Sigiſmundi primi fidem ſequi coegiſſet,regni Pometiis & teceptis & ampliatis,triumphabundus domum teuertens, Palatinatu Sēdomirienſi, poſtremò etiã Caſtellanatu Cracouiẽſi(quæ præcipua intet ſeculares digniras habetur)honoratus fuit. Ex eo pater tibi natus eſt Petrus, qui ex clatiſſima & vetuſtiſſima Thecziniorum familia vxotem habuit , & permultis in patria functus honoribus Palatinatu generali tettarum Ruſſiæ decotatus obijt. Verùm hæc quidem de illo præſtantiæ genete,quod propè alienum videtur:tibi certè cum aliis cõmune eſt ,*Genus qui laudat ſuum, aliena laudat*:vt vetus poeta ſcripſit.Illud verè propriéque tuum & eſt, & dici poteſt , magnificè & ampliſſimè F I E R L E Y,quòd maioribus illis ortus atque artibus militaribus ornatus,non modò fortitudinem illorum imitatus es, verum etiam litterarum propè omnium ac præſertim hiſtoriarum cognitionem ſummam ac planè ſingularem adiunxiſti,qua laude haud ſcio an vlla inter humanas ſit quæ magnos & inſignes viros magis deceat.Nam ſi eos homines prudentia cæteris ante cellere iudicamus, qui diututno terum vſu & expetientia petiti ſunt : quid de iis exiſtimare debemus , qui beneficio hiſtoriæ infinitas hominum actiones quaſi iis ipſi interfuiſſent,notarunt atque animaduetterunt?Ex verò vnde maior comparari prudẽtia poteſt,quàm ex obſeruatione caſuum humanorum & varietatis in vita? cùm clarorum & illuſtrium virorum,partim felices & optatos, partim exitiales & miſeros exitus agnoſcimus:potentiſſimorum tegum inſanias ſuppliciis omnibus vindicatas cernimus.rerumpublicarum commutationes è monarchiis in optimarum aut populatem ſtatum:ciuitatum illuſtrium euerſiones,atque interitus:bellorum denique tum inteſtinorum tum externorum calamitates,& cetera generis eiuſdem innumera, ex quibus irati in genus humanum Dei vltiones cognoſci licet. Ad hoc porrò tantum ac tam ſingulare hiſtoriæ cognoſcendæ ſtudium acceſſit quaſi virtutum ceterarum cumulus,pietatis & religionis caſtimonia : quam ita ſincerè & cordatè amplexus es,vt vel hac vna laude maiorum tuorum gloriam ſuperaris , quam vtinam Deus opt. max. pro ſua vſitata clementia & benignitate ſpiritu ſancto ſuo adaugeat,vt non modò F I E R L E I I gentiles tui teliqui,verumetiam ceteri Polonicæ nobilitatis præſtantes viri,quod in te imitentur,habeant:& deum rerum omnium conditotem,qualem ſe in filio ſuo Ieſu Chtiſto Immanuele noſtro patefecit, agnoſcant.His igitur de cauſis magnifice & ampliſſime F I E R L E Y, libenter hanc occaſionem declarandi mei aduerſus te animi & de ſingularibus tuis virtutibus indicij ad poſteritatis memoriam teſtificandi arripui:memor illius quæ apud Horatiũ eſt præclaræ ſententiæ, *Paulum ſepultæ diſtat inertiæ Celata virtus*.Hoc autem meum inſtitutum vt pro tua benignitate in bonam partem accipias , tametſi non ſecus te factutum confido,tamen vt quantopere id cupiam,cognoſcas,etiam atque etiam,abs te peto quæſoque.Ex Bibliotheca mea X.Kal.Mart.anno CIϽ IϽ LXXVI.

GENERO-

GENEROSISS. ADOLESCENTI ANDREÆ FIERLEY de Dambrowicza, Palatinidi Cracouienſi: In Scholas Cod. de pignorib.

PRÆFATIO. XXXVII.

CVM meam de Pignoribus commentationem ad Pandectarum noſtrarum rationem atque ordinem accommodatam, nuper in Magnifici viri patrui tui nomine promulgandam curaſſem, ANDREA generoſiſſime: optimum factu iudicaui, hanc eiuſdem argumenti appendicem, ad Codicis Iuſtinianei inſtitutum accommodatam, tuo nomini inſcribere: vt quos ſanguinis & vetuſtiſſimæ ſtirpis communio coniungit, eoſdem coniunctim, quo poſſem officij genere, demererer: atque ad maiorum tuorum prædicationem: quàm ſuperiore præfatione curſim attigeram, Parentis tui magni & illuſtris viri IOANNIS FIERLEI commemorationem adiungerem: cuius tanti ac tam præclari hominis laudationem prætерire, mihi hanc præſertim occaſionem nacto, fas eſſe non putaui: nam cùm per honorum omnium gradus à Sigiſmundo Auguſto rege veſtro tamen ad ampliſſimam Archimareſcalli dignitatem perductus eſſet, tantam & regi & regno fidem præſtitit, ita fortem ac fidelem reipub. veſtræ operam nauauit, vt eum rex morti proximus & de futuro interregno ſollicitus, potiſſimùm è ſua nobilitate deligeret, cui rempub. tamquam orbam, ſapienti ac fideli tutori commendaret. Qua de cauſſa ſummam ei Palatinatus & Capitaneatus generalis Cracouienſis dignitatem attribuit. quo in magiſtratu neque regis, neque procerum ſpem de ipſius virtute conceptam fefellit. Ita enim per illud interregni tempus ſeſe geſſit; vt cùm alia omnia, quæ ad patriæ ſuæ ſalutem pertinerent, ſtudioſiſſimè procuraret, tum verò præcipuè in illuſtranda Dei gloria & Chriſti doctrina propaganda elaboraret: neque quidquam antiquius haberet, quàm vt in illis Cimmeriis tenebris, quibus antehac terrarum orbis oppreſſus fuerat, veritatis lumen accenderet: quo in ſanctiſſimo pulcerrimóque inſtituto cum innumerabiles non aduerſarios, ſed hoſtium & infeſtiſſimorum & potentiſſimorum copias haberet; tamen vix dici poteſt, quanta virtute, conſtantia & magnitudine animi conatus illorum eluſerit. Et cùm in eiuſmodi animorum perturbationibus ciuiles diſſenſiones plerumque ad vim atque ad arma erumpere ſoleant; tamen incredibile dictu eſt, quantam in omnibus conſiliis cautionem adhibuerit, quanta ſapientia prouiderit, ne quid tumultus, aut ſeditionis ac diſcordiæ ciuilis naſceretur: vt etiam ab acerrimis quibuſque aduerſariis boni ciuis & patriæ amantis & ſenatoris egregij laudem ac teſtimonium adipiſceretur. Tantam porro in repub. gerenda & Mareſcallatu adminiſtrando moderationem, tantam prudentiam, iuſtitiam, temperantiam oſtendit, vt non modò ſuam futuro Regi dignitatem & reipub. auctoritatem conſeruaret, verumetiam vnicuique ſiue ciui, ſiue peregrino ſuum ius honorémque tribueret. Quæ cùm ita eſſent, tantus vir ac tantopere de veſtra repub. meritus, fato quodam miſero funeſtóque nobis ereptus eſt. nam cum in Cracouienſibus regiæ coronationis comitiis libertatem patriæ vehementius aduerſus quoſdam defendiſſet, paucis pòſt diebus morbo correptus, ac tertio noui regni menſe exſtinctus eſt. Quæ non eò commemoro, generoſiſſime adoleſcens, vt dolorem ac luctum animi tui renouem, aut augeam: (neque enim hæc propria tua calamitas fuit, ſed tibi cum vniuerſa Polonia communis) verùm vt te cohorter ac moneam, ne rerum humanarum euentis ab optimis conſiliis inſtitutíſque abducaris, neue caſus illius recordatione à defendenda pietate, & patriæ libertate propugnanda refugias: ſed ſolius Dei prouidentia confidas, cuius in conſpectu mors ſanctorum (vt Scriptura loquitur) precioſa eſt. Peto et-

iam abs te, vt ſæpenumero cogites, quantum maioribus tuis debeas, quantam de tua ſiue eximia indole, ſiue iam adulta virtute, quantam etiam de illuſtris Parentis olim tui, nunc etiam de Magnifici viri: patrui tui, diſciplina ſanctiſſima ſpem concitaris: bonaſque artes ac litteras quo cœpiſti ſtudio complectare: atque, vt huic præfationi finem faciam, munuſculum hoc meum eo animo accipias, quo à me tibi officij cauſſa defertur. Vale generoſiſſime adoleſcens, & ſalue. Deus tuam adoleſcentiam ſingulari ſua beneuolentia complectatur. Kalend. Mart. CIƆ IƆ LXXVI.

ILLVSTRI VIRO RICHARDO STREINNIO, Baroni à Schvvartzenau &c. Cæſarei Senatus Præſidi ſapientiſſ. in partem Epitomat.

XXX VIII. PRÆFATIO.

IN his meis mœroribus atque acerbitatibus quibus ob iſtam diuturnam patriæ calamitatem & vaſtitatem afficior, generoſiſſime Baro dici non poteſt, quantam ex adſidua librorum & litterarum tractatione leuationem percipiam. Ac natura quidem comparatum eſſe fateor: vt qui tuto aliquo ex loco aliena incommoda periculáque proſpectant lætentur: non quod alienis malis gaudeant, ſed quod conditionis ſuę felicitatem taciti ex aliorum aduerſis caſibus æſtiment: vt Lucretius cecinit.

Suaue mari in magno, turbantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius ſpectare laborem:
Non quia vexari quemquam eſt iucunda voluptas,
Sed quibus ipſe malis careas quia cernere ſuaue eſt.

Verum hæc neque de patriæ calamitate, neque de bonis ciuibus & patriam amantibus verè arbitror dici poſſe: quandoquidem bonis viris ſemper patriæ ſalus ſalute ſua carior atque antiquior fuit. atque vt à M. Tullio veriſſimè ſcriptum eſt, omnes omnium caritates patria vna complexa eſt: pro qua etiā nemo bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus. Itaque quod vnum poſſum tantis meis acerbitatibus vel remedium, vel alleuamentum, vel certè ſolatium quærere, id ego ex hoc adſiduo in litteris & iuris ciuilis ſtudio conquiro: & à tantorum malorum cogitatione quam maximè poſſum, animum abduco. cuius rei eò mihi maior ex hac arte ac diſciplina mea facultas datur, quod ciuitatis benè beatéque conſtituendæ leges præſcribit: cuius artis ac ſcientiæ quanta in vtramque partem vis ſit, vel ex beato earum Rerumpub. ſtatu cognoſci licet, in quibus leges vigent, vel ex earundem interitu & euerſione, ſi quando rectores nactæ ſunt, qui ſpretis legibus omnia pro libidine animi ſtatuant. Ac memorabile eſt, quod grauis auctor ſcribit Polybius, cum duæ potentiſſimæ ciuitates, Carthago & Roma diuturnis bellis conflictatæ de ſumma imperij decertaſſent, idcircò Carthaginem depreſſam ac ſubactam fuiſſe, quòd, quo tempore contentiones illæ exarſerunt, tum & Carthagine ſumma legum negligentia, & Romæ ſumma earundem obſeruatio vigeret. Nam quod Plato ſcribit, fuiſſe tempus quoddam, cum homines à Diis regerentur, ſicuti nunc (inquit) pecudes ab hominib. id eſt, paſtoribus ſuis reguntur: idcircò ab illo confictum eſſe arbitror vt oſtenderet, eos, quibus reipub. gubernacula traduntur, tanto priuatis hominibus antecellere debere, quanto paſtores ouibus & bobus præſtant. quod ſine certis cuiuſque ciuitatis, aut regni, aut imperij legibus, quarum ſummi gubernatores peritiſſimi & obſeruantiſſimi ſint, nō modo nō accidere, ſed ne optari quidē poteſt: propterea quòd lex nihil aliud eſt, quàm ars & norma reip adminiſtrandę. quod ſi nullum tam tenue in vita hominum opus, nulla tam puſilla actio eſt, quæ non arte & lege aliqua regatur: (nam etiam agri colendi, & ſerendi, & nauigandi, & veſtium ſarciendatum,

rum,& telæ texendæ,atque adeo citharæ pulſandæ , leges ſunt) quanto magis ciui-
tatum & regnorum gubernandorum artem eſſe aliquam oportet ? Itaque vt nauis
gubernatorem nacta vel imperitum,vel inſanum, vel ebrium facilè naufragium fa-
cit:ita reſp.vel furioſum vel libidinoſum , vel ciuibus ſuis infeſtum rectorem nacta,
qui ſpretis patriæ legibus maiorũq; inſtitutis,omnia pro ſua libidine ſtatuat, abeſſe
procul ab exitio & interitu non poteſt. cuius rei exempla cum ſuperiores ætates
omnes nobis ſatis multa ſuppeditarunt,tum verò ne hęc ætas illuſtre aliquod poſte
tis noſtris documentum præbeat,maiorem in modum pertimeſco. Neque vero væ
ſanos & furioſos illos gubernatores incolumes & communium calamitatum expet
tas eſſe,documento ſunt exitiales Philomeli,Onomarchi,Icetæ, Dionyſij,Alexan-
dri Phæræi,ſimiliúmque tyrannorum exitus:& in Rom.imperio,Caligulæ,Neronis,
Galbæ,Othonis,Vitellij,Domitiani,qui dignos crudeli dominationi , vitæque ſce-
leratæ ac flagitioſæ conſentaneos exitus habuerunt. Quorum caſuum recordatio-
ne,cùm in ſummam ſpem adducor fore,vt eorum imitatores exitus habeant conſi-
miles:tum vero iudicij atque vltionis diuinæ maturitatem exſpectans,tacitus tantiſ-
ſper in his meis libris ac ſtudiis adquieſco:Deíque opt.max.prouidentiam veneror
atque vt Græci veteres appellarunt, Nemeſin exſpecto , eóque ſtudioſius noſtram
hanc iuris ac legum diſciplinam colo:quarum ex contemtione tantam generi hu-
mano peſtem ac perniciem inferri animaduerto. Cùm autem multi iuris ciuilis loci
cognitione digni ſunt,tum vero is potiſſimum iuuentuti commendandus eſt,in quo
de Emtione & venditione,Locatione & conductione diſſeritur:propterea quod v-
ſus eius in vita quotidiana & foro frequentiſſimus eſſe ſolet: veterúmque Iuriſcon-
ſultorum acutiſſimas atque ingenioſiſſimas diſputationes continet , & quoniam
contractus ſunt(vt noſtri auctores loquuntur)iuris gentium,idcirco ad æquitatis na-
turalis normam perpetuo reuocantur:neque ex legiſlatoris & imperatoris alicuius
voluntate pendent:cuiuſmodi ſunt fere quæ de hereditatib.& legatis & fideicom-
miſſis,in libris noſtris tractantur. Itaque cum hoc argumentum ſuperioribus men-
ſibus arte & methodo tractaſſe mihi viderer , & à Triboniani ſalebris tanquam ad
planitiem quandam reuocaſſe,dare hoc iuuentuti noſtræ munus inſtitui:verum ita,
vt cum rude atque inornatum eſſet,tui nominis ſplendore tanquam gemmis & mar
garitis ornatum atque illuſtratum in lucem prodiret. Nam cum natura, vel Deus
potius acerrimum tibi ingenium tribuiſſet,atque ita celeriter eas diſciplinas,quibus
te ab ineunte adoleſcentia dedebas,arriperes , vt mihi tantus ac tam celer progreſ-
ſus admirationem pareret:facile iam tum cum admodum adoleſcens mecum viue-
bas,(quod ego ſummæ felicitatis loco ſemper duxi) mihi atque aliis permultis per-
ſuaſi,nihil obſcurum,nihil humile nihil vulgare,imò verò nihil non amplum & præ
clarum & illuſtre à tam illuſtri ingenio exſpectandum eſſe.quàm ſpem atque exſpe-
ctationem non fefellit euentus. Vt primum enim inuictiſſimo Imperatori Maximi-
liano tua virtus , eruditio & grauitas cognita eſſe cœpit , confeſtim ſapientiſſimus
Princeps ampliſſimis te honoribus adfecit,atque in iſtum summę dignitatis gradum
extulit:de qua vt me tibi,Streinni generoſiſſime,ex animo gratulari intelligeres,&,
quo poſſem officij genere,meam erga te obſeruantiam declararem : munuſculum
hoc litterarium in ſplendidiſſimo tuo nomine apparere volui : quod vt tibi gratum
ſit,etiam atque etiam opto:Deúmque opt.max.oro atque obteſtor, vt tantam hanc
dignitatem tuam,vniuerſæ Germaniæ fauſtam ac felicem : teque perpetuo
beatum ac florentem eſſe patiatur : & filij ſui Domini & Emmanuelis
noſtri fideliſſimum & ſtudioſiſſimum clientem eſſe velit. Va-
le generoſiſſime Baro , & ſalue.Kalend. April.

M. D. LXXVI.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI LVDOVICO LANDgrauio Haſſiæ: in tit. Cod. de vſur. & fœn.

XXXIX. PRÆFATIO.

NEMINI credo eſſe dubium, Princeps illuſtriſſime, qui modò bene de mente ſit conſtitutus, quin nihil in orbe terrarum miſerius, nihil calamitoſius naſceretur, quàm hoc animal, quod Hominem appellamus, niſi Deus illi mentem ac rationem addidiſſet: qua duce ac magiſtra, ſocietatem humanam cum ſui generis mortalib. coleret. Quod vel ex eo cognoſci licet, quia ſimulatque ab ea ratione paululum deflectere inſtituit, ita nonnunquam ruit, vt nullum hominum generi tantum exitium, quantum ab ipſo comparetur: non à feris beſtiis, non ab eluuionibus, non ab incendiis, non à naufragiis, non à terræ motu ac fragoribus, non à cœli tempeſtatibus ſæuiſſimis tanta pernicies humano generi, quanta ab ipſis hominibus, infertur: cuius rei recens teſtimonium vel noſtra Gallia ſuppeditat. Sed cùm in priuatis hominibus tantum cuiuſque mens ac ratio bene inſtituta poteſt, tum verò in genere ipſo ac ciuili hominum cœtu gubernando, hoc eſt, regnis atq; imperiis & rebuſpub. adminiſtrandis, permultum ea ſumma ratio valet, quæ Lex appellatur, & iuris atque iniuriæ regula eſt, rectáque vitæ degendæ diſciplina, quæ rectè imperandi prohibendíq; ſapientia nititur. Itaq; non imperium, non regnum, non principatus, non ciuitas vlla ſine Lege, non magis quam hæc rerum vniuerſitas ſine Sole conſtare poteſt: taliſque ſine lége generis humani cæcitas exiſteret, quale, vt ſummi poetæ verbis vtar,

-per incertam lunam ſub luce maligna
Eſt iter in ſyluis, vbi cœlum condidit vmbra
Iupiter & rebus nox abſtulit atra colorem.

Cùm autem multorum legiſlatorum præclara inſtituta fuiſſe conſtat, tum verò eorum Imperatorum leges præcipuo quodam honore dignantur, qui vetera Populi R. inſtituta emendarunt; atque eorum præſertim, qui illa magna ex parte ad Chriſtianæ reipub. rationem accommodarunt: vt ſummam meritò ſapientiæ laudem tribui videamus illuſtriſſimo Principi Vuilhelmo, fratri tuo, natu & dignitate maximo: nec minorem tibi gloriam, bonorum omnium conſenſu, concedi videamus: qui Parentis veſtri fortiſſimi herois exemplum imitati, præter pietatis veſtræ ſtudium, diſciplinam iuris in ditionib. veſtris coli retinerique voluiſtis. nam hæ ſunt, ſi verè exiſtimare volumus, Pietas, inquam, & Iuſtitia, anchoræ illæ binæ, quibus Thebanus vates ad nauem, quæ tempeſtate iactatur, firmandam, vtendum exiſtimabat. Hæ ſunt duæ nutrices, quas poetæ Ioui ſuo attribuerunt, Ida & Adraſtea. Sunt autem in iure noſtro loci inſignes innumeri, ſapienter cùm à veteribus Iuriſconſultis, tum ab Imperatoribus Chriſtianis tractati; ſed nullus maiore diligentia explicatus exiſtimatur, quàm is in quo de Vſuris & Fœnore conſtituerunt. Itaque cùm ſuperioribus menſibus illum locum quem olim adoleſcens tractaram, multo & ſtudioſius & accuratius explicaſſe viderer, ac iam de ea Commentatione promulganda cogitarem, his de cauſſis, vt hunc meorum ſtudiorum fructum tibi dicarem, ſum adductus. Primùm, vt quantum illuſtriſſimæ familiæ veſtræ debeam, & quàm fideli & grata memoria veſtram erga me beneuolentiam colam ac proſequar, publico aliquo monimento teſtarer. Memini enim &, quãdiu viuam, meminero, quoties & quam amanter ſimulatque mihi ex patriæ incendio euadere licuit: quoties inquam, & quàm cupidè, liberaliter & honorificè me ad Academiam veſtram inuitaueritis. deinde tanta fuit fratris tui Principis Wilhelmi Mœcenatis mei optimi, ſemper ex eo tempore erga me liberalitas, tantáque beneuolentia, vt niſi eam, quamdiu viuam, quibus potero modis celebrem, meritò ingratus atque impius videri poſſim. Præterea, cùm

reà,cùm

reà, cùm ſedatis (vt ſperare mihi videor) ſæuiſſimis Galliæ tempeſtatibus honorificentiſſimis bonorum virorum decretis, à patria mea reuocer, & ad eas dignitates euocer, quib. ſuſtinendis ingenuè me imparem agnoſco: non prius mihi de diſceſſu cogitandum putaui, quàm aliquo munere ex bibliotheca mea deprompto, & quaſi frugib. ex hortulo meo decerptis, gratum meum erga te animum oſtenderem: atque illuſtriſſimæ familiæ veſtræ bene ex animo precatus, ditioni veſtræ ſubiectos beatiſſimos iudicarem, qui talem Principem nacti eſſent, qualem Chryſantha Xenophonticus optabat, cum inter bonum Principem & bonum parentem nihil diſcriminis eſſe ſtatueret. Erit igitur clementiæ & benignitatis tuæ, Princeps illuſtriſſime, munuſculũ hoc noſtrum boni cõſulere: quod certè ſi vel ex ſua, vel ex tanta iſta dignitate veſtra ſpectetur, tenuiſſimũ eſſe fateor: at ſi ex meo erga vos animo æſtimetur, permagnum eſſe adfirmo: quandoquidem ex tanto ditionis veſtræ clientum ac ſubiectorum numero, nemini, qui maiore fide, ſtudio, atque obſeruantia illuſtriſſimam familiam veſtram colat, concedo. Vale illuſtriſſime Princeps, & ſalue. Kalend. Sextil. M. D. LXXVI.

NOBILI VIRO, CASPARO A DANWITZ in Ionſdorff, sereniſſimorum Archiducum Auſtriæ Matthiæ & Maximiliani Camerario: in tit. Cod de iudic.

PRÆFATIO. XL.

QVAM gratę & ſuaues ac iucundæ mihi nuper tuæ literæ fuerint, Danvvitzi nobiliſſime, ſi minus ex priſtino & perenni meo erga te animo (quem paternum appellas, exiſtimare potes: documento tibi noſtrum hoc munuſculum eſſe poterit: quod non modo tibi, cuius indolem mirificè adamaui, verum etiam Academiis noſtris omnibus monumentum extare volui, ſingularis mei de tua præſtanti virtute, atque ingenij probitate, & ſuauiſſimis moribus, iudicij. Dĩes fortaſſe, mirum eſſe, quòd hac ætate ingraueſcente, tot præſertim ærumnis & calamitatibus iactatus, neque modum neque finem ſcribendi faciam. Sanè cum ad quietem me valetudo & ætas vocat, tum verò etiam defatigatio quædam: præſertim hoc ingrato ſeculo, quo, ſi poſt tot pugnas & certamina, coronam nullam merui, rude certè donari tot plagis, iis quæ inſignibus adfectus, debuiſſe videor.

Cædimur (inquit Flaccus) ĩnque vicem plagis conſumimus hoſtem.

Lẽto Samnites ad lumina prima duello. Quod præſertim ex eius libelli editione ſenſi, quem triennio antè adflictiſſimæ patriæ ſubleuandæ cauſſa in vulgus edidi, qui quãtum mihi ab Alaſtoribus noſtris, & eorũ palpatoribus, ac ſycophantis, togatiſq; vulturiis odij conciliarit dici vix poteſt. Verumtamen Alcibiadis more exclamare licet, cũ illũ Eutibiades ſublato Scipione loqui vetaret: πάταξον οὖν καὶ ἄκουσον. Feriãt igitur ſycophantæ, & me tamen audiant, ſed poſteritati, iudici incorruptæ, integrũ de fideli meo erga patriam animo iudicium relinquant. Redeo ad inſtitutum. Te in illuſtriſſimorum Principum comitatu florere ac vigere, vehementer gaudeo: tibiq; ac patriæ Sileſiæ gratulor, cui non mediocre ex hac tua dignitate ornamentum accedit. Quod vt me ex animo feciſſe intelligas, libellum hunc de Iudiciorum ritu atque ordine à Iuſtiniano Imperatore inſtituto, tibi dicamus, ac dicatum dono mitto: vt cùm me tibi nullo meo merito tam carum eſſe intelligam: tu quoque viciſſim hanc mei erga te fideliſſimi atque amantiſſimi animi ſignificationem habeas. Vale nobiliſſime Danvuitzi, frater & amice integerrime: & generoſiſſ. Baronem Streinnium, virũmque ampliſſimum D. Cratonem meis verbis honorificè ſaluta. Deum oro, vt tua ſtudia ſpiritu ſancto ſuo gubernet: ac generoſum tuum animum ſingulari ſua beneuolentia complectatur. Ex Muſæo noſtro, X. Kalend. Septem. M. D. LXXVI.

GENEROSO VIRO MICHAELI SLAVATÆ, Baroni in Chlum & Coſſumberg: In lib. V. Obſeruat.

XLI.

PRÆFATIO.

QVOD nuper in Gallia noſtra, hoc eſt, in euerſæ patriæ meæ ruinis & parietinis videre potuiſti, generoſiſſime Baro,

Neque domi nunc nos, nec militiæ ſumus.
Imus huc, hinc illuc: cùm illuc ventum eſt, ire illinc lubet:

vt vetus Poeta, Pater Ennius, ceciniſſe traditur. Quid tu interea, Hotmane noſter? inquies. Ego, mi Slauata, non meum dolium, (vt ille Cynicus) ſed meos libellos voluo, reuoluo, circumuoluo: & eadem ſtudiorum adſiduitate, quàm biennio antè admirari ſolebas, meum de patriæ interitu mœrorem ac luctum ſuſtento. neque me ab hoc labore (ſi diſcendi labor, ac non potius voluptas & delectatio appellanda eſt) vel ſenectus, vel rei familiaris ſollicitudo abducit. Exiguo cum fructu, inquies. quippini. Iampridem enim abiit tempus illud, cùm Athenienſes Beroſo propter doctrinæ præſtantiam, ſtatuam cum aurea lingua: cùm Gorgię Leontino ſtatuam ex auro ſolidam poſuerunt: cùm Zmyrnæi Homero delubrum in opido ſuo dedicarunt: cùm Alexander Ariſtoteli quadringenties & octuagies mille Philippeos aureos attribuit, vt animalium hiſtoriam conſcriberet. Sed mihi ampliſſimum ſtudiorum meorum præmium eſt, voluptas incredibilis, quam ex hac diſcendi adſiduitate percipio: quod eſſe veriſſimum ac certiſſimum animi mœrore adfecti ſolatium experior. Addam etiam illud: Videre nuper mihi viſus ſum, quaſi per ſomnium, reuixiſſe Phalarim tyrannum, qui Steſichorum poetam, à quo diris verſibus conſciſſus fuerat, cùm hic miſer in illius poteſtatem veniſſet, non modò liberum eſſe iuſſit, verùm etiã donis ac muneribus ornauit. Itaque Deo gratiam habeo, qui me vſque adhuc à cruentis hoſtium manibus eripuit: atque in hac ſtudiorum voluptate, in hac, inquam, bibliotheca mea iucundius quàm in vllo Adonidis horto adquieſco: quæque olim adoleſcens partim in Iure ciuili, partim in aliis optimis auctoribus obſeruaui, nunc ſenex factus iuuentuti trado. Cùm autem nuper librum mearum Obſeruationum quinctum editurus eſſem, nihil amicitia noſtra me alienum facturum putaui, ſi eum in tuo nomine diuulgarem: vt intelligeres, quod veriſſimè tibi adfirmare poſſum, mihi tui vultus, vel ingenij potius, imaginem ſemper in animo verſari: ſempérque me de ſingulari quadam indole ad laudem & virtutem, quam in te animaduerti, cogitare. Neque dubito, quin hoc meum ſtudium atque officium ex ſumma erga te animi mei beneuolentia profectum, tibi iucundum accidat: quippe quòd ſingularis mei de tuis aureis morib. (vt poeta dixit) & ſummo ingenio, atque illuſtri, eximiáque natura, iudicij teſtimonium, ſiue mauis monimentum ſit futurum. nam veteres quidem Tyranni propagandi ſui nominis cauſſa, mauſolæa, & pyramidum miracula, obeliſcos, amphitheatra, porticus, arcus, & inſanas palatiorum moles extruxerunt. Verùm illa caduca ſuo tempore ceciderunt. Litterarum autem monimenta ſempiterna ſunt vigéntque ſeclis (vt ille ait) innumerabilibus. Te quidem pro amicitia noſtra, exiguum hoc munus ad tui nominis commemorationem, ad tuę virtutis commendationem, prædicationem, laudem, à me promulgatum in bonam partem accepturum ſpero: idque vt facias, etiam atque etiam abs te peto, quæſóque. Vale, generoſiſſime Baro & ſalue. Deum oro, vt eam virtutis indolem, quam in te adamaui, ad frugem & maturitatem perducat. Ex Muſæo noſtro, Idibus Februariis. M. D. LXXVII.

ILLVS-

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI GEORGIO LANDgrauio Haſſiæ: in eam partem Epitomas. quæ eſt de reb.cred.

PRÆFATIO. XLII.

MEMORIÆ proditum eſt, PRINCEPS illuſtriſſime, Annibalem, cùm infeſtis ſignis in Italiam contenderet, vidiſſe in quiete iuuenem indole ac ſpecie diuina, qui ſeſe illi diuinitùs ducem itineris datum diceret, præciperétque vt ſeſe ſequeretur, neque vllam in partem circumſpiceret. Illum autem humani ingenij more diutiùs tempetare oculis non potuiſſe: vidiſſeque à tergo immani magnitudine belluam circumplicatam ſerpentibus, quæ quacunque incederet, arbores, virgulta, ædificia, tectáque omnia ingenti ſtrage perucrteret: pòſt verò ſequentem cum fragore cœli nimbum, grandine, fulminibuſque grauidum: tum admiratum quæſiſſe, quódnam illud eſſet prodigium: reſpondiſſeque iuuenem, vaſtitatem eſſe Italiæ: quod verbum euentus & atrociſſimum XIIII. annorum bellum comprobauit. Huius rei memoriam mihi perſæpè Galliæ noſtræ calamitas renouat: nam eſſe immanem belluam, quæ GALLIÆ VASTITAS paſſim toto terrarum orbe vna gentium omnium & mente & voce nominatur, ac tantum iam temporis ſpatium à bellorum ciuilium initio fluxiſſe, nemo ignorat. An verò nimbus cum cœli fragore & ſulphure & fulminibus breui ſit conſecuturus: qui crudelitatem atque impietatem innumeris periuriis implicatam, vlciſcatur, tu, PRINCEPS illuſtriſſime, pro tua prudentia, pietate & adſiduo ſcripturæ ſacræ ſtudio exiſtimare potes. Propter ſcelera & flagitia (inquit Vates ſanctus) transferuntur regna. neque inſigniot vllus videtur locus, quàm ille in libro Sapientiæ; vbi Salomon reges ſuo potentatu atque imperio abutentes his adfatur verbis: Poteſtas vobis à Deo data eſt, is res veſtras geſtas in diſquiſitionem vocabit. Cùm ipſius imperij adminiſtri eſſetis, auarè, crudeliter, flagitioſè ius dixiſtis. Itaque Deus horribiliter apparebit vobis ſeueriſſiméque in vos, qui veſtra poteſtate abuſi eſtis, animaduertet. Exſtat autem in Græcorum libris hiſtoria inſignis de Semiramide, quæ cùm Aſſyriæ regnum aliquandiu libidinoſè & turpiter adminiſtraſſet, tandem illum ſulphuris nimbum experta eſt. Hæc infimo nata loco regi Nino propter formæ venuſtatem placuit, tantámque flagitioſa conſuetudine, gratiam apud illum adepta eſt, vt Ninus ſemel ei polliceretur, eam quidquid ab ſeſe peteret, impetraturam. Petiit vt ſibi ad diem vnum ſedere in Regis ſolio, ac poſtulantibus ius dicere liceret: vtíque ciues ſibi tamquam ipſi Regi ad vnius illius diei ſpacium obtemperarent. qua re impetrata, primùm de leuibus & exiguis rebus decreta interpoſuit. vbi modeſtè omnes imperata facere animaduertit, tum ſtipatoribus regiis mandauit, vt Regem prehenderent, mox vti comprehenſum vincirent, poſtremò vt vinctum necarent. His artibus Semiramis imperium adepta confeſtim ſe in omne libidinis genus effudit, ac poſtremò cùm infamem filij conſuetudinem appetiſſet, ab illo necata eſt. Nimbus hic fuit in Semiramidis caput, quæ aliquot annos Aſſyriæ vaſtitas extitit, fulgure tonitru, grandinéque grauidus. Ex eodem belluarum genere memoratur Sœmias Imperatoris Heliogabali mater, quæ cùm meretriciam diſciplinam, domeſticúmque filij lenocinium perquamdiu exercuiſſet, auctoritatémque ſibi ſummam in regno adminiſtrando atque in ſenatu ſumſiſſet, omniáque diuina atque humana iura permiſcuiſſet tandem iuſto ciuium odio oppreſſa, obtrita, interfecta eſt. Verumenimuerò, dixerit aliquis, Ecquid igitur in tantis incommodis remedij? Nihil eſt, quòd faciliùs expediri poſſit. Sed ne iuſto dolori meo nimium indulgere videar (nam aberrat animus à ſententia, tantorum malorum recordatione perculſus) me-

mini me in Græcorum commentariis legiſſe, Oſyrim Ægypti Regem ſceptrum habuiſſe, cuius in ſummo fingi oculum iuſſerat: quo monebatur, vt diligenter in omnes regni ſui partes circumſpiceret, ne qua fortè ex parte labaret. Rectiſſimè autem Plato Reges nauium gubernatoribus comparat: quorum procuratio eſt: ſic ad puppim ſedere, atque ita oculis omnem in partem emiſſitis clauum tenere, ne quem ad ſcopulum afflicta nauis, & ipſum & onera, & vectores omnes euertat. Nunc ei gubernaculum committere: vel aliquamdiu commiſſum diutiùs permittere, cuius culpa, temeritate, inſania, nauis ſæpiùs adliſa, vulnerata, perfoſſa eſt, perditi & deſperati ingenij videtur. Qua in cogitatione (nam ex contrariorum contentione melius res quæque æſtimatur) mihi perſæpe felicis & fortunati imperij veſtri in mentem venit, PRINCEPS illuſtriſſime: ac non modò Germanici vniuerſi, verumetiam Heſſiaci: quod tot iam annos florens ac beatum Deus pro ſua benignitate conſeruat. Et cùm à patriæ meæ contemplatione, in qua crebris fragoribus omnia quatiuntur, & (vt in tempeſtatibus turbulentis) ignes hinc atque illinc micant, animum additionis veſtræ tranquillitatem refero, veriſſimum eſſe ſtatuo quod Seneca in libro de clementia ſcripſit: Non aliam eſſe faciem quieti moderatique imperij, quàm ſereni & nitentis cœli. Crudele regnum (inquit) turbidum, tenebriſque obſcurum eſt, inter trementes & ad repentinum ſonitum expaueſcentes: nec eo tamen, qui omnia conturbat, inconcuſſo. Itaque cùm hanc veſtram, hoc eſt, quatuor concordiſſimorum fratrum, Landgrauiorum Haſſiæ, in adminiſtranda ditione veſtra prudentiam nuper admiratus eſſem, gratulari tibi volui: meûmque de ciuium veſtrorum felicitate iudicium publicè teſtari: & qua poſſum ſignificatione gratum me ac memorem eius benignitatis uſtendere, qua me nuper ex mei Mecœnatis aula redeuntem in arce veſtra complexus, hoſpitio etiam peramanter ac perliberaliter excepiſti. Nam cùm aliquam meatum in ius ciuile comentariorum partem editurus eſſem, litteratorum omnium inſtituto patronum mihi aliquem quærendum putaui, cuius ſub illuſtriſſimo nomine libellus hic & tutior & gratior in manus hominum perueniret. Simul hanc qualemcunque occaſionem arripere volui declarandi mei erga te tuam animi, ſingulariſque de tua in hoc ætatis flore prudentia & conſilij magnitudine iudicij: quod meum inſtitutum vt in bonam partem accipias, etſi, quæ tua eſt benignitas, non aliter te facturum ſpero; tamen, ne, quantoperè id cupiam, ignores, obnixè peto quæſóque. Vale illuſtriſſime PRINCEPS, & ſalue. Deus te ſingulari ſua beneuolentia complectatur. Kalend. Mart. Anno CIƆ IƆ LXXVII.

NOBILI VIRO, ET EXCELLENTI virtute prædito, Hermanno de Haaſs, domino in Turnich, Bell. & Frechen: in Conſilia

XLIII

PRÆFATIO.

DVPLEX, Hermanne nobiliſſime, tractandi iuris huius noſtri ratio iam in vſum vitæ recepta eſt: vna, ſcholarum ferè propria eſt, altera, fori ac iudiciorum. Illa quæ in ſcholis vſurpatur (ab hominibus quidem bene de mente conſtitutis) ad Iuſtinianici Iuris libros, eorúmque interpretationem accommodata eſt: quorum præſcripta ſequitur (vt illius verba vſurpem) κατὰ πόδα: neque minus accuratè ſingulas ipſius ſententias, ſuo quaſque momento ponderat, atque examinat, quàm heredes aut legatarij ſingula teſtamenti verba obſeruant. Quæ verò paſſim iam omnium propè gentium inſtitutis in foro & iudiciis verſatur, immane, quantum ab illa diſcrepet. Primùm nulla ferè ciuitas eſt, quæ non ſuas leges peculiares habeat, quæ vulgò ſtatuta municipalia nominantur, quorum cùm de interpretatione ambigitur, ad Iuris noſtri peritos conſilij cauſa aditur. Deinde innumerabiles ſunt his temporibus con-

trouerſiæ,

trouerſiæ,de quibus vix ac ne vix quidem ex Iuſtinianici Iuris præſcripto diiudicari poteſt: veluti de iure primogeniorum, de nobilitate, de retractu pleraque: in quibus periti Iuris, quantumuis exercitati, non minus interdum hærent, quàm Medici in Hippocratis & Galeni libris verſati, ſolent in nouis quibuſdam & inuſitatis morborum generibus ambigere. Præterea receptæ ſunt, atque etiam inueteratæ, quædam inter pragmaticos opiniones, quas domo in forum quaſi res præiudicatas adferunt, quibus ſi quis Papiniani, aut Scæuolæ autoritatem obiicere auderet, non modò ſibilis, verùm etiam conuiciis exploderetur. Quid verò ſi fortè quis etiam Pandectarum Florentinarum mentionem in foro inter Pragmaticos facere auderet, & de Scripturæ varietate contenderet? quibus diſputationibus noſtræ iam propè omnes ſcholæ percrepant. Tum verò periculum eſſet, ne manus ab illo non abſtinerentur: cùm tamen ſexcentos ferè in libris noſtris locos eſſe conſtet, in quibus de particula N O N vel eximenda, vel inſerenda ambigitur. Hîc ſi de iure à litigatore conſultus, nouam contra receptas & inueteratas opiniones, diſputationem proferret, primùm & conſultorem miſerum peſſundaret, & collectam multis ſuis ſtudiis ac laboribus exiſtimationem momento temporis amitteret, atque illius veteris verſiculi veritatem experiretur, ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη, quem Romani (vt credo) pueri ſic expreſſerunt: Malum conſilium conſultori peſſimum. Quæ me res plerumque in conſultationibus (vbi Doctorum communis opinio tamquam oraculum aliquod proferebatur) tacere, ac demiſſo capite pedibus in aliorum ſententiam ire compulit, atque (vt aptiſſimo vtar verbo) de meo iure decedere: idémque facere quod olim feciſſe Muſici dicuntur, qui ſuam artem ad vulgi aures accommodabant; de quibus dici cœpit: Theatra malè canere docuerunt.

Huc accedit recepta in foro & tribunalibus opinio de gloſſarum auctoritate: nata, vt opinor, ab iis qui vel acutum & preſſum Iuriſconſultorum dicendi genus non intelligebant, vel innumerabiles eorum diſſenſiones tegere ac diſſimulare volebant. de qua auctoritate cùm alia paſſim apud Doctores teſtimonia extant, tum verò illud inſigne præterire non poſſumus, quod apud Raphaelem Fulgoſium ſuperioribus annis obſeruauimus, cum eius commentarios in Codicem ſatis attentè (vt multis tum probabam) legebamus. In iudicando, inquit, temerarium eſſet attentare iſtud, quia communis gloſſ. & Doct. ſententia eſt, quod tranſeunt ſine ceſſione. Et noſtis quanta ſit auctoritas gloſſatoris. Nonne heri dixit Cyn. gloſſam timendam propter præſcriptam idololatriam per aduocatos. Significans, quod ſicut antiqui adorabant idola pro diis: ita aduocati adorant gloſſatores pro Euangeliſtis. Volo enim potius pro me gloſſatorem quàm textum. Nam ſi allego textum, dicunt aduocati diuerſæ partis, & etiam Iudices, Credis tu quod gloſſa non ita viderit illum textum, ſicut tu? & non ita benè intellexerit, ſicut tu? Ego recordor (& ſit iſtud pro nouo) quòd dum eſſem ſcholaris, eram ſatis acutus: & dum ſemel eſſemus multi ſocij in vna collatione, auſus fui vnum textum allegare contra ſententiam Doctoris mei: tantam audaciam habui. Dixit vnus ſocius, Tu loqueris contra gloſſam quæ dicit ſic. Et ego reſpondi, Etſi gloſſa dicit ſic, ego dico ſic: ignarus auctoritatis gloſſatorũ. Credebam enim quod eſſent communes apoſtillæ, quales ſunt in libris Grammaticæ, ſicut ſuper Virgilio & Ouidio. ſed tamen non ita eſt. fuerunt enim gloſſatores maximæ ſcientiæ viri & auctoritatis. etſi aliud non eſſet quàm gloſſarum ordinatio, & de quibus poteſt dici id, quod arbitror de nullo dici poſſe, videlicet quod totum corpus iuris viderunt. Magis ergo ſtandum eſt eis qui viderunt, quàm nobis qui nõ vidimus. Hæc Fulgoſius in l. ſi in ſolutum, C. de action. & oblig. Item alio loco: Veruntamen, inquit, in iudiciis malim auctoritatem gloſſatoris pro me habere, quàm textum, quoniam, dicit ille, qui eſt in medio, Credis tu quod gloſſa non viderit textum illum, & non ita benè intellexerit ſicut tu? Hæc ille in l. ad officium, C. com. diuid. Item alio loco. Dominus tamen Bartholus eſt in contraria ſententia, vt iſte titulus habeat locum, etiam in actore: & hoc dicit probari, dum textus dicit: Nec repetendæ actionis. Sed vt videtis gloſſa exponit. i. defenſionis. cuius auctoritas in iudiciis noſtris præualet. Nam nemo ex ſcribentibus, etiamſi duo ſint, præualet gloſſatori. Hæc ille in l. 1. C. de his qui potent. nom. & l. 1. in princ. de Ædil. edict. Sed ſi ſententia gloſſatoris duobus Doctoribus eſt contraria, profectò in iudiciis præualeret ſententia ipſius gloſſæ. Atenim, dicet aliquis, præclarum illud eſt Horatij: Odi pro-

ſanum vulgus,& atceo.ac laudatur illud ex vetere Tragœdia, *αἴσχρον μὲν σιωπᾶν, τοὺς δὲ βαρβάρους ἐᾶν λέγειν*. Quis negat? Veruntamen vbi de iactura rei familiaris, vbi de honeſtæ familiæ interitu,atque euerſione agitur, vetus ille Euripidis verſus noſtris animis obuerſatur: *λίμοι τὰ κομψ', ἀλλ' ὧν πόλει δεῖ*. Itémque vulgatum illud, Viue moribus præteritis,loquere præſentibus. Atque vt hoc tempore quo Medicorum alij ſummo Hippocrati,alij nouis neſcio cuius Paracelſi inſtitutis addicti ſunt, ſolent ægri,morbo graui affecti,plerunque exclamare,Nihil ſua referre, vtrius artificio ſanentur,dummodo ſanentur:ita litigatores,ſiue Papiniani,ſiue Bartholi auctoritas in iudiciis dominetur,dummodo res familiaris conſeruetur, nihil ſua intereſſe clamitant.Quæ me res plerunque in forenſibus negotiis ab illo noſtro,quod laudare conſueuiſti,docendi inſtituto & curſu,quaſi tempeſtas quædam abripuit, & vnde flatus oſtendebatur,eò vela dare coegit:ne & meipſum,& eum vectorem, qui ſuas mihi fortunas commiſerat,perditum irem:vt Phocylides admonuit. *ἐργάζου λατρεύειν, μήτ' αἰτιατεύειν αἴτιμον*. Nam etſi totos iam quadraginta annos complures eruditi viri in barbaria è ſcholis exterminanda & germana Iuriſprudentia ſtudioſis tradenda eluctantur,videmus tamen quod de ceteris rebus propè omnibus Virgil.cecinit:

---omnia fatis
In peius ruere,ac retro ſublapſa referri.
Non aliter quàm qui aduerſo vix flumine lembum,
Remigiis ſubigit,ſi brachia fortè remiſit,
Atque illum in præceps prono rapit alueus amne.

Eo accedit vitæ communis corruptela. Nam qui purioris iuriſprudentiæ profeſſores vident in puluere ſcholaſtico conſeneſcere,alios verò nonnullos Satraparũ propè opes ſibi paucis annis conciliare,taciti caput perfricant,& vetus illud Neoptolemi ſecum admurmurant:Præclarum eſt philoſophari,ſed paucis.neq; vllius vnquam oratoris exordium tantum ad conciliandam auditorum attentionem valuiſſe affirmant,quantum illa valuit Alexandri noſtri præfatio in Rubricam de vulgari & pupillari ſubſtitutione.Raphael Cumanus (inquit) refert ſe viua voce à Baldo audiſſe, quòd ex hac ſola ſubſtitutionum materia lucratus fuerat in conſulendo, plus quàm quindecim millia ducatorum. Ideo aduertatis. Verum hæc quidem & pleraque alia, vt ſpero,alias mi Hermanne,nec inuita fortaſſe Minerua. Cùm autem à me ſtudioſi complures & coram,& per litteras petiiſſent,vt reſponſorum,ſiue(vt recepto & forenſi vtar verbo)conſiliorum meorum ſpecimen aliquod ederem,Ioanni meo filio, quem aliquando ſtudiorum comitem habuiſti,deligendi quædam poteſtatem feci, quæ poſtea typographo commiſit. Et quoniam litteratorum omnium inueterata conſuetudo eſt,honorati alicuius viri nomen præfationi ſuorum librorum prætexere,multis de cauſis,vt hoc ornamentum ex tuo nomine quærerem, ſum adductus. Primùm quod te religionis ſtudioſiſſimum eſſe animaduertebam: quam virtutum omnium fundamentum eſſe meritò boni omnes ſeculis omnibus iudicarunt. Eò acceſſit generis & familiæ tuæ ſplendor,nobilitas,dignitas: itémque amicitia, qua te Biturigæ,cùm ſcholis noſtris operam dares,propter eximiæ cuiuſdam indolis admirationem ſum complexus. Quinetiam mihi perſæpe redit in memoriam noſtra peregrinatio, quam olim ad viſendum Heroem noſtrum Caſtellonium vnà ſuſcepimus:cuius credo & oris & grauitatis & piorum ſermonũ memoriam animo tuo inſculptam eſſe. His omnibus quaſi cumulus quidam acceſſit nobilis viri Antonij des Traos communis amici cohortatio,in cuius tu viri ore habitas planè:qui cùm ad generis nobilitatem non modò eruditionis & reliquarum virtutum atque imprimis veræ pietatis laudem adiunxiſſet,nunc in magnis rebus gerendis tantam exercitationem adeptus eſt,vt eo nomine illuſtriſſimo noſtro Principi Willhelmo Landgrauio ſit cariſſimus. Reliquum eſt igitur,Hermãne nobiliſſime, vt te hoc rogem,primùm, vt hoc munuſculum tamquam certiſſimum amoris in te mei pignus,eo animo, quo tibi à me defertur,accipias:deinde,vt ſi quando genus hoc meum ſcribendi nouum & inuſitatum admirêre,veteris prouerbij memineris,quo monemur, vtendum eſſe foro,atque (vt Cicero Brutum ſuum admonet) Populo & ſcenæ ſeruiendum. Vale vir generoſe,& ſalue:méque vt facis amare perge. Deum oro,vt te ſingulari ſua beneuolentia complectatur. X.Kal.Mart. M. D. LXXVIII.

ILLVS.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI CHRISTIANO, Electori, Saxoniæ Duci: Landgrauio Turingiæ, Marchioni Miſniæ: Imperij archimareſcallo. in Comment. ad Inſtit. Iuſtin.

TERTIA PRÆFATIO. XLIIII.

QVOTIES eam rerum perturbationem mecum reputo, Princeps illuſtriſſime, quam his miſeris funeſtiſque temporibus quibuſdã in regnis videmus, ſimúlque tranquillitatem imperij tui, populorúmque tuórum felicitatem conſidero, conſidero autem perſæpe, veriſſime mihi veteres quidam Philoſophi dixiſſe videntur, non aliam eſſe faciem quieti moderatique imperij, quàm ſereni cœli & nitentis: neque aliam eius quod inteſtinis bellis & ſeditionibus vexatur, quàm turbidæ ac turbulentæ tempeſtatis: qualem Poeta vetus deſcribit,

——cum occidente ſole inhorreſcit mare:
Tenebræ conduplicantur, noctiſque ac nimbûm occæcat nigror.

Etſi autem Chriſtiana religio diligenter nos admonet, tantam rerum humanarum varietatem modò ex benignitate & clementia Dei noſtri, modo ex eiuſdem ſeueritate ac iuſtitia contingere: tamen ea ſapientia, quam Ciuilem appellamus, & quæ iure optimo morum magiſtra, vitæque humanæ dux dici poteſt, plurimum in hiſce rebus valere perſpicitur. Nam vbi eam rerumpub. Rectores negligunt, videre licet, tamquam in mari quantumuis tranquillo, tamen gubernatorum inſcitia, naufragia & interitus exitiales accidere. contrà vbi ea colitur ac retinetur, ibi, etiam ſi quid forte turbarum ac diſcordiarum acciderit, eas tamen nullo negocio ſedari. Quarum rerum documento nobis eſt non tantum Romanorum quorundam Principum crudelitas, & ſceleratus in patriam animus, qualem Neronem, Caligulam, Alogabalum in primis hiſtorici numerant: verum etiam Græcorum, vt Dionyſij Siculi, vtriuſque, Lyſandri, Pauſaniæ, Tiſſaphernis: vel, vt vetuſtiores commemorem, quales fuiſſe dicuntur Cyclops, Buſiris, Siron, aliíque non pauci: quos hiſtorici non reges, ſed tyrannos non patriæ parentes, ſed parricidas: non populorum paſtores, ſed immanes & crudeles carnifices deſcribunt. Quibus ex aduerſo iidem nobis hiſtorici proponunt, Auguſtum, vtrumque Veſpaſianum, Neruam, Traianum: ſimúlque ex Græcorum numero Cyrum, Ageſilaum, Themiſtoclem: quibuſcum vnà Ariſtidis iuſtitiam Thraſybuli conſtantiam, & animi fortitudinem, Timoleontis lenitatem, atque animi moderationem ac manſuetudinem commendant. Anni ſunt (vt opinor) quinque & viginti, ex quo bis certis de rebus ad Illuſtriſſimum, & piæ ac felicis memoriæ Principem Electorem Auguſtum, parentem tuum miſſus, dum aſſiduè vnà cum bonis ac litteratis viris aut Lipſiæ, aut Dreſdæ, aut Vitebergæ verſarer, Saxoniæ veſtræ felicitatem admirabar: nunc verò conſtans per orbem terrarum fama eſt, tantam ſub hoc auſpicatiſſimo ac leniſſimo imperio tuo pacem & concordiam in omnibus illuſtriſſimi Electoratus tui ciuitatibus effloruiſſe, vt omnes ſibi de tam clemente ac manſueto domino gratulentur. Cuius certè laudis non exiguam partem ciuilis illa, illa, inquam, ciuilis Sapientia, quam modò commemoraui, merito ſibi vindicat. quam Sapientiam cum fideliſſimi & clariſſimi tui Conſiliatij tanta cum omnium laude & prædicatione profiteantur, non immerito Iuſtitiæ ſacerdotes (vt

Iuriſconſulti noſtri loquuntur) dici poſſunt. Iuſtitiam namque colimus (inquit Vlpianus noſter) boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, bonos non ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes, veram, niſi fallor, non ſimulatam philoſophiam adfectantes. Horum conſiliariorum in numero cum in primis florere audio virum & nobilitate, & omni virtutum genere præſtantem Andræam Paullum, cúmque apud Celſitudinem tuam gradum locúmque obtinere, quem admirabilis & mihi perſpecta ipſius in omnibus liberalibus artibus eruditio meretur, non mediocriter & illi de tam benigno domino, & tibi de tam ſapiente ac fideli conſiliario gratulor: ac Deo volente futurum auguror, vt igniculi tantarum virtutum, quantas tibi natura largita eſt, talium virorum conſiliis, quaſi fomentis quibuſdam excitati, clariſſimum tui nominis lumen in omnes orbis terrarum oras ſumma cum tua gloria diffundant: præſertim ſi eam picturæ tabulam, quam veteres quidam excitandæ in Principibus virtutis cauſſa finxerunt, ſereniſſimis tuis oculis ſæpe ſubieceris. Fingebant Herculem ineunte adoleſcentia, cùm apud ſe deliberaret, quámnam viuendi viam ingrederetur, deductum à Mercurio in arces duas fuiſſe: quarum in vna ſedebat virginali verecundia & modeſto vultu Regina, aureo in tribunali poſita, cui nomen erat Iuſtitia. Huic à dextra vidiſſe adſidentem virginem alteram, cui nomen Æquitas: à ſiniſtra item alteram, nomine Pacem. Proximum illis adſtitiſſe ſenem venerabili canicie, cui nomen erat Nomos: ſine cuius conſilio nihil illis agere licebat. In huius regno ſummam fuiſſe inter ciues concordiam: ſummam omnibus in locis tranquillitatem, ſummam vbique rerum omnium abundantiam. In altera vero arce ſediſſe mulierem toruo ac truculento aſpectu, vultúque ad terrorem compoſito. cui nomen erat Tyrannis, huic pari truculentia duas ad dextram mulieres aſſediſſe, Crudelitatem, & Contumeliam: ad læuam etiam alteras duas, Legum inconſtantiam, atque Diſcordiam. In eo regno plena fuiſſe omnia periculorum, atque inſidiarum: homines pleroſque ſeditioſos, ac turbulentos fuiſſe: complures in cæde, atque ex cæde viuere ſolitos: videri paſſim vexationes, ac direptiones ciuium, exilia, proſcriptiones, vaſtitates, latrocinia, familiarum interitus, clades. Tum Herculem belluinum iſtud, ac furiale genus deteſtatum ſeſe in Iuſtitiæ, ac ciuilis ſapientiæ diſciplinam tradidiſſe, atque ita vitam inſtituiſſe, vt nunquam illarum furiarum inſectandarum finem faceret: hoc eſt, non vt Cacum, neſcio quem, aut leonem Nemęum, aut aprum Erymanthium, aut Hydram, aut eiuſmodi monſtrum aliquod interficeret, ſicuti poëtæ fabulati ſunt: verum vt maleficos, & nocentes tyrannos ἀλάστορας, qui propter inſitum quendam animi furorem, ciuium ſuorum diſcordiis ac ſeditione paſcuntur, bello atque armis perſequeretur, eóſque ex humanæ naturæ finibus exterminaret. Ex quo factum eſt, vt cùm tantos labores pro miſeris mortalibus, opem ipſius implorantibus, exantlaſſet, tum fama tantorum beneficiorum memore, in concilium cœleſtium (vt ait M. Tullius) collocaretur. Hæc laus eſt & gloria immortalis, ad quam te, Princeps illuſtriſſime, virtutes illæ tibi à natura datæ, & bonorum, ac ſapientium virorum conſiliis excitatæ, dies ac noctes cohortantur. Itaque vt huic tantæ, ac tam præclaræ indoli ad ſempiternam Saxonici nominis gloriam efflореſcenti pro mea virili parte gratularer, meúmque iſtud de tua heroica virtute augurium publice teſtarer, cùm veterem meum in Inſtitutiones Iuris ciuilis Commentarium, quem olim Illuſtriſſimo Duci Auguſto, parẽti tuo, piæ memoriæ Principi, dedicaram, ſuperioribus annis interpolaſſem, ac multis locis ſtudioſe locupletaſſem: non ingratum me tibi facturum ſperaui, ſi eundem ſub auſpicatiſſimo tui nominis ſplendore promulgarem. Quod meũ officium ac ſtudium, ſummámque erga te obſeruantiam, ne deſpicias, ac potius bonam in partem interpretere, vehementer abs te peto, quæſoque. Vale potentiſſime Princeps, & ſalue. Deum opt. max. oro, vt illuſtriſſimum genus veſtrum florentiſſimum eſſe patiatur. X. Auguſti, cIↃ. IↃ. LXXXVIII.

ILLVS-

ILLVSTR. PRINCIPI MAVRICIO LANDTGRAVIO Haſſiæ, Comiti in Catzenelnbogen, Dietz, Nidda, Ziegenhain, &c. in Partitiones iuris,

ALTERA PRÆFATIO. XLV.

ANNVS agitur, vt opinor, nonus & viceſimus, Princeps illuſtriſſime, ex quo primam harum Partitionum editionem, ſapientiſſimi parentis tui Willelmi nomini inſcriptam, publicè apparere volui. Ex eo tempore tantam ipſius erga me beneuolentiam ſum expertus, vt me ſibi totique illuſtriſſimæ Landtgrauiorum familiæ planè deuinxerit. Itaque cùm hæc quincta eiuſdem libelli editio à typographis noſtris adornaretur, officij mei eſſe duxi, eam locis aliquot amplificatam ſplendidiſſimo tuo nomini inſcribere: partim eximiæ tuæ virtutis, doctrinæ, pietatis, (quæ virtutum omnium fundamentum eſt) fama impulſus: partim vt intelligeres me beneficentiæ erga me veſtræ memoriam ſumma cum obſeruantia colere, partim etiam vt ſingulare animi mei iudicium de tua indole, ad vberrimam laudis & gloriæ frugem efflorescente qua commodè poſſem ratione, teſtarer. quippe, qui tantam iſtam tuam, in hac ætate, non modò Latinę & Græcæ linguæ cognitionem, verùm etiam in iuris noſtri ciuilis ſtudio alacritatem, omnium denique bonarum artium eruditionem, quæ paſſim ſumma cum tua laude prædicatur, ſæpenumero admirari ſoleam. Macte igitur iſta virtute, Princeps illuſtriſſime: tibique perſuade, cùm fortiſſimis Principibus abauis, atauis, tritauiſque tuis, Haſſiæ gentis dominis, plurimùm debeas, quòd tamen tibi tantas opes, tantùm patrimonium pararint, tum verò nulli æque debere, ac prudentiſſimo & ſapientiſſimo parenti tuo, Principi WILLELMO, qui animum tuum eximium mature bonis artibus excolendum, atque ab ipſis propè cunabulis inſtituendum curarit. Vale, illuſtriſſime Princeps, & ſalue: & ſi meum fidele conſilium non dedignaberis, me auctore, ſuaſore, ac deprecante, omni ſtudio in eam curam incumbe, vt quod iam facere ſumma cum laude tua cœpiſti, paternæ virtutis æmulus, aut certè imitator ab omnibus iudiceris. Deum oro, vt te, totámque illuſtriſſimorum Landtgrauiorum domum quàm diutiſſime florentiſſimam eſſe patiatur. Ex Muſæo noſtro Kalend. Febr.

M.D.LXXXIX.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI CHRISTIANO,

Electori, Saxoniæ Duci: Landgrauio Turingiæ, Marchioni Miſniæ: Imperij archimareſcallo: in Obſeruat. volumen

XLVI PRÆFATIO.

CVm anno ſuperiore meos in iuris Inſtitutiones commentarios, olim ſapientiſſimo Principi Auguſto parenti tuo inſcriptos, Celſitudini tuæ, aliquanto vberiores à me factos miſiſſem: ſenſi paulò pòſt non ingratum tibi, Chriſtiane princeps, meum hoc erga te ſtudium accidiſſe. Itaque iam officij mei eſſe duxi, cùm hoc meorum in ius ciuile Obſeruationum volumen in manibus haberem, munuſculum hoc propriè ac peculiariter ſplendidiſſimo tuo nomini dicatum euulgare: vt intelligeres, quanti tuam erga me beneuolentiam facerem, & quantopere mihimetipſe ſim gratulatus, cum & illud munuſculum tibi non ingratum, & meam operam non infeliciter locatam animaduerti. Quanto enim amore ſtudioſos ac litteratos viros complectaris, eos præſertim qui in celeberrimis Academiis tuis, Witebergæ inquam, & Lipſiæ, doctrinæ laude & profeſſione florent, vel hinc facilè exiſtimare potui, quòd ne hominis quidem exteri, & prope ignoti propenſam voluntatē es adipernatus. Qua benignitatis laude haud ſcio, an maior vlla aut illuſtrior tuo nomini poſſit accidere. Neque enim latere te arbitror, quantam olim Cneus ille Pompeius, te & cognomento Magnus, laudem apud veteres tulerit, quòd (vt Plinius memoriæ prodidit) intraturus Poſidonij domum, viri ſapientiæ profeſſione clari, faſces lictorios ianuæ ſubmiſerit: is cui ſe Oriens Occidenſque ſubmiſerat. Etſi autem ætas hęc mea prope iam decrepita flagitare videbatur, vt tandem aliquando & docendi & ſcribendi finem facerem, quo in labore annos iam amplius triginta conſumſi, tamen cum has meas lucubratiunculas animaduerterem, neque doctis viris iniucundas, neque ſtudioſis adoleſcentibus infructuoſas videri; animum obfirmaui: partim vt eum à calamitatum mearum ac denuò flagrantis iam patriæ cogitatione auerterem: partim quòd veteris Philoſophi exemplum mihi imitandum putabam, qui cùm in ſtudio & litteris conſeneſceret, atque ab amicis moneretur, vt à tantis laboribus conquieſceret, præclarè illis reſpondiſſe fertur: nō decere eum, qui in ſtadio currit, cùm iam propè ad metam acceſſerit, contentionem remittere, ſed eam potius augere atque intēdere. Qualiacumque autem hæc mea ſcripta ſint, quæ iam illuſtriſſimo tuo nomine exornata diuulgamus, quæ certè & exilia eſſe fateor, & vix digna, quæ C. T. offerantur, ſed tamen qualia ſint, iudicabunt ii, qui tibi in conſilio adeſſe ſolent, clari & magni Iuriſconſulti: atque in primis nobiliſſimus vir, Andreas Paullus, quem in Gallia, & ſtatione quondam noſtra Biturícenſi cognoui, hominem ad laudem & gloriam & virtutem natum, & iis artibus præditum, quæ in tanti Principis ſenatore & conſiliario deſiderantur. Vale potentiſſime Princeps & ſalue. Deum oro, vt te quàm diutiſſime beatum eſſe velit. Ex Muſæo noſtro XV. Kalend. Mart. M. D. LXXXIX.

ILLVS-

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS IOANNI CASIMIRO

Comitj Palatino ad Rhenum, Tutori & adminiſtratori Palatinatus Electoralis, Bauariæ Duci &c. & eiuſdem ex fratre nepoti, Duci FRIDERICO, Electoratus heredi: dominis ſuis clementiſſimis: in libros de Re numaria

PRÆFATIO. XLVII.

VETVS, &, vt mihi perſuadeo, vera opinio eſt, litterarum ſtudium ad leniendas animi moleſtias, quas humanæ vitæ conditio miſeris mortalibus adferre ſolet, plurimum valere. Senſi ego his triginta annis, quibus Galliã inteſtinis ac peſtiferis bellis cõflagrare vidimus: ſed nunquam adeo veram eſſe illam ſententiam ſum expertus, vt nunc ſenio non minus quàm animi dolore adfectus: cùm illud mihi ad aures perſonare funeſtum præconium videtur: EXSEQVIAS GALLIÆ: QVIBVS EST COMMODVM IRE, IAM TEMPVS EST. ILLA ECFERTVR. Itaque, vt animi mei cogitationem aliquantiſper à tantorum malorum recordatione abducam, non modò me ad docendi, verum etiam ad ſcribendi laborem retuli. docendi quidem, vt ea mihi voluptate frui liceret, quam Cato ille ſapiens prædicaſſe fertur, nihil eſſe iucundius ſenectute, ſtipata ſtudiis iuuentutis. ſcribendi autem, vt etiam poſteris prodeſſe poſſem: ſicut agricola ille ſenex, qui ſe arbores ſerere dicebat, quæ alteri ſeculo prodeſſent. Cùm autem ætatis meæ partem non exiguam in ſtudio cognoſcendæ reipublicæ R. conſumſiſſem, & de re populi R. numaria, pleraque apud optimos quoſque auctores, tum Latinos, tum Græcos obſeruaſſem, meúmque illa de re commentarium illuſtri aliqua inſcriptione (vt fert litteratorum hominum conſuetudo) exornare vellem, Vos illuſtriſſimi Principes, multis de cauſis delegi, quibus hoc qualecunque munus mitterem: quarum illa fuit præcipua, vt grati animi mei memoriam erga tuam, Princeps Caſimire in pios noſtros Principes beneuolentiam, qua commodè poſſem ratione teſtarer. Etſi enim res tuas magno excelſóq. animo geſtas omnium, vt ſpero, gentium poſterorúmque ſeculorum litteræ celebrabunt: tamen mei officij eſſe duxi, laudes tuas bellicas pro mea virili parte prædicare: qui (vt meminiſſe potes) Gallorum omnium primus Principum noſtrarum cauſſam apud illuſtriſſimum Parentem tuum piæ memoriæ agere inſtitui. Ad eas artes militares acceſſit etiam pietas, iuſtitia, grauitas, ſapientia, quam cùm aliis magnis rebus adminiſtrandis, tum præcipuè tuendo & conſeruando Palatinatu Electorali, & illuſtriſſimi quondam tui fratris, filio piè ac regaliter educando feliciter oſtendiſti. Tibi, verò (illuſtriſſime Princeps Elector Friderice) magnopere gratulari volui, quòd Patruum tutorem tanto erga te amore, tantóque ſtudio, ac tam ſingulari fide nactus ſis: cuius ſapientiſſimo conſilio, ita iam inſtitutus es, vt non modò patris & aui tui veſtigia perſequi, verum etiam cum illis certare videaris. Eò acceſſit altera non prætereunda ſilentio ſumma erga te Dei benignitas, quòd eiuſmodi conſiliarios & cuſtodes ac monitores in iſta tenera ætate conſecutus es, quales boni omnes tibi exoptabant: nobiliſſimum virum Othonem à Grunrade: Cancellarium autem, Iuſtum Reuberum, virum cùm iuriſprudentiæ atque omnium optimarum artium cognitione inſignem, tum etiam vſu & maximarum quarumque rerum tractatione præſtantem; qui cùm adoleſcens in academiis noſtris Gallicis ita iuris ciui-

GENEROSO VIRO MICHAELI SLAVATÆ, Baroni in Chlum & Coſſumberg: In lib. V. Obſeruat.

XLI. PRÆFATIO.

QVOD nuper in Gallia noſtra, hoc eſt, in euerſæ patriæ meæ ruinis & parietinis videre potuiſti, generoſiſſime Baro,

Neque domi nunc nos, nec militiæ ſumus.
Imus huc, hinc illuc: cùm illuc ventum eſt, ire illinc lubet:

vt vetus Poeta, Pater Ennius, cecinisse traditur. Quid tu interea, Hotmane noſter? inquies. Ego, mi Slauata, non meum dolium, (vt ille Cynicus) ſed meos libellos voluo, reuoluo, circumuoluo: & eadem ſtudiorum adſiduitate, quàm biennio antè admirari ſolebas, meum de patriæ interitu mœrorem ac luctum ſuſtento. neque me ab hoc labore (ſi diſcendi labor, ac non potius voluptas & delectatio appellanda eſt) vel ſenectus, vel rei familiaris ſollicitudo abducit. Exiguo cum fructu, inquies. quippíni. Iampridem enim abiit tempus illud, cùm Athenienſes Beroſo propter doctrinæ præſtantiam, ſtatuam cum aurea lingua: cùm Gorgię Leontino ſtatuam ex auro ſolidam poſuerunt: cùm Zmyrnæi Homero delubrum in opido ſuo dedicarunt: cùm Alexander Ariſtoteli quadringenties & octuagies mille Philippeos aureos attribuit, vt animalium hiſtoriam conſcriberet. Sed mihi ampliſſimum ſtudiorum meorum præmium eſt, voluptas incredibilis, quam ex hac diſcendi adſiduitate percipio: quod eſſe veriſſimum ac certiſſimum animi mœrore adfecti ſolatium experior. Addam etiam illud: Videre nuper mihi viſus ſum, quaſi per ſomnium, reuixiſſe Phalarim tyrannum, qui Steſichorum poetam, à quo diris verſibus conſciſſus fuerat, cùm hic miſer in illius poteſtatem veniſſet, non modò liberum eſſe iuſſit, verùm etiã donis ac muneribus ornauit. Itaque Deo gratiam habeo, qui me vſque adhuc à cruentis hoſtium manibus eripuit: atque in hac ſtudiorum voluptate, in hac, inquam, bibliotheca mea iucundius quàm in vllo Adonidis horto adquieſco: quæque olim adoleſcens partim in Iure ciuili, partim in aliis optimis auctoribus obſeruaui, nunc ſenex factus iuuentuti trado. Cùm autem nuper librum mearum Obſeruationum quinctum editurus eſſem, nihil amicitia noſtra me alienum facturum putaui, ſi eum in tuo nomine diuulgarem: vt intelligeres, quod veriſſimè tibi adfirmare poſſum, mihi tui vultus, vel ingenij potius, imaginem ſemper in animo verſari: ſempérque me de ſingulari quadam indole ad laudem & virtutem, quam in te animaduerti, cogitare. Neque dubito, quin hoc meum ſtudium atque officium ex ſumma erga te animi mei beneuolentia profectum, tibi iucundum accidat: quippe quòd ſingularis mei de tuis aureis morib. (vt poeta dixit) & ſummo ingenio, atque illuſtri, eximiáque natura, iudicij teſtimonium, ſiue mauis monimentum ſit futurum. nam veteres quidem Tyranni propagandi ſui nominis cauſſa, mauſolæa, & pyramidum miracula, obeliſcos, amphitheatra, porticus, arcus, & inſanas palatiorum moles extruxerunt. Verùm illa caduca ſuo tempore ceciderunt. Litterarum autem monimenta ſempiterna ſunt vigentque ſeclis (vt ille ait) innumerabilibus. Te quidem pro amicitia noſtra, exiguum hoc munus ad tui nominis commemorationem, ad tuę virtutis commendationem, prædicationem, laudem, à me promulgatum in bonam partem accepturum ſpero: idque vt facias, etiam atque etiam abs te peto, quæſóque. Vale, generoſiſſime Baro & ſalue. Deum oro, vt eam virtutis indolem, quam in te adamaui, ad frugem & maturitatem perducat. Ex Muſæo noſtro, Idibus Februariis. M. D. LXXVII.

ILLVS-

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI GEORGIO LANDGRAVIO Haſſiæ: in eam partem Epitomas. quæ eſt de reb. cred.

PRÆFATIO. XLII.

MEMORTÆ proditum eſt, PRINCEPS illuſtriſſime, Annibalem, cùm infeſtis ſignis in Italiam conteoderet, vidiſſe in quiete iuuenem indole ac ſpecie diuina, qui ſeſe illi diuinitùs ducem itineris datum diceret, præciperétque vt ſeſe ſequeretur, neque vllam in partem circumſpiceret. Illuio autem humani ingenij more diutiùs temperare oculis non potuiſſe: vidiſſeque à tergo immani magnitudine belluam circumplicatam ſerpentibus, quæ quàcunque incederet, arbores, virgulta, ædificia, tectáque omnia ingenti ſtrage perverteret: pòſt verò ſequentem cum fragore cœli nimbum, grandine, fulminibuſque grauidum: tum admiratum quæſiſſe, quódnam illud eſſet prodigium: reſpoodiſſeque iuuenem, vaſtitatem eſſe Italiæ: quod verbum euentus & atrociſſimum XIIII. annorum bellum comprobauit. Huius rei memoriam mihi perſæpè Galliæ noſtræ calamitas renouat: nam eſſe immanem belluam, quæ GALLIÆ VASTITAS paſſim toto terrarum orbe vna gentium omnium & mente & voce nominatur, ac tantum iam temporis ſpatium à bellorum ciuilium initio fluxiſſe, nemo ignorat. An verò nimbus cum cœli fragore & ſulphure & fulminibus breui ſit cooſecuturus: qui crudelitatem atque impietatem innumetis periutiis implicatam, vlciſcatur, tu, PRINCEPS illuſtriſſime, pro tua prudentia, pietate & adſiduo ſcripturæ ſacræ ſtudio exiſtimare potes. Propter ſcelera & flagitia (inquit Vates ſanctus) transferuntur regna, neque inſignior vllus videtur locus, quàm ille in libro Sapientiæ; vbi Salomon reges ſuo potentatu atque imperio abutentes his adfatur verbis: Poteſtas vobis à Deo data eſt, is res veſtras geſtas in diſquiſirioocm vocabit. Cùm ipſius imperij adminiſtri eſſetis, auarè, crudeliter, flagitioſè ius dixiſtis. Itaque Deus horribiliter apparebit vobis ſeueriſſiméque in vos, qui veſtra poteſtate abuſi eſtis, animaduertet. Exſtat autem in Græcorum libris hiſtoria inſignis de Semiramide, quæ cùm Aſſyriæ regnum aliquandiu libidinoſè & turpiter adminiſtraſſet, tandem illum ſulphuris nimbum experta eſt. Hæc infimo nata loco regi Nino propter formæ venuſtatem placuit, tantámque flagitioſa conſuetudine, gratiam apud illum adepta eſt, vt Ninus ſemel ei polliceretur, eam quidquid ab ſeſe peteret, impetraturam. Petiit vt ſibi ad diem vnum ſedere in Regis ſolio, ac poſtulantibus ius dicere liceret: vtíque ciues ſibi tamquam ipſi Regi ad vnius illius diei ſpacium obtemperarent. qua re impetrata, primùm de leuibus & exiguis rebus decreta interpoſuir. vbi modeſtè omnes imperata facere animaduertit, tum ſtipatoribus regiis mandauit, vt Regem prehenderent, mox vti comprehenſum vincirent, poſtremò vt vinctum necarent. His artibus Semiramis imperium adepta confeſtim ſe in omne libidinis genus effudit, ac poſtremò cùm infamem filij conſuetudinem apperiſſet, ab illo necata eſt. Nimbus hic fuit in Semiramidis caput, quæ aliquot annos Aſſyriæ vaſtitas extitit, fulgure tonitru, grandinéque grauidus. Ex eodem belluarum genere memoratur Sœmias Imperatoris Heliogabali mater, quæ cùm meretriciam diſciplinam, domeſticúmque filij lenocinium perquamdiu exercuiſſet, auctoritatémque ſibi ſummam in regoo adminiſtrando atque in ſenatu ſumſiſſet, omniáque diuina atque humana iura permiſcuiſſet tandem iuſto ciuium odio oppreſſa, obruta, interfecta eſt. Verumenimuerò, dixerit aliquis, Ecquid igitur in tantis incommodis remedij? Nihil eſt, quòd faciliùs expediri poſſit. Sed ne iuſto dolori meo nimium indulgere videar (nam aberrat animus à ſententia, tantorum malorum recordatione perculſus) me-

mini me in Græcorum commentariis legiſſe, Oſyrim Ægypti Regem ſceptrum habuiſſe, cuius in ſummo fingi oculum iuſſerat: quo monebatur, vt diligenter in omnes regni ſui partes circumſpiceret, ne qua forte ex parte labaret. Rectiſſimè autem Plato Reges nauium gubernatoribus comparat: quorum procuratio eſt: ſic ad puppim ſedere, atque ita oculis omnem in partem emiſſitiis clauum tenere, ne quem ad ſcopulum afflicta nauis, & ipſum & onera, & vectores omnes euertat. Nunc ei gubernaculum committere: vel aliquamdiu commiſſum diutiùs permittere, cuius culpa, temeritate, inſania, nauis ſæpiùs adliſa, vulnerata, perfoſſa eſt, perditi & deſperati ingenij videtur. Qua in cogitatione (nam ex contrariorum contentione melius res quæque æſtimatur) mihi perſæpe felicis & fortunati imperij veſtri in mentem venit, PRINCEPS illuſtriſſime: ac non modò Germanici vniuerſi, verumetiam Heſſiaci: quod tot iam annos florens ac beatum Deus pro ſua benignitate conſeruat. Et cùm à patriæ meæ contemplatione, in qua crebris fragoribus omnia quatiuntur, & (vt in tempeſtatibus turbulentis) ignes hinc atque illinc micant, animum additionis veſtræ tranquillitatem refero, veriſſimum eſſe ſtatuo quod Seneca in libro de clementia ſcripſit: Non aliam eſſe faciem quieti moderatique imperij, quàm ſereni & nitentis cœli. Crudele regnum (inquit) turbidum, tenebriſque obſcurum eſt, inter trementes & ad repentinum ſonitum expaueſcentes: nec eo tamen, qui omnia conturbat, inconcuſſo. Itaque cùm hanc veſtram, hoc eſt, quatuor concordiſſimorum fratrum, Landgrauiorum Haſſiæ, in adminiſtranda ditione veſtra prudentiam nuper admiratus eſſem, gratulari tibi volui: meùmque de ciuium veſtrorum felicitate iudicium publicè teſtari: & qua poſſum ſignificatione gratum me ac memorem eius benignitatis oſtendere, qua me nuper ex mei Mecœnatis aula redeuntem in arce veſtra complexus, hoſpitio etiam peramanter ac perliberaliter excepiſti. Nam cùm aliquam meatùm in ius ciuile comentationum partem editurus eſſem, litteratorum omnium inſtituto patronum mihi aliquem quærendum putaui, cuius ſub illuſtriſſimo nomine libellus hic & tutior & gratior in manus hominum perueniret. Simul hanc qualemcunque occaſionem arripere volui declarandi mei erga te tuam animi, ſingulariſque de tua in hoc ætatis flore prudentia & conſilij magnitudine iudicij: quod meum inſtitutum vt in bonam partem accipias, etſi, quæ tua eſt benignitas, non aliter te facturum ſpero; tamen, ne, quantoperè id cupiam, ignores, obnixè peto quæſóque. Vale illuſtriſſime PRINCEPS, & ſalue. Deus te ſingulari ſua beneuolentia complectatur. Kalend. Mart. Anno CIↃ IↃ LXXVII.

NOBILI VIRO, ET EXCELLENTI virtute prædito, Hermanno de Haaſs, domino in Turnich, Bell. & Frechen: in Conſilia

XLIII

PRÆFATIO.

DVPLEX, Hermanne nobiliſſime, tractandi iuris huius noſtri ratio iam in vſum vitæ recepta eſt: vna, ſcholarum ferè propria eſt, altera, fori ac iudiciorum. Illa quæ in ſcholis vſurpatur (ab hominibus quidem bene de mente conſtitutis) ad Iuſtinianici Iuris libros, eorúmque interpretationem accommodata eſt: quorum præſcripta ſequitur (vt illius verba vſurpem) κατὰ πόδα: neque minus accuratè ſingulas ipſius ſententias, ſuo quaſque momento ponderat, atque examinat, quàm heredes aut legatarij ſingula teſtamenti verba obſeruant. Quæ verò paſſim iam omnium propè gentium inſtitutis in foro & iudiciis verſatur, immane, quantum ab illa diſcrepet. Primùm nulla ferè ciuitas eſt, quæ non ſuas leges peculiares habeat, quæ vulgò ſtatuta municipalia nominantur, quorum cùm de interpretatione ambigitur, ad Iuris noſtri peritos conſilij cauſa aditur. Deinde innumerabiles ſunt his temporibus controuerſiæ,

trouerſiæ, de quibus vix ac ne vix quidem ex Iuſtinianici Iuris præſcripto diiudicari poteſt: veluti de iure primogeniorum, de nobilitate, de retractu pleraque: in quibus periti Iuris, quantumuis exercitati, non minus interdum hærent, quàm Medici in Hippocratis & Galeni libris verſati, ſolent in nouis quibuſdam & inuſitatis morborum generibus ambigere. Præterea receptæ ſunt, atque etiam inueteratæ, quædam inter pragmaticos opiniones, quas domo in forum quaſi res præiudicatas adferunt, quibus ſi quis Papiniani, aut Scæuolæ autoritatem obiicere auderet, non modò ſibilis, verùm etiam conuiciis exploderetur. Quid verò ſi fortè quis etiam Pandectarum Florentinarum mentionem in foro inter Pragmaticos facere auderet, & de Scripturæ varietate contenderet? quibus diſputationibus noſtræ iam propè omnes ſcholæ percrepant. Tum verò periculum eſſet, ne manus ab illo non abſtinerentur: cùm tamen ſexcentos ferè in libris noſtris locos eſſe conſtet, in quibus de particula N O N vel eximenda, vel inſerenda ambigitur. Hic ſi de iure à litigatore conſultus, nouam contra receptas & inueteratas opiniones, diſputationem proferret, primùm & conſultorem miſerum peſſundaret, & collectam multis ſuis ſtudiis ac laboribus exiſtimationem momento temporis amitteret, atque illius veteris verſiculi veritatem experiretur, ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη, quem Romani (vt credo) pueri ſic expreſſerunt: Malum conſilium conſultori peſſimum. Quæ me res plerumque in conſultationibus (vbi Doctorum communis opinio tamquam oraculum aliquod proferebatur) tacere, ac demiſſo capite pedibus in aliorum ſententiam ire compulit, atque (vt aptiſſimo vtar verbo) de meo iure decedere: idémque facere quod olim feciſſe Muſici dicuntur, qui ſuam artem ad vulgi aures accommodabant, de quibus dici cœpit: Theatra malè canere docuerunt.

Huc accedit recepta in foro & tribunalibus opinio de gloſſarum auctoritate: nata, vt opinor, ab iis qui vel acutum & preſſum Iuriſconſultorum dicendi genus non intelligebant, vel innumerabiles eorum diſſenſiones tegere ac diſſimulare volebant. de qua auctoritate cùm alia paſſim apud Doctores teſtimonia extant, tum verò illud inſigne præterire non poſſumus, quod apud Raphaelem Fulgoſium ſuperioribus annis obſeruauimus, cum eius commentarios in Codicem ſatis attentè (vt multis tum probabam) legebamus. In iudicando, inquit, temerarium eſſet attentare iſtud, quia communis gloſſ. & Doct. ſententia eſt, quod tranſeunt ſine ceſſione. Et noſtis quanta ſit auctoritas gloſſatoris. Nonne heri dixit Cyn. gloſſam timendam propter præſcriptam idololatriam per aduocatos. Significans, quod ſicut antiqui adorabant idola pro diis: ita aduocati adorant gloſſatores pro Euangeliſtis. Volo enim potius pro me gloſſatorem quàm textum. Nam ſi allego textum, dicunt aduocati diuerſæ partis, & etiam Iudices, Credis tu quod gloſſa non ita viderit illum textum, ſicut tu? & non ita benè intellexerit, ſicut tu? Ego recordor (& ſit iſtud pro nouo) quòd dum eſſem ſcholaris, eram ſatis acutus: & dum ſemel eſſemus multi ſocij in vna collatione, auſus fui vnum textum allegare contra ſententiam Doctoris mei: tantam audaciam habui. Dixit vnus ſocius, Tu loqueris contra gloſſam quæ dicit ſic. Et ego reſpondi, Etſi gloſſa dicit ſic, ego dico ſic: ignarus auctoritatis gloſſatorũ. Credebam enim quod eſſent communes apoſtillæ, quales ſunt in libris Grammaticæ, ſicut ſuper Virgilio & Ouidio. ſed tamen non ita eſt. fuerunt enim gloſſatores maximæ ſcientiæ viri & auctoritatis. etſi aliud non eſſet quàm gloſſarum ordinatio, & de quibus poteſt dici id, quod arbitror de nullo dici poſſe, videlicet quod totum corpus iuris viderunt. Magis ergo ſtandum eſt eis qui viderunt, quàm nobis qui nõ vidimus. Hæc Fulgoſius in l. ſi in ſolutum, C. de action. & oblig. Item alio loco: Veruntamen, inquit, in iudiciis malim auctoritatem gloſſatoris pro me habere, quàm textum, quoniam, dicit ille, qui eſt in medio, Credis tu quod gloſſa non viderit textum illum, & non ita benè intellexerit ſicut tu? Hæc ille in l. ad officium, C. com. diuid. Item alio loco. Dominus tamen Bartholus eſt in contraria ſententia, vt iſte titulus habeat locum, etiam in actore: & hoc dicit probari, dum textus dicit: Nec repetendæ actionis. Sed vt videtis gloſſa exponit. i. defenſionis. cuius auctoritas in iudiciis noſtris præualet. Nam nemo ex ſcribentibus, etiamſi duo ſint, præualet gloſſatori. Hæc ille in l. 1. C. de his qui potent. nom. & l. 1. in princ. de Ædil. edict. Sed ſi ſententia gloſſatoris duobus Doctoribus eſt contraria, profectò in iudiciis præualeret ſententia ipſius gloſſæ. At enim, dicet aliquis, præclarum illud eſt Horatij: Odi pro-

ſanum vulgus,& arceo. ac laudatur illud ex vetere Tragœdia, *αἴσχρον μὲν σιωπᾶν, τοὺς δὲ βαρβάρους ἐᾶν λέγειν*. Quis negat? Veruntamen vbi de iactura rei familiaris, vbi de honeſtæ familiæ interitu, atque euerſione agitur, vetus ille Euripidis verſus noſtris animis obuerſatur: *μή μοι τὰ κομψ', ἀλλ' ὧν πόλει δεῖ*. Itémque vulgatum illud, Viue moribus præteritis, loquere præſentibus. Atque vt hoc tempore quo Medicorum alij ſummo Hippocrati, alij nouis neſcio cuius Paracelſi inſtitutis addicti ſunt, ſolent ægri, morbo graui affecti, plerunque exclamare, Nihil ſua referre, vtrius artificio ſanentur, dummodo ſanentur: ita litigatores, ſiue Papiniani, ſiue Bartholi auctoritas in iudiciis dominetur, dummodo res familiaris conſeruetur, nihil ſua intereſſe clamitant. Quæ me res plerunque in forenſibus negotijs ab illo noſtro, quod laudare conſueuiſti, docendi inſtituto & curſu, quaſi tempeſtas quædam abripuit, & vnde flatus oſtendebatur, eò vela dare coegit: ne & meipſum, & eum vectorem, qui ſuas mihi fortunas commiſerat, perditum irem: vt Phocylides admonuit. *καιρῷ λατρεύειν, μὴ ἀντιπνείειν ἀνέμοισιν*. Nam etſi totos iam quadraginta annos complures eruditi viri in barbaria è ſcholis exterminanda & germana Iuriſprudentia ſtudioſis tradenda eluctantur, videmus tamen quod de ceteris rebus propè omnibus Virgil. cecinit:

---omnia fatis
In peius ruere, ac retro ſublapſa referri.
Non aliter quàm qui aduerſo vix flumine lembum,
Remigiis ſubigit, ſi brachia fortè remiſit,
Atque illum in præceps prono rapit alueus amne.

Eo accedit vitæ communis corruptela. Nam qui purioris iuriſprudentiæ profeſſores vident in puluere ſcholaſtico conſeneſcere, alios verò nonnullos Satraparũ propè opes ſibi paucis annis conciliare, taciti caput perfricant, & vetus illud Neoptolemi ſecum admurmurant: Præclarum eſt philoſophari, ſed paucis. neq. vllius vnquam oratoris exordium tantum ad conciliandam auditorum attentionem valuiſſe affirmant, quantum illa valuit Alexandri noſtri præfatio in Rubricam de vulgari & pupillari ſubſtitutione. Raphael Cumanus (inquit) refert ſe viua voce à Baldo audiſſe, quòd ex hac ſola ſubſtitutionum materia lucratus fuerat in conſulendo, plus quàm quindecim millia ducatorum. Ideo aduertatis. Verum hæc quidem & pleraque alia, vt ſpero, alias mi Hermanne, nec inuita fortaſſe Minerua. Cùm autem à me ſtudioſi complures & coram, & per litteras petiiſſent, vt reſponſorum, ſiue (vt recepto & forenſi vtar verbo) conſiliorum meorum ſpecimen aliquod ederem, Ioanni meo filio, quem aliquando ſtudiorum comitem habuiſti, deligendi quædam poteſtatem feci, quæ poſtea typographo commiſit. Et quoniam litteratorum omnium inueterata conſuetudo eſt, honorati alicuius viri nomen præfationi ſuorum librorum prętexere, multis de cauſis, vt hoc ornamentum ex tuo nomine quærerem, ſum adductus. Primùm quod te religionis ſtudioſiſſimum eſſe animaduertebam: quam virtutum omnium fundamentum eſſe meritò boni omnes ſeculis omnibus iudicarunt. Eò acceſſit generis & familiæ tuæ ſplendor, nobilitas, dignitas: itémque amicitia, qua te Biturigæ, cùm ſcholis noſtris operam dares, propter eximiæ cuiuſdam indolis admirationem ſum complexus. Quinetiam mihi perſæpe redit in memoriam noſtra peregrinatio, quam olim ad viſendum Heroem noſtrum Caſtellonium vnà ſuſcepimus: cuius credo & oris & grauitatis & piorum ſermonũ memoriam animo tuo inſculptam eſſe. His omnibus quaſi cumulus quidam acceſſit nobilis viri Antonij des Traos communis amici cohortatio, in cuius tu viri ore habitas planè: qui cùm ad generis nobilitatem non modò eruditionis & reliquarum virtutum atque imprimis veræ pietatis laudem adiunxiſſet, nunc in magnis rebus gerendis tantam exercitationem adeptus eſt, vt eo nomine illuſtriſſimo noſtro Principi Willhelmo Landgrauio ſit cariſſimus. Reliquum eſt igitur, Hermãne nobiliſſime, vt te hoc rogem, primùm, vt hoc munuſculum tamquam certiſſimum amoris in te mei pignus, eo animo, quo tibi à me defertur, accipias: deinde, vt ſi quando genus hoc meum ſcribendi nouum & inuſitatum admirère, veteris prouerbij memineris, quo monemur, vtendum eſſe foro, atque (vt Cicero Brutum ſuum admonet) Populo & ſcenæ ſeruiendum. Vale vir generoſe, & ſalue: méque vt facis amare perge. Deum oro, vt te ſingulari ſua beneuolentia complectatur. X. Kal. Mart. M. D. LXXVIII.

ILLVS.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI CHRISTIANO,
Electori, Saxoniæ Duci: Landgrauio Turingiæ, Marchioni Miſniæ: Imperij archimareſcallo. in Comment. ad Inſtit. Iuſtin.

TERTIA PRÆFATIO. XLIIII.

QVOTIES eam rerum perturbationem mecum reputo, Princeps illuſtriſſime, quam his miſeris funeſtíſque temporibus quibuſdã in regnis videmus, ſimúlque tranquillitatem imperij tui, populorúmque tuorum felicitatem conſidero, conſidero autem perſæpe, veriſſime mihi veteres quidam Philoſophi dixiſſe videntur, non aliam eſſe faciem quieti moderatique imperij, quàm ſereni cœli & nitétis: neque aliam eius quod inteſtinis bellis & ſeditionibus vexatur, quàm turbidæ ac turbulentæ tempeſtatis: qualem Poeta vetus deſcribit,

——cum occidente ſole inhorreſcit mare:
Tenebræ conduplicantur, noctiſque ac nimbûm occæcat nigror.

Etſi autem Chriſtiana religio diligenter nos admonet, tantam rerum humanarum varietatem modò ex benignitate & clementia Dei noſtri, modo ex eiuſdem ſeueritate ac iuſtitia contingere: tamen ea ſapientia, quam Ciuilem appellamus, & quæ iure optimo morum magiſtra, vitǽque humanæ dux dici poteſt, plurimum in hiſcẽ rebus valere perſpicitur. Nam vbi eam rerumpub. Rectores negligunt, videre licet, tamquam in mari quantumuis tranquillo, tamen gubernatorum inicitia, naufragia & interitus exitiales accidere. contrà vbi ea colitur ac retinetur, ibi, etiam ſi quid forte turbarum ac diſcordiarum acciderit, eas tamen nullo negocio ſedari. Quarum rerum documento nobis eſt non tantum Romanorum quorundam Principum crudelitas, & ſceleratus in patriam animus, qualem Neronem, Caligulam, Alogabalum in primis hiſtorici numerant: verum etiam Græcorum, vt Dionyſij Siculi, vtriuſque, Lyſandri, Pauſaniæ, Tiſſaphernis: vel, vt vetuſtiores commemorem, quales fuiſſe dicuntur Cyclops, Buſiris, Siron, aliíque non pauci: quos hiſtorici non reges, ſed tyrannos non patriæ parentes, ſed parricidas: non populorum paſtores, ſed immanes & crudeles carnifices deſcribunt. Quibus ex aduerſo iidem nobis hiſtorici proponunt, Auguſtum, vtrumque Veſpaſianum, Neruam, Traianum ſimúlque ex Græcorum numero Cyrum, Ageſilaum, Themiſtoclem: quibuſcum vnà Ariſtidis iuſtitiam Thraſybuli conſtantiam, & animi fortitudinem, Timoleontis lenitatem, atque animi moderationem ac manſuetudinem commendant. Anni ſunt (vt opinor) quinque & viginti, ex quo bis certis de rebus ad Illuſtriſſimum, & piæ ac felicis memoriæ Principem Electorem Auguſtum, parentem tuum miſſus, dum aſſiduè vnà cum bonis ac litteratis viris aut Lipſiæ, aut Dreſdæ, aut Vitebergæ verſarer, Saxoniæ veſtræ felicitatem admirabar: nunc verò conſtans per orbem terrarum fama eſt, tantam ſub hoc auſpicatiſſimo ac leniſſimo imperio tuo pacem & concordiam in omnibus illuſtriſſimi Electoratus tui ciuitatibus efflоruiſſe, vt omnes ſibi de tam clemente ac manſueto domino gratulentur. Cuius certè laudis non exiguam partem ciuilis illa, illa, inquam, ciuilis Sapientia, quam modò commemoraui, merito ſibi vindicat. quam Sapientiam cum fideliſſimi & clariſſimi tui Conſiliarij tanta cum omnium laude & prædicatione profiteantur, non immerito Iuſtitiæ ſacerdotes (vt

Iuriſconſulti noſtri loquuntur) dici poſſunt. Iuſtitiam namque colimus (inquit Vlpianus noſter) boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, bonos non ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes, veram, niſi fallor, non ſimulatam philoſophiam adfectantes. Horum conſiliariorum in numero cum in primis florere audio virum & nobilitate, & omni virtutum genere præſtantem Andræam Paullum, eúmque apud Celſitudinem tuam gradum locúmque obtinere, quem admirabilis & mihi perſpecta ipſius in omnibus liberalibus artibus eruditio meretur, non mediocriter & illi de tam benigno domino, & tibi de tam ſapiente ac fideli conſiliario gratulor: ac Deo volente futurum auguror, vt igniculi tantarum virtutum, quantas tibi natura largita eſt, talium virorum conſiliis, quaſi fomentis quibuſdam excitati, clariſſimum tui nominis lumen in omnes orbis terrarum oras ſumma cum tua gloria diffundant: præſertim ſi eam picturæ tabulam, quam veteres quidam excitandæ in Principibus virtutis cauſſa finxerunt, sereniſſimis tuis oculis ſæpe ſubieceris. Fingebant Herculem ineunte adoleſcentia, cùm apud ſe deliberaret, quámnam viuendi viam ingrederetur, deductum à Mercurio in arces duas fuiſſe: quarum in vna ſedebat virginali verecundia & modeſto vultu Regina, aureo in tribunali poſita, cui nomen erat Iuſtitia. Huic à dextra vidiſſe adſidentem virginem alteram, cui nomen Æquitas: à ſiniſtra item alteram, nomine Pacem. Proximum illis adſtitiſſe ſenem venerabili canicie, cui nomen erat Nomos: ſine cuius conſilio nihil illis agere licebat. In huius regno ſummam fuiſſe inter ciues concordiam: ſummam omnibus in locis tranquillitatem, ſummam vbique rerum omnium abundantiam. In altera vero arce ſediſſe mulierem toruo ac truculento aſpectu, vultúque ad terrorem compoſito, cui nomen erat Tyrannis, huic pari truculentia duas ad dextram mulieres aſſediſſe, Crudelitatem, & Contumeliam: ad læuam etiam alteras duas, Legum inconſtantiam, atque Diſcordiam. In eo regno plena fuiſſe omnia periculorum, atque inſidiarum: homines pleroſque ſeditioſos, ac turbulentos fuiſſe: complures in cæde; atque ex cæde viuere ſolitos: videri paſſim vexationes, ac direptiones ciuium, exilia, proſcriptiones, vaſtitates, latrocinia, familiarum interitus, clades. Tum Herculem belluinum iſtud, ac furiale genus deteſtatum ſeſe in Iuſtitiæ, ac ciuilis ſapientiæ diſciplinam tradidiſſe, atque ita vitam inſtituiſſe, vt nunquam illarum furiarum inſectandarum finem faceret: hoc eſt, non vt Cacum, neſcio quem, aut leonem Nemæum, aut aprum Erymanthium, aut Hydram, aut eiuſmodi monſtrum aliquod interficeret, ſicuti poëtæ fabulati ſunt: verum vt maleficos, & nocentes tyrannos ἀδελάσνεας, qui propter inſitum quendam animi furorem, ciuium ſuorum diſcordiis ac ſeditione paſcuntur, bello atque armis perſequeretur, eóſque ex humanæ naturæ finibus exterminaret. Ex quo factum eſt, vt cùm tantos labores pro miſeris mortalibus, opem ipſius implorantibus, exantlaſſet, tum fama tantorum beneficiorum memore, in concilium cœleſtium (vt ait M. Tullius) collocaretur. Hæc laus eſt & gloria immortalis, ad quam te, Princeps illuſtriſſime, virtutes illæ tibi à natura datæ, & bonorum, ac ſapientium virorum conſiliis excitatæ, dies ac noctes cohortantur. Itaque vt huic tantæ, ac tam præclaræ indoli ad ſempiternam Saxonici nominis gloriam efflorеſcenti pro mea virili parte gratularer, meúmque iſtud de tua heroica virtute augurium publice teſtarer, cùm veterem meum in Inſtitutiones Iuris ciuilis Commentarium, quem olim Illuſtriſſimo Duci Auguſto, parẽti tuo, piæ memoriæ Principi, dedicaram, ſuperioribus annis interpolaſſem, ac multis locis ſtudioſe locupletaſſem: non ingratum me tibi facturum ſperaui, ſi eundem ſub auſpicatiſſimo tui nominis ſplendore promulgarem. Quod meũ officium ac ſtudium, ſummámque erga te obſeruantiam, ne deſpicias, ac potius bonam in partem interpretere, vehementer abs te peto, quæſóque. Vale potentiſſime Princeps, & ſalue, Deum opt. max. oro, vt illuſtriſſimum genus veſtrum florentiſſimum eſſe patiatur. X. Auguſti, cIↃ. IↃ. LXXXVIII.

ILLVS-

ILLVSTR. PRINCIPI MAVRICIO LANDTGRAVIO Haſſiæ, Comiti in Catzenelnbogen, Dietz, Nidda, Ziegenhain, &c. in Partitiones iuris,

ALTERA PRÆFATIO. XLV.

ANNVS agitur, vt opinor, nonus & viceſimus, Princeps illuſtriſſime, ex quo primam harum Partitionum editionem, ſapientiſſimi parentis tui Willelmi nomini inſcriptam, publicè apparere volui. Ex eo tempore tantam ipſius erga me beneuolentiam ſum expertus, vt me ſibi totíque illuſtriſſimæ Landtgrauiorum familiæ planè deuinxerit. Itaque cùm hæc quincta eiuſdem libelli editio à typographis noſtris adornaretur, officij mei eſſe duxi, eam locis aliquot amplificatam ſplendidiſſimo tuo nomini inſcribere: partim eximiæ tuæ virtutis, doctrinæ, pietatis, (quæ virtutum omnium fundamentum eſt) fama impulſus: partim vt intelligeres me beneficentiæ erga me veſtræ memoriam ſumma cum obſeruantia colere, partim etiam vt ſingulare animi mei iudicium de tua indole, ad vberrimam laudis & gloriæ frugem efflorescente qua commodè poſſem ratione, teſtarer. quippe, qui tantam iſtam tuam, in hac ætate, non modò Latinę & Græcæ linguæ cognitionem, verùm etiam in iuris noſtri ciuilis ſtudio alacritatem, omnium denique bonarum artium eruditionem, quæ paſſim ſumma cum tua laude prædicatur, ſæpenumero admirari ſoleam. Macte igitur iſta virtute, Princeps illuſtriſſime: tibique perſuade, cùm fortiſſimis Principibus abauis, atauis, tritauiſque tuis, Haſſiæ gentis dominis, plurimùm debeas, quòd tamen tibi tantas opes, tantùm patrimonium pararint, tum verò nulli æque debere, ac prudentiſſimo & ſapientiſſimo parenti tuo, Principi WILLELMO, qui animum tuum eximium mature bonis artibus excolendum, atque ab ipſis propè cunabulis inſtituendum curarit. Vale, illuſtriſſime Princeps, & ſalue: & ſi meum fidele conſilium non dedignaberis, me auctore, ſuaſore, ac deprecante, omni ſtudio in eam curam incumbe, vt quod iam facere ſumma cum laude tua cœpiſti, paternæ virtutis æmulus, aut certè imitator ab omnibus iudiceris. Deum oro, vt te, totámque illuſtriſſimorum Landtgrauiorum domum quàm diutiſſime florentiſſimam eſſe patiatur. Ex Muſæo noſtro Kalend. Febr.

M. D. LXXXIX.

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS IOANNI CASIMIRO Comitj Palatino ad Rhenum, Tutori & adminiſtratori Palatinatus Electoralis, Bauariæ Duci &c. & eiuſdem ex fratre nepoti, Duci FRIDERICO, Electoratus heredi: dominis ſuis clementiſſimis: in libros de Re numaria

PRÆFATIO. XLVII.

VETVS, & , vt mihi perſuadeo, veta opinio eſt, litterarum ſtudium ad leniendas animi moleſtias, quas humanæ vitæ condicio miſeris mortalibus adferre ſolet, plurimum valere. Senſi ego his triginta annis, quibus Galliã inteſtinis ac peſtiferis bellis cõflagrare vidimus: ſed nunquam adeo veram eſſe illam ſententiam ſum expertus, vt nunc ſenio non minus quàm animi dolore adfectus: cùm illud mihi ad aures perſonare funeſtum præconium videtur: EXSEQVIAS GALLIÆ: QVIBVS EST COMMODVM IRE, IAM TEMPVS EST. ILLA ECFERTVR. Itaque, vt animi mei cogitationem aliquantiſper à tantorum malorum recordatione abducam, non modò me ad docendi, verum etiam ad ſcribendi laborem retuli. docendi quidem, vt ea mihi voluptate frui liceret, quam Cato ille ſapiens prædicaſſe fertur, nihil eſſe iucundius ſenectute, ſtipata ſtudiis iuuentutis. ſcribendi autem, vt etiam poſteris prodeſſe poſſem: ſicut agricola ille ſenex, qui ſe arbores ſerere dicebat, quæ alteri ſeculo prodeſſent. Cùm autem ætatis meæ partem non exiguam in ſtudio cognoſcendæ reipublicæ R. conſumſiſſem, & de re populi R. numaria, pleraque apud optimos quoſque auctores, tum Latinos, tum Gtæcos obſeruaſſem, meúmque illa de re commentarium illuſtri aliqua inſcriptione (vt fert litteratorum hominum conſuetudo) exornare vellem, Vos illuſtriſſimi Principes, multis de cauſis delegi, quibus hoc qualecunque munus mitterem: quarum illa fuit præcipua, vt grati animi mei memoriam erga tuam, Princeps Caſimire in pios noſtros Principes beneuolentiam, qua commodè poſſem ratione teſtarer. Etſi enim res tuas magno excelſóq. animo geſtas omnium, vt ſpero, gentium poſterorúmque ſeculorum litteræ celebrabunt: tamen mei officij eſſe duxi, laudes tuas bellicas pro mea virili parte prædicare: qui (vt meminiſſe potes) Gallorum omnium primus Principum noſtrarum cauſſam apud illuſtriſſimum Parentem tuum piæ memoriæ agere inſtitui. Ad eas artes militares acceſſit etiam pietas, iuſtitia, grauitas, ſapientia, quam cùm aliis magnis rebus adminiſtrandis, tum præcipuè tuendo & conſeruando Palatinatu Electorali, & illuſtriſſimi quondam tui fratris, filio piè ac regaliter educando feliciter oſtendiſti. Tibi, verò (illuſtriſſime Princeps Elector Friderice) magnopere gratulari volui, quòd Patruum tutorem tanto erga te amore, tantóque ſtudio, ac tam ſingulari fide nactus ſis: cuius ſapientiſſimo conſilio, ita iam inſtitutus es, vt non modò patris & aui tui veſtigia perſequi, verum etiam cum illis certare videaris. Eò acceſſit altera non prætereunda ſilentio ſumma erga te Dei benignitas, quòd eiuſmodi conſiliarios & cuſtodes ac monitores in iſta tenera ætate conſecutus es, quales boni omnes tibi exoptabant: nobiliſſimum virum Othonem à Gtunrade: Cancellarium autem, Iuſtum Reuberum, virum cùm iuriſprudentiæ atque omnium optimarum artium cognitione inſignem, tum etiam vſu & maximarum quarumque rerum tractatione præſtantem; qui cùm adoleſcens in academiis noſtris Gallicis ita iuris ciui-

lis ſtudio floreret, vt omnibus ſuis æqualibus longè multúmque antecelleret, hinc à nobis profeſſoribus honorem vno omnium conſenſu tulit, vt ei vix biennium in ea diſciplina verſato tamen Doctoratus inſignia cupidiſſimè deferremus. Sunt autem etiam illis grauibus & cordatis viris adiuncti conſiliarij complures, multarum & magnarum rerum periti: atque in his generoſus baro Potlitzius: addo etiam Doctorem Lingelsheimium, præceptorem tuis ſtudiis additum: hominem non minus ob ſuauitatem ingenij amabilem, quàm doctrina, & ingenuis quibúſque artibus excellentem. Hanc certè tot præſtantium virorum in excolendo ingenio tuo adſiduitatem, ſtatuo in maxima felicitatis tuæ parte numerandam eſſe: idémque tibi videri neceſſe eſt, recordanti, quæ ſæpe, vt opinor, audiſti, de fortiſſimo illo Græcorum Achille, Pelei Theſſalorum regis filio, cui puero primùm Chiron Centaurus, tum deinde ad Troiam oppugnandam proficiſcenti ſapiens ille Phœdix cuſtos ac monitor à patre adiunctus eſt, vt eum (ſicuti Homerus & Cicero memoriæ prodiderunt) efficeret oratorem verborum, actorémque rerum. Par fuit etiam in Pericle illo Athenienſi principe, itémque in Alexandro magno felicitas: quorum ille ab Anaxagora Clazomenio, hic ab Ariſtotele inſtitutus, orbem terrarum nominis ſui gloria complerunt. Horum igitur tantorum heroum exemplo excitari te, Princeps Friderice, ad laudem & gloriam confido: quæ (vt veriſſimè à ſapientibus dictum eſt) virtutis præmium eſt ampliſſimum. Sed cùm omnibus ætatibus pateat heroicis animis ad gloriam aditus; tum verò hoc noſtro tempore permagnus vobis, illuſtriſſimi Principes campus ad omnem laudem patefactus eſt: cùm tyranni nonnulli ſeculares ludos toti Europæ ſpectandos ediderunt, cum hoc furiali præconio: ADESTE AD LVDOS SPECTANDOS, QVOS NEQVE ANTE QVISQVAM SPECTAVIT, NEQVE POSTHAC SPECTATVRVS EST. Quibus tamen in ludis videmus (quod longè antè fore præuideram) paricidas aliquos dignos ſuis ſceleratis ac nefariis conſiliis exitus habuiſſe. Huic terræ immaniſque belluæ ſi virtutem, ſi fortitudinem ſi arma, ſi magnitudinem animi conſiliíſque veſtri ea quam ſpero, firmitate oppoſueritis, dubium nemini eſt, quin vel parem, vel etiam maiorem gloriam adepturi ſitis, quam quantam Hercules ille *ἀλεξίκακος* ſibi tot monſtris domandis atque exterminandis peperiſſe dicitur.

Valete, illuſtriſſimi Principes. Deum oro vt vos perquamdiu florentes ac beatos eſſe velit. Ex Muſæo noſtro III. Kal. Mai. M. D. LXXXIX.

Sequuntur IOANNIS HOTMANI F. *quas paternis aliquot libris poſtumis præſcripſit epiſtolæ.*

Pro

Pro Conſolatione.

PRÆFATIO. XLVIII.

FRANCISCO, FRANC. HOTMANI Mortefontæi, Primarij Franciæ Theſaurarij & in ſanctiori conſiſtorio regio conſiliarij filio:

IO. HOTMANVS VILLERIVS, Franc. I.C. filius S. D.

RECTE ac ſapienter illi mihi videntur vitam inſtituere, qui & rerum agendarum ab immortali Deo petunt initium; & Pietatem bene beatéque viuendi regulam & ſcopum vnicum ſuorum ſtudiorum atque actionum in omni vita ſibi propoſuere. etenim ſi præpotens ille Deus omnis præterea boni fons eſt & largitor optimus; ſi ille arbiter & inſpector noſtrorum operum, cõſiliorúmque, ſi nec inſpector ſolum, ſed iudex idem & vindex eſſe creditur; quippe cui olim reddenda vitæ noſtræ ratio, ac iudicium eius graue, iuſtum, certum ſubeundum eſt: ſi porrò nemo negat, qui modò benè de mente conſtiturus, Pietatem in medio poſitam, omnibus obuiam eſſe; & vt vno verbo & Paulli verbo dicam, πάντα τοῖς εὐσεβέσιν εἰς τἀγαθὸν συνεργάζεται, quod non modò de illa Patriæ noſtræ beatitate dictum intelligi debet, verùm etiam de huiuſce vitæ curriculo, quæ & ipſa ſuas habet promiſſiones & præmia: quippe, cùm Pietatem conſtet etiam hîc opportunitates cultoribus ſuis adferre ſolere maximas. Cùm hęc, inquam ita ſint; ſæpenumerò mirari ſubit, cur tam pauci in omnibus ſeculis reperti ſint, qui hanc virtutis viam ingrederentur: Nam ſi bonum nobis expetendum eſt, vnde nam, obſecro, niſi ab ipſo Bono petemus? ſi veritas inueſtiganda, an non apud eum, qui Veritas & via certiſſima eſt? ſi animum ad ſapientiæ ſtudium adpellimus, quidni ex ipſis diuinæ Sapientiæ fontibus illam haurimus? ſi ceteræ artes atque diſciplinæ, nobis addiſcendæ, à quo rectius quàm ab ipſo mundi totius opifice & Naturæ artiúmque omnium auctore primario docebimur? ſi quæ denique ad vſus vitæ neceſſaria nobis abſunt, nónne iubemur ea precibus à Deo flagitare, qui rectè petenti nihil denegare conſueuit? námque ego hanc præcipuam Pietatis eſſe partem iudico, vt eum ſincera mente colamus, qui rerum omnium moderator omníſque boni nobis auctor eſt. Sed cùm iſta mentis noſtræ cæcitas & reliqua generis humani vitia in primi parentis lapſum conferri ſoleant, & ex ipſius errore morbos iſtos omnes contraxiſſe verè dicamus, propoſitum mihi non eſt in his immorari diutius. Hoc ſolùm efficere volui, homines illos iure beatos pronunciari, qui vitæ rectè piéque inſtituendæ rationem Dei munere conſequi ſtudent. Hac te viam ingreſſum, agnate cariſſ. confirmauit nuper is, quem ex Italia redeuntem tam amanter mihi commendaſti; quippe, qui te ſtudiorum tuorum principium & finem in Pietate poſuiſſe dicat: & hoc iam tum ſentiebam fore, cùm nos vna eſſemus, ac penè puer ſigna certa dares pudoris & ingenij. Licet igitur augurari, quàm ſis felicem conſilij tui exitum conſecuturus, qui tam auſpicatò rem adgrederis: dum ne vnquam te de ſententia deduci patiare. Flexibilis enim eſt hæc ætas: neque deſunt, quoquo ieris, ad deprauandam eam voluptatum miniſtri ingenioſi, ſollertes, induſtrij. Verum, præter hanc, quam dixi, indolem egregiam & naturæ bonitatem, quæ magnam vim, magnumque momentum ad homines in officio retinendos habere dicitur: feliciter hoc tibi fratríque tuo contigit, quod eſtis gubernatorem ſtudiorum veſtrorum nacti N. Duuærum, virum doctrina, ingenio & humanitate præſtantem, qui rectis vos ſtudijs imbuat, & cuius ductu ac monitis teneram hanc ætatem, tanquam nauim tempeſtatum fluctibus iactatam & in ſcopulis iſtis adoleſcentiæ periclitantem ad virtutis portum certiſſimum poſſitis adpellere. Porrò, quin is hæc monita petat è ſacris litteris (quam ego ſolam demum ac ſolidam philoſophiam agnoſco) vobíſque Scri-

pturam ſanctam legendam obſeruandámque proponat,ſi hominem rectè noui, pla-
nè non dubito. Vt vt ſit,meminiſſe potes auctorem me tibi fratríque tuo fuiſſe, vt
adſidua ſacrarum litterarum lectione,tamquam cibo ſuauiſſimo, animum aleretis:
nam,vt Auguſtinus ait, eccleſiæ Chriſti,quæ omnium noſtrûm mater eſt,duo ſunt
vbera: Vetus & Nouum teſtamentum, quibus pij & fideles Dei partus in dies ali-
mentum ſumunt,educantur, & adoleſcunt in Chriſto. Etenim ſi mei iudicij res eſt,
ego ſic exiſtimo, ſatis hac præſertim ætate veſtra fore,ſi textum ipſum vtriuſque te-
ſtamenti perlegatis, minimè adhibitis commentariis dicam, an commentis homi-
num litigioſorum, qui omnia vel tenebris vel contentionibus oppleuerunt; quo-
rum certè rixas orbi Chriſtiano fatales deflere potius, quàm earum finem vel mo-
dum aliquem ſperare licet:&,vt ſemel dicam quod ſentio,ſi modò vera mihi fas eſt
impunè profari,equidem optaſſem,vt homines illi,quam erant ex Ariſtotele & om
ni philoſophia cæteriſque bonis artibus atque diſciplinis adſecuti doctrinam, hanc
ad illuſtrandam non ad obſcurandam ſacram Scripturam adhibuiſſent, Vtinam illi,
quæ ad pietatem excitandam in populo Chriſtiano, & pacem ac concordiam a-
lendam in eccleſia pertinent, gregi ſibi commiſſo propoſuiſſent:omiſſis plerique
non dicam inutilibus diſputationibus, verum etiam, quod probauit exitus Reip.
Chriſtianæ perniciofiſſimis. Vtinam,inquam, illi ex hoc Scripturæ diuinæ ſacratio
potiſſimum ea depromere induxiſſent in animum, quæ vel ad improbos à flagitiis
deterrendos, vel ad piorum acerbitates leniendas nobis inibi ſuppetunt innumera-
bilia:eáque (quod pater meus in hoc libello facere eſt ingreſſus) oculis ſubiicere,au-
ribus verò atque animis noſtris inculcare ſtuduiſſent. Maiore proculdubio cum fru-
ctu Chriſtiani populi,quos ſummus ille Paſtor eccleſiæ ſuæ Chriſtus in partem vo-
cauit muneris,munus ſuum tenere atque exſequi vidiſſemus. Sed hoc erat in fatis:&
noſtris ſceleribus iſtiuſmodi ſupplicia debebantur. Verùm nos hæc feramus,quæ à
nobis corrigi non poſſunt: & de Auctoris huius inſtituto in iſta ſcribenda conſola-
tione pauca dicamus:pauca,inquam,quia ſatis videtur inſtituti ſui rationem in illa,
quæ mox ſequitur,præfatione ſignificaſſe. Nempe vir pius conſolari ſe voluit, &, vt
ità dicam, permulcere ſenectam in his diuturnis atque importunis ærumnis, quas
partim in exſilio,partim in patria perpeſſus eſt:ſed eo genere conſolationis,quòd &
certiſſimum eſt,&diuinitus Dei filiis delatum atque conceſſum. Gentis igitur hu-
manæ in Adami lapſum condicionem miſeram intuitus;tum verò Nohæ, Abraha-
mi,Moſis,Samuelis, Dauidis, Eliæ ceterorúmque ordine piorum Patriarcharum,
Regum,Prophetarum,ſiue etiam priuatorum hominum caſus, peccata, pœniten-
tiam cum Deo reditum in gratiam, conſtantiam in rebus aduerſis animaduertens;
atque adeò eccleſiæ totiúſque populi Iſraelitici varias à recto cultu Diuini numinis
defectiones,eiúſque cultus redintegrationes;migrationes;captiuitates; liberationes
admirabiles:regni etiam ac reip. illius mutationes innumeras, quas tanto antè Vates
illi ſancti adflati diuino ſpiritu propter populi principúmque flagitia futuras prædi-
cerent,palàm etiam,& non ſine vitæ ſuæ ſummo diſcrimine prædicarent: ad extre-
mum etiam quàm grauiter hoſtium ipſorum,quorum opera in populo ſuo caſtigan
do vſus eſſet,ſcelera & impietatem ſubinde Deus vltus ſit,diligenter obſeruans, &
iuſta Dei in facinoroſos homines iudicia,qua decet,veneratione perpendens; om-
nia verò hæc exempla ad præſentem eccleſiæ Chriſtianæ ſtatum & piorum conſo
lationem prudenter & adcommodatè referens,in vnius Iehouæ bonitate & proui-
dentia conquieſcere didicit,ſibíque hunc priuato ſtudio libellum conſcripſit,ex in-
felicitate publica otium nactus in quodam opidulo Galliæ commodiſſimum, anno
CIƆ IƆ LXVIII,quo tempore tertium ciuile bellum aulicorum quorumdam perfidia
recruduit,quibus,vt Taciti verbis vtar,omne ſemper in turbido conſilium. Sed cum
quadriennio poſt ex grauiori longè periculo vix ſaluus euaſiſſet; quippe qui diu
multúmque ad necem quæſitus,&amicorum quorumdam ope,Deíque potiſſimum
benignitate conſeruatus ad Allobroges ſeſe recepiſſet,non ita multo poſt intellexit
periiſſe quidquid ex ſuperioribus latrociniis ſupererat librorum & ſuppellectilis.
Certè conſolationem hanc, quam mihi & reliquæ familiæ ſuæ, quaſi hereditatem
aliquam deſtinauerat, amiſſam grauiter acerbeque ferre non deſtitit, donec annis
non paucis elapſis amici ſagacitate reperta & ad nos relata eſt. ac ne quando fortè
ſimili caſu periret, memini, cùm eſſem in Anglia, per literas Auctori me auctorem

fuiſſe,

fuiſſe, vt eam in vulgus ederet: quod ex ipſius præfatione facturum eum fuiſſe facilè poſſum exiſtimare, niſi acerba mihi ac repentina morte ereptus fuiſſet: quamuis enim ille ad gloriam ſatis vixiſſe videatur, tamen præter inſanabile vulnus iſtud meum domeſticum, hoc verè teſtari poſſum, illum eo tempore ſublatum, quo Operum ſuorum omnium parabat editionem, quæ partim ab ipſo aucta, recognita, partim etiam noua nondumque vulgata ſunt, & in tomos aliquot veluti claſſes diſtributa. Mihi namque, vt C. Plinio ſummo viro, acerba ſemper & immatura mors videbitur eorum, qui Reip. quantumuis ſenio confecti prodeſſe poſſunt, & aliquid immortale parat. Salua tamen Dei beneficio ſunt omnia, & iam manibus hominum haberentur, niſi per miſeræ patriæ noſtræ bellum crudele, mortiferum, exitiale ſtetiſſet. Tibi verò, Franciſce ſuauiſſime, hunc Franciſci mei parentis libellum par erat vt inſcriberem, têque quaſi in partem vocarem hereditatis iſtius commune tibi cum patre meo nomen eſt. genus commune ducimus à Lāberto illo, qui primus è Sileſiæ finibus migrauit in Galliam, familiæque noſtræ Pariſienſis γενάρχης & auctor eſt. Ego verò te fratris numero ſemper habui; &, ſi viueret Parens meus, ille te virtutis tuæ merito in oculis haberet, filijque loco diligeret. Neminem enim in familia noſtra noui, quæ numeroſa tamen eſt, qui exemplum iſtud Parentis mei magis ad imitandum ſibi propoſuerit, & potiorem in hac laude domeſtica partem adipiſci velle videatur. Qua ex re voluptatem incredibilem percipio: tantum abeſt, vt ea ceteris inuideam quæ mihi à natura denegata ſunt; ac multo etiam minus propinquis & agnatis, vel viuis vel mortuis: quales fuere patrum noſtrorum memoria Lambertus & Simon propatrui mei, quorum humanitatis & doctrinæ ſuauem adhuc apud ciues Syluanectenſes recordationem fuiſſe meminiſti, cum biennio abhinc ſepulcra eorum in cœnobio Mauriciano nobis oſtenderentur, cuius illi præfecturam multis annis ſumma cum laude geſſerant. qualis etiam fuit Carolus patruus tuus, qui fidei in Regem, & ſingulari probitate Magiſtri regiarum rationum munus & meritus eſt & exſecutus: cuius item filios Karolus baro Rabimontius, virtutis paternæ heres & muneris: quales ambo mei patrui Philippus & Antonius, qui virtute ſua atque eruditione honores in ſenatu Pariſienſi non minimos ſine cuiuſquam inuidia conſecuti ſunt: qualis denique tertius ille meus patruus Ioannes, Abbas Inſendius, qui prudentiam ex longo rerum vſu, ex libris doctrinam, à natura acumen ingenij morumque ſuauitatem conſecutus, Principib. viris permultis gratus, aulicum tamen ſplendorem contemſit, vt ſe in doctorum virorum Muſæa & conſuetudinem abderet. Petrum auum meum taceo, Regium in illo Parlamento Pariſienſi ſenatorem integerrimum: ne quis me mei generis laudationem inſtituiſſe putet, ac proinde aliena me laudare iure dixerit: quod ſine reprehenſione aut inuidia fieri poſſe haud arbitror: ſiquidem laudes etiam alienas vix æquis aurib. ſolemus accipere: & quod Iuris conſulti de Noxa, rectè à nobis de virtutis laude dici poteſt, vt ea caput ſequatur, ac penes ſuum auctorem poſſeſſoremque ſit. Porrò hæc eò à me tibi proponuntur, Franciſce cariſſ. vt plura ſimul in hac noſtra domo exempla virtutis & eruditionis intuéare, quibus tamquam ſtimulis totidem, ſi opus eſt, ad iter hoc ingrediendum excitere. εἰκὸς γὰρ βελτίους εἶναι τοὺς ἐκ βελτιόνων, vt monet in Politicis Ariſtoteles: & Accius Poëta vetus ait, quia genus virum non ornat, à viro laudem generi quærendam eſſe. Quamobrem taceo etiam Franciſcum parentem tuum, cuius in Regem & regnum merita Rex ipſe fortiſſimus Henricus IV. (qui aſſidua & fideli ipſius opera ſummis in rebus vtitur) habet omnium maximè cognita. Vnum addam ex M. Tullio verè & opportunè dictum: Generi hominum propè natura datum, vt qua in familia laus aliqua fortè floruerit, hanc ferè qui ſunt eius ſtirpis, quod ſermo hominum ad memoriam patrum virtute celebratur, cupidiſſimè perſequantur. Hoc te facturum, & in pietatis ſtudio permanſurum, quia planè mihi perſuadeo: non modò munuſculum hoc ex patrimonia meo profectum dicare tibi atque inſcribere volui: verumetiam ſi qua prætereà ſunt in mea poteſtate, quæ iuuandis ſtudiis veſtris prodeſſe poſſe, tu fraterque tuus Ioannes, optimæ ſpei adoleſcens, exiſtimaueritis ex animo vobis offero, defero, polliceor. Vale Duværo noſtro viro doctiſſ. ſalutem ex me plurimam. Auguſtæ Raurac. Kalend. Auguſt. CIƆ IƆ XCIII.

Pro Comment. de teſtament.

XLIX

PRÆFATIO.

AMPLISSIMO VIRO NICOLAO BRVLARTO SILLERIO in ſanctiori regni ſenatu conſiliario,& Chriſtianiſs. Regis apud Heluetios & Rhætos Legato digniſſimo.

IOAN. HOTMANVS FRANC. I.C. F. S. D.

SVMMAM fuiſſe ſtante R. Republic. Iuriſconſultorum auctoritatem vel hinc licet exiſtimare, Vir ampliſſime; quod hominum contrahendis negociis tam inter viuos vt ſunt contractus, quàm quæ ad mortis caſum cauſſamque referuntur, vt ſunt teſtamenta, adhiberi plerumque ſoliti ſunt. Hinc illæ ſolemnes antiquitus vſurpatæ formulæ pace bellóque; quas vt plurimum concipere ipſi ſolebant,& conceptas interpretari. Ac teſtamentis quidem,qua de re agitur,dictandis, ſcribendis,ordinandis præſentes eos fuiſſe teſtes ſunt,præter Pandectarum leges innumeras,auctores optimi, Cicero, Tranquillus & Agellius.Hunc autem ego ſermonem inſtitui v.a.non quò ſuam & priſtinam Iuriſconſultis dignitatem adſeram: verùm,quò Rom.populi prudentiam proponam noſtris hominibus ad imitandum; quem ferè nihil(vt dixi)rei ſuæ forenſis, familiaris,publicæ,domeſticæ inconſultis legum iuriſque Rom. peritis viris egiſſe, peregiſſe conſtat. Prudenter itaque, mea quidem opinione,facerent homines ſeculo noſtro, ſi in re tanti ponderis, & quæ omnium maximè ad exiſtimationem pertinere creditur; ad vitandas mehercule ſimultates, odia, iurgia inter heredes; ad amorem verò ac mutuam alendam beneuolentiam non parum adſerre momenti compertum eſt:ſi pariter,inquam,viros bonos, prudentes, iuris quemque patrij peritos accerſerent ad ordinanda ſuprema ſua iudicia. Imperiti namque teſtatores & malè cauti non tam ſuis heredibus aut legatariis bona relinquunt quàm mala multa,rixas, lites,onera:quippe,cùm ex hoc fonte multo maximam litium controuerſiarúmque partem deriuari conſtet: præterquam quod grauiter,vt dixi,fama teſtatorum ex vitio teſtamenti læditur: quibus eo magis conſulendum videtur, quod viuentes quidem poſſunt effugere reprehenſiones,refellere calumnias:mortuorum nomen licenter & impunè plerumque vocatur in inuidiam. Et vbi nemo defuncti cauſſam agit, perperam egiſſe facilè creditur, præſertim in teſtamentis aliiſque poſtremis voluntatibus: quas eo procliuius eſt vituperare, quia corrigi amplius neque mutari poſſunt:quin religione quadã & ex vſu ratæ manent,tamquam leges in familia latæ:niſi ſi ius publicum in iis aut naturæ lex atrociter læſa violatáque probetur nam Noſtri dicunt, & omnibus in ore eſt, Expedire reipub.vt hominum ſuprema iudicia exitum conſequantur: & quemadmodum in publicis grauius lege nihil eſt, ita etiam firmiſſimum in priuatis teſtamentum ſit;cuius,inquit Seneca, poteſtas omnis interiret,ſi viui mortuorum imperia negligerent:& periret vnà ſolatium mortis,quod eſt, & velle & poſſe aliquid vltrà mortem. quapropter. I.C. legem & teſtamentum eodem cenſeri iure docent, & pro lege habendam teſtatoris ſententiam, quam ſcelus ſit ab herede non ſeruari.

Sed legum ſeruanda fides,ſuprema voluntas
Quod mandat,fierique iubet,parere neceſſe eſt:

inquit Octauius Auguſtus, ſiue quiſquis ille, de atroci Virgiliani teſtamenti iuſſo, penè dixeram impio. Adde,quòd in teſtamentis omnem fatemur adfectum: omnibus morum noſtrorum,hoc eſt,pietatis in Deum,caritatis in liberos, in amicos ſtudij,gratitudinis in eos qui de nobis benè meriti, & quis denique captus ingenij noſtri ſue-

ſtri fuerit, tamquam in ſpeculo, exemplar aliquod hominibus intuendum ſpectandúmque proponimus: vt non minus ſcitè quàm feliciter adludentes Noſtri (potius quàm definientes aut veram verbi notationem inquirentes) dixerint, Teſtamentum eſſe teſtationem mentis, id eſt, animi, ſtudij, voluntatis noſtræ ſententiam, quam totius poſteritatis ſubiicimus oculis atque iudicio. Quod ipſum, vt ad ciues Rom. vnde profecta redeat oratio, ſenſiſſe videtur apud Lucianum Nigrinus, laudans illos ſimul & perſtringens, cùm ait: Romanos veras demum in morte voces emittere, ac nuda eorum pectora in teſtamentis patere. etenim dum viuunt, inquit, ſua ipſi veritate non fruuntur, ſed ad alios fructum eius peruenire malunt. Et quod ille Romanis; Nazianzenus mortalibus tribuit in vniuerſum, quorum & ſaniora eſſe & ab omni fuco remotiora extrema iudicia dicit his verbis: *ἐπὶ ταῖς τελευταίαις ἀναπνοαῖς, ἡνίκα εὐγνώμων ἕκαστος τῆς ἑαυτοῦ κρίσεως.* Ex hac certè in noſtros ſuprema animorum adfectione nata eſſe teſtamenta commendationéſque mortuorum (quæ actorum hominis & curæ præcipuæ eſſe & vltimi temporis percommodè Max. Valerio dicuntur) cùm ſcilicet eorum etiam qui nobis ſuperſtites & qui aliquando futuri ſunt, commodis conſulendum ſit, M. Tullius aliíque magni viri ſapienter intellexerunt. Itaque, ſi qui fortè in illa rep. homines tam diſſoluti & improbi reperti ſunt, vt inter teſtandum, atque adeò in ipſo moriendi momento, ſuos aut fallere liberos, aut amicos ludificari inducerent in animum, perfidiæ damnati, nonnunquam etiam ſumto de cadaueribus ſupplicio, ignominiam memoriæ ſuæ ſempiternam intulerunt. quale illud eſt Q. Cæcilij apud illum ipſum Valerium ſcelus, qui L. Luculli beneficio patrimonium conſecurus ampliſſimum, referre ſe Lucullo, ceu parenti aut patrono, gratiam velle profeſſus eſt, cúmque vnum ſibi moriens heredem fore annuli traditione pro more confirmauit: qui tamen Pomponium Atticum teſtamento adoptauerat, omniúmque bonorum reliquerat heredem. vel quale illud T. Marij Vrbinatis, qui ſummis Auguſti beneficiis adfectus, pridie quàm exſpiraret, ei ſe ſoli fortunas omnes relinquere coram palámque teſtatus eſt, cum ne nomen quidem Auguſti teſtamenti tabulis adiecisſet. Poſſent innumerabilia in hanc ſententiam exempla è libris & vſu quotidiano proferri, de teſtationibus videlicet impiis, inofficioſis, imperitis, abſurdis, obſcuris; ſi vel tuo v. A. fas eſſet abuti ocio, vel probatione res indigeret. Quorſum enim hæc? quiſpiam rectè dixerit: quandoquidem Conſtantinus Imp. formulas illas verborúmque ac ſyllabarum aucupia (litium ſegetem vberrimam) Iuſtinianus porrò, & qui eum ſecuti Cæſares, reliqua illa teſtamentorum ſollemnia (quas Pragmatici formalitates adpellant) magna ex parte pro imperio ſuſtulerint: illa denique immenſa teſtandi libertas in Gallia finitimíſque regnis atque prouinciis abrogata dicam an definita & circumſcripta ita ſit, vt noſtris iam moribus heredes non ſcribantur, ſed naſcantur: non priuata teſtamenti lege, ſed Principis conſtitutione & regni vel municipij conſuetudine deferantur hereditates: ac proinde impiæ iſtæ vel imperitæ inſtitutiones exheredationéſve in Republ. noſtra minus metuendæ videantur: cùm hæc, inquam, ita ſint, cui bono ad Iuriſconſultos de teſtamentorum ordinatione referri? Verùm, nihil attinet apud te virum iuris Rom. Gallicíque prudentiſſimum, in illo quippe ampliſſ. ſenatu Pariſienſi annos aliquot illuſtri functum munere, ac ſumma cum integritatis atque innocentiæ laude verſatum, nihil, inquam, attinet conſilij huiuſce mei reddere rationem, quam tu, pro tua prudentia, intelligis eſſe optimam atque ſalutarem. non omnis eſt ex hominum animis profligata malicia, vel erroris diſcuſſa caligo. erunt vitia, erunt errores, quamdiu homines. neque teſtamentorum vſus vſquequaque ſublatus eſt, ſiue illa ſpectes quæ ad pias cauſſas fieri adſolent, ſiue parentum inter liberos, ſiue heredum ſubſtitutiones inuicem: ſiue alias quaſcumque & quibuſcumque de rebus voluntates vltimas: ex quarum verbis aut ſententia graues & exitioſæ naſcuntur etiamnum controuerſiæ, calumnia perſæpe quadam, cùm quod ſcriptum eſt negligitur, & ſimplicium hominum ſcripta peruertuntur: vti olim, ſed ad noſtra tempora adcommodatè, M. Tullius in Bruto ſuo conqueſtus eſt. Cui malo obuiam iri maturè poſſet, ſi vetus illud quod dixi Rom. gentis inſtitutum, multis ſeculis intermiſſum, à noſtris hominibus reuocaretur, cùm eum quiſque ſibi teſtator adiungeret atque conſuleret, cuius fidem ac probitatem perſpectam haberet. Sed quid ego tibi pergo moleſtus eſſe, homini ſummis teip. negociis occupatiſſimo, in te

præſertim quæ non noſtri ſeculi eſſe videtur, quo leges frigent, arma vigent, ac vix vllus in Gallia, miſera patria noſtra, pacis artibus, ſtudiis honeſtis, conſiliiſque huiuſcemodi locus relictus eſt: id quod in re maioris haud paullo momenti memini te dicere, cùm patris mei libellum, cui Tribonianiſmo nomen fecit, non ſine voluptate perlegiſſes. Ac perinde facere mihi videor, vt ſi quis patremfamil. graui morbo oppreſſum, iamiámque moriturum, de proiecto aut ſtillicidio reficiendo, vel ſarcienda veſte importunè compellaret: vel ſi quis in ſæuiſſima tempeſtate periclitantis & mox perituræ nauis gubernatorem de tranſtro aliáue tabula dolanda, aut tonſilla vel remulco, vbi ad portum ventum eſſet, comparando intempeſtiuè moneret. Verum cùm hunc de Teſtamentis commentarium tuo, V.A. dicare nomini deſtinaſſem, & aliquam de more mitti dicationis epiſtolam oporteret: obſecro, qua de re potius quàm de teſtamentis ſcribere me decuit? Hunc igitur parens meus abhinc XXX. plus minus annis Valentiæ Cauarum (cùm is eò Caroli Regis iuſſu, Epiſcopi verò Valentini, magni, inquam, illius & nunquam ſatis laudati viri Monlueij auctoritate ad illam, quæ ex ciuili bello collapſa iacebat, inſtaurandam Academiam profectus eſſet) primò conſcripſit, dein ſæpè recognouit, & auctum denuò edi cum reliquis à ſe ſcriptis commentariis teſtamento iuſſit; vbi poſtquam eorum fidei ac diligentiæ meæ commendauit editionem, legem hanc protinus adiecit: Vti non niſi digniſſimis eos inſcriberem: memor horum haud dubiè verborum Senecæ: Vbi mors intercluſit omnia & ad ferendam ſententiam incorruptum iudicem miſit, quærimus DIGNISSIMOS, quibus noſtra tradamus. nec quidquam cura ſanctiore componimus, quàm quod ad nos non pertinet. Hoc namque legati nomine à patre meo tibi relictum puta V. A. & ab herede filio nunc præſtari: ex voto, inquam, Senis optimi, qui Dignos vti deligerem patronos ſuprema lege mandauit: ex voto etiam meo cui Digniſſimum contigiſſe omnes intelligent, ipſe mihi ſummoperè gratulabor: eo inprimis nomine, quòd humanitate illa tua & comitate ſingulari fretus, quidquid hoc munuſculi eſt, te non adſpernaturum: ſed qua fronte ſoles mea omnia, & qua ſemper Auctorem beneuolentia dignatus es, non exiguo in precio habiturum planè mihi perſuadeam: (& reuerà, munera perinde ſunt vt accipiuntur) quin eo tibi gratius futurum confido, quòd abſque verborum ornatu illud à me tibi deferri vides, & ſine laudum tuarum importuna prædicatione, quam, tenuitatis quoque meæ conſcius, non ſum auſus adgredi: &, ſi dignis maximè vocibus id me præſtare poſſe ſperaſſem, non minus tamen conſiderandum fuit, quid aures tuæ pati poſſint, quàm quid tuis virtutibus debeatur. Iſtud vnum publicè teſtatum volui, in tanto clientum tuorum numero eſſe neminem, qui ſe tibi plus debere fateatur, téque maiori cultu atque obſeruantia ſuſpiciat. Vale vir ampliſſ. & ſalue. Deus te tuámque familiam ſingulari ſua ac perpetua beneuolentia complectatur. Kalend. Auguſt. CIↃ IↃ XCIII.

Pro Com-

Pro Comment. de Donat.

PRÆFATIO. L.

Excellenti I. C. ac præſtanti viro,

HIPPOLYTO A COLLIBVS,
ſupremi dicaſterij in Electorali Palatinatu iudici primario:

IOAN. HOTMANVS FRANC. I. C. F. S. D.

QVI libris alienis præfationes adſcribunt, ſolent ij vel auctorum induſtriam ceteraſque virtutes plerumque commendare, vel de operis ipſius fructu atque vtilitate diſſerere. Mihi neutrum, vt vides, hoc tempore & in hoc libello faciendum eſt: apud te præſertim, VIR PRAESTANTISSIME, qui patris mei laborum, vigiliarum, induſtriæ & memor & teſtis es. quibus illum artibus aliiſq; animi atque ingenij bonis, quæ in eo non mediocria fuiſſe alij prædicant, ego non inficior, pridem illum & Iuriſconſulti nomen, & pij viri laudem adſecutum animaduertiſti: ne quid vltra quàm mihi fas eſt & decorum, dicere adgrediar: quippe ſordeſcet in ore meo iſta laudatio, quaſi vel ex virtute illius, hoc eſt ex merito alieno, aliquam mihi gloriam adfingere, vel viri famam prædicatione mea facere ſtudeam illuſtriorem. quorum illud etiam vulgo ridiculum eſt; alterum, credo, dices eſſe ſuperuacaneum; ac tam fruſtrà fortaſſe, quàm, quod modò dixi, multis verbis indicare quantum emolumenti ex hac COMMENTATIONE DE DONATIONIBVS homines iuris ſtudioſi percepturi ſint. Hanc etenim quis non videt in vſu vitæ quotidiano poſitam; ſcholis & foro neceſſariam: ac tam latè patentem, vt generali ſua definitione Donatio multos non modò, qui inter viuos fiunt, contractus complectatur, verumetiam innumera quæ vel libertis, vel propinquis, vel amicis poſt mortem noſtram collata volumus eſſe beneficia, vt ſunt: Donationes cauſſa mortis; omnium generum legata & fideicommiſſa: quæ omnia tam accurata & diligenti tractatione perſecutus Auctor eſt, cùm in hoc libello, tum in Diſputatione illa ſua veteri de Donationibus & reliquis commentariis, vt ineptè videar officioſus, ſi parentis mei diligentiam, quæ per ſe legentibus obuia eſt, verboſius exponam. Verumenimuerò, c. v. cùm celebres illæ Cinciæ, Titiæ, ceteræque id genus ſtante rep. latæ leges, & Principum Rom. conſtitutiones, quibus ſapienter & ex vſu reipubl. donationum modus definitus eſt, proſpectúmque ne quis re ſua malè vtatur; néve illa libertate naturali, quam quiſque ciuis & paterfam. habet in ſuarum rerum adminiſtrationem, ad earundem diſſipationem, familiæ verò ſuæ perniciem, ac reip. denique detrimentum abutatur: cùm leges, inquam, huiuſcemodi ad priuatos potius quàm ad principem pertinere dicantur: è re nata, & ne nihil in hoc argumento dixiſſe videamur: primum omnium piorum Principum Theodoſij & Valentiniani piam illam & numquam ſatis laudatam vocem conſiderabimus, qua ſe legibus adligatos eſſe, eíque iuri ſuum principatum ſubmiſiſſe profeſsi ſunt, quod in ciuium ſuorum gratiam coërtionémve conſtitutum eſſet: quaſi nihilo plus ſibi quàm priuatis licere vellent; pari certè æquitate dicam, an pietate, qua Prætores olim edicebant, vt quod quiſque iuris in alium ſtatuiſſet, eodem ipſe poſteà iure vteretur. Quod quidem piorum Imperatorum dictum non minùs de profuſis Principum largitionibus, quàm de alia qualibet intemperantia intelligendum eſſe arbitror. vt ex hoc pietatis fonte manaſſe videatur illa Cæſ. Alexandri haud minori laude digna vox, cum diceret: Nefas eſſe, vt Diſpenſator publicus in delectationes ſuas ſuorúmve conuerteret id quod à prouincialibus accepiſſet: quod faciunt tyranniones illi, qui diuitiarum & pecuniæ non alium fructum putant quàm profuſionem: vt

Tranquillus in Nerone conqueritur. Aptè verò Seuerus & cum Ariſtotele congruenter, Principem diſpenſatorem adpellat: quem ille ſapientiæ princeps φύλακα κ̀ ταμίαν ὡς κοινῶν, ἀλλὰ μὴ ὡς ἰδίων eſſe iubet: neque enim vel remp. ipſam, vel reip. pecuniam, priuatum illius patrimonium exiſtimandum eſt: quin eam potius tamquam rem communem aut alienam adminiſtrare, &, vt Taciti verbis vtar, ſuæ parcus, publicæ etiam auarus eſſe debet, non verò largitor improbus ac temerarius. Ἀξιῶ τ̀ βασιλέα κοινὸν ἀγαθὸν, κ̀ ἄτυφον εἶναι: inquibat ſanctus ille vir Syneſius περὶ βασιλείας: vbi vetat, Principem more puerorum in ſcenicas & vmbratiles voluptates bonorum virorum ſudores impendere, ἐπ' αὐτὴ σώφρονος χρείας ἀλάζονα φιλοτιμίαν πρεσβεύειν: ſed, vectigalibus ſuis, quoad eius fieri poterit, parcere, & ſumtibus ac largitionibus modum imponere. Malus alioquin pupillus eſſet Imperator (inquit apud Lampridium ille ipſe Seuerus Cæſar) qui ex viſceribus prouincialium homines non neceſſarios, nec reipublic. vtiles paſceret: quo in numero ſunt ſcurræ, mimi, ſcorta, lenones, ſicarij, adulatores, & id genus amicitiarum dehoneſtamenta: quæ apud reges in maiori plerumque gratia ſunt, quàm quotquot in reliqua familia, in ciuitate, in regno probi, docti, ſapientes homines, benè etiam de rege vel republic. meriti. Et profectò ita eſt v. c. vt nihil cunctis gentibus, ſeculis omnibus tyrannicum mage viſum ſit, quàm ſi qua ex miſeræ plebis pecunia, ſudore, ſanguine, ad caſus reip. repentinos, vſúſque neceſſarios, collecta vectigalia ſunt (τἀργύριον γάρ ἐστιν αἷμα κ̀ ψυχὴ βροτοῖς, ait Comicus ille vetus) in ſumtus inanes, in libidines atque flagitia, in vnius denique aut alterius interdum impuri hominis & palpatoris aulici vel meretricis immoderatum amorem tota conſumantur. quod & factum perſæpè legimus; & exinde populi ſeditiones, bella ciuilia, cædes Principum, rerumpubl. euerſiones natas atque conſecutas etiam vidimus, heu! quanto noſtro malo & Chriſtiani nominis infamia. Itaque ſi qui ſunt reperti Reges hac pietate atque indulgentia præditi, vt non modò tributis ſuis ac vectigalibus non abuterentur, verumetiam in exigendis iis moderationem adhiberent, ſumma his ſeculorum omnium conſenſione tributa laus eſt: qualis illa C. Plinij de Traiano πανήγυρις: Augeo, inquit, p. c. Principis munus: cùm oſtendo liberalitati eius ineſſe rationem. ambitio enim & iactantia & effuſio, & quiduis potius quàm liberalitas exiſtimanda eſt, cui ratio non conſtat. Tum verò ad eum conuerſus hæc verba ſubiecit: Feres, Cæſar, curam & ſollicitudinem Conſularem. nam mihi cogitanti eundem te collationes remiſiſſe, donatiuum reddidiſſe, congiarium obtuliſſe, delatores abegiſſe, vectigalia temperaſſe: interrogandus videris, ſatíſne computaueris imperij reditus, an tantas vires habeat frugalitas Principis, vt tot impendiis, tot erogationibus ſola ſufficiat. nam quid eſt cauſſæ, cur aliis quidem, cùm omnia raperent, & rapta tenerent, vt ſi nihil rapuiſſent, & deficerint omnia: tibi cùm tam multa largiaris, & nihil auferas, omnia ſuperſint? Hæc Plinius. Laudatur etiam in Græcis Imperatoribus Nicephori Botaniatæ factum egregium, qui cùm ad imperium perueniſſet, primum illud liberalitatis ſpecimen edidit, vt quidquid fiſco deberetur, id vniuerſum citra exceptionem aboleret, ac nouas tabulas magnifico edicto inſtitueret. Laudatur denique patrum noſtrorum memoria Ludouicus XII. rex Galliæ, qui patris patriæ glorioſum nomen eſt adeptus, quod non niſi cum lacrymis, vt dicitur, pecuniæ ſubſidium petere ſoleret à populo. Ac mihi quidem in hac iam cogitatione defixo, maiorum noſtrorum in republica Gallica conſtituenda prudentiam admirari ſubit, qui modum regiis quoque largitionibus ſtatuerunt aliquem: vel, vt verius dicam, Reges ipſi lata lege ſanciuerunt vt eorum, quæ à ſua eſſent profecta liberalitate donorum ac munerum merita à Præfectis regiarum rationum expenderentur, & tabulis publicis conſignarentur. Quinetiam Philippus cognomento Valeſius, largitiones omnes reuocauit à ſe ac ſuis maioribus factas, quæ non eſſent in tabulas publicas relatæ: & Carolus viij. is, qui regno Neapolitano aliquamdiu potitus eſt, Philippi legem illam, nõ niſi de donatione quæ c. libras Gallicanas excederet, voluit intelligi. Itaque ſi non eſſent ſanctæ illæ ac reip. ſalutares leges, Alaſtorum noſtrorum aliarúmque aulæ peſtium præſtigiis abrogatæ, vel regum facilitate ſenſim obſoletæ, non eſſet fortaſsè tam graue Galliæ vulnus illatum; neque illa ex iſto vulnere in tantum, vt vides, adducta diſcrimen. Viderunt haud dubiè noſtri maiores tam facilè Principum mentes palpatorum artibus faſcinari, quàm vel coniugum inuicem vel reliquorum homi-

num a-

num animos blanditiis & adſentatione moueri. Viderunt haud dubiè, ſi hæc in priuatis hominibus infinita donandi libertas familias ſæpè totas euertit, quantas calamitates reip. eſſet adlatura regum poteſtas immoderata. Viderunt ipſi reges ſapientiſſimi, quorum modò meminimus, illas ſe familiarium fraudes prudentia ſua vitare non poſſe. nullos mortales facilius labi ac decipi quàm reges, quippe qui ſupra ceteros negociorum mole premantur, auribus autem atque oculis alienis cogantur omnia ferè credere. Viderunt denique nihil eſſe procliuius, quàm vt Reges ex prodigis fiant exactores, gradatímque tyranni, Rex egens, magnus eſt calumniator: inquit Victor Vticenſis epiſcopus lib. ij. de perſec. Vandal. namque is, cùm ſua penitus effudit, per ſcelus, per calumniam rapit, inuadit aliena; ac ne ab iis quidem ſibi temperat, quæ profudit in animos, quaſi ſpongiam expreſſurus, quæ multam aquam prius imbiberat: vel ad instar clepſydræ, quæ tum demum inuertitur, cùm vna pars alteram exhauſit. Atque in hanc ſententiam quiritanti Tiberio deeſſe ſibi pecuniam, lepidè ſimul & argutè reſponſum ferunt, oraret ille Seianum, vt ſe in partem bonorum adſciſceret: quæ nimirum Tiberius in eum anteà profuderat. quod itidem de Claudio Tranquillus refert his verbis: Tantum prætcrea adquirere & rapere ſoliti erant (Narciſſum & Palantem innuit) vt querente Claudio de fiſci exiguitate non abſurdè ſit dictum, Abundaturum ſi à duobus libertis in conſortium reciperetur. Sed quid ego hæc apud te commemoro, doctiſſ. vir: cum hæc tibi domi abundè naſcantur, & ipſe tu tam feliciter PRINCIPEM tuum diuinis præceptis non ita pridem formaueris ad virtutem: qui meritò liber multorum iam manibus teritur, vtinam etiam Principum. felicius herclè cum populis permultis ageretur: quemadmodum video agi præclarè vobiſcum: quibus Dei opt. max beneficio huiuſmodi contigiſſe Dominum omnes vbique prędicant, alium nempe FRIDERICVM, pij illius & magni Friderici nepotem, per paternas virtutes atque auitas ad ſummum decus gradientem; cuius imperio leniſſimo & ſapientiſſimo futurum ſperant, vt non modò quotquot eius vel ditioni parent, vel inter clientes numerantur, florentes ac beati futuri ſint: verumetiam vt Ille inter Germaniæ veſtrę atque adeò Chriſtianæ gentis proceres tamquam aliquod ſidus illuſtre olim habeatur. Vnum addam, non minimam huiuſce boni gratiam deberi præſtantibus viris, Principis illius illuſtriſſimi conſiliariis, pia, vt ait Symmachus, ac decora ſuadentibus, quos idcircò cum Symmacho INSTRVMENTA BONI SECVLI adpellare non dubitabo. Ac te cum in hoc numero eſſe video c. v. atque præterea in iſta dignitate conſtitutum, & tuo in primis Domino gratioſum, haud ſatis ſcio, vtri prius gratulari debeam: illi, qui miniſtrum tam fidum, prudentem, atque omni inſtructum doctrinæ genere delegit: an tibi, cui tantum Heroëm factum eſſe herum omnes boni gaudent: ego inſuper vt res iſta feliciter eueniat, Deum precor ex animo. Vale vir præſtantiſſ. méque porrò ama nominis tui ſtudioſiſſimum. Kal. Aug. CIϽ IϽ XCIII.

Pro diſputatione de Nuptijs,

PRÆFATIO. LI.

ILLVSTRI LADISLAO WELENO Baroni à Zerotin, Domino Tribæ Morauorum, &c.

IO. HOTMANVS FRANC. F.

ISTA ſæpenumerò mihi cogitatio dubitationem adtulit, Ladiſlae Baro generoſiſſime, vitióne generis humani ac noſtræ mẽtis imbecillitate, an verò admirabili ſummi DEI prouidẽtia vſuueniat, vt qua in gente, prouincia, ciuitate floruerit ars aliqua, ab ijs ipſis eorumue poſteris, apud quos illa fuit in precio, nõ ita multo pòſt neglecta iaceat: & quę priori ſeculo ſtudia hominum atque inuenta placuerunt, alijs deinceps ætatibus maximè diſpliceant.

Verùm, vbi in rem iſtam penitius introſpexi, animaduerto, huius cauſſam viciſſitudinis DEO ſimul & hominibus adſcribi poſſe: vt etiam ea quæ nos perperam agimus in commune gentis humanæ bonum (rectè omnia ac ſapienter adminiſtrante DEO) cedere, atque euenire dicamus. Hæc etenim naturæ lex à prępotenti DEO, in ipſo rerũ primordio, rebus humanis videtur impoſita, vt illæ ſibi ſuccedant inuicem; & quæ hominum errore, tædio, bellorum cladibus, aliiſue caſibus humanis artes atque diſciplinæ vno in loco interierint, alio reuiuiſcant. Sic enim profectò ſe res habet, adoleſcens nobiliſſime, vt, ſi omnes ſcirent omnia, aut ſemper penes eoſdem artiũ ſcientia, penes alios verò earũdẽ eſſet ignoratio: illi facilè, vt fit, potius ſe quàm DEVM auctorem earum agnoſcerent: hi verò reliquos mortales deſpicerent, quibus par eſſet felicitas atque induſtria denegata: neque tam vberem, vt ita dicam, inter ſeſe homines colendæ ſocietatis materiam haberent. De religione vt taceam, quę cultus diuini diſciplina quędam eſt, & cuius nobis mutationes innumeras & quaſdam quaſi viciſſitudines ſingulis ferè hominũ ætatibus licet animaduertere; quæ prius eloquentiæ, tum verò philoſophiæ, ceterarũmq; optimarum artium laus viguit in Græcia, ea Romanis quaſi per manus tradita ad alias atq; alias gentes ſenſim delapſa eſt. Ac fuit tempus, cùm & iuris ciuilis, & liberalium diſciplinarum omnium ſtudia nõ florerẽt ſed ſeruerent in Gallia: eòq. tamquam ad bonarum artium mercatũ vndiq; confluerent ex Germania, Britannia, Polonia. Bohemia, aliiſq. Europæ gentib. adoleſcentes nobiliſſimi: in quorũ numero memini me videre ex Morauia veſtra pręcipuæ nobilitatis viros, qui ſi hoc tẽpore Galliam intuerentur, quã olim opibus, legib. & pręclaris inſtitutis atque adeò omni doctrinarum genere beatam viderunt atque admirati ſunt, certè vel in Gallia Galliam ipſam nunquam agnoſcerent, vel ruinas iſtas, incẽdia, clades, parietinas, ipſum deniq; Gallię funus lacrymis & luctu nobiſcũ, quę pietas eorũ eſt, proſequerẽtur. GALLIA EST TESTIS: QVÆRE EX ALIIS QVI ILLIVS MISERITVDINEM, NOMEN CLARVM IN HVMILI SAXO MVLTIS MEMORANT VOCIBVS. quod de Troiæ maceria & ſolitudine Accius poeta vetus in Aſtyanacte dixit. Fuit, inquam, tempus illud, ac non ita pridem, cùm Gallica nobilitas ab errore illo veteri, in quo turpiter ac diu verſata fuerat, abduci ſe paullatim & in viam veritatis reduci paſſa, ſin minus artes pacis bellicis artib. anteferret, iſtis certè liberalib. ſtudijs ac doctrinis animum perpolire, genus exornare ſuum induceret in animum: cùm ecce repentè

----ſæuit horrendum minans
Flammifera Erynnis: verbere excuſſo ſonat.

cùm ecce, inquam, ſubitò nimbus ille grãdine fulminibúſque grauidus, quem pater meus piæ mem. multo antè præſenſerat, belluam immanem, quam GALLIÆ VASTITATEM adpellant, cõtinuò ſubſecutus, iſta, quæ dixi, ſtudia noſtra non ſolùm adflixit, ſed etiam ne quando recreata exſurgere atque erigere ſe poſſent, funditus ſuſtuliſſe videtur: & miſerandum in modum, vt vno verbo & veteri verbo dicam, omnia compleuit anxitudine: quale fuiſſe dicitur illud de vaſtitate Italiæ ſomnium Hannibalis, euentu belli atrociſſimi cõprobatũ. Nimbus hic, vt vides, irę diuinę, ſtragẽ, perniciẽ, exitiũ artib. atq; diſciplinis, earũq; cultorib. & patronis tãtum intulit, vt nullus ijs propemodũ locus ſit relictus, nã cùm ſibi nuper Muſæ ſedẽ ac domiciliũ in Gallia conſtituiſſe dicerẽtur, eius vix domicilij veſtigium ſupereſt hoc tempore. Eas iam ſedes ſibi nouas, pro rerũ humanarũ viciſſitudine, quæſiſſe, & in Germania finitimíſq; populis ſubſediſſe, illi facilè iudicabũt, qui tot Principũ virorũ in perdiſcẽdis optimis quibuſq; & reip. regẽdę neceſſarijs artib. ſtudiũ incredibile paſſim iam in his Europę regionib. animaduertũt. Poſſẽ ego, ſi abuti vellẽ ocio, Palatinos Lãdgrauios, alióſq; permultos Germaniæ proceres enumerare, qui generis ſui ſplẽdorẽ hiſce litteratũ inſignib. illuſtriorem facere ſtudent. ſola tua Morauia, generoſe Baro, eius rei mihi documẽta penè infinita ſuppeditat. ſed abſoluã vno verbo. nemo apud vos verè nobili & illuſtri loco natus nõ ſtatim ſuę nobilitatis ornamentũ & quaſi auctariũ aliq. doctrinam adijcit: nemo non rei militari (quã plerumq; qui hoc loco nati ſunt, ceteris rebus & ſcientijs omnibus quantumuis honeſtis anteponunt) variã prętereà adiungit diuinarum humanarúmque rerum cognitionem: ex qua prudẽtiam, animi moderationem, reliquáſq. virtutes mitiores oriri certũ eſt: vt veterum illam poetarum confirment de Minerua ſententiam, qui eam ſimul armorum & ſapientiæ præ-

ſidem

ſidem adpellabant. Ac ne longius abeam, aut veſtri mihi annales euoluendi ſint, vel
Morauicæ familiæ cunctæ recenſendæ, in vno conſiſtam illuſtri genere Zerotino-
rum, quod virtutis huius vtriuſq; gloriam meritò cõſecutum omnes vbiq; prędicãt:
ego verò, præter fortiſſimi & ſapientiſſimi herois Ioannis parẽtis tui memoriam, quẽ
nuper extinctum lugent adhuc omnes boni, pręclara de maioribus gẽtilibúſq; tuis
monimenta collegi, celebrandę, ſi vita ſuppetat, olim familię veſtrę: cui me ſolo vir-
tutis nomine profiteor addictiſſimum: ac tibi in primis, Baro Ladiſlae, qui non tan-
tum imitando æquare laudem iſtam gentilitiam, ſed ęmulando etiam ſuperare velle
videris. nam, quantum ex alacritate illa tua in ijs addiſcendis quæ ad animi ingenijq;
culturam à præſtantibus illis viris, (Amando in primis Polano præſtanti Theologo)
qui tuæ præſunt adoleſcentiæ, quotidie tibi præſcribuntur, exiſtimare licet: non
pergis, ſed properas, ſed curris ad laudem & ad decus: nullis admotis calcaribus, ſed
ſponte, ad id natura te tua impellente: vt iam nullius magis exemplo quàm tuo ip-
ſius ad decurrendum reliquum hoc virtutis ſpacium opus tibi eſſe videatur: ac te nõ
alij magis quàm ipſi tibi ſimillimum eſſe oporteat, &, vt vulgò dicitur, cum primis
extrema cõtexere: vt cùm ſtirpis vetuſtate & dignitate familiæ inter Morauiæ pro-
ceres primarios habeare, tribus his vocibus, quibus laudauit Cyrum Lyſander, gratu
lari tibi poſſimus: ἀγαθὸς ἀνὴρ ὁ δ᾽ εὐμενής, quam ego laudationem eo præſtabiliorem
eſſe iudico, quòd, vt Liuius ait, tarò datur hominibus ſimul bona fortuna & bona
mens. Quod ſi iuuant inſuper exempla domeſtica, eximium habes in Friderico Ba-
rone Zerotino, altero familiæ veſtræ lumine, Morauiæ totius ornamento: cuius etſi
vultum abſentis intueri non licuit, ex fama tamen præſentes mihi ſunt & perſpectæ
virtutes. Is tibi quidem, vt audio, cognatione patruus eſt, amore certè parens ac tu-
tor amantiſſimus: eíque non tam à natura vel à lege rerum tuarum, hoc eſt, ampliſ-
ſimi patrimonij delata eſt adminiſtratio, quam ex adfectu & beneuolentia erga te
vltrò ſuſcepiſſe videtur, vt partem in hac ſanctæ tuæ educationis laude & fructu ali-
quam aliquando meruiſſe dicatur. alterum eſt in Barone Carolo, conſobrino tuo,
qui nuper ob morum ſuauitatem, ingenij præſtantiam, rerum omnium maximéque
militaris ſcientiam, & quod caput eſt, pietatis exemplum penè ſingulare, cùm for-
tiſſimo Regi Galliæ Henrico quarto fortiſſimam nauaret operam ſumtu infinito at-
que liberali, ſummam apud omnes gratiam eſt adeptus, noménque meritus im-
mortale. Quæ cùm ita ſe habeant, & veriſſima hæc Zerotinæ gentis gloria ſit, præ-
clarè mecum agi video, qui te mihi & huic libello patronum adſciuerim: te, inquam
baro Ladiſlae, cuius ſplendore nominis, tamquam gemmis precioſiſſimis, exornatus
iſte Commentarius gratior haud dubiè futurus eſt: cùm intelligent homines, dig-
niori eum & nobiliori patrono inſcribi minimè potuiſſe. Porrò vt tibi quoque non
iniucundum fore ſperem, facit & nomen Auctoris, & rei vtilitas, & tua erga me be-
neuolentia. Ac de patre quidem meo hoc liquidò poſſum adfirmare, eum iam ſe-
nem & perpaucis antè obitum annis confeciſſe commentarium iſtum, cùm iam eſ-
ſet & informatus à doctrina, & longo rerum vſu confirmatus: quippe quem conſtet
annos XLV. id eſt multo maximam vitæ ſuæ partem in docendo, conſulendo, le-
gendo, ſcribẽdóque conſumſiſſe: ac tantum abeſt vt morti proximus aliquid de pri-
ſtina illa ſedulitate ac diligentia remiſerit, vt eam potius intenderit: quod Diogenes,
apud Laertium, currentem in ſtadio facete dicebat oportere, vbi ſe metæ vicinum
eſſe animaduerteret. Quam enim hic è re nata renouauit tractationem de gradibus
cognationis & adfinitatis, qui priorem illam legere volet, anno primùm M.D.XLVII.
ſummam cum doctorum hominum adprobatione vulgatã, facilè deprehendet non
vberiorem illam quidem, ſed meliorib. firmatam rationibus & exemplis. Dicam ſa-
nè quod res eſt, numquam ille opinionum ſuarum morbo tantoperè laborauit, vt
non ſatius atque honeſtius duceret modeſtè ſuum errorem confiteri, quàm perti-
naciter in eo verſari: quod magni plerũq. viri ſolet, qui, etiamſi ingeratur veritas o-
culis, amãt, inquit Seneca, & tuẽtur errorem: coargui nolunt, & in malè cœptis ho-
neſtior illis pertinacia videtur quàm pœnitẽtia. Neq. enim, vt ille ipſe alio loco pro-
nũciat, leuitas eſt à cognito errore diſcedere: & ingenuè fatẽdum eſt. Aliud putaui,
deceptus ſum. hæc verò ſuperbę ſtultitiæ perſeuerantia eſt, Quod ſemel dixi, qualc-
cũq. eſt, fixũ ratũq. ſit. nõ eſt turpe cũ re mutare cõſiliũ. Magna porrò laus eſt & grata
hominib. inquibat Orator ille ſumm⁹, vnũ hominẽ elaborare in ea ſciẽtia, quę ſit pro

ſutura quamplurimis. Quod eò dico, quia ſi pars vlla noſtri iuris eſt, quæ quàm latiſſimè pateat, atque, vt ita dicam, ad alias diſciplinas ſeſe diffundat: iſtam profectò de ſponſalium & Nuptiarum iure & ritu tractationem eſſe arbitror: itémque illas in foro & ſcholis frequentes, in familijs neceſſarias, in vſu vitæ quotidiano poſitas diſputationes de nominibus & gradibus cognatorum & adfinium. Occurrunt in libri ſanctis, in hiſtorijs omnibus, in ſermone & publico & familiari quæſtiones huiuſcemodi: Quoto gradu diſtent inter ſe cognati? intrà quem cognationis gradum poſſint cõtrahere matrimonium? quę ſint adfinium & cognatorum propria nomina? quàm putidũ enim & viro nobili indignũ, (cui generis ſui ſeries curæ debet eſſe vel maximæ) quàm indignum eo etiam homine qui vult eruditus haberi, patruum pro auunculo; materteram pro amita: fratris filium pro nepore: cõſobrinos pro ſobrinis: amitinos pro patruelibus: agnatos pro cognatis adpellare? Quo magis etiam gratum laborem omnibus futurum confido, quem Parens meus hac in re poſuit, quòd eius, vt dixi, non ad iuris tantum ciuilis ſtudioſos ſpectat vtilitas, verum etiam ad Theologos, ad Canoniſtas, ad alios denique homines innumeros, ſed ad eos maximè qui in muneribus & adminiſtratione reipub. verſantur: in qua te dignitates olim ampliſſimas adſecuturum ſperamus nos, in quorum animis excitaſti non iam exſpectationem tui, ſed amorẽ & admirationem incredibilẽ. Quocirca par eſt, maturè tuas aures talibus vndique vocibus circũſonare. Egregia certè tua indoles ac propè iam adulta & maior ætate virtus facit, vti mihi perſuadeã, ſtudia iſta noſtra non eſſe ſuprà captum ingenij tui. Hanc Deus indolem perducat ad frugem & maturitatem: detq; tuis virtutibus incremẽtum, pro ſua clementia & voto noſtro, maximum. Vale Baro Ladiſlae generoſiſſ. & optime. Auguſtæ Raurac. IX. Kal. Septemb. cIↃ IↃ XCIII.

Pro Comment. de pact. Digeſt.

LII. PRÆFATIO.

Illuſtri adoleſcenti

ALBERTO, COMITI IN HANAW & Reineck, Dom. in Mintzenberg, &c

IO. HOTMANVS FRANC. F.

MAGNA quædam, & ad exiſtimationẽ præclara res eſt, ALBERTE Comes generoſiſſime, & quæ non modò noſtris mentibus ſuauitatem, verùm etiam animis ſtimulum ad virtutem maximum adferre creditur, noſſe nos ac meminiſſe quibus prognati parentibus, quibus orti maioribus, & qua olim illi laude floruerunt. Quod ſi hic ſenſus etiam in priuatis meæque hoc eſt, tenuis conditionis hominibus ineſſe ſolet acerrimus: quãto maiorem vim in vobis atque efficacitatem habiturus ille ſit, quiuis exiſtimare poteſt: in vobis, inquam, quibus præſto ſemper eſt ſeries longiſſima rerum per tot ducta viros antiqua ab origine gentis. qui & auos & atauos, & maiores omnes ordine multis abhinc ſeculis recenſere, illorum verò non modò cum aliis totidem familiis illuſtribus connubia & neceſſitudines enumerare, verùm etiam ſingulorum res præclarè geſtas poteſtis ex annalium totiúſque hiſtoriæ fide repetere: atque eadem operâ cõfirmare, puram eſſe generis veſtri nobilitatem, nullóq; plebeio mixtam ſanguine, ſed Cæſarum, Principum, heroúmque permultorum adfinitatibus innexam, ornatam, ac toto ſplendentem orbe Chriſtiano. qualem eſſe nuper, illuſtris Alberte, tuam in-

telle xi

tellexi, cùm in eam fortè hiſtoriæ Germanicæ particulam incidiſſem, quæ ad Alſaticæ prouinciæ ac proinde gentis tuæ pertinet illuſtrationem. ac nullam tota ferè Germania familiam vetuſtiſſimam eſſe comperi, ad quam non poſſint Hauauiæ Comites ſuæ ſtirpis originem parte ab aliqua referre. Adde quod nongenteſimus iam annus effluxit, ex quo veſtra domus iſto Comitatu atque dignitate floret: ſiquidem Albericus Comes Hauauiæ is, quem annales Germanici circa annum DCLXXXVI. vixiſſe memorant, tui ſtemmatis γενάρχης & auctor eſt. Ab Vlrico certè illo, qui Cæſ. Adolfi Naſſauij ſororis filiam in matrimonio habuit, & apud Principem illum, in primis gratioſus fuiſſe legitur, cuncti maiores tui continua ſerie & non interrupta recenſentur: ſimúlque oſtenditur quàm frequentibus matrimoniis ceteras Germaniæ & vicinarum regionum quarundam familias inſignes, quaſi vinculis totidem tenetis implicatas. Ac nullam frequentiorem vobis eſſe video propinquitatem, quàm cum illa ipſa excelſa domo Naſſauica: illuſtriorem verò arctiorémve nullam quàm cum primaria gente principum Palatinorum. nam vt taceam ſuperiorum temporum cum illis inſtitutas affinitates, patrum memoria Phillippus tuus auus Helenam duxit vxorem Ioannis filiam, Friderici iij. Electoris ſeptem-viri & cognomento Pij ſororem. Porrò res egregiè ac fortiter à tuis maioribus domi militiæque geſtas perſequi & longum eſt, & non huius inſtituti mei. Quamobrem conſultò prætereo, quàm fortem illi ſemper ac fidelem ſuis Cęſaribus nauarint operam: quàm patriæ amantes ſimul & vtiles ſeculis omnibus habiti ſint: quibus ſubinde præmiorum dignitatúmque acceſſionibus à ſuis Principibus honorati: cuiuſmodi fuit regale ius illud cudendæ pecuniæ veſtróque titulo & nota inſigniendæ ab Imp. Carolo IV. tuis gentilibus attributum. non denique generis Hanauici ſplẽdorẽ & amplitudinẽ cõmemorabo: q̃d in duas diffuſum veluti propagines Mintzebergicã & Lichtebergicam, ſummis adhuc vtrimque floret dignitatibus, opibus & ornamẽtis. Ad patrẽ tuum venio Philippum-Ludouicũ, quem acerba nobis & immatura mors in flore ipſo ętatis ademit. nã cũ à natura eximiã indolẽ ingenij, à ſtudio & exercitatione multarũ artium ſcientiam: ex peregrinatione Italica, Gallica, Anglica nõ modò variam linguarum cognitionẽ, verùm etiam rerum vſum & prudentiam eſſet iam penè ſingularem adeptus, ac propediem patriæ ſuæ decus egregium videretur allaturus: vixdum egreſſus: annum ætatis ſextum & viceſimum ſummo omnium luctu ac mœrore nobis ereptus eſt: qui ſanè luctus ad me non minima ex parte pertinet: propter eam, qua patrem meum proſequebatur, beneuolentiam. Ac memini cùm is in quadam academia Galliæ patri meo, cui erat à Principibus viris nonnullis ſtudioſè commendatus, daret operam, atque, ex procerum Germanorum inſtituto laudabili, iuris ciuilis ſtudio ſeſe dedidiſſet: mirabilem eum ſui in animis hominum amorem excitare: atque ob ſuaues & verè aureos ipſius mores à patre meo in ſummo haberi honore ac precio, neque ita multo poſt elogio etiam publico dilaudari. Hæc, inquam, magna ſunt omnia, illuſtris Alberte Comes, ac non tantum populari fama, ſed magnorum etiam hominum iudicio glorioſa: nihil tot ſeculis in hac tua gente non excellens, nihil non immortali laude dignum, quaqua verſum intueare, animaduerti poſſe. Verùm iſta, parce benigniſſime Comes, maiorum tuorum propria, non tua ſunt. Vetat nos Epictetus alienis efferri laudibus: Ἐπὶ μηδενὶ ἐπαρθῇς, inquit, ἀλλοτρίῳ προτερήματι. & Phalaris Axiocho in hanc ferè fertur ſcripſiſſe ſententiam: Gloriari quidem nobilitatis nomine, tamquam ob alias res præclaras licere: ſolam tamẽ & ſolidam nobilitatem in Virtute poſitam. cetera omnia, caſus eſſe fortuitos. continuóque aurea hæc verba ſubiungit: ὥστε τὸ ψυχῆς ἔπαινον αὐχεῖ πρὸς Συγγενείας, μὴ προγόνων τεθνηκότων ἐν ἀδοξοτέραις διαδοχαῖς εὐγένειαν. Et vir ſanctus Hieronymus iſtis adſtipulatus, Nos nihil, ait, laudabimus, niſi quod proprium eſt & de puriſſimo ſanctæ mentis fonte profectum. cùm paullo antè dixiſſet, magnos quidem eos ſibi videri qui ab Ænea & Iuliis altiſſimum trahunt ſanguinem, ſed admirabiles eos cenſendos qui iſta deſpiciunt. Marius is, qui ſepties Conſul, virtute ſua gloriam ingentem ſibi pepererat, apud Salluſtium homines iſtos inſectatur, qui ſuos importunè natales prædicabant. ac tandem in has voces erumpit: Qui pleráque, inquit, oratione maiores ſuos extollunt, atque eorum fortia facta memorando, clariores ſe putant: contrà eſt. nam quanto vita illorum præclarior, tanto horum ſocordia flagitioſior. Præclarè Ma-

rius.nam meo quidem animo , iſta generis antiquitas & amplitudo nullis propriis fulta virtutibus,inanis vmbra & ſine honore nomen eſt. quales illæ fuerunt olim ab ignauis plærisque ciuitatis Rom. primoribus in atriis oſtentatæ fumoſæ maiorum imagines. Neque enim,vt Accius ait poeta vetus,

Genus virum ornat,generi vir forti loco eſt.

Et quemadmodum ex cottidianis iiſque pereruditis Ephori tui hominis cùm vera nobilitate præſtantis,tũ pietatis,humanitatis, prudentiæq; laude digniſſimi ſermonibus multo rectius potes intelligere : ſtirpis iſta claritas atque auita nobilitas haud magis dici veſtra debet, quàm plæraque omnia quæ à maioribus veſtris olim poſſeſſa ſunt. Vulgatum eſt in feudis exemplum.nam etſi feudi quidem hereditas propriè ſpectat ad liberos, niſi tamen interuenerit inueſtitura , & in ſucceſſore quolibet per iuſiurandum hominiumue eius renouata poſſeſſio ſit,feudum aperiri , committi vel amitti vulgò dicitur. pari iure Virtus tamquam Domina nobilitatis ſuprema & ſola coli vult,& ab vnoquoque veſtrûm fidem exigit,cultũ & obſequium. Quod ſi quis dicat,Fortes creati fortibus,eſſe in equis patrum virtutem,ac proinde hic ſibi conſiſtendum putet:fallitur,atque ipſa ratione ſatis,vt opinor, & communi refellitur experimento:nam & vbi vſus eſt,equis vtimur huiuſmodi non qui è generoſis orti,ſed qui ipſi generoſi præſtantesq; ſunt:& ſi bellum ingruat,ad ipſos belli duces egregios & experientiſſimos,quocumq; tandem illi nati loco ſint,accurritur,eorúmque fidei ac prudentiæ ſalus reip. permittitur. Neque tamen negauerim , nobilitatis eam eſſe vim,vt heroibus fortibúſque viris & induſtriis prognati,quorúmq. in ſanguine altas iam virtus radices egerit,minori cultura indigeant:ſed ſua propemodum ſponte fructus fetant,eóſque lætos & vberes , vt in iis natura pro diſciplina ſit:cùm alij contra, quorum in truncis recens virtutum ſurculi ſunt inſiti,opus habeant maiore arte,labore ac diligentia. Sed aurum quis neſcit metallorum omnium præſtantiſſimum , ſi infectum,informe,rude,ſuis cum fæcibus relinquatur , vix vllum ſui vſum præbere mortalibus? quis neget idem de precioſiſſimis quibuſque rebus verè dici poſſe,quæ tarò ac ne vix quidem ſuam dignitatem obtinent,vllámve adferunt hominibus opportunitatem,niſi manum adhibeas ſimul & ſollertiam artificis. Qua ratione conſilioque factum ab illuſtri ac ſapientiſſimo Ioãne Comite Naſſauio tuo vitrico dicã, an patre altero, non dubito,vt ei,de quo modò dixi, viro nobiliſſimo & optimo adiungeretur laboris iſtius comes alter & collega pari pietate atque induſtria,ingenij verò acumine & eruditione ſingulari præditus , qui tuis potiſſimum ſtudiis , vt ille moribus,præeſſet:& quo vtroque duce ac monitore ad optimarum artium ſcientiã conſequendam,virtutiſque hanc viam,quam feliciter es ingreſſus,tenendam ac perſequendam vtetere. Quantum enim ex præſtantium iſtorum hominum ſermone, vel ex re ipſa potius, perpaucis hiſce menſibus , quibus honorifica mihi veſtra frui conſuetudine licuit, animaduertere poſſum:mirificus in te ad laudem omnẽ eſt impetus , & ardor quidam incredibilis ad ſtudia omnia ingenuo atque illuſtri adoleſcente digna,vt præter ea quæ cottidie præſcribuntur à magiſtro,ad diſciplinas quoque Mathematicas aliáque ſcientiæ militaris adminicula vltrò etiam adpellas animum:tam acri verò ac viuido ingenio natus es,vt ea perdiſcere tibi luſus ſit , in quibus tantòperè laboratur ab aliis. Certè cùm virtutes videamus in maximis ingeniis quàm primùm elucere,hinc certa ſpes oſtenditur fore,vt tu Patris,aui,maiorum tuorum,atque in iis Friderici illius feliciſſ. mem. Principis,cuius tu ſororis, vt dixi , nepos es,veſtigiis incedens,eorum aliquandò gloriã prudentiæ,fortitudinis,iuſtitiæq; laude,ſed in primis veræ pietatis cultu vel æquaſſe vel etiam ſuperaſſe videare. Qua ſpe fretus & augurio,cùm hunc patris mei nouum Commentarium in lucem dare decreuiſſem,tu primus occurriſti, Alberte generoſiſſime,cuius eũ ſplendore nominis cohoneſtari cuperem:quò huic meo fratri poſtumo , quem videbam patre orbum,patrono deſtitutum,gratiam ex tua dignitate conciliarem: ſimul vt hereditarij in te ſtudij mei & obſeruantiæ aliquod exſtaret inter homines teſtimonium,tibi, vt ſpero,non ingratum,ſi comitas benignitáſque tua perſpecta mihi ſatis eſt.

Deus tibi & frati tuo Comiti Philippo-Ludouico pari ſpe , vt fama eſt, & animi & ingenij prædito,totique familiæ veſtræ perilluſtri,honorum increméta largiatur ex merito veſtro & voto meo maxima atque perpetua. Vale adoleſcens generoſiſſime,& ſalue. Baſileæ Raurac. Kal. Ianuar. c I Ɔ I Ɔ XCIV.

Pro

Pro X. & XI. lib. Obſeruationum

PRÆFATIO. LIV.

V. C. HVBERTO GIFANIO
Nobili Iuriſconſulto.

Io. HOTMANVS Franc. F.

VT me primùm ex Galliæ turbulentiſſima tempeſtate ſubduxi, C.V. atq; in hunc veluti portum quietis & ſtudiorum optimum euaſi, nihil mihi prius faciundum fuit & pietati conuenientius, quàm vt patri meo, qui dum ego in Britannia abſum, Baſileæ diē ſuum obiit, de more atque officio iuſta perſoluerem: tum verò vt amicos paternos omnes & patronos, quorum quidem humanitatem expertum illum vel meminiſſem ipſe vel audiſſem ex aliis, per litteras ſalutarē, vt tamquā amicitiæ paternæ hereditatē aliquam aditurus, vti beneuolentiæ ſuæ particulam aliquam in me deriuari ſinerent, vehementer eos orarem, eorum denique gratiam, teſtatâ mea ergà illos obſeruantiâ, mihi conciliarē. Reſponderunt humaniſſimè non pauci, aliorum verò cum patre meo mortuam, vt arbitror ipſiúſque tumulo conſepultam amicitiam ſenſi: à quibus tamen hoc fieri non fuit æquum, meo quidem animo, qui perpetuum parentis mei in eorum rebus ac ſtudiis iuuandis (ne quaſi beneficium exprobraturus aliquid iam grauius dicā) ſtudium fuiſſe recordor. quod in hoc meo luctu ærumníſq; perpetuis, quibus tantū non opprimor, peracerbum fuiſſe, qui humana iudicant humanitùs, facilè poſſunt exiſtimare: & queri cum Plinio homine ſapientiſſimo, Tam raram in amicitiis fidē, tam paratam obliuionem mortuorum, vt ipſi nobis debeamus etiam exſtruere conditoria, omniáque hæredum officia præſumere. Sunt enim, inquit ille, qui tantum viuentes amant, ſeu potius amare ſe ſimulant, ac ne ſimulant quidem niſi quos florētes vident. nam miſerorum non ſecus ac defunctorum obliuiſcuntur. Verùm cùm neq; ad te querela hæc vlla ex parte pertineat, C.V. & eius mentione meum refricari dolorem atq; augeri ſentiam, ſatius eſt eam vel aliud in tempus differre, vel potius, ſi per humanæ mentis imbecillitatem fieri poſſit, ex animo meo & cogitatione penitus abiicere. Nam quod te attinet, vir præſtantiſſime, ſatis ex illius adoleſcentis ſermone, qui mihi nuper tuis verbis ſalutem attulit, intellexi, quàm tibi perennis fides ſit, quantáque in amore conſtantia: vt etiam de ſcriptis amici poſtumis non leuiter ſollicitum eſſe te dixerit. quod ipſum ex tuis etiam litteris, quas olim frequentes ad ad patrem meum dediſti, totidémq; tui ergà eum adfectus & beneuoli animi teſtes penes me ſunt, aliquanto ante cognoueram. Ac memini, te quadam epiſtola ceteras illius Obſeruationes expetere, quarum is tibi ſpem fecerat, & de ipſius ſilentio ac mora conqueri. nec dubito, quin ſi Deus vitam eſſet ei largitus diuturniorē ſuæ pollicitationis memor tuæ ſatiſfeciſſet exſpectationi. Sed cùm ex meo naufragio hæ mihi tabellæ (quantū quidē ad genus iſtud ſcriptionis attinet) ſolæ ſuperſint, hoc eſt ſchedæ nonnullæ hinc inde diſiectæ, & ab ipſo fortè auctore neglectæ: eas diligēter collegi, atq; ex iis duos Obſeruationum libros meo arbitratu confeci, Decimum ſcilicet & vndecimum: quos vt tuo ornatos nomine in lucem ederem, plurimæ mihi cauſſæ fuere; ſed grauior nulla, quàm quòd & auctorem ſummo ſemper amore complexus multis etiam proſecutus es officiis, quemadmodū is non ſemel publicè teſtatus eſt, & mortui memoriā gratam eſſe tibi profiteris, eiúſque quantū audio, tueris famam & exiſtimationem. Itaq; tuæ fidei ac patrocinio par erat, vir eruditiſſime, vt hoſce libellos duos: me verò etiā humanitati tuę ſtudioſè commendarem: à quo etiā breui meliora, & vti ſpero, Academiis gratiora atq; vtiliora exſpectes velim: videlicet libros Epitomatorum, Diſputationum & ſcholarum à patre meo in ius ciuile conſcriptos, & magna ex parte poſtumos. Vale V.C. méque ama hominem tui nominis ſtudioſiſſimum. Baſileæ Raurac. Kal. Ianuar. cIↄ Iↄ XCIV.

PRÆFATIO.

IOANNI HOTMANO FRANC. F. ſupplicum libellorum in regia Nauarrena magiſtro:

ZACHARIAS SETZERVS I.C. S.D.

CÆSONEM ad te mitto Hotmane, hoc eſt exſectum ex antographo vtero quaſi materno poſt exceſſum Antiquitatis commentarium parentis tui.formam ille vnde accepit tuo ſuo patri; vitam tibi,nobis externam aliquam ſpeciem refert:eámque iuſſu ſiue cõmiſſu diſcedentis tuo. Quid cauſſæ vt premeretur maturus iam ſuiſque membris omnibus perfectus & abſolutus partus? nihil inquam,& iniuria id acciderat ſiue communis rei, quæ tali iam indiga dudum prole, ſiue tuæ cuius in parte cum patris honore memoria famæ coniuncta quanquam ſi verum volumus, & ille quidem merito quodam ante ſuo æternus,& hæc aliàs immortalis tibi futura. Viuit enim & viuet certè(niſi, & forte decipit ipſa me vita mortalis) inter litteratos & illiteratos iuxtà nomen & opus parentis tui,& cum eo pietas filij,officium, labor: quorum iſtud eſt quidem tibi cum pleriſque commune,illa paucis adgnata,hic ſolus verò proprieque tuus. Quippe norunt eruditi & nos nouimus abfuiſſe tantum ab interitu nuper pleráque ſcriptorum præclariora patris tui quantum nondum à vita ipſe:niſi repertus,immò relictus vnus tu,qui cum paterna hereditate propriam gloriam, & immani labore ſtudium tuum cum illius induſtria copulares. itáque macte fac eſto viri fili magne maximi patris tuáque virtute,paríque conatu & felicitate (quàm adhuc facis) in ceteris quóque perge tuum nomen æternitatis memoriæ, pietatem manibus piis optimi parentis, laborem orbi & vrbi Reip. litteratorum conſecrare. Tu quidem illius inquàm immortalem ſi velis augere patris gloriam, id fruſtra coneris: terminos enim exceſſit maioris minoris:cum tamen illuſtrare ſi quis eandem tu potes, adſentiri cur neges? apertus tibi campus vt decurras & laude ampliſſima & fructu ſempiterno; parata an parta via;eam inſiſte vt ingreſſus es,eam emetire vt inſtitiſti, abſolue prout eris emenſus:atque id effice profectò(poteris enim ſi voles,voles cum tentabis) vt homines tandem aliquando intelligant, fuiſſe quidem id tempus ſemper vti magnorum virorum luci quandam maior calumnia quaſi caliginem offundere conata ſit: hereditate tamen virtutis in heredem vna naturæ collata nunquam integrum idem illi vnquam,impune nunquam fuiſſe:quin radiis huius clariſſimis maleuolorum vbique & inſidiantium nominis famæ tenebras altè penitúſque diſcuſſas. Atque ita hæc cũ facias,adiunges quod facis in poſterum fideliter nunc quoque vt me qua beneuolentia pridem complexus es,quo adfectu amoris proſecutus, iiſdem & deinceps retinendum, iisdem conſeruandum iiſdem tuitantum firmiter arbitreris. Salue, Auguſta Rauric.propridie Cal.Ianuar anni ſupra ∞ D X C quarti ſubeuntis, quem ego tibi tuiſque ſalutarem quàm quod maximè opto.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM QVÆ IN his tribus Franc. Hot.I.C.de Antiquo Iure Regni Galliæ libris continentur.

ABDICANDORVM Regum ius penes populum 24
Adoptatus efficitur filius famil. 158
Ædui à Romanis conſanguinei dicti 3
Æduorum potentia ibid.
Ægyptij in molibus, Galli in litibus & calumniis occupati 90
Agnati regis quantumuis remoti excludunt natos ex filia regis 107
Agnatio non tribuit ius ſuccedendi, ſed prognatio 116
Agnatorum ſucceſſio vltra decimum gradum non defertur 146
proximus regis Agnatus fictione iuris eiuſdem eſt filius 131
Agnatus proximus Regis portat plena arma Regilia 133
Agnatus propinquior remotiori præfertur in feudali ſucceſſione 146
quicunque Agnatus eſt vbique cognatus eſt 156
Amphictionum Concilium 42
Anglicum parlamentum ibid.
Anglorum regni adminiſtratio qualis 43
Anſelmus Epiſcopus Regis ſui proditor 71
Apannagiorum modus definiri vix poteſt 129
Apannagium debetur etiam agnatis proximis quantumuis multis gradibus remotis 130
Apannagium 29
Apannagium quid, & quod ius ſit apannagij: & quibus debeatur 127
Apannagium non eſt propriè vſusfructus 128
Apannagij & vſusfructus differentia 128
Apannagium æquè ferè vt vſusfructus cum perſona extinguitur 135
an Apannagium ad agnatos tranſmittatur 136
Aruernorum veterum potentia 3
Attilæ victoriæ immanes 19
Attuarij Franci 18
BAldi ſententia de ſucceſſione regia 145
Bartholi & Baldi locus emendatus 150
Batalli Francis primi finitimi 15
Baudilo regis iniurioſi interfector 25
Guill.Bellayi fabulæ de Francorum origine 24
Bellum boni publici nominatum 76
Bellorum iuſtorum non ſemper ſecundi euentus 18
Blancæ reginæ matris inſana dominatio, & infauſta 85, 89,90
Bonifacij Papæ ad Philipp.Franc.regem literæ 75
Borboniæ familiæ ſtemma illuſtre 132
Britones Britonantes veteris linguæ Gallicæ reliquiæ 7
Brunechildis reginæ matris inſana dominatio 87
Brunechildis horrendum ſupplicium 91
Budæus rabularum hoſtis infeſtiſſimus 10
Budæi opinio de Paribus Franciæ 65,66
Bulla aurea Caroli quarti 584
CÆſaris locus emendatus 5
Calicis in Cœna plebi communicandi mos vetus 86
Caninefates Francorum populares 15
Capillitij Regalis ius 35
Capilli honoris cauſſa filio regis præcidebantur 37
Carolus Magnus litigantes audiebat, & lite cognita, ſententiam dicebat 92
Caroli Magni filij reges à populo electi 21
Carolus Simplex à Francis abdicatus 29
Carolus Craſſus rex à Francis abdicatus ibid.
Caroli V.Franc.Regis genealogia 158.159
Chauci & Chayci Francorum populares 13 37,
Childericus primus Francorum rex abdicatus 24. alter 25
Childericus Merouei filius primus Francogalliæ rex 19
Chilpericus rex à Francis abdicatus 25
Chrotildis reginæ matris inſana dominatio 86
Cicero differentiam ſtatuit inter regem & regnum 70
Ciuitas, Regioque magiſtratu eodem vtitur 1
Colonia Agrippina à Francis liberata 18
Comati reges Francogalli 35
Comes ſtabuli qualis 61
Comeſtabilij dignitas ibid.
Cominij teſtimonium de Concilij authoritate 78
in Concilio quibus de rebus agatur 52,53,54
Comites domus regiæ, Comites Palatij 58
Concilij auctoritas in Religionis negotiis 68
Concilij Francogallici auctoritas quanta & qualis 42, 51,52,53
Concilij iuriſdictio in controuerſiis de regno 74
Concilij auctoritas rege capto 74
Concilij auctoritas in regem Ludouicum XI 76
Concilij publici auctoritas 122
Concilium priſcæ Galliæ publicum 2
Concilium quo referatur à Seiſſello 37
ad Concilium vocabatur princeps criminis inſimulatus 53.54
Conciliarij alij regis, alij regni 41,70
Criniti reges Francogalli 35
Criſtati Francorum reges 37
Curatores regni XXXVI. 77
Curia regis, quæ 60, ire in curiam 49,50
Curiæ ppl.R.Curiatæ leges, Curiata comitia 74
DIfficilius nihil quàm bene imperare 41
Diſputare de regis viuentis ſucceſſore non licet 110
Diuiſio in ſtirpes vnde nata 148
Domanij regalis ius ad feudalis iuris ſimilitudinem accedit 125
Domanium regis eſt eiuſdem theſaurus 126
Domanium coronæ Franciæ 104
Druidæ ſcriptura non vtebantur 5

ELectoratus hæreditas non pro ætatis, ſed pro ſtirpis lineæ prærogatiua defertur 184
Eleuare regem 23
Ephori regum cuſtodes & obſeruatores 43
Ephorùm iuſiurandum 20
Eudo ſecundus Francorum rex abdicatus 24
Eunomus & Cleomenes Reges Lacedæmoniorum 165
FAramondus à Francis rex electus 21
Faramundus Francorum non Francogallorum rex 19
Feuda Franciæ confiſcatione non extinguuntur 140
in Feudali ſucceſſione graduum propinquitas non vt in cognationis tabula ſed vt in genealogia ſpectatur 172
Feudi hæreditas primo inueſtito defertur 147
in Feudis nulla tranſuerſaria ſucceſſio eſt 163
in Feudorum hæreditatibus iuris agnatitij ratio nulla habetur, ſed tantùm ſtirpis 147
Feudum vaſſalli morte extinctum in ſucceſſoris perſona reuiuiſcit 128
Feudum propriè quod nouum aut vetus dicatur 128
Fictio filiationis & adoptionis à lege regni inſtituta 117
Fiduciarii honores & temporales 119
Filij, fratris & cognati nomina tota ſunt naturæ 152
Filiorum alij ſui alij legitimi 157
Filius dicitur primus, itémque proximus 112
Filius natura dicitur hæres, nepos ſucceſſione 154
Fœmina non admittitur ad regnum Franciæ 106
Fœmineo ſexui Franci olim ſubiici nolebant 86
Francia lex 33
Franci maritimarum rerum periti 13 14
Franci, id eſt, libertatis auctores 16,17
Franci Gallis commixti 20
Franci & Galli promiſcuo nomine appellati 20
Franciſci primi genealogia 115
Francogalliæ linguæ confuſio quadruplex 7
Francogalliæ regnum non hæreditarium 20. à quibus inter quatuor fratres diuiſum 32
Francogallorum gens gemella, & vnde nomen 19
Francorum nomen quàm latè propagatum 11,12
Francorum veterum incunabula 13,14
Francorum prodigioſa nauigatio & victoria 14
Francorum nomen vnde 16
Francorum nomen antiquiſſimum 17
Francorum ius in primogenitura 31
Francorum imperium fœmina non moderatur 108
Francorum Regum domanium, patrimonium, fiſcus. 124
Francorum vetus inſtitutum 155
viuere iure Francorum quid 155
Francorum iure non poſſunt plures eſſe ſui hæredes 158,160
Francus, id eſt, liber, vnde Franſeiſia pro aſylo 86
Frater cùm in paterno feudo ad fratris ſucceſſionem admittitur, non quaſi frater ſed quaſi filius admittitur 163
Fredegondæ reginæ matris inſana dominatio 87
GAlliæ totius factiones duæ 3
Galli priſci Romanis formidabiles 8
Galli priſci cum Romanis octingentos annos pugnarunt 8
Gallia priſca ſub optimatibus 1
Galliæ gentis virtus ab antiquis deſcripta 1
Galli priſci Germanis formidabiles 8
Galliæ priſcæ ciuitates 1
Gallia comata 37
Galliæ omnes in quot prouincias à Romanis diuiſæ 10
Gallico ſermone iudicia exercere, quis iuſſit 7
Gallis vnde Latinæ linguæ conſuetudo, & quid inuexit 7
Gallorum priſcorum virtus militaris 8,9
Gallorum à Romanis defectio 10
Gallorum priſcorum Lingua 4. non Græca 5,6. non Germanica 6
Germanorum reges non hæreditarii 20
de Germanici imperij legibus & Electoratuum ſucceſſione atque adminiſtratione 184
Græciæ veteris adminiſtratio 42,43
HEluetij quidam Græcæ linguæ non ignari 5
Heluetij cur Suitti vocati 15
Hæreditas patrui inter fratrum filios in ſtirpes non in capita diuiditur 150
matris Hæreditas non niſi adita tranſmittitur 152
Hæreditatis non aditæ ſpes non transfertur 152
Hæreditas feudalis vni ſtirpi quæſita quãdiu in ea maſculus ſupereſt, nunquam ad alteram transfertur 160
Hiſpanorum virtus in rege coercendo 44
Hugo Capetus qua familia natus 71,72
Hugo Capetus regni occupator 71. eius aſtutum facinus 72
IOannis Turpini monachi libellus nugatorius 16
Ioan. de terra rubea pragmaticus 155
Ioan. de terra rubea Caroli VI. aduocatus 180
Iſabellæ reginæ inſana dominatio 89,90
Iudithæ reginæ matris inſana dominatio 88
Iura & dignitates quædam in tempus, & caſum incertum conferuntur 118
Iura proximi regis agnati tria 112
Iure Romano plures poſſunt ſui hæredes patriſfam. exiſtere 158
de Iure regni Hiſpanici 185
Ius agnati proximi regis idem eſt, quod ſolet eſſe ius filii primogeniti 114
KAlend. Maij ſolennes Concilio Francogallico 49
LAcedæmoniorum Reſpubl. qualis 43
Lacedæmoniorum lex de Rege inſtituendo 153
Leges Francorum à populo iubentur 55
Legis Salicæ commentum 108
Legitimatus ad regni ſucceſſionem non admittitur 108
Lex verè regia à Carolo Magno lata 92
Lex Salica 33
Lex Taurina 185
Liberis conceſſum, vnico ſuperſtiti conceſſum intelligitur 138
Linea recta deficiente ſuccedunt mares tranſuerſales 155
Linguæ Francogallicæ confuſio 7
Literæ Græcæ in Franciam inuectæ 6
Litium paucitas olim in Gallia incredibilis 92
Loco quæſita dignitas locum obtinenti cedit 162
Loqui Romanum 12
Ludouicus rex controuerſiones diſceptabat 92
Ludouici Tranſmarini ad matrem Reginam Blancam literæ plenariæ poteſtatis 85
MAieſtas regia, quæ 48. Eius ſedes propria in concilio publico 48
Maiores domus 56
Magiſtri Palatij 56
Maſculo in linea primi filij deficiente, regnum ad ſecundi lineam transfertur 170

Maſſi-

Maſſilienſium veterum doctrina 5
Meroueus Rex Francorum non Francogallorum 19
Monferrati refutata diſputatio contra Regem Franciſcum 133
Mulieres ſub tutela 85
Mulieres an à procuratione regni arceantur 85
Mulier animal indomitum Catoni 86
NAti ex filia regis excluduntur à Regno Francorum 106
Naturæ veritas fictione perimi non poteſt 151
Nauarro Regi Henrico qualia iura in Franciæ regno competant 118
Nepos ex fratre in feudis regalibus patruum excludit 113
Nepos ex fratre regis morientis eiuſdem regis patruum excludit 120
Nepos qui in demortui filii natu maximi locum ſucceſſit, auo morienti non modò ſuus, ſed etiam ſolus ſuus hæres efficitur 159
Nepos propter ſucceſſionem pari eſſe gradu cum patruo dicitur 165
Nepos non repræſentationis, ſed ſuæ perſonæ iure nititur 170
Nepos non ex patris, ſed ex ſua perſona ſuum ius obtinet 171
Nepos tam ſuus eſt quàm filius 176
Nepotis cauſſa multorum inſtitutis præfertur cauſę patrui in ſucceſſione regni 165
Nothus ad regni ſucceſſionem non admittitur 108
PAlatij Pariſienſis auctores 92,94
Papa non abrogauit regnum Childerico, ſed popul. 59.
Paparum auctoritas in regibus abdicandis vnde nata 58.59
Pares Franciæ 62. cauſſa inſtituendorum 64
Pares à quo inſtituti 62
Pares ad quorum iudicium adduci poſſint 66
Pariatus honor 66
Parium poteſtas quotuplex 62
Parium Curia 64,65
Parium numerus 64
Parlamenti vocabulum 90
Parlamentum propriè colloquium bellicum 48
Parlamentorum auctoritas ſumma 90,91
Parlamentum Anglicum 43
Patria poteſtas non Francorum ſed Quiritium fuit 157
Perſonæ certæ condicio non adimit repræſentationem 151
Placidina Childeberti mater exilio damnata 90
Placitum quid 54
Plectrudis inſana dominatio 87.88
Plinii locus emendatus 6
Populi Francici ius in legibus ſciſcendis 55
Populi & regis par poteſtas olim in Gallia 42
Præfecti Aulæ 58
Prærogatiua duplex in bonorum poſſeſſ. 160
Prætor tres ex cauſſa inteſtati ordines conſtituit 160
Primogenitus regni dicitur Rex deſignatus 99
Primogenitus regis dicitur Monſeigneur 99
Primogenitus dicitur Rex iunior 100
Primogenitus regni habet communionem domanij regalis 101
Primogeniti gradum obtinens hæres eſt neceſſarius patris reſpectu 104
Primogenitus regis non recte vulgo præſumptus hæres appellatur 104
Primogenituræ & propinquitatis par ratio 149
Primogenituræ & propinquitatis comparatio, quarum neutra cum repræſentatione concurrit 149
Principum contentiones concilij auctoritate componuntur 75
Priuilegium pupilli hæredi ipſius non conceditur 151
Procuratores regni vbi res poſtulat, in comitiis creandis 121
προτίμησις, 173, quid ibid.
Prouinciarum Romanarum ſeruitus triplex 9
RAbularia vnde in Galliam introducta 92
Regalis capillitij ius 35
Rege mortuo, prægnante vxore, quid ſtatuatur 101
Rege mortuo, filioque natu maximo præmortuo nepos ex eo ſuſceptus ſolus ſit ſuus hæres 159
Reges priſcæ Galliæ quales 2
Reges ſuos Franci creabant 21,22,23,24. & regno ſe abdicare cogebant 24,25,26. eiiciebant ibid.
Reges cum infinita poteſtate ſunt Reges pecudum Ariſtoteli 41
Reges Francogalliæ in bello capti 69
Reges Francorum olim nulli ante annum ætatis a x v. 121
Regere non debet, quæ regina eſſe non poteſt 85
Regi parere & ſeruire diuerſa ſunt 16
Regi mortuo, nepos ex primo eius filio demortuo, excluſo altero regis filio ſuccedit 113
Regi impuberi proceres conſtituuntur de ordinum ſententia qui vſque ad ipſius pubertatem regnum adminiſtrent 120
Regi curatores imponuntur 177
Regia hæreditas iure ſanguinis defertur 152
primus Regij ſanguinis Princeps & proximus Regis agnatus, promiſcua nomina 118
Regis creandi mos Francorum vetus 22,23,24
Regis alij conſiliarij, alij regni 41
Regis & Regni differentia 68
Regum poteſtas 72,73
Regis carpento & bubus vehendi mos vetus 48, 49
Regis liberis pluribus exſtantibus quid iuris in ipſius hæreditate 27,28
Regis periurium calamitate populi expiatum 77
Regis filiis minoribus natu appannagium tribuitur 122,127
Reges Franciæ certis legibus tenentur 139
Reginæ cuſtodes appoſiti 90
Regina mater pœnis meritis affecta 91
Reginæ matris facinus atrox 36,85. impium 86, crudele 91,92
Regna priſcæ Galliæ non hereditaria 4. eadem certis legibus aſtricta ibid.
Regni, Patrimonij & Dominij Regij differentia 123
Regni hæreditas vtrum ætatis & gradus prærogatiua an repræſentationis iure deferatur, 145
Regno ſuccedit primogenitus non iudicio Regis, ſed legis beneficio 102
Regnorum hæreditates periculoſæ 21
Regnorum controuerſiæ ad concilium delatæ, 74
Regnum Francorum inter fratres diuiſum 32
Regum Francogallorum tres ſtirpes 20

Regum & priuatorum hereditates plurimum differre 179
Reipubl. forma præſtantiſſima quæ 39,40
Repreſentare quid 169
Repræſentatio quo iure & qua de cauſa introducta 148,149
Repræſentatio, & repræſentare quid 148
Repræſentatio quando ceſſet 148
Repræſentatio inſtituta in commodum repræſentantis non etiam in alterius damnum. 149
Repræſentatio eſt ciuilis fictio 150
Repræſentatio à Iuſtiniano introducta 170
Repræſentationi quando locus eſſe non poteſt 149
Repræſentationis nomen barbarum 175
Repræſentationis ius in hæreditatibus agnatorum quale 147
Repræſentationis effectus qualis 148. quare inſtituta 148.149
Repræſentationis in hæreditate regia periculum & incommodum 149,150
Res iudicata legis vim obtinet 108
Rerum quæ in regis dominio ſunt quadripartita diuiſio 28
Rerum ad Cæſarem pertinentium quatuor ſpecies 123
Rex ſine freno facile tyrannus euadit 4
Rex dominium alienare ſine concilij auctoritate non poteſt 75
Rex Francogalliæ à populo eligebatur 23
Rex Francorum inedia laborat 29
Rex à ſuis conſiliariis vendi ſolitus 42
Rex neque regni neque domanij deminuendi ius habet 102
Rex non debet vocari hæres præſumptiuus ſed neceſſarius 104
Rex partem regni ſui alienare non poteſt ſine publici concilij auctoritate 138
Rex Franciæ non poteſt tollere ſucceſſionem ei qui ſucceſſurus eſt in regno 180
Rex eſſe non poteſt, niſi qui Regi ſuus hæres fuit 161
Romanorum artes in exteris nationibus ineſcandis 2
Romanorum tyrannis Gallis intolerabilis 10
Romanum loqui 12
SAlii Franci 18
Salij & Saliei Franci 34
Salij Franci 34
Salica lex 34
Satellites priſcorum regum Francorum nulli 38,39
Scuto imponebatur rex nouus à Francis 23,24
Secundo ſubducto, tertius efficitur ſecundus: & ſic deinceps 116
Senior denegare vaſſallo inueſtituram non poteſt ſine iuſta & legitima cauſſa 156
Spes regni filio præmortuo tranſmittitur ad nepotem 104.
Succeſſio agnatitia in feudis & regnis nulla 112
Succeſſio non vtique ad omnia producitur, ſed interdũ ad quendam reſtringitur 177
De iure filij natu maximi in regia ſucceſſione 154
vbi plures gradus ſunt omnes admittuntur ad ſucceſſionem 165
Succeſſiones feudales in indefinitũ tranſmittuntur 115
Succeſſiones feudales primo inueſtito acceptæ feruntur 163
Succeſſiones feudales non habent graduum numerum definitum 174
Succeſſionis vis 154
Succeſſor Regis an deceſſoris pactionib. teneatur 140
idem eſt ius Succeſſoris quod defuncti 162
Stipendium Galliæ à Romanis impoſitum 9
Stirps natu maioris alterius ſtirpi præferri debet 162
Sui hæredis nomen totum ciuile eſt 152
Sui nomen & ciuile & prætorium 157
Sui hæredes vnde dicantur 158
Suitas Regia 155,160,162,166
Suitas regalis neque communionem neque diuiſionem admittit 166
Suitas non tranſmittitur ſed adipiſcitur 167
Suitas, & ius ſuitatis diuerſa 169
Suitas ei ſtirpi, cui ſemel quæſita eſt, perpetuo cohæret 164,178
nuda Suitas 178
aliud Suitas aliud ius Sui 179
Suitatis Regalis quantum ius, quantaque dignitas 159
Suitatis cauſſa in regni ſucceſſione potiſſima 166
Suus hæres iure Romano non appellatur niſi qui in liberorum numero 155
Suus hæres in regno non modo habetur filius, ſed etiã proximus agnatus 150
TAcitus Francos libertatis auctores nominat 17
Taprobanici Reges frenati 45
Theodoricus rex à Francis abdicatus 25
Tirannis nota triplex 38
Tranſmiſſionem admittit ſubſtitutio fideicommiſſaria, directa non 167
Tranſmiſſionis & repræſentationis differentia 167
Tranſmitti quæ dicuntur 167
Τριχοχάρακοι reges Francorum 37
Troianorum fabulæ de Francorum ſtirpe 15
Adr. Turnebi opinio in diſquiſitionem vocata 15
Vandalorum lex de rege inſtituendo 153
Venerunt in calice Cœnæ Dominicæ 87
Virgæ conſecratæ 31
Vnicus eſt ſuus heres in regno Galliæ 160
Vti literis, id eſt, ſcribere 5

INDEX

INDEX LIB. PRIMI ANTIQVITATVM

Romanarum in tres partes diſtributus.

I. *DE LEGIBVS, IN QVA DEMONSTRATVR de quibus rebus quæque lex, & quot latæ ſint: Nam rogationes omnes quæ perlatæ non ſunt omiſimus.*

DE Adulteriis, Iulia 215
de Ædilibus ex patribus creandis, Furia 208
de Ære alieno, Valeria 238
de Ære alieno, Sulpitia 235
de Ære alieno, Sempronia 233
Agraria Seruilia 234
Agraria Sempronia 233
Agraria Liuia 220
Agraria lex paulo poſt C. Gracchi necem lata 241
Agraria Appuleia 191
Agraria Caſſia 199
Agraria Cornelia 203
Agraria Flaminia 208
Agraria Iulia 211
Agraria Licinia 218
Agraria Plotia 226
Agraria Sempronia 233
Agraria Seruilia 234
Agraria Titia 236
Agraria Thoria 236
de Alea, Titia, Talaria, Cornelia, Publicia. vide de Luſu.
de Ambitu leges 240
de Ambitu, Calpurnia 199
de Ambitu, Cornelia Bæbia 202
de Ambitu, Fabia 206
de Ambitu, Iulia 214
de Ambitu, Pinaria 225
de Ambitu, prima Pœtelia 226
de Ambitu, Tullia 237
Annalis, Villia 239
Annaria lex 196
de Annona, Clodia 200
de Auctoritate patrum, Menia 222
de Auctoritate patrum, Curia 215
de Auentino, Acilia 211

B

DE Bello Antiochi, Cornelia 202
de Bello Macedonico, Sulpitia 235
de Bello Mithridatico, Manilia 220
de Bello Perſei, Licinia, Caſſia 218
de Bello Punico ſecundo lex 242

C

CAducaria Iulia 215
Caſtrenſis lex 242
de C. Mario, Cornelia 202
de C. Mario, Manlia 221
de C. Pontinio 235
de C. Seruilio 241
de Cæſare, Trebonia 237
de Cæſaris prouinciis, Vatinia 239
de Cima Tarratia, Horatia 210
de Carminibus infamibus 241
de Cenſoribus, Clodia 201
de Cenſoribus, Cæcilia 198
de Cenſura, Æmylia 195
de Cereis, Publicia 228
de Ceſſione bonorum, Iulia 216
Cibaria, Æmylia 195
de Ciuitate, Gellia & Cornelia 209
de Ciuitate, Calpurnia 199
de Ciuitate, Iulia 211
de Ciuitate, Papiria 223
de Ciuitate, Pappia 224
de Ciuitate, Plautia Papiria 226
de Ciuitate, Menſia 222
de Ciuitate, Romana 241
de Ciuitate, Seruilia 235
de Clauo pangendo, Genutia, Æmylia 209
de Cn. Pompeio, Ampia, Lambiena 196
de Cn. Publicio Menandro 240
de Coitionibus, Duilia, Menenia 206
de Collegiis, Clodia 201
de Colonia Nouicomi, Claudia 202
de Coloniis, Appuleia 196
de Coloniis, Iulia 213
de Coloniis deducendis, Acilia 193
de Coloniis deducendis, Ælia 194
de Coloniis deducendis, Liuia 219, 220
de Coloniis deducendis, Sempronia 234
de Comitiis, Ælia 194
de Comitiis, Claudia 202
de Comitiis, Clodia 206
de Comitiis, Fuſia 209
de Comitiis 241
de Comitiis 242
de Conſecratione, Papiria 223
Curiata lex 205

D

DE Damno à canibus illato, Peſulania 225
de Damno iniuria dato, Aquilia 197
de Dedititiis, Atilia 197
de Defectione militum, Valeria 238
de Dictatura, Antonia 196
de Dictature 241
de Donis & muneribus, Cincia 200
de Donis & muneribus, Titia 236
de Duumuiris naualibus, Decia 206
de Duodecim tabulis, Decemuirales 206

E

DE Exulibus, Plotia 226

F

FAbia lex 207
de Falſo, Cornelia 204
de Fœnore, Claudia 202
de Fœnore, Duilia Mænia 206
de Fœnore, Genutia 210

de Fœnore, Iulia 213
de Fœnore, Licinia 218
Fœnoris ſemunciarij lex 240
Frumentaria, Liuia 220
Frumentaria, Sempronia 234
Frumentaria, Terentia Caſſia 236
de Fullonibus, Cæcilia 198
de Furtis, Hoſtilia 210

H

DE Heredum inſtitutione, Velleia 217, & 239

I

DE Iactu, Rhodia 231
de Inceſtu, Peducea 225
de Iniuriis, Cornelia 204
de Intercesſione, Clodia 201
de Iis qui legibus ſoluuntur, Cornelia 205
Iudiciaria, Antonia 196
Iudiciaria, Aurelia 198
Iudiciaria, Cornelia 202
Iudiciaria, Iulia 212
Iudiciaria, Liuia 219
de Iniuriis publicis, Clodia 200
Iudiciaria, Plautia 225
Iudiciaria, Pompeia 227
Iudiciaria, Sempronia 233
Iudiciaria, Seruilia 235
de Iudiciis, Iulia 215
de Iugurtha Romam euocando, Memmia 221
Iunia Velleia lex 219
de Iure Campanorum, Furia 208
de Iure ciuitatis, Porcia 228
de Iure ciuitatis, Sempronia 234
de Iure ciuitatis, Seruilia 233
de Iure ciuitatis, Pappia 224
de Iure ciuitatis, Sulpitia 235
de Iure ciuitatis, Valeria 237
de Iure dicundo, Plætoria 226
de Iure patronatus, Pappia 224
de Iure Siculorum, Rupilia 231
de Iure ſuffragii, Valeria 239
de Iuriſdictione Prætorum, Cornelia 205

L

DE Legationibus liberis, Tullia 237
de Legibus Conſularis imperij, Terentia 236
de Legibus, Æbutia 194
de Legibus, Cæcilia Didia 198
de Legibus, Iunia Licinia 217
de Legibus, Licinia Iunia 219
de Legibus & Cenſoribus, Publilia 229
de Legibus Cæſaris, Iulia 213
de Legumlatorib. Licinia Æbutia 219
de Liberali cauſſa, Clodia 200
de Libertate, Iunia Petronia 217
de Libertinis, Iunia Norbana 217
de Libertinis, Viſellia 239
de Limitibus, Cornelia 205
de Limitibus, Iulia 216
de Limitibus, Mamilia 226
de Limitibus, Sempronia: Iulia 234
de Ludis Apollinaribus, Licinia 218
de Luſu, Cornelia 205
de Luſu, Publicia 228
de Luſu, Titia 236

M

DE Magiſtratibus 242
de Magiſtratibus Bithyniorum, Pompeia 228
de Magiſtratibus, Cornelia 203
De Magiſtratibus, Duilia 206
de Magiſtratibus, Genutia 210
de Magiſtratibus ſacroſanctis, Horatia 210
de Magiſtratibus è plebe creandis, Licinia 218
de Magiſtratibus, Martia 221
de Magiſtratibus Plebeiis, Publilia 228
de Magiſtratibus, Pompeia 228
de Magiſtratibus, Sextia 235
de Magiſtratibus, Sempronia 233
Maieſtatis, Appuleia 196
Maieſtatis, Cornelia 203
Maieſtatis, Iulia 212
Maieſtatis, Iulia 213
Maieſtatis, Varia 239
Mania lex 216
de Mancino, Atilia 208
de Manumisſionibus, Iulia 216
de Manumisſionibus, Ælia Sentia 195
de Manumisſione, Furia Caninia 208
de M. Tullio, Clodia 201
de M. Tullio Cicerone, Cornelia 205
de Matronarum cultu, Oppia 222
de Maritandis ordinibus, Iulia 214
de Maritandis ordinibus, Pappia Poppæa 224
de Menſe Iulio, Antonia 196
de Menſe Auguſto, Pacuuia 223
de Metello, Appulia 196
de Metello reuocando, Callidia 199
de Militia lex 241
de Militia lex 242
Militaris ſacrata 331
de Minoribus, Lætoria 218
Minutia lex 222
de Mortuo inferendo, Regia 229
de Mulierum hereditatibus, Voconia 240
de Multa, Ateria Tarpeia 197
de Multa, Tarpeia 236
de Multa, Menenia Sextia 222
de Multarum æſtimatione, Papiria Iulia 223
de Municipiis, Cornelia 203
Muneralis lex 222

N

DE Natali vrbis, Cornelia 205
de Nexu, Pœtilia Papiria 226
de Nocturnis cœtibus, Gabinia 209
de Numero conuiuarum, Orchia 223
de Nundinis, Hortenſia 210

O

OPtima lex 222
Ouinia lex 223

P

PAgana lex 223
de Pace Carthaginienſium, Acilia, Minutia 193
de Pace Macedonica, Marcia Atinia 221
de Parricidiis, Pompeia 227
de Patrum connubiis, Canuleia 199
de Patriciis 242
de Patrum auctoritate, Curia 205
de Patriciis, Cornelia 202
de Pauli triumpho, Caſſia 199
Peculatus, Iulia 216
de Peculatu, Petillia 225
Pecuniaria lex 242
de Pecuniis repetundis 242
de Pecuniis ob rem iudicandam captis; Pompeia 228
de Peregrinis, Licinia & Mutia 219

de Pere-

de Peregrinis, Petronia 225
de Peſſinuntio ſacerdotio, Clodia 201
Pinaria Furia 225
de Piratis perſequendis, Gabinia 209
de Plagiariis, Fabia 206
Plautia iudiciaria 235
de Plebiſcitis, Horatia Valeria 210
de Plebiſcitis, Hortenſia 210
Pletoria lex 226
Plotia agraria 226
Plotia Flauia 226
de Pompeio, Trebonia 237
de Pompeianis, Hirtia 210
de Præfecto Ægypti 241
de Præſidum muneribus 241
de Prætoribus, Bæbia 198
de Priuernatibus ciuitate donandis 242
de Proſcriptis, Valeria 238
de Prouinciis, Cornelia 203
de Prouinciis, Clodia 201
de Prouinciis, Iulia 211
de Prouinciis, Iulia 213
de Prouinciis, Pompeia 227
de Prouinciis decernendis, Sempronia. 234
de Prouocatione & libertate populi, Valeria 238
de Prouocatione, Valeria 238
de Prouocatione, Valeria 238
de Pueris impudicis, Scatinia 233

Q

DE Quæſtoribus 242
de Quæſtoribus, Cornelia 203

R

DE Regio & Conſulari imperio, Iunia 217
de Regis Attali hereditate, Sempronia 233
de Regno Cypri, Clodia 201
de Reis poſtulandis, Memmia 222
Remnia lex 231
de Re militari, Sempronia 234
de Re nummaria, Claudia 202
de Re nummaria, Liuia 219
de Re nummaria, Maria 221
de Re nummaria, Papiria 223
Repetundarum, Acilia 193
Repetundarum, Cæcilia 198
Repetundarum, Calpurnia 199
Repetundarum, Cornelia 202
Repetundarum, Iulia 212
Repetundarum, Seruilia 235
de Repetundis 241
de Repetundis, Vatinia 239
de Reſiduis, Iulia 216

S

DE Sacerdotiis 242
de Sacerdotiis, rogatio Licinia 219
de Sacerdotiis, Sextia Licinia ibid.
de Sacerdotiis, Antonia 196
de Sacerdotiis, Atia 197
de Sacerdotiis, Cornelia 203
de Sacerdotiis, Domitia 206
de Sacerdotiis, Iulia 212
de Sacerdotiis, Iulia 213
de Sacerdotiis, Labiena 217
de Sacerdotiis, Manlia 221
de Sacerdotiis, Ogulnia 222
de Sacerdotiis, Romuleia 231
Sacratæ leges 231
Sacrata militaris ibid.
Satyra lex 234
de Satricanis, Antiſtia 196
de Scribarum negociatione, Claudia 200
Semunciarij fœnoris lex 240
de Senatu, Caſſia 199
de Senatu habendo, Gabinia 209
de Senatu habendo, Pupia 229
de Senatu ſupplendo, Caſſia 199
de Senatu ſupplendo, Sentia 234
de Senatorum nauibus, Claudia 200
de Senatorum quæſtu, Claudia 200
de Senatoribus à Iugurtha corruptis, Mamilia 220
de Seruis, Petronia 225
de Sicariis & veneficiis, Cornelia 204
de Sociis ac nominis Latini, Claudia 201
de Sociis Latini nominis, Liuia 219
de Sociis, Liuia 220
de Sociis, Pappia 224
de Sodalitiis, Licinia 219
de Statellis, Martia 221
de Statilio, Ælia 195
Sulpitia 235
Sumptuaria, Antia 196
Sumptuaria, Cornelia 203
Sumptuaria, Didia 206
Sumptuaria, Fannia 207
Sumptuaria, Iulia 216
Sumptuaria, Licinia 218
de Sumptu ſepulcrorum 242
de Sumptibus funerum, Cornelia 203
de Suffragiis pop. Antonia 196
de Suffragiis, Cælia 198
de Suffragiis, Caſſia 199
de Suffragiis, Gabinia 209
de Suffragiis, Maria 221
de Suffragiis Papiria 223
de Suffragiis, Sempronia 234
de Syllæ dictatura, Valeria 238

T

DE Talorum luſu 236
de Templis & aris, Sulpitia Sempronia 235
Theatralis, Iulia 216
Theatralis, Roſcia 231
de Terminis, Alliena 195
de Terminis, Fabia 207
de Terminis Fauia, vide Fabia 208
de Terminis, Mamilia 216
de Terminis, Peducea 225
de Terminis, Roſcia 231
de Teſtamentis, Cornelia 204
de Teſtamentis, Furia 208
de Teſtamentis, Iulia Miſcella 216
de Teſtamentis, Falcidia 207
de Teſtamentis, Glitia 210
de Treuiris capitalibus, Pappia 223
Tribunitia lex 237
Tribunitia lex à quo ſic nominatur ibid.
de Tribunis militum, Rutilia 231
de Tribunis militum, Atilia Martia 197
de Tribunis militum, Licinia Caſſia 219
de Tribunis plebis, Sacrata Iunia 217 & 231
de Tribunis Plebis, Iunia, vide Sacrata Iunia 231
de Tribunis plebis, Atinia 198
de Tribunis plebis, Trebonia 137
de Tribunis plebis, Aurelia 198
de Tribunis plebis, Cornelia 203

de Tribunis plebis, Icilia 212
de Tribunis plebis, Pompeia 226
de Tribunis plebis, Lex 242
de Trigeminis lex 243
de Triumpho, Maria Porcia 221
de Triumpho lex 243
de Triumuiratu quinquennali, Titia 236
de Triumuiris menſariis, Minutia 422
de Tuſculanis, Flauia 208
de Tutelis, Atilia 197
de Tutelis, Claudia 202
de Tutoribus, Iulia Titia 216

V

De Vacatione lex 243
de Vectigalibus, Liuia 219
Venalium vendendorum, leges Maniliæ 221
de Veſtalis capiendæ ritu, Pappia 224
de Veſtalis capiendæ ritu, Popilia 228
de Veneno, Iulia 216
Viaria, Scribonia 233
de Vini potu 242
de Vi, Clodia 200
de Vi, Iulia 212
de Vi, Pedia 224
de Vi publica & priuata, Iulia 213
de Vi publica, Lutatia 220
de Vi Publica, Plautia 226
de Vi & de ambitu, Pompeia 227
de Viceſima, Iulia 215
de Viceſima, Manlia 221
de Viis Italiæ, Sempronia 234
de Vſucapionibus, Atinia 198
de Vſucapionibus, Iulia Plautia 217
de Vſucapionibus, Scribonia 233
de Vſuris, Gabinia 209
Vnciaria lex 240
de Vnius imperio, Regia 229

INDICIS LEGVM FINIS.

II. DE MAGISTRATIBVS *eorúmque muniis.*

Ædilatus 243
Ædilium plebis creatio & munus 243
Ædiles Cereales 246
Cenſorum munus & creatio 146
Centumuirorum conditio 248
Conſulum inſtitutio 249
Decemuiri litibus iudicandis creati 251
Decemuirorum reip. adminiſtrandæ creatio ibid.
Dictator vnde dictus, & eius munus quale 252
Duumuiri capitales qui fuerint 253
Duumuiri curatores 254
Duumuiri municipales ibid.
Duumuiri nauales ibid.
Duumuiri ſacerdotes ibid.
Interregis officium ibid.
Iuridici Alexandriæ munus ibid.
Magiſtri equitum officium ibid.
Præfectus vrbi quæ curarit 256
Præfecti ærarij munus 255
Præfecti annonæ munus 257
Præfecti Auguſtalis officium 259
Præfecti prætorio munus 257
Præfecti vigilum munus 258
Præſides prouinciarum 260
Prætor fideicommiſſarius 263
Prætor fiſcalis 269
Prætor peregrinus 262
Prætores rerum capitalium 264
Prætor tutelaris 264
Prætor vrbanus 260
Prætores prouinciales 263
Proconſules 265
Procurator Cæſaris 264
Prodictator 269
Proprætores 265
Quæſitores candidati 273
Quæſitores parricidij 271
Quæſtores ærarij 269
Quæſtores prouinciales 270
Tribunus Celerum 274
Tribuni ærarij 273
Tribuni militum conſulari poteſtate 274
Tribuni militum in legionibus ibid.
Tribuni plebis 275
Triumuiri capitales 277
Triumuiri monetales 278
Triumuiri nocturni 278

INDICIS MAGISTRATVVM FINIS.

III. DE IVRIS CONSVLTOrum nominibus.

Aburnius Valens 314
Æmylius Papinianus 315
Antiſtius Labeo 311
App. Claudius Decemuir 301
App. Claudius Cæcus 301
Ateius Capito 10
Aufidius Tucca Iuriſconſultus 308
Aufidius Namuſa ibid.
A. Caſcelius 310
A. Ofilius 308
Cælius Sabinus 313
C. Aquilius Gallus 306

C. Ateius 309
C. Caſſius Longinus 312
C. Iuuentius 306
C. Trebatius 309
Caſſius Longinus, alter 312
Celſi duo 313
Cn. Flauius 302
Cocceius Nerua 312
Domitius Vlpianus 316
Fabii Sabini Pater & Filius ibid.
Flauius Priſcus 309
Herennius Modeſtinus 316
Hermodorus Epheſius 301
Iulius Paulus 316
Labeo Antiſtius 309
L. Cælius Antipater 305
L. Ceruidius Scæuola 315
L. Lucilius Balbus 306
M. Iunius Brutus 304
M. Manilius 304
M. Porcius Cato 303
M. Porcius Cato, ſuperioris F. 304
Martianus 315
Maſurius Sabinus 311
Paulus Verginius 304
Pegaſus 313
Priſcus Iauolenus 312
Priſcus Neratius 314
Proculus 312
Publicius Agellius 309
P. Ælius Pætus 303
P. Alfenus 308
P. Acilius 303
P. Cornelius Scipio Naſica 303
P. Licinius Craſſus 305
P. Mutius Scæuola 304
P. Rutilius Rufus 304
P. Sempronius Sophus 302
Q. Ælius 310
Q. Ælius Tubero 305
Q. Fabius 302
Q. Mutius Scæuola 305
Saluius Iulianus 314
Ser. Sulpitius 307
Sex. Ælius Pætus 302
S. Papyrius 301
Sex. Papyrius 306
Sex. Pompeius 305
Ti. Coruncanius 302
T. Cæſius 308
Tuſcianus 314
Voluſius Metianus ibid.

INDICIS IVRISCONSS. FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM

MEMORABILIVM QVÆ IN II. III. IIII. ET V. Franc. Hot. I. C. Antiquitatum Romanarum libris continentur, ordine alphabetico diſpoſitus.

ACERRÆ 394
Acquirendi modi omnes Emendi verbo continentur 577
Actio præſcriptis verbis 633
Actionum aucupia 741
Actor ſuo nomine agens non ſatiſdat ſi alieno ſatiſdat 745
Actor intentionem ſuam libello complecti debet 746
Actores 356
Adelphus Oeco 504
Adoptionis iura triplex 413
Ædificia ita in vrbe facienda erant vt ſeſtertius pes inter ædes vicinas ambitus cauſa relinqueretur 432
Ægris ploſtrum dandum 477
Æquitatis fruendæ cauſſa leges ſanciuntur 400
Æra numeri nota 511
Ærarium ab ære graui dictum 509, 510
Æs graue cur dictum 508
Æs graue aliud quàm æs rude 508
per Æs & libram, per aſſem & libram 510
Æs alienum, æs ſuum 510
Æs pro as dicebant antiqui 509, 511
Æs graue Numeratæ pecuniæ opponitur 513
Æris appellatio generalis de quouis numorum genere 510
Æris minima pars, ſextula 518
Æſtimatio numi, id eſt valor 497
Agelli locus emendatus 469
Agellij locus animaduerſus 576
Agellij locus 635
Agnatus proximus quis dicatur 445
Agnatorum nomine qui comprehendantur 444
Agricolæ opinio non probata de loco Plinij 545. de drachmæ & denarij comparatione 552 de ſamij loco 537 de trib. denariorum generibus 560 & ſeqq. de voce ſeſtertia 581, 582. de hac locutione decies ſeſtertium 624 de metallorum præſtantia 661 de auri ad argentum proportione 665
Agrorum termini 437
Alciati opinio reprobata 514, 515
Ambitus quid 432, 433
Ampliatio 357
Annus Albanorum inſtituto decem menſium erat 384
Anteſtari 475

Appiani locus animaduertendus 601
Aquæ & ignis interdictio 760
Arbitri Honorarij 740
Arbor in vicini agrum impendens, pedes quindecim à terra altius coerceri debet 435
Arboris appellatione vites continentur 471
de Arbore ex vicino fundo vento inclinata in fundum alienum adimenda agi poteſt 436
Arcera 477
Argentum ſignari cœptum, quando 537
Argenti libra qualis inclinato imperio 618
Argenti nomine propriè non intelligitur ſignatum 506
Argenti qualis libra, inclinato imperio 568
Aſcia quid 389
Aſperi numi 495
As, aſſis, aſſipondium, aſſarius promiſcua vocabula 508
As ærea lamina libralis priſcis temporibus 508, 531
Aſſes graues appendi, leuiores numerari ſolebant 514
Aſſis leuioris definitio 517
Aſſis diuiſio 517, 518
Aſſium figura & nota 511
Aſſes librales priſcis tantum temporibus fuerunt: poſterioribus, leuiores 513
Aſſis vocabulum pro minuto numo 517, 518
Aſſiduus ab aſſibus dictus 509
Aſſiduus pro locuplete 476
de Auguriis & auſpiciis 343
Aurum ſepulchris non iniiciendum 396
Aurei perpetua æſtimatio nulla 577
Aureorum pretium in libris Iuſtiniani 657. & ſeq.
Auri ad argentum proportio pro temporum varietate variatur 663
Auri appellatione, propriè non intelligitur ſignatum 506
Aureus valebat denariis 25 652
Auſonii locus mendoſus 642
BAlneatorum merces quadrans 519
Beroaldi opinio de ſeſtertio non probata 579
Bes, ærei numi ſpecies 520
Bigati numi 539
Bruti locus apud Ciceronem 631
Budæi laudatio 491, 619, 624, 627, 633, 635
Budæi opiniones in dubium vocatæ de loco Polibij 499, 500. de graui & rudi ære 508. de aſſe graui pro leui 516, 517. itémque de drachmæ & denarij æquiparatione 551, 552. de Liuij loco & Plutarchi 534. de ſeſtertio neutrius generis 548, 580. de Suetonij loco 634. de aureorum numero in libra auri 656 de ſtatere 666
Buſtum quid ſit 397
CÆſaris emendatus locus 496, 614
Cæteri filij, præter filium, tam maſculi quàm fœminæ vna mancipatione & manumiſſione ſui iuris fiunt 412
Calceus Lunatus 346
SI CALVITVR 476
Capite cenſi ciues 531
Capitis criminalis damnati quomodo punirentur 753
Carmen in alterius iniuriam condere prohibitum 467
Caſſiodori locus 643
Catulli locus emendatus 433
Catulli locus animaduerſione dignus 604, & ſeq. alter 557
Cauſa cadit is qui non agit quemadmodum oportet 741
Cauſſæ in foro ante meridiem agebantur 479
de Cauſæ coniectione 752
Cautio fideiuſſoria 744
Celſi locus emendatus 546
Cenſus equitum R. 614
Cenſus Senatorum R. 619
Cenſus decurionum in municipiis 611
Cenſus apud Matthæum 667
Cenſus Romani explicatio 549, 550
Cenſus Romanorum non ex annuo vectigali, ſed ex toto patrimonio definiebatur 682
Cenſi qui dicerentur 533, 611
Cenſi qui dicebantur 680
de Cenſu, & Cenſoribus 341 & 342
de Cenſu equitis Laberij 614
Centenariæ cœnæ 528, 593
Centenarij liberti 682
Centuſſis, ærei numi genus 528
Cerarium numi genus 645
Χοίνιξ apud Græcos alimentum diurnum 486
Ciceronis locus in epiſt. ad Attic. 433. in Verrina ſexta 593, 629, 636
Ciuilis dies 418
Ciuis R. liberti hæreditatem l. XII. tab. patrono defert 447
de Claſſibus & centuriis 341
Claſſici ciues 533, 611
Coemptionis modus 416
Cœnæ centenariæ 593
Cœtus nocturnos agitare in vrbe non licebat 404
Cognitionum dies 743
Cohæredes non onerantur pro his qui ſoluendo non ſunt 449
Colonia quid & quot Coloniarum genera 364 & 366
Columellæ locus obſeruatus 594
de Comitiis 348
Commonitio 744
Compendium vnde dictum 509
Comperendinatio quid 752
Comperendinatio 357
Compeſcendarum controuerſiarum modus apud veteres 739
Condicere pro denunciare 752
de Condictionibus 751
Confeſſi & iudicati 484, 485
Conflari numum, Signari numum, promiſcua 537
Connubij Ius inter plebeios & patricios non fuit 419. eiuſdem legis abrogatio ibid.
Conſtitutio iudicij 747
Conſules quando primum creati & vnde dicti 317
Conſulum Rom. inſignia 339, poteſtas ibid.
Controuerſia pro lite 751
Conuenire quid 739
Conuentio 739
Corporibus crematis oſſa è cineribus lecta ſtatim in terram condebantur 391
Creditores hereditarij aduerſus legatarios non habent perſonalem actionem 447
Creditori quando manum in creditorem iniicere licebat 485
Crematio 758
Crux & furca 757
Curialium epulationes 632
de Curiis 340 & vnde dictæ ibid.
DAmnum, Pauperies, Paſtio differunt 473
Damnari ad beſtias 759
Damnatio in metallum 758
Debitores hereditarij vnicuique heredum pro portione hæ-

ne hæreditaria obligati ſunt 447
Debitores ius paciſcendi habebant 486
Decollatio 758
Decuſſis, ærei numi ſpecies 525
Dedititij populi 362
Δημοσία γράμματα 459
Denarius ærei numi ſpecies 525. decem aſſium numus 525, 526
Denarij & drachmæ comparatio 546
Denariorum argenteorum duo genera 555
Denarij argentei veteris definitio 138. eius figura 139
Denarius aureus, & quare ſic dictus 549
Denaria, & denarij promiſcuè dicebantur 540
de Denario æreo 525, 526
Dependere, vnde dictum 509
Deportatio 760
Deunx, ærei numi ſpecies 520
Dextantarii aſſes 515
Dextans, ærei numi ſpecies 520
Diem diffidere 478
Digeſtorum locus 634, 674, 675, 689
Dignitas numi, id eſt valor 497
Dionis incogitantia 619
Dipondius vnde dictus 509
Diſpendium vnde dictum 509
Diſpenſatores vnde dicti 509
Diribitores qui 348
Diſceptator domeſticus 739
Diuinatio quid 356
Diuortium 420. ob tres cauſas permittebatur 421. à primordio in vſu non fuit, niſi poſt annum ſexcenteſimum vrbis conditæ 421. Diuortij formula ibid.
Doli mali definitio 429
qui doli mali ſuſpectus erat in tutela gerenda eum apud prætorem ſuſpecti arguere licebat 429
Domino præſente, vel ſi mandatum procuratorium actor publicè exhibeat ſatiſdare non cogitur 745
ad Dominium rei mutandum quæ requirantur 458
Donatio ſeſtertio numo vno 697
de Donatione & recuſatione iudicis 749
Dos numerata, quæ in numis conſiſtit 506
Dotis magnæ ſumma 591
Drachmæ & Denarii comparatio 546
Dupondius ſiue Dipondius 523
EDitio actionis 740. duplex 741. quid ibid.
Electrei quidam numi 492
Eliæ Vineti laudatio 543
Emancipatio ſimilitudo venditionis 412
Emendi verbo modi omnes acquirendi comprehenduntur 577
Emptor familiæ 577
Emptoris nomine qui comprehendantur 452
De equitibus & equeſtri ordine 346 & 47
Equuleus 762
Erciſci pro partiri 451
Exceptio procuratoria 751. dilatoria ibid.
Exceptiones declinatoriæ 750
de Exceptionibus declinatoriis 750. eius definitio ibid.
Excurrentia æra 639
Expenſa vnde dicta 509
lex Fabia de plagiariis 689
Familiæ emptor 437
Familiæ nomine quæ intelligantur 445
Familiæ erciſcundæ arbitri officium 452
Feſti locus emendatus 515
Fidiculæ 762
Fiduciarius pater 412
Figura numi quid ſit 497
Filius non niſi tertia emancipatione liberatur 439
Filii filiæque familias non tantùm ſui ſed etiam neceſſarii hæredes olim appellabantur 419
Filii familias nomen vnde deriuetur 415
Flauiſſæ, quid 509
Fœdus quid, & quot fœderum genera 363
Fœneratorum pœna 459
Fœnorum ſeu vſurarum conſtitutio 459, 460
Fœminas æquè ac mares ad inteſtatorum ſucceſſiones amittit lex XII. tabularum 414
Follis, numi genus 646
Formæ numi publica 505. quot rebus conſtet ibid.
Formæ numorum variæ & multiplices 504
Formæ numorum arbitrariæ 505
tenuis Fortunæ homines in ſepulcrum capulis efferebantur, potentiores autem lectis 395
Forum competens 751
Forum, id eſt, veſtibulum ſepulcri, buſtúmue vſucapi vetitum 396
Frontini locus emendatus 684
Frumenta pueri 464
Fuluius Vrſinus 504, 530
Fur ſi neque noctu neque telo ſe defendens prehenderetur, virgis cedebatur 462
Fur cum telo deprehenſus 462
Furem leges quando interficere permiſerunt 461
lex Furia teſtamentaria explicata 531
Furum leuior pœna quàm fœneratorum 459
Furioſus lege XII. tab, vetatur ſuarum rerum eſſe dominus 425. in curatione iubetur eſſe agnatorum ibid.
Furioſi & prodigi licet XXV. annorum ſint, tamen in curatione ſunt agnatorum 426
Furtim arborem cædere 470
Furtum per lancem liciúmque conceptum, perinde ac ſi manifeſtum foret vindicabatur 464
Furtorum non manifeſtorum pœna 463
GLandem in alienum fundum procidentem iure colligere licet 436
de Generibus Romanorum 344
Glareani opinio de ſeſtertio improbata 581
HEredis nomen pro Domino vſurpatum 415
Hereditas in ſtirpes quando diuidatur 446
Hereditatem in capita diuidere quid ſit 446. item in ſtirpes ibid.
Hexagium numi genus 660
Hominis ſacri definitio 424
Hominem mortuum in vrbe ne ſepelito, néve vrito 386
Honorii locus de cremandis cadaueribus 392
Hoſtem concitare quid ſit 405
qui Hoſtes concitabant, ciuémve hoſti tradebant, capite mulctabantur 405
IAcobi Syluii opinio non probata nimium Agricolæ ſuffragantis 552, 553
Iactari numus dicitur, cuius pretium incertum eſt 495
Iani & Saturni in monetæ inſtituto fabula 512
Impendium vnde dictum 509
Imperator quis olim diceretur 359
Impubes libripens eſſe non poteſt, neque anteſtari 475
Impuberum leuius fuit ſupplicium quàm adultorum 463
Infantes recens natos necare vel exponere licuit 409
Inſinuare 439
Inſulæ vnde dictæ 435

Intercalare veteres pro inſerere 385
Intercalationis primi auctores 384
Interdictio 761
de Interrogationibus in iure, & Reſponſionibus 745
Inteſtatus quatuor modis dicitur 443
Ioſephi Scaligeri laudatio 529, 565
Iter, Actus, Via 451
Iudæis victis ſtipendium impoſitum 668
ſi Iudex vel arbiter iure datus pecuniam ob rem iudicandam accepiſſet, capite pœnas luebat 401
Iudices delegati 350. Pedanei ibid.
Iudices pedanei à magiſtratibus ſeparantur 750
Iudicia capitalia, & non capitalia 354
de Iudiciis publicis 354
Iurgare & litigare differentia 438
ius Quiritum quibus in rebus conſiſteret 362
Ius publicum quid 398
Ius coemptionis 417
Ius patrium ſine legis auctoritate in alterum acquiritur 413
Ius vindiciarum 482
Ius feriendæ monetæ ſummi imperij teſtimonium 502
Ius ſummum interdum ſumma iniuria 748
de Iure moribus recepto litibus apud iudices inſtituendis 752
Iuris priuati ſcopus 408
Iuſiurandum pactum & contentionem ſpectat 453
Iuſti Lipſij laudatio 565. 570
Iuſtiniani locus inſignis in diſquiſitionem vocatus 698
Kalendæ intercalares 385
LAmbini opinio de ſeſtertio improbata 588
Lampridij locus 688
Lampridij locus emendatus 657
Lampridij locus animaduerſus 572
Latinorum populorum tres ſpecies 363
Latus clauus quid 346
Laudis ornamenta ad mortuos pertinere 394
Legandi verbum 437
de Legatis Quæſtoribus vectigalibus & publicanis 360
Legatorum petitio aduerſus hæredes pro partibus hæreditariis competit 449
Leges quando mutentur 401
Leges & ſtatuta pop. R. varia vt omnis iurgandi occaſio procideretur 437
de Legione, eiúſque numero 343
Lex generale populi iuſſum 400
Lex de verbis & incantamentis 406
Lex Cornelia numaria 503
Lex Voconia 611
Lex Voconia 680
Legis inſtitutum de ſumptibus funerum 389
de Legibus 346
Legitima quæ dicantur 438
Legitimi tutores qui dicantur 428
Leſſus quid 389
Libellæ apud Martianum 639
Libella, numi argentei ſpecies 559, 562
Libellus conuentionis 744
Liberi parentum poteſtate liberantur emancipatione 412
Libertæ ſuus hæres eſt maritus 447
Libertatis Roman. tres præcipuæ partes 361 & 362
Libertorum inteſtatorum hæreditas quomodo diuidatur 447
de Libra auri apud Iuſtinianum 666
Libra auri apud Iuſtinianum cuius pretii 667
Libræ & Minæ vocabula promiſcua 543
Libralis aſſis 514
Libripendes, qui dicti 509
Libripens 440, 454
Litis nomine actio intelligitur 751
Litis ordinatio 739 & ſeq.
Litis præparatio 740
Litis conteſtatio 747. lis quando conteſtata ibid. apud quem fieret ibid.
Litis conteſtationis multiples effectus 747
Liuii locus emendatus aut illuſtratus 523, 524, 528, 531, 500, 549, 663, 664, 665, 670
Longæ coronæ 394
Ludus gladiatorius 759
Ludus venatorius 758
qui in Ludis certaminibúſque publicis coronam adeptus eſt, quę premium victoribus honoris cauſa prępoſitum erat, ei monimentum iſtud, quaſi inſigne ſuæ virtutis, relinquebatur 395
Lupini, numi ludicri 493
MAcrobii locus 381
Macrobii locus emendatus 528. & 591
Martiani ænigmata explicata 638, & ſeq.
Magiſtratus Rom alij Patricii alii Plebeii fuerunt 338
Maiores multis ſtatuas decreuerunt, ſepulcra paucis 398
Mancipatio, eiúſque ritus 454
Mancipium vendens certiorem faciat emptorem quid vitii ei inſit 456
Manum in ius conſerere 481
Manu, poteſtate, mancipio 411
Marcelli medici locus emendatus 542
Mater ſuos hæredes non habet 444
Materfam. ea ſola appellatur quæ in mariti manu mancipióque eſt 417
Matrimonium per coemptionem contrahere 383
Matrona vnde dicta 419
Membri rupti triplex pœna 469
Milliariſium, quid 643
Mille numum, ſeſtertium, hominum 547, 621
Mille ſeſtertiûm millia, non dicebatur, ſed Decies ſeſtert. 620
Militis R. diurnum, & menſtruum ſtipendium 568
Militum diurnus cibus 486
de Militia 343
Minam Græci, Latini libram dicebant 542 pro drachmis centum 540, 526, 543, 544
Moderata populi iudicia 400
Modus compeſcendarum litium quæ finium regundarum cauſa inter vicinos oriebantur 438
Modus aperiendi tabulas teſtamenti 441
Monetæ cudendæ ius ſummi imperii teſtimonium 502
Μονοπώλια 459
Morbus ſonticus 478, iudicii diem differt ibid.
Mortui tribus ricinis & vinculis purpuræ, decémque tibicinibus deferebantur 388
Mos effundendi ſanguinem ante rogos 390
Mulier quæ ex ſacratis legibus in mariti manum conuenit omnium rerum particeps fit 416
Cùm mulier viro in manum conuenit, omnia quæ mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine 416
Mulier quæ cùm ſui iuris eſſet annum vnum apud virum matrimonij cauſa fuiſſet, illa in trinoctium vſurpatum iſſet, pro vſucapta habebatur 418
Mulier Romæ interfecta quod vinum bibiſſet 420
Mulier integri capitis quæ dicatur 424
Mulieres Romæ abſtemias fuiſſe 420
Mulieres Rom. virorum mortem x. menſes lugebant 422

Mulie-

Mulieres orbæ in fratris agnatione proximi tutela erant 424
Municipium quid & municipiorum quot genera 364. & 365
Murrata potio 393
NEceſſarij hæredes propter patriam poteſtatem dicti 415
Nexus ſiue mancipio, mancipium ſine nexu eſſe non poteſt 455
Nexum æs, quid apud antiquos 455
Nexum mancipiúmque facere 441, 454
Nouum opus nunciare 397
Noua in iudicium vocandi forma 744
Noxa caput ſequitur 472
Numa per annos 43 in pace altiſſima Remp. tenuit 337
Numa menſes duos addidit, annúmque 12 menſium conſtituit 384
intercalandi ratio à Numa rege ſacrorum cauſa inſtituta 384
Numerata pecunia æri graui opponitur 513
Numerata & ſignata pecunia, idem 506
Numerata pecunia, propriè & reſtrictè de numis 506
Numi partes quatuor 491
Numi definitio 491
Numi vocabulum propriè de argenteis 505
Numi poteſtas non ex materia, ſed ex auctoritate publica 497
Numi quamuis diuerſæ materiæ, tamen omnes vnius generis 498
Numi reprobi 503
Numi & Nummi differentia 505.506
Numus plerumque pro ſeſtertius 574
Numiſma non natura, ſed lege valet 505
Numiſmatis nomine plerumque aureus continetur, 658
Numos priuato cudere non licet 503
Numorum triplex apud Romanos materia 491
Numorum materia interdum mixta 494
Numorum varia & multiplex menſura 504
Nuncupandi teſtamenti modus 440
Nundinæ feriarum dies 487
Nuptiarum definitio 417
OBba 393
ex Obligatione rei per accidens indiuiduæ actio in partes datur 451
Obligationes hereditariæ 449
rerum quæ in Obligationes hereditarias cadunt, aliæ diuiduæ ſunt aliæ indiuiduæ 449
Obrizum aurum quod 658
Occentare antiqui pro conuicium facere 467
Octuſſis æri numi ſpecies 525
Opus publicum 761
de Ordinibus ciuitatis Romanæ 345
Ouidij locus 384
PActiones legitimæ 479
Pago 479
Pandectarum locus 571.572
lex Papia de bonis libertorum 679.680
Papiniani locus emendatus 687
Paſſeratius 565
Paterfam. teſtamento quemuis pupillis ſuis tutorem inſtituendi poteſtas fuit 427
Paterfam. ab inteſtato mortuus cui ſuus heres nō exſtat agnatus proximus familiam habet 442
Pater filium in adoptionem emancipans perpetuam alteri in illum poteſtatem tradit 415
Pater materue familiás qui dicantur 410.411
de Patina Æſopi 616. de loco Plinij 618.651. de Plutarchi 631
Patres, & Patritij qui 344
Patria poteſtas Romano iure perpetua 409
Patriæ poteſtatis vis etiam poſt patris mortem & vſque ad pubertatem liberorum extenditur 427.
Patribus ter filios venundare licebat 411
Patronus ſi clienti fraudem fecerit, ſacer eſto 423
Pauli locus emendatus 445
Pauli iuriſc. locus emendatus 683
Pauli Manutij opinio non probata 567
Pauli Manutij opinio non probata 554
Pauli Manutij laudatio 630
Pauperies 473
Peculium vnde dictum 510
Pecunioſi vnde dicti 510
Pecunia res omnes æſtimantur 497
Pecunia quorſum inſtituta 497
in Pecunia non corpus, ſed quantitas ſpectatur 498
Pecunia, à pecore, vel à pecoris ſigno impreſſo 508. 509
pendi ſolebat olim Pecunia, non numerari 510
Pedarij Iudices 346
Pediani locus animaduerſus 533
Peregrini qui 362
Perſcribi literæ, & perſcribi verba dici contrariè 539
Perſcriptis verbis actiones 539
Philandri opinio reprobata 515.516
Philippei numi non ſoli qui ab ipſo Philippo Macedone percuſſi 503
Platonis locus de legibus 402
Platonis locus illuſtratus 663
de Plebeiis 347,
Plinij locus emendatus 514
Plinij locus animaduertendus 494, 495, 546, 561, 562, 570, 603, 609, 616, 617, 619, 628 bis ſed præſertim 651, 654
Plumbata 763
Plumbeos fuiſſe quoſdam numos 492
de loco Plinij 603. de annuo Medicorum honorario 615
Plutarchi locus in vita Solonis 390
de loco Plutarchi 524
Plutarchi locus animaduerſus 524, 546, 566, 599
Pithœi I. C. laudatio 131
Pœna eorum qui falſi teſtimonij conuicti fuerunt 402
Pœna imprudentiæ arbitraria 402
Pœnæ eorum qui noxam caſu feciſſent 405
Pœna eorum qui frugem aratro quæſitam furtim pauiſſent vel ſecuiſſent 464
Pœna eorum qui hominis liberi os manu percuſſiſſet 468
Pœna eorum qui carmen infame ſcripſiſſent 468
Pœna eorum qui alienas arbores cecidiſſent 469, 470
Pœna debitoribus l. impoſita ni paciſcerentur 486
de Pœnis & ſuppliciis apud Romanos 753
Polibij locus inſignis animaduerſus 499.500
Pollinctura 392
Pondus in numo quid ſit 496
Populus Rom. paruit Reguli imperio annos 240.337
Populus centurialis comitiis iudicabat 400
Portij opinio de ſeſtertio non probata 579
Poſt x. menſes mortis, natus non admittitur ad legitimam hered. 422
Poſtulationum dies 744
Poſtumi ſuorum nomine habendi ſunt 439

Poſtumi ſuorum heredum nomine ſunt 443
Poteſtas numi, id eſt valor 498
Prædiatores ſiue vades 477
Præfectura quid 365
Prælio commiſſo vetuſtæ conſuetudinis fuit vt ſuperſtites oſſa ſuorum legerent 392
Præſcriptis verbis actio 633
Præſcriptio alia iudicis incompetentis alia ſuſpecti 750
Prætores VIII fuere tempore Ciceronis 339, eorum officium ibid.
Prætoriæ actiones 748
Pro portione hereditaria quando omnes teneãtur 451
Prodigo interdicitur bonorum ſuorum adminiſtratio 426
Proletarij 476
Proletarij ciues 531
Proprium eſſe mancipio & nexu 455
de Prouincijs & earum rectoribus 357
Publicani, eorumque tria genera 360 & 361
Puteani I. C. laudatio 565
Pyra qui ſit 396
QVadrans ærei numi ſpecies, eiuſque definitio 519
Quadrans ſportulæ pretium: aſſectatorũ merces 520
Quadrantaria Clodia 516
Quadrigati numi 539
Si quadrupes pauperiem fecit, actio noxalis ex Lege XII tab. deſcendit 473
Quadruſſis, ærei numi ſpecies 525
Quæ in partes diuidi non poſſunt, ſolida à ſingulis hered. debentur. 450
Quæ in nominibus ſunt diuiſionen non recipiunt 447
Quæ lingua nuncupata eſſent in venditione præſtanda erant, quæ qui infitiatus eſſet dupli pœnam ſubibat 456
Quem pater ſuus populuſue vendiderit ei nullum poſtliminium 411
Quæſitores, qui 355
de Quæſtoribus & eorum munere 360
Quantitas numi id eſt valor 498
Quartarius numi genus 660
Queruli pſeudoplantini locus 658
Qui per tutelam pupillum fraudaſſet eiuſue rem furatus eſſet, infamia notatus duplionis pœnam ſubibat 429
Qui domi eſt vocari in ius ſed extrahi de domo non debet 476
Qui falſo rem alienam ſibi vindicabat, ad duplos fructus reſtituendos tenebatur 482
Qui in ſeruitutem è libertate aſſerebatur Prætor vindicias ſecundum libertatem decernebat 483
Qui fatebantur debere, tempus ad ſoluendum dabatur 484
Quinarius argentei numi ſpecies 557
Quinqueſſis ærei numi ſpecies 575
Quodcumque poſtremum populus iuſſiſſet id ius ratumque erat 401
RAtiones ad denarium, quinarium ſeſtertium 638 & ſeq.
Rauduſculo libram ferire 454
de Re & Lite 751 eiuſdem definitio ibid.
Rei interrogati & mentiti pœna 746
Relegatio 760
Reo reſpondere recuſante Prætor recuſationis cauſam cognoſcit 746
Reprobi numi 503
Rerum ſacrarum nulla vſucapio 398
Res per accidens 449
Res diuiduæ & indiuiduæ 449, 450
Quandiu Reſp. Rom. Conſulibus vſa ſit 337
Reus parum idoneus pro ſe alterum dabat 476
Ricæ & riculæ 388
Ricinium quid 388
Rogum buſtumue nouum vetitum propius 60 pedes adiici ædes alienas inuito domino 396
Romani in rebus ad ſacra & religionem pertinentibus anxii ad ſuperſtitionem fuere 396
Romani glande pro cibo vſi 436
Romani Remp. gerentes ſola iuriſiurandi ſui religione in officio ſuo continebantur 454
Romanorum Regum ſeries 337
Romanorum veterum paupertas animaduerſione digna 531
Romulus primus Romanorum Rex 337
Romulus patribuſfam. ius vitæ ac necis in Liberos ſuos dedit 409
SAcra partim priuata partim publica 387
Sacra priuata perpetua manẽto 381 eiuſdem legis interpretatio 382
Sacra Gentilitia 382
Sacra alia patricia alia plebeia 382
Sacra à p. fam. ſemel inſtituta perpetuo ſeruantur 383
Sacris paternis qui abſolui dicantur 382
de Sacris 342
Saluiani locus 403
de Satiſdationibus 145
Saturni & Iani monetæ inſtituto fabula 512
Scribella numi argentei ſpecies 559. 560
Scribonii Largi locus emendatus 540
Scuates 407
Se, valet dimidium 521
Semis ærei numi ſpecies, eiúſque definitio 518
Semiſſes aurei 671
Semuncia, ærei numi ſpecies 521
Senatibus idem ius quod fortibus 407 eiuſdem legis abrogatio 408
de Senatoribus 345 & 346
Senatuſconſulti faciendi forma 346
Senecæ locus 628
Senes concionales 384
Sepeliendi ratio ante XII tab. leges 386
Sepulcra alia familiaria alia hereditaria 386
Sepulcra vbi fierent olim 397
Sepulcrorum ius 386
Serrati numi 495
Seſcuncia, ærei numi ſpecies 520
Seſquias, ærei numi ſpecies 521
Seſtertiariarum rationem primus Iuſtin. non ſuſtulit 679
Seſtertius numus cur coniunctè 575
Seſtertius, ærei numi ſpecies & huius verbi notatio 512
Seſtertij argentei definito 574
Seſtertio numo vendere 577, 649
Seſtertium porticum pro mille ſeſtertiis omnis 580 & ſequ. non dicebatur neutro genere 579 locus in carcere 589 ſeſtertius pes ibid.
Seruilis vnctura, omniſque circumpotatio tollenda 392
Seruus ſciente domino furtum faciens aliamue noxam committens: vter actione noxali teneatur 463
Serui qui furti damnatus eſſet ſupplicium 463, 471
Seſſionum dies 743
Sextans, ærei numi ſpecies 520
Sextantarii aſſes 515

Sextu-

Sextunx auri 671
Septunx ærei numi ſpecies 520
Si priuato aquæductus alterius in publico noceret el aqoæductus dominus noxæ nomioe eauere debet 431
Si eui aqua pluuia damnum dabit, actione aquæ pluuiæ arcendæ auertetur aqua 432
Si in ius vocatus fruſtrari vocationem velit, vocans ius habet in illum manum iniieere, & ad iudieem adducere 476
Sielus Iudaieus 667
Signata peeuoia eadem quæ numerata 506
Silieernium 393
Siliqua numi genus 315. & ſequ. vnde Siliquaticum 646
Singulæ apud Mætianum quid 639
Siticines 389
de Sociis Populi Romani, de Coloniis, Municipiis, Præfecturis 361
Sodales 458
Sodalitatibus quid iure permiſſum 459
Solidorum ex auri libra numerus 660
Solidus aureus eur dictus 650.651
Solioi locus animaduerſus 587
Solonis inſtitutum de centum drachmis in minam 566
Solis patribusfam. ius teſtandi 437
Solis occaſus ſuprema tempeſtas 480
Soluere ad denarium, quid ſit 640
Sportulæ quadraotariæ 520
Sportula 744.745
Statuliber quis 452
Stater argenteus 667. aureus 669
Stipendium, à ſtipe quaſi ſtipipendium 509
Stipendij militaris ratio explieata 600
Strabonis locus aoimaduerſus 572
Sublueaodi verbum 435
Subſcriptores 356
Suetooij locus 608
Suetonij locus inſignis animaduerſus 590
Suetonij loeus io Caligula 620. io Veſpaſiano 630 in Galba 632, in Iulio 634
Suidæ mendoſus locus 684
Sumptuoſa reſperſio, murrata potio mortuo ne inderetur, néve longæ coronæ, néve acerræ adhiberentur 393
Supplicium eorum qui ædes alienas aceruúmque frumenti dolo malo combuſſiſſent 405
Suus heres quis dieatur 443
Sui heredis præteritio teſtamentum vitiat 414
Suorum heredum duo genera 448
TAbulas ad ianuam figere 743
Taciti locus 627.636
Taciti locus inſignis obſeruatus 569,548
Talentum Atticum 547
Talenti Attici pretium 562
Talionis pœna 469
Telum 461
Teli ſignificatio 403
Temerè litigantium pœna 745
Temetum antiqui pro vinum 420
Tempus recuſandi iudicis præſcriptum 750
Tertulliaoi locus in Apolog. 409.410
Tertulliani locus animaduerſus 592
Teruntius, argentei numi ſpecies 560
Teſtamentum per æs & libram facere 440
Teſtamentum per familiæ mancipatiouem 440
Teſtamentum per æs & libram 510
Teſtamenta quibus ex cauſſis rumpantur 437.438
Teſtamentorum ſummum ius 437
Teſtes rogati in teſtamentis adeſſe debent 442
qui ter falſum Teſtimonium dixerit publico iudicio tenebatur 403
Tetradrachmum 564,565 & ſeq.
Theodoſij mendoſus locus 658
Theſauri, Flauiſſæ 538
Tignum ædibus vel vineis iunctum viodicare non licebat 465, pœna eius qui ſecus feciſſet ibid.
Tranſactio 740
Tremiſſes aurei 671. & ſeq.
Treſſis ærei numi ſpecies 523
Treuiri monetales 491
de Tribubus 340, aliæ vrbanæ, aliæ ruſticæ ibid.
Tribunatus plebis auctoritas 337
Tribuoi plebis, & eorum poteſtas 339, quando creati ibid.
Trib. pl. io priuatos leges noo ferebant 399
Trieeſſis, ærei numi ſpecies 528
Triens, ærei numi ſpecies, & eius definitio 519
Trientes aurei 671
Trioundioo promulgare 488
Trinundinum 486
Tripondium, ærei numi ſpecies 523
Τρίτον ἡμιτάλαντον propriè ſeſtertius 500
Triumuiratus 338
Triumuiri monetales 491,503
Triunx ærei numi ſpecies 519
de Tunica ciuium Romaoorum & aliis quibuſdam veſtibus 366
Turnebi opinio noo probata de ſolutione ad denarium 541, de amplo ſeſtertio Solini 586
ei viro Tutela oon deferebatur ad quem pupilli morte patrimonium rediret 428
in Tutela ex vna actioue duplex actio naſcitur 429
Tutelæ agnatis deferuotur 428
Tutor ſeparatim ſioe pecunia dari non poteſt 427
VAdari & in ius voeari quid interſit 743
Vadimonij deſerti pœna 743
Vadimonium quid 742
Vadimonium promittere 742
Valerij Max. locus emendatus 527
Val. Probi mendoſus locus 643
Varronis loeus emendatus 558
Vectigalium quot genera 360
Velleij locus 636
Vendita res emptori non acquiritur, niſi pretium ſoluerit 457
Vera lex quæ dieatur 475
Vexillum ruſi coloris 485
Viæ latitudo lege XII. tab. conſtituta 431
ſi quis Viæ ſeruitutem alteri debet, eam viam perpetuo munitam & ad vehendum idoneam ſeruitutis domino præſtet 431
Vieeſſis, ærei numi ſpecies 527
Victoriatus, argentei numi ſpecies 558 idem qui Quinarius ibid.
Vincula 762
Vindex 476,485
Vindieationis duplex effectus 466
Virgas à ciuium Rom. corpore amouit L. Porcia 754
Virgilij & Plauti loci ootati 381
Virgulæ 763
Virorum vxorúmque ius 416
Vlpiani locus emendatus 689
Vocia auri maior libra, opinione Budæi 667

Vncia ærei numi ſpecies 520
Vnciæ ſemi interdum ſepteni denarij attributi 542, 543. octo 546,547
Vni plura funera non eſſe facienda, nec lecti plures inferendi 395
Vſurpare & Vſucapere 418
Vſus auctoritas fundi biennium & ædium eſt 436
Vtiles dies 743
Vtriuſquè litigatoris præſentia in lite addiſcenda deſideratur 480
vir Vxorem ſuam in adulterio deprehendens, impunè occidere potuit 420
Vxores ſacrorum ſociæ. 383
Vxores in manum per coemptionem conuenire 416
Zygoſtates in ſingulis ciuitatibus 607

INDEX PERTINENS AD COMMENTARIOS IN ORATIONES CICERONIS, IN duo capita diſtributus.

I. *Rerum ac verborum ad ius ciuile pertinentium.*

ACcuſare, deferre nomen pag. 819
Actio contraria 1124
Actio directa 1124
Actiones certis formulis concipiebantur 804,863
Actiones 865. à prætore dabantur 865. etiam contra æquum & bonum 865
Actiones in factum, vtiles, directæ 867
Addicere bona 961
Addicere bona & poſſeſſiones 904
Adigere arbitrum 868
Ad vrbem magiſtratus 976
Aduocati propriè 769
Ædiles 911.1084
Ætas cauſas agendi 849
Affines 982
Affinitas liberis viuis nunquam diuellitur 781
Agere lege 1155
Agere ſummo iure 791
Ampliationis & comperendinationis differentia 925
Ampliabantur cauſæ duabus de cauſis 1124
Appellare Tribunos 784
Arbitrium & iudicium 775,844,857
Arbitri honorarij 862
Argentarii 1127
Argentariorum tabernæ ac tabulæ 780.1172
Attributa pecunia 928
Auctor 1087
Auctor ſcribi debere, non author aut autor 1132
Auctoritas, id eſt ius dominii acquiſitum 1139
BOna prædia imperitè ab Aſconio & Budæo explicatum 962
Bonorum poſſeſſionem dare, & in bonorum poſſ. mittere differunt 812
CApitalia iudicia 772
Caput in decumis 922
Cauſæ publicæ 831
Cauſæ priuatæ 831
Cauere & ſatiſdare 785
Cenſu liberati 1157
Centeſimæ vſuræ 1039
Chirographum quid, & quantum à ſyngrapha differat 945
Cognitor & procurator 782,885
Comitia centuriata 1085
Commiſſa 956 cõmiſſa hæreditas, ſtipulatio &c. eadẽ.
Compromiſſum 988
Concilium 979
Concionem habere, & agere cum populo differunt 1162
Conſilium ex Legatis 979
Conſtituere 778
Conſtitui iudicium 1014
Conſtitutum 1134
Conſules quo tempore prouincias ſortiebantur 976, 1047
Conſulis & prætoris lictores ſummouebant 788
Conſulum ſummum imperium 911
Conuenire in ius 129
Conuentus 982
Cum legatione 1047
Cum populo agere niſi magiſtratui non licebat 910
Cum poteſtate 1047
DEemprimi 824
Decidere 777
Decretum & iuſſus prætoris differunt 803
Decretum ſpecies eſt iuriſdictionis 948
Decuriones 824
Deferre nomen & accuſare 819,884
Denuntiare 1153
Dicis cauſa 1059
Diuinatio 880
Duumuiri 824
EDicta prætorum 949
Edicta quando proponerentur 949
Emancipationis forma 1196
Exilium fueritne ſupplicium 1158
Experiri 791
Extraordinaria iudicia 1226
FEciales 1087
Fiducia 862,867
Fiducia contracta. id eſt ab vtroque viciſſim facta 867, 1125
Fiduciarii tutores 1124
Fiduciarius pater 1156
Filiorum venditio ſimulata 1156
Formulæ actionum 804
Formulæ in actionibus 859,860,863
HÆreditatem capere niſi ciui non licebat 1160
Honorarius arbiter 862
INiquitas in ius dicente 773
Intendere litem 1129

Inter-

Interdictum quid, & vnde dictum 1126
Inteſtatorum hæreditates 955
Iter ad ſepulchrum 824
Iudex 784,875
Iudicatum ſolui ſatiſdare 783
Iudicia bonæ fidei 857,858
Iudicium & arbitrium 775,844
Iudicium accipere 804
Iudicium dare 896
Iudicium damni iniuria, an iniuriæ 872
Iudicium in priuatis cauſis poteſtas, niſi quæ à Prætore detur, nulla: 981
Iudicia omnia eſſe abſolutoria 869
Iudicia populi 921
Iudicia publica & priuata vnde dicta 831,832
Iudicio turpi damnatorum pœna 771,772,793
Iuriſconſultorum auctoritas 1142
Iuriſconſultus 1143
Iuris prætorij alii conſulti, alii ciuilis 1134
Iuriſdictionis duæ tantùm ſpecies 948,949
Ius ciuile συνωνύμως pro reſponſis prudentum 1145
Ius petebatur à prætore ex formula 785
Iuſſus & decretum prætoris differunt 804

Latini Iuniani 1155
Latitare 802
Legati cum poteſtate 1090
Legati in prouinciis 793
Legati ſacroſancti 943
Legatorum violatio expiabatur 941
Lege agere 952,1155
Leges in tempus præteritum non valent 955
Legum principium, & extremum 1153
Lex Aeilia 926
Lex Cornelia 926
Lex Fuſia eadem quæ Furia 953
Lex Iulia 926
Lex Portia 920
Lex Seruilia 926
Lex Terentia & Caſſia 935
Lex Voconia 950

Leges emendatæ.

L.ſ. D. de dolo malo 1147. l.1. D. ad Sen. Tur. 829. l. quæſitum. D. de teſtib. 829. Vlpiani in Titulis 866, 867. Vlpiani in Titulis 1145,1146. l.1. D. de offic. præſidis 1189,1190
Lis æſtimata 913
Lis conteſtata 871

Malè agere 794
Magiſtratus accuſarine poſſent 941
Magiſtratus ad vrbem 976
Magiſtratus imminuti crimen 942
Magiſtratus minores 931
Magiſtratus non erant iudices 908
Magiſtratus pari intercedebat 956
Magiſtratus vocare in ius non licebat 961
Manceps 823
Mancipes 962
Mancipi res, mancipium, mancipes 1145,1146
Mittere in conſilium 789
Moribus deductio 1119
Mos ciues potentes deducendi 847,848
Mos in iudiciis tum publicis tum priuatis, vt rei aduocatis quamplurimis vterentur 769. vt darentur ij iudices, qui reis placuiſſent 789. vt ampliata cauſa reus priore loco diceret 789. 925. 926. vt oratores interdum ambularent 940,941. vt etiam de auditione teſtimonium diceretur 874. vt cauſæ ſæpius agerentur 879,918
Mos in priuatis iudiciis vt Iudex quoſdam Iuriſconſultos ſibi in conſilium aduocaret 1045, 1046. vt iudices capita conferrent 789. vt intus domeſticos parietes prius diſceptaretur 790. vt actiones ederentur 794. vt in prouinciis etiam Quæſtores iudicium darent 896. vt in poſſeſſionum controuerſiis vis moribus fieret, id eſt, feſtuca, ſiue vindicta infringeretur 1120. 1121. vt quum iudices dimitterentur præco pronuntiaret Actum eſt, Ilicet 850
Mos in publicis iudiciis, vt Orator in fine pronuntiaret Dixi 789,920. vt literæ non modò abſoluendi aut damnandi, ſed etiam calumniatoris, aut præuaricatoris darentur 883. vt ſerui in quæſtionem darentur 836. vt inter duos de accuſatione contendentes diuinatio fieret 880. vt accuſator omnia ad inſtruendam accuſationem pertinentia conquireret, obſignaret, deportaret 889.1004.1076. vt iudices, rei, accuſatores, & defenſores citarentur 891. in pronuntiandis ſententiis 693. vt ſi accuſator non adeſſet, rei nomen eximeretur 994. vt ſortitio Iudicũ ac ſubſortitio fieret 819
Mos in ſuffragiis 842
Mos vt apud argentariorum tabernas auctiones fierent 1128
Mos vt legatis exterarum nationum Senatus in æde Bellonæ daretur 1085
Mos vt tabulæ conficerentur 852
Mos vt teſtes dicerent Arbitror 1112
Mos vt vulgò pecuniæ ab argentariis ſumerentur 986 995
Mos vt aliena in prouincia alterius prouinciæ Prætores primi ſententiam in Prætoris conſilio dicerent 939,940
Mouere controuerſiam apud Vlpianum 1129
Mulieres ſub tutela perpetua 1144

Nexum 1159
Nomen 943. ex nominibus obligatio 943
Non more facere 805

Obligatio nominibus 943,944
Omnia iudicia abſolutoria eſſe 869
Ordinaria iudicia 1126

Pactum 1138
Paterpatratus 1156
Populi iudicia dicuntur, de quibus ipſe populus in comitiis cognoſcit, non Prætores in tribunalibus 952
Poſſidere & tenere 812
Poſtulare ius à prætore 814
Prædes 956
Prædibus & prædiis cauere 962
Præiudicium 863
Præſes prouinciæ apud Iuriſconſultos 1192
Prætorea 929
Prætor maximus, id eſt, qui cum ſummo imperio eſt 929
Prætores quo tempore prouincias ſortiebantur 976, 1085
Prætori vrbano iudicium publicum exercere non licebat 958
Prætori vrbano iudicio capitali præeſſe non licebat 969,970
Prætorum prouinciæ 819.820.906.948
Priuatus 911
Proconſules qui, & an proconſulum extraordinarium eſſet imperium 1189,1190
Procurator & cognitor 782,885
Proprætores qui, & an eorum eſſet extraordinarium

imperium 1189,1190
Prouinciarum diuiſio 1191
QVæſtor 838
Quæſtores 928
Quæſtorum in prouineiis procuratio 977
Quæſtoribus ſui quoque lictores erant 975
Quæſtorum procuratio 947
RApináne an furtum grauius puniatur 921,922
Recuperatores 1122
SAeramentum 786
Satiſdare 873
Satiſdare & cauere 783
Satiſdare damni infecti 965
Satiſdaréne procuratorem oporteat 783
Satiſdant ſoli qui vadimonium deſeruerunt 787
Satiſdat etiam in perſonalibus, quem periculum eſt ſoluendo non fore 794
Senatuſconſulta quando 994
Senatus de rebus capitalibus non iudicat 1097
Si pateret 859
Sortiebatur vrbis prætor 124
Sponſio 786
Sponſione qui prouocat actoris partes obtinet 788
Stipulatio vnde dicta 861
Stipulatio etiam ſine alio negotio interponebatur 861
Subſcriptores 893
Summouere populum 788
Summo iure agere 791
Syngrapha 944
TEnere & poſſidere 812
Teſtium interrogatio 917
Tribuni comiter verbis ſummouent 788
Tribuni ærarij 928
Tribunorum poteſtas 804,912
VAdari ab In ius vocare quid differat 779
Vadimonium 778.779
Vadimonii deſerti pœna 772,780
Vendere bona 962
Vigintiprimi 824
Vindicare quid 1121
Vindicias date, id eſt dare poſſeſſionem pendente iudicio 956
Vindiciæ 956
Vindicta, id eſt feſtuca, ſiue ſurculus 1121
Vis moribus facta 1120
Vſura, pro vſus 1039

II. VERBORUM AD GRAMMATICOS PERTINENTIUM.

ACcenſus 939
Acceſſio 998
Accuſator 733
Accuſandi munus graue 881.882
Acroama 1059
Actum eſt 350
Ad denarium ſoluere 777
Addicere 813
Addictus 874
Adrianus in prætorio ſuo combuſtus 398
Adſtipulator 801
Adumbrare 786,790
Adumbratus 1023
Ad villam 828
Aduocati 769
Ad vrbem magiſtratus qui 914,915
Aduerſaria 853,856
Ædes caſtoris 959
Æditui 1067
Æmulus, riualis 1024
Ærarium ſanctius 1073
Ære diruti 1083
Æſtuare 989
Agere cum populo 911
Agere cum populo & concionem habere differunt 1062
Alacritas 905
Alcibiadis ſcitè dictum 771
Alienus 798
Allegare 824
Αναμανγάδευ 875
Ancoræ, vincula 1092
Annulus 848
Annus vertens 792
Anſeres in capitolio 830
Ante diem 4.Cal. pro 4.Cal. 779
Anteſtari 779
Antiqui 825
Antiquum officium 807
Antiochus 1061
Ambitio 994
Amplius quàm trium 990
Apparitor 940,1019
Appia via 1187
Aquilii iudicium 1077
Arbitrio condemnari 775
Argentariorum tabernæ 780
Argumenta 1070
Aſconii error inſignis 963
Aſpendius cithariſta 933
Aſſeuerare 978
Aſſiduitas 948
Aſſum 770
Aſpirare 812
Aſtutus 910
A ſubſelliis 892
Athenio 998
Atria Licinia 774.779
Attalica 1055
Auctionariæ tabulæ 780
Authepſa 847
BElla fugitiuorum 1032
Bellum fugitiuorum 1077.1078
Boni, id eſt, locupletes 800
Brachæ 1112
Budæo error obiectus in ſeſtertiis vnde 1033
Bulla 968
Bullæ 1070

C.Aqui-

C Aquilius Galluſ 769
C. Mutius 896
Cæcilia Metelli 825
Calendæ, nonæ, idus 767
Callidus 829
Campus Martius 801
Cancelli 1034
Cannenſis clades 838
Canephoræ 1051
Canes capitolij 830
Carbones 1007
Caput 772, 818, 1024
Cauſa, pro cauſa neceſſitudinis 795
Cauſæ nihil eſt quin 788
Cauſa pro negotium 1040
Cenſi 949
Cenſus 874
Centuriæ iudicum 971
Centuriata comitia 1164
Cera ima, infima 945
Cerarium 1041
Certus, ſpectatus, cognitus 774
Ceruices 1019
Ciceronis familia 788
Ciceronis timor 891
Cilices 1054
Cineenſes 1056
Circumpedes pueri 946
Clarus, pro integer 792, 874
Claſſici 949
Cliens, patronus 822
Clientes 769
Cohors prætoria 929
Colligere ſeſe 799
Colludere 987
Collybus 1041
Comitia cur differrentur 1164
Comitium in foro 1009
Commoda pro commodata 1051
Commune pro Reſp. 947
Commune Siciliæ 996
Comœdus, hiſtrio differunt 870
Comparari 770
Complexa paſſiuè 827
Concedere 1048
Concionem habere quando priuatis liceret 1162, 1163
Concoquere 875
Confugere ad ſtatuas 1002
Conſortes 1019
Conſilium capere cum infinitiuo 800
Conſtana 828
Conſtrata nauis 1092
Contrariis actionibus damnati cur infames non eſſent 1124
Conuentus 1081
Corinthium æs 847
Cornelij 1021
Corollæ ſcenicis datæ 1041
Corona oratoribus 1017
Coronæ 1042
Creta in literis 1061
Cuicuimodi 840
Cum imperio 1113
Cum poteſtate 1113
Curare pecuniam 776
Cuſtodes 1037
Cybea 1053
Cybiratæ 1058

D Ecedere de prouincia 880
Decies H-S 818.
Decuriæ iudicum 971
De lapide emptus 796
Demere de capite 1024
Denarius 777. 1043
Denuntiare, pro denuntiare teſtimonium 976
Deponère 920
de ponte deiicere 841
Deſcendere 1004
Deſtitui, pro conſtitui 1021
De viuo reſecare 1031
Dica 983. 984
Dicaces 774
Dicis cauſa 1059
Didici, conſueui 793
Diſertè 1033
Diuaricari 1065
Diuiſores 907
Dubitare 838
Duodetricies, duodeuiceſimus 1038
Dupondius 799

E Ducere 1035
Εἰσάγειν 1035
Eludere 892
Emigrare & exire 992
Emim 806
Enimuero 937. 938
Ephemeris 800
Ergo, pro Et ſanè 797
Eriphyla 1057
Eſſe in vadimonium, in poteſtatem, & ſimilia 778
Eſto, ἔστω 893
Exemplum 995
Exire & emigrare 992. expenſum ferre 853, 1129
Extraordinariæ cupiditates 1084
Extraordinaria pecunia 855

F Acilius 793
Facultates 770
Fauces macelli 779
Fauonius 1081
Februarius 989
Feciales 1087
Fiſcus 907
Flagitare 776
Flagitatores 776
Fœderis tria genera 1011
Fornix Fabianus 906
Frugi 1114
Frumentum æſtimatum 1043
Frumentum emptum 889
Frumentum in cellam 889
Functio, ſolutio 1011
Futurum pro fore 820

G Allonius 813
Gallos quantum Romani metuerint 1115
Gemini, ſimiles 64. 260
Gladiator 782
Græcè loqui magiſtratibus populi Rom. non licebat 1074
Græcorum in bibendo mos 936
Gratia 768, 789

Gratia Romæ plurimum poterat 768
HÆredem inſtitui,honeſtum 776,777
Haſtæ fraxineæ 1071
Hiſtrio,comœdus differunt 871
Hiſtrionica turpis 889
Homines mactandi mos non modò Gallorum ,ſed etiam Romanorum 1112
Honeſtum,hæredem inſtitui 776
Honos pro præmium 843
Hortenſij conſuetudo 790
Hortenſij geſtus 892
Hortenſij partitiones 892
Hoſtia 1168
Humanitas 1067
Ι Αιξωνίας 820
Ιλιγγιᾶν 989
Imacera apud Suetonium 946
Imaginum ius 1084
Imperator 782
Incautò 1037
Induere ſe 994
Indulgentia in bonam partem 954
Informare 790
Informata cauſa 790
Infulæ 1068
Ingratis 795
In poteſtatem 1179
Inſignitè 808
In ſuis numis eſſe 1052
Intercalare 809
Intercalarius 809
Inter decem annos 911
Interpolare 970.
Intertrimentum 960
Italici belli cauſa 974
Iudex pro Prætor 819
Iudicia apud varios ordines fuiſſe 883
Iugum 1113
Ius imaginum 1084
Ius pro loco 810
LAcus 839
Lædere & iniuriam facere 896
Laniſta 783,821
Latinæ coloniæ 1044
Latinè 1050
Latini 1089.1090
Lapis & Saxum 965
Luteus 1015
Lautomiæ 1089
Lex Cicinia 1163
Lex Rupilia 1037
Legatorum ſacroſancta corpora 1168
Libella 856
Libelli,qui futuram auctionem denuntiant 781
Liberari prouinciæ 990
Liberæ ciuitates 1063
Liberi populi 1045
Libertas vendi poterat 775
Ligurire 1040
Locus apud Gellium emendatus 1120
Locus ex lib.de Orat.898. ſuſpectus 1007
Locus in Cluentiana emendatus 1132
Locus in epiſt.fam.emendatus 779
Locus in Orat.ad Brutum emendatus 879
Locus in Oration. pro Muræna inſigniter emendatus 955
Locus in Partitionib.emendatus 1079
Locus in Topicis emendatus 1139
Locus Plutarchi emendatus 799,956
Locus pro res 913
L.Philippus 807
Lucrum 1011
Ludi Romani,& dies ludorum 909,1083
MAgiſter 1003
Magiſter in auctionibus 798
Malle potius 887
Malo emere,quàm rogare 1053
Manubiæ 1010
Manum in precando prehendendi mos 814
Manupretium 966
Marcellus Æſerninus 1066
Mancipes 889,1040
Marcellea 985
M.Scaurus 1111
M.Cato 1105
Mari omnia expiantur 816
Maturinus Corderius 825
Maximè cum ſuperlatiuo 1001
Melitenſis veſtis 1004
Menſes Græcorum 909
Migrare & exire 992
Mihi περίλαλον 942
Minus dimidium 957
Miſer pro Innocens 804,805
Mithridatis bella 1101
Moliri 960
Mos Græcorum in bibendo 936
Mos in auctionibus, vt qui liceretur digitum tolleret 962
Mos in legationibus 903,904
Mos Romanorum in conuiuiis 829, mos ſtrepitus aut clamoris edendi,quum orationes haberentur 914, 915
Mos vt decem legati in regiones bello deuictas mitterentur 981
Mos vt qui miles eſſe nollet, venderetur 1145, 1146
Mos vt qui cenſeri nollent,venderentur ibid.
Mos vt reges ſocii ſuam ſellam iuxta Imperatoris tribunal ponerent 1169
Mos vt Reges ac ſocii appellati conſiderent in ſella Prætoris ibid.
Municipia 821
Mutia 985
Mutij 1144
NAm pro atqui 989.1402
Narbo cur Martius 1109
Negotiator 974,1109
Nepos 792,1134
Nequam 1114
Niſi pro Sed 841
Nobilis,& nouus contraria 778,929
Nomen 846,851
Nonæ,idus,calendæ 967
Notæ numerorum 855
Noti & ignoti paſſiuè 924
Nunc maximè 847
Numerorum notæ 855
OBioletius veſtitus 968
Occupare pecuniam 944
Operarij 845
Opes 770
Orator 769
Os tradere 848

Palæſtra

Palæſtra 983
Pallium 1061,1081
Palma 821
Paludamentum 1087
Panchreſtum medicamentum 1035
Παρασκευὴ 769
Paraſiti nigri 1132
Παράταξις 769
Pater familiâs 800
Patronus 769
Penates 810.
Penſio 876
Perductores 928
Perfundere 837
Petitiones 784
Phaſelis 1053
Φαικάσια 1092
Phryges 839
Plutarchi locus corruptus 799,956
Portorium 1111,1169
Πολιτήριον 796
Πολλοστός 895
Pulcere, id eſt prouôcare 937
Poſtea, pro præterea 837
Poſtremus 848
Poſtulare 776
Potentia 767.789
Præcones vendebant ex lapide 796
Præconum munus 774
Prærogatiua 908
Præuaricator 997
Princeps ſenatus 898
Priuatim venire 881
Προαγωγεῖς 928
Proagorus 1059
Promagiſter 1003
Proſcribere 782
Proſcripti 782,821
Prouincia 972,1066
Prouincia, id eſt munus prætoris 1085
Προξενίας 821
Πρυτανεῖον 1069
Publicè venire 881
Publicum conſilium 850
Pulla tunica 1060
Purum argentum 1058
Quæſtor prætori filii loco 897.898
Quæſtiones 820
Q. Roſcius 809
Quum maximè 1005
Radere caput & ſupercilia mollitiem ſignificantia 864
Recipere & Suſcipere 888
Redemptor 905
Rediuia 846
Rediuiui lapides 966
Referre, replicare 794,1125
Reges appellari quàm honorificum 1169
Repetundarum iudicium vnde dictum 884
Romanorum continentia 1052
Roſtra 1161
in Roſtris duo loca 1184
Rura 847
Sagum 1112
Scaphia 1057
Scriptura 1003
Scriptura vectigalis genus 1169
Scrupulus [illegible]
Scurra 774,800
Scurræ nulli niſi liberi 774
Sebuſiani 809
Sectores 837
Sectores dicti à ſecando, id eſt ſequendo 933
Secundo Cal. pro pridie Cal. 779
Secus 788
Seguſiani 809
Senatores ſtantes ſententiam dicebant 1073
Sententiarum dicendarum ordo 1073
Serui publici 1026
Seruus ſocietatis 1003
de Seſtertiis 854,855
Seſtertium millies, decies, &c. 886,926,927
Seſtertius & ſeſtertium idem 855
Sexagenarij depontani 841
Sexcenta 959
Si pro an 844,845
Si pro etſi 846
Sicarij 819
Siciliæ laus 973
Siſtere 780
Socii 1072
Socium appellari Regem quanti fuerit 1168
Sodales 971
Solarium 801
Soleæ 1092
Soluere ab aliquo 1128
Solum vertere 802
Spartacus 1078
Specimen 888
Spectatio 1041
Sphinx Verris 1007
Statuas euertendi mos 1002
Steſichorus 991
Stipendiarii 1072
Stipendium 1009
Sub diuo 932
Succurrere, pro ſuccedere 1165
Summa Reip. 849
Summum tempus 902
Superior 1058
Surculum infringere in lib. de Orat. 1 1 1. 1120,1121
Suum, pro ſibi opportunum 778
Syluæ Romæ in hortis 932
Syngraphæ inanes 1056
Tabulæ auctionariæ 780
Tamen pro tandem 893
Tantum quod 1032
Temperare cum datiuo 974
Tempus 882
Teſtes ex cenſu 874
Themis 1070
Themiſta ſapientior 1070
Theſmotetes 1070
Toreumata 997,1057
Trabalis clauus 1087
Tribus 923
Triochalinum 1079
Triſtis 998
Trulla 1062
Tunica pulla 1061
Tunica talaris 1077
Tuſculanus ager 1071
Vadari 778
Vectigal certum 1009

Vectigales 1072
Vectigalium tria genera 1169
de Vectigalib. multa 1010
Velitari 808
Venerii 896,993
Venus Erycina 896
Verbenæ 1068
Verrinarum ordo & numerus 878,879
Verſura 1005,1007
Vertere ſtylum 994
Vertumnus 969
Verum, pro æquum 770,795
Veſtales 1116
Veſtibulum 1135
Vetus 822,826
Vetuſtas 807
Vicarius 1027
Vicesſimarium aurum 1005
Victoriatus 1111
Vir & homo differunt 844
Vnus de multis 895
Volaterrani 1129
Vrii Iouis templum 1071
Vtrum ſine an 1002

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM, QVÆ IN NOTIS AD ASCONIVM Pædianum continentur multis quàm antehac partibus & melior & emendatior.

A Summo ad imum 1370
Abſoluendi nota A 1351
Ac neque 1397
Accenſus 1357
Acceptum referre 1360
Accuſandi mos 1335
Accuſandi ordo 1351
Accuſatio perfecta 1345
Accuſatio Verris quo die 1338
Accuſationem quatuor ſuſtinent 1331
Accuſator clauta omnia rei obſignabat 1354
Accuſator firmus & verus 1328
Accuſatorium nomen odioſum 1360
Acilia lex 1343.1351
Actores Græci 1331
Ad vrbem 1343.1369
Addere 1331
Adrianus 1357
Aduertere 1339
Aduocationes 1363
Aduocatus 1315
Ædilium comitia poſt prætoria & conſularia 1338
Ædilium ludi ſignis prouinciarum ornati 1354
Æliæ & Fuſiæ leges ſublatæ 1391
Ænobarbus in cauſa Milonis Quæſitor 1403
Ærarius 1314
Æſtimatum frumentum 1318
Africanus 1348
Africanus ſuperior 1377
Africanus Cottam accuſauit 1333
Agathocles Siciliæ rex 1336
Albinouanus proditor 1352
Alacer 1339
Aleatores quadrupli damnabantur 1317
Alienus 1330,1331
Ampliatio 1351,1357
Amplius 1351
Animaduertere 1339
Antoniana lex à P. Clodio lata 1390,1391
Antiochi regis filio obſidi publice dom⁹ ædificata 1393
Antonius à Cenſoribus ſenatu motus 1383
Antonius Ciceronis in Conſulatu collega 1382
Antonius Milonis accuſator 1367
Antonius curator oræ maritimæ 1332.1355,1367
Aperte 1337
Aſſa voce 1332
Apollinis ædes 1306
Appellatio 1361
Appia via 1407
Appius Claudius Decemuir 1380
App. Claudius Varronis accuſatos 1327
Appius maior Milonis accuſator 1404
Apponere 1357
Aquilius de repetundis accuſatus 1333
Ara legum 1668
Aratores 1336
Argumentari 1344
Arx 1325
Aſpendius citharista 1354
Aſpirare 1325
Aſportare & palàm differunt 1328
Aſſequi diem 1364
Aſſiduus 1342
ἄϛυ vrbs ead.
Aſtuta, id eſt vrbana ead.
Athenio dux fugitiuorum Siciliæ 1376
Atiniæ leges 1361
Attilius Serranus Tribu. pl. 1392
Attributa pecunia 1352
Attributa perſonæ & negotio 1346
Auctoritates publicæ 1335
Auferre 1349
Aurelia lex 1381
Auxilium pro pecunia 1358
B Aſilica à cenſoribus facta 1331
Bellienus damnatus 1386
Boculus quadrigarum agitator 1387,1388
Bonus pro magno 1362
Bono ſuo quoque 1364
Bona 1361
Bona prædia 1363
Bulbus 1340

Bulla

Bulla 1365
CÆcilius accuſatione excluditur 1333
Cæcilius Conſul 1390
Cæcilius Rufus Prætor 1407
Cæcilius à Catilina occiſus 1383
Cæcilio ob rem male contra Cimbros geſtam imperium abrogatum 1381,1382
Cæritum tabulæ 1324
Cæſar accuſator Dolabellæ 1327,1398
Cæſar Piſonis gener 1388
Cæſonius ædilis deſignatus cum Tullio 1340
Calidius accuſatus 1342
Calidius Milonem defendit 1401
Calpurnia lex 1375,1377
Calpurnius Piſo Conſul 1377
Camilli ſtatuæ togatæ ſine tunicis 1400
Capita iuris 1362
Carbo 1336
Caſſia lex 1380
Caſſinius Clodii teſtis 1407
Caſſinius Schola in Milonem teſtis 1404
Caſſius Longinus Ciceronis in conſulatu competitor 1382
Caſſius Prætor 1373
Caſſius Quæſitor 1405
Caſſii leges tabellariæ 1340
Caſtoris ædes 1366
Caſtoris & Pollucis templũ à Metello inſtauratũ 1398
Catilina Ciceronis in Conſulatu competitor 1383.1384
Catilina repetundarum reus 1364,1383,1388
Catilina abſolutus 1386
Catilinæ ſtuprum nefarium 1386
Catilinæ Clodius accuſator 1376
Catilinæ crudelitas 1383
Catilinæ & Cn. Piſonis in ſenatum coniuratio 1387
Cato Galbæ & Furii accuſator 1333
Cato Milonem defendit 1401
Cato Prætor in Scauri cauſa iudex 1394
Cato Prætor iudicium ſine tunica exercuit 1400
Catulus 1355
Cauſæ aliæ publicæ aliæ priuatæ 1323
Cauſæ coniectio 1350
Celius Tribunus pl. Milonis ſtudioſus 1402
Cenſi 1361
Cenſores quinto quoque anno 1324
Cenſorum nota ead.
Cenſoris nota non perpetua ead.
Cenſura pudoris & modeſtiæ magiſtra 1391
Centuriæ 1366
Cera extrema 1359
Chelidon 1360,1362,1370
Chelidon, id eſt hirundo 1360
Chirographum 1359
Chryſogonus Verris ſeruus ead.
Cicero Milonis defenſor 1401,1404
Cicero Prætor 1373
Cicero Quæſtor in Sicilia 1321
Ciceronis dubium an ſit liber de opt. gen. or. 1399
Ciceronis de vita, liber à Tirone liberto ſcriptus 1407
Ciceronis domus direptio & inflammatio 1391
Ciceronis domus publico ſumptu ædificata 1392
Ciceronis inconſtantia defenſa 1326,1345
Ciceronis in Conſulatu competitores 1381,1383
Ciceronis in Milone defendendo fides 1402
Ciceroni nouitas obiecta 1388
Cilicium 1359
Cimbricum bellum 1377
Cinnæ dominatio 1397
Circæum poculum 1334
Circumſcripto 1353
Citabantur, rei prætores, &c. 1347
Circus maximus 1365
Ciuitas ſociis negata 1396
Clamatores 1331
Claſſicum 1332
Claudiorum familiæ 1397.1398
Clodius Catilinariæ ſeditionis ſocius 1408
Clodius Catilinæ accuſator 1376
Clodius collegia ſublata reſtituit 1390
Clodii & Milonis inimicitiæ 1399
Clodii interitus 1400,1401
Clodii corpus à Tedio Romam perlatum ibid.
Clodii leges 1390,1408
Cognitor 1315.1348
Cohors prætoria 1352
Collegia quæ aduerſus remp. ſublata 1390
Collegia à Clodio reſtituta 1390
Collegiorum magiſtri ludos faciebant 1390
Coloniarum duo genera 1389
Columna Mænia 1331
Cominii Cornelium maieſtatis reum fecerunt 1373
Comitia 1338
Comitia bina 1339
Comitia conſularia vi. Kal. Auguſti 1338
Comitium locus 1335
Commiſſa 1369
Committere 1332
Commodum eſſe, pro velle, & libere 1372
Commune pro rep. 1359
Comperendinatio 1345,1346,1350
Compilare 1352
Compitalitii ludi à prætextatis fiebant 1390
Compitalitii ludi à Q Metello prohibiti ead.
Complexio genus argumenti 1330
Condemnandi nota C. 1361
Confiteare 1337
Conſtituere 1327
Contaminata iudicia 1333
Corinthiis bellum indictum legatorum cauſa 1358
Cornelia lex 1361,1365
Corneliæ caſtitas 1405
Cornelius à Cicerone defenſus 1371
Cornelius abſolutus 1382
Cornelius C Pompeii Quæſtor 1371
Cornelius Fauſtus Dictatoris filius 1378
Cornelius maieſtatis reus 1373
Cornelii Curio accuſator 1375
Cornelii leges 1373
in Cornelium teſtes 1373
Cornificius Ciceronis in Conſulatu competitor 1382
Corrupta iudicia 1333
Cotta accuſatus ab Africano 1333
Cotta legem iudiciariam tulit 1394
Cottæ leges 1376,1381
Cottæ oratoris interitus 1393
Cottæ tres Conſules 1376
Craſſus de Hiſpanis triumphauit 1392
Craſſus ſemel in vita riſit 1335
Craſſus in Cornelium iudex 1380
Craſſi interitus 1397
Crumenæ velleræ & ſcorteæ 1317
Cuncti 1323
Inertia librariorum menſæ & codices 1401
Curia incenſa à Sexto Clodio 1401.1406

Curio Cornelij accuſator 1375
Curius aleator 1388
Curtius iudex quæſtionis 1353
DArius rex Perſarum 1353
Decumani 1329
Decumanum frumentum ead.
Decuria pro ordine 1366
Deductio 1329
Delubra 1323
Depoſita reſp. 1347
Detrimentum 1363
Dianium Hiſpaniæ ciuitas 1358
Dicere 1344
Didius Conſul 1375
Dies 1335
Dies inquiſitionis 1333,1335
Diem aſſequi 1365
Difficultas pro paupertate 1324
Dilogia figura 1339
Diſtrictus 1339
Diuidere ſententiam 1405
Diuinatio 1322
Diuiſores, magiſtri curiarum 1338
Dium 1354
Dixerunt 1345
Dixi in exitu Orationum 1345,1350
Dolabellæ duo 1327,1398
Domitius Silani accuſator 1382
Domitius Tribunus pl. 1395
Domitius in Milonis cauſa Quæſitor 1403
Domus quibus publicè ædificatæ 1392
Ducere 1341
Duci iuſſit 1370
ECce autem 1341
Elephantorū pugnā Pompeius primus dedit 1394
Emiſſarius 1369
Emptum frumentum 1328
Epiterapeuſis 1340
Equi in Aſia magno æſtimati 1369
Equites iudicant per annos XL. 1324
Equites optimi iudices 1340
Equitum iudicia 1341
Eripiuntur noſtra, auferuntur data 1326
Excurſor 1369
Exigere viam 1365
Exiſtere 1353
Expenſum ferre 1360
Extraordinariæ pecuniæ ead.
FAbia virgo Veſtalis abſoluta 1386
Fabianus fornix 1337
Fabius Allobrox ead.
Fabula quinque actus continet 1369
Factus 1356
Faleræ 1370
Fanum 1354
Fauſtus Cornelius 1399
Fauſtus Sylla Milonem defendit 1401
Februarius menſis legationibus audiendis 1359
Feneſtella ab Aſconio reprehenſus 1383,1387
Fex 1360
Fidiculanius Falcula 1342
Figura 1355
Fiſcus 1337
Fiſci 1337
Flaminia Triarij mater 1395
Flauij cum Clodio pugna de Tigranis filio 1407
Fœnei homines 1375
Fœnus illicitum quadrupli damnatum 1327
Foris canere 1354
in Foro ludi olim dabantur 1355
Fornix Fabianus 1337
Fortunæ 1361
Frugi familia 1388
Frumentum Siculenſe 1359,1360
Frumenti penſitationis genus triplex 1367
Fuſiæ leges 1361
Fuluia Clodij vxor 1344
Furiæ leges 1361
Furius à Catone accuſatus 1333
GAbinij lex 1378
Galba à Catone accuſatus 1333
Gallius ambitus reus à Cicerone defenſus 1385
Gallius à Cicerone defenſus 1342
Gallius Callidij accuſator ead.
Gallius Prætor in cauſa Cornelij iudex 1374
Gellius Cenſor 1383
Glabrio Prætor in cauſa Verris 1321,1322
Gladiatorium in foro 1332
Glaucia lex 1350
Græci otioſi & leues 1356
Græco more bibere ead.
Gracchus Tribunus 1365
Gracchus Tribunus M. Octauio magiſtratum abrogauit 1378
Gracchi lex iudiciaria 1324
Gratiam in malam partem 1339
Gratidianus Prætor à Catilina trucidatus 1383,1386
Grex oratorum 1331
Gutta 1340
Hiero Siciliæ rex 1336
Hieronicæ leges 1326
Hyperbaton 1368
Homo adoleſcens 1359
Honeſtus pro diuite 1362
Horæ accuſatoris 1350,1351
Hortenſius corruptor iudicij 1317,1342
Hortenſius Milonis defenſor 1401
Hortenſius Tullio maior 1317
Hypſæus Milonis in Conſulatu competitor 1399
IMminuti magiſtratus crimen 1358
Impluuium 1356
Index ſenator non eſt 1319
Indici impunitas ead.
Iniuria 1332
Intelligere 1339
Intercidere 1362
Intercolumnium 1354
Interpellare 1357
Interpretes 1342
Interreges non amplius dies quinque 1405
Interregis creandi mos 1405
Intertrimentum 1363
Intus canere 1358
Inueſtigare 1343
Ipſe 1370
Iudex factorum 1362
Iudicem præſentem vituperare fas non fuit 1349
Iudices citabantur 1346
Iudices iurabant 1337,1341,1343
Iudices non iurabant in diuinationibus 1311
Iudices reiecti 1349
Iudicandi mos 1327
Iudicari, id eſt abſolui 1350
Iudicium in cauſa Milonis 1403

Iudicio

Iudicio repetundarum populus aderat 1323
Iudicia ob tumultum Italicum intermiſſa 1379
Iudiciaria lex à Cotta lata 1394
Iudiciorum mos 1357
Iulij tragœdiæ 1397
Iuliorum interitus 1397
Iunius Quæſitor 1340
Iunius Syllanus Conſul 1377
Iunii ſubſortitio 1366
Ius 1370
Iure vocatæ tribus 1339
Iuſti, id eſt, magnæ 1349
LAcer 1337
Lædere 1332
Lamia à Gabinio Conſule religatus 1391
Latumiæ 1348
Legatus quæſtorius 1355
Legatorum ſancta corpora 1358
Lenones 1352
Lex Acilia 1343 Aurelia 1381 Capulnia 1385 Caſſia 1380 Cornelia 1361, 1365 Licinia 1376 Mutia ead. Plotia 1381 Roſcia ead. Voconia 1361
Lege agere 1361
Lentulus Cenſor 1383
Lentulus Ciceronis gener 1389
Lentulus Sura in carcere ſtrangulatus 1331
Lentulus Spinter Conſul 1407
Lepidus accuſatus 1325
Lepidus interrex creatus 1405
Liber de vita Ciceronis à Tirone liberto ſcriptus 1407
Licinia lex 1376
Licinius Craſſus ead.
Licinius Sacerdos Ciceronis in conſulatu competitor 1381
Lilybætanus Quæſtor 1368
Lis æſtimata 1342
Lis vindiciarum 1362
Liuiæ leges 1326
Liuius Druſus Tribunus pl. ead.
Locutio inconſequens 1344
Lucei in Catilinam orationes 1386
Lucretius Aſella occiſus 1386
Lucullus Prætor in cauſa C. Antonij iudex 1383
Lucullus proconſ. in Macedonia 1369
Ludus 1330
Ludi olim in foro 1355, 1363
Ludi plebeij 1341
Ludi Romani, magni, & Circenſes, ijdem 1341
Ludi votiui ead.
Ludorum interuallum 1344
Luſcius centurio Syllanus damnatus 1386
MAgiſter ludi 1330
Magiſtratus inibantur auſpicato 1361
Magiſtratibus negotiari non licebat 1355
Magius proditor 1358
Manceps 1329, 1336
Manilij leges 1376
Manubiæ 1365
Manupretium 1364
Marcellus 1348
Marcellus iudex 1364
Marcellus Syracuſas cepit 1367
Marcelli tres, nouies Conſules 1342
Marcelli & Macellini gentiles 1325
Marcius Conſul 1390
Metellus Dalmaticus 1365
Metellus Numidicus Conſul 1377
Metellus Pontifex 1398, 1408
Metellus Verris ſucceſſor 1321, 1406.
Metelli 1375
Metelli tres 1321. 1336. 1339
Metellus Nepos Conſul 1407
Metellus Nepos Tribunus pl. 1390
Metellus Scipio Milonis in Cóſulatu competitor 1390, 1400
Mileſiorum claſſis 1359
Militiæ nomina 1357
Milo Pompeio ſuſpectus 1408
Milonis & Clodii inimicitiæ 1399
Milonis defenſores 1401
Milonis in Conſulatu competitores 1399
In Milonem teſtes 1404
Miſer pro innocente 1353
Mons Sacer 1380
Mos in iudicijs 1336, 1366. 1371
Mos canendi in claſſe 1332
Mos Græcorum in conuiuiis 1356
Mos oratorum in cauſis dicendis 1332
Mos reorum faciendorum 1336
Mos in agendo priore aut poſter. loco ead.
Mos in comitiis 1340
Mos obſignandi domum & omnia clauſa rei 1354
Mos domeſticam vitæ rationem per ſingulos dies ſcribendi 1355
Mos Romæ in atriis domum telas texi 1405
Mummius euerſor Corinthi 1354
Munatii Planci in Milonem concio 1403, 1405
Muſtius à Cicerone defenſus 1365
Mutia dies feſtus 1332. 1370
Mutia lex 1376
Mutius Aſiæ præfuit 1370
Mutius à Cicerone defenſus 1384
Mutius Oreſtinus Tribunus pl. 1383
Mutius Scæuola 1332. 1376
Myoparo 1358
NArratio in exordio 1323
Nefarium 1347
Negotiatio magiſtratibus interdicta 1356
Neque 1397
Neuii ſenarius in Metellos 1340
Nicomedes Bithyniæ rex 64
Nomen infimum 1359
Nomina 1356
Non liquet 1351. 1359
Notæ abſolutionis, & condemnationis 1352
Numerius Tribunus pl. 1392
OBligatus 1339
Obnunciatio à Clodio ſublata 1390
Obſeruare 1343
Octauius à Cinna occiſus 1397
Octauio à Graccho Tribuno magiſtratus abrogatus 1378
Officium 1370
Omeo 1364
Opimius 1356
Opimius in exilium eiectus 1399
Oppianicus damnatus 1340
Oppugnare 1336
Orbita 1325
PAlàm & apertè differunt 1337
Palatina tribus 1338
Palſicanus Tribunus pl. 1343. 1362
Palliatæ fabulæ 1338
Parodia 1342

Particepi 1364
Pauli de Macedonia triumphus 1392
Patronus 1325
Pecuarij 1330
Peculator 1334
Peduceus Tribunus pl. 1406
Perdere 1335
Perductores 1352
Perpendiculum 1363
Periæ deorum contemptores 1353
Phannius proditor 1358
Philippus Conſul 1377
Philodemus Epicurus 1394
Piſo Catilinæ familiaris 1376
Piſo Conſul è foro eiectus 1379
Piſo Conſul lapidibus petitus 1372
Piſo Ciceronis gener 1389
Piſonis auus Ead.
Piſonis in Hiſpania interitus 1388
Piſonis & Catilinæ in ſenatum coniuratio ead.
In Piſonem Oratio quando habita 1387
Placentia colonia deducta 1389
Placentia num municipium Ead.
Plautius Silanus Trib. pl. 1381
Plebs ruſtica 1324
Plebis ruſticæ conuentus 1344
Plotia lex 1381
Pœnæ iudiciariæ 1342
Polliceri 1343
Pompeius Conſul ſine collega creatus 1402
Pompeius populo tribunitiā poteſtatem reſtituit 1343
Pompeius pro Conſule ead.
Pompeius Strabo Pompeii Magni pater 1389
Pompeii in Milonem concio 1367, 1403, 1405
Pompeii in Milonem ſuſpiciones 1408
Pompeii leges 1402
Pompeij ludi 1387 1394
Pompeii pater de Picentibus triumphauit 1393
Pontifices de inceſtu veſtratium cognoſcebant 1406
Populari 1323
Portitores 1329
Porcia baſilica ambuſta 1405
Poſſeſſiones 1361
Poſſeſſor 1362
Prædes 1361, 1364
Prædia ead.
Præfectus prætorio 1352
Præiudicium 1321
Prærogatiua 1359
Prærogatiuæ tribus ead.
Præſtringere aciem 1330
Prætexta 1361
Prætor pro omni imperatore 1352
Prætor Cal. Ian. init magiſtratum 1341
Prætor maioribus cauſis præerat 1331
Prætor intercedit 1362
Prætor non iurabat 1341, 1337
Prætoris officium 1362
Prætores ſortiebantur prouincias & iudicia 1338
Prætores ſortiebantur ſubſortiebanturq; iudices 1337
Prætorium 1352
Prætorum inſtituta 1336
Prætorum ſortitio poſt comitia conſularia 1338
Prætura prouincialis poſt vrbanam 1335
Præturæ ius 1369
Probare pro admittere 1379
Procurator 1325
Prodere 1335
Profligare 1336
Publius diuiſor 1337
Pupius Piſo Conſul 1393

QVadrare 1359
Quadruplator 1369. 1349
Quæſitores 1340. 1327
Quæſitoris officium 1346
Quæſtores 1352. 1314
Quæſtores in Sicilia duo 1323. 1360, 1369
Quæſtores vrbani 1348
Quæſtorum mos 1359. 1360
Quæſtoribus accuſare ſuos Prætores non licebat 1332
Quæſtura, ſenatoris prima adminiſtratio 1329
Quintius Tribunus pl. 1340

RAtiones domeſticæ 1355
Recipere & ſuſcipere differunt 1328
Redemptio iudicij 1336
Reiectio iudicum 1336, 1366
Renunciatio 1336
Repetundarum cauſa 1356
Repetundarum pœna 1348
Requirere 1333
Res pro crimine 1362
Reus imminuti magiſtratus 1358
Reum fieri 1335
Recitabantur 1347
Romilia tribus 1338
Romuli ſtatuæ togatæ ſine tunicis 1398
Roſcia lex 1381
Roſtra quo vrbis loco 1405
Rupilius leges Siculis conſcripſit 1371

SAcci 1337
Sicularij 1386
Sacerdos Prætor 1369
Sacra 1353
Sadala Thraciæ rex 1356
Sartorum tectorum cura cenſorum propria 1363
Satisfacere 1358
Saturninus Tribunus 1365
Scæuola Pontifex 1393
Scaurus patritii ordinis 1397
Scaurus repetundarum reus 1395
Scaurus abſolutus 1396
Scaurus accuſator Dolabellæ 1327, 1398
Scauri abſtinentia 1393
Scauri accuſatores 1394, 1395
Scauri defenſores 1395
Scauri domus 1398
Scauri laudatores 1398
Scriptura 1329
Seceſſio plebis ſecunda 1380
Sector 1354. 1356
Secundarum partium perſona 1331
Semel pro ferè nunquam 1335
Sempronia Tuditani filia in Milonem teſtis 1404
Senatores ſoli iudicāt ferè per decem annos 1322 1324
Senatus iudicat per annos decem turpiter 1342, 1343
Sententiam diuidere 1405
Sētentię aliter in grauiorib', aliter in leuioribus cauſis ferri ſolitæ 1327
Seplaſia 1391
Sequeſtres 1342
Sertorius à Pompeio victus 1343
Seruilia Catonis ſoror 1395

Seruilius

Seruilius de Cicilia triumphauit 1355
Seruilius Cepio Scauri accuſator 1395
Seruilius Globulus Tribunus plebis Cornelio obſtitit 1372
Sextus Clodius incenſæ Curiæ auctor 1390
Sicilia à Scipione & Marcello beneficiis affecta 1336
Sicilia frumentum decumanum dabat 1328
Sicilia neque Græcè, neque Latinè perita 1319
Siciliæ patroni 1323
Sicinius L. F. 1380
Signorum copia in Græcia 1355
Silanus ob rem malè aduerſus Cimbros geſtam à Domitio accuſatus 1382
Simulacrorum euerſores Perſæ 1353
Sinope ciuitas Ponti 1358
Siſenna rerum Romanarum ſcriptor 1379
Socius & particeps differunt 1364
Solem Perſæ colunt 1353
Solitaurilia 1324
Solœciſmi ſpecies 1323, 1339
Sortitio 1337, 1366
Sortitio prouinciarum à prætoribus 1338
Spiritus 1357
Sponſionem facere 1362
Sportæ 1337
Stalenus 1340
Status 1355
Status coniecturalis 1346
Stragula 1372
Subire inuidiæ 1330
Subſcriptores quamobrem adhiberi ſolerent 1330
Subſellia 1331
Subſortitio 1337, 1366
Sulpitius Galba Ciceronis in conſulatu competitor 1381
Sulpitius interrex 1402
Sulpitius Tribunus 1375
Suſcipere & recipere differunt 1328
Sylla nobilitatis defenſor 1352
Sylla Felix rempublicam per vim poſſedit 1375
Symphoniaci ſerui cur in claſſe 1332
Syngraphæ 1359
Syracuſæ à Marcello captæ 1325, 1367
Syracuſanus Quæſtor 1368
TAbellæ iudicum literis inſculptæ 1327
Tabellæ iudicibus trinæ ead.
Tabulæ domeſticæ 1355
Tantaſius à Catilina occiſus 1383
Tarentinis bellum indictum legatorum cauſa 1358
Templa & delubra differunt 1344
Terentius Varro 1327
Tenuiſſimus 1343
Tertia Scæuolæ filia à Pompeio dimiſſa 1395
Teſtamenta quæ non valeant 1361
Teſtes iurati 1359
Teſtes iurati dicebant 1348
Teſtes aduerſario dabantur examinandi & interrogandi 1333
Teſtes ſuos etiam ipſi accuſatores interrogabant 1345
Teſtimonium apud antiquos etiam de auditione dicebatur 1351
Teſtimonium non poterat accuſator denunciare defenſori 1370
Teſti niſi interrogato loqui non licebat 1358
Teſtium interrogationes 1351, 1358
Theatrum quando Romæ dedicatum 1387
Tigranis filius apud Flauium depoſitus, & à Clodio abductus 1406
Thenſæ 1365
Thurarius vicus ead.
Toga 1361
Togati Romani 1357
Tranſlatitia 1361
Trebellius Tribunus pl. 1378
Tribunitia poteſtas populo reſtituta 1324
Tribuni ærarii 1324
Tribuni militares 1341
Tribuni pl. magiſtratum inibant Nonis Dec. ead.
Tribunorum appellatio 1370
Tribunis pl. poteſtas adempta 1324, 1342
Tribus xxxv 1338, 1339
Tribus numerus & nomen 1348
Tribus aliæ vrbanæ, aliæ ruſticæ 1408
Tribus ruſticæ ingenuorum propriæ ibid.
Trierarchus 1354
Triumphandi mos 1351
Triumuiri capitales 1331
VAlerius Nepos Milonis accuſator 1404
Valerius Triarius Scauri accuſator 1395
Valerio Maximo domus in palatio ædificata 1392
Varia lex 1379, 1396
Varius Tribunus pl. 1396
Varro repetundarum reus 1327, 1342
Verginius Tricoſtus Conſul 1380
Verres Carbonem prodit 1335
Verres Dolabellæ proditor eadem
Verres contra Minutios corruptus 1362
Verres legatus & pro Quæſtore Dolabellæ 1323, 1336
Verres prouinciam Siciliam Triennium obtinuit 1321
Verres Prætor 1340
Verres ſua ſponte in exilium abiit 1333
Verris honores 1321
Verris pater diuiſor 1363
Verris rapinæ quadringenties 1326
Verris ſuffragatores 1336
Verres quo die accuſatus 1338
Verrinæ quinque fictæ 1345
Veteratorius 1363
Veteres pro ſeueri 1341
Veturius Ceturinus Conſul 1380
Vexare 1336
Via Sacra 1337
Vlciſcor 1327
Voconia lex 1361
Volumnius à Catilina occiſus 1383
Vortumnus deus 1365
Vortumni ſignum ead.
Vſu venire 1369
Xerxes rex Perſarum 1353
Zeugma figura 1344

FINIS.

ANT 1318.51

Digitized by Google



by Google